GESTA DEI
PER FRANCOS,

Siue

ORIENTALIVM EXPEDITIONVM,

Et

REGNI FRANCORVM HIEROSOLIMITANI

Historia

A

Variis, sed illius aui scriptoribus, litteris commendata:

Nunc primùm aut editis, aut ad libros veteres emendatis.

Auctores Præfatio ad Lectorem exhibet.

Orientalis Historiæ

Tomus Primus.



HANOVIÆ,

Typis Wechelianis, apud heredes Ioan. Aubrii.

M. DC. XI.

Cum Priuilegiis, S. Cæs. Romanorum Maiestatis, & Regiæ Francorum.

REGI CHRISTIANISSIMO LVDOVICO HENRICI MAGNI FILIO.

MVLTA abs te, magnáque, LVDOVICE Rex, pauculæ iſtæ voces exigunt. Nec te ego morabor multis. REGEM cùm dicimus, impoſitum nobis à DEO rectorem agnoſcimus, ſolo DEO minorem. Caſtum itaque, & DEO ſimillimum Principem exſpectamus. CHRISTIANISSIMVM verò, tanto poſt ſe interuallo relinquere alios decet, quanto ſupra genus omne hominum homo CHRISTIANVS attollitur. Suaue & expetendum CHRISTIANVM nomen, eiuſque Coronam admirabilem, dixit Oris aurei Doctor: ſed CHRISTIANISSIMI nomine glorioſius nihil ſe habere profitetur, qui vt voce olim, ita ſcriptis hodiéque, ſpargit

Chryſoſt. homil. 3. ad Antioch.

Ambr. epiſt. ad Gratianum Auguſtum.

—ſalubres Ambroſiæ ſuccos.

Te itaque, Vnctum DOMINI, ſummam ad gloriam vocat vox propria Regiæ gentis

tuæ: nec mortale hoc ſolum, & periturum Regnum capeſſendum; ſed multo etiam ardentiùs immortalem à CHRISTO Coronam perſequendam admonet. Ad gloriam, inquam, adſpirandum tibi: ſed ſolidam illam certámque, paucis aut cognitam aut petitam mortalibus: quæ, non effræni & diſſolutâ potentiâ, ſed legibus adſtrictâ ratione quæritur.

Impoſitum verò, non ſine Numine, LVDOVICI nomen; & HENRICI Magni, parentis, glorioſiſſimi Principum, recens memoria, Maiorum te tuorum Virtutibus obligat. Neque enim facinus magnum, aut ſanè memorabile eſt, in paternum Regnum, bonis beneuolentibus, nequicquam maleuolentibus improbis, ſuccedere; & Regiam inde pompam, externúmque cultum, luxúmque excultum perſequi: ſed meminiſſe virtutum, de iis cum optimis quibuſque certare; omnéſque omnis memoriæ bonos Principes, inſtitutis factíſque laudabilibus vincere, dignum & titulis & Maioribus tuis facinus exiſtima.

Sed ab illis omnium ætatum, ad tuos te reuoco: quos ſi æquaueris, omnes omnium gentium alios facilè ſuperaueris. De multis, paucos accipe: & principes primùm Regnorum tuorum auctores ſuſpice, WARAMVNDVM, & MONCADAM: illum,

Omnia veridico qui quondam ore profudit:

hunc,

hunc, expansâ manu facilem, & munificum. Ad tuos inde descende LVDOVICOS: & in his illum BEATVM intuêre, à quo generis tui felix propago; atque hunc proximum, cui PATRIS POPVLI nomen Virtus fecit: Virtus verè Regia. Nam rei militaris scientiam, & illud circa pectus æs triplex, non pauci, etiam mercenarii & è plebe duces habuêre: sed populorum salutem, studio, curâ, solicitudine, prouidentiâ complecti, Regum res est; eorum maximè qui CHRISTIANISSIMI audiunt. Ab his LVDOVICIS duobus cum abieris, excipiat qui edidit Magnus HENRICVS: ingenio, virtute, lenitate maximus: cuius verissimas laudes alii dixêre, dicéntque: Illis, imò & tibi, nos fortasse aliquid aliquando dabimus, vt quos imiteris habeas è Maioribus tuis cognomines duos, omnium optimos maximos.

Et BEATI quidem illius gesta, hæc attingit, quam offero Maiestati tuæ, Historicorum collectio. Offero autem, quia Historia: quia res arduas à plerisque omnibus Christianis Principibus, in primis à Maioribus tuis, ingenti pióque animo susceptas confectásque continet: quia & LVDOVICORVM Regum facta memorat: quia de tot Regiis Principum familiis, qui his vt periculosissimis, ita gloriosissimis expeditionibus adfuerunt,

tuam vnam, quantum meminiſſe poſſum, velut è publico mortalitatis naufragio, ſacram tabulam. DEVS ſupereſſe voluit.

Hiſtoriarum quidem ſtudium eiuſmodi eſt, vt cùm omnibus ingenuis hominibus conueniat; tùm eorum quos Reip. DEVS admouit, proprium ſit: Regibus autem maximè omnium neceſſarium eſſe videatur. Facit enim illa à DEO maieſtas, quæ verendos bonis omnibus Reges reddit, vt paucos tam præſenti animo reperire ſit, qui oculos attollere, mentem intēdere, os aperire ad tanti ſplendorem luminis, (an numinis?) audeant. Oris canini, & ferreæ frontis homines, vt ineptiſſimi, ita audaciſſimi, vobis ſe Regibus inſinuant: neque teneram tantum ætatem, clàm morum magiſtris, labefactant; ſed adultos & iam confirmatos Principes à recta via ad vitia retrahunt, atque inde agunt præcipites: blandi, ſed pernicioſiſſimi Doctores. Itaq; ad LIBROS te voco: Veritatis incorruptos illos & cuſtodes & indices: non eum ad modum, quem prauum nonnulli Principum ſecuti ſunt, doctrinæ & eruditionis plebeiæ captantes vel famam vel fumum. Meliorem te ex iis, & prudentiorem volumus. Quod alii ſeruilibus aut etiam turpibus officiis impendunt; eius tu temporis particulam pauculis, ſed electis aliquot è vetuſtate, atque etiam è tua gente, probis au-

bis auctoribus tribue: in secessu illos habeas; clam ad illos adeas, tãquam ad secretissimos & fidelissimos consiliarios: in quibus sit, si lubet in hac collectione princeps, Tyri Archiepiscopus Guillermus: qui & Regis pueri ingenium Præceptor formauit; & imperantium consilia Cancellarius rexit; & grauissimis de rebus legationes ad Reges maiores tuos, & alios Occidentis magnos Principes, variâ doctrinâ instructus, & vsu multo subactus obiit. Teneat & suum locum illa, quam ante dixi, B. LVDOVICI, cuius & origine & nomine gaudes, insignis historia: quæ & hîc obiter inserta, & aliis ex professo dicta est.

Sed vnam, è tot Regiis, solam superstitem familiam tuam; commemorandum atque explicandum videtur. XERXEM illachrymasse ferunt, cùm immensum exercitum lustrasset oculis: quòd de innumerabili multitudine, intra centum annos nemo superfuturus esset. Sed singulorum, quamuis innumero numero; conclusam angustis terminis viuacitatem, mirum non videatur, qui iusto DEI iudicio, morte damnatam sciat generis humani contumaciam. Integras verò familias, quæ longâ filiorum nepotúmque serie reddidisse immortalitatem mortalibus videri poterant, tam breui tempore occidere, meminisse horret. Magno olim, vti dixi,

Principum, nationúmque Christianorum concursu in Turcos & Sarracenos itum est. Hic Germaniæ & Græciæ IMPERATORES; Francorum, Angliæ, Hungariæ, Daniæ, Norvvegiæ, Siciliæ & Cypri REGES; Lotharingiæ, Bauariæ, Normandiæ, Austriæ, Aquitaniæ, Burgundiæ, Flandriæ, Biturigum, Andegauorum, Campaniæ, Montisferrati, Tholosæ, Henaucorum, aliósque PRINCIPES; & proceres alios innumerabiles legimus. GERMANICVM Imperium, per artes bonas quæsitum exercitúmque tum tenuêre post Francicos Sueuici, quos, desperatis in Oriente Christianorum, in Italia Imperii rebus, ipsâ Germaniâ variis fessâ tempestatibus, exceperunt Austriaci Principes. Sed illi fuerunt: fortis autem & religiosa in Turcos opera, fideli horum aliorúmque auctorum commemoratione viuit. GRÆCORVM Imperium insederant Comneni, & post eos Angeli, malo rei Christianæ orbi immissi: quorum & nomen periit: Imperii autem cum Vrbe reliquias, pessum iam eunte Hierosolimitano regno, occuparunt iuncti Venetis Franci tui; tenuerúntque, donec per intestina mala distractis Christianorum animis, domesticorum perfidiæ cessit nostrorum destituta Virtus. De Regibus quorũ insignis hisce bellis opera & commemorabilis fuit, ANGLIAM habuêre Normannici

mannici primùm, dein Andegauenſis, atquè etiam Campanici ſanguinis Principes, ſub Maiorum tuorum nati imperio: SICILIAM, iidem tui Normanni: DANIAM & NORWEGIAM, ſui, vt videtur, indigenę: HVNGARIAM, Attilæ poſteritas: CYPRVM, & ipſi clientes tui, Luſignani. Sed, vt illorum Imperatorum, ita & horum Regum, poſteritas omnis ad plures abiit. HISPANIS, negotium faceſſebat Sarracenorum alia natio, quibus perdomitis, ſublatæ & hæ Regum familiæ, regnandas terras ſuas illis ipſis Auſtriacis Principibus reliquerunt. Per aliorum ire Principum omnium gentes, vt non iniucundum, eſſet tamen longum nimis, & extra modum epiſtolæ. Et de his, vix vna & altera hunc breuem, ſed rapidum, temporis curſum ſuperauit. Ita ſubuerſo, certè aliam atque aliam in faciem ſæpiùs conuerſo terrarum Orbe, ſolum Francorum Regnum, Reges tenuit ſuos: ſoli Francorum Regno, Reges DEVS ſeruauit ſuos. Viuit in te, tuíſque Principibus, Regius ille ab Alto ſanguis; viuétque, quamdiu hic viuet rerum ordo, ſi tu tuíque, ad ſummam & in omni memoria vnicam DEI gratiam excitati DEO redditis quæ DEI; populo, quæ populi: id eſt, ſi Pietatem, ſi Virtutem colitis. Facilis res eſt. Namque Virtus plano aditur; eiúſque vt aperta & ſimplex acquiſitio, ita certa & quie-

ta possessio; & ex ea tandem, nec marcescens & immortalis, quam dixi, Corona. Vitiorum, & difficiles sunt aditus; & vbi superaueris, semper inquieta possessio; & cum æterna infamia pœnáque, tristes hîc, & turpes, ac miserandi exitus.

Tu, ad summa nate, LVDOVICE Princeps, rectam illam & Regiam viam pergito, tritam bonis: &, quod ciues tuos decet, vt quam quisque artem profitetur, eam exerceat, id & te omnium puta decere maximè. Numquam te tui, numquam muneris tui pudeat. Eo genere natus es, quod Francorum Regnum tenuit annos supra sexcentos: quot, vel villulam tenuisse, rarum est; quot, vel ignobile regnum, nulla gens tenuit vmquam. Quæ mortales omni opere, cum fidei & fortunarum dispendio, cum vitæ periculo, per ruinas cædésque & generis humani exitium, igni ferróque sectantur, omnia tibi nascenti DEVS tribuit. A DEO secundus, DEI in terris vicem geris: te miseri felicésque pariter respiciunt, colúntque; ad te inopiâ pressi, calamitate afflicti, iniuriâ violati, tamquam ad præsens numen confugiunt: & sunt, quos quo conuicio proclamem nescio, qui hoc muneris refugiant! At tu, eius auctorem DEVM, pietate sequere; humanum tibi creditum genus, virtute complectere: miseros, liberalitate & iustitiâ

iuſtitiâ refoue; felices, prudentiâ rege. Denique, ad quod natus es, ad quod vocatus; HOC AGE. Nam & hîc DEVS eſt, iudex, vindéxque: cuius oculos, nec artificiosè vltimis ædibus abdita conclauia, nec profundi ſyluarum receſſus, fallant; vim, nec vis vlla ſuſtineat, nec ingenium eludat. Igitur HOC AGE. Feras alii, dies noctésque ſequantur: alii gulæ, & foedis nec nominandis voluptatibus indulgeant: gemmis alij ingenioſè diſtincta opera, & ſpirantes tabulas, & viuos de marmore vultus, eleganti, ſed indignâ Principe curâ conquirant: ærarium nec ſufficiens neceſſariis, turpibus exhauriant: Naturæ etiam arcana nonnulli, laudabili, ſed alieno ſtudio perſcrutentur. Hiíque ipſi, poſtquam ætatem aliud egerunt, ſi quid grauius inciderit, tanquam nouum in Orbem per ſomnum delati, ſtupeant, & velut deprenſi pelago, ignari maris, ventis fluctibúſque, quàm regere, cui vitam impendere debeant, Reip. nauim deſperantes relinquant. Hinc, direptiones mortéſque innocentum, Regnorum vaſtitates, Imperiorum naufragia conſequantur.

——Excutitur, pronúsque Magiſter
Voluitur in caput.——
** Arma virûm, tabulæque, & Troia gaza per vndas.*

Iſta igitur, alii: vt indigna faſtigio ſuo, ita ipſi Diuino, quod negligunt atque abiiciunt, indigni munere. Tibi, tantum abs re tua otii

non ſit : Sed REX, regere memento, non tuos quidem, ne falſus ſis, ſed tuę fidei commiſſos à DEO populos. Quem vnum habes auctorem, habebis & glorioſi operis adiutorem, & contra parricidarum perfidiam, cuſtodem DEVM : habebis & rectorem ipſe Dominum dominantium, Regum Regem, CHRISTVM, per quem ſolum REGES REGNANT; PRINCIPES IMPERANT. Is regat te Sancto Spiritu ; tueatur potenti brachio ſuo : vt amore, ſubditos ; armis, hoſtes ; præſenti animo & clementiâ, Magnum Parentem ; Virtutibus, omnes vincas : & cum nomine, illos quos dixi, SANCTVM, & PATREM POPVLI LVDOVICOS, Orbi Regnóque referas.

AMEN. AMEN.

AMEN.

LECTO-

LECTORI
HISTORIARVM STVDIOSO S.

COLLECTIONIS huius primum nobis auctorem scias, Lector, Franciscum Pithoeum; *inde,* Paulum Petauium: *quos nominare sufficit: neque enim, prædicatione meâ quidquam eis accedere ad laudem potest. Scriptores paucos, qui ad manum erant, addere Guillermo Archiepiscopo Tyrensi animus erat, cùm passim alii atq; alii veluti occurrere: donec in hanc molem opus excreuit, quæ vel curioso, nedum studioso, mouere fastidium possit. Animum porrò addidit* Ioannes Pistorius, *qui cùm historiæ aliâs bonam operam nauasset, huius etiam argumenti scriptores, sub nomine* Syriacorum, *obtulit edendos Typographo: nihil autem ferè collegerat præter aliquot Peregrinationum auctores vulgatos, & quæ in tomos Antiquæ Lectionis coniecit* Henricus Canisius, *cum Tyrensi, eóque editionis posterioris, id est, à prima synceriore abeuntis.*

Damus autem scriptores nouos omnes, aut ita renouatos, vt noui videri possint: excepto Alberto Aquensi, *in quo Reineri Reineccii fidem secuti sumus. Nam* Iacobum de Vitriaco, *nonnullis locis auctiorem, plurimis emendatiorem, edimus. Recentiorem nullum admisimus: Hi omnes, aut visas sibi res, & partim administratas, aut ab iis qui viderant acceptas, memoriæ prodiderunt. Non quòd improbandum illorum studium videretur: sed quod abducendam à Nouis ad Veteres adolescentum, Veritatis amantium diligentiam putaremus. Illi enim, dum sibi indulgent, & noua dare videri volunt, aut falsa affingunt, aut ab Veteribus dicta tot pigmentis vestiunt atque ornant, vt natiuus Veritatis color omnis obscuretur: Hi, quamuis rusticulè, sine fuco & fallaciis, nudam & incontaminatam Veritatem exhibent. Vt ingenii atque studii, ita styli varii. Sunt quos percucurrisse suffecerit: sunt qui te & rerum grauitate, & iudicii pondere legentem retineant:*

uti tu ipse, Lector, legendo cognosces. Sed quem cui debeas, & me profiteri, & te audire, interest pudoris nostri.

I. *Igitur, primum sine nomine scriptorem, debemus* PAULO PETAVIO, *&* GUILL. CAMBDENO. *Italum stylus prodit, & in Boamundum affectus: in cuius comitatu viam ingressum, ex* lib. I. cap. IV. *& aliàs interfuisse, apparet ex* lib. V. cap. XIX. *&* XXIII. *&c. Libro titulum fecit,* GESTA FRANCORUM ET ALIORUM HIEROSOLIMITANORUM. *Orditur ab* Urbani PP. II. *in Galliam profectione, & prima Crucis prædicatione: Finit post captam Hierosolimam, victo ad Ascalonam Ammirauiso Babilonis: & historiam continet annorum quinque, à* MXCV. *ad* MXCIX. *Cambdeni Codex librum claudit tribus verbis:* Explicit via bona: *quæ hîc malè omissa.* *Pag. 1.*

II. ROBERTUS MONACHUS, *hanc quam* HIEROSOLIMITANAM HISTORIAM *inscripsit, composuisse testatur ipse,* præfatione Apologeticâ, *in claustro cuiusdam cellæ S. Remigii, constitutæ in Episcopatu Remensi, iussu Abbatis cuiusdam, nomine* Bernardus: *ita enim plenè in veteri MS. nuperrimè legimus: cui huius argumenti ab alio, nescio quo, conscripta narratio displicebat: quod erat &* acephala, *& stylo negligentiore composita. Ipse Concilio Claromontis interfuit, à quo hic Occidentis in Orientem motus cœpit. Eum* Blondus *citat non semel, sed vt expeditionis comitem:* Delectauit nos, *inquit 2. Decad. lib. 4.* Robertum vidisse monachum, eas describere machinas, in hunc modum, *&c. Et paulò post:* Robertus monachus, qui tunc Hierosolimis erat. *&:* Fatetur ingenuè Robertus monachus, à quo scriptore hæc certiora sumuntur. *De eodem Trithemius:* Rupertus monachus cœnobii S. Remigii in diœcesi Remensi, ordinis diui Patris Benedicti, natione Gallicus, vir in diuinis Scripturis iugi studio exercitatus, & secularium disciplinarum non ignarus: ingenio clarus & apertus eloquio. Scripsit nonnulla ingenii sui opuscula, quibus nomen eius posteritati innotuit: è quibus ego tantum vidi, *Gestorum in Terra Sancta per Christianos tempore Urbani Secundi, contra infideles, historiam insignem, lib. X. Inter omnes historiogr.* De aliis nihil vidi. Claruit sub Henrico V. anno Domini MCXX. *Hæc Trithemius: qui aut libro auctius exemplar nostris, aut vnum in duos diuisum habuit: quomodo in prioribus editionibus septimus & octauus in vnum coaluerunt. Defuit autem Trithemio, vt apparet, præfatio apologetica, quam edidit Reuberus: quæ & in nostris membranis legitur. Auctor* libri Principalis bellorum DOMINI pro tempore nouæ legis, *qui est MS. in bibliotheca P.* PETAVII, *citat* Robertum Abbatem sancti Remigii. *Possevinus confundit cum Sigeberti continuatore, Apparatu,*

paratu in Robertus monachus: *qui antea desinxerat, ex Arnoldo* [illegible] in Robertus Anglus. *Nos* [illegible] *MSS. Nicolai* [illegible] [illegible] *impressis, nostro* [illegible] *aptimo, nulla nec loci, nec typographi, nec temporis* [illegible] *alio deprauatissima Basileensi* [illegible] *Petri anni 1533. & VV echeliana Iusti Reuberi, emendatiore. Scias autem, Lector,* [illegible] *editum illum nostrum,* pag. hic 80. lin. 31. *ex Fulcherio inserta habere plurima: nempe capita quindecim: à XX. ad XXXV. ita:* pridie Idibus Augusti. Hiis peractis, placuit quibusdam in patriam nationis suæ reuerti. *&c. quæ leguntur fine capitis XIX.* [illegible] *paucissimis voculis variantibus: Tandem redire ad* [illegible] *opus suum claudit Robertus:* Quia verò hic historicus ser- [illegible] *Hæc eodē omninò modo habentur in MS. libro veteri, que* [illegible] *absolutâ fortè inter nostros latentē reperimus. Misit* [illegible] *varias lectiones è suis* ANDREAS SCHOTTVS: *quarū vsus erit* [illegible] *tomo, si vitam hanc* DEVS, *animumq́ seruauerit. Ver*[illegible] *ut erant in MSS. margini inscripsimus, ne quid non* [illegible] *exhiberemus. Initium scribendi, facit à Concilio Claromontano, anno MXCV: finem, in illa de Admirauiso victoria. Pag. 30.*

III. *Tertium locum dedimus* BALDRICO. *Is,* primum Burguliensium fratrum Abbas, postea Dolensium Archiepiscopus; *vt ipse præ*[illegible]. *Episcopus hic inscribitur, quia de Archiepiscopatus digni*[illegible] *controuersiam fecit ecclesia Dolensi, Turonensis Archiepisco*[illegible] *de quo in Indicibus quæ occurrent notabimus, si* DEVS *vo*[illegible] *Operæpretium est quæ de hoc scriptore sibi viso, scriptum* [illegible] Ordricus Vitalis *Anglus, Historia Ecclesiastica, cuius par*[illegible] *habemus MS. libro IX.* Baldricus, *inquit,* Dolensis Archiepi[illegible] quatuor libros luculenter conscripsit, in quibus integram [illegible] ab initio Peregrinationis vsque ad primum bellum [illegible] Hierusalem, veraciter & eloquenter deprompsit. Mul[illegible] Latinorum & Græcorum, de tam memoranda re tractaue[illegible] & posteritati claros euentus Heroum viuacibus scriptis intima[illegible]. *Et fine libri:* Hucusque venerabilis Baldrici persecutus sum [illegible], & veracem feci narrationem de famosa CHRISTI militia, quæ, iuuante DEO, insigniter debellauit in Eois partibus Ethnicorum [illegible] Multis in locis Operi nostro inserui eadem verba Sophistæ, [illegible] protulerat ipse, non ausus aliter eius dicta propalare, quæ non [illegible] me posse emendare. Quædam tamen, ne prolixitas [illegible] fastidio legentes oneraret, abbreuiando recidi: nonnulla [illegible] notificanda, quæ tacuerat, veraciter adieci, prout ab [illegible] laboribus & periculis interfuerunt, edidici. Præfatum senio[illegible] bene agnoui, veneranter honorare decreui. Hic eius fuit [illegible], monachus & Abbas *Burguliensis*, liberalibus imbutus

studiis, & religiosæ meritis vitæ venerabilis: inde pro religione & sapientia, ad gradum *Dolensis* Archiepiscopatus electione prouectus est ecclesiasticâ: in episcopatu monachatum seruauit; & cum monachis, prout sors dabat, plerunq; habitabat. Indomitis enim Britonibus præerat, quorum peruersitatem tolerare non poterat: vnde proteruos & exleges frequenter deserebat, & in Normanniam fugiebat: vbi Dolensis ecclesia, super *Riselam* fluuium, à temporibus S. Sampsonis, regnante *Hilderico* Rege Francorum, fundos habebat & quietè possidebat. Ibi scriptis & dogmatibus suis, auditores suos ad cultum DEI incitabat; & vicina cœnobia, *Fiscannum* videlicet & *Fontinellam* atque *Gemmeticum*, aliaque plura visitabat, & in timore DEI sacris sermonibus confortabat. Tandem in senectute bona defunctus est; & *Pratellis*, in basilica S. Petri Apostoli, ante Crucifixum sepultus est. *Hæc ille: quæ ipsa, illustrant &* Petri Malleocensis *abbatis huic historiæ præfixam epistolam. Citatur &* Vincentio Belluacensi, *Speculo Historiarum lib. 25. cap. 96. &c. &* auctori Chronici Belgici maioris, *quod edidit Ioan. Pistorius, in quo, vti & in Vincentio, dicitur* Burgalensis *abbas: corruptè. Citat &* Cuspinianus, *vitâ Imperatoris Henrici IV. In* Bellorum DOMINI *compilatione, vocatur* Albricus *sæpè: nisi alius est ab hoc, laudatus & Chronico Belgico: de quo videbimus.*

Manum autem penè sexagenariam admouit operi, vt ipse in præfatione *scribit: & epistolâ ad Petrum Malleocensem,* seniles oculos suos *commemorat. Neque visa narrauit: sed ab anonymo verè, stilo tamen rusticano, scripta secutus, inseruit audita ab iis qui interfuerant, cùm & ipse Concilio Claremontano adfuisset:* præfatione, & pag. 88, 14, 35. *Librum ipse de* Hierosolimitano itinere; *Malleocensis,* Ierosolimitanum *vocat. Scripsisse vitam D. Sampsonis notat ex Simlero aut Gesnero, Posseuinus in Apparatu: sed & alia composuisse apparet ex superioribus Ordrici: & Epistolâ Historiæ præpositâ, pollicetur emendaturum* Glossulas super Moysis Pentateuchum. *Amicos habuit* Gaufredum, *parentibus Ebredunensem, abbatem Melleacensem, vel Maleocensem: vtrumque enim legimus: & eius, vt consanguineum, ita & successorem* Petrum.

Nos codicibus vsi sumus, vno FR. PITHOEI, *tribus nostris manuscriptis. Est autem narratio illius quinquennii, quod & præcedentes exposuerunt: nam quod fine operis legitur,* Millesimo nonagesimo anno ab incarnatione DOMINI, *est aut scribæ, aut fortè auctoris ipsius σφάλμα: neque enim librariis imponenda sunt omnia: neque statim vt quid erratum est, tanquam auctori non dictum exigendum. Peccant ipsi auctores sæpissimè, aut memoriâ*

aut

aut festinatione, aut ignorantiâ. Nobis nostra ut condonet Lector, per humani ingenii omnibus communem imbecillitatem, petimus, quam in nobis multis rationibus increuisse sentimus. Est omne hoc scientiæ genus, diligentiæ & memoriæ: & hæc quidem nos deficit; illam tam exactam adhibere animus non est, ne in hoc otio grato nimis, negotium ipsi nobis graue, & ex eo ingratum nimis imponamus. Pag. 81.

IV. Sequitur quartus, RAIMVNDVS DE AGILES, Canonicus, ut ipse inscribit, Podiensis: capellanus Comitis Tholosani: ipse pag. 151, 46. 152, 39. 169, 13. Itaque de Comite S. Ægidii, id est Tholosano, & Episcopo Podiensi præcipuè scripturū se profitetur: præfatione. Adfuit cum effoderetur Lancea: pag. 167, 43. quam & in prælio tulit: pag. 155, 6. Ad sacerdotium promotus in hoc itinere: pag. 163, 59. scripsit precibus Pontii de Baladuno, pag. 163, 52. & inscribit Orthodoxis & Transalpinis omnibus, nominatim Episcopo Viuariensi: ibid. & præfat.

Fuit autem hic Pontius, miles, vir nobilis, & familiaris Comiti Tholosano: quod præter hunc, notat Tyrius lib. VII. cap. XVII. alii. Manuscripta Gallica membranæ vocant Poinces de Baladon & Baladun. Lapide petrariæ interfectus in obsidione Archados, temerè à Comite incœpta: pag. 163, 52. & 164, 2. dignus memoriâ posteritatis, posteritatis ipse in tantis periculis memor. Pontium Balonensem vocat Robertus: pag. 73, 13. Ab eo scriptam huius belli historiā, quæ Londini exstet, legimus in bibliotheca Gesneriana: quæ & Raimundum de Podio laudat auctorem scriptionis eiusdem argumenti: vtraque, nisi fallor, eadem cum hac nostra. Petauianus liber Principalis bellorum DOMINI, citat Raimundum de Arguilliers, ut nos ipse Petauius per literas docuit.

Sed hanc habemus ex MS. uno Vulcobiano GVILELMI ANCELII; altero nostro, quem nobis dono dedit Lingonensibus nuper iuridicundo præfectus, Reip. studiosissimus IOANNES RVSSATVS. Libri extrema, sunt ab alio auctore: quod dictio indicat, & testatur Vulcobianus. Incipit ab Comitis Tholosani in Sclauoniam ingressu: & narrationem eiusdem illius quinquennii persequitur, quam præcedentes, scilicet ad illam de Ammirato, ita enim vocat, Babyloniæ victoriam. Pag. 139.

V. Canonicum Podiensem, excipit Canonicus & Custos Aquensis Ecclesiæ ALBERTVS: cuius historiam sanè accuratam, debemus REINERO REINECCIO; nomen auctoris, DAVIDI HOESCHELIO, præfatione in Alexiadem, quod annotatum vidimus

postea Iacobo Gretzero ex MS. codice : è quo cum Reineccian comparato, diuersas lectiones ad nos idem misit David Hæschelius, quibus locum dabimus in Appendice, in quam & Indices & Chronologiam reiicimus. Sed in illis diuersis lectionibus, notauit vir diligentißimus Albericum *dici.*

Scripsit autem, ardens desiderio ipsius expeditionis, quæ & auditu & relatione (ita enim legendum, quomodo lib. III. c. II.) nota habuit ab iis qui præsentes adfuerant, ipse lib. I. cap. I. XXIV, XXV. lib. II. cap. XXXIII. & lib. II. c. II. LXV. & lib. IV. c. LIII. LV. & lib. VI. cap. XXIV. L. & lib. VIII. c. XXI. *Nos Reineccii editionem secuti sumus, quæ ex codice* CHRISTIANI DISTELMEYERI *prodiit Helmstadii, anno 1184. sub titulo* CHRONICI HIEROSOLIMITANI. *Initium facit ab ipso expeditionis initio; finem, anno secundo Balduini Regis secundi: & complectitur annos* VI. *XXVI.* *Pag. 184.*

Sexto loco FVLCHERIVM *posuimus Carnotensem: qui* cum cæteris Peregrinis iens, postea quæ oculis vidit, diligenter & sollicitè in memoriam posteris collegit: fine cap. I. & cap. XX. XXII. XXIII. XXXII. &c. *Iter ingressus est cum Normanniæ Comite, siue Duce (Vtrumq; enim tum promiscuè dicebatur: res quàm verba curantibus Principibus) Roberto, & Blesensi Stephano.* cap. II. III. IV. *Erat autem Blesensis etiam Carnotensis Comes:* Tyr. lib. I. c. XVII. *Cùm prope abesset Antiochia Syriæ, Balduinum secutus est, Godefridi Ducis fratrē, cuius tum erat Capellanus;* cap. VI.

Citatur & reprehenditur à Guiberto: cap. XXIX. & XXX. & XXXI. & XXXII. & XXXVIII. *Laudatur Ordrico Vitali lib. IX. historiæ Ecclesiasticæ:* Fulcherius, *inquit,* Carnotensis Godefridi Lotharingiæ Ducis *(fratris, dicere voluit, certè debuit)* capellanus, qui laboribus & periculis prædicabilis expeditionis interfuit, certum & verax volumen de laudabili militia exercitus CHRISTI edidit. *Guilielmo Malmesberiensi, scriptori probo, lib. 4.* Balduini actus integrâ & breui veritate apponentur, fidei soliditate accommodata dictis *Fulcherii Carnotensis,* qui capellanus ipsius aliquanta de ipso scripsit, stilo non quidem agresti, sed, vt dici solet, sine nitore & palæstra, & qui alios admonere potuit, vt accuratius scriberent. *Et auctori Chronici Belgici Pistoriani:* cuius *(Balduini Regis)* actus scripsit ex parte Fulcherius Carnotensis, capellanus eiusdem. *Auctori etiam Dialogorum de Hierarchia subcælesti, lib. 1. cap. 10. quos vidimus MSS. apud Fr. Pithoeum: Sunt autem scripti in Italia anno 1381. extantque Cantabrigiæ: Eius verba sunt;* Ecclesiæ tamen Hierosolimitanæ honorificentia quædam à dicta Nicena Synodo relinquitur: quæ etiam notificatur à Iustino Augusto Hormisdæ scribente Romano Pon-

no Pontifici: & à Paschali Papa confirmatur, tempore Balduini Regis, fratris Godefridi, in historia Fulcherii Cardinalis: *ex Carnotensi Cardinalem fecit. Est autem locus quem citat in fine operis. Idem ille Hierarchiæ auctor, lib. 4. c. 9.* Lege, si lubet, vt cæteros sileam, saltem Rom. Pontificum historias ad Hieronymum, &c. Chronicas Ptolomęi de Luca, Tripartitam Sicardi de Cremona, Iohannis de Columna, qui fuerunt Italici. Si velles exprimere historiographos notabiles Galliarum, Richardum Cluniacensem, Vincentium Beluacensem, Gregorium Turonensem, Turpinum Remensem, Fulcherium Carnotensem, Martinum Pœnitentiarium, Albertum S. Remigii, Guillelmum S. Dionysii, *&c. Citatur & libro Bellorum Domini. Papyrius Massonus in Vrbano PP. II.* Balduinus Carnotensis, belli Sacri, cui interfuit, primus scriptor. *Error, viro de historia bene merito, natus currente calamo, vt Balduinum dixerit Balduini Capellanum. Ex Fulcherii Carnotensis narratione prolixa, suam desumpsisse fatetur, qui scripsit* Gesta Francorum expugnantium Hierusalem. *Fulcherium alterum, Carnotensem, militem, commemorat Robertus Monachus,* fine lib. v. *& Albertus Aquensis* lib. I. cap. XXII. lib. III. cap. XXXV. & lib. V. cap. XV. & XXII.

Sed hunc damus de exemplari ipsius Pap. Massoni, vitiosissimo, & nostro vetere, nec ipso satis emendato: illud exscriptum erat de libro Claromontensis Ecclesiæ Aruernorum; hoc dono habemus ab Io. Rvssato. Vsui etiam fuit fragmentum olim editum cum Roberto Monacho, de quo accepimus quæ pag. 407. 408. 409. ducta lineâ, ab aliis separata sunt: Exstant eadem in veteri MS. quem ad Robertum suprà diximus respondere olim impresso. In vtroq; quæ hîc fine cap. XXXII. p. 418, lin. vlt. & pag. 419. vsq; ad lin. 11. habentur, referuntur ad cap. XXXIV. pag. 420, 2. auctiora, hoc modo: Talionem sibi duplicauerant. Nec in impetibus, nec in vtrorumque percussionibus, quæ in bello fieri solent, vlteriùs immorabor: volo enim artare paginam limite parciori. Sed ne vel scriptorum negligentia, vel imperitia, siue quòd rari erant, aut suis impediti curis insudabant, hæc gesta, &c. mendaciter confundat. *Quæ verba finem operis redolęt: vt appareat repetitum opus à Fulcherio: & certè hîc Epitomam Fulcherii finit, qui scripsit,* Gesta Francorum expugnantium Hierusalem. *Memini autem videre me codicem: à quo, non memini: in quo hoc ipsum opus distinctum erat in libros tres: quorum incipiebat secundus à Balduino I. Rege, tertius à Balduino II. Is erat & nonnullis locis melior nostris, vt de pauculis cognoui quæ tum obiter excerpsi. Etenim pag. 440. quæ in nostris vitiosè, in eo leguntur emendatè:* Nam quæ apud Ethnicos ciuitas habuerat in magisterio Primiflaminem vel Archiflaminem, se-

eundem Patrum institutionem habebat Primatem. *& paullo post lin.* 11. Anacletus. *& lin.34.* Asianarum siquidem Ecclesiarum *quæ coniecturâ emendare aliis haud fuisset difficile, nos illi lubentes libro acceptum ferimus: cui præterea erant addita capita:* De nauigatione adolescentis Boamundi: De periculis mari euenientibus: De pestilentia murium. *& hoc quidem vltimum, incipit:* Anno MCXXVII. ab ortu Domini, *&c. tandem:* explicit historia Ierosolimitana domni Fulcherii Carnotensis. Incipit præfatio sequentis operis. Reuerentissimo patri & domino H. DEI gratiâ Olomacensium antistiti R. fratellus, stolâ iocunditatis indui, *&c. neque enim plura exscripsi. Et hæc ipsa indicare visum, ne quid te, Lector, eorum lateat, quæ nobis vel leuiter notata sunt. Fretellum Archidiaconum Antiochenum, qui Terram Sanctam descripserit, inter auctores suos ponit Christianus Adrichomius, theatro Terræ Sanctæ. Sed Fulcherius illud intra quod superiores, excepto Alberto, se tenuerant quinquennium egressus, historiam deducit ab anno MXCV. ad MCXXIV.* *Pag.381.*

VII. *ANTIOCHENA BELLA subiecimus Fulcherio, secuti MS. librum nostrum. Ea scripsit GAVTERIVS, qui ipse Cancellarium se dicit, vtriusque fortunæ participem:* pag. 449,18. *& Cancellarii iterum meminit:* pag. 451,52. *Linguâ Gallum, ipsa lingua prodit:* pag. 465,44. Quater viginti millia pugnatorum: *quod nemo nisi nostras dixerit, aut nostrati linguâ tinctus.* Nec oblitus matris suæ filii: pag. 451,2. Disconfectura: pag. 453,34. *Galterium Cancellarium citari libro Bellorum DOMINI, auctor nobis ipse libri dominus Petauius. Totum scriptum cancellari dignum: nisi quòd historia est, quæ quomodocunque scripta, seruanda est. Ipse vi carceris hebetatum ingenium queritur:* pag. 449,32. *Sed & codex quo vsi sumus vnico, noster ab IOANNE RVSSATO, scriptus est vitiosissimè: nec mutare quidquam voluimus. Narrat autem ad Antiochiam gesta feliciter, anno MCXV. infeliciter MCXIX.* *Pag.441.*

VIII. *GVIBERTVS, Abbas monasterii S. Mariæ Nouigenti, quod situm est sub castro Cociaco, in pago Laudunensi:* ipse titulo operis, *& fine præfationis. Vixit illâ ipsâ ætate, cuius historiæ partem describit: & scripsit Balduino, fratre Godefridi regnante:* lib. II. cap. XII. & lib. VII. cap. XXI. *Boemundo marito Constantiæ Regis Francorum filiæ:* extremo lib. I. *Biennio post Manassis Remorum Archiepiscopi mortem:* extremo lib. VI. *finem scriptioni imposuit mortuo iam Boemundo:* lib. vlt. cap. XXXIV. *anno post*

Gerua-

[illegible] egregii militis martyrium: lib. eod. cap. XL. Interpre[illegible] [illegible] alienâ historia: lib. II. cap. XI. & XIII. & ipsâ e[illegible] [illegible] Lysiardum, & quæ eam sequitur præfatione: quod ipsum [illegible] argumento factum Roberto Monacho, & Baldrico: [illegible] suppleuit, vt & illi, quæ deerant, ex eorum qui viderant [illegible] lib. I. cap. III. lib. III. cap. XIII. & lib. VII. cap. XXIV. [illegible] Scribendi rationem subobscuram secutus est, rudium [illegible] dictorum fugitans: vt ipse loquitur, princ. lib. V. ope[illegible] verborum elegantiam vocat, fine epistolæ ad Lysiardum. [illegible] loco natum inde apparet, quod lib. IV. cap. vlt. hominem [illegible] militarem, equestri officio insignem, parentum suorum be[illegible] [illegible]nuisse, iisq. hominium debuisse. & lib V. c. XV. Guilielmi [illegible] Albrici fratrum ex municipio agnomen, exprimere prohibe[illegible] [illegible]ri ipsorum parcens, generis eorum amicâ sibi contiguita[illegible] [illegible]. Exprimit autem quod ille supprimit nomen, Baldri[illegible] & Guillelmum de Grantemaisnil nominat: pag. 114, 28. Non e[illegible] eorum, inquit, parcere debemus infamiæ, qui suæ, nimis formido[illegible] non pepercerunt famæ. Græcis etiam notus [illegible] Annæ Comne[illegible] Alexiade, est γυλίελμος ὁ γραντεμάνη. Tyrius lib. VI. cap. V. virum inclitum dicit, de Apulia, qui sororem Boamundi habe[illegible] uxorem. Gallici interpretes plenius: Magnum virum in Normandia natum, qui in Apulia multa loca tenebat. De quibus plura, in Indicibus, si absoluere DEVS dederit. Fulcherii Carnotensis historiam non lectam ex auditu carpit, lib. vlt. cap. XXIX, XXX. XXXI. & XXXVIII, & XXXIX. Fine operis excusat si quid minus à se diligenter sit explicatum, quòd & aliâ professione detineatur, & non visa timidiùs descripserit. Sed alia scripsisse testatur ipse, initio lib. V. & epistolâ ad Lysiardum Expositiones Geneseos, & alia opuscula tractatoria commemorat. Hic autem Lisiardus Episcopus Suessonensis, etiam Iuonis Episcopi Carnotensis [illegible] notus est.

Nos hîc secuti sumus exscriptum NICOLAI VIGNERII; & [illegible] vnum FR. PITHOEI, meos duos. Appendix est ex Pi[illegible] codice, & exscripto FR. LINDENBRVCHII.

[illegible] quem operi suo Guibertus, cætera verè scholasticus, [illegible] collectioni imposuimus: GESTA DEI PER FRANCOS: [illegible] excogitari aliud, nec aptius potest, nec veriùs. Vt DEVM [illegible] dicimus, non quòd non & alibi, qui vbique: ita hac GE[illegible] DEI vocamus, non quòd non alia omnia, maxima, mini[illegible] [illegible], regat & moderetur DEVS: sed quòd his tam ma[illegible] [illegible] præsens interfuisse videatur, quàm cœlu ac sydera insi[illegible] [illegible] accipe: Admirationi Annibal fuit, quod [illegible]

in solo ex Afris, Hispanis, Gallis, Italis exercitum, ita vno velut vinculo copulatum tenuerit, vt nulla inter ipsos, nec aduersus Ducem seditio exstiterit: cùm & pecunia sæpè in stipendium, & commeatus in hostium agro deessent. Tit. Liuius lib. 28. *Nugæ, præ his nostris. Nam, neque ille tot in vnum nationes diuersas collectas habuit vnquam, neque tam procul domo deduxit, neque tam alienis, infestis, barbaris & numerosis gentibus, etiam diuersitate Religionis inflammatis, concurrendum ei, cui cum vnis Romanis, nondum certis Italiæ dominis, res fuit: & quod vnum seruare varium corpus illud potuit, ipse tot membris caput, & Imperator adfuit. Hîc, totius Occidentis populi omnes, quot recensere difficile est, linguis, habitu, conditione, ingenio, fine diuersi, ex Occidente in Orientem, tanquam alium in Orbem, peragratâ Europâ, per Germaniam, Hungariam, Bulgariam, Thraciam, in Asiam penetrant: vt Græcorum dolis, ita Turcorum armis inuicti, superatâ Bithyniâ, Pisidiâ, Lycaoniâ, Ciliciâ, Cappadociâ, Syriâ, Palestinâ, tandem expetitam Hierosolimam obtinent: coniuratis in eos qui antea, imperii æmulatione, arma in se conuerterant, Turcis & Sarracenis, non vnius aut prouinciæ aut vrbis, sed totius Orbis, certè Asiæ totius viribus succinctis, & præter cætera Zelo superstitionis accensis: nullo stipendio, nullo Duce, nisi Dux, qui & Auctor DEVS fuit.*

Quis casum meritis adscribere talibus ausit?
Quis neget auctorem hæc constituisse DEVM?

Qui Godefridum imperasse volunt, viri magni, næ illi in hac historia ita negligenter versati sunt, vt lecta nec legisse videantur. PER FRANCOS autem Gesta dicimus: quoniã cùm in regno Francorum captum expeditionis huius consilium; & Principum, militumque longè maxima pars è Regno Francorum esset: Francorum ita seu virtus seu numerus excelluit, vt inde, toto Oriente, etiam hodie, FRANCI dicantur qui ad Occidentem habent Christiani omnes, Germani, Itali, Angli, Dani (nam & hi in partem huius gloriæ meritò veniunt.) Hispani. Vt olim Romani sic habuere: alia omnia virtuti suæ prona esse; cum Gallis pro salute, non de gloria certari: *ita ad Francorum nomen non illos tantùm quorum maiores fortitudinem gentis erant experti, sed vltimos etiam Indos, ad nomen, nomine solo notum, percelli, memoriæ graues auctores prodiderunt: de quo, DEO volente, aliâs: nam & hæc se ingesserunt præter institutum.*

Sed Guibertus *historiam incipit à successibus in Oriente orientis Mahometicæ perfidiæ, & auxilio Christianorum Occidentis Principum, per Epistolam Constantinopolitani Imperatoris*

ad R&

ad Robertum Flandriæ Comitem, petito: quod Claromontanum Concilium præcessit: & deducit ad Balduini I. regnum. Appendix *rem gestam narrat anno MCXII.* *Pag. 467.*

IX. *Nonum scriptorem anonymum, dedit FR. PITHOEVS, cui exemplum accessit etiam vetus à MARQVARDO FREHERO, ex bibliotheca Laugingana Illustrissimi Principis PHILIPPI LVDOVICI, Ducis Bauariæ, &c. Est autem nihil aliud quàm ex Fulcherii historia, & iis quæ de aliis, argutâ, vt ipse loquitur, inquisitione didicerat, abbreuiata narratio.* cap. II. *Quo loco Pithoeanus* Fulbertum *habet* Carnotensem: *nos ex Laugingano,* Fulcherium *maluimus. Sed Fulcherius suam historiam produxit ad annum MCXXIV. hic finit anno MCVI. Et* cap. LIV. *satis indicat, cùm scriberet, in Christianorũ potestate nondũ fuisse Tripolim: cuius captionem narrat Fulcherius, anno MCIX.* cap. XXXV. *Itaque Lector iudicet.*

Inscriptio est GESTA FRANCORVM EXPVGNANTIVM HIERVSALEM. Citatur historiâ veteri MS. Rex Cypri, *inquit,* propter captionem Sataliæ, maritimæ ciuitatis Turquiæ, quam vi armorum super Turcos dudum conquisierat; scilicet die S. Bartholomæi Apostoli, Anno MCCCLX. maiore audaciâ fretus, proposuit venire ad Reges, Principes & Prælatos Christianitatis, incitare viam Iherosolimitanam: prout olim fecerat Petrus Heremita, vt habetur in Gestis Francorum Iherusalem expugnantium. *Pag. 561.*

X. *Secundæ partis HISTORIAE HIEROSOLIMITANAE (prima enim in Codice quo vnico vsi sumus, nostro, à P. DANIELE, non exstat) auctor, eundem secutus est Fulcherium, ita vt verba eadem sæpiùs reddat, & cum eo narrationem finiat. Vixisse illo tempore ipso videtur, ex eo quòd anno MCVI. & MCX. quid insolita prodigia, quid Cometes portenderint, minus adhuc haberi probatum ait. Continet autem pars hæc secunda res gestas ab anno MC. ad annum MCXXIV. id est, à Balduini Edesseni ad fratrem Godefridum visendum profectione, ad obsidionem Tyri.* *Pag. 594.*

XI. *Sequitur totius historiæ Princeps, doctrinâ non vulgari, & supra seculum illud amœnâ, experientiâ variâ, & ex iis, acri iudicio vir; quantúmque iudicare licet, vitâ & ingenio probus, dictione etiam elegans & grauis, GVILLERMVS TYRENSIS Archiepiscopus. De Parentibus eius & prima origine, nihil habeo dicere. Sed qui Gallum facit Balduinus IC. & qui parentibus Germanis ortum, auctor vitæ eius, præfixæ editioni secundæ Basiliensi, quæ est Henrici Pantaleonis, nullo quod sciam, argumento*

nituntur: nisi quòd quidam sunt tam stultè amantes patriæ, vt eò liceere putent asserere sibi quæ vbique habentur egregia. Ipse, operis & lib. XXIII. præfatione, cùm, Patriæ amorem, natalis soli dulcedinem; *& patriæ calamitatem & miserias dicit: certè Syriam dicit, & de quo agit Hierosolymitanum Regnum. Nam, vt illius vitæ auctori concedamus quod verum est, duplicem esse patriam: non potest natale solum duplex esse.* Lib. XIX. cap. IV. Nondum de scholis redieramus: sed trans mare adhuc, circa liberalium artium detinebamur studia. *Ergo Syrus. Disertè autē veteres historiæ Gallicæ, quæ hanc ipsam Guillermi exponunt & prosequuntur, natum Hierosolimis dicūt. & frater Stephanus Lusignanus, scriptor historiæ Cypriæ, Cyprius ipse, eum refert propinquitate attigisse regni Hierosolimitani Principes: nescio quo auctore. In* pueritia *vidit Patriarcham Antiochenū Radulphum:* lib. XV. c. XVII. *id est, nisi fallor, circa annū Domini MCXL. Cùm diuortium inter Amalricum Regem & Agnetem Edessanam celebraretur, in* scholis *agebat, &c.* loco suprà notato. *Id verò incidit in annum MCLXII. Gallici nostri scriptores ad libri XXI. cap. I. in Francia literis dedisse operam tradunt: quod verò simile est. Tum enim ciuitas Parisiensis, velut* fons hortorum, & puteus aquarum viuentium, irrigabat vniuersæ terræ superficiem, panem delicatum, & delicias præbens Regibus: & vniuersæ DEI Ecclesiæ, super mel & fauum vbera dulciora propinans: *vt ait Iacobus de Vitriaco Hist. Occid. cap. 7. Inde Regi ob doctrinam carus & familiaris, vt apparet ex* lib. XIX. cap. III. *Anno MCLXVII. nisi me ratio fallit, rogante Rege Amalrico, & aliis multis honestis viris,* Archidiaconatum *Ecclesiæ Tyrensis ei contulit Fridericus Archiepiscopus:* lib. XX. cap. I. *Nec multùm inde otii homini contigit, quem ingenium & doctrina, vt Principibus commendabant, ita aliorum obiiciebant inuidiæ. Statim enim,* Legatus *de re summa, Imperatorem Constantinopolitanum adiit, & feliciter consummatâ legatione rediit:* lib. XX. cap. IV. *Paullò post, anno fortasse MCLXIX. (nam hæc in Chronologia accuratiùs persequi constituimus) familiaribus tractus negotiis, & Archiepiscopi sui declinans indignationem immeritam, ad Ecclesiam se contulit Romanam.* eodem lib. XX. cap. XVIII. *Reduci, Regium puerum Balduinum, annorum nouem, multùm pro eius eruditione sollicitus pater, Rex Amalricus, multis precibus, & sub obtentu gratiæ suæ instituendum, & liberalibus studiis imbuendum tradidit.* lib. XXI. cap. I. *Ab eodem postea Rege, de consilio Principum,* Cancellarii *in sacro palatio munere honeratus est:* vt esset, *inquit,* qui regiarum Epistolarum curam haberet: lib. XXI. cap. V. & lib. XIX. cap. XXIV. &

lib. XXII.

lib.XXII.cap.V. & præfat operis. *Anno MCLXXIV. mense Maio*, consonante cleri & populi voto, Regis quoque, vt moris est, conueniente assensu, ad regimẽ Tyrensis ecclesiæ vocatus: decem post dies, per manus Amalrici patriarchæ Hierosolimitani, in ecclesia Dominici Sepulchri, munus consecrationis, *VI. Idus Junii*, suscepit. lib. XXI. cap. IX. *& anno postea proximo, idem consecrationis munus ipse, ex officio, impendit electis Sidoniensi & Berithensi. Anno MCLXXVI. funus* Wilhelmi Marchionis Montisferrati, *regis sororii procurat*. lib. eod. c. XIII. *Anno MCXXVII. Romam proficiscitur ad* Synodum Lateranensem *vocatus: cuius statuta & episcoporum nomina & titulos scripto complexus est, ad preces patrum qui interfuerunt*: lib. XXI c. XXVI. *A Synodo rediens*, Henricum Trecensem, *id est, Campaniæ Comitem, in Orientem magno comitatu Nobilium euntem, reliquit Brundusii*, lib XXI c. XXX. *Constantinopoli per* VII *menses continuos cũ* Manuele *Imperatore moram fecit*, sibi, *vt inquit*, & ecclesiæ suæ perutilem: *& mandata ab illo accepit ad Principem & Patriarcham Antiochenum: quibus exsequendis, cùm IV. Id. Maias portum S. Simeonis attigisset, Antiochiam diuertit: iisq; completis, pr. Non. Iul. post annum & menses decem, ex quo ad Synodum profectus erat, Tyrum reuersus est:* lib. XXII. cap. IV. *Vbi paullò post Magistro Odoni, ecclesiæ suæ Archidiacono ad Berithensem Episcopatũ vocato, sacerdotii gradum & Pontificalem dignitatem contulit*: lib. eod. c. VII. *Amissâ Hierosolymâ anno MCLXXXVIII. desperatis Regni rebus, in Occidentem Legatus missus est. Rogerus de Houeden eũ scribit interfuisse colloquio regum Franciæ & Angliæ inter Gisortium & Trie:* Interfuit, *inquit*, Archiepiscopus Tyri, qui repletus spiritu sapientię & intellectus, miro modo prædicauit verbum Domini corã regibus & principibus; & conuertit corda eorum ad Crucem capiendam: & qui priùs hostes erant, illo prædicante & DEO cooperante, facti sunt amici in illa die; & de manu eius Crucem receperunt: & in eadem hora apparuit supra eos Crucis signum in cœlo *&c. Matthæus Paris addit, Willielmum Tyrensem à domino Papa officium Legationis super negotio Crucis suscepisse. Eius nomen restitue Joanni Saresberiensi, Epistolâ 275. in qua malè editum est*, Tyrenensi Archiepiscopo. *Meminit & huius legationis Giraldus Cambrensis*, lib 2. Hibern. expugnat. cap. 23. *& Guillielmus Neubrig.* lib. 3. Anglic. rerum, cap. 23. *Nisi fortasse alius hic fuit à nostro, eius nominis tertius: de quo videbimus aliâs.*

Sed vitam huius nostri qui descripsit, præpositam secundæ editioni Basiliensi, siue is Henricus Pantaleon, *quod mihi facilè persuadeo, siue alius est, non obseruata nobis hæc addit affirmatè, Guillermum iam Archidiaconum*, à purpuratis patribus, ipsoque

Pontifice Victore IV. inuitatum, in schola Romana per biennium ferè, disputando, legendo, & lucubrando, doctissimi & acutissimi Philosophi nomen, cæteraque doctrinæ & eruditionis insignia adeptum: actum etiam de eo, optimis sacerdotiis cumulato, inter senatores purpuratos legendo: Amori autem patriæ, omnia postposuisse. Regno labante, eâ famâ fuisse, vt omnium acclamatione, ei soli pecunia sacra ex collectis facta, crederetur: Friderico Barbarossæ Imp. funebrem orationem persplendidam habuisse. *Quæ quidem examinare hoc tempore non vacat: nec tamen tam asseueranter, quamuis sine auctore, posita, præterire voluimus.*

Finem nostri, vt miserabilem, ita commemorabilem, absque scriptoribus Gallicis ignoraremus: quorum verba fideliter, quantum possumus, exposita, addere placuit: quia & lucem rebus adferunt; & exemplo sanè graui, vitam instruunt; & rara quædam, nec alibi obuia continent. Igitur, Erant isto tempore in terra vltramarina Clerici duo, Archiepiscopi, Tyri vnus, alter Cæsareæ, non illius quæ Philippi dicitur, sed maritimæ. Ille, *Guillermus* vocabatur, quo nullus habebatur illo tempore toto Orbe Christiano melior clericus: Hic *Heraclius* dicebatur, Aruernus natione: qui pauper clericus in terram vltramarinam profectus, formæ elegantiâ Reginæ matri commendatus, eiusdem operâ Archiepiscopus Cæsareæ factus est. Accidit autem horum duorum Clericorum tempore, vt diem suum obiret Patriarcha Hierosolimitanus. Vocati igitur in vrbem Archiepiscopi ad electionem Patriarchæ, cùm omnes conuenissent, adiit ad Canonicos S. Sepulchri, ad quos spectabat electio Patriarchæ, Tyrensis: & hæc ad eos, præfatâ veniâ, verba fecit: *Seniores, in scripturis reperi* Heraclium *in Perside S. Crucem acquisiuisse, eámque Hierusalem deportasse: fore autem, vt eandem* Heraclius *alter, suo tempore exigeret Hierosolymâ, amitterétque. Itaque per DEVM vos oro, Heraclium Patriarcham ne dicatis: eum enim si nominaueritis, à Rege acceptum iri scio: scio præterea eo Patriarchâ, ciuitatem Hierusalem, & totam Terram amissum iri. Neque id me desiderio Patriarchatus accensum dicere iudicetis: sed duos præter nos alios, per DEVM, legite: quos si in hac regione non reperitis, vobis operam nostram pollicemur, vt consilio virorum bonorum, è Francia Patriarcham habeatis.* Eius verò, Canonici S. S. nihil fecerunt. Petierat enim ab eis mater Regina, vt Cæsariensem nominarent: quem & reipsa cum Guillermo Tyrensi nominauerunt: Ea est enim in terra Vltramarina Patriarchæ electionis ratio, quæ & Archiepiscoporum, & Episcoporum, & Abbatum: vt duos legant Canonici, Regique offerant, qui de eis vnum capiat: ita, vt si manè offerantur, intra vesperarum signum; si vesperi, post decantatum officium, die altero, vnum eligat. Hanc

Hanc electionem secuti sunt Apostoli, mortuo Iudâ, vt duos legerent, Iosephum Iustum & Matthiam: hanc & in Terra Sancta adhuc seruare. Is Rex electus est, & quem vult capit. Cùm essent igitur duo illi Archiepiscopi Regi oblati, *Heraclium* Cæsariensem Rex elegit, pro quo mater intercedenti fidem dederat. In hunc modum factus Patriarcha Hierosolimitanus, *Heraclius*, omnes statim Archiepiscopos & Episcopos ad præstandam obedientiam euocauit. Venerunt omnes, excepto Tyrensi. Hic enim ipsummet Heraclium Romam appellauit, certo demonstraturum se affirmans, talem eum, qui Patriarcha esse nó deberet. Interpositâ appellatione, rebus suis compositis, transfretauit, & Romam venit. Eius aduentu lætus Apostolicus, hominem multo honore excepit ipse, & Cardinales: neque tanto vnquam honore clericum vllum Romę ab Apostolico & Cardinalibus omnibus affectum meminerant. Voluit & Apostolicus vt Missam cantaret; & Cardinales illi adesse iussit, vt ei ad altare inseruirent. Iamq; apud Apostolicum tantum profecerat, vt si superuixisset, certa esset Heraclii, si Romam venisset, depositio. Iam verò referam vobis quo modo, antequam Romam appelleret *Heraclius*, ille vitâ functus sit. Cùm illum Heraclius Romam contra se abiisse cognouisset, certus se depositum iri, si ad suum vsque aduentum ille durasset, Physicum è suis conuenit, quem vt Romam illum sequeretur perpulit, atque veneno tolleret. Id successit. Mortuo itaque Archiepiscopo Tyri, Romam cùm venisset Patriarcha, ab Apostolico quæ voluit impetrauit, & Hierusalem rediit. Qualem autem Româ Hierosolimam reuersus, vitam vixerit, audite. In amorem incidit vxoris cuiusdam propolæ & tabernarii mercatoris, qui Neapoli habitabat, leucis Hierosolymâ XII. Ea ad illum frequenter, accersita ventitabat; & dona, quo esset viro acceptior, ampla referebat. Viro verò paullo post defuncto, eam cum patre & matre, tum superstitibus, Hierosolimam Patriarcha transtulit: eique comparauit egregiam lapideam domum: atque eam, videntibus omnibus, habuit vt vxorem maritus, nisi quòd sub eodem cum illo tecto non morabatur. Cùm ad Templum ibat, ita incedebat ornata magnificè, vt si Imperatrix esset aut Regina, suis præcedentibus seruientibus. Si qui, eius fortè ignari, interrogabant, vt solet, quæ illa esset Domina, respondebant quibus nota erat, *Patriarchissam* esse, vxorem Patriarchæ. Vocabatur nomine, *Pascha de Riueri*: & liberos de Patriarcha susceperat. Accidit autem, cùm in exercitu de pugna cum Sarracenis qui in proximo erant, committenda (quâ quid factum sit aliâs cognoscetis) deliberationem Rex cum Patriarcha & Baronibus instituisset, ingressus scurra ad Patriarcham accedens, *Da mihi*, inquit, *domine Patriarcha, nuntii læti præmium. Pascha de Riueri, vxor tua, filium elegantem est enixa.* Rubore suffusus Patriarcha: *Tace*, inquit, *stulte, tace.* Hæc Patriarchæ vita, aliis exemplo erat: & Sacerdotes, & Clerici, & Monachi ita erant luxuriæ & adulteriis dediti, vt vix vlla casta totâ ciuitate mulier reperiretur. Hæc peccata, has sordes, vt Dominus noster IESVS CHRISTVS in ea Ciuitate vidit, in qua crucifixus,

pro redimendo populo sanguinem profuderat, ferre ea non magis potuit quàm Sodomæ olim & Gomorræ. Itaque ciuitatem sordidâ & fœtidâ luxuriâ ita purgauit, vt de iis qui tempore Heraclii Patriarchæ eam habebant omnibus, de viris, fœminis, infantibus, inquam, omnibus, duo omninò seruitutem effugerint: quorum vnus vocabatur *Robertus de Corbia*, qui Godefrido Bullionio in capienda vrbe adfuerat; alteri nomen erat *Fulco Folie* (aliâs *Fiole*) qui primus omnium in vrbe à Godefrido capta natus erat. His, cùm excedere nollent, & manendi libertatem dedit, & vitæ necessaria omnia ministrari iussit Saladinus.

Narrationis huius insignis, quamuis temporibus non satis explicatæ (de quo suo tempore videbimus) fidem asserunt, cùm euentus, tum scriptores probi. Euentus: vt enim recuperata Heraclio *Imperatore Crux; ita* Heraclio *Patriarchâ (vti erat à Tyrensi prædictum) & Crux & Vrbs amissa. Scriptores: Marinus Sanutus* lib. III. parte VI. cap. XXIV. Anno, *inquit*, MCLXXX. Patriarcha Almericus moritur, cuius simplicitas modicùm Ecclesiæ profuit: cui successit Heraclius tam perniciosi exempli, vt procedentem ornatissimam mulierem, quam publicè tenebat, vulgus *Patriarchissam* vocaret. In eius electione publicè dictum fuit: sub Heraclio amittendam esse Crucem, sicut sub Heraclio Imperatore recuperata fuerat: quod & accidit. *Paulus Æmilius, sub finem lib. V. de rebus gestis Francorum, Philippo Augusto Rege:* Sacrosancta Crux, velut fatale pignus sacri Regni, iam manibus minus sanctis tractabatur. Exstant illius temporis æquales auctores, sacerdotes fuisse flagitiis sceleribusque obrutos: atque adeo ipsum Patriarcham, neque castè neque integrè vitam egisse.

Nos verò ad nostra redeamus. Scribendæ historiæ consilium longè ante ceperat, quàm inciperet; & ad tantum opus necessaria coëgerat. Cœpit tandem precibus Amalrici Regis: præfat. & extremo lib. XX. *Traditionibus instructus, & oculatâ fide; nullâ scripturâ præduce. Non legisse studiosum & doctum hominem, qui transfretauerat, & vt tum loquebantur, etiam transalpinauerat, tot de hac Via editos libros ab iis qui inter viatores fuerāt, probabile non est. Ordricus supradictus Vitalis, multos alios tam Latinorum quàm Græcorum de tam memoranda re tractasse memorat. Nos Græcum vnum vidimus in Regia Bibliotheca, beneficio* Isaaci Casauboni *vulgari linguâ scriptum, Iohanni Meursio crebrò citatum in Lexico Græcobarbaro: Is autem sacrū hoc bellum (quantū memini) vnâ aut alterâ tantùm pagellâ perstringit. Sed neglexisse & pro nullis habuisse videtur noster, quæ & alii olim prædicarūt, & nos tanto studio atq; sumptu colligimus. Vsque ad regnū Balduini III. Regis, quod incipit* lib. XVI. *ex aliorum relatione,* quibus, *vt ait,* prisci temporis plenior adhuc famula-

batur

batur memoria, [illegible] contexuit: *sequentia ait ipse vidit, aut de iis qui rebus ipsis interfuerant, hausit: uti testatur ipse* præfat. lib. XVI. *sed & lib.* XII. cap. XXIV. *ait, audita se referre a senioribus quibusdam qui constanter asserebant se prædictis omnibus interfuisse.* *Neque uno spiritu, hoc spatium confecit. bis palam interquiescit, & velut animam atque animum recipit*: illo ipso libro XVI. *tanquam certiora deinceps editurus; & absoluto lib. XXII. accedens ad Patriæ extrema describenda, inuitus.*

Non imposuisse operi utilissimo ultimam manum apparet: nam & quædam repetit atque inculcat, quæ semel dixisse suffecerat: quædam non dicta, leuiter tangit tanquam iam explicata: nec tempora ubique respondent. Præfatione, *præsentem tum annum notat MCLXXXIV. quem* lib. I. c. II. *facit MCLXXXII. quomodo legendum* fine c. XXI. lib. XIX. *ubi vulgò notatur annus MCLXXII. Et* libro XXI. cap. XXVI. *ait Ecclesiæ Tyrensi tum se præfuisse annos sex: quod incidit in annum MCLXXX. Ex quibus, quod iam dixi constat, sæpius diuersis temporibus manum huic operi admouisse; & ultimo loco ei scriptam eam partem quæ hodie prima legitur.* Libro XXII. cap. VII. & XIII. *de re loquitur, quæ cùm scriberet, gerebatur*: dicitur obsidere, *inquit*, & frequentibus, more hostili, impugnare congressionibus, *&c.* *Opus siue volumen, libris distinxit, quos & tractatus vocat; libros, capitibus. Libros autem scripsit XXIII. ut ipse auctor est*, præfatione: *sed vicesimum & tertium non absoluisse inde apparet, quòd MS. veteres paullò post eius ætatem exarati, nec unâ litterulâ alter altero plus minúsue habeat: nec præposita libris capitula præter ea quæ habemus quicquam promittant. Et cùm Gallici interpretes historiam longiùs, etiam ultra Guillermi mortem, deduxerint; unus tamē Palatinus Heydelbergensis, nec verbulo Latinum excedit. Nam quid velit Ioannes Herold, non capio, cum præfatione continuationis suæ Belli sacri, ait,* ad Friderici II. August. excessum vsque, historiā suam eundem Guilhelmum perfecisse, magnorū virorum testimonio, iuratum. *Ea enim ratione superasset viuēdo annos centum & viginti: nisi velimus Heroldo dictum Fredericum* primum, *pro* secundo. *Ita suffragatorē fortasse haberet P. Æmilium, ut statim dicemus. Illic igitur substitit, negotiis auocatus, & morte præuentus; animo tamē persequendi: propositum habens* numerū etiā augere librorū, pro quantitate, *inquit*, occurrentis materiæ: *cùm antea constituisset languorē patriæ, & suorū ultimos defectus non attingere:* præf. operis, & lib. XXIII. *Qui quidem lib. XXIII. in Anglicano Cantabrigiensi legitur iunctus vicesimo secūdo: exscriptore indicante unam istam aut alteram pagellam, non esse proprio*

libro inscribendam. Annos complexus est ferè centum, id est, vt postea, exactiùs ipse computat, octoginta quatuor: præfatione. *In veritate quærenda diligens:* patet ex lib. IX. cap. XVI. & XVII. cap. VII. & XX. cap. XVIII. *In dubiis suspensus & religiosus:* patet lib. XXII. cap. V. fine, VIII. XXV. XXVII. fine. & lib. XX. cap. XX. *alibi. Itaque & recentia, vt ad quorum inquirendam veritatē tempus defuerit, dubiè refert.* lib. XXII. cap. XIX. *&c. Generalia persequens, specialibus non multam dat operam.* lib. XVII. cap. XXIV. *Occupationes excusat publicas priuatásque, si quid fortè excidit quo Lector offendatur:* præfatione. *Toto denique opere, quam promittit præfatione, & ostentat, modestiam, prudentiam, pietatem, præstat. Heraclium Patriarcham sine odio memorat,* fine cap. IV. lib. XXII.

Iniquior fortasse videatur Guidoni Liziniaco, *Comiti Ioppensi: quem postquam imparē viribus & prudentiâ dixisset, hominem vocat* incognitum, indiscretum & penitus inutilem: lib. XXII. cap. XXV. & XXVII. *Vt alia vera sint, vt nō sunt à vero multùm aliena, incognitum non debuit dicere quem* eiusdem libri cap. I. *dixerat satis nobilem, Hugonis Bruni filium: cùm & Hugonem Lisiniacensem, & Hugonem de Lisiniaco, cognominatum Brunum, commemorasset* lib. X. cap. XIX. & lib. XIX. cap. VIII. *cùm eadem familia, Antiochiæ Principē dedisset Raymundum Pictauiensem, ex vltima Anglia petitum.* lib. XIV. cap. X. XX. XXI. *sed de familia illustrißima dicemus in Genealogico, si DEVS vitam. Certè virtutibus imparem oneri tanto fuisse, & illi experti sunt miseri, & nos ex ipsa historia discimus. Verùm, ei & cùm hostium viribus & cum domesticorum inuidiâ decertandum fuit. Alienum hominem Regis sororium, postea Regni procuratorem, & tandem successorē, indignè ferebant Regni Principes: cùm & nobiliores & prudentiores & ditiores etiam in Regno potuissent reperiri, vt ipse inquit noster* lib. XX. cap. I. *Notat* Iacobus de Vitriaco, *diu in Regno versatus,* Histor. Hierosf. cap. LXXXII. *nouos illos Syriæ indigenas, quos dictos* Pulanos *ait, in eos qui de longinquis regionibus causâ deuotionis, aut ad eorum subsidium aduenissent, non solùm ingratos, sed multifariè molestos extitisse. Experti eorum inuidiæ aculeos, & perfidiæ graues ictus, magno cùm Reip. tum Regni ipsius damno Conradus Imper. & Rex Ludouicus ad Damascum.* noster lib. XVII. cap. V. & VII. *Expertus & Flandrensium Comes Theodoricus:* lib. XVIII. cap. XVIII. *Neque omninò domesticorum ille in exteros animi motus, sine ratione est. Videtur enim indignum vt qui totâ vitâ suâ regno militantes, infinitos labores pertulerunt, ab iis qui recenter aduenerint tantorum fructus la-*

borum

borum colligentibus, negligantur, & spe remunerationis excidant: ipse Tyrius lib. XVII. cap. VII. Sic vos, non vobis. *Sed hæc alterius loci quæstio est. Hic verò DEI admiremur Prouidentiam & iusta iudicia: qui, cùm perdere meritissimò nostros constituisset, Guidonem illis Regem, mediâ petitum Galliâ, è summa Pictonum nobilitate: cùm tempore eodem attollere res Sarracenorum, Saladinum è puluere excitatum, terræ filium, sed virtutibus omnibus absolutissimum, Principem dedit. Sit itaque nostri auctoris, vel amore & miseratione patriæ excusatum, si quod fuit, in Guidonem odium: quod nec latuit fratrem* Stephanum Lusignanum, *ordinis prædicatorum, qui historiam Regni Cypri edidit, primùm Italicè, deinde Gallicè. Is odii causam adscribit, ipse è Guidonis posteritate, propinquitati quâ Regni proceres noster Guillermus contingebat, quibus ille successionem Regni alienigena eripuisse videbatur. Idem Stephanus alia, tanquam scripta Guillermo, recitat, quæ nusquam legimus: aliâs parum ipse literis eruditus, aut lectione doctus.* Tripolitanum *autē Comitem, Guidonis æmulum laudibus noster effert, passim:* lib. XXII. cap. IX. XVI. XXIX. & lib. XXIII. cap. I. *Sed &* Manuelem Imperatorem *Constantinopolitanum cum affectu memorat,* lib. XV. cap. XXIII. & lib. XXI. cap. XII. *& causam aperit, cùm eius in se beneficentiam prædicat:* lib. XX. cap. IV. & lib. XXII. cap. IV. *Verè enim ipsemet de Saladini virtutibus:* Nullo alio hodie visco, subiectorum, etiam quorumlibet aliorum hominum corda magis solent Principibus conciliari, nihilque alienos animos magis obligat, quàm munificentia. *Hæc & peccata quamuis eminentia, operit; & virtutes etiam latentes aperit.*

Hanc verò historiam laudat, qui vixit anno MCCCCL. Antoninus *Florentinus Archiepiscopus,* tit. 17. cap. 9. §. 3. & 12. Dominus, *inquit,* Guillelmus Archiepiscopus Tyrensis in Chronico. *& alibi eius ipsissimis verbis vtitur: quod & sæpissimè, tacito nomine, qui eius ætati proximus fuit, Iacobus de Vitriaco. Sed* tit. 16. cap. 13. princ. *quem auctorem citat, Guillelmus, est Malmesberiensis, cuius verbis subiicit & nostri ipsissimas voces, quæ leguntur* lib. I. c. XVII. *Paulus Æmilius, grauis auctor,* de rebus Franc. lib. 4. & 5. *nostrum non semel appellat, nomine Pontificis Tyriorum, verbáque eius adducit. Sed* lib. 6. *quæ tradi à Tyrio dicit illius temporis auctore, de morte Friderici I. Imp. scrupulum mihi & dubitationem quandam iniiciunt. Excessit enim Fridericus Imp. anno MCXC. proximè quidem ætatem Tyrii: sed nos, non superasse scribendo Tyrium annum MCLXXX. antea firmauimus. Latebat in bibliothecis Æmilii tempore Tyrius, nondum typis editus: itaque incidisse illum in huius ab alio continuatam*

historiam, quales Gallicas habemus aliquot, probabile est, quam totam pro Tyrii legerit, habueritque: &

—— opere in longo fas est obrepere somnum.

Blondus in harum rerum explicatione Guillelmum citat, scriptorem, *inquit*, Gallicum, *lib.4. dec.2. sed & Guillelmum sæpius nominat, alium à nostro*, eodem & præcedenti libro: *itaque dubito. Cætera, bonus & necessarius auctor Historiæ, satis in hac negligenter versatus est Blondus: quod solens iis qui complecti omnia, & generales, vt vocant, conscribere historias aggrediuntur, fraudem lectoribus titulo magnifico facientes: quos vt fugiant adolescentes, suadeo; legant cum attentione & iudicio, alii: ne, dum cæcum cæcus ducit, ambo in foueam incidant.*

Opus præterea Guillermus *noster composuit, cuius non possumus iacturam nō ægerrimè ferre historiarū studiosi, in argumento obscuro maximè, nec vllius diligentiâ scriptoris illustrato, cuius*

Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura:

De gestis Occidentaliū Principum: lib.I.cap.III. *siue, de Principibus Orientalibus & eorū actibus*, lib.XIX.cap.XV.& XXI. *à tempore seductoris Mahumet, vsq; ad annū* DOMINI *MCLXXXIV*, præfatione. *Quingentorum septuaginta annorum seriem complexum*: præfat. & lib.I.c.III. *vel quingentorum septuaginta & septem, vt* lib. XIX. cap. XXI. *quæ varietas quod suprà dixi confirmat, non recognitum auctori hoc nostrum opus. Illud verò, eodem Amalrico Rege instante & rogante, & exemplaria Arabica ministrante, absoluit*: præfat. eadem, & lib. XIX. cap. XXI. *laudabili omnino, & Regiâ, & ad DEVM, cui proximi Reges, accedente curâ: verbo mortuos excitare, & in vitam reducere. Admirandum etiam in Rege, quod mediâ & profundâ barbariâ, inter lituûm stridorē, & armorum tonitrua, & præsentissima quotidie pericula, literas coluerit, & librorum copiam vsui studiosorum comparauerit: quæ aliis, altâ etiā pace, negliguntur. De Concilio Lateranensi scriptū edidisse, suprà retulimus. Eiusdem plures* Epistolas ad Bernardum *Antiochenum exstare, scribit exscriptor Simleri Antonius Possevinus*, Apparatu: *vterq; falsus: neque enim huius, sed alterius, Tyrensis item Archiepiscopi, Guillelmi Anglici sunt illæ, quas non vidimus, ad Antiochenū Epistolæ: Obiit Bernardus, nostro vix nato, nempe circa annum MCXXVII. quem paullo post & ille alter Guillelmus secutus est: vt ex nostro constat*: lib.XIV. cap.X.& XI.

Sed hac historiâ primus nos beauit PHILIBERTVS POISSENOTVS, *D. Morādi in Maxima Sequanorum præpositus: vti eum Iohannes Herold continuatione Belli sacri, demonstrat: typis Io. Oporini, anno 1549. Postea, quam emendatam pollicetur, corru-*

ptam

ptam dedit ab Henrico Pantaleone, Nicolaus Brillingerus, anno 1564. nec diffitetur ipse Pantaleon, se vetustissimum exemplar fideliter correxisse; in quibusdam etiam locis vsitatiora verba pro obsoletis, & sententias perfectas pro imperfectis apposuisse: atque sic multò emendatiorem denuò in lucem edidisse: *scilicet! Nos quàm potuimus exactissimè veteres secuti, ex iis passim lacunas repleuimus; & lib. III. quod deerat integrum caput quintum, aliis locis periodos integras, restituimus; voces emendauimus, quot dici nõ potest: nobis, nihil permisimus. Sumus autem vsi Codicibus* PITHOEANO, CANTABRIGIENSI, PARISIENSI *Nauarreno. Cantabrigiensem, humanitate praefecti & sociorum admissi, vidimus & cõsuluimus in Bibliotheca collegii S. Benedicti: & eius, antequam eò accederemus, gustum nobis dederat* Merlinus Higdenus, *concilianteeum nobis* Stephano Le Sieur. *Parisiensis Codicis qui in Nauarreno collegio exstat, index fuit* Albertus Myræus: *eiúsq. postea lectiones à vulgato diuersas diligenter & iudicio collectas misit* Timotheus Hoyus, *Andreæ filius: Tres, omnino probæ notæ, sub ipsam ætatem auctoris conscripti. Nauarrenum, subscriptio indicat donatum ab* Ansello *Episcopo Meldensi, qui vitiosè Demochari dicitur Aurellus & Ausellus: vixit is circa annum* DOMINI *MCC. id est, paullo post nostrum Archiepiscopum. Veræ lectioni firmandæ, & illustrandæ historiæ, profuerunt* GALLICAE *interpretationes:* PALATINA *Heydelbergensis, quam fuisse* Isabellæ *Reginæ Norwegiæ indicat inscriptio rubricata: eam nobis olim impetrauit Georg. Michael Lingelshemius; nuper consulenti, adfuit Ianus Gruterus.* FAVCHETIANA, *à Dionysio Godofredo IC. Nostra.* *Pag. 625.*

Subiecimus Tyrio, NOTITIAM PATRIARCHATVVM *Antiocheni & Hierosolimitani, membranas secuti: nam in editis collocatur* lib. XIV. c. XII. *Nomina vti erant in MSS. diuersa à vulgatis, exhibuimus, sanè corruptissima: quæ dabit, vt speramus, emendata* Alberti Miræi *diligentia.* *Pag. 1144.*

Sequitur Primatem suum, Tyrensem Archiepiscopum, suffraganeus, Acconensis Episcopus IACOBVS DE VITRIACO; *cuius vita ab Andrea Hoio, legitur præposita editioni Duacẽsi duorum eius librorum Orientalis & Occidentalis historiæ: spicas post eius messem, has legimus.* **XII.**

Vincentius, Specul. Hist. lib. 30. cap. 10. Annò MCCXIII. *sanctæ* & admirabilis vitæ, S. Maria de Oegnies in Episcopatu Leodiensi, obiit, cuius vitam Magister Iacobus de Vitriaco diligenter conscripsit. Hic etiam Iacobus ante fuerat in villa prope Parisius, quæ dici-

tur Argentolium, presbyter Parrochialis; postea verò secularem vitam relinquens, in monasterio de Oegnies factus est Canonicus regularis. Cuius itidem Parochiæ cura cùm ei commissa esset, eidem Mariæ in eadem parochia conuersanti, propter vitæ ipsius sanctitatem valde familiaris effectus est: cui etiam illa spiritualem, vt fertur, gratiam orationibus suis impetrauit. Vnde & ipse Crucem contra Albigenses in Francia prędicans, eloquii suauitate atque dulcedine multos atque innumerabiles ad signum Crucis accipiendum prouocauit. Postea verò factus est *Episcopus Acconensis*, & inde translatus auctoritate Apostolicâ, factus est Episcopus *Tusculanus*, *sedis Apostolicæ Cardinalis*. Tandem ex vita præsenti migrans, fecit corpus suum apud Oegnies deferri, & in eadem ecclesia in qua illa quondam eius dilecta sepulta fuerat, sepeliri. Hic etiam volumen vnum aliud confecit, in quo multa de naturis rerum, & præcipuè de mirabilibus, quæ in transmarinis partibus reperiuntur, inseruit. Sed & cum vita prædictæ Mariæ, de sanctis mulieribus, quæ tempore suo in partibus Leodiensium abundabant, multa bona scripsit, & earum detractores acriter reprehendit, ac venerabili Tholosano episcopo Fulconi loquens, ita dicit. *&c. quæ sequuntur ex libro Vitriaci de vita Mariæ de Oegnies, & sanctis mulieribus Leodiensibus sunt excerpta. Historia Comitum Tholosæ manuscripta, bibliothecâ ad S. Benedictum Cantabrigiæ.* Mittitur interea in Franciam à Legato Fulco episcopus Tholosanus, prædicaturus Crucem cum aliis qui mandatum habuerunt consonum: quibus affuit Magister *Iacobus de Vitriaco*, vir magnæ honestatis & litteraturæ, & eloquentiæ, qui postea fuit *Episcopus Acconensis*, deinde in Rom. curia *Cardinalis*: cui iniunctum fuerat per visionem in somphiis à B. Saturnino Tholosæ protopræsule, vt contra suum populum prædicaret. *Membrana ad Tyrium Gallica*: Fuit in Francia bonus clericus, nomine Magister *Iacobus de Vitriaco*, qui multos Cruce signauit, vbicunque prædicare eum contigit. Eum verò electum, Canonici *Acconenses* ab Apostolico petierunt Episcopum: neque enim ille absq; Apostolici mandato, episcopatum vnquam accepisset. Mare igitur transiit, & diu *Episcopus fuit Acconensis*, multisque regionem illam bonis affecit. Tandem resignato episcopatu in Franciam rediit: & ab Apostolico *Cardinalis* Romanus factus est. *De eius obitu Chronicum Belgicum Pistorianum, ad annum MCXL.* Anno prænotato, magister *Iacobus de Vitriaco*, quondam episcopus Acconensis, tunc Cardinalis Tusculanensis, Cal. Maii Romæ obiit: cuius ossa post aliquantum temporis translata apud Ognies, Leodiensis diocesis; & ibi honorificè tumulata sunt.

Animum ad scribendum applicuit captâ Damiatâ, cùm otio fugiendo scripturarum meditatione, & compedibus, vt ipse loquitur, lectionis assidua, animum tanquam seruum maleuolum, studeret adstringere: & recreationis causâ, studióque discendi, euolutis Orientalibus historiis, doleret reproborum gesta accuratè descripta

descripta legi; indicta & neglecta iacere Regis æterni prælia. Eodem ferè stomacho commotus quamuis ignarus DEI veri Seneca: Quanto potius, *inquit*, opera DEI celebrare, quàm Philippi aut Alexandri latrocinia? *Sed & hæc opera DEI sunt: quod ignoratũ Seneca, nos è DEI verbo discimus. Sunt, inquam, DEI opera, quomodo pestes, quomodo inundatio, quomodo conflagratio, quibus illos ipse comparat Seneca. Nabuchodonosor seruum suum DEVS vocat, non semel.* Ecce, ego mittam, *inquit*, & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, & Nebuchodonosor regem Babylonis seruum meum, *&c. Igitur, & hæc cognoscere Christianus, non minus decet, quàm*

Ierem. 5, 9. &c.

——errantem Lunam, Solísque labores:
Vnde hominum genus, & pecudes; vnde imber & ignes:

& naturæ cætera. Sed Iacobus, illo impulsu, tribus libris *res Christiani populi scribere aggressus est: ita vt* primo, *res Orientis describeret*; secundo, *statum Occidentis Ecclesiasticum*: tertio, *in Orientem regrediens, ea explicaret, quæ propriis oculis vidisset.* ipse præfat. *Latinè, Græcè, Arabicè doctus, vt ex eadem præfatione; in sacrarum litterarum lectione diligenter versatus, vt ex ipsis eius libris apparet. Citatur sæpè auctori Chronici Belgici, & aliis. Scriptor Fortalitii fidei, qui vixit anno MCCCCLIX.* lib. 4. consid. 9. *anno MC.* Acconensis, *inquit*, Episcopus, in libro de rebus & statu terræ Orientalis. *Borchardus, siue Brocardus, descriptione Terræ sanctæ, cap. 6. §. 6.* Dominus *Iacobus de Vitriaco*, Hierosolimitanus Patriarcha, & Romanæ Sedis Legatus, in libro quem de conquesto Terræ Sanctæ edidit, *sic dicit*: Regionis Decapoleos fines siue extremitates sunt mare Galilææ ab Oriente, & Sidon magna. *qui locus legitur in hac ipsa historia cap. XLVII. Citatur & libro Bellorum Domini, Petauiano. Guillermi Tyrensis ipsissima verba, non semel, suppresso nomine, vtitur Vitriacus: vti ipsius Vitriaci, Marinus Sanutius.*

Libri titulus, vt ex supra notatis intelligis, Lector, variat: Manuscriptis dicitur HISTORIA IHEROSOLIMITANA, *&* HISTORIA HIEROSOLIMITANA ABBREVIATA. *vnus, fine libri habet*: Explicit hic liber de captione & redemptione Hierusalem. *Vidi Londini beneficio domini* Gent. *librum veterem, cui nomen erat præscriptum domini* Allem; *hac inscriptione*: Incipit liber de Imagine mundi, editus à Reuerendo patre ac domino Petro Patriarcha Iherosolimitano. Incipit Prologus. Postquam diuinæ propitiationis munificentiã, *& cetera, quæ hic edita. Subiiciuntur capita CXXXIV. distincta libris tribus: primus absoluitur capitibus LXXXII. Postea,* incipit liber secundus. Descriptio terræ Orientalis, ex his quæ in ea mirabiliter fiunt vel continentur, & primo de Terræmotu & To-

nitruis & niuibus, cap. 83. *quo numero idem & hîc legitur. finit:* de die in diem expectantes: *qui est & huius historiæ finis. Inde, incipit liber tertius,* de corruptione habitantium in Terra Sancta, cap. CI. Cùm igitur Orientalis Ecclesia. *&c. quod est in editione Duacensi caput primum historiæ Occidētalis. Vltimum caput, CXXXIV. finit:* puluerem autem retinet & abscondit. *Sequitur in eodem Codice,* Incipiunt exempla magistri Iacobi de Vitriaco. Nauis per se descendit in flumen; sed per se non ascendit: similiter homo. *&c. Plura non notaui, destitutus tum & libris & valetudine. Hæc autem, qualia qualia, apponere hîc visum, si fortè vsui sint studioso harum literarum Lectori.*

Patriarchæ Hierosolymitani nomen, quod ei tribuit Borchardus, vnde sit, nescio: nisi, qui vitas & gesta summorum Pontificum scripsit Alfonsus Ciaconius, *sub Gregorio IX. PP. narrat ex Episcopo Acconensi in Patriarcham Hierosolimitanum electum: Pontificem autem, quod Rom. Ecclesiæ eum necessarium esse ostenderet, in eius locum obtulisse Canonicis Episcopum Nannetensem. Petrus autem, qui in Londinensi codice dicitur & ipse Patriarcha Hierosolimitanus, an Petrus de Palude? Sed huius Iacobi alia scripta è Trithemio pete, & Hoio; & ab Hoio notatis locis adde è Chronico MS. quod habemus à Marq. Frehero*: Item eodē tempore *(sc. anno MCCXIII.)* obiit domina Maria de Onies in territorio Laud. cuius vitam mirabilem Iacobus de Vitriaco Cardinalis scribit.

Hoc verò damus ex editione Duacensi Balthasaris Belleri, *anni 1597. quam procurauit, FR. MOSCHVS, illustrauit* A. Hoius: *nos emendauimus & auximus ex MSS. duobus P. PETAVII, vno nostro. Parisiensem editionem, ex qua hunc auctorem Syriacis suis inserere Pistorius cogitabat, nō vidimus. Præfationem quæ Duacensi deest, in Antiquis dedit &* Henr. Canisius, *tomo VI. Eam nos ex nostris descriptam habebamus ante editionem Canisianam, vno aut altero loco fortasse meliorem: de quo in diuersis lectionibus.*

Libro secundo, qui est Occidentalis historia, quòd argumentum tractet à nostro alienum, onerare hanc collectionem noluimus. Eius fine ait ipse, præfatione, *disseruisse de ordine & Religione Cruce signatorum, & vtilitate Peregrinationis, pleniùs: quod in editione Duacensi non exstat.*

Tertium, & EPISTOLAM edimus fide IACOBI GRETSERI, qui inseruit Horto Crucis. Libro tertio nominat Acconensem Episcopum: id est, seipsum. Quæ præmittit de Saphadini filiis & locis Terræ Sanctæ, ea Gallica habemus MSS. authore Patriarchâ Hierosolymitano quodam, neq; enim nomen editur: iussu Papæ Innocentii:

nocentii: quibus & sua auxit Vincentius, *speculo histor.* lib. 31. cap. 94. *&c. Reliqua illius tertii libri, descripta sunt ex* Oliueri *Coloniensis Epistola; ex qua & Matthæo Pari & Beluacensi, emendare est, quæ hic legũtur corruptissima. His facilè mihi persuaderi paterer non esse librum Vitriaci: nisi hæc ipsa scribenti succurreret, nec nouum esse, scriptorem obliquè seipsum, tanquam alium, in ipsam historiam inducere: & Patriarcham Hierosolimitanum dici Vitriacum, ex superioribus cognouissemus: & reliqua tam Oliuerius ex hoc, quàm ex illo hic describere potuisset.*

Orditur historiam ab ipsa origine malorum Mahometo: & ab eo descendens ad Petri Eremitæ primam peregrinationem, & ex ea expeditionem, finit post receptam Ptolomaidam in coronatione Regis Ioannis de Brenna, quæ facta est anno MCCX. Constat igitur ratio, cùm cap. IV. *ait*, iam ferè per DC. annos serpentem antiquum, per os Pseudoprophetæ execrabilis erroris venenum euomuisse. *Liber tertius & Epistola, obsidionem & captionem Damiatæ referunt, quæ est anni MCCXVIII. Rebus adfuit, atque etiam præfuit, vt ex his videre est, & fine Epistolæ Oliueri.* *Pag. 1047.*

XIII. *De* HIEROSOLIMITANAE HISTORIAE *hoc fragmento, nihil habemus dicere: nisi quod visa scribit auctor; & res gestas, adhuc calente memoriâ, stilo designat, vt ipse loquitur* præfatione: & pag. 1170. lin. 55. quos cùm cerneremus signis prodire distinctis. &c. *Homo, vt illo seculo, eleganter doctus. Natione Anglicum, iudicabit vnà mecum qui attentè legerit. Eius nobis copiam fecit* NICOLAVS SERVINVS, *Regius in Parlamento Parisiensi Aduocatus. Res gestas narrat ab anno MCLXXVII. ad MCXC.* *Pag. 1150.*

XIV. EPISTOLAE *à Regibus, Principibus, Prælatis, ad Regem Francorum* LVDOVICVM *Iuniorem, viginti septem; vna, ad Alexandrum PP. III. scripta, ex bibliotheca P.* PETAVII, *sunt hæ:*

1. *R.* Principis Antiocheni. *Frequens librariis illius ætatis, hominum dignitate illustrium nomina notare litterâ singulari, nominis principe. Hîc itaq;, R. est* Raimundus.
2. Giberti, *Magistri Hospitalis.*
3. Hugonis, *Abbatis Ecclesiæ B. Mariæ Adrianopolis; &* Petri *prioris S. Ioannis Constantinopoleos Hospitalis:* Alexandro *R.E. Pontifici.*
4. Amalrici, *Regis Hierosolymorum.*
5. A. Patriarchæ *S. Resurrectionis. Est* Amalricus.

6. Eiusdem.
7. R. Ducis *Narbonæ, Comitis Tholosæ, Marchionis Prouinciæ: est* Raimundus.
8. R. de Balneo: *fidelis Imperatoris Constantinopolitani Emanuelis.*
9. A. Regis *Hierosolimorum.*
10. B. de Blancesfort, *Magistri Militiæ Templi.*
11. Eiusdem.
12. Gilberti, *custodis Hospitalis Hierusalem.*
13. A. Regis *Hierosolimorum.*
14. B. de Blancesfort, *Magistri Militiæ Templi.*
15. G. Fulcherii, *procuratoris domorum Militiæ Templi.*
16. A. Regis *Hierusalem.*
17. A. olim Prioris *de monte Thabor.*
18. Petri Prioris *Hospitalis Constantinopoleos.*
19. A. Patriarchæ *Dominicæ Resurrectionis Ecclesiæ.*
20. Hugonis, *Abbatis S. Mariæ Adrianopolis; & Prioris S. Ioannis Constantinopolis.*
21. Amalrici *Regis Hierosolimorum.*
22. Bertrandi de Blancafort, *Magistri Militiæ Templi.*
23. Amalrici Regis *Hierosolimorum.*
24. Gaufridi Fulcherii, *præceptoris Hierosolimitanæ domus.*
25. B. *Raimundi filii, Principis Antiochiæ.*
26. G. Fulcherii *conserui Militiæ Templi.*
27. B. *Militiæ Templi ministri.*
28. Adriani *PP.* *Pag. 1172.*

Bullam Innocentii PP. cum ANDREAE *Regis Hungariæ ad* Honorium *PP. litteris, habemus à* NICOLAO FABRO. *Incidit autem Andreæ Regis expeditio in annum MCCXVII.* *Pag. 1192.*

XVI. OLIVERI *Epistolam suppeditauit & P.* PETAVI *insignis bibliotheca, & exscriptũ* FRIDERICI LINDENBRVCHII. *Scholasticum Coloniensem ipse se inscribit: eiúsque frequens meminit* Cæsarius Heisterbacensis, *qui vixit anno MCCXXII.* lib. 2. cap. 7. & 3. cap. 6. & 4. cap. 10. & 10. cap. 22, 31, 37, 38, 39. & 12. cap. 23. *Crucem ait prædicasse in Brabantia, Flandria, Frisia; & discipulum eius commemorat* Arnoldum; *& illius se verbis vti profitetur. Scripsit autem quæ vidit, gesta an. MCCXVIII. & MCCXIX.* Godefridus Pantaleonis, *Rerum Germanicarum tomo Freheriano primo, anno MCCXVIII. narrat ad Damiatam Oliuerum hunc*

[illegible] lem [illegible] s de [illegible] commu-[illegible] ade [illegible] eundem [illegible] *quod* [illegible] *Ho-* [illegible] *potius* [illegible] *Lubet hic &* [illegible] Vbbonem *adducere,* [illegible] *anno MCCIII.* [illegible] *Oliueri, qui contionibus* [illegible] *ad sacram militiam vocaret:* Hominis, *inquit,* vt ea ferebat tempora, cum primis eruditi & facundi, ab ipso Rom. Pontifice ad hoc [illegible] auctorati. Is Frisiam ingressus, anno MCCIV. contionibus [illegible] institutis, &c. hominum turbam ad proficiscendum eam militiam, [illegible] Crucis signo concitauit. *& sub finem libri eiusdem:* Oliue-[illegible] qui expeditionis huius historiam prodidit, non veretur scribere, [illegible] videri non aliam magis ob causam oppidum tam validum & mu-[illegible], & cui ad obsidionem quantumuis diuturnam, deesse nihil po-[illegible], Christianis maria tenentibus, tam subitò esse amissum; quam quod nec in DEVM satis pii, cuius beneficio tantam victoriam recens [illegible], nec in Teutonas, & Frisios præsertim, satis grati qui bellum administrabant, fuissent. *Ex quo constat & amissâ Damiatâ scri-* [illegible] *Oliuerum, qua non vidimus:* [illegible] *& fine huius Epistolæ, alias* [illegible] *literas ait, de* Castro Filii Dei, *quod ædificarat Militia* [illegible]*. Pag. 1185.*

XVII. [illegible] *in nostra Bibliotheca* Beati Lvdovici [illegible] *Re-* [illegible] *suos in regno Franciæ constitutos, Epistola* [illegible] *anno MCCL.* [illegible]

Cui Regis eiusdem subiecimus Canonisationem, *edi-* [illegible] *Parisiis anno 1516. per Henricum Stephanum,* [illegible] *Clichtouei, de laudibus Regis optimi* [illegible] *exscriptum de veteri codice nobis communicauit* [illegible] Petavius. *Pag. 1201.*

C[illegible] *si quid in his auctoribus habetur,* [illegible] *impiè, superstitiosè, improbè* [illegible] *Veritatis* [illegible] *nemo, nisi impius ipse* [illegible] *enim quid debeat, sed quid fiat Historiæ referunt.*

Annalium conſciptores, *inquit noſter*, non qualia optant ipſi, ſed qualia miniſtrant tempora, mandare ſolent literis, ex officio. *Eſt enim humanæ vitæ ſpeculum, Hiſtoria: humana verò vitæ, ea ratio, vt non ſtultorum tantùm, ſed improborum etiã atq; impiorum infinitus ſit numerus. Itaq; rectè omninò ſuam Paulus Oroſius, de* Miſeria hominum *inſcripſit. Etenim, quid aliud Hiſtoria? cuius in ipſo limine, primi Parentis ſtultum cupidinem, impium animum horreas: mox madefactam ſanguine fraterno magnam Matrem: inde, in omne ſcelus præcipitatum genus humanum. Hanc, quam damus, vide: & , ne te morer, Tyrii noſtri primi libri caput octauũ lege; quæque anteà notauimus de cauſis excidii Hieruſalem, repete: hæc tempora, hos mores videbis. Et, iſta cùm legimus, cauſas præſentium atq; imminentium malorum quærimus? face cupiditatis incenſum, ardere malis mundum, miramur?*

Ita in antiquiſſimo libro inſcriptũ Oroſii hiſtoriam vidimus.

Fœcunda culpæ ſecula, nuptias
Primùm inquinauêre, & genus, & domos:
Hoc fonte deriuata clades,
In patriam populumque fluxit.

Itaque, ex vſu & multitudine qui patrocinium vitiis quærit: is omnes omnium ætatum, omniúmq; gentium hiſtoriographos, is hodie hominum vniuerſitatem, à ſe habeat. Idem verò ſciat: cùm de Veritate, cùm de Virtute quæritur, illud diſceſſionum locum non habere: Hæc pars maior eſſe videtur: *ideò enim peior, quia maior.*

Sed te, DEVS, cuius res Chriſtiana numine, non hominum ratione & conſilio gubernatur, pacem ac veniam peto: precorque, DOMINE, vt Principum, quorum à te, & à tua proxima poteſtas, ***ad*** pietatem & innocentiam; *populorum ad obſequium flectere animos velis: vt hic mundi contextus tibi in pace ſeruiat, per pacis tecum noſtræ auctorem, DOMINVM noſtrum IESVM CHRISTVM. Amen.*

PRINCI-

PRINCIPVM [illegible] [illegible]LATORVM MILITVM [illegible]

nomina,

[illegible] *qui nomini* CHRISTIANO *militarunt*,

Scriptoribus his dicta

de quibus

&

aliis, qui hisce bellis operam nauauerunt,

in Indicibus, DEO *dante, accuratiùs.*

CICERO II. PHILIP.

Quibus ortus sis, non quibuscum viuas, considera.

SALLVSTIVS IVGVRTHINO.

Sæpiùs ego audiui Q. Maximum, P. Scipionem, præterea ciuitatis nostræ claros viros, solitos dicere: Cùm Maiorum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad Virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, siue figuram, tantam vim in sese habere: sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere; neque priùs sedari, quàm Virtus eorum famam atq; gloriam adæquauerit. &c.

CICERO AD APPIVM, EPIST. VII.

Quæso: etiamne tu has ineptias? *&c.* vllam Appietatem aut Lentulitatem valere apud me plus quàm Virtutis ornamenta existimas? Cùm ea consecutus nondum eram, quæ sunt hominum opinionibus amplissima, tùm ista vestra nomina nunquam sum admiratus: Viros eos qui ea vobis reliquissent, Magnos arbitrabar. *&c.*

PRINCIPES, PRÆLATI, MILITES,

Qui his auctoribus memorati, Bellis istis Orientalibus adfuerunt.

A*Chardus de Montemerulo*. aliàs *Aichardus de Montemerla*.
Adam, filius Michaelis.
Addo de Keresi.
Adelbero F. Conradi comitis de Lutzelburg, Archidiaconus Metensis.
Adelboldus, familiaris ducis Godefridi.
Adolfus de Monte, frater Coloniensis Archiepiscopi.
Ægidius de Santi, Francigena.
Aimarus, aliàs *Ademarus*, Podiensis Episcopus.
Aimarus Patriarcha Antiochenus.
Aimericus Lemouicensis, Patriarcha Antiochenus.
Aimericus de Lizinio, frater Guidonis Regis.
Alanus dapifer.
Alanus dominus Cerepi.
Alanus Fergaudus, Britannorum princeps.
Alberedus de Cagnano.
Albericus Beluacensis, episcopus Ostiensis, Legatus.
Albericus, frater Guillelmi de Grantemaisnil.
Albericus, vicedapifer.
Albertinus Moresinus, Bayliuus.
Albertus, comes de Blandraz.
Albertus, frater Comitis de Namurra.
Albertus de Nigrocastro (fort. *Scwhartzenburg*) de Alemania, præceptor domus Hospitalis.
Alexander de Conuersana Apulus.
Alexander de Grauina.
Almericus, Comes Montefortis.
Amalricus Nouiomensis, de oppido Neella, ex Ecclesiæ Dominici Sepulchri Priore, Patriarcha Hierusalem.
Andreas, Rex Hungariæ.
Andreas, comes Brennensis.
Andreas de Espeisse.
Andreas de Nantolio, frater electi Beluacensis.
Andreas, Comes de Rupecanina.
Ansaldus, Genuensis.
Anselinus de Bria.
Ansellus de Pas.
Anselmus de Riburgismonte. aliàs *Ansellus de Ribodimonte*.

Anselmus,

Anſelmus, turris Dauid cuſtos.
Arnaldus de Toroge, magiſter militiæ Templi.
Arnoldus eques & princeps de caſtello Aldenardis.
Arnoldus filius Villici.
Arnolſus de Tyrs caſtello.
Arnulſus Calaber, epiſcopus Conſentinus.
Arnulſus, epiſcopus Lexouienſis.
Arnulſus, capellanus Comitis Normannorum, de Rohes caſtello Flandriæ, tandem Patriarcha Hieroſolimitanus.
Arnulſus Mariſienſis, dapifer.
Arnulſus de Turuaſſel.
Arpinus de Buduordi.
Aſchetinus, aliàs Aſquittinus, Bethleemita epiſcopus.
Auſonſus, ſiue *Alſonſus*, comes Toloſanus, frater B. Ludouici regis.
Aufredus, vir religioſus.
Auſtriæ dux.

B*Aldricus*, dapifer ducis Godefridi.
Balduinus Bolonienſis, frater ducis Godefridi, & poſt eum Rex I.
Balduinus de Burgo, Rex II. Hieruſalem.
Balduinus de Calderon.
Balduinus Flandriæ comes.
Balduinus de Gant caſtello.
Balduinus de Grantpreit.
Balduinus de Haſtrut caſtello Flandriæ.
Balduinus Hamaucorum, aliàs de Monte, comes.
Balduinus de Iuſula.
Balduinus de Mares.
Balduinus de Ramis.
Balduinus Tauns caſtello Flandriæ.
Balduinus, è comitatu Godefridi Ducis, Cæſareæ archiepiſcopus.
Balduinus, Dominici Sepulchri canonicus & theſaurarius.
Balianus.
de Bar comes.
Bartulſus de Breis.
Bartholomæus Francigena.
Belli montis vicecomes, filius Gualteri camerarii regis Francorum.
Beluoldus miles.
Benedictus Edeſſanus Archiepiſcopus.
Berengarius Auraſicenſis epiſcopus.
Bernardus Antiochenus Patriarcha; Hiſpanum dicit Benedictus de Accoltis.
Bernardus extraneus.
Bernardus Raymundus filius Gualteri de S. Valerio.
Bernardus de Stampis.
Bernardus de Tremelay.

Engelradus

Geruasius de castello Basilicas, pagi Suessonici.
Gilbertus de Laci.
Gilbertus de Monteclaro.
Giselbertus, canonicus S. Mariæ Aquisgrani.
Giselbertus de castello Cuiun.
Gilebertus de Tornaco, frater Ludolfi.
Giselbertus de Trena, aliàs *Gillebertus.*
Godefridus de Ascha.
Godefridus Boloniensis, dux Lotharingiæ, &c.
Godefridus Burel, de Stampis.
Godefridus de Burs, Parisiensis, frater Wilhelmi.
Godefridus, Lingonensis episcopus.
Godescalcus, sacerdos, Teutonicus, Rhenensis.
Godescalcus de Turholt, aliàs *Tourhout.*
Gormundus, de oppido Picqueniaco, Patriarcha Hierusalem.
Goscelo, F. Lamberti.
Gosfredus, breuis in statura.
Gosfredus, F. Radulfi.
Gothardus, F. Godefridi.
Gozelo, F. Cunonis de Monte acuto.
Gozelinus de Cortona, an de *Courtenay*, vt sit idem qui Ioscelinus?
Gualterus Bertaudi, aliàs *Bertaud.*
Gualterus, Brenensis comes.
Gualterus, camerarius Regis Francorum.
Gualterus de Dommedart.
Gualterus de Falcumberga.
Gualterus Francigena.
Gualterus de Maisnilio, frater Templi.
Gualterus de Monte Beliart,
Gualterus miles.
Gualterus de Montjay.
Gualterus de Quaisneto.
Gualterus Sensaueir, aliàs, *Sine habere.* Æmilio, *Egerius.*
Gualterus de S. Valerio.
Gualterus Vindocinensis.
Gualterus de Verra.
Plura vide in *Walterus.*
Guarinus Gainart, aliàs *Garinus.*
Guarinus de Petra mora.
Guelfo. vide *Welfo.*
Guercius Hispanus.
Guido. vide *Wido.*
Guinemerus, Boloniensis.
Guilferius quidam.
Guilferius de Turribus, Lemouicensis. aliàs *de la Turre.*

Gunterus

Gunterus, miles.
Gutmannus, de Brussella, castello.

Adewerck, de præpotentibus Westfalorum.
Hardinus, de Anglia.
Harpinus, Bituricensis.
Hardwicus de S. Medardo.
Hartmannus comes, de Maioribus Alemaniæ.
Henricus de Ascha, castello, frater Godefridi, F. Fredelonis.
Henricus, dux Austriæ.
Henricus de Barleduc, comes.
Henricus, dux Burgundiæ iunior.
Henricus Dango, frater Balduini comitis Flandriæ.
Henricus, comes Longobardus.
Henricus, dux de Lemborc.
Henricus, dux Louaniæ, princeps de Imperio Teutonicorum.
Henricus, Senescalcus ecclesiæ.
Henricus comes Trecensis, siue Campaniæ.
Henricus, Tullensis episcopus, frater Theodorici comitis Flandrensis.
Henricus de Vlma.
Heraclius vicecomes, vexillifer episcopi Podiensis.
Herebrandus de Bpillon.
Herluinus, interpres.
Hermannus quidam.
Hermannus de Carni, aliàs *Canni.*
Hermannus, comes de regno Teutonicorum.
Hermannus, Marchio Veronensis.
Hermannus, Viennensis.
Herueus, F. Dodemanni.
Herueus de Visione.
Hugo de S. Abraham.
Hugo de Breis.
Hugo de Botuns.
Hugo de Burg.
Hugo de Brulis.
Hugo, dux Burgundiæ.
Hugo de Cantalar.
Hugo de Creona, Siculus.
Hugo Ebriacus, Genuensis.
Hugo de Falkemberg, frater Gerardi.
Hugo de Hamach.
Hugo, miles quidam.
Hugo Liziniacensis, qui & *Brunus.*
Hugo Magnus, comes Veromanduorum, frater Philippi Regis Francorum.

Hugo de Montbeel.
Hugo de Montbeliard.
Hugo de Montilio.
Hugo de Paganis.
Hugo de Pelychin.
Hugo de Pusato, cum vxore.
Hugo de S. Paulo, comes, ex Regno Franciæ.
Hunfredus de Montescabioso.
Hunfredus, F. Rodolfi.

Iacobus de Auesnis.
Ioannes d' Arcjers, aliàs *de Arciato.*
Ioannes, comes Brenensis.
Ioannes de Cameraco.
Ioannes de Dionanto.
Ioannes Dandulus.
Ioannes Goman, aliàs *Gomar.*
Ioannes Gotmannus.
Ioannes de Grelli.
Ioannes miles.
Ioannes, comes de Mascon.
Ioannes de Namerca.
Ioannes de Neelle.
magister *Ioannes de Niuella.*
Ioannes Pisanus, Archidiaconus Tyrensis, postea Cardinalis.
Ioannes Polanus, Venetorum Capitaneus.
Ioannes Tristanus, F. beati Ludouici Regis.
Ioscelinus de Courtenay.
Ioscelinus Pisellus.
Ioscelinus de Samosato.
Iosfridus, camerarius ducis Godefridi.
Isuardus, comes Diensis.
Isuardus de Gagia, Prouincialis.
Isuardus de Nuisone, vel *de Musone.*
Iterus de Magnac.
Iterius de Tacci.
Iuo quidam.
Iuo de regno Franciæ.
Iuo de Neelle, Suessonensis comes.

Lambertus archidiaconus Antiochenus.
Lambertus F. Cunonis de Monteacuto.
Lambertus pauper.
Laurentius Teuplo, capitaneus Venetus.
Letholdus, miles ducis Godefridi.
Lietardus.

Lithardus

Paganus de Cayphas.
Paganus de Garlando.
Paganus, Longobardus.
Paganus, Pincerna.
Paganus de Sororgia.
Pelagius, Brito.
Pelagius, Albanensis episcopus, Legatus.
Petrus de Alpibus. aliàs, *de Alphia.*
Petrus Barcinonensis, archiepiscopus Tyri.
Petrus Bartholomaeus, clericus.
Petrus, comes Britanniae.
Petrus de Castellione, Vicecomes.
Petrus Damineis.
Petrus Desiderii, sacerdos.
Petrus Eremita, Ambianensis.
Petrus Geno, bayliuus pro Venetis.
Petrus, F. Gislae. *aliàs*, Gisiae.
Petrus, Longobardus, miles praeclarus.
Petrus, Narbonensis, episcopus Albaren
Petrus Peregrinus.
Petrus, frater Pontii Rainardi de Pul.
Petrus Raimundi.
Petrus, S. Sepulchri prior, Hispanus.
Petrus de Roasa.
Petrus de Stadeneis comes, frater comitis Tullensis.
Philippus, Rex Francorum.
Philippus, F. B. Ludouici Regis.
Philippus de Bulon.
Philippus, Flandrensis comes.
Philippus de Monteforti.
Pisellus de Tuorna.
Pisellus, Vicecomes.
Piscellus, filius sororis Vdelradi de Wizan.
Pontius de Baladuno.
Pontius Rainarus, Bulonensis.

R*adulfus de Balgentiaco.*
Radulfus, Cancellarius regni, Anglicus.
Radulfus, de castello Danfrunt, archiepiscopus Mamistranus.
Radulfus (aliàs, *Rudolfus*) *de Fontanis*, aliàs, *de Fontaneto.*
Radulfus, F. Godefridi.
Radulfus de Guaer, Balgiacensis.
Radulfus, miles de domo Godefridi Ducis.
Radulfus de Maulion, Aquitanus.
Radulfus de Merlo.
Radulfus de Montpizon.

Radulfus

Simon

Simon, Ducis filius.

Simon, Comes de Monteforti.

Stabelo. aliàs, *Stabulo*, ducis Godefridi camerarius.

Stephanus, comes de Alba Marla F. Vdonis de Campania, nepos Roberti Normanni.

Stephanus, Burgundiæ comes seu dux.

Stephanus, comes Carnotensis & Bletensis.

Stephanus Carnotensis, Balduini Regis consanguineus: ex abbate S. Ioannis de Valea Carnoti, Patriarcha Hierosolimitanus.

Stephanus, Metensis Episcopus.

Stephanus, comes Perticensis.

Stephanus, frater comitis de Percio Rotholdi, cancellarius Siciliæ regis, electus Panormitanus.

Stephanus, comes de Sansuerre.

Stephanus, sacerdos.

Stephanus, F. Theobaldi senioris, comitis Blesensium, Carnotensium, & Trecensium.

Stephanus, F. Wilhelmi comitis de Saona.

Stephanus, comes quidam.

Sueno, F. Regis Danorum.

T*ancredus*, Wilhelmi Marchisi F.

Theobaldus, comes Campanię, rex Nauarræ.

Theobaldus comes, Franciæ Mareschallus.

Theodericus Barneuille.

Theodericus, comes Flandriæ.

Theotinus, episcopus Portuensis, Legatus.

Thomas, comes.

Thomas de Feria castro, Francigena.

Thomas, è iuuentute Hugonis Magni.

V*Delradus*, (aliàs *Vbelhardus*) *de* W*izan*, Godefrido Duci à consiliis.

Venetiarum Dux, & episcopus.

Viscones de Firmamento.

Vrsinus, de montanis Antiochiæ: qui Armenus fortasse, non Francus.

W*Albertus*. aliàs, W*igbertus*, castellanus Lauduni.

W*albricus*.

W*alo de Calmont*, seu de Calomonte.

W*alo*, siue *Galo*, Comes stabuli regis Francorum.

W*alterus de S. Abraham*

W*alterus à Berga*.

W*alterus de Castelens*.

W*alterus de Dromedart*.

W*alterus de* Greis. aliàs, G*arnerus*.

Walterus Tauns.
Walterus de Vereis.
Walterus de Verna castello.
Welfo, dux Bauariæ. aliàs *Guelfo*.
Welfo Bulionensis.
Welfo Burgundio.
Welfo quidam.
de Werthe, Comes.
Wido de Blandraz, frater Comitis.
Wido, frater Boamundi.
Wido Brisebarre.
Wido Capreolus.
Wido, dapifer Regis Francorum.
Wido de Florentia, Cardinalis legatus.
Wido Fraxinus.
Wido Frenellus.
Wido de Garlanda.
Wido de Gresalt.
Wido de Insula Flandriæ, Comes.
Wido de Monteforti, Simonis frater.
Wido de Pontiuo, Comes.
Wido de Porsessa castro: aliàs, *de Possessa.*
Wido Rufus.
Wido de Scandalione.
Wido Trusellus. aliàs, *Torsellus.*
Wicherius: aliàs, *Guicherius.*
Wickerus, Alemannus.
Wigbertus, comes Parmæ.
Winemarus, pirata. aliàs, *Guinemerus.*
Winricus, pincerna ducis Godefridi, conueniens officio nomen. an idem qui *Winricus*, Flandrensis?
Wiscardus de Insula.
Wilhelmus de Albin.
Wilhelmus Amanen. aliàs, *Amaneus.*
Wilhelmus Anglicus, Archiepiscopus Tyrensis.
Wilhelmus, Aquitaniæ dux. Pictauensium comes.
Wilhelmus, Aurasicensis Episcopus.
Wilhelmus Belga, dux naualis.
Wilhelmus Blenensis. aliàs, *Benensis.*
Wilhelmus F. Boni, miles Arelatensis.
Wilhelmus de Burris.
Wilhelmus de Burs, frater Godefridi Parisiensis.
fr. *Wilhelmus de Carnoto.*
Wilhelmus Carpentarius.
Wilhelmus Claret.
Wilhelmus de Cumiliaco. aliàs, *Wilhelmus Petri de Cimiliaco.*

Wilhelmus

Wilhemus de Dompierre.

Wilhelmus Ebriacus, Genuensis.

Wilhelmus de Ferreres.

Wilhelmus, Flamingus natione, ex priore S. Sepulchri, Patriarcha.

Wilhelmus, comes de Foreis castello. al. *Forensis.*

Wilhelmus de Granduna.

Wilhelmus de Grantemaisnil, Normannus, de Apulia, sororius Boamundi.

Wilhelmus, comes de Hollandia.

Wilhelmus Iordanis, nepos comitis Tolosani Raimundi.

Wilhelmus, Mareschalci F. Hugoni Magno comes.

Wilhelmus, Marchio Montisferrati: Imperatoris sororius.

Wilhelmus Malus puer, Niterensis.

Wilhelmus, Marchionis F. Tancredi frater.

Wilhelmus de Mandeuilla.

Wilhelmus de Montepessulano. aliàs, *de Pislerio.*

Wilhelmus, comes & Princeps de Neuers.

Wilhelmus, de ciuitate Nonanta, signifer comitis *Wilhelmi de Neuers.*

Wilhelmus du Perce.

Wilhelmus de prouincia, patriota & comes Comitis Tholosani.

Wilhelmus Picardus.

Wilhelmus, Comes & Princeps Pictauiensis.

Wilhelmus quidam.

Wilhelmus alius.

Wilhelmus, F. Radulfi vicecomitis.

Wilhelmus de Resseilon.

Wilhelmus, F. Normannorum comitis.

Wilhelmus Richan.

Wilhelmus de Sabran.

Wilhelmus, Comes de Sartenges, ex sorore nepos Raimundi Tholosani.

Wilhelmus, Vendomiensis.

Wilhelmus de Wanges.

FOEMINÆ ILLVSTRES VIÆ COMITES.

AGnes, Romana.
Arnulphi, archidiaconi, poſt Patriarchæ, neptis.
Balduini de Burgo, ſoror.
de Blois, comitiſſa.
Flandriæ comitiſſa.
Florina, filia Ducis Burgundiæ.
Folkeri, de caſtro Bullon, vxor.
Gutuera, vxor Balduini Bolonienſis.
Ida, de Marchia Auſtriæ.
Leonora, Aquitana, Regina Francorum, poſt Angliæ.
Mamilia, F. Hugonis Cholet, Comitis de Ruci, vxor Hugonis de Puſato.
Sibylla, comitiſſa Flandriæ.
Tholoſæ comitis Raimundi vxor.

TYPOGRAPHVS LECTORI BENEVOLO S.

ERrata, opere in magno commiſſa, non negamus, amice Lector: ſed eorum, quæ nobis fortaſsis adſcribes, maximam partem, ſcias eſſe ab ipſis primis exemplaribus, à quibus diſcedere religio fuit: ab eodem fonte, parùm conſtans, etiam in propriis nominibus, orthographiæ ratio. Indicem *varium & copioſum illuſtrandæ hiſtoriæ, vt & lectiones diuerſas, aliáque vſui tuo, in* Tertium Tomum *reiecit ipſe huius editionis auctor: quo &* Armeniaca *complecti, &* Tartarica, *cum quibuſdam hîc omiſsis* opuſculis, *conſtituit. Tu, laborem noſtrum, quo Andreæ* Wecheli *aui, & Ioannis Aubrii parentis induſtriam, animo tuam publicámque rem adiuuandi, ſequimur, æqui boníque conſule.* Vale.

GESTA

GESTA FRANCORVM, ET ALIORVM HIEROSOLYMITANORVM.

CVM iam appropinquasset ille terminus, quem Dominus IESVS quotidie suis demonstrat fidelibus, specialiter in Euangelio, dicens: *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me:* facta est *motio* valida per vniuersas *Galliarum* regiones: vt si aliquis Dominum studiosè puroq; corde & mente sequi desideraret, atque post ipsum crucem fideliter baiulare vellet, non pigritaretur sancti Sepulchri viam celeriùs arripere: *Apostolicus* namque Romanæ sedis *Vrbanus* vltra montanas partes quantociùs profectus est, cum suis archiepiscopis, episcopis, abbatibus & presbyteris; cœpitq; subtiliter sermocinari & prædicare, dicens: Vt si quis animam suam saluam facere vellet, non dubitaret humiliter *viam* incipere *Domini:* ac si denariorum ei deesset copia, diuina ei satis daret misericordia. Ait namque Dominus Apostolicus; *Fratres, nos oportet multa pati pro nomine* CHRISTI, *videlicet miserias, paupertates, nuditates, persecutiones, egestates, infirmitates, fames, sites, & alia huiusmodi: sicuti Dominus ait suis discipulis: Oportet vos pati multa pro nomine meo: &, Nolite erubescere loqui ante facies hominum: ego verò dabo vobis os & eloquium, ac deinceps persequetur vos larga retributio.* Cùmque iam hic sermo paulatim per vniuersas regiones ac Galliarum patrias cœpisset crebrescere, *Franci* audientes talia, protinus in dextra fecêre cruces suere scapula, dicentes sese CHRISTI vnanimiter sequi vestigia, quibus de manu erant redempti tartareâ.

II. Iam iamq; Galli è suis remoti sunt domibus. Fecerunt denique Galli tres partes: Vna pars Francorum in *Hungariæ* intrauit regionem, scilicet *Petrus heremita*, & dux *Godefridus*, & *Balduinus* frater eius, & *Balduinus* Comes de Monte. Isti potentissimi milites & alii plures, quos ignoro, venerunt per viam, quam iam dudum *Carolus Magnus*, mirificus rex Franciæ, aptari fecit vsque Constantinopolim. *Petrus* verò supradictus, primus venit *Constantinopolim* Kalendis Augusti, & cum eo maxima gens *Alamannorum*. Illic inuenit Lombardos, & Longobardos, & alios plures congregatos, quibus Imperator iusserat dari mercatum, sicuti erat in ciuitate, dixitq; illis: *Nolite transmeare Brachium, donec veniat maxima Christianorum virtus: quoniam vos tanti non estis, vt cum Turcis præliare valeatis.* Ipsiq; Christiani nequiter deducebant se: quia palatia vrbis sternebant & ardebant, & auferebant plumbum, quo Ecclesiæ erant coopertæ, & vendebant Græcis: vnde Imperator iratus est, iussitq; eos transmeare Brachium. Postquam transfretauerunt, non cessabant agere omnia mala, comburentes & deuastantes domos & Ecclesias. Tandem peruenerunt *Nicomediam*, vbi diuisi sunt *Lombardi* & *Longobardi*, & *Alamanni* à Francis: quia Franci tumebant superbiâ. Elegerunt Lombardi & Longobardi Seniorem super se, cui nomen *Rainaldus:* Alamanni similiter: & intrauerunt in *Romaniam*, & per quatuor dies ierunt vltra *Nicenam* vrbem, inueneruntque quoddam castrum, cui nomen *Exerogorgo*, quod erat vacuum gente. Et apprehenderunt illud, in quo inuenerunt satis frumenti & vini, & carnis, & omnium bonorum abundantiam. Audientes itaque *Turci* quod *Christiani* essent in castro, venerunt obsidere illud: Ante portam castri erat pu-

teus, & ad pedem castri fons viuus, iuxta quem exiit *Reinaldus* insidiari Turcos. Venientes verò Turci in die dedicationis S. Mikahelis, qui est in Kal. Octob. inuenerunt *Reinaldum* & qui cum eo erant; occideruntq; Turci multos ex eis, alii qui remanserunt viui, fugerunt in castrum: quod confestim Turci obsederunt, eiq; aquam abstulerunt. Fueruntq; nostri in tanta afflictione sitis, vt flebotomarēt suos equos & asinos, quorum sanguinem bibebant; alii mittebant zonas atq; panniculos in piscinam, & inde exprimebant aquam in os suum; alii mingebant in pugillo alterius & bibebant; alii fodiebant humidam terram, & supinabant se, terramq; sternebant super pectora sua pro nimia ariditate sitis. Episcopi verò & Presbyteri confortabant nostros, & commonebant ne deficerent, dicentes: *Estote vbique fortes in fide* CHRISTI; *& nolite eos timere qui vos persequuntur:* sicut Dominus dicit: *Nolite timere eos qui corpus occidunt; animam verò non possunt occidere.* hæc tribulatio fuit per octo dies. Denique dominus Alamannorum *Reinaldus* concordatus est cum Turcis, vt traderet socios illis; & fingens se exire ad bellum, fugit ad illos, & multi cum eo. Illi autem qui Dominum negare noluerunt, capitalem sententiam susceperunt; alios, quos cœperunt viuos, ad inuicem diuiserunt quasi oues; alios miserunt ad signum & sagittabant eos; alios vendebant & donabant quasi animalia. Quidam conducebant suos in domum suam, alios in *Corosanum*, alios in *Antiochiam*, alios in *Aleph*, aut vbi ipsi manebant. Isti primo felix acceperunt martyrium pro nomine Domini IESV. Audientes denique Turci, quod *Petrus* heremita & *Guualterius sine habere* fuissent in *Cyuito*, quæ supra Nicenam vrbem est, venerunt illuc cum magno gaudio, vt occiderent illos, & eos qui cum ipsis erant. Cumque venissent lætantes, obuiauerunt Guualterio cum suis, quos Turci mox occiderunt. *Petrus* verò heremita paulò ante ierat *Constantinopolin*, eo quod nequibat refrenare illam diuersam gentem, quæ nec illum, nec verba eius audire volebat. Irruentes verò Turci super eos occiderunt multos ex eis: alios inuenerunt dormientes, alios iacentes, alios nudos, quos omnes necauerunt: cum quibus quendam sacerdotem inuenerunt Missam celebrantem, quem statim super altare martyrizauerunt. Illi verò qui euadere potuerunt, *Cyuito* fugerunt: alii præcipitabant se in mare, alii latebant in syluis & montaneis. *Turci* verò persequentes illos in castrum, adunauerunt ligna, vt eos comburerent cum castro. *Christiani* igitur qui in castro erant, miserunt ignem in ligna congregata, & versus ignis in Turcos, quosdam eorum cremauit: sed ab illo incendio Deus nostros liberauit. Tandem Turci apprehenderunt illos viuos, diuiseruntq; illos sicut prius fecerant alios, & disperserunt illos per vniuersas regiones has, alios in *Corosanum*, alios in *Persidem*. Hoc totum est factum in mense *Octobri*. Audiens Imperator quod Turci sic dissipassent nostros, gauisus est valde, & mandauit pro eis, fecitq; eos Brachium transmeare. Postquam vltra fuerunt, comparauit omnia arma eorum. Secunda pars verò intrauit in *Sclauiniæ* partes, scilicet Comes de S. Ægidio *Raimundus*, & *Podiensis Episcopus*. Tertia autem pars per antiquam Romæ viam venit. In hac parte fuerunt *Boamundus* & *Richardus de Principatu*, *Rotbertus* Comes Flandrensis, *Rotbertus* Nortmannus, *Hugo* magnus, *Eurardus* de Puisatio, *Achardus* de Monte Merloi, *Isuardus* de Musone, & alii plures. Deinde venerunt ad portum *Brandosim*, aut *Barim*, siue *Otrentum*. *Hugo* denique magnus & *Wilhelmus* Marchisi filius intrauerunt mare ad portum Bari, & transfretantes venerunt *Durachium*. Audiens verò dux illius loci hos prudentissimos viros illic esse applicitos, mox mala cogitatio cor eius tetigit, illosq; apprehendit, ac iussit Constantinopolim Imperatori cautè duci, quò ei fidelitatem facerent. Dux denique *Godefridus* primus omnium Seniorum *Constantinopolim* venit cum magno exercitu, duobus diebus ante Domini nostri natale, & hospitatus est extra vrbem, donec iniquus Imperator iussit eum hospitari in *burgo* vrbis. Cumq; fuisset hospitatus Dux, securè mittebat armigeros suos per singulos dies, vt paleas & alia equis necessaria asportarent. Et iam cùm putarent exire fiducialiter quò vellent, iniquus Imperator *Alexius* sagaciter faciebat eos excubare, suisq; *Turcopolis* & *Pincinatis* imperabat eos inuadere & occidere. *Balduinus* itaq; frater ducis hæc audiens, misit se in insidiis; tandemq; inuenit eos occidentes gentem suam, eosque inuasit forti animo, ac Deo iuuante superauit eos: & apprehendens sexaginta ex eis, partem occidit, partem duci fratri suo præsentauit. Quod cùm audisset Imperator, valde iratus est; Videns verò Dux inde iratum Imperatorem, exiit cum suis de *burgo*, & hospitatus

spitatus est extra vrbem. Sero autem facto, infelix Imperator iussit suis exercitibus inuadere Ducem cum CHRISTI gente. Quos Dux persequens inuictus cum CHRISTI militibus, septem ex illis occidit, persequendo alios vsque ad portam ciuitatis. Reuersusq; Dux ad sua tentoria, mansit inibi per quinque dies, donec pactum iniit cum Imperatore: dixitq; illi Imperator, vt trasfretaret *Brachium S. Georgii*, promisitque eum habere omnem mercatum ibi, sicut est *Constantinopoli*, & pauperibus eleemosynam erogare, vnde potuissent viuere. At bellipotens *Boamundus* IV. qui erat in obsidione *Malfi* Scafardi pontis, audiens venisse innumerabilem gentem *Christianorum* de Francis, ituram ad Domini Sepulcrum, & paratam ad 10 prœlium contra gentem Paganorum, cœpit diligenter inquirere, quæ arma pugnandi hæc gens deferat, & quam ostensionem CHRISTI in via portet, vel quod *signum* in certamine sonet. Cui per ordinem hæc dicta sunt. *Deferunt arma ad bellum congrua; in dextra vel inter vtrasque scapulas crucem* CHRISTI *baiulant, signum verò,* DEVS LE VOLT, DEVS LE VOLT, DEVS LE VOLT, *vnâ voce conclamant.* Mox sancto commotus Spiritu, iussit preciosissimum pallium, quod apud se habebat incidi, totumq; statim in cruces expendit. Cœpit tunc ad eum vehementer concurrere maxima pars militum, qui erant in obsidione illa: adeò vt *Rogerius* Comes penè solus remanserit, reuersusq; *Siciliam* dolebat & mœrebat quandoq; gentem amittere suam. Denique reuersus iterum in terram suam dominus Boamundus diligenter 20 honestauit sese ad incipiendum sancti Sepulcri iter. Tandem transfretauit mare cum suo exercitu, & cum eo *Tancredus* Marchisi filius, & *Richardus* princeps, ac *Rainulfus* frater eius, & *Rotbertus* de Ansa, & *Hermannus* de Canni, *Rotbertus* de Surda valle, *Rotbertus* filius Tostani, & *Hunfredus* filius Radulfi. *Richardus* filius Comitis Rainulfi, & Comes de *Russinolo* cum fratribus suis, & *Boello* Carnotensis, & *Alberedus* de Cagnano, & *Hunfredus* de Monte scabioso. Hi omnes transfretauerunt ad Boamundi famulatum, & applicuerunt *Bulgariæ* partibus, vbi inuenerunt nimiam abundantiam frumenti, vini, & alimentorum corporis: Deinde descendentes in *vallem de Andronopoli*, exspectauerunt gentem suam, donec omnes pariter transfretassent. Tunc sapiens *Boamundus* ordinauit concilium cum gente sua, confor-30 tans & monens omnes, dicens: *Seniores, cauete omnes vos: quia nos sumus peregrini Dei. Oportet igitur nos esse magis bonos & humiles quàm antè fuimus: & nolite depradare terram istam, quia Christianorum est: & nemo accipiat plus, nisi quod ei sufficiat ad edendum pro benedictione.* Tunc exeuntes inde, venerunt per nimiam plenitudinem de villa in villam, de ciuitate in ciuitatem, de castello in castellum, quousque peruenimus *Castoriam*, ibique *Natiuitatem Domini* soléniter celebrauimus: fuimusq; ibi per plures dies & quæsiuimus mercatum: sed ipsi noluerunt nobis assentire: eo quod valde timebant nos, non putantes nos esse peregrinos, sed velle populari terram, & occidere illos. Quapropter apprehendebamus boues, equos & asinos, & omnia quæ inueniebamus. Egressi de Castoria intrauimus *Palagoniam*, in qua erat quoddam *Hæreticorum* ca-40 strum, quod vndiq; aggressi sumus, moxq; nostro succubuit imperio: accenso itaq; igne, combussimus castrum cum habitatoribus suis, scilicet Hæreticorum congregatione. Postea peruenimus ad flumen *Bardarum*. Denique perrexit dominus *Boamundus* vltra cum sua gente, sed non tota. Remansit enim *Comes de Russignolo* cum fratribus suis. Venit itaque exercitus Imperatoris, & inuasit Comitem cum fratribus suis, & omnes qui erant cum eis. Quod audiens *Tancredus* rediit retrò, & proiectus in flumen natando peruenit ad alios; & duo millia miserunt se in flumen sequendo Tancredum. Tandem inuenerunt *Turcopulos* & *Pinzinacos* dimicantes cum nostris, quos repente fortiter inuaserunt, & prudenter eos superauerunt; & apprehenderunt plures ex illis, & duxêre illos ligatos ante domini Boa-50 mundi præsentiam; quibus ait ipse: *Quare miseri occiditis gentem* CHRISTI *& meam? Ego cum vestro Imperatore nullam altercationem habeo.* qui responderunt: *Nos nequimus aliud agere: In roga Imperatoris sumus: & quicquid nobis imperat, nos oportet implere.* Quos Boamundus impunitos permisit abire. Hoc bellum factum est in quarta feria, quæ est caput ieiunii. Per omnia benedictus Dominus. Amen.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

V. MAndauit infelix Imperator simul cum nostris nuntiis, vni ex suis quẽ valde diligebat, quem & *Corpalatium* vocant, vt nos securè deduceret per terram suam, donec veniremus *Constantinopolim*. Cùmq; transiremus ante illorum ciuitates, iubebat habitatoribus terræ, vt nobis apportarent mercatum, sicut faciebant & illi quos diximus. Certè tantum timebant fortissimam gentem domini Boamundi, vt nullum nostrorum sinerent intrare muros ciuitatum. Volueruntq; nostri quoddam castrum aggredi & apprehendere, eo quod erat plenum omnibus bonis. Sed vir prudens *Boamundus* noluit consentire, tantum pro iusticia terræ, quantũ pro fiducia Imperatoris: Vnde valde iratus est propter hoc, cum Tancredo & aliis omnibus. Hoc factum est vespere Mane verò facto, exierunt habitatores castri, & cũ processione deferentes in manibus cruces, venerunt in præsentiam Boamundi. Ipse verò gaudens recepit eos, & cum lætitia abire permisit illos. Deinde venimus ad quandam vrbem quæ dicitur *Serra*, vbi nostra fiximus tentoria, & sat habuimus mercatum illis diebus conueniens. Ibique doctus *Boamundus* optimè concordatus est cum duobus *Corpalatiis*, & pro amicitia eorum ac pro iustitia terræ iussit reddi omnia animalia quæ nostri deprædata tenebant: & Corpalasius illi promiserat missos retrò mandare, & hominibus illis animalia per hominem reddi. Deinde peruenimus de castello in castellum, & de villa in villam ad *Rusam* ciuitatem. Græcorum autem gens exibat & veniebat gaudens in occursum domini Boamundi, nobis deferens maximum mercatum, ibiq; nostros tetẽdimus papiliones in quarta feria ante Cœnam Domini: ibi etiam doctus Boamundus totam gentem suam dimisit, perrexitq; loqui cum iniquissimo Imperatore Constantinopolim, suisque hominibus imperauit, dicens: *Modestè appropinquate ciuitatem; ego autem ibo prius,* qui & duxit secum paucos milites. *Tancredus* remansit caput militiæ CHRISTI; vidensq; peregrinos cibos emere, ait intra se, quod exiret extra viam, & hunc populum conduceret vbi feliciter viueret. Denique intrauit vallem quandam plenam omnibus bonis, quæ corporalibus nutrimentis sunt congrua: in qua *Pascha Domini* deuotissimè celebrauimus. Cùm Imperator audisset honestissimum virum *Boamundum* ad se venisse, iussit eum honorabiliter recipi, & cautè hospitari extra vrbem. Quo hospitato malignus Imperator misit pro eo, vt veniret loqui simul secretò secum. Illic quippe inuenit ducem *Godefridum* cum fratre suo: ac deinde Comes S. Ægidii appropinquauit ciuitati. Tunc Imperator anxiens & bulliens irâ, cogitabat quemadmodum callidè fraudulenterq; comprehenderent hos CHRISTI milites. Sed diuinâ gratiâ reuelante, neque locus, neque nocendi spatium ab eo vel à suis inuenta sunt. Nouissimè verò congregati omnes maiores natu, qui Constantinopoli erant, timentes ne sua priuarentur patria, repererunt in suis consiliis atque ingeniosis scematibus quod nostrorum duces, Comites, seu omnes maiores Imperatori sacramentum fideliter facere deberent: Qui omnino prohibuerunt, dixeruntque: *Certè indigni sumus atq; iniustum nobis videtur vllatenus ei sacramentum iurare. Forsitan adhuc à nostris Maioribus sæpe delusi erimus.* Ad vltimum quid facturi erant? dicent, quoniam necessitate compulsi, nolentes volentesque humiliauerunt se ad nequissimi Imperatoris voluntatem. Fortissimo autem viro *Boamundo,* quem valde timebat, quia olim eum sæpe cum suo exercitu eiecerat de campo, dixit: quoniam si libenter ei iuraret, quindecim dies eundi terræ in extensione ab *Antiochia* retrò daret, & octo in latitudine: eique tali modo iurauit, vt si ille fideliter teneret illud sacramentum, iste suum nunquam præteriret Tam fortes & tam duri milites, cur hoc fecerunt? propterea igitur, quia multa coacti erant necessitate. Imperator quoque omnibus nostris fidem & securitatem dedit, iurauit etiam quia veniret nobiscum pariter cum suo exercitu per terram mareque; & nobis mercatum terrâ atque mari fideliter daret, ac omnia nostra perdita diligenter restauraret; insuper & neminem nostrorum peregrinorum conturbari vel contristari in via sancti Sepulcri vellet aut permitteret. *Comes* autem *S. Ægidii* erat hospitatus extra vrbem in *Burgo,* gensq; sua remanserat retro. Mandauit itaque Imperator Comiti, vt faceret ei *hominium* & fiduciam, sicut

10 20 30 VI. 40 50

sicut alii fecerant. Et dum Imperator hæc mandabat, Comes meditabatur qualiter vindictam de Imperatoris exercitu habere posset. Sed Dux *Godefridus* & *Rothertus* Comes Flandrensis aliique Principes dixerunt ei, *iniustum fore contra Christianos pugnare*. Vir quoque sapiens *Boamundus* dixit: quia si aliquid iniustum Imperatori faceret, & fiduciam ei facere prohiberet, ipse ex Imperatoris parte fieret. Igitur Comes, accepto consilio à suis, Alexio *vitam & honorem iurauit, quod nec ipse nec per alium auferre consentiat*. Cùmque de *hominio* appellaretur, non se respondit pro capitis periculo id facturum. Tunc gens domini Boamundi appropinquauit Constantinopoli. *Tancredus verò* & *Richardus de Principatu* propter iusiurandum Imperatoris latenter transfretauerunt *Brachium*, & ferè omnis gens Boamundi iuxta illos. Et mox exercitus Comitis S. Ægidii appropinquauit *Constantinopoli*: Comes verò remansit ibi cum ipsa sua gente. Vir itaque prudens *Boamundus* remansit cum Imperatore, vt cum eo consilium acciperet, quo modo mandarent mercatum gentibus, quæ erant vltra Nicenam vrbem. Dux itaque *Godefridus* iuit prius *Nicomediam* simul cum Tancredo, & aliis omnibus, fueruntque ibi per tres dies. Videns verò Dux quod nulla via pateret, per quam posset conducere has gentes vsque *Niceam* ciuitatem; quoniam per illam viam, per quam prius alii transierant, non posset modo tanta gens transire, misit ante se tria millia hominum cum securibus & gladiis, qui inciderunt & aperuerunt hanc viam, quæ patefacta staret nostris peregrinis vsque *Nicenam* vrbem. Quæ via fuit aperta per angustam & nimis immensam montaneam: & faciebant retrò per viam cruces ferreas ac ligneas, quas ponebant super stipites, vt eas nostri peregrini cognoscerent. Interea peruenimus ad Niceam, quæ est caput totius *Romaniæ*, in quarto die pridie nonas Maii; ibiq; castra metati sumus. Priusquam autem dominus Boamundus venisset ad nos, tanta inopia panis fuit inter nos, vt vnus panis venderetur viginti aut triginta denariis. Postquam venit vir prudens *Boamundus*, iussit maximum mercatum conduci per mare, & pariter vtrimque veniebant, ille per terram & ille per mare: & fuit maxima vbertas in tota CHRISTI militia. In die autem *Ascensionis Domini* cœpimus vrbem vndequaque inuadere, & ædificare instrumenta lignorum, turresque ligneas, quò possemus murales turres sternere. Tam fortiter & tam acriter aggredimur vrbem per duos dies, vt etiam foderemus murum vrbis. *Turci* quippe, licet gens barbara, qui erant in vrbe: miserunt nuntios aliis, qui venerant adiutorium ciuitati dare, in hunc modum: *quod audacter securèq; approximent, & per meridianam introeant portam: quoniam ex illa nemo eis erit obuiam, nec contristabit:* Quæ porta ipsâ die à *Comite S. Ægidii* in die Sabbathi post Ascensionem Domini, & *Episcopo Podiensi* hospitata est. Qui Comes veniens ex alia parte, protectus diuinâ virtute, ac terrenis fulgebat armis cum suo fortissimo exercitu. Hic itaque inuenit contra nos venientes Turcos. Qui vndique signo crucis armatus, vehementer irruit super illos, atque superauit; dederuntque fugam & fuit mortua maxima pars illorum. Qui rursus venerunt auxilio aliorum gaudentes & exultantes ad certum bellum, trahentes secum funes, quibus nos ligatos ducerent *Corosanum*: Venientes autem lætantes, cœperunt ex cacumine montis paulatim descendere. Quotquot descenderunt, illic cæsis capitibus à manibus nostrorum remanserunt: proiiciebant autem nostri capita occisorum fundâ in vrbem, vt inde Turci magis terrerentur. Denique *Comes S. Ægidii* & *Episcopus Podiensis* consiliati sunt in vnum qualiter facerent subfodi quandam turrim, quæ erat ante tentoria eorum. Ordinati sunt homines, qui hanc subfodiant, & arbalistæ & sagittarii qui eos vndique defendant. Foderunt namque illam vsque ad radices muri, submiseruntq; postes & ligna, ac deinde miserunt ignem. Sero autem facto cecidit turris iam in nocte: sed quia nox erat, non potuerunt præliari cum illis. Nocte verò illâ surrexerunt festinanter Turci, & restaurarunt murum tam fortiter, vt veniente die nemo posset eos lædere ex illa parte. Modo venit *Comes de Nortmannia* & *Comes Stephanus*, & alii plures, ac deinceps *Rogerius de Barna villa*. *Boamundus* denique obsedit vrbem in prima fronte, & iuxta eum *Tancredus*, & postea *Dux Godefridus*, ac deinde *Comes Flandrensis*, iuxta quem *Rotbertus* Nortmannus, & iuxta eum *Comes S. Ægidii*, iuxta quem *Podiensis Episcopus*. Ita verò per terram fuit obsessa, vt nemo auderet exire, neque intrare: fueruntque ibi omnes congregati in vnum. Et quis poterat numerare tantam CHRISTI militiam? Nullus, vt puto, tot prudentissimos milites nec antea vidit, nec vltra videre poterit. Erat autem

ex vna parte vrbis immensus lacus, in quo Turci suas mittebant naues, & exibant & intrabant & afferebant herbam, ligna & alia plura. Tunc nostri Maiores consiliati in vnum, miserunt nuncios *Constantinopolim* dicturos Imperatori, vt faceret naues conduci ad *Ciuito*, vbi portus est, atque iuberet congregari boues qui eas traherent per montaneas & syluas, vsque approximent lacui: quod continuò factum est, suosque *Turcopulos* mandauit cum eis. Die verò quo naues fuerant conductæ, noluerunt eas statim mittere in lacum, plenas Turcopolis, bene armatis. Summo autem diluculo stabant naues optimè ordinatæ, per lacum properantes contra vrbem. Videntes eas *Turci* mirabantur, ignorantes an esset eorum gens, an Imperatoris. Postquam autem cognouerunt esse gentem Imperatoris, timuerunt vsque ad mortem, plorantes & lamentantes: Francique gaudebant & dabant gloriam DEO. Videntes autem Turci quod nullatenus ex suis exercitibus adiutorium habere possent, legationem mandauerunt Imperatori, quia ciuitatem spontè redderent, si eos omninò abire permitteret cum mulieribus & filiis & omnibus substantiis suis. Tunc Imperator plenus vanâ & iniquâ cogitatione, iussit illos impunitos abire sine vllo timore, ac sibi eos Constantinopolim cum magna fiducia adduci. Quos studiosè seruabat, vt illos ad Francorum nocumenta & obstacula paratos haberet. Fuimusque in obsidione illa per septem hebdomadas & tres dies, & multi ex nostris illic receperunt martyrium, & lætantes gaudentesque reddiderunt felices animas DEO; & ex pauperrima gente multi mortui sunt fame pro CHRISTI nomine, qui in cœlum triumphantes portarunt stolam recepti martyrii, vnâ voce dicentes: *Vindica Domine sanguinem nostrum, qui pro te effusus est, qui es benedictus & laudabilis in secula seculorum.* AMEN.

10

20

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

30

IX. INterea redditâ ciuitate & Turcis deductis Constantinopolim, vnde Imperator magis magisque gauisus, quod ciuitas reddita sit eius potestati, iussit maximas eleemosynas erogari nostris pauperibus. Denique primâ die quâ recessimus à ciuitate, venimus ad quendam *pontem*, ibique mansimus per duos dies. Tertia autem die priusquam lux cœpisset oriri, surrexerunt nostri, & quia nox erat, non viderunt tenere vnam viam, sed sunt diuisi per duo agmina, & venerunt diuisi per duos dies. In vno agmine fuit vir *** *Boamundus* & *Rotbertus* Nortmannus, & prudens *Tancredus*, & alii plures: In alio fuit *Comes S. Ægidii*, & Dux *Godefridus* & *Podiensis Episcopus*, & *Hugo* Magnus, Comesque *Flandrensis* & alii plures. Tertia verò die irruerunt Turci vehementer super Boamundum, & eos qui cum ipso erant. Continuò Turci cœperunt stridere & garrire, ac clamare excelsa voce, dicentes diabolicum sonum nescio quo modo in sua lingua. Sapiens vir *Boamundus* videns innumerabiles Turcos, procul stridentes & clamantes dæmoniacâ voce, protinus iussit omnes milites descendere, & tentoria celeriter extendere. Priusquam tentoria fuissent extensa, rursus dixit omnibus militibus: *Seniores & fortissimi milites* CHRISTI, *ecce modò bellum angustum est vndique circa nos. Igitur omnes milites eant viriliter obuiam illis; & pedites prudenter & citiùs extendant tentoria.* Postquam verò hoc totum factum est, Turci vndique iam erant circumcingentes nos, dimicando, iaculando ac spiculando, & mirabiliter longè lateque sagittando. Nos itaque, quanquam nequiuimus resistere illis, neque sufferre pondus tantorum hostium; tamen pertulimus illuc vnanimiter gradum. Fœminæ quoque nostræ in illa die fuerunt nobis in magno refugio, quæ afferebant ad bibendum aquam nostris præliatoribus; & fortiter semper confortabant illos pugnantes & defendentes. Vir itaque sapiens *Boamundus* protinus mandauit aliis, scilicet egregio Comiti de S. Ægidio, & inclito Duci Godefrido, Hugoni Magno, atque honestissimo Podiensi Episcopo, aliisque omnibus CHRISTI militibus, quò festinent, & ad bellum citiùs approximent, dicens: *Etsi hodie luctari volunt, viriliter veniant.* Qui omni modo pro-

40

50

prohibentes deludentes illos & dicentes: *Veruntamen hoc fallacium est totum.* Nam nos non credebamus iam illos esse tam pudentes quòd amplius auderent se erigere & præliari nobiscum. Dux itaque Godefridus audax & fortis, ac Hugo Magnus simul venerunt prius cum suis exercitibus; Episcopus quoque Podiensis prosecutus est illos, vnà cum suo exercitu, & Comes de S. Ægidio iuxta illos cum magna gente. Mirabantur ergo nostri valde vnde esset exorta tanta multitudo *Turcorum*, & *Arabum*, & *Saracenorum*. & aliorum quos enumerare ignoro: quia penè omnes montes, colles, valles & omnia plana loca intus & extra vndique erant cooperta de illa excommunicata generatione. Factus est itaque sermo 10 secretus inter nos, laudantes, & consulentes, atque dicentes: *Estote omninò vnanimes in fide* CHRISTI *& S. Crucis vexilli victoria: quia hodie omnes diuites, si DEO placet, effecti eritis.* Continuò fuerunt ordinatæ nostrorum acies. In sinistra parte fuit vir sapiens *Boamundus* & *Rotbertus* Nortmannus, & prudens *Tancredus* ac honestissimus miles *Rotbertus* de Ansa, & inclitus *Richardus de Principatu.* Episcopus verò *Podiensis* venit per alteram montaneam, vndique circumcingens incredulos Turcos: In sinistra quoque parte equitauit fortissimus miles *Raimundus* Comes de S. *Ægidio.* In dextera verò parte fuit honorabilis Dux *Godefridus*, & acerrimus miles *Flandrensis* Comes, & *Hugo* Magnus, & alii plures, quorum nomina ignoro. Statim autem venientibus militibus nostris, *Turci* & *Arabes* & *Saraceni* & *Agulani*, 20 & omnes barbaræ nationes dederunt velociter fugam, per compendia montium & per plana loca. Erat autem numerus Turcorum, Persarum *Publicanorum*, Saracenorum, Angulanorum aliorumq; paganorum, trecenta sexaginta millia, extra Arabes, quorum numerum nemo scit nisi solus DEVS. Fugerunt verò nimis velociter ad sua tentoria, ibique eos diu morari non licuit. Iterum verò arripuerunt fugam, nosque illos persecuti sumus occidentes tota vna die. Et accepimus spolia multa: aurum, argentum, equos & asinos, camelos, oues & boues, & plurima alia quæ ignoramus. Et nisi Dominus fuisset nobiscum in bello, & aliam citò nobis misisset aciem, nullus nostrorum euasisset: quia ab hora tertia vsque in horam nonam perdurauit hæc pugna. Sed Omnipotens DEVS, pius & misericors, qui 30 non permisit suos milites perire, nec in manus inimicorum incidere, festinè nobis adiutorium misit. Sed fuerunt illic mortui duo ex nostris milites honorabiles, scilicet *Gosfredus de monte Scabioso* & *Wilhelmus Marchisi filius* frater Tancredi, aliiq; milites & pedites, quorum nomina ignoro. Quis vnquam tam sapiens aut doctus vir audebit describere prudentiam militiamq; & fortitudinem Turcorum? Qui putabant terrere gentem Francorum minis suarum sagittarum, sicut terruerunt Arabes, Saracenos & Hermenios, Suranios & Græcos? Sed si Deo placet, nunquam tantùm valebunt, quantùm nostri. Veruntamen dicunt *se esse de Francorum generatione*: & quia nullus homo naturaliter debet esse miles nisi Franci & illi. Veritatem dicam, quam nemo audebit prohibere. Certè si in fide CHRISTI 40 & Christianitate sancta semper firmi fuissent, & *vnum Dominum in trinitate confiteri voluissent, DEIque Filium natum de Virgine matre, passum, resurgentem à mortuis tertiâ die, & in cœlum suis cernentibus discipulis ascendentem, ac deinde consolationem sancti Spiritus perfectè mittentem & eum in cœlo & in terra regnantem*, recta mente & fide credidissent; ipsis potentiores vel fortiores vel bellorum ingeniosissimos nullus inuenire potuisset: Et tamen, gratia DEI, victi sunt à nostris. Hoc bellum est factum primo die Iulii.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

50

INCIPIT LIBER QVARTVS.

POstquam verò *Turci* inimici Dei & sanctæ Christianitatis omninò fuerunt deuicti, per quatuor dies & noctes fugientes huc & illuc, contigit vt *Solimanus* Dux illorum, filius Solimani veteris, fugeret de *Nicea*, qui inuenit decem millia Arabum, qui dixerunt ei: *O infelix, & infelicior omnibus gentilibus, cur tremefactus fugis?* Qui Solimanus lacrymans respondit: *Quoniam olim cùm habuissem omnes Francos deuictos, eosque putarem iam in captiuitate ligatos, dum paulatim voluissem ligare ad inuicem, tunc respi-* X.

ciens retro, vidi tam innumerabilem gentem eorum, vt si vos aut aliquis illic adesset, putaret quod omnes montes & colles vallesque & omnia plana loca plena essent illorum multitudine. Nos igitur illos cernentes, statim cœpimus capere subitaneum iter, timentes tam mirabiliter, vt vix euaserimus de illorum manibus: vnde adhuc in nimio terrore sumus. Et si mihi & verbis meis velletis credere, auferretis vos hinc: quia si & ipsi potuerint vos solummodo scire, vnus ex vobis vix amplius euadet viuens. At illi audientes talia, retrorsum verterunt dorsa, & se expanderunt per vniuersam Romaniam. Tunc veniebamus nos persequentes iniquissimos Turcos, quotidie fugientes ante nos. At illi venientes ad cuncta castra siue vrbes, fingentes & deludentes habitatores terrarum illarum dicebant: *Nos deuicimus Christianos omnes, & superauimus illos, ita vt nullus eorum iam vnquam audeat erigere se ante nos: tantùm permittite nos intus intrare.* Qui intrantes spoliabant Ecclesias & domos & alia omnia, & ducebant equos secum & asinos & mulos, aurum, argentum & ea quæ reperire poterant. Adhuc quoque filios Christianorum secum tollebant, & ardebant ac deuastabant omnia conuenientia siue vtilia, fugientes & pauentes valde ante faciem nostram. Nos itaque persequebamur eos per deserta & inaquosa, & inhabitabilem terram, ex qua vix viui euasimus vel exiuimus. Fames verò & sitis vndique coartabant nos, nihilque penitus nobis erat ad edendum, nisi forte vellentes & fricantes spicas manibus nostris, tali cibo quàm miserrimè viuebamus. Illic fuit mortua maxima pars nostrorum equorum, eo quòd multi eorum remanserunt pedites, & pro penuria equorum erant nobis boues loco caballorum, & pro nimia necessitate succedebant nobis capri & *multones* ac canes ad portandum. Interea cœpimus intrare in terram optimam, plenam corporalibus alimentis & delitiis, omnibusq; bonis, ac deinceps appropinquauimus *Iconio*. Habitatores verò terræ illius suadebant & amonebant nos, nobiscum ferre vtres plenos aquâ, quia illic, in itinere diei vnius, est maxima penuria aquæ. Nos verò ita fecimus donec peruenimus ad quoddam flumem, ibique hospitati sumus per duos dies: cœperunt autem cursores nostri ante ire, donec peruenerunt ad *Erachiam*, in qua erat Turcorum nimia congregatio, exspectans & insidians, quomodo posset CHRISTI milites nocere & contristare. Quos Turcos, DEI Omnipotentis milites inuenientes, audacter inuaserunt; superati itaque, sunt inimici nostri in illa die: tamque celeriter fugiebant, quàm sagitta fugit emissa ictu valido cordæ & arcus; nostri igitur intrauerunt statim in ciuitatem, ibique mansimus per quatuor dies.

X. Illic diuisit se ab aliis *Tancredus* Marchisi filius, & *Balduinus* Comes egregius frater Ducis Godefridi; simulque intrauerunt *vallem de Botrenthrot*. Diuisit quoque se *Tancredus* & venit *Tarsum* solummodo cum suis militibus. Exierunt denique *Turci* de vrbe & venerunt obuiam eis, atque in vnum congregati properauerunt ad bellum contra Christianos. Appropinquantibus itaque nostris & pugnantibus, dederunt inimici nostri fugam, reuertentes in vrbem celeri gressu. Tancredus verò vir prudens, atque honorabilis miles CHRISTI, peruenit laxatis loris, & castra metatus est ante portam vrbis. Ex alia igitur parte venit vir inclytus Comes *Balduinus* cum suo exercitu, postulans & deprecans Tancredum acerrimum militem, quatinus eum amicissimè in societatem ciuitatis dignaretur suscipere. Cui ait Tancredus: *Te omnimodo in hac societate denego.* Nocte itaque superueniente, omnes Turci tremefacti, fugam vna arripuerunt: exierunt itaque habitatores ciuitatis sub illa noctis obscuritate, clamantes excelsâ voce: *Currite inuictissimi Franci, currite: quia Turci expergefacti vestro timore omnes pariter recederunt.* Ortâ autem die, venerunt Maiores ciuitatis & reddiderunt spontè ciuitatem, dicentes illis qui super hoc litigabant ad inuicem. *Sinite modò, Seniores, sinite: quia volumus & petimus dominari & regnare super nos, illum qui heri tam viriliter pugnauit cum Turcis.* Balduinus itaque mirificus Comes altercabatur & litigabat cum Tancredo, dicens: *Intremus simul, & spoliemus ciuitatem: & qui plus potuerit habere, habeat; & qui poterit capere, capiat.* Cui obstans fortissimus Tancredus dixit: *Absit hoc à me: Ego namq; Christianos nolo exspoliare: homines istius ciuitatis elegerunt me dominum super se, meq; habere desiderant.* Tandem nequiuit vir fortis diu luctari cum Balduino doctissimo Comite, quia illi magnus erat exercitus: tamen volens nolensq; dimisit eam, & viriliter recessit cum suo exercitu: fueruntque ei statim traditæ duæ optimæ ciuitates, videlicet *Athena & Manustra*, & plurima castra.

XI. Maior verò exercitus, scilicet *Raimundus* Comes de S. Ægidio & doctissimus *Boamundus*, duxque *Godefridus* & alii in Her-

Principes, in *Hermeniorum* intrauerunt terram, sitientes atque æstuantes Turcorum sanguinem. Tandem peruenerunt ad quoddam castrum, quod tam forte erat vt nihil ei possent facere. Erat autem ibi homo quidam nomine *Symeon*, qui in illa ortus fuit regione, quique hanc petiit terram, quo eam de manibus defenderet Turcorum inimicorum: cui sponte illi dederunt terram, quique remansit ibi cum sua gente. Nos deniq; exeuntes inde, peruenimus feliciter vsque *Cæsaream* Cappadociæ: à Cappadocia autem egressi, venimus ad *quandam ciuitatem* pulcerrimam & nimis vberrimam, quam paululum ante nostrum aduentum obsederant Turci per tres hebdomadas, sed non superauerant: mox illuc aduenientibus nobis continuò
10 tradidit se in manu nostra, cum magna lætitia. Hanc igitur petiit quidam miles, cui nomen *Petrus de Alpibus*, ab omnibus Senioribus, quatinus eam defenderet *in fidelitate Dei & S. Sepulcri*, & Seniorum atque Imperatoris: cui cum nimio amore gratis concesserunt eam. Sequenti nocte audiuit *Boamundus* quod *Turci* qui fuerant in obsessione ciuitatis frequenter præcederent nos: extemplo præparauit se solummodo cum militibus, quatinus illos vndiq; expugnaret; sed eos inuenire non potuit. Deinde venimus ad quandam vrbem nomine *Coxon*, in qua erat maxima vbertas omnium bonorum, quæ nobis erant necessaria. *Christiani* igitur, videlicet alumni vrbis illius, reddiderunt se statim; nosq; fuimus ibi optimè per tres dies, & illic maximè sunt recuperati nostri. Audiens itaque *Raimundus* Comes de S. Ægidio,
20 quod Turci, qui erant in custodia *Antiochiæ*, discessissent, in suo inuenit consilio, quod mitteret illuc aliquos ex suis militibus qui eam diligenter custodirent. Tandē elegit illos quos legare voluit, videlicet *Petrum de Castellione* Vicecomitem, *Wilhelmum de Monte Pislerio, Petrum de Roasa, Petrum Reimundum de Pul*, cum quingentis militibus. Venerunt itaque in vallem propè Antiochiam ad quoddam castrum Publicanorum: illicq; audierunt Turcos esse in ciuitate, eamq; fortiter defendere præparabant. *Petrus* de Roasa diuisit se ibi ab aliis, & proxima nocte transiuit propè Antiochiam, intrauitq; *Vallem de Rugia*: & inuenit Turcos & Saracenos, & præliatus est cum eis, & occidit multos ex eis, & alios persecutus est valde. Videntes hoc *Hermenii* habitatores terræ illius, illum fortiter superasse Paganos, continuò reddiderunt
30 se. Ipse verò statim cœpit ciuitatem & plurima castra. Nos autem qui remansimus, exeuntes inde intrauimus in diabolicam montanam, quæ tam erat alta & angusta, vt nullus nostrorum auderet per semitam, quæ in monte patebat, alium præire. Illic præcipitabant se equi, & vnus *Saumarius* præcipitabat alium. Milites ergo stabant vndique tristes, feriebant se manibus præ nimia tristitia & dolore, dubitantes quid facerent de semetipsis, & de suis armis, vendentes suos clipeos & loricas optimas cum galeis, solummodò propter tres aut quinque denarios, vel pro vt quisque poterat habere. Qui autem vendere nequibāt, gratis à se iactabant & ibant. Exeuntes igitur de execrata montana peruenimus ad ciuitatem quę vocatur *Marasi*: Cultores verò illius ciuitatis exierunt obuiam nobis lætantes, & deferentes maximum
40 mercatum: illicque habuimus omnem copiam, exspectando donec veniret dominus *Boamundus*. Venerunt itaq; nostri milites in vallem, in qua regalis ciuitas *Antiochia* sita est, quæ est caput totius *Syriæ*, quamq; Dominus IESVS CHRISTVS tradidit B. *Petro Apostolorum* principi, quatinus eam ad cultum sanctæ fidei reuocaret, qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus S. Deus per omnia secula seculorum. Amen. Cùm cœpissemus appropinquare ad *pontem Farreum*, cursores nostri, qui semper solebant nos præcedere, inuenerunt Turcos innumerabiles congregatos obuiam eis, qui dare adiutorium Antiochiæ festinabant. Irruentes igitur nostri vno corde & mente super illos, superauerunt Turcos. Consternati sunt barbari, dederuntq; fugam, & multi mortui sunt ex eis in ipso certamine. Nostri igitur superātes illos, DEI gratiâ, acceperunt spolia multa, equos, camelos, mulos, asinos onustos frumento & vino. Venientes deniq; nostri, castra metati sunt super ripam fluminis. Protinus vir sapiens *Boamundus* cum quatuor millibus militum venit ante portam ciuitatis, vigilare, si fortè aliquis nocte latenter exiret, aut intraret ciuitatem. Crastinâ verò die peruenerunt vsq; *Antiochiam* mediâ die, in quarta feria, quæ est duodecima Kal. Nou. & obsedimus mirabiliter tres portas ciuitatis: quoniā in alia parte deerat nobis locus obsidēdi, quia alta & nimis angusta montanea nos coartabat. Tantùm autē timebant nos vndiq; inimici nostri Turci, qui erāt intus in vrbe, vt nemo eorū auderet offendere aliquem ex nostris, ferè per spacium dierū quindecim. Mox hospitātes nos circa Antiochiā reperimus illic omnē abun-

XIII.

dantiam, videlicet vineas vndique plenas, foueas plenas frumento, arbores refertas pomis, & alia multa bona corporibus vtilia. *Hermenii* & *Suriani* qui erant intus in vrbe, exeuntes & ostendentes sese fugêre, cotidie erant nobiscum; sed eorum vxores in ciuitate. Illi verò ingeniosè inuestigabant nostrum esse, nostramq; qualitatem, referebantq; omnia his excommunicatis qui erant in vrbe inclusi. Postquam verò *Turci* fuerunt edocti de nostra essentia, cœperunt paulatim vrbe exire, nostros peregrinos vndique coangustare, non solùm ex vna parte, sed vndique erant latentes obuiam nobis ad mare & ad montaneam. Erat autem non longè castrum cui nomen *Aregh*, vbi erant congregati multi Turci fortissimi, qui frequenter cõturbabant nostros. Audientes itaque nostri Seniores talia, nimis doluerunt, miseruntq; ex militibus suis, qui diligenter explorarent locum vbi erant Turci: reperto igitur loco vbi latebant, nostri milites, qui quærebant illos, obuiant eis. At nostris paulatim retrogredientibus vbi sciebant *Boamundum* esse cum suo exercitu, statim fuerunt illic mortui duo ex nostris. Hoc audiens Boamundus, surrexit cum suis vt fortissimus CHRISTI athleta: & barbari irruerunt contra illos, eo quod nostri erãt pauci, tamen simul iuncti inierunt bellum. Mortui sunt verò multi ex nostris inimicis, & capti alii ducti sunt ante portam vrbis, ibiq; decollabantur, vt magis tristes fierent, qui erant in vrbe. Exibant quidem alii de ciuitate & descendebant in quandam portam, & sagittabant nos ita vt sagittæ eorum caderent in domini Boamundi plateam, & vna mulier occubuit ictu sagittæ. Congregati itaque sunt omnes Maiores nostri & ordinauerunt consilium, dicentes: *Faciamus castrum in vertice montis Maregart, qui mons est super hostem Boamundi, quod securiat, vt tuti possimus permanere de Turcorum formidine.* Facto itaque castro atque munito, omnes maiores illud in vicem custodiebant. Iam iam cœperant frumentum & omnia nutrimenta corporum nimis esse cara ante Natale Domini. Foras penitus non audebamus exire, nihilque penitus in terra Christianorum inuenire poteramus, ad edendum. In Saracenorum namque terra, nemo intrare audebat nisi cum magna gente. Ad vltimum statuerunt nostri Seniores concilium, ordinando qualiter regerent tantas gentes. Inuenerunt in consilio, vt vna pars nostri iret diligenter attrahere stipendium, & vbique custodire exercitum: alia quoque pars fiducialiter remaneret custodire hostem. Boamundus denique dixit: *Seniores, & prudentissimi milites, si vultis, & honestum & bonum vobis videtur, ego ero cum Flandrensi Comite iturus cum eo.* Celebratis itaque gloriosissimè *solennitatibus Natiuitatis*, die lunæ, secunda scilicet feria egressi sunt illi, & alii plusquam viginti millia militum & peditum, ac sani & incolumes intrauerunt terram Saracenorum. Congregati quippe erant multi *Turci*, & Arabes & Saraceni, ab Hierusalem & Damasco & Aleph & ab aliis regionibus qui veniebant fortitudinem Antiochiæ dare. Audientes itaque isti *Christianorum* gentem conductam esse in illorum terram, illico præparauerunt se ad bellum contra Christianos: atq; summo diluculo venerunt in locum, vbi gens nostra erat in vnum. Diuiseruntq; se barbari & fecerunt duas acies, vnam ante & aliam retrò, cupientes ex omni parte circumcingere nos. Egregius itaq; *Comes Flandrensis* vndiq; regimine fidei, signoq; crucis, quam fideliter cotidie baiulabat, armatus, occurrit illis vna cum *Boamundo*; irrueruntq; nostri vnanimiter super illos, qui statim arripuerunt fugam & festinanter verterunt retrò scapulas: ac mortui sunt ex illis plurimi, nostriq; cœperunt equos eorum & alia spolia: alii verò qui viui remanserant, velociter fugerũt, & in iram perditionis abierunt. Nos autem reuertẽtes cum magno tripudio, laudauimus & magnificauimus trinũ & vnum Deũ, qui viuit & regnat nunc & in æuum. Amen. *Turci* deniq;, inimici Dei & Christianitatis, qui erant intus in custodia ciuitatis Antiochiæ, audientes dominũ *Boamundum* & *Flandrensem* Comitem in obsessione nõ esse, exierunt ciuitate & audacter veniebant præliari nobiscum, insidiãtes vndiq; in qua parte obsidio esset languidior: scientes illos prudẽtissimos milites foris esse, inueneruntq; quod in vna Martis die possent obsistere nobis & lędere. Venerũt verò iniquissimi barbari cautè, & irruerunt vehemẽter super nos, & incautos occiderunt multos ex nostris militibus & peditibus. *Episcopus* quoq; *Podiensis* in illa amara die perdidit suũ *Senescalcum*, conducentem & regentem eius vexillum. Et nisi esset flumẽ, quod inter nos & illos erat, sæpius inuasissent nos, atq; maximam læsionem fecissent in nostram gentem. Egrediebatur tunc vir prudẽs *Boamundus* cum exercitu suo de terra Saracenorũ, venitq; in *Tancredi* mõtaneam, cogitans an fortè ibi valeret inuenire aliquid, quod potuisset deferri: nam totam terram in expendio miserant:

XIII. 10 20 30 40 XIV. 50

ferant: alii quippe inuenerant, alii verò vacui redierant. Tunc vir sapiens *Boamundus* increpauit eos dicens: *O infelix & miserrima gens, ô vilissima omnium Christianorum! cur tam celeriter vultis abire? finite modo, finite, vsquequò erimus congregati in vnum: & nolite errare sicut oues non habentes pastorem. Si autem inimici nostri inuenerint vos errantes, occident vos: quia die noctuq; vigilant, vt vos sine ductore segregatos vel solos inueniant: vosq; cotidie occidere, & in captiuitatem ducere laborant.* Cùmq; finis esset dictis, rediit ad suam hostem cum suis plus vacuis quam onustis. Videntes autem *Hermenii* & *Surani* quod nostri penitus vacui rediissent, consiliati in vnum abibant per montaneas & præscita loca, subtiliter inquirentes & ementes frumentum, & corporea alimenta,
10 quæ ad hostem deferebant, in quo erat fames immensa: & vendebant onus vnius asini octo *purpuratis*, qui appræciabantur centum viginti solidis denariorum. Ibi quidem sunt mortui multi ex nostris, non habentes præcium vnde tam carum e-
XV. mere potuissent. *Wilhelmus* igitur *Carpentarius* & *Petrus* Heremita, pro immensa infelicitate ac miseria ipsa, latenter recesserunt. Quos *Tancredus* persequens, apprehendit, secumq; reduxit cum dedecore, qui dextram & fidem illi dederunt, quia libenter ad hostem redirent & satisfactionem Senioribus facerent. Tota denique nocte Wilhelmus, vti mala res in *tenda* Boamundi iacuit. Crastina verò die summo diluculo veniens, erubescendo ante Boamundi presentiam stetit, quem alloquens Boamundus dixit: *O infelix, & infamia totius Franciæ: dedecus & scelus Gallia-*
20 *rum; O nequissime omnium quos terra sufferti cur tam turpiter fugisti? Forsitan ob hoc quod voluisti tradere hos milites & hostem* CHRISTI, *sicut tradidisti alios in Hispania?* Qui omnino tacuit, & nullus sermo ex eius ore processit. Adunauerunt sese omnes ferè Francigenæ, rogaueruntq; humiliter dominum Boamundum, ne deterius ei fieri permitteret. Annuit ille sereno vultu, & ait: *Hoc pro vestri amore libenter consentiam, si in toto corde & mente iurauerit, quod nunquam recedet ab Hierosolymitano itinere, siue bono siue malo:* & *Tancredus neque per se neque per suos aliquid contrarii ei consentiet fieri.* Qui auditis his verbis, voluntariè concessit; ipse verò protinus dimisit eum. Postmodum verò *Carpentarius*, maximâ captus turpitudine, non diu morans, furtim recessit. Hanc paupertatem & miseriam pro nostris delictis concessit nos habere Deus. In totâ
30 namq; hoste, non valebat aliquis inuenire mille milites, qui equos haberent opti-
XVI. mos. Intereà inimicus *Tetigus*, audiens quod exercitus Turcorum venissent super nos, ait se timuisse; arbitransq; nos omnes perisse, atque in manibus inimicorum incidisse, fingens omnia falsa, quæ assiduè *cismare* poterat, dixit: *Seniores, & viri prudentissimi, videte quia nos hic sumus in maxima necessitate, & ex nulla parte nobis adiutorium succedit. Ecce modò finite me in Romaniæ patriam reuerti; & ego absque vlla dubitatione faciam multas naues huc venire per mare, onustas frumento, vino, hordeo, carne, farina & caseis, omnibusq; bonis quæ sunt nobis necessaria. Faciam & equos conduci ad vendendum: & mercatum per terram in fidelitate Imperatoris, huc aduenire faciam. Ecce hæc omnia vobis fideliter iurabo & attendam. Adhuc quoque & domestici mei & papilio meus sunt in campo, vnde & fir-*
40 *miter credite, quia quantocius redibo.* Sic itaque fecerunt fine in dictis. Fuit ille inimicus: omnia sua dimisit in campo, & in periurio manet & manebit. Itaque tali modo inerat nobis maxima necessitas, quia Turci vndique præstringebant nos, ita vt nullus nostrorum auderet iam exire extra tentoria: nam illi constringebant nos ex vna parte, & fames cruciabat ex alia: succursus verò & adiutorium nobis deerat. Gens minuta & pauperrima fugiebat *Cyprum*, *Romaniam*, & in montaneas. Ad mare vtique non audebamus ire propter timorem pessimorum Tur-
XVII. corum, nusquam erat nobis via patefacta. Itaque audiens dominus *Boamundus* innumerabilem gentem Turcorum venientem super nos, cautè venit ad alios, dicens: *Seniores, & prudentissimi milites, quid facturi erimus? Nos namque tanti*
50 *non sumus, vt in duabus partibus pugnare valeamus. Sed, scitis quid faciemus? Faciamus ex nobis duas partes. Pars peditum remaneat iugiter custodire papiliones, & quibit nimis obsistere his qui in ciuitate sunt: Alia verò pars militum, nobiscum veniat obuiam inimicis nostris, qui hic hospitati sunt prope nos, in castello Areg, vltra pontem Farreum.* Serò autem facto, exiit è tentoriis vir prudens Boamundus cum aliis prudentissimis militibus: iuitq; iacere inter fluuium & lacum. Summo diluculo, iussit protinus exploratores exire, & videre quot sint Turcorum turmæ, & vbi sint, aut certè quid agant. Exierunt illi, cœperuntque subtiliter inquirere, vbi essent acies Turcorum reconditæ. Viderunt namque Turcos innumerabiles segregatos venire ex parte fluminis diuisos per duas acies, maxima verò virtus illorum veniebat retro.

Reuersi sunt namque celeriter speculatores, dicentes: *Ecce, ecce, veniunt. Igitur estote omnes parati, quia iam prope nos sunt.* Dixitque vir sapiens Boamundus aliis: *Seniores & inuictissimi milites, ordinate ad inuicem bellum.* Responderuntque illi: *Tu sapiens & prudens, tu magnus & magnificus, tu fortis & victor, tu bellorum arbiter & certaminum iudex, hoc totum fac, hoc totum super te sit. Omne bonum quod tibi videtur nobis & tibi, operare, & fac.* Tunc Boamundus iussit, vt principum quisque per se dirigeret aciem suam ordinatim. Feceruntq; ita, & ordinatæ sunt sex acies. Quinq; verò ex eis, ierunt adunatim inuadere illos. *Boamundus* itaque paulatim gradiebatur retro, cum sua acie. Iunctis igitur prosperè nostris, vnus cominus percutiebat alium. Clamor verò resonabat ad cœlum. Omnes præliabantur in simul. Imbres telorum obnubilabant aerem. Postquam venit maxima virtus illorum, quæ erat retrò, acriter inuasit nostros, ita vt nostri paululum iam cederent retrò. Quod vt vidit vir doctissimus Boamundus, ingemuit. Tunc præcepit suo *Conestabili* scilicet *Rotberto* filio *Girardi*, dicens: *Vade quàm citiùs potes, vt vir fortis, & recordare prudentium antiquorumq; nostrorum fortium parentum, & esto acer in adiutorium Dei sanctique Sepulcri. Et reuera scias, quia hoc bellum carnale non est, sed spirituale. Esto igitur fortissimus athleta* CHRISTI. *Vade in pace: dominus sit tecum vbique.* Fuit itaq; ille vndiq; signo crucis munitus, qualiter leo perpessus famem per tres aut quatuor dies, qui exiens à suis cauernis, rugiens & sitiens sanguinem pecudum: sic improuidè ruit ille inter agmina gregum, dilanians oues, fugientes huc & illuc: ita agebat iste inter agmina *Turcorum.* Tam vehementer instabat illis, vt linguæ honorabilis vexilli volitarent super Turcorum capita. Videntes autem aliæ acies, quod vexillum Boamundi tam *honestè* esset ante alios delatum, ilico redierunt retrorsum; nostrique vnanimiter inuaserunt Turcos, qui omnes stupefacti, arripuerunt fugam. Nostri itaque persecuti sunt illos, & detruncauerunt, vsque ad *pontem Farreum.* Reuersi sunt autem *Turci* festinanter in castrum suum, acceperuntque omnia quæ ibi reperire potuerunt, totumque castrum spoliauerunt, miseruntque ignem, & fugerunt. *Hermenii* & *Suriani* scientes Turcos omnino perdidisse bellum, exierunt, & excubauerunt per arta loca, & occiderunt, & apprehenderunt multos ex eis. Superati sunt itaque, Deo annuente, in illo die inimici nostri. Satis verò recuperati sunt nostri de equis, & de aliis multis quæ erant illis valde necessaria. Et centum capita mortuorum detulerunt ante portam ciuitatis, vbi legati *Ammirati Babylonia* castra metati fuerant, qui mittebantur Senioribus. Illi, qui remanserant in tentoriis tota die præliati sunt cum illis, qui erant in ciuitate, ante tres portas ciuitatis. Factum est hoc bellum in die Martis ante caput ieiunii quinto Idus Februarii, fauente Domino nostro IESV CHRISTO qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat Deus per immortalia secula seculorum. Amen.

XVIII. Reuersi sunt nostri, agente Deo, triumphantes, & gaudentes de triumpho, quem in die illo habuerunt deuictis inimicis, qui sunt per omnia superati, semper fugientes, huc & illuc vagantes & errantes, alii in *Corrozanam,* alii verò in Saracenorum introierunt terram. Videntes autem nostri maiores, quòd malè tractarent & constringerent nos inimici nostri, qui erant in ciuitate, die ac nocte inuigilantes & insidiantes qua parte nos lædere possent, congregati in vnum dixerunt. *Priusquam perdamus gentem nostram, faciamus castrum ad Machumariam, quæ est ante vrbis portam, vbi pons est: ibiq; forsitan nostros poterimus constringere inimicos.* Consenserunt omnes, & laudauerunt quod bonum esset ad faciendum. *Comes de S. Ægidio* primus dixit: *Estote mihi in adiutorium ad faciendum castrum, & ego muniam & seruabo.* Respondit Boamundus: *Si vos vultis, & alii seniores laudant, ibo vobiscum ad portum S. Simeonis, diligenter conducere illos, qui illic sunt homines, vt peragant hoc opus; alii qui sunt remansuri muniant se vndique ad defendendum, si fortè inimici nostri & Dei exierint de ciuitate, & in illo loco sint omnes congregati in vnum, licet vbi nos demonstraremus.* Factumq; est ita. *Comes* igitur & *Boamundus* perrexerunt ad S. Simeonis portum. Nos verò qui remansimus, congregati in vnum, castrum incipiebamus, dum *Turci* præparauerunt se ilico, & exierunt extra ciuitatem obuiam nobis ad prœlium. Sic itaque irruerunt super nos, & miserunt nostros in fugam, occideruntq; plures ex nostris: vnde tristes valde fuimus. Crastina autem die, videntes Turci quod maiores nostri deessent, & quod præterita die iuissent ad portam, præparauerunt se, & ierunt obuiam illis venientibus è portu. Tunc videntes *Comitem* & *Boamundum* venientes, & conducentes illam gentem, mox cœperunt stridere & garrire, ac clamare vehementissimo clamore, circumcingendo vndiq; nostros,

ſtros, iaculando, ſagittando, vulnerando, & crudeliter detruncando. Nam tam acriter inuaſerunt noſtros, vt illi inirent fugam per proximam montaneam: & vbi via eundi patebat, qui potuit celeri ſe greſſu expedire, euaſit viuus; qui verò fugere nequiuit, mortem ſuſcepit. Fueruntq; in illa die martyrizati ex noſtris militibus ſeu peditibus pluſquam mille, qui in cœlum lætantes aſcendebant, atque candidati ferentes ſtolam recepti martyrii, glorificantes & magnificantes Dominum DEVM noſtrum trinum & vnum, in quo feliciter triumphabant, & dicebant concordabili voce: *Quare non defendis ſanguinem noſtrum, qui hodie pro tuo nomine effuſus*
10 *eſt?* Itaque *Boamundus* viam quam tenuerant, non tenuit; ſed celeriùs cum paucis militibus ad nos venit, qui eramus in vnum congregati. Tunc nos accenſi occiſione noſtrorum, CHRISTI nomine inuocato, & S. Sepulcri confidentes itinere, iuncti ſimul peruenimus contra eos ad bellum; eoſque inuaſimus vno corde & animo. Stabant verò inimici DEI & noſtri vndiq; iam ſtupefacti & vehementer perterriti, putantes noſtros ſe deuincere & occidere, ſicut fecerant gentem Comitis & Boamundi. Sed DEVS Omnipotens hoc illis non permiſit. Milites igitur veri Dei, vndiq; ſigno crucis armati, irruerunt acriter ſuper illos & fortiter inuaſerunt: illi autem celeriter fugerunt per medium anguſti pontis ad illorum introitum. Illi qui viui nequiuerunt tranſire pontem, præ nimia multitudine gentium & caballo-
20 rum, ibi receperunt ſempiternum interitum, & reddiderunt infelices animas Diabolo & ſathanæ miniſtris. Nos itaque illos ſuperauimus, impellentes in flumen, & deiicientes. Vnda verò rapidi fluminis vndique videbatur fluere rubea Turcorum ſanguine. Et ſi fortè aliquis eorum voluiſſet reptare ſuper pontis columnas, aut natando ad terram moliretur exire, vulneratus eſt à noſtris, vndiq; ſtantibus ſuper fluminis ripam. Rumor quoq; & clamor noſtrorum & illorum reſonabat ad cœlum. Pluuiæ telorum & ſagittarum tegebant polum, & claritatem diei: altæ voces intus & extra: Mulieres Chriſtianæ vrbis veniebant ad muri feneſtras, ſpectantes miſera fata Turcorum, & occultè plaudebant manibus, ſicut mos erat illarum. *Hermenii* & *Suriani*, iuſſu Maiorum Turcorum, inuiti ſeu ſpontanei, ſagittas iaciebant foris ad
30 nos. Mortui ſunt, etiam in anima & corpore, duodecim Ammiralii de Turcorum agmine, in prælio illo: & alii prudentiſſimorū & fortiorum militum, qui melius ciuitatem pugnando defendebant, numerus quorum fuit mille & quingenti. Alii qui remanſerant viui, iam amplius nō audebant clamitare vel garrire, in die ſiue in nocte, ſicut ante ſolebant. Omnes itaq;, nos & illos, ſolummodo ſeparauit nox, noxque diuiſit vtroſq; in prȩliando, iaculando, ſpiculando, ſagittando. Sic ſuperati ſunt inimici noſtri, virtute DEI & *S. Sepulcri*; & vlteriùs non valuerunt talem virtutem habere, neq; in voce, neq; in opere ſicuti prius. Nos itaq; valde fuimus refecti in illa die de illorum equis, & de aliis multis rebus, quæ ſatis erant nobis neceſſariæ. Craſtinâ verò die ſummo diluculo exierunt alii *Turci* de ciuitate & collegerunt omnia
40 cadauera fetentia Turcorum mortuorum, quȩ reperire potuerunt ſuper ripam fluminis, exceptis illis quæ in alueo latebant eiuſdem fluminis; & ſepelierunt ad *Machumariam*, quæ eſt vltra pontem, ante portam vrbis: ſimulq; illis cōſepelierunt pallia, bizanteos aureos, arcus, ſagittas & alia plurima inſtrumenta, quæ nominare nequimus. Audientes itaque noſtri quod humaſſent mortuos ſuos Turci, omnes ſeſe præparauerunt, & venerunt feſtinantes ad diabolicum atrium & iuſſerunt deſepeliri, & frangi tumbas eorum, & trahi eos extra ſepulcra. Et eiecerunt omnia cadauera eorum in quandam foueam, & deportauerunt cæſa capita ad tentoria noſtra, quatinus perfectè ſciretur eorum numerus; excepto quod onerauerāt quatuor equos qui fuerunt ad mare nuntiis *Amiralii* de *Babylone* delata. Quod videntes
50 Turci doluerunt nimis, fueruntq; triſtes vſque ad necem. Nam cotidie dolentes, nihil aliud agebant niſi flere & vlulare. Tertiâ verò die cœpimus ſimul iuncti, cum gaudio magno, ædificare caſtrum ſupra dictum; de lapidibus ſcilicet, quos abſtraximus de tumulis Turcorū. Peracto itaque caſtro mox cœpimus ex omni parte coanguſtare inimicos noſtros, quorum ſuperbia ad nihilum iam erat redacta. Nos autem ſecurè ambulabamus huc & illuc, ad portam & ad montaneas, laudantes & glorificantes Dominum DEVM noſtrum, cui eſt honor & gloria per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Iam iam omnes ſemitæ penè prohibitæ & inciſæ vndiq; erant Turcis; niſi ex illa parte fluminis, vbi erat caſtrum & quoddam monaſterium. Quod caſtrum, ſi fuiſſet à nobis perfectè munitum, iam nullus eorum auderet extra ciuitatis portam exire. Conciliauerunt ſe denique noſtri & vnâ voce concorditer XIX.

dixerunt: *Eligamus vnum ex nobis, qui robustè teneat illud castrum, & nostris inimicis prohibeat montaneas, & plana, & introitum vrbis ac exitum.* Plures verò ex illis prohibentes se illud hospitari, nisi fortè fuissent multi in vnum. Tancredus igitur primus protulit se ante alios, dicens: *Si scirem quid proficui mihi attigerit, ego sedulè cũ meis solummodo hominibus corroborarem castrum: & viam per quam inimici nostri solent frequentiùs sæuire, viriliter deuetabo illis.* Qui continuò spoponderunt ei quater centum marcas argenti. Non adquieuit Tancredus, quamquam solus erat, tamen perrexit cum suis honestissimis militibus ac seruientibus, & extemplo abstulit vndiq; viam & semitam *Turcis*; ita vt nulli auderent ex eis, iam timore eius perterriti, extra vrbis portam exire, neq; propter herbam, neque propter ligna, neq; propter vlla necessaria. Remansit verò ibi *Tancredus* cum suis, cœpitq; vehementer vbiq; coangustare ciuitatem. Ipsa quoq; die, veniebat maxima pars *Hermeniorum* & *Surianorum* securè de montaneis, qui ferebant alimenta *Turcis* in adiutorium ciuitatis. Quibus aduenit obuiam Tancredus, & apprehẽdit eos & omnia quæ deferebant, videlicet frumentum, vinum, hordeũ, oleum, & alia huiusmodi. Sic itaque robustè & prosperè deducebat se Tancredus, iamq; habebat prohibitas & incisas omnes semitas Turcis, donec *Antiochia* esset capta. Omnia quæ egimus antequam vrbs esset capta, nequeo enarrare; quia nemo est in his partibus siue clericus siue laicus, qui omnino possit vel scribere vel narrare sicut res gesta est: Tamen aliquantulum dicam. Erat quidam Amiratus de genere Turcorum cui nomen *Pirus*, qui maximam amicitiam receperat cũ Boamundo. Hunc sæpè *Boamundus* pulsabat nuntiis ad inuicem missis, quo eum infra ciuitatem amicissimè reciperet, eiq; Christianitatem liberiùs promittebat, & eum se diuitem facturum cum multo honore mandabat. Consensit ille dictis & promissionibus dicens: *Tres turres custodio, eiq; libenter ipsas promitto, & quacunq; hora voluerit, in eas eum recolligam.* Erat itaq; Boamundus iam securus de introitu ciuitatis; & gauisus serenâque mente, placido vultu venit ad omnes Seniores, eisq; iocunda verba intulit, dicens: *Viri prudentissimi milites, videte quomodo nos omnes in nimia paupertate & miseria sumus, maiores siue minores: & ignoramus penitus qua parte melius succedat nobis. Igitur si vobis bonum & honestum videtur, eligat se ante alios vnus ex nobis, vt si aliquo modo, vel ingenio ciuitatem acquirere, vel ingeniare potuerit, per se vel per alios, concordi voce ei vrbem dono concedamus.* Qui omninò prohibuerunt & denegarunt, dicentes: *Nemini dimittetur hæc ciuitas, sed omnes æqualiter habebimus illam: sicut æqualem habuimus laborem, sic inde æqualem habeamus honorem.* Itaque Boamundus auditis his verbis, paulominùs subridens, protinus recessit. Non multò post audiuimus nuncios, de exercitu hostium nostrorum, Turcorũ, Publicanorum, Angulanorũ, *Azinitarum* & aliarum plurimarum nationum gentilium: quas numerare neq; nominare nescio. Statimq; adunauerunt se omnes Maiores nostri simul, tenueruntq; concilium dicentes: *Quoniam si Boamundus potuerit adquirere ciuitatem, aut per se aut per alios, nos vnà libenti corde vltrò ei donamus, eo tenore vt si Imperator venerit nobis in adiutorium, & omnem conuentionem sicut promisit nobis & iurauit attendere voluerit, nos ei eam iure reddemus. Sin autem, Boamundus eam in suam habeat potestatem.* Mox itaque Boamundus cœpit humiliter amicum suum quotidianâ deprecari petitione, promittendo humillima, maxima, & dulcia, in hunc modum: *Ecce verè tempus modò habemus idoneum, in quo possumus operari quicquid boni volumus: ergo adiuuet me nunc amicus meus Pirrus.* Qui satis gauisus de nuntio, ait se illum adiuuare omnino sicut agere deberet. Nocte itaq; veniente proximâ, misit cautè filium suum, pignus Boamundo, vt securior fieret de introitu vrbis. Misit quoque ei verba in hunc modum: *Vt in crastinum omnem Francorum gentem præconiare atque summouere faciat, quod in Saracenorum terram deprædare vadat dissimulans: ac deinde celeriter reuertatur per dextram montaneam: ego verò,* ait, *ero intentione erectâ præstolans illa agmina, eaq; recipiam in turres quas in mea habeo potestate ac custodia.* Dein Boamundus iussit celeriter ad se vocari quendam seruientem suum, videlicet *Malam coronam*; eiq; præcepit, vt quasi præco commoneret Francorum maximam gentem, quatinus fideliter præpararet se in Saracenorum itura terram. Factumq; est ita. Credidit itaque Boamundus hoc consilium Duci *Godefrido* & *Flandrensi Comiti.* Comiti quoque *de S. Ægidio* atque *Podiensi* Episcopo, dicens: *Quia DEI fauente gratiâ, hac nocte tradetur nobis Antiochia.* Ordinata sunt denique hæc omnia; milites tenuerunt plana, & pedites montaneam. Totâ nocte equitauerunt & ambulauerunt vsque propè auroram, ac deinceps ceperunt appropinquare ad turres quas ille vigil custodiebat. Confestim ascendit Boamundus; & præcepit omnibus dicẽs: *Ite securo animo, & felici concordiâ, & ascendite per scalas in Antiochiã,*

quam

quam statim habebimus, si DEO *placet, in vestra custodia.* Venerunt illi vsque ad scalam, quæ iam erat erecta & fortiter ligata ad ciuitatis *merulas:* & ascenderunt per illam homines ferè sexaginta ex nostris, ac diuisi sunt per turres, quas ille obseruabat. Videns hoc *Pirrus* quod tam pauci ascendissent ex nostris, cepit pauere, timens sibi & nostris, ne in manus Turcorum inciderent, dixit: *Micro Francos echome:* hoc est: *paucos Francos habemus. Vbi est acerrimus Boamundus? vbi est ille miles inuictus?* Interim descendit quidam seruiens Longobardus deorsum, & cucurrit quantociùs ad Boamundum, dicens: *Quid hic stas, vir prudens? Quam ob rem huc venisti? Ecce nos iam tres turres habemus.* Motus est ille cum aliis, & omnes gaudentes peruenerunt ad scalam. Videntes itaque illi qui iam erant in turribus, cœperunt iocunda voce clamare, DEVS LE VOLT. Nos verò idem clamabamus. Nunc cœperunt ilico mirabiliter ascendere: ascenderunt tamen, & cucurrerunt festinanter in alias turres. Quos illic inueniebant, mortalem eis continuò dabant sententiam: fratrem quoq; *Pirri* occiderunt. Interea fortè rupta est scala, per quam noster erat ascensus: vnde inter nos orta est immensa angustia, & tristitia. Quanquam autem scala fuisset fracta, tamē quædam erat porta iuxta nos clausa in sinistra parte, quæ quibusdam manebat incognita; nox namque erat: sed tamen palpando & inquirendo inuenimus eam, omnesq; cucurrimus ad illam, & ipsâ fractâ intrauimus per eam. Tunc innumerabilis fragor mirabiliter resonabat per totam vrbem. Non adquieuit Boamundus his, sed ilico imperauit honorabile vexillum deferri sursum, coram castello, in quodam monte: omnes verò pariter stridebant in ciuitate. Summo autē diluculo audientes illi, qui foris erant in tentoriis, vehementissimum rumorem strepere per ciuitatem, exierunt festinantes, & viderunt vexillū *Boamundi* sursum in monte: celeriq; cursu properantes, venerunt omnes, & per portas intrauerunt in vrbem: & interfecerunt *Turcos* & *Saracenos* quos ibi repererunt, extra illos qui fugerant sursum in castrum. Alii verò Turcorum per portas exierunt, & fugientes viui euaserunt. *Cassianus* verò dominus illorum, timens valdè gentem Francorum, dedit se omnino fugæ, cum aliis multis qui erant cum eo, & fugiendo peruenit in *Tancredi* terram non longè à ciuitate. Fatigati verò erant equi eorū, miseruntq; se in quoddam *casale* & mersi sunt in vnam domum. Cognouerunt ergo eum habitatores illius montaneæ, scilicet *Suriani* & *Hermenii*, & confestim apprehenderunt eum, truncaueruntq; caput illius, & tulerunt ante Boamundi præsentiam; vt inde mererentur libertatem accipere. Balteum quoq; eius & vaginam, appræciauerunt sexaginta bizanteis. Hæc omnia gesta sunt tertia die intrante mense Iunio, quinta feria, tertia nonas Iunii. Omnes namq; plateæ ciuitatis iam vndiq; erant plenæ cadaueribus mortuorum, ita vt nemo posset sufferre ibi esse, præ nimiis fœtoribus: nullus verò poterat ire per semitam ciuitatis, nisi super cadauera Turcorum. *Curbaram* autem, princeps militiæ *Soldani* Persiæ, dum adhuc esset Corrozanum, quotiens *Cassianus* Ammiralius Antiochiæ legationem ei misit, quò sibi succurreret in tempore opportuno, quoniam gens fortissima Francorum, eum impeditum grauiter obsidebat in *Antiochia*; & si adiutorium ei impenderet, vrbem Antiochenam illi traderet, aut eum maximo munere ditaret: cùmq; iam habuisset maximum exercitum Turcorum, ex longo collectum tempore, & licentiam Christianos occidendi accepisset à *Calipha illorum Apostolico*, ilico incoauit iter longæ viæ Antiochiæ. *Hierosolymitanus Ammiralius* in adiutorium cum suo exercitu venit: *Rex Damasci* illuc venit cum maxima gente. Idem verò *Curbaram* congregauit innumeras gentes paganorum, videlicet Turcos, Arabes, Saracenos, Publicanos, *Azimitas, Curtos, Perses*, Agulanos & alias multas gentes innumerabiles. Et *Agulani* fuerunt numero tria millia, qui neq; lanceas, neque sagittas, neq; vlla arma timebant: quia omnes erant vndique cooperti ferro, & equi eorum; ipsiq; nolebant in bellum ferre arma nisi solummodo gladios. Isti omnes venerunt in obsidionem Antiochiæ, ad dispergendum Francorum collegium. Et cùm appropinquassent vrbi, venit obuiam illis *Sensadolus* filius Cassiani Ammiralii Antiochiæ; & continuò cucurrit ad *Curbaram*, lacrymabiliter rogans eū dicens: *Inuictissime Princeps, te supplex precor, quatinus modò mihi succurras: quoniam Franci vndiq; obsident me in Antiocheno oppido, vrbemq; in suo tenent imperio, nosq; alienare à regione Romaniæ siue Cyriæ, adhuc autem & Corrozani, cupiunt. Omnia patrauere quæ voluerunt; patrem occiderunt meum; nihil aliud superest, nisi vt me & te, & omnes alios ex genere nostro interficiat. Ego namque iam dudum tuum exspecto auxilium, vt mihi succurras in hoc periculo.* Cui ait ille: *Si vis vt ex toto corde in tuo sim proficuo, tibiq; fideliter in hoc succurram periculo, illud oppidum in*

XXI.

meam tradès manum: & tum videbis qualiter in tuo ero proficuo; idq́; faciam custodire meos homines. Ait illi Sensadolus: *Si potes omnes Francos occidere, mihiq́; capita eorum tradere, tibi dabo oppidum; tibiq́; faciam hominium & in tua fidelitate custodiam illud oppidum.* Cui Curbaram: *Non ita,* inquit *erit sed continuò in meam manum committe castrum.* tamen volēs, nolensq́; ei commisit castrum. Tertiâ verò die postquam intrauimus ciuitatem, eorũ præcursores ante vrbem præcurrerũt: exercitus autem illorum, ante *pontem Farreum* castra metatus est: & expugnauerũt turrim, & occiderunt omnes quos illic inuenerunt, & nemo euasit viuus nisi dominus illorum, quem inuenimus ligatum in vinculis ferreis, facto maiore bello. Crastinâ verò die, moto exercitu Paganorum, appropinquauerunt vrbi, & castra metati sunt inter duo flumina: steteruntq́; ibi per duos dies. Recepto itaque castro, *Curbaram* conuocauit vnum Ammiralium ex suis, quē sciebat veracem, mitem, & pacificum, & ait illi: *Volo vt intres in fidelitatem meam custodire hoc castrum, quoniam ex longissimo tempore scio te fidelissimum, ideoque precor te vt summâ cautelâ hoc serues oppidum: adhuc namq́; quod scio te in opere prudentissimum, nullum magis veracē & fortissimum hîc modo reperire possum.* Cui ait Ammiralius: *Tibi vnquam de tali nollē obedire officio: Sed priusquam me tuo arguas stimulo, hoc faciam illo tenore, vt si Franci eiecerint vos de mortali prælio, & vicerint, eis continuò tradam hoc castrum.* Dixitq́; illi Curbaram: *Tam honestum & prudentem te cognosco, vt omne quicquid boni vis agere, ego consentiam.* Reuersus est itaq́; Curbaram ad suum exercitum, & protinus *Turci,* deludentes Francorum collegium, detulerunt ante conspectum Curbaram, quendam vilissimum ensem rubigine tectum, & deterrimum arcum ligneũ & lanceam nimis inutilem, quæ abstulerant nuper pauperibus peregrinis, dixeruntq́;: *Ecce arma, quæ attulerunt Franci obuiam nobis ad pugnam.* Tunc Curbara cœpit subridere palàm, dicens omnibus, qui in illo aderant collegio: *Hæc sunt arma bellica & nitida, quæ attulerunt Christiani super nos in Asiam, quibus putant nos & confidunt expellere vltra confinia Corrozaniæ, & delere nomina nostra vltra Amazonia flumina, qui propulerunt omnes parentes nostros à Romania & Antiochia vrbe regia, quæ est honorabile caput totius Syriæ.* Mox conuocauit suum fidelem notarium, & ait: *Scribe citò plures chartas, quæ in Corrozania sint legendæ, videlicet:* Caliphæ nostro Apostolico, ac nostro regi domino Soldano, militi fortissimo, atq́; omnibus prudentissimis Corrozaniæ militibus, salus & immensus honor. *Satis sint læti & gauisi iocundâ concordiâ, & satisfaciant ventribus, imperent & sermocinent per vniuersam regionem illam, vt omnino dent sese ad petulantiam & luxuriam, multosq́; filios patrare congaudeant, qui contra Christianos fortiter pugnare præualeant, & libenter suscipiant hæc tria arma, quæ olim abstulimus à Francorum turmâ, & discant modo quæ arma attulerit super nos gens Francigena, qualiter optima & perfecta sunt. Heu certate contra nostra arma, quæ bis aut ter, siue quater sunt colorata, aut purgata seu argentum aut aurum purissimum. Adhuc quoque sciant omnes, quoniam ego cunctos Francos intus in Antiochia conclusos habeo, & castrum mea libera teneo voluntate, illi verò deorsum sunt in ciuitate: habeo etiam omnes illos iam in mea manu, eosq́; faciam aut capitalem subire sententiam, aut deduci in Corrozanam in captiuitatem nimiam eo quod minantur nos suis armis propulsare & expellere ab omnibus finibus nostris, aut eiicere vltra superiorem Iudæam: seu eiecerunt omnes parentes nostros à Romania siue Syria. A modo iuro vobis per Machomet & per omnia deorum nomina quoniam ante vestram non ero rediturus præsentiam, donec regalem vrbē Antiochiam, & omnem Suriam siue Romaniam atq́; Bulgariam vsq́; in Apuliam adquisiero, meâ forti dexterâ, ad deorum honorem & vestrum, & omnium qui sunt ex genere Turcorum.* Sic fecit finem dictis.

XXII. Mater verò eiusdem *Curbaram,* quæ erat in *Aleph* ciuitate, statim venit ad eum, dixitq́; illi lacrymabiliter. *Fili, suntne vera, quæ audio?* cui ait ille. *Quæ?* Et dixit illa: *Audiui quia bellum vis committere cum Francorum gente.* Ait ille: *Hoc verum omnino scias.* Dixit illa: *Contestor te, fili, per omnium Deorum nomina & per tuam magnam bonitatem, ne bellum cum Francis committas: quoniam tu es miles inuictus: & nullam imprudentiam ex te, aut ex tuo exercitu vnquam penitus audiui; & te è campo, ab aliquo victore fugientem quisquam minimè inuenit. Diffamata est tua militia vbiq́;, omnesq́; prudentes milites, audito tuo nomine, contremiscunt. Satis scimus, fili, quoniam tu es bellipotens, & fortis, & bellorum ingeniosus, nullaq́; gens Christianorum vel Paganorũ ante tuum conspectum aliquam virtutem habere potuit: Sed fugiebant solummodo audito tuo nomine, sicut oues ante leonis furorem fugiunt. Ideoq́; obsecro te, charissime fili, vt meis acquiescas consiliis, & ne vnquam in tuo hasitet animo, aut in tuo inueniatur consilio, vt bellum velis incipere cum Christianorum gente.* Tunc Curbaram, materna audiens monita, feroci respondit sermone: *Quid est hoc,* mater. *quod mihi refers? puto quod insanis, aut furiis es plena. Enimuerò mecum habeo plures Ammiralios, quã Christiani sint, siue maiores siue minores.* Respondit ei mater sua: *O dulcissime fili, Christiani nequeunt vobiscum bel-*

cum bellare: scio namq; quod non valent vobis pugnam inferre: sed DEVS *eorum pro ipsis cotidie pugnat, eosq; diu noctuq; suâ protectione defendit, & vigilat super eos, sicut pastor vigilat super gregem suum; & non permittit eos lædi nec perturbari ab vlla gente: & quicunque volunt eis obsistere, idem eorum* DEVS *conturbat illos, sicut ait ipse per os David Propheta:* Dissipa gentes quæ bella volunt. *Et alibi:* Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt; & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. *Antequam verò præparati sint ad incipiendum bellum, eorum* DEVS *optimus & bellipotens, simul cum Sanctis suis, omnes inimicos iam habet deuictos: quantò magis modò faciet circa vos qui eius estis inimici, & qui præparastis vos eis obsistere tota virtute? Hoc autem, karissime, in rei veritate scias, quoniam isti Christia-*
10 *ni, filii* CHRISTI *vocati sunt; & prophetarum ore,* filii adoptionis & promissionis, *& secundum Apostolum,* hæredes CHRISTI sunt, *quibus* CHRISTVS *hereditates repromissas iam donauit. dicendo per Prophetas:* A Solis ortu vsque ad occasum erunt termini vestri, & nemo stabit contra vos. *Et quis potest his dictis contradicere, vel obstare? Certè si hoc bellum cõtra illos inceperis, maximum tibi erit damnum ac dedecus: & multos tuos fideles milites perdes, & vniuersa spolia, quæ apud te habes, amittes, & nimio pauore fugiendo euerteris. Tu autem in hoc bello non morieris modò, sed tamen in hoc anno: quoniam ipse* DEVS*, non statim vindicat offendentem se exertâ irâ, sed quando vult punit eum manifestâ vindictâ, ideoq; timeo ne te iudicet pœnali tristitiâ. Non morieris, inquam, modò, verumtamen perditurus es in præsentiarum habita.* Curbaram deniq; valde dolens intimis visceribus, auditis maternis sermoni-
20 bus, respondit. *Mater karissima, quæso te, quis dixit tibi ista de gente Christiana, quod* DEVS *eorum tantùm eos amet, & quod ipse pugnandi virtutem in se retinet maximam, & quod illi Christiani vincent nos in Antiocheno prælio, & quod ipsi capturi sunt nostra spolia, nosq; persecuturi magnâ victoriâ, & quod in hoc anno moriturus sum morte subitaneâ?* Tunc respondit ei mater, dolens: *Fili karissime, ecce sunt plusquam centum annorum tempora, de quibus inuentum est in nostra pagina & in gentilium voluminibus, quoniam gens Christiana foret super nos ventura, & nos vbique victura, ac super Paganos regnatura, & nostra gens illis vbique erit subdita. Sed ignoro, vtrum modò, an in futuro sint hæc ventura. Ego vtique misera, sum te secuta ab Aleph vrbe pulcerrima, in qua speculando atque ingeniosè rimando respexi in cælorum astra & sagaciter scrutata sum planetas, & duodecim signa, siue sortes innumeras: in eis omnibus reperi, quoniam*
30 *gens Christiana vbique nos est deuictura: ideoq; de te valdè timeo, nimis mœsta, ne ex te remaneam orbata.* Dixit illi Curbaram: *Mater karissima, dic mihi omnia quæ in corde meo sunt incredula.* Quæ respondens, ait: *Hoc, karissime, libenter faciam, si sciero ea quæ tibi sunt incognita.* Cui ille dixit: *Non sunt igitur Boamundus & Tancredus Francorum dii, & non eos liberant de inimicis suis, & quod ipsi manducant in vno quoque prandio duo millia vaccas & quatuor millia porcos?* Respondit mater: *Fili karissime, Boamundus & Tancredus mortales sunt, sicut alii omnes: sed* DEVS *eorum valdè diligit eos præ omnibus aliis, & virtutem præliandi dat eis præ cæteris. Nam* DEVS *illorum,* Omnipotens *est nomen eius, qui fecit cælum & terram, & fundauit maria & omnia quæ in eis sunt: cuius sedes in cælo est, parata in æternum, cuius potestas vbique est metuenda.* Ait filius: *Si ita est causa, cum eis præliari non desinam.* Itaque au-
40 diens mater eius quòd nullo modo adquiesceret consiliis suis, mœstissima recessit retrorsum in *Aleph*, deferens secum cuncta spolia quæ conducere potuit. Tertia verò die armauit se *Curbaram* & maxima pars Turcorum cum eo, veneruntq; ad ciuitatem ex illa parte in qua erat castrum. Nos autem putantes resistere posse illis, parauimus bellum contra eos. Sed tam magna fuit virtus illorum, quod nequiuimus illis resistere; sicq; coacti intrauimus ciuitatem: quibus fuit tam mirabiliter arta & angusta porta, vt illinc fuerint multi mortui oppressione aliorum. Interea alii pugnabant extra vrbem, alii intus, in quinta feria, per totum diem vsque ad ve- XXIII.
50 speram. Inter hæc *Wilhelmus de Grentamenilg,* & *Albricus* frater eius, & *Wido Trursellus,* & *Lambertus Pauper:* isti omnes timore perterriti de hesterno bello, quod durauerat vsq; ad vesperã, nocte latenter demissi sunt per murũ, fugiẽtes pedibus contra mare, ita vt neque in manibus neque in pedibus remaneret aliquid nisi solummodo ossa. Multique alii fugerunt cum illis, quos nescio. Venientes igitur ad naues, quæ erant ad portum S. Symeonis, dixerunt nautis: *Quid hîc, miseri, statis? Omnes nostri mortui sunt, & nos mortem vix euasimus; quia exercitus Turcorum vndique obsident alios in vrbe.* At illi audientes talia, stabant stupefacti; ac timore perterriti cucurrerunt ad naues & miserũt se in mare. Deinde superuenientes *Turci,* quos inuenerũt, occiderunt, & naues quæ in alueo fluminis remanserant, combusserunt igni, & apprehenderunt spolia eorum. Nos deniq; qui remansimus, nequiuimus sufferre pondus armorum illorum; fecimusq; murum inter nos & illos, quem custodiebamus diu no-

ctuq;. Intereà tantâ oppressione fuimus oppressi, vt equos & asinos nostros manducaremus. XXIIII. Quodam verò die stantibus nostris Maioribus, sursum ante castellum, tristibus ac dolentibus, venit quidam Sacerdos ad eos, & dixit: *Seniores, si vobis placet, audite rem quandam, quam in visione vidi. Cùm nocte vnâ iacerem in Ecclesia S. Mariæ matris Domini nostri* IESV CHRISTI, *apparuit mihi Saluator mundi cum sua genitrice, & B. Petro Apostolorum Principe, stetitq́ ante me & dixit mihi.* Agnoscis me? *Cui respondi:* Non; *His dictis, ecce apparuit integra crux in capite eius. Iterum ergo interrogauit me Dominus, dicens:* Agnoscis me? *Cui dixi:* Te alio modo non agnosco, nisi quia crucem in capite tui cerno, sicut Saluatoris nostri: *qui dixit:* Ego sum. *Statim cecidi ad pedes eius, rogans humiliter vt subueniret nobis in oppreßione illa quæ super nos erat. Respondit Dominus:* Bene adiuui vos, & amodò adiuuabo. Ego permisi vos habere *Niceam* ciuitatem, & omnia deuincere bella, & conduxi vos huc vsq;, & condolui vestræ miseriæ, quam passi fuistis in obsidione *Antiochiæ.* Ecce in auxilio oportuno misi vos sanos & incolumes in ciuitatem: & ecce, multam prauam dilectionem operantes cum Christianis, & prauis Paganis mulieribus; vnde immensus fœtor ascendit in cœlum. *Tunc alma Virgo, & B Petrus ciciderunt ad pedes eius, rogantes eum & deprecantes, vt suum in hac tribulatione adiuuaret populum. Dixitq́ B. Petrus:* Domine, per tot tempora tenuit paganorum gens domum meam, in qua multa & ineffabilia mala fecerunt. Modò verò expulsis inimicis inde, Domine, lætantur Angeli in cœlis. *Dixitq́ mihi Dominus:* Vade ergo, & dic populo meo, vt reuertatur ad me, & ego reuertar ad illum; & infra quinq; dies mittam ei magnũ adiutorium, & cotidie decantet responsorium: *Congregati sunt*, totum cum versu. *Seniores, si hoc non creditis esse verum, sinite modò me in hanc scandere turrim, mittamq́ me deorsum: si verò fuero incolumis, credatis hoc esse verum; Sin autem vllam læsionem fuero passus, decollate me, aut in ignẽ proiicite me.* Tunc Podiensis Episcopus, iussit vt adferentur Euangelia & crux, quatinus iuraret ille hoc esse verũ. Consiliati sunt omnes Maiores nostri in illa hora, vt iurarent sacramentum, quod *illorum nullus fugeret, neque pro morte, neque pro vita, quandiu viui essent.* Primus dicitur iurasse *Boamundus,* Deinde *Comes S. Ægidii,* & *Rotbertus* Nortmannus, ac *Dux Godefridus,* & *Comes Flandrensis:* Tancredus verò iurauit ac promisit tali modo, quia *quandiu secum quadraginta milites haberet, non solùm ex illo bello, sed etiam ab Hierosolymitano itinere non esset recessurus.* Nimis autem exultauit Christiana cõgregatio, hoc audiens sacramentum. XXV. Erat autem quidã peregrinus de nostro exercitu, cui nomen *Petrus,* cui antequã ciuitatem intraremus apparuit *S. Andreas* Apostolus, dicens: *Quid agis bone vir?* Cui ille respondit *Tu quis es?* Dixit ei Apostolus: *Ego sum Andreas Apostolus. Agnosce as fili, quia dum villam intraueris, vadens ad Ecclesiam B. Petri, ibi inuenies lanceam Saluatoris nostri* IESV CHRISTI, *ex qua in crucis pendens patibulo vulneratus est.* hæc omnia dicens Apostolus continuò recessit. Ipse autem timens reuelare consilium Apostoli, noluit indicare nostris peregrinis. Æstimabat autem se visum videre, Et dixit ad eum: *Domine, quis hoc crediderit?* In illa verò hora accepit eum S. Andreas, & portauit eum vsq; ad locum vbi lancea erat recondita in terra. Iterum cũ essemus ita vt superiùs diximus, venit S. Andreas rursus dicens ei: *Quare non abstulisti lanceam de terra, vt ego tibi præcepi? Scias reuerà, quia quicunq́ lanceam hanc portauerit in bello, nunquam ab hoste superabitur.* Petrus verò continuò reuelauit mysteriũ Apostoli, hominibus nostris. Populus autem nõ credebat, sed prohibebat, dicens: *Quomodo possumus hoc credere?* Omnino enim erãt pauentes & protinus mori putabant. Accessit itaq; ille & iurauit hoc totũ veracissimum esse; quoniã ei S. Andreas bis in visione apparuerat, eiq; dixerat: *Surge, vade, & dic populo DEI, ne timeat, sed firmiter toto corde credat in vnum verum DEVM, erunt vbiq́ victuri; & infra quinque dies mandabit eis Dominus talem rem, vnde læti & gauisi manebunt: & si certare voluerint, mox vt exierint vnanimiter ad bellum, omnes inimici eorum vincẽtur, & nemo stabit contra illos.* Audientes itaq; quod inimici eorũ ab eis omninò essent vincendi, protinus cœperunt sese viuificare, & confortabant se ad inuicem dicentes: *Expergiscimini & estote vbique fortes & prudentes, quoniam in proximo erit nobis DEVS in adiutorium; & erit maximum refugium populo suo, quem respicit in mœrore manẽtem.* XXVI. Turci deniq; qui erant seorsum in castello, vndiq; tam mirabiliter coangustabant nos, vt quadam die inclusérint tres milites ex nostris in turrim, quæ erat ante eorũ castellum. Exierant namq; gentiles & irruerant super illos tam acriter, vt nequirent sufferre pondus eorum. Duo ex militibus exierunt de turri vulnerati; & tertius per totam diem viriliter defendebat se de Turcorũ inuasione, tam prudẽter, vt in ipsa die duos Turcos strauerit super aditum muri cæsis hastis. Nam tres hastæ detruncatæ sunt in illa die in manibus suis. Illi verò

verò acceperunt capitalem sententiam. Erat nomen illi *Hugo Cli Forcenez*, de exercitu *Gosfredi de Monte Scaioso*. Videns autem vir venerabilis *Boamundus*, quia nullatenus posset conducere gentes sursum in castellum ad bellum: nam qui erant inclusi in domibus, timebant alii fame, alii timore Turcorum: iratus est valdè, iussitque confestim mitti ignem per vrbem, in illa parte in qua erat *Cassiani palatium*. Quod videntes illi qui erant in ciuitate, dereliquerunt domos, & omnia quæ habebant, fugiebantq; alii in castellum, alii ad portam Comitis S. Ægidii, alii ad portam Ducis *Godefridi*, vnusquisque ad suam gentem. Tunc nimia tempestas venti subitò surrexit, ita vt nemo posset se regere rectum. *Boamundus* itaque vir sapiens contristatus est valdè, timens pro aliisque Ecclesiis. Hæc ira durauit ab hora tertia vsque in mediam noctem, fueruntque crematæ ferè duo millia Ecclesiarum & domorum. Veniente autem mediâ nocte, statim omnis feritas ignis cecidit. Itaque *Turci* habitantes in castello, intra vrbem bellabant nobiscum diu noctuque, & nihil aliud disseparabat nos nisi arma. Vidêtes hoc nostri, quod non possent diu hæc pati, quoniam qui habebat panem non licebat ei manducare, & qui habebat, non licebat bibere, fecerunt murum inter nos & ipsos petrâ & calce; & ædificauerunt castellum, & machinas, vt securi essent. Pars autem Turcorum remansit in castello agendo nobiscum bellũ, alia verò pars hospitata erat propè castellum in vna valle. Nocte quippe superueniente, ignis de cœlo apparuit ab Occidente veniens, & appropinquans cecidit intra Turcorum exercitus: vnde mirati sunt & nostri & Turci. Mane autem facto, tremefacti *Turci* fugerunt omnes pariter, pro ignis timore, ante domini Boamundi portam: illicq; hospitati sunt. Pars verò quæ erat in castello, agebat bellũ; cum nostris die nocteq;, sagittando, vulnerando, occidendo. Alia autem pars vndiq; obsedit ciuitatem, ita vt nullus nostrorũ ciuitatem auderet exire aut intrare, nisi nocte & occultè. Ita verò eramus obsessi & oppressi ab illis paganis inimicis DEI & sanctę Trinitatis, quorũ numerus fuit innumerabilis; Istiq; prophani & inimici DEI ita tenebãt nos inclusos in vrbe Antiochiæ, vt multi mortui fuerint fame: quoniam paruus panis vendebatur vno *bizantio:* de vino non loquar. Equinas namq; carnes aut asininas manducabant & vendebant: Vendebant quoq; gallinam quindecim solidis; ouum duobus solidis; vnam nucem, vno denario: omnia enim valdè erant cara: Folia fici, vitis, & cardui, omniumq; arborum coquebant & manducabant: tantam famem immensam habebãt. Alii coria caballorum & camelorũ & asinorum atq; boum seu bufalorum sicca decoquebant, & manducabant. Istas & multas anxietates ac angustias, quas nominare nequeo, passi sumus pro CHRISTI nomine & S. Sepulcri via deliberãda. Tales quoq; tribulationes & fames ac timores passi sumus per viginti sex dies. Imprudẽs itaq; *Stephanus Carnotensis Comes*, quem omnes nostri Maiores elegerant vt esset ductor nostrorum, maxima se finxit deprimi infirmitate, priusquam *Antiochia* esset capta: turpiterq; recessit in aliud castrum, quod vocatur *Alexandreta*. Nos itaq; cotidie præstolabamur eũ, quatinus subueniret nobis in adiutorio qui eramus inclusi in vrbe, salutifero carẽtes auxilio. At ille postquam audiuit gentem Turcorum circumcingentem & obsidentem nos, latenter ascendit super proximã montaneam, quæ stabat propè Antiochiam, viditq; innumerabilia tẽtoria, vehementiq; captus timore recessit, fugiitq; festinanter cum suo exercitu. Veniens autem in suum castrũ, exspoliauit illud, & celeri cursu retrouertitur. Postquã verò venit obuiam Imperatori ad *Philomenam*, seorsum vocauit eum secretò dicens: *Scias reuera quoniam capta est Antiochia, & castrum minimè captum est, nostriq; omnes graui obsessione obsessi sunt, & vt puto à Turcis modò interfecti sunt. Reuertere ergo retrò quam citius potes, ne & ipsi inueniant te, & hanc gentem quam tecum ducis.* Tunc Imperator timore perterritus, clam vocauit *Widonem* fratrem Boamundi, & quosdam alios, & ait illis: *Seniores, quid faciemus? Ecce omnes nostri districtâ obsessione impediti sunt, & forsitan in hac hora à Turcorum manibus omnes mortui sunt; aut in captiuitatem ducti, sicut iste infelix Comes, turpiter fugiens, narrat. Si vultis reuertamur retrò, celeri cursu, ne & nos moriamur repẽtinâ morte, quemadmodũ & illi mortui sunt.* Cum Wido miles honestissimus talia audisset fallacia, cum omnibus statim cœpit plorare, atq; vehemẽtissimo vlulatu plangere, vnâq; voce omnes dicebant: *O DEVS verus, trinus & vnus, quam ob rẽ hæc fieri permisisti? Cur populum sequentẽ te in manibus inimicorũ incidere permisisti? & viam tui itineris tuiq; sepulcri liberare volentes tam citò demisisti? Certè, si verũ est hoc verbũ quod ab istis nequissimis audiuimus, nos & alii Christiani derelinquemus te; nec te amplius rememorabimur, & vnus ex nobis non audebit vlterius inuocare nomen tuum.* Et fuit hic sermo

XXVII.

mœstissimus in tota militia, ita vt nullus illorum siue Episcopus siue Abbas, seu Cle-
ricus, seu laicus, auderet inuocare CHRISTI nomen, per plures dies. Nemo namq;
poterat consolari *Widonem* plorantem, & ferientem se manibus, suosq; frangen-
tem digitos, & dicentem: *Heu mihi, domine mi Boamunde, honor & decus totius mundi, quē
omnis mundus timebat & amabat: heu mihi tristis, non merui dolens tuam videre honestissimam
speciem, qui nullam rem magis videre desiderabam. Quis mihi det vt ego moriar pro te, dulcissime
amice & domine? Cur ego ex vtero matris meæ exiens, non statim mortuus fui? Cur ad hanc lugu-
brem diem perueni? Cur non demersus fui in mare? Cur non ex equo cecidi fracto collo, vt rece-
pissem repentinum interitum? Vtinam tecum recepissem felix martyrium, vt cernerem te gloriosis-
simum recepisse finem.* Cumq; omnes cucurrissent ad eum, quatinus consolarentur eū, 10
vt iam finem daret planctui, in se reuersus, ait: *Forsitan creditis huic Semicano imprudenti
militi? Vnquam verè non audiui loqui de militia aliqua, quam idem fecisset. Sed turpiter & inho-
nestè recedit, sicut nequissimus & infelix: & quicquid miser nuntiat, sciatis falsum esse.* Interea
iussit Imperator suis hominibus, dicens: *Ite & conducite omnes homines istius terræ in Bul-
gariam, & explorate, & deuastate vniuersa loca, vt cum venerint Turci nihil possint hîc reperire.*
Voluissent, noluissent nostri, reuersi sunt retrorsum, dolentes amarissimè vsque ad
mortem: fueruntque mortui multi ex peregrinis languentes, nec valentes fortiter
militiam sequi, remanebantq; morientes in via; Omnes verò alii, reuersi sunt *Con-
stantinopolim.*

XXVIII. Nos igitur auditis sermonibus illius, qui nobis CHRISTI reuela-
tionem retulit per verba Apostoli, statim festinantes peruenimus ad locum in S. 20
Petri Ecclesia, quem ille demonstrauerat. Et foderunt ibi tredecim homines à ma-
ne vsq; ad vesperam: sicq; homo ille inuenit lanceam, sicut indicauerat: Et accepe-
runt illam cum magno gaudio & timore; fuitq; orta immensa lætitia in tota vrbe.
Ab illa hora accepimus inter nos consilium belli. Porrò statuerunt omnes Maiores
nostri consilium, quatinus nuncium mitterent ad inimicos CHRISTI Turcos, qui
per aliquem interpretem interrogaret eos securo eloquio, dicens: *quamobrem super-
bissimè in Christianorum introissent terram, & cur castra metati sint, & quare* CHRISTI *seruos
occidant, & conquassent.* Cumq; iam finis esset dictis, inuenerunt quosdam viros, *Petrum*
scilicet heremitam & *Herluinum*, illisq; dixerunt hæc omnia: *Ite ad execratum Turcorū
exercitum, & diligenter narrate eis hæc omnia, interrogantes eos: cur audacter & superbissimè in- 30
troierint terram Christianorum & nostram.* His dictis, recesserunt nuntii, veneruntq; ad
prophanum collegium, dicentes omnia missa verba *Curbaram*, & aliis, ita: *Satis mul-
tumq; mirantur nostri Maiores, & Seniores, quamobrem temerè ac superbissimè in Christiano-
rum introistis terram, & illorum. Putamus forsitan & credimus, quia huc ideo venistis; quoniam
per omnia vultis effici Christiani: aut propterea igitur huc venistis? vt per omnia Christianos affi-
ciatis. Rogant vos igitur omnes pariter nostri Maiores, vt velociter recedatis à terra DEI, & Chri-
stianorum, quam B. Petrus Apostolus iam dudum prædicando ad* CHRISTI *culturam conuertit.
At illi permittunt adhuc vobiscum deduci omnia vestra: scilicet equos, & mulos, asinos & came-
los, oues & boues, & omnia alia ornamenta permittunt vobiscum, quocunque volueritis, ferre.*
Tunc Curbaram princeps militiæ Soldani Persidis, cum omnibus aliis, pleni su- 40
perbia, feroci respondêre sermone: *DEVM vestrum & vestram Christianitatem nec opta-
mus, nec volumus, vosq; cum illis omnino respuimus. Huc vsque iam venimus, eo quod valde mi-
ramur quamobrem Seniores ac Maiores, quos memoratis, cur terram quam abstulimus effemina-
tis gentibus, illi vocant esse suam. Vultis namq; scire, quid vobis dicimus? Reuertimini ergo quan-
tocius, & dicite vestris Senioribus: quia si per omnia cupiunt effici Turci & DEVM vestrum, quē
vos inclini colitis, abnegare volunt, & leges vestras spernere, nos illis hanc, & satis plus dabimus
de terra, & ciuitates & castella: adhuc autem quod nemo vestrorum remanebit pedes, sed erunt o-
mnes milites, sicut & nos sumus: & habebimus semper eos in summa amicitia. Sin autem, sciant se
per omnia capitalem subire sententiam, aut deducti in vinculis Corrozanam in captiuitate perpe-
tua seruient nobis, nostrisq; infantibus per sempiterna tempora.* Nuntii verò nostri velociter 50
reuersi sunt retrorsum, referentes omnia quæ respondisset eis gens crudelissima.
Fertur *Herluinus* vtramque scisse linguam, fuitque interpres *Petro Heremitæ*. Inter-
ea exercitus noster in vtraque tremefactus parte, ignorabat quid faceret. Ex vna
enim parte coangustabat eos cruciabilis fames, in alia constringebat timor Tur-
corum.

XXIX. Tandem triduanis expletis ieiuniis, & processionibus celebratis ab v-
na Ecclesia in aliam, de peccatis suis confessi sunt & absoluti; fideliterque corpo-
ri & sanguini CHRISTI communicauerunt; datisq; eleemosynis fecerunt celebra-
ri Missas. Deinde stabilitæ sunt sex acies ex eis, intra ciuitatem. In prima verò
acie, in primo videlicet capite, fuit *Hugo Magnus* cum Francigenis & Flandrensi
Comite:

Comite: in secunda, *Dux Godefridus* cũ suo exercitu: In tertia verò fuit *Rotbertus Nortmannus*, cum suis militibus: In quarta fuit *Podiensis Episcopus*, portans secum lanceam Saluatoris, cum sua gente, & cum exercitu *Raimundi* Comitis S. Ægidii, qui remansit sursum custodire castellum, pro timore Turcorum, ne descenderent in ciuitatẽ: In quinta acie fuit *Tancredus* Marchisi filius, cum sua gente: In sexta etenim fuit vir sapiens *Boamundus* cũ sua militia. Episcopi nostri & Presbyteri & Clerici ac Monachi sacris vestibus induti nobiscum exierunt cum crucibus, orantes & deprecantes Dominum, vt nos saluos faceret, & custodiret, & ab omnibus malis eriperet. Alii stabant super murum portę, tenentes sacras cruces in manibus suis, signando & be-
10 nedicendo nos. Ita nos ordinati & signo crucis protecti, exiuimus per portam, quæ est ante Machomariam. Postquam *Curbaram* vidit Francorum acies, tam pulcrè ordinatas, exire vnam post aliam, dixit: *Sinite eos exire, vt meliùs eos habeamus in potestate nostra* Postquam verò fuerunt foris de vrbe, viditq; Curbaram ingentem Francorum gentẽ, valdè timuit. Mox mandauit suo Ammiralio, qui omnia habebat in custodia, vt si ille videret ignem accensum in capite hostis, protinus præconari faceret, omnẽ exercitum redire, sciens Turcos amisisse bellum. Continuò *Curbaram* cœpit paulatim redire retrò contra montaneam: nostriq; paulatim persequebantur illos. Denique diuisi sunt *Turci*: vna pars iuit contra mare, & alii steterunt illic, putãtes nostros includere inter se. Videntes hoc nostri, fecerunt similiter. Illic fuit ordinata acies
20 septena, ex acie Ducis Godefridi & Comitis Nortmãniæ, & caput illius fuit Comes *Reinaldus*. Hanc miserunt obuiam Turcis, qui veniebant à mari. *Turci* autem præliati sunt cum illis, & sagittando multos occiderunt ex nostris. Aliæ autem turmæ ordinatæ sunt à flumine vsq; ad montaneam, quod distat per duo miliaria. Cœperunt verò turmæ ex vtraq; parte exire, nostrosq; vndiq; circumcingere, iaculando, sagittando, vulnerando. Exibant quoq; de montaneis innumerabiles exercitus, habentes equos albos, quorum vexilla omnia erant alba. Videntes itaq; nostri hunc exercitum, ignorabant penitùs quid hoc esset & qui essent, donec cognouerunt esse adiutorium CHRISTI. Cuius ductores fuerunt *sancti Georgius, Mercurius* & *Demetrius*. Hæc verba credenda sunt, quia plures ex nostris viderunt. *Turci* autem qui stabant
30 in parte maris, videntes quod non possent sufferre amplius, miserunt ignem in herbam, vt videntes illi, qui erant in tentoriis, fugerẽt. At illi cognoscentes illud signũ, arripuerunt omnia honorabilia spolia, & fugerunt. Nostri verò paulatim militabãt vbi maxima virtus eorum erat, scilicet ad tentoria illorum. Dux *Godefridus* & *Flandrensis Comes* & *Hugo Magnus*, equitabant iuxta aquam, vbi virtus illorum erat. Isti, primitus signo crucis muniti, vnanimiter inuaserunt illos. Videntes hoc alię acies, simili modo inuaserunt illos: exclamauerunt autem *Persæ* & *Turci*. Nos itaq;, inuocãtes DEVM viuum & verum, equitauimus contra illos, & in nomine IESV CHRISTI & S. Sepulcri incepimus bellum, & DEO iuuante deuicimus eos. Turci verò tremefacti arripuerunt fugam, nostriq; illos persequebantur iuxta tentoria. Itaq; mi-
40 lites CHRISTI magis amabant persequi illos, quàm vlla spolia quærere. Et persecuti sunt eos vsq; ad *pontem Farreum*, ac deinde vsq; ad castellum Tancredi. Illi verò dimiserunt ibi papiliones suos, & aurum & argentum, multaq; ornamenta, oues quoque & boues, equos & mulos, camelos & asinos, frumentum & vinum, farinam, & alia multa quæ nobis erant necessaria. *Hermenii* & *Surrani* qui habitabant in illis partibus, audiẽtes nos superasse Turcos, cucurrerunt ad montaneam obuiantes illis, & quantos comprehenderunt ex illis, interfecerunt. Nos autẽ reuertentes ad ciuitatẽ cum magno gaudio, laudauimus & benediximus DEVM, qui victoriam dedit populo suo. *Ammiralius* itaq; qui castellũ custodiebat, videns *Curbaram* & omnes alios fugiẽtes è campo ante Francorũ exercitum, magis timuit: Statim verò cum magna
50 festinatione petebat Francorum vexilla. Comes igitur *S. Ægidii*, qui illic astabat ante castellum, iussit ei portari suum vexillum. Ille autem accepit illud, & diligenter misit in turrim. Statim dixerunt Longobardi, qui illic stabant: *hoc vexillum non est Boamundi*. Interrogauit ille & dixit: *cuius est*: qui dixerunt: *S. Ægidii Comitis*; accessit ille & apprehenso vexillo reddidit Comiti. Ipsâ verò horâ venit vir honorabilis Boamundus, deditq; illi suum vexillum; Ille autem illud accepit, cum magno gaudio: & iniit pactum cum domino Boamundo, vt pagani qui vellent Christianitatẽ recipere essent cum eo, & qui vellent abire, sanos & absq; vlla læsione abire permitteret. Consensit ei quicquid *Ammiralius* postulauit, & continuò misit suos seruiẽtes in castellum. Non post multos dies baptizatus est Ammiralius cum illis qui CHRI-

STVM

STVM recognoscere maluerunt. Illos verò qui suas voluerunt tenere leges, fecit dominus *Boamundus* conduci in *Saracenorum* terram. Hoc bellum factum est in quarto Kalend. Iul. in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, regnante Domino nostro IESV CHRISTO, cui est honor & gloria in sempiterna secula. Amen. XXX. Et cùm essent omnes inimici nostri (DEO trino & vno summoque dignas referimus) grates, per omnia deuicti, huc illucque fugientes, alii semiuiui, alii vulnerati, in vallibus & in nemoribus, & in aruis & in viis deficiebant mortui. Populus verò CHRISTI, victores scilicet peregrini, reuersi sunt gaudentes felici triumpho, deuictis hostibus, in ciuitatem. Statim omnes nostri Seniores videlicet Dux *Godefridus*, Comes S. Ægidii, *Raimundus*, *Boamundus* & *Comes Nortmanniæ*, *Comesq; Flandrensis*, & alii omnes miserunt nobilissimum militem *Hugonem* Magnum Imperatori *Constantinopolim*; vt ad recipiendam ciuitatem veniret, & conuentiones quas erga illos habebat, expleret: Iuit, nec postea rediit. Postquam verò hæc omnia facta sunt, cõgregati omnes nostri Maiores ordinauerunt concilium, quemadmodum hunc feliciter valerent conducere & regere populum, donec peragerent iter S. Sepulcri, pro quo huc vsque multa erant passi pericula. Inuentum in concilio, quia nondum auderent intrare in paganorum terram, eò quòd valde, in æstiuo tempore, est arida & inaquosa: ideoque acceperunt terminum attendendum ad Kalend. Nouemb. Denique diuisi sunt Seniores, & vnusquisq; profectus est in terram suam, donec esset propè terminus eundi. Feceruntq; Principes præconari per vrbem vniuersam, vt si fortè aliquis egens illic adesset, & auro argentoque careret, conuentione facta cum illis remanere si vellet, ab eis cum gaudio retentus esset. Erat autem ibi quidã miles de exercitu Comitis S. Ægidii, cui nomen *Raimundus Piletus*; hic plurimos retinuit homines, milites ac pedites: egressus est ille cum collecto exercitu, & viriliter introiit in Saracenorum terram, & profectus est vltra duas ciuitates, & peruenit ad quoddam castrum, cui nomen *Talamania*. Habitatores castri, scilicet *Suriani*, confestim sua sponte se tradiderunt ei. Cùmq; omnes essent ibi ferè per octo dies, nuntii venerunt ad eum dicentes; quoniam *hîc propè nos est castrum Sarracenorum multitudine plenum*. Ad hoc castrum ilicò ierunt CHRISTI milites peregrini & vndique inuaserunt illud: quod continuò ab illis captum est, CHRISTI adiutorio. Apprehẽderunt igitur omnes illius loci colonos: & qui Christianitatem recipere noluerunt, occiderunt; qui verò CHRISTVM recognoscere maluerunt, viuos conseruarunt. Reuersi sunt itaque hoc peracto nostri Franci, cum magno gaudio ad prius castrũ; tertia verò die exierunt & venerunt ad quandam vrbem, cui nomen *Marra*, quæ illic erat propè illos. Erant autem ibi multi *Turci* congregati, & *Saraceni* ab *Aleph* ciuitate, & ab omnibus vrbibus, & castris quę circa illam sunt. Exierunt ergo barbari contra illis ad bellum, nostriq; æstimantes luctari cum illis præliando, coegerunt eos in fugam: & tamen reuersi, per totum diem inuadebant nostros ad inuicem, & vsque ad vesperam perdurauit illa inuasio: æstus namque erat immensus. Nequibãt iam nostri sufferre tantam sitim, quoniam nullatenus ad bibendum inuenire ibi aquam poterant; voluerunt tamen ad illorum castrum securè redire. Pro illorum enim peccatis Suriani & minuta gens nimio pauore correpti, mox cœperunt viam carpere retrorsum. Vt autem Turci viderunt illos retrocedentes, statim cœperunt illos persequi, & victoria illis ministrabat vires: multi namq; ex ipsis reddiderunt animas DEO, cuius amore illic congregati fuerant. Hæc occisio facta est quinto die, in mense Iulio. Reuersi sunt autem Franci illi qui remanserant, in suum castrum: & fuit ibi *Raimundus*, cum sua gente per plures dies. Alii verò qui in *Antiochia* remanserant, steterunt in ea cum gaudio & lætitia magna; quorum rector & pastor extitit *Podiensis Episcopus*, qui, nutu DEI, graui ægritudine captus est: &, vt DEI volũtas fuit, migrauit ab hoc seculo, & in pace requiescens obdormiuit in Domino, in solennitate scilicet S. Petri, quæ dicitur *ad Vincula*: vnde magna angustia & tribulatio, immensusq; dolor fuit in tota CHRISTI militia: quia ille erat sustentamentum pauperum, consilium diuitum, ipseque ordinabat clericos, prædicabat & summonebat milites, dicens: *quia nemo ex vobis saluari potest nisi honorificet pauperes, & reficiat: vosq; non potestis saluari sine illis, ipsiq; viuere nequeunt sine vobis. Oportet igitur vt ipsi, quotidianã supplicatione, pro vestris orent delictis DEVM, quem in multis cotidie offenditis: vnde vos rogo vt pro DEI amore eos diligatis, & in quantum potestis eos sustentetis.* XXXI. Non post multum verò temporis venit vir venerabilis, *Raimundus* Comes de S. Ægidio, & intrauit in Saracenorum terram, & peruenit in quandam vrbem quæ vocatur *Albara*, quam

ra, quam inuasit vna cum suo exercitu, eamq; continuò cœpit; & occidit omnes Saracenos & Saracenas, maiores & minores, quos ibi reperit. Quam postquam suo continuit imperio, ad CHRISTI reuocauit fidem, quęsiuitq; consilium à suis sapiẽtissimis viris, vt Episcopum in hac vrbe deuotissimè præordinari faceret, qui illam ad CHRISTI cultum fideliter reuocaret, & de domo diabolica templum DEO viuo & vero, & oracula Sanctorum consecraret. Nouissimè elegerunt quendam honorabilem ac sapientissimum virum, & duxêre illum in *Antiochiam* ad cõsecrandum; factumq; est ita. Alii autem qui in Antiochia remanserant, fuerũt ibidem cum gaudio & lætitia. Appropinquante verò termino, videlicet *festo omnium Sanctorum*, 10 regressi sunt omnes Maiores nostri in vnum, in Antiochiam, omnesq; simul cœperunt quærere qualiter S. Sepulcri iter valerent peragere, dicentes: quoniã appropinquauerat eundi terminus, nulla erat hora conturbandum amplius. *Boamundus* autem quærebat cotidie conuentionem, quam omnes Seniores olim habuerant ei in reddendam ciuitatem: sed *Comes S. Ægidii* ad nullam conuentionem volebat se emollire erga Boamundum, eò quòd timebat se peierare erga Imperatorem; tamen sæpè fuerunt congregati in Ecclesia S. Petri ad faciendum quod iustum erat. *Boamundus* recitauit suã conuentionem, suumq; ostendit compotum. *Comes S. Ægidii* similiter sua patefecit verba, & iusiurandum quod fecerat Imperatori, per consilium Boamundi. Episcopi & Dux *Godefridus*, *Flandrensisq;* Comes, & Comes *de Nortmannia*, aliiq; Seniores diuisi sunt ab aliis, & intrauerũt vbi est Cathedra S. Petri, vt ibi 20 iudicium inter vtrumq; discernerent. Posteà verò timentes ne S. Sepulcri via perturbaretur, noluerunt apertè dicere iudicium. Ait deniq; Comes S. Ægidii: *priusquã via S. Sepulcri remaneat, si Boamundus nobiscum venire voluerit, quicquid nostri Pares, videlicet Dux Godefridus, & Flandrensis Comes, & Rotbertus Nortmannus, aliiq; Seniores laudauerint, ego fideliter consentiam, saluâ fidelitate Imperatoris.* Hoc totum laudauit Boamundus, & promiserunt ambo in manibus Episcoporum, quod nullo modo per se via S. Sepulcri deturbaretur. Tunc accepit Boamundus consilium cum suis hominibus, quo modo muniret castrum de alta montanea hominibus & victu. Similiter Comes S. Ægidii accepit consilium cum suis quomodo muniret palatium *Cassiani Ammiralii* 30 & turrim, quæ est super portam pontis: muniret, inquã, hominibus & victu, qui non deficeret longo tempore. Hæc Vrbs *Antiochia* scilicet, valdè est pulcra & honorabilis: quia infra muros eius sunt quatuor montaneæ maximæ & nimis altæ: In altiori quoq; est castellum ædificatum, mirabile & nimis forte. De deorsum est ciuitas honorabilis & cõueniens, omnibusq; ornata honoribus: quoniam multæ Ecclesiæ sunt in ea ædificatæ: tercenta & sexaginta monasteria in se continet. Sub suo iugo continet Patriarcha centum quinquaginta tres Episcopos. Clauditur ciuitas duobus muris: maior quoq; valde est altus, & mirabiliter latus, magnisq; lapidibus compositus, in quo sunt ordinatæ quater centum & quinquaginta turres: modisq; omnibus est ciuitas formosa: ab Oriente, clauditur quatuor magnis montaneis; ab 40 Occidente, secus muros vrbis fluit quoddam flumen cui nomen *Farfar*: & ita noluerunt, stultè neq; inane dimittere regalem ciuitatem Antiochiã, quæ tantæ auctoritatis fuit, quod eam prius septuaginta quinq; reges constituerunt, quorũ fuit caput *Antiochus* Rex, à quo dicitur Antiochia. Istam ciuitatẽ tenuerunt Franci obsessam per octo menses, & vnum diem: Postea fuerunt intus inclusi tres hebdomadas à *Turcis*, & ab aliis paganis, quorũ numero nunquam fuit maior congregatio hominũ, vel Christianorum vel paganorum. Tamen, adiutorio DEI & S. Sepulcri, deuictis illis à Christianis, requieuimus cum gaudio & lętitia magna in Antiochia, per quinq; menses & octo dies. Quibus expletis, mense Nouembrio, discessit *Raimundus* Comes S. Ægidii cum suo exercitu ab Antiochia, venitq; per vnam ciuita- 50 tem, quæ vocatur *Rugia*, & per aliam quæ dicitur *Albaria*: Quarto verò die exeunte Nouembrio peruenit ad *Marram* ciuitatem, in qua maxima multitudo Saracenorũ & Turcorum & *Arabum*, aliorumq; paganorũ erat congregata; ipseq; Comes in crastinum inuasit eam. Non post multum verò temporis *Boamundus*, cum suo exercitu, secutus est Comites, & applicitus est cum eis in die Dominica. Secundâ verò feria nimis fortiter inuaserunt vndiq; ciuitatem, & tam acriter, tamq; fortiter, vt scalæ starent erectæ ad murum: Sed tam maxima virtus paganorum erat, quod illâ die nihil eos offendere aut nocere potuerunt. Videntes autem Seniores quia nihil agere poterant & frustra laborabant; fecit Raimundus Comes de sancto Ægidio fieri quoddam *ligneum castrum* forte & altum: Quod castrum ingeniatum & ædificatum erat super quatuor rotas, super quod stabant plures mi-

XXXII. *Situs Vrbis Antiochiæ.*

XXXIII.

lites, & *Euuardus* venator, tubam fortiter sonans; Subter verò armati milites erant, qui deduxerunt castrum vsque propè vrbis murum, iuxta turrim quandam. Quod videns gens pagana statim fecerunt instrumentum, quo iactabant maximos lapides super castrum, ita vt penè nostros milites occiderent. Iaciebant quoque *Græcos ignes* super castrum; putantes illud ardere & deuastari. Sed DEVS Omnipotens noluit, vt castrum arderet hac vice: supereminebat verò omnes muros ciuitatis. Milites igitur nostri qui erant in superiori *solario*, videlicet *Wilhelmus de Monte Pislerio*, & alii multi iactabant immensos lapides super illos, qui stabant in muro vrbis; & ita percutiebant eos super clipeos, vt clipeus & inimicus caderent deorsum in ciuitatem, in mortem. Ita faciebant isti, alii verò tenebant in hastis honorabilia signa, & cum lanceis & hamis ferreis putabant eos trahere ad se: & sic præliati sunt vsq; ad vesperam. Retro castrum, stabant presbyteri, clerici, sacris vestibus induti; orantes & obsecrantes DEVM, vt suum defenderet populum, & Christianitatem exaltaret, ac paganismum deponeret. In alia verò parte, certabant nostri milites cotidie cum illis, erigentes scalas ad murum vrbis: sed virtus paganorum erat tanta, vt nihil proficere nostri possent. Tamen *Gulferius de Daturre* primus ascendit per scalam in murum, sed statim fuit fracta scala pro multitudine aliorum: tamen ascendit ipse, cum aliquantis, supra murum: alii quoque inuenerunt aliam scalam, erexeruntq; eam festinanter ad murum, & ascenderũt per eam multi milites & pedites: statimq; ascenderunt super murum. *Saraceni* igitur tam robustè inuaserunt illos per murum & per terram sagittando, & spiculando cominus cum suis lanceis, vt multi ex nostris timore perterriti demitterent se per murum. Tamdiu verò illi prudentissimi viri, qui remanserant in muro, sufferebant illorum persecutionem; quamdiu alii, qui subter castrum erant, foderunt murum vrbis. Videntes verò Saraceni quod nostri fodissent murum, statim, timore perterriti, inierunt fugam in ciuitatem. Hoc totum factum est in die Sabbati, ad horam vesperi, Occidente sole, vndecimâ die, intrante Decembri. *Boamundus* igitur fecit per interpretem loqui Saracenis Maioribus, vt ipsi cum suis mulieribus & infantibus, aliisq; substantiis mitterent se in vnum palatium, quod est supra portam, ipseque defenderet eos de mortali sententia. Intrauerunt verò omnes nostri in ciuitatem; & quicquid boni inuenerunt in domibus & foueis, hoc vnusquisq; ad suum continebat proprium. Facto autem die, vbicunque reperiebant quenquam illorum, siue masculum siue fœminam, occidebant. Nullus angulus ciuitatis deerat vacuus Saracenorum cadaueribus: vixq; poterat aliquis per vias ire ciuitatis, nisi calcando super Saracenorum cadauera. *Boamundus* deniq; illos quos iusserat in palatium intrare apprehẽdit, illisq; abstulit omnia quæ habebant: videlicet aurum, argentum, aliaq; ornamenta; alios verò fecit occidi; alios autem iussit conduci ad vendendum Antiochiæ. Mora autem Francorum fuit in illa vrbe per vnum mensem & quatuor dies, in qua fuit mortuus *Oriensis* Episcopus. Fuerunt ibi ex nostris qui illic non inuenerunt, sicuti opus eis erat, tantùm ex longa mora, quantùm ex districtione famis: quia foris nequiuerant aliquid inuenire ad capiendum: sed scindebant corpora mortuorum, eo quod in ventribus eorũ inueniebant *bisanteos* reconditos: alii verò cedebant carnes eorum per frusta, & coquebant ad manducandum.

XXXIIII. *Boamundus* autem non potuit apud *Comitem S. Ægidii* concordari super id quod petebat: iratusque reuersus est *Antiochiam*. Comes igitur *Raimundus*, non diu moratus, mandauit per suos legatos Antiochiæ, Duci Godefrido & Flandrensi Comiti, ac *Rotberto* Normanno, & Boamundo, vt ipsi venirent ad *Rugiam* ciuitatẽ, loqui cum eo. Veneruntq; illuc omnes Seniores, feceruntq; concilium quomodo honestè possent tenere viam S. Sepulcri, pro qua moti sunt, & huc vsq; peruentum sit. Nequiuerunt concordare Boamundum cũ Raimundo, nisi Raimundus Comes Antiochiam redderet ei. Noluit Comes ad hoc assentire, pro *fiducia* quã fecerat Imperatori. Comites deniq; & Dux reuersi sunt in Antiochiam vnà cum Boamundo. Comes verò *Raimundus* reuersus est *ad Marram*, vbi peregrini erant: mandauit quoq; suis militibus honestare palatiũ & castellũ quod erat supra portam ciuitatis. Videns autem *Raimundus* quod nullus Seniorum voluisset, causa eius, ire in viã S. Sepulcri, exiuit nudis pedibus de *Marra* decimatertia die intrante Ianuario, & peruenit vsq; *Caphardã*; fuitq; ibi per tres dies. Illic adiunxit se *Comes Normanniæ* Comiti Raimundo. *Rex* autem *Cæsareæ* multotiens mandauerat per suos nuntios Comiti, Marræ & Caphardæ, quòd cum eo pacẽ vellet habere, & de suo preciũ ei daret, & Christianos peregrinos diligeret, fiduciamq; face-

quia quantum continet eius imperium peregrinis non esset offendiculum, & mercatum de equis, & de corporalibus alimentis daret gaudenter. Exierunt autem nostri & venerunt hospitari iuxta *Cesaream*, super fluuium *Farfar*. Cumque vidisset rex Cesareæ contubernium Francorum tam propè ciuitatem hospitatum esse, doluit animo, & iussit illis deuetari mercatum, nisi discederent à ciuitatis confinio. Crastina verò die misit cum illis duos *Turcos*, suos videlicet nuntios, qui eis monstrarent fluminis vadum, eosque conducerent, ad capiendum vbi inuenire potuissent. Denique venerunt in *vallem* quandam subter *castrum* quoddam: ibi deprædati sunt plus quàm quinq; animalium millia, & satis frumenti, atque alia bona: vn-
10 de valde fuit refecta CHRISTI militia. Tamen illud castrum, reddidit se Comiti, eique dedit equos, & aurum purissimum, & iurauerunt suâ lege quod peregrinis exinde nil fieret mali: fuimusque ibi per quinque dies. Egressi etenim inde peruenimus gaudentes hospitari ad quoddam *Arabum castrum*. Exiuit igitur Dominus castri, & concordatus est cum comite. Exeuntes verò inde peruenimus ad quandam ciuitatem pulcherrimam, & omnibus bonis refe tam in quadam valle sitam nomine *Kephaliam*. Habitatores verò illius, audientes Francos venisse, dimiserunt vrbem, & hortos plenos oleribus, & domos plenas alimentis corporalibus, & fugerunt. Tertiâ die egressi ab illa vrbe, transiuimus per altam & immensam montaneam, & intrauimus in vallem de *Lem*, in qua erat maxima vbertas omnibus bo-
20 nis: fuimusque ibi per dies ferè quindecim. Hic propè nos erat quoddam *castrum*, in quo erat congregata maxima paganorum multitudo. Quod castrum aggressi sunt nostri, idque fortiter superassent, nisi Saraceni iactassent foràs immensas turmas animalium: reuersi sunt nostri deferentes omnia bona ad sua tentoria. Summo autem diluculo collegerunt nostri suos papiliones, & venerunt obsidere idem castrum: ibique putabant extendere tentoria: sed gens pagana omnino dedit sese fugæ, ac dimiserunt castrum vacuum. Intrantes autem nostri inuenerunt ibi omnem abundantiam frumenti, vini, farinæ, olei & quicquid eis opus erat. Illic deuotissimè celebrauimus festiuitatem *purificationis sanctæ* MARIÆ, veneruntq; illuc nuntii de *Camela* ciuitate. Rex namq; illius mandauit Comiti equos, aurum, & pa-
30 ctus est cum eo quòd Christianos nullo modo offenderet, sed eos diligeret & honoraret. *Rex autem Tripolis* mandauit Comiti, quoniam cum eo fideliter pactum iniret, & amicitiam haberet, si ei placeret, misitq; illi equos decem, & quatuor mulas, & aurum. Sed Comes ait nullo modo cum eo pacem se recipere, nisi ille Christianus effiecretur. Exeuntes autem de optima *valle*, peruenimus ad quoddam castrũ quod dicitur *Archa* in die Lunæ, scilicet secunda feria, mediante Februario: circa quod tentoria detendimus. Quod castrum plenum erat innumerabili gente paganorum, videlicet Turcorum, Saracenorum, Arabum, Publicanorum; mirabiliter munierunt castrum illud, & defendebant se fortiter. Tunc exeuntes quatuordecim ex nostris militibus, ierunt contra *Tripolim* vrbem, quæ erat secus nos:
40 Isti quatuordecim inuenerunt circa sexaginta Turcos, & alios quosdam, qui habebant ante se collectos homines & animalia plus quam mille quingenta. Qui signo *Crucis* muniti inuaserunt eos, & DEO iuuante mirabiliter superauerũt illos; & occiderunt sex ex illis, & apprehenderunt sex equos. De exercitu verò Raimundi Comitis exierunt *Raimundus Piletus* & *Raimundus Vicecomes de Tentoria*; veneruntque ante *Tortosam* ciuitatem, & fortiter aggrediũtur illam, quæ nimis erat munita multitudine Paganorum. Serò autem iam facto, secesserunt in quendam angulum; ibique hospitati sunt, feceruntque innumerabiles ignes, quasi tota hostis esset ibi. Pagani verò, timore perterriti nocte latenter fugerunt, & dimiserunt ciuitatem plenam omnibus bonis: quæ etiam valdè optimum portum secus mare in se reti-
50 net. Crastina autem die venerunt nostri, vt vndique inuaderent illam, inueneruntque illam vacuam, & intrantes habitauerunt in ea, vsque dum obsessio esset ante vrbem *Archæ*. Est propè istam, alia vrbs quæ dicitur *Maraclea*: Amiralius, qui eam regebat, pactus est cum nostris, & misit nostros in ciuitatem, nostraque vexilla.

XXXV. Dux quoque *Godefridus*, & *Boamundus*, Flandrensisque Comes venerunt vsque ad *Lichiam* ciuitatem. Dissepárauit enim se *Boamundus* ab eis, & reuersus est Antiochiam. Illi verò venerunt, & obsederunt quandam vrbem cui nomen *Gibellum*. Audiens itaque *Raimundus* Comes de S. Ægidio, quod innumerabilis Paganorum gens rueret super nos, ad certum bellum, illico consilium habuit cum suis vt mandet Senioribus qui sunt in obsidione Gibelli, quatinus eis subuenirent. Quod illi

audientes statim pacti sunt cum Ammiralio, facientes pacem cum eo, & acceperũt equos & aurum: dimiseruntque vrbem venientes ad nos in adiutorium. Sed illi non venerunt ad bellum contra nos. Itaque Comites prædicti hospitati sunt vltra flumen, ibiq; obsederunt castrum illud. Non multò post equitauerunt nostri contra *Tripolim*, inueneruntq; extra ciuitatem Turcos, Arabes & Sarracenos, quos inuaserunt nostri, & miserunt eos in fugam, & occiderunt maximam partem nobilium vrbis. Tanta fuit Paganorum occisio, & sanguinis effusio, vt etiam aqua quę in ciuitate fluebat, videretur rubere, & fluere in cisternas eorum; vnde valde fuerũt tristes alii, dolentesq;: Iam verò erant tanto timore perterriti, vt nullus eorum auderet exire extra ciuitatis portã. Aliâ verò die equitauerunt vltrà *Desem*: & inuenerunt boues & oues & asinos, multaq; animalia; camelos quoq; depredati sunt, ferè tria millia. Obsedimus verò *castrum* supradictũ per tres menses, minus vnâ die: ibiq; *Pascha Domini* celebrauimus IV. Idus Aprilis. Naues quippe nostræ venerunt prope nos in quendam portum, quamdiu fuimus in illa obsidione, deferentes maximum mercatum: scilicet frumentum, vinum, & carnem, & caseum, & hordeum, & oleum: vnde maxima vbertas fuit in tota expeditione. In illa deniq; obsidione feliciter acceperunt martyrium plures ex nostris, videlicet *Anselmus de Riboatmont*, *Willhelmus Picardus*, & alii plures quos ignoro. Rex quoq; *Tripolis*, sæpè nuntios mittebat Senioribus, vt dimitterent castrum, & cum eo concordarentur. Audientes itaq; nostri hoc, scilicet & Dux *Godefridus* & *Raimundus* Comes S. Ægidii, ac *Rotbertus* Normannus, Flandrensisque Comes: videntesque nouos fructus properare: quia in medio Martio comedebamus nouellas fabas; medio quoq; Aprili frumentum: consiliati sunt nostri dicentes: *Bonum valdè esse Hierosolimitanum iter explere cum nouis fructibus.* Discessimus igitur à castro, & peruenimus *Tripolim* in sexta feria, decimo tertio die intrantę Maio, ibiq; fuimus per tres dies. Tandem concordatus est Rex Tripolis cum Senioribus, illisque continuò dissoluit plusquam trecentos Peregrinos, qui illic capti erant, deditque illis quindecim milia Bisanteos, & quindecim equos magni pretii; dedit etiam nobis magnum mercatum equorum, asinorum, omniumque bonorum: vnde nimis ditata est omnis CHRISTI militia. Pactus est verò cum illis, quia si bellum, quod eis *Ammiralius Babyloniæ* parabat, possent deuincere, & Hierusalem apprehendere, ille Christianus efficeretur, terramq; ab eis recognosceret: atq; tali modo factum est placitũ. Nos autem discessimus ab vrbe in secunda feria mensis Maii, transiuimusq; per viam artã & arduam tota die ac nocte, & peruenimus ad castrum cui nomen *Bethelon* deinde ad vrbem quæ dicitur *Zebari*, secus mare, in qua passi sumus nimiã sitim: & sic defessi peruenimus ad flumen cui nomen *Braym*. Deinde transiuimus nocte ac die *Ascensionis Domini* per montẽ, in quo est via nimis angusta, & illic putauimus inimicos insidiantes nobis inuenire: sed DEO annuente, nullus eorum audebat properare ante nos. Nostri deniq; milites præcedentes nos, liberauerunt, ante nos viam illam, & applicuimus ad ciuitatem iuxta mare, quæ dicitur *Baruth*: & inde venimus ad aliam vrbẽ, quæ vocatur *Sagitta*: de hinc ad aliã, quæ dicitur *Sur*: & de Sur ad *Acram* ciuitatẽ. De Acra verò venimus ad castrum cui nomen *Cayphas*, ac deinceps hospitati sumus iuxta *Cæsareã*, ibiq; celebrauimus *Pentecosten*, tertiã die, exeũte Maio. Deniq; venimus ad vrbẽ *Ramola*, quã Saraceni dimiserant vacuam, propter metum Francorum: iuxta quam erat honorabilis Ecclesia in qua requieuit preciosissimum *S. Georgii* corpus, quia illic à perfidis paganis pro CHRISTI nomine feliciter martyriũ suscepit. Ibi consiliati sunt nostri maiores, vt illic eligerent *Episcopum*, qui hãc custodiret & erigeret Ecclsiã; cui suas dederunt decimas, & auro argentoq; ditauerunt, & equis ac animalibus aliis, quò deuotè & honestè viueret cũ illis, qui cum eo essent. Remansit ipse illic cum gaudio; nos autem lætantes & exultantes, vsq; ad ciuitatẽ *Hierusalem* peruenimus, feria tertia octauo Idus Iunii: eamq; mirabiliter obsedimus *Robertus* namque Normannus eam obsedit à Septentrione, iuxta S. Stephani protomartyris Ecclesiam, vbi gaudenter lapidatus est pro nomine CHRISTI; iuxta eum *Rotbertus*, Flãdrensis Comes. Ab Occidẽte verò; obsedit eam Dux *Godefridus* & Tancredus: A Meridie, obsedit eam *Comes S. AEgidii*, scilicet in monte Sion, circa Ecclesiã *S. Mariæ* Matris Domini, vbi Dominus cum suis cęnauit discipulis. Tertia verò die, ex nostris, scilicet *Raimundus Piletus* & *Raimundus de Taurina*, & alii plures causa pręliãdi, inuenerunt bis centũ Arabes; & pręliati sunt CHRISTI milites contra illos incredulos; & DEO adiuuante, fortiter illos superauerunt, & occiderunt multos ex eis, & apprehenderunt

derunt triginta equos. Secunda verò veniente feria, aggredimur fortissimè ciuitatem, tam mirabiliter, vt si scalę fuissent paratæ, in nostra fuisset ciuitas manu. Tamē minorem strauimus murum: & vnam scalam ereximus ad maiorem murum, super quam ascendebāt nostri milites, & cominus percutiebant Sarracenos suis ensibus & lanceis, & defensores ciuitatis: fueruntq; mortui multi ex nostris; sed plures ex illis. In illa autem obsidione panes ad emendum inuenire non poteramus, ferè per spatium dierum decem, donec venit nuntius nostrarū nauium: & in nimia pressura sitis detenti fuimus, ita vt per nimium terrorem & pauorem per sex millia nostros potaremus equos, & alia animalia. *Syloa* namq; fons, qui est ad radicem mōtis *Syon*, 10 sustinebat nos: sed tamen cara vendebatur aqua inter nos. Postquam enim venit nuntius nostrarum nauium, acceperunt inter se nostri Seniores consilium, quemadmodū mitterēt milites qui fideliter custodirēt homines & naues in portu *Iaphiæ*. Summo autem diluculo, exierunt centum milites de exercitu *Raimundi*, Comitis S. Ægidii, *Raimundus Piletus*, & *Achardus de Mommellou*, & *Wilhelmus de Sabra*, & ibant cum fiducia ad portum. Diuiserunt denique se triginta milites ex nostris ab aliis, & inuenerunt septingentos Arabes, & Turcos, & Sarracenos, de exercitu Ammiraui si, quos inuaserunt fortiter CHRISTI milites: sed tam magna fuit virtus illorū super nostros, vt vndique circumcingerent illos: & occiderunt *Achardum de Mommellou*, & pauperes homines pedites. Cùm autem tenerent nostros iam inclusos, 20 qui omnes putabant mori, venit alius quidā nuntius, dicēs Raimundo Pileto: *Quid hic stas cum his militibus? Ecce omnes nostri in nimia districtione Arabum & Turcorum & Sarracenorum sunt, & forsitan in hac hora omnes mortui sunt: Succurrite ergo illis, succurrite.* Audientes nostri hæc, statim cucurrerunt celeri cursu, & festinanter peruenerunt vsq; ad illos preliando. Paganorū verò gens, videns CHRISTI milites, diuisit se, & fecerunt duo agmina. Nostri autem inuocato CHRISTI nomine, tum acriter inuaserunt illos incredulos, vt quisq; miles prosterneret suum. Videntes verò illi quod non possent stare ante Francorum fortitudinē, timore nimio perterriti, verterunt scapulas retro, quos nostri persequentes ferè per spacia quatuor miliū, occiderunt multos ex eis, vnumq; retinuerūt viuum, qui noua eis per ordinē diceret: retinue30 runtq; quoq; centū & tres equos. In eadem obsidione tanta oppressionē sitis fuimus grauati, vt sueremus coria boum & bufalorū in quibus deferebamus aquas ferè per spacium sex milliariorū: ex illis quippe vasculis fœtida vtebamur aqua: & quantū ex olida aqua, & hordaceo pane, in nimia districtione & afflictione eramus cotidie. Sarraceni namq;, in cūctis fontib. & aquis latentes, insidiabātur nostris, eosq; vbiq; occidebant & dilaniabant: animalia quoq; secū in suas cauernas & speluncas deducebant. Tunc Seniores nostri ordinauerūt quomodo possent ingeniare ciuitatem, vt ad adorandum nostri *Saluatoris* intrarent *Sepulcrum*. Feceruntque duo lignea castra, & alia plura machinamenta. Dux *Godefridus* suum fecit castrum cum machinis, & *Raimundus* Comes similiter, quib. de longinquis terris attrahebant ligna. Sar40 raceni igitur, videntes nostros facientes has machinas, mirabiliter muniebant ciuitatē, & turres nocte accrescebāt. Videntes autē nostri Seniores ex qua parte ciuitas esset magis languida, illuc in quadā nocte Sabbathi deportauerunt nostram machinam, & ligneum castrū in Orientalem partem. Summo autem diluculo erexerunt ea, & aptauerunt, & ornauerūt castrum in prima & secunda & tertia feria. *Comes namq; S. Ægidii* à meridiana plaga, reficiebat suam machinam. Interea in tanta pressura sitis fuimus districti, vt vnus homo pro vno denario nō posset ad sufficientiam habere aquā, aut extinguere sitim suam. Nocte verò ac die in quarta & quinta feria mirabiliter aggredimur ciuitatē ex omni parte. Sed antequam inuaderemus eam, ordinauerunt Episcopi & Sacerdotes prędicando & commonendo omnes vt 50 processionem DEO in circuitu Hierusalem celebrarent, & orationes atque Eleemosynas & ieiunia fideliter facerent. Sexta verò feria, summo mane, vndique aggredimur vrbem, & nihil ei nocere potuimus, eramusque omnes stupefacti ac in nimio pauore. Appropinquante autem hora, scilicet in qua Dominus noster IESVS CHRISTVS dignatus est pro nobis sufferre patibulum crucis, nostri milites fortiter pugnabāt in Castello, videlicet Dux *Godefridus*, & Comes *Eustachius*, frater eius. Tūc ascendit quidam miles ex nostris, *Letholdus* nomine, super murū Vrbis. Mox verò vt ascendit, omnes defensores ciuitatis fugerunt per muros, & per ciuitatem, nostrique subsecuti persequebantur eos occidendo, & detruncando vsque *ad templum Salomonis*: ibique talis occisio fuit, vt nostri in sanguine illorum pedes vsq; ad cauillas

XXXVIII.

GODEFRIDVS, *Rex Electus.*

mitterent. At *Raimundus* Comes, à Meridie conduxit suum exercitum, & castellum vsq; propè murum: sed inter castellum & murũ erat quędam fouea nimis profunda. tunc consiliati sunt nostri vt implerent foueam, feceruntq; præconari vt si aliquis in illam foueam portasset tres petras, vnum haberet denarium. Perdurauit verò hæc impletio per tres dies & noctes: Tandem plenâ foueâ, conduxerunt Castellum iuxta murũ. Illi autem qui intus erant mirabiliter præliabãtur cum nostris, igne & lapidibus. Audiẽs itaq; Comes quod Franci essent in Vrbe, suis dixit hominibus: *Quid tardatis? Ecce omnes Francigenæ iam sunt in Vrbe.* Ammiralius itaque, qui erat in *Turri Dauid*, reddidit se Comiti, eiq; aperuit portam, vbi peregrini persoluere solebant tributa. Intrantes autem nostri ciuitatẽ Peregrini, persequebantur & occidebant Sarracenos, vsq; ad *Templum Salomonis:* in quo congregati, dederũt nostris maximũ bellum per totum diem, ita vt sanguis illorum per totum Templum flueret. Tandem superatis Paganis, apprehenderunt nostri masculos & fœminas sat in templo; & occiderunt quos voluerunt, & quos voluerunt retinuerũt viuos. Super templum verò Salomonis erat maxima Paganorũ congregatio vtriusq; sexus, quibus *Tancredus* & *Gaston de Beert* dederunt sua vexilla. Mox cucurrerũt per vniuersam vrbẽ, capientes aurum & argentũ, equos & mulas, domosq; plenas omnibus bonis. Venerunt autem omnes nostri gaudentes, & præ nimio gaudio plorantes, ad nostri Saluatoris IESV Sepulcrũ adorandũ, & reddiderũt ei capitale debitũ. Mane autem facto ascenderũt nostri cautè supra tectum templi, & inuaserunt *Sarracenos* masculos & fœminas, decollãtes eos nudis ensibus; alii verò dabant se præcipites in templo: Hoc videns *Tancredus* iratus est nimis.

XXXIX. Tunc nostri tenuerunt Consilium, vt vnusquisq; faceret Eleemosynas cũ orationibus, quatinus sibi DEVS eligeret, quẽ vellet regnare super alios, & regere ciuitatẽ. Iusserunt quoq; Sarracenos mortuos omnes eiici foras, præ nimio fœtore: quia omnis vrbs plena erat illorum cadaueribus: & viui Sarraceni trahebant mortuos ante portarum exitus, & ordinabãt montes ex eis quasi essent domos. Tales occisiones de Paganorũ gentę, nullus vnquam audiuit, nec vidit: quoniam pyræ erant ordinatæ ex eis, sicut metæ: & nemo scit numerum eorum, nisi solus DEVS. Fecit verò Comes *Raimundus* conduci Ammiralium, & alios qui cum eo erant vsq; *Scalonam*, sanos & illęsos. Octauo autem die quo ciuitas fuit capta, elegerunt Ducem *Godefridum*, Principem ciuitatis, qui debellaret Paganos, & custodiret Christianos. Similiter elegerunt *Patriarchã*, quendã sapientissimũ & honorabilem virũ nomine *Arnulfum*, in die S. Petri ad vincula. Hæc ciuitas fuit capta à Christianis DEI, decimo quinto die Iulii, in sexta feria. Interea nuntius venit *Tancredo*, & Comiti *Eustachio*, vt præpararẽt se & pergerent ad recipiendã *Neopolitanam* vrbem. Exierunt illi & duxerunt secum multos milites & pedones, & peruenerunt ad vrbem: habitatores verò illius reddiderunt se illico. Denuo mandauit illis Dux, vt citò venirẽt ad bellum quod nobis Ammirauisus Babylonię præparat vrbi *Scalonæ*. Illi autem festinãdo intrauerũt montaneam, quærentes Sarracenorũ bella, & venerunt *Cesaream*. Itaq; venientes illi iuxta mare ad vrbem *Ramore*, illic inuenerunt multos Arabes, qui pręcursores erant belli. Quos nostri persequẽtes, apprehenderũt plures ex eis, qui dixerunt omnia belli noua, vbi essent, & quot essent, aut vbi bellare disponerẽt contra Christianos. Quod audiens *Tancredus*, statim misit nuntium Hierusalẽ Duci *Godefrido*, & Patriarchæ, omnibusq; principibus dicens: *Sciatis quod nobis paratũ est bellum Scalonæ: venite ergo festinanter cum omni virtute quam habere poteritis.* Tunc iussit Dux submoneri omnes, vt fideliter irent præparati Scalonã, obuiam inimicis nostris. Ipse verò cũ Patriarcha, & *Rotberto Flandrensi* Comite exiuit de vrbe, in feria tertia, & *Marturanẽsis Episcopus* cum eis. Comes verò *S. Ægidii*, ac *Rotbertus Normannus* dixerũt se non exituros, nisi certũ bellum scirent. Iusserunt ergo militibus suis vt pergerent videre, si bellum verè esset? & reuerterentur quantocius, quia ipsi mox essent parati ire. Ierunt illi, videruntq; bellum, & citò renuntiauerunt se vidisse oculis suis. Continuò Dux apprehenso Marturanensi Episcopo, mandauit Hierusalem, quò milites qui ibi erant præparent se, & veniant ad bellũ. Quarta verò feria, illi Principes exierunt, & militauerũt ad bellum. Episcopus verò Marturanẽsis rediit reportans verba missa Patriarchæ & Duci: exieruntq; Sarraceni & obuiauerũt ei, & apprehẽsum secũ duxerũt. *Petrus* verò *heremita*, remãsit Hierusalẽ, ordinando & præcipiendo Græcis & Latinis atq; clericis, vt fideliter DEO processionẽ celebrẽt, & orationes eleemosinasq; faciant, vt DEVS populo suo victoriã daret. Clerici nãq; & presbyteri, induti sacris vestibus ad templũ Domini cõduxẽre processionẽ, Missas & Orationes decãtantes, vt suũ defenderet populũ.

Deniq; Patriarcha & Episcopi, aliiq; Seniores, cógregati sunt ad flumẽ quod est ex hac parte Scalonæ. Illic multa animalia boũ, camelorum, ouium atq; omnium bonorũ deprædati sunt. Venerunt autẽ *Arabes* ferè trecenti, irrueruntq; nostri super illos, & apprehẽderunt duos ex eis, persequẽtes alios vsq; ad eorum exercitũ. Sero autem facto, Patriarcha fecit præconari per omnẽ hostem, vt in summo mane cras essent omnes parati ad bellũ, excommunicãs, *ne vllus homo intenderet ad vlla spolia, donec bellum esset factum: sed eo facto, reuerterentur cũ felici gaudio ad accipiendũ quicquid eis prædestinatũ esset à Domino.* Summo verò diluculo, in sexta feria, intrauerũt in vallem nimis pulchra, secus littus maris, in qua suas ordinauerũt acies. *Dux* instruxit suam aciem, & *Comes Normanniæ* suam, *Comes S. AEgidij* suam, Comes *Flandrensis* suam, Comes *Eustachius* suam, *Tancredus* & *Gaston* suam: ordinauerunt quoq; pedites & sagittarios qui præcederent milites, & sic ordinauerunt omnia; statimq; cœperunt militare in nomine domini nostri IESV CHRISTI. In sinistra verò parte fuit dux *Godefridus* cũ sua acie; Comesq; *S. AEgidii* equitauit iuxta mare in dextera parte; Comes *Normãniæ*, & Comes *Flandrensis* & *Tancredus* omnesque alii, equitabant in medio. Tunc nostri cœperunt paulatim ambulare. Pagani verò, stabant parati ad bellum. Vnusquisq; suum habebat vasculum pendens collo, ex quibus potarent persequentes nos: sed illis non licuit, gratiâ DEI. Comes autem de *Normannia*, cernens Ammirauissi *stantarum* habere quoddam pomum aureum in summitate hastę, quæ erat cooperta argento, ruit vehementer super illum, eumq; vulnerauit vsq; ad mortẽ. Ex alia parte, Comes *Flandrensis* nimis acriter illos inuasit. *Tancredus* igitur impetũ fecit per medium tentoriorũ eorum: quod videntes pagani continuò inierunt fugam. Paganorum multitudo erat innumerabilis, numerumq; eorum nemo scit, nisi solus DEVS: Bella verò erant immensa; sed virtus diuina comitabatur nobiscũ, tam magna, tam fortis, quòd statim superauimus illos. Stabant autem inimici DEI excæcati, & stupefacti; ac videntes CHRISTI milites, apertis oculis nil videbant, & contra Christianos erigere se non audebant, virtute DEI tremefacti: pro nimio timore ascendebant in arbores, in quibus putabant se abscondere; at nostri sagittando, & cum lanceis & ensibus occidendo, eos ad terram præcipitabant; alii autem iactabant se in terram, non audentes se erigere contra nos. Nostri igitur illos detruncabant, sicut aliquis detruncat animalia ad macellum: Comes *S. AEgidii*, iuxta mare, ex eis occidit sine numero; alii verò se præcipitabant in mare, alii fugiebant huc illucq;. Veniens itaq; *Ammirauissus* ante ciuitatem, dolens & mœrens, lacrymando dixit: *O Deorum spiritus, quis vnquam vidit vel audiuit talia? Tanta potestas, tanta virtus, tanta militia, quæ nunquam ab vlla gente fuit superata, modo à tantilla gente Christianorum, quod in pugillo potest claudi, est deuicta? Heu mihi tristis, ac dolens! quid amplius dicam? Superatus sum à gente mendica, inermi & pauperrima, quæ nõ habet nisi saccum & peram: Ipsa modo persequitur gentem AEgyptiacam, quæ illi plerunq; suas largita est elemosynas, dum olim per omnem nostram Patriam mendicaret. Huc conduxi ad conuentionem ducenta millia militum, & video ipsos laxis frenis fugientes per viam Babylonicam, & nõ audent reuerti aduersus gentem Francigenam. Iuro per Machumet & per omnia Deorum numina, quod vlterius non retinebo milites conuẽtione aliqua, quia expulsus sum à gente aduena. Conduxi omnia armorum genera, & omnia instrumenta siue machinamenta vt eos obsiderem in Hierusalem, & ipsi præuenerunt me ad bellum, itinere dierum duorũ. Vech quid mihi esset, si illuc gentem conduxissem meam? Heu mihi, quid amplius dicam? inhonoratus ero semper in terra Babylonica.* Nostri autem acceperunt eius *stantarum* quod comparauit *Comes de Normania* viginti marchas argenti, & dedit Patriarchæ in DEI honorem, sanctiq; Sepulchri: ensem verò emit quidam sexaginta bisanteis. Superati sunt deniq; inimici nostri, DEO annuente. Omnes naues terrarum Paganorum ibi aderant: homines verò qui intus erant, videntes *Ammirauissum* fugientem cum suo exercitu, statim suspenderunt vela & impulerũt se in alta maria. Reuersi sunt nostri ad tentoria eorum, acceperuntq; innumera spolia auri & argẽti, omniumq; bonorum cumula: equos, & mulos, asinos & camelos, innumerabiles oues & boues, & instrumenta. Omnes namq; montes & colles, & omnia plana stabant cooperta de multitudine illorum animalium, & inuenerunt armorum cumula: quæ voluerunt, deportauerunt; reliqua igne consumpserunt. Reuersi sunt nostri cum gaudio Hierusalem, deferentes secum omnia bona, scilicet camelos & asinos honustos pane biscocto, & farina, & frumento, & caseo, & pane, & oleo, & omnibus bonis quæ illis necesse erat. Hoc bellum factum est pridie Idus Aug. largiente *hoc Domino nostro* IESV CHRISTO: *cui est honor & gloria, nunc & semper, & in secula seculorũ. Dicat omnis spiritus*, AMEN.

ROBERTI MONACHI HISTORIA HIEROSOLYMITANA.

INCIPIT PRÆFATIO APOLOGETICA ROBERTI MONACHI IN HISTORIA Hierosolymitana.

*V*NIVERSOS, *qui hanc historiam legerint, siue legi audierint, & auditam intellexerint, deprecor; vt cùm in ea aliquid inurbanè compositum inuenerint, concedant veniam, quia hanc scribere compulsus fui per obedientiam. Quidam enim abbas, nomine N. literarum scientia & morum probitate præditus, ostendit mihi vnam historiam secundùm hanc materiam; sed ei admodum displicebat: partim, quòd initium suum quod in Clarimontis concilio constitutum fuit, non habebat: partim quòd series tam pulchræ materiæ incultu iacebat, & literalium compositio dictionum incondita vacillabat. Præcepit ergo mihi, vt qui Clarimontis interfui concilio, acephalæ materiei caput præponerem, & lecturis eam accuratiori stylo componerem. Ego verò, quia notarium non habui alium nisi me, & dictaui, & scripsi: sic quòd continuatim paruit menti manus, & manui penna, & penna paginæ: & fidem satis præstare potest & leuitas carminis, & minimè phalerata compositio dictionis. Vnde, si cui Academicorum studijs innutrito displicet hæc nostra editio, ob hoc forsitan quòd pedestri sermone incedentes plus iusto in ea rusticauerimus: notificare ei volumus, quòd apud nos probabilius est, abscondita rusticando elucidare, quàm aperta philosophando obnubilare. Sermo enim semper exactus, semper est ingratus; quia quòd difficili intellectu percipitur, surdiori aure hauritur. Nos verò plebeio incessu sic volumus progredi sermonem nostrum, vt quiuis cùm audierit, speret idem; & si fortassis idem tentauerit esse, longè separetur ab idem. Si quis affectat scire locum quo hæc historia composita fuerit; sciat esse claustrum cuiusdam cellæ S. Remigii constitutæ in episcopatu Rhemensi. Si nomen authoris exigitur, qui eam composuit,* Robertus *appellatur.*

INCIPIT PROLOGVS.

INTER omnes historiographos noui ac veteris testamẽti *Moses* sanctus obtinet principatum, qui diuino spiritu prophetiæ, Hebraicis literis, quarum ipse autor exstitit, mundi descripsit exordium: & primæ ætatis ac secundæ facta mirabiliora, nec non & patriarcharum gesta nobis adduxit in medium. Huius exemplum secuti sunt *Iesus Naue, Samuel & Dauid*, quorum primus Iosue librum, secundus & tertius Regum historias conscripserunt. Ex hoc ergo liquidò colligi potest, quòd reuera DEO sit acceptabile, vt ad noticiam fidelium suorum literis commendetur, cùm in terra peragit, quod præfixis temporibus fieri disposuit, aliquod opus mirabile. Sed quid post creationem mundi mirabiliùs factum est, præter salutiferæ crucis mysterium, quàm quod modernis temporibus actum est, in hoc itinere nostrorum Hierosolymitarum? Quod quantò studiosiùs quisque aduerterit, tantò vberiùs intra mentis suæ dilatatos sinus obstupescet. Hoc enim non fuit hu-

manum opus, sed diuinum. Et ideo literali *compaginatione* commendari debet noticiæ, tam præsentium, quàm futurorum, vt per hoc & spes in DEVM Christiana magis solidetur, & laus eius in eorum mentibus viuacior incitetur. Nam quis regum aut principum posset subigere tot ciuitates & castella, natura, arte, seu humano ingenio præmunita, nisi *Francorum* beata gens, cuius est Dominus DEVS eius, populus quem elegit in hæreditatem sibi? Inferat ergo nobis DEI sapientia, quòd ad laudem sui nominis proferamus. Et sciant, qui hæc legerint siue audierint, quòd nihil friuoli, nihil mendacii, nihil nugarum, nisi quod verum est, enarrabimus.

10 EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIT LIBER PRIMVS.

ANNO igitur Dominicæ incarnationis *millesimo nonagesimo quinto*, magnum inter fines Galliæ concilium celebratum est, in Aluernia scilicet, in ciuitate quæ *Clarus mons* appellatur. Cui Papa *Vrbanus* secundus cum episcopis & cardinalib. præfuit. Fuit autem illud concilium valde celeberrimum, conuentu Gallorum ac Germanorum, tam episcoporum quàm principum. Ordinatis igitur in eo rebus ecclesiasticis, exiuit dominus Papa in quadam spatiosæ latitudinis platea: quia non poterat illos capere cuiuslibet ædificii clausura. Qui hac suadelâ rhetoricæ dul-

A.D. 1095.

20 cedinis, generaliter ad omnes in hæc verba prorupit, dicens: *Gens Francorum, gens transmontana, gens, sicut in pluribus vestris elucet operibus, à* DEO *dilecta & electa, tam situ terrarum, quàm fide catholicâ, quàm honore sanctæ ecclesiæ, ab vniuersis nationibus segregata. Ad vos sermo noster dirigitur, vobisq́ exhortatio nostra protenditur: scire vos volumus, quæ lugubris causa ad vestros fines nos adduxerit; quæ necessitas vestra cunctorumq́ fidelium attraxerit. Ab Hierosolymorum finibus & vrbe Constantinopolitana relatio grauis emersit, & sæpissimè iam ad aures nostras peruenit: quòd videlicet gens regni Persarum, gens maledicta, extranea gens prorsus à* DEO *aliena: generatio scilicet quæ nõ direxit cor suũ, & non est creditus cũ* DEO *spiritus eius: terras illorum Christianorum inuaserit ferro, rapina, incendio depopulauerit, ipsosq́ captiuos partim in terram suam abduxerit, partimq́ nece miserabili prostrauerit; ecclesias* DEI *aut funditus*

Qui legis hæc dicta, Ne sit tibi in corde male ficta: Vrbani Papæ Dulcia verba cape.

30 *euerterit, aut suorum ritui sacrorum mancipauerit. Altaria suis fœditatibus inquinata subuertunt, Christianos circumcidunt, cruoremq́ circumcisionis, aut super altaria fundunt, aut in vasis baptisterii immergunt. Et quos eis placet turpi occubitu mulctare, vmbilicum eis perforant, caput vitaliorum abstrahunt, ad stipitem ligant, & sic flagellando circunducunt, quo adusq́ extractis visceribus solo prostrati corruunt: Quosdã stipiti ligatos sagittãt: Quosdam extento collo & nudato gladio appetunt, & vtrum vno ictu truncare possint pertentãt. Quid dicã de nefanda mulierũ constupratione? De qua loqui deterius est quàm silere. Regnum Græcorum iam ab eis emutilatũ est, & suis vsib. emancipatum, quod transmeari non potest itinere duorum mensiũ. Quib. igitur ad hoc vlciscendum, ad hoc eripiendum, labor incumbit; nisi vobis, quibus præ ceteris gentibus contulit Dominus insigne decus armorum, magnitudinem animorum, agilitatem corporum, virtutem hu-*

40 *miliandi verticem capilli vobis resistentium? Moueant vos & incitent animos vestros ad virilitatem gesta prædecessorum, probitas & magnitudo* Karoli magni *regis, &* Ludouici *filii eius, aliorumq́ regum vestrorum: qui regna Turcorum destruxerunt, & in eis fines sanctæ Ecclesiæ dilatauerunt. Præsertim moueat vos sanctum Domini nostri Saluatoris Sepulchrum, quod ab immundis gentibus possidetur, & loca sancta quæ nunc inhonestè tractantur, & irreuerenter eorum immundiciis sordidantur. O fortissimi milites, & inuictorum propago parentum, nolite degenerare, sed virtutes maiorũ vestrorum reminiscimini. Quod si vos charus liberorũ & parentũ & coniugũ continet affectus, en recolite quid in Euangelio dicat Dominus:* Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus. Omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum ac-

50 cipiet, & vitam æternam possidebit. *Non vos protrahat vlla possessio, vlla rei familiaris sollicitudo, quoniam terra hæc quam inhabitatis clausura maris vndiq́ & iugis montium circumdata, numerositate vestrâ coangustatur; nec copia diuitiarum exuberat; & vix sola alimenta suis cultoribus administrat. Inde est quòd vos inuicem mordetis, & comeditis; bella mouetis, & plerumque mutuis vulneribus occiditis. Cessent igitur inter vos odia, conticescant iurgia, bella quiescant, & cuncta controuersia dissensiones sopiantur. Viam* Sancti Sepulchri *incipite; terram illam nefariæ genti auferte, eamq́ vobis subiicite. Terra illa filiis* Israel *à Deo in potestatem data fuit, sicut Scriptura dicit,* quæ lacte & melle fluit. Hierusalem *vmbilicus est terrarum,*

Iherusalē gaudete: Tibi constat laus sine fraude.

terra præ cæteris fructifera, quasi alter paradisus deliciarum. Hanc redemptor humani generis suo illustrauit aduentu, decorauit conuersatione, sacrauit passione, morte redemit, sepultura insigniuit. Hæc igitur ciuitas regalis in orbis medio posita, nunc à suis hostibus captiua tenetur, & ab ignorantibus Deum ritui gentium ancillatur. Quærit igitur & optat liberari, & vt ei subueniatis non cessat imprecari. A vobis quidem præcipuè exigit subsidium, quoniam à Deo vobis collatum est præ cunctis nationibus, vt iam diximus, insigne decus armorum. Arripite igitur viam hanc, in remissionem peccatorum vestrorum, securi de immarcescibili gloria regni cælorum. Hæc & id genus plurima vbi Papa *Vrbanus* vrbano sermone peroraauit, ita omnium qui aderant affectus in vnum conciliauit, vt omnes acclamarent, DEVS *vult*, DEVS *vult*. Quod vt venerandus pontifex Romanus audiuit, erectis luminibus in cœlum Deo 10 gratias egit, & manu silentium indicens, ait: *Fratres Karissimi, hodie in vobis est ostensum, quod Dominus dicit in Euangelio:* Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. *Nisi enim Dominus Deus in mentibus vestris fuisset, vna omnium vestrum vox non fuisset. Licet enim vox vestra numerosa prodierit, tamen origo vocis vna fuit. Propterea dico vobis, quòd Deus hanc à vobis elicuit, qui vestris eam pectoribus inseruit. Sit ergo vobis vox ista in rebus bellicis militare signum: quia verbum hoc à Deo est prolatum. Cùm in hostem fiet bellicosi impetus congressio, erit vniuersis hæc ex parte Dei vna vociferatio:* DEVS vult, DEVS vult. *Et non præcipimus aut suademus, vt senes aut imbecilles, & vsui armorum minimè idonei, hoc iter arripiant; nec mulieres sine coniugibus suis, aut fratribus, aut legitimis testimoniis vllatenus proficiscantur. Tales enim magis sunt impedimento, quàm adiumento; plus oneri, quàm vtilitati. Diuites inopibus subueniant, & expeditos ad bellum de suis facultatibus secum ducant. Presbyteris siue clericis cuiuscunque ordinis absque Episcoporum suorum licentia non licet ire; quoniam inutilis eis fieret hæc via, si irent sine illorum licentia. Quia nec laicis expedit peregrinari, nisi cum sui benedictione sacerdotis. Quicunque ergo huius sanctæ peregrinationis animum habuerit, & Deo sponsionem inde fecerit, eique se litaturum hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, deuouerit, signum Dominicæ Crucis in fronte sua siue in pectore præferat. Qui verò inde voti compos ingredi voluerit, inter scapulas retro ponat. Tales quippe bifariâ operatione complebunt illud Domini præceptum, quod ipse iubet per Euangelium:* Qui non baiulat crucem suam & venit post me, non est me dignus. His ita completis, vnus ex Cardinalibus, nomine *Gregorius*, pro omnibus terræ prostratis dixit confessionem 30 suam: & sic omnes pectora sua tundentes, impetrauerunt de his quæ malè commiserant absolutionem; & facta absolutione, benedictionem; & benedictione consecuta, ad propria remeãdi licentiam. Et vt cunctis claresceret fidelibus, quòd hæc via à DEO, non ab homine sit constituta; (sicut à multis postea comperimus) ipso die quo hæc facta & dicta sunt, fama præconans tantæ constitutionis totum commouit orbem; ita vt etiam in maritimis Oceani insulis diuulgatum esset, quòd Iherosolymitanum iter in Concilio sic stabilitum fuisset. Gloria prouenit inde Christianis & exultatio; gentilibus autem Persis, & Arabiæ cultoribus, mœror & trepidatio. His additur animi magnitudo, illis incutitur pauor & mentis hebetudo: adeò cœlestis tuba percrepuit, quod vbique gens omnis infesta Christiano nomini intremuit. Elu- 40 cet igitur quòd non fuit humanæ vocis officium, sed spiritus Domini qui replet orbem terrarū. Ad sua itaque reuersus est vnusquisque laicorum. Et *Vrbanus* Papa, in crastinum residere fecit conuentum Episcoporum: quibus residentibus accepit consilium, quem præponeret tantæ multitudini peregrinari cupientium, quia nõdum erat inter eos aliquis nominatorum principum. Vniuersi verò elegerunt *Podiensem* Episcopum, asserentes eum rebus humanis ac diuinis valde esse idoneum, & vtrâque scientiâ peritissimum, suisque in actionibus multiuidum. Ille itaque, licet inuitus, suscepit quasi alter Moses, ducatum ac regimen Dominici populi, cum benedictione domini Papæ ac totius Concilii. O quot diuersæ ætatis ac potentiæ seu domesticæ facultatis homines in illo Concilio cruces susceperunt, & viam Sancti 50 Sepulchri spoponderunt! Hinc diuulgatum est vbique terrarum illud Concilium venerabile, & ad aures Regum ac Principum peruenit Concilii constitutum honorabile. Placuit omnibus; & plus quàm trecenta millia mente iter concipiunt, & adimplere satagunt, pro vt vnicuique posse contulit Dominus. Iamque turmatim exsultare cœpit Francigenæ gentis vnanimitas; & desiderio iam cū Turcis pugnabat eorum proba ferocitas. Erat in illis diebus quidam, qui eremita extiterat, nomine *Petrus*, qui apud illos qui terrena sapiunt magni æstimabatur, & super ipsos præsules & abbates apice religionis efferebatur: eo quòd nec pane nec carne vescebatur; sed tamen vino aliisque cibis omnibus fruebatur, & *summam abstinentiam in deliciis*

[illegible]. Hic ea tempestate collegit sibi non modicam equitum peditumque multitudinem, & iter suum direxit per *Vngariam*. Associatur autem cuidam Duci *Teutonicorum*, nomine *Godefrido*, qui erat Eustachii Boloniensis Comitis filius, sed officio dignitatis Dux erat Teutonicus. Hic vultu elegans, staturâ procerus, dulcis eloquio, moribus egregius, & in tantum lenis, vt magis in se monachum quàm militem figuraret. Hic tamen, cùm hostem sentiebat adesse, & imminere prælium, tunc audaci mente concipiebat animum, & quasi leo frendens ad nullius pauebat occursum: Et quæ lorica vel clypeus sustinere posset impetum mucronis illius? Hic cum fratribus suis *Eustachio* & *Balduino*, & magna manu militum peditumq; per Vngariam iter arripuit. Per viam scilicet, quam *Karolus Magnus*, incomparabilis Rex Francorum, olim suo exercitui fieri vsq; ad Constantinopolim præcepit. Primus igitur *Petrus* eremita cum suis, & magna gente *Alemanorum*, Constantinopolim venit; & copiosam Langobardorum gentem, multosq; alios ex diuersis locorum spaciis aggregatos inuenit. Quibus Imperator licentiam introeundi ciuitatem nunquam præbuit; quia virtutem Christianæ militiæ & maximè Francorum suspectam semper habuit. Idem tamen mercatum eis habere concedebat, quod & in ciuitate erat: Prohibueratq; illis, ne transirent illud vicini æquoris spacium quod vocatur *Sancti Georgii Brachium*, quoad vsque veniret formidabilis exercitus Francorum. Turcorum enim infinitus numerus erat, qui aduentum illorum bestiali mente sitiebant: In quorum manus si ipsi absentibus Francorum Principibus deuenissent, sicut postea rei probauit euentus, omnes æqualiter morti subiacerent. *Sed omnis congregatio hominum quæ bono auctore nõ gubernatur, si ei languidum caput dominatur, in deterius labitur & quotidie languescit, & à salute elongatur.* Propterea & illi, quia prudentem Principem qui eorum dominaretur non habebant, reprehensibilia opera faciebant. Ecclesias enim & vrbis Palatia destruebant, & quæ in eis erant auferentes, plumbum quo tegebantur abstrahebant, & Græcis vendebant. Vnde Imperator *Alexius* nomine, vehementer iratus fuit, & æquoreum *Sancti Georgii Brachium* transmeare præcepit: qui vltra progressi, Ducem sibi elegerunt, & quendam *Rainaldum* sibi præposuerunt: qui licet Principem haberent, eadem tamen rapinæ opera agere non cessabant. Nam domos quas inueniebant igni comburebant, & ecclesias bonis suis & facultatibus denudabant. Sic *Nicomediam* vsque venerunt, & inde *Romaniæ* terram intrauerunt. Tribus igitur diebus ambulando consumptis, vltra *Nicaam* vrbem perrexerunt, & quoddam castrum, cui nomen erat *Exerogorgo*, à gente vacuum inuenerunt, in quod intrantes repererunt magnam vbertatem frumenti, carnis & vini, omniumq; bonorum quæ sunt humanę vitæ sustentaculum. *Turci* verò metu Francorum perterriti longè ab illa terra secesserant, sed tamen exploratores suos dimiserãt, qui illis aduentum nostrorum & quomodo se haberent, nuntiarent. Qui vt per internuntios compererunt, quòd venerant rapere, non possidere; destruere, non retinere; protinus contra illos accurrerunt, & castellum in quo erant, obsidione circumdederunt. Erat quippe ingens numerus Turcorum & copiosa multitudo. Ante portã castelli erat puteus, & iuxta ex altera parte fons viuus, iuxta quẽ *Rainaldus* princeps Christianorũ exierat, & insidiis positis, Turcorum præstolabatur aduentũ. Turci verò nil hæsitantes irruerũt in eum, & multos qui cum eo erant occiderunt, alii autẽ in castrum fugerunt. Illi autem aquam eis omnino abstulerũt, & in magno cruciatu per aquæ penuriã Christianos immiserũt. Erat autem festiuitas *S. Michaelis*, quam venerari debet omnis anima fidelis. Obsessi autem in tantam sitis angustiam deuenerunt, quòd venis equorũ incisis boumq; & asinorum aliarumq; pecudum sanguinem eliciebant & bibebant: Alii terram humectiorem fodiebant, & sic ori apponebant, ardoremque sitis temperabant: Quidam vrinam suam in vase, aut in manibus suis mingebant, & quod dictu mirabile est, absorbebant. Quid plura? Nullum erat vitæ solatium, nisi sola mors pereuntibus erat subsidium. Tandem princeps illorum *Rainaldus* cum *Turcis* furtiuum iniit fœdus, malens temporalem vitam retinere, quàm pro CHRISTO mortem in tali martyrio subire. Dispositis itaque agminibus suis, simulauit cum aduersariis inire congressionẽ; sed mox vt exiit, fecit ad illos cum multis aliis digressionẽ. Heu heu meticulosus miles, non ab Austro, sed ab Aquilone progressus, quàm eneruiter & effœminatè pro cœlesti rege & regno dimicauit! Qui nec dum vel leui stipula tactus, martyrium subire perhorruit; & fidei Christianæ professionẽ, sanus, eques, & armatus, abdicauit! Iure igitur apud Deum euanescentis gloriæ iacturã promeruit,

Dux prior incessit: Nec retro postea cessit.

Nec leuiter tactus, Rainaldus apostata factus, Abiurando Deum, Se probat esse reum.

& in sortē illius qui sedē suam elegit ad Aquilonē deuenit. Qui verò remanserunt, nec Christianæ fidei titulum mutare voluerunt, mortis exterminium pertulerunt. Igitur ex tota illa multitudine occiderunt *Turci* quos voluerunt, & quos libuit (vti placuit) captiuauerūt. Quosdam ad signū positos sagittabāt, & omni ludibrio, pro vt eis placuit, seruos Dei contumeliis afficiebant: & illi maluerunt sic occumbere gloriosè, quàm negantes fidem Dei, cum eis infeliciter viuere. Devs verò, vt credimus, recepit eos in septa sempiterni Paradisi sui, quoniam noluerunt à fide sua peregrinari. Iam quippe diabolica legio victrix exultat, & contra *Petrum eremitam*, qui erat in quodā castello nomine *Ciuito*, dimicat. Erat autem illud castrū supra Nicæam ciuitatem constitutū. Contra quod Turci dum cursum suū dirigerēt, obuiauerunt *Waltero*, qui erat primicerius & signifer agminis eremitæ. Sed licet miles egregius claruisset tot militiæ titulis, his tamen omnino resistere non valuit, sed tamen preciosam mortē suam, multo Turcorū sanguine commendauit. Irruit enim in illos velut vrsus esuriens in animalia, & quos in occursum inuenit, prostrauit & vita priuauit. Similiter & qui cum eo erant armati, adhuc viui iam necem quam erant passuri fortiter vindicabant, & quàm diu eis arma valuerunt, hostes de victoria nunquam tripudiauerunt. Sed ibi multitudo audaciam, non audacia multitudinē superauit: nisi quòd animositas numerositatē sextuplo minuerit. Fractis tandem armis & non animis, laudabili morte, sic in bello, sicut pro Deo, vitā terminauerūt, eosq; in sortem cælitum angelici spiritus transtulerūt. Tunc primùm Turci reuolutis cadaueribus suorū, cognouerūt, quòd cum quibus pugnauerūt, fuerūt Franci. His ita patratis pars Turcorū cucurrit ad castra Christianorū; & ibi vnum presbyterū Missam celebrantē inuenerunt, quem ante altare detruncauerunt. O felix felicis presbyteri martyrium, cui præbuit ducatum Dominici corporis viaticum! Similiter quotquot inuenerunt, aut occiderunt aut abduxerunt. *Petrus* verò eremita abierat, & Constantinopolim remeauerat. In castello autē quod suprà memorauimus, cui nomen *Ciuito*, remanserat Christianorū plurima multitudo; & qui de castris siue de prælio viui euaserant, retro ad illud castellum confluxerant: quos Turci insequentes, strues lignorum, vt nostros comburerent, circumposuerūt. Sed qui obsessi erant de tuitione vitæ solliciti, ignē in strues immiserunt, & Dei nutu flante vento, plerosq; de hostibus combusserunt. Turci tandem illos vi comprehenderunt, & secundum ludibrium suum variis pœnarū generibus affectos, alios occiderunt, alios in captiuitatē vendiderūt. Qui tamen aliquo casu seu ingenio euaserūt, ad Brachium *S. Gregorij* reuersi sunt: & iubente nequissimo imperatore Constantinopolim regressi sunt. Imperator quidem cum suis Græcis de victoria Turcorū exultauit, & omnia arma nostrorū, vt eos inermes redderet, callidè comparauit. His ita gestis, huic narrationi terminū ponamus, & stilum retro conuertentes, quomodo illuc conuenerit nostra gens Francorū, & cum quibus Principibus, disseramus.

Hæc mors Walteri, Debet preciosa videri.

Sic & presbyteri Mors huius debet haberi.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

INTEREA dum hæc aguntur, de remotis Occidentalium partibus, à parte Aquilonis excitauit Dominus Comites duos, quibus vnum nomen, vna consanguinitas, æqua potestas, idem & armis & animis, etiam gloria consulatus compares: *Normannus*, scilicet & *Flandrensis* Comes: cum quibus *Hugo Magnus*, frater Philippi regis Francorum, qui ipso tempore Franciam suo subiugabat imperio: Hic honestate morum, & elegantia corporis, & animi virtute, regalem de qua ortus erat cōmendabat prosapiam: Cum quo & *Stephanus Carnotensis Comes*, qui à bonis initiis prauos deinceps obtinuit exitus. O quam alii innumeri optimates & minoris famæ Consules, cum his sunt associati tam eiusdem Franciæ, quàm maioris & minoris Britanniæ! A parte Australi mota sunt castra *Podiensis Episcopi*, & *Comitis Sancti Ægidii*, nomine *Raimundi*. Vir iste cùm prædiues esset, & temporalibus bonis locupletatus, omnia sua vendidit, & viam deliberationis Sancti Sepulchri arripuit. Ecce præsentialiter nunc videmus in re, quòd olim Dominus promisit per os Esaiæ Prophetæ. Ait enim: *Noli timere, quia ego tecum sum: ab Aquilone adducam semen tuum, & ab*

Agmina conueniunt, Numerosaq; millia fiunt. Quorū tu proceres, Si consociari videres, Agmē tam pulcrum, Laudares iure sepulcrū. Pro quo sic Patriam, Respuebant propriam.

& ab Occidente congregabo te: Dicā Aquiloni, da: *& Austro*, noli prohibere: *affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Nunc, vt videmus, filij DEI & filiæ, Iherosolymam tendunt ab extremis terræ; Auster & Aquilo nutritos suos non audent prohibere. Reuera nunc Dominus ascendit super occasum, quoniam requiescit in animabus Occidentalium. Nunc Occidens illustrare parat Orientem, & nouis syderibus suis excitatis, quâ premebatur, depellere cœcitatem. Et cùm inter tanta agmina enitesceret terribilis fulgor armorum, hunc tamen reuerberaret, si intueri posset, splendor animorum. Hi ad bellum vnanimiter incedunt, non vt fugiant, sed vt aut moriantur, aut vincant. Mori quippe nullum vitæ credunt dis-
10 pendiū; vincere verò diuini subsidii est præconium. Hi ergo memorati Principes, quos suprà diximus, satis congruo tempore de suis sedibus exierunt, sed natale solum transeuntes, diuerso tempore & itinere transalpinauerunt. Itaque per Italiā iter direxerūt, & diuina præeunte custodia, secundo appulsu *Romam* vsq; peruenerunt. Et, ô gloriosa CHRISTI militia, quam non potuerunt continere tam spatiosę vrbis intra incolatus sui spatia vel domicilia! & ob hoc multi extra vrbem ex Principibus sua fixère tentoria. Ibi aliquot diebus cōmorantes, loca sancta peregrina consuetudine perambulauerunt; & se sanctorū Apostolorum, aliorumq; meritis ac precibus commendauerunt. Ac sic Apostolica benedictione percepta, ab vrbe discesserunt, & per *Apuliam* suas acies direxerunt. Cùm verò sic incederent, ru-
20 mor tanti exercitus ad aures cuiusdam terræ illius principis peruenit, nomine *Boamundi*, qui tunc erat in obsidione *Malphi* super littus *Scaphardi* pelagi constituti. Qui hoc audiens, fecit inquiri quibus Principibus tantus exercitus regatur, quibus armis muniatur, quo ordine incedant: vtrùm rapere venerant, aut sibi necessaria compararēt. Cui ab inquisitoribus relatum est de Principibus, quòd *Hugo magnus* Philippi regis Francorum germanus, signifer & Dux sit tantæ militiæ. *Robertus Comes Nortmanus, Robertus Comes Flandrensis, Stephanus Comes Karnotensis, Raimundus Comes sancti Ægidii, & Episcopus Podiensis*, duces erant & domini. Exercitus autem sic deuotè & seriatim procedebat, quia cui nocuerit nullus erat: Arma equitum tam idonea erant, quia in tāto procinctu militiæ DEI conueniebāt. Nam quis carneus
30 oculus loricarum, aut galearum, aut scutorum, aut lancearum, Sole radiante, ferre poterat intuitum? Pedites verò omni genere telorum sic præmuniti sunt, quia si obuiam sibi veniret, omni Orienti terrorem incuterent. Et cùm sic telis & armis accingantur, tamen vt inermes peregrini necessaria sibi mercantur. Quæ cùm audisset vir circumspectus & diuitiis opulentissimus, talia verba protulit coram omnibus: *Gratias agere* DEO *omnes debemus, qui in sua potestate habet omnium corda, & quò vult inclinat ea. Quis enim tot Principes tantumq; populum in vnum collegisset, nisi eorum mentibus ipse præsideret?* Cùmq; requireret quod signū gestarēt peregrinationis, didicit, quòd aut in fronte aut in scapulis dextris signū ferebāt sanctę crucis. Cùm verò per campos discurrendo bellico vsui se exercerēt, & iocando inuicē alter in alterū
40 hastas vibrarent, omnes vna voce clamabant dicentes: DEVS *vult*, DEVS *vult*. Et hoc signum erat bellici clamoris ipsorum. Et cùm hæc iterum audiret vir prudens & mente capax, magis ac magis in DEO exultauit, quia omnia hæc nō tantùm esse hominū intellexit. Qui statim eadē deuotione succensus, duo pretiosa pallia iussit afferri, & ex eis corrigiatim incisis præcepit cruces fieri. Tunc dixit omnibus tam peditibus, quàm militibus: *Si quis est Domini, iungatur mihi. O milites nunc mei, estote* DEI; *& viam Sancti Sepulchri mecū incipite; & quæ mea sunt, vt vestra, assumite. Nonne & nos Francigenæ sumus? Nonne parentes nostri de Francia venerūt, & terrā hāc militaribus armis sibi mancipauerunt? Proh dedecus! Ibunt cōsanguinei & fratres nostri sine nobis ad martyrium, imò ad Paradysum? In omnibus futuris temporibus debet ascribi tam nobis quàm liberis nostris retrograda*
50 *animi inopia, si nobis absentibus agitur hæc diuina militia.* Et cùm his & istis similibus animosus miles finem daret, omnes clamauerunt qui aderant, dicentes: *Nos tecum ibimus & absq; retractatione viam S. Sepulchri promittimus.* Tūc vir sapiens & astutus cruces iussit afferri, quas præceperat fieri. Quibus allatis dixit: *Si dictis vestris facta vnire vultis, de crucibus istis vnusquisq; accipiat vnam: & acceptio crucis, sponsio viæ fiat.* Tūc tot ad accipiendū confluxerūt, vt multis accipere affectantibus, cruces defuerint. Audiētes igitur optimates *Apuliæ*, & *Calabriæ*, & *Siciliæ*, quòd Boamundus crucem viæ S. Sepulchri susceperat, omnes ad eū confluunt, & tam mediocres quàm potētes, senes quā iuuenes, serui quàm domini, viam S. Sepulchri promittūt. Dux verò Apuliæ, vt hæc vidit & audiuit, vehementer indoluit, quoniam solus cum paruulis ac mu-

Circuiens mundum Rumor venit ad Boamundum.

Militiæ pondus. Non respuit hoc Boamundus.

Sed tali voto, Clammatur pectore toto.

Huic Calabra gentes Sociantur & Apulienses.

His fieri praedux Spreuit tamen Apuliæ dux.

lieribus in ducatu suo remanere pertimuit. Erat autem dux ille frater Boamundi, vterque filii scilicet *Roberti Wischardi.* Dum verò *Boamundus* viæ necessaria parauit, Francigenæ ad marinos portus peruenerunt; alii scilicet ad *Brundosium*, alii ad *Barim*, alii *Otrentum* mare intrauerunt. *Hugo* siquidem *Magnus*, & *Wilermus Marchisi* filius, in portu Barim mare intrauerunt, & *Durachium* vsque nauigauerunt. Quos vt deprehendit adesse dux loci illius, captus iniquâ cogitatione, illos continuò iussit apprehendi, & apprehensos Constantinopolim transduci. Edixerat enim subdolus Imperator, vt omnes Iherosolymitani caperentur, & ad se Constantinopolim ducerentur. Volebat namq;, vt omnes sibi fidelitatẽ facerent, vt scilicet suũ esset quicquid per arma acquirerent. Sed deprehensi, cùm ad Vrbem venerũt, magnum sibi solatium inuenerũt, quoniam ducem Godefridum cum magno exercitu repererũt. Flere præ gaudio potuit, qui *Hugonem Magnum* & Ducem *Godefridum* inuicem amplexari & osculari conspexit. Gaudet Hugo Magnus se fuisse comprehensum, quia meruit hac occasione adduci ad Ducẽ *Godefridum.* Gaudet Dux, quia amplexatur præcordialem amicum & cognatũ suum & totius generositatis nobilem virum. Gaudet alter in altero innouatum fœdus amicitiæ, & antiquæ familiaritatis, & quod in vtroq; inerat insigne decus probitatis. In his duobus viris primò denudatæ sunt fraudes Imperatoris, sicut mox sequentia declarabunt. Dux *Godefridus* prior omnium Francorum principum Constãtinopolim venit, quia per *Vngariam* recto gressu profectus est. Venit itaq; duobus diebus ante *Natale Domini*, & hospitari voluit extra vrbem: sed subdolus Imperator eum inter suburbana recepit. Sperauit interim Dux ibi securũ remanere se posse, donec venirẽt agmina gentis Francigenę. Et cùm per aliquot dies mittere cœpit clientes suos ad comparanda necessaria, dolosus Imperator pręcepit Turcopolis suis & Pincenatibus, vt in insidiis positi eos inuaderent & occiderẽt. Sed *Balduinus* frater Ducis, cognita eorum nequitia, occultauit se, & eorum præuenit insidias: quia dum suos sequerẽtur vt occiderent, forti animo & virili impetu illos inuasit; & sic DEO iuuante illos superauit, pluresque ex eis occidit, & captos fratri suo Duci præsentauit. Quod cùm audisset Imperator, iratus est, quia cognouit denudatas esse Francis dolositates & insidias suas. Dux, vt cognouit erga se suosq; Imperatorem iratum esse, de suburbanis illius exiuit, & extra vrbem sua tẽtoria fixit. Sole igitur occidente, cùm nox superficiem terræ cooperuisset, satellites Imperatoris præsumpserunt ducem inuadere; sed diuina adminiculante gratia, cum magno sui detrimento, vix manus illius potuerunt euadere. Alter in alterũ irruit, sed alter altero præstantior fuit: Dux cum suis frendens vt leo, illos citò dispersit, & septem occidit, cæteros insecutus vsq; ad portam ciuitatis. Dux inde ad tentoria sua rediit, & quietus deinceps mansit. Imperator autem pacem ab eo per internuntios quæsiuit, & tandem impetrauit, & mercatum ei & suæ genti, sicut in ciuitate erat, habere permisit. Interea gens Gallicana cœpit appropinquare regiæ ciuitati *Podiensis Episcopus*, & *Comes S. Ægidii*, Comites quoque *Normanus*, *Flandrensis*, & *Stephanus Carnotensis.* Dùm hæc itaque aguntur, vt diximus, prospero successu Boamundus Apuliensis, paratis suis stipendiis tanto itineri congruentibus, mare intrauit, & in Bulgariam regionem transnauigauit, cum quo erant nobilissimi principes, *Tancredus* videlicet nepos suus, & *Marchisi filius Richardus* princeps, & omnes terræ illius optimates, qui tantam in *Bulgaria* copiam repererunt, quòd a fructu frumenti, vini, & olei omnes multiplicati sunt. Deinde descendentes in vallem *Andronopolis* ibi tamdiu quietauerũt, quousq; omnes transfretauerunt. Illic Boamundus vir prudens comminatus est suo exercitui, ne aliquis aliquid alicui violenter auferret, sed vnusquisque quod sibi competebat, compararet. Tandem transfretatis omnibus, in quandam regionem intrauerunt, bonis omnibus vberrimam, & de villa in villam, de castello in castellum, de ciuitate in ciuitatem progredientes, *Castoriam* peruenerunt, & ibi solennitatem Dominicæ Natiuitatis celebrauerũt, & per dies plurimos dietauerũt. Cumq; forum rerum venalium ab indigenis quærerent, impetrare nequiuerunt; quoniam omnes à facie eorum confugiebãt, æstimantes nostros aduenisse causâ prædandi, & omnem terram depopulandi. Ideo nostri compulsi sunt ciborũ inopiâ, rapere, prędari, oues, boues, arietes, hircos, porcos, & quæ vsui ciborum erant vtilia. Egressi de Castoria venerunt in *Palagoniam*, in qua erat quoddam *castrum Hæreticorum*, quod vndique aggressi sunt, & crepantibus buccinis, & telis ac sagittis volantibus illico ceperunt, & spoliatum omnibus bonis, cum suis habitatoribus igni combusserunt. Nec id eis iniuria

Dux quoq; regalem Primus peruenit ad vrbem.

Francigenæ gẽtes, Vrbi simul aduenientes, Terrorẽ mortis Prætendunt compatriotis.

30

40

50

iniuria contigit, quia illorum detestabilis sermo, vt cancer serpebat: iamq; circumiacentes regiones suo prauo dogmate fœdauerat, sicut & ipsos à rectâ fide sua fœda intentio abstulerat. Denique in crastinum ad flumen *Bardarum* venientes, plures ipso die transierunt, alii verò qui Sole stante transire nequiuerant, remanserunt. In crastinum illos qui remanserant, inuadit exercitus Imperatoris, summo diluculo, aurorâ iam lucescente: & omnes occidere aut captos vinctosque abducere, in animo habebāt. Quibus dum nostri fortiter resisterent, rumor peruenit ad aures Boamundi & Tancredi. *Tancredus* verò non diu ferens suos ita iniuriis affici, equo volitans ad flumen rediit, & se cum equo & armis in illud iniecit, eumq; duo millia equitum sunt insecuti. Qui protinus aduenientes inuenerunt Turcopolas & Pincenates cum eis dimicātes, in quos subitò, vt effrenati irruentes, multos neci dederunt, & plures captos in vincula coniecerunt, & loris irretitos ad Boamundum adduxerunt. Quos vt vidit, Deo gratias egit, & hilari vultu subridens, eis per interpretem dixit: *Gens malè sana, quare quæritis occidere gentem nostram & DEI? nos sumus Christianæ fidei consortes & domestici, & peregrini milites* S. Sepulcri. *Nos neminem vestrum quærimus lædere, nec Imperatori vestro molimur aliquid auferre.* Ad hæc illi respondentes dixerunt: *Domine, conductitii milites sumus Imperatoris, & donatiua nostra promereri ab eo desideramus: Quò ei libet vadimus, quòd præcipit facimus, & magis illi quàm Deo obedimus. Nos tamen benè recognoscimus, quòd magis oportet obedire Deo quàm hominibus. Imperator noster magis perhorrescit agmina vestra, quàm cœli fulmina: quia plus intelligit vos velle eum regno suo priuare, quàm velle peregrinari: & ideo non cessat malum erga vos machinari. Sed propter Deum, cuius peregrini & milites estis, dignemini nostri misereri.* Ad hæc verba vir egregius commotus spiritu misericordiæ, condonauit eis vitam, & illæsos abire permisit. Et dum sic læto successu procederet, *Francorum* exercitus Constantinopolim conuenerat, & eius præstolabatur aduentum, quem audierat illic in proximo affuturum. Imperator autem cùm vidisset castra Dei vndique sic affluere, & exercitum suum, quem miserat contra *Boamundum*, sic dissipatum esse; exæstuans animo cœpit admodum anxiari, & fraudulentæ cogitationes in corde eius versari. Tandem simulauit animum, & quasi de eius aduētu gratulabundus esset, misit obuiam Boamundo, qui eum per ciuitates & castella sua gratanter exciperent, & ad se cum honorificentia conducerēt. Compertum verò nostri habebant, quòd non agebat hoc de aliquo famulatu amicitiæ, sed secretâ cordis simulatione. Indigenæ autem terræ illius, accepto Imperatoris imperio, cateruatim victui necessaria conferebant, & precio satis competenti vendebant. Sicq; venientes ad ciuitatem, quæ *Susa* memoratur, *Boamundus* ibi suum dimisit exercitum, & *Constantinopolim* cum paucis perrexit ad Imperatoris colloquium. *Tancredus* autem remansit, Dux & custos exercitus: & noluit ibi diutius manere, quia extranei ibi erant cibi quos sibi oportebat emere: & eduxit eos seorsum in vallem satis omnibus bonis vberrimam, & corporalibus incrementis satis opimam. Intereà Boamundus dum aduentaret ciuitati, Francorum exercitus pars maxima venit ei obuiam, & vnanimiter receperunt eum, sicut mater vnicum filium. Boamundus autem vt conspicatus est tot consules, tot duces, tot optimates, obuiam sibi occurrere, in cœlum manus erigens, obortis præ gaudio lacrymis, fleuit vberrimè: & osculatis pluribus, vix tandem repressis singultibus, vt loqui potuit, suffusus ora fletibus in hæc verba exorsus est fari: *O bellatores DEI & indeficientes peregrini Sancti Sepulcri, quis ad hæc peregrina loca vos adduxit, nisi ille qui filios Israel ex Ægypto per Mare Rubrum sicco vestigio transduxit? Quis alius inseruit vobis animum vt relinqueretis possessiones vestras, & natale solum? Cognatos & affines, coniuges & liberos abdicastis, imò & omni corporeæ voluptati renuntiastis. Nunc iterum secundò regenerati estis, per confessionem scilicet & pœnitentiam, quàm quotidie duris laboribus exhibetis. O felices qui in tali opere deficient qui ante visuri sunt Paradisum, quàm patriam suam. O ordo militum, nunc terq; quaterq; beatus, qui huc vsque fuisti homicidii sanguine deturpatus, nunc Sanctorum sudoribus compar martyrum cœlesti es diademate laureatus. Huc vsque extitisti incitamentum iræ DEI: Nunc verò reconciliatio gratiæ ipsius, & propugnaculum fidei suæ. Quapropter, inuicti milites, quia nunc primùm incepimus DEO militare, non gloriemur in viribus siue in armis nostris, sed in DEO potentissimo omnium: quoniam ipsius est bellum nostrum, & ipse dominabitur gentibus.* Boamundus cùm hæc & plura id genus prætenderet, conciliauit in se animos audientium, & magnam gratiam inuenit in conspectu omnium. Tunc omnes cum eo ad ciuitatem venerunt, & ad hospitium suum, quòd ei Imperator præparari iusserat extra vrbem, deduxerunt. Subdolus

Inuadit nostros exercitus Imperatoris.

Vtq; Boamundus Nostris est associatus, Rex fuit insanus Constantinopolitanus.

Verba Boamundi Non laudant prospera mūdi.

Militiamq; parum Non laudat Christicolarum.

itaque Imperator videns crescere castra Dei, & de die in diem augmentari, inops animi, expers sensus, pauper consilii, ira vehementi cœpit inflammari. Nesciebat quid ageret, quò se verteret; quorsum, si eum vrgeret necessitas, fugeret. Timebat enim ne tantus & tantorum exercitus in se consurgeret. *Mens enim fraude plena semper anxiatur, & est sollicita; & quod machinatur alteri, pertimescit semper sibi machinari.* Sed nostri hoc prorsus non quærebant, quia contra Christianos prœliari nolebant. Tandem iussit ad se vocari *Boamundum*, & cum illo & cum Græcis suis huiuscemodi habuit consilium. Requisiuit à nostris, vt sibi Principes exercitus facerent *hominium*, id est, securitatem pacis: & ipse conduceret eis per desertas regiones, quas ingressuri erant forum rerum venalium omnium, & in omnibus bellicis negotiis sui præsentiam, & suæ gentis auxilium; iuraret etiam generaliter omnibus quòd omnia quibus indigebant in armis & vestimentis, ipse suppleret, nec amplius vlli peregrino Sancti Sepulcri noceret, aut noceri consentiret. Hoc consilium cùm detectum fuisset, placuit in cordibus ferè omnium: quoniam plerosque angebat necessitas rerum temporalium. Fecerunt igitur ei cum sacramento hoc hominium tali conditione, vt tam diu duraret, quàm diu ipse perseuerasset in sacramento suo & promissione. *Comes* verò *sancti Ægidii* cùm requisitus fuisset de hominio, id nullatenus facere voluit; sed si ei crederetur, tota ciuitas cum suis habitatoribus & ipso Imperatore destrueretur. Sed non erat ratio, vt tam regia ciuitas, tantæq; Deo sacratæ destruerentur Ecclesiæ, & tot Sanctorum corpora aut igne cremarentur, aut suis sedibus viduarentur. Tandem Comes sancti Ægidii aliorum suasionibus euictus, assensum præbuit, & in hæc verba ei fidelitatem promisit dicés: *Alexio Imperatori iuro, quòd nunquam per me aut per meos vitam aut honorem amittet, aut quicquid hodie iustè aut iniustè possidet.* Hanc illi fiduciam iurauit & Imperator adquieuit. Iurauit deinde idem Imperator dicens: *Ego Alexius Imperator iuro Hugoni Magno & Godefrido Duci, cæteris qui hic astant Francorum Principibus, quòd nunquam in vita mea iniuriabor vllum peregrinum Sancti Sepulcri, aut permittam iniuriari; & quòd cum illis pergam in bellicis negotiis, & pro posse meo mercatum sufficientem illis conduci faciam.* Nemo miretur quòd tot & tam nobiles Franci quasi coacti hominium fecerunt, quoniam si res ex ratione pensetur, quia verè coacti fuerint inuenietur. Intraturi enim erant terram desertam & inuiam, terram ab omnibus bonis prorsus alienam; & sciebant quia *diurnum laborem ferre non sufficit, cui victus quotidianus deficit.* Pro huiusmodi angaria, facta fuit hæc hominii pactio: Sed in mente Imperatoris semper mansit fraudulenta factio. Et benè competeret hominii rata conciliatio, si apud Imperatorem foret integræ fidei assertio. Sed quicquid stipulauit, totum cum verbo exinaniuit: maluitq; periurii noxam incurrere, quàm gentem Francorum à suis finibus non elongare. Sed ne omninò videamur vt elingues præterisse Vrbem regiam, loquamur aliquid de ea, quoniam dissonum non videtur ab historia. Legimus in quadam historia, quòd *Constantinus* Imperator Romanus, cùm quadam nocte in ciuitate quæ *Bizantium* memoratur, obdormisset, visionem vidit, quæ in hunc modum ei apparuit. Anus quædam veste dissupata & quasi semicinctis circumsepta, veniebat ad eum, & suæ opis flagitabat subsidium: Vestem exigebat qua indueretur, coperturam qua tegeretur, alimoniam qua pasceretur, promisitque ei Rex continuò se subuenturum, & indubitanter postulata collaturum. Et sic visio disparuit. Tunc vir potentissimus somno excitus, cùm in corde suo quænam esset visio hæc, versaretur, diuino nutu intellexit, ciuitatem ipsam in qua erat auxilium quærere, & se in melius restitui peroptare. Sicq; Constantinus à fundamentis illam erexit, & de suo nomine *Constantinopolim* appellauit, quam Romæ mœnibus altis, ædificiorum structura nobili coæquauit, & pari gloria & honore terreno sublimem reddidit: quæ *sicut Roma est caput Occidentis, ita & illa ciuitas debet esse Orientis.* Est autem sita inter Adriaticum mare, & illud quod nunc vocatur *Brachium sancti Georgii*, supra quod mœnia ciuitatis locata sunt. Hæc præ cunctis aliis vrbibus fœcunda est pingui agro, & omni marinarum diuitiarum mercimonio. Hanc itaque diuino nutu conditam nemo dubitet: quoniam præuidit Deus quod erat futurum, quod nos modò videmus impletum. Nisi enim talis condita fuisset ciuitas, Orientalis Christianitas vbi diffugium habuisset? Ibi nunc receptaculum habent sanctissimæ reliquiæ Sanctorum Prophetarum & Apostolorum, & innumerabilium martyrum Sanctorum, quæ illuc translatæ sunt à facie Paganorum. Asia & Aphrica olim fuerunt Christianorum, quæ nunc subiiciuntur immundis

ritibus

Hoc quod Rex iurat, Non longo tempore durat.

Iurat & abiurat, Qui de se nō benè curat.

Visio perplana Fuit hac Constantiniana.

ritibus gentilium. Ideo talis effecta est vrbs regia *Constantinopolis*, vt sanctarum, quas suprà diximus, reliquiarum foret tutissima regia. Et ideo debet benè Romæ coæquari dignitate sanctuarii, & excellentiâ regiæ dignitatis: nisi quòd *Roma* est Papali apice sublimata, & caput & summa totius Christianitatis. De his ergo loqui sufficiat, & hic secundus liber finem recipiat.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

10

CONFOEDERATIS igitur cum Imperatore *Francorum* Principibus, iussit Imperator naues ad portum adduci, vt omnis exercitus sine magna dilatione posset transfretari. Primi itaque transfretauerunt Dux *Godefridus* & *Tancredus*, & vsque *Nicomediam* perrexerunt, & per tres dies ibi feriati sunt. Videns ergo Dux, quòd nulla pateret via transituris, per quam tantum exercitum conducere posset, præmisit quatuor millia hominum cum securibus ac vomeribus, aliisque ferramentis aptandæ viæ conuenientibus. Erat autem terra illa inuia, per iuga montium, per concaua vallium, per defossa terrarum vndique præpedita. Constrauerunt itaque viam plurimo sudore vsque *Nicæam* ciuitatem, peditibus, equis, omnique transeunti satis idoneam: posueruntque ligneas cruces per reflexus viarum, in testimonium; vt cunctis notum fieret, quòd via illa erat peregrinantium: Sicque suo tractu pertransiit omnis multitudo, excepto quòd *Boamundus* remansit cum Imperatore, dispositurus cum eo de commeatus promissione. Sed vltrà modum *protelari* videbatur illa promissio, quia antequam perueniret, apud illos qui pauperiores erant versabatur maxima famis cruciatio. Ad Nicæam vrbem conuenit robur exercitus, pridie nonas Maii, & antequam mercatum adduceretur, vendebatur viginti aut triginta denariis vnus panis. Postquam verò Boamundus cum commeatu venit, penuria euanuit, & vbertas omnium bonorum affuit. *Die* siquidem *Ascensionis* Domini *vrbem* obsidione vallauerunt, & balistas arietes, & cætera id genus instrumenta quibus inhabitantes expugnari quirent, apposuerunt. A parte Orientis, quia inexpugnabilior & magis munita ciuitas esse videbatur, applicuerunt sui robur exercitus Principes isti: *Podiensis* Episcopus, Comes *Raimundus, Hugo Magnus*, Comes *Normannus*, Comes *Flandrensis*, Comes *Stephanus* Carnotensis: A Septentrione Dux *Godefridus:* Ab Occasu solis *Boamundus:* Ab Austro verò pars nulla fuit, quia lacus magnus ibi præsidio fuit: In illum ciues cum nauibus introibant, & ligna & herbas, aliaque necessaria afferebant. Quod vt Principes agnouerunt, tum legatio ad Imperatorem cucurrit, vt naues conduci faceret, vsque *Ciuito* vbi portus est, & boues cum eis qui eas vsque ad lacum traherent. Qui illicò dictis paruit; & iuxta Principum velle factum fuit. Quid plura? Dispositis circa vrbem agminibus, Christicolæ viriliter insistunt: & *Turci* quia de vita eorum agitur, fortiter resistunt. *Turci* toxicatas sagittas mittebant, vt quos vel leui tactu sauciarent, graui morte perimerent. Nostri verò pro vita mori non formidantes, altas circa muros machinas erigunt, quibus infra se illos qui in muris erant despiciunt. Ligneæ turres lapideis turribus opponuntur; & iam cominus hostis lanceis & ensibus impugnatur. *Iamq́, sudesq́, faces, lapides iaculantur in vrbem. Hostis terretur, quia iam de morte timetur. Vnde fragor turbæ, clamorq́, sonabat in vrbe.* Passim fugiebant matres cum filiis & filiabus suis solutis crinibus, latebrasque quærebant, quia spem vitæ nusquam habebant. Iamq; vt se victum reddere parabat hostis, sexaginta millia Turcorum eminus aduenire conspexit. Ipsi enim de ciuitate præmiserant ad illos, dicentes, vt per Meridianam portam venirent ad ipsos, & adiuuarent eos. Nostri verò interim obsederant illam portam magno comitatu, & custodiebant eam Podiensis Episcopus & Comes *Sancti Ægidii*. Turci verò de montanis descendentes, vt eminus nostrorum agmina conspexerunt, timore perculsi sunt: & nisi in sua multitudine confidissent, fugæ præsidium, frenis retroflexis, arripuissent: feceruntq; tres turmas, vt vna suprà dictam irrumperet portam, & duæ confligendo, si necesse eis incumberet, liberiùs subsequerentur tertiam. Sic Turci disposuerunt; sed DEI consilio, nostri erudiciores hanc definitionem aliter mutauerunt. Nam *Podiensis Episcopus*, &

Iam mare trãsitur: Sed ad inuia iamq́, venitur.

Tu quoque Nicæa, Dabis sis ampla trophæa.

Cùm te vastabũt, Et vastatã superabunt.

Pro turba turbæ Fragor est permotus in vrbe.

20

30

40

50

Comitis *Raimundi* exercitus, vt primùm illos visu attigerunt, vrbe relictâ, celerrimo cursu irruunt in illos: non plus eorum formidantes multitudinem, quàm canes fugientem leporem. O quot millia electorum militum illos sunt insecuti; paratiores de Turcorum corporibus extrahere animas, quàm quisquam famelicus eundi ad nuptias! *Turci* verò, vt viderunt tot armorum prænimium splendorem (suggerebat enim flammantibus radiis Sol fulgorem) tot veloces equorum occursus frementium, tot hastas contra se vibrantes, terga verterunt, & nimis pigri & inertes ad montana redire voluerunt; sed quicunque inde descenderant, rursus ascendere non potuerunt. *Et malè multati nece dirâ sunt cruciati. Auxiliante DEO, Sic agmina nostra trophæo Tali lætantur, Et ad vrbem regrediuntur.* Qui iterum machinas ascendentes, vt maiorem metum hostibus incuterent, balistis & fundis occisorum capita Turcorum intus proiiciebant. *Nec tardante morâ, sunt ipsa temporis hora. Naues allatæ Constantinopolitanæ:* Sed illâ die in lacum non immiserunt, sed noctе, plenas Turcopolis, gente scilicet Imperatoris benè doctâ & assuetâ nauibus. In crastinum surgente aurorâ, vt viderunt naues hii qui erant in ciuitate, prænimio timore exterriti sunt, & vltrà non habentes spiritum, quasi iam mortui in terram corruerunt. Vlulabant omnes filiæ cum matribus, iuuenes cum virginibus, senes cum iunioribus. Vndique luctus, vndique miseria, quia euadendi spes non erat vlla: Intus erat mœror, & mentis hebetudo; foris gaudium & exultatio. Tandem inuenerunt euadendi cõsilium, quia per Turcopolas Imperatori significarunt, ei se reddere ciuitatem, si illæsos & incolumes cum suis rebus eos permitteret abire. Quòd vbi Imperatori nuntiatur, admodum inde gratulatur: sed & inde mente concipit fraudem, vt deinceps parturiat iniquitatem: Iubet vt suis reddatur ciuitas, *Turcis* integra fiducia tribuatur, & ad se *Constantinopolim* conducantur. Quod ideò fecit (vt res ipsa deinceps innotuit) vt cùm tempus accederet, ad detrimentum *Francorum* paratiores inueniret. Itaque ciuitas redditur, & Turci Constantinopolim deducuntur. Nec immemor tamen fuit Imperator tanti beneficii: quia pauperibus qui erant in exercitu, largas eleemosynas præcepit erogari. Septem itaque hebdomadibus & tribus diebus *Nicææ* ciuitatis protensa est expugnatio: nec vlla vi humana superata fuisset, nisi DEI adiutorio. Est enim muris densissimis & altis turribus præmunita, vt caput & nulli compar in tota Romania. In hac olim, tempore *Constantini* Imperatoris, trecenti & octodecim Episcopi aggregati fuerunt; & de fide nostra, propter hæreticorum versutiam qui tunc temporis erant, tractauerunt; & ita omnia, sicut tenet nunc Catholica Ecclesia, omnes vnanimiter sanxerunt. Et ob hoc dignum erat, vt inimicis sanctæ fidei auferretur & DEO reconciliaretur, & sanctæ matri nostræ Ecclesiæ, vt membrum suum, redintegraretur. Et prouisa fuit, & disposita fuit à DEO hæc noua redintegratio, quoniam plurimorũ qui ibi occisi sunt, consecrata est martyrio. Taliter vt diximus, liberata est Nicæa ciuitas, & expulsa est ab ea omnis diabolica captiuitas. *His ita patratis, sua mox tentoria nostri Desigunt, & abire parant, sic vrbe relictâ Missis legatis Constantinopolitanis.* Postquam vero de ciuitate recesserunt, duobus diebus coniuncta agmina in vnum processerunt, & ad vnum pontem peruenerunt, iuxta quem duobus diebus quiescentes feriati sunt, & de virenti gramine equos & bestias suas refocillauerunt. Quia verò ingressuri erant terram desertam & inaquosam, consilium inierunt, vt diuiderentur, & in duo agmina partirentur. Non enim vna terra, vna regio sufficiebat tot hominibus, tot equis, tot animalibus. Vna igitur & maior acies *Hugoni Magno* committitur: Altera verò *Boamundo* coniungitur. In prima acie fuerunt cum Hugone Magno *Podiensis* Episcopus, Comes *Raimundus*, Dux *Godefridus*, & *Flandrensis Comes Robertus.* In secunda autem cum Beamundo, *Tancredus, Robertus Comes Normannus*, & multi alii principes, quorum nomina ignoramus. Itaque prospero successu per Romaniam iam quasi securi equitabant. Sed euoluto trium dierum curriculo, quarta iam die, hora tertia, hii qui erant cum Boamundo, viderunt trecentorum Turcorum millia sibi occurrere, & clamosis vocibus, nescio quid barbarum perstridere. Pro quorum immensa multitudine quidam ex nostris hæsitare cœperunt, vtrùm resisterent, aut fugæ diuortia quærerent. Tunc *Boamundus*, vt vir multiuidus, & *Normannus* Comes vt miles animosus, vt viderunt quorundam animos titubare, præcipiunt omnes milites descendere, & sudes tentoriorum infigere. Erat autem ibi quidam riuus currentis aquæ præterfluens, iuxta quem in longum sua tentoria ponunt. Concitò prouidus Boamundus celerem dirigit nuntium, *qui celeri volitaret*

Iam Turci fugiunt, Pauidiq; per omnia fiunt.

Hostes inclusi, Magna formidine fusi, Quo se conuerti Valeant, non sunt benè certi.

Hostis captiuus Condonatáq; nece viuus, Redditur à Francis Constantinopolitanis.

30

40

50

equo,

equo, nostrosq́ vocaret, Quatinus ad bellum properarent iamq́ paratum. Antequam verò tentoria tensa fuissent, centum quinquaginta *Turci* equis velocioribus aduecti, nostros appropiauerunt, & tensis arcubus suas sagittas toxicatas in eos immiserunt. Nostri verò equis admissis illos exceperunt; & comprehensos occiderũt. Turcorum quippe consuetudo est, vt retrò confugiãt tractis sagittis, & dum fugiunt aduersum vulnus se insequentibus infligant. Sed fugæ nullus locus erat, quia densitas hostium occupauerat ipsa cacumina montium. Propterea nostri dextra leuaq; eos instanter trucidabant, & arcus & sagittæ inutilem ibi locum habebant. Tandem confractis lanceis *Francorum* in corporibus impiorum, res agitur gladiis. O quot ibi corpora corruerunt, truncatis capitibus, aut mutilatis aliquibus membris! Illic videres, quòd posterior pars hostium impellebat priorem in gladios trucidantium. *Dum sic pugnatur, dum sic pars prima necatur, Pars ea Turcorum quæ riuum transiit, illa Protinus inuasit tentoria Christianorum:* Diruunt illa; trucidant matres cum pueris, & quos imparatos bello reperiunt & sine armis. Clamor morientium *Boamundi* peruenit ad aures, & protinus quid esset intellexit. Bellum Comiti Normanno committit: & ad tentoria cum paucis celeri cursu repedauit. *Quos vt viderunt Turci, mox terga dederunt.* Boamũdus autem conspicatus ibi iacere multos exanimes, cœpit lamentari; & Dominum, vt viuis ac mortuis esset refugium, deprecari. Ad bellũ festinus remeauit, sed tamen pro vallo & munimine in tentoriis milites dereliquit. Antequam verò ad bellũ rediret, fuerant iam nostri adeò fatigati, siti, labore & calore æstus, quia nisi mulieres potum de riuo præterfluenti attulissent, multi ipso die bello succubuissent. Iam verò nostri *Turcis* irruentibus semel terga dederunt, & nisi citò Comes Normannus aureum vexillum in dextra vibrans equum conuertisset, & geminatis vocibus militare signum, *DEVS vult, DEVS vult,* exclamasset: *Nostris illa dies nimis exitiabilis esset.* Sed postquam viderunt reuerti Boamundum & Comitem Normannum, spiritum audaciæ resumpserunt, & magis mori quàm vlterius fugere elegerunt. Tanta quippe erat Turcorum instantia, & vnus ita impellebat alium: quòd nusquam erat cuiquam pro vllo commodo diffugium: Nostros ita vallauerant, quòd locum vacuum nisi circa tentoria non inueniebant: Multi de nostris tunc mortui sunt, qui Turcorum sagittis perierunt. Nullus nostrorum vacabat ab officio; nullus erat absque ministerio. Milites & ad bellum expediti pugnabant; sacerdotes & clerici plorabant & orabant; mulieres lamentantes mortuorum corpora in tentoria trahebant. Et dum sic nostri coartantur, dum nube volantium sagittarum obumbrantur, aduolat interea Dux *Godefridus* & *Hugo*. Qui cùm ad montana peruenerũt cum quadraginta millibus electorum militum, aspiciunt tentoria suorum vndiq; circumsepta agminibus Turcorum, sociosq; suos vtcunque pugnantes, mulieres in tentoriis magno vlulatu vociferantes; ardescunt animo, & sicut aquila fertur in prædam, *Quam vox pullorum stimulat ieiuna suorum, Sic ira accensa, penetrarunt agmina densa.* O quantus ibi fragor armorum, quantus strepitus confringentium lancearum, quantus clamor morientium, & quàm hilaris vox pugnantium Francorum, militare signum suum altis vocibus conclamantium! Congeminantur illæ voces dum eas recipiunt, & recipiendo emittunt concaua vallium, cacumina montium, scissuræ rupium. Miseri quos primùm inueniunt; quia nunc homines, nunc sola cadauera sunt, quos non contegit lorica vel clypeus, & quos nõ adiuuat sagitta vel sinuatus arcus. Vlulãt, gemunt, terram morientes calcibus terunt, aut procumbentes herbam mordicus scindunt. Hos repentinos sonitus dum longè positi percipiunt; alii gratulantur; alii mœsti fiunt. Franci intelligunt militare signum suorum pugnãtium; Turci verò lamentabiles gemitus suorum morientium: Torpescit stupefacta manus iniquorum; cõualescit iam fatigata manus Christianorum. Interea dum Turci qui nostros impugnabant ad montana respiciunt, conspiciunt *Podiensem Episcopum* & *Comitem Raimundum*, cum reliquo exercitu militum & peditum de montibus descendere, suosque inuadere: obriguerunt timore magno præ multitudine bellatorum, putantes quòd aut de supernis sedibus bellatores compluissent, aut de ipsis montibus emersissent. Iterum prælia innouantur, recenterq; plurima Turcorum millia prosternuntur. *Quid faceret Turcus, populusq́ per omnia spurcus? Ni sua terga daret quò venerat & remearet. Sed qui cauda prius fuerat, caput incipit esse. Sicque caput caudam sequitur, fugiens fugientes.* Nostri quoque qui iam propè in suis erant inclusi tentoriis, iterum resumpto spiritu animantur, & sua vulnera grauesq; iniurias de hostibus vlciscuntur. *Qui prius instabant, fugiunt per deuia quaque: Nec curant quorsum, vel in antea siue retrorsum; Sed*

Ecce fit hic pugna, Qua non fuit omnibus vna.

Hinc labor, inde calor, sitis, improbus hostis & arma Nostros inuadunt, & ob hoc iam terga parabunt.

Assunt præsidio Dux Godefridus & Hugo.

Militia tanta bellum nunquã fuit ante: Hinc timor incessit quo trans ab inde recessit.

Iam Sarraceni fugiũt, Arabes, Agareni.

Cum Publicanis, Medis, Persis, Agulanis.

miles CHRISTI *prosternit eos nece tristi; Sanguine terra madet, montis rubet vndique cliuus; Completurque simul fluitanti sanguine riuus. Corpora cæsorum tot erant prostrata per agrum; Quòd nisi vix vllus currere quibat equus.* Ab hora igitur diei tertia vsque ad noctis crepusculum conflictus ille continuus fuit: & mirum esse poterat vnde gens tanta aggregata fuerit. Sed vt asserebant, qui se melius scire arbitrantur, *Persæ, Publicani, Medi, Syri, Chaldæi, Saraceni, Agulani, Arabes* & *Turci* ibi conuenerant, & superficiem terræ cooperuerant, sicut locustæ & brucus quorum non est numerus. Nox quippe litem diremit, magnoque illis fuit præsidio; quia nisi tenebræ eos occuluissent, pauci ex tanta multitudine superfuissent. *Gloria magna DEO, tali tantoq; trophæo Qui perimit nocuos, glorificatque suos.* Nostri itaque compellentibus tenebris, ad sua tentoria reuersi sunt, sacerdotibus & clericis hymnum DEO dicentibus in hunc modum: *Gloriosus es Domine, in sanctis tuis, mirabilis in sanctitate tua: terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia. Dextera tua, Domine, percussit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos. Dixerat inimicus*; Persequar & comprehendam illos, diuidam spolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. *Sed tu, Domine, nobiscum fuisti, tanquam bellator fortis, & Dux & protector fuisti in misericordia tua populo tuo quem redemisti. Nunc, Domine, cognoscimus, quia portas nos in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum, ad sanctum scilicet Sepulcrum tuum.* His dictis voces suppresserunt, & securi iam ab hostibus nocte illa quieuerunt. In crastinum verò vbi sol flammanti lumine mundum venustauit, omnes ad campum belli cucurrerunt, & de suis plurimos peremptos inuenerunt: & nisi cruces fuissent, segregari ab illis vix potuissent. Illi verò quibus erat sanior intellectus, vt CHRISTI martyres venerabantur, & digniori honore quo poterant tumulabant. Et sacerdotes & clerici sepulturæ debitos effundebant cantus: Matres pro filiis, amici pro amicis, lugubres emittebant planctus. His ita completis, ad cadauera hostium spolianda festinauerunt. Et quis referre potest, quantam ibi abundantiam vestium, quantam auri argentiq; copiam repererint? O quantam multitudinem equorum, mulorum, mularum, camelorum & asinorum nostri tunc habuerunt? Qui prius erant pauperes, DEO opitulante, diuites effecti sunt. Qui prius seminudi, sericis indumentis vestiti sunt. Leguntur tela & sagittæ, & vacuatæ implentur pharetræ. Cura vulneratis impenditur, & curæ medicorum committuntur. *Sicq; die tota, non est gens nostra remota.* Huic facto egregiæ laudis, si quis mentis oculum velit apponere, DEVM mirabilem in suis operibus poterit aduertere. *Esurientes* etenim suos *repleuit bonis, diuites* verò non suos *dimisit inanes; deposuit potentes, & exaltauit humiles,* potentes abiectos reddens, humiles gloriosos. Hoc est quod per Esaiam Prophetam spopondit suæ dilectæ Iherusalem: *Ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem: & suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis, & scies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* Superbia seculorum, nobilitas est virorum illustrium; mamilla Regum, diuitiæ thesauros suos in terram fodientium. Quæ nobilitas mamilla regum pascitur, cùm ei mundana potestas subiicitur. Et inde habet gaudium & lætitiam non tantùm in hac generatione præsenti, sed & in futura generatione seculorum. Altera autem die, quę erat tertia mensis Iulii, tentoria summo manè defixerunt, & vestigia Turcorum fugientium sequi festinauerunt. Sed illi sicut trepidæ columbæ à facie accipitris, ita ante eorum faciem fugiebant. Igitur per quatuor dies huc illucq; fugientes, contingit vt *Solimannus* Dux illorum inueniret decem millia *Arabum* venientia sibi in auxilium. Erat autem Solimannus filius Solimanni veteris, qui totam Romaniam abstulit Imperatori. Hic quippe postquam de *Nicæa* vrbe fugerat, gentem hanc in vnum congregauerat, & quasi pro vlciscenda sua iniuria, super Christianos adduxerat. Hic cùm eos vidisset & Arabes illum, præ nimio dolore equo lapsus in terram, cœpit magnis vocibus heiulare, seq; miserum & infelicem proclamare. Cui Arabes infortunii sui casum ignorantes, dicunt: *O cunctorum hominum impudentior! quid ita fugis? Multum degeneras: quia nunquam pater tuus de prælio fugit. Resume animi constantiam, & reuertere ad prælium, quoniam venimus tibi in auxilium.* Quibus ille, suspiriis vocem interrumpentibus, ait: *Magna vos vexat insania: nondum vos cognouistis virtutem Francorum, nec experti estis animos eorum. Virtus eorum non est humana sed cœlestis, aut diabolica. Nec ipsi tantum in suo confidunt auxilio, sed diuino. Nonne in tantum deuiceramus eos, quòd iam parabamus iliceos funes & canabinos, vt eorum collo immitteremus? Tum subitò gens innumera, quæ mortem non veretur & hostem non timet, erupit de montibus, & indubitanter se inseruit nostris agminibus. Quorum oculi ferre poterant*

Corpora nostrorũ cũ Dei laude tumulantur.

Corpora Turcorum per campũ despoliantur.

Terror erat magnus. Quo territus est Solimannus.

eorum terribilium armorum splendorem? Lancea eorum micabant vt coruscantia sydera, galea & lorica, vt vernantis auroræ lumina vibrantia: fragor armorum, terribilior erat sonitu tonitruorum. Cùm se bello præparant erectis in cœlum lanceis, seriatim incedunt, & ac si sine voce essent, conticescunt. Cùm verò suis adproximant aduersariis, tunc laxatis loris tanto impetu irruunt, ac si leones quos stimulat ieiuna fames, & sanguinem animalium sitiunt. Tunc vociferant & strident dentibus & aëra clamoribus implent, & peregrini à misericordia neminem capiunt, sed omnes necant. Et quid dicere de tam crudeli gente valeo? Nulla gens est quæ huic valeat resistere, quæ fugiendi locum possit inuenire: quia aut diuino aut diabolico fulciuntur auxilio. Omnes aliæ gentes nostros arcus expauescunt, & tela timent: isti verò postquam loricati sunt, tantum timent sagittam, quantum & stipulam: sic formidant telum, sicut & fustem ligneum. Heu heu trecenta sexaginta millia fuimus, & omnes vel occisi sumus ab istis, vel dispersi fugimus. Nunc quartus dies est, ex quo à facie eorum fugere cœpimus, & adhuc non timore minori, quam & primo die trepidamus. Qua de re, si sano vultis parere consilio quàm primum valetis à tota Romania abscedite; & ne illorum oculus vos videat, summâ cautelâ prouidete. Hæc Arabes vt audierunt, cum ipso Solimanno fugam concitò arripuerunt. Christiani autem maiori sollertia sequebantur fugientium vestigia; sed illi nunquam in eodem statu morabantur: & quantumuis eorum animi confusi fuerint, ad quascunque tamen Christianorum vrbes vel castella fugiendo veniebant, hilarem vultum quasi potiti victoria, præferebant: dicentes, *Gaudentes & cum lætitia aperite nobis ianuas vestras, quoniam occidimus vobis omnes Francigenas, qui vos & terras vestras deprædari venerant: ne vnus quidem superest de illis, quin aut mortuus sit, aut teneatur in vinculis nostris. Solimannus etenim Dux noster aliâ viâ procedit, & captiuos secum deduxit.* Qui verò verbis eorum creduli erant, aperiebant, sed postque graues pœnas luebant. Nam deprædantes eorum possessiones, domos incendebant, ipsosque aut trucidabant, aut loris astrictos secum ducebant. Nolebant quippe vt *Franci* qui eos insequebantur, aliquid inuenirent, vt vel sic inopia coacti persequi desisterent. Qui in hoc, prudenti vsi sunt consilio, quia illis valde profuit, nocuitq; omni exercitui nostro. Nostri enim inuenerunt terram illam desertam, & inaquosam, omnibus bonis vacuam. Vellebant spicas segetum ad maturitatem proximantium, & inter manus confricando expilabant, talique cibo famem vtcunque mitigabant. Ibi mortua fuit maior pars equorum, & multi qui prius equites extiterant, pedites effecti sunt. Equitabant vaccas & boues, & magnæ fortitudinis & altitudinis terræ illius arietes & canes. Transierunt itaque solum illud quàm citò potuerunt, & intrauerunt *Lycaoniam*, prouinciam omnibus bonis vberrimam, & venerunt *Iconium*. Est autem Iconium opulentissima ciuitas temporalibus bonis, de qua meminit *Paulus* Apostolus in epistolis suis. Qui verò errauerunt in solitudine, in inaquoso, ciuitatem hospitio commodam inuenerunt, & Domino suggerente, bonis terrenis repleti sunt. Cumq; digredi à ciuitate placuit, suadentibus incolis, aquam in vasis & vtribus secum tulerunt, quia aquam in crastinum nusquam repererunt. Die verò secunda in vesperum ad quoddam flumen peruenerunt, ibiq; duobus diebus hospitati sunt. Altera autem die cursores qui præibant agmina, primò venerunt ad ciuitatem, quæ *Heraclea* memoratur, in qua Turcorum maxima multitudo aggregabatur. Qui vt à longè depreheńderunt vexilla Francorum volitantia, protinus effugerunt vt damulus ereptus de laqueo, aut cerua sagittata. Nostri verò laudantes Dominū, sine obstaculo ciuitatem intrauerunt, & per dies quatuor ibi dietauerunt, die verò quinta de ciuitate omnes exierunt. Tunc *Balduinus* Comes frater Godefridi Ducis, & *Tancredus*, ab aliis se cum suis militibus diuiserunt, & ad vrbem *Tarsum* diuerterunt. Erant autem multi *Turci* in ea, qui contra eos exierunt ad prælium: sed diu obstare non potuerunt. Cùm enim veloces impetus nostrorum, & sinuatos incursus, & diros ictus ferre non potuerunt, pluribus suorum prostratis in munitionē vrbis se receperunt: & nostri castra sua ante vrbem locauerunt, & excubitores posuerunt. Illi verò qui erant in ciuitate Christiani, nocte media ad castra veniunt, cum magno gaudio clamantes atque dicentes: *Surgite, inuicti milites Francorum, quoniam Turci omnes de ciuitate fugiunt, & vlteriùs vobiscū decertare non præsumunt.* Nostri tamē eos persequi noluerunt, quia nox erat, tempus scilicet ad persequendū minimè idoneū. Die verò lucescente nostri in ciuitatē introierunt, & ciues eos libentissimè receperunt. Facta est autem contentio inter Comitem Balduinum & Tancredum, quis eorū ciuitati dominaretur, an vtrorumq; dominio subderetur. *Tancredus* renitebatur,

Fraudes fingebant Arabes, dum sic fugiebant.

Inuenère fame Nostri, post sterilitatem.

Hæc Vrbs suscepit Nostros, penitusq; recepit.

Hic agmen sparsum, Petit vrbem nomine Tharsum.

quia pro se eam volebat habere: sed tandem cessit *Balduino*, quia maior erat illi exercitus fortitudo. Fuerunt autem eis in breui temporis interuallo traditæ duæ ciuitates: vna quæ vocatur *Athena*, alia quæ *Manustra*, & multa castella. Iam verò ibant secundis successibus, quoniam *Turci* iam non equitabant, sed abditi erant in munitissimis munitionibus. Maior autem pars Francorum ingressa est *terram Armeniorum*: quia inhianter affectabant inebriare terram sanguine Turcorum. Terra autem omnis silebat in conspectu ipsorum, eisque *Armenii* obuiam veniebant, & in suas ciuitates & castella recipiebant. Ad quoddam verò castrum peruenerũt, quod ita naturali positione munitum erat, vt nulla arma prorsus, nulla machinamenta bellica metuebat. Sed tamen noluerunt ibi diu demorari, cùm scilicet tota 10 alia terra eis esset subdita, & ex affectu volebat inclinari. Erat autem in exercitu quidam miles fortis & strenuus & ab illa regione oriundus, qui terram illam postulauit à cunctis Principibus, vt eam in fidelitate Dei & *Sancti Sepulcri* & eorum custodiret, vt vitam & honorem suum protegeret. Cui Principes vnanimiter assensum tribuerunt, quia sciebant eum esse virum fidelem, & bellicis rebus idoneum & fortem. Dehinc prospero successu venerunt ad *Cæsaream* Cappadociæ. *Cappadocia* autem regio est in capite *Syriæ* sita, ad Septentrionalem plagam porrecta: Cuius incolæ ciuitatis vltrò se tradiderunt, eosque benignè receperunt. Egressique de Cappadocia, prosperè venerunt ad quandam vrbem pulcherrimam & satis vberrimam, quam *Turci* non multò antè obsederant, & per tres hebdomadas impu- 20 gnauerant, sed expugnare nequiuerant. Ad quam accedentes, mox cum summa lætitia ciues obuiam venerunt, & beneuolè susceperunt. Hanc iterum petiit alter miles, nomine *Petrus ab Alpibus*, & impetrauit eam celerrimè ab vniuersis principibus. Ipsâ nocte quidam delator nugarum venit ad *Boamundum*, dixitque ei, vsque ad viginti millia Turcorum in proximo adesse, qui nondum scirent *Francos* exercitum illuc aduenisse. Ille credulus verbis mendacibus, elegit milites electos quos secum duxit, & loca in quibus latitare dicebãtur peragrauit. Sed sicut delator inanis fuit, sic & inquisitionis effectus frustratus. Dehinc consurgentes venerunt ad quandam vrbem, quæ vocatur *Cosor*, quæ plena erat omnibus bonis, quæ vtilia sunt corporibus humanis. Ad quam accedentes, ab his qui erant in ea Christianis, officiosissi- 30 mè suscepti sunt. Et ibi per tres dies feriati sunt. Illic vnusquisque suæ consuluit indigentiæ: lassi inuenerunt requiem, esurientes refectionem, sitientes potum, nudi operimentum. Prouidit itaque eis Devs tale habitaculum, quò faciliùs pati valerent validum superuenturæ famis cruciatum. Interea nuntiatum est Comiti *Raimundo*, quòd Turci metu territi, de *Antiochia* fugerant, ciuitatemque minimè præmunitam reliquerant. Qui inde accepit consilium, quod illuc quadringentos milites dirigeret, qui arcem ciuitatis occuparent, antequam aliis cognitum esset. Et vt venerunt in vallem Antiochiæ vicinam, tunc primum audierunt verum non esse quòd Turci discessissent à ciuitate, sed omni nisu quo poterant moliebantur defendere. Perrexerunt igitur vsque ad *castellum Publicanorum*, eoque subiugato, aliò 40 secundo itinere diuerterunt; & in vallem *de Rugia* peruenerunt; multosque ibi *Turcos* & *Saracenos* inuenerunt, quos in ore gladii superatos prælio occiderunt. Quod videntes Armenii, terræ illius habitatores, gauisi sunt: quia videlicet à Christianis tam viriliter & Turci & Publicani sunt occisi; continuoque cum terra sua reddiderunt se illis. Et *Rusam* ciuitatem obtinuerunt, & plurima castella suo dominio mancipauerunt. Vniuersus verò exercitus qui remanserat iter arripuit, miseroq; infortunii successu per quædam montana, quæ nulli erant nisi feris aut reptilibus peruia: vbi semita erat quæ non ampliùs quàm vnius pedis spacio dilatabatur, sed hinc & inde rupibus & densis spinarum seu veprium frutetis artabatur: ima vallium in abyssum videbantur immergi, cacumina montium ad sydera tolli: hac 50 inæquali semitâ milites & armigeri collo suo arma dependentia gestabant: omnes æqualiter pedites, quia nulli eorum equitabant: pleriq; libentissimè loricas, galeas, clypeosq; suos vẽdidissent, si emptorem inuenissent: multi quidem plurima lassitudine deficientes ea proiiciebant, vt saltem sic expediti ire valerent. Iumenta cum oneribus ire nullatenus poterant, sed plerisq; in locis onera iumentorum homines ferebant. Stare loco aut sedere nemo poterat, quia alter alterum impellebat. Nemo poterat iuuare suum comitem, nisi præcedẽtem vltimus, quoniam qui præibat vix conuerti valebat ad subsequentem. Tandem finitâ tam infelici viâ, & inuiâ, venerunt ad ciuitatem, quæ *Marasim* memoratur, & ab incolis illis cum honore & gaudio

Gens fera Francorum, Terram subit Armeniorum.

Quod petit assequitur Miles, patriâq; potitur.

Huic tum Cæsaria, Traditur & patria.

Hic fame deleta Successit copia læta.

Mundi fortuna Mutabilis est quasi Luna. Si bona præcedit, Sequitur mala, prospera cedit. Quod liquet in rebus Multis, vt in his acieb.

gaudio excipiuntur. Illic abundantiam rerum temporalium inueniunt; ibi suæ miseriæ & defectus consolationem recipiunt. Ibi prior præstolatur vltimum: sed antè pertransiit integra dies, antequam cauda capiti cohæreret. Congregati verò & die vnâ quiescentes, secundâ die venerunt in vallem, in qua est *Antiochia* sita: regia videlicet ciuitas ab *Antiocho* rege constituta, & ab ipso nuncupata. Hæc metropolis est & caput totius regionis *Syriæ*: olim insignita per beatum *Petrum* Apostolorum Principem cultu fidei Catholicæ: in ea Episcopalem Cathedram posuit, & Apostolos *Barnaban* & *Paulum* ordinauit. Nunc verò vt Dominus ostenderet oculis mortalium, quòd *non est virtus nec vlla potestas nisi ab ipso*, prius hanc adquirere
10 voluit, in humilitate sermonis ore prædicantium; modò eam recuperare voluit, in sublimitate potentiæ armis debellantium. Sic nostri in virtute DEI ad ciuitatem properantes ad *pontem Ferreum* venerunt: inueneruntque ibi numerositatem *Turcorum* pontem transire cupientium; vt his, qui erant in vrbe, præstarent auxilium. Sed non est hominum dirigere gressus suos, sed eius est, cuius vniuersa subiecta sunt imperio. Nostri protinus irruerunt vnanimiter in eos, nullique pepercerunt, sed in ore gladii magnam multitudinem ex eis peremerunt: Alii mente consternati fugerunt, & sic vitæ præsenti suæ consuluerunt. Sic potiti Christiani victoriâ, multa inibi repererunt spolia: iumenta, asinos, camelos, oneratos vino, frumento & oleo, & rebus aliis quæ obsessis sunt pernecessariæ. Tunc castrametati sunt super ripam
20 fluminis, quod non longè distat à mœnibus ciuitatis. In die crastina onusti bonis omnibus ad ciuitatem ire disponunt: ad quam DEO Ductore peruenientes, in partibus tribus castra circumponunt: Ex vna enim parte montana prohibent accessum, & omne bellandi procul arcent ingenium. Quarta feria duodecimo Kal. Nouembris obsidio circa *Antiochiam* posita fuit, ad laudem & gloriam futuram Domini nostri IESV CHRISTI, qui semper est mirabilis in operibus suis.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

30 INCIPIT LIBER QVARTVS.

QVIA verò *Vrbs Antiochena*, non solùm naturali situ, verumetiam mœnibus excelsis, turribusque in altum porrectis, densissimisque in cacuminibus murorum propugnaculis præmunita erat: consilium inierunt Principes, quòd contra eam pugnarent, non virtute, sed ingenio; arte, non Marte; machinamento, non conflictu bellico. Prius igitur pontem supra flumen statuerunt, vt expeditiùs flumen transirent, quotiens transeundi necesse haberent. Tunc quippe in confinio vrbis magnam bonarum fructuum vbertatem inueniebant, copiosas vindemias, foueas frumento plenas &
40 ordeo, aliisq; cibariis, arboresq; multigeneris pomis refertas. Hoc quoque insinuabant eis *Armenii* qui in ciuitate erant, quique inde consentientibus *Turcis* ad eos veniebant: sed eorum vxores & filii in vrbe remanebant. Et hoc totum, licet Christiani essent, callidè tamen faciebant: quoniam dicta nostrorum siue facta, Turcis intus renuntiabant. Construuntur à Christicolis bellica machinamenta ad oppugnandum congrua, turres ligneæ, balistæ, falces, arietes, talpæ, tela, sudes, & fundæ, & si qua alia potuerunt vlla excogitari arte. Sed quid valuerunt aduersum vrbem inexpugnabilem? præsertim cùm tot in ea essent defensores, qui etiam cum nostris campestri prælio pugnare potuissent. Postquam verò: *Phosphorus auroræ rutilos præcesserat ortus, Ipsaq; rorifluo cùm iam candore vibraret, Solq; venustaret flammanti lumine mun-*
50 *dum: Exurgunt properè proceres, procerumq; caterua, Armaque corripiunt, & ad vrbis mœnia currunt. Pugna quidem dextrâ fortis fit & intus & extrà: Illi defendunt, dum nostri spicula fundunt: Telaque cum baculis, nec non lapides sudesq;. Fit labor immanis, sed profectus fit inanis Sicq; recesserunt, quia sternere non potuerunt Turres & muros, vi nulla corruituros.* Cumq; viderent nostri quòd nil proficere possent, illam dimittunt pugnam; retinent tamē obsidionem. *Turci* quippe in sua confidētes inuictissima ciuitate, nocte ianuis apertis exibant, & in castra sagittas mittebant. Contigit autem vt ita sagittando vnā mulierem ante tentoria *Boamundi* Principis occiderint, & ideo vigilantiores excubias per castra posuerunt, qui etiam portam per quam exire solebant custodierunt. Placuit itaque principibus militiæ & optimatibus, vt castellum sibi construerent,

quò securiores essent, si inimici DEI vllo modo præualerent, qui vndique sicut apes ad aluearia confluebant. Quod & factum est. Intereà dum rarescere cœpit quotidiani victus impensa, consilium inierunt; vt cibos quærerent, & ad quærendum, armigeros & plerosque milites ob custodiam transmitterent. Sed qui prædari voluerunt, *Partim prædati, partimq́ fuere necati*. Nam castellum quoddam erat in montanis non longè à ciuitate nomine *Arech*, quod erat plenum rebellantibus *Turcis*, qui nostris insidias prætenderunt, multos vulnerauerunt & plures occiderunt, & plerosque captos abduxerunt, cæterosq; turpiter iniuriatos ad castra redire compulerunt. Quod miseri casus infortunium vbi militia DEI cognouit, admodum indoluit: sed sibi deinceps salubre consilium inuenit. Mille armigeros antè præmittunt, quos *Boamundus* & *Flandrensis* Comes cum electis militibus subsequuntur, prænominatâ valle, in qua ad ipsos confugerent, si *Turci* eos insequerentur. Quod ita absque dilatione contigit. Quoniam Turci postquam illos eminus agnouerunt, laxatis loris, & equos calcaribus vrgentes, insecuti sunt, eosque in fugam verterunt. Nostri verò ad suos, sicut ad tutissimum asylum, confugerunt, & præsidium diuini subsidii inuenerunt. Turci verò cùm nimis de proximo nostros milites paratos esse deprehenderunt, primò quidem hæsitantes loco libentissimè cessissent, si cedere valuissent. Vt tamen cognouerunt, quia pauciores Christiani essent quã ipsi, bellum inierunt; tamen cum tremore, in sua confidentes numerosa multitudine. Sed quid valet prælium, contra quod diuinum militat auxilium? DEVS enim fortis, & potens est: Dominus potens in prælio. Duo enim ex nostris ibi tantùm perempti sunt: Sed de *Turcis*, quorum non est numerus, qui & de manu DEI repulsi sunt, absque numero occisi sunt. Multos ex eis captos ad castra conduxerunt, & coram illis qui supra mœnia inclytæ ciuitatis erant, decollauerunt. Et vt maiorem illis dolorem incuterent & terrorem, balistis incisa capita in ciuitatem proiecerunt. De hinc expeditiùs ire potuerunt nostri ad villas & vicos Armeniorum, victum quærentes, & ipsi *Armenii* & indigenæ terræ illius ad nostros mercatum afferentes. Aduenit intereà sacratissima dies *Dominicæ natiuitatis*, quam DEVS cunctis fidelibus suis celeberrimam in hoc contulit; quia qui creaturis omnibus nasci tribuit, pro solis hominibus nasci disposuit. Festiuam igitur illam Christiani fecerunt, sicut qui in tentoriis erant agere potuerũt. Maius quippe gaudium erat in castris, quàm intra mœnia inclytæ vrbis: inclytam dico, non propter fœdam gentilitatis habitationem, sed propter humanę conditionis positionem, & præsertim beati *Petri* Apostolorum Principis apud Deum reconciliationem. Qua celebratione peracta, consilium acceperunt quid agerent: quoniam in castris victus deficiebat, & glacialis hyems mercatum afferentes ad ipsos venire non sinebat. Illi nanque qui erant in vrbe, quantò magis sciebant nostros esurire, tantò magis incipiebant in illos desæuire. Hinc aëris inclementia, hinc miseræ egestatis inopia, hinc opprimebat aduersariorum violentia. Et sicut solet contingere in multitudine congregatorum, non deficiebat vox murmurantium. Nec mirum erat, si humana fragilitas sub tot tormentis pressa deficiebat. Grando, nix, glacies, spiritus procellarum, illos violentissimè opprimebant, quos nulla tectura cooperiebat. Quid mirum si se malè dementabãt, qui extra tentoria erant, cùm ipsa tentoria innatabant. Propterea, vt suprà diximus, consilium inierunt, quid agerent, & tale inuicem acceperunt. *Boamundus* & Comes *Flandrensis* ad his subueniendum se ipsos obtulerunt: & omnibus placuit, & libentissimè concesserunt. Hi itaque triginta millia equitum peditumq; elegerunt, & in terram Sarracenorum intrauerunt. O rerum omniũ mediator DEVS, quàm tempestiuè subuenis in periculis, & necessitate laborãtibus, vt impleretur illud quod Salomon scripsit in prouerbiis: *Conseruatur iusto substantia peccatoris*. A *Iherusalem* & *Damasco*, & *Aleph*, cæterisque regionibus congregati erant, *Persæ*, *Arabes*, & *Medi*, gens videlicet multa nimis, quæ ad *Antiochiam* disposuerat venire, eamq; à Christianis defendere. Sed aliter in cœlo fuit dispositum; quæ dispositio illorum ordinationẽ inclinauit deorsum. Cùm enim audissent, quia pars Christianorum intrauerãt in terram suam, gauisi sunt valdè, quoniã in vinculis iam quasi irretitos arbitrati sunt. Tunc diuiserũt se in duas acies, vt sic vallati ab eis nostri, fugæ præsidium nusquam inuenirent. Quæ diuisio stulta fuit: quia *stultitia in cordibus incredulorum semper requiescit*. Nam vtræque acies vt sese inuicem aspexerunt, incunctanter altera in alteram irruit; quia illa in sua multitudine, ista in DEI Omnipotentia cõfidit: & ideo euentus belli dissimilis fuit. Milites armati quotquot in occursum

cursum sui venerunt, vt falcator messem, prostrauerunt Sed cùm in gyrum reuerti frenis voluerunt, quos iterum percuterent nisi fugientes non inuenerunt. Qui verò in manibus nostrorum peditum deuenerunt, in immane præcipitium corruerunt. Sciunt enim quibus bella nota sunt, quia *grauiori attritione pedites quàm equites interficiunt.* Altera verò acies quæ se ab altera separauerat, vt nostros circumueniret, vt audiuit voces bellantium, sonitumque confringentium armorum, laxatis habenis accurrebat suis in auxilium. Sed vt miseros illorum casus agnouit, fugientesque circumspexit, timor in illos vehementissimus irruit, fugiendique contulit societatem. Sed quid aliud nostri facerent, nisi vt persequerentur? Nam, sicut in 10 vulgari prouerbio dicitur: *si est qui fugiat non deerit qui persequatur*; iam omnes nostri eos persequebantur, quoniam qui pedites venerant, ascensores equorum efficiebantur. Quid plura? Qui euadere potuit, lætus & hilaris fuit; qui verò interceptus, miserrimâ nece occubuit. Quot asini & cameli, quotq; iumenta frumento, vino, cæterisq; cibariis onusta, ibi capta sunt? quæ esurienti exercitui DEI grata erant. Quantum gaudium, & tripudii exultatio fuit in illa die in castris; cùm talia dona viderunt summi procuratoris? Mirandum & gaudendum erat, quòd Dominus de mercibus inimicorum suorum de longinquo adductis, fideles suos reficiebat. *Esurientes bonis implebat*, quibus aduersarios suos spoliabat. Sic quoque filiis Israël olim faciebat, cum per terram gentilium regum transire cupiebant, & illi publi-20 cum viæ regiæ incessum eis denegabant. Omnes pari modo, qui contra illos accipiebant gladium, gladio peribant; & eorum terra & facultates dabantur eis in possessionem. Nunc verò idem Dominus eâdem recompensatione aufert suorum aduersariis, vt illi credant veraciter actum fuisse, quod scriptum est de illis. Per omnia sit DEVS, qui benedicendus est, benedictus; sine ipso nihil possumus. Interim dum isti gloriosi Principes absfuerunt; qui in ciuitate erant, repentè de ea exierunt, nostrosq; inter castra inuaserunt: & plurimos ex eis occiderunt. Ipso die *Podiensis* Episcopus perdidit dapiferum suum, qui suæ aciei deferre solebat vexillum. Et nisi flumen inter castrum & vrbem fluxisset, maioribus iniuriis & frequentioribus lacessissent. Quibus bellorum euentibus, & maximè famis inopia, plerique nostro-30 rum afflicti, abire moliebantur: quia nimis graue erat inuitis ferre ieiunium, & ideo machinabantur ab obsidione diffugium. Quos Boamundus vir facundus & gratus eloquio, ita affatus est, dicens: *O Viri, qui huc vsque fuistis bellatores egregii, quos Deus per multa iam bellorum pericula victores reddidit, quosq; virtus experientia vt illustres decorauit, vt quid contra Dominum murmuratis, quia premit vos angustia paupertatis? Cùm vobis porrigit manum, tunc exultatis; cùm relaxat, tunc desperatis. In hoc videmini non diligere donantem, sed dona, non largitorem, sed largientis oblationem. Cùm largitur Dominus, amicus est; cum cessat, inimicus vobis videtur esse & extraneus. Cui vnquam genti præstitit DEVS in tam breui tempore tot bella committere, tot acerrimos hostes superare, tot spoliis gentium ditari, tot triumphantium palmis insigniri? Ecce nunc innumerabiles hostes subegimus: ecce nunc eorum* 40 *spolia ad vos attulimus. Quid est quod sic diffidimus, cùm sic quotidie vincamus? Non longè est à vobis, qui sic pugnat pro vobis: sæpè quidem fideles suos tentat, vt vtrum diligant ipsum innotescat. Nunc tentat vos per inopiæ molestias, & per assiduas inimicantium vobis pressuras. Quod si tantas intulissent nobis iniurias, quantas & nos eis irrogauimus? si tot de nobis occidissent, quot de illis nos prostrauimus? si aliquis de nobis superesset, iure ille conqueri potuisset. Sed procertò qui conqueretur nullus esset; quoniam nemo superstes remansisset. Propterea nolite diffidere, sed estote viri cordati; quoniam si in ipso viuitis, aut pro ipso morimini, estis beati.* His & talibus dictis animos eorum eneruatos, robustos reddidit; & in effœminatas mentes virilitatem induxit. Paucis denique diebus euolutis hyems aspera inhorruit, & in castris ciborum abundantia euanuit. Illi qui vendere cibos solebant, niui-50 bus & glacie prohibente, nullatenus venire valebant. Cursores exercitus qui vsque ad terram Saracenorum transcurrebant, nihil prorsus inueniebant: quia omnes de toto terræ illius confinio, aut longè fugerant, aut in speluncis, aut in cauernis petrarum delituerant. Cumque *Armenii* & *Surani* vidissent, in tanto discrimine famis nostros esse positos, per nota loca gradiebantur, sollicitè inquirentes, si quid inuenirent, quod ad nostros afferre valerent. Sed apud tantos parum erat, nec tantæ multitudini suppetebat, & ideo vendebatur asinariũ onus frumenti, septem librarum pretio; ouum, duodecim denariis; & vna nux vno. Vt quid vniuersa percurram, cùm carum nimis vẽdebatur quicquid vilius habebatur: propter quod multi fame ibi perierunt, qui vnde aliquid emerent, non habuerunt.

Nux erat in pretio, cum nummo venditur vno. Fit nimis atque nouum, cùm bis sex venditur ouum.

Cœpit itaque oriri inter eos magna inconstantia animorum, mentis defectus, & totius bonæ spei diffidentia. Et quid mirum si pauperum, si imbecillium animi nutabant, cùm illi qui videbantur quasi columnæ esse, deficiebant omninò? *Petrus* enim eremita, & *Willelmus Carpentarius* nocturno elapsu in fugam versi sunt, & à sacra fidelium Dei societate disiuncti sunt. De Willelmo verò qui fuerit, dicamus: quoniam de Petro superiùs mentionem fecimus. *Willelmus* de regali prosapia ortus fuit, & Vicecomes cuiusdam regii castelli, quod *Milidunum* dicitur, olim extitit: qui ideò *Carpentarius* cœpit cognominari, quia in bello nullus volebat ei occursari. Nulla enim lorica erat, galea vel clypeus, qui duros lanceæ illius siue mucronis sustineret ictus. Vnde mirandum, & cum admiratione dolendum, quòd in 10 talem ac tantum virum tanta mentis hebetudo incesserit, quòd tam turpiter à castris virorum illustrium recesserit. Sed hoc non metu præliorum, vt speramus, fecerat: sed tantam famis iniuriam pati nunquam didicerat. Quod fugæ discidium vt *Tancredus* miles fortis & integer animo cognouit, vehementer condolens, insecutus est illos, & comprehendit; & cum dedecore reuerti coëgit, & ad domum *Boamundi* adduxit. Non dicendum est si passus est verecundiam, qui nullo fugante inierat fugam. Dolebant plurimi qui eum agnouerant; conuitiabantur omnes qui qualis extiterat ignorabant. Tandem multis lacessitus iniuriis, pro reuerentia *Hugonis magni*, cuius consanguineus erat, & quia iam cum ipsis in retroactis certaminibus *honestè* pugnauerat, pacem obtinuit: sed nunquam se amplius 20 ita discessurum coram omnibus iurauit. Sed tamen diu sacramentum non custodiuit: quia quantocius potuit clàm discessit. Hanc itaque famis asperitatem, vt suos probaret, euenire permisit DEVS, & vt terror eius fieret in vniuersis nationibus. Nam & suos premebat ieiunio; & vicinas nationes eorum disterminabat gladio. Cadebant mille à latere vnius, & decem millia à dextris alterius. Et ideo nunquam est à Domino tali desperandum: quia quæcunque agit, diligentibus se cooperantur in bonum. Ne illi insolescerent tot victoriis bellorum, opprimebat eos graui inedia ieiuniorum. In toto namque exercitu mille equi inueniri non poterant, ad pugnandum idonei: vt per hoc innotesceret quoniam in fortitudine equi non haberent fiduciam; sed in se, per quem, & quomodo volebat & quando volebat, supe- 30 rabant. Erat quidam miles in exercitu eodem, nomine *Tetigus*, diues apud suos, & nominatissimus, in Romaniæ partibus benè notus, palliato nugacitatis tegmine velatus. Hic venit ad principes, & ait illis: *Vt quid hìc ita torpescimus? Quare quæ nobis sunt profutura non quærimus? Si bonum vobis videtur, ego in regionem Romaniæ pergam, & inde in fidelitate Imperatoris copiosum mercatum adducam: naues onustas omnibus rebus, frumento, vino, oleo, hordeo, carne, farina, caseis, per mare adduci faciam, & equos, mulos, mulasque per terram. Et ne vllam de me spem diffidentiæ habeatis, papiliones meos & omnia bona mea derelinquam, hoc solum excepto quod mecum feram. Et si adhuc mihi decreditis, iurabo quòd citiùs ad vos redibo.* Principes mendacibus verbis illius crediderunt, sed & sacramẽtum receperunt: Ipse autem nec sacramentum tenuit, nec verborum sponsionem imple- 40 uit. Hoc ideò de his duobus militibus refero, vt quisque percipiat quanta egestas in castris fuerit, quæ etiam fugere diuites, & periurare compellebat. Cùmque iam sic arctarentur, & omnis humana spes omninò deficeret, plurima pars exercitus retrò eundi licentiam à principibus petierunt; & ipsi vnanimiter flentes eis concesserunt. Vt quid enim retinerent, quos consolari non poterant? Dum sic inualidè desolatio pullularet in castris, & nullus vllum haberet consilium; miseratio diuina solitum eis præstitit auxilium: Affuit nuncius qui innumera Turcorum agminum millia propè adesse retulit, & in castro eis proximo, nomine *Arech*, quod suprà memorauimus, illa nocte aggregari asseruit. Qui ideò latenter & in magno silentio veniebant, vt imparatos in castris inuenirent. Hoc dictum cunctis innotuit, & quos 50 somno pigritiæ torpentes inuenit, excitatos reddidit. Salit & tripudiat, qui anteà ambulare nequibat. Reuixit spiritus illorum, quos sopierat indigentia ciborum. Erectis in cœlum manibus DEVM laudant; & quasi iam vicerint, manibus applaudunt. Malebant enim honestè in bello mori, quàm escarum inopiâ cruciari. Tunc proceres exercitus acceperunt consilium, vt pars vna omnium in castris remaneret ad custodiendũ; pars altera obuiam venientibus iret ad prælium. Qui de castris nocte egredientes, in insidiis positi sunt, prætereuntium præstolantes occursum, iacueruntq; inter flumen & lacum. Summo itaq; diluculo, aurorâ lumen terris deferente, miserunt exploratores, qui illorum agmina viderent, & esse eorum renunciarent.

rent. Exploratores renuntiant tot illorum millia insimul se nunquam vidisse: Et ex parte fluminis duas acies separatas à multitudine equis velocioribus accurrere. Tunc nostri in quodam cliuo positi, crucis signo cum armis se præmuniunt, & manus in cœlum protendunt, DEoque se committunt, eiusque flagitant auxilium. Mox nostri superuenientes illos excipiunt, & ictu pungentes quotquot obuiant, solo prosternunt. Alii per campum dispersi circumuolant, imbresq; venenatarum emittunt sagittarum. Strident dentibus, & more canum latrant, quia terrere sic suos aduersarios putant. Sed hæc nostri irridebant; & protecti clypeis, loricis, galeis, eorum immissuras vilipendebant. Sed cùm innumerabilis illorum multitudo 10 appropiauit, cum tanto impetu nostros inuaserunt, quòd modicè in fugam versi sunt. Quod vt vidit *Boamundus*, qui postremò obseruabat custodiam, cum sua acie prorupit in medium, sociosque recolligens, inimicos perduxit ad interitum. Illi namque vt viderunt nostrorum vexilla super vertices suos dependētia, nostrosque more leonum rugientium, in medios hostes circunferri, omnesq; circa se laniari, pauent & conturbantur, versisq; retrò habenis equorum, ad *pontem Ferreum* quàm celerrimè repedantur. Sed quid modò *Franci* facerent nisi cominus ense ferirent? Sternitur via corporibus morientium; impletur aër vocibus heiulantium. Tellus madefacta cruore morientium, perforatur pedibus conculcantium equorum. Vt venitur ad pontem, via arctatur, & non omnes pons recepit; hinc quàm 20 plures in flumen præcipitantur, & quos vnda tenebat, celeri rotatu inuolutos absorbebat. Et cur per singula morarer? Maior pars periit, quàm euaserit: Plures occisi sunt, quàm viui remanserint. Qui euaserunt, ad castrū suum quod superiùs nominauimus confugerunt, sed in eo non diu permanserūt: Prædatum enim, vacuum dimiserunt, & fugientes abierunt. Nostri verò illud accipiunt, & custodes qui illud custodirent, & pontem, posuerunt. *Armenii* quoq; & *Surani* fugiētes insecuti sunt, & arta loca anticipando multos occiderunt, pluresque captiuos detinuerunt. Sicque filii diaboli secundùm suum meritum, de ruina in ruinam receperunt interitum. Nostri verò cum gaudio ingenti ad castra remearunt, adducentes secum equos & mulos & mulas, & spolia plurima, & multa alia quæ indigentibus sociis 30 valde erant necessaria. Multorum etiam capita mortuorum simul attulerunt, quæ ante portam ciuitatis posuerunt, vbi *Admiraldi Babyloniæ* habebant hospitium. Receperunt illos cum summa lætitia socii qui in castris erant, quique tota die cum ciuibus qui egressi sunt de vrbe pugnauerant, palmamque victoriæ reportauerant. Tunc geminata lætitia duplicis victoriæ, festiuum tempus effecit; & eos qui egestatis mœrore consumpti penè erant, refecit. Iam verò Armenii & Surani, victum ad castra ferebant, & de felici nostrorum euentu congaudebant. Sic illi de ciuitate egrediebantur, & inter saxa montium latitabant; insidiabanturq; illis qui victum afferebant, & quotquot comprehendere poterant occidebant. Quod valdè mœstificauit proceres; & super hoc consilium inierunt, remediumque huic calami- 40 tati repererunt. Castrum construxerunt ante portam ciuitatis, super pontem iuxta *Muchumariam*, quod illos valde perdomuit, quoniam deinceps nullus eorum exire per pontem ausus fuit. Et tunc quia castrenses ad hoc peragendum opus non sufficiebant, *Boamundus* & *Comes Sancti Ægidii* ad *portum Sancti Symeonis* perrexerunt, & inde operarios precio adducere studuerunt. Quos cùm adducerent, *Turcos* qui nocte illa de ciuitate exierant, in insidiis positos inuenerunt, qui subitaneo incursu tam fortiter nostros inuaserunt, quoadusque illos qui equites erant absq; vlla certaminis reuerberatione in montana fugauerunt: Pedites qui fugere non potuerunt, diram necem perpessi sunt. sed quanto fuit acrior, tanto & gloriosior. Et qui ibi mortui sunt, ferè mille fuerunt. sed occidentes diu gauisi non sunt. Relatio e- 50 nim huius occisionis ad castra peruenit, tantosque Principes proceresque commouit. Qui equis prosilientes ad vlciscendam mortem suorum ordinatis agminibus peruolant, inueniuntque eos adhuc in campo, occisorum capita detruncantes. Illi verò nequaquam perterriti, in sua confidentes multitudine ad pugnam congrediuntur. sed nostris toto corde tota virtute confidentibus, postquam pedites nostri equitibus consociati sunt, in breui superantur. Nam vt viderunt illos quos ad montana fugere compulerant accurrere, nostrorumque agmina fortiter crescere, & crescendo fortiùs insistere, terga vertunt, & versus pontem fugæ viam arripiunt. Sed valde impediuit difficultas itineris angusti; quia nec fugere vsquam poterant, nec conuerti. Reuerti retrò fas non erat, quia hostis vrgebat; dextra læ-

uiaq; diuerti, impossibilitas angusti itineris prohibebat; præire, vetabat densa multitudo fugientium. Sicque eis diuino nutu contigerat, vt nec fugere, nec pugnare licuerit. Ibi Turco nec toxicata sagitta proficiebat, nec equi velocitas subueniebat. Ibi maiorem stragem pedites egerunt, quàm qui equis insidebant: quoniam seriatim, vt falcator prata vel messem, detruncabant. Illic satiari potuissent enses & tela aliarum gentium Turcorum sanguine: sed quia Francigenarum erant, nec obtundi poterant, nec repleri cruore. Nostri tantùm pugnabant, illi patiebantur; nostri percutiebant, illi moriebantur. Nec tantùm infatigata manus dilaniare poterat, quantùm quod dilaniaret, reperiebat. Inter viuos mortui stabant; quia suffulti densitate viuorum, cadere non poterant; & calamitas tanta eos oppresserat quòd 10 alter alterum in mortem opprimebat. Tantus illos timor inuaserat, quòd subsequens præcedentem, vt fugere posset, impellebat. Dux itaque *Godefridus* militiæ decus egregium, vt vidit, quòd nemo illos ferire potuit, nisi post dorsum, equo celeri volitans anticipauit pontis introitum. Et quæ lingua valet explicare, quantas strages Dux solus illic dederit super corporibus gentis iniquæ? Illi fugere cœperant, armaque sua in terram proiecerant; gladium Ducis vt mortem expauescebant, & tamen vitare non poterãt. Ille exertis brachiis, ense nudato, eorum ceruices amputabat; illi minimè renitentes, nuda corpora inuiti offerebant. Ibi ira, locus, gladius, validaq; manus pugnabat; & hoc totum in membris miserorum redundabat. Cùmq; vnus ex eis audacior cæteris, & mole corporis præstantior, & viribus, vt 20 alter *Golias*, robustior, videret Ducem sic immisericorditer in suos sæuientem, sanguineis calcaribus vrget equum aduersus illum, & mucrone in altum sublato, totum super verticem Ducis transuerberat scutum: & nisi ictui vmbonem Dux expãdisset, & se in alteram partem inclinasset, mortis debitum persoluisset. Sed DEVS militem suum custodiuit, eumque scuto suæ defensionis muniuit. Dux ira succensus vehementi, parat rependere vicem, eiusque tali modo amputat ceruicem. Ensem eleuat, eumque à sinistra parte scapularum tantâ virtute intorsit, quòd pectus medium disiunxit, spinam & vitalia interrupit, & sic lubricus ensis super crus dextrum integer exiuit; sicque caput integrum cum dextra parte corporis immersit gurgiti; partemque quæ equo præsidebat remisit ciuitati. Ad quod horrendum 30 spectaculum omnes qui in ciuitate erant confluunt, & videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt; tremor apprehendit eos: ibi dolores vt parturientis, ibi voces heiulantium, quia ille vnus fuerat ex *Admiraldis* eorum. Tunc euaginauerunt gladios suos, intenderunt arcus suos, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittarent Ducem: cupientes, si eis permissum esset, tantam militiæ Christianæ extinguere lucem. Sed DEVS eorum prauæ voluntati non consensit, quia Dux retrocessit: Sustinere enim telorum ac sagittarum grandinem diu non potuit. O prædicabilis, ô inuicta Ducis dextra, & animosi pectoris robur eximium! Laudandus & ensis, quod in sua integritate perseuerans, vibranti dexteræ sui famulatus impendit obsequium. Et cuius cor eructare, cuius lingua enarrare, cuius manus 40 scribere, quæ pagina valet suscipere aliorum facta Principum, qui illi compares fuerunt in omnibus victoriis præliorum? Victoria Ducis præ cæteris enituit; quoniam pars dimidiati corporis quæ remansit, testimonium laudis fuit: Fluctus verò qui occisorum corpora absorbuit, aliorum ictus mirabiles occuluit. Sed sicut ventus turbinis annosæ arboris constringit brachia; sic incisa cadebant morientium membra. In hoc prælio persecutus est vnus mille, & duo fugauerunt decem millia. Qui in flumen rapido cursu immergebantur, emergentes pontis ligneas columnas amplexabantur: sed nostri desuper illos lanceis perforabant & perimebant. Cruor effusus sanguineum flumini dabat colorem, cunctisque cernentibus magnum incutiebat horrorem. Quippe densitas corporum fluminis impediebat 50 cursum, & retrogrado incessu ire cogebat retrorsum. Et quid mirum? Super pontem etenim quinque millia prostrata fuerunt, quæ omnia deorsum in aquam præcipitata sunt. Et quis numerare potuit, quot mucro desæuiens præcipiti saltu in amnem mergi compulit? In illo conflictu occisus est *Cassiani* Magni regis *Antiochiæ* filius, & duodecim *Admiraldi* regis Babyloniæ, quos cum suis exercitibus miserat ad ferenda auxilia regi Antiochiæ. Et quos *Admiraldos* vocant, reges sunt qui prouinciis regionum præsunt. *Prouincia* quidem est, quæ vnum habet *Metropolitanum*, duodecim *consules* & vnum *regem*. Ex tot itaque prouinciis conuenerunt, quot ibi Admiraldi fuerunt mortui. Et qui ibi capti sunt, pro septem millibus com-

Dux ferit, ille perit, Et medius crepuit.

bus computati sunt. Vestium, armorum, cæterique cultus adparatum nemo retinere potuit per vllam memoriam. Sic itaque superati sunt *Turci* magnanimiter à *Francis*, siluitq; deinceps garrula vox eorum, atque stridor dentium, & quotidianorum clamositas conuitiorum. Iam verò demissis vultibus ibant, & pleriq; omnino diffidentes, furtim de ciuitate exeuntes, fugiebant. Nox superueniens litem diremit, & nostri victores ad castra redierunt: illi verò obseratis ianuis, intra vrbem se receperunt. In crastinum vt primùm lux matutina processit, Turci de ciuitate exierunt, & collegerunt corpora mortuorum, quot inuenire potuerunt, & sepulturæ tradiderunt. Quod Christiani exercitus iuuenes vt audierunt, multi in vnum conglobati ad cœmiterium cucurrerunt; & quæ illi cum magno honore sepelierant, cum magno dedecore foras proiecerunt. Subterrauerant quippe illa vltra pontem ad *Machumariam* quæ erat ante portam ciuitatis, & plurima palliis inuoluerant, & byzanteos aureos, arcus, & sagittas & alia multa cum eis reposuerant. Sic enim est eorum consuetudo sepelire: nostrorum verò est libentissimè ea tollere. Extractis itaque corporibus vniuersis, capita absciderunt, scire cupientes numerum illorum qui ad ripam fluminis necati sunt. Truncata siquidem capita ad castra attulerunt, & cadauera feris & volucribus inhumata reliquerunt. Quod ab altis mœnibus & turribus excelsis prospicientes, vehementer indoluerunt, & genas scindentes & crines vellentes, *Machomum* præceptorem suum in auxilium sui cœperunt inuocare: sed Machomus non potuit restaurare, quos CHRISTVS per suos milites voluit exterminare.

EXPLICIT LIBER QVARTVS.

INCIPIT LIBER QVINTVS.

CVMQVE hæc crebro vicissitudinum actitarentur impulsu, præambulus quidam aduenit, qui nuncios principis Babyloniæ in crastinum præconabatur aduenire, & à Principibus castrorum fiduciam quærit veniendi securè: Qui libenter annuunt, seque eorum susceptioni sollemniter præmuniunt. Tentoria variis ornamentorum generibus venustantur: terræ infixis sudibus scuta apponuntur, quibus in crastinum *Quintana* ludus, scilicet equestris exerceretur: Aleæ, scaci; veloces cursus equorum flexis in gyrum frenis non defuerunt, & militares impetus; hastarumque vibrationes in alterutrum ibi celebratæ sunt. In quibus actibus monstrabatur, quòd nullo pauore trepidabant, qui talia operabantur. Talia quippe iuuentus excolebat: sed ætate sensuque Seniores in vnum consederant, causasque consilii & prudentiæ conferebant. Interim Babylonienses nuncii cùm approximarent, tantosq; tanto gaudio tripudiantes conspicarentur, mirati sunt: quoniam relatio vsq; *Babyloniam* cucurrerat, quia & fame cruciabantur & pauore concutiebantur. Adducti igitur ante Principes sunt; & in hæc verba retulerunt, quæ eis commissa sunt. *Dominus noster Admirauissus Babyloniæ, mandat vobis Francorum Principibus salutem & amicitiam, si eius voluntati vultis obedire. In aula regis Persarum dominiquè nostri, magnus vestri causa congregatus est conuentus; septemq; diebus protelatum est consilium, quid nam eis super hoc sit agendum. Mirantur enim vt quid sic armati quæritis Domini vestri Sepulchrum, gentem suam à finibus diu possessis exterminantes, imò, quod nefarium est Peregrinis, in ore gladii trucidantes. Quod si posthac in pera & baculo vultis ire, cum honore maximo rerumquè opulentia vos illuc facient pertransire: de peditibus equites facient; qui pauperes sunt, in toto itinere nec in reditu amplius esurient. Et si per mensem ad Sepulchrum vobis diurnare placuerit, bonorum copia vobis non deerit: facultas eundi per vniuersam Iherusalem vobis concedetur, vt quo honore placuerit, & Templum & Sepulcrum quilibet veneretur. Quod si hæc vobis indulta contemnitis & in animorum vestrorum magnitudine confiditis & armis, videndum vobis est etiam atque etiam, quanto periculo vos exponatis: apud nos certè ducimus esse temerarium, quòd vlla, quantumuis magna, humana potestas congrassetur contra Babylonios, regemq; Persarum. Iam verò quæ vobis applaudunt super his, nobis aperite: quæ verò displicent, in communi edicite.* Ad hæc communis sententia Principum respondit, dicens: *Nulli sapienti mirandum est, si ad Domini nostri Sepulcrum cum armis venimus, gentemq; vestram ab istis finibus eliminamus. Quoniam quicunque de nostris huc vsque in baculo & pera venire soliti erant, turpi ludibrio affecti sunt; &*

ignominiam contumeliarum tolerantes, ad extremum perimebantur. Terra autem gentis illorum non est, licet diu possederint: quia nostrorum à priscis temporibus fuit, eisq; propter malitiam iniustitiamq; suam vestra gens aduersa abstulit: quæ tamen ideo vestra non debet esse, quia diu eam tenuistis. Cœlesti enim censurâ nunc decretum est, vt misericorditer reddatur filiis, quod iniustè patribus ablatum est. Ne glorietur gens vestra, quia superauerit effœminatam gentem Græcorum: quoniam diuina suffragante potentia, in ceruicibus vestris meritum recompensabitur gladio Francorum. Et notum esse poterit, his qui ignorant, quod non est hominum euertere regna, sed eius per quem reges regnant. *Ipsi dicunt se velle nobis indulgere, si in pera & baculo à modo velimus transire: in seipsam redeat eorum misericordia, quoniam velint nolint, thesauris eorum nostra ditabitur seu vacuabitur inopia. Iherusalem cùm nobis à DEO concessa sit, quis præualet auferre eam? Nulla virtus est humana quæ nobis vllo modo terrorem incutiat:* quia cùm morimur nascimur, cùm vitam amittimus temporalem, recuperamus sempiternam. *Idcirco renuntiate his qui miserunt vos: quòd arma quæ in patria nostra sumpsimus, etiam cùm capta erit Iherusalem, non dimittemus. Confidimus enim in eo qui docet manus nostras ad prælium, & brachia nostra ponit vt arcum æreum; quoniam & via nostris gladiis aperietur, & omnia scandala eradicabuntur, & Iherusalem capietur. Tunc nostra erit non per hominis indulgentiam, sed per cælestis censuræ æquitatem. De vultu enim Domini hoc iudicium prodiit, quia Iherusalem nostra erit.* Legati verò quid vltrà prætenderent non inuenerunt, sed audito hoc verbo scandalizati sunt, Antiochiamque nostris consentientibus introierunt. His ita transactis, tertiâ die post peractum prælium, castellum cœperunt ædificare, de quo superius mentionem fecimus, constructum in introitu pontis, ad *Machumariam* scilicet, in loco cimeterii ante ianuam ciuitatis. Destruxerunt autem omnes tumulos lapideos mortuorum, & ex illis castrum munierunt. Quod cùm peractum fuit, commendatum est *Raimundo* egregio Comiti *sancti Ægidii.* Hoc factum valde constrinxit eos qui in ciuitate erant; quoniam vlterius ab illa parte non valuerunt exire. Nostri verò iam securè ibant, quocunque ire disponebant. Tunc proceres elegerunt viros optimos, equosque velociores: & non longè ab vrbe transierunt fluuium, & prædam maximam inuenerunt, equos & equas, mulos & mulas, asinos & camelos, & animalium quinque millia. Omnia hæc egregia cohors adduxit ad castra, & celebrata est apud *Christicolas* lætitia magna. Quod infortunium ciues vehementer attriuit: quoniam abundantia rerum, quæ nostros roborauit, perdita, illos debilitauit. Illic verò vbi præda capta fuit, erat antiquum castrum, sed incuriâ & vetustate dirutum: & adhuc vigebat ibi quoddam monasterium. quod vt magis constringerent inimicos suos, proceribus placuit reædificare, & forti munitione circundare. Quod cùm in breui peractum fuit, inquisitio facta est, quis illud custodiret: Et dum tractaretur de custodia, & plurima in ventum procederent verba, *Tancredus* illustris Princeps & egregius iuuenis, sicut erat alacer in sermonibus & factis, in medium prosiluit, dicens: *Ego custodiam castellum, si custodia mea dignum recompensabitur meritum.* Pretium ergo omnes in commune taxauerunt; & quadringentas argenti marcas ei contulerunt. *Tancredus* castellum intrauit, idque peditum turmis fortique milite plusquam munitionem aliam firmauit. Quod feliciter, DEO opitulante, suscepit: quoniam ipsa die magnus *Armeniorum* populus, & *Suranorum* ad ciuitatem veniebat, & vrbanis opima victualia afferebat. Quos omnes in insidiis positus Tancredus apprehendit: nec tamen eos, quia Christiani erant, occidere voluit, sed cum ipsis sarcinis ad castrum suum conduxit. Quos tandem tali conditione illæsos abire permisit: quia promiserunt ei in fide Christiana, se allaturos Christianis pro competenti pretio necessaria, quoadusque caperetur *Antiochia.* quod illi strenuè impleuerunt, sicut & spoponderunt. Tancredus verò vias ac semitas obstruxerat, his qui erant in ciuitate, quòd nullus audebat exire. Propterea pacis inducias quæsierunt, dicentes, quòd illo temporis interuallo apud se tractarent, qua lege, qua conditione, se & ciuitatem Christianis deliberarent. Crediderunt Principes, & dispositis pactionibus, & tempore constituto, tenendæ pacis sacramenta dederunt & acceperunt. Portæ ciuitatis aperiuntur, & eundi inuicem alteri ad alterum facultas conceditur. Tunc liberè *Franci* per circuitum murorum ibant, & ad propugnacula cum ipsis ciuibus stabant, & ciues cum gaudio ad castra veniebant. Processu denique temporis, cùm iam suprema dies induciarum aduenisset, *Walo* quidam miles Christianus, & in armis egregius, & inter præcipuos nominatissimus: hic perfidæ

Francorum verba Resonant pietate superba.

perfidæ genti nimium credulus, quadam die per virgulta eorum spaciabatur, & locorum amœnitate oculos pascebat. Hunc, vt inermem virum, armati canes aggressi sunt, & membratim diuisum, miserabili cruciatu discerpserunt. Heu, heu! morte *Walonis* pax infringitur, data fidei sacramenta violantur, portæ iterum vrbis obstruuntur; & perfidi Gentiles intra mœnium turriumque suarum cauernas recluduntur. Luctus in castris permaximus habetur: quoniam ab omnibus viris ac mulieribus mors Walonis crebris singultibus lamentatur. Coniunx verò illius vniuersos ad lacrymas concitabat, quæ se vltra morem aliarum miserabiliter laniabat: & quæ alios ad luctum commouebat, propter crebra suspiria singultusque, nec loqui nec clamare poterat. Erat autem illa alto procerum sanguine procreata, & secundùm carnis huius infirmitatem, forma præ cæteris egregia. Erat autem plerunque immobilis velut columna marmorea, ita vt sæpius mortua putaretur: nisi vitalis calor palpitans in supremo pectore sentiretur. Sed & adhuc pulsitabat vena latens sub cute minimè pilosa, pubem quæ ciliorum discriminabat. Cùm verò respirabat, oblita fœminei pudoris se in terram volutabat, & genas vnguibus secans, aureos crines disrumpebat. Occurrunt aliæ matronæ, quæ de se illi facere talia prohibent, & piâ custodiâ obseruant. Quæ cùm loqui potuit, in hæc verba prorupit dicens: *Rex in personis trinus, miserere Walonis: Et vita munus sibi confer, vt es DEVS vnus. Quid meruit Walo, quòd mortuus est sine bello? Virgine matre satus, Walonis terge reatus, Quem de bellorum tot casibus eripuisti: Et permisisti nunc tandem martyrizari. Heu quantum videre desiderabat tuum Sepulchrum, pro quo contempsit omnia sua quæ habuit, & seipsum. Quo infelici infortunio fuit elongatus ensis suus, qui sic conueniebat lateri eius. O me saltem felicem, si licuisset mihi in supremo spiritu oculos claudere vulnera lachrymis abluere, & manibus vesteque detergere, & dulcia sepulchro membra committere.* His questibus *Euurardus* frater suus interuenit, & in quantum admisit vis doloris, compescuit. Illud sanè prætereundum non est, quod ante mortem viri istius contigit, dum tempus induciarum integrum & fidele mansit. Erat quidem *Admiraldus* de genere Turcorum in illa ciuitate regia, cum quo *Boamundus* plurima & priuata pacis tempore habuit colloquia. Hic inter cætera quodam die requisiuit ab eo, vbi nam castra posuerit ille canditatorum exercitus innumerabilis, quorum in omnibus bellis fulciebantur auxilio. Dicebat enim quia aduentum illorum nunquam poterant sustinere; sed statim vt videbant illos, incipiebant pauere: illi ipsos vt ventus turbinis opprimerent, & isti vulnerabant; illi obruebant, & isti occidebant. Cui Boamundus ait: *Putásne alium exercitum esse, quàm hunc quem vides nostrum?* Cui ille: *Per Machomum meum præceptorem iuro, quoniam si hîc adessent, tota hæc planicies illos non caperet. Omnes habent equos albos, miræ celeritatis, & vestimenta, & scuta, & vexilla eiusdem coloris. Sed forsitan ideo absconduntur, ne virtus vestra nobis manifestetur. Sed per fidem, quam habes in IESVM, vbi castra eorum locata sunt?* Boamundus itaq; spiritu DEI illustratus, illico sensit hanc quam viderat, visionem DEI esse; nec quod quærebat ex tentatione, sed ex bona voluntate procedere: & respondens inquit: *Licet sis extraneus à lege nostra, quia video te bona erga nos voluntate, bonoque spiritu animatum, aperiam tibi aliquod fidei nostræ sacramentum. Si tantùm profundi intellectus haberes, gratias Creatori omnium referre deberes, qui tibi ostendit exercitum candidatum: & scias quia in terra non conuersantur, sed in supernis mansionibus regni cœlorum. Hi sunt qui pro fide CHRISTI martyrium sustinuerunt, & in omni terra contra incredulos dimicauerunt. Horum præcipui sunt signiferi,* Georgius, Demetrius, Mauricius *qui in hac temporali vita militaria arma gestauerunt, & pro Christiana fide capite plexi sunt. Hi quotiens nobis expedit, iubente* Domino *IESV CHRISTO, nobis suffragantur, & per hos inimici nostri præcipitantur. Et vt me verum cognoscas profiteri, inquire & hodie & cras, & in die altera, an in tota regione hac eorum castra poterunt inueniri. Quod si inueniuntur, redarguti in conspectu tuo à mendacio, erubescemus. Et cùm in tota regione nequiueris illos inuenire, si nobis necesse erit, in crastinum videbis adesse. Vnde igitur tam citò veniunt? nisi à supernis sedibus in quibus morantur.* Cui respondit *Pyrrhus:* sic enim erat nomen eius: *Et si de cœlo veniunt, vbi tot albos equos, tot scuta, tot vexilla inueniuntur?* Cui Boamundus: Tu magna, & super sensum meum requiris. Propterea si vis, accedat Capellanus meus, qui tibi super hiis respondebit. Ad hæc Capellanus: *Cùm Omnipotens creator angelos suos, siue iustorum spiritus, mittere disponit in terram, tunc assumunt sibi aëria corpora, vt per ea nobis innotescant, qui videri non possunt in spiritali essentia sua. Ideò armati nunc apparent, vt quòd in bello laboraturis auxilio veniunt indicent. Si enim vt peregrini, vel vt sacerdotes stolis dealbati apparerent, non bellum,*

Walo truncatur, Nece cuius pax violatur.

De nece Walonis Dolor ingens cœpit haberi.

sed pacem nuntiarent. Expleto siquidem negotio pro quo veniunt, ad cælestia remeant, vnde venerunt: & corpora, qua, vt visibiles apparerent, acceperunt, in eandem reponunt materiam quam sumpserunt. Ne mireris, si Omnipotens factor omnium transmutat materiam à se factam, in quamlibet speciem, qui vniuersa de nihilo adduxit in essentiam. Et Pyrrhus ad hæc ait: *Per ipsum quem asseris Creatorem, mira dicis, & rationabilia, nobisq́ hactenus inaudita.* His Boamundus adiecit & ait: *O Pyrrhe, nónne tibi videtur magnum esse miraculum, quòd per nos operatur Dominus IESVS CHRISTVS, in quem credimus? quia quantò nos pauciores sumus, tantò & fortiores: vos verò quantò numerosiores, tantò imbecilliores. Cui hanc virtutem attribuis, humanitati an diuinitati? Homo non est à seipso, sed à creatore suo: à quo habet esse, habet & posse. Ex hoc igitur conijcere potes, quia licet vnus creator creauerit nos & vos, vberiorem* 10 *tamen suæ virtutis præstat abundantiam nobis quàm vobis. Certi quippe in illius virtute sumus, quia non solùm Antiochiam, verumetiam Romaniam totam, & Syriam, ipsam & Iherusalem obtinebimus; quia hoc promisit DEI Filius Omnipotens IESVS.* Pyrrhus quidem hæc & consimilia dicta Boamundi prudenter intellexit, eumque vehementer *Boamundus* suo amori attraxit. Cùmque contigisset, inimico humani generis suadente, quod superiùs dictum est de Walone, Pyrrhus cum suo Boamundo loqui amplius non valuit, sed tamen occultè per internuntium hæc ei significauit: *Noui te nobilem virum, atque fidelem Christianum: commendo me tuæ fidei & meam domum; faciam tibi quæ me hortatus es: tres turres quas in Antiochia custodio, tibi tradam, & vnam de portis, tibi tuæque genti Christianæ: & ne friuolum illud esse credas, & ne de mea fide diffidas, mitto filium* 20 *meum tibi, quem vnicè vnicum diligo, cumq́ sicut & me ipsum, tuæ fidei committo.* Quibus visis & auditis, Boamundus magno accensus est gaudio; magnaque in eo apud DEVM excreuit deuotio; lacrymæ ab oculis vberes erupunt; & DEO gratias agens, manus in cœlum tetendit. Nec mora, Principes in vnum conuocauit, eisque talia retulit, dicens: *Egregii Principes & viri bellatores, compertum est vobis quantum iniuriarum passi sumus in hac obsidione, quantaq́ patimur, & quàm diu voluerit DEVS patiemur. Si DEVS alicui hanc ciuitatem per aliquod ingenium dare vellet, dicite, an vestra autoritas ei eam concederet.* Ad hæc multi exclamauerunt in vnum, dicentes: *Nos simul eam habebimus, quoniam simul angustias necessitatum tolerauimus.* Tunc Boamundus modicum subridens, ait: *Væ ciuitati qua tot dominis subiecta erit. nolite, fratres, ea dicere: sed eius imperio* 30 *subiiciatur, qui eam poterit adquirere. Qui vt vidit quia nil proficiebat, ad castra sua rediit, & tamen nuncios Pyrrhi, qui ad se venerant, detinuit.* Principes verò amoto Boamundo, consilium inierunt dicentes: *Nos bonum consilium non habemus, qui verbis Boamundi viri sapientissimi contraimus. Si à primo die quo huc venimus, hoc fieri potuisset, magnum nobis commodum inde peruenisset. Nullus nostrorum propter ambitionem vrbis Antiochiæ de terra sua exiuit: eam habeat cui DEVS dare voluerit, nostra omnium vna sit intentio, Sancti scilicet Sepulchri deliberatio.* Placuit omnibus. Boamundus vocatur, eique *Antiochia*, si eam adquirere potest, beniuolè ab omnibus conceditur. *Boamundus* itaque haud segnis viros sibi fideles, noctis crepusculo, remittit ad amicum, vt ei renuntiet & modum & terminum. *Pyrrhus* remandat vt in crastinum commoueatur exercitus 40 *Francorum*, quasi ire velit ad prædandum in terram *Saracenorum*. Et cùm nox obscurare cœperit, reuertantur ad castra ex parte ciuitatis, *in qua ipse erectis* (inquit) *excubabo auribus in turribus meis. Prope murum parati veniant, & nihil prorsus timeant.* Credidit hoc consilium Boamundus quibusdam suis familiaribus *Hugoni* Magno, & Duci *Godefrido*, *Podiensi* Episcopo, & Comiti *Raimundo*. Dixit itaque eis: *Nocte ventura, diuina opitulante gratia, tradetur nobis Antiochia:* exposuitq; eis nuntium. Qui auditis omnibus, gratulati sunt, & benedixerunt Dominum. In crastinum congregauerunt duces bellorum, ingentes militum cuneos, peditumq; quàm plures turmas: & egressi montana transierunt, quasi prædaturi, in terram Saracenorum. Nocte adueniente cum summo silentio redierunt, seque bonæ spei præpauerunt. 50 Boamundus verò ad locum sibi ab amico destinatum perrexit cum suis tantùm militibus, & cum paucis longè remansit à mœnibus, cæterosque cum vna scala direxit ad ipsa mœnia, quæ erecta pertingere potuit ad propugnacula. Quæ cùm erecta fuit, ex tanta multitudine nullus prior ascendere præsumpsit. Cùmq; omnes sic hæsitarent, tunc vnus miles, nomine *Fulcherius*, Carnotensis natione, audacior cæteris, ait: *Ego in nomine IESV CHRISTI primus ascendam ad quodcunque me DEVS vocauerit suscipiendum: siue ad martyrium, seu ad obtinendum victoriæ brauium.* Quo ascendente, cæteri subsequuntur, & in breui ad ipsa murorum fastigia peruenitur. *Pyrrhus* autem stabat illic, præstolans eorum aduentum, & ægrè ferens nimiam

tardi-

tarditatem. Qui cùm *Boamundum* minimè videret, inquisiuit vbi esset. Qui proximè adesse dicitur, sed *Pyrrhus* de absentia vehementer contristatus est, dicens: *Quid facit ille piger? quid tardat, quidve moratur? Mittite qui dicat, quòd citius veniat. Mittite qui dicat, quia lux hodierna propinquat, Et creber cantus præsignat adesse serenum. Nuntius eligitur qui nuntiet hæc Boamundo.* Quod vt audiuit, festinus accurrit: sed cum ad scalam peruenit, fractam inuenit. Interea *Fulcherius* qui cum sexaginta iuuenibus armatis ascenderat, exceptis turribus Pyrrhi, tres alias bellica virtute occupauerat, & in eis duos fratres Pyrrhi interemerat. Quod licet Pyrrhus non ignoraret, tamen à promisso fidei pacto non retardauit: sed vt audiuit quia scala fracta esset, venienti Boamundo & omni *Francorum* multitudini portas aperuit. Et cùm graues gemitus ab imo pectore traheret, longaque suspiria; nulla tamen eum à promissa fide, illata reuocauit iniuria. Quem Boamundus in ipso portæ introitu summisso capite salutauit; eique de collato beneficio gratias egit. Sed cùm causam lamentationis eius didicisset, admodum indoluit: & de militibus suis qui eum custodirent resque eius tuerentur, fidelem custodiam dereliquit. Nec reticendum, quoniam sub illa nocte, *cometa* quæ regni mutationem præsignat, inter alia cœli sydera rutilabat, & suæ lucis radios producebat; & inter Septentrionem & Orientem, igneus rubor in cœlo coruscabat. His euidentibus signis in cœlo radiantibus: & aurorâ terris lucem referente, exercitus Dei portas *Antiochiæ* intrauit, in virtute illius qui inferni portas æreas contriuit, & ferreos vectes confregit, cuius potestas permanet in secula seculorum. Amen.

EXPLICIT LIBER QVINTVS.

INCIPIT LIBER SEXTVS.

VNIVERSI fideles huius *Pyrrhi* fidem attendite, & attendentes, siquid ex fide per fidem promittitis, absque vlla contradictione perficite. Nulla hunc memoria fraternæ mortis, nulla vis doloris, nulla instigatio mœroris auertere potuit à promissa fidei stabilitate; magisque valuit apud ipsum fidei pactio, quàm duorum germanorum diu cruciatus interemptio. Et si illud antiquum problema *Samsonis* in medium volumus adducere, huic æquipollens possumus proponere. Samson ait: *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Nunc verò de infideli, processit fides; & de extraneo, familiaris & integra dilectio. At ne fastidiosam videamur facere digressionem, ad inceptam redeamus historiæ propositionem. Quarto Nonas Iunii, Christiani vrbem *Antiochiæ* introierunt, & in ore gladii de suis eam inuasoribus vindicauerũt. *Fulcherius* & sui complices, qui cum eo muros ascenderant, turres vndique inuadebant, & incautos vigiles somnoque solutos, spiculis gladiisque confodiebant, & de summo illarum fastigio ad terram proiiciebant. Qui in domibus sopiebantur sonitu clamoris excitati, scire gestientes quid hoc esset, cùm foras exirent, non reuertebantur; quoniam gladios inueniebant paratos quibus excipiebantur. Qui Christiani erant *Kyrie eleison*, & alias DEO laudes personabant; vt per hoc scilicet nostris innotescerent, quòd non *Turci* sed *Christiani* essent. Passim sternuntur plateæ ciuitatis corporibus morientium; quoniam tunc nullus eorum resistebat, sed quærebant omnes latibula & fugæ præsidium. Nulli honor impenditur, pueri cum puellis, iuuenes cum senibus, matres quoque cum filiabus interficiuntur. Qui fugere poterant per portas exibant, mortem tamen minimè euadentes, quia in manus de castris venientium incidebant. Contigit autem vt inter fugientes *Cassianus* rex & dominus ciuitatis, vilibus pannis obsitus euaderet, & in terram *Tancredi* fugiendo perueniret. Sed malo sui infortunio *Armenii* eum cognouerunt, & ei illico ceruicem amputauerunt, & caput illius ad Principes attulerunt & baltheum: baltheique precium LX bisanceos appreciauerunt. Pars magna fugit in *castrum* quod ciuitati imminet: quod ita loci positione & naturâ munitum est, vt nullius machinæ artificium timeat. Illic enim est mons vrbi contiguus, cuius cacumen porrigitur ad sydera, quò vix attingere possunt intuentium lumina. Et de ipso potest circumspici tota regio. In eum confugit numerosa multitudo Turcorum, habueruntque illud solum receptaculum. Erat autem huic castro vna turris nimium vicina, quam *Boamundus*

cum suis satellitibus iam obtinebat, illudq; castrum per eam impugnare parabat. Sed illi resumptis viribus, turri, satis eminentiores, sagittas & spicula, instar grandinis, desuper immittunt, ita vt nostris minimè licuerit contra eos pugnare; sed se clypeis cooperire, & armis defendere cogebantur. Locus enim artus angebat, & hostis desuper opprimebat: quia non erat alia via decertantium, quàm præstabat latitudo murorum. Propterea contigit quia *Turci* irruentes contra turrim, vnus impellebat alium, nec retroire erat facultas, nec in leua nec in dextra vlli erat diuortium. Quotquot impetus irruentium super nostros impingebat, illi in lanceis, spiculis & mucronibus excipiebant, & vulneratos ad terram proiiciebant; & cum eis illos qui turrim desubtus moliebantur effodere, prosternebant: sicq; mortuus viuo necem inferebat, & cui in anima vita deerat, in corpore mors apparebat. In quo conflictu *Boamundus* grauiter sagittatus est in femore, nec iam nisi claudicans valebat incedere. Sanguis vbertim de vulnere cœpit stillare, & cor nobilissimi Principis à virtute pristina cœpit deficere. Qui nolens & inuitus, in aliam turrim retrocessit, bellumque dereliquit. In eius infirmitate aliorum virtus corruit, quoniam vnusquisque miserabilem casum sui Ducis admodum doluit. Pugnam dimittunt, Turcos turrimque relinquunt. Vnus tamen in superiori turris fastigio remansit, cuius egregia funera vniuersus nostrorum exercitus vnanimiter planxit. Ille enim vt vidit se solum esse derelictum, tamen in se animum gerens inuictum, vt vrsus inter molossos cœpit se vtrinque defendere; lapidesque & cæmentum de parietibus auellebat, & super ipsos qui eum impugnabant proiiciebat. Tandem mille sagittis onustus, vt vidit quòd mortem non euaderet, mortem sibi accelerauit, quoniam cum clypeo & armis vbi turbam densiorem esse conspexit, in medium prosiliuit, suisque interfectoribus tormentum fuit. Non est lingua carnis quæ satis valeat enarrare, quid Francorum manus ibi valuit pessundare: & nisi castelli municipium tam forte fuisset, ipso die venturis calamitatibus suorum magnum leuamen Dominus præstitisset. Sed voluit DEVS vt vrbs *Antiochena* difficulter adipisceretur, vt adepta, carior haberetur. Citiùs enim adquisita vilescunt, diu desiderata cariùs amplectimur. Nox interueniens litem diremit, & diurno labori contulit moderamen; quia pugnæ ademit necessitatem, sed fessis dormiendi non tribuit facultatem. Vbi enim intra muros hostis adest, nulla requiescendi facultas esse potest. In crastinum, id est feriâ sextâ, alii spoliata cadauera mortuorum extra muros foris trahebant, alii de turribus cum castellanis, iaculis & sagittis decertabant. Cùmque sic res agitur, ecce illi qui stabant in turribus & muris, eminus contemplantur immensam nubem agitati pulueris. De qua diuersa sentientes, alii dicebant; *Constantinopolitanum* Imperatorem esse, qui sibi in auxilium veniebat; alii, quod verum erat, agmina Persarum. Sed qui primi veniebant, vt viderunt vrbem *Antiochiæ*, in vnum consedêre, præstolantes retrò veniens robur suæ militiæ. Erat autem *Corbanan* Princeps militiæ regis *Persarum*, qui ex longo tempore collegerat sibi illud agmen diuersarum gentium. Erant quippe ibi *Persæ* & *Medi*, *Arabes*, & *Turci*, *Azimitæ*, & *Saraceni*, *Curti*, & *Publicani*, & diuersarum nationum alii multi. De *Agulanis* erant ibi tria millia, qui nullam armorum copiam nisi solos enses gestabant: qui omnes vndique ferro cooperti, nulla arma aduersantia timebant. Equi eorum vexilla & lanceas ferre aspernabantur, & in eos qui ferebant, nimia ira succendebantur. Cùmque hi omnes in vnum conuenissent, cursores suos ante vrbem direxerunt, qui nostros ad bellum prouocarent, & de ciuitate exire suaderent. Sed nostri qui de hesterno conflictu fatigati erant, salubrius esse iudicauerunt inter mœnia remanere, quàm extra bella mouere. Illi verò per campos & plana currentes, nostros ad bella ciebant, diraque eis conuitia improperabant. Lanceas & gladios in altum eiiciebant, & in manibus recipiebant ludentes & luxuriantes. Sed cùm neminem de nostris potuerunt extrahere, disposuerunt remeare ad castra. Quos cùm reuerterentur, insecutus est vnus ex nostris, *Rogerus de Barda villa*, cum aliis tribus armatis, sperantes quòd aliquos possent elicere ab illis: sed ipsi nolebant cum paribus inire certamen, quia iam de præliis *Francorum* multa audierant enarrare, posueruntq; insidias post se sub rupe cauata, & quosdam ex suis dimiserunt qui eos quasi lacesserent in pugnam. Cùmq; nostri transirent insidiarũ locũ, fures de cauernis suis exierunt, eosq; à tergo inuaserunt. Qui præibant reuertuntur in occursum, celeremq; contra eos dirigũt cursum. Qui cùm se comprehẽsos esse

fas esse cognoscerent, flexis frenis, fugæ tutelam sperauerunt consequi, sed nullatenus potuit inueniri. *Rogerius* socios præmittit ante suos vultus, & ipse parma post tergum reiecta, creberrimos illorum sustinet ictus. Iamq; penè euaserat, iamque saluti proxima loca tenebat, cùm equus illius solo proruit, & cadenti inhærens ipse cecidit, qui nullo modo leuari potuit, quoniam equi mole oppressus fuit. Heu! quantus dolor stridorque dentium tunc erat, super muros *Antiochiæ*, cùm generosa Francorum pubes, videret inclytum militem suum rabidos canes tam atrociter occidere, sicque discerpere. Auertebant oculos, nec videre poterant, cùm eum membratim dilaniabant. Ad extremum caput eius amputauerunt; 10 contoque infigentes, quasi triumphi vexillum, ad castra deportauerunt. Erant autem castra illorum iuxta *pontem Ferreum*. *Sensadolus* autem filius regis Antiochiæ nuper defuncti, ierat ad *Corbanan*, supplexque ad pedes illius corruit, rogans, vt sui misereretur, & contra Francos adiuuaret, qui patrem eius occiderant, & de inclyta vrbe exhæreditauerant. Non habebat refugium, nisi in solo vrbis oppido, quoniam iam tota ciuitas Francorum subiacebat imperio. *Pater meus*, inquit, *dum adhuc viueret, legationem tibi transmisit vt ei subuenires, vt te aut magnis muneribus ditaret, aut Antiochiam & vniuersum regnum de te susciperet. Idem tibi promitto, quia si potes recuperare Antiochiam, quòd à te illam suscipiam, omnemque tibi fidelitatem faciam. Quòd si non potes, fugiendum tibi est, & omnibus hominibus nostræ gentis. Non enim eis sufficiet Romania, siue Syria, ne-* 20 *que Corosaim: quoniam Iherosolymam dicunt esse suam, regnumque Damasci.* Erant autem ibi reges harum prouinciarum, qui audiebant illud verbum. His dictis Corbanan respondit: *Si vis vt te omnimodis adiuuem, tuoque regno restituam, castellum quod adhuc habes, redde in manum meam, quia restituetur tibi per illud Antiochia.* Cui iterum Sensadolus: *Si prauales Francos eliminare ab vrbe, mihique eorum ceruices cæsas deliberare, tibi tradam castellum, & tibi inde faciam hominium.* Consentit vterque, & tradidit castellum. Et Corbanan deliberauit cuidam fideli suo ad custodiendum. Tali conditione recepit in custodiam, vt si *Franci* vincerentur, custodiret; si vincerent, & ipse sicut & alii, relicto castro confugeret. Cui ille: *Et si nos victi sumus, de castello quid faceremus? Dignum est vt victores habeant castellum: quoniam victoria, castello maius erit præmium.* 30 His ita gestis, Corbanan super his conticuit, & ad alia instituenda tempus disposuit. Et cùm sederet in solio, attulerunt ante eum Francigenam ensem valde despicabilem & obtusum, & fœda rubigine tectum: Attulerunt & lanceam eadem deformitate consimilem; quæ etiam sua abiectione, ensem faciebat præpollentem. Quæ cùm Corbanan vidisset, ait: *Quis dicet nobis vbi sunt arma hæc reperta? Aut qua de causa nostro conspectui sunt præsentata?* Cùm illi qui attulerant dixerunt: *Gloriose Princeps, & decus regni Persarum, hæc arma cuidam Francigenæ abstulimus, & tibi attulimus, vt videas & agnoscas quibus armis illa pannosa gens conetur nos & fines nostros deprædari, imò & omnem Asiam depopulari.* Tunc Corbanan subridens ait: *Liquet, quia satis est gens illa insensata, & ratione parùm vtitur, quæ talibus armis æstimat posse subiugare sibi regnum Persa-* 40 *rum. Gens quippe est præsumptuosa, & alterius iuris nimium ambitiosa. Gens videlicet quæ in sua confidit animositate: sed per Machomum, malè intrauit fines Syriæ, murosque regiæ ciuitatis Antiochiæ.* Hæc dixit, notariumque suum arcessiri iussit. Cui accersito, inquit: *Sume plures scedulas, & scribe religioso Papæ nostro Caliphæ, regique Persarum Soldano super omnes glorioso, maioribusque regni Persarum proceribus, vt longæuam obtineant vitam, pacem continuam, salutem corporum diuturnam. Fortuna felix & iocunda benè nobis prosperatur, secundisq; successibus arridet; quoniam Francorum exercitum intra muros Antiochiæ inclusum teneo, & castellum quod ciuitati præminet, iam in manu nostra habeo. Vnde certum sit vobis, quia rumores quos de eis audieratis, non sunt illius generis cuius audistis: quia nec lupus tantus efficitur, quantus & clamor qui eum subsequitur. Quia verò præcepistis, vt omnino eos de ter-* 50 *ra delerem, gladioque vita priuarem, nolite aduersum me indignari, si quosdam de melioribus vinctos vobis transmitto: quoniam tunc erit in vestra deliberatione, vtrum velitis eos mori siue viuere. Nobis enim conueniens esse videtur, vt qui captiuare nos venerant, captiui fiant, & dura apud nos exerceant seruitia. Honorificum quippe erit regno Persarum, si in eo exulet frater regis Francorum. Vos autem in pace & summa tranquillitate viuite, omnique corporea voluptati operam impendite, filiosque sine cessatione procreate, qui aliis, si necesse fuerit, Francis obsistant, & cùm nostræ defecerint vires, tunc valeant. Faciei vestræ præsentiam non ante videbo, donec totam Syriam, & Romaniam, atque Bulgariam vestræ ditioni subiugauero.* Hæc Corbanan locutus in superbia & in abusione, quæ ei

conuersa sunt in ignominiam & confusionem. Post hæc mater eius venit ad eum mœrens & tristis, lugubremque afferens vultum. Et cùm in secreto cubili ambo conuenissent, dixit mater ad filium: *Fili, solatium meæ senectutis, & vnicum pignus totius meæ dilectionis, ad te festina venio, fatigata longinquitate itineris. Ego eram in Aleph ciuitate magna, cùm de te grauis sermo aures meas perculit, suoquè impulsu maximum cordi meo dolorem impulit. Dictum est enim, quòd tua agmina disponebas, & contra Christianos pugnare volebas. Propterea festina veni, à temetipso scire volens, vtrum se res ita habeat, an non.* Ait ad matrem filius: *Mater, nihil vnquam verius audisti.* Et mater ad filium inquit: *Quis, fili, tale consilium iniquus tibi dedit? Nondum es expertus virtutem Christianorum, & præcipuè gentis Francorum. Si legisses scripta omnium Prophetarum, & antiquorum sapientum, profectò non ignorares, quia ipse est Omnipotens & DEVS Deorum omnium. Si pugnabis aduersus Christianos, pugnabis contra ipsum & angelos eius. Sed dementissimum est contra ipsum Omnipotentem pugnare; quoniam idipsum est velle se destruere. De ipso quidem inuictissimo DEO dicit Propheta:* Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo: & non est qui de manu mea possit eruere. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes. *Formidolosum est contra hunc conflictum inire, qui gladium suum nouit sic acuere, acutum inebriare, inebriato carnes macerare. Fili, Pharaonem regem Ægypti quis submersit in mari rubro, cum omni exercitu suo? Quis eiecit Seon regem Amorreorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan, & dedit suis in hæreditatem? Ipse idem DEVS ostendit quanto amore diligat populum suum, quantaq; tutela circumuallet eum, cùm dicit:* Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & custodiat semper. Obserua & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & odientes te affligam, & præcedet te angelus meus. *Genti nostræ iratus est DEVS ille, quia nec audimus vocem eius, nec facimus voluntatem: & idcirco de remotis partibus Occidentis excitauit in nos gentem suam, deditq; ei vniuersam terram hanc in possessionem. Non est qui possit eam auertere; nec est qui eam valeat amplius exterminare.* Post hæc inquit filius matri suæ: *Credo, mater, quòd aut insanis, aut furiis infernalibus exagitaris. Quis tibi dixit, quod gens ista non potest exterminari? Plures mecum sunt optimates & Admiraldi, quàm sint omnes Christiani in simul congregati. Dic mihi mater:* Hugo *eorum vexillarius, & Apuliensis* Boamundus, *& gladiator* Godefridus *sunt ipsi Dii eorum? Nónne sicut & nos aluntur temporali cibo? Nónne eorum caro sicut & nostra potest incidi ferro?* Ad hæc mater respondit: *Non sunt Dii quos tu nominas, sed homines, & milites DEI excelsi, qui dat eis animos, exaggerat vires, redditquè magnanimos: sicut ipse per Prophetam loquitur dicens*: Persequetur vnus de vobis mille, & duo fugabunt decem millia: *quòd iam in his expertum est, qui nostros fugauerunt de tota Romania. Propterea, fili, contestor te per omnium nostrorum numinum nomina, vt te auertas à facie istorum, & non ineas contra eos bellum. Stultum est enim, vt superiùs dixi, contra Omnipotentem sæuire, & in gentem suam debachare.* Et respondit filius matri suæ: *Karissima, noli lachrymari, noli crebris gemitibus anxiari; quoniam nulla arte, nullo ingenio reuocabis, etiam si in prælio scirem meipsum interiturum.* Tunc mater tristior effecta, iterum filio suo dixit: *Scio quia pugnabis, & modò non morieris: sed antequam transeat annus, de hac vita discedes. Modò es in omni regione Orientali fama laudabili præditus; in aula regis Persarum nulli secundus: cùm autem modò victus fueris, iuxta quæ nunc tibi est gloria, ingloriosus eris. Quanto enim quisque cæteros antecellit, tanto magis sordescit, si turpius ruit. Nunc verò omni flore Orientalium regum ac diuitum stipatus, tantorum innumerabilium satellitum caterua circundatus, si superatus eris, cum quo vlterius pari aut impari numero decertabis? Tu qui olim cum paucis multos solebas in fugam vertere, nunc disces etiam fugere cum ingenti copiarum vi, & paucos cum multis vt canem lepores præcursare.* Tunc filius, iræ impatiens, verba matris diutius ferre non poterat, sed ea interrumpens ait: *Vt quid mater aërem concitas inanibus verbis, nosquè ad fastidium pertrahis sermonibus imperitis? Nulla virtus bellorum nobis valet resistere; nec valet alter exercitus nostro præualere. Sed dic, mater mea, vnde scis quòd vinci debeamus in hac pugna; & quòd mori debeo non hic, sed antequam transeat annus, morte subitanea: & quòd gens Christiana fines nostros sit possessura?* Cui mater ait: *A centum annis & infrà inuenerunt patres nostri in sacris Deorum responsis, & in sortibus & diuinationibus suis & animalium extis. quod Christiana gens super nos esset ventura, nosquè victura. Concordant itaque super hoc aruspices, magi, arioli & numinum nostrorum responsa, & prophetarum dicta, in quibus dicitur:* A solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari, erunt termini vestri, &

Verba suæ matris Furiis malè subditus atris, Tempnit Corbanan, Mētemquè gerit malè sanam.

nullus stabit contra vos. *Credimus, quia hoc totum venturum est, sed nescimus si nunc vel in proximo est; sed propè quibusdam nostrorum videtur: quia hoc assidua rerum mundi ruina præsignant, & astrorum intuitus prænuntiauit. De hoc siquidem prælio quod commissurus es, dicam tibi veritatem, & de morte tua quam inde habeo, notitiam. Ex quo milites ad patrandum bellum hic colligere cœpisti, solicita indagatione perscrutata sum, quicunque mihi possunt ventura prædicere: & consonant, quòd nullus omnino Christianos poterit superare. Cum astrologis syderum cursus, septem scilicet planetas, & duodecim signa sapienter contemplata sum, & quicquid physicari potest cum aruspicibus, extis & armis pecudum; cum sortilegis sortes temperaui: & omnia in vnum concordant, gentiq; Francorum victoriæ titulos prænuntiant, & necem tibi, sicut* 10 *dixi superiùs, intentant.* Tunc ille, *Mater,* inquit, *cessa ab his de cætero, quia cum Francis pugnabo quàm primùm potero* Illa videns quòd nil proficeret, non diu morata vnde venerat rediit, secumq; reportauit quicquid spoliorum adipisci potuit. Iam verò de his quæ interim in vrbe gesta sunt, aliquid referamus. *Turcis* libera facultas erat intrandi castellum, & exeundi: nostrosq; die nocteque iaculando & sagittando ad bella ciebant, & cùm certantium vires deficiebant, noui recentesque subibant. Sicque nouis iugiter superuenientibus virtus illorum crescebat; nostrorum verò quotidiana lassitudine deficiebat. Nulla enim quies erat, nec arma deponebant; sed in procinctu militiæ semper erant. Telis & sagittis plateæ ciuitatis impediebantur, & tecta domorum onerabantur. Omni die ante castellum fit noua congressio, 20 multotiesque fiebat nostrorum & ipsorum vna commistio: de nostris tamen DEO protegente pauci moriebantur: de illis verò cateruatim perimebantur. Et dum sic tempus prolabitur, *fames* omni hoste crudelior nostros inuadit, viresq; eorum de die in diem attenuauit. Vultus marcescunt, brachia deficiunt, & tremula manus vix *terra vellicat herbas,* & frondes arborum, & radices vaporum syluestrium. Hæc omnia coquebantur, & comedebantur. Crus asini sexaginta solidis comparabatur, & qui emebat dissipator substantiæ non æstimabatur: Panis paruus appreciabatur vno bisantio: Carnes asinorum, equorum, camelorum, boum, bubalorum consumebantur, insuper eorum coria concoquebantur. Matres filios suos fame pereuntes, ad vbera suspendebant; sed pueri in maternis vberibus nihil inue- 30 niebant, & præ inopia lactis clausis oculis palpitabant. Quadam die *Corbanan* incitauit nostros ad prælium, scilicet extra vrbem, ab illa parte in qua erat castellum; sed milites & equi fame cruciati, diu non potuerunt sufferre veloces impetus eorum. Conglobati igitur in vnum, nostri ad ciuitatem regredi salubriùs esse intellexerunt; sed oppressi à Turcis, portam nimis angustam repererunt, in tantum quòd quidam ibi vsq; ad mortem attriti sunt. Sicq; fiebat pugna intus & exterius, nec dabatur vlla quies nostris fame pereuntibus. Propter hæc & his similia aliqui de nostris militibus immoderatè perterriti, fugâ in ipsa nocte elapsi sunt, funibus ad propugnacula ligatis, quibus manus suas omnino decoriauerunt, & sic ad mare pedibus tetenderunt. Quo peruenientes dixerunt nautis, vt fugerent, quoniam 40 omnes Christiani aut mortui aut vincti essent. Illi autem dolentes in mare se miserunt, & Turcarum se potentatui subtraxerunt. *Stephanus* Carnotensis Comes, qui inter alios principes videbatur magnus, consilio prouidus, morum honestate præclarus, antequam caperetur *Antiochia,* graui infirmitate detentus est: & ad quoddam castrum, quod suum erat, secessit, cui nomen *Alexandreta* fuit. Hic vt à fugientibus audiuit hanc de nostris relationem, montana vrbi præeminentia ascendit, vt videret quidnam esset, vtrúmne relatio vera fieret. Sed innumerabilia Turcorum agmina à longè conspexit, nostrosque intra vrbem inclusos esse deprehendit; & perterritus timore, aufugit, & ad castrum suum remeans funditus expoliauit: & sic versus *Constantinopolim* equitare cœpit. Illi verò qui in vrbe obsidebãtur, 50 summo desiderio aduentum eius præstolabantur, putantes quòd Imperatorem secum adduceret, & cũ eo rebus necessariis succurreret. At ipse in diuersum tendens, vt ad *Philomenam* venit, Imperatorem ibi inuenit, eiq; secretâ allocutione dixit: *Domine Imperator, nostri reuera Antiochiam obtinent; sed castellum quod ei superest adhuc Turci possident, innumera Turcorum agmina eos de foris obsident, & qui in castello sunt intus oppugnãt. Sed quid super his restat, nisi quia aut mortui iam sunt, aut in proximo omnes morientur? Tu autem, reuerende Imperator, si nostro credis consilio, vlterius non progredieris, sed ad vrbem tuam reuerteris. Nam non potest humana eis potestas vlla subuenire; sed si illuc ieris cum tuo exercitu poteris interire.* His auditis sermonibus Imperator valde tristis efficitur, & quod ei dixerat

Consil. Carnotis, Vrbs inclyta caraq; notis, Territus aufugit, Bellum sociosq; reliquit.

in secreto, principibus suis ac magistratibus propalauit in aperto. Omnes contristantur, nostrorumque funera lacrymantur. Erat ibi quidam miles, nomine *Wido*, qui per militiam celebre sibi nomen adquisierat, multumque *Boamundo* familiaris exstiterat. Qui cùm hoc audisset, ita indoluit, quòd ac si mortuus esset, in terra corruit. Et cùm resumpto spiritu ab illa mentis alienatione reuerteretur, flere immoderatè cœpit, genasque vnguibus sulcando, crines manibus decerpendo, omnes cogebat ad luctum, dicebatq;: *O DEVS Omnipotens, vbi est virtus tua? Si Omnipotens es, cur hæc fieri consensisti? nonne erant & milites tui & peregrini? Quis vnquam Rex, aut Imperator, aut potens Dominus familiam suam ita permisit occidi, si vllo modo potuit adiuuare? Quis erit vnquam miles tuus aut peregrinus? O Boamunde, honor aliorum ducum, corona sapientum, gloria militum, solamen desolatorum, robur militiæ, & totius mundi decus insigne, cur tibi tale infortunium contigit, vt Turcorum ludibrio subiaceres? Heu, heu, cur mihi concessum est viuere post te? quæ mihi post hæc lux grata, quæ species amœna, quæ gloria delectabilis, quæ vita iocunda, te minimè superstite? O DEVS, si verum est quod iste nugacissimus & fugitiuus Comes attulit, quid amplius erit de via Sepulcri tui, quæ causa ita occisi sunt, quasi dominum non haberent serui tui? O Boamunde, vbi est illa fides tua, quam semper habuisti in Saluatore tuo Domino nostro IESV CHRISTO? O Imperator & egregii milites, qui mecū tanta tantorumq; funera lugetis, quis perfectè credere potest, quòd tanta militia sic perierit? Procerto si in medio campo ab omni Orientali populo circunsepti fuissent, non antè omnes occiderentur quàm vlciscerentur. Nunc autem & ciuitatem habebant, in qua se defendere poterant, & ita interempti sunt? O Imperator, certissimè scias, quia si Turci nostros occiderunt, pauci de ipsis remanserunt. Propterea ne paueas illuc ire, quia Antiochiam recipere poteris.* Imperator consilio illius noluit assensum præbere, verbis nugacis, fugitiuique Comitis nimium credulus, sed retrò destinauit abire, *Bulgariæque* loca præcepit deuastare, vt si Turci in partes illas peruenirent; nihil penitus inuenirent. Cum ipso pariter & ipse *Wido*, & illi qui cum ipso Imperatore ierant, reuersi sunt; quia vltrà ire non præsumpserunt. Sic igitur nostri omni humano solatio destituti sunt; & per viginti ferè dies, cùm hostibus & fame, cum gladio & penuria indesinenter decertauerunt.

Guido nimis plorat, Dominum cum fletibus orat.

EXPLICIT LIBER SEXTVS.

INCIPIT LIBER SEPTIMVS.

SVPERNA pietas humano destitutis auxilio nisi præuidisset, ex Francigenis, iam ciuibus Antiochenis, nullus superesset. Sed cùm iam vita diffiderent, omniaque mortem intentarent; placuit DEO Saluatori regi regum IESV CHRISTO, vt cuidam sacerdoti suo appareret, dum quadam nocte in Ecclesia suæ sanctæ castæ genitricis dormiret. Erant autem cum eo, ipsa mater & Virgo Maria, & beatus *Petrus* Apostolus, cui pastoratum ouium suarum dedit ipse Dominus. Cui & ait: *Agnoscis me?* Cui sacerdos: *Non. Tu quis es, Domine?* Tunc in capite Saluatoris crux cœpit apparere. Cui iterum Dominus: *Iam ne agnoscis me?* Iterum sacerdos respondit: *Non aliter agnosco te, nisi quia crucem in capite tuo video, sicut in imaginibus, quæ sunt in honore Domini nostri IESV CHRISTI, videre soleo.* Et Dominus ad eum: *Ecce, ego ipse sum.* Sacerdos verò vt audiuit quòd Dominus est, statim prosternebat se ad pedes eius, suppliciter obsecrans vt suis Christianis subueniret, fame & hostium oppressione laborantibus. Cui ait: *Non tibi videtur, quòd bene eos adiuuerim hucvsque, quia illis & Nicæam tradidi ciuitatem, & omnia quæ eis superuenere bella, vincere feci? In obsidione Antiochiæ eorum miseriæ condolui; nunc verò ad extremum, ciuitatis ingressum tribui. omnes tribulationes & impedimenta, quæ passi sunt, ideo euenire permisi, quoniam multa nefanda sunt operati, cum Christianis mulieribus, & Paganis, quæ valde displicent in oculis meis.* Adhæc mater misericordiæ piissima Virgo & beatus *Petrus* ceciderunt ad pedes eius rogantes, vt populi sui misereretur. Adiecit autem beatus Apostolus precationi suæ, & ait: *Domine, gratias tibi ago, quoniam Ecclesiam meam in potestate seruorum tuorum dedisti, quam propter malitiam inhabitantium in ea tot annorum curriculis paganorum fœditatibus sordidari permiseris: Vnde in cœlis lætantur sancti Angeli tui, & consortes mei Apostoli.* Tunc Dominus ait sacerdoti suo: *Vade, dic populo meo vt reuertatur ad me, & ego reuertar ad eum, & infra quinque dies mittam eis sufficiens auxilium, interim quotidiè cantet hoc responsorium:* Congregati sunt

Cui Deus apparet, Quia sic sine crimine paret.

nimici nostri & gloriantur in virtute sua: *totum cum versu.* Hac ita visione completa, venerabilis Presbyter somno excitatus surrexit, expansisque manibus orauit, pro vt Spiritus sanctus dabat eloqui illi. Inde eâdem die horâ tertiâ immediate ad Principes exercitus perrexit, inuenitque eos sursum ante castellum prælian-tes contra inimicos, & mouentes inuicem bellum: quibus conuocatis, læto & hilari vultu dixit: *O belligeratores Regis æterni, annuntio vobis ex parte Saluatoris nostri gaudium & exultationem; suamq́ quam transmittit vobis benedictionem: & si ei obedieritis, consequimini & gratiam.* Tunc omnibus attentè audientibus & vndique confluentibus, omnem seriatim exposuit visionem. Quâ expositâ, subiecit & ait: *Si huic decreditis* 10 *visioni, falsamquè eam suspicamini, quia vera est faciam vobis quod libuerit experimentum; & si mendax inueniar, omni iniuria afficite corpus meum.* Tunc *Podiensis Episcopus* iussit afferri crucem, & sanctum Euangelium, vt coram cunctis iuraret hoc verum esse: quod ita factum est. Et vt diuina bonitas, bona bonis accumularet, suosque lugubres seruos magis magisque lætificaret; affuit ibi quidam peregrinus, nomine *Petrus*, qui hanc visionem retulit coram omnibus: *Audite populus Domini & serui DEI excelsi vocem meam, & sermonibus meis inclinate aurem vestram. Dum in obsidione huius ciuitatis eramus, quadam nocte astitit mihi in visione sanctus Andreas Apostolus, dicens:* Bone vir, audi & intellige me. *Et aio ad eum:* Tu quis es domine? *Et ille:* Ego sum *Andreas* Apostolus. *Adiecitq́:* Fili, cùm vrbem hanc intraueritis, & eam in pote-„ 20 state habueritis, ad Ecclesiam beati *Petri* celeriter vade, & in loco quem monstra-„ uero tibi, inuenies lanceam, quâ perforatum est latus Saluatoris nostri. *Hoc tunc so-*„ *lummodo Apostolus dixit mihi. Ego verò tunc ausus non fui hoc alicui indicare, existimans me*„ *vanam visionem vidisse. Nunc verò ista nocte iterum apparuit mihi dicens:* Veni & osten-„ dam tibi locum vbi lancea abscondita est, sicut promisi tibi. Festina igitur vt ex-„ trahas eam, quoniam portantibus eam sequetur victoria. *Et ostendit mihi sanctus A-*„ *postolus locum, quem venite & videte, & inde eam mecum extrahite.* Cùmque omnes ad Ecclesiam beati Petri currere vellent, adiecit adhuc, & ait: *Mandat vobis sanctus Andreas Apostolus: Ne timeatis; sed confitemini & pœnitentiam agite à malis operibus vestris: quoniam infra quinque dies super inimicos vestros iterum triumphabitis.* Tunc omnes 30 vnanimiter glorificauerunt DEVM, qui dignabatur consolari dolores ipsorum. Statim verò cucurrerunt ad Ecclesiam beati Petri cupientes locum videre, vbi debebat lancea inueniri. foderunt autem ibi tredecim homines, à mane vsque ad vesperam: sicque eam, Domino disponente, repererunt: fuitq; magna lætitia in omni populo, magnisq; vocibus personabant: *Te DEVM laudamus. Gloria in excelsis DEO.* Tunc omnes in simul iurauerunt, vt nullus eorum propter vllam tribulationem seu mortem fugeret, nec ab incepto itinere *Sancti Sepulcri* discederet. Omnis itaque plebeia multitudo gauisa est, cùm sacramentum hoc iurarent Maiores; & alter alterum ad virile robur hortabatur, & de diuino adiutorio, quod fiducialiter vnusquisque præstolabatur, applaudebat. Nocte igitur insecuta ignis de cœlo ve- 40 niens ab Occidente apparuit, & inter Turcorum exercitum corruit: quod signum corda omnium vehementer obstupefecit, & maximè Turcorum in quorum tentoria cecidit. Inter se enim vaticinari cœperunt, quod postea contigit: quia *ignis de cœlo descendens, ira DEI erat.* quia verò ab Occidente venerat, *Francorum* agmina designabat, per quos iræ suæ animaduersionem exercebat. Iam verò qui Seniores erant, cœperunt à ferocitate sua quantulumcunque mansuescere, & ab ea quam prius habuerant animositate torpescere. Sed quia stultorum infinitus erat numerus, nostrosq; ad prælium concitabant, nec die nec nocte requiescebant, placuit Senioribus murum inter se & illos construere, vt vel sic liceret ad modicum respirare. Vna die enim tam acriter in nostros irruerunt, vt tres in vna turre quæ e- 50 rat ante castellum incluserint: ex quibus duo vulnerati de turre exire compulsi, & capite plexi sunt; vnus verò, vsque ad vesperam fortiter resistens permansit, duosq; ex illis occidit, & sic deinceps gladio vitam finiuit: Quibus dum viuerent, cùm *Boamundus* vellet succurrere, vix aliquem potuit extrahere: quia illos non tantùm hostis vrgebat, quantùm valida fames opprimebat: Vnde iratus ignem poni præcepit in domibus quæ erant ab illa parte, vbi & palatium *Cassiani* erat: vt qui exire sponte nolebant, saltem exire compellerentur inuiti. Tunc cum igne tanta venti tempestas exorta est, quòd tantum flamma inualuit, quòd vsque ad duo millia domorum & ecclesiarum combusserit. *Boamundus* vt vidit flammam ignis ita insurgere, pœnitentiâ ductus vehementer doluit: quoniam de Ecclesia beati

Petri sanctæque DEI genitricis Mariæ, multisque aliis pertimuit. Durauitque incendium ab hora diei tertia vsque in noctem mediam; & sic flante vento à parte dextera, in seipsam reuersa est flamma. *Lancea*, vt suprà diximus, nutu DEI inuenta, Seniores & magistratus militiæ consilium acceperunt, vt ad *Corbanan* legationem suam mitterent, eique mandata suumque consilium per interpretem sui sermonis deferrent. Cùmque de multis fieret inquisitio, nec aliquis præsumeret hæc ferre mandata; tandem duo inuenti sunt, *Heluinus*, & *Petrus eremita*. Hi cum interprete iter suum ad Turcorũ castra direxerunt, dein ad Corbanan tentoria peruenerunt. Conuenerunt vndique *Turci*, audire gestientes, quid dicerent Christianorum nuntii. Erat autem *Corbanan* residens in solio, indutus cultu regio, habituque 10 pomposo: ante cuius faciem venientes minimè se inclinauerunt, sed erecta ceruice astiterunt. Quod cùm Turci viderent, ægrè tulerunt; & nisi nuntii essent, superbæ continentiæ ignominiam vindicassent. Tunc nuntii nil cunctantes, licet omnes ira commoti, circunfremerent, superbo Principi dixerunt. *Corbanan, Francorum proceres tibi mandant: Vnde tibi contigit tam temulenta audacia, quòd armata manu contra eos venisti, cùm tu & Rex tuus gensque tua in eorum conspectu culpabiles sitis, qui terras Christianorum immoderata cupiditate inuasistis, eosque omnes iniuria affectos occidistis. Infernales dii tui te turpius non potuerunt dehonestare, quàm quòd te miserunt contra eos pugnare. Si ratio iuris tecum esset, & censurâ æquitatis nobiscum agere velles, nos tecum iuris honore seruato ratiocinaremur, & quod Christianorum esse debet, incontradicibili sermone ostenderemus.* 20 *Quod si apud te æqui ponderis sunt ius & ratio, vt voluptuosa voluntas, fiat inter tuos & nostros determinata pugna, & victoribus absque aliorum sanguinis dispendio tota hæc concedatur patria. Quod si nec ita, nec sic, complacet, aut fugam protinus inite, aut colla vestra nostrorum ensibus præparate.* His dictis sermonis mediator conticuit. *Corbanan* verò ira magna inflammatus, vix loqui potuit: & tandem in hæc verba prorupit, dicens: *Verè gens Francorum, gens superba: sed nostro gladio refrenabitur eorum superbia. Ideo autem requirunt denominatum prælium, vt quibus cedet victoria, cedat & imperium: quoniam sine aliorum sanguinis dispendio, aut patria volunt ditari, aut à manibus nostris liberari. Sed tunc salubre consilium non inuenerunt, cùm pro effœminata gente arma sumpserunt. Tamen adhuc ite, illisque renuntiate: quoniam si volunt DEVM suum abnegare, suaque Christianitati renuntiare, in gra-* 30 *tiam omnes recipiemus, & terram hanc eis donabimus, & multò meliorem: & de omnibus equites faciemus. Quod si facere neglexerint, omnes in proximo morientur, aut vinculati in terram nostram captiuabuntur.* Post hæc *Heluinus*, qui illorum nouerat linguam, subiecit & ait: *O Princeps nullius militiæ, sed totius malitiæ, si scires quàm dementissimum est apud Christianos dicere,* nega Dominum, *nunquam de tuo ore polluto egrederetur tale verbum. Scimus pro certo ipso DEO quem negare suades reuelante, quia in proximo est nostra salus, & vester interitus; nostrum gaudium, & vestrum detrimentum. Quis verò serò vobis transmisit ignem, qui vos ita perterruit, & de loco in quo tentoria fixeratis ita perturbauit? Signum hoc, in portentum veniet vobis; nobis, in salutem: quoniam ipsius DEI nostri certam inde habemus legationem.* Corbanan diu ferre non potuit conuitia Heluini, & præcepit à conspectu 40 suo illum amoueri. Dixeruntque ei qui illic astabant, vt citò recederet, aliâs nunquam ei legatio proficeret quin statim interiret. Ille cum sociis ita discessit, & ad vrbem remeauit. Nec prætereundum quid istis recedentibus, *Corbanan* suis dixerit: *Audistis nunc, quid pannosi illi, vultuque despicabiles, & nullius personæ homunculi, & quàm constanter locuti sint: nec iram nostram & tela micantia expauerunt. Vnum de illis est, quia desperati sunt, & volunt mori; & malunt mori, quàm captiuari. Propterea ô fortissimi milites, cùm ad prælium venerint, vndique eos circumuallate, ne alicui sit locus diuertendi, nec spatium diu viuendi: quoniam si eis aliquandiu licet viuere, antequam omnes interficiantur, magnas strages de nostris facient.* In hoc apparet quòd Corbanan stultus erat, quia sic loquendo suorum mentibus terrorem incutiebat. Nec mirandum si insipiens loquitur a- 50 mentiam, quia *spiritus sapientiæ non intrat in maleuolam animam.* Petrus eremita & Heluinus ad Principes exercitus reuersi sunt: & quæ Corbanan responderat narrauerunt. Tunc *Podiensis Episcopus* nutu & assensu omnium, triduanum omnibus indixit ieiunium. Vnusquisque puro corde confessus fuit; & qui aliquid ad edendum habuit, non habenti distribuit. Illos tres dies deduxerunt cum omni humilitate & puritate cordis, ecclesias processionando circuientes, & Domini misericordiam implorantes. Tertia die illucescente, Missæ per ecclesias celebratæ sunt; omnesque sancta Dominici corporis communione communicati sunt. Communi deinde consilio intra vrbem sex acies constituuntur, & quæ prius, & quæ

Francigenæ gentes Natura Marte furentes, Hoc mandant Parthis Vt sint ad bella parati.

Corbanan fatur, Et nostris conuiciatur.

Seruus & iste DEI Conuiciatur ei.

quæ posterius irent ordinantur. Prima acies fuit *Hugonis Magni*, & *Flandrensis* Comitis: secunda verò Ducis *Godefridi*: in tertia verò fuit Comes *Robertus Normannus* cum suis: quarta fuit *Podiensis Episcopi*, qui secum portauit lanceam nostri Saluatoris; & cum illo fuit magna pars exercitus *Comitis Sancti Aegidii*, qui ad custodiam ciuitatis remansit: quinta *Tancredi* fuit: & *Boamundi* sexta, cum quo expeditiores ad bellum pedites fuerunt, & milites qui equos suos necessitate victi vendiderant. Episcopi, Presbyteri, Clerici, & Monachi, sacris vestibus induti cùm militibus extrà portam ciuitatis exierunt, portantes in manibus suis cruces, quibus DEI populum signabant, & magnis vocibus ad cœlum manibus extensis cla-
10 mabant: *Saluum fac populum tuum, Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle eos nunc & vsque in æternum. Esto eis Domine, turris fortitudinis à facie inimicorum suorum.* Hos & alios psalmos concinebant, illos præcipuè qui tribulationi conueniebant. Similiter illi qui in turribus erant & super murum, idem faciebant, & cantabant. Egressi sunt itaque milites CHRISTI contra satellites Antichristi, per portam quæ est ante *Machumariam*. *Corbanan* verò in quodam monticulo stans, exeuntes aspiciebat, & dum exirent, dicebat: *State quieti, milites mei; & omnibus exire permittite, vt eos meliùs valeamus comprehendere.* Habebat autem iuxta se positum *Aquitanicum* quendam, quem nos *Prouincialem* dicimus, qui fidei nostræ abrenuntiauerat, & edacitatis gula coactus de ciuitate exierat, & in aduersariorum se ca-
20 stra contulerat. Hic de nostris multa nefanda dixerat, quòd fame moriebantur & omnes fugæ præsidia moliebantur, quòd equos suos comederant, & victus inopia tabescebant, nihilque restare, nisi quòd aut fugerent, aut ditioni Corbanan se subderent. Dumque diuisæ acies suis ordinibus de ciuitate exirent, Corbanan cuius esset vnaquæque requirebat, quæ Aquitanicus ei ordine referebat. Sol verò super auratas loricas & lanceas radios inferens, oculos intuentium reuerberabat, & aduersariis terrorem immittebat, vt diuina Scriptura testatur: quia *terribilis est castrorum acies ordinata.* Vt autem in simul omnes conspexit, intra semetipsum infremuit, circunstantibus dicens: *Magna est gens illa, honestèque armata: non mihi videtur quòd velint fugere, sed instare; quòdve velint obsequi, sed persequi.* Con-
30 uersus itaque ad apostatam suum, inquit: *Furcifer omniumque scelestissime, quæ friuola dixisti nobis super hominibus istis, quòd equos suos comederint, & fame cruciati fugam pararint? Per Machomum in caput tuum retorquebitur istud mendacium, capitisque lues supplicium.* Tunc accersitus gladiator, tyranni paruit imperio, & euaginato gladio caput illius præcidit; dignamque suæ garrulitatis & apostasiæ mortem subiit. Tunc quippe mandauit *Admiraldo* suo qui custodiebat suum thesaurum, vt si ignem accensum in capite sui exercitus videret, fugam protinus arriperet; & omnia quæ sua erant, secum portaret, aliosque fugere compelleret: Sciret enim quia *Francorum* gentis erat bellum; sibi verò victoria cesserat in contrarium. Nostri verò milites vt primùm in quandam planiciem venerunt, Podiense Epi-
40 scopo innuente steterunt, & cum summo silentio sermonem illius audierunt. Erat autem vestitus lorica, & in dextera manu illius in altum erecta Saluatoris lancea. qui os suum in hæc verba aperiens, dixit: *Omnes qui in Christo baptizati sumus, filii DEI & fratres inuicem sumus: quos ergo coniunxit vna spiritalis copula, iungat & dilectio vna. Pugnemus igitur vnanimes, vt fratres, pro animabus & corporibus nostris, sicut positi in rebus extremis. Mementote quantas tribulationes passi estis pro peccatis vestris: sicut nunc vobis innotescere dignatus est in visionibus Dominus DEVS noster. Nunc verò purgati estis, DEOque per omnia reconciliati. Et quid timeretis? nullum vobis contingere potest omnino infortunium. Qui hìc morietur, viuente felicior erit: quia pro temporali vita, gaudia adipiscetur æterna: Qui verò remanserit superstes, super inimicorum suorum triumphabit victoria,*
50 *diuitiisque illorum ditabitur, & nulla angustabitur inopia. Vos scitis quid perpessi sitis, & quid in præsentiarum ante vos videatis: Orientales diuitias adduxit vobis Dominus vester in faciem vestram, imò in manibus vestris. Confortamini, & estote viri cordati: quoniam iam mittet Dominus legiones sanctorum suorum, qui vlciscentur vos de inimicis vestris. Hodie videbitis illos oculis vestris: & cùm venerint, de eorum terribili fragore ne timeatis. Non enim debet inassueta vobis esse visio eorum: quoniam vice altera venerunt vobis in auxilium. sed humanus aspectus pauescit in aduentu supernorum ciuium. Considerate quomodo aduersarii vestri extento collo, sicut cerui & dammulæ pauescentes, aduentum vestrum aspiciunt, paratiores ad fugam quàm ad prælium. Et vos bene nostis eorum prælia: quoniam tractâ sagittâ, plus in fuga quàm in pugna confidunt. Ite igitur contra eos in nomine Domini nostri IESV CHRISTI ad bellum;*

Sermo finitur, Sed & agmina constituuntur.

& *Dominus DEVS noster Omnipotens sit vobiscum.* Cùmque omnes respondissent, *Amen*; extensis in longum legionibus, prior erecto vexillo antecedit *Hugo Magnus*, qui iure vocatus est Magnus, quoniam hoc priuilegium commendauit actu & moribus: Hunc subsecuti sunt alii, sicut superiùs sunt nominati: fuitque eorum prolixa extensio, à flumine vsque ad montana scilicet, cui spatio intersunt duo miliaria. Tunc verò *Corbanan* cœpit retroire & montanis appropinquare. Nostri autem paulatim illum insequebantur, quoniam moderato gressu omnes gradiebãtur. Tunc *Turci* in duo sunt diuisi: quia pars vna à regione maris processit; pars altera maior, in campo remansit. Statuerunt igitur nostros sic inter se includere, & à dorso sagittare. Sed ordinata est septima acies, quæ contra partem diuisam confligeret: ordinata est autem ex militibus Ducis *Godefridi* & *Normanni* Comitis: cui præfuit quidam Dux, nomine *Rainaldus*. Hunc contra illos miserunt, & præliati sunt; multique hinc & inde ceciderunt. Et vt aliæ sex acies ad iactum sagittæ peruenerunt, Turci viciniùs ire recusantes, tensis arcubus trahunt, sed frustra: quia ventus ex obliquo flans eorum iactus redegit in vanum. Quod Turci vt viderunt, versis frenis retro fugiunt: sicque prima acies quæsiuit in bello bellum, nec inuenit: quæsiuit quem percuteret, aut à quo percuteretur, nec reperit. Interea missus est nuntius à *Boamundo* Hugoni Magno, vt ei ferret auxilium, quia nimium vrgebatur oppressione Turcorum. Mox Hugo conuersus, ait suis: *O viri bellatores, nos pugna fugit, quæramus pugnam, eamusque ad Boamundum egregium Ducem: illic est pugna, quam quæritis, illic ferreus instat hostis, quem desideratis.* Tunc citiùs dicto volat illuc quisque satelles, iunguntur que simul egregii Comites. Quod vt vidit Dux ducum *Godefridus*, quòd magnus amicus suus ita celeri cursu cum omnibus suis discurrebat, insecutus est eum: quoniam & ipse à bello vacabat. Illic quippe incumbebat robur militiæ *Persarum*, & maior fortitudo; & bene decebat, vt illic currerent *Godefridus* & *Hugo*. Erat enim vnus ab altero, quasi alter idem, vnam habentes in se amicitiam. *Hugo Magnus* cùm ad pugnæ conflictum prior venisset, intuitus est vnum de aduersariis, qui erat audacior cæteris, aliosque ad pugnam clamando hortabatur: qui spumantem equum dirigit contra eum, & lancea ei guttur perforauit, & sic os illius oppilauit. Quid miser faceret? solo statim corruit, & diis infernalibus animam commendauit. Post hæc contigit nostris grande incommodum: quia *Odo Belgentiacus*, qui vexillum ferebat, sagitta toxicata vulneratus fuit; & dolore vulneris ingrauescente, cum vexillo terræ corruit: sed *Blemensis Guilelmus* ense nudato, viam per medios hostes aperuit, & signum tellure leuauit. Quid Dux ducum Godefridus, quid Boamundus, quid clara iuuentus ibi egerint, nec lingua dicere, nec manus scribere, nec pagina valet capere. Nullus nostrorum ibi iners fuit, nullus timidus, quia nec locum habebat; & hostis supereminens vnum quemque vrgebat. Quantò magis enim occidebantur, tantò magis crescere videbantur. Sicut enim putredini muscæ confluere solent; sic & ipsi vndique conueniebant. Dum sic certatur, & tam longi certaminis prolixitas poterat tædiare; nec numerus hostium videbatur decrescere, albatorum militum numerabilis exercitus visus est de montibus descendere, quorum signiferi & Duces esse dicuntur *Georgius*, *Mauricius*, *Demetrius*: quos vt primùm vidit *Podiensis Episcopus*, exclamauit voce magna dicens: *O milites ecce venit auxilium, quid vobis promisit DEVS.* Et certè nostri valde expauissent, nisi fuisset spes quam in Domino habebant. Tunc tremor maximus irruit in hostes, & versis vultibus scutis terga cooperiunt; & fugam quò vnicuique locus dabat arripiunt. Pars illa quæ à parte pugnabat maris, vt vidit fugam suorum, ignem sparsit super gramen campi, quod celeriter arsit, quia illud siccauerat ardor æstatis. Hæc ideo fecerunt, vt hoc signo illi qui in tentoriis erant, statim fugerent, & secum ditiora spolia tollerent. Illi verò cognito signo, qui in montanis erant, protinus fugerunt, cum omnibus spoliis quæ portare valuerunt. Sed quid eis profuit, cùm diu eis ferre non licuerit? *Armenii* & *Surani* siquidem vbi viderunt, quia victi erant, & nostri eos insequerentur, obuiam illis veniebant & occidebant. *Hugo* verò Magnus & Dux *Godefridus* & *Flandrensis* Comes, simul cum suis agminibus equitabant iuxta aquam, vbi robustior & densior eorum erat exercitus: tantoque impetu vrgere cœperunt, vt ad sua tentoria quò tendebant, remeare non potuerint. Et vt citius persequi valerent, illorum equos qui moriebantur, ascendebant, suosq; qui erant macilentiores & afflicti fame, frenis à capite detractis

Currit in auxilium Boamundo Belliger Hugo, Quem sequitur iuuenis Godefridus, clarus in armis.

Nomina sanctorum De cælo signiferorum.

10 20 30 40 50

detractis relinquebant in campo. O miranda virtus DEI Omnipotentis, & immensa potestas! Miles tuus longo afflictus ieiunio, persequitur tumentes adipe & pinguedine, ita vt etiam nec ad sua bona, quæ reliquerant, auderent respicere. Spiritus tuus bonus erat in mentibus eorum, qui & vires suggerebat corporum, & audaciam præstabat animorum. Non illum retardat vlla cupiditas spoliorum, nulla vllius rei auaritia: quoniam illius mentem magis titillabat victoria. Sicut in macello bestiarum corpora solitum est dilaniare; sic & nostris licitum erat Turcarum corpora laniare. Euolat sanguis de corporibus vulneratorum; euolat puluis agitatus equorum pedibus discurrentium: Æther obnubilatur, & quasi cre-
20 pusculum fieret obtenebratur. Contigit autem quòd fugientes in quendam collem deuenerunt, & ibi se contra nostros recolligere sperauerunt. Tunc *Gerardus senex de Meleone*, qui longo tempore ægrotus iacuerat in obsidione, equo celeri transuectus, improuidè incidit in illos, eorumque iaculis est confossus, & sic digna morte peremptus. Quod vt viderunt qui eum viciniùs subsequebantur; *Euuardus* scilicet de *Puteolo*, *Paganus Beluacensis*, *Drogo*, & *Thomas*, & *Clarenbaldus*, cæteraque iuuentus *Hugonis Magni*, nil hæsitantes in illos irruunt: & quidem forte bellum inuenerunt; sed tamen, DEO iuuante, crescente caterua suorum, viriliter dissipauerunt. Ibi multum cruoris effusum est, multorum truncata capita, qui si, vt cœperant, fugissent, euadere potuissent. Persecuti sunt autem illos vsque
30 ad *pontem Ferreum*, & ad castellum *Tancredi*: & vltrà non potuerunt persequi, quia nox obscura finem rei imposuit. Mortui sunt autem illo die centum millia equitum; sed propter fastidium nullus numeratus est de tota multitudine peditum. Miles fatigatus, quia longè ab vrbe erat, ad tentoria quæ suorum erant inimicorum rediit; multumque quod ad edendum sibi sufficiebat, inuenit. Antè enim quàm timor DEI venisset in corda illorum, in sartaginibus & cacabis & lebetibus & in ollis parauerant carnes ad obsonium: sed miseris quæ parauerant, non licuit coquere nec tollere. Ibi potuit videri venerandus Sacerdos *Podiensis Episcopus*, lorica vestitus & casside, & lancea sancta in manibus, qui præ nimio gaudio rorabat vberrimis ora fletibus. Hic illos hortabatur, vt DEO gratias agerent per quem vi-
30 ctores extiterant: dicebatque eis: *Ex quo milites esse cœperunt, nulli vobis compares fuerunt: quia nulli in tam breui tempore tot tantaque bella bellati sunt, quanta & vos peregistis, ex quo mare Constantinopolitanum transiistis. Multùm quippe est à fide Christiana alienus, qui videt quæ vos hodie vidistis, & in DEI dilectione non est continuus.* Hæc & his similia venerandus pontifex dicebat, & verbis talibus populum sibi commissum instruebat, & iocos, & risus eorum temperabat. Contemplatio enim vultus illius præsentiæ ita omnes reuerberabat, quòd nemo eo præsente verba vana proferre præsumebat. Peracta nocte illa, in crastinum quindecim millia camelorum sunt inuenta: equos verò & mulos, & asinos, oues, & boues, & omnis generis pecora quis dinumeraret? Inuenta sunt vasa aurea, & argentea multa, plurima pallia, & spolia
40 magna, magni precii diuersæque varietatis. Cum his omnibus ad ciuitatem triumphantes venerũt: & ab his qui remanserant clericis & presbyteris & monachis, cum solenni processione suscepti sunt. *Admiraldus* verò qui in castello erat, vt vidit principem suum, & eos qui cum illo erant à campo fuga diuerti, viditq; innumera albatorum equitum millia, cum candidis vexillis per plana discurrentia, admodum expauit, vnumque de vexillis nostris ob tutelam dari sibi poposcit. *Comes Sancti Ægidii* qui illic ad custodiam ciuitatis remanserat, suum illi vexillum porrexit; & gratanter accepit, acceptumque muro castelli affixit. Sed vt cognouit à quibusdam Langobardis, qui astabant ibi, quòd Boamundi non esset, cui tota ciuitas concessa erat, signum suum reddidit Comiti, & signum quæsiuit Boa-
50 mundi: & *Boamundus* misit ei. quòd cùm reciperet, Boamundo mandauit, vt ad se veniret. Ille vicino pede legationi ambulauit, & quid dicere vellet auscultauit. Gentilis, fidei pactum requirit: vt qui cum eo erant, & discedere vellent, nullius iniuriæ læsionem paterentur, & vsq; in terram *Saracenorum* conducerentur: qui verò secum Christianus fieri vellet, faciendi licentiam haberet. *Boamundus* immenso gaudio repletus dixit: *Amice, quod exposcis libenter concedimus tibi; sed præstolare modicum, quia istud Principibus nostris renuntiabo, & celeriter reuertar ad te.* Et mox festinanter cucurrit, & aggregatis in vnum Principibus verba gentilis enarrauit. Placuit omnibus, Omnipotenti DEO gratias agentibus. Boamundus ad iam domesticũ regreditur gentilem, & requisitæ ab eo conuentionis confirmat sponsionẽ. Ille verò red-

didit se *Episcopo Podiensi*, & sanctæ Christianitati, cum trecentis suis militibus valde speciosis & iuuenibus: fuitque inter Christianos tunc maius gaudium de eorum Christianitate, quàm de castelli traditione. *Boamundus* castellum recepit, & eos qui Christiani fieri noluerunt, in terram *Saracenorum* conduxit. Triduano peracto ieiunio, *baptizati* sunt gentiles cum lætitia magna: & creuit ibi laus Dei, & gloria Christiana. Ipsi referre postea soliti erant, quod cùm de castelli arce bellum aspicerent, innumera subitò candidatorum militum millia se vidisse; quorum intuitus ipsos vehementer terruit. Nec mirum fuit: quia omne castellum funditus intremuit. Cùmq; viderent eos agminibus Christianorum consociari, suosq; in excidium fugamq; verti, protinus intellexerunt cœlestia numina esse, Christianorumque Devm superari non posse. Inde compuncta fuerunt corda illorum, seq; Christianos fieri spoponderũt. Actum est siquidem bellum hoc, quarto Kalendas Iulii, vigiliâ scilicet Apostolorum *Petri* & *Pauli*. Sicq;, diuina respiciente misericordia, procella *Antiochenæ* tribulationis, quæ ferè per decem menses intumuerat, sedata fuit, & regia ciuitas quę longo tractu temporum iugo diabolicæ captiuitatis subiecta fuerat, amissam pristinæ libertatis gratiam recuperauit. Hostes qui eam incaptiuauerant, fiunt & ipsi captiui; & in latebris syluarum, cauernisq; petrarum, & fossis montium sunt dispersi. *Armenii* quoque & *Surani* habitatores terræ illius, per dies plurimos scrutati sunt illos, & inueniebant alios semineces, alios vulneratos, alios parte capitis carentes, alios ventri suo, ne omnino vitalia exirent, manus suas apponentes; & detractis eorum spoliis interficiebant. Itaq; inimici Dei depopulati sunt; & Christiani, serui Dei excelsi, in gloriosa vrbe cum gaudio & lætitia aggregati sunt. Cùmq; quadam die conuenirent, consiliauerunt, vt ad *Constantinopolitanum* Imperatorem legatos mitterent; suamq; ciuitatem vt recipere veniret, denunciauerunt. Et, proh dolor, iudicauerunt omnes, vt quia Regi mittebant, regalis nuntius debebat ire: & electus est *Hugo Magnus*, verè regalis & genere & moribus: Quem nullatenus elegissent, si non reuersurum scissent. Hic cùm Regi legationem suam complesset, morte interceptus occubuit; & quò regredi disposuerat, ad extremum non potuit. Constantinopolitanus autem Imperator vulpinus pro receptu tantæ vrbis non pręsumpsit venire: quoniam recognoscebat se fidem, & sacramenti iura, & data pignora *Francis* violasse, & nequaquam custodisse. Sicque omnes conuentiones deletæ fuerunt, quæ inter eos factæ sunt. Interea in vrbe residentes, tractare cœperunt de via Dominici *Sepulcri*: quid agerent, an mox inciperent, aut quando tempus terminarent. Ad hoc siquidem communis assensus adducitur, vt vsque ad Kalendas Octobris reinceptum viæ protelatur. Æstatis siquidem ardor nimis incanduerat; & terra Saracenorum quam ingressuri erant, inaquosa & nimis erat arida. Propterea tempus expectauerunt, quod tunc humidum fit, & quo tellus absconditos latices erumpit. Definiendum simili modo erat, quid tantus populus interim ageret; & vbi, & quomodo viueret. Accepto inde consilio, præco quæritur: inde, qui dicat, quid inde definitur. Præco quæsitus & inuentus, ascendit & præconatus est: vt qui omnino egens erat, in vrbe remaneret, cùmque illis qui ditiores erant conuentionem faceret ac seruiret. Principes autem diuisi sunt, per castella sua & ciuitates. Erat autem quidam miles de exercitu Comitis *Sancti Ægidii*, nomine *Raimundus*, cognomine *Piletus*, animo virilis, & corpore spectabilis. Hic perfecto odio *Turcis* inimicabatur, nec diutius tolerare potuit, vt longo tempore feriarentur. Hic plurimam alligauit sibi militum peditumque multitudinem, & in terram Saracenorum transduxit eam; transiitq; duarum ciuitatum terminos: & peruenerũt ad quoddam castrum, quod *Talamania* vocabatur, cui gens Suriana principabatur. *Suriani* nostros receperunt, seq; eorũ libentissimè dominio tradiderunt. Octo ibi diebus transactis, perrexerunt ad aliud castrum in quo latitabat multitudo magna Saracenorum. ad quod peruenientes, militari impetu inuaserunt, & in remissa manu tota die pugnantes, vesperascente die expugnauerunt. Quo ita capto omnes occiderunt, pręter eos qui Christianitatem receperunt. Hac itaq; depopulatione facta, reuersi sunt ad castrum, quod Talamania diximus nuncupatum: In quo duobus perendinatis diebus, die tertia omnes exierunt, & ad vrbẽ quæ *Marra* dicitur perrexerunt. Erat autem ibi aggregata non minima multitudo Turcorum & Saracenorum, ab *Aleph* aliisque ciuitatibus & castellis, quæ in circuitu eius sunt, illorum præstolantes occursum. Ad quam cùm appropiare cœperunt, illi barba-

barbari contra eos exierunt: sed conflictum diu cum nostris tenere noluerunt: quia in fugam versi intra vrbem se receperunt. Nostri verò diu ibi residere non potuerunt: quia æstiuum cauma eos vehementer vrgebat; nihilque inueniri poterat ad bibendum. Iamq; diei inclinante vmbra, reuersi sunt ad castrum suum *Talamania*. Plurimi quidem Christiani patriæ illius incolæ cum nostris ierant; sed cum nostris redire contempserunt: quos *Turci* in insidiis occultati ceperunt & occiderunt: Stultitia siquidem sua perierunt: quia si cum nostris reuerterentur, nemo tunc moreretur; Sed sicut in communi verbo dicitur: *Nihil timet gens stolida, donec eam opprimit infelix fortuna*. *Raimundus* verò ad illam vltrà non rediit ciuitatem, quia non habebat exercitum quo obsideret eam: sed in castro suo vsque ad præfinitum tempus Kalendarum Octobrium remansit; semperque interim terram *Saracenorum* captiuauit. Illi autem qui in *Antiochia* remanserunt, cum magna tranquillitate & gaudio fuerunt, quousque dominum suum *Podiensem Episcopum* amiserunt. Hic cùm summa pax esset exercitui DEI, mense Iulio cœpit infirmari: sed non diu ægrotauit, quia Dominus non est passus illum longa ægritudine cruciari. Kalendis Augusti sancta eius anima vinculis carnis soluta, translata est in Paradisum DEI: in gloriosa festiuitate scilicet sancti *Petri*, quæ dicitur *Ad vincula*. Et vt censura diuini iudicii id actum esse claresceret, in die quo principis Apostolorum vincula à Iherosolymis *Romam* sunt allata, soluta est à corporis nexibus pontificis anima. Nec vnquam pro vlla tribulatione tantus fuit in illa DEI militia mœror, tantaque tristitia, quanta in morte illius. Hunc omnes debito iure lacrymabantur, quia consilium erat diuitum, consolator mœrentium, sustentator debilium, thesaurus indigentium, reconciliator discordantium. Hic militibus dicere solitus erat: *Si vultis esse triumphatores & amici DEI, mundiciam corporum custodite, & pauperum miseremini. Nulla enim res ita à morte vos liberabit, sicut eleemosyna: quia & melius protegit quàm parma; & acutior est in hostem quàm lancea. Qui non est idoneus pro se orare, det eleemosynam, & orabit pro se*. Pro his operibus & huiusmodi sermonibus carus erat DEO & omni populo. Si quis autem vellet omnium virtutum eius charismata enumerare, videretur iam ab historia elongare. Hoc itaque decenter in Ecclesia beati Petri tumulato, *Comes sancti Ægidii* in terram *Saracenorum* transiit, vrbemq;, quam *Albariam* vocant, adiit. Quam vndique forti milite circumcingens inuadit, diuque missilibus & sagittis cum his qui erant in mœnibus decertauit. Sed vt vidit ita se proficere parum, erectis ad murum scalis, loricati milites ascenderunt, & in fugam hostes ire compulerunt. *Miles vt ascendit murum, fit celsior illis, Hostis & ille fuit viribus inferior, Muro descendunt super abdita tecta domorum, De domibus verò saliunt per plana viarum. Huc illuc que senes fugiunt, pueri iuuenesque: Sed prorsus nulli profuit vlla fuga*. Præcepit enim Comes, vt omnes caperentur, & qui in CHRISTVM credere nollent, decollarentur. Illic visi sunt plurimi capite plecti; plurimisque pueris cum puellis subtracta est vita longi temporis. Iudicium enim Domini fuit hoc: quia Christianorum fuerat ciuitas illa, eisque simili mortis ludibrio ablata erat. Nullus ex tâta multitudine reseruatus est, nisi qui sponte CHRISTO cõfidens baptizatus est. Sicque mundata est ciuitas illa, & ad cultum nostræ fidei reuocata. Tunc Comes cum suis optimatibus habuit consilium, vt in ea ordinaretur Episcopus, cuius consilio & auxilio ciuitas regeretur, & fides IESV CHRISTI in cordibus nouiter baptizatorum solidaretur. Electus est igitur vir sapiens & personatus, literarumq; eruditione pollens, & vtraque scientia præditus, & ad ordinandum Antiochiam est missus.

EXPLICIT LIBER SEPTIMVS.

INCIPIT LIBER OCTAVVS.

AEstiuum tempus solis ardore represso, cùm iam transiret, noxque diem horarũ numerositate transcenderet, milites CHRISTI quaqua versum æstiuarant ad *Antiochiam* remearunt, & Kalendis Nouembris, die festo *solennitatis omnium Sanctorum* ibi conuenerunt. Et benedictâ gloriâ Regis æterni, quia tunc numerosior fuit turba redeũ-

rium, quàm fuerat, cùm se ab inuicem diuiserunt. Ex cunctis enim mundi partibus secuti erant multi egregii milites & pedites priorum vestigia, quotidieq; crescebat Christiana militia. Cùmq; in vnum ita residerent, & de via Sancti Sepulcri quò dirigerent iter, disponerent, *Boamundus* pactionem vrbis requirit, quam sibi spoponderant. *Comes Sancti Ægidii* dicebat id non posse fieri propter sacramenta quæ per Boamundum fecerant imperatori Constantinopolitano. Inde per dies plurimos factus est in Ecclesia sancti *Petri* conuentus, magnusque verborum ex vtraque parte conflictus. Cumque in communi conuentu fieri nequiret vlla diffinitio quæ paci conueniret, episcopi & abbates, & consilii sanioris Duces & Comites, locum in quo est Cathedra sancti Petri intrauerunt, & illic intra se diuiserunt, qualiter & Boamundo seruarent promissa, & Imperatori facta sacramenta. Cùm verò à loco consilii exierunt, consilium tamen omnibus patefacere noluerunt. Itaque domestico affatu reuelatum est consilium Comiti sancti Ægidii, & ipse laudauit dispositum: ita tamen vt Boamundus pergeret cum eis iter inceptum. Boamundus requisitus, idem laudauit, & vterque in manibus episcoporũ, fidei adstipulatione, promisit, quòd ab ipsis via *Sancti Sepulcri* nunquam desereretur; neq; propter dissidium vllum quod inter se habuerint conturbaretur. Tunc Boamundus muniuit castellum quod supereminet ciuitati, & Comes palatium *Cassiani*, & turrim quæ supra portam vrbis est, à parte portus *Sancti Simeonis*. Quia verò nos longo narrationis tractu *Antiochia* detinuit, nostrosq; peregrinos milites per octo menses sua obsidione fatigauit, nec vlla vi humana vel arte, vel ingenio superari potuit; de eius situ & magnitudine aliquid dicamus, eisq; qui eam nunquam viderunt aliquid inde aperiamus. Vrbem hanc, vt eius historia testatur, sexaginta quinque reges constituerunt: qui omnes eius principatui famulatum subiectionis exhibuerunt. Circundatur autem muris duobus. Prior est ex magnis lapidibus in quadrum sectis, & subtili artificio politis; & in eo ordinatæ & distinctæ sunt in suis locis quadringentæ turres & sexaginta. Hic se intuentibus venustate suæ compositionis arridet; & spatiosus est latitudine nimis ampla. Continentur intra septa murorum quatuor montes magni & in altum eminentes. In altiore eorum constructum est castellum, quod ita naturali positione munitur, quòd nec bellicosum timet impetum, nec cuiuslibet machinationis ingenium. Trecentas & sexaginta Ecclesias obtinet in sui cõfinii territorio, & Patriarcha habet centum & quinquaginta & tres episcopos sub principatu suo. Ab Oriente quatuor magnis montibus præmunitur. Ab Occidente verò quodam flumine alluitur, cuius nomẽ *Farfar* dicitur. Hanc *Antiochus* rex cum suis, vt suprà diximus, sexaginta quinq; regibus constituit, nomenq; ei de suo nomine indidit. Hanc itaq; vrbem regiam tamque famosissimam obsederunt nostri peregrini milites, per octo menses & diem vnum; & tribus hebdomadibus intus fuerunt inclusi à gente *Parthorum*: qua diuino superata subsidio, postea quieuerunt in ea quatuor menses & dies octo. Quibus explicitis, *Raimundus Comes Sancti Ægidii* primus cum gente sua de *Antiochia* exiit, & ad vrbem quæ *Rugia* dicitur peruenit. Alia die ad alteram venit ciuitatem, quam nominant *Albariam*. Has duas ciuitates compendiosa sua militia suo subiugauerat imperio, CHRISTIq; mancipauerat seruitio. Quarto die, exeunte Nouembre, venit ad vrbem quæ *Marra* nuncupatur; quam *Raimundus Piletus* miles eius primus inuaserat, sed recessit fortiter inde repulsus. Erat autem ciuitas illa populosa, & ab omni gente quæ in circuitu erat nimis constipata. Quæ gens aduersa, vt nostros eminus conspexit, quia ad comparationem sui pauci esse videbantur, despexit, eisque extra ciuitatem resistere conata est. Sed protinus agnouerunt, quòd gens compendiosa & fortis præfertur temulentæ multitudini; & præcipuè gens illa cuius spes est & fiducia in nomine Domini. Nostri enim vt viderunt illos ad resistendum paratos, clypeis pectoribus oppositis, lancearumque mucronibus præpositis, militari impetu in illos irrumpunt; sicq; per medium subeuntes disrumpunt. Ibi confregit Dominus potentias arcuum, scutum & gladium & bellum: quia postquam gladiis agitur pugna, inutilis est arcus & sagitta. Qui portæ ciuitatis propinquior fuit, beatiorem se esse existimauit; qui verò longè aberat, toto affectu peroptabat, vt aut portæ vicinior fieret, aut ad se porta veniret. Multũ quippe illis profuit, quia propè ianuã ciuitatis illa congressio facta fuit. Tamen nõ omnes qui incolumes fuerant egressi, salutari recessu sunt regressi.

Illi potissimum malos regressus habuerunt, quos nostri primo impetu inuenerunt. De nostris equis plurimos sagittauerunt; sed de suis sessoribus ad terram deuolutis, multò plures reliquerunt. Ipsis itaque intra vrbem receptis, nostri ad iactum sagittæ vnius tentoria ponunt. Excubata igitur nocte tota, cùm in crastinum diurnæ luci Solis se iubar immiscuit, nostri armis instructi vrbem vndiq; vallauerunt, acerrimoque congressu inuaserunt. *Tela, sudes, lapidesq́; volant, ignes, facesq́;. Ex quibus arderent introrsus tecta domorum.* Sed obsistente hostium immensa multitudine, illa die nostri nihil præualuerunt, sed lassi ad tentoria remearunt. Ipsa die *Boamundus* cum gente sua multisque aliis Comitem secutus illuc peruenerunt, & castra metantes vndique vrbem vallauerunt. Quod videntes qui introrsus erant, nimio terrore percelluntur, omnesq; portæ ciuitatis obiectu lapidum ab eis obstruuntur. Acceperunt igitur Comites in inuicem consilium; quoniam ex æquo non fiebat prælium: Præcipiuntur fieri *arietes*, ferratæ scilicet trabes, quæ manibus militum funibus appensæ & tractæ in murum impellerentur: & sic crebris earum percussionibus muri destruerentur. Facta est & *lignea turris*, lapideis turribus satis altior, & machinis omnibus quæ introrsus erant eminentior. Habebat autem tria solaria quæ erant benè scutis & trochleis præmunita. In duobus superioribus erant loricati cum telis & sudibus & sagittis, & lapidibus, pilis, & facibus: Subtus erant nihilominus armati qui rotas impingebant, super quas ipsam turrim constituerãt. Alii quidem factam testitudinem muro applicuerunt, & fossatum quod erat ingens adæquarunt, vt turrim muro possent sociare, & ipsius munimine protecti, ipsum murum valerent perforare. quod ita factum est. Sed miseri ciues contra fecerant quoddam instrumentum, quo grandes lapides aduersum turrim iaciebant, & etiam ignem Græcum, quò eam arderent, emittebant. Sed DEI gratia protegente, omnis conatus eorum omnesque machinationes frustratæ sunt, & ad nihilum redactæ. Nam turris lignea vbi muro proxima fuit, omnes qui in illa parte muri erant, vt sub se despiciens prostrauit. *Guillermus de Monte Pislerio,* [aliâs Pessulano] ipse fuit cum multis aliis in superiori solario. Erat autem cum eo venator quidam, nomine *Eunardus,* qui spiritu buccinandi erat præditus. Nam sono tumultuosæ vocis & aduersarios exterrebat, & suos ad bella incitabat. Et dum Guillermus cum suis quæ circa se sunt deuastat: nam missis molaribus saxis, ipsa domorum tecta confringebat: qui sub eo erant, murum fodiebant: & alii ad muri propugnacula scalam erigebant, quam erectam, cùm nullus auderet ascendere prior, non pertulit quidam *Gulferius de la Turre* miles honestus, sed incunctanter ascendit murum, pluresq; viri fortes secuti sunt eum. Gentiles verò vt viderunt eos super murum ascendentes, irâ vehementi commoti sunt, & vndique in illos consurgunt, tantumq; eos iaculis & sagittis coartauerunt, vt quidam nostrorum qui murum ascenderant, seipsos ad terram deiecerint, qui mortem quam euadere putabant, collisi ad terram inuenerunt. Quod cùm vidisset clara iuuentus nostrorum, Gulferium scilicet cum paucis pugnare super propugnacula murorum; immemores sui, sed memores sociorum, confestim ascendunt, partemque muri sua multitudine cooperiunt. Stabant autem iuxta ligneam turrim sacerdotes & leuitæ, ministri Domini, inuocantes propugnatorem gentis Christianæ IESVM CHRISTVM Filium DEI, & dicebant: *Domine miserere nostri: Esto brachium nostrum in manè, & salus nostra in tempore tribulationis. Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt. Disperge illos in virtute tua, & depone eos: protector noster Domine.* Dum sic ageretur, quòd alii pugnabant, alii plorabant, & psallebant, alii muros suffodiebant, Gulferius grauiori pugna desudabat: quia omnes aduersarii in eum & in eius consortes, & ipse cum suis contra omnes. Clypeus eius erat omnibus suis protectio fortis, his videlicet qui erant in muro. Muri breuis & arta latitudo, socium sibi coniungi non admittebat: nec aduersarium, nisi vnum, venire permittebat: Sed de Gulferio nullus hostium triumphauit: cùm tamen ipse de compluribus triumphauerit. Propterea nemo illi iam occursare præsumebat, quia infortunium quod aliis ense illius contigerat, vnusquisque sibi metuebat. Tela, sagittas, sudes, lapides, illi iaciebant; tantumq; clypeum eius ex his onerauerãt, vt ab vno homine leuari non potuerit. Iamque fortissimus vir fatigatus erat; iamq; sudores toto de corpore in terram defluebant; iamq; vt ei alter succederet grandis necessitas exigebat: cùm illi qui murum suffoderant, cum magno impetu intrauerunt, detruncantes vniuersos quos pri-

mitus inuenerunt. Qua inopinatæ rei admiratione stupefacti sunt omnes qui erant super muros, & *concitò vitalis calor ossa reliquit eorum, Frigidus atque pauor possedit corda reorum.* Quid faceret gens data neci, sensuque aliena, quam sui vndique hostes vrgebant & intra & in muro? *Gulferius* enim qui paulo antè fatigatus deficiebat, nouas interim resumpserat vires: & iam non clypeo protectus aut galea, sed ensem rubeū tenens in dextera, fugientem celer insequitur hostem; pluresque mortificauit formidine quàm gladio, qui seipsos præcipitauerunt de muro. Erat autem supra portam vna turris quæ præstantissima & fortior cæteris videbatur: in eam mandauit *Boamundus* ditioribus ciuibus per interpretem, vt fugerent: quoniam eos à morte liberaret, si se ab ipso redimerent. Quod & illi fecerunt, seque fidei illius crediderunt. Cessauit igitur tunc illa persecutio, quia vltrà protendi abnuebat vesperi obtenebratio. Sabbatū verò cùm esset, nec victoribus nec victis poterat esse requies. Misit Comes circa vrbem excubitores, & intus & extra, ne vllus fugeret, & spolia vrbis secum auferret. In crastinum vt dies lucescere cœpit, nostri ad arma currunt, & per vicos & plateas, tectaque domorum, ceu leæna raptis catulis, sæuiendo discurrunt: *Dilaniant, traduntq́ue neci pueros iuuenesq́ue, Quosque grauat longæua dies, curuatque senectus:* Nulli parcebant, sed plures, vt citiùs finirentur, laqueis suspendebant. Mira res, mirumq; spectaculum, quòd tantæ gentis multitudo & armata, sic impunè occidebatur, quòd nullus eorum reluctabatur. Quia verò nostrorum erat quicquid quisque reperiebat, ipsa mortuorum exta euiscerabant, & bisanceos & nummos aureos inde eruebant. O detestanda auri cupiditas! Omnes viæ vrbis riuis sanguinum inficiebantur, & cadaueribus cadentium sternebantur. Et ô gens cæca; & omnino morti destinata! Nullus ex tanta multitudine fuit, qui nomini IESV CHRISTI voluerit confiteri. Boamundus denique illos quos in turris palatio iusserat includi, ad se venire iussit, annosæque ætatis mulieres & decrepitos senes, & inualido corpore imbecilles, præcepit interfici; puberes & maiusculæ ætatis adultos, validoque corpore viros reseruari, & vt omnes venderentur, conduci *Antiochiam.* Facta est autem maceratio hæc Turcorum duodecimo die Decembris, in die Dominica, nec tota tamen fieri potuit die illa. In crastinum autem quicunque in quibuscunque locis inueniebantur, eidem pœnæ capitis subiiciebantur. Nullus erat locus in vrbe tota, nullaque fouea quæ eorum cadaueribus seu cruoribus non esset inquinata. Vrbe igitur sic adquisita, & à rebellibus *Turcis* liberata, *Boamundus* pacem Comitis requisiuit: vt scilicet Antiochiam absolutam sibi redderet, & in pace eam sibi habere permitteret. Comes verò contra dicebat, id nullatenus sine periurio posse fieri, propter sacramentum, quod ipso etiam mediante factum fuerat Imperatori *Alexio.* Boamundus itaque reuersus est Antiochiam, suamq; ibi dimisit societatem. Dietauit autem in illa ciuitate exercitus *Francorum* per mensem vnum & dies quatuor: & in hac mora temporis obiit morte pretiosa *Episcopus Oriensis.* Longo quidem tempore, nimiumque prolixo hyemauerunt ibi: quia nihil quod ederet, quod raperent, poterat inueniri. Sicque famis iniuria compellente, contigit, quod etiam dictu horribile est, quòd corpora gentilium in frusta scindebant, & comedebant. Hac igitur incommoditate permotus *Comes Sancti Ægidii* mandauit cunctis Principibus, qui erant Antiochiæ, vt ad *Rugiam* ciuitatem conuenirent, & de via *S. Sepulcri* ibi inter se disponerent. Illi quidem illic conuenerunt, sed de quo & pro quo venerant minimè locuti sunt: sed de pace & concordia inter Comitem & Boamundū colloquiū habuerunt. Quibus minimè conciliatis, omnes Principes Antiochiam reuersi sunt, & Comitem & viam dimiserunt. Remanserunt autem cum Comite non solùm sui, sed & multa iuuentus, cui inerat ardor viam perficiendi. Ipse igitur plus in Domino confidens, quàm in Principibus, ad *Marram*, vbi eum peregrini præstolabantur est reuersus: fuitque dolor magnus in omni exercitu Christianorum de dissensione Principum. Omnes quidem nouerant, quòd pura iustitia cum Raimundo erat, nec vllus amor aut ambitio eum ad indebitum declinare poterat. Qui tamen vt vidit, quòd propter eum impediretur via Sancti Sepulcri, admodum indoluit, & discalciatis pedibus à Marra vsque *Capharda* peruenit. Ibi quatuor diebus perendinatis, cùm Principes iterum conuenirent, & de eadem re verborum conflictus haberetur, dixit Comes *Raimundus*: *Viri fratres & domini, qui vestris omnibus & vobismetipsis abnegastis propter amorem DEI, ostendite mihi an sine periurio, possum cum Boamundo, si requirit, pacificari; aut si aliter fieri non potest, an pro*

amore

contra eum debeam periurare. Cumq; huius sermonis iudex nullus esse præsumeret, & omnes concordiam laudarent, & quomodo fieri deberet non dicerent, ab inuicem discesserunt, & Antiochiam redierunt. Sed *Normannus* Comes cum suis omnibus remansit cum *Raimundo*, sciens & intelligens, quia iustitia erat cum eo. Igitur hi duo Comites agmina sua disponunt, & ad *Cæsaream* tendunt. Rex enim Cæsareæ sæpius significauerat Comiti *Marræ* & *Caphardæ*, quòd cum eo pacem vellet habere, eiq; de suo gratanter seruire. Hac fiducia illuc perrexerunt, & propè ciuitatem castra posuerunt. Rex autem vt vidit agmina *Francorum* iuxta se posita, vehementer obstupuit, & indoluit, & ne illis vllum mercatum præsentaretur, prohibuit. In crastinum misit Comites duos de suis, qui eis vada fluminis ostenderent, & vbi prædam capere possent conducerent. Erat autem nomen fluminis *Farfar*. Conduxeruntq; illos in vallem satis idoneam, bonisque omnibus locupletem. Huic præerat quoddam munitissimum castrum sub quo inuenerunt viginti millia animalium, in valle fertili pascentium, quę omnia nostri rapuerunt. Et cùm castellum obsidere vellent, illico castellani se reddiderunt; pactumq; huiuscemodi tenendi in perpetuum fæderis, cum Comitibus habuerunt: In fide sua promiserunt, & super legem suam iurauerunt, quòd nunquam amplius nocerent Christianis peregrinantibus, eisq; sicut & hominibus suæ gentis præberent mercatum & hospitium. Manserunt autem ibi per dies quinque. Sexto verò die oneratis camelis & iumentis, frumento, farina, & oleo, & caseis, rebusq; aliis ad edendum idoneis, gaudentes exierunt, & ad castellum quoddam *Arabum* peruenerunt. Dominus autem castelli sapienti vsus consilio, obuiam venit Comiti *Raimundo*, & pacificatus est cum illo. Inde venerunt ad quandam ciuitatem, in quadam valle speciosa & spatiosa constitutam, muris & turribus benè munitam, & omni genere fructuum abundantissimè refertam, quam incolæ appellant *Caphaliam*. Huius vrbis habitatores audito rumore Francorum perterriti, proprias sedes deseruerant, & ad alienas confugerant. Quippe infelicitas quæ contigerat *Antiochiæ* & *Marræ*, omnes perterruerat, & fugæ domesticos effecerat. Cùmque nostri tentoria circa eam vellent ponere, & in gyrum obsidere, mirati sunt, quòd de tanta ciuitate non aliquis obuiam veniebat; nec in excelsis turribus aut mœnium propugnaculis apparebat; altumq; silentium intus habebatur, nec vllius vocis sonus audiebatur. Tunc miserunt exploratores qui rem diligenter inquirerent, & inquisitam renuntiarent. Illi autem profecti, cùm portæ propiùs accessissent, ianuam quidem apertam inuenerunt, sed intus neminem esse viderunt. Tunc scuta vultibus præponẽtes, cum aliqua adhuc cunctatione portas subeunt: sed nec viros nec mulieres, nec aliquam bestiam intus inuenerũt. Pulchros quidem apparatus ibi inueniunt: horrea scilicet frumento plena, torcularia vino redundantia, arcas plenas nucibus, caseis, & farina. Tunc citò ad Comites redeunt, & quod inuenerunt referunt. Non fuit ibi opus tentoria figere: quoniam DEVS faciebat illos in labores illorum sine ferro vel pugna introire. Ibi actum est, quod dicitur in prouerbiis Salomonis: *Conseruatur iusto substantia peccatoris*. Ibi inuenerunt hortos plenos oleribus & fabis, alisq; leguminibus iam ad præcocitatem maturantibus. Ibi quietauerunt tribus diebus; & custodibus deputatis qui vrbem custodirent, quædam ardua montana conscenderunt, & in vallem descenderunt. Erat autem illa vallis gratuita, & omnium frugum fructuumq; vbertate plenissima: manseruntq; ibi per dies quindecim. Prope vallem erat castellum, Saracenorum multitudine plenum. quod cùm die quadam nostri aggrederentur, Saraceni de muro proiecerunt eis multas pecudes, plurimaq; animalia, putantes, quòd nostri nil aliud quærerent nisi victum: quæ nostri gratanter receperunt, & ad tentoria conduxerunt. In die altera collegerunt papiliones & tentoria, & illuc castra direxerunt: sed cùm illuc peruenerunt, ab omni gente vacuum inuenerunt. Illâ enim nocte omnes fugerunt: sed magnam copiam frugum & fructuum, lactis & mellis dimiserunt. Ibi celebrauerunt nostri *purificationem sanctæ Mariæ* DEI genitricis, glorificantes DEVM qui tanta bona ministrabat eis. Rex de *Camela* ciuitate misit Comitibus nuntios suos, dum ibi erant, rogans ea quæ pacis sunt; præmittens dona concupiscibilia, & equos, & aurum. Misit arcum aureum, vestes pretiosas, & micantia tela: quæ omnia nostri receperunt; sed nil certi tunc illis renuntiauerunt. Rex *Tripolis* eodem terrore permotus, misit equos decem & mulas quatuor: similiter rogans ea quæ pacis sunt. Sed dona quidem receperunt, illique quòd nunquam

Rex de Camela Mittit splendentia tela.

pacem cum illo haberent, nisi Christianus efficeretur, remandauerunt. *Comes* enim *S. Ægidii* multũ desiderabat terram illius, quia optima erat; & regnum eius, quoniã præ cęteris erat honorabilius. Itaq; quatuordecim diebus explicitis, quintodecimo exierunt de optima valle, & abierunt ad quoddam antiquissimum castrum, cui nomen erat *Archas:* quod licet haberet nomen castri, tamen egregiis vrbibus poterat æquiparari, & loci positione, & clausura murorum, & eminentia turrium. In hoc propter fortitudinem gens magna confluxerat: quia nec arma, nec hostem, nec aliquod ingenium metuebat. Hoc tamen nostri, celeri obsidione vallantes, cum festinatione aggressi sunt: sed eorum impetum castellani viriliter sustinuerunt. Sæpius illos inuaserunt omni genere telorum & tormentorum; & non pręualuerunt, 10 sed magis quàm lucrarentur, perdiderunt. Tunc quatuordecim de nostris militibus otio vacare nescientes, erga *Tripolim* perrexerunt: & sexaginta Turcos inuenerunt, qui multos captiuos, & plus quàm mille & quinquaginta animalia rapuerant, & ante se ducebant. Quos vt nostri viderunt, licet perpauci essent, in cœlum manus protendentes, regemq; Sabaoth inuocantes, militariter inuaserunt; & Domino exercituum adiuuante superauerunt, & sex de illis occiderunt, & eorũ equos retinuerunt, & ouantes ad castra cum immensa præda remeauerunt. Ingens gaudium fuit in omni exercitu de paucorum magna victoria, & multa rapina. Cumq; hæc viderent alii, exierunt plures de exercitu Raimundi zelo probitatis accensi. quibus præfuerunt *Raimundus Piletus*, & *Raimundus Vicecomes de Tentoria*, & vexillis in 20 altum protensis, equitauerunt aduersus ciuitatem quæ *Tortosa* dicitur. Ad quam peruenientes forti impetu aggrediuntur: sed illa die nihil fecerunt; noctéq; superueniente in quendam angulum secesserunt; feceruntq; tota nocte immensos rogos ignium, ac si totus adesset retrò commanens exercitus Christianorum. Quibus flammarum globis gens quę erat in ciuitate perterrita, existimantes quòd nostri omnes adessent, omnes subitò confugerunt: ciuitatemq; plenam bonis opibus reliquerunt. Est autem ciuitas illa omni necessitate prorsus aliena, vt in optimo portu pelagi constituta. In crastinum cùm nostri ad eam expugnandam venerunt, omnino vacuam inuenerunt. Summas igitur laudes DEO referentes, intrauerunt eã, & quandiu apud Archas durauit obsidio, ibi remanserunt. Est autem 30 & alia ciuitas non longè ab ea, quæ dicitur *Maraclea*: cuius princeps pacem cum eis iniit, ipsosque & eorum vexilla in vrbem recepit. O mira DEI virtus, mirandaque potentia! Cùm procul abessent Principes, qui videbantur regere populum & sustentare, per pauciores & minores cœpit Dominus etiam ipsos reges superare: ne dicat humana præsumptio: *Nos Antiochiam aliasque vrbes subegimus: nos tot ac tanta bella deuicimus.* Quia pro certo nunquam superassent, nisi cum eis fuisset ille per quem reges regnant. Cùm verò Dux ducum & miles militum *Godefridus* audisset felices euentus, insignesque triumphos pugnantium, zelo victoriæ animatus tunc primùm tam ipse quàm *Flandrensis* Comes & *Boamundus*, castra ab *Antiochia* mouerunt, & ad *Liciam* ciuitatem venerunt. Ibi quippe diuisit se Boamun- 40 dus ab eis & ab omni exercitu DEI: habuitque à patre suo qui fuit Francigena, optima principia; sed à matre, quæ Apuliensis exstitit, retinuit vestigia. Tunc Dux & Comes ad vrbem, quæ *Gibellum* vocatur, acies suas direxerunt, eamque obsidione cinxerunt. Illâ siquidem horâ, venit nuntius ad Comitem *Sancti AEgidii*, quòd *Turci* præparauerant se ad pugnandum contra eum; essetque futurum bellum graue nimis & permaximum. Protinus Comes misit nuntium Duci & Flandrensi Comiti, vt celerrimè ad illud venirent prælium, sibique auxilium ferrent. Quod vbi Dux audiuit, Principi ciuitatis pacem, quam sæpe iam quæsierat, mandauit. Pace igitur facta, pactæque promissionis muneribus receptis, ad speratum bellum conuolarunt, & ad obsidionem, quæ erat ad suprà dictum castrum, 50 conuenerunt & in alteram fluminis ripam castra posuerunt. Sed cùm Dux videret, quòd nihil proficeret, contra Tripolim direxit acies, cunctosque ibi paratos reperit hostes. Tensis enim arcubus hostes se nostris opposuerunt: sed nostri præiectis clypeis arcus eorum & sagittas velut stipulas contempserunt. Pugna itaque committitur, sed non æquâ lance, quoniam tractis sagittis illi, vt eorum consuetudo est, fugere voluerunt; sed nostri inter ipsos & ciuitatem obstaculum posuerunt. Et quid pluribus vtar verbis? tantum ibi humani sanguinis fusum est, quòd aqua rubicunda facta est, quę in ciuitatem fluebat, & eorum cisternas replebat. Nobiliores ipsius ciuitatis ibi occisi sunt; & qui viui remanserunt, de contaminatione

Dux Godefridus, Ensis cuius benè fidus. Consul Flandrensis, Cuius non fallitur ensis.

cister-

cisternarum multùm ingemuerunt. Qua cæde peracta, nostri minimè contenti, quia nihil ibi lucrati erant, nisi tela & indumentorũ spolia, in suprà dictam vallem *Desen* cucurrerunt; & absq; numero oues, boues, asinos, diuersiq; generis pecudes deprædati sunt; & tria millia camelorum simul rapuerunt. Tanta copia bestiarum vnde conuenerat, nostri vehementer mirati sunt; quia in eadem valle quindecim diebus hospitati fuerunt. *Illi cum tanta redeunt ad castra rapina.* Nulla vnquam inopia fuit in obsidione illa; quia naues ad quendam portum veniebant, quæ omnia necessaria afferebant. Dominicum *Pascha* celebrauerunt ibi, quod fuit tunc quarto Idus Aprilis. Durauit autem illa obsidio tribus mensibus, vnâ die minus. Fuit autē
10 ibi mortuus *Ansellus de Ribodi monte*, vir per multa laudabilis, & in suo militari ordine præcipuus. qui dum in mundo fuit, multa digna relatu peregit, quibus illud præferēdum est, quòd *Aquiscingensis* cœnobii indefessus adiutor in omnibus extitit. Similiter ibi mortuus est *Pontius Balonensis* [vel de Baladino:] cuius tempora perforauit ictus lapidis, tormento iaculati. *Willermus Picardus*, & *Guarinus de Petra Mora*, primus iaculo, alter obiit sagittâ. His vita functis, obsidionem illam nostri dimiserunt, quia illud inexpugnabile castrũ nullam timebat violentiam impugnantium. Detensis igitur tentoriis, ad *Tripolim* pergunt, & pacem à rege & ciuibus diu quæsitam stabiliunt. Datis igitur inuicem dextris, fidei illorum in tantum se proceres commēdauerunt, vt vsq; ad palatium regis ciuitatem introierint. Rex autem vt fiduciâ pa-
20 cis tenendæ ex sua parte certior crederetur, trecentos peregrinos ex nostris dissoluit à vinculis, & proceribus donauit. Dedit & quindecim millia Bisanceorum, & quindecim equos multa honestate præditos; misitq; omni exercitui mercatum laudabile, quod omnino priuauit illos ab omni necessitate. Pepigit etiam & iurauit illis vt si *Iherusalem* sibi possent adquirere, & bellum quod eis *Admiraldus* Babyloniæ inferre minabatur, superare, Christianus efficeretur, & regis Iherusalem ditioni subiiceretur. Fuerunt autem apud Tripolim per dies tres. Videntes autem proceres & viri bellatores, quòd iam tempus nouarum frugum instabat, cōcordati sunt, quòd Iherosolimitanũ iter ex toto arriperent, & omissis omnibus, rectiorem viam tenerent. Erat autem dies Maii quarta, cùm de Tripoli exierũt, & per quędam
30 ardua montana ascendentes ad castrum, cui nomen *Betelon*, peruenerunt. Alterâ die venerunt ad vrbem quæ dicitur *Zabaris*, in cuius confinio nihil aquæ potuit inueniri, qua extingueretur eorum nimia sitis. Æstus quippe erat, & equi & omnis hominum multitudo sitiebat. In crastinum venerunt ad flumen, cui nomen *Braim*. Ibi igitur pernoctauerunt, & sitim suam deposuerunt. Nox subsequens fuit Dominicæ ascensionis; & ipsi ascenderunt montem, in quo erat via nimis angusta, in qua putauerunt occurrentes inuenturos se hostes: sed DEVS, quoniam Dux eorum fuit solus, & non erat cum eis DEVS alienus, fecit eos inoffensos transire. Tunc venerunt ad vrbē *Baruth* supra mare sitam: deinde ad aliam, quæ vocatur *Sagitta*: Post hæc ad aliam quæ *Sur* dicitur: Deinde ad *Acram*; de Acra ad castrum, cui nomen
40 *Caiphas*, & sic ad *Cesaream*. Est autem Cesarea insignis ciuitas Palæstinæ, in qua Philippus Apostolus dicitur domum habuisse, quæ vsq; hodie monstratur: nec non & cubiculum filiarum eius prophetantium. Est autem in littore maris sita; olim *Pirgos*, id est, *turris Stratonis*, appellata. Sed ab Herode rege nobilius & pulchrius & cōtra vim maris vtilius extructa, in honorem Cæsaris Augusti *Cesarea* est cognominata: cui etiam in ea templum albo marmore construxit: in qua nepos eius Herodes est ab Angelo percussus, Cornelius baptizatus, & Agabus propheta zona Pauli est ligatus. Iuxta illam nostri sua tentoria fixerunt; & sanctam Domini Pentecosten celebrauerunt. Deinde venerunt ad vrbem *Ramolam*, quam Saraceni propter metum eorum dimiserant vacuam; iuxta quam erat illustris ecclesia sancti *Georgii*
50 martyris, in qua sanctissimũ eius corpus requiescit: quo in loco ipse pro CHRISTI nomine martyriũ suscepit. In ea milites Christiani pro veneratione militis CHRISTI episcopum elegerunt, electum constituerunt, constitutum decimis omnium diuitiarum suarum ditauerunt. Et dignum erat vt *Georgius* inuictus miles, eorum militiæ signifer, istum ab eis honorem reciperet. Remansit itaque illic Episcopus cum suis, diues auro & argento, equis & animalibus. Et ad ciuitatem statim Hierusalem direxit iter Christianus exercitus, in virtute nominis illius, qui in ea mortuus iacuit, & die tertia resurrexit, cui est cum patre & sancto Spiritu æqua potestas & gloria interminabilis: Amen.

EXPLICIT LIBER OCTAVVS.

INCIPIT LIBER NONVS.

O Bone Iesv, vt castra tua viderunt, huius terrenæ *Iherusalem* muros, quantos exitus aquarum oculi eorum deduxerunt! Et mox terræ procumbentia sonitu oris & nutu inclinati corporis Sanctum Sepulchrum tuum salutauerunt; & te qui in eo iacuisti, vt sedentem in dextera Patris, vt venturum iudicem omnium, adorauerunt. Verè tunc ab omnibus cor lapideum abstulisti, & cor carneum contulisti, Spiritumque Sanctum tuum in medio eorum posuisti. Itaque contra inimicos tuos qui erant in ea, iam scilicet longè positi, pugnabāt, quoniam ad auxilium suum ita te concitabant; & meliùs lachrymis, quàm iacula intorquendo, pugnabant; quoniam licet in terram defluerēt vbertim, in cœlum tamen ante te propugnatorem suum conscendebant. qui ab oratione surgentes, ad regalem ciuitatem properarunt; inimicos regis æterni intus inuenerunt: circa quos tali ordine castra sua posuerunt. A Septentrione castrametati sunt duo comites, *Normannus* & *Flandrensis*, iuxta Ecclesiam Sancti *Stephani* protomartyris, vbi lapidatus est à Iudæis: Ab occidente Dux *Godefridus* & *Tancredus*: A meridie verò *Comes Sancti AEgidij*, scilicet in monte Sion, circa Ecclesiam Sanctæ Mariæ matris Domini, vbi Dominus cœnauit cum discipulis suis. Tentoriis igitur in circuitu Iherusalem ita dispositis, dum vexatione itineris fatigati, requiescerent, & machinas ad expugnandam vrbem præpararent; *Raimundus Piletus*, & *Raimundus de Taurina*, & alii quàm plures de castris egressi sunt, vt finitimam regionem lustrarent, ne scilicet hostes improuisi super illos venirent, & inparatos inuenirent. Inuenerunt itaque trecentos Arabes, & pugnauerūt cum eis, & superauerunt eos, & plures occiderunt, & equos triginta inde habuerunt. Secunda igitur feria hebdomadæ secundæ, quarto Idus Iunii, aggressi sunt Iherusalem Christiani, sed eodem die non præualuerunt: nec tamen fuit labor inanis. Ita enim antemurale prostrauerunt, vt ad maiorem murum scalam vnam erexerint: & si tunc scalarum copiam habuissent, labor ille primus vltimus fuisset. Nam illi qui per scalam ascenderunt, cùm hostibus diu cominus iaculis & ensibus decertauerunt. Multi de nostris in illo conflictu mortui sunt, sed multò plures ex eis. Hora vesperi bello incompetens diremit litem, & nox superueniens vtrisque contulit quietem. Repulsa siquidem ista, grauem & nimis longum laborem intulit nostris: quia panes inuenire non poterant ad edendum per interuallum decem dierum, quousque naues eorum onustæ ad *portum Iaphiæ* venerunt. Et nimia sitis pressura illos attriuit, quia *Syloe*, quæ ad montis radicem Sion oritur, non poterat nisi vix solos homines adæquare. Equi verò & cætera animalia ad aquandum ducebantur per sex milliaria, & tunc cum magna militum custodia. Vnde & cara erat aqua inter eos, & caro vendebatur pretio. Consilio igitur inito, elegerunt milites qui ad naues irent, easq; ab extranea gente custodirent. Itaque summo diluculo diei egressi sunt centum milites, de exercitu Comitis Sancti Ægidii, *Raimundus* scilicet *Piletus*, qui semper fuit omni labori militiæ domesticus, & prorsus otio peregrinus; & cum eo alter *Raimundus de Taurina*, & *Achardus de Monte Merulo*; *Guillermus* etiam *Sabratensis*: Et ibant vt ad bellum parati, ad portum maris. Et dum irent, triginta ex eis diuiserunt se ab aliis, vt semitas viarum discerēt, & vtrum venirent hostes explorarent. Cùmque paululum itineris processissent, septingentos *Turcos* & *Arabes* eminus conspiciunt; quos, licet perpauci essent, incunctanter tamen inuadunt. Sed numerositas inimicorum tanta fuit, vt paucitas nostrorum resistere non potuerit. Nostri tamen quos in primo impetu offenderunt, neci perpetuæ destinauerunt. Sed cùm facto illo congressu regyrare posse æstimauerunt, circumuallati multitudine, velle suum implere non potuerunt. Tunc ibi mortuus est *Achardus* vir bellator, fortis & egregius, & quidam ex peditibus. Antequam verò bellum inciperet, nuntius equo celeri ad Piletum cucurrerat, qui Arabes & Turcos, nostros inuasisse nuntiarent. Quod vt *Piletus* audiuit, absq; mora equum calcaribus vrget: sero tamen illuc peruenit. Iam enim Achardus mortuus erat, qui tamen antequam decederet vitam suam multo sanguine, & mortem morte plurimorum commutauit. Vt verò nostros illi eminus prospexerunt, vt fugere accipitrem penna trepidante columbæ assolent, sic illi fugiunt, & terga nostris dederunt. Nostri verò persecuti sunt illos, & multos occiderunt. Et vnum ex eis viuum

Si foret hic tardus, Non sic moreretur Achardus.

GODEFRIDVS.

uum retinuerunt, qui Turcorũ dolos eis referret, & quid machinarentur mali prænuntiaret; retinueruntq; ab eis centum & tres equos, quos miserunt ad castra, & ipsi ad naues iniuncta perficiunt mandata. Famem quippe naues cibis onustæ extinxerunt; sed vehementem sitim extinguere non potuerunt. Tanta quippe sitis erat in obsidione, vt tellurem cauarent, & glebas humectiores ori apponerent, rorantiaq; marmora lamberent. Coria boum & bubalorum, aliorumq; animalium recentia suebãt, & cùm ad aquandos equos ire disponerent, vsque ad sex millia milites armati pergebant: Tunc ea, aquâ implebant, & ad castra referebant, & ex illa olida aqua bibebant: plериq; prout ferre poterant ieiunabant: quia ieiunio sitim temperabant. Et quis crederet, quod fames proficeret? dolor dolorem expelleret? Dum hæc paterentur, proceres à longo terræ spacio ligneas trabes adduci faciebant, quibus turres & machinæ fierent, quæ ciuitatem expugnarent. Quibus adductis, dux Ducum *Godefridus* suam turrim construxit: & ab Orientali plaga adduci præcepit. Et contra venerandus *Comes Sancti Ægidij* consimile castrum constituit, & à meridiana plaga applicuit. Quintâ siquidem feriâ ieiunia nostri celebrauerunt & pauperibus eleemosynas distribuerunt. Sextâ verò feriâ quæ erat Iulii mensis dies duodecima, aurora sereno lumine coruscante, turres egregii bellatores ascendunt, & scalas mœnibus apponunt. Stupent & contremiscunt adulterini ciues vrbis eximiæ, cùm se vident circumuallari tanta multitudine. Quà vero supremum diem sibi imminere videbant, & mortem super capita sua dependere, acriter cœperunt resistere, & sicut iam de morte non dubii, propugnare. Illic eminebat in sua turri Dux *Godefridus*, non tunc miles, sed sagittarius: cuius manus ad prælium & digitos ad bellum Dominus dirigebat; quoniam sagittis iactis, inimicorum pectora, & vtraq; latera perforabat. Iuxta quem fratres eius *Eustachius* & *Balduinus*, velut duo iuxta leonem leones, & duros ictus iaculorum & lapidum suscipiebant, & quadruplici fœnore compensabant. Et quis omnium probitates referre valeret, cũ omnium qui nunc sunt philosophorũ facundia tantis minime laudibus sufficeret? Et dũ sic desuper mœnia pugnabatur, processio circa ipsa mœnia agebatur, & cruces ac reliquiæ & sacra altaria deferuntur. Tota itaq; die alternis ictibus decertatũ est. Sed vt appropinquauit hora, quâ Saluator omnium mortem subiit, miles quidam, nomine *Letoldus*, de castro Ducis primus insiluit, post quẽ *Guicherius*, qui leonem propria virtute prostrauit, & occidit. Statim dux milites suos sequitur, & omnes alii milites Ducem suum. Tunc verò arcus & sagittę dimittuntur, & fulminei enses arripiuntur. Quibus visis hostes illico murum deserunt, & ad terram dilabũtur, & milites CHRISTI celeri gressu cum magnis vocibus persequuntur. Quas voces cùm audiret Comes *Raimundus*, qui castrum suum muro propius adponere gestiebat, protinus intellexit Francos esse in vrbe, suisq; militibus ait: *Quid hic stamus, & in cassum laboramus? Francigenæ vrbem obtinent; magnisq; vocibus & ictibus personant.* Tunc celeri gressu cum suo comitatu perrexit ad portam, quæ est secus turrim Dauid, & vocauit eos qui in arce erant, vt aperirent. Protinus *Admirauisus* qui turrim custodiebat, vt cognouit quis esset, ianuam ei aperuit; seque suosq; & sua fidei eius commendauit, vt se tueretur ne destrueretur. Sed Comes dixit, quod id nunquam faceret, nisi sibi turrim dimitteret. Qui ei assensum gratanter tribuit: & Comes illi, vt petebat, omnem fiduciam spopondit. Dux verò *Godefridus*, non arcem, non aulam, non aurum, non argentum, non spolia, ambiebat: sed cum Francis suis, sanguinem seruorum suorum, qui in circuitu Iherusalem effusus fuerat, ab eis vindicare satagebat; & irrisiones & contumelias quas peregrinis intulerant, vlcisci cupiebat. In nullo autem bello talem habuit occidendi facultatem: nec super pontẽ Antiochiæ, cum giganteum dimidiauit gentilem. Nunc vero absque vlla refragatione, tam ipse quàm Guicherius, qui medium secuit leonem, multaq; electorum militum millia, à capite vsque ad renes secabant humana corpora, & dextra leuaq; per vtraq; latera. Nullus ibi nostrorum iners fuit, meticulosus nullus, vbi nemo resistebat, sed pro posse suo vnusquisq; fugiebat: sed fugere nemo poterat, quoniam multitudo à seipsa in seipsam perplexa, sibimet impedimento erat. Qui tamen de tantæ cladis maceratione elabi potuerunt, templum Salomonis intrauerunt, & se ibi longo diei spatio defenderunt. Sed cùm iam dies inclinari videretur, nostri timentes solis occasum, animositate conceptâ, abdita Templi irrumpũt, eosq; misera morte pessundarunt. Tantùm ibi humani sanguinis effusum est, vt cęsorũ corpora, vnda sanguinis impellente voluerentur per pauimentũ, & brachia siue trun-

Anno milleno Cẽteno quo minus vno, Iherusalem Frãci Capiunt virtute potenti.

GODEFRIDVS REX.

catæ manus super cruorem fluitabant, & extraneo corpori iungebantur, ita vt nemo valeret discernere cuius erat corporis brachium, quod truncato corpori erat adiunctum. Ipsi etiam milites qui hoc carnificium operabantur, exhalantes calidi feruoris nebulas vix patiebantur. Hac itaq; inenarrabili cæde peracta, aliquantulũ naturæ indulserunt; & plures ex iuuenibus tam viros quàm mulieres vitæ reseruauerunt, & suo famulatui mancipauerunt. Mox per vicos & plateas discurrentes, quicquid inuenerunt rapuerunt, & quod quisq; rapuit hoc suum fuit. Erat autem *Iherusalem* tunc referta temporalibus bonis, nec aliquo indigebat, nisi spiritalibus delicijs: Tunc quippe filios suos, de longè ad se venientes, ita ditauit, quia in ea nullus pauper remansit. Tantis itaq; ditati diuitiis, ad Sanctum Domini *Sepulchrum* 10 læto incessu perrexerunt: & ei qui in eo sepultus fuit gratias referentes capitalicia sua obtulerunt. Ipsa die, sicut per Prophetam fuerat prædictũ, Sepulchrum Domini fuit gloriosum: cùm omnes non incessu pedum, sed poplitum & cubitorũ proni incedebant & pauimenta imbre lacrymarum inundabant. Hac itaq; oblatione solenni deuotione completa, ad domos suas, sibi à DEO destinatas, redierunt: & naturæ necessariis indulgentes, fessis corporibus cibum & somni requiem tradiderunt. In crastinum igitur cùm caput aurora terris ostenderet, ne vllus in vrbe locus insidiis remaneret, armati ad templum *Salomonis* cucurrerunt, vt scilicet illos delerent, qui supra Templi fastigia ascenderãt. Maxima enim illuc copia Turcorũ conscenderat, quæ libentiùs fugisset, si sumptis alis volare potuisset. Sed quibus natura 20 alas negauit, misera vita infelices exitus donauit. Vt enim nostros ex aduerso sibi occursare supra Templum viderunt, obuiam nudis ensibus veniebant, malentes citissima morte occumbere, quàm miseræ iugo seruitutis longissimè perire. Nam se terræ præcipites dabant, & ad terram quæ cunctis mortalibus vitæ præbet alimenta, mortem inueniebant. Nec tamen omnes occiderunt: sed seruituti suæ plurimos reseruauerunt. Tunc constitutũ est vt ciuitas mundaretur; & iniunctum est *Sarracenis* viuis, vt mortuos foras extraherẽt, ciuitatemq; ab omni spurcitia tanti morticinii prorsus mundarẽt, qui protinus iussis obtemperãtes, & lugebãt & extrahebãt; & extra portam ingẽtes, veluti castellinas defensalesq; domos, pyras construebant. Mẽbra truncata in sportis colligebãt, & foris deferebant; & pauimenta templorũ, 30 domorumq; à sanguine aquâ eluebant. Eliminatis itaq; omnibus inimicis, ab vrbe pacifici nominis, de ordinando Rege, quæstio debebat agitari; vt scilicet vnus ex ipsis omnibus eligeretur, qui tãtæ vrbi tantoq; populo præficeretur. Communi igitur decreto omnium, pari voto, generaliq; assensu Dux *Godefridus* eligitur: octauo scilicet die quo ciuitas expugnatur. In quo bene assensus omniũ conuenire debuit; quia in illo regimine talem se exhibuit, vt ipse magis regiam dignitatẽ, quàm regia dignitas ipsum commendarit. Non honor illustrem faciebat eum: sed honori multiplicabatur gloria propter eum. In tantum enim Regiæ dignitati præfuit & profuit, quod si fieri posset, vt vniuersi reges terræ iuxta illum adessent, censura æquitatis omnibus principari iudicaretur, & merito equestris probitatis, & vultuosa cor- 40 poris elegantia & nobilium morũ prærogatiua. Congruum quoq; deinceps erat, vt qui sibi gubernatorem corporum decenter & decentem elegerant, rectorẽ animarum pari modo sibi proponerent. Elegerunt itaq; quendam clericum, nomine *Arnulfum* diuina & humana lege bene eruditũ. Erat autem scriba doctus in regno cœlorum, id est, in Sancta Ecclesia: qui benè poterat de thesauro suo proferre noua & vetera. Eius siquidem electio facta fuit in festiuitate *S. Petri ad vincula*; quæ festiuitas bene congruit vinculatæ ciuitati, quæ dæmoniacis nexibus diu fuerat illigata: quoniam ipso die quo dignum habuit sacerdotem libera fuit & absoluta. Gratias igitur DEO saluatori & liberatori suorum: qui totiens eam destrui & ancillari permisit; totiensq; destructam reædificauit, & ancillatam mirabili potentia liberauit. 50 His, vt præfatum est, bellorum conflictibus gens Gallicana fines Orientis penetrauit; & ab immundiciis gentilium, quibus per annos circiter quadraginta Iherusalẽ fuerat inquinata, diuina opitulante gratia, emundauit. In qua sacerdote canonicè consecrato, & rege sublimato, *Francorum* celebre nomen omni Orienti innotuit: & omnipotentia IESV CHRISTI in ea crucifixi mentibus etiam infidelium resplenduit. Quo splendore renitentis gratiæ, cùm sacerdotis ac regis ordinatio solenni gaudio fuisset exhibita, nuntii de *Neapolitana* vrbe ad regem Godefridum venerunt: ciuium suorum mandata ferentes, vt ad ipsos, scilicet de suis, mitteret, & ciues & ciuitatem eorum in suo regimine, suaq; ditione reciperet: volebant enim

de seipsis

de seipsis suum dilatare imperiū, magis affectantes suum quàm alterius principatū. Est autē *Neapolis* ciuitas Cariæ, quæ est prouincia Asiæ. Rex accepto consilio, misit ad illos *Eustachium* fratrē suum, & *Tancredum*, cum magna manu militum & peditū: quos illi cum magnæ venerationis officio susceperunt, & seipsos & ciuitatē in eius ditionem tradiderunt. Cùm hæc ita fieri inciperent, ille tortuosus & lubricus anguis, qui fidelium semper inuidet felicitati, titulum scilicet Christiani nominis ita ampliari, & regnum renouatæ Iherusalem ita dilatari, admodum indoluit. Et *Clementem* imò dementem Admirauisum Babyloniæ, contra ipsos felle commouit, & cum ipso omnem Orientē excitauit. Sperauit etenim totius malitiæ præsumptor, omnes illos & vrbem delere, & memoriam Dominici *Sepulchri* funditus abolere. Sed sicut cogitationes hominum vanæ sunt, ita & potentiæ euanescunt. Collegit igitur quicquid potuit hominum, & pomposo apparatu *Ascalonam* peruenit. Quò cùm peruenisset, nuntius ad Regem festinus venit, & rem vt erat, ei intimauit. Nec mora longa fuit, quòd Rex ad illos quos miserat misit, vt videlicet festinarent ad bellum venire, quod præparauerat *Admirauisus* Babyloniæ. Ipse enim iam cum innumera gente Ascalonæ erat, & Iherosolymam obsidere parabat. Quod vbi *Eustachius* & *Tancredus*, ceteriq; viri bellatores audierūt, imminens belli negotiū Neapolitanis ciuibus ostenderunt: & vale eis dicentes, cum bono gaudii & amicitiæ discesserunt. Nostri quippe Turcorum occursum desiderantes, montana conscenderunt, & tota die ac nocte insomnes & inquieti *Cæsaream* peruenerunt. In crastinū iuxta mare ambulauerunt, & ad quandam vrbem quæ *Ramola* dicitur peruenerunt, multosq; ibi Arabes, qui belli præcursores erant, inuenerunt. Quos fortiter nostri insequentes, plures ex eis apprehenderūt, qui ipsis omnem belli apparatum in veritate aperuerūt. Qua re comperta, nuntios velocibus equis insidentes, Regi citiùs legauerūt, vt omnes absq; dilatione commoneret: & contra Ascalonam ad bellum procederet. Est autem *Ascalona* ciuitas insignis Palæstinę, viginti quinque milliariis distans ab Iherosolyma: quam quondam Allophyli condiderunt, & Ascalonam ex nomine *Celon*, qui fuit nepos Cham & filius Mesraim, vocauerūt. Fuit autē semper aduersatrix Iherusalem; & cùm vicina sit, tamen nulla vnquam familiaritate coniungi voluit. In hac igitur Admirauisus Babyloniæ erat, cùm nuntii ad Regem venerunt, & quæ suprà diximus, retulerunt. Rex autem vt audiuit, Patriarchā conuocari præcepit, & ab eo consilium accepit, vt per totam ciuitatē præconaretur, quò in crastinum summo mane omnes ad ecclesiam conuenirent: vt post sacra missarum solemnia Dominici corporis Eucharistiā perciperent, & ad bellū versus Ascalonam equitarent. Rumor iste minimè perturbauit animos audientium; sed nox subsequens visa est illi tardiori successu protensior cæteris extitisse. *Vt primùm matutina caput aurora leuauit, Ad missam resonans cunctos campana vocauit. Missa peroratur, populus Domino sociatur Quæ benedicuntur, sacra munera dum capiuntur, Exit ab ecclesia plebs, atque cucurrit ad arma, Et ieiuna suum contraria pergit ad hostem. Classica, sistra, tubæ, postquā Rex exit ab vrbe, Insonuère simul: quorum clangloribus, omnes In gyrum montes, cum vallibus echonisabant, Terroremque suis inimicis incutiebant.* Ita procedunt ad præliū Christianæ acies, Deum victorem belli, corpore & mente gestantes: & propterea non terrentur hominum vlla multitudine, quia non confidunt in sua, sed in ipsius virtute. Patriarcha quidem dereliquit vices suas *Petro eremitæ*, vt missas ordinaret, orationes constitueret, & processiones componeret ad Sepulchrum, vt Deus homo, qui in eo iacuit, populo suo fieret in præsidium. Cùmq; Rex cum suo exercitu veniret ad flumen, quod est circa Ascalonam, inuenit ibi multa millia boum, camelorum, asinorum, mulorum, & mularum: quæ non solùm erant de ciuitate, sed & cum exercitu Admirauisi venerant. Quæ omnia centum Arabes custodiebant: sed vt primùm nostros viderunt, & prædam eis dereliquerunt, & fugæ subsidiū sibi quæsierunt. Nostri verò persecuti sunt illos, sed apprehendere non potuerunt nisi duos. Prædam autem vniuersam rapuerunt, & Iherusalem ex ea copiosè ditauerunt. Rex quidem die iam aduesperascente, vociferari præcepit per vniuersum agmen, vt omnes quiescerent, & primo diluculo consurgerent, seque bello præpararent. Patriarcha verò anathematizauit omnes, qui in illo conflictu aliquid raperent, ante consecutam victoriam. Nocte igitur transactâ aurora solito clarior incanduit, & nostros à somno excitauit. Erat autem feria sexta, in qua Saluator generis humani, diabolum regem Babyloniæ, trophæo crucis prostrauit: & nunc iterum Admirauisum suæ Babyloniæ, per satellites suos Dominus superauit.

GODEFRIDVS REX.

GODEFRIDUS REX.

Rex, vt superiùs diximus, flumen transmeauit, sed Patriarcha cum Episcopis aliisque religiosis viris, tam Græcis quàm Latinis citra remansit. Descendit itaq; Rex in quandam vallem speciosam & spatiosam cum suis omnibus, & secus littus maris intrauit, ibique suas acies ordinauit. Ipse suam constituit primam: Comes *Normannus* secundam: Comes *Sancti Ægidii* tertiam: Comes *Flandrensis* quartam: Comes *Eustachius* & *Tancredus* & *Guaston de Behert* quintam. Vniuersique pedites cum sagittis, & pilis, & telis præposuerunt se militibus: & sic ordinati obuiam ire cœperunt Babyloniensibus. In dextera parte iuxta mare, Comes Sancti Ægidii fuit; in sinistra verò Rex, vbi maior hostium fortitudo incumbebat, equitauit. Inter hos alii omnes fuerunt. Sed non est prætereundum, quid *Clemens* Admirauisus dixerit, cùm ei, quòd nostri contra eum equitabant ad prælium, nunciatum fuit. De serotina enim præda quam nostri ceperant, nullus ei nuntiauerat: quoniam nisi læta & prospera nullus ei dicere præsumebat, quia in gaudio semper esse volebat. Quicúque enim ei aduersa nuntiabat, nullam deinceps gratiam in conspectu eius inueniebat. Nec illum tamen vlla res possessa suo distractu turbauerat; tantæ facultatis erat, quod remanebat. Et ne friuolum esse dicat quis, quod dicturi sumus: à quodam Turco, qui hæc postea in Iherusalem retulit, habuimus; qui sponte sua factus est Christianus, & in baptismate vocatus est *Boamundus*. Summo itaque mane dictum est ei, quòd reuera Franci parati erant ad prælium, & quòd iam propè essent, venientes contra ipsum. Tunc fertur demens dixisse nuntio: *Quod mihi dicis, non audeo credere, quia nec etiam intra muros Iherusalem æstimo illos inuenire.* Cui & ille: *Certissimè sciat, Domine, magnitudo tua, quia parati ad prælium veniunt, & iam propè sunt.* Tunc præcepit vt omnes arma caperent, & ad bellum properarent. Cumque parati omnes ex aduerso starent, & ipse nostros intuitus esset, dixit: *O regnum Babyloniæ cunctis regnis antecellens, quantum dedecus hodie pateris, in hoc quòd tantilla gens, contra te venire præsumit! Ego verò nunquam æstimaui illos nec intra septa etiam cuiuslibet vrbis inuenire; & ipsi contra me itinere diei vnius ausi sunt venire? Aut sensum amiserunt, aut mori sicut & viuere diligunt. Præcipio itaque vobis, ô Babylonici bellatores, vt omnes istos de terra tollatis, nulli parcat oculus vester, nulliusq; misereamini.* Sic ergo commissum est prælium. Primus siquidem *Comes Normanniæ* miles imperterritus cum sua acie congressionem incepit: in illa scilicet regione, in qua vexillum Admirauisi, quod *standardum* vocãt, conspexit. Qui ferro per medias acies viam interrumpens, multas strages dedit, & tandé ad illum qui standardum tenebat perueniẽs, illum ante pedes Admirauisi prostrauit, & vexillum accepit. Admirauisus autem vix euasit, & Ascalonam fugiens, ante vrbis ianuam constitit. Et miser miserrimam suorum cladem, à longe prospexit. Non dissimili audacia Rex & reliqui Comites in oppositos irruunt; & sæuissima mulctatione dextra læuaque perimunt quotquot sibi occurrunt. Ibi Turcensis arcus nulli eorum profuit, quia impetus nostrorum tam celer tamque densissimus fuit, quòd nulli trahere licuit, sed fugere libuit. Multa quippe ibi millia mortua sunt, quæ mortua non essent, si fugere præualuissent. Sed multitudo tanta erat: quoniam qui retro erant, præmissos in mortiferos nostrorum gladios impellebant. *Tancredus* & *Boloniensis Comes Eustachius* irruerunt in eorum tentoria, & multa ibi præclara egerunt: quæ si scriberentur, digna essent memoriâ. Nullus nostrorum segnis, nullus pauidus repertus est, sed omnes vno spiritu animati, vnanimiter prosequebantur inimicos crucis CHRISTI. Mirum quippe erat, quòd tantorũ multitudinem armatorum paucitas nostrorum non expauescebat, sed diuina suffragante gratia, magis ac magis cõualescebat, & eorum ceruicositatem inclinabat. sicq; die tota pugnæ conflictus initur vsque quò Sol centrum poli conscendit, hora videlicet qua Dominus noster IESVS crucem ascendit: ipsa eadem hora omne robur contrariæ gentis emarcuit, qui ita sensu mutati erant quòd nec fugere poterant, nec se defendere valebant. Arbores ascendebant, putantes quòd sic se tuerentur ne à nostris intuerentur. Nostri verò sagittabant illos sicut aucupes volatilia, & ad terram demersos trucidabant, vt in macello carnifices animalia. Alii autem tenentes gladios in manibus, pedibus nostrorum prouoluti, terræ se inclinabant, & erigere se contra Christianos non audebant. Iam verò prima pars Babylonici exercitus tota fugiebat, & posterior de victoria cuius esset, adhuc dubitabat; quia nihil vnquam minus sperabat, quàm suorum fugam, & victoriam Christianorum. Cùm enim suos conspicabatur per plana camporum fugiendo discurrere, æstimabat illos persequi Christianos, & velle occidere. Sed postquam compererunt

runt quòd Christianorum erat victoria, gaudium quod habuerant, superauit mœstitia. Tunc & ipsi perterriti fugiunt, & sequacibus suis fugiendi præstant consortium. Et vt ventus aquilo dissipat nubes, & immissus turbo aggeres stipularum; sic nostri dissipabant alas & cuneos fugientium. Dum hæc ita fierent, dum sic milites CHRISTI satellites diaboli destruerent, & Comes *Sancti AEgidii* qui iuxta mare pugnabat, absque numero perimeret, & multò plures in mare præcipites ire compelleret: quid *Clemens*, nunc verò demens Admirauisus stans ante portam Ascalonæ dixerit, audiamus: sicut suprà dictus proselytus Iherosolymis deinceps retulit, qui iuxta illum erat, vt assecla, & domesticus & verna illius. Clemens igitur vt de-10 mens dicebat, dum gentem suam gens Christiana detruncabat: *O Machomet præceptor noster & patrone, vbi est virtus tua? Vbi est cœlestium virtus numinum, cum quibus ipse gloriaris? Vbi est creatoris efficax potentia, cui semper astat tua præsentia? Cur sic reliquisti gentem tuam, quã immisericorditer dissipat, destruit, & interficit gens pauperrima & pannosa gens, aliarum gentium peripsema, omniumq; prorsus hominum fex, rubigo & scoria. Gens, inquam, quæ à nostrâ solita erat quærere panem, quæ nihil prorsus habebat nisi baculum & peram? Totiens eis Eleemosynam dedimus, totiens eorum miserti sumus. Heu heu, quare eis pepercimus? Cur illorum miseriæ indulsimus? Quare non omnes occidimus? Nunc scire possumus, quòd huc veniebant non vt veri adoratores, sed vt subdoli exploratores. Gloriam nostræ felicitatis viderunt, diuitias nostras concupierunt, concupiscentiam secum in terram suam detulerunt, & istis nuntiaue-20 runt. Nunc igitur isti sitiunt aurum argentumq; nostrum, & ob hoc tam crudeliter effundunt sanguinem nostrum. Ergóne sunt homines isti, qui tantam habent potestatem, aut certè infernales dii? Forsitan infernus ruptus est, & populus iste eruptus est. Abyssus crepuit, inde gens ista efferbuit. nullicum habent viscera humanitatis; nulla indicia pietatis. Si homines essent, mori timerent: sed vnde emerserunt, in infernũ redire non expauescunt. O gloria regni Babyloniæ, quàm turpiter hodie dehonestaris, quæ bellatores tuos olim fortes nunc debilitatos amittis. Quæ gens vlterius poterit huic nefariæ genti resistere, cùm gens tua contra eam nec ad horam poterit sustinere? Heu heu, nunc fugiunt, qui nunquam fugere didicerunt, & turpiter prosternuntur, qui alios prosternere consueuerunt. Proh dolor, omnia nobis cedunt in contrarium. Vincere solebamus, & vincimur. In lætitia cordis assiduè versari, nunc mœrore afficimur. Quis enim valet oculos suos à lacrymis temperare,*30 *& erumpentes ab intimo corde singultus cohibere? Diu est quòd in collectione huius exercitus curam magnæ sollicitudinis expendi, multumq; tempus frustra consumpsi. Fortiores totius Orientis milites innumerabili pretio conduxi, & ad hoc bellum adduxi: & nunc ad extremum & ipsos & pretium amisi. Multo argenti dispendio parauerám ligna ad construendas turres ligneas, & omnis generis machinas in circuitu Iherusalem, vt eos obsiderem: & ipsi longè ab ea præuenerunt faciem meam. Quem honorem habebo vlteriùs in terra mea, cùm sic me dehonestat gens aduena, populus alienus? O Machomet, Machomet, quis vnquam venustiori cultu te colitur, in delubris auro argentoq; insignitis, pulchrisq; de te imaginibus decoratis, & cerimoniis & solennitatibus omniq; ritu sacrorum? Sed hoc est quòd Christiani nobis insultare solent, quia maior est virtus crucifixi quàm tua; quoniam ipse potens est in cœlo & in terra. Apparet autem nunc, quoniam qui in eo*40 *confidunt vincunt illi verò vincuntur, qui te venerantur. Sed hoc non exigit incuria nostra: quoniam auro, gemmis, cunctisq; opibus pretiosis, magis insignita est sepultura tua quàm* CHRISTI. *Ciuitas illa quæ tuo nobilitatur corpore, nunquam decisa est ab honore, sed omni sublimitate semper excreuit, omniq; famulatu debitæ venerationis enituit. Ista verò in qua crucifixus tumulatus est, nunquam deinceps honorem habuit, sed destructa & conculcata, & ad nihilum redacta multotiens fuit. Cuius igitur culpâ ita degeneres efficimur, cùm omnem tibi exhibeamus honorem, & nullam nobis rependis vicem? O Iherusalem ciuitas seductrix & adultera, si vllo tempore contingeret vt in manus nostras deuenires, totam te solo coæquarem; & Sepulti tui Sepulchrum funditus exterminarem.* Cùm hęc & his ęquipolentia *Clemens* Admirauisus voce querula rotaret: nostri assuetæ virtutis suæ non immemores, ante vrbis ianuam tanto impetu in Baby-50 lonios irruerunt, quòd neminem eorum nisi mortuum aut plagis exhaustum extra ianuam reliquerunt. Tali itaq; modo diuina virtus bellum deuicit, & nostros victoria commendauit. Et quis ad plenum valet referre quot occisi sunt, in angusto portæ introitu? Tunc *Clemens* iure flere potuit, cùm tot ante se suorũ cadauera extincta vidit. Quidam adhuc in supremo spiritu positi palpitabant, & Clementi qui illuc eos adduxerat, maledicebant. Fertur tunc Clemens heiulando fleuisse, & nostros maledixisse. Erant autem in mari, quod adiacet ciuitati, nautæ & naues circum adiacentium regionum, qui iussu Admirauisi attulerant totius opulentiæ supplemẽtum ad obsidionem vrbis *Iherusalem* necessarium. Qui vt viderunt suos & dominum suum tam turpiter confusum, timore perterriti vela suspenderũt, & in altum

Hæc vt dementis Sunt tristia verba Clementis.

mare se impulerunt. Nostri verò cum manibus erectis ad cœlum, cordibus Deo gratias retulerunt; & ad eorum tentoria reuertentes aurum & argentum, & innumera spolia vestium, copiamque ciborum, multa genera animalium omnium, instrumenta armorum, inuenerunt. Inuenerunt etiam equos & iumenta, mulos & mulas, asellos & asinas, & dromedarium vnum. Quid de ouibus & arietibus, aliisque pecoribus referam, quæ ad esum parata erant? Lebetes & caldariæ, cacabi, lecti, eorumque exuuiæ, cophini pleni auro argentoque, aureisque vestibus, omnisque eorum apparatus ibi inuentus est: ditissimaq; præda locupletati sunt, qui tentoria Admirauisi regalibus referta diuitiis habuerũt. Standardum quod in summitate argenteæ hastæ pomũ habebat aureum, *Comes Normaniæ* obtulit Sepulcro Domini, fuitque appreciatum precio viginti marcarum. Ensem verò alter emit sexaginta byzanceis. Dum verò nostri sic triumphaliter reuerterentur, inueniebant agmina rusticorum, vasa vinaria & aquatilia deferentium, quæ necessaria esse putabant in obsidione, suorum vsibus dominorũ: qui, velut bestiæ, stupefacti nusquam diuertebant; & inclinatis verticibus, enses nostrorum expectabant. Plerique in mortuorum sanguine se volutabant, & quasi mortui inter mortua corpora latitabant. Vt autem nostri peruenerunt ad flumen, vbi Patriarcham dereliquerant, quieuerunt; vtque fatigati, somnum suum dormierunt. Vtque dies terris aurora præueniente, redditur, exurgunt, & iter cœptum properarunt. Qui vt ciuitati ferè ad duo millia proximare cœperunt, sicut triumphatores insonuêre tubis, sistris & cornibus, atque omnis generis musicis instrumentis, ita vt montes & colles harmoniæ modulatis tinnitibus responderent; & quodammodo cum eis Domino iubilarent. Tunc realiter implebatur, quod spiritualiter per Esaiam de Ecclesia fidelium dicitur: *Montes & colles cantabunt coram vobis laudem.* Erat autem admodum grata multifidâque suauitate delectabilis harmonia, cum voci militum sonituique tubarum echonisarent tinnitus montium, concaua rupium, & ima conuallium. Cùm verò ante portas Vrbis venirent, ab his qui remanserant, cum diuinis laudibus, non iam à terrenis montibus, sed à cœlestibus præconantur. Et meritò Devs super hoc laudabatur, quoniam nunc Peregrini sui portis apertis recipiuntur cum laudibus, qui olim cum magna difficultate in magnis iniuriis suscipiebantur, datis etiam muneribus. De his Peregrinis & portis per Esaiam dicitur: *Et portæ tuæ eis aperientur iugiter, die ac nocte non claudentur.* Hæc prophetia nostris temporibus adimpletur, quia nunc portæ Iherusalem filiis Peregrinorum aperiuntur, quæ eis antea die ac nocte claudebantur. Factum est autem hoc prælium ad laudem & gloriam Domini nostri Iesv Christi, pridie Idus Augusti. Quia verò historicus sermo iste ab *Iherosolyma* sumpsit exordium nominis sui, & finem retinet sicut & medium, nulli inconsonum videatur, si in calce huius operis, quis eam primitus fecerit, quis ita appellauerit, inscribatur. *Melchisedech* fertur eam post diluuium condidisse, quem Iudæi asserunt filium Noe fuisse. Hanc in Syria conditam *Salem* appellauit; & in ea deinceps permulta tempora regnauit: quam postea Iebuseí tenuerunt, & partem sui nominis, quæ est *Iebus*, ei addiderunt, & sic collectis in vnum nominibus B in R mutatâ *Iherusalem* vocauerunt. Postea verò à *Salomone* nobilius composita & Templo Domini & sua domo regia, multisque aliis fabricis & hortis & piscinis *Iherosolyma* appellatur, & quasi de suo nomine *Iherosalomonia* intelligitur. Hæc à poetis *Solyma* corruptè vocatur: & à prophetis *Sion* dicitur, quod in nostra lingua *Speculatio* interpretatur: pro eo quòd in monte constituta, de longè venientia contemplatur. *Iherusalem* autem, in nostro Sermone, *Pacifica* transfertur. De antiqua huius gloriosa opulentia scriptum inuenimus in libris Regum, quia Salomon fecit vt tanta abundantia argenti esset in Iherusalem, quanta & lapidum. Enimverò multò copiosius ditior enituit, cùm in ea Dei filius, pro generali omnium redemptione, crucem sustinuit, cœlum suis syderibus obnubilauit, & terra tremuit, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. In qua ciuitate contigit vnquam tam mirabile mysterium, de quo emanauit salus omnium fidelium? Ex quo hoc coniicitur, quòd hanc ita Dei filius sua gloriosa morte illustrauit, quia si nostris placuisset autoribus, non *Iherusalem*, sed R in B mutata *Iebussalem* debuisset vocari: & sic in nostro idiomate *Salus pacifica* potuisset interpretari. Pro his & huiusmodi figuratiuis actionibus, forma est & mysticum sacramentum illius Iherusalem cœlestis, de qua dicitur: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas & ingredietur gens iusta, custodiens veritatem.* De huius laude cuncta referre

Munus pulcrũ Defert Comes ante sepulcrum.

Monstrat Iherusalem, qui primus condidit illam.

10 20 30 40 50

nō possumus, quæ dicta sunt à prophetis & legis doctoribus. Hæc verò terrena nostra ætate fuit à Deo derelicta, & odio habita, à malitia inhabitantium in ea. Cùm autem ipsi Domino placuit, adduxit Francigenam gentem ab extremis terræ, & per eam ab immundis gentilibus liberare eam disposuit. Hoc à longè per Prophetam Esaiam prædixerat, cùm ait: *Adducam filios tuos de longè, argentum eorum & aurum eorum cum eis, in nomine Domini* DEI *tui, & sancto Israëli, quia glorificauit te. Aedificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi.* Hæc & multa alia inuenimus in propheticis libris, quæ congruunt huic liberationi factæ ætatibus nostris. Per omnia & super omnia benedictus DEVS, qui iusto iudicio percutit & vulnerat; & gratuita bonitate quando vult & quomodo vult miseretur & sanat. AMEN.

EXPLICIT.

HISTORIA IHEROSOLIMITANA,

A

BALDRICO EPISCOPO Dolensi.

BALDRICI DEI GRATIA DOLENSIVM ARCHIEPISCOPI EPISTOLA AD PETRVM Abbatem Malleocensem.

AMOR mihi silentium interdicit, & in verbositatem inducit: amor aufert otium, & trahit in negotium: amor vetat vt sileam; cogit vt loquar & scribam. Totum hoc agit amor: non nouus; sed inueteratus & continuus, quodam tamen modo renouatus. Quendam amicum singularem habui & vnicum, qui me sibi totum peculiauerat, & in me sibi duntaxat ipse complacebat: Dominum Gaufredum *dico virum venerabilem, parentibus Ebredunensem, Abbatem Malleocensem: hominem memorandum & describendum, nisi temporis ingruentis molestia suum mihi peperisset obstaculum. Ego ei reuera in quantum poteram, diligendo respondebam; quoniam in eum amando nullatenus inferior esse volebam. Is tandem laudabili fine quieuit: Abbatem tamen sponte prius exuit, vt & liberiùs theoriæ vacaret, atque ipsi* DEO *exoccupatior deseruiret. Huic in eodem regimine, ipso tamen volente, successit* Petrus *eius consanguineus, pastor postmodum idoneus, vir satis industrius, & tantæ solicitudini multum opportunus. Hunc etenim Monachi Malleacenses elegerunt, & sibi rapuerunt, & quantum dominum meum* Gaufredum *dilexerant, in eo ipso monstrauerunt, quem pro patrui amore Abbatem sibi præfecerunt: quamvis & multæ vtilitates ipsum Abbatia dignum prædicarent. Is sicuti auunculo suo successiuus subintrauit in honore; sic & hæres ei perstitit in morum decentissima liberalitate. Habemus igitur hunc* Petrum, *Deo gratias, bono Gaufredo superstitem, moribus & temporibus nostris satis concordem. Ad hunc ergò modò scribo, ego* Baldricus *Dei gratia Dolensis Archiepiscopus; Petrum quoque meum, meum inquam & vestrum tota voluntate saluto. Saluto*

te, Petre *mi, ſicuti Malleacenſem Rectorem; ſaluto te ſicuti fratrem meum kariſſimum; ſaluto te ſicut oratorem & viatorem Ieroſolymitanum. Gratias ago* Deo *meo, frater dulciſſime, qui te duxit & reduxit: Gratias ago* Deo *meo qui pedem tuum benè direxit; qui omnia tua diſpenſat, & huc vſque diſpenſauit: diſpenſet etiam obſecro, & vt tibi vultum ſuum ſerenet efflagito. Gratias etiam ago tibi quarum tenorem forſitan huc vſque non audiſti, cùm nondum quod præcepturus ſum audieris; & tamen quodam modo iam factum ſit, quod tibi imperare decreuerim: ac ſi iam mihi reſponderis, puta dictum, puta factum. Imperare tibi decerno, non rogare: quia malo imperioſus ei eſſe in quo confido, quam ſugillator tædioſus immineam ei à quo deſperare compellor. Gratias ago, quia talis es in quo confidam; quem rogare, vel cui iubere debeam.* Petre, *quæſo, meus, Sacerdos reuerende, gratiarum mearum actiones eâ quâ loquor dilectione munificus accipe: quas & ſi quilibet ex obliquo remordebit præproperas, homo tamē ſani cerebri iudicabit tempeſtiuas. Nihil enim poterit eſſe intempeſtiuum, quod erit inſignis amoris comitate & titulo* decuſatum. *Parit enim perpulchra & vrbana ludicra, ſplendens amicitiarum prærogatiua. Neque enim verè ſunt amici, qui inter ſe dubitant: nam amicabilis faſcinatur identitas, vbi liuidatur alterutra ſecuritas. Ne verò velut ingratus mihi ipſi redarguar: ingratitudo ſiquidem totius bonæ opinionis eſt nouerca; mihi ipſi gratias actito, qui cui imperare poſſum, quemlibet habeo. Non enim omni amicorum deſtitutus ſolatio, qui erga te poteſtatiuo vtor imperio. Quod autem impero huiuſmodi eſt: Gloſulas expoſituras mihi nuper ſuper* Moyſi Pentateuchum *in camera tua oſtendiſti, ipſemet legiſti, auctorem verò nuncupare non noſti: Complacuêre mihi, quia & verborum connexionem exprimebant; & ſi quid erat caliginoſum elucidabant. Nunc igitur fraternitati tuæ præcipiendo præcipio quatenus libellum illum transſcriptum obſecranti mihi dirigas, tali compactum caractere, talibusq; figuris. quæ ſeniles oculos non offendant, quæ iter legenti præbeat, ne ſe duplex littera findere videatur, quæ intellectum noſtrum inconcinna non obtundat. Si verò reſiduum quod deeſt alicubi reperire poteris: ſiue illud mihi inſinuando ſignifica, vt totum obtineam; ſiue benè prodigus, tuis ſumptibus mihi redimi iubeas. Puto ſiquidem quod poſtquam in hoc mihi adquieueris, ſtudioſum me parturies, & de iacto ſemine meſſem multiplicem recipies. Apponam ſiquidem & ſententias interlineares, & excerptam ſicubi latent medullas interiores. Adijciam adhuc, ſi quid decurtatum eſt; caſtigabo, ſi quid ſuperfluum eſt. Totum autem illud nomini tuo deſtinabo, & libello tuo præeunte poſteritati legentium illud profuturum, irrequietus indagator, commendabo. Quod præcepi, non diffido quin ſollemniter exequaris: ſed eſt aliud quod precor, quòd deſidero, quo valdè iocundabor. Non mihi ſis ſterilis quin reſcribas, vt tali legato me viſites; meque peregrinum ac exulem, in citeriori Britannia ſic ſalutes. Complectar illud tanquam alterum me: tu verò me tibi vicinum ſemper exopta, tanquam alterum te. Libellum quem de* Ieruſolymitano itinere *quoquo modo compoſui, ad caſtigandum, tibi tranſmiſi, quem regulari cenſura volo compeſcas, & polias; & epiſtolam hanc cum ipſo mihi non irremuneratam remittas. Salutemus nos interim inuicem, vt alteruter viuamus & valeamus, & iterum nos mutuò videamus,* Amen.

PETRVS

PETRVS ABBAS MALLEOCENSIS,

BALDRICO ARCHIEPISCOPO DOLENSI.

SICVT *autem experientiæ tuæ subtiliter satisq; succincta prælibauit sanctitas*, amorem silentium nullatenus diligere, *diu est ex quo, reuerendissime Pater, experimento didicimus. Otia siquidem eliminando expellit; atq; ad ea quæ sui iuris sunt amantis animum, & in his iocundantis, indicibiliter trahendo accendit. Sed vnde hoc mihi, vt veniat epistola Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est auditio eius in auribus meis, exultauerunt omnia interiora in vtero meo. Quemadmodum etenim tetri atque caliginosi aëris ad Boreæ impetum effugantur nubila; sic sic ad visionem illius, omnium fantasmata cogitatuum, quarumlibet etiam mordacium expulsa sunt pondera curarum. Nullius quippe tristitiæ locus remansit, vbi tantæ lætitiæ tam desiderabilis materies superuenit. Legant alij, atque desudent, ingentia Philosophorum reuoluendo volumina: mihi siquidem mei* admirandi Ciceronis *scripta sufficiunt, suaque inexplicabili obdulcoratione animam legentis reficiunt. Credat itaque, quicquid veteres cecinere poëtæ, amantissimus duntaxat meus prosa vel pede me visitet, atq; diuersorum fatigationibus* negotionibus prægrauatum, suarum crebra dulcique consolatione epistolarum releuando releuet. Huius ego benignissimam morum benignitatem atq; præclarissima facta describere aggrederer* ad tantæ rei magnitudinem obstupescens, non ea explanando, sed potius inscitiæ meæ incuriâ attenuando obfuscare metuerem. Satis igitur consultius est tot & tanta pij Patris contemplando admirari; & in eius totius mentis brachiis amplexando atque amando amore delectari. Veruntamen huius indissolubilis dilectionis, cui grates referam? Ascribam ne meæ probitati; an eius sibi quoslibet incorporanti caritati? Illi prorsus assignandum, illi totum est imputandum, qui formicam sibi copulauit, & perpetuæ fraternitatis glutino conglutinauit. Eapropter quicquid placuerit, quicquid cordi aduenerit, seruo suo emptitio indubitanter præcipiat: & non præcepti sui expletionem, sed implentis deuotionem, considerans perpendat. Sum, fateor, sum emptitius illius: sed cuius illius? Eius sine dubio quem ab ineunte ætate laudabilis vitæ laudabilia commendant præconia: qui etiam de virtute in virtutem ascendens, ad summum sacerdotij apicem sublimari meruit, populumque sibi subiectum, tam prædicationis sanctæ vomere, quàm bonorum operum ostensione arguendo, obsecrando, pennis virtutum ad sublimia prouehit. Felix reuera, & DEO amabilis terra Britanniæ, tanti syderis illustrata coruscationibus. Exultat Oriens, Apostolicorum patrum doctrinis seu gloriosissima palma decorata: Lætetur nihilominus & Occidens, primatis tanti titulis insignita. Deponat gens effera genuinam quodammodo ferocitatem, cursitans ad sui speculatoris mellifluam affabilitatem. Non imputetur ei vlterius fatuitas quædam naturalis, tam sapientissimi antistitis documentis informatæ. O admiranda atque prædicanda supernæ dispensationis clementia! vt ferocium misereretur, fatuitatemq; excluderet, patronum mitissimum, atq; incomprehensibilis sapientiæ, sale conditum, ad edomandam beluinam eorum ceruicositatem direxit. Illos, visitando ditauit; nos verò, gratissima eius visione expoliauit. Visitando inquam, plebem barbaricam, diuq; sub ignorantiæ tenebris sepultam, incomparabili thesauro ditauit, ac nobis pastorẽ,

quasi Luciferum inter nostrates refulgentem, subtraxit. Ad hunc sermo meus prolixior sese direxisset: nisi iam instantis persecutionis & aduersum nos intonantis procellosa tempestas intercidisset. Ad præsens itaque id tantillulum benignus benignè suscipiat; videat, nec legere dedignetur: non attendens litteraturæ superficiem; sed mittentis, seseq; pedum ipsius vestigijs toto corde & corpore substernentis, considerans affectionem. Et quoniam Diuinæ astipulatione paginæ, thesaurus absconditus & sapientia occulta friuola sunt: *glosulas super* Pentateuchum, *quas irrequietus indagator pulsando quærit, quàm citius poterimus transscriptas illius venerandæ paternitati transmittemus. Non enim diffidimus, quin de paruissimo manipulo multiplicatæ segetis centesimum fructum, successiuæ posteritati profuturum, recolligamus. Porrò præ omnibus efflagitamus, quatinus sicut ad vnguem eas promisit corrigat, superflua quæque abradendo, & si qua desunt diligenter interserendo.* Librum *quoque* Ierusolimitanum, *Ierusolimitano mihi directum, cum epistola in fronte ipsius apposita miraque dulcedine referta remittimus. Non minimum verò obstupescendo miror, quo animo libellum præfatum ad compescendum & poliendum direxerit insciolo, & penè nullius scientiæ gutta rigato: cùm præsertim nullus poëtarum id præsumere audeat. Quippe vbi concathenatio multiplicium sententiarũ consonat, partium quoq; iunctura regulari censura liberoque gressu discurrit: nihilque Lector diligens absonum inibi reperiat. Verùm cum salute submissa iam finem sermonis facimus; & vt patrem desideratum videre mereamur, intentè exposcimus.*

HISTORIA IEROSOLIMITANA BALDRICI ARCHIEPISCOPI.

INCIPIT PROLOGVS DOMINI BALDRICI ARCHIEPISCOPI IN HISTORIA Ierosolimitana.

BALDRICVS, *Burguliensium fratrum Abbas,* postea vero DEI misericordiâ *Dolensium Archiepiscopus,* licet indignus, omnibus Christianis pacem & veritatem diligere. Benedictus Dominus noster IESVS CHRISTVS, Christiani nominis auctor & rector inuictissimus, & amplitudinis Christianæ sapientissimus propagator: Hunc vt benedicatis, & in omnibus suis operibus laudetis oportet, fratres karissimi, & indeficientis suæ erga nos misericordiæ nullatenus obliuiscamini. *Ipse Reges mutat, & tempora: ipse pios corrigit, vt prouehat; ipse punit impios, vt corrigat:* quippe, in quo nihil est immisericordiæ. Ipse temporibus nostris Christianitatem suam, vbicunq; terrarum erat, pænè totam excitauit: & vt ad eruendam in qua passus est Ierusalem, de spurcorum manibus Turcorum, qui ei velut captiuæ dominabantur, Christiana concurreret militia, fideles suos vnanimiter incitauit. Non enim sine diuina inspiratione credendum est, ab Occidentali ad Orientalem plagam, omnium rerum copiosos velle militatũ iri; & contra barbaras nationes, relictis prædiis & domibus, filiis & vxoribus, pugnaturos brachio suo, inter innumeras calamitates gaudenter proficisci. Quis enim tot Principes, tot Duces, tot milites, tot pedites sine Rege, sine Imperatore dimicantes eatenus audiuit? Neq; siquidem in isto exercitu, alter alteri præfuit, alius alii imperauit: nemo quod sibi peculiare videbatur disposuit, nisi quod sapientium commune consultum decreuit, nisi quod plebiscitũ collaudauit. Certum est ergo quia Spiritus Sanctus, qui vbi vult spirat, & vt tantos labores arriperent eos animauit, atque indiscissam eis concordiam inspirauit. Huius

Huius Historiæ seriem posteræ successioni stilo nostro, licet non satis expolito, nisus sum commendare: quamuis tantum onus ingenioli nostri tenuitas non suffecerit conuenienter explicare. Sed quoniam diebus nostris magna erat Salustiorum & Ciceronum copia; qui tamen huic otio non ignobili assidere vellet, sterilis imminebat inopia: maioribus nostris, qui dormitabant & pigritabantur, velut indignatus, hoc opus aggressus sum: & ne inuidæ obliuioni cederet historia digna relatu, ad scribendum pœnè sexagenariam appuli manum. Sanè si melius facundiores id ipsum attentauerint, ipsorum nequaquam præiudico, si me castigauerint, facundiæ: tantum precor vt nostro non derogent labori, causâ inuidentiæ vel culpâ insolentiæ. Non tamen huic beatæ interesse promerui militiæ, neque visa narraui: sed nescio quis compilator, nomine suo suppresso, libellum super hac re nimis rusticanum ediderat; veritatem tamen texuerat: sed propter inurbanitatem codicis, nobilis materies viluerat: & simpliciores etiam, inculta & incompta lectio confestim à se auocabat. Accessi igitur ad hoc studium, non inanis gloriæ cupidus, non supercilii tumore inflatus: sed quod successiuæ placeat Christianitati, membranulis indidi curiosus. Et quamuis Christianus ego, Christianis processerim attauis, vt iam nunc tanquam hæreditate possideam sanctuarium DEI, & hæreditarium Christianæ mihi professionis vindicauerim titulum; Paganismum autem, vtpote à lege DEI extorrem, totis viribus abominauerim: tamen in proferenda historiæ veritate, in neutrã amor vel odium, vel cætera vitia, me scientem præcipitabunt partem: vt scilicet Paganis detrahendo, Christianis, mendax & mendosus, temerè faueam; & si quid fortiter & audacter gentiles egerunt, eorum fortitudini & audaciæ zelando aliquid decerpam: proferendæ siquidem veritati temperanter studebo; & animi mei fauorem, quem tamen maximè Christianis debeo, veritatis censura castigabo. Si enim gentilium robur plus iusto attenuarem; Christianorum fortitudini & laboribus detraherem: dum tanquam aduersus gentem imbellem, genus nostrum hiatu temerario dimicasse declamarem. Succinctè igitur quæ in codice prædicto perpendi, recapitulabo; & partium narrantium qui ibi affuerunt relatione fretus, quæ audiui interseram: sicque iuuante DEO, aggressum opus consummabo. Iam igitur, ad prælibatum negotium stilum expectantem applicemus. Emolumentum præsumpti opusculi, bonorum omnium retributor, in bonum mihi retribuat DEVS. AMEN.

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIT HISTORIA IERVSALEM:

QVALITER CHRISTIANI A REMOTIS PARtibus mundi, cum maximo labore eam exquisiuerunt, expugnauerunt & tenuerunt.

IERVSALEM, totius Iudææ Metropolim, non ignobilem nec ignotam ciuitatẽ, Regalibus honorificentiis in immensum multotiens decoratã, multotiens à Tyrãnis hostibus obsessam, & ad solum vsq; dirutam, & à propriis filiis in captiuitatẽ abductis orbatam, variasq; temporum tumultationes ante Saluatoris aduẽtum perpessam, nouerunt qui vel historiographorum libros saltem tenuiter legerunt; vel qui computantiũ relationi aures audiendi auidas accomodauerunt. Iam verò CHRISTVM prædicantẽ super eam flesse, & eius abolitionem denuntiasse, nullus ignorat, nisi si quis fortè paginã Euangelii imprudens & impudens vecorditer conculcat. Quod quomodo acciderit, legenti gesta Titi & Vespasiani indifficulter patebit: quam lectionẽ vir eloquentissimus *Iosephus*, stilo celebri consecrauit. Ipsam iterum reædificatam & Christianis insignibus insignitam, & ecclesiarum ædificiis decentissimis honoratam, ipsa adhuc loquuntur ædificia, & quibus tota ciuitas circumuallatur prouecta testantur mœnia: quæ ciuitas, quoniam in ipsius suæ Christianitatis temporibus, CHRISTO suo quam oportuit minus obtemperauit, terreno Regi subiugata rursum seruiuit, quia cœlesti Imperatori militare pedetentim contempsit. Facta est igitur *Babylonico Admiraldi* diutino tempore tributaria, quæ superba ceruicositate à CHRISTO suo deuiarat: quamobrem seruierunt dominis prophanis hi qui mortem euaserunt vel captiuitatem, eiusdem vrbis coloni; & do-

minati sunt filiis indigenis gentiles aduentitii. Pollutum est nimirum sanctum DEI templum; & facta est aula DEI gentium conuenarum irreuerenter conuenticulum: Domus orationis, spelunca latronum facta est; & filiis suis mater Ecclesia, in nouercam alienata est. Sanè *Sancti Sepulchri Ecclesiam*, paulo seruari sinebant honorificentiùs: non quia multum de Religione Christiana curabant; sed quoniam taliter vtilitatibus & cupiditatibus suis satisfaciebant. Aduentabant siquidem à remotis orbis partibus Christiani, orationis gratia; & honorabant sanctuarium illud largifluis oblationibus, confluentes autem Christianos multimodis gentiles angariis affligebant; & opimis euectionibus quas attulerant, Peregrinos funditus emungebāt: vtpote quos & de vecturis conducendis inuitos in via compellebant; & ab introitu desideratæ & diu quæsitæ ciuitatis, quousque ingrediendi pretium dedissent coërcebant: & sic variis exactionibus eos pauperabant: ad extremum verò, ab iniuriatis corporibus animas plerunque tormentis profligatas, extorquebant. Ecclesiarum etiam alias in vsus peculiares gens barbara reduxerant, aut in ipsis iumenta sua stabulātes, aut si quid est ignominiosius in eis operantes. Exacerbauerunt itaque contra se DEVM, qui DEVM abominabiliter inhonorauerunt; & loca sancta illicitis & fœdis actibus dehonestauerunt. Decreuit igitur eos diuinum consilium castigare; & per eos quibus imperitauerant deliberauit eos à DEO locis dicatis eliminare. Iam enim gentiles vsque *Antiochiam* imperium suum dilatauerant; & similiter ipsius sanctæ Ciuitatis loca gloriosa fœdauerant. Iccirco irritauerant in se furorem Omnipotentis: quoniam operum suorum fœtorem emiserant in cœlum. Videbamus aliquando ciues ipsius *Ierusalem*, inter nos, mendicos & exules: videbamus indigenas *Antiochia*, casum locorum sanctorum deplorantes; sibique pauperatis, suppliciter stipem publicam implorantes. Aliqui condolebamus egenis: id ipsum siquidem per nostros, si quando reuertebantur, audiebamus Peregrinos. Publicæ prædicationis causa, Papa Romanus, *Vrbanus* nomine venit in Gallias, & prout erat disertus *seminiuerbius*, verbum DEI passim seminabat. Sanè *Placentiæ* Concilio generali celebrato, prælibatus Pontifex paulo post *Aruernis* aduenit, ibique cum multis Galliarum Episcopis & Abbatibus, iterum generalem synodum celebrauit: in qua, quæ ad fidem pertinebant præmissis, de Christianorum Ierosolimitanorum & Antiochenorum casibus ærumnosis, huiuscemodi sermonem subiunxit. Confluxerant etiam ad *Concilium* è multis regionibus viri potentes, & honorati innumeri, quamuis cingulo laicalis militiæ superbi. Itaque residens in pulpito sic perorauit. *Audiuimus, fratres dilectissimi, & audistis quod sine profundis singultibus retractare nequaquam possumus, quantis calamitatibus, quantis incommoditatibus, quàm diris contritionibus, in* Ierusalem *& in* Antiochia *& in cæteris Orientalis plagis ciuitatibus, Christiani nostri fratres nostri membra CHRISTI flagellantur, opprimuntur, iniuriantur. Germani fratres vestri contuberniales vteri vestri: nam & eiusdem CHRISTI, & eiusdem Ecclesiæ filii estis: in ipsis suis domibus hæreditariis, vel alienis, dominis mancipantur, vel ex ipsis exploduntur, aut inter nos mendicant; aut, quod grauius est, in ipsis suis patrimoniis venales exulant & vapulant. Effunditur sanguis Christianus, CHRISTI sanguine redemptus; & caro Christiana carni CHRISTI consanguinea, nefandis ineptiis, & seruitutibus nefariis mancipatur. Illis in vrbibus vbique luctus, vbique miseria, vbique gemitus. Suspiriosus dico, Ecclesiæ in quibus olim diuina celebrata sunt sacrificia, proh dolor, ecce animalibus eorum stabula præparantur: Nequam homines sanctas occupauêre ciuitates: Turci, spurci & immundi, nostris fratribus dominantur.* Antiochiæ *beatus* Petrus *primus resedit Episcopus: ecce in ipsa Ecclesia gentiles suas collocauêre superstitiones; & Religionem Christianam: quam potissimùm coluisse debuerant, ab aula DEO dicata turpiter eliminauerunt. Prædia Sanctorum stipendiis dedita, & nobilium patrimonia sustentandis pauperibus contradita, Paganæ tyrannidi subiiciuntur; iisq; in proprios vsus redactis domini crudeles abutuntur. Sacerdotium DEI humotenus conculcatum est. Sanctuarium DEI, prô nefas, vbiq; profanatum est. Si qui ibi adhuc latitant Christiani, inauditis exquirūtur tormentis. De sancta* Ierusalem, *fratres, huc vsq; quasi loqui dissimulauimus, quod valde loqui de ea pertimescimus & erubescimus: quoniam ipsa ciuitas, in qua, prout omnes nostis, CHRISTVS ipse pro nobis passus est, peccatis nostris exigentibus sub spurcitiam Paganorū redacta est. DEIq; seruituti, (ad ignominiā nostrā dico) subducta est: quod enim ita est improperii nostri cumulus est; Christianorū, qui ita promeruimus, magnū dedecus est. Cui seruit nunc* Ecclesia B. Mariæ *in qua ipsa pro corpore sepulta fuit in* valle Iosaphat? *Sed quid* Templū Salomonis, *immò* Domini *prætermisimus, in quo simulachra sua barbaræ nationes contra ius & fas modo collocata venerātur?* De Sepulcro Domi-

Dominico *ideo reminisci supersedimus, quoniam quidam vestrum, oculis vestris vidistis quanta abominationi traditum sit. Inde violenter abstrahunt Turci quas pro eleemosyna illic multotiens intulistis oblationes: ibi nimirum multas & innumeras Religioni nostræ ingerunt irrisiones. Et tamen illo in loco, (non ignota loquor), requieuit* DEVS; *ibi pro nobis mortuus est, ibi sepultus est. Quàm preciosus Sepulturæ Domini locus concupiscibilis, locus incomparabilis! Neque siquidem ibi* DEVS *adhuc annuum prætermisit facere miraculum: Cùm in diebus Passionis suæ extinctis omnibus & in Sepulchro & in Ecclesia circum circa luminibus, iubare diuino lampades extinctæ reaccenduntur. Cuius pectus silicinum, fratres, tantum miraculum non emolliat? Credite mihi, bestialis homo & insulsi capitis est, cuius cor virtus diuina tam præsens, ad fidem non euerberat. Et tamen gentiles cum Christianis ista vident communiter, nec emendantur: perterrentur equidem, sed non conuertuntur ad fidem: nec mirum, quoniam mentis obcæcatio illis dominatur. Quantis afflictionibus vos qui adestis, qui redistis iniuriauerint, vos ipsi melius nostis, qui substantias vestras, qui sanguinem vestrum inibi* DEO *immolastis. Hæc iccirco karissimi [illegible]iximus, vt vos ipsos sermonis nostri testes habeamus. Plures supersunt & fratrum nostrorum miseriæ, & Ecclesiarum* DEI *depopulationes, quas singulatim possemus referre: sed instant lachrimæ, & gemitus; instant suspiria, & singultus. Ploremus fratres, eia ploremus & cum* Psalmista *medullitus plorantes ingemiscamus. Nos miseri, nos infælices quorum prophetia illa completa est.* DEVS, venerunt gentes in hæreditatem tuam: polluerunt templum sanctitatis tuæ; posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam; dederunt morticina seruorum tuorum escam volatilibus cœli, carnem sanctorum tuorum bestiis terræ: Effuderunt sanguinem ipsorum, tanquam aquam in circuitibus Ierusalem, & non erat qui sepeliret. *Væ nobis, fratres: Nos, qui iam facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & irrisio his qui in circuitu nostro sunt, condoleamus & compatiamur fratribus nostris, saltem in lachrimis: Nos abiectio plebis facti, & omnium deteriores, immanissimam sanctissimæ terræ plangamus deuastationem. Quam* Terram meritò Sanctam *dixerimus, in qua non est etiam passus pedis quem non illustrauerit & sanctificauerit, vel corpus vel vmbra Saluatoris; vel gloriosa præsentia sanctæ* DEI *genitricis; vel amplectendus Apostolorum commeatus: vel martyrum ebibendus sanguis effusus. Quàm beati,* ô Stephane prothomartyr, *qui te laureauerunt lapides? quàm fælices,* ô Baptista Iohannes, *qui tibi ad Saluatorem baptizandum seruierunt* Iordanici *latices? Filii Israhel ab Egyptiis educti, qui* Rubro Mari *transito vos præfigurauerunt, terram illam armis suis* IESV *duce, sibi vindicauerunt; Iebuseos & alios conuenas inde expulerunt; & instar Ierusalem cœlestis, Ierusalem terrenam incoluerunt. Quid dicimus fratres? Audite & intelligite: Vos accincti cingulo militiæ, magno superbitis supercilio; fratres vestros laniatis, atque inter vos dissecamini: Non est hæc militia* CHRISTI, *quæ discerpit ouile redemptoris. Sancta Ecclesia, ad suorum opitulationem sibi reseruauit militiam, sed eam malè deprauastis in malitiam. Vt veritatem fateamur, cuius præcones esse debemus, verè non tenetis viam per quam eatis ad salutem & vitam: vos pupillorum oppressores, vos viduarum prædones, vos homicidæ, vos sacrilegi, vos alieni iuris direptores: vos pro effundendo sanguine Christiano expectatis latrocinantium stipendia; & sicut vultures odorantur cadauera, sic longinquarum partium auspicamini & sectamini bella. Certè via ista pessima est, quoniam à* DEO *omnino remota est. Porrò si vultis animabus vestris consuli, aut istiusmodi militiæ cingulū quantociùs deponite: aut* CHRISTI *milites audacter procedite, & ad defendendam Orientalem Ecclesiam velociùs concurrite. Hæc est enim de qua totius vestræ salutis emanauerunt gaudia: quæ distillauit in os vestrum diuini lactis verba; quæ vobis propinauit Euangeliorum sacrosancta dogmata. Hæc ideo, fratres, dicimus, vt & manus homicidas, à fraterna nece contineatis: & pro fidei domesticis, vos exteris nationibus opponatis, Et sub* IESV CHRISTO *duce nostro, acies Christiana, acies inuictissima, meliùs quam ipsi* veteres Iacobitæ, *pro vestra Ierusalem decertetis; & Turcos qui in ea sunt, nefandiores quàm Iebusæos, impugnetis & expugnetis. Pulchrum sit vobis in illa ciuitate mori pro* CHRISTO, *in qua pro vobis* CHRISTVS *mortuus est. Cæterum si vos citra mori contigerit, id ipsum autumate mori in via si tamen in sua* CHRISTVS *vos inuenerit militia.* DEVS eiusdē denarii retributor est, prima & hora vndecima. *Horrendum est, fratres, horrendum est, vos in Christianos rapacem manum extēdere: [illegible] est in* Sarracenos *gladium vibrare; singulare bonum est: quia &* caritas est, pro fratribus animas ponere. *Ne verò de crastinis euectionibus solliciti sitis: sciatis quod timentibus* DEVM *nihil deest, neq; his qui eū diligunt in veritate. Facultates etiam inimicorum vestræ erunt: quoniā & illorum thesauros expoliabitis, & vel victoriosi ad propria remeabitis, vel sanguine vestro purpurati, perenne brauium adipiscemini. Tali Imperatori militare debetis, cui omnis non deest potentia, cui quæ rependat nulla desunt stipendia. Via breuis est, labor permodicus est; qui tamen immarcessibilē vobis rependet coronam. Iam nunc igitur auctoritate loquamur Pro-*

Psal. 78.

Matth. 20.

Psal.44.4. *phetica*. Accingere ô homo vnusquisque, gladio tuo super femur tuum, potentissime: *Accingimini inquam & estote filii potentes: quoniam melius est vobis mori in bello, quàm videre mala gentis vestræ & Sanctorum. Non vos demulceant illecebrosa blandimenta mulierum, rerumque vestrarum, quin eatis; nec vos deterreant perferendi labores, quatenus remaneatis*. Et conuersus ad Episcopos: *Vos* (inquit) *Fratres & Coëpiscopi, vos consacerdotes & cohæredes CHRISTI, per Ecclesias vobis Commissas id ipsum annunciate, &* viam in Ierusalem *toto ore viriliter prædicate. Confessis peccatorum suorum ignorantiam, securi de CHRISTO cælestem paciscimini veniam. Vos autem qui ituri estis, habebitis nos pro vobis oratores; nos habeamus vos pro populo DEI pugnatores. Nostrum est orare, vestrum sit contra Amalechitas pugnare. Nos extendemus cum* Moyse *manus indefessas orantes, in cælum; vos exerite & vibrate intrepidi præliatores in Amalech gladium*. His vel huiusce modi aliis à Domino Apostolico, his qui aderant luculenter intimatis, alii suffundebantur ora lachrimis, alii trepidabant, alii super hac re disceptabant. Inter omnes autem in eodem concilio, nobis videntibus, vir magni nominis & summæ ingenuitatis *Episcopus Podiensis* nomine *Naimarus*, ad Dominum *Papam* vultu iocundus accessit, & genu flexo, licentiam & benedictionem eundi poposcit, & impetrauit: insuper & ab Apostolico mandatum promeruit, vt omnes ei obedirent; & ipse pro officio suo in omnibus, exercitui patrocinaretur: vtpote quem omnes magnæ strenuitatis, & singularis industriæ præsulem nouerant. Digno itaque exercitui DEI inuento *primiserio*, præbuit assensum multitudo multa Nobilium: & statim omnes in vestibus superamictis consuerunt sanctę Crucis vexillum. Sic etenim Papa prӕceperat; & ituris hoc signum facere complacuerat: quippe prædicauerat summus Pontifex Dominum dixisse sequacibus suis: *Si quis non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. Iccirco debetis*, inquit, *vobis Crucem coaptare vestris in vestibus: quatinus, & ex hoc tutiores incedatis; & his qui viderint, exemplum & incitamentum suggeratis*. Dum hæc agerentur, ecce ex improuiso affuerunt legati Comitis Tolosani, *Raimundi* videlicet *de Sancto Ægidio*, qui ipsum iturum iamque sibi crucem coaptasse retulerunt, & in Concilio testati sunt: *Adiuncti sunt etiam ipsi*, inquiunt, *milites innumeri, & populum in ducatu suo conducet quàm plurimum*. Et adiunxerunt: *Si quis est DEI, iungatur ei; quoniam opes suas indigentibus communicabit; & auxilium & consilium suum, nemini viantium denegabit. Ecce, DEO gratias, iam Christianis ituris, duo vltronei processēre Duces: ecce Sacerdotium & Regnum; Clericalis ordo & Laicalis ad exercitum DEI conducendum concordant. Episcopus & Comes*, Moysen & Aaron *nobis reimaginantur*. His auditis si qui pusillanimes heri extiterant, hodie animabantur, & sancta Cruce passim palliabantur. Solutum est Concilium, & nos vnusquisque properantes rediuimus ad propria. Prædicabant Episcopi, & voce liberiori iam illud idem vociferabantur Laici: verbum DEI seminabatur, & quotidie numerus Ierosolimitanorum augebatur: verecundabantur qui remanebant; & iam coram gloriabātur qui peregrinatum ire disponebant: Alii alios cohortabantur; & in angulis & in compitis, inde singuli sermocinabantur. Nimirum pro his agendis dicunt quædam diuinitus obtigisse signa, quæ nos omnino non ignoramus vera. Anno siquidem ab incarnatione *millesimo nonagesimo quinto*, pridie *Nonarum Aprilium, feria quarta, Luna vigesima quinta*, visus est ab innumeris inspectoribus in Galliis, tantus stellarum discursus, vt grando, nisi lucerent, pro densitate putarentur: opinabantur etiam quidam eas cecidisse: nos tamē de earum occubitu, nihil temerè præsumimus affirmare. Nouimus tamē, Veritate testante, quod quandoq; stellę cadent de cœlo: De discursu autem vel earum coruscationibus, si quis dubitat, vel nobis credat; vel *annalibus* nostris, in quibus id notatum reperiet, saltem adquiescat. Quid autem concursus iste præcipuè portenderit minimè diffinimus: præsertim cùm nobis nondum datum sit nosse mysterium regni DEI: sed per parabolas & quasdam competentias, motui stellarum Christianitatis *motum* comparabant. Quippe anno subsequente & Synodus *Aruernis* habita est, & via inchoata est. Præter hæc omnia, quędam Christianis intima inspirabatur voluntas, vt penè omnes iter arriperent, si stipendiorum facultas eis suppeteret. Lætabantur patres, filiis abscedentibus; gaudebant vxores abeuntibus maritis dilectissimis, plusq; tristabantur quod remanebant. Plures tamen abierunt, quàm quòd vel vix vel nullatenus redituri earū viri properabant. Et mirū in modū, quod fieri solet in mortibus carorū, lachrimas his & illis extorquebat Iocunditatis affectus. *Excessit* tamē *medicina modum*, quia plusquā debuit in quibusdam eundi voluntas

A. D. 1095.

Matt.24.29.

A. D. 1096.

10 20 30 40 50

luntas

lunitas surrepsit. Nam & multi Heremitæ & reclusi & Monachi, domiciliis suis nō satis sapienter relictis, ire viam perrexerunt: Quidam autem orationis gratia, ab Abbatibus suis accepta licentia, profecti sunt; plures autem fugiendo, se subduxerunt. Multi etiam de gente plebeia, Crucem sibi diuinitus innatam iactando ostentabant; quod & idem quædam ex mulierculis præsumpserunt: hoc enim falsum deprehensum est omnino. Multi verò ferrum calidum instar crucis sibi adhibuerunt, vel peste iactantiæ, vel bonæ suæ voluntatis ostentatione. Sed de his, vt libet. Talibus enim rumoribus concursus euntium in tantum augmentabatur, vt iam esset numerus innumerus. Hæc iccirco inseruimus, ne vel aliquid præterisse videamur; vel nostratibus, in vanitatibus suis perpercisse redarguamur. Nec tantummodo populares citramontanos homines is rumor exciuit, sed Palatinos Consules & Regios Tyrannos cieuit: videlicet *Hugonem Magnum*, fratrem Regis Francorum; *Robertum Normanniæ* Comitem, Anglorum Regis Wilhelmi filium; iterum *Robertum* Flandrensem. In Alamanniæ partibus Dux *Godefridus*, cum fratre suo *Balduino & Eustachio*, sermonem hunc recepit, & iterum alius *Balduinus* Comes de Monte. Vltra montes quoque, in *Apulia* scilicet, verbum istud percrebuit: & *Boamundum*, virum admodum industrium, Roberti Guischardi filium, Ducis Rogerii fratrem vocauit; eique *Tancredum* nepotem suum, & *Ricardum* de Principatu sociauit. Porrò si de viris Consularibus loqui attentarem, nec de *Radulpho Balgentiacensi* tacerem; nec *Ebrardum de Puisat* prætermitterem, nec de *Centorio de Bieria*, nec de Wilhelmo *Amanei* aliquid dissimularem, nec multos alios stylus noster fastidiret: qui tamen præclaris facinoribus suis seipsos magnificauerunt, & in exercitu Dei se laudabiliter habuerunt. Nec tamen hos vel alios æmula præteribit obliuio, vbi se opportuna offeret occasio. Prædicti itaque viri, expeditionem Dei aggressi, *Constantinopolim*, imperatoriæ dignitatis ciuitatem, cum populis innumeris appropinquauerunt. Neque siquidem *Angliam*, vel alias maritimas insulas, licet à nobis vndisoni maris abysso ab orbe remotas, tonitruum istud latere potuit; imò & *Britannos* & *Guascones*, & extremos hominum *Gallicios*, fama perniciter succrescens animauit, & armauit. *Venetii* quoque & *Pisani*, & *Ienuani*, & qui vel Oceani vel maris Mediterranei littus incolebant, nauibus onustis armis & hominibus, machinis & victualibus mare sulcantes operuerunt: & qui terrâ ibant, vniuersæ terræ faciem, tanquam locustæ, occuluerunt. Transeundum fuit prædictis *Alamannis* per Vngariam, & transierunt. *Petrus* quidam, magnus *Heremita*, cum multis Alamannis & Francis plurimis, subsequens agmen præcesserat, & Regiam ad vrbem applicuerat: Inuenit tamen multos *Lumbardos* & *Longobardos* & iterum *Alamannos* qui eum præcesserant; & ex Imperatoris responso, venientem exercitum sustinebant. *Imperator* autem interim iis mercatum dari iusserat, sicut erat rectum, in ciuitate: Mandando quoque mandauerat, ne quendam sinum maris, quem *Brachium Sancti Georgii* vocant, transfretarent, quousque maximus qui subsequebatur aduenisset exercitus. *Si enim*, ait, *aliter egeritis, efferi Gentiles in vos irruent, & imbellem hanc perimient legionem:* quod & sic postea contigit. Gens etenim illa sine Rege, sine Duce, variis aggregata locis indisciplinatè viuentes, in res alienas rapaciter inuolabant, & plumbum, de quo Ecclesiæ coopertæ fuerant, absportabant & vendebant; necnon & palatia destruebant, & in omnibus se nequiter agebant. His cognitis Imperator iratus est valde: quippe qui beneficiis suis illos iam videbat ingratos: Coegit itaque eos transfretare expulsos à ciuitate. Qui transfretati multis iterum illicitis in Christianos patratis: nam & domos eorum, & Ecclesias, hostiliter terrâ deprædatâ, cremauerunt: tandem venerunt *Nichomiam*. Illic Lumbardos, Longobardos & Alamannos à Francis separantes: *Franci* siquidem ferociores & intractabiliores erant; & ob id, ad omne malum procliuiores: præfecerunt sibi gentes aliæ, Francis remotis, quendam *Raginaldum*; & sub eius Ducatu ingressi sunt *Romaniam*. Vltra *Nicenam* autem ciuitatē progrediētes, quatuor itinere dierum, inuenerunt quoddā castellum cui nomē *Exerogorga*, (incertum an timore an industria,) incolis omnibus vacuum: illud igitur intrantes causa hospitandi, ibi demorati sunt, quippe ipsum inuenerūt, omnium victualium redundantia plenum. Quo *Turci* per exploratores suos cognito, haud mora circumuallare castellum festinauerunt. Raginaldus cum suis

castellum exierat, vt *Turcis* venientibus prætenderet insidias. Præualuerunt autem Turci, & multos ex eis gladio ceciderunt; si qui verò potuerunt, fuga elapsi in castellum recepti sunt: Quo vndique obsesso aquam illis confestim abstulerunt. Fons etenim & puteus, quo castellum sustentabatur, extra erat, quem vtrinque viriliter circunseptum Turcorum exercitus indesinenter obseruabat. *Nihil est laborantibus, aquæ penuriâ durius:* Nihil citius tuta expugnant loca, quàm intollerabilis sitis iniuria. Coacti sunt ergo Christiani, suorum sanguinem elicere & bibere iumentorum: Alii pannos in cisternas limosas deponebant, & si quid humoris inuenissent, in os suum exprimere non erubescebant: Dictum est, quod nimis turpe est, quod quidam in manibus suis micturiebant & sorbebant: Alii si fortè reperissent terram humidam vel frigidam, fodiebant; & in ipsa vel nudi supinabantur, vel suis apponebant pectoribus, vt saltem sic quoquomodo refrigerarentur. Quis in tantis anxiatus angustiis viuere potuit? Sustinuerunt tamen moribundi magnam hanc per octo dies incommoditatem, Sacerdotibus qui aderant sic interim sermocinantibus: *Sustinete fratres, vt enim vos tentet adest* D E V S. *Nolite itaque desperare in his etiam magnis tribulationibus, Sed efficite gnauiter, vt qui eius prouocastis iram, vel in arcto positi nunc, eius largifluam vobis euerberetis misericordiam. Promereri poteritis in tali angustia positi eius beneficium, si ad ipsius toto corde confugietis auxilium. Ipse olim percuti iussit in deserto* Sina, *petram; & fluxerunt aquæ, & biberunt patres nostri in saturitate. Adhuc est eiusdem potentiæ; adhuc est eiusdem misericordiæ. Si vos modo non exaudierit, culpa nostra est; si vos modo non respexerit, nostra est negligentia. Reminiscamini quoniam eum grauiter offendimus, & irritauimus, qui in rerum fraternarum rapacitate & in Ecclesiarum destructione inexplicabiliter crassati sumus.* Hæc illis Sacerdotes quotidie referebant, sed illi nullo vino compunctionis potari poterant. Computruerant illi, tanquam iumenta in stercoribus suis, ideoque de peccatis suis, indurati corde cum Pharaone, DEO satisfacere nequaquam potuerunt: quocirca perierunt. Obthurauerunt igitur aures suas, aspidibus surdiores, contra vocem incantantium sapienter: & iccirco reuera operati sunt insipienter. Quin Dux eorum *Raginaldus* cum Turcis consiliatus est; & vt eis si posset fratres suos proderet pactus est. Exiuit itaque cum multis, fingens se ad bellum procedere, & transfuga fugit ad Turcos. Qui remanserant, inhonestam coacti fecerunt deditionem; &, ô miserum facinus! versi in desperationem, contra Dominum abominabilem commiserunt apostasiam. Illi verò qui fidei suæ testimonium perhibuerunt, vel capitalem subière sententiam; vel in signũ positi, sagittati sunt; vel ab inuicem diuulsi, pro vili præcio venundati sunt; vel in captiuitatem abducti sunt, alii in *Antiochiam*, alii in *Corrosanum*, alii in *Aleph*, aut vbi de eis triumphantibus, & captiuantibus captiuos captiuatum ire magis complacuit: qui tamen pro fidei Christianæ inconuulso tenore; glorioso fine quieuerunt. Hanc persecutionem primam perpessi sunt Christiani *tertio Kalend. Octobris.* Audientes iterum *Turci* quod *Petrus Heremita* & *Walterius* cognomento *Sine habere*, in alia ciuitate cui nomen *Ciuitot* prope *Nicenam* essent, persequi aggressi sunt illos, pro secundis successibus rabidiores; & more luporum debachantium vel feræ tygridis, sanguine effundendo procliuiùs incumbentes. Iam igitur, securi de triumpho, accurrentes obuiauerunt Walterio, quem & multos qui cum eo erant, obtruncauerunt. Petrus enim Heremita iam *Constantinopolim* redierat, quoniam illum auscultare gens litigiosa non adquiescebat. Et quoniam eos imparatos Turci repererunt, ideo faciliùs superauerunt. Decollauerunt etiam quendam Domini Sacerdotem, *Missarum* solennia supplieiter celebrantem. Si qui potuerunt euadere viui, fugerunt; vel in carectis vel syluis, vel in montanis delitescentes; alii Ciuitot castellum, quatinus se defenderent, tenuerunt; quod & Turci protinus obsederunt; lignisque quàm plurimis vndequaque allatis, incendium & castello & hominibus præparabant. *Christiani* autem, extrema iam in desperatione positi, animosiores: *Desperatio siquidem aliquando audaciores facit:* audenter in ligna iaculati sunt ignem. Sic ergo euaserunt incendium, sed non omnino euaserunt imminens mortis periculum. Appræhenderunt siquidem Turci totam castri munitionem; & Christianos appræhensos vel occiderunt, vel captiuauerunt, vel in quodlibet opprobrium subsannauerunt. Hæc iterum passio contigit eis in *mense Octobri.* Ecce modico temporum interuallo, paruo terrarum interstitio Christianitas bis profligata est, bis multata, bis castigata: quod pro expiatione facinorum suorum illis contigisse non ambigimus; & pro reprimenda minus cautorum stoliditate; & pro subse-

ſubſequentis exercitus neceſſaria caſtigatione. Qui enim adhuc citra *Conſtantinopolim* caſtra metati fuerant, hoc audito (multi etenim profugi redierant, quorum omnium arma Imperator emerat, quatinus inermes ſuis minus nocere poſſent) alii alios expectabant, quatinus Conſilio communicato, auxiliaribus freti ducibus, & copiis ſtipati militaribus, terram inimicorum ingrederentur, Deitate ſibi, precum pura Confeſſione, prius complacata. Dum hæc agerentur Dux *Godefridus* & *Balduinus atque Euſtachius* fratres, & *Balduinus de Monte* cum turmis ſuis per Vngariam commeantes, Conſtantinopolim appropinquabant. *Podienſis* namq; *Epiſcopus & Comes Raimundus* per Sclauariam gradiebantur. *Hugo Magnus* & *Flan-*
10 *drenſis Comes, & Robertus Normannorum Dux*, cum ſuis commilitonibus Romam prætereuntes, in *Apuliam* deuenerunt. *Boamundus* autem tantas *Francorum* frequẽtias audiens aduentare: neque ſiquidem tantum hominem huiuſce rei ignarum, tam diuulgatâ famâ pertranſire poterat: ſingulorum probitatibus ſignisque perſcrutatis, pallium optimum præcepit afferri: quod per particulas conciſum, crucem vnicuique ſuorum diſtribuit, ſuamque ſibi retinuit. Tantus igitur militum concurſus ad eum ſubitò factus eſt, quatinus Comes *Rogerius* in obſidione (erant ſiquidem vterque in quadam obſidione) penè ſolus remaneret; dolensq; ſe ſuam amiſiſſe gentem, *Siciliam* cum paucis reuerſus eſt. *Boamundus* autem, vt erat vir per omnia modeſtiſſimus, modeſtè viam ſuam & euectiones præparauit; & cum
20 optimatibus ſuis & cum affluentibus armatorum copiis transfretauit, & tandem tranquillo remige in *Bulgariæ* partibus applicuit. Nomina verò ſuorum qui ei in itinere hoc adhæſerunt, eique aliis cohæſerant in bellis, hæc ſunt: *Tancredus* Marchionis filius; *Richardus* de Principatu, *Ranulfus* frater eius; *Robertus* de Anxa; *Ermannus* de Canni; *Robertus* de Surda valle; *Robertus* filius Turſtani; *Hunfredus* filius Radulfi; *Ricardus* filius Comitis Rannulfi; & *Comes de Ruſinolo*, cum fratribus ſuis, & *Boëllus* Carnotenſis; *Alberedus de* Cagnano, & *Gunfredus de* Monte Scabioſo. Hi omnes vnanimiter Boamundo coniuncti ſunt; eiq; ſe deuotiſſimè in via Dei obedituros, inſeparabiliter iurauerunt. *Hugo* verò *Magnus* & Wilhelmus *Marchiſi* filius ad portum *Bari* pelagus præproperè ingreſſi ſunt, & nauigantes appli-
30 cuerunt *Duracium*: Dux autem ciuitatis illius de Principibus Imperatoris vnus, arbitratus eos, vt reuera erant, viros magnos & gnaros, apprehendi iuſſit eos, vtpote qui nondum erant cuneis militaribus, & auxiliaribus peditum manipulis ſatis præmuniti. Fecit ergo eos ſub excubanti cuſtodia Conſtantinopolim ſollerter deduci: quatinus Imperator pro libitu ſuo ſuper eos decerneret; ſique vellet *hominium* & fidelitatem ab eis reciperet. Hoc autem Dux ille iccirco maximè feciſſe viſus eſt, vt & deuotionem quam erga Imperatorem ſuum habebat, res ipſa talibus indiciis approbaret; eumque ſibi vehementiùs conciliaret. Dux autem *Godefridus*, Ducum omnium primus Conſtantinopolin venit, duos dies ante *Natale Domini*, & prope illam caſtra metatus eſt. *Boamundus* enim ſuos expectando,
40 qui eum ſubſequi ſatagebant, pedetentim gradiebatur; proinde callidè eos paulatim eundo in dies operiebatur. *Imperator* autem in ſuburbio ciuitatis, duci paulo poſt mandauit hoſpitium. Armigeri verò Ducalis exercitus, ſine qualibet cautela, ad ſubuehendas paleas, vel cætera ſibi neceſſaria, extra ciuitatem curſitabant. Quippe nondum aliquid de Imperatore ſuſpicabantur ſiniſtrum, vtpote qui eis voluntarius præbuiſſet hoſpitium. Imperator verò abſconsè ſuis mandauerat *Turcopolis* & *Pincinatis*, quatinus in dies exeuntes inuaderent, & perimerent, & curioſiſſimè ſuper hoc excubarent. Duci, ſuorum defectus nunciatus eſt; & inopinatæ Turcopolorum ei patuerunt inſidiæ. Exiuit igitur *Balduinus* ad ſuorum protectionem, & ſi poſſet ad inſidiantium deletionem: inuenit autem eos inſequen-
50 tes ſuos; & ex improuiſo incautos inuaſit, & ſuperauit; partem occidit: ſexaginta quoque ex iis viuos compræhenſos, fratri ſuo Duci imperterritus præſentauit. Audiens hoc Imperator *Alexius*, (Alexius enim vocabatur,) valde iratus, malum exercitui Christi in corde ſuo indeſinenter machinabatur. Dux de Imperatoris furibunda perturbatione certus, præcauens in futurum, Ciuitatem exiuit; & vbi prius ſua fixerat tentoria collocauit. Nocte ſuperueniente, iuſſu Imperatoris inuaſa ſunt caſtra Ducis, & exercitus eius multis laceſſitus iniuriis. Dux autem, ſicut erat huiuſce rei ſagaciſſimus, & pugnator acerrimus, excubiatores qui tentoriis excubarent prudenter diſpoſuerat; & vnumquemque vigilare ſibi mandauerat: Verſutias enim Imperatoris non neſciebat. Repulſi ſunt quanto-

cius inuasores; & ex illis septem peremptis, vsque ad portam ciuitatis audacter Dux fugauit fugientes. Ad tentoria itaque sua reuersus, fuit ibi penè quinque diebus. *Imperator* enim interim in eum malum moliri; Dux sollicitiùs sibi suisq; consiliari: Imperator ei transitum per ciuitatem Regiam prohibere; Dux subsequentium Optimatum aduentum expectare. Imperator tandem vt nihil intemptatum relinqueret, (erat namque vir perspicax & industrius,) sub pacis obtentu pactus est cum Duce, quod si transfretaret *Brachium*, copiosum ei semper mitteret mercatum; & omnibus indigentibus, stipem impertiret necessariam: tantùm de eo iuramento esset securus. Ideo sic fecit Imperator, vt Ducem à Regione illa cum suis amoueret copiis, ne posset coüti superuentorum Principum consiliis & auxiliis. Transiuit itaque Dux Imperatori factâ, & ab eodem acceptâ identidem promissorum fidelitate. *Boamundus* interim in vallem de *Andrinopolin* venit, ibique suos concionando taliter alloquutus: *Optimates & Commilitones nostri, Oportet cautè nos omnes dehinc abeamus. Cautela nobis est pernecessaria, præsertim cùm pro DEO à nostra peregrinamur patria: Peregrini pro DEO sumus; CHRISTI milites sumus à Christianorum pennatibus diripiendis, manus rapaces cohibeamus. Tempus erit cùm terram hostilem intrabimus, cùm de eorum spoliis opimis ditabimur & lætabimur. Christiani quicunque nobis mercatum præstiterint, securi veniant & securi redeant: terra in qua sumus Christianorum est, ideo vobis eam deprædari non licet: Tantummodo in ea pro benedictione cibaria capiamus; nec vltra quàm vsus viuendi postulat, fratrum suppellectilem discerpamus. Vos autem, proceres nostri, familiares nostri, qui expeditiores estis, de peditibus vigilantiùs procurate; & ne deficiant in via, eos expectando, maturiùs procedite; & tentoria vestra tempestiuè figite. Et quoniam, DEO gratias, opulentiores estis, opes vestras pro eleemosyna pauperibus effundite: Dominum ante oculos præsentem semper habete.* His dictis heros prudentissimus conticuit, & moueri castra de valle præcepit. Tandem peruentum est *Castoriam*, in qua *Natale* Domini solenniter peregerunt; ibique per aliquot morati dies, quæsitumque mercatum habere non potuerunt: Prætendebant enim homines ciuitatis illius eos nequaquam peregrinos, sed gladiatores & Tyrannos. Compulsi sunt ergo, inedia cogente, boues, equos & asinos rapere; & si quid quod mandi posset conuenientiùs inueniebatur. Egressi subinde de Castoria castrametati sunt in *Pelagoniam*. Castellum autem *Hæreticorum* ibi erat munitissimum, abundè bonis omnibus refertum: quod vndiq; aggressum, habitatoribus eiusdem cum eo combustis, omnino pessum dederunt: hæreticis nimirum inimicantes. Omnes siquidem illi viatores, *Iudæos, Hæreticos, Sarracenos* æqualiter habent exosos, quos omnes appellant, *inimicos DEI*. Castello igitur illo radicitus diruto, extinctisque omnibus habitatoribus eius, tentoriis collectis peruenerunt ad flumen *Bardanum*: quod Boamundus cum parte sui exercitus pertransiuit: pars etenim, *Comes* videlicet de *Rosinolo*, cum fratribus suis, remansit. Homines autem Imperatoris qui vias obsidentes, palantes explorabant, videntes exercitum diuisum, impetu facto irruerunt in Comitem & in suos, sperantes se in eos indifficulter præualituros, exercitu duntaxat à se disgregato. Quo *Tancredus* siue per legatum siue per tumultum cognito: nec dum enim multum ab aliis aberant: rapidum calcaribus vrgens cornipedem fulmineus aduolat; & fluuio qui intererat euadato, sed potius enatato, festinum Comiti contulit præsidium. Duo siquidem milia militum Tancredum subsequuti fuêre, qui similiter amne transito eis auxilium præbuerunt: qui confestim, contra spem *Turcopolorum*, ipsis præualuerunt, & eos de prælio fugauerunt, & de fugatis gloriosè triumphauerunt. Nonnullis autem peremptis, plures apprehensos, vinctos præsentauerunt Boamundo. qui eos percunctatos quare tam crudeliter suæ resisterent expeditioni, præsertim cum suo non inimicaretur Imperatori, ipsis respondentibus audiuit: *Nos in* roga *Imperatoris locati, nihil aliud quàm quod ipse imperat possumus.* Boamundus autem Imperatori indignatus, seipsum tamen reprimens, eos quidem impunitos dimisit; sed ne suis de cætero nocerent, interminando eos compescuit. Dixisse tamen suis familiaribus putatur: *Nos transituri per Imperatorem, tumorem animi compescamus; & ne eum iniustè exacerbemus, prout possumus euitemus. Extremæ imperitiæ genus est, hominem ibi totum efflare spiritum, vbi commotus animus nullum habebit effectum: Porro prudentiæ modus est potestatiuum hominem seipsum dissimulare, vbi potentiæ sua nequit satisfacere. Prudentia est, in tempus differre, quod continuò non possis implere. Rursus socordia & ignauia redarguendus est, qui cum vltra non possit, intonat minis; cùm verò possit, illatæ obliuiscitur improbitatis. Si possumus, Imperatorem* bene-

beneficiis superemus; sin autem, mala nobis illata æquanimiter dissimulemus. Hæc ait, & iram animi tacitus continuit. Hoc bellum factum est *quarta feria in capite ieiuniorum.* Nulli dubiũ quin illa die inuiti pugnauerint Peregrini, nisi quòd se defendendi necessitas eis incubuit. Interea Imperatoris legati obuiauerunt Boamundo, (*Boamundus* enim iam suos ad eum direxerat,) qui eum per terram illam securè deducerẽt, & eis vbiq; mercatum impenderẽt. Misit autem ad hoc quendã suum *Corpalatium*, valde sibi familiarem, hominem admodum solertem: Iste semper præibat, & ex Imperatore regionarios allocutus, forum rerum venalium semper eis præparabat. Ad quoddam ventum est *castellum*, quod quia frumento, caseo, vino & oleo redun-
10 dabat, aggredi contendebant: Castellani siquidem, neque eis mercatum præparabant; & in tantum eos verebantur, quod neminem eorum recipiebant. *Boamundus* autem viriliter illud prohibuit, ne fortè Imperator in eo, aliquam inueniret perperam: licet ei *Tancredus* & alii multum in faciem restiterint; præualuit tamen sententia prohibentis. Manè facto obuiam illi exierunt Castellani, Cruces præ manibus gestantes, & indulgentiam deprecantes; & ei quæcunque placuissent offerebant: Ille autem libenter eis indulsit & pertransiuit. Venit autem ad ciuitatem quæ *Serra* dicitur; & ibi sufficiens habuerunt mercatum. *Boamundus* tunc prudenter egit, quoniam cum duobus *Corpalatiis*, sine aliqua amaritudine concordatus est; & amicissimi in die illa facti sunt: pro illorum denique amicitia, cuncta
20 reddi animalia iussit, quæ sui rapuerant, quæcunque fuerunt inuenta. Corpalatii autem, hominibus omnia quorum fuerant, reddiderunt: Luctus itaque plangentium, versus est in gaudium. Denique prout tempus poscebat, de loco in locum castra metati sunt; & vsque *Rusam* ciuitatem venerunt: Ibi quæcunque necessaria erant sufficienter comparatis, (Græcorum quippe gens Boamundum videre desiderabat inhianter,) suos tetenderunt papiliones, *feria quarta ante Cœnam Domini.* Boamundus ibi sua gente dimissa, cum paucis ad Imperatorem profectus est, suisque dixit hominibus: *Modestè vos agite: ego vos præibo, vobis transitum præparaturus; vos autem moderanter appropinquate ciuitatem, & omnia sapienter agite.* Tancredus autem caput & Princeps militiæ Boamundanæ, videns Christianos in expeditione
30 pauperatos & mendicos, eis in immensum condoluit; & illos, qua cibaria inuenirent, per aliam viam conducere cogitauit. Intrauerunt igitur in *vallem* vberæ glebæ gaudentem, & nutrimentis corporalibus refertam: vbi *Pascha* Domini celebrauerunt. *Imperator* audiens; quem nimium verebatur, aduenisse *Boamundum*, (frequenter enim de prudentia & audacia eius audierat; ipseque semel & iterum cum patre suo *Guischardo* pugnauerat & superauerat) honorificè suscepit eum, & extra ciuitatem, prout vtrumque decebat copiosè procurauit. Dum autem Imperator de colloquio Boamundi præcepisset, Dux *Godefridus*, *Constantinopolim*, suis vltra Brachium relictis, redierat: quoniam Imperator, vt ei pepigerat, mercatum nullum transmittebat. *Episcopus* verò *Podiensis* & *Sancti Ægidii* Comes, sua iterum post
40 se intermissa multitudine, aderant. Imperator à suis accepto consilio, (gens quippe Græcorum multum callet in consiliis) Heroas singulos per internuntios allocutus est: quatinus ei omnes, & *hominium* & fidelitatem facerent; & sic securi transfretarent. Optimates enim Regiæ ciuitatis sibi præcauentes, ne fortè *Franci* congregati in eos insurgerent, bonisque suis eos priuarent, illud Imperatori consuluerant, vt saltem à Francis taliter securi viuerent. *Franci* siquidem omnino periurium vitant. Hoc Imperator ingeniosè quærere; Franci viriliter negare: Franci prætendere se iuramentum nulli nisi DEO debere, cuius milites erant in via: ad hæc Imperator transitum abdicare: de cætero, & mercatum & conductum polliceri; seque ipsum post eos iturum, & iis cum omnibus suis copiis subuenturum
50 affirmare. Angustiabantur Franci, iuramentum facere renuentes, præsertim cùm Græci aliter eis meatum nequaquam consentirent. Quid facerent? contra Christianos pugnare nolebant; transitum pacifici habere non poterant: imperfecto ad quod ierant negotio, ad propria regredi abominabantur. Tandem multi compulsi necessitatibus in hanc deuenẽre sententiam, pollicitationibus Imperatoris aliquantulum allecti: quatinus eo tenore satisfacerent Imperatori, si ipse de quibuscunque eis promittebat, eis iurari præciperet: quod ita totum factum est. Iurauerunt igitur *Alexio* Imperatori *vitam & honorem, quod neutrum ei aufferrent, quoad ipse quod iurabat bona fide teneret.* Comes autem *Sancti Ægidii* plus aliis renitebatur; imò, quomodo de Imperatore suos vlcisceretur, irrequietus cogitabat.

Præualuit tamen communis Heroum sententia; & ab hac intentione animosum Comitem reuocauerunt. Iurauit itaque, sed ad *hominium* nequaquam deductus est: dixit enim se malle mori, quàm hominium faceret Imperatori. Dicunt Græcis sacramentum Comitis satis fuisse, quandoquidem illud quòd ampliùs exigebant extorquere non potuerunt. præceptum est igitur ilico de nauigio. *Tancredus* interim cum exercitu sibi commisso aduenerat. Audiens itaque quod Imperator à maioribus natu sacramentum exegerat, cum *Ricardo de Principatu* inter plebeios delituit; puppibusq; acceleratis, properus pertransiuit. *Boamundus* tamē suis transfretaturis, succinctè dixit: *Maturate gradum, nec aliquid incautè faciatis: demorabor adhuc de mercato locuturus, ne aliquid inconsultè fecisse videamur; vos prudenter ambulate; nec nimis remissè, nec insipienter militate. Plerumque contingit, vt quorundam insipientia, sapientium causas impediat. Videte ergo quomodo cautè ambuletis omnes & singuli; & alius alium attentiùs commonete.* Hæc ait, & de transitu festinanter mandauit. Ecce iterum Legationes Episcopi *Podiensis*, pariterque Comitis aderant *Tolosani*. Remansit itaque Comes cum sua gente, donec ei & Boamundo satisfactum est de mercato. Dux *Godefridus* cum aliis Nichomediam venit, ibique cum Tancredo tribus diebus fuit. Cognitoque quod nulla, qua tot & tantæ gentes possent procedere, pateret via: misit Dux qui rupium & montium complanarent præcipitia, hominum tria millia, qui acceptis securibus asciis & vidulis, aliisque multimodis ferramentis, ad carecta & fruteсta stirpanda, & ad prærupta montium coæquanda, viam exercitui præparauerunt: positisque in altum signis, quæ subsequentes agnoscere possent, ne fortè deuiarent; venerunt Nicheam, *pridie Nonas Maii. Nichea* autem totius Romaniæ caput est. Castris itaque metatis, locatisque tentoriis, obsessa est Nichea, quæ est ciuitas munitissima: vtpote quam ostentabant inexpugnabilem in cœlum porrecta menia; lacusque adiacens ciuitatem à latere cingens. Passi sunt igitur ibi Christiani calamitosam panis inopiam: ita vt si quando panis vnus inueniebatur, viginti vel triginta denarios emeretur: Nondum enim mercatum ad eos ab Imperatore fuerat directum. Sed Deo de suis procurante, venit confestim *Boamundus* copiosum terra mariq; deducens mercatum: facta est itaq; inopina & repentina victualium vbertas, in tota Christi militia. In die autem *Ascensionis Dominicæ*, aggressi sunt ciuitatem expugnare; & contra muralem altitudinem machinas ligneas erigere. Per duos igitur dies infestantes acriter ciuitatem, conati sunt etiam murum effodere. Gentiles qui intus erant, è contra viriliter instare; muros penatesque suos magna vi defensare; lapides & spicula dirigere, clipeis se protegere, & superuenienti telorum nimbo se audacter opponere. E regione Galli nihil intentatum relinquere; consertorum testudine scutorum se occultare, & sic iaculorum ingruentiam deuitare; & sic persæpe fatiscentes obsessos lacessere. Ciues interim missis nuntiis, neque siquidem qua lacus extendebatur, ciuitas obseruari poterat, à Contribulibus & Confinibus suis adiutorium conuocauerunt, dicentes: *Accelerate, per meridianam portam, nihil formidantes intraturi. Porta*, inquiunt, *enim meridiana, adhuc ab omni vacat obsidione.* Ipsa autem die, porta eadem Comiti *Tolosano* & Podiensi Episcopo, Sabbatho scilicet post *Ascensionem Domini*, commissa fuit: nam eadem die vterque aduenerant. Comes itaque *Saracenis* securè accurrentibus, ex improuiso armatus obuiauit: & eius exercitus totus in armis speciosus; & omnes signo sanctæ Crucis confisi, barbaram viriliter repulerunt stoliditatem. Quæ gens non paucis suorum amissis, in fugam turpiter versa est, & à *Francis* indifficulter superata. Comes itaque cum magno trophæo, eâ die tentoria sua ingressus est. Ciues obsessi alios rursus direxêre nuntios, qui de auxilio loquerentur; & spem pugnæ & certitudinem victoriæ, iurando testarentur. Veniebant igitur cateruatim congaudentes, & victoriam in manibus autumantes, & de spoliis inimicorum diripiendis iam lætantes. Efferebant itaque suos vnusquisque funiculos, quibus vinctos ad sua captiuatum ducerent Christianos. Confidebant namque, & in magnis nationum congregatarum copiis, & in suæ viribus animositatis: paruipendebant etiam gentem Christianam, vtpote & itineris longinquitate molestatam; & fame & siti, multisque aliis incommoditatibus profligatam. Ex montium igitur cacuminibus incautè conglobati descendebant, & ad ciuitatem vsque discurrere satagebant. Quibus iterum obuiantes Franci: Franci siquidem nihil negligentes, vias omnes obseruabant: eos rursus inuaserunt, rursum superauerunt, rursum fugauerunt; multos autem internecioni

deditis

deditis victoriosi redierunt: attulerunt etiam plurima cæsorum capita, quæ *fundibularii* proiecerunt in ciuitatem, ad obsidentium exultationem, ad obsessorum perturbationem. Non tamen gentiles minus animosiores Christianis resistebant: Sed modo de propugnaculis iacula dirigere, muros defendere; modo progredientes, ipsa castra perturbare. Contra Comes *Raimundus* & Podiensis Episcopus, homines ordinauerunt, qui turrem, quæ tentoriis suis porrecta præminebat, incessanter suffoderent; & infractis viribus operi iniuncto insisterent. Aggressi itaque ciuitatem, colonos rebellantes, balistis & arcubus & fundis deterrentes, (grandinem etenim superuenientia tela putares:) homines præparatos ad muros vsque dirrexerunt; & ne quid eis mali possent oppidani moliri; sagaciter eos tuebantur; suffoderunt itaque turrem radicitus, immissisque lignis, & igni in muro terebrato succenso, indemnes redierunt ad suos. Ignis extimplo lignis præualuit: Quibus combustis, turris dependens extabuit; & per rimas dehiscens, ruinæ machina tota succubuit. Sed quoniam nox erat, non potuerunt nec voluerunt Christiani contra vrbem præliari, quod manè futuro se facturos disponebant. Dilatio autem ipsa multum obsessis profuit, multum verò Christianis obfuit. Nocte siquidem gentiles murum irrequieti reædificauerunt; noctemque illam insomnem duxerunt, in nullo pigritantes, sed de ciuitatis suæ tuitione se inuicem cohortantes. Facto diluculo *Franci* de inopina muri reædificatione vehementer admirati sunt, & eorum irrequietudinem laudauerunt; & tamen quia diutius ibi morari compulsi sunt, doluerunt. De repente siquidem maceriam eò vsque inaltauerant, vt Christiani eos ex illa parte neutiquam nocere possent. Cassatus itaque Christianorum labor hoc modo fuit, quibus illa mœniorum suffossio nihil profuit. Ecce aduenerat Comes *Robertus de Normannia*. Isti omnes vrbem obsederunt, tentoria sua propè locantes. Ex vna parte obsederant eam *Boamundus* & *Tancredus*: Iuxta quos *Dux Godefridus, cum fratre* suo *Balduino* atque *Eustachio*: Deinceps autem *Comes Flandrensis*, vir quidem strenuus & miles audacissimus: Iuxta hunc etiam *Comes Robertus Normannus* atque *Stephanus Carnotensis*, *& Comes de Sancto Paulo*, *& Chonanus filius Comitis Gaufridi*, *& Radulphus de Guaer*, *& Rogerius de Barnauilla* & alii quàm plures. A porta verò meridiana *Tolosanus* & *Podiensis*, vt dictum est, excubabant. Ita circumcirca eam vallauerant, quatinus nemo vel ingredi vel egredi possit, nisi qua lacu ciuitas cingebatur. Per lacum enim Christianis videntibus, securi nauigabant, sibique necessaria nauigio deuectabant. Porrò CHRISTI militia taliter vrbem obsederat. *O castra speciosa! ô Tentoria Imperiosa! quis vnquam similia vidit Tabernacula? Cesset illa adulabilis fabula de Troia; vilescant illa Pelasgorum tentoria; obscurentur vlterius procerum illorum actus & nomina. Illic* Vlysses *suam exercuit astutiam*; Aiax *suam ostentauit audaciam*; Achilles *suam manifestauit duriciam. Hîc Columbinam* Christiani *prætendebant simplicitatem; & in armis mundam & gloriosam exercebant militiam: mundi moribus, vegeti corporibus, animosi pectoribus dimicabant: Quippe animabus suis præcauebant; carnisque voluntatibus & voluptatibus, omnia illicita, abdicabant; fulgebant in armis, maximèque in morum ornatu erant decentissimi.* Fateor & verum fateor, quoniam si *Balaam* huic tam formosæ speculationi adesse meruisset, tentoria ista, tentoriis Israëliticis præposuisset. In castris siquidem Christianis, nec *Finees* Medianitidem, quam pugione confodere deberet, inueniret; nec serpens malignus quem pro malignitate sua torreret, haberet. Vt breuiter dicam, militia illa, formosæ Ecclesiæ instar erat; & forma, vt de tali non temerarius Salomonem decantasse autumauerimus: *Ecce tu pulchra es amica mea, sicut Tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* In ista siquidem expeditione Duces ipsi militabant, ipsi duces excubabant; vt nescires quid Dux à milite, quid miles differret à Duce. Præterea ibi erat tanta omnium rerum communitas, vt vix aliquis aliquid sibi diceret proprium; sed, sicut in primitiua Ecclesia, fermè illis erant omnia communia: Lupanar & prostibulum omnino à castris suis procul eliminauerant, & potissimum de morum honestate disceptabant: Ibi tamen cum hominibus mulieres habitabant, sed vel in coniugio vel in legali ministerio. Si quis enim alicuius conuincebatur inhonestatis, vel in faciem, vt

Num. 24,5.

Num. 25,6.

Cantic. 1,4.

cæteris metus incuteretur, castigandus increpabatur; vel grauiter de eo vindicabatur: quotidie siquidem de continentia sermocinabantur Episcopi, & omne scortum, & abusum de medio castrorum abhominabantur. Opponebant se certatim castrenses illi pro fratribus, inimicorum gladiis; & mirum in modum lætabantur, si mori mererentur pro vlciscendis proximorum iniuriis: *O super omnes Regiones extollenda Gallia! quàm pulchra tabernacula tua ecce in Romania! ab Occidentali Europa armata iter arripuisti; & in Asia tentoria tua & Conopeorum tuorum paxillos collocasti. Conseruet, ac perennet DEVS hanc bonæ voluntatis tuæ vnanimitatem: quatinus tuta procedere possis ad quam suspiras Ierusalem.* Turci interim & pro ciuitate defendenda desudabant, & à mœniorum restauratione nullatenus quiescebant. Terrâ vndique obsessi, lacui 10 victualia subuecturi securi se committebant. Ibant & redibant Christianis videntibus, nec eis nocere poterat Francorum quantuslibet exercitus. Sed quis eorum sollicitam euasit solertiam? *Franci*, viri per omnia prudentissimi, consilium acceperunt, quatinus oppidanis auferrent etiam lacum. Direxerunt itaque Legationem suam *Constantinopolim*, quæ vocabulo antiquiori *Bizantium* dicta fuit: vnde & adhuc monetæ ciuitatis illius, denarios *Bizanteos* vocamus: quatinus Imperator imperio potestatiuo, nauigium copiosum *Ciuitot* dirigeret, vbi portus erat oportunus: & quoniam *nocuit differre paratis*, nullas in remittendo innecteret moras. *Insuper*, inquiunt, *boues & plaustra nobis transmitte, ad rates per montana & syluas ad lacum vsque subuehendas. Si enim taliter egeris, ciuitatem Nicheam, quam obsedimus, quam* 20 *Turci tibi violenter abstulerunt, indubitanter recuperabis: nullum enim habent effugium, si suum eis interdicemus nauigium.* Ex Imperatoris præcepto & boues festinanter adducti sunt, & naues veliuolæ, portum Ciuitot appulerunt: *Turcopoli* etiam Imperatoris affuerunt. Scaphæ carrucis superpositæ, bobus huic operi ministrantibus, vsque ad crepidinem lacus magno labore deductæ sunt. Ea verò die noluerunt eas impingere in lacum: quòd commodius duxerunt noctem expectare. Hoc autem ideo fecisse videntur, quatinus ex improuiso ciuitati per lacum approximarent; nauigiumq; castellanorum, dum nescirent, diriperent. Sole ruente, nocteque terris incumbente naues in lacum impegerunt, easque Turcopolis mandauerunt. Crepusculo diei albescente, lacum sulcantes, ordinatè tendebant puppes ad ciuitatē. Ciues lacum nauibus opertum eminus aspiciētes, admirabantur; & si fortè sibi veniret adiutorium suspicabantur. At postquam fides eis facta est naues illas contra se præparatas; neque nauigio suo sicut heri & nudiustertius, illis patebat de cætero commeatus, diriguere metu, & exangues facti desperauerunt: repentino siquidem casu perturbatis, præter spem omnia contigerant. Rebellando etiam nequaquam vlterius resistere poterant, super quos confluxerant gentes innumeræ: vrbi, terrâ lacuque obsessæ, nulla spes erat salutis; nullus locus effugii, præter, quod omnibus adiacet victis; dedecus deditionis. Exterrebant eos arma incognita, & ipse fulgor armorum, obsessos exanimabat: nouerant Francorum gentem ferocem & bellicosam; nec eos ab incepto desistere, donec eis omnia 40 pro voto contigerint: Sciebant illos penitus immisericordes, quos ipsi exacerbauerant, gentis suæ peremptores. De imminenti ergo tractantes periculo ad *Imperatorem* dirigunt, vtq; sibi sub lege deditionis respondeat satisfaciunt. *Securos*, inquiunt, *nos faciat, Imperatoria fides tua non violanda, de familiaribus & substantiolis nostris; vrbemq; deditam suscipe pacto tuæ protectionis; impunè iubeas recedamus, vrbemque tuam tibi reddemus. Tuere nos ab istis carnificibus qui adhuc te grauiter infestabunt, tuisque nos fac præsentari conspectibus: Obtemperabimus tuis mandatis, si nostris æquè respondeas voluntatibus: liceat nos tibi seruire, liceat nos viuos in tuum imperium vel in tuum caput insurgentes dimicare. Ne nobis imputes, quoniam dum licuit contra te pugnauimus, quod tum lege belli viuebamus: fac nos tibi obnoxios vitâ concessâ; ex inimicis præpara nos tibi deuotos seruos: Si, quod* 50 *absit, post hac nos tibi senties ingratos, ingratitudini nostræ, plexis corporibus, & tandem capitibus amputatis, digna repende. Tantò siquidem erimus tibi fideliores, quantò parturies nos beneficiis tuis obnoxiores. Larga liberalitas Imperatoris parcat victis, debellet superbos.* His Imperator auditis, Christianorum profectui postea rei probauit euentus, occultè inuidens, obsessorumque legationi satisfaciens, satellitibus suis imperauit, quatenus & se, & sua dedentes, Constantinopolim impunitos deducerent, deque ciuitate seruanda curiosi procurarent. Iuxta præceptum Imperatoris omnia facta sunt, & ciuitas reddita est; gensque gentilium ad vrbem Imperatoriam indemnis deducta est: Quam vt dictum est non modò captiuitatis, sed honorificentia liber-

libertatis suscepit Imperator, magnisq; dapsilitatibus educatam honorauit. Hoc autem iccirco fecisse dicitur, quatinus & liberatos sibi affectaret, aliosque ad deditionem inuitaret, eosque contra Christianos tempore opportuno animaret; ac per eos, in quibus clam inuidebat, occasione se præbente, rebellaret. Pauperibus tamen Christianis, multa largitus est donaria, vt taliter quod apud se occultabat, clandestino dissimularet figmento; seq; suaq; commenta, in futurum per competentes reseruaret machinationes. Ciuitate reddita, Christianorum gens ab obsidione secessit. Mortui sunt ibi multi Christiani, alii fame, alii gladio, alii quolibet alio exterminio. Hos autem omnes existimant fœlici laureatos martyrio, quoniam
10 pro fratrũ compassione sua corpora tradiderunt. Gentilium etiam, pro variis bellorum euentibus, pro ingruentibus incursitantium infortuniis, multa trucidata videres corpora, multa passim reperires inhumata cadauera. Per septem hebdomadarum circulum, tresq; dies, ibi Christiani demorati sunt; & capta seu magis reddita Ciuitate, pedem aliàs dirrexerunt. De non publicandis etenim Ciuitatis illius penatibus Imperator mandauerat: Noluissent ibi etiam tot dies expendisse, quoniam rebus suis multi sq; diebus in cassum expensis, vt videbatur, Imperatori totum immolauerant, quòd vel sanguinem suum effuderant, vel quòd quas attulerant facultates in immensum attenuauerant; nec etiam, quę multimodis mortibus adquisierant, spoliis opimis gratulabantur. Pœnitebat igitur eos longæ obsidionis, quan-
20 doquidem non dominati sunt vrbi, more subiugatæ Ciuitatis: nam si saltem publicarentur facultates inimicorum, & paupertas egenorum temperaretur, & absumptæ aliquantulum resarcirentur impensæ. Non igitur æquanimiter *Alexii* mandatum pertulerunt: Et tamen quod tunc nihil proficerent, in tempus siluerunt. Hic primum patuit odiorum seminarium: hic compertum est inimicitiarum fomentum: hic discordiarum ceperunt incentiua pullulare: hîc simultatum simulachra visa sunt succrescere: Nam quoniam *Alexius* non rectè contra eos egerat, ipsi contra eum de vltione cogitabant. Hic igitur primus liber claudatur, vbi prima Ciuitate deuicta, quamuis ea pro voto potiti non fuerint, Christianus aliàs militatum ire disponit Excercitus. Vadant interim Christiani, nosque ad incœ-
30 ptum opus accingamur, cum luce surgentis auroræ.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

QVA in die soluta est obsidio, ad quendam peruentum est *pontem*, vbi sua Excercitus Christianus collocauit tentoria. Fecerunt autem ibi duos dies: Tertia verò die antequam matutinatus Lucifer exalbesceret, iter præproperi arripuerunt: Et quoniam nox erat tenebro-
40 sa, incertam incerti arripuerunt viam. Diuisi ergo ab inuicem duorum consummauerunt iter dierum, *Boamundus* & *Robertus* Normannus Blesiensisque Comes, *Stephanus* & *Tancredus*: nec non *Comes de Sancto Paulo*, & *Walterius de Sancto Valerio*, *Bernardusq; filius eius*, & *Girardus de Gornaio*, & *Wilhelmus* filius Vicecomitis Ranulfi, & *Wilhelmus de Ferreres*, & *Herueus* filius Dodemani, & *Chonaus* filius Comitis Gaufridi, & *Radulfus de Guaer*, & *Alanus* filius eius, & *Rioldus de Loheel*, & *Alanus* Dapifer sacrę Ecclesiæ Dolensis Archiepiscopi, & alii plures erant in vno agmine. In altero *Tolosanus* & *Podiensis* Episcopus, Duxque *Godefridus*, & *Balduinus*, & *Hugo magnus*, & *Flandrensis*, cum copiosis commeantium examinibus. Die altera post secundam, Turci tanquam harena maris, innumeri contra Boamundum conflu-
50 xerunt. Videntes autem Christianos, magna quidem confisi multitudine, intrepidi vnanimiter ipsos impetebant: Animabat enim eos ira, furorq;: Indignabantur etiam, quod eorum possessiones depopularentur alienigenæ: Denique nimis ægrè ferebant, quod *Nicheam* præsumpsissent expugnare. *Boamundus* autem videns innumerabilem inimicorum multitudinem, suis & ore rapido & effero gladio minitantem & insultantem, stetit imperterritus, suisq; satis consultè dixit comitibus: *Fortissimi* CHRISTI *milites, ecce dimicandi tempus est; Metum omnem qui etiam viros effæminat abiicite; & de vobis ipsis defensandis, viriliter procurate; Ictus impugnantium indefessi sustinete; & ex* IESV CHRISTI *confisi adiutorio, manus bellicosas exerite; viresq; auitas ecce, dum tempus est, ostentate. Ne quæso deturpetur propter nostram ne-*

gligētiam Laus Francorū; non vileſcat propter noſtrā ſegnitiē, Sanctum nomē Chriſtianorū. Res in arcto eſt; bellum ex aduerſo eſt; Hoſtis multus in proximo eſt: Nihil tamē præter ſpem ſeu voluntatē veſtrā contigit vobis: Omnia vobis ex voto prouenerūt. Ad hoc patriā egreſſi eſtis; ad hoc veniſtis: Bellum ſemper deſideraſtis. Ecce quod diu optaſtis & oraſtis: Ecce vndiq; nos vallauerūt. Sed, ô genus infractū, ô gens inuictiſſima: ne terreamini: quoniam reuera nobiſcum eſt DEVS. Si quis meticuloſus eſt, ſeu audacem animum, in anguſto poſitus, ſibi mutuet ſeu ſaltē, præ pudore, metum diſſimulet. Nunc armis & animis opus eſt: non eſt tempus ſoccordiæ, nec imperitiæ. Quid moror verbis? Iam nunc ſibi quiſq; loquatur. Iubet deniq; celeriter aptari tētoria: mandatq; ſociis qui ab eo longiuſcule receſſerant, quatinus ad eos iuuandos præponerent. *Inſtat enim nobis,* ait *niſi accelerauerit is, ineuitabile mortis periculū. Non eſt ambigua de Conflictatione fama,* 10 *quam oculis intuemur, quam icti corporibus perſentimus. Age: iam Chriſtiani accurrite & nos & veſtram Remp. defendite. Commune periculum eſt in quo ſumus. Commune diſcrimen eſt in quo laboramus.* Deinde dixit, *Qui pedites eſtis, impigrè & prudenter tentoria figite; qui milites eſtis, obuiam eis mecū procedite, & laborē certaminis indefeſſi ſuſtinete. Pro CHRISTO præliatores aduenimus: in iſto CHRISTI prælio ne deficiamus. Vnusquiſq; ſibi dicat quod in tali negotio faciendū non ignorat.* Interim Turci declamantes aduenerant; & ſeu ſagittando ſeu iaculando, ſeu cominus feriendo, Chriſtianos acerrimè infeſtabāt: nulla fatigatis dabatur requies; ſed omnia Chriſtianorū corpora, vel cruore, vel ſudore liquentia cōſpiceres. *Franci* enim è contra, pondus belli indeſinēter ſufferre; incurſus in hoſtes aliquando prudenter differre; gladiis interdum reſiſtere; ſocios vocatos expectare, nec in 20 aliquo titubare. Hāc conflictuum violentiam, ab hora diei tertia, vſq; in horam nonam pertulerunt Chriſtiani. Illa die fuerunt mulieres bellantibus pernéceſſariæ: quæ & aquam ſitientibus perniciter porrigebant, & pugnantes exhortando cōfortabant. Martis campus incanduerat, nam vtrinq; totis viribus certabatur: Angebātur Chriſtiani, nam plerumque in ipſis caſtris impugnabantur. Alius Excercitus, *Boamundi* Legatis diſcredebat, de belli certitudine ambigens: Nullam ſiquidem gentem ſperabat eſſe, quæ contra Excercitus ſui partem decimam, de bello auderet anhelare. Poſtquam tamen rumor iſte per totum percrebruit Exercitum, & legatis legati ſuperadditi ſunt, *Dux* vt erat miles acerrimus, Comes quoq; *Stephanus* vir prudens & modeſtus, nec nō *Hugo* magnus cum ſuis aduolant commilitonibus: 30 *Balduinus* quoq; atq; Euſtachius frater eius, intrepidi aduolāt cum ſuis commilitonibus: Podienſis Epiſcopus illos ponè ſequebatur, comeſq; Toloſanus *Raimundus*. Mirabantur iam fatiſcentium Chriſtianorū corda, vnde tanta gens, tamq; repentina præter ſpem in eos emerſiſſet. Cooperuerāt enim montes & valles, & ſi qua plana erant denſis turmarum Cuneis omnia frequentabantur. Erant enim *Sarraceni, Angulani, Perſæ,* quorum numerum computauerunt trecenta ſexaginta millia, præter *Arabes,* quorum concurſus fuit indeterminatus. Intereà neceſſarium deſiderabatur & expectabatur adiutorium. Dicebant ergo *ô ſi venerit!* Loquebantur autem mutuò: *ſecretum habeamus quod inhianter opinamur: DEO hodie iuuante, de iſtis nos nunc atrociter infeſtātibus, triumphabimus Hodie de ipſorum opulentiis ditabimur & lætabimur: Sileamus* 40 *interim & duremus.* Taliter ſe cohortabatur; & gladiis exertis & in mortem vibratis, res dumtaxat gerebatur. Et niſi DEVS in caſtris ſuorum tunc affuiſſet, ſubſidiumq; iam defeſſis præparaſſet, ipſa dies totius expeditionis finem peperiſſet. Adſunt repentini quos aduocauerant ſocii. *Podienſis* cum ſuo magno Excercitu, à tergo præoccupauit inimicos: Parte altera, *Comes Sancti Egidij* & *Balduinus,* atq; *Euſtachius* feſtinanter equitabant: à dextera Dux *Godefridus* irruit, & *Hugo* Magnus, & Flandrenſis *Rotbertus,* per omnia miles expeditiſſimus. *Rotbertus* namque Normannus iam cum Bleſienſi *Stephano,* nec non *Tancredo* atq; *Balduino* pugnabat. Gentiles obſtupefacti, quoniam hoſtiliter & à facie, & à tergo inopinè præmebantur, fugæ ſe crediderūt; & terga cedentibus conſenſerunt. Cecidit autem eos vſq; ad internecionem Chri- 50 ſtianorum gladius; & multi, multimodis oppetierunt mortibus. Nam, & ſi qui potuerunt, latibulis delituerunt, cæſa ſunt ibi Barbarorum multa millia, quoniam in eos vehemēter craſſati ſunt, quos tota die immiſericorditer inſectati fuerant. *Wilhelmus Marchiſus,* Tancredi frater ea die oppetiit, & *Gaufridus de Monte Scabioſo,* Viri multum militares, bonæ indolis & Illuſtres. Præter hos multi ceciderunt milites ex Chriſtianis & pedites. Non enim *Turcos* imbelles audemus dicere, qui aſtu nimio præpollentes audaci vigent animo, & irreuerberato confligunt gladio. Mortes etiam eminus inimicis creberrimè infligunt: quia vtuntur arcubus, & multis inſtrumentis bellicis nituntur. Sed tamen multum tunc dedidicerant vſum præliandi,

quoniam

quoniam habuerant diuturnum tempus feriandi. Iactitant tamen se de Francorũ stirpe duxisse Genealogiam, eorumq; proatauos à Christianitate desciſſe. Dicunt etiam nullos naturaliter debere militare niſi ſe & Francos. Si tamen ad Christianitatem redirent, tunc demum de Francorum proſapia exortos ſeſe gloriarentur rectè. Hoc ad præſens ſufficiat: quoniam indubitanter viri ſunt callidi, ingenioſi & bellicoſi; ſed, proh dolor, à DEO alienati. Obfuſcatur igitur ingenuitas illa, quâ ſicuti dicunt oriundi emanauerũt: quia veræ oliuæ, quæ CHRISTVS eſt, neutiquam inſerti ſunt. Factum eſt hoc prælium *Kalendis Iulii.* Christiani CHRISTO ſuo gratias egerunt, qui eos de inimicantium eripuit manibus, eoſque ſuis repleuit conſolationibus. Duxerunt ergo diem illam ſolemnem, DEOque dignam immolauerunt laudem. His ita peſſumdatis, & procul effugatis, ad eorum tentoria diripienda conuerſi ſunt Christiani, quoniam ipſis fugientibus non vtique ibi diu licuit immorari. Inuentum eſt ibi & auri & argenti plurimum: Subiugalia, mulas & equos, boues & camelos, verueces & aſinos & copioſam ſuppellectilem in eorum papilionibus reperierunt; & diuerſis onuſti gazis, cum triumpho & inenarrabili gaudio, redierunt ad ſuos. Facta eſt igitur lætitia magna in Christianorum tentoriis; & celebrem habuerunt diem illam, gratias agentes proſperatori viæ, & vitæ ſuæ, Domino noſtro IESV CHRISTO. Solennis igitur habita eſt victoria, quâ liberati ſunt non manu ſua, ſed virtute Diuina, ex omni anguſtia; & omni affluentia bonorum referti. Nec fama fuit contenta circumſitas vrbes excire, ſed longinquas & exteras nationes cœpit deterrere; & titulum Christianitatis, remotorum populorum auribus infundere, diuulgabantur Christianorum præclara facinora; ſibiq; ſuperuenturã eorum militiã, omnes & ſinguli formidabant. Vnde factũ eſt vt *Solimanus* Senioris Solimani filius de *Nichea* fugiens, inuenerit *Arabum* decem millia. Qui comperto quòd fugeret, dixerunt ei; *Excors & miſer quid fugis?* Quibus Solimanus: *olim,* ait, *putabam, me Francorum poſſe ſuperare & vincere populum, ſed verſa vice ſuperati ſumus; & ea propter vagabundi huc & illuc diffugimus. Vidimus enim, ſeu nos vidiſſe putamus, tam diffuſam eorum multitudinem, vt nullus eorum æſtimare ſufficiat apparatum; Mirari potuiſſetis & obſtupeſcere: quoniam cœli ſyderibus innumerabiliores ſunt. Nos autem adhuc tremuli, vix eorum Legiones euaſimus. Hac de re nimio terrore concuſſi, palpitando vix adhuc reſpiramus. Si ergo nobis creditis, priuſquam vos depræhenderint deliteſcentes, aufugietis. Neq; enim ciuitatula qualibet poterunt obſiſtere: quandoquidẽ Nicheam Metropolim noſtram, præualuerunt expugnare.* Qui cùm audiſſent Solimanum, fugere tentauerunt. Venientes autem ad caſtella vel ciuitates quibus morabantur *Suriani,* qui & ipſi titulo Christianitatis erant inſigniti, ſubdolè ad eos loquebantur & dicebant: *Deuicimus Francos: Ita omnino defecerunt, vt omnino eraſerimus de terra iſta, memoriam eorum; ſi qui ſuperuixerunt in cuniculis abſconditi ſunt.* Sic incautos alloquebantur, & intra portas recipiebantur: Ingreſſi autem, inſciorum municipia, domos eorum & eccleſias deprædabantur; quicquid erat precioſum & concupiſcibile, & filios & filias, auferebant, & ſic eis paſſim illudebant: *Francorum* etenim præoccupabant aduentum; & antequam iſti acceſſiſſent, illi receſſerant. His auditis, Christiani eos inſequentes, iter ſuum moliebantur. Intrauerant autem terram inaquoſam & inhabitabilem, in qua fame & ſiti, defecerunt vſque ad mortem. Si fortè tamen ſegetes immaturas inueniebant, ſpicas vellebant, & fricantes maſticabant, & glutiebant. His tam parcis victualibus, multis deficientibus, alii vtcumque ſuſtentabantur, illic eorum defecerunt ſubiugales equi & aſini; multique glorioſi milites coacti ſunt ire pedites. Et qui potuerunt pro vehiculis adhibuerunt ſibi boues, vel ad ſe vel ad ſua ſubuehenda. Nec multò poſt vberrimam ingreſſi ſunt terram, victualibus & bonis omnibus refertam: Excepto quod equinas nequaquam ſibi potuerunt reparare vecturas. Ventum eſt autem ad *Ichonium*; habitatorum verò terræ illius perſuaſione, quoniam colonia illa penuriam aquarum patitur, repleuerunt vtres ſuos ad refocillandum: poſt hæc itinere diei confecto venerunt ad quendam *fluuium*, vbi duos dies hoſpitati recreati ſunt. Curſitores, qui ſemper exercitum præcurrebant, ſeu vt exercitui præuiderent; ſeu vt paleas vel alia neceſſaria diriperent; præcurrerunt ad *Erachiam*, in qua ciuitate multus erat *Turcorum* conuentus, ſi qua poſſent obeſſe Christianis expectans. Collocauerant nociuas igitur, ſi potuiſſent, curſitantibus inſidias: Quos inuentos audacter aggreſſi ſunt Franci, & fugatos indifficulter diſperſerunt.

Ciuitas ergo *Erachia*, Turcis abiectis, confestim in dominationem Christianorum redacta est: ibiq; quatuor confecerunt dies. Ibi se disgregauerunt *Tancredus* ab aliis, vir equidem singularis strenuitatis; & *Balduinus* frater Ducis Gotefridi, vir nequaquam Tancredo probitate dissimilis: & cum suis expeditionibus *vallem* intrauerunt de *Botrentot*. Tancredus autẽ iterum à Balduino separatus, *Tharsum* venit cum suis militibus. *Turci* verò de ciuitate progressi, obuiauerunt eis ad resistendum præparati. Quos *Tancredus* hostiliter aggressos, viriliter cecidit; eosq; fugientes in ipsam præliando refugauit ciuitatem. Tancredus autem, vir æquè per omnia imperterritus, laxis habenis castra metatus est propè mœnia ciuitatis. Nec mora *Balduinus* affuit, postulans vt se ad capiendam amicabiliter sociaret ciuitatem: Quod Tancredus omnino prohibebat. Nocte insecuta Turci, exeuntes ciuitatem: inierunt fugam. Habitatores autem ciuitatis illius sub ipso noctis articulo, post Turcos ciuitatem egressi, alta voce clamabant: *Franci triumphatores orbis & dominatores, Turci recesserunt, vrbs patet, accedite. Currite Franci inuictissimi, recepturi ciuitatem; Currite, ne moremini. cur tardatis?* Hæc castrorum excubitores audiebãt illos, nec clam nec submissè, vociferantes: Sed quoniam nox erat, & consilium & negotium illud in diem dilatum est. Aurora illucescente, venerunt ciuitatis Maiores, seque suaque Christianis dedentes. Volentes igitur, quas audiebant litigãtium compescere simultates, Non inconsultè responderunt: *Optimates incliti, ab his in præsentiarum absistite controuersiis. Nos volumus & oramus, pacifici veniatis: Sin autem, Tancredus ille nobis dominetur, qui heri tam gloriosè, nobis admirantibus contra Turcos dimicauit.* Noluit Balduinus acquiescere, sed volebat vel eam sibi dimidiari, vel saltem eam totam communiter diripiendo publicare. *Absit*, inquit *Tancredus, vt fratrum nostrorum facultates direptas nobis peculiemur. Ipsi me rogant, ipsi me desiderant, ipsi vitam suam mihi committunt; & ego lupo rapaci assimilis prædam mihi commissam deuorabo? Absit hoc* inquã *à me*. Suriani enim, qui ciuitates illas incolebant, Christiani erant, sed eis Turci principabantur. *Balduinus* nolebat Tancredi sermonibus adquiescere, sed in suam anhelans sententiam, in vrbis publicationem deliberabat pronis pedibus currere. Totus erat vel in penatum depopulatione, vel nitebatur ciuitatem dimidiam vindicare. Nec voluit nec potuit Tancredus, refraganti Balduino diutiùs obluctari, quoniam copiæ maiores illius exercitus erant; datoque signo suis, lituisque clangentibus, aliquantulum amaricatus abscessit. Temperauit tamen, prout erat moderatus iræ suæ; & neutiquam intendebat iter in Ierusalem, pro iniuriis etiam sibi illatis, perturbare. Ita Balduinus Tarsum totam solus obtinuit. Tancredo autem, nec morâ, redditæ sunt duæ Ciuitates optimæ, *Azera*, & *Mamistra*, & Castella plurima. Optimates alii cum suis exercitibus *Armeniorum terram* intrauerant. Inuenerunt autem ibi municipium munitissimum; & quoniam noluerunt ibi diutius demorari, illo illæso prætereito, abierunt: Nec enim pro vno castello, totum exercitum fatigare commodum ducebant. Erat non longè quædam ciuitas *Alsia*, quæ venientibus confestim est reddita. Quidam autem vir ex militari cingulo nomine *Simeon*, terræ illius indigena, ad defensandam terram, vrbem illam petiit, & accepit: Qui cum quibus potuit ibi remansit. Porrò maior exercitus pertransiuit: venerunt quoque ad *Cæsaream* Cappadociæ, quæ ad solum vsque diruta erat: ruinæ tamen vtcunque subsistentes, quanta fuerit illa Cæsarea testabantur. Inde digressi, pedem direxerunt ad aliam ciuitatem pulchram & vberæ glebæ opimam *Plastentiam*, quam Turci paulo antè tribus obsederant hebdomadibus; quæ quoniam erat inexpugnabilis, à Turcis nullatenus potuit expugnari. Hæc igitur illico non ingratanter Christianis patuit. Hanc quidam *Petrus de Alsia*, petitam ab Optimatibus, indifficulter obtinuit, ad tuendam & expugnandam terram, *in fidelitate Sancti Sepulcri & Christianitatis*. Auditum est in illa expeditione, quòd Turci qui ciuitatem obsederant, haud longè præirent exercitum, si qua possent eis nocituri. *Boamundus* autem; negotiorum militarium vir industrius, de suis quos voluit accitis militibus, eos curiosè insecutus est, sicubi fortè posset eos inuenire & lædere. Nihil tamen profecit, quoniam eos inuenire non potuit. Ventum est deinceps ad *Coxon*, nobilem & copiosam ciuitatem, quam alumni loci illius cum fratribus suis Christianis libenter reddiderunt. Ibi tribus diebus, fatigatus pausauit exercitus. Relatum est *Comiti Tholosano*, quòd Turci qui fuerant in *Antiochia* custodia; discedentes aufugissent. Igitur cum suis consiliatus, elegit quos præmitteret, qui rem diligenter inuestigarent, & cætera curiosi explorarent;

Ad

Ad hoc directi sunt consulares viri disciplinæ militaris non ignari, *Vicecomes de Castellone, Willelmus de Monte Pislerio, Petrus de Roasa, Petrus Raimundi*, cum militibus multis. Venerunt autem in vallem *Antiochiæ*, & ibi rem aliter audierunt: audierunt enim quod se *Turci* copiosè præparassent, ad ciuitatem defendendam. *Petrus* autem de Roasa declinans ab aliis, introiuit vallem de *Rugia*. Inuentisque Turcis quàm plurimis, eos grauiter cecidit, superauit, fugauit. *Armenii* illi auditis Christianorum secundis successibus, Paganorumque frequentibus infortuniis, reddiderunt Petro *Rusam* ciuitatem, & quædam castella. Illis autem sic prosperè; at non æquè maiori prouenit exercitui. Iter etenim aggressi, gradiebantur rependo per monta-10 na, nimis aspera & scopulosa, per quæ nec eorum phalanges poterant, sicut heri & nudius tertius, seriatim procedere; nec eorum clitellariis dabatur saltem repere posse, sed miserrimè hi & illi prægrauabantur: neque siquidem illis in angusto positis, aliud erat aliunde diuerticulum. Collidebantur ergo & conquassabantur laborantes, & deficientes per viam inuiam: Qui præ nimiâ tristitia, strictim complosis manibus & stridentes dentibus ingemiscebant; labebantur equi in immane præcipitium, & trames artissimus pepererat omnibus dehiscens offendiculum, multi vel equis, vel clitellariis cum rebus superpositis illicò amissis, pauperati sunt. Alii pro vili prætiolo venditabant, vel ancilia vel loricas, vel galeas; alii procul à se iactitabant: quippe ibi nullus, etiam inermis, esse po-20 terat exoccupatus. Vnica eis erat nec sine formidine cura, de suis conducendis corporibus. Postquam illas calamitosas vix euaserunt angustias, ad quandam diuerterunt ciuitatem, quæ vocatur *Marasin*. Conuenæ autem ciuitatis illius copiosum illis detulerunt mercatum: Ibi autem aliquantisper demorati, donec quantumlibet recrearentur, dominum sustinebant *Boamundum*, qui & ipse, vt dictum est, vt Turcos insequeretur, nuper ab eis abscesserat. Posthæc ingressi sunt vallem illam inclitam, vallem spatiosam & vberem, in qua Regia & famosa ciuitas *Antiochia* sita est, quæ totius *Syriæ* metropolis & princeps est, in qua primicerius Apostolorum *Petrus*, Cathedram decorauit Pontificalem. Nunc occulto DEI iudicio, sed non iniusto, plurimis in ea dirutis Ecclesiis, quibusdam 30 vsibus humanis irreuerenter applicatis, Turcanis fœditatibus proh dolor, mancipabatur. Cursitores autem, qui subsequentem exercitum præcurrere solebant, *Pontem ferreum* propinquantes, Turcos inuenerunt innumeros, munitum Antiochiam testinantes: Itaque repentino impetu in eos facto, semper enim Christiani proficiscebantur armati, subito conflictu eos consternauerunt. Multis itaque deletis, eorum *burdones*, quos multimodis onustos victualibus & diuersis gazis ad ciuitatem adducebant, ad propria reduxerunt castra, quæ super fluminis ripam metati fuerant. Factum est igitur immensum gaudium in castris, tum pro victoria, tum propter optima, quæ ad eos reportauerant, cursitores spolia: nec cessabant DEO gratias agere, ne ingrati viderentur, cuius ope fatebantur tam fœlices suc-40 cessus eis contingere. Dicebant ergo: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* (Psal. 115.) Quotidianas ergo & continuas DEO reddebant laudes; & omnium agendorum suorum, deuotis precibus & summissis cordibus eum implorabant protectorem. *Boamundus*, pigritiæ vel somnolentiæ nunquam adquiescens (irrequietus enim homo erat) cum quatuor milibus militum, cautè prope portam Antiochiæ, clandestinus venit, si qui fortè latenter ingrederentur vel egrederentur expectans. Summo verò diluculo exercitus de loco in quo erant, tentoria collegit, iter arripuit, Antiochiam accessit; & *quarta feria, duodecima Kalend. Nouembris.* Tentoria sua coaptauit, & à tribus portis ciuitatem viriliter obsedit. Parte namque alia nequaquam fuit obsessa, quoniam tam porrectis & inaccessis coangustabatur scopulis & 50 montanis, vt nullus illac se accõmodaret obsidendi locus. Tantus autem timor inuasit Antiochenos, & omnes in circuitu positos, vt nullus eorum, cursitorum auderet expectare occursum. Siluerunt itaque fermè diebus quindecim. Terra verò quæ circa Antiochiam adiacebat, prout vallis est fertilis, erat vberrima, vineis referta, fructibus & frugibus iocunda, arboribus nemorosa, ortis opima, pascuis opulenta. Erant autem in ciuitate *Armenii* multi & *Suriani*: ipsi equidem Christiani, sed Turcis multum obnoxii: Ipsi fugam simulantes, audacter exibant in castra, mendicantes & stipem publicam postulantes. Hi, quoniam mulieres eorum erant intra ciuitatem, ad familiares redibant lares; & exploratores maligni, quæcunque in castris audiebant Turcis fideliter insinuabant: Quod non mediocri-

ter obfuisse dicunt Christianis; *Nihil enim magis nocet bellantibus, quàm inimicorum re-scire secreta; & contra præparata, obuiantia præparare machinamenta; & inimicorum exinanire vel præuenire consilia.* Vbi Antiochenis, castrensium patefacta sunt consilia, cœperunt paulatim forinsecus intrepidi prodire, & peregrinos homines aggressos coangustare. Aggrediebantur siquidem & trucidabant, si præualerent, incautos; Et patratis latrociniis, vel in ciuitatem redibant, vel indemnes ad tutiora secedebant loca. Sic circumcirca omnes obsidebant vias, vt & à mari & à montanis omnia clauderentur Christianis. Sicque factum est vt iam peius qui foris erant obsiderentur, quàm qui intrinsecus latitabant. Erat ibi non longè castellum satis munitum nomine *Areth*, vbi morabantur qui in Christianos frequenter irruebant. Quo Optimates comperto, de incursitatione hostili vehementer condoluerunt: quoniã in gentem sanctam ausi sunt, nefarii, cruentos euaginare gladios. Iam enim indigenarum insidiis, multi occubuerunt. Miserunt ergo, qui Turcis obuiarent, & eos dum ipsimet refugerent, allicerent. *Boamundus* namque, totus militiæ deditus, in insidiis delituit: Christiani verò videntes Turcos sese acerrimè insequentes, fugamque fingentes, prout erant edocti, confestim terga dederunt; & quo Boamundus reconditus erat, scienter declinauerunt. Occisi sunt tamen in illo conflictu vel potius fuga, duo milites Christiani. Porrò Boamundus præliator fortissimus, de loco in quo diuerterant cõcitus surrexit; Turcosque aggressos multos peremit, & quosdam viuos retinuit, quos ante portam ciuitatis solenniter in spectaculum decollari præcepit. Hoc ideo fecisse dicitur, vt qui erant in ciuitate, pro mulctatis contribulibus suis, terrerentur, si fortè ab insectatione Francorum taliter auocarentur. Sæpè namque pro pœnis aliis illatis, alii exanimantur. Qui tamen erant in ciuitate, magis efferati, plerumque turres editiores ascendebant; à propugnaculis Christianos sagittabant, & quibuscunque modis poterant eos procul ab vrbe repellebant. Sagittæ namque eorum coram Boamundi tentoriis aduolabant: ibi siquidem ictu sagittæ percussa mulier occubuit: quia propè ciuitatem castra sua Christiani locauerant. Consilio iterum Castrenses accepto, super verticem montis qui vocatur *Maregard*, qui Boamundi tẽtoriis imminebat, Castellum ædificauerunt, quò à Turcorum incursionibus castra tutarentur: quod per dierum successiones, Heroum vnus, quisque in ordine vicis suæ, custodiebant. Interim attenuata sunt victualia: quia neque cursitare audebant, neque mercatum habebant: quod enim in valle repperierant, dum de crastino non prospectauerunt, affluenter consumpserant. In castris tamen eorum parum quid erat residuum, quod quotidie absumptum minuebatur. Itaque cibaria omnino erant percara. Et iam instabat *Dominici Natalis* solennitas. Loquuti sunt ad inuicem Proceres illi, consilium quo gentes alerentur accepturi. Affectú quippe paterno maiores minoribus patrocinabantur. Iam verò fames inhorrescebat, quoniam pabula omnia de die in diem deficiebant. Dixerunt ergo: *pars nostrûm procul frumentatum & prædatum excedat pars deprædantes, succenturiata custodiat; pars in castris remaneat: & nihil relinquamus intentatum. Milites CHRISTI, nunquam tepescamus otiosi. Quid etiam moramur? Iam iam gens Christiana, magna ex parte periclitatur.* Boamundus itaque primus adiecit: *Si vobis sanum videtur, Optimates & Domini, ego & Flandrensis Comes foras exibimus, & si quid DEVS præstiterit, vos videbitis: interim pro castris excubate, & nihil negligenter agite.* Collaudatum est consilium, & solutum est concilium. Celebrata igitur diligenter *CHRISTI Natiuitate*, *Flandrensis* & *Boamundus* armati, non sine remanentium lachrymis processerunt, & cum eis militum ac peditum plusquam viginti millia, & perniciter dispersi sunt per Sarracenorum colonias. *Sarraceni* autem & *Arabes* & *Turci*, ab Ierusalem & Damasco, & ab aliis regionum multarum municipiis, congregati erant, gentes ingentes, quatinus *Antiochiæ* subuenirent. Audientes autem Christianos per regionem suam dispersos, admodum gauisi sunt, sperantes se illis pro certo præualituros, vtpotè quos opinabantur paucos & aduentitios. Intempesta igitur nocte, duas acies ordinauerunt in insidiis, vnam à facie, alteram à tergo: quatinus facto diluculo, vbi eos aggrederentur in neutram Christiani partem effugerent, imò illis ab vtroque incumberent latere. Comes autem *Flandrensis* vir armipotens & *Boamundus*, in eos vnanimiter irruerunt, & inuocato nomine IESV, & euecto quod semper præferebant sanctæ Crucis signo, constantissimè præliati sunt, & inimicos suos grauiter afflixerunt. Mortui sunt ergo multi ex illis; sed de spoliis eorum parum ditati sunt Christiani: Non enim

enim otium habuerunt vel eos persequendi, vel spoliandi. Interea Turci qui stabant in præsidio ciuitatis, audientes Boamundum abscessisse, audaciùs exibant de ciuitate, & iam in ipsis discurrebant castris. Explorauerunt igitur, quà tentoria languidiora reperirentur. Quadam ergo die, irruerunt vnanimiter in castris; & cominus vnanimiter impegerunt Christianos: Necdum enim suos audierant superatos. Die ergo illa multi ex Christianis perempti sunt, quoniam *Ismahelitæ* illi vehementer in castris perstiterunt. Ea die *Podiensis* suum amisit signiferum, qui eius deferebat vexillum: & nisi luteæ interessent salebræ quæ ciuitatem à castris dirimebant, & Ideo transitus vel nullus erat vel difficilis, laxis habenis frequenter 10 ipsa protererent tentoria, & debaccharentur in Christianorum gentem, quæ iam aliquantulum marcuerat. *Boamundus* de Saracenorum Regionibus regrediens, bello peracto, sed modico, quod deprædaretur inuento, alia conscendit montana, si forte quidlibet aliâs inueniret, quod deprædatum vel suis Comitibus, vel expectantibus se proficeret. Sed in tantam iam terra redacta erat vastitatem, vt multi vacui remeauerint. Incassum ergo laborauerant, nisi quod de Turcis solenniter triumphauerant. Sed *nulla victoria famem extinguit*, vbi totum quod mandi debeat deficit. *Parum durat lætitia, quam panis egestas contristat.* Reuersi sunt autem ad castra, quæ perhorrescens inedia sauciabat. *Armenii* & *Suriani*, homines terræ illius indigenæ, & lucris inexplebiliter inhiantes, videntes Christianos rediisse 20 vacuos, ad opportuna & remotiora discurrebant loca, quę reperiebant, coëmentes cibaria, in castra deferebant; & multo pretio quod vili comparauerant, venditabãt. Aselli quidem onus octo vendebant purpuratos, qui appretiati, denariorum centum viginti solidos valebant. Ergo morbi lues contaminabat castra; & passim quibus facultas comparandi deerat, fame calamitosa moriebantur. Qui tamen ditiores erant, multa indigentibus & hostiatim postulantibus conferebant donaria: Sed tamen non poterant multis diebus sustentare tot millia. Cogitauerunt igitur aliqui castra subterfugere. Consiliati sunt ergo *Wilhelmus Carpentarius & Petrus Heremita* quatinus latenter fugerent: & fugerunt; quos inuentos *Tancredus* apprehendit, & inhonestè conuiciatos & coactos ad hostem redire compulit. Iuramentum 30 enim & fidem ab eis extorsit, vt redirent, & fratribus satisfacerent: Wilhelmus ad Boamundi tentoria deductus est: Quem probrosis *Boamundus* cohercuit verbis & condignis castigauit angariis. Dicebat ergo: *Quid, ô dedecus & totius improperium Franciæ, facere præsumpsisti? cur eneruare voluisti tuorum corda confratrum, vt exemplo tuo hostem DEI, non redituri dimitterent? An tu solus tutum tibi arripuisti pauorem, vt tu nobis dimissus sanus effugeres? Omnium miserrime, decuerat te in Castris DEI permanere, & pro fratribus gloriosam animam ponere. Nunc igitur, omnibus diebus vitæ tuæ super terram eris ignominiosus.* Interim ad Boamundum accesserunt *Franci*, & pro Wilhelmo quem tenebat rogauerũt, qui eis quantocius adquieuit: ne tamen de cætero discederet, ipsis collaudantibus, Wilhelmus iurauit. Tunc etiã in tantum Christianorũ 40 defecerunt equi, vt vix in toto & tanto exercitu mille milites inuenirentur qui Caballis vterentur: homines namque & equi pari laborabant incommodo: nec erat vlla spes euadendi, nisi DEVS eis, suspirantibus & clamitantibus, propitiaretur. Ad Dominum enim eorum fugiebant corda & ora: & quia terreno desperauerant adiutorio, in DEO totam spem suam collocauerant. *Taliter autem DEVS redarguebat eos misericorditer, vt ad eum toto corde conuerterentur; & si quid in eis inpenitudinis latitabat, igne compunctionis & infortunio superuenientis necessitatis excocti, purgarentur.* Fames augebatur indies, & omnes timore perterriti tabescebant: Accedebat ad metum exagerandum fama, præsaga mali & rumorum augmentatrix, quæ Turcos prænunciabat superuenturos. Quidam igitur *Constantinopolitanus* natione Græcus, nomine *Ta-* 50 *tingus*, ab Imperatoris latere venerat, qui satellitibus quos Imperator in exercitum legauerat principando præerat. Hic metu mortis plus aliis renes dissolutus, ad Optimates venit; & quod enormiter verebatur dissimulans, ad eos sic exorsus est. *Video vos, egregii Proceres; summa in anxietate positos, & omnibus angustiis circumuentos: omnia victualia consumpta sunt, equi mortui sunt, Castra obsessa sunt: Grauiùs nos obsidemur qui obsidemus, quàm illi quos obsedimus: ipsi equitant, ipsi cursitant, ipsi grauiter nos impugnant: nos vndique circumuallamur, vt nullatenus egredi audeamus: Nullum adiutorem expectamus: Omne mercatum nobis inhibetur. Ista diu tolerare nihil est aliud quàm per singula momenta deficere. Misereor liberalitatis vestræ, Patres conscripti, qui ab extremis terræ Regionibus aduenistis in his exteris nationibus morituri, nisi vel mihi credideritis.*

vel melius consilium acceperitis. Cuius pectus ferreum non moueat tot Christianorum defectus? Mihi credite, Patres conscripti, non ignota loquor: in terra mihi non incognita sum: Satis mihi possem consulere, si cogitarem vos deserere. Sed deleatur anima mea de libro viuentium, si vestræ sanctitudini vnquam me subtraho; nisi necessitatibus vestris semper communicabo: sed interim tædet animam meam miseriarum vestrarum, & nisi vobis potero subuenire, totus moriar in amaritudine. Accipite igitur meum dum bene dixero consilium. Nolo viuus, vt prælibatum est, ab hoste recedere, nisi contubernalibus nostris melius excogitassem prodesse. Ego domesticus sum, vt nostis, Imperatori: Ego percognitus sum omni Græcæ nationi. Ascendit igitur cor meum cogitatio, quam, licet mihi molestum & laboriosum sit, quod cogito, vobis insinuo. Paratus sum & ad portus & ad Imperatorem euolare; & vbi vbi decretum Imperiale dirigere, vt omnes ad adiutorium vestrum festinanter conueniant; farinam & vinum, carnem & caseum abundanter deuehant; & quicquid victualium habent fideles Imperatoris, vobis largiter suppeditent. Equos etiam elaborabo, vita comite, plurimos adducere. Ne autem de me diffidatis, in veritate loquar: quicquid vltroneus offero, fideliter exequar. Papiliones autem & Comites meos, mox rediturus, hic dimitto, & sic me omnia bona fide prosecuturum super hæc sacrosancta iuro. Sic iurauit, & abiit. Credidit enim ei multitudo, & de reditu accelerando omnis populus eum obnixius obtestabantur. Abiit autem, sed malè periurus nunquam rediit. Tali enim occasione consuluit miserrimæ vitæ suæ. Gens interim pauperata furtim discedebat, vadens quò viuere se putabat. Ad mare nullus audebat procedere: quoniam viæ & auia seruabantur. In portu autem naues adnauerant, quæ illis possent prodesse; si accessus ad eas patefieret. Ecce iterum fama recens percrebuit, Turcos innumeros aduentare; & ingruentiam mortis confestim omnibus imminere. Tot enim erant, quod vix multorũ stadiorum sufficeret eis quaqua versum porrecta capacitas. Ecce iterum nouus timor: ecce de repentè timebant, ac si nullatenus ea vsq; timuissent: excordes & exangues facti pallebant; & multi eorum colla marcida circulabant. Nobilitas tamen de bello disputare causa est. Confluxerant omnes de quibus supra meminimus Optimates: Omnes se inuicem de bello cohortabantur: quoniam inter eos nec aliquis tepidus, nec aliquis pusillanimus inueniebatur. *Boamundus* tamen suum depromens consilium adiecit: *Video vos, DEO gratias, omnes vnanimes, nec aliquis hac in re dissentit ab aliquo. superfluum ergo reor, tot Optimates, tot viros prudentes ducere per ambages, quos iam video in eadẽ voluntate complices. Omnes quidem anhelatis ad pugnam: omnes id ad communem profuturum creditis salutem. Ego verò, id ipsum collaudo: ego id ipsum vementer efflagito. Nam rogo, ne sicut segnes moriamur vel imbelles: non simus improperium, vel omnium Infamia Christianorum: Si mori contigerit, gloriosè saltem moriamur in bello. Tantum est si moriamur inglorii, ac si comparemur iumentis insipientibus, brutis assimiles pecudibus. Nam quo ad populum DEI qui se nobis commisit, multum mori conspicabimur. Quid differt Dominus à seruo, nobilis à plebeio, diues à paupere, miles à pedite, nisi nostrum qui præsidemus eis prosit consilium, & patrocinetur auxilium? si Turci mihi dominabuntur impunè, nolo amplius viuere. Vos, domini Consulares & Illustres viri, lux & flos victoriosæ Franciæ, decus & speculum pugnatricis militiæ, pro vobis ipsis decertate: & pro fratribus vestris animas ponite. Inuocemus nomen Domini IESV: &, vel spoliis lætabimur opimis; vel morte moriemur insigni: quando saltem de animarum nostrarum securi, non moriemur sicut mori solent ignaui. Denique non sumus tot nec tanti, qui duo valeamus bella sustinere. Sed, ô milites, omnes egrediamur castra: sic enim mihi videtur pulchrum & vtile; & intrepidi procedamus iis obuiam: vos autem omnes in castris remanete pedites, castris munimentum; Eis qui in ciuitate, sunt obstaculum. Omnes insomnes pernoctate; vel vicarii, alii aliis succedite: vobismetipsis fulcite vos & vnusquisque vestrum pugnate pro vobis, imò alius alium defendite: Præcipuè portas ciuitatis, quæ coram vobis sunt, diligenter obseruate, ne illis reseratis possint in vos liberè discurrere. Amodo sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* His dictis armati, & *Communione sancta* præmuniti, processerunt è castris, non sine grauibus vtriusque cateruæ lamentis: Neuter de se confidebat, nec Sacerdos, nec mulier: nec populus, nec miles: nec isti, nec illi sperabant se de cætero, posse frui aspectu mutuo. Hi & illi proruebant in carorũ oscula, & omnes in lachrimas ciebãtur. Milites hospitati sunt inter fluuium, qui in antiquo vocabulo, *Daphnes* nuncupatus est, qui præterfluit *Antiochiam*, & lacum: audierant siquidẽ Turcos in castello *Areth* conuenisse, vltra *Pontem Ferreum*. Optimates antelucani conuenerũt: nec enim in tãto discrimine coarctati somnum capere potuerant: Et aurora prima illucescente, gnaros præmiserunt exploratores, qui eis de Turcis renuntiarent. Nec morà viderunt eos ex altera ripa fluminis accelerantes. Fecerant autem duas copiosas acies: Pone verò sequebatur maxima virtus illorum. Reuersi sunt ergo celeri-

leriter speculatores, acclamantes: *quid opus est verbis? Ecce eos: ne moremini, propè enim sunt.* Locuti sunt optimates de bello ordinando, & negotium illud commiserunt Boamundo. *Eia,* inquit Boamundus, *singuli vos conuocate, & signo dato vnusquisque vestra cum acie militate; vbi autem opus fuerit lanceis & gladiis, rem peragite; & actuum, & ictuum paternorum ne obliuiscamini.* Ordinatæ sunt itaque sex acies: Quinque ex illis præcesserunt quæ belli pondus sustinerent, & inimicum agmen efficaciter feriendo propellerent: *Boamundus* postremus cum acie sua paulatim gradiebatur, omnibus prouisurus, & subuenturus; & si Turci prioribus præualerent, totam belli ingruentiam excepturus. Litui clangebant, buccinæ reboabant, vtriusque multitudinis clamor audiebatur: & iam clipeo clipeus, iam vmbone vmbo repellebatur; hastis confractis, enses mutilabantur; & comminus vtræque instabant legiones. Superuenêre Turcorum succenturiæ, qui grauiter Christianos cœperunt impellere. Nequibant *Franci* tantum impetum, tot examinatarum nationum, sustinere; sed titubantes cogebantur cedere. Tantus enim erat & clamor & strepitus, & telorum imber, vt ipsum etiam obnubilarent aërem. Ingemuit *Boamundus,* qui vndique prospiciebat eis, tanquam totus oculatus, & ait: *CHRISTE tuos sustenta Christianos.* & adiecit, *Roberte;* Robertus siquidem, Girardi filius, suum detulerat vexillum: *rapidum calcaribus vrge cornipedem; & Christianis titillantibus, imperterritus esto iuuamen. Memor esto, obsecro, Parentum nostrorum, & ne liuidaueris in aliquo, rutilantem titulum Francorum. Scito nobis illico de cœlo auxilium futurum: Sed vult DEVS vt nos, tamquam fortes athletæ, promereamur & adipiscamur brauium:* Robertus, Sanctæ Crucis signo munitus, & auxiliaribus constipatus manipulis, præproperus affuit; Turcisque cruentis, miles audacissimus obstitit. In tantum enim perfidos aggressus est illos, vt vexilli Boamundi lingulas, in ora Turcorum volitare faceret, altoque clamore suo Turcos aliquantulum deterreret. Ad illius primipilaris impetum & clamorem, Franci animo resumpto, in Turcos irruerũt vnanimiter; & pugionibus vibratis instabant efferaciùs in instantes: fragor armorum multus erat, & ab æreis cassidibus, ignis elucubratus scintillabat: vulnera vulneribus illidebantur; & campi nimio sanguine purpurabantur. Intestina videres dependentia: videres & cæsa capita, & trunca corpora passim oppetentia. Exterriti sunt autem Turci præ timore nimio; & repentè, cuneis eorum labantibus, fugæ se commiserunt. Persecuti sunt ergo Christiani vltra *Pontem Ferreum*, sternendo, proterendo, mactando. Cæsi sunt ibi Turcorum multi milites: quoniam prælium illud non habuerat pedites. *Christiani* autem magno potiti tropheo, reuersi sunt ad suos, secum adducentes equos multos, quibus singulariter indigebant; & spolia multa quæ sibi ipsi pepererant manu sua in prælio: factum est igitur gaudium magnum in castris, DEOque dignas omnes edidere gratias. *Turci* verò ad castellum suum *Areth,* satis inglorii regressi sunt, animo contrito vultuque dimisso: Quod omnino despoliantes, succenderunt & aufugerunt. Quod *Armenii* videntes & *Suriani,* arta præoccupauere loca; Turcisque fugitantibus magnum interuenere nocumentum: multos enim peremerunt, quosdam etiam viuos reduxerũt; Castellum etiam prædictum, Christianis subiugatum reddiderunt. Franci quoque in castris centum capita peremptorum attulerunt, ad consolationem suorum & ad defectionem obsessorum; quæ etiam legatis *Admirabilis Babilonii* præsentauerunt, qui tunc fortè à Babilonia ad eos missi, iuxta eos suis morabantur in tentoriis. Illi autem qui remanserant in castris, in *Antiochenos* tota die pugnauerant: vtpote qui tres portas ciuitatis, ne foras erumperent indesinenter seruauernnt. Prælium hoc factum est *Idus Februarii, feriâ tertiâ,* quæ caput ieiunii quadragesimalis præcedebat. Qui verò ciuitatẽ munierant, magis in irã efferati, Christianos ardentiùs impetebant; & ab incursitationibus in eos nullatenus absistebant. Et quamuis in præliis hucusque semper superati fuerint: alii mortui, alii vulnerati, alii capti, residui omnes fugati defecerint: tamẽ tãta erat in ciuitate multitudo, vt incessanter ipsa castra perturbarẽt; frequẽter insilirent, & frequẽtiùs eos quibuslibet mortibus funestarent. Christiani præter hæc magnis affligebantur incommodis: quia nec obsidionẽ deserere, nec procul à castris audebant procedere. Regiones autẽ circumsitę in tantã redactæ erant solitudinẽ, vt nullã eis suppeditarent pabulorũ subministrationẽ. Turci nimirum; quibus locorũ oportunitates erãt percognitæ, & frumentatũ cursitabant, & Christianis attentiùs insidiabãtur. Porrò quæcunque ciuitates, quæcunque castella, quęcunque municipia, quilibet homo, quęlibet mulier; omnes qui vel propè vel procul erãt, Christianis inimicabãtur: Omnis locus obstructus erat, ne fortè negotiatores ad eos accederent. Itaque perhorrẽda pe-

riclitabantur eduliorum inopia. Nobilitas igitur, vt plebi consulerent, misericorditer anxiabantur. Dixerunt ergo: *Videtis quod nihil proficimus. Ciuitas hæc inexpugnabilis est: Nos non possumus eam saltem circumuallare. Ipsa intrinsecus, cibariorum vbertate redundat. Nos forinsecus calamitosa fame periclitamur. Penè plures sunt qui latitant intus, quàm nos qui sumus exterius. Tamen si de prælio loquerentur, illud gratanter audiremus. Ecce ipsa mœnia, etiamsi dormierint, ipsos defendunt. Nobis videntibus, vbique discurrunt. Denique quid mali patiuntur? imò nos patimur, qui tam grauiter coartamur; faciamus igitur vnum quid, nobis omnibus profuturum, illis præcipuè, vt videtur, obfuturum. Cernitis Machomariam illam, ante portam ciuitatis ædificatam? Illic pons est, eorum commeatibus sufficienter opportunus. Ibi ergo castrum erigamus, quo munito, iis faciliùs resistere valebimus, & genti nostræ subuenire: quippe postquam inimici nostri & pontem & transitum amiserint, nos autem & liberiùs & securiùs discurremus, vel etiam in castris tutiores pernoctabimus.* Bonus igitur visus est sermo iste in oculis eorum. Ad quos Tholosanus; *Faciamus* ait. *sicut dicitis castellum: & ego munitum illud custodiam.* Boamundus etiam subiunxit: *Si consilium meum acceptabile vobis, patres conscripti, videbitur, eamus ad Sancti Symeonis portum: nam & ego vadam vobiscum, & adducam illam, quæ illic nos expectat quantulamcunque gentem: quæ fideliter nobis subueniat, atque efficaciter hoc opus prædestinatum perficiat. Illic & multæ sunt naues, & multi nostri sunt Comites: sed accersiti non audent accedere, quia loca omnia impio plena sunt crassatore. Nos autem militemus, semper securi de bello; & cauti & prouidissimus nostris quos adduxerimus in adiutorio: qui verò remanebunt ad sarcinas, & de castris tutandis non negligenter procurent, & operi denotato indeficienter insistant. Nihil segniter aggrediendũ est. Sed hoc & illud grauiter tentandum est.* Comes S. Ægidii Boamundo adiunctus est: & *ad portum S. Symeonis* acceleratum est. Qui verò in castris remãserunt, accincti gladiis, ad castellum inchoandum vnanimiter se præparauerunt. *Turci* nec minus expediti, nec numero nec armis impares, intrepidè *Francis* obuiauerunt. In tantum igitur imperterriti Christianos aggressi sunt, quatinus eos in fugam compulerint, multosque peremerint. Facta est ergo tristitia magna in castris: Doluerunt itaq; in tentoriis, & die illa siluerunt. Turci denique comperto quod *Tholosanus* & *Boamundus* ad portum abscessissent, insidiis clandestinis competenter collocatis, qualiter Christianis nocere potuissent machinati sunt. Ecce à portu redibãt Christiani, secum adducentes gentem nec satis armatam, nec multum pugnacem: quos *Sarraceni* vndique circumseptos & circumuentos, immaniter aggressi sunt, & omnimoda telorum ingruẽtiâ impugnare moliti sunt. Impetebant igitur eos nunc sagittis, nũc ensibus, nunc lanceis, nunc missilibus. Obtruncabãt eos immisericorditer, & clamitabant in eos dentibus stridentes. Non potuerunt Christiani, vtpote pauci, debacchantium crudelitatem diutius perpeti; & quoniam non poterant rebellare, fugâ compulsi sunt semetipsos præripere. Si qui potuerunt seu latitare, seu effugere, viuentes euasere; alii lætali sorte præuenti, proh dolor, occubuere. Perempti sunt itaq; in illo conflictu plusquã mille Christiani: & ecce duplicatus augmentabatur mœror in castris: heri & hodie triũphauit de Christianitate Gentilitas; ecce per insolentiã elata Gentilitate & plaudẽte, humiliata est hodie lugubris Christianitas. *Tales tamen sunt bellorum euentus; tales sunt vicissitudines, & hominum & temporum. Nulli vnquam semper successit fæliciter, nemo vnquam de continua prosperitate, vel lætabitur vel lætatus est. Hac de re & timenda & cauenda est in prosperis aduersitas; & speranda, & optanda est in aduersis prosperitas.* Rumor de Christianis superatis, aures eorum qui remanserant impleuerat; & ideo pariter omnis populus lamentabatur. Nesciebant enim vel quos viuos vel quos autumarent mortuos. Plurimi tamen, per montana repentes, euaserant, & ad tentoria quantociùs redierunt. *Boamundus* autẽ per compendiosiorem reuersus viam, Tholosanum præuenit; & de Christianorum defectu verus interpres nunciauit. Christiani verò magis in iram cõcitati quàm exterriti, cõtra Turcos vnanimiter exierunt, eosq; viriliter aggressi sunt: è regione Sarraceni restiterunt, putantes se posse præualere, sicuti nuper Tholosano & Boamundo præualuerant. Credebant etiam Gallos ex ipso timore defecisse & seipsos pro fœlici successu succrescere. Vtrinque igitur acerrimè dimicatum est. Turci pontem transierant, & Christianis audacter obuiauerant: Christiani, tanquam singularis ferus, vel canum morsibus irritatus, vel venabuli cuspide sauciatus, occisione cõmilitonum & confratrum excitati, Turcorum sanguinẽ inhianter sitiebant; & ad vlciscendos suos penitus elaborabant. Gentiles, quoniam eis præter spem acciderat expauefacti, terga ferietibus, nec mora, præbuerunt; & fugiendo elabi voluerũt, fuga

fuga igitur inita, legio tota irreuerenter effœminabatur. Oberat ipsis fugientibus seu pons angustus, seu fluuius rapidus & profundus. Nam vel per vtrunq; vel per alterum instabat eis transeũdum. Fluuium circa pontem euadare nemo, enatare vix aliquis poterat. Tanta multitudo equitãtium pontẽ pariter conscenderũt, vt alius alium impediret; multi alter alterũ suffocarent: Faciliùs enim singulatim quã conglobati transirent. Deniq; cedentibus prestò aderant Christiani, fraternarum suarumq; iniuriarũ nequaquam immemores; sui sanguinis effusi auidissimi vltores; & victoriç cupidi, & de Ciuitate subiuganda solliciti. Instabant itaq; illis insatiati peremptores, & lanceis & ensibus in eos cõminus vtebantur. Quoscunq; poterant vel in fluuium præcipitabant, vel letalibus gladiis confodiebant; ita vt ipse fluuius & cruentatus videretur, & cadaueribus supertegeretur. Siqui siquidem, vel enatare moliebantur, vel reptare circa pontẽ conabantur, ab instantibus necabantur, & omnimoda calamitate pessumdabãtur. Dies mortis, dies illa Gentilibus illuxerat, in qua vix aliquis mortem euitare poterat. Instabant Christiani fugientibus, instabãt enatare molientibus, super incumbebãt procumbentibus. Nullus à sanguine suam manum prohibebat; sed omnis Christianus gladium suum occisorũ sanguine inebriabat. Mulieres à murorũ & propugnaculorũ spectaculis, & suorum miserias prospectabant, & successiuis Francorũ prosperitatibus inuidebant. Illo in prælio mortui sunt Principes XII. de Turcorũ agminibus quos *Admiralios* vocant, Illustres & egregii proceres; & mille quingenti milites, viri industrii & fortissimi, qui diu solerter inuigilauerant defensandæ Ciuitati. Porrò alios timor altus compescuit, ne de cætero arroganter contra Christianos clamitarẽt, vel prçsumptuosi super eos cursitarent. Prçlium autem illud nox intempesta diremit. Qui verò viui potuerũt euadere, ciuitatẽ exangues intrauerunt; neq; dein vires pristinas resumere potuerunt. Christiani quoque ad suos victoriosi rediêre, equis multis & spoliis copiosis, quibus nõ mediocriter indigebant, secũ & adductis & allatis. Lætabantur autẽ in Domino IESV; & gratias agentes, de die in diem proficiebant in melius. Facta die crastina, Turci de Ciuitate prodeuntes, summo diluculo Cadauera collegerunt, quæcunq; reperire potuerunt; & ea sepelierunt vltra pontem ad *Machomariam* ante Ciuitatis portã. Plurima verò submersa in fluuio dimiserunt, super quibus dicere potuerunt: *Fluuio tegitur qui non habet vrnã.* Quç autem subtumulauerũt, palliorum & pretiosarũ exuuiarũ gazis prosequuti sunt; & arcus & pharetras & plurimos Byzanteos, mortuorũ procurationi adiecerũt. Quo Christiani comperto, partim exuuiarũ cupiditate allecti, partim vt dolorem Turcis apponerẽt, incitati, sepultos desepelierũt; & corporibus egestis satis ignominiosè insultauerũt. Quicquid autẽ substantiæ concupiscibilis cum ipsis repertũ est, rapuerunt; & corpora congregata in foueã vnam contumeliosè proiecerũt. Bardones verò quatuor cçsorũ, capitibus onustos miserunt ad portũ, quatinus ea *Legati de Babylonia* qui ibi fortè aderant viderẽt, & dolentes obstupescerent. Porro Ciues ista videntes, in immensum doluerunt, & ad mortem vsq; contristati sunt. Ingemiscebant igitur tota die & vlulabãt, & lamentabantur & quotidie deficiebãt. Tertia vero die *Castellum*, de quo supra memoratũ est, ædificare cœperũt; & de lapidibus ipsis, quos de sepulturis dehumatorũ abstraxerãt, munire deliberauerũt. Quo satis munito iam coangustabant arctiùs inimicos suos, & ne fortè foras excederent tota sedulitate obseruantes insistebant. Franci autẽ securiores ad montana cursitabãt; & paleis, vel aliis quibuslibet victualibus deuehẽdis, iam liberiùs vacabant. Ex altera namq; parte fluminis, vbi Christiani nondum sua locauerãt tentoria, Turci securũ habebant discursum, vtpote vbi nullum verebantur Christianũ. Consiliati sunt ergo ad inuicẽ Christiani: *Si, inquiũt, aliqui ex nobis essent, qui Castellum illac ædificatũ inhabitarent, ac defensarent, & nos essemus securiores; & ista Ciuitas sollertius obsessa, facilius tabesceret: nimirũ eis & comeandi facultas omnis interdiceretur, & omnino eis pabula prohiberentur.* Omnes istud collaudant Consilium: omnes tamẽ, & vnusquisque prçcipuè, transire fluuium hospitandi gratiâ formidabant. Vnus & alter sibi metuebat; neq; aliquis de Castello defensando sibi præsumebat: Alius, se subtrahẽdo, inuitabat & incitabat alium; nullus tamen illud sibi ambiebat Castellum. *Tancredus* demũ loquutus est, & de Castello illo seruando, cũ primoribus Francorũ pactus est. Excitis itaq; commilitonibus, suisq; manipulis, & si quos alios asciscere potuit sodalitati suæ adiunctis, castellum munitũ obtinuit; & qualiter obsessæ Ciuitati acriter obstaretur instituit. Obseruabãt nãq; satellites eius vias & inuia; & vbicũq; sui complices irrequieti excubabant. Quadã verò die, sicut heri & nudius tertius, *Suriani* & *Armenij*, quæcũq; necessaria in Ciuitatẽ abundanter deferebãt:

quos inuentos *Tancredus* celeriter aggreditur; & omnibus quæ deuehebant ablatis, opimis & spoliis & victualibus victoriosè gratulatur. Ex tūc pauor tā magnus Ciuitatē inuasit, vt & ciues; sed & omnes qui ciuibus subuenire cogitabant, exterrerentur. Ciuitasq; omnibus iam indigebat stipendiis, & in multa miseria iam periclitabatur: vtpote quæ pænè omnia sua consumpserat, nec aliquid in illam inuehi poterat. Vndique siquidem circumuallabantur, & præcipuè illi totus negotiationis comeatus inhibebatur. Nec tamen omnes singulatim, vel quas oppidani, vel qui morabantur in castris, passi sunt calamitates explicamus: quoniā *non omnia possumus omnes*. Hi & illi magna vicissim patiebantur infortunia: frequentiùs tamen Castrensibus dum præliarentur serenior arridebat fortuna. *Franci* siquidem moribus ferociores, natura animosiores, vsu in bello expeditiores erāt; & ad hoc in longinquas Regiones & exteras nationes iter arripuerant. Longanimitate igitur præditi, quosvis lætabundi perferebant labores. Deum autem in angustiosis necessitatibus suis, adiutorem inuocabant; eiq; frequenter pro humanis suis excessibus, deuoti satisfaciebant. Erat in obsessa Ciuitate quidam *Admiratus*, Turcorum prosapia oriundus, nomine *Pirrus*, qui fœdus amicitiæ per fideles internuncios cum *Boamundo* inierat: Non quod, vt reor, Boamundum aliquando viderit; sed quoniam de eo fama volans ad eum multa bona detulerat, & de prudentia ipsius neutiquam ambigebat. Frequenter igitur per fidos interpretes, & nota intersigna loquebantur ad inuicem. Hunc Boamundus aliquando ad Christianitatē incitabat; aliquando ad Ciuitatem reddendam multimodis pollicitationibus suadebat: & vt vir callens, nihil intentatum relinquebat. Nunc enim eum pro infortuniis Ciuitati imminentibus deterrebat; nunc eum pro præmiis copiosis, quæ à DEO gloriosè destinantur Christianitati, alliciebat. Aiebat itaque Boamundus. *Persuasurum iri*, inquam, *volo tibi, Pirre mi karissime, quatinus iuxta morem veræ amicitiæ agas omnia: vt scilicet mea secreta quæ tibi transfundo, in te sepelias; neq; cuiquam proditurus arcana nostra tibi solus habeas; neq; posthac amicus amico, vnicus vnico discredas. Fac igitur omnia de quibus sermo est, celeriter: & de mihi reddenda Ciuitate, & de tibi adipiscenda libertate, & imprimis de suscipienda Christianitate cogita viuaciter. Non deerunt tibi quæcunq; volueris: Nosq; tibi paciscimur quæcunque mandaueris. Quæ nisi omnia feceris, cum sint & vtilia & honesta, & in immensum errabis, & te non nostrum fuisse amicū procul dubio demonstrabis.* His vel huiuscemodi dictis adquieuit *Pirrus*; & sollicitantibus Legationibus aurem credulam accommodans, tandem in hæc prorupit mandata: Iam etenim ei DEVS aspirauerat quid agere deberet; & vt Boamundo pro voluntate responderet, in aure cordis eius stillauerat: *Assentior*, inquit *mandatis tuis, mi karissime. Noui enim te virum modestum & honestum: Deinde non incognitum habeo, quanti debeamus facere nomen & virtutem amicitiæ, cuius idem velle & idem nolle summus gradus est. Casus quoslibet imminentes vrbi, posthac mihi prætendas nolo. Non sumus qui minis vestris deterreamur: Ciuitas enim vt vides inexpugnabilis est. De Christianitate tua, ad quam vehementer suspiro, quam inuictissimam video, & gloriosam nequaquam diffiteor, loquaris volo. Denique, vt compenditiosiùs loquar, vtq; tibi satisfaciam, & animā meam in manibus vnici mei pono; & Ciuitatem istam in fide amici mei colloco. Sunt sub mea custodia tres Turres satis munitæ, quas tuis reddam apparitoribus. Neve mihi in aliquo discredas, filium meum obsidem tibi transmittam, vt quos miseris, securiores accelerent. At ne proditionis redarguar quicquid agere dispono, totum Christianitati vestræ imputo. Nolo autem ita incipias, quatinus fatiscens, imperfecto negotio succumbas: sic etenim mors mihi meisq; immineret; & de cætero, de Ciuitate reddendā nulla daretur alicui facultas. Ne differas ergo, neve dissimules*: quoniam nocuit differre paratis: *sed accepto atque accelerato consilio, vel ex toto dimitte, vel rem maturatam perfice.* His Boamundus auditis, nimium gauisus est: attamen vultum & os ad tempus compescuit, ne ex inepta lætitia depræhenderetur intestinus animi motus: loquutus autem ad optimates, sic demum ora resoluit. *Videtis, Patres Conscripti, quod sine profundis singultibus enucleare non possum, quantis affecti sumus calamitatibus, quantis incommoditatibus populus iste percellitur. Sed quid plebeios homines commemorem, cùm vos, ô Illustris sanguinis stemmata, inedia palleatis, tædio tabescatis, laboribus marcescatis? Grauis lues castra nostra contaminat, grauibus indigentiis contracta. Iam diu est ex quo sub dio vigilatur, puro sub aere dormitur: algidæ noctes valde nos infestant; Omnis ista terra nobis inimicatur, agri in solitudinem redacti, vel nullo vel raro excoluntur vomere. Tempore quo alii messes suas colligent, nos spicas nullas metemus; nec mercatum quod nostris alimoniam suppeditet habemus. Ciues, quibus hæc Regio nota est, quin eant & redeant non possunt cohiberi. Ciuitatem istam inexpugnatam dimittere, Contumeliosum est: Et ô vtinam, omnes potius moriamur, quàm*

quàm non dedita vel deleta ciuitate recedamus. De infelicibus iam securi, vtrum felices successus nobis proueniant ignoramus. Sed quam diu hic mortem continuam patiemur? Ciuitas hæc, vt videtis, inexpugnabilis est. Nam quid hic arietes, quid balistæ, quid qualibet ad expugnandam ciuitatem hic prodessent machinæ? Restat ergo vt ad consiliorum diuertamus experimenta: quandoquidem nobis non prosunt, vel quorumlibet armorum congressuum machinamenta. Teneat ergo vnusquisque vestrum, Patres conscripti, an pecuniâ, an amicitiâ an minis à quibuslibet ciuitatem hanc sibi vindicare præualebit angariis: eamqúe illi vltronei concedamus, qui hoc efficere quolibet potuerit ingenio. Nam quid hic tanto moramur tempore? An quæ erunt ciuitatis subiugatæ emolumenta, si antequam subiugabitur, totus exercitus Christianus, quibuslibet mortibus exterminabitur? Igitur si meis, Seniores optimi, adquiescendum censueritis consiliis, in medium consulite; & ei qui vrbem istam sibi subiugare poterit, concedamus & concedite; & vt etiam id efficaciter quilibet nostrum exequatur, rogate. Tandem vero eloquens Heres conticuit: Procerum autem conuocatorum huiusmodi fuit responsum: Opinor & ipse, quia iam suspicando sermonem illum intelligentes præoccupauerant; Boamundum scilicet, tanquam sibi soli loquutum, autumabant. Quam obrem illi velut ex obliquo taliter responderunt: *Absit, inquiunt, à nobis, vt alter præponatur alteri: vt videlicet alicui nostrum, ciuitas hæc specialiter condonetur. Fratres sumus & pares iure fraterno & sorte parili, postquam eam obtinuerimus, diuidemus. Dignum & iustum est, vt sicut participes sumus laboris, participes simus & honoris: Pariter eã expugnemus, pariter de illa sortiamur.* In his sermonibus solutus est ille conuentus; *Boamundus* autem siluit: & interim res dilata ad nullum prouenit effectum: sibi ergo ipsi vir apprimè prudens temperauit: ne si quid quod noluisset audierat, mutatione sui vultus illud addisceretur. Nec multò post fama, præsaga mali, percrebruit in castris, *Turcos, Publicanos, Agulanos, Azimitas*, & plurimas alias Gentilium nationes aduentare, & de bello in Christianos condixisse; Iamque certi eruperant nuncii, qui de certitudine imminentis testabantur periculi. Loquuti sunt igitur ad inuicem Christianorum duces, & sponte sua Boamundo subintulerunt: *Vides quo in articulo res nostra posita sit. Si ciuitatem ergo istam vel prece vel pretio, nobis etiam iuuantibus poteris obtinere, nos eam tibi vnanimiter concedimus: saluo in omnibus quod Imperatori, te collaudante, fecimus sacramento. Si ergo Imperator nobis adiutor aduenerit, iuratasqúe pactiones custodierit, periuri viuere nolumus: sed quod pace tua dictum sit, nos illi eam concedimus: Sin autem, tuæ semper sit subdita potestati.* Mox Boamundus, iteratis sermonibus cœpit interpellare Pirrum; neve moras innecteret, suum sedulò propulsabat amicum. *Pirrus* autem nihil percunctatus, ita consulendo festinanti festinus respondit: misit etiam filium suum obsidem in hæc verba: *Preco vester in castris vestris intonet alta voce, vt gens Francorum hodie præparata, cras ingrediatur Sarracenorum terram deprædandi causa: & sic nostris & vestris dissimulabitur causa nostra. Nostri siquidem minus solliciti quiescent, vtpote sperantes longiusculè abiisse maiorem gentis vestræ multitudinem. Postquam verò vestra exierint tentoria, noctis sub silentio per loca reuertantur opportuna: vos interim clandestini, scala muris admota accelerate; tumultumqúe omnem compescite; murumqúe velociter & confidenter ascendite: quoniam Turres meas vt vobis promisi mandabo. Vos autem de reliquis agendis procurate, rerumqúe euentus gladiis perficite, nec aliquid quod agendum sit, tanquam segnes, negligite: Ego verò insomnis & sollicitus, vestrum præstolabor aduentum.* Boamundus, officium preconandi cuidam suo iniunxit seruienti, quem nescio de qua re *Malam coronam* nuncupabant: qui vadens per omnia castra, clamosâ voce perstrepebat: tempus ab optimatibus indici, vt irent deprædatum terram inimicorum suorum. Secretum autem omnium agendorum suorum *Boamundus* credidit Duci *Godefrido*, & Comiti *Flandrensi*, & Comiti *de Sancto Ægidio*, atque *Podiensi* Episcopo, *Robertoqúe* Normanno, & quibusdam aliis optimatibus. *Tancredus* enim, suique consiliarii, rem totam ab origine nouerant. *Stephanus* Blesiensis aberat: qui magna sicut asserebat detentus inualetudine, ad *Alexandretam*, recreationis gratia, donec conualuisset, discesserat. Exercitus igitur Christianus huiusce rei ignarus, die vesperascente castra egressus est; & per quædam deuia deductus, aurora nondum illucescente, prope ciuitatem, per compendiosa repedauit diuerticula. *Boamundus* autem interim suis familiaribus mandauit; *Hanc, quam præparaui muro illi quem cernitis, prudenter apponite scalam & taciturni sapienter vos agite, & confidenter ascendite. Faciet vos tutos Pirrus amicus noster, inque suis Turribus potestatiuos collocabit vos. Filium suum mecum obsidem habeo. Vos autem postquam Turres ascenderitis, rem reliquam peragite gladio. Nullus timeat, nemo stupeat: Scala muro ad-*

iuncta est, & vincta cum propugnaculis desuper. Properate igitur & intrepidi ascendite. Ascendit primus quidam Langobardus, nomine *Paganus*, non tamen omnino intrepidus: nec mirum, cum & de proditione timeret, atque ad loca incognita transcenderet; & de quibuslibet euentis formidaret, ac mortis horrorem sibi præsentem semper immaginaret. Subsequuti sunt tamen eum homines ferè sexaginta: quibus diligentissimè *Pirrus* collectis, atque suis in turribus collocatis, postquam vidit plures numero nequaquam subsequentes, materna dixisse fertur lingua, *Michro Francos echome*, hoc est, *heu, heu! paucos habemus Francos.* Verebatur enim, quoniam quidem pauci erant ad defendendum, nedum ad congrediendum, ne illi cum ipso in manus inciderent Turcorum. In Boamundum ergo tanquam inesfœminatum & segnem; suam retorquebat querelam; cumque amicabilibus conuiciis lacessiebat. Descendit præproperus ille Langobardus, per quam primum ascenderat scalam: dixitque eminus expectanti Boamundo: *Quid agis? an dormis? mitte quos velociter missurus es: quoniam iam indemnes obtinuimus tres Turres. Alioquin & nos, & ciuitatē, & amicum tuum qui totam spem, & animam suam in sinum tuum expādit, amisisti.* Lætatus est, & qui cum eo erant, *Boamundus*: & dicto citiùs festinanter cursum arripiunt, ascensum præoccupant; & commonendo, iam alius alium præueniebat. Itaque iam multi ascenderant, multi adhuc ascendebant, cum qui in turribus & in aliis mœniorum erant propugnaculis, vocibus altisonis exclamauerunt. Occupauerunt etiam turres alias, & iam discurrebant personantes per muros & plateas. Quoscunq; verò repperire poterant, trucidabant; & nemini obuiāti parcebant. Ciues enim vix expergefacti & adhuc somnolenti: laboribus enim longæ obsidionis fatigati, supini deficiebant; rem ignorantes, domos suas inermes exibant; & somno & sono clamantium stupefacti, cauti incautis occursabant; & suos esse sperantes, Christianos, ac si suos, conuocabant: illi autem vbicunque obuiabantur, tanquam oues procumbebant, & obtruncabantur. Tunc etiam, fortuitu, mactatus est Pirri couterinus frater. *Tales sunt, cæca & intempesta nox, tui euentus: tales sunt, hora caliginosa, vestræ tumultuationes.* Interea tantus erat per scalam repentium concursus, vt ipsa scala dissiliens dissolueretur: quod & ad luctum & ad magnum impedimentum Christianis accidisse, nemo sani capitis dubitat. Phalanges siquidem Francorum, visum propter muros aderant: sed eis qui sursum & intus pugnabant, nullum auxilium conferre poterant. Orta est igitur ibi non modica tristitia. Erat autem non procul à scala quædam porta, quā retroactis diebus Christiani explorantes viderant: Hanc à sinistra parte palpantes inuenerunt; & ipsa fracta, quantociùs ingressi sunt. Tunc maior exortus est fragor, & vberior succreuit Christianis dimicandi occasio; *Turcisque* somno vinoque sepultis, crudelior necis obuenit angustia. Gentiles illi, dum periculum imminens effugere vellent, impegerunt in Christianos; & impetum euitare satagentes, dum nesciunt, in repentinum ceciderunt mortis discrimen. *Boamundus*, quoniam *animo cupienti nihil satis festinatur:* morarum impatiens, vexillum suum efferri mandauit in ciuitate; & collocari contra municipium quod erat in vrbe, in editiori colle. Tanto siquidem examine vrbem introierant Franci, gentique illi circumcisæ præualuerant, vt innumeris interemptis, quidquid residuum esse potuit, vel in castellum quod imminebat vrbi abigerent, vel in alia quælibet diuerticula effugarent: nec ætati nec sexui, nec cuiuis conditioni nocte illa indultum est. Nox erat ambigua & ideo promiscui sexus nullū exceperat. Dies illuxit: & qui morabantur in castris, tumultuantibus populis, & reboantibus exciti lituis, vexillum Boamundi viderunt & agnouerunt; & de capta ciuitate gauisi sunt. Cucurrerūt igitur ad portas, & introeūtes; si quos inuenerunt Turcos, subterfugere molientes, ceciderunt: & facta est illa dies maxima gentilium strages. Nox illa & manè illud lethalem peperit *Antiochenis* fortunam. Quidam etiam per portas viui effugerunt, quoniam impetuosis Francis incogniti fuerunt. *Cassianus* autem Turcorum Dominus inter fugientes delituit; & nescio quomodo, non minori tamen infortunio, sed dilato, viuus aufugit. Peruenit enim in *Tancredi* terram, vltra quam credi potest palpitans. Incertum habetur, an totius expers consugii discesserit; an ad disquirendum à contribulibus suis adiutorium discurrerit. Illud certum habetur, quoniā si castellum suum introisset, sibi suisq; opportunius consuluisset. Equis ergo suis sodaliumq; suorū ad extremum fatigatis, coactus substituit; & in quoddam tugurium diuertit, ibiq; non satis fideliter delituit. Hoc etenim re-

nim regionis illius accolæ comperto, *Suriani* videlicet vel *Armenii*, concursu in eum facto, super incubuerunt; & apprehensi caput amputauerunt, & amputatum coram *Boamundo* detulerunt: vt scilicet taliter ipsius promererentur gratiam; ipsique libertate donarentur & potirentur optatâ. *Cassiani* autem, viri Clarissimi, finis fuit obscurus & miserabilis. *Tales sunt tuæ remunerationes, mundana prosperitas: Huiusmodi sunt tua stipendia, fallax & deceptiua fortuna.* Gentiles, fatis & fortunæ nimis adquiescunt. Ecce *Cassianus* infœlix, Dux & Admirabilis Antiochenus, hodie miserabili sorte, miserabili præuentus infortunio, fatisque infestis delusus, perimitur. Ecce germen Regium, tanquam quilibet in stercore natus, indecenter corpore inhumato plectitur. Balteum autem eius & vaginam, sexaginta Byzanteos appreciauerunt. Gentes enim illæ huiusmodi faleris & fibulis valde gloriantur. Plateæ verò & omnes ciuitatis intercapedines, ita densis erant occupatæ cadaueribus, vt liber nemini daretur incessus, compita nimirum & viculi, cæsis impediebantur corporibus. Horror itaque, & fœtor nimius quibuslibet incumbebat viatoribus. Ciuitas itaque *Antiochia*, excepto municipio, capta est; & Cassianus vt dictum est, deformiter obtruncatus est, *quartâ feriâ tertio Nonas Iunii.*

ECCE LIBER SECVNDVS FINEM HABET.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

CVM obsideretur *Antiochia*, multi ad eius adiutoriũ confluxerant, multi adhuc confluebant. Sed qui confluxerant, capta ciuitate, alii perempti sunt, alii in municipium recepti, alii verò, vitæ suæ fugâ consuluerunt: Qui autem confluebant, audito de Antiochenorum casu rumore, substiterunt, deliberantes an procul discederent, an propius accederent. Discedere suadebat fama, quæ felices Christianorum passim prænuntiabat successus; & ex felicibus fœliciores auspicabantur: & icirco, metus quàm maximus singulorum pectoribus inserebatur. Accedere verò eos exhortabatur ira, pro contribulium suorum inimica interfectione; pudor, pro peregrinorum nullatenus adhuc repressa temeritate. Confidebant etiam in nationum coagulatarum diffusa multitudine; & in sua, sicuti iactitabant, singulari animositate. Præterea ingloriosè se esse dicebant, nisi multi paucorum stoliditatem compescerent; nisi aduentitios indigenæ, à suis finibus dissicerent: nisi suorum sanguinem, hostiliter effusum, vlciscerentur; nisi filios & vxores penatesque suos, lariumq; suorum residuam suppellectilem, desides tutarentur. Horum Princeps & Dux *Curbarannus* erat: vir quidem bellicosissimus, nulli audaciâ secundus, prudentiâ præditus, diuitiis copiosus, militaribus auxiliis constipatus, cupidus laudis, inflatus supercilio iactantiæ, magni nominis homo, militiæ Soldani *Persiæ* Magister. Hunc *Cassianus* Antiochiæ Admiratus, dum obsideretur, multis inuitauerat Legationibus, quatinus ad Antiochiam liberandam festinaret: nam illum multis honoratum denariis remitteret. *Curbarannus* autem, tum vt stipendia promissa reciperet, tum maximè vt nomen suum dilataret, à *Caliphas*, gentis suæ Apostolico, accepta licentia fæuiendi in Christianos, sibi gentes innumeras, *Turcos* videlicet, *Sarracenos, Arabes, Publicanos, Azimitas, Curtos, Perses, Agulanos*, & alios innumeros coagulauerat, & exercitum immensum conflauerat. Contractis itaque vndequaque viribus copiosis, quas dinumerare nemo poterat; adiunctis adhuc eidem collegio, *Ierosolymitanorum Admirato, Damascenorum* quoque *Rege*, Curbarannus ad Antiochiam proficiscebatur. Erant in expeditione eadem, vt dictum est, *Agulani*, circiter tria millia, qui toti ferro loricati, neque sagittas neque lanceas timebant; neque præter gladios in bellum arma ferebant. Istis Antiochiam appropinquantibus obuiauit *Sensadolus* Cassiani filius, & pro capta ciuitate lugubris, & pro morte contabescens. Videres lachrymas per pubescentia stillantes ora, quæ pectus etiam adamantinum ad misericordiam commouerent, & ad adiutorium incitarent. Is igitur huiuscemodi verba in sinum Curbaranni profudit: *Princeps inuictissime, inimica læsus fortuna, supplex ad te compellor*

accedere; & auxilium à liberali munificentia tua rogare. Moueat te, quaso, debita miseris misericordia; cogat te mutua carnalitatis humanus affectus. Cogita, inquam, in quos deuenerim casus: perpende humana tribulationis vicissitudines. Qua me modo fortuna obliquo respicit intuitu, mihi nuper arridebat; & tunc patre optimo & ciuitate inclyta gratulabar. Idem infortunium tibi timeas oportet. In tuis secundis successibus, pramediteris necesse est de pracauendis aduersitatibus. Fortunati & liberalis hominis est, alienas calamitates, autumare suas; aliena miseria, largam impendere misericordiam. Succurre ergo mihi, quo tibi succurri velles animo, si te fortuna meo tetigisset incommodo. Si de Christianis triumphare volueris, potes etenim eos indifficulter disperdere: & tibi nomen magnum adquires, & gentem nostram libertati restitues. Quod si contra eos dimicare dissimulaueris, 10 *quid restat nisi vt domum & cognationem tuam perditum ire contendant? Gens enim ista nisi viriliter reprimatur, Corrosanum ire anhelat; & mirum in modum vltra vires suas attentat, & minatur grandia. Ecce Antiochiam inexpugnabilem ciuitatem, ingeniosa proditione obtinuerunt; & municipium quod imminet vrbi, populus temerarius obsederunt; hiatuque Coturnoso contra gentem nostram, quisquilia viles, ogganniunt. Propera igitur, & de mihi subueniendo festina: quoniam non recedes irremuneratus, nec ero beneficiis tuis ingratus. Praterea perpes tibi faciam hominium, & in tua fidelitate ciuitatem quam mihi reddideris, tenebo.* *Non*, inquit Curbarannus, *ita facere disposui. Sed si volueris vt totis viribus pro te contendam, Castellum in manu nostra committe; & ego illud satellitibus meis delegabo. Postquam de te, sicut dixi, securus ero, plebeculam illam, totis* 20 *nisibus impugnabo: Sin autem, terra mea tantummodo patrocinabor.* Sensadolus indignus auxilii, Curbaranni postulationibus adquieuit, & municipium potestati protectoris contradidit. Tertia verò die postquam ciuitas Christianis est tradita, municipium quoque *Curbarannus* obtinuit; prædictique Principis cursores propè ciuitatem cursitauerunt: Exercitus reliquus penè sequebatur, & castra metati sunt ad *Pontem Ferreum*: & firmitatem illam confestim expugnauerunt; & omnes extimplo interfecerunt, reseruato illius castelli Domino; ferreisque vinculis alligato. Is etiam bello, de quo post dicetur, peracto, viuus & vinctus inuentus est. Facta est dies crastina, & *Curbarannus* inter flumen & lacum metatus est castra: & ibi duos fecerunt dies. Castellum autem sibi red- 30 ditum, cuidam familiari suo commisit, & ait: *Noui fidem tuam, & audaciam, & temperantiam; & iccirco ciuitatem hanc vigilantia tua committam. Sciebam, inquam, te nostro congauisurum honore; & ideo hunc honorem quàm maximum tua comcredo fidei. Prudenter igitur obserua illud, & super iniuncto tibi negotio vigilanter procura. Sunt multi vt nosti, mihi Admirati, qui in omnibus dicto citius nostris obtemperarent mandatis: sed illorum fidei, fidem tuam praepondero, eorum sollertia solertiam tuam prapono: nullum enim sagacitati tua aequipero.* Ad quem Admiratus ille: *Si*, inquit, *salua gratia tua, Sententiam hanc tuam euitare possem, in quemlibet alium prasens mandatum transferres optarem. Sin autem, antequam infidelitatis cuiuslibet me redarguas, animumque tuum erga me impacatum sentiam, Castellum hoc recipiam: tali tamen conditione, vt si in campo manibus* 40 *pralio consertis superaberis vita mea consulens, Castellum Francis patefaciam.* Ad quem Curbarannus, *Prudentiam & probitatem tuam non inexpertam habeo: quacunque futura sunt, ex dispositione tua concedo.* Commisso & accepto, vt dictum est, Castello, Curbarannus qui cum quibusdam suis aduenerat, reuersus est ad castra, in valle vbi suus exercitus papiliones suos locauerant. *Agareni* autem illi, quædam arma vilissima, ensem rubiginosum videlicet, lanceolam quoque satis inutilem, quibusdam pauperculis diripuerant Christianis. Hæc Curbaranno ad Francorum improperium obtulerunt, dicentes: *Hac sunt arma bellica, arma nimis pratiosa, qua attulerunt locusta illa de mendica Gallia: His nos expugnare minantur, his contra nos obluctantur.* Curbarannus verò subridens & in manus arma suscipiens, subsannan- 50 do sic aiebat: *Franci nullos adhuc inuenerunt viros: Haccine sunt arma in quibus confidunt? Haccine sunt armorum simulachra, in quibus Antiochiam proditione deceptam, expugnasse se credunt? Sed, ô inaniter super hoc gloriantur, quoniam municipium, quod prasidet Antiochia, munitum propugnaculis & militibus retinuimus: & eos inclusos quibuslibet iniuriis afficiemus. Expergiscamur igitur, ô gens nostra semper inuictissima, & in primo conflictu qui sumus, an iumenta, an homines, gens infœlix experiantur. Abigamus abiectionem plebis à finibus nostris &, ô genus infractũ, indeficenites prosequamur eos etiam in nationibus suis. Censeo dedecus quàm maximũ, Optimates nostri, in terra nostra nos defendisse & superasse, nisi talionẽ reddentes eis, in*

tis, in terra sua nobis contigerit, eos & quæcunque sunt eorum, delere. Antiochia, ciuitas regalis & inclyta, totius Syriæ caput est, quam proditione non armis; quam pollicitationibus & adulationibus suis, non bello præoccupauerunt. Hanc igitur dimicando excutiamus, & ipsis explosis eorum terras aggrediamur Accito itaque notario suo, sic ait. *Scribe chartas in Corrosano recitandas, quæ hunc modum contineant. Caliphæ nostro Papæ, & Solimanno Regi Magno, perpes salus, & honor immensus. Noueritis quoniam locusta illa, quæ propriam non habent mansionem, qui* Christiani *dicuntur, latibula sua irreuerenter exierunt; & prout audistis, terram nostram aggredi irreuerentius præsumpserunt: sed nos ad reprimendam gentis illius stoliditatem, beniuolentia vestra & brachio nostro confisi, exiuimus; & eos indifficulter in seruitutem redigemus. Sed hoc parum nobis esse censemus nisi etiam fines eorum manipulis nostris operiemus; & omnia bona eorum absorbebimus. Interim gaudeatis omnes amici nostri, & filios generetis oportet, qui dum in longinquam militabimus Regionem, illi quos nobiscum adduxerimus resarciant, & donec redibimus, Regiones nostras possideant. Nos autem municipium, quod vrbi Antiochenæ imminet, nobis redditum muniuimus, & modò contra eos quatinus dimicemus, consiliantes tractamus. Vt ergo videatis in quos pugnare habeamus, eorum gloriosa vobis direximus arma, in quibus notare poteritis quàm nugaces sint armorum istorum geruli. Vt etiam pleniùs lætari possitis, eos qui Antiochiam suis occupauêre præstigiis, iam inclusos habemus, nec de illorum deditione ambigimus. Indulgete igitur affluenter voluntatibus & voluptatibus vestris, & valete omnes amici & Consiliarii nostri. Valeat præcipuè Solimannus, Rex potens & magnus. Iuro enim me nullatenus reuersurum, donec Syriâ & Romaniâ in libertatem redactâ, Apuliam quoque meo subdiderim dominio.* Dum hæc aguntur prædicti *Curbaranni* mater, quæ erat in ciuitate *Aleph*, ad prædictum accessit filium, de his quæ audierat pro filio gemebunda. Erat enim senex & plena dierum, vtpote centenaria, & præsaga futurorum. Colligebat etiam multa, mulier sortilega, de constellationibus; & geniculorum non erat ignara, & multarum disciplinarum erat conscia. Flebilis igitur ad filium aiebat. *Vt quid, me inconsultâ, fili karissime, negotium aggressus es bellicum? an quoniam sum decrepita, me desipuisse putasti? Crede mihi, viget sensus, effœtis in visceribus; & laxa cutis & ruga senilis, viuacem adhuc fouet animum. Denique tuum nulli fidelius poteras reserare consilium, quæ te vel artius diligeret, vel quæ tibi discretius consuleret. Quid enim affectui materno comparari poterit? Quid igitur matrem inconsultam, matrem insalutatam, ô homo plumbei cordis, aufugere præsumpsisti! ô pectus filicinum & iecur adamantinum, quod non emolliuit matris memoria, quod non euerberauit ad colloquium affectuosæ matris reuerentia! Si enim emarcuit corpus, viuit & viget adhuc irreuerberatus sensus. Ad extremum, fili dulcissime, quàm grande, quàm inefficax aggressus es negotium sine me saltem cautus libripens, prius debueras præponderare. Decuerat te metiri, cum qua insuperabili dimicaturus es gente: oportuerat te perpendere, quàm insuctæ sunt præliandi, quas vndequaque corrogasti copiæ. Vt enim veritatem nullatenus tacuerim; nostra gens aurea est, illa ferrea. Nostra tamen satis animosa est; sed manu, minus inefficax, inexperta & expers est multum huiusce laboris: quoniam admodum in pace efflorruit senectus istius nationis. Præterea DEVS Francorum reuera Omnipotens est, quem nisi ipsi grauiter offenderint, semper eos victoriosos protegit. Nostris in Regionibus, os meum & caro mea, nomen tuum satis dilatatum est; sed in Christianos brachium tuum nondum satis approbatum est: Quos nisi impugnare desieris, de duobus alterum erit, seu de Christianis triumphans gloriosior eris; seu titulum tuæ probitatis superatus, quod absit, liuidabis: Porrò si matri consulenti adquiesceres, ab hac temeritate resipiscens absisteres; teque gentemque tuam huic præsumptiuo labori, qualibet occasione non inhonesta subtraheres. Sin autem, periculosum est certè ancipiti te committas fortunæ. Dubium est enim cui potius Mars arriserit parti: nostris tamen timeo: quoniam & carnificum illorum ferocitas, & vsus præliandi assuetus, suaque calliditas me vehementer exanimat. Hæc igitur omnia, discretiori essent consideranda cautela: sed quoniam tuo sic inchoasti arbitrio, nec ab his amoueri poteris inceptis: obstinatus enim homo es: ne aliquid adulatiua prætermiserim In isto, si commiseris, superandus es prælio, & gazis opimis tuus expoliabitur exercitus. Multis autem interfectis, tu viuus euades: hoc tamen morieris in anno, ei mihi! morte subita.* Veterana illa in lachrymis deficiens, loquêdi finem fecerat, cùm filius eius iactabundus, sic paucis respondit: *Miror, mater mi, qua fronte de Christianorum pronuntiaueris victoria, cùm ipsi nec numero, nec armis nec animis genti nostræ debeant comparari. Plures enim solus ego habeo Admiratos potentes, bellicosos, quàm ipsi sint cũ tota sua expeditione. Quis tamen falsus interpres hæc annuntiauit tibi? Interim tamẽ sileas volo, ne fortè nostri exercitus animos tuis enerues sermocinationibus.*

Reuertere igitur, mater dulcissima, euentumque rei meliora desiderans, expecta. Ipsi homines sunt, sicut & nos; & contra homines impuros, & incircumcisos, non contra DEVM, nec DEVS contra nos, pugnabimus. Æqualis sorte mortalitatis circumdamur: Illi dumtaxat ocius morientur, quorum manus segniores erunt; quorum animi ad non defendendum, frigescent minus audaces. Tu autem, mater, tota digna reuerentia, vale; & nec dum tempus illud quod portendunt sortes & auguria nostra, quod scilicet Christiani terram nostram possessuri sunt, credas adesse. His dictis belliger Heros conticuit; materque, filio deosculato, genas suffusas lachrimas, ad lares suos curiosa remeauit; & opes quas vndequaque corrogare potuit, in *Aleph*, Ciuitatem munitissimam conseruandas intulit. Tertia die post hæc *Curbarannus* armatus, in oppidum sibi comissum equitabat. 10 Christiani verò videntes acies ordinatè procedentes, vrbique appropinquantes, exierunt eis obuiam; & prælio præparato se iis posse resistere autumabant. Tanta verò fuit Ismahelitarum illorum multitudo & fortitudo, quod extimplo coacti sunt *Franci* refugere in ciuitatem, pertimescentes impetuosas sustinere gentes. Et quoniam non poterat eis portarum angustia ingressum præbere liberum, ex ipso impetu multi suffocati perierunt. Aggressi sunt eos *Turci* vehementer; iamque deficiebat dies, neque lassis dabatur requies. Sic exhausta die, nox optata, terras obumbrauit. Incubuit igitur Christianis magna desperatio: alii tamen consolabantur alios, & in diem crastinum concionabantur de prælio. Aliqui tamen vltra ius & fas meticulosiores, & fratrum affectus immemores, nocu 20 de fuga cogitauerunt; & ad totius suæ consanguinitatis & successionis ignominiam ignominiosiores aufugerunt. Non enim meminerunt quantum fuerit dedecus, fratribus & commilitonibus dimissis, amicis insalutatis, proceribus inconsultis, per murum funibus dimitti, virile robur turpiter effœminari, homines antequam oporteat dementari. Nam *qui quondam à præliis, sociis dimissis, fugiebant, sociorum proditorum vocabantur, & plerumque capitibus in eis vindicabatur.* Horum quosdam nominare non prætermittam: licet omnes nominarem, si omnes ex nomine nossem. *Non enim eorum parcere debemus infamia, qui suæ nimis formidolosi non pepercerunt famæ.* Wilhelmus *de Grenta Maisnil*, & *Albericus* frater eius, & *Guido Trosellus*, & *Lambertus Pauper*: Hi hesterni belli timore perterriti, & vt crastinum 30 aufugerent, solliciti, funibus per murum demissi sunt; & ad perpetuam suam ignominiam *furtiui funambuli* vocati sunt. Noctis igitur illius conticinio, & funibus elapsi sunt, & ad portum *Sancti Symeonis* pedites, manibus & pedibus excoriatis, deuenerunt. Ambulauerunt tota nocte per præcipitiorum abrupta; & cum multis Comitibus ad portum præfatum ambulantes, defessi substiterunt: & nautis in portu vacillantibus dixerunt: Erant nempe in portu naues multæ: *Quid hic agitis, gens miseranda? Omnes quos expectatis, decolati & deleti sunt Christiani: Et nemo præter nos viuus euasit: Et vos adhuc desidiosi moras agitis? Turci Antiochiam quam subegeramus, obsederunt; imò cæperunt: Alios omnes decollauerunt; & nos vix eorum gladios euasimus, dum nocte hac ad vos vsque viam direximus. Rumpite igitur funes:* 40 *quantocius, inquam rumpite, remisque mare percellite: quoniam si moras in nexu eritis, quod dicimus videbitis.* Nautæ, huiuscemodi rumoribus exciti, alii anchoris abruptis, mare veliuolum iam sulcabant, & carbasa crepitantes in auras obliquabant. Dum hæc aguntur, ecce Turci repentini littora explorantes aduolant; & imparatos & timoratos nautas trucidant; rates in portu remorantes, ignibus appositis depopulantur, & spoliant; & desidiosos homines pro voto dilacerant. Qui verò remanserant in ciuitate, pondus belli Turcani tota die sustinuêre; nec iam diutius fatigati, tantos poterant perferre labores, cùm subitum arripientes consilium, murum de lapidibus impolitis, & sine cemento inter ciuitatem & oppidum ædificauerunt, ne Turcis in eos liber daretur excursus. Ipsa 50 enim maceria oportunum Christianis præstitit auxilium; importunum autem Turcis peperit impedimentum. Ad murum vsque siquidem oppidani discurrebant, sed statim à Francis repellebantur; & ita congressus gentilium frustrabatur. Franci siquidem, tota sedulitate, propter murum armati assistebant; nec somno, nec cuilibet aliis curandis indulgebant. Fames interim pedetentim conualuit: & vt equos & asinos, & si quid aliud immundum erat, deuorarent, compulsi sunt Christiani. In magna constituti miseria, plerique desperabant; alii tamen ad DEVM medullitus suspirabant. Necessitatem enim qualiter euadat, circumspectus homo cogitare non desinit: Nec facilius quilibet euadit, quàm qui sibi

Domi-

Dominum coadiutorem efficit. Inuocabant igitur Dominum, & ipse exaudiuit eos: Et misit eis quendam Sacerdotem, ita sermocinantem: *Fratres, & amici mei, audite visionem quam videns vidi: quam ne putetis phantasiam, vel somniorum ludificationem, si mentior, meam volo deleatis impudentiam. Dum in Ecclesia Sanctæ DEI Genitricis pernoctare decreuissem, pro nobis, inquam, intercessurus: nescio vel vigilans vel semi-sopitus: nescio, DEVS scit: Dominum nostrum IESVM CHRISTVM vidi, nec tamen agnoui. Aderat etiam sanctissima sua genitrix, & Princeps Apostolorum Petrus sanctissimus. Hos omnes agnoscebam, neque vt dictum est, homo dementatus, Dominum meum sanctumque illud collegium agnoscebam. Dixitque mihi Dominus:* Agnoscis ne me? *Cui ego, vocem quippe percunctantis intelligebam, sed personam interrogantis, nondum agnoscebam:* Nequaquam Domine mi. *Interim crux splendida super caput eius resplenduit apposita. Interim interrogauit me eundem sermonem, & ego.* Si bene, Domine mi, percipio ex signo Crucis capiti tuo impositæ, crucifixum & Redemptorem nostrum te intelligo. *qui dixit:* Ita est planè vt dicis. *Ego verò suffusus lachrimis genas ad pedes eius singultuosus cecidi, & adieci.* Domine, miserere nostri. Domine memor esto populi tui. Domine DEVS adiuua nos. *Et Dominus ad me:* Et ego huc vsque vos iuui, Nam & *Nicheam* obtinere vos permisi, & in multis vos protexi præliis; meque duce vicistis, & *Antiochiæ* præualuistis, & in ipsa obsidione multa pro voto vestro vobis indulsi: vos beneficiis meis ingrati, contra me intumuistis; & tanquam ex adipe iniquitas vestra prodiit; meque, gens iniuriosa, gentiliter exacerbastis, dum cum mulieribus vel alienigenis, vel vestræ professionis, sed illicitis, fornicati estis. Iste siquidem singularis pedor, cœlos attigit, & oculos meos à vobis auertit. Retribuam igitur ego vestræ ingratitudini, nec parcam prostitutæ & lupananti multitudini. *Tunc misericordiæ mater Petrusque beatus, ad pedes misericordes ceciderunt Redemptoris; & his supplicationibus iram mitigabant minitantis:* Domine, tot annis gens Pagana domum istam, quæ domus erat orationis, obtinuit; suisque spurcitiis, proh pudor, eam delegauit: & ecce, paucorum culpis exigentibus, omni Christianitati tuæ, quæ domum istam suo sanguine exinde liberauit, eam deleturus irasceris? Parce Domine, parce; parce populo tuo; & ne des hæreditatem tuam in perditionem, vt dominentur eis nationes. *Adquieuit Sanctus Sanctorum, supplicantis matris & Apostoli precibus, iamque vultu iocundior, dixit mihi:* Vade, & dic populo meo: Lupanar, & prostibulum, & omnem à vobis remouete abusum; & vestra lachrimis eluite facinora; & ad me reuertimini, & ego reuertar ad vos: & infra quinque dies opportunum prouidebo vobis auxilium. Quia DEVS nihil habens immisericordiæ, ipse sum. Interim quotidie decantent. *Congregati sunt inimici nostri & gloriantur in virtute sua: Contere fortitudinem illorum, Domine; & disperge illos: vt cognoscant quod non est qui pugnet pro nobis, nisi tu DEVS noster. Disperge illos in virtute tua; & depone eos, protector noster, Domine.* Hæc & alia Capitula, DEITATEM complacantia, indesinenter psallant. Hæc Sacerdos dixit, & adiecit: *Fratres & Domini mei, nolite meæ discredere paruitati: quoniam non fictis loquor ambagibus: nec fantasticis elusus fallo vos imaginationibus. Si vultis etiam huiusce rei faciam experimentum, ne fortè quod absit, contemnatis quod vobis edixi, Redemptoris mandatum. Vel de turris cuiuslibet summitate me præcipitate, vel in ignem proiicite; & dum vobis illæsus videbor, tunc demum adquiescite. Alioquin, me figmenta locutum scitote.* Podiensis, Euangelium & Crucem coram afferri mandauit: super quæ Presbyter; satisfaciens populo, iurauit, ita visionem seriatim se vidisse, sicut testatus fuerat in eadem contione. Populus omnis statim ad lamentum conuertitur; & de reatus sui confessione alius alium cohortatur: videres suffusa fletibus Christianorum ora: capitibus cineratis, & nudis pedibus, passim orationis gratiâ, omnis ætas, nulla excepta persona, maturabant per Ecclesias: Petunt auxiliũ, rogant consilium. Inspirauit autẽ Dominus eis hoc consilium, quod vnanimiter acceperunt. Dixit enim quispiam illorũ: *Optimates nostri, iuremus ad inuicem, quod nullus nostrum deinceps de isto sancto, quoad vixerit, subter fugiat collegio: donec Sepulcro Domini DEI nostri, pro quo viam hanc ingressi sumus, deosculato. Tunc, etiam consalutatis fratribus, qui voluerint ad propria reuertantur.* Placuit itaque sermo iste, communi conuentui. Iurauerunt igitur omnes Duces, quorum vocabula superiùs habes prænotata: *Tancredus* idem iurauit & adiecit: *Quòd quamdiu posset sexaginta secum habere milites, à Ierosolimitano itinere nequaquam recederet.* Animata est igitur & corroborata tota Christianorum congregatio, & in immensum exhilarata est, tali communicata iuramento. Erat etiam ibi quidam peregrinus nomine *Petrus*, cui ante-

quam Antiochia præoccuparetur, Sanctus apparuerat *Andreas*, interrogans eum & dicens: *Quid agis bone vir?* Cui Petrus: *Quis enim es tu, Domine mi?* Dicit ei: *Ego sum Andreas Apostolus CHRISTI. Noueris igitur volo, quoniam postquam ingressus ciuitatem istam, beati Petri Ecclesiam intraueris, inuenies illo in loco:* Locumque demonstrauit: *Lanceam quæ latus Saluatoris in cruce perforauit. Quicquid enim in patibulo Crucis, salutare illud Spiritus sancti domicilium tetigit, sacrosanctū est, & Christianis omnibus specialiter amplectendum est.* His dictis beatus disparuit Apostolus. Peregrinus his auditis, siluit: Responsum enim Apostoli, nemini propalare voluit: æstimabat enim se, somniantis more visionem vidisse istam. Beatus tamen *Andreas*, sicut postea peregrinus referebat, eum ad locum vsque deportauerat; ibique quod diu latuerat, 10 totum demonstrauerat. Captâ igitur ciuitate, & vt dictum est, multum profligatâ Christianitate, iterum apparuit ei beatus Andreas dicens: *quare pusillanimis, lanceam non abstulisti?* Cui Petrus: *Ecquis* inquit *Domine, meo crederet auditui. Noli desperare*, ait Apostolus, *noli desperare. Sed scito pro certo vt dixi, tibique demonstraui, omnia vera esse; scias enim quoniam hæc reuelatio multum proderit fatigatis Christianis: vtpote quibus pro lancea, confidentia profluet salutaris. Infra enim quinque dies visitabit eos Dominus & potenter eruet eos à persequentium manibus.* Petrus autem consilium hoc sibi diuinitus insinuatum, suis patefecit comitibus. Populus autem discredebat, & testificanti subsannabat. Perstitit ille, & iureiurando affirmauit, bis ei *sanctum Andream* apparuisse, sibique talia denuntiasse; & ne vlteriùs secretum sibi concreditum ab- 20 sconderet, vehementer adiurasse. Tandem crediderunt iuranti, viresque pristinas animo resumpserunt, tanquam expergefacti à somno. Iam enim duo præcones emerserant, qui de sua salute, DEIque propitiatione concordabant. Iam ergo de DEI securiores adiutorio, velut iam vicissent, congratulabantur in Domino. Interea *Turci*, qui erant in Castello, à Christianorum infestatione nullatenus absistebant; sed tota sedulitate Francos incursabant. Incluserunt itaque quadam die, Francis videntibus, tres Christianos in quadam turre, nec ausi fuerunt *Franci* subsidium inclusis conferre. Defecerant enim multis afflicti tribulationibus; & adhuc tabescebant, nullis nisi in spe releuati consolationibus. Duo igitur ex eis grauiter vulnerati, exierunt de turre; tertius quoque viriliter 30 tota die se defendebat solus, de Turcorum inuasione: strauit itaque duos Turcos, nullis coadiutus auxiliis: sed sola manu persequentium obstitit turmis. Hæc iccirco diximus, vt quantum iam exterriti fuerint Christiani, dicere non omiserimus: quoniam fratres suos videbant impugnari, nec audebant pro iis, coram positi, obluctari. Ille præliator fortissimus, *Hugo Forsenatus* dicebatur, de exercitu Godefridi *de monte Scabioso*; vir quidem magnanimus & audax, & inter omnes bellicosos præcipua laude dignus. Hunc igitur quem suorum non iuuerunt arma, successiuis saltem generationibus, militem gloriosum, nostra commendauerit pagina. Heu! quot & quantis calamitatibus Francorum emarcuerant animi; qui vnum ex suis tota die viderunt pugnantem, nec succurrerunt; au- 40 dierunt clamantem, nec responderunt: Quos cùm Duces vocarent, non conueniebant; cùm litui clangerent, in domibus latitabant: imò inermes & exanimati, bellum diu rogatum detestabantur; & iam velut exanimes, imbelles & inglorii, mori præoptabant. *Boamundus* & Duces sic exercitum defectum ire videntes: quòd neque se volebant defendere; nec saltem ad murum vsque, qui ciuitatem ab oppido vtcunque tenui discrimine separabat, poterant eos conducere: ignem copiosum mandauerunt accendi; ciuitatem ex parte cremari: quatinus vel sic domos exirent, & latibula in quibus ad vltimum euirati, satis inuerecundè delitescebant. Accensus est itaque ignis in vrbe, qua parte *Cassiani* palatium prominebat. Duces enim molestiabantur & ægrè ferebant, quod more solito 50 nullam eis reuerentiam, ad pugnam acciti, exhibebant. Ignis itaque nec mora, præualuit: quoniam flammis crepitantibus, alimenta præbebat lignorum antiqua congeries: ventus autem vrens, suppeditabat incitamentum & vires. Quicunque igitur in domibus illis hospitati fuerant, spoliis suis vix arreptis, ad Duces suos coacti confugiebant, qui ad portas ciuitatis excubandi causa sibi vnusquisque locum acceperant: Ab hora diei tertia vsque ad mediam noctem incendium non defecit; & combustæ sunt vel domus vel Ecclesiæ circiter ad duo millia. Sopitus igitur est ignis, quoniam omnis ventorum feritas euanuit. Turci oppidani, iam omnino Francis se vix tutantibus, præualuerant, quos pœnè ab

inuicem

inuicem nihil nisi arma separabant. Iam enim res brachio manuq; duntaxat gerebatur; & iam cominus vtrinque certabatur; nec bellum vel ad momentum interrumpebatur. *Turci* plures numero, & impensiore confortati cibo, vicibus sibi succedere, nihil intentatum prætermittere, Francos audacter aggredi, vltro se congressibus ingerere: alius alium commonere. *Franci* è regione, immoderanter angustiati vacillare; nec cibum nec somnum capere, quippe quibus nulla dabatur requies: qui enim panem habebat, comedere non licebat; aquâ quoque reseruatâ, nullus os squalidum, refrigerare sibi poterat; quippe quibus nec respirare vacabat. In tanta igitur constituti miseria, murum alium silice & calce aggressi sunt prouehere: quoniam quem ipsi incementatum erexerant, indifficulter Turci prostrauerant. Ligneam insuper erexêre machinam, quò securiores Christiani se tutare potuissent. Nec etiam bellum interim deerat, quoniam ne murus ageretur, Turci indefessi omnimodis elaborabant. Nox caliginosa, rerum omnium colores occuluerat; & ignis ab occidente de cœlo visus est iminere, & inter Turcorum castra tanquam cadens desæuire. Non enim multum eorum castra differebant à ciuitate, qui sua locauerant tentoria proxima in valle. Et licet ignis indemnis & innoxius eis fuerit, multum tamen eis incussit terrorem, & mœsticiam; Christianis autem solamen & lætitiam: vtrisque siquidem populis, signum illud de cœlò enituit. Quidam autem eorum castris continuò relictis, pauitantes hospitati sunt vbi potuerunt, videlicet propè *Boamundi portam*. Qui verò in municipio remanserant, tota die cum Christianis confligebant, nec ab eorum vel mortibus vel fatigationibus auelli poterant: instabant lanceis & missilibus, & illidebant vulnera vulneribus. Pars autem quæ morabatur in castris, ita ciuitatem circumuallauit, vt nemini pateret in die vel introitus vel exitus. Nocte siquidem aliquandò aliquis poterat exire; sed occultè, nec tamen sine timore. Igitur fames in dies inualescebat, & Christianorum exercitum vltra quàm credi vel dici potest vehementer angebat: multi siquidem expirauerunt fame: Qui viui, vix palpitabant, lurida videbatur eorum facies, quos enormiter deformabat exhausta, protelatis ieiuniis, attenuata macies. Nullos in illa calamitate videres prodigos; imò quosque ditiores, etiam videres indigos: & omnes obesis carnibus, & tenuata inedia macilentos. Panis enim paximatius & permodicus, si quando inueniebatur, Byzanteo comparabatur. De vino melius puto silere quàm dicere: cùm vinum ibi vix aliquis Ducum libauerit. Equinæ carnes vel asininæ, pro Imperialibus computabantur delitiis. Gallinæ præcium, quindecim erat solidorum; ouum, duobus solidis; nux iuglans, vno appreciabatur denario: multos stateres quæque vilia, valebant: folia ficulnearum, vitium & Cardonum, & si quæ inueniebantur aliarum arborum, auidiùs decerptas bulliebant & vorabant: coria caballorum, asinorum, & camelorum, siue bufalorum sicca coquebant, & manducabant: & præterea multas alias ibi passi sunt calamitates & penurias. Coacti sunt etenim cibos olim fastiditos, fame perurgente, dentibus auidis masticare, & deglutire. Nihil enim fuit tam fœdum, tam insipidum, cui fames saporem non attribuerit; cui verecundiam vt gustaret non abstulerit. Hanc passionem continuam tolerauerunt gens miseranda diebus triginta sex. Nemo igitur vera dixisse nos ambigat, nemo submurmuret: cum quibus eduliis viuere potuerint qui messem non collegerant, qui horrea nulla reppererant, qui vrbem longa obsidione depopulatam, & tandem combustam incolebant, qui forum venalium rerum ab indigenis non accipiebant, nullus conuenienter excogitare queat. Admirari quidem potest, sed vnde tam diu vixerint competenter definire non posset. Neque DEO, pro quo talia passi sunt, calumniosè imputandum est; *qui castigat vt corrigat; flagellat autem paterno affectu, omnem filium quem recipit*. In ipsis etenim flagellis misericors est; & bonitas eius secreta, nihil agit perperam vel immisericorditer: DEI namque iudicia nunquam sunt iniusta. Sed CHRISTVS de suis Christianis ita disponebat, vt in ipsis afflictationibus, præter spem Barbarorum, conualescerent: & cùm eos putarent defecisse, superarent. In oppressionibus siquidem suis, quæ eis vt ad liquidum examinarentur contingebant, indesinenter decantabant: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Hæc redarguti, misericorditer, de profundis clamabant &

Psal. 113.

exaudiebantur; & super inimicos suos eleuabantur. *Stephanus* interim *Comes Carnotensis* quem maiores natu elegerant debere præesse consiliis & publicis agendis, homo facundus & singularis scientiæ, aliquantula, vt dicebat, detentus infirmitate, vt dictum est, ad *Alexandretam* secesserat conualescendi gratia: huius reditum omnes expectabant, vtpote quem ducem, quem consiliarium sibi præfecerant. Sperabant etiam si rediret, eius peritiam omnibus valde iocundam; Is autem, nondum capta ciuitate, vt dictum est, ægrotauerat & abierat. Vbi verò audiuit Turcos ciuitatem circumuallasse: his & aliis exercitus rumoribus, (non enim Alexandreta multum remota est ab *Antiochia*) montana latenter conscendit, quæ decliuæ prominebant ciuitati, quatinus pleniter addisceret exercitus vtriusque, vel defectus vel apparatus. Vidit itaque Turcorum innumera tentoria; & ipsos tanquam harenam maris per stadia plurima diffusos: ciuitatem etiam vidit circumuallatam, & paruam Christianorum manum agnouit inclusam. Arbitratus itaq; consodales suos, vel iam omnes deletos vel omnes extimplo delendos: quid enim aliud expers homo arbitrari poterat? Cum suis qui aderant, timore non modico perterritus, cursim fugam iniit & clandestinus discessit. Satis tamen inconsultè, quia nullum allocutus fuerat de Christianorum expeditione. Debuerat siquidem de suis aliquem, clanculo prius mittere, nihil temerè negligere; quid intus ageretur, reuera dignoscere; si posset, eos diligenter consulere: non metum qui omnibus imminebat, sibi soli totum arripere; nec vt quilibet & popularibus indecenter aufugere. Gloriosius enim ei fuerat mori cum fratribus, quàm fugitiuum superuixisse, & in Patriam rediisse. Quam offensam postea, tactus cordis contritione, rediens à Patria in Ierusalem, piauit; & sic omnibus satisfecit. Sed ad tempus, timor inconsultus eum ad inhonestam præcipitauit fugam. Quod ad improperium ei multum imputatum fuit, donec culpam diluit; inclusis etiam nimis obfuit. Postquam enim castellum suum, reuersus spoliauerat; & fugam initam accelerabat, *Imperatori* ad *Philomenam* obuiauit; eique seorsum vocato dixit: *Antiochiam pro certo captam fuisse noueris à Christianis: sed castellum, quod munitissimum prominet vrbi, sibi retinuerunt Turci; & ecce, ciuitatem circumuallatam obsident, & ex municipii propugnaculis expugnant: seu magis vt reor, iam expugnauerunt eam, & omnes viri perierunt. Consule igitur & tibi, & quam conducis genti: Consulo ita & ego: & quam citiùs reuertere, ne fortè incidatis in manus insequentium nos; & vos omnes in ictu oculi pereatis. Quod si secus egeris, dico tibi, in proximo: sed serò, temeritatis huiusce te penitebit.* Imperator confestim accito consilio suo, & *Francis*, qui multi cum eo aderant; quia vtrinque populus *Gallus* & *Græcus*, ad obsessorum adiutorium copiosus confluebat: rem eis ex ordine patefecit & dixit: *Franci, ad quos succurrendum festinaramus, maiore quàm nostro nunc egerent auxilio: quia, vel omnes in morte iam absorpti sunt, vel in captiuitatem abducti sunt. Indigerent ergo, seu qui eos viuificare posset auxiliatore; vel qui eos reduceret virtute præualida, in quam minati sunt ex longinqua captiuitate. Nam ita Comes iste, qui adest, testificatur: nos autem neutrum horum possumus. Auxilium quod eis præparabamus, præproperum anticipauit tempus. Ecquid amplius possumus? Postquam omnes deleti sunt, quid eis nostrum proficeret auxilium?* Illuc quippe laboriosè & dispendio magno tendere, vbi nihil proficias, extremæ dementiæ est. *Visum est igitur nobis, vt ocius reuertamur; ne fortè & nos inutiliter exterminemur. Ecce enim Turci plus solito insolentiores, & præ sanguine effuso tigridibus efferaciores, si nobis irruant, facillimè præualebunt: quia nostri, rumoribus his auditis, excordes illico titubabunt. Reuertamur igitur & rem nostram in tempus crastinum differamus. Veniet, inquam, dies cùm sanguinem effusum, de Turcis perfidis vltum iri proficiscemur. Volo ad præsens moriantur nostri, morte repentina; sed regrediantur, vt viuant: & reseruemus & reparemus eos, ad irascendum & vlciscendum. Interim, post terga terram istam, edicto Imperiali, deuastatum iri præcipimus: vt si quando Turci in nos emerserint, dum nihil hic inuenerint coacti recedant. Porro gentem istius regionis incolam, transferri mandamus in Bulgariam: vt nullius rei redarguamur immemores.* Itaque Franci reuertebantur inuiti, & amarissimè lamentabantur. Multi etiam è pauperibus peregrinis passim moriebantur, ægroti diutinis inualetudinibus. *Guido* Boamundi frater, erat cum Imperatore, donec rumigerulus Comes loquebatur: hic audito loquentis vaticinio, valde contristatus est; & ex ipsis præcordiorum conquestus medullis, lachrimatus est: eiulans ergo clamabat: *Heu! mi frater & karissime domine Boamunde, quid contigit? Quomodo spes populi DEI cecidisti? Putamúsne sic promeruisti? Ve mihi! cur ipse non potius perii? O DEVS quare sic iudicasti? Cur populum tuum sic abe-*

sic abominatus es? Vt quid improperium facti sumus Gentium? Quis mihi det, Boamunde frater dulcissime, vt ego moriar pro te? Moriatur anima mea, gens DEI, Duces totius laudis titulo digni, morte vestra. Hæc dicens & aduncis vnguibus pubentes genas dirimebat, flauamq; Cæsariem decerpebat; Et omnes ad lamenta ciebat auditores. Vix autem consolatus, non tamen lenito dolore, cum Imperatore compulsus est redire. Obrepsit etiam inæstimabilis mœstitudo in populo DEI. Nam Episcopi & Abbates & Presbyteri, pœnè triduo à precibus & laudibus DEI cessauerunt, & profundis gemitibus suspirabant. *Guido* etiam semper in ipso itinere conquerebatur: & gemebat; & in prædictum Comitem, conuitia multa euomebat. Interim etiam
10 omnis exercitus ille, die illo facti sunt stupidi, vt stupore mentis perterriti, penè a se ipsis desipuerint: Tandem tamen redierunt ad se; & voces quærulas & preces placabiles, & lugubres querelas, denuo ad DEVM deuotiùs emisere. *Imperator* autem, nimis festinè verbis credulus *Ilesiensis*, in illa singulari necessitate, nullo Christianis obsessis auxilio collato, *Constantinopolim* suæ quieti satisfaciens reuersus est: Ecce, quantum nocuit exercitui DEI *Stephanus* Carnotensis, qui dum sibi soli consuluit fratribus & commilitonibus suis dimissis, Imperatoris auxiliarem præsentiam, ab eis auertit; & rumores alios quàm eum decuit, non veridicus portiter eructauit. Ex DEI tamen dispositione factum non dubi-
20 tamus, qui disponit omnia suauiter; nec casu fortuito permittit, vel vnum passerem ad terram cadere. Si enim *Alexius* Imperator aduenisset, Turcosque superasset, triumphus genti suæ, non exercitui DEI ascriberetur; & Græcorum multitudini deputaretur, non Francorum fortitudini. Qui autem erant in ciuitate, ad DEVM conuersi, totam suam spem in supernis collocauere: quoniam ab humano adiutorio coacti sunt diffidere. Loquuti sunt ergo ad inuicem de *Lancea Domini* disquirenda. Magnam enim habebant in illa fiduciam, si inueniretur; quoniam ita ex DEO promiserat *Andreas* Apostolus. Ventum est igitur in Ecclesiam Beati *Petri*; & ibi diligenter notato loco super hac re diutius altercatum; præualuit autem sententia plurimorum; & tredecim laboriosis & strenuis homini-
30 bus, qui ibi curiosè foderent, opus illud commiserunt: foderunt ergo à mane vsque ad vesperam: & tandem, eodem Petro cui reuelatum fuerat præsente, repperunt lanceam. Qua cum digna reuerentia leuata, publicus clamor exeritur; &, vt debebatur, lætabundus ad eam fit concursus, & tota deuotione deosculatur. Videres populos lachrimis irroratos, quas extorquebat gaudium: perpenderes gaudium, quod pepererat tantæ rei experimentum. Orta est igitur inter eos tanta lætitia, vt remota omni accidia, deinceps nullius meminerint mœstitiæ: Et ex tunc ausi fuerunt de bello tractare. Consiliati sunt ergo vt nuntios suos ad *Turcorum* Principes dirigerent, qui per interpretem ad eos sua responsa referrent. Miserunt autem duos, *Petrum Heremitam*, & quendam *Herluinum*, linguæ
40 Turcanæ non expertem. Hi duo, satis gnari & industrii viri, ex Christianis Curbaranno suisque ita dixerunt: *Mittunt nos ad vos Christianorum Duces, & omnis Christianorum exercitus, rogantes vt ab eorum infestatione dein absistatis: & Christianos infestari à modò desinatis. Vt quid enim contra eos tentoria vestra locastis, & arma bellaturi vibrando parastis? Quid enim vobis malè faciunt? Nam quid ad vos de Antiochia, pro qua congregati estis? Si iudicio contendere vultis, nunquid terra ista, dictante iustitia, Christianorum non est? Nonne eam prædicatione sua, beatus Christianitati destinauit Petrus? Nunquid in ipsa eadem ipse præsedit Episcopus? Vos autem freti superba tyrannide, fratribus nostris peremptis, ipsam vestro coagulastis imperio. Ecce, iterum ausu temerario in eos militare disponitis. Itáne vobis iustum videtur, quòd si suam terram modo recuperare volunt, neque quicquam de vestro vobis auferre moliuntur, vos è regione, gladiis accincti in insontes insurgatis? Mandant*
50 *igitur quod si pacifici recederitis, omnia vestra vobis absportare permitterent; & si quid velletis de suo gratis contraderent: Si autem, quod melius esset, ad Baptismum suspiraretis, Sacramentum illud vobis libenter impertirent; & terram istam ditioni vestræ restituerent; & semetipsos inimicis vestris, pro vobis, tanquam vterini fratres, opponerent. Sin autem accingimini gladio & si audetis cogitare de prælio, pugnabit securiùs, quem eiusdem causæ, pro qua pugnatur, iustitia tuetur: sed nos, in voluntate DEI, & DEVM promerebimur adiutorem, & iustitiam habebimus assistricem. Si quid respondere habetis, respondentes audiemus.* Tunc Curbarannus, toruo vultu respondisse fertur: *Longè aliter trutinamus: Christianitatem enim vestram, quæ idololatria & abhominatio est, omnino respuimus & abhominamur. Crucifixus vester, quem prætenditis, qui se crucis improperio non potuit eripere, vos nostris eripiet manibus?*

Miramur, quo hiatu terram, quàm diu possedimus, vestram vocare præsumitis, quam ante Petrum illum superstitiosum vestrum, progenitores nostri possederunt: sed illos fallaciis suis, à DEITATIS *sua cultura auertit; eos*) *in nugacissimam sectam vestram deceptos seduxit Pooro, & terra nostri iuris est ab antiquo, & virtus nostra, vobis erasis, nobis eam mox restituet. Quod si nobiscum velletis Turci fieri, quod nobis ad vitam tutandam esset pernecessarium, & istam ciuitatem, & multas alias Regiones vobis committeremus: & quicunque pedites sunt equites sublimaremus; & pro vobis vbique pugnaremus. Quod si & hoc respuitis, vos cogitate de fuga: nos enim prouidebimus nobis de terra subigenda, imo iam subacta.* Legati retrogradum iter arripientes, festini redierunt; & exercitum Christianum de bello imminenti, certiorem reddiderunt: Interim fames inualescebat; & timor Turcorum, corda pauitantium Christianorum, adhuc aliquatenus euitabat. Tandem, Sacerdotum edicto, triduanis expletis ieiuniis; processionibusque per Ecclesias cum lætaniis celebratis; & Christianorum singulis sacrosancto viatico munitis, pugnam ordinauerunt. Sex igitur acies in ipsa ciuitate stabiliuerunt. In acie prima, fuit *Hugo Magnus* cum Francigenis & *Comite Flandrensi*: In secunda, *Dux Godefridus* cum suo bellicoso exercitu: In tertia, *Robertus Normannorum* Dux: In quarta, *Podiensis Episcopus*, secum portans lanceam, quam Christiani sibi præferri desiderabant; & præsidium & tutamentum sibi magnum credebant: *Raimundus* quoque *Comes Sancti Ægidii* remansit, quatinus obseruaret ne *Turci* de Castello descenderent, & in ciuitatem pede libero irruerent: Aciem quintam regebat *Tancredus*, princeps & miles strenuus: Aciei sextæ præsedit *Boamundus*, vt omnibus prouideret, atque singulorum in necessitatibus totus adesset. Episcopi & Presbyteri sermocinabantur, & orabant, & signo reuerendæ crucis, editioribus stantes in locis, omnes consignabant. Exibant autem ordinatè, per portam quæ est ante *Machomariam*. Nec illud silentio supprimendum arbitror: quod dum exirent de ciuitate, pluuiola, tanquam roscida stilla, cecidit: quæ, quasi ros matutinus, irroratos equos & equites ita lætificauit vt equi tanquam exhilarati hinnire cœperint: equitum animi dulcorati, vegetiores & alacriores fuerint; & omnes seipsos promptiores & expeditiores senserint. Fuit tamen pluuia illa tam subtilis & modica, vt vix pluuiam fuisse dixerint; sed quasdam guttulas rorantes plus senserint, quàm viderint. Hoc enim nobis à multis relatum est probabilibus personis. Quis autem, hoc diuini muneris largitatem dubitauerit? quis, guttularum irrorantiam DEI suos visitantis benedictionem nescierit? Ad bellum igitur iam maiori fiducia procedebant animati. Curbarannus dixisse fertur: *Plus ad fugam hi properant quàm ad pugnam.* Tantæ siquidem animositatis & stoliditatis erat, vt nullam generationem audere sibi obuiam venire arbitraretur. Postquam tamen illos vidit nec hac nec illac formidolosos deuiare, sed gressu maturato procedere, iterum non erubuit dicere: *Hæ contemptibiles caniculæ de bello forsitan audebunt præsumere?* Dicitur etiam aliquantulum timuisse, & præ ira efferum expalluisse. Prius enim dixerat suis dum Christianos videret exeuntes: *Sinite eos huc vsque accedere, vt liberius deglutiamus eos in nostra potestate. Exeant; veniant: nos enim eos statim circumcingemus, & præualebimus, & suffocabimus.* Christiani verò gradatim ibant, nec alius alium inordinatè præproperabat. Iccirco *Curbarannus*, vt dictum est, maiori metu diriguit, solutisque solitis viribus corporis, animo friguit. Mandauit igitur clam procuratori suo, quem *Admiralium* vocant, qui suis rebus præerat, vt si videret in capite sui exercitus ignem accensum fumigare, suos sciret superatos: & ille confestim dato signo, suisque omnibus sublatis recederet: ne forte populus qui cum eo erat, vel in papilionibus, totus deperiret. Curbarannus autem acies ordinatas speculatus, & maiores quàm audierat copias intuitus, pedem paulatim astutus ad montana retrahere cœpit, vt eos fugere putantes, *Franci* præcipites insequerentur; & ob id exordinati, possent faciliùs lædi. Tunc & Turci, cùm nihil ita proficerent, disgregati sunt ab inuicem: pars à mari veniebat; alii stabant in loco, sperantes includere posse se Christianos. Econtra Franci hostilium insidiarum non ignari, ex acie Ducis Godefridi & Roberti Normanni partem assumpserunt, quam aciem septimam statuerunt; & illis quendam *Reinaldum* præfecerunt, qui venientibus à mari Gentilibus confestim obuiauerunt. Turci verò in eos instanter præliabantur, & multos ex illis sagittauerunt; seu illis quælibet alia mortis genera atrociter intulerunt. Aliæ Christianorum turmæ ordinauerunt se extendendo à mari vsque ad montana: quod interstitium quasi duorum dicitur esse

esse miliariorum. Et à montanis & à mari sagaciter instabant *Turci*, Christianos circumcingentes, & eos vndique infestantes. Ecce Deo gratias, ab ipsis montanis visus est exire exercitus innumerabilis, equis albis insidentes, & vexilla candida in manibus præferentes. Hoc multi viderunt Christianorum, & sicut putant Gentilium; & hæsitantes, mirabantur quidnam esset. Tandem vtrique cognouerunt signum de cœlo factum: Cognouerunt enim duces illius agminis, *Sanctum Georgium* & *Sanctum Demetrium*, & *Sanctum Mercurium*; sua signa ferentes, præcedere. *Sarracenis* ergo visio hæc multum incussit timorem; Christianis autem spem auxit meliorem: Istos animauit, illos exanimauit. Hoc, qui affuerũt multi contigisse testati sunt: non tamen id omnes videre potuerunt; sed quibus Dominus voluit arcanum suum reuelare: Reuelauit autem aliis ad confusionem, aliis ad instantis triumphi ostensionem. Porrò mendacii nemo nos redarguat: quia nihil ex corde nostro fingimus; sed quod audiuimus, id testamur: & testimonium nostrum, ex ore eorum qui affuerunt, verum est. Gentiles è regione maris pugnãtes, postquam pondus belli sustinere non poterant, sicut *Curbarannus* prædixerat, in herbam ignem miserunt; vt videntes qui erant in tentoriis, fugam inirent; & spolia quæcunque possent, secum absportarent. Signo autem quod diximus, cognito, pernices & irrequieti aufugiebant; & tremuli suppellectilem prætiosiorem diripiebant. *Christiani* autem qui ex aduerso pugnabant, iam ad eorum tentoria pugnam diuertebant, vbi maiorem eorum virtutem remansisse non nesciebant. Obstabant adhuc Turci, tota qua poterant obstinatione: alii siquidem pugnabãt, alii tendis spoliandis intendebant. Dux *Godefridus*, & *Rotbertus* Flandrensis, & *Hugo* Magnus, iuxta flumen equitabant, vbi rursus maxima pugnantium erat copia. Hi constanter eos aggressos, vnanimiter repellebant; instabant Gentiles illi pertinaciter, & vtrinque pugnabatur irremediabiliter. Resonabant æneæ cassides, tanquam percussæ incudes, minutatim scintillabat ignis; mutilabantur enses, eliso cerebro humi procumbebant homines; rumpebantur loricæ, fundebantur exta; fatiscentes sudabant equi, nec equis nec equitibus vlla præstabatur requies. Agmina conserta, tenui armorum discrimine vix à seipsis iam distabant; alii siquidem alios, comminus impingebant; & manus manibus, pedes pedibus, corpora corporibus repellebant. Timor tamen super Turcos illapsus diuinitus, eos exterruit; & constantia Francorum inuincibilis, illos admirari & obstupescere fecit, & in fugam coëgit. Cœpit ergo legio tota labare, nec buccina, nec tympanum, nec lituus, nec præco poterat eos reuocare. *Impossibile siquidem est tot Gentes, fuga inita, denuo reuerti, denuo præliari ipse quippe impetus, & communis metus eos exanimat, & in fugam elapsos præcipitat.* Declinauerunt autem Turci fugitantes ad tentoria, vbi multos suorum quos ibi dimiserant succenturiatos æstimabant: sed illi, dum isti decertabant, fugam inierant, postquam vt dictum est, ignem succensum prospexerant. *Franci* verò despoliandis papilionibus manus & oculos ad tempus continentes, eosque diligenter & immisericorditer occidendo persequentes, & ad *Pontem Ferreum* vsq; fugauerunt; & adhuc ad *Tancredi* castellum, passim obtruncando persecuti sunt. Tandem ad tendas eorum reuertentes, quicquid erat concupiscibile diripuerunt; & gazas omnimodas, & equos & iumenta innumera, & oues lanigeras & alimenta copiosa, & quæcumque indigentibus erant necessaria, detulerunt in ciuitatem. Hanc etenim Gentiles habent consuetudinem, vt si quando vadant in hostem, vel causa necessitatis suæ supplendæ, vel supercilio iactantiæ, opes copiosas secũ deuehãt: & equos & asinos & camelos ad subuehendũ, clitellarios faciant; & oues & boues ad comedendũ deduci præcipiant; nec annonam, nec farinã, nec fabam, nec oleum, nec vinum prætermittant. His igitur omnibus in ciuitatẽ abundanter illatis, optatoq; triumpho potiti, cõdignis laudibus Devm benedixerunt; eumq; sui protectorem ac defensorem præsentialiter cognouerunt; hymnosq; gratulabundos in cœlum extulerunt. *Suriani* etiam & *Armenii* qui illas incolebant regiones, videntes Turcos irrecuperabiliter in bello superatos, notos montaneorum anfractus oppilabant, callesq; angustos præoccupabant; & illis immensam deletionem, strictis gladiis, parturiebant. Mactabant siquidem eos velut oues errantes, vtpote præ pauore nimio, totius defensionis immemores. *Admiralius* quoque qui in municipio ciuitatis remanserat, cui Curbarannus castellum illud commiserat, videns suos longe lateque indecenter effusos, antequam omnes Franci rediissent timore perterritus, Christianorũ vexillum rogauit; & accepit, & in municipio in loco edi-

tiori collocauit. Hoc autem ideo fecisse dinoscitur, vt sic & suis & sibi parceretur, nec de municipio reddendo dubitaretur. Erat autem signum illud, quoniam dum rogaretur præsentior aderat, *Comitis Sancti Ægidii*. Quod Longobardi videntes vehementer indignati sunt: quoniam non erat illatum *Boamundi* vexillum, cui confratres illi ciuitatem prælibatis pactionibus, concesserant. Admiralius autem ille pro controuersia pacificanda illa, reddito Comitis signo, Boamundi in turre sublimauit: & tempore colloquii petito, de pace commilitonumque suorum salute, loquutus est. Pacti sunt ergo *Boamundus*, & *Admiralius* ad inuicem quod illi castellani, qui Christiani fieri vellent, de vita securi liberalitate Christiana tractarentur: qui verò legem suam seruare voluissent, indemnes ad tuta loca conducerentur; nec ibi ab eis quæ secum detulissent dolosis exactionibus priuarentur. Pactum hoc ab omnibus firmatum est; & municipium Boamundo confestim redditum est. Admiralius autem ille nec multo post baptizatus est, & liberali Francorum munificentia donatus est: Solebat autem dicere postea, quod sibi Christianitatem peculiariter adoptasset à diuturno tempore. Qui fidei Christianæ recalcitrauerunt, Boamundi conductu in terram suam remigrauerunt. Hoc prælium factum est *quarto Kalend. Iulii, in vigilia Apostolorum Petri & Pauli*. Gentilibus autem sic deuictis, & aliis à ciuitate procul expulsis, & Christianis CHRISTO suo Duce, glorioso triumpho potitis, & condignis DEO laudibus exhibitis, Duces illius speciosæ Christianitatis, in vnum conuenerunt; & communicato consilio, *Hugonem* Magnum, virum non imperitum, ad *Alexium* Imperatorem, *Constantinopolim* direxerunt: quatinus ad ciuitatem recipiendam, quam calamitosis passionibus ei adquisierant, festinaret; iisque similiter iuratas pactiones illibatas conseruaret: ipsi etenim à suis declinare nullatenus volebant: veniret ergo, quatinus neuter à promissis & debitis fraudaretur. *Ad nos*, inquiunt, *veniat, & sicut nobis pactus est, & irremotum comitem à modo se nobis in Ierusalem impertiat. Nolumus de Sacramento quod ei fecimus, adhuc aliquas prætendere occasiunculas, quod tamen certè possemus: nec ipse quin veniat & iuramentum suum teneat, vllam excusationem præferat.*
» *Periurii siquidem ipsa res est, non simulachrum periurii, nisi vltra vires etiam, omni dolositate*
» *remota, obseruare iuramentum elabores.* Iuit Hugo Magnus huiusce Legationis officio functus; sed, quamuis in ipsa expeditione gnauiter multâ manu consilioque peregerit, ibi tamen multum deliquit, vbi ad fratres sicut promiserat, & debuerat, coruini generis Legatus, postea non rediuit. Postquam Hugo prædictus ad Imperatorem recesserat, *Francorum Duces* consilium ordinauerunt, & de conducendo in Ierusalem populo DEI consiliati sunt. Dixerunt ergo: *Populus iste qui multas passus est calamitates, vt Sepulcrum Domini DEI sui videre promereatur, iam multis fatigatus infortuniis, de accelerando itinere palàm conqueritur: & nos itidem multo affecti tædio conquerimur. Prouideamus igitur ipsis quid magis vtile sit: Moras nequaquam vlterius quaslibet censemus innectendas, præter quas ineuitabilis opposuerit necessitas. Sed tamen singula non impetuosè, sed diligenter & modestè sunt æstimanda: Terra per quam ituri sumus, inaquosa est; æstas vltra modum torrida est: aeris adpresens inclementiam ferre non possemus. Longa obsidione, & viribus, & sumptibus exhausti sumus. Sileamus ergo, & quiescamus; & vulneratos & infirmos nostros reparemus; & interim pauperum nostrorum misereamur. Expectemus humida solstitia; & declinemus Cancri & Leonis nociuos successus. Calendis Nouembribus, tempus refrigerabitur: & tunc congregati, vnanimiter condictum iter aggrediamur. Alioquin totum populum intempestiuis ardoribus affligeremus. Hoc autem consilium, turbis flagitantibus, enucleatiùs differatur: Tempus intractabile necesse est declinemus; & hoc omnibus vtillimum perpendimus.* Id in toto exercitu annunciatum est, & tandem ab omnibus collaudatum est. Dispersi sunt ergo duces & familiæ, per finitimas regiones, æstiuandi gratia: & egeni eos subsequebantur, viuendi causa. Dixerant enim Duces: *Si quis egenus est & corpore vegetus, iungatur nobis, & nos omnibus, datis vnicuique stipendiis, subsidiabimur: infirmi publica stipe donec conualuerint, sustententur.* Erat in eodem exercitu miles quidam pectoris non modici, de familiaribus comitis Sancti Ægidii, cui nomen *Raimundus Piletus*: Hic collegit sibi plures homines, milites ac pedites. Collecto igitur quantum potuit exercitu, *Sarracenorum* audacter introiuit terram; & vltra duas ciuitates profectus, ad quoddam deuenit castrum, cui nomen *Thalamania*. Habitatores autē illius castri, quoniā erant *Suriani*, sponte sua se reddiderunt ei. Requieuerūt autem eo in loco ferè diebus octo. Nunciatum est igitur illis, quoniā non longè

[illegible] erat castellum Sarracenorum plenum. Cingulis itaque militaribus ac[illegible] clypeisque obiectis protecti, castellum vndique aggredientes coangustaverunt, & praeualuerunt, & depraedati sunt, & colonos illos humotenus prostrauerunt: Si qui tamen ad Catholicam voluerunt conuerti fidem, illos reseruauerunt illaesos. Reuersi sunt ergo ad prius castellum, victorum potiti gaudio. [illegible] die tertia exierunt; & venerunt ad quandam ciuitatem nomine *Marram*, [illegible] prope eos erat. Conuenerant ibi multi Gentiles ab *Aleph*, & aliis circumiacentibus ciuitatibus, qui contra eos exierunt ad bellum. *Franci* pugnaturos eos ar[illegible] ad pugnam se, nec morâ, castrensium more militum praeparauerunt; [illegible] fefellit eos exinanita spes illorum. *Turci* namque versum ciuitatem cautè re[illegible] runt, non fugientes neque cominus propugnantes; sed quodam astu se pu[illegible] ducentes, & iterum Francos celeri gestu impugnantes: Inuadebant eos & gyro facillimo reuertebantur; & mox reducti equi rursus indifficulter gyrabantur. Franci frequentes sustinebant impetus; nec tutò deuitare poterant instantium concursus: si enim attentarent recedere, Gentiles à tergo, quod & accidit postea, cedentibus insisterent. Sustinuerunt igitur vsque ad vesperam, & laborem & sitis ardorem: aestus quippe erat quàm maximus. Postquam amplius nec laborem poterant sustinere, nec sitis pestem compescere: quoniam ad refocillandum nulla inueniebatur aqua: conati sunt & condixerunt, ad castellum suum conglobati gradatim redire: Sed gens inualida & indocta, pedites videlicet & *Suriani*, ordine spreto, & edicto militum neglecto, coeperunt disgregatim fugere, nimio correpti pauore: Instabant eis Gentiles indefessi, & terga praebentes insequebantur, & cedebant; & lupis atrociores, nemini parcebant. Suggerebat illis vires optata victoria, & praesentis temporis opportunitas. Multi itaque de gente plebeia & pusillanimi, perempti sunt; alii necati gladio, alii suffocati sitibundarum faucium incommodo. Qui viui euaserunt, cum suo Raimundo ad castellum suum redierunt, feceruntque ibi dies aliquot: facta est illa occisio in praedicto *mense Iulio*. Neque enim semper foeliciter successit Christianis: castigabat siquidem eos Dominus de insolentia, ne fortè propter frequentes victorias, mentes eorum aliquantula liuidarentur superbia. Qui verò in *Antiochia* remanserant, votorum compotes, potiti sunt quiete & laetitia: excepto quod dux & patronus eorum *Podiensis Episcopus*, graui corporis detentus incommodo, coepit aegrotare; & infirmatus, aegritudinis lecto recubuit. Paterno igitur ore filios lugubres allocutus, & affatim eos consolatus, viam vniuersae carnis ingrediens, ingrauescente morbo, migrauit in Domino. Factus est itaque luctus immoderatus, in tota CHRISTI militia: quoniam ipse fuerat consilium nobilium, spes orphanorum, imbecillium sustentamentum; militibus homo militaris, clericos clericaliter educebat, & educabat; singulari prudentia praecluebat, eloquens & iocundus, omnibus omnis erat. Vnde factum est, vt eum sicut patrem & Dominum toto venerarentur animo, quoniam singulis affectu patrocinabatur interno. Celebrauerunt autem singultuosus exercitus eius exequias, episcopali honorificentia; & condito eius corpore, quibus potuerunt aromatibus, imperialibus exeniis illud prosecuti sunt: & pupillorum examina patrem defunctum, lachrimabiliter, & solenniter in Ecclesia beati *Petri* sepelierunt. Vix autem ab eius sepulchro populi, crines & ora discerpentes, auulsi, Episcopo defuncto, diutinas immolauere lachrimas, quibus extersis rursum sibi consuluêre. *Comes* enim *Sancti Aegidii*, nullatenus [illegible] nescens pigritiae vel socordiae, quin Gentibus zelo continuo inimicaretur, *[illegible]enorum* ingressus est terram; & peruenit ad *Albaram* non ignobilem eorum [illegible] quam exercitus eius violenter expugnatam, apprehendit; & omnes [illegible] sexus ciuitatis incolas, ad nihilum perimendo redegit; vrbemque [illegible] suo dominio mancipauit. Electum autem in ea Pontificem, virum [illegible] & honestum, consecrandi gratia, miserunt Antiochiam: praefece[illegible] eum in eodem loco antistitem, & populo Christiano dignum dispen[illegible]. Ordinatis igitur ibi quae ad Religionis cultum attinebant, mensis No[illegible] appropinquabat. Instabat igitur eundi iam condictum tempus; ac de [illegible] itinere omnes sollicitabantur. Conueniebant ergo omnes Optimates [illegible] Antiochiam, in qua maior pars exercitus aestiuauerat. Inueneruntautem [illegible] res & exultantes, excepto quod Kalend. Augusti, Podiensem tumu-

lauerant Pontificem. Cœperunt autem postquam omnes conuenerant, de imminenti negotio differere, ne videlicet vlterius disturbarentur ab itinere. *Boamundus* interim in propatulo conquerebatur de ciuitate, quòd nondum totam eam haberet in sua potestate. Alloquebatur enim eos de fœderatis, quas ei fecerant, pactionibus, dum necdum capta ciuitas obsideretur. Pepigerant enim ei totius ciuitatis dominationem, donec res ex integro referretur ad Imperatorem: Comes *Sancti Ægidii* nullo modo poterat emolliri, quin semper de sacramento loqueretur, quod imperatori fecerat, sicuti *Boamundus* ipse collaudauerat. *Periurii,* aiebat, *nusquam volo redargui; nec interim patiar vt tu solus huic vrbi domineris. Sit dumtaxat Ciuitas sub communi custodia, & de via peragenda exoccupatiùs disceptemus. Sin autem,* 10 *pares & coæquales nostri, quod iustum est determinando diiudicent.* Hæc erat insopibilis altercatio inter Boamundum, & Comitem de Sancto Ægidio. Congregati sunt ergo omnes maiores natu, & quorum præminebat peritia, in Ecclesia Beati *Petri,* si qua posset sopiri tanta simultas. Auditæ sunt diligenter vtriusque litigantis questiones, expectantes iudicum peritorum deffinitiones: Itum est in partem, & à viris peritis luculenter & abundè disputatum: dilata est sententia, ne augmentaretur discordia. Dixerunt ergo & Dux *Godefridus,* & Flandrensis Comes, & Robertus Normannus & alii maiores*: quoniam ad præsens nullam dare possumus sententiam, quæ alteri non displiceat, prout poterimus causam istam sub pacis obtentu procrastinemus: interim fiet aliquid.* Responderunt autem expectantibus: *Nullam in præsentiarum dare possu-* 20 *mus sententiam: sed volumus & collaudamus, quatinus ista re pacificè induciata, viam nostram acceleremus, qua peracta, vel ordine iudiciario vel consilii nostri auctoritate, postquam DEO prosperante redierimus, (tantum nobis credite,) vos ad inuicem concordabimus.* Id totum ita concessum est, & sic se simpliciter prosecuturos, manu in manu Episcoporum, firmatum est. *Boamundus* itaque muniuit quod ei redditum fuerat castellum, alimentis & hominibus, armis & excubitoribus: *Comes* similiter, quod præoccupauerat Palatium *Cassiani* Admiralii, & turrem quæ est supra pontem, à portu *Sancti Symeonis.* Tantæ enim erant & ambitiones & simultates, vt neuter alteri crederet, vter sub palliata ambitione ciuitatem sibi attentaret. Nec mirum quantum ad honorem & vtilitatem. *Antiochia* siquidem, ciuitas est pulcherrima & mu- 30 nitissima, & copiosorum reddituum opulentissima. Sunt intra ipsam quatuor montaneæ satis altæ, in quarum vna, sublimiori scilicet, castellum est, quod omni ciuitati prominet. Deorsum ciuitas est decenter ædificata, & duplici muro circumambita: Murus interior amplus, & in aera porrectus est, & magnis quadris lapidibus compactus, & compaginatus est: in qua muri compagine, turres sunt quinquaginta quadringentæ, formosis venustatæ mœniis, & defensæ propugnaculis: murus exterior non tantæ est celsitudinis, sed tamen admirandæ venustatis. Continet in se trecentas & quadraginta Ecclesias. Pro suo magno primatu *Patriarcham* habet, cuius Patriarchatui subiiciuntur, centum quinquaginta & tres Episcopi. Ab Oriente quatuor clauditur montaneis; ab Occidente verò, Ciuitatis 40 muros præterfluit fluuius, cui nomen *Farfar.* Octoginta & quinque Reges eam constituendo sublimauerunt & nobilitauerunt: Quorum Maximus & primus emersit *Antiochus,* de cuius nomine *Antiochia* nuncupata videtur. Et quoniam tantæ fuit auctoritatis & nobilitatis, noluerunt eam deuictam temerè dimittere *Franci:* vtpote quæ Caput totius *Syriæ* extiterat; & primatum suum longè lateque protulerat; & Regiones etiam longinquas, eis erat subiugatura. Hanc Christiani per octo menses & diem vnum obsederant, & apprehenderant. Iterum in ipsa ciuitate iam capta, Gentiles obsessos eos tenuerunt per tres hebdomadas. In qua obsidione diuturna tantus confluxit Gentilium conuentus, vt nullus meminerit copiosiorem, vel se vidisse vel audisse, popu- 50 lorum frequentiam. Requieuerunt igitur in ea quinque mensibus & nouem diebus. Tot rebus occurrentibus, noluerunt eam incautè dimittere, sed fideli delegauerunt tutelæ: Comes tamen & Boamundus peculiariter super ea sibimet cogitabant. Ciuitatem ergo, vt dictum est, munierunt; & in mense Nouembri, aliàs profecturi, rebus quibuslibet compositis, Antiochiam exierunt. Comes *Raimundus* cum suo exiuit exercitu & pertransitis duabus ciuitatibus, *Rugia* & *Albaria,* quinto Kalend. Decembris, applicuit ad *Marram,* ciuitatem munitam & opimam, & multis Agarenorum nationibus refertam. Die verò crastina ciuitatem

uitatem expugnare adorsus est; sed obstantibus mœniis & defensoribus, tunc quidem nihil profecit. Subsequutus est *Boamundus* & in die Dominica prædictam venit ad vrbem. Altera verò die, feria scilicet secunda, vrbem viriliter aggressi sunt: Nam & scalas pro muro ciuitatis erexerunt; & tutores mœniorum tota die variis assultibus infestauerunt, & similiter parum eis nocuerunt. Nam & scalæ ad murum erant erectæ, sed *Turcis* occlamantibus & oppugnantibus, nemo præsumebat scandere. Credebant etiam ciues illi se similiter istis obstare posse; sicut & *Raimundo Pileto* ludum obstiterant: sed ad vltimum spes præsumptuosa fefellit eos. *Raimundus* enim *Comes* ligneam compaginari machinam fecit: quæ vt habilior esset ad conducendum, super quatuor eam collocauerat rotulas: fuit autem tantę proceritatis, vt mœniorum culmen despiceret, turrium quoque porrecturam adæquaret. Admouerunt igitur struem illam, propter quandam turrem. Lituorum & tubarum clangebant classica; phalanges armatæ circumuallabant mœnia; Balistarii & sagittarii spicula dirigebant; & qui in arce lignea erant, lapides immensos sursum iactitabant: Sacerdotes & Clerici DEVM suppliciter exorabant, quatinus suam defenderet Christianitatē, præstans illis sospitatem & victoriam. *Wilhelmus de Monte Pislerio* erat in machina, & alii multi. Et quoniam ædificium illud erat muris porrectius, faciliùs eis nocebant: vtpote super quos lapides iaculati desursum ruebant. Percussi verò vel in ancilibus vel in Galeis vel in capitibus, indifficulter oppetebant, & omnimodis deficiebant. Habebant etiam vncinos ferreos, quibus sine intermissione infestabant alii alios. *Turci* nihilominus qui erant in turribus, Christianos sagittis & lapidibus impugnare; *ignem*, quem *Græcum* vocant, in machinam iacere; & nihil otiosum admittere. Christiani è contra, oleum quod maximè illum ignem extinguit, effundere; ascensum attentare, pedemque retrahere: qui muris supererant, formidare, in nullo tamen deficere. Sic prælium illud vsq; ad vesperam protelatum est. Tantum siquidem erat infatigata virtus Agarenorum, vt audacter refellerent versutias Christianorum. *Gulferius* tamen *de Turribus*, vir alti sanguinis, & audaciæ mirabilis, Lemouicensis oriundus prosapiæ, primus audacter scalam ascendit, & vsque in murum pedem tetendit. Ascenderunt post eum aliquot; sed non multi: Scala siquidem confracta dissiluit. Defensabat tamen murum viriliter; & Paganis expugnatis, socios & nutu & voce conuocabat. Interim alia scala festinanter erecta est, & per eam gradiebantur multi pedites ac milites: denique tot ascenderunt vt murum magna ex parte præoccupauerint, & ciues expugnando reiecerint. Insurrexerunt tamen Pagani, totisque viribus Christianos aggressi sunt. Tanta siquidem virtute illos aliquotiens impetierunt, vt Francorum aliqui è muro se dimiserint, timore subacti. Plures tamen in muro remanserunt, qui tam diu frequentes impetus tolerauerunt, & recompensauerunt, quousque Christiani murum suffodissent, & aditum patefacerent. Quo Turci cognito ad desperationem vsque timuerunt, & in fugam irreuocabiliter præcipitati sunt. Capta est igitur *Marra* ciuitas opulenta, horâ vespertinâ, die Sabbathi, *tertio idus Decembris.* Visum est Maioribus ciuitatis, in tanta trepidationis miseria, filiis & vxoribus suisq; suppellectilibus ascitis, coire in Palatium quod supra portam erat: vt sic saltem mors repentina dilata temperaretur; & ad viuendum lucrarentur momentum. *Sperant enim omnes morituri summum lucrum, si possint prolongare vitam ad modicum.* Christiani verò vrbem deuictam ingressi sunt; & quicquid gazarum, vel in domibus vel in foueis inuenire potuerunt, rapaciter abstulerunt. Sarracenis autem perimēdis, tanto conatu institerunt, vt vix aliquem viuere permiserint. Non itaque in tota ciuitate, vel platea vel angulus vel domus vel locus aliquis vacabat à cadaueribus: gressus quoque viantium grauiter offendebātur, ab extinctis & condensis corporibus. Pauor qui viuis oriri solet ex mortuis, ibi nullus erat: quoniam mortuos, vbique locorum, tanquam viuos sibi contiguos didicerant: Fœtor illis dumtaxat officiebat: nam sentire vel videre vel inter mortuos dormire sine fastidio iam illis consuetum erat. Qui in Palatio congregati erant, alii perempti sunt, alii in *Antiochiam*, Boamundo iubēte, vel seruitium vel venū deducti sunt; & omnes ita, opibus eorū direptis, dissipati sunt: nam qui deficiebant in via, vel lapidibus obruebantur, vel gladiis confodiebatur: passi sunt itaq; Marrenses ciues infœlices, exterminium quod diximus. Morati sunt autē Franci in eadem ciuitate, mēsem integrum & tres dies. *Oransis* Episcopus infirmatus, ibi recessit à superis & ad superos euolauit. Ex illâ morâ successit exercitui fames valida, quoniā omnia quæ in ciuitate inuenerāt,

equi vel equites consumpserant: nec extra ciuitatem, totâ terrâ depopulatâ, tantulumcunque inuenire poterant, & mercatum nullum habebant: Vnde factum est vt ex ipsa diuturnitate, fames ista, fami quam in *Antiochia* perpessi sunt, præmineret. Compulsi sunt ergo quælibet inhonesta vel inconsueta vel austera, vel etiam illicita, dentibus infastiditis attingere. Relatum est enim & compertum, quod multi carnes Turcinas, carnes scilicet humanas, verutatas & ignibus assas, inuerecundis morsibus tetigere. Exibãt itaque furtim à ciuitate, & procul ignibus accensis coquebant; & nefandis dapibus sumptis, sic etenim miseræ consulebant vitæ, tanquam nihil egerint eiusmodi, reuertebantur. Palam tamen hoc verbum factum est in exercitu: sed quoniam fames præualebat, vltio suspendebatur. Maiores tamen pectus & os percutiebant, & horrentes silebant: nec tamen imputabatur eis pro scelere, quoniam famem illam pro DEO alacriter patiebantur; & inimicis manibus & dentibus inimicabantur. Patrabant equidem illicita, sed legem violari compellebat angustiosa necessitas. *Fames* enim Castrensis omnia appetit, nihil respuit. Quid enim non cogis sæua fames? Hæc enim lues incurabilis est, & cibis ablatis fames augmentatur in dies. Nullam enim grauedinem minus potest homo tolerare quam famem: qua de re multociens contigit, vt quidam famelici, tanquam somniantes, seipsos suis dentibus appetierint. Nihil enim homini, fame est intollerabilius. Alii qui viuere volebant honestiùs, findebant Turcorum corpora: quoniam in eorum visceribus Byzanteos inueniebant; & aurum illud quod glutierant, Christiani sibi tollebant. Tantam inediæ pestilentiam Christiani passi sunt in *Marra*: pleriq; autem fame perierunt præualida. Ibi rursus de concordia loquuti sunt inter *Boamundum* & *Comitem Raimundum*: quæ res postquã nihil profecit, Boamundus confestim iratus Antiochiam reuersus est: & iter in Ierusalem ad populorum detrimentum disturbatum est. *Priuatæ siquidem Principum simultates subiectos pessum dant, & affligunt, dum alter ab altero dissentiunt. Dum enim vnusquisque quod suum est quærit, à communi prouidentiâ tepescit:* populi quoque ad communem perniciem desolantur, vbi consules seipsos non consolantur. Populus itaque Ierosolimitanus multum erat impeditus, pro Ducum suorum querelis particularibus. Iam igitur liber iste tertius finiatur, & ad quartum inchoandum rursus accingamur.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

INCIPIT LIBER QVARTVS.

CAVSA *simultatis* mutuæ inter Principes, re vera erat *Antiochia*: Porrò querelarum *occasiones* erant, quòd alius sacramentum Imperatori factum, palam omnibus prætendebat, quod præuaricari nullatenus volebat; alius donum sibi ab omnibus factum de ciuitate dicebat, & iccirco donum sibi factum obtinere volebat. Vtrumque tamen verum erat: Et quamuis ita se res haberet, quoniam tamen nequibant pacificari, magnum impedimentum hoc erat omni exercitui. Postquam *Boamundus* ad Antiochiam recesserat, *Raimundus* Comes per Legatos suos Principes qui erant Antiochiæ prosequutus est, & vt ei ad Rugiam confabulandi gratia obuiarent, illos alloquutus est. Venerunt *Rugiam* conuocati Principes, Dux videlicet *Godefridus* & *Robertus* Normannus & *Robertus* Flandrensis, & *Boamundum* secum adduxerunt: Loquuti sunt sicuti heri & nudius tertius de concordandis Proceribus. Postquam iterum res ad nullum processit effectum, Principes illi contristati Antiochiam redierunt: quoniam de via maturanda nihil adhuc profecerunt. Nec Comes nec Boamundus ire volebant, quoniam adhuc vehementer de ciuitate disceptabant. Boamundus ire nolebat, nisi ciuitas ei tota redderetur; neque Comes, nisi Boamundus eos comitaretur. Comes Marram reuersus est, vbi Christianus exercitus fame periclitabatur. Compunctos autem corde, animo suo liberaliter dominatus est; & vt DEI militibus consuleret, eundo in Ierusalem aggressus est. Præposuit enim causam DEI, suæ vel voluntati vel vtilitati. *Summa quidem virtus est in Principibus, si sibi ipsis dominentur, nisi pertinaciter obstinentur: In Ducibus enim nimia obstinatio, subditorum omnium est periclitatio.* Imperauit igitur Comes sibi ipsi, ne omnino nocere

ret Christianitati. Procurauit ergo mandando hominibus suis, de palatio *Cassiani* curiosè muniendo. Exiuit igitur *Marram Idus Ianuarii*, nudis pedibus, & coagulauit se spontaneus peregrinis hominibus: hoc enim signum susceptæ peregrinationis, humiliatus Comes ostendit. Facta est itaque in populo Dei magna lætitia; & proficiscentibus illis, adiunctus est ad ciuitatem *Capharda*, Comes de Normannia, & ibi tres quieuerunt dies. *Rex* ergo *Cæsariæ*, pactionem pacis pactus est cum Comitibus. Multociens enim Legatos suos ante Marram dirrexerat, conuentionem hanc condixerat, quòd pacificus esset Christianis, & multa de hiis libenter eis impertiret, nisi ad eum exhæredandum, vel ad regnum suum depopulandum
10 Francorum genus indomitum anhelaret. Fiduciam insuper eis fecit, quod quamdiu suum dilataretur regnum, nullum omnino Christianis fieret offendiculum, eisque copiosum mandaret mercatum. Hanc fidelitatem à Rege Cæsariæ susceperunt, & confidentiores ire perrexerunt. Exeuntes à *Capharda*, castra metati sunt secus fluuium *Pharfar* propè Cæsaream. Cumque vidisset Rex Francos propè ciuitatem suam hospitatos, vehementer indoluit: quoniam castrorum alienigenarum, iuxta se eum puduit. Dixitque, *Nisi summo diluculo castra vestra, à ciuitatis nostræ suburbio remoueritis, vos fœdus initum violabitis; nosque vobis mercatum promissum vetabimus, nosque nobis prouidebimus.* Manè igitur facto duos de suis ad eos direxit, qui eos euadare fluuium edocerent, & exercitum in terram fertilem deducerent. In-
20 trauerunt ergo quandam *vallem opimam* & locupletem, cui super erat *Castellum*, quod extimplo fecit Comitibus securitatem. Deprædati sunt igitur ibi animalium tanquam ad quinque milia. Repertum est etiam ibi multum diuersorum alimentorum, & præ vbertate gratuita refecta est tota Christi militia. Castrenses etiam exercitui dederunt equos, aurumque purissimum, multamq; pecuniam; & iurauerunt se peregrinis nullatenus deinceps nocituros, neque subinde mercatum eis prohibituros. Manserunt autem ibi diebus quinque: porrò inde digressi, ad quoddam *Arabum* applicuere *Castrum*. Exiuit igitur continuò Castelli Dominus cum eis locuturus, & de pace paciscenda tractaturus: facta verò pace, quæ vtrique complacuit parti, ad aliam demigrauerunt ciuitatem, muris pulcherrimam &
30 bonis omnibus opulentam, in quadam valle sitam, nomine *Cephalia*. Ciues autem vrbis illius, aduentum Francorum pertimescentes, vrbem pauitantes exierunt; & ortos oleribus refertos, & domos alimentorum & opum plenas, absterriti reliquerunt, & inconsulti aufugerunt. Quibus omnibus *Franci* gratulanter potiti, die tertia inde processerunt; & altam & immensam montaneam præcipitando transcenderunt; & iterum in vallem vberem descenderunt, vbi dies duodecim quieuerunt. Erat autem haud procul à valle Castellum, Sarracenorum plenum, quod Christiani viriliter aggressum apprehendere nitebantur: & reuera illud deiecissent, nisi Gentiles animalium & iumentorum & pecorum greges foras eiecissent, quibus Christiani direptis, sic à Castello nocte illa quieuerunt. Reuersi
40 sunt ergo ad sua tentoria, deducentes secum, quæ Castrenses emiserant animalia. Diei crepusculo Franci, suis collectis papilionibus, ad idem castrum redibant, putantes se ibi sua metatum iri castra. Gens autem pagana nimium perterrita, noctu secessit, & castellum hominibus reliquit. Introeuntes ergo festinanter Christiani, quamuis vacuum esset hominibus, illud tamen inuenerunt copiosum omnium abundantiarum consolationibus; neque siquidem deerat frumentum, nec vinum, nec farina, nec ordeum, nec oleum. Si quis egens ibi remansit, egestatis molestiam ignauiæ infortunium ei peperit. Ibi celebrauerunt deuotissimi *Purificationem Sanctæ Mariæ* die altera Februarii. Venerunt ibi ad Comites, nuntii Regis *de Camela* ciuitate. Mandauit enim Comitibus Rex illius ciuitatis
50 larga donaria, & de pace cum eis constituit: dixit etiam quòd nunquam Christianos offenderet, imò diligeret ac honoraret: tantùm populus Christianus ei talionem retribueret. Rex autem *Tripolis* suos ad Comites accelerauit nuntios, deducentes eis decem equos, & mulas quatuor, & auri pondus immensum. Quibus oblatis, subintulerunt nuntii: *Rex Tripolis in hæc verba ista dirigit, vt scilicet pacem & amicitiam cum illo habeatis; & eum tanquam ipse vos in veritate diligatis.* Comites cum eo nec pacem fecerunt, nec oblata receperunt, imò fiducialiter responderunt: *Hæc omnia ex te respuimus, quousque fieri satagas Christianus.* Exeuntes autem de valle illa optima, transierunt ad quoddam Castrum quod *Arche* dicitur, pridie idus Februarii: iuxta quod castra locauerunt. Oppidum autem illud innumerabili Pa-

ganorum gente munitum erat, & *Arabum* & *Publicanorum* frequentiis: Defendebant igitur se viriliter. Iuerunt autem quatuordecim milites Christiani versus *Tripolim*, quæ non multum ab exercitu differebat: hi Turcos inuenerunt sexaginta, qui ante se multos conducebant homines, *Sarracenos, Turcos* & *Arabes*, mille circiter quingentos; & animalia plurima. Hos pertinaciter inuaserunt Christiani; & ex illis sex occiderunt, & equos totidem abstulerunt, & alios fugauerunt, & animalia reduxerunt. Francorum siquidem inuincibilis ferocitas, & finitimos & procul positos omnes deterrebat. DEVS etenim sic operabatur in illis, vt etiam nunc quatuordecim, sexaginta superauerint; & residuam multitudinem fugauerint, animalibus ex ipsorum faucibus abstractis. De exercitu *Sancti Ægidii* Comitis exierunt *Raimundus Piletus* & *Raimundus Vicecomes*; & cum militibus non multis, ante *Tortosam* ciuitatem discurrebant: Ibi autem erat Paganorum multitudo non modica. Sero iam facto, secretum recesserunt ad locum, & oportunis in locis pluribus accensis ignibus, tamquam totus ibi aduentasset exercitus, in loco pernoctauerunt. Orto iam sole *Franci* conuenerunt, quatinus ciuitatem aggrederentur: Quam vacuam inuentam inhabitauerunt, quousque ad castellum fuit obsidio. Erat alia ciuitas non longè ab ista, quæ dicitur *Maraclea*: Admiralius autem qui ei præsidebat, pactus cum Christianis, inuexit in illam Francorum vexilla. Dux interea *Godefridus*, & *Flandrensis* Comes, & *Boamundus* venerunt vsque ad *Lichiam* ciuitatem. Boamundus iterum ab illis segregatus reuersus est *Antiochiam*, quam multum desiderabat esse suam. Dux autem & Comes quandam obsederunt ciuitatem, cui vocabulum fuit *Gibellum*, Audiuit Comes *Raimundus* Gentiles cum magnis militantium cuneis aduentare, bellumque Christianis non anceps præparare. Misit ergo ad socios qui Gibellum obsederant, dicens: *Bellum nobis imminet non incertum, & super nos conueniunt agmina Paganorum. Cum ciuitate ergo quam obsedistis, agatis volumus de pace: fratribus tutandis expeditiores adestote. Melius est nos conuenire & pugnare; quàm nos à nobis separari & superari. In bellis mora modica est, sed vincentibus lucrum quàm maximum: Obsidiones multa consumunt tempora; & vix obsessa subiugantur municipia. Bella nobis subdent nationes & Regna: Bello subacti, euanescent, tanquam fumus, inimici: Bello peracto & hoste deuicto, vastum imperium nobis patebit. Tenum est ergo vt conueniamus, quoniam si DEVM promereri poterimus Ducem, & præambulum, non indubitanter statim de inimicis nostris triumphabimus. Accelerate, inquam, ne nos inueniant æmuli nostri, dum venerint, imparatos.* Dux & Comes Legationem gratanter audiebant, quoniam bellum inhianter esuriebant: fecerunt pacem cum Gibellensi Admiralio; & acceptis ab eo muneribus, auro & burdonibus, & aliis quæ complacuerunt pactionibus, ciuitate relicta, confratrum ad auxilium profecti sunt: sed tunc minimè Turcos quos sperabant inuenerunt. Frustrato igitur quod desiderabant prælio, frustrata est illorum præliandi voluntas in illa die: hospitati sunt autem vltra fluuium, & ex illa parte castellum illud obsederunt. Nec multo post equitauerunt ex Christianis quidam ad *Tripolim*, si qua possent obesse Gentilibus illis attentantes. Inuenerunt igitur gentem illam effusam extra ciuitatem, Arabes & ipsos Tripolitanos & Turcos, excursum Christianorum similiter expectantes, & velut in insidiis latitantes. Alii verò pertinaciter inuaserunt alios: Agareni siquidem illos primos impetus aliquantulum sustinuerunt, & diutius obluctati sunt. Tandem percutientibus, terga dedere; & in tergiuersatione illa è suis multos amisere. Ceciderunt etiam ibi multi ex nobilioribus ciuitatis. Mulieres, matres & virgines à pinnarum spectaculis, mala Christianis impræcabantur, & pro suis anxiebantur, & ingemiscebant; & tamen forsitan earum aliquæ probitati Francorum in cordibus suis applaudebant. Tanta fuit eo die Paganorum occisio, & cruoris effusio, vt fluuius qui ciuitatem alluebat, rubuisse visus fuerit; & cisternæ ciuium, quæ in vrbis erant sinu, quas ille fluuius alebat, sanguine illo contaminatæ sorduerint. Incubuit igitur mœror & luctus Tripolitanis quàm maximus, tum pro trucidatis suis maioribus, tum pro cisternis fœda sanguinis incursione pollutis. Porrò die illa duobus affecti damnis, duplices profuderunt lachrimas: Angustiabat eos quod inopinabiliter Franci potiti sunt trophæo; contristabat eos cisternarum suarum, quas magnipendebant, sanguinolenta fœdatio. Exterriti sunt vsque ad defectionem Tripolitani, & vlterius sine obsidione obsessi, non audebant exire ciuitatis portam. Tripolitanorum finitimi eisdem percellebantur infortuniis. *Franci* gratulabunda potiti victoria, hymnizantes DEO, reuersi sunt ad suos. Die altera milites de

tes de exercitu equitauerunt vltra *vallem Desem*, deprædatum terram; & inuentis bobus & asinis, ouibus & camelis, quorum fuit numerus ferè ad tria milia, tantâ onusti prædâ, cum gaudio remearunt ad castra. Sedeant ergo ad castrum illud, nam nimis erat inexpugnabile tribus mensibus & vna die: Celebrauerunt etiam ibi *Pascha* suum, quarto Idus Aprilis. Naues enim Christianorum, de quibus imprimis diximus, ad quendam applicuerant portum satis tutum & castello vicinum: quæ suppeditauerant Castrensibus illis frumentum & vinum, caseum, & oleum, fabam & lardum, & totius vbertatis mercatum. Iccirco & illic tamdiu consederant, quoniam & nauigium eos sustentauerat; & terram opulentam deprædatum 10 frequenter exibant. Exibant, inquam: & quoniam nullatenus à suo fraudabantur voto, ob id lætiores reuertebantur, & ad discurrendum iterum vehementer incitabantur. Ibi etiam multi ex Christianis perempti sunt, quoniam & *Sarracenorum* gladii non semper fuerunt obtusi; nec semper eorum militia fuit otiosa, nec manus inualida: quoniam & occiderunt *Anselmum de Rabamonte*, & *Wilhelmum Picardum*, viros alti sanguinis; & gnaros rei militaris, quorum præclara facinora euidenter comperta sunt in illa CHRISTI militia: Et plures alii ceciderunt: quorum nomina in memoriali vitæ suæ contineat: nos enim, *non omnia possumus omnes*. Tripolitanus autem Rex per internuntios sæpè Christianorum Duces alloquebatur; & omnimodis eorum animos pertentabat: vt datis ei muneribus secum pasciscerentur; Castrum dimitterent, & pactas acciperent pecunias. Christiani de Christianitate illi proponebant, nec aliter à proposito suo diuelli poterant. Rex ille Christianitati nimium recalcitrabat: quoniam Patrum leges, & attauorum consuetudines verebatur & verecundabatur. Tempore procedente nouæ fruges exalbuerant, quoniam tractus ille terrarum maioribus quam citra montanus vaporat feruoribus: & iccirco properantior æstas properantiores maturat messes. Martio mediante fabæ colligebantur nouellæ: Idus Aprilis frumenta secabantur, & vindemiarum redibat autumnus. Loquuti sunt igitur & Dux *Normannus* & *Flandrensis*, & *Tholosanus*, & *Tancredus* de via peragenda: quoniam iam instabat, imò penè transierat temporis opportunitas. Dimisso igitur quod diu obsederant Ca- 30 stello, ventum est ad *Tripolim*, pactique sunt cum Tripolitanis: Rex siquidem quindecim milia Byzanteorum dedit illis, & quindecim equos magni pretii; & reddidit eis trecentos Peregrinos, quos ex diu tenuerat captiuos. Denique sub obtentu pacis, mercatum eis præstitit, vnde refecti sunt vniuersi; & firmiter eis pepigit, quod si bellum quod eis Admiralius Babylonicus præparabat aliquando euincere possent, ipsemet Christianus efficeretur, & terram suam in eorum fidelitate retineret. Itaque discesserunt à ciuitate Maio mediante. Eundum illis erat, & ierunt tota die, per artam & arduam atque inuiam viam; & serò peruenerunt ad Castrum cui nomen *Bethoron*: deinde appropinquauerunt Ciuitati sitæ in littoribus maritimis, quæ dicitur *Zebaris*. Ibi propter aquarum penuriam per- 40 pessi sunt sitis immoderatam angustiam, qua nimis defecti, cursum præparauerunt ad fluuium *Braim*: ibi recreati sunt quantum ad potum, & homines & iumenta. Die verò *Ascensionis Dominicæ* commeare illos oportuit per viam angustam: vbi discursum Gentilium tota die metuebat; metuendo tamen, ab eundo non vacabant. Signiferi & milites, armati præcedebant; & toto exercitui ab insidiatoribus præcauebant: subsequebantur sarcinarum prouisores, & clitellariorum sublenatores: Pone properabat ordo militaris, & omnes omnium aderant necessitudinibus. Sic quotidie sarcinarii mediestini properabant, & eos imbellium turmarum comitabantur greges. Audiebantur buccinæ, & gradatim, nè debiliores deficerent, in via pergebatur: Excubabant vicissim noctibus; & vbi maior ingrue- 50 bat metus, ibi vigilantior præparatur excubitus. Nihil enim inconsultum, nihil inordinatum admittebant: indisciplinati castigabantur, inscii erudiebantur, rebelles obiurgabantur, incontinentes de incontinentia sua redarguebantur, & omnes in commune ad eleemosinam incitabantur. Omnes etiam frugalitati & pudicitiæ studebant; &, vt ita dixerim, quædam schola disciplinæ moralis, in castris erat. Is erat modus & hæc erat forma in Ierusalem ambulantium. Dum hunc disciplinæ rigorem tenuerunt, & affectu caritatiuo redundauerunt, euidenter inter eos DEVS conuersatus est, & per eos bella sua bellatus est. Hæc iccirco diximus, quatinus indisciplinatorum illorum, qui huic expeditioni gloriosæ, supercilioso successerunt, illos extollentes, vitam & viam redarguerimus. Ni-

Nil enim est inter homines vtilius disciplinâ. Montaneis illis, in quibus timebantur hostes, sine hoste transcensis, venerunt ad ciuitatem secus mare, cui nomen *Baruch*; & de illa ad aliam, quæ nuncupatur *Sagitta*; & exinde ad aliam, quæ *Sur* dicitur, & de Sur, ad *Acra*; & de Acra, ad Castellum quod vocatur *Cayphas*; & exinde hospitandi venerunt iuxta *Cæsariam*, vbi die *Pentecostes*, quarto Kalend. Iunii quieuerunt. Quo die solenniter, vt Christianorum mos est, exhausto, collectis papilionibus & itinere rursus quod instabat emenso, ad ciuitatem quæ *Ramula* vocatur, deuenerunt; ibique via fatigati substiterunt: Quorum aduentum ciues Ciuitatis illius reuerentes, quoniam illo in vico contra Christianos confligere ausi non sunt, ipsâ vacuâ dimissâ, fugâ elapsi sunt. Iuxta quam ciuitatulam honorabilis monstrabatur Ecclesia, in qua pretiosissimum Beati *Georgii Martyris* corpus quieuerat: quoniam à Paganis ibi detentus, cursum irroratum fœlix agonista compleuerat. Habuerat hesternis temporibus Episcopum locus iste; sed gentilitati modò mancipatus, amissa Pontificis dignitate, *Sarracenorum* ceruicositati subdebatur inglorius. Ingemuerunt Christiani, amore inuictissimi *Georgii* duntaxat allecti: quem enim audierant & viderant in bello *Antiocheno* præambulum, & præcursorem, & contra gentem erroneam propugnatorem, volebant etiam semper promereri socium & defensorem: solent enim dicere Gentiles, quoniam & eis semper infestus est. Videbant Ecclesiæ parietes venustatos ædificiis, eamque desertam populis: Restituerunt igitur ciuitati desolatæ suam pristinam dignitatem; & electum ei præfecerunt Pontificem. Confidebant enim in Domino, subdendam sibi regionem illam, & iccirco satagebant ad Christianitatis plenitudinem restaurandam. Sed quoniam restitutus Episcopus, quibus viuere posset, possessiunculas nondum habebat: quoniam veprosa fructificabant vniuersa Ecclesiæ illius prædia; Christiani facultatum suarum ei decimas obtulerunt, quibus collatis dapsilitatibus, prædictus Pontifex viuere, & Ecclesiam reficere potuisset. Rogauerunt autem eum & de fidei castitate conseruanda; & de plebe ad fidem Catholicam conuocanda. Suggerebant ei, quatinus æquanimiter pauperatæ Regionis desolationem pateretur: quoniam qui pro Christianis instaurandis olim pauper factus fuerat, non habens vbi caput suum reclinaret, ecce inuocatus, vtpote non inexaudibilis, cum eo efficaciter cooperaretur. Sciret enim suis eum dixisse cooperariis *Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Apud *Ramulam* his ita compositis, iter in *Ierusalem* accelerandum diluculo censuerunt: signo dato, viam ingressi sunt; & sicut diu desiderauerant, ea die ad ciuitatem vsque peruenerunt. Non enim multum distat à Ramula Ierusalem, sed quasi viginti quatuor miliariis. Nocte illa qua in crastinum venerunt in Ierusalem, nulla nox, vt credo, fuit eis in via importunior, seu tædiosior; quæ inueteratæ famis quasi quoddam fuit irritamentum. Cùm enim esurienti à nudius tertius cibus ostenditur, nec porrigitur; quanto censes desiderio, quasi nouo, iterum afficitur? sic qui viam in Ierusalem arripuerant, & tot noctes intempestiuas propter hoc tolerauerant, postquam se die crastina cognouerunt illic adfuturos, quantum impedimentum putas eis nox morosa præstitit? Noctes aliæ, vel algores, vel metus, vel bella illis intulerant; nox ista, quod grauius est, dilatum succendebat desiderium. Vix autumabant diem illam affuturam, quam tamen affuturam non ignorabant, quæ votis suis satisfaceret, quæ desideratam ciuitatem eis ostenderet: Expectabatur illud mane & mox illucescendum non nesciebatur: sed quoniam quasi differebatur, & iccirco dilatus affectus augmentabatur: *Animo siquidem cupienti nihil, satis festinatur.* Illuxit dies, & montana quæ instabant Dei populus indefessus conscendit: ibat ergo gaudenter, quoniam annuis laboribus ea finem fuerat collatura dies. Ea dies erat desiderabilis, tanquam dies postrema mercenarii. Vbi verò ad locum ventum est, vnde ipsam turritam *Ierusalem* possent admirari, quis quàm multas ediderint lachrimas dignè recenseat? quis affectus illos conuenienter exprimat? Extorquebat gaudium suspiria, & singultus generabat immensa lætitia. Omnes visâ Ierusalem substiterunt, & adorauerunt; & flexo poplite Terram Sanctam deosculati sunt: Omnes nudis pedibus ambularent, nisi metus hostilis eos armatos incedere debere præciperet. Ibant, & flebant; & qui orandi gratiâ conuenerant, pugnaturi prius properis arma deferebant. Fleuerunt igitur super illam, super quam & Christus illorum fleuerat: & mirum in modum, super quam flebant, feria tertia, octauo Idus Iunii, obsederunt. Obsederunt,

Matth. 28, 20.

runt, [illegible], non tanquam nouercam priuigni; sed quasi matrem filii. Obsederunt eam [illegible] non illa obsidione quâ dixerat Dominus: *Ecce venient dies in te, & inimici tui circumdabunt te, & coangustabunt te & filios tuos qui in te sunt!* Nunc è conuerso circumdederunt eam amici, & filii coangustauerunt aduenas & adulterinos. Ecce enim nullos habebat in se filios, qui ei consulentes principarentur; sed modò patiebatur dominos extorres & peregrinos, discolas & impuros, qui ei captiuæ, iugo abusiuo dominabantur. Obsederunt igitur eam, non vt liberam captiuarent, sed vt captiuam liberarent. Obsedit eam *Rotbertus* Dux Normannorum à Septentrionali parte, iuxta Ecclesiam beati *Stephani* Prothomartyris, vbi lapidatus à Iudæis obdormiuit in Domino: hunc iuxta *Comes Flandrensis* sua tentoria collocauit. Ab Occidente obsederunt eam Dux *Godefridus* & *Tancredus*: A meridie obsedit eam *Comes Sancti Ægidii*, videlicet in monte *Syon*, circa Ecclesiam beatissimæ Dei genitricis *Mariæ*, vbi Dominus IESVS cum suis cœnauit discipulis. Ierusalem itaque sic obsessa, filiis suis occludebatur; intus autem à populis Mazelinis prophanabatur. Die tertia exierunt castra milites è Christianis, *Raimundus* videlicet *Piletus*, & *Raimundus de Taurina* cum aliis pluribus, vel causa circumspiciendi vel deprædandi: & inuentos *Arabes* ducentos superauerunt & fugauerunt; multos autem occiderunt, & ibi triginta equos apprehenderunt. His ita gestis, alacres reuersi sunt ad suos. Feria secunda, constanter impetierunt ciuitatem: &, vt putabant, reuera tunc præualuissent, si scalas sufficienter præparassent. Strauerunt tamen murum exteriorem, & scalam vnam erectam admouerunt ad interiorem. Super illam autem vicissim ascendebant milites Christiani; & cominus præliabantur in muro cum *Sarracenis*, & eos percutiebant ensibus & lanceis. In illa congressione ex vtroque populo multi perempti sunt, plures tamen ex Gentilibus perierunt. Audito retrahendi lituo, Christiani ab impetu illo tandem destiterunt, & ad castra remearunt. Victualia verò quæ secum detulerant, interim defecerant; nec iam inueniebatur panis ad emendum, nec ire poterant frumentatum: vel quia regio illa nullatenus est irrigua, imò torrida & perarida, & ideo minus iumentis & animalibus opportuna, vtpote pascuis inopima: nec terra illa est nemorosa, & idcirco minus fructifera, excepto quod palmam alit & oliuam: patitur autem & vineam. *Iordanus* ab Ierusalem stadiis ferè triginta, vt putant, seiungitur: lacus habet, sed remotos. Ciuitas suas habet cisternas vnde alitur. Ad radicem montis Syon *Syloe* fons est, sed vix paucos poterat sustentare homines: iuuabat tamen: & magnis expensis modica comparabatur aqua. Equos potum ducebant non sine pauore nimio per sex miliaria. Interim nuntiatum est in castris, naues Christianorum onerarias in portu *Iaphi*, quam antiquo vocabulo *Ioppe* dictam putamus, applicuisse: quod valde omnibus complacuit castrensibus. Consiliati sunt Principes, quomodo euntes & redeuntes tutos facerent, qui è nauibus necessaria deueherent: *Ioppe* siquidem vel Iaphi à Ramula, quasi octo distat miliariis. Porrò *Aschalonitæ*, vel indigenæ, qui vagabantur seu in montaneis siue in excisis præruptorum cuniculis, viatores aliquotiens incursitabant, & obtruncabant. Motus iste, vel rumor, negotiatorum commeatus disturbabat. Ad hoc exequendum summo diluculo de exercitu Comitis Sancti Ægidii, *Raimundus Piletus*, & *Acardus de Montinerlo*, & *Willemus de Sabra*, & centum milites exierunt, & quidam pedites, ad mare procedentes. Ibant autem, sua confisi audacia, militantes ad portum: Incertum habemus an industria, an post agitando moras: viæ ignorantia, diuisi sunt ab inuicem. Triginta namque milites, aliam viam gradientes, seiuncti sunt ab aliis: qui triginta centum *Arabes* inuenerunt, *Turcos*, & *Sarracenos* nonnullos, de Admirauisi exercitu; & audacter eos aggressi sunt, & in prælium conuenerunt. Illi verò è regione pertinaciter restiterunt; confisique multitudine sua, multi paucos circumcinxerunt: Sarracenis enim is modus est pugnandi. Iam incluserant Christianos; & iam de mortibus eorum garrientes confidebant, cùm nuntius Raimundum Piletum vociferans, sic exciuit: *Nisi citissimus ad commilitones tuos euolaueris, auxilium eis perhibiturus, omnes pro certo amisisti: Iam enim circumuallati sunt ab inimicis: adhuc tamen vtcunque se defendunt.* Habenas laxant, & calcaribus cornipedes vrgent æneis; & dicto citiùs omnes aduolant; & scutis pectoribus oppositis, turbas contis depellunt, & oppositos disiiciunt; & vnusquisque suum sternit humi. Ex improuiso siquidem ignaris supersunt, & rem totam gladiis comittunt. Præualebant igitur illis: qui duo rursus statuentes agmina, pu-

Luc. 19. 43.

tauerunt se posse resistere; nec quicquam profecêre. *Franci* siquidem denuo ferociter eos inuaserunt, suosque ab impetu illo taliter liberauerunt: excepto quod *Acardum* de Montinerlo, militem audacissimum, ibi amiserunt, & aliquot ex peditibus. Dederunt ergo *Turci* scapulas, & fugam initam maturauerunt: sed plures cuspidibus insequentium, confossi sunt: insequuti sunt enim eos ferè ad quatuor millia. Retinuerunt etiam ibi centum & tres equos, & vnum hominem viuum, qui quæcunque Christianis præparabantur coactus enarrauit per ordinem. In obsidione interim Ierosolimitana sitis vehemens grassabatur, & perurgebat Christianorum castra: consuebant tamen & boum & bufalorum & equorum coria recentia; & consutis vtribus aquam per sex referebant miliaria. Ducebant equos suos illuc adaquatum: sed Gentiles eis insidiabantur, & ex locorum angustiis grauiter eos aduersabantur. Aqua tamen quam velut diremptam deuehebant, in tantum erat olida, vt equi etiam illam aspernarentur, quâ odoratâ nares contractas rugabant, & præ fastidio nausiæ, sternutabant. Erat autem hæc passio fatigabilis: *diutius enim possunt homines famem dissimulare, quàm sitim.* Si qua fontium signa reperiebantur, vel illa Gentiles obstruxerant, & per alios comeatus diriuauerant; vel ipsi latitantes nocituri latrunculi obseruabant. *Cedron* & alii torrentes æstu torrido aruerant. Panis ordeiceus in castris, erat prætiosus. Indigetes siquidem in cauernis vel in speluncis delitescentes, omnes comeatus abdicauerant. Exercitus itaque Christianus de die in diem in tanta periclitabatur miseria. Designati Principes ad consilium conuenerunt, & quid eis in tantis calamitatibus agitandum instaret, eloquuti sunt. Dixerunt ergo: *Angustia vndique: Panis defecit, aqua deest. Nos ipsi grauiter obsidemur, dum ciuitatem istam obsedisse putamus. Extra castra egredi vix audemus, & tunc vacui redimus. Ex longa mora penuriam hanc contraximus: & nisi praecauebimus, grauiorem contrahemus. Armis & brachio, sine machinis ciuitatem hanc expugnare nequimus. Obstant muri, obstant propugnacula, obstant turres; obstant rebelles, qui intrinsecus redundant, defensores: Quid ergo, Patres conscripti, censetis? Misereamur populo huic; & tandem aggrediamur aliquid, quod nostris prosit omnibus, quod inclusis obsit ciuibus: quod nos etiam ab his laboribus expediat. Grauissimum tamen est, quod huiuscemodi agendis necessarium est. Terra ista non est arborifera: nam si arbores alicubi repperire possemus, machinas equidem facere satageremus, quæ ista despicerent mœnia, quæ turres coæquarent altiores. Quæramus igitur, vel tigna de domibus, vel trabes de Ecclesiis absportemus; vel de qualibet alia materia machinas compactas erigamus; & ciuitatem hanc totis nisibus aggrediamur: alioquin tempus incassum consumimus.* Inuenerunt tandem ligna, quamuis a loco procul distantia, quæ quidem grandi labore attulerunt. Acciti sunt de toto exercitu artifices lignarii, quorum artificio machinæ compaginarentur. Iam igitur instant operi, & alii lignorum inconcignam superficiem componunt; atque alii dolant, alii terebrant, alii ligna lignis copulant: & iam in modico machinas erigebant. Dux etenim *Godefridus* vnam de suis constituebat facultatibus: nec non alteram Comes *Tholosanus* de suis sumptibus statui mandauerat. Instabant igitur artifices illis operibus sagaciter. Nec minus Agareni illi indefessi, de ciuitate munienda sollicitabantur; & nocte turribus inaltandis insistebant, & vrbi defensandæ irrequieti vacabant. Explorauerunt interim viri perspicaciores, qua parte ciuitas immunitior erat; & illuc quodam Sabbatho, nocte intempesta Ducis Godefridi machinam transtulerunt, quam sole exorto erexerunt ab Oriente: Hanc quoque prima & secunda & tertia feria, tota sedulitate præparauerunt & coaptauerunt. Comes autem *Sancti Ægidii* à Meridiana parte, suam erigebat machinam: quas machinas pro suo magno munimine *castra lignea* possumus appellare. Comes autem castrum suum prope murum conduxit: sed inter murum & castrum quoddam profundum patebat præcipitium, quod omnino castello superuenienti erat inuium: Neque siquidem tales machinas ad decliuia posses conducere loca, neque contra montuosos dirigere; sed vt possit conduci semper æquam expectat planiciem. Clamauerunt itaque per exercitum præcones: vt *quicunque in foueam illam tres lapides iaceret, iactis lapidibus vnum denarium haberet.* Omnes igitur quibus illæ moræ fuerunt tædiosæ: vix enim ad linguam refrigerandam pro denario pauxillum aquæ inuenires: vel lapidibus diuehendis libenter insistebant, vel vrbi aggrediendæ inhiabant. Antequam ergo ciuitatē aggrederentur, Pontifices & sacerdotes amictus amicti sacerdotales, alloquuti sunt populares; & aliquis in loco constitutus editiori sic orditus est: *Audite, fratres & domini. Quamuis omnia quæ vobis ad præsens dicturi sumus, vos ipsi noueritis: iam*

tum enim ista multotiens audistis; attamen perpulchrum & dulce & voluptuosum est, de Domino DEO nostro semper sermocinari: semper audire, & efficaciter intelligere vos indesinenter oportet. Vos in ista ciuitate qua coram est, CHRISTVS redemit, in hac Christianismum DEVS instituit; ex hac Christianitatis sacramentum ad nos vsque emanauit. A finibus nostris, vt hic oraremus, & Sepulchrum DEI nostri deoscularemur, aduenimus. Hæc, quam videtis, totius nostri est causa laboris. Hæc tamen, Ierusalem cœlestis instar est: Hæc ciuitatis illius, ad quam suspiramus, forma est. Videtis quanta pertinacia, viles & insulsi & adeo extorres, hanc nobis contradicunt? Videtis quanta stoliditate, quorum iuris non est, quod nostrum esse debet nobis contendunt? Nostis denique qua temeritate sanctuarium DEI polluunt; quàm innumeris fœditatibus, sanctam ciuitatem subdiderunt. Certè, si benè & rectè considerare volueritis, ista Ierusalem, quam videtis, cui aduenistis, cui adestis, illam ciuitatem cœlestem, & præfigurat & prætendit: hanc nobis hostes ecce contradicunt visibiles: porrò semitas ad illam pertendentes inuisibiles obsident inimici, aduersus quos spiritualis constat conflictus. Et grauius est nobis obluctari contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, quàm aduersus carnem & sanguinem quos videmus. Hi qui in ciuitatula illa gannuunt, illorum vmbra sunt, & suis Magistris inferiores & imbecilliores sunt. Quod si isti, qui propè nihil sunt, poterunt euincere, & ciuitatem quam videmus nobis auferre, quid putas Domini facient, audent cum talia serui? *Pro certo timendum est, vt ciuitas illa cœlestis nobis claudatur, nobis auferatur, si nobis desidiosis, à malignis hospitibus nostra domus abdicabitur. Imbelles omnino & inefficaces in lucta spirituali erimus, si contra canes insipidos, nec oblatrare valentes, effœminatos, & inermes, pro quibuslibet mortibus meticulosi, non assurgemus. Expergiscimini igitur, familia CHRISTI; expergiscimini, milites & pedites expediti. & ciuitatem hanc, Rem quidem publicam nostram, constanter capessite; & CHRISTVM, qui adhuc hodie in ciuitate ista proscribitur, & crucifigitur attendite; & de cruce, cum Ioseph, vobis illum deponite; & in Sepulchro cordis vestri, thesaurum illum incomparabilem, thesaurum concupiscibilem, collocate; & istis impiis crucifixoribus illum viriliter eripite. Quotiens enim isti mali Iudices, Herodis & Pilati complices, fratribus vestris illudunt vel angariant; totiens CHRISTVM crucifigunt: quotiens eos tormentant & occidunt, totiens latere CHRISTI cum Longino lanceam infligunt. Hæc quidem omnia faciunt; & quod peius est ipsi CHRISTO, legique nostræ subsannant & improperant, & ore temerario nos exacerbant. Quid igitur agitis? æquùmne est vos hæc audire, vos ista videre, nec ingemiscere? Patribus & filiis & fratribus & nepotibus dico: nunquid si quis externus vestrum aliquem percusserit, sanguinem vestrum non vlciscemini? Multò magis DEVM vestrum, Patrem vestrum, fratrem vestrum vlcisci debetis: quem exprobrari, quem proscribi, quem crucifigi videtis; quem clamantem & desolatum & auxilium poscentem auditis.* Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. (Isa. 63, 3.) *Agite ergo, & arma vestra confidenter vobis coaptate; & ciuitatem hanc constanter, DEI coadiutores, impetite: & pulchrum sit mori vobis pro CHRISTO, in ista regione, pro quibus CHRISTVS mortuus est in ista ciuitate. Vos igitur inchoate bellum; ipse, Dux vester, belli dabit supplementum, & bonæ voluntatis & gloriosæ actionis emolumentum.* Finem dicendi fecerat heros, & omnes iam armis accincti, vrbem vnanimiter impetebant, vnusquisque iam sibi sermocinabatur, vnusquisque sibi erat & Sacerdos & Episcopus: Quarta igitur & quinta feria, nocte & die ciuitati insistebant. Præmissis ergo & orationibus & ieiuniis, singultibus & eleemosinis, & ipsis sacri viatici communione munitis, sextâ feriâ ciuitatem summo diluculo aggrediuntur; nec præualere poterant: qui enim in turribus vel in mœniis erant, sibi inuicem opitulabantur, & ignem & lapides continuò iaculabantur. *Tholosanus* foueâ completâ: tribus enim diebus & noctibus, vix illam consumauerat: conduxit castrum ad murum; morasque suis succensebat. Hora verò, quâ DOMINVS pro Iudæorum voluntate passus est, Christiani non immemores illius passionis: tanquam viribus resumptis recentibus, & quadam noua eis superueniente audacia: Dux *Godefridus* & frater eius *Eustachius*, omnium manibus suisque fortiter præliabantur: duces enim illos reliqui subsequebantur. Tunc quidam miles nomine *Letaldus* murum ascendit, & constanter dimicans, exclamauit. Subsecuti sunt illum illico & alii. Qui verò muros illuc vsque defenderant, passim diffugiebant; nec amplius de ciuitate tutanda

M

procurabant. Christianorum multitudo, ciuitatem ingressa persequebatur fugitiuos; & nemini parcebat. *Admiralius*, qui *Turri Dauid* præsidebat, tremefactus, se Comiti reddidit; eique portam confestim aperuit, ad quam Peregrini suis pecuniis vt intrarent violenter emungebantur: ibi siquidem vectigalia reddere solebant; alioquin, immisericorditer cohercebantur à porta. Ciues ad *Templum Salomonis* fugientes, conuenerunt; & adhuc in illo se defendere præsumpserunt. Dederunt igitur ibi magnos impetus Christianis: sed postquam se nihil viderunt proficere, gladiis proiectis, colla neci submisère. Numerum eorum qui perempti sunt nemo nouit; sed sanguis eorum qui per Templum defluebat, vsque ad suras ambulantium attingebat; & cadauerum per totam ciuitatem magni acerui erant, quoniam nec ætati, nec sexui, nec nobilitati, nec cuilibet conditioni miserebantur Christiani. Tanto siquidem odio persequebantur eos, quia *Templum Domini* & *Sancti Sepulchri* Ecclesiam, & *Templum Salomonis*, & alias Ecclesias suis vsibus illicitis peculiauerant; ac indecenter contaminauerant. Super Salomonis templum quidam diffugerant, qui *Tancredi* signo, vt saltem sic liberarentur, rogato & accepto fortunam quamlibet opperiebantur: sed parum vel nihil profecerunt, quia nec eis Christiani pepercerunt: excepto quod qui mortuos efferrent, ad tempus viuos aliquos reseruauerunt, quos denique vel vendiderunt vel à superis alienauerunt. Et tamen Tancredus inde multum contristatus est: nec tamen super hoc, contra Christianos efferatus est: siluit ergo, & à commotione illa totus quieuit. *Tolosanus* Admiralium, qui ei se commiserat, & *arcem Dauid* sibi reddiderat, & alios qui cum illo erant, vsque *Ascalonam* illæsos conduci præcepit: Ita enim eis pepigerat, pactumque suum illibatum conseruare volebat. Ciuitatem autem illam non more subiugatæ vrbis spoliauerunt, vel cremauerunt; sed sicut domos omnibus bonis refertas inuenerunt, suis necessitudinibus eas peculiatas reseruauerunt: & multi dapsiliter inuenta pauperioribus communicauerunt. Iam verò diu desiderato lætificati triumpho, manibus à cæde ablutis: multi pedibus discalciatis gaudentes, & præ gaudio plorantes, ad *Sepulchrum* Saluatoris deosculandum, cateruatim properauerunt; & ibi gratulabunda donaria, & hostias pacificas obtulerunt. Quis verò iam conuenienter illud explanabit gaudium? Melius ergo vnusquisque cogitet in se, & perpendat quantum debuit esse, quàm sterilem & verborum inopem me causetur interpretem: vnumquemque ergo transmitto ad se, vt sic saltem neuter insurgat contra me. Fuit enim immensum gaudium, vbi omnes quod diu expectauerant adepti sunt. Ibi finem laboris sui videbant; & iam securiores, ex præsentibus de futuris bonis, sibi retributiones affuturas imaginabant. De efferendis autem cadaueribus procurauerunt, quoniam horror & fœtor inualescebat immanissimus: viuis ergo Gentilibus illud opus mandauerunt; & quoniam non sufficiebant, pauperibus Christianis, dato prætio, idem negotium iterum commiserunt: illos verò per piras coaceruatos postea combusserunt, & ita ciuitatem ab immunditiis emundauerunt. Sederunt autem in ciuitate condignas DEO gratias referentes, itineris & laboris sui prosperatori, & de perfidis Gentilibus magnifico Triumphatori. Non enim viribus suis hanc ascribebant victoriam; sed DEO, qui operatus est in eis & velle & posse, totum illud attribuebant. Restituerunt etiam dignitates suas Ecclesiis; & singulas eas coaptauerunt ad opus orationis. Profundebant igitur lachrimas in earum singulis; & vota sua reddebant tota die cum incenso compunctionis. Ducebant equidem dies illas solemnes, & velut sabbatizabant, ferias cuiusdam Iubilei celebrantes. Diem autem illã, qua ciuitatem recuperauerunt, celebrem instituerunt, *quintadecima die Iulii*, feria sexta. Diem quippe illam triumphalem meritò diligunt, quicunque liberationi ciuitatis illius, & victoriæ populi Christiani congaudentes applaudunt. De constituendo etiã ibi rege consiliati sunt; Et huiuscemodi sermonem ad inuicem maiores habuerunt: *Gratias agimus Domino nostro, Proceres egregii, qui nomini suo dedit gloriam; nobis autem seruis suis præstitit victoriam. Videtis, Optimates nostri, ad quem portum requietionis, publicam itineris nostri causam DEVS perduxerit: videtis quo in statu, summam nostræ voluntatis mutua collocauerit: quid autem singula quæ per nos ipse,*

vel

GODEFRIDVS Rex.

vel nos per eum operati sumus recapitularemus? Ecce, tempus instat quatinus aliqui nostrum, quæ diu desiderauimus iam expletis, ad propria redire cogitemus. Sed antequam iste Sanctus soluatur conuentus, prouidendum nobis est, cui hæc ciuitas regenda committatur: ad quem plebs quæ hic remanebit respiciat, qui et tuitionis curam sagax prouisor impendat. Quid enim prodest ciuitatem hanc mille mortibus nos obtinuisse, si, quod absit, contigerit eam nos nequaquam conseruare? Sed, cur à finibus orbis huc aduentauimus? cur tot & tantos labores, ad alium Solis axem properantes, sustinuimus, si tandem vrbe inconsulta reuertimur? Prius ergo consulamus vrbi, vt postea qui reuersuri sunt vacantius consulant sibi. Ciuitas hæc ab antiquo, Regiam habuit dignitatem & simul Patriarchatus obtinuit sublimitatem. Vt enim Melchisedech, Abrahæ contemporaneum quasi prætermittamus, si ad moderniora tempora, veniamus, & à Dauid in Iosiam, & à transmigratione Babylonis, genealogiam & lineam regum computauerimus, fabulam satis longam texuisse videbimur, & tamen ciuitatem hanc Reges habuisse comprobauerimus. Porrò in hac eadem Iacobum, fratrem Domini, Episcopum præsedisse non ambigimus. Qua de re hanc Apostolico dignam approbamus, quod dignitatis nomen in Patriarcham vsurpauit modernior Christianitas. Consideremus igitur virum qui virtute Regali competenter præmineat: qui quantum ad DEVM se seruum exhibeat, quantum ad homines se Regem sentiat; DEI cultum diligat, populum foueat, militiam teneat: Neque siquidem, quæ Sarracenis adiacet ista monarchia, potest defendi sine militia. Itidem de Patriarcha dicimus: quoniam his duabus consulendum est necessitatibus. Regnum, sacerdotio indiget; sacerdotium, Regno sustentandum & tutandum est. Et quoniam hæc singula non ignoratis pernecessaria; & alia iterum nobis supersunt pertractanda negotia, verbis omissis ad effectum veniamus; & Godefridum Ducem eligamus, quem huic ciuitati subrogatum præficiamus. Multa siquidem in eo conueniunt, quæ Regiæ dignitati competunt. Est enim, vt omnes nouimus, vir Regii sanguinis; à proauis Christianæ professionis: more Gallico militia peritus; pectore & brachio vir in re militari efficacissimus: quæ de re per omnia est in hac expeditione singulariter approbatus. Serenitas in eo specialiter præfulget, clementia in eo floret, quæ geminæ sorores præcipuè decent Principes. Dapsilitatem vnicè diligit: quia totum Patrimonium suum & quicquid ex se habuit, in ista militia largiter effudit; imò in DEI seruitio prudenter collocauit. Iste Gentilibus hostiliter inimicabitur; & Christianis viriliter patrocinabitur. Denique vt alienis vtamur verbis, & in breui comprehenderimus plenitudinem oportuni Principis: iste est, qui nouit parcere subiectis & debellare superbos. Hunc igitur iam Diuino alloquamur oraculo, & potestatiuo ei mandemus præcepto. Audi, fili, & vide & obliuiscere populum tuum & domum patris tui, & veni in terram, quam demonstraui tibi, faciamque te in gentem magnam. Ipse fratres habet, ipse cognatos & notos & affines habet; ipse sub se multos habet milites: qui omnes cum eo spontanei remanebunt, & bella DEI, cum eo bellabunt. Tu autem, Princeps optime, quem hodie DEVS elegit in Regem, esto miles DEI & præliare prælia Domini: Ex DEO tibi id iniungimus. Et manibus iniectis eum apprehenderunt dicentes, Et ecce, te Regem post DEVM designamus: Dominus sit tecum actusque tuos dirigat & prærogatiuam morum tuorum, in bonum adaugeat: hostesque suos in manibus tuis affligat. Id ipsum & de Patriarcha dicimus: erit enim & populo DEI & ipsi Regi pernecessarius. Porrò, de persona eligenda nihil ad præsens occurrit melius, quàm vt domnum Arnulfum, virum litteris apprimè liberalibus eruditum, conueniamus; & hunc huic curæ vicarium præficiamus: quousque consilio deliberatiuo, vel ipsum vel alium inthronizandum decreuerimus. Nouimus enim eum iustitiæ censura præminentem, linguæ facundia pollentem: insuper plurima quæ conueniunt Episcopo in eo concurrunt. Sed quoniam non possumus in præsentiarum hoc statuere consilium (ad alia siquidem properamus) rem istam, de quolibet videlicet inthronizando, censemus induciandam: excepto quod domnum Arnulfum nominamus, qui vices suppleat Episcopi, & interim respondeat ore pastoris: ipsemet, vel post cras, si fortè rogantibus adquieuerit, intronizabitur; vel quoquo modo res prouenire debeat, consiliabitur. Ecce siquidem, iurans & eiulans, ne & ipse fiat Pontifex irrefragabiliter obluctatur, sed saltem dandis consiliis præsidiabitur. Nunc interim episcopetur consilio: donec quem DEVS idoneum sibi prouiderit, episcopetur officio. Die octauo, postquam ciuitas capta est, facta electio est Ducis in Regem. Interea nuntii venerunt Tancredo, & Comiti Eustachio, vt expeditè procederent ad recipiendam Neapolitanam ciuitatem: Habitatores nempe ciuitatis illius, in manibus eorum se dedere volebant; qui assumptis satellitibus, & multis clientibus, ad vrbē venerunt: quæ confestim eis & pa-

ex Psal. 44, 12.

cificata & reddita est. Manserunt autem ibi, & lætantes quieuerunt, quousque Dux, imò Rex, ad eos legatos direxit velocissimos, qui eis dicerent: *Audiuimus, & certum est, quoniam Admirauisus Babilonius Ascalone est; & ibi contra nos bellum ingens præparat. Accelerate igitur, & venite, vt & nos iis audacter possimus obuiare, antequam nos possint in vrbe concludere. Iam tunc enim non possemus ex æquo decertare contra eos: Inclusis etiam grauis est & exitus & introitus; & frequenter obiurgat eos inconueniens metus. Porrò si in aperto concurrerimus campo, DEO gubernante, liberior & facilior nobis succedet effectus. Expeditiores equidem sumus armis & manu, quàm illi. Et volumus illis obuiare, vbi nihil adhuc sperabunt se timere.* Illi ciuitatem exeuntes, continuò discurrebant per montana, inuestigantes si fortè alicubi *Sarracenos* inuenirent, quos modo quolibet nocere potuissent. Venerunt itaque iuxta mare ad ciuitatem *Ramulam*; multosque reppererunt *Arabes*, exercitum Admirauisi præcurrentes: quos tota mentis aggressos confidentia, nec mora, disgregauerunt ab inuicem; & quibusdam peremptis, quosdam viuos reseruauerunt, qui eis noua referrent, & de Admirauiso & eius exercitu quæque nuntiarent, quibus auditis ipsi sibi solertiores præcauerent. Ad vnguem igitur singula rimati sunt: qui essent; quàm infinita gens essent; quid pararent; quo in loco se præualituros disponerent. Quibus diligenter auditis, captiui siquidem pro vita pacta enucleatim loquebantur: *Tancredus*, Regi & Principibus per nuntios ita loquutus est: *Sciatis indubitanter contra nos Ascalone bellum paratum; & pœnè totum orbem conuenisse & coniurasse, qui violenter putant nos opprimere & subiugare. Venite igitur, & collectis omnibus vestris viribus*, dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. *Si enim, prout mandastis, imperterriti eis obuiauerimus, pro eo ipso ipsis longè facilius præualebimus. Ipsi conueniunt ad obsidendum nos, & ad ciuitatem expugnandam suas deferunt machinas: nos ex insperato insurgamus eis. Nam postquam præter spem suam viderint rem procedere, obstupescent, & arescent; & sicubi poterunt, diffugient: Nos autem in ipsorum visceribus, capulo tenus enses nostros impingemus; & ex ipsis victoriosi triumphabimus.* Rex per præconem clamauit, quatinus omnes de bello præmunirentur, de quo præmonebantur; & vexillum Regis omnes impigrè subsequerentur. *Inimici siquidem*, ait, *nostri omnes Ascalone conueniunt, in prælium super nos affuturi: procedite ergo illis obuiam omnes, & nullus nisi inualidus remaneat.* Exiuit itaque Rex, & Patriarcha condictus, & Comes Flandrensis & Martaronnensis Episcopus, feriâ tertiâ ciuitatem. Comes namque Sancti Egidii, & Robertus Normannorum Dux noluerunt exire, donec certiores fierent de Admirauisi incursione: *quid enim*, inquiunt, *frustra fatigaremur? Primò rem compertam habeamus, & iam tunc confidentiores exibimus.* Miserunt tamen exploratores de suis, milites qui certa renuntiarent, vt & ipsi renuntiantibus incunctantiùs crederent eis: Qui visis omnibus quæ parabantur, pernici redierunt cursu, & quæ viderant fideli testati sunt relatu. Rex etiam, illorum non satis credulus legationi, *Martaronensem* Episcopum direxit in Ierusalem, qui Principibus testaretur quæcunque parabantur. Ille siquidem rem competentiùs accelerarer, qui oculis suis ea vidisset, atque à latere Regis eadem die discessisset. *Martaronensis*, vt indicta verba comitum referret Patriarchæ & Regi: (iam enim Tholosano & Normanno loquutus fuerat:) in manus deuenit Paganorum; & dubium est an abductus an peremptus: sed postea non comparuit. *Tholosanus* autem & *Normannus*, cum multis reliquis ad bellum profecti sunt; & quarta feria Ierusalem exierunt. Clerus, & rara populi imbecillis frequentia, qui in ciuitate remanserant, & *Petrus Heremita*, & genus imbelle mulierum, processiones de Ecclesia in Ecclesiam agitabant, orationibus & ieiuniis intenti, quatinus DEVS populo suo propitiaretur; atque illorum inimicos, coram eis, forti manu, irrecuperabiliter prosterneret; eosque ab inimicis defensos, cum gaudio sospitatis & triumphi, reduceret. Clerici, sicut dictum est, Missis & reliquis orationibus vacabãt. Primores itaque cum suis exercitibus congregati sunt ad flumen quod est contra Ascalonem: illic inuentis armentis copiosis, opima præda ditati sunt; & quicunq; indigebãt recreati sunt. Venerunt itaq; trecenti *Arabes*, Francos prosequẽtes: contra quos irruerunt Christiani; eosq; duobus ex ipsis appræhensis, vsq; ad exercitum suum fugauerunt. Nec iam de pugna rumor erat incertus: quòd enim solet anceps fama auribus intimare, illud totum, res non anceps, oculis insinuabat singulorum,

cùm

Psal. 2, 3.

10 20 30 40 50

cùm alii alios indubitanter vidiſſent: Chriſtiani poſt illum incurſum ad caſtra remeantes, illa nocte quieuerunt, niſi quod potius omnes excubiis & orationibus incubuerunt. Serò, ex Patriarcha clamatum & interdictum eſt: *ne in craſtinum ad pugnam procedentes Chriſtiani quilibet, ſpoliis diripiendis intenderent, quo minus expediti bello inſtarent, & ipſa ſpoliorum onera ipſis ad vincendum efficerent: Præl operacto, ſpoliis lætarentur opimis; & ſarcinis, hoſtibus deuictis incumberent diripiendis.* Sol terris illuxerat, & populus DEI de bello ineundo cogitabat; intrauerunt autem vallem vnam, ſecus littus maris, formoſa planicie venuſtam: illic vnuſquiſque ſuas acies gregatim ornauerunt & ordinauerunt. *Rex* ſuam acuratè inſtruxit a-
10 ciem; Comes Normannorum *Rotbertus*, ſuam; *Tholoſanus*, ſuam; *Flandrenſis*, & *Guaſton* ſuam; Comes *Euſtachius*, ſuam; *Tancredus*, ſuam: horum vnuſquiſque ſagittarios & pedites ſuos ordinauerunt; & ipſis præmiſſis pedetentim pergebant. Edocebantur autem qualiter occlamarent, qualiter obſtarent; qualiter impenetrabiles inimicos feriendo penetrarent; & vt ad ſigna ſua, nihil reuerentes, frequenter reſpicerent; & ſeipſos ad ictus hoſtiles ſufferendos obdurarent: licet hæc omnia in aliis bellis benè geſtis didiciſſent. Nec minus è regione Gentiles cuneatim, ſtellis innumerabiliores denſabantur; & per agmina innumeræ legiones à latere in latus extendebantur. Præmiſerunt autem quandam gentem, quam *Æthiopes* vocabant, quos in loco ſtatuerunt, & immotos eos manere manda-
20 uerunt. Hi genibus humi defixis, dextro tamen poſtpoſito, ancilibus corpora ſuperiora tutantes, ſagittis vtebantur & gladiis: his imperatum fuerat, ne vel ad momentum recederent; vel locum occupatum ſaltem ad paſſum excederent. Porrò manipuli militares prout erant inſtructi, loca condicta tenebant. Et quoniam ſitis immoderantiam, propter æſtum & puluerulentam nebulam, & propter laborem & diuturnitatem præliandi, metuebant, aquarum cantarulos plenos à collo ſuſpenderant: quibus recentati, vel conſtantius obſiſterent, vel fugientes indeficientius perſequerentur. De fuga quippe ſua, nulla mentio fuerat, quoniam iam ſe viciſſe putabant. Confidebant ſiquidem, & in multitudinibus ſuis innumeris; & in pectoribus gentium animoſis; & in Imperialibus,
30 ne vnquam fugerent, edictis. Dixerant enim: *fugientes capitum animaduerſione, ineuitabiliter puniantur.* Bello vtrinque parato, vt ventum eſt ad locum, vnde *Franci* Gentiles aliquantulum iam propiores inſpicerent, relatum eſt nobis, quoniam Chriſtiani parumper ſubſiſterunt; & oculis in cœlum erectis, genibus in terram defixis, orauerunt: erant enim auxilium de cœlo ſperantes. Vbi verò breuiter oratum eſt; & ſignum ſalutiferæ Crucis reuerenter eorum frontibus admotum eſt, maiori confidentia equitauerunt. Gentiles enim iam ſubſtiterant, & immoti expectabant. In dextro cornu iuxta mare, *Tholoſanus* equitabat: In parte ſiniſtra *Rex* cum ſuis expeditionibus properabat: Porrò *Normannus* in medio, & *Flandrenſis*, & *Tancredus*, & alii militabant: ſed, quid vnus ad centum? quid de-
40 cem ad mille? ſed reuera ille qui aliquando in choro cantari fecerat, *Saul percuſſit mille, & Dauid decem milia:* ipſe die illa operatus eſt haut diſſimiliter in Chriſtianis. Chriſtiani ſiquidem, in nomine Domini IESV CHRISTI exclamantes, illos viriliter aggreſſi ſunt. Comes Normannorum, ecce, pro re benè geſta proprio nomine ſæpe dicendus, *Robertus*, Admirauiſi *ſtantarum* à longè conſiderans, quod in ſummitate haſtæ pomum aureum habebat; haſta verò argento cooperta decenter albicabat: vt ipſum eſſe deprænhendit, audacter per medias acies ſuper eum irruit; & grauiter ad mortem vulnerauit: Quod non mediocrem Gentilibus incuſſit timorem. Comes etiam *Flandrenſis* hoſtiliter eos inuaſit. *Tancredus* per medium tentoriorum, ipſos imperterritus impetiuit. Mili-
50 tes Pagani confeſtim fugam inierunt: Æthiopes ſtupefacti ſubſtiterunt. *Rex* autem & Francorum quidam ad Æthiopes conuerſi, & ibi aliquantulum demorati, eos tanquam ſegetem in tranſuerſo gladiis ſecabant; & eorum corpora detruncantes, dimidiabant. Irrorabantur, ſed potius inundabantur, campi ſanguine; & paſſim morticina Gentilium obuoluebantur. Inſequuti ſunt fugientes eos Chriſtiani: nam Gentiles, DEI virtute tremefacti, reſpirandi locum non habebant, nec aliquatenus reſpirabant. Si enim credendum eſt Gentilibus, ipſi frequenter retulerunt poſtea, quoniam ita ſtupefacti fuerunt, vt apertis oculis Chriſtianos vix poſſent videre; nihil autem omnino eis nocere.

1. Reg. 18, 7.

Non audebant ſe contra Chriſtianos erigere, nec multi contra paucos oblatrare: fugiebant ergo,& alii conſcenſis arboribus vel ſcopulis,mortem euitare volebant; alii cauernarum latibula, eadem de cauſa, introibant: Chriſtiani contra inſiſtentes ſatagebant, alios in præcipitium cogebant, alios pugionibus transfodiebant; alios iugulabant, in commune nulli parcebant. Incubuerat itaque Gentilibus letalis dies, qua nec vni dabatur euadendi occaſio; illi dumtaxat euaſerunt, qui effugere quoquomodo potuerunt. Comes *Sancti Ægidii* à mari militans interfecit innumeros,& fugientes ad ciuitatem arcebat: ſed quoniam ab ipſis ciuitas aliquatenus diſtabat, qui fatigati remanebant, vel confeſtim percuſſi oppetebant, vel in mare ſe præcipitabant; & ſic præcipites à morte in mortem ruebant. Quos enim *Franci* curſu poterant præuenire, illis nullæ dabantur induciæ. Nauigium Admirauiſi mare totum occuluerat; & gens illa finem belli expectabat: videntes autem aliam, quam ſperauerant, ſuis imminere fortunam, ſcaphis aſcenſis, in ventũ obliquauerunt vela,& ſic remigrauerunt ad patriam. Dies itaque illa Babyloniis illis nimium fuit aduerſa: Fuit enim dies tribulationis, & diſperſionis; dies mortis,& confuſionis. Si qui tamen potuerunt, ad ciuitatem fugerunt. Dicunt autem *Admirauiſum*, vix palpitantem altè ingemuiſſe, & ſic planxiſſe: *Omnium Creator, quid eſt hoc? quid accidit? quod fatum nobis infeſtum nocuit? Ei mihi! quàm ineffabile dedecus! quam diuturnum improperium genti noſtræ contigit! Gens mendica, gens modica, genti noſtræ præualuit? vnde hoc? Conuentione facta, huc adduxi militum ducenta milia, & peditum non erat numerus, quos omni mundo credebam præualituros: Nunc autem, vt non mentiar, à minus quàm à mille militibus, & triginta milibus peditum, tam indecenter ſuperati ſunt. Aut DEVS illorum Omnipotens eſt, & pro eis pugnat; aut noſter nobis iratus eſt, & nos nimis auſtero furore redarguit, & caſtigat. Quicquid ſit, vnum erit: in eos denuo non erigar, ſed potius ad patriam meam, ignominioſus donec vixero, reuertar.* His dictis, lachrimabiliter conquerebatur; & ab intimis lamentabatur. *Iuro,* inquit, *per Machometh, & per omnia Deorum numina, quod vlterius non retinebo milites conuentione aliqua: quoniam expulſus ſum à gente aliena & aduena: Conduxi omnia armorum genera & machinamenta, vt eos obſiderem in Ieruſalem;* & *ipſi præuenerunt me ad bellum itinere duorum dierum. Heu mihi! quid amplius dicam? Inhonoratus ero ſemper in terra Babilonica.* Chriſtiani, cæde peracta, reuerſi ſunt ad Hiſmaelitarum tentoria diripienda. Inuenerunt igitur, vt breuiter dixerim, quicquid bonæ ſuppellectilis excogitari poteſt: Argentum, aurum, annonam, farinam, & oleum; armenta pecorum innumerabilium, omnem pompam ornamentorum, cumulos armorum; & ſi quid aliud poteſt eſſe melius. His omnibus dirreptis, in ciuitatem ſanctam *Ieruſalem,* cum gaudio, reuerſi ſunt; condignaſque DEO gratias, per ſingulas retulerunt Eccleſias. Comes Normannorum *Robertus* emit ſtantarum ab his, qui illud ab Admirauiſo ſauciato retinuerunt, viginti marcas argenti,& intulit in *Sepulchrum Domini,* ad monimentum memorandi triumphi: alter emit enſem eiuſdem Admirauiſii, ſexaginta byzanteos. Factum eſt igitur gaudium inenarrabile in vniuerſa Chriſtianitate. Sic Chriſtiani Ieruſalem à manibus Turcorum impiorum, Anno, ab incarnatione Domini, *Milleſimo nonageſimo octauo,* liberauerunt; & multotiens ex ipſis, CHRISTO duce, triumphauerunt. Hoc autem bellum ingens factum eſt *pridie Idus Auguſti;* & Chriſtianitas vbique terrarum, DEO gratias, exaltata eſt. Nos autem librum quartum iſtius hiſtoriæ in pugnam, poſt captam ciuitatem infra paucos dies, mirabiliter deuictam, opitulante DEO, claudimus: & ſic ſoluto promiſſo quieſcimus.

A. D. 1098.

EXPLICIT HISTORIA IEROSOLIMITANA A BALDRICO DOLENSIVM ARCHIEPISCOPO EDITA.

RAIMON-

RAIMONDI DE AGILES
Canonici Podienſis,

10 HISTORIA FRANCORVM QVI CEPERVNT IHERVSALEM.

EPISCOPO VIVARIENSI *domino meo, & omnibus orthodoxis*, Pontius de Baladuno, & Raimondus *Canonicus* Podienſis *ſalutem, & laboris noſtri participationem. Neceſſarium duximus vobis, & Tranſalpinis omnibus manifeſtare magnalia quæ* DEVS *nobiſcum, ſolito pietatis ſuæ more, fecit; & aſsiduè facere non* 20 *deſinit: maximè ideò, quia imbelles & pauidi recedentes à nobis, falſitatem aſtruere pro veritate nituntur. Sed qui apoſtaſiam eorum viderit, verba & conſortia eorum fugiat. Exercitus enim* DEI, *& ſi pro peccatis flagellum Domini ſui ſuſtinuit, pro eiuſdem miſericordia victor ſuper omnem Paganitatem extitit. Sed quia alii per Sclauoniam, alii per Hungariam, alii per Langobardiam, alii per mare venerunt: tædioſum nobis ad ſcribendum de ſingulis fuit. Quapropter dimiſsis aliis, de* Comite Sancti Egidii, & Epiſcopo Podienſi, & *exercitu eorum ſcribere curauimus.*

30 ILLI igitur *Sclauoniam* ingreſſi, multa diſpendia itineris paſſi ſunt, maximè propter hyemem quæ tunc erat. *Sclauonia* etenim eſt tellus deſerta & inuia, & montuoſa, vbi nec feras nec volucres per tres hebdomadas vidimus: Incolæ Regionis adeò agreſtes & rudes ſunt, vt nec commercium nobis, nec ducatum præbere voluerint: ſed fugientes de vicis, & caſtellis ſuis, debiles, anus, pauperes & infirmos, qui à longè præ infirmitate ſua ſequebantur exercitum, ac ſi multum nocuiſſent, vt pecora trucidabant: nec facilè noſtris militibus erat latrones inermes, locorum ſcientes, per abrupta montium & condenſa ſiluarum perſequi: ſed aſſiduè eos ſuſtinebant, nec pugnare valentes, nec ſine pugna eſſe poterant. 40 Quoddam verò facinus egregium *Comitis* non prætereamus. Cùm concluſus eſſet aliquando Comes à Sclauis cum quibuſdam militibus ſuis, impetum fecit in Sclauos, atque vſque ad ſex ex eis cepit. Cumque propter hoc *Sclaui* vehementiùs imminerent, & Comes ſequi exercitum compelleretur, erui oculos eorum, & aliorum pedes abſcidi iuſſit: & naſum & manus aliorum truncari præcepit: vt taliter aliis deterritis & doloris cognitione occupatis, ſecurè Comes effugere cum ſociis ſuis poſſet. Itaque per DEI gratiam de mortis anguſtia, & de loci difficultate liberatus eſt. Quanta verò ibi fortitudine & conſilio Comes claruerit, non facilè referendum eſt. Quadraginta etenim ferè dies in Sclauonia fuimus, in quibus tantam ſpiſſitudinem nebularum paſſi ſumus, vt palpare & per motum 50 remouere eas à nobis aliquatenus poſſemus. Inter hæc Comes aſſiduè in poſtremis pugnans, ſemper populum defendens erat; & numquam prior, ſemper vltimus hoſpitabatur. Et licet alii meridie, alii veſpere; Comes verò frequenter media nocte, vel galli cantu ad hoſpitium veniebat. Tandem per DEI miſericordiam, & Comitis laborem, & Epiſcopi conſilium, ſic exercitus tranſiuit, vt nullum fame, nullum in aperta congreſſione ibi perderemus. Ob illam reor cauſam voluit DEVS, exercitum ſuum tranſire per Sclauoniam, vt agreſtes homines qui DEVM ignorabant, cognita virtute & patientia militum eius, aut aliquando à feritate reſipiſcant, aut inexcuſabiles DEI iudicio adducantur. Tandem poſt multa laborum pericula apud *Scodram*, ad Regem Sclauorum peruenimus: ac cum eo

Comes frequenter fraternitatem confirmauit, & multa ei retribuit, vt exercitus securè emere & quærere necessaria posset. Sed hæc opinio sola fuit: Nam pacis petitæ nos pœnituit: cum per eius occasionem *Sclaui*, de more solito furentes, nostros interficiunt, & quæ poterant ab inermibus arripiunt. Quæsiuimus locum fugæ, non vltionis. Hactenus de Sclauonia. Venimus *Dirachium*: credidimus esse in patria nostra, existimantes Imperatorem *Alexium*, & satellites suos nobis esse fratres & coadiutores. Illi verò ritu leonum incrudescentes, pacificos homines, nihil minus quàm arma cogitantes, inuadunt; per occulta trucidant; in nemoribus, in vicis remotis à castris, quæ poterant per totam noctem furabantur. Et licet sic insanirent, tamen Dux eorum, pacem promittebat; & per pacis inducias *Pontium Rinardum* interfecerunt, & *Petrum* eius fratrem mortaliter plagauerunt: & erant hij principes nobilissimi. Cùmque locus vltionis nobis offerretur, placuit iter, non iniuriarum vindicta; sed incepimus iter nostrum. Habuimus litteras obuiam *Imperatoris* de pace, de fraternitate; & vt ita dicam, de filiatione: hæc autem verbotenus. Nam antè & retrò, dextrorsum & sinistrorsum, *Turci, Comani, Husi, & Tenaces, Pincenati, & Bulgari* nobis insidiabantur. Quadam autem die cùm essemus in valle *Pelagonia*, Episcopus *Podiensis*, gratiâ conuenienter hospitandi, cùm paulisper à castris discessisset, à *Pincenatis* captus est: qui deiicientes eum de mula, spoliauerunt; & in capite grauiter percusserunt. Sed quia tantus Pontifex adhuc populo Dei erat necessarius, per eius misericordiam vitæ reseruatus est. Nam vnus de Pincenatis dum aurum ab eo quereret, à cæteris eum defendebat: Interea sonus exit in castris; & sic inter moram hostium, & impetum sociorum eripitur. Taliter per insidias cùm venissemus ad quoddam castrum, quod vocatur *Bucinat*, didicit Comes quod in angustiis cuiusdam montis Pincenati exercitum nostrum aggredi vellet: qui cum militibus quibusdam in occultis remanens, Pincenatis occurrit, atq; pluribus interfectis, cæteros in fugã vertit. Occurrebant interea pacificæ litteræ Imperatoris; circumdabant nos vndiq; hostes Imperatoriis dolis. Cùm verò venissemus *Thessalonicam*, infirmatus est Episcopus, & remansit cum paucis infra ciuitatem. Post hæc venimus ad quandam ciuitatem nomine *Rossam*: vbi cum manifestè eius ciues in nos multa mala molirentur, paulisper nostra solita patientia displicuit. Itaque arreptis armis, diruuntur antemuralia; capitur ingens præda, & ciuitas in deditionem: atque illatis signis in ciuitatem, & acclamata *Tholosa*, quod erat signum clamoris Comitis, discessimus. Venimus ad aliam ciuitatem, nomine *Rodestol*: vbi cùm milites de roga Imperatoris, pro vindicta sua contra nos agere vellent, multi ex ipsis interfecti sunt, & aliquantula capta præda. Venerunt ibi nobis Legati nostri, quos præmiseramus ad *Imperatorem*: qui accepta ab eo pecunia, omnia prospera nobis apud Imperatorem promiserunt. Quid plura? eò verba Legatorum Imperatoris & nostrorum peruenerunt, vt Comes relicto exercitu, solus cum paucis, & inermis ad Imperatorem festinaret. Dicebant enim quia *Boimundus*, & *Dux Lotharingiæ*, & *Flandrensis Comes*, & alii Principes hoc præcabantur: vt properaret Comes conuenire Imperatorem de itinere Iherosolimitano; vt assumpta cruce, Dux & Imperator in exercitu Dei fieret: ad hæc aiebant Imperatorem dixisse, omnia cum Comite se acturum, & de se, & de aliis, quæ itineris vsui forent: prætereà nuntiabant bellum imminere, & si auctoritas tanti viri abesset, fortassis incommodum fore. itaque cum paucis aduentaret Comes, vt cum exercitus suus venisset, compositis cum Imperatore omnibus, nullis in moram fieret. Victus tandem Comes est, vt hac sola vice relicto præsidio in castris, exercitum præcederet: & sic inermis *Constantinopolim* venit. Facilè autem res gesta, hactenus me scriptorem quibusdam lætitiæ & prosperitatis gressibus comitabatur, quæ tanto acerbitatis & mœroris onere nunc premit, vt incepisse me tædeat, cum perficere votum sit. Quid verò potissimùm, & primùm aggrediar dicere? An Imperatoris fraudulentissimam ac detestabilem ammonitionis dolositatem? An exercitus nostri turpissimam fugam, & inopinabilem desperationem? An mortes tantorum Principum enumerando, perpetui mœroris monumenta relinquam? Hæc autem quicumque nosse desiderat, ab aliis potius quàm à nobis requirat. Hoc vnum valdè memorabile, silentio dignum excusamus: quòd dum omnes nostri castra relinquere, arripere fugam, deserere socios, dimittere omnia, quæ de tam longinquis Regionibus asportauerant, meditarentur, per salutiferam Pœnitentiæ at-

tiæ atque Ieiunii opem, ad tantam constantiæ fortitudinem sunt reducti, vt solus pudor prius habitæ desperationis & fugæ, vehementissimè eos afficeret. Et de his hactenus dictum sit. Honorificentissimè itaque ab *Imperatore* & Principibus suis suscepto Comite, postulat Imperator à Comite *hominium* & iuramenta, quæ cæteri Principes ei fecerant. Respondit Comes: *se ideò non venisse, vt Dominum alium faceret, aut alii militaret, nisi illi propter quem patriam & bona patriæ sua dimiserat. Et tamen fore, si Imperator cum exercitu iret Ierusalem: quod se suosque & sua omnia illi committeret.* Sed Imperator excusat iter, dicens: *se prætimere Alemannos, & Vngaros, & Comanos, aliasque feras gentes, quæ Imperium suum depopularentur, si ipse transitum cum peregrinis faceret.* Interea Comes audita morte suorum & fuga, se proditum esse credidit; & Imperatorem Alexium, per quosdam Principes de nostro exercitu, factæ proditionis commonefecit. At *Alexius* dicit, *se nostros nescisse depopulatos esse, regnum suum; & suos multas passos esse iniurias. Nihil esse quod Comes quærebatur: nisi quod, dum exercitus Comitis solito more villas & castra vastaret, exercitu suo conspecto, fugam arripuerit: tamen se satisfacturum Comiti:* atque Boimundum obsidem satisfactionis dedit. Ad iudicium veniunt: cogitur Comes, præter ius, absoluere obsidem. Interea exercitus noster *Constantinopolim* venit: & post hæc consecutus est nos *Episcopus* cum fratre suo, quem infirmum dimiserat *Dirachii.* Mandat & remandat *Alexius,* pollicetur multa se daturum Comiti, si quæsitum hominium sibi faceret, quod & alii Principes sibi fecerant. Meditabatur autem Comes assiduè, qualiter suorum iniuriam vindicaret; & tantæ infamiæ dedecus à se suisque depelleret. Sed Dux Lotharingiæ, & Flandrensis Comes, atque alii Principes, huiusmodi detestabantur, dicentes: *Stultissimum esse contra Christianos pugnare, cùm Turci imminerent.* Boimundus verò se adiutorem Imperatoris pollicetur, si quicquam Comes contra ipsum moliretur; vel si hominium & iuramenta diutius excusaret. Consilio itaque accepto à suis Comes, Alexio *vitam & honorem iurauit, quod nec ipse, nec per alium ei auferret.* Cumque de hominio appellaretur, respondit, non se pro capitis sui periculo id facturum. Quapropter pauca largitus est ei Alexius. Itaque mare transiuimus, & ad *Niceam* vsque peruenimus. Præcesserant enim Comitem *Dux* & *Boimundus*, atque alii Principes; & obsidioni operam dabant. Est itaque *Nicea* vrbs munitissima, tam natura quàm ingenio. Habet enim ab occidente lacum maximum, muris influentem; à reliquis tribus partibus vallum de restagnatione quorundam riuulorum plenum: Præterea muris ita eminentibus cingitur, vt nullorum hominum assultus, nullius machinæ impetus vereatur: balistaria verò vicinarum turrium, sic respicientia sunt ad inuicem, vt sine periculo nullus accedere possit; Si quis autem propiùs accedere voluerit, obesse cùm nequeat, facilè de altitudine turrium obruitur. Hanc igitur talem, vt diximus, ciuitatem, *Boimundus* obsedit à Septentrione; *Dux* & Alemanni ab Oriente; *Comes* & Episcopus *Podiensis* à Meridie: Nam *Normanniæ* Comes nondum erat nobiscum. Sed hoc vnum reticendum non credimus, quia cum Comes inibi cum suis hospitari vellet, *Turci* de montanis descendentes in duabus turmis, exercitum nostrum aggrediebantur: eo nimirum consilio, vt dum altera pars Ducem & Alemannos impugnaret, qui ab Oriente erant, pars altera Turcarum, per meridionalem ciuitatis plagam ingrediens, ac per alteram portam exiens, nostros facilè à castris propelleret, nil simile cogitantes. Sed qui consilium impiorum subuertere solet DEVS, sic apparatus illorum exinaniuit, vt veluti dispositò, ingredienti iam ferè ciuitatem Turcarum turmæ, hospitari volentem Comitem cum suis immisit: qui primo impetu eos in fugam vertit; atque pluribus interfectis reliquos insecutus est vsque ad montis altitudinem: Pars altera Turcorum, quæ Alemannos oppugnare voluit, exemplo simili fugatur atque prosternitur. Post hoc machinæ extruuntur, atque murus impetitur: sed hoc erat frustrà. Nam murus è contra, firmissimus erat; & viriliter sagittis & machinis defendebatur. Sic pro nihilo hebdomadibus quinque pugnatum est. Tandem per DEI voluntatem quidam de familia Comitis, & Episcopi, satis periculosè ad angularem turrim, quæ respicit ad Austrum accedentes, post vim facta testudine, vnam de turribus cauare ceperunt, & cauando ad terram prostrauerunt. Itaque capta esset ciuitas, nisi noctis tenebræ obstitissent. Instauratus est autem murus ab eis per noctem, & laborem pristinum nobis inane reddidit. Attamen eo metu perterrita ciuitas, ad deditionem sui coacta est. Accedebat eò quòd Imperatoriæ naues, per terram tra-

ctæ, in lacum descenderant. His igitur de causis cùm iam vlterius succursum nullum sperarent, & augeri exercitum Francorum quotidie cernerent, diffisi viribus, Alexio se reddiderunt. Venerat Comes *Normanniæ*. Promiserat *Alexius* Principibus & genti Francorum, quod totum aurum & argentum, & equos, & omnem suppellectilem, quæ intus erat, eis redderet; & Monasterium Latinum, & hospitium pauperibus Francorum ibi faceret: præterea tantum de propriis vnicuique de exercitu daret, vt illi semper militare velint. Hæc igitur *Franci* sperantes verba fidelissima, deditionem laudauerunt. *Alexius* itaque accepta ciuitate, tantam gratiarum actionem exercitui dedit, vt quandiu vixerit, populus semper ei maledicat, & proclamet proditorem eum. Cognouimus tunc quod *Petrum* 10 *Heremitam*, qui longè antè exercitus nostros cum magna multitudine *Constantinopolim* venerat, Imperator eum prodidisset. Etenim ipsum, qui ignarus locorum erat, & totius militiæ, & suos transfretare coëgit, atque Turcis exposuit. *Turcæ* autem de *Nicea*, illam inbellem multitudinem videntes, sine labore & mora, ex eis decollauerunt vsque ad sexaginta millia. Reliqui verò ad munitionem quandam confugientes, gladios Turcarum euaserunt. Quapropter Turcæ audaces & superbi effecti, arma quæ ibi ceperant, & captiuos ad nobiles suæ gentis & Sarracenorum, longè ea mittebant: scribentes ad populos, & ad ciuitates longinquas nihil valere Francos in bello. Profecti igitur à *Nicæa* ciuitate in *Romaniam*, secunda die temerè *Boimundus* cum quibusdam Principibus, à Comite, & Episcopo, ac Duce, digressus est. Cumque in die tertia digressionis suæ tentoria dispo- 20 neret figere, centum quinquaginta millia Turcarum in pugnam aduentare conspiciunt. Dumque ordines pro tempore instruit, & bellum disponit, plures qui sequebantur de exercitu suo perdidit. Inter hæc Comiti & Duci mandauit, vt sibi succurrerent: aberant enim per duo miliaria. Vti autem nuntius Boimundi in castra venit, certatim omnes, equos & arma arripiunt; atque obuiam ire contendunt. Vt autem cognouit *Solimannus* & qui cum eo erant, exercitum nostrum, id est, Episcopi, Ducis, & Comitis, contra suum in pugnam concurrere, de victoria desperans fugere compulsus est: Et qui captiuos & tentoria plurima de castris Boimundi acceperat, per DEI virtutem sua reliquit. Fertur quoddam insigne mi- 30 raculum: sed nos non vidimus: quod duo equites armis choruscis, & mirabili facie, exercitum nostrum præcedentes, sic hostibus imminebant, vt nullo modo facultatem pugnandi eis concederent; at verò Turcæ cùm referire eos lanceis vellent, insauciabiles eis apparebant. Hæc autem quæ dicimus, ab illis, qui eorum consortium spernentes nobis adhæserunt, didicimus. Quod verò pro testimonio adducimus, tale est: Per primam & alteram diem, per totam viam equos inimicorum mortuos cum dominis ipsis reperimus. Itaque deuictis & profligatis *Turcis*, pacificè & alacriter per Romaniam vsque *Antiochiam* venimus. Sed Comes aliquantulum exercitum retardauit, causa infirmitatis suæ. Quod si incredulis ingratum fore satis cognouimus, tamen quod diuina clementia ope- 40 ratur, reticere non debemus. Erat quidam *Comes de Saxonia*, in nostro exercitu, qui ad Comitem *Raimundum*, venit, & legatum se *Sancti Egidii* asserebat; & semel secundoque se admonitum, vt diceret Comiti, aiebat: *Esto securus, non morieris de hac infirmitate: ego tibi inducias à DEO impetraui: ego semper tecum ero.* Et licet satis hæc Comes crederet; tamen ita ea infirmitate affectus fuit, vt depositus de lecto in terram, vix etiam vitalem pulsum haberet. Vnde *Episcopus Aurasicæ* vrbis, officium ei quasi defuncto impendit: sed diuina clementia quæ eum Ducem perfecerat exercitus sui, de morte eum ilicò releuauit; & sospitati reddidit. Igitur cùm *Antiochiam* appropinquauimus, non erat consilium multorum Principum vt eam obsideremus, præsertim cùm hyems immineret; & exercitus tunc diffusus 50 per castella, & imminutus æstiuo tempore fuerat. Imperatoris etiam vires oportere expectari dicebant; & exercitum de Francia, qui venire nuntiabatur, sicque hyemare vsque in verno præcipiebant. At alii de Principibus in quibus erat Comes, dicebant: *Per DEI inspirationem nos venisse; per ipsius misericordiam nos Nicæam, munitissimam vrbem obtinuisse; atque per eiusdem clementiam, victoriam & securitatem de Turcis habuisse; pacem & concordiam in exercitu nostro fuisse: atque ideò Ipsi de nobis committendum esse. Non oportere vereri Reges, aut Regum Principes; nec formidare loca, & tempora, cum DOMINVS de tam pluribus periculis nos eripuisset.* Igitur ad Antiochiam venimus,

mus, atque iuxtà castra posuimus, adeò vt frequenter de turribus hostes, & homines & equos nostros in tentoriis vulnerarent. Et quoniam de *Antiochia* se occasio nobis præbuit, de situ eiusdem loci dicere necessarium esse videtur: vt faciliùs bella & assultus, qui ibi facti sunt, ab his qui non viderunt, intelligantur. Est quædam planities inter montes Libani, quæ in latitudinem per diem vnum, tenet viatorem; & in longitudine diem & dimidium. Hæc autem planities, habet ab Occidente paludem quandam; ab Oriente fluuium, qui quandam partem eiusdem planitiei cingens ad pedes montium, quas in latere habet à Meridie, ita recurrit, vt inter montes & fluuium transitus nullus sit; & sic mari Mediterra-
10 neo, quod Antiochiæ proximum est, influit. In angustiis autem illis quas fluuius iam adhærens supradictis montibus facit, Antiochia sita est: vt ab Occidente fluuius, inferiori muro influens, quandam in modum sagittæ partem terræ, inter se & ipsam ciuitatem relinquit. Hoc modo ab Oriente vrbs sita, surgit in Orientem; atque suo ambitu, trium montium iuga complectitur. Ille verò mons quem à Septemtrione habet, quodam maximo prærupto ab aliis diuiditur, vt ab illo ad alios nullus vel difficillimus accessus habeatur. In colle autem Septemtrionali, castellum quoddam est, & in medio collis castellum aliud, quod lingua Græca *Colax* vocatur. In tertio colle, tantum turres. Tenet autem ciuitas duo milliaria in longitudine, muris & turribus, & antemuralibus ita munita, vt nullius machinæ impe-
20 tus, nullius hominum assultus, etiam si genus omne hominum conueniat, vereatur. Hanc igitur vt diximus talem, tam munitissimam ciuitatem, exercitus Francorum à Septemtrione obsedit. Neque tamen, licet tercentum vel trecenta millia armatorum in exercitu essent, aliquem assultum ibi fecerunt; nisi quod iuxtà, castra sua posuerunt. Erant præterea in ciuitate duo millia optimi milites, & quatuor vel quinque millia militum gregariorum, atque decem millia peditum, & eo amplius. Muri verò ita eminentes, & vallo & paludibus muniebantur; vt portæ custodirentur, cætera secura manerent. Igitur, vt venimus in principio, ita temerè castra posuimus, vt si præcogniti ab eis essemus, aliqua pars castrorum ab hostibus corripi potuisset: cum in exercitu nostro nec vigiliæ, nec modus hospitandi
30 vnquam seruatus sit. Accedebat etiam quod omnia castella regionis eiusdem, & finitimæ ciuitates se nostris reddiderunt, tum timore nostri exercitus, tum amore fugiendæ Turcarum seruitutis. Quæ res exercitum nostrum multum dispersit: ***Volebat enim quisque priuatam rem, maximam facere; de publica verò nihil cogitabat.*** Interea hii qui in castris remanserant, tantam copiam victualium habuerunt, vt de bubus nil præter femora, & armos, & rarissimi pectus leuare vellent; de annona verò & vino, non est dicendum quàm leuissimè acciperentur. Cumque hæc in castris aguntur, hostes sese primò ita occultabant infra mœnia, vt nullus, nisi vigiles, in muris cerneretur. Dum hæc ita didicissent, quod palàm & inermes nostri villas & agros vastarent: nescio vel de Antiochia hostes emissi, vel de alia ciui-
40 tate quæ per dies duos aberat, nomine *Caleph*, venientes, nostros interficere ceperunt, quos palàm euntes & inermes reperiebant. Quæ res aliquantulum copiam in castris nostris imminuerat. Illi verò hostes, facultate cædis & rapinæ, multò acriùs vias obsidebant. Vt autem hæc in castris manifestè comperta sunt, electus est *Boimundus*, vt iret obuius illis. Profecti sunt autem cum illo Comites *Flandrensis* & *Normanniæ*: Neque secum plusquam centum quinquaginta milites educere potuerunt: & nisi pudor reuertendi obstitisset; pro paucitate militum reuerterentur. Itaque perurgente DEO profecti, hostes reperiunt, & persequuntur, atque necari in flumine cogunt. Sic potiti victoria, & spoliis, cum ingenti exultatione ad castra redeunt. Interea *Genuensium* naues littori, quod
50 per decem milliaria aberat à castris, applicuerunt. Vocatur autem locus ille *portus Sancti Simeonis*. Iamque paulatim hostes de ciuitate egredientes, armigeros vel rusticos, qui equos vel boues pascebant vltra fluuium, interficiunt; atque prædam infra ciuitatem deducunt. Posueramus enim tentoria iuxta fluuium, & pontem de nauibus ibi repertis feceramus. Habebat autem & ciuitas pontem quasi in inferiori angulo Occidentali, & monticulum quendam aduersum nos, vbi duæ erant *Bafumariæ*, & quædam sepulchrorum *Casalia*. Hæc autem ideò diximus, vt facilè manifesta sint, quæ ibi facta narrabuntur. Sicut diximus, cum paulatim hostium audacia aliquatenus creuisset, nostri audacter de castris egredientes, licet hostibus frequenter pauciores, tamen illis incurrere non metuebant. Turcæ

autem licet frequenter fusi & fugati, in bellum illicò resurgebant: tum quia velocissimos equos habebant, & expediti, nec graues aliis armis quàm sagittis; tum quia in pontem, quem diximus, spes refugiendi illorum erat, & de monticulo facultatem sagittandi eminus prospiciebant. Aberat enim pons illorum à nostro ponte, quasi per vnum miliarium. In planitie autem, quæ inter vtrosque pontes fuerat, assiduè assultus, quotidiè pugna erat. Contigit verò in principio obsidionis vt *Comes* & Episcopus *Podiensis*, iuxta fluuium castra ponerent; & ideò hostibus viciniores frequentissimè ab eis impetebantur. Sicque factum est, per assultus huiusmodi, vt equos suos omnes deperderent: quoniam *Turci* non lanceis, vel gladiis bellum conferre parati, sed sagittis eminus: iuxta metuendi, dum fugiunt, & dum insequuntur. Cumque iam in tertio mense obsidionis cariùs alimoniæ mercarentur, electus est *Boimundus* & *Flandrensis Comes* vt exercitum propter victualia in *Hispaniam* ducerent, Comite & Episcopo Podiensi præsidio relicto in castris. Nam *Normannia* Comes eo tempore aberat, & *Dux* maximè infirmabatur. Hoc autem cùm hostes comperissent, solitos incepere assultus. Cogitur autem Comes solito more eis incurrere: atque compositis ordinibus peditum, ipse cum aliquantis militibus assultatores persequutus est; atque duos ex ipsis in descensu monticuli cepit, & occidit; & hostes ingredi omnes per pontem coëgit. Quod vt pedites nostri viderunt, remissis stationibus suis & relictis signis, vsque ad pontem illorum permixtim concurrunt. Cumque iam ibi quasi securi facti, lapides & tela in eos qui pontem defendebant, coniicerent, Turci facto agmine, per pontem & per vadum quod inferius erat, contra nostros currere ceperunt. Interea milites nostri equum quendam, vnde dominum suum deiecerant, versus pontem nostrum insequebantur. Quæ populus noster videns, fugam militum arbitratus ad incursus hostium, sine mora hostibus terga præbuit: Turci verò incessanter fugientes interficiunt. Cumque milites Francorum resistere, & pugnare pro suis vellent, à multitudine peditum fugientium apprehensi, per arma & per iubas, & caudas equorum, vel ab equis deiiciebantur; vel pro misericordia & salute suorum, in fugam ferebantur. Hostes verò, sine mora, sine misericordia cædem persequi & spoliare mortuorum ceperunt cadauera. Nostris autem non satis erat relinquere arma, arripere fugam, contemnere pudorem; sed in fluuium immergebantur, obruituri lapidibus vel sagittis hostium, vel sub amne remansuri. Si quem peritia & vis natandi vltrà fluuium euexit, hic ad sociorum castra peruenit. Tenuit autem nostra fuga à ponte illorum vsque ad nostrum pontem. Ceciderunt ibi vsque ad quindecim milites nostri, pedites verò circiter viginti. Interfectus est ibi vexillifer Episcopi, & captum est vexillum eius. Interiit ibi quidam nobilissimus iuuenis *Barnardus Raimundus*, patriâ Bitterensis. Non causentur neque irascantur in nos, serui DEI, si tam apertè pudorem nostri exercitus, memoriæ mandamus: quoniam DEVS, qui hoc modo flagitiosorum, adulterii & rapinæ, mentes ad pœnitentiam concuti voluit, exercitum nostrum in *Hispaniis* eodem tempore lætificauit. Rumor enim de castris nostris egrediens, prospera omnia, atque Comitem nobilissima potitum victoria, Boimundo & sociis eius nuntiauit. Hæc autem fama non mediocriter animos eorum erexit. Etenim *Boimundus* cum villam quandam expugnaret, subitò fugere & clamare quosdam rusticos, de suis audiuit. Cumque obuiam illis milites misisset, *Turcarum* & *Arabum* exercitum cominus inspexerunt. Erat autem inter eos qui profecti fuerant, ad prospiciendum fugæ & clamoris causas, *Flandriensis* Comes & cum eo quidam *Prouinciales*; namque omnes de Burgundia, & Aluernia, & Vasconia, & Gothi, Prouinciales appellabantur; cæteri verò *Francigenæ*: & hoc in exercitu: Inter hostes autem *Franci* dicebantur. Hic autem Flandrensis Comes, vt diximus, pudorem arbitratus, prius de hostibus referre, quàm eis incurrere, inreuocabilis in Turcorum cuneos ruit. Turcæ verò insoliti agere bellum gladiis, fugam pro refugio arripuerunt. Nec prius Comes gladium recondidit, quàm centum de hostibus à vita subduxit. Cumque iam victor ad Boimundum reuerteretur, duodecim milia Turcorum, post se venire conspexit; atque à colle qui proximus erat à sinistris, innumerabilem peditum multitudinem surgere vidit. Tunc communicato consilio cum reliquis de exercitu, rursus assumptis pluribus, viriliter hostes aggressus est. *Boimundus* verò eminus sequebatur cum reliquis, & agmina posteriora custodiebat. Etenim id moris pugnandi apud Turcas est, vt licet pauciores sint, sem-

per ni-

pernitantur cingere suos: quod etiam in hoc bello facere conati sunt: sed prudentiâ Boimundi, hostium insidiæ præuentæ sunt. *Turcæ* verò & *Arabes* qui contra Flãdrensem Comitem veniebant, vt vidêre quod non iam sagittis eminùs, sed cominùs gladiis res gerenda foret, in fugam versi sunt. Prosecutus est eos Comes per duo milliaria: atque vt in agros manipulos messis, sic in hoc agro spatioso cæsorum corpora resupina iacere videres. Hostium verò insidiæ quas Boimundus sustinuerat, simili modo fusæ fugatæq; sunt. Innumerabilis verò turba peditum, quam suprà diximus, per loca equis inuia, fugâ lapsa est. Auderem, inquam, nisi arrogans iudicarer, bellum hoc *Machabæorum* bellis præferre. Quoniam, si Machabeus in tri-
10 bus milibus, hostium quadraginta & octo milia prostrauit; hîc, plus quàm sexaginta milia hostium, ope quadringentorum militum in fugam versa sunt. Sed nos neq; Machabeum contemnimus; nec virtutem militum nostrorum prædicamus: sed DEVM tunc in Machabeo mirabilem, in nostris mirabiliorem annuntiamus. Operæprecium est profligatis inimicis, nostris audaciam decreuisse, ne auderẽt persequi quos præcipitari aspiciebant. Igitur regresso exercitu victore & vacuo, tanta fames in castris fuit, vt vix duo solidi homini sufficerẽt in pane per diem: nec cætera minùs carè accipiebantur. Ceperunt itaq; discedere pauperes, & multi diuites pauperiem verentes: Si qui amore virtutis in castris remanebãt, equos suos diuturna contabescere fame patiebantur. Quippè nec paleæ habundabant; & annona
20 tam cara erat, vt septem vel octo solidi, non sufficerent equo per noctem. Accedebat etiam & alia exercitui calamitas, quod *Boimundus*, qui clarissimus factus fuerat in Hispania, discessurum se aiebat: eò quòd propter honorẽ venerit, & homines & equos suos deperire conspiceret; nec esse se diuitẽ dicebat, cui ad tam lõgam obsidionẽ, rei familiaris opes sufficerent. Quæ postea comperimus eũ ob hoc dixisse, quod ambitione princeps ciuitati *Antiochiæ* inhiabat. Interea terræmotus factus est magnus in Kal. Ianuarii; & signũ in cœlo satis mirabile vidimus. Namq; in prima vigilia noctis, ita cœlum rubicundũ à Septemtrione fuit, vt quasi suborta aurora diem deferre videretur. Et licet hoc modo exercitum suum DEVS flagellaret, vt lumini quod in tenebris oriebatur intenderemus, tamen quorundã mentes ita ce-
30 cæ & præcipites erant, vt neq; à luxuria vel rapina reuocarentur. Prædicauit eo tẽpore *Episcopus* triduanum ieiuniũ; & cum processione, orationes, & eleemosynas ad populum: ad presbyteros autem mandauit vt vacarent Missis & orationibus; & clerici psalmis. Recordatus itaque pius Dominus misericordiæ suæ, filiorum vindictã distulit, ne aduersariorum superbia cresceret. Erat prẹterea in nostro exercitu quidam de familia Imperatoris, quem pro se *Alexius* nobis tradiderat, *Tatic* nomine, naribus truncus, & omni virtute. Huius ego penè oblitus fueram: quiâ obliuioni perpetuæ tradendus fuerat. Hic autẽ quotidie auribus Principum instillabat, vt discederent ad castra finitima, atq; indè frequenti assultatione, & insidiis Antiochiam propulsarent. Hæc autẽ omnia vt Comiti manifestè comperta sunt: æger enim fu-
40 erat, ex die quo fugere apud pontẽ compulsus est: principes suos & *Podiensem Episcopum* in vnum vocat; atque habito consilio, quingentas Marchas argenti illis largitur: ea nimirum conditione, vt si quis militum suorum equum suum deperderet, de illis quingentis marchis illi restauraretur, ac de aliis quẹ fraternitati concessa sunt. Hæc autem conditio confraternitatis, multum illo tempore profuit: quoniam pauperes de nostro exercitu, qui pro colligendis herbis vltra fluuium transire volebant, frequentem hostium assultationem metuebant: & quoniam rarissimè aliqui obuiam hostibus ire volebant, cum equi famelici & debiles essent, atque admodum pauci, vt in toto exercitu Comitis & Episcopi vix centum reperirentur. Similiter *Boimundo* & reliquis contigerat. Hanc igitur ob causam milites nostri,
50 hostibus occurrere nõ formidabant, præsertim ii qui viles vel debiles equos habebãt; cum scirent se, perditis suis, meliores habituros. Accessit autẽ & aliud, quod omnes Principes, præter Comitẽ, Boimundo ciuitatẽ dum cãperetur pepigerunt. Hac itaq; pactione Boimundus, & reliqui Principes iurauerũt, se ab oppugnatione Antiochiæ non discessuros per septẽ annos, nisi ciuitas caperetur. Dum hæc in castris aguntur, rumor etiã exercitũ Imperatoris venire nuntiauit, qui de multis gẽtibus collectus esse nuntiabatur: vt sunt *Sclaui*, & *Pincenati*, & *Comani*, & Turcopoli. *Turcopoli* enim dicuntur, qui vel nutriti apud Turcas, vel de matre Christiana, patre Turca procreantur. Hæ autem gentes, quia nobis in itinere nocuerant, se

præmetuerẽ consortium nostrum fatebantur. Hæc autem omnia *Tatic* ille truncus, composuerat, qui vt discedere posset talia commentabatur. Hic non solùm commentis, verùm etiam maximis impendiis, proditione sociorum & periurio cumulatis, per fugam lapsus est. Cõcessit enim Boimundo, duas nescio aut tres ciuitates, *Tursol, Mamistam*, & *Addeuam*. Taliter igitur sibi & suis mercatus perpetuum pudorẽ, simulato itinere, quasi ad exercitum Imperatoris, dimissis tentoriis & familiaribus suis, cum DEI maledictione profectus est. Nuntiatum est nobis eo tempore quod *Dux de Calep*, conducto magno exercitu de *Corrozana*, ad succurrendum ciuitati *Antiochiæ* veniret. Quapropter habito consilio in domo Episcopi, consultum est, vt pedites castra seruarent; & milites hostibus obuiam extra castra pergerent: dicebant enim quod multi de exercitu nostro, imbelles & pauidi, si viderent Turcarum multitudinem, timoris potius, quàm audaciæ exempla monstrarent. Igitur sub noctem profecti, ne ii qui in ciuitate erant perciperent, atq; his qui in auxilium eorum venerant nuntiarent, longè à nostris castris per duas leugas inter monticulos se occultauerunt. Manè autẽ facto, cum sole hostes apparuerũt. Audiant igitur, audiant obsecro qui aliquando exercitum lædere conati sunt: vt cùm magnificare DEVM suam misericordiam in nobis cognouerint, per pœnitentiæ lamenta ipsi satisfacere contendant. Dispositis itaque militibus, in sex turmis, tantum eos DEVS multiplicauit, vt qui vix septingenti antè ordinationẽ apparebant, habita partitione plusquam duo milia inesse vnicuiq; ordini affirmarentur. De audacia verò eorũ quid loquar? Cùm etiam cantus militares tam festiuè milites agerent, vt quasi pro ludo, imminens bellum haberent. Contigit autẽ in eo loco bellum fieri, quo palus & fluuius, per milliarium vicina sunt. Hoc autẽ hostibus euagandi licẽtiam vetuit, ne more suo accingere possent. Namq; DEVS, qui cetera nobis dederat, sex valles continuas, prodiẽtibus ad bellũ præbuit: atq; vna hora egressi, campoq; occupato, sole etiam refulgente, in armis & clipeis pugna cõmittitur. Nostri autẽ, primò paulatim ceperunt procedere: Turcæ verò discurrere, sagittare; tamẽ recedere. At nostri tantũ patiebantur, dum priores de Turcis, posterioribus infarcirẽtur. Etenim, vt à profugis eorum didicimus, non minus quã viginti & octo milia Turcarũ in hoc bello fuisse referuntur. Vtq; satis prior acies Turcarum subsequentibus inclusa est, inuocato DEO, procurrũt *Franci*. Nec morâ, adest *Dominus, fortis & potẽs in prælio*: protexit filios, & prostrauit inimicos. Itaq; prosequuti sunt eos Franci, vsq; ad castrum eorum munitissimum, quod à loco pugnæ decem milliaribus aberat. Castellani autem suorum fugam videntes, incenso castro fugã arripiunt. Hoc autem totũ, gaudium & exultatio nobis fuit, vt alteram victoriam de incenso castro confiteremur. Eodem itaq; die tãta pugna in castris fuit, vt ibi nullus locus fuerit, versus ciuitatẽ, vbi bellum nõ esset. Composuerant enim hostes, vt dum ab obsessis acerrimè impugnaremur, ab improuisis auxiliatoribus eorum, à tergo opprimeremur. Sed DEVS, qui militibus nostris victoriam conferebat, in peditibus nostris prçliabatur. Nẽc minorem suscepimus eo die de obsessis triumphũ, quàm de fautoribus eorum milites nostri gloriam retulerunt. Igitur potita victoria & spoliis, capita cæsorum ad castra deportata sunt. Et vt hostibus timorem, & testimoniũ de profligato eorũ succursu ostenderemus, delata capita in palis suspensa sunt. Quod dispositione DEI actum esse, postea credidimus. Namq; capto nuper vexillo beatæ semper Virginis Mariæ quasi ad opprobrium nostrum, cuspidem in terra figebant. Itaque actum est, vt visis suorum erectis capitibus ab improperio nostro reuocarentur. Erant eo tempore in nostris castris *Legati à Rege Babyloniorum*, qui videntes mira quæ DEVS per seruos suos operabatur: IESVM Mariæ Virginis Filium glorificabant: qui per pauperes suos, potentissimos conculcabat. Hi autem Legati, gratiam & beneuolentiam apud Regem suum nobis promittebant: præterea plura beneficia Regis in Christianos Ægyptios, & peregrinos nostros referebant. Itaq; remissi sunt cum illis Legati nostri, qui fœdus amicitiamq; cum Rege inirẽt. Eodem tempore visum est Principibus nostris, vt in colle, qui supra tẽtoria Boimundi erat, castrũ firmaretur: ne si rursus hostes contra nos venirent, nullo modo tentoria nostra impellere possent. Cùm hoc factũ fuisset, fuerunt castra nostra ita firmissima, vt ad instar ciuitatis clausi, tã opere quàm natura vndiq; essemus. Erat enim ab Oriente nobis castrum hoc: à Meridie, muri ciuitatis; & palus, quæ muros muniebat, castra etiam nostra tuebantur, nec facultatem pugnandi, his de ciuitate concedebat, nisi per portas egrederentur: ab Occidente verò fluuius erat: à Septemtrione quod- dam

Bellum vnum præmaximum, quod fuit inter paludem & fluuium.

Psal. 23, 8.

dam vetus vallum, quod à monte descendens, ad fluuium vsque perueniebat. Laudabat etiam populus vt castellum aliud in monticulo, qui supra pontem illorum erat, firmaretur: factæ sunt etiam in castris machinæ, quæ muros ciuitatis impellerent; sed hoc frustrà fuit. Cumque iam in quinto mense obsidionis nostræ naues vndique cum alimoniis ad portum nostrum applicarent, Turcæ ciuitatis, vias maris obsidere, atque portitores victualium interficere ceperunt: Nostri verò Principes primo tantum patiebantur; *Turcæ* autem sceleris impunitate, spe rapinæ, die noctuq; instabant. Consultumq; est tandem vt ad pontem illorum castrum firmaremus. Sed quia plurimi de nobis ad portum abierant, electus est *Comes* & *Boimundus* vt eos indè adducerent, cum rastris, & aliis instrumentis quibus vallum noui castelli fieret. Cumq; compertum esset in ciuitate Comitem & Boimundum abesse, assultus solitos inceperunt. Nostri autem, nimis temerè atque inordinatè progressi, turpiter fusi atque fugati sunt. Cumq; die quarto Comes & Boimundus, cum multitudine maxima à portu reuerterentur, à Turcis explorati sunt: Nostri autem solo tumultu suo, securi esse arbitrabantur. Sed cur pluribus moror? Ventum est ad pugnam: Nostri autem terga dederunt. Perdidimus ibi vsque ad trecentos homines: quantum verò spoliorum & armorũ, non est nostrum dicere: dumq; more pecudum per montes & abrupta quæq; trucidaremur, & collideremur; hii de castris hostibus obuiam procedere ceperunt: Sicq; factum est vt à cæde fugientium reuocarentur. *Quid igitur Domine DEVS? in castris victi sunt; & hii duo maximi Principes in exercitu tuo, extra castra victi sunt! An ad castra fugiemus? an hi de castris ad nos? Exurge & adiuua nos Domine propter nomẽ tuum. Quod si in castris rescitum est quod Principes victi sint; vel si nos castrensium fugam nosse contigerit, communis omnium fuga fiet.* Surrexit itaq; adiutor in opportunitatibus Dominus, atque illos quos prius truderat, priores in pugnam animauit. Videns igitur *Cassianus*, qui ciuitatis rector erat, & nostrorum spolia, & suorum victoriam, & adhuc quorundam nostrorum audaciam, milites & pedites suos omnes emisit; atq; in spem victoriæ adductus, portas ciuitatis post suos recludi iussit: denuntians militibus suis, *vincere vel mori.* Interea nostri paulatim, & pro imperio procedere. *Turcæ* autem discurrere, sagittare, nimis audacter incurrere: At nostri interdum patiebantur, dum densatis incurrere possent: nec ad impetũ eorum retardabantur. Tantus verò luctus & clamor in castris ad DEVM erat, vt affluentia lachrymarum DEI pietatem descẽdendam putares. Cumq; iam cominus res gerenda foret, quidam *Isuardus* miles de Gagia, Prouincialis nobilissimus, cum centum quinquaginta peditibus, inuocato DEO, genibus flexis, socios hortatus est dicens: *Eia milites CHRISTI!* Atq; hostibus incurrit: Similiter & aliæ acies nostræ incurrunt. Hostium itaq; superbia turbatur; porta clausa est, & pons strictus, fluuius verè maximus. Quid igitur? hostes turbati prosternuntur, & cæduntur, & saxis in flumine obruuntur; fuga autem nulla patet. Quod nisi *Cassianus* pontis portam aperuisset, illa die de *Antiochia* pacem habuissemus. Audiui ego à multis qui ibi fuerũt, quod triginta Turcos, & amplius, de põte sumptis spondalibus in flumine obruissent. Claruit ibi multùm *dux Lotharingiæ.* Hic namq; hostes ad pontẽ præuenit, atq; ascenso gradu venientes per medium diuidebat. Celebrata itaq; victoria cum ingenti exultatione, & multis spoliis, & equis multis, nostri ad castra redeunt. Cõtigit ibi quoddam memorabile, quod vtinam qui nos suis prosequuntur votis, videre potuissent. Quidam enim eorum eques, timore mortis, dum præceps profundũ fluminis ingrederetur, à multis de sua gente comprehẽsus: & ab equo suo deiectus, in medio fluminis obrutus est, cum illa multitudine quæ eum apprehenderat. Operæprecium est, vidisse quosdam pauperes à victoria reuertentes: alii namque intra tentoria in equis variis discurrentes, releuationem suæ paupertatis sociis ostendebant: alii autem duobus vel tribus induti sericis vestimentis, largitorem victoriæ & muneris DEVM magnificabant: alii verò tribus vel quatuor muniti clipeis, victoriæ suæ triumphum alacriter prætendebant. Dumque his & aliis ostentamentis fidem magnificæ victoriæ nobis persuasissent, de multitudine interfectorum suadere non potuerunt. Quoniam victoria sub nocte habita est, cæsorum capita ad castra delata non sunt. Cumque postridie castrũ ante pontem illorum ædificaretur, in vallo quidam de Turcis reperti sunt: erat enim mons ille in sepulturam *Sarracenorum:* Ex his igitur eorũ prouocati pauperes, omnia eorũ monumenta fregerunt. Effossis itaq; Turcis, qualis victoria fuerit, nulli dubiũ fuit. Namque numerati sunt, circiter mille quingenti, taceo modò & in ciuitate sepultos,

& in flumine tractos. Cùm autem fœtore intolerabili laborantibus in castello obstitissent cadauera, in flumine proiecta sunt. Nautæ verò, qui in fuga Comitis & Boimundi dispersi & vulnerati fuerant, de victoria adhuc præ timore dubitabant. Hi autem videntes tantam multitudinem, quasi de quadam multitudine conualescentes, DEVM magnificare ceperunt, qui filios suos corrigere & lætificare consueuit. Sic itaque DEI dispositione actum est, vt qui victualium conductores, in littore & ripis fluminis peremptos, feris & volucribus dederant, in locis eisdem feris & volucribus victualia fierent. Celebrata itaque & cognita victoria, & castro ædificato, ciuitas *Antiochiæ* à Septemtrione & Meridie obsessa est. Consultum est eo tempore, quis de Principibus ad custodiendum castrum migrare potuisset. Quippe *res communis pluribus frequenter negligitur, dum alii ab aliis custodiri eam arbitrantur.* Dumque alii de Principibus, quasi pro mercede, vigilum suffragia ab aliis quærerent, Comes præter suorum voluntatem, castri custodiam arripuit, simul vt desidiam & auaritiam excusaret; & vigoris atque prudentiæ semitam torpentibus demonstraret. Namque præteritæ æstatis graui ac diuturno morbo fatigatus, & adeò mollis per totam hyemem fuerat, vt nec ad militandum, nec ad largiendum promptus esse diceretur: & licet multa, quia plura posse credebatur, nullus esse credebatur. Igitur nanctus hanc difficultatem, scilicet materiam virtutis, tantam omnium inuidiam passus est, vt penè à suis priuatis dissociaretur. Interea dum Comes hæc negligit, sperans hostes de ciuitate maxima ex parte oppressos, ilicò fugituros, quodam diluculo ab hostibus circumdatus est. Claruit ibi magnum diuinæ protectionis miraculum, quod sexaginta viri de nostris, pugnam *Sarracenorum* septem milium sustinuerunt: atque, quò magis mirum fit, præterritis diebus imber immoderatus terram recentem humefactans, vallum noui castelli compleuerat. Sicque hostes nulla inuia, sed sola virtus DEI retardabat. Non arbitror modo quorundam militum nostrorum egregiam virtutem reticendam, qui præuenti ab inimicis, dum eorum pontem custodiunt, ad castellum refugere non potuerunt: aberat enim castellum à ponte illorum, quasi iactu vnius sagittæ. Igitur hi milites, facto giro inter hostium multitudinem, ad angulum cuiusdam vicinæ domus peruenerunt; ibique hostium impetus, & sagittarum rabiem, & saxorum vndiq; nebulam, viriliter & imperterriti sustulerunt. Interea sonitus pugnę auditus in castris nostros exciuit: Sicq; castrum ab hostibus liberatum est: & licet à longè prospecto succursu ab oppugnatione destitissent; & licet ponte illorũ proximo, tamen posteriores eorum interempti sunt. Rursus itaq; instaurato vallo, & mœnibus castri, victualium conductores securè ire & redire à portu potuerunt. Igitur inuidia quam Comes pertulerat, adeò lenita est, vt ab omnibus pater & conseruator exercitus appellaretur. Ab eo itaq; tẽpore creuit Comitis nomẽ, eò quòd solus, hostium assultus sustineret. Obsesso igitur ponte & porta ciuitatis, ceperunt egredi *Turcæ* per aliam portam, quæ respicit ad Meridiem iuxta fluuium; atque emittere equos suos ad quendam recessum, qui inter montes & fluuium erat optima pascua. Explorato itaq; loco à nostris, & terminato die, per quandam montis difficultatem circinata ciuitate, ad pascua illa venerunt, atq; alii per vadum transeuntes, duo millia equorum inde adduxerunt, exceptis mulis & mulabus quæ recuperata sunt: etenim præterito tempore hyemis, in itinere maris, multas nobis mulas abstulerant, quæ modò captæ & recognitæ sunt à dominis suis, & pristinæ ditioni concessæ. Post hoc tempus muniuit *Tancredus* monasterium quoddam vltrà fluuium: & dedit ei Comes ob hoc centum Marchas argenti; & alii de Principibus prout potuerunt: hoc enim multùm hostes constrinxit. Libet itaque attendere, quia *quantò pauciores numero sumus; tantò fortiores nos DEI gratia fecit.* Interea nuncii venire cœperunt frequentissimè, quod succursus hostibus veniret. Hæc autem fama non solum ab Armenicis & Græcis nobis veniebat, verumetiam ab his qui in ciuitate erant nobis annuntiabatur. Quoniam Turcæ per annos quatuordecim *Antiochiam* obtinuerant, atque *Armenios* iuuenes, & *Græcos*, quasi pro penuria domesticorum turcauerant, & vxores eis dederant. Hii tales, cùm libertatem fugæ habere poterant, cum equis & armis ad nos veniebant. Cumque hæc fama de succursu hostium crebresceret, multi de nostris pauidi, fugere ceperunt, & Armenii mercatores. Interea milites boni qui per castella diffusi erant, venire, atque arma emere, & adaptare & reficere ceperunt. Dumque satis contabescens tumiditas ab exercitu nostro defluxisset;

& ani-

& animositas, semper prompta cum fratribus & pro fratribus pericula subire, venisset, quidam de Turcatis qui erat in ciuitate, per Boimundum Principibus mandauit nostris, quòd ciuitatem nobis redderet. Igitur communicato consilio Principes, Boimundum & *Ducem Lotharingiæ*, & *Flandrensem* Comitem, ad hæc experiendam miserunt. Cumque per medium noctis venissent, ad collem ciuitatis, remissus internuncius ab eo qui ciuitatem reddebat, dixit: *Expectate dum lampas transeat.* Etenim tres viri vel quatuor cum lampadibus per muros ciuitatis tota nocte pergebant excitando & commonendo vigiles. Post hæc autem appropinquantes ad murum, & erectâ scalâ, ceperunt ascendere nostri. Primusq; quidam Francus, nomine *Falcherius*, frater scilicet Budelli Carnotensis, murum intrepidus conscendit: quem Comes Flandrensis consecutus, Boimundo & Duci mandauit vt ascenderent: cumq; omnes festinarent, vt alius alium præueniret, scala fracta est: At verò ii qui ascenderant, descendentes in ciuitatem, posterulam quandam aperuerunt. Ingressi itaq; nostri omnes, non ceperunt aliquem de his quos inuenerunt. Cumque diei aurora comparuisset, conclamauerunt: Ad hanc vocem cùm omnis ciuitas turbaretur, mulieres & paruuli eorum flere ceperunt. Illi verò qui in castello Comitis erant, ad hanc vocem omnes excitati, quippe propinquiores, dicere ceperunt ad inuicem: *Succursus eorum venit:* Alii autem è contra, *Non videtur vox ista lætantium.* Cumque dies albesceret, in Meridionali colle ciuitatis signa nostra comparuerunt. Turbati igitur ciues, cùm in monte super se nostros conspicerent, alii per portas fugere ceperunt, alii se præcipitare; restitit nullus: quippe turbauerat eos Dominus: Iocundum spectaculum tandem post multa tempora nobis factum; vt qui tamdiu Antiochiã contra nos tenuerant, de illa modo fugere non valerent: quòd si quidam eorum arripere fugam ausi sunt, tamen mortem euadere non potuerunt. Accidit ibi quoddam satis nobis iocundum atque delectabile. Dum enim per prærupta, quæ collem diuidunt à Septemtrione, Turcæ quidam subterfugere niterentur, nostris quibusdam obuiauerunt: cumque Turcæ regredi compellerentur, tanto impetu se affecerunt repulsi fugientes, vt omnes pariter præcipitarentur. Gaudium quidem fuit nobis de præcipitatis hostibus, sed de equis plusquam trecentis inibi decollatis doluimus. Quanti autem de *Sarracenis* & de *Turcis* tunc perierunt, dicere nescimus: quàm diuersis mortibus, & quàm [illegible] ceciderunt, explicare crudele est. Quantum verò spoliorum est captum intra *Antiochiam*, non est nostrum dicere: nisi quòd credite quantum vultis, & æstimate supra. Illi autem hostes qui castellum de medio colle seruabant, videntes suorum necem, & nostros ab oppugnatione sui desistere, castellum suum retinuerunt. *Cassianus* autem egressus per posterulam quandam, ab *Armeniis* rusticis captus & decapitatus, atque caput eius nobis oblatum est: quod ineffabili DEI dispositione actum credo, vt qui multos eiusdem gentis homines decollari fecerat. Capta est igitur ciuitas Antiochiæ *tertio Nonas Iunii:* obsessa autem circiter vndecimo Kalend. Nouemb. Interea dum nostri enumerando & recognoscendo spolia, ab oppugnatione superioris castri desisterent, atque audiendo saltatrices Paganorum, splendidè ac superbè epularentur, nullatenus DEI memores, qui tantum beneficium eis cõtulerat, post tertium diem in Nonis eiusdem mensis Iunii à Paganis obsessi sunt. Sicq; actum est, vt qui tamdiu per DEI misericordiam Antiochenos Turcas obsederant, per eius dispositionem à Turcis obsiderentur. Atque vt magis timeremus, castellum superiùs dictum, quod quasi ciuitatis custodia est, in manibus hostium erat: Timore igitur coacti nostri, castelli obsidionem arripuerunt. *Corbaras* autem Tucorum dominus, in principio aduentus sui, sperans bellum ilicò futurum, longè à ciuitate, quasi per duo miliaria, tentoria sua fixit, atque ordinibus factis vsque ad pontem ciuitatis peruenit. Nostri autem prima die castellum Comitis munierunt: metuentes, si ad bellum procederent, vt ab hostibus qui in castello erant, ciuitas corriperetur; vel si castellum quod antè pontem erat desererent, & hostes illud occuparent, facultatem pugnandi, & aditum egrediẽdi nobis recluderent. Erat autem in exercitu miles clarissimus, & karissimus omnibus *Rotgerius* nomine de *Barneuilla*: hic cùm exercitum omnium reuertentiũ inimicorum assequeretur, captus & capite truncatus est. Inuasère igitur nostros dolor & timor, adeò vt vsque ad desperationem euadendi multi ducerentur. Passi igitur Turcæ semel, & secundò repulsam pugnandi, tertia die castrum oppugnant: atque ibi tanta vi certatum est, vt sola DEI virtus defendere castrum, & resistere

aduersariis crederetur. Namque cum iam transcendere vallum & diruere murum pararent, nescio vnde concepto timore, præcipites in fugam ruunt. Decurso itaque aliquantulo spatio, cùm fugæ causam nullam conspicerent, tarditatem suam causantes ad oppugnationem redeunt; &, quasi satisfacturi pro pudore habitæ fugæ, vehementiùs imminent; rursus diu vehementiùs pugnant: Itaque hostes ea die ad castra sua redeunt. Alia autem die, cum maximo apparatu ad castrum redire ceperunt: nostri verò castrum incendunt, atque mœnibus ciuitatis se intrudunt. Auctus itaque timor Francorum est, & hostium excreuit audacia: quippe qui nihil extra ciuitatem haberemus, & ab inimicis nostris, castellum, quod caput ciuitatis est, retineretur. Igitur confirmati *Turcæ* ingredi ad nos per castellum disposuerunt. Nostri autem loci oportunitate, & eminentia confisi, obuiam hostibus contendunt; & primo impetu eos prosternunt: dumq; imminentis belli obliuiscuntur, & prædæ inhiant, fœdissimè in fugam vertuntur. Etenim plusquam centum homines in porta ciuitatis suffocati sunt; equi verò quàm plures. Igitur ingressi castellum Turcæ, in ciuitatem deorsum descendere voluerunt. Erat enim vallis inter castellum ipsorum & montem nostrum, non magna quidem; & cisterna quædam erat in medio & modica planities. Nec erat descensus in ciuitatem, nisi per medium nostri montis. Quapropter omni intentione & omni virtute sua nos expugnare, & remouere ab itinere suo in ciuitate nos contendunt: atque ibi tanta vi à manè vsque ad vesperum pugnatum est, vt nusquam simile audiatur. Contigit ibi quoddam nostris satis horrendum, atque hactenus inauditum, quòd inter sagittarum grandinem, & saxorum atque telorum continuos impulsus, & inter mortes tantorum, nostri sopiebantur. Finem huius pugnæ si quæritis, nox fuit. In nocte autem cùm nostri DEI misericordiam sperare debuissent, multi desperare ceperunt; atque præcipites, per funes ab altitudine murorum deiiciebantur. Alii autem à bello discedentes in ciuitatem, communem omnium decapitationem venisse, cunctis nuntiabant: & quo magis timeri poterat, dum alii alios adhortabantur vt viriliter resisterent, ipsi in fugam vertuntur. Itaq;, vt diximus, dum nostri conturbarentur, & in desperationem ruerent, diuina eis clementia adfuit; & quæ lasciuientes filios correxarat, nimium tristes tali modo consolatus est. Igitur cum capta esset ciuitas *Antiochia* vsus sua potentia & benignitate Dominus, pauperem quêdam rusticum elegit, *Prouincialem* genere, per quem omnes nos confortauit; & Comiti & Podiensi Episcopo hæc verba mandauit: *Andreas DEI & Domini nostri IESV CHRISTI Apostolus me quater olim admonuit, & iussit vt ad vos venirem, ac lanceam quæ Saluatoris latus aperuit, capta ciuitate vobis redderem. Hodie autem cùm ad pugnam profectus essem extra ciuitatem cum reliquis, atque comprehensus à duobus equitibus penè suffocatus in regressu fuissem, quasi exanimis illic super lapidem quendam tristis resedi: cùmq; præ dolore & timore, sicut tristis titubarem: venit ante me beatus Andreas cum socio quodam; & multum mihi interminatus est, nisi citò vobis redderem lanceam.* Cumque ab eo Comes & Episcopus reuelationis & visionis Apostolicæ ordinem requirerent, respondit: *In principio terræmotus, qui apud Antiochiam factus est, cùm exercitus Francorum obsideret eam, tantus timor me inuasit, vt nihil præter* DEVS ADIVVA, *dicere possem. Erat enim nox, & ego iacebam; nec in tugurio meo erat aliquis cuius consortio refouerer. Cùm autem, vt dixi, concussio diutius duraret, & timor meus semper excresceret, coram me duo viri adstiterunt, in veste clarissima: alter erat senior, rufo canoque capillo, oculi nigri, & conuenientes faciei; barba verò cana, & lata atque prolixa; & statura eius media: Alter verò iunior, & procerior erat, speciosus formâ præ filiis hominum: & ait mihi senior:* Quid agis? *Et ego maximè timui, quia nullum adesse sciebam. Et respondi:* Quis es tu? *Et ait:* surge, & noli timere; & audi quæ ego loquar ad te. Ego sum Andreas Apostolus. Congrega Episcopum Podiensem, & Comitem Sancti Egidii, & *Petrum Raimundum de Alto pullo.* & hæc dices ad illos: Cur negligit Episcopus prædicare, & commonere, & cum Cruce quam præfert signare populum? etenim multum prodesset illis. *Et addidit:* Veni, & ostendam tibi, patris nostri IESV CHRISTI lanceam, quam Comiti donabis: etenim eam DEVS concessit illi, ex quo genitus est. *Surrexi itaque, & sequutus sum eum in ciuitatem nullo circumdatus amictu, præter camisiam. Et induxit me in Ecclesiam beati Petri per Septemtrionalem portam, quam antea Sarraceni Basumariam fecerant. In Ecclesia verò duæ lampades erant, quæ tantum lumen ibi reddebant, ac si Meridies illuxisset: Et dixit mihi,* expecta hic. *Et iussit me assistere columnæ, quæ proxima erat gradibus, quibus ascendebatur ad altare à Meridie: Et socius eius à longè stetit, ante gradus altaris. Ingressus autem sub terram sanctus Andreas,*

Qualiter Lancea fuit inuenta.

10 20 30 40 50

Andreas, produxit lanceam, atque in manibus mihi tradidit. Et dixit mihi: Ecce lancea quæ latus aperuit, vndè totius mundi salus emanauit. *Dumq; in manibus eam tenerem, lachrimando præ gaudio, dixi ei:* Domine si vis portabo eam, & reddam Comiti. *Et dixit mihi:* Sine modo, futurum enim, vt ciuitas capiatur. Et tunc venies cum duodecim viris, & quæres eam hic, vndè ego abstraxi, & vbi eam recondam. *Et recondidit eam. His ita peractis, super murum ciuitatis reduxit me in domum meam; & sic à me recesserunt. Tunc ego mecum recogitans, & paupertatis meæ habitum, & vestram magnitudinem, veritus sum ad vos accedere. Post illud tempus cum profectus essem ad quoddam castrum, quod est iuxta* Roiam, *propter alimoniam, prima die quadragesimæ in galli cantu, adfuit mihi beatus Andreas in eodem habitu, & cum eo quo prius venerat socio: & magna claritas domum repleuit. Et ait beatus Andreas:* Vigilas ne? *sic expergefactus, respondi:* Non, Domine mi; non dormio; *& ait mihi:* Dixisti ea quæ dudum tibi dicenda mandaui? *& respondi:* Domine, nonne precatus sum vos, vt alium eis mitteretis? Etenim metuens paupertati meæ, accedere ad illos dubitaui. *Et dixit mihi:* Nescis ne cur DEVS huc vos adduxit, & quantum vos diligat, & quomodo vos præcipuè elegit? Pro contemptu sui, & suorum vindicta, vos huc venire fecit. Diligit vos adeò, vt Sācti iam in requie positi, diuinæ dispositionis gratiam prænoscentes, in carne esse, & concertare vobiscum vellent. Elegit vos DEVS, ex omnibus gentibus, sicut triticeæ spicæ de auenaria colliguntur. Etenim meritis & gratia præceditis omnes, qui ante & post
20 vos venient, sicut aurum prætio præcedit argentum. *Post hæc discesserunt, & me tanta ægritudo oppressit, vt lumen oculorum perderem; & dispositionem tenuissimæ paupertatis meæ facerem. Tunc ego cepi mecum cogitare, quod ob negligentiam Apostolicæ visionis, hæc iustè mihi contingerent. Confortatus itaque, ad obsidionem reuersus sum. Rursus, paupertatis meæ debilitatem recogitans, timere cepi, si ad vos venirem, famelicum me esse, & pro victu talia referre me proclamaretis: Itaque & ea vice conticui. Defluente itaque tempore, cùm apud portum Sancti Simeonis essem, atque cum domino meo* Willelmo Petri, *infra tentorium vnà recubarem, affuit beatus Andreas cum socio, & habitu eodem quo prius venerat, atque sic mihi loquutus est:* Cur non dixisti Comiti: & Episcopo, & aliis, quæ ego præceperam tibi? *& respondi.* Nonne ego precatus sum te, Domine, vt alium pro me mitteres, qui & sapientior
30 esset, & quem vellent audire: præterea Turcæ sunt in itinere, qui venientes & abeuntes interficiunt. *Et ait Sanctus Andreas:* Noli timere, quia nihil tibi nocebunt: hæc quoque dices Comiti, cum venerit ad Iordanem fluuium, non intinguatur ibi, sed nauigio transeat: cum autem transierit, camisia & bracis lineis indutus, de flumine aspergatur. Et postquam siccata fuerint eius vestimenta, reponat ea, & conseruet ea cum lancea Domini. *Et hæc dominus meus Willelmus Petri audiuit, licet non videret Apostolum. Confortatus igitur, ad exercitum reuersus sum. Cumq; vobis hæc pariter dicere vellem, coadunare vos non potui. Itaque profectus sum ad portum de Mamista. Ibi verò cum nauigare in Cyprum insulam pro victualibus vellem, comminatus est mihi multum beatus Andreas, nisi citò redirem; & vobis iniuncta mihi referrem. Cumq; cogitarem mecum quomodo re-
40 uerterer ad castra: aberat enim portus ille, ab exercitu quasi per tres dies: amarissimè flere cepi, cùm redeundi facultatem reperire non possem. Tandem à sociis & domino meo commonitus, nauigium ingressus in Cyprum remigrare cepimus. Et cum per totam diem remis & prosperis ventis ageremur, vsque ad solis occasum, orta subitò tempestate, in spatio vnius horæ vel duarum ad relictum portum reuersi sumus. Ibi languorem grauissimum incurri. Capta autem ciuitate, ad vos veni. Et nunc si vobis placet, experimini quæ dico.* Episcopus autem nihil esse, præter verba putauit: Comes verò ilicò credidit, & illum qui hoc dixerat capellano suo Raimundo, custodiendum tradidit. Apparuit in ipsa nocte quæ secuta est, Dominus noster IESVS CHRISTVS cuidam Sacerdoti, nomine *Stephano*, lachrymanti pro interitu suo & sociorum, quem futurum ilicò sperabat. Etenim terruerant
50 eum quidam, qui de castello descenderant, dicentes Turcos iam descendere de monte in ciuitatem; atque nostros fugere, & victos esse. Propterea Sacerdos volens habere DEVM mortis suæ testem, ingressus Ecclesiam beatæ *semper Virginis Mariæ*, habita confessione, & sumpta venia, cum quibusdam sociis Psalmos cantare cepit: dormientibusque aliis cum solus vigilaret, atque cum dixisset: *Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Psal. 14. Stetit coram eo vir quidam, vltra omnem speciem, habens pulchritudinem, & dixit ei: *Homo, quænam est hæc gens, quæ ciuitatem ingressa est?* Et ait presbyter: *Christiani:* Et ille dixit: *cuiusmodi Christiani?* Et Sacerdos, *Qui credunt* CHRISTVM *de Virgine natum, & in cruce passum, mortuum, & sepultum; & resurrexisse tertia die, atque in cœlum ascendisse.* Et dixit vir

ille: *Et si Christiani sunt, cur Paganorum multitudinem verentur?* Et addidit: *Agnoscis me?* Et presbyter respondit: *Non agnosco te Domine, nisi quod pulcherrimum omnium video te.* Et ait vir: *diligentissimè intuere me.* Cumque in eum perspicaciter Sacerdos intenderet, de capite eius, speciem Crucis sole multò clariorem procedere vidit. Et ait presbyter viro interroganti de se: *Domine, Imagines Domini nostri IESV CHRISTI esse dicimus, quæ similem tibi speciem præferunt.* Et dixit illi Dominus: *benè dixisti, quia ego sum. Nonne scriptum est de me, quia sum Dominus fortis & potens; Dominus potens in prælio? Et quis est Dominus in exercitu?* Et respondit presbyter: *Domine, non fuit ibi vnus solus Dominus vnquam, sed magis Episcopo credunt.* Et dixit Dominus: *hæc dices Episcopo; Populus iste malè agendo me elongauit à se, & ideo dicas eis:* Hæc dicit Dominus, *Conuertimini ad me & ego reuertar ad vos.* Et cùm pugnam inierint, dicant: *Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua, contere fortitudinem illorum, Domine, & disperge illos, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu DEVS noster.* Et hæc quoque dices ad eos: *Si feceritis, quæ ego præcipio vobis, vsque ad quinque dies, vestri miserebor.* Hæc autem eo dicente, Mulier quædam supra modum inflammati vultus accessit, Et intuita Dominum, dixit ei: *Domine, & quid huic viro dicitis?* & Dominus ad illam: *Domina, quæro ab eo de hac gente, quæ in ciuitate ingressa est, quæ sit.* Et ait Domina: *O Domine mi, hi sunt pro quibus ego tantùm te rogo.* Cumque Sacerdos suum socium qui propè dormiebat pulsaret, vt tantæ visionis testem habere potuisset, ab oculis eius sublati sunt. Manè autem facto in montem Sacerdos ascendit, vbi Principes nostri morabãtur, contra Turcarum castellum, præter Ducem: ille enim castellum quod erat in Septemtrionali colle seruabat: Conuocata itaq; Sacerdos contione, habuit hæc verba ad nostros Principes: atque vt verum esse monstraret, super Crucem iurauit: Incredulis autem satisfacere volens, vel transire per ignem, vel præcipitare se de altitudine turris voluit. Tunc iurauerunt Principes, quod de *Antiochia* non fugerent, neque egrederentur, nisi de communi consilio omnium: Etenim populus ea tempestate existimabat, quòd Principes vellent fugere ad portum. Confortati sunt itaq; multi. Etenim in nocte præterita pauci steterunt in fide, qui fugere non voluissent. Quòd nisi *Episcopus* & *Boimundus* portas ciuitatis reclusissent, admodum pauci remansissent. Fugit tamen *Wilelmus de Grandana*, simul & frater eius, & multi alii, laici & Clerici. Multis autem contigit, vt cùm de ciuitate, cum maximo periculo euasissent, in manus Turcarum maius periculum mortis incurrebant. Contigerunt eo tempore, nobis plurimæ reuelationes, per fratres nostros; & signum in cœlo mirabile vidimus. Nam stella quædam maxima, per noctem super ciuitatem stetit: quæ post paululum in tres partes diuisa est, atque in Turcorum partes occidit. Confortati igitur aliquantulum nostri, diem quintum, quem prædixerat Sacerdos, expectabant. Die autem alia, præparatis necessariis, cum homine illo, qui de Lancea dixerat, eiectis de Ecclesia beati Petri omnibus aliis, fodere cepimus. Fuit autem in illis duodecim viris, *Episcopus Aurasicensis*, & *Raimundus Comitis capellanus*, qui hæc scripsit, & ipse *Comes*, & *Pontius de Baladuno*, & *Faraldus de Thoart*. Cumque manè vsque ad vesperum fodissent, in vespere quidam de inuentione lanceæ desperare ceperunt. Discesserat enim Comes propter castelli custodiam: sed loco illius & aliorum, qui fodiendo fatigabantur, alios recentes inducebamus, qui viriliter operi insisterent. Videns autem iuuenis qui de Lancea dixerat, nos defatigari, discinctus, & discalciatis pedibus in camisia in foueam descendit; atque obtestatus est nos vt DEVM deprecaremur, quatinus nobis Lanceam suam redderet, in confortationem & victoriam suæ plebis. Tandem per gratiam suæ pietatis commonitus Dominus Lanceam suam nobis ostendit. Et ego qui hæc scripsi, cum solus mucro adhuc appareret super terram, osculatus sum eum. Quantum gaudium & exultatio tunc ciuitatem repleuit, non possum dicere. Inuenta est autem lancea octauodecimo Kalend. Iulii. Secunda verò nocte astitit beatus *Andreas* iuueni, per quem nobis lanceam reddiderat, & dixit ei: *Ecce DEVS donauit Comiti quod nulli alii vnquam donare voluit, & constituit eum vexilliferum istius exercitus siquidem perseuerauerit in amore eius.* Cumque ab eo misericordiam pro populo postularet iuuenis, Respondit ei Sanctus Andreas, *quod reuera Dominus miseretur populi sui.* Et rursus cùm quæreret ab eodem de socio suo, quis esset quem toties viderat, dixit ei B. Andreas: *Accede & osculare pedem eius.* Festinus itaque volens accedere, vidit plagam vnam super pedem eius ita recentem, & sanguinolentam, ac si modo facta fuisset. Cùm autem dubitaret accedere, propter vulnus & sangui-

Psal. 23, 8.

10 20 30 40 50

sanguinem, Sanctus Andreas ait: *Ecce ille pater, qui pro nobis vulneratus fuit in Cruce, & hæc inde plaga. Hæc etiam Dominus præcipit, vt celebrem habeatis diem illum, in quo lanceam suam vobis reddidit. Et quia in vespera reperta est, & non potuit dies illa celebris haberi, sequenti hebdomada in octauis, solemnitatem celebrabitis; & singulis annis deinceps in die inuentionis ipsius Lanceæ. Hæc quoque dices ad illos, vt contineant se sicut epistola docet fratris mei Petri quæ hodie legitur.* Et Epistola fuit hæc: *Humiliamini sub potenti manu DEI.* Et quotidie clericiante Lanceam cantēt hunc hymnum. *Lustra sex qui iam peracta.* Et cùm dixerint: *Agnus in Crucis leuatur immolandus stipite*: Flexis genibus, hymnum finiant. Cùm autem ad hæc Episcopus Aurasicensis, & ego quæreremus *si sciret litteras*, respondit: *nescio.* Existimans si diceret *scio*, non crederemus ei. Et erat aliquantulum sciens: sed in ipsa hora ita ignorauit, vt nec literas cognosceret; neque aliquid eorum quæ litteris didicerat memor esset, exceptis, *Pater noster*: & *Credo in DEVM*: & *Magnificat*: & *Gloria in excelsis DEO*: & *Benedictus Dominus DEVS Israel.* Cætera enim ita perdiderat, ac si nunquam ea audisset: & licet cum maximo labore, pauca postea recuperare potuit.

1.Pet.5,6.

Inter hæc autem tanta fames in ciuitate fuit, vt excepta lingua, caput equinum duobus vel tribus solidis venderetur: Intestina verò capræ, quinq; solidis: Gallina, octo vel nouem solidis. De pane quid dicam, cùm quinque solidi non sufficerent ad pellendam famem vnius? Nec erat mirum, nec graue esse poterat his qui tam carè mercabantur, cùm auro & argento & palliis abundarent. Hæc autem ideò cara erant; quia conscientiæ militum, audaciā carebant. Ficus autem immaturas ab arboribus decerpebant; atq; coctas karissimè vēdebant. Coria verò boum & equorum, & alia neglecta ex longo tempore illa similiter diu cocta, karissimè vendebantur: adeò vt duas solidatas quilibet comedere posset. Plerique milites sanguine suorum equorum viuebant; & expectantes DEI misericordiam, nolebant eos adhuc occidere. Hæc autem & alia multa mala obsessis imminebant, quæ enumerare difficile est. Accedebat etiā aliud satis graue, quod quidā de nostris ad Turcos fugiebant; & miseriam quæ erat in ciuitate eos docebant. His, autem atq; aliis rebus *Turcæ* audaces effecti, vehementissimè nobis imminebant. Die autem quadam media, in turrem vnam de nostris ascenderant circiter triginta Turci, qui nostros satis exhorruerunt. Tamen nostri pro periculo certātes DEI adiutorio, alios occiderunt, alios præcipitari coëgerunt. Ob hanc igitur causam, omnes *Boimundo* obedientiam promiserunt, vsque ad quindecim dies post bellum, vt de custodia ciuitatis, & de bello ipse disponeret. Nam Comes valdè infirmabatur, & Episcopus: *Stephanus* autem Comes, quem antè captam ciuitatem pro dictatore alii Principes elegerant, audiens famam belli, aufugerat. Sicut diximus, ita nostris deuictis & depressis, & angustiatis, cæleste auxilium adfuit. Et quomodo ante bellum & in bello agere deberemus, B. *Andreas* per iuuenem illum qui de lancea dixerat, edocuit. *Offendistis*, inquit, *omnes grauiter, & ideò humiliati estis: & clamastis ad Dominum, & exaudiuit vos Dominus. Et nunc pro suis offensis vnusquisq; se Domino committat*, & quinq; eleemosynas *faciat, propter quinque plagas Domini. Quod si hæc nequiuerit, quinquies dicat*, PATER NOSTER, &c. *His ita peractis, in ea sentētia qua cōueniant Principes de bello, incipite in nomine Domini, per diem siue per noctem: quia manus Domini erit vobiscum. Si quis autem de victoria dubitat, aperiantur ei portæ, & vadat ad Turcas, & videbit quomodo DEVS illorum, saluum faciet illum. Si autem pugnare aliquis recusauerit, sit cum Iuda proditore Domini, qui Apostolos deseruit, & Dominum suum Iudæis vendidit. Pugnent verò in fide beati Petri, tenentes quod CHRISTVS sibi promisit, quòd post tertium diem resurgeret & ei appareret: & pro hac etiam causa, quod hæc terra iuris B. Petri sit, & non Paganorum. Et sit signum clamoris vestri*, DEVS ADIVVA. *& reuera DEVS adiuuabit vos: Omnes etiam fratres vestri qui obierunt, ab incepto itinere, aderunt vobiscum in hac pugna: & vos expugnate decimam partem hostium, quia ipsi in virtute DEI, nouem partes expugnabunt. Et ne differatis de bello.* Quoniam totidem hostes ab altero latere adducet Dominus, quot habetis ab vno: & tam diu vos hic tenebit inclusos, donec alii comedāt alios. Scitote profectò, quia aduenerunt dies illi, quos promisit Dominus beatæ semper Virgini Mariæ & Apostolis suis: quod eleuaret regnum Christianorum, deiecto & conculcato Paganorum regno. Ad tentoria eorum propter aurum & argentum ne diuertatis.* Statuit tunc DEI potentia, vt qui nobis per Apostolum suum supra dicta prædicari iussit, corda omnium adeò confortauit; vt fide & spe iam se triumphasse quisque de hostibus suis videretur. Adhortabantur alii alios, & adhortando vires pugnandi resumebant. Vulgus etiam, quod diebus præteritis inopia atque formidine consumptum esse videbatur, Principibus modò conuiciabatur, de belli dilatione. Constituta autem

*Subauditur, si non egeritis quæ dico.

die ad pugnam, miserunt nostri *Petrum Heremitam* ad *Corbaran* ducem Turcorum, vt *desisteret ab oppugnatione Ciuitatis: quia iuris erat Beati Petri & Christianorum.* Respondit ille superbus, *quia iure vel iniuria, Francos & Ciuitatem habere volebat.* Atq; Petrum Eremitam inclinare nolentem, supplicare sibi coëgit. Quæsitum est, eo tempore, quis ciuitatem custodiret contra illos qui in Castello erant, dum alii ad pugnam progrederentur. Et fecerunt in colle montis nostri, contra hostes murum calceum, & propugnacula; & munierunt hæc multis petrariis, & dimiserunt *ibi Raimundum* Comitem qui vsque ad mortem infirmabatur, & viros vsque ducentos. Ventum erat ad diem pugnæ: Mane communicauerunt omnes, & se Deo dederunt, vel ad mortem si vellet, vel ad decus Romanæ Ecclesiæ, & gentis Francorum. Constituerunt autem de bello sic; vt de gente *Comitis* & *Episcopi* fierent duo ordines duplices; vt pedites præirent militibus & pro imperio Principum irent & starent; & milites sequerentur eos, atque à tergo custodirent: De gente *Boimundi* & *Tancredi* similiter: de gente Comitis *Normannia*, & *Francigenis* similiter; de gente *Ducis*, & *Burgundionibus* similiter. Ibant autem præcones per ciuitatem clamantes, vt quisque homo Principibus de sua gente adhæreret. Mandatum est etiam vt *Hugo* Magnus & Comes Flandrensis, & Normanniæ Comes, primi ad bella procederent; deinde Dux; post Ducem Episcopus, deinde sequeretur eos Boimundus. Congregati sunt ergo vnusquisque ad signum & cognationem su m, infra ciuitatem ante portam pontis. *O quam beata gens, cuius est Dominus* Devs *eius! O quam beatus populus, quem* Devs *elegit! O quam immutatã faciem huius exercitus, à tristitia in alacritatem!* Cuius quippe, præteritis diebus, ibant per plateas ciuitatis, Dei auxilium appellantes ad Ecclesias: Principes & nobiles, & ii qui erant de populo nudis pedibus lachrymantes, & pectora sua percutientes; adeò tristes, vt pater filium obuium non resalutaret, neque respiceret, neque frater fratrem. Modo verò cerneres eos alacres equos emittere, excutere arma & vibrare hastas; nec posse pati quietem, quin dictu vel opere, aliquid iocundũ facerent vel dicerent. Sed cur pluribus moror? Concessa est illis egrediendi potestas; & quæ à Principibus consulta fuerant, ordine complentur. Inter hæc Dux Turcorum *Corbaras*, infra tentorium suum *Schachis* ludebat; & accepto nuncio quòd Franci ad pugnam progrederentur, turbatus animo, quòd præter spem hæc audiebat, appellauit quendam Turcum nomine *Miredalin*, qui de Antiochia aufugerat, nobilem, & nobis notum per militiam suam, & dixit ei: *Quid est hoc? Nonne tu mihi dixisti, quia Franci erant pauci, & nunquam mecum pugnarent.* Et respondit ei Miredalin: *Non dixi quòd non pugnarent, sed veni, & videbo eos, & dicam tibi, si poteris eos facilè superare.* Etiam tertius ordo progrediebatur: Cumq; vidisset ordinum dispositiones, Miredalin dixit ad Corbaram: *Occidi quidem possunt isti, sed verti in fugam nequeunt.* Et tunc Corbaras illi: *Nulli eorum propelli aliquatenus possunt?* Et respondit Miredalin; *Non quantum planta pedis habet, cedent, si omne genus Paganorum eis incurrat.* Tunc ille, licet turbatus, ordines multos & multiplices, instruit aduersum nos. Et cum primò potuissent exitum nobis prohibere, pacificè exire permittebant. Nostri tamen acies suas versus montana dirigebant, cauentes ne nos incingerent à tergo. Erant autem montana longè à ponte, quasi duobus magnis miliaribus. Procedebamus ita spaciosi, sicut in processionibus Clerici pergere solent: Et reuera nobis processio erat: Etenim sacerdotes, & multi monachi induti albis stolis ante acies militum nostrorum, pergebant, Dei adiutorium & Sanctorum patrocinia inuocando cantantes. At contra, hostes nobis incurrere volebant, & sagittabant. Mandauit etiam Corbaras ad Principes nostros, paratus erat facere modo quod nuper abnegauit, *vt quinque vel decem Turci pugnarent cum totidem Francis; & quorum milites vincerentur, pacificè aliis cederent.* Responderunt ad hæc nostri: *Noluistis, cum hoc voluimus; Nunc autem quia parauimus nos ad pugnam, decertent singuli pro suo iure.* Cumq; vt diximus planitiem totam occupauissemus, quædam pars Turcorum post nos remansit, atque peditibus nostris incurrit: Pedites verò illi, facto gyro, impetum hostium viriliter sustinuerunt. Cumque Turci nullo modo eos propellere possent, ignem circa eos accenderunt, vt qui gladios non formidabant, saltem ab igne corriperentur. Itaque cedere eos compulerunt: habebat enim locus ille fænum multum, & siccum. Egressis itaque ordinibus, stabant sacerdotes nudis pedibus & induti sacerdotalibus vestimentis supra muros ciuitatis, Devm inuocantes vt populum suum defenderet; atque testamentum quod sanguine suo sanciuit, in hoc bello per

victoriam

victoriam Francorum, testificaretur. In hoc autem spacio quòd processimus à ponte vsque ad montana, maximè laborauimus propter hoc quòd ipsi hostes nos volebant accingere. Inter hæc, licet maiores hostium ordines, nobis qui in turma Episcopi eramus incumberent, tamen per præsidium *Dominicæ Lanceæ*, quæ ibi erat, nullum ibi vulnerauerunt; sed neque sagittam nobis intorserunt. Vidi ego hæc quæ loquor, & Dominicam Lanceā ibi ferebam. Quòd si quis *Heraclium* vicecomitem, vexilliferum Episcopi, in hoc bello vulneratum fuisse dicat, sciat quòd & vexillum suum alii tradiderat, & ordinem nostrum longè reliquerat. Vt verò omnes viri bellatores de ciuitate egressi sunt, apparuerunt quinque aliæ acies inter nos. Etenim, vt iam dictum est, octo acies nostri Principes tantum constituerant; & tredecim ordines extra ciuitatem fuerunt. Hoc vnum valdè memorabile non prætereamus: In principio egressionis nostræ ad pugnam, imbrem diuinum super omnem exercitum suum misit Dominus, paruum; sed tam gratum, quo qui tactus est, omni gratia repletus & fortitudine, & hostes contemnebat, & quasi in deliciis Regiis semper enutritus exiliebat: Non minus hoc idem mirabile, equis nostris etiam contigit. Cui enim defecit equus suus, nisi peracta pugna? etiam si non gustauerit aliquid præter cortices & folia arborum per septem dies. Multiplicauit insuper adeò Dominus exercitum nostrum, vt qui ante pugnam paucíores eramus quàm hostes, in bello plures eis fuimus. Itaque nostris progressis & dispositis, nō licuit nobis committere pugnam, quoniam ipsi versi sunt in fugā. Persecuti sunt eos nostri, vsque ad occasum Solis. Operabatur ibi mirabiliter Dominus, tam in viris quàm in equis nostris: Quippe viri, auaritia à bello non reuocabantur; & illi equi famelici, quos vix domini sui, in prælium pascendo deduxerant, leuissimè equos Turcarum, pingues & currentissimos, modo consequebantur. Nec hoc solum gaudium voluit nos habere Dominus. Etenim Turcæ qui castellum de ciuitate munierant, videntes suorum præcipitem fugam, desperantes, alii tantum pacti vitam se nostris reddiderunt; alii præcipites fugerunt. Et licet bellum hoc tam atrox atque timidum esset, tamen pauci milites de hostibus ibi ceciderunt: sed de peditibus eorum vix aliquis euasit. Omnia autem temptoria eorum capta sunt, & auri & argenti multum, & spoliorum plurimum: Annonæ verò & pecorum ac camelorum, sine mensura, & numero. Renouatumque est nobis illud Samariæ, de mensura similaginis & hordei, quæ pro statere accipiebantur; Facta sunt autem hæc in vigilia Apostolorum *Petri & Pauli*, quibus intercessoribus IESVS CHRISTVS Dominus noster, contulit hanc victoriam peregrinæ Ecclesiæ Francorum, *qui viuit & manet cum seruis suis, propitius* DEVS *per omnia secula seculorum*, Amen. Factum est autem post victoriam, quòd Principes nostri, *Boimundus*, & *Comes*, & *Dux* & *Flandrensis* Comes, communiter castrum ciuitatis receperunt: sed Boimundus altiores turres suscepit, iam tunc concipiens dolorem, qui protulit iniquitatem. Etenim consequenter homines Ducis, & Flandrensis, & Comitis Sancti Egidii, violenter de castello expulit, dicens, se iurasse illi Turco qui ciuitatem reddidit, quòd ipse solus haberet eam. Ob hoc etiam, quia impunè id commiserat, castella ciuitatis, & portas quas Comes & Episcopus & Dux, ex tempore quo obsessi fueramus seruauerant, requirere cepit: Concesserunt ei omnes præter Comitem. Ille enim licet infirmus esset, tamen portam pontis, nec prece, nec promissis, nec minis dimittere voluit. Nec solùm Principes nostros eo tempore discordia concussit; verùm etiam populi gratiam ita dissoluit, vt pauci essent, qui non cum sociis vel domesticis suis, de furti, vel rapinæ causis concertarent. Nec in ciuitate iudex aliquis erat qui posset vel vellet dirimere causas; sed quantum quisque potetat, eo modus iniuriæ venit. Comes autem & Episcopus valdè infirmabantur, nec tueri eos ab iniuria poterant. Sed quid moram in his agimus? Quippe nostri otio & diuitiis remissi, de itinere propter quod venerant, vsque in Kal. Nouemb. contra Dei præceptum, distulerunt. Etenim eo tempore, ita territæ atque confectę timore Saracenorum ciuitates in fuga Turcorum fuerunt, vt si tunc equitassent nostri Franci, non esset vsque in Hierusalem ciuitas, quæ lapidem, vt nos credimus, eis eremitteret. Interea Dominus *Adamarus* Episcopus Podiensis, dilectus DEO & hominibus, vir per omnia omnibus charus, die Kal. Aug. in pace migrauit ad Dominum. Tantusque luctus omnium Christianorum ibi morantium in morte eius fuit, vt nos qui vidimus, cum pro magnitudine rerum scribere curauissemus, comprehendere aliquatenus nequissemus. Quàm vtilis autem DEI exercitui & Prin-

cipibus fuerat, post mortem eius manifestum fuit: cùm inter se diuisi Principes; *Boimundus* in Romaniam est regressus; & *Dux Lotharingiæ* versus Roais profectus est. Sepulto igitur Episcopo in Ecclesia beati Petri Antiochiæ, secunda nocte adstitit Dominus IESVS, cum beato Andrea & ipso eodem Episcopo, *Petro* illi *Bartholomæo* qui de Lancea dixerat, in Capella Comitis, vbi Lãcea Domini erat. Et loquutus est ei Episcopus dicens: *Gratias* DEO, *& omnibus fratribus meis, & Boimundo, qui me de inferno liberauerunt. Etenim peccaui grauiter postquam Domini Lancea reperta est. Ob hoc itaque in infernum deductus sum atque ibi flagellatus acerrimè; & caput meum & facies combusta sunt, sicut videre potes. Fuit autem ibi anima mea, ab hora qua de corpore egressa est, donec corpusculum meum pulueri traditum est. Reddidit mihi Dominus, inter ipsa flammarum incendia, vestimentum quod vides: quia cùm Episcopatus ordinem suscepi, illud pro* DEO *cuidam pauperi tribui. Et licet exæstuaret gehenna, & insanirent aduersum me ministri Tartarei, nihil tamẽ subtus lædere potuerunt. Tamen nihil de omnibus, quæ de patria mea detuli, adeò mihi profuit sicut hæc candela, quam amici mei hic pro me obtulerunt: & illi tres denarij, quos ego Lanceæ obtuli: Hæc etenim me refecerunt, cùm vsque ad mortem esuriens de inferno progrederer. Dominus meus Boimundus dixit, quòd corpus meum in Iherusalem portaret: Sit illi pro gratia sua ne me moueat, quia de sanguine Domini adhuc ibi est, cui me sociauit. Sed si dubitat de his quæ tibi dico, aperiat sepulchrum meum, & caput & faciem meam videbit perustam. Domino meo Comiti familiam meam commisi: benefaciat ei, vt* DEVS *faciat secum misericordiam, & adimpleat quæ illi promisit. Et ne doleant fratres mei si ego vitam finiui: Quoniam nunquam tantum eis profui, quantum prodero, si præcepta* DEI *seruare voluerint. Etenim cum illis habitabo, & omnes fratres mei qui vitam, vt ego, finierunt; & eis apparebo, & multò melius consolabor eos quàm hactenus. Et vos, fratres mei, estote memores pœnarum inferni, quæ tam graues & horrendæ sunt. Seruite itaque Domino, qui vos liberare potest de his, atque aliis malis. Et, ô quàm benè natus, qui inferni pœnas ignorabit. Poterit hoc illis cõferre Saluator, qui præcepta eius seruauerint. Quod superauerit de hac candela in mane, conserua. Et eligat Comes cum quibus ipse voluerit, Episcopum loco mei, quoniam non est iustum, vt si ego defunctus sum, beata semper Virgo Maria Episcopum non habeat. Vnum de palliis meis, donate ad Ecclesiam beati Andreæ.* Et beatus Andreas supplicauit ei. Post hæc beatus Andreas assistens propiùs, taliter loquutus est: *Audiant omnes, quid per me loquitur* DEVS, *dicens: Memor esto, Comes, illius doni, quod tibi tradidit Dominus: quæ operaris, in nomine eius operare, vt Dominus facta & dicta tua dirigat, & orationes tuas exaudiat. Primum donum quod vobis contulit Dominus, scilicet Niceam, est auersa ab eo: Dominus donauit vobis ciuitatem hanc, & abstulit eam inimicis vestris; & postea non fuit ibi cognitus: Et si aliquis ibi inuocauit nomen Domini, flagellatus fuit, & opera Domini non fuerunt ibi facta. Sed propter bonitatem suam noluit vos derelinquere Dominus, quin concederet ea vobis quæ petiistis; & plus etiam quàm quærere ausi estis. Ille enim Lanceam contulit vobis, quæ corpus suum plagauit, vnde sanguis nostræ redemptionis effluxit. Et non donauit vobis ita facere de hac ciuitate, sicut de altera fecistis: & videre potestis quia pro meritis vestris, non donauit eam vobis Dominus. Mandat tibi Dominus, ô Comes, vt sapias qui se dominum huius ciuitatis voluerit facere super alios; & quære ab eo quale dominium voluerit portare propter Dominum. Quòd si tu & alij fratres tui, quibus* DEVS *dedit hanc ciuitatem, cognoueritis quòd fidelis sit, & iustitiam tenere vel facere voluerit, habeat: Et si iudicium vel iustitiam tenere vel facere noluerit, sed per potestatẽ suam vult tenere ciuitatem, tu per te & per fratres tuos postula à* DEO *consilium, & dabit tibi* DEVS. *Et illi homines qui viam rectam tenent, vel DEVM diligunt, tibi non deficient: Illi autem qui viã rectam tenere nolũt, reuertantur ad illum qui noluit tenere iustitiã; & videbunt quomodo DEVS saluabit illos. Sed habebunt maledictionem, ex parte DEI & matris eius, illam quam habuit Lucifer cùm de cœlo cecidit. Et vos, si vnanimes estis, postulate consilium in oratione, & DEVS dabit vobis. Et si concordia sit inter vos, tenete consilium de Patriarcha, qui sit de lege vestra. Illos autẽ homines qui de captiuitate ad vos venerunt vt legem vestram tenerent, nolite soluere eos: Sed & illos qui ambulauerunt in Corrozanam, vt DEVM Turcorum adorarent, nolite recipere eos, sed habete sicut Turcos: & mittite duos vel tres ex his in carcerem, & ipsi demonstrabunt vobis alios. Postquam ista à vobis fuerint acta petite à Domino consilium de via pro qua venistis; & ille benè consulet vobis. Ierusalem est prope vos decem dies, & si non vultis tenere supradicta, de decem annis non ibitis in Ierusalem. Et post decem annos, reducam infideles in honore; & centum de illis, præualebunt aduersus mille de vobis. Et vos, homines* CHRISTI, *petite à Domino petitionem quam Apostoli petierunt: sicut & illis donauit, ita & vobis nunc donabit. Comes & Boimundus ite ad Ecclesiam beati Andreæ, & ille donabit vobis optimum consilium apud DEVM. Et quod in corde vestro posuerit DEVS, illud facite. Et postquam visitauit vos beatus Andreas, visitate illum; & facite vt fratres vestri visitent illum. Inter vos, Comes & Boimundus, sit concordia, & dilectio*

dilectio DEI *& proximi. Et si benè vos cõcordaueritis, nulla res poterit vos dissipare. Primã iustitiã quam debetis facere, decet demonstrare. Sicut sunt homines de singulis Episcopis suis, profiteãtur diuitias suas; & adiuuent pauperes de patria suã, prout poterũt, & necesse fuerit. Alias autem sicut cõcordaueritis, facite. Quod si hãc, & alias iustitias tenere noluerint, vos eos constringite. Et si aliquis alium ciuitatẽ tenere voluerit, de his quas dabit vobis* DEVS, *secundũ suprascripta facite vt se contineat: Si autẽ facere noluerit, Comes cum filijs* DEI *eũ flagellet.* Hęc vero primũ credita, deinde oblita sunt: Etenim alii dicebant, reddamus ciuitatẽ Imperatori; alii autem non. Atq; sic per huiusmodi discordias & seditiones, res pauperũ annullatę sunt. De cõsilio autẽ quod apud Sanctũ Andreã accipere Principes debuerũt, nihil fuit.

Inter hęc *Turci de Calep*, quoddã castrum obsederũt. Afflicti igitur Turci qui intus erant, mandauerũt *Duci*, qui in illis regionibus erat, vt castrũ ipsorũ reciperet: quia deinceps, nõ aliũ nisi de genere Francorũ dominũ habere volebant. Ob hoc itaq; Dux Antiochiã reuersus, *Comitẽ*, qui iã cõualuerat ex infirmitate, & milites & pedites suos omnes pro causa pauperũ in vnũ euocauerat, vt in *Hispaniã* deprędatũ eos deduceret, multũ rogauit; vt Turcis qui DEVM reclamabãt, pro DEO & pro gloria gentis Francorũ, atq; pro se succurreret: addens, quod contra machinas obsidentiũ Turcorũ, obsessi Turci Crucẽ prætenderent. His atq; aliis huiusmodi precibus, cũ Duce Comes profectus est. Hęc autẽ vbi à Turcis cognita sunt, ab obsidione discedunt. Vt verò ad *Asa* exercitus noster peruenit, suscepit Dux obsides de castello pro fidelitate deinceps: & Comes cũ grandi dispendio sui exercitus, Antiochiã reuersus est. Rursus *Comes* congregauit milites suos, vt plebẽ pauperũ in *Hispaniã* conducerent, quę fame & tædio Antiochię deficiebat. Apparuit autẽ *Sanctus Andreas Petro Bartholomeo*, eo tẽpore apud *Rodiam*, infra tentoriũ, vbi manebat Episcopus *Atensis*, & Capellanus Comitis *Raimũdus*, & alius Capellanus nomine *Symon*. Hic autẽ Symon audiens eos colloquentes sibi, scilicet Sanctũ Andreã cũ Petro Bartholomeo, caput suũ cooperuit; & vt ipse retulit, plurima audiuit, sed hoc solũ retinuit: *Domine edicã*. Episcopus Atensis ait: *Nescio vtrũ in somnis fuerit an nõ: quidã senex stetit corã me, indutus stola alba, atq; in manibus suis Dominicã lanceã tenẽs, ait mihi: Credis hãc lanceã esse* IESV CHRISTI: & respondi: *credo Domine*, atq; cùm sic secũdò & tertiò idẽ quęsisset à me, dixi: *Itaq; credo, Domine, hanc esse lanceã, quæ sanguinẽ de latere Domini nostri* IESV CHRISTI *eduxit, vnde omnes redẽpti sumus.* Et post hęc cũ impetu me, Raimũdũ, qui prope dormiebã, excitauit. Ego autẽ, Raimundus, cũ euigilassem, splendorẽ quidem insolitũ vidi, & quasi quandã gratiam animo concipiens, ab eis, qui aderant, quærere cepi, vtrũ quiddã, quasi plebis tumultuationẽ, sentirent. Et ceperũt omnes alii dicere, *minimè*. Ille verò Petrus cui hæc reuelatio facta fuerat, cũ ad inuicẽ ea quæ supra diximus quæreremus, respõdit: *Et meritò gratificũ splendorẽ hìc conspicitis, cũ ille Pater diutius hìc steterit, à quo omnis gratia procedit.* Cùm autẽ ab eo quæreremus, vt quę sibi dicta fuerãt nobis manifestaret, hęc Comiti & nobis dixit: *Hac nocte venit hic Dominus & beatus Andreas, in specie, quã prius venire soliti sunt; & tertius quidã, cuius statura erat parua, indutus lineis; & barba lõgissimã. Et cõminatus est mihi multũ beatus Andreas, eo quod reliquias corporis sui apud Antiochiã repertas in Ecclesia ipsius, in quodã loco indigno dimiserã.* & dixit: *Cũ gratia acceptum esse de quodã monte ab infidelibus, duos digitos mihi cõfregi; atq; post mortẽ meam hic vir eos accepit; & Antiochiã detulit & tu cũ eos inuenisses, negligẽter habuisti: alterũ passus es tibi subripi, alterũ ibi indignè dimisisti.* Et ostẽdit mihi manũ, sine duobus digitis. *Deinde de te ô Comes, multũ cõquestus est: Nã cùm venerabile munus, nulliq; alij à Domino concessũ acceperis, grauiter & nequiter peccare, in cõspectu Domini nõ vereris. Vnde tibi Dominus hoc signũ demonstrauit. Nam ante quintũ diem cũ in festiuitate beatæ Fidis candelã magnã obtulisses, vt per tres dies & totidẽ noctes durare potuisset, nullũ quidẽ illa splendorẽ dedit; sed statim liquefacta, in terrã decidit. In hac autẽ nocte cũ paruã candelã obtulisses, adeò vt vix vsq; ad gallicantũ durare posset, et lucet & durat adhuc, nec tertia pars ex ea cõbusta est. Propterea hæc tibi mandat Dominus: Nihil incipias nisi prius pœnitentiã egeris: Alioquin tu & quicquid egeris, vt candela liquefacta, in terrã corruet. Quod si pœnitentiã egeris, quicquid inceperis in nomine Domini,* DEVS *perficiet, & consummabit; vt & cãdelã vides durarẽ patuã, sic faciet Dominus magnũ, quicquid ceperis, etiã si paruum fuerit.* Cumq; Comes, se ita grauiter peccasse excusaret; tũc Petrus, & peccatũ sibi narrauit, & Comes ita cõfessus est, & pœnitentiã egit. Et rursũ dixit Petrus ad Comitẽ: *Conqueritur, ô Comes, de cõsiliariis tuis beatus Andreas, eò quòd multa mala tibi sciẽter cõsilientur. Quare tibi præcipitur vt illos ad consiliũ tuũ non admittas, nisi prius tibi iurent, quod scienter tibi mala nõ consiliẽtur. Audi adhuc, Comes: Mãdat tibi Dominus ne diutius moram facias, quia nisi prius Ierusalẽ capta fuerit, succursũ nullũ habebis. Cũ autẽ prope Ierusalẽ fueris, nullus per duas leugas ibi equitet. Quod si ita feceritis, ciuitatem suam donabit vobis Dominus.* Post hæc

O

multas gratias retulit mihi Sanctus Andreas, quod Ecclesiã, quæ suo nomine fabricata fuerat, apud Antiochiã consecrari fecerã. Hæc & alia mihi loquutus est Sanctus Andreas, de quibus nunc nõ est locus dicendi: & sublati sunt, ipse & socii eius.

Igitur Comes cum populo pauperum, & paucis militibus in Syriam profectus, primam ciuitatem Sarracenorum, *Barram* nomine, viriliter expugnauit; & multa millia Sarracenorũ ibi interfecit, & multa millia ad Antiochiã reducti venundati sunt. Et illos qui dum oppugnarentur timore mortis se ei reddiderũt, liberos abire permisit. Demũ habito cõsilio, cũ Cappellanis & Principibus suis, satis laudabiliter & honestè quendã sacerdotẽ Episcopum ibi elegit. Etenim conuocatis omnibus, qui ibi secũ aderãt, quidã Comitis capellanus, parietẽ quendã ascendit, atq; omni conuentui, Comitis desideriũ manifestauit. Cumq; populus multũ instaret vt electio fieret, idẽ Comitis capellanus rursũ cepit quærere, si esset ibi aliquis, de Clero, qui fideliũ vota susciperet; & quantũ posset Paganis resistẽdo, DEO & fratribus ibi seruiret. Cumq; omnes tacerent, *Petrum* quendã, Narbonensem genere, aduocauimus, cui in præsentia totius cõsilii, laborẽ Episcopatus ostendimus, rogãtes vt pro DEO & pro fratribus, illũ susciperet non dubitaret, si hoc in animo haberet, vt mallet mori, quàm relinquere ciuitatẽ illam. Quę cum profiteretur, vnanimiter laudauit eum populus, atq; DEO multas gratias egit, qui Episcopũ Romanũ in Orientali Ecclesia habere voluit, pro sui administrationem. Concessit Episcopo Comes medietatem ciuitatis, & totius territorii. Erat autem *Barra*, ab Antiochia longè per duos dies vltra Antiochiam. Et iam instabant Kal. Nouemb. in quibus omnes Principes cõuenire *Antiochiam* promiserant; & incipere iter propter quod venerant. Igitur Comes relicto exercitu suo apud Barram cum electo suo, & multis captiuis, & spoliis magnis, cũ grandi exultatione Antiochiam reuersus est. Cõuenerant enim ibi omnes Principes, prętet *Balduinũ* fratrem Ducis. Hic verò Balduinus ante captã Antiochiã versus Euphratem profectus *Roais*, ditissimam ciuitatem atq; famosissimã, obtinuerat; & multa prælia cum Turcis feliciter gesserat. Sed antequã ad reliqua perueniamus, hoc vnum prætereundũ non videtur de *Duce Lotharingiæ*: qui cum Antiochiã eo tempore, cum duodecim militibus veniret, centũ quinquaginta Turcos obuiam habuit. Tunc assumptis armis, & cohortatus milites suos, viriliter hostes aggressus est. *Turci* autẽ, vt viderũt quia *Franci* mortẽ magis pugnando, quàm fugam cũ salute eligerent: quædam pars Turcorũ descẽdit, vt altera pars securius pugnaret, cùm scirẽt socios suos à bello, dimissis equis suis, nõ discessuros. Sic itaq; bellũ inceptum cũ diu grauiterq; duraret, cõfortati ad inuicẽ milites Ducis, quod & numerũ duodecim Apostolorũ continerent; & dominũ suum quasi vicariũ CHRISTI haberẽt, imperterriti agmina Turcorũ inuadũt. Contulit ibi DEVS tantam victoriã Duci, vt vsq; ad triginta ex eis occideret, & totidẽ caperet; reliquos persequutus in paludibus & flumine, quæ vicina erãt, alios necari, alios submergi coëgit. Et sic cũ magna victoria Antiochiã venit: faciebat enim capita cæsorũ ab aliis Turcis viuis deferri: quod nostris satis iocundũ fuit. Itaq; cùm omnes Principes conuenissent in Ecclesia B. Petri, de itinere nostro agere ceperũt. Tunc quidam qui castella & reditus in regione Antiochię habebant, dixerunt: *Quid fiet de Antiochia? Quis seruabit eam? Imperator non veniet. Etenim accepto nuncio quod Turci obsiderẽt nos, non confidens virtuti suæ, et hominũ multitudini, quam secum habebat, aufugit. An adhuc expectabimus eum? Certè nõ veniet in auxiliũ nostrũ, qui fratres nostros ad auxiliũ DEI venientes, vt reuerterentur coegit. Et si dimittimus hanc ciuitatẽ, & Turci occupent eã, erunt vltima peiora prioribus. Sed omnes cõcedant eam Boimundo: quoniã & ipse sapiens est, & optimè seruabit eam; & nomen eius magnũ est inter Paganos.* At Comes Raimundus, & alii è contra dicebãt: *Imperatori iurauimus super Dominicã Crucem, & spineã coronam, & super multa alia Sancta: quod nec ciuitatẽ, nec castellũ, de omnibus pertinentibus ad Imperiũ eius, retineremus sine eius volũtate.* Sic itaq; aliis cõtradicentibus, hoc modo & alio modo, in tantã discordiã cõuenerũt Principes nostri, vt penè ad arma venirẽt. Etenim Dux & Comes Flãdrẽsis, leuiter de ciuitate Antiochię habebant: propterea, licet de Boimundo vellẽt, quod haberet eã, tamen non audebãt laudare ei, metuentes incurrere periurii infamiã. Hoc igitur modo de itinere, & de aliis rebus, quę itineri & pauperibus vsui forent, differebatur. Hęc autẽ cũ populus vidisset cepit dicere quisq; ad sociũ suũ, deinde palàm omnibus: *Quoniã Principes, vel propter timorẽ vel propter iuramẽta quæ Imperatori fecerũt, nos in Hierusalẽ ducere nolũt, eligamus de militibus, aliquẽ fortẽ, cui fideliter seruiẽdo, et tuti esse possimus; &, si gratia DEI est, eodẽ milite duce in Ierusalẽ perueniamus. Hè hò! nõ sufficit Principibus nostris, quod hic per annũ fuimus, & ducẽta millia armatorũ hic cõsumpta sũt? Habeãt qui volunt*

[...]peratus; et qui volũt redditus Antiochiæ habeant. Nos autẽ, CHRISTO *pro quo*
iter noſtrũ aggrediamur. Pereant malè qui volũt habitare Antiochiæ, ſicut nuper ha-
[...]erierũt. Quod ſi hæc tãta lis diutius propter Antiochiã datur, diruamus muros eius: et
[...]ptã ciuitatẽ Principes tenuit, deſtructa ciuitate eoſdẽ tenebit. Alioquin ante quã ſa-
[...]tadio hîc deficiamus, ad propria reuerti debemus. His atq; aliis de cauſis diſcor-
[...]omes & Boimũdus inter ſe fecerũt. Igitur terminato die, iubetur popu-
[...]i ad deuotũ iter. Præparatis igitur neceſſariis, die cõſtituta, profe-
[...]s Sancti Egidii, & Comes *Flandrẽſis* in Syriã; ibiq; *Marrã*, ditiſſimã ciui-
[...]loſã obſederũt. Erat autẽ Marra à Barra longè octo miliaribus. Et erãt
[...] ita ſuperbi, quia quodã tẽpore in quadã pugna de noſtris multos occi-
[...]citui noſtro maledicebãt, & cõuiciabãtur: & vt maximè nos prouoca-
[...]uper muros ponẽtes, multis iniuriis eas afficiebant. Hac itaq; de cauſa,
[...]aduentus noſtri, ita acriter eos oppugnauimus, vt ſi quatuor ſcalas plus
[...]s, capta eſſet ciuitas: ſed quoniã nõ habuimus niſi duas, & illas eaſdẽ bre-
[...]s, adeò vt timidè ſuper eas aſcẽdere timebamus, cõſultũ eſt vt fierẽt ma
[...]tes, & aggeres, quibus impelleretur murus, & effoderetur, & quoęqua-
[...]a venit *Boimũdus* cũ exercitu ſuo, & obſedit eã ex alia parte: rurſus nõ cõ-
[...]mẽtis quę ſuprà diximus, quaſi per cohortationẽ Boimundi qui priori
[...]ni non affuerat, voluimus vallum cõplendo, inuadere murũ. Sed hoc
[...]Nã multò deterius quã antea, tunc pugnatũ eſt. Poſt hęc tanta fames in
[...], vt quod dictu eſt miſerabile, pluſquã decem millia virorum, per ſata,
[...]lũ, ire videres, fodiendo, & inueſtigãdo ſi fortè aliqua grana frumenti,
[...]el fabæ, ſiue alicuius leguminis, reperirent. Interea, licet cõpararẽtur
[...]iximus ad oppugnandũ machinę, tamen quidã de noſtris videndo mi-
[...]noſtri & audaciã Sarracenorũ, deſperantes de DEI miſericordia, aufu-
[...]DEVS, cui cura eſt de famulis ſuis, vlterius miſereri populo ſuo nõ diſtu-
[...]timis tribulationibus poſitũ vidit. Itaq; per beatos Apoſtolos Petrũ &
[...]is mandauit: per quos voluntatẽ eius ſciremus, & iram eius grauẽ erga
[...]poſſemus. Illi igitur in capellã Comitis venientes, per noctis medium,
[...]nceã oſtenderãt, excitauerũt. Tunc ille ſubitò, vidẽs eos deformi veſte
[...]na indutos, ſcriniis vbi reliquię manebãt aſſiſtere, pauperes eſſe aliquos
[...]ã aliquid de tentorio vellent ſubripere. Erat enim Sãctus *Andreas* indu-
[...]eteri, & ad humeros dirupta, & in foramine ſiniſtri humeri pannus in-
[...] dextro nihil, & viliter calceatus erat: beatus verò *Petrus*, camiſia groſ-
[...]ſq; ad talos indutus erat. Tũc ait ad eos Petrus Bartholomeus: *Qui eſtis*
[...]uid quæritis? Et reſpõdit beatus Petrus: *Legati ſumus DEI Ego ſum Petrus, &*
[...]s. Sed voluimus tibi in hoc habitu apparere, vt cognoſcas quantũ proficit qui DEO
[...]ac in ætate & habitu, quales nos vides, ad DEVM venimus: & tales ſumus. Et hoc
[...]uerũt, vt nihil eis clarius, nihil pulchrius. Petrus verò qui hæc videbat,
[...]ate perterritus, veluti mortuus cecidit in terram; & præ nimia anguſtia
[...]ſuper quã ceciderat humefecit. Tũc eleuauit eũ beatus Petrus, & dixit
[...]diſti. Et ille reſpõdit: *ita eſt Domine.* Et rurſus beatus Petrus: *Sic cadũt omnes*
[...]litate vel trãſgreſſione mãdatorũ DEI sũt. Sed ſi pæniteat eos de malefactis ſuis, et ad
[...]t, erigit eos Dominus, ſicut ego cũ cecidiſſes te erexi Et ſicut ſudor tuus ibi ſuper nattã
[...]anſit; ſic peccata ad ſe clamantiũ tollit DEVS *& aufert. Dic mihi, quomodo ſe habet*
[...] reſpõdit ille: *Certè Domine in magno timore famis, et totius miſeriæ ſunt.* Et bea-
[...]t reuera in magno timore eſſe poſſunt, qui DEVM *omnipotentẽ deſeruerũt; nec peri-*
[...]s eruit eos recordãtur, vt aliquã gratiã ei referant. Etenim cũ illic eſſetis omnes, victi
[...]ſtra Antiochiã; quia clamaſtis ad Dominũ adeò, vt nos qui in cælo eramus omnes au-
[...]diuit vos Dominus, et Lanceã ſuã quaſi pignus victoriæ vobis cõtulit: deinde mirificè
[...]nimicis veſtris, qui vos obſederãt triũphare fecit. Et nunc quomodo creditis vos eſſe
[...] grauiter offendiſtis? Poterũt vos mõtes excelſi, vel antra tueri? Etenim ſi eſſetis in
[...]ſo, & firmiſſimo; & abundaretis omnibus vitæ neceſſariis, non tamen ſecuri poſſe-
[...] de vobis centum millia aduerſariorum imminerent. Inter vos cædes & ra-
[...]a; nulla iuſtitia; & plurima adulteria: cùm DEO *placitum ſit, ſi vxores vos*
[...] De iuſtitia verò, ſic præcipit Dominus: vt quicunque pauperi violentiam in-
[...]eſt in domo oppreſſoris, publicetur. De decimis autem dico, quod ſi eas red-
[...]obis neceſſe fuerit, donare paratus eſt. Ciuitatem verò iſtam, pro ſua miſericor-
[...]ritis veſtris, donabit vobis. Cùm autẽ hæc manè Comiti nuntiaſſet Pe-
[...] populum Epiſcopus Auraſicẽſis & Barrę; & ſupra ſcripta eis expo-

fuimus. Adducti igitur fideles in magnam spem capiẽdæ ciuitatis, largissimas eleemosynas,& orationes Deo omnipotẽti offerebãt, vt plebẽ pauperũ suorũ, pro solo nomine suo liberaret. Fiũt itaq; post hęc velociter scalæ,& turris lignea extruitur, & crates iungũtur,& terminatã die pugna incipitur. At verò illi qui infra ciuitatẽ erant, in nostros, qui murũ suffodiebãt, lapides cũ tormẽtis,& tela,& ignẽ,& ligna, & aluearia cũ apibus,& calcẽ, permixtim iaciebant. Sed, Dei virtute & misericordia, nullũ vel paucos de nostris ista lædebãt. Nostri verò cũ petrariis & scalis, murũ imperterriti aggrediebãtur. Tenuit autẽ hęc pugna ab ortu Solis, vsq; ad occasũ ita mirabiliter, vt nulli vnquã requies cõcederetur: & adhuc de victoria dubitabatur. Tandẽ exclamauerũt vnanimiter omnes ad Dominũ, vt plebi suę propitius fieret; & Apostolorũ suorũ promissa adimpleret. Affuit ilico Dominus,& ciuitatẽ secundũ Apostolorũ dicta nobis donauit. Ascẽdit antè omnes *Golferius de Turribus*: quem subsecuti sunt plures, qui murũ,& quasdã turres ciuitatis inuaserunt. Et nox superueniens, pugnã diremit. Retinebãt adhuc Sarraceni quasdã turres,& partẽ ciuitatis. Ob hoc itaq; sperantes milites quod vsq; in manè, se Sarraceni nõ dedissent, extra muros ciuitatis custodiebãt, ne aliquis subterfugeret. At verò ii quibus sua vita non multũ chara fuerat, quos lõga ieiunia in sui despectũ deduxerãt, per noctis tenebras inferre bella Sarracenis nõ formidabãt. Atq; sic pauperes,& spolia ciuitatis, & domos habuerũt. Manè autẽ facto, ingressi milites ciuitatẽ, quę sibi tolleret, pauca inuenerunt. *Sarraceni* verò, concluserant se in specus subterraneos; & nulli, vel pauci apparebant. Cumq; nostri omnia, quæ super terrã repererant, sustulissent, arbitrati omnia esse cũ Sarracenis, igne & fumo sulphureo antra perquirebãt; & quia non multa spolia ibi reperiebant, quos poterant inuenire de Sarracenis, donec ad mortẽ pro spoliis affiebant. Contigit autẽ quibusdã de nostris, vt cũ Sarracenos pro spoliis per ciuitatẽ ducerent, vsq; ad puteos Sarraceni nostros perducebãt; atq; se subitò intus pręcipitabãt, eligentes magis mortis compendiũ, quã sua vel aliqua demõstrare vellẽt. Quapropter omnes morti subiacuerũt; & proiecti sunt, per paludes ciuitatis & extra muros. Sicq; nõ multa spolia capta fuerũt in ciuitate. Interea orta est contentio inter homines Boimundi & Comitis: ob hoc, quia cũ milites Boimundi oppugnationi nõ multũ institissent, plurimũ turres & domos, & captiuos obtinerent. Mirabile quoddã fecerat ibi Dominus. Etenim, cùm ante captam Marram præcepta Sanctorũ Apostolorũ Petri & Andreę, sicut supra scriptũ est, ad populũ exponeremus: irrisit nos *Boimundus*,& socii eius. Itaq; nec ipse nec qui cũ eo erant, pugnæ profuerunt, sed potius oberant. Et cũ modò plurima haberet spolia, quidã de familia Comitis indignè ferebant. Tamen inter ipsos Dominos malè cõueniebãt, ob hoc quod Comes volebat dare ciuitatẽ Episcopo Albariẽsi; & Boimundus nolebat dimittere quasdã turres, quę se ei dederãt, dicens: *nisi Comes dimiserit mihi turres Antiochiæ, non ei consentiã in aliquo.* Interea de itinere milites & populus quærere ceperũt, quando Principibus placeret vt inciperetur. Etenim licet ex longo tẽpore inceptũ esset iter, tamen quotidiè videbatur nobis incipi cũ iter ageremus, quia nundũ fuerat cõpletũ. Boimundus dicebat quòd vsq; in Pascha differretur. Et tunc erat tempus Dominicæ Natiuitatis. Desperabãt etiã multi, eò quòd pauci essent equi in exercitu,& Dux abẽrat; & multi de militibus abierant ad Balduinum de Roais. Itaq; multi reuertebantur. Tandem cõuenerunt Episcopus Albariensis,& quidam nobiles cum populo pauperũ,& *Comitẽ* euocauerunt. Cumq; Episcopus prædicationem suam cõpleuisset, procubuerunt milites, & omnis populus ante Comitẽ; & cum lachrymis multis deprecabantur eũ, *vt ipse cui Lanceã suã Dominus contulerat, ductor & dominus exercitus eiusdẽ fieret: addẽtes quòd ob hoc Lanceã Dominicã promeruisset, vt si alij Principes defecissent, ipse obnoxius tanto beneficio Domini, securus cum populo pergere non formidaret. Alioquin, traderet Lanceam populo; & iret populus in Ierusalem, ipso Domino duce.* Dubitabat autem Comes, propter aliorum Principum absentiam, metuens quòd si ipse solus diem itineris terminaret, ob inuidiam sui cæteri non issent. Quid multa? Vincitur Comes lachrymis pauperũ, & diem quintũ decimum ad iter nominauit. Quã ob rẽ indignatus *Boimundus*, diem quintũ aut sextũ obclamare itineri per ciuitatẽ iussit: & post hæc, Antiochiã reuersus est. Quærebat Comes cũ Episcopo, quomodo ciuitatẽ potuisset retinere; & quos,& quantos viros, pro custodia ibi dimittere possent. Interea mandauit Comes *Duci Lotharingiæ*,& ad alios qui Marræ non interfuerant, vt congregarentur in vnum locum; atq; de his, quæ itineri vtilia forent & populo Dei, pertractarent. Atque sic conuenerunt apud *Roiam*, quæ inter Antiochiam & Marram quasi media est. Ibique omnes princi-

Principes, habito colloquio, in deterius vertebatur. Etenim Principes se ab itinere excusabant, & causa eorũ, alii multi. Volebat tunc Comes Duci donare decẽ millia solidorũ; & Rotberto Normanniæ Comiti totidẽ; & sex millia Comiti Flandrensi; & Tancredo quinq; millia; & aliis Principibus prout erant. Inter hęc, cũ ad pauperes, qui apud Marrã remanserant, peruentũ esset, quod Comes in ciuitate Marrę, multos milites & pedites de exercitu, pro custodia, dimittere vellet, dixerũt ad inuicem: *Heho: & propter Antiochiam lites, & propter Marram lites; & in omni loco quem DEVS dederit nobis, Principum certamina, et imminutio exercitus DEI erit? Certè, propter hanc ciuitatẽ vlterius lites non habebuntur. Venite, & diruamus muros eius; & fiet pax inter Principes, & Comes securitatem ne perdat eam.* Surgentes itaq; debiles & infirmi de cubilibus suis, innixi baculis, ad muros vsq; perueniebant; & illos lapides quos vix tria vel quatuor paria boum trahere possent, facilè quidã famelicus reuolutos à muro longè proiiciebat. Episcopus verò Albariensis, causando & interdicẽdo ne hoc vllo modo fieret, circuibat ciuitatẽ, & pariter Comitis familiares. Cùm autem pertransissent custodes illi, illico reuertebantur ad inceptũ opus, qui se occultauerãt, & qui declinauerãt ad aduentũ Episcopi & sociorũ eius. Et qui nõ audebant per diem diruere, vel nõ [illegible] aliis intẽti, per noctẽ instabãt. Vix erat aliquis de populo debilis vel infir[mus ...] ad cõfringendũ murum. Interea tãta fames fuit in exercitu, vt multa corpora [... Sarrac]enorũ iam fętentiũ, quę in paludibus ciuitatis eiusdem per duas hebdomadas [vel] amplius iacuerant, populus auidissimè comederet. Terrebant ista multos, tã [sui] gentis homines, quàm extraneos. Reuertebantur ob ea nostri quàm plures, [desper]antes de itinere, sine succursu de gente Francorũ. Sarraceni verò & Turci è [contra] dicebant: *Et quis poterit sustinere hãc gentẽ, quæ tã obstinata atq; crudelis est, vt per annũ [non po]tuerit reuocari ab obsidione Antiochiæ, fame vel gladio, vel aliquibus periculis? & nũc carni[bus hum]anis vescitur?* Hæc & alia crudelissima sibi, in nobis dicebant esse Pagani. Et[enim] [im]miserat DEVS timorẽ nostrũ cunctis gentibus; sed nos nesciebamus. Interea [Comes] à Colloquio Principũ regressus *Marram*, grauiter irascebatur, de destructio[ne mur]i contra populum. Cumq; expositum esset ei, quod neq; Episcopus, neq; alii [fami]liares sui possent amouere, minis vel verberibus, populũ à muri destructione, [intell]exit illicò diuinum esse; & vt funditus murum diruerent præcepit. Interim in[cre]scebat fames quotidie. Cumq; iam dies proposita itineri instaret, prędicaba[ntur] eleemosynas & orationes fieri in populo ad DEVM pro itinere. Cùm verò vi[deret] Comes quòd nulli de Principibus Maioribus ad se venirent; & omnẽ popu[lum] contabescere cerneret, in interiora *Hispaniæ* pro victualibus populum ire præ[cepit], & ipse cum militibus, præcessit eum. Sed hoc non erat gratum quibusdã suis [pr]incipibus: dicebant enim: *in exercitu vix sunt trecenti milites, & aliorum armatorum non est [ma]gnus numerus, & alii ibunt in expeditionem, atque alii hic erunt infra ciuitatem hanc destruentes, quia sine munimine est?* Et intendebant Comiti nimiam leuitatem. Ad vltimum [tame]n pro causa pauperum Comes profectus est; & castella multa obtinuit, & ca[pti]s [...] maximã prædam cepit. Cumq; reuerteretur, cum grandi exultatione & [...] pluribus *Sarracenorum* interfectis, sex vel septem de nostris pauperibus à [...] capti & interfecti sunt: hi autẽ omnes defuncti, cruces in dextris humeris [habuerunt]. Hæc autẽ cùm Comes & qui cum eo erãt vidissent, Omnipotẽti DEO [gratias] quantas poterant reddebant, qui pauperũ suorũ memor erat: & ob hoc ma[gis] confortabantur. Itaq; vt omnibus qui ad sarcinas, apud Marrã remanserant, [ostende]rent, vnũ de interfectis qui adhuc spirabat detulerunt: & mirũ certè in ho[mine] vidimus: qui, cùm vix haberet integrum vbi latere posset anima, per se[ptem vel] octo dies sine victu permansit: testificans IESVM, ad cuius iudicium erat [profectus], sine dubio, Crucis illius DEVM fuisse auctorem. Igitur prouentu rerum [...] confortati, in quodam castro qui vocabatur *Capharca*, & erat in itinere [...] *Marra* quatuor leugis, spolia sua dimiserunt; atque illi qui socios habe[bant ...] cum Comite eo reuersi sunt. Constituta itaque die, & incensa ci[uitate, profi]ciscebantur. Sed *Comes*, cum clericis suis, & Episcopo *Albariensi*, [...] incedebat, inuocantes DEI misericordiam & Sanctorum præsidia. Et [...] est nos *Tancredus* cum quadraginta militibus, & peditibus multis. Cum[que hoc] audissent Reges de terra illa Arabum nobiles, cum supplicationibus [et mu]ltis donariis ad Comites mittebant: dicentes se nunc & deinceps [...] eorum futuri, & allaturi victualia gratis, & pro commercio. [...] Itaque acceptis securitatibus ab eis per iusiurandum, & vadibus, pro conductu,

vlterius tendebamus. Habuimus auté à Rege Cæsareæ duces, qui nos in prima die, vt nobis videbatur, malè duxerunt. Fuimus etenim in hospitio illo, in penuria totius boni, præter aquæ: Secunda verò die iidem duces imprudenter induxerũt nos in quandã vallem, vbi armenta Regis & totius Regionis propter timorẽ nostrum confugerant. Etenim Rex longè antè, nos ibi venturos sciebat; & vt fugerent ante nos, omnib. Sarracenis mandauerat Sed si iussisset vt omnes de Regione illa obuiã nobis venirent, non ita factũ esset. *Raimundus de Insula* & socii eius ea die vnum Sarracenũ ceperunt, cum literis Regis, quas deferebat ad omnes de illa regione, vt fugerent ante nos. Cumq; hæc Regi cognita fuissent, dixit: *Ego quidẽ iusseram hominibus meis vt fugerent ante faciem Francorũ, quantum possent; & ipsi ad eos venerũt. Video quia DEVS hanc gentẽ elegit: propterea quodlibet faciant, nõ eis nocebo.* Tunc DEVM ipse Rex benedicebat, qui sufficienter prouidet necessaria timentibus se. Videntes auté tam subitam ac talẽ plenitudinẽ nostri milites, & multi de plebe viri fortes, assumptis omnibus pecuniis suis *Cæsareã* & *Camelam* adibant, vt equos farios ibi mercarentur, dicentes: *Quoniam DEVS de victu nostro curam agit, nos de pauperibus, & de militia eius curemus.* Sicq; factum est, vt vsq; mille optimos dextrarios haberemus. Conualescebant quotidie pauperes; confortabantur quotidie milites; & sic quotidie exercitus multiplicabatur. Et quãto vlterius progrediebamur, tanto ampliora nobis beneficia prouidebat DEVS. Et licet omnia sufficienter nobis prouenirent, tamen quidam Comitem ad hoc inclinauerunt, vt quasi causa *Zibelli*, quę est ciuitas in maritimis, deuiare paulisper vellet. Sed *Tancredus* aliiq; multi viri fortes & boni, ne hoc vllo modo fieret effecerunt, dicentes: *DEVS visitauit plebem pauperũ, & nos declinare ab itinere debemus? Sufficiant nobis præteriti labores apud Antiochiam, belli & frigoris, & inediæ, denique & totius miseriæ. Numquid nos soli mundum expugnabimus? & habitatores mundi omnes interficiemus? Ecce de centum millibus equitum, vix milites mille habemus. & de ducentis millibus peditum armatorum & amplius, modo non sunt in exercitu nostro quinque millia armati: & expectabimus donec omnes consumamur? Numquid ideò venient alij de terra nostra, quia audient captam esse Antiochiã & Zibellum, atq; reliquas ciuitates Sarracenorũ, nostras? Sed eamus in Ierusalẽ pro quã venimus: & reuera DEVS eam nobis dabit. Et tunc, solo timore eorũ qui venient de terra nostra, & de aliis terris, aliæ ciuitates, scilicet Zimel & Tripolis, et Sur, & Accaron, quæ sunt in itinere nostro, ab incolis relinquentur.* Sic itaq; cùm anterius progrederemur, quidam Turci & Arabes exercitũ sequebantur; & pauperes qui pro debilitate sua longè post exercitum remanebant, interficiebant & spoliabant. Cumq; hoc semel & secundò fecissent, alia die remansit Comes in occultis, donec omnis exercitus pertransiret. Hostes verò impunitate cædis, & spe rapinæ, exercitũ nostrum more solito insequebantur: sed cùm iam insidias præterissent, egressi nostri de occultis cum Comite, agmina hostiũ inuadunt, conturbant & confundunt; atq; ipsos interficiunt, & equos eorũ optimos, cum grandi exultatione ad exercitũ deduxerunt. Et post hæc, nulli hostes exercitũ assequebantur: quoniã Comes cum armata multitudine militum post omnes debiles ibat. Alij auté milites armati cum Comite Normanniæ & Tancredo, & Episcopo Albariensi frequenter exercitum præcedebant: ne vel à tergo vel à fronte, improuisi, hostes conturbarẽt nos. Etenim Comes quia paucos milites secum habebat cum à Marra proficisceretur, rogauit Episcopum, vt posito præsidio Barræ, ipse veniret secum. Quod Episcopus audiens, *Guillelmum Petri* nomine *de Cimiliaco* quendam militem suum ibi dimisit, cùm militibus septem & peditibus triginta, virũ fidelem ac DEO deuotũ; qui res Episcopi auxit, adiutore DEO, in decuplũ, breui tẽpore: & homines pedites habuit pro triginta, septuaginta; & equites sexaginta, & amplius. Consultũ est eo tẽpore de itinere nostro, vt dimitteremus viã quę ducebat *Damascũ*, & diuerteremus ad maritimã: quoniã, si nostræ naues quas in portu Antiochiæ reliqueramus ad nos venirent, haberemus cõmercia cum his de insula Cypri, & reliquarum Insularũ. Cùmq; vt consultũ est, iter ageremus, relinquebant ciuitates & castra & villas, plenas omnibus bonis, habitatores terrę. Itaq; circinatis magnis montanis, cũ in vallem quandã opulentissimã venissemus, rustici quidam multitudine sua & castri sui munitione superbi, neq; ad nos mittere pro pace, neq; relinquere castrũ suum volebãt; sed insuper armigeris nostris & peditibus, qui inermes erant, & per villas discurrebant pro victualibus, incurrerũt; & quibusdam interfectis, spolia intra castellum suum miserunt. Indignati itaq; nostri, ad castellũ vsq; perueniunt. Rustici auté obuiam nobis vsq; ad pedẽ montis, in quo castellũ erat, venire non dubitauerũt. Tunc nostri accepto cõsilio, ordines peditũ & mili-

& militum cõstituerunt; & sic à tribus partibus, per altitudinē montis ascendētes, agmina rusticorum fugere compulerunt. Erant enim circiter triginta millia *Sarraceni*: & castellum ipsorum erat, in descensu cuiusdam maximi montis: & propterea cùm volebant refugiebant ad castellum, & alii in superiori montis parte, & sic aliquantulum nobis resistebant. Tandem exclamauimus signum solitum in necessitatibus nostris, DEVS ADIVVA, DEVS ADIVVA: & inimici nostri ita turbati sunt, vt vsque ad centum, solo timore & impetu sociorum suorum, sine vulneribus, in ingressu castelli, mortui remanerent. Erat autem maxima præda boum & equorum & ouium extra castellum, vbi populus noster occupabatur. Dumque Comes
10 cum quibusdam militibus bello intenderet, pauperes nostri accepta præda, vnus post alium redire ceperunt; deindè pedites viam tenebant, postea milites plebei. Erant autem tentoria nostra longè à castello, quasi decem miliaribus. Interea Comes, milites & populum hospitari iubebat. Videntes autem Sarraceni, qui ad superiorem montem ascenderant, & ii qui erant in castello, quòd maxima pars nostrorum discesserat, ventilare ad inuicem ceperunt, vt coniungerentur: Comes verò dum hæc negligit, penè se derelictum à militibus suis reperit. Erat collis in quo castellum erat, multum arduus & lapideus; & ardua semita, per quam vnus equus post alium vix ire poterat. Hac itaque difficultate comprehensus Comes, quasi versus illos, qui de superiori monte descenderant, pergere cum sociis cepit, quasi
20 pugnaturus: qui primo paululum ad aduentum Comitis non dubitauerunt. Tunc nostri versi itinere, in vallem quasi securi tendebant. Vidētes Sarraceni se frustratos, & nostros securè descendere; & hi de castello, & hi de montibus pariter nostris incurrunt. Coacti itaque nostri alii ab equis suis descenderunt, alii se præcipitantes per abrupta dederunt; & sic cum maximo periculo mortem euaserunt: quidam verò viriliter pugnando, mortui sunt. Hoc vnum certum scimus, quod nunquam fuit Comes in maiori periculo vitæ suæ: Itaque iratus sibi & suis, reuersus ad exercitum consilium conuocauit, & conquestus est multum de militibus, quod sine licentia redissent, & se in periculo mortis reliquissent. Tunc promiserunt omnes se nunquam à castelli oppugnatione discessuros, donec funditus, per [illegible]tiam, euersum esset. Sed DEVS qui eos conducebat, ne in quibuslibet vi[illegible] impedirentur, ita terruit castellanos per noctem, vt nec interfectos suos sepulturæ tradidissent, dum præcipites in fugam ferebantur. Manè autem facto cùm venissemus ibi, spolia tantùm & castrum vacuum ab hominibus inuenimus. Erant autem eo tempore nobiscum Legati ab *Ammirato Camelæ, Rege Babylonis*, & *à Rege Tripolis*. Hi cùm vidissent audaciam & fortitudinem nostram, licentiam à Comite deprecabantur, dicentes, se quàm certissimè reuersuros. Dimissi itaque illi cum nostris, breui tempore cum magnis muneribus & multis equis reuersi sunt. Terruit enim totam Regionem illam, castelli oppugnatio: quoniam nunquam antea [illegible] potuit expugnari. Propterea illius incolæ regionis, cum multis supplicationibus & muneribus, ad Comitem mittebant præcantes, vt dum ciuitas & [illegible] eorum recipi faceret, interim signa & sigilla sua eis dirigeret. Etenim [illegible] in exercitu, vt si signum alicuius *Franci*, in ciuitate aut castello reperiretur, à nullo postea oppugnaretur. Quare Rex Tripolis signa Comitis in castellis suis posuit. erat eo tempore tantum nomen Comitis, vt nullius vnquam nomini [illegible] impar esse videretur. Cumque milites nostri qui allegati Tripolim fuerant, Regias opes, & ditissima regna, & populosam ciuitatem vidissent, Comiti persuaserunt vt castellum munitissimum *Archados* & inexpugnabile viribus humanis, obsideret: habiturus post quartum vel quintū diem à Rege Tripolis, quantum auri & argenti desideraret. Itaque obsedimus pro voluntate eorum castellum, [illegible] tantos labores sunt passi nostri viri fortes, vt nusquam amplius. Præterea tan[illegible]
50 [illegible] milites ibi perdidimus, quod relatu grauissimum est. Interfectus est ibi [illegible] *[illegible] de Baladuno*, cum lapide de petraria: cuius ego precibus ad omnes [illegible], & maximè ad Transalpinos, & ad te, *reuerende præsul Viuariensis*, cui hoc [illegible] curaui. Nunc autem quod reliquum est, DEO inspirante, qui [illegible] fecit, eadem hilaritate, quā incepi, perficere curabo. Oro igitur & obsecro [illegible] qui hæc audituri sunt, vt credant hæc ita fuisse. Quòd si quicquam ego [illegible] dita & visa studeo referre, vel odio alicuius apposui, apponat mihi DEVS [illegible] inferni plagas, & deleat me de libro vitæ. Etenim, licet vt alia plurima ign[illegible], hoc vnum scio, quia cùm promotus ad sacerdotium in itinere DEI

sim, magis debeo Deo obedire testificando veritatem, quàm in texendo mendacia, alicuius muneris captare dispendia. Obiit karissimus meus in Domino, *Pontius de Baladuno*, sicut iam dictum est, apud castrum *Archados*: Sed quia secundùm Apostolum, *charitas nunquam excidit*: eadem charitate hoc opus agere volo: auxilietur mihi Devs. Cumq; in hac obsidione aliquam moram fecissemus, venerunt ad nos nostræ *naues* ab *Antiochia*, & Laodicia, & multæ aliæ naues Veneticorum & Græcorum, cum frumento, vino, & hordeo, & carne porcina, & aliis venalibus. Sed quia hoc castrum à mari aberat per miliarium, nec in portu poterant esse naues, reuertebantur nautæ ad *Laodiciæ portum*, & ad portum Tortosæ. Hanc enim *Tortosam*, ciuitatem valdè firmissimam, muris & antemuralibus exstructam, & refertam omnibus bonis, reliquerunt ciues eius Sarraceni, solo timore nostri exercitus. Etenim tantum effecerat Devs timorem nostrum in *Sarracenos* & *Arabes* illius regionis, vt nos omnia crederent posse; & quæ poteramus, velle extermiminare. Sed hoc antè obsidionem Archados. Hanc autem obsidionem, quia maximè pro aliis contra iustitiam, quàm pro Deo posuimus, noluit promouere eam Devs; sed omnia aduersa nobis tribuit. Et erat mirum, cùm ad alia bella & assultus omnes prompti & parati essent, ad hoc segnes & inutiles inueniebantur. Si qui verò feruentes spiritu agere aliquid vellent; vel ipsi vulnerabantur, vel quod inceperant frustrà eueniebat. Migrauit hic gloriosè *Anselmus de Ripamondi*: etenim cùm surrexisset manè, vocauit ad se Sacerdotes, & de negligentiis suis & peccatis confessus, misericordiam à Deo & ab ipsis deprecabatur; denuncians eis in mane vitæ suæ finem: cumque admirarentur de hoc, quia sanum & incolumen eum videbant, dixit eis: *Nolite mirari, sed audite me potius. Hac nocte vidi dominum* Egelrannum de Sancto Paulo, *qui apud Marram interfectus est; non in somnis, sed vigilanter. Et dixi ad eum: Quid est hoc? quia vos mortuus eratis, & ecce nunc viuitis: Et ille respondit: Equidem non moriuntur illi, qui in CHRISTI seruitio vitam finiunt. Cùm verò rursus quærerem ab eodem, de pulchritudine eius, quæ nimia erat, vndè accidisset ei, respondit mihi: Non debes mirari super pulchritudine mea, cùm in tam pulchram domum habitem. Et continuò ostendit mihi domum quandam in cælo ita pulchram, vt nihil pulchrius ego crederem. Cumq; obstupescerem ad splendorem domus illius, dixit mihi: Multò tibi pulchrior præparatur, vsque in crastinum. Et his dictis sublatus est.* Contigit autem eo die cùm hæc pluribus enarrasset idem *Anselmus*, vt ad pugnam progrederetur contra Sarracenos: qui de castello latenter egressi, vsque ad tentoria nostra venire solebant, vt aliquid indè subriperent, vel alicui nocerent. Sed cum hæc pugna inualuisset ex vtraque parte, & Anselmus viriliter resisteret, de lapide tormenti in capite percussus est; atque sic ad locum sibi à Deo præparatum, migrauit ab hoc seculo. Venit hic ad nos Legatus quidam *à Rege Babyloniæ*; & remiserat ad nos Legatos nostros cum ipso, quos tenuerat captos per annum. Dubitauerat enim an faceret nobiscum amicitiam, an cum Turcis. Volebamus nos in hoc conuenire cum eo: *si faceret nobis de Ierusalem auxilium, vel si redderet nobis Ierusalem cum pertinentiis suis; redderemus nos ciuitates omnes suas, quas ei Turci abstulerant cum caperemus eas: alias autem ciuitates Turcorum, quæ de regno eius non fuerunt, si cum auxilio illius, caperentur, partiremur.* Turci verò vt nobis relatum est, volebant hoc facere illi: *si veniret contra nos in prælium, & colerent Alim, quem ipse colit, qui est de genere Bahumeth, & acciperent monetam eius, & remitterent tributa quædam*, & multa alia; quæ ego non satis noui, facerent ei. Sciebat de nobis quod pauci eramus, & quod Imperator *Alexius* vsque ad mortem nobis inimicabatur: vnde nos litteras Imperatoris Alexii de nobis factas inuenimus, confecto bello cum eodem Rege Babyloniorum apud *Ascaloniam*, in tentorio eiusdem Regis: His atque aliis de causis *Ammiratus* detinuit Legatos nostros per annum captos, infra Babyloniam. Modò verò cum audisset, quod terram suam ingressi, villas & agros vastaremus, mandauit nobis: vt *sine armis ducenti vel trecenti, iremus Iherosolymam; & adorato Domino nostro reuerteremur.* Sed nos irrisimus hoc, sperantes de Dei misericordia, minantes; *quod nisi gratis redderet nobis Iherusalem, Babyloniam calumniaremur ei.* Habebat enim Ammiratus Iherusalem, eo tempore. Etenim cùm audisset quòd Turci essent à nobis superati apud Antiochiam, venit ad oppugnandum Iherusalem, sciens quod Turci toties fusi à nobis atque fugati, non occurrerent sibi in prælium. Tandem datis maximis muneribus his qui eam defendebant, recepit ciuitatem Iherusalem; & obtulit candelas, & incensum ad *Sepulchrum Domini*, & in Caluario monte. Sed iam ad obsidionem redeamus. Dum vt dixi-

1.Cor.13,8.

10 20 30 40 50

diximus exercitus noster multum laboraret in oppugnatione *Archados*, nuntiatum est nobis, quod *Papa Turcorum* veniret contra nos in prælium: & quia erat de genere Bahumeth, sequerentur eum gentes sine numero. Igitur mandatum est nobis, vt nos præpararemur ad pugnam. Et miserunt Episcopum *Albariensem* ad Ducem & ad *Flandrensem* Comitem, qui *Zibellum* obsederant: quod est castrum supra mare, quasi loco medio, inter *Antiochiam* & castrum *Archados*, longè ab vtroque duobus diebus. Illi verò accepto nuntio de bello, relicta obsidione, celeriter ad nos venerunt. Interim inuentum est falsum; & quod *Sarraceni* illud composuerant, vt nobis taliter deterritis, aliquantulum respirare possent obsessi. Coniunctis itaque ... ceperunt ostendere illi de parte Comitis, equos farios & diuitias suas; quas dederat illis DEVS in regionibus Sarracenorum: eò quòd morti se pro DEO exposuissent: at alii paupertatem suam prætendebant. Prædicatum est eo tempore, *ut daret populus decimas de omnibus quæ cepisset*: quoniam multi pauperes erant in exercitu, & multi infirmi: & mandatum est vt quartam partem redderent sacerdotibus ad quorum Missas veniebant; & quartam Episcopis; reliquas verò duas ..., quem pauperibus de clero & populo præfecerant: Ideoque duas partes accipiebat, vnam videlicet, pro his qui erant de Clero, & alteram pro his ... de populo. Multiplicabat itaque DEVS exercitum nostrum, adeò in equis, mulis, & chamelis, & aliis vitæ necessariis, vt nobis ipsis in mirum & in stuporem fieret. *Orta est* itaque *ex rerum opulentiâ, contentio atque superbia* inter Principes: ... illi qui DEVM intimè diligebant, rerum inopiam atque bella formidolosa ... imminere præoptarent. Volebat nobis dare *Rex Tripolis*, quindecim millia ... *Sarracena moneta*; præterea equos & mulos, & vestes multas, & tributa ... singulis annis, multò his ampliora, si non expugnaretur à nobis. Vale... quippe vnus aureus, octo vel nouem solidos monetæ nostri exercitus. Erat moneta nostra hæc: *Pictauini, Cartenses, Mansei, Lucenses, Valentinenses, Mergoresi*, & duo ... pro vno istorum. Ille ergo *dominus Zibelli* metuens ne rursus oppugnaretur, ... ad Principes nostros quinque millia aureos, & equos, & mulas, & vinum ... annonam enim sufficientem habebamus. Baptizabantur etiam aliqui ... norum, timore & zelo nostræ legis, anathematizantes *Bahumeth* & omnem ... progeniem. Ob hoc itaque mittebant quisque de Principibus nostris ad ciuitates Sarracenorum legatos, cum litteris, dicens se esse dominum totius exercitus. Sic itaque agebant eo tempore nostri Principes. Et maximè *Tancredus* rem ... bat: qui cum accepisset à Comite Raimundo quinque millia solidorum, ... duos equos farios optimos, vt in seruitio eius esset vsque Ierusalem, volebat modo discedere, & esse cum Duce Lothatingiæ: & ob hoc multæ lites habitæ sunt. Tandem malè discessit à Comite. Multæ reuelationes eo tempore nobis de... sunt, quæ nobis à DEO mandabantur. Quarum vna hæc est, quæ sub no... ipsius scripta est, qui vidit eam. *Anno ab incarnatione Domini nostri IESV CHRI... nonagesimo nono, indictione septima, Epacta vicesima sexta, concurrente quinto ... Aprilis: in nocte, cùm ego P... iacerem in capella Comitis Sancti Egidii ad obsidionem ..., cogitare mecum cepi, de sacerdote illo cui Dominus cum cruce apparuit, cùm à Turcis ... Antiochia teneremur: atque cùm multum mirarer quod nunquam cum Cruce mihi ap..., vidi ilicò Dominum ingredientem, & Apostolos eius Petrum & Andream, & alium ... magnum & spissum, bruno colore & subcaluo, & magnis oculis.* Et ait mihi Domi... *Quid agis?* Et respondi: *Domine, ego sto.* Et ait iterum Dominus: *Tu penè cum aliis ... esses. Sed quid modò cogitabas?* Et respondi: *Domine Pater, ego de Sacerdote illo, cui ... Cruce apparuisti, cogitabam.* Et Dominus: *Ego scio istud.* Et deinceps: *Crede quia ego ..., pro quo omnes huc venistis; & qui pro peccatoribus in Ierusalem in cruce passus ... modò videbis.* Et in ipsa hora vidi quandam crucem de duobus lignis nigris ... grandis factam, non politam neque adaptatam: nisi quod in medio tra... se inuicem complectebantur. Et ait mihi Dominus: *Ecce Crucem quam ...* fuit in Cruce illa Dominus sic distentus & crucifixus, sicut in tempo... Petrus autem in capite suo, illam à dextris sustinebat: Andreas à sinistris in collo; tertius verò ille à tergo, manibus sustinebat. Et dixit mihi Dominus: *Hæc dices populo meo, quia sic me vidisti. Vides has quinque plagas meas? sic vos ... consistitis. Primus ordo est non reformidantium tela vel gladios, nec aliquod genus ... Ordo iste similis mihi est: Ego enim in Ierusalem veni, gladios & lanceas, &*

A. D. 1099.

genus tormenti Ordo iste similis mihi est: Ego enim in Ierusalem veni, gladios & lanceas, & fustes, & baculos, demum & crucem non dubitaui: Moriuntur pro me; ego quoque pro eis mortuus sum: Ego sum in eis, & ipsi sunt in me. Cùm verò ii tales obeunt, à dextris DEI *collocantur, vbi ego post resurrectionem, in cœlum ascendens consedi. Secundus autem ordo est eorum qui in subsidio prioribus sunt; atque à tergo eos custodiunt, ad quos etiam refugere illi possunt: hi verò Apostolis sunt similes, qui me sequebantur, mecumq; manducabant. Tertius verò ordo est eorum, qui lapides & tela prioribus ministrant: hi namque similes sunt illis, qui cum viderent me in cruce, de passione mea dolentes, pectora sua percutiebant, iniuriam fieri mihi proclamantes. Quartus autem ordo, est eorum qui videntes bellũ insurgere, se domibus intrudunt atque ad negotia sua conuertuntur, non credentes in virtute mea victoriam consistere sed in hominum probitate. Hii tales, illis sunt similes qui dixerunt: reus est mortis, crucifigatur: quia Regem se fecit, &* DEI *Filium se dixit. Quintus autem ordo eorum est, qui cum belli clamorem audiunt, de longè speculantes clamoris causas requirunt, & ignauia non virtutis aliis exempla tribuunt & non solum pericula pro me, verùm etiam pro fratribus subire nolunt: sed sub specie cauendi, alios volentes pugnare, vel pugnatoribus arma ministrare, secum ad speculandum inuitant: hi Iudæ proditori, & Pilato iudici similes sunt.* Erat autem nudus in Cruce Dominus: tamen linteolo præcinctus, à genibus vsque ad lumbos: & erat linteolum medio colore, coloratum inter nigrũ & rubeum. Et circa horam habebat vittas albas, & rubeas atq; virides. Post sublata Cruce remansit in habitu in quo prius venerat Dominus. Et dixi ad eum: *Domine* DEVS, *si hoc dixero non credent mihi.* Et respondit mihi Dominus: *Vis cognoscere eos qui his non credent?* Et dixi. *Etiam Domine.* Et Dominus: *Congreget Comes Principes & populum, disponatq; de bello, vel de castri oppugnatione aliquid, cum tempus fuerit: proclametq; notissimus præco,* DEVS ADIVVA, *ter; atque dispositum complere tendat. Tunc sicut tibi dixi, ordines videbis, & tu & alii qui his creditis, & incredulos distinguetis.* Et dixi: *Domine, quid de incredulis faciemus?* Et respondit mihi Dominus *Non parcatis eis, sed occidite, quia proditores mei sunt, fratres Iudæ Iscariothæ: Res verò illorum his qui de priore ordine sunt concedite, prout necessarium fuerit Si sic agitis, inuenistis viam rectam quam hactenus circuistis. Et sicut cætera quæ eis dixisti, incommutata prouenerunt, & hæc quoque venient. Scis tu quam gentem præcipuè dilexerim.* Et respondi: *Domine, gentem Iudeorũ.* Et Dominus: *Hi quoniam increduli fuerunt, odio eos habui, & inferiores omnibus gentibus stabiliui. Videte itaque ne increduli sitis: Alioquin, vobis remanentibus cum Iudeis, alios populos assumam, & per ipsos complebo quæ vobis promiseram. Hæc quoque dices ad eos: cur timent facere iustitiam? Et, quid melius iustitia? Hanc iustitiam volo vt teneant: per familias & cognationes ponant iudices. Cùm autem quilibet offenderit alium, dicat qui iniuriam patitur: frater vellésne sic tibi fieri? Posthac nisi malefactor desierit, ex nomine suæ potestatis ei contradicat: deinde licenter Iudex à malefactore omnia bona sibi auferat: & medietas sit eius qui iniuriam patiebatur; reliqua verò, potestatis. Si autem Iudex aliqua de causa hæc facere distulerit, tu vade ad eum & corripe eum: & dic ei, Quod nisi ille se correxerit, non exsoluetur vsque ad vltimum seculi diem, nisi remiseris illi. Nescis ne quàm graue sit prohibitum? Etenim ego prohibui Adæ, de arbore Scientiæ ne tangeret: transgressus meum prohibitum, & ipse, & posteri sui in captiuitate misera fuerunt: donec ego veniens in carne, eos, morte Crucis moriendo redemi. De decimis verò, benè, quidam fecerunt, quod eas sicut præcepi dederunt. Multiplicabo itaque illos, atque inter alios cognoscibiles faciam.* Cùm autem hæc dixisset Dominus, cepi postulare ab eo, vt pro caritate sua litterarum scientiam, quam nuper mihi abstulerat, redderet. Et ait Dominus: *Non sufficiunt tibi ad enarrandum ea quæ nosti? & tamen vis scire plura.* Et continuò ita mihi visus sum sapiens, vt nihil sapere vltra rogarem. & ait Dominus: *sufficiunt tibi adhuc quæ nosti?* Et respondi: *sufficiunt.* Et Dominus rursum: *Quid dixi tibi? responde.* Et ego nihil sciebam. Cumque mihi instaret vt aliquid eorum quæ dixerat responderem sibi, respondi: *Domine nihil noui.* Et ait Dominus: *Vade & annuntia quæ nosti; & sufficiant tibi quæ scis.* Cùm autem hæc fratribus ostendissemus, ceperunt quidã dicere, quòd nunquã crederẽt quòd huiuscemodi homini loqueretur DEVS, & dimitteret Episcopos & Principes, & ostẽderet se homini rustico: vndè etiã de Lãcea Domini dubitabãt. Quapropter conuocauimus fratres illos quibus de Lancea aliquando reuelatũ fuerat; & post hæc *Arnolfum* Capellanum Comitis Normãniæ, qui caput omniũ incredulorũ erat: & quia litteratus erat, credebãt ei multi: & quæsiuimus ab eo, quare ipse dubitaret: cumq; diceret, quod Episcopus Podiensis inde dubitauerit: respondit quidã Sacerdos *Petrus* nomine Desiderii. *Ego post obitum eius vidi Episcopũ Podiensem, & beatũ Nicolaũ cũ eo:* & post multa alia, dixit mihi Episcopus: *Ego*

Ego sum in VIII Choro cum beato Nicolao: sed quia de Lancea Domini dubitaui, qui maximè credere debuissem, deductus sum in Infernum: ibiquè capilli mei, ex hac parte dextera capitis, & medietas barbæ combusta est: & licet in pœna non sim, tamen clarè DEVM videre non potero, donec capilli & barba sicut ante fuerant, mihi succreuerint. Hæc & multa alia ex parte DEI, prædixit Sacerdos iste, quæ postea nobis euenerunt: Sed hæc suo loco dici poterunt. Accessit & alius quidam Sacerdos *Ebrardus* nomine, & dixit: *Eo tempore quo Turci obsidebant exercitum nostrum infra Antiochiam, ego eram Tripolis. Veneram enim illuc ante captam Antiochiam, pro vita mea necessariis. Cùm verò audissem quod Antiochia capta esset, & nostri ita intus tenerentur obsessi, vt nullus ingredi vel egredi de nostris auderet; & [illegible] alia quæ obsessis imminebant; & plurima falsa, quæ Sarraceni & Turci veris malis addebant, de vita mea dubius, ad Ecclesiam quandam confugi. Ibi ante maiestatem quandam [illegible] Mariæ Domini procubui; lachrymisquè & precibus appellare per eam DEI misericordiam cepi. Cùmque per aliquot dies id fecissem, permanens impransus,* & dicens ei: *O Regina Domina, isti peregrini sunt qui dimissis paruulis & mulieribus, & omnibus charis suis, pro nomine filii tui, & [illegible] de longinquo venerant; & pro filio tuo pugnant: miserere eorum. Et, ô Domina, quid dicetur de te, & de Filio tuo, in terris ipsorum, si in manibus Turcorum eos tradideris?* Hæc & alia [illegible] cum mœstus & gemens sæpius iterassem, venit ad me quidam Surianus qui Christianus erat, & dixit mihi: *Bono animo esto, & vide ne amplius fleueris.* Et dixit: *Mo[illegible] ante fores Ecclesiæ beatæ Mariæ matris Domini, & venit quidam clericus ad me albis vestimentis indutus: & cum quæsissem ab eo quis esset, & vndè veniret,* respondit: *Ego sum Marcus Euangelista, & venio ab Alexandria; & diuerti huc propter Ecclesiam beatæ Mariæ semper [illegible].* Et cum rursus quærerem quò iret, dixit: *Dominus noster IESVS CHRISTVS [illegible] Antiochiam, & mandauit omnibus discipulis suis, vt eò venirent: quoniam Franci debent pugnare cum Turcis, & nos erimus eis præsidium.* Et hoc dicto abiit. Cumque ego his [illegible] crederem, nec à dolore nec à lachrymis cessassem, dixit mihi isdem Surianus: *Intellige: In Euangelio Beati Petri est scriptum quod nos habemus, quòd gens Christianorum quæ capiet Ierusalem, infra Antiochiam clausa erit; nec indè exire poterit, nisi prius Lanceam Domini repererit.* Et dixit Sacerdos: *Si aliquid horum dubitatis, fiat ignis; & in DEI [illegible] horum testimonio, transibo per medium.* Accessit & alius Sacerdos, nomine [illegible], cognomine *Valanti*, vir magni testimonii, & bonæ vitæ; & dixit: *Ipse Dominus IESVS locutus est mihi in ipso feruore tribulationis quæ fuit apud Antiochiam: & pro[illegible] coram Matre sua, beatissima Virgine Maria: quod in quinta die quæ futura erat, misericordiam populo suo faceret & labores eius quamplurimos compleret, si ad eum reuerterentur ex [illegible]: & in die illa Lancea Domini reperta est: vbi ego promissa Domini completa esse credo. [illegible] dubitatis, Episcopo Podiensi statim vt hæc vidi obtuli pro testimonio horum, quorum [illegible] omni, quod si ipse vellet, ego transirem per ignes, vel de altissima turre præcipitarer: [illegible] hoc ipsum vobis offero.* Accessit autem & Episcopus Athensis, & dixit: *In somnis [illegible] vigilans ista viderim, certum nescio; DEVS scit. Vir quidam venit indutus albis, & stetit [illegible] tenebat Lanceam Dominicam istam in manibus suis,* & dixit mihi: *Credis hanc lanceam [illegible] Domini?* Et respondi: *Credo Domine.* Dubitaueram & ego aliquando de ea. [illegible] secundò & tertiò grauiter exegisset, dixi ad eum: *Credo Domine, hanc esse [illegible]mini nostri IESV CHRISTI.* Et post hæc dimisit me. Et ego Raimun[illegible] hæc scripsi coram fratribus & Episcopis, hæc ibi dixi. *Interfui ego dum effoderetur [illegible] Domini, & antequam tota super terram apparuisset; mucronem osculatus sum. Et [illegible] exercitu plures, qui mecum ista viderunt.* Et addidi: *Et est alius quidam Sacerdos Ber[illegible] nomine, Podiensis, Episcopo Podiensi in vita ipsius familiaris. Hic autem Sacerdos infir[illegible] vsque ad mortem: cumquè iam de vita sua desperasset, apparuit ei Episcopus Podiensis [illegible] Heraclio vexillifero suo: qui in bello maximo facto apud Antiochiam, in facie percussus [illegible] intrepidus agmina Turcorum prosterneret, & indè vitam finierat.* Et dixit Epi[illegible] Sacerdoti: *Bertrame, quid agis?* Et dixit Heraclius: *Domine, infirmus est.* Et re[illegible] Episcopus: *pr pter incredulitatem infirmatur.* Et Sacerdos ad hæc: *Domine non[illegible] Domini credo, sicut & de passione Domini?* Et dixit ei Episcopus: *Et adhuc [illegible] oportet.* Et licet ad hoc negotium non pertineat, tamen quia egre[illegible] bonorum hominum aliquid adiugam. Cùm resedisset Sacerdos ad [illegible] Episcopi, & Heraclii domini sui: infirmus enim erat, nec stare poterat; vidit [illegible] Domini sui, vulnus non esse sanatum. Et ait Sacerdos: *Quid est hoc?* Et respondit Heraclius: *Cùm ego venissem ante Dominum meum, deprecatus sum eum, vt [illegible] plaga clauderetur: quoniam propter eum vitam finieram. Et hoc mihi concessit Dominus.* [illegible] atque pluribus auditis, credidit *Arnulfus*, & confessus est: & promi-

fit Episcopo *Albariensi*, Quod coram omni multitudine populi, pro incredulitate sua veniam peteret. Die autem constituta, cùm venisset vocatus ad consilium *Arnulfus*, cepit dicere, quòd bene crederet; sed cum domino suo volebat loqui, antequam veniam inde peteret. Cùm verò hoc audisset *Petrus Bartholomeus*, iratus nimium, dixit sicut homo simplex, & qui veritatem bene nouerat: *Volo ac deprecor, vt fiat ignis maximus; & cum lancea Domini transibo per medium: &, si lancea Domini est, incolumis transeam; sin autem falsum est, comburar in igne. Video enim quia nec signis nec testibus creditur.* Placuerunt hæc omnia nobis; & indicto ei ieiunio, diximus quod eo die fieret ignis, quo Dominus noster pro salute nostra, plagatus, & in Cruce fuit. Et post diem erat *Parasceue*. Itaque illucescente die constituta; ignis paratus est post meridiem. Conuenerunt eò Principes & populus, vsque ad quadraginta millia virorum; fueruntque ibi sacerdotes nudis pedibus, & induti sacerdotalibus vestimentis. Factus est ignis de oleis siccis, & habuit in longitudine quatuordecim pedes: & erant duo aggeres: & erat inter vtrosque duos aggeres spacium quasi vnius pedis; atque in altitudine aggerum erant quatuor pedes. Cùm verò vehementer ignis accensus esset, dixi *ego Raimundus* coram omni multitudine: *Si DEVS Omnipotens huic homini loquutus est facie ad faciem, & beatus Andreas Lanceam Dominicam ostendit ei, cum ipse vigilaret; transeat iste illæsus per ignem. Sin autem aliter est, & mendacium est; comburatur iste cum lancea, quam portabit in manibus suis.* Et omnes flexis genibus responderunt: AMEN. Exæstuabat ita incendium, vt vsque ad triginta cubitos aërem occuparet: accedere verò propè nullus poterat. Tunc *Petrus Bartholomeus*, indutus solummodo tunica, & flexis genibus ante Episcopū Albariensem, DEVM testem inuocauit, *quod facie ad faciem ipsum in cruce viderit; & hæc, quæ supra scripta sunt ab eo audierit, & à beatis Apostolis Petro & Andrea: & neque quicquam eorum, quæ ipse sub nomine Sancti Andreæ vel Sancti Petri, vel ipsius Domini dixit, se composuisse: & si quicquam mentitus erat, præsens incendium numquam transisset. Cætera quæ ipse commisisset in DEVM & in proximum, dimitteret ei DEVS; & pro his oraret Episcopus, atque omnes alii Sacerdotes, & populus qui ad hoc spectaculum conuenerant.* Post hæc cum Episcopus posuisset ei Lanceam in manu flexis genibus, & facto signo Crucis, cum lancea viriliter & imperterritus incendium ingressus est; atque spacio quodam in medio ignis demoratus est: & sic per DEI gratiam transiuit. Sunt nonnulli adhuc, qui signum hoc ibi viderunt: quòd antequam ingrederetur in ignem, quædam auis desuper volans, lustrato igne, se intus misit: Et hoc vidit *Ebrardus* Sacerdos ille, cuius superiùs mentionem fecimus, qui Hierosolymis post ea pro DEO remansit: & *Wilhelmus Boni* filius, optimus miles, & boni testimonii, patria Arelatensis, hoc ipsum se vidisse testatur. Alius quidem miles est optimus, genere Niterensis, nomine *Wilhelmus Malus puer*, qui antequam Petrus ingrederetur in flammam, quendam hominem indutum veste sacerdotali, nisi quod casulam habebat super caput replicatam, ingredi in ignem vidit: & cùm videret quòd non egrederetur, existimans Petrum Bartholomeum esse, lachrimari cepit, credens eum extinctum esse in igne. Erat autē multitudo ibi hominum, nec poterant omnes omnia videre. Et alia multa nobis relata sunt, & facta, quæ nos metuentes legentibus fastidium, scribere noluimus: cùm ad omnem causam tres idonei testes sufficiunt. Vnum verò non prætereamus. Postquam enim Petrus per ignem transiuit, licet adhuc multum exæstuaret incēdium; tamen populus ita auidè titiones collegit, & carbones cum cinere, vt in breui spatio nihil indè appareret. In fide etenim illorum, multas per hæc virtutes operatus est postea Dominus. Vt verò *Petrus Bartholomeus* de igne egressus est, ita vt nec tunica eius combusta fuerit; nec etiam ille subtilissimus pannus de quo lancea Domini inuoluta erat signum alicuius læsionis habuisset, accepit eum populus, cùm signasset eos cum lancea Domini, & clamasset, alta voce, DEVS ADIVVA: accepit, inquam, & traxit eum per terram, & conculcauit eum omnis illa multitudo populi, dum quisque volebat eum tangere, vel accipere de vestimento eius aliquid, & dum credebat eum esse quisquam apud alium. Itaq; tria vulnera vel quatuor fecerunt ei in cruribus, abscidentes de carne eius; & spinam dorsi confringentes, crepuerunt eum. Expirasset autem ibi Petrus, sicut nos credimus, nisi *Raimundus* Pelez nobilissimus miles, & fortis, facto agmine sociorum irrupisset in agmen turbæ turbatæ; & vsque ad mortem pugnando liberasset eum. Sed nos in solicitudine & angustia modo positi, amplius de his scribere non possumus. Cùm verò detulisset Raimundus Pelez Petrum ad domum nostram, colligatis vulneribus eius

cepimus

cepimus quærere ab eo quare moram fecisset in igne. Ad hæc ipse respondit: *Occurrit mihi Dominus in medio igne, & apprehendens me per manum,* dixit mihi: *Quia dubitasti de inuentione Lanceæ, cum beatus Andreas eam tibi ostendisset, non sic transibis illæsus, sed infernum non videbis. Et hoc dicto, dimisit me. Videte itaque, si vultis, adustionem meam:* & erat aliqua adustio in cruribus, verùm non multa: sed plagæ erant magnæ. Post hæc conuocauimus omnes qui de Lancea Domini dubitauerant: vt venirent & viderent faciem eius, & caput, & reliqua membra; & intelligerent, quod verum est, quicquid ipse dixerat de lancea, & de aliis: cùm pro testimonio eorum non extimuisset introire tale incendium. Viderunt itaque multi, & videntes faciem eius atque totum corpus, glorificabant DEVM dicentes: *Benè potest nos Dominus custodire inter gladios inimicorum nostrorum, qui hominem istum liberauit de tanto incendio flammarum. Certè non credebamus, quòd sagitta aliqua sic transire posset, illæsa per ignem, quomodo iste transiuit.* Post hæc Petrus cōuocauit ad se Capellanum Comitis, nomine Raimundum, & dixit ei: *Quare voluisti vt ego ob testimonium Dominicæ lanceæ, & cæterorum quæ ex parte DEI dixeram, per incendium transirem? Scio satis quia hoc & hoc cogitasti.* Et dixit ei quæ ipse cogitauerat. Cumq; ille se taliter cogitasse negaret, respondit Petrus Bartholomeus: *mihi quidem negare non potes, quia certum hoc habeo: Etenim illa nocte fuit hic beatissima Virgo Maria, & Episcopus Podiensis, per quos ego quæ tu negas didici. Miror satis cùm de verbis Domini & Apostolorum eius non dubitaueris, quare experimentum cum periculo meo, de solis his habere volueris.* Tunc deprehensam cogitationem suam, & se culpabilem ante DEVM Raimundus videns, amarissimè in lachrymas prorupit. Et Petrus ad hæc. *Noli desperare, quia piissima Virgo Maria, & Sanctus Andreas tibi veniam apud DEVM obtinebunt. Tu verò enixius eos deprecare.* Interim tantæ ac tales lites inter Principes nostri exercitus obortæ sunt, vt penè totus exercitus diuideretur. Sed DEVS qui ductor erat, & Dominus noster, ne talia fierent beneficiis suis prohibebat. Erat ciuitas nomine *Tripolis*, cuius superiùs mentio facta est, non multum longè à castris nostris. Huius igitur ciuitatis Dominus, cum discordiam Principum nostrorum didicisset, respondit nostris, qui de reddendo tributo eum appellabat: *Et qui sunt Franci? Et quales milites sunt? Et quanta eorum potentia? Ecce tertius mensis modo agitur ex quo exercitus Francorum obsedit castrum Archados, & neque assultum eorum habui, neque aliquem armatum de ipsis vidi; & tamen sunt propè me per quatuor leugas. Sed veniant huc, & videamus eos, & comprobemus militiam eorum. Quare ego eorum hominum tributarius fierem, quorum facies non vidi, & fortitudinem ignoro?* Vt verò hæc relata sunt ad exercitum nostrum; dixerunt quiq; ad inuicem: *Ecce quod acquisiuimus pro contentionibus & discordiis nostris: Blasphematur DEVS; & nos contemnimur.* Itaq; conuenientes in vnum Principes nostri, statuerunt vt *Albariensis* Episcopus cum parte exercitus castra seruaret; & Principes cum ordinibus peditum & militum, sicut pugnandi mos est, vsque ad muros ciuitatis assultarent. Constituta autem die cum nostri taliter proficiscerentur, egressi Tripolitani obuiam illis, in multitudine & tumultu suo confligere cum nostris parabant. Est quidam murus firmissimus aquæducti in ciuitatem & altus, inter quem & mare, non multum ampla via est: à tribus enim partibus Tripolim mare cingit. Hunc igitur murum aquæducti quem diximus, *Sarraceni* munierunt, vt quasi de castello ad castellum exire & regredi possent, si quid aduersi contigisset. Videntes itaque nostri hanc multitudinem loco & armis confidentem, inuocando DEVM, & erectis hastis conglobatim pedites & milites, more processionis, vsque ad eos venerunt; vt si nostros vidisses, amicos nō hostes esse eos dixisses: vt autem permixti sunt, hostes esse & non amicos crederes. Fœdatur enim terra sanguine Maurorum; & completur aquæductus cadaueribus eorum. Tantum denique timorem hostibus immisit Dominus, vt vix fugere, post primos ictus eorum aliqui possent. Erat quidem ad videndum satis delectabile, cum aquæducti riuus raptim truncata cadauera nobilium & vulgi in ciuitatem inferret. Ceciderunt autem de nostris vnus vel duo: de hostibus verò, vsque ad septingentos cecidisse audiuimus. Reuersi itaque cum grandi victoria, & spoliis multis, dixerunt nostri Principes ad populum: *Hodie vidit nos Rex Tripolis; & nos vidimus vias ciuitatis, & considerauimus accessus: & nunc, si laudatis, iustum esse decernimus, vt cras sapiat Rex quales milites simus.* Reuersi itaque altera die, extra ciuitatem nullum inuenerunt, Post hæc autem mandauit Rex Tripolis ad nostros Principes si desisterent ab oppugnatione *Archados*, donaret eis quindecim millia aureos, & equos mulos & mulas, & vestes, & victualia; atque mercatum faceret de omnibus rebus

P

omni populo; præterea redderet omnes captiuos, quos habebat de nostra gente. Venerunt eo tempore ab *Alexio* Imperatore legati, cum maximis quærimoniis de *Boimundo*, eò quòd retineret ciuitatem *Antiochiæ*, contra iuramenta quæ Imperatori fecerat. Habebat enim Boimundus Antiochiam eo tẽpore. Namq; cùm audisset de Comite, quòd profectus esset à *Marra* in interiora Syriæ, expulit homines Comitis violenter de turribus Antiochiæ, quas seruabant. Et propterea mandauit Alexius ad Principes nostros, quòd donaret aurum & argentum multum eis, & veniret cum eis in Ierusalem, si expectarent vsque ad festiuitatem Sancti Iohannis; & tunc instabat Dominicum Pascha. Dicebant ob ea multi in quibus Comes erat: *Expectemus Imperatorem, & habebimus donatiua eius, & ipsum, qui faciet nobis venire mercatum per mare & terram; & sub ipsius dominio concordabimus. Omnes ciuitates se dabunt ei, & ille vestiet quas voluerit, & quas voluerit destruet. Propterea populus iste noster, longis & diuturnis defatigationibus conquassatus, si venerit in Ierusalem, volet fortasse reuerti, vt de foris viderit eam. Quæ verò & quanta pericula maneant illos qui perficere iter desiderant, perpenditis. Adhuc autem obsidemus castellum Archados, & vsque ad mensem vel se reddent vel vi capietur: & cùm longè notum sit de obsidione ista, si dimittamus eam vt inexplicabilem, multùm contemnetur noster exercitus, qui hactenus nihil incepit, quod inexpletum dimiserit.* At verò alii è contrà dicebant: *Semper nocuit nobis Imperator, semper mentitus est, semper aduersum nos cogitauit. Et nunc quia videt se nihil posse, & nos valere per gratiam* D E I, *ex studio agit quatinus à proposito itineris nos retrahat, ne hi qui audierint, exemplo nostri venire disponant. Sed iam quos ipse multoties læsit verbis & opere, fidei eius frustrà animos adhibere caueant. Fidentes igitur,* CHRISTO *Duce, qui nos de tam multis, præter spem liberauit periculis; & contra omnia molimina Imperatoris & fraudes eius nos contutatus est, viam pro qua venimus ingrediamur: & facilè, ex* D E I *promissione, quod volumus consequemur. Et cùm hoc audierit Imperator, captam scilicet esse Ierusalem, tunc liberum iter quod verbis simulabat, opere complebit. Similiter de eius donatiuis erit laus.* Populus hanc maximè laudabat sententiam. Sed quia Comitis familiares erant multi: quippe cùm pro populo se Comes, sinè aliis Principibus, morti exposuisset; & pluribus magna & priuata beneficia contulisset, propterea consilia Principum & populi vota impediebantur. Prædicauimus eo tempore ieiunium, & orationes & eleemosynas in populo, vt DEVS Omnipotens, qui eum de tam multis regionibus conduxerat illuc, inspirare dignaretur, quid erat gratum de hoc itinere in conspectu suo. Itaq; fidelium vota quod quærebant apud DEVM facilè promeruerunt. Apparuit enim Episcopus Podiensis *Stephano Valentino*, de quo superiùs mentionem fecimus, quia Dominum cum cruce viderit: & percussit eum cum virga, regredientem ad domum suam per noctem Episcopus, & dixit ei: *Stephane.* & ille respondit, *Domine.* & respiciẽs agnouit eum. Et ait Episcopus: *Quare neglexisti semel vel secundò quod tibi dixi de Cruce, Dominæ & matris nostræ semper Virginis Mariæ? de Cruce dico, quam ego præferri faciebam, vt apportaretur in exercitum. Et quod signum melius Cruce? An non est satis illa crux pro nobis lapidata? An non illa crux benè vos conduxit, vsque ad Lanceam Domini? Et nunc ait Domina & beatissima semper Virgo Maria, quòd nisi illam crucem habeatis, non potestis habere consilium.* Et continuò ait Sacerdos, *O reuerendissime domine, & vbi est beatissima virgo Maria?* Et statim Episcopus eam monstrauit ei. Erat autem beatissima virgo Maria longè ab eo quasi nouẽ vel decem cubitis, specie & ornatu valdè admirabilis; & assistebant ei beata *Agatha*, & quædam altera virgo cum duobus cereis. Et tunc Sacerdos ait ad Episcopum, qui assistebat ei: *Domine, quanta dicuntur de vobis in exercitu, quòd in inferno vobis barba & capilli combusti sunt, & alia multa quibus non creditur? Et nunc oro, vt vnam de candelis istis in testimoniũ horum quæ dicitis, mihi donetis vt deferam ad Comitem.* Tunc ait ille Episcopus: *Videns, vide faciem meam, Nunquid perusta est?* Post hæc accessit Episcopus ad beatissimam Virginem, & cognita eius voluntate regressus est ad Sacerdotem, & dixit ei: *Quod tu quæris, impetrare non potes: sed hic annulus quem habes in digito tuo, nec tibi prodest, nec portare eum debes: Vade, & dabis eum Comiti,* dicens: *Virgo mater Sanctissima, mittit tibi hunc annulum: & quoties defeceris in aliquibus rebus, recordare illius Dominæ quæ tibi mittit hunc annulum: & appellabis eam, & Dominus auxiliabitur tibi.* Rursus, cùm quæreret Sacerdos ab eo, quid vellet vt faceret frater suus, respõdit Episcopus. *Oret benè electum Episcopum, vt pro animabus parentum nostrorum celebret tres missas ad Dominum.* Et ait iterùm; *Præcepit mater nostra, vt deinceps Lancea non monstretur nisi à sacerdote induto sacris vestibus; & crux ei præferatur;* sic. Et tenuit Episcopus Crucem in hastile positam, & quidam indutus sacerdotalibus vestibus sequebatur eum, habens Lanceam inter ma-

termanus. Et Episcopus incepit Responsoriũ hoc: *Gaude Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti.* Et ilicò inceperunt sine numero centena millia virorum: atq; sic illud sanctum collegium abiit. Manè autem facto venit Sacerdos, & primùm quæsiuit, si haberemus Lanceam: & cùm vidisset eam, cum multis lachrimis cepit enarrare ea quæ superiùs diximus. Misit itaque Comes *Guillelmum Vgonem de Muntilio*, fratrem Podiensis Episcopi Laodiciam, vbi crux dimissa fuerat, cum capella ipsius Episcopi. Interea *Petrus Bartholomeus*, morbo defatigatus ex conquassatione & vulneribus, conuocauit Comitem & Principes eius, & dixit eis: *Finis vitæ meæ appropinquauit: & scio satis quia de omnibus, quæ malè feci & dixi, vel etiam cogitaui, antè DEVM iudicabor: in cuius conspectu, hodie testificor ipsum, coram vobis, me nihil composuisse ex his omnibus quæ ex parte DEI, & Apostolorum ipsius vobis nuntiaui, & adhuc vobis dicam. Et sicut vidistis ea quæ vobis nuntiaui, sic sine dubio videbitis ea quæ vobis dicam, siquidem DEO fideliter seruiatis. Tu verò Comes, cùm veneris in Ierusalem, fac vt exercitus postulet DEVM, vt vitam tuam prolonget, atque continuet; & DEVS prolongabit eam tantundem quantum vixisti Tu autem cùm reuersus fueris propè quinque leugas, in Ecclesiam Sancti Trophimi Lanceam Domini pones; & Ecclesiam ibi fabricare facies: & fiet ibi moneta, quàm tu iurabis ne falsa fiat. Sed neque aliud aliquid falsum ibi permittes. Vocabitur autem locus* Mons gaudii: *Et fient hæc contra Prouinciam. Etenim beatus Petrus Apostolus Trophimo suo discipulo promisit, quod Lanceam Domini ei mitteret.* Post hæc Petrus Bartholomeus, securus & in pace, hora sibi à DEO constituta, migrauit ad Dominum: sepultusque est in loco illo, vbi cum Lancea Domini per ignem transierat. Interea Comes atque alii Principes de itinere Ierusalem, quâ melius ac leuius fieret, ab incolis regionis perquirebant. Tunc accesserunt ad nos quidam *Suriani*. Sunt enim ibi montana Libani, in quibus ad sexaginta millia habitabant Christianorum: & terram illam, & montana multo tempore Christiani possederunt, qui propter ciuitatem *Tyri*, quæ vulgariter nunc *Sur* appellatur, *Suriani* vocantur. Sed insurgentibus, per DEI iudicium, *Sarracenis* atque *Turcis*, in tanta oppressione seruitutis isti Suriani fuerunt, per quadringentos & amplius annos, vt multi eorum compellentur patriam & Christianam deserere legem: Si qui, per DEI gratiam, contempsissent, cogebantur tradere pulchros paruulos suos ad circumcidendum vel Turcandum; vel rapiebantur de sinibus matrum, interfecto patre & illusa parente. Quippe in tantam malitiam exarserant illa hominum genera, vt Ecclesias DEI subuerterent; & eius, vel Sanctorũ eius imagines delerent, & quas non poterant delere per morã, oculos eorum eruebant, vel sagittabant; altaria verò omnia suffodiebant. In Ecclesiis autem magnis, *Basumarias* faciebãt. Quod si aliquis de illis angustiatis Christianis, imaginem DEI vel alicuius Sancti, domi suæ habere volebat, vel redimebat eam per singulos mẽses vel annos; aut cõculcata in stercore, corã oculis ipsius comminuebatur. Quodq; adhuc relatu nimis durum est, ponebãt iuuenes in prostibulis, & commutantes sorores eorum pro vino, vt nequiùs agerent. Et neque his neque aliis tristibus, illacrimari palàm etiam matres audebant. Et quid de his multa narramus? Coniurauerat certè gens illa contra Sanctum Sanctorum, & eius hæreditatem. Quod nisi iussu & instinctu DEI, Francorum gentes, his malis occurrissent, profectò bruta animalia contra illos DEVS armasset: quod aliquando nobis præsentibus fecit. Et de his, hactenus dictum sit. Illi, inquam, Suriani, de quibus superiùs diximus, qui ad Comitem venerunt, requisiti de meliori itinere, responderunt: *Est via per Damascum plana satis, & plena victualium; sed non inuenietis aquam per duos dies: Est alia per montana Libani, tuta satis & copiosa; sed grauis multum sagmariis, atque camelis. Est & alia secus mare; vbi tam multæ ac tales angustiæ sunt, vt si quinquaginta aut centum Sarraceni eas retinere voluerint, prohibere possint omne genus humanũ. Et tamen in Euangelio beati Petri, quod apud nos est, continetur, quòd si vos estis gens illa quæ Ierusalem capere debet, per maritima transire debetis, licet propter difficultatem nobis impossibile videatur. Non solùm autem hoc, de itinere vestro; sed & alia multa, quomodo vos egistis, & qualiter agere debeatis, in Euangelio suo apud nos scripta continentur.* His atque aliis modis persuadentibus, & contradicentibus aliis, *Guillelmus Vgo de Montilio* reuersus est cum Cruce, de qua superiùs diximus. Hanc autẽ Crucẽ, cùm vidissent etiam familiares Comitis, in tantã itineris commotionẽ deuenerũt, vt præter Comitis & aliorũ Principum consilium, incensis tabernaculis suis, & primum Comitis familiares, obsidionem *Archados* dimitterent. Conturbabatur itaque Comes vsque ad lachrymas, & vsque ad sui & suorum odium: neque tamen ob hoc voluntatem suæ plebis DEVS imminuebat. Sed *Dux Lotharingiæ*, maximè

hoc iter volebat, & plebem ad hoc monefaciebat. Itaque profecti ab inuisa illa & odiosa obsidione Archados, venimus ante *Tripolim*. Nitebatur etiam tunc Comes *Raimundus*, precibus atque muneribus apud omnes nobiles, vt ciuitatem Tripolim obsiderent; sed omnes ei contradicebant. Apparuit eo tempore *Sanctus Andreas* Apostolus *Petro Desiderii*, de quo suprà mentio facta est, & dixit ei: *Vade & dic Comiti: Noli molestus esse tibimet, neque aliis: quia nisi prius capta fuerit Ierusalem nullum succursum habebitis. Non te molestet inexpleta obsidio Archados; non te grauet quòd hæc ciuitas vel alia quæ in itinere sunt ad præsens non capientur: quia imminet vobis in proximo bellum, vbi hæc & alia multa ciuitates conquisita erunt. Propterea tu noli esse molestus tibi neque tuis; sed quicquid tibi DEVS concesserit, in nomine eius libenter distribue; atque tuis hominibus, socius & fidelis amicus esto. Si sic egeris, dabit tibi Dominus Ierusalem, & Alexandriam, atque Babyloniam: Quod si hæc neglexeris, nec promissa tibi à DEO consequeris; nec legatum eius habebis donec in illa angustia positus sis, vt quò declinare possis ignores.* Accepit itaque Comes hæc verba Sacerdotis; accepit inquam verbis, sed operibus abnegauit. Etenim cùm accepisset multam pecuniam à Rege Tripolis, nulli vnquam largiri aliquid indè voluit; sed etiam verberibus atque contumeliis quotidie suos lacerabat. Non solùm autem hæc Sacerdos dixit; verùmetiam multa alia quæ retrò acta sunt, de quibus quædam huic operi apponimus. Aliquando namque cùm proficisci vellemus ab *Antiochia*, venit Sacerdos iste ad me *Raimundum*, & dixit mihi, quòd quidam sibi in visione apparuerit, qui dixit ei: *Vade in Ecclesiam beati Leuntii: & inuenies ibi de reliquiis quatuor Sanctorum, & tolles eas tecum, atque portabis in Ierusalem.* Et ostendit ei in ipsa visione reliquias, & reliquiarum loculos, & docuit nomina Sanctorum. Cùm verò euigilasset Sacerdos, & non satis suæ crederet visioni, cepit agere precibus, & obsecrationibus ad DEVM, vt si hæc reuelatio ab ipso erat, secundò saltem sibi innotesceret. Adstitit ei idem Sanctus in visione post aliquot dies, atque multum comminatus est, quòd mandatum à Domino neglexisset, & nisi vsque ad quintam feriam sustulisset illas reliquias, esset sibi graue damnum & Domino suo Ysoardo Comiti. Erat enim *Ysoardus Comes Diensis*, vir in quantum nouerat, DEO fidelis, & omnibus nobis sapientia & probitate vtilis. Cùm hoc mihi *Raimundo* narrasset Sacerdos, retuli ego ad Aurasicensem Episcopum, & ad Comitē *Sancti Egidii*, & ad alios quosdā. Qui acceptis candelis, venimus ad Ecclesiam *Sancti Leontii*. Obtulimus candelas & vota DEO, & Sanctis eiusdem Ecclesiæ, vt DEVS Omnipotēs qui eos sanctificauerat, nobis eos cōsortes, & coadiutores donaret; & Sancti illi, peregrinorū & exulum pro DEO non spernerent consortium, sed magis nobis cōiungerentur, & nos DEO coniungerent. Manè autem facto, venimus cum Sacerdote ad Sanctarum reliquiarum loculos, & sicut nobis prædictum fuerat inuenimus. Sunt autem nomina Sanctorū istorum, *Cyprianus, Omezios, Leontios, Ioannes Chrysostomus.* Inter ipsos autem loculos, capsulam quandam reperimus cum reliquiis: de quibus cùm quęreremus à Sacerdote, cuius Sācti essent illæ reliquię, se nescire respōdit: cùm verò ab incolis quæreremus si scirent cuius Sancti essent, se nescire dicebant: alii *Sancti Mercurii*, alii Sanctorum aliorum. Sacerdos verò leuare & colligere cum aliis reliquiis eas volebat. Cui ego *Raimundus* coram omnibus qui ibi aderant fortiter dixi: *Si venire voluerit iste Sanctus Ierusalem, nomen suum & voluntatem manifestet: alioquin remaneat hic. Nunquid de ignotis ossibus honorabimur?* Itaq; illo die dimissæ sunt reliquiæ illę. Cùm verò Sacerdos alias reliquias collegisset, & pannis atque pallio eas inuoluisset, in nocte quæ sequuta est, astitit ei vigilanti quidam iuuenis, quasi quindecim annorum, pulcherrimus valdè, qui dixit ei: *Quare hodie non accepisti reliquias meas cum cæteris?* Et presbyter ad hæc: *Et quis es tu, Domine?* Et ille: *An ignoras quis sit vexillifer huius exercitus?* Et respondit presbyter: *Nescio Domine.* Cumq; secundò eidem quærenti, eadem Sacerdos respondisset, terribiliter comminatus est ei, dicens: *Tu reuera mihi dices.* Et tunc ait Sacerdos: *Domine, dicitur de Sancto Georgio, quod sit vexillifer huius exercitus.* Et ille: *Bene dixisti. Ego sum ille. Accipe igitur reliquias meas, atque seorsum cum aliis pones.* Cùm autem Sacerdos per aliquot dies hæc facere distulisset, aduenit idem *Sanctus Georgius*, & præcepit presbytero grauiter dicens: *Nullatenus dimittas quòd manè reliquias meas non tollas: atque iuxtà inuenies in ampullula, de sanguine Sanctæ Virginis & martyris Teclæ, quem pariter tolles: & post hæc Missam cantabis.* Hæc atque omnia quæ ei dixerat, reperit Sacerdos, & fecit. Sed antequam ad reliqua perueniamus, de his prætermittere non debemus, qui pro amore sanctissimæ expeditionis, per ignota & longissima æquora Mediterranei, &

Oceani

Oceani nauigare non dubitauerunt. Etenim *Angli* audito nomine vltionis Domini nostri IESV CHRISTI, in eos qui terram natiuitatis Domini, & Apostolorum eius indignè occupauerant, ingressi mare Anglicum, & circinata Hispania, transfretantes per mare Oceanum, atque sic Mediterraneum mare sulcantes, portum *Antiochiæ*, atque ciuitatem Laodiciæ, antequam exercitus noster, per terram illuc veniret, laboriosè obtinuerunt. Profuerunt eo tempore nobis tam istorum naues, quàm & *Genuensium*. Habebamus enim ad obsidionem, per istas naues, & per securitatem earum commercia à Cypro, & à reliquis insulis. Quippe hæ naues quotidie discurrebant per mare; & ob eas Græcorum naues securæ erant: quia *Sarraceni* eis incurrere formidabant. Ergo cùm vidissent illi Angli exercitum proficisci in Ierusalem, & robur suarum nauium à longinquitate temporis imminutum: quippe qui vsque ad triginta in principio naues habuissent, modo vix decem vel nouem habere poterant, alii dimissis nauibus suis & expositis, alii autem incensis, nobiscum iter accelerauerunt. Cumq; ante Tripolim nostri Principes moras innecterent, tantum amorem eundi in Ierusalem misit Dominus in populo, quòd nullus se vel alium retinere ibi poterit: sed profecti vespere contra Principum decreta, & contra amorem nostri exercitus, tota illa nocte perambulantes, sequenti die *Berintum* deuenimus: atque post hæc præoccupatis ex improuiso angustiis, quæ *Buccatorta* nominatur, infra paucos dies & sine impedimento venimus *Accaron*. Rex autem Accaron, metuens ne ciuitatem suam obsideremus, iurauit Comiti, propter hoc vt discederemus: *si caperemus Ierusalem: vel si essemus in regione Iudeæ, per viginti dies, & Rex Babyloniorum nobis in bello nõ occurreret; vel si possemus superare ipsum Regem, redderet nobis se, & ciuitatem suam: interim verò amicus noster esset.* Profecti igitur ab Accaron vna die in vespere, iuxta paludes quæ sunt propè *Cæsaream*, castra tetendimus. Dumque, sicut moris est, alii pro necessitate infra castra discurrerẽt; alii autem de sociis vbi hospitati essent, à notis sibi inquirerent: columbã desuper exercitum volantẽ, accipiter in medio discurrentiũ, mortaliter plagatã deiecit. Cùm autẽ sustulisset eã Episcopus *Atensis*, reperit litteras, quas illa deferebat: Et erat sententia litterarum quasi huiusmodi: REX ACCHARON, DVCI CÆSAREÆ. *Generatio canina per me transiuit, gens stulta atque contentiosa, sine regimine, quibus per te & per alios, quantum legem tuam diligis, nocere desidera: Quod si vis, facilè poteris. Hoc idem & ad alias ciuitates, atque castra mandabis.* In manè autem cùm exercitum requiescere præciperemus, expositæ sunt litteræ ad Principes, & ad omnem populum; & quomodo DEVS benignus esset erga eos, adeò vt nec etiam aues ad nocendum nobis transire per aëra possent; & inimicorum nostrorum etiam nobis arcana reserarent. Vndè Omnipotenti DEO, laudes & gratias referebamus. Atque indè profecti securi & alacres, & frequentes cum prima parte exercitus, & in vltima præcedebamus. Cùm verò audissent *Sarraceni* qui habitabant in *Ramulis*, quia transieramus flumium qui propè est, deseruerunt munitionem & arma, & frumentum multum in areis, & messes quas collegerant. Cùm autem venissemus eò altera die, cognouimus quia DEVS reuera pro nobis pugnaret. Itaque obtulimus vota *Sancto Georgio*: Et quoniam se ducem nostrum professus est, visum est à Maioribus, & omni populo, vt Episcopum ibi eligeremus: quoniam in illam Ecclesiam in terra Israël, primam inueneramus; ac simul vt B. Georgius pro nobis DEO supplicaret; & per terram incolatus sui nos fideliter educeret. Sunt autem *Ramulæ* prope ab Ierusalem, quasi sedecim milliaria. Itaque habuimus ibi colloquium: & dicebant alii: *Non eamus ad præsens in Ierusalem, sed versus Ægyptum & Babyloniam: & si, per gratiam DEI, superare poterimus Regem Ægypti, non solùm Ierusalem, verùm etiam Alexandriam & Babyloniam, & plurima regna obtinebimus. Quòd si modo eamus in Ierusalem, & non inuenientes aquam sufficientem deseramus obsidionem, nec hoc nec illud postea perficiemus.* At verò alii è contradicebant: *vix sunt in exercitu mille quingẽti milites, & armatorũ peditum grandis numerus nõ est: & laudatur modò, vt ignotas & longissimas regiones adeamus, vbi nec succursum de nostra gente habere possimus, nec sanctam Ciuitatẽ capiamus; nec præsidiũ ponere, nec etiã indè reuerti, cùm necessariũ fuerit, valeamus? Sed nihil est hoc: teneamus viam nostrã; & de obsidione, & de siti & de fame, & de aliis, DEVS prouideat seruis suis.* Dimisso itaq; præsidio cũ Episcopo nouo in castro Ramulis, onerauimus boues & camelos, deniq; & omnia iumenta nostra, & equos; & ad Ierusalẽ iter vertimus. Verbum autẽ quod præceperat nobis *Petrus Bartholomeus*, vt nõ nisi discalciati, ad Ierusalẽ per duas leugas appropin-

quaremus, & obliti sumus, & vile habuimus, dum vnusquisq; volebat alium præuenire, ex ambitione occupandi castella, & villas. Erat enim ista consuetudo inter nos, vt si ad castellum vel villam quis prior venisset, & posuisset signum cum custodia, à nullo alio postea contingebatur. Itaque hac ambitione, de media nocte surgentes, non expectatis sociis, omnia illa montana obtinuerunt, & villas quæ sunt in campestribus Iordanis. Pauci autem, quibus hoc mandatum DEI charius erat, nudis pedibus incedentes, pro contemptu Diuini verbi grauiter suspirabant: & tamen nullus socium vel amicum, ab illo ambitioso cursu reuocabat. Cùm autem sic superbè incedendo venissemus propè *Ierusalem*, egressi *Sarraceni* de ciuitate obuiam prioribus de nostris, homines & equos grauiter plagauerunt; & 10 de ipsis ea die ceciderunt tres vel quatuor, & multi plagati sunt. Obsederunt autem ciuitatem à Septemtrione *Dux* & Comes *Flandrensis*, & Comes *Normannus*: obsederunt verò eam, ab Ecclesia Sancti *Stephani*, quę est quasi ad medium ciuitatis, à Septemtrione vsque ad angularem turrim, quæ proxima est turri Dauid. *Comes* autem & exercitus eius, sedit ab Occidente, & obsedit eam ab obsidione Ducis, vsque ad descensum montis Syon: sed quia non poterant homines eius planè accedere ad oppugnãdum murum ciuitatis: quia vallis quædam erat in medio: volebat mutare castella sua & locum. Quadam autem die cum circuisset *Comes* ciuitatem, & venisset in montem Syon, & vidisset Ecclesiã, & audisset mira, quæ DEVS ibi operatus est, dixit ad Principes, & ad eos qui ibi aderãt: *Si dimittamus hæc sacra quæ* 20 *nobis DEVS hic præsentauit; & deinceps Sarraceni occupent ea, quid erit de nobis? Quid si propter odium nostrum contaminent ea, atque confringant? Quis scit, an in tentationem DEVS nobis dederit hæc, vt comprobaret, quantum diligeremus eum? Certò hoc vnum scio, quia nisi diligenter conseruemus hæc sacra, non tradet nobis DEVS illa quæ sunt infra ciuitatem.* Itaque Comes Raimundus, præter suorũ Principum voluntatem, tentoria sua illuc transferri iussit: vndè tantam inuidiam suorum passus est, vt neque hospitari, neque excubias per noctem agere vellent; sed manebat vnusquisq; in loco suo, in quo prius hospitatus fuerat, nisi pauci qui cum Comite illuc transmigrauerunt. Sed conducebat quotidie Comes milites & pedites, cum magna mercede, qui castra sua seruarent. Sunt autem in Ecclesia illa hęc sacra: Sepulchrum regis Dauid, & Salomonis, & Sancti prothomartyris Stephani: migrauit ibi beatissima Virgo Maria de seculo: cœnauit ibi Dominus; & resurgens à mortuis, discipulis ibi apparuit, & Thomæ: ibidem Apostoli inflãmati sunt aduẽtu Spiritus Sancti. Itaq; posita obsidione, vna dierum cum venissent Principes ad reclusum qui est in mõte Olïueti, dixit eis: *Si cras ciuitatem oppugnaueritis vsque ad nonam, tradet vobis eam Dominus.* Cui cùm respõdissent: *Non habemus armamenta quibus oppugnari murus possit.* Ad hæc ille respondit: *DEVS Omnipotens est, qui in scala iuncea, murum oppugnabit, si voluerit. Prastò est Dominus laborantibus pro veritate.* Itaque comparatis armamentis quæ per noctem illam potuerunt comparari, ita fortiter à manè vsque ad tertiam ciuitas oppugnata est, vt compellerentur Sarraceni deserere interiorem murum fracto à nostris antemurali, & quibusdã de nostris ascendentibus vsq; ad altitudinem muri interioris. Cumq; iam ciuitas caperetur, subrepente desidia & timore, oppugnatio intermissa est: & multos de nostris tũc perdidimus. Altera verò die, nulla oppugnatio incepta fuit. Post hæc profecti sunt omnes per regionem illam, ad congreganda victualia: & nõ erat verbum de necessariis comparandis ad capiẽdam ciuitatem; sed quisq; ventri & gulæ seruiebat: & quod multò deterius erat, non inuocabant Dominum, vt liberaret eos de tantis ac tam multiplicibus malis, in quibus vsq; ad mortem grauabãtur. Etenim ad aduentum nostrum Sarraceni, clauserant ora puteorũ, & cisternas dissipauerant, & obstruxerant venas fontium. Iam ipse Dominus *posuerat flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim, à malitia eorum qui terras illas incolebant.* Propterea cum magno labore ibi aqua conquirebatur. Est quidam fons in descensu montis Syon, qui *natatoria Siloe* appellatur; magnus quidẽ fons, sed non profluebat nisi tertia die. Dicebãt autẽ incolæ de illo fonte, quod in sexta feria tantũ erat solitus profluere; per reliquos verò dies, erat quasi palus. Quid autem id fuerit, pręter DEI voluntatem ignoramus. Cùm verò, vt dictum est, nobis in tertia die aqua decurreret; cum tãto impetu & oppressione aqua hauriebatur, vt mutuò se homines in eã proiicerent, & iumenta atq; pecora multa deperirent. Itaq; repleto fonte & collisione & cadaueribus animaliũ, ad exitum ipsius aquæ, quæ per quandam rupis incisurã egrediebatur, fortiores se vsq; ad mortem opprimebant: debiles autẽ nihilominus illam

30

40

Psal. 106. 33.

50

illam aquā immundissimam sibi tollebant. Iacebant autem multi infirmi secus fontem, ex ariditate linguæ non valentes emittere vocem; sed tantùm ore aperto, manus prætendebant illis quos videbant aquā habere. Per campos verò stabant equi, muli, boues, & plurima pecora non valentia mutare gressum: sed vbi ex ariditate sitis confecta atque siccata fuerant, vbi diu steterant, corruebant: vnde in castris nostris fœtor grauissimus erat. Sic itaque afflicti, ad fontes longè per duas leugas & per tres, mittebant pariter, vt inde aqua deferretur, et animalia adaquarētur. At vbi Sarraceni cognouerunt nostros inermes discurrere ad fontes, per montana quæ sunt asperrima, insidias eis tendebant; & quantos ex eis volebant trucidabant, & captiuabant; & iumenta eorum & pecora deducebant. Itaque si aliquis detulisset aquam venalem in plateis, quantum volebat inde accipiebat: quippe quinque vel sex nummi, satis non sufficiebant alicui sitienti per diem, si aquam limpidam mercari vellent. De vino autem nullus, vel rarissimus sermo erat: præterea calor & puluis, & ventus, si non satis per se sitis posset, eam instigabant. Sed quid de his multa dicimus? Pauci etiam DEI memores erant; nec illorum quæ vel ad oppugnandam ciuitatem opus erant, vel quæ misericordiam DEI prouocarent, curam gerebant. Sicq; neque DEVM inter verbera agnoscebamus; neque ipse ingratis propitiabatur. Inter hæc venerunt nuntii, quod nouē *naues* de nostris applicuerant *Ioppen*; & mandabant nautæ, vt præsidiū mitteretur illuc, quo & turris Ioppe custodiretur, & ipsi securi in portu essent. Est autem *Ioppe* ciuitas destructa, præter castellum; & illud etiam satis dissipatum, præter vnam turrim. Sed est ibi portus; & prope est Ierusalem, itinere diei vnius: ibi est mare propius Ierusalem. Audientes itaque de nauibus, omnes nostri gauisi sunt: & misit ibi Comes *Galdemarum*, qui *Carpinellus* dicitur, cum viginti militibus, & peditibus circiter quinquaginta; & post ipsum, *Raimundus Peleth* cum quinquaginta militibus, & *Villelmū de Sabrano* cum sociis suis. Cum verò aduenisset Galdemarus ad campestria, quæ sunt citra Ramulas, occurrerunt ei quadringenti Arabes, & Turci circiter ducenti. Ille verò secundum paucitatem, dispositis militibus suis, & sagittariis in prima fronte, versus hostes tendebat nihil dubitans, confisus in DEI auxilio. Hostes autem credentes se eum posse absorbere, cum suis hominibus, & incurrebant, & sagittabant, & circumdabant. Ceciderunt ibi de parte Galdemari, tres vel quatuor milites, & *Achardus de monte Merulo*, nobilissimus iuuenis, & inclitus miles; & alii plagati; sagittarii verò omnes ceciderunt: de parte verò inimicorum, multi ceciderunt. Neq; tamen ob hoc imminentia hostium imminuebantur bella; neque fortitudo nostrorum militum, de DEI misericordia desperabat: sed ex vulneribus, & ab ipsa morte incalescentes, tātò acriores instabant hostibus, quantò grauiora se ab eis perpessos sentiebant. Sed dum nostri duces, iam magis fatigati ex lassitudine quàm ex timore confecti, declinare ab acie vellent, cognito puluere à longè, Raimundus Peleth, præceps & festinus in pugnam intrauit; atq; tantum puluerem commouebat, vt crederent hostes cum eo esse plurimos milites. Sicque per DEI gratiam, & nostri liberati sunt, & hostes fusi atque fugati; & circiter ducenti ex eis interfecti, & plurima spolia capta sunt. Etenim ista consuetudo est apud illas gentes, quod si fugiant, & imminere hostes suos sentiant, primùm proiiciunt arma, post hæc vestimenta, deindè subsellia. Itaque in hoc bello contigit, vt nostri pauci milites, donec ad lassitudinem, ex illa multitudine inimicorum occiderent; & reliquorum spolia retinerent. Collectis igitur, & diuisis spoliis, cùm venissent nostri milites *Ioppen*, cum tanta lætitia & securitate nautæ eos susceperunt, vt nauium etiam suarum obliuiscerentur, & vigilias per mare non agerent; & panem & vinum & pisces, quæ secum detulerant eis communicarent. Sic itaque ex alacritate & securitate nautæ negligentes effecti, dum vigilias per noctem non agunt, de improuiso per mare ab hostibus per noctem circumdati sunt. Cumque vidissent diluculò quia non possent pugnare contra tantam multitudinem, expositis nauibus suis spolia tantum detulerunt: atque sic pariter victores & victi Hierosolymis reuersi sunt. Sed vna de nauibus nō est intercepta, quæ prædatū abierat. Hæc autem nauis cum maxima præda regrediens, cùm vidisset reliquas naues inclusas classe inimicorum, remis acta & velo, Laodiciam reuersa est: ibique sociis & amicis nostris, de nobis qui eramus Iherosolymis, sicuti erat, denuntiauit. Sed hæc omnia adhuc iustè contigisse cognouimus, cum & sermonibus, qui à DEO mandabantur nobis, fidem abnegaremus: & desperantes de DEI misericordia, ad campestria Iordani descendebant, & colligebant

ibi palmas, & baptizabãtur in flumine: & ob hoc maximè vt trãsferrent se Ioppen, visa Ierusalem, & dimissa obsidione; atque sic quomodocunque possent reuerterentur. sed de nauibus, prouidit Dominus suis incredulis. Habuimus eo tempore conuentus: quia Principes malè inter se conueniebant. Et quæstio habita est de *Tancredo* eò quod Bethlehem occupasset, & super Ecclesiam Dominicæ Natiuitatis, quasi super communem domum vexillum suum posuisset. Quæsitum est vt aliquis de Principibus, in Regem eligeretur, qui ciuitatem custodiret, ne communis facta, si nobis illam traderet DEVS, à nullo custodita communiter destrueretur: quibus ab Episcopis & à clero responsum est: *Non debere ibi eligi Regem, vbi DEVS passus & coronatus est. Quod si in corde suo diceret: Sedeo super solium Dauid, & regnum eius obtineo, degener de fide & virtute Dauid, fortassis disperderet eum DEVS, & loco et genti irasceretur. Præterea clamat Propheta, dicens: Cùm venerit Sanctus Sanctorum, cessabit vnctio: quod aduenisse, cunctis gentibus manifestum erat. Sed esset aliquis Aduocatus, qui & ciuitatem custodiret; & custodibus ciuitatis, tributa regionis diuideret & redditus.* Atque his & aliis de causis multis, dilata electio; & impedita, donec ad octauum diem post captam Ierusalem. Neque hoc solùm, verùm etiam aliud aliquid nobis non proueniebat: sed labor & tribulatio per dies singulos in populo duplicabatur. Tandẽ propter nomẽ suum, misericors & propitius Dominus, simul ne aduersarii nostri legi eius insultarent, dicentes *Vbi est DEVS eorum?* mandauit nobis per Episcopum Podiensem dominũ *Ademarum*, qualiter iram eius placare possemus & impetrare misericordiam. Sed & nos, de mandato Domini reticentes, faciendum esse illud prædicabamus: ne si populus hoc mandatũ præteriisset, culpabilis magis, maximè affligeretur. Etenim tam benignus erga nos erat Dominus, vt legatos suos ad nos mitteret: sed quia fratres erant, non credebant eis. Loquutus est ergo Episcopus, *Petro Desiderio* dicens: *Loquere ad Principes & ad omnem populum, & dices: Vos qui venistis de tam longinquis regionibus, vt DEVM & Dominum exercituum hic adoretis, sanctificamini ab immunditiis vestris & reuertatur vnusquisque ab operibus suis prauis Et post hæc, nudis pedibus circuite Ierusalẽ, inuocantes DEVM; & ieiunate. Si sic egeritis, & oppugnaueritis Ierusalem viriliter vsque ad nonũ dies, capietur. Alioquin, omnia mala quæ passi estis, vobis à Domino multiplicabuntur.* Cumque hæc dixisset sacerdos ad fratrem ipsius Episcopi Willelmum Vgonem & ad Ysoardum Comitem dominum suum, & ad quosdam de clero, coadunauerunt consilium de Principibus, & de omni populo, & dixerunt: *Viri fratres, vos scitis, quæ causa itineris nostri sit, ac tantæ defatigationis: & negligenter agimus, adeò vt neque comparemus ea quæ necessaria sunt ad oppugnandam ciuitatem; neque curam gerimus quomodo DEVM nobis reconciliemus, quem tam multipliciter omnes in omnibus offendimus; quem à nobis expulimus, & longè multum per nostra praua opera à nobis effugauimus. Et nunc, si vobis iustum videtur, reconcilietur vnusquisque fratri suo quem offendit, & frater benignè fratri condonet. Et post hæc humiliemur DEO, & circumeamus Ierusalem nudis pedibus; & DEI misericordiam, per Sanctorum patrocinia appellemus: vt ille DEVS omnipotens, qui pro nobis, de nobis, seruis suis carnẽ assumpsit, exinanita forma Dominii sui; & qui humiliter super asinã sedens, passurus in Cruce mortis supplicium pro nobis, hanc ciuitatẽ ingressus est, turbis ei occurrentibus cum magno processionis honore: ille nos ad honorem & gloriam nominis sui, & ciuitatem nobis aperiat & facere iudicium de inimicis suis & nostris, omnibus nobis concedat, qui locum passionis suæ & sepulturæ eius indignè obtinentes contaminant; & qui nos à tanto beneficio humilitatis diuinæ, & redemptionis nostræ excludere contendunt.* Placuerunt hæc verba Principibus, & omni populo: & ideo publicè iussum est vt in sexta feria quæ proxima erat, Clerici prępararent se cum Crucibus & Sanctorum reliquiis ad processionem; & milites atq; omnes viri fortes sequerentur eos cum tubis & vexillis, atque armati nudis pedibus incederent. Quę omnia secundùm iussionem DEI & Principum lętanter expleuimus. Namq; cùm venissemus in montem Oliueti; & essemus in loco, vnde Dominus post resurrectionem suam ascendit in cœlũ, prædicauimus in populo dicentes: *Quoniam secuti sumus Dominum vsque ad locum Ascensionis eius, & vlterius pergere nequimus, condonet vnusquisque fratri suo qui læsus est, vt DEVS omnipotens nobis fieri possit propitius.* Quid multa? Condonauerunt omnes; & largissimis eleemosynis DEI misericordiam appellabant, vt in fine populum suum DEVS non desereret, quem vsque ad finem gloriosè, & mirabiliter adduxerat. Placatur itaque DEI misericordia: quoniam omnia quæ prius nobis aduersa fuerant, nunc commodè nobis proueniebant. Sed licet multa prætereamus, hoc vnum præterire non libuit. Cùm circuiremus ciuitatem de foris cum processionis tumultu, Sarraceni & Turci infra ciuitatem girabant, multimodè

modè nos deridentes; multas Cruces super muros ponebant in patibulis, afficientes eas cum verberibus & contumeliis. Quibus signis nos è vicino misericordiam Dei sperantes, ad expugnandam ciuitatem, die noctuque operibus instabamus. Præfeceerant itaq; Dux & Comes Normanniæ, & Flandriæ, *Gastonem de Beardo* operariis qui machinas construebant; & crates & aggeres, ad inuadendum murū componebant. Hic autem Gasto nobilissimus Princeps, apud omnes honoratus erat, vtilitatis suæ & probitatis merito: atque ideò opus sibi à Principibus commissum, sagaciter operariis diuidēs, sapienter accelerabat. Principes autē tantùm gerebant curam de comportanda lignorum materia; & Gasto, de construendis necessariis
10 solicitudinem agebat. Similiter Comes Raimundus præfecerat *Willelmum Richau* operariis suis in montem Syon; & Episcopum Albariensem Sarracenis, & aliis qui ligna deferebant. Acceperant namque homines Comitis, multa castella & villas Sarracenorū; & Sarracenis, quasi seruis suis, opera indicebant: qui quinquaginta vel sexaginta portabant suo collo trabem maximam, quam non deferrent quatuor paria boum, ad machrinas construendas Iherusalem. Quid multa? omnes vno animo parilique consensu opus agebant, atque laborabant, & construebant, & adiuuabant: nullus segnis, nullius manus remittebantur. Omnes spontanei operabantur, præter artifices: Illis dabatur merces de collectis, quæ factæ in populo fuerant. Sed Comes de censu suo suis operariis debita soluebat. Et certè manus
20 Domini operabatur, & operantes adiuuabat. Cumq; breui interuallo omnia molimina nostra & machinæ comparatæ essent, habuerunt nostri Principes consiliū, & dixerunt: *Omnis homo præparet se ad pugnam in quinta feria. Interim orationibus, & vigiliis operam demus, atq; eleemosynis. Iumenta vestra cum pueris artificibus nostris & lignariis præstate vt deferant trabes, & perticas, atque palos, & virgas ad crates faciendas. Duo & duo milites cratem vnam curuam faciant, vel vnam scalam: Et ne dubitetis laborare pro DEO; quia in proximo labores vestros terminabit.* Hæc autē omnia libenter accepta sunt. Post hæc mandatum est, quis de Principibus cum sua gente quam partem vrbis expugnaret, & quæ machinæ quibus locis applicarentur. Videntes autem Sarraceni qui infra ciuitatem erant, multitudinem machinarum quæ construebantur, infirmiora
30 mrorum loca, adeò aduersum nos munierunt, vt quibusdam desperabile videretur posse expugnari. Instante autem iussæ oppugnationis die, *Dux* & Comes *Flandrensis*, atque *Normanniæ* Comes, cum vidissent quod Sarraceni tanta ac talia munimina argumentorum contra omnes machinas nostras composuissent, tota nocte machinas suas, & crates, & aggeres, transportauerunt contra Vrbis partem, quæ est ab Ecclesia Sancti Stephani vsque ad vallem Iosaphat. Vos verò qui hęc legitis, non putetis paruum laborem atque industriam ibi fuisse. Etenim ferè milliarium est ibi, à loco vndè machinæ dissolutæ per membra comportabantur, vsque ad eū locum vbi construebantur. Manè autem facto cùm vidissent Sarraceni omnia instrumenta atq; tentoria, nocturno tempore illuc deportata, obstupuerūt. Nec so-
40 lùm Sarracenis, verùm etiā nobis in stuporē fiebat. Manifestè etenim potuit quisque cognoscere fidelis, quòd manus Domini nobiscū erat. Hæc autē transmigratio ob hoc facta est, quia locus planus erat, & conueniens instrumentis ad murum adiungendis, quæ non poterant nisi per plana conduci: & etiam ob hoc, quia illa pars vrbis infirmior esse videbatur: quia longè steterat à castris, immunita illa pars remanserat: Hæc autem pars ciuitatis est à Septemtrione. Nihil minus laborabat Comes & sui in monte Syon, qui est ciuitati ad Meridiem: sed habebat tunc multos adiutores, scilicet *Willelmum Ebriacum*, & cum eo omnes nautas Genuenses, qui naues suas, sicut superiùs narrauimus, apud Ioppen perdiderant: sed extraxerunt de nauibus suis cordas & malleos ferri, atque clauos, & ascias, atque dolabra & se-
50 cures, quæ permaximè nobis necessariæ fuerunt. Sed quid moramur? Iamque dies pugnæ constitutæ aduenerat, & oppugnatio incepta est. Sed hoc vnum inprimis dicere volumus, quòd, pro opinione multorum & nostra, vsque ad sexaginta milia hominum belligeratorum erant infra ciuitatem: exceptis paruulis & mulieribus, de quibus non erat numerus. Et de nostris ad arma valentes, in quantum nos existimamus, numerum duodecim millium non transcendebant: sed habebamus multos debiles, atque pauperes. Et erant in exercitu nostro mille ducenti vel trecenti milites, & vt ego arbitror, non amplius. Hæc autem ideò diximus, vt intelligatis, quòd siue grande siue parum sit, quod in nomine Domini incipitur, nihil frustra euenire: quod subsequens pagina continet. Vt autem nostri turres, ac muros

minare ceperunt, ab omni parte volabant lapides excussi à tormentis, atq; petrariis; & sagittæ vt grando innumerabiles. Sed ista patienter serui DEI sustinebant, habentes fidei propositum, quod vel occumberent, vel quod ad præsens se de hostibus vindicarent. Fiebatque pugna nullo indicio victoriȩ: sed cùm iam proximarent cum machinis ad muros, non solùm lapides & sagittæ, verumetiam ligna & stipula proiiciebantur, & super hæc ignis; & mallei lignei inuoluti pice, & cera, & sulphure, & stuppa, & panniculis igne succensis proiiciebantur in machinas: Mallei inquam clauati ab omni parte, vt quaqua parte ferirent, hærerent, & hærẽdo inflammarent. Ligna verò & stipula ideò iaciebant, vt saltim incendia indè accensa, retardarent quos neque gladius, & alta mænia retardarentur, nec profundũ vallum retinere poterat. Acta est itaque pugna ab ortu solis vsque ad occasum die illa, ita mirabiliter, vt nusquam mirabilius aliquid gestum esse credatur. Et adhuc DEVM omnipotentem ducem ac conductorem nostrũ appellabamus, confidentes de eius misericordia. Nox autem adueniens, vtrumque timorem nostrum conduplicauit. Metuebant enim *Sarraceni* ne per noctem ciuitas à nostris caperetur, vel sequenti die, iam fractis antemuralibus, & completo vallo, citissimè murus perуaderetur. At verò nostri hoc solùm metuebãt, ne admotas machinas aliquo modo Sarraceni incenderent, & sic confortarentur. Propterea ab vtrisque custodiæ, ab vtrisq; labor, ab vtrisq; insomnes curæ. Hinc, spes certissima; illinc, dubius timor. Operabantur isti pro DEO, spontanei, opera ad capiendũ; operabãtur illi pro legibus Bahumeth, inuiti, opera ad resistendũ. Quæ verò & qualia molimina ab vtrisq; per noctẽ facta fuerint, mirabile credite. Manè autẽ facto, tantus ardor nostris incubuit, vt vsq; ad muros progrederentur, & machinas illuc deducerent. At Sarraceni tantas machinas fecerant, vt vnicuiq; de nostris nouem vel decem apponerentur; atq; sic multum molimina nostra impediebant. Et tamen hȩc dies nona erat, de qua sacerdos dixerat, quòd vsque ad eam ciuitas caperetur. Sed quid nimiam moram agimus? Iam machinæ nostræ quassabantur ad tam crebros lapidum ictus; & viri deficiebant nostri, multimodè defatigati. Sed restabat adhuc DEI misericordia, nunquam expugnabilis, nusquam superata, in tribulationibus semper opportuna. Sed hoc præterire non libuit: quod dum duæ mulieres petrariam vnam de nostris fascinare vellent, lapis viriliter excussus, mulieres carminantes cum tribus pueris allisit; atque animabus excussis, incantationes auertit. Cumque iam circa Meridiem omnes nostri conturbarentur, tam lassitudine quàm desperatione: quippe cum vnicuique de nostris plures aduersarii resisterent; præterea murus firmissimus & altus; & multa copia atq; oportunitas, quæ hostibus ad munimen, nobis autem aduersa. Inter huiusmodi defectum nostrum, & hostium exultationem, accessit mediatrix DEI misericordia, quæ luctum nostrum in gaudium conuertit, quòd nulla dies à nobis auferat. Etenim cõsilium quorundam iam agebatur, vt machinæ nostræ reducerentur, quarũ pars combusta, altera conquassata fuerat. Tum ecce Miles quidam, de monte Oliueti cum clipeo suo ventilare cepit, ad eos qui erant de parte Comitis, & ad alios vt ingrederentur. Quis autem iste miles fuerit, cognoscere non potuimus. Hoc signo nostri confortati qui iam languebant, ceperunt incurrere muris; alii autem scalas, & funes sursum iniiciebant. Præterea quidam iuuenes ignierãt sagittas; & sagittauerunt culcitras, quibus muniebatur propugnaculum quod Sarraceni fecerant, contra turrem ligneam Ducis & duorum Comitum: erant autem culcitræ de *gambasio*. Ibi itaque ignis accensus effugauit eos, qui defendebant munitionem. Tum velociter Dux & qui cum eo erant soluerunt cratem de sursum quâ muniebantur anteriora turris conductæ, à summo vsque ad medium: atq; sic facto ponte, viriliter & imperterriti intrare in Ierusalem ceperunt. Inter primos verò ingressus est *Tancredus*, & *Dux Lotharingiæ*, qui quãtum sanguinem ea die fuderint, vix est credibile. Post illos autem ascendebant omnes; & Sarraceni iam patiebantur. Sed mirum quod modò dicam: Cumque iam ciuitas penè correpta esset à Francigenis, adhuc tamen resistebant Sarraceni his qui erãt de parte Comitis, ac si nunquã capiendi essent. Sed cùm iam nostri mœnibus potirentur ciuitatis, & turribus, tunc erat videre mirabilia. Alii namque illorũ, quod leuius erat, obtruncabantur capitibus; alii autem sagittati, de turribus saltare cogebantur; alii verò diutissimè torti, & ignibus adusti flammeriebantur. Videbantur per vicos & plateas ciuitatis aggeres capitum, & manuum atque pedum. Per cadauera verò publicè, hominum & equitum discursus erat. Sed parua &

pauca-

pauca ista quæ diximus. Sed ad *templum Salomonis* veniamus, vbi suos ritus atque solemnitates cantare solebant. Sed quid ibi factum est? Si verum dicimus, fidem excedimus. Sed tantum hoc dixisse sufficiat, quod in templo & in porticu Salomonis, equitabatur in sanguine vsque ad genua, & vsque ad frenos equorum. Iusto miroque DEI iudicio, vt locus idem eorum sanguinem exciperet, quorum blasphemias in DEVM tam longo tempore pertulerat. Repleta itaque cadaueribus & sanguine ciuitate, confugerunt aliquanti ad turrem Dauid; & poposcerunt à Comite Raimundo securitatis dextrã, & reddiderunt ei arcem. Capta autem vrbe operæpretium erat, videre deuotionem Peregrinorum ad *Sepulchrum Domini*, quomodo plaudebant, exultantes & cantantes canticum nouum Domino. Etenim mens eorum, DEO *victori & triumphanti vota laudum offerebat*, quæ explicare nõ poterant. Noua dies, nouum gaudium & exultatio, noua & perpetua lætitia; laboris & deuotionis consummatio, noua verba, noua cantica, ab vniuersis exigebat. Hæc, inquam, dies celebris in omni seculo venturo, omnes dolores atque labores nostros gaudium & exultationem fecit: dies hæc, inquam, totius Christianitatis confirmatio, & Paganitatis exinanitio, & fidei nostræ renouatio. *Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea:* quia in hac illuxit & benedixit Dominus populo suo. In hac die dominus *Ademarus* Podiensis Episcopus à multis in ciuitate visus est: Et etiam multi de eo testantur, quod ipse primus murum ascendens, ad ascendendum socios atque populum inuitabat. In hac autem die eiecti Apostoli ab Hierosolymis, per vniuersum mundum dispersi sunt. In hac eadem die, Apostolorum filii, DEO & patribus vrbem & patriam vendicauerunt. Hæc dies celebratur *Idus Iulij*, ad laudem & gloriam nominis CHRISTI, qui dedit precibus Ecclesiæ suæ vrbem & patriam quam iurauit patribus; & reddidit in fide & benedictione filijs. In hac die officium de Resurrectione cantauimus: quia in hac, ille qui sua virtute à mortuis surrexit, per gratiam suã nos resuscitauit. Et de his hactenus dictum sit. Peractis igitur sex vel septem diebus, solemniter in octaua die ceperunt agere Principes, vt aliquis eligeretur in Regem: qui omnium curam gerens, & tributa regionis colligeret; & ad quem plebes terræ reuerterentur, & qui prouideret ne vlterius desolaretur. Cumque id agerent, congregati sunt de Clero quidam, & Principibus dixerunt: *Laudamus electionem vestram, verùm si rectè & ordinatè faciatis: sicut sunt æterna priora temporalibus: sic vicarium spiritualem eligite prius; post hæc qui rebus ac mundis secularibus præsit. Alioquin inualidam esse censemus, electionem vestram.* Principes verò cum hæc audissent irati nimium, electionem tamen nihilominus accelerabant. Sed imminutus erat Clerus, ablato domino *Ademaro* Podiense Pontifice, qui in vita sua, alter Moyses, nostrum exercitum, rebus & alloquiis diuinis confouens, continebat. Post illum autem cum Willelmus *Aurasicensis*, vir bonæ memoriæ & Episcopus, pro viribus nobis prodesse vellet, breui tempore apud Marram in pace conquieuit. Sic itaque bonis ablatis, humiliter se Clerus agebat, præter Episcopũ Albariensem & alios quosdam. Episcopus namque *Martranensis* aliter quàm recto itinere gradiens, cùm Bethlehemiticam Ecclesiam fraudulenter obtinuisset, tertio vel quarto die à Sarracenis captus, nusquam inter nostros comparuit. Spreta itaque admonitione, & contradictione Clericorum, hortabantur Principes *Comitem Sancti Egidij*, vt acciperet regnum. At ille nomen Regium se perhorrescere fatebatur in illa ciuitate: Sed præbere se illis consensum, si id alius acciperet. Ob hoc elegerunt pariter *Ducem*, & obtulerunt eum ad *Sepulchrum Domini*. Post hæc autem requirebat Dux arcem Dauid à Comite: At ille hoc excusabat, dicens, se velle moram agere in regione illa donec in Pascha; & interim se & suos honestè habere velle. At Dux potiùs se aiebat cætera dimissurum, quàm Turrem. Inde multiplicabantur lites. Flandrensis & Normanniæ Comites fauebant Duci, & omnes etiam penè de terra Comitis, credentes reddita Turre, se consequenter cum eo esse reuersuros. Non solùm autem Prouinciales in hoc domino suo Comiti aduersabantur, verùm etiam multa de eo turpia composuerunt, ne eligeretur in Regem. Destitutus itaque Comes sociorum & amicorum consilio, pro iudicio subeundo, tradidit Turrem in manu Albariensis Episcopi. Ille verò non expectato iudicio, tradidit turrem Duci. Cumque appellaretur Episcopus de hoc facto, proditor: dicebat sese coactũ fuisse, atq; passum violentiam. Sed hoc ego in veritate comperi, plurima arma esse illata in Patriarchalem domum, vbi Episcopus manebat propè Ecclesiam Dominici Sepulchri. Sed de violentia sibi illata ille dicebat; & freque-

GODEFRIDVS Rex electus.

Psal. 117. 23.

ter clam huiusce rei Comitis familiares insimulabat. Reddita itaque turre, in magnum odium contra suos Comes exarsit, dicens se inhonoratum, non posse manere in illa patria. Itaque profecti ab Hierosolymis Iericho, & acceptis palmis venimus ad Iordanem; & sicut præceperat Petrus Bartholomeus, facta rate de viminibus, & imposito desuper Comite transueximus eum: quippe cum non haberemus nauem, sic nobis melius visum fuit. Post hæc conuocata multitudine exegimus, quatinus rogarent DEVM pro vita Comitis, & aliorum Principum: dehinc indutum camisia, & bracis nouis, sicut nobis præceptum fuerat peregimus: sed quare taliter homo DEI præceperit, adhuc ignoramus.

10

Hisq; peractis, reuersi sumus Iherosolimã. Eodẽ tẽpore *Arnulfus* Capellanus Normanniæ Comitis, à quibusdã in Patriarchã eligitur, contradicentibus bonis: Tũ quia non erat subdiaconus; maximè etiam quia erat de genere sacerdotali, & in itinere nostro de incontinentia accusabatur: adeò vt vulgares cantus de eo inhoneste composuissent. Sed ille nec canonũ decreta reueritus, tanta ambitione tentus, nec genus, nec conscientiæ infamiam, contra bonos populum concitauit; atq; se cum hymnis & cantibus in sede Patriarchali, magno populorum plausu eleuare fecit: Sed de Episcopo *Matranensi*, qui huiusce rei incentor & administrator fuerat, vindicta Diuinitùs sumpta non modo Arnulfum non terruit; sed insuper clericos qui habebãt altaria in Ecclesia Dominici Sepulchri, vel quibus erant pro custodia mercedes constitutæ, priuare beneficiis non desinebat. Nactus itaque *Arnulfus* hanc potestatem, cepit requirere ab incolis ciuitatis, vbi *Crux* erat quam Peregrini antè captam Iherosolimam adorare consueuerant: Quibus negantibus, & iuramento & aliis signis se nescire probare volentibus, tandẽ coacti sunt; & hæc dixerunt; *Manifestum est quod DEVS vos elegit, & ex omnibus tribulationibus vos eripuit, & hanc ciuitatem & alias multas vobis tribuit: non in virtutis vestræ robore, sed in furore suo excæcans impios; & ciuitates munitissimas vobis aperuit, & bella formidolosa vobis, ductor & Dominus vester, pro vobis ipse peregit. Qua itaque pertinacia cum Dominum vobiscum videamus, eius beneficia vobis celabimus?* Posthæc deduxerunt eos ad quoddam atrium Ecclesiæ; & ibi effodientes reddiderunt. Gauisi sunt itaque omnes nostri, & DEO Omnipotenti laudes & gratias referebant, qui non solùm vrbem in qua passus est; sed etiam insignia passionis suæ atque victoriæ nobis reddidit: vt tantò eum manibus fidei arctiùs amplecteremur, quantò certiora nostræ salutis contueremur. Dumque, sicut superiùs diximus, de *Duce Lotharingiæ* ordinatum esset, quod ciuitatem retinere deberet; & Comes dolore & iniuria exercebatur, eò quod *archem Dauid*, scilicet totius regni Iudaici caput, leuiter perdiderat, & ob hoc regredi cum maxima parte nostræ gentis disponeret: Nunciatum est nobis quod *Rex Babyloniorũ Ascalona* venisset, cum innumerabili Paganorum multitudine: &, vt nobis relatũ erat, quod Iherosolimam expugnare venerat, & occidere Francos omnes à viginti annis & supra; & captiuare reliquos cum mulieribus, daturus viros mulieribus de sua gente, & iuuenibus mulieres; vt Babyloniorum domini deinceps bellicosas familias haberent, de genere Francorum. Sed, non his adhuc contentus, similiter Antiochiæ & Boamundo facturum se aiebat: Damasci etiam, & reliquarum ciuitatum diadema capiti suo impositurũ se dicebat: nihil Turcos, nihil Francos, Turcorum victores, esse dicebat, considerata multitudine peditum suorum & militũ. Sed nec etiam his contentus, in DEVM blasphemias intorquebat, dicens: quod locũ Dominicæ Natiuitatis, & præsepe vbi Dominus reclinatus est; & locũ passionis & *Golgota*, vbi dicitur quod sanguis Domini pendentis in Cruce defluxerit; & locum Dominicæ sepulturæ, & alia omnia loca Sancta quæ in ciuitate, vel iuxta à populo venerantur Christiano, ita deleret, vt etiam à stirpe, à terra abstraheret & comminueret: & posthæc puluerem in mari proiiceret, vt non esset aliquod *Dominicum* memorabile, quod Francorum gens in regionibus illis vlteriùs requirerent. Cùm autem hęc & alia multa, & de multitudine gentis quę cum ipso tyranno erat, nobis nunciarentur; & quòd omnes isti congregati erant *Ascalonæ*, quæ proxima erat Iherusalem per diẽ & dimidium: congregati sunt nostri Principes & Clerus, & nudis pedibus incedentes antè *Sepulchrum Domini* cum multis orationibus & lachrymis, misericordiam à Domino deprecabantur, vt populum suum modo liberaret, quem hactenus victorem de omnibus fecerat; & qui locum sanctificationis suæ mun-

suæ mundauerat, vlteriùs contaminari propter nomen suum non pateretur. Posthæc similiter nudis pedibus incedentes in Psalmis & hymnis,& Sanctorum præsidiis misericordiam DEI appellantes, ad Templum Domini venimus: Ibiq; animo & corpore antè effusi, vt benedictionis suæ ibidem effusæ recordaretur: *Si peccauerit in te populus tuus & conuersus egerit pœnitentiã, veniensq; orauerit in loco isto, tu exaudies de cælo, Domine: & libera eum de manibus inimicorum suorum.* Posthæc percepta benedictione ab Episcopis, statuerunt Principes de belli administratione, & de custodia ciuitatis. Profectus est itaque Dux & milites eius vt certissimum comprobarent si de *Admirauis* ita res se haberet vt fama ferebatur: qui cùm ad *campestria Ramularum* peruenisset, causam negotii per Episcopũ *Matronensem* Hierosolymis remisit ad Comites. Illi autem certificati de bello, communẽ pugnãdi causam apud omnes fortes qui in ciuitate remanserant, detulerunt: Itaq; supplicantes DEO & acceptis armis & Dominicã lanceam, profecti sumus ab Iherosolimis, & venimus ad campestria die illa. Altera autẽ die coniuncto exercitu, per turmas dispositis præsidiis ab omni parte, procedebamus. In vespere verò cùm venissemus propè *fluuium* qui est in itinere euntibus ab Iherusalem Ascalonam, pascebant ibi *Arabes* greges ouium, & armenta boum innumerabilia, & sine numero camelos. Cùm vidissent autem nostri hanc multitudinem & hominum & animalium, existimantes bellum esse, arreptis armis ad prospiciendum milites vsque ducentos: cæteri verò armati, vt diximus, in nouem turmis incedebant. Erant autẽ tres à tergo, tres à fronte, tres in medio, sic ordinatæ, vt vbicumque bellum se emergeret in tribus ordinibus illis occurreretur, turma media manente cunctis ad præsidiũ. Videntes autem pastores Arabum nostros præmissos milites, animalia deseruerunt: Et tam si æquo modo ad illos vt ad nos respiceret DEVS, pugnam cũ omnibus nobis inire debuissent. Erant in armis, de pastoribus circiter tria millia; in exercitu verò nostro supra mille ducentos dubitanter adscribimus: sed & peditum multitudinẽ vltra nouem millia producere nõ audemus. Effugatis itaq; pastoribus, cepimus prędam, quantã ante diem illam non vidimus; & aliqui de pastoribus interfecti sunt, & pauci capti. Posthæc autẽ mansimus in eodẽ loco, quia vespera erat. Et tũc coegimus captiuos ad comprendũ hostium voluntatẽ; & habitudinẽ, & numerum. Confessi sunt itaq; quod voluntas eorũ erat obsidere Iherusalem, & expugnare omnes Francos, & interficere & captiuare: & addũt quod *Admirauis* ibi propè quinq; leugis erat in castris, postridiè profecturus aduersum nos. De numero autẽ vix aliquis certus erat, quia quotidie multiplicabantur. De se verò & de sociis qui essent, interrogati, dixerunt quòd pastores essent animaliũ, quæ diuidenda erant in stipendiis per exercitũ Babyloniorũ. Certi itaq; nostri de bello & alacres, sociis suis noxarũ causas atq; cõtrouersiæ remittebant. Posthæc confessi de peccatis, & de negligẽtiis suis, adeò erecti sunt animis, vt vix credibiles eis fieret hostes ad pugnã esse paratos. Innascebatur enim tanta securitas in cordibus singulorũ, vt crederẽt suos hostes ceruis timidiores, & ouibus innocentiores. Sed hæc securitas ideò nobis erat, quia credebamus Dominũ nobiscũ esse, sicut & in reliquis negotiis; & propter blasphemias sibi illatas, agere propter seipsum, si etiã causa nostra inualida fuisset: Vndè in nostra parte defensore, & in sua adiutores illi esse voluimus. Deindè cõclamatũ est per exercitũ [illegible] ad pugnã omnes parati essent; & quisq; Principibus de sua gẽte coniũgeret [illegible] & nemo prędã tangeret: & excõmunicati sunt quicumq; eã tangerẽt nisi prius [illegible] cõfecto. Mansimus ea nocte satis pauperrimè: etenim tẽtoria nõ habebamus, [illegible] pauci, vinũ nullus, annonã atq; salem paucissimi: sed copia carnis erat quasi a[illegible] sed vescebamur carnibus; & pro pane, ouiũ caro erat. Et iã aurora sequẽti die [illegible]batur; & peruigil turba, tubis & cornubus in pugnã animabatur. Itaq; summo [illegible]lo profecti, dispositis, vt iã diximus, ab omni parte præsidiis, exercitũ DEI in [illegible] Mahumet dirigebamus. At verò hostes infra castra sua demorabantur, nun[illegible]mantes quod infra mœnia ad aduentũ eorũ vix cõtineremur. Etenim cũ [illegible] nece & fuga pastorũ, dicebant: *propter prædã venerũt Franci, & cũ ea reuer-*[illegible]ppe edocebãtur quotidie ab his qui fugerãt ab Iherosolimis, & de paucitate [illegible], ac debilitate vulgi & equorũ. Pręterea numero atq; viribus suis cõfisi, in [illegible] nos & castra nostra submergere se posse credebãt. *Catellatores* etiã eorũ [illegible], vt fertur, dixerant vt non mouerent castella sua vsq; ad septimã feriã; neq; [illegible] aduersũ nos: quòd si maturiùs aliquid de his agere vellẽt, in aduersũ cõuerte[illegible]. Nos autem vt diximus, ordinati, in nouem turmis progrediebamur.

Q

Multiplicauit DEVS exercitū suū, adeò vt inferiores numero hostibus nō videbamur. Etenim coniunxerant se nobis animalia quę dimiseramus, & factis gregibus, nemine cōpellente, nos comitebātur, adeò vt starent cū stantibus, cū currentibus currerent, cum præcedentibus præcederent.* Hæc autē preciosarū inæstimabilis multitudo erat. Armorū autem atq; papilionū summā, quis dinumerare sufficiat? Videntes igitur hostes nostri, & suorū cæsam multitudinē, & nostros in castris suis & pro victoria & spoliis securè & alacriter agere, reuersi ad se dixerunt: *Solum præsidiū fuga est: & quid moramur? Si hodie defatigati ex itinere, fame & siti penè semimortui, omnē nostrā multitudinē vno impetu prostrauerūt, quid repausati & refecti, & victores cōtra semineces & imminutos atq; pauidos facient?* itaq; hostes, conturbatis animis reuersi sunt *Ascalona*, quę miliariū à castris nostris aberat: sed nō omnes. Tunc placuit Comiti *Raimundo*, vt mitteret *Boamundū* quendā Turcū genere, ad Admirauis, obtentu ineundæ amicitię: accusando eū quod noluerit liberā reddere Iherusalem, & qui aduersum nos arma detulerat: simul vt præsentiret, fugā an bellum in animo pararet, & quomodo victum se haberet.

INTEREA nuntius venit *Tancredo*, & *Comiti Eustachio*, vt præpararent se, & pergerent ad recipiendam vrbem Neapolim. At illi exierunt, & duxerunt secum multos milites, & pedones, & peruenerunt ad vrbem. Habitatores verò illius, reddiderunt se ilico. Posthæc mandauit illis Dux *Godefridus*, qui & Rex Ierusalem, vt citò venirent ad bellū, quod Ammiratus Babyloniæ præparauerat eis Aschalone. Illi autem festinando intrauerunt montanā, quęrentes Sarracenorū bella, & venerunt Cæsaream. Venientes quoq; iuxta mare ad vrbē *Ramore*, illic inuenerunt multos Arabes, qui pręcursores erant belli. Quos nostri persequentes apprehenderūt plures ex eis, qui dixerūt omnia belli noua: vbi essent, & quot, aut vbi bellare disponerent cōtra Christianos. Quod audiens Tancredus, statim misit nunciū Ierusalē duci Godefrido, & Patriarchę, omnibusq; Principibus, dicēs: *Sciatis, quod nobis paratū est bellū Aschalonia ab Ammirato. Igitur venite festinanter cū omni virtute, quā habere poteritis.* Tunc iussit Dux commoneri omnes, vt fideliter irent præparati Aschalonam, obuiam inimicis nostris. Ipse verò cum Patriarcha, & Roberto Flandrensi Comite, exiuit de vrbe in feria tertia, & Marturanensis Episcopus cum eis. Tum verò Sancti Egidii Comes, ac Robertus Normannus, dixerunt se non exituros, nisi certum bellum scirent. Iusserunt ergò militibus suis, vt pergerent videre si bellum verè esset, & reuerterentur quantocyùs, quia ipsi mox essent parati venire. Iuerunt illi, videruntque bellum paratum, & citò renuntiauerunt se vidisse oculis suis. Continuò Dux apprehenso *Marturanensi* Episcopo mandauit in Ierusalem, quo milites qui ibi erant præpararent se, & venirent ad bellum. Episcopus verò Marturanensis rediit, reportans verba missa Patriarchæ, & Duci: exieruntque Sarraceni obuiam ei, & apprehensum secum duxerunt. *Petrus* verò *Eremita* remansit in Ierusalem, ordinando & præcipiendo Græcis & Latinis, ac clericis, vt fideliter DEO processionem celebrarent, & eleemosynas orationesq; facerent, vt DEVS populo suo victoriam daret. Clerici & Presbyteri induti sacris vestibus ad Templum Domini conduxerunt processionem; ac Missas & orationes celebrabant, vt DEVS suum defenderet populum. Denique Patriarcha & Episcopi, aliiq; Seniores, congregati sunt ad fluuium quod est ex hac parte Aschaloniæ. Illicq; multa animalia, boum, camelorum, ouium, atque omnium bonorum deprædati sunt. Venerunt autem Arabes ferè trecenti, irrueruntque nostri super illos; & apprehenderunt duos ex eis, persequentes alios vsque ad eorum exercitum. Sero autem facto, Patriarcha fecit præconari per omnem exercitum, vt in summo mane omnes in crastino essent parati ad bellum, *excommunicans ne vllus homo intenderet ad vlla spolia, donec bellum esset factum*: sed eo facto, reuerterentur cum felici gaudio, ad capiendum quicquid eis prædestinatum esset à Domino. Summo verò diluculo intrauerunt in vallem nimis pulchram, secus litus maris, in qua ordinauerunt suas acies. *Dux* instruxit suam, Comes *Normannus* suam, Comes *Sancti Egidij* suam, Comes *Flandrensis* suam, Comes *Eustachius* suam, *Tancredus* & *Gaston* suam. Ordinauerunt quoque pedites & sagittarios qui præcederent milites; & sic ordinauerunt omnia: Statimque præliari ceperunt in nomine Domini nostri IESV CHRISTI. In sinistra parte fuit Dux Godefridus cum sua acie, Comes Sancti Egidii iuxta mare, in dextra parte: Comes Normannus, Comes quoque Flandrensis, & Tancre-

Tancredus, omnesque alii equitabant in medio. Tunc nostri ceperunt paulatim ambulare; Pagani verò stabant parati ad bellum. Vnusquisque suum habebat vasculum pendens collo, ex quibus potarent persequentes nos: sed illis non licuit, gratia DEI. Comes autem *Normannus*, cernens Ammirati Stantarum habentem quoddam pomum aureum in summitate hastæ, quæ erat cooperta argento, irruit vehementer super illum, eumque vulnerauit vsque ad mortem. Ex alia parte Comes *Flandrensis*, nimis acriter eos inuasit. *Tancredus* igitur impetum fecit per mediũ tentorium eorum. Quod videntes Pagani, continuò arripuerunt fugam. Paganorum autem multitudo erat innumerabilis, numerumque eorumque nemo scit, nisi solus DEVS. Bella verò erant immensa, sed virtus Diuina comitabatur nobiscum, tam magna, tam fortis, quòd statim superauimus illos. Stabant verò inimici DEI excæcati, & stupefacti: ac videntes CHRISTI milites, apertis oculis nihil videbant; & contra Christianos erigere se non audebant, virtute DEI tremefacti. Pro nimio namque timore ascendebant in arbores, in quibus putabant se effugere, vel abscondere. At nostri sagittando, & cum lanceis & ensibus occidendo, eos ad terram præcipitabant. Alii iactabant se in terram, non audentes se erigere contra nos. Nostri igitur illos detruncabant, sicut aliquis detruncat animalia ad macellum. Comes verò *Sancti Egidij*, iuxta mare occidit ex eis sine numero. Alii verò se præcipitabant in mare, alii fugiebant huc illucque. Veniens itaque Ammiratus Babyloniæ antè Ascalon ciuitatem, dolens & mœrens lachrymando dixit: *O DEORVM spiritus, quis vnquam vidit vel audiuit talia? Tanta potestas, tanta virtus, tanta militia, quæ nunquam ab vlla gente fuit superata, modo à tantilla gente Christianorum est deuicta. Heu mihi, tristis ac dolens: quid amplius dicam? Superatus sum à gente mendica, inermi & pauperrima, quæ non habet nisi saccum & peram. Ipsa modo persequitur & occidit gentem Ægyptiacam, quæ illi plerumque suas largita est eleemosynas, dum olim per omnem nostram patriam mendicaret. Huc conduxi ad communitionem ducenta millia militum, & video illos laxis frenis fugientes per viam Babylonicam, & non audent reuerti aduersus gentem Francigenam. Iuro per Macumeth & per omnia DEORVM numina, quod vltrà non retinebo milites conuentione aliqua, quia expulsus sum à gente aliena & aduena. Conduxi omnia armorum genera, & omnia machinamenta, vt eos obsiderem in Ierusalem, & ipsi prauenerunt me ad bellum itinere duorum dierum. Heu mihi: quid amplius dicam? Inhonoratus ero semper in terra Babylonica.* Nostri autem acceperunt stantarũ, quod comparauit Comes de Normannia, viginti marchas argenti, & dedit illud Patriarchæ in DEI honorem, Sanctique Sepulchri. Ensem verò emit quidam sexaginta Bisanteis. Superati sunt igitur inimici nostri à nobis, Deo annuente. Omnes naues Paganorum ibi aderant: Homines verò qui intus erant, videntes Ammiratum fugientem cum suo exercitu, statim suspenderunt vela, & impulerunt se in alta maria. Reuersi sunt itaq; nostri ad eorum tentoria, acceperuntque innumera spolia, aurum argentumque multum, omniumque animalium genera, & omnium armorum instrumenta; quæ voluerunt asportauerunt, reliqua igni consumpserunt. Reuersi sunt ergò nostri, cum gaudio magno Ierusalem, deferentes secum omnia bona, quæ illis erant necessaria. Hoc bellum actum est, *Prid. Id. Augusti*, largiente Domino nostro IESV CHRISTO fidelibus suis victoriam, *qui cum patre & spiritu Sancto viuit & regnat, DEVS per infinita secula seculorum. Amen.*

INCIPIT HISTORIA HIEROSOLIMITANÆ EXPEDITIONIS EDITA AB ALBERTO

CANONICO AC CVSTODE AQVENSIS ECCLESIÆ, super passagio Godefridi de Bullione, & aliorum Principum.

LIBER PRIMVS.

Argumenta Capitum.

INCIPIT liber primus *expeditionis Hierosolymitanæ* vrbis, vbi clarissimi Ducis *Godefridi* inclyta gesta narrãtur: cuius labore & studio Ciuitas Sancta ab infidelibus liberata, sanctę Ecclesiæ filiis est restituta.

Diu multumq; his vsq; diebus, ob inaudita & plurimũ admirãda, sæpius accensus sum desiderio eiusdem expeditionis, & faciendæ orationis illic, dum feruerem. Sed cùm minimè ob diuersa impedimenta

menta intentioni meæ effectus daretur, temerario ausu decreui saltē ex his aliqua memoriæ cōmendare, quæ auditu & reuelatione nota fierēt ab his, qui præsentes affuissent: vt vel sic nō in ocio, sed quasi in via, si nō corpore, at tota mente & animo cōsocius essem, elaborarē. Quapropter de labore & miseriis, de firmata fide, de robustorū Principū cæterorumq; hominū conspiratione bona in amore CHRISTI; quomodo scilicet reliquerint patriā, cognatos, vxores, filios, filiasq;; vrbes, castella, agros, regna & omnē huius mūdi dulcedinē, certa pro incertis; & in nomine IESV exilia quæsierint: quomodo in manu forti & exercitu robusto iter Hierosolymā fecerint, & mille millies Turcorum Sarracenorumq; legiones audaci assultu triū- 10 phantes occiderint; quomodo introitū & accessū *Sacri Sepulcri* Domini nostri IESV CHRISTI patefecerint; census & tributa Peregrinorū, huc intrare cupientium, ex toto remiserint, pro viribus nostris exiguis, puerili & incauto stylo scribere presūsi.

II. Sacerdos quidā, *Petrus* nomine, quondā eremita, ortus de ciuitate *Amiēs*, quæ est in occidēte, de regno Francorū, omni instinctu, quo potuit, huius viæ cōstantiam primū adhortatus est, in *Beru* regione præfati regni factus prædicator, in omni admonitione & sermone. Huius admonitione assidua & vocatione, Episcopi, Abbates, Clerici & Monachi; deinde Laici nobilissimi, diuersorum regnorū Principes; totūq; vulgus, tā casti quàm incesti, adulteri, homicidæ, fures, periuri, prædones; vniuersū scilicet genus Christianę professionis; quin & sexus fœmineus, pœnitētiā 20 ducti, ad hanc lætanter concurrūt viam. Qua occasione & intentione hanc viā idē eremita prædicauerit, & eius primus ductor extiterit, præsens pagina declarabit.

III. Hic sacerdos aliquot annis ante huius viæ initiū causâ orationis *Hierosolymā* profectus est, vbi in oratorio *Dominici Sepulcri*, proh dolor, visa quædā illicita & nefanda tristi animo accepit, & infremuit spiritu; ipsumq; Dominū iudicem super istis iniuriis appellat. Tandē super nefariis operibus motus, *Patriarcham* sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ expetit: &, cur pateretur gentiles & impios Sācta inquinare, & ab his fideliū oblationes asportare; item Ecclesia vti pro prostibulis, Christianos colaphizari, peregrinos sanctos iniusta mercede spoliari, & multis oppressionibus angustiari, requirit. IV. Patriarcha verò, & venerabilis sacerdos *Sepulcri Dominici*, 30 his auditis, pia & fidelia profert respons: *O fidelissime Christianorum, quid super his compellas & inquietas paternitatem nostram, cùm nostræ vires vel potentia non magis quàm formica exigua aduersus tantorum superbiā computentur? Vita enim nostra aut assiduis redimitur tributis; aut mortiferis deputatur suppliciis. Et maiora speramus de die in diem affore pericula, nisi Christianorū affuerint auxilia, quæ tua legatione inuitamus.* Cui Petrus in hunc modum respōdit: *Venerande pater, satis comperimus, & nunc intelligimus ac videmus, quàm inualida manus Christianorū sit tecum hîc inhabitantiū: & quantis subiaceatis oppressionibus gentiliū. Qua de causa ob Domini gratiā, & vestram liberationē, & Sanctorū emundationē, Domino comite, vita sospite rediens, inprimis dominū Apostolicū requiram; deinde omnes primates Christianorum Reges, Duces, Comites, & Principatū regni tenētes: seruitutis vestræ miseriā, & angustiarū tolerantiā cunctis in-* 40 *sinuās. Iam omnia inter se hæc nuncia æquè videntur vt fiant.* V. Interim tenebris cœlo circumquaq; incumbentibus, *Petrus* orandi causa ad Sanctum Sepulcrū redit: vbi sub vigiliis & orationibus fatigatus, somno decipitur. Cui in visu maiestas Domini IESV oblata est, hominē mortalē & fragilē sic dignata alloqui: *Petre, dilectissime fili Christianorū, surgens visitabis Patriarchā nostrū, & ab eo sumes cū sigillo sanctæ Crucis litteras legationis nostræ: & in terrā cognationis tuæ iter quantocius accelerabis; calumnias & iniurias populo nostro & loco sancto illatas reserabis; & suscitabis corda fideliū ad purganda loca Sancta Ierusalem, & ad restauranda officia sanctorū. Per pericula enim & tentationes varias, paradisi portæ nūc aperiētur vocatis & electis.* VI. Ad hanc itaq; mirā, & dignā Domino reuelationē, subtracta visione, *Petrus* somno expergefactus est. Qui in primo diei crepusculo processit à li- 50 mine Tēpli; Patriarchā petiit, visionē Domini sibi ex ordine aperuit, litteras legationis diuinę cū signo sanctæ Crucis requirit. Quas ille dare nō recusauit, sed cum gratiarum actione accōmodauit. Accepta hinc licentia, in obœdientia legationis ad natales horas regressus est. Nō modica anxietate nauigio per mare regressus, ad ciuitatem *Baram* reuehitur. Vbi terris redditus, Romā sine mora proficiscitur. Ibi reperto *Apostolico*, quā audiuit, & accepit à Deo & Patriarcha, legationē retulit super immundiciis gentiliū, & iniuriis Sanctorum & Peregrinorū. Hæc autem Apostolicus mente voluntaria & intēta vt accepit, in omnibus se promisit mandatis parēre sanctorum precibus. Qua de causa solicitus venit ad ciuitatem *Vercellas*; transactisque Alpibus, conuentum totius Occidentalis Franciæ, & concilium apud *Podium*, ciuitatem sanctæ Mariæ fieri decreuit. deinde ad *Clarum montem* in Ar-

uernis proficiſcitur. Vbi audita legatione diuina & admonitione Apoſtolica, Epiſcopi totius Franciæ, Duces ac Comites, magnique Principes cuiusque ordinis ac gradus, expeditionem ex proprio ſumtu ad ipſum Sepulcrum Domini annuerunt. Ipſo etenim in regno ampliſſimo conſpiratio & coniuratio ſancta huius viæ, datis dextris, inter potentiſſimos exiuit. In quorum affirmatione terræmotus magnus factus eſt, nil aliud portendens, quàm diuerſorum regnorum iter moturas legiones, tam ex regno Franciæ, quàm Lotharingiæ terræ, Teutonicorum ſimul & Anglorum, & ex regione Danorum.

VII. A.D. 1095. Anno Dominicæ incarnationis milleſimo nonageſimo quinto, Indictione quarta, *Henrico* quarto Rege ac tertio Imperatore Romanorum Auguſto, anno regni ſui quadrageſimo tertio, imperii verò decimo tertio; *Vrbano* ſecundo qui & Odardus Apoſtolico, octauo die menſis Martii, *Walterus*, cognomento *Senzauehor*, miles egregius, cum magna ſocietate Francigenarum peditum, ſolummodò octo habens equites, ex admonitione prædicti Petri eremitæ in initio viæ Hieroſolymitanæ intrauit regnum *Vngariæ*. Vbi cognita virtute, & audita animi illius intentione, & cauſa aſſumtæ viæ, à Domino *Kalomano*, rege Chriſtianiſſimo Vngarorum, benignè ſuſceptus eſt; & conceſſus eſt ſibi pacificè tranſitus per vniuerſam terram regni ſui, & emendi licentia. Hic itaque ſine offenſione, & aliquo aduerſo incurſu, vſque ad *Belegrauam*, ciuitatem Bulgarorum, profectus eſt, tranſiens *Maleuillam*, vbi terminantur fines regni Vngarorum. Illic pacificè fluuium *Marok* nauigio traiecit. Sed in eodem loco Maleuillæ ſedecim de comitatu illius remorati ſunt, vt emerent arma, ignorante Waltero, qui iam diu fluuium tranſierat. Vngari verò quidam peruerſæ mentis, videntes procul Walteri abſentiam & illius exercitus, manus ſedecim illis iniecerunt; quos armis, veſtibus, auro & argento ſpoliauerunt: & ſic nudi & vacui abire permiſſi ſunt. Hi verò dolentes, rebus & armis vacui, vſque ad prædictam Belegrauam, quò Walterus cum omni manu ſua extra muros ad hoſpitandum tentoria poſuerat, iter accelerauerunt; omne infortunium, quod eis acciderat, ſibi referentes. Sed Walterus æquo animo, quia reditus ad vindictam tædio erat, accepit. In ipſa denique nocte, qua ſocii nudi & vacui recepti ſunt, Walterus emendi vitæ neceſ-* requiſiuit à Principe Bulgarorum & magiſtratu ciuitatis: qui fraudes & exploratores terræ exiſtimantes, omnia venalia eis interdixerunt. Quapropter Walterus & omnis illius comitatus animo grauiter motus, armenta, boues & oues illorum, quæ per agros ad pabula herbarum emiſſæ, paſſim vagabantur, cœperunt vi rapere & abducere, quo vſque grauis ſeditio inter peregrinos, & Bulgaros, gregem ſuum excutientes, accreſcere cœpit & miſceri armis. Dum tandem virtute Bulgarorum inualeſcente vſque ad centum & quadraginta millia, de peregrino exercitu à multitudine ſocietatis quidam diuiſi, in quoddam Oratorium fugientes deuenerunt. Bulgari verò accreſcente ſuorum manu, & Waltero deficiente, ac cum tota ſocietate diffugium faciente, oratorium obſidentes, ſexaginta ex incluſis combuſſerunt; cæteros, vix ab hoſtibus & oratorio, pro defenſione vitæ, elabentes, plurimos graui vulnere percuſſerunt. Poſt hanc calamitatem & attritionem ſuorum, Walterus, relictis circumquaque ſociis, fugitiuus ſyluas Bulgarorum, per octo dies exuperans, ad ciuitatem ditiſſimam, quæ vocatur *Niczh*, in medio Bulgarorum regno, ſeceſſit. Vbi Duci & principi terræ reperto iniuriam & damnum ſibi illatum referens, iuſtitiam de omnibus clementer ab eo conſecutus eſt; quin & arma & pecuniam illi in reconciliatione largitus eſt: Ac ei conductum Dominus terræ per ciuitates Bulgariæ *Sternitz*, *Phinopolin* atque *Adrianopolin* pacificè dedit, & emendi licentiam, quouſque ad imperatoriam vrbem *Conſtantinopolin*, quæ eſt caput totius regni Græcorum, cum omni manu ſua deſcendit. Vt autem deſcendit, omni inſtantia humilimæ petitionis, qua potuit, ab ipſo Domino Imperatore exorauit, quatenus in regno ſuo pacificè moram obtineret, cum licentia emendi vitę neceſſaria, donec Petrus eremita, cuius admonitione & inſtinctu viam hanc inchoâuerant, ſocius haberetur; & ſic coniunctis millibus ſuis, brachium maris *S. Georgij* nauigio tranſmearet; & ſic tutius Turcis, cunctiſque gentilium cuneis reſiſtere valerent. Quod & actum eſt; & à Domino Imperatore, *Alexio* nomine, benignè de omnibus petenti reſponſum & conceſſum eſt.

VIII. Poſt hæc, nec longi temporis interuallo, *Petrus* prædictus, & exercitus illius copioſus, vt arena maris innumerabilis, qui à diuerſis regnis illi con-

illi coniunctus conuenerat, scilicet *Francigenæ, Sueui, Baioarii, Lotharingi*, continuabat pariter viam Ierusalem. Qui in itinere suo in *Vngariæ* descendens regnum, ante portam *Cyperon* tabernacula sua fixit cum omni exercitu, quem eduxerat. His locatis, protinus regnatori Vngariæ nuncios direxit, quatenus sibi suisque consociis pateret aditus & transitus per medium regni eius. Quod illi concessum est, ea conditione interposita, ne in terra Regis prædam cõtingeret; sed pacificè viam tenerent; omnia verò, quibus indigeret exercitus, sine iurgiis & lite precio mutuarẽt. Petrus ergo auditâ erga se suosq; Regis beneuolentiâ, gauisus est; & pacificè regnũ Vngariæ transiuit, dans & accipiens omnia vsui necessaria in numero, iustitia & mensura: & sic sine turbine vsq; ad *Maleuillam* cum omni legione sua profectus est. Vt autem appropinquauit terminis loci prædicti, fama in auribus suis suorumq; allata est, quomodo Comes regionis illius, nomine *Guz*, vnus de primatibus regis Vngariæ, auaritia corruptus, adunationem armatorum contraxisset militum; & pessimum consiliũ iniisset cum prædicto Duce, *Nichitâ* nomine, principe Bulgarorum & præside ciuitatis *Belegraue:* quatenus & ipse collecta virtute satellitum, anteriores agminis Petri debellaret & occideret; ipse verò postremos insecutione suorum militum detruncaret: vt sic vniuersa spolia tanti exercitus in equis, auro & argento ac vestibus, diriperent & diuiderent. *Petrus* hæc audiens, quia Christiani erant Vngari & Bulgari, omnino de illis tantum facinus credere noluit, quousq; ad Maleuillam venientes, consocii illius arma & spolia sedecim sociorum Walteri, in mœnibus & muris pendentia, aspexerunt, quos paulò antè retardatos Vngari in dolo spoliare præsumserant. Petrus autem hac confratrũ iniuria comperta, visisq; illorum armis & spoliis, socios ad vindictam admonet. Qui fortiter signis cornicinum intonant, erectis signis ad mœnia conuolant, muros grandine sagittarum oppugnant, quos tam incessabili & incredibili densitate oculis in mœnibus assistentium intorquebant, vt nequaquam virtutẽ Gallorum impugnantium Vngari sufferre valentes, à muro declinarent, si fortè intra ciuitatem ante vires illorum remanere valerent. Adhæc *Godefridus* quidam, cognomen habens *Burel, de Stampis* ciuitate ortus, magister & signifer ducentorũ peditũ, qui & ipse pedes erat, fortis viribus, intuens fugam aduersariorum procul à mœnibus, muros scala, quàm fortè ibidem reperit, transuolat. *Reinoldus* de castro *Breis*, eques insignis, opertum habens caput galea, & lorica indutus, pariter mœnia post Godefridum ascendit: donec vniuersi tam equites quàm pedites intrare contendunt. Vngari verò videntes animæ suæ angustias & imminens periculum, ad septem millia conglobantur ad defensionem; ac per aliam portam, quæ respicit ad Orientem, egressi super verticem præcelsæ silicis, quàm præterfluit Danubius, & qua ex parte insuperabile erat munimentum, constiterunt. Quorum plurima pars, quæ præ angusto aditu per portam velociter effugere nequiuerant, ante ipsam ianuam in ore gladii ceciderunt: alii, qui in vertice montis liberari sperabant, ab insequentibus peregrinis trucidati sunt: alii à cacumine montis præcipitati, in ipsius Danubii vndis absorpti sunt: sed plures nauigio elapsi sunt. Ceciderunt illic circiter quatuor millia Vngarorum; Peregrinorum centum tantùm, præter vulneratos ibidem occisi sunt. Hanc Petrus adeptus victoriam, cum vniuersis suis in eodem castello Maleuillæ diebus mansit quinque: propter abundantiam alimentorum, quæ ibi reperit in frumento, gregibus ouium & armentis, & poculorum plenitudine & infinito numero equorum.

IX. Comperta hac victoria & Vngarorum cæde cruenta, & visis ferro cæsis corporibus illorum, quæ plurima extincta atroci vulnere Danubius suis procellis aduexerat *Belegraue*, vbi reflexo alueo iter & cursum continuat, à Maleuilla distans milliari, Dux præfatus *Nichita*, suos conuocat; & consilio ab omnibus accepto, metu concussus, Belegraue Petrum vltrà expectare recusat: sed *Nicht*, spe defensionis aduersus vires Francigenarum Romanorum, & Teutonicorum, quia robore murorum ciuitas hæc munita habebatur, migrare disposuit, secum asportatis vniuersis thesauris Belegraue: conciues verò illius, per syluas & montana & deserta loca cum armentis suis in fugam misit: quousque accersito auxilio Imperatoris Constantinopolitani, sociis Petri resisteret; & vindictam Vngarorum sumeret propter amicitiam & fœdus, quod cum *Guz*, Comite & principe Maleuillæ, percussisset. Transactis ab hinc sex diebus, nuncius quidam de villa aduenarum Francorum Petro celeriter mittitur, qui hanc minarum certam legationem illi indicaret, dicens: *Rex Vngariæ, collecto exercitu vniuersi regni sui,*

in vltionem suorum ad vos descensurus est, de quibus ne vnum quidem certum est ab armis illius euadere: nam dolor occisorum & lamenta, Regem & vniuersos parentes & amicos illorum commouerunt: quapropter quantocius fluuium Maroam superantes, viam vestram hinc maturate. Petrus intelligens iram regis, & illius grauissimam adunationem, cum vniuersis sociis Maleuillam deserens; sed cuncta spolia gregesque ac prædam equorum abducens, *Maroam* transire disposuit. Sed paucas naues, numero tantum centum quinquaginta in toto littore inuenit, quibus tanta multitudo subitò posset transire & euadere, propter timorem Regis in fortitudine graui superuenientis. Vnde quàm plurimi, quibus naues defecerant, iunctura lignorum & copulatione viminum transire certabant. Sed à *Pincenariis*, qui Bulgariam inhabitabant, plurimi in ipsa lignorum & viminum copulatione fluctuantes sine gubernaculo, & à societate interdum diuisi, sagittis confixi interierunt. Videns autem Petrus interitum & submersionem suorum, quæ fiebat, Baioariis, Alemanis cæterisque Teutonicis ex promissione obedientiæ imperauit, vt Francigenis fratribus subuenirent. Qui illico septem ratibus inuecti, septem nauiculas Pincenariorum submerserunt cum inhabitantibus; septem tantùm viuos captiuantes, quos in præsentiam Petri adductos ex præcepto illius trucidauerunt. Hac vltione suorum facta, & Maroa fluuio transito, ingentia & spaciosissima nemora Bulgarorum Petrus ingreditur cum vehiculis cibariorum & omni apparatu, & spoliis Belegraue. Et septem diebus in saltu spaciosissimo expletis, ipse cum suis vrbem *Niczh* muris munitissimam applicuit: vbi flumen quoddam per lapideum pontem ante ciuitatem transeuntes, pratum, viriditate & amplitudine voluptuosum, & ripam fluminis fixis tentoriis occupauerunt.

X. Hospitatis itaque peregrinis legionibus, ex prouidétia Petri & Maiorum consilio fit legatio ad Ducem *Nichitam*, principem Bulgarorum, qui in eadem ciuitate præsens habebatur, quatenus licentiam emendi cibos acciperent. Quod benignè annuit, sub hac tamen conditione, vt obsides ei darentur, ne aliqua iniuria aut vis, sicut Belgraue, à tanta multitudine fieret. *Walterus* filius Waleramni de Bretoil castello, quod est iuxta Beluatium, & *Godefridus Burel* de Stampis, Duci obsides constituti & dati sunt. His missis, & à Duce receptis, omnium rerum sufficientia ad emendum vndique illis concessa est; & non habentibus vnde emerent, plurima largitio eleemosynarum à ciuitate largita est. Hac igitur nocte cum omni tranquillitate peracta, & obsidibus Petro à Principe fideliter restitutis, centum viri Alemanorum propter contentionem vilissimam, cum quodam Bulgaro vespere habitam in venditione & emtione, paulisper subtracti à tergo agminis Petri, septem molendinis, quæ sub prædicto ponte in flumine degebant, ignem submiserunt, & in fauillam redegerunt; quin & domos quasdam, quæ extra vrbem erant, simili incendio in vltionem furoris sui succenderunt. Ciues autem videntes ædificia suorum igne conflagrare, vnanimi conuentu suum Ducem *Nichitam* adeunt, Petrum & vniuersos sequaces illius falsos Christianos asserentes; raptores tantùm esse & non homines pacificos, qui Pincenarios Ducis Belegraue, & Maleuillæ tot Vngaros occiderint; & nunc incendium hoc præsumpserint, nequaquam pro benefacto remunerationem restituentes.

XI. Dux audita hac iniuria & querimonia suorum, præcepit, vt vniuersi ad arma contenderent cum omni equitatu, quem illic adunauerat, cognita inuasione Maleuillæ; & absque mora vt peregrinos insequerentur, in caput eorum reddentes vniuersa mala, quæ sibi illata sint. Ad hoc denique Ducis imperium Bulgari, Comanitæ, Vngari plurimi cum Pincenariis, qui conuentione solidorum ad vrbis defensionem conuenerant, arcus corneos & osseos arripiunt, loricas induunt; & vexillis hastæ innexis, Petrum cum exercitu suo securè gradientem insequuntur; ac tardos & extremos exercitus detruncare & transfigere non parcentes, currus & plaustra lento gressu subsequentia retinuerunt, matronas, puellas, pueros teneros abducentes, qui exules & captiui in terra Bulgariæ vsque in præsentem diem cum vniuersis rebus & armentis inuenti sunt. Protinus in hac repentina Peregrinorum disturbatione & occisione, quidam *Lambertus* nomine, velocitate equi elapsus, ad Petrum peruenit: cui rem hanc ignoranti, & omnia quæ acciderant, retulit; & quomodo hæc initia malorum & dolorum ab Alemanis extiterint propter incendium, quod fecerant. Petrus verò milliari remotus hæc omnia ignorabat: qui ad hæc verba nuncii grauiter turbatus, conuocat sapientiores & magis sensatos de exercitu, quibus sic loquitur, dicens:

Grauis

Graue & durum nobis infortunium, ex furore insipientiũ Teutonicorũ ortum, imminet. Nostri quàm plurimi cum ipsis Alemanis, à Duce Nichita & suo satellitio, in arcu & gladio ceciderunt, in vltione incendii, quod me prorsus latebat: nostra autem plaustra omnia, cum opibus & armentis retenta sunt. Nihil aliud super his video vtilius, quàm vt obuiam Duci redeamus, pacem cum illo componamus: quia iniustè nostri cum eo egerunt, cùm omnia nobis necessaria pacificè ciues sui subministrauerint. Ad hanc vocẽ & sententiã Petri repetito itinere, exercitus reuersus est ad ipsam ciuitatem *Niczh*, & in prato præfato tentoria sua relocauerunt, vt excusaret se Petrus & vniuersam legionem, quæ præcesserat: vt sic mitigato Duce, captiuos suos & plaustra recuperarent. In hac itaque intentione & consilio Petrus cum prudentioribus dum satageret, & verbis cautis excusationem suam ordinaret, mille insensatorum hominum iuuentus, nimiæ leuitatis & duræ ceruicis, gens indomita & effrenis, sine causa, sine ratione, trans prædictum pontem lapideum ad mœnia & portam ciuitatis in graui assultu vadunt: quibus mille eiusdem leuitatis iuuentus, trans vada & ipsum pontem concurrentes, ingenti vociferatione & furore in auxilium iunguntur, Petrum ductorem suum hæc prohibentem, & pacem fieri volentem, cum omnibus sensatis audire recusantes. In hac igitur dissensione grauissima discordantium legionum, totus cum Petro, hanc seditionem prohibente, præter hæc duo millia, remansit exercitus, qui nullo modo ad opem his se contulerunt. *Bulgari* videntes hoc schisma in populo, & facilè hæc duo millia posse superari, è duabus eruperunt portis in sagittis & lanceis & graui vulnere; & sic in virtute magna oppressos vniuersos in fugam verterunt. Quorum viginti à ponte corruentes, vndis immersi ac suffocati sunt: Alii verò in latere pontis trecenti, ad vada incognita fugam inierunt, quorum alii armis, alii vndis perierunt. Tandem qui in altera parte fluuii ab hac insania reuocati cum Petro in viridario remanserant, videntes quia sui tam sæuo martyrio consumebantur, non vltrà se potuerunt continere ab auxilio; sed induti loricis & galeis, nolente volente Petro, ad ipsum pontem conuolant. In quo crudeliter hinc & hinc bellum exoritur, in sagittis, gladiis & lanceis. Sed à Bulgaris vado & ponte præuento, nequaquam transire potuerunt, sed fortiter in fugam remissi sunt. Petrus visa hac suorum contritione & fuga, legationem per quendam Bulgarum, qui Sanctam Viam decreuerat in Ierusalem, Duci præfato misit, quatenus colloquium secum paulisper habere dignaretur, & pacem in Domini nomine vtrinque componerent. Quod & actum est.

XIII. Pace hac diuulgata in populo Petri, & turbine sedato, quousq; omnia redirent in concordiam, pedestre vulgus rebelle & incorrigibile, currus & plaustra reparans & onerans, viam instabant. Quibus *Petrus, Folckerus, Reinoldus* interdicentes, donec viderent, si colloquium procederet in concordiam, nequaquam insensatos & rebelles ab incepto auertere poterant. Ciues autem videntes, quia Petrus & Maiores exercitus obstaculo viæ euntibus erant, & plaustris ac curribus obstabant, arbitrati sunt, quòd cum vulgo fugam aptassent. Quapropter à porta vrbis exilientes cum militibus Ducis, insecuti sunt eos in manu forti; & ad duo milliaria grauis occisio & captiuatio facta est ab his retardati exercitus. Plaustrum, super quod erat scrinium Petri plenum innumerabilis auri & argenti, captum & retentum est, & ad *Niczh* vrbi cum captiuatis reductum, & in ærario Ducis repositum: cætera spolia militibus diuisa sunt: viri sine numero cæsi sunt; pueri cum matribus abducti, mulieres nuptæ & innuptæ, quarum ignoratur numerus. Petrus verò & omnis manus illius quæ euadere potuit, per opacum & spaciosum nemus, pars per abrupta montium, pars per deserta loca dispersi, vt oues à lupis fugam maturabant. Tandem Petrus, *Reinoldus de Breis*, *Walterus* filius Waleramni de Bretoil, *Godefridus Burel, Folkerus Aurelianensis*, omnes hi cum quingentis solummodò post hanc fugam in vertice cuiusdam montis casu conuenerunt. Nec enim de quadraginta millibus plures remansisse visi sunt. Tunc verò Petrus considerans, quia gens & exercitus eius grauiter imminutus est, anxiè in diuersa meditatur; & vehementi suspirio dolet dissipatas legiones, & tot millia suorum cecidisse; Bulgarorum autem vnum solummodò perisse miratus, si adhuc quispiam de quadraginta millibus profugis ac dispersis viueret. Vnde ex ipsius sententia & visione hi, qui secum in montis cacumine constiterant fugientes, signis & cornibus perstrepunt, vt Peregrini, quacunque dispersi essent per montes & syluas ac loca deserta, audito signo Petri suorumque, in vnum reuertentes coadunarentur; & iter, quod cœperant, iterarent. Nec primum dies inclinata fuit, quòd audito signo ad septem millia collecta sunt. Sic

adunati, & à dispersione reuersi, viæ iteratò insistunt, & ad ciuitatem quandam rebus vacuam & ciuibus, applicuerunt: vbi castra figentes, socios profugos ac dispersos præstolati sunt. Sed minimè alimenta in locis desertis reperire aut inuestigare potuerunt, nimiam ibi tolerantes penuriam: quia plaustra & currus, frumentum, hordeum, carnesque ferentes ad edendum, supra duo millia amiserant, neminem videntem aut aliquid offerentem inuenientes. In mense itaque Iulio hæc aduersa illis contigerant, quando hac in regione frumenta & segetes maturæ iam ad messem flauescunt. Angustiato itaque fame populo, visum est viris consilio cautissimis, vt segetes maturas repertas in campestribus desertæ & vacuæ ciuitatis igne torrerent; & torrida grana excuterent, quibus populus ieiunus sustentari posset. Hoc etenim sustentaculo annonæ tribus diebus vixit populus: quousque profugi & dispersi ad triginta millia readunati sunt, præter decem millia quæ perierant.

XIV. Interea nuncii Ducis ad Dominum *Imperatorem* Constantinopolin præcesserunt, qui sibi vniuersa in malo de actibus & infortunio retulerunt: nempe qualiter exercitus Vngaros Maleuillæ occiderit; & quomodo ad ciuitatem *Niczh* veniens, pro benefactis mala ciuibus reddiderit, sed non tamen hoc impunè præsumserit. Imperator hæc audiens, Petro legatos dirigit, qui Petrum, vacua & deserta ciuitate relicta, in vrbem *Sternitz* cum omni comitatu suo profectum reppererunt, ex edicto Imperatoris hæc illi nuncia ferentes: *Petre, Domino Imperatori graues de te tuisque querimoniæ allatæ sunt, eò quòd in regno ipsius prædam & seditionem tuus fecerit exercitus. Quapropter ex Imperio ipsius interdicitur tibi, ne vltra tres dies moram facias in aliqua regni sui ciuitate, donec vrbem Constantinopolin ingrediaris. Ciuitatibus autem omnibus, per quas transiturus es, ex Imperatoria iussione præcipimus, vt pacificè tibi omnia tuisque vendant; & quia Christianus es, Christianique tui consocii, non vltrà iter tuum impediant. Et quicquid in superbia & furore satellites tui aduersus Ducem Nichitam deliquerunt, prorsus tibi remittit: scit enim, quòd pro hac iniuria grauiter pœnas exoluisti.* Petrus hac audita Domini Imperatoris legatione pacifica, non modicùm gauisus, & præ gaudio lachrymatus; gratias DEO retulit, qui post nimiam & seueram correptionem, nec immeritam, sibi suisque dedit gratiam in conspectu tam magnifici & nominatissimi Imperatoris.

XV. Igitur mandatis illius obediens, à Sternitz ciuitate processit; & ad vrbem *Phinopolin* cum omni populo suo secessit. Vbi vniuerso casu & infortunio suo recitato in audientia omnium Græcorum ciuium, plurima Byzantiorum, argenti, equorum & mulorum munera suscepit pro nomine IESV & timore DEI, omnibus super eum misericordia motis. Deinde post tertiam lucem hilaris & lætus in largitate rerum necessariarum migrans, *Adrianopolin* secessit. Vbi duobus solummodò diebus hospitio remoratus extra muros vrbis, tertia luce exorta inde recessit. Nam secunda legatio Imperatoris solicitabat eum, vt Constantinopolin maturaret iter: quia feruebat Imperator desiderio videndi eundem Petrum propter famam, quam de illo audierat. Vt autem ventum est *Constantinopolin*, exercitus Petri iussus est procul à ciuitate hospitari, quibus emendi licentia pleniter concessa est.

XVI. *Petrus* verò staturâ pusillus, sed sermone & corde magnus, in præsentiam Imperatoris cum solo *Folkero* introducitur à legatis ipsius Imperatoris, vt videret, si esset, sicut de illo fama erat. Petrus verò introiens ad Imperatorem confidenter, in nomine Domini IESV CHRISTI salutauit; & quia in ipsius CHRISTI amore & gratia ad visitandum *Sanctum* eius *Sepulchrum* ex patria sua secesserit, recitat per singula; & aduersitates, quas iam in breui pertulerit, commemorat; viros potentissimos, Comites & Duces nobilissimos, se post modicum subsecuturos denunciat, qui causa visendi Dominicum Sepulchrum, ardentissimo desiderio pariter viam insistere Ierusalem decreuerint. *Imperator* autem viso Petro, & animi illius intentione ex ipsius verbis cognita, quid velit aut quid de suo cupiat, requirit. Qui vt misericorditer accipiat precatur, vnde sustentationem vitæ cum suis habeat, asserens quanta & quàm innumerabilia bona ex imprudentia & rebellione suorum amiserit. Imperator hac Petri humilitate audita, motus misericordia, ducentos *Byzantios* aureos sibi dari iussit; de moneta verò, quæ dicitur *Tartaron*, modium vnum exercitui illius erogauit. Post hæc Petrus à colloquio & palatio Imperatoris regressus, & benignè ab eo commendatus, solummodo quinque diebus requieuit in campis & prædio ad Constantinopolin: vbi simul *Walterus Senzauehor* sua locauit tentoria, socius factus ab ipso die & deinceps, admixtis copiis, armis, & vniuersis vsui necessariis. Deinde diebus quinque completis, tentoria sua

sua amouentes, *Brachium* maris *S. Georgii* nauigio & auxilio Imperatoris superant; & terminos Cappadociæ intrantes, per montana ingressi sunt *Nicomediam*, ibidem pernoctantes. Et post hæc ad portum, qui vocatur *Ciuitot*, castra metati sunt. Illuc assiduè mercatores admouebant naues onustas cibariis vini, frumenti, olei & hordei caseorumque abundantia, vendentes omnia Peregrinis in æquitate & mensura. In hac itaque necessariorum plenitudine gaudentibus, & corpora fessa curantibus, assunt nuncii Christianissimi Imperatoris, qui Petro exercituique eius interdixerunt iter versus montana *Nicææ* vrbis, propter insidias & incursus Turcorum, donec amplior numerus affuturorum Christianorum illis accresceret. Petrus verò audiens, legationi & consilio Imperatoris acquieuit, [illegible] vniuersus populus Christianorum. Et curriculo duorum mensium illic in pace & lætitia epulati, moram fecerunt, securè ab omni hostili impetu dormientes.

XVII. Post duos itaque menses, lasciui & effrenes facti præ ocio & inæstimabili copia ciborum, vocem Petri non audientes, sed contra voluntatem illius, in terram *Nicææ* vrbis & regni Solymani, ducis Turcorum, per montana ingressi sunt, deprædati armenta, boues, oues, hircos, greges Græcorum Turcis famulantium, & ad socios deferentes. Petrus hæc intuens, tristi animo accepit, sciens, quia non impunè ferrent: vnde sæpius admonuit, ne vlterius prædam hanc iuxta consilium Imperatoris contingerent: sed frustra insipienti & rebelli populo locutus est. His itaque prosperè succedentibus, & nullam adhuc prædarum excussionem metuentibus, visum est animosis & ventosis iuuenibus, quatenus assumta manu de exercitu, prædam in pratis & pascuis ante muros ciuitatis Nicææ in conspectu Turcorum raperent & abducerent. Quapropter ad septem millia peditũ conglobati, cum equitibus tantum trecentis loricatis, in vexillorum suorum eleuatione & tumultu nimio profecti, sexcentos boues cum cæteris pecoribus à pratis Nicææ vrbis abduxerunt; & ad tabernacula Petri remeantes, plenum & pingue fecerunt conuiuium: plurimum verò gregis vendiderunt Græcis & nautis Imperatori subditis. Videntes autem Teutonici, quia *Romanis Francigenis* res prosperè successit, & quòd sine impedimento [illegible] cum præda sua reuerti sunt, accensi & ipsi rapinarum auaritia, ad tria millia in vnum conferuntur peditum, equites ducenti tantùm: & in signis ostreis & purpureis semitam per eadem montana ingressi, ad castellum quoddam Solymani, viri magnifici, ducis & principis Turcorum, peruenerunt, vbi montana terminantur & sylua, distans à Nicæa spacio trium milliarium. Aggressi sunt autem omni virtute armorum & fremitu bellico præfatum castellum, quousque habitatores illius expugnatos percusserunt in ore gladii, Græcis Christianis solummodò parcentes: cæteri omnes in ipso præsidio inuenti, aut cæsi aut eiecti sunt. Expugnato itaque præsidio, & habitatoribus eius expulsis, in abundantia alimentorum illic reperta lætati sunt. Et victoria hac iocundati, consilium inuicem dederunt, vt in præsidio hoc remanentes, terras Solymani & principatum eius facilè in virtute [illegible] obtinerent; prædas & escas vndique comportarent, & securè Solymanum de[illegible], quousque magnorum principum promissus exercitus propinquaret.

XVIII. Solymanus autem, Dux & Princeps exercitus Turcorum, aduentu Christianorum audito, tum præda & rapinis, suorum quindecim millia ab omni Romania & regno Corrozan contraxit, viros peritissimos belli in arcu corneo & osseo, & sagittarios agilimos. Quibus congregatis, post duos dies Teutonicorum victoriæ, ad vrbem Nicæam reuertitur de terra longinqua cum adunatione validissima: vbi amplior ira & dolor illi auctus est ex fama Alemanorũ & inuasione præsidii, quod [illegible], & strage ac eiectione virorum suorum. Deinde tertiæ diei sole orto, Solymanus cum omni comitatu suo castra metatus, à Nicæa, præsidio, quod Teutonici [illegible] ferant, applicuit. Quod signiferi illius in virtute sagittariorum fortiter [illegible], Teutonicos in mœnibus atrociter resistentes sagittis crudeliter infigunt [illegible] gant, quousque ad defensionem vltrà stare non valentes, à muro & mœnibus [illegible] immoderato grandine sagittarum retrusi sunt, infra præsidium protectionem [illegible] ulis nudi & angustiati quærentes. Turci verò videntes, quia Alemanos à [illegible] mœnibus represserant, trans muros & mœnia transcendere parant. Sed Alemani, qui infra præsidium erant, vitæ solliciti & studiosi, penetrare volentibus lanceas opponebant; alii gladiis & bipennibus in faciem illis resistebant; quousque [illegible] vltrà conscendere ausi sunt. Turci igitur hac sagittarum impugnatione, & nimio grandine Alemanos absterrere non valentes, comportauerunt o-

mnia lignorum genera ad ipsam ianuam præsidii: Quæ igne submisso combusta est, & plurima ædificia, quæ erant in arce, donec flamma & calore inualescente, alii exusti sunt, alii à muris salutem sperantes desiliunt. Sed Turci, qui foris erant, exeuntes & fugientes ense trucidabant: alios, vultu & corpore iuuenili venustos, circiter ducentos abduxerunt captiuos; cæteri omnes gladio & sagitta consumti

XIX. sunt. Vltione hac graui *Solymano* cum suis & cum Alemanis captiuis regresso, fama tam crudelissimæ necis Teutonicorum perlata est in castris *Petri*. Vnde animi & corda cunctorum, vehementi consternata sunt dolore super interitu confratrum suorum. Hoc ergo infortunio suorum moti, sæpius consiliis inter se vtuntur, vtrum recenter in vltionem illorum insurgerent, an Petrum operirentur. Ante hos enim dies Petrus Constantinopolin ad Imperatorem migrauerat, pro exercitu suo rogaturus, vt illis venditionem necessariorum alleuiaret. Consilium autem inter se habentibus, *Walterus Senzauehor* omnino se in vltionem fratrum ire contradixit, donec euentus rei planus innotesceret, & præsentia Petri adesset, cuius consilio omnia acturi essent. Hoc consilio Walteri sedatus est populus octo diebus, præstolans aduentum Petri. Sed nequaquam adhuc potuit ab Imperatore redeundi licentiam habere. Octauo dehinc die Turci viri militares, & arte belli illustres, surrexerunt ab vrbe *Nicæa*, numero centum, regionem & vrbes in montanis sitas perlustrantes, scire & intelligere volentes de præda & rapinis, quas Galli adduxerant. Ibi ipsa die plurimos peregrinos, hac & illac vagantes, diuersis in locis, interdum decem, interdum quindecim, aut eo amplius, decollasse perhibentur. Hoc denique rumore in castris Petri rursus ventilato, scilicet Turcos adesse, & suos circumuagos decollasse, omnino excusant credere, tam longè eos à Nicæa descendisse. Sed tamen aliqui consilium dederunt, vt eos persequerentur, si

XX. adhuc in finibus illis reperiri possent. Interea veritate comperta, exoritur tumultus in populo; & vnanimiter pedites conueniunt *Reinoldum de Breus*, *Walterum Senzauehor*, *Walterum* quoque *de Bretoil* & *Folckerum Aureliensem*, qui erant principes exercitus Petri: quatenus ad vindictam fratrum consurgerent aduersus Turcorum audaciam. Sed hi prorsus ituros se negant, donec Petri præsentiam & consilium haberent. *Godefridus* autem *Burel*, magister peditum, illorum responsis auditis; timidos minimè in bello valere tam egregios milites asserens, sæpius sermone aspero improperabat viris his, qui Turcos persequi in vltionem fratrum cæteros socios prohiberent. E contrà primores legionis contumelias & improperia illius suorumque sequacium vltrà ferre non valentes, ira & indignatione grauiter moti, ituros se pollicentur aduersus Turcorum vires & insidias, etiamsi mori contingat illos in prælio. Nec morâ, surgente primo diluculo quartæ diei, per vniuersa castra iubentur armari vniuersi equites & pedites, & signis cornicinum intonare, & bellum congregari. Soli inermes & infirmi cum fœmineo sexu innumerabiles in castris relicti sunt. Armati verò, & vniuersi congregati ad vigintiquinque millia peditum & quingentos equites loricatos, viam insistunt ad vrbem Nicæam, vt Ducem Solymanum & cæteros Turcos, bello lacessentes, in vltionem confratrum cum eis prælium committerent. In sex acies itaque diuisi & ordinati, & quibusque vexillis attitulati, in dextro & in sinistro incedebant. Vix tria milliaria à portu & statione *Ciuitot* processerant, absente, & omnia ignorante Petro, per prædictam syluam & montana in vociferatione & tumultu vehementi gloriantes & intonantes, & ecce *Solymanus* cum omni comitatu suo intolerabili eandem syluam ex fronte altera intrauerat, à Nicæa vrbe descendens, vt repentino tumultu Gallos in castris incurreret; & nescios ac improuisos in ore gladii vniuersos consumeret atque deleret. Hic audito aduentu & vehementi strepitu Christianorum, miratur nimium, quidnam tumultus is voluerit: nam latebant eum vniuersa, quæ Christiani decreuerant. Statimq; peregrinos adesse intelligens, suos sic alloquitur: *Ecce Franci, ad quos tendimus, assunt. Certum autem sit vobis, quia aduersum nos pugnaturi veniunt. Sed quantocius à sylua & montanis recedamus in apertam camporum planiciem, vbi liberè cum eis prælia conseramus, & nullum inuenire possint refugium.* Quod ita ad vocem Solymani a-

XXI. ctum est, & in silentio magno à syluis & montanis egressi sunt. Francigenæ autem, Solymani ignorantes aduentum, à syluis & montanis in clamore & alta vociferatione procedebant, tunc primùm Solymani acies mediis campis intuentes, & eos ad prælium operientes. Quibus visis, inuicem se confortare in nomine Domini cœperunt; duasque acies præmittunt, quæ quingentos equites habebant.

Solyma-

Solymanus autem duas acies præmissas intuens, frena sine tardatione laxat equi; laxantque sui; & inaudita atque intolerabili vociferatione reddunt attonitos & stupefactos milites catholicos. Dehinc sagittarum grandine per medias irruunt acies, quæ grauiter attritæ & dissipatæ, à subsequente sua multitudine diuisæ sunt. Audita hac armorum concussione, & vociferatium Turcorum crudeli insecutione, postremi exercitus, qui nondum à sylua processerant, in vnum conglobantur in angusta semita, per quam venerant, ad resistendum & prohibendum semitæ angustiam & montana: Prædictæ verò acies, per quas Turci à societate diuisas irrupetant, ad syluam & montana reditum non habentes, versus *Nicæam* iter arripiunt. De qua extemplo reuersi, fortiter inclamantes per medios Turcos reuolant: & sesetam equites quàm pedites inuicem commonentes, ducentos milites Turcorum in momento peremerunt. *Turci* autem videntes quia virtus equitum præualuisset in concertatione suorum, equos eorum transmissis sagittis vulnerant; & sic in pedibus fortissimos athletas CHRISTI reddunt. Vbi *Walterus Senzauehor* trans loricam & præcordia septem sagittis infixus occubuit, *Reinoldus de Breis* & *Fulcherus Carnutensis*, viri nominatissimi in terra sua, simili martyrio ab hostibus cõsumti ceciderunt; sed non sine magna strage Turcorum. *Walterus* verò de *Bretoil*, filius Waleramni, & *Godefridus Burel*, magister peditum, inter vepres & dumeta fuga elapsi, per angustam semitam, qua tota manus subtracta à prælio, & in vnum collecta habebatur, reuersi sunt. Quorum fuga ac desolatione cognita, vniuersi in fugam versi sunt, accelerantes iter versus *Ciuitot*, eadem via qua venerant, parum se defendentes ab hostibus. Turci itaque gaudentes prospero successu victoriæ, detruncabant miseram manum Peregrinorum, quos spacio trium milliarium cædendo vsque ad tentoria Petri persecuti sunt. Tentoria verò intrantes, quotquot repererunt languidos ac debiles, clericos, Monachos, mulieres grandæuas, pue[illegible] sugentes, omnemque ætatem gladio extinxerunt; solummodo puellas teneras & moniales, quarum facies & forma oculis eorum placere videbatur, iuuenesque imberbes & vultu venustos abduxerunt; pecuniam, vestes, mulos, equos & omnia pretiosiora cum ipsis tentoriis *Nicæam* asportârunt. Est autem supra littus maris [illegible] prædictum Ciuitot, præsidium quoddam antiquum & desertum, ad quod [illegible] millia Peregrinorum fugam arripientes, ingressi sunt dirutum præsidium pro [illegible] defensionis. Sed portas & obstacula nulla reperientes, clypeos pro porta, sic[illegible] & auxilio destituti, cum ingenti mole saxorum ostio aduoluerunt, lanceis [illegible] & arcu ligneo & missilibus saxis viriliter pro vitæ necessitate se defendentes ab hostibus. *Turci* verò videntes se parum proficere in cæde inclusorum, vndique cinxerunt præsidium, quod erat sine tecto, sagittas in altum intorquentes, vt ab æthere reuertentes in verticem, & in corpora inclusorum corruentes, misellos [illegible]guerent; cæterique hoc viso in deditionem cogerentur. Plurimi sic læsi & [illegible] illic fuisse referuntur: sed crudeliorem ab impiis pœnam metuentes, non [illegible] non vi exire coacti sunt. XXIII. Iam sol mediam diem peregerat, quando hæc [illegible] millia præsidium ingressa à Turcis obsessi sunt. Sed fortiter pro vitæ necessitate se defendentes, nullo tamen ingenio, aut in ipsius noctis vmbra ab hoc præsidio potuerunt diuelli: donec nuncius quidam Græcus fidelis & catholicus, noctu nauigio mare transiens, Petro, in ciuitate regia reperto, omnia pericula eorum [illegible], & cæterorum casum & consumtionem. *Petrus* agnito periculo suorum [illegible] infortunio consumtorum, lugens ac dolens, Imperatorem humiliter deprecatur quatenus misellis peregrinis paucis, tot millium reliquiis, in nomine IESV [CHRI]STI subueniat; & non à tantis carnificibus desolatos & anxiatos consumi [illegible]. Imperator audito Petro de casu & obsidione suorum, motus est miseri[illegible] & vndique *Turcopolis* accitis, & cunctis nationibus regni sui, præcepit sub [illegible] festinatione trans brachium maris fugitiuis & obsessis Christianis subuenire, [illegible] ab obsidione expugnatos effugare. Turci autem Imperatoris edicto [illegible] media nocte cum captiuis Christianis & spoliis plurimis à præsidio se mouerunt, & sic inclusi & obsessi peregrini milites ab impiis liberati sunt.

XXIV. Non multo temporis interuallo post Petri transitum, quidam presbyter *Godeschalcus* nomine, Teutonicus natione, incola fluminis Rheni, eiusdem viæ in Ierusalem amore & desiderio succensus ex Petri admonitione, plurimorum corda ex diuersis nationibus ad instandum pariter viam suo excitauit sermone; & ex diuersis regionibus Lotharingiæ, Orientalis Franciæ, Bauariæ, Alemaniæ supra

R

quindecim millia contraxit, tam militaris quàm pedestris vulgi, qui pecuniâ ineffabili cum cæteris rebus necessariis collectâ, iter suum pacificè vsque in regnum *Vngariæ* continuasse perhibentur. Ad portam verò *Meseburg* & eius præsidium, gratia regis Kalomani venientes, honorificè introducti sunt. Quibus etiam concessa est licentia emendi vitæ necessaria; & pax vtrinque indicta ex præcepto regis, ne qua seditio à tanto exercitu oriretur. Sed dum per aliquot dies moram illic facerent, & vagari cœpissent; *Bauari* verò & *Suevi*, gens animosa, & cæteri fatui modum potandi excederent, pacem indictam violant, Vngaris vinum, hordeum & cætera necessaria paulatim auferentes; ad vltimum oues & boues per agros rapientes occiderunt; resistentes quoque & excutere volentes peremerunt; cæteraque plurima flagitia, quæ omnia referre nequimus, perpetrârunt, sicut gens rustica-no more insulsa, indisciplinata, & indomita. Iuuenem quendam Vngarum, vt aiunt qui præsentes fuerunt, pro vilissima cōtentione palo per secreta naturæ transfixerunt in fori platea. Cuius rei, & cæterarum iniuriarum querimonia, vsque ad aures Regis suorumque principum perlata est. XXV. Rex hac inquietatus infamia, totaque illius domo turbata, præcepit satellitibus suis se armare, & signo totam *Vngariam* in vltionem huius facinoris cæterarumque contumeliarum commoueri, & nulli peregrinorum parcere: eò quòd fœdam rem perpetrassent. Mox exercitus *Godescalci* tam crudele mandatum Regis ad internecionem eorum intelligentes, signis intonuerunt per vniuersas societates, & in campo *Belegraue* secus oratorium S. Martini conglobati sunt. Nec morâ, regia virtus totius regni Vngariæ in armis affuit, vt populum conglobatum disturbaret. Sed fortiter resistentes, sicut anxios & vitæ sollicitos, in gladiis & lanceis & sagittis Teutonicos repererunt. Quapropter & ipsi minus eos aggredi ausi sunt. Vt ergo viderunt, quia illis res erat pro anima, & non sine inæstimabili damno cum Gallis committere possent, blandè eis in dolo locuti sunt in hunc modum: *Peruenit querimonia ad Dominum nostrum Regem de iniuriis, quas regno suo intulistis. Sed arbitratur vos non omnes huius facinoris reos: eò quòd plurimi inter vos sensati habeantur, & non minus vos molestauerit pax violata, quàm ipsum Regem & suos. Vnde, si Domino Regi satisfacere vultis, & principes terræ placare, oportet & necesse est, vt omnia arma vestra in manum Domini Regis reddatis, & ex consilio nostro pacificos vos exhibeatis; in ditionem verò Regis cum omni pecunia, quam habetis, intrantes, iram eius mitigetis, & sic gratiam in oculis eius inueniatis. Sin autem aliud egeritis, nec vnus quidem vestrum ante faciem eius suorumque viuere poterit: quia contumeliam & iniuriam nimiam in regno eius exercuistis.* Godescalcus igitur & cæteri viri sensati hoc audientes, & puram fidem ex his credentes verbis, & quia Vngari Christianæ erant professionis, vniuerso cœtui consilium dederunt, quatenus iuxta hunc sermonem ad satisfaciendum Regi arma redderent: & sic omnia in pacem & concordiam redirent. Acquieuerunt vniuersi huic consilio, & loricas, galeas & omnia arma totamque pecuniam, (stipendium vitæ suæ scilicet in Ierusalem) in manus magistratus Regis reddiderunt; ac humiles & tremefacti colla sua Regi subdiderunt, totius misericordiæ & humanitatis certi erga Regem consequendæ. Ministri verò Regis & milites vniuersa arma palatio Regis intulerunt in conclaui; pecuniam & cætera preciosiora, quæ tantus congesserat exercitus, in ærarium Regis deputauerunt. Sic armis vniuersorum in conclaui repositis, omnem clementiam, quam policiti sunt Regem in populo habiturum, mentiti sunt: quin potius crudeli strage irruentes in eos, inermes ac nudos detruncabant; ac cædem immanissimam in eos exercebant: adeò vt sicut hi pro vero affirmant, qui præsentes vix euaserunt, extinctis & occisis corporibus & sanguine tota planicies Belegraue occuparetur, & pauci ab hoc martyrio liberarentur. XXVI. Eodem anno, æstatis tempore inchoante, quo Petrus & Godescalcus congregato exercitu præcesserant, postmodum ex diuersis regnis & terris: scilicet è regno Franciæ, Angliæ, Flandriæ, Lotharingiæ, gens copiosa & innumerabilis Christianorum, igne diuini amoris flagrans, & Crucis signo suscepto, vndique incessanter per turmas suas confluebant cum omni suppellectile & substantia rerum & instrumentis armorum, quibus Ierusalem proficiscentes indigebant. His itaque per turmas ex diuersis regnis & ciuitatibus in vnum collectis, sed nequaquam ab illicitis & fornicariis commixtionibus auersis, immoderata erat commessatio; cum mulieribus & cum puellis sub eiusdem leuitatis intentione egressis, assidua delectatio; & in omni temeritate sub huius viæ occasione gloriatio.

Vnde

Vnde, nescio si vel Domini iudicio, aut aliquo animi errore, spiritu crudelitatis aduersus Iudæorum populum surrexerunt per quascunque ciuitates dispersum; & crudelissimam in eos exercuerunt necem, & præcipuè in regno Lotharingiæ, asserentes, adesse principium expeditionis suæ & obsequii contra hostes fidei Christianæ. Hæc strages *Iudæorum* primùm in ciuitate Coloniensi à ciuibus acta est: qui subitò irruentes in modicam manum illorum, plurimos graui vulnere detruncauerunt; domos & synagogas eorum subuerterunt, plurimum pecuniæ inter se diuidentes. Hac ergo crudelitate visa, circiter ducenti in silentio noctis *Nussiam* nauigio fugam inierunt, quos Peregrini & cruce signati comperientes, nec vnum quidē viuum reliquerunt, sed simili mulctatos strage rebus omnibus spoliauerunt.

Nec mora, post hæc viam insistētes, sicut deuouerant, in multitudine graui *Moguntiam* peruenerunt. Vbi Comes *Emicho*, vir nobilissimus, & in hac regione potentissimus, cum nimia Teutonicorum manu præstolabatur aduentum Peregrinorum, de diuersis locis regia via illic confluentium. Iudæi verò ciuitatis illius intelligentes necem confratrum suorum, nec manus tantorum se posse euadere, ad Episcopum *Rothardum* spe salutis confugiunt, thesauros infinitos in custodiam & fidem illius reponentes; multumque de protectione eius, quia ciuitatis eiusdem erat Episcopus, confidentes. Hic autem summus Sacerdos ciuitatis pecuniam inauditam ab eis receptam cautè reposuit; Iudæos in spaciosissimo domus suæ solario à specie Comitis Emichonis & eius sequacium constituit, vt illic in tutissimo ac firmissimo habitaculo salui & sani remanerent. Verùm Emicho & cætera manus habito consilio, orto sole diei in sagittis & lanceis in solario Iudæos assiliunt; quos, fractis seris & ianuis, expugnatos ad septingentos peremerunt, frustrà resistentes contra tot millium vires & assultus: mulieres pariter trucidauerunt; pueros teneros cuiusque ætatis & sexus in ore gladii percusserunt. Iudæi verò videntes Christianos hostes in se suosque paruulos insurgere, & nulli ætati parcere, ipsi quoque in se suosque confratres, natosque, mulieres, matres & sorores irruerunt, & mutua cæde peremerunt. Matres pueris lactentibus, quod dictu nefas est, guttura ferro secabant, alios transforabant, volentes sic potius manibus propriis perire, quàm incircumcisorum armis extingui. Hac Iudæorum cæde tam crudeliter peracta, paucisq; elapsis; & paucis timore potius mortis quàm amore Christianæ professionis baptizatis, cum plurimis illorum spoliis Comes *Emicho, Clareboldus de Vinduil, Thomas,* & omnis illa intolerabilis societas virorum ac mulierum viam Ierusalem continuârunt, tendentes versus regnum Vngariæ, vbi transitus regia via vniuersis Peregrinis minimè negari solebat. Sed his ad præsidium Regis *Meseburg* venientibus, quod fluuii, *Danubius* & *Lintax*, paludibus firmant, pons & porta præsidii clausa reperitur, ex præcepto Regis Vngariæ: quia timor magnus inuaserat vniuersos Vngaros pro cæde, quam exercuerant in confratres eorum: & adhuc fœtebant corpora occisorum, cùm tantus subsecutus est exercitus: Erant enim ducenta millia equitum & peditum; sed equitum vix ad tria millia computabatur numerus. Clausa itaque ianua, & vniuersis transitu per regnum negato, locauerunt castra per camporum planiciem; & nuncios Regi dirigentes, pacemq; quærentes, minimè in pace & promissione sua auditi sunt. Hinc Emicho, Thomas, Clareboldus, viri militari actione illustres, cum cautioribus ineunt consilium: vt Regis terras ex hac parte iacentes vastarent, nec hinc recederent, donec trans paludem & fluuium Lintax pons locaretur, per quem muro præsidii aliqua arte appropinquantes transforarent, vt vel sic transitus in virtute sua pateret. Qui diebus multis à medio mensis Iunii ante præsidium residentes, & pontem componentes, sæpius inclusos expugnabant: defensores verò præsidii fortiter resistentes hinc & hinc iacula intorquebant, & plurimam stragem vtrinque faciebant. Interdum hi ex arce erumpentes in virtute loricatorum, fortiter Gallos citra fluuium & pontem vrgebant: interdum *Galli* præualentes, *Vngaros* bello & vulnere aggrauatos vsque in præsidium remittebant. Die autem quodam circa nonam, Thomas, Clareboldus & Willehelmus cum trecentis, lorica & galea indutis, & equo doctis militibus, descenderūt ad insidias, vbi transitus Vngarorum nauigio sæpius fiebat ad tuēdam terram, si fortè cum illis confligere, & bellum committere opportunitas daretur, aut armenta illorū inuenta deprædari possent. Illis ergo hac in spe descendentibus, septingenti milites Regis ad explorandū exercitum Christianorum occurrerunt in equis militaribus & armis. Qui viden-

tes, ab eis se nequaquam posse effugere, subitò Gallorum turmas incurrerunt; & prælia committentes, superati & vulnerati grauiter attriti sunt, fugam per nota loca facientes, & suam in terram tristes & dolentes nauigio remeantes. In hac conflictione Willehelmus Principem exercitus Vngarorum & collateralem Regis aggressus, virum illustrem, & niueis crinibus renitentem, decollauit. Ex hac victoria vniuersæ legiones totam noctem illam in lætitia vigilem duxerunt, & multos Vngarorum captiuos habuerunt.

XXX. Postquam huiusmodi plurimas congressiones, & cotidianas strages per longum temporis spacium, exercitus tædio victus, & escarum defectione attenuatus, die constituto in virtute loricatorum trans pontem, quem firmauerant, alii conferuntur, alii per paludes diffusi præsidium *Meseburg* fortiter aggrediuntur. Et applicitis ingeniis, duobus in locis muros pertorant; Vngaros non parcè angustiant, donec ferè omnibus, in crastino si persisterent, aperiretur. Rex autem *Kalomanus* & omnis comitatus eius maturè equos ascenderunt, parati ad fugam versus regnum Russiæ, si tantam vim Gallorum, superato præsidio, terram ingredi viderent. Pontes enim longa vetustate dirutos reparauerant, per quos transire possent paludes & fluuios in terram Russiæ, si necessitate cogerentur. Sed dum ferè omnia prosperè successissent Christianis, & muros grandi foramine penetrassent, nescio quo casu aut infortunio tantus timor vniuersum exercitum inuasit, vt in fugam pariter redderentur, vt quasi oues à lupis irruentibus dispersi & concussi, hac & illac diffugium quærentes, sociorum obliuiscerentur. Vngari verò videntes tam subitò athletas fortes deficere, & fugam maturare, in virtute magna è portis cum Rege exiliunt; sine tardatione fugientes persequuntur, plurimam cædem exercentes, & plurimos captiuantes, ac plerumque noctis in persecutione consumentes. Pedestris vulgi vtriusque sexus tanta facta est occisio, vt aquæ *Danubii* & *Lintax* in sanguineas mutarentur vndas. Plurimi verò & numero incomparabiles per aquas liberari sperantes, præ timore imminentis occisionis Danubii vndis cæco ausu inferuntur, & aquis vehementibus suffocantur. Mirabile dictu: tanta futigitiuorum submersio facta est, vt tam spaciosi fluminis aquæ præ tot millium corporibus per aliquantum tempus videri non possent. *Emicho* autem, *Thomas, Clareboldus*, *Willehelmus*, & alii pauci, quorum equi cursu adhuc valebant, incolumes euaserunt, & anqui, qui in palustri herba fructisque latuerunt, aut in opaca nocte fugere potuerunt. Emicho & quidam suorum, via qua venerant, reditum fugiendo tenuerunt: Thomas, Clareboldus & plures suorum versus Carinthiam & Italiam fuga elapsi sunt. Sic manus Domini contra Peregrinos esse creditur, qui nimis immundiciis & fornicario concubitu in conspectu eius peccauerant; & exules Iudæos, licet CHRISTO contrarios, pecuniæ auaritia magis, quàm pro iustitia Domini graui cæde mactauerant, cùm iustus iudex sit Dominus, & neminem inuitum aut coactum ad iugum Fidei Catholicæ iubeat venire.

XXXI. Fuit & aliud scelus detestabile in hac congregatione pedestris populi stulti & vesanæ leuitatis, quod Domino odibile & omnibus fidelibus incredibile non dubitatur. Anserem quendam diuino spiritu asserebant afflatum, & capellam non minus eodem repletam; & has sibi duces huius secundæ viæ fecerant in Ierusalem, quas & nimium venerabantur, ac bestiali more his intendebant ex tota animi intentione. Quod absit à fidelibus cordibus, vt Dominus IESVS à brutis animalibus & insensatis Sepulcrum sui sanctissimi corporis visitari velit; & hæc fieri duces Christianarum animarum, quas precio sanguinis sui ab idolorum spurcitiis reuocatas redimere dignatus est: cùm cœlos ascensurus duces & rectores populi sui sanctissimos & DEO dignos præsules & Abbates præordinauerit, non bruta & insensata animalia. Sed quid mirum, si modernis temporibus huiusmodi abominationes, & tam fœda scelera, inter aliquas societates tot millium inuenta sunt, quæ Dominus in caput eorum reddiderit? cùm temporibus Moysi & Iosuæ & cæterorum seruorum Domini in medio iustorum inuenta sit iniquitas, & ab eo, qui est Dominus vltionum, virga suæ maiestatis correpta & purificata.

ALBER-

ALBERTI AQVENSIS EXPEDITIONIS HIEROSOLYMITANÆ LIBER SECVNDVS.

Argumenta Capitum.

I. IGITVR post Petri Eremitę profectionem, post Waltheri Senzauehor, militis egregii, occisionem, eiusque exercitus grauissimum casum; dehinc modico interuallo post crudelem stragem Godescalci presbyteri, & eius exercitus, post infortunium Comitis Alemaniæ, Emichonis, cæterorumque fortium virorum & Principum de terra

Galliæ scilicet *Drogonis de Nahella, Clareboldi de Vinduil*, ac contritionem sui exercitus crudeliter factam in regno Vngariæ ad portã Meseburg: *Godefridus*, Dux Lotharingiæ, vir nobilissimus, fraterque eius vterinus, Baldewinus, *Vuernerus de Greis*, cognatus ipsius Ducis *Baldewinus* pariter *de Burg, Reinardus* Comes de Tul, *Petrusque* frater eius, *Dudo* de Cons, *Henricus* de Ascha, ac frater illius *Godefridus*, fortissimi milites ac principes clarissimi, eodem anno medio mẽsis Augusti viam recto itinere in Ierusalem facientes, in terram Osterreich ad ciuitatem *Tollenburg*, vbi fluuius *Lintax* regnum Galliæ terminat & diuidit, hospitio resederunt curriculo trium hebdomadarum mensis Septembris, vt audirent & intelligerent, qua occasione exorta seditione, Peregrinorum exercitus paulo ante hos dies perierit, & à proposito eundi Ierusalem cum suis Principibus & ductoribus auersus fuerit, iamque eis obuiam desperatus redierit. Tandem post plurimum mali rumoris, quid primum, quid cautius & consultius agerẽt ad explorandam rem & crudelitatem Vngarorum, quam fecerant aduersus Christianos confratres, dum sæpius tractarent, visum est omnibus vtile consilium, vt neminem ex nominatissimis & Capitaneis viris ad inquisitionem tam nefandi homicidii & sceleris præmitterent, præter *Godefridum de Ascha*, eò quòd notus esset *Kalomano*, Regi terræ, ante multum tempus huius viæ in legationem Ducis Godefridi missus ad eundẽm Regem Vngarorum. Alios verò duodecim electos ex familia ipsius Ducis, *Baldericum* inquam, *Stabelonem* & quorum nomina latent, vnà cum illo direxerunt, vt legationem tantorum Principum hoc modo aperirent: REGI VNGARORVM KALOMANO, GODEFRIDVS, DVX LOTHARINGORVM, ET CÆTERI COMPRIMORES GALLIÆ, SALVTEM ET OMNE BONVM IN CHRISTO. *Mirantur Domini & Principes nostri, cùm Christianæ professionis sitis, cur tam crudeli martyrio exercitum DEI viuentis interemistis, terram verò & regnum pertransire interdixistis, & variis calumniis eos affecistis. Quapropter nunc timore & dubietate concussi, Tollenburg moram facere decreuerunt, donec ex ore Regis intelligant, cur tam crudele facinus à Christianis, persecutoribus Christianorum, commissum sit.* Respondit Rex, vniuerso cœtu suorum audiente: *Non Christianorum persecutores sumus, sed quicquid crudelitatis ostendimus, aut in illorum interitu commisimus, nimia necessitate compulsi fecimus. Cùm enim primo exercitui vestro, quem Petrus Eremita contraxit, omnia accommodaremus, emendi licentia concessa in mensura & pondere æquitatis, & pacificè illis per terram Vngariæ transitum constitueremus, malum pro bono nobis reddiderunt, non solùm in auro & argento, equis & mulis & pecore regionis nostræ auferentes, sed & ciuitates & castella euertentes, hominesque nostros ad quatuor millia mortificantes, rebus & vestibus expoliauerunt. Post has à comitatu Petri nobis tam innumerabiles, sed iniustè illatas iniurias, subsequens exercitus Godescalci, & nunc recenter attritus, quem in fugam conuersum obuiam habuistis, castellum ac munitionem regni nostri Meseburg obsederunt, in superbia & impotentia virtutis suæ ad nos intrare volentes, vt nos punirent & exterminarent, de quibus DEO auxiliante vix defensi sumus.* Rex autem vt hæc respondit, iussit eosdem legatos Ducis honorificè in palatio suo hospitari in loco qui dicitur *Pannonia*, vbi per dies octo omnia illis necessaria in ipsa Regis mensa affluenter ministrata sunt. Post dies verò octo Rex super legationem Ducis consilio primatum suorum accepto, remisit legatos cum legatis de domo sua, vt Duci & primis exercitus in hunc modum responsa portarent. REX KALOMANVS DVCI GODEFRIDO ET OMNIBVS CHRISTIANIS SALVTEM ET DILECTIONEM SINE SIMVLATIONE. *Audiuimus de te, quia vir potens & princeps tua sis in terra, & fidelis inuentus ab vniuersis, qui te nouerunt. Iccirco te semper diligens ex sola bona fama, nunc te videre & agnoscere optaui. Et exinde consilium accepi, vt descendas ad nos in castellum Cyperon sine opinione alicuius periculi, & vtraque ripa paludis residentes, totum colloquium teneamus de omnibus, quæ à nobis requiris, & quorum nos reos arbitraris.* Hoc Regis nuncio audito, Dux vniuerso cœtu relicto, ex consilio Maiorum trecentis tantùm militibus assumtis, ad Regem profectus est in loco præsignato. Et vtrinque hinc & hinc omisso comitatu suorum, Dux solummodò Wernero de Greis, viro nobilissimo & propinquo eius, *Reinardo* de Tul, & Petro euocatis, pontem, qui paludi imminet, ascendit, in quo regem reperiens, benignissimè salutauit, & humili deuotione osculatus est eũ. Dehinc inter se diuersa habuere colloquia *de concordia & reconciliatione Christianorum*, quo vsque ratio hæc pacis & dilectionis adeò firmiter processit, vt se Dux fidei eius credens duodecim ex trecentis susceperit; cum quibus cũ Rege in Pannoniam & terram Vngarorum descendit; fratrem verò *Baldewinum*, relictum *Tollenburg*, populũ regere & procurare,

curare, remisso exercitu trecentorũ, constituit. Dux itaq; Pannoniã ingressus, honorifice ab ipso Rege & primatibus suis susceptus est; eiq; benignè & copiosè omnia necessaria parata sunt de domo Regis & mensa, quæ tam egregium virum decebant. Dehinc Rex per dies octo plurimum conuentum suorum habens, qui etiã ad videndum tam nominatissimum Principem confluxerant, quærebat consilium: qua fide & fiducia saluo regno suo rebusque suorum tam copiosus exercitus fortiter armatus intromitteretur. Tandem repertum est consilium & Duci declaratũ quomodo, nisi darentur obsides viri egregii & primores exercitus, nullus sibi suisque concederetur transitus, ne aliqua occasione assumta, in virtute tam innumerabilis gentis terram & regnum amitteret. His auditis, Dux voluntati Regis in omnibus cessit, & obsides, quos petebat, dari nõ abnuit, hac tamẽ conditione: vt vltrà Peregrinorũ exercitus, tam præsens quã futurus, per terram eius transiret sine aliquo obstaculo, & pacificè mutuaret vitæ necessaria. Nec mora, percussit Rex fœdus cum Duce; percusserunt & vniuersi Principes regni sui in iureiurando, non vltrà nocere Peregrinis transituris. His ergo sic vtrinque in vera fide firmatis, Rex ex consilio suorum requisiuit *Baldewinum*, fratrem ipsius Ducis, obsidem fieri, vxorem quoque ac familiam eius. Quod Dux sine vlla cõtradictione adimpleri concessit: statimque post dies octo missa legatione, Dux vniuersum exercitum præcepit properare ad castellũ *Cyperon*, ac tabernacula sua hac altera in ripa fluminis & paludis collocari. Ad hanc Ducis legationem cœpit exercitus nimium hilarescere, & gauisi sunt vniuersi, qui antea ex diutina Ducis absentia hæsitabant, existimantes eum in falsa fide traditum & extinctum: sed nunc quasi de graui somno expergefacti, surrexerunt; & iuxta ducis mandatum venientes, in ripa fluminis & paludis castrametati sunt. Collocatis itaq; tentoriis, Dux de regno Vngariæ reductus, & suis restitutus est, referens, quantam ei Rex curam & honorem exhibuerit, & omnia, quæ cum Rege & Principibus eius pactus sit; & quomodo frater eius Baldewinus à Rege in obsidem cum vxore & familia requisitus sit, donec populus cum silentio & pace transeat: alioqui nullam sibi dari licentiam transeundi. Et post pauca statim admonuit fratrem suum Baldevvinum, obses fieret pro populo, sicut decretũ erat. Qui vehementer cœpit reniti & contradicere, donec Dux hæsitatione illius turbatus, constituit, vt ille curam exercitus Dei gereret, & ipse pro fratribus obses fieri non dubitaret. Tandem Baldevvinus omni mentis suæ fluctuatione exclusa, cõcessit obses fieri, & exilio pro salute fratrum suorum transferri. VI. Igitur tam præclaro Principe iam obside facto, & Rege vnà cum illo in Pannoniam regresso, vniuersus exercitus ex iussu & concessu Regis per pontem trans paludem intromissus est, & ad fluuiũ *Lintax* castra metatus est. Castris verò positis, & vniuersis hospitio sedatis, *Godefridus* Dux præcones per singulas domos ac tentoria acclamare constituit sub iudicio mortis: ne quicquã contingerent, aut violenter in regno Vngariæ raperent, & nullam seditionem mouerent; sed omnia æquo precio mutuarẽtur. Similiter & *Rex* per vniuersum regnum acclamari præcepit; vt omnẽ copiam rerum necessariarũ reperiret exercitus in pane, vino, frumento, hordeo, in bestiis agri & volatilibus cœli: iussumq; sub iudicio vitæ, ne iniusta venditione Vngari grauarent exercitum aut conturbarent, sed potius omnia venalia illis alleuiarent. Sic & sic per singulos dies in silentio & pace, in mensura æqua, & iusta venditione Dux & populus regnum Vngariæ pertransiens, ad *Drowa* fluuium peruenerunt. Vbi congerie lignorum composita, & plurima viminum copulatione facta, eundem fluuiũ traiecerunt, assiduè Rege cum validissima manu equitum à sinistris gradiente vnà cum Baldevvino & cæteris obsidibus, quousq; ad locũ, qui dicitur *Francauilla*, peruentum est. Illic per tres dies remorati, vitæ necessaria, & quibus indigebat exercitus, precio mutuantes, cum omnibus *Maleuillam* descenderunt, in littore *Sowa* diebus quinque pernoctantes. Illic Duci cæterisque Principibus exercitus innotuit, quàm intolerabilis virtus militiæ Imperatoris Constantinopolis affuisset ad prohibendam Peregrinis viam per regnum Bulgariæ. Quapropter Dux & vniuersi consilium inierunt, vt partem exercitus in armis trans fluuium præmitterent ad reprimendos hostes, milites Imperatoris, quousque populus enauigaret. Non amplius enim quàm tres naues illic repertæ sunt, cum quibus mille equites loricati ad præoccupandum littus transmissi sunt. Cætera multitudo, copulatione lignorum & viminum, fluminis alueum superauerunt. VII. Vix enauigauit

populus & eorum princeps; & ecce Rex cum omni apparatu suo, & fratre Ducis Baldewino, eiusque vxore & cunctis obsidibus affuit, quos ibidem in manu Ducis restituit. Ac dehinc nimia dilectione commendato Duce fratreq; eius in donis plurimis & osculo pacis, in terram regni sui reuersus est. Dux verò & omnis exercitus illius altera in ripa constituti, in villa *Belegraue* Bulgarorum hospitio pernoctârunt, quam Petrus & illius exercitus non longè antè deprædati combusserant. Mane autem facto, Dux & exercitus illius exurgentes, syluas immensas & inauditas regni Bulgarorum ingressi sunt. Vbi legati Imperatoris illis occurrerunt, in hæc verba nuncia deferentes: ALEXIVS, IMPERATOR CONSTANTINOPOLIS REGNI GRÆCORVM, DVCI GODEFRIDO SVISQVE SEQVACIBVS INTEGRAM DILECTIONEM. *Rogo te, Dux Christianissime, quatenus regnum & terras meas, quas ingressus es, gentem tuam vastare & deprædari non patiaris; sed emendi licentiam obtineas, & sic omnia sufficienter ex nostro Imperio emenda & vendenda tui reperiant.* Hanc itaque Imperatoris legationem Dux intelligens, in omnibus se Imperatoris parere pollicetur mandatis. Vnde vniuersis indictum est, ne deinceps quicquam aliqua iniusta vi contingant, præter pabula equorum. Sic verò pacificè ex rogatu Imperatoris pertranseuntes, peruenerunt *Niczh* præsidium eius. Vbi mira affluentia ciborum in frumento, hordeo, vino & oleo plurimaque venatione ex Imperatoris dono Duci oblata est, cæteris licentia vendendi & emendi concessa. Illic siquidem per dies quatuor in omni opulentia & iocunditate recreati sunt. Post hæc Dux cum omni exercitu *Sternitz* profectus est: vbi non minori pinguedine donorum Imperatoris sibi satisfactum est. Dehinc post aliquot dies discedens, ad *Phinopolin*, ciuitatem præclaram, descendens, illic similiter ex Imperatoris dono omnem abundantiam necessariorum habuit per dies octo. Vbi nuncia illi allata sunt, quomodo Imperator *Hugonem Magnum*, fratrem regis Franciæ, *Drogonem* & *Clareboldum*, in vinculis & carcere tenuisset.

VIII. Hoc audito, Dux Imperatori legationem misit, quatenus hos Principes terræ suæ, quos tenebat captiuos, libertati restitueret, alioqui se fidem illi & amicitiam non posse seruare. *Baldewinus*, Hamaicorum Comes, & *Henricus de Ascha*, intellecta Ducis legatione ad Imperatorem destinata, primo diluculo, Duce ignorante, viam anticipauerunt in Constantinopolin, vt legatos præuenientes ab Imperatore maiora dona consequerentur. Dux verò audiens grauiter accepit; sed tamen dissimulans iram, *Adrianopolin* profectus est: vbi quodam flumine natatu equorum superato, tentoriis positis pernoctauit. Pons denique, qui trans fluuium per mediam ciuitatem porrigitur, sibi & suis ab incolis interdicitur. Deinde exurgentes, & *Salabriam* properantes, tentoria posuerunt per amœna loca pratorum. Vbi reuersi nuncii Ducis ab Imperatore, retulerũt, quomodo captiuos Principes minimè reddidisset. Vnde Dux & omnis societas in iram exarserunt; & vltrà illi fidem & fœdus pacis seruare noluerunt. Statimq; ex præcepto Ducis omnis terra illa in prædam data est Peregrinis & aduenis militibus: qui per dies octo illic moram facientes, totam regionem illam depopulati sunt.

IX. Imperator autem intelligens regionem grauiter depopulari, *Rudolfum Peel* de Lan & *Rotgerum*, filium Dagoberti, viros disertissimos, de terra & cognatione Francigenarum, Duci misit, rogans; vt à præda regni sui & vastatione cessaret exercitus, & captiuos, quos petebat, sine dilatione redderet. Dux verò inito consilio cum cæteris Principibus, acquieuit legationi Imperatoris, & amouens castra, præda interdicta, secessit ad ipsam vrbem *Constantinopolin* cum vniuerso comitatu Peregrinorum. Vbi fixis tentoriis, hospitati sunt in manu robusta & intolerabili, loricis & omni bellica armatura muniti. Et ecce in occursũ *Hugo, Drogo, Willehelmus Carpentarius* & *Clareboldus*, laxati ab Imperatore, Duci affuerũt, gaudentes illius aduentu & suæ multitudinis, & in amplexum Ducis cæterorumque plurimo osculo corruentes. Similiter & prædicti legati Imperatoris Duci occurrerunt, rogantes eum, vt intraret palatium Imperatoris cum aliquibus primis de exercitu, vt audiret verbum Regis; cætera multitudo extra muros ciuitatis remaneret. Vix hanc legationem Dux accepit, & ecce quidam aduenæ de terra Francorum occultè in castris Duci affuerunt, qui plurimum eum monuerunt, vt caueret versutias & venenatas vestes ipsius Imperatoris ac verba dolosa; & nequaquam ad eum intraret aliqua blanda promissione, sed extra muros sedens omnia quæ sibi offerret, securè susciperet. Dux igitur sic præmonitus ab aduenis, & Græcorum deceptiones edoctus, ad Imperatorem minimè introiuit. Quapropter Imperator indignatione vehemente

hemente motus aduersus Ducem & omnem eius exercitum, vendendi & emendi licentiam illis interdixit. *Baldewinus* verò frater Ducis, agnita hac Imperatoris indignatione, & videns populi indigentiam, nimiamque defectionem necessariorum, egit cum Duce & Magnificis exercitus, quatenus rursus per regiones & terras Græcorum prædas contraherent, escas comportarent, donec Imperator his cladibus coactus, rursus emendi vendendiq; licentiam concederet. Imperator ergo videns terræ regni sui prædas & mala ingruere, licentiam vendendi & emendi omnibus iterauit.

X. Erat *Natalis Domini*: ideoq; in tam solenni tempore & diebus pacis & gaudii, visum est vniuersis bonũ & laudabile & acceptũ corã DEO, vtrinq; concordiam renouari, inter domum Imperatoris & Ducem ac vniuersos præpotentes exercitus. Et sic pace composita, continuerunt manus suas ab omni præda & iniuria. His ergo quatuor diebus sanctis, in omni quiete & iucunditate resederũt ante vrbis mœnia Constantinopoli.

XI. Post quatuor verò dies legatio Imperatoris processit ad Ducem, quatenus castra moueret eius causa & precibus, & intra palatia, quæ in littore Brachii maris sita erant, cum exercitu suo hospitaretur propter medios algores niuis & hyemis, qui pluuiali tempore imminebant, ne tentoria eorum madefacta & attrita deperirent. Cessit tandem Dux & cæteri comprimores Imperatoris volũtati, & amotis tentoriis, per palatia & turritas domos, quæ spacium triginta milliarium in littore maris comprehendunt, hospitati sunt cum omni exercitu Christianorum. Ab ea die & deinceps omnem plenitudinem cibariorum & rerum necessariarum, ex Imperatoris iussu repererunt & emerunt. Post paululum dehinc rursus Imperatoris legatio Duci affuit, quæ eum admonuit ad eum ingredi, & eius verba intelligere. Quod Dux omnino renuit, præmonitus ab aduenis ciuibus de versutia illius: sed viros egregios direxit illi nuncios, *Cunonem* Comitem de Monte acuto, *Baldewinum de Burg*, & *Godefridum de Ascha*, qui excusarent eum, & in hunc modum loquerentur: *Godefridus Dux Imperatori fidem & obsequium: Libenter & optatò ad te ingrederer, honores & diuitias domus tuæ considerarem: sed terruerunt me plurima mala, quæ auribus meis de te innotuerunt: nescio tamen si vel inuidia aut odio tui hæc adinuenta & vulgata sint.* Imperator hæc audiens, plurimum de omnibus se excusauit, dicens: nunquam oportere Ducem vel aliquem de societate, quicquã fallaciæ de eo timere; sed eum suosque quasi filium & amicos seruare & honorare. Regressi autem nuncii Ducis, omnia, quæ benè promissa & fideliter ex ore Imperatoris audierant, in bonum retulerunt. Verùm Dux adhuc minimè mellifluis illius promissis credẽs, prorsus colloquiũ eius refutauit. Et sic inter hæc nuncia hinc & hinc, quindecim dies euoluti sunt.

XII. Imperator itaque cognoscens Ducis constantiam, eumque ad suam præsentiam inuitari non posse, iteratò molestè accepit; & hordeum & pisces ad vendendum subtraxit, deinde panis alimentum, vt vel sic coactus Dux Imperatoris præsentiam non recusaret. Sed nec sic Imperatore proficiente, vt animum Ducis emolliret, quadam die ex instinctu Imperatoris quingenti *Turcopoli* nauibus inuecti per Brachium maris, armati arcu & pharetra, matutinos milites Ducis sagittis infixerunt, alios mortificatos alios sauciatos à littore arcentes, ne illic emere ex solito alimenta liceret. Continuò hæc crudelis fama in solio Ducis allata est. Qui illico iussit cornua perstrepere, populum vniuersum armari; & ante ipsam vrbem Constantinopolin redire, tentoriaque relocare. Ad hanc Ducis iussionem signo dato cornicinum, eruperunt vniuersi ad arma; & palatia & turres, in quibus hospitio manserant, alia incendio vastauerunt, alia comminuerunt, damnum irrecuperabile Constantinopoli inferentes.

XIII. Exorta denique iam in palatio fama tam vehementis incendii & exterminii, *Dux* nimium expauit, metuens, ne flamma ædificiorum & strepitu moti exercitus percepto, pontem, per quem transierant à ciuitate Constantinopoli ad palatiorũ mansiones, subitò in manu robusta præoccuparent milites & sagittarii Imperatoris. Ideoque sine mora præmisit *Baldewinum* fratrem suum cum quingentis loricatis militibus ad obtinendum pontem, ne aliqua vis Imperatoris præcurrens, illum corrumperet; & sic Peregrinis transitus, & reditus vltrà negaretur. Baldewinus vix medio ponte constiterat, & ecce à dextris & sinistris Turcopoli, milites Imperatoris, nauigio inuecti circumquaque in transeuntes sagittis irruunt, & fortiter impugnant. Quibus Baldewinus è ponte resistere nullam habens copiam, sagittas illorum effugere properauit; & sic superato ponte, velociter in aliam partem pontis sicco littore se contulit, pontem obtinens & obseruans versus mœnia dominæ

& magistræ ciuitatis, quò vsque totus per pontem migraret exercitus. Dux verò à tergo cum suis custodiam agebat. Interea à portis versus Sanctum Argenium infinita manus Turcopolorum & totius generis militum prosiluit in sagittis & varia armatura ad expugnandum Baldewinum, & vniuersum gentis Christianæ comitatum. Sed *Baldewinus* immobilis & insuperabilis ab omni illorum assultu in loco constituto perstitit, donec à mane vsque ad vesperam populo trans pontem ante vrbis mœnia relato, & castris positis hospitato, eosdem Turcopolos, à portis egressos, & populum impugnantes cum quingentis loricatis fortiter incurrit; & vtrinque grauiter commisso prælio, plurimi hinc & hinc ceciderunt, & plurimi equi Francorum sagittis interierunt. Sed ad vltimum Baldewinus præualens, 10 milites hos Imperatoris grauatos ac fugitiuos in portas ire compulit, camposque & victoriam potenter obtinuit. Verùm *Turcopoli* & milites Imperatoris indignantes se victos, & bello fugitiuos, iteratò crebrius à portis eruperunt, ad lacessendum & expugnandum exercitum: quo vsque Dux adueniens, quia nox erat, omnia pace composuit; commonens fratrem suum cum vniuersis in castra redire, & à pugna hac in noctis vmbra manus & arma continere. Similiter Imperator, metuens amplius & validius hanc belli tempestatem ingruere, & vespere vmbroso suos deficere & perire, pacem & ipse fieri imperat, lætatus Ducem suos à bello pacare

XIV. voluisse. Crastina verò luce exorta, ex præcepto Ducis exurgens populus, terram & regnum Imperatoris perlustrans, curriculo dierum sex grauiter deprædatus 20 est; vt vel sic saltem Imperatoris suorumque superbia humiliari videretur. Quo cognito, Imperator tristari & dolere cepit, quòd terra & regnum sic dissiparetur. Qui statim accepto consilio, Duci legationem misit, quatenus prædam & incendium prohiberet, & in omnibus illi satisfaceret, in hæc verba loquens: *Cessent inter nos & vos inimicitiæ, & Dux ad me ingrediatur, fiduciam & obsides sine aliqua dubietate à me recipiens, quòd incolumis veniat & redeat, certus de omni honore & gloria, quam sibi suisq; facere poterimus.* Quod benignè Dux annuit, si tales darentur obsides, quibus credere possit de vita & salute sua; & sic procul dubio ad eũ descendens, libenter sibi & viua voce & ore ad os loqueretur. Vix post hanc Ducis responsionem legati Imperatoris recesserant, & ecce quidam alii legati ad eundem Ducem venientes ex parte 30 *Boëmundi* salutauerunt eum, sic loquentes: *Rogat te Boemundus, princeps ditissimus Siciliæ & Calabriæ, vt nequaquam cum Imperatore in concordiam redeas; sed in ciuitates Bulgarorum Adrianopolin & Phinopolin secedas, & tempus hyemale illic peragas; certus quòd mense Martio inchoante, idem Boemundus cum vniuersis copiis in auxilium tibi est affuturus, ad expugnandum hunc Imperatorem, & illius regnum inuadendum.* Auditâ hac Boëmundi legatione, Dux omne responsum è contra fieri distulit, dum luce proxima exorta, ex consilio suorum respondit: *se non causa quæstus, aut pro destructione Christianorum, à terra & cognatione sua exiisse, sed in* CHRISTI *nomine viam instituisse Ierusalem; hancq; velle perficere & adimplere consilio Imperatoris, si eius gratiam & bonam voluntatem recuperare & obseruare possit.* Hanc autem Ducis intentionem & responsionem nuncii Boëmundi intelligẽ- 40 tes, benignè à Duce commendati, in terram Apuliæ reuersi sunt, omnia sicut ex ore

XV. Ducis didicerant, referentes. Imperator verò Boëmundi hanc nouam legationem & suggestionem intelligens, Ducem ac eius amicos amplius de concordia solicitabat, quatenus, si ei placari vellet, & terram eius pacificè pertransire, sibi verò facie ad faciem præsentari in colloquio, dilectissimum filium suum, *Iohannem* nomine, sibi obsidem daret; & omnia necessaria cum emendi licentia sibi suisque accommodaret. Hæc Imperatoris promissa decreta & firmata Dux intelligens, ex consilio suorum castra mouit à muro ciuitatis, & iterum trans pontem hospitandi gratia in Brachio maris in muratis ædificiis secessit, vniuersum populũ admonens, vt pacifici essent, & sine seditione necessaria emerent. Crastina verò luce exorta, 50 *Cunonem* Comitem de Monte acuto, & *Baldewinum* de Burg, viros nobilissimos, & in omni verbo disertissimos, iussit coram adesse, quos ad suscipiendum obsidem filiũ Imperatoris confidenter direxit: quod actum est. Abducto ergo iam obside filio Imperatoris, ac in potestatem Ducis suorumque fideli custodia constituto, Dux sine dilatione nauigio per Brachiũ maris Constantinopolin aduectus est. Et assumtis egregiis viris, *Wernero de Greis, Petro* de * & cæteris Principibus, audacter curiam Imperatoris ingressus, facie ad faciem sibi astitit, vt audiret verbũ eius; & viua voce responderet ei super omnibus quæ requireret, aut eum interpellaret. *Baldewinus* verò nequaquam tunc palatium Imperatoris introiuit, sed in littore cum multitudi-

titudine remansit. *Imperator* autem tam magnifico & honorifico Duce viso, XVI.
eiusq; sequacibus, in splendore & ornatu preciosarum vestium tam ex ostro quàm aurifrigio, & in niueo opere harmelino & ex mardrino grisioque & vario, quibus Gallorum Principes præcipuè vtuntur, vehementer admirans honorem ac decorem illorum, primùm Ducem in osculo benignè suscepit; dehinc vniuersos primates & collaterales illius eodem pacis osculo honorare non distulit. Sedebat autem Imperator more suo potenter in throno regni sui, non Duci, non alicui assurgens ad porrigenda oscula, sed flexis genibus Dux incuruatus est, incuruati sunt & sui ad osculandum tam gloriosissimum Imperatorem & potentissimum. Osculatis 10 deniq; omnibus ex ordine, Duci in hæc verba locutus est: *Audiui de te, quoniam miles & Princeps potentissimus tua sis in terra, & vir prudentissimus ac perfectæ fidei. Quapropter te in filium adoptiuum suscipio, & vniuersa quæ possideo, in potestate tua constituo, vt per te Imperiū meum & terra mea à facie præsentis & affuturæ multitudinis liberari ac saluari possit.* His pacificis & piis Imperatoris sermonibus Dux placatus, & illectus, non solum se ei in filium, sicut mos est terræ, sed etiam *vasallum* iunctis manibus reddidit cum vniuersis primis, qui tunc aderant, & postea subsecuti sunt. Nec morâ, aliqua ex ærario Imperatoris allata sunt dona inæstimabilia Duci, & cunctis qui conuenerant, tam in auro quàm argento, & ostro diuersi generis, in mulis & equis, & in omni, quod preciosius habebat. Sic verò Imperatore ac Duce perfectæ fidei & amicitiæ vincu- 20 lo insolubili innodatis, à tempore Dominicæ incarnationis, quo hæc concordia contigit, vsq; ante paucos dies Pentecostes per singulas hebdomadas quatuor viri, aureis Byzantiis onerati, cum decem modiis monetæ Tartaron, de domo Imperatoris Duci mittebantur, quibus milites sustentari possent. Mirabile dictu. Vniuersa, quæ ex dono Imperatoris Dux militibus distribuebat, in mutatione alimentorum ad ærarium Regis protinus redibant; & nō solùm hæc, sed etiam quæ sub vniuerso orbe illuc congessit exercitus. Nec mirum: nam nullius præter Imperatoris merces tam in vino & oleo, quàm in frumento & hordeo, omnique esca, vendebatur in toto regno. Et ideo Regis ærariū assidua pecunia abundans, nulla datione euacuari potest. Pace & concordia inter Imperatorem & Ducem hac con- XVII.
30 ditione firmata, quam diximus, Dux in hospitia ædificiorum in Brachio maris relatus, hactenus obsidem filium Imperatoris honorificè remisit, certus vltrà de fide & amicitia ab Imperatore suscepta. Altera dehinc die, acclamatum est ex iussu Ducis per vniuersum exercitum, vt *pax & honor* Imperatori & omnibus suis deinceps exhiberetur; & iustitia seruaretur in omni mensura venditionis & emtionis. Imperator similiter interdixit in omni regno suo sub iudicio vitæ, ne quis noceret aut defraudaret quenquam de exercitu; sed omnia æquo pondere & mensura Peregrinis venderentur, precium verò alleuiaretur. Post hæc *quadragesimali* tempore inchoante, Imperator Ducem admonuit suæ adesse præsentiæ, multum per amicitiam & fidem datam illum obtestans & deprecans, quatenus transfretaret, & in 40 terram Cappadociæ tabernacula collocaret, propter ædificia, quæ populus incorrigibilis destruebat. Quod Dux benignè annuit, ac traiecto flumine, alio in littore in pratis *Cappadociæ*, ipse & vniuersus populus castris positis commorati sunt. Abhinc & deinceps, paulatim Peregrinis carè omnia vendebantur; sed tamen munera Imperatoris nequaquam Duci imminuta sunt: metuebat enim eum valde. Dux verò venditionis penuriam rerum necessariarum intuens, & populi clamorem molestè accipiens, Imperatorem sæpius nauigio conueniebat, & de grauitate venditionis eum arguebat. Sed Imperator quasi inscius, & id fieri nolens, rursus Peregrinis omnia alleuiabat. Interea dum hæc ad Ducem cum Imperatore agerentur, & sanctū *Pascha*, iam tribus septimanis euolutis, processisset, *Boemundus* decem XVIII.
50 millia habens equitum, & plurimas copias peditum, per *Valonam* & *Durax*, & cæteras ciuitates regni Bulgarorum descendens, in virtute magna ante muros ciuitatis Constantinopolis astitit. Cui Dux ex rogatu Imperatoris cum viginti primoribus de suo assumpto exercitu occurrit, vt eum ad Imperatoris præsentiam sub firma fide introduceret, priusquam arma reponerent, aut tentoria collocarent. Tandem vero cùm se inuicem salutassent, & Dux diu cum ipso Boemundo ageret, plurimisque blanditiis ei persuaderet, vt verbum Imperatoris auditurus curiam intraret; Boemundus verò prorsus negaret, ac referret, nimium se Imperatorem pertimescere, eo quòd vir callidus & subdolus haberetur: ad extremum victus bona promissione Ducis & allocutione, fiducialiter palatium Imperatoris introiuit, in-

osculo pacis, & in omni gratia & honore susceptus. Deinde diuersis colloquiis & consiliis inter se habitis, Boemundus *homo* Imperatoris factus est, cum iuramento & fide data pactus cum eo, quòd nihil de regno eius sibi retineret, nisi ex eius gratia & consensu. Statimque allata sunt Boemundo sicut Godefrido munera, miri & inauditi thesauri in auro & argento; vasa quoque preciosa opere & decore, multoque ampliora, quàm ab aliquo possit æstimari.

XIX. Cùm hæc concordia & fœdus inter Imperatorem & Boemundum fieret, *Tankradus*, sororis filius Boemundi, Brachium maris cum vniuerso comitatu & apparatu tam suo quàm Boemundi transfretauit, clam Imperatore, Duce ac Boemundo, ne & ipse subditus illi fieret. Hac igitur Tankradi præsumptione Imperator audita, molestè accepit, eò quòd eius colloquium vitauerit. Sed tamen prudenter dissimulans, Boemundum atque Ducem cum amore & immenso honore munerumq; largitione commendatos, trans fluuium ad exercitum remisit. Breui dehinc interuallo affuit *Robertus Flandrensis* cũ immensis copiis: qui & ipse audita concordia Ducis & Boemundi cum Imperatore, fœdus iniit, homo illius factus: Vnde ipse quoque sicut & illi, ingentia munera de manu Imperatoris meruit accipere. Dehinc post aliquot dies ab Imperatore benignè commendatus est, & flumine prædicti maris emenso, in regione & pratis Cappadociæ sociis & Christianis Principibus admixtus, armis & copiis associatus est.

XX. Non multo dehinc tempore tam egregiis viris in vnum collatis, placuit ex communi consilio, quatenus iam congruum tempus expeditionis operti, sicut deuouerant, deinceps viam continuarent versus ciuitatem Nicæam, quam gentilis virtus Turcorum Imperatori iniustè ereptam, suo subiugauit dominio. Eadem siquidem die, qua castra mouerunt, *Rufinel* applicuerunt. Et ecce legatio *Reymundi*, Comitis Sancti Ægidii affuit, quomodo & ipse in ciuitatem Constantinopolin ingressus cum Imperatore fœdus percussisset, rogans & obtestans, quatenus eum & Episcopum de Podio *Reymerum* nomine, præstolari vellent. Hi verò se minimè eum præstolari, aut longiùs his partibus immorari astruxerunt; sed paulatim se præcedere, ipsum verò Comitem recto & non nimium maturato calle posse subsequi, rebus suis cautè & diligenter cum Imperatore ordinatis. Ibidem Rufinel, *Petrus Eremita*, præstolatus Principes, cum paucis reliquis suæ attritæ multitudinis adiunctus est. Comitis verò Reymundi legati, accepto Ducis responso, Constantinopolin reuersi sunt. Dux siquidem & Boemundus & Robertus Flandrensis, donis à Rege preciosis donati & nimium commendati, iter suum continuant. Reymundus gratiosus & dilectus factus Imperatori, diebus quindecim Constantinopoli moram fecit, plurimum honoris & doni ab Imperatore consecutus, sub fide & sacramento homo illius factus.

XXI. In his itaque diebus *Robertus, Nortmanorum* Comes, *Stephanus Blesensis, Eustachius*, frater prędicti Ducis, cum ingenti manu equitum & peditum similiter affuerunt: qui & ipsi cum Imperatore fœdus & amicitiam ineuntes, hominesque illius in fidei iuramento facti, nimiis donis ab eo honestati sunt. Dux verò & qui cum eo erant, interea *Nicaam* vrbem adierunt: quò ipse Dux primùm obsidionem, ante maiorem portam vrbis positis castris, constituit fieri. Subsecutis verò Principibus, paucissima requies in terminis Cappadociæ fuit trans prædictum Brachium maris S. Georgii; sed festinato itinere & ipsi castra metati, circa Nicæam vrbem consederunt: quæ mœnibus, muris, munitionibus turrium insuperabilis videbatur. In hac vrbe antiqua & robustissima, *Solymanus*, vnus ex principibus Turcorum, vir nobilissimus, sed Gentilis, dominio præerat. Qui audito Christianorum intentionis aduentu, omni armatura fortium virorum ciuitatem muniuit, quin & alimenta copiosa, vndecunque collecta, intulit; portas verò vndique seris firmissimis obstruxerunt. Vt enim circa Nicæam & eius mœnia in equis velocissimis prædicti Principes conuenerunt, alii in assultibus & discursibus equorum delectabantur, turres & fortissima mœnia admirantes, murosque duplices. Sed neq; his circumspectis, aliqua formidine concuti potuerunt; verùm omni virtute & militari habitu animati, vrbem assiliunt & oppugnant: alii verò pedestri agressu, non minus arcu & sagittis defensores vrbis bello lacessunt: sed plures grauissimis ictibus & iaculis desuper repugnantium attriti sunt, qui incautè & cæco impetu ac fragore subito prælia iuxta muros tentare ausi sunt.

XXII. Principes verò exercitus, videntes sic frustra & inutiliter bello populum perire, nec quicquam inclusis huic præsidio posse nocere, nil melius senserunt, quàm vt obsidione circumquaque posita, vrbem cogerent, & custodes murorum. Vnde in pri-

in prima obsidione *Godefridus*, Dux Lotharingiæ, Princeps ac Dominus de castello Bullionis, cum vniuerso comitatu Lotharingorum constitutus est: *Boemundus* Princeps Siciliç & Calabriæ, natione Nortmanus, vir alti cordis & miri ingenii, ac omni militari virtute in rebus bellicis aptissimus, & opibus ditissimus, vicinus sedē collocauit: *Tankradus*, tiro illustris, iuxta eundem Boemundum, auunculum suum, cum suis sodalibus considere decernitur. *Tatinus* quidam truncati nasi, familiaris Imperatoris Constantinopolis, & eius secretorum conscius, ductor Christiani exercitus, eò quòd loca regionis nota sibi essent, cum auxiliari manu militum eiusdem Imperatoris, vrbē in decreta sibi parte premebat. *Robertus*, Comes Flandrensis, nulli illorū dispar in armis, diuitiis & viribus; & Comes *Robertus*, princeps Normaniæ, filius regis Anglorum ferocissimus, armis rebusque militaribus ditissimus, iuxta prædictos in obsidione eiusdem vrbis in ordine locati sunt. *Wernerus* de Greis castro, miles irreprehensibilis in arte bellica, *Eustachius*, frater prædicti Ducis Godefridi, cum *Baldewino* fratre eorum, viro clarissimo, & bello inuictissimo, pariter in ordine consederunt. *Baldewinus* de Monte castello, Hamaicorum Comes & princeps, vir illustrissimus in omni militari actione; *Thomas de Feria* castro, Francigena, miles acerrimus, vnà cum *Baldewino de Burg*. *Drogo* de Nahella, *Gerhardus* de Keresi castello, *Anselmus* de Riburgis monte, *Hugo* Comes de S. Paullo, *Engilradus* eiusdem Hugonis filius, miles egregius, *Wido* de castro Porsessa, tiro in armis fortissimus. *Baldewinus* de castello Gant, *Baldewinus* quoque vir bello nominatissimus, cognomine Calderim Comes, vnà *Willehelmus* de Foreis castello, omni virtute & potentia bellica præclarus, ad obseruandam vrbem, vix humanis viribus superabilē, omnes viri fortissimi, in decreta sibi parte consederunt. Episcopus verò de Podio, *Reymerus* nomine, omni bonitate repletus, non modica manu & apparatu circa vrbem vires augebat. *Stephanus*, Comes Blesensis, & caput & primus consilio in omni exercitu, in multitudine graui vno in latere vrbem tuebatur. *Hugo*, cognomine Magnus, frater regis Franciæ, illustrissimus socius, ad custodiendam vrbem suo sedit in ordine. *Robertus*, filius Gerhardi, *Reymundus* cognomine Pellez, *Bonwankerus* de Capis castello, *Milo* quoque cognomine Louer miles fortissimus; *Stephanus* de Albemarla, filius Vdonis Comitis de Campania; *Waltherus* de Dromedart, & eius filius *Bernhardus* dilectissimus, in omni facto & forma delectabilis; *Gerhardus* de Gorna, *Gothardus*, filius Godefridi, iuuenis clarissimus, *Rudolfus*, ditissimus copiarum; Dominus *Alenus*, cognomine Ferrans, *Conanus* quoque, ambo Principes Britanorum, *Reinoldus* de ciuitate Beluaciæ, *Walo* de Calmont, *Willehelmus* de Montpelir, viri imperterriti, fixis papilionibus cum cæteris præfatis in circuitu vrbis consederunt. *Castus* quoque de Berdeiz ciuitate, *Gebardus* de Roselon ciuitate, *Giselbertus* de Treua, vnus de Principibus Burgundiæ; *Oliuerus* de castro Iussi, miles audax & pugnax; *Achar* de Motinerla, candidus capite; *Reimboldus*, Comes de Oringis ciuitate, quo non alter valentior; *Lodowicus* de Monzons, mirabilis in opere militari, filius Comitis Dirici de Monthiliart; *Dudo* de Cons, rufus capite, bello doctissimus; *Gozelo* & frater eius *Lambertus*, bello peritissimus, cum patre suo *Cunone* de Monte acuto, viro illustrissimo, iuxta prædictorum papiliones tabernacula collocauerunt. *Petrus* de Stadeneis, *Reinardus* de Tul ciuitate, *Walterus* de Verueis, *Arnolfus* de Tyr, *Iohannes* de Namecca, *Herebrandus* de Boillon: hi omnes ad omne bellorum incendium indefessi vrbem cingebant. Nec dubitandū est, cum tot Capitaneis primis nō paucos affuisse sequaces & inferiores, seruos & ancillas, nuptas & innuptas, cuiusq; ordinis viros & mulieres. His omnibus, Episcopi, Abbates, Monachi, Canonici & Presbyteri præerant ad instruendos & corroborandos. Obsessa ab his copiis tota continetur ciuitas præter locum, quem ad tuendum, & vacuū relictum, Comiti Reymundo decreuerant. Victū, & omne quod necesse est corpori, nullis immitti portis tam copiosus sinebat exercitus. Sed lacus quidā miræ latitudinis & lōgitudinis, in modū maris altus, aptus remis & nauigio, in quodā latere murorū ciuitatis habebatur, per quē sępius ingressus & egressus victis Solymani, necessaria inferentibus, ipsiq; Solymano, patere solebat. Nondū verò *Reymundus*, præfatus Comes de terra S. Ægidii, quæ dicitur *Prouincia*, vires & opem contulerat. Nam cum Imperatore Constantinopoli cum suis cuneis moram faciebat, multum ei fœderatus præ donis magnificis, quibus de die in diem de domo Regis augebatur. *Solymanus* audita tantorum virorum belligeratorum adunatione, à præsidio Nicææ egressus est propter auxilium cæterorum Turcorum &

Gentilium, ſpacio plurimorum dierum deſudans, quouſque quingenta millia virorum pugnatorum & ferratorum equitum ex omni Romania contraxit. Quibus vndique collectis & admonitis, fama obſidionis Nicææ & exercitus Chriſtianorum ad aures eius perlata eſt; & quia numerus tot millium ſupra quadringenta millia illic conſediſſe referatur. Fama autem hac attonitus, cum vniuerſa collectione ſuorum iter ſuum per montana mouit verſus mœnia *Nicææ*, ſi fortè è ſpecula rupium poſſet oculis deprehendere, ſi tot, vt audierat, illuc millia conueniſſent, & qua parte hos ſaniùs aggredi poſſet. Tandem ex conſilio ſuorum, quarta die obſidionis tranſacta, idem *Solymanus* duos ex ſuis ſub falſa ſpecie Chriſtiana in morem Peregrinorum ad explorandam virtutem & actus Chriſtiani exercitus direxit, qui cuſtodibus arcis, & defenſoribus Nicææ vrbis, in hunc modum nuncia deferrent: *Scitote, quia Princeps & Dominus vrbis noſtræ, Solymanus, mittit nos ad vos, vt ſpem firmiſſimam in ſuo iuuamine teneatis. Nil formidinis vobis ab his circumſedentibus incutiatur, qui longinquo fatigati itinere, & huc in exilium progreſſi, pro ſtultis computabuntur, quos ſimili pœna & martyrio, vt Petri agmina ante hos dies tractabit; & in proximo vobis ſuccurrere in manu robuſta & in millibus infinitis paratus eſt.* Hac Solymani legatione accepta, viri duo præmiſſi per loca nota & deuia verſus locum, quo vrbs inobſeſſa erat, viam inſiſtunt, ſi fortè enauigare occultè ad ipſos vrbis defenſores valerent, & nota facere, quæ illis à Solymano iniuncta erant: qualiter Solymanus, factis cuneis, in breui peregrinos aggrederetur, & vt omnis virtus Turcorum à portis erumperet, & ſic in fortitudine admixta populum Domini deleret. Sed ex Domini voluntate à cuſtodibus Chriſtianis, circumquaque diffuſis ad tuenda loca & ſemitas, ne qua fraus aut vis ex aduerſo noceret, hi duo præmiſſi à Solymano, capti & retenti ſunt, quorum alter in impetu occiſus eſt, alter ad præſentiam Chriſtianorum principum adductus eſt.

XXVI. Virum itaque apprehenſum *Godefridus* Dux & *Boemundus*, & cæteri minis ſuppliciorũ coëgerunt, vt cuius rei cauſa miſſus venerit, ſola veritate explicaret. Ille autem tot electorum Principum minas expaueſcens, & vitam ſuam in articulo mortis poſitam agnoſcens, flebili voce, humili vultu lachrymarumque continua inundatione de vita & ſalute ſua multum precatur; omnibus trepidans membris, & rei veritatem policetur aperire, & quod vtile & ſalubre vniuerſo populo futurum eſſet. Fatetur enim ſe à Solymano miſſum, quem iugis montium cum innumerabili gente hoſpitatum, & adeò vicinum aſſerit, vt in craſtino die circa horam tertiam eum ad pugnam credant affuturum, & eius dolos ac repentinos incurſus ſua relatione poſſe præcauere. Rogabat enim ſe in cuſtodiam vſque ad prædictam horam teneri, quouſque rei veritas & Solymani probaretur aduentus; ſin autem aliquando his fefelliſſet, nequaquam ſibi vitam donari, ſed collo amputato velle perire. Inſtabat etiam multa & humili prece, quatenus Chriſtianitatis profeſſione baptiſmum ſuſciperet, & Chriſtiano iure Chriſtianis cõmunicaret. Sed hoc potius petebat timore ſuſceptæ mortis, quàm aliquo catholicæ fidei amore. Tandem miſerabili fletu illius & nimia Chriſtianitatis promiſſione, primorum exercitus mollita ſunt corda, ac illius miſerti, vitam ſibi donauerunt; ſed tamẽ mittitur in cuſtodiam, quam petebat. Ab hinc & deinceps peruigili cura totus ſolicitatur exercitus Chriſtianorum, die ac nocte, armis & apparatu prouidus, vſque ad hanc horam, quam ex captiui promiſſione Solymani copias ab Alpibus innumerabiles ebullire didicerant. Dux Godefridus, Boemundus, Robertus Flandrenſis & vniuerſi, qui aderant, Comiti *Reymundo* tota nocte hac legationem direxerunt, quatenus plus ſolito viam maturaret, ſi cũ Turcis bellum committere vellet, & ſociis ſubuenire. Sciebant enim eum in proximo iam ab Imperatore laxatum, & multis honoribus & diuitiis commendatum. Qui tantorum Principum legatione cognita, & Solymani tam maturata aduentatione, nihil moræ vltrà faciens, toto huius noctis tempore accelerauit iter; ac prima hora diei, iam ſole mundum replente, cum Podienſi Epiſcopo in ſignis varii coloris & decoris affuit, in loricis & galeis, in fortitudine vehemente equeſtris & pedeſtris exercitus.

XXVII. Itaq; ipſius Comitis vix tentoria ponebãtur, cũ *Solymanus* circa horam tertiam ab altitudine montium deſcendebat, & omnis comitatus eius, vt arena maris per diuerſas ſemitas factis aciebus exundãs: omnes viri fortiſſimi, & bello cautiſſimi, loricis & galeis & clypeis aureis valde armati, ſignaque plurima miræ pulcritudinis in manibus præferentes. Horum in prima acie ad decem millia, viri omnes ſagittarii, in conuallẽ Nicææ præcucurrerant, arcus corneos

neos & osseos, ad feriendum rigidissimos manu ferentes; & vniuersi equis insidentes cursu velocissimis & bello aptissimis. Sic Solymanus & sui descendentes, per portam vrbis irrumpere in impetu nitebantur, quam *Reymundus*, prędictus Comes ad tuendum obsederat. Sed ab ipso Comite & à *Baldewino*, fratre Ducis, illis ex aduerso cum *Baldewino Calderim* occurrentibus plurima manu, grauiter retrusi & expugnati sunt. In hoc horrore crudelissimi belli inter manus festinantes, sermo Episcopi sic populum consolatur: *O gens Deo dicata, omnia pro DEI amore reliquistis, diuitias, agros, vineas & castella: nunc in promptu vita perpetua est ei cui contigerit hoc in prælio martyrio coronari. Indubitanter hos inimicos, DEO viuenti contrarios, adite; DEO donante hodie victoriā suscipietis.* Hac admonitione, *Paganus* de Garlanda, dapifer Regis Francorum, *Wido* de Porsessa, *Tankradus* & *Rotgerus* de Barnauilla, *Robertus* Flandrēsis, *Robertus* Nortmanorum Princeps, confratribus in CHRISTO sine mora subueniunt, per medias acies fulmineis ictibus & equorū celeritate discurrentes. Dux *Godefridus* & *Boemundus* non equo tardantes, laxis frenis per medios hostes aduolant, hos lanceis perforantes, hos ab equis deiicientes, & socios sæpe hortantes, ad trucidandos hostes virili admonitione consolantur. Illic non modicus fragor hastarum, tinnitus gladiorum & galearum in hoc luctamine belli est auditus; nō modica Turcorum ruina ab his egregiis viris, eorumque sociis facta est. Hac victoria DEI gratia in populo catholico habita, *Solymanus* & sui in montana fuga reuersi sunt, nulla vlterius pugna in hac obsidione populum DEI aggredi audentes. Ab illo die omnem clementiam erga captiuum legatum Solymani fideles CHRISTI exhibebant: quia eum verum & fidelem in sua promissione experti sunt: & priuatus inter familiares summorum Principum diligebatur. Occisorum verò & vulneratorum capita Christiani amputantes, secum in signū victoriæ deferenda in sellarum suarū corrigiis ad tentoria sua detulerunt; & ad societatem, partim in tabernaculis relictam, circa vrbem ad prohibendum exitum inclusorum, cum gaudio reuersi sunt. At huius primi belli turbine sedato circa *Nicæam*, capita Turcorum amputata intra vrbis mœnia iactabant, ad terrendos magistros arcis & custodes murorum. Deinde mille capita Turcorum collecta, in curribus & saccis plaustrisq; reposita, detulerūt vsq; ad portū, qui *Ciuitot* dicitur; & sic nauigio Imperatori Constantinopolin missa sunt.

XXVIII. Imperator visis tot capitibus aduersariorum suorum, & militum Solymani, cuius iniusta vi vrbem Nicæam in dolo amiserat, plurimum in hoc fidelium triumpho exhilarescit; ac disponit, vt pro labore bellico magnam recipiant remunerationem. Vnde pecuniam non modicā, ostra diuersi generis, & omnia necessaria ad remunerandum quenq; potentem in vehiculis mulorum & equorū direxit: victus innumerabiles pariter attribuit; vendendi & emendi vndiq; suo in regno largissima facultas concessa est. Nautæ & mercatores certabāt ex Imperatoria iussione nauibus plenis cibariis frumenti, carnis, vini, olei & hordei per mare discurrere, quousque ad portum *Ciuitot* anchoras iaciunt, vbi fideliū turmæ ad refocillandum corpus, antè ieiuniis aggrauatum, omnia venalia reperiebāt. Hac frequentia escarum fruentes & gaudentes, conspirant & affirmant, se non recessuros, quousq; vrbs superata & capta Imperatoris potestati restituatur. Promiserant enim iuramento, nihil de regno Imperatoris, non castra, non ciuitates, nisi ex eius voluntate aut dono, retinere. Hoc comperto & inuestigato, & visa Christianorum victoria & Turcorum cæde cruentissima, captiuus ille, quem prædiximus, diffisus vitæ, & Christianitatis iugum effugere cogitans, quadam die visa opportunitate clarissima, & custodiæ negligentia, facilis saltu pedis, vallum murorum vrbis transuolat; Turcos per mœnia præsentes, & tunc belli otio vacantes, ad subueniendum sibi incessabili voce admonet ac precatur. Qui sine mora funiculo à mœnibus dimisso inter manus fallacis & fugitiui, * pereni mox in ipso pendentem & manibus hærentem, intra mœnia non paruo clamore ac fragore facto interius & exterius, leuauerunt. Nullus tamen Christianorum fugientem sequi aut retinere præsumsit, propter Turcorum iacula desuper infestantium.

XXIX. Cùm in decreto firmissimo obsidionis & destructionis vrbis, curricula septem hebdomadarum ibidem circa mœnia eius versarentur; & Principes alii iactus & tormenta lapidum ad minuendos muros & turres aptarent; alii arietes ferratos componerent, & diuersa ingenia quærerent, assultusque plurimos inferrent, *Baldewinus Calderim* incessanter muros impugnās, nimisq; temerario & audaci conatu præcurrens, in ictu prędmissi lapidis fractis ceruicibus vitā expirauit. *Baldewinus de Gant* dum ibidē in as-

sultu vrbis desudaret, & incautè muros appeteret, vertice transfixo in impetu sagittæ, vitam exhalauit. Post hæc dum ex consilio & decreto Principum rursus exercitus iteraret assultum, *Comes de Foreis* & alter de Insula Flandriæ *Walo* nomine, in eodem assultu nimium feruentes, & bello vehementes, dum hostes lacesserent, sagittis infixi interierunt. *Wido de Porsessa*, illustris eques ibidem infirmitate occupatus, vita decessit. Fleuit super his omnis populus catholicorum, quoniam fortes consiliarii & auctores rerum capitalium habebantur. Tantos etenim viros nobilissimos cum omni honore & religione Episcopi & Abbates sepelierunt, non modicam eleemosynarum largitionem pro salute animarum illorum diuidentes egenis & mendicis. Dehinc quadam die dum plurimorum Principum strues & machinæ muro Nicææ applicarentur, & quædam non in vanum, quædam frustra laborarent, *Henricus de Ascha* & *Hartmanus* Comes, vnus de Maioribus Alemaniæ, vulpem ex proprio sumtu quercinis trabibus composuerunt, cuius in gyro tutos intexuerunt parietes, vt grauissimos Turcorum sufferret ictus armorum, omniumque iaculorum genera; ac sic in ea manentes, tuti & illæsi vrbem fortiter impugnando perforarent. Hoc tandem *vulpis instrumentum* dum ad vnguem opere & ligaturis perduceretur, milites prædictorum Principum loricati ad viginti in eadem vulpis protectione sunt constituti. Sed magna virorum inundatione & conamine iuxta muros applicata, non æquo subsedit aggere, non recto impulsu aut æquo conductu moderata: & sic trabes, postes, vniuersæq; ligaturæ contritæ, viros in ea latentes in momento oppresserunt. Hartmanus ac Henricus dolentes, & magnum de casu suorum luctum habentes, sepultura extinctos honorificè condiderunt; sed non parum gaudere potuerunt, quòd cum suis non in hac momentana suffocatione perierunt. Alia post hæc die dum creberrimi assultus plurimorum in vanum consumerentur, Comes *Reymundus* turrim quandam duobus tormentis lapidum, quæ vulgo dicuntur *Mangena*, fortiter quassatam oppugnauit. Sed minui & dissolui vel lapis vnus ab hoc antiquo opere, & cæmento vix solubili, robustissimo tam iactu non potuit, dum ad extremum plura adaucta sunt lapidum quassantium instrumenta, quibus tandem muri concussi rimas per loca pertulerunt, & aliqui lapides præ creberrima iactatione cum cæmento minui ac labi cœperunt. Quod videns exercitus DEI viuentis, adunata manu, & facta testudine viminea vallum superans, audaci transitu muros impetunt; turrim muris eminentem vncis ligonibus perrumpere & perforare moliuntur, quam Turci interius coaceruatione lapidum compleuerant, vt validius staret densitate lapidum, & si fortè exterior murus à Gallis corrumperetur, volentibus penetrare impedimento esset congeries infinitorum lapidum. Populus autem DEI viui accensa magis ac magis ira, & strage suorum commotus, turrim percurrit acumine mordacis ferri, quousque foramen trans turrim tanta virtute reddunt, vt hiatus cauati muri duos in simul penetrare præsumētes capere videretur, qui coaceruationem lapidum singulatim eruerent & minuerent, viamque ad hostes patenter aperirent: Sed nec sic proficere potuerunt. Nocte verò quadam ab hac colluctatione, & plurima stragis conamine, circa vrbem populo vexato, & interdum in castris relato, deprehensum est, Turcos nauigio per *lacum* ab vrbe sæpius exire; viros coadiutores arma & omnia necessaria clàm inferre, mercatores vsquequaque illuc conuenire, & à Turcis omnia venalia in eodem lacu reperire. Ex hoc denique Principes plurimis vsi sunt consiliis, quid agerent vel insisterent, qualiter lacus his interdicatur, & inclusis exitus & introitus vltrà nauigio negetur, dicentes non aliter suos assultus vel laborem posse perficere. Tandem inter plurimas discussiones tale repertū est consilium, quia nisi nauali custodia tam spatiosus obseruaretur lacus, nequaquā hostes posse reprimi, nec vrbem alimentis posse vacuari. Vnde magnis & paruis in vnum vocatis, decretum est cōmuni consilio, vt ad portum *Ciuitot* innumerabiles copiæ equestris & pedestris vulgi mitterentur, qui naues à Domino Imperatore impetratas, eiusque dono concessas, à mari per siccum iter vehiculis, arte lignorū aptatis funibus canabinis, & loris taureis humero & collo hominū & equorū impositis, vsq; ad lacum Nicææ perducere valerēt. Quod actū est; & noctis in silentio viam septem milliarium trahentes, has naues miri ponderis & magnitudinis, quæ numerum centum virorum capere poterant, orto Sole ad prædictū locū applicuerūt, has in littore & vndis reponentes. Nec mora, Principes exercitus exurgētes vndiq; peruenerūt ad lacū, videre & scire de naui-

Margin: XXX. (at "egenis & mendicis"), XXXI. (at "momentana suffocatione"), XXXII. (at "ter aperirent"); line numbers 10, 20, 30, 40, 50.

de nauibus; gauisi, quòd sui incolumes, & sine hostili infestatione, & naues sine læsione receptæ sunt. Nauibus itaque receptis sanis & illæsis, fortissimi milites Gallorum in eis sunt constituti, qui vltrà exitu Turcis interdicto obstarēt, & nihil prorsus necessariorum eis inferri paterentur. In vna autem naue de *Turcopolis* Imperatoris viri sagittarii habebantur, qui nauali certamine in aquis multum præualere solebant. *Turci* verò, & vniuersi custodes præsidii, circa lacum tumultum populi, & Principum tam matutinos conuentus intelligentes, ad mœnia versus fluuium concurrunt, multum de nouiter adductis nauibus admirati, quas procul dubio suas æstimassent, nisi quòd suæ adhuc altero in littore iuxta muros & mœnia catenatæ ferro & seris stare videbantur. Sic lacu nauali obsidione præoccupato, & militum illic in flumine loricata manu, in lanceis, arcu & sagittis armata, relicta, Comes *Reymundus*, & sui satellites, ac plurima manus de exercitu iteratò prædictam turrim conueniunt; assultus & lapidum iactus multiplicant; Turcos non parcè vexant & impugnant, ariete ferrato muros crebra hominum vociferatione impellentes. Turci siquidem videntes crebro ariete muros impelli & concuti, & turrim ligonibus perfodi, adipem, oleum, picemque stuppis & facibus ardentissimis commixtam, fundebant à mœnibus, quæ instrumentum arietis & crates vimineas prorsus absumserunt: alii sagittis & corneo arcu plurimos interimebant; alii saxorum læsione secus muros & turrim laborantes opprimebant. In hac Turcorum defensione & reluctatione, quidam miles illorum ferocissimi animi & cordis non parcè desudabat arcu & iaculis; &, quòd dictu mirabile est, in vulnere sibi illato diffisus vitæ, procul abiecto clypeo, manifestè opposuit pectus telis cunctorum, & rupea saxa in medium vulgus ambabus manibus torquebat. Hic quamuis, vt aiunt pro vero qui affuerunt, viginti sagittis adhuc hærentibus in præcordiis premeretur, non continebat manus à iactura lapidum & percussione Gallorum; sed amplius & sæuius damnum exercebat in populo. Dux verò *Godefridus* videns tam ferocissimum & crudelissimum sæuire, nec tot sagittarum infixione deficere, sed plures fidelium illius iaculatione perire, arrepto arcu baleari, & stans post scuta duorum sociorum, eundem Turcum trans vitalia cordis perculit; sicque mortuum vltrà à cæde horrenda compescit. Tandem fatigato populo Christianorum, & Sole declinato, & assultu tam horribili sedato, Turci angustiati præ foramine turris, rursus saxorum aceruos comportant interius noctis in silentio, ne facilis aditus in crastino reperiretur.

XXXIV. Manè autem Sole relato, populus Dei ad iterandum assultum, & ampliandum turris penetrale, animatur & armatur. Sed visa & agnita rursus lapidum collatione opposita in recenti foramine, memor periculi & anxietatis, quam priori luce pertulerat, cœpit animo mollescere, & quisque alium commonere, vt præiret. Tandem miles quidam illustris, de tabernaculis prædicti *Roberti* Nortmanorum Comitis exiliens, galea opertus & lorica, & tectus clypeo, trans vallum muros imperterritus inuadit, ad turrim properat, & aceruos lapidum à foramine eruere nititur, & aditum saxis occupatum vacuare. Sed grandine saxorum, & assidua inundatione iaculorum incepti obliuiscitur. Videns autem idem miles omni auxilio se destitutum, & præ oppressione immensorum lapidum nihil posse proficere, cominus muro se astringit ad deuitanda iacula Turcorum, quæ sine intermissione fatigabant virum egregium. Sed nec sic, euadendi manus illorum vlla via aut facultas illi monstratur. Tandem tot millium lapidibus à collo & capite illius scuto auulso, fractis ceruicibus iuxta muros obruitur; & in ipsa lorica & galea moritur in aspectu omnium fidelium, nequaquam illi subuenientium. Turci ergo videntes virum immobilem iam obisse, ab ipsa nefanda turri catenā proiiciunt, vngues ferreos acutissimos & rapacissimos ex fabrili ingenio & opere habentem quasi hamos, quæ anulo loricæ extincti militis infixa; eundem arripiens ac retinens, cum cadauere mortuo intra mœnia leuatur. Dehinc corpus militis apprehensum, licet extinctū, in laqueo funis ad mœnia suspenderunt, vt Christianos per hanc inhumanitatem amplius offenderent. Offensi igitur & tristes vniuersi lamentabantur confratrem, tam crudeli nece & vili tractatu obiisse. Quem post hanc diutinam illusionem nudum à mœnibus proiectum, honorificè susceptum cum cæteris præfatis & ibidem occisis fidelibus, in eleemosynarū distributione, sacerdotumq; commendatione sepelierunt.

XXXV. Hac ruina virorum fortium, & creberrimis damnis Christianorum, quæ in assultu vrbis per singulos dies patiebātur, Duce Godefrido & Boemūdo cunctisq; Principi-

bus turbatis; & quia nullo conamine machinarum & balistarum aut impetu virium muris aliquam læsionem inferre poterant, sed omnis labor, & virtus eorum in cassum consumebatur, quidam Longobardus genere, *magister & inuentor magnarum artium & operum*, videns miserias & strages Christianorum, vltrò se obtulit præfatis Principibus, quorum animum huiuscemodi solatione & promissione releuat, dicens: *Video, quia omne opus machinarum nostrarum in vanum laborat, vestrates crebra morte circa muros minuuntur, & magnis periculis vita residuorum adhuc subiacet. Nam Turci inclusi confidenter & securi à turribus & mœnibus repugnant, incautos & nudos sagittis & saxis obruunt: quin murus antiquorum astutia fundatus, non ferro aut aliquo robore potest rescindi. Vnde quia omnem virtutem vestram sic frustrari perspexi, maiestatem vestram adire & compellare disposui, quatenus si consiliis meis acquiescatis, & aliquod laboris mei præmium à vobis consequar, Deo auxiliante, turrim hanc, quæ valida & insuperabilis videtur, humi cogam procumbere sine damno & vestrorum periculo commilitonum, per quam aditus patebit ad inimicos, vobisq; contrarios: tantùm necessaria arti meæ & communi sumtu & iuuamine administrentur.* Audita hac viri promissione, cum omni beneuolentia pacti sunt ei dare quindecim libras Cartanensis monetæ, præmium laboris sui; & quicquid necessarium operi requireret, indesinenter administrare, gauisi & confidentes in spe promissi artificii. Magister itaque artis facta prædicta conuentione, ingenia sua aptat, parietes decliues connectit, & virgeas crates assuit mirifico instrumento, sub cuius protectione ipse ac secum desudantes capita sua tuta à iaculis Turcorum, desuper resistentium, haberent. XXXVI. Ad vnguem verò instrumento suæ protectionis perducto, viri Christianorum loricati & clypeati circa machinam conglobantur. Quam in virtute sua trans vallum impulerunt trahentes; & iuxta muros, inuitis & prohibentibus desuper omnibus Turcis, cominus adiunctam statuerunt. In qua magister artis cum cæteris opificibus suis tutus relinquitur, regressis sine magna læsione fidelium turmis. *Turci* verò videntes huius ingenii instrumentum in detrimento vrbis posse præualere, faculas ardentes cum pice & adipe iactant super machinã, & saxeas moles conuoluunt à mœnibus, si sic aliqua arte ars muro illata destruatur, & inclusi in ea absterreantur. Sed frustra omnia iactant aut conantur: quia parietes decliues nil ingestum ignis aut lapidis retinebant. Magister verò artis fiducialiter latens in machina cum sociis secum habitis, sub fundamento turris ligonibus & acutissimo ferro cauare terram non desinit, donec trabes, postes & cætera immanissima robora lignorum in ipsa cauatione sub fundamento componeret, quibus muri, ablata terra, ne subitò super adhuc fodientes ruerent, inniterentur. Iam verò cauatione permaxima facta in latitudine & longitudine, ex admonitione magistri artis, vniuersi de exercitu, parui & magni, sarmenta, stipulas, tegulas, calamosque aridos, stuppas, & omnia fomenta ignis conferunt, & inter postes & trabes & magnificas arbores coaceruant, vndique his lignis cauatione occupata: Post hæc ignis à magistro operis immissus, magno spiramine suscitatur, quousque perstrepens & discurrens flamma insuperabilis magis ac magis inualuit, quę postes, trabes & omnia ligna supposita in cinerem redegit. His ita in fauillam redactis, & fundamentis sustentaculo deficiente, tam terræ quàm lignorum ædificium vetustissimæ turris resupinum in momento, noctis medio, corruens, tantum reddidit sonitum, vt tonitrui fragor, omnibus somno excitatis, videretur. Igitur tam intolerabile pondus collapsæ turris licet repentino casu procumberet, non cæmentorum aut petrarum collisione, in plurimas partes dissiliit; sed quassi & corrupti per loca muri ipsius arcis iacentes rimarum læsione hiabant, aditumque, sed tamen difficilem, exhibebant. In hac itaque turris ruina & contritione, vxor nobilissima Solymani vehementer exterrita, non vltrà in vrbis confisa pręsidio, noctis in silentio, à suis in lacus flumine immissa est, vt sic nauigio Christianos euaderet. Sed percepto eius abscessu à militibus, lacum tuentibus, remigio nouiter adductarum nauium capta, & in custodiam Principum cum duobus tenellis filiis reposita est. XXXVII. Turci & arcis defensores pariter, turri humi procumbente perterriti, ac matronæ huius captiuitate stupefacti, & lacus enauigatione amodo desperati, suorum occisorum interius graui imminutione desolati, longa obsidione fatigati, nec se euadere posse videntes, consilio inuicem habito de vita & salute membrorum precantur sibi parci ab exercitu Christiano, claues vrbis policiti reddere in manus Imperatoris Constantinopolis, sub cuius conditione vrbs primitus hæreditario iure seruiens habebatur, quousque iniusta vi Solymanus sibi subiuga-

ſubiugatam inuaſit. *Tatinus* verò truncatæ naris, familiaris Imperatoris, conſilio Maiorum exercitus ſatisfaciens, precibus illorum, ſuſcepta vtrinque fide & reddita, apud Chriſtianos proceres pro eis interceſſit, hac conditione, vt ab vrbe incolumes exeant, & in Imperatoris deditionem veniant, cum vxore Solymani nobiliſſima, quæ nuper capta, in cuſtodia Principum Francorum habebatur cum duobus filiis ſuis tenellis. Sic vtrinque ſedato aſſultu, dum diuerſa conſilia reddendæ ciuitatis agerentur, & plures captiui Chriſtianorum redderentur, quædam ſanctimonialis fœmina de cœnobio S. Mariæ ad horrea Treuirenſis Eccleſiæ cum cæteris reſtituta & abſoluta eſt in manus Chriſtiani exercitus, quæ ſe de attrito Petri agmine captam & abductam profeſſa eſt, parumque intermiſſionis à fœda & abominabili cuiuſdam Turci & cæterorum commixtione habuiſſe conqueſta eſt. Dum verò ſuper his iniuriis miſerabiles gemitus in audientia Chriſtianorum proferret, inter proceres & milites CHRISTI *Henricum de Aſcha* caſtello recognouit. Quem ex nomine lachrymabili & humili voce compellans, ad auxilium ſuæ emendationis adeſſe commonuit. Qui ſtatim hac recognita, ſuper infortunio eius motus eſt, omnique induſtria & miſericordia, qua potuit, apud Ducem Godefridum obtinuit, quatenus ei à Domino *Reymero*, venerabili Epiſcopo, conſilium pœnitentiæ daretur de huiuſcemodi inceſtu. Tandem conſilio accepto à Clero, facta eſt ei remiſſio illicitæ copulationis cum Turco, & alleuiata pœnitentia; eò quòd vi & nolens ab impiis & ſceleratiſſimis hominibus hanc fœdam pertulit oppreſſionem. Poſt hæc modico interuallo ſolius noctis, per internuncium eiuſdem Turci, qui eam violauerat, & cæteris abſtulerat, plurima ſuaſione & blanda promiſſione ad illicitos & inceſtos thalamos reinuitatur. Exarſerat enim idem *Turcus* in illius inæſtimabilem pulcritudinem, vnde nimium ægrè ferebat ipſius abſentiam, cui adeò præmia promiſerat, quæ illius animo ſic inſederant, vt ad nefandum maritum rediret. Promittebat enim ſe idem Turcus in breui Chriſtianum fieri, ſi fortè à captiuitate & vinculis Imperatoris exiret. Tandem miſella, ſi vi antè deliquit, nunc blanditiis & vana ſpe decepta ad impium ſponſum & adulterinas nuptias recurrit, vniuerſo ignorante exercitu, quæ aſtutiâ & laſciuiâ ab eis ſubtracta eſt. Poſt hæc à relatoribus innotuit; quòd ad eundem Turcum reuerſa ſit in exilio quo erat, non alia de cauſa, niſi propter libidinis intolerantiam. Iam ſic turbine ſedato belli, & Chriſtianis captiuis ab vrbe reſtitutis, Turciſque in deditionem Imperatoris ſuſceptis & tranſmiſſis, exercitus DEI viuentis hanc diem in magno gaudio & exultatione ibidem in caſtris exegit: quia pro ſpe illis adhuc omnia contingebant.

XXXVIII. Craſtino verò die illuceſcente, vſui ſumtis neceſſariis, mouit omnis populus, iter faciens per mediam *Romaniam* ſecurus, & nihil metuens affuturæ aduerſitatis. Biduo autem communi agmine gradientes per iuga montium, & anguſtas fauces viarum, decreuerunt tanti exercitus diuiſionem fieri, vt liberiùs & ſpatioſiùs in caſtris populus habitaret; ſicque diuiſus, pleniùs cibo & pabulo equorum abundaret. Conuenerunt quidem inter duos montium apices; vbi per pontem flumine quodam ſuperato, *Boemundus* prorſus cum ſuis ſequacibus turmis à Duce Godefrido diſſociatur. Quem quidam magnifici primores ſunt ſecuti, *Robertus* Comes Nortmannorum, & *Stephanus* Bleſenſium Princeps; ſic ſemper viam ad dexteram inſiſtentes ac moderantes, vt amplius milliari à confratribus non elongarentur. *Dux* ſuique contubernales cum Epiſcopo *Podienſi* & *Reymundo* Comite ſemper ad dexteram tendebant. Hac ergo diuiſione facta, Boemundus cum omni exercitu ſuo in vallem *Dogorganhi*, quæ à modernis *Ozellis* nuncupatur, hoſpitandi gratia, circumquaque locis in gramine diffuſis, circa horam nonam deſcendit, vt alimentis, cæteriſq; neceſſariis, in locis, aptis riuis & pratis, caſtra locarent.

XXXIX. Vix verò *Boemundus* & cæteri viri fortiſſimi ab equis deſcenderant, & ecce *Solymanus*, qui ab eo tempore, quo in fugam ab vrbe *Nicæa* verſus eſt, auxilium & vires contraxit ab Antiochia, Tarſo, Alapia & cæteris ciuitatibus Romaniæ, à Turcis ſparſim poſitis, affuit in impetu vehementi & multitudine graui. Nec mora, nec requies vlla cædendi & expugnandi exercitum, ac diſcurrendi per caſtra fuit, aliis ſagittis transfixis, aliis gladio detruncatis, nonnullis à tam crudeli hoſte captiuatis: adhæc vndique clamor magnus & tremor in populo excitatur; mulieres nuptæ & innuptæ vnà cum viris & infantulis detruncantur. *Robertus* verò Pariſienſis miſeris volens ſuccurrere, ſagitta volatili confixus & extinctus eſt. Boemundus hac ſtrage grauiſſima attonitus cæterique priores, equos

reparant, ad loricas & arma festinantes in vnum conglobantur, ac plurimum se ex improuiso defendentes, diu prælia cum hostibus committebant. *Willehelmus* iuuenis audacissimus, & tiro pulcerrimus, frater Tankradi, dum multum in armis resisteret, Turcos hasta sæpius perforaret, in conspectu ipsius Boemundi sagitta percussus corruit. *Tankradus* viriliter in gladio defensus, vix viuens euasit; sed signum decoris, quod in hasta prætulerat, ibidem cum fratre reliquit. *Turci* cum Principe suo Solymano magis ac magis inualescentes, fortiter irrumpunt in castra, sagittis & corneo arcu ferientes & mortificantes pedites, peregrinos, puellas, mulieres, paruulos ac senes, nulli parcentes ætati. Hac crudelitate atrocissimæ mortis stupefactæ teneræ puellæ & nobilissimæ, vestibus ornari festinabant, se offerentes Turcis, vt saltem amore honestarum formarum accensi & placati, discant captiuarum misereri. 10

XL. Cùm sic afficerentur fidelium greges, & Boemundi virtus iam minus resistere valeret, eò quòd ex improuiso in se suosq; armis exutos irruissent, iamque ad quatuor millia de exercitu Christianorum in manu hostili cecidissent, nuncius per abrupta montium sine mora equo transuolat, quo vsque ad castra Ducis tristis & exhaustus spiritu venit. Quem vt *Godefridus* Dux, ab ostio tabernaculi aliquo spacio transgressus ad considerandos socios, à longè perspexit rapido cursu festinantem, & mœsto vultu pallentem, qua de causa viam accelerauerit, requirit, vt sibi cæterisque primoribus referat & exponat. Hic amara & grauia nuncia retulit, dicens: *Nostri Principes cum ipso Boemundo grauissimum belli laborem sustinent; vulgusque sequens iam totum capitalem subiit sententiam, qua & domini Principes nostri sunt casuri in præsens, nisi festinatò manus vestra subueniat. Turci quidem castra nostra irruperunt, & per vallem, quæ dicitur* Ozellis vel terribilis *descendentes ad vallem* Degorganhi *Peregrinos trucidare non cessant. Robertum Parisiensem capite deciso iam interemerunt: Willehelmum iuuenem egregium, sororis Boemundi filium, dignum planctu, percusserunt. Et iccirco vos omnis inuitat societas ad ferendum auxilium: nulla vos mora aut dilatio impediat aut retardet.* 20

XLI. Hac audita miseria & Turcorum audacia, Dux per vniuersa agmina iussit cornua perstrepere; socios commonere vniuersos & arma capere, signa erigere, sociis sine vlla dilatione aut requie subuenire. Tanquam si ad conuiuium omnium deliciarum vocarentur, festinant arma capere, loricas induere, gladios recingere, equis frena referre, sellas tergis imponere, clypeos resumere; & ad sexaginta millia equitum è castris procedunt cum cætera manu pedestri. Iam dies clarissima illuxerat, Sol radiis fulgebat lucidissimus: cuius splendor in clypeos aureos & vestes ferreas refulsit; signa & vexilla gemmis & ostro fulgida erecta, & hastis infixa coruscabant. Caballi celeres calcaribus vrgebantur, nullus socium aut fratrem expectabat, sed quisque, quo velociùs poterat, ad auxilium & vindictam Christianorum viam insistebat. Hos denique Turci ex improuiso vt persenserunt ad auxilium sociorum omni velocitate & belli instantia animatos esse tam robusta manu, & in armis & veste ferrea, & in signis luciferis ad bella erectis, fugam arripiunt; & timore concussi, à cæde horrenda declinant, alii per deuia, alii per semitas notas diffugium facientes. Sed *Solymanus* cum ampliori manu & densioribus cuneis in montis cacumine fuga elapsus consistens, Christianis insequentibus occurrere ibidem, & in faciem resistere disposuit. 30 40

XLII. Dux autem *Godefridus*, qui solus cum quinquaginta sodalibus in equi velocitate præcesserat, subsequentis populi in breui adunatis viribus, indubitanter ad ardua montis conscendit, cum Turcis ferire & armis committere, quos conglobatos & immobiles ad resistendum in montis vertice respiciebat. Iamque vndique suis receptis & adiunctis, hostes immobiles incurrit, hastas in eos dirigit, sociosq; vt cõstanter eos adeant, virili voce adhortatur. *Turci* verò cum Duce suo Solymano Ducis Godefridi & suorum constantiam nequaquam animo ad præsens bellum deficere videntes, à montis summitate laxis frenis equorum velocitate fugam parant. Quos Dux via sex milliarium insecutus, alios in ore gladii percussit, nonnullos captiuos cum suis tenuit; prædas & spolia illorum non pauca cepit; puellas & iuuenes & omne, quod asportare vel abducere sperabant, ab hostibus excusserunt. *Gerardus de Keresi* in equo laudabili residens, in eadem hostium insecutione in supercilio montis adhuc Turcum manentem, & nimium audentem viribus, respiciens, scuto tectus fortiter hasta incurrit: Quem sagitta illius emissa & clypeo excussa, trans iecur & pulmonem perforat, equumque morientis & labentis abduxit. *Baldewinus* Comes Hamaicorum, vir & largitor magnarum eleemosynarum, cum *Roberto* Flandrensi 50

Turcos

Turcos fugientes sternit; hortatur socios, circumquaque concurrentes, vt feriant & trucident, & ab insecutione illorum nunquam retardari aut manus continere videantur. *Baldewinus* de Burg, *Thomas de Feria* castro, *Reinoldus* Beluacio, *Walo* de Calmont, *Gothardus* filius Godefridi, *Gastus* de Berdeiz, *Rudolphus* etiam: hi omnes vnanimes in luctamine belli desudabant, Turcorum agmina in virtute militari insequentes ac scindentes. Equorum ilia grauis anhelitus pulsat, fumus ab ipso anhelitu per medias acies in nubem densabatur. *Turci* verò interdum recuperatis viribus, in virtute multitudinis suæ freti viriliter resistebant in grandine sagittarum denso volantium & cadentium. Sed huius grandinis tempestate citò trans-
10 missa, fidelium turmæ, tela manu retinentes, illorum globos attenuant & mortificant, victosque tandem cogunt in diffugium per deuia viarum & abrupta montium, quorũ semitas notas habebant. Christiani ergo victores, quicquid in stipendio suæ expeditionis Turci conduxerant, frumentum, vinum non modicum, buflos, boues & arietes, camelos, asinos, equos & mulos, præterea aurum preciosum & argentum infinitum, papiliones mirifici decoris & operis abstulerunt. In huius victoriæ prospero successu omnes vnanimiter, *Boemundus* scilicet & cæteri Principes præfati, qui erant ductores & columnæ exercitus, in concordiam & cõsilium redeunt, & ab illo die commixtis cibariis cunctisque rebus necessariis, omnia communia habere decreuerunt: Quod & actum est. In hoc conflictu belli,
20 Turcorumque diffugio, nonnulli Christianorum militum sagittis vulnerati perierunt; Turcorum autem tria millia cecidisse referuntur. Hoc tam crudeli certamine finito, circa flumen quoddam & eius carectum Christiani milites spatio trium dierum quieuerunt, curantes corpora nimis fessa ex abundantia escarum, quas Turci occisi reliquerant. Episcopi verò, presbyteri, monachi, qui aderant, corpora occisorum terræ tradiderunt, animas fideles illorum in manu IESV CHRISTI precibus & Psalmis commendantes. *Solymanus* iam denuò victus, Alpes Romaniæ vix euadens condescenderat, nihil vltra spei habens vrbis *Nicææ*, vxoris filiorumque; ac nimium luctum faciens suorum, quos ante hos dies in campo Nicææ extinctos à Gallis amiserat, & nunc eorum, quos in valle Gorgonia ca-
30 ptos & peremtos reliquit.

XLIII.

ALBERTI AQVENSIS EXPEDITIONIS HIEROSOLYMITANÆ LIBER TERTIVS.

Argumenta Capitum.

XVIII. De prospero euentu Baldewini in expugnandis munitionibus, & de perfidia cuiusdam Armenii. Iam inuitus idem Armenius commissum sibi præsidium reddit.

XIX. Dux ciuitatis Rohas Baldewinum in auxilium vocat: Baldewinus vocatus, ire perrexit: à Turcis vetitus iteratò reproperat.

XX. Baldewinus qualiter in vrbe Rohas exceptus sit, & quàm magnanimè Ducis illius dona respuerit: & petitio seniorum.

XXI. A Duce vrbis Rohas Baldewinus in filium adoptatus, petitione ipsius Samusart ciuitatem impugnat: sed infecto negotio reuersus est inanis.

XXII. Conspiratæ plebis consilium in Ducem suum Baldewinus volens reprimere, nihil proficit.

XXIII. Quàm miserè idem Dux interfectus sit.

XXIV. Occiso Duce, Baldewinus surrogatus venalem arcem Samusart emere primò contemsit, postmodò consilio suorum rebus preciosissimis comparauit.

XXV. Præsidium Sororgia in manus Baldewini nō sine labore traditur, & Balduc fraudulentia notatur.

XXVI. Tankradus damnosa Christianis præsidia destruit, & oblata sibi ab hostibus munera prudenter reponit.

XXVII. De ciuitate Maresch, vbi & vxor Baldewini obiit.

XXVIII. De ciuitate Arthesia, vbi Christiani Armenii secum manentibus Turcis capita descecantes, fratres benignè recipiunt.

XXIX. Populus DEI profana multitudine circumplexi, ferro sibi viam aperiunt, & vix euadunt, obsessi fiducialiter agunt.

XXX. Profani Arthesiam obsidentes, de aduentu Christiani exercitus per exploratores edocti, nequaquam, vsq; in noctem, obsidionem soluunt.

XXXI. Exercitu DEI adueniente, Arthesia fidelium tuitione munitur: Baldewinus triumphis clarus nouis nuptiis illustratur.

XXXII. CHRISTI populus adunatus non vltrà diuiditur, quem Podiensis Episcopus circumspectum fore, paternè alloquitur.

XXXIII. Relicta Romania, praelectos sequentes signiferos ad pontem vsque fluuii Farfar perueniunt: vbi à Turcis bellicosè excepti sunt.

XXXIV. Dura conflictio fidelium & Turcorum pro transitu pontis.

XXXV. Monitu Podiensis Episcopi pontem superant: commisso prælio bellatores CHRISTI victores redeunt: Principem Antiochiæ nuncia dura percellunt.

XXXVI. Iter Antiochiam indicitur: antistes populum alloquitur, & per eum qui principes exercitus præcedere, qui extremas custodias obseruare debeant, ordinantur.

XXXVII. Antiochiam peruenientes quid egerint, & quantus æstimatus sit exercitus DEI.

XXXVIII. Descriptio qualiter obsessa sit vrbs.

XXXIX. Item de eadem re.

XL. De ponte fluminis, ad cuius destructionem machinæ exquisitæ componuntur. 10

XLI. Congressio valida pontis, vbi machina Christianorum in fauillam redigitur, & instaurantur alia instrumenta.

XLII. De nauali ponte fidelium ad euitandas Turcorum insidias.

XLIII. Qualiter Turci Christianos, ad equorum pabula missos, clàm inuaserint.

XLIV. Fideles, in vltionem suorum consurgentes, post mutuam cædem partim gladiis consumti, partim in flumine submersi sunt. 20

XLV. Custodia portæ pacto pecuniæ Tankrado mandatur.

XLVI. De Clerico & matrona, qui dum aleis luderent, insidiosè peremti sunt.

XLVII. De milite propria incuria prostrato, & de pomario, quod fidelibus nocuum succiditur.

XLVIII. De Hugone Comite, qui fidelium neces dolens, Turcorum fraudibus prudenter occurrit. 30

XLIX. Vbi Comitis eius filius Turcorum sæuissimum post nonnulla vitæ discrimina prosternit, victorqúe regreditur.

L. Deficientibus victui necessariis, Principes in hoc electi de circumpositis terris prædas innumeras abducunt.

LI. Vbi à gentilibus præda excutitur.

LII. De præda Roberti Comitis, & inualescente fame, minores quid egerint, vel quid passi sint. 40

LIII. Mors atrocissima cuiusdam Archidiaconi & comitum eius.

LIV. De morte filii Regis Danorum, & Florinæ cuiusdam matronæ, & eorum, qui in balneis occisi sunt

LV. Porta Christianis mortifera: Reymundus Comes profanos aliquantum à fidelium inuasione coercet.

LVI. Pro redemptione cuiusdam captiui iuuenis, parentes eius volentes turrim suam Christianis tradere, expulsi sunt, & iuuenis à Christianis occisus est. 50

LVII. Decretum populi DEI, & denotatio duorum, qui in adulterio deprehensi sunt.

LVIII. Dux Godefridus iam recuperata salute, & Reymundus Comes, per regiones diuisi, ad contrahendas prædarum copias destinantur.

LIX. Legatio Babylonici Regis ad populum DEI.

DEI, & quomodo Winemarus Laodiceam & strenuè ceperit, & stultè amiserit.

LX. *Consilium obsessæ Antiochiæ catholicis proditur: Episcopus Podiensis & Dux Godefridus populum DEI verbis consolatoriis adhortantur.*

LXI. *Electi milites hostilia castra inuadere, multitudine graui superueniente, non terrentur.*

LXII. *Pontificis sermone peregrini roborati, septingentos hostium palàm triumphant, sectisquè ceruicibus dehonestant.*

LXIII. *Boemundus & comites eius dum pontem hostibus incommeabilem facere nituntur, partim cæsi partim læsi sunt, & hoc Duci Godefrido flebiliter nunciatur.*

LXIV. *Fidelibus in vltionem suorum cōsurgentibus, anceps vtrinque pugna diutius agitur.*

LXV. *Vbi Dux loricatum Turcum vno ictu medium diuidit: & post cruentam pugnam fideles victoria comitatur.*

LXVI. *Quidam obsessorum Antiochiæ ad Christianos clanculo confugerunt & præsidium iuxta pontem extructum custodiæ Reymundi delegatum est.*

POSTQVAM hostilis impetus abscessit, quartæ imminente lucis crepusculo, Francigenæ, Lotharingi, Alemani, Bawari, Flandrenses & vniuersum genus Teutonicorū castra mouerunt cū omnibus rebus sibi necessariis & spoliis Turcorum; & in vertice *nigrorum montium* castra metati, hospitio pernoctauerunt. Manè autem facto, Normani, Burgundiones, Britani, Alemani, Bawari, Teutonici, omnis videlicet exercitus, abhinc descenderunt in valle nomine *Malabyumas*, vbi propter difficultates locorum & angustarum faucium inter rupes iter per dies abbreuiabant, & ob innumerabilem multitudinem, & nimios calores mensis Augusti. Sabbati dehinc die cuiusdam instante eiusdem mensis, defectus aquæ magnus accreuit in populo. Quapropter satis anxietate oppressi, vtriusque sexus quàm plurimi, vt dicunt, qui afferunt, circiter quingenti ipsa die spiritum exhalârunt. Propterea equi, asini, cameli, muli, boues, multaque animalia eodem fine grauissimæ sitis extincti sunt. Comperimus etiam illic non ex auditu solùm, sed ex veridica eorum relatione, qui & participes fuêre eiusdem tribulationis, in eodem sitis articulo viros & mulieres miseros cruciatus pertulisse, quod mens horrescat, auditus expauescat, & de tam miserabili infortunio in suis contremiscat. Quàm plurimæ namque fœtæ mulieres exiccatis faucibus, arefactis visceribus, venisque omnibus corporis, Solis & torridæ plagæ ardore inæstimabili exhaustis, media platea in omnium aspectu fœtus suos enixæ relinquebant: Aliæ miseræ iuxta fœtus suos in via communi volutabantur, omnem pudorem & secreta sua oblitæ præ memoratæ sitis difficilima passione. Nec ordine mensium aut hora instanti parere compellebantur; sed Solis æstuatione, viarum lassitudine, sitis collectione, aquarum longa remotione ad partum cogebantur: quarum infantes alii mortui, alii semiuiui media platea reperiebantur. Viri autem quàm plurimi sudore & calore deficientes, aperto ore & faucibus hiantes, aërem tenuissimum captabant ad medicandam sitim: quod nequaquam prodesse potuit. Nam plurima pars, vt prædiximus, illic periisse hac die perhibetur. Nisi verò, & accipitres, aues domitæ & gratissimæ procerum & nobilium, calore eodem & siti moriebantur in manibus eas ferentium. Sed & canes in venatoria arte laudabiles inter manus magistrorum extinguebantur. Iam sic omnibus in hac pestilentia laborantibus, optatus quæsitusque aperitur fluuius. Ad quem festinantes, præ nimio desiderio quisque alium in magna pressura præuenire studebat, nullum modum bibendi habentes, quousque infirmati plurimi ex nimia potatione tam homines quàm iumenta perierunt. Post hæc egressis ab angustis rupibus, decretum est communi beneuolentia, propter nimietatem populi, exercitum in partes diuidi. De quibus *Tankradus* & *Baldewinus*, frater Ducis Godefridi, cum suis recedentes, per medias valles Ozellis transibant. Sed *Tankradus* cum suis præcedens, ad vrbes finitimas, *Reclei* & *Stancona* descendit, in quibus Christiani ciues habitabant, Turcis, viris Solymani, subiugati. Baldewinus cum suis montanis semitis perplexis incesserat, graui cibariorum defectione cum omni manu sua aggrauatus; quin equi pabulo deficiente vix sequi, nedum viros portare poterant. Dux verò *Godefridus, Boemundus, Robertus, Reymundus* regia via à longè sequebantur, & *Antiochiam minorem* reclinantes, quæ in latere Reclei sita est, hospitio nona diei hora moram facere decreuerunt. Vespere autem facto, Godefridus Dux cæteriquè primores iuxta montana per amœ-

na loca pratorum tentoria locauerunt, aptam & voluptuosam regionem considerantes & venationibus fœcundissimam, quibus nobilitas delectari & exerceri gaudet. Illic accubantes, armis cunctisque exuuiis repositis, syluam aptissimam venatibus reperientes, sumto arcu & pharetra, gladiis accincti, saltus montanis contiguos ingrediuntur, si fortè obueniret, quod configere & persequi catulorum XV. sagacitate valerent. Tandem diffusis per opaca nemoris singulis in sua semita ad insidias ferarum, Dux *Godefridus* vrsum immanissimum, & horrendi corporis, Peregrinum inopem, sarmenta congerentem, inuasisse respicit, & in circuitu arboris fugientem ad deuorandum persequi, sicut solitus erat pastores regionis aut syluam intrantes deuorare, iuxta illorum narrationem. Dux verò, sicut solitus 10 erat & promtus ad omnia aduersa Christianis fratribus subuenire, educto raptim gladio, & equo fortiter calcaribus admonito, misello homini aduolat; eripere à dentibus & vnguibus lanionis anxiatum festinat; & clamore vehementi per media fruteta accelerans, obuius crudeli hosti offertur. Vrsus itaq; ipso equo eiusq; sessore se celeri cursu premente, ferocitati suæ fidens & rapacitati vnguium suorum, non segnius facie ad faciem Duci occurrens, fauces vt iugulet, aperit; totum se ad resistendum, imò ad inuadendum, erigit; vngues suos acutissimos exerit vt laniet: caput & brachia, ab ictu gladii diligenter cauens, subtrahit, ac sæpe volentem ferire decipit; quin murmure horrisono totam syluam & montana commouet, ita vt omnes mirarentur, qui hoc audire poterant. Dux ergo astutum & pessimum ani- 20 mal considerans in feritate audaci resistere, motus animo, vehementer indignatur; & verso mucronis acumine, temerario & cæco impetu propinquat belluæ, vt iecur eius perforaret. Sed infelici casu ictum gladii effugiens bellua, subito curuos vngues tunicæ Ducis infixit; ac complexum brachiis, equo deuolutum, terræ applicans dentibus iugulare properabat. Dux itaque angustiatus, reminiscens multorum suorum insignium factorum, & de omni periculo se adhuc nobiliter ereptum, nunc verò vili morte à cruenta bestia se suffocari dolens, recuperatis viribus in momento resurgit in pedes, gladiumque in hoc repentino lapsu ab equo, & cum insana bestia luctamine, propriis cruribus implicitum, celeriter in eiusdem feræ iugulum rapiens, & capulo retinens, suras & neruos proprii cruris gra- 30 ui incisione truncauit. Sed tamen licet sanguis incessabili vnda proflueret, viresque Ducis minueret, iniquæ belluæ non cessit, ad defensionem stans asperrimus: quo vsque audito inopis rustici, & ab vrso liberati, clamore ingenti, & murmure lanionis vehementi, quidam *Husechinus* nomine ex consociis, per syluam diffusis, velocitate equi, Duci in auxilium affuit: qui stricto mucrone horribilem feram impetiit, & vna cum Duce iecur & costas illius transfixit. Sic tandem ferocissima fera extincta, Dux primùm vulneris dolore, deinde nimia sanguinis effusione cœpit corde deficere, vultu pallescere, ac totum exercitum impiâ famâ conturbare. Concurrunt vniuersi ad locum, vbi athleta & vir consiliorum, caput Peregrinorum, læsus ferebatur. Quem Principes exercitus gestatorio imponentes, ad ca- 40 stra cum ingenti luctu, cum planctu virorum & vlulatu mulierum detulerunt, medicos peritissimos ad sanandum ei adhibentes: feram verò inter se diuidentes, XVI. nullam illi magnitudine similem antea se vidisse fatebantur. Duce verò sic graui vulnere impedito, exercitu lentiore gradu subsequente, *Tankradus*, qui præcesserat, & regiam viam tenebat versus maritima, prior Baldewino fratre Ducis, per vallem *Buetrenton* superatis rupibus, per portam, quæ dicitur *Iudæ* ad ciuitatem, quæ dicitur *Tarsus*, vulgari nomine *Tursolt*, descendit, quam etiam Turci, primates Solymani, subiugatam cum turribus suis retinebant. Illic Armenius quidam, qui cum Tankrado aliquandiu moras fecerat, & eius notitiam habuerat, promisit se ciuibus vrbis, graui Turcorum iugo depressis, suggerere, vt in manu eiusdē Tan- 50 kradi vrbem cautè, & Turcis nesciis, redderent, si fortè locum & opportunitatem reperirent. Sed timidis ciuibus, nec consiliis Armenii fratres acquiescentibus propter Turcorum præsentiam & custodiam, Tankradus, qui præcesserat, finitimas oras prædictæ vrbis deprædatus est, ac contractis infinitis copiis prædarum in vsum obsidionis, in circuitu murorum tentoria sua extendit. Locatis ergo tentoriis, Tankradus plurimum minarum Turcis, per mœnia & turres diffusis, ex aduentu Boemundi, & subsequentis exercitus virtute intulit, nisi exeuntes, portas vrbis aperirent, asserens, non prius subuenientem exercitum ab huius obsidione recedere, quàm vt *Nicæa* cum omnibus inhabitantibus caperetur superata: Si verò vo-

rò voluntati eius acquiescerent, vrbem aperirent, non solùm in oculis Boemundi gratiam & vitam inuenirent; sed & præmia multa accipientes, eidem ciuitati & aliis præesse præsidiis mererentur. His blanditiis & promissis, interdum nimis magnificis, Turci molliti, Tankrado hac conditione vrbem policentur, ne quid periculi aut seditionis ab vlla subsequenti manu vltrà eis inferatur, donec Boemundi potestati cum vrbis præsidio subderentur. Quod *Tankradus* minimè recusans, fœdus in hunc modum cum illis innodari instituit, quatenus vexillum ipsius Tankradi in cacumine magistræ arcis in signum erigerent, quòd *Boemundo* præcurrens, hanc Tankradus vendicauerit ciuitatem, & sic intacta deinceps ab omni hostili impetu haberetur. *Baldewinus* verò frater Ducis Godefridi, *Petrus* Comes de Stadencis, *Reinardus* Comes de Tul ciuitate, vir magnæ industriæ, *Baldewinus* de Burg, iuuenis præclarus, coniuncti per amicitiam, alio itinere diuisi, per dies tres ab exercitu errantes per loca deserta montium & ignota, graui afflicti ieiunio, necessariorumque penuria, tandem per errorem perplexarum viarum in cuiusdam montis cacumine casu constiterunt. De quo tentoria Tankradi speculantes, per camporum planiciem in obsidionem *Tarsi* locata, timuerunt timore magno, existimantes Turcorum hunc apparatum fore. Nec minus *Tankradus* viros in montis cacumine à longè contemplatus, expauit, Turcos adesse arbitratus, qui sociis vrbi inclusis ad subueniendum properassent. His tandem descendentibus, vitæ diffisis, fame semiuiuis, Tankradus vt miles acerrimus, socios admonet, vt eis res sit pro anima defendenda. *Turci* autem, qui in turribus & mœnibus ad spectaculum & defensionem ad quingentos conuenerant, & ipsi pariter Baldewinum eiusque comitatum, acies Turcorum existimantes esse, Tankrado improperantes in hunc modum minabantur: *Ecce manus auxiliari nobis properantium: nos non in tua, vt existimabas, sed tu tuique in manu nostra & virtute hodie conterendi estis. Quapropter te hoc in fœdere, quod frustrà pepigimus, iam deceptum credas. Nec aliam ob causam te morari in castris fecimus, nisi quia spes auxilii in his, quas vides, aciebus in tuam tuorum perditionem præstolabamur.* Tankradus, iuuenis imperterritus, Turcorum minas paruipendit, & breui responso improperantibus resistit: *Si hi vestri milites aut Principes habentur, in DEI nomine eos paruipendimus; adire non timemus. Qui si à nobis, DEO opitulante, victi fuerint, superbia vestra & iactantia pœnas non euadet. Quod si peccato nostro aduersante stare nequiuerimus, nequaquam tamen manus Boemundi & sui exercitus subsequentis, euadetis.* Hoc dicto Tankradus cum vniuersa sua adunatione, quæ secum confluxerat, insignis armis, galeis & loricis, & equis rapidissimis Baldewino in occursum properat. Turci verò tubis & cornibus horrisonis ad terrendum ipsum Tankradum à muris fortiter intonant. Sed vtrinque Christianitatis signis recognitis, & visis amicis ac compatriotis, præ gaudio in lachrymas defluunt, quòd sic DEI gratia à pœnis & periculis nunc liberati sint. Nec morâ, deinceps commixtis copiis, tentoria communi consensu pariter ante vrbis mœnia reponũt, & ex præda, quam contraxerant ex montanis & regione in bobus & armentis, cibos mactant, & parant, igniq; apponunt: quos sine sale coctos diutina fames manducare coegit, prorsus pane illic cunctis deficiente. Erat enim ciuitas ex omni parte munita, habitatoribus, riuis & pratis apta & commoda, sita in campis fertilibus: cuius mœnia adeò admirantur fortissima, vt nullis vinci humanis viribus, nisi DEO annuente, credatur. Crastina verò luce exorta, *Baldewinus* exurgens suique sequaces, atque ad vrbis mœnia tendentes, signum Tankradi, quod erat notissimum, in eminentiore turris arce, ex consensu & fœdere percusso Turcorum, positum contemplantur: Vnde nimia indignatione & ira accensi, in verba amara & seditiosa aduersus Tankradum suosque eruperunt, Tankradi & Boemundi iactantiam & principatum flocci pendentes, luto & fæci æquiparantes. His & huiuscemodi verbis amaris ferè ad arma ventum est, nisi viri pacifici & prudentes tali consilio interuenissent, vt ab ipsis ciuibus Armeniis ex amborum legatione cognosceretur, sub cuius dominio & ditione vrbem magis subesse intenderent, cuiusque parti meliori optione fauerent. Continuò responsum est ab omnibus, magis velle subiici & credere Tankrado, quàm alterius Principis ditioni. Dicebant enim hoc non ex cordis deuotione, sed ex Boemundi, quam semper habebant, inuasionis suspicione. Nec mirum, cùm longè ante hanc expeditionem in partibus Græciæ, Romaniæ, Syriæ Boemundi semper fama clarruit, bellum inhorruit; Godefridi verò Ducis nunc primum nomen scintillabat.

His auditis, Baldewinus feruẽtiore animo aduersus Tankradũ in irã extollitur,

& grauioribus verbis in eius præsentia tam ciues quàm Turcos per verba interpretis sic allocutus est: *Boemundum & hunc Tankradum, quos sic veneramini ac formidatis, nequaquam magistros maiores & potentiores Christiani exercitus credatis; nec fratri meo Godefrido, Duci Principiq; militiæ totius Galliæ, nulliq; sui generis istos esse comparandos. Princeps enim idem frater meus, Dux Godefridus, regni magni & primi Imperatoris Romanorum Augusti hæreditario iure suorum antecessorum nobilium, ab omni honoratur exercitu, cuius voci & consiliis ad omnia magni paruiq; obtemperare non desinunt, cùm caput & Dominus ab omnibus sit electus & constitutus. Scitote quidem vos & omnia vestra, vrbem quoq;, ab eodem Duce in ore gladii & flammis deleri & consumi; nec Boemundum, nec hunc Tankradum stare vestros propugnatores aut defensores. Sed nec is Tankradus, ad quem intenditis, hodie manus nostras euadet,* 10 *nisi vexillum, quod nobis in contumeliam, sibi ad gloriam erexit, à culmine turris iacletis, portasq; nobis aperiri faciatis. Si verò nostræ voluntati in huius vexilli eiectione & vrbis redditione satisfeceritis, vos exaltabimus super omnes in terminus his confidentes, & gloriosi in conspectu domini & fratris mei, Ducis, vosq; dignis muneribus honorati, semper eritis.* Hac spe bona & blandæ promissionis ciues & Turci illecti, Tankrado penitus ignorante, fœdus & amicitiam cum Baldewino firmauerunt, & sine mora vexillum Tankradi de culmine turris est amotum, & procul à mœnibus in loco palustri viliter eiectum:

X. Baldewini verò signum in eiusdem turris apice promotum est. *Tankradus* viso signo Baldewini promoto, suo verò remoto, licet tristis, patienter tulit. Qui seditionem oriri inter suos & Baldewini satellites ex hac vexilli mutatione percipiens, & quia pars sua numero & armis erat inferior, vltrà hac in discordia morari 20 noluit, sed ad vicinam ciuitatem, nomine *Azaram*, munitam & locupletem, transiuit: cuius portas clausas reperiens, minimè introire permissus est. Obtinuit enim hanc ciuitatem quidam *Welfo*, ortus de regno Burgundiæ, miles egregius, qui eiectis & attritis Turcis, vrbem possederat, aurum & argentum, pallia preciosa, cibaria, oues, boues, vinũ, oleum, frumentum & hordeum, & omnia necessaria illic reperientes. Præcesserat enim idem Welfo cum cæteris ab exercitu sequestratis. Tankradus portas ciuitatis inueniens clausas, & principem Christianum vrbem tenere intelligens, missis nunciis fide data, intromitti hospitandi gratia, precatur, & alimenta iusta venditione & emtione sibi impertiri. Qui petentem exaudiens, 30 iussit vrbem aperiri, virum cum suis sociis induci, & cuncta vitæ necessaria illis

XI. administrari. Post huius Tankradi abscessum, *Baldewinus* iteratò Turcos admonet, instat & promittit honores & præmia à Duce consequi ingentia, & non solùm illi, sed cæteris ciuitatibus præferri, si vrbem aperiant, si se suosque datis dextris in fidei obligatione intromittant. *Turci* autem & *Armenii* videntes Tancradi fugam & absentiam, Baldewini verò præualere potentiam, vtrinque fide data & firmata, portas vrbis aperiunt, Baldewinum suosq; intromittunt; sed in omnibus munitionibus turritis mansionem retinere decreuerunt, donec Dux Godefridus & subsequens exercitus propinquaret, & tunc dono & gratia ipsius Ducis de eadem ciuitate & cæteris rebus iuxta promissum Baldewini cum eis ageretur, siue 40 in promissione Christiana, siue in ritu Gentilium persistere delegissent. Duas tantùm turres magistras Baldewino contulerunt, in quibus securus & fiducialiter manere & quiescere posset: cætera multitudo exercitus per domos & loca ciuitatis passim diffusa est. His itaque cum Principe suo Baldewino intromissis, & hospitii quiete recreatis, proxima dehinc die iam vespere instante, trecenti ab exercitu Peregrinorũ sequestrati, ac vestigia Tankradi secuti, de familia & populo Boemũdi, ante vrbis mœnia in armis & clypeis astiterunt, quibus ex iussu Baldewini & consilio Maiorum vrbs & ianua interdicta est. Hi verò longo fessi itinere, & rebus necessariis vacui & exhausti, multum precantur vrbis hospitalitatem & rerum necessariarum venalitatem: precati sunt etiam plebeii ordinis de comitatu Balde- 50 wini, eò quòd confratres, & Christianæ essent professionis. Sed nequaquam preces eorum à Baldewinino exauditæ sunt, hac de causa scilicet, quòd in auxilium Tankrado descendissent; & propter fidei firmationem, quam cum Turcis & Armeniis fecerat, nullum præter suos ante Ducis Godefridi aduentum in vrbem re-

XII. cipi aut intromitti. Confratres autem & Peregrini societatis Baldewini, videntes sic exclusos nullo modo posse impetrare intromissionem, miserti sunt eorum, quia fame videbant eos periclitari: quibus in portis panes & per funes pecora ad vescendum porrigere decreuerunt. Illis ergo ita refocillatis, & noctis in silentio præ itineris lassitudine graui sopore occupatis, Turci, qui erant in

præsidiis

præsidiis turrium sub fidei tutamine, prorsus desperati, nec Baldewino suisque conchristianis perfectè se credentes, occulto habito inter se consilio, trecenti, thesauris omnibus suis secum & cæteris rebus auectis, per vada cuiusdam fluminis, eis non incognita, quod media vrbe præfluebat, Baldewino & vniuersis suis somno deditis clàm egressi sunt, ducentis solummodo ex sua humili clientela & familia in præsidiis relictis, ne fugæ eorum suspicio aliqua apud Christianos oriretur. Egressi autem in viros Christianos, qui per prata ante vrbem membra fessa sopori dederant, subitò irruunt, alios decollantes, alios trucidantes, alios sagittis transfigentes, neminem aut paucos de omnibus vitæ relinquentes. XIII. Manè 10 dehinc facto, Christiani, qui intra vrbem erant, somno exurgentes, & ad mœnia tendentes scire & videre, si adhuc moram in pratis Christiani fratres haberent, viderunt vniuersos armis Turcorum detruncatos, & sanguine illorum prata fœdata nimium redundare. Sicque Turcorum perfidia & iniquitas propalata est. Nec mora, per vniuersam ciuitatem tumultus in populo catholico exoritur, arma ab omnibus capiuntur, & in vltionem sanguinis confratrum, in fraude mortificatorum, turres infringere, & Turcos illic inuentos extinguere festinant, tubis & ingenti clamore non modicam seditionem concitantes. Tam vehementi strepitu, populique tumultuoso concursu *Baldewinus* attonitus, à turris præsidio per medium vrbem equo aduolans, turmas armatas à bello cessare, & in sua commone- 20 bat redire hospitia, ne tam subitò fœdus mutuo datum corrumperetur, donec cædes Christianorum illi plenius notificarentur. Sed magis ac magis tumultu ingruente, & populo necem Christianorum ægrè ferente, & Baldewinum huius occisionis, tanquam mortiferi consilii, reum acclamante, talis ac tantus in eum fit concursus, sagittarumque immissio, vt turrim, refugii causa, & vitæ suæ necessitate compulsus, subire cogeretur. Qui ilico ad se reuersus, animi sui ferocitate deposita, populo satisfaciendo excusat se de omnibus, & crudelitatis Turcorum se nescium asserit; nec populum DEI viui aliam ob causam exclusisse, nisi quia iureiurando *Turcis* & *Armeniis* promiserat, neminem præter suos ante Ducis aduentum vrbi intromitti. Sic Baldewinus excusatus, populoque suo reconcilia- 30 tus, Turcos in singulis turribus, qui de humili familia & clientela remanserant, assilit & expugnat; expugnant & sui, dum in vltionem suorum fermè ducenti decollati sunt. Accusabant enim eosdem Turcos plurimæ illustres fœminæ ciuitatis, ostendentes eis aures & nares, quas sibi detruncauerant, eò quòd stupri sui eas consentaneas inuenire nequiuerunt. Hac infamia & horrenda accusatione magis populus IESV CHRISTI in odium Turcorum exarserat, eorumque stragem eò amplius multiplicabat. XIV. Post hæc diebus paucis elapsis, viri Baldewini per mœnia diffusi, à longè nauium diuersi generis & operis multitudinem in medio maris trans tria milliaria ab vrbe contemplantur, quarum mali miræ magnitudinis & altitudinis auro purissimo operti, in radiis Solis refulgebant; & viros ab 40 iisdem nauibus in littus maris descendentes, & plurima spolia, quæ longo tempore, seu annis fermè octo contraxerant, inter se diuidentes. His visis, hostiles vires accitas ab his, qui noctu, cæde Christianorum facta, effugerant, existimabant. Vnde ad arma contendentes, equo alii, pede alii vsque ad ipsum littus concurrunt; cur aduenerint, vel ex qua natione processerint, intrepido ore perquirentes. Illi se Christianæ professionis milites esse respondent; è *Flandria* & ab *Antuerpia* & *Frisia* cæterisque Galliæ partibus se venisse fatentes; & piratas annis octo vsque ad hanc diem se fuisse. Requirebant etiam qui aduecti fuerant, qua de causa ipsi à Romanis & Teutonicis partibus descendissent; & in longinquum exilium, inter tot barbaras nationes aduenissent. Qui causa Peregrinationis, & ad 50 adorandum in Ierusalem, venisse se testati sunt. Et sic vtrinque lingua & sermone suo recognito, fœdus dextris datis inierunt pariter eundi Ierusalem. Erat in hoc nauali collegio quidam *Winemarus* nomine, caput & magister vniuersorum consodalium, de terra Bulonæ & de domo Comitis Eustachii, magnifici Principis eiusdem terræ. Iam hinc & hinc fide ad inuicem firmati, cum spoliis & vniuersis sarcinis, relictis nauibus, cum Baldewino vrbem *Tarsum* subierunt, per aliquot dies in omnibus bonis terræ ibidem iocundati & epulati. Dehinc habito inter se consilio, in custodiam & defensionem vrbis trecenti ex nauali exercitu sunt electi, sicut & ex legione Baldewini ducenti attitulati. His ordinatis & constitutis, profecti sunt à Tarso Baldewinus & sui, coniunctis armis & viribus

XV. in tubis & cornibus & potentia magna, regia via gradientes. Interea *Tankradus* ab Azara ciuitate, & Welfone ciuitatis Principe, migrans, *Mamistram* ciuitatem, à Turcis possessam & munitam, descendit: quam resistentem & contradicentem sibi fortiter cum loricata manu assilit; humi in breui muros illius deiecit, portas & vectes ferreos diruit; Turcorum superbiam, quæ in hac dominabatur, crudeli strage attriuit. Tali modo eiectis hostibus, Tankradus turres suorum custodia muniuit, alimoniam, vestes, aurum & argentum grande in ea reperiens, Christianis consodalibus diuisit, ibidem per aliquot dies remoratus. Dumque illic securè moram faceret, & de vrbis custodia solicitè ageret, *Baldewinus*, frater Ducis, cum armis & sociis regia via incedens, in terminos eiusdem ciuitatis de- 10 scendit; & in viridario quodam spacioso, arboribus consito, quod erat iuxta vrbem, tentoria ipse suique fautores & comprimores in ordine locauerunt. Hæc quidam *Richardus*, Princeps Salerni ciuitatis Italiæ, de genere Nortmanorum, proximus Tankradi, intuens, molestè accepit; & verbis amarissimis super hoc Tankradum compellat, dicens: *Ah Tankrade, hodie vilissimus omnium factus es. Baldewinum præsentem aspicis, cuius iniustitia & inuidia Tarsum amisisti. Ah, si nunc aliquid virtutis in te haberes, iam tuos commoueres, & tibi illatam iniuriam in caput eius rependeres.* His auditis, Tankradus infremuit spiritu; & illico arma & milites requirens, sagittarios suos in virtute magna præmisit ad lacessendos hostes in tentoriis, & vt læderent equos, per pascua & prata vagantes. Ipse quoque cum quingentis lorica- 20 tis equitibus repentè in eiusdem Baldewini castra & satellites ruit, vt in omnibus

XVI. iniuriis, quas sibi intulerat, dignam sumeret vltionem. *Baldewinus* sine mora, *Baldewinus* quoque *de Burg*, æquiuocus eius, & *Giselbertus de Claro monte*, omnisque illius comitatus, agnito tam repentino assultu & impetu Tankradi, ferro induuntur, signa erigunt; sociisque virili voce admonitis, obuiam Tankrado in multa vociferatione turbarum & cornuum raptim exhibentur, vtrinque prælia grauiter committentes, & graui vulnere corruentes. Sed manus Tankradi, dispar numero & viribus, terga vertit, belli pondus sustinere non valens: ac in vrbis præsidium vix trans arctum pontem aquæ cum ipso Tankrado fugam faciens, à belli turbine elapsa est. In huius pontis angustia *Richardus* princeps Salerni, proxi- 30 mus *Tankradi*, & *Robertus* de Ansa ciuitate, milites acerrimi, nimirum retardati, capti ac retenti sunt; plurimi equites & pedites de societate Tankradi, alii extincti alii vulnerati perierunt. Solus Giselbertus de Claro monte nimium insecutus, & in mediis hostibus inuolutus, in ipsius pontis angustia captus & abductus est; quem Baldewinus & sui peremptum existimantes, planctu magno la-

XVII. mentabantur. Crastina verò die orta, vtrinque de absentia captiuorum virorum nobilium dolentes, ac recordati quia ambo deliquissent, tam sacræ viæ Ierusalem deuotione violata, ex consilio Maiorum suæ legionis pacem firmam composuerunt, captos pro captiuis sibi inuicem restituentes. Hac pace composita, & vniuersis spoliis cum captiuis restitutis, *Baldewinus* cum suis septingentis equiti- 40 bus diuisis consilio cuiusdam Armenii militis, *Pancratii* nomine, terram Armeniæ ingressus, præsidium mirifici operis & roboris, nomine *Turbaysel*, obsedit. Quod Armenii ciues, viri Christianæ professionis, videntes, consilio clàm cum ipso Principe Baldewino habito, Turcis expulsis, qui arci præerant, in manus eius tradiderunt, volentes magis sub Christiano Duce seruire, quàm sub Gentili ditione. Hac itaque ciuitate cum arce præsidii subiugata, & viris suis in hac repositis: *Rauenel* præsidium humanis viribus inexpugnabile, similiter obsedit & apprehendit. De quo Turci, captione Turbaysel exterriti, fugisse & abisse referuntur. Apprehendit & multas ciuitates cum castellis, quæ in circuitu erant, exterritas à facie exercitus *Antiochiam* tendentis: quas itidem Turci diu subiuga- 50 tas custodientes, nunc formidine concussi fugitiui noctu relinquebant. Rauenel itaque apprehensum Pancratio Armenio prædicto commisit, viro instabili & magnæ perfidiæ, quem à vinculis Imperatoris Græcorum elapsum *Nicææ* retinuit, eò quòd audisset eum virum bellicosum esse & multiformis ingenii, & quia omnis *Armenia* & *Syria* & *Græcia* illi notæ haberentur. *Pancratius*, vt erat perfidus & astutus, Turcis apprimè notissimus, æstimans robore commissi sibi præsidii huius Rauenel terram se posse obtinere, nullum de comitatu Baldewini intromittens, filium suum adolescentem illustrem, in eo constituit: & tamen hoc fraude fieri, cum Baldewino ambulans & manens, dissimulabat.

Tandem

Tandem quidam Principes, qui audita Baldewini industria & nobilitate, fœdus cum eo pepigerant, viri Armenii, quorum alter *Fer*, præpositus Turbaysel, alter *Nicusus* nomine dictus est, cuius castra & præsidia spaciosa *Turbaysel* adiacebant, intellecta perfidia Pancratii, quam cum Turcis moliebatur, scientes eum virum noxium & facilem, Baldewino retulerunt, asserentes, si tali viro, & tam facinoroso, Imperatoris periuro, longius præsidium *Rauenel* crederet, in breui terram, quam subdiderat, posse amittere. Baldewinus hoc audito ab his viris credulis & fidelibus, sæpius versutias illius ipse expertus, præsidium illi commissum requisiuit: quod Pancratius obstinato animo in manu vel custodia Gallorum reddere recusauit. Postremò Baldewinus post plurimam requisitionem præsidii indignatus, quadam die sibi assistentem & contradicentem teneri iussit, vinculis astringi, tormentis affligi, quo vsque præsidium coactus redderet. Sed nec sic adhuc reddere vllius tormenti labore aut vitæ necessitate compulsus est. *Baldewinus* tædio tormentorum illius victus, ad vltimum iussit, vt viuus membratim discerperetur, nisi præsidii de redditione sibi satisfaceret. Qui hanc atrocem membrorum & neruorum discerptionem metuens, in manu Fer literas direxit filio, vt præsidium festinatò pro vitæ suæ & membrorum suorum liberatione Baldewino redderet. Quod actum est; & Pancratius à vinculis absolutus, & deinde à collegio Baldewini dissociatus. Baldewinus ergo susceptum præsidium custodiæ ac fidei suorum contulit Gallorum; & Turbaysel, quod dicitur *Bersabee*, discessit, terram & regionem vndique expugnans, suæque potestati subiiciens. XIX. Post hæc diebus aliquot euolutis, & fama *Baldewini* longè lateque crebescente, & bellorum suorum virtute super omnes hostes suos diuulgata, Dux ciuitatis *Rohas*, quæ dicitur *Edessa*, sita in regione Mesopotamiæ, Episcopum eiusdem vrbis cum duodecim Maioribus ciuitatis, quorum consilio omnis status regionis fiebat, ad ipsum Baldewinum misit, quatenus cum Gallis militibus ad vrbem descenderet; terram aduersus Turcorum infestationes defenderet; & cum Duce communi potentia & dominio vniuersos reditus & tributa obtineret. Qui tandem consilio accepto acquieuit, & descendit solùm cum quingentis equitibus, cætera multitudine dimissa ac relicta Turbaysel ac Rauenel, & multis in locis, quæ Turcis expulsis nunc suæ suberant potestati. Dum autem via maturata vsque ad *Euphratem*, fluuium magnum transfretare parauissent, Pancratii consilio & instinctu, quem soluerat à vinculis, Turci & cæteri hostiles copiæ eductæ, & vndique conglobatæ ad viginti millia affuerunt obuiam transire volentibus. Sed vim & equitatum eorũ comperiens, & minimè nunc tot millia sufferre valens & debellare, via, qua venerat, Turbaysel reuersus est. Dehinc Turcis dispersis, ac in sua tutamina reuersis, Baldewinus iteratò ducentis equitibus assumtis, Rohas profectus est conductu virorum fidelium, sine impedimento & hostili incursu itinere suo peracto; & Euphrate flumine cum omni prosperitate enauigato. XX. Huius tam egregii & nominatissimi Principis aduentus fama, vt aures senatorum vrbis penetrârat, gaudiũ & iocunditas facta est in vniuersis, qui audierant; ac in tubis & omni genere musicorum, tam maiores quàm minores in occursum eius conuenerunt, omni honore & gaudio, sicut tantum decebat virum vrbi introducentes. Inducto tam honorificè viro, & gloriosè portis ciuitatis & hospitio cum suis constituto, Dux, qui cum cõsilio duodecim senatorum ad resistendum aduersariis ciuitatis eum acciuerat, indignatus super laudibus & honoribus, quos illi populus & senatus exhibuerat, sub arcano cordis sui grauiter cœpit ei inuidere; sed & eum penitus ciuitati & regioni præesse interdixit, nec parem sibi ad aliquos fore reditus vel tributa. Dicebat enim, illi plurimum auri, argenti, ostri, mulorum & equorum armorumq; copiam se daturum, si sibi & ciuibus ac regioni contra Turcorum insidias & assultus propugnator & auxiliator in locis sibi constitutis esse non negaret. Qui omninò Ducis hæc munera sub tam vili conuentione suscipienda refutauit; rogans, vt tantùm conductus sui fiducia sine periculo & iniquo machinamento ad ducem *Godefridum* & confratrem suum sanus & incolumis redire possit. Hoc duodecim proceres senatores & primi ciuitatis, cæteraque multitudo audientes, quia non auro vel argento vel vllis preciosis muneribus possit retineri, Ducem adierunt, omnibus modis & precibus instantes, vt virum tam nobilem & propugnatorem fortissimum recedere non pateretur, nec à se alienaret; sed de regno & ciuitate sociũ sibi

faceret, cuius protectione & militari ope ciuitas & terra semper posset defendi, & nequaquam de promisso virũ molestaret. XXI. Dux quidẽ duodecim præfectorum & omnium conciuium constantiam & beneuolentiam erga Baldewinum videns, eorum nolens petitioni satisfecit, ac Baldewinum sibi filium adoptiuum fecit, sicut mos regionis illius & gentis habetur, nudo pectori suo illum astringens, & sub proximo carnis suæ indumento semel hunc inuestiens, fide vtrinque data & accepta. Sic vtrisque firmatis paternitate & filiatione, Dux Baldewinum die quadam loco filii admonuit, vt omni militia & solidorum conuentione conuocatis suis, pariterque ciuibus *Rohas* assumtis, ad munitionem *Samusart*, quæ erat iuxta Euphratem, proficiscens, expugnaret *Balduc*, principem Turcorum, qui eandem arcem, ad Rohas pertinentem, inuaserat iniustè, & obtinebat. Intulerat enim idem Balduc ciuibus intolerabile malum: nam filios Maiorum ciuitatis non paucos obsides sibi dari minis extorserat, propter annuos reditus & tributa Byzantiorum, quæ illi ad redimendas vineas & sata dare conuenerant. *Baldewinus* primam petitionem hanc Ducis & Maiorum ciuitatis non refutans, assumtis ducentis sociis & omni ciuitatis pedestri, & equestri comitatu, castrum Samusart est aggressus, multam vim in virtute suorum hostibus inferens. Sed Balduc & suis occurrentibus in grandine sagittarum & tubarum stridore, grauiter repressi sunt. Nam illic infinita manus ciuium Armeniorum effœminatorum, incautè & segniter dimicantium, corruit, sex tantùm strenui & probi milites Baldewini sagittis confixi perierunt: quorum exequiis Christiano more completis, planctus & dolor magnus per vniuersam ciuitatem factus est. Baldewinus videns arcem præsidii Samusart insuperabilem, & in ea Turcos bello fortissimos & indefessos, apud *S. Johannem*, quod erat in præsidio non longè ab arce, suos in lorica, galea & equo reliquit, qui semper Turcis ad resistendum occurrerent, & belli assiduitate vexarent: ipse solus cum duodecim Gallis Rohas reuersus est. XXII. Post hæc paucis diebus euolutis, omnis senatus & vniuersi ciues considerantes Baldewini prudentiam & constantiam aduersus Turcorum insidias, multumque sub manu eius ciuitatem & eius munitiones posse saluari ac defendi, in vnum conuenerunt, *Constantino* de montanis accito ad commune consilium, viro potentissimo, quatenus Ducem suũ interimerent, & Baldewinum loco eius Ducem & Dominum exaltarent. Erat enim idem Dux valde eis contrarius: nam multis eos calumniis affecerat, aurum & argentum incomparabiliter cunctis abstulerat: si quis verò resistebat, Turcorum inimicitias & odium non solùm in periculum vitæ suæ, verùm etiam in vineis & in satis suis succidendis, & in præda gregum suorum suscitabat. Hoc audito consilio, die quadam vniuersi parui & magni ciuitatis, ad arma conuolant; armati & loricati Baldewinum conueniunt, vt cum eis ad interitum Ducis sui contendant, asserentes eum loco suo dominum & Ducem communi consilio fieri, se decreuisse. Qui tale facinus præsumere omninò contradixit, cum vice filii sibi sit constitutus, & nihil causæ vel mali adhuc in eo repererit, vnde perditionis eius consectaneus & socius fiat. Ait enim: *Inæstimabile coram DEO peccatum esset, vt in hunc virum manum sine causa mitterem, quem in patrem assumpsi, cui etiam fidem contuli. Sed precor vos, ne sanguine & morte eius pollui me sinatis, & nomen meum inter Principes Christiani exercitus vilescere faciatis. Peto etiam vos, vt sibi ore ad os loqui mihi liceat in solio turris, super quam vsque in præsens habitare vestro dono exaltatus consueuit.* Quod mox ei annuerunt. Et ecce turrim ascendens, sic ei locutus est: *Omnes ciues & præfecti ciuitatis huius in necem tuam conspirati, in omni genere armorum ad turrim hanc in furore & impetu animi properant: quod doleo & molestè fero. Sed vt aliqua ratione liberari possis, vel rerum tuarum datione præuenire non neglexi.* Vix Dux colloquentem sibi audiuit, & ecce in circuitu turris multitudo ciuium in obsidione & impugnatione confluxit, incessabili mangenarum & sagittarum iactu muros & turris ostia quatientes. XXIII. Dux videns animæ suæ angustias, thesauros suos incomparabiles in ostro, in vasis aureis & argenteis, in Byzantiis copiosis Baldewino aperuit, rogans, vt suscipiat, quatenus apud ciues pro vita & salute sua interueniat, & nudũ ac vacuum à turri exire & abire patiantur. Baldewinus preces illius exaudiẽs, misericordia motus super desperato, præfectos populi obnixa suasione adhortatur & instat, vt Duci suo parcentes non occidãt, & thesauros innumerabiles, quos viderat, inter se partiri non refutent. Senatus & vniuersi ciues ad Baldewini & promissionem thesaurorum minimè auscultant, non

viuum,

viuum, non sanum pro vlla rerum commutatione aut datione illum euadere vnanimiter exclamantes, iniurias & calumnias sibi obiicientes, quas sub eo & à Turcis eius instinctu sæpè sustinuerant. Dux itaque vitæ suæ diffisus, nec precibus suis aut vllis preciosis donis videns se quicquam proficere, Baldewinum à turri remisit, se per fenestram funiculo à solio laxans, exiuit: quem mille sagittis in momento confixum mortificantes, media platea proiecerunt; caputque eius amputantes, ad ludibrium omnibus hastæ præfixum per omnes vicos ciuitatis detulerunt. Crastina verò die *Baldewinum*, plurimum renitentem & contradicentem, Ducem ac Principem ciuitatis statuerunt; turrim insuperabilem cum vniuersis thesauris extincti Ducis, in ea repertis, illi contulerunt, iureiurando subiecti illi facti & fideles. *Balduc* hac Baldewini noua promotione audita, timore magno percussus est, ne in virtute Gallorum, virorum belligerorum, obsidione facta præsidium *Samusart* amitteret. Vnde legatione ad Baldewinum facta, arcem illi venalem pro numero decem millium Byzantiorum obtulit, & quia abhinc & deinceps illi pro solidorū conuentione fideliter militaret. Qui ad eius verba nequaquam attendit, eò quòd iniustè Christianis hanc arcem abstulisset, quondam ad ciuitatem *Rohas* non longè ante hoc tempus pertinentem. Balduc videns feritatem & constantiam Ducis Baldewini, dixit se arcem incendio consumere, obsides ciuium & præfectorum, quos plurimos tenebat, decollare, & semper insidias aduersus Baldewinum nocte ac die moliri. Tandem vt plerunque temporis processit, Baldewinus audito consilio suorum, Balduc talentum auri & argenti & ostra preciosa cum purpura, equos & mulos, non modico precio dignos, contulit; & sic præsidium Samusart ab hostili manu & potestate redemit. Ab ea denique die & deinceps Balduc Baldewino subditus factus est, in domo eius condomesticus & familiares inter Gallos constitutus. Baldewinus arcem susceptam fideli suorum custodia muniuit, obsides illic repertos primoribus quibusque & ciuibus restituit. Post hæc, quia æquè Gentilibus & Christianis non conuenit, & inuicem sibi semper sunt suspecti, Baldewinus vxorē Balduc & filios pro fidei stabilitate requisiuit: qui benignè annuit, sed de die in diem occasione adinuenta, obsides hos dare differebat. Baldewino Duce sic exaltato, & militari actione diuulgato, *Balas*, qui & ipse Princeps & inuasor præsidii ciuitatis *Sororgiæ* erat, duci Baldewino legationem misit, quatenus exercitu adunato, ad ciuitatem, quæ à præsidio & montanis distabat, & rebellis adhuc resistebat, descenderet, & præsidium in eius manu, ciuibus & vrbe superatis, absque dilatione reponeret: erant enim ciues *Sarraceni*, qui sibi resistebant, & tributa dare contemnebant. Baldewinus promissis illius credens, fœdere ad inuicem percusso, cum omni apparatu suo vrbem obsidere & expugnare disposuit, donec ciues victi cederent, & deinceps tributarii fierent. Verùm ciues Baldewini aduentum & indignationem ex Balas suggestione intelligentes, Balduc conuentione solidorum, cæterosque Turcorum milites multis præmiis sibi asciuerunt, sperantes sub eorum tutamine mœnia vrbis posse retineri ac defendi. Balduc miles, & vnus de Principibus Turcorum, auaritia Byzantiorum iam corruptus, cum suis ad vrbem accessit, sperans eidem vrbi adhuc præesse & dominari. Baldewinus hoc comperto, in manu forti die statuto ad obsidionem vrbis Sororgiæ proficisci disposuit cum mangenis & omni apparatu armorum, quibus vrbs scindi aut expugnari posset. Ciues verò & Sarraceni milites apparatum intolerabilem audientes, formidine concussi, nuncia illi miserunt, vt pacificè ad illos descenderet, vrbem sine contradictione reciperet, reditusq; singulis annis suæ ditioni nō negarent. Baldewinus precibus eorum cessit; diem statuit, qua omnia hæc cum pace & fide rata & credula cōponerentur. Balduc videns, quia ciues à defensione defecerant, & timore perterriti resistere tanto Principi nequiuerant, vrbem cum suis egressus, Rohas ad ipsum Baldewinum simulata fide in his verbis, descendit: *Nequaquam credas, vt arbitreris me ideo vrbem Sororgiæ intrasse, vt ciuibus auxiliū aduersus te ferrem, sed veni, vt eos quolibet consilio ab incepto rebellionis suæ reuocarem, tibiq; subditos facerem ac tributarios.* Quod Baldewinus patienter accipiens, Balduc in excusatione hac manere secum ab illo die concessit; sed tamen minimè fidei illius se credebat. Nec morâ in manus eius vrbs est reddita, ciues tributarii facti; præsidium Balas, quod in montanis pręeminebat, in manum eius & suorum custodiam reposuit. Baldewinus ciuitate cum præsidio suscepta, *Folkerum* Carnûtensem, virum militarem & belli peritissimū, ad procurāda & tuēda mœnia in eis reliquit; ipse Rohas in magna gloria reuersus est.

XXVI. *Tankradus*, qui à Baldewino diuisus, Mamistræ ad maritima remanserat, cum adauctis sibi viribus de nauali exercitu, quem Baldewinus aduexerat, *castrum puellarũ*, quod vulgariter appellatur *de Batesses*, obsedit & expugnauit: similiter *castrum pastorum* expugnatum diruit; castrum quoque *adolescentum*, quod dicitur *de Bakelers*, quæ in montanis erant præsidia, in manu robustorum militum deiecit & attriuit. *Alexandriam minorem* portis & muris dirutis subiugatam obtinuit. Turcos in eis repertos in ore gladii percussit. Omnia autem castella & præsidia hactenus Peregrinis nocentia, aut cepit aut incendit; hostes Gentiles in eis inuentos alios occidit, alios captiuos tenuit. Hostes verò, qui Christianis subiugatis, per montana dispersi Christianorum præsidia & loca iniustè inuaserant, audita illius virtute militari, alii fugam capiebant; alii missis equis & mulis, auri argentique donis preciosis, amicitiæ illius iungebantur, quatenus eum pacificum in omnibus, quæ obtinebãt, reperirent. Tankradus de omnibus, quæ offerebãtur, nihil refutabat; sed sicut cautus & prouidus omnia suscipiens reponebat, memor præteritarum angustiarum, & maiorum adhuc credulus futurarum.

XXVII. Interea totus apparatus & virtus grãdis exercitus accelerabat, rectitudine itineris per mediam *Romaniam*, per abrupta montium & decliuia vallium incedens, quem *Godefridus* Dux, *Boemundus Reymundus* Comes, *Robertus* Flandrensis, *Reymerus* Episcopus de Podio, *Robertus* de Nortmania, communi consilio & pari conductu moderabantur. Hi ad ciuitatem, quæ *Maresch* dicitur, in manu forti descendentes, hospitio pernoctauerunt, tabernacula in locis virentibus ante vrbis mœnia extendentes, nullam vim Christianis illic ciuibus inferentes; sed pacificè ab vrbe vitæ necessaria venalia suscipientes. *Turci*, qui aduentum tantorum ac tot Principum intellexerant, ab vrbis præsidio aufugerunt, quam iniqua vi & iniustis tributis ante multos hos annos oppresserunt. Hac in regione Maresch, *vxor Baldewini* nobilissima, quam de regno Angliæ eduxit, diutina corporis molestia aggrauata, & Duci Godefrido commendata, vitam exhalauit, sepulta catholicis obsequiis, cuius nomen erat *Godwera*. *Vdelrardus* similiter de Wizan, infirmitate correptus, ibidem obiit, honorificè sepulcro illic conditus; miles irreprehensibilis, & in omni bellorum consilio & actione vtilis, de domo Ducis Godefridi, semper secretorum illius ante omnes conscius.

XXVIII. Egressi à montanis & regione Maresch prædicti Principes cum omnibus sequacibus legionibus, cõpererunt à quibusdam Christianis Syriæ, sibi occurrentibus, ciuitatem *Arthesiam* non procul abesse, rebus necessariis vitæ locupletem, sed à Turcis possessam. Hoc comperto, *Robertus* de Flandria assumtis secum viris cautissimis, *Rotgero* de Roscit, *Gozelone* filio Comitis Cunonis de Monte acuto, cum mille loricatis, ab exercitu exurgens, ad Arthesiam descendit, ciuitatem muro, mœnibus & præsidio turrito munitissimam, in qua Turci manentes, Armenios Christianos seruili iugo subegerant. Vrbi itaque & eius mœnibus appropinquantes in signis erectis cuiusque colore pulcerrimis, in galeis æneis auro lucidissimis, totam regionem fama aduentus sui concusserunt. Turci in mœnibus Arthesiæ & præsidio, causa defensionis & repugnationis, repentina hac Gallorum congressione perterriti, astiterunt, portas ciuitatis obice & seris munientes. Verùm ciues Armenii, quos iidem Turci longa seruitute depresserant, secum in eisdem munitionibus constituti, reminiscentes iniuriarum suarum, quas ab eisdem Turcis diu pertulerant in raptu vxorũ & filiarum, in actione cæterorum nefariorum, in exactione tributorum iniustorũ, nunc freti auxilio & aduentu Christianorum eosdem Turcos inuadentes, in ore gladii peremerunt, & capita eorum amputantes, è fenestris & mœnibus eiecerunt, portasque vrbis confratribus Christianis aperientes, aditum reddiderunt tutum in occisione Gentilium, in eiectione extinctorum corporum: benignè etiam & omni pia susceptione fideles fratres inducũt, armis & sarcinis familiariter exonerantes; cibis diuersis & amicis potibus recreant, equis & mulis eorum pabula sufficienter subministrantes.

XXIX. Ab hac vrbis statione vsque ad Antiochiam decem milliaria computantur: & fama nouæ cædis Turcorum veloci pede transuolans, Turcos ab Antiochia & de cunctis finibus eius, ad viginti millia congregatos acciuit vsque ad prædictam ciuitatem Arthesiæ. Ex his millibus Turcorum astutiores & agiliores triginta, equis in modum venti currentibus insidentes, in dolo præcesserunt, post terga relictis insidiis totius legionis, quatenus in arcu corneo & osseo Gallos è præsidio lacessere & protrahere valerẽt. *Galli* equidẽ fraudes & latentes insidias ignorantes, pede & equo, armis muniti & loricis induti, illis mediis occurrerũt campis, vt cum

vt cum hostibus committerent. Sed non aliquis successus illis vllo conflictu potuit contingere. Nam Turci, qui erant in insidiis, transuerso itinere viam in graui multitudine anticipant, ne Galli reditum aut refugium ad vrbem haberent, sed momentaneo interitu suffocarentur. Hoc viso repentino impetu & improuiso, *Robertus de Flandria* & *Rotgerus* cæterique capitales exercitus, fortiter sociis admonitis, & in vnum conglobatis, per medias densas acies Turcorum à campi planicie frenis reductis transuolantes, rigidis hastis hostes irruperunt: Irruit & omnis societas virili audacia, quousque incolumes à manibus inimicorum intra portas & mœnia illapsi sunt. Turci verò elapsos in portis grandine mille sagittarum insequuntur, portas cum eis intrare conantes: Sed retrusi à limine in manu valida, licet exigua, portas intrare cum Gallis nequaquam permissi sunt. Multi tamen in repentinis sagittarum ictibus hinc & hinc armigeri, equites & pedites, muli quoque & equi grauati sunt. Turci ergo videntes, se nihil profecisse, & adhuc in copiis suis confidentes, obsidionem circa prædictam vrbem constituerunt. Sed fideles inclusi ex sufficientia ciborum in arce reperta murali robore firma & inexpugnabili, tuti & quieti resederunt. Illic in præsidio Arthesiæ *Gozelo* filius Comitis Cunonis, languore grauissimo occupatus, post dies aliquot vitâ discessit, & à confratribus Christianis debitum sepulturæ honorificè & catholicè suscepit.

XXX. Interea non longo interuallo maturabat viam magnus exercitus Christianorum, inter quos latenter exploratores degebant, qui ab exercitu occultè, visa opportunitate subtracti, Turcis referebant quæ audierant de aduentu & consiliis catholicæ legionis. Delatores prædicti audientes, quia ab Arthesia fama obsidionis suorum ad Principem Godefridum, Boemundum, cæterosque peruenerat, & quia ad subueniendum consilium inierant, festinatò ad castra Turcorum redierunt, iam Romanos Francigenas & Teutonicos in proximo aduentare nunciantes; nec vires eorum sustinere posse, nec à manibus eorum eripi, nisi citò ciuitate relicta, in sua remearent tutamina. Nequaquã tamen his sinistris nunciis admoniti expauescũt, freti nimium in suis prędictis millibus; sed per integras vnius diei horas vrbem impugnant, & in assultibus plurimis laborant: Sed laborem suum in cassum consumunt, Gallis ab arce & mœnibus non parcè resistentibus.

XXXI. Dehinc nocte relata & tenebris incumbentibus, plurimis consiliis inuicem habitis, consilium repertum est, vt primo diluculo apparente, ad pontem *fluminis Fernæ* reditum pararent, & Antiochiam, vrbem turribus munitam & fundatam & humanis viribus insuperabilem, securi intrarent, ne ponte præuento & flumine ab exercitu Christianorum, periculum vitæ expugnati paterentur. Vix Antiochiam prædicti Turci subierant, cum sequentis lucis crepusculo magnus exercitus catholicorum in terminos *Arthesiæ* castra applicuit, ibidem pernoctans in lætitia & iecunditate. Illic ex decreto Mai[orum] mille & quingenti viri loricati electi, ad Arthesiam sunt directi ad auxilium confratrum, qui erant in arce, vt sic sani & incolumes copiis & viribus communi via, minus de hostili impetu soliciti, ad exercitum repedarent. Ciuitate Arthesia fidei Christianorum tuitione munita, ad exercitum sine vlla offensione sunt reuersi: Redit & *Tankradus* ab Alexandria minore & maritimis regionibus; redierunt & vniuersi, quibusque locis ad subiugandam terram & castella & ciuitates præmissi & dispersi, præter *Baldewinum*, fratrem Ducis Godefridi: Qui ad meridianam plagam profectus in terram Armeniæ, expugnaturus Turcos, Turbaysel & Rauenel & cætera præsidia [su]ditioni subiecerat. Idem verò Baldewinus sic de die in diem bellis ac triũphis magis ac magis accrescens, ex consilio duodecim præfectorum ciuitatis, vxorẽ nobilissimã de genere Armenio magnificis & legalibus duxit nuptijs, filiam cuiusdam Principis, & fratris Constantini, nomine *Taphnuz*, qui in montanis præsidia & plurimas mu[ni]tiones obtinebat, quorũ vniuersorum hæredem Baldewinum cõstituit. Sexaginta etiam millia Byzantinorum illi dare spopondit, de quibus conuentionem solidorum militibus suis soluens, terram potenter aduersus Turcorum incursus retineret. Spopondit quidem, sed tantùm septem millia illi dedit; quæ verò restabant, de die in diem differebat. Nuptiis Baldewini inæstimabili apparatu celebratis, decretum consilio communi & Maiorum ciuitatis & regionis, vt idem Taphnuz cum genero suo de statu terræ & vtilitate ciuitatis tractaret, eò quòd vir esset prouectæ ætatis & sanioris consilii: sicque se inuicem mutuo præuenirent honore: quod & actum est.

XXXII. Postquam in vnum conuenerunt congregati, non vltrà ab hac die diuisi sunt propter copias Turcorum inæstimabiles, qui à montanis & omni Romania profugi, ad vrbem Antiochiam, quæ

erat inæstimabilis murorum firmitate, & inexpugnabilis, pro defensione properauerant. Nec mora, Episcopus Podiensis, *Reymerus*, sermonē ad populum faciens, huiusmodi exhortatione vniuersos paterne admonuit & docuit, iuxta quod instās necessitas, & creberrima fama vicinæ nimium Antiochiæ exigebat: *O fratres & filij carissimi, Antiochiam ciuitatem nimium vicinam, vt compertum habemus, scitote fundatam murali munitione firmissimam, quæ ferro vel iactu lapidis rescindi non potest, inauditi & insolubilis cæmenti opere, & mole magnorum lapidum constructa. In hac omnes hostes Christiani nominis, Turcos, Sarracenos, Arabes, è montanis Romaniæ & ex omni parte à facie nostra fugientes, conuenisse procul dubio cognouimus. Vnde cauendum summopere nobis est, vltrà aliquos ex nostris diuisionem facere, nec temerè præcurrere: sed in communi & vnanimi virtute in crastino vs- que ad pontem Fernæ nos commeare, consilio cautissimo definiuimus.* 10

XXXIII. Omnis ergo populus venerabilis sacerdotis admonitioni acquieuit; & crastino sole exorto, cum sociis ab Arthesia receptis, cum *Tankrado* & *Welfone* Bulonienfi, maritimisque Gallorum sociis vniuersis relatis, cum camelis & asinis, omnibusque vehiculis sarcinarū rerumque necessariarum, in vno comitatu & armorū fiducia vsque ad pontem fluminis *Ferne*, quod dicitur *Farfar*, profecti sunt, relictis asperis Alpibus vallibusque grauissimæ Romaniæ. Hac enim die *Robertus Nortmanorum* Comes, præelectus est cum suis militibus exercitum præire, sicut mos est in omni exercitu militari: quatenus si aliqua vis aduersariorum latuisset, nunciaretur catholicę legionis Ducibus & Principibus, vt ad arma, loricas & parandos cuneos quantocius properarent. 20 Huius inter millia *Rotgerus* de Barneuilla, *Euerhardus* de Poisat, milites in omni negocio militari laudabiles, signa præferentes, equitatum regebant, quousque ad ipsum pontem prænotatum sine dilatione constiterunt. Pons denique iste mirabili arte & antiquo opere in modum arcus formam accepit, subter quā Farfar fluuius Damasci, Ferna vulgariter dictus, cursu rapidissimo alueum perluit. In vtraq; pontis fronte duæ prominebant turres ferro insolubiles, & ad resistendum aptissimæ, in quibus Turcorum semper erat custodia. Subsecuta est societas duûm millium peditum virorum egregiorum, qui etiam ad pontem consistentes, minimè transire permissi sunt. Nam Turci, qui in turribus pontis ad centum defensionis causa constituti erant, fortiter in arcu & sagittarum grandine transire volentibus resi- 30 stebant; equos crebris vulneribus lædebant, sessores equorum trans loricarum tegmina volatili sagitta plurimos transfigebant.

XXXIV. Orta hinc & hinc tam graui cōtentione, his transire volentibus, illis è contrà transitum prohibentibus, & adhuc præualentibus, septingenti Turci, qui ab *Antiochia* acciti exierant, videntes constantiam & defensionem suorum in ponte, in equis celerrimis nimium bello animati aduolantes, vada præoccupant, ne quispiam Christianorum transeundi licētiam obtineat. Equites & pedites Christianorum videntes copias Turcorum loricatorum in fluminis ripa ad resistendum diffussas, diffunduntur & ipsi spatiosè altera in ripa; & vtraque parte sagittis virili conatu intortis & immissis, longa fit cōcertatio, hominesque & equi quàm plures confixi in vtraque ripa moribundi ca- 40 dentes deficiebant. Turcis tandem plurimum præualentibus, & sagittarum notitia & luctamine præeuntibus & perdurantibus, exercitus fidelium armis & equis paratus, ad subueniendum præmissis sociis vndique accelerabat. Sed nec Turci à ripa tunc quidem recedentes, maluerunt mori quàm cedere, incessanti conatu sagittarum transmittere volentibus obsistentes.

XXXV. *Episcopus Podiensis*, qui audita tam graui contentione magnum præcessit exercitum, videns corda suorum metu fluxa aliquantulum deficere læsione equorum, pectorumq; suorum transfixione, ser[monem] iterat, populumque in DEI viui nomine sic roborat ad defensionem: *Ne timueritis impetum aduersariorum: state viriliter, insurgite cōtra hos canes remordaces. Iam enim hodie pro vobis pugnabit* DEVS. Ad hæc v[er]ba & monita tam præclari Pontificis 50 facta scutorum testudine, tectis galea capitibus, & indutis lorica pectoribus, fortiter pontem penetrant, hostes à ponte retrudentes in fugam conuertunt. Alii totum videntes auxilio sibi cōuenisse exercitum, nimium freti, vada intrantes equis tranſnatant: alii pedibus vadis repertis, transire aquas properant, ex desiderio belli committendi; & ictus percussorum & fundibularios sustinentes, cæcoque aggressu Turcos impetentes, & à statione effugantes, in altero fluminis littore sicco consistunt. *Wido*, dapifer Regis Franciæ, equo & lancea Turcos incurrit: *Reinoldus* Beluacensis, tiro asperrimus, minimè iacula sagittarum curans, in medio hostiū lancea & gladio præcurrens, sæuissimas strages operatur: miscentur vtrinque vehementi

menti impetu agmina fidelium & infidelium, & belli sudore feruescunt, cædes & strages operantur. *Boemundus, Godefridus, Reymundus, Robertus, Rotgerus*, acies & signa bellica diuersi coloris pulcerrima moderantur, donec Turci equis celerrimis fugam ineuntes, Antiochiam reuersi sunt, per deuexa montium & loca sibi nota viā accelerantes. Christiani victores ab insecutione & plurima strage inimicorum reuertentes, neque vlterius hostem insequentes, eò quòd nimium proxima mœnia Antiochiæ viderentur, & omnium Gentilium vires in ea confluxissent, iuxta fluuium Ferne pernoctârunt; prædas & spolia vsquequaque contraxerunt, plurimos de exercitu Petri, quos Turci per Antiochiæ regionem diuiserant, à vinculis excluserunt. Hæc nuncia sinistra, euentumque suorum in contraria versum, *Darsianus* Princeps & caput ciuitatis comperiens, vultu deiecto, corde metu contrito, magnis arctatur doloribus; quid acturus sit, mente inuoluens, si sibi eueniat, quod & Solymano in amissione vrbis Nicææ euenit. Nec morâ, consiliis creberrimis inuigilans, escas comportare, arma & vires sociorum congregare sine intermissione studet; portas & mœnia fideli custodia munire non cessat. XXXVI. Præterea illucescente die, Dux *Godefridus, Boemundus* & vniuersi Capitanei exercitus exurgentes, armis & loricis atque galeis rursus induti, iter intermissum ad vrbem Antiochiam iterare vniuersos iubent, cum omni necessario apparatu, & omni genere armentorum vehiculisque cibariorum, quibus tantus opus habeat exercitus. His in vnum conglobatis, & viæ præparatis, prouidus Antistes in hunc modum loquitur, dicēs: *Viri fratres, & filij dilectissimi, verba, quæ ad vos refero, diligenter audite, & attendere vos non pigeat. Vrbs Antiochia proxima est, nobisq; vicina: quatuor inter hanc & nos sunt milliaria. Hæc vrbs mirifica, & opus nobis inauditum regis Antiochi, immanissimis saxis & turribus fundata est, quarum numerus trecentū & sexaginta computantur. In hac* Sansadoniā *filium Regis Darsiani, Principem fortissimum, dominari scimus & Ammiraldos quatuor nobilissimos & potentissimos, ac si Reges essent, ex imperio Darsiani accitos conuenisse comperimus, & se suosq; præ timore aduentus nostri in manu forti præuidisse & armasse. Horū nomina sunt:* Adorsonius, Copatrix, Rosseleon, Carcornutus, *quorum omnium Rex & caput & dominus* Darsianus *esse refertur. Hi quatuor Ammiraldi ex triginta ciuitatibus, quæ in circuitu longè, lateq; ad Antiochiam pertinentes, Regi Darsiano tributariæ fuerant, quatuor ditiores dono & gratia Darsiani in beneficio tenent, singuli singulas centum castellis. Qua de causa nunc admoniti ab ipso Darsiano, Rege Syriæ & totius Armeniæ, non in modica virtute ad resistendum, & defendendam vrbem, dominam harum omnium vrbium & regnorū, aduenisse perhibentur. Vnde & nobis necesse est, vt cautè & ordinatè ambulemus. Serò, vt nostis, commisimus bellum: fatigati sumus: equi exhausti viribus sunt.* Godefridus Dux, Boemundus, Reinardus de Tul, Petrus de Stadencis, Euerhardus de Poisat, Tankradus, Wernerus de Greis, Henricus de Ascha, *ad conducendum exercitum in fronte præcedant, factis aciebus:* Robertus Flandrensis, Robertusque Comes Nortmanorum, Stephanus Blesensis, Reymundus Comes, Tatinus familiaris Imperatoris Constantinopolitani, Adam filius Michaelis, Rotbertus de Barnauilla, *si gratum vobis est consilium, extremas acies equitum & peditum moderantes tueantur.* XXXVII. Hoc itaque consilio cunctis ab Antistite, & cæteris viris illustris, ordinatis, regia via vsque ad ipsos muros horribiles Antiochiæ vnanimiter in splendore clypeorum coloris aurei, viridis, rubei, cuiusque generis, & in signis erectis auro distinctis omni opere ostreo visu decoris, in equis bello aptissimis, in loricis & galeis splendidissimis, proficiscuntur, tabernacula potenter extendentes iuxta locum, qui dicitur *Altalon.* Illic pomaria & arbores diuersi generis in securi & ascia succisas extirpauerunt, terram protentis papilionibus occupantes. His locatis, certatim indulgent operi ciborum, cornibus mille & mille perstrepentes, prædis & pabulis equorum vndique insistentes, quorum fragor & strepitus vsque ad terminum milliaris fermè posse audiri referebatur. Nec mirum, cùm numerus tanti exercitus sexcentis millibus virorum pugnatorum ab vniuersis procul dubio computetur, absque sexu fœmineo & pueris sequentibus, quorum millia plurima esse videbantur. In hoc Christianorum aduentu & obsidione recenti, illo die tanto silentio vrbs conquieuit, vt nec sonus nec strepitus ab vrbe audiretur, & vacua ciuitas à defensoribus crederetur, cùm fœta nimis armis & gentilium copiis in omnibus turribus & præsidiis redundasset. XXXVIII. Dies quartæ feriæ illuxit, quando ingressi sunt terram Antiochiæ, & muros eius obsederunt. Hac die *Tankradus* primus secus Altalon sedem ponit. Iuxta hunc *Rotgerus* de Barnauilla socius augetur: *Adam* filius Michaelis, iuxtà cum suis sequacibus ordinatur, ne in hac parte Turcis aliqua

necessaria inferrentur. Ad portam verò quæ respicit ad Persidem plagam, vbi iuga montium deficere incipiunt, *Boemundus* cum robustorum manu locum occupat; ibique firmato præsidio, tutus morabatur. *Tatinus* verò familiaris Imperatoris, aliquantulum remotus ab vrbe, in campo, Conbrus nomine, tentorium fixit, semper fugæ intentus. Ante eundem Tatinum *Baldewinus* Comes Hamaicorum, sedem posuit cum sua manu. *Robertus* dehinc Nortmanorum Comes, & *Robertus* Flandrensis ad obsidendos muros cum omni sua militia ordinantur. *Stephanus* Blesensis pariter ad cingendam vrbem iuxta prædictos Principes suo sedit in ordine. *Hugo* Magnus, regis Franciæ Philippi frater, similiter cum suis sociis ad hanc obsidionem consedit. Vrbs hæc *Antiochia*, vt aiunt, ad plenum duo milliaria continet in longitudine, vnum & semis in latitudine: quam præfluit amnis præfatus Farfar, muris & turribus occupatus, quorum quarumque munitio & opus vsque in supercilium montis extenditur, vbi principalior arx & magistra vrbis & omnium turrium fundata præeminet: In circuitu huius arcis quatuor insuperabiles turres, positæ ob custodiam mediæ arcis in medio sedentis, referuntur, quarum præfati Ammiraldi semper custodes & defensores regis Darsiani attitulati sunt.

XXXIX. Adhuc ad ipsam Antiochiam obsidendam, quam tam spaciosam audistis, ad portam, quæ dicitur à modernis *Warfaru*, quæ insuperabilis est, ipse *Antistes* assidet, sociato sibi Comite *Reymundo*, cum quibus Prouinciales & Vascones, & omnes sequaces eorum, consederunt. In loco vlteriore, vbi postea pons ex nauium copulatione constructus est, *Godefridus* Dux super ripam fluminis, portam vnam ciuitatis cum vniuersis millibus Lotharingis, Saxonibus, Alemanis, Bawaris, gladio sæuissimis, obsidet. Cum Duce eodem *Reinardus* de Tul, *Petrus* de Stadeneis, qui Mamistræ à Baldewino, fratre Ducis, sequestrati, ad exercitum & Ducem redierant; *Cuno* etiam de Monte acuto, *Henricus* de Ascha, fraterque eius *Godefridus*, milites semper hostibus infestissimi, ad prohibendum Turcis introitum & egressum pariter consederunt. His feruentior & maior incumbebat labor.

XL. Super hunc amnem prędictum, qui longissimo alueo vsque in mare protenditur, pręterlabens muros, ab ipsa vrbe pons porrigitur lapideus, opus antiquum, sed minimè turritum, qui prorsus terminata legione, hac ex parte inobsessus remansit. Per hunc siquidem pontem sæpius Turci egrediebantur, & necessaria, vidente exercitu, cum suis erumpentes & remeantes inferebant; & populum IESV CHRISTI, per regiones & montana dispersum ad quærendum victum vel pabula equorum, eodem ponte emissi frequenter, illius dispersione comperta, trucidabant. Similiter ab ipsa porta *Warfaru*, quam Præsul *Reymerus*, Reymundusque obseruabant, pons alius etiam infestus, ingenio antiquorum fundatus, porrigitur trans paludem quandam, satis lutulentam & profundissimam ex impetu & inundatione assidui fontis, iuxta vrbem extra muros emanantis. Per hunc pontem interdum exercitui insidiarum oblito, aut in die aut in noctis obscuro, egredientes Turci sagittas intorquebant, aut in impetu aliquos gladio percutiebant, subitoque recursu per eundem pontem in vrbis præsidium euadebant. Cuius pontis infestationem Episcopus & omnis primatus conquerens, inito consilio, ad eius destructionem conspirauerunt; ac die statuto cum instrumento malleorum ferreorum, cum ligonibus & securibus à castris exierunt. Sed nequaquam vis eorum in huius pontis destructione præualuit. Erat enim opus insolubile antiquorum cœmentis & ingeniis fundatum. Hinc frustrato in conamine malleorum exercitu, machinam, ex strue lignorum & vimineo opere intextam, componere Principes decreuerunt: cuius ligaturas ferro fabricatas & connexas, coriis equinis, taurinis, camelinis operuerunt, ne igne cum pice & sulphure iniecto, à Turcis combureretur. Hanc verò perfectam vsque ad medium pontem ad portam Warfaru vi loricatorum deducentes, Reymundum Comitem, custodem & magistrum machinæ constituerunt.

XLI. Turci hac visa structura, ad mœnia contendentes, sagittis & mangenarum iactu in ponte luctantes feriunt Gallos, quatenus percussos à ponte & machina arcere valerēt. Similiter ex aduerso Christiani in sagittis & baleari arcu resistentes, fortiter hostes in mœnibus impugnant, quousq; filium cuiusdā Ammiraldi sagitta trās iecur perfodiunt. Illius verò interitu & fidelium repugnatione Turci indignati, ampliore ira feruescunt; & tandem in vnum collecto robore suorum, repentè portam aperientes, egressi viriliter machinā assiliunt; custodibus subitò instāt & expugnant,

gnant; ignem piceasque faces & sulphureum fomentum fortiter machinæ ingerunt, totam eam in fauillam redigentes. Custodes autem machinæ periculum vitæ suæ metuentes, licet inuiti, exire coguntur in fugam præcipites, vix defensi & elapsi. Peregrinorum itaque milites & Principes hac arte nihil se proficere videntes, sequenti die instrumenta trium mangenarum (Franci *barbicales* vocant) opponunt ponti, quæ portam Warfaru & turrim portæ eiusque mœnia crebro ictu & impetu saxorum quaterent & attererent, murosque exteriores, qui erant ante murale, in plurima frusta minuerent: Sed nec sic in contritione portæ valuerunt. Cùm verò nihil proficerent, quadam die ex communi consilio robora arborea ingentia, vixque mobilia, & saxa mobilia miri ponderis ac magnitudinis, in virtute & conatu mille loricatorum trans pontem portæ aduoluerunt, impedimento Turcis exire & nocere volentibus. Ex his ambobus pontibus cùm plurima damna & incursiones exercitui Christianorum ingruerent, sed nunc porta & ponte Warfaru robore lignorum & saxis immanissimis occupato & obstructo, frequentius ex eo ponte, quem in altera parte ciuitatis trans fluuium *Farfar* locatum diximus, de quo Turcorum egressus erat, & qui præ vrbis amplitudine inobsessus remanserat, insidiæ fierent ad perdendos fideles, pontem ex nauibus componi constituerunt in funium retinaculis, per quem ad *portum Simeonis eremitæ* liberum iter haberent: nam antea lento nauigio ex vtraque ripa expectantes, singulatim & tardè transibant. Nunc verò hac de causa pons iste naualis constructus est, vt egressis Turcis per pontem lapideum Farfar in insidias Christianorum, per hunc ligneum pontem Galli festinanter occurrentes, suis subuenirent, à portu maris escas afferentibus, & Turcos sine mora repellerent. A ponte lapideo prædicti fluminis vsque ad pontem nauium funibus vimineis cratibus aptatum, dimidium milliare computatur. Ponte autem ex nauium collectione & coniunctione perfecto, Christiani tam milites quàm pedites quadam die trecenti transmeant fluuium *Farfar*, ad quærenda pabula equorum & victui necessaria. Quod Turci agnoscentes, & à mœnibus speculantes, per pontem vrbis lapideum raptim sociis collectis, armis & pharetris sumtis, in equo pariter exeuntes, ex improuiso assunt Christianis in tergo ad pabula missis, quorum plurima corpora, amputatis capitibus, humi prostrata reliquerunt; cæteros verò, quibus fugiendi facultas erat, vsque ad nouum pontem insequuntur: felices, qui tam crudeles hostes euadere potuerunt. Alii ad vada contendentes, vndis inuoluti suffocantur, à facie Turcorum fugientes, quibus pons nouus præ multitudine transeuntium negabatur. Hoc tam graue infortunium ad proceres exercitus vt est perlatum, ad quinque ferè millia armati, complures lorica induti, & equis insidentes, è tentoriis aduolant ad reprimendos hostes temerarios. *Henricus* filius Fredelonis de Ascha castello, auidus hostes insequi, sicut erat bello & actis nominatissimus, trans fluuium equo natauit, licet è lorica & galea clypeoque grauatus: nam transitum nauais pontis, præ longa mora expectare nequiuerat: Caput verò huius temerè vada intrantis cum equo, fluctus profundissimi operuerunt: Attamen DEO protegente, cuius gratia vitam opponebat periculo, viuens & sospes in equo adhuc residens, cum cæteris transnatantibus siccum littus recepit; & in persecutione Turcorum nimium perdurans, vsque ad ipsum pontem socios equites & pedites imperterritus insequi adhortatur. Turci itaque alii retenti, alii vix elapsi, socios qui erant ad pontem Farfar & in porta conglobati, ad auxilium sibi magno fragore vociferantes, exierunt; equosque ad frena in exitu & fremitu subuenientium reiicientes, Gallos hactenus se infestantes in fugam grauissimam retulerunt vsque ad ipsum pontem, quem ex nauibus composuerunt. Hac temordatione & inundatione Turcorum grauissima, & celeri fuga & reuersione Christianorum ad pontem, plurimi pedites interierunt, à Turcis sagitta confixi. Plures post terga mortem momentaneam videntes, sola aqua liberari sperantes, vndis profundi fluminis inferuntur: quorum non modica pars ab amne submersa & suffocata periclitari & mori visa est: Alii verò è ponte præ pressura fugientium cum ipsis equis & galeis ac loricis corruebant, qui submersi vndis & extincti, non vltrà reperti sunt. Sic Turcis sæpè à ponte hoc, & à porta per quam postea vrbs est tradita, quæ sursum in montanis sita exitum præbebat, ad nocendum populis egredientibus, Principes exercitus consilium inierunt, quatenus *Tankradus* illic locato præsidio custodiã ag(er)ret, & ab vtraq; porta Turcos egredi audentes

Y

repentè reprimeret; hacque pro custodia per singulos menses in conuentione quadraginta marcas argenti ab exercitu reciperet. Qui dum die quadam in præsidio, in montanis locato, iuxta aras Turcorum custodiam ageret trans fluuium *Farfar*, eo scilicet in loco, quo longè ab vrbe ferè semimilliare profluit, Turcos, sicuti erant soliti, vada transeuntes fortiter incurrit; atque cum eis prælio commisso, tandem præualens, quatuor ex Turcis gladio occidit, cæteros trans flumen in fugam conuertit, vsque ad locum, quo armenta illorum herbis pascebantur. His vltra flumen fugatis, prædam de armentis cum camelo vno abduxit, & ad præsidium nouum, quod firmauerat, in victoria hac reuersus est.

XLVI. His duabus portis, vna versus montana, altera ad pontem lapideum Tankradi custodia obseruatis, & Christiano exercitu sedato, atque à rebus bellicis aliquantulum securo, aliquibus sociis interdum aleis præ otio intendentibus, contigit quodam die filium Comitis Conradi de Lutzelenburg, *Adelberonem* nomine, clericum & Archidiaconum Metensis Ecclesiæ, iuuenem nobilissimum de regio sanguine, & proximum Henrici III. Romanorum Augusti, alearum ludo pariter recreari & occupari cum matrona quadam, quæ magnæ erat ingenuitatis ac formositatis, in viridario pomiferis arboribus & herbarum abundantia plenissimo, & sylua, quæ iuxta sedem & eandem portam vrbis habebatur, quam Dux Godefridus & Teutonicorum comitatus obsidione premebat. His, vt dictum est, otio & ludo intentis, Turci soliciti insidiarum & necis Christianorum, clàm è porta procedunt; & cautè se abscondentes inter altam & supereminentem herbam arborumque densitatem, Archidiaconum & sibi colludentem matronam, subito clamore nescios & obstupefactos incurrunt, sagittis infigentes, sociosque, qui iudices ad ludum conuenerant, iam præ timore oblitos alearum, dispergunt & vulnerant. Et ipsius quidem Archidiaconi caput amputatum per portam, raptim & in momento hoc facto, repedantes secum detulerunt; matronam verò viuam, & intactam armis, rapientes traxerunt in vrbem, per totam noctem immoderatæ libidinis suæ incesto concubitu eam vexantes, nihilque humanitatis in eam exhibentes. Tandem tam abominabili & sceleratissima plurimorum commixtione abusam ad mœnia deducentes, capitali sententia peremerunt; caput verò illius continuò mangenellis suis imponentes, vnà cum capite archidiaconi procul à muris in medios proiecerunt campos. Amborum itaque capita inuenta Duci Godefrido allata sunt & monstrata, qui Archidiaconi recognito capite sepulchrum corporis illius iam inhumati iussit aperiri, & caput proprio loco restitui, ne tam nobilissimi viri membra remanerent insepulta.

XLVII. Dehinc alio die Turci successu suæ fraudis gaudentes, & similem deceptionem adhuc Christianis se inferre arbitrantes, à porta egressi, & inter scirporum densitatem fragilesque calamos palustris loci clanculum accedentes, Peregrinis quibusdam in prædicto pomario insurrexerunt solita feritate & vociferatione: sed à militibus subuenientibus retrusi & in fugam coacti sunt. Nullus quidem ab his percussus tunc aut vulneratus est præter *Arnolphum* de Tyrs castello, qui eques semper bello feruidus fuit & prouidus; licet nunc incautus sine tegmine scuti & indumento ferri ad clamorem Peregrinorum subitò in pomarium contenderit. Vbi à cæco & volatili telo sagittæ cuiusdam Turci lethali vulnere transfixus, mortuus est. Dux ergo suique contubernales molestè ferentes à pomario hoc Turcos insidias Christianis moliri, & tam egregios viros illic in dolo cecidisse, decreuerunt, vt in ferramentis & securibus Christiani de exercitu conuenientes, hoc radicitus extirparent, herbas, scirpos & calamos meterent, ne qua fraudulenta manus illic vltrà latere aut nocere posset. *Turci* enim dolositates suas hac in porta, & ab hac porta populum DEI viuentis præcauere videntes, rursus per portam Farfar exeuntes, inuigilabant perditioni Peregrinorum, per pontem nauium transmeantium, lignorum sarmenta comportantium, herbas & pabula equorum quærentium: & quotquot à specula montis hac & illac pro necessariis rebus vagari conspiciebant, illico insequentes gladiis & sagittis interemerunt.

XLVIII. Cùm verò hæc cædes, insidiæ, incursiones, mane, meridie, vespere, singulis diebus fierent, & cotidiana lamenta super occisis audirentur in castris, nec *Tankradus* toties hostibus occurrere valeret præ diuersis opinionibus hostilis fraudis, & eo ignorante sæpe ab vrbe per pontem erumperent, *Hugo* Comes de S. Paulo ex regno Franciæ, motus

motus est pietate super hac cotidiana strage fidelium, sibi cæterisque potentibus famulantium, & res necessarias afferentium. Vnde filium suum *Engelradum*, tironem armis agilem, paterna suggestione admonuit, vt & cæteros sibi familiares, quatenus in vna voluntate secum accensi, pauperes suos atque confratres Christianos à tot Turcorum cædibus & assultibus liberare & vlcisci velint, & absterrere toties insequentes hostes. His factis, & voluntariis inuentis, ipse grandæuus pater primus arma & equum requirens, ascendit; pontemque nauium in noctis vmbra transiens, iuxta montana in latibulo vallis cum dilectissimo filio & secum assumtis sociis occultatus, summo manè peditem Christianum reliquit in campestri planicie, vbi Turcorum oculis manifestè pateret. *Turci* itaque non immemores suæ crudelitatis & cædis Christianæ, ab vrbe per pontē fluuii *Farfar* rursus procedentes, in montis vertice, sicuti soliti erant, consistunt; de quo à montanis ad montana per camporum planiciem longè spectacula fermè ad duo milliaria dantur. Illic solum Peregrinum vagantem, & sarmenta legentem, contemplantes, ad eius interfectionem velocitate equorum conuolant, & subito clamore exterritum vsque ad montana & frutecta profugum insectantes, insidias latentium cominus Christianorum prætereierunt. Peregrino verò iam in montibus abscondito, viam remensi sunt hi quatuor Turci, iuxta Christianorum insidias fiducialiter redire sperantes. Sed extemplò Gomes & sui à valle exurgentes, in eosdē irruerunt equorum velocitate; duos in momento attritos solo relinquentes, equis & armis eorum abductis; alios verò duos vitæ reseruantes vinctos ad exercitum perduxerunt. Concurrunt vndiq; Peregrini, nobiles & ignobiles, ad videndos Turcos captiuos, gloriam DEO dantes super hoc prospero euentu: laudesq; multiplicant Comiti Hugoni & filio eius Engelrado, quorum prudentia & virili audacia tam noxii aduersarii capti & attriti sunt. Primores verò Turcorum, & omnis manus eorum, audita suorum contritione, doloribus acuunt iras; consilia ineunt, quibus in breui rependant crudeliora damna Christianis in vltione suorum. Vndequidam audaciores, animoq; ferociores, ex millibus suis electi ad lacessendos Christianos vsq; ad pontem nauium, viginti præmissi sunt in equis vento velocitate similibus. Qui multis & propinquis discursibus in littore iuxta pontem præludentes, & sagittas intorquentes, totum post se commouere conati sunt exercitum, vt vires sociorum, raptim ex vrbe inundantes, graui martyrio aliquos, sicut soliti erant, conturbarent. Fideles autem CHRISTI satis & sæpius experti fallacias illorum, compescuerunt ab insecutione temeraria populum. Sed ne eos tædio belli victos assererent *Engelradum* filium prædicti Hugonis, cum quibusdam sociis obuiam Turcis præmiserunt, qui etiam suo more equos in discursionibus flectentes, dolosos hostes mutuo conflictu fallere tentarent. Nec mora, pontem transeuntes, equos vexant huc & illuc diuersis inter se discursibus, & hi alterna infestatione hastas dirigunt ad feriendum, hi sagittas intorquent ad configēdum. Postremò post plurimam cursuum contentionem, honor & laus victoriæ Engelrado, DEO auxiliante, collata est. Nam Turcum cæteris insigniorem & sæuiorem cursu exuperans, in conspectu patris sui & omnium, qui conuenerant ad perspiciendum rei euentum, altero in littore constituti, equo deiiciens, hasta perfodit; cæterosque illius casu & infortunio concussos, & mox in fugam versos, cum Christianis sodalibus acriter insecutus est, sed non longè à ponte, idque propter insidias sæpius ab vrbe occurrentes, & insequentibus resistentes. Saluo abhinc filio recepto aliisq; consociis, cor longæui patris in nimiam erigitur lætitiam, omniumque fauore & plausu maiorum & minorū, gloriosus iuuenis attollitur vnà cum suis adiutoribus & conuictoribus. Inter hæc assiduitatis ludibria, & creberrimas incursiones, mora aliquanti temporis transacta, populus DEI rebus & escis attenuari cœpit, præ defectione vrbium & regionum, quas in circuitu tantus exhauserat exercitus. Vnde cotidiè fame inualescente, & exercitu præ indigentia moriente, præcipuè humili populo, miserabiles gemitus & dolores piissimum Antistitem & vniuersos Principes legionis pulsant & solicitant, quatenus super his miseriis consulant quomodo populus posset sustentari. Nulla tamen via reperta, qua populo subueniretur, visum est omnibus, vt in *terram Sarracenorum* opulentissimam, adhuc præda intactam, Boemundum, Tankradum & Robertum Flandrensem, cum comitatu equitum & peditum, mitterent ad contrahendas prædas & necessaria, quibus fames extingui, & populus ab inopia posset releuari. Tan-

V 2

kradus, iam tunc custodia peracta, à montanis ad exercitum reuersus fuerat. *Boe*[illegible]*mundus* verò & *Robertus* idemque *Tankradus*, sicut decretum erat in principio *nemi*[illegible]*nem magnum aut paruum contradicere debere, quæcunque imperaret exercitus*, quindecim millia peditum, duo equitum electorum, in armis assumentes, regna Gentilium sub spacio dierum trium ingressi, prædarum & pecorum vniuersique generis [illegible]mentorum copias inauditas contraxerunt, quas sine impedimento biduo ab[illegible]xerunt. Sed die tertia vespere superueniente, fatigati itinere, & onere rapinarum grauata omnis societas, in campestri planicie iuxta montana quiescere decre[illegible]runt.

LI. Interea fama & clamor omnium in circuitu regionum ad aures Gent[illegible]lium primatum festinans, à diuersis partibus & montanis sedibus tot millia exc[illegible] ad persequendum Boemundum, Robertum & populum eorum, & prædas excu[illegible]tiendas, quod dictu & auditu mirabile est. Boemundo siquidem hæc ignorante, ni[illegible]hilq; aduersitatis affuturum existimante, sed securè cum Roberto somniante, pri[illegible]ma diei aurora prædicta inimicorum affuerunt millia, à quibus se suosque sic ob[illegible]sessos viderunt, ac si syluam densissimam ex omni parte decreuisse mirarentur. His visis stupefacti & vitæ diffisi, subitò in vnum conuocatis equitibus ad latus suum, bellum se cõmittere, & tot millium vires non posse sustinere profitentur. Vnde fa[illegible]cta scutorum testudine, & densata militum fronte, aditum & fugam explorant, [illegible] quo rarior & debilior coadunatio visa est. Mox districtis mucronibus, & frenis impetu laxatis, vnanimiter irruentes, obstantes penetrant acies; ac solam fu[illegible]gam meditantes, celeriter ad montana contendunt, relictis desolatis peditibus cum omni collectione prædarum ac spoliorum. His per abrupta montium [illegible] deuia ereptis, plurimis tamen ex eorum sequacibus retentis & attritis, Gent[illegible]lium acies miseros & profugos pedites inuoluerunt, quos gladiis & sagittis con[illegible]sumere non pepercerunt: plures tamen captiuantes, armisque expoliantes, prædas & omnia sibi suisque ablata reducebant.

LII. Hac miserrima contri[illegible]tione Boemundo disturbato, & ad exercitum & confratres in humilitate lacri[illegible]mosi vultus relato, luxit populus vehementer, mulieres, iuuenes, pueri, pa[illegible]tres, matres, fratres & sorores, qui dilectissimos amicos, filios & cognatos a[illegible]miserant. *Robertus* quidem Flandrensis, qui cum ipso Boemundo in terram Sar[illegible]racenorum descenderat ad deprædandum, & tunc Boemundo cum copiis suis attrito, & in fugam misso, ab eo diuisis recesserat, licet inuitus, sequenti die d[illegible]centis equitibus readunatis, Turcis Sarracenisque dispersis, & securè gradien[illegible]tibus, ex aduerso occurrit: cum quibus fortiter dimicans, victoriam glorio[illegible] [illegible]his in fugam conuersis, obtinuit; atque cum immensis copiis prædarum, quas illic Turci fugientes reliquerant, ad castra *Antiochiæ* est reuersus, multo sola[illegible]mine releuans populum, in hac Boemundi calamitate desperatum. Modico d[illegible] hinc tempore transacto, & paucis diebus præda Roberti consumta; nec vltra audente aliquo longè ab exercitu prædam quærere præ crudeli occisione Boe[illegible]mundi sociorum, amplior & validior fames in populo cœpit multiplicari, & in[illegible]æstimabilis mortalitas humilis plebis fieri, & exercitus attenuari. Nec mir[illegible]. Nam solus paniculus, qui antea denario Luculensis monetæ poterat mut[illegible] nunc duobus solidis vendebatur indigentibus. Bos duabus marcis vendeb[illegible] qui paulò ante decem solidis poterat comparari: agniculus quinque solid[illegible] preciabatur. Sic itaque grauissima penuria cogente populum DEI viui, p[illegible]mi vagabantur, se subtrahentes in omnem regionem Antiochiæ ad qu[illegible]das escas, trecenti aut ducenti conspirati ad defensionem contra Turco[illegible] insidias, & ad æquam diuisionem omnium rerum, quas reperire aut [illegible] po[illegible]sent. *Turci* audita & intellecta populi angustia, famisque miseria, & Boemundi [illegible]centi contritione quàm maxima, & exercitus vagatione assidua, per vicinas ho[illegible] exiliunt à porta ex ea parte vrbis, quæ inobsessa prominebat in montanis, gra[illegible]di differente interuallo à porta, quam Boemundus obseruabat, per decliui[illegible]pium descendentes, & fideles CHRISTI circumquaque diffusos insequen[illegible] atroci cæde consumentes.

LIII. Quadam die inualescente inedia, & vrgent[illegible] [illegible]biles & ignobiles, quidam Tullensis ecclesiæ Archidiaconus, nomi[illegible] *[illegible]*, defectione sui stipendii compulsus, & famis gladio expugnatus, cum [illegible] clericis & laicis, numero trecentis, inopia coactus, ab exercitu se [illegible] loca vbertate alimentorum diffamata, sita in montanis Antiochi[illegible] lo trium milliarium, vbi securè prædari & morari arbitrabantur. [illegible]

con[illegible]

comperto illorum abscessu per delatores, qui assiduè inter populos fraternitate habitabant falsa, ad sexaginta milites armatos ab eadem prædicta parte vrbis & porta clàm per notas semitas montium egressi, persecuti sunt Christianos ad locum, quo viam constituerant spe recuperandi alimenti. Quos ferociter inclamantes aggrediuntur, sagitta perforantes trans caput & latus & viscera; vniuersos, vt lupi oues, laniantes & fuga dispergentes. Archidiaconum verò, nequicquam fugam ad montana conantem, quidam Turcus velocissimo equo insecutus, sagitta celeri transfixit, eductoque ense ex vtraque parte colli grauissimo vulnere illius secuit scapulas: & sic sanguinis riuo in terram defluente, spiritum vitæ emi-
10 sit. Hanc crudelissimam famam primores exercitus vt compererunt, spiritu mœroris conturbati sunt, indignati tot cædes à Turcis per portam inobsessam singulis diebus fieri; & nunc amplius dolentes necem tam nobilissimi Archidiaconi, & creberrimos vlulatus in perditione quorumq; amicorum audiri. In- LIV. ter hæc plurima aduersa adhuc recentia, impius rumor aures totius sacræ legionis perculit, qualiter post deuictam & captam Nicæam filius regis Danorum, *Sueno* nomine, nobilissimus & forma pulcherrimus, per aliquot dies retardatus, & benignè ab Imperatore Constantinopolis susceptus & commendatus, per mediam Romaniam securus iter agebat, audita Christianorum victoria: qui socios mille & quingentos viros belligeros secum in auxilium obsidionis Antiochiæ addu-
20 cebat. Sed à *Solymano*, qui in montanis victus, Gallos euaserat, intra Finiminis & Ferna, vrbes Romaniæ, hospitatus, in media densissima sylua vicorum & calamorum recubans, in grandine sagittarum occisus est; totusque comitatus illius eodem martyrio ab iniquis carnificibus consumtus est. Nec mirum, si vniuersi Turcorum viribus oppressi interierunt: Nam quorundam iniquorum Christianorum, Græcorum scilicet proditione propalati sunt, & improuisè à Solymani manu è montanis adunata, circumuenti sunt. Attamen filius regis, Sueno multa armorum defensione resistens, multos Turcorum gladio strauit, strauerunt & sui. Sed ad vltimum fessi & armis exuti, ineffabilem aduersariorum multitudinem sufferre non valentes, pariter sagittis confixi, interierunt. Ibidem matro-
30 na quædam, *Florina* nomine, filia Ducis Burgundiæ, Philippensium Principi copulata, nunc verò miserabiliter viduata, in eodem comitatu Danorum erat, sperans post triumphum fidelium tam magno tantoque sociari marito. Sed hanc spem Turcorum abrupit ferocitas. Nam eandem in mulo sedentem sex confixerunt sagittis, versus montana fugientem: quæ licet percussa, non tamen à mulo elapsa est, semper mortem euadere credens, dum tandem cursu superata, cum filio Regis capitali sententia extincta est. *Turci* ergo milites Solymani, gaudentes suo victrici euentu & cæde Christianorum immanissima, ad lacus calidorum fontium, qui ibidem iuxta Finiminis fumabant, celeriter aduolant. Qui mendicos & febricitantes peregrinos in his ad curandum debile corpus reperientes, sa-
40 gittis infixerunt, totam vndam sanguineam reddentes; aliosque sub vnda caput ab ictu ferientes abscondentes, sæuo fine demersionis suffocari cogebant. His LV. creberrimis Turcorum insidiis, & assiduis à porta prædicta exitibus, suorumque miserrimis casibus, primores exercitus conturbati, acuuntur ira ampliori, & portam præfatam, quæ ex difficultate montium, & inæqualitate scopulorum, obsideri non poterat, hoc obstaculo impediri consulunt: videlicet, vt munitionem quandam in dorso cuiusdam silicis, stantis ad radicem montium, locarent: obstaculum (inquam) firmissimum valle & congerie lapidum. Nam penuria illic erat lignorum. In hac ergo, custodiam quisque Primorum statuto tempore ageb[illegible]; Turcorumque exitum à porta per montana & vallium notas semitas, è specula si-
50 licis & munitione contemplabatur; & per planiciem regionis descendentes extemplo persecuti, à Christianorum cæde arcebant. Facta denique ipsa prædicta munitione, à comite *Reymundo*, in ordine vicis suæ custodiam in ea faciente, quadam die collocatis in abscondito insidiis suorum militum, Turci equites ferme ducenti armati & loricati in prima aurora diei exurgentes, à solita porta egressi, & per deuexa montium descendentes, repento assultu ad munitionem contendunt, custodes in ea impugnantes, & murorum congeriem destruere moliuntur, quia egressioni eorum, & insidiis contraria erat. Illis tandem frustra circa nouam munitionem laborantibus, insidiæ Comitis Reymundi surrexerunt, in equis velocissimis ad auxilium sociorum, qui erant in præsidio, contendentes,

& Turcos, iam diem vltimum metuentes, & regredi sursum ad portam præparantes, vehementi insecutione oppresserunt, solumq; iuuenem de nobili parentela procreatum, retinuerunt; cæteri fuga elapsi sunt. Capto autem iuuene, cæteris fugatis, milites Comitis *Reymundi* in castra ad exercitum regressi sunt in lætitia & victoria. *Turci* quoque in tristitia ad suos remeantes aliquot diebus quieuerunt, non temerè ab illo die Christianos circumuagos insequi præsumentes.

LVI. Crastina die Christiani Principes hunc ortum ex nobilibus Turcorum comperientes, & plurimo dolore infligere corda suorum, eundem iuuenem carnalibus cognatis suis, in vna arce turrium ad defensionem à Rege *Darsiano* constitutis, præsentauerunt: si fortè pietate moti in redemtionem illius, arcem, cui præerant, redde- 10 rent, & Christianos clanculum intromitterent. Illis verò omnino arcem negantibus, sed pecuniam nimiam pro redemtione & vita illius offerentibus, Christianis autem omnia contradicentibus præter vrbem & arcem, quia sciebant eum ex altis parentibus, corda cognatorum mollescere cœperunt, & priuata colloquia inter se & Christianos haberi: quo vsque res propalata ad aures *Sensadoniæ*, filii Regis Darsiani, peruenit, quòd in redemptione capti iuuenis inter cognatos illius & Christianos concordia fieret, per quam vrbs, nisi præcauerent, citò posset amitti. *Darsianus* itaque rex & filius eius Sensadonias hæc præsentientes, habito cum suis primatibus consilio, vniuersos cognatos capti iuuenis fratresque illius, & vniuersos familiares, ab illa turri, cui præerant, iussit expelli, ne per ean- 20 dem turrim pro redemptione propinqui vrbs Christianis intromissis traderetur. His expulsis, consiliis eorum patefactis, Christiani nullam spem vltrà reddendæ turris habentes, eò quòd nimium inpalàm omnia egerint, post longam fatigationem, & diuersos illi cruciatus illatos, ferè sub vnius mensis spacio vexatum in aspectu omnium Turcorum ante vrbis mœnia trahentes misellum, vixque palpitantem præ tormentis, amputato collo peremerunt: & præcipuè ex accusatione Græcorum fidelium occisus est, qui referebant, hunc plus quàm mille Christianorum propriis mortificasse manibus.

LVII. His finitis, & Christianorum aliquantulum persecutione ex noua munitione & istius decollatione repressa, Christiani Principes aduersitates suorum Boemundiq; societatis attritæ recolen- 30 tes, ac famis pestilentiam clademq; mortalitatis in populo recensentes, ex peccatorum multitudine hæc fieri asserebant. Qua de causa consilio habito cum Episcopis & omni clero, qui aderant, decreuerunt omnem iniustitiam & fœditatem de exercitu abscindi: videlicet *vt nullus in pondere aut mensura, nec in auri vel argenti ambitione, nec in alicuius rei mutatione aut negocio confratrem Christianum circumueniret; nullus furtum præsumeret; nullus fornicatione siue adulterio contaminaretur. Si quis verò hoc mandatum transgrederetur, deprehensus sæuissima pœna affligeretur: & sic populus DEI ab iniquitate & immundiciis sanctificaretur.* Hoc quidem decretum plurimi transgredientes, seuerè à iudicibus constitutis correpti sunt, alii vinculati, alii virgis cæsi, alii tonsi & cauteriati, ad correctionem & emendationem totius legionis. Deprehen- 40 si ibidem in adulterio vir & fœmina, coram omni exercitu denudati, & post terga manibus reuinctis, à percussoribus grauiter virgis verberati, totum circuire exercitum coguntur, vt sæuissimis illorum plagis visis, à tali & tam nefario scelere cæteri absterreantur.

LVIII. Hac iustitia in populo DEI corroborata ex Maiorum sententia, quatenus ira Domini placaretur, dux *Godefridus* iam à vulneris sui infirmitate conualuit. Quem in terram *Sarracenorum* & *Turcorum* direxit exercitus ad repetendas prædas & spolia, quæ *Boemundus* attritus & profugus deseruit, vt gaudium ex infortunio ieiunæ & attritæ plebi reportaret: quod DEO annuente actum est: sed non multas prædarum contraxit copias. Nam Sarraceni & Gentiles ab eo tempore, quo Boemundus terram eorum intrauit, prædasque abdu- 50 xit, prouisi, armenta sua cum vniuersis rebus & pecuniis per montana & loca inuestigabilia absconderunt. *Reymundus* similiter & cæteri Principes ex decreto exercitus missi sunt. Sed paucas prædas contraxerunt, propter diffugium, quod Sarraceni cum rebus, armentis & pecudibus per montana & longinquam regionem faciebant.

LIX. Huius autem longæ obsidionis aliquo transacto curriculo, & grauissimis pœnis afflicto populo in laboribus vigiliarum, famis & pestilentiæ, ac frequentia incursantium Turcorum; *Ammirabilis Babyloniæ Rex*, quoniam inter se & Turcos grauis diu ante expeditionem hanc Christianorum erat discordia & odium, per Abbatem quendam Christianorum legatione & intentione cogni-

cognita, de pacis & regni sui ad inuicem confœderatione quindecim legatos, linguæ diuersi generis peritos, ad exercitum DEI viuentis direxit, hæc ferentes nuncia: REX AMMIRABILIS BABYLONIÆ GAVISVS ADVENTV VESTRO, ET PROSPERE ADHVC VOS EGISSE, SALVTEM PRINCIPIBVS MAGNIS ET HVMILIBVS CHRISTIANORVM. *Turci, gens externa, mihi & regno meo infesti, sæpe terras nostras inuasêre, vrbem Ierusalem, quæ nostræ ditionis est, retinentes. Sed nunc viribus nostris hanc ante aduentum vestrum recuperauimus, Turcos eiecimus; fœdus & amicitiam vobiscum inimus, genti Christianorum vrbem sanctam & turrim Dauid montemq; Sion restituemus; de fidei Christianæ professione discutiemus, qua discussa, si placuerit, hanc apprehendere parati sumus: si autem in lege & ritu Gentilitatis persliterimus, fœdus tamen, quod ad inuicem habuerimus, minimè rumpetur. Precamur & monemus, ne ab hac ciuitate Antiochia recedatis, quo vsque in manu vestra restituatur, Imperatori Græcorũ & Christianis iniustè ablata.* Winemarus, qui Mamistræ à Baldewino & Tankrado recesserat ad maritima, iterato nauigio *Laodiceã* cum omni armatura naualis exercitus properauit: quam vallatam nauali obsidione & expugnatam in virtute suorum apprehendit, nil auxilii & respectus de omnibus quæ acquisierat, Christianis confratribus, Antiochiæ considentibus, conferens aut impertiens. Laodiceam denique apprehensam dum securè obtineret, suique commilitones & conspirati ocio vacarent, ac bonis terræ & ciuitatis fruerentur, à Turcopolis & militibus Regis Græcorum ex industria cæsi sunt & exuperati; arx ciuitatis recuperata; ipse *Winemarus* captus & in custodia carceris constitutus est, Duce Godefrido cæterisque Principibus hæc Antiochiæ adhuc ignorantibus. LX. Interea Turci obsessi in Antiochia, opem quærere non tardantes, & amicos admonere, à montanis & finitimis regionibus magnas & copiosas vires Turcorum contraxerunt, quorum in breui triginta millia congregata sunt in vnum. Disposuerant enim in animo suo & consultu obsessi, ab ipsis exterioribus primo diluculo assultum fieri in populum sanctum DEI; deinde interiores vrbis ad roborandum & augendum assultum ex impetu affore; Christianos armis & sagittarum grandine fatigare, quo vsq; cæsis collis consumerentur in ore gladii. Tam nefandorum consiliorum & scelcratæ conspirationis delatio peruenit in castra catholicorum virorum, *Godefridi* Ducis & Episcopi Podiensis, cæterorumque primatum quibus præ inopia annonæ, & diuturna lassatione, diuersaque clade, non amplius quàm mille valentes equi habebantur. Nunc ad hanc curam & angustiam profertur sententia Episcopi, quæ in hoc modo fuit: *Viri Christianissimi, & qui estis flos electus Galliæ, quid modò sit vtilius in consilio, videre nescio, nisi vt spem in nomine Domini* IESV *habentes, illis ex improuiso occurratis. Gentiles quamuis vsquequaque adunati in tot millibus, vt audistis, superueniant, nullis aggrauati laboribus, nec longo itinere à terra sua egressi & fatigati; & iam vsque Barich ciuitatem profecti, tamen non est difficile in manu DEI tot millia cõcludi, & à vestris paucis copiis consumi.* Ad hæc verba Pontificis Dux Godefridus, in officio belli semper indeficiens, in auditu & præsentia conuocatæ legionis sic respondit: DEI *viui & Domini* IESV CHRISTI *sumus cultores, cuius nomini militamus. Hi in virtute sua, nos verò in nomine DEI viuentis adunati sumus. In cuius gratia confidentes, impios & incredulos impetere non dubitemus: quia siue viuimus siue morimur, Domini sumus.* Sicut enim salutem & vitam diligimus, sic oportet, ne in palàm verbum istud fiat, ne hostes soliciti & prouidi de aduentu & impetu nostro, nimis exterreantur, & nobiscum præliari non expauescant. LXI. Hæc Duce monente & exhortante, septingenti equites viri præliatores eliguntur, quos tamen res prorsus latebat præter aliquos primores exercitus: defecerant enim plerisq; equi, præ diuersis plagis, vt prædiximus, & paucissimi valentes fuere equi: vnde alii iumentis, alii mulis & asinis, pro vt necessitas exhibebat, insidentes, intempestæ noctis silentio iter mouerunt, per pontem nauium transeuntes, Turcis his ignorantibus, qui in præsidio Antiochiæ fuerunt ad defensionem. *Boemundus, Tankradus, Robertus* Flandrensis, *Robertus* de Nortmania, vnà cum Duce *Godefrido* in loco decreto pariter conuenerũt. *Rotgerus* de Barnauilla pariter conuocatus affuit, qui insidiis Turcorum assiduus, & strages sæpius exercens, apud eosdem Turcos notissimus & famosissimus laudem eam obtinuit, vt sæpius inter Christianos & ipsos de omni conuentione vtrinque captiuorum & cuiusque rei internuncius audiretur. Ipse pariter *Antistes*, socius in omni admonitione sancta sequebatur ad confortandos viros DEI. His verò per noctem iam superata via, & ad castra Turcorum properantibus, *Boemundus* quidam de genere Turcorum, qui *Veritate* cognita, quæ CHRISTVS est, baptismi gra-

tiam percepit, & à Boemundo Principe recenter de sacro fonte leuatus, nomine eius est vocatus: & *Walterus* de Drommedart præmittuntur, cautissimè gradientes, quo vsque primo diluculo gentem innumerabilem, ad auxilium Antiochenorum venientem, inspectant à sylua & frutectis vndique properare. Hi autem vt hostes à longè speculantur, reditum parant, ad septingentos socios laxis frenis reuolant, rem vt erat aperientes, sed omnem terrorem bono solamine adimentes.

LXII. Antistes verò egregius auditis verbis Walteri & Boemundi, admonet socios, metu & anxietate aliquantulum hæsitantes, ne dubitarent mori pro eius amore, cuius vestigia cum signo sanctæ Crucis sunt secuti, & cuius gratia patriam, cognationem & omnia reliquerunt, certi quia cum Domino DEO Zebaoth, quem hodie hîc mori contigerit, cœlos possidebit. In hac beata admonitione roborati, decreuerũt vnanimiter malle mori, quàm inimicis viliter terga dare. Ad hæc *Comes Reymundus* hilari animo vibrata hasta, clypeoque pectori obducto, & *Godefridus* Dux non minus æstuans desiderio conferendi prælia, cæterique septingenti viri bellicosi, ex improuiso per medios aduolantes infringunt, & eorum multitudinem copiosam disturbantes, palmam DEO donante victores accipiunt, Turcis attritis, & in fugam conuersis. DEI etiam auxilio & misericordia nerui arcuum eorum, præ pluuia molliti ac defecti, nil poterant: quod illis fuit magno impedimento, & fidelibus in triumphi augmento. Victores ergo Christiani facti, videntes se præualuisse, & paucos suorum cecidisse, ab equis descendentes, capita occisorum amputant, sellis alligant, sociis nonnullis, in castris Antiochiæ rei euentum expectantibus, in magna lætitia afferunt cum mille equis valentibus & spoliis multis, quæ deuictis hostibus acceperunt. Affuerunt in eodem prælio nuncii Regis Babyloniæ, qui etiam capita Turcorum amputata in sellis ad exercitum detulerunt. Contigit autem hæc victoria Christianis in manu paucorum præcedente die *capitis ieiunii*. Ipsis etiam fidelibus in magna gloria repedantibus ad populum suum, & tentoria in pratis Antiochiæ relicta, Turci, qui obsessi auxiliũ attritæ multitudinis operiebantur, in mœnibus suis stantes, contemplabantur à longè victrices aquilas fidelium. Quas suæ expectatæ gentis æstimantes, subito fragore clamantium, & cornicinum strepitu, ad arma conuolant, è portis fortiter exundant, putantes ab intus & deforis in momento omnem illam sacram consumere legionem. Sed cominus appropinquantibus Christianis, & visis capitibus Turcorum, exuuiis quoque & caballis eorum recognitis, fragorem & tubarum sonitum compresserunt, gaudere cessauerunt, & in munitionem celeri fuga relati sunt. Christiani verò ad augendum Turcis dolorem, capita Turcorum trans mœnia & muros iactauerunt, cætera fermè ducenta, hastis & palis infixa, in conspectu omnium astantium ad mœnia contulerunt.

LXIII. Crastina autem die illucescente, Principes fidelium consiliis inuigilant, læti de recenti victoria, quatenus præsidiũ cuiusdã machinę locarent iuxta prefatũ pontẽ ciuitatis, qui porrigitur trans fluuiũ Farfar: vt sic auferrẽt locatã machinã, introitum & exitum ab vrbe commeantibus, & escas inferentibus, & insidias per eundem pontem Christianis molientibus. Tandem reperto consilio, *Boemundum* Principem Siciliæ, & *Euerhardum* de Poisat, *Reymundum* Comitem de Prouincia, *Wernerum* de Greis, ad portum maris, qui dicitur Simeonis eremitæ, propter emendos cibos cum plurimis peditibus dirigunt; & vt vocarent socios ad opem construendi præsidii, qui in ipso littore maris propter naues, quæ escas adducebant, morabantur. Reduxerunt etiam in eodem comitatu legatos Regis Babyloniæ, quos magnificis muneribus honoratos in bona fide saluos nauigio remiserunt. Tam egregiorum virorum consilio & discessu per delatores comperto & manifestato, Turci gauisi sunt gaudio magno. Qui assumtis quatuor millibus electorum militum, per pontem prædictum ab vrbe egressi, viros prædictos, ductores exercitus, per notas sibi semitas insecuti sunt, hoc magno exercitu ignorante, in montanis insidias ponentes inter vepres & frutecta, quo vsque missi Principes à portu maris repedarent. Repedantibus autem sociis tam in equis quàm in pedibus, ex admonitione Boemundi, cæterorumq; primorum iam quatuor millia confluxerant. Turci improuisos & cibariis onustos, raptim ab insidiis exurgentes, incurrunt sagittis trans pectus & viscera confodientes, alios gladio trucidantes. Et quia à dextris illis erat victoria, manus suas à fidelium martyrio non antè continuerunt, quàm per syluas & cãpos, quingentos amputatis capitibus extinxerũt. Vulneratorum quidem & captiuorum non erat numerus. *Boemundus* igitur, qui retrò

agebat

agebat custodiam cum cæteris viris magnificis, intellecta hac cæde crudelissima, vidensq; suos semineces, per abrupta montium, per opaca loca latere, celeri fuga hac illacq; tendere: & perspiciẽs se fugitiuis ac victis nequaquã prodesse, sed sibi in promtu esse mori, reductis frenis cum sociis, equo insidentibus, se subtraxit, & ad maritima, via relecta, tendens cum paucis repedabat. Nec mora, quidã, qui vix velocitate equi per deuexa collium elapsus, ab armis declinauerat, Godefridum Ducem, qui ab exercitu trans pontem nauiũ veniens, mediis assistens campis ex Pontificis monitu Turcos & armenta eorum in vrbem redire coëgerat, graui inquietauit fama, asserens, quomodo Boemundus cæterique comprimores in mortis articulo positi, intra inimicorum insidias arctarentur, & quanta crudelitate populus, à porta repedãs, sit attritus. Dux verò his auditis, nuncios per vniuersa misit tentoria nunciare famã tam crudelem, & vt parati essent ad omnia nũc sibi aduersantia. Conturbati & exterriti vniuersi fideles, omnibus è tentoriis sine dilatione confluunt, humerisque squammosas vestes ferri ingerunt, hastis vexilla præfigunt, festinanter equos frenis & sellis reparant, ordinãt acies; aditum pontis & vrbis celeri via disponunt appetere, quò inimicos ad præsidium vrbis redituros sperabant. His sine vlla tardatione pontem nauiũ transeuntibus, & Duce *Godefrido* mediis campis trans amnem reperto, & tristi vultu de sociorum nece mutato, adest alter nuncius, qui ex legione Boemundi, Reymundi, Werneri cæterorumque per montana fugam facientium, Ducem in campo aliosque primores secum consistentes commonuit, quatenus in tentoria redirent propter insidias Turcorũ & assultus, quorũ vires & multitudinem intolerabiliorẽ arbitrabantur, quàm fuisset. *Dux* verò imperterritus, & vindictam attritorum fidelium sitiens, prorsus hinc abire, aut aliqua formidine locum hunc deserere, contradixit; sed cum iuramento asseruit, se aut hodie montem, quo firmatum erat præsidium conscendere, aut in eodem cum suis vitam amittere. Hac in Ducis responsione & affirmatione, & cunctorum ordinatione, assunt præfati Principes incolumes, *Boemundus, Reymundus, Wernerus*, de quorum aduentu & vita vniuersi lætati & confortati, contendunt ad locum montis prædicti ante pontem vrbis; decemque equites ex multitudine electos præmisere in illius montis cacumine, ad videndum, si quæ insidiæ Turcorum altera in valle montis iuxta montana haberentur. Vix decem in equo præmissi milites in montis arduo constiterunt, & ecce totam manum Turcorum illorum, scilicet qui à recenti cæde Christianorum in circuitu per montana & notas semitas clàm redierant, contemplantur. De quibus aduersus se viginti equites præcurrere intuentur, qui decem à montis cacumine arcerent. Christianis verò decem cedentibus propter nimium vicinas Turcorum insidias, & his viginti montis cacumen obtinentibus, subuenere triginta Christiani confratres, qui illos viginti fortiter incursantes de montis apice vsque ad ipsas Turcorum insidias in fugam reddiderant. His viginti fugam ad societatem maturantibus, sexaginta Turci equites ab insidiis erumpunt, viri fortissimi, & in equis doctissimi, qui mox triginta Christianos equites in arcu & sagitta amouentes, in eodem permanserunt. Visa siquidem illorum audacia & incursu, sexaginta pariter equites Christiani, sexaginta occurrere Turcis in monte, interim toto exercitu Christianorum appropiante, qui eos repentè de monte fugatos, in valle, quo Turcorum manus & virtus iuxta montana adunata erat, celeri fuga remiserunt. Ad hæc tota vis Turcorum ab insidiis consurgit, & sexaginta equites Gallorum, iam prauium montis tenentes, grauissima cœperunt insecutione vrgere; ac per medium montis cacumen vsque ad ipsam vallem, quam appropians Christianus exercitus occupauit, retulerunt. Turci quidem videntes, se nimium processisse, & Christianum exercitum immobilẽ permanere, nec aliqua formidine posse auerti à proposito, sed aduersum se festinatò contendere, frustra fugam arripiunt. Galli nihilominus ad persequendum instant, qui in momento permixti, quia cominus ad inuicem confluxerant, cruenta cæde in Turcos sæuiunt in vltionem suorum attritorum, & à portu Simeonis redeuntium. Hac in fuga Turcorum & proximatione Christianorum, non parcè eos cædentium, plurimæ copiæ, quæ à mœnibus vndique ad portam confluxerant, Turcorum cæterorumq; reditũ operientes, sed non videntes fortunam illorũ euersã, & casus eorũ miserrimos, patefaciunt ianuã, & in patulis cãpis armati procedunt, vt suis augerent vires, & fiduciam darent vrbem intrandi. Iam ex vtraque parte fidelium & infidelium permixti erant equites & pedites. Dux verò *Godefridus*,

cuius manus bello doctissima erat, plurima capita, licet galea tecta, ibidem amputasse, refertur ore illorum qui præsentes oculis perspexerunt. Dum sic plurimo belli labore desudaret, mediisque in hostibus plurimam stragem exerceret, Turcum, mirabile dictu, sibi arcu importunum acutissimo ense duas diuisit in partes lorica indutum: cuius corporis medietas à pectore sursum sabulo cecidit, altera adhuc cruribus equum complexa, in medium pontem ante vrbis mœnia refertur, vbi lapsa remansit. Hoc prospero euentu lætati, *Robertus* Flandrensis, *Robertus* Comes Nortmanorum, *Guido* de Monteacuto, Comes *Reymundus*, & omnis nobilitas Galliæ quæ aderat, hostes impetu equorum perrumpunt, multos hasta & gladio perforant, in pontem moribundos cogunt tendere. Vbi præ nimia pressura, quam pons sustinere nequiuerat (quia tot fugientibus sua latitudo non sufficiebat) plurimi è ponte cadentes vndis Fernæ inuoluuntur. *Boemundus*, qui per iuga rupium, solis hibicibus peruia elapsus cum cæteris comparibus ad societatem gratia DEI saluus redierat, in eodem sanguinis opere atrociter desudans, socios commonet & consolatur; à ponte verò labentes hostes hasta perforatos gladio trucidat. Pedites denique iocundati hoc triumpho, corruentes & densatos in pontis margine & aluei crepidine lanceis impetunt, ab occisione non antè manum continentes, donec sanguine occisorum totus immutaretur fluuius. His itaque prosperè finitis, Christianisque readunatis, & Turcos adhuc insequentibus in ponte, & portam cum eisdem intrare conantibus, porta ab interioribus extemplò obstruitur, sociosque miserè exclusos inter percussorum manus relinquunt. Hæc certamina, & Christianorum recens victoria, vna die acta sunt mense Martio: & viri Turcorum, tam qui in bello ceciderunt, quàm qui in vndis perierunt, mille & quingenti computati sunt.

LXVI. Victis in nomine Domini IESV CHRISTI tam ferocissimis Turcorum cuneis, & crudeli cæde fugaque in portam vrbis coactis, atque Christianis cum magna victoriæ gloria in tentoria relatis, ab ipsa die & deinceps Gentilium animi cœperunt mollescere, & assultus eorum antè creberrimi prorsus deficere, insidiæ quiescere, virtus eorum languescere, timor quàm plurimos eorum adeò inuadere, vt aliquià ciuitate & suorum societate subtracti, in noctu migrarent, & Christianos se velle fieri confitentes, Christianorum se Principibus commendarent. Commendati verò, & Christianorum turbis sociati, retulerunt, quanta suorum pertulissent damna, & quanta de casu illorum per totam vrbem exercuissent lamenta: Ammiraldos etiam duodecim potentissimos Regis Darsiani vespere illo in eodẽ prælio cecidisse asserebant, de quorũ nece planctus & gemitus totam conturbabat Antiochiam. Quarta dehinc orta die, Dux & vniuersi Principes exercitus DEI à tentoriis egressi in virtute magna, præsidium quod decreuerant, in vertice prædicti montis ante pontem & portam vrbis congerie lapidum & bitumine fragilis luti ædificantes, tutissimo vallo munierunt, Comitis *Reymundi* custodiam in ea constituentes cum quingentis viris militaris audaciæ & industriæ.

ALBERTI AQVENSIS EXPEDITIONIS HIEROSOLYMITANÆ LIBER QVARTVS.

Argumenta Capitum.

XVI. Quàm

TANDEM à Duce *Godefrido*, populoque fidelium, triumphatis & obrutis in gurgitis flumine aduersariis Christianæ plebis, & præsidio 50 firmato nemine obsistente, quidã nuncius ex Turcis festinus ad turrim & palatiũ Darsiani, regnatoris Antiochiæ, quod est in montanis, transuolat, quãta sint damna suorũ indicans; & nisi diligenter & solicitè prouideat, Antiochiã cæterasq; finitimas oras illius in breui eum amissurũ. Rex *Darsianus*, homo grandæuus, audiens præsidiũ firmatũ, suorumq; ruinã irrecuperabilẽ, hactenus in omni conflictu & euentu diuersarũ rerum securus, inq; solio dormiens, nunc primum suspirio angustiatur; & filiũ suũ *Sansadoniã*, cunctosq; sibi subditos primores ad suũ inuitat cõsiliũ. Aderat in conspectu eiusdẽ sceptrigeri *Solymanus*, de Nicæa vrbe expulsus & Romaniæ finibus, quẽ præfatus Darsianus cõpellãs, nunciũ suæ legationis fieri obnixè petit, sciens eũ virum facundũ, & omnibus regnis Gentiliũ notissimũ, dicens ad eũ: *Tu generis mei proximus cũ duodecim legatis*

meis, & filio meo Sansadonia, Corrozan, in terram & regnũ natiuitatis nostræ profecturus es. Copatrix & Odorsonius, duo ex Principibus meis fidelissimi, in hac legatione tecũ erunt ad faciendã querimoniã iniuriarũ nostrarũ. Vos verò transeuntes, Brodoan *de ciuate Alapia, confratrẽ & amicũ, ad auxiliũ nostrũ commonete.* Pulair, *cuius milites & arma sunt copiosa, ad opẽ nobis conferendã similiter admonete, eò quòd nobis sit semper fœdere coniũctus. Sceptrigero autẽ de Corrozan* Soldano, *qui caput & Princeps est Turcorũ, aduersitates & calamitates nostras exponite;* Corbahanq; *familiari eiusdẽ sceptrigeri suggerite, vt mihi familiares opes exhibeat & copias. Vocetur ergo nobis scriptor & notarius meus, vt sigillũ meum & litteras vobiscum deferatis, quatenus cõfidentius credãt necessitates nostras. Plurimi enim dies transierũt, ex quo in initio obsidionis huius vrbis filius meus* Buldagis, *Corrozan vos præcessit, vt aduentũ Christianæ gẽtis confratribus & Principibus nostris notũ faceret, & aduersus eam vt nobis subueniant, vniuersos commoneret.*

III. Hac Regis audita volũtate & imperio, ipsiusq; acceptis cũ sigillo litteris, ex vrbe & palatio Regis procedẽtes, in terrã Corrozã profecti sunt. Venerũt siquidẽ in apparatu & sumtu nimio & in gloria magna ad ciuitatẽ magnã *Samnarchã*, quæ erat de regno Corrozan: in qua ipsũ Principẽ magnũ & sceptrigerũ *Soldanũ* super omnes Reges & Principes oriẽtalis plagæ, *Corbahanq;* Principẽ, & secũdũ a Rege, in gloria magna repererũt. Quẽ *Solymanus*, quia ętate erat prior, & industria nominatissimus ac facũdia, salutauit. Salutato autẽ Rege, anteq̃ legationẽ aperiret, sicut mos est Turcorũ, de infortunio & iniuriis cõquerentiũ, in conspectu eiusdẽ magni ac potentissimi Regis, & pręsentia suorũ, pileos à capite humi iaciẽtes, barbas vnguibus sæuissimis discerpũt, & in magnis lamentationibus suspiria trahũt. Rex Corrozan his Turcorũ discissionibus visis, in superbia magna sic respondit: *Solymane, amice & frater noster, quid vobis cõtigerit, expone, & vobis illatas iniurias aperi: viuere nequaquã poterit à facie nostra, quicunq; est ille, qui vos cõturbare præsumserit.* Solymanus gauisus & cõfidẽs in respõsis tã potẽtissimi Regis, & in virtute illius, amaritudinẽ, quã grauiter in corde tenebat, & omnẽ rem ex ordine retulit, quodq; viua voce nõ poterat, literarũ assertione memorabat: *Nicæã, inquit, quã nosti nominatissimã, & terram, quã dicũt Romaniã, de regno Græcorum, quam auxilio tuisq; viribus ex tuo dono et gratia nobis collatã acquisimus, quædã gens superueniens, quam dicunt Christianos, de regno Franciæ, in manu forti & exercitu vehementi nobis abstulerunt, & captam cum vxore & duobus filiis meis Imperatori Constantinopolis tradiderunt, me autem in fortitudine sua attritum & fugatum, ad vrbem Antiochiam, in qua sperabam remanere, insecuti sunt: vbi non solùm me meosq;, sed etiam Regem Darsianum de genere nostro virum nobilissimum, tibi subiectum & amicum, tuoq; munere vrbem & terras tenentem, armata manu obsederunt. Misit ergo nos ad te idem Princeps, & tibi subiectus Darsianus, maior & consanguineus noster, vt sibi auxiliari digneris in virtute multa, qua potes: nimium enim, & suprà quàm credimus, necessitas exposcit. Populus & exercitus noster attritus est; terra & regio nostra dissipata est; nostra vita & omnia nostra nunc in manu tua: spem aliam sicut in te, non habemus.*

IV. In risu & deliramento verba & querimonias huius *Rex Corrozan* accepit, leuiter in aures misit; minimè has calamitates ab vlla mundi plaga posse Turcis inferri se credere fatetur; virtutem Solymani, hactenus nominatissimam, militiæque illius audaciam, pro paruo reputans, audiente suorum cœtu. *Solymanus*, sicut is, qui nuper expertus erat virtutem Christianorum non leui animo sententiam Regis accepit. Vnde quia nequiuerat omnia viua voce explicare, litteras cum sigillo Darsiani aperit, in quibus nomina regnorum & nomina Principum vniuersorum Christianorum, Turcos expugnantium, intitulata erant, & quanti eorum sint exercitus & vires. Rex verò & omnis primatus Gentilium, qui secum erant, agnitis litteris & rebus viribusque Gallorum, consternati sunt animo; & vultu in terram dimisso, non vltrà super querimoniis Solymani frustra mirati sunt. Ad hæc sine intermissione in vniuersas terras regni sui missa legatione, omnes primates & Ammiraldos suos in vnum iubet conuenire, die determinata, quæ tunc aptior videbatur. Iam die adueniente, vnanimiter ex decreto & iussu Regis conuenerunt, quibus Rex verba & querimonias Solymani, & calumnias à Christianis illatas, aperuit, dicens: *Vniuersi, qui conuenistis, pensate vt pensandum est; quia Christiani, qui superuenerunt, sicut fecerunt cæteris ciuitatibus & amicis & confratribus nostris, sic nobis facient, ni reprimantur.* Corbahan verò familiaris, & pri-

V. mus in aula Regis & secundus à Rege in regno Corrozan, vir contumax, & plenus superba feritate, virtutes Christianorũ parui pendens, in hęc verba spiritu superbiæ erupit: *Miror verba & querelã Solymani, Sansadoniæ & Buldagis, filiorũ Regis Darsiani, super infestatione Christianorũ, quorũ obsidione Solymanus terras & vrbes suas amisit, de quibus non fa-*

non facilius possent defendi, quàm si à tot miseris & brutis animalibus fuissent obsessi. Olim centū millia Christianorū straui, amputatis capitibus, iuxta Ciuitot, vbi montana terminātur, in auxiliū Solymani accitus contra Imperatorē Græcorū, dissipato illius exercitu, & fugato ab obsidione vrbis Nicææ. Post hæc Petri eremitæ agmina innumerabilia satellites mei, in auxiliū Solymani missi, attriuerūt, quorū cadauere & ossibus campi regionis nunquā poterūt vacuari. Solymanus, qui erat vir miræ & magnæ industriæ, audita illius superbia, & verborū iactantia, æquo animo hæc illi respondit: *O frater & amice noster Corbahan, quare sic nos parui pendis, & parū audentes astruis, nosq; tuo auxilio vicisse, & Imperatorē Constantinopolis & Petri Eremitæ inaudita millia attriuisse? Imperatoris exercitus, gens Græcorum mollis & effœminata, bellorumq; exercitiis rarò vexata, facilè in virtute robustorū potuit superari, superata decollari. Petri similiter Eremitæ agmina, pusillā manū & mendicā, & iners vulgus fœminarū, pedites omnes longa via fatigatos, quingentosq; solūmodo equites reuera cōprobaui: quos leui incursu et cæde cōsumere nobis nō multū erat difficile. Hos verò, quorū nomina & virtutes & bella & industrias litterarū notitia didicistis, & aduersū quos difficile est bellū committere; scitote viros fortissimos, miro equorū volumine doctos, in prælio non morte, non aliquo genere armorū posse absterreri. Horū ferreæ vestes, clypei auro & gemmis inserti, variisq; coloribus depicti: Galeæ in capitibus eorū splendentes super solis splēdorē coruscāt. Hastæ fraxineæ in manibus eorū ferro acutissimo præfixæ, sunt quasi grandes perticæ. Equi eorū cursu & bello doctissimi. Vexilla in hastis eorū nodis aureis & fimbriis argenteis montes in circuitu nimio lucis decore coruscare faciūt. Audaciā eorū tantā scitote, quòd mille equites illorū, si ad pugnā processerint, nō dubitēt viginti millia nostrorū adire, sicut leones et apri mortiferis ictibus armorū fulminantes. Ego autē vires illorū pro minimo duxi, nec stare aduersū me eos æstimaui, congregata fortitudine meorū, sed sic virtutē illorū conterere speraui, vt paulò antè Petri Eremitæ exercitū deleui. Sperabā etiā eos ab vrbe Nicæa me posse absterrere in virtute meorū, vxorē meam filiosq; meos, milites & Principes meos, qui infra vrbis mœnia erāt, liberare: denuò cū his bellū commisi: sed frustrà consumto labore, vix per iuga montiū manus illorū euasi, nō paucos meos occisos reliqui. Illi meis attritis, & cædē suorū nō æquè ferentes, Nicæam redeūt; obsidionē iterant firmius & tutius quàm antea, quo vsq; meos victos cū vxore & filiis meis in deditione tenētes, cū clauibus vrbē Imperatori Constantinopolis reddiderūt. Præterea oppida et castella Romaniæ, quæ meæ ditionis erāt, deuicta & subiugata eidē Imperatori restituētes, plurimas munitiones nostras inuaserūt. Nō amplius de omnibus terris & ciuitatibus & præsidiis, quæ tenui, mihi relictū est, quā Foloraca arx, quæ est iuxta mare & confinia regni Russiæ. Adhæc hi Christiani milites, quos tu credis inualidos, Tursolt, Azarā & Mamistrā, ciuitates Romaniæ, cū plurimis præsidiis expugnatas obtinēt. Ciuitates verò Armeniæ & castella Dandronuch & Harimnu & Turbaysel & montana Constātini, Armeniæ Principis, & Pācratij, terramq; Ducis Corrouassilij, ferro & viribus coacta sibi subdiderūt. Ciuitatē verò Rohas, mœnibus & murali ædificio munitissimā, fertilitate quidē famosissimam, obtinent. Sed & Princeps quidā Balde v inus, caput & ductor huius Christiani populi, filiā Principis terræ vxorē duxit; & vice Ducis extincti à ciuibus promotus, terrā totam et regionē sibi tributariā fecit: & sic vsq; ad Malatinā omnia loca et regna iidē Christiani inuaserunt. Nunc Antiochiā, his à dextris & sinistris subiugatis, obsident. Gentes hæ miri laboris sunt & exercitij: non curant corpora vlla mora aut requie, sed inimicos sibiq; cōtrarios de die in diē requirunt, quos inuētos & expugnatos mittunt in perditionē.*

VII. Corbahan superbus hac Solymani audita narratione, amplius in elatione & iactantiā os suū aperuit, dicēs: *Si,* inquit, *vita sospes fuero, nō sex mēsium pertransibūt dies, & hos Christianos experiar, vtrum sic fortes sint, vt asseris, quos (in DEO meo iuro) sic delebo, vt omnis hoc eorū posteritas doleat.*

VIII. Rex autē Corrozan in verbis horū ad inuicē cōtendētiū, *Corbahan* & *Solymani*, magos, ariolos, aruspices deorū suorū inuitat, de victoria futura requirit: qui omnia prosperè succedere, Christianos triūphare, facili bello superare, Regē promiserūt. Hoc audito Corbahan respōso diuinorū suorū, in quo cor & consiliū Regis intēdebat, multiplici legatione diffusa per vniuersū regnū Corrozan, ex magnifica Regis iussione omnes primores & nobilissimos inuitat, quatenus in armis & sagittis vehiculisq; cibariorū expeditionē matutarēt. Fabros, qui in omni regione cōmorabātur, catenas & vincula fabricare cōstituit, in quibus vincti & captiuati Peregrini in barbaras terras abducerētur. *Pulait,* qui erat vnus Turcorū potētissimus, qui iuxta flumē Euphratē habitabat, *Brodoā* de Alapia ciuitate præclara, qui & ipse abundabat satellitio, in vltionē Turcorum & iniuriarum, quæ à Christianis illatæ erant Solymano Darsianoq;, Regi Antiochiæ, amicis & cognatis Turcorū, vnanimes Regis Corrozā inuitat legatio; res explicat, & instantes denunciat necessitates. *Damascenorū* quoq; *Principē* eadē fama & legatio pulsat & admonet, qui & ipse terram Syriæ magna ex parte subiugauerat, & potens erat vbertate glebæ & equitum robore. *Amasam* etiam de Niz regione, sita in

X

latere *Corrozan*, qui nimium diuulgabatur fama militiæ & audaciæ, Regis pariter solicitabat legatio, eò quòd ipse in fronte aciei semper in quocunque periculo signifer haberetur. Eiusdem Amasæ hasta & sagitta omnium Turcorum sagittis incomparabilis erat, arcu omnes præibat in sagittando: ad omnem expeditionem non minus centum equis, cursu velocissimis, munitus erat, vt vno sagitta percusso, aut aliquo aduerso casu pereunte, alii sufficerent in belli assiduitate, quo semper præuolans & infestus hostibus ferebatur. *Boesas* ex eadem secta Turcorum, & non dispar apparatu & armis, inuitatur. *Amasa* alter de Curzh terra amplissima & ditissima, virisque sagittariis abundans, similiter ex Regis mandato adesse commonetur. *Balas* de præsidio Amache & Sororgia ciuitate; *Balduc* de Samusart, Turci dolosi, milites verò armis & bello famosi; *Karageth* de Karan, ciuitate mœnibus & muris firmissima, ad eandẽ expeditionis diem adesse commonentur. Hi in regno Corrozan ex regia admonitione, aut aliis in regnis quicunq; dispersi præerant, ad hanc expeditionem sunt conuocati, ab initio obsidionis Antiochiæ, & à die, qua secunda legatio Regis Darsiani per Solymanũ facta est. Et in Corrozan rebus necessariis operam dabant, milites armabant, & in omni apparatu bellico sine intermissione intenti feruebant.

IX. Exercitus Christianorũ & vniuersi Principes, qui in obsidione & labore erant circa Antiochiam, prorsus de hac re ignorabant expeditionem: sed de die in diem non solũ escarum, sed equorũ armorũq; defectione arctabantur, & ante omnes curas grauis inopia vniuersos reddebat solicitos. Dũ hæc longo tempore indigentia magis ac magis accresceret, & plurimi præ imminutione necessariarum rerum desperarent, *Baldewinus*, qui Edessam ciuitatem vel Rohas dux promotus subiugauerat, plurima talenta auri & argenti fratri suo, Duci Godefrido, Roberto Flandrensi, Roberto Nortmanorum Comiti, Reymundo, cæterisque præpotentibus, per *Gerhardum*, nimium sibi familiarem, misit, ad instaurandã defectionem, quam tales & tam nobiles Principes comperit tolerare. Equos etiam cursu laudabiles & præstantis corporis cum ornatu sellarum & frenorum honorifico, eidem fratri misit & cæteris Principibus. Misit etiam arma miri honoris & decoris. Deinde post aliquot dies *Nicusus*, Princeps Armenius, de regione Turbaysel, tentorium miri operis & decoris Godefrido Duci misit, vt gratiam & amicitiam illius inueniret. Sed à Pancratio insidiis positis, pueris ipsius Nicusi tentorium ablatum est, & ex eius dono Boemundo transmissum. Quod dum *Godefridus* Dux & *Robertus* Flandrensis, qui ad inuicem dilectissimi amici & consocii fœderati erant, ex verbis Nicusi sibi allatum intellexissent, *Boemundum*, vt redderet, quod iniustè acceperat, verbis pacificis admonuerunt. Qui omnino admonitioni eorum contradixit & petitioni. Indignati ergo Principes prædicti, rursus ex consilio Maiorum ablatum requirunt tentorium: qui nequaquam se reddere asserit; sed graui responsione animos prædictorum Principum aduersus se concitauit. Concitati verò, Boemundum, conuocata manu suorum, aggredi in castris statuerunt, nisi quod iniustè acceperat, citò remitteret. Tandem Boemundus ex consilio primorum exercitus, ne dissidium fieret in populo, tentorium Duci restituit, & pace composita, rursus ad inuicem amici facti sunt. Dehinc inedia inualescente, & copia escarum deficiente circa regionem Antiochiæ, *Baldewinus* Duci & fratri suo vterino Godefrido omnes reditus Turbaysel constituit, in fruměto, vino, hordeo & oleo, in auro solùm singulis annis quinquaginta millia Byzantiorum.

X. Iam dies determinata expeditionis Regis de Corrozan, à longo těpore indictæ & procuratæ, propinquauit. Et ecce vniuersæ nationes regni illius, & Principes prædicti, per regionem Armeniæ, Syriæ, Romaniæ, dispersi, in armis & copioso apparatu ad castrum *Sooch* cõuenerunt, habentes ducenta millia equitum bellatorum absq; exiguo vulgo & fœmineo sexu, absque iumentis & camelis, & cæteris animalibus, quæ nullo numero poterant cõputari. Affuit & *Corbahan*, princeps & caput militiæ, qui in vehiculis cibariorũ, qui in copiis & armis militum, qui in tentoriis & nimio apparatu super omnes affluebat: quě vniuersi Principes & nationes, quę cõuenerãt, tanquã Dominũ venerabãtur, & in omnibus magistrũ ac pręceptorě audiebant. Hic suo in vnũ collecto exercitu, viã iuxta onera curruũ suorũ & sarcinas iumentorũ & camelorũ diebus multis morabatur, donec terrã & ciuitatě *Rohas* ingressus est, vbi per aliquot dies remoratus, pernoctauit. Hanc per regioně descěděs, dũ iter per dies prænimia pressura gětis & iumětorũ abbreuiaret, plurimi de diuersis locis accurrerũt, plurimaq;

maque de exercitu & obsidione Antiochiæ retulerunt. Inter hæc & alia *Baldewinus* apud eum est accusatus, eò quòd Turcis attritis & extinctis, non solùm ciuitatem Rohas, sed & omnia in circuitu præsidia suo subiugasset dominio. Hoc audito, XI. *Corbahan* & comprimores sui exercitus ad inuicem consuluerunt, vt ciuitatem Rohas obsidentes & expugnantes, Baldewinum & suos conchristianos captiuarent atq; punirent, & ciuitatem ac regionem Turcorum restituerent ditioni. Sed *Baldewinus*, quem nec minę, nec aliqui terrores poterant mouere, cõperto aduẽtu Corbahan & consilio eius aduersum se & ciuitatem *Rohas*, conuocata & armata vniuersa manu suorum, in equis, cursu valentibus, occurrit militibus Corbahan, 10 præmissis ab obsidionem Rohas. Quos fortiter assiliens, & cum eis in arcu Armeniorum & lancea Gallorum dimicans, vsque ad castra Corbahan in fugam remisit, spolia, nempe camelos & iumenta cum rebus necessariis præmissa, in ciuitatem Rohas adducens. Corbahan verò Baldewinum hoc aduersum se præsumsisse, cùm præsens fuerit, ne dum absens, vehementer admiratur. Et indignatus super eius audacia, obsidionem circa Rohas nunquam se prætermittere in DEO suo iurat, sed admonito exercitu suo, hanc in momento irrumpere, & Baldewinum captiuum abducere. Vix Corbahan, Princeps & homo metuendus, so- XII. cios admonuit, & ecce vniuersi exurgentes ciuitatem Rohas obsederunt in tubarum & cornicinum stridore & tumultu, plurimam vim & assultus triduò circa 20 vrbis mœnia & portas inferentes. Sed & à defensoribus & custodibus ciuitatis videntes sibi validè repugnari, nec se in momento vel breui spacio posse proficere, quia vrbs muris & turribus esset inexpugnabilis, Corbahan consilium dederunt, vt nunc castra ab obsidione moueret, viam quam decreuerat, ad *Antiochiam* maturaret; Antiochia verò deuicta reditum faciens, ad obsidionem circa Rohas reiteraret, donec Baldewinum suosque tanquam oues in ouili trucidaret. Corbahan huius rei consiliariis acquiescens, iter suum versus Antiochiam continuans, propter montium difficultates, exercitus inaudita millia diuisit in partes. Et quia nauigio longum erat tot millia flumen magnum *Euphratem* transmeare, Baldewini & eorum, qui cum eo erant in ciuitate, non immutati sunt vultus præ angu- 30 stia tantæ multitudinis; sed Corbahan recedente à statione vrbis, equos ascendentes, postremos exercitus insecuti sunt, si fortè aliqua pars tardaret, cui possent aduersari. Sed dum parum eis succederet propter prouidentiam & custodiam Turcorum, Rohas reuersi sunt, Dominum cœli exorantes, vt Ducis Godefridi, Roberti, Reymundi Boemundi, & omnium Christianorum misereatur; & de manu inimicorum, in tanta fortitudine superuenientium, defendat, & sua gratia tueatur. Nec mora, à delatoribus Syris & Armeniis cœpit crebescere fama aduentus Corbahan suorumque militum per aures Christiani exercitus. Sed alii credere renuebant; alii credentes Ducem ad prouidendã rem solicitabant. Inter XIII. has diuersas opiniones, nescia qua de causa, *Stephanus Blesensis* infirmitate occupari 40 se plurimum testatus est, nec se posse vltrà moram facere in obsidione: fratresque commendans, & ab eis recedens, hac infirmitatis occasione versus maritima ad *Alexandriam minorem* profectus est. Eò itaque recedente, quatuor millia virorum belligerorum eum secuti sunt, qui de eius fuerant comitatu *Godefridus* Dux, *Boemundus, Robertus, Reymundus*, Capitanei exercitus, magis ac magis fama Gentilium superuenientium attoniti, vnanimiter decreuerunt, viros industrios de exercitu eligere, & ad explorandam rei veritatem per montana & loca difficilia, vnde tutiùs specularentur, præmittere. Præmissi sunt ergo *Drogo* de Nahella, *Clareboldus* de Vinduil, *Iuo* de regno Francorum, *Reinardus* de Tul, viri clarissimi: vt ii quæ de aduentu Gentilium pro vero comperta in aures eorum sonuissent, 50 aut oculis eorum deprehendissent, absque mora ad exercitum referrent, vt promisi Principes minus iacula infestantium timerent. Præmissi milites & rei exploratores, quidam ad *Arthesiam*, quidam versus *Rossam*, quidam versus viam *Romaniæ* sunt diffusi ad intelligendam rei veritatem: qui exercitum vndique ebullire, à montanis & diuersis viis vt arenam maris perspexerunt, infinita millia eorum admirantes, & minimè denumerare valentes. Visis autem tot millibus & arma- XIV. tura Corbahan incomparabili, & gloria rerum suarum, sub omni festinatione Antiochiam reuersi sunt, diebus septem priusquam Corbahan & suæ acies terminos & campos regionis Antiochiæ attingerent. Reuersi deniq; sicut didicerãt, & oculis viderant, aduẽtũ & omnem apparatum Corbahan, & omnẽ militiã, quã eduxerat, Duci & cæteris Principibus clàm retulerunt; ne populus exterritus, eò

quòd longa obsidione & graui penuria affectus esset, desperaret, minusque resisteret; ac diffugium, tenebris ingruentibus, præpararent. Dux *Godefridus*, *Robertus*, *Reymundus*, *Boemundus*, *Eustachius*, *Tankradus*, omnisque primatus proxima die, postquam reuersi sunt præmissi milites ad explorandum exercitum Corbahan, in vnum conuocati conuenerunt, quid melius agerent, quod sanius consilium inirent, discusserunt, ne subitò præoccupati, ab irruentibus millibus inimicorum in gladio & arcu consumerentur. Godefridus Dux, Robertus & alii multi contendebant, vt exurgentes in loricis, in galeis & clypeis, in signis erectis, in aciebus ordinatis, occurrerent *Corbahan* in millibus superuenienti; & in Domino IESV omnem spem suam ponentes, cum eis bella committerent, & in DEI nomine illic martyrio vitam finirent. Alii consilium dabant, quatenus pars in obsidione remaneret, ne Turci ab vrbe ad auxiliũ Corbahan erumperent; & fortior pars iuxta consilium Ducis & Roberti Flandrensis non longius quàm trans duo milliaria obuiam hostibus irent. XV. His in consiliis dum quilibet suam proferret sententiam. *Boemundus*, vir apprimè prudens & astutus, Godefridum, Robertum Flandrensem & Reymundum seorsim à conuentu sociorum abduxit in loco secreto, quibus omnia, quę habebat in corde suo, in hunc modum loquens, professus est: *Domini & fratres mei dilectissimi: secretum habeo, quod nunc vestræ fidei aperiam, in quo DEO annuente & opitulante, omnis exercitus & Principes nostri liberari & saluari poterunt. Ciuitas Antiochia, ex quo mihi promissum est, quòd in manum meam tradatur, iam septem transierunt menses. Et sic firmata inter me & traditorem hæc est conuentio sub fidei illius alligatione, quòd nequaquam solui aut mutari possit; sed in quacunque hora monuero, vna ex turribus, quæ ducit in ciuitatem, & in qua idem traditor habitat, in manum meam reddatur. Multum enim pro hac re laboraui, videns vrbem humanis viribus insuperabilem. Multam & innumerabilem pecuniam pactus sum illi dare; & non minus illum exaltare & ditare inter amicos meos, quàm Tankradum, filium sororis meæ, sub fidei firmatione spopondi. Huius secretæ conuentionis & traditionis Boemundus, æquiuocus meus, vir de genere Turcorum, actor factus est à principio Christianitatis suæ. Et nunc eò processit ratio, vt nequaquam de omnibus, quæ traditor pollicitus est, fallat, & in eo, quod spopondi, magnum illi præmium conferre, me paratum inueniat. Vnde quia non paruum talentum debeo illi dare, & huius rei totum pondus sustineo, vnum vobis secretò aperio, qui estis columnæ & Capitanei exercitus, videlicet; vt si vestræ fuerit voluntatis & cæterorum, vbi ciuitas capta fuerit, in manu mea reddatur. Hanc conuentionem & consilium ad finem pertraham; & quod pactus sum traditori, ex meo sine dilatione conferre paratus sum.* Hæc audientes Principes, magno gaudio gauisi sunt, & ex omni beneuolentia Boemundo ciuitatem annuerunt, cæterosq; comprimores pariter eiusdem doni & concessionis voluntarios reddiderunt. XVI. Factis omnibus Capitaneis voluntariis, sub admonitione summæ fidei ad inuicem datis dextris indictum est, ne istud verbum palàm fieret, sed suppressum silentio nulli pateret. Aiunt etiam quidam, quod in conflictu & assultu hinc & abhinc dimicantium adolescens filius eiusdem Turci captus, in manum Boemundi peruenerit, cuius redemtionis causa, pater pueri Boemundi cœpit priuatus fieri. Et ad vltimum malens vitam filii, quàm omnium inhabitantium salutem, perfidiam aduersus *Darsianum* Regem assumsit, & fidem in restitutione filii cum Boemundo iniit, & sic in ciuitatem fideles Christi milites intromisit. * Boemundo, si caperetur, ciuitas concessa est. Vnde vespere iam terras operiente, ex ipsius consilio decretum est, vt *Godefridus* & *Robertus* Flandrensis septingentos milites illustres de exercitu assumerent; & Turcis per mœnia diffusis, nuncque domesticæ curæ intentis, in vmbra noctis versus montana iter insisterent, quasi ad insidias profecturi aliquorum de exercitu Corbahan ad vrbem præcedentium. His verò septingentis in obscuro noctis iam versus montana gradientibus per loca inuia & vix commeabilia, per angustas fauces, conductu Boemundi, nuper facti Christiani, Godefridus Dux vniuersis hæc firmiter iniunxit, dicens: *Viri fratres & Peregrini, DEO deuoti, Turcis & hostilibus alus, nobis propè hospitatis, decreuimus in occursum ire, & cum illis confligere, si fortè aliquis euentus victoriæ nobis detur. Tumultum verò & strepitum aliquem in nobis fieri sub indicio vitæ prohibemus.* Sed aliud erat ei in mente, quàm quod cum populo loquebatur. Nam in montanis cum sciis solummodò rei consciis contendens, hanc scilicet in partem, qua vrbs & præsidiũ Darsiani in summo situm est cacumine, valles & abrupta montiũ superat; ac longo in recessu ab vrbe, & secretò, in valle cõsistens vnà cũ Roberto Flandrẽsi, cũcta ordinat, quæ cautè de vrbis traditione agẽda erãt & solicitè.

Ordina-

XVII. Ordinatis itaq; vniuersis cauto consilio, quendam *interpretem linguarum*, genere Longobardum, de domesticis Boemundi præmiserunt ad turrim, quam traditor tuebatur, quatenus de conuentione intromisionis Christianorum ex parte Boemundi eum admoneret, & super hoc eius responsa audiens, Principibus renunciaret. Qui ad muros perueniens, *traditorem*, qui in ipsa nocte constituta in turris fenestra Gallos præstolabatur peruigil, Græco sermone appellat: si solus sit, requirit, vt fiducialiùs cum eo sermonem de legatione Boemundi haberet. Qui verbis & signis certissimis Boemundi recognitis, per annulum videlicet, quem *Boemundus* ab eo susceptum nunc in signum illi remiserat, verba interpre-10 tis abhinc credula non refutauit, sed si Boemundus aut sui adessent, diligẽter percontatus est. Interpres verò audiens, quòd traditor non in dolo sibi loquebatur, Boemundi milites non longè abesse profitetur, & ad omnia paratos, quæ ex eius consilio inire deberent. Qui eos appropinquare sine dubio aut metu commonet, murosque securè ascendere, nec aliqua mora hoc differre propter breue spacium noctis & lucem diei appropinquantis. Solicitabat etiam eos hac maximè de causa, ne custos murorum suæ vicis in ordine faculã in manu ferens mœnia vrbis muros & turres perlustrans ad prouidendum, ascendentes propalaret; sicque in periculo vitæ suæ, expergefactis hostibus, haberentur. XVIII. Interpres audito hoc consilio traditoris, ad Principes in montanis relictos celeri gressu tendit, omnia quæ au-20 dierat, referens, & vehemẽter eos solicitans, vt quos velint audaciores eligant, qui sine intermissione muros ascendentes, ciuitati immittantur. Continuò viri electi sunt ad ascensionem murorum; sed metu & dubietate corda eorum concussa sunt, singulique hæsitantes de prima ingressione & ascensione murorum plurimum renitebantur. *Godefridus* verò Dux & *Robertus* viros sic videntes expauescere, nec qui præcederent, inuenientes, eò quòd diffidebãt de promissione Turci, hæc machinamenta dolum arbitrantes, nimium spiritu infremuerunt, sic vniuersos solamine reficientes; *Mementote, in cuius nomine à terra & cognatione vestra exiistis, & quomodo terrena vita abrenunciastis, nulla pericula mortis pro CHRISTO inire metuentes. Nec mora, credere debetis, scilicet feliciter cum CHRISTO viuere, ideoq; eius gratia & amore, quæcunque occurrerint* 30 *in via hac, æquo & libenti animo suscipere. Eia, dilectissimi CHRISTI milites, non pro terrena remuneratione hoc periculum incurritis; sed illius meritum expectatis, qui post mortem præsentem æternæ vitæ præmia suis conferre nouit. Mori enim habemus quocunque modo. Iam quidem lux* « *matutina diei manifestat consilium nostrum; iam si ciues & Turci nos persenserint, non vnus* « *saltem ex nobis viuus euadet. Ite, & ascendentes vitam vestram DEO offerte, caritatem DEI* « *scientes vitam pro amicis ponere.* XIX. Ad hæc tam magnanimorum Principum verba & solatia, plurimorum mentium dubietas detersa est. Et scala assumta, quæ ex corio erat taurino, ad id negotium aptissima, paulatim muro appropinquant cum interprete suo, vbi ad mœnia traditor viros aduentantes operiebatur. Vt ergo præmissi aliqui affuerunt, alii ex domesticis Ducis, alii ex comitatu Roberti, quidam ex fa-40 milia Boemundi, Turcum eos ad mœnia præstolantem, interpres compellat, vt funem à mœnibus iaciat, qua scala innodata in mœnia subleuetur, per quam milites ascendentes intromittantur. Turcus, sicut deuouerat, scalam fune subleuat, circa mœnia fortiter alligat; & submissa voce viros confortans, monet vt indubitanter ascendant. Nec mora, lorica & galea induti, gladio accincti, hastis innitentes, & manu se trahentes, scalam ascenderunt viri audaces, quos alii subsequentes in dubia spe viuendi, iam ad vigintiquinque immissi sunt. His immissis, & nimio silentio conquiescentibus, confratres iuxta muros existentes, & euentum rei expectantes, sed neminem audientes, viros immissos iugulatos, & in fide falsa subitò suffocatos existimabant, vnde ascendere & subsequi retardabant. XX. Mili-50 tes verò immissi, intelligentes quòd socios Christianos adeò timor inuaserat, vt se subtrahendo, à scala abirent, trans mœnia à muro se inclinantes, submissa voce socios ascendere hortabantur, asserentes, se nihil illic periculi passuros. Hi fratrum voce audita adhuc viuentium, certabant vehementi studio scalã ascendere, & vrbem intrare, donec præ nimia pressura & pondere, mœnia antiqua & inueterata, dissolutis saxis cum cæmento, scissa sunt & diruta: sicq; scala, retinaculo carẽs, prorsus humi corruit cum viris adhuc in ea consistentibus. Erant autẽ iuxta muros lancearum hastæ positæ & erectæ in quibus cõfixi, qui corruerant; alii à saxis de muro cadentibus oppressi & semineces facti, aliqui mortui sunt. Quod multum populus Dei inhorruit, existimans omnia hęc in dolo à Turcis contigisse, & nunc, vniuersos immissos pulso dubio iniqua morte deperiisse. Non sonus, non fragor aliquis,

licet à corruentibus & infixis maximus exstiterit, in vrbe aut in mœnibus est auditus. Dominus enim DEVS ventum validè spirantem hac suscitauit nocte. *Turcus* fidem, quam Boemundo in vrbis traditione deuouerat, seruans, funem iteratò ad releuandam scalam dimittit. Qua rursus mœnia fortiora in eodem loco circundans, desolatos & perterritos per interpretem reuocat, ascensumque repetere vniuersos fideliter admonet. Non vltrà viri hæsitantes, sed ex interpretis verbis roborati, & confratrum agnita salute, rursus scalam ascendunt, & mœnibus inferuntur, donec fermè sexaginta super muros inuecti constiterunt. XXI. Interea custos murorum in gyro ciuitatis perlustratis mœnibus ad visitandos vigiles Turcorum & commonendos, faculam manu ferens viris immissis occurrit. Sed in momento ictu gladii capite illius amputato, transeuntes turrim vicinam ingressi sunt. In qua vniuersos reperientes adhuc sopore grauatos, in ore gladii percusserunt; ac in eodem impetu in alias turres irruentes, stragem plurimam operati sunt; donec ferè decem turrium custodes in ea parte vrbis graui somno immersos sine vlla vociferatione peremerunt. His ita in gladio prostratis, per posticum quoddam, quod in montanis erat iuxta eundem locum, quo ascenderant, subitò fractis seris plurima manus ex septingentis immissa est, cornibusque fortiter intonantes, *Godefridum, Robertum*, & cæteros comprimores aduocant, quatenus ad auxilium intromissis quantocius properantes vrbem penetrent. Hi cornibus auditis, & pro signo dato recognitis, quia secretorum omnium consocii erant, in manu robusta aduolant, ad portam, quæ sursum in montanis prominebat, contendentes vt intrarent. A magistra autem arce *Darsiani*, quæ huic portæ proxima erat, Turci exurgentes audito tumultu, lapidum iactu Gallos abegerunt, sociosque eorum, qui immissi erant, minimè ad portam peruenire, vt hanc aperirent, passi sunt. Vnde ad posticum prædictum reuertentes milites, qui scala vrbem intrauerant, penetrale huius postici ferro acutissimo, ingeniis Turcorum parato, fractis muris ampliauerunt: & sic Principes ac socii eorum equo & pedibus spatiosè intromissi sunt. XXII. Turci itaque hac subita vociferatione & tumultu buccinarum, cornuumque stridore, expergefacti, ad arma festinant, arcus & sagittas arripiunt, turres defensant, vtrinque ad inuicem grauia certamina à sursum & deorsum conferentes. In hac clamosa hinc & hinc contentione milites Darsiani, qui in montis cacumine & eminentiore arce erant, cornibus fortiter insonuerunt, quatenus Turci, qui in ciuitate erant & turrium præsidiis, & adhuc in summo diluculo stertebant, euigilantes, ad auxilium sociis exurgerent, sicque immissis Christianis resistere valerent. Quod exercitus magnus, qui adhuc extra muros altera in parte spatiosæ vrbis consederat, de aduentu & ingressione *Corbahan* hos in montanis & in arce voces exaltare, cornibus strepere & congredi arbitrati sunt, penitus ignorantes, quomodo vrbs tradita & capta in manu Gallorum sit. Boemundus, Reymundus & Tankradus, quibus res tota innotuit, quique in obsidione remanserant, loricas induti, armis accincti, vexillis elatis ad vrbem exterius impugnandam aduolant, ignaros actæ rei plurimum confortantes in vrbis assultum, & omnem illis rem enucleantes. XXIII. Interea dum sic interiore & exteriore pugna Turci nimium arctarentur; *Græci, Syri, Armenii* ciues, & viri Christianæ professionis, ad portas aperiendas & seras scindendas lætanter concurrunt, per quas Boemundus & vniuersus exercitus intromissus est. Signum nempe *Boemundi*, quod sanguinei erat coloris, primo diei crepusculo ea in parte, qua vrbis facta est traditio, super muros in montanis rutilabat, vt pateret omnibus, quòd DEI gratia & opitulatione vrbs ab homine insuperabilis, in manus Boemundi & omnium fidelium CHRISTI, tradita & capta sit. Sic seris auulsis, & vndique portis patefactis, vniuersi admirati & gauisi, quomodo consilium istud non omnibus patebat, expergefacti celeriter arma rapiunt, alius alium admonet, & rapido cursu omnes armati vrbem & portas intrare contendunt. Milliare quispiam transcurrere poterat, priusquam vniuersa multitudo Christianorum intromissa est. Mox intrantium tot millium fragore vehemente & strepitu, tubarumque sonitu horribili, & plurima vexillorum eleuatione, armatorum ingenti clamore, equorum hinnitibus Turci stupefacti, alii adhuc in strato suo quiescentes improuisi & inermes euigilant. Quorum pars subitò spe defensionis adunatur, arcus & arma arripientes; alii in turribus & præsidiis persistentes, plurimos incautos Christianos inertis vulgi, viros & mulieres, sagittis feriunt: concursus & diuersi conflictus inter se fiunt & cæco Marte aguntur. Chri-

tur. Christiani, quorum virtus & copiæ magis ac magis affluebant, inualescentes, per domos & plateas, & vicos ciuitatis Turcos diffusos & errantes in ore gladii percutiebant; nulli ætati parcebant aut sexui de genere Gentilium, donec terra sanguine & cadaueribus occisorum operta est, pluribus etiam cæsis exanimis Christianorum corporibus tam *Gallorum* quàm *Græcorum, Syrorum, Armeniorum* admixtis. Nec mirum, cùm vix luce agnita adhuc super terram essent tenebræ, & quibus parcerent, & quos ferirent, penitus ignorarent. Nam voce & signo Christianæ professionis *Turci* & *Sarraceni* timore mortis acclamantes, plurimi Peregrinos fallebant, & ideo communi strage vitam amittebant. Decem millia fuere occisorum, quorum corpora per vicos & plateas ciuitatis cæsa, & ferro à Gallis extincta sunt. (XXIII.)

(XXIV.) Plurimi Turcorum videntes cædem grauissimam, quæ fiebat, & quia tota vrbs armis & viribus Gallorum redundabat, vitæ diffidentes, è turribus & præsidiis ciuitatis fugientes, ad montana contendunt notitiâ viarum perplexarum, vbi præsidium magistræ arcis intrantes, arma insequentium Gallorum euaserunt. Hæc autem arx & palatium in montanis situm, nulla arte, nulla vi superari potest; nullus in ea manentibus aduersari aut nocere potest. Alii circiter mille à longinquis partibus acciti auxilio & immissi, tubarum ac cornuum stridore exterriti; nimiaque suorum occisione desperati, quos prorsus notitia viarum & fugæ latebat, pariter & ipsi ad montana, superiusque præsidium festinantes, vt Christianorum manum euaderent, in angustam & incognitam semitam cæco errore inciderunt. Vbi prorsus via deficiente, in sublimi colle nequaquam vltrà reuertendi facultas esse poterat; sed à sursum per decliuia & scopulos arctissimos & incommeabiles cum equis & mulis corruentes, fractis collis, cruribus, & brachiis vniuersisque membris, inæstimabili & admirando casu vniuersi perierunt.

(XXV.) Populus autem DEI viui reuersus à cæde & insecutione Gentilium, in præsidium & montana fugientium, Sole iam altiùs radiante, & die plurima adulta, vrbem perlustrant, victus quæritant, sed paucos repererunt. Ostra tantum diuersi generis & coloris, piper quoque & pigmenta plurima, vestes & papiliones Gentilium, tesseras & aleas, quin & pecuniam, sed non multam, inuenerunt. Nec mirum: quia diuturna obsidione nouem mensium vallata, tot Gentilium millia illic congregata, totum consumserunt. Feria quinta erat dies serenissima, quando tertio Non. Iunii mensis tradita & capta est ciuitas *Antiochia* in manu Christianorum, Turcis prostratis & effugatis.

(XXVI.) *Darsianus* autem Rex Antiochiæ, intelligens fugam suorum, & totum iam præsidium & arcem fugitiuis repletam, timens ne Gallorum manus, capta vrbe, præsidium vallans expugnaret, mulo ascenso egressus est vt lateret in deuiis montium, dum finem & euentum rei pleniùs cognosceret, & an arx à facie Gallorum à suis retineri posset. Hic dum solus per deuia montium diffugio erraret, quidam de *Syria* Christianæ professionis, qui causa rerum necessariarum iter per montana carpebant, ipsum Principem à longè intuentes & agnoscentes, plurimum admirati sunt, cur solus ab arcis præsidio per deuia declinauerit. Vnde ad inuicem locuti sunt: *Ecce dominus & Rex noster Darsianus non sine causa per hæc deserta loca montium iter facit: forsitan vrbs capta est, sui occisi, ipse nimirum fugæ intentus est. Qui ne manus nostras effugiat, videamus, à quo tot damna, iniurias & calumnias pertulimus.* Hoc modo iidem tres Syri de morte illius tractantes, sed omnia dissimulantes, submissis ceruicibus illi falsam reuerentiam exhibentes, & in dolo salutantes, cominus ad eum accedebant, donec ipsius gladio accepto & educto, eum à mulo præcipitauerunt, caput illius amputantes, & in sacculo suo reponentes. Quod mox in vrbem Antiochiam in conspectu omnium Christianorum & Principum attulerunt. Caput verò miræ grossitudinis erat, aures latissimæ & pilosæ, capilli cani cum barba, quæ à mento vsque ad vmbilicum eius profluebat.

(XXVII.) Comperto deinde iam proximo aduentu *Corbahan* & suorum, quia in Antiochia pauca alimenta reperta sunt, ad *portum Simeonis eremitæ* festinatò mittentes, pecunia escas nauigio allatas mutuauerunt, singuli prout sua erat possibilitas, quas Antiochiæ vesperi manè sequenti intulerunt. His ita expletis, & Turcis partim occisis, partim in præsidium fugatis, & Gallis circumquaque in turribus, domibus, palatiis, mœnibusque diffusis, sequenti die, quæ est sexta feria, trecenti equites Turcorum de gente Corbahan armati arcu, pharetra & sagitta, insignis ostreis, totum Gentilium præcesserunt exercitum ad aliquorum fidelium repentinum interitū, si quoslibet improuisos extra muros reperirent. Ex his verò

trecentis, triginta præcedentes, viri belli peritissimi, & equo agilimi, ad muros & portas ciuitatis frena laxant, post terga sociis in valle quadam relictis ad insidias & incursus fidelium, si fortè præmissos triginta vsque in vallem insequerentur, & in impetu irruerent super latentes viros. His itaque triginta muro ciuitatis appropinquantibus, & in arcu fideles CHRISTI per mœnia diffusos, acriter lacessentibus, *Rotgerus de Barnauilla* cum quindecim probatissimis sociis equo residens, armis & lorica indutus, in occursum ab vrbe properat, vt aliquid insigne cum eis ageret. Sed sine mora in fugam equos triginta præmissi Turci reiiciunt, & ad insidias contendunt, Rotgerum rapido eos cursu prementem vsque ad insidiarum locum perducentes. Insidiis ergo à valle exurgentibus, Rotgerus frena reiicit, ad vrbem cum sociis viam velociter relegit. *Turci* non parciùs equorum cursibus vrgent fugientem, quousque muro ciuitatis appropians cum suis ferè trans vada *Farfar* elapsus est. Sed aduersante fortuna in conspectu omnium, in mœnibus astantium, nobilissimus athleta cursu velocioris equi à Turco milite superatus est: cuius tergo sagitta infixa iecur & pulmonem eius penetrauit; & sic ab equo labens mortuus expirauit. Mortuo itaque tam egregio viro, & suorum auxilio destituto, Turci crudelissimi carnifices ab equis descendentes, caput illius amputantes à collo, & ad *Corbahan* & eius exercitum repedantes, caput hastæ præfixum in ostensione recentis & nunc primæ victoriæ detulerunt. Hoc denique prospero successu gloriantes, multum legiones Gentilium ex hoc confortabant, quòd iuxta muros sic audacter egissent; & neminem ex Peregrinis ad opem Rotgeri occisi & decollati ab vrbe egredi, aut audere, vidissent.

XXVIII. Non mirum alicui videatur, nec quisquam Gallos hebetudine mentis, aut timore superuenientis multitudinis, concussos mollescere arbitretur, & ideo tardatos ad opem & vindictam confratris ante omnium ora percussi, & decollati, cùm nulla plaga mundi ante Galliam audaciores & in bello promptiores nutriat. Verùm equorum defectione eos fuisse retardatos procul dubio credat, quos aliquando pestilentia, aut diuturna fame, aut interdum fallaci Turcorum sagitta amiserunt. Vix enim Gallis centum quinquaginta equi remanserant, & ipsi attenuati fame pabulorum; Turcis verò pingues & non fatigati erant: quapropter celeri cursu euadere, & Galli eos nequaquam præuertere potuerunt. Quadringenti tantùm equi Turcorum in *Antiochia* reperti & capti sunt, quos minimè adhuc suo more ad equitandum domuerant, aut in persecutione hostium flectere, & calcaribus vrgere didicerant. Dehinc post Turcorum discessionem Peregrini tristes & dolentes, extinctum corpus Rotgeri vrbi intulerunt, cum eiulatu magno & fletu, ingemiscentes, quomodo vnus fortiorum de populo cecidisset, qui semper erat peruigil in insidiis & strage Gentilium, cuiusque facta insignia ampliora fuere, quàm noster stylus queat explicare. Fama quidem eius apud Turcos omnes antecessit, & libenter eum videre & audire solebant in omni negotio, quod cum Christianis agebant, aut in restitutione vtrinque captiuorum, aut cùm aliquando pacem inter se componebant. Sepultus est autem in Antiochia idem miles fortissimus in vestibulo basilicæ B. Petri Apostoli à Principibus Christianorum, & à Domino *Episcopo Podiensi*, & ab omni clero catholico, qui aderat; animaque commendata CHRISTO Domino orationum victimis & psalmorum hymnis, cuius amore & honore exul factus, mori non dubitauit.

XXIX. Vix incluti militis expletæ sunt exequiæ, & ecce in ipso manè Sabbati, quod illuxit tertia die postquam vrbs capta est, assunt vniuersæ barbaræ nationes & legiones Gentilium in apparatu copioso, quas Corbahan ex vniuersis regnis, terris & locis Orientalis plagæ contraxerat, in campis & planicie tentoriis locatis, obsidionem faciens circa spatiosæ vrbis muros & mœnia. Tertia dehinc die postquam fideles CHRISTI obsedit longè à muris residens, inito consilio, vt propiùs ciuitati hospitaretur, sustulit castra; & in multitudine virtutis suæ in montana in circuitu magistræ arcis, & in ea parte, qua vrbs capta est, in excelso rupium sedem posuit, vt *Sensadonia* & *Buldagi*, filiis Darsiani, cæteris in præsidio manentibus, esset solatio; vtque locum videret, per quem vrbs tradita & Christiani immissi sunt. Similiter ex iisdem montanis alii ex populo *Corbahan* in dextro latere præsidii, quo Dux Godefridus turrim & portam hanc infrà tuebatur, qua *Boemundus* ante vrbis captionem extra consederat, tentoria vi locauerunt per deuexa montium, ne aliqua licentia & oportunitas exeundi Christianis vlla parte concederetur.

XXX. Dux autem *Godefridus* virtutem & constantiam illorum nimium aduer-

aduersus se videns excreuisse, statim cum ingenti manu suorum per portam processit aduersus hostes, vt tentoria, quæ à foris extra muros locata erant, inuaderet, ac terreret, Turcosque inde expugnatos arceret. Sed ecce Turci exurgunt in occursum Ducis ad defendenda tentoria. Vbi diu prælio vtrinque commisso, grauissimus labor incubuit, dum Dux & sui viribus exhausti, belloque fessi, in fugam conuersi, vix per portam, qua exierant, reuertentes euaserunt. Alii verò multi, circiter ducenti, quibus porta angusta negata est, aut mortui, aut vulnerati aut capti sunt. Sic Duce fugato & retruso, plurimisque suis in porta attritis, Turci à præsidio & à porta præsidii erumpentes, eò quòd aduersus Ducem præualuissent, per semitas notas & vallem perplexam accedentes mœnia, subita vociferatione Christianos vagantes incurrebant, sagitta in impetu lædentes, & sine mora ad arcem & montana recurrentes. Dum sic mane, meridie & vesperè à montanis & valle exilientes, Christianos impeterent, *Boemundus* & *Reymundus* ira moti, sine dilatione vallo immenso, quod dicitur *fossatum*, montanis & ciuitati deorsum interposito, & præsidio quodam murali ædificio desuper firmato, tutelam suis sic fieri constituerunt: ne subitò à montanis aduersarii erumpentes, peregrinos milites incautè per vrbis spatia vagantes, armis & sagittis inuadendo detruncarent. *Turci* verò, qui in montanis præsidium adhuc obtinebant, sæpius ad id nouum præsidium erumpebant, assultus faciebant, multum & grauiter custodes ac defensores noui præsidii in sagittarum grandine & armorum virtute vexantes & perimentes. *Christiani* verò milites *Walbricus, Iuo, Rudolphus* de Fontanis, *Euerhardus* de Poisat, *Reiboldus* Creton, *Petrus* filius Gisiæ, custodes & magistri noui præsidii, non minus Turcis in lancea & omni armatura cum suis resistebant; viam vallis eis contradicebant, interdum hinc & hinc graui strage & vulnere pereuntes.

XXXI. Dum hi creberrimi assultus à Turcis aduersus nouum præsidium fierent, & Turci acriter à Gallis reprimerentur, milites *Corbahan* pedestri agmine facto per portam insuperabilem præsidii ingredientes, & montana ac deuia des[illegible]rentes, Boemundum compertum habentes in nouo præsidio esse, fortiter eum assiliunt. Vbi grauis belli contentio exorta est, & plurimorum occisio facta. Et ferè Boemundus victus ac sui fuissent, nisi ab omni vrbe Christianis confluentibus, Comes *Robertus* Flandrensis Duxque *Godefridus*, licet primò assultu victus; & *Robertus* Nortmanorum Princeps, cæterique magnifici proceres vires & opes contulissent; & Turcos in virtute loricatorum ab vrbe & nouo præsidio retrusissent. Turci ergo retrusi cum Principe suo Corbahan, moram extra portam & muros illic per duos dies in montanis constituerunt, arbitrantes adhuc Christianis [illegible]. Sed pabulo herbarum in collibus minimè reperto, quod equis eorum sufficeret, castra amouerunt, & vadum fluminis *Farfar* transeuntes, longè ab vrbe, spacio semimilliaris tentoriis positis consederunt. Altero verò die Corbahan ex sententia suorum, exercitum suum copiosum sic in multis millibus in gyro ciuitatis ad obsidionem omnium portarum diuisit, vt ex omni parte inclusis Peregrinis nec à dextris, nec à sinistris vllus introitus pateret, aut exitus aliquis daretur.

XXXII. Sic ex omni parte locata obsidione, & paucis diebus transactis, quadam luce clarissima aliqui Turcorum milites è castris procedentes, & ad mœnia *Antiochiæ* equo aduolantes, sagitta & arcu corneo Gallos prouocant: sperantes pari successu præualere, quo antea in *Rotgeri* decollatione gloriati sunt, & insigni fama in castris Corbahan præire. Quapropter amplius & validius in assultu mœnium desudantes, ab equis descenderunt, vt liberiùs, & sine læsione equorum in muro stantes expugnarent, & nunc pedites facti, faciliùs peregrinis iacula intorquerent. *Tankradus* autem miles acerrimus, & nunquam Turcorum sanguine satiatus, sed semper cædi eorum inhians, comperta illorum insania, fremitu & audacia, artus ferro assuetos lorica vestiuit; assumtisque consociis, equo & lancea doctissimis, & à porta, quàm Boemundus, cùm adhuc fieret obsidio, tuebatur, inter muros & antemurale, quod vulgo *Barbicanas* vocant, clàm egrediens, Turcos pugnæ intentos ex improuiso inclamans, fortiter assilit; incautos, atterit & perforat. Illis verò, viso mortis periculo, non prius ad equos recurrendi vlla fuit facultas, quàm sex percussi in vltionem capitis Rotgeri, ante muros decollati, sua capita gladio amiserunt. Tankradus in gloria magna & lætitia in vrbem ad confratres regressus est, qui Turcorum capita secum in testimonium victoriæ detulit.

XXXIII. Alio deinde die, post castra Corbahan locata & ordinata suæ cuiusque congregationis,

post obsessos vndique viarum exitus & introitus, decretum est communi consilio Gentilium, vt Turcorum milites ad duo millia eligantur ad expugnandum & prosternendum præsidium, quod *Godefridus* Dux cæterique comprimores firmauerant in victoria & virtute magna, quam audistis: quando attriti Turci, in vnda *Fernæ* fluminis submersi sunt sub ipso ponte, qui trans fluuium ab vrbe dirigitur, & in quo firmato præsidio *Reymundus* egit custodiam, quousque à Christianis capta est. Nunc verò quia neglectum & vacuum erat, Comes *Robertus Flandrensis* accitis quingentis viris belligeris, aduentu Gentilium audito, ipsum præsidium ingressus, tueri disposuit, ne virtus Turcorum illud subitò occupans, Peregrinis pontem & aquam transire volentibus magno esset impedimento. Præfata itaque duo 10 millia Turcorum, destinata ad ruinam præsidii, in virtute magna & armorum tumultu confluxerunt ad locum præsidii, vndique irruentes & impugnantes iaculis & arcu: Qui tandem pedites facti, trans vallum moliebantur currere, in ingenti tubarum stridore, & solita vociferatione rugientes; à manè vsque ad inclinatam diem defensores præsidii grauiter vexantes. Sed Robertus suique consodales, videntes sibi angustias imminere ab hostibus, & scientes se crudelibus modis consumi, si victi eorum ditioni subderentur, viriliter pro anima inimicis resistebant, lanceis & balistis hostes fortiter impetentes, & vi à vallo arcentes, qui grauiter ea die hinc & hinc vulnerati fuisse referuntur. *Turci* verò videntes se nihil proficere, sed omnem laborem suum in cassum consumi, hos in præsidio vix defensos deserentes, ad *Corbahan* Principem multitudinis regressi sunt, vires sibi hominum augeri adhuc poscentes; & sic in crastinum præsidium eiusque tutores deleri posse, astruentes. *Robertus* autem & qui cum eo erant, videntes Turcos recessisse, recordati sunt, quòd propter maius auxilium socios adissent. Quare consilio inito, in noctis caligine exierunt à munimine præsidii, eò quòd inualidum contra tot militum vires videretur, & ideo præsidium totum igne succenderunt; vallumque illius diruentes, in vrbem Antiochiam à confratribus recepti sunt.

XXXIV. Crastino deinde Sole orto, duo millia Gentilium, iussu *Corbahan* duobus prædictis millibus addita, præsidium in manu robusta, in tubis & cornibus adierunt, sperantes illud repentino aggressu prosternere; inclusosque hesterna die in defensione fatigatos, 30 celeri interitu consumere: Sed vallum dirutum & munimen præsidii combustum reperientes, delusi & frustrati ad tentoria sua repedauerunt. Sic vndique vrbe vallata, & de die in diem Gentilium copiis accrescentibus, & omni parte exitum prohibentibus, tanta inter Christianos inualuit fames, vt pane deficiente non solùm camelos, asinos, equos & mulos comedere non abhorrerent; sed etiam coria, quæ indurata & putrefacta per tres & sex annos in domibus erant reperta, nunc calidis aquis madefacta & mollificata, tum ea, quæ recenter ab armentis auulsa, pipere, cumino aut quolibet pigmento condita, manducabant: Tam graui fame arctabantur. Scio, quòd horrescunt aures, mala & tormenta inaudita famis auscultantes, quibus populus Dei inclusus opprimebatur. Pro vno namque ouo 40 gallinæ, si inueniri poterat, sex denarii Lucensis monetæ numerabantur; pro decem fabis, denarius; pro capite vnius asini, equi, bouis, cameli, Byzantius vnus dabatur; pro pede vel aure, sex denarii; pro visceribus cuiuslibet horum animalium, quinque solidi accipiebantur mutuò. Iners denique & modicum vulgus calceos suos ex corio, præ famis angustia deuorare cogebatur: plures verò radicibus vrticarum, ac quarumlibet syluestrium herbarum, igne coctis & mollitis miserum ventrem impleuerunt: & sic infirmati, cotidie moriendo minuebantur. Dux verò *Godefridus*, vt aiunt, qui affuerunt, quindecim marcas argenti pro carnibus vilissimi cameli expendit; pro capra procul dubio dapifer eius *Baldricus* tres marcas venditori dedisse perhibetur.

XXXV. Post aliquot dies, postquam Corba- 50 han firmauit obsidionem in circuitu *Antiochiæ*, & omnem exitum ac introitum vrbis clauserat, populumque Dei diuersis assultibus vexauerat, cibosque inferri omni parte interdixerat, clade longaque abstinentia & bellico labore Christiani afflicti & fessi, minus vigiles esse cœperunt in tuitione vrbis & mœnium. Ergo turris quædam incustodita remansit versus montana, eo videlicet in loco, quo munitio ex bitumine fragilis luti fundata est ad reprimendos hostes, ad obsessa porta egredientes per montana, & Peregrinos diffusos persequentes, & vbi à * prouincia liber ille iuuenis captus est, in cuius redemtionem turri quadam requisita, sed à cognatis & amicis eius denegata, idem capitali sententia peremtus est.

est. Hanc itaque turrim prædictam vacuam ab inhabitatoribus quidam audacissimi milites ex Turcis præsentientes, scalas & ingenia sua latenter muro applicuerunt, sperantes in silentio noctis per eam aliquot Gentiles inducere; & sic vrbem amissam recuperare. Interea quidam, qui vrbem lustrabat ob negotia sibi necessaria, eleuans oculos, contemplatur Turcos in medio cacumine eiusdem turris incautè deambulantes: nec mora, alta vociferatione perstrepens, socios, qui in vicina turri commorabantur, solicitat, Turcos vrbem inuasisse asserit; & sic commotionem magnam in populo suscitauit. Ad hæc *Henricus de Ascha* castello, miles sua in terra nominatissimus, filius Fridelonis, vnus de collateralibus Ducis
10 Godefridi, audito clamore & strepitu, scutum & gladium arripiens, velociter ad arcem turris properat, duobus sibi adiunctis probis tyronibus, *Francone* scilicet & *Sigemaro*, carnaliter cognatis, incolis villæ, quæ dicitur *Mechela* super Mosam fluuium, vt inimicos immissos à turri repellerent, existimantes se cum vrbe ab aliquibus fratribus, auro vel argento corruptis, venditos fuisse. *Turci* verò cognoscentes se detectos, nec aliquo ingenio à manibus Peregrinorum posse liberari, in sola spe defensionis in limine turris occurrunt, & atroci ictu gladiorũ resistunt. Nam Franconem, multam vim inferentem, in cerebro percusserunt vulnere graui & vix sanabili; Sigemarum verò cognato suo subuenire volentem, ense per aluum transfixerunt, capulo tenus, miroque & inaudito conamine fideles
20 CHRISTI à limine arcebant. Tandem fidelium circumquaque crescente auxilio, & additis viribus, Turci fessi, & spiritu exhausti præ nimio labore, cœperunt in defensione deficere, arma & brachia remittere: quorum quatuor in gladio ceciderunt; alii ab altitudine depulsi, ceruicibus, cruribus, & brachiis fractis mortui sunt. Post hæc Peregrinis famis angustia, pro vt audiuistis & multo * amplius, coactis, nec aditum aliquem reperientibus ad inferendos vel acquirendos cibos, præ obsidione vndique constituta, quidam de humili vulgo vitam periculo destinantes, in magna ambiguitate & formidine clàm procedebant, ab vrbe in vmbra noctis, ad *portum Simeonis*, quondam illic in montanis eremitæ, descendentes: & dato precio à nautis & mercatoribus victum accipientes, per vepres & fruteta in
30 tenebris ante lucem repedare solebant. Qui verò frumentum attulerant, octauam partem Laodicensis monetæ, tribus marcis vendebant; caseum Flandrensem, quinque solidis; pauxilium vini vel olei, vel quodlibet vitæ sustentaculum quantulumcunque, graui & inaudita comparatione auri vel argenti mutuabant. Ex his aliqui die quadam plus solito retardati, & quia nox erat breuis, in luce velocissimæ diei manifestati, à Turcis trucidati & expoliati fuisse referuntur: pauci dumis & frutectis latentes, vix liberati vrbi restituti sunt. Cuius rei occasione assumta, Turci ad duo millia conglobati, & ad portum prædictum profecti, vniuersos illic nautas repertos repentino aggressu disturbauerunt, sagittis eos confodientes; nauesq; iniecto igne comburentes, escas & omnia allata nauigio vi ra-
40 pientes, asportauerunt. Sicque deinceps vendentes & ementes à portu absterruerunt, ne vltrà à Christianis aliqua escarum sustentatio illic reperiri posset. Hæc itaque, vbi fama crudelissima in aures Christianorum inauditæ famis grauitate laborantium, pertulit, iam illis diuersæ Turcorum infestationes oneri esse cœperunt, multorumque animi in diuersa fluxerunt, qualiter ab hac obsidione & ab imminentibus periculis euadere possent. Sic denique plurimi, quocunque conamine vel occasione exitum quærentes, ab exercitu se nocte subtraxerunt. Talis formido, viuendique desperatio, dum abundantiùs inualesceret, atque cogitationes in corda multorum ascenderent præ pondere cotidianæ tribulationis, quidam principales viri de exercitu, *Willehelmus Carpentarius*, *Willehelmusque* alter,
50 quondam familiaris & domesticus Imperatoris Constantinopolitani, qui & sororem Boemundi, Princ pis Siciliæ, vxorem duxerat, adeò magnis concussi sunt terroribus, vt in silentio noctis concordi consilio clàm subtracti à sociis, versus montana conuenirent, & à mœnibus & muro in funium depositione laxarentur. Laxati verò per deuia montium, propter Turcorum insidias, iter sine requie habuerunt, quousque in *Alexandriam* minorem profecti sunt, vbi *Stephanus Blesensis*, ab obsidione *Antiochiæ* sequestratus causa infirmitatis, morabatur, euentum rei & finem sociorum illic auditurus. In eodem siquidem loco idem Stephanus, intelligens ab iisdem viris, pericula confratrum de die in diem magis accreuisse: nempe famis intolerantiam, Turcorum iactantiam & assultus, virorum & equorum

XXXVI.

XXXVII.

cladem: diffisus est vitæ, minimè se tutum credens in hoc loco, nec siccum iter insistere ausus, nauigio reditum suum ac diffugium cum prædictis Principibus parat. Ventilato deinde rumore per *Antiochiam*, tam egregios proceres ab vrbe exisse propter timorem infestantium Turcorum, plurimi pariter fugam meditabantur; & robustorum pectora metu deficiebant, nec sic promti erant in defensione, vt solebant; præsidiumque nouum, quod in medio vrbis aduersus arcem, quæ est in montanis, firmauerant, lentius defendebant, desperati & fugæ intendentes.

XXXVIII. Adhæc quidam frater fidelissimus, genere *Longobardus*, vita & ordine *Clericus*, iuxta præfatum nouum præsidium consistens, desolatis CHRISTI militibus omnibus, qui illic aderant, clericis, laicis, nobilibus & ignobilibus, magnum exhibuit solatium, quo dubia corda cunctorum, metuque fluxa, releuauit, dicens: *Fratres vniuersi, qui laboratis fame & pestilentia, qui Turcorum & Gentilium turbis vallati, mortem temporalem speratis incurrere: non hunc gratis sufferre vos credatis laborem; sed audite & pensate præmium, quod Dominus IESVS omnibus his redditurus est, qui eius amore & gratia hac in via morituri sunt. In initio enim huius viæ quidam Sacerdos vir boni testimonii, & eximiæ conuersationis, in Italiæ partibus manens, mihi à pueritia notus, quadam die more solito Missam celebraturus, ad diœcesin sibi commissam solus carpebat iter trans spacium cuiusdam agelli: cui in affabilitatis obsequium quidam Peregrinus affuit, de via huius instantia requirens, quid super hac audierit; aut quid primùm sibi de hoc videatur, quòd tot regna, tot Principes, & vniuersum genus Christianorum sub vna intentione & desiderio ad Sepulcrum Domini nostri IESV CHRISTI, ad sanctam confluxerint ciuitatem Ierusalem.* Qui respondit: *Diuersi diuersa super hac sentiunt via. Alii dicunt, à DEO & Domino nostro IESV CHRISTO hanc in omnibus Peregrinis suscitatam fuisse voluntatem: alii pro leuitate animi hanc Francigenas primores plurimumque vulgus insistere; & ob hoc in regno Vngariæ & aliis regnis tot Peregrinis occurrisse impedimenta; nec ideo intentionem illorum ad effectum posse pertingere, putant. Vnde meus adhuc hæsitat animus, alioqui diu huius viæ desiderio tactus & totus in ipsa intentione occupatus.* Cui protinus prædictus Peregrinus ait: *Non leuitate aut gratis huius viæ credatis fuisse exordium; sed à DEO, cui nihil impossibile est, dispositum: & procul dubio inter martyres CHRISTI in aula cœli noueris esse computatos, ascriptos & feliciter coronatos, quicunque in hac via morte præoccupati fuerint; qui in nomine IESV exules facti, puro & integro corde in dilectione DEI perseuerauerint, & sine auaritia, furto, adulterio, fornicatione se continuerint.* Presbyter verò admirans in verbis & promissione Peregrini, quis fuerit, aut de qua ortus regione, perquirit; vel vnde hoc certum didicerit, quòd gloria cœlesti cum beatis sint coronandi, qui in hac expeditione vita decesserint. Protinus sciscitanti sacerdoti, totius rei veritatem in hunc modum detexit, dicens: *Ego sum Ambrosius, Mediolanensium Episcopus, seruus CHRISTI. Et hoc tibi sit signum & vniuersis populis Catholicis, viam hanc insistentibus, quia non fallo de omnibus, quæ de ore meo audisti: Ab hodierno tribus annis euolutis, scias Christianos, qui superfuerint, post multos labores ciuitatem sanctam Ierusalem, & victoriam de cunctis nationibus Barbaris feliciter obtinere.* His dictis sine mora euanuit, nec vltrà post hæc visus est. Hæc se vidisse & audisse à sancto DEI Episcopo idem egregius presbyter cum veritate summa asseruit: & nunc, ex quo visio & promissio illa facta est, duo completi sunt anni; tertium adhuc restare, omnibus certum est. Posthæc, sicut prædixit *B. Ambrosius*, Episcopus Mediolanensium, in tertio anno CHRISTI milites Peregrini & eorum Principes obtinuerunt Ierusalem; & mundauerunt illic sancta, Sarracenis fugatis & attritis.

XXXIX. Audita hac visione & promissione ex veraci fratris relatione, vniuersi timore amittendæ præsentis vitæ hactenus hæsitantes, ac fugitiuorum Principum amissione turbati, spe & desiderio vitæ cœlestis accensi, animo fiunt stabiles; nec vltra aliquo metu mortis à confratribus & vrbe se recedere fatentur, sed cum eis viuere & mori, & omnia pro CHRISTO sufferre. *Godefridus* Dux pariter & *Robertus* Flandrensis ferè vniuersos Principes, tanta formidine concussos, vt iam fugam conspirassent, humili vulgo nesciente, miro reuocauerunt solamine, & constantes ad omne reddiderunt periculum, in hunc modum loquentes: *Cur desperatis, de DEI auxilio diffidentes in tot aduersis, quæ superueniunt, & confratres, humile & pedestre scilicet vulgus, fide vestra deficiente, deserere, aut fugam inire disposuistis? State, & virili animo vobis aduersantia pro CHRISTI nomine sufferte, fratresque vestros nequaquam in tribulatione deseratis; nec DEI iram incurratis, cuius gratia & misericordia non deficiet in se confidentibus.* Hæc dum cum lachrymis magnisque suspiriis ad comprimores desolatos loquerentur, vniuersorum reuixit spiritus, & dein-

& deinceps stabiles cum eis in omni angustia permāserunt, nullam abhinc fugam meditantes. *Willehelmus* & itidem *Willehelmus, Stephanus* & eorum consocii formidolosi & profugi, aptant naues, remos & vela; alto mari inferuntur, *Constantinopolin* remeare disponentes, relictis fratribus in obsidione, quos nunquam à manibus *Corbahan* liberari posse existimabant. Aliquanto autē tempore cùm nauigassent, XL. in quibusdam insulis de regno Græcorum pernoctantes, vel propter motum maris commorantes, intellexerunt Christianum *Imperatorem Græcorum* ad vrbem *Finiminis* peruenisse, in comitatu magno & apparatu copioso, ad succurrendum Peregrinis, sicut fide promiserat, quando sacramento & fœdere percusso iuncti sunt illi 10 in amicitiam. Is *Turcopolos, Pincenarios, Comanitas, Bulgaros*, arcu doctos & sagitta; *Danaosq;* bipennium armatura dimicare peritissimos; *Gallos* exules, exercitum simul conductitium, populum diuersi generis à desertis locis & montanis & à maritimis insulis, ab omni scilicet regno suo spatiosissimo, ad quadraginta millia contraxit. Hunc prædicti Principes in hac fortitudine armatorum virorum, equorum, atque in copiis cibariorum, tentoriorum, mulorum ac camelorum inuenerunt; & cum eo nouum exercitū Gallorum, circiter quadraginta millia, per longam hyemem congregatum; *Tatinum* quoq; truncatæ naris, qui similiter timore attonitus, in falsa fide à sociis recesserat ad ipsum Imperatorem, propter promissum auxilium legationem laturus, quam minimè fideliter peregit, non vltrà Antiochiam reuersus. 20 *Imperator* ingressos ad se Principes recognoscens, miratur valde, quomodo à sociis diuisi habeantur; ac percontatur de statu fidelium CHRISTI commilitonum, de salute Ducis *Godefridi, Reymundi* Comitis & Episcopi *Podiensis*, vtrum in prospero vel aduerso eorum res sita sit. Respondent, eos minimè in prosperitate & salute esse; sed sic obsessos à Corbahan, Principe Corrozan, & à nationibus Gentilium, vt ne vnus quidem patescat aditus vel exitus à tam spatiosa vrbe, & quòd nunquam manus illorum, nisi furtim aliqui, possint euadere. Deferebant autem quanta fame arctarentur; quomodo mercatores & naues odio illorum Turci attriuissent. Nullum verò ex omnibus viuere posse fatebantur à facie tantæ multitudinis, seipsos vix in astutia sua liberatos; suggerentes Imperatori vt rediret, nec frustra 30 suum exercitum vexaret ad tantas hostium copias. Imperator his Christianorum auditis periculis, & Gentilium copiis compertis, cum primatibus suis XLI. habito consilio, tremens ac stupefactus, protinus totum redire præcepit exercitū. Quin terram Romaniæ, quondam iniustè à Solymano sibi ablatam, sed nunc Peregrinorum viribus restitutam, incendio & præda vastauit, vrbes & præsidia vniuersa subuertit, ne forte à *Solymano* recuperata illi seruitio prodessent. Tantus ergo rumor Imperatoris regressi, & sui exercitus dispersi, mœnia *Antiochiæ* transuolans, Peregrinorum corda magno dolore infixit, & multum audaciæ ab eorum excussit animis. Ideo sæpius Principes exercitus CHRISTI consilium conferebant, quatenus si aliqua arte valerent, clàm ab vrbe recedentes, humile vulgus illic in periculo relinquerent. Quod Dux *Godefridus, Robertus* Flandrensis & Episcopus *Podiensis* in-40 telligentes, iterum eos confortare cœperunt, sic ad vniuersos loquentes: *Non turbemini, neque formidet cor vestrum in hac Imperatoris vulgata reuersione. Potens est DEVS de manu inimicorum nos liberare, tantùm stabiles estote in amore CHRISTI; & nunquam fraudem hanc in fratres vestros faciatis, vt fugam, clàm ab eis subtracti, ineatis. Procul dubio enim si fugam inieritis præ timore inimicorum Corbahan & omnis multitudo illius vos persequentur; & nequaquam manus illorum effugietis, cum primùm fama vestræ fugæ ad aures eorum peruenerit. Stemus igitur, & in proposito vitæ nostræ in nomine Domini moriamur.* Ad hæc verba vniuersi stabiles facti sunt, & cum fratribus mori & viuere statuerunt. *Corbahan* & omnes legiones Gentilium, audito Imperatoris recessu, amplius assultu in- XLII. 50 ualescebant; & in globis suis è castris procedentes, insidiabantur, si quis ab vrbe procederet, quem solito more detruncare possent. Quadam igitur die quosdam Turcos, sub eadem intentione in globo quadraginta militum ab hospitio tabernaculorum egressos, Christiani à mœnibus vrbis speculantur. Quibus, licet tristes & exterriti de aduersis sibi rebus, protinus trans vada *Fernæ* aliqui armati occurrerunt: sed extemplò ab ipsis Turcis repressi, trans vadum fugientes, alio steterunt in littore, videntes se famelicorum equorum cursibus non posse contendere. Tandem post plurimam sagittarum grandinem, Turcos procul ab amne remeantes, quidam robusti pectoris miles adhuc sui equi fidens virtute, & sociorum vires post tergum sequi existimans, immoderato cursu persequitur. Sed nemine

sociorum ad auxilium sequi præsumente, duo atrocissimi equites ex globo in faciem Peregrini equo laxis frenis reiiciunt, & in fugam reditum veloci equorum vrgent leuitate, remensis eadem via ad socios noualibus: cui in impetu & offensione pedis equus humi totus corruit, & sic ferè in extremo vitæ suæ constitutus est: lapso itaque & auxilio penitus destituto, cùm iam propè ad feriendum affuissent carnifices, sic equi eorum immobiles perstiterunt, calcaria obliti, ac si in fronte percussi, retrò ire compellerentur, donec Peregrinus miles equum in pedibus resurgentem ascenderet; & DEO ac Domino IESV CHRISTO donante, fugam ad sociorum stationem iteraret. Vniuersi in littore & mœnibus ad spectacula stantes præ gaudio lachrymati sunt, sic incolumi fratre recepto, in cuius li- 10
XLIII. beratione manifestè digitum DEI affuisse experti sunt. In hac itaque famis afflictione, quã audistis, & timore obsidionis, & solicitudine insidiarum assultuumq́;, quos à foris Turci adhuc assiduè inferebant, populoq́; DEI humiliato ac desperato, *Clericus* quidam de terra Prouinciæ per visionem sibi Lanceam reuelatam asseruit, qua Dominus noster IESVS CHRISTVS in latere perforatus est. Hic enim clericus Episcopo Podiensi, domino *Reymero*, & *Reymundo* comiti locum, quo preciosum thesaurum Lanceæ reperirent, retulit: videlicet in Ecclesia B. Petri Apostolorum principis: visionem suam sub omni veritate, qua potuit, attestatus. Qui verbis illius credentes, ad locum quem clericus asserebat, communi decreto venerunt. In quo fodientes, Lanceam, sicut à clerico didicerant, inuenerunt; inuen- 20
tam autem in præsentiam omnium Christianorum Principum in ipso oratorio protulerunt, plurimum hanc diuulgantes, & ostro precioso inuoluentes. In huius denique inuentione spes & lætitia magna facta est in populo Christianorum, qui non modica celebritate & oblatione innumerabilis auri & argenti hanc venerati
XLIV. sunt. Transactis deinde aliquot diebus, omnis primatus & Duces Christiani exercitus adhuc hæsitantes, & vitæ diffidentes in tot aduersitatibus, & famis pestilentia, bellumque cum tot nationibus committere metuentes, eò quòd viribus hominum & equorum valetudine exhausti essent, consilio inito, decreuerunt legationem mittere *Corbahan* magistro & Principi exercitus & obsidionis. Sed neminem inuenerunt, qui tam ferocissimo & superbo loqui auderet, quousque *Petrus*, qui principium huius viæ extitit, se iturum indubitanter obtulit, & homini 30
magnifica nuncia dicturum. Sine mora iniuncta sibi legatione à Duce *Godefrido*, *Boemundo* & aliis Principibus, Petrus prædictus statura pusillus, sed meritis magnus, ad tentorium Corbahan, in medio Gentilium iter præsumens, DEO protegente solus peruenit. Cui per interpretes nuncia Christianorum in hunc modum retulit: *Corbahan, Princeps clarissime & gloriosissime in tuo regno, nuncius sum Godefridi Ducis, Boemundi & Principum totius Christianæ multitudinis: decreta & consilium eorum, quod porto, ne dedigneris accipere. Ductores Christiani exercitus decreuerunt, si CHRISTO Domino, qui verus est DEVS, & DEI Filius, credere concesseris, & Gentilium spurcitiis abrenunciaueris, tui fieri milites: & Antiochiam ciuitatem in manu tua restituentes, tibi sicut Domino & Principi* 40
seruire parati sunt. Quod audire, nedum facere contemsit. Petrum verò eremitam sacrilegos ritus suos & sectam Gentilium edocet, asserens se nunquam ab hac rece-
XLV. dere. *Petrus* audito *Corbahan*, nempè quòd in derisum nomen & admonitionem Christianæ fidei acciperet, alia ei aperuit nuncia: *Visum est*, inquit, *adhuc Christianis Principibus, quandoquidem tam egregios homines tibi subdi recusas, & Christianus fieri renuncias, vt viginti tirones de tua eligas multitudine, quod etiam Christiani facient; & datis vtrinq; obsidibus, & facto iuramẽto vtrinq; tu in DEO tuo, ipsi in DEO suo, singulari certamine in medio confligant. Et si Christianis victoria non contigerit, ipsi in terram suam pacificè & sine damno redeant, Antiochiam tibi reddentes; si verò tui triumphare nequiuerint, pacificè tu tuiq; ab obsidione repedetis, vrbem & terram nobis relinquentes: & non patiaris tantum exercitum perire* 50
mutuò confligentem. Si autem hoc à Christianis decretum contemseris, certus sis, quia crastina luce vniuersi tecum prælia conserent. Corbahan his auditis, Petro in superbia magna respõdit: *Vnum, Petre, te scire volo, quod Christiani eligant, scilicet vt omnis imberbis iuuentus ad nos transeant, mihi & Domino meo, Regi Corrozan, seruientes, quos magnis beneficiis & muneribus ditabimus: puellæ adhuc intactæ similiter ad nos accessum habeant & viuendi licentiam: barbati verò, & aliquam caniciem habentes cum mulieribus nuptis decollãdi sunt: Alioqui nulli parcam ætati, sed omnes delebo in ore gladii; quos autem voluero, in catenis & vinculis ferreis abducã.* Hoc dicto ostendit ei omnis generis catenarũ & vinculorum copiam innumerabilem &
XLVI. inauditã. *Petrus* ad hæc à *Corbahan* accepta licentia redeundi, vrbem Antiochiã introi-

introiuit, renunciaturus iactantiam, quam audiuerat à Corbahan. Et ecce vniuersi Principes in circuitu Petri conglobantur cum cæteris Christianis militibus, quid Corbahan responderit, auscultare desiderãtes, & scire, vtrum bellũ attulerit, aut aliquod fœdus pacis constituendæ. *Petrus* circumfusus fidelium turbis, *Corbahan* bellum desiderare indicat, nihilque nisi in superbia magna & fiducia multitudinis suæ locutum fuisse asserit; & cætera minarum, quæ audierat, referre incipit. Sed eum procedere vlterius dux *Godefridus* non patitur; sed seorsum ductum monuit, ne quicquam de omnibus, quæ audierat, vlli indicet, ne populus, præ timore & angustia deficiens, à bello subtraheretur. Iam trium hebdomadarum & 10 totidem dierum processerat tempus, quo populus Christianus obsessus cœpit angustiari penuriâ necessariorum & defectione panis. Vnde non vltrà sufferre hæc valentes, inuicem consultum vadunt magni & parui, dicentes vtiliùs esse mori in bello, quàm fame tam crudeli perire, & de die in diem populum attenuari & mori.

Ad hanc vocem conquerentis populi indicitur bellum crastina die futurum: XLVII. omnibusque iubetur, vt in orationibus pernoctent; & delictorum suorum confessionibus purgati, Dominici corporis & sanguinis sacramento muniantur, sicque in primo diei diluculo armis accingantur. Manè autem facto, omnes in armis, loricis & galeis, Christiani milites conuenerunt quarta Kal. Iulii, & acies ordinant adhuc intra vrbem commorantes. *Hugonem Magnum*, fratrem Regis Franciæ, 20 præfecerunt primæ aciei ductorem, & signiferum constituerunt equitum & peditum. *Robertus* Comes Flandriæ, & *Robertus* princeps Nortmanorum, duabus præficiuntur aciebus; & sic iuncti hi duo propinqui in vno latere constituuntur. *Episcopus* verò *Podiensis* suam per se aciem versus montana dirigebat, erecta in medio illius cuneo Lancea, quam repererant, & in manibus cuiusdam Clerici constituta. *Petrus* de Stadeneis. *Reinardus* de Tul, frater eius *Wernerus* de Greis, *Henricus* de Ascha, *Reinardus* de Hemersbach, *Walterus* de Dromedart, suum cuneum regere disponuntur versus hæc montana & viam, quæ ducit ad portum maris Simeonis prædicti quondam eremitæ. Comes *Reinboldus* de Oringis, *Lodewicus* de Monzons, *Lambertus* filius Cunonis de monte acuto, vnius aciei ordini præesse 30 destinantur. Dux *Godefridus* cum *Teutonicis*, *Alemanis*, *Bavaris*, *Saxonibus*, *Lotharingis*, ex duobus millibus equitum & peditum suam aciem composuit, quorum manus & gladius solet esse sæuissimus in ceruicibus inimicorum. *Tankradus*, solus suam aciem ex equitibus & peditibus constituit. *Hugo* de S. Paulo, & filius eius *Engelradus*, *Thomas* de Feria castro, *Baldewinus* de Burg. *Robertus* filius Gerhardi, *Reymundus* de Peleiz, *Reinoldus* Beluacensis, *Walo* de Calmont, *Euerhardus* de Poisat, *Drogo* de Monzei, *Rudolfus* filius Godefridi, *Conus* Britanus. *Rudolfus* similiter Britanus, hi omnes duas acies regere eliguntur. *Gastus* de Berdeiz, *Gerhardus* de Rosselon ciuitate, *Willehelmus* de Montpelir, acie tantum vna contenti sunt. *Boemundus* de Sicilia in extrema acie, quæ erat densissima, equitibus & peditibus 40 ductor attitulatur, vt cæteras acies tueretur, & fortè auxilio indigentibus subueniret.

Sic omnibus istis ordinatis & dispositis, comitem *Reymundum*, aliquantulum XLVIII. infirmitate laborantem, ad tuendam vrbem propter Turcos, qui erant in eminentiore arce cum *Sansadonia*, filio Darsiani, reliquerunt cum plurima virtute Christianorum. Hoc expleto, omnes vnanimiter, sicut ordinati erant, & Principes singuli cum suis aciebus aperta porta, quâ porrigitur trans *Fernam* pons lapideus, aduersus Barbarorum legiones procedere decreuerunt, in vexillis mille variis & decoris, in loricis & galeis. *Corbahan* similiter & *Solymanus* in dextro & sinistro cornu; in fronte & à tergo, multiplices statuunt acies, arcus osseos & corneos in manibus ad pugnandum tenentes. Celerique pede è castris procedentes, Christianis obuiam inuehuntur, vt primi grandine sagittarum certamen ineant, buc-50 cina, tubis & cornibus intolerabili clamore intonantes. Prouiderant enim sibi nõ solùm ex legatione Petri, qui bellum in crastino eis prædixerat affuturum; sed cotidie suspecti & soliciti erant, ne Christiani ex improuiso bellum cum eis committerent. Vnde ad arcem Sansadoniæ nuncios assiduè dirigebant, quatenus si quando persentiret Christianos armari, aut hortari ad pugnam, eis nunciaret: eò quòd ab arce, in supercilio montis sita, spectaculum rerum vniuersarum vndique in vrbe habuerit: quò & ipsi parati & cuneati occurrere possent, & minus prouisis Galli nocerent. *Sansadonias* nuncia mittere negat, sed pannum latissimum nigerrimi & horrendi coloris, in summitate hastarũ præfixum, in culmine suæ ar-

cis erigere policetur, deinde horrisona buccina vehemẽter perstrepere; & ita Gentiles certos reddere de apparatu belli Christianorum. Hunc itaque pannum fuscum in signum conserendi Martis erigens in montanis, super ipsam prædictam arcem fixit, eadem hora, qua Christianorum apparatus summo diluculo fieri cœperunt, & acies ordinabantur: vt viso hoc signo, etiam Gentiles ad resistendum prouiderent, arma & acies ordinarent. Protinus panni huius signo & fragore buccinæ, horribiliter tonantis, præmoniti, densantur & cuneantur; & Christianis turmis in occursum tendunt, ab equis circiter duo millia descendentes, ad prohibendum pontem eiusq; fluuii transitum.

XLIX. *Christiani* autem Principes in eadem porta ordinati & conglobati, suspicantes ac præscientes Turcos in arcu & sagitta sibi in exitu suo aduersaturos, omnem manum sagittariorum pedestris vulgi præmiserunt à porta trans pontem & fluuium *Farfar*. Qui DEO fauente pontem anticipantes, in Turcos sagitta infestos irruerunt, scuto tectis pectoribus resistentes, & à loco amouentes, quousque ad stationem equorum ipsorum sagitta Christianorum transuolante, peruentum est. Turci itaque, qui ad pontem ab equis descendentes pede præcurrerant, videntes se non posse obsistere, nec viros Christianos à ponte abigere, sed equos suos posse sagittarum grandine perire, versi in fugam & ad equos quantocius properantes, ipsos ascenderunt: & sic liberum exitum Christianis, licet inuiti, concesserunt. Adhæc *Anselmus de Riburgis monte*, qui erat in prima hac acie constitutus cum *Hugone magno*, gaudens prospero successu & prima victoria fidelium, vibrata hasta medio Turcorum inuoluitur; qui hos deiecit, hos perforat, alios resupinat, & ingenti illorum occisione laborat. Hugo siquidem Magnus, videns quòd Anselmus sine aliquo timore mortis hostes represserat, sine mora aduolat, simili cæde mulctans inimicorum cateruas. *Robertus* Flandrensis, *Robertus* Nortmanorum comes, *Baldewinus* Hamaicorum princeps, *Eustachius* quoque, audacter & fortiter cum hostilibus cuneis luctabantur, quos non modica strage interemerunt. *Solymanus* verò Dux Turcorum, miles sæuissimus, & *Rossilion* consocius eius, vnus ex quatuor capitalibus *Antiochiæ* sub Darsiano Rege, cum suis cuneis circiter quindecim millibus à cætera multitudine sequestrati, aduersus hæc montana & viam, quæ respicit ad *portum Simeonis*, festinatò contendunt: vt si Christiani victi fortè illuc fugam meditarentur ad maritima, eis occursarent, & incautos attererent. Hoc in proposito auidè feruentes, properata via plus solito, super aciem *Reinardi* comitis, *Petri* de Stadenois, *Walteri* de Dromedart, *Henrici* de Ascha, *Reinardi* de Hemersbach, militis illustrissimi, *Werneri* de Greis casu irruerunt; quibus subitò ad impedimentum ignem proiecerunt ab ollis in faciem terræ, quò eorum transitus erat ad societatem Christianorum. Ignis itaque vt hæsit terræ, arreptis herbis aridis & frondibus siccis vepriuin, statim vires in altitudine & amplitudine acquisiuit; & sic à vento suscitata nebula, fumus concreuit tenebrosus, solummodo oculos fidelium obumbrans, & aspectum impediens.

L. Igitur Turci callidè eos post fumi nebulam insequentes, errore caliginis dissociatos alios trucidabant, alios sagittis transfigebant: Solummodò equis insidentes velocitate equorum euaserunt, sed non omninò illæsi à sagittis: peditum verò trecenti occisi, & pars in vinculis retenta est. *Karieth* autem Turcus de ciuitate *Caran*, viso Solymani prospero successu in contritione aciei Reinardi, Petri, Werneri & cæterorum, confidentiùs iter accelerans, in circuitu vnà cum *Principe Damascenorum* à montanis iuxta ciuitatem & *Fernam* fluuium descendit, appropinquante simul *Brodoan* de Alapia ciuitate Turcorum, ad coronandam aciem *Boemundi*, quæ erat extrema, peditibus & Francigenis plurimum densata: quam incurrentes, sagittis & virtute suorum irrumpere ac dispergere conati sunt. Oppressi siquidem viribus Turcorum, & fraude astutorum hominum circumuenti, comitatus Boemundi in miserum & anxium globum, quasi oues inter lupos perituræ, cogebantur, nec vltrà reniti valebant; sed in proximo erat, vt morituri, vndique ab infidelibus turmis inuoluerentur. At *Godefridum* Ducem cum *Buldagi*, *Amasa*, *Boesa* & *Balduc* atrociter dimicantem, & in nomine IESV, Filii DEI viui, triumphantem, nuncius trans spatium viæ vnius, vocis percurrẽs, flebili rogatu pulsat & admonet, vt respiciat & cognoscat, quàm in arcto res Boemundi suæque societatis sit sita: quibus, ni citò subueniret, omnes in breui à Turcis consumi asserebat.

LI. *Godefridus* Dux ex relatione velocis nuncii, Boemundi intellecta inuasione, suæque aciei à Turcis ferè coronatæ, ele-

tæ, eleuans oculos, iam intuetur quomodo virtus *Boemundi* & cohortes illius pondere belli fatigabantur, & vix inimicorum vires sufferebant. Vnde festinus in faciem aduersariorum cum *Alemanis, Bawaris, Saxonibus, Lotharingis, Teutonicis,* & *Romanis*, qui in sua erant acie, aduolat in vexillis ostreis variis & decoris, vt vires Gentilium repelleret, & in angustia positis subueniret. *Hugo* verò Magnus, qui in exitu primæ aciei à ponte, qui ab vrbe trans Farfar porrigitur, fugatis Turcis & attritis, spatium campi cum Christianorum præmissis sagittariis victor obtinebat, videns quòd Ducis Godefridi acies & vexilla reuertebantur viâ quæ ducit ad fluuium *Farfar*, vnà ipse festinus eodem itinere ad aciem Ducis cum sua legione 10 ad vires & arma augenda, refertur, sciens quia hac parte maior angustia belli ingruebat. Moderabantur ambo Principes cursus suorum equitum, secundùm quòd pedites appropinquare poterant. Quos vbi Turci indubitanter in se tendere viderunt ad subueniendum Christianis consociis, paulatim ab inuasione & assultu cœperunt subtrahi; & dato dorso remensi viam, ad tabernacula sua fugam arripiunt, Duce cum Christianis tironibus atrociter insequente & cædente.

LII. Tandem superato quodam humili & modico torrente, à montanis defluente, paululum Christianis militibus in valle retardatis, Turci in vertice cuiusdam mōtis consistentes, ad defensionem frena reiiciunt, & sagittis suis Gallos insequentes absterrere nituntur. Ad hoc Peregrini Teutonici, corda intrepida habentes, 20 altis vocibus CHRISTI clementiâ inuocatâ, obsistentes Turcos indubitanter incurrunt, quos tunc & deinceps sic in fugam continuam mittunt, vt non aliquis eorum stare aut remordere in eodem conflictu præsumeret. *Boemundus* ergo Princeps magnus, & *Adam* filius Michaëlis, visa virtute Godefridi obsistentis, & populum alleuiantis, & quia cæde cum suis inter hostium agmina fulminabat, cum omni acie & fortitudine quam vltimus regebat, abrumpit moras, & in impetu ac vociferatione per medias Turcorum acies infertur. Quorum immanissima strage facta, sic campi operiebantur corporibus occisorum, quasi grandine hinc & hinc sæuissimè commixtis cuneis. Sed DEO auxiliante, ingrauatum est bellum Gentibus; totumque prælii pondus versum est illis in contrarium. *Corbahan* autem 30 superbus, qui ampliores sibi retinuerat vires & copias, & à sinistris Christianorum, stationem occupauerat, nequaquam suis fugitiuis & attritis sociis ad opem contendere poterat. Nam illi *Podiensis* Episcopus cum omni manu Prouincialium fortiter in faciem resistebat, eique Lanceam Dominicam semper opponebat. Vnde colligendum est, quòd DEO & Domino nostro IESV operante, virtus illius, diuinitus sibi timore immisso, elanguit, & corda suorum tremuerunt: quia sic immobilis permanebat in obstaculo & visione cœlestis armaturæ, ac si omnis pugnæ immemor cum infinito suo satellite haberetur.

LIII. Sic DEO volente, in stupore & ecstasi posito quidam affuit, sinistra illi portans nuncia, & dicens: *Corbahan princeps illustrissime, quid longius moram protrahis aduersus hanc Christianorum aciem? an non vi-*40 *des, quomodo tuus, quem eduxisti, exercitus, victus & attritus fuga dilapsus est? ecce in castra tua tuorumque Galli diffusi spolia auferunt, & res vniuersas colligunt, & ecce sine mora, ad te peruenturi sunt.* Corbahan hac tristi & dura legatione pulsatus, eleuatis oculis videns acies suas fuga defluxisse, continuò ipse cum omni comitatu suo dorsa vertit in fugam, via qua venerat, ad regnum Corrozan & flumen Euphratem insistens. Quem sacer *Episcopus* cum omni acie sua persecutus est, non longè tamen, præ defectione equorum, & peditum lassitudine. Defecerant enim Christianis equi, quos à Gallia eduxerant, præ diuersis plagis, vt affirmant ex veritate, quia-derant. Nam vix ducenti supererant equi bello apti, in die quâ prælium cum tot nationibus Gentilium commiserunt.

LIV. Plurimi siquidem egregii milites & no-50 bilissimi, quorum latet numerus, equis mortuis & præ famis inopia consumtis, in numero peditum computati, pedites prælia discebant, qui à pueri æuo semper equis assueti & inuecti certamen inire solebant. Ex his verò egregiis viris, qui mulum aut asinum, vel vile iumentum, vel palefridum, tunc acquirere poterat, pro equo vtebatur: inter quos fortissimi & ditissimi sua in terra Principes asino insidentes certamen inierunt: nec mirum. Nam diu deficiente illis proprio sumtu, egentes mendicauerant, & suis armis venditis propter inopiam, armis Turcorum insuetis & incongruis in bello vtebantur. Horum in numero *Hartmanus*, diues & nobilissimus, vnus de præpotentibus in terra Alemaniæ fuisse, asinoq; insidēs, vmbonem Turci & gladium tantùm in die illo ad pugnā habuisse perhibetur:

nec mirum. Nam rebus omnibus exhaustus, lorica, galea & armis venditis, diu mendicauerat, & eò ferè peruenerat, quòd nec mendicando viuere poterat. Peruenerat vnà *Henricus de Ascha*, miles nobilis & laude militari dignus. Sed Dux *Godefridus* gloriosus, illorum misertus, panem vnum cum portione carnis vel piscis ex suo proprio sumtu Hartmano constituit; Henricum verò, quia miles & homo suus multis sibi seruierat annis & bellorum periculis, conuiuam & mensæ suæ socium attitulauit.

LV. Super his miseriis & attenuationibus nobilium procerum, mirantur solummodò hi, qui nunquam huic simile audierunt, nec mala viderunt, quæ in tam longo exilio contigerunt tam egregiis viris; sed non mirantur, qui ipsum ducem *Godefridum*, & *Robertum* Principem Flandriæ, ad vltimum egere rebus & equis, se vidisse testati sunt. Eguit siquidem dux *Godefridus*, qui equum, in quo die magni belli sedit, dono Comitis Reymundi suscepit, multa prece extortum. Nam defecerat illi pecunia præ angustia memoratæ famis, & nimia largitione eleemosynarum & rerum, quas in mendicis & attenuatis militibus expendit. Eguit pariter *Robertus*, ditissimus & potentissimus Princeps pinguis Flandriæ, quem sæpius in exercitu mendicasse asserunt, qui affuerunt, & oculis inspexerunt; ipsumque equum quem in die belli ascenderat, mendicando acquisiuisse, multorum relatione didicimus. His denique equis, labore acquisitis, nunc tam egregii Principes in die belli inuicti aduersus infidelium acies, considerantes *Corbahan* cum omni comitatu suo terga vertisse, veloci cursu post eum frena dirigunt; cædendoque & sternendo fuga deficientes & fugientes, in spatio trium milliarium sine intermissione insecuti sunt. *Tankradus*, qui etiam Christianorum aciem dirigebat, vt fugam persensit aduersariorum, vnà cum equestri manu in cæde illorum affuit velociter, quos via sex milliarium fugientes insecutus est. *Corbahan* viso suorum diffugio, & exercitus sui dispersione, semper intendebat fugæ, quo vsque ad Euphratem, fluuium magnum perueniens, cum suis nauigio elapsus est.

LVI. His præfatis Christianorum Principibus auidè inimicorum cædi & insecutioni intendentibus, societas comitis *Reymundi*, & Episcopi *Reymeri* prædæ inhians, & spoliis Turcorum, in loco eodem quo victoria data est, parum persequens, permansit; & grandia spolia auri, Byzantiorum, frumenti, vini, vestimentorum & papilionum deprædata est. Alii verò qui pugnæ intenti erant, videntes illos spoliis manus inferre, eadem auaritia corrupti, manus similiter prædæ iniicientes, cum spoliis copiosis & infinitis in laude & lætitia & voce exultationis *Antiochiam* reuersi sunt: & qui antè inopes erant & famelici, nunc omnibus bonis satiati sunt. Codices verò innumerabiles in iisdem castris Gentilium repererunt, in quibus sacrilegi ritus Sarracenorum & Turcorum inscripti erant, & nefanda crimina hariolorum & aruspicum cum characteribus execrabilibus. Catenarum, vinculorum, laqueorum ex funibus & ferro coriisque taurinis & equinis diuersa genera ibidem in tentoriis reperta sunt ad vinculandos Christianos: quæ omnia Antiochiam allata sunt, plurimo numero infinita; cum plurimis rebus & tentoriis, & cum tentorio ipsius Corbahan, quod in modum ciuitatis turribus & mœnibus diuersi coloris, & preciosi serici ædificatum erat. Habebat idem mirabile tentorium vicos à se defluentes, in quibus duo homũ in millia spaciosè habitasse referuntur. Mulieres, pueri teneri & adhuc lactantes, quotquot in castris reperti sunt, alii trucidati, alii equorũ pedibus conculcati, misero & lacero cadauere campos impleuerunt, destituti suorum auxilio Gentilium de bello terga vertentium. Cætera, quæ in hoc bello acta sunt, tam in populo Christiano quàm Gentili, quæ etiam in obsidione vrbis Antiochiæ mira & inaudita gesta sunt, nullius stylo, nullius memoria æstimo retinenda, tot tamque diuersa fuisse referuntur.

ALBERTI AQVENSIS EXPEDITIONIS HIEROSOLYMITANÆ LIBER QVINTVS.

Argumenta Capitum.

I. ACCEPTA hac victoria in campo Antiochiæ, magnæ & regiæ ciuitatis Syriæ, Episcopus Podiensis & cæteri Principes, à fuga & cæde exercitus Corbahan reuersi in præfatæ vrbis mœnia, basilicam *B. Petri Apostoli*, quam Turci suis sacrilegis ritibus profanauerant, ab omni inquinamento mundantes, altaria sancta, quæ subuersa erant, in omni honestate reædificauerunt, imaginē verò Domini nostri IESV CHRISTI & figuras Sanctorum, quas in modum viuentis personę obcęcatas & obductas cœmento obscurauerant, summa reuerentia renouabant, cultores Catholicos in exequendis ibidem diuinis mysteriis restituentes in omni clero tam Græcorū quàm Latinorum. Deinde ex ostro purissimo & serico precioso & reliquis ornamentis, quæ in Antiochia sunt reperta, infulas, dalmaticas, cappas & omnem decorem ad vsus Ecclesiarum DEI viui fieri constituerunt, quibus diuina officia in templo B. Petri celebraturi sacerdotes & ministri ornarentur, vel quādo in processione Dominicarum dierum, aut in celebri festo, ad Oratorium S. Mariæ, matris Domini nostri IESV CHRISTI, in psalmis & hymnis migrarent. Hoc idem oratorium breui interuallo distans ab ecclesia B. Petri, adhuc ab iisdem Turcis inuiolatum & intactum permansit; & Christianis, inter se post sibi subiugatam vrbem dono & licētia eorum commorantibus, solummodò concessum est. *Patriarcham* verò vrbis, virū clarissimum & Christianissimum, quem Turci, cùm adhuc Christianorum obsidione circumdarentur, sæpius funibus astrictum viuum ad mœnia suspenderunt in oculis omnium, ad augendas Christiano populo molestias, & cuius pedes frequēter compedū læsione attriuerant, decenter in cathedra sua relocauerunt, & Principem Antiochiæ cum omni subiectione & religione præfecerunt.

II. His itaque diuinis rebus prælatis & præordinatis, *Boemundum* Dominum & Aduocatum vrbi constituerunt, eò quòd multum in traditione vrbis expendisset, plurimumque laboris pertulisset, vt custodias per turres & mœnia aduersus Turcorum insidias faceret. Boemundus assumta potestate & dominio vrbis, in præsidio, quod in eminentiore loco in montanis habetur, sedem & custodiam suorum posuit, nulla illic Turcorum defensione sibi aduersante. Nam audita fuga & contritione suorum, *Sansadonias*, & qui in arce erant, pariter etiam ipsi per montana fugerunt, vacuum & immunitum relinquentes præsidium. Verùm *Reymundus* Comes de regione Prouinciæ, semper insatiatus desiderio acquirendi, turrim eam, quæ ponti Ferne imminet versus portum S. Simeonis, inuadens, suo muniuit satellitio, partemque hāc vrbis suæ ditioni subesse coëgit. Cæteri vèrò Principes, Godefridus Dux, Robertus Flandrensis, Robertus, Princeps Nortmanorum, cunctiq; , qui non minus laboris circa vrbem pertulerant, minimè vrbi præesse, aut eius reditus vel tributa sibi impertiri quæsiuerunt, nolentes fidem & sacramentum, Imperatori Constantinopolis factum, violare. Iurauerunt enim sibi, vt si caperetur *Antiochia*, quia de regno eius erat, sicut Nicæa cum omnibus castellis & vrbibus, ad regnum eius pertinentibus, sibi reseruarent, suæque maiestati restituerent. Ex tunc & deinceps Boemundus Comiti Reymundo cœpit inuidere, sed tamen occultè.

III. Prædicti verò Principes, quibus curæ erat fidem & iusiurandum seruare, *Baldewinum* Hamaicorū Comitem, vnà cum *Hugone Magno*, fratre Regis Franciæ, paulo post victoriam à DEO collatam direxerunt in legationem ad ipsum *Imperatorum Græcorum*, vt causam ab eo inuestigarent, cur tam impiè se gesserit erga populum DEI; & auxilium, quod policitus esset, cur in tanta necessitate exhibere neglexerit, cùm in aliquo eos fallaces aut seductores adhuc inuenire nequiuerit. Iniunctum est etiam illis, vt eidem Imperatori dicerent, quomodo ab omni promissione & sacramento Principes exercitus soluti haberentur, eò quòd omnia, quæ promiserat auxilia ex timidorum & fugitiuorū suggestione mentitus esset. Sic quidem duo prædicti Principes, assumta sociorum confratrum legatione, ad ipsum Imperatorem viam insistunt per mediā Romaniam. Vbi in confinio Nicææ in insidias Turcopolorum fortè inciderunt, non à dextris vel à sinistris declinare valentes. Turcopoli itaque gens impia & dicta Christiana nomine non opere, qui & Turco patre & Græca matre procreati, videntes viros sibi inter manus oblatos, subitò irruerunt in eos, *Baldewinumq;*, qui Hugonem aliquantulum præcesserat, vt aiunt, sagittis confixerunt; quidam verò asserunt, quòd viuum illum & captiuum abduxerint; sed latet vsque in hodiernum diem, quo fine tam nobilissimus & Christianissimus princeps perierit. *Hugo* autem Magnus, qui modico interuallo viam post Baldewinum continuabat, cernens angustias

gustias animæ illius, celeri cursu iter remensus est ad syluam quandam, montibus contiguam, cuius absconsione protectus, manus impiorum euasit. Post hæc, ex omni parte crebrò affluente nauigio in cibariis ad portum S. Simeonis, & Peregrinis in victoria DEI ab obsidione Barbarorum liberatis, felici abundantia cibariorum, omniumque necessariorum fructibus, plaga maximæ mortalitatis facta est intra vrbem Antiochiam, quâ plurima & innumerabilis multitudo Christiani exercitus tam nobilium procerū quàm humilis vulgi absumta est. Hac clade mortifera primùm venerabilis *Præsul de Podio* percussus vitam finiuit Kal. Augusti: quē nimia lamētatione nobiles & ignobiles deflentes, in ipsa basilica S. Petri sepulturæ contulerunt, in eodem loco, quo Lancea Dominica reperta est. Sepulto itaq: tam venerabili sacerdote, amplior & grauior inualuit hęc plaga sæuissima; & morte minui adeò Christianorum cœpit exercitus, vt per spacium fermè sex mensium vix aliqua oriretur dies, quin centum & quinquaginta vel triginta ad minus, tam nobiles quàm ignobiles spiritum vitæ exhalarent. Eiusdem cladis atrocitate *Henricus de Ascha*, miles nobilis genere, moriens occubuit in castello Turbaysel, illic catholice sepultus. *Reinardus* pariter de Hemersbach, miles clarissimus opere & genere, vitam amisit, sepultus in atrio basilicæ B. Petri Apostolorum principis. Præterea multi tam equites quàm pedites, nobiles & ignobiles, monachi & clerici, parui & magni, quin & sexus fœmineus, supra centum millia sine ferro morte vastati sunt.

IV.

Interea multi gaudentes pace & victoria, mortalitatemq; hanc vitantes, & causa necessariorum dum viam frequenter *Rohas* insisterent, sperantes aliquid accipere de manu Baldewini, plurimas insidias & cædes à Turcis, qui habitabant in præsidio *Hasart*, patiebantur; & sępius capti aliqui abducebantur. Quadam autem die quidam *Folkerus*, miles egregius, de castro Bullon ortus, dum cum vxore sua, quæ erat formę elegantis, Rohas cum cęteris fratribus iter faceret, fortè in Turcorum insidiantium manus incidit: qui ilicò cum cęteris post multam defensionem victus ac decollatus est. Vxor verò illius quia multum prę honestate vultus sui placuit in oculis eorum, capta in prędium Hasart abducta est. Princeps ergo & dominus præsidii hanc honorificè tractari iussit, dum videret, si in eius redemptione aliquid magni precii consequeretur. Nec diu pòst, quidam Turcorum miles illustrissimus, qui ad dominum prędidii Hasart in conuentione solidorum venerat, in concupiscentia formę vxoris Folkeri captus, immoderato amore exarsit, ac nimiū pro eo dominum prędidii efflagitabat, vt eam dono eius pro conuentione solidorum in coniugium accipere mereretur. Quod & actum est.

V.

Miles itaque Turcus nuptiis his lętatus, multo amplius, quàm solebat, insidias & bellum hostibus domini Hasart inferebat; & prędam de Alapia ciuitate magna *Brodoan*, cuiusdam Principis Turcorum, sępius abduxit, insequentes ad excutienda spolia frequenter captiuabat, aut victos detruncabat. Erant enim ad inuicem, inter Brodoan de Alapia & Principem de Hasart, odium & graues inimicitiæ. Transactis dehinc aliquot diebus, Brodoan indignatus, quia miles prædictus manusq; militum de Hasart sæpius sibi aduersarentur, de vniuersis partibus ciuitatis Alapiæ Turcos suæ ditionis collegit, vt die decreto, Hasart in manu valida obsidens, expugnaret. Hoc comperto, Princeps Hasart anxiè meditatur, qualiter vires auxiliares acciret, cum quibus occurrere congregatis tot millibus Brodoan valeret.

VI.

Ad hęc inter diuersa colloquia quæ fiebant, miles Turcus, qui Christianam duxerat vxorem, instinctu eiusdem coniugis sic Principem Hasart adhortatur, dicens: *An vides, quomodo Brodoan vndique Turcorum manum contrahat & vires, atque in multis millibus te & præsidium, quod habes, vallare & expugnare disponit? Nunc si meo vis credere consilio, Godefridum, Ducem Christiani exercitus, qui Antiochiam, fugato Corbahan, potenter obtinet, amicum, datis dextris tibi facere non tardabis; & sic vniuersam Christianorum opem & comitatum in hac instante necessitate scias te adepturum. Nosti enim, quòd hæc gens Christiana cuncta gentibus militari actu & audacia præfertur, & nulli eis fide & honore comparantur. Vnde nequaquam consilium hoc parui pendas, sed sine dilatione eius tibi amicitiam apprehendas; & sic eo fœderato, vniuersos Christianos ad omne tibi scias auxilium voluntarios.* Hic verò Princeps, sciens hoc sanum esse consilium, seque Brodoan eiusque copiis innumeris sic posse resistere, nuncium Christianæ professionis, genere Syrum, hominum mirè discretum, Godefrido Duci Antiochiam misit, in hæc verba loquentem.

VII.

PRINCEPS HASART, GODEFRIDO MAGNO PRINCIPI AC DVCI CHRITSIANORVM, SALVTEM, ET OMNE QVOD MELIVS OPTARI POTEST.

VIII.

Consilio nostrorum ad te direximus, pacem & concordiam inter nos componere, fidem & amicitiam statuere, atque ad omnem bellicam necessitatem arma nostra esse communia. Comperimus enim, quomodo vir & Princeps potens es viribus, & quòd auxilium ferre vales tibi confœderatis, & nulla leuitate à fidei tuæ vinculo poteris resolui. Vnde præ omnibus te elegimus, te cognouimus, opem à te quærimus, fœdus percutimus, fiducia hac, qua certus nostræ fidei semper habearis. Brodoan de ciuitate Alapia nobis factus inimicus, Turcorum vndique contraxit auxilia, in breui ad præsidium nostrum Hasart in virtute magna & copioso exercitu peruenturus. Cui non in alio auxilio Turcorum Principum occurrere & resistere decreui, sed in manu tua, si credere mihi & succurrere non recuses. Godefridus Dux audita hac legatione, consilio suorum habito, fiduciam statuendæ pacis requirit, hæsitans, ne Turcorum perfidia sibi suisq; aliquo 10 iniquo machinamento *obesse possit, corrupto fœdere sub aliqua praua occasionis industria.*

IX. Audiens verò Princeps de Hasart ex legati sui relatione, quia Dux & sui de hac concordia hæsitarent, & non multum in Turcorum promissis confiderent, Duci filium suum, *Mahumet* nomine, quem tenerè diligebat, obsidem misit, vt certior inter se statuendæ pacis ac fœderis abhinc & deinceps redderetur. Dux filio illius obside accepto, fidem & amicitiam cum illo pepigit; & se ad omnia aduersantia sibi auxiliari, & nunquam deficere, stabili iuramento promisit. His ita promissis, diem certam statuit, qua ad auxilium contra Brodoan Christianũ conduceret exercitum, & Turcorum legiones ab obsidione Hasart, Domino DEO suo IESV CHRISTO auxiliante, effugaret. Hæc Dux dum constanter pollicetur, legati de præsidio Hasart vehementer iocundati & lætati sunt; & sine mora columbas duas, 20 aues gratas ac domitas, secum allatas eduxerunt à sinu suo, ac chartam Ducis respõsis promissisque fidelibus inscripta, caudis illarum filo innodata, è manibus suis has ad ferenda læta nuncia emiserũt. Dux & vniuersi, qui cum eo aderant, de hac auiũ emissione mirantur. Sed ilicò, cur per aues hæc fiant nuncia, illis à legatis responsum est: *Non dominus noster Dux, eiusque fideles super emissis miretur columbis, quas non pueriliter non frustrà præmisimus; sed hac de causa præmissæ sunt, vt rapido & incessabili volatu legationem fidei, quam erga eum habes, accelerent, & de auxilio tuo certificent, qualiscunque nobis in via fortuna vel impedimentum occurrerit. Est & aliud, quare hæ aues cum chartulis præmittuntur, ne si in sinu nostro repertæ fuerint ab aliquibus fratribus nostris Turcis, rei morti damnemur.* Iam cum chartis sibi commissis aues auolauerunt, in solium & mensam Ducis 30 Hasart fideliter reuersæ. Princeps autem de Hasart ex more solito aues domesticas piè suscipiẽs, chartas intitulatas à caudis earum soluit, secreta ducis Godefridi perlegit, diem aduentus sui ad auxilium, & in quantis millibus Christiani exercitus subueniret, pernoscit.

X. His perlectis & agnitis, & Godefridi certus amicitiæ, & fidei, præsidium Hasart plurimis militum muniuit armis & copiis Turcorum sibi auxiliantium, quas è diuersis acciuit locis. Et ecce *Brodoan* in manu forti & numero quadraginta millium virorum Turcorum descendit in campos Hasart; sedemque in circuitu murorum illius fixis tentoriis locauit, graui assultu mœnia & turres de die in diem oppugnans. Vix quinque sederat diebus, & ecce dux *Godefridus* in fortitudine multa ab Antiochia est egressus in vexillis miræ pulcritudinis, in loricis & 40 galeis, in sagittis equitum & peditum, spacio dierum trium iter faciens. Peracta via vnius diei, *Baldewinus*, frater ipsius, à Rohas proficiscens cum tribus millibus virorum pugnatorum, occurrit in vexillis per aërem coruscantibus, ex Ducis legatione accitus. At *Boemundus* & *Reymundus* vehementi inuidia indignati sunt, quòd ipse Princeps de Hasart primùm ad Godefridum mittens, fœdus inierit, filiumq; suum sibi obsidem mutuæ fidei dederit: & ideo omnino se in hanc Ducis expeditionem proficisci recusarunt.

XI. Dux iam itinere vnius diei expleto, videns quòd Principes hi præ inuidia remanserant, nec blandis monitis nec humili prece flecti poterant, vt venirent, iteratò eis legationem misit, in hunc modum locutus: *Non decet vos, qui estis columnæ & ductores Christiani exercitus, vt vos fratres vestros conchristianos auxi-* 50 *lij vestri immunes relinquatis, occasionem falsam aduersum nos sumentes, cùm adhuc in nulla angustia vel necessitate vobis defuerimus; sed semper in via hac etiam pro vobis mori parati fuerimus. Credite proculdubio, quòd si hodie remanseritis, nec opem nobis ad id negotium tuleritis, hostes vestri erimus, nec ad vllam causam, ad vos pertinentem, vltrà pes noster mouebitur.* Boemundus & Reymundus videntes, quòd manus vniuersa Christianorum ad vocem Ducis Godefridi viam Hasart insistebat, & quòd Dux cæterique confratres eis in ira loquerentur, recordati sunt, quòd iniustè egissent erga fratres suos; ac compuncti, sociis suis tam equitum quàm peditum circiter quatuor millia adunatis, Godefridum

defridum via regia secuti, in regione *Hasart* associati sunt. Erat numerus congregatorum Principum & eorum exercitus triginta millia virorum pugnatorum. *Brodoan* & qui cum eo in obsidione Hasart conuenerant, cognoscentes quia agmina Christianorum campos vicinos introiissent, à longè è castris eorum ignes in nocte relucere, & nebulam fumorum ascendere intuentes, ex consilio & pari mente castra ab obsidione mouerunt, scientes, quòd tot millibus resistere minimè valerent. Ex his ad decem millia in circuitu longæ remotione viæ per notas semitas & montana gradientes, tardatos & subsequentes Peregrinos ac postremos exercitus sagittis à tergo incurrerunt, & sexcentos subitò expugnatos & exterritos, clam Duce & eis, qui longo spatio duorum milliarium præcesserant, in ore gladii percusserunt. Hanc famam crudelem Dux & sui comperientes, equorum velocitate inuecti, Turcis à cæde hac reuertentibus in valle montium regionis Hasart properata via occurrerunt, non modicam stragem illorum lanceis & gladiis illic facientes. His attritis, & fuga per montana & veprium condensa dilapsis, Dux & cæteri comprimores ad præsidium Hasart applicuerunt. Quibus Princeps illius cũ trecentis, galea & lorica fulgenti opertis, occurrit, multas gratiarum actiones referẽs Duci super omnibus, quæ eius auxilio aduersus inimicorum vires victrices illis cõtigerunt. Moxque renouato fœdere, amicitiâ Duci inuiolabili coniunctus est in aspectu omnium, qui aderant, promittens se stabilem, & nunquam alienari à societate ipsius Ducis & Christianorum familiaritate ac dilectione. Dux ex consilio suorum viro sibi confœderato galeam, auro & argento mirè insertam, & loricam magnæ honestatis contulit, qua *Herebrandus de Bullon*, miles nobilis & bellico actu insignis, prælia commissurus semper induebatur. *Brodoan* igitur ab obsidione Hasart fugato, & Principe eiusdem præsidii à Duce & omnibus primoribus benignè commendato, ac pacificè in sua relato, exercitus Antiochiam repedauit; & in victoria ac pace magna vniuersi Principes in ea consederunt. XII.

XIII. Post hæc, prædictæ pestilentiæ tempestate amplius & validius ingruente, multisque Principibus cum plebeia manu morientibus, Dux *Godefridus*, memor quomodo persimili clade olim est Romę tactus in expeditione, quam egit cum Henrico, Rege quarto, Imperatore Romanorum tertio; & quomodo illic in pestifero mense Augusto quingẽti fortissimi milites plurésq; nobiles obierint, & plures exterriti, cum ipso Cæsare ab vrbe recesserint, sic idem malum metuens, ab Antiochia recedens, secessit versus montana Pancratii & Corouassilii; & habitauit in vrbibus *Rauenel* & *Turbaysel*, à fratre Baldewino ante obsidionem Antiochiæ subiugatis, & post transmigrationem suam in Rohas eidem fratri & Duci relictis.

XIV. In eisdem siquidem præsidiis quidam Armenii fratres, monachico habitu DEO seruientes, multas passi calumnias à militibus Pancratii habitantibus in præsidio, pręfatis locis Rauenel & Turbaysel contermino, ipsum Ducem, videntes virum esse pacificum & amatorem iustitiæ, sunt aggressi, querimoniam super illatis sibi iniuriis facientes, & super arce Pancratii semper eisdem castellis eorumq; habitatoribus infesta. Dux verò Christianissimus querimoniis pauperũ CHRISTI pulsatus, & harum iniuriarũ non immemor, quas sibi idem *Pancratius* fecerat, cùm adhuc à Christianis obsidio circa muros Antiochię fieret, molestè tulit, omnibus modis de his vltionem sumere meditans. Spoliauerat enim Pancratius legatos Baldewini, fratris eiusdẽ Ducis, magnis & honorificis donis tam pecuniæ quàm cæterarum rerum, dum iter per terrã & patriam eius agerent, quæ omnia Boemundo Principi ad componendam cum eo amicitiam mittere non expauit. His itaque iniuriis, & pauperum querimoniis, nunc Dux commotus, quinquaginta milites suorum sequacium eligens, in loricis, clypeis & lanceis, in balistis & lanceis Armeniacis profectus est ad vicinã arcem, in qua noxii prædones Pancratii morabantur. Hanc omni virtute instans, oppugnat repentino assultu; expugnatam flamma & igne humi cogit procumbere, viginti ex militibus, quos in ea reperit, eius iussu excæcatis in retributionem & vindictã superbiæ & iniuriarũ, quas Pancratius sibi CHRISTIQVE pauperibus inferre pręsumsit. Similiter arx & præsidium Corrouassilii assultu & virtute militum Ducis, ex diuersis calumniis & iniuriis, quas Christianis intulerat, crematum, expugnatum, humique prostratum est.

XIV. Duce itaque Godefrido ab Hasart in Antiochiam reuerso, dehinc obside Mahumet in manu & custodia suorum Antiochiæ relicto, Turbaysel & Rauenel profecto; Baldewino verò ab Hasart cum suis Rohas reuerso, plurimi de exercitu viri nobiles & ignobiles, *Drogo* de Nahella, *Rei-*

nardus de Tul, *Gastus* de Berdeiz, *Folkerus* Carnutensis, cæterique primates & commilitones per centenos & quinquagenos alii equo alii pede venerunt ad ciuitatem Rohas, vt à Baldewino, duce & principe in ciuitate & regione facto, pro obsequio militari præmia mererentur, moram aliquam apud eum facientes. Erant enim summa necessitate grauati, & longa expeditione rebus exhausti necessariis. Affluebant autem & accrescebant singulis diebus in numero & virtute, dum ferè tota ciuitas obsessa à Gallis, & eorum hospitalitate occupata est. *Baldewinus* singulis de die in diem in Byzantiis auri, in talentis & vasis argenteis dona plurima conferebat; regiones & cuncta sibi aduersantia congressione belli edomabat, Turcos & omnes in circuitu subiugabat, donec fœdus nobiliores & præpotentes terræ 10 cum eo percusserunt.

XVI. Hanc Francorum gentem ab Antiochia & è cunctis locis sic ebullire, & præualere in omni actu & arte, duodecim Principes & indigenæ ciuitatis Rohas vel Edessæ intuentes, eorumque consilia suis præponi, & cum eis de omni re & negotio terræ Baldewinum agere; eosque & eorum decreta plus solito negligere, vehementi indignatione aduersus eum suosq; exarserunt. Et omnino ab his exterminari metuentes, nimium pœnituit eos, quòd Baldewinum ducẽ ac dominum ciuitati præfecissent. Vnde facta clàm conspiratione, & missa Turcis legatione, traditionem aduersus Baldewinum machinabantur, qualiter cum suis aut occidi, aut ab vrbe posset depelli. Quod dum inter se frequenti & secreto conuentu aptarent, quidam ex eis, *Enxhu* nomine, fidem puram intimo corde & mente 20 erga Baldewinum seruans, fraudis adinuentores & consentaneos sibi ex ordine aperuit; ideoque se suosque & ciuitatis introitus nocte & die ab illorum traditione necesse esse tueri, ne improuisos & incautos Turcorum vires & insidiæ reperire possent. Baldewinus talem tantamque perfidiam eos machinari nunc veraci relatione, nunc tristis vultus illorum immutatione expertus, missa familiari & deuota sibi manu Gallorum, vniuersos iussit teneri, & carceris custodiæ mancipari; omnẽ verò substantiam & pecuniam illorum inauditam suo inferri palatio, quam non parcè suis sequacibus pro militari obsequio expendit.

XVII. Deinde pluribus diebus euolutis, & multum illis pro vita & membrorũ salute precantibus, plurimumq; se excusantibus, dona verò non modica per exoratores pro sua redemtione offe- 30 rentibus, Baldewinus suorum semper cõsilio ad altiora tendebat, sciens ex ore delatorum, quòd per vicina castella & munitiones thesauros ampliores, quodq; preciosius habebant, à facie Christiani exercitus absconderant. Postremò ex nimia datione & solidorũ conuentione, & magnitudine donorũ, quæ non solùm Gallorũ primatibus, sed & inferiori manui contulerat, Baldewinus exhaustus, munera pro redemtione captiuorũ suscipienda concessit. Duorum tantùm munera recusauit, quos nimium culpatos & reos traditionis iussit excæcari. Plures verò vulgi consocios sceleris, amputatis naribus, manibus aut pedibus, condemnatos vrbe iussit expelli. Non minus à singulis redemtis quàm viginti millia Byzantiorum aut triginta aut sexaginta, in ærarium ducis Baldewini illata sunt, præter mulos & equos, vasa 40 argentea plurimaque ornamenta preciosa. Ab illo die & deinceps dux Baldewinus in ciuitate *Rohas* factus est metuendus; & nomen eius vsque ad extremum terræ diuulgatum est, virtute præclarus existens.

XVIII. Socer autem Baldewini, *Taphnuz* nomine, videns quia sic de viris perfidiæ vltionem sumsit, eosq; damnis rerum & tormentis membrorum afflixit, occasione assumta in munitiones suas in montana perterritus fugit; nec vltrà reuocari potuit, metuens ne pro pecunia, quam adhuc debebat, capitalem subiret sententiam. *Balas* quoque de Sororgia ciuitate, spe recuperãdæ ciuitatis, frustratus de manu Baldewini vel quicquã accipiendi propter affluentiam Gallorum, & quia cor illius omnino ad eos intendebat dolos, in secreto cordis sui aptare cœpit, qualiter Baldewinum ad interitum callido consilio 50 perduceret. Tandẽ via reperta iniquæ fraudis, qua eum decipere aut perdere posset, die quadam, ac si in puritate fidei, eum circumueniens sic locutus est: *Scio, quia vir magna potentia es & industria, & non parcè eos remuneras, qui tibi in obsequio militari volũtarii habentur. Vnde deuoui tacitè mecum, vt non solùm me, filiosq; & vxorẽ meam in manu tua commendem, sed & præsidium meum Amacha, quo terram plurimam subiugare potes, tibi tradã die, quam melius aptam ad id suscipiendum elegeris.* Baldewinus verò tam benignè, & sibi fideliter loquenti, gauisus de susceptione præsidii, apprimè credidit; & diẽ statuit, qua secundum verbum Balas sibi traditio præsidii sine aliquo fieret impedimento.

XIX. Iam die appropinquante, *Balas* doli sui non immemor, Turcos centum, armis & loricis

& loricis munitos, castro *Amacha* induxit; & per mansiunculas præsidii hac & illac insidias inclusit, vt sic Baldewinũ cum suis ingredientẽ viuũ cõprehenderẽt, suęq; ditioni submitterent. *Baldewinus* fraudis huius nescius, sumtis ducentis militibus strenuis ad omne belli opus, vsq; ad præsidiũ Amacha profectus est, & Balam, iuxta quod promiserat, paratũ ad reddẽdũ pręsidiũ inuenit. Balam verò multũ rogantẽ, & in dolo mellito ore adulantem, vt cum aliquibus de societate electis præsidiũ intraret ac susciperet, & in eius custodia fideliores, quos vellet, relinquere ordinaret, ille ferè audiuit & credidit; sociosq; secũ ascensuros & intraturos iam assumere parabat, & qui extrà remanerẽt, disponebat. Sed ecce quidã viri sensati Gallorũ nihil 10 fidei in huius verbis & promissis esse astruentes, Baldewinũ seorsim ducũt, & vehemẽter arguunt, quòd verbis huius Turci Gentilis tã subitò crediderit, & sine obside fiducialiter eius pręsidiũ cum modica manu intrare concesserit. XX. Tandẽ de hoc diu dubitantibus, plurimũq; consilii habentibus, & Baldewinũ ab ingressu pręsidii ex toto auertẽtibus, decretũ est vtrinq;, vt Baldewinus cũ sociis in valle præstolaretur, & duodecim ex sociis, in quibus cõfideret, ad arcẽ suscipiendã præmitteret, qui eam suæ ditioni, clauibus serisq; sumtis, potenter subiicerent. Nec mora, viri duodecim ad arcẽ suscipiendã electi, armis & loricis induti, præsidiũ & turrim *Amacha* intrauerunt. Qui mox vt mediis insidiis astiterunt, centũ Turci ex mansiunculis in impetu exilientes, viros armis & sagittis circumdederunt, & parũ aduersus tantos 20 in defensione valentes, cõprehenderũt. Duo solummodo ex duodecim se virili & multa repugnatione à manibus hostiũ extorquentes, subitò in solium, quod fenestratum in vallem respiciebat, euaserunt, gladiis eductis se ab insequentibus hostibus validè adeò defendentes, dum caput à fenestris exerentes, Baldewinũ ad radicem montis cum suis stantẽ admonuerunt, vt se à dolis obseruaret; asserentes decẽ in fide falsa captos, & se in periculo mortis euidenter constitutos. XXI. *Baldewinus* intelligens ex illorũ anxia vociferatione rem vniuersam in aduersitate positam, & dolos Balas manifestos, magnis doloribus de captiuitate suorũ torquetur. Sed quid ageret, aut quid insisteret ad liberandos viros, nullo consilio inuenire potuit. Erat enim præsidiũ situm in excelso rupiũ, humanis ingeniis aut viribus insuperabile. 30 Tandem Baldewinus de infortunio tam egregiorum virorum condolens, Balam multum de iniqua fraude redarguit, de iureiurando admonet, & quatenus captos suos restituat, pondus auri & Byzantiorum pro eorum redemtione recipiat. Sed is omnia refutat, & solam Sororgiam ciuitatem requirit. Baldewinus nequaquam ciuitatem sibi reddere in DEO iurat, etiamsi membratim in conspectu eius omnes, quos ceperat, detruncaret. Sic nequaquam Balas Baldewini preces & admonitiones audiente, nec eius munera curante, præter Sororgiam, Baldewinus mœstus, & grauiter conquerens de captiuis suis, Rohas reuersus est. Ab eo die Turcos eorumque consilium & auxilium ac frequentationes vehementi odio habere cœpit. XXII. Post hæc non multi prætiere dies, cùm *Balduc* de Samusart, qui vxo- 40 rem & filios Baldewino obsides daturus erat, sed plurimis diebus in dolo distulerat, palatium Baldewini in adulatione ingressus, iussu eius à Gallis tentus, ac capite truncatus est. Baldewinus in ciuitate Sororgiæ *Folkerum* Carnutensem cum centum probis & bello assuetis militibus constituit, vt semper Amacha vexarent assultu, & Balæ in vltionem captiuorum suorum fratrum dignam vicem rependere conarentur. Die ergo quadam Folkerus cum suis egressus est ad capiendas prædas in *Amacha* terra. Qui præmissis aliquibus sociis, Turcos ab arce vsque ad locum, vbi Folkeri erant insidiæ, pertraxerunt. Tum commisso prælio, sex ex Turcis & militibus Balas capti & abducti sunt. His captis & abductis, Balas sex de sociis Baldewini in redemtione suorum restituit; sex vsque ad diem illius in Ierusalem in sua retinuit custodia. Post hæc quatuor euaserunt ob negligentiam & pręlongo tædio 50 custodum. Balas verò *Gerhardum*, priuatum & secretarium Baldewini, vnà cum *Pisello*, filio sororis Vbelhardi, pręclari militis & nobilissimi de Wizã, decollari iussit. XXIII. *Godefrido* ob cladem diffusam tam graui mortalitate per Antiochiã, in Rauenel & Turbaysel moram faciente, eodem tempore pestifero mille & quingenti viri de gente Teutonicorum ex *Regnesburg*, ciuitate fluuii Danubii, & ex aliis ciuitatibus Rheni fluminis, conspirati & electi, ad vrbem Antiochiam nauigio maris aduecti, ad portum S. Simeonis descenderunt, vt Christianorum turmis in Ierusalem ituris solatio & auxilio augerẽtur. Sed sic illa cohors recenter victoriosis Peregrinis in Augusto mense admixta eadẽ mortalitatis clade consumta & deuasta-

XXIV. ta est, vt de mille & quingentis nec vnus quidem supereſſe vſpiā videretur. Eodem tempore post victoriam Christianorum, *Sanſadonias*, filius Darsiani, regis Antiochiæ, matrem ſuam cum duobus filiis redemit precio trium millium Byzantiorum de manu *Willehelmi*, viri nobiliſſimi, commilitonis & compatriotæ comitis Reymundi de Prouincia, quos idem Willehelmus in prima inuaſione & ingreſſione Antiochiæ ſopore grauatos primo diluculo captiuauit. Eodem tempore de terra Boloniæ *Winemarus*, Laodiceæ captus à Turcopolis regis Græcorum, rogatu Ducis Godefridi poſt longa vincula, & diutinas carceris moras, abſolutus, ſed graui pœna afflictus, Antiochiam reuerſus eſt. Puer autem *Mahumet*, filius Principis de Haſart, obſes Godefrido datus, ſub diligenti cuſtodia tam ſeruorum ſuorum duodecim, quàm ſub ſolerti cura clientelæ Godefridi, Antiochiæ remanſit, cui nihil neceſſariorum de domo Ducis vllis horis deficiebat. Iam enim quàm plures, Ducem & cæteros potentes per loca ab Antiochia ob imminentem cladem migraſſe videntes, alii ex loci infirmitate, alii ex menſe peſtifero Auguſto hanc mortalitatem aſſerentes, menſe Septembri inchoante ad portum præfati Simeonis cauſa morandi profecti ſunt. Vbi nautæ poſt Turcorum ſtragem & fugam Corbahan, nauigium iterabant, vitæ neceſſaria afferentes, & indigentibus omnia ſufficienter vendentes.

XXV. Mediato deinde menſe in ſilentio cuiuſdam noctis, quando omnia ſomni requie ſolent refoueri, cunctis qui aderant in cuſtodia vigiliarum, viſio mirifica in cœli culmine oſtenſa eſt, quaſi ex omni cœlo ſtellæ in vnum collectæ, ſtrictimque denſatæ, in ſpacio latitudinis vnius atrii, tria iugera continentis, igneo fulgore, ſicut prunæ in camino ardentes, & in globo contractæ, ſcintillabant, & poſt hanc diutinam & terribilem flagrantiam rareſcentes, in modum coron cinxerunt polum ſub ſpacio ciuitatis munitæ; diuque ſic in gyro perſiſtentes indiuiſæ, aditum ad vltimum & viam in vno latere ſui circuli ſciſſæ exhibuerunt. Huius ſigni oſtenſione vigiles Chriſtianorum exterriti, tumultuoſa vociferatione vniuerſos ſopore depreſſos ſuſcitant ad videndum portenti huius indicium. Vniuerſi ſunt mirati, & quid portendat, diuerſas protulere ſententias. Alii ciuitatem Ieruſalem, Turcorum Gentilium turmis denſatam, portendere aſſerebant; & eam à ſuis viribus & denſitate ſic rareſcere & attenuari, vt aditum tandem Chriſtianis exhibere filiis videretur. Alii Chriſtianum exercitum, adhuc in virtute ſua conglobatum, diuinæque deuotionis ardore flagrantem, aſſerebant; & tandem diuiſum per terram & ciuitates, à gentibus iniuſtè poſſeſſas, in circuitu Ieruſalem & Antiochiæ potenter præualere & dominari. Quidam verò dicebant, ſignificare hanc præſentem mortalitatem & populum copioſum Peregrinorum, qui in vnum vt nubes denſata attenuaretur minueretur que. Et ſic in diuerſas contendebant ſententias. Sed DEO volente, vt aiunt, in melius mutata eſt ſententia viſionis. Nam cum duce Godefrido cunctiſque Chriſtianis conſociis de vniuerſis locis accitus & regreſſus Antiochiam in menſe Octobri, caloribus Auguſti temperatis, Comes Reymundus, Robertus Flandrenſis, Robertus Nortmanorum Princeps, Boemundus, cæterique Principes, qui adhuc in ipſa Antiochia conglobati morabantur, vnius voluntatis compotes effecti, per terras & ciuitates, in circuitu Antiochiæ ſitas, diffuſi migrauerunt; & reſiſtentes ac rebelles obſidione angentes, ſuæ ditioni ſubdiderunt.

XXVI. Ad Albariam itaque ciuitatem, diuitiis opulentiſſimam, cum cuneis armatis primùm aſcenderunt: quam non multo labore expugnatam apprehendētes, Turcos & Sarracenos in ea repertos in ore gladii percuſſerūt. Deinde verò ſuccedente victoria, comes *Reymundus*, *Robertus* Nortmanorum Princeps, *Euſtachius* frater Godefridi ducis, *Robertus* Flandrenſis, *Boemundus* Princeps Antiochiæ factus, *Godefridus* dux, ad Marram ciuitatem Turcorū, armis & robore fœtā, declinauerūt. Sed tantùm quindecim diebus Godefridus, Boemundus, Robertus Flandrenſis illic morā in obſidione fecerūt. Deinde hi tres Antiochiā reuerſi ſunt, Comitē verò Reymundū, & Robertū Nortmanorū principē, Euſtachiū & Tankradum circa vrbem Marrā cum ſuis millibus reliquerunt. Poſt aliquot deinde dies *Godefridus* dux, aſſumtis quadraginta ſociis, in armis & equo valentibus, verſus Rohas ciuitatem, quæ itinere dierum ſeptem ab Antiochia eſt remota, profectus eſt. Vbi frater eius *Baldewinus*, qui eandem ciuitatem cum omnibus appendiciis ſuis detinebat, mediato itinere trans Euphratem, fluuium magnū, occurrit ei ad agendū ad inuicem colloquium. Boemundus ergo, cuius cor quàm maxima inuidia & indignatio animi aduerſus Comitem Reymundum mordebat, vi-

bat, videns opportunitatem Godefridi discessione & Reymundi absentia, signo cornicinum sociis suis admonitis & conglobatis, turrim, quæ ponti Ferne imminebat, in virtute magna assiliit, comitisque Reymundi milites, qui in ea remanserant, bello & sagittariis grauatos, ab arce & vrbe eiecit; sicque solus dominium Antiochiæ obtinuit. Post hæc *Godefridus* dux cum fratre habito colloquio, & eidem valedicto, Antiochiam, ad confratres & Principes rediturus cum quadraginta prædictis sociis, iter festinus mouit, Turbaysel, Rauenel aliisque locis pacificè & prosperè hospitio susceptus. Deinde via maturata in regione veniens, quæ *Episcopatus* nominatur, quadam die iuxta fontem quendam in loco prati herbosi ad prandium cum sociis discubuit, vtres vino repletos deposuit, & cætera, quæ vitæ necessaria secū in mulis & equis detulerant. Illic verò dum securè pranderet cum sociis, à pueris, quos ad speculandum Turcorum insidias miserat, intellexit, centum Turcos in carecto & palustri loco grandis piscosique lacus secus montana ab Antiochia vrbe quinque milliaribus distante, latere, qui eiusdem Ducis reditum illic occultati operiebantur. Mox illorum insidiis patefactis, Dux dilato prandio, cum adhærentibus sibi subitò equos ascendit, qui arma arripientes, & loricas induentes, viam contendunt in hostem. Turci haud segnius aduersus hos frena vertentes, sagittis & arcu fortiter commisere prælium. Sed duci suisque numero paucis pro vita pugnantibus sors victoriæ collata est. Tandem Dux & sui præualentes, Turcos fugaces lanceis transfodiunt; aliosque decollantes, capita eorum in sellis suis dependentia secum vsque ad ciuitatem Antiochiæ portauerunt cum spoliis & equis illorum. Vbi idem dux Boemundum, totius ... bis principem factum, inueniens, omnia sibi cæterisque principibus ac fratribus retulit, & quomodo in manu paucorum tot Turci victi & attriti sunt. Reuerso autem duce *Godefrido* hac victoria, post aliquod spacium temporis murmurauerūt vnanimiter Christianorum populi: quomodo in hac vrbe Antiochia sola mora eorum haberetur, & quòd nullo modo Ierusalem viam insisterent, cuius desiderio natales horas relinquentes tot aduersa pertulerint. Et facta est dissensio magna in populo: ac subtraxerūt se multi de populo ducis Godefridi, Roberti Flandrensis & Boemundi, qui in responsis & verbis eorum nullam habuere fiduciam ante multum tempus eundi in Ierusalem. Tandem prædicti Principes cognoscentes, quomodo iam populus tædio affectus paulatim dilaberetur, ne vltrà aliquis nauigio pararet reditum, interdixerunt, vndique in portis maris custodiam ponentes. Conuentum verò & colloquium super hac populi querela quarta Non. Februarii decreuerunt habere. Collatis itaque in vnum, & colloquio habito ibidem intra Antiochiam, decretum est ab omnibus, magnis & paruis, vt in Kal. Martii *Laodiceam*, quæ Christianæ erat potestatis, pariter conuenirent; & illic collecto circumquaque robore, nil periculi vitæ posthac considerantes, minimè vltrà differrent viā insistere in Ierusalem. Interea comes *Reymundus* longa obsidione quinque hebdomadarum circa *Marram* ciuitatem vexabatur, vniuersique in comitatu suo ibidem commorantes. Qui circa vrbem diu sedentes, & à Turcis vehementer repressi, magnæ famis angustias pertulerūt. Nec mirum: quia præ longa obsidione Antiochiæ, & nunc harum ciuitatum, plurimæ in circuitu regiones exhaustæ erāt cibariis, & plurima pars habitatorum cum rebus & armentis suis per montana fugam fecerant. Erant enim decem millia exercitus comitis Reymundi & suorum comprimorum. Mirabile dictu, & auribus horrendū. Tanta ipsa famis angustia has vrbes inualuit, quod nefas est dicere, nedū facere. Nam Christiani nō solùm Turcos vel Sarracenos occisos, verùm etiam canes arreptos & igni coctos comedere non abhorruerunt præ inopia, quam audistis. Sed quid mirum? *Non est acutior gladius, quàm à longo contracta fames.* Comes ergo *Reymundus* videns afflictionem, & populi dolorē fame deficientis, assumto robore equitū in montana profectus, interdū copias infinitas prædarū & cibariorum attulit, quibus Dei populus sæpè refocillatus est. Ibidem per deserta & montana Libani plurimi Christiani, qui victū quærebant, præfata necessitate compulsi, à Turcis trucidati reperti sunt. A *Damasco* deniq; quæ præcipua virtus erat Turcorum, sæpe procedebant insidiæ; dispersisq; ac circumuagis de exercitu & obsidione occursabant, alios trucidantes, alios sagittis mortiferis transfigentes. Sed comes Reymundus intelligens mala, quæ suis circà sedentibus ab insidiis Turcorum inferebantur, molestè accepit, & hoc malum omnibus modis finire meditabatur. Vnde *Talariam*, castellum in mon-

tanis situm, aggreditur: quo in manu virorum fortium expugnato, & attrito cum Turcis in eo repertis, materiam lignorum de eodem castro attulit, ex quibus machinam composuit ad superandam vrbem prædictam *Marram*, quæ muris & mœnibus munitissima erat. Facta autem machina, & ingeniis ordinatis, vrbs post non multum tempus à comite Reymūdo & cæteris Principibus, Roberto, Tankrado & Eustachio superata & capta, deiicitur; ac Christiani milites scutati & loricati in virtute magna media vrbe assistentes, Turcos acriter repugnantes, seque defensantes, gladio percusserunt, alios verò ad arcem fugientes insecuti, combusserunt; & pacificè per tres hebdomadas in ea remanserunt, paucos illic cibos præter olei abundantiam reperientes. *Engelradus*, filius Hugonis comitis, iuuenis miræ audaciæ, in hac vrbe ægritudine detentus, vita discessit, & in basilica *B. Andrea* Apostoli corpus eius humatum est. 10

XXXI. Prædicta autem Marra ciuitate victa & attrita, ad vallem quandam, quam nominârunt *Gaudium*, prædictorum Principum descendit exercitus. Vbi reperta abundantia rerum necessariarum, per octo dies corpora fessa & fame attenuata recreauerunt, duo præsidia in montanis expugnantes, in quibus Turci & Sarraceni habitabant. Deinde ciuitate *Tortosa* expugnata, & non multo labore capta, & in manu comitis Reymundi eiusque custodiæ mancipata, in vallem, quæ dicitur *Camelorum*, iter suum continuantes applicuerunt. Vbi prædam & escas plurimas contrahentes, præsidium quoddam, ingeniis & humanis viribus insuperabile, nomine *Archas*, profecti sunt. Illic tentoria sua figentes, moram sibi per aliquod tempus fieri statuerunt, donec eadem arx, expugnatis eius defensoribus, caperetur. Ibi tandem machinas fecerunt & instrumenta mangenarum, moles lapidum in impetu iactantium per turres & antiqua muralia, quibus inclusos milites eiusdem præsidii absterrerent & effugarent. Sed eos defensores indefessos repererunt & inuictissimos. De intus enim simili iactu mangenarum & impetu lapidum resistebant; damnumque Christianæ gentis tam sagittis quàm lapidibus faciebant. *Anselmum* de Riburgis monte, virum nobilissimū & bellicosum, multam vim defensoribus arcis inferentem, impetu saxi ab eadem arce volantis fracto cerebro percusserunt. Dolentes & turbati Principes de interitu fratris & commilitonis viri clarissimi, atque reluctatione inclusorum Sarracenorum, disposuerunt montes sub fundamento murorum castri arte sua cauare; vt sic fundamento cum mœnibus & muris corruente, Gentiles, qui in his vel arce consisterent, simul obruti lapidum tectorumque ruina perirent. Sed frustra hic labor consumitur. Nam qui de intus erant, è contra fodientes, instrumenta Christianorum suis ingeniis retinebant, & opus eorum ad effectum peruenire non sinebant. 20 30

XXXII. Illic in eadem obsidione facta est contentio & quæstio de Lancea Dominica: vtrum ea fuerit, qua latus Domini apertum est, an non. Nam plures dubitabant, & schisma erat in eis. Quare auctor & proditor eiusdem inuentionis per ignem transiens, vt aiunt, illæsus abiuit, quem ipse *Reymundus* comes de Prouincia & *Reymundus* Pelleiz à manibus & pressura inuidorum abduxerunt, Lanceam verò cum omni comitatu suo ab ea die venerati sunt. Post hæc à quibusdam relatum est, eundem Clericum hac examinis exustione adeò fuisse aggrauatum, vt in breui mortuus & sepultus fuerit. Vnde minus in veneratione à fidelibus Lancea cœpit haberi, credentibus magis auaritiâ & industriâ Reymūdi, quàm aliqua Deitatis veritate omnia fieri. Dum hæ obsidiones circa Marram, Tortosam & Archas fierent, puer *Mahumet*, qui à Principe de Hasart, patre suo, Antiochiam obses missus fuerat, fidei & custodiæ Ducis Godefridi commendatus, ægritudine correptus, obiit. Quem iuxta morē Gentiliū precioso ostro inuolutū patri remisit, excusans se sub omni fidei puritate, quòd ex causa suæ negligentiæ minimè puer obiisset, obtestans etiam se non minus eius mortē, quàm fratris sui Baldewini, molestè ferre. Qui Ducis excusatione benignè accepta, & ex vero comperta ab his, quos de domo sua custodes pueri misit, nequaquam immutatus est à fide, quam promisit, sed immobilis in omni fœdere & pace cum ipso Duce & fratre eius Baldewino permansit. 40 50

XXXIII. Interea Kalend. Martii suis in ordine relatis, *Godefridus* dux, *Robertus* Flādrensis, *Boemundus* & vniuersi Principes adhuc Antiochię cōmorātes, sicut decreuerāt, collecto Laodiceę exercitu suorū, ad viginti millia equitū & peditū, ad ciuitatē *Gybel*, in littore maris sitā, diuitiis locupletē, castra applicuerūt, in circuitu obsidionē ponētes, vt Sarracenos, cunctosq; Gentiles, in ea ad defensionē cōstitutos, expugnare valerent & exterminare. *Boemundus* verò Laodicea regressus, Antiochiam

chiam cum suis repedauit, semper solicitus & suspicans ne vrbem ipsam, humanis viribus insuperabilem, aliqua fraude vel odio amitteret. Nec mora, audita Albariæ & Marræ destructione, & inhabitantium Turcorum occisione, & nunc Archas longa obsidione, eiusq; expugnatione, *Sarraceni* milites inito consilio cũ ciuibus, infinitam pecuniam duci Godefrido & Roberto Flandrensi obtulerunt, quatenus vrbs *Gybel* à facie eorum cum ciuibus suis, vineis & omnibus frugibus, intacta permaneret, & aliò eorum migraret exercitus: quod à prædictis Principibus omnino refutatum est, nisi eorum potestati ciuitas cum clauibus redderetur. Intelligentes ergo ciues & vrbis magistratus, quòd non pecunia, non aliquibus pre-
10 ciosis muneribus corrumpi possent præfati Principes, vt castra amouerent, nuncios clam ad Archas comiti Reymundo, factis & potentia inter primores Gentilium diffamato, miserunt, vt pecuniã à duce cæterisq; refutatam acciperet, quatenus ab obsidione Christianos Principes prece aut aliqua arte recedere suaderet. Comes idem super auro & argento insatiatus, dolos & ingenia versat, qualiter eosdem præpotentes ab obsidione Gybel remoueret, atque pro pecunia accipienda ciues & eorum vineas ac fruges liberaret: nam precibus eos ab incepto auertere, prorsus diffidebat. Vnde hanc finxit occasionem: videlicet, quòd Turci quorum copia multa erat in Damasco, consilium iniissent cum Sarracenis, Arabibus, cunctisque gentibus in proximo aduersus se apud Archas bellum constituere: &
20 iam vniuersos in apparatu magno & copioso in terminos illius conuenisse. Hac itaq; adinuentione aptata, direxit nuncios ad præfatos Principes, in circuitu Gybel iam per hebdomadam residentes, quatenus sibi festinatò ad auxilium Archas properarent, alioqui se & confratres, qui secum erant, à facie Gentilium non posse mortis euadere periculum, eosque dehinc simile posse sperare martyrium. Legatis verò comitis Reymundi auditis, & periculo ac formidine, quæ ex multitudine Gentilium superuenire dicebatur, vnanimiter Dux cæterique comprimores consultum vadunt, omniumque cor & lingua in hanc erigitur sententiam: *Magnus Christianorum exercitus, cùm adhuc integer esset simul & indiuisus Antiochiæ, vix ab innumeris Gentilium nationibus & armis est defensatus: nunc autem partim Antiochiæ est reli-*
30 *ctus, partim in hac obsidione Gybel, partim ad Archas est diuisus, partim ad expugnanda hostiũ præsidia & vrbes migrauit: sic vires nostrorum imminutæ, nequaquam stare poterunt nunc aduersus tot millia Gentilium, vt nobis ex relatione comitis Reymundi innotuit: sed si casu aduersante nostrorum virtus apud Archas attrita fuerit, idem sperare procul dubio nos, certum est. Vnde Gybel, quam subitò percutere & vincere nequimus, necesse est vt hoc tempore intactam relinquamus; & ad opem nostrorum Archas castra & exercitum applicemus, atque Gentibus vnà cum sociis nostris in bello occurramus. Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* Hoc omnibus consiliũ bonum & vtile perspicientibus ac proferentibus, amota sunt castra ab obsidione Gybel. Dux verò *Godefridus, Robertusq;* Flandrensis cũ cęteris omnibus viam insistunt in armis omniq; apparatu bellorum; & spacio dierum circiter trium Archas conue-
40 nerũt ad augẽdas vires & opem Christianorũ consodalium. Verum à Tankrado & cõpluribus aliis nullas copias vel minas Gentiliũ adesse didicerunt; sed comitem Reymundum non alia de causa hanc collectionẽ aduersariorum fictè asseruisse, & ipsos nunc ad auxilium inuitasse, nisi vt pecunias acciperet, quas in liberationẽ suã policiti sunt habitatores Gybel, vt Christianos cautela sua ab obsidione murorũ auerteret. Hoc itaq; dolo & falsa legatione se à Comite frustratos prædicti Principes intelligentes, molestè ac grauiter acceperunt. Quare à societate & communione illius se subtrahentes, spacio duorũ milliariũ ab eo sequestrati, tentoria sua fixerunt; nullo modo in assultu Archas illi ferentes auxilium, aut aliquod colloquium amoris secum habentes. Erant enim illic apud *Archas* graues exortæ inimici-
50 tiæ inter comitẽ *Reymundũ* & *Tankradũ* propter conuentionẽ solidorum & Byzantiorũ, quæ sibi idẽ comes pro militari debebat obsequio; sed minimè soluebat iuxta labores & militũ copiã, quam idem Tankradus procurabat ac ducebat. Ab ipso deniq; die, quo dux Godefridus se cũ cæteris præpotentibus eò contulit, Tankradus sępius comitẽ de cõuentione sua cõmonuit: sed nihil in spe aliqua sibi respõso, cum Duce remanens, fideliter illi in omni militari subiectione constrictus, Comitẽ prorsus exfestucauit. Abhinc iniurias sibi à Comite illatas vlciscens, insidiis omnibusq; modis sociis & amicis eiusdẽ Comitis nocere nõ parcebat. Comes igitur *Reymundus*, videns quia dux *Godefridus* & *Robertus* Flandrẽsis, cunctiq; qui cum eis erãt, odiũ graue aduersus se haberent, quòd eos falsa legatione seduxerat, auaritia cor-

XXXV.

XXXVI.

ruptus, cœpit animum Ducis lenire blanditiis suis & astutia, quâ doctus erat, & à puerili ęuo imbutus. Sicq; ad extremum *Tankradi* omnem mitigauit iracundiam. Deinde equum magni precii formosique corporis misit Comes Duci, vt sic perfectius animum eius placaret, ac secū his donis reuocaret ad assultum *Archas*: sciens eum virum magnæ patientiæ & amoris: quo placato & reconciliato, cæteros in beneuolentia posse redire ad concordiam. Nouissimè autem Principes hinc inde, præter Tankradum, concordes effecti, pari assultu & obsidione circa præsidium Archas vim inferentes, à die, qua Dux illic descendit, curriculo quatuor hebdomadarum consederunt.

XXXVI. Omnibus tandem in assultu præsidii tædio affectis, & cauatione montis deficientibus, præ labore intolerabili & defensione ab intùs inæstimabili, atque inopia necessariorum vitæ, murmur creuit in populo Ducis & *Roberti* Flandrensis, asserentibus cunctis, se illic vltrà in obsidione non posse persistere; & hoc præsidium, vi & arte insuperabile, vix per anni spacium capi, etiamsi tunc gladio famis queat expugnari. Vnde attentius instabant Duci omnes, parui & magni, quatenus castra ab obsidione amouerent, & viam, sicut decreuerant, Ierusalem insisterent, cuius desiderio, & causa visendi Sepulcrum Domini nostri Iesv Christi, à natalibus horis processerant. E contrà Comes *Reymundus* omnibus modis & promissionibus meditatur, vt adhuc per aliquantum tempus secum moram facerent, donec aliqua vi vel arte arx & Gentiles in ea conclusi caperentur, recensens quomodo *Anselmus* de Riburgis monte illic occisus ceciderit; & quòd plures commilitones sui sint ab iisdem Sarracenis alii morte, alii plagis damnati sæuissimis. Sed nequaquam à desiderio & proposito suo eos aliquo blanditiarum molimine vel promissione valens retinere, se suósque in eodem loco remanere affirmat, quo vsque arx inimica in vltionem suorum attritorum ruina consumeretur.

XXXVII. In hac itaque intentione Comite perseuerante, & multa arte discessionem confratrum auertente, quadam die dux *Godefridus*, *Robertus* Flandrensis, *Tankradus* etiam cum vniuersis sequacibus suis, igne castris suis immisso, profecti sunt ab obsidione Archas, pluribus adiunctis sibi de comitatu Reymundi, qui diutino tædio fatigati, inuiti apud Archas remorabantur, præcipuè ob desideriū semper eundi Ierusalem. Per duos enim menses & dimidium in circuitu præsidii Archas à principio cum ipso Comite consederant. Comes ergo videns, quòd post Ducem omnis tendebat populus, & sua manus defluxerat, paucíq; secum essent in auxilio retenti, nolens volens simul secutus est Ducis vestigia & cæterorum; & in terminos ciuitatis *Tripolis*, vel *Triple*, in littore maris sitæ, cum cæteris suū applicuit comitatum. Vbi procul à ciuitate vniuersi tabernacula sua extenderunt, ne frugibus terræ, & vineis habitatorū vrbis, tantus noceret exercitus. Intercessores enim & legati ab eadem vrbe sæpius *Archas* ad præfatos Principes descenderant, plurima dona afferentes, & ampliora promittentes, si vrbi rebusq; suis parcerent, & non huic facerent, sicut Albariæ & Marræ aliisq; ciuitatibus. Hac de causa procul ab vrbe resedit exercitus & omnis primatus, donec viderent, quo pacto & fœdere vel donorum oblatione placarentur, & inuicem amicitiâ firmaretur. Calamellos ibidem mellitos per camporū planiciem abundanter repertos, quos vocant *Zucra*, suxit populus, illorum salubri succo lætatus; & vix ad saturitatē præ dulcedine expleri hoc gustato valebant. Hoc enim genus herbæ summo labore agricolarum per singulos excolitur annos. Deinde tempore messis maturum mortariolis indigenæ contundunt, succum colatum in vasis suis reponentes, quousque coagulatus indurescat sub specie niuis vel salis albi. Quem rasum cum pane miscentes, aut cū aqua terentes, pro pulmento sumunt, & supra fauum mellis gustantibus dulce ac salubre videtur. Aiunt quidā genus mellis esse quod reperiens *Ionathan* filius Saul regis super faciē terræ, inobœdiens gustare præsumsit. His ergo calamellis melliti saporis populus in obsidione Albariȩ, Marræ & Archas multū horrēda fame vexatus, est refocillatus.

XXXVIII. Præses autem ciuitatis *Triple* gloriosæ atq; diuitiosȩ, intelligens legiones fidelium ante muros & portas ciuitatis multo interuallo consedisse, ad primos exercitus, *Godefridum* ducem, *Robertum* comitem Flandrensem, *Reymundū* comitem, *Robertum* Normanorum Principem, misit, quatenus dona ab eo reciperent, & pacificè terram suam obtineret à facie ipsorum, tum etiam terram Gybiloth & præsidium Archas. Tandem inito consilio, Præses in magna amicitia processit ad tentoria Ducis. Et Principibus satisfaciēs donis & verbis pacificis, ductorē viȩ per montana iuxta littora maris, vbi loca semitarū perplexa & ignota erāt, virū

ætate

ætate ſenem conceſſit, qui eos à littore maris via reflexa per anguſtas fauces montis tam arcta ſemita duxit, vt vix homo poſt hominem, animal poſt animal incederet. Hic mons à montanis procera longitudine vſque in mare porrigitur. In huius ſummitate turris, per portam quandam imminens, trans viam ædificata erat, cuius in habitaculo viri ſex conſiſtere poterant, quorum defenſione omnibus, qui ſub cœlo viuunt, via contradici poterat: ſed à facie exercitus, & præſidis Triple conductu, nemo tunc tranſeuntibus reſiſtebat. His faucibus arctis & difficilimis ſuperatis notitia ductoris & conuiatoris ſui Sarraceni, viam ad littora maris repetentes, ad ciuitatem ***Gybiloth***, pro qua præſes vrbis *Tripolis* interceſſerat, peruenerunt. Qua relicta iuxta promiſſionem ſuam ne ei exercitus noceret, peracto tantùm ab hac milliari, ſuper flumen cuiuſdam dulcis aquæ pernoctauerunt: vbi & ſequenti die remanſerunt, operientes debile vulgus, præ laſſitudine viæ per auia & ſcopuloſa fatigatum. Dehinc tertia die caſtra amouentes, & viam rurſus in littore maris continuantes, in ſemitam cuiuſdam montis miræ & inauditæ anguſtiæ referuntur: quæ repentina imbrium, in præceps ruentium, inundatione & cauatione extitiſſe perhibetur: & per hanc iter eſſe illuc tranſeuntium. Hic itaque mons tam vicinis & creberrimis maris vndis tunditur, vt non à dextris vel ſiniſtris liceat vllo modo declinare, ne fortè in offenſione habeat quiſpiam in profundum maris cadere promtum. Hoc anguſtiarum itinere finito, & rurſus quodam turris præſidio, vt præfatæ turris inexpugnabili, per Alpes tranſito, quod vtrunque vacuum omni defenſione remanſerat, timore à DEO, non ab homine Sarracenis cuſtodibus incuſſo, ad veſperam applicuerunt iuxta vrbem ***Baurim*** vel ***Baruth*** hoſpitati, ſemper comite Sarraceno conuiatore præcedente, ac eos ducente. Incolæ autem Baurim, cognoſcentes aduentum Chriſtianorum, & iam exercitum per campos ciuitatis hoſpitatum, munera acceptabilia cum verbis pacificis miſerunt prædictis Principibus in hunc modum: *Precamur, vt arbores, vites ac ſata noſtra non vaſtantes, pacificè tranſeatis: & ſi propoſitum veſtrum capiendi Ieruſalem proſperante fortuna adimpleueritis, vobis cum omnibus rebus noſtris ſeruituri ſumus.* His precibus & promiſſionibus donisque incolarum Baurim præfati Principes placati, ſurrexerunt cum vniuerſo exercitu Chriſtianorum, & rurſum in littore maris viam inſiſtunt per eaſdem fauces & aſperitates ſcopulorum, qui procellis maris ſemper illiduntur. De quibus egreſſi, in planiciem, quæ vrbem, *Sagitta* nomine, continet, deſcenderunt, vbi ſuper ripam cuiuſdam dulcis fluuii hoſpitio remanſerunt. Illic plurimos aceruos lapidum repererunt, inter quos infinita manus debilis & pauperis vulgi dum feſſa quieſceret & accubaret, à ſerpentibus, quos vocant *Tarenta*, quidam percuſſi, interierunt tumore, & præ intolerabili ſiti inaudita inflatione membris eorum turgentibus. Ibi quoque *Sarraceni* in virtute ſua confidentes, & ab vrbe Sidone euntes, laceſſere præſumebant exercitum, cæſis Peregrinis, in vrbis huius regione victum & neceſſaria quærentibus. Sed ab equitibus Chriſtianis grauiter repreſſi, quidam armis, aliqui ſpem ſalutis ab armis inter vndas æſtimantes, ſubmerſi ſunt, ac ſuffocati fluctibus perierunt. Hanc itaque ciuitatem procul dubio in vltionem ſuorum Chriſtiani obſidione compreſſiſſent: ſed deſiderio eundi Ieruſalem auerſi ſunt. Hac in regione Sidonis dum plures à prædictis & ignitis ſerpentibus periclitarentur, & gemitus planctuſque magnus ſuper pereuntibus haberetur, medicinam hanc ab indigenis edocti ſunt, vt omnis à ſerpentibus percuſſus nobiliorem ac præpotentem exercitus adiret: quia dextera manu illius aculei vulnere tacto ac circumplexo, non vltra venenum per membra diffuſum nocere videri. Similiter & aliam edocti ſunt medicinam, vt vir percuſſus ſine mora coiret cum muliere, cum viro mulier: & ſic ab omni tumore veneni liberari vtrunque. Didicit etiam populus Chriſtianus ab incolis, quatenus lapides ad inuicem aſſiduis ictibus manu quaterent, vel in clypeis crebra percuſſione ſonitum facerent: & ſic à ſerpentibus, hoc ſonitu & ſtrepitu exterritis, ſecurè ſocii dormire valerent. Altera deinde luceſcente die, quidam confrater Chriſtianorum, vir & miles nobili editus parentela, *Walterus* nomine, de Verna caſtello, aſſumtis quibuſdam complicibus ſuis de comitatu, in montana profectus eſt. Vbi ingentes prædarum contraxit copias, quas armigeris & aliquibus ex ſociis commiſſas miſit ad exercitum, ipſe verò ampliores explorare vndique in loco montibus ſepto concupiuit, per arctum & difficilem aditum ad nimia armenta & res Sarracenorum ingreſſus: vbi ab eis circumuentus, latet in hodiernum diem,

XLI. quo fine perierit. Principes autem prædicti, & omnis comitatus eorum, ignorantes cur miles egregius vltra terminum faceret moras, adhuc tertia die in regione vrbis *Sidonis* remanserunt, si fortè miles honorificus redierit à montanis, vel aliquid de eius aduentu intelligerent: Sed minimè eo in prima nec in altera luce reperto, à statione vrbis migrauerunt. Ab hinc ergo camporum planiciem habentes vsque *Tyrum*, quam nunc *Sur* vocant, cum præductore suo descenderũt, castris illic per agrorum planiciem ad hospitandum collocatis. Manat enim illic fons, murato & arcuato opere sic exaltatus, vt impetu & abundantia aquarum riuum in origine sua tantum procreet, vt omnis exercitus illum exhaurire nequiret. Sequenti verò die Sur relicta, ad ciuitatem, *Ptolemaidem* nomine, quam nunc moderni *Accaron* vocant, eo quòd sit vrbs Dei Accaron, ventum est. Quam ad dextram in littore maris relinquentes, super flumen dulcis saporis, quod ibidem mari influit, biduo pernoctauerunt. Illic duæ diuiduntur viæ, vna quæ ducit per Damascum & fluuium Iordanis à sinistris in Ierusalem, altera quæ à dextris iuxta littus prædicti maris continuatur in Ierusalem. Vnde quia inter quinquaginta millia virorum vix viginti millia in bello valentium reperiri poterant, consilium inierunt, vt per Damascum nequaquam transirent: propter copiam Turcorum, qui Damascum inhabitabant; & propter apertam illic camporum planiciem, vbi eis in omni latere spaciosum videbatur ab hostibus incursari. Quare inter mare & montana in littore viam insistentes, vbi fiducialiter transire poterant, protecti mari à dextris, & à montium altitudine incommeabili, ciuitatem *Cayphas*, dictam à Caypha, quondam Principe sacerdotum, prætereierunt; eademque die in terminis *Cæsarea*, quam quondam vrbem, *turrim Stratonis* dictam, Herodes postea in honorem Cæsaris reædificatam, Cæsaream appellauit, castra metati hospitio remanserunt. Ibidem ad radicem montis fons manat, qui ibidem vrbi influit per camporum apertam planiciem, vbi Dux *Godefridus* & *Robertus* Flandrensis, positis tentoriis, hospitati sunt. Comes verò *Reymundus*, *Robertus* Nortmanorum Princeps, post illos interposita eiusdem fluminis amplissima palude, procul abhinc in eodem flumine castra posuerunt. Per quatuor quippe dies ibidem commorantes, Sabbatum sanctum Pentecostes, ipsumque diem aduentus Spiritus sancti deuotissimè celebrauerunt.

XLII. Has itaque vrbes præfatas prætereuntes intactas, secunda, tertia & quarta feria in terminis & spaciosa planicie prænominata *Cæsarea Cornelii* in regione Palæstinorum iter suum continuantes, quinta feria ad fluuium ciuitatis *Rama* vel *Rames* castra applicuerunt, & in crepidine aluei eiusdem fluuii tentoria ponentes, pernoctare decreuerunt. *Robertus* verò Flandrensis & *Gastus*, militaris homo de Bordeiz, assumtis quingentis loricis tironibus, à societate præmissi, ad portas & explorandos muros præcesserunt. Quas apertas & reseratas subierunt, neminem in vrbe reperientes: quòd audita tribulatione & infortunio Gentilium in circuitu & captione *Antiochiæ*, vniuersi ciues per montana & deserta loca fugientes à facie Christianorum, cum pueris, vxoribus, armentis & gazis suis se absconderunt. Sic ciuitatem *Rames* ciuibus & armis vacuam inuenientes, festinatò nuncium miserunt ad populum Catholicum, qui castra metatus erat in ripa fluminis, vt vniuersos accerseret ad intrandam & possidendam vrbem, artusque recreandos, quos magnis & longis afflixerant laboribus. Quod Peregrini audientes, ad vrbem sine mora profecti sunt; & in ea per tres dies requiem sibi fecerunt, vino & oleo plurimoque reperto frumento refocillati. Episcopum etiam illic quendam *Robertum* constituerunt, Christianos incolas in ea relinquentes, qui terras colerent & iusticias facerent, agrorum vinearumque fructus redderent.

XLIII. Quarta verò dehinc exorta luce, pariter Peregrini procedentes, viam insistunt, relicta ciuitate Rames, qui vsque ad locum, quo hæc montana incipiunt, quæ vrbem Ierusalem in medio sitam vndique circumstant, proficisci statuerunt. Sed in loco illo penuria aquæ nimia reperta est. Vnde ad castellum *Emmaus* trans tria milliaria, cisternis & irriguis fontibus compertis ex relatione conuiatoris & ductoris sui Sarraceni, plurima manus armigerorum transmissa est, qui non solùm aquarum copiam, verùm etiam pabula equorum attulere plurima. Ibidem *eclipsis Luna*, quæ decimaquinta erat, in ipsa nocte facta est, ita vt ex toto à claritate sua deficeret; & in sanguineum colorem tota vsque in medium noctis commutata, omnibus id perspicientibus timorem non modicum afferret; nisi à quibusdam, quibus patebat astrorum notitia, hoc solamen redderetur. Dicebant enim hoc portentum

non

nõ malum omen Christianis esse affuturum, sed Lunæ defectionem, sanguineamque eius obscuritatem, interitum Sarracenorum procul dubio ostendere. Solis verò eclipsin noxium esse Christianorũ portentum affirmabãt. Hospitatis denique Christianis in eodem loco iuxta montana *Ierusalem* cum vniuerso exercitu, iam die aduesperascente, legatio Catholicorũ incolarum vrbis *Bethlehem* Duci *Godefrido* innotuit, & præcipuè illorum, quos *Sarraceni* suspectos traditionis in aduentu Christianorum ab Ierusalem eiecerant, minas mortis adhuc inferentes: quatenus in nomine Domini IESV CHRISTI sine aliqua retardatione eis ad subueniendum, viam maturarent. Gentiles enim ex omni plaga regni Babyloniæ, audito aduentu Christianorum, confluebant in Ierusalem, ad defensionem vrbis & occisionem eorum. Dux verò audita legatione cum precibus, compertoque Christianorum periculo, in eadem nocte centum circiter equites loricatos, de castris & comitatu suo electos, præmisit ad subueniendum desolatis & congregatis CHRISTI fidelibus in Bethlehem. Qui iuxta imperium Christiani ducis equis insidentes, cum festinatione sex milliaribus per totam noctem superatis, in primo diei ortu in Bethlehem peruenerunt. Ciues verò Christiani cognito eorum aduentu, cum hymnis & laudibus & aspersione sanctificati fontis obuiam procedentes, lætanter eosdem equites Christianorum susceperunt, oculos & manus eorum deosculantes, & hæc ad illos referentes: *DEO gratias, quia temporibus nostris nunc ea videmus, quæ nobis semper erant in desiderio: videlicet vos Christianos confratres ad excussionem iugi seruitutis nostræ adesse: & ad loca sancta Ierusalem instauranda, & ad auferendos Gentilium ritus eorumque immundicias à loco sancto.* Vix à castris præmissi equites processerant, & ecce fama ad aures primorum vniuersique exercitus est perlata, legationem duci à Bethlehem esse allatam. Qua de causa vix medium noctis processit, & continuò omnes pusilli & magni castra sustulerunt, per angustias viarum arctasque fauces collium arctam viam insistentes. Abinde præire & iter maturare quique feruebant equites, ne in arctis semitarum faucibus multitudine peditum inundante, magnum fieret equitibus impedimentum. Maturabant siquidem magni & parui iter, sub pari intentione in *Ierusalem*. Cum quibus præmissi milites, à Bethlehem reuertentes, in via associati sunt, cùm primùm Solis calore matutini rores in gramine solent exiccari. *Gastus* de ciuitate Berdeiz cum triginta viris, gnaris certaminis & insidiarum, clàm subtractus ab exercitu, sicut erat prouidus, sciens vires appropinquantium Peregrinorum adhuc latere ciues & milites Ierusalem, per confinia eiusdem vrbis cum suis frena laxat, prædas vndique contrahit & abducit. Sed comperta illius audacia, à ciuibus & Sarracenis militibus præda excussa est; Gastum verò sociosque eius vsque ad ascensum rupis cuiusdam insecuti sunt. Ab eadem autem rupe Tankrado descendenti ex aduerso, qui & ipse exercitum præcessit, causa quærendi necessaria, idem Gastus obuiam factus est. Qui Sarracenorum ab vrbe egressionem, & prædæ suæ excussionem manifestans, ad insectandos eosdem hostes ipsius Tankradi animum vehementer accendit. Vnde ambo admixtis sociorum copiis, fortiter in terga aduersariorum equos laxant, vsque ad portam vrbis Ierusalem eos in fugam remittentes; prædam verò retinentes, ad subsequentem Christianorum exercitum perduxerunt. Visis autem prædarum gregibus, ac reuersis fratribus, requirunt vniuersi, vnde has prædarum copias abduxerint. Illi eas à campo Ierusalem rapuisse & abduxisse professi sunt. *Ierusalem* verò nominari audientes, omnes præ lætitia in fletum lachrymarum fluxerunt: eò quòd tam vicini essent loco sancto desideratæ Vrbis, pro quo tot labores, tot pericula, tot mortis genera perpessi sunt. Mox pro auditæ Vrbis desiderio, & amore videndi Sanctam Ciuitatem, obliti laborem suamque fatigationem, amplius quàm solebant, iter maturant. Nec mora vlla intermissa est, quo vsque ante muros Ierusalem in laudibus hymnorumq; vociferatione præ gaudio lacrymantes, sexaginta circiter millia vtriusque sexus constiterunt. His itaque in locis Christianissimo exercitu in variis signis & armis collato, portæ vrbis à militibus regis Babyloniæ clausæ sunt, *turris Dauid* satellitio armato munita; & vniuersi ciues in mœnibus ad prohibendum & resistendum populo Catholico diffusi sunt. Ruperat enim *Rex Babyloniæ* fœdus, quod legati eius Antiochiam missi, cum Christianis Principibus pepigerant, nihil causæ aduersus eos habens, præter quàm quòd Reymundus Comes Tortosam ciuitatem apprehendit, & præsidium *Archas* plurimis diebus obsedit. Christiani verò videntes Regis militiam, vrbis

XLIV. XLV. XLVI.

munitionem, Gentilium contradictionem, muros in circuitu locata obsidione vallant, ducemque *Godefridum*, quia erat potens consiliis & viribus cum Teutonicis, bello ferocissimis, in latere turris Dauid, vbi maior vis defensionis redundabat, ordinant, & vnà cum eo *Tankradum* comitem, & *Reymundum* cum duobus Episcopis Italiæ ante ianuam eiusdem turris cum suo comitatu sedere decreuerunt. Deinde *Robertus* Flandrensis, & *Hugo* grandæuus de S. Paulo cum suis sodalibus, ad obsidendos muros ciuitatis in decliui parte camporum sedere delegerunt. *Robertus* verò Nortmanorum princeps, & *comes Britanniæ*, iuxta muros, vbi est oratorium protomartyris Stephani, in ordine sociorum tabernacula extenderunt. Comes *Reinboldus* de ciuitate Oringis, *Lodewicus* de Monzun, *Cuno* de Monte acuto, filiusque eius *Lambertus*, *Gastus* de Bordeiz, *Gerhardus* de Rosselon, *Baldewinus* de Burg, *Thomas* de Feria castro, vndique in circuitu vrbis consederunt. *Reymundus* verò Comes, videns quia aliàs posset proficere, castra sua ab obsidione portarum turris Dauid sustulit, relictis quibusdam sociis ad custodiam portarum; & super montem *Sion* fixis tentoriis, vrbem obsidere profectus est. Hac itaque in circuitu obsidione locata à primoribus Gallorum, exploratisque locis, ne quid vacuum aut opportunum pateret insidiis, ad montem Oliueti ventum est: vbi etiam virorum fortium custodiam posuerunt, ne aliquis assultus ab hac parte fieret ex improuiso; & Gentilium insidiæ, per iuga descendentium, Christianos incautos deciperent. *Vallis* verò *Iosaphat*, super quam erat vrbs, & eius imminebant ædificia, remansit inobsessa propter locorum difficultatem & vallium profunditatem. Erant tamen illic, nocte & die, assiduæ vigiliæ & custodiæ Christianorum.

ALBERTI AQVENSIS EXPEDITIONIS HIEROSOLYMITANÆ LIBER SEXTVS.

Argumenta Capitum.

XXXIV. Se-

SANCTA autem ciuitate sic vndique vallata, quinto die obsidionis ex consilio & iussione prædictorum Principum, loricis & galeis Christiani induti, facta scutorum testudine, muros & mœnia sunt aggressi, viros Sarracenos fortiter bello lacessentes in iaculis saxorum, fundis & sagittis trans muros volantibus, ab intus & de foris per longum diei spacium dimicantes. Multi ex fidelibus sauciati, & lapidibus quassati attritique sunt: quidam sagittarum infixione oculos amiserunt. Sed primorum nullus, DEO donante, illa die percussus est. *Christiani* molestè ferentes populi contritionem, labori & bello amplius incumbebant; & muros exteriores, quos *Barbicanas* vocant, validè impugnantes, ferreis malleis & ligonibus partim sciderunt. Sed tamen non multum hac die profecerunt. Sedato tandem hoc belli turbine, videns Dux & primi exercitus, quòd vrbs armis & assultu foret insuperabilis, in castra ab assultu sunt relati, communi consilio vsi, quia nisi ingeniis machinæ & mangenarum vrbs acquiratur, nunquam aliqua vi armorum possit superari. Quod omnibus vtile visum est consilium, machinas & mangenas arietesque fabricari. Sed deficiebat materia lignorum, quorum in illis regionibus magna est penuria. Ad hæc quidam frater conchristianus, natione Syrus, Peregrinis locum indicat, vbi ligna ad construendas machinas possent reperiri: videlicet in quibusdam montibus versus plagam Arabiæ. Reuelato autem loco lignorum, *Robertus* Flandrensis, *Robertus* Nortmanorum Dominus, *Gerhardus* quoque de Kereti, assumta manu equitum & peditum, trans quatuor milliaria profecti sunt. Vbi ligna inuenta tergis camelorum imponentes, ad sedem sociorum reuersi sunt sine damno. Crastina verò luce primùm terris immissa, vniuersi artifices operi machinæ mangenarum & arietis instant, alii securibus, alii terebellis, quo vsque sub spacio quatuor hebdomadarum opus machinæ arietis & mangenarum ad vnguem perductum est ante turrim Dauid, in aspectu omnium, qui in eodem præsidio morabantur. Deinde, moniti sunt iuuenes, senes, pueri, puellæ ac mulieres, vt conuenirent in vallem *Bethlehem*, omnes virgulta in mulis ac asinis aut humeris suis allaturi, de quibus crates triplices contexerentur, ex quibus machina vestita Sarracenorum parui penderet iacula. Quod & actum est: vimina & virgulta plurima allata sunt, quibus crates consertæ, coriis equinis & taurinis ac camelorum opertæ sunt; ne facilè hostili incendio machina cremaretur. In-

terea in hac mora longæ obsidionis, & prolixa operosaque machinarum structura, compulit quosdam indigentia rerum necessariarum ab exercitu surgere, & victum quærere. Sed dum casu in finitimas oras *Rames*, prænominatæ vrbis, inciderent, prædas comportarent, greges cogerent, ab insidiis Sarracenorum, qui ab *Ascalone*, ciuitate Regis Babyloniæ, descenderant, attriti sunt, & præda retenta est. *Giselbertus* de Treua & *Achar* de Montinerla, fortes Christianorum Duces, & viri nobiles, illic post plurimum certaminis detruncati corruerunt: reliqui verò ex sociis eorum in fugam conuersi, per montana viam accelerabant in Ierusalem. Ad hæc *Baldewinus de Burg*, ad idem negocium contrahendi escas cum *Thoma* de Feria castro, assumta manu equitum, progressus, obuiam fugitiuis & disturbatis fratribus factus est. Qui rem & casum illorum intelligens, consolatus est vniuersos, vt redirent secum in vltionem suarum calumniarum. Continuò Peregrini, consolatione virorum fortium respirantes, reuersi sunt vnanimiter & recenter in persecutionem inimicorum, & cum eis diu prælia conserentes, hinc & hinc plures occisi ac vulnerati sunt. Baldewinus de Burg aduerso telo in pectore vulneratus est.

V. Tandem Christiani inualescentes, & Sarracenos in fugam cogentes, quendam eorum militem nobilissimum, virum calua fronte, statura procerum, grandæuum ac corpulentum captum tenuerunt. Quem Ierusalem abducentes, in prædicti Baldewini tentorio compedibus religauerunt: sed is nobiliter in throno Baldewini resedit, quod ostro preciosissimo opertum erat. Videntes autem Christiani Principes, quia vir prudens & nobilis & strenuus idem foret Sarracenus, de vita & moribus eius sæpius inquirentes ac disputantes, ad Christianitatis fidem eum vocare conabantur. Sed modis omnibus huic professioni abrenuncians, ante turrim Dauid productus, ad terrendos arcis custodes in conspectu omnium ab armigero Baldewini decollatus est. Præfati verò Principes, Giselbertus & Achar, insidiis Gentilium trucidati, ad locum obsidionis in magna lamentatione referuntur: quibus Christiani sacerdotes catholicas exequias exhibentes, in sepulcro Christianorum confratrum, quod erat extra ciuitatem, ossa eorum posuerunt.

VI. Obsessa est autem ciuitas Sancta, & mater nostra *Ierusalem*, quam adulterini filii inuaserunt, & legitimis filiis negauerunt, *tertia feria in secunda hebdomada mensis Iulii*, qui calore & Solis ardore intolerabilis habetur, & præcipuè in his Orientalibus plagis, vbi etiam non solùm riui deficiunt aquarum, sed & fontes viui & modici solùm trans tria milliaria reperiuntur. Hoc Solis ortu flagrantissimi, hoc defectu aquarum intolerabili, & ariditate inæstimabili, Christianorum populus in obsidione hac grauiter vexatus est. Quorum socii ad hauriendos & inuestigandos fontes cùm sparsim mitterentur, interdum incolumes hausto fonte redibant; interdum amputatis capitibus, insidiis gentilium periclitabantur. Aquam verò turbidam & lutulentam factam in contentione multitudinis haurientium, cum lubricis vermibus hirudinum in follibus caprinis afferebant. De qua, quantum os cuiusque à foramine angusto pellis capere poterat, licet vetus & putrida fuit, aut de fœdis sumta paludibus, vel antiquis cisternis, duobus nummis vendebatur. Plurimi autem inertis vulgi, qui sitis intolerantia arctabantur, dum sic licentiam bibendi acciperent, lubricos vermes & aquatiles deglutiebant, & sic tumefacto gutture aut ventre extinguebantur. Tantùm de monte *Sion* riuulus perexiguus manat, cuius subterraneus ductus à palatio Solomonis est iactu sagittæ, vsque ad eum locum, quo ædificium in modum claustri muratum & quadratum habetur: cuius in medium per noctem riuulus congregatus adunatur, de quo in die ciues vtuntur & animalia adaquantur.

VII. Ex hoc creberrimo haustu exercitus refocillabatur, licet hac parte inobsessa sæpius ciues haurientibus iacula intorquerent, & à stillicidio hoc prorsus Christianos absterrere laborarent. Vuarum copia viniq; affluentia primoribus semper abundabat, & precium habentibus; egenis verò, rebus exhaustis, etiam aqua, vt audistis, nimia erat defectio. Vnde hac sitis pestilentia ingrauescente, populoque Catholico diu in obsidione laborante, visum est primatibus populi ex consilio Episcoporum & cleri, qui aderant, vt consulerent quendam *virum DEI*, qui erat in antiqua turri proceræ altitudinis in monte Oliuarum solitarius, quid agerent, quid primùm insisterent; reuelantes ei, quanto desiderio ad ingrediendam Vrbem, & *Sepulcrum Domini* videndum, æstuarent, & quanta in via pro hac fide & voto pericula sustinuissent. Vir autem DEI audita eorum intentione & desiderio, consilium

lium protulit, quatenus primùm in *afflictione ieiuniorum & continuatione orationum* deuotè insisterent; & post hæc muris & Sarracenis DEO auxiliante tutiùs inferrent assultus. Iam ex viri DEI consilio ab Episcopis & clero triduanum indicitur ieiunium: & sexta feria processionem vniuersi Christiani circa vrbem facientes, deinde ad montem Oliueti venientes, in loco, vbi Dominus IESVS cœlos ascendit, ac deinde procedentes alio in loco, vbi discipulos suos orare docuit, in omni deuotione & humilitate constiterunt. Illic in eodem loco montis *Petrus eremita* & *Arnulfus de Rohes* castello Flandriæ, Clericus magnæ scientiæ & facundiæ, ad populum sermonem facientes, *plurimam discordiam, quæ inter Peregrinos de diuersis causis excreuerat, extinxerunt.* Dissentionem verò, quæ inter comitem *Reymundum* & *Tankradum* diu inualuit, propter conuentionem solidorum, quos ei iniustè Comes negauerat, ex admonitione spirituali ambobus Principibus compunctis, concordi amore placauerunt. Placatis autem his, & in concordiam cum aliis multis Christianis confratribus reductis, tota illa Christianorum processio à loco prædicti montis Oliueti descendens, ad proximum montem *Sion* in ecclesiam sanctæ DEI Genitricis collata est. Vbi Clerici albis induti, & reliquias Sanctorum cum reuerentia sumentes, complures idonei laici à sagittis Sarracenorum, qui in mœnibus vrbis obseruabant transeuntes, percussi sunt. Est autem ciuitas proxima huic ecclesiæ Sion quantum iactus habet sagittæ. Hoc autem in loco ad suscitandam iram Christianorum, in derisum etiam & opprobrium, Cruces fixerunt, super quas aut spuebant, aut in oculis omnium mingere non abhorrebant. Dehinc ieiunio cum processione sancta & letania orationeque finita, cœlum iam tenebris operientibus, noctis in silentio deportata est machina per partes, & vniuersa strues mangenarum, ad ipsum locum ciuitatis, vbi situm est *oratorium S. Stephani* protomartyris versus vallem Iosaphat, in die Sabbati, collocatis tabernaculis in circuitu machinæ ab hac statione sublatis. Vbi machina & omnia instrumenta mangenarum & arietis ad vnguem fabricata sunt. Verùm ex consilio Maiorum instrumenta trium mangenarum ordinata eriguntur, quarum priori assultu & impetu Christiani Sarracenos ciues à muris & mœnibus arcentes absterrerent; & muralia repentino iactu, silicis quoque tactu, perstringere valerent. Tandem Sarraceni hoc impetu & iactu perspicientes muros grauiter concuti & minui, saccos, stipula paleaque refertos, ac nauium funes magnæ grossitudinis, strictim densatos, muris & mœnibus affigentes, opposuerunt, quatenus impetum & iactum mangenarum molliter exciperent, & nequaquam muris mœnibusque nocerent. Dux verò videns hoc impedimentum suis ingeniis oppositum, funibus & saccis sagittas ardentes ilicò ab igne eductas, baleari arcu intorsit; & sic igne infixo, & aridæ materiei inhærente, à leui aura tenuis flamma suscitabatur, quo vsque vires acquirens, saccos funesque consumsit: & rursus impetus muros & mœnia minuebat. Inter hæc, ad augendam ruinam & stragem murorum allatus est præfatus aries horrendi ponderis & operis, vestitus vimineis cratibus. Qui virtute & inæstimabili virorum inundatione impulsus, *Barbicanas*, exteriores scilicet muros, oppositos æquato vallo vrbis, à viris arietem impellentibus graui impetu in momento comminuit atque deiecit; & viam machinæ ad interiores muros & antiquos aptauit, foramenq; pergrande & horrendum, iam ad vrbem pertransiens, infregit. Hoc itaque foramen trans muros vrbis defensores intuentes, nec vltrà ad periculum sufferre valentes, igne sulphureo pice cæreoque suscitato, arietem, nimium muris vicinum, succenderunt, ne deinceps muros ferrata fronte impelleret, aut foramen ampliaret. Tunc subito clamore DEI populus commotus, vndique tentoriis & tiguriis aquam conuehunt, qua tandem aries ab igne restinctus est. Interea dum aries extinguitur, mangenarum iactus & impetus assiduè muros minuebat, & custodes ac defensores à mœnibus arcebat. Nec mora, inter hæc, machina cum omni structura sua erecta est; parietes, cœnacula, cratesq; illius opertæ coriis taurinis, equinis & camelinis: in quibus constituti sunt milites, qui vrbem impugnarent, & resistentes, faciliùs certamine fatigarent. A die autem Sabbati huius machinæ operi & compagi insudantes, vsque ad quintam feriam protractum opus in vespere consummauerunt: & Ducem *Godefridum*, eiusque fratrem *Eustachium*; similiter fratres duos, *Ludolfum & Engelbertum*, ortos de ciuitate Tornaco, ad tuendam machinam, & vrbem bello concitandam ordinauerunt. Ducem ergo suosq; in superiore cœnaculo; Ludolfum cum fratre suo, & cæteris

VIII. IX. X. XI.

eorum sequacibus, medio cœnaculo immorari decreuerunt; in inferiore verò, qui machinam trahentes vrbi applicarent. In arce verò machinæ eiusq; cœnaculis his constitutis, arietem, post deletas Barbicanas & æquatum vallum, quia tam difficile onus tædium erat amouere, vltrò Christiani suo igne combusserunt, ne tanti roboris magnitudo conductili machinæ esset impedimẽto. XII. Dehinc autem in sexta feria manè facto, Sarraceni milites, & qui vrbis erant ciues, machinam erectã intuentes, & in ea habitantes loricatos, stupefacti & tremefacti, mirantur tam matutinos & bello paratos milites in machina apparere; omnesq; per vrbem gradientes sagittis & arcu infigere, ac pugna incessabili quosque per vrbem visos à machina desuper muros prominente, iaculis & saxis vrgere. Vnde vnanimiter intra ciuitatẽ Gentiles conglobati, volatili telo sagittarum nocere Duci & resistere non abstinent; & per mœnia dispersi, Peregrinos lædebant: Peregrini verò fortiter ex aduerso resistebant. Ad hanc denique nimiam contritionem ab intus & extra, à machina, quæ altitudine hastæ fraxineæ vrbem & mœnia superabat, viri & milites silices immanissimos contorquebant ad lædendos muros, & absterrendos ciues à defensione mœniũ, vniuersos per vrbem circumuagos in sagittis & lapide percutientes. Alii verò in latere vrbis supra montem *Sion*, vnâ machinâ comitis *Reymundi* milites contorquebant lapides & iacula, lædentes muros & per mœnia assistentes, huicq; machinæ Comitis frustra nocere quærentes: quæ eadem nocte & hora, qua & Ducis, erecta & muris applicata est. XII. Cùm hæc obsidio Sanctæ Ciuitatis iam tædio fieret, studioseque in eius captione modis omnibus & operibus feruerent, atque plurima de minis & virtute Regis Babyloniæ innotescerent, peruenit ad aures Principum exercitus per delatores eosdem qui fratri Tankrado pecuniam & ornatum templi Domini ante captionem vrbis propalauerunt: quòd ad vrbem Ierusalem per eam portam montis Olíueti & vallis Iosaphat, quæ inobsessa erat, assidua legatio Regi Babylonio mitteretur de omnibus quæ fiebant; rursusq; Regis nuncia & consilia per eandem portam sæpe & occultè reportarentur vrbis defensoribus: & Christianis leuiter posse fieri magnum impedimentum. Quare habito cautè super hoc consilio, Principes Christianorum collocauerunt latenter insidias in valle & exitu eiusdem montis, in silentio noctis, antè & retrò munitis viarum semitis vigili custodia: ne fortè aliquis ab Ascalone vel Babylonia aut ab aliqua parte regni huius descenderet, vel à porta inobsessa, solito more in legationem procederet; sed in insidias incidens, subitò caperetur, nulloq; diffugio ante latera occultatus, à manibus vigilantium elaberetur. XIII. Sic tandem ordinatis viarum custodibus, & in loco prædicti montis Olíueti constitutis, duo Sarraceni ab Ascalone properantes, & *Regis Babyloniæ* nuncia defensoribus vrbis deferentes, iam noctis silentio incumbente, medio custodum venientes astiterunt, vrbem sine aliquo obstaculo sperantes ingredi. Sed subitò à militibus & custodibus portæ inobsessæ capti sunt & retenti: quorum alter à iuuene immoderato hasta confixus, mox spiritum exhalauit; alter verò viuus & sanus in præsentiam Christianorum Principum adductus est, vt ab eo minis extorquerent aut promissione vitę, cuius rei nuncii aduenissent: quatenus sic *iacula præuisa minus nocere possent*. Is deniq; multum vitæ suę solicitus & anxius, plurimũ de Regis Babyloniæ consilio & legatione aperuit; & quomodo nunc per eos admonuisset fideles sibi milites vnà cum ciuibus, ne aliquo terrore & oppressione fatigati, deficerent, sed se inuicem consolando, stabiles in defensione persisterẽt: scientes, quia post quindecim dies ad auxilium in virtute magna Ierusalem venire decreuisset ad exterminandos Gallos, & suos liberandos. Post hanc cæterasq; relationes militibus restitutus, tormẽto cuiusdam mangenæ, ligatis manibus & pedibus est immissus, vt sic post primam & secundam inundationem trans muros iactaretur. Sed nimio eius pondere pellis mangenæ grauata, non longè miserum proiecit: qui mox iuxta muros corruens super asperos silices, fractis ceruicibus, neruis & ossibus, in momento extinctus fuisse refertur. XIV. Ciues autẽ & milites Regis Babyloniæ videntes sic legationẽ Regis dissipatã, & audaciùs Christianos vrbẽ expugnare, & quia hinc & hinc machinæ nimiũ vrbi infestæ aduersarentur, apposuerunt & ipsi instrumenta quatuordecim mangenarũ erigere, quarũ virtute & impetu assiduè in machinas lapides iactarentur, quorũ crebris ictibus attonitæ quassarentur ac perirent, & in eis positi vnà earum ruina periclitarentur. Ex his verò quatuordecim mangenis nouem comitis *Reymundi* machinæ opponuntur, cum innumerabili manu & virtute ciuium: quarum intolerabili & crebro

crebro impetu grauiter machina concussa & attrita est; eiusque compagines dissolutæ. Quare vniuersi in ea viri belligeri nimium attriti, & obstupefacti inopinato excidio, vix à mortis elapsi sunt periculo. Vnde quia tot creberrimos lapidum ictus sustinere non poterant, & machinæ protectio defecerat, procul à mœnibus machina reducta est, nec vltrà inuentus, qui hanc iteratò ascenderet, ac ciues impugnando lacesseret. Quinque verò residuæ contra machinam Ducis eriguntur, vt eam pari impetu & iactu percuterent & attererent; sed DEO protegente, licet crebro ictu tacta & quassata, ruinam minaretur, integra permansit & intacta; vimineisque cratibus protecta, miros impetus lapidum molliter exceptos fortiter 10 tolerabat. Erat Crux in summitate eiusdem machinæ, figuram continens XVI. Domini IESV auro fulgidissimam, quam iidem Sarraceni iactu mangenarum assiduè moliebantur percutere: sed nulla eis feriendi facultas aut amouendi concessa est. Illis verò sæpius iacturam lapidum aduersus Crucem hanc molientibus, lapis fortuitò aduolans militem quendam, assistentem lateri Ducis, in caput fortiter percussit, qui fracto cerebro, & effusis ceruicibus, momentaneo fine extinctus est. Dux verò vix ab ictu tam repentino obseruatus, multum baleari arcu ciuibus, mangenasque intorquentibus, insistebat; & crates, à machina impetu auulsas, interdum reparabat, & funibus religabat. *Sarraceni* milites videntes, XVII. quia impetus mangenarum crates vimineas penetrare non poterat, interdum ollas flammiuomas iactabant in crates, machinam protegentes, vt prunæ aut scin- 20 tillæ aridæ materiei adhærentes, leui aura suscitatæ ampliarentur, & machina consumeretur: sed industria *Gallorum* artem arte præuenit. Nam coriis lubricis machinæ & crates opertæ, flammas aut prunas iniectas minimè retinebant; sed subitò à coriis ignis labens, humique cadens, deficiebat. Tandem harum quinque mangenarum assiduis ictibus Dux suique grauati, applicuerunt machinam in virtute Christianorum cominus mœnia & muros, vt sic tutior aduersus machinas obsisteret; & mangenæ, propter ædificia domorum turrium abduci in loco spacioso non valentes, minus iacerent, & machinam ferire non possent. Iam verò iuxta muros abducta machina, & quinque mangenis ab illa spaciosum recessum 30 non inuenientibus, lapis intortus, & in impetu emissus, nimium vicinam transuolat machinam; aut interdum volatu suo deficiens, iuxta muros cadens, Sarracenos opprimebat. Sarraceni tandem intelligentes, quia viri imperterriti in machina starent, qui mangenarum arte non possent lædi, turrim quandam, quæ in vicino erat machinæ, saccis stipula & fœno vel palea impletis, item vimineis cratibus & densitate naualium funium aduersus Christianorum mangenas vndique tectam, munierunt, viros pugnatores in ea constituentes, qui assiduè moles lapidum fundibulis, aut paruis mangenellis in machinam iacerent; & eius habitatores diuersis armorum terroribus arctarent. Sed nec sic machina Ducis *Godefridi* cedente, nec eius custodibus ab assultu repressis, sed amplius & sæuius inua- 40 lescentibus, Sarracenorum artifices aliud aptant ingenium, quo machina eiusque possessores sine recuperatione consumerentur. Contulerunt enim immanis- XVIII. simum magniq; ponderis robur arborum, quod totum clauis ferreis & vncis confixerunt; clauosque stuppis, pice, cera oleoque infusis & impinguatis, impleuerunt, & omni fomentorum ignis genere. Catenam quoque ferream & onerosam in medio robore affixerunt, ne curuis & ferreis hamis Peregrinorum leuiter posset auferri & amoueri, dum ad comburendam machinam trans muros & mœnia præfatum lignum iactaretur. Aptato perfectoque huius roboris ædificio, quadam die vniuersi ciues ac milites Regis Babyloniæ intra vrbẽ adunati, circa id opus conferuntur. Qui scalis, hastis & apparatibus suis graue lignum, incensum 50 igne omni aqua inextinguibili, trans muros in virtute magna & in momento deposuerunt, inter muros & machinam hoc iacientes: vt ab illius validissimo ardore postes, quibus tota innitebatur machina, correpti, cremarentur, ruinamq; in ea habitantes paterentur; nec vlla aqua tam vehemens ignis restingueretur, quousq; tota machina cum præfato robore in cineres redacta corruisset. Verùm Christianis ab indigenis conchristianis res innotuit, & qualiter hic ignis, aqua inextinguibilis, solo aceti liquore restingui valeat. Vnde in vtribus intra machinam acetum, ex prouidentia impositum, super iniectum & effusum est: sic grande incendium restinctum, vltrà machinæ nocere non potuit. Ad huius denique roboris extinctionem concursus Peregrinorum factus est: qui catenam arripientes,

totis viribus luctamen inierunt, hi exterius trahendo, hi interius retinendo. Sed Christianorum virtus, Deo fauente, præualuit; & sic Sarracenis catena erepta, à fidelibus retenta est. XIX. In eiusdem verò catenæ contentione abintus & deforis, ac quinque mangenarum defectione frustra iam deintus iactantium, Dux, qui in eminentiore cœnaculo arcis obtinuerat mansionem, omne genus iaculorum saxorumque in medium vulgus conglobatorum cum suis intorquebat, & stantes in muro sine intermissione à mœnibus arcebat. Tres siquidem Christianorum mangenæ sine requie, incessabili iactu mœnia transuolabant, & custodes hinc & hinc à mœnibus longo recessu absterrebant. Adhæc fratres prænominati, *Ludolfus* & *Engelbertus*, videntes Sarracenos ocio torpere, & manus à defensione continere, atque ex vtroq; latere mœnium procul absistere propter mangenarum cæterorumque impetum, sine mora, sicuti muro erant propiores, à secundo cœnaculo, in quo manebant, porrectis arboribus, & in mœnia missis, primùm in vrbem cum virtute armorum descenderunt, vniuersis murorum custodibus in fugam versis. *Dux* verò fraterque eius *Eustachius*, hos vrbem iam ingressos intelligentes, extemplò à superiore arce descendentes, mox & ipsi in mœnibus consistentes, ad opem illorum descenderunt. Omnis populus hæc intuens; & Principes iam obtinere ciuitatem, inæstimabili clamore intonantes, scalis vndique muro applicitis, ascendere & intrare festinant. XX. Ciues autem ac defensores vrbis contemplantes capta mœnia & muros, ac media vrbe viros Christianos sistere, totamque ciuitatem armis Gallorum inundare, correpti sunt formidine & mentis hebetudine; ac repentè diffugium facientes, plurima multitudo spe protectionis ad palatium Regis Solomonis, quod erat spaciosum atque firmissimum, fugam arripiunt. Quos *Galli* fortiter insecuti lanceis & gladiis, cum ipsis fugitiuis pariter portas palatii ingrediuntur; & in nimia Gentilium occisione perseuerant. Equites verò circiter quadringenti, qui à Rege Babyloniæ missi, vrbem assiduè perlustrabant in admonitione defensionis & consolatione ciuium, visa angustia & fuga suorũ, ad præsidium turris Dauid veloci cursu equorum diuerterunt. Sed Gallis eos graui insecutione prementibus, vix portæ immissi, equos, ante ianuam vnanimiter descẽdẽtes, reliquerunt: quos Christiani arripientes, cum frenis & sellis abduxerunt, habentes ea. XXI. Interea quidam Peregrinorum ad portas vrbis contendentes, seras & vectes ferreos auellunt, totumque vulgus ad auxilium intromittunt. Sed tanta pressura & anxietas ingredientium in porta hac fuisse, perhibetur, vt etiam ipsi equi, nimia oppressione grauati, plurimos dentibus, aperto ore ad mordendum, nolente sessore, inuaderent, sudore inaudito diffluentes. Quare viri circiter sedecim pedibus equorum, mulorum, hominumque conculcati & discerpti & suffocati, spiritum vitæ exhalauerunt. Per foramen etiam murorum, quod aries ferrata fronte infregerat, plurima millia virorum ac mulierum intromissa sunt. Hi omnes conglobati, in vociferatione & strepitu magno ad palatium prædictum concursum facientes, fratribus præmissis auxilium contulerunt, Sarracenos per domum, quæ spaciosa erat, crudeli funere sternentes: quorum adeò sanguinis facta est effusio, vt etiam riui per ipsa pauimenta regiæ aulæ defluerent, & vsque ad talos fusus cruor accresceret. *Sarraceni*, interdum recuperato spiritu & viribus, in defensionem frustra eriguntur: sed tamen plures fidelium incautos mutua cæde perfoderunt. XXII. In cisternam autem regiam, quæ ante fores eiusdem palatii in modum lacus amplitudinẽ & magnitudinẽ cauatione continet, testudinẽ fornicei operis desuper habens, marmoreis vndiq; subnixa columnis, plures Sarracenorum per gradus, qui ad hauriendam aquam introeuntes perducunt, confugerunt: quorum alii aquis suffocati sunt, alii ab insequentibus Christianis in ipsis grauibus defensionis peremti sunt. Per ea verò foramina, quæ trans testudinem ora in modum putei habebant, tam Christiani quàm Sarraceni præcipiti fuga, cæcoque cursu cadentes, non solùm submersione periclitabantur; sed & fractis collis & ceruicibus, aut ruptis visceribus extinguebantur. Huius quippe cisternæ regiæ aqua in omni obsidione vrbis ad mensuram ciuibus indigentibus & militibus dari solebat, ad aquandos equos, greges & vniuersa iumenta, & ad omnes vsus necessarios. Ex omni stillicidio pluuiarum, ab ipsius tecti palatii canalibus, templiq; Domini testudine, & à tectis multorũ ædificiorum, confluente, hæc cisterna adimpletur, per circulũ anni frigidam ac salubrem aquã abundè omnibus illic vrbẽ inhabitãtibus administrans. XXIII. Egressi autẽ Christiani victores à palatio post nimiã

& cruen-

& cruentam cædem Sarracenorum, quorum decem millia in ipso loco occiderunt: plures copias Gentilium, per vicos ciuitatis errantes diffugio præ timore mortis, in ore gladii percusserunt. Mulieres, quæ in turritis palatiis & soliis confugerant, mucrone confoderunt: infantes, adhuc sugentes, per plantam pedis è sinu matris, aut cunabulis arreptos, muris vel ostiorum liminibus allidentes, fractis ceruicibus; alios armis trucidabant, alios lapidibus obruebant; nulli prorsus ætati aut generi Gentilium parcentes. Quicunque ergo domum aut palatium prior inuadebat, cum omni supellectile, frumento, oleo, hordeo & vino, pecunia aut veste, vel qualibet re, pacificè obtinebat. Et sic possessores totius ciuitatis facti 10 sunt. Intromissis verò Christianis in ciuitatem, & longa strage in palatio & vrbe sæuientibus, spoliis atque diuitiis Sarracenorum inhiantibus, *Tankradus*, qui festinus in primo vrbis ingressu Templum præcurrit, & auulsis seris intrauit; pecuniam auri & argenti incomparabilem cum robore & ope sui sattellitii à muris deauratis in circuitu, columnis & pilariis auulsit, biduo in raptione huius thesauri, à Turcis oratorio decorando collati, desudans. Quem thesaurum duo Sarraceni, ab vrbe in obsidione egressi, eidem Tankrado, vt gratiam & salutem vitæ suæ in oculis ipsius inuenirent, propalasse feruntur. Post prædictum verò tempus dierum Templi portas aperiens, & secum pecuniam asportans, duci Godefrido, cuius erat miles, fideliter diuisit, quam vix, vt aiunt, quibus tota massa innotuit, sex 20 cameli aut muli portare poterant. Hoc *Templum*, quod dicitur *Domini*, non XXIV. illud antiquum ac mirabile opus Regis Solomonis intelligendum est, cùm tota vrbs Ierusalem à Rege Nabochodonosor, deinde à rege Antiocho ante multos annos Dominicæ incarnationis destructa fuerit; templumque Solomonis à fundamento dirutum, ornamentis & vasis sacris spoliatum sit. Rursus post incarnationem, ex prænunciatione Domini IESV, à Principibus Romanorum, Vespasiano & Tito, funditus cum suis habitatoribus sic Ierusalem deleta est, vt secundùm vocem Domini lapis super lapidem non relinqueretur. Verùm Templum hoc postea à modernis & Christianis cultoribus reædificatum, plures attestantur; nempe eo loco, quo Solomon pacificus de lignis cedrinis & Pario lapide pristi-30 num DEI tabernaculum collocauit, & in ea Sancta Sanctorum. In medio autem hoc moderno tabernaculo mons lapideus, natura fundatus, prominet, ferè in latitudine continens tertiam partem iugeri, in altitudine habens duos cubitos: Cuius in vno latere gradus collocati, ad caua loca descendentes perducunt; alio verò in latere, vt in veritate referunt, qui tunc considerauerunt, ostiolum habet lapideum, sed semper signatum. Illic ex quorundam opinione quædam Sancta Sanctorum adhuc seruari perhibentur. In media siquidem testudine eiusdem Templi moderni, quod nunc mirifico opere signorum desuper murorum parietes in circuitu continet, rotundam catenam infixam esse asseuerant, in qua vas aurei fulgoris & operis, ponderis verò circiter ducentarum marcarum, pendere semper 40 solet: Quod vrnam auream alii affirmant, alii sanguinem Domini, alii manna in eo absconditum: & sic in varias sententias diuersa opinione eriguntur. Hoc XXV. itaque vas & promunctorium, quod in medio Templi prominere prædiximus, intactum à Tankrado permansit: quin Turci omni deuotione vtrunque venerantes, inuiolatum reseruabant. Vnde & tabernaculum omni honore & decore thesaurizabant, soli, omnibus gentibus cæteris exclusis, in illo suarum cæremoniarum obseruationi vacantes. Sic verò ipsum præfatum Templum ad exequendos ritus sui erroris summa reuerentia & custodia venerantes, soli etiam *Dominici Sepulcri templo*, eiusque cultoribus Christianis, parcebant: propter tributa, quæ ex oblatione fidelium assiduè eis soluebantur: vnà cum *Ecclesia S. Mariæ ad Latinos*, quæ 50 etiam tributaria erat. In reliqua verò oratoria vrbis sanctæ tam *Turci* quàm *Sarraceni* suam tyrannidem nimia strage exercuerunt, prorsus ab eis Catholicos cultores exterminantes. Ad hoc denique Templum Domini, vt prædictum est, iter suum Tankrado conuertente præ auaritia sibi propalatæ pecuniæ; aliis verò ad præsidium turris Dauid fugitiuos velociter insequentibus; cunctisque Principibus rebus & ædificiis Turcicis inhiantibus; vniuersoque vulgo ad palatium Solomonis tendente, & cædem nimiam crudeliter in Sarracenos operante, dux *Godefridus* ab omni strage se abstinens, mox tribus tantùm suorum secum retentis, *Baldrico*, *Adelboldo* & *Stabulone*, exutus lorica, & lanea veste indutus, nudatis pedibus muros egressus, in circuitu vrbis cum humilitate

processit; & per eam portam, quæ respicit ad montem oliuarum, introiens, Sepulcro Domini nostri IESV CHRISTI, Filii DEI viui, præsentatus est, in lacrymis, orationibus & diuinis persistens laudibus; & DEO gratias agens, quia videre meruit, quod illi semper fuit summo desiderio.

XXVI. Nam pio Ducis proposito impleto, somnii huius visio completa veraciter comprobatur. Ante viæ huius initium cùm sæpe idem Dux suspiria traheret, suique animi optio ante omnia esset, visitare sanctam ciuitatem *Ierusalem*, & videre Sepulcrum Domini IESV, ac sæpe priuatis famulis cordis sui aperiret intentionem, cuidam de familiaribus suis, *Stabuloni* videlicet, in hunc modum ostensa est visio. Videbat idem scalam auream, à cœlesti axe proceræ longitudinis vsque ad terram porrectam, quam ipse Dux, nimio desiderio feruens, cum quodam poculi sui prouisore, *Rothardo* nomine, lucernam in manu ferente, conscendere conatus est. Sed prouisore iam media scala consistente, lucerna, quam gestabat, in manu illius extinguitur; & medius gradus scalæ, per quam ad supernum cœli solium scandebat, grauiter læsus & attritus est. Sic prouisor poculi ad inferiora reuersus, præ formidine vltrà ad cœlestem portam cum Duce peruenire non potuit ac pulsare. At Stabulo, cuius est ista visio, lucernam extinctam reaccendens, scalam, qua pincerna indignus attolli non meruit, fiducialiter conscendit, & lucernam vltrà indeficientem ferens, cum ipso Duce cœli penetrauit ad aulam: vbi mensa illis parata, & omni deliciarum dulcedine cumulata, reperta est. Ad hanc denique Dux cum electis & ea dignis recumbens, de omni, quæ aderat, dulcedinis suauitate partitus est.

XXVII. Quid per hanc scalam, ad cœli palatium ducentem, nisi via, quam Dux tota mentis intentione apprehēdit, ab vrbem *Ierusalem*, quæ porta est cælestis patriæ, significatur? Ex auro enim purissimo erat scala: quia ad hanc viam & cœli portam puro corde & perfecta humilitate veniendum. Media autem scala prouisoris poculi lucerna extinguitur, gradus læsus deficit, ascensus negatur, quia opus & onus viæ sanctæ, quod bona & pura voluntate vnà cum Duce deuouit, medio labore deseruit cum plurimis, sicut audiuistis. Propter diffidentiā enim & imminētes angustias à Duce subtractus est *Antiochiæ*, & sic apostata factus, ad aratrum reuersus est miseriarum, nec vltrà per scalam cum Duce cœli introiens ianuam, sanctorum mensa dignus fuit participari. *Stabulo* verò, ducis camerarius, lucernam ab ipsius manu suscipiens, reaccendit: quia voluntatem bonam viæ huius, quam primùm assumpsit, fortiter retinuit; & inter diuersas mentis vacillationes lampade beneuolentiæ reaccensa, reflagranti voto firmiter hæsit; sicque insolubili gradu scalam cum Duce superauit. Insuper illius in omni tribulatione socius stabilis, & famulus existens fidelis DEI, eo vsque in Ierusalem peruenit, & ad *Sepulcrum Domini*, quod mensa est & desiderium totius dulcedinis sanctorum, intrare meruit & orare.

XXVIII. Post hæc Ducē à sanctuario Dominici Sepulcri regresso in lætitia cordis & exultatione post peractam ibi victoriam, & hospitio quiescendi causa declinato; iam toto exercitu sedato à Gentilium occisione, & nocte ea oculos vniuersorum præ labore aggrauante, quia Ierusalem, ciuitas DEI viuentis, & mater nostra, filiis restituta est in victoria magna, *sexta feria*, in die solenni *diuisionis Apostolorum*, quæ est Idus Iulii, comes *Reymundus*, auaritia corruptus, Sarracenos milites, quos in turrim Dauid fuga elapsos obsederat, accepta ingenti pecunia, illæsos abire permisit; omnia autem arma, escas & exuuias eorum cum eodem præsidio retinuit. Proxima ab hinc die Sabbati clarescente, quidam Sarracenorum spe vitæ in summitatem tecti domus præcelsæ Solomonis ab armis elapsi, circiter trecenti confugerant. Qui multa prece pro vita flagitantes, in mortis articulo positi, nullius fiducia aut promissione audebant descendere, quo vsque vexillum Tankradi, in signum protectionis viuendi susceperunt. Sed minimè misellis profuit. Nam plurimis super hoc indignantibus, & Christianis furore commotis, ne vnus quidem illorum euasit.

XXIX. *Tankradus*, miles gloriosus super hac sibi illata iniuria vehemēti ira succensus est; nec sine discordia & graui vltione furor illius quieuisset, nisi consilium & sententia Maiorum ac prudentium illius animum his mitigasset verbis: *Ierusalem ciuitas DEI excelsi, vt vniuersi nostis, magna difficultate, & non sine damno nostrorum, recuperata, propriis filiis hodie restituta est & liberata de manu Regis Babyloniæ, iugoq; Turcorum. Sed modò cauendum est, ne auaritia aut pigritia vel misericordia erga inimicos habita, hanc amittamus, captiuis, & adhuc residuis in vrbe Gentilibus, parcentes. Nam si fortè à Rege Babyloniæ in multitudine graui occupati fueri-*

fuerimus, subitò ab intus & extra impugnabimur; sicq́; in perpetuũ exilium transportabimur. Vnde primum & fidele nobis videtur consiliũ, quatenus vniuersi Sarraceni & Gentiles, qui captiui tenẽtur, pecunia redimendi, aut redemti, sine dilatione in gladio corruant, ne fraude aut ingenio illorum nobis aliqua occurrant aduersa. Consilio hoc accepto, tertio die post victoriã egressa est sententia à Maioribus: & ecce vniuersi arma rapiunt, & miserabili cæde in omne vulgus Gentiliũ, quod adhuc erat residuũ, exurgunt, alios producẽtes è vinculis & decollãtes; alios per vicos & plateas ciuitatis inuentos trucidantes, quibus antea causa pecuniæ, aut humana pietate pepercerunt. Puellas verò, mulieres, matronas nobiles & fœtas, cum puellis tenellis detruncabant, aut lapidibus obruebant, in nullis aliquam considerantes ætatem. E contra puellæ, mulieres, matronæ, metu momentaneæ mortis angustiatæ, & horrore grauissimæ necis concussæ, Christianos, in iugulum vtriusque sexus debachantes ac sæuientes, medios pro liberanda vita amplexabantur, quædam pedibus eorum aduoluebantur, de vita & salute sua illos nimiũ miserando fletu & eiulatu solicitantes. Pueri verò quinquennes aut triennes matrum patrumque crudelem casum intuentes, vnà miserum clamorem & fletum multiplicabant. Sed frustra hæc pietatis & misericordiæ signa fiebant. Nam Christiani sic neci totum laxauerant animum, vt non sugens masculus aut fœmina, nedum infans vnius anni viuẽs manum percussoris euaderet. Vnde plateæ totius ciuitatis *Ierusalem* corporibus extinctis virorum & mulierum, lacerisque membris infantium, adeò stratæ & opertę fuisse referuntur, vt non solùm in vicis, soliis & palatiis, sed etiam in locis desertæ solitudinis copia occisorum reperiretur innumerabilis. — XXX.

A die autem, qua Vrbs sancta à Sarracenis obsessa, munita ac defensa fuit, vsque ad hanc diem, qua capta & victa, suisque restituta est, nullus Turcorum in ea repertus est, qui paulo ante hanc vi inuadentes, multo tempore obtinuerant, & grauia tributa tam à Sarracenis quàm Peregrinis CHRISTI & indigenis fidelius exigebant. Trecenti Turci erant, qui Ciuitatem Sanctam captiuauerant, longo tempore in ea dominati, plurimis in circuitu vrbibus Syriæ & Palestinæ regionis illis tributariis factis, quas rex Babyloniæ cum Ierusalẽ quondam subditas, & regno suo appendentes, potenter obtinere solebat. Nunc, vt audistis, Christianorum exercitu in obsidione Antiochiæ post captam Nicæam ordinato, idem Rex Babyloniæ, audita gloria, virtute ac victoria Christianorum Principum, & Turcorum humiliatione, in vrbe Ierusalem, quam amiserat, trecentos Turcos in apparatu & exercitu copioso obsedit: Quos plurimo assultu & mangenarum impetu expugnatos fatigauit, multum obsistentes ac repugnantes, sed non sine magno suorum detrimento. — XXXI.

Erat autem *Solymanus* Princeps & caput horum Turcorum, miles ferocissimus, semper Regi Babyloniæ & eius regno aduersarius. Tandem Turci cum Principe suo, videntes manum suorum exiguam pondus belli & tot millium assultus, tolerare non posse, data mutuò fide & dextris de vita & salute sua, impetrauerunt, quatenus vrbem reddentes, pacificè exirent; & conductum ipsius Regis vsque in Damascum haberent, in qua Princeps magnificus Donimani frater dominari perhibetur, qui nunc cum præfatis Turcis ab vrbe Ierusalem eiectus est. His eiectis, & conductum Regis vsque in Damascum habentibus, Rex Ierusalem ingressus, *Templum Domini* iuxta ritum Gentilium summa reuerentia & humilitate subiit. Deinde *Templum Dominici Sepulcri* cum omni habitu religionis Gentilis introiuit, omnia pacificè perlustrans, & nullum Christianorum à fide & ordine sui ritus auertens. Dehinc reuersus, ciuitatem fideli custodia disposuit; *turrim* verò *Dauid* suo satellitio muniuit, *palatium Solomonis*, & cætera regalia ædificia & defensoria suo iuri mancipauit. Hac itaque ciuitate eius subditione relocata post Turcorum eiectionẽ, nimium gauisus, sed adhuc Turcos sibi à Damasco metuens aduersari, direxit legatos ad Christianorum Principes, circa vrbem Antiochiam residentes, referens, quomodo ab vrbe Ierusalem & regno suo Turcos eiecerit, & quia in omnibus eorum voluntati de Vrbe Sancta satisfacere voluerit; & de fide CHRITSI, Christianitatisque professione, consiliis eorum acquiescere. Sed omnia mentitus, & in dolo locutus est. Nam vrbis introitum Peregrinis negauit omni armorum defensione, & militum virtute, qua poterat, donec cœlestis Regis auxilio, Sarracenis, vt audistis, crudeli nece peremtis, nunc intromissi sunt. — XXXII.

Hac verò miseranda strage Sarracenorum completa, in proximo die Dominico fideles & primores Christianorum inito consilio, dominium vrbis & custodiam Dominici Sepulcri comiti *Reymundo* dare decreuerunt. Quo renuente, — XXXIII.

& cæteris vniuersis Capitaneis ad id officium electis, *Godefridus* Dux tandem, licet inuitus, ad tuendum vrbis principatum promouetur. Promotus ergo consilio & beneuolentia omnium Christianorum, *turrim Dauid* regis, quam ipse Reymundus, laxatis fugæ Sarracenis, inuaserat, requisiuit. Sed Reymundus prorsus reddere negauit, donec minis ipsius Ducis & Christianorum restituere coactus est. Huius verò Ducis electio & promotio nequaquam humana voluntate facta fuisse credatur; sed totum DEI ordinatione & gratia factum, cùm procul dubio ex visione cuiusdam boni & veridici militis didicerimus, ante decem annos huius viæ hunc à DEO electum & constitutum ductorem, Principem atque præceptorem Christiani exercitus, vt præ omnibus primatibus actu, victoria & consiliis beatiorem, & fide ac veritate integriorem. 10

XXXIV. Quadam ergo nocte præfatus miles, *Hezelo* nomine de Kinwilre villa, quæ est in rubuario, cum eodem Duce in sylua quadam, quæ vocatur *Kettena*, venatoria arte fatigatus, facili sopore occupatus est, statimque in spiritu ad montem Sina translatus est: vbi Moyses, famulus Domini, ieiunio quadraginta dierum expleto, claritate gloriæ DEI meruit videre, & legem de manu DEI accipere. Super huius denique montis cacumen videbat prædictum cum timore & mansuetudine facili ascensu attolli, & duos ei in vestibus albis, & pontificali ornatu obuiam festinare, dicentes: *Qui seruo suo & fideli Moysi contulit benedictionem & gratiam, eiusdem benedictionibus DEI viuentis replearis, & gratiam in oculis eius inuenias: dux ac præceptor populi sui Christiani in omni fide & veritate constitueris.* Hoc dicto, miles experge factus a somno, surrexit, & visio subtracta est. 20

XXXV. Quid in hac visione considerandum, nisi quòd in spiritu & lenitate Moysi surgeret Dux spiritualis Israël, à DEO præordinatus, & princeps populi constitutus? Vnde hanc visionem & benedictionem verè & manifestè in eo adimpletam cognoscimus: quia reuera, cùm plurimi Principes ac potentes, Episcopi & Comites, filiique Regũ, viam hanc ante illum & post eum institerint, Christianorumque exercitus ductores fuerint, nequaquam prosperum iter fecit illis DEVS, aut sui desiderii compotes facti sunt; verùm à Regibus & Barbaris nationibus multa illis aduersa, & vniuerso illorum exercitui, illata sunt: quia non erant illi, per quos salus veniret in Israël. At duce *Godefrido* post vniuersos præmissos viam insistente, desperatiq; exercitus duce ac Principe existente, omnia aduersa in prospera sunt mutata: nec fuit, quod impediret viam, aut quæ noceret aduersitas; nec nisi in sceleratis & transgressoribus inuenta fuit iniquitas: inuẽta verò iniquitate, ex iustitia vera DEI subsecuta est vltio, qua & sanctificata est legio. Et sic filii castigati nunc fame, nunc gladio, tandẽ felices, & mundi ab inquinamẽtis, cum duce & principe suo beatum desiderium explentes, Vrbem Sanctam *Ierusalem* intrare meruerunt, ac Domini Sepulcrum adorauerunt: mœnia etiam possidentes ex DEI prouidentia & voluntate, hunc vrbis rectorem ac populi præceptorem gloriosissimè præfecerunt. 30

XXXVI. Præterea reuelatum est cuidam fratri catholico, & Canonico S. Mariæ Aquisgrani, *Giselberto* nomine, in septimo mense discessionis ac peregrinationis eiusdem Ducis, quòd caput omniũ & Princeps futurus esset in Ierusalem à DEO præscitus & constitutus. Videbatur enim fratri adhuc somno dedito, quòd præfatus Dux in sole potenter sedere accepisset; & ex omni genere auium, quæ sub cœlo sunt, in circuitu illius infinitæ copiæ confluxissent, quarum pars paulatim auolãdo minui cœpit, amplior verò pars fixa & immobilis à dextris & sinistris remanebat: posthæc sol à radiis suæ claritatis maxima ex parte obscuratus est, sedesq; Ducis breui interuallo prorsus deleta, & tota ferè auium multitudo, quæ remanserat, auolauit. 40

XXXVII. In Sole sedem Dux accepit, cùm in solio regni Ierusalem promoueretur, quæ omnes mundi superat ciuitates nomine & sanctitate, sicut Sol sua claritate vniuersas cœli stellas: quam IESVS CHRISTVS, DEI viui filius, qui verus est sol iustitiæ, sua illustrauit & exaltauit Deitate, quando in ea crucifixus, passus, mortuus & sepultus tertia die resurrexit à mortuis; suisque dilectoribus apparuit viuus. Congregatæ sunt aues cœli circa sedentem, cùm de vniuersis regnis Christianorum parui & magni, nobiles & ignobiles, illi associati & subditi facti sunt. Auolauerunt aues, cùm plurima Peregrinorum multitudo ad terram cognationis suę ex illius consensu & licentia reuersa est. Sed plurimę aues fixæ & immobiles permanserunt, cùm multi pio amore illius innodati, & familiari eius allocutione delectati, cum eo vltrà remanere decreuerũt. Post hæc breui interuallo Sol obscuratur, sedes Ducis aufertur, cùm Ierusalem post paulùlum temporis viduata, tam magnifico Principe mortuo, multũ obscurata est 50

rata est à fama & gloria sua, multisque militibus & belligeris viris in illius casu attenuata. Horum somniorum præsignatione ex DEI ordinatione, populique XXXVIII. Christiani beneuolentia, *Godefrido* ad Principem & rectorem suorum confratrum in solio regni Ierusalem exaltato, quidam fidelissimus Christianus, vrbis indigena, lege CHRISTI pleniter instructus, *Crucem* quandam semiulnæ, auro vestitam, cui Dominici ligni particula in medio erat inserta, sed fabrilis operis expers & nuda, indicauit se abscondisse in loco humili & puluerulento desertæ domus, propter metum Sarracenorum, ne in hoc turbine obsidionis inuenta eadem Crux, auro spoliaretur; & lignum Dominicum ab his indignè tractaretur. Hac sancta re-
10 uelatione ligni Dominici vniuersi lætati fideles, qui aderant, in omni abstinentia pura & disciplina, sexta feria, quæ est dies Dominicæ passionis, processione honorifica clerus & populus conuenerunt ad locum, vbi absconditum fuit lignum venerabile. Quod cum timore & reuerentia susceperunt, & ad Templum Dominici Sepulcri cum omni deuotione, hymnorumque modulatione, ferre, & ibidem collocare, decreuerunt. Post hæc placuit vniuerso cœtui fidelium, & visum est XXXIX. vtile acceptumque coram DEO, quoniam vniuersitas Gentiliũ ab vrbe sancta exterminata est, & sacrilegi ritus, *Godefridus* quoq; Princeps Christianorum in throno Ierusalem exaltatus ad protegendam vrbem eiusq; habitatores, vt pastor etiam & *Patriarcha* restitueretur, qui gregi fideliũ, sanctęq; præesset ecclesię. Nam viduata
20 erat pastore suo, Patriarchâ, viro sanctissimo, in insula Cypro tempore obsidionis Ierusalem, ex hac luce subtracto. Migrauit idem Patriarcha ab Ierusalem & Sepulcro Domini, audito aduentu & sede Christianorum circa mœnia Antiochiæ, profectus ad insulã Cyprum propter minas Turcorum & importunitatẽ Sarracenorũ. Fuit quippe vir grandæuus & fidelis CHRISTI seruus, qui à prædicta insula plurima caritatis dona duci Godefrido cæterisq; Principibus misit in initio obsidionis Ierusalem, interdum fructum arboris, qui dicitur malum granatum, interdum pręciosa poma cedrorum Libani, interdum pauones saginatos, aut laudabile vinũ, & quæcunq; iuxta possibilitatem suam consequi poterat; sperans, sub iisdem Principibus adhuc sancta Ecclesia restaurata, pacificè & securè ad Sepulcrum Domini
30 nostri IESV CHRISTI, filii DEI viui, seruire atque præesse. Sed recuperata à fidelibus vrbe *Ierusalem*, & sacra illius ecclesia renouata, Christianissimus Patriarcha è vita discessit, sicque ecclesia suo pastore viduata remansit. Quapropter consilio inter Christianorum Principes habito, & sæpius discusso, vt prædictũ est, quis tanto viro succederet, non aliquis repertus est tanto honore & diuino regimine dignus. Ideoque dilatio facta est, donec inueniretur aliquis, qui ad hoc Pontificale officium foret idoneus: & tantùm *Arnolfum de Robes*, clericum miræ prudentiæ & facundiæ, *Cancellarium* sanctæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ, procuratorem sanctarum reliquiarum, & custodem eleemosynarum fidelium constituerunt. Pro- XL. moto nunc Arnolfo ad hanc dignitatem sanctæ & nouæ Ecclesiæ, donec eligere-
40 tur Patriarcha, DEO & populo acceptabilis, placuit summo principi Ierusalem, duci *Godefrido*, nec nõ & cæteris omnibus, vt in Templo Dominici Sepulcri viginti fratres in CHRISTO diuini cultores officii constituerentur, qui assiduis Domino DEO viuenti in laudibus & hymnis psallerent; hostiam corporis & sanguinis IESV CHRISTI deuotè immolarent; deinde cotidianam sustentationem de oblatione fidelium constitutam susciperent. Sic diuino decenter obsequio restaurato à duce Catholico Christianisque principibus, campanas ex ære cæterisque metallis fieri iusserunt, quarum signum fratres dum caperent, mox ad Ecclesiam, laudes psalmorum missarumque vota celebraturi, festinarent, & populus hæc auditurus vnà properaret. Nõ enim huiuscemodi soni aut signa visa vel audita sunt ante hos dies in Ierusalem. Dehinc curriculo quinque hebdomadarum transacto, dux XLI.
50 *Godefridus*, audita fama Gentiliũ, munita vrbe & turri Dauid fideli custodia, assumtis secum sociis, *Roberto* Flandrensi & *Tankrado*, profectus est in cãpestria *Ascalonis*, audire & intelligere de rebus & consiliis Gentilium. Vbi fortuitò sibi nuncius occurrit, referens, quòd *Merauis*, secundus à rege Babyloniæ, & vniuersa multitudo Gentilium, vt arena maris innumerabilis, ex mãdato Regis iam ad Ascalonẽ nauigio descenderunt; arma, escas & armenta infinita adduxerunt, omnemq; belli apparatũ copiosum; & quod vrbẽ Ierusalẽ & exules Christianos osidere decreuerũt. Gens enim *Publicanorum*, & gens nigerrimæ cutis de terra Æthiopiæ, dicta vulgari-

ter *Azopart*, & omnes barbaræ nationes, quæ erant de regno Babyloniæ, illic ad vrbem Ascalonem conuentum habere statuerunt. Dux verò *Godefridus* & qui cum eo erant, *Robertus* Flandrensis, *Tankradus* & *Eustachius*, frater ducis, comperta fama aduentantium copiarum armorumque Gentilium, iuxta montana, quæ procedunt ab Ierusalem, hospitati sunt. Deinde missa legatione comiti *Reymundo* Ierusalem, & *Roberto* Nortmanorum principi, omnia aperiri iubent: quanta scilicet collectio Gentilium Ascalonem occupauerit, & viam vsque Ierusalem habere constituerit. Vnde eosdem Principes cum omni manu equitum & peditum ad resistendum infidelibus accersunt. *Petrum* verò eremitam, & *Arnolfum*, quem Cancellariū ac custodē Sepulcri Domini constituerant, cum ligno Domini adesse monuerunt 10 ad *Ascalonem* in occursum turmis infidelium sine aliqua dilatione: sed paucos tamen fideles in tuitione ac defensione vrbis remanere decreuerūt.

XLII. His ita dispositis, & exercitu per vrbem diffuso, admoniti ex legatione Ducis & comprimorū, equos & arma, breui interuallo deposita, reparant & resumunt, & iter in cornibus, & tubis & musicis & cytharis, omnique voce exultationis & lætitia per montana insistentes, duci Godefrido, in terminis Ascalonis residenti, coniuncti sunt, per prata & loca compestria hospitati. Solus comes *Reymundus* adhuc stimulo inuidiæ sæuiens aduersus ducem Godefridum, eò quòd turrim Dauid amiserat, inuitatus venire noluit, cum omni manu suorum sequacium: donec denuò à Duce cunctisque Principibus minis pulsatus & admonitus, tandem ex consilio suorum, & 20 blanditiis fidelium virorum, exurgens, atque per montana regia via incedens, cum ingenti manu suorum Duci & prædictis Principibus in campestribus associatus est. Armenta, cameli, asini, boues, bufli, & omne genus domestici pecoris à Sarracenis in iisdem campestribus in multitudine graui dolosè præmissa erāt & dispersa: vt populus Christianus ex concupiscentia raperet & cogeret, prædæque animū aduerteret; vt sic rapinis impeditus, facilius ab hoste superaretur. Sed quidam nobilissimus ex Sarracenis, quondam vrbis *Rametis præfectus*, qui pacem & fœdus, superata Ierusalem, cum Duce iniit, nunc in auxiliū ipsius Ducis Godefridi, licet Gentilis, fideli intentione adueniens, dolositatem Babyloniorum enucleat: dicens, armenta nō aliam ob causam Sarracenos, Arabes, cunctosq; Gentiles præmisisse, nisi 30 vt Peregrinos impedirent, quò magis prædæ quàm defensioni studerent. Hac præmonitione Gentilis principis dux & vniuersi rectores Christiani exercitus rem præcauentes, edictum in omni catholica legione statuunt, vt *quicunque de Peregrinis prædam ante prælium contigerit, auribus & naribus truncatus puniatur.* Iuxta verbum & edictum illud omnes à vetito manus continuerunt, solùm quod victui hac nocte sufficeret, contraxerunt.

XLIII. Altera autem die, prima aurora radiante, vniuersus populus DEI viui bello armatur, in voce exultationis, & omni dulci modulatione iucunditatis, cytharis & musicis, tanquam ad conuiuium pergentes, lætati: Sanctæ Crucis signaculo ab *Arnolfo, Petro*, cæterisq; sacerdotibus muniti & signati, cōfessionis puritate confortati sunt, sub quorum anathemate rursus præda & aliqua rapina 40 ante agonem interdicta est. Præfectus autem ciuitatis Rametis videns populum in tibiis, cytharis, musicarumque sonis, ac voce exultationis iocundari & psallere, tāquam ad epulas omnium deliciarum inuitati essent, admiratus est vehementer; & Ducem super his sciscitatur, dicens: *Miror, & sufficienter mirari nequeo, vnde populus hic in tanta lætitia & voce exultationis glorietur, quasi ad conuiuium iturus, cùm hodiè mors illi præsens sit, & præsens martyrium vniuersos præstoletur, & varius sit euentus belli; atque multa nunc & intolerabilis virtus aduersariorum congregata, non procul hinc castra sua locauerit.* Ad hæc Dux, fide CHRISTI plenus, & spirituali responsione instructus, sciscitanti viro super his sapienter exposuit, cur in spe hodiernæ mortis præsentisq; prælii, ingenti gaudio dulciq; melodia Christianus populus delectaretur. Dicebat enim: *Populus* 50 *hic, quem vides & audis in voce exultationis aduersus inimicos properare, & prælium in nomine Domini* IESV CHRISTI, *filii* DEI *viui, committere, scito, quòd certus est hodie de corona Regni Cælorum; & quia ad meliorem transibit vitam, in qua primùm feliciùs incipiet viuere, si pro eius nomine & gratia in hoc prælio mori meruerit. Ideo in gaudiū & iubilationem cor nostrū erigitur: quia si fortè corruerimus in manu inimicorum, potestatē habet Dominus* IESVS, DEVS *noster, animas nostras in paradiso gloria sua collocare. Iccirco non timemus mortem ante inimicorum impetum: quia certi sumus post temporalem mortem, de certa illius retributione. Hoc verò signum sanctæ Crucis, quo munimur & sanctificamur, procul dubio spirituale nobis scutū est contra iacula inimicorum; & in eodem sperantes, tutiùs aduersus pericula cuncta stare audemus. In hoc vtiq; signo*

sanctæ

sanctæ Crucis redemti sumus de manu mortis & inferni, ac potestate Angeli nequam. Et in sanguine Domini nostri IESV CHRISTI, filij DEI viui, ab omni inquinamento veteris erroris emundati, fiduciam habemus vitæ æternæ. Ducis responsione audita, rogatur per perennis vitæ instructionem suprà dictus Gentilis, vt cùm & ipse causa Christianissimi ducis & Catholici populi contra gentem & confratres suos pugnaturus esset, eodẽ sanctæ Crucis signaculo muniatur & sanctificetur, quatenus fide & spe eiusdem sanctæ Crucis & Crucifixi incolumis ab armis, & inimicorum insidiis, conseruaretur: vtrum autem statim aut post bellum baptismum susceperit, incertũ habemus, præter quod quidam profitentur, quòd visa virtute & victoria Christianorũ, baptismi gratiã perceperit. Huius verò sanctæ Crucis signaculo de manu Arnolfi vniuerso cœtu Christianorum vnà cum Gentili Principe sanctificato, ad arma sumenda, loricas induendas, acies ordinandas & vexilla in hastis extollenda, omniũ fit labor & intentio. Nulla armentorum & vetiti gregis fit concupiscentia; sed pręmissi greges & armenta ad decipiendos fideles CHRISTI, splendore armorum, galearum, clypeorumque stupescunt, & vehementi strepitu ac clamore exercitus attoniti, admirantur. Vnde erectis auribus stupefacti, & immobiles diu persistẽtes, tandem sociantur equitibus & peditibus, & sic armatis permixti cuneis, cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant; atque nubem pulueris multiplicantes, Sarracenis, rem ignorantibus, & cum sua multitudine copiosa à longè stantibus, timorem asperserunt.

XLV. Christianis deinde à montanis egressis, & in valle ac loco cãpestri consistentibus, vbi *Sarracenorum, Arabum, Maurorum, Publicanorumq́;* tentoria fixa erant, & acies ordinatæ, greges & vniuersa armenta, quæ nemo denumerare poterat, sponte segregata & directa sunt sine rectoribus & sine magistris ad locum satis vicini pascui; ac si diuino nutu præmonita & iussa vltrò cuneis Catholicis cederent, ne fortè eis impedimentum fierent; sed vt ibidem in loco pascui persistentes, à Christianis post victoriam reperiri possent. Nec mora, segregatis pecudibus, & visis infidelium turmis, acies Gallorum, sicut constitutæ erant, hæ in fronte, hæ à dextris & sinistris, aliæ ad extremum pugnaturæ, bello aptantur. Vniuersi verò equites & pedites circa sua signa & vexilla cateruatim conferuntur. *Godefridus* dux, & summus post Dominum dominatorum Ierusalem, cum duobus millibus equitum & tribus peditum in omni armatura loricarum, galearum, clypeorum, lancearum & sagittarum portas Ascalonis obsedit, ne vlla vis inhabitantium ab vrbe hac parte erumperet, Gallosque retrò post terga improuisos impugnaret. Comes verò *Reymundus* à dextris versus pomaria spaciosa ac densissima, quæ extra muros erant, cum ingenti manu suorum aciem suam dirigebat, vt bello ingruente, sociis vires & opes augeret; cordaque metu fluxa ab instanti subleuaret angustia. *Robertus* Nortmanorum princeps, & *Robertus* Flandrensis, *Oliuerius* de Iussi, *Gerhardus* de Keresi, *Reynardus* de Tul, densata fronte acies à sinistris cõtra Mauros, & omne genus Gentium in campestribus moderabantur ad committendum prælium. Vniuersi autẽ equites & pedites Christianorum conglobati in signis & vexillis, ad resistendum illic pari animo constiterunt.

XLVI. Sic vtrinque facie ad faciem obsistentibus, crudele bellum inhorruit. Nam *Azopart*, qui flexis genibus suo more bellum solent cõmittere, præmissi, in fronte belli grauiter sagittarum grãdine Gallos impugnauerunt, tubis & tympanistris intonãtes, vt tam horribili sonitu equos & viros perterritos à bello & locis campestribus absterrerent. Habebant etiã iidem Azopart, viri horridi & teterrimi, flagella ferrea & sæuissima, quibus loricas & clypeos graui ictu penetrabant, equos in frontibus percutiebant, & sonitũ terribilem per vniuersa agmina fidelium faciebant. Gens verò *Arabum* & *Sarracenorum* ac *Publicanorum* nũc lanceis, nũc sagittis, nunc fundibulis & omni genere armorũ in millibus suis accedentes, aduersus Christianorum acies dimicabant, prælia multiplicantes, & plurimum diei consummantes. E contra Christianorũ manus exigua aduersus tot millia innumerabilia medio inuoluitur certamine, incessanter pręlia conferẽs, & hostiles acies atterens & attenuans. Tandẽ bello ingrauato, & Gentiliũ cuneis, DEO opitulante, contritis, totus exercitus Regis Babyloniæ fugam iniit; & per agrorum planiciem versus maritima dispersus, tendebat à facie cædentis & persequentis.

XLVII. *Godefridus* dux, *Reymundus* comes, *Eustachius*, *Tankradus*, *Cuno* de Monte acuto & filius eius *Lambertus*, videntes quòd Gentilium exercitus & eorum virtus deficiẽs cedebat, in impetu equorũ & vehemẽti cõcursu ac clamore pedestris vulgi mediis inuolant hostibus; & nimia cæde inter eos sæuientes, plurimum auxilii fratri-

bus contulerunt. *Arabes* verò cæteræque gentes, vt perspexerunt quòd deinceps bellum sufferre non possent, dispersi & contriti, per campos & angustas semitas fugam arripiunt. Sed vndique ab insequentibus victoriosisque militibus vt miseræ pecudes passim perimuntur. Horum infinita pars cùm victa cederet, insecutione Christianorum oppressa, spe salutis, & causa effugiendi, ad naues & maritima contendit. Vbi comes *Reymundus* casu illis occurrit, quos crudeliter cædens & insequens, in profundum maris fugientes, submergi ad tria millia crebra armorum percussione arctauit. Sarracenorum autem cohortibus sic atroci cæde perterritis, & aliis ad mare fugam meditantibus, aliis ad pomaria, plurimis verò portam *Ascalonis* intrare quærentibus, vniuersi victores Christianorum diffusi sunt per ten- 10 toria Gentilium, alii rapientes preciosam purpuram, alii vestes & vasa argentea, plurimamque massam vtriusque metalli preciosioris, alii camelos, mulos, equos, dromedarios cum asinis fortissimis; & cuiq; prædæ, sicut ieiuni & longa abstinen-

XLVIII. tia macerati, nunc totius belli immemores, manus suas inferebant. At Gentiles, quorum innumerabilis multitudo adhuc in littore maris & campestribus locis abundabat, videntes quomodo populus Galliæ rapinis & prædis totus inhiabat, & ab insecutione cessauerat, vsquequaque relictis sociis, & signo tubarum & cornicinum readunatis viribus suorum, viros prædæ intentos, & belli oblitos, viriliter incurrunt, graui strage perimentes incautos: totamq; victoriam Christianorum cruentam reddidissent, nisi dux *Godefridus*, princeps summus Ierusalem, qui 20 versus montana extremas acies dirigebat, periculum illorum considerans, & quia auaritia essent cæcati, sine mora in faciem inimicorum aduolans, prædam prohibuisset; vniuersosque cum iurgio ad defensionem sic hortatus fuisset, dicens: *O viri rebelles & incorrigibiles, quis vos fascinauit, vt ad prædam vetitam & illicitam manus vestræ conuerterentur, donec inimici vestri, DEO auxiliante, in gladio corruissent? Eia relinquite prædã, & hostibus insistite, & nolite cedere nunc insurgentibus, & amaram de vobis vindictam quærentibus.* Dixit, & medias perrumpens acies strictis mucronibus, in manu suorum sequentium graue hostium reddidit exterminium; & tunc vniuersos à pręda reuocatos, secum acciuit in opus belli repetiti. Rursus superati Gentiles, terga vertunt, ab

XLIX. armorum creberrimis ictibus ad Ascalonis vrbem fugam maturantes. Dux ve- 30 rò & qui cum eo erant, fugientes persequebantur tam equites quàm pedites, & nullo interuallo à tergo aduersariorum abfuerunt; sed in cæde grauissima persequentes, vsque ad portam *Ascalonis* eos persecuti sunt. Fortunati, qui in portam recepti sunt, aut intromitti potuerunt. Nam tanta pressura fugiendi & intrandi Sarracenis in ipsis foribus vrbis fuisse refertur, vt duo millia & amplius occisorum & suffocatorum sub pedibus intrantium hominum, equorum & mulorum in foribus & ante fores extincta perierint. Postremi verò & in fuga tardiores, videntes hinc & hinc angustias animæ suæ, & difficilem portarum introitum, & in hoc horrore armorum ianuis clausis se ab vrbe exclusos, arbores palmarum, alii ramos oliuarum aut ficorum conscendere properabant: vt saltẽ ramorum foliorumq; densi- 40 tate latere, vel liberari possent. Sed pedites Christiani nimium propinqui, miseros in arboribus visos, & patefactos subitò sagitta transfigebãt, & quasi aues volatili telo percussas, ab ipsis arborum ramis moribundos humi procumbere, plurimumq;

L. terræ cogebant operire. *Sexta feria, prid. Idus Augusti mensis* commissum est hoc prælium à viginti millibus Christianorum aduersus trecenta millia Gentilium, Sarracenorum, Arabum, Publicanorum, Maurorum de terra Æthiopiæ. Quorum triginta millia in aperta camporum planicie cecidisse, nobis retulerunt, qui in eodem certamine præsentes affuerunt: præter duo millia suffocatorum & occisorum in porta vrbis; & absq; his, qui armorum pericula vitare existimantes, vndis abyssi maris submersi sine numero perierunt. Nulli vero Christianorũ viri nominati illic 50 ceciderunt, pręter paucos pedestris vulgi, vt procul dubio à veridicis fratribus cõpertum est. Hac fugâ & contritione Gentilium, ac Christianorum victoriâ, longissima hasta, argento operta per totũ, quod vocãt *Standart*, & quæ Regis Babyloniç exercitui signũ præferebatur, & circa quam præcipua virtus densabatur, ad quam victi & dissipati reuertebantur, capta est à *Roberto* Nortmanorum Principe, & in Templum Dominici Sepulcri transmissa; & vsque in hodiernum diem ob memoriam victoriæ Christianorum attitulata est. Nunc ergo hac bellorum tempestate sedata, atque *Meraui*, qui secundus à Rege in omni decreto & consilio habetur, cum tota gente sua triumphato, Christianis lætitia prædarum tam in tentoriis quàm

quàm armẽtis, camelis, bufflis, asinis, ouibus, hircis, bobus, cũctisq; rebus tribuitur. Quibus plurimi onusti & refocillati, tota nocte gradiẽtes, in gaudio cordis & voce exultationis Ierusalẽ reuersi sunt, ante Sepulcrum sanctissimũ DEO laudes & gratias super omnibus referentes, quæ eis prosperè & gloriosè acciderunt. LII. Dux *Godefridus* readunatis sociis equitum & peditũ circiter duo millia, vrbis Ascalonis portas in omni latere obsedit, vt ciues & milites ex noua cęde & recenti victoria stupefacti ac trementes, ciuitatem redderent; vltrà desperantes Regis Babyloniæ auxilium, cum totius regni sui virtus congregata, vehementer nunc attrita fuerit & dissipata. Verùm vbi aliquid noctis processit, plurimumq; cõsilii Ascalonitæ de vrbis redditione & vitæ intercessione iniissent, comes *Reymundus*, inuidus omnis gloriæ ducis Godefridi propter turrim Dauid, quam amiserat, Sarracenorum ciuibus occultam in hunc modum misit legationem: *Estote viri fortissimi, & minus Ducis Godefridi ne terreamini, vrbem in manus eius reddentes: quia vniuersi Principes nostri reditũ in terrã cognationis suæ post peractum bellum habere decreuerunt; & exiguam manũ pugnatorum hac nocte circa vrbẽ cum illo remanere sciatis.* Hac Comitis legatione & solamine ciues ac milites animati, & à redditione vrbis & dandis dextris auersi, orto Sole, in mœnibus ad defensionẽ constiterunt, sagittis, fundibulis, omniq; armorũ genere Ducem cum suis ab obsidione vrbis arcentes. Dux autem visa illorũ audacia & repugnatione, & quia de omnibus suis non amplius quàm septingenti equites secum remanserant, & quia instinctu & suasu eiusdẽ Comitis vniuersi Principes abierãt, in littore maris viam continuantes, mouit & ipse castra ab obsidione, via regia secus maritima vsq; ad ciuitatẽ *Assur* pręcedentes comprimores consecutus. Illic comes *Reymundus* per diei vnius & noctis spaciũ obsidionẽ circa ciuitatẽ Assur egerat, arbitrans ex noua cæde & recenti victoria ciues concussos vrbem in manu eius reddituros. Plurimas etiam minas & terrores ciuibus inferens, interdũ vitam & salutem & omnẽ gratiã ab eo consequi, si redderent vrbem, promittebat. Sed ducis Godefridi aduentu cõperto, conscius doli aduersus eum, quẽ per inuidiam fecerat, cum omni comitatu suo ab obsidione Assur recessit, hortatus ciues, ne Godefridũ expauescerent; & ne aliqua minarum illatione aut bellico impetu vrbem illi aperirent, plurimũ contestans, quia nullus Principũ qui præcesserãt, illi ad auxiliũ rediret. LIII. Taliter ciues adhortatus ad impedimentum Ducis, iter maturauit, & in regione, quæ est inter *Cæsaream* & vrbem *Cayphas* iuxta fluuium quendam dulcis aquæ, *Roberto* Flandrensi, & ęquiuoco suo, *Roberto* Nortmanorũ Principi, cęterisq; primoribus associatus est. *Godefridus* dux ad Assur veniens, ciuitatem per diem obsedit, si fortè aliquo euentu aut timore Assyriis incusso, in manu eius traderetur. Sed Reymundi suasione & attestatione hos sicut Ascalonitas rebelles ac resistẽtes inueniens, tristi animo diuertit ab vrbe; & admonuit socios, vt Reymundũ in castris impeterẽt, & omne nefas, quod aduersus se egerat, in caput illius redderent. Qui statim loricis induti, dũ vexillis erectis in castra veniũt, & in Comitẽ animo irato tendere disposuissent, Reymundus verò pariter ex prouidentia armatus ad resistendũ illi occurrere decreuisset, Robertus Flandrensis & cæteri viri magnifici interuenerũt, viros grauiter arguerũt; quos tandẽ vtrinq; multo conatu placatos in cõcordiã reduxerũt. LIIII. Iam DEO & Domino nostro IESV CHRISTO fauente, his in concordiam reductis, *Robertus* Flandrensis, *Robertus* Princeps Nortmanorũ, *Reymundus* pariter de Prouincia, & vniuersi Principes reditus sui intẽtionẽ Duci aperiũt; ac beneuolũ in omnibus, quæ habebant in animo, humili & mansueto habito colloquio inuenerũt. Dux verò in cunctis volũtati fratrũ satisfaciẽ, *Ierusalẽ* remeare decreuit, eò quòd potestas vrbis in tuitione & defensione ipsius collata sit: & diu colla sociorũ amplexãs, & omnes benignè deosculans, obnixè cũ lacrymis precatur, eos in bono cõmendans, vt sui memores existant, & cõfratres Christianos admoneãt, quatenus ad Domini Sepulcrum venire non dubitent; ac sibi cæterisq; consociis in exilio remanẽtibus, auxilio de die in diem aduersus tot barbaras nationes cõcurrant. Viri verò & ciues *Assur*, audito quòd Dux remeabat, & cũ Reymundo cæterisq; in concordiã redierat, de salute vrbis & pace fœdus cum Duce pepigerunt, obsides tributorũ & ciuitatis constituentes illi. Ipsi pariter ab eodem Duce pro stabilitate fidei & pacis *Gerhardum* sibi deuotum militem, ortum de castello Auennis, obsidem susceperunt.

LIV. Et ecce tot præliis, tot laboribus omnibus seculis inauditis, in victoria & bono fine completis, Duce quoque & vniuersis sociis mutuo commendatis, magni & pusilli, primores & subditi, in terram natiuitatis suæ reditum parant à diuti-

no exilio; & *palmas* victoriæ in manu sua referunt, pręnimia pietate lachrymis affluentes super fratribus in exilio relictis. Quibus, osculo dilectionis dato, valedicentes, viam remensi sunt per easdem ciuitates & montium difficultates iuxta mare Palæstinum, qua & venerant in Ierusalem: vbi illis ab omnibus prædictis ciuitatibus, *Ptolemaide, Tyro, Sidone, Triple, Baurim*, & reliquis ciuitatibus, licentia concessa est vendendi & emendi vitæ necessaria. Ab omni denique impetu & insidiis à facie eorum omnes gentes vbique earum quieuerunt, pauidæ & tremefactæ super contritione Regis Babyloniæ, & victoria, quæ ipsis fidelibus à DEO viuente collata est. Sic igitur securè & pacificè loca hæc transeuntes, pauca quidem arma habentes, sed palmas in signum victoriæ manibus portantes, in regionem ciuitatis *Gybel*, frugibus & vineis opulentissimam, declinauerunt: vbi procul à mœnibus vrbis propter loca riuis & pascuis commoda in aperta camporum planicie tabernacula extendentes, duobus diebus bonis vberrimis terræ illius delectati sunt. 10

LV. His itaque in locis dum moram facerent, nunciatum est illis, quomodo *Boemundus*, auaritia aggregandi & acquirendi insaturatus, *Laodiceam*, vrbem & habitationem catholicorum Græcorum, longa obsidione occupasset; turresque duas ciuitatis, in littore maris sitas, magistras vrbis à nautis tributa exigentis, iam captas inuasisset auxilio & nauali assultu *Pisanorũ* & *Genuensiũ*; custodesque catholicos alios trucidasset, alios visu excæcatos ab ipsarũ arce eiecisset. Sed Pisani & Genuenses nõ nimiũ super his iniuriis criminandi sunt: nam ex ore Boemundi longè aliter, quàm res esset, intellexerunt. Vnde falsa illius adhortatione ducentis nauibus prædictas turres vallauerunt, & malis nauium, procera longitudine nubes tangentibus, & sportas vimineas in summitate affixas continentibus, custodes præsidiorũ grauiter oppresserunt, creberrimis lapidum & sagittarum ictibus à superueniente arbore turres & viros impugnantes. Audito enim Pisanorũ & Genuensium aduentu, *Boemũdus*, Princeps subdolus, & frater auarus, ab Antiochia, sex milliaribus Laodiceæ vicina, illis occurens, omne malum & grande nefas de ciuibus *Laodiceæ* referebat: hos enim noxios esse Christianorum calumniatores: vt sic omnium animos in odium ciuium, & vrbis obsidionem, facilius hoc concitaret instinctu. Quare factum est, vt creduli verbi illius primùm turres obsidentes, custodes earum in deditionem cogerent; dehinc turribus sua arte vel vi superatis, vrbem cingerent. Qui graui & longo assultu ciues vexantes, iam trans vallum murorum pontes duos potenter locauerunt, per quos vsq; ad mœnia faciliùs ipsis pateret accessus, & sic vrbs angustiata in breui Boemundo redderetur. In proximo enim fuit, vt ciuitas applicitis huiusmodi ingeniis caperetur, ciues punirentur, & Boemundo omnia iniustè traderentur. Iniustè quidem. Nam in obsidione Antiochię eadem Laodicea nauali obsidione & assultu *Winemari* de Bulonia, piratarũ magistri, & quorundã Christianorũ, cum præfatis turribus superata & capta est. Hi collectione nauium, è diuersis terris & regnis contracta, scilicet ab *Antwerpia, Tyla, Frisia, Flandria*, per mare Prouincialibus in terra S. Ægidii, de potestate comitis Reymundi, associati, nauigio in circuitu orbis terræ vsque ad ipsam vrbem Laodiceę appulsi sunt. Quam occupantes & expugnãtes, Turcos & Sarracenos, iniustos dominatores, in ea repertos gladio percusserunt, vrbem verò & eius mœnia apprehendentes, comiti Reymundo cũ ipsis turribus post obsidionẽ Antiochiæ contulerunt. *Winemarus*, magister & doctor piratarũ, post hæc à Turcopolis & militibus regis Græcorũ captus & carceri deputatus est: sed ducis *Godefridi* interuentione post plurimum temporis à carcere & vinculis eductus est. Comes verò *Reymũdus* post captionẽ Antiochiæ, decreto itinere suo in Ierusalẽ cum cæteris, *Imperatori Constãtinopolis* Laodiceã ciuitatẽ, Turcis & gẽtibus ereptã, restituit; & sic fidẽ inuiolatã illi reseruauit. Iurauerat enim sibi, fœdusq; percusserat cũ eo vnà cũ Godefrido & Principibus cęteris, de cunctis vrbibus, castellis & terris, ad regnũ ipsius pertinentibus, nihil quicquã de omnibus retinere aut mentiri. Hac de causa Boemundũ Principes, ab Ierusalẽ regressi, & in terminis ciuitatis Gybel hospitati, cõperientes Laodeceã iniustè obsedisse, ac Imperatori comitiq; Reymundo iniuriã fecisse, nuncios cõstituũt, qui eũ amicabiliter & pacificè ex legatione & rogatu Christianorũ confratrũ, ab Ierusalem in victoria DEI redeuntiũ, cõpellaret, quatenus ab vrbis obsidione recederet, nullamq; vltrà Christianis calumniã inferret. Interea dũ ad hoc nuncii eligerẽtur, Episcopus Pisanorũ, *Dagobertus* nomine, cognito aduẽtu & reditu Christianorũ Peregrinorũ ab Ierusalem, quorum per plurimum tempus fama nota fuit aut memoria vsque ad diem

20 30 40 50

LVI.

diem hanc, assumtis aliquibus viris de comitatu suo egregiis, fratres adire & visitare contendit. Quibus inuentis in regione prædicta, nullo modo à fletu præ gaudio se continere potuit; sed in omnium Maiorum atque minorum colla ruens, cœpit cum lacrymis vniuersos deosculari, dicens: *Verè & absque vlla ambiguitate fateor vos filios & amicos DEI viuentis, qui non solùm rebus vestris, vrbibus, castellis, prædiis, vxoribus, filiis ac filiabus abrenunciauistis, sed etiam animabus vestris non pepercistis, cùm hanc DEI & Domini nostri* IESV CHRISTI *expeditionem, in tam longinquas & barbaras nationes facere non dubitastis: totâ aduersâ, vt compertum habemus, pro redemtoris nostri gratia sustinuistis. Non est auditum à* CHRISTI *natiuitate, vt aliquis Christianorum exercitus, per tot regna & pericula transiens, Ierusalem, in potentia & virtute, expugnatis & eiectis adulterinis filiis & incolis, obtineret, ac loca sancta mundaret; atque in ea post victoriam ad tuendum magnificum Christianorum principem Godefridum exaltaret, sicut de gloria & virtute eius & vestra nunc accepimus. Propter quod gauisi desiderio videndi vos, & salutandi ac colloquendi, huc venire decreuimus.*

[LVII.] Ad hæc a fidelibus Peregrinis venerabili Episcopo sic responsum est: *Si Christianorum prosperitati congaudetis, & saluti arridetis, cur Christianis ciuibus, videlicet vrbis Laodiceæ iniustè vim intulistis, turres eorum cepistis, custodes trucidastis, & adhuc vrbem obsidione vallastis?* His auditis, Episcopus benignè & patienti animo excusauit se, ac se suosque in omnibus ignoranter deliquisse profitetur, dicens: *Mundi à sanguine hoc sumus. Nam cùm rudes ac totius guerræ ignari, nauigio ad has partes venissemus, Boemundus ab Antiochia nobis obuiam factus est, qui ciues Laodiceæ falsos Christianos esse asseruit; eosdem etiã semper Christianis confratribus aduersari, & traditores Peregrinorum apud Turcos & Sarracenos fuisse illos summopere referebat. Ad hoc vlciscendum, opem & virtutem nostrã precatus est. Nos verò verbis & assertionibus illius credentes, hosq; ciues sceleratissimos æstimantes, vires & opẽ sibi ad obsidendã vrbem & eius habitatores contulimus; & obsequiũ nos præstare DEO in occisione illorum arbitrati sumus. Sed nunc veritatẽ ex ore vestro nouimus, quomodo inuidia & auaritia, non DEI gratia, hos Boemũdus persequitur; & nos miserè decepit ad obsidendos & puniendos Christianos. Et ideo sine mora ad nostros redituri, rem aperiemus, & sic ab vrbe eos & ab omni impugnatione cohibebimus.*

[LVIII.] Hoc dicto, nuncii ab exercitu Hierosolymitarũ cum Pisanorũ Episcopo profecti sunt. Sed *Boemundũ* in nimia auaritiæ suæ pertinacia reperiẽtes, legationẽ confratrum & comprimorũ benignè sibi aperuerunt, quatenus ab vrbe Laodicea arma & vires suas amoueret; ne erga Imperatorẽ Græcorũ fidẽ promissã mentirentur, & reditus sui impedimentũ grauissimum in regno illius paterentur. Boemundus verò auditis nunciorũ verbis, petitionẽ & admonitionẽ fideliũ prorsus spreuit; & nunquã se recessurum à muris & mœnibus *Laodiceæ* asseruit, donec vrbs & ciues suæ manuciparẽtur ditioni. Nuncii autẽ omnia responsa & aspera verba Boemundi, eiusq; impatientiã, ad exercitũ referentes, primoribus indicant; ac iras omniũ vehementer acuentes, eò animos illorũ commouẽt, vt arma acquiri, & bello aptari vniuersi, parui & magni, monerentur. Ad hæc *Episcopus*, Boemundi intentione & respõsione cognita, in castra & classes suorũ descendẽs, vniuersos, qui in suo erant comitatu, causam edocuit & commonitionẽ Christiani exercitus. Sic cunctis *Pisanos* & *Genuenses*, in Domino DEO compunctos, ab obsidione vrbis, & auxilio Boemundi, reuocauit, ne vltrà ad subueniendũ manum in ciues mittere præsumsissent. Boemundus ergo videns, se auxilio destitutũ, viresq; suas nimiũ attenuatas, & quòd fideles CHRISTI ac Principes bello & vi armorũ eũ amouere cõiurassent; vespere cœlos terrasq; obumbrante, ab obsidione murorũ procul cum omni manu sua secessit, & confratrũ volũtati, nescio amore an timore, nolens volensq; obtẽperauit.

[LIX.] Crastina verò die per vniuersum mundũ relata, omnis multitudo Peregrinorũ armis & loricis induuntur; & iter insistentes, plurimumq; diei peracto, Laodiceã peruenerunt in vexillis ostreis tubarumq; multitudine. Sed nullã contradictionẽ sibi resistentiũ inuenientes, pacificè portas ciuitatis, vltrò sibi à ciuibus patefactas, introierunt in omni susceptione benigna. Boemundum enim procul abstitisse, & abhinc vsq; ad dimidiũ milliare cõsedisse, eis nunciatũ est. Comes ergo *Reymundus* cũ quingentis fratribus suæ societatis munitionẽ vrbis ingressus suum vexillũ, quod erat notissimũ, in eminentioris turris erexit cacumine, custodia suorũ per vniuersas Laodiceæ turres locata. Cæteri verò fratres & comprimores per omnia ędificia domorũ extrà & infra hospitãdi gratia diuisi sũt. Circiter viginti millia Hierosolymitanorũ erat numerus, quando ab Ierusalẽ reuersi, Laodiceæ confinia intrauerunt, quibus omnium rerum vitæ necessariarũ copia à venditoribus concessa est. Mensis enim September & Autumni tempus erat, quando

Laodiceam peruenerunt. Vbi pręcipua vbertate frumenti, vuarum, musti, olei & hordei fruentes, quindecim dierum spacium lętanter peregerunt, ciuibus vrbis & Peregrinis Pisanis ac Genuensibus omnem familiaritatis & affabilitatis mutuā gratiam exhibentibus. LX. Inter hæc mutuæ caritatis gaudia vtrinque sui recordati Christiani nominis, & communiter habitæ tribulationis, passionis & pristinæ dilectionis, internuncios constituerunt, qui Boemundum de iniustitia sua arguerent, & de concordia interpellarent: quatenus compunctus fratribus reconciliari non abnueret, fratres quoque eum satisfacientem benignè in concordiam & caritatem reciperent. *Boemundus* his auditis nunciis, compunctus super omnibus, in vnitatem & dilectionē festinanter redit. Etenim statuto die in campestribus Laodiceæ colloquio habito, præcipuè inter duos comites *Reymundum* & *Boemundum*; dehinc inter alios pax & amicitia firmata est, & omne vetus odium penitus exclusum. Sicque triduò cum illis Boemundus moram faciens, in obsequio caritatis victoriam Ierusalem sciscitatus est: post hæc Antiochiam cum suis reuersus est. *Robertus* verò Flandrensis, *Robertus* pariter Nortmanorū princeps, *Gastus* de Burdeiz, *Cuno* de Monte acuto & cæteri compares, post aliquot dies reditum nauigio constituerunt ad terram natiuitatis suæ. At comes *Reymundus*, metuens Laodiceam & Tortosam vrbes, quas difficili labore subiugauerat, ex Boemundi auaritia & instabilitate amittere, cum plurima manu suorum sequacium remansit.

ALBERTI AQVENSIS EXPEDITIONIS HIEROSOLYMITANÆ LIBER SEPTIMVS.

Argumenta Capitum.

I. Ciues Assur, transgressores fœderis, Dux obsidet iteratò.

II. Lacrymosa narratio de Gerhardo milite.

III. Vbi Ducis machina procumbente, plurimi Christianorum pariter conflagrârunt.

IV. Exhortatio Ducis ad milites.

V. Populo pœnitentia indicitur, sed concremata simili machina, iterum plectitur.

VI. Soluta obsidione Assur, Boemundus & Baldewinus sanctam ciuitatem ingrediuntur.

VII. De ambitione Patriarchatus Pisani Episcopi.

VIII Principes cum Duce Iordanē adierunt.

IX. Vbi ciues Assur graui membrorum abscissione mulctantur.

X. Milites decem Christiani triginta equites Gentilium fugant & necant.

XI. Apud Assur iterum Babylonici à Ducis militibus detruncantur.

XII. Assur ciuitas facta est tributaria, & Ioppe instauratur.

XIII. Principes circumiacentium ciuitatum munerarios se Duci sponte offerunt.

XIV. De eodem, & quòd Dux pacē statuerit per terram.

XV. Suprà dictus Gerhardus incolumis remissus beneficiis honoratur.

XVI. De pertinacia grossi rustici.

XVII. Tankradi nuncios Princeps Damascenus perdidit: terram eius Dux inuadens, grossum rusticum ad fœdus coegit.

XVIII. Vbi Dux gloriosus cœpit ægrotare.

XIX. Venetorum muneribus Dux honoratur, ac deinde vehemētius ægritudine premitur.

XX. Consilio Ducis castelli Cayphas obsidiò præparatur.

XXI. Obitus gloriosi Ducis & Werneri militis.

XXII. Obsidio castelli Cayphas.

XXIII. Tankradi hortatu obsidio lentata paululum reparatur.

XXIV. Quanta pertulerint illic fortissimi milites.

XXV. Oppidum Cayphas expugnatur.

XXVI. Gelmarus expulsus, & Tankradus castellum Cayphas obtinuit.

XXVII. Consilio Maiorum Boemundus ad regnandum in Ierusalem vocatur, sed in itinere capitur.

XXVIII. Donimanus, Princeps Turcorum, obsessis Malatinæ Christianis contemnitur.

XXIX. Baldewinus liberare volens Boemūdum, nihil proficit.

XXX. Baldewinus per legatos conuenitur, vt fratris loco regnū Hierosolymitanum suscipiat.

XXXI. Baldewinus Ierusalem profecturus, æquiuocum suum ciuitati Rohas præfecit.

XXXII. Baldewinus, diro imminentis prælij nuncio pulsatus, cum paucis obuiam pergit.

XXXIII. De eodem.

XXXIV. Ipse fugam simulans, reuersus gloriosam adeptus est victoriam.

XXXV. Quàm sagaciter Baldewinus versutiam Tankradi præuenit.

XXXVI. Tankrado solo aduentu Baldewini perterrito, Baldewinus sanctam ingressus est ciuitatem.

XXXVII. Perquisitis rebus defuncti fratris, à viris

POSTQVAM ciues *Assur*, vulgariter *Arsid*, ex consilio inuidiorum, vrbẽ & reditus, quos pepigerant Duci Godefrido singulis ãnnis cõferre, cõcussi timore victoriæ, quam acceperat iuxta Ascaloně, prorsus negauerunt, obsides illius, pro pacto amicitiæ datos, iniquè retinentes, & suis gaudẽtes receptis, qui in fide malè seruata Ducis euaserãt custodiã, vltrà se à facie Ducis forti muniẽ e tutela. Quapropter Rex ira motus, cæteriq; nobiles & ignobiles, qui secũ remanserant, nẽpe *Willehelmus de Montpelir*, *Wernerus de Greiz*, *Geldemarus Carpent*. *Wickerus Alemanus*, vniuersi equites & pedites Christiani cũ tribus millibus vrbẽ cinxerunt, in circuitu eius tabernacula sua extendentes. Collocatis ergo vndiq; tentoriis, aptauerunt machinas & instrumẽta mangenarum, spacio septem hebdomadarũ summo studio ea fabricantes. Applicitis tandẽ muro ingeniis, fortiter ciues oppugnabant. Illi verò non segnius pro vita resistebant à turrita arce & mœnibus. Sed frustra videntes se in defensione desudare, malum naualem proceræ altitudinis, qui in media vrbe iacebat, funibus & catenis astrictum leuauerunt in altum, in quo vnum de obsidibus Ducis, *Gerhardum* prædictum, ortum de genere Hamaicorum de præsidio Auennis, militem egregiũ affixerunt, in modum crucifixi manus & pedes illius extendẽtes funibus: quem iã diu pœnis consumtũ à carnificibus arbitrabantur Christiani. Sed erectus & affixus in culmine mali idẽ Gerhardus, in hanc miserabilẽ vocẽ cũ lacrymis erupit, ac ducẽ alloquitur: *O Dux illustrissime, nũc reminiscere, quomodo tuo præcepto huc obses & exul inter barbaras nationes & viros impios transmissus sum. Ideoq; peto, vt aliquã misericordia vel humanitate super me mouearis et tã graui et sæuo martyrio me perire nõ patiaris.* Cui Dux: *Nequaquã, ô Gerharde, miles acerrime, tui misereri possũ, et tot homines auertere à vindicta ciuitatis huius. Et ideo, si frater meus vterinus esses, vt Eustachius hac conditione liberari non posses, vt vrbs illæsa permaneat. Mori siquidẽ habes, et vtilius est, vt tu solus moriaris, quã decretũ & iusiurãdũ nostro-*

40 ... 50 (marginal line numbers); margin: II. III.

rum violetur, & vrbs hæc semper Peregrinis habeatur infesta. Si enim præsenti vita moriaris, viuere habes cum CHRISTO *in cœlestibus.* Hæc Gerhardus intelligens, & nulla se lacrymarum prece videns proficere, summopere Ducem exorat, vt equum & arma sua Sancto præsentaret Sepulcro, quæ illic DEO famulantibus pro remedio animę suæ largiatur. Ad hæc Dux & vniuersa multitudo Christianorum fortiter assiliunt vrbem, in confratre Gerhardo totius pietatis & misericordiæ obliti, vrbis defensores in sagittis & fundibulis & mangenellis circumquaque impugnantes. Et iam inter plurimas sagittas, incautè emissas, decem sagittis eiusdem Gerhardi corpus confixum & vulneratum est.

III. Gentiles autem cernentes, quia vir strenuus, omni pietate à cordibus suorum exclusa, vulneraretur, sic Duci & omni populo Christiano magnis blasphemiis improperabant, dicentes: *Gens impia & crudelis, qui minimè fratri & conchristiano vestro parcere curastis; sed acrius, illo viso & eius perditione, vrbem atque ciues oppugnastis.* Hoc dicto, ab intus mangenellis, balistis & sagittis viriliter resistentes, vrbem in machina expugnantes Ducis milites nitebantur repellere. Palos enim ferreos & acutos, oleo, stuppis, pice, ignis fomite inuolutos, & omnino aqua inextinguibiles, creberrima iaculatione à mœnibus intorquebant machinæ trans taurina cornua, quibus vimineæ crates opertæ erant ad excutiendos iniectos ignes. Sed tandem paulatim flamma suscitata, & vires vndique in arida materia rapiente, tota machina combusta humi procumbens corruit cum tribus cœnaculis: in quibus viri bellatores amplius quàm quinquaginta, à Duce & cæteris primoribus constituti, nunc vndiq; flammarum inuasione occupati, cum ipsa machina ruinam perpessi sunt. Alii fractis ceruicibus & collo, alii semiputatis cruribus eorum aut brachiis, quidam ruptis visceribus ab intolerabili massa lignorum, nec vlla ope liberandi, vnà cum lignis in fauillam & cineres redacti sunt. In quibus *Franco de Mechela* villa, quæ est super Mosam fluuium, miles imperterritus, ab ardentissima trabe occupatus, eodem igne inextinguibili incendio concremari ab omnibus visus est.

IV. Continuò sine mora *Rotholdus*, miles acerrimus, videns quia ars & flamma Sarracenorum inualuit, machinaque cum inhabitatoribus suis humi procubuit, à mœnibus vrbis, in quæ à machina descenderat ante incendium vnà cum *Petro Longobardo*, milite præclaro, celeri pede desiliit, quòd nullum eis auxilium ferebatur; & in vallo iuxta muros constiterunt illæsi. *Sarraceni* autem videntes eos iuxta muros corruisse, ferratis sudibus, & immensa mole lapidum, viros opprimere certabant: sed DEO protegente, & galea fortissima crebros ictus sustinente, viui & incolumes ad societatem Christianorum reuersi sunt. Dux itaque cernens, sic suos audacissimos milites graui interitu & ruina corruisse, alios extinctos & combustos, alios eneruatos, & omne opus machinæ celeri strage & edaci flamma consumtum, ac plurimos Christianæ societatis animo deficere, fugamque meditari, mœstus & dolens, vniuersos desperatos reuocare cœpit ad assultum vrbis, ad interitum aduersariorum, ad firmandam obsidionem, dicens: *Ah miseri & inutiles, ad quid de terra & cognatione vestra exiistis, nisi vt animas vestras vsque ad mortem pro nomine* IESV *daretis, & redemtione sancta Ecclesia, & liberatione confratrum vestrorum? Ecce ciuitas hæc, & vniuersa nationes in circuitu, Ierusalem vrbi inimicantur, & insidiantur saluti nostræ; quarum hæc vna est, quam obsedistis. Videte, ne deficiatis à proposito vestro, & tam viliter effæminati, hanc vrbem insuperatam relinquatis. Agite ergo pænitentiam luxuriæ vestræ fœdissimæ, quam in hac via sancta incesti exercuistis, & omnium iniquitatũ vestrarum, quibus gratiam* DEI *offendistis; & sic Dominum cœli, apud quem non est iniquitas, venia & confessione delictorum vestrorum purgati, facite vobis placabilem: quia sine illo nihil potestis facere.*

V. Ad hanc Ducis vocem & admonitionem vniuersi fugæ intenti, & timore concussi, tunc solatio roborati, obsidionem circa Assur amplius & validius, quàm antea firmauerunt, donec & altera machina, iteratò fabricata, muris applicaretur, per quam ciuitas capta redderetur. In hac tandem repertis omnibus, crastina luce primùm exorta, *Arnolfus* Cancellarius Sepulcri Dominici, clericus illustris & DEO deuotus, ipsum Ducem & vniuersos magnos & paruos cœpit redarguere de perfidia & duritia cordis, qua in fratres suos, *Gerhardum* & *Lambertum*, malo affixos, & apud Assyrios obsides derelictos, peccauerũt. Idcirco omnes de hac impietate, cunctorũq; fœditate delictorũ, ad confessionẽ & correctionẽ paternè cohortatus est. Sic itaq; eo adhortãte ad cõpunctionẽ cordis, & veniã culparũ suarũ, lacrymis profusis in vnã erigũtur volũtatẽ ad vrbis obsidionẽ; rursumq; cõponentes machinã & tormẽta lapidũ, lõga tẽpora circa muros expleuerunt. Ad instar verò magnitudinẽ prioris

prioris machinæ altera hæc machina facta & composita, muris ciuitatis in virtute loricatorum, ac multitudine virorum & mulierum, trans vallum applicata est, & in eius cœnaculis viri fortissimi & audaces, ad pugnam ciuibus inferendam, constituti sunt. Hæc autem machina dum sic trans vallum traheretur, vt muros ciuitatis plurimum sublimitate superaret, virique ex ea arcu, iaculis ac lanceis mœnia oppugnarent, ciues etiam in mœnibus consistentes grauiter vexarent, simili iaculatione palorum ignitorum, vt priorem machinam, *Sarraceni* eam infixerunt, quousque flamma suscitata inualescens crates, postes, trabes inuasit ac combussit. Mox ad extinguendam machinam de omni exercitu & tentoriis concurrunt viri ac
10 mulieres, aquam singuli in singulis vasis afferentes. Sed minimè profecit tanta aquarum suffusio. Nam huius ignis genus aquâ erat inextinguibile, & flamma magna & insuperabilis, ideoque machina nequaquam potuit extingui, donec penitus combusta ruinam magnam faciens, quàm plurimos virorum ac mulierum circumstantium diuersis plagis attriuit. Alii ibidem mortui, alii membrorum læsione eneruati iacebant; quidam semineces quassatis visceribus purpureum sanguinem vomebant: Alii flammis suffocati, à nemine liberari valentes, miserè periclitabantur. Vnus erat dolor pereuntium, nulla quies. Nihil his ingeniis Duce VI. proficiente, consilio suorum accepto, eò quòd ciuitas *Assur*, hoc tempore grauissimæ hyemis inchoante, præ frigore & niue insuperabilis haberetur, Ierusa-
20 lem Decembri mense mediato rediit, sed centum equites cum ducentis peditibus *Rames* vel Ramæ attitulauit, qui assiduè ciues Assur impugnarent, ac bello lacesserent. Giues verò præcauentes, ne aliquis impetus aut insidiæ illorum ex improuiso nocerent, nequaquam longè à muris procedebant. Vnde milites Ducis sata & vineta illorum per singulos dies deprædabantur. Tandem iidem milites Christiani videntes, quia nihil insidiis aut assultu proficerent, *Ierusalem* & ipsi reuersi, per spacium duorum mensium se ab omni impetu & infestatione continuerunt. Sic securi facti viri Assur, & aduersitatis nihil vltrà æstimantes, in negotiis suis paulatim ab vrbe procedebant incautè, & vites agrosque excolebant. *Boemundus* secus ciuitatem *Antiochia* audita Christianorum victoria, & Godefridi Ducis
30 gloria & exaltatione in Ierusalem, ex verbis & relatione Roberti Flandrensis, Roberti Normanorum principis, & cæterorum redeuntium, *Baldewino* eiusdem Ducis fratre, admonito per legatos, viam Ierusalem insistere decreuit ad visitandum locum Dominici Sepulcri. Quibus *Dagobertus* Pisanus Episcopus, cum omni comitatu suo longo tempore (trium mensium) in regione commoratus Laodiceę, nunc in via hac adiunctus est; datisque muneribus, cum vtrisque pactus est amicitiam, de die in diem in omni sermone, & actione simulatæ religionis, cunctis nimium acceptus. *Natali* autem *Domini* in proximo facto, præfati Principes cum ingenti honore & comitatu Christianorum Ierusalem sunt ingressi; duce Godefrido gloriosè eis occurrente; & præ gaudio, nimioque desiderio eos videndi, pia eis os-
40 cula faciente. Aliquot deinde diebus transactis, *Episcopus Pisanus*, multum VII. fautoribus Baldewino & Boemundo sibi conquisitis, Duci adeò gratus & dilectus fieri cœpit, quo vsque ad Patriarchatus dignitatem prouehi meruit, collatione potius pecuniæ, quàm dilectione nouæ Ecclesiæ. Idem verò Dagobertus cùm adhuc Pisanus esset Episcopus, ab *Vrbano* Romanorum summo Pontifice, in Hispaniam directus in legationem Christiani cultus & religionis, honorificè ab Rege, *Alfonso* nomine, susceptus est, & ab omnibus Episcopis & Archiepiscopis regni illius, in obedientia & caritate: quin & muneribus preciosis ac magnificis, tam in auro quàm in argento & ostro ab ipso Rege cunctisque primoribus ditatus & honoratus est. Innotuit etiam plurimis, quomodo arietem aureum miri decoris &
50 operis idem Rex illustris per manū eiusdem Dagoberti domino Apostolico caritatis causa dono miserit: quem ille cum cætera vndecunque collecta pecunia inardescens auaritia, celando retinuit. Et, vt pro vero aiunt, quibus res patuit, hanc massam grandis talenti & arietis aurei, mortuo Vrbano Pontifice, Ierusalem detulit; ac Boemundum Baldewinumque corrumpens, Godefrido duci arietem & cætera munera contulit; sicque Patriarchatus honore sublimatus est. Iam VIII. *Dagoberto* in cathedra Hierosolymitanorum sedis Patriarcha constituto, & consecrato à *Roberto* Episcopo ciuitatis Rama, quam vulgariter nominant *Rames*, & Natali Domini in omni iucunditate & lætitia à viris catholicis & Principibus celebrato, Boemundus, Baldewinus & ipse Patriarcha à Duce impetrauerunt, vt sic

iter moderarentur, quatenus ad Iordanis flumen in vigilia Epiphaniæ Domini conuenirent, vbi Dominus IESVS à Iohanne baptizari dignatus est. Qui voluntati & desiderio eorum satisfaciens, in omni apparatu & virtute peditum & equitum cum eis ad ipsum flumen descendit: in quo præ gaudio loti sunt & delectati. Post hæc *Baldewinus* & *Boemundus* in omni hilaritate & mutua gratia cum Duce lætati, illic in regione Iordanis, dato cum lacrymis osculo, ad inuicem dissociati sunt: Godefridus cum Patriarcha reuersus Ierusalem; Boemundus verò & Baldewinus Antiochiam & Rohas reuersi sunt.

IX. De hinc mense Februario mediante, ciues *Assur*, dum securè de die in diem in omnibus negociis studerent, & pacificè ad excolendas vineas & agros procederent, quidam Sarracenus ex ciuibus vrbis Assur, vt gratiam inueniret in oculis Ducis, omnia propalauit, quàm securi, & nullius mortis respectum habentes, ab vrbe ciues exirent ad omnia, quæ eis erant necessaria. Dux autem Sarraceno audito, benignè illi in omnibus aurem adhibuit, & curam eius egit, vt sic magis viro blandiretur: vnde ab illo traditore dies designata est, qua illos in vineis agrisque laborantes alios occidere, alios posset comprehendere. Eadem itaque die illucescente, *Godefridus* dux quadraginta milites armatos iuxta *Rames* in insidiis constituit: qui Sarracenos ad mille egressos repentino impetu equorum aggressi sunt; & eos sæuo vulnere interimentes, supra quingentos naribus amputatis & manibus aut pedibus in campo semiuiuos reliquerunt, ipsi verò victores cum captiuis vxoribus eorum & pueris *Ierusalem* reuersi sunt. Cognita hac strage grauissima, tota ciuitas Assur dolore & lamentis commota est, & vniuersi in ea habitantes: qui sine dilatione Regi Babyloniæ tam crudelis famæ & damni nuncios miserunt.

X. Audito quidem tam crudeli nuncio *Merauis*, qui post Regem secundus imperat, & cuius voci omnes ciues, & vniuersæ ciuitates de regno Babyloniæ, obœdiunt, turbatus est vehementer, statimque centum equites Arabes & ducentos *Azopart* mittere se promisit ad subueniendum ciuibus, vrbemque tuendam: non enim passus est ad aures Domini Regis Babyloniæ Ammirabilis tam grauem legationem peruenire, ne cor eius nimium grauaretur. Intellecto hoc solamine, quod promiserat Merauis, multum gauisi sunt ciues Assur, & ab illo die portis apertis, ipsi & omnia armenta securè in agros procedebant, sed non tamen longè ab vrbe. Deinde octo diebus transactis, auxilium & vires Regis Babyloniæ illis affuerunt, centum equites Arabes & ducenti Azopart: quorum iussione & consolatione longius, quàm solebant, ab vrbe & porta procedere præsumebant. Audito tandem in Ierusalem aduentu illorum, surrexerunt clam Duce decem milites Christianorum, & in termino Rametis constiterunt ad explorandam rei veritatem, vtrum milites Babyloniæ affuissent in auxilium vrbis Assur. Qui protinus quinque armigeros direxerunt ante mœnia vrbis ad lacessendos & producendos viros, quorum fama erat; ipsi verò decem in campestria Assur descenderunt. Armigeris autem discurrentibus in equis ante mœnia vrbis ex decreto decem militum, triginta equites Arabum ab vrbe subitò exierunt armati, eosque grauiter insecuti sunt, post tergum relictis insidiis. Armigeri verò quantocius equorum velocitate ad decem equites Christianorum fugam inierunt. Quibus ad subueniendum decem domini sui illico in equis & armis affuerunt; & triginta *Arabes* in fugam remittentes, vsque ad portas & mœnia Assur eos persecuti sunt, tres illorum in momento perimentes; quorum capita, ab armigeris amputata, cum equis & spoliis eorum afferentes, Ierusalem cum gaudio reuersi sunt.

XI. Comperta hac victoria, & tam laudabili audacia decem equitum, Dux & vniuersi sui lætati sunt: Vnde centum & quadraginta equites conuocans, in insidiis versus Rames conductu *Werneri* de Greis, ac *Roberti* probi militis de Apulia, ituros, constituit, vt Arabes milites aliqua arte lacessitos, & ab vrbe Assur productos circumuenientes, aliquid insigne cum eis molirentur. Manserunt itaque hi milites Christiani Ducis iuxta Rames in insidiis duobus diebus: donec ciues Assur tertia die egressi fiducia suorum militum per agros cum gregibus suis, ignari totius infestationis, vagari securè cœperunt. Illis verò sine respectu periculi vagantibus, viginti milites continuò ab insidiis & societate Christianorum egressi, prædam vndique contraxerunt, vi etiam abducentes: sed mox à militibus Assur excussa est. Ad hæc tota manus Christianorum consurgens, ab insidiis fortiter assilierunt: milites quoque Arabum & Azopart omnesque pedites illorum idem fecerunt: & vtrinque graue commissum est prælium. Tandem Christiani præualentes,

lentes, plurimam partem illorum occiderunt; prædamque retinentes, cum pluri-mis equis & captis ibidem militibus in gloria & iucũditate Ierusalem reuersi sunt. Residui autem Sarraceni, qui pauci vix euaserant, cum fama luctuosa Babyloniam reuersi sunt: & Regis iram, Babyloniorumque metum, adauxisse, nulli dubium habeatur. Dux denique Godefridus de prospero euentu suorum non ad modicum lætatus est. Sic tandem ciuitas *Assur* tædio affecta, nec Regis sui auxilio videns se posse resistere, pacem composuit; claues portarum & turrium Duci obtulit, facta ei tributaria. Cuius tributa Roberto, militi præclaro de Apulia, pro conuentione solidorum à Duce concessa sunt. Post hæc Dux volens adhuc amplius vrgere & subiugare ciuitatem *Ascalonem*, & cæteras vrbes sub regno Babyloniæ deprimere & debellare, *Ioppen*, quæ vulgariter *Iaphet* dicitur, antiquo ex termino dirutam, reædificari, murisque muniri, constituit: quatenus illic portus nauium fieret, & ab hac cæteris Gentilium ciuitatibus locus esset resistendi ac nocendi. Firmata ac munita ciuitate Iaphet, ab omnibus regnis & insulis Christianorum mercatores, vitæ necessaria afferentes, ad eius portum accedebant: Peregrini quoque aduentantes vsquequaque securè illuc descendebant, corpora sua hospitio & quiete curantes. *Sarraceni* autem dolentes & tristes facti sunt, eo quòd ab hac ciuitate reædificata & instaurata vniuersæ ciuitates Gentilium in circuitu subiugandæ, debellandæ ac deuastandæ essent; Christianorumque vires per mare aduentantes de die in diem augerentur. Quid aduersus hoc facerent, Gentiles nihil melius senserunt in omni consilio, nisi vt legatio ab Ascalone, Cæsarea, & Ptolemaide vel Accaron, ad salutandum Ducem maturaretur ex parte Ammiraldorum prædictarum vrbium. Nec mora, legatio ad aures Ducis & omnium primatum suorum Ierusalem in hunc modum delata est. AMMIRALDVS ASCALONIS, AMMIRALDVS CÆSAREÆ, SIMILITER AMMIRALDVS PTOLEMAIDIS, DVCI GODEFRIDO IN OMNIBVS S. *Exoramus te, Ducem gloriosissimum ac magnificum, quatenus gratia & concessu tuo ciues nostri securi & pacificè ad negocia sua procedant. Et decem valentes equos mulosque tres, corpore elegantes, tibi mittemus; ac singulis mensibus quinque millia Byzantiorum in ratione tributorum reddituri sumus.* Hoc pacto nimium pax facta & firmata est, quin abhinc amicitia fieri cœpit de die in diem, præcipuè inter Ducem & Ammiraldum ciuitatis Ascalonis; & donorum copiæ Duci accrescebant in frumento, vino, hordeo & oleo plus quàm dici & memorari possit. Similiter Cæsarea & Accaron, datis muneribus auri & argenti, pacem & securitatem obtinebant. Incubuit enim timor Christianissimi Ducis vniuersas terras & regiones Gentium. Principes dehinc Arabiæ, famam Ducis tam gloriosissimam intelligentes, pacem & ipsi pariter & amicitiam cum eo componebant, sub hac conditione: vt pacificè Ierusalem & Ioppen sui mercatores, omnia corpori necessaria afferentes, sine interdictione cum Christianis precio mutuarent. Quod sic actum est: & allata sunt abundanter vniuersa tam Ioppen quàm Ierusalem in armentis, bobus, ouibus & equis, vestibus & annona; & omnia æquo precio cum Christianis mutuabant: & sic lætitia magna in populo facta est. Omnem verò commutationem & egressionem per mare omnibus Gentilibus interdixit. Erãt enim custodes & insidiæ diffusæ per mare, ne quicquam Gentiles nauigio suis ciuitatibus inferrent, vnde ciuitates necessariis opibus abundantes, & confisæ factæ, rebelles superbirent; & fœdere neglecto, quod cum Duce pepigerant, exaltatæ resisterent. Si qui verò ab Alexandria, Damiata, vel Africa nauigio veniebant, cum opibus suis à militibus Ducis capti detruncabãtur. Similiter Sarraceni Christianis nullam in mari pacem seruabant: solummodò pacem & fœdus vtrinque statuerunt super terram. Hæc pax nimium adeò inter Ducem & Ammiraldum Ascalonis esse cœpit, vt ciues illius pacificè cum rebus venalibus penetrarent; & viri Christiani similiter Ascalonem sine impedimento proficiscerentur. Cùm hæc pax tantum cresceret, & amicitiæ magis ac magis iungerentur, quadam die idem præses & Ammiraldus Ascalonis *Gerhardum* de præsidio Auennis, ab omni plaga curatũ, honorificè vestibus indutum, & equo optimo impositum, duci Christianissimo Ierusalem dono remisit: quem multis iam diebus in Assur obiisse, Dux & vniuersi Christiani existimabant, nescientes quòd à malo depositus, ab Assur eidem Ammiraldo missus fuisset. Dux itaque viso, & incolumi recepto, Gerhardo, dilecto milite suo, & egregio adolescente, gauisus est vehementer. Cui statim in remuneratione sui magni laboris maxima terræ beneficia centum marcarũ

cum castello, quod dicitur *ad S. Abraham*, in præsentia omnium fidelium, qui aderant, largitus est. Cœpit denique ab ea die super terram magis ac magis pax hinc & hinc multiplicari, donec tædio facta est militibus Galliæ pugnacibus. XVI. Post hæc non multa mora *Tankradus* Duci Ierusalem occurrit in aduentu Natalis Domini à præsidio *Tabariæ*: quod Dux idem vallo & insuperabili munitione, in montis arduo reædificauerat; & Tankradus dono Ducis ad tuendum susceperat: valdè tunc conquestus & auxilium petens, eò quòd terra & ciuitas *Grossi Rustici*, regno Ægypti adiacentes, sibi rebellarent, & redditus reddere dedignarentur. Hoc Dux audito, & molestè accepto, post dies octo precibus Tankradi satisfaciens, ducentis equitibus & mille peditibus terram regionesque Grossi Rustici ingressus est; 10 & præda innumerabili vndique contracta, homines Gentiles alios trucidari, alios iussit captiuari, cætera verò omnia in flammas & cædes vsquequaque redegit. Moram itaque in regione hac Duce per dies octo strage & incendio faciente, Grossus Rusticus, Princeps regionis, legationem direxit propter auxilium Turcorum, si fortè viribus illorum fretus, Duci occurrens, resistere posset. Hic Princeps appellatus est à Gallis *Grossus Rusticus* præ nimia pinguique corpulentia vilique persona, in qua totus rusticus esse videbatur. Princeps verò Turcorum & Rex Damascenorum illius audita legatione, quingentos Turcos sine mora illi misit in auxilium. Iam Christiani milites post diutinam & nimiam stragem de terra Rustici exierunt, Duce semper cum præda gregis & vestium cæterarumq; rerum in fronte 20 gradiente; Tankrado verò à longè post tergum cum centum equitibus custodiam faciente. Et ecce post paulum Turcorum milites cum festinatione visi sunt adesse. Quibus Tankradus non segniter occurrens, cum illis prælium commisit. Vtrinque hac die bello grauati sunt, alii occisi, alii vulnerati; Tankradus vix elapsus est. Vespere autem facto, Dux & tota manus illius per campestria, positis armis, pernoctans, & ignorans, quomodo Tankradus cum Turcis commiserat bellum, totus adhuc de euentu illius erat incertus, quo vsque ea nocte media incolumis ereptus est cum suis sodalibus, quorum aliqui sagittis grauati sunt. Dux verò vt intellexit, quomodo Turci Tankradum à Damasco persecuti fuerint, & cum eo bellum commiserint, iussit summo manè diei sequentis acies fieri, & Turcis eorum 30 persecutoribus occurrere. Sed nec vnus in regione hac repertus est. Nam egregii Ducis præsentiam nimium vicinam persentientes, per totam noctem in sua reuersi sunt, vltrà ab insecutione Tankradi cessantes. Post hæc Dux in Ierusalem rediit: *Tankradus Tabariam* cum suis pariter regressus, sexaginta milites secum habens, illic moram fecit, singulis diebus Damascum & municipia Turcorum expugnans, & prædas à terra & regione eorum abducens. Arx autem hæc *Tabaria* sita est iuxta locum, quem appellant mare Tiberiadis, duo milliaria habens in longitudine, & duo in latitudine. Hanc à Duce Christianissimo subiugatam cum præsidio restructo Tankradus obtinuit in beneficio, eò quòd gratiam in oculis ipsius inuenerit, in officio militari probus, & quia aduersariis Christianorum indeficiens ad re- 40 sistendum videretur. XVII. *Turci* verò Tankradum de die in diem videntes inualescere, ducisque Godefridi vires illi semper adesse, per aliquod tempus pacem cum eo decreuerunt componere, sub hac conditione: vt post huius pacis terminum, communi consilio inito, aut sibi vellent subesse, aut omnino fœdus cum illo refutarent subire. *Tankradus* super his cum Duce sumto consilio, acquieuit Turcorum precibus, & plurima munera Byzantiorum, auri & argenti & ostri ab eis & Grosso Rustico suscipiens, terram minimè posthac bello commouit. Deinde transactis aliquantis diebus, Tankradus sex milites, viros disertos & peritissimos, direxit ad Principem Turcorum Damasci; quatenus vrbem sibi redderet, & Christianitatis professionem assumeret, si tamen eius dono vel consensu 50 in aliqua parte regionis illius habitare vel viuere vellet; alioquin propter aurum vel argentum vel cætera dona se illi amicitiam seruare non posse. His igitur auditis, Princeps Damascenorum vehemente ira motus est, apprehensosque viros quinque decollari iussit: sextum autem, quia Turcorum sectam arripuit, vitæ reseruari præcepit. Istorum tam egregiorum legatorum cæde cruentissima Ducis ad aures perlata, vehementer vnà cum Tankrado & omni Ecclesia turbatus est. Qui continuò accitis vndique viribus equitum & peditum, in terram Damascenorum aduersus interfectores fratrum descendit, per dies quindecim terram & regiones depopulatus, nemine sibi resistente. Videns ergo Prin-

ceps

ceps regionis, *Grossus Rusticus*, quia à facie Christianorum nil sibi nil Turcis intactum remanebat, nolens volens fœdus cum Duce & Tankrado percussit; Turcos verò renuit, quorum auxilio stare ante faciem Christianissimi Ducis prorsus non valebat. Hoc fœdere cum Principe prædicto confirmato sub ratione tributorum, *Dux* per Ptolemaidem, Cæsaream & Cayphas regredi disposuit: cui *Ammiraldus Cæsareæ* in occursum veniens, benignè prandium obtulit. Sed ille cibum contradicens, tantùm de pomo cedri gustans cum omni mansuetudine & gratiarum actione, post modicum graui infirmitate correptus est; diuertensque Ioppen; *Episcopum & Ducem Venetorum* in apparatu copioso & armorum multitudine reperit. Cognito autem quòd conchristiani essent, & non hostilis collectio, secretò hospitium, quod sibi nouum construxerat, cum paucis subintrauit: Nam molestia corporis accrescente premebatur: Cui quatuor ex suis collateralibus assistentes, alii pedes illius in gremio accipiebant, alii capiti eius ad reclinandum pectus suum supponebant; quidam verò super eius dolore nimium ac dolenter flebant, eò quòd tanto Principe destitui in hoc longo exilio pertimescebant.

XVIII. (margin)

10 (margin)

Audientes ergo Christiani Peregrini, quomodo tantus Princeps ægrotaret, graui mœrore & luctu concussi sunt, crebrò visitandi gratia ad eum venientes: inter quos ipse *Dux & Episcopus Venetiarum*, & eorum primates, introducti sunt ad salutandum ipsum Ducem, videndum & colloquendum. Intromissi ergo, in vasis aureis & argenteis, ostro & veste preciosa, mira & insolita dona Duci obtulerunt; ac dederunt, propter dilectionem & desiderium, quod videndi eum, semper habebant. Dux quidem *Godefridus* summa cum caritate, ea, quæ obtulerant, suscepit, & benignè eos allocutus, nauali hospitio remisit, asserens se aliquantulum infirmitate detentum; sed in crastino, si ei quicquam remissius fuerit, in aspectu omniũ se præsentare, qui eum videre & cognoscere cupiebant, & tunc libenter velle perfrui eorum communi affabilitate. Nocte deniq; eadem, dolore ac languore corporis illius inualescente, à suis, propter nimietatem tumultus naualis exercitus, Ierusalem se deferri iussit: quoniam hoc tempore, sicut policitus fuerat, Peregrinis Venetiarum nulla affabilitate potuit communicare. Cognita hac Ducis valida ægritudine, dux & principes Venetorum Wernerum de Greis & *Tankradum* aggressi sunt, videlicet vt Duci loquerentur, quid acturi sint? seu an ciuitatem aliquam in littore maris obsidentes debellarent, priusquam Ierusalem descendant; seu expectarent quo vsque DEO donante, dux sanitatem reciperet. Ascenderat autem tunc festinanter Tankradus à Tabaria in Iaphet, vehemente Ducis comperta infirmitate. Dehinc Ducem ambo Principes super his, quæ à Venetis audierant, conuenerunt; & consilio cum eo facto, licet ægrotante, & cæteris primoribus, decretum est, vt castellum, *Cayphas* dictum, Peregrini Veneti nauali obsidione circundarent; Tankradus verò vice Ducis cum Wernero obsidionem in sicco locarent: videlicet vt ab vtroque latere maris & terræ, vrbs obsessa & oppressa caperetur. Aptatis siquidem ingeniis, quibus Cayphas vinceretur in terra & in mari, fama luctuosa allata est in Ioppen, ducem *Godefridum* summum Principem iam obiisse. Quapropter conturbati vniuersi tam *Veneti* quàm *Galli*, relicto omni apparatu obsidionis, festinatò Ierusalem venerunt; Ducemque sic occupatum infirmitate & aggrauatum inuenerunt, vt vix verbum reddere valeret. Sed tamen quantulumcunque primores consolatus, se ab hac infirmitate fatebatur conualescere. Ad hanc Ducis consolationem adorato à Venetis Sepulcro Dominico, & locis Sanctis visitatis, *Tankradus* & *Wernerus* vnà cum *Patriarcha Dagoberto* in Ioppen reuersi sunt, apparatum suum sine otio ad vnguem iterantes. Et post dies quindecim cum omni opere machinarum & balistarum profecti, mari & terra Cayphas applicuerunt. Sed Wernerus Iaphet remansit, eò quòd subitò infirmitate fuerit correptus, & abhinc in gestario Ierusalem aduectus est. Post quatuor dies allato Wernero in Ierusalem, *Dux* vehementius infirmitate cœpit laborare. Qui confessione delictorum suorum in vera cordis compunctione & lacrymis peracta, Dominici quoque corporis & sanguinis communione percepta, sic spirituali scuto munitus & protectus, ab hac luce subtractus est. Mortuo igitur tam egregio Duce, & nobilissimo CHRISTI athleta, maxima lamenta & nimius ploratus omnibus illic Christianis, Gallis, Italicis, Syris, Armeniis, Græcis, & Gentilibus plerisque, Arabibus, Sarracenis, Turcis, fuêre per dies quinque. *Wernerus* deinde cognatus Ducis, & miles illustris, pariter obiit; & in valle Iosaphat in porticu Basilicę S. Marię

XIX. (margin) 20 XX. 30 40 XXI.

virginis, & matris Domini nostri IESV CHRISTI, honorificè & catholicè humatus est, octaua die obitus nobilissimi Ducis & Principis sanctæ ciuitatis Ierusalem.

XXII. Gloriosissimo Duce infirmitate curriculo quinque hebdomadarum Ierusalem laborante, sicut decretum erat ante eius obitum, *Patriarcha, Tankradus* & omnis apparatus *Venetorum* cum Duce & Episcopo illorum ab Ioppe profecti sunt per mare & aridam ad ciuitatem, quæ dicitur *Cayphas*: Quam à mari & sicco obsederunt in machina miræ & proceræ altitudinis, & in tormentis lapidum septem, quæ vocant *mangenas*, ad expugnandos vrbis defensores eiusque habitatores. Applicitis itaque muro ingeniis cum ingenti machina, & vndique graui assultu eam viris Galliæ oppugnantibus, ciues, qui ex genere Iudæorum inhabitabant dono & consensu Regis Babyloniæ in redditione tributorum, in mœnibus vrbis exurgentes, multum in defensione vrbis obstiterunt, quo vsque Christiani variis plagis grauati, per dies quindecim prorsus diffisi manus suas ab omni impetu continuerunt. Nec mirum. *Tankradus* enim non vt solebat viriliter auxilium cum suis ferebat fidele præ inuidia, quæ præcordia illius mordebat, eò quòd Dux Godefridus dum adhuc viueret, & grabato æger cubaret, *Geldemaro*, cognomine *Carpenel*, egregio militi & nobili, vrbem in beneficio concesserit, si fortè caperetur.

XXIII. *Patriarcha* verò cognita illius inuidia & animi amaritudine, omni instinctu & suasione, qua poterat, ipsum Tankradum aggressus est, quem demulcere cœpit, & iram eius lenire, quatenus ciuitas, quæ fortiter defensa à Iudæis habebatur, non tam viriliter in statu suo permaneret ad confusionem Christianorum, quorum non modica pars attrita erat. Hanc etiam conditionem Patriarcha interserebat, vt si DEO annuente vrbs caperetur, consilio fidelium ei, qui plus in eius strage laborauerit, traderetur. Dicebat enim: *Vides, ô frater carissime Tankrade, quomodo Dux Venetorum cum tota manu sua bello victus & fatigatus abscessit, nec vltrà vires adhibet; sui quoque perterriti, iam classem vsque in medium maris procul à ciuitate reduxerunt.* Tankradus autem audiens hæc verba Patriarchæ & eius bonam exhortationem, in CHRISTI nomine, omni deposita amaritudine, respondit: *Non vltrà se aliqua occasione ab vrbis assultu & inuasione abstinere, licet alius donum eiusdem ciuitatis susceperit, cùm nondum obsessa vel capta fuerit, & cùm Geldemari Carpenel virtus & manus sibi æquiparari non possit.* Hoc dicto, festinanter cornua sonuit, milites que hoc signo dato admonuit, quatenus assultum circa vrbem intermissum repeterent, & Iudæorum virtutem expugnarent, qui fortiter vrbem defensabant.

XXIV. Audito itaque signo Tankradi, vniuersa manus militum, qui aderant, tam Ducis quàm Tankradi, ad arma contendunt, armati confluunt, machinam sine mora ascendentes. Ascendit autem Winricus, pincerna Ducis, miles egregius, Wickerus Alemanus, in ictu gladii & Turci sectione laudabilis, & Milo de Claro monte, milites Ducis. Sed de omnibus Venetis militibus neminem præter vnum in machina repererunt, quem nulla mortis pericula ab eius potuerunt absterrere custodia. Videns verò idem Venetus tiro, sibi illos in auxilium concurrisse, in nimio gaudio ab imminenti angustia respirauit, in hanc vocem prorumpens: *Recesserunt à me omnes viri nostratium, & solus ex omnibus remansi; sed non vltrà, DEO annuente, à vobis dissociabor, quo vsque nostri assultus & rei euentum aut in vrbis aut in nostri ruina agnoscam. Stemus igitur in nomine Domini nunc coniuncti, etsi pauci, virtus DEI magna ad omnia, qui pro eius gratia parati sumus instare & sustinere pericula.* Nec mora his quatuor coniunctis & conspiratis in CHRISTI nomine ex admonitione Veneti ad omnem assultum vrbis, viginti milites Tankradi in momento eis adiuncti sunt, vnanimiter sic conspirati, vt ex machina hac compositam turrim vrbis penetrare, aut certè ante eandem turrim in eodem loco vellent deperire. Et subitò arreptis bipennibus, securibus & ferreis ligonibus, oppositam turrim fortiter cauantes infregerunt. Quibus Iudæi ciues, commixtis Sarracenorum turmis, sine dilatione viriliter resistentes, à turri oleum, picem feruentem, ignem & stuppas opposuerunt: grande videlicet incendium, per quod Christiani milites fumo & calore in machina extinguerentur, & vrbs eiusque turris inuicta cum incolis suis remaneret. Christiani tandem milites, pro CHRISTO mori non diffidentes, imperterriti stabant, omnem angustiam sufferentes per diem & noctem, donec scuta eorum flammis concremata, fundibulis conquassata, ferreis sudibus perforata, grandi læsura peruideri potuerunt.

XXV. Dehinc die altera radiante, & Domino IESV fauente miserante, *Iudæi* & *Sarraceni* videntes Christianos insuperabiles, nec suis flammis aut armis posse

posse reprimi à turri & eius assultu, ipsam turrim mox relinquentes, nec eã amplius retinere valentes, fugam inierunt: post quos vniuersa ciuitas pariter in fugã conuersa est. Ad hæc milites Christiani ciues hostiles per mediam vrbem insecuti, & eos crudeliter perimentes, victoresque facti, portas ciuitatis aperientes, totum Christianum exercitum intromiserunt. Qui vniuersa in ea reperta, nempe pecuniam innumerabilem tam in auro quàm in argento, cum vestibus, equis & mulis, hordeo, oleo & frumento, illic deprædati sunt. *Veneti* autem adhuc in mari flexis anchoris consistentes, nunc Gallorum cognita victoria, & vrbis inuasione, festinanter leuatis anchoris affuerunt, aliquos Gentilium occidentes; sed nihil pe-
10 cuniæ illic deprehenderunt. Capta autem ciuitate Cayphas, *Geldemarus Carpenel*, quia eandem, si caperetur, dono Ducis susceperat, quem obiisse nondum sciebat, milites & pedites suos conuocat ad ciuitatem retinẽdam ac muniendam. Sed copiæ Tankradi ampliores & validiores vrbis mœnia & eius turres obtinentes, Carpenel & eius gentem ex vrbe expulerunt. Carpenel quid ageret, non melius hac hora sensit, quàm vt à ciuitate cum omnibus suis migraret; & ad castellum validissimum ac ditissimum, quod dicitur ad S. Abraham, versus montana & ciuitates Sodomæ ac Gomorrhæ hoc tempore declinaret. Hoc equidem castellum Dux non longo assultu effugatis Gentilibus subiugauit, quod ab Ierusalem sex milliaribus remotum, quondam primus Patriarcha Abraham ædificasse & inhabitasse,
20 ibidemque sepultus fuisse, perhibetur. Hoc præsidium Turci & cæteri Gentiles & Iudæi nimia deuotione honorantes venerabantur, nec minore celebritate à Catholicis cultoribus obseruatur & colitur. Patriarcha autem *Dagobertus* & *Tankradus* ibidem mortem Ducis audientes, in vnum conspirauerunt, nihil de ciuitate *Cayphas* Geldemaro Carpenel se daturos, sed de ea ad velle acturos; de *Ierusalem* quoque, *regno* Godefridi Ducis, similiter per omnia pro velle deinceps licenter consulere ac disponere. Vnde consilium inierunt in ciuitate Cayphas, quatenus auunculo Tankradi Boemundo legationem Antiochiam mitterent, vt in terram Ierusalem proficisceretur cum omni apparatu suo, regnumque illic obtineret, priusquam aliquis hæres Godefridi Ducis thronum eius præoccuparet.
30 Legatio hæc denique Patriarchæ & Tankradi sine mora directa est. Verùm eiusdem legationis portitor, *Morellus* nomine, secretarius Patriarchæ, quia in dolo missus est, & contra iusiurandum, quod idem Patriarcha cum Tankrado Duci fecerat, si fortè obiret, nulli regnum Ierusalem se redditurum nisi fratribus suis, aut vni de sanguine eius, ita DEI aduersante Laodiceæ in manus *Reymundi* Comitis irruit: & sic tota legatio litterarum irrita fuit, & perfidia vbique patefacta. *Boemundus* siquidem eo tempore, diuino iudicio, in mense Augusto adunatis trecentis equitibus, versus *Malatinam* vrbem descenderat, inuitatus ad auxilium Christianorum ex litteris & legatione *Gaueras*, Armeniæ Ducis, principis & domini eiusdem ciuitatis, eò quòd *Donimanus*, princeps Turcorum, vrbem hanc in manu gra-
40 ui angustiatam obsedisset. Hic itaque audito aduentu Boemundi & eius copiarum, nec illum longè ab vrbis obsidione abesse, quingentis militibus ab exercitu suo assumtis illi in planicie regionis occurrit; prælium cum eo commisit intolerabili grandine sagittarum, donec Boemundi virtus attrita, & vniuersa societas succubuit interemta, aut fugitiua facta ac dispersa. Ex hac, alii subitò sunt detruncati; alii viui capti & retenti vnà cum Principe suo Boemundo, & in exilium in Nixandria ciuitate eiusdem Turci abducti, & ferreis vinculis alligati sunt. Capto itaque *Boemundo*, eiusque propinquo *Richardo*, & cæteris maioribus domus suæ, *Donimanus* ad vrbem *Malatinam* cum spoliis eorum & capitibus decollatorum in magna gloria regressus, ad *Gaueras* legationem præmisit, quatenus ciuitatem in
50 manu eius redderet: sciens quia Boemundum captiuum tenuerit, & omnem equitatum illius attriuerit, in quo omnis Christianorum spes & summa fiducia pendebat: alioqui non posse eum viuere à facie Turcorum. *Gaueras* verò iactantiam Donimani intelligens, nequaquam his minis ciuitatem se illi aperire fatetur, nec vllis eius obœdire mandatis, dum adhuc vitam *Baldewini*, Principis Edessæ vel Rohas, incolumem sciret, nec aliquod adhuc infortunium illius narraretur. *Donimanus*, magnificus Princeps Turcorum, hæc audiens, in superbia magna locutus, hæc viro responsa dedit: *Noli modò nimiam in eo habere spem aut fiduciam. Nam ipsum Baldewinum sicut Boemundum post paululum temporis spero me habiturum.*

XXVI. XXVII. XXVIII.

Inter hæc nuncia, *Boemundus*, totius vitæ & salutis diffisus, particulam ca- XXIX.

pillorum capitis sui, signum captiuitatis suæ & doloris, clàm per Syrum quenpiam *Baldewino* misit, omnibus hoc Turcis ignorantibus: quatenus sine dilatione sibi subueniens, à manibus Turcorum eum eriperet, priusquam ad ignotas & barbaras nationes illorum perueniret. *Baldewinus* iam tertia luce captiuitatis Boemundi transacta, assumtis centum & quadraginta loricatis equitibus, descendit in campos *Malatinæ* ciuitatis ad excutiendum Boemundum confratrem in CHRISTO, si prosperante DEO, aliquo nisu in loco opportuno cum Turcis committere valeret. Sed *Donimanus* Baldewini aduentantis audacia, & plurima virtute illius militari, territus, sine mora ab obsidione castra mouit, & versus mare Russiæ in terram suam fugiendo, cum omni equitatu suo diuertit; gaudens se Boemundum, tam nominatissimum Principem, & caput Christianorum, arripuisse, ac metuens, ne viribus aut arte Christianorum illum amitteret. *Baldewinus* verò fugam eius intelligens, persecutus est spacio trium dierum; quem tamen longius persequi dubitans propter dolos falsorum Christianorum, aut insidias hostium, & quia non multos habebat milites, Malatinam reuersus est. *Gaueras* itaque Princeps ciuitatis, benignè eum suscipiens & in fide, in manu & tutamine illius vrbem reddidit; ac vniuersum thesaurum ciuitatis cum plurima veste preciosa illi præsentans, vt de his remuneraretur, exorauit: sed de omnibus sibi præsentatis, nihil suscipiens, retinuit. Cognita itaque Baldewinus illius beneuolentia & fidei constantia, quinquaginta milites in vrbe cum illo constituit manere, ad tuenda & retinenda mœnia ciuitatis; ipse verò, cum cæteris Rohas regressus est. Post hæc *Donimanus*, comperto tam metuendi Principis ac militis recessu, readunatis viribus, iteratò vrbem *Malatinam* obsedit diebus multis. Sed viriliter à quinquaginta prædictis tironibus, à Baldewino ibidem constitutis, vrbs defensa ab hostibus, & intacta atque inuicta remansit; dum tandem Donimanus bello fatigatus, & longe obsidionis tædio affectus, Christianorum territus auxilio, vrbem deseruit, & sic deinceps ab obsidione illius quieuit.

XXX. Interea *Baldewino* Rohas à Malatina regresso, crudelis legatio ad eum facta est: scilicet quia frater eius vterinus, Godefridus, Princeps magnificus, in Ierusalem obierit; & omne regnum terræ illius morte tam pii dominatoris in populo Christiano iam desolatum fuerit. Hac tristi legatione audita, in nimios ploratus & lamenta cor Baldewini defluxit; sed tamen, vt vir miræ abstinentiæ longè aliter simulauit ex carissimi fratris occasu, quàm in eius corde esset. *Robertus, Episcopus* Rames vel Ramæ, & *Robertus* miles, *Gunterus* similiter, huius legationis fuêre nuncii, missi à *Geldemaro* Carpenel, *Roberto* filio Gerhardi, *Rudolpho* de Mozon, *Iosfrido* Camerario ducis, *Winrico* Flandrensi, *Matthæo* dapifero illius, *Wickero* Alemano, & *Arnolfo*, prælato templi Domini: in hunc modum nuncia deferentes: *Milites & Principes regni Ierusalem, hactenus sub Christianissimo Duce seruientes, salutant te in nomine IESV CHRISTI, filii DEI viui, quorum decreto & consilio huc directi sumus, vt tibi notum sit, quòd frater tuus Godefridus Dux & Princeps Ierusalem, ab hac luce subtractus est. Quapropter te vnanimiter inuitant, vt festinatò venias, & loco fratris regnum suscipias, & in throno eius sedeas. Conspirauerunt enim, se non alium recipere, nisi fratrem aut vnum de sanguine, & propter inæstimabilem eius bonitatem & nimiam largitatem & propter iusiurandum, quo firmauerunt se, nunquam pati alienigenam regnare, aut sedere in throno Ierusalem.* Baldewinus benignè legationi & verbis eorum aurem adhibuit, promittens, se post non multum temporis, rebus suis ordinatis, Ierusalē velle descendere, & DEO prosperante, regnum consilio eorum suscipere atq; disponere.

XXXI. Legatis dehinc in omni amoris dulcedine commendatis, & Ierusalem repedantibus, *Baldewinus*, dux ciuitatis *Rohas*, in breui omnium fidelium suorum conuentum habuit, cuiusque voluntatem eundi Ierusalem singulatim requirens, cuiusque etiam remanendi in regione Rohas. Similiter *Baldewino de Burg*, viro nobili generis sui, filio Comitis Hugonis de Rorstet castello, litteras direxit, quatenus ab *Antiochia*, & conuentione solidorum sequestratus, descendat ad terram Rohas, & ciuitatem hanc in beneficio accipiat, loco eius dominaretur & hostes debellaret. Omnem verò rem aperuit ei de obitu fratris sui Godefridi, clarissimi Principis; & qualiter à præpotentibus Ierusalem sit inuitatus ad possidendum regnum, & quomodo illuc postmodum iturus sit. Remansit enim idem Baldewinus, ab Ierusalem & Ascalone cum cæteris profectus ad *Boemundum*, in Antiochia vsque ad diem hanc in obsequio militari, & solidorum conuentione. His ita dispositis, ac Baldewino de Burg statuto tempore ab An-

ab Antiochia recepto, iamque in throno & maiestate ciuitatis Rohas collocato, *Baldewinus* primus, & magnificus frater ducis Godefridi, quadringentis equitibus egregiis contractis cum mille peditibus, regia via *Antiochiam* primùm profectus est: cui milites vniuersi ciuitatisque custodes ad salutandum occurrentes, vrbem ei obtulerunt, si Princeps aut dominus illius fieri voluisset. Illic quidem per tres dies in gloria & lætitia requiescens, vniuersos ciues & custodes benignè super omnibus audiuit, & sapienter respondit; plurimumque eos desperatos ex amissione Boemundi consolatus, ex toto ciuitatem vice illius suscipere contradixit.

Quarta verò die ab Antiochia procedens in omni iucunditate, *Laodiceam* pa- XXXII. 10 cificè cum omni apparatu suo descendit: vbi biduo requie fruens, retardati & subsequentis populi præstolabatur aduentum. Adunata siquidem vniuersa virtute suorum, fama ad aures ipsius perlata est: quomodo copiosa Gentilitas tam Turcorum quàm Sarracenorum è diuersis locis & terris congregata, ad resistendum illi in facie affutura esset; & quomodo illi viam vlterius procedendi prohibere decreuisset. Ex sola enim Damascenorum ciuitate, viginti millia Turcorum illuc in armis conuenisse ferebantur: cæterorum verò Gentilium numerus nequaquam inuestigari potuit præ illorum multitudine inæstimabili. Quapropter pars exercitus *Baldewini* formidine concussa, vitæque diffisa, in silentio noctis fugam iniit; alii simulata infirmitate, minimè se abhinc sequi posse asserebant. Manè autem 20 facto, Baldewinus intelligens suum defluxisse exercitum, dolore nimio motus, nihil tamen expauescens, vniuersos, quos voti sui compotes reperit, sic adhortatur, dicens: *Video, quomodo præ timore mortis, & noui rumoris, populus noster imminutus ac dilapsus est. Sed nihil congregatas nationes metuens, iter inceptum continuare non dubito: ideoque eos, qui remanserunt, in fide CHRISTI admoneo, vt mecum ituri Ierusalem, nullo mortis absterreantur periculo: verùm constanti proficiscantur animo, totam spem suam ponentes mecum in Domino DEO. Qui verò dubitant, & formidolosi sunt, de loco mecum pedem non mouentes, quò tutum illis videtur, reuertantur.* Hoc dicto, & vniuersis de via inquisitis, vnanimes, & viæ concordes omnes qui aderant, inuenit. Sed cùm *ad Gybel* descenderet, ibique pernoctaret, de quadringintis equitibus & mille peditibus vix 30 centum & quadraginta equites & quingenti pedites cum eo remanserunt; cæteri verò omnes præ angustia auditi aduentus Turcorum ab eo dilapsi sunt & dispersi. Nihil tamen formidinis habens Baldewinus, à campis & regione Gybel pacificè processit, eò quòd honorificè & cum mansuetudine à ciuibus sit susceptus in omni copia rerum necessariarum. Dehinc *Tortosam* ciuitatem præ- XXXIII. teriens, *Tripolin* peruenit: quem Princeps vrbis fideliter & iucundè suscepit in omni administratione ciborum, quibus indigebat exercitus. Illic innotuit ei, quomodo *Damascenorum Rex*, & *Geneadoil* Sarracenorum princeps de regione amplissima, quam à Camelis vocant *Camollam*, cui idem præerat Geneadoil, & de vniuersis ciuitatibus, quæ in littore maris Palæstini erant, & à montanis, di- 40 uersisque locis, conuenissent ad resistendum sibi in angustiis faucibus & asperrimis scopulis ciuitatis *Baruth* vel *Baurim*. Baldewinus his minis, & tam sæuo rumore imperterritus, omnia in CHRISTI nomine se tolerare profitetur; & nunquam pro tot nationum millibus in vnum collectis iter suum in Ierusalem velle differre, sed vsque ad sanguinem & mortem cum illis dimicare. Hoc dicto viam per diem insistens, nocte imminente ad radicem difficilium montium hospitandi gratia pernoctauit: vbi nunciatum est illi, omnes procul dubio illic conuenisse aduersarios ad prohibendum transitum, & in crastino ad committendum prælium. Quapropter aliquantum cor eius immutatum est, & renes eius dissoluti, eò quod pauci viri secum remansissent. Attamen cra- 50 stina luce exorta, dux *Baldewinus* in Domino IESV confortatus, iter inceptum pergit, quo vsque ad locum multitudinis aduersariorum peruentum est, vbi omnes vires illorum, sicut audierat, in occursum sibi paratæ erant. Has inter proficiscendum comperiens non procul abesse, media die flagrante, armis, loricis, galeis induuntur; lanceis verò strictis & vexillis erectis, obuiam per angustas fauces Gentilibus turmis contendunt, diu cum illis prælia conserentes in locis arctissimis. Tandem virtute Turcorum intolerabili & Sarracenorum inualescente, Christianos cum Principe suo Baldewino à faucibus in arcu & iaculis abegerunt. Post hanc diutinam contentionem, quoniam nox incumbebat, vtrinque manus à prælio continuerunt. Eadem nocte *Baldewinus* à radice montis aliquantulum remotus,

paucis fixis tentoriis pernoctauit, ac parcè illic epulatus, suis inibi dedit consiliũ: ne aliqui eorum vllo modo à se diuiderentur, donec omnis subsequentium Peregrinorum manus conueniret; sicque crastina die solerti prouidentia quodque periculum tutius inirent, ac pro nomine IESV martyrium recipientes, nihil tolerare dubitarent aduersi. XXXIV. His ita decretis, & populo Christiano iuxta verbum Baldewini consentiente, in ipsa nocte per montana mille ignes Turci & Sarraceni suscitauerunt, multò scilicet plures, quàm eorum indigeret exercitus, ad exterrendos Christianorum populos. *Geneadoil*, princeps de Camolla, post suscitatos ignes, intelligens à relatoribus exiguas vires Baldewini, conuenit Ducem Damascenorum, quatenus in castris fessos, & somno occupatos, inuaderet. Sed displicuit cæteris Principibus, econtra referentibus: *Non est vtile & salubre consilium nobis Turcis, vt in vmbra noctis prælium conseramus, ne à Sarracenis, qui nos semper odio habuerunt, subitò circumuenti occidamur, & tam spolia Francorum quàm nostrorum auferantur. Sed si placet, dum aurora diei orta fuerit, differamus, quà nobis prouidere vsquequaque possimus.* Et sic consilium Geneadoil dissipatum est. Altera autem die orta, Baldewinus solicitus ac peruigil, intelligens Turcos iam matutinos adesse, in quandam planiciem, post tergum relictam, totum fidelium reduxit exercitum, ac si fugam iniisset. Quod Gentiles vniuersi videntes, & eum fugientem ac tremefactum æstimantes, grauiter eos equis secuti sunt cum quingentis præmissis equitibus & quindecim millibus peditum. At Baldewinus semper miles imperterritus, cernens hostes se grauiter insequi, & iam per totam planiciem plurimum exercitus descendisse, sine mora cum vniuersis Catholicis militibus in freno equis reductis, Turcos velociter incurrit; duroque certamine commisso, circiter quadringenti Turcorum illic in gladio, lancea & sagitta occisi sunt. Cætera multitudo, quæ adhuc in faucibus subsequebatur, nec auxilio suis prodesse poterat præ angustia semitarum, nunc vitæ diffisa, in fugam conuersa est. *Baldewinus* sic victoriam, DEI gratia, adeptus, quadraginta octo ex Maioribus Turcorum in eodem captiuauit prælio, nihil prædæ præterquam equos probatissimos contrahens: quòd in altero latere angustarum faucium omnia armenta cum spoliis & tentoriis Gentilium remansissent. Finito autem hora nona tam graui prælio, Baldewinus in prædicta planicie remanens, tentoria fixit: eo quòd fons aquæ dulcis illic esset, mellitique saporis calamelli, quibus refocillati sunt. Non amplius quàm duo milites, *Walterus Tauns* & *Baldewinus Tauns*, illic cecidisse reperti sunt, pauci verò vulnerati. Itidem in tentoriis captiui constituti, ac in custodiam missi sunt. Vespere autem facto, Baldewinus cum suis recreatus, in medio captiuorum resedit, ad inquisitionem de qua origine aut parentibus essent: inter quos Princeps & Tetrarcha Damascenorum repertus est, qui plurimum thesaurum pro vitæ redemtione perhibetur obtulisse. XXXV. *Rex* verò *Damascenorum, Geneadoil*, & vniuersi Principes Gentilium, audita suorum contritione, plurimorumque captione, & Baldewini glorificatione, tota nocte diffugium fecerunt, metuentes ne manè facto, altero in latere montis reperti, & à Christianis audaci incursu impetiti, capitali sententia punirentur; aut superati, à Sarracenis regionis pro nihilo computati decollarentur. Est enim mos *Sarracenorum* gentis, vt quoslibet nouos victores timeant, & obœdiant eis; victos parui pendant & persequantur. *Baldewinus* igitur fugam vniuersorum intelligens, orto sole cum præda equorum, cum captiuis Turcis & spoliis, castra mouit ad *Sidonem* ciuitatem & *Gibeloth*: quò pertransiens sine obstaculo & periculo, *Sur*, quæ est *Tyrus*, declinauit, vbi commodè hospitio & alimonia cum suis refectus est. Post hæc *Ptolemaidem*, quæ est *Acra* vel *Accaron*, præteriens, nihil contradictionis aut aduersitatis ab ea vel ab vrbibus illis pertulit propter victoriam & famam, quam de illo audierant. Sic pacificè *Cayphas* perueniens, in ea diebus aliquot moratus est. XXXVI. Nescius quippe doli totius, Tankradum ibi reperire & alloqui feruebat; eiusque consilio de rebus suis vbique agere. Sed *Tankradus* omnia ignorans de aduentu Baldewini, Ierusalem profectus fuerat ad corrumpendos Principes & custodes turris Dauid, quatenus auunculus eius Boemundus aut ipse regnum obtineret: omnia autem instinctu, auxilio & consensu *Patriarchæ* faciebat. Audito itaq; ibidem, in vrbe Cayphas, dolo & versutia Tankradi, quę fiebat cõsensu Dagoberti Patriarchę, Baldewinus vir illustris & prouidus, *Hugonem* de Falckenberg, & *Robertum* Episcopũ ciuitatis Rames vel Rama, super his compellat; eosq; ex consilio suorũ Ierusalem

sine

sine dilatione direxit, vt præuenirent vniuersum dolum, metuens ne turrim Dauid & regnum Ierusalem aliqua perfidia seu promissione pecuniæ amitteret.

XXXVI. His itaque perfectis, quidam probi milites de domo Ducis Godefridi, *Rudolfus, Geldemarus,* Wickerus Alemanus, *Rudolfus* de Montpizon, in via ciuitatis Cæsareæ, qua Sarracenos persequebantur, aduentum Baldewini penitus ignorantes, tunc primùm à præmissis fratribus rem cognouerunt: quomodo scilicet Baldewinus loco fratris sui Ierusalem obtinere aduenisset, atque Cayphas adhuc hospitio moraretur. Nec mora, audito tam egregii Principis aduentu, & digno hærede Ierusalem, gauisi sunt vniuersi, commixtisque sociis & armis, *Iaphet,* quæ est Ioppe, 10 contenderunt. Vbi *Tankradum* ab Ierusalem in ira reuersum, quia vrbem intrare non potuit, in obsidione reperientes, nunciauerunt ei Baldewinum adesse, & regnum Ierusalem velle obtinere. Tankradus audito tam proximo aduentu Baldewini, statim ab obsidione Ioppe surrexit; per aliam viam Cayphas reuersus, nolens recto itinere Baldewino, à Cayphas reuertenti, occurrere. *Baldewinus* verò à *Caypha* procedens, prædictos milites de domo Ducis Godefridi in occursum habuit, qui omnia sibi de Tankrado retulerunt; & post hæc cum eo Ioppen accelerantes, duobus diebus continuis illic remorati sunt. Deinde ordinatis rebus in *Ioppe,* cum omni clientela & præda, quam abduxit de *Baruth,* quæ est Baurim, cum quadraginta quinque captiuis militibus Turcorum Ierusalem descendit, 20 quos in præsidio turris Dauid repositos cautè iussit custodiri.

XXXVII. Quarta denique die postquam ascendit *Ierusalem,* congregatis vniuersis, magnis & paruis, de vniuerso cœtu Christianorum, requisiuit de suppellectile fratris sui Godefridi, de armatura eius, de pecunia, de beneficiis cuiusque militis ac præpotentis. Qui nihil de rebus fratris eius se habere testati sunt, sed eas in eleemosynas pauperum & soluendis debitis esse dispersas; beneficia verò, prout vnicuique statuta erant de reditibus ciuitatum, protulerunt. Ipse autem omnia responsa illorum patienter accipiens, de rebus & armis aliquibus discussis, sed excusatis, obticuit, singulis singula reddens beneficia. Vnde ab omnibus iureiurando firmatus, in throno Ierusalem potenter exaltatus gloriosè resedit. Erat tempus mensis Nouembris cir-30 ca festum *B. Martini* Turonici Pontificis, quando *Baldewinus* Ierusalem veniens, ab omnibus paruis & magnis Rex & dominus est constitutus. Sic collocato Baldewino gloriosè in throno Ierusalem, vniuersi Principes & milites de domo ducis Godefridi conuenientes in præsentiam eius, hoc modo ei locuti sunt: *Frater Ducis Godefridi es, Principis gloriosissimi ac nominatissimi: & ideo vniuersæ nationes Gentilium in circuitu famam de te comperientes, aduentu tuo tremefactæ sunt: quia te magnum, bellisq; famosissimum, intellexerunt. Quapropter te decet insigne facere, quo stupescant Gentilium terræ, & admirari eis non sufficiat: sicque nomen fratris tui, principis Ierusalem, in te reuiuiscet, ac magnificabitur.*

XXXVIII. Consiliis suorum auditis, *Baldewinus* terram Ierusalem & ciuitatis in circuitu muniens custodia fideli, centum & quinquaginta militibus & quingentis 40 peditibus assumtis, ab vrbe Ierusalem processit nona hora diei; & vespere facto, hospitatus est iuxta fontem recentis aquæ, vbi montana terminantur. Post hæc quinta die abhinc exurgens, ad vrbem *Ascalonem* cum omni virtute suorum descẽdit: in qua mille equites Arabes, à Babylonia missi, habitabant ad tuenda mœnia eius, ne noui Principis virtus subitò irrumperet improuisam. Ibi milites Baldewini in tentoriis, ante vrbis mœnia fixis, duobus diebus sine assultu consederunt. At die tertia milites Arabes cum ciuibus erumpentes, crebra cum eis prælia conseruerunt, donec tandem vtrinque non modicam contritionem suorum pertulerunt. Post duos dehinc dies, & plurimam stragem Sarracenorum, grauemq; vulnerationem Gallorum, Rex *Baldewinus* ab vrbis obsidione prudenti consilio sic suos 50 reuocauit, dicens: *Hi aduersarii nostri in murorum protectione confisi, & plurima manu ciuium, facilè, aduersante fortuna, creberrimis suorum auxiliis possunt præualere; nostrates verò incauti sagittis perire: ideo vtile est consilium, vt ab hac ciuitate castra moueamus.*

XXXIX. Cùm hæc consilia inter se fierent, innotuit Baldewino, quomodo inter deserta Ascalonis & Babyloniæ in caueis subterraneis *Azopart,* gens fœdissima, latens accubuisset ad disturbandos & perimendos Peregrinos, qui Hierosolymam proficisci desiderabãt. Qui mox hac gentis impietate cognita, castra mouit ab Ascalone, & caua suo exercitu obsedit: quibus flãma immissa experiri voluit, vtrum præ nimia angustia fumi & caloris prodiret à terris & inauditis antris. Sed de omnibus nulli egressi

sunt præter duos, qui & coram eo steterunt, si fortè misericordiam & vitam inuenirent. *Baldewinus* hos intuens viros horridos & squalidos, amica affabilitate eos compellat super omnibus, quæ de eis audierat, & vestibus preciosis eos adornans, de gente & cognatione eorum requirit. Qui secundùm quod interrogati fuerant, vniuersa sibi aperientes, & misericordem eum sibi arbitrantes, obnixè deprecantur, vt alter eorum cum Baldewino maneret, alter ad caua & nota loca rediret, quatenus socios de perplexa domo, mirabili arce, ac inuestigabili fossa, inclusos, produceret in conspectum Principis, si fortè & ipsi gratiam in conspectu eius inuenirent. Ingressusque foueam, vestes & munera Regis ostendens, & de eius benigna susceptione loquens, illicò decem de consociis eduxit in præsentiam Regis 10 & eius optimatum. Interea is, qui cum Baldewino remanserat, dum in foueam rediit alter, decollatus est à pueris Regis. Similiter socius, qui vana spe & promissione honestarum vestium decem produxerat ex cauernis, clanculum amotus, in momento decollatus est cum nouem. Decimus vitæ reseruatur, quem tota strages sodalium latebat. Hunc Baldewinus seorsum tollens, & honorificis ac mollibus indumentis opertum suo sermone demulcens, protinus illexit eum, quatenus rediens ad subterraneos sodales, eos prodire hortaretur, asserens, se illos benignè tractare, & donis magnificis honorare; quin omnia loca regionis illis in beneficiis concedere, & eorum consiliis vniuersa agere velle. His promissionibus miser seductus & illectus, ad caua reuersus cum veste preciosa, omnia complicibus suis 20 retulit de Principis affabilitate ac largitate, & ampliora quàm audisset, credens socios amotos & decollatos viuere, & missos ad tuendas ipsius Baldewini ciuitates.

XL. *Azopart* inæstimabili & inuestigabili cauatione subterrati, bonam promissionem socii audientes, minas quoque, deinde promissa magnifica, ad triginta processerunt. Qui coram ipso Principe assistentes, benignè ex ore eius suscepti sunt; statimque à conspectu illius abducti, quasi munera accepturi, omnes capitalem subiere sententiam, præter vnum, qui solus cum Baldewino ex omnibus triginta remansit. Hunc solum mirifico honore tractauit, nescium cædis complicum, quem etiam ad antra prædicta remisit, quatenus honores & munera ipsius subterratis viris referret, eosq; ipse captus à suo præsidio exire hortaretur. Sic & sic illusi vanis 30 spebus, ducenti & triginta processerunt, omnes sine dilatione iussu Principis decollati, eò quòd maxima mala Peregrinis, Hierosolymam transeuntibus, intulissent, alios expoliantes, alios trucidantes: tantumque scelus semper inultum remansisset, eò quòd nullus de specu hoc eos antea vi, seu qualibet arte, potuisset eiicere. His ducentis & triginta decollatis, ac nequitia sua in capita eorũ reddita ingenio Christianissimi Principis in vltionem Peregrinorum; solummodò fœminæ & pueri eorum in caueis eorum remanserunt cum spoliis plurimorum. Qui necem eorum intelligentes, quoniam nullus ad eos vltrà rediret, minimè exire ausi sunt. Quapropter *Baldewinus* vehementer aduersus eos indignatus, ligna, stipulas ac stuppas ante os cuiusq; specus comportari iussit & incendi, quo vsque calore & 40 fumo cogerentur exire. Tandem hac fumi & caloris nimietate vnanimiter oppressæ matres cum pueris, quibus virorum solamen defecerat, licet inuiti, processerunt, ac statim militibus in prædam dati sunt & diuisi: quorum cum matribus alii precio redemti, alii verò pariter decollati sunt.

XLI. *Baldewinus* post ista profectus ad castellum, quod dicitur *ad S. Abraham*, iuxta flumina fœtentia Sodomæ & Gomorrhæ hospitio remansit, in cibo & equorum pabulo magnam illic sustinens indigentiam. Ibidem dum montana perlustrarent ad inuestiganda necessaria, intimatum est eis à quibusdam incolis, quomodo, si paulo procederent ad locum, qui dicitur *palmarum*, plurimas opes & copias ciborum reperirent, quibus cum equis suis recreari possent. Quod iuuenes quidam audientes, circiter 50 quadraginta ab exercitu clàm subtracti præcurrerunt, vt pecuniam & prædas contraherent. Sed nihil præter alimenta & plurimam venationem inuenerunt, quibus ventrem impleuerunt: Nihil verò vini aut alicuius poculi præter fontes aquarum dulcium biberunt. Illic quidem in loco palmarum refocillati, exurgentes ad montana Arabiæ peruenerunt. Quibus superatis; inter duos apices montium hospitati sunt, vbi nocte necessariis cibis, quos vehiculis mulorum, camelorum, asinorum attulerant, sufficienter recreati sunt, nihil prorsus reperientes illic præter aquas recentes. Hæc montana, eorumque difficiles scopulos arctasq; fauces, spacio quinque dierum superauerunt graui & inæstimabili labore.

Sexta

Sexta verò die montanis permensis, in extremo illorum cacumine maxima pertulerunt pericula in grandine horribili, in glacie terribili, in pluuia & niue inaudita, quorum immanitate & horrore ingruente, ad triginta homines pedites præ frigore mortui sunt. Post montium ac scopulorum difficilia pericula in vallem descendentes, per diem continuum in equis residentes, planiciem pertransierunt, & vespere in villa quadam opulētissima castra metati, cum Principe suo Baldewino hospitio rebusque necessariis refecti sunt. Ibi quidam exploratores de Sarracenis ad promerendam gratiam tanti & tam magni Principis, & vitam impetrandā, affuerunt, qui ciuitatem iuxtà sitam, *Susumus* nomine, rebus nimium locupletem ipsi propalauerunt Principi; & hanc facilè occupari posse & expugnari. *Baldewinus* his intellectis, quinta die à villa prædicta exiens, ad ciuitatem *Susumus* vespere descendit. Sed domos & omnia loca ciuitatis vacua reperiens, ibidē potenter hospitio quieuit. Audito namque aduentu illius, vniuersi Gentiles à regione & ciuitate hac fugerunt, eò quòd sine muro hæc ciuitas infirma haberetur. In hac siquidem per octo dies sine impedimento, & aliquò incursu inimicorum, secura quiete corpora sua curauerunt, singulis diebus Gentiles in circuitu persequētes, & plurimos repertos trucidantes. Nona denique die clarescente, ex præcepto Baldewini vrbs Susumus attrita est & combusta. Spolia verò ciuitatis in armentis & cæteris rebus vbiq; diripientes, per aliam regionem, quæ est in montanis, diuertentes, loca propalata Sarracenorū depopulati sunt, prædas ab vniuersis locis contrahentes. Tandem post dies octo, diuersis angustiis & difficultate locorum, interdum etiam fame grauati, ad præfata fœtentia flumina reditum parauerunt. Et ad *villam palmarum* venientes, nihil alimoniæ præter fructum dactylorum repererunt, quibus corpora fessa & escis ieiuna recreauerunt. Dehinc per castellum, quod dicitur *ad S. Abraham*, repedantes, via qua venerant, Ierusalem reuersi sunt tertia die ante *Natalē Domini nostri* IESV CHRISTI. Illic cum Patriarcha & cunctis optimatibus suis habito consilio, *Bethlehem* Natalem Domini celebrare decreuit. Vbi eadem die sancta & solenni consecratus, & in Regem Ierusalem vnctus, in gloria magna coronatus est. Noluit enim, nec præsumsit, in vrbe Ierusalem diademate, auro vel gemmis preciosis exaltari, adornari & in Regem promoueri, vbi Dominus IESVS, Rex Regum, & Dominus dominantium, humiliatus & obœdiens vsque ad mortem pro mundi redemtione, spinis horridis & acutis coronatus est. Proxima autem die à Bethlehem migrans, *Ierusalem* reuersus, curiam ac consilium suum cum omni primatu suo in palatio regis Solomonis tribus diebus eiusdem solennitatis tenuit, honorificè quindecim diebus illic in ciuitate regia moram faciendo. In his itaque diebus potenter sedit Rex in throno suo, vt faceret iudicium & iustitiam inter Christianos confratres, si cui illata fuisset iniuria, vel si qua accreuisset discordia, volens omnia cum æquitate tractare, & non ficta pace componere. *Geldemarus* ergo videns dominum Regem consedisse ad iustitiam, assistensque coram eo, grauiter conquestus est super iniuriis de ciuitate, quæ sibi à Tankrado inferebantur, quam dono & ex manu Ducis Godefridi suscepit, ac militari obsequio promeruit, si caperetur; quamq; nunc Tankradus, audita Ducis morte, vi & iniustè retinebat. Hac itaq; Geldemari accepta querimonia, Rex ex consilio suorum primùm Tankrado legationem direxit, quatenus Hierosolymam ascendens, responsionē super querimoniis Geldemari, & iniuriis ei illatis, faceret. *Tankradus* autem, nullā se de his responsionem coram illo habiturum, respondit, eò quòd nesciret eum Regem ciuitatis & iudicem regni Ierusalem. Rex autem iterato consilio suorum illi secundò ac tertiò legationem direxit: quatenus iustitiā non deuitaret, ne posthac aliquis incusaret Regem, nec fateretur aliter quàm iustè & patienter Regem aduersus confratrem, & vnum de Principibus Christianorum, fecisse. Tandem *Tankradus* anxius quid ex tertia admonitione faceret, consilium cum suis iniit, qualiter inter Iaphet & Assur altera ex ripa fluminis, quod has duas ciuitates diuidit, Regi responderet ac loqueretur, si ei gratum foret: quoniam Ierusalem venire metuebat. Rex autem responsum ac petitionē Tankradi intelligens, consilio Maiorum suorum voluntati illius acquieuit; & die statuto ad eundem locum fluminis inter Iaphet & Assur ad colloquium profectus est. Illic diuersis inter se consiliis habitis, rursus post quindecim dies *Cayphas* conuenire decreuerunt, eò quòd nihil hoc tempore potuissent definire: & sic Tankradus cum Patriarcha Cayphās, Rex Ierusalem reuersus est. Interea modico interuallo legatio ab *Antiochia Tan-*

krado directa est ab optimatibus Boemundi, quatenus ad eos descendens, loco Boemundi, quia hæres eius esset, regnum Antiochiæ possideret. *Tankradus* super hoc inito consilio, Antiochiam proficisci decreuit, sed tamen diem statutam præstolari disposuit, quo cum Rege colloquium Cayphas habiturus esset; ne si ante diem proficisceretur, in opprobrium fugæ sibi imputaretur. Itaque die statuto ibidem Cayphas, *Rex* & *Tankradus* ad colloquiũ conuenerunt: vbi ambo concordes & amici facti sunt, omni querimonia exclusa. Et Tankradus non solùm terram & ciuitatem *Cayphas*, sed etiam arcem & turrim *Tabariæ*, quam dono ducis Godefridi obtinuit, in manu ipsius reddidit, eò quòd essent de regno Ierusalem, aperiens ei legationem Antiochiæ. Veruntamen hæc conditio in omni concordia à Tankrado firmiter indicta est, vt si post annum & menses tres ab Antiochia rediret, in beneficio terras & ciuitates obtineret; si autem sibi non esset reditus intra prædicti temporis terminum, nequaquam vltrà terras & ciuitates has à Rege vellet repetere. His vtrinque in magna caritate concessis, Rex sub eadem conditione terras & ciuitates suscipiens, *Hugoni* de præsidio *Falckenberg* Tabariam in custodiam & beneficium tradidit; Cayphas Geldemaro Carpenel reddidit: sic tamen fide seruata, vt Tankrado post præfatum terminum reuertenti omnia in manu eius dono Regis redderentur. Post hæc decreta, & pacem compositam, Rex Ierusalem secessit; *Tankradus* verò cum omni suo equitatu & manu quingentorum peditum per aridã vsque in Antiochiam descendit, vt eam susciperet.

XLVI. Non aliqua dehinc mora, *Rex* Ierusalem *Patriarcham* de perfidia, qua egerat cum Tankrado adversus eum, ne dignus hæres Godefrido succederet, sed Boemundus externi sanguinis regnum possideret, coram omni Ecclesia interpellauit, eò quòd de hoc scelere multum à suis optimatibus criminaretur; obiiciens ei, iam ipsam fraudem esse detectam in litteris, per *Morellum*, qui secretarius ipsius erat, Boemundo transmissis, sed in via ablatis. Hæc contentio & discordia inter Regem & Patriarcham adeò de die in diem cœpit magis ac magis inualescere, vt tandem Rex *Baldewinus* illius feritate & pertinacia indignatus, Apostolicum ac *Romanum Pontificem Paschalem* ad iudicium & iustitiam appellaret; atque ad discussionem tam nefandæ traditionis, & suscitandi homicidii ac discordiæ, quam, deprehensis litteris, inter Christianorum primores, & nouam teneramque Ecclesiam, idem Patriarcha fieri modis omnibus elaboraret.

XLVII. *Paschalis* verò pastor S. Romanæ ecclesiæ, & in toto orbe terrarum Christianæ fidei ac religionis examinator, Baldewini precibus & S. Hierosolymitanæ ecclesiæ satisfaciens, consilio fidelium fratrem, *Mauricium* vnum de duodecim Cardinalibus, legatum S. Romanæ ecclesiæ Hierosolymam proficisci destinauit, vt vice domini Apostolici ipsum Patriarcham, pro merito & culpa discussum, aut excusatum, in cathedram episcopalẽ sanciret; aut victum, & iustè condemnatũ de Apostolica sententia deponeret ac feriret. Itaque iussu domini Apostolici frater *Mauricius* Hierosolymam profectus, *Baldewinum* Regem vniuersamq; ecclesiã in verbo domini Apostolici salutauit, benedictionem dedit; & audire in omni iustitia & veritate Regem & filios sanctæ ecclesiæ, Deo obœdientes, se asseruit, & mala omnia in bonum Apostolica auctoritate velle commutare. Baldewinus & omnis ecclesia fidelium gratias Deo super his retulerunt, & se in omni iustitia & veritate Apostolicis mandatis obœdire responderunt.

XLVIII. Nulla deinceps mora die statuto, & concilio fidelium Episcorum Abbatumque collecto, in audientia omnium, qui aderant, & præsentia legati S. Romanæ ecclesiæ, *Patriarcham* assistentem *Baldewinus* Rex reum periurii, traditionis regni Ierusalem, homicidii, vt à Boemũdo occideretur in via, qua à Rohas Hierosolymam ascenderet, deprehensis litteris criminando & imputando astruxit, sub testimonio totius S. Hierosolymitanæ Ecclesiæ; & ideo nõ posse eum vltrà episcopari, nisi valeat ab his expurgari. Qui minimè de omnibus sibi illatis calumniis valens excusari, & præcipuè de sacrilegio ligni Sanctæ Crucis, de qua partem minuit ac dispersit, suspensus est à diuino officio; dataque sunt ei adhuc induciæ, si fortè aliquam excusationem posset reperire.

XLIX. Inter hæc diuersa negotia mensis Martius suo ordine cœpit referri, ieiunium quadragesimale obseruari, dies solennis Paschæ propinquare, in quo *Chrisma & Oleum* infirmorum necesse est sanctificari. Hac igitur die recordationis & sanctificationis olei & chrismatis exorta, qua Dominus Iesvs cum discipulis cœnauit, *Cardinalis* in montem Olíueti, in quo id sacramentum chrismatis & olei compleri solet, ascendit albâ stolâ & idoneis vestibus ad tam deificum opus peragendum indutus,

indutus,& in nullo Patriarcham adesse consentiens. Verùm *Patriarcha Dagobertus* videns se officio suo priuari, quo eo die vniuersi Patriarchæ, sui antecessores in eodem monte Oliuarum solito more vtebantur, chrisma & oleum consecrantes, humilis & supplex cum lacrymis Regem conueniens, instare cœpit, ne hac die tam leuiter ac viliter ab officio suo expelleretur, & sic in ore omnium Peregrinorum haberetur. Rege autem multum resistente, & plurima illi obiiciente, quę idem aduersus se præsumserat, sicut anxius ei magis ac magis precibus instabat, rememorans, qualiter ab eo vnctus & in Regem consecratus sit. Sed nec sic Rege eum audiente, talenta ei trecentorum Byzantiorũ obtulit in secreto auris suæ. Quo cor-
10 ruptus Rex, in omnibus deinceps petitioni Patriarchæ acquieuit: & ideo tam grãdis pecuniæ promissione Rex gauisus, quia plurimum defectione angustiatus, hac modò indigebat ad remunerandum suorum militum laborem, illico surrexit, fratrem *Mauricium* conuenit, sic ei in hæc verba locutus. *Frater Maurici, hac Ecclesia nostra rudis adhuc & tenera habetur. Quapropter nolumus, nec placet prudentioribus nostris, neque in consilio nostro reperimus, vt Ierusalem tam subitò iustitia sua priuetur; & Patriarcha tam celebri die à suo officio destituatur; sicq; discordia Paschalibus diebus in confusionem Peregrinorum & gloriationem Gentilium inter nos oriatur. Iccirco constanter te petimus, vt nos, qui nostro sanguine hanc Sanctam Ecclesiam detinuimus, & vsque ad mortem pro ea dimicauimus, audire non recuses, neq; rem de Patriarcha à nobis propalatam hoc tempore grauiter accipias, donec viderimus,*
20 *quorsum tendat illius excusatio, vel quẽ finem accipiat. Tempus enim non effugiet, quin satis ad æquitatem iudicii de omnibus redeamus. Et hac de causa, quia placet vniuersis fidelibus, rogamus te, quatenus concedas ei, vt hoc tempore officio suo episcopali vtatur, chrisma & oleum ipse sanctificet, Peregrinis, de longinquis regionibus huc profectis, indulgentiam & reconciliationem ipse faciat iuxta ritum S. Hierosolymitanæ ecclesiæ. Post solennitatẽ verò Paschæ, quod in summa caritate & cõcordia nũc oportet celebrari, tuo cõsilio decreuimus de illo agere, ita vt aut purgatus in statu suo permaneat, aut cõuictus episcopali dignitate priuetur.* Cardinalis his & his flexus blanditiis, in omnibus volũtatis Regis optimatumq; cessit. Et exutus officiali indumento, Patriarcham permisit consecrare Oleum & Chrisma, ac solenne Pascha in omni diuino celebrare officio. Ab illo siquidem die *Cardinalis* & *Patriarcha* in summa ami- LI.
30 citia coniuncti sunt, facientes sibi cumulos ex oblationibus fidelium; ciborum vinique ac potus plenitudine nocte ac die in locis remotis perfruentes: omnia tamen hæc Rege ignorante. Interea hæc concordia in eodem mense Martio inter Regem & Patriarcham dum fieret, & terra syluæque, amota hyeme, reuiuiscerent, dies prolongari inciperent, serenitas aëris magis ac magis indies clarescceret; ecce nuncia vniuersarum *ciuitatum Gentilium* in palatio Regis affuêre, quædam in dolo, quædam in puritate Regem salutantia in donis ac tributis, pacem cum eo quærentes componere, quatenus sine respectu periculi & metus in negotia sua securè terram perambularent, & agros ac vineas sine formidine excolerent. *Rex* sicut nouus qui aduenerat, & multis indigebat thesauris in conuentione solidorum militum
40 suorum, omnia quæ sibi offerebantur à ciuitatibus Gentilium, Ascalone, Cæsarea, Ptolemaide, Sur, quæ est Tyrus, suscipere consensit; sed Assur eiusque munera refutauit. Cæteris vsque post terminum sanctæ Pentecostes pacem & securitatem à se suisque largitus est. Vix termino pacis huius mediato, prædictæ ciuitates LII. *Regi Babyloniorum* hæc nuncia detulerunt, quòd nisi in breui eis subueniret, Francosque de regno Ierusalem eiiceret, se in manu Regis illorum ex summa necessitate reddi debere, eò quòd vltrà Christianis resistere non possent. Rex verò Babyloniorum summa necessitate vrbium suarum intellecta, vniuersis ciuibus & Ammiraldis hanc legationem solatiumque remisit, quòd sine mora aliqua collectis armorum copiis, vniuersis ciuitatibus subueniret. Hæc autem nuncia & consilia o-
50 mnia Baldewinum Regem latebant, & vniuersos fideles, qui in regno Ierusalem habitabant. Interea à *Damasco* frequens legatio Turcorum Ierusalem ad regẽ LIII. venit, pro redemtione captiuorum suorum, quos in arctissimis faucibus Baurim superatos captiuauit, & Ierusalem abductos reclusit in custodia turris Dauid. Qui consilium iniit cum optimatibus suis, vt pro captiuis precium susciperet, eò quòd in terra aliena, noua & ignota plurima indigeret pecunia in conuentione solidorum. Sicque vniuersis quadragintaquinque captiuis, quibus amputare colla decreuerat, nunc pepercit; & pecuniam inauditam supra quinquaginta millia Byzantiorum auri suscipiens, omnes viuos & incolumes à manicis & catenis solutos, ac de turri Dauid eiectos, pacificè in terram Damascenorum remisit. Eodem LIV.

tempore mensis Martii *classes Genuensium* ac *Pisanorũ* nauigio appulsæ *Ioppen*, anchoras fixerunt, & illic Pascha Domini operientes, tandem Ierusalem venerunt ad celebrandam ipsam diem *Resurrectionis Dominicæ*. Qua cum omni deuotione celebrata, Regem adierunt, summopere deprecantes, vt quam vellet ciuitatem Gentiliũ occupare & expugnare eis liceret. Rex igitur desiderium illorum intelligens, *Assur* obsidere per mare & aridam constituit. Ipse verò & omnis virtus eius ab Ierusalem mouens, in sicco vrbem & mœnia eius cinxit; Pisani & Genuenses in littore maris nauigio exitum illorum obseruabant. Vix tertia die obsidionis expleta, ciues Assur pacem cum Rege quærebant componere, quatenus salua vita sanisque membris, cum rebus suis ab vrbe eis liceret exire; ciuitatem verò, in manu Regis reddere ac relinquere. Rex quidem consilio suorum pepercit viris, pacificè eos prodire promittens cum omnibus, quæ collo deferre possent; & vsque in Ascalonem conductum eis sine respectu mortis largitus est. Ipse verò ciuitatẽ ingressus cum vniuersa multitudine equitum & peditũ, per dies octo illic requieuit; & consilia de reliquis ciuitatibus, cum Domino Patriarcha & optimatibus regni sui egit. LV. Placuit tandem cunctis, vt *Cæsaream* mitteretur legatio Regis Ammiraldo & primis ciuitatis, vt Regi redderetur vrbs, alioqui obsidere eam certum haberent; & si vi caperetur, vniuersos in ea repertos in ore gladii occidi debere. *Ammiraldus* cunctique habitatores ciuitatis responderunt in hæc verba: *Absit à nobis, vt nos & ciuitatem nostram in manu Regis Christianorum tradamus, cùm in manu Regis Babyloniorum in breui liberandi simus, & non diu sit, ex quo litteras eius susceperimus.* Rex autem illorum iactantiam comperiens, in ira magna vnà cum Domino Patriarcha ab Assur egressus, relictis in ea custodibus, Cæsaream occupauit, vndiq; circa eam suorum viribus collocatis. Erant illic inaudita pomaria in circuitu murorum, ac si sylua densissima, omni decore & fructuum abundantia inæstimabilia: quę Rex in securi iussit extirpari, ne inter densitates frondium aliquæ insidiæ Sarracenorũ exercitui, sagittis in occulto emissis, nocere valerent. His extirpatis, in circuitu murorum firmauit obsidionẽ per dies quindecim, machinam componens, qua vrbem expugnare, & ciues absterrere valeret. Ad vnguem tandem machina perducta, & ab exercitu super muros erecta, in sublime porrecta est, ac fortissimi pugnatores in ea cõstituti ad expugnanda mœnia vrbisque defensores. Deinde iussu Regis omnibus indictum est, vt summo mane corã Patriarcha & Rege conuenirent è cunctis locis & tabernaculis; eiusque caperent admonitionem ad assiliendam vrbem, & implerent. Mane autem facto, ecce assunt ex mandato Regis vniuersi Christianorum equites & pedites coram Patriarcha & Rege: qui delictorum suorũ confessione facta, indulgẽtia accepta, & Dominici corporis communione, vrbem fortiter assiliunt in mari & in terra, cum *Pisanis & Genuensibus*. Hi Laodiceæ tota hyeme otio torpentes, tempore Martii, vt suprà relatum est, ad sacrum & solenne Pascha celebrandum Ierusalem ascenderant, viduati suo Episcopo Pisano, cùm clàm ab eis subtractus, cum Boemundo ac Baldewino, post captionem Ierusalẽ, in eam descendit; & à Godefrido Duce in cathedram Patriarchatus est cõstitutus. LV. Eodem die dominus *Patriarcha* Crucem Dominicam prætulerat ad protectionem & defensionem gentis Catholicæ, stola sancta & candida pro thorace indutus, quem vsque ad muros tota manus pugnatorum sequi non dubitauit. Qui duro & graui assultu ciues disturbatos à mœnibus repulerunt: ac sic subitò scalis muro applicitis, vrbi mediæ vi intromissi sunt. Sarraceni verò per vrbem Gallos diffusos intuentes, nec eis resistere valentes, ad aliud munimen vrbis, quod muro spatiosissimo ac robustissimo ciuitatẽ diuidebat introrsum versus mare, conglobati fugam inierunt. Illic aliquantulum in mœnibus resistentes, ad defensionem constiterunt, frustra sagittis, palis igneis & fundibulis consumentes diem. Nona tandem hora diei facta, grauati ciues crebris & nunquam intermissis assultibus, ac tam mangenellis quàm sagittarum grandine fessi & victi, per vicos & diuersa loca ciuitatis tremebundi fugerũt. Quos Galli insequentes, & hos muros scalis similiter transcendentes, graue illorum exterminium fecerunt; alios trucidantes, alios captiuantes, tum vndique spolia plurima auri, argenti & ostri preciosi rapientes. Sacerdos quoq; ciuitatis homo grandæuus, ibidem captus est; & *Azopart* quingenti decollati, illuc missi à Rege Babyloniorum in conuentione solidorum. Sacerdos itaque prædictus Regi præsentatus, iussu ipsius in neruo religatus est; mulieres quoque eius captæ, & in compedibus positæ, ad discutiendũ talentum innumerabilis argenti, quod idem sacerdos

propter

propter metum Christianorum subterrauerat. Hac ciuitate attrita & expugnata, Rex à diebus Pentecostes vsque in natali S. Iohannis Baptistæ in omni plenitudine necessariorum requieuit in ea. In his diebus sacerdotem prædictum à ciuibus vrbis Ptolemaidis, quæ est *Acra*, mille Byzantiis redemtum, sine læsione membrorum dimisit. Post hæc Rex *Ioppen* in magna gloria secessit; *Arpinũ* de Bodurdis ciuitate, principem magnificum, ad custodiendos muros & portas ciuitatis relinquens. Ioppe itaque Regi commoranti, legatio & fama *Merauis* à Babylonia innotuit: quatenus Babylonii omnes ad arma confluxissent, & post octo dies cum eo bellum committere decreuissent. Hæc rex audiens, vniuerso cætu suorum in vnum conuocato, ex cõsilio illorũ exiuit à Ioppe; atq; inter Ascalonem & Rames, tribus hebdomadibus euolutis, in planicie amplissima resedit vnà cũ Patriarcha & omni apparatu suo, ac vniuersa domo fratris sui ducis Godefridi. Hoc verò in loco dum diu præstolarentur aduentũ inimicorũ, nec quisquã illorũ adhuc in iactantia sua descẽdisset, Rex quemq; suorũ in sua remisit; ipse verò ciuitates in circuitu sitas, tã Cayphas quàm Assur & cæteras, pacificè perlustrauit. Nec lõgo post hæc interuallo *Rex* à militibus suis in vrbe Iaphet pro pecunia angustiatus est, quã illis debebat pro conuentione solidorũ, qui etiam fratri eius Godefrido, Principi Ierusalẽ, multũ obsequii impenderant, & nunc eius causa & honore non minore studio militare laborabant. Quapropter Hierosolymam profectus, *Patriarchã* compellat, quatenus sibi aliquid pecuniæ de oblatione fidelium impertiret, quam militibus diuidens, voluntarios eos sibi redderet, ac secum teneret; alioqui eos in terminis Ierusalem non velle remanere, & Sancta Sanctorum defensare. Patriarcha Regis audita petitione, induciis per noctem susceptis, in crastino reuersus ducentas marcas argenti se ad vsus fratrum, inibi DEO famulantium, habuisse, & non amplius, profitetur, & easdem benignè in eius mandato distribuere concessit: Credidit Rex in verbis, quæ à Patriarcha referebantur, & oblatum argentum suscepit. Sed *Arnolfus*, Sancti Sepulcri Cancellarius, & cæteri complures, quibus tota massa innotuit, & oblatio Dominici Sepulcri, nequaquam verum Patriarcham profiteri asserebant; sed inæstimabilem pecuniam clanculũ suis locellis reposuisse eum. Hac Arnolfi assertione, & populi opinione super thesauro abscondito, Rex nimium iratus vehementer Patriarcham vrgere cœpit, vt ex oblationibus fidelium milites procuraret ac retineret in conuentione solidorum, qui Paganorũ viribus resistentes, Peregrinos & vniuersam Ecclesiam ab eorum insidiis & assultibus protegerent ac defenderent. *Patriarcha* verò vinculo priuatæ dilectionis fratri *Mauricio*, S. Romanæ ecclesiæ legato, innodatus, ita vt simul affluenter de bonis terræ epulantes, in suo conclaui oblationem Sancti Sepulcri pro velle diuiderent, prorsus audire Baldewinum Regem parui pendit, spem & fiduciam in promissis Cardinalis Apostolici, precio corrupti, habens; & in eo, quòd leui precatu, aurique munere, Regẽ corrumpere potuit & placare. *Rege* itaque Patriarcham sæpius admonente, vt milites quadraginta procuraret, atque auro dato & argento, beneuolos in opus belli redderet; *Patriarcha* verò in nullo eum super his audiret: die quadam factum est, vt idem Patriarcha cum fratre *Mauricio* solito more in domo sua accumberet, variisque cibis splendidè epularetur, vinum quoque non modicè biberet, ac securè in comessationibus diem duceret. Nunciatum est tandem Regi Baldewino, quòd huiuscemodi luxu singulis diebus conuiuantes, fidelium vota vorarent sine modo & numero; & hoc ipsum Regem non solùm auditu, sed etiam faciiè visu posse experiri. Nec mora, dum in eodem comessationis studio ad mensam discubuissent, Rex cum quibusdam de optimatibus suis pulsato ostio intromissus affuit, & hos patres durè arguens, in hæc verba aspera prorupit: *Vos in comessationibus, nos in tribulationibus die ac nocte pro confratrum nostrorum salute & periculis versamur: Vos gratis vota fidelium in deliciis vestris applicatis, angustiam & penuriam nostram ignoratis. Sic viuit Dominus, amodò de omni oblatione fidelium non contingetis, nec de hac ventrem vestrum vltrà tam delicatè implebitis, nisi milites in conuentione solidorũ susceperitis. Vnde enim vobis, vt oblationes & munera fidelium tam liberè & potẽter à Dominico Sepulcro tollatis, in cibos delicatos componatis, & minimè fidelium necessitati subueniatis? Nos Ierusalem, ciuitatem sanctam & locum desiderati Sepulcri, sanguine nostro redemimus, & assiduè pro sanctorum defensione pondera laborum & bellorum portamus; vos oblationis fidelium nos exortes facietis? Absit, vt tale facinus patiar, & vltrà manus vestra de his repleatur. Certè aut vos calicem, quem bibituri sumus, & bibimus hoc tempore angustiarum, nobiscum bibetis; aut videte, ne quicquam de rebus Ecclesiæ vltrà susci-*

LVII. LVIII. LIX. LX.

10 20 30 40 50

piatis. Hoc dicto, Patriarcha non minus in verba iracundiæ erupit, dicens: *Non rectè consultus fecisti, vt tam temerè nos argueres, & res Ecclesiæ interdiceres, cùm nostra sit iustitia, vt qui altari seruiunt, de altari viuant. An tributariam & ancillariam facere sanctam præsumis Ecclesiam? quam Dominus* IESVS, DEI *filius, suo sanguine liberam ex ancilla faciens * custodia commisit & reliquit. Vide ne vltrà præsumas de his loqui, aut agere, cùm ad te minimè pertineat, & Domini Apostolici maledictionibus de talibus ausibus iudicio possis incurrere.* Frater Mauricius ad inuicem contendentes solummodò auscultabat; sed de pace & concordia illos admonebat.

LXI. Verùm Rex non vltrà Patriarchæ responsionem & asperitatem ferens, & ipse durè & impatienter locutus fuisse perhibetur: *Videte, ne facilè hanc mihi sæpius obiiciatis occasionem, vt qui altari seruiunt, de altari viuant, cùm summa necessitas exigat, vt de altari potius Christiani milites pascantur, quàm Sarraceni vi de sepulcro munera fidelium asportent & diuidant, & nõ miles noster vel sacerdos contingat. Viuit Dominus, non solùm oblationes fidelium comedã, militibusq́; nostris diuidam; sed etiam aurum de Sepulcro Domini & altari euellam, quò milites & defensores Christianæ plebis, regniq́; Ierusalem, sustentari possint. Post hæc cũ Domino DEO placuerit, & superbia seu minæ de regno Babyloniæ cessauerint, & terra siluerit, cuncta restaurabimus; Ecclesiã etiam eiusdẽ Sepulcri, sicut dignũ est, thesaurizare nos nõ pigebit, & auro ditiore, gẽmis vel opere exaltare.* His dictis, tandẽ Patriarcha à Rege, viro litteris erudito, conuictus, ex cõsilio fratris *Mauricij* triginta milites in côuentione solidorum se procurare promisit. Sed in breui eorum tædio affectus, talentũ inæstimabilis pecuniæ sustulit, milites vacuos & immunes reliquit. Rex autem hypocrisin illius de die in diem cognoscẽs, vehementius eũ urgebat, & de militari officio solicitabat. Ille è contrario, aures surdas ad omnia faciebat: ita animo obstinatus erat.

LXII. Igitur *Patriarcha* dolẽs & tristis secessit *Iaphet*, vbi ex cõsensu Regis, quia sacerdotii gradũ obtinebat, pacificè autumni & hyemis tẽpus adimpleuit. Deinde mense Martio inchoante, anno primo regni ipsius Baldewini *Antiochiã* ad Tankradum nauigio profectus est. Camerarii autẽ illius capti & retenti, minis verberumq́; terroribus coacti, pecuniã Patriarchæ subterratã professi sunt ad viginti millia Byzantiorũ auri: Argenti autẽ tantũ esse referebant, quòd adhuc pondere & numero cunctos lateret. Fratrẽ verò *Mauriciũ*, quia Romani Pontificis legatus erat, in omni, quo potuit, honore, Rex secũ retinuit, ac diligẽter procuratũ benignè in omnibus tractauit.

LXIII. Interea dum Rex ex his & aliis diuersis rebus ageret, propalatamq́; pecuniã suis egregiis militibus diuideret, & cuiq́; pro labore suo rependeret, crudelis legatio à Babylonia descendit, scilicet quòd *Merauis*, qui est secundus in regno, cũ tota virtute & apparatu Regis Babyloniæ properaret, bellũ in breui cum eo habiturus. Rex autẽ *Baldewinus* tam crudelia nuncia intelligens, nõ securè nõ facilè auribus immisit; sed a Ierusalẽ in Septembri mẽse in solenni natiuitate matris ac Virginis Mariæ anno primo regni descendens, vrbẽ *Ioppen* cũ omni virtute peditũ & equitum introiuit; eiusq́; mœnia plurima suorũ muniens fiducia, cum trecẽtis tantùm equitibus & mille peditibus in occursũ inimicorũ festinauit, vt cognosceret, si vera belli legatio sibi innotuisset. Manè ergo dehinc facto, in cãpestribus Rames consistens, vires, copias & arma intolerabilia Babyloniorũ vidit per terras & fines Ascalonis occurrere, circiter ducenta millia tam equitũ quàm peditũ. De quibus Rex & omnes qui cum eo erant, non solùm admirati, sed & terrore concussi sunt.

LXIV. Veruntamẽ Rex perspiciens se non posse vitare periculũ, nec effugere inimicos haud procul absistentes, quinq́; acies ordinauit tam ex manu militũ quàm peditũ. In prima acie fuit *Beluoldus*, miles nobilissimus, qui primùm prælio cõmisso, ac Gẽtilibus cũ vniuersis suis peremtus est, absq́; solo milite, qui ibidẽ manu detruncata, vix à periculo mortis elapsus est. Adhæc *Geldemarus Carpenel*, miles ferocissimus, secundã aciem regens, dum per medios hostes erumpens, periclitantibus sociis subuenire moliretur, cum omnibus sequacibus & coadiutoribus suis sub intolerabili manu inimicorũ occubuit. Solummodò Willehelmus & *Erkenboldus* viui euaserunt. *Hugo* verò *de Tabaria*, iuuenis bellicosus, in tertia acie cõstitutus, per medios hostes equo veloci aduolans, & cũ illis diu grauiter pugnans, ad extremũ certaminis pondere fatigatus, & victus, vix è medio turbinis euasit, omnibus de comitatu suo ibidẽ occisis & attritis. *Rex* ergo tam graue exterminiũ suorum fieri videns, vehementer cum duabus aciebus, quæ secum remanserant, timore concussus est. Nec mirum. Nam idem mortis iudiciũ in momento subire æstimabant.

LXV. Ad hæc duo catholici Pontifices, *Gerhardus* & *Baldewinus*, quorũ alter Gerhardus Crucem Dominicam præferebat ad confusionẽ & obcæcationẽ Sarracenorum, & liberationẽ Christianorum,

norum, Regi in mansuetudine & correctione sic locuti sunt: *Timemus, domine Rex, ne ob discordiam, quæ inter te & dominum Patriarcham orta est, hodie nostris victoriæ fiat impedimentum. Ideo monemus te, vt cum illo in concordiam redeas; & sic Domino* DEO *pacis satisfacias, quatenus à præsenti periculo eruamur.* Quibus Rex: *Rectè*, inquit, *monuistis*: & hæc dicens, ab equo desiliit, & coram Dominica Cruce procidēs in terram, adorauit Dominum cœli, & hæc Pontificibus responsa dedit: *Patres & fratres in* CHRISTO *carissimi, pastores & doctores peritissimi, iudicium mortis nobis præstò est; inimici innumerabiles obstant in arcu, in hastis, in gladiis fulmineis, quos penetrare & expugnare pro imperio Romanorum, pro regno Franciæ & Angliæ, non hodie apponerem, nisi per gratiam Domini nostri* IESV
10 CHRISTI: *de quorum manibus sic me Dominus* DEVS *eruat, vt non cum illo pacem componā, nisi primùm coram Apostolico & omni Ecclesia de perfidia, quam egit, canonicè fuerit expurgatus.*

Et hoc dicto cum iureiurando, Confessionem delictorum suorum coram iisdē Episcopis fecit: deinde Corporis & Sanguinis Dominici percepta Cōmunione, decem milites loricatos cum Gerhardo Episcopo, lignum S. Crucis præferente, reliquit. Ipse verò ascendens equum, qui lingua Sarracenica *Gazela* appellatur, eò quòd cæteris equis sit cursu potentior, præmisit quartam aciem, quam ordinauerat de militibus Ierusalem, viris bello assuetis ac robustissimis, quatenus cum hostibus in impetu ferirent ac dimicarent. Hęc autem quarta acies ex iussu Regis fortiter irruens, cùm committeret cum aduersariis, præ multitudine illorum pondus **LXVI.**
20 belli non sustinens, cœpit fugiendo declinare. Sed à Rege eius fuga & contritione percepta, magno solamine releuata est. In momento enim cum sua quinta acie affuit, agens graue prælium cum hostibus, ac repetens, cędes & strages non modicas operatus est. Cùm sic *Rex* per medios hostium globos irrumperet, campos occisorum cadaueribus sterneret, quidam nominatissimus *Ammiraldus* Episcopo, crucem ferenti, occurrit in furore vehemēti, vt raptim caput eius detruncaret: sed diuina vltione & percussione præuētus, subitanea morte suffocatus expirauit. Deinde alter *Ammiraldus*, dum subitò ipsum Regem Christianorū impeteret, mox equus illius trans ceruices hasta Regis confixus est, quæ ipsum etiam Ammiraldum eodē ictu & impetu trans pectus & iecur viriliter perforauit: sicq; ambo, equus sci- **LXVII.**
30 licet & sessor eius à Christiano rege occisi sunt. Mortuis itaq; duobus Ammiraldis, exercitus Babyloniorū magnis ductoribus, primo diuina vltione, altero hastæ Regis transfixione, Rex & vniuersi sui recuperatis viribus per medias acies Sarracenorū, in multitudine densatas, irruperūt in virtute Domini nostri IESV CHRISTI, & S. Crucis, inauditam illorum occisionem facientes vsq; ad vesperū, donec hinc & hinc fatigati, vtrinq; se à bello continuerunt. Verùm *Rex* & reliquiæ fideliū obtinentes camporū planiciem, in castris inimicorū pernoctauerūt. *Sarraceni* verò desperati in Montis cacumine ea nocte remanserunt. Patet hîc profectò, quomodo virtus S. Crucis non solum contra inuisibilium iacula præualet inimicorū, sed etiā aduersus arma visibiliū: quia in prima, secunda, tertia ac quarta acie superbia & for-
40 titudo Gentiliū vincendo præcessit; in quinta verò acie, in qua lignū sanctæ ac venerandæ Crucis ante Regem & eius socios præferebatur, tota virtus infideliū cœpit infirmari, humiliari & conculcari. Sed & Principes eorū ferocissimi, DEO gloriam non dantes nec S. Cruci; sed in eam sibi oppositam audacter & insipienter irruentes, subitanea morte præoccupati perierunt. Igitur post hanc victoriam Christianorū, quæ in mēse Septēbri ipso vespere natiuitatis beatæ DEI Genitricis Mariæ accepta est, crastino Sole exorto, quidam Gallorū adhuc viuentes & incolumes cum Rege suo rursus armari properant, suspicati adhuc bellū à Gentilibus ingruere. Sed in omni planicie regionis non sunt reperti aut visi. Reuertente autē Rege cum quadraginta tantum militibus & peditibus ducentis, qui vix euaserant, **LXVIII.**
50 viginti millia Sarracenorū, qui *Iaphet* obsederant, & vespere hesterno huic prælio non intererant, sed ciuitatem ex præcepto *Merauis* nimio assultu vexauerant, in aperto camporū affuerunt ex improuiso. Quibus Rex, quia locus diuertendi ab eis non erat, resistere disposuit, & vniuersos magna & audaci voce sic consolatur: *Ecce inimici nostri obuiam nobis integris armis adueniunt: nos autē nuper bello fatigati, serò à manibus aduersariorū, solo* DEO *protegente, euasimus superatis hostibus: optimates nostri & equites cuncti præter nos ceciderunt: quid igitur pauci aduersus tot millia adhuc bello intacta acturi sumus? pauci sumus, & serò bello fatigati; locus & possibilitas ab eis diuertendi non est: & ideo quid consulam, nescio, nisi, vt in nomine Domini* IESV, *& in virtute S. Crucis, vniuersi stemus aduersus incredulos pugnantes. Potens enim est* DEVS *etiam de istorū manibus nos liberare, sicut heri de manu pluri-*

morum & fortiorum liberauit. Si autem morti & contritioni destinati sumus, fiduciā & spem habeamus, quia si corpus nostrum pro nomine IESV & sanctis Ierusalem nunc in præsenti seculo occidi permiserimus, in futuro animas nostras in vitam æternam vnà cum fratribus nostris, hesterno LXIX. *prælio pro CHRISTO iugulatis & attritis, conseruare poterimus.* Hac *Regis* exhortatione milites omnes & pedites, roborati in spe vitæ æternæ, inimicorū turmas operientes, visas à longè, armis properè induūtur, Lignumq; Dominicum semper ante faciem suam habentes, graue prælium cum hostibus commiserunt. Occęcati itaq; & infirmati *Sarraceni*, in obstaculo tam venerabilis Ligni timore illis immisso, nō diu perseuerâuerunt in bello. Visa quippe Christianorum audacia, & suorū nimia ruina, alii versus Ascalonem fugientes, alii versus montana Ierusalē, victi ac dispersi diffugium fecerunt, Rege eos in graui exterminio crudeliter insequente. *Rex* autē reuersus à cæde hostium, paucissimis in vnum receptis sociis, cum spoliis recentibus auro & argento, equis & mulis, opibusq; plurimis, *Iaphet* declinauit. Vbi lorica ferrea & veste ostrea exutus est, quæ reuera & procul dubio tota tabe & sanguine hostium inebriata fuisse, ibidem visa est. Noctem illam Rex illic in lætitia & hilaritate ciborumq; abundantia exegit. Ciues verò exurgētes, & in campis Ascalonis festinantes, tentoria, aurum & argentum & multa preciosa spolia occisorum Gentiliū, quæ Rex suiq; paucissimi deferre nequiuerant, asinorum & camelorum vehiculo in ciuitatem Ioppen attulerūt. Deinde crastina luce affulgente, Rex in gloria magna *Hierosolymam* ascendit: Vbi de omnibus spoliis & præda inimicorum decimas LXX. Hospitali CHRISTIq; e pauperibus erogauit. *Wickerus* autem Alemanus eodem anno paulò ante hoc prælium validis febribus correptus, in mense Augusto obiit, sepultus in ciuitate Ioppe. Qui gladio suo, quo Turcum trans loricam & vestes super pontem Antiochiæ medium secuit, non modicā Regi opem hîc contulisse, nisi morte interueniente vitam finiisset. Hic miles magnificus Leonem magnum & horribilem, viros & armenta sæpius iuxta montana deuorantē, in regione Ioppe die quadam equum pascentem inuadere volentem, munitus clypeo aggressus est: quem facili pede & saltu facie ad faciem sibi occurrentem eiusdem gladii acutissimi ictu percussit; ac fortiter cerebro eius in partes diuiso, crudele & intrepidum animal in campestribus mortuum reliquit.

ALBERTI AQVENSIS EXPEDITIONIS HIEROSOLYMITANÆ LIBER OCTAVVS.

Argumenta Capitum.

I. Quòd primo Baldewini Regis anno innumera Longobardorum multitudo per Bulgariam profecta sit Hierosolymam.

II. Vbi Constantinopolitanus Imperator eosdem Longobardos vendere & emere per castellā Bulgarorū permittit, & eis rapinam interdixit.

III. Longobardi Regis edictum negligentes, Græcos & Bulgaros inuadunt: sed mox ab Imperatore conuocati, Constantinopolin tendunt.

IV. Imperator à Longobardis iniuriatus, vendere eos & emere inibi prohibet: illi palatiū eius vnanimiter obsident.

V. Imperatore tandē per Episcopum Mediolanensium pacificato, Longobardi Constantinopolin relinquentes, Nicomediam applicuerunt ciuitatem.

VI. Conradus, Imperatore Henrici stabularius, cum nonnullis occidentalis Franciæ Principibus Nicomediæ Longobardis associatur.

VII. Quod in diebus Pētecostes innumerabilis Christianorū ab vrbe Nicomedia exercitus egressus, versus regionē Flagania iter suū direxit.

VIII Vbi populus in itinere suo illicitè luxuriatur, præsidium Ancras funditus diruens, sata & segetes vicinas Turcorum succidens.

IX. Reymundus Comes, donis Turcorū corruptus, exercitum duxit per viam solitudinis: & Christiani per vires agunt custodiam in exercitu.

X. Turci cum Reymundo prælio decertant, & turma Christianorū propter hostes in vnum cōglobata, mixtim per solitudinem gradiuntur.

XI. Qualiter exercitus in solitudine quindecim diebus vagando, sitis & inediæ miserias pertulerit grauissimas.

XII. De mille peditibus Christianorū, qui in valle hordeū colligentes, circumuenti sunt & combusti igne Turcorum.

XIII. Turci in viginti millibus cum ducibus suis, Donimano & Solymano, cum Christianis dimicantes, ad septingentos corruerunt.

XIV. Vbi Christiani quoddā præsidium Turcorum comminuerunt sed insidiis eorum excepti, ad septingentos perierunt.

XV. Episcopus Mediolanensium omnem exercitum ad confessionem delictorum suorum cohortatur.

hortatur, & vniuersa multitudo ad bellandos hostes in quinq; acies cũ ducibus suis ordinatur.

XVI. Longobardi, in prima fronte pugnantes, deficiunt, post quos reliquæ acies cum ducibus fugientes, diffugiunt.

XVII. Reymundus Comes prælio victus, versus montana fugiens cum decem militibus, silicẽ quandam præcelsam occupat: de qua per socios liberatus, media nocte cũ suis omnibus fugã iniit.

XVIII. Post fugam Reymundi vniuersi Duces exercitus, cũ reliqua multitudine tentoriis & vxoribus suis in via derelictis, celerem fugam arripiunt.

XIX. Quomodo Turci fugientium tentoria diripuerint, & vxores eorum quasdam iugulârint, quasdam captiuârint.

XX. Quòd post deprædationem mulierum Turci fugientes Christianos insecuti, diuersa eos cæde lacerauerint, plurima eorum spolia in itinere relicta colligentes.

XXI. Quòd Christiani exercitus centum & sexaginta millia, siti ac fame, fuga & sanguine à Turcis in bello occisa sunt.

XXII. Qualiter residuus Christianorum populus vagus & profugus cum ducibus suis Constantinopolin repedauerit.

XXIII. De quadringentis Christianis, qui Turcos insequentes euaserunt, & de aliis mille militibus, qui in regressione Turcorum gladiis eorum iugulati ciciderunt.

XXIV. Quomodo Duces ac Comites exercitus dispersi, ad se Constantinopolin fugientes, Imperator benignè susceperit: & quòd Reymũdo infestus, postea eidem amicus extiterit, & quòd ibi Mediolanensis Episcopus obierit.

XXV. Qualiter eodem tempore nobilissimus Princeps Willehelmus, de regno occidentalis Franciæ egressus, quindecim militibus peditũ adiunctis, per aridam Bulgariam descenderit.

XXVI. Quòd idem Comes cum omni apparatu suo Constantinopolin veniẽs, susceptus ab Imperatore donariis multis sit honoratus.

XXVII. Quomodo Comes & exercitus eius Constantinopolin relinquentes, ad Stanconam, ciuitatem Turcorum, peruenerint.

XXVIII. Vbi Turci eis occurrentes, bello eos vexabant, Comitẽ vnum Longobardorum sagitta perimentes.

XXIX. Christiani Turcis resistẽtes, & Stanconam frustra oppugnantes, Reclei vrbem applicuerunt: vbi siti æstuantes ad trecentos periere ũt.

XXX. Turci cum Christianis decertãtes, victum fugientemq; Willehelmum insecuti sunt: & de fuga Roberti & alterius Willehelmi.

XXXI. Quomodo post fugam Ducis Turci residuos Christianos occiderint, vxores eorum captiuantes.

XXXII. Qualiter Willehelmus Comes à Turcopolis deceptus, cum magno discrimine Antiochiam peruenerit.

XXXIII. Tankradus, nouus Princeps Antiochiæ, Willehelmum profugum remunerat.

XXXIV. Quomodo Willehelmus, Princeps Pictauij, & Welfo Dux Bawariorũ, & Ida Comitissa, cũ militia Bulgariam intrauerint.

XXXV. Quòd in prælio pontis Rudolfus obierit, & quòd Dux Bulgarorum se dediderit.

XXXVI. Bulgarorum Duce placato, Willehelmus Constantinopolin rediens, ab Imperatore donis sublimatus est.

XXXVII. Exercitu Willehelmi Stanconã vrbẽ veniente, Turci fontes & cisternas obstruũt.

XXXVIII. Willehelmus & Welfo cum Ducibus Turcorũ ante vrbem Reclei præliantur, & Christiani fugam ineunt.

XXXIX. De fuga Aruernẽsis Episcopi & Ducis Welfonis, & de interitu Idæ Comitissæ.

XL. Quomodo Willehelmũ per mõtana fugientẽ Tãkradus, Princeps Antiochiæ, receperit.

XLI. Quomodo principes bello dispersi, collecto exercitu Antiochiæ conuenerint.

XLII. Reymundus, precibus Principum à Tãkrado vinculis absoluitur, & expugnatæ vrbi Tortosæ præficitur.

XLIII. Welfo Dux Hierosolymis adorato sepulcro Domini, in Cyprum reuersus obiit.

XLIV. Quomodo Principes deuicta vrbe Tortosa, cum Baldewino Rege palmas Ioppe celebrauerint.

XLV. Principes Pascha Hierosolymis celebrato, inter Imperatorem & Regem pacem componunt.

XLVI. Fama volat in populo, Imperatoris consilio Longobardos fuisse occisos.

XLVII. Baldewinus Imperatori munera mittit se de perfidia excusanti.

XLVIII. Imperator Regi Baldewino dona dirigens, Romæ de perfidia sua apud Papam incusatur.

EODEM tempore, quo bellum hoc mense Septembri actũ est, & cruenta victoria à Rege Baldewino habita, anno regni eius primo, gens *Longobardorum* incomputabilis de regno Italiæ, post captionem Antiochiæ & Ierusalem, audita insigni Christianorum victoria, è diuersis regionibus Italiæ collecta, per regnum *Vngariæ* prospero itinere transeuntes, profecti sunt vsque in regnum *Bulgarorum*, volentes conchristianis fratribus auxilio augeri & prodesse. Affuerunt in eodẽ voto & comitatu viri nobilissimi, *Episcopus Mediolanensis*, *Albertus* Comes illustris de Blandraz, *Wido* frater ipsius, mi-

les egregius, *Hugo de Montbeel, Otho*, filius sororis prædicti Alberti, cognomine Altaspata, *Wigbertus* Comes ciuitatis Parmæ, cæterique comprimores Italiæ, viri miræ nobilitatis & ductores exercitus: qui circiter triginta millia conglobati, terram

II. & regnum Bulgarorum, vt prædiximus, in manu forti ingressi sunt. Ingressi autem, direxerunt nuncia *Imperatori* Constantinopolitano, quatenus eius gratia & dono in terra Bulgarorum, quę de eius regno erat, & potestate, necessaria vitæ precio mutuarent, sicq; pacificè terram eius pertransirent. Accepta itaq; tam egregii & catholici exercitus legatione & petitione, *Rex Græcorũ* benignè omnia, quę rogabant, cõcessit, hac scilicet interposita conditione; ne tanta adunatio aliqua violentia ea loca, quæ sui iuris essent, vastaret, seu facta temerè seditione cõturbaret. Hac igitur conditione contulit eis emendi & vendẽdi licentiã in eiusdem regni Bulgarorum castellis, pane, vino, carne & omni pinguedine opulẽtissimis, castello videlicet *Panidos, Rossa, Rosto, Dedamis*, & castello, nomine de *Natura*, & *Sasalabriis*, *Adrianopoli* & *Phinepopoli*; vt per hæc hospitati, pacificè bonis terræ sustentarent vitam affluenter.

III. Hanc deniq; in terram venientes, mandatũ Regis transgressi sunt, nec audierũt ductores & Principes exercitus; sed omnia sine modo & sine ratione deprædati sunt, sine aliqua mutuatione Bulgaris & Græcis sua auferentes, pecora & volatilia eorũ diripientes, quodq; nefas est de populo Catholico dicere, *Quadragesimali* tempore & ieiunio ea deuorantes. Fregerunt etiã in prędictis locis & ciuitatibus ipsius pii Imperatoris oratoria, propter ambitionem rerum, quę in eis erant recondita à facie tantæ multitudinis. Item, quod auditu est horrẽdum, mamillas cuiusdam mulieris, sua defendentis, quidam ex parasitis impiè detruncauit. Audita hac infamia crudeli, & deuastatione intolerabili, quæ regno Bulgarorum ab his inferebatur, & querimonia suorum, Imperator ad primates & magistratus legionis direxit nuncia: quatenus in his non vltrà morarentur regionibus, castellis & ciuitatibus; sed festinatò ad se in ciuitatem *Constantinopolin*, quæ caput totius est Græciæ, regia via contenderent. Venerunt ergo ad eandem ciuitatem Constantinopolin; & ex ipsius Regis ordinatione & decreto in littore maris, quod vocant *Brachium S. Georgij*, ex hac parte tabernacula sua locauerunt in crepidine aluei spacio trium milliarium. Duobus autem mensibus à veris tempore illic consederunt, priusquam aliqua societas de regno Franciæ aut Alemaniæ illis iungeretur: vbi etiam plurimis iniuriis, sicuti erant soliti, ipsum Imperatorem ad iram & odium commouerunt.

IV. *Imperator* verò plurimis iniuriis sæpius concitatus, timens ne tot ac tantis copiis vis diuersarum nationum augeretur; & sic audaciores facti, aut auaritia, aut aliqua occasione assumta, insurgentes, in ciuitatem Constantinopolin rebellarent; admonuit eos, ne vltrà in locis his, aut littore remanerent, sed quantocyus adhinc migrantes, in terminis Cappadociæ & Romaniæ apud portum *Ciuitot* & *Rufinel* hospitati, moram facerent, donec affuturæ legiones & copiæ cum eis simul in vnum confluerent. Sed responderunt vnanimiter, se minimè Brachium maris transituros, donec ampliores vires tam Francorum quàm Alemanorum obtinerent. Audita hac *Longobardorum* obstinata responsione, nolle eos à statione occupati maris se amouere ante aduentum futuræ societatis, Imperator illis emendi & vendendi licentiam interdixit; & statim penuria necessariorum vitæ per triduum in populo facta est. Videntes autem Longobardi Regis iram, & interdictionem necessariorum vitæ, & sic famis angustiam in populo fieri, subitò vniuersi tam equites quàm pedites armis induuntur, & ad portam & muros maioris palatii ciuitatis in ligonibus, vncis ferreis, malleisque conferuntur ad locum, qui dicitur ad *S. Argeniũ*: Vbi in duobus locis infringentes & intrãtes, inprimis iuuenẽ de sanguine ipsius Imperatoris peremerunt, deinde leonem domitum, qui erat gratissimus in palatio Imperatoris, occiderunt.

V. *Episcopus* verò *Mediolanensiũ*, & *Albertus* Comes de Blandraz, & *Hugo* de Montbeel, & cæteri prudentiores primique exercitus, cognoscentes seditionẽ hanc pessimã sibi suisq; plus nocere quàm prodesse, in medio populi exurgentes, hoc malum vltra fieri prohibuerunt. Tandẽ, nunc minis nunc blanditiis populũ compescentes, quenq; in sua remiserunt. Sedata itaque hac lite grauissima, Episcopus & Comes nauigio venerũt ad ipsum *Imperatorem* per Brachium maris eiusdẽ, eò quòd milliari & amplius à ciuitate & Regis palatio essent hospitati. Qui confidenter ad eum ingressi, animum illius mitigare, & ab ira indignationis reuocare, conabãtur, cum iuramento affirmantes, se ab hoc facto innoxios, & ab insensatis & incorrigibilibus hominibus hæc mala suscitata & orta fuisse. E-

contra Imperator præteritarum iniuriarum illis molestiam inferebat; deinde cõtumelias, quas recenter nunc in eius præsentia fecissent, scilicet in palatii sui destructione, in proximi sui mortificatione, in leonis sui occisione. Sed prędicti Principes astuti, & in responsis moderati ac diserti, molestiam animi Imperatoris omnibus modis lenire tentabant, primùm se cum iuramento excusantes, quòd minimè sua voluntate aut consensu hæc mala sint acta. Tandem Imperator humili eorum excusatione placatus, omnia quæ sibi fuerant illata, per intercessionem tantorum Principum cum omni beneuolentia cordis Peregrinis laxauit. Attamen, sicut consilio suorum disposuerat, iterum eos de transitu *Brachii* maris ad-
10 monebat: ideò de regni sui inuasione & impedimento solicitus, vt magnis muneribus auri, argenti, ostri datis, ac maioribus promissis, apud istos obtinere & impetrare conaretur, quatenus multitudinem hanc redderent voluntariam transeundi Brachium maris. His magnis donis & promissis Imperatoris corrupti, *Albertus de Blandrac* nimium ei credens, decem equos cum aliis rebus preciosis suscepit: sed Episcopus solerti prouidentia omnia hæc sibi oblata refutat, timens, ne si exercitus transiret, à Græcis molestatus Turcorum armis occidendus traderetur. Videns autem Imperator constantiam Episcopi, omnibus modis redit cum eo in concordiã, & ei us petitioni acquiescens, iteratò concessit Peregrinis vendendi & emendi licentiam, firmato vt inque fœdere pacis conseruandæ. Descenderat au-
20 tem eodem tempore comes *Reymundus* à Laodicea in ciuitatem Constantinopolin, qui multum Peregrinis in reconciliatione Imperatoris profuit, primus & collateralis illi in omni consilio & decreto factus præ omnibus, qui Hierosolymam ascenderunt. Tandem Pascha Domini celebrato, post aliquot dies *Longobardi* Brachium maris transeuntes, ad ciuitatem *Nicomediam* peruenerunt. *Conradus* similiter, stabularius Henrici tertii Romanorum Imperatoris, cum duobus millibus Teutonicorum *Constantinopolin* perueniens, Imperatori *Alexio* notificatus, gratiam in oculis eius inuenit, præ cunctis dilectus, & magnificis donis honoratus. Qui & ipse Brachio maris traiecto, Longobardorum principibus sociatur. Dehinc *Stephanus* Blesensium Comes, pœnitentia ductus, Hierosolymam reditum
30 parat, *Stephanus* quoque Dux Burgundiæ, *Milo* etiam de Braio, *Wido* pariter rufus capite, *Hugo* & *Bardolfus* de Brei, *Engelradus* Episcopus de Montelaudun, *Viscones* de firmamento, *Reinoldus* Episcopus de Suessones, *Baldewinus* de Grantpreit, miles pulcerrimus, *Dudo* de Claromonte, *Walbertus* castellarius Lauduni. Hi omnes de regno occidentalis Franciæ cum omnibus copiis suis ibidem in ciuitate & regione *Nicomedia* Longobardis associati sunt; & è diuersis terris & regionibus profecti, in eandem ciuitatem conuenisse, & in eius finibus moras fecisse referuntur.

VII

Dehinc appropinquante die sanctæ Pentecostes, de diuersis mundi partibus in vnum congregati circiter ducenta sexaginta millia, cum filiis & vxoribus plurimorum, cum Clericis & Monachis & plurima manu inertis vulgi, conductum
40 Imperatoris Constantinopolitani quæsiuerunt. Qui precibus eorum satisfaciens, *Comitem S. Ægidii*, qui erat ei priuatus, cum quingentis Turcopolorum equitibus illis constituit, quatenus eius conductu & ordinatione iter suum continuãtes, prouidè agerent vniuersi. His ita dispositis, & comite *Reymundo* consiliario & ductore exercitus facto, *Stephanus* Blesensis viam, qua Dux Godefridus & Boemũdus ac primus incessit exercitus, per terram Nicomediæ & Romaniæ proficisci disposuit: quia sic tutum & prosperum iter illi videbatur & plurimis de societate. Sed *Longobardi* de multitudine sua confidentes, per montana, & regionem *Flagania*, se ituros in magno dissidio firmauerunt; dicentes, se etiam regnum Corrozan vi intrare, ac *Boemundum* de captiuitate Turcorum aut extorquere & liberare; aut in virtute sua
50 ciuitatem *Baldach*, quæ est caput regni Corrozan, obsidere & destruere, sicque potenter confratrem suum à manicis eripere. *Stephanus* autem Blesensis & *Reymundus* cæterique comprimores, intelligentes Longobardorum contentionem sæuissimam, & nimiam iactantiam liberationis Boemundi, non valentes eos ab errore suo auertere, via, quam petebant, profecti sunt, præcedente ipso comite Reymundo, cum Turcopolis, & magno Imperatoris apparatu. Tribus dehinc septimanis euolutis, & adhuc in itinere suo prosperè & abundanter Peregrinis epulantibus, & plurimis de populo illicitè luxuriantibus, & multum incesta commixtione agentibus, in ipsa vigilia S. Iohannis Baptistæ, præcursoris Domini, ventũ est ad montes ascensu difficiles, & valles profundissimas, deinde ad castellum,

VIII

IX

quod dicitur *Ancras*. Vbi Turcos repertos assilientes, & in assultu vsque in mediũ mane perdurantes, munitionem funditus diruerunt, ducentis ibidem Turcis detruncatis. Sex tamen ex his capitales latitantes, in silentio noctis periculum mortis euaserunt. Hoc itaque castellum militibus Imperatoris restituentes, eò quòd de regno eius fuerit, & iniusta inuasione Turcorum amiserit, profecti sunt ad præsidium *Gargara*, segetes & omnia sata regionis depopulantes; eò quòd præsidio nocere nequiuerant propter eius munitionẽ, situ & natura locorũ validam & insuperabilem. Hoc præsidio illæso, & non superato ab vniuersa legione relicto, Turci vehementer lætati sunt, quoniam munitio sua frustra à Christianis turmis vallata, nunc illæsa & inuicta remansit. Ab ea igitur die & deinceps exercitum persecuti, 10 minus sequi valentes præ lassitudine incursabant, & crebra cæde sagittarum mortificabant.

IX. Peruenerunt deinde Christianorum populi ad plurimas ciuitates & castella, quorum nomina latent. De quibus Turci dona & multa cibaria mittentes, comitem Reymundum præcedentem & milites Imperatoris auertebant. Sic corrupti, per deserta & inuia & solitudines locaque arida totum deducebant exercitum: vbi assiduè Turcorum insidiæ occursantes eis, vniuersos de exercitu, negligentia aut lassitudine retardatos, trucidabant. Perceptis igitur insidiis, & grauissima insecutione & populi contritione, Principes exercitus decreuerunt, retrò & antè suæ gentis custodiam fieri, ac *Francigenas* milites circiter septingentos semper in fronte præire & præcauere: *Longobardos* similiter ad septingentos, à ter- 20 go lassos & subsequentes fratres tueri & expectare. Turci verò comperta Longobardorum custodia post tergum sui exercitus, supra quingentos in arcu & equis conglobati, subito clamore intonantes, eos à tergo incurrerunt, sagittarum grandine velociter vexantes & vulnerantes. Tandem terrore mortis attoniti *Longobardi*, celeritate equorum in fugam conuersi sunt, miseros pedites & itinere fessos deserentes: quos Turci graui occisione circiter mille in hac prima custodia peremerunt. Crastina autem die exorta, & crudeli fama attritæ gentis perlata in castra, conturbati sunt omnes primores exercitus, multum Longobardis improperantes, quòd mollicie & pigritia eorum contritus & imminutus fuerit exercitus: vnde alios decreuerunt custodes statuere fessi & à longè subsequentis populi; sed nemo 30 se obtulit ad custodiam præter ducem Burgundiæ. Qui cum quingentis loricatis equitibus sic tuebatur exercitum, vt nec vnus in custodia suæ diei de populo periret.

X. Sequenti verò die post Stephani custodiam, comes *Reymundus* suæ diei egit custodiam, quem Turci, ad septingentos in vnum collati, nona diei hora in locis arctissimis fortiter incurrentes, cum eo graue prælium in sagittis commiserunt: Sed Comes viriliter resistens, non amplius quàm tres suorum amisit, præter aliquos graui sagittarum infixione ibidem vulneratos. Comes ergo Reymundus videns, quia bellum difficile sibi suisque ingruebat, & Turcorum copiæ accrescentes sibi vim inferebant, septem equites veloci cursu remisit ad exercitũ, qui iam spatio septem milliarium præcesserat, quatenus sibi aliqua manus mitte- 40 retur, quæ sibi suisque nimium & diu angustiatis ab hostium impugnatione, subueniret. Audita hac Comitis legatione, decem millia equitũ in momento sequestrati, loricis induti, galeis operti, clypeis pectori obductis, eadẽ die viam remensi sunt ad ferendum Comiti auxilium, existimantes, omnes Turcorum copias conuenisse. Turci ad hęc septingenti, visa Comitis constantia, & reuersę multitudinis audaci succursu, fugam velociter arripuerunt, in montanis se abscondentes. Ab illa denique die commixtis copiis, *Reymundus* & vniuersi ductores & capitanei decem millium cum omni manu equitum, & comitatu fatigatorum peditum, ad multitudinem exercitus redeuntes conuenerũt: qui deinceps diuidi, aut vllatenus aliquibus in locis spaciari, nulla fiducia præsumserũt, propter assiduos Turcorũ assultus, 50 & nimias illorum copias.

XI. Dehinc per quindecim continuos dies viam suam cõtinuantes, amplius in solitudines, & loca inhabitabilia & horroris, per montana asperrima incedebant: vbi nihil reperientes, non hominẽ, non pecudẽ, graui fame cœperunt coarctari: quin aurũ nulli prodesse poterat nec argentũ: quia nullius generis esca reperiebatur, quę precio posset mutuari. Si qui verò de *Prouincialibus* pręcurrebãt, quingenti in quã seu ducẽti vel trecẽti, ad inuestigãdos cibos, circumuẽti à Turcis, in momento occidebãtur, quos subsequẽs exercitus cotidie detruncatos reperisse perhibetur. Hęc enim Prouincialiũ gens amplius prædę & rapinis inhiabat præ omnibus, & ideo ampliori casu præ cæteris periclitabatur. Tantum diuitibus &

tibus & magnifici viris, qui vehiculis à portu *Ciuitot*, & à *Nicomedia* ciuitate, farinā, panes, carnes siccas vel baccones attulerant, sustentatio vitæ erat: cæteros grauis inopia frondes, cortices arborum ac radices herbarum corrodere, & sic ventrem implere cogebat. Hac arctati inopia, mille pedites de exercitu in confinio ciuitatis, *Constamnes* nomine, explorato nouello hordeo, sed nondum maturo, eadem tamen onusti annona, in quandā vallem descendentes, de arbustis & myricis ignem suscitauerunt, ipsa grana immaturi hordei flammis exusta & torrida de culmis excutere ad implendos ventres statuentes. Similiter pomula cuiusdam miri & inauditi generis, fructum amarum quorundam frutectorum, ibidem in desertis reperta & collecta, ad mitigandam famem coquere didicerunt: sed propalati, à crudelibus Turcis martyrio coronati sunt. Nam cùm ad eos præ difficultate locorum, vallium & montium nullus hostium pateret accessus, nec vlla esset facultas autars in sagittis nocendi, copioso igne ex ramis frutectorum, & arida materia herbarum, suscitato, vallem circumquaque impleuerunt, ex quo mille homines perusti sunt. Tam atroci fama combustionis & perditionis Catholicæ legionis in castris diuulgata, exterriti sunt vniuersi Principes Christianorum. Vnde ab illo die sex diebus continuis semper in vnum conglobati, sic iter suum moderati sunt, vt pedites inter equites ad omne periculum & defensionem pariter adesse viderentur. Igitur sex dies completi sunt, & ecce Turci, *Donimanus, Solymanus, Carageth, Brodoan* de Alapia, & à montanis *Flagania*, & omni regno *Antiochiæ*, cum viginti millibus, viris sagittariis in arcu corneo & osseo obuiam Christianorum turmis affuerunt. Qui omnem rem & angustias illorum explorantes, sexta eos feria bello aggredi statuerunt. Superauit enim eadem die exercitus fidelium CHRISTI angustias & laboriosas fauces *Flaganiæ*, & in planicie campestri applicantes, eiusdem diei, scilicet feriæ sextæ, hora nona ad quiescendum castra posuerunt. Et ecce Turci appropinquantes, & more suo altis vocibus inclamantes, totum coronauerunt exercitum, & vtrinque graue prælium commiserunt. Interdum Turci in castra repentino impetu aduolantes, & Christianos milites lacessentes, sagittis eos confixerunt: interdum Galli & Longobardi, licet fessi, & itinere grauati, exurgentes & aduersus tot creberrimos assultus indignantes, frequenter eos remittebant: quo vsque septingenti Turcorum corruerunt; Christianorum verò nulli percussi sunt: nam in vnum conglobatos nequaquam irrumpere & dispergere ea die Turci potuerunt. Turci autem videntes, se nihil hac die in cæde Christianorum proficere, sed plurimos suorum cecidisse, tristes ac dolentes in castra sua, vespere terras operiente, regressi sunt. Similiter & Christianus exercitus hac nocte statutis vigiliis & custodia in circuitu castrorum, omni bellorum turbine sedato quieuit. Sequenti verò die Sabbati tria millia exercitus Christianorum, & Principes eorum *Conradus*, & *Bruno* filius sororis eius, cæterique viri fortissimi à castris & planicie exeuntes, & in regionem ciuitatis, *Maresch* applicantes, iam sui itineris milliaribus duobus peractis, præsidium quoddam Turcorum assilierunt: quod frustra à Turcis defensum sine aliqua mora comminuentes, omnia vitæ necessaria, quæ in eo erant, diripuerunt, & Turcos inibi repertos in ore gladii percusserunt. Hoc prospero successu Christiani gaudentes, & spolia Turcorum grandia & multa ad tentoria secum deferentes, per quasdam montium fauces asperrimas & scopulosas descenderunt. Vbi insidiis Turcorum circumuenti, & sagittis lacessiti ac confixi, parum repugnantes præ lassitudine & onere prædarum angustiaque locorum, ad septingentos perierunt, spolia omnia & prædas Turcorum, licet inuiti, illic relinquentes. Hi verò, qui ab eorum manu euaserunt, singulatim & sparsim, sicut victi & attriti, vespere ad castra relati sunt tristes & dolentes: Et ea die vltrà, ab omni assultu exercitus lugens de casu suorum, in tentoriis requieuit. Similiter Dominica die tam Turci quàm Christiani ab omni infestatione & belli turbine cessauerunt. Secunda autem feria iam primo Sole radiante, *Episcopus Mediolanensium* in medio exercitus exurgens, diuino tactus spiritu, hac die bellum affuturum prædixit, & sermonem ad populum DEI viuentis faciens, omnes ad confessionem delictorum venire admonuit, quos in nomine IESV Apostolica potestate à peccatorum nexibus absoluit, vniuersos post datam indulgentiam brachio B. *Ambrosii*, Mediolanensis Episcopi, sanctificans & benedicens: quin & Lancea Dominica, quam *Reymundus* secum attulerat, est aucta ad sanctificandum & benedicendum populum. Post hanc benedictionem, & suæ

XII. XIII. XIV. XV.

puritatis confessionem, *Stephanus* dux Burgundiæ, miles clarissimus, ex suo populo sibi aciem constituit. *Reymundus* Turcopolos & Prouinciales in sua acie retinuit. *Conradus* verò, stabularius Imperatoris Henrici III. Alemanos, Saxones, Baioarios, Lotharingos & vniuersos Teutonicos in aciē sibi asciuit. *Episcopus Lauduni, Engelradus, Milo, Wido, Hugo, Bardolfus* de Breis, *Walbertus* de ciuitate Lauduni, omnes hi ex manu Francigenarum aciem ordinauerunt. *Episcopus* verò *Mediolanensis, Albertus* de Blandraz, *Wido* frater illius, *Otho* de Altaspata, *Hugo* de Montbeel, *Wigbertus* de Parma, & vniuersi Longobardi equites & pedites, densissimam sibi aciem composuerunt. His verò aciebus sic ordinatis *Longobardi* in fronte constituti sunt, eò quòd illorum copiæ intolerabiles haberentur, vt aduersus Turcorum acies, quæ illis vicinæ erant, fixæ & impenetrabiles facie ad faciem obstantes, eas oppugnarent. Deinde singulæ acies Christianorum vsquequaque à dextris & sinistris positæ, singulis Gentilium aciebus obstabant, sæpius eos in fugam remittentes, & sæpius aduersus eos bellum iterantes. Sed Turci callidi, & prælio docti, post aliquantulum fugæ subitò frena reiicientes, ac sagittarum grandine remordentes, grauí vulnere tam homines quàm equos perimebant.

XVI. *Longobardi* igitur, qui in prima fronte constituti erant, grauiter & diu cum Turcis commisêre prælium. Sed *Albertus*, ductor eorum, post nimiam & longam reluctationem pondus belli sufferre non valens, & præcipuè equorum defectione, qui fame attenuati nihil poterant, cum signo belli, quod dextrâ ferebat, fugam iniit: & sic tota illa Longobardorum adunatio cum ducibus & Principibus suis in fugam vsque in tentoria remissa est. *Conradus* verò, miles imperterritus, videns bellum ingrauescere, & Longobardos deficere ac fugam inire, repentè aduolans, cum sua acie irrupit, Turcos expugnans & dissipans à prima hora diei vsque post meridiem: Tum tandem victus præ nimia iaculorum assiduitate, fugam arripuit cum manu diu fame macerata, & viribus exhausta; & ipse in tentoria reuersus est. *Stephanus* item cum Burgundionibus volens subuenire attritis & fugitiuis fratribus, cum sua acie irruens, vehementer hostes expugnabat. Sed ad vltimum post longam contentionem cum omnibus suis terga vertit, innumerabili multitudine suorum ibidem occisa, & à Turcorum armis extincta; & simili fuga ad tentoria repedauit. *Stephanus* verò Blesensis respiciens omnia tam Longobardis quàm Gallis verti in malum, cum omnibus Francigenis, qui in sua erant acie, ad subueniendum fratribus, & Turcos reprimendos, aduolat, ac bellum committere vsque ad vesperum non abstinuit. Tandem Turcorum manu intolerabili sagittis & arcu osseo inualescente, comes Blesensis victus & attritus, simili fuga, qua & socii, in castra relatus est, multis nobilibus viris de comitatu eius victis & extinctis. Ceciderunt in eius acie viri illustrissimi, *Baldewinus* de Grantpreit, *Dudo* de Claromonte, *Wigbertus* de monte Lauduni, custos & defensor eiusdem ciuitatis, DEI amicus, miles tenacissimus, corpore altus; & plurimi potentes ac primi exercitus, quorum nomina omnia scire & inuestigare nequimus. Comes verò *Reymundus* cum militibus Imperatoris Turcopolis, & suis Prouincialibus cuneis socios releuare in eodem certamine festinans, multos Turcorum repentè prostrauit. Sed dehinc nimium casu aduersante, multis suorum prostratis, ac sagittis imminutis, bellum Turcorum nimis inualuit, donec tota manus Turcopolorum exterrita, & fuga dilapsa, ad loca tabernaculorum diuertit, Comitem in mediis periculis deserens, cuius Prouinciales milites ferè omnes detruncati sunt.

XVII. Videns ergo *Comes* fugam Turcopolorum, & casum irrecuperabilem suorum, non vltrà in mortis periculo sibi imminente remanens, sed vix ab armis effugiens, versus montana & per angusta loca declinans, in summitate cuiusdam præcelsi silicis ascensu difficili astitit cum decem tantùm sociis, de quo, quantum poterat, Turcis insequentibus, & eum obsidentibus, resistere cum suis conabatur. Regressis itaque omnibus ad tentoria, qui Turcorum arma effugerant, *Stephanus* Comes Blesensis, de omnibus primoribus requisiuit, qui à bello rediissent, aut armis occubuissent: cui statim innotuit, Reymundum in summitate silicis fecisse diffugium, & nisi sibi subueniretur, nunquam eum manus Turcorum posse euadere. Ad hæc Stephanus Comes, ducentis sociis in lorica & galea readunatis, Reymundum ab inuasione Turcorum liberare festinans, Turcis fugatis, qui eum insecuti fuerant, & ad triginta viris repentè attritis, Comitem saluum de silice recepit, & incolumem ad tentoria reduxit. Victis & attritis Christianorum fortissimis aciebus, & vsque ad tentoria de crudeli præ-

ii prælio effugatis, Turci victores cum spoliis Gallorum & Longobardorum pariter in sua castra sunt regressi, vix duobus milliaribus à mansione Christianorum, satis tamen luctuosam & cruentam victoriam hac die obtinentes. Ceciderunt enim societatis eorum tria millia virorum pugnatorum in eodem prælio, quo Christiani milites delictorum suorum pondere impediti, Diuino iudicio traditi sunt incredulis viris & impiis ad puniendum. Eadem verò nocte, qua Comes *Raymundus* à cacumine filicis, & Turcorum obsidione, subueniente Stephano Blesensi, ac Conrado stabulario, liberatus & reductus est in castra ad confratres, cœperunt focos & victus necessarios vniuersi parare, qui à cæde & bello in taber-
10 nacula confugerant; ligna quoque & sarmenta ad coquendos cibos componere, quibus fessa & ieiuna corpora recrearent. Et ecce, primo noctis facto silentio, idem Comes Reymundus, nescio qua formidine correptus & vitæ diffisus, cum omnibus suis, & cunctis Turcopolis Imperatoris, equos frenis ac sellis strauit, fugamq; iniit; ac tota nocte illa fugiendo, iter per montana & inuia loca accelerans, ad castellum Imperatoris, *Pulueral* nomine, venisse perhibetur. Igitur hac XVIII. illius fuga cognita, & in populo diuulgata, vniuersos tantus metus inuasit, vt nec vnus de Principibus remaneret, sed omnes vitæ diffidentes diffugium matura-
rent, magni & parui, nobiles & ignobiles, vsque ad *Synoplum* Imperatoris præsidium, ignorantes quòd & Turcorum corda non minus formido fugiendi solici-
20 tabat. Tentoria autem & omnem apparatum suum Christiani cum omnibus vehiculis, cum vxoribus teneris & carissimis, cum omni suppellectile, qua tot nobiles, & tam magnus indigebat exercitus, reliquerunt. Nec mora, per exploratores fama tam subitæ fugæ ad aures Turcorum peruenit, qui non longè post contritionem Christianorum, & acceptam victoriam, sua etiam in castra recesserant, vt & ipsi ea nocte cibis & somno sua refouerent membra, in cæde Catholicorum militum fessa & grauata. *Turci* quidem hæc audientes, & continuò exurgen- XIX. tes, omnibus suis in tubis & buccinis expergefactis & conuocatis; sicut sunt viri semper vigiles in cæde inimicorum, primo diluculo affuerunt in tentoriis Christianorum. Vbi mulieres nobilissimas, & matronas egregias, tam Gallorum
30 quàm Longobardorum crudeliter aggressi, impiè raptas & vinculatas tenuerunt, in barbaras nationes, & ignotam linguam, supra mille transmittentes, ac si pecora muta deprædati essent, & perpetuo exilio in terram Corrozan quasi in carcere & conclaui eas constituentes: cæteras aliquantulum prouectæ ætatis gladio interemerunt. Terra autem & regnum *Corrozan* sic montanis & aquarum paludibus clausum est, vt quicunque captiui illuc semel intrauerint, non vltrà hinc magis quàm pecus à cauea exire valeant, nisi licentia & permissione Turcorum. Ah quantus dolor! quantæ illic videri poterant miseriæ! vbi tam tenerrimæ & nobilissimæ matronæ ab impiis & horridis hominibus in prædam raptæ & abductæ sunt: quorum capita antè & retrò, à dextris & à sinistris, in mo-
40 dum colli rasa sunt; & quorum rari capilli, ab his quatuor collis dependentes, intonsa coma perhorrescunt, cum barba etiam intonsa & prolixa, & qui solùm tetris & immundis spiritibus similes esse in suo habitu referuntur. Verè non modicus dolor illic erat, non paruus timor delicatas matronas inuaserat; non parui fœminei vlulatus auditi sunt in castris, vbi dulces earum mariti alii occisi, alii fugitiui, vltima necessitate compulsi, miseras ac desolatas inter manus percussorum reliquerunt. Aliæ illicita & fœda commixtione vicissim vexatæ, & post plurimam vexationem decollatæ sunt: aliæ hilari vultu & decora facie, oculis eorum placentes, in barbaras nationes, vt diximus, transmissæ sunt. Repertis ita- XX. que & captis tot honestis mulieribus in tentoriis fugientium Christianorum,
50 *Turci* celeritate equorum insecuti sunt tam equites quàm pedites, tam Clericos quàm Monachos, & totum fœmineum sexum, qui fuga euaserant de castris: quos non aliter gladio metebant, quàm messor, qui falce maturas segetes metere solet. Nulli ætati aut ordini parcebant: solos iuuenes imberbes, viros militaris officii, captiuabant, quos etiam in exilio cum matronis honorificis Corrozan abduci destinabant. Pecuniam quidem inauditam, à fugitiuis & lassis medio itinere relictam, sustulerunt; adhæc molles vestes, pelliceos varios, grisios, harmelinos, mardrinos, ostra innumerabilia auro texta, miri decoris, operis & coloris, equos quoque & mulos, plus quàm numero vel littera alicuius referri possit: quæ omnia tandem illis tædio fuerunt asportare.

XXI. Terra autem & montana, vt aiunt pro vero, qui hæc oculis viderunt, & vix illic iudicium mortis euaſerunt, Byzantiis, auro incommutabili, argento inæſtimabili & denariorum diſperſione ſic operta erant in contritione & fuga tam magni exercitus, vt amplius tribus milliaribus ſuper aurum, gemmas, vaſa argentea & aurea, oſtra mirifica & precioſa, veſteſque ſubtiles ac ſericas, incedere fugientes & perſequentes viderentur. Sanguine verò occiſorum tota via defluebat. Nec mirum: quoniam ſupra centum & ſexaginta millia illic in gladio & ſagitta ferociũ Turcorum ceciderunt: facilè ab hoſtibus ſuperati ac detruncati præ fame diuturna, qua nimium afflicti, & viribus exhauſti, nulla virtute reſiſtere potuerunt. Tanta enim illis fames in deſertis *Flagania* incubuit, vt corium bouis viginti ſolidis emeretur; paniculus, qui palmo concludi poterat, tribus ſolidis Lucenſis monetæ venderetur; cadauer equi, muli, aſini, ſex marcis appreciaretur. In hac fuga ſæuiſſima duo probi equites de populo Stephani Bleſenſis, dum viam maturarent à facie Turcorum inſequentium, quidam ceruus ex aduerſo, de montanis clamore & tumultu Turcorum & Chriſtianorum attonitus, eis occurrit, impedimentum illis viæ factus: trans quem ambo caſu corruentes, in momento ab hoſtibus decollati ſunt.

XXII. Igitur exercitus ſic attritus & profugus equo vel mulo euadere feſtinans, ad ciuitatem *Synoplum*, quam milites Imperatoris tuebantur, ſparſim fugiendo peruenit; & ſic ſemper fugiens, vſque ad regiam vrbem *Conſtantinopolin* partim reuerſus eſt. *Stephanus* autem Dux Burgundiæ, *Stephanus* Bleſenſis, *Conradus* ſtabularius Imperatoris Romanorum, *Epiſcopus Mediolanenſis, Epiſcopus Lauduni, Epiſcopus de Sueſſones, Wido Rufus, Hugo, Bardolfus* & cæteri comprimores, & vniuerſi, qui grauiſſima Turcorum arma poterant effugere, Conſtantinopolin, per montanà & inuia fugientes, regreſſi ſunt. Comes verò *Reymundus* per abrupta montium & ima conuallium Synoplum cum Turcopolis Imperatoris Græciæ, omnibus ſociis & Principibus prætermiſſis, ingrediens pernoctauit, & die craſtina nauem aſcendens, per mare Conſtantinopolin aduectus eſt.

XXIII. Interea tantillum exercitus, quod remanſerat, diſperſæ videlicet Chriſtianorum reliquiæ, dum veſtigia comitis *Reymundi* & cæterorum eadem via tenerent, & ad quadringentos à diuerſa fuga in vnum colligerentur, *Solymanus, Donimanus, Balas* de Sarorgia nondum cæde ſatiati, à tertia feria vſque in quartam eos perſequuntur, eodem tramite, quo tendebant poſt Principes fugitiuos ad Synoplum, vt eos detruncarent & captiuarent. Sed nimium prolongatos vltrà perſequi non audentes propter vires & ciuitatem Imperatoris, reuerſi ſunt. Reuertentes verò, de diſperſis & retardatis, qui eis obuiam fuêre, eadem die mille amputatis collis ſparſim peremerunt. Vbi impiis tyrannis vir nobilis *Eraldus* obuiam factus, ſagitta illorum occubuit, ortus de ciuitate Cadelim. *Engelradus* pariter de eadem patria, *Dudo* miles egregius, *Arnoldus*, filius villici, *Walterus* de Caſtelens, & plurimi potentiſſimi milites, quibus equorum curſus minimè prodeſſe poterat, eiſdem carnificibus obuiam facti, ſagittis occiſi ſunt.

XXIV. Comes verò de *S. Ægidio* & cæteri comprimores Conſtantinopolin ingreſſi, à Domino *Imperatore* benignè ſuſcepti ſunt. Sed aduerſus *Reymundum* cœpit aliquantulum indignari, eò quòd à cæteris ſociis, *Stephano* & *Conrado*, fugiendo ſubtractus ſit & alienatus. Qui occaſione aſſumta, reſpondit hæc ideo ſe feciſſe, quoniam timuiſſet, ne in eum inſurgerent, eò quòd primus fugam cum Turcopolis à caſtris inierit; & quia eum in dolo, & ex conſilio Imperatoris, fugiſſe exiſtimaſſent. Dehinc in breui Imperatoris indignatione ceſſante, miſertus eſt vniuerſorum, & cunctis opibus ſpoliatos & vacuos magnificis donis in auro, argento, armis, equis, mulis & veſtibus releuauit; & toto autumni & hyemis tempore vniuerſos ſecum habitare & refocillare conceſſit in omni affluentia & largitate rerum neceſſariarum. His itaque moram illic facientibus, *Epiſcopus Mediolanenſis* vita diſceſſit, cui Epiſcopi & vniuerſi fideles Catholicas exequias exhibuerunt.

XXV. Eodẽ quoq; tempore, & anno primo regni Baldewini Regis, Comes & Princeps potentiſſimus de ciuitate *Niniue*, quod vulgò dicitur *Nauers*, *Wilhelmus* nomine, de terra & regno occidentalis Franciæ egrediens, & iter per Italiam faciens, ad portum, qui vocatur *Brandiz*, nauigio alto mari inuectus eſt cum quindecim millibus equitum & peditum virorum pugnatorum, abſque ſexu fœmineo innumerabili, & ad ciuitatem, nomine *Vallona*, ſeceſſit. Vbi in arido reſtitutus, ad ciuitatem *Salonicam*, ſitam in regione Macedoniæ & terra Bulgarorum, deſcendit, pacificè hoſpitio ſuſceptus ab incolis, in omni iuſtitia & benignitate; furto,

furto, rapina, præda & iniusta contentione sub iudicio mortis interdicta, ne Imperatoris Constantinopolitani terram aliqua iniuria exercitus, sicut paulò antè *Longobardi*, suscitarent. Deinde post plurimum itineris & diuersa hospitia XXVI. idem egregius Comes cum omni manu & apparatu suo *Constantinopolin* profectus, ab Imperatore benignè & honorificè susceptus, in littore maris S. Georgii tentoria sua ponere ad hospitandum extra muros ciuitatis iussus est. Post tres deinde dies ex præcepto Imperatoris Comes & totus exercitus Brachium maris traiecit, & ad columnam marmoream, quæ in summitate arietem obtinet deauratum, non longè à Brachio maris tentoriis fixis, per quatuordecim dies, qui sunt circa nata-10 lem B. Iohannis Baptistæ, illic moram fecit; & per singulos dies Imperatori nauigio præsentatus, non paucis muneribus ab eo honoratus & commendatus redibat: Peregrinis verò & humili populo cuiusdam generis monetam, quam vocant *Tartaron*, ad sustentationem vitæ sæpius idem Imperator mittebat. Denique XXVII. post B. Iohannis natiuitatem *Ciuitot* profecti sunt. Vbi non diu moram facientes, relicto itinere, quod ducis Godefridi & Boemundi prior incessit exercitus, saltus densissimos itinere duorum dierum perambulantes, *Ancras* peruenerunt: ad eandem videlicet, quam comes Reymundus & manus Longobardorum recenter expugnauerant, Turcis in ea repertis decollatis, volentes exercitui Longobardorum, modico interuallo præmisso, admixtis armis & copiis sociari. Per diem 20 autem vnum illic in prædictæ ciuitatis loco moram facientes, & nequaquam Longobardorum societatem assequi valentes: qui per Flaganiam iter continuabant: à sinistris illos relinquentes, à dextris viam arripiunt, quæ ducit ad ciuitatem *Stanconam*, in ea aliquandiu moram habituri, & de euentu Longobardorum auditum aliquid. Ad hæc, cùm nondum ciuitati appropinquassent, *Solymanus* XXVIII. & *Donimanus* cum copiis & armis Turcorum, à recenti cæde Longobardorum vix diebus octo peractis, reuersi, & Comitis *de Naueri* subsecutione comperta, festinatò per notas semitas collium & vallium accelerantes illic occurrerunt; ac sagittis crudeliter assilientes, per triduum exercitum, ante & retrò positis insidiis, bello grauissimo & acerbis plagis fatigabant. Sed nondum in his locis obti-30 nuêre victoriam: licet plurimæ copiæ Peregrinorum incautè & lento gressu præ lassitudine subsequentes, crebertimo assultu ceciderunt; & quidam *Henricus*, genere Longobardus, Comes sua in terra magnificus, inter socios sagitta transfixus obierit. Nam Christiani milites viriliter adhuc resistentes Turcis; plurimos XXIX. perimebant, alios in fugam sæpius remittebant: & facilè quidem remittere poterant, cùm nondum illis aquæ penuria fuisset, nec equorum virtus defecisset. Sic tandem Christiani milites in itinere à plurima Turcorum infestatione defensi; *Stanconam* peruenerunt: Vbi Turcorum custodiam & vires in præsidio reperientes; mœnia fortiter assiliunt, & dum hostes ab intus pro anima eis resistunt; vtrinque plurimi occisi sunt. Nihil autem in hac præsidii oppugnatione proficientes, castra 40 hinc amouentes, ad ciuitatem *Reclei* applicuerunt. Vbi triduò siti adeò intolerabili oppressus elanguit exercitus, vt supra trecentos extincti morte grauissima illic periclitarentur; cæteri verò viuentes viribus exhausti, & necessariorum defectione infirmati, parum ad resistendum valerent. Hac sitis intolerantia anxiati; quidam ex sociis super cacumen præcelsæ rupis gradientes constiterunt, si fortè alicubi aquam specularentur. Sed tantùm ab hac ciuitatem vacuam habitatoribus & dirutam prospexerunt, aquam in ea esse existimantes; quæ minimè reperta est: nam cisternæ & putei ipsius à Turcis recenter subuersi erant & obruti. *Turci* autem XXX. post paululum temporis comperientes exercitum iam sitis graui passione defectum, & parum posse resistere, extemplò eos insecuti; sagittis aggressi sunt per 50 diem integram prælium graue hinc & hinc committentes; & vtrinque in gladio, arcu & lancea corruentes, totam latissimam vallem sanguine suo repleuerunt: ac densis corporibus occisorum, virorum ac mulierum, terra regionis huius occupata est. Tandem hoc ingruente sæuissimo bello, & Christianorum virtute siti debilitata, & ideo minus valente & resistente, Turcorum ferocitas exaltata cœpit inualescere, & Christianos victos atrociter in fugam cogere. Comitem quidē iam victum, ac de bello fugientem, vsque ad ciuitatem *Germanicoplam* insecuti sunt. *Robertus* verò, frater eiusdem Comitis, & *Willehelmus* de ciuitate Nonanta, qui signifer erat exercitus, & primus terga vertit, vnà cum omnibus equitibus à Tur-

corum armis elapsus, ad prædictam ciuitatem Germanicoplam fugam facientes peruenerunt, miseros pedites inter manus ferocium hostium relinquentes.

XXXI. Turci autem fugam gentis Christianæ & suorum Principum videntes, crudeli cæde furescunt in populo & toto Christianorum comitatu, quorum solummodò septingenti per abrupta montium, & syluarum densitatem fugientes, vitæ reseruati sunt. Post hanc Turcorum victoriam, & Christianorum stragem luctuosam, vxores militum CHRISTI ad mille captiuatæ, & ab horridis hostibus abductæ sunt in terram ignotam & alienam. Equi verò & muli, argentum & aurum, vestes cuiusq; generis preciosissimæ, direptæ & asportatæ, terram & regnum Corrozan diuitiis nimiis & spoliis auxerunt & impleuerunt. Acta sunt crudelimssia hæc bella, & sæuissimæ strages Christianorum in mense Augusto, quando calore Solis & sitis intolerantia æstas grauior fieri solet.

XXXII. Comes igitur *de Nauers*, qui vix periculum mortis euaserat, adhuc aliquid de opibus & stipendiis suis, à manibus Turcorum fugiendo, retinuerat, & vix ad ciuitatem *Germanicoplam* declinauerat. Is duodecim Turcopolos, milites Imperatoris Græciæ, inibi ad tuenda mœnia constitutos, multa prece & plurima mercede collata, ductores viæ acquisiuit eius, quæ ducit ad castellum *S. Andreæ* ex hac parte ciuitatis Antiochiæ: videlicet vt sic per Antiochiam transiens, iter suum continuaret Ierusalem. Verùm Turcopoli, viri perfidi, minimè illi fidem seruauerunt; sed auaritia excæcati, Comitem & socios eius rebus expoliauerunt, nudos & pedites eos relinquentes in loco deserto & inuio, & acceptis spoliis Germanicoplam per notas semitas repedantes. Comes verò tristis & dolens, & præcipuè Christiani exercitus contritione anxius, viam, sicut deuouerat, sub paupere & vili tegmine, patienter omnia aduersa accipiens, perfecit; & in diuersis angustiis tandem Antiochiam peruenit.

XXXIII. *Tankradus* autem post captiuitatem Boemundi Princeps Antiochiæ factus, eundem Comitem, virum nobilissimum, sic ab impiis Turcis attritum, & rebus destitutum ingemiscens, optimis & honorificis renouauit vestibus, & magnificis eum in equis & mulis ditauit muneribus, per aliquot dies secum retinens, dum membra, siti, ieiunio, vigiliis, lassitudine viarum, squalida & exhausta, bonis terræ in vino, oleo & carnium dulcedine abundanter refoueret; & post hæc alleuiata molestia & amaritudine animæ & corporis, viam in Ierusalem, sicut deuouerat, expectatis ibidem & relictis aliquibus de dispersis sodalibus, tempore Veris insisteret.

XXXIV. Modico dehinc interuallo, dierum scilicet octo, post hanc recentem stragem, *Willehelmus* Comes & Princeps Pictauiensium, de sanguine Henrici III. Imperatoris Romani pacificè transito regno Vngarorum, cum Duce Bawariorum *Welfone*, & cum Comitissa nobili, nomine *Ida*, de Marchia Oisterrich, in ingenti manu equitum & peditum & fœminei sexus supra centum & sexaginta millia, in apparatu copioso terram Bulgarorum est ingressus. Vbi, sicut facilè fit ab indomito & incorrigibili populo, discordia exorta, & Duce Bulgarorum, *Guzh* nomine, variis iniuriis molestato, ad vrbem *Adrianopolin*, inexpugnatus in virtute suorum, descendit. Sed eis pons, qui ducit in ciuitatem, à Duce præoccupatus & interdictus est.

XXXV. Quapropter hinc Pincenariis, & cæteris militibus Gomanitis de regno Imperatoris, grauiter pontem in arcu & sagitta prohibentibus, Christianis verò pontem transire non minus contendentibus, adeò crudele vtrinque commissum est præliũ, vt *Rudolfus*, vir magnæ nobilitatis, de Scegonges ortus, cognatus ipsius Willehelmi Principis, illic sagitta percussus, interiret; *Hartwigus* de Sancto Medardo captus teneretur, & plurimi, quos singulatim lõgum esset narrare. Illic siquidem in eodem prælio, dum hinc & hinc varia & ingenti contritione diuersus fieret euentus, contigit ipsum Ducem Bulgarorum in manus Willehelmi & suorum incidere & teneri captiuum: donec ipsa die hinc & hinc habitis consiliis, in concordiam vniuersi redierunt; captiuis quoque restitutis, Pincenarii & Comanitæ sedati sunt.

XXXVI. Post hæc concordia, placato duce & suis, in tantum processit, vt non solùm dux Christianis Peregrinis per pontem pacificè transitum concederet, licentiam emendi necessaria non negaret; sed etiam conductum omnibus vsque ad Constantinopolin attribueret, sine dolo & aliquo impedimento. In hac ciuitate idem Princeps *Willehelmus*, *Welfo* Dux, & *Ida* Comitissa quinque hebdomadarum curriculo commorantes, Domino *Alexio* Imperatori innotuerunt cum omni voto, quod deuouerant in Ierusalem; & iccirco fidei sacramento sibi astricti, plurima necessariarum rerum dona, & licentiam e-

tiam emendi necessaria, suscipere meruerunt. Post hæc messis tempore imminente, *Brachium maris S. Georgii* ex iussione & suasione Imperatoris nauigio superantes, in terram ciuitatis *Nicomediæ* descenderunt; & iter suum continuantes per amœna loca, quibus hæc abundat regio, tentoria locauerunt, duobus ibi diebus moram facientes. Inde verò profecti, *Stanconam* secesserunt, vbi ex longo itinere necessariis vitæ consumtis, graui inedia, tum siti intolerabili affecti, tam homines quàm iumenta infirmati sunt. Nec mirum: Nam vniuersas segetes, à facie huius multitudinis, Turci, via anticipata, combusserant; puteos, cisternas, fontes obstruxerant, vt sic vltima necessitate famis & sitis attenuati, facili bello superarentur. Videntes itaque Willehelmus, & Welfo, & sui consodales has Turcorum nequitias & dolos, vrbes, quæ de eorum erant potestate, scilicet *Phinimi-num* & *Salamiam*, assilientes plurimo cònatu stragis diruerunt; sed & omnia loca circumquaque illis subdita vastare minimè pepercerunt. Abhinc ciuitatem *Reclei*, vbi fluuius torrens, diu & longo desiderio optatus, cunctis sufficeret, descenderunt. Sed *Solymanus, Donimanus, Carati, Agunich*, principes Turcorum, cum infinitis copiis & armis in occursum ex improuiso Peregrinis his incautis affuerunt altero ex littore, homines, equos & omnia iumenta adaquari in arcu & sagittarum grandine prohibentes: dum à longè fatigati, & sic exhausti Christiani vltrà vim sufferre non potuerunt. Vnde vnanimiter post plurimam & diutinam sæuissimamque contentionem, quæ ex littore vtroque palustri & profundo fiebat, vniuersi Christiani fugam arripientes, strage inaudita ab impiis persecutoribus attriti sunt. Quidam autem æstimantes tam crudele martyrium euadere, diuisi à multitudine quoddam in pratum concedentes, fœno latere & abscondi quærebant: sed nequaquam vitæ reseruati, ad trecentos ibidem sagittis confixi interierunt. Episcopus verò de *Aruernis*, & vniuersi comitatus illius, videntes CHRISTI exercitum sic fuga dilapsum & ab impiis carnificibus attritum, ad radices montis vbi fluuius *Reclei* oritur, & ipsi fugam inierunt, equos & omnia relinquentes, & tamen pauci euadentes. Similiter etiam Dux Welfo, lorica & omnibus exutus, & per montana fugiens, vix ab hostili manu ereptus est. Plurima autem millia Alemanorum, Francorum, Wasconum, qui procul erant à montanis, illic extincta fuisse referuntur. Comitissa verò *Ida* vtrum capta & abducta, aut pedibus tot millium equorum membratim discerpta fuerit, vsque in hodiernum diem ignoratur: nisi quòd aiunt, eam inter tot millia matronarum in terram Corrozan æterno exilio deportatam. Comes autem cum solo armigero per montana & ignotas vias arma inimicorum fugiens, ad vrbem, nomine *Longinach*, iuxta *Tursolt*, quam *Bernardus* cognomine Extraneus regebat, tandem peruenit, benignè ab eo susceptus, omnibus sibi vitæ necessariis administratis. Paucis deinde transactis diebus, audiens *Tankradus*, Antiochiæ Princeps, tam egregium Principem illic spoliis & omnibus rebus amissis, pauperem vitã ducere, & nimis humiliatum, misertus est cõchristiani fratris & Principis: & iccirco accepto cõsilio, militibus ab Antiochia in occursum eius missis, honorificè cũ suscepit; & preciosis vestibus per aliquot dies secum commorantẽ, & bonis terræ conuiuantẽ, renouauit. Post cõtritionẽ *Longobardorum* & Willehelmi Principis de Nauers, Willehelmi quoq; Comitis Pictauiensis, *Welfonis* Ducis Bawariorum, quicunq; dispersi fuerant, aut Constantinopoli seu alibi hyemauerant, è cunctis locis singillatim quique Principes Christiani, relictis suis reliquiis, Antiochiam mense Martio inchoante conuenerunt: *Albertus* scilicet de Blandraz, *Conradus* Stabularius, *Stephanus* Blesensis; item *Stephanus* Dux Burgundiæ, *Reymundus* Comes, Willehelmus Pictauiensis Comes, Welfo Dux Bawariorum; Episcopi, *Engelradus* de Lauduno, *Manasses* de Barcinona, aliique Episcopi Italiæ, nauigio ad portum Simeonis eremitæ pariter conuenientes, Antiochiæ aliquanto tempore remorati sunt. *Bernardus* autem Extraneus, eo tempore Comitem Reymundum apud eundem portum captiuum tenuit, eò quòd imputabatur ei necis traditio Longobardorum & cæterorum, qui in eadem fuerant expeditione: quem *Tankradus* Antiochiæ sibi traditum reposuit in custodia. Principes igitur Christianorum, qui conuenerant, post dies paucos recordati confratris & Principis Christiani; eumque sic indiscussum à Tankrado in vinculis teneri, obnixè precati sunt, vt in nomine CHRISTI tam magnificum Principem solueret, ac suis restitueret. Tankradus verò satisfaciens precibus confratrum Peregrinorum, hac apposita conditione, à carcere eductum

restituit: ne quicquam terræ hac ex parte ciuitatis *Acra* inuaderet; & id sacramento obligatus, obseruaret. Post hæc recepto eodem principe Reymundo, vnanimiter salutato Tankrado, ab Antiochia regressi sunt vsque ad ciuitatem *Tortosam*. Quam obsidentes & expugnantes, subdiderunt: in qua ipse *Reymundus* ex communi consilio ad tuenda ipsius mœnia remansit, eò quòd vir cautus & doctus ad resistendum hostibus videretur. Cæteri viam Ierusalem continuare decreuerunt.

XLIII. *Welfo* autem Dux obsidionem hanc deuitans, *Ierusalem* ad adorandum descēdit vnà cum *Reinoldo* Duce Burgundiæ, fratre Stephani, vice ipsius Burgundiam regentis, qui ante expeditionem Longobardorum Ierusalem tendens, Antiochiæ vsque nunc hyemauerat: Sed infirmitate correptus, in via mortuus est idem Reinoldus, & sepultus. *Welfo* igitur Ierusalem perueniens, adorato IESV Domino & eius Sepulcro, post aliquot dies nauigio vsque ad insulam *Cyprum* reuersus est: vbi & ipse infirmitate detentus, mortuus & sepultus est.

XLIV. Cæteri autem Principes præfati, post captionem ciuitatis Tortosæ, recto itinere vsque ad ciuitatem *Baurim* cum decem millibus profecti sunt: Vbi Regem *Baldewinum*, ex præmissa legatione admonitum, in occursum sibi in ingenti manu repererunt: quia transire regiones & ciuitates Gentilium absque tam nominati & potentis noui Regis conductu dubitabant. Deinde habita per noctis spacium cum eo requie, crastino admixtis copiis profecti sunt; & per quindecim dies ante sanctum Pascha *Ioppen* venientes, per dies octo, & ipsa solenni die Palmarum, illic morati sunt. Postea autem die Palmarum à Ioppe egressi, *Hierosolymam* ascenderunt: In qua septem dies commorantes, & Sabbato Sancti Paschæ ignem de cœlo operientes, sanctam ciuitatem in orationibus & eleemosynis perlustrauerunt. *Conradus* quoque Stabularius, & *Engelradus*, Episcopus Lauduni, paululum retardati, subsecuti sunt confratres

XLV. vsque *Iaphet*; qui & ipsi in Pascha Domini cæteris adiuncti sunt. Conuenientes igitur de omnibus locis in Ierusalem hac secunda hebdomada Paschali, & gloriosè ac iucundè sanctam solennitatem cum Rege peragentes, mala & pericula Peregrinorum rememorantes, consilium Regi *Baldewino* dederunt: quatenus in humilitate ampliore, qua posset, & precibus mansuetis Imperatorem Constantinopolitanum compellaret super miseriis Christianorum: videlicet vt à perditione & traditione Christianorum cessaret, & Ecclesiæ Hierosolymitanæ subueniret, Turcos & Sarracenos non audiret; sed pleniter ac fideliter omnem mutuationem necessariorum à præsidiis & locis regni sui fieri vsque in Ierusalem non negaret.

XLVI. Fuit enim fama in populo Catholico, quòd ipsius *Imperatoris* occultis & perfidis consiliis, à comite *Reymundo*, & militibus Turcopolis, deductus sit exercitus Longobardorum per deserta & inuia & solitudines *Flaganiæ*, vt illic à Turcis facilè præ fame & siti exhaustus, superatus occideretur. Verùm vt à veridicis & nobilibus viris relatum est, nequaquam hoc nefando scelere culpandus erat. Nam sæpius exercitum præmonuit, & edocuit solitudines & defectiones & Turcorum insidias in inuiis Flaganiæ, & ideo eos non securè & tutos per hanc viam posse incedere.

XLVII. Acquieuit benignè Rex *Baldewinus* consiliis vniuersorum; ac leones duos domitos, & sibi gratissimos, Imperatori pro munere misit per *Gerhardum* Archiepiscopum, & *Episcopum de Barcinona*, ad confirmandum fœdus & amicitiam. *Imperator* vniuersam petitionem Regis cum muneribus sibi præsentatis in bono accepit; & de omni suspicione necis Longobardorum, quam aduersus eum Christiani habebant, iusiurandum in DEI nomine faciens, se excusauit: promittens se deinceps omnibus misericordiam fieri; Regem Baldewinum se velle honorare & amare. In eadem legatione ab Imperatore decretum est, vt Episcopus de Barcinona eum apud Romanum Pontificem *Paschalem* de traditione, sibi imposita, excusaret.

XLVIII. *Engelradus* autem miles quidam in Ierusalem repedans, muneribus magnis ab Imperatore honoratus, bona nuncia reportauit: & amicitiam & fidem Regi Baldewino Imperatorem velle obseruare, & Peregrinos non vltrà offendere. Sed *Episcopus* aliquantulum renisus est Imperatori, propter infidelitatem erga Gallos, quam ab eo extorsit. Quapropter in amaritudine animi Romam tendens, ipsum Imperatorem criminatus est in Ecclesia *Beneuentana*: & ideo assumtis litteris ipsius Apostolici, querimonia grauis apud omnes Principes Galliæ super ipso Imperatore facta est.

ALBER-

ALBERTI AQVENSIS EXPEDITIONIS HIEROSOLYMITANÆ LIBER NONVS.

Argumenta Capitum.

I. POSTEA conuentu Christianorum de die in diem comminuto, aliis redeuntibus nauigio; aliis per diuersas regiones in reditu suo dispersis, *Conradus*, stabularius Imperatoris Romanorum, *Albertus* de Blandraz, *Stephanus* Blesensis, *Stephanus* Princeps Burgundiæ, *Otho* cognomine Altaspata, *Arpinus* de Buduordis, *Hugo* de Falckenberg, *Hugo* de Lezenais, *Baldewinus* de Hestrut, *Gutmanus* de Brussela, *Rudolfus* de castello Alos, quod est in Flandria, *Hugo* de Botuns, *Gerbodo* de castello Wintine, *Rotgerus* de Roscit, & cæteri quàm plurimi nobiles & egregii viri, qui ad sanctum Pascha celebrandum tunc de vniuersis locis conuenerant, & in omni deuotione, ac caritatis plenitudine, feliciter sanctum tempus celebrauerant, in ciuitate Ierusalem cum Rege remanserunt. 30

II. Appropinquante dehinc festo *sanctæ Pentecostes*, & collectione Christianorum nimium attenuata, aliis nauigio, aliis per siccum regressis, exercitus *Regis Babyloniæ* innumerabilis; & nunquam antea copiosior factus, ab Ascalone, alii nauigio alii per aridam, in equis & copioso apparatu armorum descendentes, templum *S. Georgii*, distans milliari à ciuitate *Rames*, combusserunt cum vniuersis, quos in eo repererunt fugientes à facie eorum cum armentis & gregibus; quin etiam sata regionis depopulati sunt, nouum laborem Peregrinorum, & spem totius anni. At *Robertus*, ciuitatis Episcopus, vir Christianissimus, videns tam copiosum exercitum tam repentinis flammis & prædis regioni incumbere; & post captam vrbem Rames in ciuitatem Ierusalem velle descendere, ad expugnanda eius mœnia, & obsidendum Regem cum populo Christiano: subitò equum ascendens, & ab hostium incursu elapsus, præcucurrit Ierusalem, vt nunciaret Regi, quantus exercitus descendisset à Babylonia; & quomodo omnia sata & vicina loca ciuitatis Rames iam flamma & præda consumsisset. 40 50

III. *Rex* itaque & vniuersa domus ducis Godefridi fratris ipsius, & cæteri nobiles, qui adhuc cum illo remanserant, audientes superuenisse tot millia aduersariorum ad delendos catholicos populos, sine mora ad arma festinant; & iam ad septingentos adunati & loricati, cum Rege versus hostiles impetus in tubis & cornibus & vexillis ostreis regia via ferebantur. Vix à montanis Ierusalem Rex & sui egressi sunt, & ecce in valle & amplissima planicie Rames inimica agmina *Sarracenorum, Arabumque*, & *Azopart* appropinquabant cum infinitis millibus equitum & peditum, volentes in virtute hac Ierusalē recuperare, Regem

Regem & fideles CHRISTI expugnare. *Rex* igitur & omnis comitatus illius, IV. videntes, tam propinquas acies inimicorum astitisse, omni timore mortis deposito, & animæ suæ parcere non curantes, atrociter & vnanimiter per medios hostes ad eorum millia irruunt, acies penetrantes in virtute militari, & nimiam cædem suis armis multiplicantes. Dum verò hi solùm septingenti, pauca quidem manus, sed milites egregii & fortissimi, sic cædendo, & hostium muros diruendo, penetrare conarentur, gens intolerabilis *Azopart*, quæ in mediis millibus Gentilium constituta erat, cum fustibus, in modum malleorum ferro & plumbo compositis, occurrerunt Regi & suis, & non solùm milites, sed etiam equos illorum in 10 fronte & cæteris membris fortiter ferientes, graui ictu eos à prælio absterrebant. Alii verò sagittis & fundibulis viros egregios coronantes, incessanter affligebant, tanquam grando indeficiens, quæ de cœlo cadit: quo vsque vim vltrà sufferre non valentes, *Rex* & vniuersi in fugam conuersi sunt. *Rudolfus* de Alos, *Gerbodo* de Wintine, *Gerhardus* de Auennis, *Gosfridus* breuis in statura, *Stabulo* Camerarius Ducis Godefridi, Comes *Hoft* de castello Rura, *Hugo* de Hamach de terra Pictauiensi, *Hugo* Botuns, *Gerhardus* Barson & cæteri omnes mediis in hostibus interierunt. Ex his quinquaginta versus Rames fugam arripientes, portæ vrbis immissi sunt. *Lithardus* verò Cameracensis, *Rotgerus* de Roseit, *Philippus* de Bulon, *Baldewinus* de Hestrut, *Walterus* de Berga, *Hugo* de Burg, *Addo* de Keresi versus Iaphet fugam inie-20 runt. Vbi decem millia illis occurrerunt, qui Regi ad auxilium festinabant. Sed ab his audito Regis infortunio, & suo interitu, ad eandem ciuitatem fuga reuersi sunt. His itaque ciuitati cum fugitiuis militibus immissis, & portis clausis, VI. *Sarraceni*, qui eos insequebantur, ad societatem reuersi sunt; & vrbem Rames, vndique positis castris, obsederunt. Rex autem vitæ diffisus, propter vrbis infirmitatem, per quandam muri fracturam cum solo *Hugone* de Brulis in *Gezela* residens, cum armigero suo versus montana Ierusalem diffugium fecit; & tota die ac nocte errans, frustra iter peregit, donec maxima pars Sarracenorum erranti, & Ierusalem tendenti, occurrit: à quibus illi fuga per montana interdicta, grauiter insecutione illorum oppressus est, nescius quò vagari cœperit. Rex itaque intelligens, 30 se per montana euadere non posse, iam crastino mane orto, & via aliquantulum recognita, versus *Assur*, ciuitatem Christianorum, secessit, licet sagittis insequentium trans loricam paulisper sauciatus: qui per diem & noctem in montanis & deuiis multum laborauit, donec tandem in campi planicie sine requie & cibo vel equi pabulo assistens, regionis & viarum cœpit reminisci. Mane autem sic facto, Assur intrauit. Vbi *Rorgius*, qui ciuitatem Cayphas in beneficio acceperat, & obtinebat, in lætitia magna illum suscepit: existimabat enim eum cum cæteris corruisse. Sic Rex ab obsidione Rames, & manu Sarracenorum, elapsus, venit Assur. Cæteri verò, id est, *Conradus*, *Arpinus*, Stephanus Blesensis, *Stephanus* de Burgundia & alii milites egregii, turrim quandam ciuitatis eiusdem causa protectionis ingres-40 si sunt. Altera autem die *Sarraceni*, necnon *Azopart*, ruptis muris ciuitatis in VII. virtute magna, ipsam turrim infringere & expugnare fortiter cœperunt ferreis vncis & ligonibus, donec tandem turri cauata, ignem & fumum in ea suscitauerunt, vt sic calore & fumo arctati & suffocati milites, aut perirent aut prodirent. Sed milites egregii, eligentes potius honesta defensione consumi, quàm misera morte suffocari & extingui, tertia die inuocato nomine IESV, confisi eius gratia egressi sunt, & plurimum cum Sarracenis facie ad faciem dimicantes, plurimo sanguine & strage illorum animas suas vlti sunt. *Conradus* verò audacia & viribus incomparabilis, gladio præcipuas Sarracenorum strages exercuit, quoad omnes admirati, qui aderant, & exterriti, procul ab eo absistentes, continue-50 runt manus suas: rogantes eum, vt cessaret à cæde horribili, & eorum dextras susciperet pro viuendi gratia; & sic in Regis Babyloniæ deditionem redderetur, donec placata Regis ira tam famosus & mirabilis miles in oculis eius gratiã inueniret, & post vincula præmia mereretur. Quod & actum est. *Arpinus* pariter captus & vitæ reseruatus est, eò quòd miles Imperatoris Græcorum fuisse, à veridicis testibus illic innotuisset. Cæteri verò omnes cum Stephano & altero Stephano, summis Principibus, ibidem decollati sunt. Interea Rex *Baldewinus* hoc triduo Assur resedit, vt audiret euentum rerum. Sed fama hæc crudelis Ierusalem transuolans, omnes eam inhabitantes vehementer perterruit, VIII. & in luctum ac ploratum tota ciuitas conuersa est. Cœperunt enim adeò

omnium corda metu fluxa deficere, vt noctu & in tenebris à ciuitate recedere pararent, nisi *Gutmanus* quidam, ortus de Brussela, qui vix euaserat, plurimum eis consolationis attulisset; & sæpius admonuisset, ne facilè à ciuitate recederent, donec intelligerent, si Rex Baldewinus adhuc superesset. Tandem post paululum, fama allata est Regem adhuc esse incolumem: quod audientes, vniuersi lætati sunt & confortati. Et ideo abhinc diebus singulis per mœnia diffusi, vrbem defensabant ab assultibus Sarracenorum, qui huc in superbia victoriæ suæ per turmas ad lacessendos ciues Christianos assiduè conueniebant.

VIII. His itaque decollatis, sed Conrado & Arpino in dextris eorum susceptis, & in vrbem Ascalonem in carcerem transmissis, *Meranis* & cuncti potentes Babyloniæ in virtute magna, & manu robusta, ad ciuitatē *Iaphet* profecti sunt, ac plurimo assultu, instrumento & tormētis lapidum ac bellico apparatu & impetu viros in ea repertos vexauerunt. Caput verò *Gerbodonis* & eius crura precioso ostro calceata & induta amputantes, defensoribus vrbis ostenderunt, asserentes Regis esse Baldewini, eò quòd similis eius esset: & ideo eos ab vrbe exire, & in potestatem Regis Babyloniæ sanis membris & vita incolumi venire, plurimum arctabant. *Christiani* verò arbitrantes verum, & Regis caput & crura procul ostentari, nimia desperatione correpti sunt cum omnibus rebus suis egredi, sibi inuicem consulentes; & sic nauigio liberari. Erat his diebus *Regina* & vxor Baldewini in ipsa ciuitate Iaphet, quæ etiam terroribus attonita, & dolore mortis dilectissimi Regis, pariter fugam cum cæteris meditabatur inire.

IX. Verùm dehinc septem diebus euolutis, Rex ab Assur exiens, nauem, quæ dicitur *Buza*, ascendit, & cum eo *Godericus* pirata de regno Angliæ, ac vexillo hastæ præfixo, & elato in aëre ad radios Solis vsque, Iaphet cum paucis nauigauit: vt hoc eius signo ciues Christiani recognito, fiduciam vitæ Regis haberent, & non facilè hostium minis pauefacti, turpiter diffugium facerent, aut vrbem reddere cogerentur. Sciebat enim eos multum de vita & salute eius desperare. *Sarraceni* autem viso eius signo, & recognito, ea pars, quæ nauigio vrbem cingebat, illi in Galeis viginti & carinis tredecim, quas vulgò appellant *Cazh*, occurrerunt, volentes Buzam Regis coronare. Sed DEI auxilio vndis maris illis ex aduerso tumescentibus ac reluctantibus; Buza autem Regis facili & agili cursu inter procellas labente ac volitante, in portu *Ioppe*, delusis hostibus, subitò affuit, sex ex Sarracenis in arcu suo è nauicula percussis ac vulneratis. Intrans itaque ciuitatem, dum incolumis omnium pateret oculis, reuixit spiritus cunctorum gementium, & de eius morte hactenus dolentium: eò quòd caput & Rex Christianorum & Princeps Ierusalem adhuc viuus & incolumis receptus sit.

X. Iam dies media flagrabat, & *Rex* mox equum ascendens, portas ciuitatis cum sex tantùm illustrissimis militibus egressus est, vt lacesseret tantùm Sarracenos circumsidentes; & pateret omnium aspectui, quomodo adhuc viuus & sospes haberetur. Cognito autem Rege viuo & saluo, vniuersa multitudo Gentilium, ablatis tentoriis ab Ioppe, in campos Ascalonis descenderunt, illic per tres septimanas commorantes, donec intelligerent, si aliqua virtus Regi Baldewino ad subueniendum augeretur. Legatio enim Regis ad vniuersos confratres per castella & ciuitates ac regiones propter auxilium directa est. Sed minimè hoc tempore auxilium ferentibus Tankrado, Reymundo, Baldewino de Burg, eò quòd nimium remoti essent, Sarraceni ab Ascalone venientes, obsidionem circa *Iaphet* iterauerunt, donec quindecim dies euoluti sunt.

XI. Interea dum hæc obsidio ageretur, ducentæ naues Christianorum nauigio Ioppen appulsæ sunt, vt adorarent in Ierusalem. Horum *Bernhardus* Witrazh de terra Galatiæ, *Hardinus* de Anglia, *Otho* de Roges, *Hadewerck*, vnus de præpotentibus Westfalorum, primi & ductores fuisse referuntur. *Sarraceni* quidem, qui ex aduerso vrbem in superiore parte nauigio obsederant, videntes tot Christianorum acies adesse, constituerunt cum eis nauali impetu confligere. Sed Christianorum naues velis & remis ac prosperiore vento clementia DEI præualētes, validè repressis Gentilium viribus, in arido constiterunt, & additis ciuibus cum ipso Rege sibi in adiutorium, vrbem ingressi sunt; amplior verò pars in aperta camporum planicie ex aduerso pariter fixis tentoriis hospitio resedit. Erat autem tertia feria Iulii mensis, quando hæ Christianorum copiæ, DEO protegente, huc nauigio angustiatis & obsessis ad opem collatæ sunt. Sarracenorum autem turmæ, videntes quia Christianorum virtus audacter facie ad faciem vicino sibi hospitio proximè iungebatur, media nocte orbi incumbere, amotis

amotis tentoriis, amplius milliari subtractæ consederunt: dum luce exorta consilium inirent, vtrum Ascalonem redirent, aut ciues Iaphet crebris assultibus vexarent. XII. Ab ipso verò die tertiæ feriæ dum sic in superbia & elatione suæ multitudinis immobiles Sarraceni persisterent, & multis armorum terroribus Christianum populum vexarent, sexta feria appropinquante, Rex *Baldewinus* in tubis & cornibus à Iaphet egrediens, in manu robusta equitum & peditum virtutem illorũ crudeli bello est aggressus, magnis hinc & hinc clamoribus intonantes. Christiani quoque qui nauigio appulsi sunt, horribili pariter clamore cum Rege Baldewino, & graui strepitu, vociferantes, Babylonios vehementi pugna sunt aggressi, 10 sæuissimis ac mortiferis plagis eos affligentes, donec bello fatigati, & vltrà vim non sustinentes, fugam versus Ascalonem inierunt. Alii verò ab insecutoribus eripi existimantes, & mari se credentes, intolerabili procellarum fluctuatione absorpti sunt. Et sic ciuitas *Ioppe* cum habitatoribus suis liberata est. Ceciderunt hac die tria millia Sarracenorum; Christianorum verò pauci periisse inuenti sunt. XIII. Rex ergo Baldewinus triumphum de inimicis gloriosè adeptus, noctem hanc in Ioppe in lætitia magna exegit cum vniuersis Peregrinis, qui conuenerant, habentibus spolia multa. Altera verò die clarescente, *Ierusalem* cum omnibus Peregrinis profectus est, pacificè & potenter omnia disponens, & Peregrinis ad adorandũ CHRISTVM, & vota sua reddenda in Ierusalem, templum Dominici Sepulcri aperiri 20 iubens. Ante hæc omnia, cùm nondum auxilium noui & peregrini exercitus affuisset, *Baldewinus* Rex anxius, & nimium desperatus ob interitum suorum, legationem Antiochiam *Tankrado*, & *Baldewino de Burg* in ciuitatem Rohas misit, quatenus festinanter sibi auxilio adessent; aut totam regionem Syriæ, & regnum in Ierusalem, in breui amitteret, Sarracenorum audaciam & contumacem victoriam annuncians, & quantum casum suorum egregiorum militum nuper ab hostibus passus sit. Qui statim collecto exercitu; Tankradus quidem in circuitu Antiochiæ, Baldewinus Rohas, ad septingẽtos equites & pedites mille; die statuto vnanimiter ad ipsam Antiochiam conuenerunt; *Willehelmo* Pictauiensi Principe, in eodem comitatu assumto, qui nuper post Pascha Domini à Ierusalem adorato Sepulcro Do- 30 minico, ad Tankradum redierat: & nunc per conuallem Damasci & Camollam descendentes, sed Tabariam prætermittentes, ad Cæsaream Cornelii peruenerũt, illic positis tentoriis pernoctantes. Mane itaque facto, ad flumen *Assur* castra metati sunt, non amplius quàm solo milliari ab *Iaphet* hospitari constituentes. Descẽderant autem tempore autumni, in mense Septembri, quando omnium frugum plenitudo redundare solet. XIV. *Baldewinus* itaq; Rex in ciuitate Iaphet tunc moram faciens, ac tam fortium virorum aduentum intelligens, nuncios egregios illis in occursum constituit, qui omnia vitæ necessaria illis procurarent in pane, carne, vino, oleo & hordeo ad refocillandos milites & eorum equos, longo itinere fatigatos. Erat autem *Dagobertus* in eorundem egregiorum virorum comitatu, repro- 40 batus ab eodem Rege: qui Patriarchatus dignitatem recuperare arbitrans, cum Tankrado Iaphet descendere disposuit. Vnde *Tankradus* & *Baldewinus* de Burg, *Willehelmus* quoque Comes Pictauii, pariterque *Willehelmus* Carpentarius, consilio inito, qualiter Patriarcha restituatur, Regi legationem direxerunt, videlicet vt *Patriarcham* in suam sedem relocaret, alioqui nequaquam eos in vltionem suorũ Ascalonem posse descendere. Rex horum audita legatione, inuitus eorum precibus acquieuit, nimium indignatus aduersus Patriarcham propter subterratam pecuniam. Attamen consilio suorum victus, concessit magnificis illius intercessoribus: vt primùm Ascalonẽ descendant aduersus arma & milites Regis Babyloniæ; dehinc se omnia de Patriarcha æquo iudicio & consilio ipsorum acturum. Decreuit etiam hæc omnia fieri examine *Roberti Parisiensis* Cardinalis, Episcopi & legati, qui Mauricio aliquo tempore mortuo, à *Paschali*, Romano Pontifice, missus, venerat ad discussionem & correctionem rerum illicitarum Sanctæ & Orientalis Ecclesiæ in his Orientalibus plagis. XV. *Tankradus* autem & *Baldewinus* de Burg, *Willehelmus*, itemque *Willehelmus* hac Regis audita promissione, sub obtentu fidei in armis & virtute suorum cum Rege *Ascalonem* profecti sunt, per dies octo eius mœnia obsidentes, vineas & sata & vniuersam spem anni illius deuastantes, & crebro assultu muros impugnantes. Dum tandem creberrimis assultibus illic sæuirent, turres & mœnia oppugnarent, quidã Ammiraldus Babyloniæ Regis nobilissimus, *Merdepas* nomine, qui ad tuendos ciues remanserat, subitò in virtute magna ab vr-

be erupit; & viros Christianorum ferro & sagittarum grandine in manu suorum lacessiuit: Sed Dei gratia & virtute repente à Christianis occisus & attritus est. *Merdepa* tã nominatissimo Ammiraldo Regis Babyloniæ sic extincto, & vniuersis Gentilibus ciuibus Ascalonis repressis, & vltrà repugnare diffidentibus, portas verò in faciem Christianorum claudentibus, Rex assultus & labores suorum in cassum fieri intuens, ex consilio Maiorum ab vrbe, quæ ab humanis videtur viribus insuperabilis, recessit; & *Ioppen* vnà cum Tankrado & Baldewino de Burg, Willehelmo & altero Willehelmo diuertit, vbi in omni gloria & lætitia simul epulati sunt.

XVI. Dehinc consilio ibidem habito cum Episcopis, Abbatibus & vniuersis ordinatis clero, & ex iudicio omnium patrum, qui aderant, omni honore & dignitate, qua erat priuatus *Patriarcha* à Rege, reinuestitus ac Ierusalem reductus, honorificè in cathedram episcopalem relocatus est. Reducto itaque sic Patriarcha Dagoberto Ierusalẽ, ac in sede suæ maiestatis relocato, proxima die in templo Dominici Sepulcri concilium statutum est, vbi idonei testes & accusatores in præsentia & audientia domini Cardinalis ac totius Ecclesiæ conuenerunt, *Baldewinus* Cæsareæ vrbis Episcopus, et Episcopus de Bethlehem, *Robertus* Episcopus de Rames, *Arnolfus* Cancellarius et Archidiaconus Dominici Sepulcri, & Clerici multi. Ibi alii hûc ex simonia; alii ex homicidio Christianorum Græcorum, in insula Cephali eius instinctu à Genuensibus perpetrato; alii ex traditione Regis Baldewini; quidam verò ex oblatione et pecunia fidelium subterrata, constanter & obnixè criminati sunt. Affuerunt pariter in eodem concilio *Engelhardus* Episcopus Lauduni; similiter & Episcopus *Placentiæ*, Episcopus de *Tarsa*, Episcopus de *Mamistra*; aliique Episcopi & Archiepiscopi ad decem et octo computati: Abbas etiam de *Sancta Maria Latina*, Abbas de *valle Iosaphat*, Abbas de *monte Tabor*; et alii de terra Galliæ circiter sex illic sedisse referuntur.

XVII. Ibidem verò in medio tantorum probabilium virorum conuentu, *Cardinale* prædicto residente, et æquo iudicio rem examinante, *Patriarcha* victus, et confusus ab idoneis testibus de perfidia et cęteris, obmutuit. Qui in satisfactione Deo et Cardinali rebellis et inobœdiens existẽs, et in pertinacia suæ prauæ excusationis permanens, sub iudicio omniũ fidelium depositus ac anathemate percussus est. *Tankradus* verò et cęteri Principes, videntes rem ex puro iudicio veritatis finem accepisse, non vltrà renisi sunt; sed Rege salutato, in terram Antiochiæ et Edessæ, Patriarcha abiecto, vtque aiunt, precibus tantorum procerum absoluto, secum abducto reuersi sunt. *Rex* quidem in lætitia & gloria magna remansit Ierusalem. Nec mora, consilio eiusdem Roberti Cardinalis, Cleri quoque ac totius populi electione, *Euermerus* quidam, vir et Clericus boni testimonii, præclarus ac hilaris distributor eleemosynarũ, vice et loco Dagoberti Patriarcha constitutus, successit, omni studio religionis ac bonæ conuersationis, in amore fraternitatis et caritate, illic in tẽplo Dominici Sepulcri Deo seruiens, et Regi Baldewino contra Sarracenos & incredulos fidelis adiutor existens.

XVIII. Regresso itaque Tankrado cũ cæteris Principibus supra centũ & quadraginta millia virorũ Peregrinorũ, qui Ierusalem hoc anno adorare couenerant, tædio diutinæ moræ affecti, nauigio hûc velis et remis aptato, Rege verò salutato, alto mari inuecti sunt; vt ad terram natiuitatis suæ redirent, æquore ab omni feruore et turbine ventorum sedato. Sed illis vix duobus diebus in tranquillo nauigantibus, circa æquinoctium hyemale serenitas cœpit turbari, venti horribiles suscitari, naues vsquequaque graui turbine inquietari, & sæuis procellis deiici & quassari, dum tandem nautæ et homines Peregrini fessi, et tumidis fluctibus oppressi, alii attritis velis et remis in profundum ferebantur; alii validis ventorum flatibus dispersi, ac per ignotum iactati mare, & vagi facti, Accaron peruenerunt; alii apud Sagittam, alii Ascalonem, ciuitates Gentilium, consistentes, aut capti, aut trucidati, aut vndis suffocati sunt. Fuerunt autẽ naues Christianorũ, qui perierunt, trecentæ, quarum decima pars vix saluata fuisse perhibetur. Audito tantæ multitudinis casu in Ierusalem, Rex & vniuersi viri et fœminæ ciuitatis in nimiã lamentationem & complorationem versi sunt; eò quòd tam amara morte tot millia confratrum suorũ non solùm vndis, sed et armis Gentilium extincti sunt.

XIX. Post hæc anno tertio regni sui Rex *Baldewinus* vehementer indignatus aduersus ciuitatem *Accaron*, eò quòd sæpius insidiæ & assultus ab ea Peregrinis accreuissent, iam hyemis graui frigore deterso, et veris temperie aspirante, post octauas Paschæ anni illius præcedentis, quo in campestribus Rames prælia commisit, & omnibus suis attritis, cum paucis reliquis suorum militum vix Sarra-

Sarracenorum vires euasit, exercitum congregans ad quinque millia virorum, ad præfatæ ciuitatis applicuit mœnia. Quam, vndique posita obsidione, curriculo quinque hebdomadarum sic mangenarum iactu & machinarũ sublimitate oppugnauit, vt vltra vim, & difficiles militum lapidumq; creberrimos ictus, ciues sufferre non valentes, iam in manu Regis, impetrata vita vrbem reddere cogerentur. Iam enim tres ab vrbe exierant Sarraceni, quod cæteros prorsus latuit, vt sibi Regem placarent, & parcere animæ suæ impetrarent, omnem casum & defectionem fortium virorum & ciuium illi referentes; & vniuersos interius adeò metu cõcussos, vt si semel adhuc validè vrbẽ impugnarent, procul dubio portis apertis, in ma-
10 nu Regis traderetur. Vix hi tres sermonem & consilium cum Rege expleuerant, & ecce vespere facto, de *Sur*, quæ est Tyrus, & à *Tripla*, quæ est Tripolis, ciuitatibus de regno Babyloniæ, duodecim Galeidæ descenderunt cum multis armatis militibus, & cum quadam ingente naue, quingentos viros pugnatores continente, qui eadem tota nocte ciuitatem introeuntes, per mœnia & vrbẽ diffusi sunt. Nec mora, minimè diem expectantes, sed rapidum ignem sulphure, oleo, pice, stuppis suscitantes, machinæ Regis subitò iniecerunt, vt viros sagittas assiduè de super intorquentes, & vrbem validè impugnantes, ab ea absterrerent. Verùm illorum XX. aduentu cognito, & igne iam circa machinam sæpius aduolante, *Reynoldus* quidam miles Regis, arte sagittandi peritissimus, & magister sagittariorũ, socios ad defen-
20 sionẽ admonet; ipse verò arcu Baleari arrepto, supra centum & quinquaginta Sarracenos mortifero vulnere extinctos percussit. Mane autem facto, bellum vtrinq; cœpit vehementius ingruere & inualescere, ac sæpius à portis erumpentes Sarracenorũ milites lãceis Peregrinos CHRISTI, alios graui vulnere percusserũt, alios momentanea morte extinxerunt. Eadem deniq; die *Reinoldus* plurimũ belli & cædis dũ à machina aduersus hostes exerceret, incautus & intrepidus nimiũ in aperto assistens, subitò mangenellæ impetu lapis emissus illi in verticẽ venit; & sic mortuus iussu Regis sublatus, in monte Thabor à religiosis Monachis sepultus est. Videns autẽ Rex, quia virtus Sarracenorũ præualebat præ intolerabili multitudine, quæ nouiter à prædictis ciuitatibus huic vrbi ad auxiliũ nauigio cõfluxerat, & quia
30 manu suorum non solùm bello grauatã, sed & longa obsidione ad resistendum deficiebat: ex consilio magnatum suorum ignem machinæ iussit immitti, nimium turbatus & dolens inde recedens, eò quòd prosperum successum hoc tempore nequiuerit habere. Eodem verò anno, quo Rex *Acram* inuictam deseruit, & à XXI. Ioppe Ierusalem ascendit, vt illic aliquantulum bellis intermissis quiesceret quadã die circa tempus Iulii mensis cum decem tantùm militibus in venationem profectus, dum saltus ciuitati Cæsareæ contiguos à montanis intraret, & huius recreationis studio vacaret, *Sarraceni* circiter sexaginta ab Ascalone & Acra descenderũt ad insidias Christianorum, vt tam in plano quàm in montanis deprehensos detruncarent, ac rebus expoliarent. Tunc quidam fortè Christianæ professionis illis
40 obuiam facti sunt, quos nimia audacia freti Gentiles præfati, persequi, occidere & rebus expoliare decreuerunt, vt sic in gloria & victoria cum spoliis fidelium ad suas ciuitates repedarent. Hac itaque crudeli intentione Sarracenis Christianorum vestigia insequentibus, vniuersa verò regione fama eorum commota ac tremefacta, eò quòd vires illorum ampliores, quàm fuissent, æstimarentur, *Baldewino* Regi, omnium horum ignaro, & solummodo venationi intento, nunciatum est, quomodo Sarraceni regionem ingressi fuissent ad insidiandum & trucidandum populum DEI viui, & ideo citius eum oportere in hac necessitate subuenire. Qui illico hoc audito, decem socios, qui secum erant, nobiliter admonet vt sine intermissione hostes insequantur, & nunquã eos impunè à regione exire patiantur, sed forti-
50 ter cum eis dimicantes, prædam excutiant & rapinas confratrum suorum. Mox venatoriæ artis obliti, *Otho* Altaspata, *Albertus* de Biandraz & cæteri, qui cum Rege venationi intererant, licet lorica, scuto, lancea inermes, sed tantùm gladio accincti & pharetra procul omni timore mortis ablato, equos calcaribus vrgent, & recto vestigio Sarracenos persequentes, fortè iam visos, sagittis & gladiis eductis, subitò incurrerunt, & atrociter hinc & hinc prælium commiserunt. *Baldewinus* verò Rex præ cunctis acriùs per medios hostes irruens, & cædem gladio multiplicans, ex improuiso iuxta frutecta humilis syluæ in rapido cursu volantis equi astitit: Vbi à quodã satellite Sarracenorũ, qui inter ramos & opaca folia delituit, furtiua lancea trans femur & renes perforatus est. Nec mora, à tam crudeli vulnere tam potentis Regis riui sanguinis grauiter eruperunt, vultusque illius pallescere, animus & virtus deficere, manus à gladii percussione cessare, cœperũt; donec tan- XXII.

dem in terra ab equo corruens, ac si mortuus & extinctus, expirasse crederetur. Quod sui commilitones vt viderũt, statim dolore inæstimabili commoti, amplius & validius cœperunt hostes cædere & persequi, quo vsque alii occisi, alii in fugam versi, per montana & inuia dispersi & elapsi sunt. Dehinc Regẽ circumstantes, ac plurimum flentes, gestatorioq; eum imponentes, Ierusalem in nimia lamentatione virorum ac mulierum detulerunt, medicos peritissimos illi acquirentes, quorũ arte & peritia ab hac mortifera plaga Rex & fortis athleta posset conualescere.

XXIII. Audita hac Regis Baldewini vulneratione & aggrauatione, *Rex Babyloniæ* & *Merauis* congregato ab omni regno exercitu, nauali expeditione *Iaphet* descenderunt, quam fixis anchoris versus maritima obsederunt. *Ascalonitæ* verò ex præcepto Regis per aridam ad auxilium venientes, & pariter hinc & hinc, & ab intus & de foris prælia committentes, diuersis assultibus eam expugnare moliti sunt. Interea dum hæc obsidio fieret, et diuturnis præliis ad inuicem ciues Ioppe et hostes Ascalonitæ contenderent, duæ naues, quarum altera minor, quam vocant *Galeidã*, et altera maior, quam vocant *Dromonem*, ex improuiso cum Christianorũ cœtu aduectæ sunt, vt adorarent in Ierusalem. Ex his maior nauis, quę supra quingentos viros absque matronis continebat, ignorante exercitu Gentilium, clàm in obscura nocte repentino remigio aduecta, illusis custodibus vigiliarum noctis, in portu & littore vrbis Iaphet resedit. Sed quassata ex impetu nimio et celeri fuga, et onere rerum et hominum, in partes dissiliens et hiscens, sabulo infixa est. Videntes autẽ hanc Sarraceni inuio cursu, & nimium maturata fuga, attritam, ac in limo littoris arenosi infixam, velociter nauigio aduenerunt, vt viros naufragantes percuterent, & res illorum & omnia, quæ vitæ erant necessaria, diriperent, ac inter se diuiderẽt. Verùm Christiani, qui in ipso vrbis Iaphet littore consistẽtes, ad euentum rei perspiciendum, et vt subuenirent naufragantibus, concurrerant, visõ confratrum Christianorum periculo, nimia impugnatione resistentes, importunam multitudinem abegerunt, donec DEI auxilio repulsis Gentilibus, in liberatione fratrũ suorum præualuerunt.

XXIV. Altera autem minor nauis nõ recto gubernaculo sulcans, sed ignaro magistro inuecta errans, cæca nocte repentino & facili cursu super naues hostiũ irruit. Quo agnito, Magister nauis cum septem sociis suis clàm exigua nauicula euasit, & nauem inter hostes destitutam reliquit. Erant enim in eadem naui homines centum & quinquaginta præter fœmineum sexum, equites verò septem cum equis suis & plurima armatura. Gentiles verò sentientes hanc Christianorum puppim inter se stulto errore allapsam, eam vndique coronantes, tota nocte eius inhabitatores praui impugnatione vexauerunt, & illi econtra fortiter restiterunt, donec orto mane, non vltrà tot millium iacula & vim sufferre valentes, & à defensione cessantes, vniuersi cum septem equitibus & cunctis mulieribus capti & decollati sunt, præter solum armigerum, qui temerario ausu inter vndosas procellas vix nando euasit. Omnia autem spolia occisorum seu submersorum diripientes, inter se partiti sunt, gaudentes, & exultantes, hanc fortunam victoriæ suæ sic ex improuiso suis manibus incidisse.

XXV. At *Baldewinus* Rex intellecta hac longa obsidione circa vrbem *Iaphet*, & suorum confratrum consumtione, iam paulisper sanitate recuperata, ad Iaphet descendere disposuit, vt audito eius aduentu, minus Christianos ciues Sarraceni terrerent, & in vrbis obsidione manerent. *Sarraceni* autem tam potentis Regis aduentum & vitam incolumem operientes, & illi copias affuturas æstimantes, nequaquam illic vltrà remanere præsumpserunt; sed assumta occasione Octobris mensis & temporis hyemalis, quo maris procellæ amplius intumescunt, reditum suum sine intermissione parauerunt. Rex verò & Christiani vrbis Ioppe velocibus buzis & remis eos insequi constituerunt, si forte aliqui securè & tardè nauigantes possent comprehendi. Sed minimè opportunitas hoc tempore, aut vlla vindicta sanguinis confratrum Christianorum, concessa est. Ipse quidem Rex & vniuersi fideles CHRISTI, qui Ioppe habitabant, gauisi sunt super vniuersis, quæ sibi gloriosè acciderant, & exaltati sunt, securè dormientes, & abhinc agros & vineas excolentes. Ascalonitæ verò Rege conualescente, minus vltrà ausi sunt viros Iaphet bello lacessere, sed & ipsi pace gaudentes, & quia manus Regis bello vacabat, pariter & ipsi in satis ac vineis hoc anno nõ parcè elaborantes, quieuerunt.

XXVI. Proximo dehinc anno, mensis Martii tempore aspirante, anno scilicet quarto regni ipsius Baldewini, rursus *Pisani & Genuenses*, qui causa adorandi in Ierusalem conuenerant, à *Laodicea*, vbi hyemauerant,

rant, amouentes, *Gibelot* nauali apparatu applicuerunt. Vbi Comes *Reymundus* illis à Tortosa ciuitate occurrit, auxilium & vires illorum ad expugnandā ipsam Gibelot quærēs: vt Sarracenis ciuibus exterminatis, vrbs Christianorū haberetur. Qui facilè precibus eius acquiescentes, vrbem multitudine copiosa nauiū obsederunt, fortiter eam oppugnantes. Comes verò in arido eam obsidens, creberrimis assultibus, & machinatiū ingeniis, debellauit, quo vsq; capta & victa, cum ciuibus suis in manu ipsius Reymūdi tradita & subiugata est. Nec diu post vrbis illius captionem ipsis Genuensibus & Pisanis legatio Regis Baldewini affuit, qua nimium ex parte ipsius salutati sunt. Deinde permagna Regis precatio ad vniuersos facta est, quatenus causa DEI & Sanctorum Ierusalē, ciuitatem *Ptolemaidem*, quam nunc vocant *Acram*, exercitu nauali in mari obsidentes, oppugnarēt; ipse autē auxilio DEI & copiis fideliū CHRISTI in sicco obsidionē locaret. Audita hac Regis precatione & admonitione, gauisi vniuersi continuò nauigio & manu robusta Acram vel Accaron applicuerunt: Rex autem in arido in circuitu murorū castra metatus est. Illic verò aliquot diebus tormenta lapidū & machinas fabricantes, deinde vrbē & ciues sine modo viriliter & non parcè assilientes, vsquequaq; oppugnabāt, donec Sarracenorū & vires & manus ad resistendū fessæ, nihil vltrà ausi sunt. Videns ergo *Ammiraldus vrbis*, quia sui à defensione defecerant, & quoniā nulla spe auxilii freti, non vlterius aduersus virtutem Regis stare audebant, pacem & belli dilationem fieri rogauit, vt sic consiliū ageret, quatenus vrbs in Regis potestate, ciuibus saluatis, traderetur. Pax deniq; ex petitione Ammiraldi, vtrinque datis dextris firmata est, ac populus ab omni impugnatione quieuit. Tunc Ammiraldus vniuerso cætu Sarracenorum in vnum cōuocato, consiliū anxiè tenuit, & in hunc modū coram omnibus locutus est: *Diu hanc ciuitatē etiam vsq; ad sanguinē defendimus. Sed nūc nullū nobis auxilium à Rege nostro Babylonia, vel ab illius ciuitatibus, vt solitū erat fieri, speramus, propter naualis obsidionis infestationem. Quapropter si omnibus nostris nunc foret gratū, in hac vltima necessitate Regi Baldewino vrbem reddi & aperiri oportet, priusquā armis illius pereamus, & pereuntes nec vitam nec vrbem ad extremū teneamus. Vnde si vtile consilium meum videtur, nec sanius modò reperiri valet; antequam vrbs illi aperiatur, sic fœdus inter nos & ipsum firmetur, vt incolumes cum vxoribus & filiis nostris & vniuersis rebus exeamus, vbiq; viam pacificè & sine impedimento, insidiisq; suorum, habentes.* Concesserunt vniuersi hoc Ammiraldi consilium: quod & Regis auribus sine mora innotuit; scilicet vt sub pura fide datis dextris pacificus exitus ciuibus daretur, & sic non vltrà Regi resistentes, portas vrbis aperirent. *Rex* igitur & Patriarcha *Euermerus* consilium cum suis super hoc inierūt: quoniam, si petitioni illorū contradicentes, fidem & pactū negarēt; ciues verò vrbem nisi cum salute exire metuerent, non sine interitu & periculo Christianorum eam posse expugnari. Vnde & petitioni illorū sic annuerunt, vt vrbe reddita & patefacta, cum vniuersis rebus pacificè migrantes, nihil periculi dubitarent. Verùm *Pisani* & *Genuenses* auaritiā rerum Gentiliū inflammati, nequaquam sic fieri responderunt, vt diuitiæ vrbis, & eius inæstimabiles thesauri, pacificè efferrentur. Tandē ab hac contradictione à Rege & Domino Patriarcha correcti & placati, assensum in vniuersis præbuerunt, quæ illis ad salutem Christianorū potiora videbantur. Et sic iureiurando à Rege Sarracenis promissa pace & firmata; vrbs & portæ eius in ipsa sancta & celebri die Dominicæ Ascēsionis patefactæ sunt. *Rex* autem & exercitus eius intromissus est; Principes verò ciuitatis & cæteri inhabitatores pacificè cum vxoribus & filiis, cum pecoribus & omni substātia egressi sunt. Sed *Pisani* & *Genuenses*, videntes eos cum omni supellectile egredi, & gazam illorū inauditam efferri, auaritia vehementer excæcati, fidemq; & pactum, quod cum Rege pepigerant, obliti, subitò per mediam vrbem irruentes, ciues occiderūt, aurum, argentū, ostra diuersi generis & plurima preciosa rapientes. Populus autem *Galileæ* qui ab arido cum Rege vrbem intrauerat, videns Pisanos per vrbem discurrere, ciues occidere, thesauros inauditos diripere; pariter & ipsi auaritiæ flammis æstuantes, & iurisiurandi obliti, circiter quatuor millia ciuium in ore gladii percusserunt, gazas, vestes, pecora, & omnes diuitias illorū incōputabiles diripientes. Hac iniusta seditione ad extremū sedata, Rex vehementer indignatus est de illata sibi iniuria à Pisanis & Genuēsibus propter iusiurādū. Et ideo ne in dolo & cōsensu ipsius fidē & pactū præuaricari crederētur, admonitis sociis ac domesticis suis; hoc scelus grauiter vlcisci voluit: nisi Domino Patriarcha interueniēs, & eius pedibus frequēter aduolutus, prudēti cōsilio Regē placatū reddidisset, & vtrinq; pacē & cōcordiā reparasset.

XXVII. XXVIII. XXIX.

XXX. Eodem verò anno post captionem *Ptolemaidis*, quæ & Accaron dicitur, vulgariter verò Acra, in mense Septembri iam mediato, ipso die exaltationis S. Crucis, milites *Arabes* circiter quingenti in equis & armis ab Ascalone exurgentes, Ioppen descenderũt; ac iam sole flagrante medio axe cœli, ante vrbis ianuã assistẽtes, milites Catholicos bello lacessere conati sunt. Et ecce *Otho*, nomine Altaspata, filius sororis *Alberti* de Blandraz, miles tiro imperterritus, tantùm cum viginti, qui aderãt ad custodiendã vrbẽ, galea & lancea indutus, quingentis occurrit militibus. Quos plurimo equestri luctamine prouocantes, & temerario ausu copias illorum impetentes, nouissimè medio agmine nimiæ gentis permixti, nequaquam ab his extorqueri aut redire potuerunt, quo vsque Otho inimicorũ armis extinctus cum quinque fratribus ibidem fuisse perhibetur. Continuò Sarraceni ac Arabes ab equis descendentes, capitaq; occisorum amputantes, secum Ascalonẽ in signum victoriæ detulerunt, vt his visis, ciues ad quippiam audendum animarentur. 10

XXXI. Abhinc diebus septem vix euolutis, sexaginta *Arabes*, viri militares, nomen pariter glorię & victoriæ aliquo insigni facto sibi acquirere volentes, mouerunt iter versus ciuitatẽ *Cæsaream* in die natali Apostoli & Euangelistæ Matthæi, si fortè illis occurrerent aliqui incauti ex Christianis. Sed nemine illis obuiam facto, prædam boum ouiumque Christianorum ante vrbis mœnia in pascuis repertam abduxerunt, vt vel hac occasione Christiani ab vrbe egressi, & eos insequentes, ex hostili industria punirentur. Hanc itaque prædam illis abducentibus, Christiani ciues vrbis Cæsareæ ira commoti, ab vrbe fermè ducenti sunt progressi cum solo equite, qui diu etiam febre correptus, vehementer elanguit, & adhuc parum sanitatis recuperauerat, ac milites Arabes in arcu & sagitta & lancea sunt persecuti, vt prædam excuterent & reducerent. E contra Arabes fortiter repugnantes, ac prædam abducentes, pedites Christianos sæpius in fugam remittebant, quin etiam equitem adhuc languidum, proximo cursu eos vrgentem, peremerunt, ipsius capite amputato, & secum deportato in sacculis armigerorum suorum, in quibus equorum pabula ferre cõsueuerant. Nec mora, Regi *Baldewino*, Iaphet vel Ioppe commoranti, diuulgatũ est, quomodo Ascalonitæ milites sexaginta Cæsaream deprædandi causa diuertissent. Qui solùm quadraginta equites secum habẽs, diuisit eos per triginta, ac direxit per montana, vt vniuersas semitas præuenirent, per quas sperabat eos reuersuros: Ipse quidem decem assumtis, recto tramite, quo ab Ioppe itur Cæsareã, est profectus, si fortè sibi obuenirent præfati sexaginta milites, vt eis malũ, quod fecerant Cæsareæ, digna vice possent rependere. Igitur dum aliquantulum itineris Rex & sui peregissent, in armis & lorica armigeri & serui Arabum, præmissi cum præda & capite Christiani militis, Rege nescio, ac Regis nescii, obuiam facti sunt, sexaginta verò milites eadem via loricati & armati à longè subsequebantur. Rex autem suiq; armigeros apprehendentes, ac consulentes, vnde illis iter sit, sarcinasq; eorum aperientes, in sacco vnius illorum caput Christiani militis inuenerunt. Quo viso & cognito, Ascalonitarum crudelitas propalata est: & Rex statim apprehensos armigeros coëgit minis & terroribus suppliciorum, vt omnem rem gestam aperirent; quod si nollent, capitali sententia vniuersos ibidem comminatus est punirę. Qui illico professi sunt, dominos suos subsequi eodẽ itinere, quo & ipsi venerant, ac per montana Iaphet reditum suum constituisse. Rex hoc audito, protinus obducto pectori clypeo, & hasta arrepta, cum decẽ sociis via cepta, ac nimiũ festinata, in hostes tetendit, metuens, ne fortè aliqua fama ab hac via declinarent. Nec multo abhinc spacio sexaginta Arabes appropinquantes, super Regẽ & suos incautè irruerunt, Regẽ nequaquã aut aliquas insidias illic in via suspicantes. His verò inter manus Regis tã incautè oblatis, Rex fortiter tundens latera equi, suiq; non minus tundẽtes, viros subito clamore ac impetu aggressi, per medios irruperũt, alios lancea perforantes, alios ab equis deiicientes, & nõ parcè in cæde illorũ gladio sæuiẽtes. Tãdem omni virtute Rege inualescẽte, & Arabes vt stipulas penetrãte ac dispergẽte, hostes vltrà podus certaminis sustinere nõ valẽtes, terga verterũt. De quibus decẽ capti & retẽti sunt absq; his, qui armis interierũt. Equi etiã illorũ non minus quadraginta capti sunt, tũ arma & spolia eorũ, cũ quibus Rex Ioppẽ in gloria magna & vltione sui decollati militis reuersus est. Iaphet verò & omnes ciuitates fideliũ, quę hæc audierũt, ab ea die lętatæ & cõfortatæ sunt. Exaltatũ est itaq; nomen Regis in vniuersis finibus Ascalonitarũ & omnium gentiliũ; non parum timentium & admirantium, quòd Rex cum decem sociis sexaginta Arabes tam felici congressu alios at-

20 30 40 50

hos attriuerit, alios captiuos duxit. Eodem quoque tempore & anno Comes *Reymundus*, adunata manu Christianæ gentis à diuersis locis & regnis, ciuitatem *Tripolin*, quam vulgò Triplam vocant, obsedit, multis diebus & annis eam machinis & armis expugnare molitus. Sed longo tempore dum circa hanc & eius mœnia in cassum laboraret, nec famis angustia eos compellere valeret in eius redditionem, eò quòd à Babylonia, Ascalone, Sagitta & Sur auxilium illis frequenter adesset, & nauigio rerum abundantia superesset, Comes Reymundus consilio cum suis habito, nouum præsidium fieri decreuit, à quo semper vrbi aduersaretur, & ad quod sui assiduè protectionis causa ab hostili impetu repedarent. Appellatum est idem præsidium *Mons Peregrinorum*; eò quòd Peregrinis & Christianis militibus illic munimen contra Gentilium vires semper haberetur. Verùm biennio euoluto post captionem Ptolemaidis, & ædificationem huius præsidii noui, quod dicitur Mons Peregrinorum, *Comes* post Purificationem sanctæ DEI genitricis Mariæ obiit mense Februario, in eodem nouo præsidio, quod extruxerat, catholicè sepultus. XXXII.

Interea dum præfata longa negotia circa Acram, quæ & Ptolemais, in ciuium redemtione & vrbis deditione agerentur, *Alexius* Imperator Constantinopolis, cui semper *Boemundus* suspectus erat, ne eum à regno expelleret, pecuniã ducentorũ & sexaginta milliũ Byzantiorum creberrimis legationibus epistolarũ obtulit *Donimano*, magnifico Principi Turcorum, quatenus Boemundum, Principem Siciliæ, quem adhuc tenebat in vinculis, suæ manciparet ditioni, volens eum aut æterno exilio, aut perpetua damnatione perire, ne vltrà regno eius aliqua machinatione nocere posset. XXXIII.

Huius itaque tam grandis pecuniæ massam *Solymanus*, ante hos annos Princeps Nicææ ciuitatis, intelligens pro redemtione Boemũdi Imperatorem policeri, cauta & priuata epistolarũ legatione compellat comprimorem suum Donimanum, vt eum tantæ pecuniæ participem faceret, eò quòd amici & socii in bellis & plurimis prædis semper fuissent: sed vniuersum huius thesauri talentum *Donimanus* inhians indiuisum retinere, callida occasione sibi assumta id fieri prorsus interdixit. Hoc *Solymanus* grauiter accipiens, amicitiam & fœdus, quod cum eo percusserat, abrumpens, cœpit ei assiduis infestationibus aduersari, ac depopulari quę illius erant; quin assumtis copiis iam tertio bello lacessitum, plurimisque insidiis vexatum superauit, ac in fugam misit. Sic calumniatus & humiliatus Donimanus ex industria Solymani, cœpit multis lamentationibus, ac crebris suspiriis hoc infortunium suum rememorari in audientia vniuersorum amicorum suorum, quatenus eorum adiutorio aliquam vindictam de illatis sibi iniuriis consequeretur. XXXIV.

Has itaq; *Donimani*, Principis vrbis Nixandriæ, querimonias *Boemundus* paulatim callida aure auscultans, dum adhuc teneretur in vinculis, cœpit clanculum à custodibus & procuratoribus requirere, quidnã esset, quòd Donimanus tam magnificus princeps triste ferret, ac tota domus eius plus solito turbata nunc esset. Tandem die quadam dum res Donimano innotuit, quomodo Boemundus de iniuriis & calumniis eius requisiuisset, & quomodo nimiũ super his ingemuisset, ad ipsum locum carceris, in quo catenis ferreis astrictus seruabatur, descendit: quas pertulerit insidias & aduersitates à Solymano sibi recensens, pro pecunia in eius redemtione ab Imperatore sibi oblata, sed Solymano eius diuisione negata: sciens eundem Boemundum virum astutum, & magni consilii adinuetorem, vt eo audito, fortè Solymano dignam vicem iniuriarum rependere addisceret. Cui *Boemundus* prudentiori, quo potuit, consilio de vniuersis, quæ ab eo intellexerat, sic respondit: *Ex his omnibus, quæ tibi aduersantur, satis sanum consilium capere potes, quo Solymano facilè in caput reddes cuncta, quæ tibi tuisq; intulit, si nõ tam leuiter cum Imperatore Alexio fœdus pepigisses pro hac ingenti pecunia & mei venditione.* Ad hæc Donimanus nimiis æstuãs curis in vltione suæ iniuriæ, Boemundũ constantiùs rogat, vt quod sanius sentiret consilium, edoceret. Qui protinus respondit: *Quoniam si Imperatoris volueris refutare pecuniam, & tam grandis talenti dimidium à me suscipere, me pristinæ libertati restituere, à manicis his absoluere in omni, qua placuerit, conditione, in DEO meo iurans, tibi inseparabilis dilectionis & fidelitatis vinculo astringar, imò vniuersi Principes Christianorum. Amici verò mei & cognati, tã qui sunt Antiochiæ, quàm qui Rohas, & qui habitant Ierusalem, & vniuersis locis, sub iisdem tibi vinculo fidei sociabuntur, semper de honore tuo & salute consulentes & agentes. Si autem pecuniæ, quæ tibi causa mea perditionis offertur, magis intenderis, quàm meæ & confratrum fidei, amicitiæ & seruituti, certus sis, quoniam pecunia de die in diem minuetur ac diuidetur, odia, inimicitias, noxia consilia cognatorum & confratrum meorum nunquã dum vnus in partibus his*

viuet & praualebit, scias tibi & terra tua posse deesse. Si verò ad me & ad seruitutem meorum & amicitiam animaduerteris, pecuniam Imperatoris recusaueris, & quantum deuoui, licet minus talenti, à me receperis, certus sis amicitia cunctorum confratrum meorum; & militare obsequium eorum in omnibus negotiis tuis procul dubio crede semper tibi in omni fide & subiectione paratum: nam sic fœderati vtrinque & amici sub iureiurando facti, non solùm ipsum Solymanum, qui sic aduersum te extollitur & inflatur, & te calumniari meditatur, in virtute tua & nostra facilè expugnabimus, terram verò, quam possidet, eo expugnato & expulso subiugabimus; sed etiam Imperatoris regnum & terras, quantocyus decreueris, nostrae ditioni subiiciemus.

XXXVI. Donimanus his Boemundi verbis & promissis acceptis, non parum mente in diuersa fluctuans, angustiari cœpit, quid primùm eligeret, quid refutaret. Vnde & hæc responsa illi dedit: *Placet satis vniuersa, quæ de ore tuo audiui, si dicta factis inuiolabilis fidei compleueris: Sed dextram tibi dare non absque meorum consiliis decet: & ideo in breui consiliũ cum illis faciens, eisq; tuam intentionem & suggestionem aperiens, aut citò faciam, quod hortaris; aut meorum consiliis acquiescam, vtiliora tamẽ non relinquens.* Dehinc post aliquot dies consilio habito, placuerunt vniuersa, quę Donimanus à Boemundo audierat, & suis retulerat; & iccirco illius petitionem & consilium non vltrà debere refutari, sed fieri, omnibus bonum & vtile visum est; hac tamẽ rata & firma conditione, vt quique sua lege & professione vtentes, amicitiam & fœdus integrè seruarent. Quod sic actum est: ac dimidiũ pecuniæ, quod Imperator spoponderat, Boemundo remissum est; & solummodo centũ millia Byzantiorũ persolui & recipi concessa sunt. Hoc itaq; firmato & concesso, *Donimanus* Imperatori legationem direxit ad contradicendum auri talentum, quod obtulerat. *Boemundus* igitur nimium gauisus, eò quòd iam per biennium vincula & carceres passus, nunc autem quòd gratiam in oculis Donimani, DEO miserante, inuenisset, & plurimam suæ redemtionis clementiam, ad vniuersos cognatos & amicos suos tam Antiochiam quàm Rohas et in Siciliam pro congreganda pecunia misit, et vt congregatam designata die afferrent in regionẽ vrbis *Malatinæ*, vbi reducendus & restituendus erat, concordia quoque et fœdus cum Donimano firmandum. Mox vniuersi de redemtione eius audientes, gaudio et exultatione repleti sunt, eiusque mandatum studiosè adimplentes, pecuniam vndecunq; contractam & compositã ad locum prænominatum determinata die deferentes, conuenerunt. Vbi Donimanum et Boemundũ, sicut decretum erat, reperientes, in numero & pondere pecuniam ipsi Donimano suisq; reddentes, vtrinque pariter amicitia & fœdere percusso, ad inuicẽ reconciliati et amici facti sunt. Hac itaq; pecunia à priuatis et cubiculariis Donimani suscepta et reposita, Boemũdus datis dextris in vinculo summæ dilectionis commẽdatus, liber ab omni deditione cum suis Antiochiam remittitur. In qua non modico gaudio ab vniuersis conchristianorum ciuibus susceptus, honorificatus & inductus est.

XXXVII. Hæc *Solymanus* intelligẽs, molestè nimium accepit, eò quòd pecuniæ particeps esse nequiuerit. Vnde aduersus Donimanũ loquens, *Soldanum*, Regem *Corrozan* & *Baldach*, quæ est ciuitas et caput regni Turcorum, cum vniuersis Principibus Gentilium commouit, vt ei aduersarentur; et vltrà auxilio et gratia Regis priuaretur, quòd Boemundum, hominem belligerũ, et tam astutum in omnibus negotiis rei militaris, et qui semper Turcis, regnoque Turcorum et Græcorum malum et insidias moliretur, ignorante Rege absoluisset. Nec diu, dum hæ sinistræ legationes ex accusatione Solymani ad Regem Turcorum factæ essent, ex his verò Regis ira, et indignatio cunctorum procerum Turcorum, in aures Donimani insonuissent, et variis minis eũ suosque perterruissent, & plurimum solicitassent, quadam die Solymanus in hunc modum epistolam scripsit: *Donimane, frater & fili de gente Turcorum; nunc vsque vir illustris & acceptus Regi, & omni regno Turcorum, fuisti in bellis & victoriis, quas gessisti. Sed ecce nomen tuum vehementer imminutum est; & nunc apud Regem Corrozan, & vniuersam gentem tuam, plurimum viluisti, exosus omnibus factus, eò quòd Boemundum tam leuiter redimi permisisti, & consilium nostrum in hac conuentione & redemtione vile & pro nihilo habuisti. Verùm si id flagitium commutare volueris, Regisq; iram & Maiorum Corrozan placare, eundum Boemundum, quem præ omnibus Christianis magis suspectum habemus, in locum, quem signauero, quasi ad auxilium inuitabis; & tunc positis insidiis nostris subitò circumuentus rapietur. Alioqui scias, te nunquam Regis gratiam recuperare, & effugere manus & indignationem Turcorũ.* Cui Donimanus nequaquam acquieuit, ne fides sua & omnium Turcorum apud Christianos & cæteros Gentiles vilescere videretur.

XXXVIII. Post hæc eodem anno, quo Ptolemaide vel Acra capta, in mense Maio *Boemundus* Antiochiã ab exilio & vinculis reuersus

reuersus est, *Geigremich*, magnificus Princeps Turcorum, cognatus Corbahan, frater Sochomani, qui regno Ierusalem, quod iniustè inuasit, nunc per virtutẽ Regis Babyloniæ amisso, in primo aduentu Christiani exercitus Damascũ aufugit, vt illic à Turcis protegeretur, vnus de præpotentibus regni Corrozan, collecto exercitu sexaginta millium Turcorum, profectus est in superbia & virtute magna ad obsidendos muros & mœnia ciuitatis *Rohas*, quæ & *Edessa* nuncupatur. Huius igitur XXXIX. infinitæ multitudinis aduentu & subito rumore *Baldewinus de Burg* attonitus, Princeps eiusdẽ ciuitatis à Rege Baldewino constitutus, vniuersos, qui secum erant in conuentione solidorum, ad defendenda mœnia cõuocat ac disponit; quin ab vrbe 10 egrediens, *Boemundum* & *Tankradũ* ad opem & vires augendas, missa legatione, inuitauit; rogans eos ac deprecans in nomine Domini, ne Turcorũ superbiam Christianis confratribus dominari paterentur. Huius verò legatione accepta, & protinus collectione facta de omnibus locis & castellis Antiochiæ, circiter tria millia equitum, septẽ verò peditũ, applicuerunt ad locũ præsignatũ, in campos scilicet ciuitatis *Aran* vel Caran, vbi Baldewinus aduentũ eorũ cũ omni populo, quẽ cõtraxerat, pręstolabatur. Illic à quodã Arabe innotuit Comiti Baldewino, Boemundo, Tankrado, quomodo illa adunatio Turcorũ festinanter appropinquaret ad obsidẽdos muros, & expugnãdas munitiones ciuitatis Rohas. Audientes itaq; hęc nuncia tot superuenientiũ aduersariorum, mouerunt castra & omnem apparatũ suum ad flu-20 men *Cobar*, quod à partibus regni Babyloniæ vsq; ad has partes alueo dirigitur: vbi tentoriis locatis, in crepidine aluei pernoctasse perhibentur. Dehinc primo diluculo castra amouẽtes, in planicie ciuitatis *Racha* constiterũt, vbi de omnibus culpis & cõmissis apud *Patriarchã* Antiochiæ, & *Benedictũ* Episcopũ ciuitis Rohas, confessionẽ faciẽtes, discordiã omnẽ in caritatẽ reuocantes, & acies viginti cõponentes, à dextris & sinistris cõstituerũt ad resistendũ inimicis, & subueniendũ sociis Christianis, & quo sic leuius belli onus sustinerẽt. Vix acies ordinatæ erant, & ecce *Sochomanus* in dextrũ latus cum triginta millibus fortiũ pugnatorũ ac sagittariorũ bellũ committere audaci impetu, & tubarum horrisono strepitu appropinquabat. *Boemundus* verò, *Tankradus* & omnis militia Antiochiæ non segnius illi in faciem ar-30 mis, lorica & galea ac scutorum testudine ad obsistendum in tubis & cornibus fortiter exclamantes properabant. A sinistris verò *Baldewinus* de Burg, *Gozelinus* de Cortona, quæ & Turbaysel, quod dono ipsius Baldewini in beneficio tenebat, loricati occurrerunt in lanceis & gladiis & equis rapidissimis, hinc & hinc fortiter tubis & cornibus intonantes, & prælia committentes. *Boemundus* verò & *Tankradus*, qui in dextro latere cum hostibus luctabantur, DEO miserante cœperũt præualere, hostes inuadere & sternere, donec virtus eorum imminuta est, & ipsi fugam inierunt. Ceciderunt Turcorum quingenti milites in eodem prælio, quod in dextro Boemundus agebat; Christiani fermè ducenti interemti sunt. *Baldewinus* verò de Burg, Gozelinus de Cortona & cæteri egregii milites plus milliari à Boemundo 40 cum sua acie remoti, audientes Boemundum & Tankradum iam bellũ committere & præualere, velocitate equorum densatas & obsistentes acies rapido impetu irrumpere & atterere conati sunt, inter aciem Boemundi & Tankradi sociari, & misceri ad auxilium, feruentes: sed subitò decem millia Turcorum ab insidiis surgentes, arcu & sagittis ferociter eis in faciẽ occurrerunt, grauiter eos assilientes, & sagittis figẽtes, donec tota manus in fugã versa est. Ex his alii captiuati & occisi sũt, & plures exilio æterno abducti. In hoc tam crudeli diffugio Clerici octodecim, XL. Monachi verò tres, qui ad corroborãdos milites CHRISTI spiritualibus armis cõuenerant, decollati sunt; *Benedictus* verò Episcopus captus & abductus est; quin ipse *Baldewinus*, princeps Rohas, nimium auidus cædis, & incautè accelerans, nec vi-50 ctrices aquilas Boemundi opportunè præstolatus, victus, captus & abductus est. Ad hæc *Tankradus* à præsenti cæde Turcorum gloriosè descendens, sed sinistro nuncio consternatus, sine mora cum suis aduolans, Turcos in Baldewini suorumque strage factos victores insequitur, vt captiuos excuteret; sed maturata via elapsi sunt. Solus Episcopus cum tribus tantùm militibus liberatus & reductus est. Nocte denique instante, & die iam recedente, Boemundus & Tankradus in castra sua relati sunt cum vniuerso comitatu suo ad refocillandos artus, nimio bellorum pondere hoc die fatigatos. Dehinc primo galli cantu absentia Baldewini XLI. comperta, momentaneo metu correpti, ad ciuitatem *Rohas* omnes celeri fuga contenderunt, quatenus ad defendendos muros & mœnia præuenirent, ne Turcis in

victoria sua præcurrentibus ciuitas traderetur. Ciues autẽ Rohas, qui & ipsi Christiani, casum & interitum suorum audientes, & tam magnifici Principis abductionem, in lamenta & comploratio nem sunt versi, sed ad protegendũ vniuersos milites Christianos plurimum consolati sunt. Erat enim dies illa Dominica populo Christianorum celeberrima. Altera autem die exorta, *Armenii* ciues eiusdem vrbis, inito consilio cum vniuersis, qui conuenerant ad lamentandum tam illustrem Principem, *Tankradum* loco eius restituerunt, dum viderent, si Baldewinus redimi aut liberari posset. *Boemundus* dehinc sic Tankrado ad obtinendam vrbem & eius

XLII. principatum, loco Baldewini constituto, Antiochiã cum suis reuersus est. Post hæc octo diebus euolutis, & Tankrado præsidium Rohas & eius mœnia vigili custodia procurãte, *Geigremich* & sui, successu victoriæ suæ & Baldewini captione gloriantes, & adhuc altiora sperantes conari, Tankradum verò & eius dominiũ nunc ab vrbe Rohas, & omnem Gallorum potentiam, facilè posse exterminari, nimium aduersus eundem Tankradum indignati, longè maiores prioribus contraxerunt copias ab vniuersis locis & regno Turcorum; cum quibus in manu forti in campũ Rohas ad obsidendas portas & eius mœnia descenderunt, spaciosè tentoria sua locantes. Tot itaq; millibus & tentoriis, tot diuersis hostium armaturis visis, *Tankradus* nõ modica angustia cœpit æstuare, eò quòd tenuis sibi virtus esset militũ Gallorum ad occurrendum & resistendum tot Turcorũ adunatis & innumeris legionibus. Quapropter accepto consilio, vrbem fideli custodia muniuit, ac ciues confortans, sine diutina mora se cum his aduersariorum turmis confligere, & viriliter agere, promisit. Qui eius verba consolatoria intelligentes, & eum virum esse grandis fiduciæ & audaciæ, per muros & mœnia diffusi vniuersi vrbis ciues & milites, hostes excipiebant, ac procul repellebant; seras quoq; & portas omni solertia mu-

XLIII. nire non differebant. Sed dum hinc & hinc diu prælia consererent, Tankradus, vir astutus in omni opere militari, clanculum legationem Antiochiam direxit in hunc modum. DOMINO ET AVVNCVLO SVO, BOEMVNDO, MAGNIFICO PRINCIPI ANTIOCHIÆ A DEO CONSTITVTO, TANKRADVS PROSPERE AGERE ET VALERE. *Ex quo à nobis recessisti, & me tutorẽ ac defensorẽ ciuitatis Rohas, loco fidelis fratris nostri Baldewini, præfecisti, Geigremich & Sochomanus readunatis viribus & copiis suis, repentina obsidione ciuitatẽ Rohas & eius muros occupauerunt, vt expugnatis turribus & mœnibus, ciues trucidantes vrbẽ expolient, me; sicut Baldewinũ, captum tenentes, in barbaras nationes abducant. Quapropter caritatẽ tuam, quã semper erga fideles* CHRISTI *habuisti, considerantes, tribulationes & pericula nostra tibi nota facere decreuimus; quatenus mala & angustias nostras intelligẽs, citius accitis sociis & amicis ab Antiochia & cæteris locis, festinatò ad subueniendũ nobis obsessis & oppressis viam insistas; Turcorũ minas & iactantiã minuas, & in nomine* CHRISTI *à præsenti obsidione repellas. Cõsiderare enim te oportet, quòd in hac terra peregrinationis pauci sumus & ideo nullius consilii causa est, vt facilè vllo tædio laborũ aut bellorũ aduersus hostes deficiamus, qui omni cura & studio inuigilãt, vt nos expugnẽt & deleant: sed opportunè & importunè alter alterius onera semper portantes, vnũ sustineamus, in vno proficiamus, aduersa & prospera tolerando. Si autẽ nos pigritia ceperit, aut aliquid indignationis tardauerit vel negligẽtes ad confratrũ auxiliũ effecerit, nihil vtilius super hoc prospicio, quã vt à terra exeamus, & hostibus sine intermissione insurgentibus cedamus. Nã liquidò patet, cùm pauci simus, si diuisi & tædio affecti defecerimus, viuere & stare ante virtutẽ inimicorũ nequeamus.* His auditis *Boemundus*, trecentis raptim equitibus collectis, & quingentis peditibus, profectus est ad liberationem nepotis sui, & Catholicorũ inhabitatorũ ciuitatis Rohas. Sed difficultate locorum & montium, vel itinere dierũ septem plurimũ tardasse hiș videbatur, qui cotidianis

XLIV. Turcorũ assultibus & oppugnationibus laborabant. Vnde *Tankradus* & cæteri confratres ciuesq;, dũ de die in diẽ multis suspiriis eum expectarent, sed Boemũdo tempore optato nõ veniente, prorsus desperarent, deuouerũt vnanimiter, potius mori, quã Corrozan in exiliũ deportari, & diuersis pœnis impiè ab impiis cruciari. Et ecce, conuocati in vnum ciues & milites, constituerunt prælium; & ab vrbe primo diluculo in armis & turmis procedere, ad castra cum silentio properare, donec appropiantes fortiter in tubis & cornibus tumultuarẽtur, hostes adhuc sopore depressos, & securè somniantes, subitò improuisos inuaderẽt; ac sic minimè ad arma contẽdere valentes, celerrima strage detruncarent. Quod iuxta hoc cõstitutũ adimplẽtes, mox prima luce orta, egressi ab vrbe in omni armatura & virtute, qua poterãt, repẽtino fragore & clamore vehemẽti aggressi sunt castra aduersariorũ: quos adhuc hesterno vino sepultos & incautos vsquequaque in ore gladii percusserunt, donec corporibus extinctis & sanguinis riuis præsentes campi inundarent: Vt autem.

tem plerunque diei processit, manus & virtus Tankradi amplius cœpit præualere, immanior metus hostes inuadere, donec præ nimia strage exterriti, vsque ad tentoria Principū exercitus in fugam cogerentur. *Geigremich* tandem & *Sochomanus* videntes omnia castra suorum attrita, & in fugam conuersa, vix in equis cum his omnibus, qui iuxta se castra locauerant, residentes, relictis cunctis tentoriis suis cū cæteris rebus, spoliis & stipendiis, fugam accelerauerunt, semper eos Tankrado multa occasione insequente. His itaque dispersis & profugis factis, Tankrado semper eos à tergo cædente, DEI nutu & clementiâ *Boemundus* ipsa eadem die fugientibus cum omni comitatu suo obuiam factus est: sciens quidem, quomodo adhuc in nocte potenter campos occupauerant; sed quomodo Tankradus, cùm eis tam matutino prælio conflixisset, penitus ignorabat. Nunc autē velut homo cautus & gnarus bellicæ artis, vt Turcorum superbiam & virtutem intellexit defluxisse, & nihil præter fugam meditari; Christianorum verò victrices aquilas cum magna vociferatione insequi, plurimum gauisus est; & pariter admixtis viribus & copiis suis eosdem fugientes insecutus, per totam diem in cæde & captione illorum indeficienter laborasse perhibetur. In hoc diffugio & graui contritione Turcorum, *Geigremich* & *Sochomanus* vix cum paucis euaserunt. Sed matrona quædam nobilissima de regno Corrozan, quæ non modico apparatu opem & vires contulerat, ibidē à Tankrado & sociis eius capta & retenta est. Dehinc victoria hac DEI & Domini IESV CHRISTI clementia sic habita, *Boemundus* & *Tankradus* & vniuersi Christiani milites spolia multa Turcorum pacifice sumserunt, cum quibus ciuitatem Rohas in lætitia & gloria magna ingressi sunt. Transactis aliquot post hęc diebus, legatio *Geigremich* & præpotentium regni Corrozan *Boemundum* & *Tankradum* in ciuitate Rohas de redemtione matronæ interpellauit, quatenus *Baldewinū de Burg*, quē tenebant in carcere, pro eius restitutione remitterent; aut quindecim millia Byzantiorum in eius redditione ab eis mitterentur. Hac legatione Geigremich & tam nobilissimæ matronæ captione vsque in Ierusalem diuulgata, Regis Baldewini supplex legatio cum multa prece affuit, ad exorandum Boemundum & Tankradum, vt Baldewinus confrater & Princeps Rohas per captam matronam restitutam restitueretur; & nullam ante hoc pecuniam bonum esse, nec debere eos concupiscere. Qui Regis petitioni benignè super his in hunc modū responderunt. DOMINO SVO BALDEWINO, REGI CHRISTIANISSIMO IERVSALEM, BOEMVNDVS ET TANKRADVS OBSEQVIVM SINE INTERMISSIONE. *Libenter per omnia tuis parēre mandatis de redemtione Baldewini, amici & consocii nostri, decreuimus, & hac solicitudo nostra semper fuit & est. Sed hoc tempore de hac re dissimulare, & silentio supprimere, necesse est, si fortè aliquid pecuniæ cum ipso fratre Baldewino pro hac matronâ restituenda extorquere possimus, qua nimium anxiè indigemus ad remunerandos milites, assiduis laboribus nobiscum insudantes.* Sic blanda & bona satis hæc illorum fuêre responsa; sed nequaquam in eis fides fuit aut veritas, aut aliqua voluntas virum redimendi, propter ambitionem ciuitatis et eius tributorum; quę diuersis negotiis et rerum commutatione, quæ tantùm infra mœnia aguntur, ad quadraginta millia Byzantiorum singulis annis computantur; absq; his reditibus, quos plurima castella et regiones, ad eandem ciuitatem pertinentes, largiuntur. Sic Regi amica responsione et promissione satisfacientes, *Boemundus* quidem Antiochiam rediit, *Tankradus* verò ad tuendam et muniendam ciuitatē Rohas remansit. Anno dehinc sequenti post captionē Baldewini de Burg, anno verò Baldewini Regis quinto, *Boemūdo* non solùm in Italiam sed et Galliam profecto ad exquirendas vires, et cōmouendos Principes aduersus Regē Græcorū *Alexium*, Tankrado autē Antiochiæ vice auunculi sui relicto ad tuēdā ciuitatē, eiusdemq; Tankradi custodia in Rohas disposita, *Brodoan*, Princeps magnificus ciuitatis Alapiæ, et frater Turcorū, occasione assumta, ab amicitia et fœdere Tankradi in dolo recedens, loca et ciuitates ad vrbē Antiochiā appendentes, grauiter deprædatus est; quin Episcopo ciuitatis Albariæ effugato, & plurimis ecclesiis DEI annihilatis: non tamen præda ac strage hac saturari potuit; sed ad vltimū decē millia equitū et viginti peditū de terra sua producēs ad assiliendā vrbē Antiochiā, et expugnandū Tankradū, in superbia & iactātia magna profectus est. *Tankradus* autē virtutē et exercitū eius intolerabilē et copiosū accreuisse intelligens, quantumcunq; cum suis perterritus est. Sed tamen sine dilatione *Turbaysel*, *Rohas*, & *Maresch* nuncios dirigēs, vniuersos scilicet Catholicos viros, qui erant in circuitu, ad auxilium vocauit, quorū conuentū Antiochiæ fieri decreuit.

XLV. 10 20 XLVI. 30 40 XLVII. 50

Vt autem conuenerunt ad mille equitum, & nouem millia peditum, sermo Episcopi factus est ad vniuersos: ne in multitudine aduersariorum dubitent; sed in nomine & virtute DEI confidenter hostibus resistant, de victoria certi, DEO auxiliante. Triduano dehinc ieiunio indicto & peracto ex Pontificis admonitione, *Tankradus* vsque ad pontem *Farfar* cum decem millibus equitum & peditum descendit, vbi hospitio per noctem remorati sunt. Crastina autem die radiante, Tankradus & sui, factis aciebus & erectis vexillis, *Artesiam* in loricis, scutis et lanceis profecti sunt, vbi *Brodoan* cum inæstimabili equitatu & apparatu occupauerat regionem vniuersam. Hic itaque comperto Christianorũ, & Principis illorum Tankradi, aduentu, acies & cuneos fieri disposuit, ac tertia diei hora insistente, vtrinq; prælium commissum est. Perdurante autem bello & nimia occisione in gladio vsque in horam nonam, auxilio Domini IESV, Christianorum acies inuictissimæ perstiterunt; Gentiles verò attritæ & disperſę in fugam pariter versę sunt. *Tankradus* verò & sui eas insequentes, alios occiderunt; alios captiuatos & vinctos cũ spoliis armorũ & equorum tenuerunt. Altera autem die Tankradus spoliis & armis inimicorum acceptis & diuisis, in gloria magna & lætitia victoriæ Antiochiam reuersus est. Vniuersi verò fideles CHRISTI & ciues Antiochiæ vnà cum Domino Patriarcha & Episcopo ciuitatis eiusdem gauisi sunt gaudio magno, DEO & Domino IESV CHRISTO gratias agentes, cuius pietate & protectione ab hostium multitudine saluatus tam catholicus princeps triumphauit.

XLVIII. Anno dehinc secundo postquam *Acra* ciuitas capta est, virtus & apparatus magnus *Regis Babylonia* mense Augusto tam in mari quàm in arido profectus est, vt vrbem *Iaphet* vel Ioppe obsideret; & abhinc nauali exercitu expugnaret: à campestribus verò ciuitatis Ascalonis castra metati sunt, vt hinc & hinc à terra & mari subitò regionem inuaderent, & sic ex improuiso Regem Baldewinum suosque faciliùs debellarent. Rex *Baldewinus* interdum Iaphet moram faciebat: qui statim viso nauali exercitu, dolos & machinamenta Babyloniorum intellexit; nempe hac de causa à parte maris eos vrbem præoccupasse, vt ipso Rege cum suis contra hos ad defensionem versus aquam laborante & intento, cæteræ copiæ Gentilium à campestribus Ascalonis irruentes, vrbem Iaphet subitò expugnarent. Sed Rex fraudem illorum cognoscens, ac virtutem illorum in campis Ascalonis curriculo trium hebdomadarum accubuisse, aduentum verò & pugnam aduersus Iaphet dissimulare, ac minimè diffamare, nec ipse socios inuitare, ac arma congregare obdormiuit, quatenus per totum id temporis spacium paratus & munitus haberetur; & illis quocunque die descendentibus, & ipse cum suis copiis ad resistendum occursare, valeret. *Hugo* de Tabaria, *Rorgius* de Caypha, *Gunfridus* de turri Dauid, *Hugo* de S. Abraham, *Eustathius* Granarius, *Gutmanus* de Brussella castello Brabantiæ, *Lithardus* de Cameraco ciuitate Galliæ, *Pisellus* de Tuorna, *Baldewinus* de Hastrut, castellis Flandriæ; hi omnes à Rege inuitati ad auxilium, vndique contractis copiis equitum & peditum Christianorum, conuenerunt. Affuit in eodem Regis comitatu quidam Turcorum adolescẽs strenuus, *Mahumet* nomine, in armis & numero centum sagittariorum Turcorũ, qui vitrici sui auaritia & industria à paterna sede, & à terra Damascenorum, expulsus, nunc cũ Rege fœdus percussit, quatenus in omni militari auxilio fidelis & prõtus illi haberetur. Videntes autem legiones Sarracenorum, quomodo Regi doli et insidiæ innotuissent, & nunc se præuidens, manum Christianorum vndecunque ad opem contraxisset, mouerunt castra à campis Ascalonis; & vsque ad locum, qui dicitur *Abilin*, in superbia multitudinis suæ profecti sunt.

XLIX. Quorum aduentũ Rex vt persensit, & procul dubio iam eos appropiasse, direxit legationem domino *Patriarcha* in Ierusalem, vt sine mora conuocata manu fidelium, ad augendas vires & opem contra inimicos properaret. Hic denique Regis audito nuncio, pedites centũ & quinquaginta colligẽs, arma aptauit, iter versus *Rames* insistẽs, sicut ex mãdato Regis illi constitutũ erat. Post hęc Rex & vniuersi fideles ad id belli negotiũ adunati, & communione Dominici Corporis & Sanguinis muniti, ad sex millia in sexta feria vrbẽ Iaphet egressi sunt, *Lithardo* Cameracẽsi, quia prudẽs et fidelis erat, cũ viris trecẽtis cõtra virtutẽ naualẽ in ipsa ciuitate relicto. Rex itaq; cũ omni comitatu suorũ & signis ad Rames descendens, Sabbato illic morã fecit, præstolatus dominũ *Euermerũ* Patriarchã cũ omni manu Ierusalẽ. Patriarcha verò iã suscepto, & cęteris fidelibus Ierusalẽ, orto mane Dominicę diei, Rex quinq; * ex equitibus & peditibus ordinauit, ad cõmittẽda prẽlia cũ hostibus; ipse verò Rex in extrema

acie

acie inter equites ad corroborandos & exhortandos suos imperterritus mansit. Pauci quidem equites, numero scilicet cntum & sexaginta circũsteterunt illum: Nec mirum si pauci propter assiduam equorum in terra hac defectionem. His ita à Rege ordinatis, & signo S. Crucis cunctis Christianis à domino Patriarchà sanctificatis, signa & vexilla tolluntur; tubæ & cornua incessanter perstrepunt, Rex & sui ad castra aduersariorum contendere parant; quatenus anticipantes bellum, non vltrà infidelium turmas impunè descendere paterentur. Gentiles quoque iam Regem tam proximum adesse & eius copias, comperientes, pariter & ipsi à castris in armis, signis & equis, & intolerabili stridore tubarum, processerunt, 10 in multitudine graui quadraginta millium occurrentes, nec minus & ipsi bellum committere festinantes. Nec mirum, dum sic vterque exercitus in campo appareret, tubæ hinc & hinc fortiter insonuerunt; & agmina fidelium ac infidelium atrociter commiserunt à primo mane Dominicæ diei, quæ est extrema mensis Augusti, vsque ad horam nonam: Tunc DEI gratia & misericordia Sarraceni infirmati, fugam arripientes à facie Christianorum cædentium se & persequentium, Ascalonem repedare & intrare contenderunt. In hoc quidem prælio ceciderunt L. septem millia Gentilium; cecidit & *Ammiraldus Ascalonis;* Ammiraldus verò *Acræ* & Ammiraldus *Assur*, qui vita à Rege impetrata, & ciuitatibus deditis, Ascalonem ante hunc annum confugerant, cum omnibus exuuiis suis capti sunt. Rex autem 20 hac DEI & Domini IESV CHRISTI opitulatione victoria accepta, cum vniuersis spoliis inimicorum in gloria magna *Ioppen* ingressus est. De cuius comitatu tantummodò centum perierunt cum milite egregio *Reinardo* Verdunense, quem Rex & vniuersa ecclesia planxerunt planctu magno, catholicas illi exequias exhibentes. Erat verò naualis exercitus in latere vrbis: qui victoriam suorum affuturam sperantes, & Peregrinorum fugam atque contritionem, vrbem subitò irrumpere deuouerant. Sed viso capite decollati Ammiraldi & primi Ascalonis, & fuga & strage Ascalonitarum & Babyloniorum comperta, tristes & desperati à statione vrbis *Iaphet* velocibus remis amouerunt, *Triplamque* in spe refugii nauigantes, ac inibi pernoctantes, facto mane, *Ascalonem* & *Babyloniam* nauigio reuersi sunt. Co-30 mes autem de *Sartengis*, *Willehelmus* nomine: qui mortuo Reymundo Comite, & auunculo suo, terram & ciuitates de *Camolla* hæreditario sanguine possidens, successit; & nunc post auunculi obitum plurimo assultu eandem vrbem Triplam vel Tripolin debellabat de nouo præsidio, quod dicitur *Mons peregrinorum*, quod & ipse Reymundus multo robore firmauerat: nihil huic nauali exercitui, Triplæ hospitato, aduersari aut contradicere potuit, propter aquarum fiduciam quam habebant, & vrbis intolerabilem multitudinem, quæ illis in littore ad auxilium semper affluebat. Plurimo tamen conatu & infestatione reditum illorum idem Comes impedire moliebatur nunc fundibulariis, nunc sagittariis: sed hi aquis nimiis freti, sine contradictione & læsione Ascalonem potenter applicuerunt. Igi- LI. 40 tur post bellum & victoriam, quam Rex ad *Abilin*, quæ est inter Ascalonem & Rames, adeptus est, siluit terra Regis; & metus magnus corda Ascalonitarum & Babyloniorum concussit: quoniam toties à Rege in manu paucorum victi ceciderunt ac fugerunt; & nulla eis spes vltrà resistendi & viuendi in conspectu eius fuit. In hoc itaque mœrore & desperatione dum sederent, & iam curriculo octo mensium quiescerent, vineas excolerent, Regemque interdum cessare ab armis gauderent, & ipsum mutua pace & donis placare feruerent; sed omnia frustra tentarent, nisi vrbem Ascalonem in manu eius redderent: verni menses processerunt, quando sata, fruges, vineæ & omnis spes anni in florem & fructus parturiunt, & messem affuturam in proximo promittunt. His ita in commodum & plenitudi-50 nem omnibus apparentibus, atque in campis omnibus Ascalonis iam ad messem properantibus, Rex à Ierusalem & omnibus locis sibi auxiliantibus milites atque arma copiosa contraxit, ac tempore *Rogationum*, quo illis in regionibus omnia sata festinant ad messem, occupauit terram Ascalonitarum, vineas, ficus & cuiusque generis arbores succidens in manu robusta; quin & sata, quæ equorum, camelorum, cæterorumque armentorum pabulo non suffecêre, flamma combussit: vt vel hoc saltem incommutabili damno, gens dura & indomabilis ad subdenda colla molliretur. Sic vniuersa regione non solùm populari manu, sed & incendio vastata, *Rex* reditum *Ierusalem* cum parte exercitus aptauit; viamque per montana vniuersi insistentes, qui erant in comitatu, immenso stridore tubarum & cornuum

intonantes, vniuersa loca montium & vallium non paruo terrore concusserunt, per quæ in virtute sua transituri erant. Hoc inæstimabili fragore tanti exercitus plurimæ feræ, ab antris suis, & à desertis montium, stupefactæ & exterritæ, insolito errore viarum hac & illac vagabantur. Nec mirum, cùm nec auium volatus tumultum populi vociferantis sufferret; sed altis vocibus attonitæ ac lapsæ ab aëre in medium vulgus à volatu deficiebant. Itaque dum sic ab antris diuersæ feræ pauidæ errarent, & hanc vociferationem inauditam mirarentur, contigit infelici casu quandam timidam damulam de montanis exire, & cæco errore inter populum fugam maturare: quam mox anteriores exercitus vt viderunt, grauiter eam circumquaque equorum velocitate oppresserunt, hi vt præuentam caperent, hi vt 10 participes venationis haberentur.

LII. Inter hos dum feram hanc ad montana festinantem armiger nobilissimi iuuenis *Arnolfi*, probi equitis ac principis de castello Aldenardis, acrius vrgeret, & feram assequi ferueret, cingula equi illius in eadem cursus contentione rupta sunt, & sic ab equo corruens, prostratus humi ab insecutione quieuit. Equus verò illius circum vociferantium strepitu attonitus, ad montana rapido cursu & immoderato tetendit, nullius approximationem aut comprehensionem patiens, donec inter fauces montium euadens, non vltrà comparuit. Ad hæc contéderunt complures ad quærendum caballum fugitiuum, contendit & Arnolfus: Sed diu quæsito & minimè reperto, tædioque per montium difficultates affecti, repedauerunt vniuersi. Solus Arnolfus, quem cura ca- 20 balli sollicitabat, & qui armigeri administratione & officio carere non potuit, longiùs prosecutus est ad quærendum equum, vt inuentum fortè reduceret: Sed graui fortuna aduersante, equus quidem repertus est, sed iuuenis gloriosus non vltrà ad suos rediit. Affuerunt enim illic latentes *Arabum* insidiæ, qui ab Ascalone descenderant in montium latebrosa cacumina, videre & intelligere de combustione & populatione regionis, & aliquibus aduersari, sibi incautè de exercitu occurrentibus in vltione prædarum & flammarum, quas passi sunt: Hi nobilissimum iuuenem per montium iuga ac decliuia solum ac inermem vagari considerantes, subitis clamoribus et armis sunt aggressi: Quem frustra diu, gladio educto, resistere ac se defensare conantem, tandem longa & assidua impugnatione vexatum ac de- 30 fatigatum trans iecur et præcordia lanceis & sagittis confixum, & in multo sanguine ab equo cadentem, peremerunt; & caput eius in signum victoriæ Ascalonem intulerunt. Caballus denique illius per fauces & abrupta montium discurrens, nequaquam comprehendi à Gentilibus potuit: donec montana egressus ad exercitum Regis repedauit, domini ac sessoris sui sanguine fœdatus, patenter mortis illius omnibus indicio factus. Hunc enim vt Rex et vniuersi de cætu Christianorum viderunt sanguine madentem, Arnolfum procul dubio armis Ascalonitarum incautè cecidisse retulerunt. Nec mora, per montana diffusi ad persequendos & inuestigandos hostes, solum Arnolfum mortuum, ac sine capite iacentem repererunt, Arabes nequaquam persentire potuerunt: Qui corpus exanime sus- 40 cipientes, Ierusalem detulerunt, catholicas illi exequias exhibentes in valle Iosaphat apud *Ecclesiam Latinam S. Mariæ*, matris Domini IESV, vbi & honorificè sepultus est. Fleuit super eum Rex fletu magno in die exequiarum, fleuerunt & vniuersi Principes exercitus; fleuit & amarissimis lacrymis super eum nobilis *vxor Comitis Baldewini* Hamaicorum, eò quòd socius & conuiator de terra longinqua Galliæ descendisset ad adorandum in Ierusalem. Non sit mirum, si tot magnorum fletum & planctum hic adolescens meruerit, qui omnibus affabilis & notus habebatur, & qui nunquam ab aliqua militari actione sinistra laude declinauit. Tertia abhinc die orta, postquam tam illustris miles sepulturæ traditus est, Ascalonitæ per internuncios requisitum caput illius Ierusalem remiserunt, cum litte- 50 ris in vno crine illius dependentibus, & verba in hunc modum continentibus:

Ascalonitæ Regi Baldewino caput extincti, militis & viri nobilissimi, non alia amoris causa remittunt, nisi vt dolor eius & illud intuentium renouetur & augeatur; & vt recognoscant, quomodo tanti viri perditio omni eorum damno & combustioni nequaquam possit comparari & appreciari, & in tanti militis decollatione non vltrà Ascalonitas damna sua velle recordari aut dolere.

ALBER.

ALBERTI AQVENSIS EXPEDITIONIS HIEROSOLYMITANÆ LIBER DECIMVS.

Argumenta Capitum.

I. Qualiter anno septimo regni Baldewini Regis gens multa Hierosolymam nauigans conductum eiusdem Regis petierunt.

II. Rex cum magno gaudio peregrinos suscipiens, cum suis consulit, qualiter eorum auxilio contra Sarracenos vtatur.

III. Rex suorum vsus consilio, ad obsidendam Sidonem Anglos in Iaphet iubet expectare.

IV. Vbi Rege machinas præparante, Sidonii Regi copiosam pecuniam, ne obsiderentur, promiserunt.

V. Quòd Hugone Comite regionem Suet deprædante, Sarraceni prædam sociis eius excusserunt: & qualiter Hugo eadem cæde sagittatus, animam exhalauerit, & de obitu fratris eius.

VI. Quomodo Rex pecuniam à Sidoniis perceperit, & Anglicum exercitum ad propria remiserit.

VII. Rex pecunia Sidoniorum sublevatus, Tabariam rediit, & Geruasium loco Hugonis restituit.

VIII. Rege Tabariæ commorante, Ascalonitæ quingentos Christianos iuxta flumen Rames peremerunt.

IX. Vbi Ascalonitis Rames expugnantibus Rotgerus cum militibus obuiauit in pugnam.

X. De insidiis Ascalonitarum, & de virtute Rotgeri & militis eius in prælio.

XI. De Gerhardo equite, cuius instinctu fugâ peruenit ad vrbem Iaphet Christianus exercitus.

XII. Sarraceni Rotgerum fugientem insecuti, quadraginta Christianos ante vrbem necauerunt.

XIII. Quomodo Sarraceni castellum Arnolfi obsidione diruerunt, præpositum ipsius arcis captiuantes.

XIV. Vbi Sarraceni victoria potiti, cum octo Galeidis nauibus vnam nauẽ Dromonem Christianorum in portu Iaphet inuaserunt.

XV. Quod Rex istorum malorum fama excitatus, cum sex millibus de Tabaria contra Ascalonitas profectus est.

XVI. Quod Rex suorum consiliis sine bello Ierusalem redierit, & Rorgius de Cayphas obierit.

XVII. De quodam Principe vrbis Femiæ occiso per socium suum Botherum, quem ciues sui persequuntur.

XVIII. Bothero auxilium Brodoan implorante, Tankradus à ciuibus inuitatus non tamen intromissus est.

XIX. Tankradus ad tempus recedens, post Pascha vrbem Femiam obsidione vallauit.

XX. Quomodo Tankrado Femiam expugnante, duo filii Principis occisi auxilium illi dederunt contra Botherum.

XXI. Vbi à Christianis vrbe vallata, Botherus cum ciuibus suis se tradidit manibus Tankradi.

XXII. Vbi filii Principis occisi Tankradũ rogant, vt Botherus occidatur.

XXIII. Quomodo Tankrado victore Antiochiam reuerso, filii Principis occisi persecuti sint amicos Botheri.

XXIV. Qualiter Baldewinus Rex exercitum Turcorum contra se venietium cum quindecim armatis explorauerit.

XXV. De quinque Turcis à Rege Baldewino honorificatis, quorum instinctu tria millia Turcorum in fugam versa sunt.

XXVI. Rex Turcis fuga dispersis, conuocato exercitu, Hierosolymam tendit, & in capite ieiunii morem cineris impleuit.

XXVII. Quomodo Rex contra tria millia Turcorum properans, conductum habuerit sacerdotis Christianorum Syrorum.

XXVIII. Quomodo Sacerdos Syrorum in castra veniens Turcorum, suasionibus suis omnes fugere compulerit.

XXIX. De Arabibus in cauernis montium absconditis, quos Rex igne & fumo exire coegit.

XXX. Rex adeptus victoriam, præda onustus Ierusalem reuertitur, & loca regni sui visitans consolatur.

XXXI. Quomodo Ascalonitis Ioppen obsidentibus, ciues vrbis à Rege consolati, contra eos portis egressi præualuerunt.

XXXII. Vbi Ascalonitas, contra Christianos præsidium ædificare volentes, Rex in fugam coegit.

XXXIII. Christianis præda intentis, & ab hostibus penè præuentis, Rex affuit auxilio, hostibus plurimum spoliatis.

XXXIV. Ascalonitæ ante Ierusalem assaltus facientes, ad quinque corruerunt.

XXXV. Quod Rex Baldewinus negotiatores Babyloniæ iuxta Iordanem inuaserit & expoliauerit.

XXXVI. Vbi Baldewino Comite per Go-

I. EODEM quoque tempore in anno septimo regni Baldewini, Regis catholici Ierusalem, plurima multitudo naualis exercitus catholicæ gentis *Anglorum* circiter septem millia nauibus, quas *Buzas* appellant, cum cætera manu de regno Danorum, Flandriæ & Antuerpiæ aduecta, ad portum ciuitatis *Iaphet* anchoras fixerunt, moram ibi facere constituentes, donec Regis licentia & conductu accepto, in Ierusalem eos securè licuisset adorare. Ex his illustriores & facundiores Re- 40 gem adeuntes in hunc modum locuti sunt: *Viuat Rex in CHRISTO, & prosperetur regnum ipsius de die in diem. De terra longinqua regni Anglorum, Flandriæ ac Danorum viri ac milites Christianæ professionis, per aquam nimiam immensi maris huc adnauigauimus DEI opitulatione, causa adorandi in Ierusalem, & videndi Sepulcrum DOMINI: Et ideo clementiam tuam super hoc precaturi conuenimus, quatenus tua gratia & conductu* II. *Ierusalem pacificè possimus ascendere, adorare & reuerti.* REX clementer vniuersum precatum eorum audiens, concessit eis conductum virorum fortium armatorum, qui eos securè ab omni impetu & insidiis Gentilium per notas semitas perduxerunt vsque in *Ierusalem* & vniuersa loca sancta. Perducti verò Peregrini & noui aduenæ CHRISTI, illic in Templo Dominici Sepulcri vota sua 50 Domino reddentes, cum gaudio magno sine aliquo obstaculo *Ioppen* reuersi sunt. Vbi Regem reperientes, auxilio sibi adesse in omnibus deuouerunt, ad quæcunque animus illius verteretur. Qui benignè viros commendans, & hospitari præcipiens, nequaquam de hoc tam subitò se posse respondere profitetur, donec conuocatis optimatibus suis à Domino Patriarcha, consilium inierit, quid vtilius & opportunius insistere valerent, & non frustra tam voluntarium vexaret exercitum. Et ideo post paucos dies domino *Patriarcha, Hugone de Tabaria, Gunfrido* custode ac præposito turris Dauid, accitis, & cæteris Maioribus militiæ suæ, cõuentũ in ciuitate *Rames* habere disposuit, vt cõsuleret cum eis, quid vtilius agere debuisset.

Quibus

Quibus statuto die collatis, & diuersa referentibus ac sentientibus, tandem III. visum est vniuersis sanius esse consilium, quatenus vrbs *Sagitta*, quæ est Sidon, obsideretur: si fortè DEI auxilio & viribus noui exercitus, terra & mari superari posset. Dehinc vniuersi qui aderant, & hanc obsideri poscebant, eò quòd esset vna ex his ciuitatibus Gentilium, quæ assiduè rebellabant, à Rege commendati & admoniti sunt, vt quisque in sua rediret; & se ad hanc expeditionem rebus necessariis & armis prouiderent. Recesserunt singuli in sua, recessit & *Hugo de Tabaria*, vir bellator præcipuus aduersus hostiles impetus, qui bellis & insidiis non die, non nocte, in terra Gentilium fatigari potuit, quàm diu vita incolumis fuit. Dehinc quoque 10 statim imperauit legatio Regis vniuersæ multitudini *Anglorum*, ne tentoria vel classes amouerent à ciuitate *Iaphet*; sed Regis mandatum illic sine tædio expectarent. Aperuit quoque eadem legatio vniuersis, quomodo Rex & omnis primatus ipsius decreuerint vrbem Sagittam terra marique obsidere & expugnare; & illic eorum opem & vires necessarias haberi: & hac de causa Regem & Patriarchā ad ciuitatem Acram descendere, machinas & mangenas ædificare & ad expugnanda mœnia & eius habitatores; eos verò interim Iaphet debere habitare, dum Regis iussio innotescat. Sic fieri iuxta Regis mandatum vniuersi concesserunt; & eius legationem in portu Iaphet præstolari, & per omnia obœdire vsque ad sanguinem, responderunt. Rex *Acram* cum Patriarcha & omni domo sua de- IV. 20 scendit, machinas & plurima tormentorum genera per dies quadraginta fabricans & componens; ordinansque omnia ad vnguem fieri, quæ ad assultum vrbis videbantur aptiora. Hoc Regis studium & intentio vt sonuit in auribus habitatorum vrbis *Sagittæ*; & intolerabiles copias armatorum Iaphet ad auxilium Regis confluxisse, vehementer exterriti sunt: metuentes sic in ore gladii Regis consumi & subiugari, quemadmodum aliæ ciuitates Cæsarea, Assur, Acra, Cayphas, Tabaria, attritæ sunt & subiugatæ. Et ideò inito consilio, pecuniam plurimam Byzantiorum Regi per secretarios intercessores spoponderunt, sed & in singulis annis grande talentum dare, si modò non ciuitatem obsidens & expugnans, parceret vitæ eorum. Hæc igitur negotia de die in diem inter Regem & ciues ageban- 30 tur; & Regem de redemtione ciuitatis & salute sua solicitabant, ampliora nunc & nunc dona offerentes. Rex verò, sicut homo anxius & solicitus de conuentione solidorum, quos debebat militibus, totus pecuniæ intendebat: Veruntamen quia fideles CHRISTI metuebat, ne sibi obiicerent, minimè hanc adhuc contingere audebat. Interea *Hugo de Tabaria* accitus, copiis ducentorum equitum, pe- V. ditum verò quadringentorum secessit in terram *Grossi Rustici*, nomine *Suet*, ditissimam auro & argento, armentis fœcundissimam, conterminam regioni Damascenorum: vbi inauditas opes & armenta deprædatus est, quæ sibi ad obsidionem Sagittæ sufficerent, de quibus etiam Regi & sociis largiter impertiret. Præda autem hac vsquequaque contracta & abducta vsque ad ciuitatem *Belinas*, quam di- 40 cunt Cæsaream Philippi; Turci, qui Damasci habitabant, pariterque Sarraceni, incolæ regionis, hoc comperto, vndique per turmas affluentes, Hugonis comitatum insecuti sunt ad excutiendam prædam; & vsque ad montana, per quæ Hugonis pedites prædam ducebant, profecti sunt. Illic grauis tumultus vtrinque exortus est: hi vt prædam retinerent, obsistebant; hi vt excuterent, conabantur totis viribus: donec tandem *Turcis* & *Sarracenis* præualentibus, præda excussa & reducta est. Quod subitò *Hugo* & sui equites intelligentes, qui in latere montium erant, sine mora inter angustas & scopulosas fauces laxis frenis reuolant, plurimum cum hostibus committentes, & suis peditibus subuenientes; sed casu infelici malè pugnatum est. Nam *Hugo* lorica exutus, mox mediis periculis illatus, & solito more 50 Gentiles impugnans & mulctans, sagitta à tergo trans pectus & iecur illius infixa, inter manus suorum vitam exhalauit: Ad hæc Gentilium turmis cum præda excussa regressis, ac diuisis per obscuras ac difficiles semitas asperorum collium, milites Hugonis corpus extinctum, gestario impositum, in ciuitatem *Nazareth*, quæ est iuxta Thabor, attulerunt: vbi in multo fletu & planctu tam egregius Princeps, & fortis athleta, honorificè & catholicè sepultus est. Frater verò eiusdem Hugonis, *Gerhardus* nomine, graui infirmitate tunc laborabat. Qui fratris audito interitu, præ dolore validiùs molestia corporis illi adaucta, & ipse post dies octo morte occubuit; & iuxta fratris speluncam more fidelium appositus est. Post tam VI. nominatorum Principum lacrymosas exequias, *Rex* occasione assumta mortis ho-

rum virorum & primorum sui exercitus, pecuniam pro dilatione obsidionis Sagittæ vrbis oblatam, clam omnibus suscipere consensit: dissimulans tamen pacem cum Sarracenis facere, sed opus, quod cœpit, velle perficere. Vnde missa legatione Iaphet, *Anglicos* milites admonuit, vt nauigio Acram descenderent; atque secum de obsidione & assultu vrbis Sagittæ agerent, & tractarent. Qui ad Regis iussionem exurgentes, velis purpureis, & colore diuersi generis insignitis, protinus in altis malis Buzarum expansis, ac vexillis suis ostreis & sericis erectis, venerunt, & in littore vrbis anchoras iactantes hospitati sunt. *Rex* verò crastina die secretariis & consociis suis accitis, Anglorum Danorumque primoribus dolorem suum aperuit de Hugonis interitu, & fratris illius occasu, & quantam in illis bellicarum rerum fiduciam habuerit: & ideo nunc eis defectis ac mortuis, necessariò oportere obsidionem vrbis Sagittæ differre, & hoc tempore exercitum conuocatum relaxare. Hac Regis sententia in populo iam diuulgata, dilapsus est exercitus; & Angli, Dani, Flandrenses velis & remis iterato nauigio, salutato Rege in terram natiuitatis suæ reuersi sunt.

VII. *Rex* verò à *Sagitta* quindecim millia Byzantiorum pro salute vrbis accipiens, cum omni equitatu domus suæ *Tabariam* diuertit, vt in ea custodiam fortium virorum disponeret, qui terram, quam Hugo dono Regis obtinuit, magnisque & assiduis præliis acquisitam subiecit, simili virtute tuerentur; hostes arcerent, & transire eos montana nullo modo sustinerent. Quapropter *Geruasium*, virum illustrem & nobilissimum, de regno occidentalis Franciæ ortum, belli gnarum & assuetum, loco Hugonis restituit, ac præficit Tabariæ & vniuersæ regioni, sciens eum fidelem & bello acerrimum contra omnes Gentilium, Sarracenorum, Turcorum, Damascenorum incursus.

VIII. Interea dum Rex in his negotiis illic moram ageret, viri *Ascalonitæ* eius absentiam comperientes, & noui exercitus recessum, Hugonis ac fratris eius interitum, legationem *Sur*, quæ est Tyrus, & *Sagittam*, quæ est Sidon, *Baruth* quoque, quæ est Baurim, cum festinatione dirigunt, vt in armis & copiis in vnum die statuto conferantur; & sic *Rames*, quæ est Rama, & *Iaphet* in impetu assilientes, viros Christianorum incautos aggrediantur, alios interimentes, alios captiuos abducentes. Qui vsquequaque iuxta legationem Ascalonitarum conuenientes, ad septem millia equitum annumerati, in fortitudine vehementi in planicie camporum Assur & Rames, subitis clamoribus irruerunt, vbi Peregrinos incautos, & tantæ multitudinis nescios, iuxta flumen, quod Assur & Rames interfluit, reperientes mense Octobri, feria quarta, ipso natali B. Dionysii Martyris, lanceis & sagittis fortiter incurrerunt, quorum non pauciores quàm quingenti detruncati & decollati sunt.

IX. Hac in potentia & virtute armorum suorum tot Peregrinis attritis, nimium gloriantes *Ascalonitæ* & cæteri Gentiles Regis Babyloniæ, mox affuerunt in campestribus *Rames*, vt expugnarent vrbem; eius habitatores bello lacesserent, si fortè aliqui prodirent ex ea, pro ut solitum semper eorum audacia habebat resistere. Erant hac die Christiani ciues & milites improuisi & immunes; equites verò non amplius octo in vrbis defensione & tuitione reperti sunt. Qui cum defensore suo quodam, *Baldewino* nomine, perterriti, omnes vires & apparatus Regis Babyloniæ adesse arbitrantes, sine mora in equis celerrimis octo equites vrbem egressi sunt, ac Iaphet introeuntes, nunciauerunt *Rotgero* de castello Resset, qui vrbi Iaphet præerat, & cæteris conchristianis, quomodo Ascalonitæ & tota virtus Babyloniæ campestria vrbis Rames occupassent; & procul dubio sine intermissione ad vrbis Iaphet mœnia properare. Hoc audito, quotquot erant equites in vrbe Iaphet & pedites, ex subita admonitione Rotgeri à porta vrbis accincti armis processerunt obuiam, appropinquantes hosti, vt mœnia & vrbis introitum inimicis omni armorum genere & virtute prohiberent.

X. Verùm Ascalonitæ & Arabes ex industria in latibulis montium, qui ex aduerso sunt, copias suas abscondentes, præmiserunt viros in equis, lancea & sagittis peritissimos, vt cursu rapidissimo vsque ad vrbis ianuam aduolantes, viros vrbis longiùs protraherent, donec in insidias incidentes, vndique eos circumuenirent; & à latibulis erumpentes, nescios & incautos alios trucidarent, alios captiuarent. At *Rotgerus* suique commilitones in armis parati obuiam exeuntes, cum Arabibus confligere non abstinuerunt; ac plurimum diei equestri contentione & discursu consumentes, graui vulnere vexati & multo labore exhausti sunt. Tandem Christianis ex prospero successu longiùs insequentibus, Arabibus verò ex industria interdum cedentibus, hostiles copiæ à montanis pro-

progressæ vsquequaque nimiæ & innumerabiles apparere & appropinquare cœperunt. Sed Christiani licet hoc bellum à Babylonia transmissum æstimauerunt, nequaquam formidine concuti potuerunt, fortiter resistentes, & in Domino IESV spem vitæ ponentes, pro cuius nomine & amore omnem cognationem carnis & sanguinis reliquerunt. XI. Ad hæc *Gerhardus* quidam eques de domo Regis Baldewini, qui partem redituum ciuitatis Iaphet pro militari obsequio obtinebat, mediis Christianorum turmis equo velocissimo affuit, virtutem & copias innumerabiles inimicorum, & adeò intolerabiles, asserens, vt nunquam præsens Christianorum manus has sufferre possit; & ideo consultius esse, equites & pedites in vrbis tutamina redire, & mœnia defensare. Huius itaque verba diffidentiæ, alii viri vehementer indignabantur, & formidolosos factos ad vocem Gerhardi arguebāt, stare & repugnare adhortantes; alii verò consiliis Gerhardi acquiescere, nunc absente Rege, acclamabant, nimio terrore concussi. Hoc enim dissidio in momento sic cœtus Christianorum disturbati ac diffusi, communem inierunt fugam contra *Iaphet*, quemadmodum apes à facie turbinis auolare & dispergi solent.

XII. *Sarraceni* autem & *Arabes*, videntes viros formidine defecisse, fugamque arripuisse, non parcè equos vrgentes fugitiuos insequuntur. Quos atrociter lanceis & sagittis infigunt, præter eos, qui in porta ciuitatis euaserunt. *Rotgerus* verò & *Gerhardus*, cæterique Christianorum milites, equorum velocitate elapsi, in impetu fugæ tardos ac miseros pedites conculcabant; nec erat fas vlli aut spacium freni retinendi à facie insequentis eos & persecuti. Sola spes viuendi porta vrbis erat, eam intrare contendentibus. Sic tandem his graui insecutione vrgentibus, his verò in grandi pressura portam obtinentibus, quidam Christianorum lento cursu tardiores exclusi, ante ianuam & vrbis muros armis impiorum Gentilium occubuerunt; & ad quadraginta ibidem decollati sunt. XIII. Hanc itaque victoriam *Ascalonitæ* adepti, nulla mora vrbis mœnibus vim inferre conati sunt; sed capita decollatorum auferentes, gauisi prospero euentu belli, in terminos Rames reuersi sunt, in tubis & buccinis, & in superbia magna *castellum Arnolfi* obsidentes: quod versus Ierusalem in montanis ad regionem tuēdam, iussu Catholici regis muris & mœnibus ædificatum prominebat. Illic biduò obsidionem facientes, & minas mangenarū & machinarū, adeò viros inhabitantes exterruerunt, vt *Gunfridus*, custos ac præpositus arcis & turris Ierusalē, qui & huic Arnolfi præsidio nunc præerat, vix vita impetrata, dextras Sarracenorū quæreret; se in deditionē redderet, ac præsidii ianuam hostibus aperiret: qui ingressi, muros præsidii statim diruerunt; inuentos in ore gladii percusserunt, solum Gunfridum reseruātes captum Ascalonē deduxerunt. XIV. Dehinc ab hac quarta feria post natalem S. Dionysii Martyris sexta feria inchoante, *Ascalonitæ* triumpho suo lætati & exaltati, octo Galeidas, aptantes in eis viros sagittarios ac robustissimos, constituerunt, qui vsque *Iaphet* applicarent, æstimantes Christianorum vires vel naues sibi occursare, quibus aduersari captione aut submersione valerent. Et ecce in impetu magno & tubarum sonitu, primo mane, Ioppe applicantes, nauem immanissimam, quam appellant *dromonem*, diuersis rebus & vitæ necessariis onustam, in portu vrbis à longè speculantur: quam vndique aggressi, nimia impugnatione expoliauerunt; duos solummodo viros tum ad custodiendam eam relictos, sagittis confixerunt. Ciues verò Christiani vrbis Iaphet, considerantes Sarracenos præualere, & custodes dromonis mortificasse, eamq; rebus expoliasse, subuenire in lancea, arcu & fundibulis properauerūt, quo vsq; nauis illa pergrandis excussa & retenta est: Eam verò nauiculam, quæ dromoni ad leuiandum semper adhærebat, Sarraceni in virtute sua abruperunt, quam etiam multis diuitiis oneratam abduxerunt. XV. Igitur tam grandi casu & infortunio bis & ter Christianis fratribus, & eorū ciuitatibus, disturbatis, subitò fama per omnia volitans auribus Regis *Baldewini* in regione & ciuitate Tabariæ grauiter insonuit, quæ vehementer eum de omnibus, quæ acciderant, commouit, eò quòd dimissis sociis et copiis, vrbibus et locis Sarracenorum pepercisset; et quoniam sic eum in fraude prædictæ pecuniæ circumuenire præsumsissent. Vnde sine mora Iaphet reuersus, quingentis equitibus in lorica & galea contractis, peditibus verò ad sex millia, *Ascalonem* in vltione suorum proficisci voluit, & vsque ad locum *Palmarum*, quia est terminus castello *Beroart*, quod duobus milliaribus distat à ciuitate Ascalone, profectus est. Illic in loco eodem

XVI. consilio cum suis habito, considerabat, quia in hoc tempore nihil contra Ascalonem assultus ei proficerent, vel in satis, vel in vineis siue in arboribus depopulandis, eò quòd radicitus regione ante hos dies sæpius vastata igne & præda, nihil intactum extra vrbem reliquisset: Ciues verò & milites Arabes nequaquam à mœnibus vrbis vllos suorum procedere permiserunt. De quibus Rex in vindicta suorum acceptam iram animi sui mitigauit; & ideo Ierusalem cum domino *Patriarcha*, vltione suorum dilata reuersus est. Eodem anno *Rorgius*, qui dono Regis Cayphas præerat, infirmitate valida occupatus, longo tempore languit, donec tandem molestia corporis adaucta, finem vitæ fecit; & in stillicidio porticus Ecclesiæ Dominici Sepulchri honorificè & catholicè sepultus est. 10

XVII. Eodem anni tempore, quo Rex Baldewinus Sagittam obsidere distulit, Anglicosque milites remisit, & Hugo de Tabaria in arcu & sagitta Turci occidit, quidam princeps ciuitatis, nomine *Femia*, qui longè latéque immensa potestate terræ in circuitu præerat, eò quòd Christianis & Peregrinis satellitibus largus & propitius habebatur, à quodam Sarraceno, *Bothero* nomine, qui secum in militari obsequio, & conuentione solidorum, morabatur, plurimum inuidiæ & indignationis pertulit; donec tandem die quadam visa oportunitate suæ maliciæ, in falsa fide ab eodem Bothero cœnandi gratia inuitatus, fraude & absconditis in domo insidiis circumuentus, ab illius complicibus interemtus est. Eo autem sic in dolo peremto, ciues ciuitatis tam crudelis facinoris ignari, nimia ira aduersus Botherum exarserunt, sæpe animati in vltionem sui Principis, & illorum contritionem, qui in eum manum mittere ausi sunt. 20

XVIII. *Botherus* igitur in vna turrium ciuitatis firmissima hospitatus, ciues habens suspectos, eo præcipuè quòd Christiani essent, *Brodoan*, Principi ciuitatis Alapiæ, occultè nuncios direxit, vt subitò congregatis copiis descendens, ciuitatem *Femiam* occuparet & expugnaret; atque dextris inuicem datis, ciuitatem & regionem obtinerent. Hæc Christiani & Armenii ciues intelligentes, exterriti sunt vehementer, eò quòd rursus dominio Gentilis tyranni Brodoan subderentur. Et sub manu traditoris Botheri constituti, *Tankrado* nuncios dirigunt, eò quòd vir Christianus & bellator præcipuus fuerit: quatenus assumtis viribus & sociis, ad eos transiens, primatum ciuitatis & regionis apprehenderet, ac deinceps obtineret. Qui illicò septingentis collectis equitibus, mille verò peditibus, ad ipsam ciuitatem profectus, minimè intromissus est. Vniuersos enim ciues & primos vrbis Botherus, traditor sceleratus, blandis promissis & magnis muneribus corruperat; ac minis & terroribus animos & corda cunctorum infregerat. 30

XIX. *Tankradus* quidem videns sibi ciues auersos, ante vrbis mœnia tentoria locauit; ac trium hebdomadarum spacio illic consummato, in vniuersis assultibus suis nequaquam proficere potuit. Sic omnes traditor auertit. Ieiunium quadragesimale iam mediatum processerat. Igitur Tankradus videns, quia nihil hoc tempore proficeret, amotis castris Laodiceam & Antiochiam reuersus est. Non longè ante hoc Laodiceam obsederat, ac superatam, sibique subiectam, de manu Regis Græcorum & suorum custodia in suam redegit potestatem. Post hæc celebratis octo diebus sancti Paschæ ritu & honore Christianorum, *Tankradus* readunatis sociis & viribus, Femiam descendit, vndique machinas & mangenas applicans, vt sic fortè superata ciuitas in manu sua, & non in manu Brodoan, redderetur, & ciues cum traditore punirentur. 40

XX. Interea dum frustra assultibus & machinis circa hanc laboraret, & minimè ciues absterreret; diesque plurimi iam præterirent, duo filii Principis ciuitatis in fraude occisi, qui patris morte audita, vix de manu Botheri in vmbra noctis elapsi, Damascum effugerant, apud cognatos suos illic moram facientes propter metum Brodoan & Botheri; nunc audientes quia denuò Tankradus Femiam obsederat, & Brodoan nihil aduersus eum poterat, nuncios Tankrado miserunt, quomodo sibi in auxilium & vltionē sanguinis patris sui venirent, si vtile & acceptum sibi suisq; videretur. *Tankradus* autem nunciis eorum auditis, & benignè remissis, libenti animo eos sibi in auxiliū affuturos annuit, fœdus cum eis percutiens de omnibus, quæ circa vrbem & aduersus ciues & Botherum acturus esset. Hi verò iuxta quod deuouerant, centum milites Arabes & Turcos sumentes, Femiam vsq; in castra Tankradi venerunt, cui in hunc modum locuti sunt: *Terra & ciuitas hæc sedes & patris & antecessorum nostrorū fuit; sed inuidia & auaritia Botheri ab hac eiecti, sumus facti exules: & ideo nunc apud te refugiū & auxiliū quærimus, fidē quærimus & inimus.* 50

Si hac

Si hæc mœnia apprehenderimus, non inuidemus; nihil spei in eius recuperatione quærimus, sed cum beneuolentia tibi concedimus: nobis post hæc, quæ tibi in animo videntur, pro militari obsequio facies & rependes. Sic dextris datis, super his omnibus Tankradum beneuolum, & sibi satisfacientem, repererunt.

XXI. Nec mora, assultus assidui, & iactus lapidum sine intermissione, à foris fiunt; sed frustra omnia videntur fieri, donec tandem vallo tota circumfoditur ciuitas: ne cui deintus aliquo patente exitu, ciues fame sicarctati, & traditor, qui in ea habitabat, in manum & traditionem Tankradi redderentur. Quod & actum est. Ciues enim & idem traditor fame intolerabili oppressi, & vim Tankradi vltrà sufferre non valentes, sibi parci rogauerunt, dextrasque sibi dari ciuitatis portas promittentes aperire. Dehinc Tankradus à suis consilio accepto, eò quòd longæ obsidionis tædio fatigati essent, & iam vsque ad Augustum mensem consedissent, petitioni Botheri & ciuium acquieuit, videlicet vt Bothero dextram daret, ciuibus parceret, vrbem pacificè intraret, redditamque obtineret. Et ita factum est, tradita ciuitate.

XXII. Filii autem Principis occisi hæc indignantes, Tankradum obnixè precatum conuenerunt, dicentes: *Tam nefarium hominẽ, & tam nequam traditorẽ, non debere recipi, aut vita reseruari sed omnino de terra deleri.* Quibus Tankradus in omni mansuetudine sic respondit: *Fidem, quam promisimus isti, quem satis peruersum scio, ac periurum, non est Christiani moris violare, sed nostrum est, omni populo fidem & veritatem seruare: ideoque huic concedimus vitam cum salute membrorum; complices verò illius, quibus non indulsimus, in manu vestra siue ad mortem, siue ad vitam habeantur in vltione sanguinis patris, cùm ab hac obsidione primùm pedem auerterimus, & noster exercitus in sua reditum parauerit. Vobis autem in omnibus commodis vestris manus mea non deficiet.*

XXIII. Post hæc verba *Tankradus*, ciuitate sibi tradita, & tutela suorum in ea constituta, Antiochiam cum Bothero & cæteris obsidibus remeauit in fide data & suscepta: Filios verò in dolo occisi Principis in regione ciuitatis plurimis præfecit locis. Hi autem filii in regione hac post discessum Tankradi commorantes, complices Botheri interemerunt, reos patris sui interitus: aliosque conscios & reos eiusdem necis crebris insidiis comprehensos, aut membris debilitauerunt, aut laqueo iugulatos suffocauerunt.

XXIV. Dehinc post mortem Hugonis Rex *Baldewinus* à Tabaria & terra *Suet* eodem anno, celebrato ibidem Natali Domini, *Ptolemaidem* reuersus est, anno regni sui octauo, vt quiesceret à labore itineris. Ibi statim illius innotauit auribus, quomodo Princeps & *Rex* ciuitatis *Damasci*, de genere Turcorum, arma & apparatum contraxisset ad obsidendam *Tabariam*; & *Geruasium* loco Hugonis restitutum, expugnare decreuisset; & Regis virtutem non vltrà timere. Hoc audito, Rex subitò paucis assumtis copiis circiter quadraginta milites, ad resistendum Turcis properauit; & maritima relinquens, quindecim sociis adolescentulis, in armis & equo peritissimis, & cæteris electis, ad montana tendens, totum exercitum & vires Turcorum explorare audacter præcessit: Erat autem virtus Turcorum ad tria millia virorum pugnatorum: Iam quidem omnibus exploratis copiis, & visis tentoriis, cautè per deuia & notas semitas ad societatem suorum reuersus est.

XXV. Vix arma sunt deposita, vix equi frenis & sellis spoliati; & ecce, quinque Turci assunt in castris Regis facto vespere. Qui legati cæterorum, de diuersis negotiis & pace componenda loquentes plurimum, & agentes, tandem benignè suscepti; muneribus quoque preciosæ vestis, vasorum argenteorum Byzantiorumque onerati, & amicis verbis à Rege commendati, post plurimum sermonis ad castra redierunt. Hac igitur gratia & honore hi quinque à Rege honestati, ex tunc & deinceps parti illius nimium fauere cœperunt; virtutem quoque & apparatum illius septies magnificare, & inter cætum Turcorum extollere, quam vidissent, volentes illi reddere dignam vicem omnium bonorum & donorum, quæ eis Rex largitus est. Turci itaque & eorum ductores hæc à suis intelligentes, & multum eis de omnibus, quæ referebant, credentes, magna formidine concussi, fugam inierunt, vndique cœlum & terram nocte operiente.

XXVI. Hoc à delatoribus *Rex* comperto; insecutus est eos prima diei aurora exurgente, donec per regionem & muros Damascenorum fugiendo elapsi sunt. His verò in sua tutamina elapsis & clausis, Rex reditum suum fieri abhinc cõstituit, donec per dies aliquot *Bethlehem* veniret, vbi in die Epiphaniæ solẽniter coronatus est. Ibi diebus octo morã faciens in diuersis negotiis rei militaris, *Iaphet*, deinde *Naplis*, quam dicunt Samariã, quã idem Rex Baldewinus sine apparatu bellico

subiecit, profectus est: ad disponendas has ciuitates, ne aliqua versutia & dolus h aduersari posset. Exinde post dies nouem de vniuersis locis per circuitum soci conuocatis, rediit Ierusalem mense Februario: vbi capite ieiunii inchoante, i monte Sion Christiano more cinere asperso capiti de manu Baldewini, Episcop

XXVII. Cæsareæ Cornelii, ritum Quadragesimalem peregit. Sic itaque initiato tem pore Quadragesimali, proxima die quingentis militibus assumtis ex consilio cu iusdam Syri, nomine *Theodori*, cui innotuit, quomodo Turci à Damasco descen dissent ad tria millia in antiqua valle Moysi, ad quoddam præsidium firmandum ne cui de gente Regis illic negotiandi causa via pateret: iter mouit ad destruen dum præsidium, quod Turci rogatu & consensu Arabum illic collocauerant, ad interdicendum transitum vniuersis Christianis. Dehinc octo diebus per fœtenti flumina *Sodomæ* & *Gomorrhæ*, & deserta loca, & per montium difficultates gra diens, cum vniuersis sociis suis graui defectione oppressus, ad habitationem quo rundam Syrorum Christianorum peruenit. Vbi hospitio demoratus, ac satis refo cillatus & ipse & vniuersi ipsius sequaces fuêre. Intelligens itaque quoniam Chri stiani essent, sacerdotem illorum accersiuit, sciscitaturus ab eo de nouo præsidio & Turcorum intentione, ac de omnibus ab eo consilium requisiuit. Qui diluculo exurgens cum Rege, in fide & veritate triduo iter fecit, ductor viæ & regionis illi factus: donec tandem Rex conductu ipsius in loco tuto non longè à præsidio &

XXVIII. Turcis hospitio requieuit. Altera verò die illucescente, idem sacerdos & conuiator surgens, castra Turcorum intrauit, aliterque omnia eis referens, quàm essent, in hunc modum locutus est: *Rex Baldewinus, cum ingenti manu ab Ierusalem descendens, tantillum mansionis, quod nobis erat, deuastauit; nos dispersi sumus, de quibus solus ego ad vos perueniens, vix aufugi, vt nunciarem vobis, ne eius arma & copias expectetis: non enim amplius eius comitatus & apparatus à vobis habetur, quàm milliaris vnius interuallo.* Hoc denique audito nuncio, metus tantus vniuersorum corda ex DEI voluntate inuasit, vt sine mora tentoria sua ibidem relinquentes, vniuersam fugam maturarent. Vix tenebræ sunt remotæ, vix mane illuxit, & ecce Rex *Baldewinus* in sonitu tubarum, & armorum strepitu, vallem descendit: Sed Turcorum neminem reperit, neminem occidit, neminem cepit: Nam tota nocte illa non lentè fugam inie-

XXIX. runt. *Arabes* autem, quorum consilio Turci à Damasco illuc conuenerant, vitæ diffidentes, in cauernis montium, & cæcis latebris, subitò vt mures absconditi à facie Regis, disparuerunt cum armentis & suppellectile, quæ in auxilium ædificandi præsidii illuc congesserant. Rex verò cum exercitu suo vallem descendens, cauationes totius regionis perlustrans, ora cauernarum fixis tentoriis obsedit. Sed nec sic viros cogere valens vt prodirent, tandem igne & fumo suscitato ante ora cauernarum, vniuersos exire arctauit: quorum mox alii armis extincti, alii capti & ad sexaginta abducti sunt, omnibus spoliis eorum de antro subla-

XXX. tis, cum asinis plurimis, bobus, ouibus & hircis. *Rex* igitur his prosperè gestis, cum omni manu sua & præda, quam acceperat, regressus est vsque ad torrentem *Iordanis*, Syros confratres & conchristianos è cunctis locis regionis congregans, & ad sexaginta secum abducens propter metum Arabum: vbi præda inter Regem & milites diuisa est. Deinde transacto biduo, Rex cum præda sua, quæ sibi in tertiam partem diuisionis contigerat, *Ierusalem* ascendit, cui in iucunditate & lætitia vniuersi Christianorum Peregrini & ciues occurrerunt. Post hæc quatuor diebus euolutis, à Ierusalem *Iaphet* descendens, ibidem aliquam moram fecit. Sed & *Acram* veniens, plurimum illic de negotio regni sui tractans, Pascha propinquante, in ipsa cœna Domini *Ierusalem* repedauit, vbi in hac sacra solennitate Dominicæ Resurrectionis gloriosè & catholicè coronatus est. Post dies verò octo, iterato itinere, per castella & ciuitates *Ptolemaidem* descendit; quin & *Tabariam* profectus est, vt suos aduersus Turcorum insidias & minas mili-

XXXI. tari solatio corroboraret. Et ecce *Ascalonitæ* gaudentes eius absentia, ad tria millia exierunt in planiciem camporum ciuitatis *Rames*. Sed nihil in facto suo proficientes illic, in ira magna venientes, Ioppen obsederunt. Hæc fama tam crudelis in auribus Regis iam de Tabaria Ptolemaidem reuersi, vt innotuit, sexaginta viros, armis & bello strenuos, nauigio Iaphet ad subueniendum ciuibus direxit; & vt eis nunciarent, quomodo sine mora Rex adunata manu eos subsequeretur. Audientes autem ciues, quoniam auxilium Regis praeuenisset,

uisset, & Rex in breui subsequeretur, aperientes portas egressi sunt ad resistendum inimicis: ac vtrinque committentes, Sarracenorum octodecim ceciderunt; Christianorum verò, tredecim occisi sunt. Reliqui verò Sarracenorum æstimantes Regis præsentiam, & ideo ciues audacius nunc resistere, Domino IESV suos prosperante, fugam inierunt. Quos Christiani fortiter insequentes, solummodo sexaginta equos eorum in sagitta & lancea percusserunt; nullum tamen ex his apprehenderunt. Nec mora, *Rex*, sicut promiserat, *Iaphet* venit in magno apparatu armorum: Sed victoria DEO opitulante à suis ciuibus anticipata, optata requie illic cum suis vsus est. Quatuor deinde diebus transactis, Rex *Ierusalem* rediit, vt dispo- XXXII.
10 neret regnum; & sic, aliqua quiete frueretur: Cùm subitò ad aures illi peruenit, quomodo rursus Ascalonitæ, Turcis in conuentione solidorum à Damasco accitis, præsidium firmare decreuerunt ad expugnandum castellum, quod dicitur *ad S. Abraham*, & destruendum, quod tunc quidam *Walterus*, cognomine Mahumet, post mortem Rorgii dono Regis susceptum, tuebatur. Hoc *Rex* sinistris nunciis comperiens, septuaginta probis militibus electis & assumtis, illuc festinus via secessit, & apud S. Abraham nocte hospitio quieuit. Mane verò cuiusdam sextæ feriæ exorto, laxatis equis & frenis, in impetu magno, & cornuum stridore, vociferantiumque tumultu, Ascalonitarum castra inuadit; quos inscios, ac tam repentino turbine stupefactos, protinus in fugam coegit. At sui Christiani, auari- XXXIII.
20 tiâ rerum hostilium excæcati, & in tentoriis inimicorum nimium studentes ad congreganda spolia & asportanda, belli & armorum obliti sunt. *Ascalonitæ* & *Turci* hæc considerantes, quomodo magis prædæ quàm fugitiuis hostibus intenderunt, vsquequaque readunati prælium cum eis committentes, quinque de egregiis regis militibus peremerunt: inter quos *Hugo de Cassel*, & *Albertus*, Apostolius cognomine, armis extincti sunt: Verùm Rex, DEO auxiliante, vix recuperatis viribus suorum inualescens, victoriam tandem adeptus est. Nam triginta ex inimicis in gladio eius ceciderunt; & sexaginta abducti, alii diffugio elapsi sunt. Rex verò & sui camelos triginta tres, equos sexaginta octo, cum præda & tentoriis multis Ierusalem abduxerunt in lætitia & exultatione super hac victoria iocundati.
30 Interea *Ascalonitæ* suæ contentionis minimè obliti, Ierusalem in armis & XXXIV. copiis confluxerunt, per diem illic in equorum discursibus cum pueris confligentes. Sed quinque illorum, post plurimum contentionis suæ, cum equis & spoliis illic capti fuisse referuntur. Christiani verò pedites, qui illic ad resistendum processerant, septem decollati fuisse perhibentur. Nam terrores & minæ Gentilium multum repressæ sunt. Post hæc diebus aliquot transactis, nunciatum est *Re-* XXXV. *gi*, quomodo negotiatores Babylonii affuturi essent trans flumen Iordanem in vmbra & silentio noctis, ac descensuri ad *Sur*, *Baurim* & *Sagittam*, ad mittendas merces Damascum; & multum prædæ posse eum ex his capere, & gentis suæ inopiam subleuare. Qui omnibus ex ordine auditis, sexaginta milites assumens, & de nocte cō-
40 surgens, ad oram fluminis descendit. Sed mercatorum copias videns esse nimias, facie ad faciē cum eis confligere distulit; sed ab eis clàm nunc declinans, nec mora, extremos fortiter inclamans & incurrens, vndecim gladio strauit, quadraginta captiuos tenuit; camelos vndecim Zucra, quatuor onustos * & cæteris pigmentis re- * busq; preciosis, decem & septem verò oleum & mel portantes, Ierusalem captos abduxerunt. Quorum abundantia tota regio Peregrinorum releuata & confortata est. Post hæc in anno octauo regni Regis Baldewini, *Gozelinus* de Turbay- XXXVI. sel, miles fidelissimus, *Baldewinum* de Burg, cuius dono pro militari obsequio terrā & regionem obtinebat, de manu *Geigremich*, Turci potentissimi, centum millia Byzantiorum dans, redemit: quæ ab omnibus Principibus & viris Christianis, paruis
50 & magnis, & vniuersis locis & ciuitatibus fidelium, plurima prece impetrata collegit. Sic itaque Baldewino redemto, & in ciuitatem Rohas cum omni honore relato, *Tankrado* autem ab eadem ciuitate, quam susceperat in custodiam, exeunte, semper inimicitiæ & inuidia inter ambos Principes adeò excreuerunt, vt congregata manu alter alteri præda & insidiis nocere & aduersari nō abstineret. Tan- XXXVII. dem quadam die, hic ab Antiochia, hic à Rohas, in apparatu & armis cum copiis egressi, grauiter bellum commiserunt. Sed ex Baldewini societate plurimi cæsi, & exuperati sunt, ac plures capti: Ipse verò *Baldewinus* vix à campo effugiens, in ciuitate *Tuluppe* à *Tankrado* & suis obsessus est. *Gozelinus* verò, qui à campo & hostibus vix

euaserat, sciens Baldewinum à Tankrado obsessum, profectus est ad *Geigremich*, multum instans & obsecrans, vt subueniret sibi mutua gratia confœderato, & à Tankradi obsidione tam nominatissimum & cognatum Regis Ierusalem liberaret. Qui statim quadraginta millibus Turcorum accitis, ad Tuluppam se venturum in Baldewini liberationem statuta die, per omnem regionem notum fieri decreuit, qua vndique ad eum copiæ suæ illic conuenirent. *Tankradus* hanc Turci constantiam in liberatione Baldewini intelligens, castra amouit ab obsidione; & *Baldewinus* in ciuitate Rohas, præteritorũ immemor malorum, in lætitia & exultatione ingressus est.

XXXVIII. Eodem quoq; tempore *Conradus* stabularius Henrici Tertii Romanorum Imperatoris, vir præclarus in omni actione militari, ex legatione & petitione ipsius Imperatoris facta ad Regem Græcorum, Regis verò facta ad Regem Babyloniæ, à carcere & vinculis eductus est, & ob causam dilectionis, & mutuæ retributionis, *Alexio*, Regi magno Græcorum, restitutus. Rex Alexius Conrado viuo & incolumi recepto, plurimum gauisus est, quem magnificis donis honoratum, *Henrico* Imperatori Romanorum super omne aurum & argentum, super ostra & lapides preciosos, acceptum remisit, nihil dulcius & preciosius videlicet in auro & argento, in ostro & lapidibus preciosis, arbitrans illi posse sufficere.

XXXIX. Post hæc in anno secundo restitutionis Conradi, *Boemundus* à diuersis regnis Galliæ & Italiæ collecto exercitu Christianorum, nauigio *Valonam* descendens, hanc subitò occupauit, vniuersaque loca, quæ in circuitu erant de regno Græcorum, superata subiugauit. His subiugatis, *Dyrrhachium*, ciuitatem magnam, rebus & omni virtute ciuium ac militum potentissimam, diuertit; & in circuitu murorum tabernacula extendens, in multitudine graui obsedit. Erant enim illi duodecim millia equitum pugnatorum, & sexaginta millia peditum virorum bellatorum.

XL. *Conradus* ab Imperatore Græcorum remissus, tunc in Italia moram fecit propter graues discordias, quæ inter dominum Imperatorem *Henricum*, filiumque eius *Henricum* V. Regem, inuidia & iniquorum consilio exortæ erant: ne in aliquo eorum fauore intendens, alterutrum grauiter molestaret. Obsidione itaque tempore veris vndique locata, *Boemundus* machinas & tormenta lapidum fieri instituit, quibus vrbs oppugnaretur. Sic diebus multis mœnia & turres crebro ictu lapidum minuebat; ciuesque, & omnes inhabitantes vehementi assultu vexabat. Ciues verò econtra ollas igneas aqua inextinguibiles, fomite refertas, machinis intorquebant, ac diuersa genera incendiorum in omne opus machinarum illius iactantes, sagittis & fundibulis in omni virtute resistebant: Nam res illis pro anima erat.

XLI. Tandem cùm plurimo assultu & arte bellica vrbem ciuesque vexaret, & iam omne tempus æstatis in rebus bellicis consumsisset, Rex Græcorum adunato innumerabili exercitu, in campos vrbis *Bothiliæ* descendit, vt vrbi Dyrrhachio subueniret, & Boemundum ab obsidione & vniuersum comitatum illius effugaret. Locatis itaque Imperatoris tentoriis in præfatis locis & campis, qui itinere diei vnius distant à regione Dyrrhachii, milites Imperatoris: non solùm aduenæ Galli, qui conuentione solidorum Imperatori militabant, sed & Turcopoli, *Comanitæ* & *Pincenarii*, ad decem millia conglobati, armati & loricati in lancea & sagitta, Boemundum & suos in castris aggredi statuerunt. Sed *Boemundus* à delatoribus re comperta, superuenientibus in aperta camporum planicie occurrit; & prælia in impetu committens, mille in gladio & lancea & sagitta peremit; cæteros in fugam vsque ad tentoria Imperatoris remisit. Post hæc Boemundus grauiùs assultum ad vrbis Dyrrhachii ruinam iterauit, machinas & tormenta applicans, vt custodes territi ex noua victoria, quam adeptus erat, portas sibi aperirent. Sed vrbis defensores minimè adhuc minis & assultibus his mollescere aut absterreri poterant; sed omni conamine & bellica arte vim inferentibus resistebãt.

XLII. Dehinc die quadam cùm Boemundi copiis victualia & equorum pabula defecissent, milites trecenti, pedites septingenti, ad contrahendas prædas in regione Græcorum directi sunt. Quibus infinita multitudo Turcopolorum, Comanitarum & Pincenariorum, militum Imperatoris in occursum affuit; & bello grauiter commisso, milites Boemundi ad trecentos illic occisi sunt, plures verò abducti.

XLIII. Cùm hæ contentiones, insidiæ, cotidianæ incursiones, grauissimæ cædes iam ferè per annum hinc & hinc fierent; & Boemundi exercitus diutinæ obsidionis tædio grauaretur, plurimi subtraherentur, naualisque collectio attenuata præ panis & cæterarum rerum inopia in Italiam nauigasset; Imperatoris verò naualis

naualis virtus in omni ciborum & armorum abundantia immitteretur, *Wido*, filius sororis Boemundi, *Willehelmus* Claret, & cęteri primores exercitus, pecunia & blãditiis Imperatoris corrupti, Boemundo diuersas & graues opiniones opponentes, nunc ex ciborum inopia, nunc ex populi & naualis exercitus dispersione, nunc ex Imperatoris vrbi immissa opulentia, eum ab obsidione auertere conati sunt, & amicitia Imperatori confœderari. Ad vltimum verò videns *Boemundus* suos defluxisse, plurimos ad auxilium Imperatoris migrasse, & minus ac minus in assultu vrbis eos laborare, consilio suorum credidit; & sic Imperatori in magnitudine & pondere ineffabilis auri, argenti & ostri preciosi reconciliatus est. Reconciliatus verò, donis & thesauris infinitis susceptis, nauem ascendens in Apuliam regressus est, omnibus deceptis & minimè remuneratis, qui secum longos labores & belli pondera circa Dyrrhachium pertulerunt. Hi verò agnita Boemundi fraudulentia & eius recessione, Imperatoris exorârunt clementiam, vt pacificè per regnum eius vsque in *Ierusalem* viam eos continuare permitteret. *Imperator* verò post hanc compositam pacem *Constantinopolin* reuersus, omnibus per regnum suum transeundi viam sine vllo impedimento concessit: sicut Boemundo & cunctis primoribus Galliæ & Italiæ, illic tunc temporis præsentibus, iureiurando promisit & affirmauit, quando confœderati sunt. XLIV.

XLV. Eodem quoque anno, autumnali tempore instante, *Baldewinus* Rex, contractis vndique copiis à mari & terra ex diuersis nationibus regni Italiæ: videlicet *Pisanorum, Genuensium, Venetorum, Malfetanorum*, omniumque eorum, qui more prædonum expugnare & expoliare solent nauigantes: ciuitatem *Sagittam* obsedit tam mari quàm terra in mense Augusto, mangenellis & machinis muro à terra in circuitu applicitis; malis verò nauium turritis, belloq; paratis, versus aquas in manu forti erectis: expugnans eam diebus multis, & in virtute multa suorum sæpius eam fortiter assiliens.

XLVI. Hac facta & ordinata obsidione, post aliquot dies Regi per delatores innotuit, qualiter *matrona* quædam nobilis & locuples nimis *de regno Arabiæ*, cum innumerabili grege camelorum, boum, ouium, hircorum, trans Iordanem secus montana propter pinguia pascua accubuisset; & cum ea viros circiter quingentos, diuites in armentis & pecore, illic cum omni clientela sua in tuto consedisse. Qui illico *Willehelmum*, filium Roberti Nortmanorũ Principis, clàm ascitum, Ierusalem remisit: vt militibus, quos in ciuitate tuenda reliquerat, assumtis, cum peditibus trans Iordanem festinaret; atque *Arabes Sarracenos* incautos, & in tuto gregem pascentes, inuaderet, & viros ac fœminas cum vniuerso grege captiuaret. Ille verò iuxta edictum Regis Ierusalem accelerans, ducentos equites simul quingentos pedites assumsit, cum quibus vada Iordanis præteriens, subitò irruit cum omni manu sua in custodes camelorum: Sed resistentes plurimum, & se suumque gregem defendentes in arcu & sagitta Sarracenos reppererunt. Tandem *Willehelmus* et sui præualentes, solùm duobus viris egregiis ex suis peremtis, plurimos ex Gentilibus extinxerunt, plures captiuantes cum puellis & pueris teneris, et matrona nobilissima prænominata. Camelos verò ad quatuor millia cum cæteris armentis, prædam scilicet inæstimabilem, Ierusalem adduxerunt, quorum mutuatione plurimum aurum acceptum, iussu Regis militibus diuisum est.

XLVII. Interea *Rex* turrim quandam ciuitatis Sagittæ ampliori assultu & crebro ictu lapidum dum irrumpere conaretur, & ferè perforasset, consilio *Arnolfi* clerici et Cancellarii animus Regis repressus est, ne hanc vlterius lapidum iactu toties quassatam attereret: Dicebat enim, tam egregium opus minimè duobus millibus Byzantiorum posse reædificari, et hanc sine ruina et lapidum iactu post paucos dies in manu Regis traditam reseruari. Erat et alia turris, in qua apostatę et præuaricatores fidei ex *Prouincia* de Comitatu Reymundi ad defensionem positi, resistebant, qui Ligno Dominico, quod Rex à Ierusalem detulerat ad protegendũ populum DEI, deridentes illudebant; et sibi contrariò Crucem facientes, et in culmine eiusdem turris figentes, sputo & vrina, ipsi insipientes et maligni, inhonorare præsumebant. Quod pius *Rex* et omnis populus deplorantes, DEUM cœli flebili voce inuocant, vt fontem misericordiæ suæ aperiens, apostaticis viris et stultis Sarracenis demonstrare velit, quòd non rectè agentes, Diuinæ maiestati blasphemiam irrogare præsumsissent. Mox eorum precibus exauditis, absq; hominum labore sic turris illa concussa et diruta est, iam vespere mundo imminente, vt lapis super lapidem non remaneret, et increduli homines ruina illius suffocati, obruerentur. Rex et sui hanc potentiam Dei videntes, per hanc turrim intrare ciuitatem dis-

ponebant. Sed quia nox incumbebat, vespere consilio inter se habito, dilatum
XLVIII. est dum dies illucesceret. Verùm nocte eadem à regno Babyloniæ viri & arma copiosa in multitudine quinquaginta nauium & triremium octo, quas dicũt *Cattos*, affuerunt ciuibus *Sagittæ*, in tubis & cornibus Ptolemaidum applicantes; sed per diem à turbine venti sibi contrarii aliquantulum impeditum est eorum iter: Quod præpositus ciuitatis *Accaron* intelligens, Regi noctu festinata legatione fecit innotescere, quo minus prouisis hostilis turba nocere posset. Mane verò orto, à Tripoli ciuitate pariter multitudo nauium in manu forti, & intolerabili armatura, Babyloniis vires addidit, quatenus portum vi obtinentes, stationem fidelium nauium & Regis obsidionem amouerent. Christiani verò videntes, à longe in manu forti & intolerabili gentes applicare, à portu egressi sunt, vt resisterent, ac plurimo naualis belli impetu cum eis confligentes, diu alternis incursibus immorati sunt. Sed vim tantorum non valentes sufferre Christiani, vix ad aridam, & nequaquam ad portum, fugam inierunt; tribus suorũ nauibus superatis & captis, ac vniuersis in ea repertis cæsis & decollatis. Sarraceni verò in manu robusta portum obtinuerũt.

XLIX. Dehinc proxima die Sarraceni milites loricati & armati portas vrbis egressi cum suis copiis, vsq; ad tentoria Regis in virtute sua astiterunt, Regem expugnare & effugare arbitrantes. Verùm Rex præscius populi in se irruentis, occurrit cum quingentis solùm equitibus, quatuor verò millibus peditum, bellumque crudele committens, circiter mille quingentos occidit ex eis in ore gladii; cæteram verò multitudinem, quadraginta scilicet millia, fugientem ad præsidia ciuitatis insecutus est. Ex Regis autem exercitu ipsa die quingenti cecidisse referuntur. Cecidit & *Giselbertus* de castello quod dicitur *Cuiun*, vir illustris & valde militaris, post plurimum hac die certaminis sui laborem: quẽ Rex & sui planxerunt plurimum, more fidelium eum sepelientes. Vespere iam facto, & Sarracenis in præsidium fugatis, Rege verò adhuc incolumi campum in victoria obtinẽte, fidelis legatio sibi innotuit, vt nequaquam lucem futuræ diei operiretur, propter Turcos, quos mercede triginta millium Byzantiorum à Damasco sibi Sidonii asciuerant. Erat autem numerus eorum fermè ad quindecim millia.
L. *Rex* ergo credulus fideli legationi, cessit salubri consilio, ac cunctos vulnere grauatos *Ptolemaidem* præmittens, immisso igne propriis nauibus, cunctisque machinis ac tentoriis, vespere imminente, dum in cinerem & fauillam redigerentur, ipso in campo diem præstolatus est. Die verò agnita, Rex castra mouit ab obsidione, & Accaron tendens, in montanis hac die moram fecit; ac arte venatoria recreatus, solito more & cursu canum apros vexans, circiter quinque cepit, curas & casum suorum interim obliuioni dans.

LI. Interea in vrbe *Accaron* grauis luctus & desolatio erat inter viros & mulieres, eò quòd de vita & salute Regis vniuersa eos latebant adhuc; & multos suorum cecidisse, ac omnem apparatum nauium castrorumq; in flammas redactum audierãt. Post hæc aliqua mora habita, Rex à venatione & montanis egressus, Ptolemaidem intrauit. Quem omnis populus Christianorũ quasi rediuiuum in voce exultationis suscipiens, præ nimio gaudio lacrymatus, caput & manus illius plurimum deosculatus est.
LII. Et ecce Rege ab obsidione regresso, & *Acra* in gloria & lætitia suscepto, Turci à Damasco cum nimio apparatu equitum ante portas & mœnia Sagittæ affuerunt; sed foribus clausis, minimè intromissi sunt. Tunc quidam *Dochinus* nomine, præses Damasci, ac Princeps militiæ Turcorum, triginta millia Byzantiorum à primis & incolis ciuitatis requisiuit: eò quòd in auxilium eorum accersiti fuissent; & Baldewinus Rex, audito eorum aduentu, obsidionem distulisset. Verùm ciues et primi ciuitatis, nequaquam assequi se tantam posse pecuniam, asserentes, omnem prorsus pactionem illis negauerunt: dicentes, timore vitæ tot millia Byzantiorum illis se promisisse, vt magis ad auxilium eorum animarentur, dum tanta illis pecunia offerretur. Hęc Turci & eorum Principes audientes, vehementer in ira exarserunt; vrbemque per dies decem oppugnare non cessantes, nũc vim, nunc minas inferebant, Regem Baldewinum ad internecionem eorum se reuocare affirmantes. Tandem Sidonii Turcorum assultibus grauati, minis eorum desperati, nouem millia Byzantiorum obtulerunt. Quæ sæpius Turci refutantes, ad extremum tædio victi, Regisque vires & impetum metuentes, hoc tantillo recepto, Damascũ regressi sunt.
LIII. Ante hanc obsidionem ciuitatis Sagittæ, tempore *Rogationum* instante, scilicet ante dies Pentecostes, iidem Turci in equitatu quatuor millium loricatorum à Damasco egressi, et in regionem Tabariæ profecti, hinc

cti, hinc & hinc insidiis positis, trecentos viros in equis velocissimis præmiserunt, qui solito impetu & assultu viros à munitione abstraherent, vsque dum ad locum insidiarum perueniretur. *Geruasius*, vir nominatissimus & nobilissimus de regno Franciæ, qui tunc dono Regis præerat ciuitati & præsidio Tabariæ, Turcos aduolasse comperiēs, sine mora suis commilitonibus circiter octoginta ascitis in equis, armis, lorica, peditibus verò ducentis, nimium pugna audentibus, insecutus est Turcos præmissos cursu velociore quàm solebat; nec pedites subsequentes vllius consilio præstolatus est. LIV. *Turci* quidem simulata fuga ad locum insidiarum repedantes, *Geruasium* in medium inimicorum per scopulosa & deuia loca montium 10 perduxerūt, plurimum equis & peditibus illius cursu immoderato aggrauatis. Ad hæc Turci ab insidiis erumpentes, Geruasium & suos ex omni parte coronantes, graui cursu oppresserunt, arcum & sagittam in eos incessanter intorquentes, quos nequicquam in fugam missos, ad montana redire passi sunt. Geruasius tanta multitudine exterritus, cum exigua manu per quandā planiciem limosæ terræ fugam iniit. Sed quia fessi, & flatu exhausti, præ longa insecutione, & aquatilis terræ mollicie, cursu defecerunt, dum Turci vndique viros circundantes in illos nimium sagitta & gladio præualuerūt, Geruasius & sui fugæ & vitæ diffisi, & Turcos iam circa latus suum aduolantes conspicientes, frena equorum fortiter in hostes reiiciūt; & licet perpauci, tamen sanguine plurimo se in dextra sua vlti sunt, plurimos Tur- 20 corum sternentes, & ibidem honesta morte inter hostes feroces procumbentes. Ex omnibus his nullus euasit, præter duos armigeros, qui rei euentū Tabariæ retulerunt; sed alii occisi, alii capti sunt. *Geruasius* quoq; captus & abductus est in Damascum, catenis astrictus, & solerti custodia mancipatus. Tam crudelē famā vniuersi, qui audierunt, de tam egregio milite & interitu suorum, vehementi dolore cum fletu & eiulatu magno planxerunt diebus multis: quin & Baldewinus Rex, licet feritate leonis & apri ad omnia aduersa semper inflexus, nunc consternatus est animo, læto tamen vultu omnino dolore dissimulato. LV. Deinde post dies aliquot nuncii Turcorum Regi Baldewino *Accarone in* hunc modum locuti sunt: *Geruasium captum adhuc viuum tenemus, quem si sanum & incolumem vis recipere, tres ciuitates, Ptolemai-* 30 *dem, Cayphas & Tabariā in manu nostra restituas; alioqui, nequaquā eum periculum mortis scias posse euadere.* His Rex auditis, habito cum suis consilio, sic in hæc verba respondit: *Si aurum & argentum vel aliqua preciosa pro salute & redemtione Geruasii quæreretis, supra centum millia Byzantiorum à nobis assequi procul dubio possetis. Sed ciuitates quòd requiritis: si fratrē meum vterinum totamq; parentelam, & cunctos primores Christianæ plebis in vinculis vestris teneretis, nunquam hos pro aliqua salute vitæ illorum redderemus; nedum pro solo homine: quem si occideritis, nequaquam virtus nostra propter hoc erit imminuta; sed quandoque vt vicem mortis illius vobis rependamus, non est impossibile apud* DEVM *& Dominum nostrum.* LVI. His itaque à Rege responsis, & Turcis non vltrà habentibus spem de prænominatis ciuitatibus, *Geruasius* productus est in medio ciuitatis Damasci, qui post plurimam illu- 40 sionem sagittis Turcorum confixus, spiritum vitæ exhalauit. Mortuo sic Geruasio, milite egregio, *Soboas*, vnus ex præpotentibus Turcorum, caput illius iussit amputari; cutem verò capitis cum crinibus eius albis & floridis, multoque tempore intonsis, abstrahi & siccari, eò quòd miri essent decoris: vt in signum & memoriā victoriæ, ad suscitandum dolorem Christianorum semper in hasta sublimi tollerentur. LVII. Eodem anno, quo Rex *Baldewinus* à Sagitta obsidionem distulit, dominus *Euermerus*, Patriarcha Ierusalem, à Romana synodo rediit, quam causa excusandi se de omni querela & culpa, sibi à Rege & Arnolfo Cancellario illata, adiit; & eundem iniquā aduersus se loquentem in medio Romanæ Ecclesiæ, & in domini *Apostolici* audientia, obstructo ore fecit obmutescere; & ex sententia S. Romanæ Ec- 50 clesiæ cū litteris & signo ipsius domini Apostolici *Paschalis* ad Regem remissus est, quatenus honorificè & sine offensione sedem Patriarchatus vltrà retineret. Sed Rege nequaquam legationem aut litteras cum signo Romani Pontificis de illius restitutione audiēte, Patriarcha in ciuitate Accaron remansit, dum videret, si Regis animus erga se adhuc, DEO adiuuante, mitigari posset. LVIII. Tandem Rege ex Arnolfi instinctu, amplius Patriarchæ aduersante, nec eum in sedē Patriarchatus redire consentiente, actum est multorum consilio, quatenus *Euermerus* sine conciliis & iudicio, Patriarchatus sui dignitatē vltrò absque vlla spe relinqueret: ne sancta ac nouella ecclesia Ierusalem in hoc odio & contentione tot diebus Pastoris vigilantia careret. Iam sic Euermero vltrò & absque spe vlla honore Patriarchatus

priuato, tam Regis quàm Arnolfi Cancellarii & totius ecclesiæ electione Clericus quidam, *Gobelinus* nomine, surrogatur: & Euermerum Cæsareæ Cornelii, quæ nuper Pastore viduata erat, Archiepiscopum fieri, ab omnibus acclamatũ est. Quod quamuis iniustum sit, vt hæc fiat altercatio, nisi ex canonum decreto & sententia alter eorum fuerit condemnatus; tamen quia rudis & tenera adhuc Hierosolymitana erat ecclesia, id fieri concessit Apostolicus. Et sic Regis dono, & omnium fidelium assensu, vterque honore sublimatus est.

LIX. Cùm hæc negotia inter *Regem* & *Patriarcham* agerentur, isto negante pecuniam, illo autem pecuniam aut milites requirente, quidam Christianus, legatus *Rotgeri* fratris Boemundi, profectus de Apulia, coram Rege astitit: qui talentum auri mille Byzantiorum ante paucos dies Patriarchæ se attulisse, contestatus est in audiẽtia totius Ecclesiæ, vt illud pro peccatis suis, & pro requie animæ ipsius suorumq́;, & æqua & fideli portione inita diuideret, » *vnum videlicet in oblatione Dominici Sepulcri ad vsus fratrum, DEO inibi famulan-* » *tium alterum in sustentatione hospitalis languidorum cæterorumq́; inualidorum; tertium Regi ad* » *confortandos & remunerandos milites, rebus & armis destitutos.* Hæc Patriarcha, auaritia excæcatus, omnia soli sibi restituit; & nihil de talento his vel illis, sicut iniunctum vel dispositum cum eo fuerat, distribuit. De hac ingenti fraude & infidelitate corã Rege conuictus à testibus idoneis, non vltrà se valens excusare, conticuit. Quapropter statim sine dilatione priuatus est potestate & oblatione Dominici Sepulcri; camerarii verò ac priuati & conscii illius capti, & in custodiam missi sunt.

ALBERTI AQVENSIS EXPEDITIONIS HIEROSOLYMITANÆ LIBER VNDECIMVS.

Argumenta Capitum.

EODEM tempore, quo *Rex Baldewinus* ab obsidione Sagittæ rediit, *Willehelmus* Comes de Sartangis, cõmisso prælio cum Rege Damascenorum, *Hertoldino* nomine, & eodẽ cum copiis suis attrito in campo castelli Montis peregrinorum, in victoria & gloria cum mille loricatis equitibus & in spoliis multis regressus, præsidiũ *Archas*, quod dux Godefridus prima expeditione multis ingeniis aut viribus superare non potuit, nunc post plurimam vastationem segetũ ac frugum, quam singulis annis circa regionem intulit, consilio cuiusdam Sarraceni in virtute magna obsedit, eò quòd penuria alimenti habitatoribus loci nimia inesset. Qui tribus septimanis plurimam impugnationem machinis & balistis custodibus præsidii inferens, nullum introitum aut exitum alicui concedebat, donec præsidiũ, quod natura munitum, & humanis viribus insuperabile erat, fame arctaretur, & in eius deditionem redderetur. Quod ita actum est. Nam tribus septimanis transactis, tanta vniuersi habitatores inedia sunt oppressi, vt versus montana, vbi obsidio fieri non potuit, muris perforatis, præsidiũ armentis vacuum, armis plenum, sed pecunia & preciosis quibusque iam asportatis, reliquerint. Quod quidam de exercitu Willehelmi percipiens, eò quòd nulla fieret à mœnibus præsidii defensio, trãs Barbicanas & muros ad explorandam rem clàm ascendens, neminem vidit aut persensit; idque sine mora domino & Principi retulit Willehelmo & vniuersis sociis: qui statim fractis seris & portis immissi, turres & mœnia obtinuerunt & munierũt; ac præsidium vltrà retinentes, totam regionem vsque Damascũ expugnantes de die in diem inuaserunt.

Eodẽ anno tempore quadragesimali, Martio mense inchoante, *Bertrannus*, filius comitis Reymundi, vndique sua in terra contractis copiis virorũ bellatorũ & equitũ loricatorum, cum quadraginta Galeidis, quatuor millia continentibus, in singulis Galeidis centum viris pugnatoribus constitutis, absque nautis, nauigio à loco & *vrbe S. Ægidii* egressus, *Pisas*, vrbẽ Italiæ applicuit. Vbi Genuensibus, qui in eodem voto Ierusalẽ eundi conspirauerãt, assumtis, & mutua fide firmatis sibi, octoginta verò Galeidis eorum sibi associatis, ad *Amiroth*, ciuitatẽ Imperatoris Græcorũ, nauigio peruenit, vbi escas & vitę necessaria vi vndique conferebant. Nec mora Imperatoris auribus innotuit, quomodo *Bertrannus*, filius comitis Reymundi, terram Græ-

eorum in virtute magna occupasset, & eam grauiter depopulari nō timuisset. Qui illico illi misit nuncios, vt ad se ingrederetur, in fide à suis susceptus primoribus, & habito secum pacis colloquio, quantum vellet pecuniæ dono Imperatoris reciperet; & loco patris sui sibi in amicitia & fidelitate restitueretur, terram verò suam cum suis pertransiret. Qui statim Regis imperio acquieuit, & de mari per *Brachium S. Georgij* descendens cum quibusdam de comitatu electis, Imperatori in palatio suo locutus, sacramento ei coniunctus & subiectus factus est. Deinde donis plurimis auri, argenti, ostri ab Imperatore susceptis, nauigium iterans, vsque ad *portum*

V. *S. Simeonis* vela direxit, quem *Tankradus* nunc sub sua potestate retinebat. Qui continuò nunciis Tankrado missis ex consilio suorum, vt virum salutarent, & aduentum suum apparatumque suorum consodalium illi indicarent, iussit, obnixè precantes, quatenus secum habere colloquium non refutaret. Tankradus in virtute magna hunc intelligens aduenisse, accitis vsquequaque viris suis, ab vrbe Antiochia illic occurrit, ad eundem portum; & oscula ad inuicem dantes, noctem illam in lætitia magna pariter deduxerũt. Mane autem facto, requisiuit Tankradus,

VI. qua de causa aduenisset. *Bertrannus* post plurima verba benignè inter se habita, Tankradum in omni admonitione humilitatis precatus est, vt hanc partem Antiochiæ, quam pater suus in introitu ciuitatis prior inuaserat, sibi restituere non refutaret. *Tankradus* eius petitionem non abnuit, hac tamen conditione apposita, vt ad Mamistram ciuitatem obsidendam & recuperandam eius opem & vires haberet, quam nuper traditione Armeniorum Imperatori redditam amiserat; alioqui sibi nihil super his velle respondere. *Bertrannus* verò precibus Tankradi nequaquam in obsidione huius ciuitatis acquieuit, propter fidelitatẽ, quam Imperatori se promisisse non negabat: Verùm si ei in animo sederet, Gybel se obsidere & apprehendere promittebat, eò quòd ciuitas esset Sarracenorum. *Tankradus* verò rursus de Mamistra admonuit, de Gybel prorsus tacuit. Sed *Bertrannus* pro sacramento facto, nihil se aduersus Imperatorem, aut eius ciuitatem, acturum re-

VII. spondit. Ad hæc Tankradus grauiter indignatus, spreuit eum, admonens, vt cum suo comitatu terram, quæ de sua erat potestate, citò pertransiret, ne grande malum sibi suisque cõgregata manu inferret. Et illico præceptum est in omni hac regione, ne aliquis esset, qui Bertranno aut suis vitæ necessaria vendere præsumeret, si membrorum salutem diligeret: Hoc audito *Bertrannus* & sui, nauigium à portu iterantes, vsque ad ciuitatem *Tortosam* applicant, quam Comes Reymundus denuò expugnatã cœperat, & nunc Willehelmus de Sartangis suam retinebat. Hæc sibi nequaquam contradicta patuit; sed in ea hospitatus & sui, bonis terræ epulati

VIII. sunt. Die autem facta, cognato suo *Willehelmo* legatos dirigit, vt terram de *Camolla*, quam pater suus in primordio viæ huius inuaserat, sibi non negaret, si eius obsequium & amicitiam retinere curaret: Qui respondit, non facilè se hoc verbũ posse adimplere, cum Reymundo mortuo terra sibi in hæreditate constituta sit, & eam multis diebus per magna pericula & labores ab hostibus defendisset. Tandem Willehelmus de hac legatione solicitus, consilio cum suis inito, Tankrado nuncios dirigit, quatenus ei subueniret aduersus Bertrannũ, cognatum suum; & illius copias, & terram ex eius manu susciperet, illique vltrà & miles suus seruiret. Hoc audiens Tankradus, annuit omne auxilium Comiti Willehelmo, diẽ constituens, quatenus ad Tortosam illi occurreret; & sic adiunctis armis suis & viribus, Bertrã-

IX. num & eius adunationem de terra & ciuitate effugaret. *Bertrannus* horum decreto & confœderatione comperta, à Tortosa discessit, & festinatò tertia die nauigio ciuitatem *Tripolin* in virtute magna terra marique obsedit. Obsidione itaque locata, Baldewino Regi Ierusalem nuncios misit, quomodo Tripolin obsederit; & quia Willehelmus de Sartangis & Tankradus sibi negatis vrbibus patris sui, vim inferre parati & confœderati fuerint: & ideo multum super his iniuriis eius auxilio indigere, seipsum in eius obsequio asserens velle manere. Cuius lega-

X. tos Rex benignè audiens, opem promisit, ac statim *Paganum* de Cayphas accitum, & *Eustachium*, cognomine Granarium, *Tankrado* & *Willehelmo* legatos in hæc verba direxit: *Bertrannum confratrem & conchristianum, filium comitis Reymundi, à nobis auxilium scitote quæsisse super iniuriis, quas sibi nunc infertis de terra & vrbibus patris sui, quod sic nequaquam fiat. Placet enim vniuersæ ecclesiæ Ierusalem, vt ad nos Tripolin descendẽtes, iniustè ablatas ciuitates restituatis tam Bertranno, quàm Baldewino de Burg & Gozelino de Turbaysel, & sic inuicem consilio & conuentu habito, in concordiam redeamus. Alioqui terram, quam nuper intra-uimus,*

nimus, aduersus inimicos hos in circuitu, Turcos & Sarracenos, nequaquam poterimus retinere. Interea Rex cum quingentis equitibus totidemque peditibus *Tripolin* descendit, *Sur*, *Sagittam*, *Baurim*, pacificè pertransiens, propter pacem, quam post obsidionem Sagittæ ad excolendas fruges & vineas firmam & inuiolabilem multo auro ab ipso Rege impetrauerunt. *Bertrannus* viso Rege & eius apparatu, gauisus est, & homo eius ibidem iureiurando factus. Iam tres septimanæ huius obsidionis & expugnationis ante Regis aduentum transierunt, cùm nec machinis aut aliquibus mägenarum quassationibus aut terroribus vrbs adeò concuti aut superari potuit, vt portæ Bertranno aperirentur, nisi Regis præsentia affuisset. *Tankradus* Regis voluntate & nunciis auditis, Willehelmum ab ira & omni assultu compescuit, donec Regi ore ad os loquerentur, & ad eum Tripolin proficiscerentur. Qui statim adunatis septuaginta viris, equitibus egregiis, Tripolin diuerterunt: quos post paululum *Baldewinus* de Rohas & *Gozelinus* de Turbaysel, iuxta mandatum Regis, in equitatu magno subsecuti sunt. His omnibus illic collocatis, & cunctis iniuriis vtrinq; coram Rege & fidelibus suis recitatis, *Baldewinus de Burg* & *Tankradus* reconciliati sunt, Baldewino, quæ iniustè obtinuerat, a Tankrado benignè remissi. *Bertrannus* etiam & *Willehelmus* concordes facti sunt, ea tamen conditione: vt Willehelmus Archas, & cætera quæ acquisierat, obtineret; Bertranno verò acquisita patris sui nemo impediret. *Rex* autem *Tankrado Cayphas* ciuitatem, *templumq. Domini, Tabariam* simul & *Nazareth* cum omnibus reditibus, accepta ab eo fidelitate, reddidit, quatenus deinceps in eius obsequio & dilectione stabilis permaneret. Tantorum Principum comperta concordia, *Sarraceni*, non vltrà vim ferre valentes, pacemq; quærentes, vrbem præterquam Regi nemini dare conspirant, eo quòd vita & salute membrorum impetrata, eius fidei se præcipuè credebant, ne à *Pisanis* & *Genuensibus* fœdere violato, armis impeterentur, sicut Ptolemaidenses; & non pacificè ab vrbe exirét. *Rex* itaq; vrbe suscepta, dextram illis dedit, vt ab vrbe incolumes exirent, non amplius, nisi quod humero valerent, efferentes. Et ecce, aperta ciuitas & eius portæ: quas Pisani & Genuenses & omnis exercitus intrantes, mœnia & turres munientes vsquequaq; diffusi sunt. Quingenti milites in armis & lorica à *Rege Babylonia* missi, qui vrbem cũ ciuibus defensarent, audito facto fœdere de vrbis traditione in manu Christianorũ, subterraneo habitaculo, quod miro opere murali ędificatũ erat, abscõditi sunt à facie introeuntiũ & vrbẽ perlustrantiũ: Deuouerant enim se ac cõspirauerant, in ipso primæ noctis silentio nullo somno sopiri, quo vsq; progressi de latibulo subterraneo, vniuersos somno deditos, & securè quiescentes, in impetu & vociferatione ex improuiso armis detruncarent. Sed mulier quædam, quæ à Christianis in prima apprehensione ciuitatis capta grauiter torquebatur pro dãda pecunia, tãdẽ nimiũ anxiata, & in articulo mortis posita, in hunc modũ tortoribus suis locuta est: *Si vitam meã parcere velletis, & à pœnis quibus me vexatis, manus cõtinentes, me liberã à catenis exire permitteretis, saluti vestræ & cõfratrũ vestrorũ procul dubio cõsulerẽ, et tale quid vobis propalare, vnde vita vestra incolumis persisteret, quæ post modicũ vobis securis in dolo & mira arte extinguetur. Quod si de his quicquã fefellero, difficiliores cruciatus, quos didicistis, in me inferte, & vitã meã nõ vltrà super terrã vna hora esse patimini.* Illi autẽ milites, mulieris verba & cõstãtiã admirati, cõsilio clã inter se habito, in fide illi firmata sibi parcere spopõderũt, si iuxta verba eius veritatẽ de his experirẽtur. Ad hæc mulier rẽ & omnes dolos, sicut erãt, vniuersis aperuit, dicẽs: *Deuenerunt ciues callido & occulto consilio ante vrbis huius captionem, & salutis suæ pactionem, vt milites quingenti loricati à fœdere Christianorum excepti, quoddam subterraneum habitaculum intrantes, cum armis occultarentur infra vrbis huius habitationem, qui tenebris incumbentibus, & vobis securè dormientibus, pariter cum impetu & tumultu prodirent; & vos improuisos, ac huius rei nescios, armis mortificarent.* Hoc machinamento in exitium Christianorum à muliere quibusdam militibus catholicis, à militibus vero Regi Baldewino & cæteris primoribus detecto, sine dilatione Rex & vniuersi in armis conglobati, ad loci cæcati & subterranei habitaculi vndique concurrentes, locum in circuitu obsederunt; & viros abintus parum resistentes ad extremum vi & plurima impugnatione vinctos & eductos in ore gladii percusserunt, nulli eorum parcentes. Mulier verò iuxta promissionẽ fidei, quę ei facta est à fidelibus, à carcere & vinculis deinceps libera fuit; ac vniuersa sua sibi sine cõtradictione tã in ædificiis quã cæteris rebus restituta sũt. Dehinc post paululũ tẽporis *Willehelmus de Sartangis*, prouili ira & cõtẽtione, qua armigerũ suũ molestauit, occulta infestatione ab eo trãs cor sagitta cõfixus expirauit: & sic *Bertrannus* præsidiũ Archas & vniuersa, quæ de illius erant potestate, solus obtinuit subiugata. Capta itaque & subiugata ciuitate *Tripla*,

Rex *Baldewinus* consilio *Bertranni*, filii Comitis Reymundi, quem præfecerat eidem ciuitati, in anno sequenti conuocatis vniuersis viris Christiani nominis, in mense Decembri mediis algoribus ciuitatem *Baurim*, quam vocant Baruth, obsedit: quæ in angusta fauce montium sita, & vix commeabili, à montanis viam exhibet iuxta littus abyssi maris descendentibus. Nauigio Bertranni & Pisanorum à Tripla versus mare applicato in vrbis obsidionem, ad planiciem camporū cum ingenti manu Gallorum, equo & pede ad omnem assultum paratorum, Regis & suorum tentoria locata sunt. Obsedit denique eam diebus multis, ac tormētis lapidum turres & muros singulis diebus non parcè assiliens & quatiens, nulla intermissione ciues ac defensores respirare sustinebat: Sed & vineas & sata succidens & vastans, vrbem non modicè perterrebat.

XVI. Post hæc cùm dies aliquot obsidionis euoluerentur, & veris tempora iam aspirarent, legati *Baldewini* de *Burg* à ciuitate Rohas venientes affuerunt, nunciantes Regi, quòd ex instinctu & suggestione Tankradi Principis Turcorum, *Arangaldus* scilicet, *Armigazi*, & *Samarga* de regno Corrozan, in multitudine graui ciuitatem *Edessam* obsedissent; & regionem vndique grauiter depopulati sint, Baldewinum assiduis oppugnationibus lacessentes, ciuitatem quoq; plurimis assultibus aggrauantes. Asserebant etiā iidem nuncii, vltima necessitate famis ac defensionis Baldewinum & vniuersos ciues compulsos: & ideo in breui eos Regis ope indigere aduersus tot millia Turcorum, ne vrbs capta & subiugata cum rebus & ciuibus periclitetur, & non Baldewinus suiq; capitali sententiæ subdantur. Rex vt hæc audiuit, legatos sub iudicio mortis hunc ingratum rumorē tacere iussit: quem & ipse dissimulans miro silentio suppressit, ne hominū corda, audita hac Turcorum superbia & audacia, pauefacta minus ad vrbis ruinam laborarent. Siluit igitur Rex, siluerunt & nuncii. Nec modò aliò intendit, nisi vt machinæ, iactus lapidum assultusq; circa vrbis mœnia fierent, quo vsq; Sarracenorum interiore virtute edomita, vrbs reddita aperiretur, ciues gladio punirentur, aut victi caperētur.

XVII. Tandem portis cum seris suis & muris grauiter quassatis, *Ammiraldus* ciuitatis in insulam, *Cyprum* nomine, quæ est de regno Græcorum, nauigio noctu aufugit, cum multis desperatis, eò quòd in vrbis præsidio non aliquam fiduciam viuēdi aut manendi haberent: quoniā dierum curriculis nulla à Rege Babyloniæ auxilia mitterentur. Ciues autem videntes quomodo Ammiraldus & omnes Capitanei aufugerent, & vrbs à facie Christiani regis retineri non posset; & quòd terra mariq; tam longo tempore vndiq; bellum intolerabile ingrueret, vltrà vim ferre non valentes, dextras sibi dari, & vitæ suæ parcere rogabant, vt sic portis apertis, vrbem salui egrederentur. Quod & actum est. Nam datis dextris, & ciuibus cum pace egressis, capta & patefacta est ciuitas sexta feria, quæ est ante Sabbatū sanctæ Pentecostes. Sed eorum, qui adhuc in vrbe inuenti, fœdere facto non exeuntes, stultè permanserant, à Bertranno & Pisanis circiter vnū & viginti millia occisi sunt. Parum quidem preciosarum vestium, aut alicuius ornatus repererunt: Nam ciues desperati, quod preciosius erat illis, in medio ciuitatis comportantes igni conflauerunt; aurum verò, argentum, vasa preciosa clanculum ac paulatim per cæcos aditus in Cyprum insulam noctu translata sunt.

XVIII. Capta autem ciuitate, *Rex*, custodibus in ea ordinatis, *Ierusalem* reuersus est. Vbi celebrato festo Pentecostes, obsidionem *Edessæ* vel Rohas & calumnias Baldewini de Burg, sicut à legatis didicerat, tunc primum Bertrāno & vniuersis de domo sua & de domo Ierusalem aperuit, in hūc modū per verba omnes adhortatur: *Gratiā DEI & Domini nostri* IESV CHRISTI *voluntas nostra ac victoria adimpleta est de Baruth, licet longo tempore eam expugnauerimus. Sed nunc vt Rohas ciuitati & Baldewino, in ea obsesso, subueniamus, omnium vestrūm quæro beneuolentiam: nec sit, qui auertat, cùm confratres sint, in omni necessitate nobis subuenire parati. Est enim inuiolabilis caritas vt subueniamus, & animas pro fratribus & amicis ponere non dubitemus.*

XIX. Ad hæc verba Regis, vniuersi qui aderant de regno Ierusalē, fiunt voluntarii, ad expeditionē Rohas agendā, & conferendam opem obsessis conchristianis, vt cum Turcis bellū inirent, & animas pro fratribus darent, iterant apparatū, renouant; & adhuc recentiū laborū circa Baruth immemores, viam Rohas in initio mensis Iunii insistunt in galeis & loricis, in cuneis septingentorum equitum electorum, in manu trecentorum peditum, arcu & lancea apprimè valentium. Profectus est igitur *Rex*, profectus *Bertrannus* cum copiis suis à ciuitate Ierusalem, vigili & solerti prouidentia militum munita; munitis & cæteris ciuitatibus, quæ suæ erant potestatis. Descenderunt itaque in campos & regionem *Armeniæ* ad ciuitatem *Rohas* diebus mensis

mensis vnius in itinere peractis. Quibus Regis audito aduentu, à diuersis locis & præsidiis per centenos, sexagenos & quinquagenos plurimi tā Galli quàm Armenii Christiani concurrentes, auxilio iuncti sunt. Vix ad flumen *Euphratem* peruentum est, & multiplicatus est eius exercitus ad quindecim millia virorum pugnatorum. Vt autem intrauit terminos & confinia ciuitatis in hac manu forti, in splendore signorum & galearum ex serenissimis radiis æstiui Solis, in grandi sonitu tubarum, & tumultuosa populi aduentatione; *Turci* comperta per exploratores illius approximatione, auulsis tentoriis ab obsidione recesserunt; & in terram ciuitatis *Caran*, quæ sex milliaribus distabat à Rohas, relocatis castris, consederunt, donec scirent & intelligerent, si Regis viribus & copiis possent occurrere & resistere. His verò diei vnius spatio à statione obsidionis Rohas remotis, *Baldewinus* de Burg lætatus fama aduentus Regis, cum quadringentis equitibus, viris bellicosis, & decem millibus Armeniacæ gentis, obuiam illi ab vrbe festinans, Turcos versus Caran diuertisse, notificauit; sed in castris eos adhuc præstolari, & audire de eius proposito, cum quadringentis equitum millibus nimium confidentes. Hos *Tankradi* consilio & instinctu ad obsidionem Rohas conuenisse referebat; & in omnibus Tankradum sibi contrarium & infestum esse. Hac Baldewini super iniuriis Tākradi audita querimonia, *Rex* consilio suorum *Tankrado* legationem Antiochiæ misit, vt ad eum, & primos exercitus Christianorum, descenderet; & si quæ ei iniustè essent illata à Baldewino, omnia aut æquo iudicio, aut concordi consilio Maiorum, in præsentia Christianorum se velle definire. Qui multum renisus est venire: tandem consilio suorum cum mille quingentis militibus loricatis descendit: vt de omnibus his quibus à Baldewino de Burg accusaretur, audiret ac responderet; & si quæ haberet aduersus eum, in audientia omnium demonstraret. Ergo veniens Regem salutauit, & à Rege susceptus est benignè. Dehinc Rex, præsente cœtu fidelium, rationem cum eo habuit; quare aduersus fratres & conchristianos Turcos eduxerit, cùm potius Christianis subuenire debuerit. Qui se minimè excusans, hac de causa se illis non subuenisse respondit, quòd *Baldewinus*, præses ciuitatis Rohas, nullum sibi respectū fecerit; cùm ante hos dies ipsa ciuitas Rohas & multæ aliæ ciuitates de regno fuerint Antiochiæ, & illi subditæ annuos reditus dominatori Antiochiæ dederint. Ad hæc Rex *Baldewinus* Tankradum cum omni mansuetudine de hac querimonia compescuit, dicens: *Frater mi Tankrade, non iustam rem exigis, nec aduersus Baldewinum iustam habens molestiam; de aliquo loqui debes tributo, quod Antiochiæ hactenus reddebant ciuitates; cùm nihil inter nos de iure Gentilium simus habituri in omnibus, quæ DEVS nostræ subiiciet ditioni. Nosti, & vniuersis notum est Christianis, qualiter cum à terra & cognatione exiuimus, pro nomine IESV exilia quærentes, patrimonia deserentes, decreuerimus, vt quicquid in terra hac peregrinationis nostræ quisque de regno & terris Gentilium expugnatis apprehenderet, pacificè & liberè obtineret; nullus ad iniuriam in eum manum mitteret, nisi vt subueniret, & animam pro fratribus singuli ponerent. Et ideo scias, quia non iustam aduersus Baldewinum habes querelam, cùm Gentilium decreta & nostra non conueniant; & stabili consilio de hoc in vnum consenserimus, si res Christianorum adeò sublimè procederent, vt Regem constitueremus, eum ceu caput, rectorem ac defensorem ad nostra retinenda ac propaganda subiecti sequeremur. Vnde ex timore DEI & iusto iudicio omnium, qui nunc assunt Christianorum, oportet te in concordiam redire; & ab omni molestia, quam habes aduersus Baldewinum animum reuocare. Alioqui si Gentilibus vis sociari, & nostris moliri insidias; nequaquam frater Christianorum poteris remanere. Nos quoque confratri Christiano iuxtà decretum nostrum coadiutores & defensores ad omnia parati sumus.* Tankradus Regem se iuste arguentem ex iudicio omnium intelligens, nec se iustam aduersus huius dicta habere excusationem; in concordiam & amicitiam rediit; ac pœnitentia ductus, quòd cum Gentilibus quicquam aduersus confratrem machinatus fuerit, promisit se vltrà putum ac fidelem, sicut à principio viæ deuouerat, coadiutorem confratrum velle persistere indeficientem. Hac pace composita, mixtis copiis & armis, Rex & Tankradus Turcos inter Caran insecuti sunt, vt pugnarent cum eis. Sed audita eorum reconciliatione, fugam inierunt, per deuia & montana diffusi; plurimis tamen de comitatu suo attritis, armentis & cibariis non parum retentis & abductis. *Baldewinus* Rex ab insecutione & contritione inimicorum regressus, in terra Edessæ paucis diebus moram fecit; reparans & componens vndique odia & dissidia inter Christianos reperta. Vix *Rex* & *Tankradus* sub festinatione scilicet, diei & noctis horis continuis

ad flumen Euphratem peruenerant, & ecce *Turci*, collectis vndiq; viribus & copiis, velociter eos insecuti sunt, vt eos in terga cæderet, & sagittis in impetu & solita vociferatione expugnarent. Verùm Rex comperto aduentu & audacia eorum, flumé nauigio tantùm duarum nauiũ transire properauit cum omni manu, quã eduxerat. Sed infelici casu, Rege & Tankrado cũ plurima manu exercitus sui trãsmissis, vtraque nauis, nimis cumulata armis & militibus, mediis fluctibus cœpit periclitari & submergi: & sic cętera manus, quę altero in stagno ad quinq; millia remanserat, nequaquã vltrà aut remis aut aliquo auxilio transuehi potuit. Nec mora, Turci in ipso feruore medię diei affuerunt in multitudine graui, qui miserũ vulgus inuentũ, nec transitum fluminis euadere valens, fortiter incurrentes, crudeliter in arcu & sagitta peremerũt, vidente Rege & Tankrado, & vniuersis hac parte fluminis cõsistentibus. Rex tristis & dolẽs nimiũ factus est, eò quòd naues periissent, & nequaquã suis, in aspectu eius cadentibus, subuenire potuisset. [XXV.] Turcis post tam cruentam cædem in terrã Edessę reuertentibus, *Baldewinus* de Burg, qui Regem cum trecentis equitibus sequebatur, illis obuiã factus, nequaquã diuertere valens, bellum cum eis committere præsumsit. Sed Turci in multitudinis suæ virtute præualentes, vniuersos sagittis confixerũt. Solus Baldewinus ad montana fugiendo cõtendens, vix à manibus eorũ elapsus est. Altera die crudelis fama tam grauis euentus in auribus *Regis* ac *Tankradi* innotuit. Qui statim nauigio aptato, flumen cũ suis traiecerunt, vt in Turcis dignam pœnam rependerẽt loco aliquo repertis. Sed minimè repertis aut visis, Baldewinũ de Burg desolatum & mœstum ac flebilem de strage suorum repertum, in manu robusta Gallorũ Rohas viuũ & incolumem perduxerunt. [XXVI.] Interea frater Regis de Norwegia, *Magnus* nomine, in plurimo apparatu, in multa armatura, in manu robusta, in buzis quadraginta, in decẽ millibus virorum pugnatorum, per bienniũ in circuitu spaciosi maris à regno suo enauigãs, in portu *Ascalonis* ciuitatis anchoram integris horis diei ac noctis fixit, vt videret, si aliqui viri à ciuitate terra vel mari sibi occurrerent, cum quibus ex industria aut euentu aliquod certamẽ iniret. Sed Ascalonitis silentio compressis, & minimè prodire audẽtibus, postera die *Iaphet* applicuit, desiderio adorandi in Ierusalẽ. [XXVII.] Dehinc post dies aliquot incomparabilis naualis exercitus à regno Babyloniç in galeidis, in biremibus & triremibus, dictis vulgariter *Cattis*, turritis & bello compositis, aductus est in ciuitatem *Baruth* vel Baurim, ad recuperandam vrbem, si aliqua daretur opportunitas: Et spacio diei illic considentes, custodes Christianorum lacessentes, nullo eis ingenio nocere aut præualere potuerunt. Nulla siquidẽ virtute aut industria hîc præualentẽs, sed spacioso ambitu vrbẽ obsidentes, naues à longè fastigio mali speculati sunt: quarũ tres à Flandria & Antuerpia venerunt, quibus præerat *Willehelmus, Starcolfus* & *Bernhardus*, causa adorandi in Ierusalem adnauigantes; quarta de regno Græcorũ diuersas merces & cibaria portans, causa negotiationis huc viam maris pariter profecta est. His visis, & Christianitatis signo recognito, vndique certabant remis, Buzis & Galeidis, vt eas coronantes captiuarent, ac plurimo conatu remorum ad eas festinantes, graui eas insecutione coëgerunt ad fugam. Sed DEI gratia opitulante, velociore velo & remis viam maturantes, vna ad ciuitatem *Cayphas* euasit, ciuibus Christianis auxiliũ à terra in arcu & sagitta illi ferentibus: aliæ duę inter Cayphas & Acram pondere suæ molis quassatæ, aquarũ profundo deficiente, ciuibus Christianis pariter illis ad auxilium festinantibus elapsæ sunt: quarta de regno Græcorum, nimium tardata, capta & retenta est, ac rebus omnibus expoliata. [XXVIII.] Eodem quoq; tempore eiusdem mensis Augusti, quo hæc fiebant, *Ascalonitæ* gauisi absentia & diutina expeditione Regis Baldewini, æstimantes modicas vires militum *Ierusalem* remansisse, quingentis equitibus ascitis, decreuerunt ciuitatem obsidere & expugnare; & viros, qui erant in arce turris Dauid, bello lacessere. Verùm fideles CHRISTI cognito decreto & aduentu illorum, Rames, Assur, Ioppen, Cayphas, Cæsaream vndique miserunt ad vniuersos Regi Baldewino obœdientes, vt sine mora die ac nocte Ierusalem festinarent, vrbem & eius arcẽ ab hostili assultu defensarẽt. Qui mox ex omni parte festinãtes, ciuitatẽ intrauerũt noctis in silẽtio, & portas vigili custodia tam Clericorũ quã mulierũ, turresq; fideli militũ diligẽtia muniẽtes; cęteri armis & sagittis conglobati milites treceti, equo & pede per mõtana descẽderũt, quò Ascalonitarũ via affutura erat. Et ecce Ascalonitę assunt in equitatu magno & apparatu, obuiam facti Christianis in cãpo, Vbi prçlio diu cõmisso armis & sagittis, ad extremũ Ascalonitę terga verterũt.

Quos

Qu Christiani insequentes, ducentos peremerunt, equos & spolia multa cũ captiui multis Ierusalem abducentes in lætitia & victoria inopinata. Naualis verò ercitus, qui à Babylonia eruperat, & Christianis per mare insidias parabat, à Baum *Ptolemaidẽ* diuertit. Et plurima vi in malorũ altitudine præeminentes, adeò vrb defensores aggrauantes bello vexauerũt, vt totũ portum ferè per dies octo, in nau multitudine & fortitudine inuadentes, obtinuerint. Interea dũ in hac vrbe Ptomaide magna fieret desolatio, & vix catena portus hostibus obsisteret, ne vrbẽ apprehẽdissent, Rex *Baldewinus*, & *Bertrannus* ab Antiochia & Rohas cũ omni mau adhuc indiuisa reditũ parabant. Qui audita Babyloniorũ adunatione & op-
10 pugnatione aduersus Accaron, velociori via accelerebãt, vt suis subuenirẽt, & ab hostili impugnatione liberarent. Verùm *Rex* parte sui exercitus in auxiliũ Ptolemaidensibus ciuibus Christianis relicta, ex cõsilio prudentiũ virorũ primùm *Ioppen* ad Regẽ de Norwegia diuertit, vt ex ore illius audiẽs, sciret, quid primũ instare & implere posset. Mox omni amoris vinculo fœderatis, Rex nomine *Magnus*, Baldewinũ Regem obnixè precatur, vt via secum ad orandũ in Ierusalẽ insistat ex Domini IESV auctoritate, qui iubet fideles suos primùm quærere regnum DEI, & postea omnia profutura quærẽtibus inuenire; deinde agere, quæcũq; eligeret, aut ciuitatẽ suo nauali exercitu obsidere. *Baldewinus* Rex votis Regis Magni & suorum primatũ cum omni beneuolẽtia satisfecit; & Ierusalẽ sicut deuouerat, se cũ eis itu-
20 rũ nõ negauit. Ascendentibus itaq; vtrisq; Regibus in sanctã ciuitatẽ, vniuersus clerus in albis, & in omni cultu diuinę religionis, in hymnis & canticis cũ vniuersis ciuibus & populis occurrerũt; & Reges cũ omni comitatu suo vsq; ad Dominicum Sepulcrũ in voce exultationis abduxerũt. Rex siquidẽ *Baldewinus* Regẽ Magnum manu honorificè ac familiari amore ducebat, iuxta Apostoli vocẽ, qui vt *honore inuicẽ præueniamus*, nos adhortatur. Ducebat quidẽ eũ, ac docebat omnia loca sancta, & ea, quę nota habebat; ac multo obsequio & regali apparatu per dies aliquot eundem procurabat. Deinde vt magis ac magis amore & fide firmarentur, ad flumen *Iordanis* in manu forti cũ eo descendit: vbi catholico ritu in nomine Domini IESV peracto, *Ierusalẽ* ipsum Regem Magnũ in gloria & iucunditate sanũ, & ab omni tur-
30 bine tutum, reduxit. Post hæc Ierusalẽ reuersi, conuocata ecclesia, decreuerũt cõmuni consilio *Sagittã*, vel Sidonẽ, quæ multa Peregrinis damna & calumnias inferẽs, Regi sæpius restiterat, obsidere terra mariq;, & nunquã ab ea recedere, donec vrbs capta in manu Christianorũ traderetur. Nec multa mora, Rex *Baldewinus* & *Bertrãnus* acceptis copiis, in apparatu copioso castra metati sunt in obsidionẽ vrbis Sagittæ, machinas & tormẽta lapidũ instituẽtes, quibus vrbs per singulos dies oppugnaretur. Mouit pariter ab Ioppe Rex *Magnus* nauales copias, & applicuit ad vrbem Sagittã, vt eam à mari obsidens et expugnans, nullũ introitũ aut exitum hac in parte pateretur. Horũ tam fortiũ virorũ & magnorũ Regum apparatũ & vires terra mariq; adesse intelligẽs naualis exercitus *Babyloniæ*, à portu *Ptolemaidis* et eius im-
40 pugnatione secessit ad portũ *Sur*, quæ est Tyrus, illic morã faciens, ne Rex Magnus repertos in obsidione Ptolemaidis nauali certamine disturbaret. Sed tamen aliqui ex Babyloniis, buzis velocissimis freti, hac et illac mediis aquis plurimo inferũtur conamine, si fortè aliquo euentu Catholicos viros superare & abducere valerent. At Babyloniis minimè successit: vnde Baldewini Regis audaciam et industriã metuentes, remensis aquis Babyloniam reuersi sunt. *Baldewinus* Rex et *Bertrannus* accitis copiis, obsidionẽ à terra statuerũt; Rex de Norwegia cum omni manu sua anchoras figens, versus mare sedẽ in circuitu vrbis firmauit. Sic locata obsidione, toto conamine in assultu & crebris ruinis muros & turres vrbis angustiantes; ciuibus è cõtra in armis et tormento lapidũ abintus fortiter resistentibus, machinam
50 multis diebus compositã applicantes, viros in arcu Baleari in ea posuerũt, qui altitudine solio [illegible] machinæ eminẽtes, desuper muros per vrbem & turres & eius mœnia specularentur: et sic per vicos et plateas gradientes plaga intolerabili arctarũt.

Ciues autẽ videtes, machinã altitudine vrbẽ superare, & ciuibus nocere, noctis in obscuro cauationem sub murorum fundamento plurimo conatu, et mira industria, fecerũt: vt facta cauatione trans muros vsq; ad stationẽ machinæ, ligna arida, & ignis fomitẽ, comportarent; & his subitò in fauillã redactis, cum humo machina rueret, et viros in ea positos in momento suffocaret. Sed Rex hanc artẽ præcauens iniquam ex quorundã relatione, machinam à loco cauationis amouit: et sic labor Sidoniorum frustra consumtus est. Tandem curriculo sex hebdomadarũ *Sidonii* videntes se nihil aduersus machinam præualere, et tormentis lapidum assiduè

XXIX. XXX. *Rom. 12, 10* XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV.

vrbem & eius portas concuti, quin & nauali assultu non minus grauari; naualem verò exercitum Babyloniæ abesse, dextras sibi dari poscunt, & vrbem cum turribus & clauibus in Regis manibus reddi, sub hac tamen conditione, vt Ammiraldus præses ciuitatis, & quibus esset animo, cum rebus suis, quantum valerent collo & humeris deferre, pacificè egrederentur. *Rex* verò longa obsidione & assultu defatigatus, consilio cum Rege Norwegiæ, cum Bertranno Comite, & cęteris viris satis habito, petitioni Sidoniorum cessit: & sic vrbe in potestate suorum reddita & patefacta, Sidonii cum Ammiraldo suo circiter quinque millia cum rebus suis in pace egressi sunt, vsque ad Ascalonem proficiscentes: cæteri qui remanserant, sub

XXXV. iugo Regis & in eius seruitutem redacti sunt. Rex *Baldewinus* post hæc in manu & custodia suorum ciuitate cõstituta, *Ierusalem* ascendit in gloria & victoria in natali S. Thomæ Apostoli: ibique natali Domini gloriosè & catholicè celebrato, exaltatum est in victoria nomen eius per vniuersas vrbes Gentiliũ; & timor omnes inuasit, qui audierunt, prosperè illi omnia euenisse; & quieuerunt ab omni impetu & assultu diebus plurimis. Dehinc solenniter à Rege Baldewino, & ab omni ecclesia Pascha Domini celebrato, *Ammiraldus*, id est Princeps *Ascalonis*, nescio spiritu timoris tactus, an amoris diuini, dominũ Regem per secretarios cœpit appellare & cum eo agere de vrbis traditione: donec Ierusalem idem Ammiraldus, fide data & accepta, ad Regem intrauit, omnia ei elocutus, sicut in corde & animo deuouerat de vrbis traditione, & ipsius Regis & suorum intromissione, de fidelitatis deuotione erga Regem & suos habenda. Tandem cognita & inuenta ipsius pura deuotione & animi intentione, fide vtrinque confœderatis, decretum est primùm ex consilio Regis & suorum Principum, Regem Ierusalem remanere; trecentos verò ex suis viros militares & belligeros cum Ammiraldo Ascaloné descendere, vrbem intrare, & eius turres obtinere, & vniuersos ciues Regi subiugare. Descendentes itaq; sicut decretum erat, portas intrauerunt auxilio & consensu Ammiraldi, omnia apprehendentes, ciues Regis ditioni subiicientes.

XXXVI. Nec mora, cùm prædicti milites vrbem obtinuissent, & Regis potestati ex manu Ammiraldi omnia cõtulissent, *Rex* verò in Ierusalem in potentia & gloria magna resideret, legati *Baldewini de Burg* ad Regem introëuntes, in hæc verba locuti sunt: *Turci à regno Corrozan, egressi in virtute magna ducentorum millium robustorum equitum, præsidium Turbaysel obsederunt, terram præda & omni exterminio Christianorum depopulantes:* Qui alii in tis viribus equitum & peditum, vsque ad locum, qui dicitur Solome, descendit. Vbi cum diebus aliquot moram ageret propter copias Turcorum, qui à Damasco conuenerant ad obsistendum sibi, crudelis fama innotuit, quomodo filius Regis Babyloniæ Ascalonem descendisset, vt in ea repertos milites Christianos expugnaret, & vrbem suæ potestati relocaret.

XXXVII. Quibus Rex auditis, iter distulit, & *Ascalonem* rediit, si fortè suis subuenire posset. Verùm ciues, qui vrbem inhabitabant, virtuté Babyloniæ adesse intuentes, & Regis Baldewini absentiam, quadam die conuenientes, Ammiraldum in ore gladii percusserunt; & filium Regis Babyloniæ, apertis portis, vrbi immiserunt. Qui intromissus, priusquam Rex Baldewinus fines Ascalonis attingeret, milites catholicos, qui per mœnia diffusi erant, exterritos, & subitò expugnatos, vniuersos in ore gladii occidit; ciuitatem verò, feris & omni custodia Sarracenorum muniuit. Rex igitur *Baldewinus* accelerata via, vt interitum suorũ comperit, & vrbem ex perfidia ciuiũ amissam, Ammiraldum quoq; in fraude peremtum, *Ierusalem* repedauit: quia nulla tunc erat opportunitas vrbem assiliendi, & suos decollatos vlciscendi.

XXXVIII. Interea *Malducus, Arongaldus, Armigazi, & Samarga,* qui collecto exercitu ducentorũ milliũ equitũ, *Turbaysel* obsederant, duobus mensibus montes ipsius præsidii in virtute nimia suffoderunt, vt sic putei orientes & cisternæ aqua deficerent; & *Gozelinũ* loci defensoré, & cum eo inhabitantes captiuarent. Sed post nimium laborem Turci videntes, quomodo nihil proficiebant in demolitione & cauatione montium, abhinc *Antiochiã* profecti sunt cum centũ millibus; centum verò millia propter nimietaté, & diuturnam morã, in qua necessariæ vitæ minuebãtur, in terram Corrozan redire decreuerunt. *Gozelinus* reditũ & diuisioné illorũ intelligens, insecutus est remeantes cum centũ & quinquaginta equitibus & centũ peditibus: ac in impetu subsequẽtes ac retardatos, & vehiculis cibariorũ impeditos incurrens, mille detruncatis, prædã magnã cũ spoliis in præsidiũ abduxit.

XXXIX. Cætera verò multitudo centum millium Turcorum *Alapiã* peruenientes, *Brodoã* Principem ciuitatis precati sunt, vt vxores filiosque teneros ac filias ad tuendum m-

susci-

susciperet, donec euentum victoriæ suæ viderent. Sed his refutatis, quia pax inter eum & Tankradum erat, hoc tantùm promisit eis, quòd nulli parti hinc vel hinc auxilio haberetur, & hac de causa filium suum obsidem eis fecit. *Turci* verò filium illius tenentes, post paululum pactum fidei præuaricantes, filium illius se decollare constanter attestati sunt, nisi eis foret auxilio, & filios ac filias cum vxoribus & sarcinis suis intra mœnia reseruaret, propter dubium belli euentum. Quod cùm ille negaret propter fœdus, quod pepigerat cum Tankrado, filium eius in oculis patris & omnium suorum aspectu, capitali sententia interimere non abhorruerunt. Decollato itaque tam impiè & dolosè filio Brodoan, *Cæsaream Philippi* pro-
10 fecti sunt, quæ sita est iuxta montana *Gybel*, ab Antiochia diei vnius itinere: vbi fixis tentoriis super fluuium *Farfa*, hospitati sunt. *Gozelinus* audiens Turcos à XL. *Turbaysel*, quæ est Bersabee, Antiochiam diuertisse, cum centum equitibus & quinquaginta peditibus ad auxilium *Tankradi* Antiochiam sine aliqua dilatione accelerauit: Accelerauit & *Baldewinus* de Burg cum ducentis equitibus & centum peditibus *Paganus* etiam de Sororgia cum quinquaginta equitibus & triginta peditibus: præterea *Hugo de Cantalar*, scilicet de prædio Hunnine, cum suis sociis auxilio adiunctus est. Venit & *Richardus*, præfectus ciuitatis Maresch cum sexaginta equitibus & centum peditibus; item *Wido* de Gresalt, *Willehelmus* de Albin, *Wido* cognomine Capreolus, Princeps ciuitatum Tarsi & Manustræ: Venit & *Episcopus*
20 *Tarsensis*, Episcopus simul de *Albaria*. *Willehelmus* pariter filius Comitis Nortmanorum, dominium habens ciuitatis Tortosæ, quam Tankradus Bertranno abstulerat, cum suis sequacibus sociatus est. *Engelgerus*, præfectus ciuitatis Femiæ, cum ducentis equitibus venit. Venit & *Bonaplius*, ciuitatem tenens Sarmit: venit & *Gudo* cognomine Fraxinus, tenens ciuitatem Harich: *Robertus* simul de Sidon, *Rotgerus* de Montmarin, tenens præsidium Hap, *Piractus* Talaminiam tenens. Venerunt & *Pancras* & *Corrouasilius* de ciuitate Crasson; *Vrsinus* quoque de montanis Antiochiæ, *Anteuellus* etiam & Leo, frater eius: Venit & *Martinus* Comes Laodiceæ, quam Tankradus, eiectis & expugnatis militibus Imperatoris Græcorum, suo iuri mancipauerat. Venit & *Robertus de Veteriponte*, qui miles egregius & inde-
30 fessus, sæpius terras Gentilium militari manu deprædatus est. Hi omnes milites Tankradi, de regno Antiochiæ, vniuersi congregati sunt in ciuitate regia. Illic pariter Rex *Baldewinus* festinato itinere post contritionem suorum in ciuitate Ascalone ab Ierusalem descenderat; & cum eo *Bertrannus*, *Eustachius* Granarius, *Walterus* de S. Abraham, dominus quoque *Patriarcha Gobelinus*, & cætera multitudo fidelium, qui ad quatuor millia in loco eodem in manu forti confluentes, pernoctauerunt vsque ad mane. Mane autem facto, vsque ad castellum de *Giril* profecti sunt.

Tertio verò die postquam ex omnibus locis & castellis in vnum conuenerant, ordinatis aciebus, *Cæsaream* viam instituerunt: vbi Turcorum copiæ sicut XLI. arena, quæ est in littore maris, congregatæ sunt. Erat autem exercitus Christia-
40 norum ad viginti sex millia equitum & peditū, virorum bellatorum. Videntes Turci, quia Christianorum virtus appropinquasset, alteram in ripam fluminis *Farfar* transierunt; & tētoria illic in spatioso loco reposuerunt: Quo in loco sedecim diebus vtrinque moram fecerunt. Sed Christiani minimè cum Turcis stabili bello committere poterant, propter illorum miram hac & illac per agros discursionem & circumuagationem, quā in Christianos equorū velocitate moliebantur: Et cogebāt iidē Turci vniuersas vrbes & munitiones in circuitu magnis minis & terroribus, ne quid venale Christianis afferretur. Quapropter sex diebus tanta penuria panis, & præcipuè equorum pabuli, sunt arctati, vt amplius mille fame & pestilentiā periclitari viderentur. Quintadecima verò die rursus *Christiani* agmina XLII.
50 ordinauerunt, ordinauerunt & *Turci*. Ordinatis itaq; vtrinque tres acies Christianorum nimium auidæ cædis hostium, supra modum viam accelerauerunt aduersus hostiles cuneos. Sed nimis à societate prolongatæ, immoderato grandine sagittarum vexatæ, in fuga ad exercitum sunt reuersæ, plurimis vulneratis, pariter plurimis cum equis & mulis & omnibus spoliis retentis. Videntes autem *Baldewinus* & *Tankradus* suos bello defecisse, & vsque ad exercitum in fugam remissos, prolato ligno S. Crucis, contra inimicos in spe salutis & victoriæ laxis frenis Turcos impetu adeunt. Sed Turci solito more equorum cursu per centum & centum, per mille & mille, nequaquam bellum secum committere passi sunt. Quadam verò luce exorta, Turci consilio inito, in terram *Corrozan* reuersi sunt: eò quòd ni-

hil Antiochiæ nocere potuerunt, & Christianorum virtus illis obuiam facta sit; nec bello nec sagittis absterreri potuerit. Acta sunt hæc in festo S. Michaelis Archangeli tempore autumni, quando vniuersæ fruges meti & colligi solent.

XLIII. Hoc eodem anno *Tankradus* post discessum Regis & cæterorum magnorum, qui sibi in auxilium confluxerant, vires suas retinens, in mense Octobri præsidium *Gerez*, quod dicitur Sarepta Sidoniorum, eò quòd subiectum Regi Sidonis quondam fuisset, in manu potente obsedit. Sed Turcorum armis & custodia munitum reperit; turrium quoque & murorum ædificiis firmissimum vndique repertum est. Distabat enim hoc præsidium vix expugnabile sex milliaribus à ciuitate *Alapta*, quam *Brodoan* suis armis tuebatur. Tankradus videns præsidium firmissimum, 10 & defensione Turcorum tutissimum, per dies plurimos machinas & tormenta lapidum fieri constituit, quibus vndique in duodecim partes suos circa præsidium constituens, nocte ac die turres & muros comminuens, oppugnabat. Circumfodit etiam idem Tankradus suos vallo tutissimo, quod & vigili custodia muniuit, ne subitò hostes callidè ad eum, vel suos in obsidione diuisos, irrumpentes, bellum cum eis committerent, & sic facilè expugnarent.

XLIV. Sic *Tankradus* ingeniis suis muro & turribus applicitis, & in tutamine valli suis constitutis diebus multis, ruinam præsidio intulit, dum quodam die Dominico post Natalem Domini, magistra arx crebro ictu lapidum quassata corruit; & ab alto cadens, turres duas, quæ illi erant collaterales, casu suo & pondere intolerabili comminuit; & sic Tankra- 20 do suisque sequacibus aditum patefecit. Tankradus nunc amplius & validius quàm solebat, hostes in præsidio vrgebat; & scutorum testudine, ad eos introrsus venire faciè ad faciem contendebat: sed adhuc præ magnitudine lapidum, qui aditus occupabant, ingredi confidenter nequibat, & propter infesta iacula, quæ à Turcis emissa obsistebant. *Turci* defensores præsidii, videntes ruinam suarum turrium, & quomodo Tankradus eos longo tempore obsedisset, & adhuc obsidere decreuisset, donec præsidium caperetur, dextras sibi dari poscunt; & ostro cæterisque preciosis in auro & argento ab eo sumtis, à præsidio exeuntes in eius potestatem reddunt. Et sic Tankradus huius præsidii & totius regionis possessor & dominator factus est.

XLV. Eodem anno tempore Quadragesimali *Sarepta* capta, 30 muris & turribus reædificata & custodibus munita, castellum, quod dicitur *Vetule*, situm in montanis in regione Gybel, Tankradus collectis viribus obsedit spacio trium mensium; sed in vno latere inobsessum reliquit propter difficultatem locorum & copias Sarracenorum, qui hac parte abundantius morabantur. Obsidione igitur locata, prædas circumquaque contrahebant, Gentiles captiuabant, & plurima damna inferebant. Tandem quidam *Ammiraldus*, videns regiones grauiter ab exercitu Tankradi vastari, pepigit fœdus cum eo, ne sua deprædandi causa ingrederetur; & ideo inobsessum locum præsidii obsideret, eò quòd notas haberet semitas, quæ inuestigabiles à Gallis nulla possent arte depræhendi. Quod & actum est. Nam Tankradus cum illo fœdere inito, decem equites, centum pe- 40 dites illi in auxilium constituit, quatenus eius conductu & notitia locum inobsessum, præoccuparet, nullum illic exitum aut introitum fieri patientes.

XLVI. *Ammiraldus* militibus Tankradi secum assumtis, quingentis verò suorum ascitis, difficilia obsedit loca, vbi hospitia & mansiones ædificantes, vt in eis moram diebus aliquot obsidionis facerent, plurimum opere & labore grauati sunt. Fessis itaque & exhaustis via difficili & opere, & somno graui immersis, in prima noctis vigilia Turci ac Sarraceni cum multis millibus in castris eorum ex improuiso affuerunt, pariterque vniuersi defensores è præsidio erumpentes, signo & vociferatione audita, & vsque manè dimicantes, centum pedites detruncauerunt. Ammiraldus verò grauiter vulneratus, vix euasit cum decem militibus: sed quin 50 genti milites in falsa fide præsidium cum Sarracenis intrantes, à Duce & Ammiraldo suo sequestrati sunt.

XLVII. *Tankradus* semper imperterritus, obsidionem magis firmans, mangenas duodecim ad vrbis mœnia applicuit; donec Barbicanas & turres, spacio vnius mensis quassatas, vsque ad interiora præsidii perforauit. Videntes autem defensores, quia iactus lapidum nequaquam sustinere possent, in cuiusdam noctis silentio ignem quibusdam ligneis ædificiis immittentes, diffugio elapsi sunt. Tankradus videns præsidium igne conflagrare, iam vespere facto, viros verò aufugisse comperiens, cum sociis audacter ingressus est; & turres suo satellitio muniens, regionem cœpit expugnare & subiugare.

XLVIII. Hoc in anno

Boemun-

Boemundus, auunculus Tankradi, ægritudine correptus, vita discessit apud *Bare* ciuitatem, ad B. Nicolai catholicè sepultus, tempore quo *Henricus V.* Rex, Imperator IIII. Romæ plurimos sibi resistentes hostili impetu in ore gladii crudeliter edomuit; regnumque & Imperium ex hæreditario iure antecessorum potenter & gloriosè retinuit.

ALBERTI AQVENSIS EXPEDITIONIS HIEROSOLYMITANÆ LIBER DVODECIMVS.

Argumenta Capitum.

I. Qualiter Rex Baldewinus super obsidione Tyri consilium inierit.

II. Quòd Tyrii contra Regem cum Principe Damascenorum fœdus inierunt & pepigerunt.

III. De Reinfrido milite Christiano, cuius conductu nobiles Tyriorum à Rege catenati sunt.

IV. Quomodo Princeps Damascenorum Tyriis subuenerit, & qualiter eosdem Rex obsederit.

V. Quòd Rege vrbem vallante, Tyrii portis egressi, sed mox mirabiliter à Rege repressi, quosdam secum intrantes occiderunt.

VI. Tyrii duas machinas Christianorum pice & sulphure mirabiliter combusserunt.

VII. Legatio Tyriorum ad Principem Damascenorum, & reuersio Regis in Ierusalem post aduentum eorum.

VIII. Qualiter Rex Baldewinus Idumæos mercatores spoliauerit, & quòd Tankradus, princeps Antiochiæ obierit.

IX. De aduentu Turcorum contra Ierusalem, & quòd Rex econtrario militiam adunarit.

X. De mille quingentis peregrinis Christianorum, propter quos Rex attriuit in pugna ducentos Turcorum.

XI. Rex cum Turcis congrediens, fuga dilabitur, quibusdam suorum in bello cadentibus.

XII. Rex sedecim millibus congregatis, in secundo congressu Turcos à Iordane potenter effugauit.

XIII. Quomodo coniux Ducis Siciliæ ad thalamum Regis Baldewini cum magno apparatu properauit.

XIV. Cum quali gloria Rex eandem matronam sibi copulauerit, militibus ab ea largiter remuneratis.

XV. Vbi post reditum Christianorum Turci, deuastantes terram Græcorum, vrbem Stamiriam subuerterunt.

XVI. De septem millibus Christianorum, qui mare transeuntes, omnes nauigio perierunt.

XVII. Quòd milites Baldewini Regis naualì prælio contra Babylonios gloriosè decertauerint.

XVIII. Quomodo Princeps Damascenorum fraude occiderit alium Principem Turcorum.

XIX. De copioso apparatu gentilium versus Antiochiam, quem Baldewinus Rex disperdidit per suam militiam.

XX. Vbi Baldewino Rege redeunte Hierosolymam, Turci readunatis viribus funduntur.

XXI. Quòd Baldewinus Rex cum manu parua profectus sit in montem Sina.

XXII. Rex Baldewinus suorum monitionibus à monte Sina reuertitur Ierusalem prouidus.

XXIII. Quomodo Rex Baldewinus Ptolemaide aggrauatus, per multas eleemosynas de infirmitate sit alleuiatus.

XXIV. Qualiter eundem Regem Patriarcha corripuerit; & quòd ipsas illicitas nuptias repudiauerit.

XXV. Quomodo Pharamia ciuitas capta sit.

XXVI. Rex Baldewinus capta Pharamia vsque ad mortem ægrotauit.

XXVII. Consolatio & iussio Regis ad milites, habita de morte & sepultura eius.

XXVIII. Inquisitio militum, quis post eum debeat tenere coronam: & corporis ipsius reportatio in Ierusalem.

XXIX. Quòd Regali sepulcro Regem condierunt, & quòd statim dominus Patriarcha infirmatus obierit.

XXX. Quomodo sepulto Rege Baldewino nepos illius, Baldewinus de Burg, ab omnibus in Regem sit electus & vnctus, Germundo nouo Patriarcha consecrato.

XXXI. De quatuor millibus Idumæorum pastorum, quos in die sancto Pascha Christiani milites, dum insequuntur, passim occiduntur.

XXXII. Rex Baldewinus Secundus, in vltionem inimicorum militiam congregauit, quē Idumæi pecunia placant.

XXXIII. De septingentis Christianis peregrinis, qui post visitationem Dominici sepulcri in redeundo occisi sunt à nequissimis Sarracenis.

I. IN anno secundo postquam Sidon capta est, & Tankradus Sareptam percussit & obtinuit, Rex *Baldewinus* conuocata omni Ecclesia Ierusalem ab vniuersis locis, quæ sub manu eius erant, iniit consilium, quatenus obsideret *Sur*, quæ adhuc rebellabat, & con christianis fratribus terra marique calumnias inferebat, & à tributis & pacto recesserat, in omnibus quæ Regi promiserat, mentita. Vniuersis verò admonitis, ac voluntariis ad hanc obsidionem inuentis, dies statuta est, qua conuenirent, & ex decreto Regis positis tentoriis mœnia vallarent & coangustarent.

II. Talis autem fama vt in auribus Tyriorum insonuit, vehementer perterriti, inierunt fœdus cum quodam *Dochino*, principe Damascenorum, vt tutelam & solatium ab eo consequerentur, & thesauros ciuitatis, & quæ habebant preciosiora, in custodia & conclaui Damasci eius consensu & licentia deportarent. Rogauerunt etiam, vt eis viros sagittarios & defensores vrbis in auxilium mitteret in conuentione solidorum, viginti millium Byzantiorum sibi suisque dare promittentes.

III. Hoc itaque pacto vtrinque sub fide data accepto & firmato, Tyrii ciues quendam, *Reinfridum* nomine, virum Christianum, & illustrem militem Regis, mille Byzantiorum præmio promisso & dato conuenerunt, quatenus eius conductu in Damascum sarcinas thesaurorum suorum pacificè transferrent, & sine impedimento cum camelis & vehiculis repedarent. Reinfridus verò vir leuis, & non multum pensans, si fidem erga Gentiles & incredulos violaret, vniuersa Regi detulit, ac diem, qua transituri erant in Damascum cum vniuersis copiis & rebus preciosis propalauit, asserens Regem hæc omnia posse capere ac retinere sine contradictione. Hoc Rex audiens, sine mora peditibus ac militibus ducentis accitis, iussit viam obsidere, & cautè obseruare, per quas semitas viri Damascum cum sarcinis profecturi erant. Et ecce in silentio noctis cùm omnia solent quiescere, Tyrii cum camelis suis, incomputabili auro, argento, ostro & quibusque aliis preciosis ornatis, conductu præfati Reinfridi viam Damasci venerunt. Cùm subitò Regis insidiæ in eos irruentes alios occiderunt, alios tenuerunt, & thesauros infinitos cum purpura preciosa & serico varii coloris & operis rapientes, cum ipso Reinfrido, in vehiculis camelorum & mulorum abduxerunt.

IV. Thesauri miri & inauditi illic capti sunt, quos Rex liberali manu militibus, longa nunc indigentia oppressis, benignè largitus est. His ita captis, his occisis, paucis verò elapsis, *Dochinus*, apud quem sperabant refugium, valde molestatus, sine mora quingentos milites, in sagitta & arcu peritos, ad vrbem Tyriorum direxit, vt præuenirent Regis obsidionem, & Regi suisque ab vrbe resistentes, in conuentione solidorum ciuibus subuenirent. Rex itaque *Baldewinus* in virtute & apparatu decem millium à Ierusalem descendens in vigilia S. Andreæ Apostoli, ciuitatis mœnia in arido positis castris occupauit; à mari verò in ipso vrbis latere & portu naualis obsidio non magnæ virtutis & armaturæ fuit. Promiserat enim Rex Græcorum, illic per aquas copias affuturas; sed hyeme incumbente, minimè collatæ sunt.

V. *Rex* autem postquam obsidionem firmauit, & munimine valli se suumque exercitum circumfodit, ne impetus aduersariorum ex improuiso irrueret, aggressus vi vrbem, turres & mœnia omni genere bellico oppugnauit, de die in diem crebris assultibus iteratis. *Tyrii* verò, qui in grandine sagittarum confundunt & resistunt, econtra per mœnia & turres diffusi, strages & grauia vulnera Christianorum non parcè multiplicabant, & ad portas & vectes ferreos concurrentium multitudinem, lapidum incessabili iactu, sulphuris quoque ac picis feruentis effusione, suffocabant. Quadam denique die post plurimos assultus, & diutinos labores: dum paulisper à foris respiraret exercitus, manusque contineret à belli opere, deintus verò Tyrii & eorum Turci milites silentium tenerent, sed tamen consilium iniissent, quatenus in momento à portis in impetu castra Regis irrumperent: mox armis resumtis, lorica & galea induti, subitò quasdam portas aperientes, in multitudine graui in apertam camporum planiciem, quam Rex & exercitus nunc belli immemor habitabat, vsque ad loca tentoriorum concurrere ausi sunt, plurimos sagittis transfigentes, & clamore magno & horrisono totum exercitum commouentes. Et ecce sine mora vniuersi milites Christianorum attoniti, è cunctis castris in armis & lanceis loricati in faciem illis aduolant, & hinc & illinc plurima fortitudine contendentes; sed tandem Christiani præualentes, Tyrios in fugam versos in portam coegerunt: hic vtrique

vtrique, hi fuga veloci, hi celeri insecutione permixti, potenter vrbem ingressi sunt. Turci Tyriique Gallos iam secum vrbem intrasse contuentes, reuersi sunt in faciem se à tergo prementium; & fortiter obsistentes, ac mœnia ascendentes, exercitum adhuc intrare contendentem omni armatura iaculorum reprimebant, quo vsque in virtute sua præualentes, portas clauserunt, & circiter ducentos intra muros retinuerunt. Illic *Willehelmus* de Wanges, miles gloriosus & nobilis, itemque *Willehelmus* miræ audaciæ & militaris famæ cum egregiis sociis equitibus & peditibus capti, sententia capitali perierunt; cæteri complures vinculis catenarum astricti sunt. Deinde post dies aliquot videns Rex assultu & lapidum VII tormento se ciuibus & muris prorsus non nocere; duas fieri constituit machinas, muros plurima altitudine supereminentes, ac componi ordine duorum cęnaculorum: quarum vna ex sumtu & labore *Eustachii Granarii*, præclari militis, & primi de domo & consilio Regis, ad vnguem constructa & erecta est. In hac ergo idem *Eustachius* cum electis manens tironibus, Tyrios manè, meridiè, vespere per vrbem gradientes omni genere iaculorum alios interimebant, alios vulnerabant, per turres, mœnia & omnia vrbis loca speculantes. Non minus ab altera machina milites Regis, inibi constituti, Turcos Tyriosque impugnabant, & sic eos ab ostio progressos arcu Baleari ferientes, perimebant. Tyrii quoque econtra lapides aptabant ad quassandas machinas & eas inhabitantes: sed machinæ coriis taurinis, camelinis, equinis, cratibus vimineis vestitæ, iactus lapidum palosque ferreos & ignitos illæsæ & immobiles sustinebant. Tyrii cernentes, quia hoc modo machinis nocere nequibant, alia arte machinas atterere conati sunt. Arborem proceræ altitudinis funibus erigentes, circulum quendam amplum & spaciosum in modum coronæ ex grandi ligno componentes, summitati arboris catenis ferreis affixerunt; ac eundem ligneum circulum in circuitu pice, sulphure, cera, adipe, permixtis stuppis, impinguantes, ignique aqua inextinguibili succendentes, vsque ad locum murorum, quo machina Eustachii sita erat, funibus pertraxerunt. Qui subitò nimium flammiuomus, ab arbore in machinam laxatur, quam vndique flammæ intolerabiles cingentes, grandi & insuperabili incendio combusserunt, cum plurima parte virorum, qui ignem excutere & extinguere conati, nequaquam euadere potuerunt. Eodem modo & arte regis machina combusta & in nihilum redacta est. Sic machinis his pariter combustis, tamen Rex in obsidione mansit imperterritus, volens vrbem aut fame aut aliqua arte adhuc edomare. Ad hæc VIII. denique Regis constantiam & animum immobilem *Tyrii* cognoscentes, direxerunt clàm legationem Damascum, quatenus *Dochinus* magnus Princeps eis subueniret, magnam illi spondentes pecuniam, & iurantes, se semper in eius auxilio & obsequio permanere. Qui illico viginti millibus equitum ascitis, per montana descendit vsque ad confinia Tyri, vt in crastino Regem suosque in castris incurreret; & sic vrbem de manu Regis, & eius obsidione, liberaret. Eodem verò die, quo idem Dochinus, vel *Duodechinus*, confinia Tyri per montana intrauit, armigeri septingenti cum sexaginta probis equitibus de exercitu Regis, ad quærenda pabula equorum egressi, irruerunt casu & ignoranter super arma & vires Turcorum: qui vniuersi in sagitta & gladio ab hostibus peremti ac detruncati, perierunt; præter paucos, qui vix euadentes, retulerunt, quæ gesta sunt. Hoc denique comperto, quòd tot millia iam iuxtà conuenissent, & armigeros militesque Regis peremissent, Rex ex consilio optimatum suorum, qui diutina obsidione vexati erant, & rebus & cibariis exhausti, tentoria sustulit; ac die Dominica, quæ est ante *Dominicam Palmarum*, *Ptolemaidem* & cæteras ciuitates pertransiens, ipsa sancta & celebri die Palmarum per portam, quæ respicit ad montem Oliuarum, per quam & Dominus IESVS asello insidens intrauit, ipse cum suis, & vnà cum quibusdam magnificis *legatis Græcorum*, qui ad eum superuenerant, dum adhuc in obsidione esset, intromissus est. Egit denique illam sanctam hebdomadam, sancta loca perlustrans, in oratione & eleemosynarum largitione & delictorum confessione. Diem verò *sancti Pascha* in omni honore & gloria propter legatos Regis Græcorum iussu domini Patriarchæ coronatus solenniter ac regaliter, celebrauit. Celebratis VIIII. itaque illic per dies octo sancti Paschæ solennis, assumtis ducentis equitibus, centum verò peditibus, ad vallem Moysi profectus est in partes Arabiæ, vt prædarum aliquid abinde contraheret, quibus inopes milites & rebus vacuatos ditaret, & deficientes animaret. Legati verò Regis Græcorum benignè commendati, donisq;

magnificis ampliati, Constantinopolin remissi sunt. Vix verò partes Arabiæ intrauerat, & ecce *Idumæi*, quos moderni vocant *Bidumos*, viri mercatores cum immẽsis copiis diuersarum mercium, in mulis & camelis, inter manus Regis & suorum affuerunt, qui nullatenus effugere valentes, omnibus rebus diuitiarum suarum tam in auro quàm in argento, gemmis preciosis, ostro diuersi generis & operis, pariterque pigmentis expoliati sunt; pluresque capti, Ierusalem abducti in custodiam mancipati sunt, præda verò & spolia eorum inter milites diuisa sunt. Eodem anno *Tankradus*, qui Antiochiæ præerat, vehemente infirmitate correptus, in aduentu Domini IESV CHRISTI morte occubuit; & in basilica B. Petri Apostoli catholicè sepultus, planctum magnum reliquit, omnibus propè positis mortem 10 eius audientibus.

IX. Post mortem tam famosi & bellicosi viri, Turcorumque vndique fortissimi expugnatoris, mense Martio nouo vere aspirante, præfatus *Malducus*, qui & ipse vnus de præpotentibus regni Corrozan erat, ascitis fortissimis copiis Turcorum circiter triginta millia, disposuit transire vsque ad Damascum, vt assumto *Dochino*, qui & ipse Turcus & Princeps iniustè erat Damascenorum, expugnaret ciuitates, quas Rex obtinebat; deinde Ierusalem, si eius voluntati prosperè succederet, ad debellandos & expugnandos Christianos peruenirec. Diuulgata autem tam famosi Principis adunatione per regionem ciuitatis Edessæ, nuncii *Armenii* Regi *Baldewino* diriguntur, qui omnem rem & apparatum illius declarant; quatenus præuisis, & suis conuocatis, hostibus tutius & facilius ad resi- 20 stendum occurreret. Rex autem auditis nunciorum verbis, illico aptata legatione Antiochiam ad *Rotgerum*, illustrissimum iuuenem & militem, filium sororis Tankradi, qui & loco eius restitutus principatum obtinebat Antiochiæ, direxit, vt sine intermissione ad auxilium eius venire operam daret in paratu armorum & copiis, sicut decretum fuerat à principio Christianos Christianis fratribus subuenire. Rotgerus sine mora, accepta Regis legatione, septingentis equitibus, quingentis verò peditibus assumptis, ad ipsum Regem venire disposuit; sed aliquantulum propter colligenda arma retardatus est. *Turci* verò viam Damascum accelerantes, ad mare Galileæ castra metati sunt, & præsidium *Tabariæ* obsidentes, hac parte fluminis Iordanis plurimum temporis egerunt, montem Thabor occupan- 30 tes, & vndique Christianorum habitationem delere studentes. Iam enim in calumniis & prædis & aggrauatione Christianorum curriculo trium mensium potenter obsederant, omnia vastantes, nulli parcentes, nocte ac die insidiis inuigilantes, milites Tabariæ crebris assultibus & bello lacessentes.

X. His diebus mille quingenti Peregrini, qui Paschali solennitate Ierusalem moram fecerant, reditum parantes, sed per regionem Sur transire metuentes, Regem supplici prece conuenerunt, quatenus conductum eius trans Sur habere mererentur, ne ab inhabitatoribus vrbis impugnarentur, parum resistere valentes, sicut fessi, & plurima inopia grauati. *Rex* videns illorum redeundi constantiam, trecentis ascitis militibus, viam cum eis vsque ad montana *Sur* tenuit. Sed in latibulo montium 40 paulisper remoratus, Peregrinos præmisit, vt sic experiri posset, si qua virtus ciuium Sur ad insecutionem Christianorum Peregrinorum appareret. His verò præmissis, milites ciuitatis Sur ad quingentos egressi, Peregrinos procul ab vrbe transeuntes, ad trucidandum & captiuandum insecuti sunt multa vociferatione & tubarum strepitu ad perterrendos illos intonantes. Verùm Rex audita hac vociferatione, à latibulo & insidiis velociter exurgens, militibus in tergo affuit, plurimam cædem exercuit, quousque Sarraceni victi & attriti fugam arripientes, Sur viam remensi non prius portas introierunt, quàm ducenti ex eis capti & attriti sunt. Peregrini hac sola die via continuata, altera autem die audita Turcorum præsentia cum tot millibus, inito consilio, *Ptolemaidem* reuersi sunt, illic cum Rege 50 moram facientes.

XI. *Rex* igitur intelligens, Turcorum audaciam nimium aggrauasse, longè lateque prædam contraxisse, ab assultu rarò quieuisse, vehementer indignatus, conuocat vniuersos, qui erant in circuitu Ierusalem & omnium ciuitatum, quas possidebat; & ad septingentos congregans equites, peditum quatuor millia, peregrino exercitui iurat & contestatur, non vltrà Rotgerum & remotos conchristianos Principes præstolari, nec longius pati Turcorum arrogantiam & calumnias. Et statim à *Ptolemaide* tam nouis Peregrinis quàm cæteris ascitis, trans Iordanem castra figi statuit, ipso natali Apostolorum Petri & Pauli: eo videlicet in loco, quo hactenus Turcorum per prata amœna & volu-

& voluptuosa ponebantur tentoria. *Turci* verò astuti hoc per latores comperto, tentoriis sublatis, in montem Thabor secesserunt, ac si Regem metuentes, & fugam maturantes, cum eo bellum committere non auderent. Sed vix ponebantur tentoria, & ecce *Malducus Dodechinusque* cum vniuerso comitatu suorum eruperunt à montanis Thabor, vt arena maris fortiter irruentes arcu & sagitta in castra Regis & suorum, graui bello & vulnere atroci præliantes, & Christianis acies impugnantes: donec Rex & tota manus suorum vim tot millium sustinere non valentes, sed fugam ineuntes, ad mille quingentos occiderunt, præter equites, quorum triginta interempti sunt. Cecidit illic *Reinerus de Brus*, miles imperterritus *Hu-* 10 *go*, iuuenis nobilis & miles illustris; aliique quorum actus & bella laude & memoria dignissima sunt. Vix itaque Rege elapso, & Turcis loca campestria victoriosè obtinentibus, altera die *Rotgerus*, successor & hæres Antiochiæ, filius sororis Tankradi, cum quadringentis equitibus & sexcentis peditibus affuit, mirè molestatus de Regis infortunio & suorum casu, & quia itineris tardatione hesterno prælio ei ad opem esse non potuit: Affuit & *Princeps* ciuitatis *Tripolis*, non minus animo consternatus, quoniam sic à Turcis castra Regis cæsa sunt. Et post pauca affuerunt plurimæ acies Christianorum nauigio vsque ad Ptolemaidem adductæ: quorum ex omni parte tam mari quàm terra affluentium sedecim millia in vnum collecta sunt. Rex tot millibus in breui congregatis, Turcos adhuc 20 trans Iordanem in sua feritate persistentes aggredi statuit ex consilio omnium qui aderant: quatenus in capite eorum, DEO auxiliante, redderet malum, quod sibi suisque & vniuersæ regioni inferre conati sunt. Verùm *Turci* audito Regis aduentu & voluntate, à loco & regione Iordanis recedentes, *Romaniam* ingressi sunt, Regis Græcorum castella & ciuitates plurimas obsidentes & expugnantes. XIII.

Rege dehinc cum omni manu sua ab insecutione hostium *Ptolemaidem* reuerso, mense Augusto inchoante, peruenit ad aures Regis, quomodo nobilissima *coniux Rotgeri*, Ducis Siciliæ, fratris Boemundi, magnifici Principis, post obitum & exequias præfati mariti ad thalamum Regis magnopere properaret in apparatu copioso magnatum diuitiarum, & plurimo militum comitatu. Fuerunt ei duæ 30 triremes, singulæ cum quingentis viris bello doctissimis, cum nauibus septem, auro, argento, ostro, gemmarum vestiumque preciosarum multitudine, onustis: præter arma, loricas, gladios, galeas & clypeos auro fulgidissimos, & præter omnem armaturam, quam ad defensionem nauium solent viri potentissimi comparare. In ipsa denique naue, in qua prædicta matrona manere decreuerat, malus auro purissimo tectus, procul radios ad solis claritatem referebat; & vtraque nauis cornua auro & argento fabrili opere vestita, spectaculo admirationis omnibus erant ea intuentibus. In vna de septem nauibus viri Sarraceni & sagittarii, viri fortissimi, & claritate preciosarum vestium fulgentes, inerant, dono Regi adducti, & qui nullis in regione Ierusalem sagittandi arte inferiores habebantur. 40 Huius itaque matronæ aduentu & gloria audita, Rex tres naues, quas vocant *Galeidas*, fœtas viris egregiis, & marino certamine peritissimis, misit illi in occursum: sed ventorum turbine mari intumescente, nequaquam illi occurrere aut sociari potuerunt. Ventorum enim potentia naues longè iactatæ, tandem portu sinuque *Ascalonis* vespere sunt receptæ circa horam nonam, nequaquam nautis valentibus aut frustra conantibus iter per aquas tenere, propter ventum, qui eis nimium contrarius repugnabat. *Ascalonitæ*, viris Christianis semper infesti, mox XIV. Christianorum signis recognitis, in Galeidis ferratis & armis occurrere & confligere cum eis accelerant. Sed post plurimam contentionem, & vtrinque sæpius factam incursionem, vna ex Galeidis Ascalonitarum, quinquaginta milites 50 continens, attrita & submersa est; cæteræ expugnatæ & repulsæ sunt. Nec mora, Christiani ex omni parte præualentes in victoria, & in vnum coadunati, DEO prosperante, tranquillo ventorum flamine relato, & omni furore maris sedato, in virtute magna à portu & statione Ascalonis sunt egressi: sicque pacifico nauigio Ptolemaidem peruentum est. Nec mora, *Rex* aduentu tam gloriosæ matronæ cognito, cum omnibus primoribus regni sui, & vniuersis pueris domus suæ, in vestitu diuersi generis & pulcritudinis, in regio cultu, in equis & mulis, ostro & argento fulgentibus, in tubis & in omni dulcedine musicorum è naui egredienti affuit. Sed & plateæ mirificis & variis tapetibus stratæ, vici purpureis velis adornati in honorem tam nobilissimæ, & thesauris famosissimæ matronæ,

rutilabant, sicut decet Reges in omni gloria & pompa exaltari. Cum hac itac iucunditate & laude ea inducta, & Regi stabili connubio copulata, nuptiar magnus apparatus ornatusque factus est in regio palatio ciuitatis per dies aliqu thesauri plurimi ab ea in ærarium Regis translati, quibus multum Rex & vniue qui bellis Turcorum arma amiserant, nunc inæstimabiliter releuati & dit sunt. His iam nuptiis finitis, & Rege Ierusalem cum sponsa sua ascendere disp nente, *Rotgerus* in Antiochiā, benignè à Rege commendatus, viam insistere disp suit, cui noua Regina mille marcas argenti cum ostris preciosis, cum Byzant quingentis, cum mulis & equis egregiis dono contulit: præter gregarios milit qui à longinquo Regi ad opem confluxerunt, quibus non modica præmia auri

XV. argenti pariter collata sunt. Sic quibusdam ad sua redire feruentibus, quida viam per Romaniam in arido insistentes, ciuitatem *Stamiriam* applicuerunt, qu Græcis, viris Christianis, in omni administratione necessariorum clementer h spitio suscepti sunt. Nec mora, *Turci*, qui à Rege ex Galilæa fugati, ciuitates & m nicipia Regis Græcorum expugnata & attrita, præda & spoliis in nihilum redeg rant, eiusdem ciuitatis mœnia aggressi, obsidionem in circuitu locauerunt, pl rimam vim, minas & terrores ciuibus inferentes. Hinc non post multos dies, post terribiles assultus, magistram portam vrbis in virtute nimia assilientes, mil tibus Græcorum, viris effœminatis, parum resistentibus, in securi & ascia ianua comminuentes, defensoribus tandem fessis, vnanimiter irruperunt; & in vniue sos tam ciues, quam Peregrinos sagitta & arcu itruentes, non modicam cædem c perati, plurimos abduxerunt; vniuersaq; pecunia, & quæ ibi preciosa reperta sun ab his sæuis prædonibus transportata sunt. In eadem verò ciuitate quidam de exercitu Christianorum hospitalitatis gratia moram facientes, ad quadraginta, ca pti & decollati sunt; sed non sine plurima sui sanguinis vltione: quia inæstimabil virtute & bello à porta, ad quam defendendam locati erant, multis Turcis repul sis & occisis, inuicti perstiterunt, quo vsque ad portam, quam Græci tuebantur, ad

XVI. uersarii immissi sunt. Quidam autem circiter septem millia, reditum per viam maris continuantes, & prosperis velis ac sine turbine nauigantes, in festo S. Martini ad portum & stationem insulæ *Cypri* applicuerunt, anchoras suas in profundum iacientes, & in aridum ab ipsis nauibus descendere festinantes. Nec mora, ventus fortis ac vehemens, qualis per annos plurimos non est auditus à nautis, mari incubuit, motum & feruorem intolerabilem reddidit, naues quassauit, funes nauium suo impetu attriuit, anchoras à profundo sustulit, procellas sic contra naues ampliauit, vt nauis in nauem discurrens sine remige mutuam dissolutionem pateretur, & sic tota illa congregatio Christianorum cum vniuersa suppellectile misera submersione absorberetur. Nulli euaserunt præter duas buzas, quæ de numero tredecim nauium erant. Crastina autem, mari à feritate sua sedato, tot millia corporum nobilium & ignobilium crebra illius inundatione in aridum sunt eiecta, vt vix trium hebdomadarum curriculo sepultura per camporum

XVII. planiciem illic à fidelibus conderentur. In anno secundo post nuptias Regis Baldewini, exercitus *Regis Babyloniæ* copiosus nauali aduentu vsque *Sur* allapsus est in assumtione B. Mariæ: Vbi insidias Christianorum alii molientes, alii rerum mercationem facientes, post tertium diem natiuitatis ipsius Virginis iam mora facta, reditum parauerunt. *Ptolemaidi* verò appropiantes, ordinauerunt nauales acies, omni armatura aduersus Christianorum vires munitas: quarum duæ maioris virtutis & multitudinis post tergum custodiam agentes, sed nimium rebus & hominibus occupatæ, à longè plus milliari subsecutæ sunt. Ciues verò & Regis milites *Ptolemaide*, qui solito more cotidie per mœnia diffusi erant, intuentes vela & malos Gentilium, Babyloniam remigantium, statim loricis & galeis induti, tribusque Galeidis circiter quadringenti inuecti, vndis inferuntur, vt naues subsequentes aliqua bellica arte vexatas captiuarent. Nauis verò ex duabus, quæ nimis onusta erat armis & populis, effugere minimè valens, plurima defensione armorum cœpit resistere ab hora diei nona vsque ad vesperam: Sed tandem post nimiam cædem vtrinque illatam cœpit viribus deficere, captaq; vsque ad portum ciuitatis *Cayphas* perducta est. Apud Cayphas quidam Sarraceni capti & vulnerati, custodiæ mancipati relinquuntur; incolumes verò, vsque Ptolemaidem cum sua naue capta transmissi sunt cum pariter vulneratis Christianis quibusdam. Sed vulneratis Christianis à tribus Galeidis expositis, cæteri adhuc

adhuc incolumes Christiani, aliis assumtis secum sociis in duabus Galeidis, nauem, quæ amplius rebus, militibus & armis onerata & impedita, tardior ibat, insecuti, iam quinque Galeidis validè assilientes cinxerunt. His econtra non minus validè se defendentibus, ac omni genere armorum sagittarumque iaculatione viriliter pro anima pugnantibus, postremò post nimium bellicum laborem à mane vsque ad medium diem vtrinque grauatis, ferè Gentilium nauis, quæ dicitur *Cattus*, ab eorum manibus defensa & elapsa est. Quod viri & milites Ptolemaidea mœnibus speculantes, & Christianorum Galeidas defecisse, consilio facto, ducentos ad subueniendum illis mittere constituerunt. Et sic nauis vndique crebro assultu illarum sine intermissione fatigata ac superata, vespere Ptolemaidem viperducta est. De *Sur*, quæ *Tyrus* dicitur, duæ Galeidæ illis in auxilium processerant: sed videntes Gallorum constantiam & suorum defectionem, fugiendo in sua reuersæ sunt. Erant hac in naue mille viri pugnatores fortissimi, quos tota nocte ex iussu Regis ad custodiendum ciues multis vigiliis & armis obsederunt; & res eorum innumerabiles militibus diuisæ sunt. Ex Sarracenis alii decollati, alii innumerabili precio redemti & laxati sunt. Post hæc anno sequenti præfatus *Malducus*, vnus de præpotentibus Turcorum, post plurimam stragem & cædem Christianorum à partibus Romaniæ in Damascum rediens, apud Turcos & omnes gentiles nomine & fama exaltatus est, eò quòd præ omnibus ampliorem tyrannidem infideles CHRISTI exercuisset. Vnde *Dochinus*, Princeps Damascenorum, graui inuidia & indignatione tactus, omni versutia, qua nouit, interitum illius moliebatur; sed tamen occultè, ne odium suorum incurreret, à quibus idem Malducus propter nimiam dationem suam, & militiæ strenuitatem, valde carus habebatur. Quapropter dum sæpe circa mortem illius dolosa machinatione satageret, nec inter plurimas versutias locus hunc perimendi daretur, tandem hanc fraudis reperit viam, qua virum mortificaret, nomenque eius deleret. Quatuor enim milites ex genere *Azopart* donis ac magnificis promissis cōuenit, quatenus clàm eum in armis furtiuis in die solenni in secreto oratorii sui, dum in cæremoniis ritus Gentilis intentus haberetur, subitò transfoderent; & sic ab eo dona recipere mererentur. Immissi igitur clàm oratorio Malducum intrantem, & cæremoniis securè insistentem, repentino impetu inuaserunt: quem acutissimo ferro pariter trans præcordia figentes, hæc prorsus ignorantem extinxerunt, fugaque elapsi sunt. *Dochinus* huius perfidiæ & homicidii conscius, licet tum dissimulârit, dum à suis rem actam comperisset, fictis lacrymis & planctu maximo sine cordis affectione de morte tam magnifici Principis cœpit conqueri; & mortis illius auctores vsquequaque persequi iussit & inuestigare. Sed fraus illius post modicum apud Turcos cœpit propalari: & ex eo die in odia & inimicitias illorum incidit, multas insidias pro sua perfidia prorsus inexcusabili perpessus. In anno secundo post necem Malduci *Burgoldus* de regno Corrozan egressus, *Brodoan* Rex Alapiæ, & *Cocosander* de ciuitate Lagabria, cum quadraginta millibus Turcorum in terram Antiochiæ cum apparatu magno, & intolerabili armatura, profecti sunt, tentoria sua locantes in campestribus ciuitatum *Rossa, Royda*, & *Femie*, quarum suburbia tormentis lapidum atterentes & expugnantes, Femie verò nullatenus nocere valentes, totam regionem inibi præda & igne depopulati sunt. *Tommosam, Turgulant, Montsargiamque* ciuitates in virtute magna, & manu robusta, expugnantes, *Willehelmum* Principem Christianum de Perce, horumque præsidiorum præsidem, captum & vinctum abduxerunt; cæteros in eis repertos alios capitali sententia peremerunt, alios captiuatos tenuerunt. His in regionibus diebus hebdomadarum vndecim consedisse perhibentur. Rex verò *Baldewinus* Ierusalem tunc moram faciebat. Qui inuitatus ad auxilium militum CHRISTI, cum quingentis equitibus & mille peditibus, & cum eo Princeps Damasci *Dochinus*, nunc ipsi Regi fide alligatus, in plurimo equitatu versus Antiochiam iter accelerant. *Punctus*, filius Bertranni de Tripla, quæ est Tripolis, affuit in eodem comitatu cum ducentis equitibus & duobus millibus peditum vsque ad ciuitatem *Talamriam* regia via profectus: Vbi *Rotgerus* de Antiochia, & *Baldewinus* de Rohas cum decem millibus equitum & peditum illis occurrentes, & hac in terra octo diebus moram facientes, castra metati sunt. *Turci* Regis audita præsentia & suorum copiis, versus ciuitatem *Malatinam* in montana fugam constitue-

runt: quia cum eo confligere diffidebant. Rex igitur comperto recessu Turcorum, redire cum suis disponens, *vxorem Tankradi*, quæ filia erat Regis Franciæ, secum duxit, quæ ex Regis consilio eidem *Puncto* copulata est, nuptiis gloriosè, & in omni plenitudine ac pinguedine, celebratis Triplæ, quæ sibi hæreditario iure à parentibus relicta est.

XX. Post reuersionem Regis, *Turci* sine mora ad *Gastum, Harech* & *Synar*, ciuitates Gallorum, in fortitudine sua reuersi sunt, terram inuadentes, omniaque illic reperta non parcè depopulantes. *Rotgerus* & *Baldewinus* hoc audientes, plurimum de reditu Regis turbati sunt, eo quòd procul iam abiens reuocari non posset. Et ideo consilio habito, ne ei nuncios in vanum dirigerent, suos tantùm ad quindecim millia collegerunt ex omni genere tam Francorum quàm Armeniorum. Erant autem Turci in tres diuisi societates super fluuium *Farfar*, qui inter duas ciuitates, Cæsaream Stratonis & Femiam, facit alueum. Primo denique diluculo in die exaltationis S. Crucis, Rotgerus & Baldewinus factis aciebus ipsos Turcos aggressi sunt: vbi prælio commisso, quindecim millia Turcorum ceciderunt; pauci Christianorum occubuisse reperti sunt. Primo exercitu sic attrito, Rotgerus ad alterum dum tenderet vociferatione magna, vniuersi hostes metu attoniti, fugam ineunt ad vada prædicti fluminis; & vndis inuoluti & suffocati, perierunt. Tertius dehinc exercitus hac Catholicorum victoria stupefactus, dum v[illegible]um errore diffugium faceret, fortè applicuerunt in regione *Camolla*, in valle [illegible]adam iuxta castrum *Malbech*. Vbi *Dochinus* cum octo millibus occurrens, grauiter cum eis præliatus est, tribus millibus illorum occisis, & mille abductis captiuis. Erant enim inter hos Turcos fugitiuos multi de progenie & sanguine Malduci, qui plurimum sibi sæpe aduersabantur, de eius perfidia & nece iniqua, vt propinqui illorum, in terra Corrozan apud maiores & minores querimoniam facientes, & de nece propinqui vltionem exequentes. Hac de causa Dochinus semper solicitus & suspectus, nunc Regi Baldewino & fidelibus Christianis fœderatus integrius adhærebat; Turcis vsquequaq; nocere non desistebat.

XXI. In anno tertio postquam Rex Baldewinus nuptias suprà dictas regaliter celebrauit, tempore autumni ducentis equitibus & quadringentis assumptis peditibus, profectus est ad montem *Oreb*, qui vulgò appellatur *Orel:* vbi præsidium nouum curriculo dierum decem & octo firmauit, vt sic potentius terram Arabum expugnaret; & non vltrà mercatoribus transitus hinc & hinc daretur, nisi ex Regis gratia & licentia; vel vllæ insidiæ aut vires inimicorum subitò adessent, quin fidelibus Regis in arce constitutis paterent: & sic eis regia arx impedimento esset. Sic huius præsidii munimine vndique firmato ad resistendum inimicis, Rex vt nouarum rerum semper erat auidus, sexaginta equitibus illustribus secretò conuocatis, viam suam aperuit versus regnum Babyloniæ: si fortè in captione Sarracenorum & Idumæorum, aut inuasione ciuitatum, aliquid insigne agere valeret. Et iam deserta loca vastæ solitudinis exuperans, in abundantia escarum, quæ mulorum tergo ferebantur, ad *Mare Rubrum* venisse perhibetur, in quo ipse & sui, à caloribus, qui in terra hac grauissimi sunt, balneando recreati sunt, ac piscibus huius maris refocillati. Ibi in monte *Sina* Monachos DEO seruientes audiens commorari, ad eos per deuexa montis causa orationis & allocutionis, accelerare decreuit: Sed rogatus eorum nunciis ad se præmissis, minimè ascendit, ne scilicet Monachi suspecti propter Catholicum Regem, à Gentilibus de montis habitatione pellerentur. Abhinc enim vsque ad Babyloniam ciuitatem intra quatuor dies veniri posse referebatur.

XXII. Verùm, quia sibi vires erant exiguæ, cum quibus vsque per loca solitudinis in silentio descenderat; & quia nunc cœpit propter moras aliquas plenè aduentus eius propalari: datum est ei ab amicis consilium, vt nequaquam vlterius viam perageret; sed quantocyus Ierusalem in silentio securus repedaret. Si enim introitus aut exitus ipsius Regis innotuisset, supra centum millia cuiusque generis Gentiles ei in occursum confluentes in armis, vndique vias occupassent. Nunc verò suorum consiliis acquiescens, & à terra egrediens in cautela qua nouerat, per vallem *Hebron* & præsidium *S. Abrahæ* redire disposuit. Vbi cum suis pernoctans, corpora fessa cibariis terræ illius copiosè refecit: Dehinc viam, quæ ducit Ascalonem, insistens, vniuersam prædam, quæ per campestria Ascalonis vagabatur, in pascuis contraxit, camelos ducentos, armenta boum plurima, greges ouium caprarumque: cum quibus potenter & sine persecutione Ierusalem reuersus est.

XXIII. Post dies aliquot *Ptolemaidem* descendens, mense

mense Martio inchoante grauiter cœpit ægrotare; & de die in diem corporis molestia aggrauari. Quare thesauros, quos habuit in vasis aureis & argenteis multisque millibus Byzantiorum, pauperibus iussit partim erogari pro peccatis suis & animæ suæ salute; vinum, frumentum, oleum et hordeum, quod habebat in Ierusalem, & aliis in locis plurimis, item pauperibus & orphanis & viduis sine dilatione iussit distribui, vitæ suæ nimium incertus: Domui quidem suæ partem contulit; militibus quoque domesticis & aduenis, & cunctis, qui sibi in auxilio militari seruierant in conuentione solidorum, Byzantios, aurum, argentum & ostra plurima largitus est: Omnia debita sua persolui præcepit, & constanter admonuit,
10 ne animæ suæ essent impedimento. Sed DEO volente, qui omnibus pœnitentibus dat vitam, & mortem transfert, huic iam nullam spem viuendi habenti, precibus & lacrymis pupillorum & viduarum sanitas redditur; & corporis sui debilitate alleuiata, ex toto athleta CHRISTI conualuit. Iam enim antea tam valida illius ægritudine diuulgata, nauales exercitus *Babyloniorum*, qui *Sur* applicuerant, vt in ipsius Regis morte ciuitates Christianorum oppugnarent; nunc illius salute & sanitatis reparatione audita, sine aliqua mora viam aquarum in regionem suam remensi, absque vllius contradictione discesserunt. Dehinc Rege à languore suo releuato, *Arnolfus* Cancellarius Sepulcri Dominici, nunc antistite Gobelino mortuo, *Patriarcha* electus & constitutus est: Deinde Romam profectus, *à Pa-*
20 *schali*, Pontifice Romano, benignè commendatus, & reuersus, & de omnibus obiectis excusatus, dominum Regem, ex admonitione & iussione ipsius Apostolici, cœpit arguere & monere, vt prædictam matronam, quam duxit vxorem, à thalamo suo amoueret propter adulterium, quo in prima coniuge, orta de Principibus Armeniæ, peccauit, eò quòd legitimas nuptias adulterinis illius fœdauit connubiis: Interdixit etiam illi hac de causa, quòd consanguinitatis eiusdem matronæ, ortæ de sanguine Gallorum, reus haberetur. Ex hac admonitione constituto consilio in vrbem *Ptolemaidem* in ecclesia S. Crucis, Rex ab vxore sua sequestratus est, Arnolfo Patriarcha hoc agente, & omni Clero & ipso iudicante: Illa verò tristis & dolens, ab hoc vinculo maritali Synodali lege soluta, in Siciliam nauigio
30 est reuersa. *Rex* verò ab ipsa die & deinceps in obseruantia indictæ pœnitentiæ persistens, mira abstinentia & castimonia ab omnibus illicitis corpus edomuit, à DEO tactus & monitus. Post aliquantum deinde temporis, audita querimonia super omnibus aduersitatibus quæ ab Ascalonitis fiebant Peregrinis, Ierusalem venientibus aut redeuntibus, Rex *Baldewinus* accepto consilio suorum ipsum Regem Babyloniæ expugnare decreuit; vt si fortè terra & regnum diuitiæque illius dissiparentur, minus Ascalon superbire & rebellare valeret; quæ sæpius opulentia regni & copiis armorum releuari & extolli solebat. Et iam veris tempore aspirante, assumtis ducentis & sedecim equitibus, quadringentis verò peditibus, bellico opere doctis & assuetis, viam insistit per loca arida & solitaria cum vehi-
40 culis cibariorum, non prædam aut quicquam contingentes de vniuersis locis Arabiæ, quæ illi aut familiaritate confœderata erant, aut aliquem respectum faciebant. Vndecim denique diebus iam via continuata cum omni manu prædicta, aperitur ei fluuius *Nilus*, qui perfluit regionem terræ Ægypti: in quem descendentes, à sudore loti sunt. Inde castra mouentes, die quadam feriæ quintæ ante mediam Quadragesimam, mense Martio applicuerunt in terminos cuiusdam ciuitatis, quæ vocatur *Pharamia*, muris, portis & mœnibus munitissima. Et hæc de regno Babyloniæ erat vrbs speciosissima, non amplius quàm trium dierum itinere à Babylonia distans. Sexta verò feria, quæ proxima erat dies, ordinatis aciebus & signis tantilli exercitus, loricis & galeis induti, aggredientes
50 ipsam ciuitatem vacuam defensoribus, portas eius patentes ingressi sunt in virtute & assultu & clamore magno: vbi necessariarum rerum copiam inauditam repererunt in vino, frumento, oleo & hordeo, in carne & piscibus, & omnibus, quæ vesci possunt: Auri & argenti & totius preciosi ornatus nullus erat numerus, quod ibi repertum est. Vniuersi enim inhabitatores ciuitatis, repentè audita fama tam proximi aduentus Regis, omnis defensionis & rerum suarum obliti, fugæque tantùm intenti, procul ab vrbe recesserunt, solùm de vita & salute curantes. Rex & sui curriculo nouem dierum, itinere & inæstimabili calore torridæ plagæ corpora fessa & grauata recreantes, cibis & potibus abundanter repertis, sexta feria & Sabbato & ipsa Dominica quieuerunt, iuxta voluntatem suam

XXIV. XXV.

XXVI. omnia facientes. Dominica verò, die qua mediatur ieiunium, viri sensati, de sua salute soliciti, conuenerunt Regem, in hunc modum loquentes: *Pauci sumus & iam ciuitati & regno Babyloniæ virtus nostra innotuit, & hæc Babylonia non amplius hinc quàm via trium dierum remota esse perhibetur: ideo consilium ad inuicem conferamus, vt hac ciuitate exeuntes, viam, sicut deuouimus, continuemus, & non moram hic faciamus.* Rex itaque suorum consiliis satisfaciens, summo diluculo sociis admonitis, muros ciuitatis diruens, ignes vniuersis ædificiis turrium & ædium immisit, totis viribus ante omnes præcipuè stragi illius incumbens, ne Babyloniis vltrà vires & opem conferret. Hanc verò stragem, vt dictum est, dum Rex præ cunctis validius ac attentius exerceret in ruina murorum, in ædificiis incendendis, vltrà modum membris calore & labore vexatis, vehemente infirmitate corripitur, & magis ac magis molestia corporis cœpit augeri. Iam verò tenebris relatis, & prorsus Sole sublato vitam desperans, primores sui exercitus conuocans, debilitatem sui corporis detexit; nec se posse mortem nunc euadere, attestatur. Hac audita desperatione, & desolatione Regis, vniuersi à minimo vsque ad maximum cœperunt ingemiscere, fletus nimii ac lacrymæ ab oculis erumpere, & magna in cunctis facta est desolatio: nulli quippe spes aut fiducia redeundi vltrà Ierusalem erat, sed arbitrabantur se hoc in exilio capitali sententia esse perimendos.

XXVII. Ad quos corroborandos Rex, licet mirè aggrauatus esset, ait: *Quare sic, viri fortissimi & sæpius in periculis probati, animus vester in mei solius imminutione disturbatur, fletus, desolatio & dolores geminantur? Non, fratres mei dilectissimi, & commilitones dulcissimi, mors mei solius corda vestra sic mollescere & deficere faciat, & infirmare etiam in terra peregrina & inimicorum. Memento te in DEI nomine, quia mea virtus vnius est hominis: & quia adhuc inter vos quàm plurimi habeantur, quorum virtus & consilium parum aut nihil à meo distat. Et iccirco viri estote fortissimi, & in dolore mortis meæ tristes nequaquā effœminari incipiatis; sed decet vos solicitos esse, quomodo cautè redeatis in virtute armorum vestrorum, & regnum Ierusalem retineatis, sicut à principio DEO deuouistis.* Et hoc dicto, summa prece, & in fide atque obseruantia admonuit vniuersos, qui aderant, vt si obiret, nunquam corpus eius exanime in terra hac Sarracenorum sepulcro reconderent, ne ludibrio & derisui Gentibus haberetur; sed cum omni arte & labore, quo valerent, ad terram Ierusalem cadauer suum reportarent, & iuxta fratrem suum Godefridum sepelirent. Hoc audientes, & vix se à fletu cohibentes, respōderunt, quòd graue & importabile onus illis imponeret, cùm etiam impossibile esset in diebus grauissimi & æstiui caloris aliquod cadauer reseruare, tangere & portare. Ad hæc Rex magis instat, & admonet vniuersos; vt causa dilectionis suæ hunc laborem non recusarent. Et post hæc dicta sic precatur, dicens: *Statim cum mortuus fuero, precor vt aluum meum ferro aperientes, interiora mea tollatis, corpus verò sale & aromatibus conditum corio aut tapetibus inuoluatis: & sic ad catholicas exequias Ierusalem iuxta sepulcrum fratris mei referatur & sepeliatur.* Nec mora, *Addonem* cocum, qui erat de domo sua, accersitum sacramento alligauit in alui sui sectione & viscerum eiectione. Cui & ait: *Scias, me in breui moriturum, & iccirco sicut me diligis, aut viuentem atque incolumem dilexisti, & modò mortuo fidem serues, me ferro exentera; sale interius & exterius me apprimè frica; oculos, nares, aures & os meum non parcè imple, & cum cæteris me reportare non desinas: & sic desiderium meum scito te adimplere, & in hoc fidem mihi te credes seruare.* Et hoc disposito, feria tertia vehementius infirmitate vsque ad interitum cœpit torqueri in oculis suorum primatum & fidelium.

XXVIII. Illi vitæ eius defectionem intuentes, quia vir magnæ erat sapientiæ, dum adhuc incolumis esset, requirunt, quem post mortem suam velit hæredem regni Ierusalem locari aut coronari: quatenus ex eius consilio & decreto certius & sine lite coronandus posset constitui: Qui fratri *Eustathio* regnum destinauit, si fortè venerit; si verò ætate nequiuerit *Baldewinus* de Burg eligatur; aut talis, qui populum Christianum regat, ecclesias defendat, qui stabilis in fide maneat, quem nulla aduersariorum virtus terreat, aut merces leuiter corrumpat. Et hoc dicto, vir in terra natiuitatis suæ de Lotharingia ex nobili sanguine nobilissimus, Rex in regno Ierusalem gloriosissimus ac victoriosissimus, DEI athleta fortissimus, spiritum vitæ exhalauit, in fide CHRISTI stabilis, & in confessione DOMINI purgatus, Dominici Corporis & Sanguinis perceptione munitus. Iam sic defuncto Principe clarissimo in terra barbara, egregii Principes & commilitones, equites & pedites, præ dolore in lacrymas cum magno vlulatu & planctu fluxêre nimias, & amplius fletum congeminassent, nisi timor esset, quem in terra vndique hostili appre-

apprehenderunt, in tanti Principis amissione. Quapropter dissimulata illius morte & omni tristitia, sicut obnixè rogauit, sectus est aluus illius, viscera exposita & sepulta, corpus verò salsum intus & exterius, in oculis, ore, naribus & auribus, aromatibus quoque ac balsamo conditum, corio consutum ac tapetibus inuolutum, equis impositum, ac firmiter alligatum est: ita vt nulla Gentilium astutia percipi posset, eum obiisse; & sic in audaciam persequendi exercitum desolatum, vndiq; ebullientes, animarentur. Hac arte vbi corpus exanime compositum, hocque vehiculo cautè per terram peregrinam, per loca deserta & inuia deductũ, per regionem vallis *Hebron*, vbi castellum & sepultura sanctorum Patriarcharum, Abrahã, 10 Isaac, & Iacob, vsque in hodiernum diem à fidelibus honoratur, reditum fecerũt, per dies continuos à dextris & à sinistris semper custodiam armatorum equitum & peditum habentes. Dehinc cum extincto corpore Regis in campestria *Ascalonis* applicantes, erectis signis & cuneis ordinatis, in sola virtute militari confidentes, sine impedimento & aliquo aduersariorum incursu, transisse perhibentur, quo vsque montana Ierusalem ipso die sancto celebri Palmarum vnanimiter cum regio cadauere ingressi sunt. Eadem denique die à monte Oliuarum dominus *Patriarcha* cum Clero suo post Palmarum consecrationem descenderat: cui de templo Domini, & de vniuersis ecclesiis, fratres occurrentes, ad diem festum conuenerunt in hymnis & laudibus, in celebratione diei sancti, quo & Dominus IESVS 20 in asello residens, ciuitatem sanctam Ierusalem ingredi dignatus est. Sic verò omnibus conuenticulis Christianorum ad id solenne in laudibus DEI congregatis, ecce *Rex defunctus* in medio psallentium allatus est: in cuius visione voces suppressæ, & laudes humiliatæ sunt; fletus tam Cleri quàm populi plurimus auditus est. Veruntamen palmarum expleto officio, & omnibus per portam, quæ dicitur *aurea*, per quam Dominus IESVS ad Passionẽ veniens, immissus est, cum Rege defuncto intromissis: decretum est communi consilio, vt statim corpus examine sepulturæ traderetur, quod diu reseruatum etiam fœtidum diutius reseruari, graue & inconueniens ab omnibus ferebatur. Nec mora, catholicis exequiis expletis, à domino Patriarcha terræ commendatus, iuxta fratris vterini Godefridi sepulcrũ 30 in loco Caluariæ, in vestibulo Templi Dominici sepulcri Mausolec; sicut decet Reges, in memoriam & honorem sui nominis, magno & mirifico opere; & marmore candido polito, inter cæteros sepultos promotus est; sicut & frater eius Godefridus eodem Mausolei honore sublimatus est. Iam sepulto tam clarissimo Principe Ierusalem, *Arnolfus* Patriarcha venerabilis præ dolore mortis tanti Regis; & athletæ CHRISTI, vehementi infirmitate corripitur; & spacio trium hebdomadarum malè habens, vitam finiuit, iuxta Patriarcharum sepulturam appositus:

XXIX.

Eodem die, quo Rex *Baldewinus* humatus est, & Arnolfus Patriarcha cœpit ægrotare, Clerus & populus tam rudis ecclesiæ tãto Rege ac defensore viduatus; de Regis restitutione agere cœperunt: dicentes non vtile esse consilium, vt Regẽ 40 ac defensoris solatio locus & gens diu careret; & locus & terra à nullo defensa periret. Cumq; diuersi diuersa dicerent, tandẽ omnibus acceptũ fuit, vt *Baldewinus de Burg* in throno regni Ierusalẽm locaretur: eò quòd miles imperterritus, multa pericula in præsidiis pro salute Christianorum sæpè sustinuisset; & terrã Rohas strenuè ab omni assultu hostili defensam retinuisset. Et statim acclamatum est, illum coronam regni iure recipere; & dominum Patriarcham eum in Regem procreare & promouere: Venerat enim idem *Baldewinus* ad diem festum adorare in Ierusalẽ; de omnibus, quæ acciderant, nescius. *Patriarcha* autem adhuc viuens, licet ęgrotus; videns populi deuotionem & constantiam ergà Baldewinum, quantulumcunque renitentem, & diuitias Rohas sibi sufficere protestantem, ipse assensum benignè 50 attribuens, in Regem & dominum Ierusalẽm vnxit & consecrauit. Vnctus autem Baldewinus & cõsecratus in Regem, & in sanctæ Resurrectionis die præclara honoratus, honorificè est exaltatus in lætitia his diebus sacris iocundatus, & iustitiã DEI in omnibus deuotissimè operatus. Die verò statuta, sicut iustum est, & leges docent, vniuersis primoribus regni in palatium Solomonis Regis conuocatis, singulis beneficia contulit, fidem & sacramentũ ab his suscipiens; & honorificè quemque in sua remisit. Ciuitates verò, Neapolin, Samariam, Ioppen, Cayphas, castellũ S. Abrahæ, Ptolemaidem, Sagittam, Tabariam, & cæteras ciuitates & loca, quæ erant de regno Ierusalem, suo subiecit imperio, quosdam reditus eorum suis constituens primatibus, quosdam verò suæ mensæ attitulauit. Mortuo Rege Baldewi-

XXX.

no & Arnolfo Patriarcha, Baldewino quoque in Regem vncto, *Germundus*, vir bonæ conuersationis, ab omni Clero & populo in *Patriarcham* eligitur; & consecratus à sanctis Pontificibus, cathedram episcopalem Ierusalem meruit obtinere, ad regendum populum DEI viui, & corroborandam nouam & sanctam ecclesiam Ierusalem.

XXXI. In anno secundo regni *Baldewini de Burg*, noui Regis Ierusalem, principis Rohas ciuitatis, quidã *Sarraceni* de regno Arabiæ, quidam etiã de gente Idumæorum, quos moderni *Bidumos* vocant, armenta camelorum super triginta millia, boum centum millia, greges ouium & capratum inaudita millia, de terra & regione sua educentes, & ad pascua cogentes in latere regni Damascenorum, illuc prosecuti sunt herbarum copiam, licentiâ & consensu Principis terræ Damasci, pro pacto Byzantiorũ, quod ipse Dominus terræ ab eis accepturus erat. Cum tot millibus, equites & pedites supra quatuor millia, ad custodiendos greges, sunt egressi de terra Ægypti & Arabiæ in lancea & gladio, & omni pinguedine cibariorũ necessariorum. Hi dum pacificè in latere regni Damasci super gregem suum custodiam agerẽt soliciti, nec quicquam metuerent fiducia *Dochini*, Principis Damasci, cuius gratia & licentia per pascua diffusi erant cum vxoribus & pueris, sicut mos est Gentilium: fama tantorum pastorum, à terra longinqua huc progressorum, attigit aures *Gozelini* de Curcenay, qui dono Regis Baldewini, fratris Godefridi, terram & reditus Tabariæ in beneficio obtinuit, eò quòd altis parentibus ortus, filius esset amitæ Baldewini de Burg, facti Regis Ierusalem. Hic ergò Gozelinus tam innumerabili gregum comperta multitudine in loco remoto & solitudinis, *Godefrido de Burs* & de terra ciuitatis Parisiorum, viro egregio, & militi clarissimo in omni opere bellico, fratrique eius *Willehelmo* indicare non distulit; & ad inuadendũ prædam vtrosque fratres adhortatus est. Qui illius adhortationi acquiescentes, centum & sexaginta equitibus, viris bello audacissimis, & prædarum auidissimis, peditibus verò sexaginta, in arcu, lancea & gladio ferocissimis, admonitis & congregatis, profecti sunt in regionem eandem, qua pastores, & pastorum custodes, fortissimi milites Arabes, Ægyptii, Idumæi accubabant, & armenta cum ouibus & capris spaciosè in longitudine & latitudine vagabãtur. Vt verò ad locum peruentum est, *Gozelinus* cum quinquaginta equitibus in vna acie à dextris attitulatus est ad subueniendum: *Willehelmus* totidem in suo cuneo ordinatis equitibus, galea & lorica indutis, sinistra ex parte procul positus remansit, vt vires auxiliatrices sociis bellum insistentibus conferret. *Godefridus* de Burs sexaginta equites in sua acie retinens, cum omni comitatu robustorum peditum in medio cõstitutus, audacter pastores pastorumque magistros impetit, prædam abducere conatus; & omnibus viribus rapinæ insistens, nimium processit inter manus defensorum gregis. Quatuor millia, cornibus & signis auditis, in momento affuerunt ad excutiendos greges; qui Godefridum cum suis coronantes, grauiter cum eis commiserunt, donec Godefridus & sui paucissimi tantorum vim sufferre nõ valentes, ad quadraginta in arcu, lancea & gladio ceciderunt: viri fortissimi, & vsque ad hanc diem in omnibus præliis inuictissimi; singuli reditibus terrarum & locorum possessionibus ditati, in obsequio militari & ipsi equites sub se habentes, alius viginti, alius decem, alius quinque aut duo ad minus. Octo tantùm captiui abducti sunt, reliqui armis inimicorũ interierunt. *Willehelmus* audita vociferatione ad inuicem fortiter dimicantium, ascenso equo suo cum suis, dum subuenire vellet angustiatis, per fruteta & loca arida errore viarum retardatur; & sic sociis in magno positis periculo nequaquam succurrere valuit. *Gozelinus* verò intelligens casum & interitum suorum fortium, & ipse inter manus crudelium audacter inuolat, nullo tamen auxilio iam occisis sociis & attritis poterat prodesse. Referuntur autem supra ducentos Sarracenorũ in eodem prælio occisi esse. Pedites verò Christianorũ de sexaginta vix decem per deuia & opaca loca elapsi sunt. Contigerunt hæc damna grauissima egregiorum militum ipso die Dominicæ Resurrectionis, quando omnes viri catholici solent quiescere à laboribus & cunctis seditionibus, vacare eleemosinis & orationibus. Existimo igitur, quia hac de causa dati sunt in manibus inimicorũ, quòd tam sanctissima die rapinis inhiabant; & iccirco suorum auxilio per inuia errantium destitutos fuisse.

XXXII. Tam lacrymabili strage fortissimis viris peremtis, crudelis rumor ad Regem *Baldewinum*, ab Ierusalem profectum, & *Ptolemaide* commorantẽ, transuolat de nece et infortunio nominatorum Principum, quorum auxilio & consilio ecclesia Ierusalem confortata, multum de die in diem proficiebat. Quo audito, & morte

morte Godefridi, dilectissimi militis, agnita, concussum est cor illius dolore vehementi, & vultus eius ab omni hilaritate decidit; ac vniuersorum corda, qui his Paschalibus feriis lætitia affluebant, in luctum & gemitum per omnes vicos & plateas ciuitatis Ptolemaidis commutata sunt. Nec mora, vniuersis incolis ciuitatis Ierusalem conuocatis in vltionem confratrum occisorum, & de vniuersis locis Christianorum habitationis, Rex cōtraxit exercitum; & vsque *Bethan* cum sex millibus veniens, tentoria sua per campestria locari iussit. Nocte eadem cœpit tædere exercitum Ierusalem & cæteros, qui conuenerant, viæ & vltionis huius, eò quòd Damascenorum ciuitas nimium vicina, & Turcorum armis munita erat. Interea dum 10 sic hæsitarent, *Idumæi*, exterriti fama aduentus noui Regis, diffisique de ope Turcorum, & illorum fidei leuitate, decreuerunt Regi dare quatuor millia Byzantiorum pro cæde suorum: vt sic eius gratia & cōsensu deinceps securè & pacificè gregem suum custodiant, & nulla eis vis inferatur. Quod Rex consilio suorum fieri concessit, videns populi sui, proficisci nolentis, constantiam. Accepta Rex hac auri massa, *Ptolemaidem* rediit, pro anima Godefridi & pro animabus cæterorum occisorum, eleemosynas fieri constituens, & plurimas Missarum celebrationes.

Item ipso in anno secundo Regis Baldewini secundi in Sabbato sancto eiusdē Resurrectionis, qua Godefridus & prædicti milites in crastino sunt ab Idumæis trucidati: quando iugis de cœlo gratia DEI ad corroborandam fidem Dominicæ 20 Resurrectionis, in lampade olei in Sepulcro Dominico reposita, flammam in momento suscitat ad incendendum hac nocte Paschalem cereum: quidam Peregrini circiter septingenti, qui adorato Domino IESV ante Sepulcrum ipsius venerabile, & qui viso miraculo ignis cœlitus accensi, in gaudio & hilari corde ab Ierusalem descenderant, vt fluenta Iordanis visitarent iuxta ritum fideliū, vbi iam à montanis vsque ad castellum *Cuschet* & de *Burgewins* processissent in solitudinis loco: ecce *Sarraceni* de Sur & Ascalone assunt, armis fortissimè Peregrinos incurrentes, & cum eis prælia conserentes. Peregrini sicut inermes, & multis diebus via aggrauati, cibis pro nomine IESVS attenuati, citò superati in fugam versi sunt: quos impii carnifices insecuti, trecentos in ore gladii peremerunt, sexaginta captiuos tenue-30 runt. His miseriis & cædibus auditis in Ierusalem & circuitu eius, *Rex* & dominus Patriaracha *Germundus* cum omnibus viris, magnis afflicti sunt doloribus. Quare milites in vltionem fidelium interfectorum sine mora dirigunt: Sed frustra hi ad arma contendunt, viamque insistunt. Nam Sarraceni post stragem hanc fugitiui facti sunt; & in mœnibus Sur & Ascalonis cum captiuis Christianis, cum spoliis Christianorum, immissi sunt.

XXXIII.

FVLCHERII CARNOTENSIS GESTA PEREGRINANTIVM FRANCORVM CVM ARMIS HIERVSALEM PERGENTIVM.

ANNO ab incarnatione Domini, millesimo nonagesimo quinto: regnante in Allemania, *Hainrico* Imperatore dicto, in Francia rege *Philippo*: cùm in vniuersis Europæ partibus mala multimoda, vacillante 50 fide, inolescerent: præerat vrbi Romæ papa secundus *Vrbanus*, vir egregius, vita, & moribus: qui semper Ecclesiæ sanctæ statum sublimius prouehendum, super omnia consultè ac strenuè moderari sategit. Videns autem Christianitatis fidē enormiter ab omnibus, tam clero quā populo, pessundari; & terrarum principibus incessanter certamine bellico, nunc istis nunc illis inter se dissidentibus, pacem omnino postponi; bona terræ alternatim diripi; multos iniuriosè vinctos captiuari, & in carceres teterrimos truculentissimè subrui, supra modum redimi; vel intus trifariam angariatos scilicet inedia, siti, algore, obitu clādestino extingui; loca Sancta violari, monasteria, villasq; igni cremari, nulli mortalium parci, diuina & humana ludibriis haberi: audiens etiā interiores Romaniæ

I. A.D. 1059.

A.D. 1095. prouincias, à Turcis super Christianos occupatas, impetu feroci perniciose subdi: pietate compatiens, dilectionisque DEI nutu permotus, Alpes transmeando in Gallias descendit, atq; in Aruernia Concilium legationibus competenter vndique præmonitum, apud *Claromontem*, quæ sic vocatur ciuitas, fecit coadunari, trecentis decem tam episcoporũ quàm abbatum assistentium bacculis deputatis. His itaque, die adhæc prænotato, ad se conuocatis, adlocutionem dulciflua diligenter conuentus causam innotuit. Nam sub Ecclesiæ lugentis voce querula, planctum non minimum expressit; & de mundi fluctuantis tempestatibus tantimodis, vt superius præfatum est, fide subruta, sermonem prolixũ cum eis tenuit: deinceps, rogitatu supplici, cunctos exhortatus est, vt resumptis fidei viribus cum ingenti sollicitatione ad expugnandas Diaboli machinationes viriliter se animarent; & Ecclesiæ sanctæ statum crudelissime à nephandis debilitatum, in honorem pristinum competenter erigere conarentur: *Dilectissimi fratres*, inquit, *Apostolatus apice DEI permissu, orbi terræ prælatus, occasione necessaria supereminente, tanquam monitionis diuinæ legatus, ad vos DEI seruos, has in partes condescẽdi Vrbanus. Et quos dispensatores ministeriorũ DEI æstimaui, tales & fideles, simulationis explosa eluuione, reperiri optaui. Quod si aliquid gibbosum vel tortuosum, modestia rationis iustitiæque semota, contra legem DEI obsistat, præsente suffragamine diuino, diligenter expedire satagam. Dominus enim supra familiam suam, vt ei pro tempore pabula modesto sapore condita ministretis, vos dispensatores constituit: beati autem eritis, si fidelem tandem dispensationis exactor vos inuenerit. Pastores etiam nuncupamini: videte autem ne mercenarii more fungamini. Veri ergo Pastores & bacculos semper in manibus habentes, estote; nec dormitantes, gregem vobis commissum vndique conseruate. Nam si per incuriam vestram aut negligentiam, ouem quamuis lupus abripuerit, mercedem nimirum vobis paratam apud Dominum nostrum amittetis: & delictorum flagris primitus asperrimè cæsi, postmodum verò in custodiam funestæ conuersationis truculenter subruemini. Vos verò iuxta sermonẽ Euangelicum,* Sal estis terræ: *Quod si defeceritis, ambigitur quomodo saliatur. O quanta salitio. Vere necesse est, vos plebem idiotam, & mundi lasciuiæ supra modum inhiantem, sapientiæ sale corrigendo salire: ne delictis putrefacta, dum eam alloqui quandoque voluerit, Domino insalsa puteat: nam si vermes, hoc est peccata, causa desidiæ procurationis vestræ, in ea repererit, illico vilipensam in præcipitium spurciciarum eam subigi præcipiet. Et quia tantum perditum ei restaurare nequiueritis, vos iudicio dampnatos à familiaritate dilectionis suæ, prorsus exterminabit. Sed huiusmodi sallitorem oportet esse prudentem, prouisorem, modestum, edoctum, pacificum, scrutatorem, pium, iustum, æquum, mundum. Nam quomodo indoctus doctos, immodestus modestos, immundus mundos efficere valebit? Quod si pacem oderit, quomodo pacificabit? Aut si quis habuerit manus suas sordidatas, quomodo sordes alterius coinquinationis tergere poterit? Lectum est, etiam quod* si cecus cecum duxerit, ambobus cauea patebit. *Cæterum vos ipsos prius corrigite, vt inreprehensibiliter subditos queatis emendare. Si quidem amici DEI vultis esse: quæ sentitis ei placita, libenter exercete: res Ecclesiasticas præcipuè in suo iure constare facite: & vt symoniaca hæresis nullatenus apud vos radicet, cauete: ne vendentes ac ementes pariter flagris flagellati Dominicis, per angiportus ad exterminium confusionis miserabiliter propellatur. Ecclesiam suis ordinibus omnimode liberam ab omni seculari potestate, sustentate: Decimasq; DEO proprias de omnibus terræ cultibus fideliter dari facite; nec vendantur, aut retineantur. Quod qui Episcopum ceperit, omnino exlex habeatur: Quod qui monachos vel clericos vel sanctimoniales, & eorum famulos ceperit, aut expoliauerit, vel peregrinos vel mercatores, anathema sit. Raptores, & domorum combustores, & eorum consentientes, ab Ecclesia extorres, anathemate feriantur. Summo opere igitur considerandũ est qua multandus sit pœna, qui aliena diripit, si inferni dampnatione percutitur, qui propria nõ largitur. Sic enim diuiti in Euangelio memorato contigit: qui non idcirco punitus est, quod aliena abstulisset, scilicet quia rebus acceptis, seipsum male dereliquit. His vero, vt dictum est, iniquitatibus,* inquit, *Karissimi, mundum vidistis grauissimè diu confusum fuisse: adeo vt nullus in aliquibus prouinciarum vestrarum, sicut nobis à referentibus patefactum est, per inbecillitatem forsitan iustificationis vestræ, vix tutè per viam gredi audeat, quin vel die à prædonibus, vel nocte à latronibus, aut vi aut ingenio maligno in domo vel extra, subripiatur. Quapropter* Treuiam; *sic vulgariter dictam, iam dudum à sanctis patribus nostris determinatam, reformari oportet: quam firmissimè vnusquisque vestrum in episcopatu suo teneri faciat monendo flagito. Quod si aliquis siue auiditate, siue superbia seductus, eam sponte infregerit, DEI auctoritate, & huius Concilii decretorum sanctione anathematizetur.* His & aliis pluribus competenter dispositis, cuncti assistẽtes, tam clerus quàm populus, DEO gratias agendo, dictis domini Vrbani pontificis summi, voluntariè aspirauerunt; & fideli pollicitatione decreta illa bene tenenda confirmauerunt. Sed aliud ilico, non minus tribulationis superius memoratæ, sed

& aus

Matth. 5,13

Matth. 15,14

Ioh. 2,14,15

Luc. 16,19

10 20 30 40 50

& aut maius, aut pessimum, ex altero mundi climate, Christianitati obesse adiecit, inquiens: *quoniam, o filii DEI, si pacem apud vos tenendam & ecclesiæ iura tenenda fideliter conseruanda sustentare, virilius solito DEO polliciti estis, extat operæ pretium vt insuper ad quoddam aliud negotium DEI & vestrum, emendatione Dominica nuper vegetati, probitatis vestræ valitudinem verseris. Necesse enim est, quatinus cum fratribus vestris in Orientali parte habitantibus, auxilio vestro iam sæpe proclamato indigis, accelerato itinere succurratis. Inuaserunt enim eos, sicuti plerisque vestrum iam dictū est, vsq; Mare Meditaraneū, ad illud scilicet quod Brachiū sancti Georgii vocant, Turci & Arabes, apud Romaniæ fines; & terras illorum Christianorum magis magisq; occupando, lite bellica iam vice septuplicata victos superauerunt, multos occidendo vel captiuando, ecclesiasq; subuertendo, regnum quoque vastando. Quos quidem si sic aliquandiu quiete permiseritis, multos latius fideles DEI supergredientur. Qua de re, supplici prece hortor, non ego, sed Dominus: vt cunctis cuiuslibet ordinis tam peditibus quàm equitibus, tam pauperibus quā diuitibus, edicto frequenti vos,* CHRISTI *præcones, suadeatis, vt ad id genus nequam, è regionibus nostratibus exterminandum, tempestiuè Christicolis opitulari satagant. Præsentibus dico, absentibus mando;* CHRISTVS *autem imperat. Cunctis autem illuc euntibus, si aut gradiendo aut transfretando, siue contra paganos dimicando, vitam finierint, peccaminum remissio præsens aderit: Quod ituris annuo, dono tanto inuestitus à DEO. O quantum dedecus si gens tam spreta, degener, & demonibus ancilla, gentem cunctipotentis DEI, fide preditam, &* CHRISTI *nomine splendidam, sic superauerit! O quanta improperia nobis ab ipso Domino imputabuntur si eos non iuueritis qui professione Christiana censentur, sicut & nos. Procedant,* inquit, *contra infideles ad pugnam iam incipi dignam, tropheo explendam: qui abusiuè priuatum certamen contra fideles consuescebant distendere quondam. Nunc fiant milites, qui dudum extiterunt raptores: nunc ritè contra barbaros pugnent qui olim contra fratres & consanguineos dimicabant: nunc æterna præmia nanciscantur; qui dudum pro solidis paucis mercenarii fuerunt: Pro honore duplici laborent, qui pro detrimento corporis & animæ se fatigabant. Quinimmò, hîc tristes & pauperes, illic locupletes; hic inimici domini, illic amici eius erunt. Ituris autem mora nō differat iter: sed propriis locatis, sumptibusq; collectis, cessante bruma, verno subsequente, Domino preuio tramitem alacriter intrent.* His dictis, & audientibus gratanter ad hoc animatis, nihil actu tali dignius æstimantes, statim plures astantium se ituros; & cæteros absentes, inde diligenter se exoraturos spoponderunt, de quibus fuit vnus Episcopus Podiensis, *Ademarus* nomine, qui post ea vice fungens Apostolica, cunctū DEI exercitum prudenter & consultè rexit, & ad negotia peragenda viuaciter animauit. Taliter in Cōsilio, quæ diximus statutis, & ab omnibus benè confirmatis, absolutionis benedictione data, tunc discesserunt; & hoc nescientibus post modum ad mansiones suas regressi, pro vt gestum fuerat dilucidè diuulgauerunt. Quod vt passim per prouincias edictum est, iurisiurandi firmitudine pacem, quam dicunt *Treuiam*, inuicem tenendam constituerunt. Deinceps verò multi cuiuslibet artis fungentes officio, comparata remissione peccatorum, se profecturos, defecatæ mentis intentione, deuouerunt, quorsum ire iussum fuerat. O quàm dignum erat & amœnum, nobis omnibus Cruces illas cernentibus, vel sericas vel auro textas aut quolibet genere pallii decoras, quas in clamidibus suis aut birris siue tunicis, Peregrini, iussu Papæ prædicti, post votum eundi, super humeros suos consuebant. Sane pugnatores DEI meritò victoriæ signo insigniri & muniri debebant, qui ob honorem eius ad præliandum se præparabant: Et qui significans sub agnitione fidei circa se sic pinxerunt; denique diriuatum significatum verius adepti sunt: Speciem insignierunt, vt rem speciei consequerentur. Patet & quidem, quia meditatio bona, bonum opus machinatur agendum: opus verò bonum, salutem lucratur animæ. Quod si bonum est, bene meditari; melius autem est post cogitatum, opus iustum patrari; optimum est, ergo compendium salutare, quod per dignam actionem animæ victui nactum est. Vnusquisque igitur bonum cogitet, quod opere digno meliorando compleat: vt optimum quod non deficiat in æternum, emeritus tandem miles percipiat. Taliter *Vrbanus*, vir prudens & venerandus, est meditatus opus, quo postea floruit orbis. Nam pacem renouauit, Ecclesiæque iura modos in pristinos restituit: sed & paganos de terris Christianorum, instinctu viuaci effugari conatus est. Et quoniam cuncta quæ DEI sunt exaltare omnimodè studebat, omnes ferè paternitati suæ, sub obedientia libenter se dediderunt. Sed diabolus qui ad detrimentum hominum semper insistere nititur, & veluti leo quærit circinando quem deuoret: huic aduersarium quendam nomine *Guibertum*, superbiæ stimulo irritatum, ad confusionem populi concitauit: qui dudum Imperatoris Baioariorum proteruitate suf-

A.D. 1095. fultus, dum prædecessor *Gregorius*, qui & *Hildebrannus*, in sede iure habebatur, apostolicatus officium vsurpare cæpit: ipso Gregorio a foribus basilicæ sancti Petri excluso. Et quia peruersè sic egit, populus eum melior cognoscere noluit. *Vrbano* autem rectè electo, & ab episcopis Cardinalibus consecrato, maior & sanctior pars populi, post Hildebranni excessum, obediendo aspirauit. *Guibertus* autē fultus tamine Imperatoris prædicti, & plerorumque ciuium Romanorum irritamento animatus, Vrbanum quamdiu potuit à monasterio sancti Petri alienum fecit. Sed dum ab ecclesia illa sic eliminatus erat, per regiones incedens, populū in aliquantis deuium Deo conciliabat. Guibertus vero ob ecclesiæ principatum turgidus, Papam procliuem oberrantibus se ostentabat; & Apostolatus officium, licet iniustè, inter consentientes exercebat; & Vrbani facta tamquam irrita vili pendebat. Vrbanus tamē eo anno, quo primitus Franci, Hierusalem ituri, per Romam transierunt, totam omnino potestatem Apostolicam adeptus est: auxilio cuiusdam nobilissimæ matronæ *Matildis* nomine, quæ in Romana patria tunc potestate nobilitâ vigebat. Guibertus vero tūc in Alemannia erat. Itaq; duo Papæ Romæ præerāt: Sed cui horum obediretur, à quam plurimis ignorabatur, vel à quo consilium peteretur, vel quis ægrotis mederetur. Alii huic; alii alteri fauebant. Prout aspectibus hominū patebat, Vrbanus prosperior & iustior erat: putandus est rectè fortior, qui cupiditates, tanquam hostes subicit. Rauennæ vrbis Guibertus episcopus erat, honore & diuitiis opulentus valde splendebat; mirandum, quare sibi tam locupleti tantū non sufficiebat. Qui etiā ab omnibus exemplar iustæ actionis & humilitatis considerari debebat, cur temerè philopompus, inuadere præsumpsit regendum sceptrum imperii Dei? Sanè non est vi rapiendum; verùm cum ratione & deuotione suscipiendum. Debet susceptor non pro honore tumere, scilicet cōmissum sibi fideliter procurare; & quę dignitati honoris tanti pertinent, si dispersa fuerint, oportunè regregare. Nec mirum si mundus tunc inquietaretur totus & conturbaretur: quoniā si Romana ecclesia, in qua principalitas correctionis vniuersæ Christianitatis obtineretur, turbine quolibet confunditur, confestim accidit membra sibi subdita, à capitaneis fibris dolore diriuato, passibiliter compatienter debilitari. Ea enimverò Ecclesia, mater scilicet nostra, lacte cuius educabamur, documento instrui valebamus, consilio muniebamur, ab illo superbo Guiberto, vehementer percussa erat. Cumq; caput sic tritum est, continuò membra læsa sunt. *Si caput ægrotet, cætera membra dolent.* Sed quia capite sic læso, etiam membris marcescentibus dolore diriuato: quia in partibus omnibus Europæ, pax, bonitas, fides, in ecclesiis & extra, tam à maioribus quàm minoribus, viriliter subigebantur: necesse erat, vt malis tantimodis dimissis, monitione à Papa Vrbano sic exorsa, contra paganos, saltem certamina inter se & contra se dudum consueta, distenderent. Nunc igitur ad inceptum reuerti, congruum est. Nam de iter agentibus Hierosolimam & quid euntibus accidit; & quantum res & labor ipse paulatim, iuuante Deo, proficiendo claruit, decet amplius nescientibus enucleari: quod ego ipse *Fulcherius Carnotensis*, cum ceteris Peregrinis iens, postea, sicut oculis vidi, diligenter & sollicitè in memoriam posteris collegi.

II. A.D. 1096. Anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo sexto, mense Marcio, post *Concilium*, de quo dictum est, *Aruernicum*, quod in mense Nouembri dominus *Vrbanus* tenuit, alii paratu perniciores aliis, iter sanctū carpere ceperunt: alii quidem mense Aprili, vel Maio, vel Iunio, siue Iulio, nec non Augusto seu Septembri atque Octobri, pro vt sumptuū oportunitas occurrit, subsequuti sunt. Quo anno pax & ingens abundantia frumenti & vini, per cuncta terrarum climata exuberauit: disponente Deo, ne panis inopia in via deficerent, qui cum Crucibus suis, iuxta eiusdem præcepta, eum sequi elegerant. Et quia competens est principum sic peregrinantium nomina in memoria teneri: *Hugonem magnū* Philipi Regis Francorum fratrem nomino; qui primus heroum mare transiens, apud *Duratam* vrbem in Bulgaria cum suis allitauit: sed imprudenter cum agmine raro vadens, ibi ab ipsis ciuibus captus est; & vsque ad Imperatorem Constantinopolitanum perductus: vbi per aliquantum temporis, non omnino liber moratus est. Postque eum *Buiamundus* Apulus, Roberti Guischardi filius, origine tamen Normannus, per eundem tramitem, cum exercitu suo meauit. *Godefridus* quippe Dux Regni Lotariensis, per Vngarorum patriam iuit cum gente multa. *Raymondus* verò comes Prouincialis, cum Gothis & Gasconibus; *episcopus quoque Podiensis*, per Sclauoniam transierunt. *Petrus heremita* quidam, multis sibi adiectis peditibus, sed

militibus

militibus paucis, primitus per Vngariam perrexit: cuius gētis postea satrapha fuit quidam *Galterius, sine pecunia* dictus: miles quidem optimus, qui postea intra Nicomediam & Niceam vrbes, cum multis consociis suis, à Turcis occisus fuit. Mense verò Septembri *Robertus* Normanniæ comes, Guillermi regis Anglorum filius, iter arripuit, collecto sibi exercitu magno de Normannis & Anglis atq; Britannis: cū quo ruit etiam *Stephanus* comes Blesensis Theobaldi filius, & *Robertus* comes Flandriæ; adiectis his, & multis aliis nobilibus. Itaq; tanto collegio ab Occidentalibus partibus procedēte, paulatim per viā, diatim, de innumera gēte cōcreuit exercitus exercituum vndiq; conuenientiū, vt de linguis pluribus & regionibus multis videretis multitudinem infinitam. Non tamen omnes in vnum exercitus congregati fuerunt, donec ad Niceam vrbem peruenimus. Quid ergo dicam? Insulæ marium & omnium terrarum regna concussa à DEO sunt: vt sit credendum adimpleri Dauidis prophetiam quia in Psalmo dixit: *Omnes gentes quascunq; fecisti, venient, & adorabunt corā te Domine:* & vt de iure tandē dicant illuc peruenietes: *Adorabimus in loco vbi steterūt pedes eius.* De hoc itinere, etiā plurima in Prophetiis legimus. O quantus erat dolor! quanta suspiria! quot ploratus! quot lamenta inter amicos! cum maritus derelinqueret vxorem suam sibi tam dilectam, pueros quoq; suos, possessiones quantaslibet, vel patrem, vel matrē, aut fratres, aut parentes. Et quamuis tot lachrymæ pro amicis ituris sic ante eosdem, ab oculis remanentium funderentur; nequaquā proinde mulcebantur, quin propter amorem DEI, cuncta quæ possidebant relinquerent; indubitanter credentes centuplum illud percipere, quod Dominus promisit sequentibus se. Tunc coniux coniugi, ponebat terminum reuertendi: quod si vixerit, infra tres annos ad eam repatriabit: commendabat sic eam Domino, osculū porrigens, & pollicens se rediturum' Illa autem timēs non amplius videre eum, nō valebat præ dolore se sustentare, quin ad terram rueret exanimis; lugens pro amico suo, quem perdit viuum, quasi iam mortuū: ille verò tamquā nil pietatis habēs, & tamen habens; nec fletui vxoris suæ, neq; filiorum neq; amicorum quorumcumq; cōdolens, & tamen clam condolens; sed duro animo constans, abibat. Tristitia remanentibus; gaudiū autem euntibus erat. Quid dicere possimus inde? *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Igitur nos Franci occidentales per Italiā, excursa Gallia, transeuntes, cum vsq; *Lucam* peruenissemus, inuenimus prope vrbē illam *Vrbanum* Apostolicū, cum quo locuti sunt comes Robertus Normannus, & comes Stephanus; nos quoque cæteri qui voluimus. Et ab eo benedictione suscepta, gaudenter *Romā* iuimus. Et cum in basillica beati Petri introissemus, inuenimus ante altare homines *Guiberti*, Papæ stolidi, qui oblationes altari superpositas, gladios suos in manibus tenētes, iniquè arripiebant: alii vero super trabes eiusdē monasterii cursitabant; & inde deorsum vbi prostrati orabamus, lapides iaciebant. Nam cū viderent aliquem Vrbano fidelem, ilico trucidare eum volebant. In arche autem vna monasterii inerant homines Vrbani, qui eam sollicitè custodiebant in ipsius Vrbani fidelitatem; & aduersantibus sibi, pro vt poterant, obsistebant. Satis proinde doluimus, cum tantam nequitiam ibi fieri vidimus: sed nil aliud facere potuimus, nisi quod à Domino vindictā inde fieri optauimus. Nec mora inde facta, multi qui nobiscum illuc vsq; venerunt, ad domos suas ignaui redierunt. Nos autem per mediā *Campaniam* & *Apuliam* euntes, peruenimus *Barrum*, quę ciuitas optima, in maris margine sita est: Ibiq; in ecclesia sancti Nicholai fusis ad DEVM precibus nostris, portū tunc adeuntes sine mora transfretare putauimus; sed absentibus nautis, & preuaricante fortuna: tempus etiam tunc erat hyemale, quod nobis nociuum obiecerunt: oportuit *Rotbertum* comitem *Normaniæ* in Calabriam diuertere, & toto brumali tēpore illic hyemare. Tunc tame comes *Flandrensis Rotbertus* cum cohorte sua trāsfretauit. Tunc plurimi de pauperibus vel ignauis, inopiam futuram metuentes, arcubus suis venditis, & baculis peregrinationis resumptis, ad mansiones suas regressi sunt. Qua de re viles tam DEO quam hominibus facti sunt: & versum est eis in opprobrium. *Anno igitur Domini millesimo nonagesimo septimo*, reducente verno tempore mensem Martium, comes statim Normannus, & comes Stephanus Blesensis, qui iuxta eum similiter tempus expectauerat oportunum, mare repetierunt. Et classe parata, nonas Aprilis, quod tūc die sancti Pascha euenit, apud portum *Brondusianum* rates cum suis conscederunt. O quam incognita & inuestigabilia sunt iudicia DEI! Vidimus enim nauim vnam inter cæteras, quæ non supereminente occasione aliqua, per medium, subito euentu prope litus maris subcrepuit: vnde ferè, quadringenti vtriusq; sexus demersi perierunt; de quibus laus

Margin: A.D. 1096. — Psal. 85. & — Psal. 117. & — III. — A.D. 1097.

Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50

A.D. 1097. iocunda Deo statim sonuit. Nam cum corpora iam mortua qui circunstabāt pro posse recollegissent, inuenerunt in carnibus quorundam, scilicet super spatulas, Crucis in modum notas insignitas: nam quod in pannis suis viui gestauerunt, competebat, Domino volente, in ipsis in seruicio suo sic præocupatis, idem signū victoriosum sub fidei pignore permanere: etiam patefieri considerantibus, tali miraculo merito dignum erat eos, defunctos sub misericordia Dei, iam quietem vitæ perhennis adeptos fuisse: vt verissimum pateret id compleri quod scriptum est: *Iustus qua morte præocupatus fuerit, in refrigerio erit.* De reliquis autem iam cum morte luctantibus, vix pauci vitam retinuerunt. Equi verò & muli sub vndis extincti sunt: pecunia quoque multa perdita est. Quod infortunium cum videremus, pauore grandi confusi sumus, in tantum vt pleriq; cordis debiles nondū naues ingressi, ad domos suas reuerterentur, peregrinatione dimissa, dicentes nunquam amplius in aquā sic deceptionē se infigere. Nos autem in omnipotenti Deo spem nostram penitus ponentes, artemonibus sursum leuatis, tuba sonante multa Devm proclamando, & gubernante ipso, in pelagus nos impegimus, vento aliquantulū flante. Cumq; per tres dies vento deficiente in fluctibus altis detineremur, in quarto die iuxta vrbem *Duratū*, quasi decem miliariis interstantibus, portui sanè aplicuimus: duo tamen portus, classem nostrā susceperunt. Tunc autē quidē iter siccū letabundi resumpsimus; & ante vrbē prefatā postea perreximus. Itaq; Bulgarorū regiones, per montiū prærupta, & loca satis deserta transiuimus. *Demonis* ad flumē rapidum cū venimus omnes, quod sic ab incolis terræ vocitatur: & merito: vidimus enim in illo flumine diabolico quàm plures, dū vadare pedetentim sperabant, torrētis impetu diro, quod nullus cernentiū iuuare poterat, mersu repētino perire: qua de re, lachrymas multas ibi pietate dimisimus: & nisi equites cū equis dextrariis, inuaso illo peditibus auxiliū ferrēt, multi modo simili, vitā ibi perderent. Tūc iuxta ripam castra nostra metati sumus: & ibi vna nocte pausauimus. Montes vasti nobis vndiq; præerāt, in quibus nemo incola parebat. Mane quidē, aurora clarescente, classicis sonantibus, iter nostrū arripuimus: conscendendo montē, quē *Bagulatū* nuncupāt. Postea verò, montanis postpositis, tandē peruenimus ad flumen, quod vocatur *Baldarius*. Et quod antea nisi nauigio transiri solitū erat, opitulante Deo, qui suis semper vbiq; præsens subuenit, letanter vadando transmeauimus. Quo transito, sequenti die ante vrbem *Thessalonicam*, bonis omnibus habundantem, tentoria tendimus nostra.

IV. Mora autem per quatuor dies ibi facta, deinde *Macedoniam* transigentes, per vallem *Philipensium*, postq; per *Lucretiam & Crisopolim* atque *Cristopolim* cæteras quoq; vrbes quæ sunt in Græcia, *Constantinopolin* peruenimus. Ibi quidē ante vrbē tentoriis nostris extensis, per quatuordecim dies lassitudinē nostram releuauimus. Et quia ciuitatem illam ingredi non quiuimus, quoniam Imperatori nō placuit: timebat enim ne fortè aliquid dampnum ei machinaremur: stipendiū quotidianum extra muros allatum nos emere oportuit, quod præcepto Imperatoris nobis ciues afferebant. Nec permittebat Imperator introire in ciuitatem multos insimul: sed honoratim, vel quinq; vel sex de potentioribus, ad horam in ecclesiis ingredi sinebat. O quanta ciuitas nobilis & decora! quot monasteria, quotq; palacia sunt in ea, opere miro fabrefacta! quot etiā in plateis vel in vicis opera, ad spectandum mirabilia. Tædium est quidem magnum recitare quanta sit ibi opulentia bonorum omnium, auri & argenti, palliorū multiformiū, sanctarumq; reliquiarū. Omni etiam tempore nauigio frequenti, cuncta hominū necessaria illuc afferuntur. Ibi insuper, vt spero, ferè viginti milia spadones, assidua habitatione cōuersantur. Cùm autem nos satis fatigatos requie recreassemus, tunc Optimates nostri, accepto consilio, facti sunt homines Imperatoris: & pepigerūt fœdus cum ipso, sicut iam ipse postulauerat ab eis; quod similiter iam fecerāt sub iureiurādo, qui nos in itinere ipso antecesserant, *Buamundus* scilicet, & dux *Godefridus*: comes autem *Raymondus* hoc facere tunc recusauit: Comes verò *Flandriæ*, sic sicut alii, iusiurandum fecit. Nam erat eis necesse vt taliter cū Imperatore amicitiam solidarent; vt tutius quærerent, & acciperent ab eo consilium & auxilium, præsens & futurum, tam sibi, quàm omnibus qui nos secuturi erant, per eundem tramitem. Quibus idcirco ipse Imperator præbuit de nummismatibus suis quantum placuit; de equis, & de palliis & de pecunia sua, qua nimis indigebant ad tantum iter explendū. Hoc expleto, mare, quod *Brachium sancti Georgii* vocatur, transfretauimus. Tunc ad *Nicæam* vrbem properauimus: quoniam obsidione Buamundus, & dux Godefridus,

defridus & comes Raymondus, & comes Flandriæ à medio Maii iam obsidebant quam vrbem possidebant *Turci* orientales Pagani acres animi, & arcubus sagittarii. Hi quidem de Perside iam à quinquaginta annis, Euphrate fluuio transito, terram Romaniæ totã vsq; Nichomediã vrbem sibi subiugauerant. O quot capita cesa, & ossa occisorũ vltra Nicomediam in campis iacentiũ tunc inuenimus! quos ipso anno, ignaros, & vsui sagittario modernos Turci peremerãt: vnde moti pietate, satis lachrymas fundimus. Cumq; audissent qui Niceã vrbẽ iam obsidebant, venire principes comites nostros, *Rotbertum* scilicet Normannũ, & *Stephanum* Blesensem, gaudenter eis & nobis obuiam venerunt; & vsq; ad locum vbi tabernacula nostra extendimus, ante vrbem in partem Australem, deduxerunt. Iam semel Turci congregati se parauerant, volentes vel obsidionẽ ab vrbe si possent excutere; vel de militibus suis vrbem melius munire: sed à nostris fortiter & ferociter repulsi, occisi sunt ex eis ferè ducenti. Cùm autem viderent Francos tam animosos, & probitate validissimos, secesserunt refugi in Romaniam interiorem, quo adusque tempus oportunius aggrediẽdi eos sentirent. Nos quippe in ebdomada Iunii prima, postremi ad obsidionem venimus. Tunc de exercitibus plurimis, vnus illic exercitus effectus est, quorum centum milia loricis & galeis muniti erant: Quem, qui de numero sapiebant, sexies centum milia ad bella valentium esse æstimabant: exceptis inhermibus, videlicet clericis, monachis, mulieribus, & paruulis. Quid igitur insuper? Si omnes qui de domibus suis egressi votum iter iam inceperant simul illic adessent, procul dubio sexagies centum milia bellatorum essent. Sed alii de Roma, alii de Apuleia, alii verò de Vngaria, vel Sclauonia, labore recusato, domos suas redierant: vel in locis multis, milibus multis occisis; & nobiscum multi eundo infirmati, vitam finierãt defuncti. Multa cymiteria videretis in callibus & in campis, in lucis, de Peregrinis nostris sic sepultis. Sciendum, quia quamdiu Niceam vrbem circũ sedimus, nauigio marino, cõsensu Imperatoris, victus nobis ad emendũ illuc est allatus. Tũc Heroes nostri fecerũt machinas fieri, arietes, scrofas, turres ligneas petrarias. Distendebantur arcubus sagittæ, iaciebantur lapides; hostes nobis nosq; illis vicem certaminis, pro posse reddebamus. Sæpe cum machinis illis armati vrbem assilliebamus; sed muro forti nobis obstante, cassabatur assultus. Sæpe de Turcis, Sæpe de Francis, sagitis vel lapidibus percussi, interibant. Verè doleretis, & pietate suspiraretis, cùm aliquem de nostris propè murũ quoquomodo trucidassent, & summissis vncis ferreis quos viuibus deorsum dimittebant, corpus interempti, aliquando loricati, sursum ad se rapiebant, quod nullus nostrum audebat nec poterat ab eis extorquere: Corpore tunc expoliato, cadauer foras iaculabantur. Sed cũ quinq; septimanis vrbem circumsedissemus, & multotiens assultibus Turcos pauidos fecissemus: facto interim placito per legationes apud Imperatorẽ, callidè reddiderũt ei vrbem, cum iã ipsa vi & ingeniis valde coercita esset. Tunc Turci intromiserunt in eã *Turcopulos* ab Imperatore missos, qui vrbẽ cum pecunia interna, domino suo Imperatori, sicut eis preceperat, seruauerunt. Quapropter pecunia illa retenta, iussit Imperator de auro suo & argento atq; palliis proceribus nostris dari: peditibus quoq; distribui fecit de nummis suis æneis, quos vocant *tartarones*. Die quidẽ illo, quo Nicea sic est comprehẽsa, siue reddita, vnius mensis solsticio repercussus est: tertioq; Kal. Iulii, cum Barones nostri ab Imperatore cõcessum abeundi accepissent, à Nicea discessimus interiores Romaniæ regiones adituri. Sed cũ per duos dies iter egissemus nostrum, nunciatum est nobis quod Turci, prætentis nobis insidiis, in planis per quæ transituros nos arbitrabantur, præliaturi expectabãt. Hoc autẽ cum audiuissemus, nihil ob id audacitatis amisimus. Sed cũ sero illo speculatores nostri plures ex illis à longè vidissent, statim nos inde monuerunt: propter quod tentoria nostra nocte illa excubiis vndiq; conseruari fecimus. Manè autem facto, quod accidit Kal. Iulii, sumptis armis, & monente cornu, aduersus eos per alas consequuti, tribunis & centurionibus cohortes & centurias ducentibus, vexillis leuatis, ordinatè ire cepimus. Hora diei secunda, ecce præcursores eorũ speculatoribus nostris appropiauerunt. Quod cum audissemus, protinus tẽtoria nostra, iuxta quoddam arundinetum, metari fecimus, vt expeditius clitellis, id est sarcinis, depositis promptiores ad preliandum essemus. Quo facto, en Turci, quorũ princeps & Admiratus erat *Soliman*, qui Niceam vrbem & Romaniam in potestate sua tenebat, congregatis sibi Turcis ab Orientalibus partibus, qui triginta dierũ itinere & eoamplius, in auxiliũ eius mandati venerant: Aderantq; cũ eo quã plures Admirati, videlicet *Amudaradigiũ, Miriatos, Comardigũ, Amirchai, Lachin, Bold.*

A.D. 1097.

10 20 30 40 50

V.

A.D. 1097. *gis Caradigum* multique alii: qui omnes in simul erant trecenta & sexaginta millia pugnatorũ scilicet sagitariorum. Mos enim eorũ est, talibus vti armis. Equites erãt omnes; Nos autẽ vtrũq;, pedites & equites. Sed nobis tunc deerãt, dux *Godefridus*, & comes *Raymondus*, atq; *Hugo magnus*: qui per duos dies insipienter se à nobis subtraxerant cum gente maxima, tramite bifurco: vnde nobis dampnum inrestaurabile accidit, tam de nostris occisis; quàm Turcis non retentis, vel interfectis. Sed quia tardè legatos nostros inde habuerunt, ideo tardè nobis succurrerunt. Turci autẽ audacter vlulatibus cõcrepãtes, pluuiã sagittarũ vehemẽter nobis iacere ceperũt. Sed ictibus tã crebris nos stupefacti, mortuiq;, & multi lesi, mox timidi versi sumus in fugam: nec erat mirandũ; quia cunctis nobis tale bellũ erat incognitũ. Iamiamq; ex altera parte arundineti, agmina densa ex eis ad vsq; papiliones nostros vehemẽter irruerant, qui de rebus nostris intus arripiebant, & de gente nostra occidebant: cum fortè, disponẽte DEO, Hugonis magni & comitis Raymondi & ducis Godefridi præcursores, tali infortunio à posteriore parte accurrerũt: & cum vsq; ad tentoria nostra iã fugati fuissemus, statim qui ingressi fuerant à papilionibus se remouerũt: putantes propter eos tam cito nos regredi: sed quod audaciam vel probitatẽ suspicati sunt pauorẽ nimiũ sperare possent. Quid dicam? Nos quidẽ in vnũ conglomerati, tamquam oues ouili clausæ, trepidi & pauefacti ab hostibus vndiq; vallabamur, vt nullatenus aliquorsum procedere valeremus. Quod nobis visum est propter peccata nostra sic contigisse. Nam quosdã luxuria polluebat; quosdã verò auaricia, vel superbia vitiabat. Clamor erat ingens æthera feriens, virorũ ac mulierum atq; infantiũ, necnon & Paganorũ qui super nos irruebant. Iamq; nulla spes erat vitæ. Tunc reos & peccatores nos omnes esse fatebamur, misericordiã à DEO deuotè postulantes. Aderat ibi *episcopus Podiensis*, patronus noster, & quatuor alii: aderantq; sacerdotes quam plurimi, albis induti vestimentis, qui Dominum humillimè deposcebant, vt virtutẽ hostiũ prosterneret; & nobis dona misericordię suę infunderet: plorando cantabãt; cantantes orabant. Tũc currebant multi ad eos, qui confestim mori tinentes cõfitebantur eis peccata sua. Tunc nostri proceres, *Robertus* Normaniæ comes, & *Stephanus* Blesensis, & comes *Flandriæ Buaumũdus* quoq; pro posse eis resistere, & eos sepe nitebãtur inuadere: ipsi quidem à Turcis fortiter impetebantur. Sed forsitan supplicatione nostra Dominus placatus: quia nec nobilitatis pompæ, nec armis lucidis triumphare fauet; sed menti piæ & virtutibus diuinis munitæ, in necessitate piè subuenit: paulatim vigorem tunc nobis præstitit, & Turcos magis magisq; debilitauit. Nam visis cõsociis nostris, qui postremi properabant ad adiuuandum nos, laudantes DEVM audaciam resumpsimus; & per turbas & cohortes eis resistere nisi sumus. Heu! quot de nostris die illo post nos lentè venientes in via occiderunt! A prima diei hora vsq; ad sextam, nos, vt dixi, angustè coërcuerunt: sed tunc paulatim nobis animatis & de nostris sociis concretis, affuit mirabiliter Diuina gratia; & quasi momẽto subitaneo, Turci omnes visibus nostris dorsa fugitiui verterunt. Nos vero post eos vehementer vociferantes, per montes & valles persecuti eos sumus: quos fugare non cessauimus, donec anteriores nostri cursores ad tentoria eorum peruenerũt: vbi, alii de rebus eorũ, & de tentoriis ipsis onerauerũt eorundẽ equos & camelos plures, quos pro timore illic reliquerãt: alii verò Turcos fugientes vsq; ad noctẽ persecuti sunt. Sed quia famelici & fatigati erant equi nostri, paucos ex eis retinuimus. Grande autẽ miraculum DEI fuit, quod die crastino & tertio nõ cessauerũt fugere; quãuis eos nullus, nisi solus DEVS amplius fugaret. De tanta autẽ victoria nos facti lætissimi, DEO gratias omnes exsoluimus, quia noluit iter nostrũ omnino adnichilari; sed ad honorẽ sui & Christianitatis, honorabilius solito prosperari: vnde ab Oriẽte vsq; ad Occasũ fama personabit perhennis. Tũ quidẽ, post eos iter nostrũ modestè calcauimus. Turci verò ante nos fugiẽtes, cateruatim mãsiones per Romaniã sibi quęsierũt. Tũ perreximus *Anthiochiã*, quam prænominant *peruam*, in prouincia Psidie; deinde *Yconium*: in quibus regionibus, sepissimè pane cibariisque satis indiguimus. Nam Romaniam, quæ terra est optima & fertilissima bonorũ omniũ, inuenimus valde à Turcis vastatã & deploratam. Multotiens tamẽ videretis tantam gentis multitudinẽ de raris culturis, quas interdum per loca inueniebamus, bene refocillari supplemento illius DEI qui de quinque panibus, & duobus piscibus, quinque milia hominum cibauit. Inde satis lætabamur; & congaudentes, dona misericordiæ DEI hæc esse, profitebamur. Tunc autem verè vel rideretis vel forsitan pietate lachrymaremini, cum multi nostrûm iumentis egentes, quia de suis iam multa perdiderant, verueces,

carpas

capras, sues, canes, de rebus suis, scilicet pannis vel panibus, seu qualibet sarcina peregrinorum vsui necessaria onerabant: quarũ bestiolarũ terga videbamus, mole fascis grauis, esse corrupta: Equites, etiam supra boues cum armis suis interdum scandebant. Sed quis vmquam audiuit tot tribus linguæ in vno exercitu, cũ ibi adessent Franci, Flandri, Frisi, Galli, Britoni, Allobroges, Lotharingi, Allemani, Baiorarii, Normanii Scoti, Anglici, Aquitani, Itali, Apuli, Yberi, Daci, Græci, Armeni. Quod si vellet me alloqui Britannus vel Teutonicus, neutro respondere saperem. Sed qui tot linguis diuisi eramus, tanquam fratres, sub dilectione DEI, & proximi, vnanines esse videbamur. Nam si de rebus suis aliquis aliquid perderet, per quam plurimos dies id diligenter tamdiu qui inuenisset deferret secum, donec inquirendo illum qui perdidisset, reperiret; & inuentum libenter redderet: hoc enim competit his, qui iustè peregrinantur. Cùm autẽ ad *Eracleã* vrbem peruenissemus; vidimus signum in celo quoddam, quod alburno splendore fulgens tunc apparuit in modum ensis figuratũ, cuspide versus Orientem protento. Sed quid futurum promittebat nesciebamus: sed præsentia & futura Domino cõmittebamus. Ad oppidũ optimũ quoddã quod *Mariscum* nominatur, tũc profecti sumus, vbi per tres dies quieuimus: sed cum ex hinc viam vnius diei procul cassemus; & nõ longè ab Antiochia Syriç, sed quasi tribus diebus essemus, ab exercitu discessi: & cum domino *Balduino* comite, Godefridi ducis antefati fratre, in sinistræ partẽ prouinciæ diuertimus. Erat quippe miles quàm optimus, probitate & audacia valde famosus: qui antea relicto exercitu cũ illis quos secum duxit, vrbẽ, quàm dicunt *Tharsum* Ciliciæ, ausu magno ceperat, quã tamen *Tancredo* violenter abstulit; qui iam in ea homines suos, Turcis ei cõsentiẽtibus, intromiserat. Relictis itaq; ibi custodibus, Balduinus ad exercitũ rediit. Itaq; cõfidens in Domino, & in valore suo, collegit secũ milites paucos, proficiscens versus Euphraten fluuiũ: & comprehendit ibi castra plurima tã vi quã ingenio; interq; vnũ cępit per optimũ, quod vocatur *Turberes*: hoc pacificè reddiderũt ei qui in eo habitabãt Armeni, & alia plurima huic subdita. Cũ autẽ fama de eo longè lateq; iã circumuolasset, misit ad eũ legationẽ qui Princeps erat ciuitatis *Roais* id est *Edessa*, quę satis est nominata, & de bonis terrę vberrima: Est illa in Mesopotamia Syriæ, trans flumen prædictũ Euphratẽ, viginti ferè miliariis & ab Antiochia distans, quasi centũ vel paulo plus. Mãdatus est itaq; Balduinus vt illuc iret; & efficerẽtur inuicẽ amici, quamdiu ambo viuerẽt, tanquã pater & filius: quod si dux ipse Edessenus fortè obiret, statim Balduinus, ac si filius eius esset, vrbẽ & terram suam, quãtamcumq; possidebat, in hereditate possideret. Non enim habebat filiũ nec filiã. Et quoniã à Turcis se defẽdere nõ poterat, volebat Græcus ille & se & terrã suam ab ipso Balduino defendi, quẽ & milites suos bellatores audiuerat esse probissimos. Hoc audito postquã legati iureiurando fecerũt eum inde credulũ, cum minimo exercitulo suo, scilicet octoginta militibus, pergens transiit Euphratẽ: quo transito, nocte tota perproperè prope castra Sarracenorũ, hinc & inde linquentes ea, valde pauidi perreximus. Quod cum audissent Turci qui in *Samosatẽ* oppido forti erant, insidias nobis in via, per quã ituros nos opinabantur, prætenderũt. Sed cũ nocte alia, quidã Armenus in castello suo diligenter nos hospitatus fuisset, intimatũ est nobis quod ab hostibus illis insidiãtibus pręcauere nos oportebat: quapropter diebus duobus illic delituimus. Sed cũ tantam morã fastidirẽt illi, die tertia subito insultu de loco insidiatorio prosilierũt; & ante castellũ in quo eramus; signis leuatis accurrerunt; & prædam quã in pascuis ibi repererunt, ante conspectum nostrũ arripuerunt. Nos autẽ contra eos egressi, quia pauci eramus, bellare cũ eis non quiuimus: qui cum nobis sagittas iacere ceperunt, nullũ de nostris, iuuãte DEO, sauciauerunt: Ipsi autẽ vnum de sociis suis occisum lancea, in cãpo reliquerunt, cuius equum, qui eum subuertit, retinuit. Tunc abierunt; nos autem ibi remãsimus. Sequenti vero die iter nostrum resumsimus. Mirabemini, cũ ante castra Armeniorũ transiremus, & nobis obuiã cũ Crucibus & vexillis, pro amore CHRISTI humillimè procedebãt; & pedes nostros & pannos osculabãtur: eò quòd audierãt nos à Turcis eos defensuros, sub quorũ iugo tãdiu depressi fuerãt. Peruenimus tãdẽ *Roais*: vbi princeps vrbis predictus, & vxor sua, vnà cũ ciuibus suis, gaudẽter nos susceperũt: & quod Balduino polliciti fuerãt, indilatè cõpleuerũt. Cũq; per quindecim dies illic morã fecissemus, ciues vrbis machinati sunt principem illum scelestẽ occidere; & Balduinũ in palatio ad dominãdũ sublimare. Odio enim eũ habebãt. Dictũ est, & factũ est. Vnde Balduinus tamẽ, & sui, valde cõtristati sunt, quia pro eo

A.D. indulgētiā impetrare nequiuerūt. Cum autē principatū illius, dono ciuiū Baldui-
1097. nus suscepisset, protinus aduersus Turcos, qui in patria erat, litem bellicā mouit, quos multotiens vel victos vel occisos superauit. Contigit tamen de nostris plures à Turcis interemptos fuisse. Ego vero *Fulcherius Carnotensis*, capellanus ipsius Balduini eram. Volo autem de exercitu DEI, sermonem quem deliqui resumere.

VII. Mense Octobri, peruenerunt Franci *Antiochiam* Syriæ, flumine transito quod *Fernum*, vel *Orontem* nominant. Ante vrbem iussa sunt tentoria extendi, intra primū ab vrbe lapidem: vbi postea certamen pessimum vtrinque persępe factum est: nam cum de ciuitate Turci prosilirent, multos de nostris occidebāt; vice tamē reddita, se quoq; superatos lugebant. Est nempe *Antiochia* ciuitas magna ambitu; situ forti, 10 & muro valida: quæ & ab hostibus externis nunquā poterit comprehendi, si tantū inhabitātes pane muniti eam defendere voluerint. Estq; in ea basilica vna, satis veneranda, in honore sancti *Petri Apostoli* dedicata; vbi sedit in cathedra in episcopum sublimatus, postquā à Domino principatum Ecclesiæ, clauibus acceptis regni celestis, suscepit. Est & altera in honore *beatæ Mariæ* fabrefacta: Suntq; aliæ plures ecclesiæ decēter cōpositæ. Quæ quāuis sub potestate Turcorū diu extiterant, DEVS tamē cuncta præsciēs, nobis eas integras reseruauit, vt à nobis quandoq; in eis honoraretur. Tredecim ferè miliariis, distat mare ab Antiochia. Et quia Fernus fluuius inibi mare incidit, per eiusdem alueum fluuii vsq; prope Antiochiā, naues de de longinquis partibus bonis refertæ omnibus, deducuntur. Itaque tam per mare 20 quàm per terram munita bonis, abundat ciuitas diuitiis multimodis. Principes autem nostri, cum eam ad capiendum tam difficilem prospexissent, iureiurando cōfirmauerunt inuicē eam obsidione cohibere, donec, DEO suffragante, aut vi aut ingenio possent eam capere. Tum verò inuenerunt in flumine prædicto naues, cum iuxta illud deambularent: quas capientes coaptauerūt sibi de eis vnum pontem, per quē postea transierunt ad negotia sua facienda, cùm antea pedetentim vadare per flumen illico non valerent. Sed cū Turci à tanta multitudine Christiana se obsideri circumspicerent, timentes quòd nullomodo ab eis excuti possent, inito consilio inuicem, misit *Gracianus* Antiochiæ Admiratus filium suum *Sansadolē* nomine, ad *Soldanū*, hoc est ad Imperatorem Persidis, precantes vt eis citissimè succurreret: 30 quia in nullo alio spem auxilii habebant, præter Mahumet aduocatum eorum. Ille autem illuc sic destinatus, legationē perproperè gessit. Qui vero remanserunt, custodierunt vrbem, interim auxilium prestolantes mandatum: & contra Francos dampna multimoda frequenter machinati sunt. Franci quoque, calliditati eorum pro posse obsistebant: contigit enim die quadam septingentos Turcos ab eis interemptos esse: & quia Francis insidias parauerant, ab insidiantibus similiter superati sunt: virtus enim DEI, presens ibi affuit. Nam nostri omnes sani regressi sunt, excepto vno ab illis sauciato. Heu! multos de Christianis, qui in vrbe cōuersabātur, scilicet, Græcis, Syris, Armenis, Turci rabie occidebant permoti; & petrariis & fundibulis suis capita occisorum, Francis cernentibus, extra muros eiiciebant: 40 qua de re gens nostra valde tristabatur. Odio quidem Christianos illos habebant; quoniam ne forte Francos quoquomodo munirent, metuebant. Cùm autem aliquandiu Franci vrbem circumsedissent; & prouinciam affinem rapinantes pro victualibus necessariis sibi, vndiq; deuastassent; & panem ad emendum nusquam inuenire possent, contigit eos famem magnam sustinere: vnde omnes valde desolati sunt; & multi latenter cogitauerunt de obsidione aufugere, siue per terram siue per mare. Non enim habebant quicquam stipendii, vnde viuere possent: quos etiam oportebat victū suū longe querere, cum ingenti timore elongando se ab obsidione aut quadraginta aut sexaginta miliariis: vbi, videlicet in montanis, à Turcis insidiātibus, persæpe occidebantur. Hæc autē incommoda putabamus sic Francis con- 50 tigisse propter peccata sua, quibus multi cōstringebantur: & quod vrbem tam longuo tēpore capere non poterant. Nam plurimi, tam superbiæ, quàm luxuriæ atq; rapinæ immodestiā debilitabantur. Tum proinde facto consilio, eiecerūt feminas de exercitu, tā cōiuges, quā immaritatas; ne luxurię sordibus coinquinati Domino displicerēt: illæ verò, in castris affinibus tūc sibi hospitia assumserūt. Desolati enim omnes erant, tam fame quā occisione quotidiana; tam diuites quàm pauperes; & nisi DEVS eos, tamquam bonus pastor oues suas, gregatim constringeret, procul dubio omnino inde aufugerent, licet obsidionem iurassent obtinendam. Multi tamen propter panis necessitatem, per plures dies quærebant per castella propinquiora

quiora, quæ victui suo erant necessaria; nec postea reuertentes ad exercitum, obsidionē penitus dimittebant. Tum temporis vidimus vnū roborē in celo mirabilē: in super sensimus terræmotū magnū, qui nos pauidos reddidit omnes. Multi etiā viderūt quoddā signū in modū Crucis figuratū, colore alburnū, versus Orientē recto tramite incedēs. *Anno autē Domini millesimo nonagesimo octauo*, postquā illa regio Antiochena, circumquaq; à multitudine gentis nostræ prorsus deuastata fuisset, magis magisq; maiores & minores fame nimia vexati sunt. Tūc famelici comedebant surculos fabarum in agris adhuc crescentiū, herbasque multimodas & sale inconditas; carduos etiam qui propter lignorum deficientiam non bene cocti linguas manducantium depungebant; equos, asinos, camelosque, canes etiam, & mures: pauperiores, etiam bestiarum coria comedebant; & quod nefas est dicere, mures, & grana in stercoribus reperta: frigora, flagra, calores, pluuias densas, propter DEVM perpessi sunt. Tentoria etiam iam erant inueterata, imbrium inundationibus putrefacta & disrupta: qua de re, multi eorum nonnisi celo tegebantur. Itaque illi, quasi aurum ter igni probatum, septiesque purgatum, iam dudum à Domino, vt opinor, prælecti, & in calamitate tanta examinati, à peccatis suis purgati sunt: Diu enim agonizantes, si etiam gladius percussoris non deesset, martyrii cursum multi voluntariè complessent: forsitan à iusto *Iob* gratiam tanti exempli sumpserunt, qui in tormentis corporis sui, animam purgans, DEVM semper in mēte tenuit. Cum Paganis bellant; propter DEVM laborant. Licet DEVS qui cuncta creat, creata moderat, moderata sustentat, virtute gubernat, possit quæque vult momento vno destruere, sentio quod verbere Christianorum annuit Paganos ita subrui, qui tot temporibus cuncta quæ DEI sunt, permittente ipso, viliter pessumderunt. Christianos quidem ab ipsis Turcis permittit occidi, ad saluationis augmentum; Turcos autem, ad animarum suarum detrimentum: Quorum quosdam tamen iam saluti prædestinatos, placuit DEO tunc à sacerdotibus nostris baptizari, *Quos enim prædestinauit, hos & vocauit, necnon magnificauit.* Quid igitur? fuēre quidem de nostris nonnulli, vt superiùs audistis, qui ab obsidione tam anxia se remouerunt; Alii propter egestatem, alii propter ignauiam, alii verò propter mortis timorem, primitus pauperes; deinde locupletes. Tunc *Stephanus* Comes Blesensis ab exercitu discessit, & per mare in Franciam repatriauit: vnde doluimus omnes: quoniam vir erat probissimus, & valde nobilis. Quo discedente, sequenti discessionis suæ die, vrbs *Antiochia* est tradita. Si perseuerasset, multum inde cum ceteris gauderet. Idcirco factum est ei hoc in opprobrium. Nec prodest cuiquam bonum initium, si bene non finierit. In rebus autem Domini, eo quod mentiri nollem, cauendum est: ne in aliquantis deuiem, multa breuiabo. Ab ipso autem mense Octobri, transcursa hyeme sequenti, & deinde verno tempore vsque dum subintraret Iunius Mensis, vrbis obsidio perdurauit. Multotiens interim inuasiones & prælia insidiasque, Franci & Turci inuicem egerunt: vincebant, & vincebantur. Nostri tamen sæpius quàm illi triumphabant. Semel contigit plerosque de Turcis in flumen *Fernū*, fugiendo cadere, & in ipso mersos infeliciter introire. Cis Fernū & citra Fernum, vtraque gens inuicem bellabant sæpe. Castella quidem ante vrbem composuerunt optimates nostri, quibus postea Turcos frequenti exitu assilientes, vehementer cohibuerunt: vnde bestiis eorum pascua sæpe abstulerunt. Nec ab externis prouinciæ Armenis, quicquam allatum fuit: Sæpe tamen ipsi ad lædendum nostros procedebant. Cum autem placuit Domino laborem populi sui consummare, forsitan precibus eorum placatus, qui cotidie preces inde supplices ei fundebant, concessit pietate sua, per eorundem Turcorum fraudem, traditione clandestina vrbem Christianis reddi. Audite ergo fraudem & non fraudem.

A.D. 1098.

VIII.

Rom. 8. v. 30.

Apparuit enim Dominus noster cuidam Turco, gratia sua prælecto, & dixit ei: *Expergiscere qui dormis: impero tibi vt reddas Antiochiam Christianis.* Miratus autem ille, visionem illam silentio texit. Iterum autem apparuit ei Dominus: *Redde vrbem Francis*, inquit: *Sum etenim CHRISTVS, qui hoc tibi iubeo.* Meditatus autem ille secum quid inde facturus esset, abiit ad dominum suum, Antiochiæ scilicet principem, & visionem illam innotuit ei. Cui respondit ille: *Nunquid fantasmati, Brute, vis obedire?* Reuersus autem ille, postmodum siluit. Cui rursum Dominus apparuit, inquiens: *Cur non explesti quid iussi? Non est tibi hæsitandum: nam qui hoc impero Dominus sum omnium.* Ille autem non amplius dubitans, prudenter cum viris nostris tunc egit, vt sub machinationis suæ studio vrbem acciperent. Quo prolocu-

IX.

A.D. 1098. to, & filio suo Francis dato obside, domino scilicet *Buauimundo*, nocte quadam per scalas de cordis factas, viginti de clientibus nostris per muri summum intromisit. Et non mora facta, statim porta aperta est. Franci omnes præparati, ciuitatem sunt ingressi. Et per cordas iam introierant quadraginta milites, qui quadraginta, ilico inuenerunt ibi Turcos, trium turrium custodes: quos occiderunt. Tunc alta voce Franci omnes simul exclamauerunt: *DEVS hoc VVLT, DEVS hoc VVLT.* Hoc erat enim signum exclamationis nostrę, cum aliquid de negotio nostro agere volebamus. Quo audito Turci omnes vehementer exterriti sunt. Aurora quippe albescente, vrbem Franci prorsus impetere ceperunt. Cumque Turci primitus vexillum Buamundi rubicundum, iam in sublime displicari aspicerent; & tumultum tantum atque tot cornibus in muri apice Francos sonare, & per vicos & muros nudis ensibus eos latè discurrere, & gentem suam ferociter occidere, obstupefacti valde & hac & illac fugere ceperunt: de quibus multi mox occisi fuerunt: pluresque fugiendo in castrum, quod in rupe celsa est situm, se intromiserunt. Plebs verò nostra cuncta quæ in vicis aut domibus inuenerunt, immoderatè assumpserunt. At milites, probitatis militiam tenuerunt, Turcos persequendo & occidendo. Tunc Admiratus Antiochiæ, scilicet *Gratianus*, à rustico quodam Armeno fugiens decollatus est: Qui caput abscisum Francis mox attulit eius.

X. Contigit autem postquam ciuitas capta est, à quodam homine *Lanceam* vnam inueniri: quam in ecclesia beati Petri Apostoli, fossâ humo repertam, asseuerabat esse illam, de qua *Longinus* latus Domini perforauit. Aiebat enim à sancto *Andrea Apostolo* euelatum hoc esse sibi. Visione, & monitione ab ipso Apostolo ter illi facta, fodit subter pauimentum, vbi per visionem ei monstratum fuerat; & inuenit Lanceam, fallaciter occultatam forsitan. Hanc visionem propalauit primitus *episcopo Podiensi* & *Raymondo* comiti. Quod tamen episcopus falsum esse putauit; Comes verò Raymondus verum esse sperauit. Sed cum sic reperta fuisset, & omnis populus DEVM exultans glorificasset; & per centum iam ferè dies ab omnibus in veneratione magna haberetur; & à Comite Raymondo gloriosè tractaretur: qui etiam oblationem à populo ad Lanceam deuotè factam, egenis sepe distribuerat, quia Lanceam illam in custodiebat: fortè contigit *Episcopum Bare*, & alios quàplurimos, tam clericos quam laicos, hæsitare quod non esset illa Dominica Lancea, quę sperabatur; sed altera erat ab homine illo stolido fraudulenter reperta. Quapropter consilio inito, post supplicationem ieiunii tridrani, cùm struem lignorum in medio campi igni accendissent, iuxta castrum *Archarum*, quod tunc obsidione coercebant, octauo mense post Antiochiam captam, benedictione iudiciali super ignem ab Episcopis facta, inuentor *Lancea* per medium rogi flammantis vltrò celeriter transmeauit: Quo transacto, illum hominem quasi reum in cute flammis crematum viderunt; & in interiori parte corporis læsum morti intellexerunt: Quod rei exitus monstrauit, cùm die duodecimo ipso angore obiit. Et quia ob honorem DEI & amorem, omnes Lanceam venerati fuerant, hoc inditio peracto, facti increduli, contristati sunt valde: Comes tamen *Raymondus* tam diu eam seruauit, donec eam nescio quo euentu perdidit. Nunc autem ad cætera dimissa reuertar.

XI. Cumque *Antiochia* ciuitas capta fuisset, vt dictum est, sequenti die Turcorum multitudo innumerabilis circa eandem vrbem obsidionem opposuerunt. Nam *Soltanus*, rex scilicet Persarum, vnde iam parum præfatus sum, habita legatione quod Franci Antiochiam obsidebant: statim gente multa coadunata contra Francos exercitum suum misit. Cuius fuit *Corbagath* dux & Admiratus. Hi quidem ante vrbem *Edissam*, vbi tunc Balduinus erat, per tres hebdomadas stationem fecerant: sed nihil ibi proficientes, *Antiochiam* properauerunt, ad succurrendum Gratiano. Quibus visis, non minus solito iterum Franci desolati sunt: propter peccata enim sua pœna est eis duplicata: Nam cum ciuitatem ingressi fuissent, confestim cum fœminis exlegibus, concubuerunt plures ex eis. Tunc insuper ingressi sunt vrbem sexaginta ferè millia Turcorum per castrum sublime, à parte rupis celsæ: qui nostros vehementissimè crebris inuasionibus coartauerunt. Sed non fuit mora: pauore percussi magno, foras ad obsidionem relicta vrbe exierunt: Franci autem inclusi, vltra quàm credi potest remanserunt anxii. Interea tamen eorum non immemor DEVS, pluribus sæpe, quod dictis affirmabant, apparuit qui confortando eos promittebat populum ad presens victoria gaudendum.

XII. Tunc clerico cuidam, pro timore mortis aufugienti apparuit Dominus in-

nus inquiens: *Quo frater protendis iter? fugio,* respondit *ne infortunatus peream. Sic fugiunt multi, pereant ne morte maligna.* Cui Dominus ait: *Ne fugias, sed vade retro, & dic ceteris quod in prælio cum illis adero: Nam Matris meæ placatus precibus, propiciabor eis. Sed quia peccauerunt, ferè perierunt. Sit autem spes eorum in me firma; & faciam eos in Turcos triumphare: peniteant, & salui fient. Dominus sum, qui loquor tecum.* Mox ille reuersus, quod sciuit narrauit: interea dum plures noctu per cordas de muro descendere volebant, & fugere: quoniam contigit multis hoc fieri, qui formidabant vel inedia vel gladio perire. Iterum, astitit cuidam descendenti, frater eiusdem iam mortuus: aiens ei: *Quo frater fugis? Resta, ne timeas: quoniam Dominus erit vobiscum in prelio vestro: & consocii vestri qui in hoc itinere iam vos morte antecesserunt, contra Turcos vobiscum preliabuntur.* Miratus autem ille verba defuncti, ire desiit: & quod audiuit ceteris recitauit. Sed cum placuit Domino labori famulorum suorum finem dare, qui etiam angorem tantimodum amplius tolerare non poterant: nec iam quicquam habentes quid comederent, vnde tam ipsi quam equi eorum debiles nimis erant: constituerunt inuicem fieri triduanum ieiunium, cum precibus & eleemosinis: vt illis pœnitentibus, & Domino deuotè supplicantibus propiciaretur? Interim verò capto consilio, mandauerunt Turcis per *Petrum* quendam *Heremitam*: *quod nisi terram quæ Christianis pertinebat ab olim, quietam eis dimitterent, die sequenti sine dubio bellum contra eos inirent. Quod si aliter fieri vellent: aut per quinque, aut per decem, siue per viginti vel centum milites, ab vtraque parte electos, fieret bellum: ne cunctis simul bellantibus, multitudo gentium moreretur: Et quorum pars alteram superaret, vrbem & regnum meritò acciperet.* Hoc mandatum est; sed concessum à Turcis non est. Et quia multi erant, & equis muniti, propterea vincere putabant: æstimabantur quidem numero, sexcenti sexaginta millia, tam equites quàm pedites. Nostros verò milites, sciebant effici pedites, debiles, pauperes. Regresso autem Petro legato, redditur responsum. Quo audito parauerunt se Franci armis ad preliandum, nihil hesitantes: sed in Domino spem suam penitus ponentes. Principes Turcorum multi erant, quos *Admiratos* prænominabant. Hii sunt: *Corbagath, Meleducac, Amirsoliman, Amirsolendas, Amirhegibbe, Amirmaroane, Amirmahummeth, Caraiath, Cotelosenіar, Mergascotelon, Baldus, Boellach, Amirboach, Aoxian, Sauxadole, Amigiam, Guinahadole, Amirtodigon, Amirnatha, Soquenari, Boldagis, Amirrilias, Gersaslan, Gigremis, Amirgogus, Artubech, Amirdalis, Amirmoxe, Amircharaor,* & multi alii. Francorum verò optimates isti aderant: *Hugo Magnus, Robertus* Normaniæ Comes, *Robertus* Comes Flandriæ, Dux *Godefridus*, Comes *Raymondus, Buaumundus* & multi nobiles alii. Benedicat DEVS animã *Ademari Podiensis* Episcopi, qui, vt vir apostolicus, benignè semper populum confortabat, & in Domino roborabat. O pia res! Iusserat ipse vespere præcedente cunctæ militiæ DEI exercitus, sub edicto preconario, vt vnusquisque pro posse suo de annona nitetur præbendam equo suo impendere, ne in die crastino subter equitantes, hora bellica, debiles fame deficerent. Iussum est, & factum est. Igitur ad bellum sic paratis omnibus, exierunt de ciuitate summo manè, quod quarto Calend. Iulii tunc euenit, vexillis præcedentibus scararum & acierum, separatim per catervas & phalanges conuenienter diuisarum. Inter quos sacerdotes albis amicti vestimentis erant, qui pro populo cuncto Domino flendo psallebant, & preces multiplices mentibus deuotis fundebant. Tum quidam Turcus, *Amirdalis* nomine, militia probissimus, cum vidisset gentem nostram contra eos signis leuatis sic egredientem, miratus est vehementer: Et cum signa procerum nostrorum vidisset, quæ sigillatim cognoscebat, quia in Antiochia conuersari solebat, prælium mox fore ratus est. Quod statim *Corbagath*, Admirato maiori, intimauit. *Quid scaccis ludis? En Franci veniunt.* Cui respondit: *veniuntne ad bellandum?* Respondit Amirdalis; *adhuc ignoro: Sed expecta parumper.* Cumque iterum prospicit vexilla principum nostrorum altrinsecus ordinatè præferri, & acies diuisas decenter subsequi, iterum ait Corbarath: *Ecce Franci. Quid putas?* Respondit; *Bellum reor,* inquit: *Sed adhuc paulisper operire. Signa quæ cerno quorum sunt non ignoro.* Iterum considerans attentiùs, cognouit vexillum Episcopi Podiensis cum turma tertia procedens: Longius haud restans, Corbagath tunc ait ille: *En Franci veniunt: vel nunc fuge, vel bene pugna. Nam signum video magni præcedere Papæ. Et quos æstimabas iam omnino supplantari, hodie timeas ab eis superari.* Corbagath dixit: *Mittam ad Francos, vt quod hesterna die mihi mandauerunt, hodie concedam.* Amirdalis dixit: *Tardè loquutus es.* Attamen id mandauit: sed quod quæsiuit non impetrauit. *Amirdalis* autem mox ab eo discedens, equum vrsit

A.D. 1099. calcaribus. *Cogitat aufugiat; socios tamen admonet ipse fortiter vt pugnent omnes, iaciantque sagittas.* Ecce *Hugo magnus* atque *Robertus Normanus* & *Comes Flandriensis* in prima acie constituti sunt inuasores: In secunda autem Dux *Godefridus* cum Alemannis & Lotharingensibus, subsecutus est: Post hos Episcopus *Podiensis* & gens *Raymondi* Comitis, Gascones & Prouinciales incesserunt: Ipse verò Comes in vrbe remansit ad custodiendum eam. Postremam quippe cateruam *Buamundus* solerter minauit. *Turci* autem cum considerassent, ab omni exercitu Francorum se impetu ferocissimo inuadi, sparsim prosilire & iacere sagittas ceperunt. Sed immisso timore Domini super eos, ac si repente totus mundus super eos rueret, fugã omnes immoderatam egerunt; & à Francis pro posse eorum, fugientes fugati sunt. Sed quia paucos equos hab.bant & fame debiles, non quantum oporteret de Paganis retinuerunt: tentoria autem eorum cuncta remanserunt. De rebus quoque eorum multiformibus in eisdem tentoriis reperierunt: aurum scilicet, argentum, pallia, indumenta, vtensilia, & cætera multa, quæ valde timidi per campos sparsim fugiendo, vel dimittebant, vel iaciebant: videlicet equos, mulos, camelos, & asinos, galerosque optimos, arcus, sagittas, cum pharetris. Fugit *Corbagath* ceruo velociùs, qui minis & dictis iam feris, Francos iam persæpe occiderat. Sed cur fugit qui tantam gentem habebat, & equis bene munitam? Quoniam contra DEVM bellare nitebatur: cuius pompam & arbitrium prospiciens Dominus, omnino cassauit. Nec tamen eum permisit in manus Francorum incidere, nec milites suos: quia cotidie non se vlciscitur de inimicis suis: & quoniam equos habebant veloces, effugerunt; lentiores verò, nostris Francis remanserunt. Multi quidem ex eis, & de peditibus Sarracenis, gladiis detruncati sunt: de nostris autẽ pauci læsi sunt: fœminas verò in tentoriis eorum inuentas, gladio interfecerunt. Tunc omnes voce exultationis DEVM benedixerunt & glorificauerunt, qui in tanta necessitate positos & anxietate, dextera pietatis suæ, sperantes in se, ab hostibus tam trucibus liberauerat: sed & ipsis deuictis triumphatores inde facti gloriabantur. De quorum etiam substantia locupletes effecti, ad vrbem regressi sunt iocundi.

Cum vrbs fuit capta tam nobilis Antiochena: Vndecies centum si subtrahis vnde bis vnum:
Tunc tot erant anni Domini de Virgine nati. Sub geminis Phœbus cum his nouies fuit ortus:

Tunc temporis obiit Ademarius Episcopus, Kalend. scilicet Augusti, cuius anima quiete potiatur æterna: & tunc *Hugo magnus* Constantinopolim concessu heroum abiit, deinde in Franciam.

XV. His gestis omnibus, inclita principum turma totius exercitus, Epistolam hanc Romano Pontifici direxerunt. DOMINO SANCTO AC VENERABILI PAPÆ VRBANO, BVAVMVNDVS ET RAYMONDVS SANCTI EGIDII COMES, GODEFRIDVS DVX LOTHARIENSIS, ET ROTBERTVS COMES NORMANIÆ, ROTBERTVS FLANDRENSIVM COMES, ET EVSTACHIVS COMES BOLONIÆ SALVTEM, ET FIDELIA SERVITIA, ET VT FILII SVO PATRI SPIRITVALI, VERAM IN CHRISTO SVBIECTIONEM. *Volumus omnes & desideramus notum fieri vobis quàm magna DEI misericordia, quamque euidentissimo eius amminiculo à nobis capta est Antiochia: & Turci, qui multa Domino nostro IESV intulerant opprobria, capti & interfecti sunt: & nos Hierosolymitani, IESV CHRISTI iniuriam, summi DEI, vindicauimus: & nos, qui Turcos prius obsideramus, qualiter postea à Turcis de Corozana, & Hierusalem, & Damasco, multisque aliis terris venientibus, obsessi fuimus; & quomodo IESV CHRISTI misericordia liberati sumus. Cum igitur capta Nicena illa, maximam multitudinem Turcorum, sicut audistis, in Kalend. Iulii nobis obuiam in campo florido deuicissemus, & illum magnum Sulimannum fugauissemus; suisque omnibus & terra & rebus expoliassemus, acquisita & pacificata tota Romania, ad obsidiendam Antiochiam venimus. Cuius in obsidione, multa mala perpessi sumus, tum de bellis finitimorum Turcorum & Paganorum in nos tam frequenter & copiosè irruentium, vt veriùs diceremur obsessi ab illis quos in Antiochia obsederamus. Tandem superatis omnibus bellis, ex eorum prospero euentu fides Christiana exaltata est, hoc modo. Ego Buaumundus, conuentione facta cum quodam Turco, qui ipsam mihi tradidit ciuitatem, scalas ante diem parum muro applicui: & sic ciuitatem antea CHRISTO resistentẽ tertio nonas Iulii accepimus; & Gratianum ipsius ciuitatis tyrannum, cũ multis suorum militibus interfecimus: Eorumque vxores & filios ac familias cum auro & argento, & omnibus eorum possessionibus, retinuimus. Castrum autem Antiochianum à Turcis præmunitum, habere non potuimus. Sed cum in crastinum castrum ipsum aggredi voluissemus, infinitam Turcorum multitudinem, quam multis diebus ad debellandum nobiscum venturam extra ciuitatem expectaueramus, per campos omnes discurrentem vidimus, qui die tertia nos obsederunt,*

& præ-

& prædictum castrum plusquam centum eorum milites intrauerunt: ac per portam ipsius castri ad ciuitatem sub castro constitutam, nobis illisq; communem, irrumpere voluerant. Nos autem in alio monte existentes, ipsi castro opposito, viam inter vtrumque exercitum ad ciuitatem descendentem, ne ipsi nobis multo plures irrumperent, custodientes, & intus & extra nocte & die bellantes, portas castri ad ciuitatem descendentes intrare, & ad castra compulimus remeare. Cum ergo vidissent quod ex illa parte nihil nocere potuissent, ita nos ex omni parte circuierunt quod nulli ex nostris ire, vel ad nos venire potuerunt. Qua de re ita desolati & afflicti omnes fuimus, quod fame & multis aliis angustiis morientes, equos & asinos nostros famelicos interficientes, multi nostrum comederunt: Sed interim, clementissima DEI Omnipotentis misericordia nobis subueniente, & pro nobis vigilante, Lanceam Dominicam, qua Saluatoris nostri latus Longini manibus perforatum fuit, sancto Andrea Apostolo cuidam famulo DEI ter reuelante, locum etiam vbi Lancea iacebat demonstrante, in Ecclesia beati Petri apostolorum principis inuenimus. Cuius inuentione aliisque multis diuinis reuelationibus ita confortati, & corroborati fuimus, vt qui antea afflicti & pauidi fueramus, tunc ad prœliandum audacissimi promptissimiq; alii alios hortabamur. Tribus igitur hebdomadis & quatuor diebus obsessi, in vigilia apostolorum Petri, & Pauli in DEO confidentes, de omnibus iniquitatibus nostris confessi, portas ciuitatis cum omni nostro bellico apparatu exiuimus: & tam pauci eramus, quod ipsi nos non contra eos pugnare; sed fugere affirmabant. Nobis autem omnibus paratis, & tam peditum tam militum certis ordinibus dispositis, vbi maior eorum virtus & fortitudo erat audacter requisiuimus: cum Lancea Dominica, & prima belli statione fugere eos coegimus. Ipsi autem, vt mos eorum est, vndique se dispergere cœperunt, occupando colles & vias vbicumque poterant nos girare voluerunt. Sic enim nos omnes interficere putauerunt. Sed nobis multis bellis contra eorum calliditates & ingenia edoctis, gratia DEI & misericordia ita subuenit, vt qui paucissimi ad eorum comparationem eramus, omnes illos in vnum coegimus; & coactos, dextera DEI nobiscum dimicante, fugere & castra cum omnibus quæ in castris erant, relinquere compulimus. Quibus deuictis totaque die fugatis, & multis eorum militibus interfectis, ad ciuitatem læti & hilares remeauimus. Castrum autem supradictum Admiratus quidam, qui in eo erat cum mille hominibus, Buamundo se reddidit; & per ipsius manum Christianæ se fidei vnanimiter subiugauit. Itaque Dominus noster IESVS CHRISTVS totam Antiochiam, Romanæ religioni ac fidei mancipauit. Verum quia solet semper aliquid mœstum interuenire lætis rebus; ille Podiensis Episcopus; quem tuum vicarium nobis commiseras, peracto bello, in quo honeste fuit, & pacificata ciuitate, Kal. Augusti mortuus est. Nunc ergo, filii tui commisso patre orbati, tibi, spirituali patri nostro mandamus, vt qui hanc viam incepisti, & sermonibus tuis nos omnes & terras nostras, & quicquid in terris erat, relinquere fecisti; & cruces baiulando CHRISTVM sequi præcepisti, & Christianum nomen exaltare commonuisti, complendo quæ hortatus es ad nos venias, & quoscunque poteris vt tecum veniant submoneas. Hinc enim Christianum nomen sumpsit exordium. Nam postquam beatus Petrus in cathedra quam cotidie cernimus inthronizatus fuit, illi qui prius vocabantur Galilei, primum hinc, & principaliter vocati sunt Christiani. Quid igitur in orbe rectius esse videtur, quam vt tu, qui pater & caput Christianæ religionis existis, ad vrbem principalem & capitalem Christiani nominis venias, & bellum quod tuum est, ex tua parte conficias? Nos enim Turcos & Paganos expugnauimus: hæreticos autẽ, Græcos, & Armenos, Syros, Iacobitasq; expugnare nequiuimus. Mandamus igitur & remandamus tibi hoc, karissimo patri nostro, vt tu pater & caput ad tuæ paternitatis locum venias: & qui beati Petri es vicarius, in cathedra eius sedeas; & nos filios tuos in omnibus recte agendis obedientes habeas; & omnes hereses cuiuscumque generis sint, tua auctoritate & nostra virtute eradices & destruas: & sic nobiscum viam IESV CHRISTI à nobis inceptam, & à te prædicatam, portas etiam vtriusque Hierusalem nobis aperias; & Sepulchrum Domini liberum; atque Christianum nomen super omne nomen exaltatum facias. Si enim ad nos veneris, & viam per te inceptam nobiscum perfeceris, totus mundus tibi obediens erit: Quod ipse te facere faciat, qui viuit & regnat DEVS in secula seculorum, Amen.

VI. Cum apud Antiochiam, per quatuor menses, viri nostri cum equis suis, requie & edulio refecti, vires pristinas resumpsissent, qui tot diebus labore fatigati fuerant: pars vna exercitus sumpto consilio *Syriam* adierunt interiorem, desiderantes tramitem Hierosolymitanum amplius dilatare: in quo exercitu *Buamundus*, & *Raymondus* comes, maiores fuerunt. Alii enim principes, in partibus Antiochenis adhuc morabantur. Sed hii duo cum gente sua duas vrbes, *Baram* videlicet, & *Maram*, magnæ probitatis inuasione comprehenderunt: priori quarum citissime capta, & cæde ciuium prorsus depopulata, raptisque omnibus qui in ea reperierunt, festiui alteram adierunt; vbi obsidione per viginti dies peracta, famem nimiam pertulit gens nostra. Dicere perhorreo quod plerique nostrum exasperati famis rabie, absciderunt

A.D. 1099. de natibus Sarraceni iam mortui frustrum vnum, vel duo: quo parum assato, manducabant ore diro. Itaque plus obsessores, quam obsessi angebantur. Interea machinis factis & tandem muro admotis, magnæ audacitatis assultu, suffragante DEO, per muri fastigium Franci se intromiserunt: qui die illo atque sequenti cunctos Sarracenos, à maiori vsque ad minimum, occiderunt; totamque substantiam eorum sibi arripuerunt. Vrbe itaque protrita *Buamundus* Antiochiam remeauit: de qua tunc homines Raymondi comitis, quos ibi proportionis suæ custodes, eliminauit: quam vrbem postea cum tota prouincia possedit. Aiebat enim per prolocutionem suam & machinamentum eam traditam fuisse. Comes verò *Raymondus*, iuncto sibi *Tancredo*, inceptum iter tenuit; sed & *Robertus* Normanus: qui die secundo discessionis à Marra vrbe, quam ceperant, eidem exercitui aggregatus est. 10

XVII. *Anno autem millesimo nonagesimo nono*, ab incarnatione Domini, profecti sunt ad castrum *Archas* dictum, ad radicem Libani situm, quod propter situm loci fortem, ad capiendum est difficillimum ab hostibus externis; ante quod, in tabernaculis hospitati, per quinque fere septimanas astiterunt. Illud oppidum antiquissimum condidit Araceus Chanaan filius, vt legitur. Dux autem *Godefridus* & *Robertus Flandriæ Comes*, non multo post exercitum illum subsecuti sunt. Qui antequam illuc peruenissent, *Gibellum*, castrum quoddam nominatissimum, obsidione vallauerunt. Sed legatione ab exercitu habita, vt eis festinè succurrerent contra Turcos, quos ad bellum expectabant, confestim Gibellum dimiserunt; & ad negotium mandatum profecti sunt. Ad quos cum peruenissent, cum eis federunt, sed bellum quod fore putabant, non habuerunt. In illa tamen obsidione, *Ansellus de Ribotimonte*, miles strenuus, ictu lapidis interiit. Tunc autem, facto inuicem consilio, decreuerunt quod si aliquandiu ibi moram fecerint, & castrum illud capere non poterint, detrimentum irrecuperabile cunctis inde eueniet: dicuntq; operæprecium esse, vt dimissa obsidione vadant per viam quam commercio expertem noscunt, dum adhuc tempus missionis eos Hierosolimam ituros expectat: & dum iuerint, de messe vndique à Domino sibi præparata, viuant: & tali stipendio adiuti, ad locum desideratissimum, Domino ducente, peruenient. Sic laudatum est, & factum est. Tentoriis tunc collectis iter agentes, transierunt vrbem *Tripolim*: qua transita iuxta *Gibellum* castrum meauerunt. Aprilis erat mensis, & iam de messibus viuebant: vltra deinde progressi haud longè ab vrbe *Beruto* transigentes, inuenerunt post eam vrbem aliam, quam legimus *Sidonem* vocabulo dictam, in terra Fenice, quam condidit Sidon filius Canaan, à quo Sidones: exinde Sareptam Sidoniæ: dehinc inuenerunt *Tyrum* ciuitatem peroptimam, vnde fuit *Appollonius* de quo legitur. De hiis etiam duabus Euangelista sonat: *In partes Tyri, & Sydonis.* Nunc autem regionis incolæ priorem *Sagittam*; alteram vero *Sur* nominant: nam hebraicè *Soor* dicitur. Et est in sorte Neptalim. Post has transierunt *Ptolomaidam*, prius *Achon* dictam: quam quidam errantes, *Accaron* solebant legere, quod nos etiam faciebamus cum primitus terram Palestinorum introiuimus. Sed *Accaron* vrbs est Philistea, inter Azotum & Iamniam prope Ascalonem: *Acon* verò, id est Ptolomaida, ab Austro habet Carmeli montem, iuxta quem transeuntes ad dexteram reliquerunt oppidum *Caypham* dictum; exin iuxta *Doram* vel Pirgul: posthæc iuxta *Cæsaream palestinæ* incessimus, quæ quidem dicebatur & altero nomine *Turris Stratonis*: in qua Herodes, dictus Agrippa, nepos illius Herodis sub cuius tẽpore CHRISTVS natus est, percussus ab Angelo, consumptusque à vermibus, infeliciter expirauit. Tum quidem à dextera parte reliquerunt maritima, & per vrbem nomine *Ramulam* perrexerunt: de qua Sarraceni incolæ iam obfugauerant, pridie quam illuc Franci peruenissent. Illic annonam multam reperierunt: de qua iumenta sua cuncta onerauerunt, quam vsque Hierusalem postea portauerunt. 20 30 40

Matth. 15. 21.

XVIII. Mora ibi per quatuor dies facta cũ basilicæ *sancti Georgii* episcopũ præposuissent & in arcibus homines ad custodiendam vrbem locauissent, Hierusalem iter suum prætenderunt: Ipso die vsque ad castellum, quod dicitur *Emaus*, ambulauerunt. Nocte verò illa, centum de militibus nostris calliditate moti, probitate prompti conscendunt in equos, qui albescente aurora prope *Hierusalem* transeuntes, vsque *Bethleem* properauerunt: de quibus vnus erat *Tancredus*, alterque *Balduinus* de Burgo. Quod cum Christiani, qui inibi conuersabantur, comperissent, Græci videlicet, & Syri, Francos illuc aduenisse, gauisi sunt gaudio magno valde: ignorãtes tamen primitus quæ gens essent, rati sunt eos vel Turcos vel Arabes esse. Sed cum apertè eos propius in- 50

pius in-

A.D. 1099.

pius intuerentur, & eos Francos esse nō dubitauerunt, statim gaudentes Crucibus assumptis & textis, obuiam flendo pie cantando processerunt eis: flendo, quoniā metuebāt ne tantillū gentis à multitudine tanta Paganorū, quos in patria sciebāt esse, facillimè occideretur: Cantādo, quoniā de illis cōgratulabantur quos diu desiderauerāt venturos; quosq; Christianismū à nephandis tamdiu pessundatū, in resumptum honorē releuare sentiebant. Facta autē statim, in basilica B. Mariæ, supplicatione ad DEVM deuota, cū locum vbi CHRISTVS fuit natus visitassent, dato Syris osculo pacis iocundo, ad Vrbem Sanctam celeriter sunt regressi. Ecce subsequens exercitus noster ciuitati tunc appropinquauit, relicta *Gabaon* à sinistra parte, quæ ab *Hierusalem* quinquaginta distat stadiis. Cumq; præcursores signa eleuatā ciuibus monstrassent, protinus contra eos interni hostes exierunt Sed qui sic festini exierant, festinatius in vrbē mox repulsi, recesserunt: *Septenas Iunii idus dabat annuus vsus. Lucis septena iam Iunius igne calebat, Hierusalem Franci cum vallant obsidione.* Est quidem ciuitas ipsa in montano loco sita, riuis, siluis, fontibusq; carens, excepto fonte *Siloe*, vbi sufficienter aqua interdum habetur; interdū verò rarò hauritur: qui fonticulus in vallis fundo, sub monte *Syon* subter decursionem torrentis Cedron, qui tempore hyemali per vallem *Iosaphat* fluere solet. Cisternæ autē multæ, & aquis satis habundè in vrbe habentur: quæ si bene procuratæ fuerint, omnibus inhabitātibus, tam hominibus quā iumentis, omni tēpore indeficienter haustum præbent, hybernis imbribus reseruatis. Constatq; ciuitas condecenti magnitudine per circuitum composita, ita vt nec paruitate nec amplitudine fastidiosa cuiquam videatur. Habet quidem ab Occasu Solis, *Turrim Dauiticam*, vtroq; latere murum ciuitatis supplentem, quæ vsque ad medietatem sui à parte inferiori solidè massata est; & de lapidibus cementata quadratis, & plumbo fusili sigillatis: quæ si cibariis munita fuerit, si tantum viginti vel quindecim homines defensores inerint, nunquā per vim ab exercitu quouis comprehenderetur. Et est in eadē vrbe *Templum Dominicū*, rotundū, compositū in eodem loco quo Salomon alterum prius instituit mirificè: quod quamuis illi priori scemati nullatenus sit comparandū, istud tamen opere mirabili & forma speciosissima factū est: in cuius medio est rupis natiua & ingens, de qua deturpatur satis, & impeditur ipsum templū: nescio quare ab æterno permittitur locū occupare, quin prorsus exciditur: sed dicunt illum esse locum vbi stetit *Angelus percutiens*, cui Dauid intulit pauidus nimis: *Ego quidem sum qui peccaui: isti qui oues sunt, quid fecerunt?* Aiuntq; in ipsa rupe Arcam fœderis Domini esse, cum Virga, & tabulis Testamenti, benè sigillatam: eo quod Iosias Rex Iuda poni iussit eā in sanctuario Templi dicens: *Nequaquam portabitatis eam de loco isto:* Præuidebat enim futurā captiuitatē. Sed illud quod in descriptionibus Ieremiæ legimus obest: quod ipse Ieremias eam in Arabia occultauerat, dicens, quod non inuenienda esset donec gētes multæ congregarētur: ipse enim contemporaneus huius regis Iosiæ fuit: tamen viuendi finem fecit, antequā Ieremias obiret. Non credimus igitur Arcam in templo esse. Non valeo nec audeo recitare res tam sanctissimas quæ inibi habentur; nec in aliquo auditores fallam: sed secundùm dicta, quorundam, in honorem & amorē DEI, hæc tantilla in memoriā collegi. Hæc est pro certo domus DEI de qua scriptum est: *Bene fundata est supra firmam petram:* in qua cùm Salomon deuotè DEO precem suam funderet, vt oculi eius die ac nocte super eam aperti essent; & qui ad sanctuarium illud oraret recto corde, ab eo exaudiretur; concessit ei Dominus, respondens prout ab eo postulauerat. Hanc domū, hoc est Domini Templū, in veneratione magna cuncti Sarraceni habuerāt, donec eis illud abstulimus; ibiq; prædicationes suas, libentius quā alibi facere solebant: quamuis idolo, in nomine *Mahumeth* facto, eas vastarent: in quod etiam nullum ingredi Christianum permittebant. Alterum verò *Templum Salomonis* dictū, magnum est, & mirabile: Sed non est illud idem quod ipse Salomon fabricauit: quod nunc satis dolendū est, eo quod inopia pressi, non potuimus tecti eius structuram reformare postquam in manus *Balduini* regis & nostras deuenit: sed ipse etiam plumbum negociatoribus vendebat, cùm vel de tecto aliquando decidebat, vel deorsum dirui præcipiebat. Inest insuper *Basilica decens super Dominicum Sepulchrum* rotunditate facta: cuius rotunditatis summitas ita artificiosè tegmine caret, vt foramine illo solis splendori patula, clara semper habeatur: Non desunt etiam ciuitati per omnes vicos aquæductus, per quos imbrium tempore omnes immundiciæ diluuntur. Hanc etiam vrbem *Helius* Imperator Adrianus, mirificè decorauit; & vicos & plateas pauli-

2. Reg. 24. 17.

2. Chr. 35. 3.

2. Mach. 2. & 5. 7.

LL

A.D. 1099. mento decenter ornauit, de cuius nomine Hierusalē *Helia* vocata est. Ex hiis, & ceteris multis, ciuitas ipsa venerabilis est, & gloriosa. Quam cū aspicerent Franci & viderent eam ad capiendū grauem, iussum est à principibus nostris scalas ligneas fieri: quibus muro postea erectis, cum assultu forti, per eas in summum muri scandentes, vrbē forsitan, iuuante DEO, ingrederentur. Quod cū fecissent, sequenti die septimo, monitu procerū, buccinis sonantibus, manè claro, impetu miro, ciuitatē vndiq; assiluerunt. Et cum vsq; ad horam diei sextam assiluissent; & per scalas quas finxerant, eo quod paucæ erant, introire nequissent, assultum tristes dimiserunt. Tunc autē sumpto consilio, iussum est ab artificibus machinas fieri, cū quibus muro admotis, auxiliante DEO, spei effectum adipiscerentur. Et sic factum est. Interea 10 nec panis nec carnis inopiā passi sunt. Sed quia locus vt superius dictū est, inaquosus & sine fluminibus est, viri nostri propterea & iumenta eorum, indigebant aquâ vehementer ad potandū. Quapropter, prout monebat necessitas, longè aquā quæritabant; & à quatuor milliariis vel quinq;, laboriosè ad obsidionem in vtribus suis apportabant. Machinis autē patratis, arietibus scilicet & scophris, & ad assiliendū item se parauerunt. Inter artificia verò cetera, vnam turrim de lignis exiguis, quia magna materies illis deerat, compegerunt: quā noctu, edicto proinde facto, ad cornu ciuitatis oportunius frustratim portauerunt: & sic manè ipso cū petrarias & cetera adminicula parauissent, citissimè haut longè à muro, compactam erexerunt. Quam erectā & de coriis de foris bene cōtectā, paulatim promouendā muro pro- 20 pius impegerunt. Tum verò rari milites, tamen audaces, monente cornu, ascenderunt in eā, de qua statim lapides & sagittas iacere ceperunt: Contra quos similiter Sarraceni defendendo se agebant, & ignem cū oleo & adipe viuidū facculis aptatis dictæ turri & militibus qui erant in ea, fundibulis suis iaculabantur. Multis igitur vtrorumq;, inuicē sic certantiū, mors sæpe aderat pręsens. Ea quidē in parte qua *Raymondus* Comes, & homines sui assistebant, scilicet in montē Syon, cū machinis suis magnū assultū dabant: ex altera verò parte qua dux *Godefridus* erat, & *Robertus* Normaniæ Comes, & Flandrensis *Robertus*, maior erat muro assultus. Illo die sic fecerūt. Sequenti quoq; die, laborē eundē facto buccinarū concētu, virilius inierunt, ita vt cū arietibus pulsando murū in vno loco perforarent. Pendebant nempe ante muri 30 propugnacula duo assera [*i. conti*] funibus illic alligata: quę Sarraceni sibi properauerant, vt irruentibus & lapides in eos iactantibus, obstaculū fierent. Sed quod pro incremento sibi fecerant, idē ad detrimentū suū, Domino prouidente, acceperūt. Nam turri præfata muro admota, rudentibusq; quibus ligna pendebant, prædictis, fasciculis sectis, de eisdē tignis vnum pontē Franci tunc sibi coaptauerūt, quem de turri super murū, callidè extensum iactauerunt. Iā iamq; ardebat arx vna in muro lapidea, super quā machinatores nostri torres igneos iniecerant: vnde foco paulatim intra materiem lignorū nutrito, fumus flammaq; sic prodire cepit, vt nec vnus custodū ciuiū, ibi vlterius morari posset. Mox itaq; Francis hora meridiana Vrbem intrantibus, die quæ Veneris habebatur; cornibus sonantibus, cunctis tumultuan- 40 tibus, viriliter impetentibus, ADIVVA DEVS exclamantibus, vexillo vno in muri fastigio iam subleuato, Pagani omnino pudefacti, per vicorum ciuitatis angiportus, audaciam suam in fugam celerem mutauerunt omnes: qui cum velociter fugerent, velocius fugati sunt. Hoc *Raymondus* Comes ex altera parte assiliens, nondum sciebat, nec homines eius, donec Sarracenis per muri apicem ante eos prosilire viderunt. Quo viso ad vrbem lætissimi quantocius accurrerunt: & cum ceteris, hostes nefarios fugare & occidere ceperunt. Tum quidē alii Sarracenorū, tam Arabes quā Æthiopes, in arcem Dauidicā fugiendo se intromiserunt: alii verò in Templū Domini atq; Salomonis se incluserunt. In quorū atriis Templorū impetus in eos agebatur nimius: locus etiā nusquā erat, quo gladiatores nostros euade- 50 re possent. Supra Salomonis Templū, quod fugiendo ascenderāt, multi ex eis ad mortē sagittati sunt; & deorsum de tecto insanabiliter præcipitati: in quo etiam Templo, decē ferme millia decollati sunt. Quod si inibi essetis, pedes nostri vsque ad bases cruore perēptorū tinguerētur. Quid narrabo? Nullus ex eis vitæ est reseruatus: sed nec feminis nec paruulis pepercerunt. Mirabile quoddā videretis, cum scutigeri nostri atq; pedites pauperiores, calliditate Sarracenorū cōperta, vētres eorū iam occisorū findebant, vt de intestinis Bisantios excerperent, quos viui faucibus transglutiuerant. Quapropter post dies aliquot aceruo magno facto de cadaueribus ea igni cōbusserunt, vt æs illud prędictū, in cinere facto facilius reperirent. *Tancredus* autem Templum Domini cum festino cursu ingressus, multa aurea & argentea,

gentea, quod erat nefas rapiendum, lapides etiam preciosos arripuit; sed hoc postea emendans, eadem cuncta vel eis appreciata loco sacrosancto remendauit. *Ensibus extractis currit gens nostra per vrbem. Nec cuiquam parcunt etiam Miserere precanti. Vulgus erat stratum veluti cum putrida motis. Poma cadunt ramis, agitataque ilice glandes.* Et post stragem tantam ingressi sunt domos, & ceperunt quæcumque in eis inuenerunt: ita sanè, vt quicumque primus domum intrassent, siue pauper siue diues esset, nullatenus ab aliquo alio fieret illi iniuria, quin domum ipsam aut palacium & quodcumque in ea reperisset, ac si omnino propria, sibi assumeret & possideret. Hoc itaque ius tenendum inuicem stabilierant. Vnde multi inopes, facti sunt locupletes. Tunc autem ad *Sepulchrum Domini*, & Templum eius gloriosum euntes, clerici simul & laici exultationis voce altisona, canticum nouum Domino decantando, loca sacrosancta tamdiu desiderata, cum oblationibus faciendis supplicationibusque humillimis, lætabundi omnes visitauerunt. O tempus tam desideratum! O tempus, inter cetera tempora memorandum! O factum, factis omnibus anteferendum! verè desideratum: quoniam ab omnibus fidei Catholicæ cultoribus interno mentis desiderio semper desideratum fuerat, vt locus in quo cunctarum creaturarum Creator recreationis salutiferæ munus, DEVS homo factus, humano generi pietate sua multiplici, nascendo, moriendo, resurgendoque contulit, à Paganorum contagione inhabitantium, quandoque mundatus, tandiu superstitione eorum contaminatus, à credentibus & confidentibus in se, in modum dignitatis suæ pristinum reformaretur. Et verè memoriale, & iure memorandum: quia quæq; Dominus noster IESVS CHRISTVS, in terra homo cum hominibus conuersans, egit & docuit, ad memoriam famosissimam reuocata & reducta sunt. Et quod idem Dominus per hunc populum suum tam, vt opinor, dilectum alumpnum familiaremque, & ad hoc negotium prælectum, expleri voluit, vsque in finem seculi memoriale, linguis tribuum vniuersarum personabit. *Iulius efferuens ter quina luce calebat. Vndecies centum numero si dempseris vnum, Dicebant annos Domini tunc esse per actos, Cum nos Hierusalem, gens Gallica, cepimus vrbem. Ter quina Iulius splendebat luce micanti, Vrbem cum Franci capiunt virtute potenti: Anno milleno centeno quo minus vno, Virginis à partu genuit quæ cuncta regentē.* Idus erat Iulii, anno ab obitu *Karoli magni* ducentesimo & octuagesimo quinto: & à morte *Guillermi* Angliæ regis primi, anno duodecimo. Quippe GODEFRIDO primo principe facto, quem ob nobilitatis excellentiam, & militię probitatem, atque mansuetudinis & patientiæ modestiam, nec non morum elegantiam, in Vrbe sancta regni principem, omnis populus, DEI exercitus elegit, ad conseruandum illud atque regendum. Tunc quoque locati sunt *Canonici* in ecclesia Sepulchri Dominici, atque in Templo eius. *Patriarcham* tunc fieri decreuerunt prolongare, donec à Romano Papa consilium quæsissent, quem præfici placeret. Interea *Turci*, & *Arabes*, nigrique *Æthiopes*, ferè quingenti, qui in Arcem Dauidis se intromiserant, petierunt à *Raymondo* Comite, qui prope turrim illam hospitatus erat, vt pecunia sua tota in arce ipsa relicta, viuos tamen eos abire permitteret. Nec facti mora fuit, *Ascalonem* abierunt. Tunc autem Domino placuit, quod inuenta est particula vna de Cruce Dominica, quæ ab antiquo tempore in loco secreto occultata, nunc à quodam homine Syro reuelata fuit, qui cum patre suo eam olim absconderat & conseruarat. Quam particulam in modum Crucis reformatam, aurea & argentea fabrica velatam, ad Dominicum Sepulchrum, dehinc ad Templum congratulanter, psallendo Domino, qui eis per tot dies hoc donum clementiæ suæ reseruauerat, omnes vna in sublime propalatam detulerunt. XIX. Rex autem *Babilonius*, & dux militiæ eius, nomine *Lauendasius*, cum audisset quod Franci terras sibi subiugando; iam imperio Babilonico appropinquassent, cōgregata sub edicto præceptiuo multitudine maxima de Turcis, Arabibus, Æthiopibus, contra eos ire præliaturi iussi sunt. Et cū iterum per nūcios audissent Hierusalē tam ferociter iam ab eis captam fuisse, indignatus dux ille prædictus Babiloniensis festinauit, vt vel præliū cum Francis committeret, vel eos in eadem vrbe inclusos obsideret. Quod cū Francis intimaretur assumpto magnæ audacitatis consilio, versus *Ascalonē*, contra illos tirannos acies suas direxerūt, portantes secū Lignum Crucis salutiferum, de quo iam fatus sum. Cumq; die quodam non longè ab Ascalone circumuagantes prælium Franci expectarēt, inuenerunt illic prædā non minimā, de bobus & camelis, ouibus & capris: quā *circa* cum iuxta tentoria sole ruente cōgregassent, sub edicto iusserūt principes nostri nunquā

A.D. 1099. eam incrastino quo bellum fore putabant secum animari: vt ab omni sarcina expediti, ad preliandum essent promptiores. Mane autem facto speculatoribus præmissis, Paganos accedere didicerunt: quo scito, mox tribuni & centuriones per alas & cuneos gente sua constituta, prælium agendum prudentissimè ordinauerunt; & contra Sarracenos vexillis leuatis, audacter processerunt: videretis prædictam prædam tanquã ducentium monitu, à dextera & leua parte acierum, gressum suũ rectè agere, licet à nullo minaretur: ita vt multi Paganorum eam à longe cũ militibus nostris euntem spectãtes, totum æstimarent Francorum exercitum esse. Illi autem, populus innumerus, cũ ad cuneos nostros iam appropiassent, tanquã ceruus ramos cornuum prætendens, cuneo suo anteriori facto bifurco, distentione 10 Arabum præcurrentium explicata, machinati sunt accingere postremos: vbi dux *Godefridus* subsequenter cũ agmine denso militũ armatorũ remigando posteritatẽ solicitabat: Ceteri enim proceres, alii in prima, alii verò in secunda præibant acie. Sed cum ab vtraq; parte hostes hostibus, quantum est iactus lapidis & paulo plus, appropinquassent, illico pedites nostri sagittas, in illos distendentes, iecerunt. Cõgruentissimè mox secutæ sunt sagittas lanceæ, dum equites nostri omnes, tanquã iureiurando inuicem confirmassent, impetu vehementi irruerunt in eos; & quorũ quadrupedes tum non fuerunt cursui celeres, continuò neci submersi sunt supra sessores: vbi paruæ horæ spatio multa corpora palluerunt exanimata. Tum multi eorum mortem metuentes, ascendebant arborũ cacumina, qui tamen inibi sagit- 20 tati & morti læsi, ad terram infeliciter corruebant. Incursu in eos penetrabili, vndiq; Sarraceni perimebantur. Tentoriis eorum transactis, vsq; *Ascalonis* mœnia qui euaserunt fugati sunt, quę ciuitas septingentorũ & viginti stadiorũ spatio ab Hierosolimis distat. In prima quidem acie, eorum dux *Lauendalius*, licet antea Francos vilipendisset, non lentè fugiens dorsum eis vertit: quibus tabernaculum suum cũ cæteris extensum, pecuniaq; multâ munitum, inuitus reliquit. Quorum Franci regressi victoria iocundi, Domino dando gratias, regregati sunt. Tunc ingressi tentoriis inuenerunt in eis gazas multimodas, aurum, argentum, pallia, induuias, lapides preciosos qui duodeni sic nominantur, *Iaspis*, *Saphirus*, *Calcedonius*, *Smaragdus*, *Sardonix*, *Sardius*, *Chrysolitus*, *Berillus*, *Topazius*, *Chrissoprassus*, *Iacintus*, *Ametistus*. Reperi- 30 erunt etiam vtensilia multiformia & galleros auratos & anulos optimos, ensesque miribiles, annonam, farinam, & cetera multa. Ea verò nocte illic hospitati, per noctes bene se conseruarunt: nam in die sequenti bellum se putabant à Sarracenis reiterari: qui tamen timore perterriti, nocte ipsa omnes aufugerunt. Quo manè per exploratores comperto, vocibus laudifluis DEVM benedixerũt & glorificauerũt, qui tot millia perfidorum, raro exercitu Christianorum dissipari permisit. *Benedictus ergo Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Beata etiam gens cuius est Dominus DEVS eius.* Nonne minati fuerant ipsi Babilonii dicentes: *Eamus & capiamus Hierusalem cum Francis in ea clausis; & eis omnibus interemptis, eradamus illud Sepulchrum tam sibi preciosum vt lapidibus architecte huius extra vrbem eiectis, nec mentio inde vlterius fiat.* 40 Sed DEO volente, hoc in nichillo verso, de pecunia eorum etiam honerauerunt equos suos & camelos. Qui cum tot tentoria, & iacula in campis iacentia, arcusque & sagittas, ad Vrbem Sanctam deferre non possent, hæc cuncta ibidem incendio commiserunt: deinde Hierusalem sic à perfidis excussam gaudenter, cum carra multa redierunt. His gestis, placuit quibusdam in patriam nationis suæ reuerti: & cum indilatè in *Iordane* flumine loti fuissent, & Palmarum ramos, pro more, apud *Hierico* in orto Habrahæ collegissent, *Robertus Comes Normanorum*, & *Robertus Comes Flandriæ* Constantinopolim nauigio tunc repetierunt: Deinde Franciam ad propria repatriauerunt. *Raymondus verò Comes* vsque Loadiciam regressus est, exinde Constantinopolin, relicta vxore sua in Loadicia, rediturus. 50 Dux autem *Godefridus* retento secum Tancredo & aliis pluribus, principatum Hierosolimitanum rexit, quem consensu omnium susceperat optinendum.

XX. Cumque audissent *Buamundus*, qui tunc *Antiochiæ* principabatur ciuitati, vir prudens & strenuus, & *Balduinus* præfati Godefridi frater, qui similiter *Ædessæ* ciuitatis, patriæque affinis trans fluuium Euphratem potestate dominabatur, Hierusalem ab illis qui præierant collegis suis captam fuisse, lætissimi effecti, DEO inde laudes exsoluerunt supplices. Quod si illi qui festinatiori itinere præcesserant eos, bene & vtiliter operati fuissent, quamuis tardius eos subsecuturi essent Buaumundus & Balduinus cum suis, participes eiusdem brauii fieri,

tii fieri, non est tamen dubitandum. Erat enim necesse, vt terra & ciuitates cum tanto labore iam Turcis ablatæ, solerter custodirentur: ne fortè terra incautè derelicta, si cuncti abissent, recursu repentino à Turcis, vsque in Persidem iam depulsis, resumeretur: vnde detrimentum non minimum omnibus Francis tam euntibus quam redeuntibus oriretur. Sed terra interim sic custodita, primis & postremis grande proficuum foret: forsitan diuina prouidentia hoc distulit, plus in peragendis quam in peractis suæ militiæ iudicans eos profuturos. O quotiens ipse *Balduinus* in Mesopotamiæ finibus, preliis cōtra Turcos factis, fatigatus est! Quotque capita eorum cesa illic fuissent, recitari non potest. Sæpe illum contigit cum 10 gente pauca, contra multitudinem eorum magnam preliari; & DEO iuuante, triumpho lætari. Sed cum per legationes eum præmonuisset *Buamundus*, vt Hierosolimam ambo cum suis iter nondum expletum, ituri perficerent, *Balduinus* ilico res suas oportunè disponens, iturum se parauit. Sed tunc audiens Turcos vnum cornu patriæ suę ingressione allidi, incepto dimisso, cū necdum exercitulum suum congregasset, cum paucis illos Turcos adiit. Qui cùm arbitrarentur eum iter suum iam incepisse, die quodam cum in tabernaculis suis securi essent: viso signo quod Balduinus baiulabat albo, quantocius statim fugere ceperunt: quos cum parum cū duodecim militibus fugasset, ad id quod prius inceperat remeauit. Et ingressus iter, Antiochia dexterata, venit *Loadiciam*: vbi stipendio viatico empto, & clitellis 20 reintegratis hinc secesserunt. Tunc mensis erat Nouembris: Cumq; *Gibellum* transissent, *Buamundum* in tentoriis suis hospitatum ante oppidum quoddam *Valenum* nominatum, assecutus est. Erat cum eo archiepiscopus quidam Pisanus, nomine *Daibertus*, qui cum quibusdā Tuscanis & Italicis, Loadiciæ portui applicuerat: ibique nos expectabant: Aderatq; alius *episcopus Apulus*; cum Balduino erat tertius. His itaque amicabiliter simul glomeratis, æstimantur numero viginti quinque millia esse tam equitum quàm peditum. Et cum fines Sarracenorum interiores introissent; & ab odiosis incolis regionis, nec panem nec aliquid edulii habere possent: quia nec erat qui daret, neq; qui venderet, stipendio etiam suo magis magisq; consumpto, contigit multos tunc fame anxiari. Equi quoq; & iumenta, deficiente an- 30 nona, dolore geminato nimis angebantur: ibant, nec mandebant. Tunc erant in ipsis agris cultis messes quædam, quas vocant *Cannamelles*, arundinibus similes: à *Canna* & *melle* nomen compositum: vnde, vt puto, & *mel siluestre* dicitur illud quod de hiis sapienter conficitur. Has quidem, propter saporem mellitum, dentibus famelici ruminabamus: Tamen parum proderat: vtiq;, pro amore Domini, hæc & huiusmodi cetera, fames, frigora, pluuias nimias sustinebamus. Plerique etiam equos, asinos, camelosq;, pane egentes, manducabant: Insuper algore nimio, & imbrium affluentia sæpissimè torquebamur: nec erat Solis æstus tamen ex quo exsiccari possemus, cum per quinque vel quatuor dies imbrium continuatione madidi essemus. Vidi tunc plures, tabernaculis carentes, imbrium algore interire. 40 Ego *Fulcherius*, qui hiis intereram, vidi quadam die plures vtriusque sexus, bestiasque plurimas, imbre algidissimas mori. Longum est recitandum, & audiendi forsitan tædium: quia nec anxietas, nec labor nimius defuit populo DEI. Sæpe ab insidiantibus Sarracenis in artis meatibus, plures perimebantur, aut cum raptum irent pro victuali quærēdo. Videretis milites, progenie inclytos, equis quoquomodo amissis, pedites effici: videretisq; iumentis deficientibus, capras Sarracenis ablatas, veruecesq;, submissis sarcinis valde fatigari, & dorsa eorum mole illa corrumpi. Bis in via, nec amplius, panem & annonam, commercio karissimo à Sarracenis Tripolitanis, & Cæsarientibus habuimus. Patet, quoniam aut vix aut nunquam, poterit quis, magnum aliquid, nisi cum magno acquirere labore. Magnum quod- 50 dam fuit, quòd vsque *Hierusalem* peruenimus: qua visitata labor consummatus est diuinitus. Cumque Sancta Sanctorum desideratissima perspiceremus, gaudio ingenti repleti sumus. O quotiens memorati fueramus; illius prophetiæ Dauidicæ: *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius:* Quod de nobis completum tunc vidimus, quamuis aliis multis pertineat similiter. Illuc quidem ascendimus tribus Domini, ad confitendum nomini eius. Die autem illo, quo tunc Hierusalem introiuimus, Sol retrogradus, descensu hyemali peracto, recursum resumpsit ascensibilem. Cumq; Sepulchrum & Templum Dominicum, & cetera sacrosancta visitassemus, die quarto *Bethleem* adiuimus: vt nocte ipsa Dominicæ Natiuitatis, reuolutionē celebraturi annuam, vbi CHRISTVS natus fuit, in orationibus peruigiles

Psal. 131.

A. D. 1100. staremus. Quam noctem cum decentissime, obsequio ... clericis decantando deduxissemus, hora die tertia, ... Hierosolimam reuersi sumus. O quantus adhuc erat ... tis, intus & extra de cadaueribus Sarracenorum adhuc ... capta collegæ nostri trucidauerant, vnde nares nostras ... bat. Cùm autem nos & iumenta nostra quiete necessaria ... mus; & Patriarcham, in Ecclesia Sepulchri Dominici ... memoratum, præfecissemus, reformato stipendio, ... sione appetiuimus flumen Iordanicum. Tum quibusdam ... steriori, in Hierusalem remanere; & quibusdam ...

XXI. Godefridus terram, sicut antea, rexit. *Anno millesimo* ... *Dominica*, anni die prima, in Hierico ramis palmarum cæsis ... uimus; secundaq; die, iter remeabile cepimus. Tunc quidem ... nostris per vrbem *Tybereadem*, iuxta *mare Galileæ*, transire: quod ... ibi congregatum, duodeuiginti passuum millia habet in longitudine ... tum: deinde per *Cæsaream Philippi*, quæ *Paneas* lingua Syriaca dicitur ... tis radicem situm, vbi duo fontes emergunt, vnde *Iordanis* fluuius ... ea mare Galileæ secans, in Mare Mortuum se ingerit. Hic autem ... ctus, quadraginta stadiis in latitudine patet, centumq; in longitudine ... *phum*. Venimus autem ad castrum illud, quod *Balbac* nuncupant, ... vbi nobis Turci Damasceni obuii venerunt, trecenti ferè milites. ... rant nos esse inermes, & itinere valde fessos, arbitrati sunt nos quoque ... litare. Quod si fortè postremos die illo dompnus *Balduinus* sollicite ... nimirum multos de nostris occiderent: nō enim habebant vnde ... arcubus & sagittis carentes: Inundatione enim imbrium hæc erant ... cū glutine coaptantur. *Buamundus* verò in primo cuneo erat exercitus ... auxiliante, nihil apud nos lucrati sunt. Tunc castra metati sumus ante ... oppidum. Exhinc sequenti die viam resumpsimus nostram, plus ... tes: & ante vrbes *Tortosam* & *Loadiciam* transeuntes. Ibiq; *Raymundum* com... rimus, quem ibi desideramus dum Hierusalem iremus: in Loadicia ... hil mercationis stipendiariæ habere potuimus, quia rara habebatur ... propter vsq; *Edessam* properare non cessauimus. *Buamundus* verò Antio... mitus peruenit, vbi à suis gaudenter susceptus, regnum suum per sex ... ceps obtinuit. Sed cū mense Iulio sequente vrbem, *Melotiniam* vocatam, ... gente appeteret, quā ei qui eiusdem vrbis patronus erat Armenius ... nc *Gabriel*, redditurus erat, iam per legationes conuentione mutuæ ami... obuius fuit illi Admiratus quidam nomine *Danisman*, cum multitudine ... magna Buamundum sic imprudenter ambulantem, intercipere molie... longè ab vrbe præfata, insiluerunt vndiq; subitò gens illa nefaria ab in... Francos & Apulos irruentes: Et non audientes nostri inire prælium, ... rant, statim in dispersionem fugitiui versi sunt. De quibus Turci multos ... & pecuniam eorum totam habuerunt. *Buamundum* verò comprehe... nem abduxerunt. Cùm autem infortunium indilatè ab illis qui euaserant ... retur, orta est inde genti nostræ grandis desolatio. Verumptamen *Bal...* bis Ædessæ, congregatis Francis quoscunque potuit, Ædessenis ... ochenis, hostes prædictos vbi eos esse audiuit, quærere non distulit. *Bu...* iam, ei cigno capitis sui iam absciso, Balduino legationem miserat, vt ... niret: hoc intersigno eum credulum faciens. *Danisman* autem hoc au... duini probitatem Francorumque animositatem metuebat, non ... ante Meletiniam esse, quam obsidione cinxerat, sed paulatim ... do, ad sua propria remeauit: Qua de re multum doluimus, ... vltra vrbem illam eos prosecuti sumus, qui libentissimè contra ... mus. Itaque cum regrederemur, Balduino *Gabriel* prædictus ...

XXII. reddidit: quibus amicis effectis, *Balduinus* Ædissam rediit. ... speritate BALDVINVS sic frueretur, ecce nuncius dicens ei ... germanus eius apud Hierosolimam diem clauserat extremum ... Kalend. Augusti: quod anno post Hierusalem captam secundo ... cum promptum fuisset, quod omnis populus Hierosolimitanus ... in regni principem in locum fratris defuncti heredem ...

aliquantulũ de fratris morte, & plus gaudens de hereditate, accepto consilio, terrã suam locauit quã possedebat, *Balduino* cuidam propinquo suo eam committens. Et colligens exercitulum suũ, septingentis ferè militibus, & peditibus septingẽtis iter Hierosolimitanum, sexto nonas Octobris incepit. Nonnulli mirabãtur quod cum gente tam pauca, erat ausus per tot hostium regiones incedere: nam ideo plerique timidi & pauidi, de collegio nostro latenter recesserũt, nobis nescientibus. Cum autem Turci comperissent atque Sarraceni nos ita iter agentes, congregatis omnibus quotcumque potuerunt, vbi magis nobis officere arbitrati sunt, armati obuiam institerunt. Tum quidem per *Antiochiam* iuimus; deinde ante *Laodiciam*, & 10 *Gibellum*, *Maracleam* & *Tortosam*, *Archas* oppidum, & vrbem *Tripolitanam* meauimus, vbi rex Tripolitanus Balduino in tentorio suo hospitato, panem, vinum, mel siluestre, veruecesq; legauit: & innotuit ei mandando quod *Duchar* rex Damascenorũ & *Ginahaldole* Admiratus quidam rex Calipti, cũ Turcis, & Sarracenis, Arabibusq; in via, qua nos ituros sciebant, nobis nocituri expectabant. Quod licet omnino nõ certum esse crederemus, postmodum verum esse probauimus. Erat quidem, non longe ab vrbe *Berito*, sed quasi miliariis quinq; distans, trames vnus iuxta mare, nobis & aliis illac euntibus ineuitabilis, & exercitui transituro angustissimus: quem si hostes inde præmuniti fuerint, nullatenus centum milia militum transire poterũt, quincentum aut septuaginta viri armati, introitum eius artum vi obtineant. Ideo- 20 que nos illic inimici nostri intercipere, & occidere sperabant. Nos autem illucusq; peruenimus. Et cùm præcursores nostri predicto meatui appropinquassent, viderunt de Turcis illis plures, segregatos ab aliis, contra nos procedẽtes, qui aduentũ nostrum expectabant. Quod cùm speculatores nostri perspexissent, rati sunt maiorem gentem post illos latere: quod statim domino Balduino per vnum nuncium innotuerunt. Quo audito, militiam ilico per acies diuisam competenter præordinauit ad prælium: & vexillis leuatis, paulatim contra eos progressi sumus. Nam cũ bellum mox fore putauimus, cordibus compuncti puris, auxilium Domini deuotè precabamur, ad eos accedentes. Continuò autẽ primo cuneo nostro illi congressi sunt, de quibus aliquanti confestim occisi sunt: de militibus nostris similiter, qua- 30 tuor ibi vitam amiserunt. Et cùm certamen illud vtrumque dimisissent, sumpto consilio, iussum est castra nostra defigi, vbi propius hostibus accesseramus: ne ab eis, quasi timidi videremus, si locum seu refugi linqueremus. Sed aliud monstrauimus; aliud verò cogitabamus: Audaciam finximus; sed mortem metuimus. Difficile est remeare; sed dificilius anteire. Ab illis hostibus vndique obsidebamur: hinc isti, marinis nauibus; hinc illi, à celsis montibus, indesinenter nos vrgebant. Die illo nec iumenta nec homines nostri aliquid boni, nec quietis habuimus. *Ego* quidem vel *Carnoti* vel *Aurelianis* mallem esse, quàm ibi: Alii quoque nocte ipsa tota, extra papiliones nostros peruigiles languimus. Diluculo autem summo cùm aurora terris vmbras dimouere cepisset, sumpto inuicem consilio, vel viueremus 40 vel moreremur, tentoriis collectis regredi elegimus, iumentis de rebus nostris onustis præeuntibus, clientibusq; ea minantibus. Milites enim subsequentes, sollicitè à Sarracenis inpetentibus defendebant eos. Nam cùm illi perfidi nos viderent ita summo mane regredi, confestim descenderunt ad persequendum nos, tamquã fugitiuos: Alii quidem, per mare cum nauibus; alii verò, post nos per viam qua ibamus; alii autem, per montes & colles, tam equites quàm pedites, per angiportum, sicut oues ad ouile, ante se nos minabant: vt excursa planitie quadam, quæ ibi est, in exitu angustissimo, inter salum & montem, ad interimendum nos facilè interciperent. Sed non sicut putabant contigit: viri enim nostri statuerant intra se, dicentes: *si in platea illa patula, nos persequentes, poterimus illos intercipere, forsitã, DEO iuuante,* 50 *contra eos reuertentes, & bene pugnantes, eruemur ab eis.* Iamiam è nauibus ad terram prosiliebant; & incautos prope mare pergentes insidiis factis decollabant: Iamq; in planitiem post nos prædictam descenderant; & sagittas multas post nos iaciebant vndique aduersum nos vociferantes, & tamquam canes, vel lupi vlulantes, conuiciabantur nobis. Sed quid narrabo? Nusquam erat nobis locus in diuersorio, nullaque mortis excussio: Nec erat vspiam locus fugæ, nec remanentibus spes salutis. *Nec saperet Salomon, nec posset vincere Sanson.* Sed magnæ DEVS clementiæ atque potentiæ prospiciens de celo in terra humilitatem nostram atque angustiam, nec nõ periculum quod propter eius seruicium & amorem sic incideramus, motus pietate quâ ritè suis presens subuenit, militibus nostris tantæ probitatis audaciam

A.D. 1100. præstitit misericorditer, vt recursu repentino per viam tri... sic mitterent, vt nunquam animum defendendi se resumere ... rupibus præruptis collis, in præceps se dederunt; alii vero ... saluationis fugerunt; alii autem consecuti, gladiis perempti ... naues eorum celeriter propter nos per mare fugere, quasi ... capere: per montes quoque & colles alii, cito pede fugiebant. ... phæo gloriantes, ad clientelā quæ interim quadrupedia onerata ... lætabunda regressi sunt. Laudes DEO gaudenter tunc egimus, qui ... sitate nobis anxiis, adiutor claruit magnificus. O quam admirab... quam magnum miraculum; & memoriæ commendandum! vicit ... vicimus. Sed nos non vicimus: Quomodo non vicimus? Vicit ... omnipotens. Quod si etiam *DEVS pro nobis, quis contra nos?* Verè pro ... fuit, complens in nobis quod per Prophetā Israëlitis dixit: *Si præ... hoc dono vos ditabo, vt persequantur quinq; de vobis, centū alienos; & centū...* in seruitio DEI laborem multimodum, die ac nocte tolerabamus ... perfidorum merito cassauit: Et quia deuotè, & in tribulato corde Domi... bamur, humilitatem nostram respexit. Tunc autē tabernacula exten... & spolia occisorum & arma similiter allata: Equos cum sellis & lupatis ... illuc qui ceperant adduxerunt. Nocte illa transacta, mane, pro vt astuti... fuit, retro secessimus, vsq; castellum quoddam depopulatum, vbi cum ... tera Turcis ablata, æquo iure militibus diuisa fuissent, nocte superueniē... uis & virgultis quieuimus. Summo autem mane *Balduinus* item probitate... amplectens, sumptis de militibus suis quot voluit, velociter vsq; ad me... vnde factum est tam odiosum, equitauit, scire volēns si Sarraceni, adhuc ... sent. Qui cum illuc vsque peruenisset, & nullum ex eis repperisset, qui... pro dispersione facta omnes aufugerant, laudes inde DEO dedit; & statim ... mine montis ipsius, accendi pro signo ignem præcepit, vt nos qui in hos... manseramus, viso fumo illo, promptè sequeremur illos qui præiuerant. Q... factum est viso, DEVM laudantes; exploratores nostros ilico secuti sumus, ... nostram apertam & liberam, DEO gratias, inuenimus; desideratumq; ca... iter. Illo die prope vrbem *Berutum*, hospitati sumus. Quo comperto, Ad... eiusdem vrbis, plus causa timoris quam amoris, *Balduino* stipendium diurn... pharum gestu misit. Similiter de ciuitatibus cæteris, ante quas transiuimus, ... habitabant fecerunt, scilicet Syndonem & *Tyrum*, atque *Achon*, hoc est ... dam, amicitiam fingentes; sed cor nequā habentes. Iam vero castrum *Cayph...* sidebat tunc *Tancredus*, quod ipso anno Hierosolimitæ vi comprehen... quia *Balduino* tunc maliuolus erat, non illud introiumus. Ipse vero Tanc... tunc non erat ibi: sed homines eius panem & vinum, extra muros nobis ... runt: Illi enim quasi fratres nos habebant, & videre nos desiderabant. Tra... autem *Cæsaream Palæstinam*, & *Arsuth* oppidum: quod ignari *Azotum* esse ... quæ ciuitas vna fuit de quinque vrbibus Philistinorum, quæ inter Ioppe ... lonem, in viculum etiam vastatum redacta est. Tandem *Ioppe* peruen... Franci nostri Dominum Balduinum, vt regem iam suum, gaudenter susce... Et non mora ibi facta, *Hierusalem* properauimus. Cumque Vrbi Sanctæ ap... quassemus, processerunt ei obuiam, tam clerici quam laici omnes; Græ... que, ac Siri, cum Crucibus & cereis: qui cum ingenti gaudio, & hono... vocibus altisonis, Domino laudes agendo, eum susceperunt; & vsque in ... Dominici Sepulchri deduxerunt: huic celebritati *Patriarcha Daybertus* ... fuit: quoniam de quibusdam incusatus apud Balduinū, maliuolus ei erat ... pars & populi, eum exosum tunc habebat: quapropter in monte Syon ... tus, tunc morabatur, vbi fuit donec delictum ei maliuolentiæ condo...

XXIII. Sed cum per sex dies, requie oportuna in Hierusalem, alleuiati ... mus, & Rex de negotiis suis aliquanta explicasset, iter iterū resumpt... tionē ituri renouauimus. Opus est enim omnibus hostes habentibus, ... dum hominem dico, vt frequentissimè eos enixè coherceant; quatenus ... nisi tædio vel vi superent, vel ad pacis actionem attrahant. Igitur *Bald...* resumpta, profectus est *Ascalonem*, per Azotum meantes, inter quam ... iuxta mare sita est. Accaron dimisimus, Ante quam cum se monstr... vsque in ... focis instantes vehementer impulit: & quia non ...

Rom. 8, 31.
Leuit. 26, 8.

A.D. 1100.

maius incipere, ad tentoria iam defixa reuersus est. Sequenti autem die regionem appetiuimus maiorem, vbi victum nobis, & iumentis nostris in locis opulentis haberemus, & terras inimicorum vastaremus. Euntes ergo inuenimus villas, vbi Sarraceni incolæ regionis in cauernis terræ, propter nos, se occultauerant, cum bestiis & rebus suis: de quibus cum vix aliquem trahere non possemus, accenso igni in cauernæ orificio mox propter fumum & calorem intolerabilem, alius post aliũ paulatim foras ad nos exierunt: Erantq; quidam ex eis latrunculi, qui ritè inter Ramulam & Hierusalem Christianis nostris insidiari, & occidere solebant. Quod cũ à Syris quibusdam, Christianis nostris, qui cum eis in abditis illis latebant, eiusdem villæ agricolis, nobis intimatum fuisset, quod huiusmodi sontes essent, mox cum de cauerna exibant, decollabantur: Syris autem & eorum coniugibus pepercimus: De Sarracenis verò, centum ferè occidimus. Tunc iussit Rex *Balduinus* Syros illos Ascalonem mitti, ne ibi aliquatenus perimerentur. Et cùm cuncta, quæ illic inuenimus, tam annonam quam bestias comedendo consumpsissemus, & nihil amplius in illa regione, quod nobis prodesset inuenire possemus: quoniam depopulata erat antiquitus: inito consilio cum quibusdam patriæ alumpnis Sarracenis, sed nuper Christianis, qui loca culta & inculta longè lateque noscebant, in Arabiam exercitum secedere statutum est. Et transigentes montana iuxta *Patriarcharum sepulturas*, Abrahæ videlicet, & Ysaac, & Iacob, filii quoque eius iusti Ioseph, necnon Saræ & Rebeccæ, vbi gloriosè eorum corpora condita sunt, ab vrbe Hierosolima quasi milliariis quatuordecim distantia, venimus in vallem vbi *Sodoma* & *Gomorrha* ciuitates scelestæ, DEI iudicio in abissum subuersæ sunt, vbi lacus *Asfalti* nunc est magnus, quem *Mare Mortuum* vocant. Longitudo cuius vsque ad *Zoaras* Arabiæ dirigitur stadiis quingentis octoginta vsque ad vicinia Sodomorum; Latitudo verò centum quinquaginta patet: adeo salsus, vt nec bestia quælibet, neque volucris de eo bibere queat; quem sicut ego *Fulcherius Carnotensis*, in margine de mula mea descendens, gustu probaui, & elleboro amariorem inueni: Et quia nihil in eo viuit; nec piscis cõuersatur, propterea *Mare Mortuum* vocatur. A parte Aquilonis, flumen recipit Iordanicum: ab Austro verò, nullum habet exitum, nec flumen nec lacus. Iuxta quem lacum, vel Mare illud Mortuum, extat mons vnus, similiter salsus, non tamen totus sed localiter, constans vt petra durissimus, & glaciei simillimus: vnde sal, quod *salis gemma* vocatur, multoties vidistis, quod de monte illo comminuitur. Conicio bifariam lacum illum salsum esse: eo quod semper montis salsuginem glutit, quem vnda marginalis indesinenter lingit; & insuper, ex decursione imbrium, de monte ipso in lacum influentium: siue abyssus in tantum sit concaua, vt Magnum Mare, quod est salsum, inuisibili refluxu, in eandem abyssum sub terra influat. Demergi autem quis in profundum eius, nec de industria facilè potest. Girato autem Lacu à parte Australi, repperimus villam vnam: hanc villam dicunt esse *Segor*, situ gratissimam; & de fructibus palmarum, quos *dactilos* nominant, valde habundantem, quibus pro cibo placido vescebamur. De ceteris rebus, rarò ibi repperimus; aufugerant enim illic agricolæ Arabes, iam de nobis rumusculo audito, exceptis quibusdam inopibus, vt fuligo, nigerrimis: quos, vt algam spretos, illic dimisimus. Ibi vidi poma in arboribus, quæ, cum corticem rupissem, interius esse puluerulenta comperi & nigra. Exhinc, *Arabiæ* montana introire cepimus, in quorum concauis nocte pausauimus. In sequenti autem manè, cùm montes ascendissemus, inuenimus ibi villas, sed omni bono vacuas: Nam aduentu nostro iam comperto, fugerant, & cum rebus suis in cauernis terræ se absconderant. Quamobrem parum illic profuimus, & ideò promptè iter nostrum aliàs extendimus, ductoribus nostris semper præuiis. Tunc inuenimus vallem vnam de omnibus frugibus opulentissimam, in qua Moyses etiam, Domino illuminante, virga scilicem bis percussit, vnde fons viuus statim, vt legitur, sic emanauit, vt populus atque iumenta sufficienter ex eo adaquarentur: Qui etiam nunc profluit non minus quã tunc, adeo vt molendini, riuuli eius impetu volubiles semper fiant: vbi ego ipse *Fulcherius*, equos adaquaui meos. Reperimus insuper in montis apice monasterium, quod dicitur *Sancti Aaron*, vbi Moyses, & ipse Aaron cum Domino loqui soliti erant: vnde valde lætabamur, cùm loca tam sancta, & nobis incognita intuebamur. Et quoniam vltra vallem illam, terra erat deserta & inculta, vsque Babiloniæ affinitatem, vlterius progredi noluimus. Vallis autem hæc, bonis omnibus erat opima. Sed quia in aliis villis prius morati fueramus, in-

colæ loci illius, ablatis secum rebus suis atque pecoribus, [illegible] & in caueas saxeas, pro nobis fugientes, se intromiserant, [illegible] quæremus, audacter se defendebant. Sed per tres dies illic [illegible] iumenta nostra edulio refecissemus, die quodam opportun[illegible] stipendio necessario oneratis, horam circiter secundam [illegible] residuum tramitem resumi visum est. Tunc remeauimus [illegible] moratum, & per *sepulturas Patriarcharum* memoratorum [illegible] *Rachelis sepulturam*, die, qua solsticium hyemale accidit, *Hierusalem* [illegible] Et præparatis ornamentis, quæ Regi conueniunt coronando, [illegible] *vus* patriarcha cum Balduino, & canonicis aliquantis, [illegible] *mo primo*, die Natiuitatis Dominicæ, in basilica beatæ Mariæ [illegible] Patriarcha, vna cum episcopis, cleroque ac populo circunstante [illegible] Regem honorificè sacra vnctione sublimatus & coronatus est. [illegible] prædecessori non fecerant, quoniam tunc à quibusdam laudatum [illegible] ipse voluit, huic, ratione sapientiùs considerata, fieri con[illegible] nim. *Quid obest si CHRISTUS Dominus noster, in Hierusalem, tamquam [illegible] spinis coronatus à Iudæis perfidis fuit: quod cum cæteris opprobriis pluribus, ipse [illegible] stra, misericorditer pertulit? Corona illa quidem, quantum ad intellectum [illegible] ris, nec regiæ potestatis, immo ignominiæ & dedecoris. Sed quod illi truces, ad [illegible] runt, ad salutem nostram atque gloriam, DEI gratia, versum est. Rex etiam [illegible] non perficitur: nam iure electus, benedictione autentica sanctificatur, & conse[illegible] suscipit regimen illud atque auream coronam, suscipit quoque iustitiæ obtinend[illegible] Cui tunc populus à DEO commissus est, vt eum iure sollicitet & ab hostibus [illegible] test ei, sicut episcopo cuilibet de episcopatu, obici:* Bonum enim opus [illegible] men desirat. *Quod si iure non regit, nec rex est.* In modernitate autem [illegible] *Balduinus*, adhuc paucarum vrbium possessor atque gentis, per ipsum [illegible] male regnum suum ab hostibus suis vndique strenuè protexit. Et qui[illegible] rant eum esse bellatorem probissimum, quamuis gens eius rarissima [illegible] men ausi sunt eum aggredi. Quod si militiam maiorem haberet, [illegible] libenter adiret. Adhuc erat per terram via Peregrinis nostris vetita. [illegible] per mare, tam Franci quàm Itali, seu Venetici, vel in vna naui [illegible] tribus aut quatuor, inter piratas hostiles, & ante ciuitates eorum [illegible] midi valde vsque ad *Ioppen*, Domino ducente, perueniebant: Quos [illegible] bus nostris Occidentalibus venire nosceremus (nullum alium habe[illegible] portum) extimplo eis obuiam corde iocundo procedebamus, & co[illegible] ac si fratres, ad litus maris excipientes, vnusquisque nostrum de natio[illegible] tela sua diligenter inquirebamus. Illi verò intimabant, prout [illegible] tum de prosperitate audita lætabamur; de incommoditate autem [illegible] Hii Hierosolimam ibant, & Sancta Sanctorum visitabant, dehinc [illegible] Sanctam remanebant; alii verò in patriam suam, vsque in Franci[illegible] Qua de re, terra sancta Hierosolimitana remanebat gente vacu[illegible] qui eam à Sarracenis defendere posset, si tamen ipsi aggredi no[illegible] quare non audebant? Tot populi, tot regna, quare regniculum [illegible] pellum inuadere metuebant? Cur de Ægipto, de Perside, de M[illegible] Syria non coadunabant saltem centies centum millia pugnatorum [illegible] hostes, viriliter aggrederentur? &, vt solent locustæ innumeræ [illegible] nos omnino consumerent & destruerent, vt nec mentio de Chri[illegible] abolim sua, vlterius fieret? Non enim tunc habebamus plusquam [illegible] tes, & tantum de peditibus, qui *Hierusalem* & *Ioppem*, atque *Ram*[illegible] *Cayphan* custodiebant. Milites etiam nostros, vix adunare aliqua[illegible] cum insidias aliquis hostibus moliri volebamus, timentes ne in[illegible] nibus relictis, damnum inde haberemus, verè liquet omnibus [illegible] esse valde mirabile, quod inter tot millia millium tam validi [illegible] nantes, eorum alios tributarios faciebamus, alios deprædando, [illegible] fundebamus. Sed vnde hæc probitas vnde ue ista potentia? V[illegible] debat cui nomen, *Omnipotens*. Qui populi sui, pro nomine [illegible] [illegible] in necessitate sua pie auxilium ei impendebat, qui [illegible] quo nisi [illegible] confidebat. Quem ipse DEUS, mercedula [illegible] [illegible] gloria remunerare [illegible]

recordatione dignissima! Sæpe quidem contristabamur, cùm de partibus nostris occiduis nec parentes nostri, nec amici nobis auxiliare veniebant, formidabamus enim ne hostes nostri, scientes gentis nostræ paucitatem, quandoque cursu subito super nos irruerent, vbi nullus, nisi DEVS auxilium nobis ferret: quibus nulla inopia esset, si tantummodo gens & equi non defuissent. Quamobrem in expeditione ire nequibamus, nisi prope vel versus *Aschalonem*, vel *Arsuth* equitaremus. Et qui per pelagus Hierusalem veniebant, nequaquam equos secum adducere poterant: per terram verò nullus nobis subueniebat. Nec Antiocheni nobis, nec nos eis succurrere poteramus. Eo tempore contigit in Marcio mense 10 *Tancredum*, *Cayphan* oppidum suum regi *Balduino* relinquere; Tiberiadem quoq; & Antiochiam cum suis per terram ambulare. Miserant enim Antiocheni legationem ad eum, dicentes: *Ne moreris, sed veni ad nos, & principare Antiochiæ ciuitati, & terræ illi subditæ donec de captiuitate Buaumundus redeat qui est Dominus noster & tuus. Tu enim es propinquus eius, milesque probus, & nobis potentior: tu quidem terram melius quàm nos, obtinere valebis. Siquandoq;, DEO volente, Buaumundus redierit erit inde quod ius monstrabit.* Illuc igitur iuit, & regnum regendum, vt dictum est, suscepit. Apud portum tunc *Loadiciæ*, per ipsum tempus brumale, stolus nauium rostratarum *Ianuensium*, & *Italorum* hyemauerat: qui cùm viderent vernum tempus ad nauigandum aptum & tranquillum, vento prospero vsque Ioppen nauigauerunt: & cum portui ap- 20 plicuissent, gaudenter à rege suscepti sunt. Et quia prope erat *Pascha*, non ibi morati sunt: Sed nauibus suis ad terram tractis, Hierusalem simul cum rege perrexerunt: vbi conturbati sunt omnes propter ignem solitum, quem die Sabbati non habuimus ad Sepulchrum Domini: vnde plura restant verba non temere referenda.

Consuetudo est autem, propter *Ignem cælestem*, qui ad Sepulchrum Dominicum vno quoque anno descensibilis celitus, nutu diuino, in *lampadibus*, in Vigilia Paschæ, solet accendi: vt quicumque intra monasterium illud sanctissimum inesse possint, die illo toto ipsius vigiliæ, supplicationi & orationi vacantes, lumen illud 30 à DEO mittendum deuoti cuncti exspectent: & cum die illo basilica illa Sanctissima de tanta gente plenissima existeret, horam circiter tertiam iussum est à Patriarcha officium diurnum à Canonicis incipi. Tunc lectiones lectæ sunt alternatim, prius Latinus Latinè; posterius verò Græcus, Græcè identidem quod Latinus legerat in pulpito relegit. Officium quippe sic eis explentibus, ante horam paulisper nonam, cæpit vnus de Græcis, à parte vna monasterii, pro more prisco, voce altisona *Kyrieleison* exclamare: cui statim cuncti qui aderant, modo simili eundem cantum responderunt. Ego autem *Fulcherius*, qui nunquam huiusmodi Symphoniam audieram, multique alii, tumultui huic laudifluo moderni, oculis sursum erectis, cordibus compuncti de terra surreximus, & lumē aliuum * alicui in ecclesia * 40 iam accendi sperauimus. Sed cum sursum ac deorsum hac & illac humilissimo corde intueremur, quia nondum venerat non id vidimus. Cùm autem vice trina Græco prædicto, *Kyrieleison* inchoante, cæteri omnes idem exclamando respondissent, siluerunt; & continuò canonici officium suum iam inceptum decantauerunt. Interim deuoti expectabamus ignem sanctum, qui horam circiter nonam aduenire ritu solebat. Nec multo post, sicut primitus, *Kyrieleison* decantatum fuerat, sic vice secunda repetitum fuit: nosque sono tanto concitati, illam precem laudifluam præconi eam inchoanti voce celsa omnes respondimus. Et cum ignē optatum plerique tunc venisse speraremus, cum non venisset silentio requieuimus; clerici autem, Lectiones & tractus diurnos cecinerunt. Cùm verò hora no- 50 na iam transisset vice trina voce sublimi, *Kyrieleison* repetitum est, tunc Patriarcha noster sumptis clauiculis reserauit ostiosum Dominici Sepulchri; & introgressus, cùm lumen quod desiderabamus non inueniret, mox ante ipsum sacrosanctum Sepulchrum supplex ad orandum, flendo se prostrauit: poscens Omnipotenti Domini misericordiam, vt ignem olim consuetum, à populo suo supplicante tam desideratum, emittere dignaretur. Nos quoque cuncti *Kyrieleison* altè concrepantes, Domino supplicabamus, expectantes quod Patriarcha, dicto Sepulchro regrediens, lumen, vt sperabamus, inuentum, à Domino missum, nobis omnibus manifestaretur. Sed cùm illic diu preces suas plorando fudisset, & quod poscebat non impetrasset, tristissimus ad nos inde exiens, ignem non inuenisse monstrauit: quo

[illegible] contristati valde sumus. Iam ego [illegible]
[illegible], qui dicitur *Caluaria*, ascen[illegible]
[illegible] ignis ipse venisset, n[illegible]e. Sed [illegible]
[illegible] sedulò repetitum, alternan[illegible]
[illegible] solito cepimus. O quantus [illegible]
[illegible]s luctus! plorando quippe [illegible]
[illegible]ordiam Domini exorabamus, [illegible]
[illegible] nequimus. Iam aduesperasce[illegible]
[illegible] quod propter peccata nostra hoc co[illegible]
[illegible] euenerat, meditatus est vnusquisque [illegible]
[illegible] contra DEVM deliquerat. Quapropter quidam [illegible]
[illegible]erant, Patriarcha reconciliante, concordes facti sunt. [illegible]
[illegible], DEO nihil placet, nobiscum esset: vt & nobis pa[illegible]
emendatis, [illegible] supplicationi nostræ intenderet. E[illegible]
preces nostras non exaudisset, cogitauimus intra nos, & ple[illegible]
cere c[illegible] quod forsitan disponente DEI prouidentia [illegible]
gnis, vt solitus [illegible] quondam veniet: quoniam necesse era[illegible]
[illegible] Christiani, Græci videlicet, & Syri, paucissimi incolæ [illegible]
[illegible] quoque anno veniret: quia si in vno anno de[illegible]
[illegible] Paganis hoc explorantibus & inquirentibus, omni[illegible]
[illegible], quia hic omnino, opitulante DEO, securi sumus [illegible]
[illegible] timemus. Nos etiam, ac si successores ipsius ignis, [illegible]
[illegible] qui Christianos illos, quos hic inuenimus, & nosmetipsos [illegible]
[illegible], à gente Pagana protegimus: quod nisi DEVS eos [illegible]
[illegible], nullum ex eis hic viuum inuenissemus. Quæ ergo necessitas [illegible]
gnis veniat? Hæc verba, & iis æquipollentia, sapientiores scilicet [illegible]
sapientibus demonstrabant, ignorantes quid DEVS facturus esse[illegible]
quod solatium quod eos iam valde desolatos consolaretur. A[illegible]
[illegible], iam imminente nocte, præcepit omnibus *Patriarcha* vt de mona[illegible]
[illegible] ad domos vel hospitia sua abirent: vt locus sacrosanctus tota [illegible]
[illegible] remaneret: ne quid spurcitiæ noxiæ forte in aliquo homine [illegible]
[illegible], quod voluntati DEI vel eius habitationi, displiceat. Sic præ[illegible]
[illegible] est, Ecclesia nocte illa, vacua remansit, in qua nec Lamp[illegible]
[illegible] accenso splenduerunt. Manè autem, cum dies Sancti Pa[illegible]
[illegible], ad Ecclesiam Sancti Sepulchri vndique conuenerunt [illegible]
[illegible] adhuc expectantes. Et cùm tunc ad Sepulchrũ Domini P[illegible]
[illegible], quærens an ignis adhuc inesset; cùm non inuenisset, regredi[illegible]
[illegible] ipse cum cæteris assistentibus motus statim sermone illo Euan[illegible]
[illegible] *accipietis; pulsate, & aperietur vobis*: adhuc [illegible]are [illegible]
[illegible] hoc insinuantem, & non mentientem, [illegible]
[illegible] propter improbitatem clamoris eorum exci[illegible]
[illegible]maret. Fecerunt quidem tunc processionem [illegible]
[illegible] proceres sui, pedibus nudis ad Templum Do[illegible]
[illegible] regi Salomoni Dominus DEVS promisit se ex[illegible]
[illegible] Dominum deprecaretur, quod *si populus* [illegible]
[illegible] *orarct, ab eo exaudiretur*: orationes suas [illegible]
[illegible] misericorditer ignem illum emittere di[illegible]
[illegible] tanto affligebantur, & desolabantur. Du[illegible]
[illegible] nostra sic oraret, in monasterio sanctissim[illegible]
[illegible] qui ibi remanserant non minus idem Sepulc[illegible]
[illegible], orationi vacabant, qui præ nimio dolor[illegible]
[illegible] decerpebant: cum ergo populus noster [illegible]
[illegible], ad ecclesiam sanctissimi Sepulchri redisset, ante[illegible]
[illegible] est Patriarchæ, & cæteris Ignem desideratis[illegible]
[illegible] Sepulchrum cælitus, [illegible]
[illegible] quasdam [illegible]
[illegible] potuit illuc [illegible] properauit: & [illegible]
[illegible] Sepul[illegible] confess[illegible]
[illegible] valde [illegible]

ctum Sepulchrum gratias DEO reddens, se humiliter prostrauit: Postea verò accenso illic cereo vno foras reuertens, diuinum lumen omnibus manifestauit, quod cùm videremus qui aderamus omnes, *Kyrieleison* cum lachrymis exclamantes, gaudio magno gauisi sumus: & quanto dolueramus, tanto magis tunc de miraculo exultauimus. Per totam extimplo ciuitatem, laus iocunda, & clamor laudifluus proinde sonuit: sonant signa, populus manibus plaudit, clerus lætus concinit; carmina dulcisona, modulis alternantibus symphoniæ miscentur. Tenebamus vnusquisque in manu sua cereum vnum, iam ad hoc præparatum, ad id lumen sanctum suscipiendum. Videretis per spatium vnius, plura millia ce-10 reorum in ecclesia sancta ab ipso igne accendi, quod alius alii libens ministrabat. *Ecce verè dies illa, quam fecit Dominus*: exultauimus & lætati sumus in ea: & amplius quam adhuc dixerim, solemnitas solemnitatum die illa inter nos claruit. Quoniam cùm Missa Dominica decenter celebrata fuisset, & post Missam solemnizatam, *Balduinus* rex, qui eidem solemnitati assistens, pro more regio coronatus fuerat, in templo Salomonis, prandium suum festiuè & decentissimè expleuisset: nuntiatum est ei, & cæteris aliis qui cum eo eramus, Ignem sanctissimum iterato aduentu, in duabus lampadibus quæ in ecclesia Dominici Sepulchri pendebant, diuinitus accensum esse. quo audito laudes inde cunctipotenti Domino retulimus: & quibus libuit statim complures ad nouum miraculum videndum læ-20 tantes cucurrimus. Denique rex, & alii cum eo nos subsecuti sunt; & cùm in ecclesia retroissemus, vidimus illico ignem, de quo fatum erat, diuinitus in lampadibus accendi: & cateruatim vnicuique lampadi accensæ, plebem astare cum cæreis suis, vel accendendis, vel iam accensis, iubilantem DEO in voce exultationis. Tunc alius alii, corde iocundo hæc demonstrabat, dicens: *Ecce, iam lampas incipit illuminari.* alius nempe respondebat: *Ecce video alteram, in qua iam flamma rutilat: illuc quidem cereum meum illuminabo; tu autem tuum hic inflamma.* alius quippe dicebat: *astemus huic lampadi, & expectemus paulisper quum in ea ignis insurget. Nonne videtis, quia cateræ lampades iam inflammatæ sunt: & vide, quo modo in illa fumus ennubilat; nunc autem flamma exoritur.* Taliter, inquam, lætificauit Dominus populum suum. qui 30 dies pro miraculo tam glorioso, & de more in morem permutato, celeberrimus, & memorialis à generatione in generationem permanebit.

A. D. 1101.

Psal. 117, 23.

XXV.

Peracta sollennitate Paschali, profectus est Rex *Ioppen.* Et fecit tunc conuentionem cum consulibus classis gentis *Ianuensis*, vnde iam mentionem fecimus: *vt quamdiu ob amorem Domini morari vellent in sancta patria, si DEO concedente & iuuante, de ciuitatibus Sarracenorum aliquam, cum ipso Rege comprehendere possent, tertiam partem pecuniæ hostibus internis ablatam, illi Ianuenses nautæ, nulla eis iniuria facta, communiter haberent. Rex autem primam & secundam: vicum insuper vnum, in eadem ciuitate, in heredi-*40 *tatem sibi obtinerent perhenniter.* Quod cum nexu fidei interpositæ ab vtraque parte firmatum fuisset, indilatè oppidum illud, quod *Arsuth* vocatur, tam per mare, quã per terram, obsederunt. Sed cum inhabitatores Sarraceni sentirent, nullo modo se à Christianis posse defendi, prolocutione apud Regem callidè facta, in die tertia muros regi reddiderunt; pecuniam autem suam exeuntes secum detulerunt. Et conuentione sic facta Ascalonem, licet mesti, abierunt: quos etiam Rex conuiari fecit. Vnde & laudes nos læti Domino dedimus, quo suffragante, sine occisione hominum nostrorum, munitionem tam nobis aduersariam comprehenderamus: Quod castrum valde odiosum in præterito anno dux Godefridus obsederat, nec ceperat: Cuius etiam inhabitatores de nostris quàm plurimis occisis, 50 nos tristissimos persæpe fecerant. Iam tamen Franci cominus accipiebant muri propugnacula, cum fortuitu lignea turris, forinsecus muro adiecta, præ multitudine in eam ascendentium, frustratim cecidit: vnde fermè centum Franci de ea ruentes insanabiliter læsi sunt: Itaque aliquantos tunc Sarraceni retinuerunt, quos in conspectu Francorum, in crucem pependerunt, & sagittis sagittauerunt; & quosdam occiderunt, & quosdam viuos detinuerunt viliter. Cumque Rex, Arsuth, prout opus erat, de gente sua muniuisset, confestim *Cæsaream, palestinam* adiit, & obsidione circundedit. Sed quia fortis erat muro, non potuit eam cito gens nostra capere: Iussit tunc Rex petrarias fieri, & machinam vnam ligneam altissimam de malis & remigibus nauium fabrefactam. Hanc artifices nostri excellen-

tiorem muro, vt reor, longitudine viginti cubitorum: vt [illegible] perfecta perduceretur, de ea hostes internos milites nostri [illegible] & cùm sic de Sarracenis murum vacuarent, ingressum liber[illegible] nes nostri haberent; & sic eam comprehenderent: sed cùm [illegible] obsidionem tenuissent, & cum petrariis, arces muri celsiore[illegible] sissent, nec dum turris nostra lignea esset compacta: moram [illegible] luit diutius Francorum probitas tolerare quin absque turri [illegible] supplementis die quadam Veneris, ciuitatem ausu mirifico [illegible] assilirent. Sarraceni verò se defendebant pro vt fortius poterant [illegible] hortantes. Franci quidem, quorum Dominus DEVS erat, erectis [illegible] quas ad id opus præparauerant, per eas muri summitatem probi[illegible] scenderunt; & quos sibi obuios tunc inuenerunt, nihil aliud, sed [illegible] uenerunt. Quod cum Sarraceni gentem nostram sic efferatam super [illegible] vbi diutius viuere sperauerunt, illuc præproperè fugerunt. Sed nec hi[illegible] delitescere potuerunt, quin morte promerita trucidarentur. Nam pauci [illegible] sculino sexu vitæ reseruati sunt; feminis autem pluribus pepercerunt [illegible] manuales voluituræ semper sibi ancillarentur: quas cum cepissent, ali[illegible] tam turpes quàm pulchras, inuicem vendebant. Masculos quoque [illegible] tum tunc vrbis ipsius, & episcopum, quem *Archadium* prænominant [illegible] habuit: quibus pro pecunia plusquam pro amicitia pepercit. Quanta [illegible] ibi reperta, & quot vtensilia multiformia, non est dicendi facultas [illegible] pauperes, facti sunt locupletes. Vidi de Sarracenis plures ibi perempto[illegible] de illis facto igni comburi, quorũ cadauerum fœtor nos valdè vexabat. [illegible] fiebat Bisantiorum causa, quos ipsi improbi transglutiuerant, nolentes [illegible] eos haberent: quos quibusdam etiam in oribus suis iuxta gingiuas abscon[illegible] Vnde aliquando contingebat cùm quis vnum Sarracenum super collum [illegible] feriebat, vt decem aut sedecim bisantios ab ore foras excuteret: fœminæ [illegible] impudenter intra se occultabant, quod & nefas erat sic recondendum, & tu[illegible] satis ad recitandum. *Annus millenus centenus erat, sed & vnus, Cùm Stratonis [illegible] sic dictam, cepimus vrbem. Anni mille DEI centum, sed & vnus abibant. Cum [illegible] ream per scalas cepimus vrbem.*

XXVI. Et cum de Cæsarea, & de omnibus quæ [illegible] perimus, vna cum Ianuensibus, prout libuit, egissemus; Archiepiscopum [illegible] muniter electum ibi præfecissemus, relictis ad custodiendum paucis, festina[illegible] omnes ad ciuitatem *Ramulam*, quæ est prope Liddam, vbi per vigintiqua[illegible] bellum expectauimus ab Aschalonitis contra nos fieri; & de Babilonis [illegible] illic ob id congregatis. Sed quia gens eramus rara, contra eos ire metueba[illegible] sprtè cum ante Aschalonem eos impeteremus, intra mœnia & aggeres [illegible] cursu continuo ad interimendum nos illi interciperent. Propterea venire [illegible] nos volebant, quia hoc fieri putabant. Quorum calliditate comperta, [illegible] liditatem eorum callidius callentes calluimus, vsque dum, animis eo[illegible] ro marcessentibus venire aduersum nos penitus dimiserunt; & mult[illegible] pressi & moram fastiditi, ab exercitu suo discesserunt. Quo audito [illegible] sumus, & laudes DEO dedimus, eo quod à congressu eorum sic liberi [illegible] Cum autem postea auribus semper ad eos intentis, per septuaginta di[illegible] stinuissemus, intimatum est regi *Balduino* aduersarios nostros animositat[illegible] ta, permoueri: & iam parati nos appetere accelerabant. Hoc audito [illegible] tem suam congregari, de Hierosolyma videlicet, & Tyberiade, Cæsare[illegible] & Caypha. Et quia nos necessitas anxiabat, pro eo quod milites non ha[illegible] nisi paucos, Regem onerere, quicumque potuit, de armigero suo militem [illegible] simul omnes ducenti & sexaginta fuerunt; pedites verò nongenti. [illegible] contra nos, vndecim millia militum; & vnum & viginti millia peditum [illegible] quippe sciebamus; sed quia nobiscum DEVM habebamus, eos ag[illegible] formidauimus. Nec enim in armis nec in multa gente confidebam[illegible] Domino DEO nostro spem nostram posueramus. Magna audacia [illegible] erat audacitas, immo fides & caritas. Quoniam pro amore illius [illegible] tamus, qui pro nobis misericorditer mori dignatus est. Iuimus [illegible] quo fecit Rex portari illud Dominicæ Crucis lignum, quod nobis [illegible] lutare solatium. Die quodam de Ioppe exiuimus, sequenti v[illegible]

A.D. 1101.

eos pugnauimus. Et cum ad eos appropinquaremus, illi similiter ad nos nobis nescientibus: cumque speculatores eorum de specula nostra prospeximus, subsequentiam ceterorum, statim intelleximus. Et cum Rex cum quibusdam suis vlterius progrederetur, prospectans vidit tentoria eorum extensa in planis candescere: Quibus visis, mox equo calcaribus puncto, ad nos postremos recurrit, & quod viderat cunctis manifestauit: vnde exultare cepimus, cum bellum fore credidimus: quoniam hoc desiderabamus. Si enim ad nos non venirent, nos vtique ad eos iremus. Melius enim nobis erat in planis vastis præliari, vt cum superati essent, Domino suffragante, fuga longior eis fieret, vnde maius

10 paterentur in fuga detrimentum; quàm si prope muros suos cum eis congrederemur. Tunc iussit Rex arma sumi; & armatis cunctis, acies nostræ decenter ad bellandum ordinatæ sunt. Sic in manus Domini tunc nos commendantes, aduersus eos equitauimus. Abbas quidam vir venerandus crucem prædictam Domini, palam cunctis gestabat. Tunc Rex milites suos hiis verbis piè affatus est. *Eia milites CHRISTI, confortamini, & nolite timere: viriliter agite, & in hoc prælio fortes estote. & pro animabus vestris pugnate: & nomen CHRISTI Domini diligenter exaltate, cui degeneres isti semper exprobrant & conuiciantur, non credentes eius incarnationem, nec resurrectionem. Quod si hic interieritis, beati nimirum eritis: iam iamque nobis aperta est ianua regni cælestis. Si autem victores viui remanseritis, inter Christianos omnes gloriosi fulgebitis. At fu-*

20 *gere si volueritis, Francia longè est à nobis.* His verbis itaque dictis, omnes ei assenserunt. Ad pugnam properant: cunctos tædet mora valde. Quem feriat, vel quem subruat iam cogitat omnis. Ecce gens detestanda nobis occurrens, dextera læuaque vehementer in nos irruit. Gens quoque nostra, licet paucissima, per sex acies tamen diuisa, tanquam solent aucupes in multitudine auium, intra cohortes eorum ingentes, ADIVVA DEVS, exclamando, se miserunt. Quorum multitudo in tantum nos statim obtexit, vt vix alius alium tunc cernere posset. Iamque repulerant, iamque cassauerant duas de aciebus nostris anterioribus, cùm Rex *Balduinus*, tanto negotio festinanter à parte postrema subuenit: vbi enim expectauit & cognouit virtutem hostium validiorem, accersito cursu cum scara sua impe-

30 tui nefandorum viriliter se obdidit; & coram potentioribus eorum hasta vibrata, in qua signum pendebat album, ictu lanceæ percussit Arabum vnum sibi obuium; in cuius corpore ad terram de sonipede præcipitato, signum remansit idem: Lanceam autem inde extortam, ad lædendum cæteros, promptè detulit. Hinc isti, hinc illi fortiter pugnabant. Videretis vtique, horæ spatio exiguo, multos vtrimque equos sessoribus vacuos, terramque nimis occupatam tam de scutis, quàm pugionibus; de Sarracenis quoque, & Æthiopibus; tam mortuis quàm vulneratis. Aderat ibi Crux Dominica, inimicis CHRISTI contraria, contra quam pompa eorum, gratiâ DEI, præualere nequiuit. Sed ac si præsentia eius verecundi effecti, non solum nos inuadere cessauerunt; sed & pauore cælitus percussi, omnes in fugam ce-

40 lerem, suam verterunt sententiam. Qui tunc habuit equum volucrem, fugiendo euasit mortem. Tot scuta rotunda, tot arcus & sagittas, enses & lanceas siue missilia, quæ in campis proiecerant timidi, erat tædium colligere. Tot quoque corpora quæ ibi iacebant exanimata, si quis ea vellet dinumerare, deficeret quidem in computatione. Fertur tamen quinque millia ex eis tam de militibus quàm peditibus ibi peremptos esse. Dux enim militiæ Babiloniensis, qui eam ad præliandum adduxerat: cum ceteris trucidatus est. De nostris verò militibus, octuaginta perdidimus; De peditibus autem amplius. Probissimè se die illo exhibuit rex *Balduinus*: optimus consolator, rigidusque percussor extitit: Milites quoque sui, licet pauci, erant optimi. Certamen illud non fuit diu anceps. Illi enim tempestiuè fuge-

50 runt; hii verò promptè eos fugauerunt: O bellum, insontibus odiosum, & intuentibus perhorridum! Bellum, quia non *bellum*: nam per antiphrasim est dictum: Bellum cernebam, mente nutabam, ictus timebam. Omnes in ferrum ruebant; ac si mortem nunquam metuerent. Dira calamitas, vbi nulla est caritas. Fragor erat nimius, de vtrorumque percussionibus. hic percutit; ille corruit: hic nescit misericordiam; nec iste quærit eam: Hic perdit oculum; ille verò pugnum. Mens refugit humana, vbi talis cernitur miseria. Mirabile autem dictu: In capite vicimus; in cauda superati sumus: In cauda Christiani ruunt; in capite autem Sarracenos vincunt. hos fugauimus ad Aschalonem; illi

[illegible] peremptis nostris, mox equitauerunt vsque Ioppen. [illegible] rei exitum die illo sciuimus. Sed cum iam occidens[illegible] sui campos de eis euacuassent, præcepit Rex vt in [illegible] gitiui reliquerant Sarraceni, nocte illa quiesceremus. [illegible] *Idus Septembris cum legeremus, fecit hoc bellum magnum satis [illegible] diuina gratia Francis.* Factum est prælium istud septimo idus Septem[illegible] be Hierusalem capta tertio: Indictione vndecima. Sequenti autem [illegible] pitione suo Rex cum suis, Missam de natiuitate almæ Mariæ Virgi[illegible] neratis iumentis nostris de rebus hostium nostrorum, pane scilicet [illegible] farinaque, præceptum est, cornu monente regio, Ioppen regredi. Qu[illegible] reremur, & *Azotum* vrbem Philistinorum desertam, iam transissemus [illegible] bis aspeximus quingentos ferè Arabes, catervatim à Ioppe regredien[illegible] bellico illuc cucurrrerant, & prædam illic inuentam arripuerant. [illegible] cædem Francorum fecissent magnam in parte postrema, vt superius [illegible] cum etiam crederent nos omnes similiter esse deuictos, sumpt[illegible] Francorum scutis, & lanceis, atque galeis lucidis, vnde se pompose o[illegible] properantes statim vsque *Ioppen,* monstrauerunt arma nostra, dicentes [illegible] duinum & cæteros omnes in bello esse mortuos. Quod cum vidissent [illegible] rati sunt valde; & timuerunt verum esse quod Sarraceni affirmabant [illegible] quod Ioppen forsitan eis redderent obstupefacti. Sed cum nihil ampli[illegible] fecissent; regredi Aschalonem ceperunt. Qui cum nos regredientes [illegible] perspexissent, suspicati sunt nos esse de gente sua, qui nobis omnibus [illegible] lio peremptis, reliquos Christianos versus Ioppen appetere vellent. V[illegible] mirabamur eo quod tam nobis appropiabant, nos non cognoscentes, [illegible] usque cita inuasione viderent nostros milites eos aggredi. Tunc videre[illegible] sim eos huc illucque fugere, vt nec alius alium expectaret, & qui soni[illegible] tunc non habuit agilem, caput gladio mox subegit. Et quia Franci val[illegible] gati fuerant, & tam ipsi quam eorum equi in prælio vulnerati, parum [illegible] turbauerunt. Illi sic abierunt; nos verò *Ioppen* læti peruenimus. Sed qua[illegible] tatis, fuit exultatio, & DEO facta laudatio apud Ioppen, cum nos de mi[illegible] cula remeare signis erectis cernerent, qui ibi remanserant: non est di[illegible] mum. Accurrerant enim duo nugigeruli, alius post alterum, qui Ioppit[illegible] rant, dicentes regem Balduinum cum suis omnino deuictum fuisse, [illegible] maius est, forsitan omnes interimi. Qua de re vltra quàm credi pote[illegible] rati, hoc verum esse opinantes, iam miserant proinde ad *Tancredum* [illegible] qui tunc Antiochiæ principabatur, in cartula scriptam, quam nauta [illegible] monente regis coniuge, carinam suam ascendens, celerrimè Antioch[illegible] tauit. Epistola quidem illa hæc verba ita continebat salutifera. *Tancre[illegible] pae, milesque optime, accipe hanc scedulam, quam tibi regina & qui Iopp[illegible] fistinum legatum, mittunt, & vt magis scripturæ huic sigillatæ credas forsitan quam [illegible] cellam. Quoniam pro dolor. Rex Hierosolimorum Balduinus, qui contra Babil[illegible] tas pugnam commisit, in congressu illorum deuictus, & forsan cum suis om[illegible] bellum secum perduxit, occisus est. Nam qui calamitatis huius miseriam euasit, Iopp[illegible] hoc nobis depromisit. Quapropter ad te, non imprudentem virum, venio legatus, [illegible] ipsi: vt, sumpto consilio, præproperè succurrere nitaris genti DEI valde anxiæ, [illegible] reor, meta iam proxima vitæ in Palæstina plebiculæ superstiti.* Hoc autem di[illegible] obaudiens, mox parum siluit. Sed cum verum esse crederet quod [illegible] præ grandi tristitia & dolore, tam ipse quam alii qui aderant, lachrim[illegible] ceperunt: Et responsione legato facta, iussus est fieri paratus ad succu[illegible] anxietati Christianorum. Et cum iam parati essent ad iter agendum [illegible] subito breuigerulus alter, scedam alteram priori dissimilem porrexit [illegible] quod incommodum erat scriptum in priori, hoc prosperum monstra[illegible] posteriori. Lectum est enim ibi, Balduinum regem Ioppen sanum [illegible] Sarracenos in bello penitus superasse. Tunc ergo qui de detri[illegible] uerant, de bono successu læti sunt. O mira DEI clementia! N[illegible] multitudine gentis nostræ vicimus; [illegible] diuina freti virtute [illegible] [illegible] sperabamus, non nos desiderio nostro [illegible], sed [illegible] [illegible] dono victoriæ, piè ditauit. Itaque tunc ab hostibus no[illegible]

Hierosolimam Rex & nos euntes, Domino exsoluimus laudes: Deinde per octo menses immunes quieuimus, vsque dum anni orbita tempus reduxit æstiuum. A.D. 1102. XXVII.

Anno autem sequente *millesimo centesimo secundo*, tunc Maio mense mediante, congregati sunt apud Aschalonem *Babilonii*, quos eorum Rex huc miserat vt nos Christianos omnino destruere niterentur. Erant simul illi viginti milia equitum, & decem milia peditũ de Sarracenis & Æthiopibus, exceptis clitellariis, qui camelos asinosq; onustos victualibus minabant, gestantes in manibus suis vnusquisq; ad pugnandum clauas & sua missilia. Hii quidem, die quodam, vrbem *Ramulam* adierunt, & ante eam tentoria sua extenderunt, & messes iam maturatas circumcirca deuastauerũt. Porro in arce vna ciuitatis munita, erant quindecim milites, quos Rex ibi custodes posuerat, ante quam Syri quidam, ruricolæ, quasi sub Vrbani, versabantur. Hos quidem Christianos, Sarraceni sæpe nocentes & deturbantes, destruere cõnabantur, & arcem illam munitam diruere: quia non poterant propter inhabitãtes per plana illa liberè percurrere: Insuper eiusdem vrbis Episcopũ, qui in monasterio *S. Georgii* morabatur, cum clientela sua comprehendere moliebantur: Quod monasterium, cum die quodam incursu maliuolo circuissent, loci firmitate considerata, regressi sunt ad vrbem prædictam. Cumq; fumos flammasq; circa illam ciuitatem exurgere aspexisset de ignibus eorum accẽsis, timuit ne fortè ab eis obsideretur: Et præcauens in futurum, misso statim legato, mandauit regi *Balduino* qui Ioppe inerat, vt ei festinanter succurreret: quoniam ante Ramulam Babilonii hospitati erant, de quibus cohors vna, circa monasterium suum incursum iam fecerant. Hoc quidem Regi intimato, sumptis armis ilico conscendit in equum, quem, monente buccina, militia eius citissimè secuta est. Aderant tunc in Ioppe milites quàm plurimi, qui ventum præstolantes oportunum, in Franciam redituri, transfretare volebant. Hii quidem equis carebant: quoniam in anno præterito, cum per Romaniam peregrè Hierosolimã pergebant, equos suos & omnia quæ habebant amiserant: vnde mentio non incongruè, hic interserenda est. Nam cum Francorũ exercitus ingens Hierusalem, vt dictum est, tendebat, in quo erant principes *Guillelmus Pictauensis* comes & *Stephanus comes Blesensis*, qui ab Antiochia exercitu relicto discesserat, sed nunc quod deliquerat restaurare satagebat: Cum hiis aderat *Huguo magnus*, qui post Antiochiam captam, in Gallias repedauit: aderatque cum hiis comes *Raymondus*, qui apud Constantinopolim moram fecerat, iam de Hierusalem regressus; nec non *Stephanus Burgundiæ* comes, multique alii nobiles adiecto sibi innumero populo de equitibus & peditibus, exercitu bipertito facto. Hiis in Romaniæ finibus, obstitit *Soliman* Turcus, cui Niceam vrbem iam, vt audistis, abstulerant: & detrimenti sui non immemor, cum multitudine Turcorum magna, exercitum Francorum infeliciter dispersit, & penè totum ad interitum subegit. Sed quia, prouidente Domino, cateruatim per plures incedebant vias, nec contra omnes dimicare, nec omnes occidere potuit. Sed quia fatigatos eos, siti & fame anxios, atque pugnæ sagittarios incautos esse cognouit, magis quàm centum milia equitum & peditum gladio peremit: Porrò de mulieribus alias occidit, alias secum adduxit. Multi verò per deuia fugientes & montana, siti & angustia extincti sunt: quorum equos & mulos, iumenta & omnimodà ornamenta Turci habuerunt. Illic perdidit Comes *Pictauensis* quæcumque habebat, familiam suam atque pecuniam: vix etiam mortis periculum euadens, pedes tandem, & præ miseria lugubris, Antiochiam peruenit: cuius anxietati Tancredus tunc compatiens, eum piè suscepit, & de bonis suis subleuauit: quem Dominus ita *castigans castigauit, sed morti non tradidit.* Hoc quippe nobis videbatur, tam illi quàm ceteris, propter peccata & superbiam sic accidisse. Qui autem euaserunt, vsque Hierusalem venire non cessauerunt, excepto *Hugone* magno, quem in *Tharso* defunctum, sepelierunt. Qui cum in Antiochiam conuenissent, alii per terram alii per mare Hierusalem perrexerunt: Sed quicumque equum habere potuit, per terram libentius iuit. Et cum vsque *Tortosam* ciuitatem peruenissent, quam Sarraceni contra nos tenebant; non tardauerunt, sed probitate mira & per terram & per mare eam assilierunt. Quid morabor? vrbem ceperunt, Sarracenos occiderunt, pecuniam eorum habuerunt: Quo expleto iumentis de stipendio sarcinatis, ire statutum est. Sed valde molestum cunctis fuit, cum Raymondum Comitem ibi remanere viderunt, quem omnis secum

Psal. 117. 18.

A.D. 1102. Hierusalem iturum sperabant. Sed quia noluit, ibi remansit, & vrbem obtinuit: quod ad blasphemiam ei imputabant. Vltra deinde progressi, transierunt *Archas*, oppidum insigne, & vrbem *Tripolim, Gibellumq́*, donec venissent ad meatum angustum non longè à *Beruto* vrbe. Illic eos *Balduinus* rex expectauerat per octodecim dies, custodiens interim locum ne fortè à Sarracenis occuparetur; & Peregrinis transitum vetarent. Ipse enim Rex, legationem inde precatoriam, ab illo exercitu habuerat. Cumque Regem illic eis obuium inuenissent, congratulati sunt valde; & osculo dato iocundo, postea *Ioppen* profecti sunt: vbi iam applicuerant, qui per mare illuc venerant. Et cum prope Pascha esset, *Hierusalem* quò desiderabant perrexerunt: Qui postquam loca sacrosancta visitassent, & in Templo Salomonis cum Rege Balduino affatim, Pascha celebrando, pransissent, *Ioppen* omnes regressi sunt. Tunc, quia inops erat comes *Pictauensis* & desolatus omnimodè, nauim ascendens, & Franciam remeans, à nobis discessit. Tunc *Stephanus* Blesensis, cum aliis pluribus similiter transfretare voluit; sed in pelago vento sibi obsistente, nil aliud quàm reuerti potuit. Hic erat tunc in Ioppe cùm Rex equum suum ascendit, contra hostes iturus de quibus nuntium habuerat, vt superius dictum est, ante Ramulam hospitatis. Adhuc erant inibi *Gaufridus Vendouiensis* comes, & *Stephanus quidam comes Burgundiæ* & *Hugo Liziniacensis*, Raymondi comitis frater. Hii, cum equos ab amicis suis sibi quæsissent & accepissent, mox in eos cōscendentes, Regem secuti sunt. Hoc autem immodestia fuit Regis magna, qui noluit gentem suam expectare, nec ordinatè, sicut oportet, ad bellum sapienter ire; nec vllius monita attendere noluit: sed sine peditibus, milites suos vix expectans, non cessauit donec hostium multitudinem ante se, propius quam vellet, videret. In probitate sua nimis confidebat, nec plures esse quam mille, vel septingentos sperabat. Ideoque sic properabat, vt antequam refugerent, obuius illis fieret. Sed cum exercitum aduersariorum intuitus esset, timore perterritus, animo fremuit; attamen consolationis valitudinem amplectens, respexit suos: quos piè alloquens, ait: *O milites CHRISTI, & amici mei, nolite hoc bellum respuere; sed armati DEI virtute, pro vobismetipsis fortiter pugnate: nam siue viuimus siue morimur, Domini sumus. Quod si fugere quis velit, iam non est spes euadendi. Pugnando, vincetis; fugiendo, cadetis.* Tunc autē, quoniam opus erat probitatem monstrandi, repentè in Arabes impetu forti se impegerunt. Et quia non erant nisi tantum ducenti milites, à viginti milibus circumplexi sunt. Nulli autem sit ambiguum, quod Rex & sui bene non pugnarent: sed cùm a pressura Gentilium tam grauiter cohiberentur, & maior pars nostrorum, minimè horæ spatio, perempta cecidisset, onus huiusmodi ferre diutius nequiuerunt, quin residui in fugam verterentur. Sed licet tam malè eis contigerit, prius in eos probissimè vlti sunt. Nam ex eis quamplures occiderunt, & de campo semel eiectos, tentoriis suis priuauerunt. Sed quia Dominus non permisit aliter fieri, à superatis superati sunt. Euasit autem *Rex* eos, gratia DEI, & nobiliores militiæ suæ aliquanti, qui cursu cito in vrbem *Ramulam* se intromiserunt. Non enim longius fugere potuerunt. *Rex* autem, nolens ibi se includi, & mallens alibi mori, quam illic viliter intercipi, accepto protinus consilio, committens se tam morti quam vitæ, foras exire visus est, quinque tamen collegis sibi adhibitis: quos diu tamen non habuit, quoniam ab aduersariis retenti sunt: cursu præpete montana fugiens petiit. Itaque eum Dominus de manu fortiorum eius, eripuit. Ille libenter *Arsuth* castrum suum tunc proficisceretur, si posset; sed inimicis obsistentibus illuc ire non potuit. Hii autem qui in arce Ramulensi remanserunt, post modum extra hostium exire non valuerunt. Quoniam à gente impia vndiq; obsessi, denique, proch dolor, ab eis sunt comprehensi: quorum quosdam viuos secum abduxerunt; quosdam verò gladiis peremerunt. Episcopus quidem, tunc ecclesia *Sancti Georgii* derelicta, oportunitate considerata, *Ioppen* furtiuè aufugit. Heu, quam probos milites, & proles ingenuos, ea tempestate perdidimus, tam in bello prius quàm in arce posterius! Occisus est *Stephanus Blesensis* Comes, vir prudens & nobilis: simulque *Stephanus* Comes *Burgundiæ*. Extorserunt se inde tunc tres milites, quorum vnus vicecomes erat Ioppitarum, qui plagis grauiter afflicti, cursu fugitiuo Hierusalem nocte sequenti equitauerunt. Qui cum vrbem essent ingressi, infortunium quod acciderat ciuibus propalauarunt: de Rege autem, siue viueret siue mortuus esset, nihil veri se scire dixerunt: vnde luctus ortus est non minimus statim. Ipse autem Rex,

Rom. 14. 8.

Rex, cum nocte sequenti pro timore hostium in montanis delituisset, die tertia cum vno tantum milite armigero eius de montanis egressus per deuia planorum desertorumque esuriens & sitiens, *Arsuth* est regressus. Vna quidem res illi tunc saluti fuit, quod paulo ante illinc recesserant quingenti milites hostiles, qui aliquandiu murum oppidi tanquam exploratores circumierant: Quos Rex non euasisset, si ab eis tunc visus esset. Intrante autem Arsuth Rege, gaudenter à suis susceptus est. Comedit & bibit, & tutatus obdormiuit: hoc enim desiderabat humanitas. Ipso die, ecce *Hugo de Tiberiade* veniens ciuitate, vnus de optimatibus Regis, qui iam confusione eius audita, solatiũ aliquod genti residuæ impendere desiderabat. Quo viso Rex, inde gauisus est valde: habebat enim secum octoginta milites, de quibus valde Rex egebat. Nec tamen, ducens illos apud se, ausus est *Ioppen* per terram adire, propter hostes viatoribus insidiantes: sed puppim vnam ascendens, per mare illuc nauigauit. Et cum portui applicuisset, cum magno gaudio susceptus est: quia, iuxta dictum illud, *mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus est:* Nunc autem, quem iam mortuum deplorauerant; viuum & sanum vident. Sequenti verò die *Hugo* prædictus, *Arsuth* egressus, *Ioppen* cum suis properauit: Cui Rex processit in adiutorium, ne in via ab hostibus impugnaretur. Cumque Ioppen peruenissent, consilio non prolongato, Regem monuit necessitas, vt mandaret illos ad se venire qui Hierusalem ierant, vt, congregatis illis, bellum iterum cum Sarracenis committeret. Dum autem meditaretur quem illuc legatum mitteret, vidit ibi quendam Syrum senem, hominem humilem, & habitu vilem, quem precibus tantum supplicauit quod legationem, tam pro DEI timore, quam pro Regis amore, portandam susciperet: Non enim audebat quispiam gradi per viam, propter hostiles insidias. Is autem, sumpta ex DEO audacia, nocte subopaca, ne ab impiis videretur, per inuia & aspera loca peruenit die tertio *Hierusalem*, fessus valde. Cumque rumorem tam desiderabilem ciuibus cunctis propalaret, & Regem viuum esse declararet, omnes Domino exsoluerunt dignas laudes. Nec fuit quidem mora longior: sed mox parati milites, vt reor, nonaginta, equos ascenderunt suos: cæteri quoque inhabitantes, quicunque vel equum vel iumentum habere potuit, cum equitibus equitauerunt. Sed quamuis voluntariè, tamen sic satis timidè, hostium quidem obsistentiam proposse vitantes, à parte *Arsuth* oppidi, suum iter egerunt. Et cum iuxta litus maris properè graderentur, occurrerunt eis gens nefanda Gẽtilium, qui sperauerunt eos illic omnino ad interitionem intercipere: quorum aliquibus oportuit iumenta sua ibi relinquere, & in maris vndas ad natandum se iactare: vt *dolor doloris medicina* fieret. Illo enim natatu, ab impiis eruti sunt; iumenta autem perdiderunt. Milites verò equos habentes agiles, bene se defendendo, *Ioppen* peruenerunt. *Rex* autem, eorum aduentu exhilaratus, & admodum vegetatus, haud longius negotium suum differri voluit; sed manè sequenti, militibus suis cum gente pedestri ordinatis, contra inimicos suos bellaturus exiuit. Illi verò non longè à *Ioppe* tunc erant, sed quasi miliaribus tribus, vbi machinas suas parabant, vt indilatè Ioppen obsiderent, & petrariis murum diruerent. Sed cum Christianos contra se ad bellum venire expectaret, protinus armis sumptis, eos audacter exceperunt. Et quia multitudo magna erat, gentem nostram vndique girauerunt. Quibus sic inclusis, nil eis vlterius, nisi diuinum auxilium prodesse potuit. Sed in omnipotentia Domini prorsus confidentes, vbi turbam densiorem & fortiorem viderunt, impetu mutabili ferire non distulerunt. Qui cum in vna parte fortiter pugnando eos penetrassent, ilico alias eos recurrere necesse fuit: quoniam, vbi pedites nostros absque militum protectione videbant, illuc statim properantes, extimos occidebant; sed pedites tamen non ignaui, sagittarum pluuiam inuadentibus se tantam iaciebant, vt in visibus eorum, & peltis, multas infigi videretis. Itaque cum à peditibus sagittariis vehementer essent repulsi, & à lanceis militaribus nimis sauciati, & de tentoriis suis iam priuati, Domino auxiliante, Francorum obtutibus dorsa fugientes verterunt. Sed non sunt diu fatigati, quia fugantes erant pauci: Tentoria autem sua, Francis in campo relinquerunt; stipendium quoque totum: equos verò suos ferè cunctos secum reduxerunt; exceptis plagatis & in fuga siti extinctis: De camelis eorum, & asinis multos habuimus. Multi eorum, Domino gratias, cum fugerent, vel læsi vel siti exasperati, mortui sunt in via. Verè dignum & iustum, vt qui Ligno Dominicæ Crucis, quam tunc Rex in prælio deferri fecit, muniti erant, super inimicos eiusdem Cru-

A.D. 1102.

Luc. 15.

XXVIII.

A.D. 1102. cis victores existerent. Quod si in anteriori bello ipsa crux similiter deferretur, non est hæsitandum, quod Dominus populo suo non propiciaretur, si tantum Rex sapienter cum gente sua ad pugnam exiret. Sed sunt nonnulli qui plus in virtute sua quã in Domino confidentes; & in sensu nimirum suo, habundantes, spreto etiam sapientum consilio, negotia sua facere inprudenter præsumunt, & inconsultè: vnde sæpe contingit detrimentum maximum ei non solum euenire, sed & multis aliis, stulti operis eius innocentibus. Vnde tunc DEVM plus solent inculpare, quàm stulticiam suam recognoscere: Qui cum stultè quid inchoat, rei exitum non considerat. (Prouerb. 21, 31.) *Equus paratus ad bellum; Dominus autem salutem tribuet.* Non semper iusti precatio exauditur à Domino, quantominus impii? Cur exaudietur, cum apud DEVM hoc non sit promeritus? aut quare inculpatur DEVS, cum stulto desiderium suum non implet? Nonne nouit ipse quid agendum sit in omnibus? Quidquid igitur citra spem videas geri, rebus quidem rectus ordo est, opinioni verò tuæ peruersa confusio. Sed non rerum merita, sed fortunæ spectat euentum stultus. Multotiens existimat homo etiam id esse sibi nociuum, quod indilatè, Domino prouidente, vertitur ad proficuum: & contingit eos cum alicui benè succedit, paulo post eidem euenire quod multum officit. Expleto bello, vt dictum est, in quo rex victor existit, collectis tentoriis *Ioppen* reuersus est. Postea quieuit terra bellorum inmunis, tempore sequenti autumpnali atque hyemali.

XXIX. A.D. 1103. *Anno millesimo centesimo tertio*, verno tempore, cum sanctum Pascha ex more in Hierusalem celebrassemus, vrbem *Achon*, Rex cum exercitulo suo aggressus, obsedit. Sed quia muro & ante murali fortis erat valde, nec vi, nec ingenio potuit eam comprehendere: tunc præsertim cùm Sarraceni probissimè intus se defenderent: Cùm autem segetes eorum totas, & virgulta ortosq; deuastasset Rex, *Ioppen* rediit. De domino *Buaumundo* rumor desiderabilis tunc diuulgatus est, quia DEO propitiante, de Turcorum custodia liberatus est. Ille enim, quomodo de captione pro redemptione exierat, per legatum suum mandando Regi notum fecit. Et qui *Antiochiæ* prius principatus fuerat, à ciuibus suis gaudenter susceptus, eam postea nobilitauit & possedit. *Laodiciam* insuper ciuitatem, quam *Tancredus* vi comprehenderat, & hominibus *Imperatoris* Constantinopolitani abstulerat, suscepit insuper Buaumundus, pro quo Tanccredo de terra sua competenter tribuit, & eum sibi gratanter pacificauit. *Balduino* autem Rege contra Sarracenos, more solito, certante, contingit eum die quodam in paucos eorum irruere: Et dum de interitione eorum iam certus gauderet animo, en Æthiops vnus, ponè Rupem delitens, callidè insidiatus est ei, vt interimeret: qui missili fortiter vibrato, prope cor Regem à dorso profundè vulnerauit, quo ictu pene vsque ad mortem læsus est. Sed cùm postea se medicare sollicitè studuisset, post incisionem etiam cicatricis vexatæ, tandem sospes effectus est.

XXX. A.D. 1104. *Anno millesimo centesimo quarto* incarnatione Dominicæ, transacta hyeme, cum in Hierusalem, verno florente Paschæ sollennia celebrata fuissent, congregata gente profectus est Rex *Achon*, & obsedit eam. Illuc quoque venerunt *Ianuenses* cum classe septuaginta nauium rostratarum. Et cum ciuitatem machinis & peruasionibus crebris, per viginti dies vndique cohibuissent, Sarraceni valde perterriti, vellent nollent, Regi eam reddiderunt. Erat autem nobis valde necessaria, quoniam inest ei portus adeo vtilis, vt intra mœnia secura naues quamplurimas sane concipere valeat. *Iam nouies orto gemino sub sidere Phœbo, Vrbs Achon capitur, Ptolomaidaque vocitatur. Anno milleno centeno necne quaterno. Non est vrbi Acharon quam quilibet æstimat Achon: Illa Philistea, Ptolomaida dicitur ista.* Qua vrbe sic capta de Sarracenis plures occiderunt, quosdam viuere permiserunt. Æstiuo deinde tempore euoluto, necessitate *Buaumundus* nimia constrictus, raro nauigio transfretauit in Apuliam. Qui Antiochiam terram suam, *Tancredo* commisit, ducens secum *Daibertum*, qui Patriarcha Hierosolimorum fuerat. Vir prudens & consilio pollens iuit Buaumundus, vt de transmontanis partibus gentem secum reduceret: iuit Daibertus vt causam suam & iniuriam sibi à rege factam Romano Papæ innotesceret: Iuit, & impetrauit; sed non rediit, quia in via obiit.

XXXI. A.D. 1105. *Anno millesimo centesimo quinto*, mortuus est *Raymondus* comes & emeritus miles, in oppido suo, ante vrbem Tripolim, secundo Kalend. Martii, cui successit *Guillermus Iordanis* nepos eius. Ea tempestate Sarracenorum & Turcorum proteruia solita non defuit, cum deinde mense Aprilis, Rex Kalipti, *Radoam* nomine, de regione sibi confinii exercitum adunauerit non minimum, & contra Tancredum, Antiochiæ tunc

tunc primatem, cornu suum ad præliandum nimis acutum, extulerit. *Tancredus* autem non in gente multa, sed in Domino spei suæ figens anchoram, aciebus suis bene compositis, contra hostes illos incunctanter equitauit; & ne longius morer, audacter in eos irruit: & Domino suffragante; illi protinus pauore concussi, dorsum fugæ dederunt: fugerunt, & fugati sunt: Qui fugere non potuit, nec mortẽ euasit. De interemptis, non fuit numerus. De equis eorum plures habuit Tancredus: vexillum quoque Regis fugitiui retinuit. Cornu suo sic quassato, mutilatus abiit. Glorificatus est igitur DEVS, qui suis sic subuenit fidelibus. De Antiochenis hoc tantillum diximus: nunc autem de *Hierosolimitis* non taceamus. Referendum est enim quomodo *Rex Babilonis*, ipso anno, gentem coadunauerit multam; quam Ascaloniam misit per militiæ suæ ducem, ad præliandum contra Christianismum, arbitrans vt moliens nos omnes penitus de Terra sancta exterminaret. Didicerant enim nos esse paucissimos, & sine Peregrinorum succursu solitorum. Conglobati sunt ergo apud *Aschalonem*, tam Arabes equites, quàm Æthiopes pedites: cum quibus fuerunt Turci Damasceni ferè mille; qui sagittarii erant probissimi. Quod cum Regi esset intimatum, congregata ilico gente sua, bellum apud *Ioppen* expectauit. Et quia necessitas hoc monebat, non remanebat in ciuitatibus nostris qui arma ferre posset, quin ad bellum pergeret: nisi tamen qui muros nocte custodirent. Timor & tremor tunc super nos venerunt, metuentes aut de ciuitatibus nostris aliquem caperent, gente vacuatam; aut regem cum popello suo, in bello perimerent. Augustus erat mensis: Callebant quidem ab vtraque parte, præliari differentes: quia nec nos illos, nec illi nos impetebant. Termino autem, vt opinor, diuinitus disposito promouit se gens nepharia ab Aschalone, & ceperunt partibus nostris approximare. Quo comperto egressus est *Rex* Ioppen, & equitauit vsque *Ramulam* ciuitatem. Et quia bonum erat nostros omnimodè Domino adhærere, & in eo certam spem ponere, inspirato ab ipso Domino consilio, misit Rex Hierusalem nuntium suum festinum ad Patriarcham & clerum atque plebiculam, vt obnixè omnipotentis DEI misericordiam exorarent, vt Christianis suis in angustia magna positis, opem dare de excelsis dignaretur: Noluit legatus ille quicquam mercedis accipere rogatus, quia timebat ab aduersariis in via perimi: Sed melius meditans, elegit quandoq; à Domino sibi mercedem laboris sui recompensari: commendansq; corpus & animam in manus Domini, Hierusalem properè equitauit: Quo ciuitatem ingresso, quod opus quærebat, statim protulit. Quo manifestato iussit *Patriarcha* maiorem campanam sonari, & gentem ante se totam adunari. *O fratres*, inquit *amici & serui DEI, ecce verè bellum quod audieratis futurum: nam, referente hoc nuntio, certissimè nobis est paratum: Et quia sine DEI auxilio, nullatenus genti tanta obsistere poterimus, clementiam igitur ipsius omnes implorate, vt regi nostro Balduino, & suis omnibus, clemens & propitius in hoc prælio imminente, dignetur adesse. Distulit quidem bellum hodie fieri, sicut per hunc breuigerum nobis mandauit, vt cras scilicet die Dominica, quâ surrexit CHRISTVS à mortuis, securus prælietur: cum etiam orationibus & elemosynis apud DEVM roboratus erit, in quibus satis confidit. Quapropter, iuxta dictum Apostoli, hac nocte vigilate, & in fide state, & vestra fiant in charitate: Crasq; ibitis per loca in hac vrbe sancta, affligentes & humiliantes vos, pedibus nudatis: & Dominum DEVM suppliciter exorantes, vt de manibus inimicorum suorum nos liberet. Ego quidem ibo ad prælium illud, iam iam à vobis discedens: rogoq; vt si quis ex vobis hic residuis arma ferre valet, mecum illuc veniat: Rex enim hominibus eget:* Sed quid plus morer? conscenderunt in equos, fueruntque simul centum quinquaginta, tam equites quàm pedites: & sic nocte imminente, celeriter perrexerunt, & diluculo *Ramulam* ciuitatem peruenerunt. Hii autem qui in Hierusalem remanserunt, orationibus & eleemosinis afflictionibusque studiosissimè vacauerunt; vsque horam meridianam ecclesias visere non cessauerunt; cantando plorabant, plorando cantabant, hoc in processione faciebant. Ego quidem cum ipsis, nudipedes orabam. Maiores etiam natu, vsque horam nonam die illo non comederunt; nec infantes matrum vbera sucxerunt, donec fame vexati plorauerunt. Eleemosinæ quidem egenis vbertim impartitæ sunt: hæc enim sunt opera quibus DEVS placatur, quibus ad salutem excitatur; quibusque conuersus non reliquit post se benedictionem. Cumque Ramulam, vt dictum est, *Patriarcha* peruenisset, & aurora postera stellas cepisset depellere micantes, gauisi sunt in aduentu suo; & excitati omnes cucurrerunt ad presbyteros, vt peccata sua Deo & eis confiterentur; ad Patriarcham similiter, volentes verbum aliquid au-

A.D. 1105.

XXXII.

1. Cor. 16, 13, 14.

A. D. [illegible] 1105.

sire ab eo, & à peccatis suis absolui. Hoc facto, veste pontifical[illegible] indutus, Crucem Dominicam, quæ in cunctis negotiis deferri sol[illegible] sumpsit: & ordinatis, vt decuit, cæteris de militibus & peditibus [illegible] tum hostilem progressi sunt. Erant milites nostri, vt fertur, quin[illegible] ptis qui equitabant, qui nomine militari non fungebantur; pe[illegible] non plus quam duo milia æstimabantur. Gens autem aduers[illegible] lia tam de equitibus quam peditibus computabantur: qui nocte illa [illegible] quam quatuor miliariis ab vrbe Rmaulam, hospitati fuerant. C[illegible] perspexissent cōtra se equitare cum suis, confestim more suo ad pr[illegible] rauerunt. Attamen versutia eorum aliquantulum tunc cassata est, [illegible] nam, sed minorem, de gente sua ante *Ramulam* mitti disposuerant, v[illegible] nostrum aliquatenus fallerent; maiorem verò partem, *Ioppen*, vt eam [illegible] nobis nescientibus caperet. Sed cum Regem aduersus eos sic euntem [illegible] simul reglobati sunt, molimine suo confuso. Nec mora longior, alii a[illegible] tierunt. *Tunc clipei resonant, & ferri stridit acumen.* factoque vtrimque impe[illegible] mauerunt omnes nostri, contra Paganos: CHRISTVS *viuit*, CHRIST[illegible] CHRISTVS *imperat:* sicut iussum eis fuerat. Illi autem nos circumuall[illegible] quassare & contundere penitus putauerunt. Turci enim nouissimam [illegible] nostram retrogirantes; & sagittarum pluuia plagantes, iam arcuum offic[illegible] ferant, iam vaginis enses extraxerant, quibus nostros cominus ferie[illegible] Rex hoc comperto audacitate minuitur, vexillum suum album, de m[illegible] dam militis sui arripuit, & cum paucis suis celeriter illic currens, illi[illegible] succurrere sategit. Qui cum statim, DEO iuuante, impetendo Turcos [illegible] do dispersisset, ad maiorem multitudinem Sarracenorum & Æthiopum [illegible] est. Sed nec in impetibus nec in percussionibus vtrorumque amplius [illegible] bor: quia volo artare paginam limite parciore. DEVS enim omnipote[illegible] rum suorum nusquam immemor, noluit Christianos suos à perfidis illis [illegible] quia pro eius amore & nomine ampliando, de longinquis partibus Hieru[illegible] sitatum venerant: dederunt illi fugam repentinam, nec cessauerunt fuger[illegible] Aschalonem. O si capi posset *Semelmuc* dux ipsius militiæ, multa nummi[illegible] redemptionem sui, Regi Balduino solueret. Sed non effugit *Gemelmuch* [illegible] tus Aschaloniæ, vir locuples & prudentissimus: quo occiso desolat[illegible] bus non minima fuit. Alterum Admiratum olim Aconitam, viuum [illegible] quem Rex fecit redimi viginti milibus nummismatum, præter equos [illegible] Æthiopes verò quoniam fugere nequiuerunt, in campis trucidati sunt. [illegible] milia tam de equitibus quàm peditibus interfecti fuisse referuntur: [illegible] verò, sexaginta. Tentoria nobis remanserunt: Iumenta, & asinos, camel[illegible] medas multos ibi perdiderunt. Tunc DEVS ab omnibus nobis laudat[illegible] catus est, in quo virtutem fecimus, qui etiam ad nihilū reduxit inim[illegible]

Psal. 82. n.
Psal. 1. 4. 82.
14. 2. 5.

O mira Diuini iudicii ordinatio! Ecce qui dicebant: *Eamus & Christian[illegible] occidamus, & possidebimus Sanctuarium DEI. Sed non sic impii, non sic: quia [illegible] tam, & sicut stipulam, ante faciem venti: in ira sua vos conturbauit.* Ipsi etiam [illegible] rauerant, nunquam propter Francos fugere: sed tandem effugium [illegible] lus eorum. Regressus est autem Rex *Ioppen*, cum gaudio: vbi prædam [illegible] ptam militibus & peditibus suis sub ratiocinio distribuit. Adhuc erat [illegible] Ioppen classis Sarracenorum, qui iam aliquandiu illic expectauerant, [illegible] entes quomodo & quando tam per mare quàm per terram nos omne[illegible] bes maritimas omnino destrueret: sed cum Rex per nautas suos, caput [illegible] Admirati in bello decollati, in vnam de nauibus eorum iactari fecisset, [illegible] valde hoc viso, & exterriti, diutius ibi stare noluerunt: sed gentis su[illegible] comperta, paululum tunc Austro flante, in portus Tyri & Sydonis [illegible] Quæ classis cùm deinde Babiloniam reuerteretur, spiritu procellarum [illegible] tia nobis satisfaciente partibus nostris, sparsim naufragio miserabil[illegible] sunt. De quibus, viginti quinque naues, Sarracenis plenas habui[illegible] velificantes, vix euaserunt. Adiutor ergo pius in tribulationibus, [illegible] nobis Dominus potentiam suam. Ergo diem belli volo vobis [illegible] *[illegible] Phœbo sub Virginis astra. Cum solida terras spectaret imagine Luna, [illegible] [illegible] Annuit Omnipotens Francos gaudere triumpho. [illegible] Arabes [illegible] montana petit, remanet [illegible]*

quidem ne vel scriptorum negligentia vel imperitia, vel quod rari forsitan erant, vel suis impediti curis insudabant, hæc gesta obliuioni non scripta darentur, malui ego *Fulcherius*, scientia rudis, ingenio debilis, temeritatis næuo notari, quàm hæc DEI opera non propalari: secundùm quod oculis meis vidi, vel à relatoribus veridicis perscrutans, diligenter didici: Et quoniã à me solo, hæc omnia visu & intuitu non possent comprehendi: stilo inusitato, sed tamen veraci congesta, successoribus pio affectu reliqui. Precor autem legentem vt inscientiæ meæ charitatiuè indulgeat; & dictamen nondum à quolibet oratore correctum, locatim si velit corrigat: Verumptamen historiæ seriem, propter pulchritudinem partium pompaticam, non commutet: ne gestorum rei veritatem, mendaciter confundat. Hiis autem gestis quæ narraui superius, anno ipso declinante, sensimus omnes *terræmotum* magnum, qui Hierusalem ineramus, quod in vigilia Dominicæ natiuitatis valde nos terruit. *Anno* deinde *millesimo centesimo sexto*, vidimus nihilominus *Cometam* in æthere apparentem: nos illum suspicientes perculsit; qui in ea parte qua Sol hiemali tempore occumbere solet, splendoris alburni radium, ad instar telæ lineæ, in longum mirificè produxit. Hoc signum in mense Februario rutilare incipiens; die quo Lunam pronunciabamus primam, futurorum præsagium nunciabat. Sed quia nihil inde augurari præsumpsimus; quod designabat totum Domino commisimus. Quinquaginta diebus, eo amplius, vespere quotidiano, cometa ille, per totum mundum visus est: Notandum autem quia à principio ortus sui tam ipse cometa, quam eius splendor niueus de die in diem, paulatim attenuatus est, adeo vt in diebus vltimis virtus sui luminis iam perdens, parêre omnino cessaret. Indilatè autem, mense in eodem, die videlicet quo Lunam computauimus vicesimam, vidimus in celo ab hora tertia, vsque meridianam, ad dexteram & læuam Solis partem, quasi duos alios Soles: nec tamen tantum sicut maior fulgentes, sed forma & lumine rariore mediocriter rutilantes. In quorum giro circulus insuper vnus apparuit candidus, extans amplitudine tamquam quæuis ciuitas: intra quem alter circulus clarebat dimidius, qui erat Iri similis, quadruplici colore distinctus, & in parte Solis superiore, amplexione arcuata, vsque ad duos Soles iam dictos attingens. Deinde sequenti mense, horâ noctis mediæ, stellæ cœli visæ sunt pluere. Postea *Hugo*, qui Tyberiadem vrbem tunc possidebat, æstiuo tempore aduersum militiam Damascenorum hostilem bellauit. Qui cum bis in ipso prælio iam ab eis repulsatus esset, tertio belli recursu, Domino suffragante, victor victos eos superauit. Ducentos quidem ex eis occidit, totidemq; de equis eorum retinuit; reliqui verò terga fugæ dederunt. Mirum dictu: sexies viginti, quadragies centum disperserunt. Sed deinceps mora non fuit: expeditione facta in terra eadem cum Rege Balduino, ictu sagittæ *Hugo* interiit. *Anno millesimo centesimo septimo*, transfretauit Hierosolimorum Patriarcha, *Ebremarus* nomine, Romam petens. Quæsiturus enim erat ab Apostolico vtrum Patriarcha remaneret. Nam *Daibertus* iam superius dictus, Patriarchatum recuperauerat; sed in reditu postmodum obierat. Mense demum Nouembri, eodem anno cum in sæuitiam solitam *Aschalonitæ* efferuerent, ad radicem montanorũ nostrorum, inter Ramulam & Hierusalem, posuerunt insidias: vt vnam gentis nostræ cateruam, quam de Ioppe Hierusalem tunc ituram didicerant, occursu repentino perimerent. Sed hoc *Ioppitis* intimato, mox impigri conscenderunt in equos. Et cum ad locum insidiarum, ductore nuntio rei, peruenerunt, adhuc an verum dixisset dubitantes; visis illis exterriti valde timuerunt: Erant enim milites quingenti, & pedites propemodum mille; Nostri verò, milites non plus quàm septuaginta quinque. Quibus etiam cum non liceret cogitare quid facerent, & nõ erat saluatio eis si pugnam committerent, gratius elegerunt honorificè si contingeret mori; quàm fugæ infamiâ posthæc notari. Impetu igitur tunc momentaneo, quasi nihil præter DEVM metuentes, mirum in modum penetrauerunt aciem hostilem, prosternendo eos, & occidendo; & per eos transeundo, & per eos reuertendo. Quo in certamine cùm acrius Sarraceni se proteri cernerent, audacitatem suam, DEO volente, omnino perdentes, bellare cessauerunt. Quod cum comperissent milites nostri, potentius eos peruaserunt: & quos fugere putauerunt, illi eos fugere compulerunt: de quibus plures occiderunt; & de equis eorũ plurimos retinuerunt. De militibus verò nostris, non plus quàm tres ibi perdidimus. Sed clientela

A.D. 1105.

XXXIII. A.D. 1106.

XXXIV. A.D. 1107.

A.D. 1107. eorum de iumentis nostris aliquot abduxerunt; de suis n[illegible]
cauerunt. Anno autem eodem, postquam *Buamund[illegible]*
est, congregata gente quantamcunque potuit, in portu [illegible]
pulia, classem suam parauit. Qui cum tempus ad transfretandum
portunum, septimo Idus Octobris naues ingressi, *Bulgariam*
lonis portui applicuerunt. Et Aualone vrbe illa citissime accepta,
tem obsederunt, tertio Idus Nouembris. Sed quia ciuitas illa
stipendiis satis erat munita, obsessores diu fatigauit. habebat qui
quinque milia militum, & sexaginta milia peditũ: feminam
cum transfretare permisit, ne exercitantibus impedimento
quidem *Imperator* Constantinopolitanus genti nostræ tunc
Hierosolimam peregrinantibus, vel fraude clandestina, vel viol[illegible]
tam per terram quàm per mare, perturbator & tyrannus: quapro[illegible]
dus collecto, vt dictum est, exercitu, terram illius intrauit, ciuitates
prehendere nitens.

XXXV. A.D. 1108. *Anno millesimo centesimo octauo*, cùm iam [illegible]
num ante Duratium sedisset *Buamundus*, nihil perficiens; sed tamen
tra Imperatorem, *Imperator* quoque contra eum, insidias & detrimenta
moliretur: tandem per internuntios pace prolocuta, cùm etiam Imp[illegible]
cum exercitu suo approximasset, amici adinuicem, conuentionibus
sunt. Iurauit enim Buamundo super reliquias preciosissimas, Pe[illegible]
bus iam sæpe fatum est, in terra & in mari, quanto latius imperium
tur, ab illo die & deinceps se saluaturum, & honoraturum: ne quis eorum
peretur, vel malè tractaretur: Ille quoque contra iurauit Imperatori
delitatem omnimodè tenendam: qui postmodum, occasione accepta,
Apuliam, partem exercitus sui minorem secum ducens: pars enim maior
vt vouerant, per mare profecti sunt. Anno ipso obiit *Philippus* Re[illegible]

XXXVI. A.D. 1109. *Anno* autem ab *incarnatione Dominica millesimo centesimo nono*, & ab H[illegible]
capta vndecimo, venit *Bertrannus* Raymondi comitis filius, de *Prouincia*
tur *Sancti Egidii*, adhibitis sibi *Ianuensibus* cum classe sua, scilicet nauibus
septuaginta exceptis aliis ferè viginti; & applicuerunt vrbi, quæ *Tr[illegible]*
quam ipse Bertrannus adiebat, volens eam expugnare, & sub patris
reditario propriam possidere. Quam cùm obsidione cinxissent, orta
stim inter *Bertrannum* & *Guillermum Iordanum* cognatum suum, qui eam
pugnauerat ab vsque Raymondi comitis excessu, & versabatur in oppi[illegible]
proximo, quod *Mons Peregrinus* nuncupatur, parum in primis profue[illegible]
circo lis orta est illa, quia ille à dono patris sui, qui terram ipsam primi[illegible]
erat, eam obtinere debebat, vt affirmabat: hic autem, quia strenuè ar[illegible]
texerat & amplificauerat, iustius possidere obiiciebat. Et quia, *sub i[illegible]*
gna de statu suo labuntur; & contra minima, in concordia exuberant: tum Gui[illegible]
quantulum de negotio illo, maliuolentiæ causa, se retrahebat; Bertr[illegible]
cum suis, vrbem viriliter cohibebat: Hic nollet illum aliquid posse pr[illegible]
quoque nollet hunc [illegible]m viuere: Certant pro incertis, & sunt in[illegible]
Contendunt pro momentaneis, & non laborant pro æternis: Curr[illegible]
prehendunt forsan: Remanebit igitur ibi brauium in biuio. *Non est [illegible]*
currentis; sed est DEI *miserentis.* Nec dum ceperant vrbem, & iam de[illegible]
gabant. Ad nutum autem DEI momenta transuolant, & cogitationes
vanæ subuertuntur. Et non fuit mora: postquam Rex Hierosolimorum
ad obsidionem illam venit, causa deprecandi Ianuenses vt eum iuuarent
ad capiendum Aschalonem atque Berutum, nec non Sydonem; [illegible]
concordiam fieri de duobus Comitibus memoratis: nescio quo [illegible]
noctu equitabat, ictu sagittæ paruæ clandestino, interiit *Guillermus* [illegible]
Mirantur inde omnes, ignorant qui hoc fecisset; sciscitantur, scire
Hii dolent, alii gaudent: Alii lugent amicum; alii lætantur propter [illegible]
micum. Nunquam etiam se diligerent, qui ambo terræ illi prin[illegible]
De mortuo nihil plus. Remansit *Bertrannus*, regis Baldwini homo [illegible]
Tunc coercuerunt vndique vrbem: laborant externi, vexantur intr[illegible]
Saraceni valde coangustarentur, & nulla iam spes eis esset [illegible]
conuentio iurata & à Rege confirmata: Ne occiderentur, sed [illegible]
corporum [illegible] abirent: post iusiurandum inde factum, [illegible]

Rom. 9, 16.

hostros vltro in vnam vrbis partem ingredi. Quo dum ita fit, nescio quo euentu ortus est repentinus ilico tumultus inter minores Ianuensium: & per scalas & cordas murum tunc conscenderunt, & vrbem introierunt. Et qui Sarracenus tunc ibi est inuentus, nihil peius habuit cum caput perdidit. Et quamuis principibus clam hoc gestum fuisset, capita ibi sic perdita non sunt posthæc restituta. Qui autem in circo Regis sunt, iuxta pactionem liberati sunt. *Ter decies cancro dederat iam lumina Phœbus, Si tria de numero tamen excutiendo recidas. Vrbem cum Tripolim capiunt gens bellica per vim.* *Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo decimo*, dum mensis Februus adhuc imbribus hybernis terras cohiberet, profectus est *Balduinus* Rex *Beritum* ciuitatem, obsessurus eam. Venit autem ei in auxilium *Bertrannus* Tripolitanus comes: & consedit exercitus eorum ad primum ab vrbe lapidem. Cumque per septuaginta quinque, vt opinor, dies ciuitatem vndique coartassent, & naues quæ ad subsidium eorum illuc confluxerant, naues nostræ in portu conclusissent, turribus ligneis tum muro admotis, de illis ausu magno Franci nostri, nudatis ensibus, super murum prosilierunt. Descendentes itaque in ciuitatem, & per portas etiam multi ingressi, hostes fugientes vehementer impugnantes, denique peremptos superauerunt, eorumque pecuniam totam diripuerunt. *Anno milleno centeno bis quoque quino, Vrbem Beritum virtus capit armipotentum. Bis decies ortus sub Tauri sydere Phœbus: Terque quaterni fuit, cum factum contigit istud.* Cumque gesta fuissent hæc, rediit Rex Hierusalem, DEO laudes acturus per quem honorificè, vt dictum est, triumphauerat. Quibus peractis laudibus, protinus præparauit se iturum contra Turcos qui *Ædessam* vrbem Mesopotamiæ, iam obsidebant: dompnusque *Gibelinus* Patriarcha cum eo. Tunc per noctes quidem aliquot, vidimus *Cometam* vnum ab Aquilone ad Austrum radium protendentem suum. *Tancredus* etiam tunc adunauit gentem suam Antiochenam, & de regione tota quam possidebat, quamcumque potuit: expectato iam rege per dies aliquot, congregati sunt simul ante fluuium *Eufratem.* Quo transito, inuenerunt statim Turcos quos appetebant, qui per regionem illam cateruatim discurrentes, Francorum expectabant aduentum. Sed quod sciebant esse probissimos bellatores, & mirabiles de lanceis percussores, non sunt ausi cum eis bellum committere; sed fugitiua calliditate ab eis diuertentes, nec bellare audebant; nec de regione illa secedere in terram suam volebant. Et cum fallacia tædiosa, per dies aliquot nolentes præliari, nostros fatigare studuissent, sumpto vtilitatis & necessitatis consilio, muniuit Rex vrbem Ædessenam annonâ, quâ multum ciues egebant, quia vastauerant Turci totam regionem in circuitu, comprehensis castellis & colonis, quibus ciuitas ipsa pasci abundè solebat: non amplius morantes, ad fluuium præfatum redeuntes venerunt. Et cùm paulatim nauibus paucis & minimis transissent, affuerunt post eos Turci versipelles & rapaces, qui multos de peditibus nostris ibi arripuerunt, & in Persidem adduxerunt, videlicet, de Armenis inopibus, quos Turci cum reculis suis impiis vastauerant. Et quia impossibilitas erat flumen contra eos retransire, indè satis dolentes regressi sunt: deinde, *Tancredus* Antiochiam, Rex quoque Hierusalem. Applicuerat interim *Ioppe* gens quædam, *Norrensis* dicta, quam de mari Occiduo concitauerat DEVS, vt irent Hierusalem: & erat classis eorum sexaginta nauium. Horum Maior erat iuuenis quidam, forma quidem speciosus valde, Regis terræ illius germanus. Cumque Rex Hierusalem regressus fuisset, horum aduentu gauisus, locutus est cum eis amicabiliter, monens eos & deprecans vt pro amore DEI mercarentur in terra, quam adierant, aliquantulum, & iuuarent eum Christianismum amplius prouehendum: vt expleto vtcumque negotio CHRISTI, cùm postea in terram suam repatriarent, gratias DEO magnificas redderent. Cuius petitionem illi benignè suscipientes, non pro alia causa eos in Terram Sanctam venisse responderunt: sed quocumque cum exercitu suo progredi vellet, simul proficisci voluntariè marino itinere spoponderunt, tantum vt victum necessarium eis impendere curaret. hinc concessum est; illinc peractum. Et cùm primitus Aschalonem adire disposuissent, tamen demum laudatiori sumpto consilio

A.D. 1109.
XXXVI. A.D. 1110.

NN

A.D. 1110. *Sydonem* ciuitatem obsessuri appetierunt. De Ptolomaida, quæ nunc frequentius *Achon* dicitur, mouit Rex exercitum suum; *Norrenses* autem de *Ioppito* portu parati processerunt. Tunc classis *Admirati Babiloniensis* in *Tyrio* portu latitabat: quia Sarraceni, ritu piratico, Christianis, nostris scilicet Peregrinis, persæpe oberant; & ciuitates maritimas, quas adhuc Rex Babiloniensis possidebat, multimodè communientes, vegetabant. Cùm autem de Norrensibus murmurari audissent, nequaquam tum temporis de Tyrio portu egredi præsumpserunt: quia cum eis præliari non ausi sunt. Cumque venisset *Rex* ad Sydonem, obsedit eam à terra; *Norrenses* verò, à mari. Et factis machinis, terruit valdè internos hostes: ita vt quærerent à Rege qui soldarii essent, quatinus eos inde sanos exire permitteret; ac si placeret, agricolas ad excolendum terras, vtilitatis causa, in vrbe retineret. Hoc petierunt, & hoc acceperunt. Sine donatiuo itaque solidarii abierunt; ruricolæ verò sub conditione prædicta, pacificè remanserunt. 10

Iam decies nonies sol inserat Arci tenentem, Vrbem Sidonii cum reddunt mense Decembri.

XXXVII. A.D. 1111. *Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vndecimo*, ebulliit de Perside multitudo Turcorum maxima, & per Mesopotamiam meantes transierunt fluuium *Eufraten*; & obsederunt castrum quod *Turbexel* vocamus, morantes ibi vno mense ferè. Et cùm non possent illud comprehendere statim, quia forte situ est, tædio molestati dimiserunt obsidionem, in partes Alapiæ vrbis secedentes. Nam callidè agentes, moliebantur irritari *Tancredum*, vt contra eos exiret ad bellum: vt ab Antiochia elongatum aliquantulum, possent eum cum gente sua pauca intercipere, & omnino destruere. Sed Tancredus, astuciam astuciæ opponens, noluit per stultam audaciam confundere suam probitatem: sed misit Legatos suos ad *Balduinum* regem Hierosolimorum humillimè per eos deposcens, vt Christianismo succurrere, itinere celeri festinaret. Quo audito spopondit Rex auxilium petitum: Et terra sua commissa custodibus, properauit ad bellum, ducens secum *Bertrannum* comitem Tripolitanum. Qui cùm peruenissent vsque ad castellum vel villam, quam *Rugeam* nuncupant, ab altera quæ *Russa* dicitur quatuor milibus distantem: affuit ibi *Tancredus* cum gente sua, qui aduentum Regis iam per quinque dies expectauerat. Qui cum gaudio susceptus fuisset, posita sunt tentoria regis super flumen *Fenum*, hospitalitatem sumentes Hierosolimitani cum Antiochenis. Et non mora facta ibi, perrexerunt vsque *Aphamiam* vrbem, quæ iam sub Tancredo villicabatur probissimè, in præterito anno ab eo capta. Deinde versus Turcos progressi sunt, qui ante vrbem, quam dicunt *Silara*, castra metati erant. Quam vrbem Grammaticè nominare nescio, sed *Chezat* incolæ regionis eam vulgariter vocant, quæ ab Aphamia sex milibus distat. Turci autem, quia iam audierant Francos contra eos incedere, in virgultis & in clausuris ciuitatis ante fatæ, se inseruerant, vt facilius se tueri possent, si Francorum impetu fortè coercerentur. Verumptamen cum milites nostros appropinquare perspexissent, exierunt de munitione iam dicta; & monstrauerunt se genti nostræ: & non præsumpserunt bellare; & noluerunt fugere. Milites quoque nostri per cateruas ordinati, cùm viderent eos sparsim per campos amplos discurrere, & non ad bellandum eos, vt vellent, se aptare, vitantes dampnum, noluerunt eos impetere. Itaque tam metu quàm versutia, vtrique circumflexi, Turci inibi remanserunt: nostri quoque, tramite recidiuo, reuersi sunt: Et quoniam stipendium tam sibi quàm iumentis suis deficiebat, non diutius morari oportebat. Rediit Rex Hierusalem; *Tancredus* verò, Antiochiam. Nec mora fuit, apparatu accelerato aggressus est Rex *Tyrum* ciuitatem, quæ *Soor* Hæbraicè dicitur: & obsedit eam; quæ cùm eum per quatuor & eo amplius menses admodum vexasset, ipse etiam cum suis, labore & tædio valdè vexatus, tristis abscessit. Nam cùm duas turres quas artificiosè ligneas, muro vrbis altiores fieri iusserat, prope murum iam impegisset, vnde ciuitatem comprehendere conabatur, si DEVS hoc expleri permitteret: sentientes Sarraceni se morti iam proximos, nisi artem arte fallerent, ingenio ingenium opposuerunt, probitatem probitate fefellerunt. Cùm enim ab altitudine turrium nostrarum se superari penitus circumspexissent, festini egentes auxilii, nocturna 20 30 40 50

diurna operatione duas turres murales in sublime adeo extulerunt; vt de supernis propugnaculis earum, probissimè se defenderent; & in terras nostras inferiores focum iacerent, & deinde concremarent. Quo infortunio milites nostri superati, dolore quoque circumfulsi: rupto spei suæ fune, Rex Achon, vrbem suam, *Balduinus* regressus est. Verè verum est prouerbium istud Rusticanum, *Interdum buccam coclear frustratur apertam.* Iam gens nostra, ciuium rerum capturam inuicem distribuebant: Iam alii aliis proportionibus incertis inuidebant: Iam diem captionis, tamquam certum, sed tamen incertum, disponebant. *Equus paratus ad bellum,* ait Salomon, *Dominus autem salutem tribuet.* Confidunt homines interdum in virtute sua, & in pecuniis suis; & à Domino recedit cor eius: quem voce sæpe inuocant, & operibus negant. Sed etiamsi permitteret Dominus voluntates suas in talibus adimpleri; magis probitatem suam inde laudarent, quã misericordiæ Domini donum magnificarent. *Anno ab incarnatione Dominica millesimo centesimo duodecimo* Lethale debitum exsoluit *Tancredus*, qui Antiochenum regebat principatum. *Iam bis tredecies Sol viserat Arcitenentem, Cùm subiit quod erat, vt quod fuit id foret ipse.* Anno verò illo bellorum experti es fuimus. *Rotgerius* succeciit Tancredo. *Anno ab incarnatione Dominica millesimo centesimo decimotertio,* dum in mense Martio Lunã habebamus vicesimã octauam, vidimus solẽ à manè vsque ad primam, & eo amplius, defectione quadam ab vna parte minui. Et pars quæ primitus à summo tabescere incepit, tandem ac si in rotando, ad ima tendit. Verumptamen Sol claritatem suam non amisit, quia non minoratus est nisi, vt æstimo, à quinta parte formæ suæ, taliter aliquantulum corrutus. *Hoc eclypsis erat, quo Sol ita deficiebat.* Æstiuo deinde tempore congregati Turci transierunt *Eufraten* fluuium, Hierosolimorum partes adituri, & nos Christianos, vt rati sunt, destructuri: & regionem *Antiochenam* ad dexteram linquentes, & non longe ab vrbe *Aphamia*, Syriam transeuntes, & *Damascum* ad leuam dimittentes, & inter *Tyrum*, & *Cæsaream Philippi*, quæ *Paneas* dicitur, per regiones meantes *Feniceas*, calluerunt appetere regem Balduinum: qui aduentu eorum audito, ab Ptholomaida, id est Achon; moto exercitu suo, iam contra eos exierat. Prouidentes autem quod sibi vtilius esse senserunt; & nostris ignorantibus quid facere molirentur; circuerunt *mare Galilea* per terram Neptalim & terram Zabulon, vsque dum in fine maris iam dicti, ad Austrum, inter duo flumina se includerent. Insula autem hæc inter duos pontes, ita tuitione munitur, quod non possent impeti, propter introitus artos pontium prædictorum. Cumque Turci tentoria sua illic extendissent, emiserunt duo milia de suis, transito ponte, vt insidiarentur nostris, quos illuc adire indilatè non dubitabant. Igitur cùm Rex illuc tenderet, vt prope pontem memoratum, à quo Tyberiadem inceditur, ponerentur castra sua, visis Turcis ferè quingentis qui de insidiis inuadere nostros erumpebant, ilico aliquanti contra Turcos imprudenter cucurrerunt; & cædendo eos persecuti sunt vsque dum de insidiis duo milia prodierunt, qui nostros vehementi aggressu repulerunt, & triplicata cæde in fugam disperserunt. Proh dolor! grande dedecus, grandia peccata nostra die illo nobis contulerunt? fugit etiam Rex vexillo suo ibi perdito, tentorio quoque optimo cum rebus plurimis & vasis argenteis: *Patriarcha* similiter, qui aderat. Milites ibi perdidimus fermè triginta de melioribus; pedites verò mille ducentos. *Ter quater ex orto sub cancri sidere Phœbo, Dissipat incautos truciter gens perfida Francos.* Nondum regis militia illuc aduenerat tota: Nec princeps Antiochenus, *Rogerius* videlicet Richardi filius, ibi aderat qui mandatus, pro amore DEI & dilectione Regis illud ad negotium venerat: Pars quoque gentis Tripolitanæ, qui exercitui regio iam conglobati erant: vnde valde tristati sunt, & immodestiam Regis vituperauerunt; quia sine consilio eorum tam festinus, cùm paucis, inordinatè, aduersus aduersarios cucurrerat, licet suos Rex prohibuisset, non inconsultò impetere Turcos. Et quia tunc nequiuerunt nostri nocere in aliquo Turcis, hospitati sunt non longè ab eis, vt tota die vtrinque conspici posset exercitus vterque. *Maledoctus* vocabatur qui dux erat militiæ eorum, quique Regem Damasci, *Tuldequinum* nomine, in auxilium sibi conglutinauerat. Ille gentem innumeram adduxerat: iste verò de

Margin: A.D. IIII. — Prou. 21, 31. — XXXVIII. A.D. 1112. — XXXIX. A.D. 1113. — XL. — Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50

A.D. 1113. Siria sibi subdita congregauerat multam. In valle Turci erant; in monte Franci concedebant. Nec Turci audebant ab insula exire; nec Franci poterant eos assilire. Isti callent, illi timent: Isti callidi; illi prouidi. *Temporis æstiui feruor cohibebat vtrosque, Nec tamen angori poterant finem dare tanto.* Tunc absentes mirabantur, quid præsentes morabantur. Sarraceni nobis subditi, quasi alieni tunc recesserunt à nobis, nos coangustantes vndique. Turci etiam cateruatim ab exercitu suo prodeuntes, terram nostram vastabant: prædam & annonam exercitui suo per Sarracenos nostros mittebant. *Sychem* vrbem vel *Siccinam*, quam *Neapolim* dicimus, tam interim obtinuerunt, quàm diripuerunt, additis sibi Sarracenis quos in montanis possidebamus. *Aschalonitæ*, Arabes, & Sarraceni, gens tamen pauca, Hierusalem adierunt, die quadam, dum vsque antemuralem vrbem peruaserunt; messes collectas, igni incenderunt; sagittis suis aliquantis de nostris, in muri propugnaculis, vulnerauerunt. De illis similiter nostri aliquantos ad mortem læserunt. Pauci de nostris peditibus extra murum, contra eos exierunt. Nam iussum erat portas claudi, ne ciuibus egressis dampnum aliquatenus eis eueniret. Milites quidem deerant, qui in hostem ierant. Nocte sequenti, Luna oriente, hii hostes abierunt, vnde nostri valde lætati sunt, quoniam obsideri ab eis primitus putauerunt. Ea tempestate, aut vix aut nunquam valebat nuntius ad Regem, nec à Rege ad ciuitates nostras, propter hostiles insidias, transire: Ideoque nesciebatur ab iis, quid illi; nec ab hiis, quid facerent isti. *Ruribus in multis marcebat messis adulta*: nec erat qui colligeret. Eo quidem anno terræ frugum cultura, valde fuit abunda. Sed *dum Mare procellis turbatur, homines terret ne piscentur*. Cuncta cunctis in dubio pendebant, & quibus triumphum daturus esset DEVS, vnanimiter expectabant. Christiani à negotiis & operibus cessabant, excepto quod vrbium & munitionum fracturas resarciebant. Interea *terræmotum* persensimus vice dupplicata, videlicet decimoquinto Kalend. Augusti, & quinto Idus Augusti: primum, nocte media; secundum, hora diei tertia. Turci autem versipelles, cùm per duos menses oportunitatem vel dissipandi vel superandi nostros expectassent, nec potuissent: quia de transmarinis, vt mos est, Peregrinis eo tempore diatim exercitus noster crescebat: nec gens Antiochena recedens abibat, secesserunt in partes Damascenorum: & Rex *Balduinus* cum suis, statim reuersus est *Ptholomaidam*, vbi *Comitissam Siciliæ* repperit, quæ prius fuerat coniunx Rotgerii comitis, Roberti Guischardi, fratris; nunc autem futura vxor Regis Balduini. Nec mora postmodum apud Damascum interemptus est. *Maulidulfus* à quodam Sarraceno viriliter: qui sica sub veste occultata & ter in ventrem illius impacta, duplex ibi expleuit homicidium: illo enim occiso, confestim ab assistentibus occisus est. Dura victoria, qua victor statim vincitur. Verè sapienter loquutus est Philosophus ille qui dixit: "*Fortuna vitrea est, tum cum splendet frangitur.*" Erat quidem *Maudulfus* diues valde, & magnipotens, & inter Turcos nominatissimus, & in actibus suis astutissimus: sed voluntati DEI resistere non valuit. Permisit eum Dominus non aliquamdiu flagellare, qui postea voluit eum vili morte, & imbecilli manu suffocari.

XLI. A.D. 1114. *Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo decimoquarto*, multitudo *Locustarum* infinita ebulliuit, à parte Arabiæ aduolans in terram Hierosolimorum; quæ per dies aliquantos segetes nostras mense Aprili atque Maio, valde vastauerunt. Die deinde festo sancti martyris Laurentii, *terræmotus* factus est magnus. Tempore item sequenti, quod Idus accidit Nouembris, apud vrbem *Mamistriam* terræmotus factus est magnus, qui partem subuertit oppidi. Itaque maior & inauditus regionem *Antiochenam* terræmotus adeo per loca concussit, vt oppida quamplurima, siue tota siue dimidia, tam domos quàm muralia, solotenus subrueret, in qua ruina etiam pars plebis suffocatæ interiret. *Mariscum* dicunt oppidum peroptimum; quod ab Antiochia sexaginta, vt æstimo, distat miliariis, in parte Septemtrionali subuertit adeo motus ille, vt domos & muralia penitus corruerent; & populum inhabitantem, pro dolor! cunctum extingueret. Alium quoque castrum, quod *Trialeth* nuncupant, prope fluuium Eufratem, non minus subuertit.

XLII. A.D. 1115. *Anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo decimoquinto*, probitatem & audaciam solitam Turci remouentes, mense Iunio tacito satis aduentu,

fluuius

fluuius transito Eufrate, ingressi sunt Syriam, & castra metati sunt inter Antiochiam & Damascum, scilicet ante *Chezar* vrbem, vbi similiter in quarto ante anno stationem suam fecerunt, vt superius iam descriptum est. Comperiens autem & sciens *Doldequinus*, Rex Damascenorum, nihilominus se illis esse odiosum, quam nos Christianos, propter *Manduesum*, quem in præterito, vt superius legitur, dolosè consenserat perimi, qui satrapa & magister militiæ eorum fuerat: fecit cum Rege *Balduino* & *Rotgerio* principe Antiocheno pacem: vt vinctus cum hiis duobus tertius, funiculus triplex afficerentur, ne à Turcis postea facilè rumperentur. Metuebat enim quod si solus remaneret, ipse cum Regno suo penitus confunde-10 retur. Necessitate verò vrgente, & mandatione Antiochenorum monente, iuit Rex Balduinus ad prælium fere putatum. Sed cùm audissent eum Turci iam ad eos appropinquasse, quem Antiocheni & Damasceni per três ferè menses expectauerant, metuentes mortis suæ periculum: si contra tantam gentem bellarent, quamuis plures essent, abierunt retrò, tacito satis motu; & subierunt cauetas quasdam, non longè à nostris tamen. Et cùm hoc fecissent, rati sunt Rex & alii, quod penitùs à regionibus nostris abscessissent; & regressus est Rex vsque ad vrbem Tripolim. Dum autem hæc ita agerentur, scientes *Aschalonitæ* terram Hierosolimitanam militibus vacuam, accurrerunt subito vsque *Ioppen*, ciuitatem nostram; & apposuerunt ei obsidionem, tam per mare quam per ter-20 ram. Affuit ibi Babilonica classis, septuaginta fermè nauium, quarum aliæ triremes aut rostratæ & ad præliandum aptatæ, aliæ verò negociationis annona onustæ. Hii, à parte maris egressi, & alii à terra parati, dederunt assultum vrbi. Et cùm per scalas quas secum attulerant, murum conscendere temptarent, à ciuibus, licet paucis & ægritudine debilibus, vehementer repulsi sunt. Sed cùm viderent quod proficere, sicut rati sunt, non possent, præter portas vrbis quas igni combusserunt, timentes quod auxilium Ioppitis Hierosolimitani, quibus iam nuntiatum hoc fuerat, ferrent, reuersi sunt Aschalonem qui per terram venerant; qui verò per mare, Tyrum nauigauerunt. Post dies autem decem, reuersi sunt Aschalonitæ *Ioppen*, arbitrantes prouidi improuidos as-30 sultu repentino confundere. Sed Devs Omnipotens, qui eos primò, similiter secundò protexit & conseruauit. In defendendo etiam se, aliquantos ex illis occiderunt, & de equis eorum retinuerunt. Cùm fundibulis ceperunt vrbem cohibere; & scalis, vt prius temptauerant, introire, quas in nauiculis sex attulerant, qui per mare illic applicuerunt. Et cùm per sex horas diei se fatigassent, mœsti valdè cum mortuis suis abierunt. Turci autem superius memorati, cùm gentem nostram remeasse ad sua comperissent, regressi sunt ad priorem stationem suam, & discurrerunt per regionem Syriam, capientes castella quot potuerunt villasque, prædando patriam atque vastando; captiuos atque captiuas secum abducendo. Sed cùm hoc nunciatum esset Antiochenis, qui iam se re-40 traxerant, recidiuo tramite ad Turcos reuersi sunt. Et cùm appropinquassent ad eos, & tentoria eorum propius quàm putabant prospexissent, ordinauerunt statim acies suas, & descenderunt in plana signis explicatis contra eos, iuxta *Sarmith* oppidum. Quod cùm vidissent Turci, pars vna eorum ilico sagittaria obstitit. Sed Franci nostri animositate valida commoti, eligentes vel superare, si Devs concederet; vel superari, si permitteret, quam per vnumquemque annum taliter ab eis confunderentur; vbi turbam densiorem conspexerunt, mirificè eos impetierunt: Turci autem aliquantulum primitus renitentes, dein haud lentè percussoribus vel occidentibus terga verterunt. De quibus æstimati sunt tria milia occisi; Capti, multi. Et qui occidi noluerunt, fuga se liberauerunt. 50 Tabernacula eorum nostris remanserunt, in quibus pecunia multa, & vtensilia reperta sunt. Cuius pecuniæ prætium æstimatæ, trecenta Bisantiorum milia dicta sunt. Captiuos nostros ibi reliquerunt, tam Francos, quàm Syros; mulieres quoque suas, & ancillas, camelosque quamplurimos: milia mulorum percensita sunt, & equorum. Verè Devs mirabilia in cunctis mirabilibus suis: dum enim Hierosolimitani vnà cum Antiochenis Damascenisque, parati ad præliandum fuerunt, nihil omnino profuerunt. Nunquid in multitudine gentis constat belli victoria? Mementote Machabeorum, & Gedeonis, & aliorum plurimorum: qui non in sua, sed in Domini confidentes virtute, cum paucis

A. D. 1115.

A.D. 1115. multa milia prostrauerunt. *Hiis itaque descriptis, erit actio nota futuris. Tres abierant noctes, vt abiret virginis astrum. Cùm malè deceptrix Turcos fortuna fefellit. Omnibus vnde satis liquidò patet esse cauendum, Ante rei finem nihil nunquam credere certum. Finis enim pugna præter spem cedit vtrique.* Ipso anno iterum subuersa est vrbs terræmotu *Mamistria*, in qua pars oppidi vt dictum est, anno præterito corruerat casu simili: aliâs etiam in regione Antiochena non minus idem accidit. Anno eodem venit Episcopus quidam *Aurasiacensis* ciuitatis Hierosolimam *Berengarius* nomine, quem legatum illuc *Paschalis*, qui tunc Romæ Papa preerat, misit ad destituendum Hierosolimorũ Patriarcham & *Arnulphum*: quem, fama tumultuante, didicerat iniustè præfici, & tantam ecclesiam, obiectibus plerisque notatum, indignè possidere. *Vnde causa: inde fama.* Concilium conuocauit: in quo eum deposuit. Quapropter Romam adiit, & Patriarchatu recuperato, munitus pallio rediit. Eo anno profectus in Arabiam *Rex* ædificauit castrum vnum in monticulo quodam quod repperit situ forti à prisco: non longè à mari rubro, sed quasi trium dierum itinere; à Hierusalem verò, quatuor: & posuit in eo custodes qui patriæ ipsius dominarentur, ad vtilitatem Christianismi: quod castrum ob honorificentiam sui, *Regalem Montem* nominari constituit: quia paruo tempore, cum pauca gente, sed magna probitate illud ædificauerat.

XLIII. A.D. 1116. *Anno millesimo centesimo decimosexto*, cum de Hierusalem Rex castrum suum reuisere graderetur, cum ducentis ferè militibus, vsque *Mare Rubrum* iter eundo expediuit, vt & videret quæ non viderat; & fortuitu, aliquid boni in via quod desiderabat inueniret. Inuenerunt quidem *Helim* ciuitatem secus littus eiusdem maris, vbi populum Israeliticum, post maris transitum hospitatum legimus esse: quæ ab *Hierusalem*, septem dierum equitis itinere distat. De qua qui ibi versabantur piscatores, audito regis aduentu, egressi sunt; & intrantes nauiculas suas in mare illud se pauidi impegerunt. Cùm autem Rex & socii sui locum illum quamdiu libuit considerassent, reuersi sunt ad *Regalem Montem*, vnde illuc iuerant, deinde *Hierusalem*. Qui cùm expeditionem sic factam nobis enarrarent, delectabamur etiam tam in dictis, quàm in cocleis marinis, & lapillis quibusdam generis tenerrimi, quæ inde allata nobis monstrabantur: Ego ipse auido corde pleni ab ipsis rimabar, cuiusmodi mare erat: quia hucusque dubitaueram vtrum dulce, vel salsum esset; stagnum, vel lacus; mare aut intrans, aut exiens, vt mare Galileæ; siue meta finali concluderetur; vt *Mare Mortuum*, quod Iordanem recipit, sed postea non eum emittit: nam ab Austro, apud Segor ciuitatem Loth, finem facit. Hoc autem *Mare Rubrum* dictum eo quod illic saburra & lapilli rubri habeantur in fundo, vnde intuentibus rubrum apparet: quod tamen in vase quolibet haustum, cernitur, tanquam aliud mare, limpidum & album. Deriuatur autem à *Magno Mari*, scilicet *Oceano*, vt dicunt, à parte Austriali qui lingua eruptum, & vsque ad Helim iam dictam versus Septemtrionem protentum, faciens ibi finem non longè à monte Synai; sed quantum potest eques aliquis vno die proficisti. A Rubro verò Mari, vel ab Helim iam memorata vsque ad *Mare Magnum*, quo à Ioppe, vel Aschalone, siue Gaza, contra *Damiath*, pergitur, iter eundo quatuor dierum, vel quinque, æstimatione equitis, æstimant: quo inter hæc duo maria sinu, cingitur Ægiptus tota atque Numidia, nec non Æthiopia, quam *Geon* paradisi fluuius, qui & *Nilus*, circuit, vt in Bibliotheca legitur. Possum mirari, sed nunquam rimari, quomodo vel qualiter fluuius iste, qui de Paradiso cum tribus aliis legitur emanare; ortum suum videatur iterum recuperare, cum ab Orientali parte mare habeat Rubrum; & ab occasu, in quo incidit, Mare nostrum. Habet enim Mare Rubrum inter se & Orientem positum, vbi esse intelligimus Paradisum, ex quo egreditur. Quomodo ergo iterum Mare illud Rubrum resumit ortum suum, & quomodo transit idem mare, vel non transit, admiror. De *Eufrate* similiter addidicimus, quod in Armenia ortum suum habeat per Mesopotamiam, præterea transeat non longius ab vrbe Ædissena, nisi, vt opinor, viginti quatuor milibus. Quærat, qui vult; discat, qui valet. Nam hoc addiscere persæpe, à quamplurimis inquirendo, studui; sed qui hoc mihi insinuaret, nequaquam inuenire valui. Committo autem illi hoc ratiocinari, qui super celos aquas mirificè inesse statuit; quique eas à montibus & collibus conuallibusque hauriri facit; & per occultos meatus cuniculibus inundis vias multifidas eis præbuit; & in mare denique mirabiliter inducit & reducit. Igitur ad historiam reuertendum est. Exitu quidem anni appropinquante, molestia

lestia corporis ingruente, qua mori tunc Rex metuit, dimisit vxorem suam superius memoratam, *Siculorum* scilicet *Comitissam* nomine *Atlaidam* quam iniustè duxerat: eò quòd adhuc viuebat sua, quam apud Ædessam primitus rectè acceperat. Hoc anno in aliquibus locis, Italia terræ motu læsa est. *Anno* sequenti *millesimo centesimo decimoseptimo*, ab incarnatione Dominica, Regina memorata egressa est à portu Ptholomaide vrbis, die qua ritu ecclesiastico Lætania maior decantatur, & nauibus in comitatu suo Siciliam adiit. Deinde, Maio mense subsequente, aduolauerunt in terram Hierosolimitanam, *Locustarum* infinita multitudo, multo etiam amplius solito deuorantes tam vineas, quàm segetes, nec non arbores omnigenas: quas videretis accuratè, ad morem exercitus hominum, per vias, tamquam consilio prouido prolocutas, ordinatè progredi; & facta expeditione sua diurna, aliæ pedites, aliæ verò volantes, hospitiū sibi commune pariter eligebant: consumptis itaque herbis viridibus, & corrosis cum succo corticibus, tam bruci quàm locustæ cateruatim abierunt. O improbitas mortalium imperuersitate incessanter malignantium! Tot & tantis nos conditor & magister noster increpationibus tangit & præmonuit, signis territat, minis concitat, documentis edocet, flagellis coercet: & semper in iniquitatibus nostris persistentes, monita eius contemptui habemus, & præceptis eius superbè contradiximus. Quid mirum si Saraceni, vel iniqui domini auferunt terras nostras, cum nos in proximorum nostrorum agros manus extendimus rapaces? quos quidem aut aratri sulcatione fraudulenter excurtamus; aut circumuentionibus cupiditatis subripiendo, priuamus, & nostros maliciosè ex hiis augmentamus. Quid mirum si, DEO permittente, sata nostra, vel mures in terra iam ex germine radicata, dissipant; vel post in spicis iam adulta, locustæ deuorent, aut etiam in granariis vermibus quibuslibet, aut nidore calcino lædantur: cùm debitas DEO decimas, vel fraudulenter reddimus; vel omnino sacrilegè retinemus? Sequenti autem mense, qui Iunius erat, apparuit nobis aspicientibus eam in celum *Luna* post galli cantum prius tota rubea, nouissimè verò mutato rubore, nigredine fuscata, adeo vt vim luminis sui per duas penè horas perderet. Hoc siquidem contigit nocte, quæ cum die sua, tertia decima compoto legebatur. Quod si decimo quarto die illo esset, eclypsim nimirum eius esse intelligeremus: hoc autem modo, id pro signo accepimus. Ex hoc siquidem coniectabant diuinando quidam, rubore, sanguinem præliis fore fundendum; nigredine verò, significabant venturam famem. Nos autem sapientius hæc considerantes, dispositioni DEI & prudentiæ commendabamus, qui signa fore futura, & in Sole & in Luna; discipulis suis ante mundi finē veridicè dixit: Qui etiam terram, quando vult, tremere facit, & postea quiescere. Quod subsequitur; accidit in eodem mense, intempestæ noctis silentio, sexto Kalend. Iulii. Tunc ædificauit Rex prope vrbem Tyrum; inter quintum scilicet miliarium ab ea, castellum vocatum *Scandalium*, & *campum Leonis*, interpretatum: & resarciuit diruptа eius; & posuit in eo custodes, vt coercerent vrbem prædictam. Anno autem eodem, mense Decembri, nocte quinta post eclypsim Lunæ, quæ acciderat cum tertia decima pronunciabatur, vidimus omnes cælum, nocte illa incepta; in Septentrionali parte, vel ignei vel sanguinei coloris fulgore respersum: quod signū, signis mirificis plenum, suspicientes, vehementer admirati sumus. Nam per medium ruborem illum qui primitus paulatim excrescere cepit, videbamus alburni radios coloris, ab imo sursum, quam plures extolli, nunc ante, nunc retro, nunc in medio: in parte autem inferiori cælum parebat album, ac si aurora diei esset, quæ prope diem clarescere solet, cum Sol iam oriri debet. In fronte etiam signi huius, in ea videlicet parte, videbamus quendam alborem, quasi deberet Luna ibi oriri: vnde terra vndique & cetera prope nos posita, clarè candebant. Quod si matutino sic eueniret; verè diceremus omnes, quia clara dies est. Coniiciebamus ergo inde, vel sanguinem multum in bello fundēdum, aut aliquid aliud non minus præsagii minantis, fore futurum. Sed quod incertum habebamus, Domino DEO cuncti disponendum humillimè committebamus. Quod etiam portentum, ad defunctionem personarum quæ anno ipso obierunt, significantes aliquanti sortiti sunt. Subsequenter enim mortui sunt, *Paschalis* Papa, in mense Ianuario: *Balduinus* quoque, Hierosolimitarum Rex, in Aprili; nec non *vxor* eius in Sicilia, quam dereliquerat, obiit: Hierosolimorum etiam Patriarcha, *Arnulphus*: Imperator quoque Constantinopolitanus *Alexius*, & alii quam plures proceres in mundo.

A.D 1117. XLIV.

NN 4

A.D. 1118. XLIV.

Anno siquidem à partu virginis *millesimo centesimo decimo octauo*, cùm in exitu mensis Martii vrbem, quam *Pharamiam* nominant, *Balduinus* Rex hostiliter agressus, vastando diripuisset: die quadam cùm deambulabant fluuium quem Græci dicunt *Nilum*, Hæbrei autem *Geon*; oppido memorato proximum, cum aliquantis de suis lætus adisset; & de piscibus illic inuentis equestres lanceis suis cautè cepissent, & ad hospitia sua ad vrbem præfatam detulissent, & eis comedissent, sensim Rex intrinsecus se, angore plagæ suæ veteris grauissimè renouato, debilitari. Quo suis confestim intimato, pro infirmitate illius audita, cuncti proinde piè compatientes, contristati valde & conturbati sunt. Reditu autem statuto, cùm non posset Rex equitare, de papillonum perticis, lecticam ei apparauerunt, in qua eum collocauerunt; & præcone cornu signum dante, remeare Hierusalem edictum est. Cùm ad vsque villam quæ *Laria* dicitur peruenissent, infirmitate ingruente, & illum penitus consummante, defungitur. Et lotis tunc eius intestinis & salitis, atque in loculo conditis, *Hierosolimam* peruenerunt. Die siquidem, quo Palmarum Rami ex more deferri solent, ordinatione DEI & euentu inopinabili, ad processionem, quæ de Monte Olucti ad vallem Iosaphat tunc descendebat, caterua lugubris & dolentis funeris latrix, aduenit: quo viso & sicut erat cognito, pro cantu plaudum, pro lætitia gemitum, cuncti qui aderant dederunt. Plorant Franci, lugent Syri, & qui hoc videbant Sarraceni. Quis enim se continere posset qui non ibi piè fleret? Igitur tunc ad vrbem redeuntes, tam clerus quam populus, fecerunt quod dolori conuenit & consuetudini. Et sepelierunt eum in Golgatha iuxta ducem Godefridum suum germanum. *Cùm Rex iste ruit, Francorum gens pia fleuit, Cuius erat scutum, robur & auxiliū. Nam fuit arma suis, timor hostibus, hostis & illis, Dux validus patriæ consimilis Iosue. Achon, Cæsaream, Berutum, nec ne Sydonem, Abstulit infandis hostibus indigenis. Post terras Arabum, vel quæ tangunt Mare Rubrum Addidit imperio, subdidit obsequio. Et Tripolim cepit, sed Arsuth non minus vrsit: Pluraque præterea fecit honore rata. Obtinuit Regnum rex annis octo decemque, Mensibus atque tribus insuper appositis. Sex decies Phœbus verucis viserat astrum, Cùm Balduinus Rex obiit eximius. Octies & decies faciens menses duodenos, Regis habes annos, patriam quibus optimè rexit.* Inito autem consilio, ne Rege carentes esse æstimarentur debiliores, creauerunt sibi Regem BALDVINVM videlicet comitem Ædissenum, Regis defuncti cognatum: qui transito fluuio Eufrate, Hierusalem fortuitu aduenerat, cùm de prædecessore loquuturus. Cõmuniter electus, die Paschæ est consecratus. Ipso anno, cùm tempus subsequeretur æstiuum, congregauerunt *Babilonii* exercitum valde grandem: milia quorum, quindecim æstimabantur equitum; & viginti peditum, arbitrantes Hierosolimitanum destruere bello penitus Christianismū. Quibus cùm vsque *Aschalonem* peruenissent, Rex Damascenorum *Turdequinus* cum gente sua in adiutorium processit, Iordanem transgressus: Præterea tunc *classis* non modica, per mare illucusque nostris nocitura, nihilominus venit: exin tam bellicæ quàm mercibus onustæ naues, Tyrum adierunt: qui autem per terram venerunt, ante Aschalonem bellum expectantes, remanserunt. Tunc Rex noster *Balduinus* cum *Antiochenis* & *Tripolitanis*, quos ad hoc certamen venire per legatos mandauerat, aduersus hostilem exercitum bellaturus, properauit. Et *Azoto*, quondam ciuitate Philistæa transita, tentoria de saginariis deponi & defigi disposuit, haud longè à Babiloniis, ita vt exercitus vterque quotidie alterutro aspectu cerni posset. Sed quia alii alios valde aggredi formidabant, & viuere quàm mori mallebant, cùm per tres ferè menses differi bellū tali argumento vtrimq; caluissent, tædio affecti Sarraceni, bellare recusauerunt: & Antiocheni ad sua remeauerunt trecentis militibus de suis Regi commissis, qui si opus esset, Regem ad pugnam roborarent, si Ægiptii litem iterare pertentarent.

XLV. A.D. 1119.

Anno ab incarnatione *Domini millesimo centesimo decimonono, Gelasius* Papa, successor Paschalis, obiit, quarto Kalend. Februarii; & sepultus est in Cluniaco: post quem substitutus est *Calixtus*, qui Viennæ vrbis Archiepiscopus extiterat. Prolixitate fastidiemur. Historię, si cuncta enarrare voluerimus quæ hoc anno, in Antiochiæ regione, miserabiliter euenerunt: quomodo *Rotgerius* Antiochiæ princeps cum Proceribus suis & gente sua, contra Turcos pugnaturus exierit; Et prope *Arthasium* oppidum interemptus, ceciderit: vbi de Antiochenis, septem milia sunt occisi; de Turcis autem nec etiam viginti. Nec mirandum si permisit DEVS eos confundi: cùm in diuitiis multimodis maximè abundantes, nec eum timebant, nec hominem in peccando verebantur;

bantur. Nam iuxta vxorem suam ipse princeps, cum pluribus aliis adulterium committebat; dominum suum *Buaumundi* alium, in Apulia cum matre sua morantem, exheredabat; & multa alia, tam ipse quàm proceres sui, viuendo superbè & luxuriosè agebant, de quibus competit iste versus Dauiticus dici: *Prodiitque ex adipe iniquitas eorum:* vix enim inter delicias affluentes mundus seruabitur. Post hanc autem Antiochenorum occisionem, secuta est secunda satis victoria, quæ, propiciante DEO, Hierosolimitano populo mirificè successit. Nam cum præcedens *Rotgerius* Regi Hierosolimitano per nuncios notificasset, vt ad sibi succurrendum festinaret: quia Turci cum gente multa eum impetebant: relicto *Rex* ne-10 gotio altero, ad quod cum suis non longè à Iordane Damascenos expugnaturus iuerat, ducto secum *Patriarcha* cum Cruce Dominica, cùm de campis stationum suarum eos viriliter eiecisset, continuo Antiochenis auxiliaturus, recurrit, ducẽs secum *Cæsariensem Episcopum*, qui Crucem præfatam in bello postea, contra hostes optimè portauit. *Comitem* quidem *Tripolitanum*, Rex illuc secum duxit. Fuerunt simul milites ducenti quinquaginta. Et cùm Antiochiam peruenissent, misit rex ad *Ædessenos* legationem, præcipiens eis vt ad bellum quod contra Turcos facere satagebant, cito itinere festinarent. Quibus cum Rege & Antiochenis, qui de primo bello vel fugerant, vel mortem aliquo euentu euaserant, aggregatis, commissum est prælium propè oppidum, quod *Saraanium* vocant, ab Antiochia vigin-20 tiquatuor milibus discrepans. Hoc prælium perpetratum est decimonono Kalend. Septembris: fueruntque milites nostri septingenti; Turci verò viginti milia. *Gazi* verò Maior vocabatur eorum. Non puto silendum, quod Turcus quidam aduertens vnum de militibus nostris, linguam noscere Persicam, allocutus est eum, dicens: *Tibi dico, France, cur vos decipitis? cur in vanum laboratis? contra nos equidem, nullo modo pugnare valetis: pauci enim vos estis, nos multi. Imo DEVS vester vos dereliquit, videns vos nec legem vestram vt solebatis, tenere; nec fidem, nec veritatem inuicem seruare. Hoc scimus, hoc didicimus, hoc aduertimus. Cras proculdubio vos vincemus, superabimus, adnihilabimus.* O quantum dedecus Christianis, cum perfidi nos de fide reprehenderunt! vnde deberemus vehementer erubescere; & peccata nostra plorando pe-30 nitus emendare. Committitur die sequenti, vt dictum est, grauissimum bellum, de quo victoria diu anceps vtrinque fuit, quousque Omnipotens Turcos fugere compulit, & Christianos magnificè contra eos vegetauit. Quos tamen impugnãtes adeo cateruatim disperserunt, & vsque Antiochiam non cessantes, non valuerunt vltra collegis suis congregari. Nichilominus autem Turcos dispersit DEVS, cum alii fugitiui in Persidem repatriarent, alii verò in Alapiam vrbem, saluandi se gratia, introirent. Rex autem Hierosolimitanus, & comes Tripolitanus cum suis, sicut socii extiterant Crucis, & qui eam, sicut serui dominam, ad bellum perduxerant, circa eam semper honorificè pugnantes, nec eam deserentes, in campo bellico viriliter steterunt: quos DEVS Omnipotens per virtutem eiusdem 40 Crucis, de manu nefandæ gentis potenter eripuit; & ad aliud suum negotium, quandoque futurum reseruauit: Cumque per duos dies Rex campum illum custodisset, & de Turcis nullus illuc bellaturus redisset, sumpta Cruce præfata Domini, perrexit *Antiochiam.* Et exiit *Patriarcha* Antiochenus obuiam sanctissimæ Cruci, Regi quoque, & archipræsuli qui eam deferebant: & reddiderunt DEO omnes gratias, & exsoluerunt dulcisonas laudes Omnipotenti: qui per virtutem gloriosissimæ Crucis suæ, victoriam Christianis dederat; & ipsam Crucem ad Christianismum saluè reduxerat: pietate plorabant, lætitia cantabant: adorantes, repetitis vicibus ante Crucem se inclinabant; resurgentesque vultibus erectis, gratias agebant. *Præbuerat biduo sol lumen Virginis astro, Cum bellum geritur, quo Turci sic superan-* 50 *tur: Claraque tunc decima rutilabant cornua Luna.* Cumque in Antiochia requie non longa se recreassent, statuerunt *Hierosolimam* cum Cruce ipsa, vt decebat, reuerti. Et sumptis militibus quos oportuit, remisit eam Hierusalem Rex; & die qua exaltationis eius festiuitatem celebrabant; sicut *Eraclius* de Perside Imperator victor eam reportauit, cum ea Vrbem Sanctam lætantes introierunt, & cum gaudio ineffabili cuncti qui inerant susceperunt. *Rex* verò in *Antiochia*, quia necessitas hoc poscebat, remansit: quatinus mortuorum procerum terras, vinis sub ratiocinio daturus, locaret; & viduas quas inuenit illic multas maritis, pio affectu reintegraret; & multa alia restitutione necessaria reformaret. Sicut enim hucusque Hierosolimorum *Rex* singulariter extiterat, ita mortuo principe Antiocheno *Rotgerio,*

A.D. 1119.

Psal. 73, 7.

XLVI.

Antiochenorum R[illegible] M[illegible]
lo, vt DEVM ex toto corde, & ex tota anima ſua, & ex [illegible]
gat, & cùm gratiarum actionibus, [illegible] fide[illegible]
ſe humilem fateatur ſeruum, qui talem Dominum [illegible]
ergo antecefforem [illegible] tam ſublimauit quantum [illegible]
rem duorum regnorum poſſeſſorem fecit: quæ ſine [illegible]
tione, ſine litium tribulatione, ſed diuina ordinatione [illegible]
Ægipto ſiquidem, vſque Meſopotamiam, tradidit ei [illegible]
ram. Manum erga eum habuit largam; caueat ne er[illegible]
abundanter dat, & non improperat. Si Rex eſſe de[illegible]
gat. Cùm autem, poſt negotia pleraque perpetrata, Re[illegible]
eſſet Hieruſalem, cum vxore ſua diademate regio coronatu[illegible]

XLIX. A. D. 1120.

Natiuitatis Dominicæ. *Anno* incarnationis IESV CHR[illegible]
centeſimum viceſimum, abſoluit Rex *Balduinus* ſecundus ab [illegible]
qui per portas Hieruſalem frumentum aut ordeum ſiue legu[illegible]
rint: vt habeant facultatem liberam ingrediendi portas atque [illegible]
dendi vbi & quibus voluerunt, abſque moleſtia, tam Chriſtian[illegible]
Remiſit inſuper mercedem modii conſuetudinariam. Cùm [illegible]
ni menſes, in Hieruſalem, euoluiſſemus, venerunt nuncii ab [illegible]
Regi, & nobis omnibus, qui aderamus, *Turcos* Eufratem tran[illegible]
greſſos fuiſſe, ad nocumentum Chriſtianiſmi: ſicut in præterito [illegible]
Vnde accepto conſilio, ſicut neceſſitas vrgebat, petiuit Rex [illegible]
à Patriarcha & clero, Crucem ſibi Dominicam contradi, dicens [illegible]
liandum ab ea debere muniri: quia ſine graui periculo credit, Tu[illegible]
tos de patria, quam iam deuaſtabant, non poſſe expelli. Et quia [illegible]
virtute ſua nec in gente quam habebat multa, Cruce ipſa, Domino [illegible]
propitiante, pro multis milibus potietur. Alioquin ſine illa, nec [illegible]
dent ad bellum proficiſci. Vnde ibi ratio bipertita, inter euntes ad b[illegible]
manentes in Hieruſalem, ſatis decens habita eſt: ſiue debeat pro ta[illegible]
Chriſtianitatis, Antiochiam Crux deferri; ſiue Hieroſolimitana eccle[illegible]
theſauro ſuo non priuari. Dicebamuſque: *Heu miſeri! quid faciemus, [illegible]*
DEO, perdiderimus in bello Crucem, ſicut perdiderunt Iſraelitæ olim fœderis Ar[illegible]
autem plura referam? quod nolebamus, nolentes volumus. Neceſſitas [illegible]
tio edocuit: fecimus. Et cum multis lachrymis piè pro ea fuſis, & can[illegible]
ipſius decantatis, extra vrbem nudis pedibus, Rex & Patriarcha [illegible]
omnis, eam conuiaſſent: cùm ea Rex diſceſſit flendo, & popul[illegible]
eratam rediuit. Menſis erat Iunius. Antiochiam ergo ierunt, quam [illegible]
eo coartabant, vt extra muri ambitum inhabitantes, vix vno milia[illegible]
auderent. Sed audito Regis aduentu, inde ſe ſtatim remouentes, [illegible]
vrbem, vbi tutius eſſe poſſent, abierunt: quibus tria militum D[illegible]
milia tunc aggregati ſunt. Cumque Rex ad eos bellandi cauſa, [illegible]
ceſſiſſet, & vtrinque ſagittis iactatis plures vel ſauciati vel interf[illegible]
& bellare tamen recuſaſſent: poſt triduum litis huius, nullo fine [illegible]
& Antiochiam noſtri remeauerunt, & in Perſidem, pars eorum [illegible]
runt. De cetero Crucem ſanctam Rex honorificè Hieruſalem [illegible]
Antiochiæ regione, terram protecturus, remanſit. Tertio de[illegible]
uembris ſuſcepimus illam Crucem glorioſiſſimam Domini, [illegible]
Hieruſalem.

L. A. D. [illegible]

Anno ab incarnatione Domini *milleſimo cen[illegible]*
congregauit *Rex* gentem ſuam à Sydone vſque Ioppen, & qui [illegible]
greſſus eſt Iordanem [illegible] regem Damaſcenorum, qui cum [illegible]
ratis, & adu[illegible]atis, [illegible] noſtras Tyberiadi proximas, null[illegible]
Qui cùm perſenſiſſent Regem noſtrum cum exercitu ſuo [illegible]
mantem; collectis [illegible] tabernaculis ſuis, bellum euitans, [illegible]
Et cùm per duos dies eum Rex inſecutus eſſet, nec bellare [illegible]
[illegible]ret, reuerſus eſt ad caſtellum quoddam quod ad nocum[illegible]
[illegible] *[illegible]* Rex Damaſci [illegible] fecerat [illegible]
[illegible] miliariis. Id R[illegible]dit, machin[illegible]
[illegible] Cum cuſtod[illegible] protectores quad[illegible]
[illegible]

proſtrauit. *Iarras* nominabant hoc caſtrum regionis incolæ, quod intra ciuitatem quādam mirabiliter & glorioſè ſitu forti antiquitus fundatam, lapidibus magnis & quadratis erectum illic erat. Vbi autem comperit Rex non ſine grauitate magna obtineri, nec ſine difficultate gente & alimentis vt oporteret poſſe muniri, iuſſit illud dirui, & omnia ad ſua regredi. Hæc olim vrbs inſignis fuit in Arabia, *Geraza* nominata, monti Galaad iuncta, in tribu Manaſſe inſtituta. *Explicit hic annus in cunctis fermè ſecundus: Pace quidem proſper, & frugibus omnibus vber.* Anno ab incarnatione Domini *milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo*, præficitur in Hieruſalem vrbe, eccleſiæ *Tyriæ* archiepiſcopus, nomine *Odo*, de gente Latina primus: qui eodem anno deceſſit, ſepultusque eſt apud Ptholomaidam. Deinde abiit Rex *Ptholomaidam*, vnde ſua congregata gente, pedite videlicet, & equite, monens exercitum ſuum, & Dominicam ſecum deferens Crucem, profectus eſt *Tripolim* iniuriam vlturus & contemptum quem regionis illius comes, *Pontius* nomine, incutiebat, recuſans ei obſequi, vti pater eius *Bertramnus* fecerat: ſed, DEO volente, & optimatum præſentium vtrinque laudatione, amici facti ſunt adinuicem, comite rationi aſſentiente. Quibus ſiquidem pacificatis, aſtitit ilico *archiepiſcopus* quidam, ab Antiochenis illuc miſſus, Regem coartans vt Antiochiam quantocius feſtinaret, contra Turcos opem laturus. Iam enim terram illam vaſtabant, nullo eis principe reſiſtente. Quo audito Rex, continuo ad eos properauit, habens ſecum trecentos milites lectiſſimos, & clientes conductitios quadringentos probiſſimos: ceteri verò, vel Hieruſalem, vel ad ſua remeauerunt. Cùm autem perueniſſet Rex vbi audierat Turcos eſſe congregatos, circa ſcilicet caſtrum quoddam, quod *Sardanium* vocatur, quod iam obſidione cohibebant, remouerunt ſe inde, non audentes Regem expectare. Quo comperto ſeceſſit Rex in Antiochiam: Turci verò ad incœptum denuo recurrerunt. Et cùm Rex hoc audito aduerteret, verſus eos promptè equitauit. Sed quia gens illa Partica in procinctu vel apparatu bellico, moraliter nunquam in eodem ſtatu permanentes: nunc viſum enim, nunc verò dorſum obſiſtentibus, opinione celerius vertunt, & præter ſpem ſimulatè fugiunt, & recurſu repentino impetunt: ſed congreſſum penitus vitauerunt, & taliter ſeu victi abceſſerunt. Benedictum ergo ſic ſanctiſſimæ & Dominicæ Crucis vexillum, & omnibus orthodoxis præſens vbique ſubſidium, ſub cuius protectione & conſolatione fideles muniti, nunc ſine detrimento aliquo, Chriſtianos noſtros ad ſua conceſſit regredi. Illi etiam decem milia æſtimabantur militum; noſtri verò mille ducenti, abſque globo peditum. Et cùm vſque *Tripolim*, vna cum Cruce Dominica, remeaſſet Rex, cum aliquantis reuerſus eſt *Antiochiam:* & Dominica Crux, in Hieruſalem delata cum gaudio magno eſt; & duodecimo Kalend. Octobris honorificè in loco ſuo repoſita. Intere. *Goſelinus* captus eſt Ædiſſenus comes, *Galeranusquè* cognatus eius, cum eo: interemptis quidem de ſuis ibi non minus quàm centum: quos quidem *Balac* Admiratus quidam, tam aſtucia quàm inſidiis, molitus intercepit. *Fuit & hic annus, quàm qui præceſſit opimus Frugibus omnigenis, quæcumque metuntur in arua. Triticeus modius, pro nummo venditur vnus. Seu quadraginta qui vult penſare nummiſma.* Tunc neque Parthia nec Babilonia bella mouebat. *Anno ab ortu Domini milleſimo centeſimo viceſimo tertio,* indictione prima, Halemaniæ Rex *Henricus*, cum Papa *Calixto* pacificabatur. DEO autem gratias qui regnum & ſacerdotium in dilectione confederauit. Eodem anno *Venetici* cum magno nauigio in Syriam nauigare commoti ſunt, vt Hieruſalem & regionem ei adiacentem, Chriſtianiſmi vtilitati & exaltationi, opitulante DEO, ampliarent. Qui anno præcedente de terra ſua egreſſi in inſula, quæ *Curpho* nuncupatur, tempus expectantes oportunum, hiemauerunt. Claſſis quippe eorum, centum & viginti nauium fuit: exceptis carabis & carinis, quarum aliæ roſtratæ, aliæ quidem onerariæ, aliæ verò triremes fuerunt: triformi ſiquidem forma compactæ ſunt: in quibus materies magnæ proceritatis impoſita non defuit, vnde compoſitis ab artificibus ſapienter machinis, muros vrbium ſublimes incendere & comprehendere poſſent. Igitur poſtquam verno tempore pateſcunt viæ ratibus, quod DEO diu deuouerant explere non torpuerunt. Et viatico nauali abundè ſibi præparato, cùm tuguria, in quibus hyeme conquieuerant vnanimiter ſuccendiſſent, concrepantibus tubis quamplurimis, carbaſa, inuocato DEI auxilio, diſplicantur & eleuantur. Naues quæ ante coloribus variis pictuτatæ erant, ſplendore amœno proſpectantes ſatis delectabant: quibus terquinâ

A.D. 1121. — LI. A.D. 1122. — LII. A.D. 1123.

A.D. 1123. hominum milia armatorum, tam de Veneticis quam Peregrinis, sibi adiunctis iuerant. Porrò equos secum trecentos conuehebant. Itaque tunc Borea leuiter aspirante, pontum decentissimè sulcantes, cursum suum *Motonam* versus dirigunt, deinde *Rodum*. Et quia necesse erat vt simul, nec sparsim incederent, flabris etiam interdum alternantibus, nisi proindè iter suum modificarent alii ab aliis sæpe discreparent. Propterea dietis breuibus, die non nocte velificantes, portibus frequenter inuentis, necessario quotidie applicabant: ne recentis aquæ penuriam patientes, tam ipsi quam eorum equi, siti fatigarentur. Eodem tempore contigit *Balduinum* regem Hierosolimorum capi. *Balac* enim qui antea Goselinum comitem Ædessenum, & Galleranum ceperat, non benè in hoc prouidum, sed imperatum comprehendit: quo nihil Paganis iocundius, nihil Christianis horribilius. Postquam autem rumor iste vsque ad nos, in Hierusalem diffusus est, venerunt omnes in contionem in vrbem *Ptholomaidam*, consilium capturi, quid facto opus esset. Et elegerunt & constituerunt terræ fore custodem & præceptorem *Eustachium* quendam, virum probissimum, & moribus honestum: qui tunc Cæsaream possidebat atque Sydonem. Hoc siquidem *Patriarcha* Hierosolimitanus, vna cum optimatibus terræ dictauit, & teneri decreuit, quatenus de rege capto certum rei exitum audirent. Itaque tunc Maio mense mediante, cum *Babilonios* iam audissemus ad vsque *Aschalonem* venisse, bipertito exercitu, terrestri videlicet itinere, atque marino: præparata liburna statim agillima, miserunt legationem ad Veneticorum classem mittendam, exhortando precantes, vt ad negotium inceptum, accelerato nauigio, nobis adituri, succurrerent. Babilonii autem, *Ioppen* nauigio irruentes, & de nauibus pompaticè cum ingenti tubarum ærearum tonitu, exilientes, vrbem obsidione circundederunt: Et machinamentis suis & instrumentis, quæ in nauibus maioribus attulerant, continuo erectis, vrbem vndique assilierunt, & pro valitudine sua lapides torquendo, cohibuerunt. Erant enim tormenta vehementiora, quibus vltra modum sagittæ arcu Parthico emissæ, saxa torquebantur. Pedites nanque, Arabes vel Æthiopes, quos secum adduxerant, cum manu militum, assultum grandem ciuibus dabant: alii tela, alii lapides vel sagittas vtrumque iaciebant. Interni quidem externos, crebris ictibus sæpissimè trucidabant: pro se enim viriliter pugnabant. Æthiopes verò in manibus ancilia tenentes, se inde tegebant & protegebant. Mulieres autem ciuibus valdè laborantibus, adiumento gratissimo semper præstò fuerunt: aliæ enim lapides subministrabant, aliæ verò, aquam potui præbebant. Cumque murum Sarraceni per quinque dies, iam aliquantulum læsissent, & minas desuper dilapidando, plerasque diruissent, audito etiam aduentu nostrorum qui eis approximabant, significante buccina certamen dimiserunt, & machinamenta sua frustratim in naues reportauerunt. Quod si diutius ibi morari auderent, proculdubio ciuitatem comprehenderent. Pauci enim erant, qui tuebantur eam. Iam iamque murum circumfoderant, vt spe velocius eam penetrarent: Classis quidem eorum, nonaginta nauium fuit. Cùm autem damnum & periculum imminens gens nostra per rumigeros didicisset, in vnum corpus vndique congregati, ante quoddam castellum quod regionis incolæ *Chaco* nominant, de Tiberiade videlicet & Ptholomaida, Cæsarea quoque, & Hierosolima, cum Cruce Dominica ad conuentum illum iam delata, contra hostes dimicaturi, vsque *Ramatha* vrbem, quæ est iuxta *Diospolim*, properauerunt. Nos autem, qui Hierusalem remanseramus, pro fratribus nostris in tribulatione sic positis, indesinenter orare, & eleemosinis egenis impartire, & per vniuersas ciuitatis Sanctæ Ecclesias processiones piè facere, tam Latini, quàm Græci, atque Syri, nudipedes, interim non cessauimus. Proceres autem manè summo *de Ramatha* consurgentes, cùm gentem nostram per cohortes procedere, vt decebat, ordinassent, benedictione & peccatorum absolutione à Patriarcha populo data, bellum committitur, Domino Deo præeunte, signifero eorum & adiutore. Apud vrbem quondam quintam Philistinorum factum est hoc, quæ nunc *Ibenum* vocitatur, in viculum iam diu redactam hæc est *Azotus* vel *Eldot*. Porro pugna ista, non longa demoratione protacta est, Nam cum prospicerent nostros probissimè armatos, eos impetere, continuo equites tamquam omine aliquo fascinati, in fugam commoti sunt: Pedites verò detruncati sunt. Tentoria eorum cuncta cum rebus multiformibus, in campo remanserunt. Tria siquidem vexilla præcipuè, quæ *stander*, vulgo nominantur, ab eis ex-

eis excusserunt. Vtensilia etiam multimoda, culcitras & puluinaria; carram quoque multam cum sarcinis, secum nostri reduxerunt: Camelos videlicet quadringentos, asinos verò quingentos. Triginta quidem milia ex eis, de Babilonia præliatum venerunt: de quibus duodecim milia, tam in terra quàm in mare, interempti sunt; de nostris autem pauci, videlicet decem: Milia quorum octo referuntur fuisse tantum; sed audaces, & probissimi, & ad pugnandum valde animati; & amore DEI freti, & confidentia eius penitus corrobati. *Sub geminis Phebo iam tunc bis sexies orto, Gens ruit nefanda, Domini virtute subacta. Corpora nunc quorum per campos allophilorum, Fiunt esca lupis, fuerint quoque pastus hyenis.* Bello autem per DEI potentiam atque voluntatem, vt dictum est, ad gloriam ipsius & exaltationem Christianismi facto, cum Dominica Cruce Hierusalem remeauit *Patriarcha.* Qua extra portam Dauiticam cum glorifica processione suscepta, & vsque in Basilicam Dominici Sepulchri honorificè deducta, *Te Deum laudamus*, cantantes, Omnipotenti de beneficiis suis laudes vniuersi reddidimus. Postridie autem perspero successu ita potiti, secundi rumores subsequuti sunt. De *Veneticorum* autem classe in Palestina per plerosque portus applicata, cum audiuimus, valde lætati sumus. Hoc enim diu fama promiserat. Cumque dux Veneticorum, qui nauigio huic principabatur, *Ptholomaidæ* applicuisset, intimatum est ei statim prout gestum fuerat apud Ioppen, terra scilicet & mari; & quomodo Babilonii expleto, prout valuerunt, negotio suo, iam illinc abierant: quod si accelerato cursu vellet eos prosequi, Deo iuuante, proculdubio eos attingere posset. Qui consilio nautarum statim adhibito, bifaria nauigatione, nauigii sui partem versus Ioppen emisit, in qua ipse dux aderat; alteram verò partem in altius pelagus, prudentissimè misit: vt ignaris Sarracenis Peregrini Hierusalem adeuntes, à parte Cypri putarentur esse. Et cum Sarraceni, octodecim naues de classe Venetica perspicerent ad se appropinquare, tamquam de emolumento iam acquisito, ceperunt exultare: & contra Veneticos aptauerunt se nauigare, & ad pugnam eos audacter suscipere. Nostri autem tamquam ad certamen bellicum verecundari simulantes; & astutè nauigii sui partem potiorem & postremam paulatim expectantes, nec fugere disposuerunt, nec pugnare cum eis præsumpserunt, quatenus nauigii partem postremam, tam remis quàm velis insurgere Sarraceni cernerent. Igitur Veneticis creuit spiritus; indicibiliter in eos irruerunt; & vndique ita eos accinxerunt, vt locum fugæ vspiam reperire non possent. Tunc mirum in modum Sarracenis coercitis, nec naues nec nautæ aliquorsum euadere potuerunt: sed naues eorum nostri introgressi, detruncauerunt omnes. Fide caret, quod in nauibus vltra humanum auditum, bases occidentium sanguine fluido tingerentur: Corporibus quidem extra naues tunc iactatis, vsque ad quatuor milia passuum, salum erubescere circumquaque videretis. Itaque naues, multis onustæ opibus, capiuntur. Deinde cum vltra Aschalonem exploraturi aliquid proficui remigarent, obuias sibi repererunt decem naues alias, diuersis alimentis confertas, & quibus inerant ligna proceritate magna & directa, ad machinas componendas spectabilia. Illas quoque cum munimentis diuersis, etiamque auro & argento, nummismatibusque multis, piper quoque & ciminum & diuersas species odoramentorum diripiunt. Naues vero aliquantas ad terram fugitiuas, in littore ipso igni combusserunt: sed & plures integras, Ptholomaidam adduxerunt. Lætificauit itaque Dominus clientes suos, & donatiuis abundis multipliciter locupletauit. O quàm bonum & gloriosum hominibus habere Deum semper in adiutorium suum. *Et quam Beata gens cuius est Dominus Deus eius.* Dicebant ergo: *Eamus, & gentem Christianam omnino confundamus, & memoriam eorum de terra deleamus. Regem enim modo non habent; membra capite carent.* verum dicebant, cum in hoc Balduinum præferebant: & verum non dicebant, quia Dominum pro Rege nos habere non credebant. Balduinum perdideramus; sed DEVM, Regem omnium assumpsimus: Illum in necessitate nostra, inuocauimus; & per illum mirabiliter triumphauimus. Forsitan non erat Rex, quem forte fortuitu perdideramus: sed hic qui modo vicit, non solùm Rex est in Hierusalem, sed etiam in omni terra. Verè fateri nos oportuit, quod regem in prœlio habuimus: vtique & habemus & habebimus, cùm in negotiis nostris, præ omnibus illum anticipauerimus.

A.D. 1123.

Psalm. 143, 15.

A.D. Hic enim pro[illegible] semper est, & [illegible]
1123. aderat enim [illegible] humilitate [illegible]
stram, liberaui[illegible]. Hic, pro nobis pugna[illegible]
deduxit! Hic [illegible] vincere consueuit, qu[illegible]
peratur; non [illegible] nec fallitur. Rex equidem [illegible]
Rex erit, qui [illegible] vitiis vincitur. Numquid [illegible]
habeatur ex le[illegible] Quia legem DEI nec tene[illegible]
timebit quidem hominem, inimicum summ[illegible]
legis: Hic talis, nomen Regis perdit. Me[illegible]
co? Æquus est impiis: quomodo exaudiet [illegible]
tor, si pauperum oppressor, tunc non regit, [illegible]
gi superno, & spem nostram ponamus in eo: & no[illegible]
Tempore isto taliter ægro decessit *Eustachius*, in [illegible]
decimoseptimo Kalend. Iulii cui succedere *Guillelmum* [illegible]
LIIII. tunc possidebat, statuerunt. Mense Augusto de[illegible]
mentia prouidente, Rex Hierusalem *Balduinus* exuit[illegible]
Balac, quibus vinctus tenebatur in oppido quodam [illegible]
nimis arduo & difficili comprehendendo; cum quo [illegible]
linus comes Ædessenus cum aliquantis captiuis. Hu[illegible]
ga, sed dono celesti predita, & miraculis bene ornata [illegible]
lo freti adiumento, iam diu angerentur occultati, consilio [illegible]
do apud se pertentare ceperunt, si aliquatenus inde p[illegible]
deles internuntios, vbicumque amicos habebant, au[illegible]
uerunt: & cum Armenis circa se conuersantibus, m[illegible]
quando auxilium ab externis amicis suis adipisci possent, ill[illegible]
non desisterent. Et cum post aliqua dona & promissa plu[illegible]
trinque confirmatum esset, de Ædessena vrbe quinquaginta [illegible]
ob id missi sunt. Et quasi pauperri[illegible] merces ferent[illegible]
ad portas interioris castri, occasione quadam nata, [illegible]
Quod cum portariorum magister, iuxta portam cum [illegible]
prouidus scaccis luderet, clientes nostri astu[illegible]
querimoniam sibi factæ iniuriæ ad eum factur[illegible]
& pauore, vaginis extractis cultellis, illum [illegible]
lanceis illic inuentis, ferire & occidere viri[illegible] non pigruerun[illegible]
gens ilico attollitur; & intus & foris omnes pertur[illegible]. Sc[illegible]
hunc festini accurrerunt, festinantius mox perempti sunt. [illegible]
centum ferè Turcorum: Et portis confestim clausis [illegible]
eiiciuntur. Adhuc erant aliquanti compediti, quum [illegible]
gium conscendebant: & eleuato in arcis apice [illegible]
tas patefacta est. In eadem arce erat vxor [illegible]
Castro autem a Turcis mox vndique cincto [illegible]
terius omnino est prohibitus. Portæ etiam [illegible]
autem nõ puto silendum, quòd *Balac* inform[illegible]
uelatum: vidit enim sibi a Gocelino erui oculos [illegible]
Quo indilatè sacerdotibus suis manifestato [illegible]
sciscitabatur. [illegible] *hoc* [illegible]
huic æquipollens [illegible]
tur, ne ab eo [illegible]
retur lictor, [illegible]
muni & sapi[illegible]
hoc conside[illegible] posuit Dominus [illegible]
lo mortis & [illegible] se commi[illegible]
pandus quan[illegible] extra castrum per [illegible]
Qui continu[illegible]
[illegible]

[illegible] quos secum detulerat, vento inflauit, super eos se collocauit, & sic in flumen [illegible]. Quem collegæ sui ignarum nandi, commodè iuuantes, sustentare [illegible]erunt, & vsque ad littus, Domino ducente, sanum deduxerunt. Et cum itinere insolito valde fatigatus esset, famelicusque ac sitibundus, anxius anelaret; nec erat qui manum ei piè porrigeret, sub nuce quadam illic inuenta, sopore tactus, membra labore fessa quieti attribuit, obumbrans se vepribus & frutetis, ne visus agnosceretur. Interim autem præcepit vni ex famulis eius, vt exploraret & imploraret aliquem indigenam, qui ei panem, vel daret, vel vtcumque [illegible]deret: Inedia enim valde vexabatur. Cliens autem ille, rusticum inuenit quendam Armenum mox in campo, quem consultè allocutus adduxit ad dominum suum, caricas & racemos apud se habentem. Hoc quidem famelicus comes desiderabat, hic autem, cum appropians comitem Goscelinum agnosceret, procidit ad pedes eius, dicens; *Vale Gosceline.* Qui audiens quod nollet, territus respondit, verumptamen modestè: *Non sum ille, quem dicis. Sed, Deus adiuuet illum vbicumque sit.* Rusticus ait: *Noli quæso celare noticiam tuam, quoniam proculdubio te benè agnosco. Sed re[illegible] mihi quid, & quomodo hiis in partibus tibi accidit: ne expauescas, moneo.* Cui rursum comes: *Miserere mei, quicumque es; nec miseriam meam inimicis meis inotescas, obsecro: sed ad saluationis locum deduc me, vt vnum pro mercede numisma merearis accipere. Ego enim de captione Balac, Deo propitiante, egressus aufugio: de castro scilicet, quod Kartapeta nuncupatur, quod est in Mesopotamia, cis Eufraten. Bene enim operaberis, si mihi hac in necessitate subuen[illegible] ne amplius in manus Balac incidam, ne infortunatus peream. Quod si vsque* Terbexel *castellum meum, te mecum venire libuerit, omnibus diebus vitæ tuæ bene tibi erit. Dic igitur mihi, quæ & quanta in his locis est possessiuncula tua, vt maiorem, si vis, apud me tibi diligenter [illegible]tituam.* Et ille: *Non quæro,* inquit, *à te, Domine, quicquam: sed quò vis, te saluum perducam. [illegible] enim, vt reminiscor, ante te me fecisti comedere benignè panem; quamobrem prestò sum [illegible] reddere talionem. Vxorem,* inquit, *domine, habeo, vnicamque filiam paruulam, similiter [illegible] vnam asellam; Duos etiam germanos, & duos boues. committo autem me omninò tibi, quia [illegible] prudens & sapientissimus. Iam iamque cum [illegible] omnibus, tecum vado. Porcellum insuper [illegible] habeo: hunc modo quoquam, & huc tibi afferam. Sine frater,* inquit, *vnum enim porcel[illegible] non es assuetus vno prandio mandere: nec expedit te aliqua expeditione vicinos tuos com[illegible]ere.* Tunc ille iuit; & cum suis omnibus, sicut fieri decreuerant, rediit. Ascen[illegible] ergo Comes, Rustici asellam, qui quondam erat equitare solitus mulam per[illegible]ptimam: baiulans ante se infantem, feminam videlicet, non marem: & quã non licuit generare, licuit, ac si patrem, ante se gestare: Non vt sibi ex progenie haberet [illegible], sed vt spem filiationis monstraret esse certam. Sed cum cepisset infans plorando & clamando comitem incessanter molestare, nec posset eam [illegible]lo modo pacare: quia nec altricis lac inerat papillis, nec ipse mulcere nouerat [illegible]eniniis: voluit collegium ei forte nocituum ob id deserere, & segregatim tuti[illegible]cedere: sed cùm auertit hoc rustico displicere, noluit eum conturbare, sed [illegible]erauit in incepto labore. Et cùm peruenissent *Turbexel*, talium hospitum [illegible] susceptio valde. Gaudet quippe vxor de tanto compari; exultat fami[illegible] patrono. Non ambigit nostra conscientia, quanta gloriati sunt o[illegible]ia, & quantæ lachrymæ præ gaudio affluunt, & pia suspiria. Fit etiam [illegible] de humilitate sua digna remuneratio. Pro vno enim iugo bo[illegible] continuò recepit duo. Sed quia non oportuit in hiis diu morari, Comes fe[illegible] iuit *Antiochiam*, dehinc Hierusalem. Et redditis illic Deo gratiarum [illegible], obtulit geminas cõpedes apud se allatas, quas in monte deuotè pepen[illegible]ariæ, ad memoriam videlicet captionis, & ad gloriam suæ liberationis: v[illegible] ferreæ, alteræ vero argenteæ. Post triduum autem exiit de Hierusalẽ, [illegible] sequens crucem, quæ vsque Tripolim iam delata erat. Iturus enim [illegible] ea Hierosolimitanus exercitus vsque *Kartapeta*, castellum Balac: Vbi [illegible] quam plures alii, adhuc non in carcere, sed in castri firmitate teneban[illegible] benedictus autem sit vniuersalis Dominus, qui voluntatem suam & potesta[illegible] modificat, vt potentem de excelso, cum vult, præcipitet, & de puluere [illegible]sublimet. Mane itaq; *Balduinus* Rex imperauit; sero autẽ, seruus seruiuit. [illegible] nihilominus. Liquet vtiq; nihil in hoc seculo esse certum, ni[illegible] nec etiam diu gratũ. Ideo terrenis inhiare non est bonũ; sed cor habe[illegible] in Deum intentum: nec confidamus in caducis, ne alienemur æternis.

A.D. 1123. *Iam nunc tredecimus complens vt æstimo lustrum, Regem non vidi, ...*
Significet siquid, ignoro quidē, Deus hoc scit. Euntibus ergo Hier... ire statutum fuerat, glomerantur eis apud Antiochiam T... cheni: sed cum *Turboxel* peruenissent, intimatur eis denuo ... in quo clausus erat, oppidum. Hoc audito mutatur consilium ... dici reditum. Et cupientes aliquid sibi prodesse, cornicine ... runt ad vrbem *Caliptum*; & vastauerunt & dissipauerunt omnia ... repererunt, cum primitus intra mœnia ferociter omnes, qui ... impulissent. Sed cum quatriduo ibi morantes nihil amplius pro... remeare statuerunt: iam enim alimoniorum penuria vexabantur ... comes in territorio Antiocheno remansit. Et cum vsq; Ptholomaid... fuissent, ante affines Sarraceni hoc auertissent, Iordanem subitaneo... ierunt. Et cum per regionē illam quæ monti *Galaad* & Arabiæ con... currissent, & de Sarracenorū vtroq; sexu, bestiisq; plurimis greges ... cum ingenti carra camelorum atq; ouium, infantium quoq; ac puer... *riadem* eis proximam tunc redierunt; & dispertito pro more inuicem ... to, *Hierusalem* vndiq; conuenerunt; & Crucem Dominicā allatam in ... decuit, reposuerunt. Nunc autem reuerti decet ad id quod defecerim ... audisset *Balac* quod apud *Kartapetam* contingerat; & quemadmod... Goscelinus de captione euaserat, quantotius potuit illuc iratus per... blande allocutus, flagitauit vt ei castellum suum redderet, ne forte vel ... vel ambobus in deterius fortuna prodiret; & ita quietum eum abire per... vt datis inde obsidibus electis, vsque Antiochiam vel Edessam perduci ... ceret: Alioquin vel vni eorum, vel ambobus in deterius fortuna prodi... cum hoc *Rex* concedere nollet, diro efferatus animo *Balac* minitatus ... gem & castrum violenter capere; & de inimicis suis proculdubio vindi... cere. Qui iussit ilico rupem, super quam situm erat castrum, suffodi ... niculum, sudibus dispositis, opera suspendi, illataque silua ignem ... censis autem fulcimentis, cauea repente subsedit; & turris quædam ... dio proxima, cum magno sonitu decidit: primo quidem cum puluere ... citatus est, cum ignem ruina concluderet: sed peræsa materia qua... tur, flamma iam clarior apparere cepit, & repentini facti Regem ... por, qui hanc molitionem ægre ferebat: & ita spes cum cassa ... tantus casus valde terruit. Itaque tota virtute cum sensu perdita, ... clementiæ Balac supplices addicti sunt, nihil nisi supplicium ... rita expectantes. *Regi* tamen indulta vita pepercit, & cuidam *Gale*... ti suo quoque: Armenos autem qui adiumento regi contra Balac ... alios quidem pependit, alios vero excoriauit; quosdam nempe ... ense cecidit. Regem vero cum tribus de suis de castro eiecit, & ... ciuitatem adduci fecit. Et quia procul à nobis hæc facta aberan... tudinem rei addiscere poteramus. Verumptamen quàm verius ... toribus mihi intimatum, chartæ commendaui. *Hic pluuiis ar...*
LIV. *nit annus, Vnde Hierosolimi crebro sunt murmure questi.* *Anno ...*
A.D. 1124. *Christo nato millesimo centesimo vigesimo quarto*, cum Natale Saluato... Bethleem quàm in Hierusalem, vt decuit, celebrassemus: ... Dux *Veneticorum* cum suis deuotis interfuit: confirmatum est commu... ta voluntate, sub iureiurando, obsidionem circa Tyrum vel Aschalo... piphaniam agere. Sed quia pecuniæ inopia nos vniuersos tunc ar... tur multa viritim, militiæ & clientelæ conductitiæ impertienda ... terat tantum negotium, sine donatiuis, expediri. Quamobrem ... iam preciosiora ecclesiæ Hierosolimitanæ ornamenta, collige... obpignorare creditoribus. Igitur, sicut intimatum est, & ... vndique conuenerunt omnes. *Cum ter fusor aquæ reparatur ... salem communiter exit in hostem. Hoc fit & in prima feria, luna quoque ... chon* profecti disposuerunt vna cum *Veneticis*, Tyrum adire ... *cha* quidem cum sibi subditis; Dux vero cum Nautis & nauibus ... est, decimoquinto Kalend. Martii. Hoc autem audito *Asc...* ... seruia nunquam mansuefieri nouerunt, dampnum facere ...

distulerunt. Quadam quippe die tripertito exercitu suo, maiorem partem cohortium suarum Hierusalem adduxerunt: qui extimplo extrà vrbem, octo homines qui vineas putabant, truciter peremerunt. Quorum aduentu comperto, super arcem Dauidis tuba mox insonuit, hæc nobis significans: & procedentes aduersus eos Franci nostri atque Syri, audacter obstiterunt. Et cum tribus horis diei alterutro conspectu ad tædium se fatigassent, effecti inanes cum pluribus sauciatis, mœsti valde abierunt. Nostri siquidem, paulatim eos insecuti sunt: Sed quia militibus carebant, insidias eorum veriti, non præsumpserunt eos diu insequi. Ad extremum tamen de capitibus eorum amputatis, octodecim retinu-
10 erunt; totidemque equos: Tres equites viuos, de quibus quadraginta quinque sunt occisi. Quod si milites haberemus, pauci ex eis euasissent: equitatus enim noster in exercitu erat. Tunc autem Deus laudatur, cui semper laus debetur. Interea loci, coangustantur *Tyrii* in vrbe sua proximè clausi, nec capi cedentes, nec pacem quærentes. Diuitiis enim opulenti, & maris præsidio circumfulti, consueuerunt semper esse ingrati. Hæc est equidem cunctis vrbibus, quæ in terra sunt repromissionis, ditior & nobilior præter *Asor* quam antiquitus Rex Cananæorũ Iabin, possedit, quam Iosue postea cum ceteris pluribus, destruxit: quæ quidem vt legimus, nongentis curribus munita gloriabatur: *Iosephus* autem tria milia curruum falcatorum fuisse narrat: Armatorum vero trecenta milia, & decem
20 equitum milia similiter alebat: cuius militiæ Sisara dux extitit. Hæ vrbes ambæ in terra Phœnicum fuerunt institutæ: hæc institoribus & negotiationibus munitissima; illa vero infinita gente populosa: hæc in marino littore sita; illa verò in campestribus collocata. Quando Gedeon iudicabat Israel, tunc temporis *Tyrus* condita fuit à Phœnicibus, paulo ante Herculem. Tyrus quidem in terra Phœnicum est. Hæc est ad quam Ysayas loquitur, exacerbans eam propter superbiam suam: in qua optima purpura tingitur: vnde *Tyria* dicitur nobilis purpura. *Tyrus*, interpretatur angustia: quæ *Soor* Hebraicæ dicitur. Rex autem Assyriorum pugnans contra Syriam & Phœnicem expugnauit eam, cum in ea regnaret *Elyseus* Rex: Nolebant enim Regi Assyriorum, Tyrii esse subiecti. Hoc
30 per quinquennium actum est. De hoc *Menander* scribit, *Iosephus* quoque latiùs. Tunc temporis pelagus transfretantes Tyrii, Duce Didone Beli filia, *Cartaginem* in Africa condiderunt. Cuius situs triginta milibus passuum muro amplexa, & pene tota mari cincta, ab *Orosio* hystorico fuisse describitur, absque faucibus, quæ tribus milibus passuum aperiebantur: hic locus, murum triginta pedes latum, habuit, saxo quadrato, in altitudinem cubitorum quadraginta. Arx verò, cui nomen *Birse* fuit, paulo amplius duo milia passuum tenebat: quæ septingentesimo post conditionis illius anno omni murali lapide cõminuto, confunditur: quæ ante vrbem Romam, duos & septuaginta annos, ab Helysa condita inuenitur. *Hanc Publius Scipio, superioris anni consul, delere suprema sorte molitus est:*
40 quæ continuis septemdecim diebus miserabiliter arsit. Tyrus autem, superius memorata, septuaginta annis, iuxta *Ysaiam*, depopulata elanguit. A qua recedentibus Cetæis nauigans reduxit eos *Elisæus* Rex: contra quos denuo *Salmanasar* Rex Assyriorum, insurgit. Recessit à Tyro tunc ciuitas Sydon, & Arce, & antiqua Tyrus, & multæ aliæ simul vrbes, quæ semetipsas Assyriorum Regi tradiderunt. Quapropter Tyriis non subiectis, iterum aduersus eos egressus est, Phœnicibus ei naues sexaginta exhibentibus, & remiges nongentos. Contra quos Tyrii nauigantes, in duodecim dispersis nauibus, cepêre captiuos viros quingentos: vnde honor Tyriorum propter hæc, creuit eximiè. Reuertens autem Assyriorum Rex, disposuit custodias super flumen, & aquæ ductu circuiuit, vt Tyrios haurire
50 pocula prohiberent. Et dum hoc per quinquennium fuisset factum, tollerauerunt, de effossis puteis bibentes aquam. hæc itaque in archiuis Tyri de Salmanasar, Assyriorum rege, conscripta sunt. Hic est qui Samariam obsedit, & cepit, anno regis Ezechiæ sexto: & transtulit Israel in Assyrios, ante quem venerat etiam *Phul* Rex Assyriorum, & post eum *Teglaphalasar* Rex Assur, qui cepit Cedes & Asor in Neptalim, & Ianoe, & Galaad, & vniuersam Galileam, & transtulit illos in Assyrios. Venit quoque *Sargon*, rex Assyriorum, qui misit *Tarchan* pugnare contra *Azotum*, & cepit eam. Itaque propter peccata populi vastata est terra repromissionis, & in captiuitatem ducta; prius Assyriis, deinde Chaldeis. *Nabuchodonosor* autem, tam Chaldeus quàm Babilonius Rex, & obsedit & cepit

A.D. 1124.

Hierusalem. Vnde fugiens *Sezechias* rex, captus est iuxta Hierico, & ductus in regionem quæ Reblata dicitur, in terra Emath. *Hieronymus* dicit *Emath* magnam esse Antiochiam, minorem verò Epifaam. Vbi fecit Nabuchodonosor oculos Sezechiæ regis erui, & filios eius coram se iugulari. Tunc venit Nabuzzadan princeps militiæ eius, & succendit domum Domini & domum Regis; & totum murum Hierusalem destruxit per circuitum. Post temporum autem interualla venit *Alexander* Rex, qui Tyrum obsedit & cepit, subiugata Sydone, prius autem Damasco; Gaza quoque ab eo capta, duorum mensium spatio: qui circa Tyrum septem mensibus sederat: ad ciuitatem Hierosolimam festinauit, vbi honorificè susceptus principem sacerdotem nomine *Iaddum*, pluribus honoribus prosequitur, habente cydarim super caput eius, & stolam auream iacinthinam, & super laminam auream in qua nomen DEI scriptum erat, solus adiens diligenter adorauit. Et disposita Hierosolyma, ad reliquas ciuitates exercitum suum conuertit. Post annorum plurium spatia peccatis Iudeorum exigentibus, *Anthiochus Epifanes*, legem eorum impugnans, *Machabeos* valde coartauit. Post hæc venit *Pompeius* qui Hierusalem infeliciter dissipauit: ad vltimum vero *Vespasianus*, cum *Tito* filio suo venit, qui penitus eam destruxit. Itaq; per varios rerum euentus vsque ad tempora nostra & Ciuitas Sancta & patria ei subdita, præcipitanter extitit vexata. Plerumque *Palestina*, interdum *Fœnicia*, quæ à Phenice Cadmi fratre nomen accepit, est vastata: Tum *Samaria*, tum *Galilea*: quæ quidem bipertita determinatione distinguitur. Nam altera superior, altera vero inferior appellatur: quas ambifariam Fenice & Syria cingunt. Illa vero, nempe quæ est trans Iordanem, à *Macheronte* in *Pellam* capit longitudinem; & à *Philadelphia* vsque ad Iordanem habet latitudinem. *Pella* quippe septentrionalis eius est tractus; occiduus vero, *Iordanis*; Meridianus autem, *Moabitide* terminatur regione: ab Oriente *Arabia* & *Filadelphia*, itemque *Gerasidis* clauditur. *Samariensis* autem Regio inter Iudeam & Galileam sita est. Et *Iudea* latitudo à Iordane vsque Ioppen explicatur: media verò ciuitas eius est *Hierusalem*, quasi vmbilicus eius terræ sit. Porro inferior *Galilea* quæ ex Tyberiade vsque Zabulon, & vsque Ptholomaidem & Carmelum & montem Tyriorum tenditur, continet intra se *Nazareth*; & Sesforium ciuitatem validissimam; & Thabor etiam, & *Cana* cum pluribus aliis. Hoc siquidem monte Libano attingitur, & fontibus Iordanis vbi nunc est *Paneas*, siue *Dan*, alio nomine, siue *Cesarea Philippi*, circa quam *Traconidis* est regio, & Nabatanea. Iudeæ autem, Bersabee ciuitas dat limitē inter quam sunt Tamna & Lidda, Ioppe & Iamnia, Tecus, & Ebron, Astaol, & Saraam, & multæ aliæ.

LV. Nunc autem ad callem redeo, qui aduersas per semitas diu cucurri. Cum verò circa *Tyrū* in obsidione laboraremus accuratè ad præparandas machinas: nihilominus *Balac* contra nos maliuolos suos, cornu suum extollere non cessabat. Qui egressus ab vrbe *Kalypto*, mense Maio intrante, cum quinq; milibus militum, peditumque septem milibus, perrexit *Ierapolim*, quam vrbem *Mumbeth* vulgus vocitatur: cumque possessor eius eam reddere nollet, extra vrbem ad se tum aduocatum, nefaria decollauit. Qua vrbe protinus à Balac obsessa, non latuit *Goscelinum* Antiochiæ tunc morantem: & habita inde legatione, accelerauit cum Antiochenis illuc ire. Licet autem paucissima gens esset Christicolarum, non pauitauit Goscelinus aggredi multitudinem perfidorum. Nec diu mora protracta, commissa est ferociter pugna: DEO autem suffragante, postquam ter sunt confusi, terq; viriliter ad pugnam regregati, Balac in ea pressura sauciatus ad mortem, pro posse diuertit, moribundus in partem: quod cum sui comperissent, qui potuerunt fugere non torpuerunt. Potuerunt pleriq; fugere: sed non potuerunt quidem effugere. Referuntur enim tria milia ex eis esse interemptorum, qui milites fuerunt: de peditibus autem illorum ignoratur numerus. De nostris autem, triginta milites ibi perempti occubuerunt: de peditibus verò nostris sexaginta ferè. Volens autem certitudinem rei scire *Goscelinus* an esset *Balac* mortuus, an aliquatenus euasisset viuus, cum sagaciter inter necatos perscrutaretur, indiciis armorum acognitis, cognitus est. Cuius caput qui amputauit, Goscelino gratulabūdus detulit, à quo quadraginta numismata, sicut se daturum spoponderat, lucratus accepit. Caput siquidem continuò Antiochiam ad declarationem gestæ rei, Goscelinus deferri fecit: quod ipse qui detulit in sistarcia sua, legatus vsq; Tyrum, itemq; Iherusalē, nobis vniuersis & enarrauit & declarauit: qui etiam in prælio declarato cum præliantibus præsens adfuit: Armiger quippe Goscelini erat ipse. Et quia nuntiū attu-

attulit desideratissimum, in exercitu nostro ante Tyrum, acceptis armis ab armigero, in militem prouectus est: Comes quippe *Tripolitanus* ad hunc gradum eum sublimauit: & laudauimus omnes & benediximus DEVM, quia suffocatus est draco ille sæuissimus, qui Christianismum diu tribulauerat, & pessimus * de erat crudelissimè. *Sol decies nouies lustrarat lumine taurum, Quando Balac cecidit vel eum fortuna fefellit.* Ecce sic interpretatio somnii superiùs memorati declarata est, quod quasi vaticinans ipse Balac de seipso dixerat, tempore illo quo Goscelinus de captione mirabiliter euasit: videbat enim in visu à Goscelino sibi oculos erui: Verè penitus eruit, quoniam & caput & membra illi abstulit: *Nec videt, nec audit, nec fatur, nec sedet*
10 *aut it: Nec Celo, nec humo, nec aqua lacus eius habetur.* Quadam verò die dum in obsidione memorata securè quiescerent, qui circũsedebant, opportunitate considerata egressi sunt ciuitatem Tyrii, tam Turci quàm Sarraceni, patefactis portis; & ad machinam nostram inter cæteras fortiorem, accurrentes vnanimiter irruerunt. Et antequam nostri arma caperent, quos in machina custodes inuenerunt, foras sauciando pepulerunt: & accenderunt & incenderunt eam igni: qua solebant turres antea iactis lapidibus conquassari, & vehementer perforari: in qua inpugnatione triginta homines perdidimus. Illi autem receperunt duplum damnũ: ciues quippe per muri rimas, tam sagittis quàm spiculis, siue lapidibus crebrò nostros lædebant, & vulnerabant. Interim autẽ probitate quadã excogitata, quinq;
20 *Venetici* secunda satis fortuna vsi, carabrum suum ingressi, domum vnam diripuerunt; duobus ibi capitibus amputatis: qui tunc sine cunctatione cum lucello suo gratulabundi foras remeauerunt. Actum est hoc vndecimo Kal. Iunii. Sed nihil minus valuit, cum paulò antè Tyrii Liburnam vnam noctu Veneticis clepserint, & intra vrbẽ per portum traxerint. Nam in hujusmodi certaminibus, talia sæpè fieri obtingunt. *Hic cadit, hic surgit; hic gaudet, plorat ille.* Scientes autem Ascalonii gentis nostræ paucitatẽ, vbi magis æstimauerunt nos debilitare, vel damnum inferre, non pigruerunt molestare. Nam propè Hierusalẽ viculum quendam *Birium* nominatũ, vastauerunt & concremauerunt, & asportatis omnibus rebus illic inuentis, cũ aliquantis mortuis & pluribus vulneratis abierũt. Mulierculæ enim &
30 infantes in turri quadã tẽpore nostro illic ędificata, se intromiserunt; & sic sal[uati] sunt. Itaq; per terrã excurrentes, diripiebant, necabant, captiuabant; quodcunq; malũ poterant, faciebant: nec erat qui eis resisteret. Intenti enim omnes eramus ad obsidionẽ, misericordiã DEI expectantes supernã, quatinus laborem nostrũ, DEO fautore & adiutore, valeremus consumare. Videns autem Rex Damasci Turcos suos ac Sarracenos qui erant in vrbe circumclusi, nullo modo posse de manibus nostris euadere, maluit cum aliquo dedecore viuos eos redimere, quàm mortuos plorare. Quæsiuit ergò per interlocutores sagaci consilio, quatinus homines suos cum rebus eorum omnibus foras exciperent, & vrbem vacuatam nobis relinqueret. In quo cum vtrinque diu luctaremur, obsidibus ambifariam
40 traditis, illi de vrbe sunt egresi, & Christiani pacificè introgresi. Quicunque autem ex Sarracenis remanere in vrbe voluerunt, sub consuetudinis ratiocinio in pace remanserunt. *Sub Cancro Phœbus fuerat ter septies ortus: Quando Tyrus capitur, ac redditur, ac superatur. Nam Nonas Iulij contigit hoc fieri.* Non est igitur cessandum, non est etiam tardandum quærere Dominum nostrum, adiutorem in tribulationibus benignum; & precibus pulsare eum, vt nobis supplicantibus pium præbeat auditum. Hoc equidem persæpè in Hierusalem feceramus, Ecclesias visitando, lachrumas fundendo, elemosynas impartiendo, corpora ieiuniis afficiendo: quod DEVS vt credo, de supernis aspectans, non reliquit post se benedictionem, sed exaudiuit deprecationem nostram. Quod si aliquem adiscere tumusculum
50 auribus apertis expectabamus, ecce Legati festinantissimè venerunt, nobis nuntiantes, & litteras à Patriarcha nostro deferentes, & vrbem captam esse innotentes. Quo audito clamor iocundissimus attollitur; *Te* DEVM *laudamus*, illicò vocibus altisonis decantatur; signa pulsantur; processio ad Templum Domini deducitur; vexilla in muris & turribus eleuantur; per omnes vicos ornamenta multicoloria extenduntur; gratiarum actiones depromuntur; nuntii pro meritis dignè remunerantur; pusilli & magni pariter congratulantur; puellulæ cantilenis in choreis delectantur. Rectè mater Hierusalem gaudet de *Tyra* filia, cuius ad dexteram sedebit à modo coronata. Luget & Babylon consolatione eius perdita, cuius adminiculo dudum extiterat suffulta; cuius classem quotannis nobis hostilem excipiebant. Hæc verò si memoratur pompa, augmentantur Diui-

A.D. 1124. na gratia. Nam quod apud Hennicos ciuitas habuerat in magisterio primi flaminem vel Archiflamminem, secundum patrum institutionem habebit *Primatem* vel *Patriarcham* in lege Christiana: Vbi enim *Archiflammines* erant, *Archiepiscopi* Christianorum sunt instituti, qui singulis præsint prouinciis: vbi *Metropolis* erat, quæ interpretatur mater Ciuitas, *Metropolitani* erant, qui de tribus aut quatuor ciuitatibus, intra aliquam prouinciam maiori & matri aliarum ciuitatum præsidebant. Vbi autem minores ciuitates, habuerunt solummodo *Flammines* vel *Comites*, *Episcopi* sunt instituti. Porrò *Tribuni plebis* non absurdè intelliguntur *Presbyteri*, siue reliqui inferioris ordinis clerici. Sic omnis mundana potestas his gradibus dignitatum à se inuicem distat: id est, vt primus sit *Augustus* vel *Imperator*, deinde *Cæsares*, deinde *Reges*, *Duces*, *Comites*. Sic dicit *Clemens* Papa, *Aneclaius* *Anicius* & plures alii. Demus autem laudes DEO altissimo, quia non hominum virtute, sed sua bene placita voluntate, sine sanguinis effusione nobis Tyrum reddidit vrbem inclitam, vrbem fortissimam; & ad capiendum difficilimam, nisi DEVS manum apponeret dexteram. In hoc quidem Antiocheni deliquerunt quia nullum nobis auxilium præbuerunt, nec labori huic adesse voluerunt. Benedicatur autem *Pontius* Comes Tripolitanus, qui nobis adiutor affuit fidelissimus. Pacificet DEVS Antiochenam Ecclesiam cum Hierosolimitana, quæ duæ dissident de Tyria tertia: Illa dicit hanc sibi fuisse subditam sub Græcorum tempore; hæc dicit se esse communitam priuilegiis à Romano præsule. Nam in *Concilio Aruerniensi* tam autentico & nominatissimo constitutum vnanimi assensu fuit, vt quæcunque ciuitas, mari magno transito, à Paganorum posset excuti iugo, sine contradictione aliqua, sub Sanctæ Hierusalem dominio vel ditione perenniter obtineretur. Hoc etiam in *Antiocheno* Concilio, Episcopo Podiensi magistrante, replicatum & concessum ab omnibus est. In Hierusalem quoque Dux *Godefridus* & dominus *Boemundus*, acceperunt terram suam à Patriarcha Daiberto propter amorem DEI. Identidem *Paschalis* Papa, priuilegiis suis corroborauit, & ea Ecclesiæ Hierosolimæ transmisit, quibus Ecclesia Romana sic auctorizante, iure perpetuo communicetur. In quibus priuilegiis hæc inscripta sic continentur. PASCHALIS SERVVS SERVORVM DEI, REVERENTISSIMO FRATRI HIEROSOLIMITANO PATRIARCHÆ GIBELINO, ET EIVS SVCCESSORIBVS CANONICE PROMOVENDIS. *Secundum mutationes temporum, transferuntur etiam regna terrarum, vnde etiam Ecclesiasticarum parochiarum fines in plerisque prouinciis mutari expedit & transferri. Asinarium siquidem ecclesiarum fines antiquis fuerunt diffinitionibus distributi: quas distributiones, diuersarum diuersæ fidei gentium confudit irruptio. Gratias autem DEO, quod nostris temporibus & Antiochiæ & Hierosolimæ ciuitates, cum suburbanis suis adiacentibus prouinciis, in Christianorum Principum redactæ sunt potestatem. Vnde oportet nos Diuinæ mutationi & translationi manum apponere; & secundum tempus quæ sunt disponenda, disponere: vt Hierosolimitanæ ecclesiæ vrbes illas & prouincias concedamus, quæ per gloriosi Regis Balduini prudentiam, ac exercituum eum persequentium, sanguine, per DEI gratiam adquisitæ sunt. Præsentis itaque decreti pagina tibi, frater karissime & coepiscope Gibeline, tuisque successoribus, & per vos Sanctæ Hierosolimitanæ Ecclesiæ, Patriarchali seu Metropolitano iure regendas disponendásque, sancimus, ciuitates omnes atque prouincias quas supradicti Regis ditionem, aut iam restituit, aut in futurum restituere, gratia Diuina dignabitur. Dignum est enim vt Sepulchri Dominici ecclesia, secundum fidelium militum desideria, competentem honorem obtineat, & Turcorum seu Sarracenorum iugo libera, in Christianorum manu abundantius exaltetur.* Expletis autem apud Tyrum, prout oportuit negotiis, & tripartita diuisione dispositis; & æquiparatione congrua duabus proportionibus Regiæ scilicet potestati, & tertia hereditario iure Veneticis tam in vrbe quam in portu, sigillatim contraditis, recesserunt omnes ad sua. Reuertente itaque Hierosolimo Patriarcha Hierusalem cum Hierosolimitis, Crucem Domini Sacrosanctam, digna cum veneratione suscepit & Clerus & populus.

EXPLICIT LIBER PRIMVS A FVLCHERIO ILLVSTRI VIRO COMPOSITVS.

INCI-

INCIPIVNT

ANTIOCHENA BELLA.

Extitit hîc victor, GAVTERIVS indicat auctor
Antiochenorũ dominus Rotgerius, & dux.

INCIPIT PROLOGVS.

OPERÆ PRÆTIVM est audire, & vtilitati congruit, quomodo, quibus miraculis, qua gratia DEVS arbiter bellum cum Parthis manu Rotgerii principis Antiocheni ex insperato gessit. Auditis etenim miraculorum virtutibus proborumque virorum actibus, 20 mali prosternerentur facilius; boni etiam incitabuntur ad melius. Vnde fit, vt cuius instinctu omnia bona facta sunt, ipsius deprecer auxilium: qui eidem Principi Spiritus consilii & fortitudinis vires administrauit, quibus superbiam gentium elidere, & feritatem debellare præualuit: mihi quoque rei seriem desiderantis literis assignare, ac posteritatis memoriæ commendare, scribendi potentiam & sermonis copiam cælitus dignetur instillare: quatenus capaces rationis & veræ fidei defensores, audita veritate, Creatoris sui imperio & seruitio viriliter inhæreant; aduersarii verò diuino terrore perculsi, tàm præsentes quàm fu- 30 turi non Domino, sed suis confisi viribus sagittis Domini terga præbeat, ac reuerti ad opus simile non præsumant. Veruntamen inspectis partibus pugnæ necessariis, materiaque sumpta meis æqua viribus, ante pugnæ narrationem, videtur mihi perutile præcedentia mala prius indicare, vt ex causis prælibatis, sequentium effectus perpendatur facilius. Primum igitur locustarum agmina longè lateque sub metaphora hostium agitata, acolarum Syriæ penitus omnia abstulêre victui necessaria: De hinc partim humi serpentia, partim per auras dilapsa, ferè o- 40 mnium Orientalium Christicolarum plagam ad idem duxêre inconueniens. Qui licet se debere affligi digna vltione nouerant; Dominum tamen Creatorem suum, non solum sibi fore placabilem non expetebant, præteritis inherentes vitiis; verùm etiam terminos pudoris excedentes, crimina criminibus augebant. Quidam namque osores ieiuniorum, sectantes epularum, gulæ illecebris addicti, non benè viuentium, sed benè pascentium mores vitamque imitari studebant. Alii verò incestitatis affectu, contubernia sequebantur impudicorum: * aurum etiam * publicarum reuerentiam vrbis inuerecundis incestare nitebantur, facientes am- 50 biguum putidiores ac facinorosiores existimarentur. Nonnulli autem habentium diuitias iniustè adquisitas, suis etiam propriis abusi, vasa sibi fieri voluptuosis excessibus apta, Salomonici operis arte insculpta, ardenter inquirebant: vxoribusque suis, fama narrante artificis, auro Arabico, praeciosarumque gemmarum varietate multiplici, putibundæ partis tegumina studiose componi satagebant. Non obtegendæ turpitudinis forma, vel refringendæ libidinis flamma; sed vt quibus ingratum erat quod licebat, eos acriùs vreret quod non licebat. Qui cum hoc modo suam vellent incitare libidinem, mulieres dealbare & eis

satisfacere putarent, vt prælibauimus, augebant crimina criminibus. Mulieribus itaque nihil sancti, nihil pensi erat in appetendis turpitudinibus: Infrunitæ enim, spreto viri thoro, in lupanari prostibulo incestui seruiebant. In biuiis, in triuiis, in competis exquisitis potationibus, die noctuque inuigilabant: per plateas & per vicos se agentes, habitu & incessu lasciuæ, transeuntium obtutibus obsistebant: quouis ære mercabiles volentibus succumbebant. Nolentes autem, quos ad suam impudicitiam irritare non valebant, etiam dato precio vix obscedere permittebant. Hos itaque perpetrata mala non plangentes, & plangenda voluntariè ac publicè perpetrantes, auctor summæ iustitiæ signis, prodigiis, plagis, tribulatione etiam aduersarum gentium, multis annorum curriculis illatis, non perdendo sed parcendo permisit affligi: Græcis namque regnantibus ipsorum imperio seruisse conuincuntur: Eisdem ex Asia propulsis, Parthorum regnantium cessere domino: tandem, Domino volente, intolerabiliori subcubuêre Gallorum posteritati: Qui cùm neque hinc, neque inde corrigerentur præfati Syri & eorum dominatores, tantam à contingenti terræmotu passi sunt calamitatem & ruinam, quantam antea fuisse nulla commemorauit historia.

EXPLICIT PROLOGVS.

A.D. 1115.

ANNO igitur *millesimo centesimo decimoquinto* ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi, in Vigilia Festiuitatis beati Andreę Apostoli, sub tempestate noctis silentio, qua humana fragilitas habilius atq; dulcius quiescere consueuit, factus est *terræmotus* in Antiochiam & omnes partes, immensus & horribilis. Ipso etenim ex insperato homines terribiliter pulsi, sentiunt, vident, audiunt, murorum, turrium, ædificiorumque diuersorum ruinam sibi à cæteris penitus imminere. Quam nonnulli fugiendo putantes euadere, quidam elapsi à mœnibus, quidam ab altis domibus in præcipitium se dedêre. Plures equidem in somno cum ruina membratim ita sunt rapti, quod manente etiam parte partis integra, nusquam comparuêre. Alii verò terrore percussi, dimissis domibus, spretis opibus, relictis omnibus per plateas & per vicos ciuitatis, velut amentes se agebant: expansis tamen ad cœlum manibus, pro diuersitate metus & impotentiæ, pro diuerso linguarum genere, voce lacrimabili, PARCE DOMINE, *parce populo tuo*, clamare non cessabant. Mane autem facto, cùm sub ruina, tam hominum, quàm & aliorum miseræ cladis pateret humanitas, omnes vnanimiter Latini, Græci, Syri, Armeni, aduenæ & peregrini suis peccatis exigentibus, id accidisse profitentur. Nec mora, salubri vtentes consilio, ad ipsam beati Petri Apostoli confugiunt Ecclesiam, perpetuæ tutelæ quærentes patrocinium. Ipsum namque quem in prosperis non cognouerant, in aduersis, operante eius summa bonitate cum iustitia, cũctipotentem ac propicium recognoscunt: & eidem se grauiter peccasse confitentur: suisque præteritis & præsentibus abrenunciando voluptatibus, Domino *Bernardo* primo Patriarchæ Latino, emendationem promittunt deuotissimè: cuius fide mentis & orationibus, cum suo Clero & cæteris fidelibus humillimè Domino supplicantibus, vt verè credimus, residui sui populi Antioceni misertus est Dominus. Celebrato verò diuino officio, facto sermone, iniunctisque mandatis, quomodo se habeant, vel quid agere debeant, nihil grauius accidisse putantes, repente horribili terrentur nuncio. Quidam namque à periculo ruinæ oppidi *Miragii* diuino nutu elapsi, ipsam ciuitatem cum eiusdem domino & Episcopo, clero, etiam omni populo funditus euersam fuisse protestantur: Nec multo post recordatio oppidi *Mamistrare*, cum oppidanis & maiori parte ciuitatis, In festo Sancti Bricii, antea pessundati, metum multiplicat. Quid de cæteris Antiochenis finibus? Quid de *Cypro?* pars tormentum prædicatur de disparibus: Metus ergo timori permixtus ita miseræ plebi ingeminatur, quod vbi maneant aut quò fugiant prorsus ignorant. Quaque enim die, horis desperatis instabant terræmotus. Vnde ad inuicem hæc pronunciant; *ô necessitas abiecta nascendi, misera moriendi: dura*

dura viuendi nostra necessitas. Hi licet nouerint DEI potentiam nusquam & nunquam posse aufugi: eligunt tamen facilius esse cohabitare cum bestiis extra, quã intus incessanter ædificia timere ruitura. Quocirca in vicis, in plateis, in ortis, in virgultis, desertis habitationibus, aliis tentoriis pro domibus suis posciebantur: Plures etiam relictis ciuitatibus; de loco ad locum translatis mappalibus in campis morabantur: Et qui Patriarcha loci temporis omnium peritissimus, per necessaria disciplinarum philosophiæ membra discurrens, desolatorum, etiam penè de vita desperantium corda, sanctæ prædicationis dulcedine fota, mitigauit: Ac tunc demum omni populo triduanum ieiunium in gemitu, & spiritu con-
10 tritionis indixit; adiungens etiam mala opera vitare, ac bonis omnibus inuigilare: Quid igitur operis? populus in Domini seruitium redactus, hoc modo perhibetur. Commessationes fugiunt, ebrietates detestantur, vitant *baldea*, execrãtur stupra, omni etiam cultu corporis postposito, habitu in cinere & cilicio mutati, de plateis in plateas, de Ecclesiis ad Ecclesias, semotim viri, semotim fæminæ, nudatis pedibus, solutis crinibus, pulsis pectoribus, vbertim lacrimis rigatis vultibus, de die in diem Letanias frequentant Domino medullitus. Noctibus siquidem tam in Ecclesiis, quàm in cubiculis vacat instanter orationibus; dispersos reuocant, deuios corrigunt; Orphanis, viduis, ferre solatium, & eorum indigentiam supplere satagunt; sufficienti etiam hospitalitate pauperum, inopum,
20 & indigentium corpora, vultu hilari nituntur recreare; ac recreata datis muneribus exhilarare. Quid vltra? Fructu pœnitentiæ correcti, bonis operibus adornati, à periculo terræmotus per quinque menses & vltra imminentes, non suis meritis, sed DEI gratia liberati, Cuncti-potenti referunt gratiarum actiones, in Ecclesia sua læti. Princeps igitur memoratus, diruta ædificia sua in castris & alibi visitans, perquantocius perquisitis necessariis, ea quæ defensioni suæ terræ vtiliora, & hostibus propinquiora nouit, & si non ad plenum, ad præsentem tamen tutelam, reparare ac munire maturauit. His peractis: redeunte æstiuo tempore, sicut mos est regionis illius, properauit ad fines in quibus ocius de aduentu Parthorum audire valeret; & vnde pernicius hostium turmis occurrere posset.
30 Peruenit itaque vsque ad *Fontem Faris*, vbi exercitum suum sibi fore obuium præmandauerat. Ibique eo tractante cum suis de communi vtilitate, diuersarũ gentium exploratores, ad illas Parthorum partes mittere deliberat, quarum dominatores nunquam fraudati à rumoribus per suos etiam internuntios Christianæ miliciæ præsidia ferre solent. Ipse verò dimisso ibi exercitu, cum paucis Antiochiam reuersus accersito Antiocheno duce *Radulfo de Acon*, viro experientis consilii, in primis quid sit agendum de emendatione, & de statu totius ciuitatis, cum eo discernit: de his etiam quæ cum Domino & bellatoribus fieri deceant ad belli necessaria, ipsum consulit. Dux igitur vicecomitem ad se vocari iubet, vicecomes prætorem, prætor præconem, præco iudicẽ: his aduocatis agitur causa præ-
40 libata: iniuncto mandato domini principis vocantur maiores, vocantur & minores. Nec mora conueniunt. Dux itaque pulchrè eos alloquens, præsentis negocii causam & domini sui decretum indicat ita peragendum, si ipsorum consilio non displiceat. Audita causa negocii, susceptoq; decreto principis, omnium vna fuit sententia. Mensuratis igitur murorum ac turrium dirutionibus, habentibus terras & honores, secundum maius & minus, reficienda præbentur. Princeps interim custodes cum custodibus, quos sibi fideliores intellexit, tam in oppido, quàm in ciuitate, vt iturus ad bellum, diligentissimè poscit. Deinde præmissis armis, aliisque belli & victus necessariis, audito diuino officio in beatorum intercessorum Ecclesiis, Sanctæ Mariæ Virginis, Petri & Pauli, Georgii & aliorum
50 plurimorum, facta oratione, accepta licẽtia, & Patriarchiali benedictione; DEO & domino, & Patriarchæ, se ipsum & ciuitatem, & omnia sua commendans, valedicens omnibus, in expeditione profectus est. Hinc dominus in exercitum, inde exploratores adueniunt. Interrogati, Persiam gaudere ob ruinam & interitum Syriæ, publicè respondent. Referuntque *Soldanum Corocensem*, à Sole & Luna acceptis auguriis totius Persiæ exercitum mandaret; & ipsam Syriam, à DEO derelictam signo terræ motus, cum aliquantulo inhabitantium residuo, suo dominio ex facili posse subi[illegible] profecto confirmare. Noua secretiora, admissi in cancellis, soli principi cum interprete, enucleare festinant. Auditis gentium legationibus eliminandi à velis, ne obstrepant, eliminantur; admittendi, sagaci

consilio admittuntur. Princeps ergò secum reputans, *iacula quæ prouidentur minus ferire, & post consilium sapientes non pœnitere*, lagationes lagationumque causa seriatim suis indicans, quid vtilius agendum sit ipsos consulit. Ventilata consilii causa necessaria, ad *Cereptum* festinare dignum ducunt. Audierant namq; fama narrante, Damascenorum Regem *Boldechinum*, cum *Amirgazi* Turcomanorum Amirado decem millibus militum comitatos ob fidelitatem nati Rodoam *Cal.* peruenisse. Sed res erat, vt ipsam, facta concordia, pro nece *Maledocti*, molirentur Soldano tradere, si valerent. vnde nostrates accelerant, feruentes concitato belli examine, ipsorum sententiam permutare. Quod vbi comperierunt nostrorum ipsorum fines attigisse, timore subacti animi sui habitum vocis indicio dissimulant: Aiunt enim, missis ad principem internunciis, ob firmandum fœdus amicitiæ cum ipso, & contra Particum hostem se venisse expugnatum. *Dodechinus* autem licet virorum Christicolarum Parthorumque potentiam formidabilem vereretur, maluit tamen simulata pace cum Christicolis concordari, vt ipsos duceret ad perniciem, quàm Parthis adquiescere, quos multos crudeliores sibi in pace quam in bello cognouerat. Loco itaque assignato conueniunt: ibique firmatis conuentionibus quasi amici facti sunt. Disponunt igitur, contra hostium turmas quò vtilius sit eundum, sed similiter: Damascenus enim ad loca vtriusq; fortunæ sibi suisque vtiliora ire præmonet; Antiochenus verò, ad illa quibus recta fronte, hostes citius agredi potuissent. Quid singula? principis stat sententia, cui iam prædictum fuerat exercitum barbarorum per *Salobriam* venturũ *Sysaram*, quæ antea tributaria & nostris seruiens, iam versa fuit in contrarium, illorũ confisa suffragio quorum postea, actione vtriusque partis, passa est dispendia. Tandem nostrates missis exploratoribus contra hostes, *Appamiam* proficiscuntur. Vbi velut filii & parentes societate hospitalitatem, vinculo etiam dilectionis integræ videbantur conuenire, licet numeri ac probitatis differant quantitudine; pars etenim Principis vltra duo milia pugnatorũ non poterant inueniri; pars autem diuersæ societatis à multis reputantur æquipollere decem millibus: Hæc autem quod maius numero, probitate quidem minus obtinebat. Siquidem ante Apamiam castrametati, per duos menses morati sunt, antequam eis certus Parthorum nunciaretur accessus. Mense vero Augusti *Burno* Parthorum dux militiæ, stipatus validissimis pugnatorum agminibus, vltra Eufraten iam venisse, atrociter partes Syriæ inuasisse nunciatur. Quod vbi princeps verum esse comperit, *Regi Hierosolimitano*, comiti *Tripolitano*, suis notissimis internunciis, cum literis sigillatis hostium aduentum locumque nominatum, non multum à nostris distantem apud *Salinas* indicat, vbi factis potationibus, cæterisque voluptatibus, crescentis Lunæ augurium expectabant: hortaturque eos pro suis viribus, cum celeritate, Christianæ militiæ adesse præsidio. Rex itaque probitati semper intentus, haud signiter agens, eodem die præmissis nunciis ad Comitem ne moram faciat, quàm citius potest ipse subsequitur: Præmandat tamen Principi cum iuramento Christianitatis & amicitiam fraternitatis, quocunque erant, vel vbi consistant, ne eos sine ipsorum adiutorio aggredi non præsumant. Interim hostes, vt fama præcinit, per *Salobriam* profecti, acceptis ibi necessariis, *Hammam* perueniunt. Quod cum reperissent ex parte Soldani dari sibi ne habere minis aut precibus potuissent, Stipati armatorum validissima manu illud inuadũt strenuissimè. Inuasumque vndique truncatis pluribus, vi fortior hostis ingreditur. Quod factum non minimum intulit timorem popularibus. Ingressi ilico dominam oppidi exponunt, fortioribusque villæ, quibusdam expositis, quibusdam interemptis, ipsorum inter se distributis opibus, ibidẽ custodes suos adhibent. His peractis, *Fisariensis Amaraldis* confisi amicitiam apud ipsum volentes hospitari, *Sisaram* accedebant. Ipse autem haud immemor Hamensium incommodi, vtilius secum reputat, ipsis extra hospitatis præbere necessaria, quàm intrantium ferre incommoda. Timebat enim in suis rebus redundare hostium sæuitiam; sed multo magis se ipsum verebatur fore necis prædam. Præmisit igitur fratrem suum, vt fama retulit, Barbara munera ferentibus equis comitatum, quo prætiosioribus *Bursonem* prædonaret; cæterosque magnates præsentatis aliis, acceptos sibi redderet; & vt eo mediante inter ipsos firmaretur fœdus amicitiæ: Ita tamen, quod dum dominus Sisaræ maneret præsidio oppidi, Frater eius indigena sciens aditus & recessus patriæ, deuastationi belliq; necessarios, cum ipsis proficisceretur, dux

dux eorum itineris, & prouisor vtilitatis. Sed vt in sequentibus dicam, Domino operante, contra spem eorum res versa est in contrarium. Frater, fratris Imperio obtemperans, iniunctum sibi negocium lætus exequitur. Exercitus autem ante cauernas Sisariæ castrametatus, iterum factis potationibus de die in diem, à longe positis excubiis nostrates bello lacescere temptant. Princeps igitur Christianitatis Sacramento, & fraterna regis dilectione coniuratus, tam prçludium quàm & ad belli aditum, erutione oculorum interposita, generaliter omnibus suis abdicat. Quo audito, pars hostium arrogans, ex insperato, *Cafarda* castrum tribus leugis à nostris semotum attigit: quod sepius agressum licet pars
10 interior, crebris sagittarum ac lapidum ictibus dirisque vulneribus premeretur, ea vice capi non potuit. Sed quodam illorum Amiraldo interfecto, & pluribus vulneratis, reuersi sunt ad exercitum, asserentes ipsorum dolorem vindicta posse minui. Qui cum molirentur quomodo atrocius nostros aggredi potuissent, fama nuncians Regis aduentum proximum ipsorum aures perculit. Ipsi verò non in virtute Sancti Spiritus, sed in multitudine exercitus confisi, antequam rex accedat factis agminibus, abiliores prælудio ad tentoria nostrorum dirigũt, acies de more ipsorum ordinatæ sparsim subsequi deliberant, loco assignato, *Bursone* duce ipsorum, cum maxima in expugnatorum remanẽte præsidio. Quid vltra? Vibratis iaculis, emisis sagittis, fere in castra nostra cursitant. Quo viso
20 Princeps memoratus veloci equo residens, exempto ense castra suorum circuit, asserens: *Fide DEI, quâ viuimus, si quis egredi iam præsumpserit, meo peribit gladio:* quin immo, præcepit vnicuique armata manu & vigilanti animo pro castro suo stare. Nec tamen præsumi vllo modo vel signum conflictis ipsis demonstrare. Mirantur itaque *Parthi*, gentem bello promptissimam, iniuriæque semper inpatientem, toties sagittis prouocatam, toties conuiciis affectam, tam patienter ferre, quod dimicandi signum nôn ostendat, & quasi illorum timore deuicta iam succumbat. Quidam & nostrorum, id facti timiditati reputant: Nonnulli autem capationis ingenii, hoc fieri de Principibus industria coniiciunt: vt explorato congrui temporis articulo, non admonitione hostium, nec præsumptione virium,
30 sed sui, regisque in proximo aduenientis, dispositione prouisa, ingenioque expienti, eos impetere præualeant. Sæpius etenim, vt exceptum est, præualet in bello cum audacia & ingenio pugnatorum paucitas, quàm infrunita & vacillans armatorum multitudo. Interea, fama narrante velociore facto, regem *Balduinum Pontiumque* comitem viriliter celeriter accelerare compertum est. *Burso* igitur dux dolosæ caliditatis, retrocedens fugam simulat, & quasi repatriare volens, per partes *Sisara* diuortia faciendo, ad tempus suam ocultauit nequitiam: vt nostris retrocessis ac separatis, valerent tutius diruere marchitima municipia. Interim rex, de more pristino cimbalis resonantibus, tubiis tubique clangentibus, castra nostrorum ingressus est: Statimque vt rex comperiit hostes re-
40 cessisse, admodum se serò venisse conquestus est. Breui tamen sumpto consilio, cum ignorent quò eos subsequi, & vbi inuenire possint, quoddam castrum ea vice Parthis subditum, *Gistrum* nomine, oppugnatum ire deliberant, æstimantes eos hoc facto ad bellum posse reuocari. Nec mora, nostrates illuc perueniunt. Repente ordinatis agminibus per circuitum, tam oppidum quàm suburbium aggredi stenuissimè satagunt: tandem suburbium ictibus ensium comprehensum, partim diruitur, partim igne comburitur. *Perses* verò licet fumiferarum nubium intimatione, propriorum oculorum suorum intuitione, exustionem eiusdem municipii à nostris ob illorum dedecus factam esse intellexerint, verentur tamen illos aggredi, quos antea inuaserant. Hoc namque iudicio, pro
50 ingenio audaciæ & probitatis secum reputant, quicquid ante castra pro inertia & timiditate duxerant. Cum autem nec venerint, nec rumor audiatur vbi manserint, agitur quid super hoc fieri deceat. Pars igitur illa quæ magis sperabat bello adquirere quàm domi sibi reliquisse, reperte, subsequi bonum esse confirmat. Pars cuius animum res possessa dulcedine reuocabat, cum hostis sit copiosus, sitque valde fortis, vnumquenque ad propria reuerti, causa sua tutandi municipia, vtilius esse iudicat. Rex itaque Hierusalem cum suis Tripolitanis Tripolim, Damascenus Damascum, Princeps Antiochenus Antiochiam reuersus est. Nec id fieri istorum potentia intelligimus; sed illius

procul dubio, qui societatem Belial à nostris separari voluit. Nec multò post partes Sisariæ hostes tyrannidem exercendo, quadam die castrum *Cafarda* quò iam damnum eis contigerat inuadunt atrocissimè: Hinc inuadunt, illinc pertrariis aliisque machinamentis ita quidem pulsant, quod factis muri dirutionibus ingens præbetur aditus. Mox introgressi, præsentes suos interemptos, & præteritos vindicandos, quosdam interficiunt; quosdam altionis fortunæ reseruant, vt ipsos pro victoriæ palma Soldano præsentare valeant. Sed prospera illorum postea, DEI gratia, cessêre in contrarium. Castro illo funditus diruto, per finia deuastando & truncando quos inueniunt, ad *Marram* peruenêre, quam antea deuastauerant. Ibique quasi in propriis remanentes, ingenia quibus *Sardonas* capi posset, studiose præparabant: Hæc & his similia domino *Rotgerio* principi, existenti Antiochiæ citò reuelata sunt. Quo audito, virili audacia motus, sua tantum comitatus domestica familia, secessit ad *Rubeam*; præcepitque suis omnibus, absque omni dilatione & *exonio* illic tendere: Dominum autem *Patriarcham* precatus est cum summa deuotione, illo peruenire, vt suo officio & benedictione potiti, liberius & securius DEI militiam exercere valeant. Mense igitur Septembrio, die Dominica, ante diem festiuitatis Exaltationis Sanctæ Crucis, Antiochenus, loco assignato *Philacibas* Patriarcha festinus adest. Distinctè & apertè DEO magis placita quàm hominibus locutus est. Quicquid enim reprehensibile, & quiquid DEO contrarium in eis nouerat, ibi quidem non tacuit, sed sicut decet patrem arguendo, obsecrando, increpando, quæ vitanda sunt & quæ sectanda, ipsos edocuit. DEO, & domino Patriarchæ, sua peccata fateri non erubescunt: Iniunctumque est vnicuique à domino Patriarcha vice veræ penitentiæ, pro posse cuiusque, cum DEI auxilio plenam iustitiam tenere, tali inquam modo, vt qui in illo eminenti bello mortui fuerint, sua absolutione, Domini quoque propiciacione, saluentur; & qui redierint, in proximo festo omnium Sanctorum, statuto concilio omnes conueniant, concilio Antiochiæ Ecclesiæ inter se, tam in rebus possessis, quàm & aliis, plenam iustitiam facturi: Hoc tamen supplemento, quod si plenam, per ignorantiam vel impotentiam, adimplere nequiuerint, illorum consilio & iudicio, qui secundum iustitiam capaciores veritatis fuerint, adquiescere non renuant. Sic tractum & iniunctum, ab omnibus concessum est, & singulatim iunctis manibus omnium inter manus Patriarchæ, DEO & eidem fide promissum est per induciam & Ecclesiæ propiciationem: quod si forte oberrauerit, per emendationem & satisfactionem Ecclesiæ, eos saluari posse. His peractis venerabilis Patriarcha Missarum celebrans sollemnia, præmissa populo sibi commisso peccatorum absolutione, omnes Patriarchali benedictione confirmat; & in ipsos spirituali diligentia episcopi Gibbelli, ad bellum simul pergentis, humillime commendat; ac salutatis omnibus Antiochiam repedat, assiduè Domino supplicans, & ipsum deprecans, vt qui superbos humiliat, & qui ab initio bella conterit, ab impetu populi sui conterat aduersarios. Sequenti autem die, expositis circumquaque custodiis, agmina sua confidenter Princeps iubet procedere, illicque citò gressu tendere quo Parthos, vicinorum reuelatione, iam iam venturos audierat. Cumque parati in hostes irruere assignato appropinquassent loco, cum ipso non inueniunt quos perdere iam quærebant, ante *Hapa* castrametati sunt. Mane autem expleto viuificæ Crucis Missarum officio, cuius exaltationis festiuitas eo die contigit, *Willermus* episcopus Gibellensis, vir per omnia laudabilis, populum à DEO sibi commissum, verbis & exemplis eidem festo congruentibus instruxit, monuit, & armauit. Quid vltra? Omnis cum summa deuocione eiusdem Dominicæ Crucis lignum sacratissimum, antequam iter arripiant, properant adorare; cuius licentia & benedictione muniti, præmissis exploratorum speculatoribus, ne subitus hostis in eos irruat, ordinata acie *Comitis Edessani*, ex dono principum, primi ictus in bello primatum obtinentis, dispositisque cæteris agminibus, ordine belli necessario, viam arripiunt. Repente *Theodericus Barneuille* vnus ex speculatoribus, festinus adest, vultu hilari sic locutus: *Ecce quod quærebamus, ecce quod cupiuimus, diuina operante gratia: vbi nostra figere tentoria disposueramus, in valle Sarmiti circa fontes, ibi hostes sua*

partim

partim iam fixa partim adhuc figenda explicant. Ad hæc Princeps: *In DEI nomine, ad arma milites.* Sic fatus, virili fretus audacia, de acie ad aciem celeri vectus equo cursitans, omnes admonet debere iam letari cum certamen sit paratum, quo exerceri deceat militis officium. Imperat igitur arma baiulari, nec vlterius differre paratis. Ilicò præsul memoratus, in Spiritu humilitatis Crucem Dominici ligni venerabilibus gestans manibus, totum circuit exercitum: quam dum ostentat omnibus, asserit eos in proximo per virtutem eiusdem victoriam adepturos, si prompto pectore in hostes irruant; & in Domino IESV credentes certauerunt. Continuo omnes corde & ore simul proclamantes: *Sancte DEVS, sancte, fortis, sancte, & immortalis, miserere nobis*, ter flexis genibus corã ligno Dominico procumbunt; & ipso reuerentissimè osculato eidem se comendant. Hac consolatione muniti, hoc signo signati, iterum atque iterum ipsam Crucem salutantes, celeriter equos ascendunt. Princeps verò, intrepidum gerens animum, manu ceteris silentium in dicendo, sic loquitur ipse: *Eia, fratres mei & commilitones, tuque manus pedestris, accedamus iam propius: Mementote quanta laude, quanta veneratione, quanta etiam literarum commemoratione acta proborum virorum toto mundo ascribantur memoria. Ecce tempus adest quo vigor & probitas nostra vigeat, quo nomen nostrum victorabile super Barbaros, orbis per climata clarius elucescat. Attendite etiam, quia legitimè certantibus à Domino corona iam promittitur. Festinemus igitur in ipsos ingredi, & fractis lanceis, quantocius nudatis ensibus circa timpora accedamus vicinius; vt crebris nostris ictibus illorum superbia prosternatur; & DEO vindicante non differatur interitus.* Cumque pergerent ordinatis aciebus Princeps generaliter omnibus præcipit, vt nulli cupiditate diuitiarum moti ad rapiendum se inclinent; sed sicut decet bellantes, suam protegendo salutem, hostum nitantur perdere feritatem. Præsul ergo memoratus, huic salubri sententię resistentes, corporali vindicta meritò debere puniri prædicat; & quod intolerabilius est, perpetuo anathemate feriendos confirmat. Sic factus, vnumquemque ad certamen accingit animosius. Interim contra arma nostrorum Solis vibrante lumine, Parthorum lumina obtunduntur, æstimantium & dicentium ibi non esse Principem, sed tuentium marchiam girouagorum plebem. *Burso* itaque, ipsos à tergo retortis manibus, ad se funibus adduci imperat. Nec mora vexilla principis prodeunt: quæ, DEO rectore, sic à Parthis videntur dilatata, vt de albatis militibus & vexillis, ipsam terram circumquaque tegi crediderint. Burso tamen suique, omnes erroris scarie imbuti, cum fratre suo & vi nimia pugnatorum, vt ibi nostri resistant, montem nomine *Danit* ascendere non differunt; In cuius cacumine eminentis mathesis falsorum Deorum auxilia sibi adesse inuitant. Tandem ipsum montem non solum se ipsis, verùm etiam diuiciarum multiplicitatem visi sunt honerasse, *Tumbaret* vltra montem cum sua acie latitantem præsidio. Cæteri verò in tentoriis & extra præsentium diuitiarum capti, suis quidem, maximè autem principum suorum confisi viribus, superbè præstolantur: quod nec penitentia iuuatur, quia sera; nec suorum protectione releuatur, quia perdita. Adest namque *Rotgerius* Christianæ militiæ Princeps elegantissimus, cum sua acie hostibus ferocissima, personantibus tubis per media castra, captos suos liberando & hostes obtruncando, diuitias quasi fimum reputando, ad montem, quo standarum & robur ipsorum conclomeratum fuerat, iter dirigit. *Comes* verò *Edessanus*, *Guidoque Capreolus*, ad primos ictus ordinati, à sinistris antecedendo, asserunt se, alterum recta, fronte super montem, alterum ex oblico hostes impere. *Burso* autem diuini terroris iaculo sauciatus, cum fratre suo & familiaribus, quasi bellaturus descendens, viriliter resistere montemque tueri præcipit; Seipsum cum quibus potuit, fuga deliberat. Interim, hinc Comes, inde *Guido* in primo impetu fractis lanceis, astrictis mucronibus hostes percutiunt: Vnde clamor, luctus, & armorum fragor vtriusque partis bellantium aures sic obturat, vt nec amicus amicum, nec frater fratrem intelligat. Nostrates autem non clamoribus territi, nec labore deuicti, pari audacia vires resumendo, hostes eliminant, euiscerant, & obtruncant. Quo viso, *Tumbaret* ex oblico sinistrosum prosiliens splendenti acie trecentorum militum comitatus, post aciem principis cursitando, cum ipsam nec impetere audeant, nec crebris ictibus sagittarum ab incepto gressu dimouere possunt, Turcupulos contra ipsos sagitãtes, plus citis gressibus intra nostrates mergi faciunt: ex ipso impetu cohorti *Rotberti Fulcoy* dextrorsum incedenti, recta fronte obuiat.

Quam cùm intuiti fuissent, *Rotbertus Surdevallis*, *Bocardusque* milites egregii, ne veriti disperatæ gentis expetere feritatem, subito in medios hostes se conferunt obtruncando perfidos, demum & ipsi obtruncati CHRISTI martyres effecti sunt. *Rotbertus* verò non moratus suorum vlcisci sanguinem, strenuè decertando succisis loris equi sui, sagitta sauciatus occidit, cohorte illius penitus dissipata. *Alanus* adolescens, *Guidoque Frenellus* simul incedentes voce viua hæc pronunciant; *Commilitones nostri probatissimi, iam iam nostris ferendum est subsidium.* Mox intromissi, peracto lancearum officio, ictibus ensium defunctos nostros retinent, viuosque illius aciei protegunt: vicissim tamen hinc & inde sanguis immensus funditur. Interea nostrorum acies, tam dextrorsum quàm sinistrorsum Parthorum multitudinem vndique frementem intuentes, pari voto, CHRISTE IESV proclamantes in medios hostes irruunt. In primo aggressu, diuino feriente gladio, hostilis clamor antea horrifex & immensus, diuerso modo, morientium crebris singultibus commutatur. Quid singula? Quidam diuersæ illationis pœnâ, necis fiunt materia; cæteri verò diuinæ vltionis iaculo percussi, terga vertentes diffugiunt. Princeps igitur DEO deuotus, ipso die per virtutem Sanctæ Crucis victoriam adeptus est. Felix belli campus, Domino largiente, eidem aperitur. Ipse itaque, prout dignum est, cùm domesticis laude suorum, in campo remanês protinus ad insequendum cæteros dirigit: Qua in re præ cæteris acies beati *Petri* laudis nomen obtinuit. Ibi quidem planicies ita fuit partim mortuis obsita corporibus, partim camelorum cæterorumque animalium diuitiis honeratorum referta multitudine, quod nostris occidendi impedimentum, fugientibus exitium euadendi subsidium. Nostri tamen percutiendo, vulnerando, obtruncando, infra duo milliaria vltra *Sarmitum* hostes insecuntur. Tandem victores reuersi, diuersa ferendo, mittendo, ducendo, opibus honerati, DEO Creatori gratias agentes, ad ipsum Dominum *Rotgerum* principem campum obtinentem, exhilarati perueniût. Quid referam captarum diuitiarum seriem, cum nec modus, nec varietas ab vllo perpendatur? Quid hostium occisorum numerum? Cùm sint innumerabiles, apud nos pauci reputantur. Princeps verò per tres dies campum obtinendo, coram ipso allatis opibus, quod decuit tantum principem sibi reseruari præcepit; cetera diuidi, sicut dominatus & mos eiusdem curiæ exigit. His peractis, Princeps ante se diuersarum gazarum copia, captiuorum præmissa multitudine, DEO supplicando; suisque omnibus gratias agendo, & quod DEI seruitium viriliter sapienterque peregissent, piæ paternitatis amore omnes licentiauit. Primatibus autem ad propria redeuntibus, vxoribus suis ac liberis visitatis, ad tractandum de Christianismi vtilitate, Concilio Antiochenæ Ecclesiæ, tempore assignato, Antiochiam reuerti præcepit. Ipse verò cum manifesta victoriæ palma rediens, per rura & castella, cum hymnis ac canticis ab omni populo lætus excipitur: Cumque appropinquasset Antiochiæ vrbi venerandæ, per totam ciuitatem sonus aduenientis intonuit: Sanctarum itaque reliquiarum præcedente ordine, venerabilis Patriarcha cum suo clero Ecclesiastica institutione decorato, virorum ac mulierum sequente multitudine, exiit ei obuiam: *DEVM time, & mandata eius obserua*, vocibus angelicis personantes, ipsum suscipiunt, conlaudant, ac venerantur. *Ad honorem summi Regis, Et ad effectum sui regis, Liber, seruus, & ancilla gratulantur die illa.* Interim diuersarum nationum populus, Innituntur coronare ciuitatem floribus. Quisquis carum seu rarum ornamentum habeat, Tunc non celat, sed reuelat, quo victori placeat. Vicos sternunt & plateas ornamentis sericis, Auro gemmis adornant, ob aduentû principis. Diuersarum specierum tantus odor funditur, Quod terrestris paradisus possit dici penitus. Princeps intrat; plebs resultat laudibus hymnidicis: DEVM laudant, hunc salutant vocibus altisonis. Sic ad templum Sancti Petri peruenêre pariter, Vbi laudes DEO Patri persoluunt alacriter, Ergo Princeps ad altare, fert vexillum triumphale; Offert illud speciale, posthæc minus principale. Adorato DEO vero, reddidit grates omni clero, prece cuius decoratus, victor extitit beatus. Ipso valuas exuente, clamant omnes cordis voce, *Salue Rex athleta veri, te formident hostes DEI: Tibique sit continua pax, salus & victoria per seculorum secula. Amen.*

PRIN-

Princeps valde probus Rotgerius Antiochenus, qualiter occubuit, Gauterius hic recitavit.

Inter diuersos prisci temporis bellorum euentus, profectò illorum aliquis ab historiografis assertus, seu mestitiæ seu gaudii mentibus auditorum quoquomodo causam intulit: Illud verò doloris dolorum, ac totius infelicitatis elogium, quod repentina calamitate belligeram partem Rotgerii *Antiochenorũ principis, ipsumque principem mole criminum exigente subintrauit, ita funditus gaudia remouit* 10 *totiusque miseriæ terminos modumque excessit, vt nec verbis exprimi, nec mente concipi valeat, quotque quibusque penis & inauditis mortibus exterminii immanitatem nostris intulerit. Vnde necessario fateri cogimur, quod nec historiografus ad plenum rei seriem describere valeat; nec alius aliud, quàm diuina fuisse vltione dicere præsumat. Veruntamen ne penitus à memoria labi videatur, quod dignum relatu auditorum saluti possit consulere, mutato stilo primi belli, prosperè succedentis, ego ipse* Gauterius *cancellarius, vtriusq; fortunæ particeps existens, expertusque* magis nocere carnis prosperitatem, animæ; quàm aduersi- 20 tatem, corpori, *partem secundi cedentis in contrarium describere curaui cum ipsius adiutorio qui nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui inspirat, vt ea quæ sibi fiunt placita implere valeamus. Primum itaque diuinæ legi obtemperare volentes admoneo,* non gloriari in malitia, nec esse potentes in iniquitate; sed nec vnquam in suis bonis actibus superbire: *Hoc enim vitio, de ipso fastigio perfectionis deiectæ sunt animæ: eodemq; & nos* Deo *ingrati, & immemores sui beneficii ex euentu prioris belli nostris viribus victoriam impu-* 30 *tando, in secũdo detestabili, quidam subito facti necis matheria; quidam verò diro longoq; cruciamine reseruati cecidimus: sicut in subsequẽti tractatu, pro capacitate nostri ingenii vi carceris ebetati, posteritatis memoriæ cõmendando designabimus.*

Forte fortuitu contigit *Algazi* Turcomagnorum erroris & desidiæ principem, bellico apparatu Antiocheni honoris partes marchitimas attigisse: Quo audito Princeps suis vndiq; congregatis *Artesium* proficiscens, Dominum *Bernardum* primum patriarcham Latinum illuc vsq; subsequi, supplicando rogauit; cuius sacro dogmati & consilio si adquiescere fideliter voluisset, ibi *Balduinum*, Deo vocante, Hierosolimorum regem expectando, proinde sibi suisq; consulere potuisset. Erat enim eo tẽpore situs loci victu potuq; abundans & salubris, nostræq; 40 parti parentes ac tutos præbens aditus; hostibus verò è contrario. Densitati etenim vallium montibus inter mixtis, scopulisq; singulorum vrgentibus aditum, & situ & accessu illorum parti magnæ ruinæ essentialiter præbet indicium. His vtrimq; efficacis animi viuacitate inspectis, *Patriarcha* vir vitæ venerabilis, morumque honestissimus, in celebratione diuini officii, prophetiæ functus ammiculo, de gestis rebus, & de gerendis, eidem Principi omniq; populo sermonem edidit: De gestis, paterno affectu omnibus supplicando vt illas intuendo mores corrigerent: de gerendis, prædicendo futura; & exortando, vt non suis viribus imputando, sed ad correctionem morum conseruato Ecclesiarum iure; redditoque, vel pacto reddere, tempore competenti cleri ac totius Christiani populi iu- 50 stitia comitante. His modis, & aliis bene agendo, vitiis voluptatibusque noxiis resistendo, bellatores Dei fieri inciperent: quatinus in conflictu contra perfidos armis fidei præmuniti, & Christiani & Christi milites, ex re dici potuissent. Princeps verò ea vice, prodolor, audẽdo non audenda, & præsumendo agere non agenda, sui equidem suorumq; salutem ignorans, tanti patris documenta suæ temeritati postposuit; neve timore hostium trepidasse, vel vllo modo posse flecti videretur, cuiusque iuris effectibus prætermissis, & in se & in aliis sibi subditis nocentia, ac nocitura quibus præbebantur, emendare tunc distulit. Rogatus etiam à multis affectu pietatis, & admonitus remanere, palàm disseruit, se neminem ibi diutius præstolari: Motusque quorundam consilio Baronum,

res quorum hostes assueti singulis annis deuastare, eo [illegible] bant: vocatis ad se domesticis curiæ, suæque gentis præ[illegible] mi vice fruens, de frugi loco cum tentoriis ad inutilia tra[illegible] verò luce veritatis intuens communis vtilitatis effectum, [illegible] pluresque alios inemendatos, & contra iustitiam ire persen[illegible] rationibus, eos vbi erat timor, non trepidare; & vbi non erat, tr[illegible] bauit: & quod ante figurata locutione prædicauerat, aperte P[illegible] *Væ* illud demonstrauit: sicut eidem maiorique suorum parti, non[illegible] tigit. Princeps itaque voce beati viri quoquomodo territus, pr[illegible] sonis, videlicet præfato patri, Archidiacono, & decano, cur[illegible] missa quibus in mundi ludibrio vixerat; secretius in tentorio [illegible] non erubuit: & vtinam ad salutem. Res quoque suas ibidem [illegible] pro velle suo dauidi & erogari, si contigisset eum in bello mori, [illegible] perauit: & hoc vtinam ad salutem. Pater itaque memoratus, [illegible] puli infirmitati compatiendo, vice beati Petri functus, modum [illegible] perpetrata, inquam, mala plangere, & plangenda non perpetrare [illegible] pi, omnibusque suis generaliter iniunxit; familiarius autem pro [illegible] futura, iniunxit in Domino. Sic eisdem Patriarchali benedictione [illegible] dicens omnibus, fusis lacrimis, crebrisque singultibus ab imis cord[illegible] populo DEI exoratus, ad Ecclesiam remeauit. Nos autem [illegible] præceps rapti, non attendentes superbos merito deiici, humiles [illegible] leonibus fortiores, tigribusque immitiores, ad *Agrum sanguinis* ca[illegible] ter extorsimus: *Agrum*, inquam, *sanguinis*, & re, nomine à vulgo [illegible] aliquandiu immorantes, de die in diem victus potusque natur[illegible] coacti, non vi hostium nobis illata, sed raritate vtriusque in illis [illegible] mittebamus alio vbi & vnde, intus & extra castra existentes, posse[illegible] tiam expellere. Tunc quoque ad castra extera munienda, quidam [illegible] sunt. Quod hostium turmas diu non latuit: missis namque explorato[illegible] si volatilium venditoribus, esse nostrum quocunq; modo se haber[illegible] uersis, relatione facta, & Dominus & primates, quasi propriis oculis [illegible] lucidè intendebant. Ipsi itaq; dolosæ calliditatis viri, vt dissimular[illegible] liebantur, videlicet ex insperato nos inuadere, palam ordinatis aci[illegible] busque præludio iam præmissis, quasi obsessuri *Cereptum*, specta[illegible] ob hoc itaque vt spectent, & spectentur: Spectent, inquam, exter[illegible] tes, & interiorum callium accessus, quibus sibi tutius, & nostris [illegible] cipem aggredi potuissent: Spectentur autem, vt ipsi multitudine [illegible] riosi haberentur; & nos à solita probitate repulsi, timore multitu[illegible] videremur. Quod in breui, non vi illius multitudinis, sed commis[illegible] nostris exigentibus, iusto DEI iudicio, in nobis completum est, vt p[illegible] ex me, sed nutu & auxilio DEI dictante, edisserere conabor. Prius [illegible] lixitate verborum videar rei ordinem præterisse, sequitur; prima[illegible] circum circa se ducendo milites *Cerebitus* manumque pedestrem [illegible] quosdam ex nostris, qui nocte illuc ier[illegible] more propugnatorum [illegible] bello eos lascessentes, subitò inspiciunt. Quibus inspectis [illegible] milibus militum vel vltra, vallati viderentur, retentis tamen [illegible] pendula sumptis arcubus, parmisque ab humeris ad brachia, [illegible] ra reuocatis, quasi animo titubantes, & quasi pungere metuente[illegible] mendo se habebant. Sed res erat recta fraude & industria, vt his [illegible] ùs à castris nostros extrahere potuissent. Quod factum, sæpe [illegible] rum cautis inspectoribus, pro improbitate reputatur, licet [illegible] ingenio id fieri comprobetur. Nostri verò virili audacia fre[illegible] am & ingenium postponentes, astrictis lateri clipeis, palpa[illegible] caribus, vt decet milites: his simul omnibus, in medios hoste[illegible] busque asperis militariæ agentes quosdam prosternunt humi, [illegible] guine; quosdam compellunt ad tartara deuehi letali vulne[illegible] dia, *Rothertus de Veteri ponte*, haud segniter agens, [illegible] herendos cum impetu strenui animi & velocitate equi [illegible] res illorum gregatim equitantes impetiit, & percussit [illegible] fracta lancea, astricto mucrone alios repercussit [illegible]

repercussus, equo suo telo multiplici perforato, vi inenitabili ingruente, occidit: [illegible] licet crebris lancearum sagittarumque ictibus humi [illegible], audaciæ tamen leuitate vires resumendo surrexit, & ense reuerberans contra [illegible], suisque visis ei succurrere properantibus, prans animosius clamauit: *Adeste sodales, adeste, subnixi militis viribus.* Nec mora conueniunt, eiq; alterum equum adtribuunt: quo ascendente, vibrato ense sociis inquit, *allatum dolorem, vindictam posse minui.* Mox illis iunctus, iterum simul in hostes irruunt: robur vero illatione sibi facta priori simili, pulsat humum, protectus clepeo, DEI numine vitat exitium. Quid de sodalibus? Ictus miliciæ probabiles quique suo loco, densis hostium gregibus, strenuè inferunt. Aliunde etiam *Alanus* eiusdem castri dominus, familia domestica comitatus, viriliter egisse cernitur: nam hostibus resistēdo, vice muri fruitur; & in sequendo, Leo perhibetur. Quid de ceteris? [illegible] venientes, priores prioribus in agenda milia, & præesse & videri captabat. Sed vt verius eloquar, non apeditii sed naturales milites in dandis ictibus & prosternendis hostibus singuli singulis prodesse, ex re CHRISTI milites fieri satagebant. Multi tamen vocati in illo conflictu, non strenuè decertando, sed nutu DEI resistendo, conualuerunt. Nostri verò, eiusdem nutu, non ferentes immanitatē hostium, Sole vergente ad occasum, quisque tam in castro quàm & alibi, affectu nimio quærit quiescendi aditum, haud immerito: ibi enim minus damnum, maius maiori damno extitit. Magis etenim pauperes ex minimo, quàm diuites ex maximo lædi creduntur: Ex his itaque in castro quidam hospitati, quidam in exercitu serò reuersi sunt. Referuntque curialibus acta diei præteritæ militiæ illustre: vnde, vt mos militum inoleuit, quisque conqueritur ibi non fuisse. Quo audito, Princeps citissimè proceres ad se accersiri iubet, vt super imminenti negocio pro relatione in conflictu existentium, cum eis decernat, quid eadem nocte vel mane fieri deceat. Vocati adsunt: agitur causa prælibata. Audistis relatores, vt decet militem animi strenuissimi, Dominus prior inquit, *Accedamus [illegible] ad Cerepum; accedamus vicinius: Quo si venerint, strenuitas & amor DEI militiæ, qui [illegible] vlcisci sanguinem seruorum suorum venimus, perfidiæ multitudinem non formi[illegible] sed strenuè decertando, tyrannorum nitatur perdere feritatem: Quod nisi venerint, sumpto [illegible] sequenti die ad illorum tentoria iter dirigamus.* His verbis pars procerum resistē[illegible], pars autem ab illo loco retrogradè tentoria iuxta rupem prouehi [illegible]. Pars equidem consilium Domini salubre decreuit, & ei fauendum [illegible]. Sic facti voluendo & reuoluendo quid decens, quid indecēs, quid honestum, quid inhonestum, quid vtile quidve inutile ocius fieri queat annon, pro [illegible] negocio vtilius autumantes eligunt eadem nocte, & milites & pedites ad [illegible] castrum transmittere. Decernuntque *Malgerum de Alta villa* cum [illegible] militibus summo mane vltra districta militare; & decem milites [illegible] ad turrem in cacumine montis positam dirigere: vt si hostes ad *Cerepum* venerint, veloci equo & astuto milite principi nuncietur. Actumq; [illegible] *Episcopo Apamiensi* consulente, vt omnes vna, facto edicto per exercitum, [illegible] ad capellam conueniant: quatinus ibi vita & moribus emendati, cibo [illegible] celesti refecti, in DEI seruitio & in nomine eius, vt decet milites, viriliter [illegible] valeant. Fitque edictum ilicò. Dum hæc agerentur, affuit extra muros [illegible], vsa his vocibus: *Agite, agite; nec diu vtique: Cras enim manu hostili præua[illegible] capitibus quæ actenus abstulistis, mea mihi regimina dimittetis.* Quæ verba [illegible] prophetiæ congruere ab effectu sequentis diei perpendimus. His auditis [illegible] consternati animo; quidam vtilius reputauêre, apud se admissa [illegible]. Quid singula? Licentiatis Baronibus noctis quiete recreari, [illegible] princeps imperat, vt à signato termino expeditè fiat quid de[illegible] eis quid & vbi, & quomodo sit agendum: Vocatoque se[illegible], cum eo discernit, quid pro imminenti negocio fieri conueniat [illegible] bellatoribus honeri videbantur: hinc itaq; & inde euentilata cau[illegible], vocato Camerario, vocatisque familiaribus, actum vt vasa pretiosa [illegible] supellex honerosa, nocte ad *turrem Artesii*, episcopo commendanda [illegible]. Sequitur vocantur Turcopuli, vocantur & famuli: his id fieri im[illegible] Dominus iubit, parati eminus parent imperio. Exercitus verò haud ob[illegible] ante lucem ad Ecclesiam conueniunt: vbi DEO Altissimo corde & [illegible] supplicantes, matutinis laudibus inuigilant; Quibus finitis Archiepiscopus

in vtraque militia vir elegantiſsimus; & de cœleſti & de terr[illegible] *ſic inherendum terreſtri Chriſtianos docuit, vt in celeſti, gratuita pietate [illegible] milites coronari.* Mane autem facto, diuino officio celebrato, pu[illegible] publica lamentatione, omnes ſe contra legem DEI peccaſſe, vo[illegible] nanimes. Singulique delictis omnibus quibus infecti fuerant [illegible] confitendo, DEO & Pontifici deuotiſsime promiſerunt, quod in [illegible] milis, gratiâ DEI cooperante & protegente, nunquam amplius [illegible] audito præſul memoratus intuens bonæ voluntatis affectum, [illegible] tentu veræ penitentiæ iniunxit cuique, ſi contigiſſet contra perfi[illegible] ingredi, non ſuis viribus præſumendo bene agere; & illorum [illegible] re totum DEO committere. His itaque confirmati, & Pontificali [illegible] ſignati, corpore & ſanguine Domini refecti; his armis fidei præ[illegible] adhuc ignorantes, in ſua quiſq; tentoria remeauit. Princeps verò [illegible] no ſpiritu, ante altare fuſis lacrimis pro omnibus quæ in Deũ, viſu, [illegible] odoratu, & tactu deliquerat, Diuinæ maieſtati ſe reum tradidit; ſing[illegible] licta pro qualitate vel quantitate exiſtentia, voce viua Pontifici con[illegible] ceptaque penitentia præfate ſimili viatico Domini vegetatus, abien[illegible] torii ingreſſum pauperibus CHRISTI ab eo alimoniam petentibus, [illegible] nu munus principale, auri pondera, caritatiuè erogauit; paratuſque, [illegible] mane ſpaciari, equum aſcendit. Allatis ſibi auibus, allatis paruis cani[illegible] ctis aliis, ſumptis venabulis, præmiſsis pueris cum venatoribus, vt [illegible] pem ipſe ſubſequitur: hinc agros & valles peragrat; inde montes & co[illegible] hinc aues capit auibus; inde feras proſternit canibus: Subito autem [illegible] mo futura ſibi prætentante, ſpeculandi cauſa dimiſsis ludis ad turre[illegible] git. Quo abeunte, adeſt ei nuncius equi curſu velociſsimus: cui Dom[illegible] *pro ſerio?* Id ei Nuncius: *Hiſce oculis hoſtium turmas intuens, per abrupta mo[illegible] lium loca, inquam, etiam ferarum greſſibus nunquam patentia, ex tribus parti[illegible] expeditè in nos accedere pro vero nuncio: Innumeraſque acies tam vexillis quam [illegible] rum, hoc eſt mundo florentes, pompis decoratas priores ſubſequi firmiter aſſero.* A[illegible] ceps, *Nobis datum eſt pro CHRISTO non ſolum vt in eum credamus; verum et[illegible] patiamur, & ei quod debemus debitum iam reddamus: Videlicet vt omnis noſt[illegible] luntas eius voluntati ſubiecta permaneat. Et qui honorem illius in nobis violan[illegible] exortationis factam moleſtiam eidem ſaluatori noſtro, nos ipſos, cum ipſius adiut[illegible] ros reſtituamus.* Is finitis accerſito agoſone, accerſitis preconibus imp[illegible] nus, totum exercitum armis parari eminus: libetque preconari voce [illegible] vt vniuerſi audito primo ſonitu *gracilis*, feſtinent bellicis indui; & ſecu[illegible] ti, aciebus ſibi præordinatis tam milites quam & pedites parati iun[illegible] ant; & vt audito tertio, ſingulæ acies promotæ ſigniferorum ductu [illegible] coram ſigno Crucis Domini ſe præſentent. Nec mora; fiunt præco[illegible] domini, voce propatula; Ipſeq; vectus equo celeri, ante tentoria arm[illegible] te ſe præcepit aduehi. Quo peracto, præſente priori nuncio, adeſt [illegible] belli indicia aſſerens verbo diſsimili: ait enim *Ellos*; *Citra montes ci[illegible] adſunt: vicimus.* Princeps itaque, præcipit vniuerſos moneri ſonitu [illegible] mora; Primo admouentur, ſecundo parantur, tertio conueniunt: [illegible] vbi Crux erat, Domino præſentati conueniunt. Præſul itaque Cru[illegible] venerabilibus geſtans manibus, inquit: *Quid vltra? Armis fidei pra[illegible] lutiferæ Crucis præcedente, nec veriti perfidorum ſententiam permutare, [illegible]* Et hoc dicto, Princeps publicè corporis ſui voluptatibus, præte[illegible] bus, & futuris abrenunciando, DEO, & epiſcopo pro lege Domi[illegible] ti decet Chriſtianum, eiſdem galeæ ſuæ laqueis ſe ſeruum trad[illegible] chiepiſcopus vice beati Petri ſuſcipiens ab omnibus peccatis [illegible] mine Domini, & in nomine vere penitentiæ præcipit bellum [illegible] agere vel recipere, quod diuinæ maieſtati placeret; mori vel [illegible] & exilaratus, manibus ſacerdotis ſignum Dominicæ crucis ant[illegible] vt ei ſupplicet: Fitque pro voto ilico. Interim *Albericus* vice[illegible] fugientis ſed inpetentis militis, percuſſus lancea in faciem [illegible] me ad oculus vt noſtros præmuniat, Nuncius extitit tertius. [illegible] gatis ex præmiſsis quadraginta militibus cum quibus ierat, [illegible] amputatis capitibus, videlicet *Iordanum Iordanidem*, & *V*[illegible]

pluresque alios, iam de mundi ludibrio Deo militasse; *Malgeriumque* vi coactum intolerabili præsentem adesse: fitque subito; adest *Malgerus*. Adest contra ventus; horum equi sagittis affixi, plumbatis obruti, corruunt mortui: Statimq; sumptis aliis, coram Baronibus inquiunt Principi. *Superhis quæ nobis imminet consulto opus est; vt consulto propere: Parati veniunt; strenuè agite: diuisi etenim ex tribus partibus, triplici bello quærunt nos perdere.* vnde tam procerum, quàm & aliorum quidam assentientes salubri consilio, vt putabatur, laudauerunt nostros omnes vna, vt erant, ordinatis aciebus circa tentoria sisti, manu pedestri circumquaq; ante posita; Sicq; ferendo immanitatem hostium, leuius salubriusq; posse præstolari asseruerunt.
10 Super his equidem, hominum erat, prouisu eorum, loqui, tractare: Dei autẽ, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, erat iudicare. Quid ergo? Subito perfidorum vexilla & standaria ex lateribus montium inter oliueta prodeunt: Quibus visis, Princeps hoc modo intulit: *Eia, milites CHRISTI, non nos deterreat certamen multiplex pugnatorum; sed iam exerceat quo vigere debemus militis officium: vt qui actenus mundo militauimus, hodie ab affectu decertando, siue viui siue mortui, DEO militemus.* his dictis imperat *Rainaldum Masuerum* triplici cohorte præmuniri citissimè, vt intrantes per districta *Samartani* bello percutiat euidentissime; seque asseruit vim nefandorum principum, quocunq; eat vel vbi consistat, monte vel plano, cum Dei iuuamine, acerrimè percussurũ. Quid horum singula? Sicut sæpius ante di-
20 sposuerat acies singulas singulis ordinibus incedere, tunc quoque imperauit; sed multo melius: Ait enim: *In nomine Domini nostri IESV CHRISTI, vt decet milites pro lege DEI tuenda, iter arripite, & cum locus percutiendi affuerit, haud obliti seruorum DEI effusi sanguinis, crebris ictibus insistendo, iniquorum superbiam prosternere, & illorum sanguinem effundere mementote.* His dictis, adorato Signo Sanctæ Crucis, eodem reuerentissimè osculato, singuli erectis vexillis ordine assignato profecti, gracilibus tibiis tubis elangentibus, in Dei nomine iter arripiunt. Interim hinc & inde de aciebus ad acies, volatiles tam telorum quàm & sagittarum, vt mos bellantiũ exigit, mittuntur internuncii. Acies itaque *beati Petri* à dextris antecedens, cuius iuris est & antecedere, & primum hostes percutere, laxis abenis palpatis lanceis, impetuo-
30 sè ac strenuè cohortem sibi obuiam percutere maturauit; multosque perfidorum prosternendo, penè totam dissipauit. Quo viso *Gaufridus Monachus* insigni acie comitatus, virili fretus animo, cohortem perfidorum ad minus decem milibus militum constipatam, impetiit & percussit: ita quod pene eandẽ, & ceteras prope existentes, in fugam & disconfecturam impulit. Nec minus, quantum ad se, acies *Guidonis Frenelli* cum suo posse, hostes inuasit & concussit: sed quia nostri instanter persistere desierunt, vt opus esset, & hi & alii plures passi sunt exterminiũ. Perfidi namque, nutu Domini resumptis viribus, nostros aggredi non metuerũt: sed telis, lanceis, sagittis, plumbatis ferratis, & crebris gladiorum ictibus reinuadendo acerrimè percusserunt, vtrorumque attestante effuso sanguine. Interim
40 cohors *Rotberti de Sancto Laudo* cum Turcopulis à sinistris antecedens, cum percutere debuisset, sinistro omine Turcopulis primo fugientibus non valens resistere, ipsorum pulsa impetu & perfidorum clamoribus, aciei Principis contra vim nefandorum equitanti, obstitit; & ab impetu fugiendi, non loris, non frenis, non funibus, sed nec vlla animi securitate reuocari potuit. Nam & quod deterius extitit, partem cohorti principis secum in dispersione depulit. Tunc quoque, vt à malo indicio peius sequeretur, turbo ab Aquilone prodiens, in medio belli campo cunctis cernentibus, hesit humi, humiq; serpendo, puluerem rapuit: qui bellantium oculos nebellari possent, infectos tenuit; & se per girum deducendo in modum dolii sulfureis ignibus concremari, quasi ad astra extulit. Quo viso, ab v-
50 niuersis sceleratorum partibus oritur clamor immensus & orribilis. Princeps tamen constanti animo in certamine perseuerans, suis vndique prostratis & occisis, nunquam retrorsum abiit, nec respexit; sed parens imperio Domini & Pontificis, paucis etiam comitatus, contra vim totius belli strenuè decertando, ense militis percussus per medium nasi cerebrotenus, in nomine Domini morti tributum persoluendo debitum, coram signo Sanctæ Crucis corpus terræ, & animã cœlo reddidit. Hac illatione facta, perempto sacerdote eandem Crucem manibus deferente, plures etiam perfidorum ambitione auri preciosorumque lapidũ capti, vim virtutis Dei in Cruce latentis ignorantes, ibidem inter se datis crebris ictibus necis materia effecti, ad inferos, infernorum ignibus concremandi, non

rediturі elapsi sunt. Statimque omnes vna, vt erant centum milia assignati à quatuor mundi partibus, attrocissimè in nostros irruerunt, taque nutu summi iudicis, diuina vltione subacti, vt erant septen tria milia peditum pugnatorum reputati: cum multis aliis qui ad mercati, vel pro ambitione hostilis lucri ierant, inualescentibus terum perfidorum clamoribus, & hostili gladio præualēte, quidam dam cæsi, & quidam diuersis illationibus obtruncati, eodem in exterminium deducti sunt; & quidam miserrimè captiuitatis laque iudicio, inciderunt. *Rainaldus* etiam *Mansuerus*, dum hæc apud nos sua parte viriliter bello decertans, hostium intrantium per *districta* minimam multitudinem prostrauit, & deuicit: ita vt pro existimatione que bellantium, nostri victores & hostes victi reputarentur. Placuit næ maiestati, cui non placuit nisi quod decet & expedit, vt victi bus victores haberentur; & nostrorum prior pompa non manu host exercente potentia, haberetur vltima. Prostrati enim & deuicti, qui hominum exuentes, & quidam fugæ impetu euadentes, eodem quo sunt exterminio. Contigit autem *Rainaldum Masuerum* graui vulnere cum paucis suorum turrem intrasse *Samartani*; vt eam ob refugium sui, euadentium obtineret; & si posset ibidem *Balduinum* Regem Hierosol ad succursum Christianitatis properantem expectaret: sed debilitas ctus indigentia, maximè autem *Algazi* illuc adueniens, efficiens causa ibi remanere non posset; & se captiuum triumphāti redderet: Astutia munitus, quasi in turre se defendere posset, cautè locutus est: Ait enim phanti; *Me nequaquam tibi reddam, nisi te prius fide & Sacramento tuæ legis præsentis tutelæ patrocinium, & euadendi subsidium:* Astuto itaque respondet *Quid ni? Dum in bello fuistis, in te & in alios agendum erat vt in hostes: Nunc autem tus sentiens, recolo vos esse homines: & ne me suspectum habeas, sub obtentu meæ fidei mento beatæ legis nostræ annulum meum suscipias: vt hoc signo, finito vnius mensis me libertatem recipias.* Ipse itaque qui nec vnius diei spacio se posse viuere bat, audito mensis termino intus tristis existens, accepto tamen annulo lætus forinsecus, se captū reddidit. Nonnulli autem procerum, qui strenu ingenio, ac generis nobilitate pollere videbantur, etiam primos ictus rentes, dimisso in campo viuo Principe, dimissis parentibus & amicis, ante belli campus & montium introitus immanitate hostium clauderetur, tè profecti, vice optati portus, Antiochiā subeunt. Ante eos tamen ingressi alii, more solito, *in portis primi, in bellis vltimi.* Ne autem loquendo de illis qui runt, nimia digresione frui videar, de gestis in campo prius edisseram, datim enarrando partem malorum inter duo bella existentia ad id condes & enarrent quomodo auctor summæ iustitiæ manu *Balduini* Hierosolim gis Latinorum secundi, plebem Antiochenæ dignitatis, vastitate hostili terminatam, de ore leonum liberauerit; & quomodo triumphale nomen principali amissum, eidem plebi virtute Crucis sanctissimæ, bello regali reparatum. Reuertar igitur ordini inhærendo: Sequitur. Interempto in campo, peremptaque non minima multitudine à quatuor mundi parti forinsecus, præter illos qui intus in nostros sæuiebant gladiis, adeo bell clauditur montium valliumque aditus * escaramis obfuscantur, quod fugientium illibatus pertransire potuit. Nostri itaque, quotquot in perfuēre gladiis, spe pugnandi ad tentoria, vel fruendi cautè fuga, stupe ueniunt. Sed hęc iam manibus impiorū asportata, non inueniunt, except cipis & capellæ tentoriis, in quibus nefandissimi certatim auri & argen mentorumque principalium cupidine capti, ensibus contendebant. adest *Euterpius* in certamini corporis & animæ miles probatissimus his qui ante capellam contendebant, & ictibus decertabant: *Quæ societas ad Belial? vos diuiditis, sed non est æqua portio;* Cum his verbis Amiraldum ante hostium capellæ lancea cordetenus perforauit. Cæterosque constituto DEI termino, quem præterire non potuit, martyrio, hom endo ad quietis beatitudinem feliciter transmigrauit. Hæc inter discri uentus nostri harnesii cum totius exercitu supplectili, in quodam existente se locauit, existimans ibi posse præstolari ad aduenientium

subsidium, vt aliquo modo inde carpere euadendi refugium. Quid ergo? Non multo post à campo euadentes, visis nostris in monte collocatis, vbi mors erat vicinior extimabant & quærebant viuendi solatium. Cassa namque spe decepti, hinc & inde confluentes moti adherebant inculcate: qui in momento ab impiis sic obsessus extitit, vt obsessi mallent breui morte mori, quàm illorum tela pati: iure quidem: tantus etenim erat vndique telorum ac sagittarum impetus, quod ex illorum collisione mutua, reuerberatis ictibus, etiam perfidi existentes forinsecus, acerrimè plectebantur; nostri verò multo ferociùs. Nam vt aura, breui horâ magnis cedit himbribus; & vt fenum exsicatum læditur grandinibus; sic gens
10 nostra citò læsa cessis crebris ictibus: inde tamen pars euasit, ductu summi iudicis; & pars capta, sorte mala, addicta suppliciis, ducta fuit ad standale nefandorũ principis. Sequitur pena peccantium: Ibi etenim iuxta belli campum, captiui quingenti vel plures, à tergo retortis manibus, & vinculis ferreis astrictis pedibus cum cæteris penis strictissimè, de more canum, à collo bini & bini copulati funibus, coram magistro sceleris capitalem sententiam subire præstolantes, in giro humi versi, tenebantur. Impius autem exitiali furia inuectus, ministris cædis imperat, letali tenta captiuorum vulnera intemptari, & afflictos vulneribus grauibus virga capillis illita, foras ad decollandum extrahi; ceterosque nocturno cruciamine affectos, cædi crastinæ reseruari: impii itaque læto animo, scelerato do-
20 mini sui parent imperio. Sequitur autem ex scelesti imperio effectus scelestior: Ducti etenim ad decollandum, alii & alii, non solum amputatis capitibus manibus impiorum corruunt; verùm etiam abstracta cute viui capitis, & mediotenus detruncati, diræ mortis discidium subeunt. Residui quoque illato sibi promisso cruciamine, cum contumeliis & terroribus noctem illam tenebrosam deducentes, mentibus obstant, verbis increpant mortem, sæpe vocatam & reuocatam eisdem mestis non venire. Vicissim tamen apud se reputant, præsentis vitæ meritis exigentibus id eis contigisse; fatenturque iustè & meritò deteriora sibi imminere: & hæc talia hisque similia, non ad puram sed ad correptam hominis naturam pertinere: Altera enim, valet ad miseriam; & altera, ad beatitudinem. Pressi ita-
30 que tota nocte & constructi sequenti diei orto vnà sole, sole, inquam, eisdem nocte tenebrosa tenebrosiore, iussi sunt sisti in tentoriis, quousque decernat Princeps sceleris, quid de eis animo suo sufficienter fieri valeat. Idque placuit nefando Principi: Hora diei tertia, captiui nudi, ducenti vel trecenti, à collibus simul religati, cum gladiis & fustibus, flagellis & restibus per capos miliarii spacio cardonetis & vepribus insitos, ducti sunt in vineam, iuxta *Samartinum* nouiter excultam, vbi pietas humana naturali iure priuata, in furore sacrilegum conuersa extitit, tiranno *Algazi* tirannidem in Christicolas ibidem exercente: & hoc modo. Æstus quippe erat non solum captiuis vulneratis & ægrotis, verùm etiam sanis hostibus & liberis admodum intolerabilis, ita quod singuli captiuorum, pro cali-
40 ce aquæ frigidæ non renuissent porrigenti, etiam membra singula, vel ipsam vitam dare. Ibi quidem captiui visis botris vineæ humi inhærentibus certatim super eos proni incidentes, gipsatos etiam ore carpebant auido: pedibusque conculcatos, quorum liquor ab ore prementis quoquo modo esset elapsus, ore alterius suscipiebantur, sepiusque putantes elapsum liquorem retinere, ardore coacti linguas propriis dentibus corrodebant, & aliorum barbis alii inherentes, visa liquoris stella miserrimè sæuiebant; pluresque vrina potiti, tunc primũ sitiebant. Hoc autem minister cædis intuens, & ipsemet frigido potu indigens, à remotis partibus aquam equis vectilibus præcepit aduehi: Qua allata, priorem partem sibi suisque iussit reseruari; fæcemque luti, captiuis porrigi: Statuitque, vt bini &
50 bini ad vtres ducerentur: & si quis accederet, non conductus, ipsum ilico priuari capite imperabat. Aqua allata in medium, vitam pro solo gustu commutare cupientes, non id respiciunt; sed plures cum pluribus per medios enses ad aquam corruunt. Ibi quidam lapidibus obruti, quidam telis perforati, & multi sunt diuersis modis detruncati. His visis, horum cruciaminibus mulcebatur impius, & quasi refectus oblatis ferculis, suæ crudelitati arridebant: Nec tamen id ei sufficit crudeliora cogitanti. Imperat enim omnes simul quotquot fuerunt, in medio campo sisti: vt cui sanguis singultim effusus, flocci pendebantur ad sufficientiam exterminii; saltem vniuersalis victima quoquo modo placuisset ad augmentationem sui gaudii. Itaque sistuntur in medio: Huius iussu parantur mille milites,

vel plures, enses nudatos manibus deferentes, vt simul datis ictibus, & hos dilacerare & profanum exilarare valeant. Paratis militibus irruere cum impetu, adest quidam Admiraldorum potentissimus, dominum cædis his verbis allocutus. *Eia, legis stella, quid deponis tam breui super his finiri tua gaudia? His peremptis, quid triumphi exteris regibus & Principibus nostræ legis præsentabis? Desine hoc modo istos morti tradere; michique, ad honorem tibi consulenti, non renuas credere: Nihil enim consulam nisi quod nostræ legi suppetit & tuo honori congruit. Laudo itaque & tuæ magnitudini consulo, vt ex his canibus ditiores, potiores, generosiores que eligi præcipias separatim: qui aut redemptione capitis euasuri; aut intus solennitatibus Mathemacis, diuersis tormentorum illationibus exterminandi, tibi reseruentur: Et qui missi Soldano cæterisque dominis & primatibus inclita preconia tui nominis & triumphum quo viges, voce viua repræsentent: & his separatis, residui tuis ensibus membratim cæsi, sentiant quid & quantum hii eorumque parentes & compatriotæ, in sanctissimam legem nostram deliquerunt.* Quod consilium sceleris, scelerato placuit, & sic fieri præcepit. Electi igitur separantur ad tormentum; Residui in campo ad præsens exterminum. Ait enim nequissimus. *Eia milites, legis eximiæ tutores & auctores, adest canum victima vestris ensibus præparata.* Exclamauitque, *Ehoe, Ehohe; prompte ac strenue in eos irruite.* Impii itaque, cum vno impetu feriunt gladiis necis materiei deputatos: Nec cædere desinunt, quousque captiuorum partium partes integras non inueniunt: ibique in effuso sanguine prouoluti, vt sus in volutabro luti, necdum cæde virorum satiati, flexis genibus potentiæ iudicis supplicant, exorantes vt simili cæde electos ipsius iussu, exterminare valeant. Noluit autem diuina maiestas vt per omnia præualeret ipsius crudelitatis immanitas: Præcepit igitur electos tradi suo filio, qui eos tormenta inferendo in captiuitatem Halapiæ perduxisset. Nec caruit affectu scelerati patris imperium. Electos enim captiuis recepit, eosque in prima nocte lapidibus & spinis cardonibusque his immixtis hospites tradidit. His quoque, pro cibo scilicet, & pro potu duros ictus contulit; pro lecto, in pedibus & in collis laqueos astrictos intulit. Heu, nox illa inter infernales deterior extitit computata: sequenti verò die *Halapiam* ducti sunt ad patibulum: vbi crebris ictibus & diuersis tormentorum generibus, passi sunt quidam exterminium; & quidam, propiciante Deo, redempti sunt, sicut in fine narrationis regalis belli edisseram: & est ratio: Contigit enim ex regalibus plures, sorte miserrima cum his admisceri, de quibus prouisu & auditu rara discutiam. Sed ne inceptæ narrationis ordinem prætéream, ad id quod vicinius *Alegazi* post bellum egit, narraturus ipsius tirannidem condescendam. Viso esse *Cerepi* cum exercitu *Artensium* profectus est: Vbi turrem episcopalem facto placido sibi subiugauit, hoc modo: quod episcopum cum omnibus suis tam clericis quàm & aliis, liberum, absolutum, & quietum Antiochiam adire permitteret. Quod in parte compleuit, & in parte promisso contrarius extitit. Quidquid enim auri & argenti, ornamentorumque clericos deferre comperiit, viceconductorum missis raptoribus totum abstulit: Sacerdotalia vero indumenta, vt his nequitiam suam tegere potuisset, palam reddidit; & post illos abeuntes ablata remisit: ibique ante Artesium fixis tentoriis perhendinare disposuit, vt prius capto Artesio, inde profectus Antiochiam expugnaret: Placuit autem diuinæ dispositioni, vt ibi detineretur verbis cuiusdam hominis, nomine *Ioseph*, viri prudentissimi: qui, cùm ipse *Algazi* quæreret castrum sibi reddi, Ioseph astutia præmunitus, non repugnādo, sed quasi assentiendo, hoc modo respondit. *Nouimus quia tuis ensibus & tuo dominio subiacet, quicquid in hoc principatu extra Antiochiam continetur. Ipsam itaque si adquisieris, cū ea & hoc, & cætera castra in momento erunt tibi subdita; & ne credas te verbis meis illudi, interim quendam tuorum Sahenas michi attribuas, qui vice tui mecum res tuas custodiat, & locum tanti domini possideat: te ipsum etenim si intus receperim, procul dubio hoc audito filius meus Antiochiæ existens morte turpissima perimetur; & ego senex & plenus dierum, si hoc egero, pro nequissimo proditore, quod absit, reputabor: & decentius est, vt me innoxium quàm reum habeas.* His verbis deceptus castrum intactum dimisit: & ibidem *Sahenas* quendā posuit: ipse verò potationibus intentus, & nutu Dei oblitus Antiochiæ, per partes exteras & propinquas sæpius milia militum transmittebat: Qui de die in diem, prædis tam hominum quàm aliorum refecti, ad ipsum reuertebantur honerati. Interim super malis & infortuniis quæ ex proximo facta, & è proximo amissioni ciuitatis Antiochiæ imminere cernebantur, quiquid curæ, laboris, timoris, metus, vel damni Christianitati contingere poterat, iam destituto militari officio, & iam pene

toto

toto amisso Francorum ciuium auxilio, ea vice in clerum necessario totum redactum extitit: Ita, inquam, vt multo acrius timerent interiorum hostium proditione falli, quàm vi exterorum vllo modo intrinsecus posse comprimi. Nec id mirum: Gens etenim Antiochia, vi & prauo ingenio gentis nostræ, priuata suis bonis & addicta prauæ consuetudini, sæpius mœrore concussa, si, quod est vicissitudo iustitiæ, malum pro malo reddere voluisset, eo temporis interuallo nostros proditione, vel alio modo, admodum grauare potuisset. *Patriarcha* verò super his & aliis prouidè agens, vocatis ad se Francis, Dei virtute corroboratur, suiq; cleri munimine frugi septus, cum eis super hoc decernit, vt gens, si velit, proditione agere ne-
10 queat; & vt ipse custodiam ciuitatis totius sibi & clero cum Francis tantummodo assumat: statuitque vt vbicunque & vndecunque sint in ciuitate diuersarum nationum populi, exceptis Francis, omnes inermes existant; & nunquam à domibus suis nocte sine lumine egredi præsumant. Idque actum est, vt nullo modo proditionis ingenio infecti viderentur; & vt nullatenus etiam suspecti haberi potuissent. Statuit vt vbi totius ciuitatis inferior patebat debilitas, ibi tentoria sua protectioni Christianitatis necessaria ponerentur: & vt singulæ turres quotquot essent, monachis ac clericis mixtim cum laicis, pro posse & quantitate Christicolarũ, eminus munirentur. Huius patris & doctoris prudẽtissimi omnes vnà diligenter parent imperio. Munitis itaque turribus, intrinseci & extrinseci adhibentur cu-
20 stodes cum custodibus. Idemq; Patriarcha magis precibus quàm armis pugnaturus, pro salute ac defensione Christiani populi incessanter Deo supplicabat medullitus. Nec tamen desiit, horis competentibus, nocte ac die cum armato suo clero & militibus, more pugnatorum, portas, mœnia, & turres, murosque circumcirca, & ipsorum custodes vicissim visitare, consolari, & incitare vt vigilanti animo Christianæ protectionis curam adhiberent, & incepto bono nulla hostili perturbatione desisterent. Quid singula? Clerus cum cæteris fidelibus prouidè & strenuè, intus & extra, militaris officii vicefunctus, cum Dei virtute, ciuitatem ab hostibus intactam Balduino regi diu optato protegendam reseruauit. Inter hæc discrimina sicut certis internunciis didicimus, auribus *Algazi* insonuit regem *Bal-*
30 *duinum*, *Pontiumque* Comitem Tripolitanum, cum eo, ad Antiochiam citis gressibus festinare. Vnde ilico statuit contra eos decem milia militum transmittere; & post illos totidem vel plures aut lentè subsequi imperauit. Factaque electione quos transmittat, & quos secum retineat, euntibus iniunxit regis aduentui sollicitè insidiari; & quibuscunque modis possent Christianitatis inuigilare exterminiis; Mori itaq; impii, iussu sui domini de more solito ordinatis aciebus, versus *Laodiciam* & ad montana *montis Palerii*, quo & prædari, & regis equitatis insidiari valeant, nocte profecti sunt. Ad quas partes cùm deuenissent, diuisi sunt factis tribus partis: vt quidam tendant regi obuiam; & quidam prædis capiendis insistant; cæteri verò *ad portum Sancti Simeonis* supra mare iter dirigant. Profectis contra regem,
40 ipse idem ad montem *Hingronis* ex inprouiso obuiat. Hos itaque strenuè inuadendo, prosternit; & per abruta montium ita dissipat, vt nec socius socium, nec par parem sibi profuturum inueniat: Quo peracto rex ante latorum castrametari iubet, & inde mane profectus, se ipsum præcessurum, vt primum hostes inueniat, disponere curauit; Comitemq; cum *Prouincialibus*, retrogradè custoditurum, subsequi imperauit: vt & ipse, si fortè hostes viderit, regi cito nuncio id insinuet: & eos percutere non renuat. Sicq; his ordine incedentibus, contigit Prouinciales vidisse partem hostium ante se prædam maximam effugantium, quos citissimè ac viriliter percutere non differunt: ita quòd ipsam prædam ab eis excutiunt. Sorte ergo miserrima perfidi resumptis viribus, Prouinciales inuadendo ad hoc perdu-
50 cunt, quod ad regem illa die reuerti nequeunt: Quibusdam etenim peremptis, & quibusdam per montana dissipatis, cæteri vagando incedentes, iam nocte apud *Casam bellam* regem hospitatum inueniunt. Huic sicut eis contigerat referunt. Ibi quidem rex hostium certa inuenit indicia. Castra etenim quatuor milium militum patebant recentia mortuis hominibus & membris animalium, quæ comederat adhuc turpiter infecta: Rex autem his auditis, estimans eos posse assequi, vt ille, qui compatiebantur præteritis, præsentibus interemptis, & cuius iuris erat tueri patriam, valde conqueritur, cùm ignoret quò certius eos sequi potuis-

set: secum tamen reputat vtilius Antiochiam adire, causa gemina; videlicet, vt & desolatos Antiochiæ consolari; & ibi auditis rumoribus sumpto cum Patriarcha consilio, hostes sequi valeat. Interim tria milia vel plures nocte ad *portum Sancti Simeonis* profecti, aurora apparente subito soporatos percusserunt gladio; cæteri verò euaserunt nauigio. Impii autem, hominum & aliarum rerum prædam colligentes, per abrupta montium elapsi, moto iam sole horarum duarum spacio, non longè ab Antiochia erectis vexillis apparuerunt: vnde visis hostibus, sicuti mos hominum exigit, circum circa clamor immensus oritur. Quocirca clerus & milites, qui de bello Antiochia venerant, & ciues, & quotquot fuerant, sumptis armis quasi pugnaturi exeūt, & statim quosdā ex his in hostes dirigunt scrutaturos quanta fuerit pars & vis illorum hostium. Contigit autem ex illis missis, duos in campis perimi; & cæteros impetu hostiū impulsos, celeriter regredi. Quo viso nostri non longè ab vrbe præstolantes, visa inermi plebe fugiente quæ cum ipsis ierat, cœperunt moueri & titillare. Nec mora, hostes qui sequebantur primos, non retentis loris, sed pressis equis calcaribus, simul in nostros irruunt: ita quod quosdam etiam loricatos in flumine mergi faciunt; cæterosq; mixtim percutiendo, vsque super pontem insequi non desistant. Ex quo impetu XXX. & VII. ex nostris perempti sunt. Nostri tamen in ponte resistentes, dimissis equis & extractis ensibus, pedetentim vires resumendo, hostes eliminant. Eliminati itaq; ac cæteris prædis honerati simul incedentes, vltra *Corbanā* inter duas aquas paulisper accubuerūt; Nec multò post adest *Balduinus* rex memoratus, omni populo Christiano expectatione magnus, aduentu maior, protectione maximus. Qui cùm intellexisset perfidorum tyrannidem in nostros, infra cutem & carnem, ac medullitus exarsisse, nec ipsos alio retentos milite nisi maris vnda deiscente, tactus dolore nimio, vrbem intrare festinauit: non vt quiescceret, sed vt primum regnum DEI quæreret; & ipse, pro patria pugnaturus, in Ecclesia beati Petri, vt decebat regem, deuotissimè DEO supplicaret: quatenus inde liberè, & absoluto Ecclesiastico consilio roboratus, iter sequenti perfidos tutius assumere potuisset. Nec id distulit, sed facta oratione & vegetatus Patriarchali consilio, motus etiam ardore duplici: intrinsecus, animi anelantis ad vindictam; & extrinsecus, militaris officii incitantis ad militiam: præmissis speculatoribus, ad insequendum citis gressibus & ordinatis aciebus iter arripuit. Qui cùm nunciorum relatu persensisset, eos esse remotos, & nusquam certo loco pausantes, sed citius solito, quasi timore subacti equitantes, suosq; ex itinere fatigatos conspexisset, laude cleri totiusq; ordinis senatorum, considerata ratione, Antiochiam reuersus est: Vbi, DEO vocante, & ipsius dono promotus, Principatus dignitatem adeptus est, iure quidem. Huius etenim manu, diuina prouidentia, ciues mœnibus, & vrbem ciuibus, quibus destituta sorte miserrima fuerat, reddere curauit. Euentilata itaq; causa pro imminenti negocio necessaria, cum hostes sint copiosi fortes, sintq; potentes in malitia, Patriarcha & ordo clericalis, cuius iuris est bona monere, facere, & docere, vi interioris hominis suffulti, inquiunt perfidos & incredulos ex facili posse flecti & prosterni, etiam paucorum Christicolarum manibus, si vera iustitia cum eis comitante, legitimè pugnauerint: & vt hoc fiat, rex & cæteri, mores corrigere horum consilio, & aliis bonis inuigilare satagunt. Statuto itaq; consilio, in curia beati Petri ratione pernecessariâ decretū est, vt Rex, cui æquus & summus arbiter ferè omne regnum Orientalium Christicolarum subdiderat, pro affectu iustitiæ & pro cōmuni vtilitate *filio Boemundi*, cuius iuris erat, principatum Antiochiæ cum filia sua traderet, si etiam ducturus, & terram, principatus, ipsius consilio & auxilio protecturus aduenirret. Hoc etiam considerato moderamine iustitiæ, decretum est: vt illi qui in terra aliena, ex dono dominorum, multique contumeliis & terroribus, effusione etiam sanguinis sui & parentum suorum, in defensione Christianitatis terras & honores adquisierunt, nulla mutatione Christianæ dominationis habita & possessa amitterent, sed iure hereditario possiderent: Idque verbis & manu regia sancitū & confirmatū extitit. His peractis, Rex Antiochiæ existens de remotis partibus, & proximis, & vndecumq; potest, nomine belli gentem citissimè congregat; seque suosque armis bellicis, cæteroque bellico apparatu, vt decebat regem, munire satagit. Hoc audito *Algazi* dimisso intacto castro *Arthesit* & *Emine*, ad obsidendum *Cerepum* profectus est. Audierat namque, fama multo-

multorum enarrante, *Alanum* illius castri Dominum, cum suis militibus, Edessanos etiam milites ac de aliis castris ferè omnes, iussu regio Antiochiam aduenire, vt inde promoti, ipsum ibi vel alibi existentē, bello percutiant. Nec affectu caruit, super hoc & super aliis, quod rex cæli & terræ fieri voluit. *Algazi* verò cū suorū assultu castrum capere nequeat, ex diuersis partibus facto specu subterraneo infodientes mittit homines, igniferosque parat currus siccis lignis insitos, vt cum ad turres peruenerint sub podiatæ postibus eisdem immissis ignibus corruant. Præter hæc de die in diem ter vel quater petrariis diuersorumque ingeniorum instrumentis, cum assultu armatorum ordine triplici inuadentium, immissis sagittis cum im-
10 manitate telorum, & turres propugnaculis priuabant, & defessores sæuis ictibus prosternabant. Tandē oppidani, partim his territi, & partim subterraneo igne turribus immisso coacti, mallentes adhuc mundo viuere, quàm in castro diuturno timore effici, vel martirio coronari, infelix, & pudendo facto placito, vt securi viui possent euadere, sumpta perfidorum fiducia, castrum reddidêre: & inde flebiles & pudibundi ad regem iter extorsêre. Perfidi vero ibidem missis custodibus, & aliis munitioni castri necessariis, ad obsidendum *Sardonas* profecti sunt. Interim rex æstimans nefarios apud *Cerepum* posse inueniri, paratis omnibus, quę ea vice in hominibus aliis belli necessariis habere poterat, in spiritu humilitatis, & in animo cōtrito, laneo indutus habitu, nudisq; incedens pedibus in beatorum intercessorum
20 Ecclesiis, cunctipotentem exorare, eiq; medullitus supplicare maturauit: vt cuius nutu susceperat regni gubernacula, ipso inchoante & peragente, ad honorem & laudem sui nominis, tyrannos & impugnatores Christianitatis, ab elatione præsumptuosa, & à suis viribus, quibus se triumphare putabant, nihil triumphi vel inane laudis sibi vsurpando, sed totum DEO comittendo, virtute Sanctæ Crucis, deponere & prosternere potuisset. Tandem congregato totius ciuitatis clero & populo in *Ecclesia beati Petri*, Patriarcha, celebrato diuino officio, vt decet patrem filios suos ituros ad bellum, & domi in DEI seruitio remansuros, præceptis Dominicis instruxit, monuit, & armauit, cœlitusq; benedictione signauit. Sumptis processionis mysteriis, omnes vnà inclinatis capitibus ad altare, cum sacrarū reliquia-
30 rum feretris & signis, præcedente Cruce Domini, ordine cleri Ecclesiastica institutione decorato, omniq; populo subsequente, cum humanitate & mansuetudine letaniis & aliis precibus DEO supplicantibus, ituri ad bellum & domi mansuri singulis laneis induti, & nudis pedibus profecti, extra ciuitatem ad diuisionis metam deuotè peruenīūt. Ibi iterum Patriarcha sacram Crucē sacratis assumens manibus, iterum virtute ipsius omnes signauit, Dominoq; medullitus hoc modo commendauit: *Qui nos precioso sui sanguinis redemit, ipse sit clemens & propicius dux itineris, & prouisor vtilitatis, vt & euntes & remanentes à peccatis absoluti, liberè & absolutè eidem famulari sic valeatis, quatenus eius dono consolationis & victoriæ triumpho potiti, in ipso & per ipsum gaudeatis.* His dictis, hinc & inde fusis lacrimis, præcedente signo sanctæ
40 Crucis, Rex ad bellum, clerus ad Ecclesiam, populus in sua remeauit: exorantes & deprecantes, vt auctor summæ iustitiæ, qui ab initio bella conterit, ab impetu populi sui suo nomini laudem tribuens, conterat aduersarios. Eodem vero die & sequenti nocte, Regi equitanti ad *Cerepum* adsunt illi obuiam, qui cogente forte miserrima hostibus castrum dimiserant. Quibus visis & auditis, Rex interno mœrore concussus, stupet & contristatur. Intuebatur enim ipso eodem attestante, ex redditione castri Christicolis præsentibus & futuris, duo dampnosa imminere contraria: alterum, ad tempus, DEO annuente, recuperabile; & alterum nunquam recuperabile: recuperabile, castri damnum; inrecuperabile, redditionis opprobrium. His itaq; accensus animosius, sumpto cito consilio, ad *Rubeam* iter dirigit: vt inde
50 equitando per *Hap*, ad montem nomine *Daniz*, castrametari valeat. Ibi enim sperabat, se posse auditu vel visu certa hostium indicia percipere. Nec affectu caruit, quod prætemptabat habitu sui animi: Ipso etenim die quo in monte fixis castris accubuit, hostes non longè esse remotos, certis indiciis comperuit. Relatu namque audientium & videntium perfidos *Sardonas* obsedisse lucidè intellexit; & quod eodem die, vel mane, ex ipsis quosdam videret, certo nuncio didicit. Contigit namq; in crastino summo mane leuiores habilioresq; militiæ sparsim præludendo circumquaq; emissis sagittis nostros impetere; Sicq; diem deducentes bini

& bini, pauci cum paucis, plures cum pluribus, hinc & inde, cauda & capite, moliebantur, partem nostri exercitus conturbare, vel quoquo modo impellere. Rex autem vigore virilis prudentiæ fretus, cùm inspexisset eos non more pugnatorum se habere, nec ordinatis aciebus incedere, hortatur suos, imperatque omnibus pro castris suis prudenter existere; cōstantiq; animo pati, & inspicere quousq; loco cōgregatos, vel simul incedentes posset eos comprehendere. Ipsi verò dolosa calliditate pleni, in sero etiā vitabant simul hospitari: sed in noctis crepusculo circa exercitum hospitati sparsim, tenentes equos manibus in singulis, ea nocte fuit idem seruus & dominus. Interim cum *Algazi* petisset castrum *Sardonas* sibi reddi minis, & blanditiis, terroribus, pollicitis, nec habere potuisset, assultu & ingenio priori simili, impetuosè bis vel ter in die, nocte etiam castrum aggredi nō desistit: Vbi autem deficientibus herbis & segetis, aquis etiam hominum & equorum victui necessariis, sub specie aquirendæ munitionis & stipendii, perfidi gregatim Turchomagnorum & Arabum factis milibus, per diuersas partes quibus incedebant de more luporum rapacium, perfidis inherendo & deuorando secumq; abducendo ex rapto quicquid poterant repatriare satagebant: Ipse etiam Rex Arabum, nomine *Debeis*, *Bocardusq*. Princeps suæ gentis nominatissimus, & plures principū, qui cum *Algazi* in cōflictu extiterant, post primos recedentes simili modo profecti sunt. Quo viso, Algazi antequā Rex adueniat ad capiendum castrū insistit suis viribus: magis autem astutia fallenti oppidanos fallere nititur. Eisdē etenim spopondit fide & sacramento suæ legis, si municionem suæ dominationi subderent, eos sanos & intactos, suo deductu salubri, ad metam tutæ euasionis prouehi, rebus omnibus saluis & intactis. His auditis, partim coacti vulneribus ex inertia corporis priuati viribus, sumptâ Principis quasi fiduciâ, petitioni nefandissimæ hoc pacto assensêre: omissoq; oppido, iussu profani principis, pro ducibus conductoriis se ipsos manibus carnificum ignoranter tradidêre. Lætus itaq;, læto animo oppidum suscepit. Multo verò lætiori, imperat manibus suorū abeuntes Christicolas seuissimæ morti tradi. Quid horū singula? penè oēs vno momēto facti sunt necis præda. Nondum autē ad aures Regis id peruenerat. Eâ verò nocte, quâ apud *Daniz* castrametatus est, relatu cuiusdam curati *Rotberti Fulchoii* sic accidisse intellexit. Nec tunc mirandum fuit, si Rex, qui solus post Dominum, dominus & defensor Christianitatis extitit, ea vice iterū detrimento & dedecori Christicolarum condoluit: cōsolatus tamen virtute sanctæ Crucis; se in mane pugnaturum contra hostes præparauit viriliter. *Algazi* verò iam sciens regem apud Daniz immorari, relatu illorū, qui circa exercitū nostrum præludentes extiterant, munito Sardonas, ipse & *Dodechinus* cum omni exercitu suo in sero, militibus illis quos ante præmiserant, circa nostros exultantib. & insidiantibus iuncti sunt, vt mane subito soporatos inuadere potuissent: id namq; sæpè multis profuit. Rex autē somno lentus sed prouisor vtilitatis; & munitus signo venerabili, quo & reges regnans, & hostes vincuntur, ipso etiam die quo priores venerant, prouidè, vt ille, qui sæpius hostium esse & bella expertus fuerit, cum archiepiscopo *Cæsariensi* & aliis veræ fidei cultoribus, disposuit nocte tentoria sua collegi, milites parari, & omnia bellatoribus, necessaria sic decerni, quod si hostes subiti in eos irruerent, nihil pigrum, nihilq; inordinatū inueniant; sed in datis ictibus, & prostratis hostibus Christianos DEI virtute & eius signo vigere comperiant: sin autem, vt eos gregatim posset comprehendere, disposuit se cum toto exercitu ordinatis aciebus die terris illabente, versus *Hap* equitare; Eo etenim modo æstimabat bellum, & [illegible]t ineuitabile. Mane itaq; præmisso signo salutifero, nouē aciebus, iussu regio, dispositis, DEO & virtute sanctæ Crucis Christicoli comendati, more bellatorum passim iter arripiunt, hoc ordine incedentes: Tribus aciebus ante positis, manus pedestris vt hos protegat & ab his protegatur, retro sistitur: Virtus verò regia harū & aliarum protectione parata, incessit ordine omnibus necessario: acie Comitis Tripolitani militis strenuissimi à dextris posita; aciebus Baronum à sinistris; & post, iussu Regis quibusq; suo loco positis. Hostes verò in diei crepusculo circumquaq; positi timpanorum ac buccinarum emittunt strepitū, cum strepitibus clamores, cum clamoribus latratus, cum latratibus audaciā. Et quia his ab incepto gressu Christicolas remouere, & in dispersionem æstimabāt compellere, duplicatis clamoribus insistunt vehementiùs, hinc & inde sæpius sagitarum & telorum immissis sæuis ictibus.

bus: Qui cũ hoc modo quod moliebantur efficere nequiuissent, & nostros audacter incedere & viriliter resistere persentissent, ex arrogãtia multitudinis pugnatorũ audaciam assumẽtes, ambiciosi manũ pedestrem prosternere, quâ grauius refrenabantur; cùm hanc pręcedentib. aciebus, & acies hac protegi viderint, vi maximâ accensi, animosius post ictus illatos, lanceis & sagittis, arcubus immissis brachiis, exemptis ensib. nostros percutiunt: ita q, iam pluribus dissipatis, ipsam etiã Comitis aciẽ splendidissimã in regali acie mergi faciunt: Ibi quidẽ apparuit, quia in Comite natura militiæ nihil exaruit: sparsis etiã suis & penitus effugatis, sparsisq; trib. acieb. ipse solus vel cũ paucis militariè agẽdo vicissim datis & vicissim susceptis ictib. hostib. resistebat; & se cõstãti animo cũ Cruce Domini & Rege mori vel viuere applicuit. Interim præfatis aciebus effugatis, maior pars nostræ manus pedestris, permissione Domini, cõcussa, hostiũ gladio corruit. Statimq;, à dextris & à sinistris, à cauda & à capite, hostes graui impetu nostros percutiunt. In hoc cõflictu *Archiepiscopus Cæsariensis* vir vitę venerabilis, nomine *Euzomerus*, non loricâ, sed sacerdotali superpellico indutus, Crucẽ Dñi venerabilib. gestabat manibus: cuius protectione ipse etiã sagitta percussus, multis attestantib. permansit illæsus, solâ gutã sanguinis illi in testimonio eminẽte. Ibiq; Regis equus in collo extitit vulneratus. Quod cũ Archiepiscopus cõperisset, & perfidos nostros inualescere persensisset, in eos versâ Cruce Dñi apertissimè inquit: *huius virtute sacratissima anathematizati sitis, nefandissimi; & diuinâ vltione in dispersionẽ effugati, citissimè pereatis.* Rex itaq; virili audacia fretus, quâ parte hostiũ turmas vi pugnatorũ in nostros magis vigere cõperuit, illic exclamãdo S. Crucis protectionem & auxiliũ, velocissimè irruit; perfidos prostrauit, & in dispersionẽ impulit: Ita, inquã, quod vicissim anteriores, & vicissim posteriores percutiẽdo effugauit. Sicq; actũ est vt in illo bello, diuina agẽte prouidẽtia, vt ex vtraq; parte, & victi & victores haberentur: sed dissimiliter. Nostri etenim victi ad *Hap*; ad Antiochiã & etiã remotiùs ad Tripolim fugã euadentes, nostros ad exterminiũ deductos nunciauerunt: Aliunde etiã Turci cum impetu quorundã nostrorũ ad Alapiam effugati, *Algazi* & *Dodechinã* cum omni Turcomagnorũ exercitu ad interitũ deductos asseruerunt. Auctor verò & inspector summæ iustitiæ id Regi Balduino, per virtutẽ S. Crucis & vitam ipsius exigente cõtulit, quod & hostes effugauit, & cũ triumpho diuinæ victoriæ, belli campũ liberè & absolutè cũ paucis etiam obtinuit. Contigit autẽ partes hostiũ partibus nostrorũ ab impetu reuertentib. fessis, & equis eorũ deficientib. cum agasone, quoddã vexillorũ regi deferẽte, separatim obuiasse. Quod cùm perfidi sorte sinistrâ defatigatos cõspexissent, immissis sagittis equos ex facili prostrauerunt, & milites vi telorũ coactos quosdã morti tradidêre, & quosdã captiuitatis laqueis astrictos, Rege nesciente *Halapiam* perduxerunt. Rex verò campum obtinens, audito nuncio quosdam ad *Hap* effugisse, & ibi permanere, pro illis bis & ter enũciata victoria mittere festinauit. Qui licet certo signo & certis indiciis Regẽ cũ victorię triumpho campũ obtinere persensissent, ad ipsum tamẽ, partim timore coacti, & partim verecundiâ pressi, accedere verebantur: nec tamen reuerti desinunt, ne penitus defecisse teneantur. Rex itaq;, penuriâ victus potusq; coactus, serò profectus ad *Hap*, mane in campũ reuertitur, vulneratos campi & defunctos, q decebat, vtrosq; perduci imperauit: & circũquaq;, si quid belli residui remansisset, ipsemet equitans spectatũ, strenuos trãsmittere curauit: in campo etiã tã diu remãsit, quòd certis nunciis & certis indiciis perfidos deuictos lucidè intellexit. In illo conflictu, vt putabatur, ex nostris quingenti vel septingẽti pedites, & centũ milites perẽpti sunt: de Turcis verò, vt ipsimet fatebãtur, qui euaserunt, duo vel tria millia Christicolarũ gladio corruerunt. Id victoriæ, in vigilia festiuitatis de assumptione beatæ Mariæ Virginis, virtus S. Crucis obtinuit. Gauisus itaq; Rex memoratus, anulũ sui digiti Patriarchæ suæq; sorori principissæ bene notũ, fideli internuncio ad Antiochiã deferendũ cõmendauit, vt hoc signo victoriam S. Crucis nunciaret, & Regem belli campũ obtinere assereret. Nuncius itaq; haud lentè profectus, omni populo Antiochiæ in mœrore cõstituto hæc nunciãs, in signũ Christianæ victoriæ ex parte Regis Patriarchæ anulũ præsentauit. Quid ergo? Deo altissimo omnis vna resumptis viribus, moribus & vita emẽdati, retulerunt gratiarũ actiones, in Ecclesia sua læti. Post hæc autẽ ex diuina potentia viuificæ Crucis, recuperato triumpho Christianitatis Rex Antiochiam rediens, extra ciuitatẽ, vt decebat, remotius solito,

ab omni populo ac clero cum hymnis & cãticis spiritualibus victoriosè suscipitur, ductuq; processionis salutiferæ, ad Ecclesiã beati Petri, vnde iter & initiũ bonæ expeditionis assumpserat, hilaris & lætus reducitur, ad laudẽ & gloriã summi Regis & summi Domini; *cui nemo aliunde placere potest, nisi ex eo quod ipse donauerit*, qui viuit & regnat DEVS in secula seculorum, Amen. Nunc autẽ quædam illorũ quæ Christicolarũ captiuorũ exterminio discutiẽda prælibaui, pro visu & auditu seriatim edisserã. Eo namq; die quo *Dodechinus* rex Damasci & *Algazi* Turcomagnorũ princeps virtute S. Crucis & manu Regia deuicti fuerũt, & in dispersione effugati, nunciatũ est filio Algazi, ea vice oppidano Alapiæ existenti, ipsos primates cum maiori parte illorũ exercitus Christianorũ gladio corruisse: quo audito potẽtiores Alapiæ quidã antea manu & iussu nefandi principis redempti, & quidã à domibus suis & aliis honoribus priuati, eisdẽ Turcomãnis atributis, sub specie publici luctus & clamoris, intrinsecus gauisi, moliti sunt euasis fugientibus diuersis modis exterminii impedimentũ inferre. Astutè etenim milites alios raptores, post disconfectos dirigũt, qui fugitiuos expoliãdo cædant, & vice dispendiorũ Halapensibus illatorũ, irâ vindice ipsos perdant. Sicq; actũ est, quòd extra ciuitatẽ fugientes per diuersas partes, diuersis exactionibus plectuntur, & infra à quibusdã veris, & à quibusdã fictis lacrimis cũ immẽsis clamoribus, pro peremptis lugubres luctus deducũtur: ita quòd ipsa ciuitas in superficie & fundamentis murorũ ac turriũ ædificiorumq; diuersorũ non secus intonat, ac si tota fulgorib. & tonitruis subuerti debeat. Idq; actũ extitit, more illorũ exigente, cũ enim vincantur facto edicto nuntiant se vicisse; & simulatis triũphi gaudiis timpanistris, tibiis, tubisq; clangẽtib. mẽtes desolatorũ, ne desperent, his instrumẽtis ad gaudia excitant. Ea verò vice iocundius solito & animosius talib. insistebãt vt captiui Christicolæ, qui tũc Alapię diuersis tormẽtorũ generibus astricti tenebãtur, hoc audito magis magisq; animo cruciati quoquo modo decrededissent: ipsi verò armis fidei præmuniti, licet cruciamine cordis & multis iniuriis affecti haberẽtur, pro eo ꝙ relatu perfidorũ audierãt regẽ suosq; bello cecidisse, nũquã tamẽ à cultu veræ fidei defecerũt, sed multò ardẽtius solito pro salute Christianæ militiæ, & pro se ipsis DEO medullitus vigiliis & orationib. supplicabãt. Cõtigit autẽ eos audisse, se furtiuo relatu quorũdã fideliũ, & etiã infideliũ, gaudia & diuersos plausus quę publicè agebãtur, ex re, mœrore & luctu pręmaximo plena extitisse, super nefandorũ exterminio, & Christianorũ victoria, quæ patebat virtute S. Crucis insignata, & præsentia Regis *Balduini* belli campũ obtinẽtis. Audierũt etiã *Dodechinũ* cũ *Algazi* ad exterminiũ deuenisse. Quid ergò? Quicquid amaritudinis ac doloris antea passi fuerãt, hoc audito totũ in dulce conuersũ reputant; eiq; à quo bona cũcta ꝓcedũt, deuotè ac puri cordis affectib. supplicare nõ cessant. Hoc gaudio refecti die deducẽtes & ad noctis partẽ tertiã vel mediã exhilarati, certæ spei victoriæ cõgaudentes, ex insperato audiũt è diuersis partib. hominũ clamores priorib. dissimiles, gaudia cęteris altiora, instrumẽta, timpanistria, ferociùs ante tactis sonitus ac tumultus emitentia. Mirantur itaq; captiui & admirantur, quid noui horũ mutatio insinuet, & quid insolitũ populus totius ciuitatis circũquaq; accẽsis luminarib. cũ altis clamoribus prędicet. Cõtigerat autẽ *Dodechinũ* & *Algazi* à bello in partes *Berriæ* fugatos, inermes & defatigatos, cũ paucis Alapiã remeasse; & inde præfata laudum præconia intus & extra inter Alapenses admiratiuè excreuisse. Tunc iterũ, ꝙ captiuis gratũ fuerat & dulce, hoc intellecto sorte miserrima cessit in contraria: summo etenim mane dũ vacarent orationib. sceleratorũ principũ adsunt internuncii, & cũ ipsis turba prædictorũ nõ minima, asserentes septẽ militũ capita, cũ nudatis ensibus ferratũ impetuosè carceris pulsantes & impellentes hostiũ, de more solito quo captiuos de die in diẽ ad decollandũ extrahere consueuerant; intrantq; carcerẽ vsi his vocibus. *Ex parte victoris Algazi nunciũ vobis afferimus, Regẽ vestrũ residuũq; Christiani popelli, ipsius gladio in bello corruisse*: & oblatis capitibus, captiuis, inquiũt: *hac fercula vt sint vobis in escã, huc dirigit ipsa legis stella.* Nec multo post ipsius vestri regis viso capite & vexillo, equidẽ sentietis quæ & quanta sit virtus eximiæ nostræ legis, cui amodo cõtradicere nõ habetis. Sic facti rei seriẽ occultãtes quasi lęti ad dominos extra portã in tentoriis accubantes, illorũ dedecus & detrimentũ vini potationibus reuelantes, nuncii reuertũtur. Captiui autẽ ad parietis rimulã, vbi relatione fideliũ acta sceleratorũ principum sæpius intendebant, tunc quoq; seriò intellexerũt vtriq; parti dispendia contigisse præmaxima: ita, inquã, ꝙ prophani, foris simulato gaudio, pro

amissione triumphi intus cruciabatur animo. Christiani verò recuperato triũpho, in Christo certa & perfecta gaudebãt victoria. Quinto verò die, *Rotbertus Fulcoides*, manib. impiorũ abstractus & dilaniatus, Alapiæ Algazi præsentatur, vnde geminata lætitia & inauditis laudũ præconiis, omnes vnà plaudẽtes manibus, ad ipsum quasi ad monstrũ confluunt: nõ vt à pœnis redimant: sed vt hunc admirãdo illudere, illudendo cruciare, & cruciando membratim valeant discerpere: & hoc sæuo vindictæ genere, dolorẽ suum ab ipso eisdẽ ex longo tempore illatum gaudeãt minuere. Domino verò prohibẽte nõ audent eũ tangere; Quid ergo super hoc? Cùm populus id efficere nequeat in se ipsũ & capillorũ & barbarũ euellatione retorquere non
10 cessat. Placuit autẽ Principi nefario, vt hũc Doldechino, exquisitori & inuẽtori diuersorũ tormẽtorũ, ad puniendũ dirigat. Mittitur itaq; & à collo & à manib. vinculis ferreis strictissime religatus. Quo viso Doldechinus vice gaudii prætẽdit os rictu ferino dilatatũ. Miratur itaq; toruo lumine ipsum militẽ, cuius manu & ingenio cũ cæteris fidelibus, sępius sibi cõtigerant rerũ suarũ dispendia, suisq; corporis effugati plura incõmoda. Quid vltra? præsentatũ suscepit, susceptũ inspicit, inspectũ contẽpnit, contemtũ ad exitiũ quo dignus fuerat euenisse decernit: hoc modo inquiens: *Eia Rotberte, eia inspice, quid vtilitatis lex nostra cõfert, quo vos error & incredulitas cõpellit. Vnde ad hoc ducimini quod legẽ nostrã lege vestra & omnib. aliis meliorẽ peruertere nitimini? vt quid manus vestra, manus, inquã, quãtula, in potentiã & dominiũ nostri, vt vermis*
20 *humi serpẽdo se extollit? Ecce actenus fato nostro exigente, cadendo & resurgendo incessimus. Modo verò eodẽ permutato, ius vestrũ in nos redactũ, ex munere DEI, credimus. Te autẽ recolo, mihi de tuo tribuisse iã in præterito: vnde vt te interficiã apud me hac vice non inuenio.* Remisitq; eũ ad Algazi, inquiens verbis internuncii: *Malo hunc tuo quàm meo perire gladio.* Nec ob aliud mortẽ inferre distulit, nisi vt vicissim illusus ab vtroq;, sentiat quid vtriusq; terror & potẽtia in eũ exercere valeat. In præsẽtia itaq; Algazi illusus, præfato nequã Rotbertus iterũ præsentatur, cui arrepto gladio *Dodechinus* inquit; *Abrenũcia legi tuæ, vel morere.* Ad hæc Rotbertus: *Omnibus operib. Satanæ & põpis eius abrenũcio; pro Christo verò nõ renuo:* his verbis profanus furore arreptus, illatione gladii caput Christiani à corpore separauit. Quod deferẽdũ publicẽ, iudiciario præconi
30 tradidit; corpus verò ad dilacerãdũ vulgo proclamãti, munus præoptatũ contulit. Quid igitur? Lator capitis ꝑ plateas, & vicos ciuitatis hoc ostẽso & diuitib. præsentato, quingẽtis Bisantiis, & diuersis munerib. exhilaratus, ad ꝓphanũ rediit; eiq; pro illato sibi beneficio gratias agẽs, flexis genib. medullitus supplicauit, caputq; reddidit. Vnde impius ille ab artifice artis impiæ vas sibi ad potandũ auro purissimo gemmisq; præciosis ac mirifico ornatu cõstructũ, citissimè fieri imperauit: quo sibi potanti in festiuis solẽnitatib. suis posteris signũ audaciæ & victoriæ repręsentari valeat. Statimq; *Dodechinus*, electis suæ gentis primatib. internũciis *Algazi* requisiuit, vt ꝓ remuneratiõe verę amicitię, acceptis ab eo *Bisantiorũ Sarracenatorũ* LX. milib. ꝑmisisset eũ carcerẽ Francorũ ingredi, vt omnib. qui in carcere illo erant manu suã pro-
40 priã detruncatis, ipse in effuso sanguine vice obtati balnei potuisset recreari, & vt aquila viuẽte renouari: Algazi verò accepto cõsilio, primatib. hoc modo respondit: *Petitionẽ tanti viri rectã, ac iustissimã esse fateor. Est autẽ aliud ꝙ prius agẽdũ intueor, legi & vtilitati nostræ ꝓfuturũ, quo peracto, & in his & in aliis tãti amici volũtati & dominio, funditus obsecũdabor. Ne autẽ vos & ipsũ affectus mei cõsilii lateat, hoc vobis attẽdendũ, & ei referẽdũ prudẽtia vestra cõcipiat. Castrũ* Hasa, *quod porta introitus & exitus Halapiæ reputatur, nondũ habere possumus. Hoc.n. quod Frãci resumptis virib. in nos cõualuerũt, nimis impedit, & præfatũ recuperare, & iã recuperata castra ab eorũ ingenio & potẽtia intacta cõseruare. Quod si captiuos quos habemus ex eorũ genere nobiles & ignobiles, hoc modo exterminari permiserimus, & in castris recuperãdis & in aliis dispẽdia solito grauiora profectò patiemur. Et*
50 *est nobis cõsilium, moliri vtrũ captiuorũ cõmutatione quoquomodo simulata valeamus, vel in redditione castri, vel in aliis astutũ & prouidũ ipsorũ Regem fallere. Eo etenim viuente, puta dictum, nos nullatenus illud castrũ; sed nec quicquã terræ suæ dominationi subditæ, nisi vi aut ingenio posse habere. Ferendum est itaq; captiuos adhuc viuere, vt prius vltrici manu grauatis horũ principibus ac dominatoribus, postea in ipsos ipse Dodechinus retorquẽdo, quicquid obtat sitiẽti animo satisfaciat.* Hoc audito, reuersi nuncii, audita suo referũt Domino. Laudantq; decens & vtile illud fieri, quod legis stella consulit; his auditis, Dodechinus licet inuitus, fauet tamen & patitur. Vterq; autem territus fugã & exterminio quod

eis contigerat prætermissis æquitatibus cæterisq; negotiis reipub. profuturis; solis potationibus inuigilãt: Inter quas noctibus ac diebus horis desperatis, missis ministris cædis, vt oues gregatim captiuos abduci & ante se sisti faciunt. Quorũ quidam funibus ad stipem suspensi, seorsum plexis capitibus, sursumq; versis pedibus, duræ cædis materia, sagitarum præbẽtur crebris ictibus. Quidã verò pubetenus, quidam vmbilicotenus, & quidam terræ specumentotenus infossi, manibus impiorum, vibratis iaculis subeunt pro Christo lamentabilis vitæ discidiũ: Nonnulli equidẽ singulis cæsis membris, in vicis & plateis proiiciuntur, transeuntibus miræ exactionis spectaculum: & quo amplius perfidorum feruebat ebrietas, tanto magis tormentorum crescebat peruersitas. Quod ab affectu potationis herili palatii expertum multis innotuit: eo namq; die, quo post bellum Algazi in palatio vini furia inebriatus accubuit, omnes vnà quotquot fuerãt Alapiæ Christicolæ captiui nominati, ipsius iussu ante eum adducti sunt: Ibi quidem, ante ingressum palatii congregato fermè totius ciuitatis populo, eisdem proclamãtibus ac suspirantibus in affectu optati captiuorum exterminii, traditi sunt cædi miserrimæ milites ac pedites XXX. & VII. exterminandi pari cruciamine: Horum in momento corporibus detruncatis, totum porticus pauimentum aulæ regiæ, profluens aspergit vnda sanguinis. Tandẽ præter istos in exultatione portationis horrificæ, milites vtriusq; belli, tam proceres quã & alii, corã perfido super pauimentũ apponuntur acerrimè religati; vbi à circumstantib. illusi, contumeliis & terroribus affecti, multisq; alapis, & miseriarũ stimulis impulsi, barbarum & capillorũ euellationibus deturpati, pudibundâ nuditate pressi, strident dentibus, tremunt visceribus, inhiant cælestibus. Ea vice in mundo nihil eis certius quàm ictus gladii imminentes: mente & corpore cruciantur: singuli etenim vnus post vnũ, coram impio aduocati, ab ipso verbis internuncii requirũtur: *Quid maluit, aut Christicolarum legi abrenunciare; aut illatione sui gladii in momento acerrimè truncari?* Ab eis autem, veræ fidei cõtrariũ nihil verbis, nihil operis extorquere potuit. Audita itaq; responsione procerũ, fidei, spei, ac caritatis plena, cum & minas ipsius, & mortem pro Christo pati nõ formident; assurgit, arrepto gladio profectus in mediũ, in girum deambulando, & toruis luminibus intuẽdo singulos: æstimans sacerdotẽ esse, qui cum captiuis aderat, quendam militem iubet arripi, cuius caput ipse idẽ manu propria gladio succidit. Reuersusq; in girum, in medio captiuorum, ensem deducẽdo ante ora singulorum, expetiit Bisantios citissimè sibi porrigi: non vt vellet eos redimi ea vice, sed quia ebrietate impulsus volebat eos perdere: statimque iubet arripi alium *Arnulfum* nomine, Marisiensem dapiferũ, magnæ religionis virũ: datoq; gladio Patriarchæ Damasceno inquit, *percute, percute: sic decet vtiq;*. quo accepto *Archadius* mente compunctus cuidam Amiraldo inquit: *vice mei id honoris legi nostræ exhibe, vt vir tantus manu tanti militis iam priuetur capite*; ipsoq; decollato, Algazi iterũ accepto gladio venit in medium, non alia intentione nisi vt omnis vna simili cæde perdat. Actor verò summæ pietatis, id captiuis cõtulit, vt quod peruersitas illius intẽdebat agere, nutu DEI mutaretur, misso sibi munere. Contigit.n. tunc ex parti *Debeis* regis Arabii, equũ miræ pulchritudinis illuc aduenisse, freno & sella ac pendulis raræ ac preciosæ artis ligulis adornatum, ab aure vsq; ad pedis rasulam, auro Arabico gemmisq; preciosis decoratũ. Quo viso, proiecto gladio Algazi gaudio permutatus cum primatibus intrat thalamũ, seq; induit ornamentis præcio & opere mirifico specialissimis: primatib. verò imperat vt captiuos cito cõpellant ad hoc quatenus à singulis audiant, quantũ pro redẽptione vitæ suæ quisq; dare valeat: Sic factus, equũ ascendit ad *Dodechinũ* tendens ministrũ Antichristi: primates verò vicedomini inquirunt à singulis, quantũ possent redimi. Auditis singulorũ præciis secundũ maius & minus, totũ inscribũt cartulis, & his finitis, ad carceres captiui remittuntur. De diuersis itaq; tormentorũ generibus, quib. captiui carceribus Sarracenorum conterebantur, multa quidẽ miranda ac stupẽda haberem describere, & verbis edisserere; sed quia reges, principes, mundiq; aliis potentes, etiã & impotentes, eiusdẽ cõditionis, eiusdemq; fidei homines cuius & ipsi sunt, aliquãdo iustè, aliquãdo iniustè capiunt, captosq; pro extorquẽda pecunia diuersis pœnis, puniũt: & cum pœnæ omne genus mortalium, instinctu diabolico, à malis potius, quã à bonis exempla sumere consueuerint: vtilius mecum reputo, formam & quantitatẽ tormentorũ tacere quàm exprimere: ne Christicolæ Christicolis similia inferãt, & in con-

consuetudinem vertant. Illud verò miraculi, quod captiuis in carcere contigit, eisdem compatiẽdo, præsentib. & futuris literali memoria pando. Nocte quadã cùm captiui sopori membra dedissent: sopori, inquam, qualis haberi poterat in miseria: cuidam militi *Sansoni de Bruera* cognomine, per visum innotuit cœlum apertũ vidisse, & inde Dominum nostrũ Iesum Christum, cum decore & splendore virtutũ à summitate cœli vsq; super carcerẽ consedisse; ipsumq; Sansonem vt ad eum veniret cum suis sociis imperando, ter vocasse: & ipsis aduenientibus, dextrũ brachium à summitate carceris vsq; ad finem extendisse, dextroq; pollice intincto oleo & crismate, signum sanctæ Crucis singulorũ frõtibus impressisse. Inter quos, ex nomine 10 assignatos, per visum affuerunt alii, quos cùm Dominus eodẽ modo non signasset, interrogatus à Sansone quare eos dimiserit, fertur ei sic respondisse: *Nolo amplius: alias, vbi mihi placuerit, cæteros signabo.* Hac visione Sanson excitatus, captiuos fratres nocte media, more solito, ad orandũ excitat; eis finitis matutinis laudibus hanc visionẽ insinuat. Quid singula? Eodẽ die, omnes signati, & cum ipsis alii, extra portã ducti sunt ad patibulum, vbi princeps sceleris cum primatibus totius Alapiæ dignitatis, festiuali potationi inuigilabat. Quibus visis, magister sceleris exultans primatibus inquit, *Intuemini quã redemptione & quo munere liberos milites istos velim ad dominũ regem suum regredi, & vt singuli à manu mea propria munus suũ recipiant vnus post vnũ adductus, sicut decet, iam veniat.* Primus itaq; Sanson adductus, ipsius Algazi ma-20 nu capite plexus, martirii munere decoratus cũ sanctis regnaturus Domino præsentatur; idemq; de cæteris XXIV. signatis, verè peractum cõprobatur. Nec id tacendũ intueor: quòd inter istos, quidã iuuenis extitit decollatus, natus *Aconẽsis Vicecomitis*; cuius corpus, à loco in quo iacebat, virtute ac miraculo Domini, corã cunctis ibidẽ existẽtibus, ad alium locũ se transuexit. Et hoc facto, profanus viribus destitutus in effuso sanguine spumas & elisus occidit, toruo genere passionis acerrimè deturpatus; ita, inquam, vt os cum auribus, & aures cum naribus chaos horridum firmasse videretur. Residui itaq; non signati, pulsi, flagellati, & detracti, manibus impiorum sæuissimè ad carcerẽ remittuntur. Ipse verò *Algazi* manibus suorũ in tentorio collocatis, more solito à viuo superatus in fetore sui ipsius fecis, quindecim dierum 30 spacio iacuit, quasi mortuus: & hoc genere passionis turpissimæ, in magnis potationibus sæpissimè terebantur. Post hæc autem, cùm non valeat vi, nec ingenio ea vice regem cum Christicolis fallere, à Dodechino & primatibus sumpto consilio, prostrato castello *Sardonas*, munitisq; suis oppidis à terra captos proceres & quosdam alios imperauit redimi, ac precium redemptionis militibus & seruientibus terram custodituris attribui, donec ipse ad *Merdinum* profectus, ipsius honoris speciale castrum, ob Christicolarum detrimentum, Turcomagnorũ gentem maiorem solito congregaret, & redeat. Quid singula? Profectus, tam Turcomagnorum quàm & Arabum gentem præmaximam congregat. Et his congregatis, visa tanta multitudine, elatione immẽsæ superbiæ arreptus, statuit cum vno *Soldanorum Chorocensium* 40 super regem *Dauid* in* euectiam equitare; vt eo perempto vel heredato liberè & absolutè valeret Hierusalem & Antiochiam peremptis Christianis suo dominio subdere. Ipsi verò cum superbia equitandi, ira DEI extitit. Eo namq; die, quo Soldanus & ipse Algazi cum sexcentis milibus terrã legis bellaturi intrauerunt: ipse idẽ Rex *Dauid*, signo sanctæ Crucis præmunitus, habens inter *Medos* & Christianos quateruiginti milia pugnatorũ, factis agminibus inter duos montes densissimis nemorib. insitos, in valle restitit quã, vt fama retulit, super eum hostes ingredi præsumebant. Restitit, & sic locutus est: *Eia, Christi milites si pro lege DEI tuẽda legitimè certauerimus, non solũ innumerabiles dæmonũ satellites, verumetiã ipsos dæmones ex facili superabimus. Est autẽ consilium quod intueor, si laudatis, nostro honori nostræq; vtilitati profuturũ: Hoc videlicet, vt erectis ad cœlum manibus cunctipotenti DEO promittamus, pro amore ipsius in hoc* 50 *belli campo ante mori, quàm fugere; & vt fugere nequeamus, etiam si velimus, patẽtes huius vallis aditus quibus intrauimus, densissimis lignorũ struibus constipemus; & cõstanti animo, hostes è proximo in nos certare præsumẽtes acerrimè percutiamus.* Quid singula? Tãti regis veri & perfectissimi Christiani laudata, probata & perfecta stat sentẽtia. Nec mora, dispositis acieb. singulis Rex ducẽtos milites Francigenas, quos habebat, ad primos ictus inferẽdo anteposuit: statimq; in altera parte vel frõte vallis, cũ ingẽti hominũ clamore, equorũ & armorũ strepitu cõstipato, sceleratorũ vexilla prodeunt ferocissima; & his accedẽtib. diuersorũ instrumẽtorũ sonitu intonãt vndiq; mõtes cũ vallib.

Rex autem *Dauid*, tantorum ferocitatem humillimè præstolatur; suosque inuitat virili animo, & consolatur, asserens elatam infidelium multitudinem cooperante virtute sanctæ Crucis, parua manu ac breui posse conteri. Nec multò post visis Christicolis, infinita multitudo spiritu superbiæ exagitata, cum immensis clamoribus in eos irruit: virtute verò Domini inprimis ictibus excæcati, Francorum manibus corruunt in dispersionem effugati. Vt quid singula? perfidi nutu DEI Christicolis & *Medis* vna præbentur cædis materia: & vt serio existentium in conflictu didicimus, in fuga spacio trium dierum habita, corruerunt regali gladio quater centum millia: idemque *Algazi* in capite vulneratus peremptis penè omnibus suis permissione Domini, cum paucis effugatus, inermis & famelicus conductu 10 Regis Arabum repatriauit semimortuus. Sequenti verò anno conualescens ad obsidendum *Sardonas*, quod manu Regis refirmatum fuerat, quotquot potuit militum ac peditum constipatus agminibus, mense Iulio rediit. Quo audito; *Goscelinus Comes Edessanus*, sumto ab Antiocheno Patriarcha consilio, cum suis & Antiochenis bellatoribus ad *Samartanum* profectus est, vt obsidionē Sardonas bello dissipet. Quo audito *Rex Hierosolymitanus* cum Hierosolymitanis adueniens, citis gressibus illuc peruenit, ante cuius tentoria è partibus perfidorum milites præludentes aduenerunt, visuri Christicolarum exercitum. Quid vltra? visis Christicolis hostilis ferocitas timore subacta nocte collectis tentoriis & ante se præmissis, castrum lædere desiit. Ipse *Algazi* cum suis Alapiam reuersus est, arreptus genere morbi pa- 20 ralytici; Qui cum nollet istud prodi, simulauit se iterum & in breui, tam Arabum quàm & Parthorum maximam gentem adducturum: quod si esset sui iuris, ardenti animo inuigilasset Christicolarum exterminio. Contigit autem in lectica, qua ferebatur pro honore & impotentia, cum egressione fimi ventris, ipsius sordidam per anum exisse animam, & abstractam infernalium scorpionum vnguibus, corruisse in inferni inferioris ollas plenas diris ignibus, ardentibus, sine fine comburētibus & inextinguibilibus: à quo nos liberet ipsius Domini nostri IESV CHRISTI gratia & misericordia, cuius imperio parent omnia cœlestia, terrestria, & infernalia, per seculorum secula, Amen.

EXPLICIVNT ANTIOCHENA BELLA, ACTA A ROTGERIO PRINCIPE ANTIOCHENO, BELLO, QVOD FVLCHERIVS SVPRA IN HVIVS VOLVMINIS EXORDIO DESCRIPSIT.

HISTO-

HISTORIA, QVÆ DICITVR
GESTA DEI PER FRANCOS

edita à venerabili domino GVIBERTO Abbate monasterii S. Mariæ Nouigenti;

INCIPIT EPISTOLA GVIBERTI AD LYSIARDVM SVESSIONENSEM Episcopum.

PATRI ET DOMINO SANCTE SVESSIONENSIS Ecclesiæ Episcopo LYSIARDO, GVIBERTVS perpetuò suæ liberalitati debitor, quidquid dulce & vnicum creditur in affectu:

20

CVM ab amicis mihi sæpe suggereretur aliquibus, quare opusculum præsens proprio non insignirem nomine; hucusq; reppuli, plane veritus piam historiam personæ odibilis fœdare vocabulo. Ratus autem ipsam per se claram præclari hominis titulo posse fieri clariorem, ad te tandem appuli; & operi sui autoris nota depresso, iocundißimum luminare præposui. Cùm enim tuæ vetustißimæ nobilitati, scientia litteralis, serenitas specialis, mo- 30 *destiaq; moralis accederet,* DEO *iustè creditur prouisore dispositum, vt tantæ reuerentiæ munus Pontificij dignitas honestaret. Sequens itaq; scedula tuo amplectendo nomine infloretur; quæ ad se quidem incondita, tui cui scribitur amore condiatur; & officij quo præmines, auctoritate firmetur. Non deerant sanè præsules, & alij, quos huius aliorumq; scriptorum meorum notiones, aut etiam oppiniones attigerant: his certè sepositis, ad te summa fuit concurrisse voluntas. In qua tibi est lectione pensandum, quòd si etiam aliquotiens me à vulgari grammatica peregrinari contigerit, idcirco fecerim, quod vitia, immo illud humi serpens* 40 *eloquium præcedentis corrigebam historiæ. Et villas video, vrbes, ac oppida studiis feruere Grammaticæ: vnde à veteribus historicis noluissem si facultas suppeteret discrepare. Pensa deniq; quod inter rei familiaris curas, & crebras auditiones causarum, dictandi mihi, immò quod grauius est, translatandi æstuabat intentio: & dum diuersa, non sine mordaci importunitate foris audire compellerer, stabiliter intus quæ orsus fueram cepta tenere cogebar. Longè alia, quàm in* expositionibus Geneseos, *vel aliis opusculis tractatoriis me vsum stilo, nemo miretur: decet enim licetq; prorsus operosa historiam verborum elegantia coornari; sacri autem eloquii misteria non garrulitate Poetica, sed Ecclesiastica* 50 *simplicitate tractari. Id ergo peto gratè suscipias, & pro perenni tui nominis monimento retineas.*

EXPLICIT EPISTOLA.

INCIPIT PRÆFATIO SEQVENTIS HISTORIÆ.

AD præsentis opusculi executionem multum mihi præbuit ausum, non scientiæ literalis, cuius apud me constat forma pertenuis, vlla securitas, sed historiæ spiritualis autoritas. Quam enim certum semper tenui solo DEI *numine, & per quos voluit consummatam, eam non dubium habui per quos etiam rudes ipse voluerit conscribendam. Qui enim eos per tot difficultates traduxit itinerum, qui succidit ante ipsos, tot excrementa bellorum, dubitare non valui, quod rei gestæ mihi, quibus sibi placeret modis, inderet veritatem; nec negaret competentium ordini ornamenta dictorum. Erat siquidem eadem historia, sed verbis contexta plus æquo simplicibus, & quæ multotiens grammaticæ naturas excederet, lectoremq; vapidi insipiditate sermonis sæpius examinare valeret. Ea planè minus eruditis, nec de locutionis qualitate curantibus, ob illius nouæ relationis amorem satis oportuna videtur; nec aliter quàm illi sentiunt, ab auctore dici debuisse putatur. His autem quibus pabulum eloquentiæ estimatur honestas, dum ea minus aptè dicta perpendunt, vbi narrationis dinoscitur expedire comitas; & prolata succinctè, vbi facundiæ* paregorizantis *decuit laciniosa varietas, dum susceptæ materiei seriem nudo procedere vestigio vident, iuxta* Poetæ *sensum, aut dormitant, aut rident: quin etiam, malæ præsumptæ orationi, quam longè diuerso oportuisse cantari modo considerant, inuident. Pro statu planè casuum sermo coaptari debet orantium: vt verborum acrimoniâ, bellica facta ferantur; quæ ad diuina pertinent, gradu temperatiore ducantur. Qua gemina, si facultas mihi suppeteret, formâ, in huius stadio operis excurrisse debueram: vt & facinorum suorum insignia nequaquam verbis recitata disparibus insolens Gradiuus agnosceret, & numquam grauitatis sibi inditæ tonum, cum de pietate res agitur, modestia Mercurialis excederet. Quæ licet ex sententia adimplere nequiuerim, benè tamen ab alio gesta plurima ex parte approbare nec minus probare didicerim. Ergo alienorum iudiciorum, valde temerarius, (sed ex fidei amore) & impudens, me fateor incidisse discrimina: quia dum corrigendi voto, hæc me compererint attigisse studia, fortaßis secunda deterius appratiari poterunt, quàm priora. Cùm enim paßim videamus feruere Grammaticam, & quibusq; vilißimis præ numerositate scolarum hanc patere nouerimus disciplinam, horrori fuit, & si non vti debuimus, vel vti potuimus, hanc nostri gloriam temporis non scribere: immò reliquisse sub inconditi scabredine sermonis historiam, videram, his Dominum diebus quàm fecerit à seculo, mirabiliora geßisse; gemmamq; huiusmodi extremo diuersari in puluere: tantiq; contemptus impatiens, curaui quibus potui eloquiis, id omni carius auro, quod neglectui tradebatur, absoluere. Nec id solo præsumptiuè, instinctu egi meo, sed sua aliquibus petitione, huic adnitētib. fideliter voto. Quidam sanè, prosa vt scriberem; metro autē id fieri, pleriq; rogabant: quoniam talis me studii in primæuo rudimenta celebrasse satius iusto, compererant. At ego iuuentute, gradu, experientiaq; prouectior, nō id verbis plausilibus, non versuum crepitibus enuntiandum rebar, sed maiori, si dicere audeam, quàm omnes belli Iudaici historias maturitate dignum digeri, si esset cui* DEVS *copiam super hac re tribueret, arbitrabar. Nec diffiteor me post Ierosolymæ captionem, ex quo illi, qui tantæ interfuerant expeditioni redire cœperunt, ad scribendum*

bendum ea animum appulisse; sed quia quarundam circa istud importunitatum obices adstiterant, distulisse. Sed quia, DEO permittente, nescio si volente, voluntati meæ constat oblata facultas, in id quod piè affectaueram fortasse à cunctis ridendus, incessi, cachinos ac triscuria prætergrediens aliquorum, dum modo diuturni eruptioni conceptus quæcunque delatratione sategerim. Et si sit qui rideat, non tamen iuxta posse gerenti ac sanum intendenti detrahat; nec meis præproperè næuum dictis inurat, sed si penitus aspernatur, posthabita lite verbo-
10 rum, ipse malè perorata rescribens, exempla dictandi præbeat. Porrò si quis aliquid subobscurè dictum causetur, notam sibi hebitudinis infligere vereatur: cùm pro certo nouerim, quòd ex his quæ in subiecto libro dixerim, nemini in litteris exercitato iustè quæstionem mouerim. Corrigendum igitur, nescio an corrumpendum, historiæ ipsius aggressurus exemplar, primò causas & necessitates quæ huius occursum expeditionis vrgebant, sicut audieram, proposui referendas; & sic, occasionibus præmonstratis, res demum attexere gestas. Quorum tenorem, ab illo priori quem prosequor auctore, multa varietate prolatum, ab eis
20 qui eidem interfuerant viæ, edidici. Ea sanè quæ ferebantur in libro, contuli crebrius cum ipsorum qui facta viderant verbo; & proculdubio expertus sum, quia neutrum discreparet ab altero: quæ autem addiderim, aut ab his qui videre didicerim, aut per me ipsum agnouerim. Quòd si quippiam aliter dictum quàm se res habet, constiterit, in cassum fateor mendacii mihi probra callidus deprehensor obiecerit, cùm me fallendi desiderio nulla dixisse, sub DEI testimonio scire possit. Quid enim mirum si fallimur, dum aliena facta referimus, cum nos ne nostræ ipsorum quidem cogitationes, ac opera, non dico verbis exprimere, sed
30 ne colligere tacita saltem mente possimus? Quid de intentionibus loquar, quæ adeò latere plerumque probantur, vt vix ab ipso interioris hominis acumine discernantur? Non est igitur seuerius arguendum, si ignorãter in verba prolabimur: sed illud est inremissibili censura terendum, cùm falsitas ex industria deceptionis, vel cuiuspiã subornationis voto contexitur. Porrò de nominibus hominum, prouinciarum & vrbium, multa mihi est difficultas ingenita: dum enim quædam, quorum attigerim notionem, malè ab illo auctore expressa cognosco, remota quælibet, eoque magis incognita, eadem prauitate enuntiata non dubito. Verbi gratia: Turcos, cotidiano increpitamus strepitu; Corozaniam, quiddam noui no-
40 minis vocitamus: vbi vocabulorum vetustas quoniam penè prorsus obliterata delituit, antiquitate omni, etiam si ad integrum patuisset amota, nihil nisi quod publicè cantitatur dicere libuit. Si enim Parthos, vt aliqui sentiunt, non Turcos, Caucasum, non Corozaniam ponerem, quasi sectando autentica, obscurus fierem: meque illis qui de propriis regionum nominibus certant carpendum exponerem. Et maximè illud attendo, quia sicut in his prouintiis, terras nouis constat vocabulis insignitas, itidem immutari non dubitamus & exteras. Namque si ea, quæ olim Neustria, modo Northmannia appellatur; & quæ Austria, nunc
50 Lotharingia pro aliquibus accidentiis nuncupatur: idem apud Orientales quomodo fieri non credatur? Vt asserunt plane quidam, ipsa quondam Memphis Ægiptia, Babilonia nunc dicitur. Vulgari itaque modo malui enuntiare aliqua, quàm obscurari aut contendere ponendo diuersa. De nomine autem Podiensis Episcopi diu hæsi; vix in huius operis fine edidici: non enim in meo habebatur exemplari. Parcat quoque Lector meæ sermonis incuriæ; indubiè sciens, quia quæ habuerim scribendi, eadem mihi fuerint momenta dictandi: nec ceris

emendanda diligenter, excepi; sed vti præstò est, fœdè delatrata, membranis apposui. Nomen autem indidi quod arrogantia careat, gentisque honori proficiat: scilicet DEI GESTA PER FRANCOS.

EXPLICIT PRÆFATIO HISTORIÆ QVÆ DICITVR DEI GESTA PER FRANCOS, editæ à Venerabili Domno Guiberto Abbate Monasterii sanctæ Mariæ Nouigenti, quod situm est sub castro Cociaco, in pago Laudunensi.

INCIPIT LIBER PRIMVS HISTORIÆ HIEROSOLYMITANÆ.

QVORVMDAM mortalium vitiosè aliquotiens, sed non semper, moribus constat inolitum, vt modernorum facta vituperent, præterita secla sustollant. Et quidem laudanda fuit veterum modestiæ contemperata felicitas, & retractatione consilii moderata viuacitas: sed nemini discreto, qualicumque virtuti nostrę, secularis eorum fuerit vllo modo anteferenda prosperitas. Etsi enim in antiquis virtus defecata præminuit; tamen in nobis, in quos licet seculorum finis deuenerit, dos naturæ nequaquam prorsus extabuit. Prædicantur meritò pro hominum nouitate, priscis acta temporibus: sed multo iustius efferri digna sunt, quę mundo prolabente in senium, peraguntur vtiliter à rudibus. Regna quondam extera, bellis suspiramus insignita potentibus: stragem *Philippicam*, & vbique inclemẽtem, non sine continuâ sanguinis effusione victoriam, suspicimus: *Alexandri* rabiem de camino Macedonum ad totius Orientis exitia emergentem, tonantibus eloquiis pensitamus: *Xersis* in Thermopilas, *Darii* in Alexandrum copias, cum execrabili infinitarum gentium digladiatione metimur. *Chaldaicam* superbiam; *Argiuam* acrimoniam; *Ægiptiorum* spurcitiam, instabilemque *Asiam*; *Pompei Trogi* & auctorum disquisitione sublimium miramur. Prima *Romanorum* instituta; sub communis vtilitatis censurâ; & Imperii propagatione complectimur. Et tamen, si horum omnium ad purum discutiatur essentia, non modò apud probos quoslibet laudabilis ipsorum habetur audacia: sed meritò patet infamiæ pertinax belligerandi, sine vlla ratione, pro sola dominandi libidine, vecordia. Respiciamus ergo, immo resipiscamus, ad huius quas despicimus æui fætulentas, vt sic dixerim, fæces, & minimum digitũ nostrum, patrum quos plus æquo extollimus, nostrorum dorsis grossiorem, iuxta illud fatui Regis dictum, repperire poterimus. Si enim prælia Gentilium, & regna multo armorum labore peruasa perpendimus, nullas eorum vires, nulla prorsus exercitia nostris, per DEI gratiam, æquiparanda censebimus. Si DEVM in Iudaico populo magnificatũ audiuimus; IHESVM CHRISTVM, sicut heri apud antiquos, ita & hodie apud modernos, esse & valere certis experimentis agnouimus. Reges, Duces, Dictatores, ac Consules vspiam pugnaturi populorum examina conflauerunt; & edictis potentibus, vndecunque gentium, numerosos exercitus contraxerunt. Hii tamen, hii coeunt hominum terroribus acti. Quid de illis dicam, qui sine domino, sine principe, solo videlicet DEO impulsore, non modò extra natalem prouinciam, extra etiam originale regnum; verùm quoque extra multitudinem interiacentium nationum progressi atq; linguarum, de extremis Oceani Britannici finibus, vsque ad totius terræ meditullium castrorum suorũ acies produxêre? De noua & incomparabili *Iherosolimitanæ* expeditionis victoria loquimur, cuius tanta erga eos qui non desipiunt existit gloria, vt nostra, quod nulla pręterita meruerunt, tali titulo iubilemus insigniri tempora. Hoc nostros aggredi, non inanis famæ, non pecuniarum, non dilatandi limitis coëgit ambitio: quibus occasionibus innituntur aut nisi sunt penè omnes, qui contra quoslibet arma mouent, siue mouerunt. Quibus illud poëticum opportunè dicitur:

> *Quis furor ô Ciues, quæ tanta licentia ferri,*
> *Gentibus inuisis proprium præbere cruorem?* &
> *Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.*

Si enim

Si enim pro libertate tuẽda; aut pro publica re defendenda sumerent causam, excusationem vtique prætendere possent honestã. Vbi autem aut Barbararum gentiũ, aut metuitur Gentilitatis incursus, ab armorum iure nullus debet miles arceri: & si ista defuerint, pro sola sanctæ Ecclesiæ tuitione cõsueuerunt quã legitimè bella tractari. At quoniam in omnium animis hæc pia desinit intentio; & habẽdi cunctorum peruasit corda libido, instituit nostro tempore prælia sancta DEVS, vt ordo Equestris & vulgus oberrans, qui vetustæ Paganitatis exemplo in mutuas versabantur cædes, nouum repperirent salutis promerẽdæ genus: vt nec funditus electa (vti fieri assolet) monastica conuersatione, seu religiosa quamlibet professione,
10 seculum relinquere cogerentur; sed sub consueta licentia & habitu, ex suo ipsorum officio, DEI aliquatenus gratiam consequerentur. DEO ergo incentore, motas audiuimus nationes, & ad omnia necessitudinũ affectionumque genera præcordiales aditus prædurantes, tanta auiditate ad Christiani nominis hostes euertendos exiliũ petere; orbemque Latinum, notitias etiã terrarum excedere, quanta neminem alacritate viderimus aut epulas aut dies festos adire. Honores amplissimi, castellorum & vrbiũ dominia spernebantur; vxores pulcherrimæ quasi quiddã tabidum vilescebant; omni gemma quondã gratiores promiscui sexus pignorum fastidiebãtur aspectus; & ad quod mortaliũ nullus aut vrgere imperio potuisset, aut suasione propellere, ad id subita mentium demutatarum obstinatione ferebantur. Non erat Ec-
20 clesiasticæ cuiquam personæ necessariũ; vt ad excitandos pro hoc ipso populos in Ecclesiis declamaret; cum alter alteri non minus monitis quàm exẽplo domi forisque profectionis vota clamaret. Ardebant studia singulorum: & tanta illis facultas videbatur illud iter ineundi quibus nullæ sumptuum copiæ sup[illegible]etebant, quãta illis quibus ingens possessionũ venditio, aut thesauri repositi opul[illegible] via[illegible] conuehebãt. Videres dictum Salomonis euidenter illud im[illegible] *[illegible] locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas.* Hæc locusta nullũ [illegible] tum dederat, quandiu longæ iniquitatis congelatione torpue[illegible] feruor incanduit, genuinæ illicò trãsmigrationis euolatione pro[illegible] patris domo ac cognatione digreditur; & per sanctæ intentionis assumptione[illegible] moribus
30 immutatur. Ipsa regem non habuit: quia quæq; fidelis anima omni duc[illegible] præter solius DEI caruit, dũ illius se contubernalem æstimat, eumque præuium [illegible] esse nõ dubitat, cuius voluntate & instinctu se cœpisse, quem in egestatibus solatio [illegible] futurum coniubilat. Sed quæ est quæ egreditur vniuersitas, nisi illa, quæ ad vnum idemque appetendum numerosissimarum plebium corda vertit simplicitas? Cum solam quasi specialiter *Francorum* gentem super hac re commonitorium Apostolicæ sedis attigerit, quæ gens Christiano sub iure agens non ilicò turmas edidit; & dum pensant se DEO eandem fidem debere quam Franci, Francorum quibus possunt viribus, nituntur & ambiunt communicare discrimini? Videres *Scotorum* apud se ferocium, alias imbellium, cuneos crure intecto, hispida clamide, ex humeris de-
40 pendente psitarcia, de finibus vliginosis allabi; & quibus ridicula quantum ad nos forent arma copiosa, suæ fidei ac deuotionis nobis auxilia præsentare. Testor DEVM me audisse, nescio cuius Barbaræ gentis homines ad nostri portum maris appulsos, quorum sermo adeò habebatur incognitus, vt lingua vacãte, digitorum super digitos transuersione crucis signa prætenderent; hisque indiciis, quod nequibant vocibus, se fidei causa proficisci monstrarent. Sed de his suo loco vberiori forsitan circumlocutione tractabimus; nunc de *Iherosolymitanæ* vel *Orientalis* statu, qui tunc erat, Ecclesiæ aliquantisper agamus. A temporibus fidelis *Helenæ*, Constantini Principis matris, per loca dominiorũ & suppliciorũ vestigiis insignita, basilicæ sunt, per eandem Augustam, & ministeria digna basilicis instituta. II.
50 Quẽ institutionis ordinẽ post decessum præfatorũ, per Romani imperii successiones, diuturnis temporibus, Ecclesiastica historia docente, comperimus perdurasse. Orientalium autem fides, cum semper nutabunda constiterit, & rerum molitione nouarum mutabilis & vagabunda fuerit, semper à regula veræ credulitatis exorbitans, ab antiquorum patrum auctoritate desciuit. Ipsi planè homines, pro aëris & cœli cui innati sunt puritate, cùm sint leuioris corpulentiæ, & idcirco alacrioris ingenii, multis & inutilibus commentis solent radio suæ perspicacitatis abuti: & dum maiorum siue coæuorum suorum despiciunt obtemperare magiste-

Psal. 63, 6. rio scrutati sunt iniquitates; *defecerunt scrutantes scrutinio.* Inde hæreses & pestium variarum genera portentuosa: quarum tanta pernities & inextricabilis extitit labirintus, vt veprium vel etiam vrticarum feratior vspiam fieri nequaquam incultissima possit humus. Omnium hæreseon cathalogi perlegantur: libri antiquorum scripti aduersus hæreticos recenseantur, mirabor si præter Orientem & Affricam, vix aliqui sub Latino orbe cernentur. *Pelagium*, nisi fallor, Britonem hæreticum nescio quo legerim; sed illorum vel erroneos, vel errores colligere neminem vnquam potuisse crediderim. Ipsi fuerunt terra in suorum maledicta magistrorum opere, spinas & tribulos germinans operantibus se. Ex Alexandria *Arrius*, ex Perside *Manis* emersit. Alterius rabies sanctæ Ecclesiæ vestem, maculam 10 aut rugam non habentem, tanta scidit atque cruentauit instantia, vt eius consideratione, breuior penitus tempore, locis contractior æstimetur persecutio *Deciana*: vtpote cui post Græciam, plenissimè succubuerunt Hispania, Illiricum, & Africa: Alterius fabulæ, & si ridendæ, argutissimorum etiam virorum longè lateque obtuderunt quasi præstigiis quibusdam acumina. Quid *Eunomios, Euticetes, Nestoriosq;* loquar? mōstrorum millia texam? Quorum aduersus nostros tam pertinax vecordia fuit, adeoque difficilis victoria prouenit, vt viderentur hæreses non gladiis sed fustibus decollari. Recolamus veteres de originibus Regnorū historias, & garriamus super ridiculo statu Regum; & Asiaticam leuitatem, super subita Principum destitutione ac restitutione miremur. Qui ergo doceri de eorum fœda mobilitate 20 desiderat, rotabundos in regnis alternantesque Antiochos, Demetriosque recenseat: & quem hodie florentissimū viderit imperio, gentium facilitas subditarū eum non modo à fascibus, verum naturali cras exulem disperget à solo. Vnde hæc ipsorū, & in actu seculari, & in Christiana professione nugacitas, adhoc vsque tempus in tantum viguit, vt neque in Eucharistiæ confectione, neque in Apostolicæ sedis subiectione penè quicquam illis commune nobiscum sit. Sed si illud, quod de *panibus fermentatis sacramenta conficiunt*, conuenienti aut vero simili ratiocinatione defenditur: quia, quod recta cum fide geritur, materialis fermenti admixtione nō læditur; & quod veteribus cæremoniis Dominus finem ponens; postquam cum azimis agnum comedit, de eodem pane, quia alius non aderat, nec secundum legem 30 quā implebat, induci tunc poterat, Corporis sui Sacramēta contradidit, azimorum illatio, quæ tunc affuit necessitati, non eis videtur ad institutionem pertinere misterii: sicut buccellæ intinctio, non sacramenti peragendi, sed Iudæ proditoris fuit ostensio: si, inquā, ista aut quælibet alia aut falsò aut veraciter obtendi possunt, quid de *Spiritu sancto* dicturi sunt, qui adhuc eum secundùm reliquias hæreseos Arrianæ, minorem Patre & Filio profana mente cōtendunt? Cum ab institutis paternorum Canonum, & ab Occidētalis Ecclesiæ pio ritu, sensu ac multimoda actione discordent, hunc dampnationis suæ adiecerunt cumulum, vt claudicare perhibeant, inflicta ei propriæ naturæ inæqualitate, DEVM. Si enim ex Filii DEI præcepto, IN PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI nomine baptizandum est: & hoc 40 idcirco, quia hæc tria vnus DEVS est: quicquid in his tribus asseritur minus alterutro, DEVS profectò non est. Talium ergo congregatio taurorum inter vaccas populorum, excluserunt etiam nunc eos qui probati sunt argento, dum quidā nostratium, hac Græcorum altercatione citati, clarissimos de *Sancti Spiritus processione* ediderunt libros. At quoniam offendiculum ponit DEVS coram his qui voluntariè peccant, terra eorum ipsos sui habitatores euomuit, dum primò fiunt à notitia veræ credulitatis exsortes; ac meritò deinde ac iure, omnis suæ terrenæ possessionis extorres. Dum enim à Trinitatis fide desciscunt, vt adhuc sordescant qui in sordibus sunt, paulatim vsque ad extrema suscipiendæ Gentilitatis detrimenta venerunt; & procedente pœna peccati, alienigenis inruentibus, etiam solum patriæ amiserunt: 50 aut si quempiam ibidē remanere contigit, externis indigenæ sese sub tributi redibitionibus subdiderunt. Prædicatissimæ nobilitatis vrbes *Antiochia, Iherusalem* ac *Nicæa*; etiam Prouinciæ, *Syria, Palestina & Græcia*, è quibus nouæ gratiæ seminaria pullularunt, abortiuis florentibus Italis, Gallis, Britonibus ab interno virore radicitus defecerunt. Taceo quod in ipsis, vt ita dixerim, quisquiliis Ecclesiarum tantæ abusiones inoleuerunt, vt in plerisque illorum regionibus, nemo ad presbiterium pro-

Psal. 67, 33. [margin]

1. Tim. 3, 2. uehatur, nisi primò coniugium sortiatur; vt de vnius vxoris viro, qui eligendus est,

Apostoli

Apostoli sententia compleatur: cum idem dictum non de eo qui habeat & vtatur, sed de eo qui habuerit habitamque dimiserit, constantissimè Occidentalis Ecclesiæ auctoritate firmetur. Taceo quoque, contra consuetudinem Latinam, marium fœminarumque, dignitatis etiam Christianę personas indifferenter emi, ac si bruta animalia, distrahi; & longius à patria ad crudelitatis augmẽtum, vt gentilium fiant mancipia, vendendas emitti. His denique omnibus præponderare videtur, quod Imperiali apud eosdem constat generaliter lege sancitum: quod de omnium videlicet filiabus, concessa passim quasi pro iusto licentia, assumi debeant subituræ prostibulum. Verbi gratia: Ecce quis habet tres aut quatuor filias, vna earum ad lupa-
10 nar exponitur; & de eo ipso tam putenti lucro, quod infelicium illarum est passione quæsitum, pars nescio quota miseri Imperatoris defertur ad fiscum; pars in sumptus eius quæ turpiter id meruit, retinetur. Ecce clamor in Domini Sabaoth aures nimis truculenter ascendens. Præterea sacerdotes quibus est sacramẽta diuina tractare commissum, Dominicum corpus post prandia in locis, vt audiui, plerisque conficiunt; & ieiuno cuilibet absumendum porrigunt. Dum his & aliis similibus malitiarum modis exerrant, dum in suis adinuentionibus eunt, nouum constituit DEVS super eos legislatorem: *vt sciant gentes quoniam homines sunt.* Et dum terminos patrum suorum scienter transgrediuntur, ad hoc meritò deuoluti sunt, vt pecoribus facti petulantiores, opprobrio habeantur. Sed aliquantisper edisserẽdum est,
20 cùm Christiano cultui aliquando deseruisse noscantur Orientalium nationes, vt in Paganismum redierint, quo tandem auctore nitantur.

Psalm. 9, 21.

III.

Plebeia opinio est, quendam fuisse, qui si benè eum exprimo, *Mathomus* nuncupetur, qui quondam eos à Filio & Spiritus sancti prorsus credulitate diduxerit, solius Patris personę, quasi DEO vni & creatori inniti docuerit, IESVM purum hominem dixerit: & vt breuiter eius dogma concludam, circumcisione quidem decreta; totius eis impudicitiæ laxauit habenas. Quem profanũ hominem paruæ multũ antiquitatis existimo; non ob aliud scilicet, nisi quia Ecclesiasticorum doctorum neminem contra eius spurcitiam scripsisse reperio. Cuius mores vitamq; cum nusquã scripta didicerim, quæ à quibusdam disertioribus dici vulgò audiuerim nulli debet esse mirũ, si dice-
30 re velim. Frustra planè ab aliquo, si falsa an vera sint discutiatur, dũ hoc solummodo attendatur, quantus ille magister fuerit, de quo tam nobilium facinorum gloria propagatur. Securus enim quis de eo malè cantat, cuius malignitas quidquid praui dicitur transcendit & superat.

IV.

Alexandrinum, quo nescio tempore, Patriarcham obisse constiterat; & vacans, vt assolet, Ecclesia sese multa animorum varietate disciderat; & dum quisque in eam quam affectat personam, liberiori voluntate protrahitur, erga eos qui diuersa sentiunt, acriori seueritate inuehitur. In quem ergo plurimæ consideratio partis incesserat, haud procul inde heremita manebat. Quem, causa eius essentiam comperiendi, scientiam facundiamque noscendi, cùm crebrò quidam eorum argutiores inuiserent, ex eius confabulatione
40 coniiciunt, eum intelligentiam Catholicæ fidei non habere concordem. Quo cognito, confestim penitus ab hominis quam ceperant electione desciscunt; & in maximo mœrore pro sui reprobatione constituunt. Contemptus igitur cum modestia dilaceretur atroci, quoniam non potuit ad id quod ambiebat assurgere, ad Arrii similitudinem meditari secum anxiè cœpit, quo modo effuso quod conceperat perfidiæ veneno ad sui vltionem Catholica passim posset documenta peruertere. Tales namque homines, quorum tota intentio humanæ prona est laudi, letaliter feriuntur, intolerabile rugiunt, si æstimationem suam qualibet senserint occasione imminui. Hac antiquus hostis apud Heremitam suum oportunitate prouisa his miserandum dictis aggreditur: *Si*, inquit, *vis euidens repulsæ tuæ solatium, & multò*
50 *maius quam Patriarcha valeres habere magisterium, inter eos qui ad te proximè venient nota diligenter iuuenem tali veste, tali vultus & corporis habitudine, tali etiam nomine: hunc animis acrem, tuisq; competentem moribus, ea doctrina quæ cordi tuo adiacet imbue; hunc institutionum tuarum fidissimum auditorem, propagatoremq; tuo magistratu prosequere.* Ille sollicitus hoc oraculo redditus prædicta sibi inter aduentantium cuneos circumspexit insignia; Iuuenemque recognitum affectuosè tenuit, peste qua tabescebat imbuit; & quia pauper erat, & pauperi minus auctoritatis suppetebat, hoc ei statim modo diuitias procurauit. Ditissima quædam mulier viduitatem, obeunte

marito, inciderat: eam sibi nuntio sordidissimus Heremita contraxit, & de coniugii iteratione submonuit. Illa cùm diceret, iuxta suæ statum honestatis non se præstò habere quem duceret; ipse intulit, se sibi aptũ inuenisse prophetã;& eam, si sibi acquiesceret, per eius nuptias felicem omnino victuram. Multa mulierem circumlocutione præstringit; & ad præsens ei futurumque seculum affuturas prophetæ illius prouisiones pollicens, in amorem ipsius quem non nouerat hominis, femineum iecur exporrigit. Spe igitur omnium quæ fierent, & quæ fienda essent præcognitionis infecta, suo vati coniungitur; & pridem miser *Mathomus*, fortunis vndecunque micantibus, ad inopinatos fasces, forsitan non sine sui ipsius incredibili stupore, prouehitur. At cùm sæpius vtrorumque commercia lecti vnius vrna susciperet, Propheta cœpit egregius morbo epileusię, quem *caducum* vulgò dicimus, aliquotiens acriter, prophetissa cernente, vexari; & euersis obtutibus, facie tabida, labiis spumantibus, dentium eius stridoribus ipsa terreri. Insperato hoc euentu perterrita, recurrit ad solitarium; quodque sibi accidit causatur infortunium: & animi prorsus ægritudine consternata, præobtare sibi fatetur interitum, quam execrabile arreptitii subire coniugium. Innumeris itaque querimoniarum modis Heremitæ improperat, nequam sibi præbuisse consilium. At ille cùm incõparabili præmunitus esset astutia: *Desipis*, inquit, *fatua; dum id quod est claritatis & gloriæ, tu tuæ ascribis iniuriæ. An nescis, improuida; quia quotienscumque prophetarum mentibus* DEVS *inlabitur, tota corporis humani massa concutitur, quia ferre non praualet carnis infirmitas, cum ei se applicat diuina maiestas? Resipisce tandem, ne insolitis visionibus expauescas, beatasque sancti hominis tortiones gratanter attende præsertim cum eum tunc virtus spiritualis instituat, super his omnibus quæ sciri & fieri in futurum à vobis expediat.* His feminea leuitas releuata sermonibus, totum iam non modò tolerabile, sed etiam sacrosanctum & spectabile arbitrabatur, quicquid prius fœdum ac despicabile putabatur. Interea per hæreticum Heremitam ad prophana dogmata homo ille, Diaboli fistulâ, imbuebatur; & ipsius quaquaversum præeunte præconio, propheta ab vniuersis creditur. Cumque iam longè lateque in omnium opinionibus fama proficiente, clarescceret; & suis documentis circumiacentiũ ac remotarum prouintiarum accliues populos conspexisset; communicato cum suo doctore consilio, legem scripsit, vbi suis sequacibus totius turpitudinis, per quod magis traherentur, frena remisit. Quo facto, infinitæ multitudinis vulgus aggregat: & vt magis vaga corda præmissa religione deciperet, triduo eis ieiunare imperat; & vt DEVM attentè postulent pro legis acceptione sollicitat. Hoc etiã eis signum dat: quia si DEO sibi legem dare placuerit, more eis insolito, & per manum de qua non speratur dabit. Interim *vaccam* habebat, quam ita manui suæ assuefecerat, vt quotienscumque aut eius vocem audiret vel videret præsentiam, vix eam vis vlla teneret, quin ad eum intolerabili quadam auiditate concurreret. Factum igitur libellum cornibus animalis circumligat, & in tentorio quo versabatur illud occultat. Tertio denique die super omnem qui conuenerat populum eminens, tribunal ascendit, & declamare productis vocibus ad populum cœpit. Quæ cum, vt ita dixerim, summa aure verborum sonum attigisset, è tentorio subteriacenti confestim egreditur, & per medias coadunatarum gentium turmas, volumine cornibus imposito, ad pedes loquentis quasi congratulatura vacca contendit. Mirantur omnes, raptim volumen euoluitur, anhelanti turbæ exponitur; petulantia turpi lege permissa, gaudenter excipitur. Quid plura? oblati libri miraculum centuplicatis fauoribus celebratur. Propagatur vbique gentium quasi cœlitus veniens; indifferenter coeundi nouâ licentia; & quanto magis pollutionum concessarum exuberat copia, tanto magis tacito fœditatis nomine DEI remissiora tempora indulgentis prædicatur gratiâ. Tota Christianitatis censura conuitiis mille dampnatur: & quicquid olim honestatis ac vigoris ex Euangeliorũ tenore constiterat, crudelis vocatur acerbitas: at præceptum quod vacca detulit, generalis appellatur, & ipsa solum à DEO commendata libertas. Non *Moysi* antiquitas, non Catholica nouitas reputatur: quidquid ante legem, sub lege, quicquid sub gratia, inexpiabili falsitate notatur: & vt Psalmo minus congruè vtar, *Deum non fecisse taliter omni nationi*; & iudicia sua nulli a seculo alii manifestasse, cantatur. Profusior libidinis adimplendæ facultas, & bestialem iam superans appetitum, nõ coniugiorum iam, sed scortorum

Psal. 147, 9

numero-

numerositate voluptas, procreandorum liberorum superficie palliatur. Sed dum in his quæ quasi vsualia sunt, nequaquam fluxus naturæ restringitur; vsque ad ea quæ non conueniunt, nec hominari in nobis debent, brutis etiam pecoribus inexperta, concurritur. Huius nefariæ institutionis obscuritas Christianum tunc nomen obtexit: & adhuc pertinentia penè vniuersi, Affricæ, Ægypti, Æthiopiæ, Lybiæ, & iuxta nos Hispaniæ remotissimos sinus oblitterat. Sed hunc tantum tamque mirificum legislatorem quis exitus de medio tulerit, dicendum est. Cum subitaneo ictu epileuseos sæpè corrueret, quo eum superiùs diximus laborare, accidit semel dum solus obambulat, vt morbo elisus eodem, caderet; & inuentus, dum ipsa passione torquetur, à porcis, in tantum discerpitur, vt nullæ eius preter talos reliquię inuenirentur. Ecce legifer optimus, dum Epicureum, quem veri Stoici, CHRISTI scilicet cultores, occiderant, porcum resuscitare molitur, immo prorsus resuscitat, porcus ipse porcis deuorandus exponitur: vt obscœnitatis magisterium obscœnissimo, uti conuenit, fine concludat. Talos iure reliquit, quia perfidiæ, ac turpitudinis vestigia, deceptis miserabiliter animabus infixit. Cuius talorum titulo exegimus tetrasticum iuxta Poëtam *ære perennius, Regaliq. situ piramidum altius*: vt vir egregius omni iam porco felicior cum Poëta eodem dicere valeat: *non omnis moriar, multaq. pars mei vitabit Libitinam.* Quod est:

Manditur ore suum, qui porcum vixerat, huius
Membra beata cluunt, podice fusa suum.

Cum talos ori, tum quod sus fudit odori, Digno qui celebrat cultor honore ferat. Quod si *Manichæorum* sunt vera repurgia sectæ, vt in omni quod comeditur pars quædam maneat commaculata DEI; & dentium comminutione, & stomachi concoctione pars ipsa DEI purgetur; & purgata iam in Angelos cõuertatur, qui ructibus & ventositate extra nos prodire dicantur: sues de huius carnibus pastas, quot credimus Angelos effecisse? Sed omissis iocularibus quæ pro sequacium derisione dicuntur, hoc est insinuandum: quod non eum DEVM, vt aliqui æstimant, opinantur; sed hominem iustum, eundemque patronum, per quem leges diuinæ tradantur. Hunc cœlitus assumptum astruunt; & solos talos relictos ad suorum fidelium monimentum, quos etiam infinita veneratione reuisunt: porcorum vero esum, iusta prorsus ratione, contempnunt, qui morsibus eorum dominum consumpserunt.

IV. Hæ igitur quas supra diximus gentes, postquam per longa tempora, post multas posteritates, error cœptæ Gentilitatis inualuit, cum Palęstinam, tum Iherosolimam ac sepulchrum Domini peruaserunt; Armeniamque, Syriam, partemque Græciæ, penè vsque ad illud mare quod *Brachium sancti Georgii* dicitur, obtinuerunt. Inter omnia Orientis regna *Babilonicum* imperium, ab antiquo præpotentissimum fuit, & regnis quampluribus imperauit: attamen *Parthorum* regnum, quos *Turcos* corrupto nomine vocitamus, in re militari, & equestri elegantia, animi etiam virtute, præpollet; sed terrarum amplitudine minus patet. Imperator itaque *Babilonicus* eas quas præmisimus prouincias magno exercitu occuparat; sed temporis processu, Turcorum emergente copia, Assyriis euictis amiserat. Hii igitur armis viuaciores, & consuetius utentes audacia; dum Constantinopolitanum urgerent imperium, & eidem urbi pene obsidendæ viderentur irrumpere, *Imperator Græcorum* minis eorum frequentibus, & assiduis incursionibus tremefactus, misit in Franciam: scribens *Rothberto* seniori Flandrensium Comiti epistolam: multiplices ei obiectans causas, quibus excitari eius animus posset ad defendendam periclitantem Græciam. Non autem ideò sollicitabat eundem virum, quòd tanto negotio, solius ipsius æstimaret sufficere posse concursum, licet ditissimus esset; & magnam valuisset conflare manum: sed quia nõ ignorabat, quod si vir adeò potens idipsum aggrederetur iter, nostræ secum gentis auxilia plurima, pro sola nouitate rei contraheret. Fuit verò Comes isdem, quantum sagax in rebus bellicis, tantum perspicax & facetus in litteris. *Iherosolimam* orationis gratia aliquando profectus, forsitan *Constantinopolim* peruiam habens, cum ipso est Imperatore locutus, unde & apud eum sumpta maiore fiducia, de adiutoriis est expetendis appulsus. Ipsam autem Epistolam, quam inserere opusculo isti omnino piguit, quædam ibidem dictorum, verbis tamen vestita meis, proferre libuit. *De Ecclesiis querimonia est, quas siquidem Gẽtilitas euersa Christianitate tenebat, in quibus equo-*

rum ac mulorum cæterorumq́, animalium catabula construebat. Quod in tantum verum fuit, vt etiam fana sua, quæ Mathomarias vocant inibi instituerent, & infinitæ quoque turpitudinis commercia exercerent, vt non iam Basilicæ, sed meritoria & scænæ fierent. Porro de Catholicorum necibus frustra agerem: cum mortuis in fide, vitæ æternalis videretur instare concambium: superstites sub miseri iugo famulatus vitam gererent, ipsis, vt arbitror, mortibus acriorem. Virgines enim fidelium deprehensæ, publicum fieri præcipiebantur scortum: cùm nusquam pudori deferretur ac honestati coniugum. Matres correptæ in conspectu filiarum, multipliciter repetitis diuersorum coitibus, vexabantur; cum filiæ assistentes, carmina præcinere saltando nefaria inter huiusmodi cogerentur. Eadem statim passio, quod dici quidem & dolor & pudor est, reuoluebatur ad filias, quæ etiam fæditas obscœnis infelicium matrum cantionibus ornabatur. Totius denique nominis reuerentia Christiani, prostibulo tradebatur. Cumq́ sexui fœminino, quod tamen excusari poterit, pro competenti natura non parcitur, in masculinum pecualitate transgressa, solutis humanitatum legibus, itur. Vnde, vt vnius execranda & penitus intolerabili auribus maiestate flagitii, illa quæ in mediocres & infimos, desurebat petulantia panderetur, dicit quendam eos abusione Sodomitica interuenisse Episcopum. *Et quomodo præceps, & omnibus omnino vesaniis præferenda libido: quæ semper consilii frontisq́ fugax perpetuo impetu agitur, & quo crebrius extinguitur, eo viuaciori flamma iterato succenditur: erga humana se temperet, quæ brutorum animalium inauditis, & ori Christiano vetitis commixtionibus sordet? Et cùm sit miseris permissa suo ipsorum arbitrio multiplicitas fœminarum, parum est apud eos, nisi & dignitas tanta spurcitiæ volutabro commaculetur marium. Nec mirum si DEVS exoletam eorum nequitiam, & in clamorem versam impatienter tulerit; tantaq́ funestorum habitatorum execramenta, more antiquo, terra vomuerit.* Cum ergo de Constantinopolitana quam potissimum verebatur, & quæ transito Sancti Georgii Brachio imminebat obsidione, multâ querelâ tractaret, inter cætera intulit: *quod videlicet, si non alia subueniendi sibi videretur nobis occasio, saltem propter senos quorum corpora ibidem tumulata habentur Apostolos, ne ab impiis, aut incendio conflagrentur, aut in voragines demergantur, celeberrimam perhibet Ciuitatem omnimoda opitulatione dignissimam.* Et certè nihil verius. Vrbs enim illa, non modò Sanctorum illorum monimentis excellens; sed & auctoris merito & nomine præcluens: præsertim cum ex reuelatione superna, ex vetustissimo oppidulo eam toti mundo spectabilem, Romamque secundam fecerit, vniuersi, si fieri posset, Orbis concursu, & suffragio digna fuit. Sequitur demum post Apostolorum inlationem, & dicit *apud se beati Iohannis Baptistæ caput haberi*: quod quamuis falsò dicat: *hodieq́, ac si viuentis capillis, & cute videatur insigniri.* Quod si verum est, quærendũ apud *Angeriacenses* est Monachos, de cuius Baptistæ Ioannis capite, glorientur: cùm pro certo habeamus; neque duos Ioannes fuisse Baptistas; neque vnum ipsum, quod dici nefas est, fieri potuisse bicipitem. Et considerandus etiam sub hac occasione, plurimus quidem, sed non perniciosus error, qui Gallicanas præcipuè, de Sanctorum corporibus obsedit Ecclesias: Istis illum, illis eundem, seu Martyrem, seu Confessorem se habere iactantibus: cum duo loca non valeat occupare integer vnus. Quod totum contentionis malum inde sumit originem, quod Sancti non permittuntur habere debitæ, & immutabilis sepulturæ quietem. Et plane ex pietate descendisse non ambigo, quod eorum corpora argento operiuntur & auro; sed iam euidenti & nimium turpi auaritiæ militant, & ossium ostensiones, & feretrorum ad pecunias corrogandas circumlationes: quæ omnia desiuissent, si eorum, vti DOMINI IHESV, forti apposito obice immobili clauderentur membra sepulchro. Sed his omissis sequentia attingamus. Præterea adiicit vt *si non tanti cohibitio mali, si non præfatorum Sanctorum ad hoc ipsum eos animaret amor; saltem auri argentiq́, quorum innumerabiles illic habentur copiæ, cupiditas inliceret.* Infert denique & quiddam bonorum virorum frugalitati incompetens, vt videlicet *præter hæc vniuersa pulcherrimarum fœminarum voluptate trahantur:* quasi Græcarum mulierum species tanta esset, vt Gallicis modo quolibet præferrentur; solaque earum causa Francorum exercitus in Thraciam ageretur. Dum hæc sordidissimus ille Tyrannus ediceret, meminisse debuerat, quod ob hoc ipsum, hæc sibi suisque aduersitas potissimum ingeneret: quia edicto celebri, de pluribus vniuersorum filiabus, vnam per omne imperium suum prostitui iuberet; & fisco proprio lucrum fædissimæ passionis inferret. Nec minus illud, quod de pluribus filiis, vnum

vnum eunuchizari, data præcepti auctoritate, mandauerit; & corpora marium ademptis viribus eneruia ac effœminata reddiderit, quæ vsibus militiæ iam non habeantur vtilia; immo ad detrimenti cumulum, abscidatur in ipsis propago futura, cuius incrementis sperari valerent contra hostes auxilia. Qui ergo dampnauerit vltrò sua, iam quærere meritò cogitur aliena. Sed attendendum etiam quod is ipse Imperator non ex legitima purpuram successione susceperit: sed cùm de officialibus Palatii sub Principe, qui, nisi fallor, *Michael* vocabatur, esset; & cuidam portioni plurimæ Occidentalium militum præesset, quos excellentiores apud Græcum Imperatorem, & ad eius custodiam magis contiguos ingenita eorum probitas fe-
10 cit: collecta ex subiectis militibus audacia, nouas res contra ipsum Principem moliri cœpit. Qui Constantinopolitana contra Imperatorem ciuitate peruasa, captum eundem luminibus ilicò feraliter priuat, & in quodam municipio artæ custodiæ mancipat; & iura Imperii totius, expers iuris vsurpat. Qui Francos quidem, ea quam diximus necessitate compulsus expetiit; sed postquam tantæ dignitatis proceres conuenisse adeò instructos modestia & armis, & equites vidit, multitudini multum, sed multo amplius prudentiæ eorum inuidit. Ast vbi ad effectum eorum peruenit intentio, creuit huius contra nostrorum efficaciam inuidentiæ magnitudo: dum post Iherosolimitanam victoriam veretur, ne victricia in se arma retorqueant, præsertim cùm eo potiorem sibi æmulum, inter nationes nequaquam
20 esse didicerant. Auditum tamen nobis constat, ante huius viæ compertum primordia, matrem hunc habuisse sortilegam: quæ sibi sæpe prædiceret, quia ex Francis originem duceret, qui ei Imperium vitamque adimeret. Cuius oraculum ipsis effectibus explere forsitan *Boemundus* affectat: qui tantopere illi insistit, vt sæpenumero cum eodem confligens vertere terga compulerit; & plurimam Prouinciarum eius partem suæ ditioni addixerit. Qui cum genus ex Normannia ducat, quam Franciæ partem esse constat, ob hoc vel maximè Francus habebitur, quia Regis Francorum filiæ coniugio iam potitur.

EXPLICIT LIBER PRIMVS GESTORVM DEI PER FRANCOS.

30

INCIPIT SECVNDVS.

VRBANVS Papa, ante Papatum *Odo* vocabatur, ex Francis claro germine oriundus, ex territorio & clero Remensi; & existens, vt ferunt, nisi falluntur, Papa primus ex Francis. Is Cluniaci factus ex clerico Monachus, post Abbatem gloriosæ memoriæ qui adiuuit *Hugonem* non multo post rexit officium prioratus: inde proficiente merito, Ciuitati Ostiæ, *Gregorii* septimi Papæ iussu, destinatur Episcopus: ad extremum Apo-
40 stolicæ sedi præficitur Pontifex summus. Cuius quanta magnanimitas extitit, huius profectionis incentiuo innotuit, quod dum primus ipse præbuit, quonam pacto id fieret, totus mundus obstupuit. Attestatur statui mentis, finis eius splendens miraculis. Defuncto etenim ac sepulto eo, sicut succedens ei *Ostiensis* scripsit Episcopus, cùm plurima signa iam fierent, adstitit quidam sepulchro illius iuuenis; & membrorum dampnum sibi imprecatus est, si per Vrbani merita; qui Odo diceretur, signum vnquam factum fuerit ac fieret. Necdum pedem à loco extulerat, cùm officio sermonis amisso, & altero laterum paralysi intercurrente correpto, postridie, Vrbani virtutum testimonia mortuus ipse perhibuit. Is itaq; vir eximius cùm ab *Alexi* Græcorum principe magnis honoraretur exequiis; & precibus quidem,
50 sed multo propensius generali Christianitatis periculo pulsaretur, quæ quotidianis Gentilium minuebatur incursibus: & Sarracenorum namque inruptionibus Hispanias audiebat sepissimè conturbari. Pro hoc ipso, suæ gentis sollicitaturus homines, commeatum facere destinauit in *Franciam*. Apostolicæ nempe sedis Pontificibus ab antiquo consuetudinarium fuit, si quam sunt passi à finitima gente molestiam, auxilia semper expetere à Francis. *Stephanus* & *Zacharias* Pontifices, vterque sub *Pipino* & *Karolo* Regibus confugium fecit ad ipsos; quorum prior, è Pontificibus sequentem, facta vsque Ticinum expeditione, ecclesiæ suum patrimo-

nium reparando, propriæ sedi restituit: *Desiderium* Regem qui violentiam intulerat, ad eorum quæ diripuerat redditionem sola armorum intentatione coegit. Cæteris enim gentibus erga Beatum Petrum, ergaque pontificalia decreta, timoratiùs humiliusque se habuit gens eadem; nec temeritate, quâ alii assolent, velamen maliciæ arripere contra Deum voluit libertatem. Videmus iam annis emensis pluribus, Teutonicos, immo totius Lotharingiæ regnum, beati Petri eiusque pontificum præceptis, Barbarica quadam obstinatione reniti; & ambientes malle aut diuturnò siue sempiterno Anathemati subiacere, quàm subiici. Audiui anno præterito dum cum Archidiacono quodam *Magontino* super sua ipsorum rebellione cōgrederer, quod Regem nostrum cum populo in tantum vilipenderit, ob hoc solum quia Dominum Papam Paschalem cum suis Principibus gratè vbique susceperit, vt eos non modo *Francos*, sed irrisoriè *Francones* vocauerit. Cui inquam; *Si ita eos inertes arbitraris & marcidos, vt celeberrimum vsque in Oceanum Indicum nomen, fœdè garriendo detorqueas, dic mihi ad quos Papa Vrbanus contra Turcos præsidia contracturus diuertit? nonne ad Francos? hii nisi præissent & barbariem vndecumque confluentium gentium viuaci industria & inpauidis viribus constrinxissent, Teutonicorum vestrorum, quorum ne nomen quidem ibi sonuit, auxilia nulla fuissent.* hæc ad illum. Fateor verò, & omnibus credibile est, huic tanto, gentem istam Deum reseruasse negotio; præsertim cùm pro certo nouerimus, quia ex quo fidei signum, beato *Remigio* tradente, sumpserunt, nullius vnquam perfidiæ suscipere contagium vel ad horam adquieuerunt; quo vix, aut nullo modo, nationes aliquæ mundæ manserunt. hii sunt qui dum adhuc sub errore gentili positi, Gallorum, sed Christianorum arua pugnaci intentione subigerent, nemini vnquam pro Christi fide aut pœnas intulerunt aut mortem: sed eos quos Romana seueritas ferro igniqque punierat, auro argentoque recondidit, gemmis electroque contexit ingenita liberalitas gentis. Nec solum intra se passos, his honoribus contendit ambire: sed & Hispaniis aut Italia seu quibuslibet gentibus aduectos, tantæ desiderio affectionis excoluit, vt martyrum seu confessorum, quos tantopere seruat, amor, & celebrem reddiderit & inlustrem, fideique inremisso tenore donauerit; ad extremum huius Iherosolymitanæ victoriæ triumphis extulerit. Quia enim portauit iugum ab adolescentia, sedebit solitaria: inter omnium videlicet gentium proprietates gens nobilis, prudens, bellicosa, dapsilis, ac nitida. Quibus proprium cum sit nomen, quarumquumque nationum homines, mutuato immo præstito ipsorum agnomine honorantur. Quos enim Britones Anglos, Ligures, si bonis eos moribus videamus, non ilico *Francos homines* appellemus? Sed iam ad proposita redeamus.

II. Papa igitur *Vrbanus* Regni nostri fines ingrediens, tanta vrbium, oppidorum, villarumque lætitia & concursione excipitur, quanto omnium qui aduiuerent memoriis incompertum fuerat, quòd aliquando Apostolicæ sedis Antistes in regiones has venisse videretur. Annus itaque incarnati verbi *millesimus nonagesimus septimus* properabat euolui, cum præsul idem, valde frequens accelerauit conuocare Concilium, cui tandem in vrbe *Aruernica*, scolasticissimo omnium præsulum Sidonio gloriosa, dedit locum, cui tamen immutatæ *Claromonti* constat esse vocabulum. Quod fuit tanto celebrius, quanto excellentis & inusitatæ personæ ora cernere, verba audire erat desiderabilius. Illic, præter Episcoporum & Abbatum examina, quos circiter quadringentos, per prominentes ferulas fuisse, aliqui numerauerant, totius Franciæ & appenditium comitatuum literatura confluxit. Erat ibi spectare quàm serena grauitate, ponderosa comitate præsideret, & vt præfati *Sidonii* verbis vtar; quàm *piperata facundia*, ad obiecta quælibet Papa dissertissimus detonaret. Notabatur quanta vir clarissimus modestia tolerabat, suas tumultuosè causas ingerentium, loquacitatem; quàm parum appreciabatur, nisi secundum Deum, cuiuspiam personalitatē.

*A.Dn. 1097.

III. Inde *Philipum* Regem Francorum, cuius trigesimus septimus tunc Regni recensebatur annus: qui propria, *Berta* nomine, vxore relicta, Andegauensis Comitis vxorem sibi, *Bertiadam* vocabulo, deuinxerat, tanta auctoritate excommunicauit, vt intercessiones spectabilium personarum, & multiplicium munerum inlationes contempserit; & quod intra Regni ipsius demorabatur limites non extimuerit. In hoc ipso Concilio, sicuti antequam ab vrbe digrederetur proposuerat, hacque de causa Francos expetiuerat, maximam ad sibi adsistentes concionem habuit; & inter

inter cætera, quæ excesſêre memorias auditorum, hac intentione diſſeruit. Eius enim ſcientiæ litterali, eloquentiæ cooperabatur agilitas: non enim minor ei videbatur in Latinæ proſecutione locutionis vbertas, quàm forenſi cuilibet poteſt eſſe in materno ſermone pernicitas. Nec altercantium multitudo, obtundebat concionantis ingenium; ſed licet prædicabilium Grammaticorum elegantiis ambiretur, & cauſarum emergentium nebulis offundi videretur, & oratorum ſuperexundare copias, ac ſermonum quorumcumque facetias ſuperequitare litterali lucculentia putabatur. His ergo, etſi non verbis, tamen intentionibus vſus eſt.

IV.

Si inter Eccleſias toto orbe diffuſas aliæ præ aliis reuerentiam, pro perſonis locisq́, me- 10 *rentur; pro perſonis, inquam, dum Apoſtolicis ſedibus priuilegia maiora traduntur; pro locis verò, dum Regiis vrbibus eadem quæ perſonis dignitas; vti eſt Ciuitas Conſtantinopolitana, præbetur: Illi potiſſimum Eccleſiæ deberemus; ex qua gratiam redemptionis & totius originem Chriſtianitatis accepimus. Si enim verum conſtat quod à Domino dicitur, quia videlicet* ſalus ex Iudæis eſt; *& Dominum Sabaoth ſemen nobis reliquiſſe conſtat, ne ſicut Sodoma ſimus, & Gomorræ ſimiles ſiamus: & ſemen noſtrum CHRISTVS eſt, in quo ſalus & omniũ gentium benedictio eſt: ipſa terra & Ciuitas in qua habitauit & paſſus eſt, ſcripturarum teſtimonio Sancta vocatur. Si enim hæc terra, DEI hæreditas & Templum ſanctum, antequam ibi obambularet ac pateretur Dominus, in ſacris & Propheticis paginis legitur: quid ſanctitatis, quid reuerentiæ obtinuiſſe tunc creditur, cùm DEVS maieſtatis ibidem incor-* 20 *poratur, nutritur, adoleſcit, & corporali vegetatione hac illacq́ perambulat aut geſtatur? & vt cuncta quæ longo verborum gyro narrari poſſunt, digna breuitate conſtringam, vbi Filii DEI ſanguis, cælo terraq́ ſanctior, effuſus eſt? vbi corpus, pauentibus elementis mortuum, in ſepulchro quieuit, quid putamus venerationis emeruit? Si ipſo Domino noſtro recens interfecto, & à Iudæis adhuc Ciuitate poſſeſſâ, Sancta Ciuitas ab Euãgeliſta vocatur, cum dicitur;* Multa corpora Sanctorum qui dormierant ſurrexerunt, & venerunt in ſanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis. *Et à Propheta Iſaia dicitur;* Erit ſepulchrum eius glorioſum: *cùm ipſa ſanctitas, ciuitati ſemel DEO ipſo Sanctificatore per ſeipſum indita, nullo malo ſuperueniente exinaniri valeat; & eodem modo indiuiſibiliter ſepulchri gloria conſtet: ſummis ſtudiis, fratres kariſſimi, vobis elaborandum eſt, vt ſanctitas ciuitatis, ac ſe-* 30 *pulchri gloria, quæ Gentilium frequentatione quantum in ipſis eſt crebrò polluitur; ſi ad auctorem illius ſanctitatis & gloriæ aſpiratis, ſi ea quæ in terra ſunt veſtigiorum eius ſigna diligitis, ſi expetitis: DEO vos præeunte, DEO pro vobis præliante, mundetur. Si Macchabæis olim ad maximam profuit pietatis laudem, quia pro cerimoniis & Templo pugnarunt; & vobis, ô milites Chriſtiani, legitimè conceditur, vt armorum ſtudio libertatem patriæ defendatis: ſi limina etiam Apoſtolorum, vel ſanctorum quorumlibet, tanto ſudore petenda putatis; quid crucem, quid ſanguinem, quid monumentum eruere, quid viſitare, quid pro his eruendis, animarum prætia impendere, detrectatis? Indebita hactenus bella geſſiſtis; in mutuas ædes, veſana aliquotiens tela ſolius cupiditatis aut ſuperbiæ cauſa, torſiſtis: ex quo perpetuos interitus, & certa dampnationis exitia meruiſtis. Nunc vobis bella proponimus, quæ in ſe ha-* 40 *bent glorioſum Martyrii munus; quibus reſtat præſentis & æternæ laudis titulus. Ponamus modo, in Iheruſalem CHRISTVM neq́ mortuum, nec ſepultum, nec ibidem vixiſſe aliquãdo. Certè, ſi hæc deeſſent omnia, ſolum illud, ad ſubueniendum Terræ & Ciuitati vos excitare debuerat, quia de Syon exierit lex, & verbum Domini de Iheruſalem. Si enim ex Iheroſolymitano, quicquid Chriſtianæ prædicationis eſt fonte manauit: riuuli, quaqua verſum toto terrarum orbe diſperſi, Catholicæ multitudinis corda retorqueant, vt ſolerter attendant quid fonti tam inriguo debeant. Si* ad locum vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant, *iuxta dictum Salomonis glorioſum vobis videri debet, ſi ei loco repurgium poſſitis impendere, vnde Baptiſmatis purgamentum, & fidei documentum vos conſtitit accepiſſe. Et eſt vobis præterea ſumma deliberatione penſandum, ſi ipſam matrem Eccleſiarum Eccleſiam, vo-* 50 *bis elaborantibus, ad Chriſtianitatis cultum reflorere, DEO per vos agente, contigerit, ne forte contra propinqua Antichriſti tempora ad fidem partes Orientis aliquas reſtitui velit. Perſpicuum namq́ eſt, Antichriſtum non contra Iudæos, non contra Gentiles bella facturum; ſed, iuxta etymologiam ſui nominis, Chriſtianos peruaſurum. Et, ſi Antichriſtus ibidem Chriſtianum neminem ſicuti hodie vix aliquis habetur, inueniat, non erit qui ſibi refragetur, aut quem iure peruadat. Iuxta enim Danielem, & Iheronimum Danielis interpretem, fixurus eſt in Oliueti monte tentoria; & Iheroſolymis,* In Dei templo, tanquam ſit Deus, *certum eſt, Apoſtolo dicente, quòd ſedeat; & iuxta eundem Prophetam; tres Reges, Ægypti videlicet,*

Ioh. 4. 22.
Matth. 27. 53.
Iſ. 11, 10.
Eccleſ. 1.
2. Theſſ. 2, 4.
Dan. 7, 2.

Affricæ, ac Aethiopiæ, haud dubium quin pro Christiana fide primos interficiat. Quod quidem nullatenus fieri poterit, nisi, vbi nunc Paganismus est, Christianitas fiat. Si ergo piorum præliorum exercitio studeatis, vt sicut ab Ierosolymis DEI notitiæ seminarium accepistis; ita illic mutuatæ redibitionem gratiæ restituatis; vt per vos nomen Catholicum propagetur, quod Antichristi Antichristianorumq́ perfidiæ refragetur: quis non conicere potest, quòd DEVS, qui vniuersorum spem exuberantia virtutis exuperat, per scintillam vestram tantæ paganitatis arundineta consumat, vt Aegiptum, Affricam Aethiopiamq́, quæ a nostræ credulitatis communione desciscunt, intra huius rudimenta legis includat; & homo peccator, filius perditionis aliquos rebelles inueniat? Et ecce Euangelium clamat Iherusalem calcandam à Gentibus, donec impleantur nationum tempora. *Bifariã intelligi possunt* tempora nationum *aut quia Christianis dominatæ sunt ad placitum, & pro suis libidinibus turpitudinum omnium volutabra sectatæ sunt, & in cunctis his nullum obicem habuerunt: tempus enim suum habere dicuntur quibus ad votum cuncta suppetunt, vt est illud:* tempus meum nondum aduenit; tempus autem vestrum semper paratum est: *vnde & voluptuosis solet dici,* vos habetis tempus vestrum. *Aut rursus,* tempora nationum *sunt plenitudines Gentium, quæ antequam Israël saluus fiat, subintraturæ sunt. Hæc tempora, fratres carissimi, modo forsitan implebuntur, dum per vos, DEO cooperante, Paganorum potentiæ repellentur: & fine seculi iam propinquo, & si gentes desinent conuerti ad Dominum: quia iuxta Apostolum,* oportet fieri à fide discessionem. *Primum tamen necesse est, iuxta Prophetas, ante aduentum Antichristi, in illis partibus, aut per vos, aut per quos DEO placuerit, renouari Christianitatis imperium: vt omnium malorum caput, qui ibidem Regni thronum habiturus est, fidei aliquid contra quod pugnet reperiat nutrimẽtum. Cogitate itaq; apud vos, quòd vos Omnipotens ad hoc fortasse prouideat, quatenus Iherusalem per vos à tanta conculcatione restituat. Rogo, perpendite quibus cordibus gaudia illa poterunt concipi, cum Sanctam Ciuitatem vestro adminiculo viderimus suscitari; & prophetica nostris temporibus, immo oracula diuina, compleri. Moueat memoriam vestram quod voce ipsius Domini ad Ecclesiam dicitur:* Ab Oriente adducam semen tuũ, & ab Occidente congregabo te. *Semen nostrum DEVS adduxit ab Oriente, quia duplici modo Orientalis illa prouincia edidit primitiua incrementa nobis Ecclesiæ. Sed ab Occidente eam congregat, dum per eos qui vltimi fidei documenta cœperunt, Occidentales scilicet, (quod per vos, præstante DEO, fieri posse putamus,) Ierosolymitana dampna restaurat. Si scripturarum vos non excitant dicta, nec nostra vestros animos penetrant monita; excitet saltem vos, eorum qui sancta loca adire desiderant magna miseria. Perpendite eos qui peregrinantur, & per mediterranea illuc vadunt; siquidem opulentiores sunt, quantis redhibitionibus, quantis violentiis subiacent, dum penè per singula miliaria pensiones coguntur, & tributa dependere; per quasq; Ciuitatis portas, per Ecclesiarum, & templorum ingressus redemptiones exsoluere; ad quasq; de locis ad loca demigrationes, inflicta qualibet accusatione, ad redemptionem compellere? dare verò munera detrectantes, quomodo Gentilium præfecti consueuerunt, verberibus truculenter vrguere? Quid de his dicturi sumus, qui nihil prorsus habentes nudæ fiducia paupertatis, dum nil præter corpora videntur habere quod perdant, iter illud arripiunt? Dum ab eis pecunia quæ non est, suppliciis intolerandis exigitur; dum callos talorum, ne forte quippiam ibi insuerint, dissecando ac reuellendo rimantur: crudelitas nefandorum ad hoc vsq; perducitur, vt aurum vel argentum miseros absorbuisse putantes, aut dantes in potum scamonia, vsq; ad vomitum, vel etiam eruptionem eos vitalium vrgent; vel ferro, quòd dici nefas est, discissis ventribus, intestinorum quorumcumq; inuolucra distendentes, quidquid habet natura secreti, horribili concisione aperiunt. Recolite, precor, eorum milia qui detestabiliter perierunt: & pro sanctis locis agite, vnde vobis pietatis rudimenta venerunt, ante vos, in sua bella mittendos, Christum fore signiferum indubitanter credite, & præcursorem indiuiduum.*

V. Perorauerat vir excellentissimus, & omnes qui se ituros vouerant, beati Petri potestate absoluit; eadem, ipsa Apostolica auctoritate firmauit: & signum satis conueniens huius tam honestæ professionis instituit, & veluti cingulum militiæ: vel potius militaturis DEO, passionis Dominicæ stigma tradens, crucis figuram, ex cuiuslibet materiæ panni, tunicis, byrris & palliis iturorum, assui mandauit. Quòd si quis, post huius signi acceptionem, aut post euidentis voti pollicitationem, ab ista beneuolentia, praua pœnitudine, aut aliquorum suorum affectione resiliret, vt exlex perpetuò haberetur omnino præcepit nisi resipisceret; idemque quod omiserat fœdè repeteret. Præterea omnes illos atroci dampnauit anathemate, qui eorũ vxoribus, filiis, aut

Luc. 21, 24. — Ioh. 7, 6. — 2. Thess. 2, 3. — Isai. 43, 5.

10 — 20 — 30 — 40 — 50

aut possessionibus, qui hoc DEI iter aggrederentur, per integrum triennii tempus, molestiam auderent inferre. Ad extremum, cuidam viro omnimodis laudibus efferendo, *Podiensis* vrbis *Episcopo*, cuius nomen doleo quia neque vsquam repperi, nec audiui, curam super eadem expeditione regenda contulit; & vices suas ipsi, super Christiani populi quocumque venirent institutione, commisit: vnde & manus ei, more Apostolorum, datâ pariter benedictione, imposuit. Quod ille quàm sagaciter sit executus, docet mirabilis operis tanti exitus. VI. Terminato itaque Concilio quod *Claromonti* habitum, citra beati Martini octauas, Nouembri mense consederat, magnus per vniuersas Franciæ partes rumor emanat: & quisque ad quem primo Pontificis præceptum, præuolans fama detulerat, de proponenda *via DEI*, (sic enim Antonomasicè vocabatur) contiguos sibi ac familiares quosque sollicitat. Iam Palatinorum Comitum pturiebat intentio; & mediocritas equestrium virorum parturire iam cœperat: cùm ecce, pauperum animositas tantis ad hoc ipsum desideriis aspirauit, vt eorum nemo de censuum paruitate tractaret, de domorum, vinearum, & agrorum congruenti distractione curaret; sed optimos possessionum quæstus, multo pauciori precio venditaret, quàm si eorum quemque ferocissimæ captiuitatis carcer includeret, qui necessitatem celerrimæ redemptionis indiceret. Erat ea tempestate, pro generali defectione, frugum etiam apud ditiores magna penuria; cùm etsi aliquibus passim emenda supppeterent, nulla tamen aut vix aliqua vnde emerentur haberent. Iam inopum greges addidicerant herbarum sponte nascentium victitare radicibus, dum panis rarissimi parcitatem, quæsitarum vndecumque escarum edulio propensiore compensant. Imminebat planè etiam potentiorum obtutibus omnium æstimatione conclamata miseria: & dum singulus quilibet, vulgi minimi per crudelem inediam considerat torsiones, indicta sibi parsimonia magnis elaboratè sudoribus metuit, ne sumptu facili dilapidentur opes. Auarorum sitibunda præcordia, qui tempora lætabantur cruentis arridere fœnoribus, dum modios diu seruatæ frugis intendunt, crebris annorum numerare recursibus pensant, quid superaddere possint, ea vendita, cumulandis pecuniarum montibus. Interea dum illi cruciantur, hii ambiunt, repente in spiritu vehementi *conterens naues Tharsis*, per omnium penè animorum aures CHRISTVS intonuit, & is qui educit vinctos in fortitudine adamantina, quibus inretiebantur desperatorum hominum corda, cupiditatis vincla disrupit. Cùm enim, vt superius dixi, illud minus fertile tempus omnium substantias coartaret, dum ad spontaneum innumerabiles animasset exilium, diuersæ plurimorum copiæ deferuntur in medium; & quæ cara videbantur dum nullus mouetur hominum, commotis ad hoc iter omnibus, vili præcio traduntur venum. Cumque multi negotium huius profectionis accelerant: vt vnicæ rei exemplo eorum quæ vendebantur subitas & insperatas vilitates exprimam: quod insolitum dictu est, quinque denariorum prætio, septem distrahebantur oues. Frumentorum illa defectio, vertebatur in copiam: & dummodo suppetat cuique quantulamcunque quoquo pacto congregare pecuniam, dat quidquid habere videtur, non pro sua, sed pro taxatione ementis, ne DEI posterior aggrediatur viam. Erat itaque ibi videre miraculum, carò omnes emere, & vili vendere: carò quidem, quæ ad vsum deferrentur itineris, dum præproperant; vili verò, dum sumptuum impendia coaggerant: & quæ paulo ante nec carceres nec tormenta ab eis extorquere poterant, breui nummorum numero cuncta constabant. Nec illud minus ridiculum, quod hii plerumque quos nulla adhuc eundi voluntas attigerat, dum hodie super omnimoda aliorum venditione cachinnant; dum eos miserè ituros miseriusque redituros affirmant, in crastinum repentino instinctu pro paucis nummulis sua tota tradentes, cum eis proficiscebantur quos riserant. *Quis pueros, quis dicat anus ad bella moueri? Quis quit virgineas annumerare manus? Quis referat senium trepida grauitate fatiscens? Bella canunt omnes, nec se pugnare fatentur. Martyriũ spondent, gladiis vel collaudaturos. Vos iuuenes aiunt manibus tractabitis enses; At nos hîc liceat CHRISTVM tolerando mereri.* Licet enim æmulationem DEI habere viderentur, sed non secundùm scientiã, tamen DEVS qui multa vanè cœpta ad pium intorquere consueuit finẽ, simplicibus

Psal. 47. 6.

illorum animis comparauit, ex sua ipsorum bona intentione, salutem. Videres mirum quiddam, & planè ioco aptissimum, pauperes videlicet quosdam bobus biroto applicitis, eisdemq; in modum equorum ferratis, substantiolas cum paruulis in carruca conuehere; & ipsos infantulos, dum obuiam habent quælibet Castella vel vrbes, si hæc esset Iherusalem, ad quam tenderent rogitare. VII. Erat eo tempore antequam gentium fieret tanta profectio, maximis ad inuicem hostilitatibus totius Francorum Regni facta turbatio; crebra vbique latrocinia, viarum obsessio, passim audiebantur, immò fiebant incendia infinita; nullis præter sola & indomita cupiditate existentibus causis extruebantur prælia: & vt breui totum claudam, quicquid obtutibus cupidorum subiacebat, nusquam attendendo cuius esset, prædæ patebat. Mox ergo & mira & incredibili ob insperabilitatem, animorum immutatione commoti, signum Pontificis prædicti præceptione indictum, Cruces videlicet, ab Episcopis & Presbyteris sibi precantur imponi. Et sicuti rapidissimi venti impetus solet non magna pluuiæ vnda restringi; ita ilico contigit ad inuicem simultates vniuersorum & bella sopiri, per inditam sibi aspirationem, haud dubium quin CHRISTI. VIII. Principibus igitur, qui multis & magnis obsequentium ministeriis indigebant, sua morose ac dispensatiuè tractantibus, tenue illud quidem substantiâ, sed numero frequentissimum vulgus, *Petro* cuidam *Heremitæ* cohæsit; eique interim, dum adhuc res intra nos agitur, ac si magistro paruit. Quem ex vrbe, nisi fallor, Ambianensi ortum, in superiori nescio qua Galliarum parte, solitariam sub habitu Monachico vitam duxisse, comperimus: vnde digressum, qua nescio intentione, vrbes & municipia prædicationis obtentu circumire vidimus; tantis populorum multitudinibus vallari, tantis muneribus donari, tanto sanctitatis præconio conclamari, vt neminem meminerim similem honore haberi. Multa enim fuerat, ex his quæ sibi dabantur, dilargitione liberalis: prostitutas mulieres non sine suo munere maritis honestans, in discordibus vbique paces & fœdera, mirâ auctoritate, restituens. Quidquid agebat namque, seu loquebatur, quasi quiddam subdiuinum videbatur, præsertim cum etiam de eius mulo pili pro reliquiis raperentur: quod nos non ad veritatem, sed vulgo referimus amanti nouitatem. Lanea tunica ad purum, cucullo super vtrisque talaribus, byrro desuper induebatur; brachis minimè, nudipes autem: Pane vix aut numquam; vino alebatur, ac pisce. Is namque vir, partim opinione, partim suo monitu cum immanem conflasset exercitum, per *Hungarorum* terram delegit abire. Quorum Regiones cùm earum rerum quæ ad alimentum pertinent opulentissimas, idem vulgus indocile repperisset, cœperunt luxuriis enormibus contra indigenarum mansuetudinem debacchari. Cum enim plurimorum annorum segetes triticeas, vt in ea terra moris est, in modum turrium per agros stabilitas cernerent, quas nos *metas* vulgariter vocare solemus; cum carnium diuersarum aliorumque victualium, quorum illa feracissima tellus est, copiæ suppeterent, non contenti humanitate eorum, mirâ dementiâ, ipsi alienigenæ cœperant conculcare gentiles: & cum idem, vt pote Christiani Christianis venalia cuncta gratanter ingererent, ipsi, libidinis impatientes, piæ hospitalitatis ac beneficientiæ immemores, bello gratis eos aggrediuntur: dum illos opinantur nihil ausuros contra, ac penitus futuros imbelles. Rabie igitur execranda, publicis quos diximus horreis per eos ingerebatur incendium; puellis eripiebatur, violentiâ allatâ, virginitas; dehonestabantur coniugia, crebris raptibus fœminarum; vellebant, siue vstulabant suis barbas hospitibus: nec iam de emendis vsui necessariis quippiam tractabatur; sed quisque eorum, prout poterat, rapinis & cædibus nitebatur: sic se acturos mirâ lasciuiâ contra Turcos minabantur. Castrum quoddam interea habuêre peruium, cuius nullo modo poterant euitare transitum: is enim terræ situs est, vt in modum angiporti nequaquam ad dexteram vel sinistram pateat diuerticulum. Ipsum solitâ insolentiâ obsidere aggressi sunt, sed cum propè capiendum esset, repentè, non curo quo euentu, ita obruti sunt, vt pars gladiis occumberet, partem fluuialis vnda submergeret; pars sine vllis stipendiis, immò turpi pauperie, magis autem pudore, in Franciam consumpta rediret. Et

quia

quia idem castrum *Moyssonem* vocabant, & reuersi ad suos *ad Moyssonem vsque* se fuisse dicebant: magnâ omnium irrisione excepti sunt. *Petrus* autem cum illud indisciplinatum vulgus, vtpote mancipia & publica seruitia, nullis hortamentis cohibere valeret, cum Allemannorum aliqua frequentia & nostrorum fæce residua, quâ potuit inde prouisione elapsus, in kalendis Augustalibus *Constantinopolitanam* attigit vrbem. Sed hunc eius aduentum, Italorum, Ligurum, Langobardorum, cum Transalpinarum videlicet partium hominibus magnum præcesserat agmen, qui eius & cæterorum Franciæ Principum ibidem decreuerant præstolari Comitiam: non enim eam arbitrabantur se habere militiæ frequen-10 tiam, vt Græcorum auderent, contra Turcos exituri, præterire prouinciam. *Imperatoris* autem edicto iussi sunt omnium quæ vendebantur in vrbe, vti vellent, habere commercia: sed *Brathium Sancti Georgii*, quod à Turcorum partibus limitaneum erat mare, ipsius principis consilio vetiti sunt transmeare: quia paucos innumeris perniciosum dixerat obuiare. At ipsi nec prouincialium sunt humanitate detenti; nec imperatoriâ vllatenus affabilitate molliti: sed nimis insolenter agebant; vrbis pallatia deuoluebant; publicis ædibus ignes subiiciebant; & detectis Ecclesiis, quæ plumbo operiebantur, plumbum idem Græcis venale præbebant. Hac Imperator tam fœdâ præsumptione turbatus; præcepit procrastinatione remotâ, vt memorati Brachii equora transmearent. Cui freto transpositi, eadem, quæ 20 citra egerant, nequaquam vltra iterare cessabant; & qui contra Paganos voto certamen insumpserant, passim Ecclesiarum excidiis, Christianorum inuolando substantiis, contra nostræ fidei homines factorum immanitate pugnabant. Dum enim nullius experiuntur seueritatem Regis, qui iudiciali deuios vigore retorqueat, nec diuinæ reuerentiam concipiunt legis, quæ mentium leuitatem maturâ recogitatione deprimat, repentino prolabuntur interitu, quia *indisciplinatis mors obuiat, & quidquid pensi moderatiij nihil habet, parum durat.*

X. Tandem *Nicomediam* attingentes *Itali*, *Langobardi*, & *Alemanni* Francorum impatientes superbiæ diuelluntur ab ipsis. *Franci* namque, iuxta naturam nominis, magnæ quidem sunt titulo viuacitatis insignes; sed, nisi rigido frænentur dominio, inter aliarum 30 gentium turbas, sunt iustius æquo feroces. Transalpini itaque, quos prædiximus diremptos à Francis, *Rainaldo* quodam sibi Duce creato, eam quæ dicitur *Romania* prouincia, intrauerunt: & quatuor dierum itinere Nichomediâ prætergressi, inter eundum castrum offendêre quoddam, quod auctori placito nomine vocatur *Exorogorgum*: quod habitatorum suorum omnium vacuatum præsidio, sine mora turbæ patuit influenti. Incolæ autem profugerant, superuenientium timore extrusi; & dum de sua ipsorum salute desperant, de substantiarumq; suarum copiis, quæ plurimæ erant, transponendis omnino non curant. Vnde, multam victualium opulentiam ibidem repperientes, ad plenum fuêre refecti. At *Turci* comperientes Christianos obtinuisse castellum, magnâ illud obsidione cinxerunt. An-40 te municipii portam puteus, & subter idem, non longe à mœnibus, profluebat alter, vbi positis ipse Dux eorum *Rainaldus* insidiis, Turcos quasi callidus obseruabat. Nec mora, qui obseruabantur occurrunt; eaque die qua *beati Michaelis* memoria celebratur, peruaso cum suis Comitibus Duce, plurimos ex eis qui sibi insidiabantur interimunt; alios Castri munimenta turpiter subintrare compellunt. Quod illico Turci circumuallantes tantâ incursione presserunt, vt hauriendarum facultate, penitus obsessi, priuarentur aquarum. Ibi fuit tanta sitis ariditas, vt flebotomo equis suis asinisque illato, animalium cogerentur haurire cruorem: Alii, in piscinam zonas demittentes atque panniculos, eaq; in os exprimendo suum, remedii sibi aliquid contrahere videbantur: Alii, quod horrori est di-50 cere, idipsum quod minxêre bibebant: Alii fodiebant, & se intra id quod foderant immergentes, arentia pectora terra ipsâ recens fossâ operiebant; sic interiorem æstum suum temperare aliquantulo humore se posse credebant. Sed Episcoporum Presbyterorumque præsentium, idemque patientium, non ibi defuêre solatia, qui quanto videbant atrociora pericula, & humana negari auxilia, tanto magis eis, ne deficerent, satagebant spondere cœlestia. Hæc octo dierum spatio apud illos perseuerauit angustia: interea dum vni pariter videntur subiacere

miseriæ, non vni tamen omnes pariter suspirant DEI misericordiæ; sed potius machinantur sibimet, hii qui duces extiterant, præsidium perfidiæ. *Rainaldus* etenim, qui eis in prosperitate præfuerat, clam sibi Turcos fœdè conciliat: pactus eisdem quòd totius militiæ comitatum sibi proderet quem regebat. Egreditur itaque ad illos quasi pugnaturus; sed in ipsa dirigendæ aciei affectata specie, cum multis suorum profugit ad ipsos, perpetuò remansurus: Residuos, est captiuitas consecuta. Quibusdam eorum captis de sua fide est facta discussio; CHRISTVMq; negare iubentur: sed CHRISTVM inflexibili animo & voce fatētibus
„ capita amputantur. *Et veterum similes modò CHRISTVS habebit honores, Martyribus decorans secula nostra nouis. Quam redolente ferunt insignia tempora lauro, Qui breue quid, secto ferre parant iugulo. Dixero felices, qui per momenta tulēre: Hos tenet æternum viuere certa fides. Iam fæces nostras non desperare licebit, Ausas quod cuiquam vix imitabile sit.* Captiuorum alios, datâ viuendi, immò morosiùs moriendi, indulgentiâ, sed magis violentiâ, inter se diuidunt, funesta sub cruentis dominis exhibituros seruitia: Quosdam alicubi prostituentes, quasi ad signum, sagittis iaculantur: alii quasi pro donatiuo dabantur; alii vendebantur. Quibus dati fuerant, in proprias abducebant eos sedes: alios in eam quam *Corozaniam* dicunt Regionem; alios ad *Antiochenam* pertrahunt vrbem, miseram pro qualitatibus scelestissimorum dominorum passuros seruitutem. *Hos in supplicium fateor diuturnius isse, Quàm quibus ad subitum mucro caput tulerit. Hunc agitat crudelis herus, duroq; labori Mancipat: ingrato seruit vbiq; pius. Vapulat officiosus nec tormenta fideli Desunt, quo studio commodiore gerit. Quod videt aut audit, quem transigit indies actum, Quod cælebs est ad turpia fit sibi crux. Hos ego non dubitem satis acrius excruciari Quàm queat equuleus per spatium tridui.* Hos primos nouitati nostræ, & desperato prope huius vitæ nostræ statui Martyres fecit DEVS.

XI. *Petrus* ille interea qui à nobis supra expositus est, de multâ comitum suorum vecordiâ, sæpe vexatus, & crebra strage confusus, tandem cuidam Transequano, & cogniti generis viro, armis quantum ad se strenuo, nomine *Gualterio*, primatum suæ gentis dederat: vt quos documentis distinere non poterat, ille saltem militari autoritate restringeret. Is itaque *Ciuizum*, ciuitatem quandam, quæ Niceæ vrbi, secundùm positionem loci, præminere dicitur, cum suo illo dementi exercitu properabat attingere. Quod *Turci*, nostrorum vestigia aucupantes vbi comperiunt, illuc cum multa pessimæ voluntatis auiditate contendunt. Euntes igitur præfatum *Gualterium* cum sua frequentia; medio itinere offendunt; eumque cum suorum plurima parte interimunt. *Petrus* verò, quem *Heremitam* agnominant, dum vesaniam eius, quam conglomauerat, gentis compescere non valeret, *Constantinopolim* prouidè secesserat, quia ipsorum effreni & incircumspectâ leuitate inuolui metuerat. Turci ergo in eos inopinatè effusi, quosdam dormientes repperiunt; alios non modò armis verumetiam nudos vestimentis inueniunt; quos pariter continuò neci tradunt. Inter eos Presbyterum quemdam repperiri contigit Missas agentem, quem in ipsa sacrorum statim confectione mortificant; & dum immolat DEO, ipsum eundem
„ coram eius altari sacrificant. *Quæ ferri potuit gratior hostia, Quàm cuius Domino fit caro victima? Quid tunc corde precū fudit ab intimo, Cū grandi streperēt prælia classico? Victores lacerant, arma retinniūt: Mœrens exululat turba fugaciū. Aras ambierat Presbyter optimus, Complectensq; DEI sacra medullitus, IESV,* dixit, *ades præsidiū bone: Cū te iam teneā spes pereat fugæ: Iungā perpetuò iā tibi fœdera. Occidor: perages cœpta DEVS sacra.* At verò si qui euadere potuerūt, *Ciuizene* vrbi sese fugientes inferunt. Alios, quos tueri fuga non valuit, præcipitiū maris absorbuit: dū satius eis est mortē eligere, quā inferenti succumbere. Alii montana petentes fouebantur in rupibus: alii delituēre per syluas. Nec mora, Turci correptis his aut punitis quos extra repperērant, eos aggrediuntur, & obsidione concludunt qui in castrum confugerant, intantum, vt ad succendendum idem castellum ligna conueherent. Quibus deinceps hii qui obsidebantur ignem subiiciunt; & DEO iudice, dum eos qui intus erant Turci æstimant concremandos, tota vis ignium concessit in Turcos, & ex eis consumpsit aliquos; nullatenus autem nostrorum attigit vllos. Instantibus deinde illis, municipium capitur; viui, quos quærebant comprehenduntur; idemque, vti pridem de aliis egerant, dispertiuntur; & ad eas, vnde hostes venerant,

venerant, prouincias, perpetuò futuri exsules, destinantur. Hæc vt dicta sunt, mense peraguntur Octobri. At perfidus *Imperator*, comperto fidelium infortunio, nequam elatus lætitiâ, facultatem residuis iubet attribui, transito videlicet *sancti Georgii*, quod dicitur, *Brachio*, in citerioris Græciæ partes regredi. Retrogressos cùm in suæ ditionis terra vidisset, arma vt sibi eorundem venderentur, iure iam necessitatis, exegit. Comitiæ *Petri* heremitæ talis fuit exitus: cuius historiam ideo sine alterius materiæ interstitio prosecuti sumus, vt eam aliis nullam impendisse opem, sed Turcis addidisse audaciam monstraremus. Nunc itaque ad eos quos omiseramus qui eadem quâ Petrus subsecuti sunt viâ, sed 10 longè feliciori modestia, reuertamur. Dux *Godefridus*, Eustachii Boloniensium Comitis filius, duos habuit fratres, *Balduinum*, qui Edessenæ vrbi præfuit, & post ipsum fratrem, Rex effectus Iherosolymæ, nunc vsque regnat; & *Eustachium* qui paterno comitatui præest. Hii patrem habuerunt potentem, & secularis ingenii virum: sed & matrem literis quidem, nisi fallor, eruditam, & ex Lotharingis ingenuè admodum oriundam: sed potissimum ingenita serenitate & magna erga DEVM animi deuotione præstantem: cuius diutinæ religioni tam spectabilium debebantur, vt credimus, gaudia filiorum. Illi planè, de quo loqui adorimur, *Godefrido*, ex materna hæreditate apud Lotharingos ducatus accesserat. Hii tres, à matris nequaquam simplicitate degeneres, cùm multa armorum 20 gloria; tum modestia non minore floruerunt. Solebat narrare gloriosa mulier, cum huius profectionis exitum & filiorum suorum miraretur euentum, quoddam se audisse ex ore filii ducis tale præsagium, multo antequam fieret aliquod peregrinationis initium. Dicebat namque se desiderare proficisci Iherosolymam, & hoc non simpliciter, vt alii; sed cum violentia exercitus, si sibi copia suppeteret, magni. Cui secundum diuinum, à quo intuebatur, instinctum, mirabilis super hoc postmodum opportunitas arrisit. Tres itaque hii, maximis quos habebant oblitis honoribus, perrexêre. Sed quo cæteris fratribus prudentior, eo Godefridus Dux extitit militiâ numerosiore potentior. Huic adiungitur *Balduinus* Comes de Montibus, Rothberti Flandrensis Co- 30 mitis iunioris patrui filius. Cum nobili igitur rerum equestrium pompa & spectabili fortissimorum iuuenum frequentia, *Hungarorum* ingrediuntur terram: habentes tamen eam, quam Petrus tenere non valuit, erga suos milites disciplinam: & duobus ante Domini Natale diebus, primi ante omnes Franciæ Principes, vrbem attigêre *Constantinopolitanam*; sed hospitati sunt extra ipsam. At *perfidus* Imperator territus, audito clarissimi Ducis aduentu; detulit ei reuerentiam; sed minis extortitiam: præbens ei pro mœnibus, in burgo videlicet vrbis, commanendi licentiam. Hospitio itaque ad imperium Imperatoris accepto, ad contrahendas vndecunque paleas equisque necessaria, Dux & quisq; suorum; armigeros proprios destinabant. Et cum arbitrarentur licitè ac securè se 40 discurrere posse quo vellent, clam Princeps ille nequissimus, his qui circa se versabantur imperat, vt Ducis ministros, quocumque peruadere possent, indifferenter occiderent. Quod vbi *Balduino*, Ducis fratri compertum est, obtendit insidias; & cùm suos repperisset Turcopolitarum violentiâ molestari, acerrimè eos, vti decebat, aggreditur: & DEO prosperante, tanta victoria potitur, vt ex eis, sexaginta comprehensis partim occiderit, partim Duci fratri obtulerit. Hæc ad impii Imperatoris vbi deuenêre notitiam, multa animaduersione torquetur. Quo eius motu cautior sibi redditus Dux, burgo vrbis, quo successerat, cessit; & extra fines eius castra figit. At Princeps, illati doloris non immemor, cùm dies esset accliuis ad vesperum, directo eo quem cogere poterat exer- 50 citu, Ducem cum sua gente ad bella lacessit. Quos Dux vehementi excepit instantia & in fugam pulsos, persequendo coëgit in vrbem; septemque peremit eorum. His ita feliciter actis, Dux ad sua castra rediuit; ac per quinque dies resedit ibidem, donec ipse Imperatorque confœderarentur ad pacem. Sed sibi timidus Princeps exegit à Duce monitis, vt *Sancti Georgii Brachium* transiret, spondens quod omnium victualium negotia, vti haberentur Constantinopoli, eis deferri iuberet; & pauperibus quoque eorum elemosynam impenderet. Quod & factum est. Quoniam igitur de Duce diximus cuiusmodi huc vsque com-

XII. XIII.

meatum habuerit, restat vt ad interioris Franciæ proceres redeamus: & qui fuerint, quáue perrexerint, quos etiam euentus habuerint, aliqua ex parte tangamus. *Podiensis* Episcopus vir, vitâ, scientiâ, documentis & militaris dispositionis sagacitate mirandus, cum innumera suarum partium gente per *Sclauorum* regionem proficisci delegit. Cuius vocabulum, qua superius me ignorare dolueram, nec per eam discere potui, cuius esse videor interpres, historiam: Per eos tandem qui in illa expeditione eum nouerant, eoque vsi sunt, attigimus eius noticiam: vocabatur autem idem preciosus vir *Aimarus*.

XIV. Inter cæteros Principes, initium mihi videtur à Philippi Regis Francorum fratre *Hugone Magno* sumendum: qui etsi ab aliquibus opulentia ac potestate præceditur, nulli tamen quantum ad originem spectat morumque probitatem secundus habetur. Cuius in armis strenuitas, cum generis maiestate serenitas, præter hæc etiam erga omnem sacrum ordinem humilitas, quam suæ ipsius nihilominus temperantiæ condiebat honestas, iustissimè prædicatur. Huic quidam procerum innitebantur; & si quid bellorum iure euictis Gentilibus, eos obtinere contingeret, ipsum sibi Regem præficere meditabantur.

XV. Post hunc Comes *Stephanus*, vir tantâ potentiâ præditus extitit, vt fama testetur tot eum pollere dominio castellorum, quot annus constat honore dierum: cuius, dum hic ageret, admodum excellens liberalitas fuit, grata satis personalitas; consiliorum verò, vndecumque librata maturitas: in rerum equestrium industria, tantâ nobilitate præminuit, vt cum tota illa sancta militia, cùm in procinctu contra Turcos existeret, dictatorem sibi ac magistrum efficeret. Huic sagacissima fœminarum vxor accesserat, quæ *Guilielmi* senioris Regis, qui Anglorum Scotorumque sibi regna subegit, filia fuerat: cuius prudentiam, munificentiam, dapsilitatem, opulentiamque, si laudare velimus, vereor ne viro magnifico nubem ex fœminea, quam & in viduitate meruit, laude feramus. Ad horum cumulandas vires, *Rothbertus* iunior senioris, ad quem Imperatoris missa est epistola, filius, tota animi viuacitate dirigitur: & Flandrensium Comitatum, cui multa armorum magnanimitate præfuerat, ad hoc vt eorum qui pro CHRISTO exules fieri delegerunt, commilito vocetur, immutat. Qui huic quod cœperat negotio quàm perseueranter institerit, gestorum præsentium prosecutio declarabit. Hii vxores clarissimas, cum filiis gratissimis relinquentes, quidquid in affectionibus maius est, proposito postposuerunt exilio. De honoribus possessionibusque reticeo, quæ quidem extra nos sunt. Sed illa stuporem nobis generant: quomodo maritorum vxorumq;, sobole mediante immò agglutinante karitates, sine alterutrorum periculo ab inuicem diuelli poterant.

XVI. Deniq; *Rothbertum* Normanniæ Comitem tacere minimè conuenit: qui quidem corporis pondus, lenitatem quã hîc habuerat voluntatis, nimiamq; effusionem pecuniæ animi esculentioris, non sine maiori somnolentia, celebriori petulantia, fluxum, eâ quâ in Dominico viguit exercitu perseuerantiâ & virtute piauit. Illi adeò naturaliter insita *clementia* fuit, vt in eos qui penes se reatum proditionis ac iudicium mortis inciderant, vlcisci non sineret; quinetiam si qua accidissent, eorum infortuniis illachrymaret. Cuius quidem in rebus bellicis audacia: & quantum ad prauas machinationes, quibus multos fœdari cernimus, nulla versutia, meritò laudaretur, nisi quibusdã tacenda indignitatibus vrgeretur: quòd totũ iã tamen ei cõdonari debet. Quia pro his horumque similibus, DEO ei pœnã temporaliter retribuente, carceralem, amisso omni comitatus honore, custodiam fouet.

XVII. Cùm istorum quos de sua quisque prouincia secum traxerat inclitis ordinibus, mediocrium principum exiit multitudo. Quorum numerositas, quia nostram videtur obnubilare noticiam, in præsenti supprimimus, habituri meliorem, processu historiæ, quosdam forsitan exprimendi causam. Vnius enim, duum, trium seu quatuor oppidorum dominos quis numeret? quorum tanta fuit copia, vt vix totidem coëgisse putetur obsidio Troiana. Eo tempore cùm inter regni primates super hac expeditione res fieret, & colloquium ab eis, cum *Hugone Magno*, sub Philippi Regis præsentia, Parisiis haberetur, mense Februario, tertio Idus eiusdem, Luna, eclipsim patiens, ante noctis medium, sanguineo paulatim cœpit colore velari, donec in cruentissimum tota horribiliter est conuersa ruborem: At vbi auroræ crepusculo naturæ rediit, circa ipsum lunarem circulum insolitus splendor emicuit. Quadam autem

æstiui

æstiui diei vespertinâ irruente horâ, tanta ab Aquilonis plaga efflagratio apparuit, vt plurimi è domibus suis sese proriperent, quærentes quinam hostes prouincias suas adeo graui ambustione vastarent. Visæ sunt præterea non multò post tempore, mense Aprili stellæ noctu, ac si pluuia densa, de cœlestibus labi. Quod in tantum apud plerasque Ecclesias portento simile, quod & fuit, habitum est, vt Litanias pro hoc ipso quod significatur dampno auertendo instituerent; & scriptis tempus & euentum traderent. Mense rursus Augusto, sexto Idus eiusdem, ante Solis pene occubitum, Lunæ pars prope media est in nigredinem, multis intuentibus versa: vbi dicendum, quod licet luna in pleniluniis naturaliter patiatur defectiones, sunt 10 tamen aliquæ in ipsis colorum eius mutationibus portensiones. Vnde & in Pontificabilibus & Regũ gestis exinde solent fieri annotationes. Visa sunt & alia pleraq; quæ narrare supersedimus. XVIII. Ad extremum *Sancti Egidii Comes Raimundus*, non ad sui vilitatem, sed pro summâ ponitur. Qui, quia in supremo Franciæ limbo morabatur, quanto minorem operum suorũ notitiã nobis præbuerat, tanto huius seriẽ historiæ, à principiis vsque finem, maximæ suæ virtutis, & constantiæ monimento nobilitat. Qui quidem naturali cuidam suo filio comitatu quem regebat relicto, propriam coniugem, cum filio quem ab ea exegerat vnico, secum duxit. Erat autem præfatis nostris Principibus ætate maturior; & exercitu, nisi quantum ad garrulos hominum *Prouincialium* mores spectat, nulli inferior. Cùm ergo copiosissi- 20 ma fortissimorum militum manus, eâ quâ Romam proficisci solemus viâ, vsque in *Appuliam* deuenissent, ex calore insolito, quę tunc erat æstatis, ex corruptione aëris, de escarum insolentia, innumeri perniciem nimiæ contraxerunt infirmitatis & mortis. Ad diuersos itaque sese contulerunt, transituri mare, portus. *Brundisium* « *plures: hos suscipit auius Ydrons; Illis piscosi patuerunt æquora Bari.* XIX. At *Hugo Magnus*, non expectata suorum & militum, conprincipumque comitia nimis inconsultè, nimis præproperè adito *Bari* portu; nauigatione prospera deuehitur *Dyrrachium*. Considerandum namque sibi fuerat, quia ad tantarum expectationem personarum, ad tantas equitum peditumque copias, totius Græciæ, vt ita dixerim, fundamenta tremuerant. Et licet aliorum procerum multo maior, quàm ipsius, apud nos 30 reputaretur auctoritas, apud exteros tamen, præsertim apud inertissimos hominum *Græcos*, de Regis Francorum fratre præuolarat infinita celebritas. Cùm ergo Dux Imperatoris, qui ibidem commanebat, non magnâ hominem spectabilem attendisset cinctum manu; subripuit illius animo ex tantæ solitudinis oportunitate nequitia; illumque comprehendens, præcepit Constantinopolim ad Imperatorem cum multa prouisione ac reuerentia duci: ob hoc solum vt fidem timido Principi daret, quòd per eum vitæ suæ, & honoris prorsus indempnis existeret. Is ergo illustris viri casus, maximam sequentium procerum fortitudini eneruationem intulit. Idem namque facere, quod ab isto exigebat, seu vi, seu clam, seu precariò cæteros coëgit Principis fraudulenti astutia. Sed iam finis huic libello accedat.

40

EXPLICIT LIBER SECVNDVS GESTORVM DEI PER FRANCOS.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

I. EX cunctis ferè Occidentalium partium Regionibus, cum innumerabilis exercitus appulisset *Appuliam*, ad *Boemundum* Rotberti, qui *Wiscardus* vocabatur, filium, singularis magnificen- 50 tiæ virum, aduentãtis multitudinis peruenit verbum: is tunc temporis *Amolfitanos* obsidione compresserat. Cui cùm nuncius de eâ quæ confluebat gente superuenisset, sciscitatus itineris causas: audit, quia Iherusalem à gentibus, immò Dominicum sepulchrum & sacra ibidem loca ignominiosè habita, ab eorum dominio eximere properarent. Nec ei demum tacitum est, quot cuiusque generis, quantæque excellentiæ viri, relictis, vt sic dicam, honorum maiestatibus, ad hæc peragenda

quàm inaudita auiditate contenderent. At ille interrogat, an arma deferant; vtrum peras, an aliqua huius nouæ peregrinationis insignia præferant; quæ ad vltimum, in bellis signa conclament. Respondetur, arma planè Francico vsu gestant: Crucis autem figuram, aut in humeris, seu vbilibet, ex qua volunt materia vel panno præceptum est, vt vestibus assuant: Remota autem arroganti varietate signorum, humiliter in bellis fideliterq; cōclamabunt, *DEVS id VVLT*. Ad hæc ille cordis excitatus à fundo, DEO inspirante, conpungitur: & pallium preciosissimum iussit afferri; Idemque, per cruciculas fecit incidi: suaque sibi imposita, suis, qui idipsum quod vouerat affectabant, cruces apponendas expendit: nam milites qui ei in illa obsidione obsequebantur, animo repentè mutato, ipsum, quod suus ipsorum Dominus, iter aggrediebantur. Tanta autem ad id voti tunc militum multitudo confluxit, vt frater eius, Siciliæ Comes, *Rogerius*, admodum doleret: quia in ea obsidione omni penè suorum fidelium solatio fraudaretur. 10

II. Sed paucis expediendum est, quo sanguine cretus; quibus idem *Boemundus* ad hoc honoris sit promotus accessibus. *Rothbertus* quem agnominari *Wiscardum* diximus, ex Northmannia extitit oriundus, & tenui satis loco natus. Is à natiua quam præmisimus regione vtrum sponte egressus nescio, an pulsus, pedes in Apuliam abiit; ibi equos, & arma, quibus eques fieret, qua potuit arte, commeruit: inde castella quædam, contractis iam vndecumque qui sibi auxiliarentur prædonibus, non absque næuo tamen proditionis vsurpans, aliaque perinde crebris incursionibus fatigata occupans, etiam vrbes 20 præditas obsedit, & ad necessitatem deditionis impulit. Et, vt paucis absoluam, tantopere nouus homo suæ loca dominationis extendit; in tantum quæ voluit quæque perdomuit, vt sicut in Epitaficis eius versibus dicitur: „ *Vrbe expulerit eũ, Quem* „ *Ligures Regem, Roma Lemannus habet*: Henricum videlicet Augustum, virum vtique innumeris, immò ferè iugibus victoriis fortunatum, *Parthus*, *Arabs*, *Macedumq́ phalanx non texit Alexim*: Græcorum, qui nobiscum sæpè agit, principem. Sed sæpenumero eum subigens, nisi veneni haustus ei subitò vitam præripuisset, caput coronatum infra paucos, vt dicitur, dies Constantinopolitanis sedibus intulisset. Videat qui vult hodie filii eius *Boemundi* potentiam, qui veterum obliterata vilitatē parentum, Philippi regis Francorum filiam duxit in coniugium, & prædicti Alexis 30 aggressus est obtinere violenter imperium. *Rothgerio* igitur fratre eius remeante Siciliam; & propè omnimodam gentis suæ amissionem, quæ tota Iherusalem videbatur itura, dolente. Idem *Boemundus* contractis, quæ ad tantam profectionem necessariæ erant, copiis, conscensis cum suo exercitu nauibus, aura famulante secunda; littori *Bulgarico*, feliciter euectus, exponitur: in cuius comitatu cùm multa equestrium virorum probitas, tum principalium non parua sublimitas extitit: inter quos, *Tancredum*, Marchionis cuiusdam ex Boemundi, nisi fallor, sorore filium: cuius frater cum Hugone magno præcesserat, cui *Guillelmus* erat vocabulum: & quendam qui dicebatur de prima ciuitate *Richardum* nominatiores agnouimus, virum sanè pulcra corporis habitudine spectandum: quem pro *Constantia*, 40 Boemundi coniuge, ad Franciæ Regē vidimus legationē perfunctū. Ingressus igitur cum suis *Bulgariæ* regionem, multam opulentiam eorum quæ ad victualia pertinent reppererunt. Et cum ad *Andropolitanam* deuenissent vallem; ibidem donec tota eorum classis perenatasset & allaberetur, expectauerunt. Tota igitur gēte coacta; collectis proceribus consilium cum eis communicat, pari omnium indictione præcipiens: vt per Christianas transitum habituri gentes, benignè innocenterque se agerent; nec eorum patriam depopularentur, pro quorum suffragio venisse debuerant: ea solum, & quàm pacificè, dato tamen pretio acciperent, quæ ad victualia sufficere possent. Processerunt inde, & dum de vrbe in vrbem, de rure in rus, de oppido transierunt in oppidum, vberrimum vbique repperêre commercium, donec in eum quæ vocatur *Castoria* deuenêre prouinciā: vbi & Dominicā solempnitatem celebrauêre Natalem, commoratique sunt aliquot diebus ibidem. Quæsierunt igitur à prouinciali gente negotium, sed ipsi noluerunt eis præbere consensum: eo scilicet quod vererentur eos, militares illos æstimantes non peregrinos, & quia vellent exterminio certam tradere ac perimere. At illi modestiā, quam habuerant, in furorem versā, diripiebant equos, boues, asinos, ac quælibet sibi vtilia. Egressis tandem de Castoria occurrit *Pelagonia*; vbi quoddam Hæreticorum ca- 50

strum

ſtrum repperiunt, quod vndique aggreſſi, ad ſuum ſubdi coegêre imperium; & igne ſubiecto, conbuſſerunt cum ſuis habitatoribus caſtrum. Inde ad fluuium perueniunt qui dicebatur *Baudarum*. Progreſſus eſt ergo *Boemundus* cum aliqua ſuorum militum parte: in manu autem cuiuſdam ſui comitis partẽ dimiſit reſiduam. Quod Imperatoris, qui inde non procul aberat, dum comperiſſet exercitus, Comitem, Ducis qui præceſſerat deſtitutum præſidio, aggreditur, & Comitis ſocii repentinâ hoſtium incurſione turbantur. Perueniunt hæc ad aures *Tancredi* fortiſſimi: & dicto citiùs retrogradum ſumens iter, ſeque in flumen præfatum proiiciens, ad eos qui impetebantur tranando peruenit; & duo penè milia ſecum auxiliariorum, qui
10 poſt ipſum enatuêre, contraxit. Hoſtes repperit; & cõtra ſuos acriter confligentes, acriori, vt par erat, animoſitate peruaſit; nec mora, ſubegit. Apprehenſi itaque ex eis plurimi, ante Boemundi præſentiam deducuntur, & in vincula coniiciuntur. Ad quos idem Princeps: *Cur*, inquit, *& Chriſti & meam inſequimini gentem? Ego Imperatori veſtro nihil euerſionis molior.* Econtra illi: *Ex noſtra deliberatione nil agimus; rogam Principis emerituri, militiam profeſſi ſumus: & quicquid nobis præceperit, neceſſariò perſequemur.* Quod vir egregius cum audiſſet, impunitos ac irredemptos, illicò laxauit abire. Quartâ feriâ, quæ apud Chriſtianos eſt *caput vocata ieiunii*, bellum iſtud factum conſtat. *Alexis* Imperator comperto viri eximii facinore, vni ex ſuis neceſſariis, cuius potiſſimùm innitebatur conſilio, tunc mãdauit, vt magnanimem
20 cum ſuo exercitu Ducem per terram ſuam honorificè deduceret, donec ad ſui prȩſentiam Conſtantinopolim deueniret. Cumque per ipſius imperii municipia & vrbes tranſiret exercitus, regionum quarumque incolis imperiale iubebat edictum, quatinus ei ſatagerent comportare copiam rerum vndicunque venalium. Sic autem militiæ illi per prouincias properare dabatur, vt nullus eorum, qui Boemundo cohæſerant, intra cuiuslibet ciuitatis muros ingredi permitteretur. Niſi ſunt autem idem milites irrumpere quoddam caſtrum bonis, quæ tunc videbantur competere opulentum. At vir ille illuſtris id vetuit: partim ne terræ iura turbaret; partim ne Imperatoris temerum adhuc animum offenderet: immò ne pacta cum eo per internuncios recens facta caſſaret. Vnde cœptam ineptiam, ægrè fe-
30 rens; iratus ſuis qui cœperant, & ſpecialiter Tancredo, repreſſit. Id veſpere contigerat. Mane autem facto, procedunt caſtrenſes, & præ ſe crucis vexilla ferentes. Ad Boemundi conſpectum cum multiplici humilitate & religione contendunt. Ipſe verò affabiliter eos ac manſuetè admittens, indulta eiſdem ſua gratia, à ſe lætabundos emiſit. Denique ad quandam deueniunt vrbem, quæ *Seora* vocatur: vbi ſua fixêre tentoria: nec illis diebus congrua ſibi defuêre commercia. Ibi *Boemundus* cum duobus præfectis Palatinis in concordiam rediit. Vnde pro eodem nouo fœdere, & pro iure ſeruando prouinciæ, iuſſit reſtitui quidquid incolis ſublatum fuerat prædæ. Exinde alterius, quæ dicitur *Ruſa*, ciuitatis fines attigerant: & ecce, Græcorum promiſcuum vulgus, illi nobili obuiam viro concurrens, quælibet venalia
40 pro tempore conferebat: ibique, triduo ante cœnæ Dominicæ diem, caſtra poſuêre. *Boemundus* autem proprio illic comitatu dimiſſo, *Conſtantinopolin* proficiſcitur, paucis ſecum militibus eductis, cum Imperatore colloquium habiturus. Interim *Tancredus* procurabat exercitum, & dum videt quouſque, iam exhauſto marſupio, victui neceſſaria difficulter emere, propoſuit apud ſe, quòd tutam viam deſereret; & ad partes minus frequentatas itinerantium aſſiduitate, ſuos deflecteret, vbi largior emendorum affluentia cunctis ſuppeteret. Diuertit igitur eos à ſtrata publica; vallemque diuerſorum alimentorum vbertate confertam, pauperioribus ſuorum conſulendo, ſubintrat: in qua & Paſcha Dominicum debitâ populus cum ipſo affectione concelebrat. At *Alexis* Boemundum ad ſe venire comperiens,
50 plurimam aduentanti reuerentiam iuſſit impendi; & hoſpitalia in ipſius ciuitatis Burgo præberi: quo recepto, ad colloquiũ accerſitur; veniéſq; apud ipſum ſecretò, acturus excipitur. Interea Dux *Godefridus*, cum fratre *Balduino*, ac deinde *Sancti Egidii Comes*, vtrique cum manu non exigua, attigêre *Conſtantinopolitana* ſuburbia: tunc *Alexis* perfidus, qui olim contra Turcos auxiliorum putabatur auidus, acerbitate rancoris infrenduit; & qua fraude tot militias, ſibi, vt putabat, ingruentes, turpi præcipitaret exitio ſæpè reuoluit. Sed DEVS, cuius illa pia agmina ducebantur inſtinctu, ita eos eſt tuitus, vt nullus ad eorum lȩſionem nequiſſimo pateret

III.

IV.

locus; Immò, omni possibilitate succisâ, grauis misero incuteretur metus. Denique visis confluentium cuneis, Constantinopolitani turbantur; consiliumque quæsituri, glomerantur. Dum enim timent ne ciuitas superuenientium numerositate prematur, & eorum prouinciæ depopulationi tradantur, in cõcilii habiti euentilatione repperiunt, quatinus sacramentũ exigat tyrannus à Francis, *quod nunquam sint sibi nocituri vel suis.* Quod vbi fuit nostrorũ primoribus agnitũ, magna est illicò subsannatione contemptũ. Perpenderant planè; quia si quo pacto primos exercitus à cœpto exerrare contingeret, tot tantosque milites stipendiorum inopes factos, contra ea quæ fecissent sacramenta, perfido Principi inferre prælium opporteret. Et certè, *si nobis*, inquiunt, *nullus incumberet timor futurorum, id solum, quod per Græculos istos, omnium inertissimos, iurare cogeremur, nobis esset sempiternè pudendum. Planè eos dicturos minimè ambigimus, quia velimus nolimus, ipsorum imperio paruerimus.* Adhæc Imperator, fortissimum *Boemundum* aggreditur; & muneribus parat allicere, quem plurimùm verebatur: Bello enim eum sæpè vicerat; & ideo illi potius quàm cæteris imminebat, quem suum specialiter æmulum agnoscebat. Spondet ergo ei quindecim dierum itinere terram eidem se daturum citra Antiochiam, in longitudine; octo nihilominus in latitudine. Frangitur illustris hominis hac pollicitatione seueritas; nec differt sacramenta tyranno: & quod *Hugo Magnus* cùm necessitate, tum pecuniâ lenocinante iurauerat, hoc is eo consensit tenore iurare, vt *si Alexis ea quæ iurando paciscebantur infringeret, ille ab his, quæ iureiurando firmauerat, liber esset.* Sed si quis percunctetur, quare is & alii à suo sint rigore, ad deferenda tyranno sacramenta, deflexi: sciat proceres suorum in Domino commilitonum subuenisse necessitati, quibus erat multa penuria, si mercatum euntibus negaretur stipendii. *Alexis* quoque nihilo secius & ipse nostris fidem sacramento præstiterat: quia *ipse cum eis, suo pariter comitante exercitu, deueniret, terraque marique iuuaret; ac vtrobique conuehi victui emenda iuberet: si qua etiam illis euenire dampna contingeret, sine imminutione restitueret ad supplementum: neminem in hac expeditione vexari, lædi, occidi, aut vellet, aut fineret, quantum sibi facultas suppeteret.*

XV. Comes præterea *Sancti Egidii*, cum castris suis occupasset Bizantea suburbia, pars verò militiæ necdum ad integrum conuenisset, cœpit tyrannus Comitem sollicitare per nuntium, vt, vti alii fecerant, facere & ipse sibi pateretur hominium. Mãdabat hæc tyranni insolentis astutia: sed econtra, quomodo nequissimi vlcisceretur inuidiam, Comitis gloriosi cœperat iam secum ruminare prudentia. At Principes, Dux vtique *Godefridus*, *Hugo Magnus*, *Rothbertusque* Flandrensis, & cæteri, dixerunt, quia nunquam contra aliquem qui Christiano censeatur agnomine, arma portabunt. Insuper & *Boemundus* intulit, quia si bellum Imperatori moueret, & sacramenta securitatis abnueret Imperatoriæ, ipse adminiculum partis existeret. Itaque Comes, communicato cum suorum quoque necessariorum consilio, *vitæ ac honoris indempnitatem*, iurat Alexi impio: quod *nec per se videlicet, neque opitulando alii, illius faueret exitio*: Cumque ei verbum de hominio replicassent, dixit se capitis malle subire periculum, quam tali modo se ei fore obnoxium. Interea *Boemundi* exercitus Constantinopolitanis arcibus propinquabat. *Tancredus* itaque, sacramentis quæ exigebantur ab Imperatore compertis, cum ea quam ductabat omni penè Boemundi frequentia; *Sancti Georgii* celeriter *Brachium* prætergreditur. Ad hæc, *Sancti Egidii Comitis* exercitus, per eiusdem vrbis confinia castra ponendo dispergitur: qui Comes ibidem cum suis copiis aliquantisper desidere disposuit. *Boemundus* etiã cum Imperatore remansit, vt cum eo valeret tractare licetius, quatinus imperiali edicto, pro conuehendo victualium vndique negotio, gentibus trans Nicæã positis denuntiaret. *Godefridus* autẽ Dux, qui præcesserat, cum Tancredo peruenit *Nichomediam*: Nichomede auctore, qui subegisse Cæsarẽ, & non triumphasse, in triũpho cantatur insignẽ: & triduo cum suis vterque copiis mansit ibidẽ. Perpendẽs itaque Dux quibusdam vias perpediri obicibus; nec facultatẽ suppetere qua tanti numerositas exercitus Nicæam valeret adire: quoniam eam, quâ *Petri heremitæ* homines transierant semitam, tanta nõ posset vllatenus multitudo prætergredi, direxit ante se tria hominum milia cum asciis atque securibus, qui callium præpedimenta dirimerent; iterque fieret liberum, aperiendo angustias vsque Nicæam. Erat autem via incredibiliter ardua per nimis scrupea; & minacis proceritatis montana

procedens:

procedens: quam, qui præmissi fuerant, excisis cautibus dilatantes, cruces ferreas ligneasque stipitibus imponebant altis: vt nostri non exorbitarent à tramite, signis eminus stipitum visis. Tandem venêre *Nicæam*, quæ totius Romaniæ metropolis est ciuitas, Bithyniæque caput, trecentorum decem & octo Patrum Synodo clara; sed *Omousion* assertione, & *Arrii* damnatione præclarior: pridieq; Maii Nonas, circa vrbis territorium castra sedêre, tertio ex quo à Nichomedia recesserant die. Antequam aut Boemundi aduentaret exercitus, tanta panis ibi dicitur extitisse penuria; vt vnus panis aut quincenis aut tricenis denariis venderetur. At *Boemundus* vt adfuit, maximas quorumque venalium copias, terraque marique euexit; statim-
10 que omnium vsui aptorum opulentia repentina confluxit. Dominicæ ergo die Ascensionis, cœpêre pro muris vrbem vndecunque peruadere; & machinas instruere, phalas erigere, instaurare phalaricas; murorum ac turrium gyros frequentibus per ambitum pulsare balistis. Tantâ autem animorum acrimoniâ obsessio vrbis incipitur, vt solius bidui infra spatium, muros effoderent. Verùm *Turci*, qui ciuitatem obtinebant, ad alias nuntios ciuitates dirigunt, quo ad eos, scilicet opem laturi, conueniant; eo vtique modo, vt indubitanter per Meridianam portam introeant, quoniam ea pars ab obsidione sit libera, nec opitulari volentibus illic ipsis vllus obsistet. Vnde contigit, vt eâ ipsâ die, cùm Sabbatum post Domini ascensionem esset, à Comite *Sancti Egidii*, & à *Podiense Episcopo* portæ aditus muniretur. Ac-
20 cidit ibi res clari nomine digna facinoris. Egregius namque Comes isdem, cum fide ad Dominum; tum fortis & aptus ad arma; nec minus instructissimo cinctus exercitu, obuios habuit auxiliariorum cuneos properantes in vrbem. Qui animo diuinæ subsidio virtutis innixo, aggreditur Turcos & superat, compellit in fugam; partemque eorum maximam truncat. Sed fœdè repulsi, nouas intendunt conflare copias: quarum fisi adminiculo cum multa exultatione iterare bella decernunt, aduectis pariter secum funibus; quibus nostros ligatos Corozaniam abductare proponunt. Hac ergo spe dum extolluntur inani, ex supremo montis, qui vrbi prominebat, pedetentim alter post alterum cœpêre progredi. Qui à nostris gratanter vt decebat excepti, cęsa sua capita, pro testimonio nostrorum victorię, reliquerunt.
30 Quæ post eorum fugam balistis ac fundis, ad terrorem Gentilium, proiiciebantur in vrbem. At beatæ memoriæ *Podiensis* Episcopus; & Sancti Egidii Comes Raymundus; infirmando vrbis statui insistentes, turrim quandam, quæ erat ipsorum contigua castris, factis subter ad eius fundamenta eneruanda cuniculis, destituere aggressi sunt. Fossoribus igitur ad hæc efficienda locatis, cum arcibalistis, & arcubus & balearis habenæ tortoribus, pariter suffodientium defensores adduntur. Itaque vsque ad soli subsidentis extremitates arce succisa, nutabundum interim parietem tignis asseribusque sustentant, & penitus ædificii calce iam diruto, sic ignem subiectis trabibus inde subiiciunt: *Ast vbi nubila nox indixit vtrinque quietem, Lapsa facit subitam turris castrata ruinam: Tempora sed noctis quia sunt minus apta duellis,*
40 *Francigenæ cessant, ne Turcos nocte lacessant.* Illicò tamen Turci, pro suæ salutis tuitione solliciti, totâ sagacitate consurgunt; & murum tantæ ibidem fortitudinis, tantâ celeritate restituunt, vt postridiè nullum eos lædendi valerent nostri reperire locum. Interea loci, recens adueniunt viri, armorum gloriâ celeberrimi, Comitesque ditissimi, de quibus supra egimus, cum frequentiis quæ sibi cohæserant militaribus: ad quorum aduentum omnis ille Domini coniubilauit exercitus: Normannorum scilicet Comes *Robertus*, & Carnotensis Comes *Stephanus*. Igitur *Boemundus*, vrbem obsedit à fronte, & *Tancredus* à latere; tertio loco, Dux *Godefridus*; quarto, *Flandrensium* Comes; quinto Comes *Normannicus*; sexto *Sancti Egidii* Comes, & Podiensis Episcopus. Ita verò eam obsidere intendunt, vt nullũ introeundi exeun-
50 dique obsessi reperire quirent aditum. Erat ergo ibi considerare collectum totius Francorum militiæ, nobilitatis, prudentiæ, armorumque claritudinis florem: quos in equestri loricatorum galeatorumque decore, hii qui exercituum quantitates pensitare didicerant, centum circiter millia putauêre. Porrò pedestris populositatem turbæ, & illorum numerum qui assectabantur equestribus, posse ab aliquo supputari non æstimo penitus. Planè, non modo quæ a clientibus siue mancipiis solent præberi officia militaribus personis, deferebantur à talibus; sed ad obsidiones, ad prælia, adeò eorum fuerat virtus, & instar Leonis audacia necessaria maio-

tibus, vti solent arma vel vtensilia quælibet, bello seu opere exercendis, opportuna aliquotiens esse manibus.

VII.

Dicere nullus
Sermo valebit,
Quanta per ipsum
Tempus ibidem
Armipotentum
Fulsit honestas.
Tam generosi
Germinis agmen
Nulla coisse
Terra per orbem,
Viderit vsquam.
Singula si vis
Regna retexam,
Factaq; passim
Prælia dicam:
Non erit ille
Qui queat horum
Aut genus, aut vim
Aequiperare.
Ecce, relicta
Sede parentum,
Fœdera vitant
Coniugiorum:
Pignora sordent,
Pœna domus sunt:
Feruet in omni
Milite cura
Martyriorum.
Cumq; cruoris
Omine fusi
Turba trahatur,
Quis reperire
Possit inertem?
Quisque Leonis
Pectore fertur.
Ergo Nicææ
Mœnia cingi,
Cernere gratum.
Campus equorum
Lore nitebat,
Et phalerarum
Forma sonuq;
Cuique placebat:
Lux Toracarum
Pulchrior haustis
Solibus ibat:
Aereq; flauo
Cassis & vmbo,
Limbus eodem
Fulgidus extat.
Hosce videres,
Turbinis instar,
Ariete crebro
Voluere muros.
Repperit arcus
Cuspis eorum
Francica duros.
Obtudit enses
Crebrius ossis
Vulnus acutos.
Comparat illos
Mœnibus altis
Cedere Turcos,
Lignea turris.
Comminus illis
Prælia feruent:
Mutua quique
Spicula torquent.
Missilium vix
Iactus inanis.
Mors inopina
Quosq; supinat.
Gloria nostros
Cælica fortes
Reddiderat: tunc
Corpora fatis
Exhibuere.
Quærere gaudent
Præmia mortem.
Marcidus omnis,
Acer & audax
Redditur istic:
Quem melioris
Optio vitæ
Ritè probarit.
Laudis auaræ
Crimina mentis
Inde procul sunt.
Credidit omnis
Id dare CHRISTVM,
Si sibi digni
Nominis auram,
Bella pararent.
Nec sibi quisquam,
Quisquis honesti
Quidlibet egit,
Arrogat actum.

» *In* Darium *Scythicos non his conferre triumphos Quibimus: aut sciri poterunt moli-*
» *mina* Cyri, *Digna viro Thameris, qua clauserat vtre cruoris. Luxeris euentum, bone*
» Pyrre *tuendo Tarentum. In vacuum garris noua sumere prælia Barris.* Hannibalis *co-*
» *mites semel & bis, terq; Quirites Vt segetem cædunt: victi tamen vrbe recedunt. Si fuit*
» *indempnis sub* Cæsare *pugna, decennis Sit pro iactura per Gallica mansio rura. Tempus*
» *huic operæ breue, prospera cuncta fuêre Cum* DEVS *esset in his: probat optimus omnia finis.*
» *Obtigerit cui mors cũ martire gloria sit fors. Quisquis eget taxat, quia crimina pœna relaxat.*

VIII. Quandam eiusdem vrbis partem obiectio laci, longè lateque stagnantis, ambierat: vnde hostes summissis ratibus, liberum exeundi intrandique videbantur habere meatum: ex quo etiam lignorum, pabulique fiebant eis, & quorumcunque deuectiones vtilium. Quamobrem proceres, coacto cõcilio, sua omnium assertione decernunt, vt ad *Principem Constantinopolitanum* legatio destinetur, quæ suggerat naues quamplurimas *Ciuitenam* vsque vrbem debere perduci, vbi portum constat haberi: ac deinde boum sine numero paria conglobari, qui eas per montanas siluasque conuectent, donec prædicto inferatur lacui. Nec mora, velox operis executio deliberata ac expostulata, Principe maturante, prosequitur: pariterque hii qui vocantur *Turcopoli*, quos non alios quàm familiares eius militias intelligimus, diriguntur. Adductis ergo, prout Principis vrgebat imperium, puppibus, ipsa qua deportatæ sunt illuc siluerunt dies at noctu eas intruserunt lacui, & cum eis Turcopolos armis instructissimos. Mane itaque classe composita, cum multa modestia, ac si ex eorum vectigalibus essent, proficiscebantur ad vrbem. Turci quibus erant ista spectaculo mirabantur, ambigentes, an sua ipsorum, vel Imperatoris hæc eadem

eadem esset euectio. Postquam verò ea quæ viderant hostilia fore nouerunt, timore lætali extabuerunt, sed quantum illi lamentis & fletibus, tantum nostri indulserunt gaudiis, gratiarumque Domino repensarum plausibus. Reddidit igitur id ipsorum infortunium hostes vsquequaque defectos: iamque de suis & auxiliariorum viribus desperantes, *Imperatori* missa legatione promittunt, quia deditionem facerent vrbis; si eos cum vxoribus & filiis abire licere, apud Francos impetraret, permissis vnà substantiis. Quorum tyrannus petitioni gratantissimè fauens, non solùm impunitate donauit, sed etiam summo sibi sarciendos amore, Constantinopolim vsque contraxit. Cuius infidæ per omnia menti, principalis in hoc opere
10 subiacebat intentio: quod si Francorum discrimini locus fortè vllus aliquando pateret, penes se ipsos haberet, quos eisdem oportunè obiiceret. Septem hebdomadis tribusq; diebus hac sunt obsidione detenti; & ex nostris plurimi munus ibidem recepêre martirii. De quibus indubiè sententia proferetur; quòd qui mortis exitio sese pro fidei obiecêre iustitia; inter eos profectò apud Dominum censeantur, qui sanguine in pretium dato, præmia meruêre cœlestia: nec eos illis impares dixerim qui famis occubuêre miseria. Hoc enim ibi modo, periit multitudo perplurima. Si namque iuxta *Prophetam*, quod historialiter dicere liceat, *melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame*, qui proculdubio cruciatu diuturniore sunt moriendo torti, non erunt vt credi fas est, absque corona martirii. Ciuitate itaque reddita, &

Hier. 4, 9.

IX.

20 Turcis Constantinopolim ductis, tyrannicus ille Princeps, nimium de vrbis restitutione gauisus, nostrorum primoribus munera infinita largitur: & quibusque pauperrimis eleemosina copiosa tribuitur. Ex quo mediocribus exercitus personis, quas munificentia illa est visa prætergredi, multa fuit inuidentia contra Principes, ac simultas ingenita. Nec, iuxta quendã modum, id prorsus iniuria. Hii nempe exercuêre prælia: ad hos attinuit totius obsidionis effectus, moliũ vectiones, machinarum balistarumque inpactio: hii, inquam, vt breuiter claudam, portauerũt pondus diei & æstus. Primâ igitur die quâ ab vrbe recepta digressum est, pontẽ quendam peruium habuerunt, circa quem biduo cõtinuato manserunt. Tertiâ autẽ die cùm expromeret iam tenuis auroræ crepusculum, surrexerunt nostri, & dum adhuc
30 dubiâ sub luce cæcutiunt, biuio scindũtur in vno; & biduo integro sub duobus disparati proficiscuntur agminibus. In altero agminum *Boemundus* erat, *Rothbertus* ex Normannia; *Tancredus* quoque cum plurima militia: à Comite *Sancti Egidii*, Duce *Godefrido*, *Podiensi* Episcopo, *Hugone Magno*, Comite *Flandrensi*, per auia quædam adducebatur alterum. Tertiâ denique die in *Boemundum*, comitesque eius, fit *Turcorum* infinitæ multitudinis, cũ repentina, tum terribilis, & prope non ferenda collisio. Videres eos scenicè super nostrorum, qui putabatur, timore garrire, æstimãtes eos ex inopinata incursione terreri: & bellicum, quod consueuerant, signum terrificis suæ linguæ vocibus inclamare. Licet ergo vir eximius, manu impeteretur enormi, non amisit timore consilium; sed confestim sistere gradũ pręcipit omnibus,
40 & papilionibus deuolutis, iussit celeriter castra consterni. Priusquam verò ea quæ præceperat explicarentur, propriis militibus infit: *Si vos meministis militiæ quam professi estis, considerata necessitate quæ vrget, ite; viriliter eis occurrite; honorem, paritérq; vobis vitam defendite: at vos pedites, tentoria diligenter extendite.* Quo dicto citius expleto, Ecce eos Turci subitâ pręuolatione obambiunt spicula, iaciunt, pugnaque, pro more, fugaci pectoribus sagittas incussêre sequentiũ. Franci verò propositi fidelis memores; nec semper celebris suæ virtutis ignari: licet euidenter agnoscerent tantæ numerositati se impares, tamen obuiare furentibus viuaci animositate, cõtendunt. Illic *Comes Normanniæ*, recordatus, vti decuit, paternæ bellicositatis & nobilitatis auitæ, magnâ illicò armorum exercitatione, hostiumq; repulsione, defensione ex-
50 empla exercitui nostro, aliquantisper exterrito, præbuit. Affuit etiam DEVS, vt fœminarum quæ comitabantur, non illic quoque illis deesset instantia; ipsæ enim aquas recreandis militibus, quàm sedulò deferebant: sed multò vigilantiores instigationibus eos suis ac monitis, solertioresque reddebant, quàm illata fierent vnda recentes. At vbi *Boemundus* moneri cœpit tanti inæqualitate congressus, iis qui detrà sequebantur, illicò nuncio mediante, notificat, Comiti Sancti Egidii *Raimundo*, Duci *Godefrido*, *Hugoni* Magno, *Podiensi* Episcopo, aliisque eorum comitiæ, vt celerius aduenire præproperent, non ob aliud, sed ad bella quæ imminent. *Si*, inquiunt,

prima penes Turcos, pugnæ rudimenta videre collibeat, iam sunt quæ vultis: præsto venite. Ducis itaque nomine dignus, specimen milititiæ *Godefridus*, & ab ea quæ Regi competit, fortitudine non degener, immò pardalicâ, vt sic dicam, animositate patrissans, *Hugo* Magnus, cum suis primicopiis, quadam epulari alacritate concurrunt. Deinde Podiensis Episcopus, non modò multis quibus emicat armis, sed monitis precibusque sacris communiit ipsum: *siq; foret tepidum, feruescere compulit agmen.* Ad extremum sicut erat ætate grauior, experientiaque instructior; & consiliis idcircò securior, Comes Sancti Egidii *Raimundus* Prouincialium suorum manipulis succenturiatus erupit. Superinspecto igitur hostili exercitu tanta nostris admiratio increuit, vt nil aliud mirarentur, nisi vbi gentium vbiue terrarum tam infinita coaluerit multitudo. Erant autem *Turci*, *Arabes*, ac *Sarraceni*, quorum inter hostes & numerus & dignitas eminebat: copia minus patens, de auxiliariis & minus celebribus populis erat. Videres montium iuga de hac collectione prophana, & colliũ conuexa densescere; innumerabilibus frequentiis omnia operiri campestria. Primores itaque cum sibi subditis commonitorium habuêre sermonem: *Si* DEO, inquiunt, *hanc quam exercetis militiam deuouistis; si patrias, si domos, si coniuges, si liberos, si denique corpora contempsistis; & ipsa quinetiam sola resederunt gloriosis exponenda martiriis, quid vos ad istorum considerationem, precor, exterreat? cùm vnius vestrum ex* DEO *fida sagacitas, totius huius vilissimi vulgi superstitioni præualeat. Si hic vobis fuerit obeundum; regnum vos cœleste manet, felici obituros exitio: Si viuendum, expectat vos, si de fide præsumitis, certa victoria; post victoriam, gloria; post gloriam, maior audacia; ad hæc ex hostium diuitiis opulentia copiosa. Vtrumlibet ergo accidat, inest vobis vtrobique securitas; & vbique, neutiquam quid timeatis habetur: nulla vos iam retractatio vel dubietas remoretur. Ergo mentes & corpora fidei Dominicæ Crucis addicite; & contra hunc aggestum palearum, tantillos videlicet ac penè nullos homines, arma capessite.* Præterea, ordinatim acies disponuntur. In sinistro cornu magnanimus *Boemundus*, Comesque *Normannorum*, miles acerrimus, *Tancredus*, & qui dicitur de prima ciuitate *Ricardus*. *Podiensis* autem Episcopus altrinsecus è regione hostium per montana progrediens, Turcorum exercitus ambiebat. Sinistræ etiam illi parti *Raimundus* Comes adequitat. In dextro autem Dux *Godefridus*, Flandrensisque *Rothbertus*, *Hugo* Magnus, & reliqua præpotens, vtpote pro CHRISTO pugnaturorum manus. O bone, internorum cognitor, DEVS, quid in tanto lachrimarum tibi fusum est apparatu? Quid in illo procinctu, ex omnium animo, piæ compunctionis ac confessionis emersit? Et dignâ, vt par est, consideratione quis penset, quantâ mentium temeritudine, ex tui solius spe, cunctorum generaliter corda pependerint? quantis ad te, CHRISTE, mœroribus singulorum quorumque iustitiæ aut peccata clamauerint? Fleuerant, CHRISTVMque adhuc piis piissimum suspiriis irritabant, cùm ecce Crucis frontes cunctas præeunte sigillo, non dico leonum, sed quod magis competit, martyrum animositate confertissimos, vexilla feruntur in hostes. *Mox abeunt Arabes, Persæ, Turciq; feroces: Ante pios populi, terga dedêre turres. Fit fuga, dispersè miserum protenditur agmen: Non secus ac lepores diffugiunt Arabes. Quanta fugax acies: fit eorum prodiga cædes Nostrorum gladii, vix potuêre neces. Dampna ferens membris, cuiusque retunditur ensis: Falce velut segetes; sic resecant homines. Hic caput, hic nares, hic guttura truncat, hic aures. Scinditur aluus huic, obuius omnis abit. Obstupuêre manus, riguerunt brachia cæde. Nemo repellit eos, quoque ferente mori. Nempe subinduerat sensus hebitudo profanos. Excipiunt veniens pectora cæca malum.* Fuisse autem eorum hostium qui victi fuerant numerum quadringenta sexaginta millia traditur, præter Arabes: quorum adeò enormis extitit pluralitas, vt omnis eorum hebetarit nostros quantitas. Primum quidem, conclamatâ desperatione salutis, ad sua quàm properè trepidi tentoria tendunt; ibique quæ præ manibus habuêre correptis, diffugiunt; totaque vnâ die nostri eos instantissimè persequuntur: spoliis itaque illis recedentibus farciuntur ereptis; & post innumeras sanguinum fusiones, copiosæ pecuniæ, preciosarum vestium, pecuariorum plurium, quæ tulerant fugacibus, solatio potiuntur. Ab hora autem tertia vsque in horam nonam huius pugnæ, immò internecionis Arabicæ, flagrauit incendium. Duo verò ex nostris reuerendi nominis proceres, *Iosfredus* quidam

dam de Monte scabioso agnomen habens; Et *Guillelmus*, de quo supra diximus, Tancredi frater; aliique quamplurimi, quorum nomina solius DEI notitiæ sunt credita, ibidem occubuerũt. Hic planè, hic experimur virtutis Christianę insignia; & dum hæc paucorum cum innumeris bella miramur imparia; totum necessariò referre cogimur ad CHRISTI solius auxilia. Si enim de his qui nondum à DEO desciuerant Iudæis, dicitur in veteri pagina: quia *persequebatur vnus mille, & duo fugabant decem millia*: non minus de hac mihi videtur sentiendum victoriâ, vbi hominis prorsus ingenium, quâ arte à tantillis innumerabiles euinci valerent, spes & æstimatio defecit humana. Sed forsitam quiuis obiectat: rustica manus erat, & gregariorum militum peripsima, passim vndecunque coierat. Certè ipsi Franci, qui se tanto obtulêre discrimini, pleno ore fatentur, nusquam Turcis illis genus hominum comparabile posse cognosci; adeò argutos animis, ac strenuos armis: qui etiam cùm in initiis cum eis bello confligere cœpissent, eorundem nouitate armorum propè sunt desperati. Nostris enim inexperta erat tanta eorum in equitando agilitas; in euitandis nostrorum incursibus vel ictibus mira pernicitas: præsertim cum non soleant ipsas emittere nisi fugaciter pugnando sagittas. Est autem eorum opinio, quod Francorum contribules existant; & præ cæteris gentibus solis specialiter Turcis & Francis deberi militare fastigium.

Deut. 32, 30.

XI. Igitur eis hoc modo repulsis, & die noctuque à Francorum facie fugitantibus, contigit Ducem qui Niceæ præerat cum multa amentia timoris post finem obsidionis elapsum, decem millibus occurrere Arabum, cui inquiunt: *Minime gentium, quamobrem ita miserè exterritus fugis? Francos*, ait, *me penitus dispersisse ac interemisse putaueram; totamque eorum summam rebar iam sempiternæ captiuitati traditam: & dum eos per manipulos aduentantes & turmas, subacturum me æstimo, & in exteros ligatos terras abducere, tunc subitò tam numerosi apparuêre exercitus, vt campis & montibus eorum multitudinis enormitate repletis, nusquam ab eorum frequentiis nostrarum videretur regionum terra vacare.* Captiuitatem quam asserit factam, ad exercitum conuenit Petri heremitæ referre; sequentem verò multitudinem ad eos qui vrbem nuper subegêre Niceæ. *Cùm ergo*, inquit, *tot populorum examina vidissemus, & instar segetum cuneos crebrescentes, qui armorum nequaquam defensione præsumpsimus: nec enim tutum fuerat; mortem contiguam euadendam, vel pede adminiculante censuimus. Vnde fateor; etsi remoti, ex eorum, quos vidimus, dira recordatione concutimur, adhucque de experta, licet ad momentum, ipsorum ferocitate timemus: Quod, si & vos meæ experientiæ fidem præbere velletis, huic quàm properè loco cederetis: quia si vos eorum manus contingat incidere, multiplices sine dubio vestræ improuidentiæ constabit pœnas vos luere.* Hæc illi audientes, & credendum iudicantes expertis, verterunt celeres vestigia cuncta retrorsum, & per vniuersam sese diffudêre Romaniam.

XII. Interea è vestigio fugitiuos Turcos subsequi curabant nostri: præcedentes autem illi, dum vrbes & castra pertranseunt, sese Francos vicisse passim iactitando efferunt; sicque terræ habitatores, qua ibant, mendacibus verbis eludunt: *Nos*, aiunt, *agmina Christiana reppulimus; eisque totius deinceps ausum congressionis abstulimus. Itaque nos intra vrbes vestras admittite; & gratanter eos qui tantopere vos tuentur excipite.* Ciuitates ergo ingressi, ecclesiarum diripiebant ornatus, publicarum ædium spoliabant copias; aurum argentumque, diuersi generis animalia, & si qua suppeterent, eripere moliebãtur vtilia. Ad hoc etiam quosque Christianorum filios pro mancipiis abducebant: cætera quæ minus prædæ patebant, incendiis absumentes; aduentum nostratium semper præeundo, verentes. Hos denique profanos per solitudinum nostri auia disquirentes, terram desertam inuiam & inaquosam intrauerunt, de qua vix miserandi emerserunt. Hinc famis, inde sitis agitabantur inopiâ; nihilque pertinens esui poterat reperiri, nisi quod spicarum confricatione aliquotiens videbatur crudelis inedia temperari. Ibidem plures equestris viros dignitatis constat obisse: dum desertorum insolentia, vitam equis adimeret; itinerumque impatientia, delicatos perimeret. Vnde boues, capros, ârietes, &, quod mirum magis est, canes saginarios tunc fieri, equorum vehiculorumque grandis coegit egestas: his enim omnibus pro modulo impertiebantur, vel qualescunque sarcinulas. Exinde opulentam ex his quæ vsui prosunt, eos contigit introire prouinciam; attigeruntque *Iconium* ciuitatem, Pauli Apostoli tolerantiâ & scriptis insignem. Ast prouincia-

les, admonebant præmuniendo nostros, vt aquas vtribus impositas secum deferrent: quia dici vnius itinere, nihil aquarum penitus reperiretur. Ita ergo fecère, donec ad cuiusdam horam fluminis deuenère. Ibique per biduum hospitia sumpsére. Præeuntes itaque qui præcursorum officio fungebantur, peruenère *Erachiam*, vbi Turcorum plurima phalanx adglomerata coierat, id solum præstolans, quomodo CHRISTI valerent perturbare militiam: quos nostri inuenère, & solita audacia intrepidi peruasère. Hostes verò celeri elabuntur fugâ. *Non secus ac missa iactu baleare sagitta.* In vrbem ergo, iam libero patente aditu, nostri intrant: quatuorque mansère diebus ibidem. Ibi *Tancredus* Boemundi nepos, & *Balduinus* Ducis Godefridi frater, non diffugio militiæ, sed animorum acredine, ab exercitus 10 contubernio digressi, vallem quandam, quam *Botentroh* vocitant ea lingua, sunt ingressi. *Tancredus* itaque, vti erat consortis impatiens, à præfato etiam Ducis fratre diuiditur, *Tarsumq;* specialis Apostoli nostri adoranda natiuitate præcluem, cum suis aggreditur. *Turci* ex vrbe, obuii aduentantibus ad bella prosiliunt; sed imminente concursu ad vrbis, de qua prodierant, munimenta refugiunt. Tancredus verò, admisso post hostes equo, portam vrbis castrorum suorum positione conclusit. Nec mora, *Balduinus* adueniens, ad obsidionem ciuitatis ipsius altrinsecus & ipse consedit; & Tancredum expostulat, vt capiendæ ciuitatis participium indulgeat, quam suo secum exercitu collaborante capessat: quod Tancredus multa animi indignatione refutat, dum sibi & ciuitatis dominium, & victoriæ in- 20 signia arrogare desiderat. Nox itaque superuenit, & Turcorum vulgus, obsidionis impatiens, nec eius qui obsederat pertinaciæ & virtutis ignarum, vniuersum prorsus aufugit. Quibus ita extrusis, hii qui in vrbe commanebant, ipsius profectò terræ gentiles, Christianæ scilicet homines conditionis, in ipsa egressi ad nostros nocte, conclamant: *Franci,* inquiunt, *maturate ingredi ciuitatem, quia alienigenæ diffugiunt: in tantum vestræ fortitudinis concepêre timorem.* Ast vbi eluxit, loci ipsius primores vrbem vltrò dedunt; & hiis, quos super eius dominio iurgia motare compererant, aiunt: *Illum nobis præsidem deligimus, quem cum Turcis adeo acriter hesternò egisse cognouimus.* Verum Balduinus, Tancredo peruicaciter instans, ciuitatem secum pariter cohortabatur intrare; & prout cuique facultas inesset, spoliis 30 diripiendis insistere. At Tancredus non inconsultè refert: *Id se habere propositi, impugnare vtique Turcos; non spoliare Christianos: præsertim cùm se spontè elegerint, nec alterum quàm se velint.* Licet hæc diceret, considerans tamen eum potentiâ præminere copiosioris exercitus, vellet nollet, viro illo pro tempore cessit. Cui inde recedenti duæ per deditionem, optimæ se ei subdiderunt ciuitates: *Athena* videlicet, & *Alamistra*, & castella quamplurima.

XIII. At quoniam de hoc ipso Balduino nullus forsitan deinceps referendi sese aperiet locus, paucis insinuare velim quam fortuniosus eius fuerit exitus. Apud *Edessam* Mesopotamiæ vrbem, sicut ab his qui ibidem versati sunt, accepimus, vir quidam Ducatus honore præfuerat: qui Christianam prouinciam quam regebat, non tam armis à Gentilium incursibus, quàm pe- 40 cuniariâ redemptione protexerat. Is senio grauescente iam squalidus, cum esset ei vxor sine liberis, identidem anus, dum Francos agnouisset Mesopotamiæ contiguos finibus, multo æstu desiderabat quempiam, quem sibi adoptaret, ex Francorum habere nobilibus: qui, quod ipse precio, hoc ille defensaret armis ac viribus. Contigit interea quendam familiarem illi militem, huiusque sui desiderii conscium, cum hoc ipso *Balduino* habere colloquium. Cui cùm ille adipiscendi ducatus spem indidisset, si à præfato seniore se adoptari permitteret, Comes credidit, & milite comitante *Edessam* adiit. A quo affectu nimio, præterquam sperabatur exceptus, ab vtrisque est in filium adoptatus. Adoptationis autem talis pro gentis consuetudine dicitur fuisse modus. Intra lineam interulam, quam 50 nos vocamus *Camisiam*, nudum intrare eum faciens, sibi adstrinxit; & hæc omnia osculo libato firmauit: idem & mulier post modum fecit. His explicitis, cum ciuitatenses eum ab honoris pristini culmine expositum, primatum iam cernerent, coniuratione clam facta; eam, in qua cum Balduino morabatur, obsedère repentè curiam. Recordabantur enim quorundam quæ eis intulerat malorum. Obsesso itaque eo, cum adobtiuus eorum nouus resistere Francica animositate pararet, senior eum mira fide cohibuit, dicens pro certo scire se ab eo-

rum

rum manibus nullatenus erui; ipsum verò, pro sua defensione facillimè posse periclitari. Infinitis ergo ab eo extorsit precibus, vt repugnare desisteret: & cùm ille illacrimans miserabiliter, malle se cum eo mori diceret, reppulit hominem; & cum obsidente se populo egit, quatinus nouo illi Principi parceret; seipsum verò prout vellet occideret. Quod & actum est. Interempto itaque eo, *Balduinus*, ducatum sibi ex adoptione delatum, strenuè optinuit: & ex Francis equites, ac famulos ad sui custodiam, memor expertæ nuper proditionis, adhibuit. Non multo post autem tempore, cum Dominicus Natalis adesset, noui Ducis necem in ipso solempni die, iteratâ conspiratione, diffiniunt. Qui eorum tractatus Ducem minimè latuit. 10 Insinuat igitur & ipse hiis, qui in suo assectatu erant, Francis, & festis Ecclesiæ loricati ac galeati, immò ac si ad bella parati, equites assisterent; pedites lanceis, gladiis, bipēnibus se munirent: & sic vbiq; procederent. Quo facto, vrbani se à Duce præuentos intelligunt: ipse enim cum multa armatorum ad ecclesiam constipatione processit, ac sacro officio interfuit. Ipsâ tamen die siluit. Postridie autem conuocat Edessenos, & de proditione causatur; & cum legibus eos ad confessionem cogeret, diffiteri quæ proposuerāt minimè permittuntur. Conuictis itaque totius vrbis primoribus, his quidem pedes incidi, illis manus, aliis cum naribus aures, quibusdam linguas cum labiis, generandi verò officialia cunctis: omnibus nihilominus diuersa per exilia longè lateque distractis. Et cum denique nullus resedisset qui turbam 20 denuò sibi concitare quiuisset, tum demum securè experitur, quis tanti Ducatus fructus ac felicitas esset. Vitam ergo cum multis opibus & prosperitate educebat, plurimis vrbibus imperabat, inter quas *Seleucia* ab antiquo celebris eminebat: donec post fratrem Godefridum qui Iherosolimæ regnauerat ex Ducatu quidem peruenit ad regnum: sed exinde, nullius excepit terrenæ felicitatis augmentum: immò pro DEO beati laboris exercitiū: vtpote cui iuge est cum gētilibus prælium.

EXPLICIT LIBER TERTIVS GESTORVM DEI PER FRANCOS.

30

INCIPIT QVARTVS.

NEMO iustè, vt æstimo, me id operis deridet agressum. Etsi enim neque Iherosolymam isse, & plerasque personas, loca nihilominus ipsa mihi hactenus contigerit non nouisse; in nullo, generali vtilitati reor obesse: siquidem ea, quæ scripsi vel scripsero, à viris veritatis testimonio præditis constat audisse. Si mihi planè id obiicitur, quia non viderim, id obiici non potest, quòd non audierim: cùm visui auditum quodammodo supparem profectò crediderim. Quamuis enim *Segnius irritēt animos demissa per aurem;* " 40 *Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus:* tamen quis historiographos, quis eos qui Sanctorum vitas edidêre ambigat, non solum quæ obtutibus, sed ea scripsisse quę aliorum hauserant intellecta relatibus? Si namque verax, vt legitur quidam, & *quod vidit & audiuit, hoc testatur*; autentica proculdubio vera dicentium narratio, vbi videre non suppetit, comprobatur. Si sit itaque qui carpat, qui cœpta despiciat, habet vtique liberam obtionem, si velit vt corrigat; & cui nostra displicent, sua scribat. [Ioh. 3, 32.]

[1.] Igitur Dominicus exercitus cum Ducibus suis, *Raimundo*, Sancti Egidii Comite, *Boemundo* atque *Godefrido*, aliisq; quampluribus *Armeniam* ingreditur; de Turcorum incursibus, si acciderint fortè, lætatur. Inter eundū itaque peruium habuêre castellum, cui adeò difficilis esset accessus, vt cassum videretur ibidē cuiuslibet 50 molimen assultus. Erat autem illic *Simeon* quidam, Christiano insignis agnomine, prouinciæ gentilis eiusdem, qui à proceribus nostris dominium huius regionis expetiit, quo eam à Turcorum irruptionibus deberet tueri. Nec dare ei munus distulêre petitum: ipse verò desedit ibidē, laturus terræ præsidium. Denique nostri progredientes, *Cæsaream*, Cappadocum attigêre. Postquā autem Cæsariensium excessêre prouinciam ad quandam multæ pulchritudinis & situs vberrimi ciuitatē peruenêre, quam trium spatio hebdomadarum Turcorū obsedit exercitus, antequam ad eos pertingeret nostræ expeditionis aduentus: sed nullus eis obsidendo perue-

nit effectus. Nostris ergo aduenientibus, suâ ipsorum deditione ciuiũ, vrbs eadem suscepta est. Hanc eques quidã, qui *Petrus de Alpibus* vocabatur, à Principibus precariò exegit: quatinus quantum ad Imperatoris Græci, ac procerum fidem nostrorum spectat, defenderet regionem: cui, cum nimio affectu, vti fidelitas interpellantis emerebatur, indulta est. Nox diei illi accesserat, *Boemundo* auditum est, quòd hostes, qui pridem vrbem illam obsederant, crebris sed non magnis promotionibus subsequentes, nostros præcederent. Contentus itaque solâ sibi pertinentium militum comitiâ, præcessit; sed eos qui quærebantur, non repperit. Vrbem quoque, quæ *Coxon* apud eos dicitur, attingunt: vbi earum, quæ vsui habilia erant, rerum plurimam opulentiam repperérunt. Loci ergo illius indigenæ, intra ciuitatis portas, nostris gratanter admissis, trium illos dierum opportunâ satis refectione confortant. 10

II. Audit præterea *Sancti Egidii Comes* Turcos, qui Antiochenæ vrbi cõsueuerant præstare custodiam, ab eius decessisse præsidio: partemque sui præmittit exercitus, qui eam obtineant, & dominio seruẽt eius. Electis igitur de propriæ militiæ primoribus quatuor, quorum tribus idem inerat, scilicet *Petri*, vocabulum, quartus *Guillelmus de Monte Pislerii* dicebatur, qui & apud nos armis celebrior habebatur, dirigit eos illò cum quingentis equitibus. Haud procul itaque ab vrbe prædicta, vallem intrant, & in ipsa valle castrum repperiunt; & ibidem ciuitati Antiochenæ, Turcos cum manu copiosa præsidere audiunt: quos etiam maximo apparatu & armorum & hominum sese instruere contra Francos, si quando sibi ingruerint, addiscunt. *Petrus* ergo, vnus ex his quos superius *Petros* vocari diximus, cui etiam agnomen à loco, qui *Roasa* dicitur, fuerat, à sociorum cœtu se diuidens, vrbis cuiusdam quæ *Rugia* dicitur, vallem ingreditur; & inuentis Turcis Saracenisque, cum eis congreditur; & interemptis eorum quamplurimis, alios persequitur. Hoc Armenii attendentes, & de viri fortitudine iocundati, propter insolitam aduersum Turcos audaciam, ditioni illius se mancipant. Nec mora, cuidam *Rusa* nomine, ciuitati, habitatorum deditione, præficitur: in plerisque itidem castellis excipitur. Exercitus autem residuus, à Coxon, illa quam diximus vrbe, digressus, per angustam ac cõfragosam incredibiliter, quorundam processit mõtanorum semitam, adeò arduorum, vt nemo eũ qui præibat vllatenus præcedere posset. Sed alios post alios singillatim pedetentimque procedere necesse foret. Arcto namq; & nimis scrupeo calli prærupti maximi vorago subterérat, vbi, si equum equo offendi contingeret, desperabili statim præcipitio deperiret. Videres cuneum militarem, qui pridem insolentiâ itinerum, inediâque de equestribus pedites facti erant, feralibus affici tristitiis pugnos collidere, vellicare capillos; & mortis sibi imprecato exitu, loricas & galeas, quælibet arma, sine vllius precii respectu, denariis tribus aut quatuor seu quinque distrahere: & dum non suppetit emptor, clipeos, aliaque peroptima in profunda disiicere, dummodo valerent tanto discrimine corpora, vix sibi sufficientia expedire. Ex his tandem scopulis ac rupibus, postquam cum intolerãdis emersêre laboribus, vrbem quandam *Marasim* dictam introeunt, cuius ciues eis obuiam lętabundi prodeunt, & abundè exercitibus venalia cõuehunt. Recreauitque exhaustos tellus vberrima, quousque restitueretur eis Domini *Boemundi*, qui subsequebatur, quemq; præstolabantur ibidem, pręsentia. 20 30 40

III. Denique perueniunt in illa campestria, vbi Syrorum prædicatissima metropolis sita dinoscitur *Antiochia*, cuius titulorum sunt specialia, præter ea quibus ad seculum floruit priuilegia, quod Christiani nominis inde pullularunt insignia. *Pharphar* ipsius ciuitatis fluuius nuncupatur. Ad cuius cùm nostri peruenissent contigua loca pontis, quidam ex eis quibus præcedendi castra officium fuerat, maximam Turcorum offendêre manum, qui plurimis suffarcinati copiis, suggerere properabant obsidendis auxilium. Quos nostri vbi perspexerunt Francicâ in eos ferocitate concurrunt, & penè sine vllo tẽporis interstitio subigentes, hac illacq; dispergunt. Laniant miseros instar arietum, & quę paulò ante terrere potuerãt arma, proiiciunt: fugit per cuneos turba gregaria: vulnerãt & obruunt, dũ mixtim properãt, socia agmina: pridẽ superba rabies, sentit humilia, & quæ nostrorum æstimabat se gauisuram stragibus, lætatur si possit eruere, vel cum pudore, corpora. Hii qui venerant expugnandis ferre suffragium, fiunt continuò congeries fœda cadauerum: & quas deferebant obsidendis copias, destinauit omnipotens obsessoribus, consilio misericordiore, præbendas. Hiis igitur non aliter quàm segetes gran- 50

tes grandine comminuuntur, oppressis, multa nostris resederunt spolia: innumera frumenti viniq; relinquuntur impendia: equorum, camelorum, asinorumque pedestribus cessêre subsidia. Itaq; nostri super præfati fluminis orâ castra constituunt. At *Boemundus*, iunctis sibi lectissimorum militum milibus quatuor, portæ ciuitatis sese opposuit; & ne quis ab ea exiret vel ingrederetur in ipsam, vigilias eâ ibi nocte continuauit. Postridie ad ipsam vsque Antiochiam, duodecimo Kal. Nouembris, cùm quarta esset feria, & media iam ageretur dies, deueniens consedit exercitus, trium ciuitatis portarum, obsidentium diligenti instantia, præpeditis aditibus, sed quarto vacante, quoniam nullus ei obsidendæ patere poterat locus, montanorum
10 contiguorum altitudine plurima, angustiaque obstantibus. Tantus autem non modò ciuibus, verùm Turcis præstantibus, nostrorum metus incutitur, vt eorum contra nostros nemo procederet; nemo, ac si nundinas acturi venissent, vlla eis hostilitatis molimina intentaret: & hæc fucatæ superficies pacis quindecim fermè diebus, veluti conclamata, perstiterit. Circa vrbem autem ipsam, fertilissima huius obsidionis extitêre primordia; omnium vsui conuenientium, tempore nouorum inibi recens acto, feruebat opulentia: vineas, sed quo tempore miror, vindemia dependente refertas; frumenta non horreis sed foueis atque cuniculis, immersa vbique repperiebant: cum nec arboribus poma deessent; & quælibet vitæ ipsorum cômoda solo vberrimo suppeditante confluerent. *Armenii* autem & *Syri*, ex quibus
20 præter, vt sic dixerim, Turcos epibatas, tota vrbs illa constabat, cùm vrbem ipsam incolerent, & Christianæ sese titulo conditionis efferrent, crebrò nostros inuisere; & esse eorum vniuersum addiscere; & suis, quæ apud nostros aucupati fuerant, nûtiare. Cùm enim Francos suæ assiduæ confabulationis visco allicerent; & se à Turcorum facie fugitare, multæ adulationis lenocinio, nostrorû auribus mussitassent, vxores tamen proprias excedere nullatenus ab vrbe sinebant, & ad ipsas, digressi à Frâcis, postliminium facientes, quæ istinc subintelligere poterât, ad Turcos Christianarum partium infirmiora ferebant. Proposito igitur eorum cognito, ac essentia Syris interpretibus sita, Turci de ciuitate aliquotiens erumpere, aliqua nostris subripere, dum victualibus quæritandis oberrant, calles consuetos obtexere, pla-
30 gam montanorum marisque petentibus exinsperato proruere, nihil ab insidiis & irruptionibus vacare permittere. Haud procul autem inde Castrû habebatur quod vocabatur *Areg*: in quo præcipuæ ferocitatis Turcos pro præsidii ipsius tuitione locauerant, qui Francis, aliquotiens inconsideratioribus, frequentium incursuum turbas incutiebant. At Principes, tantæ impatientes iniuriæ, non paruâ equitum peditumque conflatâ manu, mittunt qui explorent vbinam delitescere soleant, qui tot suis mala irrogant. Repertoque eorundem latibulo, obuios quidem primò se illis præbent; sed postmodum, fugâ callidè simulatâ, eò se ab insequentibus duci sinunt, vbi indubiè nouerant latere in insidiis *Boemundum*. Ibidem, Turcis insectantibus, duo ex nostris occubuerunt. At de latebris sese Boemundus excutiens, hosti-
40 bus cum debita animaduersione occurrit; eos qui videbantur terga vertisse reduxit, & confertissimâ armorum consertione conflixit. Ex eis itaque plurimos interimit, alios captiuos adducit; ad vrbis portam quos cœperat pertrahit, ibique, ad terrorem spectantium ciuium, capitibus cædi præcipit. Ast aliqui ciuitatensium, cuiusdam conscendentes portæ suprema, quaqua versum fatigabant nostros suarum iactibus sagittarum: in tantum vt intra ambitum castrorum Boemundi, missilium nimbus influeret; & mulier ibidem ictu sagittæ occumberet. Denique Principes consilium communicant, constituuntque & ordinant, vt castrum fieri deberet in cuiusdam vertice montis quod *Malreguard* appellarunt, cuius præsidium formidinem sibi valeret submouere Turcorum. Fiebat itaque oppidum, sed præcipuè illic
50 videres, in lapidum comportatione, primorum manus elaborare Principum. Non istic egena manus conqueri poterat aliquas sese per maiorum potentiam angarias tolerare, cùm eos qui sibi dominabantur attenderet, in extremi etiam executione operis, nullo modo sibimet ocium indulgere. Sciebant namque piæ naturæ instinctu etsi non legerant, quòd *Marius* ille secundùm *Salustium* ait: *Si tute*, inquit, *molliter agas, exercitum autem imperio cogas, hoc est Dominum non Imperatorem esse.* Peracto itaque castro, Principes illud custodiêre vicissim. Appropinquabat Natale Dominicum: & frumentum cæteraque corporum alimenta cœperant vehementer im-

minui; & carò constiterat in toto exercitu omnia vendi. Victualium quærendorum causa, nulla patebat facultas vel longiusculè euagari: intra Christiani quoque nominis fines, nihil penè iam ad vsum pertinens poterat repperiri. Porrò in *Sarracenorum regionem* non nisi cum expeditione plurima quisquam valebat progredi. Igitur vrgente inedia, coacto Proceres concilio sese discutiunt, qualiter consuli debeat tantæ frequentiæ hominum, famis atrocissimæ, nisi ei subueniatur, subituræ periculum. Tandem vicaria consultatione repperiunt, vti aliqua pars exercitus stipendiis vndecumque contrahendis insisteret, altera cœptæ obsidioni vacaret. Ad hæc itaque *Boemundus* intulit. *Si vobis*, inquit, *ô strenui milites, tutum videtur; ego Flandrensis Comitis suffultus comitia victualium procurationi operam dabo.* Quod à quibusq; iunioribus tantâ est gratulatione susceptum, quantò maiori extabuerant, non modò ariditate, verùm omnimoda necessitate ciborum: Celebrata itaque, affectu & alacritate qua poterant, Natiuitate Dominica postridie, cū esset secunda feria; duo illi prædicti Principes, allectis sibi viginti peditum militumque milibus: Sarracenorum prouincias depopulari aggrediuntur.

IV. Interea Turci, & Arabes, Sarraceni aliique Gentiles, qui coierāt ab Iherusalem & Damasco, & Halep, aliisque gētibus, pari animo conglomerati, præsidium eidem laturi, cum infinito agmine, Antiochiam properabant. Hii iam compererant Christianos in suos fines, pro frugum cæterorumq; vtilium collatione, cursuros: & crepusculo adhuc dubio, contra nostros acie præparata, vbi eos expectare didicerant, cum alacritate in tristitiam mox vertenda, contendunt. Dispertiuntur itaque sese per duarum acierum turmas, alteram à nostrorum frontibus præmittentes; alterâ retrogradâ omnem eorum ambire exercitum molientes. At *Flandrensium* Comes, de diuina nullatenus virtute diffidens, præfixo cordi ac corpori suo signo Crucis, fretus insigni Comite *Boemundo*, ea, qua tantos decebat viros, hostibus magnanimitate occurrit. Pugna conseritur; sed in ipsa primi attemptatione congressus, fugax hostis auertitur. Mutantur bella trophæis: atque terga vertensium illisa corporibus, multipliciter rasilis hasta confringitur. Fraxinos creberrimè longas hostilis excipit vmbo, & magnis impactæ viribus, per nimietates ictuum in hastulas minutantur. Galea mucronibus oberta, occipitium non defendit à vulnere; loricarum, vt putabant, impenetrabilium prætextiones, tenuitatis accusant. Nullis corporum partibus munimenta profuerant; quidquid tutum Barbari iudicant, infirmatur; quidquid Franci tetigêre, conscinditur. Sternitur campestris superficies, numerositate cadauerum; & crebra mortuorum congeries, graminosi pridem ruris exasperat æquor; inuiso vbiq; terra, gentilium cruore respersa, nigrescit. Qui nostrorum cædi fuêre superstites, vitam sibi gressuum celeritate lucrantur; & spoliis propriis, non ad horum caritatem, sed ob sui agilitatem exonerari lætantur. In alterum itaque statum, sese animi nostrorum habitudo commutat, dum metus in audaciam, pugna in victoriam, mœror in lætitiam, fames in opulentiam suscitatur: nudus induuiis, pedes vehiculis, pauper pecuniis, erutus gratiis, victor tripudiis ampliatur.

V. Interim dum ista geruntur, *Turcos*, qui Antiochiç præerant, *Boemundum* cum *Flandriensi Comite* obsidioni deesse non latuit. Tanta ergo tutiores absentia, sæpius ad bella lacessere nostros exibāt sollicitè, quæ pars obsidentium haberetur infirmior, aucupantes. Tandem aptum diem, cum esset tertia quædam feria, suæ fortitudini exerendæ videntes, subitò minus prouidis ingruunt; & expeditibus militibusque quamplurimos, dum nihil verentur, occidunt. Magnificus quoque *Podiensis* Episcopus suæ curiæ maiorem, eundemque signiferum suū, inter eos qui perimebantur amisit. Et nisi fluminis alueus, cuius crepidini castra consederant, interiacens obstitisset, nostrorum internecio non parua & quàm crebra fuisset. Ad hæc egregium *Boemundum* regredi contigerat, direptis Sarracenorum prouinciis; & ea in quibus Tancredus morabatur montana reuisere: dum æstimat aliquid, quod prodesset obsessoribus ciuitatis, se posse ibidem repperire. Cùm enim quidquid præ oculis habuerant quique nostrorum diripuissent, multi tamen ex eis nihil inuenêre; vacuiq; rediêre, eorum scilicet quæ victui necessaria forent. At nusquam expers consilii Boemundus, dum eos ineptè oberrare conspiceret adoritur, dicens: *Si commoda vitæ vestræ disquiritis; si vestris ritè, prout vrget inedia, corporibus prouidetis, ita agite, quatenus dum victus quæritur, victum quærentium nullo modo vita necetur. Desinite discurrere montanorum per auia; cum sciatis*

hostes

hostes vestros incognita vobis horridarum solitudinum fouere latibula. Iunctus pariter (alter enim ex altero fit fortior) procedat exercitus, vt si parti infertur violentia, partis alterius valeat experiri præsidia. Sic enim, si ouis à manu vel præsentia pastoris exerrat, rictibus dinoscitur patere lupinis; sic miles si à commilitonũ contubernio solivagus exeat, quibuslibet proculdubio ludibrium prædonibus extat. Satius itaq; vobis sit apud vos & cum vestris, vel tenui cibo pasci, quàm inextricabili captiuitati addictos lautiori edulio vesci. Itaq; vnà ire, pariterq; redire, cœtibus delectari, præsumptiuè nil agere, quorumq; est censura bonorum; liberè euagari, perire volentium. Dixit, & ad socios repedans, in nullo obsessores reditu suo opulentiores reddidit. Verùm Armeniorum Syriorumque caliditas, cum videret in
10 exercitu extenuari cibaria, exinaniri venalia per quælibet sibi cognita obambulantes loca, coemptas circumquaq; fruges ad exercitum inopia laborantem deferunt; & adeò immoderata caritudine vendunt, vt asini vnius ex frumento sarcina octo eorum Byzanteorum precio distraheretur, quos ibidem *purpuratos* vocitant, qui centum viginti nummorum solidis æstimabantur. Ibi pensari potest, quàm horrendo famis succubuêre discrimini, quibus nulla suppeditabat facultas præcii. Et vbi Principes coangustare iam cœperat pecuniæ difficultas, quid ageret ille, quem omnibus pridẽ opulentis, iam extrema premebat egestas? *Torserat grandis cruciatus illos, Victus artabat tenuis supremos, Viribus fusis rabies famei Reddidit imos. Copiæ panum fuerant remotæ, Non boum carnes, nec erant suillæ: Vulserant passim manus indi-*
20 *gentum Gramina quæq;. Quidquid escarum poterat fuisse, Suppetit tandem repperire nulli. Soluerant artus, tulerant & ausum Pectora laxi. Tenditur dirum cutis in tumorem Qui cibi nullum tenuêre morem. Esca defecit, periit facultas: Dant ea mortem. Soluit occisos breuis angor omnis, At fame tactos agitant dolores: Vnde protractæ meliora gestant Præmia mortes. Hos fouet planè cibus Angelorum, Optimo gaudent brauio laborum, Quo magis pondus tolerasse constat Suppliciorum. Cæteri pugnant, variosq; casus Ferre concertant, grauibus secunda Vlla vix præstãt, meliora lætis Tristia censent. Iam cruces CHRISTVM geminas ferendo Prosequi curant, potiora iussis Aggredi gaudent quibus autor vnam Iusserit isdem. Huic fames atrox cor inane carpit, Aridus dudum stomachus fatiscit: Viscerũ strages, cerebri ruinas Passio fecit. Intus hæc tabes animum fatigat, Inde bellorum*
30 *feritas molestat, Et dies & nox ibi plena curis Cædibus instat. Acris extat mens, tenuesq; vires; Aegra sed mentis reparant vigores Inq; fundendos minimum verentur Ire cruores.* VI.

Guilelmus interea quidam, qui *Carpentarius*, non quia faber lignarius esset, sed quia in bellis cedendo more carpentarii insisteret, dicebatur, homo Transsequanus; dictis potens, sed opere parcus; *magni nominis umbra*; vir maiora se aggrediens, & qui nihil relinquebat explicitum; qui etiam cùm Iherosolymitanũ esset aggressurus iter, direptis contiguorum sibi pauperum substantiolis, profanum viaticum præparauit: is, inquam, inediæ, quam multò egentiores summa cernebat tolerare fide, impatiens, silenter aufugit. Cuius quidem in armis gloria; in iactantia verborum solummodo habebatur; nullatenus in re gesta. Is in Hispaniis, cùm expeditio
40 Francica ad auertendos qui ex Africa ibidem confluxerant Paganos moraretur; iste, cuius vniuersa erat in verbis audacia, fœdè recessit, & innumeros sua auersione fefellit. Nec sine euidenti Dei creditur accidisse iudicio: vt, quos popularis celebriores fama reddiderat; deterrimos omnium, laborumque impatientissimos, ostentaret diuina sententia. Nec in huius solum persona id portenti patuit, verùm de aliis, quorum supersedebo nominibus, id ipsum claruit: vt quorum inter nos armorum terribilis admodum fuerat & famosa ferocitas, eorum in illo Dominico exercitu, mitior fieret etiam leporibus miseranda tranquillitas. Quod quanto à recto diuersius fuit, tanto magis contemptibile haberi debuit. Si enim hîc positi, dum sine iure pugnarent, dum sceleste pauperes præda eisdem fierent, non im-
50 meritò planè inter ista, pro animarum suarum dampnatione, timidi fuissent: at verò, vbi omnimoda salutis erat æternæ securitas, ibi profecto fuit criminosa timiditas. VII.

Ad hoc, vt stellæ quoque iuxta Apocalypsim de cœlo cadere viderentur; *Petrus* ille, de quo supra actum est, celeberrimus Heremita, & ipse in desipientiam versus, excessit: *Quo geris hæc Petre consilio? cur nominis immemor extas? Si Petra constat origo Petri, solidum quid denique signant, Quid tibi vis meminisse fugæ? faciles nescit petra motus. Siste gradum: veterem recolas heremum, ieiunia prisca. Iunxeris hactenus ossa cuti, tenui radice ruentem Tendere debueras stomachum, pecuali gramine vesci. Quid* VIII.

" *dapis immodicæ memores? nil tale monasticus ordo, Nil tua te genitura docet: vel te tua do-*
" *gmata pulsent. Cur populos ad id angis iter; fieri quoque cogis egenos. Sic præiens modo iura*
" *firas; quæ quisque docendo tulisti. Hic aliquando fugax cereris, pisces ac vina terebat. San-*
" *ctior esca foret Monacho, porri, nasturcia, napi, Cardamus, atque nuces, corili, tysana, frux,*
IX. *lentis, & herbi, Pisce merog, procul posito, frusto tamen addita panis.* Hos itaq; piæ obsidionis, immò sanctæ passionis refugas, *Tancredus* vir pertinacis in hoc CHRISTI negotio constantiæ, persequitur, comprehendit; & vt par erat, nō sine plurima eos contumeliarū illatione, reduxit. Quibus tamen reditum sermone spondentibus, credulitatem distulit, donec fide mediâ vterque pepigit, quòd ad exercitus communionem redirent; & Principum iudicio pro militiæ desertione satagerent. *Guillelmus* igitur, vellet nollet remeare compellitur; & pro curia magnifici Boemundi, totâ nocte ibidem excubaturus, exponitur. Postero verò die, vbi auroræ fibra recanduit, ante illius viri spectabilis ora inducitur. Cui eo quo merebatur pudore suffuso, ita Senior ille proloquitur: *Cum,* inquit, *vbique gentium Franciæ nomen Regis, inter omnia Regna, maiestate præmineat, cum virtutis atque constantiæ, post DEVM genitrix integerrimos hucusque viros emittat, te, garrule nequam, & omnium impurissime, te suò dedecori ac infamiæ tulerat: te amodo, ac si portentum habeat. O bone rerum pater, cuius modi Carpentarium habebamus: qui sicut architectus dolabro lignum; ita lanceis & ensibus triuerit terga Gentilium? Ecce ictuum assiduitate faber idem mille interdiu spatas obtuderat; & populos Ethnicorum solus ipse, feriatis nobis exciderat. Vbi est illa fastuosa rigiditas, & circa Ligerim ac Sequanam innutrita loquacitas, vbi constare dinoscitur parsimonia actus, & crepitat indesinens loquacitatis tronitrus? Solus iste laboranti poterat succurrere Lunæ, cum tamen nil efficax, fœdè torpens, protendat in opere. Et certè competebat illi tua tanta fortitudini, vt qui gentis Dominicæ extitisti proditor in Hispania; idem, cœpti honoris hic habiturus cumulum, molireris in Syria. Esto. Planè tibi conueniebat nil aliud agere: & ideo super reatu adeo turpi, largissima venia donabere.* Iam huius tam irrisoriæ declamationis, Francos circumstantes pudere cœperat; vixque à viro substomacante impetrant, vt sileat. Pepercit improbo inlustris viri seueritas, non ignara modestiæ; eo quidem contenta tenore, vt dato polliceretur Sacramento, numquam se ab Iherosolimitano resilire itinere, siue prospera occurrerent, vel tempus obuiaret inopiæ: spondet & ipse Tancredum, qui eum à subterfugio cohibuerat, amicum deinceps fore, si eum viriliter constiterit permanere. His dictis vtrobique assensum est. At non multo post tempore *Carpentarius* ille mirabilis, qui quondam, in tuto positus, carnificium se exercere minabatur in Turcos, sacramenti incontinens, fideique prodigus, furtiuus fugam iterare non distulit. Hac autem exercitui ipsi, licet pio, penurias obtigisse nulli mirum habeatur: cum indubiè credi possit, quia diuinæ, quæ eis si benè agerent non deesset, prosperitati, maximis criminibus obluctabantur. Cùm enim tanta eos vrgeret egestas, & quique negatis atrociter profligarentur eduliis, si quempiam ab exercitu remotius ire contingeret, pro pretio exiguo aliquis, non alius tamen quàm nostrorum, eum si solum reperiret occideret. Inde igitur ea per omnes infelicitas bacchabatur, vt vix in tanto hoste mille equi reperirentur: hinc panis vniuersos feraliter excruciabat angustia; quæ tamen non arcebat, sed aliquos acriùs instigabat ad crimina. His verùm sibi diuinitùs accedentibus flagellis, non dubium est multos eorundem ad sui recordationem pœnitendo reductos; & de suis desperantes viribus, ad DEI solius subsidium, sub tanta miseria, vnicè postulandum, spei instinctu melioris, appulsos. fiebant planè his iam eruditiores euentibus, vt quò magis suas attenderent aut copias extenuari, aut fortitudines eneruari, eò amplius ad Dominum, cui omnia possibilia crederent, docerentur debitâ humilitate subiici.

X. Præterea, quidam quoque ex legatis, nisi fallor, tyrannici Imperatoris, qui *Tetigus* vocabatur, & illi obsidioni intererat, vir siquidem grauis æuo, sed naso, quâ nescio occasione, deciso, & ob id vtens aureo: hinc timore Turcorum coactus, illinc famis periculo coartatus, multâ mendaciorum coornatione politus, Seniores adoritur: *Vestram, ô Optimi Duces, excellentiam grandis cogit scire necessitas, quantis intra nos anxietatibus deprimamur; quantis etiam extra terroribus stimulemur. Et cum foris habeantur pugnæ, intus famis non desistant nos excruciare*

ciare dolores, nullum vsquequaque patere videtur effugium; nullum adiacet quod nos faciat respirare solatium. At, si prudentiæ vestræ fore credatur idoneum, detur mihi facultas in Romaniæ partes eundi, & faciam istinc frumentum, vinum, hordeum, carnem, farinam, caseumq; & cætera diuersis vsibus commoda, cum plurima ac frequenti classe deduci; ac indesinentem quorumq; venalium per maria commeatum, imperatorio passim præeunte edicto, procurabo institui. Equorum, & si quæ sunt aliæ animalium atque vectigalium vtilitates, omnis vobis per terram, Græcorum prouincia deportabit: Imperator ipse, quem vestra latuit hucusque penuria; ad deferenda indigentiæ tantæ subsidia, summoperè vbi compererit properabit. Et vobis sacramento astruam quòd hæc, vt dixi, omnia fide perseueranti compleam: quæ etiam cum explicuero, cœptæ huius obsidionis laboribus me nullatenus repræsentare timebo. Quòd si vestrum contubernium, famisq; participium me detrectare veremini, ecce tentoria mea; ecce remansuri sunt apud vos necessarii mei, quos etsi ad tempus relinquero, in finem contempsisse non potero. Dixit, & procerum aures multæ lenocinio circumlocutionis illexit. Igitur ille recessit omnino non veritus crimen quod in eum, turpiter dum peierarct, incessit; nec vnquam deinceps ad id quod spoponderat, cunctà mentitus, accessit. XI. Itaque in tantum eos cœperat instantia hostium visque constringere, vt nostrorum nullus, pro quocumque negotio, præsumeret papiliones suos aut communia castra excedere. Ad hoc omnino miserabilius eos inquietabat domestica, & rabiei simillima pestis inediæ. Si enim, vt ait quidam, *nihil illâ fame molestius quæ extorquetur inuito*: quas torsiones æstimamus passos, quibus continuè crucibus addictos, qui nullâ spe ad modicum, vel falsâ, releuati, illis verè inexpugnabilibus muris quotidie adsidebant? Vulgus autem, pauperie omnimodâ exesum, per diuersas oberrabat prouincias: alii Cyprum, Romaniam aliqui, quidam per montana vagari, victus insufficientia coangustante, iam cœperant. Porrò viam maris, occursus vbique Turcorum creber occluserat. Nusquam denique patebat nostris exitus. XII. Audiens interea *Boemundus* innumera Turcorum agmina nostrorum superuenientia castris, Principes alios aggreditur, dicens: *Cùm tanta iam nostri paucitas exercitus habeatur, vt vni conficiendo certamini tenuis iam ac insufficiens videatur, nedum ad duo exercenda prælia bifariam disparetur: retractandum nobis est, si à nobis, cum qualicumque exercitu, Turcis obuiam ingruentibus itur, quis huic ciuitati obsideri cœptæ, impugnator interim, quis tabernaculorum nostrorum defensor relinquitur? Si ergo vestro ratum videtur arbitrio, delectam optimorum partem peditum, ad custodiam vrbis destinemus obsessæ; equites verò, quasi fortiores, Turcorum insaniæ comparari debere censemus.* Dixerat, & nulli Principum ab eius dissensêre consilio. XIII. Iam hostium examina iuxta Castellum vrbi contiguum, quod vocabatur *Areg*, Castra posuerant, trans pontem Pharphareum. Dies erat procliuis ad vesperum, & omni *Boemundus* citatâ militiâ de castris egreditur, & properans inter flumen adiacentemque lacum castrametatur. Vbi mane inclaruit, celerrimè exploratores dirigit, vt Turcorum quantitate perpensâ, qualiter se agant, & vbi commaneant, festinent renuntiare maturiùs. Paulò processerant, hostesque quorum personabat aduentus, quærere cœperant, cùm ecce infinita eorum cernunt emergere examina, per duarum acierum legiones disparata; retro verò eorum pedetentim multitudo subsequebatur maxima. Quibus prospectis quantocius regrediuntur: *Hostes*, aiunt, *iam imminent, videtote vt fortes vos & paratos inueniant.* Ad hæc *Boemundus*, suis in CHRISTO fratribus ac commilitonibus excitandis, eloquitur: *Victoriarum vestrarum, ô optimi milites, creber euentus, non paruæ vobis ministrat occasiones audaciæ. Fidei hactenus contra perfidiam bella gessistis; & inter omnia discrimina felices exitus habuistis. Delectare vos profectò iam debuit CHRISTI fortitudinis sæpissimè euidens experimentum: præsertim cùm certo certius noueritis, in illis quæ potissimum vrgebant præliis, non vos pugnasse sed CHRISTVM. Quæ ergo valeat vestræ menti, pro incursu aliquo, desipientia desperationis inrepere, quos, mala nulli hactenus attentata, Domino subleuante, euadere, quibus triumphos homini impossibiles contigit prouenisse? in tantum iam precor, apud vos fides*

experta proficiat, vt nulla vobis humana deinceps fortitudo resistat. Hac itaque animos tutiores efficite, cautè procedite, & CHRISTVM vestra, vt assolet, vexilla ferentem, totâ mentium acrimoniâ consectari nunc, & conclamare curate. Quibus fideliter ac viridè circumspecteque se acturos acclamantibus, & acierum quoque suarum eidem distributionem, vtpote bellorum expertissimo credentibus, iubet idem *Boemundus* quemque Principum appendices suas sibi colligere, & propriam singulos aciem ordinare. Sex igitur, vti dixerat, aciebus expositis, ad peruadendos hostes factis singillatim cuneis, cum summa cautela quinque procedunt. At *Boemundus*, cum suo agmine, ad ferendum, si necessitas incubuisset, subsidium, posterior sequebatur. Nostris itaque, hoc modo distinctis, dum animis spirantibus stipati, confertissimè gradiuntur ad prælium, alter alterius latere tacto solicitabat socium: vt nullus, quantum spectaret ad cuiusque personam, pateretur claudicare conflictum. At vbi res manibus agi cœpit. *Nec morâ, curuatis adeunt hastilibus hostes, Cumq; calent animis, & equos calcaribus vrgent, Ac vtrobique feris quatitur clamoribus æther, Concurrunt acies, torserunt spicula Turci. Francigenæ impactis terebrarunt pectora telis. Ictibus ensis hebes fuerat, fecêre fragorem Collisi calibes: molitur vulnera ferro, Quæ sitit obscenum rapidissima dextra cruorem. Ac si cornicum videas examina mota, Et velut immodico processerit agmine turdus: Sic cæleste iubar tunc protexêre sagittæ, Aëra densantes iaculorum grandine cæcum. Arma crepant & equos rapit impetus, æsq; retinnit. Cæsa dolent, victricia gaudent, dissona vox it.* Vbi verò totum pondus exercitus quod primas subsequebatur acies, atrocissimo illi certamini se infudit, cœpit nostrorum graui hostium impetu acumen obtundi; & eorum proficiente numero, à proposita virtute parumper inflecti. Quod *Boemundus* attendens; qui custodias retrò auxilium laturus obseruat, multæ animaduersionis motu infrenduit. Comitem stabuli ergo accersit suum, *Rothbertum* quendam scilicet, Girardi filium, illoque dirigit: *Vade*, inquit, *vtere iam nunc magnanimitate quâ debes, & quæ tanto negotio competit, & assumpti huius intentionem tibi propone laboris, dum causam nobis & tibi fore noueris totius Christianitatis auxilium, Iherosolymam DEO redimere, ac eius liberare Sepulchrum. Nec minus tibi constat, diuinis potius adiumentis id operis administrari, quàm humanis. Age itaque & tuam patienti CHRISTO, iam defer audaciam, nec tam opportunus te segnem locus inueniat, quem tuo forsitan Dominus honori præparat.* His concitus ille sermonibus, totâ Domino mente innisus: *Exilit, & densas dirimit mucrone cateruas: Signa Ducis præfert, quæ sic diuersa veretur, Vt sibi dum præeunt pars nostra vigore leuetur. Non igitur secus ille furit, quàm fœtibus orba Assolet ereptis, obiecta necare leæna. Mucro vias aperit, confertum disscidit agmen: Obuia contuderat, cuneum docet ire sequentem.* Hinc itaque nostri, dum Boemundi non incognitum signum sibi in nullo vacillare conspiciunt, & prædictum Stabuli Comitem tantâ in Turcos animositate bacchari, resipuêre simul, tantaque hostes violentiâ propulêre, vt solius fugæ cogerentur sperare præsidia: Nostri denique fugientibus instant; & dum sine ordine properant, præcipites actos vsque ad Pharpharici pontis angustias, cædere ac detruncare nõ cessant. Quâ Turci cæde susceptâ, castrum, quod *Areg* superiùs nominaui, subintrant, omnimodis spoliant; ignem municipio eidem subiiciunt, numquamque deinceps ad id redituri diffugiunt. *Armeniorum* autem, *Syrorumq;* gens perfida, qui inter vtrosque populos medii, præliorum aucupabantur exitus, vt cui cessisset victoria, illi potissimum inhærerent: dum Turcos inferiores attendunt, aggrediuntur quasque semitas obsidere, & Turcos prætereuntes perimere. Igitur ex hiis quæ hostibus detracta sunt victis, crudelis nostrorum indigentia illa conualuit, equis & sumptibus subleuatur; ab ipsis insuper, euentu triumphorum crebrescente secundo, Turcorum feritas contempnitur. Vnde & post victoriam, centum eorum qui bello occubuerant capita præciduntur, & ad Turcorum, qui obsidebantur exanimationem, ante muros Antiochiæ suspenduntur. Est autem consuetudo Gentilium, vt cæsorum capita ad indicium victoriæ reseruare ac ostentare soleant. Interea dum hæc peraguntur à nostris, *Babylonicus Imperator* legationem ad Principes nostri exercitus direxerat, per quos de his quæ erga Turcos egerant eis gratulabundus extiterat; pariter quoque, & si falsò, spoponderat, quòd Christianus fieret, si gens nostra Turcis ea quæ de eius Imperio diripuerant ademisset, sibique restitueret. Diximus planè Babylonicum Imperium longè

longè potentius Regnis Orientalibus extitisse; sed Turcos armis animisque ferociores multa eius vsurpasse. At hii qui vrbi obsidendæ relicti fuerant, & ipsi quoque cum *ciuitatensibus* acerrimè conflixerunt, non modò vno in loco, sed ante portas ferè omnis eius vrbis. Dies autem triumphi huius quinto Idus Februarii, pridie ante ieiunii caput. Nec id iniuriâ, vt qua die ante ipsa ieiunia debentur Christianis epulæ, eâ, quam potissimum affectabant, hostium iniquorum saginarentur cæde. *Franci* igitur, tantæ victoriæ feruente tripudio, votorum multitudine Domino cooperatori gratulantes, non sine plurimo prædarum fructu, ad castra recedunt: *Turci* verò impatientes præ pudore videri, cuniculis & cuneis, si valerent, regrederentur in patrias. Denique maiores exercitus, dum crebrò perpendunt plurimas se perpeti ab his qui obsidebantur incursuum indignitates, coacto Concilio diffiniunt: vt antequam aliquam quouis casu suæ militiæ minorationem patiantur, ad portam vrbis, vbi eorum fanum habebatur, vbi quoque pontem constat haberi, castrum constituant, vnde aliquantisper hostium temptamenta restringant: cui eorum sententiæ, cuncti sunt iuniores assensi. Ad hæc *Sancti Egidii Comes* primus intulit: *Ego*, inquit, *stipendiis fulciam; idemq́, seruabo castellum: tantùm mihi opitulamini ad ædificandum.* Cui refert Boemundus: *Si libitum vobis sit, spondeo me iturum cum Comite isto, qui se præobtulit, ad* portum Sancti Simeonis *vbi pariter eos tuebimur, qui huic insistent operi. Residui, obsidioni operam dent; nec hostes vrbis portas excedere sinant.* Comes itaque ac Boemundus ad Sancti Simeonis, vti proposuerant, processêre portum. Hii verò qui remanserant, castellum instituere fuerant aggressi: sed Turci huius ædificii principia vehementissimo impetu turbauerunt. Repentino ergo nostros peruadentes incursu, terga eos vertere coegerunt, plurimos occiderunt; diem Francis lugubrem intulerunt. Comperiunt postridie Turci aliquos Principum obsidioni deesse, & quod ad portum Sancti Simeonis abissent: multo apparatu se instruunt, atque à portu redeuntibus subitò occurrunt. Cumque Comitem ac Boemundum cum militari frequentia aduentare conspicerent, cœpêre stridores & garritus fædè nimis conclamando emittère: vndecumque nostros ambire, iaculari, sagittare, vulneribus etiam inflictis truculenter occidere. Tanta namque fuit eorum inruptionis acerbitas, vt nostri vix elaberentur per contigua montana præcipites, & quaqua versum patere potuisset excessus. Qui potuit aliquâ volucres, vt sic dixerim, equos celeritate prætergredi, euasit: si quem Gentilis alacritas repperit segniorem, occubuit. In hac tantâ, quæ putabatur, calamitate, nostrorum millenarium mortui superauerant numerum: quos fidei testimonio *probabiles*, iuxta Apostolum, inuentos, gloriosa post necem exceperunt præmia passionum: quibus, si quas necesse fuerit peccatorum luere pœnas, sola sanguinis effusio omnem fuit potentissima purgare reatum. At *Boemundus* infinita super tali infortunio anxietate detritus, viâ compendiosiore digressus à sociis, cum paucis ad obsidionem peruenit equitibus, quos & repperit congregatos insimul. Efferatis itaque omnium super suorum internecione animis, & CHRISTO amarissimis fidelium singultibus prouocato, eos qui tanta sibi incommoda intulerant vnanimiter inuasuri, ad prælii loca perueniunt. Stabant hostium cohortes, de recens acta victoria, è regione securæ, æstimantes istic se itidem effecturos quæ cum Comite & Boemundo se egisse iactabant. Verùm malignis de nequitia proponentibus, benignus DEVS piè disponit quæ debeat remedia præstare mœrentibus. Insignes ergo viri, dolore fratrum interfectorum compassionis adacti, signo Crucis Dominicæ frontibus animisque præfixo, vniuersa in illos virium suarum collatione funduntur. Quorum illi vnanimitate perpensâ continuò cedunt, & ad Pharpharicum pontem per eius angustias transituri contendunt. Angustabatur transeuntium multitudo dum fuga præproperat, & cum peditum equitumque cuneus, spatio sese breuiore coaggerat, suum quisque comparem, dum nititur præteruolare, præcipitat. Nec nostris super isto vigilantia deerat: vt vbi vulgi fugientis frequentia densescere videbatur, ibi non de vulneribus sed de præcipitio ageretur. Quod si quis aquis immersus, aut per pontis columnas rependo, aut manibus enatando ad aridam conaretur emergere, illicò à nostris, ripam fluminis ambientibus, medias vndas cogebatur absorptus insumere. Tanta autem huius redibitio cædis extitisse cognoscitur, vt Pharpharis vnda potius cruoris quàm la-

Margin: 10, 20, 30, 40, 50 (line numbers); XIV. ; 2. Tim. 2, 15.

ticis putaretur. Tantis ibidem victi victoresque concrepuêre clamoribus; tanta pereuntium & perire cogentium, tamque terribilis vocalitas ferebatur, vt pulsari strepitibus cœlorum supremitas crederetur. Crebris telorum iactibus, cæterisque missilibus fiebat nubilus aër, globique solaris claritas, iaculorum errantium interstitio tegebatur. Mulieres vrbis indigenæ, Christianæ quidem, circa muri propugnacula spectaculo huiusmodi pascebantur: & dum Turcos perimi, tot ærumnis addici prospiciunt, à facie ingemunt; sed auersis vultibus Francorum prosperis euentibus latenter applaudunt. Cogebantur autem Armenii ac Syri, cùm essent Christiani, sagittas ad nostros emittere; quidam autem ex ipsis, & idipsum faciebant sponte. Occubuerunt siquidem istic duodecim de eorum primoribus 10 viri, quos verbo Caldaico *Satrapas*, secundùm eorum barbariem *Admirauisos* dicunt; aliique quamplures, de magis præditis ac solertioribus ipsorum personis, quibus tota incumbebat defensio ciuitatis: qui ferebantur mille extitisse quingenti. Qui verò huic residui fuêre exitio, nostris vti consueuerant insultare desierunt: nulla eorum garrulitas, nil deinceps scurrile apparuit: dies ista diuturnum „ illorum gaudium mœrore mutauit. *Ergo superueniens nox, vulgus vtrumque diremit* „ *Destiterantque manus, animis agitantibus arma.* In tantum autem hæc nostris profuit victoria, vt numquam vlterius tantum roboris ac virium viderentur habere; eorumque vox contiscesceret irrisoria. Porrò etiam multis, quorum nostros necessitate constabat vrgeri, affatim refecta est, DEO propitio, indigentia. Postero igi- 20 tur die cùm diluxisset, Turcorum aliqui de vrbe prodeunt; mortuorum suorum cadauera colligunt: quædam quidem repperêre; alia verò, intra fluminis alueum euecta disperiêre; & quæ inuenire contigit, ad fanum suum quod *Mathomariam* vocant, vltra pontem Pharpharicum sepeliêre, ad portam Antiochiæ. In quorum tumulis reposuêre pallia, Byzanteos aureos, sagittas & arcus; pluraque alia vtensilia, quæ exprimere supersedimus. Quarum inferiarum cùm ad nostros deuenisset notitia, funestum cimiterium illud, multo armorum freti apparatu, adeunt, fractisque sepulchris erui corpora exinde præcipiunt, factaque congerie in cuiusdam foueæ ima deuoluunt. Quorum capitibus tamen amputatis, ad sua ea deportari fecêre tentoria: quatenus eorum qui occubuerant, 30 supputatio haberetur certa exceptis quatuor equorum oneribus, quæ asportauerant Imperatoris Babylonici legati, patratæ scilicet contra Turcos victoriæ testimonia. Quæ Turci attendentes, multo ægrius tulêre de expositione cadauerum, quàm tulerant super interfectione ipsorum. Non enim iam mœstitiam, modestis fletibus temperabant; sed pudore recusso, eiulatibus prædicabant. Tertiâ abhinc die castrum præfatum ædificare cœperunt: ex his videlicet lapidibus quos fractis Gentilium sarcofagis tulerunt. Castro denique explicito, cœpit iam ciuitas quæ obsidebatur artari: in tantum vt is, quem pridem habuerant, iam inciperet tumor omnino reflari. Nostris autem libera quouis eundi aperiebatur facultas: montanorum etiam, quondam difficiles, opportunas deinceps habuêre ad querenda victua- 40 lia semitas. Igitur omnibus quaqua versum viis Turcorum vtilitati præclusis, quædam pars à flumine, vbi castrum, & iuxta castrum sita erat Ecclesia, possibilitatem exitus siue introitus adhuc præstare videbatur. Quod si quidem castrum, cùm nostræ esset partis, si fuisset à nostris integrè communitum, frustra iam hostium aliquis prodeundi libertatem præsumeret attentare. Concilio itaque proceres coacto, id repperêre consilii: vt vnum è suis eligant qui custodiæ præficiatur, sollicitè muniat, fideliter tueatur, quatenus omnis Paganorum oberrantium per montes & campos excursus, omnimodis abstineatur: aditus verò vel exitus vrbis nihilominus abscidatur. Cumque persona tanto negotio passim per Principes disquireretur idonea, *Tancredus* ille, qui in bellis Dominicis titulum sagacis- 50 simæ iuuentutis nunc vsque meretur & meruit, propriæ viuacitatis impatiens, illicò erupit, dicens: *Si scirem pro tanti laboris instantia quid mihi imposterum vtilitatis obtingeret, ego sollicitudine competenti, domesticorum meorum contubernio fultus, idem castrum satagerem roborare; & vias per quas hostes nostri procedendi solent habere licentiam, DEO auxiliante, conabor occludere.* Cuius Principes beneuolâ illatione gauisi, spondent continuò se eidem præbituros quadringentas marchas argenti. Ægrè tali promisso, quia ad quantitatem studii videretur exiguum,

Tancredus

Tancredus assensit: at tamen, si desisteret ne deputaretur inertiæ, equitibus atque clientibus qui sibi familiariter adhærebant, confestim & indubitanter assumptis, dominium castelli obtinuit; facultatem egrediendi extra vrbis portas, hostibus abstulit, maximamque eorum quæ ad equorum pabula pertinent penuriam, lignorum etiam cæterorumque vtilium, plurimam raritatem indixit. Itaque vir egregius, perseueranter commanere delegit ibidem; & subtractis commeatibus cœpit circumcingere, immo obstruere omni vigilantiâ ciuitatem. Ipsâ autem die quâ idem castrum subierat, magna frequentia Armeniorum atque Syrorum per montana veniebat, quæ obsessæ ciuitati diuersorum alimentorum stipendia conuehe-
10 bat. Quibus optimus ille eques, vt officii cœpti prosperos haberet euentus, non tam fortè, quàm DEO ingerente, fit obuiam; & apprehensis multam frumenti, vini atque olei, aliorumque non minus necessariorum diripuit copiam. Nec iam vir bonus conqueri potuit, cùm tam pio exerceretur negotio diuinitus sese oblitum, sed in hac quamprimum fortuna edidicit, quod, neque vnquam nimiè corporalibus indigeret; & deinde fructus æternitatis, post ipsa carnis subsidia, sibi non deesset ad Dominum. Erat itaque Turcis, quolibet extra muros eundi, siue gerendi, penitus circumclusa potentia: hisque quæ infra vrbis mœnia reperiri poterant, cogebantur esse contenti, donec caperetur Antiochia. In hac ipsa obsidione magnus Christianæ legis extitit vigor, vt si aliquem quibuslibet conuinci criminibus
20 constitisset, acerrimæ sententiæ principium exercitus iudiciali censurâ succumberet. Præter hæc autem, specialiter corporalis impudicitiæ flagitia iubebantur vlcisci: nec id immeritò. Qui enim penuriis ambiebantur atrocibus; qui quotidie hostium, nisi DEVS protegeret, videbantur patere mucronibus, his profectò nullus rationabiliter debuerat ingeri petulantiæ cogitatus. Et quis ibi esse poterat aditus voluptatis, vbi erat indesinens suspicio mortis? Vnde fiebat, vt ibi nec mentio scorti, nec nomen prostibuli toleraretur haberi: præsertim cùm pro hoc ipso scelere, gladiis, DEO iudice, vererentur addici. Quòd si grauidam inueniri constitisset aliquam earum mulierum, quæ probabâtur carere maritis, atrocibus tradebatur cum suo lenone suppliciis. Contigit interea quendam prædicatissimi omnium Cœno-
30 bii Monachum, qui Monasterii sui claustra fugaciter excesserat, & Iherosolymitanam expeditionem, non pietate sed leuitate prouocatus, inierat, cum aliqua fœmina ibi deprehendi; igniti, ni fallor, ferri iudicio conuinci; ac demum, Podiensis Episcopi cæterorumq; pręcepto, per omnes castrorum vicos miseram illam cum suo amasio circumduci, & flagris nudos ad terrorem intuentium dirissimè verberari.

XV.

Adhæc etiam vt patientiores ad penurias, circumspectiores ad vitia fierent, præfatus Podiensis Episcopus multifariam exhortationi vacabat: nec vllus dies Dominicus, aut festa apud Christianos transigebatur celebritas, quâ non per quosq; castrorum angulos diuinorum verborum prædicaretur auctoritas. Iniungebatur autem id, si qui fortè interfuissent, ab eodem præsule, Episcopis, Abbatibus, aut cleri-
40 calibus, quæ videbantur eruditiores, personis. Dignum autem relatu mihi videtur, quoniam se operi nostro Abbatum nomen immersit, quendam ibi extitisse *Abbatem*: qui cùm huius viæ adhuc inter nos tractaretur initium, & se competens tanto itineri non habere comperisset prætium: illud Crucis signum, quod vestimentis ex aliqua materia factum apponi consueuerat, ipse nescio sibi quo artificio mediâ in fronte præsculpsit: vt non modò pictum, sed millitaris stigmatis instar ferro esset inflictum. quo facto, vt fraus mendacio firmaretur, ab Angelo sibi per visionem illud celebrauit impressum. Nec spei huius qualiscumque defuit fructus, nam id cùm subintellexisset indocile & nouarum rerum cupidum vulgus, plurimis hominem in sua & extra suam regionem prosequutum est mune-
50 ribus. Nec tamen poterat argutiam sollerter inspicientium, talis latere fallacia: cùm patenter virus extillare videretur Crucis ipsius violenter inscripta lineola. Is tandem profectus, cùm Antiochenæ obsidioni interesset, quæ mendosè confinxerat, licet ab aliis iam dudum deprensa, aperuit; & lucri intentionem non tacuit. Qui quidem honestè se habuit, & dominico exercitui multa documentorum gratia profuit. Æmulationem quippè DEI habuerat; sed non secundùm scientiam prorsus id egerat: in tantum autem eminuit, vt capta Iherusalem, beatæ

XVI.

XVII.

Mariæ Ecclesiæ, in valle Iosaphat positæ, Abbas præficeretur; ac tempore succedenti, Cæsareæ Palestinorum metropoli, Archiepiscopus crearetur. Illud autem constat esse indubium, quod, nisi diuini verbi creberrima eis ministrarentur solatia, numquam inter tanta famis bellorumque discrimina, adeo perseuerans eorum extitisset patientia. Vnde quoslibet vitâ probos, scientiâ præditos, non minus, immo magis, inter eos valuisse dicimus, quàm eos qui arma ipsa propriis contra hostes tractauêre manibus. *Qui enim animo defectum admonitione consolidat, maior profectò eo est cui vires suo hortatu præstat: præsertim cum hii qui commonitores erant, eidem tolerantiæ in omnibus communicarent.* Quid de illis ad vltimum dicam, qui in hac ipsa expeditione diuersis in locis Martyrii professione 10 sanciti sunt? Quid, quod non modo sacerdotes, non litterati quilibet, sed viri militares, & quique plebei, de quibus nulla poterat fore confessionis spes, ad huius sortem gloriæ asciti sunt? Multos etenim captos ex his à Paganis audiuimus, qui cùm iuberentur fidei sacramentum negare, maluerunt capita gladiis exponere, quàm fidem, qua semel imbuti fuerant, Christianam prodere. Inter quos, specialiter quem referam elegi vnum, militarem equidem virum, genere nobilem, sed præ omnibus suæ cognationis & ordinis hominibus quos nouerim moribus magis insignem. Hunc, à puero mihi cognitum, secundo vidi adoleuisse ingenio: præsertim cùm ex eodem quo & ego municipio oriundus extiterit, & tam ipse quam parentes eius, parentum meorum beneficia tenuerit, eisque ho- 20 minium debuerit; vnà mecum creuerit, mihique ad integrum vita eius studiumque patuerit. Cum enim equestri iam præminuisset officio, armorum fuit singularis titulo; sed omnis petulantiæ immunis à vitio. In *Constantinopolitani Imperatoris*, scilicet *Alexis*, celeberrimus palatio: nam in eius obsequiis, consueuerat peregrinari sedulò. Qui quidem quantum ad suum spectabat modulum, cùm esset in exteriori benè fortunatus copia, adeo largus habebatur in eleemosyna, in tantum frequens circa diuina mysteria, vt non videatur militis sed potius antistitis eius vita. Cum enim eius recolo iugitatem in oratione, pietatem in verbo, benignitatem in munere, sanctæ eius nimiùm aggratulor intentioni; sed non minus ingenio meæ. Talem enim ipsius sum expertus actionem, quæ meruerit, 30 non aliud quàm Martyrii finem. Glorior certè, & gloriari possunt quicumque illius consequi potuêre notitiam, non præsumo dicere amicitiam: quia quisquis eum vidit, proculdubio Martyrem vidisse se nouerit. Is planè à Paganis captus, cum cogeretur CHRISTI negare fidem, inducias expetiit à perfidis vsque ad proximum sextæ feriæ diem: Cui cùm libentissimè annuissent, æstimãtes eum morosiori retractatione mutandum; accidit demum, vt dies præfixus adesset; eumque furor Gentilium vrgeret, quatenus eorum sententiæ cederet: dixisse fertur. *Si iccirco gladium me impendentem distulisse putatis, vt horum dierum mihi lumina parua lucrarer; & non potius vt ea ipsa die qua Dominus meus IESVS CHRISTVS crucifixus est mori mihi contingeret, dignum est vt euidens fiat, quid mens Christiana cogitat.* 40 *Insurgite ergo*, inquit, *& quo vultis me exemplo occidite: tantum vt ei, pro ipso interemptus, animam meam restituam, qui pro generali omnium vita hodie impenderit suam.* His dictis, gladio imminenti subiectum protendit iugulum; & cæso capite, transmittitur ad eum, cuius similitudinem mortis inhiauerat, Dominum. Is vocabatur *Matthæus*: verè, iuxta interpretationem sui nominis, non alii quàm DEO donatus.

EXPLICIT LIBER QVARTVS GESTORVM DEI PER FRANCOS. 50

INCIPIT

INCIPIT LIBER QVINTVS.

OPVSCVLI huius mei, præter ſpiritualem, ſi quis tamẽ futurus eſt, fructum, ea intentio eſt ita me velle dicere, vti ab alio, ſi eadem ſcriberet, mihi referre voluerim. Talis namque animo meo voluntas adiacet, vt ſit magis ſuboſcurorum appetens; rudium verò & impolitè dictorum fugitans. Ea quippe quæ meum exercere queant animum pluris appretior, quàm ea quæ captu facilia, nihil memorabile auido ſemper nouitatis largiuntur ingenio. Ego planè cum plura ſcripſerim & ſcriptitem, ita omnes extruſi ab animo, vt mihi ſoli profutura putem; nulli alii placitura curem. Opinionibus itaque omnium ſuperſedi: ideoque mei ſecurus aut negligens, præſtolor me quorumlibet verborum verbere cædi. Proſequamur igitur cœpta, æquanimiterquè toleremus hominum nos dilatrare iudicia.

I. Quæ facta ſunt in Antiochena obſidione, nemini relatu poſſibilia exiſtimamus: quia inter eos qui ibidem interfuerunt, nullus profectò potuit repperiri, qui cuncta, quæ circa eandem vrbem agi potuerunt, valuiſſet peruidere; & ita ad integrum comprehendere, ſicut ſe habet ordo geſtæ rei. At quoniam ea quæ paſſi ſunt in penuriis, bellorumque diuerſorum caſibus, ſummatim perſtricta ſunt, amodo videtur idoneum, vt ad quem finem obſidendo deuenerint, quemque fructum tanti laboris habuerint, vtcumque carpamus. His diebus, nocte quadam rutilum in modum ignis ſuper exercitum noſtrorum emicuit; & ſpeciẽ, haud ambiguâ formâ, pariter exhibuit crucis. Quod, quique illic ſapientium, incendium, ad bella retulêre futura: vbi tamen eſſet, quod crux videretur innuere, certa ſalus & ſucceſſura victoria.

II. Quidam de primoribus, qui vrbi præſidebant, Turcis, vocabatur *Pirrus*: qui familiaritatem *Boemundi*, quo neſcio pacto, nactus, cœpit intercurrentibus nunciis crebrius eius viſitare colloquium; & mutuò ſuper his quæ & hinc & inde gerebantur communicabant ſæpius ambo conſilium. Interea ſoliditati amoris, per aſſiduitatem colloquii, gliſcẽte fiduciâ; paulatim Boemundus ſuggerere ei aggreditur, quatenus Chriſtianæ ditioni ſubiiceret vrbem, cui dominari ei plurimâ ex parte conſtabat, ſuadens etiam vt Chriſtianiſmum ſuſciperet: ſpondens nihilominus, ſi hæc duo fieri adquieſceret, quod multum ipſi quæſtum, cum potiori honore quàm ibi hactenus obtinuerat, impenderet. His promiſſionibus ille non ſemel, ſed multotiens ſibi ingeſtis, tandem lenocinante emolumento, conſenſit; eique huiuſmodi mandata direxit: *Trium*, inquit, *turrium cuſtodiæ præſum: ipſas tuo tradam dominio; quâq; horâ tibi collibuerit & oportunum fuerit, te in ipſas, vel quos volueris, gratanter admittam.* Hæc ſpes quam maxime attollere cœperat Boemundum, & dum ſecurius præſtolatur ciuitatis introitum, conceptam mente lætitiam vultu præferebat eximio. Verens igitur, ne cùm ille proderet ciuitatem, aliquis noſtrorum ſibi Principum totius principatum ciuitatis eriperet, callidè exercitus ſeniores adoritur.

III. *Non latet*, ait, *vos, ô excellentiſſimi Comites, quas inedias, quos algores, quamq; truces excubias, hanc vrbem obſidendo tulerimus: cunctiſque perſonis magnorum, minorum, atque mediocrum incumbere æqualiter dinoſcitur ferale faſtidium, nullumque patere remedium. Conſilio itaque apud vos habito, quæſo perpendite, an huius vrbis dominium vnicuilibet noſtrûm obtinere ſinatis, ſi alicui contingat iſtius proditionem fieri ciuitatis. Mihi autem videtur non incongruum, vt ſi ſeu vi, ſeu clam, ſeu præcariò quiſquam eius obtinebit ingreſſum, illi procul dubio ab omnibus concedi vrbis debere dominium.* Ad hæc Principum ſententia longè diuerſa extitit; & eius opinioni ſeuerâ fronte reſtitit, dicens: *non ſatis eſſe conueniens, vt vbi par labor atque metus, non ſine prætii maieſtate petita ſunt, & vbi periculum æquâ omnibus lance pependerit, ibi vnicuilibet, tot tantorumq; dolore quæſitus, debeat magiſtratus attribui. Quis enim non iuſtum eſſe cenſeat, vt in quo vniuerſorum certamen exæſtuat, illic generalis omnibus requies & pars, poſt victoriam iure perueniat?* His Boemundus ægrè ſuſceptis, & graui audita trutinans animo, abſceſſit. Nec mora, peruenit ad Principes, quod ab hoſtibus eorum innumerabilis Barbararum nationum, ad ſubueniendum Antiochiæ, conflaretur exercitus: & mutato repente

quiſque animo, ad alterutros, coacto concilio, fabulantur: *Si*, inquiunt, *Boemundus qualibet techna occupauerit ciuitatem, nos ſibi redditam eum patienter habere feramus: ea ſibi conditione indita, vt ſi Imperator, quod pollicitus eſt præſtiterit auxilium nobis; & ea quæ pariter ſpopondit ac iurauit congruâ largitione proſequitur, ciuitas ipſa, nobis tradentibus, iuri Imperatoris cedat; ſi verò fefellerit, in partes Boemundi, ſicuti ipſe expetit, tota concedat.* Quo cognito vir ipſe clariſſimus, iam preces ad *Pirrum* quotidie, ſecurus ingeminat; & multâ huiuſmodi promiſſorum adulatione circumuenit: *Ecce optime*, inquit, *Pirre, vides, ad hæc nobis efficienda quid opportunitatis arrideat: ne ergo, quæſo, differas; ne, quidquid communiter vtile molimur, ſi per aliquem, quod abſit, detegatur, amittas.* Pirrus, Boemundi legationi congratulans, operem ſuam non ſe dilaturum vllo modo, renuntiat. Et, ne virum illuſtrem redderet diuturna effectus mora ſuſpenſum, *Pyrrus* idem proprium filium latenter Boemundo dirigit, & de vrbis deditione vt fidenter ſperaret admonuit: *In craſtinum*, ait, *cum primo diluxerit, vniuerſam Franciæ militiæ manum tubis inſonantibus, in vnum coge; & quaſi deprædaturos Sarracenorum terras, vt aſſolent, longiuſculè à caſtris progredi iube; continuò tamen dextrorſum per montana reuertere. Ego verò intra ciuitatem, tuum præſtolabor aduentum, tuos abſque dubio quos immittere libuerit, in eas, quæ meo iuri parere videntur, turres vtique recepturus.* Ad hæc *Boemundus*, quæ audierat non ſegniter exequi properat; & accito quodam cliente ſuo ei præcipit, vt, quaſi præconis functus officio, Francorum caſtra circumeat: quibuſque denuntians, quatenus ſumma ſe cuncti diligentia præpararent, ac ſi in terram Sarracenorum procedere debeant. Nec mora, Principis Imperio famuli ſagacitas inretractabiliter obſecundat; nec Francorum expeditio obtemperare detrectat. Quid apud ſe lætæ ſpei concipiat Boemundus. Duci Godefrido, Flandrienſium Comiti, itidemque & illi de Sancto Egidio, necnon & Podienſi Epiſcopo denunciat: iamque tutior ex ſponſionibus Pirri, fatetur ſibi Antiochiam eâ nocte tradi. Ea igitur exercitu, qua diximus, ordinatione diſpoſito: militares equidem viri, per campeſtria obambulare iubentur; peditum frequentia, per montana proceſſit. Totâ itaque nocte proprium iter expediunt, & antequam pareret auroræ crepuſculum, pro turribus, quas ille fœlix proditor peruigil excubans obſeruabat, adſiſtunt. Ibi *Boemundus* de equo deſiliit, & Francis inſolita iam auctoritate intonuit, dicens: *Procedite, & ab ea, quam dudum paſſi eſtis inquietudine, reſpirate: præerectam vobis ſcalam conſcendite; & ne diu vos morer, diu exoptatam vobis Antiochiam capite: quia quæ pridem Turcis ſubiacuit, veſtræ in proximo, ſi DEVS annuerit, cedet cuſtodiæ.* Ad ſcalam Franci perueniunt, quæ mœnibus ciuitatis innixa, & ad eadem fortiter illigata, ſexaginta illico hominibus aſcenſum præbuit, quibus intra turres exceptis, earum ipſis homo cuſtodias delegauit. At ipſe *Pyrrus*, attendens quòd adeo pauci ex Francis aſcenderent, non tam noſtris, vt poſt modum claruit, quàm ſibi timidus, verens ne ad ſui ipſius perniciem cœptæ proditionis trepidaret euentus, ſeueriſſimè ad præſentes Græcâ linguâ infremuit: *Parum*, inquit, *Francos habemus.* Hiſque dictis Boemundum vehementer inclamitat: negotium nimirum accelerans quod gerebatur, ne ciuibus, antequam Franci conueniant innoteſcat. At Longobardus quidam ex famulis, Pyrrum intelligens de Boemundi abſentia conqueri, quam celeriter ad virum qui petebatur properat: *Quid*, inquit, *adeo ſtupidè agis? Quid cum tanto languore, tam ardua cœpta proſequeris? Ecce iam nos trium turrium cuſtodias obtinemus: & tu, huius rei euentus adhuc dubios, quaſi contemplaris eminus? Expergiſcere, manus admoue, mediæ teipſum actioni interſere.* Ocior ille feſtinat cum ſuis ad ſcalam, & tam proditoris boni, quàm eorum qui aſcenderant, erigit intentionem. Confeſtim, qui ſubierant illas Pyrri turres, attendentes Francos vndecumque confluere, proprium cœperunt cum multo inclamare iubilo ſignum: *DEVS ID ID VVLT, DEVS ID VVLT, DEVS ID VVLT.* Idem autem magnis acclamant vocibus, qui aſcenſuri pro mœnibus ſtabant. Præuenire tunc alter alterum in ſubeundo ſcalam infinitâ cõtentione certabat; & quiſque ſubuectus, vti prius poterat, turres & alias occupabat. Quicunque his obuius extitiſſet

extitisset, tradebatur neci: inter quos etiam occiditur frater Pyrri. Interea scala disrumpitur; & tota nostrorum multitudo subteriacens, & quæ præcesserat, graui animorum ægritudine sauciatur, dum superiores, differri sibi verentur auxilium; & infra positi, his qui ascenderant timent detrectare suffragium. Sed industria repperit citò locum. Porta namque ibidem clausa atque contigua, à sinistra parte latebat: nocte nimirum præpediente repperiri non poterat, quæ etiam interdiu, loco infrequenti constituta, minus patebat. Palpando tamen, vrgente curâ, sentitur, ab omnibus; statim ad eam curritur, fractis repagulis serisque panditur, Francis irruentibus peruia efficitur. Audires horribili vniuersam ciuitatem frangore confundi; & dum isti de tanti laboris fine coniubilant, illi insperatâ omninò sui omnium subuersione collacrimant: nichil pensi, nichil moderati vsquam, penes victores victosque constabat. Illicò *Boemundus*, vt intentam sibi redderet vrbem; illud Turcis omninò notabile cognitumque vexillum, coram prospectu castelli, quod adhuc captioni restiterat, (suum vtique) iubet in cuiusdam montis supremitate præstitui. Erat in vrbe peruasa, eiulatuum enormis immensitas; & dum per omnia fugitantium fit angiporta occursus, incitantium victorum ad cædem, feralis ferebatur ac truculenta vocalitas: & dum recordantur quas pertulerant in eorum obsidione miserias, quas ipsis mortibus acerbiores inedias; omnis quas inferre potuerint, insufficientes arbitrantur eorum reatui pœnas. Puniebatur Armeniorum Syrorumque, Paganorum cohortibus omni meritò exæquata perfidia: quia, quos ad suam ipsorum internecionem, Turcorum adminiculo haud segniter inuigilasse compererant, tandem à supplicii pensione disparare nolebant. Et certè tamen fateor, quia ipsorum innumeris pepercissent, si inter Ethnicos, ac nostræ fidei homines; aliquam habere discrepantiam scissent. In tanta planè confusione temporis atque negotii: nox quippe fuerat; & populandæ cunctos ciuitatis auiditas, & morarum impatientia perturbarat: nichil forsitam vestium qualitates discernere, nichil barbarum incrementa permiserant. Nostris autem, in assiduo positis procinctu, fatiscentium genarum maciem horribilis primum situs ambierat; & Francico more, incuria diutinæ peregrinationis, omisso, barbulam quisque rasitare distulerat. Quod Podiensis Episcopus attendens; & ne in mutuas ruerent cædes, si quando vspiam præliari eos contingeret, pro barbarum similitudine Turcos alterutrum se putantes, verens: & crebrò eos radi, & Cruces argenteas, vel cuiuslibet materiei alias, cuiusque collo præcepit appendi, ne alter ab altero quasi alienigena possit intercipi. At hii, qui in tentoriis resederant, dum mane ciuitatenses audiunt vehemētissimâ tumultuatione moueri, è papilionibus prodeunt. Boemundi vexillum ante mœnia castelli, nondum capti, celso in monte conspexêre præfixum. Currunt properè, portasque ciuitatis irrumpunt. Turcos Sarracenosque quos repperêre percutiunt: illis tamen à cæde saluatis qui subintrauêre castellum. Turcorum verò aliqui, Francos intelligentes ciuitate potitos, per alias vrbis portas elapsi sunt. Intra vrbem autem sexuum diuersitas indiscretè perimitur; exiguæ spes ætatis exciditur: & dum Senio effœto non parcitur, ambigi non potest quantâ ferocitate iuuentus bellis apta conciditur. Interea Cassianus qui Antiochenæ præsederat vrbi; dum Francorum metuit manus incurrere, fugæ subsidio vitam sibi lucrari desiderans, cum plurimis comitibus, haud procul ab Antiochia in Tancredi confinia deuenit. Sanè dum fugere præproperant, equos suos omnimodis defectos reddiderant; iamque nequaquam progressius ire valentes, in domicilium quoddam diuerterant montanorum: itaque habitatores, *Armenii* videlicet atque *Syri*, vbi suum immanissimum hostem paupere delituisse tugurio, fortunâ eum iam aduersante, cognoscunt, comprehensum, capite truncant; succisamque ceruicem ad *Boemundi* præsentiam deportant: vt exinde penes eum, pro insoliti oblatione muneris, libertatis gratiam obtineant. Cuius balteo vaginaque cultelli sublatis, sexaginta Bizanteorum precio vendenda taxarunt. Gesta sunt hæc *Nonas Iunii*, cùm quinta haberetur feria. Cerneres ciuitatem cædibus explicitis, intolerandis exundare fœtoribus; fora, plateas, atria, vestibulaque ædium, quæ pridem, multâ æquoris gratitudine, marmoreæ, crustulæ distinxerant, teterrimo iam vniformiter cruore sordebant; infinitorumque cadauerum passim

decumbente congerie, truculenta spectacula, aurarumque corruptarum feralitas, oculorum ac narium miserabiliter sensus infecerant. Sternebantur vicorum angustiæ corporum strage putentium; & dum nec efferendi tot funera facultas aliqua subiacet, nec tutum à fœtoribus diuerticulum vsquam patet, assiduitas visionis ac spiritus, prę sensibus constitutum decutiebat horrorem. Vnde iam per ipsa cadauera, quibus stratæ erant semitæ, nemo, *vsu præbente audaciam*, verebatur incedere.

VIII. Igitur *Curbaran* quidam dictus, Regis Persarum, quem veteri *Sogdianum* nomine, vt Romani *Cæsares* vocare solent, Maior domus, vel potius militiæ Princeps cùm adhuc infra regnum Persidis, in illa quam *Corozaniam* vocant prouincia moraretur: (dicunt autem quidam terram circa Caucasum *Corozaniam*, corrupto à rudibus nomine, appellari) à præfato *Cassiano*, Antiochenæ vrbis Principe, crebris compellabatur nunciis, quo sibi sub tanta obsidionis angustia posito concurreret: pollicens, quia si Francos auerteret, aut vrbem liberatam ipsius dominio contraderet; aut subuentionis laborem maximâ impensione munerum exæquaret. Cumque admodum grandem iam idem militiæ Princeps, huius spe pollicitationis illectus, conflasset exercitum; & à summo sui erroris Pontifice, (habent enim & Papam suum, ad instar nostri) licentiam Christianos perimendi poposcisset, ac accepisset; ad eruendam Antiochiam properare, infinito agmine succenturiatus intendit: Iherosolimorum præfectus (quos barbaricâ illi linguâ *Admirauisos* vocant) plurimo confestim exercitu, ipsius aduentantis copias auxit. Itidem Damascenum regem, cum expeditione non minima, suis contraxit auxiliis. Gentes autem illæ, quas profanus euocauerat Princeps, præter Turcos, Sarracenos, Arabes, ac Persas, cogniti videlicet apud historiographos nominis homines, nouitiis cēsebantur vocabulis, *Publicani* scilicet, *Curti*, *Azimitæ*, & *Agulani*, cum aliis innumerabilibus nequaquam gentibus, sed portentis. Eorum siquidem quos *Agulanos* appellant tria numero millia extitisse feruntur: qui neque gladios, neque lanceas, aut sagittas, nulla penitus arma formidant, quia omni ex parte cùm ipsi, tū equi eorum ferro adoperiuntur. Hi nihil armorum prorsus in bellis præter enses vsui habent. Curbaran igitur cum tanto gentium fastu ad Francos ab Antiochia diuertendos contendebat. Cumque iam fieret vrbi contiguus, ecce Cassiani defuncti filius, *Sensadolus* vocabulo, obuius eidē Principi affuit, & cū multa ad eū mœstitudine dixit: *Cū magna tuæ fortitudinis habeatur celebritas, & tuarum victoriarum vbique gentium incomparabilis procedat opinio, de tuis, vt spero, præsidiis neutiquam, vir inuictissime, mihi desperare licebit. Dum enim tua nemini videam non valere suffragia, tuaq́ passim constet ob facinorum claritatem reuerenda potentia, non mihi pudori est coram te me deplorare infortunia: cùm certum teneam, ea quæ exorauero in cassum nullo modo prorsus itura: Meminit gloria tua quot à patre Cassiano, dum in Antiochia obsideretur, legationes habueris; & quod, dum ei subuenire deliberas, captam à Francis vrbem audieris· nunc interempto parente intra præsidium eiusdem ciuitatis obsideor, eadem procul dubio mihi ipsi præstolans euentura, quæ patri cognouerim facta. Si Antiochiam peruaserunt, idemq́ plurimis Romaniæ ac Syriæ municipiis vrbibusq́ fecerunt, in dubium profectò est, quod & vobis & aliis nostræ hominibus gentis atque locis, identidem facere proposuerunt. Excellentia itaque tua, admotis contra tam rabidos ausus viribus, excitetur; & omnia occupare volentibus hominum pauperrimis, cœpta possibilitas abscidatur. Michi nempe in meis infortuniis, tuorum auxiliorum spes suprema restiterat.* Cui querimonias exaggeranti ille refert: *Si*, inquit, *vis vt his tuis instantibus periculis obstem, tuisq́ vtilitatibus attentius operam dem, oppidum quod defendis, & pro quo supplicas meæ ditioni contrade; & postquam meis castelli custodiam delegauero, tunc experieris quantum pro tuo exercear commodo.* Adhæc *Sensadolus. Si Francos*, ait, *michi prorsus interimas; michiq́ eorum desecta capita tradas, admittam te in oppidum; factoq́ tibi hominio, tui iuri idem seruabo castellū.* Cui Curbaran ait: *Non ita mecum acturus es; sed continuò castrū trades.* Quid plura? Prophani Principis vicit exactio, & se iuuenis à dominio castelli exponens, illum qui extorquebat, non diu inde gauisurum, induxit.

IX. Tertia postquam Antiochiam Franci inruperant, dies agebatur, cùm ecce, Turcorum præambuli ante vrbis mœnia cucurrerunt: reliqua verò exercitus frequentia ad Pharpharicū vixit tētoria pontem. Aggrediuntur ergo quamprimum turrim ponti contiguam, quâ magnis expugnatâ nisibus, omnes interimunt quos repperēre intrinsecus; nec cuiquam illorum vita indulta est,

est, præter soli eorum domino: quem tamen, exacto postmodum contra hos bello, nostri inuenerunt compeditum ferro. Postridie exercitus properauit ad vrbem; ac in medio duûm fluminum castrorum sibi loca legentes, duos ibidem egêre dies. Capto itaque castro, cuius præsidem in vincula coniectum prædiximus, *Curbaran* vnum de suis proceribus euocat, quem sagacem sibique fidum nouerat, eique imperat: *Vade, & hoc mihi oppidum, ea qua debes, & de te spero fidelitate defende.* Cui ille: *Imperio*, ait, *super hac re tuo difficulter obediam: id tamen eius rationis conditione perficiam, vt si Francis cesserit victoria, detur mihi victoribus castrum tradendi licentia.* Curbaran verò: *Eius*, ait, *consilii, constantiæq; te nouerim, vt quidquid tibi exinde agere libuerit, se-*
10 *curus assentiam.* Castri ergo illius munitione explicitâ, Princeps ille funestus ad sua regreditur castra: cui Turcorum suorum aliqui, raptis recens cuiusdam pauperis peditis armis, ad nostrorum ludibrium præ oculis ea ingesserunt; ensem scilicet, diutina rubigine scabrum; nigrum, ad instar fulginis, arcum, & lanceam impolitam, multorum annorum fumo infectam: eique garriendo dicunt: *Ecce arma, quibus nos Francorum expugnabit exercitus.* Et Curbaran arridens eis. *Hisne lucidis adeo ac fortibus armis, Orientem depopulabuntur? his viribus Caucasi extrema subdentur? easq; fortassis quas antiquitus obtinuêre terras Amazones, ac nostri quondam sibi vendicauêre parentes, poterunt adimere nobis Franci prorsus inermes?* Dixit; & accito confestim notario, ait: *Scribe quantocius eosdem apices per diuersa pitacia, quæ per prouincias*
20 *Persidis dirigantur, ad Papam videlicet nostrum, ad dominum etiam nostrum regẽ Persarum, ad præfectos quoq; & cõmilitones diuersarum regionũ. Quorũ hæc quidẽ habeatur sententia:*

DOMINO REGI MAGNIFICO PERSARUM, PAPAEQUE BEATISSIMO, & omnibus aduersus Christianos sanctam professis militiam: Curbaran suæ militiæ princeps, Salutem atque victoriam. Gratulor summæ diuinitati, patres ac Domini, quod tempora nobis gaudiis semper opportuna suppeditat; & victorias de hostibus gentium, vbique ministrat. Tria hæc vobis arma transmittimus, quæ quidem Francis tulimus, vt videatis quo munimine polleant, qui nos à patria exturbare desiderant. Sciri autem à vobis volo, quia Francos qui nobis omnibus minabantur exitium, intra ipsam quam cœperant Antiochiam obsessos teneo: castrum verò quod præminet vrbi altrinsecus, è regione obsessorum,
30 *possideo. Et cum mea adiaceat ad libitum voluntati aut conclusos trucidare, aut extremæ captiuitati addicere; vos interim dum redeam nulla volo nostri causa sollicitudine cruciari; sed scire indubitanter nos eorum omnino dominari. Solito ergo tutius vacate delitiis; lautiora; epularum obsonia celebrate; multiplicatis coniugum scortorumq; ginetiis, generi propagando insistite & succrescens filiorum numerus, Christiano, quod iam tum & nomini, valeat obuiare. Testor verumtamen summum, beatissimo Mathomo patrocinante, tonantem, quoniam non ante vestræ oculos maiestatis intuear, donec regiam vrbem, scilicet Antiochiam, appendicemq; Syrian, Græcos atque Epirotas, quos dicunt Bulgaros, meo sub iure coherceam; Apulos quoque & Calabros ad vestræ gloriæ incrementum meæ ditioni subiungam.* Valete. X.

At mater Curbaran ipsius, quæ in Aleph manebat ciuitate, per idem tempus XI.
40 accessit ad ipsum, eique mœsta suggessit: *Velim*, inquit, *nosse, si constent, vt dicitur, quæ de te celebrauit opinio?* Cui filius: *Quæ illa? Bellum*, inquit, *Francis te illaturum æstimant. Nihil*, inquit, *verius. Fili*, ait, *virorum optime, per ingenitos tibi liberalissimos mores, quæso, contestari te audeam, ne eis pugnam inferas, ne tuæ detrimentum laudis incurras. Cùm enim vsque in vlteriorem superioris Indiæ Oceanum armorum tuorum claritudo refulgeat, tuisq; præconiis respondeat vltima Tyle; quare pauperum hominum sanguinibus tuos obducere mucrones affectas, quos impetere inanis est pœna; & superasse, nulla sit gloria? Et cum reges valeas terrere remotos; quid tibi cordi est lacessere aduenas miseros? Personas eorum, fili, fateor, meritò contemptibiliter ducas; sed pro certo noueris, quia Christianæ religionis admodum præcellit auctoritas. Ideo precor, ne velis attemptare, quod te post modum cœpisse serò*
50 *doleas.* Hæc ille cùm audisset, lumine ad eam toruo respectans: *Quid*, inquit, *tibi aniles texere fabulas? Desipis, vt conicio; & in amentiam versa, sine intellectu verba prosequeris. Planè pluries vrbium domini mihi militant, quàm ipsi in tota sui exercitus vniuersitate homines exhibere præualeant: & tu, mente delira, æstimas, quia Christianæ præsumptiones, testimonia meæ virtutis obtexant? Fili*, ait, *amantissime, eorum de quibus loquimur hominum nomina flocci pendo; sed eorum auctorem CHRISTUM, omnimodis ne abhorrescas exoro. Nulla forsitan eis tecum pugnare potentia; sed DEI ipsorum est, si præstare velit, certa victoria: ipse suos, & si segnes & ignauos, pro sui solius gloria solet defendere;*

& eorum custodiæ, quorum pastorem se nouit, immò redemptorem, inuigilare. Putásne quòd is qui fidei suæ curuauit imperia; qui huc vsque contra nos dedit eis potiri victoriâ non possit etiam modò, vestra nisu perfacili amoliri molimina? Ipsi namque, ac si DEO à mortuis resurrecturo, à Patre dicitur: Surge, inquit, DEVS iudica terram; quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. Si igitur ipse terram iudicat, quosdam videlicet à massa perditorum discernit & segregat; alios verò reprobat: & non omnes gentes, sed in omnibus gentibus, partem de toto assumens, hæreditat. Audiat prouidentia tua, fili, quam seuerus eos punit, quos à sui notitia exsortes sinit. Ait Propheta Dauid: Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt. Vos Francos istos, non ideo quia aduenæ sunt, vosque gentiles contempnitis; non armorum obscuritatem, non vitæ mendicitatem abiicitis, sed in eis solum potius Christianum nomen horretis. Et certè is, qui in eis despicitur, pro eis, cum necesse extiterit, effusa ira præliabitur. Si his prophetico ore promittitur, quod à solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini habeatur: dum non super Iudæos sed super omnes gentes excelsus prædicatur: & DEI ipsius ore, quæ plebs sua non fuerat, iam plebs sua; & quæ non dilecta, dilecta vocatur: dum quæ extiterat in Iudæis, in nationes adoptionis gratiâ transfertur, & in reliquiis DEI vultus eorum Iudæorum vtique præparatur, quis non demens filios DEI impugnare molitur? Prænuncio tibi planè, quia si eos bello aggrederis, ingens tibi incommodum infamiamque parabis; certa militiæ tuæ dampna subibis; ipsos etiam spoliorum tuorum sublatione ditabis; tu quoque turpi fugâ excedendo laberis. Non te hoc siquidem in prælio, manet interitus: sed certum tamen habe, quia tibi vitâ comite præsens nequaquam transiet annus. DEVS enim ipsorum, perpetratum non illico scelus vlciscitur; sed vsque dum ipsum permaturuerit crimen, criminosi aliquotiens pœna differtur. Ideoque vereor, fili, ne tuæ, quod absit, truculentia mortis accrescat, dum protelatur.

Psal. 81, 8.
Psal. 78, 6.
Psal. 112, 3.
Rom. 9, 25.

XII. Ad hæc Curbaran, ex materni miraculo sermonis redditur hebes; & de propinquæ nomine mortis, exsanguis & tabidus, infit: Et tu, horũ velim scire, quomodo sis consecuta notitiam: gentem videlicet Christianam vires huiusmodi contra nos exerturam; nosque in hoc ipso quod imminet prælio deuicturã; nostra eos spolia direpturos, & quod præsenti anno mortis repentinæ incidam laqueos. Fili, ait, centum prope annorum tempora decursa noscuntur, ex quo in abditis quibusdam sectæ Gentilis voluminibus repertum constat, quòd populus Christianus, bellum nobis inlaturus insurgat, nosque ad plenum subigat; & quò nunc dominium exercemus, ibi sibi prorsus regna constituat, Gentilitasque fidelibus subdita fiat. Sed in hoc scientia nostra fuscatur, quia nescimus, vtrum modò, an in longa tempora compleatur. Ego etiam Astronomicam disciplinam diligentiori intentione disquirens, innumerarumque sortium coniecturas attendens, æquâ omnium collatione edidici, quia à Christianis hominibus nos esset omninò necesse deuinci. Ideoque præcordialiter tibi indoleo: quia indubium mihi constat, quod ex te iam propemodum orbata remaneo. Mater, inquit, velim mihi disseras aliqua, de quibus hæsito. Consule, ait, ne dubites: namque quæ sciero, præsto habes. Boemundus, & Tancredus Dii habeantur, an homines, quæso, inquit, mater edoceas: & si ipsi Francos in præliis victores efficiant, precor, edicas. Fili, Boemundus & Tancredus, communi vti & nos mortalitati obnoxii sunt: sed quia pro fide sua agunt, gloriam clari nominis, DEO eis cooperante, meruerunt. Dominum autem Patrem profitentur, cuius Filium pro se humanatum itidem venerantur; qui tamen idem esse in Spiritus sancti vnitate creduntur. Quoniam, inquit, non Deos, mater, sed puros homines nostrique simillimos attestaris, nil aliud proculdubio restat, nisi vt facto prælio comparemur collatis viribus illis.

XIII. Igitur mater intelligens filium ad bella cum Francis agenda procliuem, & suis nolle consiliis animos adhibere, collectis quæ circa se repperiri poterant copiis, ad memoratam superius vrbem Haleph, de filio suo nimiùm suspecta, concessit. Tertiâ posthac die Curbaran arma sumit; & Turcorum plurima cum eo frequentia ciuitatẽ adeunt, ex ea parte, quà illud, quod nuper cœperant, captumque sibi communierant, erat castrũ. Nostri autẽ se æstimantes eisdem posse resistere, aciem aduersus illos instaurãt. Sed tanta eorum copia extitit, vt nostris obsistendi virtus aut audacia nulla foret. Coacti igitur regrediuntur in vrbẽ: quibus agmine glomerato fugaciter portam intrantibus, adeò fuit angustus introitus, vt pluribus accideret lętalis, ex mutua compressione, defectus. Quinta erat tunc feria: & quidem extra vrbis præliabantur portam; aliquos intrinsecus aduersus oppidanos confligentes, totum constitit in præliis continuasse, donec vesperasceret, diem.

XIV. Sed quia Christus, qui quondam, etiam nunc quos elegerat nouit: ea nocte quidam qui, vt ita dicam, de eorum genere nõ erant, per quos salus in Israel

in Iſraël veniret, dum ſe Turcorum exercitu ambiri, dum *Bella diurna vident, vix no-* " *ctis limite claudi, Intremuêre, timor penetrauit pectora caſſus,* " *Atque ſub obtutu mors ſola pauentibus adſtat. Funditus ante viros ſua vita pependit inertes:* " *Non niſi iam Turcos trepida ſub mente tuentur:* " *Hoſtili reputant iam ſe mucrone feriri.* " *Quiſque ſuis ibi ſubſidium deſperat ab armis.* " *Cogitat ergo fugam: qui contempsêre DEI ſpem,* " *Turpiter obſcœnas profugi ſubiêre cloacas.* " *Dignus eis fuit exitus, qui tale verêdis Exemplum dedit agminibus. Reptando fugaces* " *Ad mare perueniunt: manuumq́ pedumq́ reuulſas* " *Amisêre cutes: exeſis carnibus oſſa,* " *Abradunt cautes: Pauli Doctoris ad inſtar,* " *Cui fuga per murum dederat vitare Damaſcum. Hii ſibi concinnas inſigniuêre latrinas.* Fuêre autē, qui receſſerant, XV.
10 *Guilelmus* quidam ex Normannia, nobiliter omninò progenitus, cum *Alberico* fratre qui à primæuo ſcholis datus clericum fecerat, & poſtmodum à clero apoſtaticè ac turpiter, militiæ amore, deſciuerat. Municipium quoque eorum, ex quo agnominabantur, exprimerem, niſi generis eorum amicâ mihi contiguitate deuictus, pudori ipſorum parcere definiſſem. *Guido* etiam quidam, qui *Troſſellus* cognominabatur, qui trans Sequanā oppidorum dominio potētiaq; clariſſimus; genere verò Fräciæ vniuerſæ conſpicuus habebatur, fugæ illius inſignia vexit. Extitêre & alii huius ſanctæ militiæ deſertores: qui cum in patriā repedaſſent probro & execrationi habiti, vbiq; conclamabantur infames: quorum quidē aliquos ignoramus; quibuſdā verò, quorum in promptu notitia eſt, derogare noluimus. Ad portum itaque XVI.
20 qui dicitur *Sancti Simeonis* deueniunt, naues nautaſq; repperiunt; nauitis inquiunt: *Quid hîc vobis præſtolari infelices? Illos omnes quibus victualia conuehere ſolebatis, morti noueritis deſtinatos: vrbem enim ipſoſq́ intra vrbem, Turcorum obſedit exercitus; & nos propria corpora ab eorum pernitie vix nuda excerpſimus.* Qui triſtis nuntii iaculo terebrati, poſtquam apud ſe diutius ſtupentes hæſerunt, ſalutem ad vltimum in fuga ponētes, conſcenſis ratibus petierunt æquoris alta. Nec mora, illis volumina marina ſulcantibus, Turci adſunt; quos ibidem inuenêre perimunt; naues quas in ipſo ſali vado repperêre, cōburunt; exuuias illorū quos enecuêre dirippiunt. Porrò poſtquam illi degeneres, & ſuperni iuuaminis refugæ, per obſcœniſſima, vt ferunt, loca receſſerunt: reſidui qui perſeuerare delegerunt, iā tolerare hoſtilia ſine vllo interſtitio ar-
30 ma nequibant. Murū ergo inter ſe hoſteſq; conſtruunt, quem, cōtinuatis excubiis, nocte dieq; cuſtodiunt. Ibi noſtrorum oppreſſio adeò miſerāda ſuboritur, vt ad infames cibos, equorum aſinorumq; carnes, compellerentur. Interea die qua- XVII.
dā, Principibus exercitus ante caſtrū quod intra vrbē obſidebatur poſitis, & pro omnimoda quam patiebantur miſeria animo atrociſſimè conſternatis, ecce quidam presbiter adſiſtit corā eis, & ait: *Patroni & Seniores, viſionem excellētiæ veſtræ refero, quæ cōſolationi veſtræ, ſi ei credideritis, proderit, vt ſpero. Cū in eccleſia beatæ DEI genitricis quadā nocte dormirē, Dominus IESVS CHRISTVS, cū ipſa matre piiſsima, & beato Apoſtolorum principe Petro, michi apparuit, & adſiſtens,* dixit: *Sciſne qui ſum? Minime, inquā.* Dixerat, *& ecce in ipſo capitis eius nimbo, vti ſolet, in picturis fieri, crucis ſpecies apparuit. Interrogatio-*
40 *ne ergo iteratâ ſaluatoris imago repetiit: Necdum noſti quem videas? Non aliàs Domine,* aio, *tuā reuiſo notitiā, niſi quia tuis modo cōſpicio ceruicibus imminere crucis effigiē, quod tuā ſpecialiter, quocumq́ pingitur, inſignire conſueuit imaginē. Haud,* inquit, *erras: Ipſe ego ſum. Cōfeſtim, non immemor eius quā patiebamur anguſtiæ, pedibus me illius aduolui; & deprecabar obnixè, quatinus cōmuni pro fide certantium calamitati ſuccurreret. Optimè,* inquit, *quæ toleraſtis attendi, amodo vobis opitulari non differam. Meo inſtinctu huius expeditionis vota ſumpſiſtis: Nicæam ciuitatē me expugnante cœpiſtis; multiplices ſub meo ducatu victorias habuiſtis; & cum vos huc vſque perduxerim, ærumnis quas in obſidendo vrbē Antiochiam paſſi eſtis indolui, quaq́ intra vrbē modo etiam toleratis. Sed cū vos tot beneficiis tātiſq́ triumphis extulerim, vrbiq́ victores induxerim, ſanos incolumeſq́ ſeruauerim; vos meo munere abuten-*
50 *tes, & cum Chriſtianis malè egiſtis, & cum paganis mulieribus fœdiſsimè cohæſiſtis; fœtorem nimii clamoris in cœlum emiſiſtis. Adhæc pietatis inuincibilis Virgo, & humani generis Maria ad DEVM ſemper interpres, & clauiger æthereus Antiochenorū ſpecialis epiſcopus Petrus, ad veſtigia miſericordiſsimi Domini prouoluuntur; deprecātur & rogant, vt populo laboranti ſuū impendat ſolatium. Vbi etiam ipſe mirabilis* Petrus per ſe intulit: *Meminit, Domine, maieſtas tua, quā pudendis domū meam in hac vrbe attaminarunt pagani ſordibus: redūdat ad tuæ diuinitatis iniuriā, quod tua ſacraria flagitiis cōpleuêre & cædibus. Cùm ergo eos tandē, miſeratus, expuleris, gaudiūq́ ſuper hac re cœlo intuleris; tu tā pii facti pœnitēs, eorū ſuperbiam*

regredi in statum pristinum aduersus temetipsum patieris? Motus ergo his dictis, Dominus michi dixit: Vade, & dic populo meo, vt ad me præcordialiter conuertatur, & ego me ad ipsos totis polliceor visceribus reuersurum; & intra quinque dies maximum vobis præbebo subsidium. Letanias itaque instituant: Istud Responsorium Ecclesiastici quique decantent: *Cogregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua: contere fortitudinē illorum, Domine, & disperge illos, vt cognoscant, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu DEVS noster. Disperge illos in virtute tua, & destrue eos protector noster Domine.* Quibus peroratis adiecit Presbiter: *Si de his quæ dicta sunt, aliqua vestris animis irrepit ambiguitas, ego in huius nomine veritatis, cuicunque volueritis me examini vel iudicio, seu ignis seu præcipitii, plena fide submittam; & si lædi me contigerit, læsioni meæ atrociorem quam potestis addite pœnam.* At vir vndecumque canonicus Podiensis Episcopus, Euangelia iubet, Crucemque deferri, quatinus verba eius fides adstrueret sacramenti.

XVIII. His peractis, extimplò Principes, communicato consilio, mutuo sibi sacramenta dederunt, quod scilicet, *neque mors, neque vita à cœpta eos defensione suffugere cogeret, quantacumque ipsos vrgeri necessitate contingeret.* Primò igitur *Boemundus*, secundò *Sancti Egidii* Comes, Hugo Magnus, *Rothbertus* Normannicus, Dux *Godefridus*, Comesque *Flandrensis*, pari se nunquam quod cœperant, deserturos, animositate iurarunt. At *Tancredus* ea conditione iurauit, quia *quandiū quadraginta militum suffragio niti posset*, non solum ex ea quam patiebātur tunc, obsidione sese nequaquam subduceret, sed nec ab Iherosolimorum itinere abduci, nisi obuia morte valeret. Quæ res audita minoribus, magnā in totius subiectæ multitudinis pectorib⁹ fortitudinē parturiuit.

XIX. Antequam quoque Antiochena ciuitas caperetur, cuidam de exercitu, *Petro* nomine, Beati Andreæ Apostoli species apparuit, dicens: *Quid tecum agitur?* Cui ille stupidus non ad interrogata respondit; sed, *quis esset*, quæsiuit. Ille *Andream Apostolum* se esse non tacuit. *Nouerisque*, ait, *fili, quia cum vrbem, DEO aperiente, Francorum virtus intrauerit, ad Beati Petri coapostoli mei ac fratris ecclesiam ibis, ibique tali in loco lanceam qua Saluatoris nostri IESV CHRISTI perforatum legitur latus, inuenire poteris.* Dixit, nec addens plura, recessit. Cuius visionis conscium neminem homo isdem facere tunc voluit; nec eam apud se tanti pendit, vt ludibriis somniorum, quibus penè indesinenter afficimur, maius in vllo æstimaret valere aliquid. Et tamen non sui, dum cū Apostolo loqueretur, penitùs immemor; ei intulerat: *Domine*, inquit, *si hoc quod à te præcipitur nostris edicerem, quod fidei indicium dubiis adhiberem, vnde ad credēdum cogi possent?* Ad hæc verba gloriosus Apostolus hominem corripuit; & ad beati fratris basilicam, in eum quo erat reposita lancea locum spiritaliter asportauit. Capta postmodū ciuitate, cùm DEI populus his, quas prælibauimus, subiiceretur exitiis, idem iterum memorabilis Apostolus, qui iustè omnimodis earum rerum procurator fieri cœperat, quas ad charissimi fratris ornatum domus pertinere cognouerat, homini illi Petro rursus apparuit: *Quare*, inquit, *distulisti manifestare quod iusseram? Cum videas tuos hinc inediarum periclitari incommodo; illinc, Turcis insistentibus, foueæ iam propemodum desperationis illabi, ea quæ me prænuntiante didiceras ipsis notificare debueras: cum proculdubio eos scire conueniat, quia quocunque lanceam eandem pertulerint, victoria sibi certa proueniat.* Quâ Apostoli ammonitione secundò habitâ, nostris cœpit verborum quę in visione audierat seriem prædicare. Populus autē hominis dicta reuerberās, mendacii simile quid putabant: vndique enim eos circumcingentibus malis, spem aliquā eius concipere rei nullatenus poterant. At ille pertinax, & ex Apostolici sermonis auctoritate solidior, asseuerabat sibi apparuisse Apostolum; & bis in visione dixisse: *Propera; & dicere quantocius militiæ Dominí periclitāti ne differas: quatinus timore recusso, DEO adiutorium pollicenti indubia fide cohæreat. citra enim quinque dierū spatium tale quid Dominus reuelabit, per quod multo gaudio sua pectora releuabit; & si prælium eis ingruerit, hoc sacro præeunte signo, omnis sibi hostilitas deuicta mox suberit.* Cœpêre interea ad dictorum illius credulitatem, sedulâ hominis illius suasione vocari; & vicariâ iam commonitione, spei qualiscumque respiratione iuuari: *Non ita*, inquiunt, *nobis est desipiendum, vt nos pro fidei defensione conclusos, DEVS tot hactenus victoriarum præstitor, de se sperantes, & ad se gemebundis animis inhiantes, Turcorum gladiis concidendos exponat: sed pro certo credi debet, quia post tristia tempora, lucem nobis suæ miserationis ostendat; timoremque suum super eas quæ se non exquisierunt gentes immittat.*

XX. Igitur qui tuebantur castrum Turci, tantâ circumfuderant nostros instantiâ, vt intra

intra quandam, quæ in prospectu Castelli erat arcem, tres eorum milites obstruse rint. Prodeuntes etenim è Castello Pagani tanto in nostros bachabantur incursu, vt penitus tolerare nequirent. Duo itaq; ex his quos incluserant militibus, vulnerati aufugiunt; tertius diem aduersus hostes, in sui defensione, continuat: adeo vt duos ex eis super muri deambulacra, sectis ipsorum hastilibus, occiderit: Ipsi etenim tres hastas Turci præ manibus concidendo minuerant. Erat autem militi illi nomen *Hugo*, & agnominabatur *Insanus*, de domesticis cuiusdam *Iosfredi*, qui de *Monte scabioso* præ nomen habebat. Memorabilis autem *Boemundus*, cum ad castrum expugnandum, vix aliquos suadere valeret: nam qui domi delitescebant, 10 panis aliqui penuriâ artabantur; alii gentilium rabie ac numero terrebantur: graui animaduersione citatus; ex ea ciuitatis iubet ignem parte supponi quâ situm fuerat nuper defuncti palatium Cassiani. Quod quiq; videntes, derelictis quę cremabantur omnibus, alii ab incendio confugiebant ad castrum; alii ad Comitis Sancti Egidii confluxêre portam; quidam ad Godefridum coiêre Ducem: quisq; ad eam cuius indigens putabatur gentem. Mox ad cœptæ destitutionis augmentum, vehementissimæ nimietas tempestatis incessit: ita vt fieret tanta valitudo ventorum, quo neminem pæne liceret incedere rectum. *Boemundus* interea dum conflagratione horribili abradi funditus conspicit vrbem, cœpit pro Ecclesia Beati Petri & Sanctæ Mariæ aliisq; Ecclesiis anxiè nimis æstuare. Ab hora tamen tertia vsque ad 20 noctis medium, flamma desæuiens, Ecclesiarum domorumque duo milia redegit in cinerem. Circa meditullium ergo noctis, piræ furentis conquieuit acerbitas. XXI.

Præterea Castellani atrocissimè vexabant nostros, qui versabantur in vrbe; assiduo ipsos molimine inediâ fatigatos, interdiu ac nocte pulsantes: nihilq; vtrorumque exercitus nisi lanceæ & gladii disparabant. Videntes itaq; nostri indesinenti se duellione teneri; nec sibi si omnis victualium copia suppeteret, aut edendi; aut bibendi oportunitatem vlla ex parte concedi: inter se & hostes, cemento ac lapide castrum ædificant, machinis frequentibus ambire festinant, vt vel de cætero aliquantisper securiores existant. Pars itaq; aliqua Turcorum commanebat in castro, quæ monentis propè singulis nostros consueuerat irritare bello; alia propter 30 Castellum, quodam hospitabatur in campo. Nocte ergo sequenti ignis species à plaga Occidentali de cœlo prolabitur, ac intra hostilia castra cadendo demittitur. Vtrisq; partibus spectabile plurimum præbuit casus iste miraculum. At vbi mane inclaruit, quo citius potuêre Turci à loco, in quo desederat cœlestis flamma, recedunt; & ante Boemundi, quam occupauerat portam, castra reponunt. Quod portentum, illud quod sibi imminebat patenter, si intellexissent, enuntiare videbatur exitum. Porrò oppidani, qui crebris nostro exercitui irruptionibus incumbebant, penè sine vllo temporis interstitio, intentis arcubus, nostrorum vulneribus aut necibus insistebant. Qui autem exteriùs ciuitatem vallauerant, & mœnibus adiacens territorium longè lateque contexerant, custodiâ adeo vigilanti vniuersæ in- 40 troitus vrbis obstruserant, vt nusquam exire vel ingredi, nisi noctu, & hoc clam omninò valerent. Cum tanto namq; numero idem hostes, luxuriâq; conuenerant, vt passim nihil aliud quàm homines ac tentoria viderentur, preciosa suppellex, variarum vestium claritates, armentorum ac pecuariorum ad victualia greges; ad hæc in similitudinem, vt ita dicam, templi, ornatæ vxores; tum præterea ad libidinis cumulum, pharetratæ, cum arcubus aduenêre virgines, vt veteris in eis Dianæ noua cerneretur species; vt non causa bellandi, sed potiùs sub obtentu putarentur conuenisse gestandi. Prælio planè maiori exacto, ab his, qui interfuêre asseritur, quòd etiam recens nati infantuli, quos in ipso procinctu expeditionis enixæ mulieres fuerant, dum pro vrgentium Francorum insecutione præproperant, seq; mo- 50 rarum ac oneris impatientes exoccupant, medio proiecti repperirentur in gramine, vti eos, dum sibi quàm illis plus metuunt, neglegenter effuderant. XXII. In hunc itaq;, quo diximus, modum, Turcis vndiq; nostros prodire vetantibus, & exteriori prorsus sibi necessariorum procuratione negatâ, famis per omnem penè exercitum successêre pericula; & atroci inediarum insolentiâ, pauperiorum quorumq; præcordia pulsabantur. Cùm enim Franci, Antiochiam obsidentes, vniuersam ciuibus contrahendarum escarum copiam ademissent, tanto in vrbe capta artiorem repperêre substantiam, quanto diligentiorem ne contra se muniretur à Turcis ipsi XXIII.

obsessores habuêre custodiam. Extenuatis deniq; quæ ad vsum pertinebant omnibus, panis exiguus vno Bizanteo emebatur. Annonę ergo raritas, & cõdimenti parcitas, cùm plurimam vbiq; peperisset angustiam, multis, prę inopia tumescentibus, extorsit animam. De vini potione tacendum, quod ab omnium generaliter ore perierat. Et planè malum biberet, cui nihil suppetebat vt ederet. Iam deficiente legitimi victus obsonio, equinæ carnis quisquam vix reuerebatur edulium; contristabatq; plurimos frequentibus quæsita macellis, & cariùs empta, paucitas asinorum. Pullus, quindecim solidis vendebatur; & duobus ouum, nuxq; denario. Vbi enim hominum frequentia; cibiq; totius penuria, necesse constitit cara ibidem haberi omnia. Ficorum, carduorum, atq; vitium frondes in pulmenta transierant: Iamq; 10 in arboribus fructus quæri cessauerat: Olerum vices, quorumlibet foliorum concoctæ diuersitates agebant. Equorum, camelorum, asinorum, boum, bubalorumque carnes, personarum opulentiorum deferebantur ad esum; sed siccæ eorundem tergora, in morem sæpiarum concisa, dum diuturno igne coquerentur elixa; accuratissimam pauperioribus, præbuêre coquinam.

XXIV. Legantur vbiq; gentium vrbes obsessæ, historiarumq; veterum vniuersitas retexatur, quosnam populos valebimus inuenire, qui à paterna regione exules; erga tantas indigẽtias pertinaces atq; duri, adeo potuerint perseueranter existere? Planè si Troiana decennio suo illustris obiiciatur obsidio, datas profectò vicariæ securitatis sæpenumero hinc indeq; profitemur inducias: in quibus & hebetatarum virium reficiebantur acumina; & 20 stipendiorum affluentia terræ ac pelagi cooperatione successit. Et si aliquos aliquãdo obsessos, aliqua vspiam inediæ contigit pertulisse discrimina, nimirum id tulerunt pro libertate tuenda: cùm *corporum & patriæ defensio præ omnibus omnino sit rebus habenda*. Hii nulla libidine plus habendi, immò sub obtentu pro DEO egendi, à naturali diducti sunt solo: hii vt diuinas ab Ecclesiis amolirentur iniurias, eas ciborum, accubituum, excubiarum, frigorum, pluuiarumq; sustinuêre miserias; indeficientisq; timoris angustias, quas à seculo nequaquam passas quis audierit vel legerit gentes vllas. Et quod maius dinoscitur præstare miraculum, cùm intra proprios adhuc tenerentur fines, vix in sui Regis exercitu tridui spacio patiebantur tentoria, etiam cum non excedere cogerentur à prouincia. Nullus, vt æstimo, eorum qui illi 30 subiacuêre periculo extitit, qui anxietates valeat animorum, corporumq; tormenta recolere. Hæc animaduersio, viginti sex diebus continuis perdurauit.

XXV. Eo tempore *Stephanus* Blesensis Comes, vir multæ quondam modestiæ, magnique consilii, quem vniuersus sibi exercitus delegerat præceptorem, acri se perhibens morbo detentum, antequam Antiochiæ nostris patuisset introitus, in quoddam concesserat oppidulum, quod constat *Alexandriolam* vocitatum. Capta verò vrbe, & rursus obsessa, cùm Comites Christianos intra vrbem diris calamitatibus comperisset vrgueri, necessitate nescio an voluntate, huc vsq; distulit auxilium ipsius præstolantes. Ipse verò, vbi edidicit Turcorum examina ciuitatis pro mœnibus consedisse, callidè ad montana processit, & quænam hostium copiæ haberentur attendit. 40 Cùm ergo papilionibus rura operta conspexisset innumeris, humana tactus cogitatione, recessit, dum æstimat quod in vrbe conclusis succurrere vis mortalium nulla possit. Vir namq; expers totius leuitatis, fugax ignauiæ, & amore præstantissimus veritatis, dum se nequaquam eis subuenire posse æstimat, & illos morituros, sicut circumstantia testabantur, non dubitat: si sibi interim prouideat, nihil infamia dignum se facere putat, dum se oportuniori tempori reseruat. Et certè multo meliorem eius fugam arbitror, quæ indecens factũ martirii repensione correxit, quàm eorum perseuerantiam, quorũ reditus se in totius spurcitiæ, & sceleris profunda deflexit: si tamen fuga dici debuit vbi certa, vt dicitur, ægritudo præteđi potuit. Quis Comitẽ *Stephanũ* & *Hugonem* magnũ, quibusdã eorũ, qui perseuerauêre, 50 ob hoc vtiq; quia redisse visi sunt, cõparabiles dixerit, quorũ tanta honestas semper extitit? finis ad huius rei, de qua criminantur, executionẽ adeo claruit, vt de his iam secura laus cantari possit; illorum verò vita, omniũ bonorũ pudor sit. Attendamus illos, qui de Ierosolymitana, quia ibi interfuerũt, captiuitate superbiũt; & videbimus quia in flagitiis, proditionib. periuriis, nemo eorũ alicui se patitur esse secundũ: horũ anteriora ac posteriora, redolere probãtur honestũ. Illi, *quia Ierusalem viderint & Sepulchrũ, putãt de cætero sibi securè criminib. insistẽdũ*; & sanctis ad sui cõparationem

nem hominibus improperant reditum; nec, sese per scelera infinita putentibus, eorum finē considerant prædicandū. Sed his omissis, cœptæ seriei intendamus articulum.

XXVI. Digrediens ergo ab *Alexandriola* municipio suo, comes isdem, ad eam vrbem quæ appellatur *Philomena* peruenit. Iam Imperatori tyrannico captam Antiochiam fuerat nuntiatum: quo ipse cum multis copiis accelarabat iter, æstimans se a Francis eam sine dubio recepturum. Comes itaq; cùm Principem cupidissimum obuiam habuisset; & ille de statu Christianæ militiæ ac ciuitatis proditæ eum requisisset, Comes vtique captam vrbem minimè reticuit, castrum verò Turcos adhuc retinere perhibuit. *Sed, prohdolor!* ait, *gaudium ciuitatis obtentæ, iterata turbauit obsidio: dum qui Turcos pridem obsederant, vice miserabiliter commutatâ; circumcinguntur à Turcis. Qualiter autem postquam inde recesserim se egerunt, incertum habeo.* Hæc quidem secretò Principi à Comite sunt suggesta. At Imperator hæc audiens, & ab spe cui innitebatur decidens, *Guydonem* Boemundi germanum, virum militari viuacitate conspicuum, quosdamq; alios euocat, remque multo deterius quàm comes ei dixerat manifestat. *Quid,* inquit, *facto opus esse decernitis? Franci atrocissimâ Turcorum obsidione premuntur; aut fortasse, iam eorum occubuêre mucronibus; seu etiam per diuersas sunt prouincias iugo æternæ captiuitatis addicti. Quia ergo deferendo eis præsidio nihil nobis potentiæ, aut opportunitatis arridet, præsertim cùm si progressius eamus, verendū nobis sit, ne nos Turcis occurrentibus pereamus, si vestræ prudentiæ videtur idoneum, reuertamur.* Hæc dicens, perfidissimus ipse, sine dubio iocundabatur, quia perisse audierat, quos non minori quàm Turcos inuidentiâ execrabatur.

XXVII. At *Guido* audito fratris Boemundi Francorumq; discrimine, tam ipse quam familiares ac necessarii eius vehementissimis eiulatibus complorantes, etiam aduersus ipsum Dominum; sumpta iam meritò, vt putabant, iurgandi audacia, conquerebantur, dicentes: *DEVS omnipotens iudicium cuius à recto numquam exorbitat, qui super sortem iustorum nullo modo peccatorum sceptra relinquis, cur populum, qui parentes, vxores, filios, honores eximios, solum naturale reliquerat, immò pro tui desiderio sese cotidianis crucibus mortiq; tradiderat, nefandorum hominum gladiis feriendum, absq; subsidio tuæ protectionis obieceris? Planè si verum fore constiterit, vt ita eos siueris profanis manibus internecionis exitio tradi, quem deinceps repperies tuis mandatis obtemperare volentem, cùm te ad tuos defendendum vniuersi amodo iudicare debeant impotentem? Sed esto. Pro te occidi volueris; gloriâ & honore eos coronaueris. Certè & si illis regna centuplicata contuleris, fidei tamen tuæ homines, & capitis commotionem opprobriumq; sempiternum in gentibus feceris. Vniuersum Christiani nominis orbem extremæ desperationis ac incredulitatis foueæ intrusisti, nequissimis verò hominum inrefragabilem contra tuos audaciam perpetuò contulisti. Non erit denique vlterius iam, qui magnum quid de te præsumat, cùm eos, qui cūctis mortalibus specialius tibi obsequi putabant, tam indigno subrui fine conspiciat. Dic ergo, piissime, qua te deinceps tui fronte vocabunt, cùm tui tales tuorum exitus expectabunt?* Has & alias in eis anxietatis & diræ quærimoniæ voces, ferocissimus dolor expresserat in tantum, vt in toto quē tyrannus ductabat exercitu, nulli penè Episcoporum, Abbatum, Clericorum, Laicorumq;, nimietate stuporis absorti, auderem per aliquos DEVM inuocare dies. *Guido* autem fratris vnanimitatem, tantiq; Principis magnanimitatem ad memoriam reducēs, replicatis miserabiliter optimis viri qualitatibus, mœrorē intimum multis vlulatibus personabat.

XXVIII. Præterea in reditu positus *Imperator*, dum, rupto Francorum obstaculo, Turcos liberiùs passim oberraturos iam iamq; formidat, his qui sibi militabant hominibus imperat: *Ite,* inquit, *& imperiali edicto totius regionis huius homines cogite; vniuersa Bulgariæ loca vastate: vt cùm Turci prouincias nostras depopulaturi discurrerint, nihil ad vsum pertinens istic valeant repperire.* Vellent itaq; nollent, hii qui nostris concurrere festinabant, Christiani videlicet, reuerti cum Imperatore coguntur. Et milites quidem præceptum properabant implere tyrannicum, pedites per angariam sequebantur exercitum; & dum celeritatem equitum assequi affectant, inextricabili sese infirmitatis impedimento præcipitant. Passim ergo tanti impatientes laboris deficiunt; & inter eundum innumeri eorum languoribus appræhensi occumbunt. In vrbem deniq; Constantinopolitanam repedante tyranno, quiq;, per Græcias, in sua vnde venerant remearunt. Hic itaq; huic libello finis accedat.

EXPLICIT LIBER QVINTVS.

INCIPIT LIBER SEXTVS.

CVM in Authenticis historiis Sanctorum Patrum, DEO auctore, patrata bella relegimus; & pro tantillorum hominum penè nulla fide, tanta euenisse perpendimus, (non quod beatissimos *Iosue*, *Dauid*, *Samuelem*, tantillos appellemus; sed quod excepto eorum merito, cæterorumq; quorum nunc vsque DEI Ecclesia prædicat claritatem,) plebis Iudaicæ despiciendam ducimus vanitatem infelicissimos hominum, pro solis DEO ventribus seruientes, nisi ratio obuiaret, placentiores DEO putare possemus, quàm istos, quorum tota spiritualis fuerat seruitus. Illis namq; à sola idololatria tutis, prosperè proueniebant omnia, crebræ victoriæ, multa copia: istis verò difficulter vincere, inter vincendū dampna frequentia, raræ opulentiæ, continuæ quidē, & tunc crudelissimæ egestates: cum hii non militarem, sed monachalē quantū ad parsimoniā sanctimoniamq; pertinet, vitā ducerent. Quod totum ratio gratissima nobis exponit, dum attendimus, quia *DEVS flagellat omnē filium quē diligit*; & quibus temporalia disciplinę rigore subducit, his spiritualia sempiternæ dulcedinis affectione disponit.

Ad Heb. 12. 6.

I. Igitur post verba *Petri* illius, cui beato Andrea interprete reuelationem Dominicæ Lāceæ diximus factā, multâ populus exultatione Christianus inualuit; & tanti quē præstolabatur euentus spectaculo de profundo desperationis emersit. Indice itaq; illo, ad locum, quem designauerat, ab omnibus curritur; & in Ecclesia Beati Petri secus altare Dominicū fieri fossa iubetur. Tredecim ergo hominibus, a luce prima in vesperum, haustam efferētibus terram, homo ipse inuenit Lanceam. Videntes autem auditæ visioni, omnimodis cōcinuisse rem gestam, magnā cuncti concepēre lætitiā; nec minorē lætitiâ, iam contra omnis hostis audaciam. Acceptā hoc modo Lanceā, cū ingenti extulēre gloria; & ab illa die, de bello agēdo cœpēre fidenter inire consilia. Deniq; dum primores Christiani agminis, coacto consilio, quid facto opus esset pari sensu euentilant, id antequam prælientur faciēdum censent: quatenus Turcos primum directa legatione conueniant, vt à Christianorum finium occupatione desistant; nec CHRISTI facere seruos extorres; aut mortibus addicere velint, sed se, suo contenti termino, sub propria regione contineant. Accito igitur illo *Petro*, huius operis initiis non incognito heremita; & adhibito illi quodam *Herluino*, vtriusq; linguæ perito interprete, pariter ambos ad prophanū Principem dirigunt, eisq; materiam sermonis imponunt. Qui cum ad Gentilis illius tabernaculum deuenissent; & admissi horrendo Diabolici hominis cōspectui adstitissent, huiusmodi serie perorarunt.

II. *Plurimum principum nostrorum animis miraculum intulisse noueritis, quod terram nomini antiquitus Christiano, solidâ libertate, possessam, adeo inreuerēter & improbè introire ac vsurpare cœperitis. Cùm enim indubiè sciueritis, ex nostrarū, quas audistis, assiduitate cōtra vos victoriarū, CHRISTI nullatenus desciuisse potentiam; vestramq́ aduersus ipsum experti sitis parū posse valentiam, nullo modo æstimant quod totiens bello pulsi, præliandi cōtra DEVM audeatis vlterius iterare dementiā. Vnde iam vnanimiter arbitramur; quod prudentia vestra non ob aliud hucusq́ conuenerit, nisi vt per Christianos, qui nobiscū versantur Pontifices, fidei nostræ dogmate imbui possit. Proculdubio namq́ scimus, quia nequaquam de vestra salute curatis, sed cōtra Catholicā credulitatem bella temptatis. Petimus ergo pariter vestræ consulentes inscientiæ, vt ab hac præsumptione cessetis, scientes quia Beatus Petrus Apostolus, DEO præbente, eam sibi arrogat, cuius primum minimè Antistitem se ignorat; & quam nostro, licet peccatorū, officio, restituere ad DEI cultū, qua illam imbuit, cogitat. A Principibus etiam vobis substantiam, quā detulistis, vniuersam referre, summa liberalitate, conceditur: nec si pacificè recedatis, aliquis nostrorum vobis læsionem quamlibet molietur.* At Curbaran dictorum Petri magnificentia præcordialiter læsus, iam Turcorum, qui assisterant, his auditis, immaniter ferociente superbia, ait.

III. *Terram, quam dicitis vestra ab antiquo Christianitati extitisse subiectam, nostram, nobisque omnimodo iure debitam probabimus: præsertim cum eam nationi, vix fœminas æquiperanti mirificâ virtute tulerimus. Porrò ingenti desipientiæ deputamus, quòd vos, venientes à finibus terræ supremis de nostris nos minamini, immò totā virium collatione conamini propulsare sedibus: cum vobis ad id explendum suppetant non opes, non arma, non numerus. Christianum verò nomen, non modo excipimus, sed abruptissimâ*

despectio-

despectione respuimus. Et, vt ea quæ intulistis breui clausula finiamus, vos qui legatione fungimini, ad vestros principes otius reuertimini; eisque dicite: quia si nostræ conditioni fieri desiderant consimiles, & CHRISTVM diffiteri, cui videntur acliues, nos non hanc eis tantùm prouinciam, sed & maioris opulentiæ & amplitudinis dabimus terram; hisque Castellis ac vrbibus gratuitò dilargitis, nullos ipsorum patiemur pedites, sed generaliter cunctos instituemus equites: & vbi ritus pariter indifferentes habebimus; de mutua pariter amicitia, & contiguitate gaudebimus. Quod si à proposita deliberauerint exorbitare sententia, incident, sine dubio, inuisæ citiùs mortis exitia, aut æternæ subibunt captiuitatis exilia, seruituri vtique tam nobis quàm posteritati nostræ per secula. Dixerat; ac celeriter 10 legatione reuersa, militiæ Christianæ Ducibus notificata sunt omnia. Exercitus itaque in arcto admodum constitutus, dum istinc crudeli vexaretur inediâ; Illinc, dirâ Gentilium, qui se prorsus ambierant, formidine roderetur: tandem ad diuina sese subsidia refundentes, ieiunia triduana *Podiensi* magnifico institutore concelebrant. Letanias supplices, ab ecclesia in Ecclesiam, explicant; confessione peccatorum sincera se mundant, & Episcopali vel sacerdotali cõsequenter absolutione promerita, Corporis ac Sanguinis Domini sacramẽto, plena fide cõmunicãt, eleemosinas, prout potest, quisq; largitur; sacrificia vbiq; diuina pro se offerri exorant. Deniq; sumptâ iam ex his securitate, de bello proponitur, ac intra ciuitatem sena illico acies ordinatur. In prima acie in his videlicet, qui primas vires ictusque 20 Turcorũ exciperent, extitit *Hugo*, iuxta sui nominis qualitatem verè Magnus, adiũcto manui eius vniuerso Francorũ agmine, & præter cætera *Flandrensi* comite. Audiui de hoc ipso Regio homine, quia, antequã de prælio ageretur, suus eidẽ dispensator, non paruo præcio pedẽ cameli emerat, hoc nempe magis eius esui cõpetens reperire potuerat. Quem dominicũ hominẽ victualium insolentiâ adeo extenuauerat, vt vix equitare sufficeret, & cùm suggereretur ei quatenus non ad bella procederet, sed vel cũ Castelli obsessoribus in vrbe maneret, *Absit*, inquit alacriter, *plane vadam; & vtinam cum morituris funera illic beata contingam.* Porrò in secunda acie, Dux eximius *Godefridus* cum suo locatur exercitu. Tertiã Northmãnorum Comes *Ratbertus* cum suo cuneo fecit. Quartæ, præfuit vir spectabilis *Podiensis Epi-* 30 *scopus*, ferens secũ Lanceam quæ recens inuenta fuerat Saluatoris. Hæc constitit ex suo ipsius, & Raimũdi Sancti Egidii Comitis, comitatu. Ipsius autẽ ad expugnandũ castrum, ne in ciuitatẽ oppidani desilirent, præsentia desedit in vrbe. In quinta acie fuit *Tancredus* cum suo agmine. In sexta, *Boemundus* cum sua postremus incessit militia. At Episcopi, Presbyteri, Clerici, ac monachi, Ecclesiasticis ornati induuiis, præmissis pariter processêre Crucibus, decertaturos votis studẽtes adiuuare flebilibus; & ipsi quoq; præstolantes, si suos cædi contingeret, martyrii munus. Quidam certaminis exitũ de mœniorum eminentia prospectabant, Dominicę Crucis signa præ manibus exhibentes, & exinde procedentẽ exercitum consignantes. Eo ergo quem præmisimus ordine, per eam, quæ erat ante eorũ fanum quod *Mathomariam* 40 nostri dicunt, portam, adeo pedetemptim lenteq; prodeunt, vt etiã cuilibet aniculę infirmanti, necesse nullatenus videretur temperatiorẽ habere gradum. DEVS omnipotens quantis illic animorũ rugitibus clamabaris, & fame diutinâ fatiscentibus quorumq; corpusculis, rapidissimus, ex timoris instantia, in tuas altissimè aures miserorũ cordium dolor ascenderat! Quantis anxietatibus mens, corpori tunc residua agebatur; & cùm cogeret imbecillitas desperare victoriam, sola DEVS in mentibus omnium, pia pro te sufferentia tractabatur. Mœrore præcordia quatiuntur, & exucatum longâ inediâ caput lachrimarum cõcutiebat ariditas: iam exterioris hominis deficiente materie, spiritualiũ desideriorum violentiæ concrepabant. Bone DEVS, quidnam rei, huiusmodi deuotionibus poteras denegare, quos tãtis æstibus 50 conspiciebas; immò faciebas ardere? Dum namq; considero in illis, à facie, militarem ferociam; ab intimis, Martyrii præponderare modestiam, reor & cẽseo à seculis, vllis exercitibus, parem in vtraq; parte non fuisse constantiam. Hos reuera dixerim tunc clamasse in cœlũ, hos sacris fateor insonuisse tubis, qui nõ virium robore, sed singulari exercebantur ausu mentis. Interea *Curbaran* conspicit exeuntes; & dum alterum alteri succedere lentis attendit egressibus, eorũ paucitate quam putabat inrisâ, *Sinite*, inquit, *egredientes progredi, vt magis valeant cum fugerint à regressu ciuitatis excludi.* At vbi vniuersus exercitus portas excessit, *Curbaran* intuitus Fran-

IV. V. VI. VII. VIII.

corum gentem ordine numeroq; pollentem, tum demum intremuit. Illicò suę Maiori domus, iam de fuga nutabundus, imperat, vt si à prima castrorum parte succendi cerneret ignem, emisso præconio statim edici faceret, per diffusum vbilibet hostem, Frãcorum cuneum captare Trophea victorem. Cœpit interim *Curbaran* sensim vestigia ferre retrorsum, ad montana contendens; nostriq; illorũ prosecutioni inrefragabiliter imminebant. Præterea Turci, superuacua calliditate, se diuidunt, parsq; eorũ circa plagam maris inambulat; pars Francos immobilis superueniẽtes expectat: tali nostros æstimantes ambitu concludi posse. Quod nostri attendentes, ausu quodam præsumptiuo, sese itidem, intensa in eos acie, à cæteris diuisêre: Sed hac sua insolentia, ipsi ea die sese solos nostro exercitui dampnum fecêre, dum vix, præter aliquos equites, peditum vlli viui euasêre. Huius temeritatis motor, cùm quibusdam aliis extitit quidam nostras, *Clarembaldus de Vendoilo* nomine: qui in his quidem celeberrimus; in illis prouinciis nihil gessit vtile. Interea septima acies, contra illos maritimos, ex duabus aciebus, Ducis scilicet G*odefridi*, & Comitis *Northmanniæ* sumpta, contexitur; & *Rainaldus* quidam Comes eidem præficitur. Ibi tota acrimonia, eo die, extitit præliorum: nostrorum enim plurimos sagittarum ictibus extinxerunt. A Pharphari autem, flumine scilicet, hostium equitatus vsq; ad montana porrigitur, quæ à se duûm milium spatio disparantur. Gentilium ergo phalanges parte ab vtraque prosiliunt; & Francorum cuneum, quos nostri Turcorum primis incursibus, quasi fortiores obiecerant, sagittis iaculisq; configunt. At qui præerat regiæ mentis *Hugo* magnificus, à paterna magnanimitate non degener, inter hostium iactus ad subiectos exclamat: *Patimini*, inquit, *& secundos ac tertios audacter præstolamini ictus: quia isti sunt recessuri dicto citius.* Et ecce, copiæ innumerabiles cœperunt de montanis emergere, quorum & equi & signa multo candore nitebant: nostris autem maximus ad eorum contuitum stupor increuit, verentibus vtiq; ne contrariæ venirent adminiculum ferre parti, donec comperiunt id fore, etiam visibiliter, sibi præstitum adiutorium CHRISTI. Quorum specialiter fuisse Duces opinati sunt gloriosos post militiam martyres, G*eorgium*, *Mercurium*, atq; *Demetrium*. Hæc à nostrorum plurimis visa; & cùm aliis quæ viderant retulissent, plena, vt par erat, fide sunt credita. Et si *Machabeis* olim pro circumcisione & carne porcina pugnantibus, euidens apparuisse legitur cœleste suffragiũ, quanto ampliùs his debuit, qui pro repurgio Ecclesiis adhibẽdo, & statu fidei propagando, fusi sanguinis CHRISTO detulêre seruitium? Primi ergo illi hostes, qui à maris parte constiterant, tanto nostræ gentis obstaculo sese repercuti non ferentes, focos herbæ subiiciunt, hoc videlicet fugam signo illis innuentes, qui dum prælium fieret, tentoria seruauerunt. At illi signo moti, præciosioribus quibusq; direptis, fugam ineunt. Franci verò, vbi potiores eorum vires agnouerant, ad eorũ scilicet tentoria contendebant. Porrò Dux G*odefridus*, Flandrensisq; Comes, *Hugo* deniq; magnus his, qui crepidini fluminis adequitabant, iunctis nisibus ingruebant. Hii planè tres cum suis, DEI filium pro se crucifixum præ oculis appendentes, vniuersæ eorũ frequentiæ fortiter immerguntur. Vbi verò & alia nostra agmina id viderunt, totâ in aduersas acies animositate se ingerunt. E regione, hostium etiã multitudo, rabie intoleranda conclamans, & ipsa concurrit. Est autem huiusmodi eorum mos in acie positorum, vt cannis æreis, quibus pro hastilibus vtuntur, & Cimbalorum tinnitibus, terrificisq; vocibus, infinitos fragores emittant, vt vix equi hominesq; à tanti sonitus terrore, subsistant. Sed nihil eorum tunc valuêre conatus: penitus eorum sunt exinanita molimina. Cœpto etenim nostri bello, primo hostes profligauêre conflictu, & ad eam, quam præmentibus dudum habuerant, fugam, celeri expediuntur effectu: quos tamen nostri, inremissa instantia, per castrorũ suorum medium prosecuntur. Nec spoliorum hinc inde iacentium cupidine raptabãtur, CHRISTI inimicorum solo pasci cruore malentes. Persequuntur illos itaq; ad pontem vsq; Pharphareum, & Tancredi vsq; castellum. Occupauerat ergo, illis recedentibus, campum spoliorũ gloria grandis: stabant ibi, ab hominibus quidẽ inania; auri autem & argenti ornamentorumq; quam plurium, non egena tentoria: Ouium, caprarum, boum fusa vbiq; pecuaria: equorum, mulorum, asinorũ copiosa subsidia: frumenti, vini, ac farinæ, collata sine discretione obsonia. At Syriæ, Armeniæq; coloni, qui in illis versabantur partibus, cõperientes Francis insperatã cessisse victoriam,

victoriam, obuios fugientibus Turcis se vbiq; præbentes, ad montana concurrunt; & quoscumq; cōprehendunt, interimunt. Nostri præterea redeuntes; & immenso cordis iubilo, incomprehēsibilia præconia rependētes suo cooperatori CHRISTO, cum triumphi cœlestis honore ciuitatē introeunt. Ille autem, qui vrbis prçerat prçsidio, videns militiæ principem, nostris insistentibus terga vertentē, omnino intremuit. Et perpendēs minus tutam amodò castelli fore sibi custodiam, signum cuiuspiam nostrorum Principum, postpositā dilatione, expostulat. *Comes Sancti Egidii* contiguus loco, vbi hæc petebantur existens, signū proprium petitori exporrigi celeriter mandat. Quo ille castrensis excepto, turri præfixit. At *Longobardi*, Boemundi fauore omnium æmuli aliorū, ipsius enim patrocinio nitebantur, Principi castri illius inclamitant. *Hoc signum*, inquiunt, *non est Boemundi*. At ille cuius esset rogitans, cum didicisset, quia Sācti Egidii Comitis, deposuit illud, comitiq; restituit. Petitoq; Boemundi & accepto, securitatem pariter accepit, vt de his, qui in oppido secum erant, si qui nostræ fidei iungi vellent, cum ipso Boemundo copiam remanendi haberent; sin alias, absq; vllo sui ipsorum incommodo recederent. Ad iura itaq; Boemundi concedente castello; & ex eius officio ad oppidi custodiam hominibus inductis, post paucos dies Baptisma suscepit is, qui castrū reddiderat, & cum eo si quis Christiano nomini communicare maluerat. Si qui suis hærere legibus voluerunt, & propriā super isto libertate potiti sunt; & vsq; in Sarracenorū terram, ipsius Boemundi cōmeatu, educti sunt. Hoc bellum quarto Kal. Iulii, in suæ passionis vigilia Petrus & Paulus egerunt, eius vrbis miseriæ condolentes, & nouorū Ciuium exitia non ferentes, qui eas eliminauerant, quæ templum DEI Sanctum attaminauerant, gentes. Ipsi namque miserescere iure debuerant, quam vtrique prædicando docuerant. In Ecclesiis planè stabula constituebantur equorum, & in parte ipsius maioris basilicæ beati Petri, Mathomi sui erexerant domum. Victi denique hostes cùm hac illacq; diffugerent, montes ac valles, rura ac nemora, calles & auia quibusdam semiuiuis, aliis mortuis, sauciis innumeris opplebantur. Repentina ergo DEI miseratione respecti, diuturnæ famis calamitatem celeri felicitate mutarunt, vt vbi duobus pridem solidis ouum vendebatur, bos vix denariis duodecim distraheretur: & vt breui omnia fine claudam, vbi inediæ rabies incesserat, ibi tanta pecuniarum omniumque victualium vbertas accessit, vt subitā emersione passim exoriri videretur omnis plenitudo rei, & apperuisse putaretur Dominus cataractas cœli. Tanta tentoriorum numerositas extitit, vt cùm quiq; nostrorum tabernacula diripuissent, ditatis omnibus, iamq; prædarum sarcinas fastidientibus, vix inuenirentur, qui raperent. Nec paupere occupante rem quamlibet, ditior vllus superueniens violentiam inferebat, sed alter alteri sine contentione cedebat.

XI. Post hæc Principes nostri, Dux *Godefridus Sancti Egidii* Comes, *Boemundus*, *Northmanniæ* Comes, *Rothbertusq;* Flandrensis, & cæteri omnes, acto pariter consilio, *Hugonem* magnum, & *Balduinum* Comitem de Montibus, pluresque alios illustris nominis viros, ad *Imperatorem* dirigitur, vt vrbem Antiochenam reciperet, & quæ nostris fuerat pactus impleret. Iêre siquidem, sed postmodum ad eos à quibus missi fuerant reditum distulêre. Quodam enim in loco consecuti à Turcis, quibus equi ad manum fuêre elapsi sunt; quibus procul, aut captiui abducti, aut ferro finem sortiti sunt. *Comes de Montibus*, cui infortunio succubuerit, adhuc nobis minimè certum est. *Hugo* autem magnus, quare reditum suum detrectare voluerit hæc aliquibus videtur occasio. Cùm esset alias strenuitatis immensæ, in procurandis tamen his, quæ vsibus tanti hominis sufficientia crederentur, minus se sollicitum exhibebat: & ideo vir honestissimè delicatus, inter eos, qui aut tenaciores erant, aut in his contrahendis acriores, quibus aut maior erat vel in nullo secundus, egere timebat. Sed de eius reditu, iustè nemo quæri debuit, qui postmodum, ad hoc idem postliminium faciens, martyris & optimi semper militis nomine insigniendus, occubuit.

XII. Denique non multo post, tractatum est quomodo Iherosolymitani itineris, pro quo tanta tulerant, intentio consequeretur effectum: idemque populus, qui ad id desiderantissimè aspirabat, qualiter interim regeretur, donec ad rem esset ventum. Perpenderant planè proceres, quia inter eundum multa æstiuo tempore inaquositas habeatur: & idcirco, ad Kal. vsq; Nouembris differenda profectio iudicatur. Interim ergo assentien-

tibus huic consilio cunctis, seniores exercitus per vrbes & oppida, sibi ad inuicem distributa & acquisita, se diuidunt: & vbique per subiectos sibi populos, à præconibus celebrari præcipiunt, quatenus si quis eorum egeret, sub donatiui pactione potentioribus adhæreret. Fuit inter alios vir equestris ordinis, armorumq; exercitio summopere præminens, de primoribus comitis Sancti Egidii necessariis existens, *Raimundus* nomine cognomento *Pilitus*, cui & militum & peditum plurimi sese contulêre. Huic itaq;, & pro sui munificentia, & pro ingenita industria; multis applicitis, conflato non exiguo exercitu, itur in Sarracenorum terram, castrumq; aggrediũtur quod dicunt *Talamaniam*. Oppidani verò idem, cum essent Syri, à præfato sunt viro propriâ statim deditione recepti. Quo intra idipsum municipium octo commorante diebus, nunciatur eidem haud procul inde haberi castrum Sarracenorũ, innumerabili vulgo frequentissimum. Ad hoc inrumpendum dum rappidissimo ferrentur assultu, DEO penetrante, subigitur. Habitatoribus ergo correptis, qui Christiana sacramenta suscipere adquieuerũt, seruati sunt incolumes; qui detrectauêre, necantur. His explicitis, DEO gratias redibentes Talamaniam reuertuntur; & tertia die inde digressi, ferocissimam munimentis, ac variarum gentium coactione superbam ciuitatem, vocabulo *Marram* expetunt. Hæc prælibato contigua erat præsidio, in quam à circumiacentibus castris ac vrbibus præcipuè ab Haleph, Sarracenorũ Turcorumq; sentina confluxerat. Quibus phalanga Gentilium obuiam, dimicatura, processit, nostriq; se æstimantes cum eis posse, pro more, bello decernere, citâ illorũ sunt tergiuersatione decepti. Attamen hostes idem, creberrimè prodeuntes, non desistebant lacessere nostros. Tota itaq; dies, vtrarumq; partiũ vicariis incursibus recursibusq; occupata subducitur. Acerrimus ergo nostros cum decoqueret æstus; & inusitatâ ariditate sitis quorumq; interiora fatisceret, remedio nullatenus supputente, voluerunt ea nocte iuxta eandẽ vrbem tentoria ponere. Ciuitatenses autem cùm subintellexissent nostros aliqua ex parte nutare, Syri enim primi de fuga cœperunt agere, acriùs eis, ex eorum facti propensa pusillanimitate feroces, iam non verentur insistere. Quâ irruptione vexati, animas DEO, studio pietatis extrusas quam plurimi reddiderunt. Hæc finalis eorundem dies, quinto Iulii mensis die facta dinoscitur. Residui autẽ Franci Talaminiam regressi, cum suo Duce *Raimundo* plurimis desedêre diebus ibidem. Antiochiæ verò commanẽtes, multa se tranquillitate, opulentiaq; gerebant.

XIII. Sed hanc eorum serenitatem, occultâ, quâ nescimus, dispẽsatione, obscurissimo confestim turbauit nubilo DEVS. Is enim qui eos rexerat, qui interius exteriusq; eos piissimè fouerat, vir DEO seculoq; spectabilis, Podiensis Episcopus *Aimarus*, ægritudinem incidit; piiq; sudoris labores, perpetuæ requietionis sabbatismo detergere ei Omnipotens, largissimâ miseratione disposuit. In ea itaque, quæ vocatur *ad vincula Sancti Petri*, festiuitate decessit; eumque cui regni cœlorum claues, ac solutionum pertinent potestates, & absolutorem repperit, ianuarumq; cœlestium introductorem commeruit. Oboritur illicò in CHRISTI vniuerso exercitu, acerbissimi doloris tristitiæq; nimietas; & dum frequentes misericordissimi hominis beneficentias, cuiuslibet ordinis sexus & ætatis quisque recenset, inconsolabiliter, dum nulla præstolatur remedia, mœret. Tanta ad eius funus, tamq; præcordialis ipsorum Principum conclamatiõ fuit, ac si generalis interitus denunciaretur illis. Tantum ad eius nec dum sepulti feretrum, ab omni illa, cui paternè præfuerat, gente pecuniarũ oblatum est, quantum vspiam gentium ad altaria quelibet, sub tantundem spatio temporis deferri, nõ vidit, vt arbitror, vllus: quæ quidem pauperibus statim pro ipsius anima tota sunt dilargiti. Horum namq;, dum adiuueret, gesserat tota sollicitudine curam, vt diuitibus id præ omnibus in dies duceret inculcandum, quatenus egenos diligerent, eorumque misericordiis insisterent, ipsos asserens suæ ipsorum vitæ custodiam. *Iudicium*, inquiens, *sinè misericordia ei, qui non fecerit misericordiam. Nisi enim minoribus vestris, tamen naturæ consortio comparandis, humanitatis sinum præstiteritis; ea quæ vobis & illis non dispariter à DEO creata; à vobis tamen inæqualiter correpta noscuntur, non eis communicaueritis, diuinæ proculdubio vobis hostium misericordiæ percludetis. Hos*, inquam, *quorum reficimini gratia, aliquibus bonorum vestrorum particulis refouete: certi, quia sicut ipsi temporaliter sine vobis, ita vos sine illis non potestis in sempiternum viuere*. Hæc hisq; similia vir mirabilis, crebris orationibus eis ingerens, memora-

morabat. Igitur *Raimundus* Sancti Egidii Comes Sarracenorum prouincias intrat; & ad quandam vrbem quæ appellatur *Albara* exercitum ducat: quam, vbi ei manus admouit, continuò eam cœpit, & omnes, quos ibidem repperit, Sarracenos mulieresq; peremit. Quam continuo subactam, fidelibus, vt potuit, colonis instaurat; consultisq; prudentibus viris, Episcopum eidem vrbi censuit ordinandum, qui paulatim Ethnicos, CHRISTI fidei documētis imbueret, & in fanis ipsorum, repurgio primum adhibito, pietatis ministeria ac regenerationis misteria dispēsaret. Virum igitur ætate habilem, scientiâ prædicabilē eligunt; eumq; Antiochiam consecrationis gratia ducunt. Qui institutus Antistes, Iherosolymitanæ profectionis persecutionem non idcircò neglexit; sed instituto quodam, qui se ad id officii vltro obtulerat, ad custodiam præsidii vrbis præfecto, cum aliis perrexit. Is, valdè insolitâ ibi vsus audaciâ, paucissimis, quia censuum ita tenuitas exigebat, sibi comitibus ascitis, ciuitatis asseruare cœperat arcem. Et quia Sarracenis idem locus iam fiebat infrequens, rarissimi qui remanserant Gentiles eius iuri se mancipant, eiq; reditus, tantum vt vitam sibi concederet, de proprio labore ministrant. Præterea Antiochenis plurima fortuna vndecumque florentibus, omnium Sanctorum dies festiuitatis instabat, quo terminus iterandæ expeditionis præstitutus fuerat: cum ecce principes, sui non immemores propositi, apud Antiochiam pariter coiêre; consiliumque ab alterutris quærere cœpêre, quatenus, cuius causa venerant, iter quirent ocius expedire. At *Boemundus*, antequam Dominica militia motum faceret, super ea quam sibi pacti fuerant ciuitatis habuit redditione tractatum: sed *Sancti Egidii* Comes nullatenus Boemundo præbebat assensum, dum veretur illud quod Imperatori fecerat sacramentum. Quapropter proceres, inter vtrosq; medii incedentes, in beati Petri Ecclesia sæpius glomerantur. Referebat Boemundus vrbe sibi à Pyrro prodita, omnium ex ea partes, ipsorum Principum sibi largitione, concessas. Sancti Egidiensisècontra refert, quia iureiurando astruxerat Constantinopolitano Principi restituendam ciuitatem, saluâ persolutione pactorum sibi: & hoc totum factum ex consilio Boemundi. Interea Pontifices, qui altercationi dirimēdæ institerant, cum *Godefrido* Duce *Flandrensi* atq; Northmannico comitibus aduocatis, cæterisq; senibus additis, seorsum oratione cuiusq; auditâ, se segregant, vt ventilatâ, ex collatione causarum, sententiâ, iudicium proferre deberent. Sed perpensis queritantium dictis, quasi neutri super isto fauerent, cùm ad conuentus frequentiam reuertissent, dum ad inuicem tantos viros irritare verentur, iudicium distulerunt. Quod ex industria factum Comes ipse comperiens, *Ne*, inquit, *contentio præsens CHRISTI fidelibus generet turbam, Sepulchriq; Dominici videatur protelata libertas; ne cupiditatis næuo, parte ex aliqua notabiles æstimemur, parium meorum, præsentium Principum, sententiæ me fauturum profiteor; saluo eo quòd me Constantinopolitano Principi spopondisse inuitum vos, qui adestis, fratres & domini, scitis.* Nec morâ, Boemundus & ipse huiusmodi dictis assensit. Ambo ergo, omni iam lite summotâ, dextras, fide mediâ, Episcoporum in manibus præbent, constantissimè asseuerantes quòd nullomodo DEI militia eorum deinceps iurgiis turbaretur. *Boemūdus* itaq; sumpto consilio castrum de montanis, viris victualibusq; communit. Comes itidē *S. Egidii* cum suis cōsiliū cōmunicat, quatenus palatiū Cassiani quē patrio vocabulo *Admirauisum* vocitant, & turrim quæ portæ præminebat pontis, ex parte videlicet portus Sancti Simeonis, stipēdiis largioribus inferciat. *Antiochena*, ciuitas incōparabiliter est decora, nulli ædificiorum maiestate secunda; situ placens, aere impassibili; vinearum fertilis, territorii vbertate fœcūda. Ab Oriente, quatuor montanorū proceritate procingitur: ab Occidentali plaga, fluminis cuiusdā, Sacræ paginæ non incogniti, quod *Pharphar* dicitur, piscium feracissimis vndis propter muros alluitur. In altiori mōtium, castellū miraculo dignū, præminet; sed inpenetrabili securitate præstantius: inferius, ciuitas plenissima gloriarū, & veteris prope monimentis adhuc superba nobilibus, trecentas & sexaginta Ecclesias suis cingens ambitibus. Pontifex vrbis, ex Apostolica successione, Patriarchii honore insignis, centū quinquaginta triū Episcoporū sibi appēdiciū, priuilegio promouetur. Gemino est ciuitas circūdata muro: altero autē incredibiliter lato, & præter solitū procero, saxisq; extructo maiestate enormib. circūpositis eidem quadringentis quinquaginta turrib. Refert Ieronymus in quinto explanatiōis in Isaiā libro, vrbē Reblata in qua

XIV. XVII. XVI. 4. Reg. 5, 12.

Rex Nabugodonosor, Regis Sedechiæ oculos eruit, & filios eius occîdit, hanc esse Antiochiam. Fertur verò eam ab illo antiquiore Antiocho, cuius potentiæ plurima monimenta supersunt, suscitatã; & quinquaginta subiectorũ Regum, quos & municipales eius astruunt, cooperationibus, tantâ præsidiorũ eminentiâ, tantâ ædium varietate cõpositam. Quod quidẽ falsum est, cùm ipse Pompeius Trogus verissimè à Seleucho referat Rege, sub paterno nomine institutam; & ab ipso deinde vel sequentibus regibus auctam: sicut sub matris Laodices nomine, condidit & *Laodiciam*; ex proprio, *Seleuciam*. Huic obsidendæ, quarumcumq; machinarum balistarúmue tormenta nil poterant; & nisi proditio Pyrri obsessoribus affuisset, immò Devs per quos vòluit adiuuisset, in cassum Francica magnanimitas famem, cæterarumq; miseriarũ ibidem detrimenta tulisset. Istic desederunt nostri ciuitatem vrgentes obsessam; per octo menses vnumq; diem. Postmodum verò & ipsi fuère cõclusi per tres hebdomadas, innumerabilium Gentilium confluente frequentiâ; & superatis demum ipsis, item illic deguerunt per quinq; mensium octoque dierum spatia, cùm plebs eadem à suis Principibus Iherosolymam sollicitatur itura. Sed quia præfati *Pyrri* memoria mihi videtur deinceps non habitura locum, quem finem habuerit intimandum. Christianitatem planè susceptis sacramentis professus fuerat; *Boemundus*, sacro in lauacro, ex suscipiente nomen acceperat; Iherosolymitanæ obsidioni Comes nostris ac cooperator extiterat; eaq; captâ Antiochiam redierat. Vbi cùm præconium emisisset, quatenus, quicumq; in vrbe vrbisq; vicinia, Christianus egeret, secum in patriam remotiorẽ, vbi multas haberet possessiones, veniret, pollicens quòd præclaris muneribus quenq; ditaret, hac spe vulgus cõflauit sibi immodicum; & in suam, vti dixerat, regionẽ fertur abduxisse deceptũ. Qui cùm ad sua oppida deuenisset, partem militiæ sese comitantis, hos exilio illos morti prodidit: & nisi ad alios, quorum numerositas extra castrum fuerat hospitata, verbũ de proditione venisset, fugaq; miserabili aut elabi, aut delitescere licuisset, vniuersorum libertas, aut gladio aut captiuitate perisset. Ibi prorsus Christianitate desertâ; veteris luxuriæ, & Gentilitatis inquinamenta resumpsit. Nec id iniuriâ. Si enim *Pyrrus* Græcè, *rufus* est Latinè, & infidelitatis nota rufis inuritur, isdem ergò à sua minime linea exorbitasse probatur. Igitur *Raimundus* Sancti Egidii Comes, suum ab Antiochia exegit exercitum, cùm iam properaret Nouember ad exitum, & duabus ciuitatibus inter eundum; *Rugiâ* videlicet, & *Albârâ* transmissis, quarto demum die, finem faciente Nouembri, *Marram* peruenit ad vrbem. In quam, copia ingens Sarracenorum, Turcorum Arabumq; confluxerat, quam Comes postridiè quam venerat, exertis omnino viribus aggredi parat. Nec morâ, *Boemundus* cum exercitu Comitem persecutus, quadam die Dominicâ propter castra deposuit. In crastinum tantâ ad vrbis muros animositate concurrunt, vt hærerent parietibus scalæ, murosq; sub ipsos niterentur gradibus. At ciuitatenses, penitus expertes ignauiæ, tantâ instantiâ restitère, vt nihil nostrorum ea die valeret molimen efficere. Tum sancti Egidii Comes, suos cassum laborem cernens insumere, *castrum* quoddam *ligneum*, multi laboris ac proceritatis, suis mandat erigere: quæ machina quatuor vehebatur rotis, in cuius summitate militũ multitudo constiterat; subter verò, armata militia muro eam ciuitatis, iuxta quandam turrim, magnis impulsibus admouebat. Econtra vrbani, baleare celeriter ædificant instrumẽtum, quo iactis ingentibus saxis nitebantur debilitare castellum, in tantum vt frequens lapidum ictus, & machinæ dampnum, & nostris minaretur interitum. Iniectis quoque Græcis ignibus, super phalam moliebantur incendium; sed eorum Devs super isto fefellit annisum. Eminebat ergo ædificium muro vrbis; & inter has partium collisiones, animos pugnantium vlulantis tubæ tumultus exciuerat. Interea milites ex nostris quidam superius phalę eiusdem obtinentes solarium, *Guilelmus* videlicet de *Montepislerio*, aliiq; quamplurimi, maximis illos, qui in mœnibus propugnabant, concutiebant saxis: in tantum vt clipeo plerumque percusso, & Clipeus & Clipei dominus iam inutiles prorsus deuoluerentur à muro. Quidam autem hamos in hastilibus ferreos habentes, Sarracenos propugnacula defensantes obuncare & ad se corripere nitebantur. Is hinc & inde conflictus vix vespertinis ad tempus omittitur horis. A tergo itaque castri, presbyteri, Clerici, ac Monachi sacris, pro suo quisque gradu, vestibus adornati, pro instanti negotio

Devm

Marginalia: XVII. (at "spatia, cùm plebs"); XVIII. (at "sua minime linea"); line numbers 10, 20, 30, 40, 50.

DEVM attentissimè præcabantur, quatenus Gentilitati vires adimeret; fidei propagatoribus adaugeret: Altrinsecus è regione machinæ alii milites, scalis positis mœnibus imminebant: Nec Paganos detinebat inertia, quin eos rabidissimâ ferocitate depellerent. At *Guilferius* quidam, eorum rebellionis impatiens, murum primus cum manu quidem, sed valdè parua, conscendit. Illicò ciuitatenses tanto, eius præsumptores audaciæ, furore peruadunt, spiculis eos ac sagittis vrgendo, vt aliqui, ipsorum irruptione præterriti, sese de muro demitterent. Pars verò quæ remanserat tandiu inter hostium iacula constitit; tandiu, cedere dedignata, eorum violentias armorum industriâ retudit, donec qui subter erant murum suffoderent. Mox itaque; vt vrbani muri se conspiciunt suffossione dampnatos, solius fugæ iam præsidio innitentes, ad vrbis interiora concedunt. Dies erat, quo hæc geri contigerat, sabbatum, cùm peteret iam sol decliuis occiduum; explicato Decembri vndecim promotione dierum. Confestim per interpretem *Boemundus* Sarracenorum primores aggreditur: quatenus cum propriis militibus, paruulis ac mulieribus, omni pariter contractâ substantiâ, intra quoddam sese palatium, quod erat supra vrbis portam, cohiberent, spondens quod eis vitam omnino protegeret, sua suosque defenderet. Hoc modo ciuitate obtentâ, quidquid in foueis repperêre, vel domibus, hoc suis quiq; proprietatibus asciuerunt. Facto denique, exactâ nocte, crepusculo, si quem Gentilium repperiri contigerat, discurrens vbique nostrorum turba mactabat. Nulla ciuitatis portio vel minima fuerat, quæ Sarracenorum cæde vacaret; nec angiporta vrbis iam peruia esse quibant, quia cadauera Paganorum publicos calles opplebant. At Boemundus, eos qui se memorato palatio, vti ipse iussit, intruserant, peruasit; quæ habebant, abstulit; alios morti addixit, alios Antiochiam vendi iussit. Mense autem integro, quaternisque diebus, hîc Franci fecêre moram. *Ac ibi difficilem gens tulit esuriem.* Ibi quidam ex nostris, dum aliquibus, immò omnibus necessariis indigent, nullis quæ direptioni suæ forent apta adiacentibus, mortuorum Sarracenorum ventribus temeratis, ausi sunt ipsorum intestina rimari: quia audierant aurum argentumque, ab eis in arcto positis, ob custodiam solere glutiri. Alii carnium frusta cædentes, ex ipsis coxisse & comedisse feruntur. Quod tamen tam rarum adeoque latens extiterit, vt omnibus vtrum idem fieri vllo modo potuisset penè dubium sit. Interea *Boemundus* eam, quæ inter se & Comitem Sancti Egidii fuerat oborta simultas, penitus non omittens, dum sibi Comes nullatenus cedit, iratus Antiochiam redit. Nec morâ, Comes directis ad præfatam vrbem legatis, duci Godofrido, Comiti Flandrensium, itidem & Northmannorum, denique Boemundo, Rugiæ (ciuitas autem est memorata superius) colloquium indicit. Quibus suum accelerantibus aduentum consilio generali tractatur, quatenus sic sibi concordibus animis vnirentur, vt nequaquàm vlterius expeditio Iherosolymitana moretur. Repperitur omnimodis, concordiæ Boemundus agendæ acer & insolens, nisi suæ faueat voluntati Comes, Antiochiæ parti cui dominabatur cedens: inuenitur Comes ad ista rigidior, obtendens quòd Imperatori præbuerat sacramentum. Hac ergo mentium in sese acerbitate diuisi, Sancti Egidiensis ille, Boemundus ac Dux pariter, Antiochiam sunt reuersi. Isdem rursus de palatii & castelli, quod portæ pontis vrbis præminebat, custodia, militibus suis mandans, ad *Marram,* quam pridem ceperat remeauit. At tamen, non penitus rationis expers, & in sua peruicacia communia dampna perpendens, dum pertinaciæ eius causâ Dominici Sepulchri cogitur differri libertas, tertio decimo infra Ianuarium die, vir egregius, nudipes, à Marra ciuitate progreditur, peruenitque *Caphardam*; ibique triduo mansit. Illic *Northmanniæ* comes, simultate desertâ, illi coniungitur. Præterea Rex Cæsariensium, Sancti Egidiensi illi Comiti frequenti legatione suaserat quatenus secum solidæ pactionem pacis iniret, spondens quòd vbique Imperii sui Christianis adiumenta præberet; negotia ciborum, vestium & equorum, omniumque vsui pertinentium non negaret. Hac nostri pollicitatione gauisi, iuxta vrbem eligunt tabernaculorum loca sortiri: *Pharphar* namque fluuius à ciuitatis mœnibus haud longè præterfluit. At Rex vrbis, prospecto tanto exercitu, non multum de talis contubernii propinquitate lætatus, ægrè tulit; & nisi ociùs inde recederent, mercatum vetuit. In crastinũ, duos cum nostris ex suis misit, qui eis vadum

fluminis demonstrarent; eosq; perducerent quò prædæ aliquid diripere possent. Itaque ab eisdem, quædam subter quoddam nostris oppidum, vallis ostenditur, vbi animalium numerositate repertâ; quinq; fermè milia rapiuntur; frumenti, cæterorumq; vtilium plurima copia repperitur, è quibus ad integrum equitatus ille reficitur. Castrum quoq; idem in ius Comitis, sua ipsius deditione, traiicitur; aurum ex eo non modicum cum equis præbetur; nostrisque per omnia, quia numquam eos læderent, securitas certa promittitur. Sederunt quinq; diebus ibidem: Inde digressi, ad aliud deuenêre oppidum, quod à gente incolebatur Arabum: circa quod vbi disposuêre tentoria, dominus oppidi obuiam processit, cum Comite factâ concordiâ. Denique properatâ deinceps motione castrorum, quandam pulcherrimam ciuitatem, vocabulo *Kephaliam*, omnibus opulentam bonis attingunt, in quadam valle positam. At habitatores, Francos vbi aduenisse comperiunt, vrbem deserunt, alimẽtorum plenitudine refertis domibus, cùm & horti passim exuberarent fructibus; solas sibi salutes subterfugio tueri eligunt. Tertio à præfata discesserunt vrbe die; arduaq; nimis, & scrupea montana conscendunt; & ad aliam deinceps vallem, non minori, quàm vbi Kephalia erat, fertilitate vuidâ, iterato descendunt: ibiq; quindecim fermè diebus, substantiâ iocundati vberiore, sese reficiunt. His quoque contiguum locis, quoddam Francis nunciatur fore castellum: ad id confluxerat multa nimis frequentia Paganorum: Quod nostri cùm rapidissima obsidione cinxissent, præstò erat vt subigerent, cùm ecce oppidani non paucas armentorũ copias illis obiiciunt; taliq; lenocinio, vt ab obsidione desistant eos ad tempus illiciunt. At summo diluculo admouentes nostri tentoria castro, illud obsidere proponunt: quem eorum conatum vbi gens Pagana persensit, celeri fugâ recedunt, vacuumq; oppidum derelinquũt. Ingreditur Christiana militia: proflua inibi frumenti, vini, farinæ ac olei inesse deprehenditur exuberantia, & si qua fuissent necessaria. Illic tota affectione, Purificationis beatæ Mariæ festa coluerunt; illic etiam *Camelæ* ciuitatis Regis legatos exceperunt. Rex planè idem Comiti equos, aurum, argentumque sequestrâ legatione paciscitur, pollicitus quòd Christianos in nullo offenderet; sed debitam eis reuerentiam exhiberet. Rex etiam *Tripolitanus* Comiti mandat, quòd gratanter si velit cum eo pactum ineat, directis eidem decem equis, quatuor mulis, & auro. Comes verò ait, nullatenus se cum eo pacificè acturum, nisi fidei nostræ sacramenta susciperet. Egrediuntur de valle, quam superius memoraui, vberrimâ; & ad præsidium naturâ munitissimum in rupis supremo positum, quod dicitur *Archas*, Februariis Idibus, cùm esset secunda feria deuenerunt; viciniamque municipii tensis papilonibus occupauerunt: quod quidem innumerabilis infercierat multitudo Paganorum, Turcorum videlicet, Sarracenorum, & Arabum, qui præter originis munimentum, fortius illud omnimodis suâ pluralitate reddiderant. Contigit ibidem, quatuordecim ex Christiano exercitu viros equites contra *Tripolim* vrbem, quæ fuerat illi propinqua Castello procedere non ob aliud, si non fallor, nisi vt valerent quippiam esui commodum sibi contrahere. Hii inquam, quatuordecim cùm essent, sexaginta circiter Turcos, aliis etiam comitantibus repperêre: qui præ se homines ac animalia, quæ prædati fuerant, plusquam mille quinquaginta deducerent. Qui, sponsionis Dominicæ ipsis exequutores effectibus, quòd *duo fugarent decem milia, & vnus mille*, exculpto piis in mentibus Crucis signo, DEO annitente, incredibili eos audaciâ subigunt; senos ex his perimunt; equos totidem comprehendunt. Porrò de Sancti Egidiani Comitis equitatu, *Raimundus* ille, cuius probitas in hoc opusculo crebram exigit mentionem, quem *Pilitum* cognominari diximus, vir animi acrimoniâ & armorum industriâ vehementer egregius, cum alio quodam cognomini viro, qui erat *Vice comes* officio, *Tortosam* ciuitatem expetunt; & primo eam assultu, quem ferocissimè intulerunt, non minimùm eius loci indigenas terruerunt. Hîc, pro sui munimẽto, quod plurimum videbatur, gentilium incredibilis populositas, muscarum ad instar influxerat. Nocte sequenti in quandam ciuitatis plagam hospitaturi, immò tentoria fixuri diuertunt; focos sine numero per excubias, ac si vniuersus Francorum afforet hostis, instituunt. Expauit & concidit extremâ desperatione gentilitas, perpendensq; se non posse scuto propriam tueri salutem, celer et ad vltimum euitandam quoquomodo vel pedibus mortem. Noctu itaq; silenter elapsi, ciuita-

Deut. 32, 30.

ciuitatem, totius opulentiæ fortunis infertam, vacuam omni habitatore relinquunt. Pii, inquam, scripturæ illius impletores, *quia pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua.* Hæc ciuitas quàm optimum suo in suburbio, vt pote secus mare constituta, habet portum. Postridie conueniunt nostri, totis peruasuri viribus vrbem; sed in ipso congrediendi molimine prorsus inanem repererunt ab homine. Introeuntes igitur eam, tandiu ibidem deguerunt, donec ad obsidendum municipium, quod supra intulimus, *Archas*, exinde processerunt. Est autem alia quędam vrbi isti contigua ciuitas, quæ *Maraclea* vocatur. At ille, qui ei præerat, quem & *Admirauisum* appellant: nec morâ, cùm nostris fœdus inire pa-
10 rat. *Hos simul, ac horum mox signa recepit in vrbem.* Interea Dux *Godefridus*, *Boemundus*, Comesq; *Flandrensis*, *Laodiciam* pariter attigêre. Sed Boemundus, amicæ sibi Antiochiæ diuisionis impatiens, à præfatorum cõtubernio disparatus, remeauit ad illam. Ipsi verò pari animo contendunt ciuitatem quandam obsidere *Gibellum*, sic enim vocabatur. Ad *Sancti* autem *Egidii* Comitem Raimundum huiusmodi rumor accessit, quod Gentilitatis adauctæ vulgus enormiter ingens, contra se prælia destinassent. Qui, properè compellatis militiæ quam habebat vniuersæ proceribus, eos quidnam opus esset facto consuluit. Cui senatus ille intulit, nil se vtilius huic negotio æstimare, quàm consortes Dominici itineris, & alios sibi comites in adiutorium conuocare. Consuluit denique consilium, mox opus expli-
20 cuit. Principibus itaque, Duci videlicet *Godefrido*, Flandrensique *Rothberto*, postquam sui comparis fuit comperta necessitas, cum eo, qui Gibello ciuitati præerat, acceptis magnificis equorum aurique muneribus, iniêre fœdera; & adminiculum præstituri, conuenerunt ad Comitem, quam obsidere cœperant vrbe dimissâ. Expectationem autem eorundem belli gerendi, rumigera frustrauit opinio. Vnde pariter conspirati, *Archas* castellum reppetere deliberarunt. Vbi cum obstinatis contra idipsum animis desedissent, non multò post *Tripolitanos* moto exercitu inuisere gestierunt; reppereruntque, in sui prouidentia positos, pro mœnibus ipsius vrbis hostilem manipulum, Turcorum videlicet, Sarracenorum, ac Arabum. Quibus nostri debitâ animaduersione peruasis, ad supremum fugæ ilicò
30 compulêre remedium. Ibi tanta ipsius vrbis nobilium, non modò cædes exstitit, sed ac si è pecoribus, carnificium: vt etiam vnda fluminis, quod ciuitati influit, mixtim fuso cruore juberet; & tali commaculata sanie, quælibet eorum cisterna sorderet. Ex quo eorum mentibus oboriri mox contigit ferale iustitium; tantique timoris aculei animos compresSêre superstitum, vt ipsorum nullus, cuiuspiam causâ negotii, prędsumeret extra ciuitatis muros attemptare vel exitum. Postero die progrediuntur nostri vltra quandam vallem, quæ vocatur *Desen*: in quam & die tertio post captam *Besaliam* venisse eos superiùs diximus; eamque vberrimam reppperisse, & quindecim diebus in illa mansisse: & inuentis illic bobus, asinis, & ouibus, & multis animalibus, camelorum etiam tribus milibus, re-
40 diêre cum gaudio, copiosas de his omnibus prædas agentes. Castrum itaque idem tribus mensibus, die minus vnâ, continuis obsedêre. Ibique egêre Pascha Dominicum quarto Idus Apprilis. Interim ergo dum obsidionis mora hos detinet, classis ipsorum quæ deferendis consueuerat victibus inseruire, cuidam sibi contiguo portui allabitur, comportans negotia non parua frumenti, ac vini, carnis, & casei, hordei ac olei, ex quo plurima expeditionem Dominicam opulentia reparauit. Licet autem nullam ibidem penuriam eos pati contigerit, tandiu tamen inutilem, super tantilla re, insumpsisse laborem, sani modum mihi videtur excessisse consilii. Post mortem planè viri admirabilis *Podiensis* Episcopi, qui amore pastorali ac rigore, omnium sibi inuicem animos, concordiæ ac
50 vnanimitatis visco, deuinxerat, cœpêre inter Principes simultates aliquotiens ac insolentiæ oboriri; apud mediocres prætęrea & vulgares, licentiæ, quas non omnino deceret haberi, vt veteris historiæ dictum, *quia videlicet Rex non esset in Israel, sed quod cuique in oculis suis bonum videretur agebat*, aliquando putaretur impleri. Et si enim Pontifices illic alii, glorioso illo homine, qui eorum specialis pater & Dux fuerat deputatus, obeunte, remanserant, non tanti pendebant tamen illos: præsertim cùm meminissent se, non eo his, quo illi vni fuerant iure com-

Iob. 2, 4.

XXI.

XXII.

Iud. 17, 16.

missos. Dum ergo nemini singulariter parent, & vniuersa inter eos æstimantur æqualia, fiebant sæpius, dum vulgi libido præualet, apud ipsos minus apta iudicia. Vnde accidit vt post Dominicæ reuelationem Lanceæ, quam defunctus antistes omnimodâ deuotione susceperat, fœdè nimium incredulitatis murmur emergeret: dicentibus quibusdam, quia non veraciter, sed præstigiosè reppererat; & non Dominicam sed Lanceam qualemcumque præbuerat. Incipit itaque enormis plebeculæ passim mussitare frequentia; & eos, qui crediderant, & venerari delegerant, verborum suorum sedulò corrumpunt fallatiâ. Rei repertæ probationes exigunt; repertorem iudiciis diuinis addicunt. Compellitur vt dubiis vir ille fidem reddat; quæ extorquentur ab ipso, cogitur, solius eorum causâ curandæ infidelitatis, vt subeat. Ipso igitur imperante, rogi duo vix cubiti breuissimi spacio à se distantes instruuntur: multæ à populis, rerum nouarum cupidis, materiei strues ingeritur; ac vtrarumque partium flamine confluentibus globis, inter ardentia ligna semita admodum angusta relinquitur. DEVM ergo, qui veritas est, & præter cuius nutum super hac re nil se egisse cognoscit, misericordem, miserabili, vt par erat, oratione compellat; & per opacum piræ furentis tramitem totâ viuacitate præteruolat; & per hunc ipsum callem mox rediit quò venerat. Aderat spectaculo huic, quæ in procinctu morabatur tunc temporis, militiæ Occidentalis copia; & pro inusitati operis ausu, dubios, diuersis quique intentionum statibus, præstolabantur euentus. Facto denique, vt dixi, reditu, prodeuntem ab ignibus populorum ruentium infinitæ phalanges excipiunt; & dum incolumem focos excessisse conspiciunt, quasi de eius aliqua, pro reliquiis retenturi, aut corpore aut vestibus, dum hinc & inde vellicant, hac illacque distendunt, ei, in tanto diripientum & impellentium constituto tumultu, animam extorserunt. Cùm enim & timore & miraculo, hinc impendentis, nisi DEVS propitiaretur exitii; illinc subitæ ereptionis, vt sic loquar, semianimis prosilisset ab ignibus, & vulgi vndecumque pulsantis clauderetur incursibus: iam ex præteritæ anxietatis defatigatione tremulus, præfocari valuerat haud difficulter spiritus. Extincto itaque homine, multo deteriori ambage, cœpit denuò lubricum & inconstans agitari vulgus: his ita; illis aliter, ignis iudicium, quod vir ille subierat, euenisse iactantibus: his exustum, illis incolumem de flamma prodisse ferentibus: his aduersus alios iurgantibus, & quia hominem pro nihilo interemissent, improperantibus. Sed quocumque modo se sententia vulgaris egisset, illum gloriosum præsulem, omni sacro sanctam Lanceam scimus veneratione complexum: adeo vt in eo ipso, quo reperta fuerat, loco, sit eiusdem pontificis corpus ipso præcipiente, sepultum. De his ita res sese habuit.

XXIII. Porrò, cùm apud *Archas* diutina nostros in cassum detineret obsidio; & castro in cuiusdam rupis prominentie supremo, procul in imo vallis obsidentis exercitus tentoria considerent: *Ansellus*, qui *de Ribodimonte* cognominabatur (eius enim castri, & aliarum magnarum opum dominus extiterat) vir liberalis, omnino munificus, & in regenda militia mirè industrius, difficultatem capiendi oppidi intuitus, moramque sessionis diuturnæ non passus, ad iaciendos lapides phalaricarum nostros apparare instrumenta commonuit. Cœperant sanè, longissimo cuniculorum ductu, turri in excelso positæ suffossionis inferre molimina; & aperta sustentantes tigillis & postibus, tantopere aperiendâ scabendo cotidie insistebant, vt etiam mulieres & optimorum quorumque vxores, festis diebus sinuatis vestibus siue palliolis, defossa egestaque conueherent. His qui in præsidio fuère compertis, nostrorum ilicò conatibus obstitère, non sine eorum discrimine, qui scrobibus efficiendis sese nitebantur ingerere. Et cùm de turre subruenda vniuersa opera cessisset frustra, tum *Ansellus* de balistarum apparatibus nostris commonitorium suggerere curauit. Quibus institutis, & crebrâ lapidum turrem missione vexantibus, ecce & obsessi similia è regione instaurant. Machina itaque erecta, & ingentia in nostros saxa torquente, ad maximum totius Francorum exercitus dampnum *Ansellus* isdem aut primus aut inter primos ipse percutitur. Qui cùm in Dominica militia fidelissimè & inretractabiliter se ageret, inter cætera suæ sagacitatis fideique potentis insignia,

gnia illud præclarum, & omnibus amantissimum litteratis, exhibuit, quod cuncta quæ in obsidione Niceæ, & quæ Romaniam Armeniamque peragrando, quæ denique Antiochiam aggrediendo, capiendo, captam defensando nostri egêre: qualiter per idem tempus contra Galapiæ Regem, contra Damascenum, Iherosolimitanum quoq;, quem & adulterum vocitat, conflixêre, ad *Manassem*, Remorum Archiepiscopum, piæ memoriæ virum, qui ante hoc decessit fermè biennium, semel ac secundò directis apicibus, clarissimè patefecit. Is etiam in testimonium, nobilem erga Martyrem quem habebat, pii amoris, diem *beati Quintini* passionis annuum, coactis vndecumque clericis, quo poterat honore, ibidem celebrari faciebat, ac celebrantibus exenia digna præbebat. Contigit ibidem & alios quamplurimos, felix sumpsisse Martyrium, & mortis sacræ compendio regna emeruisse cœlorum.

EXPLICIT LIBER SEXTVS.

INCIPIT SEPTIMVS.

FIDEI nostræ incentiuum non minimum præbet, quòd Occidentalium labore fidelium Orientalis restauratur Ecclesia. Vidimus prælia, DEI solius intentione piissima, quorum tota efferbuit martyrii amore militia: sine Rege, sine Principe, sola eis extitit suæ ipsorum salutis deuotio præuia. Legimus, vsque in Orientis suprema commigrasse; ob bellorum studia *Gallos*, & *Apollinis Delphici* secreta rimatos, sacrisque ereptos aditis thesauros nouimus paludibus *Tolosanis* iniectos. Conflatas has omnes copias, Principum tunc temporis suorum exactione, comperimus: hîc ne vnum quidem à quolibet suo domino inuitum renitentemque, compulsum abire audiuimus. Hîc inter arma lachrimæ, peccatorum confessiones, ab renuntiationes possessionum, vxorum aspernatio, filiorum fuga: præminet in mentibus omnium, pro DEI amore, solius beatæ mortis ambitio. Hîc, inquam libet DEVM pensare mirabilem: vt qui quondam, ad tormenta ferenda, animos martyrum, pro inuisibilium dilectione, firmauerit; ipse nostris temporibus, quod à nemine sperari poterat, & dictum pro ridiculo habebatur, tantum præsentium contemptum rerum, etiam truculentorum cupidorumque cordibus hominum, indidit: per paucissimos homines tanta perfecit, vt laude eorum, qui gessêre post habitâ, DEVM solummodò ea fecisse certum sit. Quod ex eo, euidenti probatione, patescit: quia quotiens crebrescentibus victoriis insolentiam parturibant, seu aduersus alterutros Principes inflarentur, siue aliquâ ipsos petulantiâ commaculari contingeret, illicò eos prope nullos, & vt ita dixerim, pecorum similes Gentilitas inueniret: si quando, sui memores, pœnitentiâ ducerentur, confestim solitis fortunis piisque prouentibus redderentur. De his itaque, spirituali solum desiderio cæptis, patratisque præliis, diuina, quæ à seculo nunquam acciderit, tempora modernâ insigniri virtute lætemur: nec Israelis carnalis pro ventrium plenitudine, bella miremur. Rex igitur *Tripolitanus* frequentibus nostros Principes pulsare legationibus non cessabat, vt sese à castro amolirentur, ac sibi confœderarentur. Quo primores exercitus comperto, Dux videlicet *Godefridus*, Sancti Egidii Comes *Raimundus*, Comes vterque *Rothbertus*, Flandrensis atque Northmannicus; considerantesque prouincias nouis iam exuperare fructibus: Iduato planè Martio, pridem satæ iam mandibiles erant fabæ; & vix ad medium promoto Aprili, polentas poterat præbere frumentum, perpenso pariter terræ habitu, generaliter sibi commodum censent vt quorumque nouorum suppetentibus copiis, Iherosolimitanum iter arriperent. Castri ergo obsidione desertâ, sub ea, quam diximus, deliberatione *Tripolim* per[illegible]iunt, cùm sexta esset feria, & tertiam decimam ageret Maius diem, ibique ternis egêre diebus. Cùm proceribus itaque nostris Tripolitanus ille, factâ pace conueniens,

trecentos & his plures viros, quos ex nostris captos in vincla conieceerat, continuò soluit: hisq; sic abeuntibus, quindecim *Bizanteorũ* milia, ob cõmendationẽ gratiæ, dilargitus, quindecim etiã equos, precii optimi, pariter attribuit. Præbuit quoq; & celeberrimũ nostris negotiũ, equos, asinos, & omnia tantæ militiæ obiter vsui futura proponens, vnde expeditio Dominica integerrimè reficeretur ad pręsens. Id deniq;, facto secũ pacto, adiiciens, quia si Imperatoris Babilonici bellũ, quod frequẽs & maximum parari ferebatur, euincerent, si Iherosolimã caperent, Christianæ sese confestim conditioni subiiceret, se suamq; eis regionem addiceret. Ab ea ergo vrbe digressi, in secunda Maii mensis die transiêre per horridã & angustã nocte dieq; viã; castrũ deinde, quod *Bethelon* vocabatur, attingũt; ad vrbẽ deinceps iuxta mare po- 10
sitã peruenientes, quę dicitur *Iebari*, sitis anxietatẽ nimię passi sunt, cui flumen, nec morâ, succedens, oportunũ remediũ præstitit, cui vocabulũ erat *Braim*. Nocte igitur *Ascensionis*. Dominicæ quendã subiêre montẽ, angustũ omnimodis habentem callẽ, vbi vehementer extimuêre, ne obuios hostes in illarũ augustiarũ exitibus haberent: sed, DEO prouidente, nemo eorum occursui sese fuit ausus ingerere. Milites planè qui præierant nostri, liberã ab hostili incursu fecêre viam. Demũ itaq; ad Ciuitatẽ applicuêre maritimã, quæ appellatur *Baruch*; inde ad *Sareptam*, quondã Sidoniorum, sub muliere vidua Helię pastionę celebrem: dehinc ad aliã, quę dicitur Sur; postmodũ ad *Accaron*, Palestinorũ aliquando metropolim, deuenêre. Deniq; procedentes peruium, *Cayphas* vocabulo, habuêre castellũ: donec ad insignem, & i- 20
psam Palestinorum, consequenter appulêre *Cesaream*; ibiq; ternis diebus citra Maium exeuntem celebrauêre Penthecosten. Post hæc ad eam, quam quidam *Ramathan*, origine Samuhelis illustrẽ; aliqui scientiores curiosioresq; locorum, *Ramothgalaad* asseuerant, cuius obtinendæ contentiones, Achab scelestissimum Syrorum Benadab rege superante, præcipitant, perueniunt: cuius habitatores, comperto superuenientiũ Francorum rumore, fugerũt. Hæc ciuitas, & si vllis vetustissimæ memoriæ monimentis esset eximia, vniuersa tamen clarissimi Martiris *Georgii*, quem illic sepultum asserunt, mihi videretur obnubilare præsentia. Reperitur ibidem, colonis recedentibus, victualium prope omnium opulentia grandis; & non paucis præbuit diebus generale subsidium exercitibus hospitandis. Vbi proceres, cle- 30
rum & episcopos, qui interesse poterant consulentes, cum fauore eorum ipsi ciuitati eligendum taxauêre Pontificem. Cui collatis suarũ rerum decimis, auro etiam argentoq; ditarunt; equis animalibusq; suffulciunt, quo sine difficili indigentia, sine summi gradus iniuria, sese ageret cum sua familia. Ipse resedit cum omni, in cõmissa sibi vrbe, tripudio, de Ciuitate tuenda, & de basilica potissimum erigenda officialibusq; Eclesiæ instituendis, Principum qui hoc ob cultum amoremq; martiris obnixè fieri petiuerant obediturus imperio.

II. Et ecce ad illã quæ tot penurias eis genuerat, tantam sitim ac famen tamdiu & tam crebrò pepererat, causa tot nuditatum, vigiliarum ac frigorum; indesinentis metus occasio, subeundę miseriæ voluptuosissimũ incentiuũ; ad appetitum mortis & vulneris illex: ad illam, inquã, mille 40
desideriorũ milibus affectatam; tantis, dum prospicitur, mœroribus ac iubilis inclamatã, tandem peruenêre IHERVSALEM. De qua sicut de Dominici Corporis mansoribus legitur, *quia manducauerunt & adorauerunt*; ita & de his dici potest, adorauerunt eã, & expugnauerunt. Octauo itaq; Iunii Idus, cũ tertia esset feria, mirã animositate est obsessa Ciuitas. A Septẽtrionali igitur plaga, Comes eã *Rothbertus* obsederat Northmãnorũ, iuxta eãm beati Stephani Eclesiã, vbi propter filiũ hominis, quẽ à dextris DEI se vidisse clamauerat stantẽ, à Iudęis est obrutus imbre saxorũ. Ab occidẽtali autẽ opponitur Dux *Godefridus Comes Flãdrensis, & Tancredus*. A meridie obsedit eã Comes *Sancti Egidii*, in mõte videlicet Syon, circa Eclesiã beatæ Mariæ genitricis Domini, vbi Dominus cũ suis ad cœnã pridie q̃ pateretur, fertur discubuisse discipulis. Tertiã ad vrbẽ aduentus eorũ die, *Raimundus* ille, cuius in expeditione 50
Dominica non minimũ opuscula claruerunt, ille, inquam, quẽ *Pilitum* agnominabant; cũ quodã suo cognomini, illustri itidẽ viro, aliisq; quamplurimis longiusculè ab obsidi[illegible] loco processit; si quos fortè hostiũ, vti erant soliti, oberrantes ad nostrorũ insidias reperire contingeret. Et ecce, ducentorũ fermè *Arabum* se eis intulit repentè manipulus, quos *Raimundus* vt vidit, leoninâ feritate aggreditur, & tota eorũ audatia, Deo eis insistẽte, subigitur. Plurimis itaq; interemptis, captisq; tricenis equis lętã ad exercitũ de claritate facinoris reportauêre victoriã. Alterius ergo

ebdomadæ secundâ illucescente feriâ, tantâ vi, tantâ vnanimitate peruaditur murus vrbis exterior, vt si scalarum apparatus non deessent, Francorum continuò ditioni vrbs pariter ac vrbana cessissent. Tota igitur ante muralis fortitudo irrumpitur; & per minoris ruinas, plenario iam patente progressu, ad maioris propugnacula muri, vna, quæ affuerat, scala porrigitur: Quâ nostri milites quidam conscensâ citissimè, cœpêre prælia iam habere præ manibus; & vbi iactus defecerant, tota fiebat res lanceis & ensibus: defensores ciuitatis, & eorundem obsessores ferro decernunt comminus. Occubuerunt itaque multi ex nostris, sed ex illis plures. Sciendum autem; quoniam hæc ipsa ciuitas, cum adhuc Antiochia obsideretur, sub regis ditione Persarum detinebatur à Turcis. Porrò *Babilonicus Imperator*, cùm, sicut superiùs retulimus, ad nostrum legatos exercitum direxisset, explorandi statum nostrorum solummodò id causâ effecisse dinoscitur. Cum enim dirissimâ Christianam militiam indigentiâ profligari conspicerent; & optimates quosque, deficientibus equis, factos iam pedites comperissent, nostra omnia vilipendere, nec quicquam nouarum moliri rerum contra Turcos, quos potissimum patiebantur infensos, nostrorum, qui contra eos exercebantur, fiduciâ præsumpsêre. *Rex* plane *Persidis* de Babilonico, quod vsquequaque latissimum perhibebatur, imperio, multam vsurpauerat portionem: sagatiorem enim habebat, bellorum industriâ gentem. Comperto idem denique Babilonicus Princeps quòd Franci, imo per Francos, Deus Antiochiam subegisset, & Antiochiæ pro mœnibus, Curbaran ipsum, cum tota Persarum superbia, confudisset, sumptâ confestim audatiâ, Turcis arma intulit; Iherosolimamque, cui dominabantur, obsedit. Quâ, nescio vi aut aliquâ confœderatione, receptâ, in ipsa turri, quæ dicitur Dauid, & quam propriè dici putamus *Syon*, Turcorum plurimos, ad custodiam nescio an ad dominium, dimisêre: de quibus constat quia nostrorum neminem inter obsidendum penitus nocuêre; soli arcis custodiæ cui deputati fuerant pacificè intendêre. Contra Sarracenos ergo nostri huius belli commertium habuêre. Igitur in ea obsidione, panes qui emerentur reperiri non poterant, & per dies circiter denos, huius passim extitit difficultas edulii: donec Deus nobis assisteret, allapsâ portui *Ioppe* nostri classe nauigii. Parque fuit pressura sitis, adeo vt non modò ipsi tali miserabiliter fatiscerent incommodo; sed etiam equos suos cum cæteris iumentis, per sex milium spatia, procul potanda deducerent, sub hostium circumcursantium timore nimio. *Syloa* nempe fons, ex Euangelici cæci retectione præcognitus, qui à radicibus Syon montis emergit, ipsos alebat: quæ aqua summâ siquidem inter eos caritudine vendebatur. Postquam ergo missa legatio Ioppen appulisse nauigia nuntiauit, communicato Seniores consilio, proponunt milites, quos ad tutelam nauium ac hominum in nauibus positorum, ad portum debeant destinare. Summo itaque diluculo cùm iam exprimeret tenuis aurora crepusculum, *Raimundus*, qui crebro à nobis sermone teritur, cum duobus aliis proceribus, centum, de Domini sui Sancti Egidii Comitis exercitu, equites legit; & ad portum vsque solitâ auctoritate procedit. E quibus, triginta ilico sese milites excepêre; & digressi ab aliis, Turcos, Arabes, Sarracenos, septuaginta circiter reperêre, quos nostrorum itus ac reditus direxerat aucupatum *Rex Babiloniæ*. Quorum cueco nostri, & si nimis impares numero, grandi animorum acrimoniâ inuehuntur: sed tanta hostium virtus ac ferocitas extitit, vt vndique imminerent, iam vsque ad ipsorum pernitiem, nostris. Vnde & alterum de duobus illis proceribus *Achardum* vocabulo, peremerunt, & aliquos ex pauperibus, & ex peditibus honoratiores. Cùm ergo ambirent nostros, & armis hinc & inde conclusos vrgerent, & penè iam miserabili desperatione conciderent, venit qui Raimundo illi prædicto necessitatem quam sui comites paterentur ediceret: *Quid tu*, inquit, *istic detineris, & milites? Ecce tui qui recens à te abierant, Turcorum, Sarracenorum & Arabum atrociter circumcinguntur examine; & nisi eis adminiculum ocius feras, morituros, nisi iam obierint indubiè omnes in proximo scias. Vola igitur, propera, quia fateor, erit omnis tarda velocitas.* At Raimundus, cum suo vniuerso comitatu, expeditiùs inuisere locum quo hæc agebantur accelerat; sed in ipso certaminis apparatu non in armis, non in viribus, verùm in Saluatoris fide suffragium sperat. At Gentilium, vbi Christi militiam

Phalanga conſpexit, duarum continuò acierum diſcrimina fecit. Inuocato itaque Altiſſimi præſidio, tantâ noſtri illis vehementiâ irruerunt, vt quiſque hoſtem ad ſe verſum properãtem proſterneret. Conſiderãtes ergo vires ſeſe diu Chriſtiani impetus non laturos, ceſſêre Pagani; & celeri fugâ intolerandæ conſuluêre formidini. At noſtri eos rapidâ maturitate ſequentes, per quatuor milium remotiora fugarunt: in tantum, vt cùm ex eis plurimos peremiſſent, equos Centum treſque, pro victoriæ ſigno, reducerent. Verùm occiſis cæteris, cùm vnum ſuperſtitem reliquiſſent, ſecum adduxerunt, à quo quæcunque apud hoſtes tractabantur, & quæ princeps Babiloniorum facere contra noſtros propoſuerat, didicerunt. V. Interea ſitis inſolentiâ horribiliter grauabatur exercitus, adeò vt coria boum bubalorumque ſuerent, in quibus deferebantur aquæ per miliaria ſex. Talibus vtribus ad conuehendas vtebantur aquas, quæ ex recentium tergorum humore exolidæ, maximam miſeriam inediæ quibuſdam intulerant, in vſum exercitus tranſire coactæ, cum ordeaceo pane. Quantâ tot virorum nobilium fauces & guttura cibarii panis illius rodebantur aſpredine? quantâ delicatos eorum ſtomachos putidorum laticum putamus tortos acredine? Bone Deus, quid patientiarum inibi fuiſſe penſamus, vbi non immemores erant quique habitæ quondam in patria dignitatis, quàm condire fuerat ſolita non exiguæ requies voluptatis, cùm ea quæ patiebantur nullius exterioris lenirent aut ſpes aut ſolatia quæſtus, eoſque in dies crudeliſſimorum laborum decoqueret æſtus? Hæc mea eſt ſententia; hæc vnica, Nunquam à ſeculorum tales extitiſſe principiis, qui pro ſola expectatione emolumenti ſpiritualis, tot corpora ſua expoſuêre ſuppliciis. Vrebant animos remotæ adeo peregrinantium pignorum affectus, delectationes vxoriæ, poſſeſſionum faſtigia; & tamen ac ſi ibidem permanſuri perpetuò, non deſiſtebant à Chriſti proſequenda militia. VI. Sarraceni igitur circa fontes ac flumina iugibus inſtare inſidiis, vbique locorum noſtrorum cędibus inhiare, prædari, ſi qua contigiſſet occurrere, rapta ſiue animalia, ſeu quælibet alia in cuniculos & ſpelæa abducere. Circa ciuitatem per exercitum in procinctu commanentem, famis ſitiſque atrox bachabatur acerbitas; & hoſtium, hinc & inde vagantium rabidior detonabat circumquaque malignitas. At Principes ſacræ militiæ, tantum incommodum, à tot tamque diuerſis hominibus tolerari vix diutiùs poſſe videntes, quibus machinis ciuitas expugnabilior putaretur coniiciunt, quatinus, pro quo tanta pertulerant, paſſi ac ſepulti monimentis Saluatoris adorandis intereſſe valerent. Præter alia ergo inſtrumenta plurima; quibus aut muri per arietum illiſiones labefactarentur, aut crebris baliſtarum iactibus turres concuterentur ac mœnia, duo iubentur inſtitui lignea caſtra, quæ nos ſumus ſoliti vocare *Phalas*. Dux itaque *Godefridus* ſuum primus cum aliis conuenientibus machinis ædificat caſtrum: & Sancti Egidii Comes *Raimundus*, qui nulli ſe patiebatur eſſe ſecundum, ipſe itidem inſtituit ſuum. Tum Sarraceni, dum machinas erigi, dum caſtra procedere, dum admoueri arcibus tormenta conſpiciunt, muros & ipſi prouehere, fulcire labentia, turrium ſummas inſolitâ proceritate porrigere. Quæ quidem vniuerſa, cùm maturarent explicare noctibus, interdiu de nouitate operum noſtris miraculum exhibebant. Ligna autem, de quibus noſtri aut caſtra, ſeu quaſque machinas inſtruebant, conuehebantur è remotiore prouincia. Perpendentes itaque exercitus Dominici Proceres, cui vrbis parti imbecillitas maior ineſſet, cuiuſdam nocte Sabathi, caſtrum idem cum aliquibus machinis illò deportant. Ab orientali ergo parte ſummo ea diluculo eriguntur; primaque, ac ſecundâ, tertiaque feriâ, his aptandis ſtabiliendiſque inſiſtunt. Comes etiam ***Sancti Egidii*** à Meridiana plaga ſuam inſtaurabat machinam. Dum ergo tanta obſidionis ferueret intentio, ſitis tamen intolerandæ omnium præcordia torrebat ariditas: in tantum vt pretio vnius nummi vel ad refocillandum, vt ſic dixerim, nequaquam aqua ſufficiens valeret haberi. Quartâ demum ac quintâ die, collatis vnanimiter viribus, aggredi conſtituunt ciuitatem ex omni parte vallatam. At antequam hæc fieret deſtinata peruaſio, ſubiectis plebibus lætanias indicunt Pontifices, atque presbyteri; ieiunia, orationes, ac eleemoſinas præcipiunt celebrari. Memores igitur idem præſules Ihericontini quondam caſus, & quod Iſraelitæ tubis aliquando clangentibus, circumitu ſepteno, & Sacræ Archæ circumlatione, diruerant

diruerant perfidæ mœnia ciuitatis: cum multa ſpirituum & corporum contritione proceſſiones agendo, Sanctorum nomina flebiliter inclamando, *nudipedalia* exercendo, Iheruſalem circumeunt; cùm Seniores, tum populi, ſuperna implorando ſubſidia, eidem neceſſitati concurrunt. His denique, profundiſſimæ ſtudio humilitatis, explicitis, accidit vt ſexta occurreret feria, in qua cùm vehementi ciuitatem impetiſſent inſtantiâ; & nulli prorſus effectui molimina communia valuiſſent: ecce totius militiæ animis tantæ deſperationis ſtupor irrepſit; adeo vniuerſorum robur euanuit, vt infortuniis eliſa frequētibus quorumque generaliter audaciſſimorum corda conciderent. Audiui, teſtor DEVM, à viris quibuſdam veritate præditis, qui illi diuino interfuêre procinctui, quia cùm Chriſtiana militia à ciuitatis mœnibus expugnandis ſine vllis reuerterentur effectibus, videres optimos quoſque equitum à murorum congreſſibus reſilire, manus complodere, eiulatibus diris obſtrepere, & quaſi à DEO iam omnimodis desererentur, ingemere. Eſt etiam mihi non inferiori relatione compertum, *Rothbertum* Northmanniæ comitem, *Rothbertumque* alterum Flandriarum principem iunctis pariter conueniſſe mœroribus; & ſe cum fletibus vberrimis conclamaſſe miſerrimos, quos ſuæ adoratione Crucis, & viſione, immò veneratione Sepulchri tantopere IESVS Dominus iudicaret indignos. At eâ propinquante horâ, quâ verus ille IHESVS, qui ſecundò populum de Ægypti exegit ergaſtulo, in Crucem ſublatus creditur, Dux *Godefridus*, & Comes *Euſtachius* frater eius, qui è caſtro nullatenus propugnare deſtiterant; & muros inferius creberrimâ arietis inliſione pulſabant; & eos, qui ſupernè mœnibus defenſandis adſtabant lapidum ictibus, ac variis miſſilibus collatis, etiam hinc indeque præſtò mucronibus, Sarracenos pro vitæ patriæque tuitione pugnaces vrgebant. Interea *Letaldus*, ex equitibus quidam, tanti auſu & opinione facinoris per temporum ſuccidua celebrandus, primus ſuper muros ciuitatis inſiliit & maximo circumſtantium ſtupore Gentilium, mentes felici hac ex præſumptione concuſſit. Vt ergo vir ille conſcendit, quique iuuenum Francicorum, quos pia iam dudum reddiderat illuſtriores audacia, ſeſe proripiunt; & dum inferiores illi vni, qui præceſſerat videri refugiunt, murorum pariter ſuprema conſcendunt. Quos etiam nominatim huic insererem paginæ, niſi ſcirem poſt reditum tantorum eos flagitiorum ac ſcelerum infamiam incurriſſe, vt de eorum expreſſionibus ſecundùm iudicium DEI nomen diligentium videar non iniuriâ tacuiſſe. Mox itaque vt Francos Sarraceni muris inuolaſſe conſpiciunt, per muros ipſos, perque ciuitatem continuò fugam arripiunt. Illis denique cedentibus vniuerſus illico noſtrorum ruit exercitus: aliis per foramina arietinis ictibus acta; quibuſdam per machinarum influentibus faſtigia. Fit, introire nitentium, admodum tunc perniċioſa celeritas; & dum quiſque primus repperiri deſiderat, mutuâ alter alterum compreſſione conculcat. Porrò etiam circa ipſos, quos Sarraceni obſtruſerant, vrbis portarum introitus, fraus adoperta ſcrobium, Sarracenis eiſdem conſtat autoribus: vbi multis intulit ipſe periculum caſus, excepto eo diſcrimine quod fecerat, dum impatienter influunt, anguſtus introitus. Paganos itaque fugientes, Franci ferociter inſequuntur; & obuiis omnibus indifferenti cæde mactatis, vſque ad ipſum, quod dicebatur *Salomonis templum*, internetio potius quàm pugna, per plateas & compita vicoſque protenditur. Vbi & tanta extitit humani cruoris effuſio, vt procedentium prope talos, irrigui ſanguinis vnda ſubmergeret. Iſtac quidem res eâ proſperitate proceſſit. *Raimundus* verò, Sancti Egidianus vtique ille Comes, à Meridiana plaga admouit exercitum; ingens pariter machina rotis acta, ferebatur ad murum: ſed inter eam, quæ caſtellum dicebatur, machinam, & murum, fouea nimis alta patebat. At princeps, accelerato conſilio, qualiter præruptum illud valeat ſine difficultate longa repleri, per exercitum iubetur præconum voce cantari: quatenus qui in eandem foueam trium eſſet portitor lapidum, vnum ſe ſciret denarium habiturum. Quæ repletio, tridui ſpatio vix potuit exæquari, cùm nec noctibus poſſet à cœpto ceſſari. Oppletâ in hunc modum foueâ machinam illam exhibuêre mœnibus. Porrò illi, qui interius vrbis defenſandæ curas aſſumpſerant, non dico fortitudine, ſed pertinaciſſimâ noſtris rabie obſiſtebant, Græcorum, quos ſic vocabant, ignium ſaxorumq; iactibus machinarū carpenta vexantes.

Quorum ictus atq; molimina miro Franci ingenio, multotiens fefellerunt. A parte interea Orientali, ciuitate, vti prædixi, irruptâ, ad prædictum comitem pertulit haud alius quàm pugna tumultuans, quòd Franci iam in vrbe passim cædendo discurrere captâ viderentur. *Quid*, inquit ad suos, *istic moramini? Nonne Francos, Ciuitate optentâ, celebri spoliorum raptu iam triumphare conspicitis?* Irrupit itaque cum suis celerrimè Comes vrbem: & quia Francos per vrbana palatia quosdam, aliquos ad Dominicam Memoriam, nec paucos pro pastoforiis, vt veteri vtar nomine, Templi Salomonis acerrimo conflictu euagari exercerique didicerat: ne à dominio captæ expers existeret ciuitatis, cum eo *Admirauiso*, sic enim eum vocant, qui Arci Dauid, quæ *Syon* dicitur, præerat, sermonem habuit; vt arcem sibi factâ deditione contraderet, ab illo exegit. Satrapa itaque, pacto inter eos inito, Comiti eidem, portam illam aperuit, per quam catenus Iherusalem introeuntes Peregrini, & introire; & pensiones, quas *musellas* vocare solebant, soluere nimis indebitè ac crudeliter cogebantur. Ingressis igitur *Prouincialibus*, Sancti Egidiani scilicet Comitis exercitu, & cæteris omnibus vrbem, fiebat Paganorum indiscreta percussio, non teneritudo, non species, non grauitas, non vllæ vires subtrahebantur exitio: cunctis generaliter, ineuitabiliterque, imminebat dira pernities. At hii qui ad Salomonis Templum sese contulerant, totum aduersus nostros confligendo detinuêre diem, sed nostri, eorum semiuiuam desperatorum indignè ferentes audatiam, conspiratâ animositate se ingerunt; & Templi adita, exertis socialiter viribus, penetrantes, tantâ miseros intra fani ambitum cęde dilacerant, vt cruores peremptorum sine numero, calceorum penè oras excederent. Promiscui ergo sexus, & indifferentis ætatis, innumerabili per idem templum multitudine fusâ, quosdam reliquêre superstites, spatio eis vitæ interim ac salutis indulto, donec cæsorum cadauera, quorum dispersa iacebat hac illacq; fœda congeries, ipsi amolirētur à templo. Quibus amotis, & ipsi quibus & priores, succubuêre mucronibus. At qui Templi suprema conscenderant, vulgi promiscui infinitâ frequentiâ, *Tancredi & Gastonis*, pro signo sibi interim pacis indultæ, vexilla suscipiunt. Is autem *Gaston*, vir illustris atq; ditissimus, vtrum de Gasconia, an Basconia foret, non integrè memini: quia tamen de alterutro esset ad certum tenui. Exercitu igitur discurrente, ciuitas vniuersa diripitur; obtentisque palatiis, & quibusque ædibus, argenti diues & auri, sericarumq; vestium præda corripitur; equorum mulorumq; multiplicitas aperitur; in domibus, victualium omnium opulentia reperitur. Is autem in Dominica militia modus & exæquatio fuit: *vt cuicumque, etiam pauperrimo, sese qualibet optima obtulissent, eius procul dubio, absque retractatione, fierent*, cuiuscumque conditionis videretur, cui ad manum primò venissent. Et ecce, his omissis ad illud quod tantis desideriorum æstibus sitiuerant, mixtis pariter gaudio & mœrore concurrunt.

IX. Sepulchrum ergo Dominicum adeunt; & de quæsita beatorum locorum libertate, illi summopere gratulantur, qui tanta per eos exercuerat, quanta, nec ab ipsis per quos acta sunt, neque ab vllo hominum poterant æstimari. Recordabantur earum, quas ob hæc ipsa passi fuerant, anxietatum; hasque ad insperabiles dum contemplantur peruenisse triumphos, dumq; seculis incognita facta considerant per se ipsos, comprehendi à nemine valet fletus emiserint quàm beatos. DEVS omnipotens, quid ibi viscerum, quid lætitiæ, quid dolorum fuit, dum post in auditas, & cunctis à seculo exercitibus inexpertas, quasi partuum torsiones, ad noua visionis adeo desideratæ gaudia, ac si nati filii, sese peruenisse conspiciunt. Mœrent igitur, & tamen fusis lachrimis, omni sibi dulcioribus pane, coniubilant, IHESVMQVE piissimum suorum diutinorum laborum ac cruciatuum causam, ac si cruci appensum, ac si ad huc sepulchri integumento detentum, per singula memoriarum momenta, vberrimis complectuntur affectibus: Auri, argentique magnifica tributa penduntur; sed omni valentior munere deuotio interna profertur.

X. Denique crastinum mane recanduit; & ecce Franci, eos adhuc residuos esse dolentes qui Templi suprema conscenderant, quibusque *Tancredus*, & *Gaston* propria, vt supra diximus, vexilla porrexerant, fani acerrimè tecta peruadunt; Sarracenos, feminas cum masculis dilaceratos interimunt. Quidam ex eis electâ sibi potiùs morte, quàm sponte ipsimet consciuissent, sese Templi fastigio dedêre præcipites.

Tancre-

Tancredus tamen, pro signi præbitione sui, & sponsione quam *Gaston* & ipse fecerant, cædem eandem ægrè tulit. Præcipiunt itaque nostri Sarracenis aliquibus, vt mortuos efferant, quia eos teterrimo fœtore grauabant: tantâ enim cadauerum frequentiâ ciuitas opplebatur, vt eundi, nisi super occisorum corpora, Francis facultas nulla daretur. Pagani ergo, suorum funera exportantes ab vrbe, pro foribus eius, extructis de cadauerum congerie montibus aceruatim pira subposita comburebant. Tantas Gentilium vsquam cædes accidisse rarò legimus, numquam vidimus; Deo eis referente vicem, qui tot, pro se Peregrinantium pœnas & mortes, quas tanto fuerant tempore ibidem passi, dignâ nequissimis retributione restituit. Non enim est quisquam sub DEO intellectus, cui æstimabile habeatur, quanta illic cunctis sancta loca petentibus, à Gentilium insolentia tormenta, labores, atque neces inlata constent: *quæ magis DEVM certa est fide doluisse credendum, quàm manu profanâ captiuatam crucem atque Sepulchrum.* Sed antequam ad alia calamum diuertamus, id videtur primitus intimandum, quod Salomonis illud, de quo supra egimus, Templum, non verè idem quod Salomon fecerit, est ædificium, quod constat Domino, lapidem super lapidem non remansurum, prædicente, dirutum. sed eius profectò simulachrum, à nescio quibus, ob testimonia nobilitatis Domus antiquæ, constructum. Erat idem planè locus pulchritudinis infinitæ, auro argentoque, incomparabili pretio, nec minus incredibili varietate, compositus, parietibus ac valuis laminarum metalli preciosi affixione productis. *Raimundus* verò Comes præfectum illum qui arci præerat, cuique sua signa commiserat, noctu de arce emissum, sospitem tutumque Ascalonem cum omnibus qui comitiæ suæ erant, duci fecit.

Matth. 24, 2.

XI. Præterea vrbe, sacrisque locis libertati restitutâ, mox per vniuersam CHRISTI militiam elemosinæ fieri orationesque iubentur quatinus eorum animis dignetur vnctio superna suggerere, quem sub dignitate Regia ad iura debeant regenda Sanctæ Ciuitatis eligere. Octauo itaque post eius receptionem die, cum Sancti Egidiano Comiti pro sui magnificentia id muneris obtulissent, & ille vsitatæ amplitudinis non immemor, tam oneroso negotio se submittere, consilio altiori, refugisset, vir quippe grauis æuo & monoculus erat, armis tamen mirabiliter industriàque claruerat. *Godefridum* demum ducem aggrediuntur, & ei omnium pariter instantium prece, huiusce laboris potius quàm honoris fascis imponitur, habituro, contra Gentilium copiosissimas vires, duellionis inremissæ rigorem, & perpetuum cum sibi adiacenti Christianitate fauorem. Is autem, cùm membris exilibus esset, at nimium proceritatis idoneæ, eloquio quidem lepidus serenitatis immodicæ, armorum in illa expeditione Dominica, se præbuit strenuitate spectabilem, ita vt testimonio veraci probabile id de ipso præclari facinoris cantitetur, Turcum eum inloricatum, equo tamen vectum, apud Antiochiam super pontem Pharpharis obuium habuisse, huicque ilia tam validè gladio traiecisse, vt corporis truncus decidens terræ procumberet, & crura sedentia pertransiens equus efferret. Solent enim Lotharingi cùm longitudine tum acie spatas habere mirabiles.

XII. Cuius aliud non inferioris factum gloriæ, dignum quoque relatu ac omnimoda celebritate subnectendum censuimus. Niceam ceperant, & ad Anthiochiam obsidendam, quoniam super Nicea res fortuniosè processerat, contendebant, cum inter eundum, aliquotiens, dum à procinctu solito oportunitas securitatis adesset, progredientes è viburnis contiguis bestias venarentur: saltus namq; eius regionis, non eâ quâ nostri grossitie aut proceritate eminent: semel accidit, vt immanis admodum corpulentiæ vrsus è frutectis exiret, quem comperiens exercitus circumquaque disquireret. Vrsus nempe isdem, persensâ frequentiâ conclamantum, è quibus emerserat siluas extéplò repetiit. Multis ergo vndecunq; giràtibus, cùm nil occurreret, misero cuidam contigit ad bestiæ lustra pertingere. Quem vbi incautum vrsus adoritur, brachiis subigit, hominisque iacentis corripuit mox dente femur. Et ecce Dux, dum à suis euagatus oberrat, solus interuenit: quem miser intuitus, & ex circumstantia doloris ac timoris illacrimans, ingenitas viro liberalitates obiectans, super opis latione compellat. Nec ille, cui penè omnis constabat ex virtute natura, cunctatur auxilium, sed adnisu quo valuit exactum à vagina in

verticem Beluæ illisit protinus gladium: Quæ ossis obnitente duricie, potius irritata, quàm læsa, in Ducem se contulit: at illius tamen, primò infelicis, quos trux intruderat dentes à crure remisit. Qui celer excedens, & de vicissitudine Duci referenda, sui vtpote curiosus, iam negligens, in cœpto dimisit vtrumque conflictu. Igitur fera, eo ictu efferata, *Insilit, ac vnco corripit vngue Ducem; Deiicit, ac sub se cohibet crudelibus vlnis; Et rabido rapuit mordicus ore femur: Cuius regia mens nequaquam subita turbam Perpessa ruinâ. Protractum retinere manu non destitit ensem.* Cùm ergo iaceret elisus, & quam carpere cœperat coxam fera torqueret, Dux sui necessitate non immemor, in ipso confinio ceruicis & armi gladium bestiæ applicat; aciemque mucronis, vniuersæ collatione eidem virtutis inuiscerat. Quæ persentiscens ferrum ad interaneorum ima prolabi, tandem quos in femoris pulpa constrinxerat rictus, extulit. Dumque à ferali se ore solutum Dux inspicit, sed loco eam non moueri attendit, iunctis à se pedibus propulit: sed in ipso repulsu, per prominentis à beluæ pectore gladii aciem, suras sibi tibiarum lætaliter penè concidit. Ruit itaque multo deteriùs, quàm cùm premeretur à bestia; & toto iam corpore inualido ac exangui, vix aliquando repperitur à suis. Solitudinum suarum pœnituit tunc serò Ducem: dum per id, appendicis sibi exercitus, & totius sacræ militiæ detrimenta contingunt. Vsque ad finem planè Antiochenæ obsidionis ægrè prorsus nisi lecticâ deuehi potuit: & ideo, quia nec sibi nec vlli prouidere poterat, quindecim fermè hominum milibus, qui sibi cohæserant, & ab eo pro infirmitate desciuerant, breui caruit.

XIII. At quia vrsum semel adorsi sumus, quid Balduinus etiam eius frater, qui nunc vsque Iherosolymæ regnat, egerit præoccupare voluimus: quia nullus id referendi forsitan sese aliàs aptior aperiet locus. Pro ereptione cuiusdam sui peditis, cuius admodū sese iuuaret audatia, grauissimū similiter in prælio vulnus exceperat. Verebatur prouidentia illius, quem sibi adhibuerat, medici, inditis cataplasmatibus exterius cicatricem obducere: nouerat enim idem vulnus interiora corporis profundius attigisse: ne dum cutis superficies æquaretur, intrinsecus saniei congeries foueretur. Quod ita fieri, miro modo, laudabili coniectura experientiaq; proposuit. Regem petierat, vt aliquam, ex his quos custodia detinebat Saracenis, personam, eo statu, tali in loco, quo ipse sociatus fuerat, vulnerari præciperet (Christianam enim nephas petere erat) & post illationem vulneris, occidi iuberet: quatinus in interfecti corpore licentius disquireret, immo ex eius despectione perpenderet, qualiter se in suis, plaga regia interius haberet. Horruit ad hæc nimium pietas principalis Constantini veteris exempla resculpens: *negat se cuiuspiam hominum, etiam deterrimæ omnium conditionis, causam mortis vllatenus, pro tantilla, cum etiam sit dubia, salute futurum.* Tum medicus: *Si inquit, reparandæ tibi gratiâ sospitatis nemini vitam adimere definisti, saltem vrsum inutilem satis nisi spectaculo bestiam admoueri manda; prioribus pedibus in sublime porrectis erectā, ferro feriri impera, cuius peremptæ post modū cū peruidero viscera, metiri sanè vtcumq; potero, quorsum intrò processerit, quantum quoq; læsio tua.* Cui Rex *bestia* ait, *non in mora, cum opus fuerit, erit: factum puta*: facto igitur ad libitum medici ex fera periculo, comperit incommodum vt prælibauimus regi, si obductio celerius vulneri proueniret, nisi prius exhaustâ purulentiâ pars intrinsecus scissa coiret. Hæc supra regum pietate dixisse sufficiat: quorum gloria æquè fateor, incessisset, si non pontificii electio, immo & ipsum pontificium claudicasset.

XIV. *Hucusq; Musa, per frutecta veprium Incessit arto scrupulosa tramite Calles euntis occupante nubilo: Aurora seri vix fouere syderis. Lues cruoris hactenus cucurrerit. Stragi famiq; nil vacans resederit. Fortuna si qua rebus interdum suis Arrisit, aura cladium rapax tulit. Quis dum Nicæna subruere mœnia, Quis vrbe captâ fructus est Antiochi? Is est profectò qui fit ex suppliciis, Cuicumque sancto morte victa martyri. Dolenda namque si qua contigit pati, Mixtisque ferre cædibus penurias, Mœror futura parturire gaudia. Quò vtar ergo vocibus Psalmographi? Lætatus sum ex his quæ relata sunt mihi: Licet subire presto iam domum Dei. Pes ecce noster atriorum Solimæ, Calcator extat, ac ouans obambulat. Franci laboris hæc habete præmia: Nec vos dolete pertulisse tristia. Optata tandem vos Sepulchri visio, Crucisq; tacta fletibus redemptio Iuuat, fugitq; pectus omne passio. Vrbs ista sæpe præda facta regibus, Pessum*

Psalm. 121.

Pessum dabatur obruenda funditus. Hac, ô beata captione Ciuitas, Hinc promerens, vt imperare debeas, Ad teque regna Christiana contrahas! Videbis orbis huc venire glorias, Tibique matris exhibere gratias. Non Ezras olim, vel Machabaus Iudas, Post dampna, tanto prouehunt opes tuas: Non Adrianus, vnde nomen Helia, Te suscitando quit dedisse talia. Pro te tuisque mundus iste militat: Hæc penè cura seculum solicitat. Quondam Iudæa dum vigeret optimè, Præbere quibat huic decus parabile. Quid carminantur in duella milites? Estote, quæso, Perfidis pernicies, Non vestra: quidquid officit Iherusalem, Et Babylonis obserate Principem. Vt fas adire sit bonis IHESV Crucem, Pium Sepulchro subiugare verticem. Clamabo nostra comperisse tempora, Quod 10 *non docebit vlla fastorum scola.* At quoniam dum temporalia procurantur, quæ Regia administratione tractanda putantur; interiora negligi non debent, quæ sacerdotali officio pertinent: Rege prout potuêre creato, de *Patriarcha* consequenter substitutione pertractant. Erat ibi tunc temporis quidam sub censura clericali agens, sub quo autem gradu nescio, qui vocaretur *Arnulfus.* Is in Dialecticæ eruditione non hebes; cùm minimè haberetur ad Grammaticæ documenta rudis, Regis Anglorum filiam monacham, eam quam præmisimus, diu disciplinâ docuerat: cui Northmannorum Comes, mediante sorore, spoponderat, quod etiam Episcopalem honorem ipsi deferret, si quempiam Episcoporum suorum obisse contingeret. Interim Hierosolymitani itineris cùm suborta fu-20 isset occasio, Episcopus Baiocensis, *Odo* nomine, vir magnarum opum, hoc ipsum deuouit iter. Qui cùm senioris Anglorum Regis *Guilelmi* frater esset, & præter pontificii dignitatem apud Anglos comitatum *Cantiæ* obtineret, spe incomparandorum thesaurorum, in tantum res visus est audere nouas, vt etiam de Regni contra fratrem proprium præsumptione tractaret. Quem Rex præueniens carcerali mancipauit custodiæ; detinuitque virum, vsque ad sui ipsius exitum vitæ. Quo exacto Episcopus idem libertati ac honori rediit; & vti præmissum est, vix huius intonante præconio, ipse suæ gentis fretus frequentiâ, cum opibus innumeris ire prærexit. Cuius *Arnulphus* idem comitatui sese indidit: & cùm huic ipsi Episcopo citra, nisi fallor, Romaniæ fines finis obtigisset, ex il-30 lo maximo censu quem post se reliquerat, hunc legatarium, penè ante omnes, supellectilis suæ preciosæ effecit. Cùm enim scientiâ litterali plurimum posset, & ingenio eloquentia non deesset; vberiorque iam copia cognitionem redderet, cœperat nostros crebris animare sermonibus, famamque suam propagare in talibus. Inopia namque litteratorum, virum fecerat clariorem: &, dum vox magis quàm vita curatur, ad hoc vt Hierosolymitanus fieret Patriarcha vocatur. Aliquandiu itaque, solo nomine, pontificale ostentum se præbuit; declamationibus suis tamen nouitati illi profuit. Tandem post aliquantulum temporis, cùm facta vsque ad Apostolicam sedem procrebuisset electio, Papa *Paschalis*, post obitum Podiensis Episcopi, vices super Do-40 minici exercitus cura, suas Archiepiscopo *Daiberto* Pisano mandauit. Qui iam captâ Iherusalem Rege promoto, cum plurima classe aduenit; nec multo post, electionem quæ de Arnulpho fuerat facta euentilans, secundum Canonum iura refutandam duxit. Discusso nimirum hominis genere, sacerdotis filius reperitur: qui non solùm à sacris arceri præcipitur gradibus; sed secundùm *Toletanæ Synodi* scita, eius Ecclesiæ, ad cuius iniuriam constat esse progenitus, seruus iubetur fieri sempiternus. Hac exclusus, cùm se summopere ingereret & defensaret, sententiâ, cùm proceres eius pudori, quia repulsus fuerat, mederi in aliquo voluissent, sciscitantur ab ipso, quem eligendum duceret. Ille, coæqualibus iunioribusque, vt est prauitas 50 naturæ, mox inuidens: *hunc ipsum*, inquit, *Pisanum, qui legatione fungitur accipite.* Dictis eius Principes assensêre, raptumque Archiepiscopum, vix eius conniuentiâ requisitâ, in ipsa cui sedebat cathedra; per seipsos idem principes in Ecclesiam euexêre. Nec morâ, hunc eundem, post Regis gloriosi Godefridi occubitum, cùm regnaret *Balduinus* frater eius, qui Edessæ præfuerat, proditionis insimulant; sicque certo dampnatum crimine, eum qui Metropolitanus fore destiterat, Patriarchatu priuant. Cumque de insti-

tuendo Pontifice iterata tractaret electio, prouidens *Arnulphus*, vt talis fieret, qui nullatenus à suo imperio dissentiret, quendam de suis contubernalibus, quem sibi per omnia obtemperaturum, vtpote virum simplicem & inlitteratum, vocabulo *Ebremarum*, omni fauore promouit. Quo postmodum sese religiosè agente, & ad eius ad integrum, vt putamus, nequaquam vota gerente, apud Apostolicam sedem eum nuperrimè accusauerunt; sed in ipsa sua accusatione fœdissimè defecerunt. Vnde tantum cum suis complicibus, qui sibi in accusando admisi fuerant, apud Regem odium incurrit, vt eum à Sepulchri custodia arceret, quinetiam ab ipsa vrbe extruderet. Regratiatus autem Pontifex Apostolicæ sedis apicibus, ad plurimum exequutorum suorum dedecus, Iherosolymam rediit. 10 Hæc de illius imaginarii Patriarchæ electione ac deiectione dixisse sufficiat. Quæ electio omnium bonorum cassanda iudiciis, die festiuitatis Sancti Petri ad vincula erupit, sed cum ei nulla piæ vitæ adiumenta suppeterent, effluxit. Ciuitas autem eadem capta est à Francis, quintodecimo prouecti Iulii die, cùm sexta esset feria; ipsâ ferè, quâ CHRISTVS in Crucem sublatus est, horâ.

XIV. Non multo post tempore, immò paucissimis post diebus; adsunt *Neapolitanæ* ciuitatis legati, quæ *Scichem* antiquitus, vel *Samaria* vocabatur, *Tancredo* & *Eustachio* Comiti, Ducis pridem Regis, modò fratri, viris spectalibus ac fortissimis suggerentes, vt plurima succenturiati militia, ad præfatam proficiscerentur vrbem, eam proculdubio in ius proprium recepturi. Procedunt illi, ductisque secum multis, non si- 20 ne peditum numerositate, equitibus, ciuitatis appulêre suburbio. Quibus oppidani, reserato præsidio, spontanea fiunt deditione subiecti. Adsunt præterea & alii, qui ad Regem *Godefridum* perferunt *Imperatorem Babylonicum* magnas, bello contra se gerendo, apparare copias. Rex ilicò, ad ea quæ nunciabantur redditus acrior, fratri Eustachio & Tancredo sibi nunciata denunciat; & vt quantotius Iherosolymam regredi præproperent, missâ legatione præcipit ac exorat. Locum autem prælii, apud *Aschalonem* indictum insinuat. Quo inuictissimi idem comperto, dicto celerius montana subeunt. Sarracenos, inter eundum bella moturos æstimantes, minimè repperiunt, Cæsaream que Palæstinæ perueniunt. Progressi inde ad vrbem, quam supra diximus, *Ramothe-* 30 *mum*, beati Georgii memoriâ celebrem, circa maritima constitutam, vestigia vertunt, vbi Arabum non paucos offendunt, qui prædicti prælii præcensores existunt. In quos nostri sociatis, vbi eos animaduertêre, nisibus vnanimiter inuehuntur: hostes fugaciter cedere compelluntur; plurimi viui capiuntur, à quibus, quæcumque de instanti bello agere proposuerat pars inimica, discuntur: vbi videlicet eorum iam conuenisset exercitus; quotus ipsorum haberetur numerus; quis pugnæ eidem præscriberetur locus. His *Tancredus* agnitis Iherosolymorum Regi Godefrido, quæ didicit nunciis directis insinuat. *Arnulpho* etiam, Patriarchæ nomine insignito, aliisque proceribus mandat. *Bellum*, inquit, *ingens vos manere noueritis: quod quia iam dinoscitur imminere, A-* 40 *schalonem properate venire, freti viribus quas poterit solertia vestra potiores conflare.* Rex igitur, quo post DEI fidem nemo sagatior, magnâ ad id negotii omnem DEI militiam auctoritate sollicitat: Aschalonemque, vbi contra hostium apparatum procedere debeant, designat. Ipse verò cum *Patriarcha* vocato, Flandrensique Comite Rothberto, cùm esset tertia feria, ab vrbe prodiuit.

XV. At *Sancti-Egidianus* Comes, Comesque *Northmannicus*, intulerunt Regi, se necdum velle procedere, donec scirent an idem bellum pro certo videretur instare: sese ergo Iherusalem interim reuersuros perhibent, asserentes etiam quia non in mora, cùm opus fuerit, forent. Rex abiit, & dum conspicit eminus hostes, ociùs his, qui Iherosolymæ desederant, hæc 50 scienda mandauit. Continuò quendam acciuit Episcopum, quem destinauit ad vrbem, vniuersaliter suos obtestans, vt præsenti necessitati, submotâ procrastinatione, concurrerent. Quartâ itaque feriâ, quique Principes coactâ generaliter expeditione Dominicâ, castra à ciuitate promouerant: & ipse Episcopus, qui Iherusalem commanentibus Regia verba detulerat, cùm repedaret ad Regem, occurrentibus Sarracenis excipitur; nec patet vtrum occubue-

occubuerit, an captiuus abductus sit. At *Petrus Heremita*, pii hucusque operis exequutor, cum Clericis, Græcis pariter ac Latinis in ciuitate remansit, ordinando processiones, dictando letanias, instituendo orationes, submonendo eleemosinas: vt DEVS hac, quasi suprema, dignetur populi sui cumulare victorias. Porrò Ecclesiastici qui adesse poterant viri, sacris, ac si ad sacra mysteria, induti vestibus, procedentes ad Templum vsque Dominicum, missas orationesque totis affectibus agendo mares ac fœminas conducebant, pro DEI exulum ereptione poscentes. At nomine *Patriarcha*, si qui etiam Pontifices adfuêre, cum quibusque conglomerantur principibus ad flumen quod cis Ascalonem esse di-
10 noscitur. Illic fraude Gentilium multa sunt animalium exposita milia, boum, camelorum ouiumque examina: quæ cùm Seniores didicissent, ad illiciendos prædarum coppiis nostros emissa, celebrato per castra præconio, mandant, ne in cuiuspiam tentorio quicquam prædæ eiusdem repperiatur, nisi quantum dietæ instanti necessarium fore probatur. Interea trecenti Arabes nostrorum sese conspectibus ingerunt, quos ilicò nostri tantâ facilitate presserunt, vt duos ex eis fugaciter actis corriperent; cæteros vsque ad castra sua persequendo minarent. Sero itaque illius ingruente diei, fecit per vniuersum exercitum perfun- XV. ctorius ille Patriarcha cantari, vt diescente crastino omnes expedirentur ad prælium: id apposito anathemate inhibens, *ne quis inter dimicandum spoliis diripiendis*
20 *insisteret*; sed belli ad finem, colligendi studium quisque differret. Cædendis autem hostibus adeo rogat insistere, vt hac illac nequaquam curent, ob vilia emolumenta diuertere, ne alicuius causa cupiditatis incurrant cœptæ detrimenta victoriæ. Sexta illuxerat feria, & ecce progredienti militiæ nostræ pulcherrima vallis occurrit: ibique, in ipsa contigui æquoris planitie, acierum suarum fecêre discrimina. *Dux* iam mutatus in Regem, Comes *Flandrensis*, itidemque *Northmannicus*, *Sancti-Egidiensis* Comes, *Boloniensis* Eustacius, vnà *Tancredus* & *Gaston*, aliqui singulares, pares aliqui, compositis agminibus præfuerunt. Peditum sagittarii, lanceariique qui præcedere debeant militias, ordinantur, cùm Rex *Godefridus* cum sua frequentia parti sinistræ præponitur; Comesque
30 *Sancti Egidianus* iuxta maritima sistitur; tum *Flandrensis* atque *Northmannicus* adequitabat dexteræ; *Tancredus*, & cæteri, vtrarumque partium medii incedebant. Nostri igitur pedetemptim in hostilem cuneum promoueri; Gentiles ad prælia sese parantes, nequaquam locò moueri. Videres ex humeris vasa pendentia, dum ex modicis gelidas cohibebant vtribus vndas: è quibus se potaturos crederent, cùm nostros prosequuturi in fugam cogerent. Sed DEVS longè aliter prouiderat, quàm gens inimica voluebat. Interea Northmanni ac *Rothbertus* Comes, prospecto eminus Principis exercitus telo, quod opertum multo videbatur fulgere argento, & in sui summitate tereti ornabatur auri pondo, equum continuis celerem calcaribus vrgens, Principem, cui pro signo quam diximus a-
40 stitit hasta, rapido impetit impetu; & atroci vulnere sauciat. Altrinsecus *Flandrensium* Comes loro remisso, densum se fudit in hostem. *Tancredus* denique concursu ruit ad tentoria magno. Agmina cum propriis ducibus bachantur vbique: fiunt cruenta cædibus aquora planitiesque loci: protinus hæc sua pernities hostibus intoleranda fuit; sic desperantes mox iniêre fugam. Et sicut erat Gentilium numerositas enormis; ita cõsequenter & facta est enormitas cædis. Si enim magnæ fuerant elationes maris, sese tamen multo mirabiliorem ostendit Dominus in altis. Vnde, vt euidens fieret prælia tanta DEVM, non hominis fecisse manum, patentibus oculis cæcos fugitare videres: & dum vitaturos arma se æstimant, sese armatis obiiciunt. Et dum non patet effugii locus vlli, ardua non tutum plerisque
50 parabat asilum arbor, nec nostras potuêre latere sagittas: præcipites magnas icti fecêre ruinas: aut mortui aut fiunt semineces iaculis aut ensibus omnes, quos fuga non texit: exercuit gladios nostrorum, velut inter pecuaria, cædes. At *Sancti Egidii* Comes, iuxta contigui maris arenas, vbi in hostes proprium absoluerat agmen, tantâ eos vehementiâ in morem tempestatis aggreditur, vt ipsorum non parua manus, dum ferri exitium præcauet, vltronea pelago mergeretur. Explicitâ itaque DEO auctore, victoriâ; Babyloniæ Princeps militiæ, XVI. quem patriâ linguâ *Admirauisum* vocitant, confusus & infortunium quod sit i

accideratsatis admirari non præualens, multa conqueritur. Considerabat nimirum infinitas quas adduxerat copias, lætissimam iuuentutem; fortitudine ac specie arma nobilia, commilitonum opes, &, vt sic dixerim, cuncta equestria; & quod animis maximam quorumque inertium parere securitatem solet, pro foribus vrbis suæ, ad quam certa refugia, in propria pugnauisse prouintia: At Francos, intuebantur modis omnibus inferiore militiâ, profligatam diutinâ fame iuuentam, rubiginosis ensibus, lanceis nigrantibus, exilem destitutis militum viribus armaturam; cunctis qui præ cæteris videbantur insignes, acri egestate torpentibus, equis omnimodo squalore fatiscentibus: &, vt breui clausulâ soluam, pauperrimos omnium, exulem globum innumerabiles superasse mirabatur indigenas: quin potius, per abiectissimos hominum totius Orientis gloriam concidisse. Iuuit quoque nostrorum victoriam plurimum, quòd conclamatâ in hostili exercitu fugâ; *Admirauisus* ille qui præerat Aschaloni, vbi conspexit Babilonicũ vertere terga Ducem, fugitiuos omnes à propriæ vrbis ingressu mandat arceri. Mirabantur planè etiam idem plus nimio hostes, quòd minimè Franci pro mœnibus Iherosolimæ, quasi contigui causâ præsidii pugnare delegerant; sed sibi obuiam duorum itinere dierum penè processerant.

XVII. At *Francis* pro tantâ DEO, vt par erat, nimium gratulabundis victoriâ, *Rothbertus* Northmanniæ Comes, vir numquam suæ mirabilis munificentiæ, etiam in illius exilii paupertatibus, expers, hastam illam, quam argento dixeramus ornatam, quæ Babilonico Principi, veluti signum, præfixa constiterat, à quodam qui rapuerat eam, viginti argenti marchas emit; ipsamque in tantæ testimonium victoriæ ad Sepulchrum Domini statuendam Arnulpho, Patriarchæ vocato, attribuit. At ensem qui eiusdem Principis extiterat, ferunt à quodam septuaginta Bizanteis emptum. Præterea, portui Aschalonico prosecuta exercitum maxima classis appulerat: eâ videlicet illuc occasione conueniens, vt Francis euictis, & sub captiuitatis vincla coniectis, à victoribus eos emerent; ac per vlteriora Orientis regna venundando distraherent. Hii itaque vbi viderunt fœdè fugientes Ægiptios, remotâ continuò dilatione velificant, & ad ipsius sali interiora se promouent. Denique Franci facto ex Sarracenis horribili, præcipuè ex Æthiopibus carnificio, ad eorum tentoria iam solitaria reuertuntur; ac inæstimabili spoliorum copiâ reficiuntur. Argenti diues & auri exinde Gaza producitur; Assyriæ nobilitatis opes, ac quælibet preciosa supellex habetur; omnimoda animalium genera, variorum armorum vtensilia congeruntur: si qua fuêre vsibus apta, seruarunt; quæ extera, igne cremarunt. Regrediuntur incomprehensibili triumphantes iubilo, Iherosolimam; infinitis gratiarum lachrimarumque milibus cumulantes Dominicæ passionis ac Sepulturæ memoriam. Tanta autem Francis, ex huius fortunæ cœlestis euentibus arrisit vbertas, vt hii, qui prorsus inopes & viatici ipsius egentes hoc ipsum olim iter inierant, cum multa auri argentique opulentia, ac spectabili equorum mulorumque euectione redirent: *Lux ea Sextilis quæ proxima præuenit Idus, Obtinuit belli tale videre decus.*

XVIII. Sed quoniam in huius voluminis exordio, quædam exempla præbuimus Scripturarum, quæ huic tanto quod explicuimus, negotio conuenire putauimus, attendendum nunc etiam, an Iherosolimitanæ obsidioni aliquid consonum apud *Zachariam* Prophetam repperire possimus. *Dicit*, inquit, *Dominus extendens cælum, & fundans terram; fingens spiritum hominis in eo. Extendit cælum*, qui dilatat Ecclesiam, vt sicut, iuxta Ysaiam, ab Oriente adduxit semen eius per Apostolos, sic ab Occidente eam debeat congregare per istos. *Fundat terram*, cùm permittit Gentilium præcordialiter obdurari perfidiam. *Fingit spiritum hominis in eo*, cùm cuiusq; fidelis animum format, rationis inditæ dono. *Ecce, ego ponam Iherusalem superliminare crapulæ, omnibus populis in circuitu. Superliminare*, præminet ostio; per ostium introitur in domum; crapula officit stomacho. Si ostiũ, fidem Domini IHESV dicimus, per quam ad Patrem venimus; Iherosolimitanam Ecclesiam, quia de ipsa & lex & verbum Domini exierit, non inmeritò superliminare, ob ea quibus præbuit exordium documenta, vocemus: Ad ipsam enim recurrit post annos quatuordecim Paulus, vt Euangelium cum Petro & aliis conferat, ne fortè in vacuum cucurrisset aut currat. Sed hoc superliminare, populis omnibus in circuitu est crapula: quia cõstat omnes eã nationes propterea, quę ibi residerũt, nostrę credulitatis vestigia

Marginalia: 10, 20, 30, 40, 50 (line numbers); *Zach. 12, 1.*; *Ysai. 43, 5.*; *Zach. 12, 2.*

vestigia fastidire,& execrari in morem nausiæ. Sed & *Iuda erit in obsidione contrà Iherusalem.* Non solum, inquit, horrori exteris est, sed & Iudas, fidelis scilicet populus, verè confitens eam quæ calcatur à Gentibus; Iherusalem obsessurus est: *In die illa ponam Iherusalem lapidem oneris cunctis populis.* Si partem pro toto secundùm Scripturæ vsum licet poni, lapis oneris cunctis Iherusalem fit, quia vniuersis Christiani nominis gentibus maximi laboris pondus, in sui liberatione, nuper indixit: *Omnes qui leuabunt eum, concisione lacerabuntur, & colligentur aduersus eam omnia regna terræ.* Qui sunt qui Iherusalem leuant, nisi qui postquam impleta fuerint tempora nationum, eam à sua conculcatione subleuant. *Iherusalem,* inquit Dominus, *calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.* Hii concisione lacerantur: quia dici, immò cogitari nullatenus potest, quanta famis, sitisque miseria, quantis laborum vulnerumque doloribus eos in obsidendo cruciari constiterit. Et vt iuxta Ezechielem loquar, *omne caput decaluatum est, & omnis humerus depilatus:* sin alias, vel crebris machinarum impulsibus, seu conuehendis oneribus. Sed leuata Iherusalem, *omnia regna terræ aduersus eam colliguntur:* quod non vt allegoria subintelligendum; sed vt historia nouiter relata, supernis oculis intuendum proponitur. Quod enim fuit Orientis regnum, de cuius hominibus ad idem non venerint bellum? Qui enim machinarum omnia genera, quod supra omiseram, obsidendæ vrbi necessaria secum detulerant; qui etiam præter bellicos viros, negotiatores ad coemptionem Francorum adduxerant, profectò ex nimietate multitudinis victoriam præsumebant, fortasse maiori prorsus maiestate numeri, quàm Curbaran illum habuisse didicerat. *In illa die,* dicit Dominus, *percutiam omnem equum in stupore, & ascensorem eius in amentia.* Si *equus,* dignitas temporalis accipitur; *ascensor equi,* qui dignitate præminet proculdubio intelligitur. Dignitas omnis stupet: quia quidquid vsquam Imperii, quidquid regni est, aduersus hanc nouæ militiæ DEI manum hebetatum, nil audet. Princeps omnis in amentiam vertitur: quia expers est consilii; nec habet quò se vertat, vtpote inops virium, quisquis huius Dominici exercitus fortitudinem experitur. *Et super domum Iuda aperiam oculos meos, & omnem equum populorum percutiam in cæcitate.* Si *Iuda,* confitens; eos potissimum confessores dicam, qui nunquam à suæ credulitatis initio exorbitasse leguntur à fide: Francos vtique, quibus omnis tenor huius innisus est viæ: Super hos DEVS oculos aperit, cùm ipsis effectibus gratiam eis propriæ benignitatis ostendit: *Equum populorum in cæcitate percutit,* dum superbiam Gentilium, consequente eos reprobo sensu, punit. In Sacra planè Pagina, *equus* sæpè pro *superbia* ponitur. Quid enim magis cœcum, quàm sine DEI respectu, DEI filiis inferre bellum? Quid tam reprobum, quàm DEVM non agnoscere, & ex ipsa ignorantia superbire, & contra fideles bella mouere? Sed quò, per verborum lacinias allegoriæ libertas excurrit, cùm historialis nos veritas, ne per opiniones passim euagari videamur, adstringat? Nonne superius hostes diximus cæcitate percussos, & gladiis imminentibus stupore suffusos? Et miror qualiter equus videns se egerit, cùm rector equi euidentem amentiam incurrerit. *Et dicent Duces Iuda in corde suo. Confortentur mihi habitatores Iherusalem in Domino exercituum, DEO eorum.* Quos dixerim *Iuda Duces,* nisi fideles illius exercitus Principes? Qui *confortari sibi Iherusalem habitatores* imprecantur, dum totis affectbus, Christianæ militiæ sanctam illam ciuitatem fortitudine desiderant instaurari; qua & Christianitas propagetur, memoria Dominica honoretur, Gentilitas circumquaque prematur. Sed hæc eorundem fortitudo, *in Domino exercituum* futura dicitur, quod hodieque cernitur, dum manus hominum incredibiliter parua, aduersum vniuersa Paganitatis regna congreditur: quod totum ex eius, qui cœli virtutibus præest, sola virtute præsumitur. Vbi benè additur, *Deo eorum*: & vt non quolibet auctore DEO niti putentur; sed DEO sui ipsorũ; scilicet Christianorum. *In die illo, ponam Duces Iuda, sicut caminum ignis in lignis; & sicut facem ignis in fœno: & deuorabunt ad dexteram & ad sinistram omnes populos in circuitu. In hac,* inquam, vel fidei, seu diuinæ prosperitatis *die, Duces* illi, qui vel armis exteriùs, vel spirituali doctrinâ interiùs Christianum populum gubernabunt, erunt *caminus*: superno, videlicet intrinsecus, amore feruentes, qui peccatorum *ligna* in Gentilitate consumant; &

Zach. 12, 2. Zach. 12, 3. Zach. 12, 3. Luc. 21, 24. Ezech. 29, 18. Zach. 12, 4. Zach. 12, 4. Zach. 12, 5. Zach. 12, 6.

quantum ad exteriora reprobos quosque, ac si *fœnum*, bella succendant. Proculdubio enim scimus, DEVM ista nequaquam pro vnius ciuitatis liberatione cœpisse; sed contra venturi rabiem Antichristi, hæc semina, longè lateque fructificatura, iecisse: *Omnes* itaq; *populos ad dextram & sinistram in circuitu deuorat*, dum hinc electos; quos *dextera* innuit, ad pietatem Christianitatis incorporant; illinc reprobos, qui *sinistrorsum* pertinere noscuntur, dignâ cædis vltione deuastant. *Et habitabitur Iherusalem rursus in loco suo in Iherusalem.* Si *Iherusalem*, Ecclesia est; locus eius, CHRISTI fides est: Iherusalem ergo in Iherusalem habitatur, cum ciuitas illa terrestris, ad hoc, vt supernæ pacis visioni inhiet, instauratur: Locumque habet, quia CHRISTO inmutabiliter hæret. *Et saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicut in principio, vt non magnificè glorietur domus Dauid; & gloria habitantium Iherusalem contra Iudam. Tabernacula Iuda sicut in principio* Dominus saluat: cùm ipse, qui cum patribus nostris mirabilia fecerit, nostris etiam glorificatur adeo temporibus, vt sub ærumnis & calamitatibus maiora omninò moderni isti videantur egisse, quàm Iudæi antiquitus cum vxoribus ac filiis & continuâ ventrium plenitudine, subducatu apparentium Angelorum, frequentibusque miraculis æstimantur implesse. Hos, inquam, veracius saluat: quia eos reuera vti filios recipit quos corporaliter occidi permittit, temporaliterque flagellat. Vt *non magnificè*, inquit, *domus Dauid glorietur*: Id est, veteres qui bellorum victoriis præminuerunt, superbire desistant, cùm nouos quosque potiora exercuisse perpendant. *Gloria* quoque *habitantium Iherusalem, contra Iudam* eleuatur: dum fastus eorum qui ibidem regnauêre, & aliqua clara fecêre, modernis opponitur. Per *Dauid* namque, qui potissimum potuit, quicquid in superbia magis habent causæ exprimit. Ac si diceret: Etsi Dauid celeberrimus armis extiterit; & de succedẽtibus Regibus aliquis aliquid gloriæ quæsierit, nihil repperitur per quod his nostris exæquari possint. *Habitare*, autem dominari dicimus: vnde & à verbo, quod est, *habeo*, *habes*, frequentatiuè dictum ponimus. Dicitur verò, & Dauid magnificè gloriari contra Iudam, & gloria habitantium Iherusalem: quia ipsi materia sunt superbiendi, nostrorum facta humiliare volentium. *In die illa, proteget Dominus habitatores Iherusalem.* Et nunquid non hodieque protegit, quos, cuneum nimis exilem, in meditullio Gentilitatis infinitæ defendit? Audacibus cotidie gentes contiguas armis irritant: & ipsis satis est gentibus si se ab eorum incursione præmuniant; ne dum obsidere præsumant. *Et erit, qui offenderit ex eis in die illa, quasi Dauid; & domus Dauid, quasi DEI, sicut Angelus Domini, in conspectu eius.* Vix inuenitur *Dauid* quippiam grauiter deliquisse, cuius pœnam consequenter non legatur in præsenti recepisse. Quicumque igitur ex nostris offenderit, fit quasi Dauid, dum non eorum aut luxurias siue superbias, inter eundum, sicut superiùs continent gesta, DEVS ipse impunita reliquit; sed mox, inter ineuntis peccati successus, quæ meruêre celeriùs, aut famis, aut quarumlibet difficultatum tormenta rependit. Vnde & *domus Dauid* quasi DEI efficitur: quia per diuinæ correptionis instantiam ad spiritualis gratiæ conceptum reditur. Quibus enim DEVS, vti quondam Dauid, paternè disciplinam irrogat, hos statim à suæ inspirationis complexu non abdicat. Fit quoque in *DEI conspectu vt Angelus*: quia dum per imminentia flagella homo conspicit se à suis, DEO auctore, eximi affectibus, DEVM ilicò diligere intendit ardentiùs; dum enim se castigari cognoscit, vt filium, amat vt Angelus. *DEI* autem *conspectus*, pius est hominis interioris affectus. *Et erit in die illa; quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Iherusalem.* Ea solemus quærere, quæ nos certum est sub oculis non habere. Quid verò *DEI* est *quærere*, nisi sub æternæ prouisionis vocatione facienda proponere? Quærit ergo DEVS conterere omnes gentes, quæ contra Iherusalem veniunt, & hoc in die illa: quia subtili suo iudicio prouidet ac ordinat, quod eos qui fidei contraria agunt, aut perpetuâ dampnatione conterat; aut quantum spectat ad examinationem suæ ipsorum fragilitatis, imminuat. Vnde est, *tamquam*, inquit, *vas figuli confringes eos, quos rexeris in virga ferrea.* Quod tamen facit DEVS illustratione internâ

Marginalia: Zach. 12, 6. (line 7); Zach. 12, 7. (line 10); Zach. 12, 8. (line 30); Zach. 12, 8. (line 34); Zach. 12, 9. (line 48); Psal. 2. (line 55). Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50.

ternâ, quæ est profectò *dies*; sed illa, quæ exprimi videlicet non possit ratiocinatione vllâ. *Et effundam, super domum Dauid, & super habitatores Iherusalem, spiritum gratiæ & precum.* Ipsos *habitatores Iherusalem*, dixerim domum Dauid; quos omnipotens DEVS, & si frequentibus victoriis donauit & donat; creberrimis tamen infortuniis edomuit, & redomat: &, dum eos nec continuatione malorum desperare permittit, nec assiduitate bonorum superbire sinit, *Spiritum gratiæ & precum* super ipsos, pius necessariò iam dispensator effundit: vt dum nulla prosperitas, quæ etiam perfectos quosque resoluit, sine subiecta mox aduersitate sibi arridere videtur, semper animus inquietudinum timidus, ad eum qui adiutor est in 10 oportunitatibus, in tribulatione suspirare cogatur. Ecce iam seposito omni mysterio, materialis illa Iherusalem, quanta putamus aliquotiens sub dubietate & timore se habeat, dum iuxta *Ihezechielem*, in medio Gentium se attendit positam, & in circuitu suo gentes, circumiacentium nationum infinitatem, suæ vrbis considerans paucitatem? Et dum barbararum gentium irruptiones indesinenter metuunt, nisi miserabiliter desipiunt, nunquam absque DEI timoris & amoris gratia sunt, quibus nunquam piæ affectionis ac precum materiæ desunt. Solet nimirum Omnipotens, aculeis aduersitatum, ad sui recordationem sollicitare suos: solet titillationibus carnis inurere mentes, vt scilicet dum ruinam metuunt, votis ac orationibus, DEI subsidio semper inueniantur accliues.

Zach. 12, 10.

Ihezech. 5. 5.

20 Diximus non semel, sed fortè multotiens, nec repetere piget: tale quid nusquam gentium à seculo factum. Si filii Israhel, miraculis quæ ante eos egerit Dominus mihi inferuntur obiectis; his ego multò mirabilius astruam mare confertissimæ Gentilitatis apertum: his interdiu ex columna nubem diuini timoris; noctu lumen diuinæ spei perhibebo præbitum, quibus CHRISTVS ipse columna, rectitudinis ac fortitudinis inspirauit exempla; quos verbi DEI, ac si manna cœleste, absque vllius terrenæ spei, solum confortauit edulium. Illi, pabula cœlitus ministrata fastidiunt; Ægyptum derelictam, crebrò mentibus & voce reuisunt: isti sicut nichil vmquam retrogradum moliuntur; ita quicquid penuriæ ac necessitatis ingruerit, viuacibus animis amplectuntur. 30 Certè illa apud Antiochiam celebrata calamitas, quæ frequentibus propemodum inediis oscitabat, non sine quibusdam nobilibus spectaculis traditur extitisse. Quâ putamus, inter illius omnimodæ egestatis exitia, quâ nil ægriùs apud homines consueuerit tolerari, magnanimitate se gesserint, qui Christiana theatra, illi proculdubio tempori ac loco conuenientia, non spreuerint? Planè ab his qui interfuêre refertur, cùm ciuitas eadem obsideretur, & crebris congressibus obsessores & vrbici miscerentur, fiebat sæpissimè, vt viris hinc indeque cedentibus, & impetum vicissim consilio ac ratione frænantibus, puerorum examina pars ex vrbe procederent; pars ex nostrorum filiis, è diuerso cohirent, pariterque dignissimi exspectatione confligerent. Sicut namque in 40 exordio huius historiæ retulimus, cùm apud Occidentales regiones percrebruisset Iherosolimitana profectio, patres, cum paruulis filiis hoc ipsum aggrediebantur iter. Vnde accidit, vt mortuis parentibus aliquorum, ipsi pueruli prosequerentur exercitum, labori assuescerent; & quantum ad inopiæ tolerantiam attinet, maioribus impares nullatenus essent. Hii igitur, per se, agmine facto, principes sui ipsorum ex se creauerant, ille *Hugonis* Magni, ille *Boemundi*, hic *Flandrensis*, iste *Northmannici* vocabula; & aliorum alii præferre personas. Ipsi quotiens sibi subiectos alimoniarum penuriâ vexari conspicerent, ad eos quos prælibauimus Principes, victualia rogaturi abibant. quibus idem proceres plurima largiebantur, vnde eorum conuenienter imbecillitas aleretur. Talis ergo 50 tamque spectabilis militia, vrbanam pueritiam crebrò lacessere, longas harundines pro telis habere, de viminibus scuta contexere, arcillos atque missilia, pro suo quique modo, gestare. His itaque & ciuitatensibus, grandæuis ex vtraque parte spectantibus, medio in campo congressis, vrbici quidem ex mœnibus; nostri autem pro papilionibus expectabant. Erat ibi cernere impetus, in inuicem conclamatos; ictus, sine vlla tamen mortium suspitione, cruentos. Hæc sæpe præludia, maiorum ad iterandos conflictus præcordia concitabant. Dum enim animos sub membris impotentiùs feruere viderent; dum illa

XIX.

qualiacunque, imbeciles conspiciunt alacriter arma mouere lacertos; dum alterutrorum læsionibus diuersæ prospectantium partes ingemunt, ad solita, dimotis è medio pueris, seniores bella concurrunt. Ita Dominicum exercitum vix inueniri contigerat feriatum, dum hii instituuntur, illi cotidie exercentur. XX. Erat præterea & aliud quod iam in exercitu illo hominum genus, quod nudipes quidem incederet, arma nulla portaret, nullam ipsis prorsus pecuniæ quantitatem habere liceret; sed nuditate ac indigentiâ omninò squalidum, vniuersos præcederet, radicibus herbarum, & vilibus quibusque nascentiis victitaret. Hos, cum quidam ex Northmannia oriundus, haud obscuro, vt fertur, loco natus, ex equite tamen pedes factus, sine dominio oberrare videret, depositis armis, & quibus vtebatur induuiis, 10 eorum se Regem profiteri voluit. Inde *Rex Thafur* barbaricâ cœpit linguâ vocari. *Thafur* autem apud Gentiles dicuntur, quos nos, vt nimis litteraliter loquar, *Trudennes* vocamus: qui ex eo sic appellantur, quia trudunt, id est, leuiter transigunt, quaquauersum peragrantes annos: Erat autem isti consuetudo, vt si quando populus sub se agens, ad pontis alicuius deueniret transitum, aut aliquas angustias, loci cuiuspiam attigisset, iste eundem præoccupare festinaret ingressum; & præscrutato ad vnguem singillatim quoque suorum, si cui duorum pretium solidorum habere contingeret, hunc confestim à sua ditione secluderet, & eum emere arma iubendo, ad armati contubernium exercitus segregaret. Si quos consuetæ tenuitatis amantes, nihil prorsus pecuniæ aut reseruasse, aut affectasse conspice- 20 ret, hos suo collegio peculiares asciseeret. Putaret hos forsitan quilibet generali vtilitati prorsus incommodos; & vnde aliis poterat suppetere sumptus, absque proficuo tales consumere cibos. At verò hii in conuehendis victualibus, in stipendiis contrahendis, in obsessione etiam vrbium lapidibus intorquendis, dici non potest quàm necessarii forent: cùm in portandis oneribus, asinos ac iumenta præcederent; cùm balistas & machinas crebris iactibus exæquarent. Præterea, cùm de Paganorum corporibus frusta carnium apud *Marram*, & sicubi aliàs, cùm nimia fames vrgeret, repperirentur adempta, quod ab his & furtim, & quàm rarissimè factum constat, atrox apud Gentiles fama percrebruit, quod quidam in Francorum exercitu haberentur, qui Sarracenorum carnibus auidissimè vescerentur. 30 Vnde idem homines vt potissimum apud illos hæc intonuisset opinio, Turci cuiusdam vecti corpus intusum, ad eorum terrorem palam omnibus, vt dicitur, ac si carnem mandibilem, igni apposito torruerunt. Quo illi agnito, & verum penitus quod fingitur autumantes, iam magis insolentiam *Tafurum*, quam nostrorum quodammodo Principum vehementiam formidabant. Turci, planè antiquorum more Gentilium, de cadaueribus tantopere cruciantur insepultis, quanto nemo Christianorum studio de animabus videtur cogitare vel dolere dampnatis. Vnde ad eorum rancores dirissimè concitandos, in obsidione Antiochena, Podiensis, facto edictò, celebrari per exercitum præcepit Episcopus, vt quicunque Turci cuiusquam caput sibi deferret abscisum, duodecim denarios referret statim in præmiū. Capita 40 enim eorū cùm idem suscepisset Antistes, super palos ante ipsorum ora pro mœnibus ciuitatis figi ea iubebat ingentes: quod eos solebat acerbissimè torquere, & exanimare cernētes. Egit etiam ibi Pontifex non reticendum quiddam, cū procerum nostrorum consilio, vt cùm victualium inopia, vrbani nostros laborare sentiscerent, nostri è contrario proponerent, quatenus boues aratro iungerent, in conspectu vrbis ararent & sererent: vt ex hoc idem vrbici subintelligerent, quod cœptam obsidionem nulla ratione desererent, qui de futuri anni procuranda fruge tractarent. Hæc & alia mira miranda in hac ipsa expeditione sunt gesta, quæ posse ab aliquo comprehendi nullo modo putamus vniuersa: Sicut sanè nemini à seculo constat auditum, vt sine Rege, sine Principe, vlla de locis propriis egre- 50 deretur gentium; vt sub solo DEO, paruus & magnus, par addiscerent portare iugum, vt non respectaret seruus ad dominum, nec dominus nisi fraternitatem vsurparet in famulum: sicut, inquam, de præteritis super hoc exempla præbere non possumus; ita in posterum similia numquam futura putamus. Quod ex eo maxima ex parte coniicimus: quia post captam Ihierusalem, tantos Christianarum gentium motus vidimus; tot non imparis dignitatis personas, tot equestres non contempnendi nominis alas, tot pedestres copias pariter commigrasse

grasse post eos qui præcessêre, & viam secuturis parauêre, cognouimus, vt penè priorum & diuitiis & numero suppares indubiè iudicemus. Quis enim colligat, eo tempore quo *Stephanus* Comes, de quo supra egimus, & ille Philippi Regis frater *Hugo* magnus, sepulcri Dominici viam iteratò cœperunt, summè mediocris & infimi generis, quanta ex solis Franciæ partibus (de cæteris enim taceo,) frequêtia processerit? Tacito *Burgundiæ Duce*, quid de *Pictauensi Comite* loquar, qui præter militiæ grandis, quem secum proposuit ductare, globum, etiam examina contraxerat puellarum. Qui, cùm maiestatis suæ passim personaret testis ambitio, Constantinopolim venit; cum perfidissimo hominum Alexi Tyranno colloquium ha-
10 buit. Cuius proditor ille nequissimus aduentum, antequam Regiâ Comes isdem digrederetur ab vrbe, Turcis per Epistolas detulit. *Ecce*, inquit, *è Franciis pinguissimæ ad vos progrediuntur oues, quæ minus prouido tamen pastore reguntur.* Quid plura? Comes Tyrannici Principis fines excesserat; Turcorum ei exercitus repentè obuius adstat; vires hominis, vtpote aduenticias incompositasque debilitans, dispergit, prædatur & superat. Ibi *Hugo* magnus, genu sagittâ percussus, langore protracto, tandem occubuit, apud Tharsum Ciliciæ sortitus iura sepulchri. Hæc intra eam, quam *Satyriam* dicunt, facta fuisse Prouinciam tradunt. At *Stephanus* Comes cum quibusdam Pontificibus regni nostri: inter quos *Hugo Suessonicus*, & Parisiorum *Guillelmus*, inlustris indolis generisq; viri, qui præsulatui suo in primæuo flore clarissimis XXI.
20 moribus ministrabant; & *Engelrannus* Laudunensis, vir sicut formâ & eloquentiâ, vtinam sic religione, conspicuus: cum multa ordinum omnium dignitate, mœnia *Constantinopolitana* subintrat. Quos ad se *Imperator* euocat; magnis primores eorum donariis munerat. Consultantibus illis, an prioris exercitus, seu diuersâ proficiscerentur viâ, ille veraciter intulit: non tantum eos habere equitatum, vt sufficiant à prioribus tramitem tenere diuersum. Illi, noua sese putantes & superioribus valentiora facturos, profitentur, se per exteras regiones ituros. Pariter verò ab Imperatore expostulant, quatenus vbique generale vniuersalis Græciæ habere mercatum, ipse iubente, debeant. Spopondit ille, & sciens eos in propriam, hac suâ insolentiâ, veluti conspirasse perniciem, eorum, quem prouidebat optimè, errori læta-
30 bundus assensit. Per Paflagoniam igitur, non dicam modò quibuslibet peregrinantibus; sed ne scripturis quidem, nisi quàm rarissimè cognitam prouinciam, nescio quod monentur intrare desertum: viaticum portare eos prohibet Imperator, nisi quantum diebus quadraginta solis esset necessarium. Præterea penè quodammodo dehortatur viatici lationem, dum magnificè pollicetur totius terræ negotii prosecutionem. Euntibus ergo & iam in profundæ solitudinis vlteriora progressis, vulgus quod sine viatico, spe promissi negotii, incautè processerat, cœperat indies vehementissimâ fame vrgeri, intumescere, ac emori: exercitus quoque cadauerũ passim decumbentium fœtore vexari. Aliquotiens planè, cùm postremos egenæ multitudinis, Duces exercitus castigarent, ne equitatum tardiùs sequerentur præ-
40 cedentem, ne in eos Turci videlicet inuolarent, illi famis torsionibus acti, votis & precibus exoptare vt venirent. Armeniorum iam penè fines attigerant, exesis hominibus, animalibus inediâ moribundis, subitò ingruunt Turcorum milia numerosa; sed Franci qui primas tunc exercitus videbantur actitare custodias, facilè eorum, lassabundi licet, illicò obtudêre molimina. Postridie, cùm Turci Francos à prima fronte discessisse vidissent, Langobardis, Liguribus & Italis priora, proh dolor! occupantibus loca, irruunt, perfensâ anteriorum ignauiâ hostes acerrimi; hisque qui præibant & signa ferebant, fœdè terga dedentibus: totus non tam fugæ, quæ nimium tenuis fame tabentium fuerat, sed internecioni miserandæ patet exercitus, fugientes non quà venerant regrediebantur, nec, vt gregatim saltem fuge-
50 rent, glomerabantur; sed quorsum quemque ferebat animus, verterat illò gradum, sine dubio moriturus. Quæ eorum cædes & insecutio perseuerauit penè continuis octo diebus. Erat in eo quidam *Archiepiscopus Mediolanensis* exercitus, qui capellam Beati Ambrosii, planetam scilicet & albam, si qua alia nescio, secum tulerat; auro tantique pretii gemmis ornatam, vt nusquam terrarum repperire quis huic valeret æquãdam. Hãc Turci abduxêre correptam, DEO, fatui illius præsulis, qui rem adeo sacrã Barbaris terris intulerat, tali dampno vlciscẽte dementiã. Tanta fuit ibidẽ promiscui sexus Christianitatis occisio, tãta pecuniarũ, vestium, auri argẽtiq; repertio,

vt de illo, quod expeditio prima intulerat, dampno, hæc vna victoria sufficienti Turcis potuerit esse solatio. Cùm enim ducenta & vt aliqui astruunt his amplius fermè, Christiani nominis, illic essent, vix septem milia, resederunt. Comes autem *Stephanus*, cum plerisq; potentibus, inter quos *Harpinus* Bituriensis vir magnificus, & Comes trans Ararim *Stephanus*, ibidem fuêre; pariterq; Iherosolymam deuenêre. Vbi positis, cùm *Imperatoris Babylonici* exercitus apud Ramothenam vrbē *Balduino*, nunc Regi, bellum obtulisset, *Harpinus* memoratus Regi intulit, quatenus prælium differret donec quidquid virium poterat habere conferret: Rex ait: *Si times*, inquit, *fuge Biturigas*: hisq; dictis, inconsultè conflixit; omnesq; suas ilico copias, in prædictā ciuitatem compulsus, amisit: ipse solus euasit. Multi tunc, in captiuitatem acti; multi, quo fine defecerint, hucusq; sumus incerti. *Harpinus* captiuus abducitur; deinceps à captiuitate solutus, in Franciam rediens Monachus efficitur. De Carnothēsi *Stephano* nichil certi habetur, nisi quod interemptus, sine vllis tamen indiciis, creditur: intra turrim nimirum quandam cum aliis innumeris cōprehensus, apud præfatā vrbem, vtrum captiuitatis sorti fuerit an mortis addictus, certis scire auctoribus hucusq; nequiuimus: nisi quod ad fidē necis eius, quia nusquā cōparuit, procliuiores sumus. Turci planè cæsorū cadauera, post victoriā, desectis solent dampnare capitibus, eaq; pro signo asportare triumphi: quibus sublatis, difficile est prorsus cuiusq; personā ex corpore trunco cognosci. Eadē autem ambiguitas, & de quibusdā clarissimis viris aliis, hactenus est habita. Interea *Rex* ipse, qui, vt prælibatū est, solus euaserat; & non modò pro cōmuni, quod imminebat, exitio lugebatur à suis, sed etiam cū cachinno interfectus clamabatur ab Ethnicis: per horrida quædā & paucis cōperta montana procedens, desperatæ tandē Iherosolymæ, & extrema iā pericula cū debitis mœroribus præstolanti, post biduum, nisi fallor, se intulit. Qui collecto celerrimè quē potuit equitatu, & delectu optimorum peditū pro facultate habito, clementiori iā Domino, cū triumphanti, sed nō diu, Gētilitate, bello decernere parat. Cùm ergo Regē mortuum sic putarent, reparatis continuò copiis apparuit; lōgè alterā quàm pridē auctoritate conflixit; & in fugā eos agēs, nouum ipsorum timorē atrocissimæ cædis punctione resflauit.

XXII. At quoniā *Godefridum* Regē, huius Balduini germanum, nequaquā superiùs obisse, materiā ordinē præoccupante, retulimus: dignū est vt quo fine defecerit, & vbi sepultus sit, breuiter explicemus. A quodā contiguæ Gentilitatis Principe eidē transmissa feruntur exenia lætalibus, vt patuit, venenis infecta, quibus vtens improuidè, cùm eū qui miserat suspicaretur amicū, subitā infirmitate decubuit; nec morā, exanimatus occubuit. Sunt & à quibus, hac opinione repulsâ, naturaliter feratur obisse diem. Sepelitur autē, in testimoniū eius, quā fide vitaq; meruerat, redemptionis æternæ, circa ipsum Dominicæ Passionis locū: in eo, iure obtinens omnimodo monumentū, quē eruerat; quemq; defenderat à cōculcatione ac irruptione Gentiliū. Cuius mira humilitas & Monachis etiam imitanda modestia, illo prædicabili admodum, Regni sui tēpora titulo insigniuit, vt nunquā intra Iherosolymitanā ciuitatē Regium coronatus diadema tulerit: eā cōsideratione videlicet, quia generalis vniuersorū salutis auctor Dominus noster IHESVS CHRISTVS, spineū ibidē sertum humanā inrisione gestauerit. Quo, vt præfati sumus, exacto, à fraterna eum tēperantia & sagacitate futurum degenerē nullā ratione credētes, *Balduinum* ex Edessa transferunt, & sanctæ illius Christianitatis nouæ coloniæ regnare cōstituunt. Quædā nempe clarissima in eorum virorū natura notauerant, & notata dilexerant: tranquillos vtique, & totius nescios iactātiæ mores; inremissam, & plus quàm Regiæ cōpeteret maiestati, sine vlla penè formidine mortis audaciā; remotam quoq; ab omni habitu ipsorum, petulantiā; & supra opum suarum vires liberalitatē omninò munificā. Huius autē *Balduini* erga suos fides, erga se contemptus, ex vno coniici valet facto: quod videlicet dum in expeditione cōtra hostes ageret, pro ereptione cuiusdā peditis in tantum sese periculo ingesserit, vt grauissimum vulnus excipiens, vix discrimina paratæ necis euaserit.

XXIII. Fuit interea quiddā, quod maximè gentium innumerabilitatē circumpositarū, ne contra nostri nominis insurgerent paucitatē, vehementer exterruit, nec minus hodieq; terrere dinoscitur: quòd scientia scilicet astrorum, quæ apud Occidētales quò tenuior extat & rarior; eò apud Orientales, vbi & originē habuit, continuo vsu ac frequēti memoria magis feruere cognoscitur, euidens idē Gentiles prognosticū se acce-

se accepisse testantur,& iamdudū ante infortunia ipsa prǣsciērāt,quia à Christiano populo subigerētur:sed artis ipsius peritia ad integrum instrui nō poterant,quo ista tēpore complerētur. Ante duodecennium fermè enim quàm proceres nostri Iherosolimitanū aggrederentur iter, *Rothbertus* Flandrensiū senior Comes,de quo in primo huius operis egimus libro, cum multis opibus *Iherusalem*, orationis gratia, est profectus. Qui cùm eadē moraretur in vrbe aliquot, desiderio vidēdi loca sancta,diebus;& ob sui munificentiā,cognoscendi plurima, etiam quæ apud Gentiles fierent,permitteretur habere licentiā:quadā die, vti ab his didici qui familiarē inibi Comiti præstiterant comitatū,vniuersi penè vrbis eiusdē ciues ad Templum cōfluunt Salomonis;& per vniuersum diē maximâ ibidem habitâ cōcione, ad sua tādem in vesperū diuerticula sunt regressi.Hospitabatur tunc Comes isdem apud aliquem grauioris æui & expertioris ingenii, vitæq;, quantū ad eos,sanctioris Sarracenum,cui *Seruus Dei* vsitatius erat vocabulū. Qui cùm ab eo redeūte domū sciscitaretur:*quid in illo tamdiu consedēre eis collibuisset Templo;super quibus etiam adeò laciniosâ disputatione tractassent*? Intulit homo: *Insolita*, inquit,*signa quadam in ipsis stellarum cursibus recursibusq́ conspeximus,ex quibus certâ admodū contecturâ collegimus, Christianæ conditionis has in prouincias homines deuenturos; nosq́ per prælia assidua & frequentes victorias deuincendos. Quod tamen vtrum valde imposterum differatur, an proximè fieri debeat,penitus nobis incertum constat. Ex ipsa tamen Astronomica nobis portentione perpatuit,quod hii ipsi quibus superno gentem nostram iudicio superare, & à natalibus oris amoliri conceditur,idem postremò vincendi à nobis, & ab ea quam vsurpabant patria, bellorum sint iure pellendi. Cui cœlesti indicio, veterum sectæ nostræ oraculorum passim,ex quibusque voluminibus statim lectio recensa concinuit; idipsum apertâ locutione testificans, quod iubar æthereum contectioribus signis innuerat.* Quibus Gentilis hominis verbis,illa,quæ superius relata sunt, Cu[illegible]matris dicta concordant: nec apud nos dubium est, quia eâdem ipsâ ratione quâ illa aduersus Christianos dehortabatur præliari filium; isti etiam frænantur qui Iherosolimitano exitio inhiant, ne bella ineant contra id,quod sibi ostensum est, fatale decretum. Etsi namque primum multiplicibus nostros præliis vrgere insistunt; at nunc contra eos tanto remissiùs agunt, quanto non eos, sed Dominum pro eis exerceri & confligere sentiunt. Si autem cuiquam fortè incredibile fiat,quod futura quis Astrologicâ arte prænoscere valeat, illud nobis euidens argumentum præbeat, quod Imperator *Eraclius*, per huiusmodi disciplinam, gentem circumcisam contra Romanum Imperium præscierit surrecturam: nec tamen non Iudæos futuros, sed Sarracenos,qui hæc agerent,per eam potuit prouidere peritiam. Intueamur & *Magos* qui cùm natum Regem,& hunc ipsum DEVM & hominem,sideris editi repentinâ inspectione sensissent,quibus esset regnaturus partibus etiam nouerāt. In hoc ipso nouo DEI aduersus homines Diabolicos procinctu,hoc etiam videbitur attendendū,quia factū ei omnimodis videatur cōgruere *Gedeonis*. Cùm enim infinita multitudo nostrorū; ad subeundā proposita vnanimiter pertinax putaretur,probatur ad aquas,voluptates,vtiq; atq; delitias:vt qui videlicet DEVM sequi deligerent, famis sitisq; cruciatibus,mortiumq; variarum casibus non cederēt;qui autem post corpora DEVM proiicerent,ad fluxa sese desideria,quod flexus illic poples significat,eneruiter inclinarent. Qui autem biberunt manu ad os proiiciente, ipsi sunt qui, *Diogenis* instar,vacante omni deliciarum curâ,inter DEO seruiendum, quoquo pacto satisfecēre naturæ. Trecenti fuēre,qui sub *Gedeone* probabātur;quia sicut exteriùs,ita interiùs baiulare crucem,quæ Tau littera significante,Trecentos innuitur,qui hac perseuerātiā honorantur. Quare enim a Dominica sese multi nostrorū,turpiter excepēre militiā?nisi quia sedulo graui carpebantur inediâ;&,quia *sine Cerere & Libero friget Venus* nulla eisdē,corpusculis flaccescētibus,libidinis inerat perpetrādæ facultas,quæ etiā si suppeteret,nō aliqua pateret oportunitas. Hii ergo qui probati inuenti sunt, *tubas habent* in manibus:quia diuinū sermonē,cuius solatio inter tot discrimina recreātur,proferunt in operibus. *Lagenas tenent*,dum in continuo procinctu positi,ab omni carnalitatis fœditate se cōtinēt.Intra lagenas *lampades habēt*,quia in vasis corporū fictilibus piæ intentionis,omni luce clariores thesauri renitēt. *In tres eos Gedeon partes diuidit*:dum quosdā ex eis CHRISTVS ad coronam proprii cruoris effusione contrahit; alios ad custodiam sanctæ Ciuitatis,ac si ad cultum Terræ promissionis

Marginalia: XXIV. (at "Ante duodecennium"); XXV. (at "In hoc ipso nouo"); *Iudic. 7.*; line numbers 10, 20, 30, 40.

inducit, per quos hodieq; paucissimos totius Imperio Orientis obsistit; cæteros in patriam ad testimonium tantæ victoriæ, & pii huius exilii imitationem redire permisit. *Lagenis* ergo *fractis, lampades emicant*; quia occisis corporibus, spiritus diuino amore feruentes, recta ad Dominum intentione commigrant. Hostes inde territi subiguntur; quia eos non immeritò formidant, qui, spe æternitatis audaces, mortem vitâ ipsâ carius amplectuntur. *Quorum enim animalium*, vt ait Apostolus, *sanguis infertur in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra.* Vnde Dominus extra portam passus est. Exieruntitaque hii ad eum extra castra; extra videlicet carnis desideria, dum improperium eius portant crucis, mortificationem, in viciis scilicet ac concupiscentiis, seruant.

Heb. 13, 11.

XXVI. Sed quantum cum bonæ voluntatis affectu valuerit tanti huius laboris assumptio, hoc vno subiecto exemplo colligi potest: quod idcirco proponendum duximus, vt liquidò perpendamus, quantum purè peccata confessis, & sincerè pœnitentibus profuerit istius peregrinationis deuota susceptio, si tantopere pœnitentiæ ac confessionis penè prorsus exortibus, valuisse probatur, terroremq; incussisse Diabolo.

XXVII. Vir *Equestris ordinis quidam* maritimarum partium cuiusdam, fratrem proprium hostilitate perdiderat. Cuius interfectionem adeo homo idem ægrè tulerat, vt inconsolabili mœrore tabesceret: maioris enim potentiæ, qui eum peremerat videbatur, vt mœrenti, vlciscendi defunctū spes nulla suppeteret. Intolerabili ergo dolore defecto, & luctuosa omnibus vbiq; momentis prosequenti mente germanū: cùm nouior indies inreparabilis dampni refricaretur acerbitas; & sine respectu cuiuspiam solatii, ineuitabilis memoriæ lacerum miseri hominis iecur pœna torqueret; dum angores assiduos, ad extremum repetendæ vltionis centuplicat difficultas: *Diabolus*, diutinâ experientiâ callens, & spirituali alacritate omni mortali naturâ facilior, qui in cunctis tempora aucupatur & causas, huius nimirum arrisit oportunitati tristitiæ. Die itaque quadam, cùm vecordiæ interioris squalidus tabo, & exhausto suspirio profundissimi langoris anhelus, potandum equum, ipsi insidens, duceret ad aquas, è regione altrinsecus in altera fluminis crepidine positum Dæmonem conspicatur. Apparuit autem ei in specie viri cuiusdam, quem contractis cruribus existentem sæpenumero videre consueuerat. Videbatur etiam & ipse eques, accipitrem manu gestans; lutei, vt præferebat, coloris tunicam habens. Quem cùm ille èminus attendisset, & recordatus cogniti, quem fore putabat, hominis consuetæ debilitatis & formæ, præ vehementia inopinæ nouitatis hæsisset, nequam Spiritus, procacitatis antiquæ non immemor, primus effert: *Non sum*, inquit, *quem æstimas: scias autem me esse Diabolum, ad diuturnæ tuæ torsionis præbenda remedia missum. Magister namq; meus, qui omnibus in mœrore positis, si sibi assentiant, compassibiliter suffragari dignatur, ad te me dirigit; nec si ei prout tibi dixero acquiescere velis, solatium morabitur. Cùm enim sit liberalis, nec desit opulentia infinita dandorum, affectantibus opes, supra quàm valeat æstimari largus est munerum subsidio; egentibus, vltra quàm sperari id posset, non differt adminiculum. Tu verò, qui vetus infortunium animi ægritudine semper recentiori deploras, si quid est vnde quæraris, exprome; sciens indubiè te multo maiora sumpturum, quàm præsumas exposcere. Si fratrem intuleris interfectum, vltionis sententiam accelerari cognosces; si qualibet quæsieris incrementa, mirabere factum. Ergo velis, iubeas; suberit pro velle facultas.* Attenderat ille insolitum valde pecus; mirabatur Diabolum cum maximo stupore loquentem: sed quantum pollicitationis lenocinio trahebatur, tantùm pollicitatoris nequitiâ terrebatur. Vicit tandem ambitio promissorum, & se fatetur oblata grataanter accipere: *Attamen*, inquit Diabolus, *si te huius meæ sponsionis fructus oblectat; & te Principis mei, qui ad te me misit, gratuita beneuolentia vtcumq; pellexit: cum ipsis effectibus, tam de vltione germani, quàm de successibus fortunarum, quæ pronunciaui, vera probaueris, hoc meus ipse magister à te exigit: quatenus hominium sibi facias; & translatâ fide Christianitatis, in ipsum indiuisibiliter te ei cohæsurum spondeas; ab his etiam quæ vetuerit perseueranter abstineas. Sunt autem specialia, à quibus cùm ad ipsum concesseris, cohiberi vsquequaq; te velit: ne vnquam videlicet vllam ingrediaris Ecclesiam; ne quem etiam baptizatum sacro de fonte suscipias:* & tertium quiddã pariter vetuit, quod exciderat ab eius qui mihi narrauit memoria. Cui homo hæc ait: *Facili à me obseruantia poterunt sine aliqua procrastinatione teneri: de hominio verò faciendo, aliquas peto inducias dari.* Abhorrebat sanè multum homo idem, liberæ adhuc rationis intuitu, quod execrabilis adeò à se fidei traductio peteretur; sed tolerabi-

tolerabilius iudicabat Christianis officiis abstinere, quàm ipsi⁹ credulitatis fundamēto carere. Deniq; nec morâ, in tātū fraternæ, suggerēte maligno, suppeditatur ei opportunitas vltionis, vt crebrescentibus omnino supperarentur viri vota fortunis. In huncq; modum succedente remedio, ab illius animo oblitterabatur sensim mœroris atrocitas; cùm tamen interim nullo modo res præsum eret, sibi à Diabolo attēptare prohibitas. Cùm interea antiquus humanæ naturæ hostis sedulò eidem homini apparere; nec modò, vt assolet, solitudinem eius, aut secreta aucupari loca: sed in media etiam vulgi adstantis frequētia, improuidum subitò conuenire; beneficia iam experta proponere; potiora in posterum polliceri, de fidei translatione sedulò
10 satis hortari. Ille autem largitati omnimodo fieri gratulabundus expertæ, obsequia tanti Principis liberalitati sempiterna promittere, super eius verò, quod frequens exigebatur, hominii pensione, iugiter inducias obsecrare. Igitur cum homo isdem creberrimis, & inter medias inuisibiliter turmas apparitionibus vrgeretur, DEI nutu, per Latinum orbem Iherosolimitani itineris fama porrigitur; & quisque, qui aliquo sese crimine persenserat implicitum, illuc, nouas DEO pœnitentias aperiente, dirigitur. Inter quos iste proficisci delegit, sed nefarium, quod cum Diabolo magna iam ex parte pepigerat, fœdus nullâ confessione retexit. Profectò itaque & æmulationem DEI habenti, licet non secundùm scientiam, dum operum initio bonorum confessio non est præmissa malorum: tanta gratiæ DEI, inter eundum, homi-
20 nem comitatur vbertas, in tantum DEO placuit labor, quamlibet minus plenâ pietate præsumptus; vt in ipso expeditionis itinere, nullis eum funestus exactor compellare auderet angariis: quin potius, ac si nihil cum eodem pactionis habitæ meminisset, nullis vel in visione ei appareret modis. Captâ postremò Iherusalem, cùm in ipsa cum aliis ad tempus diuersaretur vrbe, & nocte aliquâ cum quibusdam putaretur dormire militibus, sollicitus super suis suorumque, qui sub dio, pro regionis consuetudine, commanebant equis, respexit ad illos; & speciem stantis considerans hominis inter eos, furem suspicatus exsurgit; & quis esset vocibus turbatis inquirit. Cui mox ille, habitudine quàm consuesset illatâ, quasi reuerens ac pudibundus ait: *Nonne me nosti?* At ille, veluti vetus sibi innouaretur
30 opprobrium, multò seueriùs infert: *Noui*, inquit. Quibus vtrobique prolatis, nec ille post interrogationem aliquid percunctationis attexuit; nec iste quippiam responsis adiecit. Quæ apparitio, quantum ad hominem quamuis ociosa fuerit; DEO tamen dispensante, quiddam nobis non ociosè innuit: Diabolum videlicet non obliuiosè præterisse hominem: sed ex ipsa sui ostensione & effectu, enunciasse quid voluerit, & silentio prodidisse, quia nequiuerit. Quid plura? Rediit, sed nec inter redeundum Diabolus se illi conspicabilem vsquam importunúmve præbuit. At eo domi constituto, nefarii confestim consilii miserabili illi personæ resuscitatur assessor, vt vix pauca tempora ab huiusmodi commonitorio feriata forent: *Possunt homines ab his quos verentur interstitiis aliquibus, disparari; eosq;*
40 *ab inquietudinibus, conclauia sua parietesq; distinguunt: spiritualem verò nequitiam, nec præsentia populorum, nec munimenta claustrorum à suis excursibus arcent.* Viro igitur illi adeo indiuiduum perpetienti atque lætaliter fastidienti latronem, die quâdam obuium habere contigit quendam CHRISTI sacerdotem, scientiâ, benignitate, ac piâ hilaritate præcipuum, nomine *Cononem*. Cui cùm secundùm temporis, quæ tunc erat angustiam, suo enim quisque sollicitabatur itinere, eam quam patiebatur exprompsisset miseriam, datâ pro loco consolatione vir bonus ille quam potuit, & acceptâ sponsione de reditu, dimisit. At tamen cruentissima fera non siluit; sed creberrimæ interim lenocinio suasionis irritare non desiit. Nec mora, homo, molestiarum & penè quotidianæ interpellationis
50 impatiens, ad medicum rediit, confessione ad purum factâ, pœnitentiam omni affectu suscipit; & susceptâ, executorem proprium deinceps nunquam vidit. Ecce pia ista peregrinatio pensemus quantùm valuerit puris, quæ tantùm attulerit tutelæ ac securitatis impuris. Constat quoque consideratione dignissimum, non sine re ab huius gratia profectionis Reges abiectos: ne personæ videlicet spectabilis sublimitas, effectus sibi videretur arrogare supernos. Igitur cœlesti Domino referenda laus est, ac hominis tacenda penitus. Non tot militias, Ducum coëgit quilibet, aut meruit triumphos. Pænos *Regulus*

XXVIII.

obtudit rebelles, laus in eum studii refertur. *Alexander* agens Eoa regna stragibus immodicis fatigans; Magni præualuit parare nomen. Hîc, Comes *Stephanus*, cui indita fuerat sacri exercitus summa curandi, quasi quæ soli competebant DEO temerarius vsurpasset, ac si ignauiæ condempnatus abiicitur; & Hugo Magnus, veluti homo Regii nominis, sequestratur. Pulsis ergo magni nominis vmbris, & cui innitebatur potentiâ extrusâ, vni iam incumbens DEI subsidio, pusillus grex ille remãsit: Et vt ad rem ventum est, secundùm Scripturæ dictum, non ex genere, sed eligẽte DEO, *Insuspicabilis portauit diadema.* Honorem itaque sui nominis DEVS, qui facit mirabilia, nolens deferre alteri, ipse solus dux eius fuit, ipse rexit, ipse correxit, ipse ad efficientiam cœpta direxit, ipse hucusque regna porrexit. Agnos igitur, ex lupis quos fecerat, in suo non eorum brachio congregauit; sinus sui tuitione leuauit; piæ spei gaudio fretos, ad quæ desiderauerant videnda portauit.

Eccl. 11, 5.

10

XXIX. Præsentis historiæ corpori, auctore mundi propitio, posituri calces, *Fulcherium* quendam, Carnotensem Presbyterum, qui Balduini apud Edessam Ducis dudum Capellanus extiterat, quædam quæ nos latuerant alia; diuersè etiam à nobis aliqua, sed pauca, hæcq; fallaciter & scabro vt cæteri, sermone, fudisse comperimus. Cuius, & si non omnia, nonnulla tamen detegenda, & huic scedulæ compaginanda censuimus. Cùm enim vir isdem ampullas & sesquipedalia verba proiiciat, & luridos inanium schematum colores exporrigat, nuda mihi rerum gestarum exinde libuit membra corripere; meiq; qualiscumque eloquii sacco, potius quàm prętexta contexere. Dicitur in sui, nisi fallor, opusculi referre principio: quosdam qui Iherosolymitanum adorsi videbantur iter, illud quod Apulos Epirotasq; dirimit, locatis puppibus, æquor ingressos; &, vtrum inexplorato sese commiserint mari, seu carinas nimiâ sui numerositate depresserint, nescio, constat tamen sexcentos penè illic nauim fregisse viros. Qui intercipientibus omnes sali turbidi procellis enecti; nec morâ, impatientis æstu pelagi ad continentem eiecti, eo ipso, quo in birris palliis, ac tunicis vti consueuerãt vniuersi, in superficie scapularum sunt insignes Crucis signo reperti. Quod sacrum stigma diuinitus cuti eorum potuisse imprimi, ob ipsorum fidei euidentiam faciendam, nemo licet fidelis ambigat: tamen ei qui hoc scripsit, si aduiuit, sollicitè pensandum est, an res ita se habeat. Viæ enim huius, cùm Christianarum vbique gentium percrebuisset initium, & id non sine diuina fieri voluntate per Romanum clamaretur Imperium, quilibet extremæ vulgaritatis homines, & etiam muliebris indignitas, hoc sibi tot modis, tot partibus vsurpauêre miraculum. Ille paulisper intextas, ex suffusione sanguinis rigas, Cruces astruens, ostentabat in oculo: iste pupillarem, quâ fœdè cæcutiebat, maculam, eundi sibi commonitorium perhibens, pro cœlesti exhibebat oraculo. Alius, aut nouorum pomorum succis, seu quolibet genere fuci, cuilibet particulæ corporis moliebatur speciem crucis: vt sicut oculorum subsellia pingi solent stibio, ita diuini in se spectaculi, vel vireret vel ruberet, fraude factâ & commentis ostẽsio. Meminerit lector Abbatis illius, quem supra retuli ferro sibi scalpsisse frontem; & quem postmodum dixerim factum Cæsareæ Palestinæ Pontificem. Testor DEVM, me, *Belluaci* per id temporis constitutum, vidisse ad se versum obliquatas aliquantulum die mediâ nubes, vt vix quippiam maius quàm aut gruis, aut speciem viderentur prætulisse Ciconiæ: cùm ecce, Crucem cœlitus sibi missam vrbanæ passim voces conclamauêre frequentiæ. Ridiculum est quod dicam; sed non ridiculis authoribus rem probatam. Muliercula quædam in hoc ipsum promoueri cœperat iter: quam nouis nescio quibus rudimentis imbutus, præter inertis iura naturæ, versabundus prosequebatur anser: Et ecce, fama volans Pegaseis motibus acta, & castra repleuit & vrbes, à DEO ad Iherusalem redimendam etiam anseres destinatos: Nec tantùm deferebatur mulieri miseræ, vt ipsa anserem ductitaret, sed ea duci ferebatur ab ansere. Quod ita *Cameraci* probatum est, vt stante hinc & inde Populo, per mediam Ecclesiam mulier ad altare procederet; & anser è vestigio mulieris à tergo, nullo sollicitante, succederet. Qui quidem intra Lotharingiam mox, vt comperimus, obita sibi morte decessit: qui sanè rectius Iherusalem isset, si pridie quàm proficisceretur, suæ seipsum Dominæ festa conuiuia præbuisset. Quod totum ob hoc à nobis historiæ veraci attexitur, vt se nouerint quique commonitos, *quatenus nequaquam, fide vulgi fabulis attributâ, Christiana grauitas leuigetur.*

20

30

40

50

XXX. Denique rursus idem perhibet auctor, *Pyrro*, Antiochiæ

Antiochiæ proditori DEVM apparuisse;& vt Francis proderet vrbem in visione iussisse. Facile hoc ei fuit, qui Cain, & Agar se audibilem; & conspicabilem asinæ Angelum præbuit. Verùm omnes qui sanctâ Ciuitate receptâ rediêre, & qui super gestis ad nos rebus Epistolas dixêre, præcipuè *Anselmus de Ribodimonte*, nil tale direxêre: immò nec Pyrri, vir idem mentionem habuit; sed à tribus eam Ciuibus traditam minimè tacuit. In qua etiam refertur, quod antequam tres illi proceres de vrbis deditione seriò tractauissent, fucatã nostris obtulerunt pacem, spondentes sese reddituros proximè Ciuitatem. Quæ mutuò data securitas, in tantum valuit, vt intra vrbis mœnia aliquotiens de Francis exciperent; suique cum nostris conuenticula crebra miscerent. Dum ergo exercitus minus inter ista sibi, nimietate securitatis, inuigilat, protensis Turci insidiis quosdam ex Francis interimunt; nec ipsi tamen indempnes existunt. Ibi quendam nostri egregiæ indolis iuuenem, qui apud Regem Francorũ Comes stabuli fuerat, nomine *Walonem* amittunt. *Lanceæ Dominicæ* inuentionem cassare dicitur;& quia falsitati obnoxius erat, hominem dampnatum præsumpti ignis adustione testatur. Cui non modò super hac re modernorum testimonia refragantur; sed etiam vetustissimi quiq; fide plenissimâ stipulantur: quod, cùm olim loca Sancta expeterent, antequam Turci Orientis ac Syriæ regna peruaderent, eandem in eadem vrbe Lanceam adorare deosculariq; solerent. Numquid nam *Fulcherii* presbyteri qui, nostris apud Antiochiam fame periclitantibus, feriatus epulabatur Edessæ, tot prudentium, qui interfuêre dũ repperiretur, ingeniis præualebit argutia? cùm etiam *Balduinus*, qui post regem Balduinum Edessæ præfatæ præfuit, in sua ad Archiepiscopum Manassem profiteatur epistola, cùm eã beato reuelante Andrea repertã; tum à nostris audaciam, contra Turcos ingruentes præliandi, fiduciâ ipsius, admissam. Sicne spectabilis *Podiensis* ille Episcopus desipuisse putabitur, vt incerti nominis Lanceam, sub tantâ reuerentiâ ferret, dum aduersus Curbaran congressurus egreditur? Ibi certè constat quiddã memorabile factum: quod scilicet dum *Curbaran* idem herbæ ignẽ iussisset subiici; præsulque idem, Francorum ad bella properantium conspiceret ora ac oculos profluentes fumi densitate suffundi, hinc sacram præferens Lanceam, inde piâ dexterâ contra emergentes nebulas Crucis pingẽs effigiem, vbi IHESV Omnipotentis flebiliter euocauit auxilium, dicto celerius in eos, qui emiserant, eius pietas tetri vaporis retorsit globum. Porrò, si de inuentoris interitu agitur, qui aliquot post ignis experiẽtiam traditur vixisse diebus: fateor, dicã quomodo iste obierit, de quo incertum est an læsus fuerit, si dicat mihi cur is, qui apud beatum *Gregorium* linguas omnes acceperat, propria dentibus membra disciderit. Præterea dum in obsidione Antiochena morantur, adstruit, nisi fallor noctu rutilum, in modum ignis, super exercitũ emicuisse iubar;& speciem, haud ambiguâ formâ, pariter exhibuisse Crucis. Quod quiq; illic sapientum incendiũ ad bella retulêre futura: vbi tamen esset, quod Crux videretur innuere, certa salus, & successura victoria. Hoc non refellimus; id planè vberrimis testimoniis approbatur. Hoc, inquã, rimarũ plenus poterit tacuisse Parmeno. Nec dissimile quid, inter ipsa viæ huius initia constitit accidisse: quod quidẽ superiùs cùm de motibus eclipticis, & siderum, qui visus est, lapsibus loquerer me contigit præterisse. Quadam enim æstiui diei vespertinâ inruente horâ, tanta ab Aquilonis plaga conflagratio apparuit, vt plurimi è domibus propriis sese proriperẽt, quærentes quinam hostes prouincias suas adeò graui ambustione vastarent. Quæ omnia futurorum extitisse portenta bellorum, indubiè retinemus. At iam his omissis, quæ carptim delibanda censuimus, relationis seriem prosequamur. Iherosolimorum igitur Ciuitas obsessa, exprimi non potest quantâ sit ciuium suorum animositate defensa. Videres contra balearia instrumenta, quibus compererant saxa torqueri, trabibus obtegere muros; atq; psiatiis, Græcos, quos ita vocitãt, ignes iniicere machinis, præsertim qui materiei inopiam difficultatem maximam nouerant obsidionis: sed quia Francia præminebat ingeniis, furores ignium respersio curat aceti;& præacutâ falce reciditur, si quid videretur pependisse pro muris. Vncos ferreos longis hastilibus addunt, quibus nostræ partis è machinis propugnantes loricatos corripiunt; quæ nostri mucronibus exertis, pro hastilibus fustes reddunt. Sed in eo vel maximè Sarracenorum vehemens probabatur instantia: quia si quem suorum contigisset ictu à nostris obrui, percussi clipeum dicto citiùs constabat ab

XXXI. XXXII. XXXIII.

alio rapi;& in eodem, vnde ille ruerat, loco constitui, vt nostris daretur, ad sui examinationem intelligi neminem eorum iactibus lædi. XXXIV. Fæliciter igitur vrbe captâ, *Boemundus* qui Antiochiæ, fame, cruoribus, ac frigore Francorum, obtinuerat principari, apud eam, cæteris proficiscentibus, maluit remorari, quàm pro IHESV Domini Sepulchri liberatione vexari: Et dum contendit inepte pro vnius ædis turriculæq; custodia, præteriti sui vniuersi laboris fructum visus est amisisse & gaudia. Quid enim sibi profuit currere, vbi consequi noluit cõprehendere? Attamen, quia hactenus exercitui Dominico plurimũ emolumenti armis contulit atq; consilio, non est absurdũ paucis intexere, qualiter illum contigerit illò ire. Ad *Balduinũ* itaq; Edessenum legatione directâ, sollicitat, vt secũ pariter ad inuisendũ Saluatoris Sepulchrum veniat. Ipse etenim, non auaritiæ obtentu, sed propriæ ciuitatis tuitione retentus, vrbi similiter nequaquã obsidendæ concurrerat. Christianorũ plane ipsa erat Ciuitas, & circũpositæ Gentilitatis vires crebrò patiebatur infestas. Cumq; vir isdem se spopondisset iturũ, conflatis vtriq; equitum peditumq; copiis ingentibus: præsertim cùm eis incumberet non modò quorumq;, sed cõtiguæ omnino vniuersitatis metus: Iherosolimitanũ sunt iter adorsi. Cumq; singulorũ insimul contubernia conuenissent, & viginti hominũ milia fermè complessent, inter eundũ eos crudelis victualiũ coangustare cœpit egestas: vt nec escarũ cõdimẽta pani, neq; suppeteret panis ad escas. Prouinciarũ nempe, diuturnâ diuersarum obsidionũ morâ, & prolixis lõgè lateq; expeditionibus, opes exhaustæ, nõ sufficiebât vllatenus tantę animaliũ virorumq; frequentiæ suppeditare stipendia. Artata igitur miserabilibus inediis multitudo, asininarũ carnium, equinarumq;, quæ aliâs didicerat, edulia repetiuit; nec ab eorum vsu, habitâ etiã in talibus parcitate, calamitas ista desiuit, donec *Tiberiadẽ* ciuitatẽ, quinq; hominũ milium, sub Domino, pastione celebrẽ, desideriis affecta subiuit. Ibi aliquantulũ eâ quã patiebatur tabe cibo vberiori sopitâ, tandem Iherosolimã peruenitur, sed ea adeo fœtida, recẽs cæsorum cadauerum numerositate, repperitur, vt nusquã aura nisi corruptissima narium orisve spiraculo hauriretur. Qui à Rege *Godefrido* gratulãter excepti, Dominico quod imminebât interfuêre *Natali*. Quod, vt rationis cẽsura respõderat, *Bethleem* actũ, nõ modò ex suâ mutua qui cõuenerant visione; sed magis ex sua victoria suo insperabiliter sæculo præstita, Francis supra quã credi potest res tripudiosa fuit. Inde digressis, cùm sua quisq; repetisset, à Turcorũ manu immodica, cùm vrbẽ quandã adiret *Boemundus* inuaditur; in remotissimas Persidis regiones captiuus abducitur. Quod vbi *Tancredi* illustris attigit notionẽ, quãprimũ occupare Antiochiã properat; Laodicię Pergama munit: vtraq; enim Boemundo munia pensitabât. *Laodiciã* pridẽ *Rothbertus* Northmannię Comes habuerat, sed cùm prodigi hominis exactiones vrbici tolerare nõ possent, pulsis summæ custodibus arcis, eius abegêre dominiũ; odioq; ipsius Rothomagẽsis abiurauêre monetæ vsum. At *Boemundus* cùm annis aliquot in carcere resedisset, tãdem, cùm pacto, tũ pecuniariâ redemptione resoluitur. Nec multo postt̃pore exacto, Antiochiã *Tancredo* cõmissâ, nauigio in Appulia transuectus venit in Franciã; & *Constãtiã* Regis Philippi filiã multo auro à patre impetratã, fecit Carnotũ eius nuptias in magna gloria. Deinde in Appuliã regressus, magnã Regni Constantinopolitani Imperatoris partẽ sibi subegit; & susceptis ex filia Regis duobus filiis, veneno vitã finiuit. XXXV. At *Godefridus*, cuius in equestri gloria quantitatis extiterit, pro clausula laudis, quia superius plura relata sunt, ex præfati *Balduini* verbis accipi poterit. Est autẽ idẽ Comitis *Hugonis ex Reiteste* filius: qui dũ Edesseno Ducatui à postmodũ Rege Balduino præficitur, iã dudum Turcorum manus proh dolor, incidit; & multo tẽpore clausus, DEO se protegente, viuens ab eorum manibus euasit. Extat verò eius huiusmodi de eo, verbis vtiq; meis vestita sententia, *festum sancti Dionysii agebatur; Rexq; idem à quadã sua, vocabulo* Morocoria, *ciuitate regrediebatur: & ecce centũ viginti Turci eidem insidiabãtur, cùm viginti eum tantũmodo equites comitarẽtur. Quos vbi,* inquit, *attendimus, remotâ formidine, arma corripimus; ipsi verò, quia repente ingruerant, fugituros nos pro nostra paucitate putabant. At nos, sumpto de expertis DEI adminiculis iugibus ausu superq; ipsum spiritu innitentes, Barbaros aggredimur; tantâ in eos cade bacchamur, vt ex illis octoginta cæsis, nonaginta pariter equos caperemus.* Et post aliqua, vir isdem, cum irrisoriè meminisset eorum qui ab Antiochia fugerant, & qui Constantinopolim legatione functi reditum distulerant, ad animandos qui in Francia resederant

resederant Francos; de sua fortuna sic sequitur: *Multũ*, ait, *nos opulenter nos habemus, &, vt aliorum superſedeã gazis, decem quibus ſolus principor castra, & abbatia vna, marchas michi pendunt annuatim mille quingentas. Et ſi DEVS arrideat vrbem mihi cœpiſſe Calepiam, centum mox meo habiturus ſum ſub iure castella. Retrogradis*, inquit, *nolite credere, qui nos inediã fatiſcere celebrant: ſcriptis potius meis credite.* Rex igitur *Godefridus*, XXXVI. vbi post vitam nobilem beatior futurus exceſſit, *Iherosolimitani* nequaquam temperantię eius ac ſerenitatis obliti, & degenerare verentes, ipſius germanum, ducem Edeſſenum, miſſis interpretibus, ad Regis iura compellant. Qui quidẽ in ducatu, eo ſplendore ſe habuit, vt clypeum aureum quouis iter agens, præ ſe ferri faceret, qui

10 Aquilam expreſſam in ſe haberet. Erat autẽ ſcematis Argolici. Morem enim Gẽtilibus gerens, hucuſq; togatus inceſſerat, barbam remiſerat, ſeſe adorantibus flectebatur, ſolo tapetibus ſtratis veſcebatur; at ſi quod municipium vel vrbẽ ſuæ ditionis intraret, ante eius gradientis vehiculum, duorum ore equitũ, geminâ tubâ perstreperet. Legationi ergo obtemperans, Iheroſolimã proficiſci aggreditur. Sed vbi contigua Gentilitas, profecturi aucupata propoſitum, contemplatur euntem, conſcenſis, aurâ ſibi incaſſum obſecundante, liburnis, cùm Dux per eiuſdem æquoris, ſatis mediocri comitatu, properaret arenas, feruẽtibus remis, roſtriſq; cauãtibus vndas, obuiã ſe præbere concertans, litori claſſem appellere maturabat. At Dux, omnium quæ fieri dextris quirent mortalibus expers, mœroribus intimis pulſat Altiſſimũ; &

20 proponit ei, quòd ſubiturus obediẽter erat, pro fide eius tuenda, Regni negotiũ. Et ecce, quę mobilitate ferebantur aligerâ, naues, limaceâ moroſitate reſiſtunt; & quò ampliorem tonſis ſalum verrentibus quiſq; nititur ad proceſſum, tantò ſpei ſuę mutatione ridiculâ, ſtudioſiùs proræ rotabãtur ad puppes. Ita improborũ fuſo molimine, Dux meritâ libertate potitus, de recipienda purpura euidens cælitus ſumpſit auſpicium. Illud me præterierat quòd Piſanus antiſtes *Daibertus*, cum aliqua ſuæ plebis frequentia, Epiſcopo quodam *Apulo* Comite Iheroſolimam iam cũ Boemundo, & hoc ipſo Duce præceſſerat. Primos ſuos poſt Regna recepta procinctus, & XXXVI. intra ſinus exercuiſſe perhibetur Arabicos. Vbi dũ ad *Sinai* montis vſq; deuexa procederet, repperit incultum, & Æthiopicis ſimile hominũ genus: quibus, pro agreſti

30 vſu ac deformitate inſolita, vitæ indulſit munus. Ibi in Eccleſia, quæ Sancti dicebatur *Aaron* orauit, vbi ſua DEVS cum patribus oracula celebrauit, & exercitus de cõtradictionis fonte potauit: vbi quia Moyſes in labiis diſtinxerat, nec DEVM coram filiis Iſraël ſanctificauerat, à terra eum DEVS Promiſſionis abſentat. Et iſtic presbyteri illius mei titubauit opinio: non enim *Synai*, ſed mons *Or* dinoſcitur eſſe, *Petræ* quondã Arabum conterminus vrbi, vbi & Aaron hominẽ exuit, & aqua de intimo percuſſę rupis emergit. In illa Sancta Iheroſolimorum ciuitate vetus quoddam XXXVII. miraculum inoleuerat; quod vetus idcirco dixerim, quia ex quo idem fieri cœperit, orbis ferè Latinus ignorat. At nos coniiciendo perpendimus, quia poſtquã calcari ante hæc noſtra tempora cœpit à gentibus, id pro ſuorum qui ibi degebant, per

40 id ve temporis cõueniebant, annuerit Dominus: quòd videlicet in ipſo *Paſchali Sabbato*, Sepulchri lampas Dominici videatur quotannis accenſa diuinitus. Erat autẽ eadem moris in vrbe, vt circumitis Pagani vniuerſorũ ædibus, ſingularũ focos vſq; ad fauillas extinguerẽt: & tãta id fiebat ab Ethnicis indagine, quantũ idipſum putabatur fieri fideliũ fraude, nõ fide. Cũ ergo hoc modo Vulcanus eliminaretur ab oppido: eâ horâ, quâ noſtræ religionis obſequiũ, plebem Catholicã ſolempni reſurrectionis atq; baptiſmatũ intereſſe mãdat officio, vidiſſes per vniuerſam Gentiles exertis mucronibus oberrare baſilicã, mortemq; noſtrorũ quibusq; minari: cerneres fidei noſtrę è regione cultores indigenas, graui penes DEVM mœrore torqueri; eos verò nil minus, quos de abditis mũdi finibus orationis vota illò cõtraxerãt vel cau-

50 ſâ miraculi, luminis omnes munus vnimodã intẽtione precari. Nec tũc erat importuna dilatio, quin deſideriis æſtuata petitio, alacri leniretur effectu. Audiui à perſonis quę illuc iẽre, ſenilibus, q, Papyrus vel lichinus, (nã vtro vtãtur vtriuſq; nõ noui) Gẽtilis ſemel cuiuſdã ſit thecnã ſublatus, ferrũq; remanſit inane; ſed, cœlitus labẽte miraculo, ex ferro lumẽ emerſit. Dũq; fraude virtutes cupit eneruare ſupernas, didicit, *cõtra ſuã ipſarũ naturã, Deo ſuo militare Naturas.* Anno ergo ex quo Rex præfat⁹ XXXIIX. ſuſceperat ſceptra ſequẽti, eius fuiſſe traditur difficultas tãta miraculi, vt vix imminẽte nocte orãtiũ flentiũq; potuiſſent vota cõpleri. Sermo pręfati præſulis factus ad

Populum, de confessione sollicitat peccatorum: Rex & Præsul resarciendis pacib⁹ instant; si qua fidei honestatiq; non congruunt, corrigi promittuntur. Interea vrgente negocio, tam enormium criminum ibi eo die est facta cõfessio, vt nisi pœnitudo succederet, dignè fieri videretur luminis Sancti, ablatâ dilatione, sublatio: cuius tamen etiam tunc, post correptionem, non remoratur accensio. At altero posthac anno vbi ad eam ventum est horam quâ sepulchrum gloriosum flamma cœlestis efficeret, vniuersorum penitus vota suspiciunt. Græcis igitur ac Syris, Armeniis pariter ac Latinis, quibusq; per suarum linguarum idiomatibus, DEVM ac eius cõuocantibus Sanctos; Rege, proceribus, & populo, pœnitentiâ cordiumq; rugitibus prosequentibus cleros, misero omnes exulcerabantur affectu, quod eâ vrbe iam à Christianis obtentâ, inibi contingebant, quæ numquam euenisse sub Paganis audierant. Interim *Fulcherius* Carnotensis, assumpto sibi Patriarchæ Daiberti capellano, in montem proficiscitur Oliueti; ibi enim suboriri DEI lucerna solebat, si quãdo Iherosolimis nõ aderat. Sed reuersis, & nil gratum ad præstolantis Ecclesiæ referentibus aures, orationes à diuersis geminantur ad populum, non tamen quę ægros foueant, sed incentiuæ lugentium. Ea dies, re infectâ, vniuersos in sua tecta remisit; nox gemina inruit, acrisq; mœstitia generaliter omnium pectora torsit. In crastino deliberant, vt ad Templũ vsq; Domini, debito cum mœrore procedant. Ierãt, gaudii prorsus Paschalis immemores, dum nullus habitu differt à die Parasceues: cùm ecce ab æditiuis Ecclesiæ post euntium terga cõcinitur, quia sacri monumenti lampas accẽditur. Quid immorer? Tanta eo die gratia, aucto suæ vbertatis ex dilatione successu, emicuit, vt illa DEI claritas non quidem simul, sed vicissim, intra sepulchri Ecclesiam, lampades fermè quinquaginta tetigerit. Hæc non modò inter sacra cõtigêre mysteria; verùm cùm peractis officiis Rex pranderet in aula: Cogitur frequẽtibus nunciis ad noua videnda lumina reiectâ consurgere mensâ. Dici non potest quibus conualuerit mœror ille solatiis, cùm eo die, quod numquam præsumpserat, intra eandẽ vrbem, in Templo Domini, coronari Rex ipse cõsenserit, ob huius fauorem muneris.

XXXIX. Igitur *Franci*, qui sacram suis redimerant cruoribus vrbẽ, cùm ad dulce solũ visuri parentes, filios ac vxores redire gestirent, quà venerant per mediterranea scilicet, fisi forsitan numero ac audaciâ, repedare deliberant. Cumq; per *Niceæ* quã pridem cœperant fines prætergredi liberè cogitãt, Turci, quos vrbe redditâ inibi prędiximus, obiiciendos aliquando Francis, ab Imperatore repositos, obuios eis acri manu se exhibent; & vt presbyter ille meus, nisi falsò, fatetur, immani centum milia digladiatione trucidant. Sed in tanti expressione numeri vereor virũ falli: quia eum aliâs etiam æquo promptiorẽ in supputationibus cõstat haberi: verbi gratiâ, eos qui Iherosolimam profecti sunt, sexagies cẽtena milia audet ipse taxare. Cui sufficientiæ miror si omnium Cisalpinarũ partium, immò totius Occidentis regna valerent: cùm sciamus indubiè quod in primo pro mœnibus Niceæ cõgressu, vix equestres integrè apparatus habentium, centum milia fuisse tradãtur. Et si de illis planè agat, eosq; sub hac sorte percenseat, qui motũ quidem eundi fecerint, sed per diuersas quaqua versum prouincias, terrâ & mari, morbo fameq;, defecerint, nec sic profectò tantæ hominum infinitati supplendæ suffecerint. Francis ergo, vt dictum est, ferali cæde prostratis, pleriq; superstitum, rebus Iherusalem reuertuntur amissis. Quibus liberalissimus Rex, & valde condoluit, & beneficia plurima contulit, & reditum ad patriam pelagi euectione suasit.

XL. At *Babylonicus Princeps*, nõ tam de Iherosolimorum amissione, quàm de Francorum qui inibi desederant cõtiguitate cõfectus, crebris aggreditur expeditionibus Regem pulsare nouum: & per Accharon ciuitatis portũ frequentiorẽ moliebatur incursum. *Accharon* autem, *Rothbertus* Northmannorum Comes obsederat, dum Iherosolimæ obsidendæ Domini exercitus properat: sed Dux eum *Godefridus*, fructuosioris negotii contemplatione, diduxerat: Babylonicus itaq;, missis ingentibus copiis, regem Christianum bello lacessit. Qui suo humili grege, cui à Domino dicitur, *noli timere*, cõflato, & aciebus, vt poterat, distributis, profanos impetiit; & nec morâ, veluti pecuaria bruta cædendo, non aliter quàm rapidissimus puluerẽ turbo dispersit. Secundò, nouem militũ milia miserat, quibus Æthiopicorum peditum ad milia ferè viginti, manus gregaria, suberat: quorum occursui Rex pius, equitum peditum, vix mille coegerat; & tamẽ septem agminibus exinde dispositis, in eorũ confertissimas phalanges magnanimâ

Luc. 12, 32.

securitate

securitate se fudit. vbi Princeps idem, quendam eminus equitem Gentilium conspicatus, tanto adnisu virtutis irrupit, vt pectori ipsius telo transposito, vexillum quod telo inerat pariter inferret; exemptaque hastâ à vulnere, vexillum teneretur in pectore. Quâ sui suorumque animositate hostes conterriti primò cesserunt; sed pro numero ac viribus, redeunte ipsis audaciâ, nostris vnanimiter ingruunt, & de fuga cogitare compellunt. Hoc sibi infortunii accidisse ad id, non sine prudentia, retulêre, quod nequaquam huic tãto negotio præstò Crucem Dominicam habuêre. Crucem autem ipsam, vt ferunt, cùm abditis quibusdam lateret, vti pridem Lancea, locis, Syro quodam, nescio an Armenio, indice reppererunt. Tali 10 ergo castigatiores effecti, non tam dampno quàm cœptæ victoriæ næuo: cùm Babylonici Principis, prioribus non impares copiæ sese tertio obtulissent, Rex optimus, quâ valuit frequentiâ, sed ex DEO securior, occurrit; & pro facultate locatis ordinibus, tantâ animorum vehementiâ hinc indeque concurritur; tanto, licet valde impari, carnificio pars vtraque conciditur, vt ex Gentili agmine sex milia, ex Francis centum milites sternerentur. Et quia non Aquilarum, non Draconum insigniri superbiis curauerunt; sed humilis Crucifixi opprobrium, sibi crucem videlicet prætulerunt, victores illicò laudatissimè existentes, terga eos dedere compulerunt. His ita probè, vt decebat, explosis, è vestigio quo numerosiorem potuit conflat exercitum; & Cæsaream Palæstinorum eximiam, non contuitu milium, sed spe potius virium obsidione præcingit. Acceleratur itaque fabrica machinarum; multiplex circum muros ballista porrigitur; quod *Arietem* vocitant, à fronte ferrata trabes inducitur. Comparata mœnibus castra phalarum, sed non vnà procedunt; & murorum propugnaculis adsistentes non solùm variorum imbre missilium Sarracenos illapidant, sed etiam collatis mucronibus aliquando trucidant. Feruere ibi cerneres maximis tormenta lapidibus; & non modò parietem muri vexare forasticum, verùm procera acrium molibus ictuum ciuitatis irritare palatia. Pulsare quàm sæpius ædes ac mœnia saxis omiserant, & cum liquore plumbeo ferri candentis offulas, vt conflagretur oppidum, amenta recussa dispergunt. Interea aries muris inliditur; & dum inferius foramen affectat, vniuersa circumpositi munimenti soliditas fatiscendo laxatur. Dum ergo Franci nituntur ad intima, & studium læsionis Sarracenos impellit ad extera, cædes agebant mutuas. Vbi etiam machinæ iactura cadentis, plurima de nece nostrorum, animos diuersæ partis exsuscitat. Sarraceni namque, cum sint in expositis aciebus inertes, intra præsidia mirâ sunt sagacitate rebelles. Igitur die obsidionis vicesimâ, cùm Rex fretus iuuentute lectissimâ oppidanos grauiter vrgeret, è machina muro repentè insilit; post ipsum miles irruit, hostem fugacem disiicit. Francis itaque Regem totâ alacritate sequentibus, per vrbem infinita turba perimitur, nemini parcitur; nisi quòd puellaris ad obsequium iuuenta seruatur. Passim Gaza disquiritur, & non modò archa, verùm Sarraceni tacentis gula discutitur: fauces enim 40 quæ glutierant Bizantea, pugno subcutiente, reiiciunt; & quæ officia eis locis indebita vsurparant, auri frusta fœminarum puerperia fundunt. Nec morâ, captæ ciuitati Francorum colonia, illic habitatura, dimittitur. Non multò post *Accharon* aggreditur; & diuturnis moliminibus fatigatam, proprio sub iure cohercet. Plures etiam postmodum alias cœpisse dinoscitur vrbes; sed ita meditullio rabidæ illius Gentilitatis interfitas, vt vix aliquid tutum nostrorum inibi liceat cogitare coloniis. Sarracenos tamen, bella continua, crebris adeo victoriis contemptibiles Christianis militibus reddidêre, vt anno præterito mirum quiddam cognouerimus euenisse. *Miles* quidam proteruiùs quàm debuerat cõtra Regem sese habuerat, quem *Rex* ipse *Tiberiadi* ciuitati præfecerat. Rex ergo citatus ob insolentiam hominis irâ, iussit eum à suæ ditionis terra recedere. Qui cum duobus equitibus, dũ abire properaret, armigeris totidem comitatus, maximas subitò copias Gẽtilitatis offendit. Qui suo diffidens numero, ad DEVM verò vtcumque respectans, concisâ *camisiâ*, quam subuculã dicunt, hastæ pro vexillo apposuit: itidemq; socios facere iussit: fecerunt, & clamore sublato, sonipedes calcaribus vrgent, obuiosq; ferũtur in hostes. Qui territi repẽtinis ausibus, dũ æstimant quod quasi præuios sequerẽtur multæ cohortes, fugã ineunt; seq; tribus illis cædendos exponunt. Plurimi perimuntur; plusquam ferre sufficiant spolia rapiuntur. Quo euẽtu ille secundo, compungitur,

XL.

XLI.

20 30 50

Deoq; gratulabundus rediens, Regi prosternitur; ei obediturum deinceps fideliter pollicetur. XLII. Aliquando idem Rex pecuniæ grandi angustabatur inopiâ; vt etiam deessent menstrua quæ militibus debebantur stipendia: cùm ecce, se ei munifica mirabiliter præbuit diuina clementia. In tantum namque iam vexabantur, vt eum satellites ac milites deserere meditarentur. Cùm ecce, Ioppitæ iuuenes cùm lauandi immò ludendi gratia haud procul à maris littore mergerentur, repperiunt quadam die in ipso arenarum salique confligio, manticas magnis auri ponderibus plenas, quæ amiserant Venetii, quos ibi constiterat fregisse carinas. Quæ Regi delatæ, cunctis miraculum ineffabile; Regi penè desperato, & nouæ Christianitati præbuêre solatium. XLIII. Sed quoniam calumniæ patere dinoscitur, quia *Vxori* dicitur dedisse repudium, causa sic traditur. Mulier ipsa ex optimis terræ oriunda Gentilibus, post maritum, ipso iubente, Iherosolymam tendens ad portum vsq; *Sancti Simeonis*, marinâ euectione, deuenerat. Quæ in celeriorem ibi translata carinam, dum cursum suum expedire nititur, in Insulam quãdam Barbaricam, flaminum importunitate, defertur. Quam idem Insulani corripiunt; quendam eius comitiæ Episcopum, cum officialibus cædunt; diu ipsam detentam, postmodũ abire permittunt. Quæ cùm ad virum venisset, incontinentiam Ethnicã Rex ipse habens non sine ratione suspectam, à thoro proprio prorsus abstentã, mutato habitu, posuit eam cum monachabus aliis apud beatam matrẽ DEI Virginis matris Annam. Ipse verò gaudet viuere celebs: quia nõ est ei colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ, sed contra mundi rectores. XLIV. Circa Paschalem anni præteriti festiuitatem, *Miles* ille prælibatus, quem præfectũ Tiberiadi diximus, cui victoria illa prouenerat, in quodã bello nostrorũ parti minus accommodè facto, capitur; & in quandã ipsorum Gentiliũ vrbem, ab ipsis viuus abducitur. Qui, cùm sacrilega inibi, nescio quæ, festa peragerent, exhibitum præfatum equitem, de propriæ gratia fidei diffidẽda abiurandaq; compellãt. At is, dignâ sibi admodum animi offirmatione, tantę nefas abusionis abiiciens, penitus vel audire perhorruit. Nec morâ, vir ille, cum omni iã nominandus fauore, corripitur; alligatus stipiti, vt ferunt, campo medio sistitur, ac numeroso sagittarũ vndiq; grandine terebratur; inde exempto vertex à capite serrâ diuiditur: idemq;, in modũ poculi, Regi Damasceno, à quo hæc gerebantur, ad terrorem nostrorum quasi exinde bibituro conficitur. Qui, sub infractæ voto confessionis occumbens, ex prædicato milite, prædicandũ in secula Martyrẽ fecit. Isdem *Geruasius* vocabatur apud castrum Basilicas pagi Suessonici nobiliter oriundus.

XLV. Hæc hactenus, Deo fauente, digesta, à viris omnimodã præditis sinceritate cõperimus: qui si vspiam aliorum secuti opiniones, falsi sumus, studio nequaquam fallendi id fecimus. Gratias agimus DEO, Ciuitatis illius Sanctæ, per nostrorum studia, Redemptori. Ipse namque eadem cùm obsideri cœpisset, cuidam in Bethania consistenti *Anachoritæ*, vti pro certò nobis relatum est, reuelauit, Ciuitatem quidem illam instantiùs obsidendam, solo autem die Parasceues inuadendam, horâ verò quâ CHRISTVS cruci illatus est capiendam, vt se esse ostenderet, qui eam denuò à suis ærumnis, membrorum suorum dolore, redimeret. Hæc vir isdem, accitis quibusdam nostræ partis Principibus, indicauit, quæ omnia modus vrbis captæ probauit. Gratias itidem DEO, qui sua facta, suo spiritu, ore nostro composuit. Cæterùm, si quippiam ab his minus quæ assolet *Iulius Cæsar* cum *Hircio Pansa*, in Historia Gallici, Hispanici, Pharsalici, Alexandrini, Numidicique belli, diligenter putabitur explicatum, nimirum perpendi debet eosdem ipsos qui fecerint, & qui scripserint bellis interfuisse. Vnde fit vt ab eorum relatibus nichil excipiatur quæ generaliter specialiterque sunt acta: quot hinc milia, quot è regione fuerunt; qui prætores, qui legati huic distinendæ manui; qui Duces, qui aliunde Principes præfuerunt; quid equitatus, quid leuis armatura peregerit; quot spiculis scuta traiecta, & vt eorum propriè verbis vtar, *postquam Consules aut pro consulibus cecinêre receptui*, quot dirempto prælio sint desiderati, quot saucii. Nos qui hæc scribimus, sicut alia professio detinet, & rerum visio nullã præbet audaciam, in referendo audita censuimus aliquotiens etiam parsum iri. Ex Iulianorum disciplina Quiritum, Legionarii milites, turmæ, manipuli & cohortes pro suis quiq; cogebãtur signis adsistere; propter opportuna loca, non secus ac Oppida vel Vrbes, Castra vallo turribusq; pręcingere; vbi acierũ ꝓductio immineret, colliũ præoccupare vicinias,

cinias, locorũ summopere iniquitates excedere: ibi Calonũ Lixarumq; numerosa officia, exercitus impedimenta ditissima. At huius ordinis, immò industriæ, quia pene nil extitit apud nostros, non dicam Francicâ temeritate, sed fide experrectâ & viribus acta res est. Dicant qui volunt, plura me omisisse quàm scripserim; ego malui minor esse quàm nimius. Si qua facta alia quis nouerit, mandet, vbi scribenda libuerit. Gratulemur DEO tantisq; victoribus, qui frumentariæ rei inopiâ, fossis didicerunt victitare radicibus. Si quis de *Parthorum*, quos *Turcos* diximus, aut *Caucasi* nomine ambigat, *Solinum* de memorabilibus, *Pompeium Trogum* de origine Parthica, *Iordanem Gothicum* de Betica retegat.

10

DEVS ergo tandem pio labori limes adsistat: Amen.

EXPLICIVNT DEI GESTA PER FRANCOS.

AB ALIO EDITVM AVCTORE.

ANNO Dominicæ incarnationis *millesimo centesimo duodecimo,* Rex *Balduinus* sępenumerò hostibus lacessitis, multas Ascaloniceũsium strages dederat: sed quoniã, quæ largirentur peregrinæ militiæ, donatiua defecerant, ne rerũ præclare gestarum facies mutaretur, nimium verebatur: de suspendenda necessitudine; sagaci intentione pertractat, adhibito propensiori Principum consilio. Non parua namque Legatio Saracenorum, causâ expostulãdę pacis, eâ tempestate Iherosolymis conuenerat. Vndè iustam ratus, quam à Barbaris rogabatur, belli omissionem, directæ Legationi, vt vtraque pars opportuno conueniat loco, indicit: *Æquum, in regnorum finibus tractare de fœdere pacis*, existimans. Regressi nuntii, Principem suum mandatis instruunt; placent delatæ pactiones; denuntiata præstolatur dies: quâ aduentante, designatus ab vtrisque Principibus aditur locus. Nec modica nostrarum partium cum Christianissimo Rege accessit frequentia: Gentis verò prophanæ cum suo *Admirauiso* immanis emersit populositas. Non valdè procul, è regione, his & illis consistentibus, Barbarus Regi Iherosolymitano per interpretes mandat, vt quas velit pactiones, edicat; se quoque omnimodis exequuturum. Tum verò Rex: *Pro suo*, inquit, *ritu, virum satis censorium audiuimus: & malle occidi, quàm prodere ius datæ securitatis. De comeatibus, mercatorumq, mercibus terrà mariq, tuendis, de lignorum vectatoribus non inquietandis; de nocturnis, frequentibusq, latrociniis vetandis; de diffundenda passim pace, fidem ac securitatem suo ritu vel more, confirmet: & cùm ipsis nos easdem sponsiones sacramento firmauerimus, vindictam cœlestem ei, qui fœdus corruperit, imprecabimur.* Quo dicto, fauor vtrobique tollitur: statimque Principes mutuis sese recepère colloquiis. Vbi iam maioris fiduciæ apud Regem Barbarus aditum inuenit: *Quoniam*, inquit, *armis abiectis bellorum causas interdum eximimus, multa mihi accessit Iherosolymam videndi libido: quia ex eo tempore quo eam, expugnati à Francis, amisimus, meliori statu reformatam audiuimus. Cum quantislibet sociis, infra vrbem admitti deposco. Illam tantùm videam; vidisse, satis mihi factum pensabo.* Nec renuit rex: quippe, quem dolosi fraudulentia hominis latebat. Tota regreditur Aschalonem Barbarorum manus: *Admirauisus* perpaucis retentis, Regem vsque Iherosolymam comitatur: Eâ interim die, siluerunt. In crastinũ, sub honoris obtentu quibusdam nostrorum proceribus vallatus, non modò spectaturus, verùm exploraturus vrbem procedit. Vbi templa vel ecclesias fulgentes, euersa suorum antiqua delubra, destructas aras, statum vrbis more Christiano immutatum vidit, felle de nimia lachrymasse perhibetur. Nostri quidem, qui nihil mali de viro suspicabantur, eiusmodi fletum pietatem æstimauêre. Demum ad Regem: *Non*, inquit, *delatus vestræ gloriæ nos delusit rumor: cùm potiora, quàm audieram, ipse modo oculis vsurpauerim. Planè profiteor, quamquam nostræ parti derogare videar, multò quàm nostris temporibus, vrbem nunc feliciora obtinere incremẽta. At nos munificentiæ vestræ respondentes, huic satis cooperabimur gloriæ,*

A. Dni. 1112.

20 30 40 50

Opes adnectare Babylonicas, mercatores cis mare direximus, quas satis tenui pratio distrahendas huic vrbi inferremus; quarũ copiosâ varietate, quo amplius indigetis, eo vobis perpetuò profuturas noueritis. Dixerat, & Regiis munitis stipatoribus, ad sua vsq; reducitur. Nec contatus libellis transmissis Principem Babylonis per internuntios adoritur: *Cùm vestræ sublimitatis nomen, delatum vbique terrarum, tot gentibus terrori incumbat, quod Christiani aduenæ regni vestri fines mutilauerunt, æterno subiacet pudori. Ecce pars maxima Babylonici imperii externis subacta legibus, antiquis ritibus numinum sacris, luxu & voluptate quâ vti solebamus vacat. Vereor iratos Deos, nec Mathomum velle patrocinari. Quod si viribus armisq; resumptis Christianos à terra & vrbibus arcere volueritis; & Dii vos exaudient, & Mathomus opitulabitur. Ferte opem, armis camelos onerate, armatorum* 10 *nihilominus quodlibet milia dirigite. Biennalis à Rege Iherosolymitano inducias obtinuimus: vrbem ipsam immunitam, leuis viros armaturæ, fusos auxiliarios vidimus. Opum vestrarum munera mercatumq; illi repromisimus, vt erga nos in nullo suspectos eos redderemus. Si pro mercibus, armorum sarcinas illis direxeritis, facilis apud vos erit ipsius iactura vrbis.* His acceptis, Tyrannus spe dictorũ animabatur. Mirareris denique militum audaciam, armorum quantitatem, variumque fulgorem, armentorum, victualiumque infinitatem, auri cæterarumque opum immensitatem: quæ omnia maturè parata nauibus imponuntur, nec multò post Aschalonã exponuntur. Demùm cum dies transmittendi negotii repromissus instaret, mittit ad Regem Tyrannus; & ad cõducendas merces, quælibet à latere Regis expostulat. Sed eo tempore Rex apud *Cauas* ca- 20 strum, in Arabia situm, concesserat. Hoc non valdè procul à *Syna* monte ad regionem tuendam construxerat: nam & eo vsque Regnum dilatauerat. Denique procurandorum Regalium, dum Rex abesset vir quidam fidelissimus, & vigilantis ingenii, Iherosolymis officio fungebatur: cuius purum nomen ignorantes, quâ nescio occasione *Mathonium* agnominari comperimus. Hic aliquando à Christianis captus adolescens, baptismumq; adeptus, vt corporis gratiâ, ita moralitate susceptæ professionis excreuerat. Hunc itaque potissimum ciues angariauerunt, eò quòd esset Barbaræ linguæ peritissimus. Interea apud Sarracenos fraudulentia talis machinabatur, vt non milites eos qui aduenerãt, sed negotiatores; non arma, sed venalia quis æstimare posset: ex quibus sarcinæ componuntur quingẽtæ. Quò perueniens 30 *Mathonius*, officiosè suscipitur, & neque conuiuiis eorum aut consiliis arcetur: vtpote qui putabatur quòd eorum non intelligeret sermones. Et dum sedulò, minus prouidis eorum conuenticulis sese insuspectus interserit, quos deliberarant, facilè perpendit dolos. Dissimulatâ tamen conscientiâ, mille homines cum quingentis sarcinis Iherosolymam duxit. Distributisque singulis, quæ turri Dauid contigua erant, hospitalibus, *Mathonius* in Arabiam, vbi Rex morabatur, venit: *Sunt*, inquit, *Iherosolymis funestissimi mercatores, qui nobis non opum, sed armorum sarcinas attulerunt: Et nisi citò subueniatis, futuram timeo euersionem & gentis & vrbis.* Omisso igitur Rex negotio, ad vrbem festinatò regreditur, & commeatoribus euocatis, foro merces exponi iussit: Quod illi nullo modo fieri posse dicebãt, donec ii quos præcesserant 40 vel socii vel domini venalium, aduentarent; vehementerque resistebant. Mox autem Rex, omnibus custodiæ mancipatis, reserari sarcinas fecit. Quid plura? Et fulgore & genere, apparuerunt arma satis spectabilia: inter quæ etiam repperêre classicum, auro gẽmisque, & nouitate operis insigne. *Hæc*, ait Rex, *mercimonia & periculosa satis sunt, & vtilia. Periculosa, si præparato malo non resistimus; vtilia, quia belli proderunt vsibus. Super his igitur vobis ipsis consulite, ô viri fortes.* Ad hæc *Eustachi*[illegible] Cæsareæ Comes, respondit: *His quamprimùm productis, omnes damnate capitibus; vnum, qui rei seriem declaret, reseruate.* Quo facto, vni securitatem vitæ dederunt, si cuncta ex ordine pandat: Qui ait, *Ideò arma sarcinis inclusimus, vt vos specie venalium deciperemus. Et ideo præcessimus, vt arte conscia turrem & portam contiguam exercitui venturo, noctu,* 50 *vobis soporatis, aperiremus. Qui tamen ingressuri non erãt, donec adueniente crepusculo, classicum sibi notum, de supremo turris audirent: Non autem cum impetu, sed sigillatim, vtpote inermes: Turris verò, à quibusdam obtinenda: ab aliis quoque ad exitium vestrum, statim hæc arma sumenda.* His auditis, acceptoque consilio, Eustachius ait: *Hoc solum omni superest meditamento, vt nos illis eandem vicem referamus.* Igitur cùm omnis Barbarorum conuenisset exercitus, irruente nocte circa vrbem cum magno consedit silentio. Nostrorum autem pars maxima nouis illorum ****

DESVNT RELIQVA.

GESTA

GESTA FRANCORVM
EXPVGNANTIVM HIERVSALEM.

I. *Ann. Chr.* 1095.

ANNO *Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo quinto*, regnante in Alemannia *Ainrico* Imperatore, in Francia *Philippo* rege, in Græcia *Alexio*, in Anglia *Wilermo* minore, cum in vniuersis Europæ partibus mala multimoda inolescerent, præerat vrbi Romæ Papa *Vrbanus* secundus, vir egregius vitâ & moribus, omnique prudentiâ scientiaque edoctus: qui videns Ecclesiam vndique oppugnari; & fidem Christianitatis enormiter ab omnibus, tàm clero quàm populo, pessundari, pacemque omninò, principibus terræ inter se diffidentibus, postponi; bona terræ alternatim diripi; multos iniuriosè captiuari, suprà modum redimi, quosdam etiam ipsis carceribus immori; plerosque etiam exulari, & ab hæreditatibus propriis violenter expelli; loca sancta violari; ecclesias quoque & villas igne cremari; nulli prorsus mortalium parci; diuina & humana ludibriis haberi: Audiens præterea DEI Ecclesiam à *Turcis* omninò occupatam, & in omnibus eorum finibus ab eis truculentissimè oppressam, & Sepulchrum Domini, locaque sancta, ab eisdem nefandissimè pollui; Imperii *Constantinopolitani* interiores partes inuadi; ferocique impetu Christianum imperium sibi velle iam subdi: pietate compatiente, DEI nutu permotus, & à quibusdam efflagitatus, Alpes transcendit, atque in *Auernia* Concilium legationibus vndiq; præmonitum, trecentorum decem tàm Episcoporum quàm Abbatum apud *Clarummontem* coadunari fecit. His itaq; ad se conuocatis, allocutione dulcifluâ, cõuentus causam diligenter innotuit; lugentisque Ecclesiæ planctum voce quærulâ expressit; & de mundi fluctuantis tempestatibus tantimodis, sermonem prolixum tenuit: deinde rogatu supplici cunctos exhortatus est, vt resumptis fidei viribus, cum ingenti sollicitudine ad expugnandas Diaboli machinationes viriliter se animarent; & Ecclesiæ statũ à nefandis crudelissimè debilitatum in vigorem pristinum conarentur erigere: His atque aliis pluribus competenter ac discretè dispositis, cuncti assistentes, tàm clerus quàm populus, DEO gratias agendo, dictis domni *Vrbani* summi Pontificis voluntariè aspirauerunt, & fideli pollicitatione illius decreta tenenda confirmauerunt. Tunc ait Papa: *Necesse est, fratres mei dilectissimi, quatinus confratribus nostris in Orientali parte habitantibus, auxilio vestro accelerato itinere succurratis: inuaserunt eos, sicuti plerisque vestrum dictum est, vsque ad mare Mediterraneum: ad illud scilicet quod Brachium Sancti Georgii vocant, Turci & Arabes apud Romaniæ fines, & terras Christianorum occupando superauerunt, multos occidendo, Ecclesiasq; subuertendo, regnumq; vastando: Quos quidem, si sic aliquandiu quietè permiseritis, multò latiùs fideles DEI supergredientur. Quapropter supplici prece hortor: non ego, sed Dominus: præsentibus dico, absentibus mando, CHRISTVS autem imperat: His autem illuc cunctis euntibus, siuè gradiendo, siuè dimicando, vel mortis offendiculo periclitando, peccaminum remissio, semper aderit præsens, quod ituris annuo, dono tanto inuestitus à DEO. O quantum dedecus, si gens tàm spreta, degener, Diabolo subdita, gentem cunctipotentis DEI fide præditam, sic superauerit! O quanta improperia vobis ab ipso Domino imputabuntur, si eos non adiuuaueritis. Nunc fiant CHRISTI milites, qui dudùm extitère raptores: nunc iure contra Barbaros pugnent, qui olim contra fratres & consanguineos dimicabant.* His dictis, & audientibus gratanter ad hoc animatis, plures astantium se ituros, & cæteros absentes inde diligenter exhortaturos spoponderunt.

II. De quibus fuit vnus venerandus Podiensis Episcopus, nomine *Aimarus*, qui posteà vice fungens Apostolicâ, cunctum DEI exercitum prudenter & consultè rexit, & ad negocia peragenda viuaciter animauit. Taliter in consilio quæ diximus statutis, & ab omnibus benè confirmatis, absolutionis benedictione datâ discesserunt; & hoc nescientibus

postmodùm ad mansiones suas regressi, prout gestum fuerat, diuulgauerũt. Quod vt passim per prouincias edictum est, pacem quam dicunt *treuiam*, sacramento inuicem tenendam constituerunt; deinde multi compertâ remissione peccatorum se profecturos vouerunt, quorsum ire iussum fuerat. Taliter *Vrbanus*, vir apostolicus & prudens, est meditatus opus, quo posteà floruit orbis. Nam pacẽ, vt dictum est, renouauit, Ecclesiæque iura in modis pristinis restituit. Et quoniam cuncta quę DEI sunt exaltare studuit, omnes ferè, paternitati suæ obedientes, præceptis illius se libenter submiserunt. Nũc igitur ad principium nostræ narrationis accedamùs, & DEO inspirante enucleare tentemus, quod frater *Folcherus Carnotensis*, vt oculis vidit, aut facta ab eisdem qui viderunt, narrata memoriter recollegit, & in vnum libellum congessit. Nos quidem verò libelli pagina, aliorumque narratu, argutâ inquisitione edocti, prolixam narrationem vitantes, his tantùm quæ ad rem pertinere sentimus contenti, huius voluminis textum diligenter transformare curauimus. 10

III. Mense igitur Marcio, post Concilium illud *Aruerniacum*, quod apud *Clarummontem* mense Nouembri celebratum est, arripiunt iter, qui promptiores animo & sumptibus fuerũt. Alii quidẽ mense Aprili & Maio, & Iunio, siue Iulio, & Augusto, prout sumptuũ oportunitas occurrit, subsecuti sunt. Quo anno pax summa, & frumenti viniq; copia & fructuũ abundantia circumquaq; fuit: diuinâ prouidẽte clemẽtiâ, ne panis inopiâ in via deficerent, qui cæteris postpositis cũ Crucibus assumptis se sequi delegerant. Quoniam ergò necesse est ac perutile, Principum nomina, antequam eorum facta discutiamus, prænosse, vnumquenque ex ordine, si potero, sicut egressi sunt, nominibus propriis annotabo. *Hugonem magnum*, fratrem Philippi Regis Frãciæ, in primis oppono: post eum *Boiamundus* Rotberti Wiscardi filius, cum exercitu magno transiens per Bulgariam, venit Constantinopolim. Ex alio latere *Godefridus* Lothariæ Dux, per Pannoniarum fines cum gente sua innumera properabat: cum eo Alemanni & Saxones, & Sueui, & Theutonicorum magnâ copiâ Constantinopolim vsque venerunt. *Raimundus* verò Comes Prouincialis, cum Gothis & Gasconibus iter arripuit; *Aimarus* quoque Podiensis Episcopus, cum infinita multitudine per Dalmatiam transitum fecit. *Petrus* autem *Heremita*, collectâ innumerabili peditum copiâ, per Pannoniam veniens, Imperatorem Constantinopolitanum primus salutauit, & ab eo impetrauit, vt *Brachium Sancti Georgii* cum gente sua transire faceret. 20 30

IV. Mense verò Septembri *Robertus* Comes Normanniæ, Wilelmi Regis Anglorum filius, iter arripiens, collecto magno exercitu Normannorum, adhibitisque sibi collegis *Stephano* Comite Blesensi, & *Roberto* Comite Flandrensium, cum multiplici cohorte Apuliam descendit. Tanto itaque ab Occidentalibus partibus exercitu procedente, multi ob iter de die in diem exercitui adhærebant & confluebant: & in tantum concreuit exercitus, vt innumera esset inter eos etiam linguarum diuersitas, & vna eos capere non posset itineris societas. Vt ergò in Apuliam ventum est, effuderunt se per totam regionem, quia hyems imminebat. *Robertus* verò Comes Flandriæ, quanquam à sorore sua *Athela*, quæ tunc Ducissa erat Apuliæ, vt hyemaret apud se multis precibus hortaretur, tamen cum gente sua transfretauit. *Comes* autem *Normaniæ*, & *Comes Blesensis* in Calabriam diuerterunt, & toto brumali tempore quieuerunt. Redeunte autem verno tempore, præfati Comites ambo, *Robertus* & *Stephanus*, classe paratâ, nonas Aprilis, quo die tunc sanctum Pascha euenit, cum suis omnibus naues conscendunt, & de portu exeunt. Arthemonibus itaque nauium subleuatis, clangente tubâ, DEO præduce atque gubernatore, quarto die iuxta *Dyrachium* prosperis velis applicuerunt: duo portus classem illam susceperunt: & antè vrbem omnes conuenerunt, & ibi castra metati sunt: recollectis denique armis & viribus resumptis, per *Bulgariam*, rapacitate fluminum asperum iter arripuerunt: & primùm, cum magno labore transacto flumine, quod *flumen Diaboli* nuncuparunt, super ripam eiusdem castra metati sunt, & nocte vnâ ibi quieuerunt: Mane autem facto, viderunt cacumina montium nubibus ferè iuncta, per quæ transituri erant. Nec multò post ad montem illum magnum, quem *Bugulatum* nominant, peruenerunt: quo magnis sudoribus superato, aliisque præruptis montibus & fluminibus postpositis, tandem ad flumen, quod dicitur *Bardacum*, deuenerunt: quo transmeato per DEI gratiam, die sequenti vrbem *Thessalonicam*, bonis omnibus copiosam atque hominibus refertã, cum ingenti 40 50

gaudio

gaudio adorsi sunt: tentoria ante vrbem ponunt, & quatuor dierum spacio cum iucunditate epulantes, quieuerunt: Deinde *Macedoniam* peruolantes per vallem *Philippensium*, & *Lucretiam*, atque *Chrisopolim*, & *Christopolim*, nec non per cæteras ciuitates Græciæ valdè munitas, *Constantinopolim* peruenerunt: ibique tentoriis fixis, quindecim dierum termino recreati, victualia, & ea quæ erant necessaria, à ciuibus copiosè oblata, emebantur. V. O quanta ciuitas! quam nobilis! quam iucunda! quamque referta ecclesiis & palaciis, miro opere fabricatis! quæ spectacula! quæ mirabilia, ære & marmore cælata in ea continentur! Hanc cingit mare ex vno latere, & murus inexpugnabilis; ex altero quidem latere vallis, & fossa duplex, murusque immensæ magnitudinis & fortitudinis, turresque in circuitu: omni tempore nauigio frequenti cuncta ciuibus necessaria ministrat abundantissimè. Cypros, Rhodos, Mytilena, atque Corinthus, innumeræque insulæ, huic ciuitati seruiunt: Achaia, Bulgaria, & tota Græcia nituntur ad eius famulatum, & ei optima quæque mittunt. Præterea in Asia Romaniæ ciuita[illegible], & Europa atque Africa, Constantinopolim mittere donaria non cessant. In e[illegible]ræci, Bulgari, Alani, Comani, Pigmatici, Italici, Venetici, Romani, Daci, A[illegible], Malefetani, Turci etiam & gentiles multi, Iudæi quoque & Proselyti, Cre[illegible] Arabes, omniumq; nationum gentes conueniunt. In cuius ciuitatis suburbio, postquàm Comites præfati, videlicet *Robertus* Normannus & *Stephanus* Blesensis cum exercitu suo quindecim dierum spacio recreati sunt, inito consilio cum Imperatore *Alexio*, pacti sunt conuentionem huiusmodi: *Vt si Romaniæ terras, quantum ipse prius possederat, ei restituere possent, ipse equis & armis, & argento omnibusq́; necessariis, eos terrâ mariq́; iuuaret.* Moxque eos nomismatibus suis, & palliis, donisque multis honorificè ditauit; & mare, quod *Brachium Sancti Georgii* vocatur, eos absque impensa transire fecit: Qui postquam Romaniæ fines attigerunt, versus Nicæam, quam prædicti optimates, *Boiamundus* scilicet, & Dux *Godefridus*, Comesque Flandrensis *Robertus* miles inclytus, & *Raimundus* Prouincialis obsederant, cum omni exercitu suo properauerunt, vt pariter cum eis Nicæam caperent. VI. Cumq; *Nicomediam* ciuitatē transissent, inuenerunt capita & ossa interfectorum, quorum *Petrus Heremita* ductor extiterat: vbi dolore multi lachrimātes, promiserunt sanguinem eorū, DEO iuuante, vlcisci. Vt autem *Nicænæ* vrbi appropinquauerunt, de aduentu suo nuncios obsidioni præmiserūt: quo audito Principes præfati, gaudio magno repleti, obuiam venerunt; & eis in obsidione Nicæna locum in partem Australem dederunt. Vrbē hanc *Orientales Turci* munierant: quoniam à quinquaginta annis trāsmeato flumine magno Eufrate, Romaniæ fines vsq; Nicomediam sibi subiugauerant: & valdè munitā contra Francos obtinebant: qui de longinquis regionibus cōgregati, vt obsidionem dirumperent, vel vrbem meliùs munirent, à nostris ferociter repulsi, interfecti sunt ex eis ferè ducenti. VII. Erat quippe mensis Iunius, cum totus exercitus simul vnus effectus est; & electi sunt ad bella cum armis sexcenta millia, præter clericos & mulieres ac paruulos. Vrbe ergò taliter obsidione cinctâ, Turcorū extendebantur sagittæ; & de nostris vulneribus confossi complures interierunt. *Turci* verò summissis vncis ferreis, Christianorum corpora loricata intra muros rapiebant, ac denudata ad nostram contumeliam extrà eiiciebant. Cum igitur quinque septimanis vrbem nostri cinxissent; & valdè eam petrariis & turribus machinisque multimodis vndique coarctarent; nec iam spes vitæ aut fugæ restaret, vrgentibus atque instantibus nostris: sumpto clàm Turci consilio, vrbem Imperatori reddiderunt *Alexio*: die quidem illo quò Nicæa vrbs reddita est, mensis Iunius solstitio repercussus est. Tunc Imperator transito *Brachio Sancti Georgii*, Principes exercitus ad se venire fecit; & cum eis amicitiam & pactionem præfatam renouauit, & omnes de suo remunerauit, à summo vsque ad minimum: hominesque sui omnes effecti sunt, præter *Tancredum*, Boiamundi cognatum, qui nec prece, nec precio, nec minis id facere voluit. Animatis itaque Principibus ab Imperatore atque exhilaratis, ad exercitum redierunt; & ab vrbe Nicæa recedentes tubis clangentibus interiores Romaniæ partes adituri, tertio nonas Iulii castra mouerunt. Exercitu autem omni amoto, infortunio magno diuisi, Dux *Godefridus*, & *Hugo* Magnus, & Comes Prouincialis *Raimundus* cum suis, viam vnam; & totus alter exercitus, viam alteram tenuerunt. Cum autem per

duos dies iter egiſſent: ecce ſubitò nũciatum eſt à præcurſoribus, quòd Turci prætenſis inſidiis in planis per quæ tranſituri erant, eis occurrere diſponebant. Quo audito, ſtatim tentoria fixa ſunt; & nocte proximâ, excubiis benè caſtra munita ſunt. Mane autem facto, ſumptis armis & aciebus ordinatis, vexilliſque ferè ducentis erectis, aduerſariis diſponebant occurrere. Sed cùm à ſpeculatoribus compertum eſt, niſi vix illorum multitudini eos non poſſe reſiſtere, ſtatim pro ducibus & ſociis miſerunt nuncios, qui alio tramite digreſſi fuerant.

VIII. Cumq; iuxta quoddã harundinetum caſtrametata fuiſſent, vt expectarent ſocios, vix armis reſumptis, ecce Turci & Parthi, & Medi, & Elamitæ, multique alii, quorum *Solimannus* Admiraldus erat: qui Nicæam vrbem, & totam ferè Romaniam imperio ſuo ſubiugauerat: adhibitiſque ſibi multis in auxilium, ab Orientalibus partibus Admiraldis & Ducibus, itinere triginta dierum ad eum venientibus, videlicet *Aliuachara*, & *Digon*, & *Miriathos*, & *Chonadigon*, multique alii: quorum exercitus æſtimatus eſt ad trecenta ſexaginta millia pugnatorum: cum ingenti impetu in eos irruerunt, & ferè eos in fugam conu[illegible]erunt. Illis ita inſiſtentibus, Chriſtiani paulatim incedentes, ad vſque papilion[illegible]pulſi ſunt. O quantus luctus! quantus clamor, virorum ac mulierum & puerorum [illegible]entoriis morantium!

Primum bellum. Iam iamque ad internecionem & deprædationem ventum erat, cùm reſpectu diuino Dux *Godefridus* & Comites præfati, pro quibus antè conflictum miſerant, ad excuſſionem & redemptionem eorum venerunt. Illis itaque ad auxiliũ eorum properantibus, reſumptis viribus & animis, in aduerſarios conuerſi ſunt, & DEO iuuante, clamore vtrinque exorto, ſignoque conclamato DEVS VVLT, DEVS VVLT, in fugam omnis Turcorum exercitus, atque ſcelerata multitudo illa verſa eſt. Et quia a prima hora diei vſque ad ſextam Chriſtianos crudeliſſimè perſecuti fuerant, tunc per DEI gratiam in fugam conuerſi, nimio DEI terrore confuſi, ad tentoria ſua redeuntes, vſque ad noctis crepuſculum & vltrà fugere non ceſſauerunt. Illis ergò ſic in fugam deditis, CHRISTI milites pòſt eos cædendo per montes & colles, DEIque ſignum vociferantes, ad tentoria eorum vſque peruenerunt: vbi auro & argento, multiſq; ſpoliis repertis, camelos & aſinos, equoſque oneratos ad caſtra cum gaudio deduxerunt: victis itaque hoſtibus, de tãta victoria DEO gratias agentes, epulati ſunt cum lætitia. Turci verò hàc & illàc cateruatim fugientes, & terrore intimo paueſcentes, confuſioni dediti, ad propria ſunt reuerſi. Relatũ eſt ergò poſteà à quibuſdam, quia duo equites in albis veſtiti, ſuper equos albos ſedentes, Turcos per triduum perſequerentur, dicentes vnum fuiſſe *Georgium*, alterum verò fuiſſe *Demetrium*, martyres glorioſos.

IX. Hoſtibus itaque per DEI auxilium ſuperatis, tranquillum iter fidelibus ſuis donauit DEVS, donec *paruam Antiochiam* attigiſſent. Inde *Iconium* venientes, inopiâ & fame, multiſque neceſſitatibus afflicti ſunt: erat enim tota regio illa à Turcis depopulata, verentes Chriſtianorum aduentum. Cumque ad vrbem *Eracleam* perueniſſent, viderunt ſignum in cœlo nimio ſplendore in modum enſis, cuſpide verſus Orientem protento. Quo viſo ignorãtes quid eſſet, DEO ſe committentes, inde ad oppidum, quod *Mareſcum* dicitur, profecti ſunt: vbi morâ & quiete tribus diebus factâ, verſus *Antiochiam* Syriæ vrbem quàm maximam, iter direxerunt: & iam *Tharſum* Ciliciæ, cæteraſque vrbes quamplures, terrore DEI, ſibi ſubiugauerant: in quibus Comes *Balduinus*, frater Godefridi Ducis, dominio vſus eſt, quamdiu exercitus illis in partibus moram fecit. Qui audiens à quibuſdam indigenis exploratoribus, quòd verſus *Rothaſiam* terra eſſet optima & valdè fertilis, & ad conquirendum leuiſſima, ſe illuc cum ſuis ſingulariter diuertit: profectuſque verſus *Euphratem* fluuium qui inter Antiochiam & Rochaſiam fluit, caſtra ſuper eundem fluuium ſita, vi & ingenio cepit, interque vnum peroptimum, quod *Traberez* dicitur, ſibi ſubiugauit: quod pacificè reddiderunt ei Armeni qui in eo habitabant; aliaque plurima huic ſubdita per hoc adquiſita. Cùm autem fama probitatis eius longè lateque crebreſceret. Princeps ciuitatis Edeſſæ, quæ *Rothaſia* dicitur, audiens viri conſtantiam, miſit ad eum legationẽ pacis: & facti ſunt amici, vt pater & filius.

X. Interea exercitus Chriſtianorum *Antiochiam* Syriæ peruenit; tranſitoq; *Orunte* fluuio, quem Parthi ita vocant, Syri quoque *Farfar*, Antiocheni verò *Fernum*: vnde *Naaman* Princeps Syriæ Heliſæo indignans reſpondit: *quod meliores ſunt aquæ Damaſci, Farfar, & Abanes, quàm Iordanis*: vrbem Antiochenã obſidione circundant, caſtra-

4.Reg.5,12.

castraque figunt, anno Verbi incarnati, millesimo nonagesimo octauo XII. Kal. Nouembris. Vrbe autem Antiochenâ obsidione à Francis circundatâ, multa ibi sustinuerunt incommoda, multas importunitates & angustias perferre contigit: nam fame & siti, algore & hyeme, multisque anxietatibus vexati sunt. Est nempe *Antiochia* ciuitas magna, atque murorum ambitu immensa, situ forti, & muro valida, & turribus densis munita, fontibus & aquis concurrentibus copiosa: *Orontes* fluuius hanc præterfluens miliario tertio decimo cursu rapidissimo præcipitatur in mare. Nascitur enim in Oriente vltrà montem Galaad, in Parthia; & perfluens Damascum, fluit in Syriam; & decurrens ad occasum montis Libani, per terram Seon, Antiochiam descendit: Per autem huius fluuii alueum, naues mercibus atque bonis omnibus refertæ, de Affrica & Europa, omnique Asia aduenientes, vrbẽ omni copiâ ditant: nec minus terræ cultibus atque fertilitate regionis illius opulẽtissimæ abundãt. Et quia ita fortem & comprehensu difficilem eã Christianus persensit exercitus, coniurãt inuicem, fidemq; promittunt, in æternum eã obsidere, donec annuente DEO, eã vi & ingenio captam, CHRISTI iugo subiiciant: omnesq; vnanimes his decretis consentientes, mori vel viuere se indubitanter pro CHRISTO vouerũt. Quod cùm *Capsiano* admiraldo & principibus vrbis nunciatũ fuisset, & se vndiq; clausos circumspicerẽt: sumpto consilio intimo, *Xanxcidolen* filium eiusdẽ Capsiani, ad Soltanũ Persidis Imperatorem, & ad regẽ Galapiæ clam de vrbe emissum direxerũt: Miserunt etiã nuncios ad *Sosman* regẽ Hierusalem, & ad *Rodoam* Admiraldũ *Caleph*, & ad *Docap* Admiraldum Damasci, & in Arabiã propter Admiraldum *Boliamuth*, & in Chorotamiã propter Admiraldũ *Elimuth Amelimuth*: vt ad eorũ festinarent auxiliũ, & Francos delerẽt de terra: ne ciuitate deuictâ, procedẽtes vltrà, damna & incommoda eis imminẽtia, & ipsi paterenrur postea. Cumq; hæc ita agerentur, Franci se vallo circundederunt; & nauibus scalisq; coaptatis insimul quasi pontẽ per mediũ flumen composuerunt: dumq; in hunc modum se vallant & muniunt, hostes eos lacessere crebris certaminibus nõ desistunt. Cõtigit autẽ vna dierũ, cùm Franci de cibatu redirent, insidias ab his parari: nam poterãt exire & ingredi & regredi, nesciẽte exercitu per turmas, nostrisq; multum infestari. Verùm in insidiis illis quas tunc machinati sunt, septingenti ex eis interfecti sunt, nullo de Christianis DEI gratiâ læso, præter vno sauciato, qui benè euasit: Qui verò de hostibus euaserunt, Antiochiam redeuntes, sociis mirabilia manifestabant quæ viderant; & quomodo Frãci inexpugnabiles & imperterriti, & ad omnia pericula infatigati essent: tunc retorquẽtes odium & irã suam in Armenos & Syrios Christianos, qui in vrbe morabantur, quosdam obtruncabant, quosdã autem puniebãt; & fundibulis & petrariis capita interfectorum & membra, extra muros proiiciebant. *Boiamundus* itaq; cùm vna dierũ de portu nauiũ, qui dicitur *sancti Symeonis*, regrederetur, hostes de Antiochia clàm exeuntes, illi parauerũt insidias; & irruentes, magnam de Francis cædẽ peregerũt: quæ res magno dolori exercitui fuit: vicemq; hostibus reddentes, acriùs inde torquebant, quoscunq; inde comprehendere poterant.

XI. Cùm ergò hæc altercatio inter eos esset, & annona circũquaque deficeret, contigit nostros fame & penuriâ victus laborare, adeò vt panis modicus quinque solidis venderetur; & equos, asinosque, seu camelos cogerentur manducare. Tunc ad radices herbarum quas in campis & nemoribus inueniebant, & ad surculos arborum & fabarum conuersi sunt: sed hæc etiam vix reperiebantur in proximis locis: ideoque longiùs procedẽtes quadraginta aut amplius milliaria se diffundebãt, vbi per montana cibos qualescunque quærentes, ab insidiatoribus comprehensi, perimebãtur. Quidam etiam coria animalium, vel carduos comedentes, vitam miseram sic protelabant: Alii quoq;, more bestiali, herbas & folia arborum comedebãt: & si quem Saracenum nouiter interfectum inuenerunt, illius carnes, ac si essent pecudis, auidissimè deuorabãt. Accedebat prętereà ad calamitatis huius miseriam, & inopiam, quòd equi & muli, asini quoque & vecturæ ferè omnes exercitiis aut fame interissent; aut superstites, nihil operis facere poterant. Hyems quoq; valida, frigore, grandine, & gelu, densisque pluuiis instanter eos vexabat, adeò vt tentoriis putrefactis, aeri & cœlo plures se exposuissent; vnde penè omnis exercitus in desperationem & fugam cõuersus est, ni misericordia Altissimi citiùs eos respiceret ac subueniret. Eo autem tempore rubor immensæ magnitudinis apparuit in cœlo, & signum in

modum Crucis figuratum versus Orientem recto tramite incedens: Multi etiam per loca terræmotum senserunt, vt adimpleretur his temporibus, quod in Euangelio ait Dominus: *Erunt pestilentiæ & fames, & terræmotus per loca.* Sed hæc incommoda, immò DEI flagella, iusto DEI iudicio contingebant: in prosperitate enim, & copia, bonorumque omnium affluentia positi, cùm primùm Antiochiam venissent, nullus modus, nulla temperantia, nulla prorsus luxuriæ frena fuerunt: verùm tunc gulæ atque superfluitati, omnique, quod turpius est, scurrilitati incumbentes, omnia cœlestia atque terrena confundentes, sine aliquo DEI respectu bona terræ consumebant: luxuriæ adeò dediti erant, vt præter inhonestam & immundam concubinarum, meretricumque publicarum impudicam societatem, de quibus copia ex omnibus mundi partibus ad eos confluxerat, omni pudore postposito inuicem se ritu ferino commaculabant: fures, sacrilegi, fornicatores, adulteri, omniumque criminum rei, non deerant in populo isto. Videntes itaque principes & magistratus populi mala quæ fiebant; & damna & incommoda, quæ propter peccata eorum eis contingebant, dolore nimio permoti, tristitiaque confusi, ad lacrimas & orationes confugerunt, orantes DEVM, vt propitiaretur populo suo. E quibus *Podiensis Episcopus Aimarus*, vir illustris & egregius, & scientiâ literarum præditus, omnique honestate conspicuus, aduocato simul heroum concilio, & in fide primùm roborato; deinde multis & variis sermonibus, vtpote vir eloquens, lacrimabiliter prolocutus, adiudicauit, mulierum de exercitu fieri expulsionem, & separatim in vnum locum propè collocari: deinde per confessionem & veram pœnitentiam, vtrumque sexum à Diabolica seruitute recedere; & ieiuniis & orationibus tamdiu insistere, donec populo suo misereatur Dominus. Et visus est sermo bonus in oculis omnium, & factum est.

Math. 24. 7.

XII. Vt autem castra ab immunditiis & sceleribus mundata sunt, statim cœlesti quadam adueniente tranquillitate DEI gratiam adesse senserunt; Nonnulli etiam infirmi & imbecilles & diuturnâ ægritudine languentes, diuinâ cooperante gratiâ, conualuerunt; & se dehinc Domino deuouentes cœlibem vitam pro viribus actitare satagebant. Nec morâ, copia quædam exercitum secuta est, ita vt de die in diem magis, magisque tunc Christianus conualesceret exercitus. Cùm autem placuit Domino tribulationem & dolorem, laboremque populi sui finire, precibus forsitan lacrimisque eorum permotus, per manum cuiusdam Turci qui in ciuate morabatur, clam vrbem Christianis reddi parauit. Apparuit enim ei Dominus IHESVS CHRISTVS per visum, & ait: *Vade, & redde ciuitatem Christianis.* Expergefactus ille, secumq; admirans, visionem illam texit: iterumque apparens ei Dominus, dixit: *Redde ciuitatem Christianis: Sum enim CHRISTVS, qui hoc tibi præcipio.* Ille autem secum voluens quid facturus esset, abiit ad Dominum suum, & narrauit ei quæ in visu CHRISTVS ei præceperat. Ille verò respondens ait: *Nunquid fantasticis & vanis somniis seductus es?* Audiens autem homo sermones huiusmodi, domum reuersus est. Dominus itaque ei tertiò se manifestauit, dicens: *Cur non expleuisti, quòd tibi iussi? Noli dissimulare, nec amplius hæsites vrbem reddere Christianis: Qui enim hæc tibi dico, Dominus sum omnium.* Quòd cùm ille tertiò accepisset, incunctanter expleuit, quæ ei à Domino præcepta sunt. Et veniens in exercitu quasi aliquid empturus, clàm cum *Boiamundo* egit, qui eius linguam nouerat, vt Christianis vrbem redderet: datoque obside filio suo, nocte per scalas de cordis factas, viginti seruientes intromisit per muros: Deinde quadraginta probissimi milites per easdem cordas ascenderunt; & inuentis trium turrium custodibus sexaginta & amplius, interfecerunt, turresque munierunt.

XIII. Haud multò post, porta ciuitatis à clientibus primùm intromissis aperta est: & statim intrauerunt omnes, qui parati aderant; & exclamantes: DEVS HOC VVLT, DEVS HOC VVLT: per muros & vicos ciuitatis cædebant, quotquot inueniebant. De clamore autem illo & sonitu crebro ictuum, membrorumq; repercussione, commota est tota ciuitas, & excitati sunt dormientes: Surgentes itaque, strepituque perterriti, quidā arma sumentes, quidam inermes, huc illucque cursitantes, à Francis trucidabantur: Illucescente autem Aurorâ, totus ferè exercitus Christianorum vrbem ingressus est: & tūc vexillum Boiamundi rubicundū in sublime erectum, dupplicatum est, & in eminēti turre collocatū; buccinisque & lituis mox vndiq; sonantibus, cædes à Frācis incœpta est. Multi gladiis cæsi, multi iaculis perforati,

perforati, multi vectibus quassati, nonnulli etiã altis turribus & palaciis præcipitati interierunt. *Capsianus* verò admiraldus ciuitatis, à quodam rustico Armeno fugiens decollatus est; & caput eius abscisum, Boiamundo allatum est. Vt autem viderunt, qui longè erãt à tumultu isto, signa Christianorũ in turribus & muris, suosq; hàc & illàc fugientes, Francosq; gladiis extractis eos persequentes, pauore nimio attoniti, castrum quod in celsa rupe ex parte situm est, appetere cœperũt, & intus se cõcluserunt. Qui posteà populo DEI damno & incõmodo nimio fuerunt. Est enim ciuitas adeò ampla & lata, montibusq; & vallibus intrà murorum ambitũ interserta: & castrũ illud, in quo se inimici DEI concluserãt, sic in rupe locatum, vt ab vrbe nihil ti-
10 meat; & ab agris quoscunque voluerit, intromittat vel emittat; & toti prorsus ciuitati immineat. Captâ ergo ciuitate, hostibusq; cæsis atq; fugatis, multùm ditati sunt de rebus Gentilium; & copiã frumenti & vini, & olei abundanter inuenerunt; XIV. edentesq; & bibentes, cum magna lætitia DEO gratias egerunt: ascitisq; mulierculis, quas ante à se, vt dictum est, dimiserant, obliti sunt Domini qui saluauit eos, qui fecit magnalia sua & prodigia inter eos; nec fuerunt memores multitudinis misericordiæ suæ, ignorãtes iudiciũ & gladium DEI, quod imminebat capitibus eorum. Nam alterâ die statim pòst captam ciuitatem, obsidio subsecuta est ab innumera multitudine Persarum, & Turcorum, & Barbarorum, & multigenarum nationum. *Soltanus* enim rex Persarum, habitâ legatione, quam *Sancxidoles*, filius Capsiani, Ad-
20 miraldi Antiocheni, ei ab Antiochia detulerat, congregato exercitu innumero, ad expugnandos Christianos Antiochiæ misit: cui exercitui præfecerat ducem *Corbagan* Admiraldum, cum aliis multis principibus suæ gentis & Admiraldis. Hi antequã Antiochiȩ venissent, *Edessam* ciuitatem, quam *Balduinus* frater Godefridi ducis tenebat, obsederant: & per tres hebdomadas nil proficientes, ibi moram fecerant. Quod forsitan DEI nutu & prouidentiâ contigerat, vt Balduinus prius Edessam occuparet, & eos obsidione tantâ ibi retineret: ne repentino impetu in Francos irruentes, antequam ciuitatem Antiochenam ingrederentur omnes inopinatè, & à tergo, & ab vrbe occupatos, interficerent, & sic totus periisset exercitus. Itaque peruenientes Antiochiam, vrbem vndique cinxerunt; atque castris amplioribus eam
30 vallauerunt, quàm à Francis vallata foret; moxque per castrũ intromissi, feroci impetu in Francos, vtpote recentes, sanguinisq; effusionem sitientes, subitò irruerunt; & velut tauri lasciuientes, cornibus incursare, & eos violẽto assultu prætẽtare cœperunt Franci verò, contra eos resistere. & vmbonibus & iaculis pro posse nitebantur repellere: vixq; cruentam rabiem atque truculentam eorum incursionem primã sustinuerunt. Qui cùm pro peccatis suis huiusmodi incursionibus vexati essent, & angustiati: propter quorundã occultationem, qui in domibus se abscondebant, *Boiamundus* parat incendium, vt exirẽt hi qui absconsi erãt. Ecce ira DEI; ecce gladius vindictæ: nec tamen eos iustus & pius iudex in manus persequentiũ incidere permisit; sed eos paterno affectu protexit, & ab hostium potestate, solitâ pietate ser-
40 uauit. Episcopus autem *Podiensis* iterum eos conuocans, de conuersatione, & XV. vita, & moribus, eis sermonẽ, mellifluâ correctione, cõposuit; & de pristina mulierum pœnitentia mentionẽ faciens, societatemq; illarum omninò execrans, dimittere eas persuasit; admonuitq; ne de misericordia DEI diffiderent: sed castè DEO militarent, & omnia prospera eis euenirent. Animati itaq; his verbis, & mulierculis separatis, omni studio & sollicitudine quisq; in sua parte ciuitatẽ, quam eis DEVS donauerat, munierunt; & dũ viuerent, eã defendere & custodire promiserunt. Sed non omnibus vna eademq; voluntas perseuerauit: fuerunt namq; quidã in populo isto, de bonitate & virtute Altissimi desperantes; nec vllatenus se hostium manus euadere existimantes, si in captiuitate longiùs clauderetur: & per cordas muro de-
50 positi, fugerunt; & alibi, forsitan viliter interierunt: de quibus fuit vnus *Yuo de Grentemaisnil*, cuius opprobriũ sempiternũ sequitur, & multi alii. Comes etiã *Stephanus Blesensis*, & multi alii, antequã ciuitas Christianis traderetur, se de exercitu subtraxerunt: sed tamẽ per reliquos fideles nõ minus triumphauit Altissimi virtus. Verùm increduli & infideles, quocunq; ibant, nomẽ Domini blasphemare non cessabãt; & viã CHRISTI distortis gressibus inculcare, verbisq; desolatoriis, quantũ poterãt, annullare conabantur. Vnde factũ est, vt cùm præfatus Comes fugiens, Constantinopolitanum obuiam haberet *Alexium* Imperatorem, qui cum omni exercitu suo in

auxilium Christianorum Antiochiam festinabat, eum redire Constantinopolim faceret: dicens incassum eum vexari, cùm iam Christiani capita perdidissent, atque omnes perissent. Eia, minister fraudis, minister doli, suâ æstimatione DEVM potentiorem non existimabat: sed vt mente cõceperat, aut DEVM obdormisse, aut eum subiacere legibus humanis cogitabat; populumq; DEI perisse asserebat. Multùm nocuit Imperatori falsitas illius mẽdacii, quoniam si peruenisset ad obsidionem, & DEI gratiã, & laudem humanam sibi adquisiuisset; & forsitã Antiochia ciuitas imperio eius subiiceretur. Nec in hoc tantum nocuit, sed etiam Romaniæ partes iam sibi subditas, & ab omni hostiũ infestatione quietas, ab incolis suis denudari fecit, quos secum Imperator adduxit, verens ne iterum hostibus subiicerentur: & sic terram illam fertilissimam atq; bonis omnibus opulentissimam, in vastitate & solitudine, vsq; in hodiernum diẽ incultam dereliquit. Sed hactenus ad propositum reuertamur. 10

XVI. Laborantibus Francis in Antiochia, & contra hostium innumeram multitudinem decertãtibus, præstò eis in omnibus gratia diuina affuit; & ab eorum crebris incursionibus ita tutauit, vt rarò aliquis Christianus ibi læderetur. Sed qui primùm per cordas fugam sumpserunt; & malum, valdè noxium toti exercitui, dimiserunt exemplum, quorundam corda Diabolico instinctu spirauerant, & ad muros iam vsque progressi, moliebantur effugere. Verùm summus Speculator atq; populi huius amator, non diu passus est huius contagione periculi, populum suũ minui. Apparuit namq; cuidam clerico, sociorum instinctu volenti fugam aggredi, & dicit ei: *Frater, quò fugis? quò tendis iter? Fugio*, inquit, *ne peream*. Cui Dominus ait, *Mane, frater, ne fugias: sed vade, & dic cæteris, vt maneant, nec sint increduli, sed fideles: quia precibus Mariæ matris meæ, eorumq́; lacrimis, eis propiciabor, & ab hostibus his liberabo: & dic principibus exercitus, quòd in prælio futuro vobiscum adero. Dominus enim sum, qui loquor tecum.* Item cuidam iam funem manu apprehendenti vt descenderet, fratris eiusdem imago iam defuncti coràm eo astitit: dixitq; ei: *Frater, resta, ne timeas, quoniam Dominus erit vobiscum in prælio; & socii vestri qui morte præuenti sunt in itinere hoc, vobiscum erunt in auxilium.* Miratus ille, verbisque defuncti attonitus, pedem retraxit, sociisq; narrauit, & secum manere fecit: quæ cum principibus & plebi narrata essent, gaudio magno perfusi, & de victoriâ confisi, bellum magnanimes præstolabantur. [Inter hæc etiam cõtigit à quodam *lanceam* vnam inueniri defossam sub pauimento *Basilicæ beati Petri Apostoli*, quæ in Antiochia à priscis temporibus immensæ magnitudinis & opere miro fabricata est: eamq;, de qua *Longinus* latus CHRISTI perforauerat, esse afferebat, adiiciens, quòd à S. Andrea Apostolo illi per visum releuatum foret; & ternâ eiusdem Apostoli admonitione contigisse, vt lanceam sic in pauimento defossam inueniret. Quod quidem tunc gloriosè & magnificè à populo in signum victoriæ acceptum est. Nec multò pòst, prælium mirè cõtra hostes omnes postulauerũt.] Facto ergò triduano ieiunio; & ab Episcopis & sacerdotibus populo per confessionem reconciliato: consilio communiter inito, per *Petrum Heremitam* hostibus mandauerunt, vt *vel à finibus Christiani imperii discederẽt, vel sequenti die bellum contra eos inire non dubitarent. Si autem bellum cõmune formidarent, eligerent tres, aut quinque, vel decẽ, vel vltrà, quotquot vellent, de suis, milites, & æquali numero Christianis in campum armati decertarent: & quorum pars victoriam haberet, regnum cum suis possideret; victa verò à finibus secederet, sine vtriusque exercitus periculo.* Illi quidem adhuc recẽtes, viribus suis & equis & armis, & multitudine innumerâ confidẽtes, pactionem huiusmodi neglexerunt, & commune eos inire certamen superbè remandauerunt: Et adduxerunt eum ante *Corbagan*, qui sedens in tẽtorio suo ornatus cultu regio, dixit Petro: *Quid mihi mandant aduenæ & miselli? Disponunt quoquo pacto ciuitatem reddere aut fugam parãt, si Persarum pietas, fugientibus locum dederit? Vnum de duobus eligant, si in terra viuere desiderant. Quis enim DEVS aut homo tam potens est sub cælo, vt eius auxilio de manibus Persarũ liberentur? Nunquid ille qui à Iudæis crucifixus est? Vade ergò, & dic illis, vt citò fugiant, aut derelicto crucifixo regi Soltano seruiant.* At Petrus cõstanter prædicta repetens, adiecit, dicens: *Hæc dicit exercitus Domini: Recede à nobis, & ab hæreditate beati Petri, alioquin Francorum armis fugaberis: quorum principes, non, vt dicis, miselli, sed sunt CHRISTI milites inuictissimi.* Quo audito *Corbagan*, accensus irâ, euaginato gladio iurauit per thronum regis Soltani, quòd defenderet se de omnibus Francis; & dixit se terram possidere, & semper possessurũ iustè vel iniustè: mãdauit etiam

20 30 40 50

etiam quod nec verbum ab illo audirēt, donec derelicta Antiochia CHRISTVM denegarent,& legem Persarum profiterētur. Reuerso itaque Petro, bellū cōmune nuntiat affuturū. Quo audito Franci ad bellū se præparauerunt, nihil hæsitātes,nihil de multitudine & infinita copia hostiū formidātes: sed quasi vir vnus,omnes simul ad prosternendos hostes vnanimes facti sunt,& pro CHRISTO & eorū libertate,non solummodò audacter pugnare, verùm etiā,si oporteret,occūbere,& mortē subire hilari animo non dubitarent. [Nocte verò illâ,quæ belli præcessit diē,præcepit *Podiensis Episcopus*, & per totam vrbem inclamare fecit: vt quisq; posse suo annonā equis distribuere niteretur,ne labore crastino famis angustiâ deficerent. Cui
10 edicto libenti animo obedientes,equos eadē nocte, vt iussum fuerat, cibauerunt.] Crastinâ ergò aurorâ illucescente, parati sunt omnes exire ad bellum, & ordine sic processerunt, vt nullus esset qui de ordine constituto se transferret. Egressus XVII. est autem primus omnium *Hugo Magnus* cum suis Francis: deinde Comes *Rutbertus* Normanorū,& Comes *Rutbertus* Flandrensis: post illos *Aimarus*, venerandus Podiensis Episcopus: post hos *Godefridus* Dux Lothariensis cum pluribus Comitibus Lotharingis & legione gladiatoria: post illos *Raimundus* prouincialis cū Aquitanis & Wasconibus: deinde *Tancredus*, nepos Boiamundi: nouissimus omnium *Boiamundus* inuictissimus,cum gente sua aciem rexit vltimā. Et quia hostium principes nullis adhuc nominibus prænotati sunt,nomina quorūdam, à quibusdā de Syria &
20 Chaldęa egredientibus,per interpretes cognita sunt,quæ vt potero diligēter declarabo. Soltani ergò prædicti regis,militiæ principē videlicet *Corbagan*, admiraldum maximū,ducumq; fortissimum,quē rex præfecit,omnibus antepono: deinde principes cum eo venientes,prout Syrum & Chaldęum sonari Latinè potest,diligenter subnotabo. Hii verò sunt, scilicet *Meleduchac*, *Amursolyman*, *Amyrsolendis*, *Amyrchegible*, *Amyrmarome*, *Amyrmahumet*, *Caraoiath*, *Cotelosenyar*, *Megaloatelon*, *Baldus*, *Boesac*, *Amitbaisach*, *Aoxian*, *Amogoiam*, *Sanxadones*, *Gyuahadoles*, *Amyrtodygion*, *Amyruaotap*, *Sopman*, *Boldagis*, *Amyrilias*, *Gerisaslā*, *Gygremis*, *Aymtgogra*, *Artubech*, *Amyrdalis*, *Aimirmoxe*, *Amyrcharoar*, & innumerabiles alii. Hii omnes vel Admiraldi vel Duces cognominati erāt. Quorū vnus admiraldus, *Amyrdalis* nomine,qui in Antiochia habitare
30 solebat,cùm videret Francos per turmas & cohortes signis pręcedētibus incedere, signaq; procerum,quæ anteà viderat,recognouisset,bellū fore ratus, *Corbagan* summo admiraldo nunciauit, qui in tētorio suo quietè ac securè sedēs, scaccis ludebat, nihil de bello futuro metuens. Vt enim auditū est Christianos ad bellū egressos,primò hæsitans, verū foret nec ne; deinde acquiescēs, & sibi ipsi fidē faciens, quæsiuit à suis,an pactionē à Francis postulatam concederet,vel bello eos inopinatè vel improuiso reciperet: cui *Amyrdalis* respondēs: *Tardè*, inquit, *incōsideratè id prolocutus es; & verendum est nunc,ne ab hesterna postulatione repulsi,tuæ resistant petitioni: veruntamen vt libet facito.* Missi itaq; internuncii ad Francos,nihil præter bellū impetrari renūciant. Et iā Sole matutino in clipeos & loricas repercutiente, tertiā refulgens in a-
40 ciē,quam Episcopus ille celeberrimus regebat, signū ipsius Episcopi animaduertētes, dixerunt inter se: *En videmus signum magni procedere Papæ: sacerdotibus & leuitis cū crucibus & filacteriis in albis præcedentibus agmen.* Deinde Boiamundi subsequente acie,timor inuasit vniuersos,& maximè eos qui de captione vrbis euaserant,dicentes: *nullā in toto mundo fore gentē,quæ Francis posset obsistere:* adiicientes, *quod DEVS eorū pro eis pugnaret. Corbagan* autē equum ascendens velocissimum,admonuit suos,vt fortiter pugnarent; & ascendens in montē seorsum cum paucis consedit,vt videret euentū rei. Gens verò sua statim per turmas & phalāgēs diuisa,mōtibus & cāpis circa Francos effusa,præliū sagittis agere decreuerunt. Quippe tot erāt sagittarii Turci,& Parthi,Æthiopes,& Medi,& Elamitæ; & qui habitabant Mesopotamiā,Affri-
50 cam,Lybiam,Ægiptum & Pamphiliam, & omnem Asiam,nationumque ferè vniuersarū, vt facilè Francos vndiq; concludere possent; & nisi terror DEI esset in illis,comprehendere exercitulum Christianorum non dubitarent. Computatus est ergò,sicut à captis relatum est,Turcorum & diuersarum nationum exercitus,& vicies centena millia inuenti sunt pugnatorum, ad bella procedentium. Dux itaque *Godefridus* secundam regens aciem, quæ iam prima propter quosdam euentus facta est, vt gnarus & belli edoctus, violentiam eorum pacienter sustinens, iunctis cohortibus,pedetētim suos incedere iusserat; nec vnum antè alium ab ordine con-

ſtituto moueri, capitali ſententiâ prohibuerat, donec truculentam eorum rabiem, primis ictibus edomitam, languentem ac defeſſam perſpicerent. Cùm igitur diu in hunc modum ſuſtinuiſſent, *Corbagan* de monte quaſi de ſpecula ſuos nihil penitùs agere cernens, præcepit cuidam Admiraldo, vt partem exercitus ſui verſus vrbem tanquam ingreſſurus, educeret: ratus Francos diuiſis ordinibus ad vrbem velle regredi; vt vel ſic acies Francorum dirimeret: quo facto *Comes* quidam *Theutonicus*, ſiniſtrum cornu tenens, vt vidit turmas diuidi, & partem verſus munitionem vrbis quaſi in fugam conuerti, fugere eos exiſtimans, elapſus eſt de acie cum ſuis; atque eos incautè perſequens, mox cum omnibus ſuis interfectus eſt. Dux verò *Godefridus* nihilominus ſuos ſimul tenens, vt vidit tempus feriendi, cohortatus eſt vt tunc ferirent, & pro capitibus pugnarent: qui vno impetu extimplò in hoſtes irruentes, buccinis & lituis crebrò ſonantibus, DEO in auxilio ſæpiùs vocato, clamore vtrinque exorto, omnis hoſtium multitudo, ac ſi repentè totus mundus pòſt eos rueret, in fugam conuerſi ſunt. *Quis es inmenſe DEVS, fortiſſime Saluator, inuictiſſime imperator, velox adiutor, atque protector clementiſſime, sereniſſime, iuſtiſſime? quo Duce, quo præſente, quo feriente, quo denique perſequente tanta bellantium multitudo terreretur, ni te formidinem incutiente, dextera tua forti quateretur atque ſuperaretur? Alioquin totius ferè Romani imperii robur, ſi adeſſet, vix illos fugere coëgiſſet. Ecce miſeros & debiles, fame afflictos, virtus Altiſſimi triumphare non deſpexit: ſed eos ſuprà omnium gentium multitudinem exaltatos, mirabiliter prouexit. Ei ergò laudes & gratiæ reddantur; ei totum attribuatur: ſibi gloria, & laus, & exultatio, in ſecula ſeculorum. Amen.* Fugientibus itaque hoſtibus, Franci eos perſequi diu non poterant, propter equorum imbecillitatem, atque ipſorum inualetudinem: veruntamen de peditibus ſtrages nō modica facta eſt. Et qui equos adhuc potentes & veloces de Francis habuerunt, vel hoſtium equos comprehendere potuerunt, hi & perſequi & cædere eos à mane vſque ad veſperam ferè non ceſſauerunt: nec enim ſimul omnes vnius fugæ tramitem calcabant; ſed diuiſis agminibus diſperſi per montes & colles, armis proiectis, ſarcinisq; dimiſſis, velociſſimè fugiebant. Franci verò, vt dictum eſt, eos pro poſſe perſequentes, de ſpoliis eorum valdè ditati ſunt. Et redeuntes ad eorū tentoria, de quibus magna erat copia, vaſa, vtenſilia multimoda aurea & argentea, quorum precium opus ſuperabat, & indumenta, ſtrata quoque & pallia, nec non arcus & pharetras cum ſagittis, camelos, mulos, aſinos, equos, & diuitias reperierunt: nec fuit aliquis egens inter eos. Et facta eſt lætitia magna in populo DEI; & glorificauerunt DEVM qui ſaluauit eos, qui fecerat magnalia propter eos: Et regreſſi ſunt in ciuitatem omnes, laudantes & benedicentes DEVM, qui de miſeris & pauperibus diuites & victores effecerat; & deferentes oblationes ſuas per eccleſias, vouerunt ſe vltrà honeſtè & iuſtè victuros, nec ampliùs fornicationibus aut immundiciis pollui. Eſt namque *Antiochia* ciuitas magna, vt ſuperiùs memoratum eſt, & eccleſiis multis, licet à gentilibus premerentur, ſolenniter decorata: quarum maior ac præcipua *beati Petri* Apoſtolorum principis eſt baſilica, vbi primùm cathedram Epiſcopatus ſeptem annis rexiſſe legitur: Altera in honore *beatæ Mariæ* ſemper Virginis miro opere fabricata eſt: compluresq; aliæ Sanctorum eccleſiæ, in quibus deuotè ſe Chriſtiani totâ nocte illâ, vtpote agone diuino vehemēter vexati, ſecuri quieuerunt. Vrbs hęc
» celeberrima, cùm capta foret à Francis, *Vndecies centum ſubtractis inde duobus Annis,*
» *annorū Domini ſummam faciebant. Iunius & menſis promebat pridie nonas.* Mox pòſt vrbē captam reuerſus eſt *Hugo Magnus* Conſtantinopolim, cōceſſu tamen heroum; dehinc in Frāciam regreſſus eſt. Nec multò pòſt obiit *Aimarus* Epiſcopus Podienſis, in Kalendis Agūſti, cuius anima beatâ requie & beatitudine æternâ perfruatur, Amen. Cumq; apud Antiochiam & in circuitu per quatuor menſes Franci morā feciſſent, ſumpto inuicē conſilio, receſſerūt. *Boiamundus* verò, & *Raimūdus* Comes, cum quadam parte exercitus vrbē exeuntes, interiorē Syriam profecti ſunt, vt fines Chriſtiani exercitus dilatarent, & caſtra aut vrbes contiguas eis ſubiicerent: reliqui verò Antiochiæ permāſerunt. Hi prædicti principes exercitū educentes, *Haram* ciuitatē primò adierūt; quā haud difficilè captā atq; depopulatā, omnibus qui in ea erāt cæſis atque captiuatis, *Maram* protinus, alterā vrbem huic affinem, inuaſerunt. Quā obſidione circūdatā viginti dierum ſpatio obſidione coacti, machinis paratis, muroq; admotis, ſigno vndique dato, inſtāti aſſultu, DEO in omnibus fauēte, vrbē compre-

Margin notes: XVIII. Secundum bellum. — A. Dni. 1099. — XIX. — XX.

Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50

comprehendunt;hostes obtruncant à maiori vsque ad minimum: omnibusq; sublatis, Antiochiam reuersi sunt. De communi assensu & consilio, tunc ciuitas Antiochena, & principatus regni Antiochiæ, *Boiamundo* traditus est & concessus: vtpote viro, cuius industriâ & ingenio vrbs ipsa capta fuerat. Comes verò Normanniæ & *Raimundus* Prouincialis, & *Tancredus* cognatus Boiamundi, qui iuuenis magnæ opinionis & famæ in exercitu erat, assumptâ parte exercitus, castrum, quod dicitur *Archas*, aggressi sunt. Verùm castrum illud situ loci, & murorum, turriumq; munitione validissimum, Turcorumq; bellatorum inuictissimum, eos per quinq; ferè septimanas obsidione detinuit. Est enim situm ad radicem montis *Lybani*, à veteribus antiquitus constructum; diciturq; *Archas* quia *Araces* filius Chanaan id cōdidisset. Dux verò *Godefridus* & Robertus Comes Flandriæ, cum reliquo exercitu, *Gibellum*, aliud castrum, situ murorum & ambitu fortissimum, quod inter Antiochiam & castrum Archarum, super mare situm est, obsidione vallauerunt. Sed belli tumultu, quod operiebantur qui apud Archas sedebant, commoti, eorumq; legatione submoniti, Gibello relicto, Archas profecti sunt, & de duobus vnus exercitus effectus est; castrumq; illud, bellum operiendo, impugnabāt: vbi die quadam, dum assultus in hostes vehemens fieret, contigit, heù infortunium! *Amsellum de Ribodimonte* strenuum militem, ictu petrariæ interisse: pro quo totus exercitus valdè contristatus est, quia optimus & probus miles erat, & in expeditione necessarius. [Orta est enim etiam in obsidione hac contentio de *Lancea*, quæ inuēta fuerat Antiochiæ sub pauimento Ecclesiæ. Dicebant enim quidam non esse illam, quâ latus Saluatoris *Longinus* penetrauerat, quoniam eam Constantinopolim dimiserant: Comes verò *Raimundus*, qui eam in magna veneratione habebat, & in cuius custodia tenebatur, ipsam esse asserebat: *Episcopus* verò *Barensis*, qui in expeditione tunc erat, aliique plures, quòd ipsa esset existimantes, adiudicauerunt, vt is qui eam adinuenerat, fidem faceret populo DEI. Facto igitur triduano ieiunio in accensa strue lignorum, inuentor Lanceæ vltrò se iniecit; & per medium flammæ vibrantis, rogum nudus pertransiit; & vix inde exiit, combustusque est; nec posteà quindecim dierum spacio superuixit; sed duodecimo die, dolore ignis correptus obiit: & sic omni errore ablato, populus vltrà eam venerari cessauit.] Intereà Francis de bello, quod exspectabant, frustratis, illaque obsidione tàm inopiâ, quàm suorum dimissione vehementer dissolutis, castrique oppugnatione nimis tardâ atque diuturnâ desperatis, operæprecium duxerunt, vt obsidione illâ dimissâ, *Iherosolimam*, messis tempore appropinquante, expedito itinere tenderent; & viam non panis indigam, sed benè, vt audierant, opulentam tenerent. Qui consilio inuicem accepto, omnes animati, simul assenserunt; collectisq; tentoriis & papilionibus, sarcinisq; suis expeditis, iter agentes, antè vrbē *Tripolim*, quæ inde propè super mare sita est, primâ sessione quieuerunt; & ab vrbe illa forum panis & vini, quamdiu ibi moram fecerunt vel morati sunt, plenariè habuerunt; donaq; plurima primates receperunt. Inde *Gibellulum*, aliud castrum prætermeantes, *Birithiam* ciuitatem inuenerunt. Erat autem mensis Aprilis, & iam messis in archa erat; magnaque copia annonæ per totam maritimam Tyri & Sidonis: quæ ciuitates proximæ sunt, & Byritho affines: nunc verò mutatis nominibus ab incolis *Sur* nuncupatur, quæ *Tyrus* quondam dicebatur; & quæ modò *Sagitta*, antiquitùs *Sydon* appellabatur, & est in terra Phœnice, quam *Syden* filius Chanaan legitur condidisse. *Sur* quoque Tyrus dicta est, in qua *Tyrius Apollonius* regnabat. Inter has duas vrbes *Sarepta Sydonia* æstimatur: inde enim ad *Carmelum* mōtem, vbi *Helias* habitauit, non amplius iter duorum dierum ingressi, postea venerunt *Ptolomaidam*, nunc *Achilon* dictam, quam quidam errantes *Accaron* existimant nominandam: sed Accaron vrbs est Philistæa inter Azotum & Iamniam sita, propè Aschalonem. Abhinc terra vocatur Palestinorum. Transeuntes autem Achilon, inuenerunt oppidum *Caypha* dictum, quod est sub Carmelo monte, & habet mare ab Oriente, montem verò ab Occidente. Dehinc *Cæsaream* Palestinæ adorsi sunt, quę quidem *Dor* antiquitùs, à quibusdam verò *turris Stratonis* nuncupata est: in qua *Herodes*, Agrippa dictus, nepos illius Herodis, cuius tempore natus est CHRISTVS, percussus ab Angelo, vermibusq; consumptus, infœliciter expirauit. Vlteriùs autem incedentes, prætererunt oppidum quod *Assur* nominānt. Etenim maritimam, & *Ioppen* à dextra relinquentes, descenderunt in *Ramatha*, quæ ciuitas nunc *Ramula*

Boiamundū dux Robert' Wischardus Appulia genuit valdè potentem ducem.

XXI.

appellatur: de qua incolæ Saraceni omnes aufugerant, pridiè quàm exercitus illuc venisset, metuētes expugnationem, [nec in semet munitionis defensionem confidentes.]

XXII. Est enim ciuitas hæc in plano sita, inter montana Iudeæ & maritimā, in magna copia & fertilitate annonæ, solis cultoribus apta: vbi cùm Franci venissent repererunt areas tritici innumeras, & annonæ etiam trituratæ magnam abundantiam: moratiq; sunt ibi per quatuor dies, vt reficerent & se & iumenta, & sarcinas pararent ad obsidionem Iherusalem. Ibiq; nuncios Christianorum Syrianorū, qui erant in *Bethlehem*, habuerunt: quos antea de Iherusalem nuncios receperant. Nondum enim Cæsaream viderant, quando exploratores Christiani de Iherusalem clàm exeuntes, ad eos venerant, & totum esse ciuitatis & eorum qui intus habitant, indicauerant. Lætati verò Franci super nuncios, promiserunt se in proximo eis auxilium fore, & DEO auxiliante Iherusalem obsidione concludere, seq; & sua, cum ciuitas aut vi aut timore subiiceretur, incolumes reseruare. Illis autem abeuntibus, Franci animati & de misericordia DEI cōfisi, & vt Spiritus Sancti gratia illis adesset, principio suę operationis, in Basilica *S. Georgii*, quæ propè vrbem Ramulam miro opere fundata erat, Episcopum ordinauerunt; & in arcibus Ecclesiæ, quæ circa Ecclesiam sunt, custodes dimiserunt; atque ipsâ die profecti sunt vsq; ad castellum quod dicitur *Emaus*, sexaginta stadiorum ab Iherusalem. Nocte verò ipsâ *Tancredus* & *Balduinus de Burgo*, antè lucem surgentes, cētum suorum militibus electis, conscendunt equos armati; & aurorâ apparente, Bethlehem peruenerunt, linquentes Iherusalem à sinistra: quos cùm vidissent Græci & Syri Christiani, qui ibidem morabantur, primò rati sunt, Arabes & Turcos fore; missosq; de Iherusalē ad eos decollandos & delendos æstimati sunt. Cumq; Francos recognouissent, statim Crucibus & textis assumptis, cum gaudio magno psallentes eos susceperunt: Franci verò præ gaudio lacrymantes, pacisq; osculo eos salutantes, basilicā ingressi sunt: vbi adorato Domino & in loco natiuitatis suæ & præsepio non sine lacrymis oblatione factâ, ad exercitū regressi sunt: qui iam ciuitati appropiabant: Cumq; interim hostes signa Francorum procul vidissent, exierunt quidā obuiam Arabes & Turci, vt prætentarent armis Francorum militiam: qui mox fugati, intrò se receperunt.

XXIII. Christianus verò exercitus videns ciuitatem DEI, quam diu optauerat vidisse; locaq; sancta, in quibus mundi Saluator pro redemptione gentis humanæ mortem pertulerat, lætatus est valdè; & procidentes omnes in terram proni, adorauerunt Viuentem in secula seculorum. Amen. Et venientes ad vrbem, obsidione vndiq; vallant, VII. Idus Iunii. „*Lucis septenæ cum vallant obsidione Iherusalem Franci, iam Iunius igne calebat.*

XXIV. Situs ipse Ciuitatis Sanctæ qui nunc est, murorumq; ambitus, licet à prisca & illustri veteris compositione, statuq; illo quo erat CHRISTI IHESV tēporibus valdè discrepet, quædā tamen tēporis illius adhuc monumenta obtinet; quibus & famosa & illustris, & præ cunctis clarior ciuitatibus in toto orbe terrarū esse debet. De qua, quia à quibusdam quædā superflua, quædā rariùs concinentia finguntur, pauca sub breuitate perstringere conabor. Quatuor igitur illi aditus patēt, sicut plerisq; ciuitatibus, quibus ad eā fit ingressus, ab Oriente, & Occidēte, ab Aquilone & Meridie: Et quidē Oriētalis aditus, ab incolis vocatur *porta vallis Iosaphat*, eò quòd per eā ad vallē illam proximam sit descensus. Occidentalis, *porta Dauid* idcircò vocatur, quod iuxtà turrim Dauid sita sit. Septētrionalis, *porta S. Stephani*, pro eo, quòd idē Martyr extrà portā illam lapidatus fuisse asseritur, ob cuius memoriam Ecclesia ibidē sit fundata. Australis, *porta Syon*, quia ab ea parte mons ille præruptus eminet: vndè difficilis & valdè grauis ad vrbē est aditus. Adhuc etiā quinta habetur porta, quæ *Aurea* dicitur, intra Orientalē & Australem portā sub Templo Domini sita, per quam cœlorūRex super asinam sedēs antè passionem suam, ciuitatem ingressus est, & ab Hebræorum pueris cum gaudio exceptus est: quæ non aperitur nisi in *Dominica Ramis palmarū*. Vrbem itaq; per hunc ingredientibus aditū, à læua Sepulchrum Domini est, quod extrà vrbē tempore Passionis CHRISTI legitur fore inuentū, viuoq; lapide incisum: iuxtà quod Sepulchrū Domini, parū in obliquū, est supereminens lapis dehiscens, sicut in CHRISTI morte legitur scissus: & subtus *Golgata*, qui locus magnâ veneratione celebrādus, adorandus, & colēdus est: In quo loco traditur ab antiquis Abrahā filium suum immolaturus, arietē pro eo immolasse, significans Agnum, DEI filium, ibidē posteà immolandum. Paululùm remotior est locus ab eodem

ab eodem, dictus *Caluariæ*, vbi lignum Dominicum *trecentesimo octogesimo sexto anno* pòst Passionem CHRISTI à beata *Helena*, Iuda præmonstrante, inuentum est: vbi etiam ab eadem regina, Ecclesia miræ magnitudinis & operis fundata, posteà à perfidis Gentilibus destructa est: [ruinæ cuius adhuc existentes indicant qualenam opus fuerit. Pars autem ligni preciosi in his locis à fidelibus retenta, diligenti veneratione adoratur & exaltatur.] Iuxtà crucis inuentionem à Meridie est Ecclesia genitricis DEI, quæ *Latina* nuncupatur, eò quòd à Latinis semper sit culta: vbi fertur eadem Virgo plorasse atque scidisse crines, cùm vidisset filium suum vnigenitum patibulo affixum. Ibi propè est locus, vbi *Maria Magdalena* cæteræq; mulieres lamentatæ sunt in morte Saluatoris. Inde versus Orientem in directum intrà eiusdem ambitum vrbis, Templum est Domini celeberrimum, miro opere fabricatũ: Quod licet primum opus non sit *Salomonis* egregium, sed nec illud quod ab *Hesdra* secundâ reædificatione totius mundi fabricam in opere præcessit, tamen quatuor habet introitus, sicut & primum habuit templum: In quo loco Angelus populum cædens, Dauid orante & exclamante: *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi*, restitisse perhibetur. Vbi etiam lapis ille super quem Angelus restitit, adhuc impolitus, in medio templo eminet. Fuit & in hoc loco tempore Salomonis propitiatorium aureum & arca testamenti, in qua erant tabulæ Moysis, & virga Aaron, & manna, & cætera quæ dicebantur *Sancta Sanctorum*; Ibiq; fuerunt vsque ad tempus *Iosiæ* Regis Iuda, sicut legitur in libro Machabeorum: Sed pòst *Iheremias* arcam in Arabia versus montem Synay occultasse fertur: vbi in hodiernum diem adhuc mons fumigans & caligine obductus, locum volentes adire & obscuritate & caloris æstu repellit, nec ad montem vsque licet accedere: & in prophetia eiusdem Iheremiæ scriptum inuenitur, quod inuenienda non sit, donec gentes multæ congregarentur. Arca ergò in Templo nunc non est, sicut à quibusdam creditur. Verùm locus ille multis modis sacer esse describitur, tùm quia puer IESVS in eo præsentatus, à *Symeone* sene exceptus est; tum quia duodenis, in medio Doctorum sedens, inuentus sit: de quo etiam numularios eiiciens, dixit, *Domus mea domus orationis vocabitur*: multisque miraculorum signis & prodigiis, ibidem à DEO factis, religiosus & sanctus est.

[2. Reg. 24, 17.] [1. Mach. 2, 1, 5, 7.] [Matth. 21, 12, 13.]

XXV. Ab Aquilone Templi huius lacu quodam interposito Ecclesia *S. Annæ* matris beatæ *Mariæ Virginis* est, in quo loco DEI matrem peperisse fertur: Ante cuius Ecclesiam piscina aquæ à Francis inuenta est, veteris piscinæ adhuc vestigia retinens, quinque porticus habens: In qua, tempore CHRISTI, Angelus descendisse legitur, tactuque aquæ languidos sanasse. [Et ibidem à CHRISTO sanatus est ægrotus triginta & octo annos habens, in infirmitate sua.] Ad quam nunc per porticum vnam descenditur; & reperitur aqua ibi gustu amara, quæ plerunque ægrotantibus confert medelam. Hæc intrà vrbem à fidelibus venerantur. Flagellatio IHESV CHRISTI, atque coronatio, & derisio, & cætera quæ pro nobis pertulit: sed non facilè vbi fuerunt, nunc dignosci possunt, cùm præsertim ciuitas ipsa totiens posteà destructa atque deleta sit.

XXVI. Extrà vrbem verò, à digniori parte fit exitus per portam Dauid ad viam quæ ducit *Bethlehem*: quę *Effrata* antiquitùs appellata, ab Iherusalem spacio duarum leugarum versus Hebron, inter Occasum & Meridiem sita est. Ibi est locus Natiuitatis CHRISTI & præsepe, sicut supra memoratum est. Sed & Ecclesia satis decens & ampla miro opere fabricata, Episcopalem ibidem obtinet dignitatem. Ibidem & in confinio passi sunt *Innocentes*, qui ab Herode trucidati sunt. Inde ad vrbem regredientes viso obiter sepulchro *Rachel* vxoris Iacob, ascenditur ad montem *Syon*, qui tempore CHRISTI erat cacumen & medium ciuitatis, nunc autem extrà ciuitatem. Ibi etiam fuit cœnaculum, vbi pedes discipulorum lauit Dominus & magister eorum, & cum eis cœnauit; & Sacramẽtum Dominici Corporis & Sanguinis ipsis tradidit; nec non & omnia quæ de morte eius erant futura prædixit: vbi post resurrectionem Spiritum Paraclitum eis misit. In quo loco transitus *beatæ Mariæ* genitricis DEI fuisse perhibetur: vnde etiam Ecclesia nomen habet; fueratque miro opere fabricata, antiquitùs constructa, quod interiùs patet, sed à perfidis Saracenis destructa. Ad radicem huius montis Syon exoritur fons aspectu liquidissimus, sed gustu amarus, quem dicunt *natatoria Siloë*: qui emittit riuulum suum in alueo vbi torrens Cedron fertur in hyeme cursu rapidissimo. Ibi illuminatus est cæcus à natiuitate, de quo legitur in Euangelio. [Vlterius in Meri-

[Ioh. 9, 1.]

die est *Acheldemach*, qui ad sepulturam peregrinorum emptus est.] Torrens *Cedron* ab Aquilone sumit initium, & per vallem Iosaphat cursum agens, in Austrum dirigitur, nec habet aquas nisi inundatione pluuiarum. In eadem villa inter ciuitatem & montem Olиueti est Ecclesia genetricis DEI *Mariæ*, vbi ab Apostolis sepulta est: cuius adhuc sepulchrum ibidem colitur & veneratur. In quo loco mirificum opus à primis Christianæ religionis temporibus structũ, sicut beatus *Iheronymus* scriptis suis testatur, structuras alias excedebat magnitudine, opere, & compositione: sed posteà à perfidis Gentilibus destructa est, cuius ruinæ hactenus patent. Ibidem anteà CHRISTI temporibus villula quædã erat *Gessemani* nuncupata, vbi tentus & captus est filius DEI: Ibiq; discipulos suos somno prægrauatos linquens, auulsus est ab 10 eis quantum iactus est lapidis versus montẽ Oliueti in obliquum, vt oraret: vbi etiã nunc oratorium quoddam in honore Saluatoris dedicatum est. Inde ascensus est ad montem *Oliueti*, qui celsitudine suâ supereminet omnem regionem: in quo loco solitus erat Dominus discipulos suos & omnes ad se de ciuitate confluentes, docere. Ibiq; fertur orationem Dominicam discipulis insinuasse, & ingruente passionis suæ articulo preces ad Patrem fudisse: de cuius montis vertice posteà delatus est in cœlum, cernentibus Apostolis: In quo loco Ecclesia antiquitus fundata, monumenta Sanctorum plurima continet: à quo etiam monte facilè cernitur Arabia & vallis Iordani; *mareq;* illud *salsum* & fœtidum quod operit Sodomam & Gomorrham, ciuitates quondam irâ DEI funditus euersas. Sub cliuo statim montis hu- 20 ius, inter Orientalem & Australem plagam, aditur *Bethania*, vbi Dominus *Lazarum* resuscitauit, & vbi *Maria Magdalena* peccata sua dimisit; & vbi in domo *Symonis* leprosi discubuit: Vbi etiam nunc monumentum Lazari veneratur, & locus frequentiâ Saluatoris sanctus excolitur. Hæc in territorio vrbis proxima satis sunt. Verùm flumen *Iordanis*, vbi baptizatus est CHRISTVS, decem leugis longè est ab vrbe in directum versus Orientem, qui fluuius diuidit Iudæam & Arabiam: ad quem itur per *Iericho*, ciuitatem quondam magnam: habens à læua desertum, vbi ieiunauit Dominus quadraginta diebus. Videtur & ibi mons excelsus, vbi tentatus est à Diabolo. *Nazareth* autem, vbi conceptus est; & *Galilea*, vbi post resurrectionẽ discipulis apparuit; & mare *Tyberiadis*, & *Thabor*; & solitudo illa vbi de quin- 30 que panibus & duobus piscibus quinque milia hominum satiauit; aliaq; solitudo, vbi etiam de septem panibus quatuor milia hominum pauit; omniaque loca in quibus Rex gloriæ à pueritia conuersatus est, longè ab Iherusalem semota sunt. Hanc præterea vrbem *Helius Adrianus* Imperator mirificè decorauit, & vicos & plateas pauimento decenter ornauit: de cuius nomine, Iherusalem *Helia* posteà vocata est: Et aquæductus per omnes vicos instituit, per quos imbrium inundatione omnes ciuitatis immundiciæ diluuntur. Nec desunt huic vrbi cisternæ, aquarũ abundantiâ semper opulentæ. Constatq; ciuitas ambitu murorum condecenti magnitu-

XXVII. dine, ita vt nec paruitate, nec amplitudine vmquam fastidiosa videatur. His itaque & aliis modis Ciuitas hæc Sancta, gloriosa est & illustris: Quam cùm vide- 40 ret Christianorum exercitus in tam arido, montuoso, lapidosoq; loco sitam, riuis, siluis, & fontibus vndique carentem, difficileq; eam obsidione diutinâ cingi posse æstimauerunt. Et primâ quidem die aquæ penuriâ coacti sunt, adeò vt de tribus miliariis cum iumentis & camelis eam apportarent: & deinde ingruente necessitate à quatuor vel quinque miliariis, vtribus & eiusmodi vasis cum magno labore adquirebant. Erat enim æstus & valdè feruens tempus, vtpote ardenti solstitio: & nimio labore, aërisq; intemperie, siti magis quã fame contigit laborare. Obstruxerãt enim hostes, anteaquam exercitus illuc venisset, fontem Syloë atq; cisternas omnes quæ extrà vrbem fuerant; aut per assiduas animalium adaquationes, aut per occultos meatus, penitusq; desiccauerant, ita vt nullus liquor ibi posset inueniri. Cumque 50 per sex dies ibi aqua & cibatu opulentissimè munirentur, die septimo constituerunt ciuitati assultum facere; & per scalas quasi in iis sex diebus composuerant, muros, si possent, occupare. Erat autem *Robertus* Comes Normanniæ, & *Robertus* Comes Flandriæ cum gente sua à parte Septentrionali antè portam S. Stephani. Dux verò *Godefridus* cornu ciuitatis, quod est super vallem Iosaphat, cum suis occupabat: Et *Tancredus* aliud cornu versus turrim Dauid petrariis & fundibulis maximè infestabat. Comes siquidem *Raimundus* cum Prouincialibus suis, montem Syon

Robertus de Flandria Comes, miles inclitus, probus, & audax, Georgii filius vocitatus.

Syon occupauerat. ¶Qui omnes die constituto eam vndiq; assilientes lituis & buccinis summo mane increpantibus, crebro sagittarum ac telorum grandine muros impetentes, scalas protinus erexerunt, atque in vna parte quidam viriliter ascenderunt, vel ascendere cœperunt. Iam iam fastigia murorum scansuri, ab hostibus repressi sunt: & eâ die, nostri de illo primo assultu frustrati sunt, quoniam raræ fuerunt scalæ, & nimis citò ab hostibus compertæ sunt. Quare negocium illud horâ ferè tertiâ dimissum est, & in castris nostri se receperunt. *Saraceni* autem, & ii qui in vrbe erant, de repulsione hac gloriantes quotidiè improperabant nostris, quia DEVM suum quem intra muros clausum existimant, telis & lapidibus turpiter
10 impeterent; & quasi sacrilegii nostros insultando accusabant. Tunc patienter nostri blasphemias eorum & derisiones sustinẽtes, parauerunt machinas, quibus muros scandere possent. Sed deerat nemus artificio opportunum. Neque enim in tota regione illa silua est, vbi lignum vix quindecim pedũ possit inueniri: De veteribus tamen lignis cedrinis & cipressinis, quæ in quodam specu non longè ab vrbe reperta sunt, turrim quandam cum propugnaculis composuerunt; & eam nocte quadam, illis ignorantibus, haud longè à muro compactam, in ea parte vbi Dux *Godefridus* sedebat, erexerunt; & de coriis camelorum boumque, cæterorumq; animalium, in circuitu deforis eam contexerunt; muroque supereminens septem aut amplius ulnas, totam ciuitatem altitudine superabat: de qua facilè erat videre quid
20 hostes intrò machinarentur, vel quomodo se haberent: Est enim locus ex illa parte adeò sublimis & excelsus, vt ferè coæquetur monti Syon. Vt ergò viderunt hostes machinam erectam, atque eorum ceruicibus supereminentem, timuerunt valdè: quidam etiam deridentes, & ignorantes quid esset, promittebant se turrim Dauid illuc adducere, si illam nostri vsquequaque muris applicuissent; vel de campo, vbi in modum turris fuerat ædificata, eam vllatenus mouerent. Paratis igitur arietibus & scrophis & petrariis & fundibulis, omniumque generum instrumentis ad muros propiùs admotis, die adhæc præstitutâ ciuitatem vndique impetunt; & sagittis atque balistis, multorumque generum armamentis, hostes coarctare cœperunt, adeò vt eorum quis vel pauci in muris remanerent: qui in turribus tantùm e-
30 rant, illi ciuitatem protegebant. Erant autem duæ turres à dextris & sinistris, inter quas machina nostra impacta fuerat: vnde Saraceni nostros vehementer infestabant; & ignem cum oleo & adipe mixtum, faculis aptatis in eos crebrâ immissione iaculabant: multumque in hunc modum nostros repugnare cœperunt. Quod cùm viderent fundibalistæ, & qui petrarias regebant, in illas duas turres omnem vim suam direxerunt; atque vnius propugnacula continuò disruperunt; hostesque inde fugatos quosdam strauerunt, quosdam verò lapidatos vulnerauerunt, atque in hunc modum die illo contendentes, ad vesperam vsque vtrinque concertatum est. Vesperâ siquidem superueniente, dimissum est certamen: & munierunt nostri machinas suas viris optimis & strenuis, ne nocturno tempore hosti-
40 li machinatione violarentur. Fuitque dux *Godefridus* intus, & frater eius *Eustachius*, vir magnæ audacitatis & probitatis; multique alii in negociis gerendis probatissimi. Hostes verò iam timore perterriti, & diurnâ incursione fatigati, nihil in nostros iam molientes, sed ad protectionem suam murorumque defensionem omninò intendentes, totâ nocte illâ nihil aliud, quàm trabes magnas lignaque quàm maiora poterant muri propugnaculis ad lapidum ictus repellendos, contrà machinas nostras conuexerunt. Nostri è contrà si qua paranda erant ad crastinum laborẽ, viuaciter & diligenti prouidentiâ procurabant: sicq; nocte illâ, non minus fere quàm in die vexati excubiis & vigiliis, vtrinq; peregerunt. Mane autem facto, quod XXVI. contigit Idus Iulii, omnes ad incœptum laborem se rursus animauerunt, & lituis
50 buccinisque clangentibus, clamoreq; vtrinq; exorto, muros nostri acriter impetere, hostes verò haud segniter reppellere incœperunt: & ex vtraque parte multi tunc læsi sunt. Interea machinis muro admotis, partem quandam muri *Comes Normanniæ* & *Tancredus* cum petrariis suis, iuxtà portam S. Stephani concusserunt, & foramen vnum fecerunt. Ex alia parte, Comes *Raimundus* cum machinis similiter & fundibulis fortiter instabat. Dux verò *Godefridus*, & qui cum eo erant in maiori machina, grauiter & cautè eam regẽtes, faculas ardentes quas hostes de turribus prædictis in eos frequenti iactu mittebãt, tædasq; sulphureas, & iaculorũ grandinẽ vmbonibus

suis excipiebant; & ab æstu diei & Sole qui iam horâ ferè diei tertiâ incanduerat, tædarumq; incensione, gemino sunt calore & igne artati, adeò vt de vestibus eorũ pars cõbureretur, & scuta incenderentur: Sudor vndique de eorũ corporibus manat; & vix iam sustinent æstum hostes ab ignium violentia. Tunc præcepit Dux vt cum fundibulis torres incensi, turribus iacerentur: vt vel sic hostes parùm coërcerentur, donec propiùs muro paulò, machinam admouissent. Quod cùm factum esset, mox ignis per quædam foramina in arce vna eorum delapsus, materiam lignorum quibus tectum arcis sustentabatur, cremare cœpit: iam iamq; ardebat arx ipsa; fumoq; & igne hostes sunt inde fugati, sic vt nullus vlterius in ea remanere posset. Altera verò turris sic confracta & confusa erat crebro ictu petrarum, vt nihil ab ea nostri timerent. Igitur nostra turris iam muro contigua, nostros hostibus supereminentes, iam iamq; DEI auxilio triumphantes, inuehebat: cõtigit vt cùm funes, quibus ligna prædicta muro connexa fuerant, falcibus à nostris cæderentur, trabem quandam, quasi pontem, sponte acturam versus turrim nostram verti; & à nostris exceptam à machina in murum ita artificiosè & competenter collocari, vt nostris iter in ciuitatem præberet. Mox verò milites ducis & ambo fratres, quorum vnus *Engelbertus* vocatus, alter verò *Litoldus*, per trabem illam gladiis extractis ciuitatem ingressi sunt: Deinde alii atque alii subsequentes murumq; super hostes occupantes, *DEVS ADIVVA, DEVS VVLT*, inclamantes, toti exercitui viam intrandi patefecerunt. Qui confestim per funes & scalas ingredientes, Saracenos & hostes, qui in ea parte erant, vsq; ad Templi munitionem cædendo & obtruncando persecuti sunt. Illi verò fugientes, in Templi clausura se concluserunt; ianuisque clausis, aduersus nostros adhuc resistere parauerunt. Ergò *Tancredus* cum suis adueniens, expugnare eos cœpit: Nec morâ, fores patefactæ sunt, & atria nostris irruentibus completa, hostibus in Templum Domini fugientibus, & in Templum Salomonis se includentibus: ferientibus itaq; nostris, atque à tergo prosequentibus, cædes immensa peracta est, adeò vt in cruore peremptorum, pedes nostrorum tenus suras penè tinguerentur; nullusq; ex eis vitæ est reseruatus; sed neq; fœminis, neque paruulis pepercerunt; memores credo *Saul* regis, qui *Agag* pepercit; iramq; DEI incurrit, & periit. Eâ verò die ita deleti sunt, vt de multitudine innumera Saracenorum, Turcorum, Arabum, Æthiopum, multarumq; nationum, qui ad defensionem vrbis omnes præcepto Admiraldi Babyloniȩ conuenerant, vix pauci superessent, qui in turre Dauid se concluserant. Illique haud multò pòst, Comiti *Raimundo* turrim reddentes, euaserunt; atque fugæ præcipites se dederunt. Et expurgata est ciuitas Sancta Iherusalem ab infidelibus eâ die, ad laudem & gloriam & honorem illius, cuius Sepulchrum intrà gloriosum est: qui admirabili potentiâ & prædestinatione suâ, fideles suos illuc vsque, per marium terrarumque pericula, sui gratiâ, direxerat:

„ *Iulius efferuẽs ter quina luce calebat, Idibus inq; suis iter ad medium faciebat Anno milleno*
„ *centeno, sed minus vno, Virginis à partu peperit quæ gaudia mundo; Vrbem cùm Franci capiunt virtute potenti Atque nouas reddunt laudes super astra sedenti.*

XXVII. Captâ ergò ciuitate, & ab incredulis mundatâ, ad *Sepulchrum Domini* omnes cum oblationibus & cereis accensis, laudes & gratias in voce exultationis Domino reddere festinantes, pergunt; vota persoluunt, in gaudii lacrymas erumpunt. Populus Domini enim & oues pascuæ eius, vt loca Sãcta Passionis, Crucis, Mortis, Sepulturæ, & gloriosæ Resurrectionis tetigerunt, compunctionis lacrymas & inopinatæ lætitiæ, cùm hymnis & canticis psallentes, emiserunt: *O tempus Domini desideratum! ô tempus acceptabile! ô factum factis omnibus admirabile! Cùm id, quod ab omnibus fidei Catholicæ cultoribus interno mentis ardore diu optatum, & votis omnibus desideratum fuerat, filii Sanctæ matris Ecclesiæ in sua secula completum viderunt; statumq; matris Ecclesiæ & Orientalis, ab infidelibus & immundis funditùs euersum atque pollutum, à fidelibus & electis imò à DEO præelectis & prædestinatis in sublime erectum atq; reformatum suo tempore conspexerunt. Gloria tibi Pater, gloria tibi Fili, gloria tibi Spiritus Sancte, amborũ Paraclite Trinitas sancta, rex Sabaoth, faciens mirabilia in cœlo & in terra: consilium tuum antiquum est: à Solis ortu & occasu, ab Aquilone & Austro laudabile nomen tuum. Excelsus super omnes gentes Dominus, sit nomen eius benedictum in secula.* Expletis itaque ceremoniis atq; omnibus in Domini Sepulchro ritè peractis, reuersus est populus DEI ad domos & mansiones quas ceperãt, prout cuique contigerant. Et nocte illâ, positis tantùm Græcorum & Syrorum excubiis,

cubiis, securi quieuerunt, & de beneficiis quæ ab hostibus parata fuerant, gratias DEO agentes, cum gaudio epulati sunt, & somno functi. Posterà die vulgus mixtum cum scutigeris cadauera templi reuoluentes, inuenerunt copiam auri, & argenti, & lapidum. Demum Prouinciales qui vltimi ciuitatem ingressi sunt, dolẽtes quod ad prædam diripiendam tardè venissent, comperto quòd Saraceni dum viuerent nomismata & talẽta auidis faucibus deglutissent, multos euisceratos ideò exenterauerunt, & pecuniam quæsitam in multorum viscera repererunt: vnde factum est, vt de cadaueribus aceruo facto ea igne cremarent, vt æs illud in igne faciliùs inuenirent: nec enim fœtorem illorum diu pati poterant. *Tancredus* autem cum suis Templum Domini aggressus, vasa aurea & argentea multimoda, lapidesq; preciosos & limbum aureum qui Templi parietes circumdabat, & coronas, & phialas, & mortariola aurea, omniaq; præciosa Templi arripiens abiit & super omnes ditatus est valdè. His itaq; omnibus, vt dictum est, patratis, postquam primates & populi requie modicâ refecti sunt, omnes communi assensu *Godefridum* ducem, in regẽ ac principem ciuitatis Iherusalem & totius regionis extulerunt. Canonicos autem qui Domini sepulchro inseruirẽt iidẽ statim creauerunt: *Ernulphum* verò quasi Patriarcham, eis præposuerunt, donec à Romano Pontifice quid agendũ foret, requisiuissent. Tunc & Domino annuente per quendã Syrum reuelata est Crux Dominica, quę ab antiquis temporibus in quodam secretario abscondita fuerat, & ab hostibus conseruata. Quâ inuentâ, omnes in sublime DEO gratias egerunt. Cumq; de reditu in patriam iam Heroës cogitarent, ecce nuncius venit, qui diceret bellũ magnum affuturum: nec tantum bellum; verum & vrbi obsidionem & expugnationẽ tantam aduentare, quantam nunquam anteà viderant. *Rex* enim *Babilonis* ducem militiæ suæ, nomine *Lauendalium*, cum multo exercitu collecto de Turcis, atq; Arabibus, Æthiopibus & Sarracenis, & Ægypto, & Mesopotamia, omniq; Affrica, vt audiuit Iherusalem à Francis vallatam, misit, vt omnes quasi pulli in cauea comprehenderentur & obtruncarentur; & sub edicto huiusmodi præceperat ac prohibuerat omnibus, ne quis eorum ad eum reuerteretur, donec interfectis atq; deletis Christianis omnibus, ipsum Dominicum Sepulchrum eradicarent atq; funditus euerterent, ne de eo vlteriùs mentio aliqua fieret. Quo audito Christiani ad prelium obuiam proficiscuntur, dicentes se intrà muros nequaquã permittere concludi; & armati vexillo sanctæ Crucis, quod præibat agmen, exercitum versus *Ascalonem* direxerunt, vbi aduersariis obuiari existimabãt. Aduersarii verò audientes quod Iherusalem iam expugnauissent, & intra murorum ambitũ se nostri recepissent, lætati sunt valdè, dicentes & vrbẽ & illos ita velle cõcludere, vt nec vnus ex eis manus eorum aut gladium euaderent, ignorãtes quidem quod iam eis obuiam præliaturi venissent. Sed cùm didicissent nostros eis obuiam venisse, parauerunt eos inter se cõcludere; & sic omnes aut ferro circumuenire, aut cõprehensos Babyloniam in manicis ferreis deducere. Facile enim erat paucos, à multitudine innumera vallari & cõprehendi. Sic equidem à quibusdam in bello captis, nostris intimatũ est. Nostri ergò vt propè illos adesse per speculatores suos cognouissent, constanti animo omnes, ac si essent vnius matris filii, ad bellũ se præparauerunt; & libẽter pro CHRISTO aut mori aut triumphare promiserunt. Vespere autem illo, qui belli præcessit diem, Sole iam ad Occasum vergente, contigit vt multitudo copiosa animalium, boum, camelorũ, ouium, caprarũ, de montibus acta, secus exercitũ Christianorum, tanquã in auxiliũ crastini laboris futurã se contulisset. Mane itaq; facto, constitutis ex more legionibus, nostri ad bellũ profecti sunt. Animalia quoque, mirabile dictu, ac si ex industria, paulatim subsequentia procedendo, agmẽ de se cõposuerunt. Videntes ergò hostes à longè animaliũ multitudinẽ pòst acies nostrorum procedere, rati sunt fore de nostris milites ac mixtim pedites, in præsidiũ & tutelã cautè legionũ ordinẽ sequi: veritiq; sunt magis prælium, idcircò quod nõ possent, sicut prædixerant, se effundere, atq; nostros vndiq; concludere. Et tunc conspicientes militiã in armis fulgẽtibus cõpositè præcedentẽ, timuerunt; & pauor DEI irruit super eos. Nostris itaq; lituis & buccinis clangentibus, exortũ est præliũ; & grandine sagittarũ vtrinq; distento, subsecutæ sunt lanceæ, ita à nostris vno ictu & momento vibratæ, ac si omnes inuicém coniurassent, vel vna eas manus emisisset. Quo primo impetu, hostibus DEI terrore in fugam conuersis, cædes non modica subsecuta est: &

XXX. XXXI. XXXII. *Tertium bellum Ascalona.*

quorum equi tunc non fuerunt celeriores morti dediti sunt; & in momento campus ille à prostratis ita occupatus est, vt nemo nostrûm nisi super cadauera poneret pedem; & terra vndique sanguine maduit, tanquam nubibus imber sanguineus emanasset. Quidam eorum, arborum cacumina prorumpentes, sic euadere opinantes, sagittis ibidem crebris sagittati, lanceisque perforati ruentes interierunt. Quidam *Ascaloniæ* viam rapientes, eò quod propius esset præsidium, per gladios & lanceas nostrorum transeuntes, interfecti sunt. Pars verò eorum qui euaserant, Babyloniam fugientes infeliciter deuenerunt. Nostri itaq; triumphantes, & DEO gratias agentes, spoliis eorum & armis & tentoriis onerati ad castra reuersi sunt. Vbi nocte illa pausantes, crastinâ die Iherusalem cum gaudio reuersi sunt; & de præda quam DEI dono cœperant, oblationes ad Sepulchrum Domini gloriosum, cum gratiarum actione, & munera multa obtulerunt. Dehinc flumen *Iordanis* adeuntes, & palmas de Iherico ex more asportantes, quidam recedere, quidam remanere Iherosolimis in perpetuum vouerunt. Remansit ergò Dux *Godefridus*, vt prædictum est, sublimatus in regem; & retinuit secum *Tancredum*, quem præfecit ducem militiæ suæ: & quamplures alii, tàm clerici quàm laici, tunc ibidem remanserunt. *Robertus* verò Comes Normanniæ, & *Rodbertus* Comes Flandriæ recedentes, nauigio Constantinopolim se contulerunt; demum per Apuliam ad patriam reuersi sunt: cæteri quoque multi, tàm de summis quàm de minimis, quibus placuit ædes patrias reuisere, quidam pusillanimes & paupertate desperantes, quidam verò diuites & spoliis hostium locupletati, DEO gratias agentes discesserunt. Pòst hæc *Boiamundus* Antiochenus, & *Balduinus* Rohasiensis audiẽtes ciuitatem Iherusalem à nostris expugnatam, & Christianæ professioni subactam, nunciis ad se inuicem missis, proposuerunt Iherusalem ad orationes venire. Mense ergò Nouembri dispositis rebus suis quisque, & firmiter munitis, iter arripientes conuenerunt *Laodiciam*.

Pater regum rex Philippus & Robertus Flandriæ, Orti sunt æquipollentes de regali semine. Ida mater, Kallomanni descendit ex genere, Soror ducis Godefridi, curui tunc Germaniæ.

XXXIII. Erat quippe ibi *Daimbertus*, Pisanus Episcopus, multiq; alii Pisani & Rauennenses, qui portui Laodiciæ applicuerant; & operiebantur donec mare tranquillum esset, vt Iherosolimam nauigarent. Qui cùm Boiamundum & Balduinum per terram proficisci nouissent, vecturis adquisitis *Daimbertus* Episcopus cum quibusdam nautis sibi adhærentibus, illis coniuncti sunt. Erantque simul æstimati ferè XXV. millia, tàm equitum quàm peditum. Et cùm fines Saracenorum ingrederentur, æstimantes victus venales ibi reperire, nullum prorsus inuenerunt qui eis venderet aut daret, præter Tripolitanos & Cæsarienses: sed eos summo odio habebant, vtpote gentem quæ ad eorum destructionem terram ingressi erant. Vnde fame & inopiâ, algore & inediâ sæpè contigit eos laborare: hyemps enim erat. Patienter tamen omnia pro CHRISTI nomine sustinentes, tandem venerunt *Iherusalem*: adoratoq; Domino, & Sepulchro eius orationibus & cæremoniis venerato, cũ ingenti gaudio Natiuitatem CHRISTI celebraturi, *Bethleem* venerunt; & noctẽ Natiuitatis Dominicæ peruigilẽ duxerunt. Deinde Iherusalem regressi cum rege *Godefrido* & clero & populo in Tẽplo Salomonis congregato, die quadam de statu regni & Ecclesiæ Iherosolimitanæ tractantes, *Daimbertum* illum Pisanum, annuẽte Boiamundo, in Patriarcham elegerunt, & Ecclesiæ Sepulchri, *Ernulpho* deposito, custodem præfecerunt: astruentes illum Daimbertũ excedere, & toti regno magnoperè profecturum, tùm quia doctus & literis apprimè esset eruditus; tùm quia præesse & prodesse domi & Ecclesiæ iam diu didicisset. Erat & aliud quo eum magis retinuerunt: Pisanos enim & Ianuenses cum quibus ipse venerat, Daimbertus in sua quasi potestate habebat, vt quicquid ipse vellet, ipsi vellent & facerent. Ideoq; necessarium & valdè oportunum Reipublicæ suæ duxerunt, si talem virum haberent cuius industriâ & solertiâ ciuitates super mare sitas nauigio caperent. Itaque eo Patriarchâ formato, iumentis resarcinatis, & stipendiis pro oportunè munitis, ambo duces, *Boiamundus* & *Balduinus*, non eodem itinere quo venerant: metuebant enim insidias; sed iuxtà mare Galileæ, per *Tyberiadem* & *Nazaret*, vbi natus est CHRISTVS, & per *Cæsaream Philippi*, quæ ad Libani montem sita est, & per castrum quod *Balbat* nominatur, vbi etiam a Turcis qui habitabant Damasci, insidiati, sed nihil gratiâ DEI læsi, in Syriæ fines peruenerunt. Vbi ergò Syriam ingressi sunt, diuisis exercitibus, Boiamundus Antiochiam, Balduinus verò Edessam ciuitatem suam petiit.

XXXIV. Elapso itaq; tempore dum *Boiamundus* Antiochiæ omni prosperitate frueretur, omnesq;

omnesq; affines suos aut vi aut obsequenti amore sibi subiugare niteretur, contigit mense Iulio *Gabrielem* quendam Armenum, vt se & ciuitatem suam, *Militimam* vocatam, ei traderet atque ditioni eius subiugaret. Ad quam suscipiendam dum Boiamundus cum paucis, nihil obiter timens, proficisceretur, circumuentus insidiis cuiusdam Admiraldi Turcorum, *Danismanis* nomine, imprudenter non longè à præfata vrbe captus & detentus est. Ciuitatem verò Militimam, ob idem quia Boiamundum intus recipere volebat, obsidione claudunt: vbi dum sederent, diuulgatum est ab illis qui de captione Boiamundi euaserant, & *Balduino* Edessæ intimatum, quòd Boiamundus dominus & amicus eius in vinculis teneretur. Ab ipso quoque Boiamundo clàm, per quendam Armenum Balduino nunciatum est circino capitis sui absciso: vt hoc intersigno, ei subueniret. Congregatis ergò *Balduinus* suis, cum Antiochenis ad eum succurrendum properabat. Quo audito, *Danismanis* obsidione prætermissâ recessit, & abiit in regionem suam: Verebatur enim cum Francis confligere, nec vlteriùs eos ibi expectare ausus est. *Balduinus* tamen eum itinere trium dierum persequebatur, sed nihil profecit. Rediens autem de persecutione, ciuitatem prædictam sibi subiecit; & facti sunt amici, ipse & *Gabriel.*

XXXV.

Et factum est in mense Augusto, postquam *Balduinus* Edessam rediit, nuncius ei festinus de Iherusalem occurrit, qui nunciauit ei obitum fratris sui *Godefridi*, & regnum sibi hæreditario iure ab eodem fratre dimissum. Obiit enim dux *Godefridus*, post vrbem captam Iherusalem, secundo anno, quinto decimo Kalen. Augusti: qui dum viueret, non dux vel rex, sed seruus & protector patriæ extitit. Quod postquã Balduinus audiuit, indilatè terram illam quam possidebat, *Balduino* cuidam cognato suo collocans, Iherosolimam petiit, assumptis secum ducentis ferè militibus & septingentis ferè peditibus. Iterque arripiens per *Antiochiam* & *Laodiciam*, & *Gibellum*, *Heracleam*, & *Torthosam* ciuitates, *Tripolim* vsq; peruenit; ibique antè vrbem hospitatus à rege Tripolitano est honorificè susceptus: erant enim ad inuicem amici rex Tripolitanus & Balduinus; pane quoque & vino, nec non & siluestri melle muneribusq; donatus: intimatum est ei ab eodem, quod *Ducach* rex Damascenorum & *Gmahadole* admiraldus quidam, cum multitudine Turcorum & Saracenorũ Arabumq; ei obiter insidiarentur. Quare, cauendum erat ne ex improuisò ab eis circumueniretur. Quo audito *Balduinus* hilari vultu animoq; constanti respondit, se neminem timere pòst DEVM, dum tot & tales socios itineris haberet, quot qualesq; suos existimabat; profectusq; inde venit *Berithum*.

Patre Eustachio ida mater principes regẽtes Iherusalem genuit, Godefridum & Balduinum. Vrbium exterior Flandria, Bolonia, reges ambos nobili prosapia edidit.

XXXVI.

Quartũ bellum Baruth, quod dicitur Beritho.

Non enim longè ab vrbe *Beritho*, sed quasi miliaribus quinque, secus mare trames angustissimus & ineuitabilis erat: quem Balduinus nõ ignorans, vtpote qui iam per illum transierat, crastinâ aurorâ illucescente suos fecit armari, atq; armatos incedere, donec ad illum venirent locum, prætermittens speculatores, qui præuiderent, si quæ insidiç laterent. Et cum peruenissent ad locum præscriptum, patuerunt insidiæ: & viderunt Turcos hac illacq; cursitantes, eosq; circumuenire præparantes. Quos cùm cognouissent, confestim Balduino, qui pòst acies regebat, per quendam eorum innotuerunt: Qui cùm audiret hostes adesse, mox suos diligenter affatus, & in CHRISTO roboratos, atque more solito cohortatos per acies & cohortes diuisos, ad bellum competenter ornatos eduxit. Sed quia locus ille hinc mari, hinc rupibus coarctatur, quemque, ordine prætermisso incedendum fuit. Hostes itaq; visis illis, quasi lupi ouibus infestantes, vndiq; prosilierunt; atque ex insidiis prorumpentes, feroci impetu nostros aggressi sunt. Nostri verò, primò sustinentes, posteà eos acriter sagittis & telis repellentes, effrenatam eorum rabiem paulisper cohibuerunt. Illi deinde in nostros irruentes, à frõte, & vtroq; latere eos coarctare cœperunt: à mari enim, nauibus aduecti, dextrũ latus vrgebant; à sinistra verò, rupibus excelsis capitibus eorum imminebant; à frõte quoque, virtute magnâ contendebant. Et sic à mane in vesperam conflictum est; & ceciderunt ex vtraque parte multi, & nostri, quatuor milites amiserunt. Vespere igitur adueniente, dimissum est certamen; & ibidem à nostris castra fixa sunt: ne si paulò retrocederent, hostes animosiùs in eos ruerent; totaq; nocte illâ, cibo potuq; tàm ipsi quàm equi eorum carentes, excubati sunt. Diluculo autem facto, consilio inuicem inito, aut mori aut viuere destinati, in planum regredi decreuerunt. Collectis itaque sarcinulis, clientibusque præpositis, milites, subsequendo se & illa tuentes, in planitiem festinant descendere. Hostes verò tunc animati, per rupes &

colles & angiportus insequentes, instanter eos infestati sunt. Quidam eorum præcedentes, montemq; quendam, quò nostri tendebant, præoccupantes, iam iam de nauibus egressi, cædem è nostris faciebant: cùm subitò nostri calliditate quadam pressi anteà, vt vel sic hostes secum in campum perducerent, clamore repentino in illos ruentes, antequam ad naues vel ad montes peruenissent, strauerunt infinitam multitudinem. Illi enim, ex quo militiam nostram gladiis extractis in eos tendere viderunt, statim terga vertentes, per abrupta montium, per concaua collium latitantes, alii quoque in præcipitium ruentes, ceu lepores timidi ante canes, partim ad naues, partim ad montes fugiebant. Nostri in eos irato valdè animo intendentes, & pro vita decertantes, quotquot anteire vel attingere poterant, nihil aliud quàm vitâ priuabant. Fugatis itaque DEI auxilio atque prostratis hostibus, ad clientela reuersi sunt, qui interim cum sarcinis in campo eos operiebantur; & inuicem lætantes, DEOque gratias agentes, castra ibidem metati sunt; & cum gaudio, quod habuerunt, epulati sunt, equis, prout cuique possibile erat, cibatis, & somno functi sunt. Mane autem orto, *Balduinus* ipse, solitam amplectens probitatem, antequam de loco illo quemquā suorum mouere permitteret, electis secum paucis ad locum insidiarum vsque progressus est, speculari volens, si quid eis adhuc timendum esset. Qui vt omnia quieta atque solitaria contemplatus est, ignem in cacumen mōtis cuiusdam accendi præcepit. Hoc enim erat signum quod suis fecerat, vt cùm viderent fumum, omnes collectis phaleris subsequerentur: & venientes transierunt quietissimè, vbi hostes vel hostiles turmas prius repererant. Transeuntes autem *Tyrum* & *Sidonem*, cæterasque ciuitates super maritimam, tandem venerunt *Ioppen*, quæ à nostris nouiter hospitata erat: vbi primates Iherusalem, Balduinum operiebantur, quia eum aduentare iam audierant. Quo gaudenter ab omnibus atq; vnanimiter recepto, perduxerunt Iherusalem.

XXXVII. Cumq; vrbi appropinquaret, omnes clerici & laici, tàm Græci quàm Latini, Barbari quoque, quia omnium nationum gens in vrbe morabatur, ei obuiam, cum Crucibus & cereis, psallentes, & cantantes, vocibus altisonis, processerunt; & cum gaudio solenniter receperunt, & ad Domini vsq; Sepulchrum perduxerunt. Factâ autem oratione cum oblationibus vasorum & Ecclesiæ ornamentorum, quæ secum Balduinus attulerat, in regiū palatium deductus; & ab herois & populo gratanter exceptus, nocte illâ securiùs & tranquilliùs quieuit, quàm fecisset à die qua de Edissa iter agere cœpit: erat enim tunc mensis Nouembris. Et quia instabat Natiuitas Saluatoris; & quia ipse *Balduinus* & ipse Patriarcha *Daimbertus* inuicem aliquatenus obliqui erant, propter quasdam suspiciones & populi submurmurationes, de eius coronatione atque regni intronizatione vsque ad festum dilatum est. Interim nosse volens Balduinus terram sibi destinatam, volebat & hostes prætentare contiguos. Cùm aliquantis diebus Iherosolimis se & suos quiete refecisset, resumptis viribus, profectus est *Ascalonem*: vbi hostibus extra mœnia ex improuiso repertis, intrò fugere coëgit. Denique per aliquot dies regionem illam circumspiciendo inhabitans, repperit cauernas plenas incolarum & animalium, vbi metu se occultauerant incolæ regionis illius cum rebus suis, ne à gente Christiana dissiparentur. Sed cùm nullum eorum de cauernis extrahere possent, ignem in ipsis accendentes, fumoque & calore illos coarctantes, vellent nollent, exire eos coëgerūt. Erant quidam, & ipsi latrunculi, Christianis insidiantes, inter Ramulam & Iherusalem: quod cùm à Syris qui intererāt, cognitum esset, centum ferè ex eis capita amiserunt; Syri autem, quia Christianos se profitebantur, illæsi dimissi sunt: Depopulatis itaque & giratis finibus inimicorum, & de Balduini aduentu aliquantum perterritis, consumptisq; regionis illius alimentis, placuit vlteriora speculari, assumptisq; quibusdam indigenis, qui de Saracenis effecti fuerant Christiani, loca inculta & remotiora cognoscentibus, in *Arabiā* profecti sunt. Transeuntes autem montana Iudeæ, venerunt in *Hebron*, vbi Abraham cū filiis suis conuersatus est: & prætereuntes eorum sepulturas, descenderunt in *vallem Sodomæ & Gomorrhæ*, dimisso à leua sepulchro *Loth* fratris Abrahæ. In qua valle nunc lacus est, qui *Mare mortuum* vocatur, constans in longitudine XXVI. miliariis, latitudine verò septem: qui adeò salsus & amarus est, vt nec à bestiis, nec ab auibus contingatur; sed nec piscis, nec aliqua creatura in eo viuit: ideoque meritò *Mare mortuum* nuncupatur. A parte Aquilonis flumen recipit *Iordanis*: nunquā autē seu

maris

maris vel fluminis exitus reperitur. Secùs quem lacum, mons æquè salsus, naturaliter constans, & saxo durissimus & glaciei simillimus est: vnde sal, quod *salis gemma* vocatur, eximitur: vnde incolæ vsum salis habent. Coniicitur ergò lacus bifariè salsus: eò scilicet, quòd monti illi semper allidens, salsuginem secũ attrahit; imbriumq; inundatione, de montis vertice in lacum defluẽte, materia corrumpitur aquæ: vbi in tantum concauata & profunda est abyssus, vt magni Maris refluxum subtus recipiat. Relicto itaq; lacu à sinistra per terram grauissimam & fructibus palmarũ, quos *dactilos* vocant, fertilissimam, interiorem *Arabiam* ingressi sunt. Et pertranseuntes arduos montes satis horridos & solitarios, peruenerunt in *vallem Moysi*, frugibus & fructibus opulentissimam: vbi Moyses, vt legitur, aquam de petra produxit, & filios Israël inde potauit: vbi etiam nunc fons liquidissimus emanãs, homines & iumenta totius regionis adaquare potest; molendini quoque, si adessent, de torrente fontis illius voluere possent. Ibi prope in montis cuiusdam vertice *Oratorium* est, quo loco dicunt Moysen & Aaron cum Domino fuisse locutos. Quia ergò vltrà vallẽ illam terra omninò deserta & incultilis est vsq; in finibus Babyloniæ, factâ ibidem morâ trium dierum, virisq; & equis requie & pabulo refocillatis, residuum tramitem resumentes, Iherusalem regressi sunt. Ibiq; aurea corona cum ornamẽtis regalibus præparata, *Daimberto* etiam Patriarcha cum Balduino reconciliato, in vigilia Natalis Domini, sicut mos erat, noctem sacratissimam loco Natiuitatis, & ante præsepium illud splendidum, cum ceremoniis & orationibus & vigiliis præcedere, Bethleem omnes conuenẽre; *hymnisq; nocturnis* cum Missis pertinentibus ritè peractis, horâ diei tertiâ *Balduinus* in regem à Patriarcha Daimberto coronatus & sublimatus est; & ab vniuersis, tàm à clero quàm populo, honorificè susceptus. Omnibusq; de more, solenniter expletis, eâdẽ die Iherusalem cum gaudio redierunt. Celebratis itaq; diebus Natalis Domini, & pro posse, temporisq; & loci opportunitate festiuè peractis, Rex *Balduinus* fines regni sui dilatare cupiens, qui ad duodecimum vix tunc miliarium protendebantur, de regni statu & eius amplitudine, hostium affinitate, & eorum vndiq; impugnatione, cum his, qui secum festo interfuerant, disserens, quidque facto opus esset consulens, consilio accepto statuit classem *Ianuensium* & *Pisanorum*, qui Laodiciæ portu hiemabant, vsque dum venirent, expectare. Eâ tempestate venerunt de Antiochia legati, missi à principibus vrbis Antiochiæ ad *Tancredum*, cognatum Boiamundi, orantes & deprecãtes vt eis & regno Antiochiæ subueniret; & vt loco cognati sui, dũ ipse in vinculis teneretur, eos tueri & regno subuenire non dedignaretur: timebant enim Turcos & vicinos aduersarios, ne super eos irruerent. Iste *Tancredus* Tyberiadem & Caipham, opida valida, iam à tempore ducis Godefridi subacta obtinebat; & in Iherusalem, Templum Domini, & vicum Templo adiacentem iure suo possidebat: sed Balduino regi infestus erat, propter quasdam antiquas seditiones; ideoq; neque regi, neque eius imperio subditus esse volebat. Auditâ ergò huiusmodi legatione, dimissis Caypha & Tyberiade, omnibusq; quæ sibi iure competebant, secessit in finibus Antiochiæ, & loco Boiamundi in regno susceptus est. Rex verò *Balduinus*, munitiones illas ditioni suæ, immò redditibus suis adnectens, postmodum cuidam probo equiti *Hugoni* nomine *de Falcamberga*, possidendas tradidit; & quasi iure hæreditario, in æuũ obtinere concessit. Erat quippe Martius iam mensis. Interim verno ingrediente tempore, stolus nauium rostratarũ *Ianuensium* & *Pisanorum*, de portu Laodiciæ exeuntes, applicuerunt *Ioppen*: vbi à rege, qui ibidem eos præstolabatur, cũ gaudio magno recepti sunt: Nauibusq; in terram tractis, quoniam propè erat Pascha, Iherusalem profecti sunt. Sabbato autem Sancto illucescente, omnes cum cereis & lampadibus basilicam Sepulchri ingressi sunt. Est enim consuetudo, vt ea die intentiùs & obnixiùs quàm aliis diebus Christiani orationibus insistentes, ad Ecclesiam conueniant; & lumen cœlitus loco Sancto dimissum, in cordis sinceritate & Spiritus humilitate, vt decet, tantum & inenarrabile mysterium, suppliciter expectent, & de more percipiant. Sed contigit eâ die, peccatis populi exigentibus: id quod nec anteà contigisse memoratum est, nec pòst accidisse fertur: ignem scilicet illum nec horâ diei tertiâ, nec sextâ, nec nonâ, quâ solet adueniens corda hominum lætificare; sed nec totâ die illâ, vel nocte sacratissimâ, solito more venisse. Vnde tantus dolor, tantus mœror, tantus timor inuasit vniuersos, quantus à primæua

XXXIIX.

Christianæ religionis temporibus nunquam acciderat: adeò, vt quidam eorũ ferè in desperationem corruissent; quidam & de terra aufugere, & ad suam reuerti patriam, vel in exilium proficisci, peccata sua confitentes, promittebant; quibusdam satiùs mori esset quàm viuere, mortem quoque imprecabantur, vt vel sic tantum finirent dolorem. Vndique luctus, vndique lacrymæ, vndiq; gemitus & pectorum creberrimæ tonsiones, tam intrà Ecclesiam quàm extrà resonabant. Nullus erat locus sine miseria, sine angustia, sine lamentabili tristitia. Iram quippe DEI super eos cecidisse metuebant: & qui materialem ignem nõ mittebat, ignem sui amoris propter peccata sua amisisse mœrebãt. Tum Græci & Syri, in lamentationem prorumpentes, flebilibus vocibus, *Kyrieleyson* in excelso fundebant; & genu flectentes, pectora crebris ictibus pulsabant; & iterum atq; iterum *Kyrieleyson* repetebant. Perlectis itaq; diei Sabbati lectionibus, & more solito, Græcè & Latinè alternatim expositis; omniq; diurni officii ministerio peracto, Patriarcha *Daimbertus* reserato ostio, solus ingressus est, & lumine non inuento, egreditur tristis. Deinde pòst paululùm, iterùm atq; tertiò locum eundem visitans, nullaq; signa luminis in ipsis Sepulchri lampadibus reperiens, prostratus antè sanctissimum Dominicæ Sepulturæ tumulum, preces cum lacrymis & pectoris tonsionibus, diu pauimento inhærens, fudit; clero atq; populo interim *Kyrieleyson*, cum cæteris precibus acclamante, atque nuncium luminis Patriarcham expectante.

XXXIX. *Patriarcha* verò, Sole iam ad Occasum vergente, egrediens de Sepulchro, locumq; eminentiorem & sermoni aptum ascẽdens, baculum pastoralem in manu sua tenens, innuit populo manu, vt silentiũ haberet. Erat enim quiddam perutile & valde necessarium, & præsenti tempori opportunum, quod eis intimare desiderabat: cumq; sacra admonitione de Scripturis Sacris, quibus ad plenum imbutus erat, longum sermonem fecisset, pondus orationis in se finire volens, reum & valdè noxium coràm omnibus se confessus est, multisq; criminibus implicatum à principio iuuentutis suæ, contestatus est; Deumq; ergà se offensum propriis exigentibus meritis, lugubri vultu & voce intonuit: ideoq; gratiam illam quam de cœlis in terram ad consolationem populi sui mittere solitus erat, aut differebat, aut penitus negabat. Depositoq; baculo, & curâ omninò se abdicans pastorali, pronum ante altare se coniecit; & manibus expansis, lacrymas ibidem vberrimas fudit. Et omnis plebs vt vidit, simul cum eo lacrymati sunt, & ad terram prostrati, orantes & deprecantes, vt & sibi & ipsis Dominus propitiaretur. Vespere autem facto, omnes discesserunt; & quidam per Ecclesias orando, totam noctem insomnem duxerunt. In ipsa verò Ecclesia Sepulchri nullus remanere ausus est: prohibitum enim fuit, ne quis eâ nocte ibi remaneret; sed ianuis clausis, extrà, qui vellet, excubaret: & de tanto lumine, populique lætantis & exultantis cateruа, quâ quotidiè in DEI laudibus ipsa decoratur Ecclesia, sacrâ illâ nocte Dominicâ, tam lumine quàm populi frequentiâ priuata est; & ploranti atq; dolenti similis ipsa lugubris remansit, & tenebræ eam comprehenderunt. Aurora subinde crastinâ illucescente, reseratur à custodibus Ecclesia, ingrediente tàm clero quàm populo; & lumen tunc saltem inuenire sperantes, vnus pòst alterum limina comprimentes & lampades vndique intuentes, nulla adhuc luminis vestigia in totis lampadibus repperérunt. Reserato denique ostio Sepulchri, & tribus Ecclesiæ personis religiosissimis cum *Daimberto* ingredientibus, nihil ibidem repertum est. Tunc iterum mœror & luctus, à clero & omni populo in excelso exortus est, ac si antè nihil luxissent: hic ploratus & vlulatus multus, ceu *Rachel* cum cæteris matribus defleret filios suos. Rex ipse *Balduinus* anxius & tristis antè fores Sepulchri se proiecit; & desolationem populi, sibi & iniquitatibus suis imputabat. Nec enim antea, quàm ipse Rex vocatus fuisset, tempore cuiusquam principis ibi dominantis hoc infortunium in Iherusalem acciderat: Quapropter ferè deposito diademate regio, principatu & dominio se voluit priuare, nisi à quibusdam verbis consolatoriis mox esset confirmatus. Fuerunt etiam quidam qui coniicerent intrà se, quemadmodum & regnum & sacerdotium Christiano potiretur imperio, idcircò lumine illo cœlesti non indigere; sicuti eo tempore necessarium erat, quando Turci & Arabes dominabantur in vrbe, qui si non vidissent quoquo anno hæc talia fieri, & Sepulchrum, & eius cultores, quotquot inuenissent Christianos, deleuissent. Hæc & iis similia ad consolationem inuicem quidam ruminabant. Et iam quasi primâ horâ prætereunte,

eunte, quid agant omnes ignorant: scilicet an flentes *diurnum officium*, qui est cantus lætitiæ, incipiant; an omninò sileant. Tandem hæc sedit sententia: quoniam Salomoni cōceſſum fuiſſe à Domino legitur, vt ſi quis puro corde orauerit ad Sāctuarium eius, orationesq; in loco illo de quacunq; angustia fuderit, exaudiretur in cœlū; ad tēplū Domini proceſſionē fieri instituit. Mox *Patriarchâ*, Cruce Dominicâ præcedente, cleroq; fœliciter pſallente, Rex & populus ad Templū vſque lugubres ſubſecuti ſunt, Græcis interim & Syriis atque Armeniis ad Sepulchrum orantibus, atque *Kyrieleyſon* crebrò reſonantibus; genas præ dolore, vt mos illius gentis eſt, laniantibus, atque barbas cum capillis vellentibus. Peractâ itaque, vt institutum erat,
10 cum orationibus & pſalmis, hymnis & canticis in Templo proceſſione, redeunt ad Sepulchrum. Nec dum valuas ingreſſi fuerant, cùm nunciabatur lumen aduenisse; & lampadem, quæ ante Sepulchrum erat accendiſſe. Quo audito, currunt festinanter omnes, & reſerato Sepulchri oſtio, cuius claues in proceſſione delatæ fuerant, lumen optatum inueniunt, gratias DEO in altiſſimis reddunt; accenſoque cereo vno lumen effertur, clero & populo intuendum. Tunc omnes proni in terram adorantes, glorificauerunt DEVM & ſanctum Iſraël, qui reſpexerat deſolationem eorum & anguſtiam, nec amouit ſalutem ſuam à genere eorum. Indulgentiam eius fuſis lacrimis poſtulantes, humiliauerunt illi animas ſuas: deinde choro in vocem iubilationis; & lætitiæ prorumpente, *Te Deum laudamus* in excelſo, cantauerunt; &
20 cerei omnes per Eccleſiam accenſi ſunt, & thuribula, thymiamate & aloë adoleuerunt & domus DEI repleta eſt fumo & odore incenſi: & tintinnabula, ſignaque per totam vrbem pulſata, ſignum noui gaudii & exultationis proteſtata ſunt. Chorus lætus concinit, populus plaudit manibus; & qui anteà lugubres, triſtes ferè vſque ad mortem extiterant, nunc iubilant DEO clara modulamina, alternatim ſymphoniâ reſonante. Græci & Barbari non ceſſant ſuo more laudibus altiſonis ſymphonizare, vt meritò tunc completum ſit, quod in Pſalmo per Prophetam pſallitur: *Pſal. 117. 23.* *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* *Hæc eſt quippe ſancta dies,* " *ſanctorum clara dierum. Nobilis nobilior rutilans diadema dierum.* " Et ne per ſingula immorer, laus DEI in charitate diffuſa eſt in cordibus omniū, per Spiritum Sanctum
30 qui datus eſt eis: & à ſummo vſque ad minimum nullus in tota vrbe fuit fidelis, de cuius ore gloria & laus non procederet. Poſthæc patriarchâ *Daimberto* in ſede reformato, & ab omnibus communi aſſenſu & voluntate reelecto, rege *Balduino* coronâ & regalibus veſtibus ornato, cantore introitum Miſſæ incipiente, ſolenniter Miſſa celebrata eſt; & deinde Paſchalis illa ſolemnitas, feſtiuè & cum magna reuerentia DEI laudibus eſt completa: quæ iure memorialis à generatione in generationem permanebit. Peractâ itaque ſolennitate, *Rex* cum omni militia ſua *Ioppen* profectus eſt, & conuocans *Ianuenſes* & *Piſanos*, maiores nauium duces, ſtatuit cum eis pactum: vt *quotquot vrbes aut caſtra per eorum auxilium ſubigeret, tertiam partem queſtus eis conceſſit, tam de præda & captiuis, quàm de ſpoliis.* Quod vbi ex vtraque
40 parte fidei pignore atque iuſiurando confirmatum eſt, proximum oppidum quod *Aſſur* nominant, terra marique indilatè cingunt. Quo vndique à noſtris vallato, atq; acri inuaſione pulſato, hoſtes de virtute ſua diffidentes, deditioni magis quàm defenſioni ſe parauerunt; Regeque prolocuto, die tertiâ cum mulierculis & paruulis Aſcalonem petentes, munitionem reddiderunt: qua rex *Balduinus* de ſuis munita, confeſtim *Cæſaream Paleſtinam* adiens, circumdedit obſidione. Eſt quidem ciuitas hæc muro, & ſitu loci valdè valida; ſed habitatoribus & defenſoribus, haud æquè erat munita: Cùm enim eam obſediſſent noſtri, & murorum ambitu ita robuſtam vidiſſent, primò veriti ſunt eam abſque machinis impugnare: deinde, morâ iam quindecim dierum affecti, dum penuriâ lignorum machinæ nimis lentè pa-
50 rarentur, die quadam Veneris aſſultu eam impetentes, atque hoſtes prætentantes, ſcalis præparatis, probitate mirâ muros conſcenderunt feſtinanter; atque ciuitatem abſque machinis ſic comprehenderunt, hoſtibus cæſis atque captiuatis. Admiraldum vrbis, ſummumque Pontificem, quem *Arcadium* vocant, rex in parte ſua viuos retinuit; & de eis pecuniam magnam habuit. Alii quoque aurum & argentum ſpoliaque multa repererunt; nec fuit egens quis inter eos, qui non ditatus eſſet, pecuniaq; repletus. Et ſicut ritu Gentilium ius Pontificii, ſoliumque magnæ ſtructuræ antea in vrbe continebatur, ita expurgatis omnibus dæmonum ſordibus,

XL. (margin, line 6) XLI. (margin, line 37)

ibidem mox à nostris *Archiepiscopus* præponitur & consecratur: fitque de Idolo, Ecclesia DEI; de infidelium superstitione, religio Christiana atque fidelium congregatio, ad laudem Domini nostri IESV CHRISTI, qui viuit & dominatur per infinita secula. Amen.

XLII. Tempore illo, congregauit *rex Babylonis* exercitum magnũ valdè; & misit vt expugnaret Iherusalem & omnes habitantes in ea, & in omni terra Israël, & Francos perderent atque delerent. Cumque *Ascaloniam* venissent, commota est, & contremuit vniuersa terra Israël à facie eorũ, & timuerunt valdè. Rex autẽ *Balduinus* vt audiuit, quia congregatus est exercitus Gentilium, relictis in Cæsarea paucis admodum custodibus, cũ exercitulo suo properauit eis obuiã ire. Et veniẽs Ramulã misit pro eis qui erãt in Iherusalem, & in Ioppen, & in omnibus finibus eorũ; & conflauit exercitũ suũ de vniuersis quos habere potuit; & fuerunt ei ducenti sexaginta milites, pedites verò nongenti. Hostes quidẽ, sicut ab eisdem captis posteà scitum est, quindecies centena milia equitum, & viginti millia peditũ numerauerãt: præter clientes qui sarcinas & pecora in victualiũ vsus ducebant, qui & illi armati incedebant. Vt ergò Rex *Balduinus* inter Ramulã & Liddam ciuitates cũ exercitu suo consedit, ex improuiso præcursores hostium, de spelunca nostris se manifestauerunt; & signa bellica ostẽtantes, belli instantis præsignia dederũt. Mox arma capessunt cæteri; & ad prælium se, quidam animosè, quidam verò dubitanter præparant, vtpote diuersarum nationum populus, atque multarum matrum filii, de vniuersis partibus orbis congregati. Iamiamque plus & obsidionibus attriti & fatigati, vnius sententiæ aut animi nequaquam esse poterant. Quos Rex languentes atque desolatos comperiens, confestim his verbis piè affatus est: *Eia milites CHRISTI, expergiscimini, & nolite timere; viriliter agite, & confortamini, sperate in Domino, & estote robusti; & pugnate pro animabus vestris & pro libertate Ecclesiæ & nominis Christiani. Neque enim aliud nomen est sub cælo, in quo nos oporteat saluos fieri, cui degeneres isti & inimici DEI viui insultantes exprobant & conuiciantur, & toto aduersantur nisu, confidentes in virtute sua & in multitudine diuitiarum suarum: quibus est in derisum CHRISTI incarnatio & resurrectio, cuius & omnem gloriam vertunt in contumeliam. Eis ergò incredulis, & desperatis, & omninò perfidis obuiam ire ne dubitetis, quorum toties experti estis virtutem & valetudinem; eorumq; multitudinem & debilem copiam ne reformidetis. Mementote quàm magnificè nos triumphare fecit semper virtus Altissimi; quomodo fugabant centum aut minus de nostris, decem millia aut amplius de cateruis aduersariorum. In memoriam reuocate diem memorabilem illum, quo aduersariorum tanta multitudo apud Antiochiam antè facies nostras in fugam conuersa est: vbi quosdam vestrum, etsi non omnes, complures tamen interfuisse arbitror. Illius saltem diei meminimus, quo cis Tripolim sic coarctati atque ab hostium multitudine & insidiis circumuenti fuimus, vt nemo nostrûm inde euadere speraret. Vicimus tamen per DEI misericordiam & inimicorum superbiam; & nimis elata facultas in manus nostras tradita est: finesq; illorum illæsi penetrauimus. Neque enim hostium numerus, quos hîc in iure nostro, & aperta præsertim camporum planicie nobiscum dimicaturos cernimus, illi multitudini compensandus est, quæ in angustissimas fauces rupium & maris, si memineritis, & propriâ possessione, nos vallauit. Sed neque militia hæc, quam in DEI nomine hîc congregatã gratulor, illi nostræ, quâ sic victrix extitit, nullo modo comparanda est. Dominus & DEVS noster, ipse magnus & mirabilis est & immensus, ex tunc & nunc & in secula. Sperate in eo gens sancta, congregatio populi DEI; & effundite coram illo corda vestra. DEVS adiutor noster in æternum. Nolite desperare de clementia Saluatoris; nec de eius bonitate & auxilio vsquequaque diffidatis, dummodo præsertim vexillum Dominicæ Crucis, per quod caput hostis nostri contritum est; per quod caput nostrum triumphauit; per quod denique mors ipsa superata est, ante oculos statuĩ, agmenq; præcedere videritis. In huius præsentia non poterit nobis obsistere hostium fortitudo, seu aliqua eorum machinatio nefanda. Quod si occumbere contigerit, beati erimus, cùm antè tribunal æterni iudicis hoc iudicio præuenti fuerimus, omnes præsentati atque in conspectu gloriæ eius cum sanctis martyribus coronati. Siue enim viuimus, siue morimur, Domini sumus. Accingimini ergò confidenter, filii potentes, filii DEI, milites CHRISTI; & estote Athletæ DEI patris inuicti, securi de præmio, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Ecce enim, in manus nostras se hodie tota victoria contulit.*

XLIII. *Quintum bellum.* His itaque verbis expergefacti, atque ad bellum animati, proni lignum Dominicum adorantes,

adorantes, Domino benedixerunt in cœlum, confitentes, *quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* Et clamor exortus est magnus, DEVS ADIVVA, DEVS ADIVVA: ita vt mirarentur hostes, quæ esset hæc lætitia, bellumque properare flagitabant. Et qui anteà timidi & imbecilles vacillabant, totoque corde tremebant; nunc robustiores quouis pugile atque audaces effecti, vires suas quisque in prælio omni nisu effundere non dubitabant; & per sex cohortes diuisi, ordine solito incedebant. Ecce gens detestanda, atque omni seculo delenda, dextrâ leuaque se effundentes, & ceu copula multa canum lepusculos paucos girando occupantes, nostros statim vndique vallauerunt. Quorum copiosa multitudo, in tantũ eos obtexit, vt vix alius alium puluere obducto cognoscere posset. Iamq; repulerant, iam iamque quassabant duas anteriores acies, cùm rex *Balduinus* accelerato suę cohortis incessu, vt pius pater filiis suis karissimis in ipso mortis articulo subueniens, ferocissimo ausu hostium, rapidissimæ incursioni rigidus percussor, suorumq; defensor imperterritus obstitit; vibrataq; hastâ, in qua signum pendebat album, Arabem sibi obuium cum equo & faleris in terra prostrauit, ictuque lanceæ equum & sessorem orco legauit, signumque sibi sanguinolẽtum remansit: & hastili protinus abstracto, ad alios aliosque se cõtulit. Sui itaque resumptis viribus, hostes impetere, & crebris ictibus ferire non cessabant: & vbi hostium frequentiam, validioremque multitudinem videbãt, ceu accipiter in auium stipatissimas cateruas se ilicò immerserunt. Fit fragor & strepitus ingens: tela, iacula, hastæ, cannæ confringuntur, scuta dirimuntur: nec iam vmbo aut galea gladiis resonabant; sed ipsa ceruix denudata, Sole obdurata, nigrior fuligine quasi peluis percussa, tinnit; & magis ictũ quàm vulnus veretur. Instant nostri, pes pede opprimitur: subruuntur hostes, proiiciuntur arma, & clamore exorto in fugã vertuntur. Nostri verò à tergo persequentes, cædunt, obtruncant, obruunt, & exiguo horæ spatio mille sessoribus equi, mille corpora capitibus priuantur; campus cadaueribus sternitur, & sanguine madefactâ rubescit humus: hinc isti fugiunt, isthinc illi cæduntur. Fit strages spectãtibus amœna, & DEO grata persecutio. Fertur & in hoc prælio de hostibus quinque milia cecidisse. Dux etiã Babilonius, cuius ductu totus eorum exercitus regebatur, cũ cæteris trucidatus inuentus est. Sic à fronte pugnatũ est. Verùm posterioribus multò aliter euenisse memoratur: nihil est enim ab omni parte beatum.

XLIV. Quoniã in tumultu illo qui primo belli cõflictu exortus est, pars quædam nostri exercitus, partim strepitu, partim puluere obstupefacta, & ab hostibus intercepta, miserabile dictu, ita interfecta est, vt nullus eorũ superesset, qui rei euentũ anterioribus nunciare posset: Quippe, hinc inde sic erãt hostibus obuoluti, vt nec anteriores postremis, nec postremi anterioribus quicquã subuenire licuisset; sed nec intelligere quid vtrobiq; cõtigisset: vnde factum est, vt ea pars hostiũ, quæ sic cohortem de nostris posteriorem cõprehendit, existimans totum belli euentum suis contigisse, nostrosque omnes periisse, sumptis armis interfectorum *Ioppen* celeriter profecti sunt: vbi nostrorum scuta & arma ciuibus ostendentes, regem cum suis omnibus occubuisse asserebant, vt hac scilicet fraude, ciuitas eis redderetur. Ciues itaque obstupefacti atq; perterriti grauiq; timore percussi, tristes & gementes, à muris tamẽ stantes, hostibus obsistere parabant: hostes verò reliqui, die illâ, totaq; nocte subsequenti foris excubantes, vrbẽ quasi obsidione vallauerunt: erãt enim opinione quingenti, omnes equites. Vt ergò nox incubuit, nec regem nec aliquẽ de bello redire ciues viderunt, tunc tandem contristati sunt valdè, omninò existimantes, vt totus perisset exercitus. Erat autem vxor regis in ciuitate. Tunc simul colloquẽtes, & de his quæ acciderant inter se disserentes, communi de consilio legationẽ *Tancredo* Antiocheno mittere destinauerunt. Mox legato & naui paratâ, scedulã sibi tradunt in hæc verba: *Tancrede, vir præcipue, milesq; optime, accipe hanc scedulam, quam tibi, qui Ioppen inhabitant, flentes, omniq; auxilio destituti mittunt: quoniam, proh dolor, rex Iherosolimorum Balduinus, contra Babilonios & Ascalonitas dimicans, in congressu eorum deuictus, & cum omnibus quos secũ eduxerat, interfectus est: Iam iamq; obsidioni dediti sumus, & ab ipsis hostibus impugnamur. Ideò ad te mittimus festinanter, orantes vt quantocius genti miseræ & desolatæ auxilium præbens, eruas nos de manibus inimicorum, & à persequentibus nos. Quinimò si de nobis tibi nulla cura est, tamen miserere Sepulchro Domini creatoris tui: miserere ciuitati Sanctæ Iherusalem; nec patiaris eam ab infidelibus occupari: dum tempus superest, nec adhuc diripi-*

Psal. 106, 1.

XLV. *mur, veni & libera nos.* Dum ergò Ioppitæ sic dolore atque mœrore affligerentur, Rex *Balduinus*, DEI gratiâ hostium triumphator, & de eorum persecutione regressus, in eorundem castris atque tentoriis eâ nocte dormiuit; & de eorum spoliis tàm ipse quàm omnes sui ditati sunt. Crastinâ illucescente aurorâ, quam beatæ *Mariæ Virginis* natiuitas decorabat, Missâ cum matutinis hymnis pro loco & tempore solemniter expletâ, collectis sarcinis, iumentisque oneratis, instructi quasi ad bellum (timebant enim adhuc, ne aliquæ laterent insidiæ) versus Ioppen regio monente cornu, iter agere cœperunt: cumque *Azotum* ciuitatem quondam Philistinorum nostri transissent, subitò fiunt eis hostes obuii, qui pridiè, vt dictum est, Ioppen cucurrerant, & certatim ruentes, ad locum belli properabant, scire volentes euentum rei. Videntes autem nostros, suspicati sunt primò socios fore suos, vt Ioppitas cum eis inuaderent; & gratulãtes, præcedebant in equis velocioribus agmen. Nostri verò armati, & quasi ad bellum incedẽtes, signa & vittas interfectorum hostium in capitibus gerentes, callidè eos primùm intra se receperunt; ac demum gladiis extractis, quosdam trucidauerunt; quosdam verò præcipitauerunt, & eos & equos incolumes retinuerunt. Quod cum persensissent posteri, se deceptos dolentes, protinus diuisi sunt & dispersi; & passim huc illucque per deuia & rura cursitantes, in fugam versi sunt. Itaque nostri pòst irruentes atque clamantes, quantum equi eorum pati potuerunt, eos cædendo & sternendo persecuti sunt. Sed quia fatigati de prȩlio, & vulneribus debiles erant, regressi citiùs *Ioppen* festinauerunt: Quos vbi Ioppitæ vrbi appropinquare viderũt, primò rati hostium reuersionem, demum signa suorum cognoscentes cum magna & inopinata lætitia & exultatione eis obuiam eunt; & quasi de morte resuscitatos, gratantes susceperunt. Tunc qualiter ab hostibus sint circumuenti, & de eorum omnium interitu per ipsos hostes conquassati atque desolati; quomodo etiam Tancredo legationem miserint, confestim narrauerunt. Rex autem *Balduinus* audiens sermones huiusmodi, testatus est valdè, pro eo, quod morte sua cartam Antiochiæ legauerãt. Moxque de vitâ & triumpho & prosperitate sua cartam fieri iubens, quàm citiùs potuit eam per festinum nuncium Tancredo intimauit: Qui cùm iam recepisset primam scedulam, & paratus esset cum omni exercitu suo Iherosolimam venire, subitò breuigerulus alter sibi occurrens, cartam regis Balduini signo signatam ei tradidit, priori prorsus dissimilem. Quam cùm legisset, & de vita regis, & victoriâ, & prosperitate didicisset, gratulatus est valde, licet eum non dilexisset; & gratias DEO persoluit multimodas, tàm ipse quàm omnes Antiocheni: & sic de expeditione illa exercitum suum dimisit. Postquàm ergò rex ille Balduinus requie modicâ se suosque in Ioppen refecisset, Iherosolimam profectus, vota & hostias DEO & Sepulchro soluturus: Vbi à clero & populo cum magna reuerentia & processione, Ligno præeunte Dominico vt decuit, & rex & militia sua de triumpho excepti sunt. Et siluit terra Iherusalem octo mensibus bellorum incursionibus. Commissum est hoc prælium VII. Idus Septembris, anno tertio ab vrbe Iherusalem capta, Indictione nona.

Sextum bellum inter Ioppen & Azotum.

XLVI. Sequenti iterum anno congregauit exercitum *rex Babilonis* copiosiorem priore, & misit in terram Iherusalem. Mense itaque Maio iam mediante, venerunt Ascaloniam, & cooperuerunt faciem terræ circa vrbem, tàm ipsi quàm iumẽta eorũ, & cameli sarcinas ferentes, & pecora quæ secum quocunque irent, de more cõducebant. Congregati ergò simul fuerunt vigies centena millia equitum, & peditum triginta millia præter clientes & seruientes. Nec morâ, ciuitatem *Ramulam* adeuntes, consederunt ante eam, & castra metati sunt. Porrò messes quæ iam ad metendum paratæ erant, circa regionem illam vastauerunt; & quasi ad obsidionem, se circa vrbem effuderunt. Erant autem in arce quadam ciuitatis quindecim milites tãtùm, quos rex custodes ibi deposuerat, cum seruientibus & Syris cultoribus agrorum, vrbem custodientes. Erat & ibi *Ecclesia Sancti Georgii* propè, miro opere fabricata, muro & turribus benè munita, in qua Episcopus Ramulensis cum suis morabatur, quam diruere multoties conati sunt Ascalonitæ: Sed Episcopus eam præsidio suo semper illæsam protexerat: vbi cùm accessissent Babilonii, & vidissent munitionem illam cis impedimento fore, propterea quòd in planis sita est, & quasi sibi suisque insidiaretur, cogitauerunt eam destruere & omnino eam delere: Quod cum Episcopus comperisset, confestim regi *Balduino* per nuncium suum intimauit, rogans & postulans,

ſtulans, vt ſibi ſubueniret. Erat quidem tunc Rex in Ioppen, & erat cum eo Comes *Stephanus Bleſenſis*, qui cum comite *Pictauenſi* & aliis pluribus eodem anno venerat in Iheruſalem: de quorum itinere quantum ad rem pertinet interſerendum eſt.

Eo ſiquidem anno *Willelmus* comes Pictauenſis & *Stephanus* Bleſenſis, qui ab obſidione Antiochiæ redierant in patriã, & *Hugo Magnus*, qui pòſt Antiochiam captã in Gallias repedauerat, & *Raimundus* comes Prouincialis, qui pòſt Iheroſolimã captam Conſtantinopolim ad Imperatorem ſe contulerat; *Stephanus* quoque comes Burgundię, multiq; alii nobiles ac potentes viri cũ innumero exercitu Romaniæ fines ingreſſi ſunt; & per terram meantes, vrbes & caſtra ſubigendo, Iheroſolimam tẽdunt. His itaque obſtitit admiraldus *Soliman*, Turcus fortis, & præpotens Gentilis: Cui, vt ſuperius relatum eſt, Nicæa ciuitas per primos duces huius itineris ſublata erat, & Imperatori Conſtantinopolitano tradita. Qui detrimenti ſui non immemor, vt cognouit Francos aduenire, per aſpera montium, per concaua collium & rupium, cum innumera manu Turcorum, eis inſidias tetendit, & vndique ſagittis atque telis multimodis impetere cœpit. Illi verò huiuſmodi incurſionibus ignari, diuq; fame & ſiti & itineris labore vexati, ſuſtinere nõ potuerunt eorum cruentã rabiem & importunam inuaſionẽ: quapropter diſperſi ſunt à facie eorum, & in fugã conuerſi: de quibus ſtrages immẽſa per montes & colles, ceu de pecudibus facta eſt. Multi etiã fugientes, ſiti & laboris anguſtiã perierunt: De mulieribus quæ captiuæ abductæ ſunt, nõ fuit numerus; compluresq; earum gladio perierunt; viri quoque, ferreis cõpedibus mancipati in ſeruilem conditionẽ deducũtur; & de ſpoliis eorum hoſtes per nefas ditati ſunt: Ibi perdidit *Pictauenſis* comes tũc homines ſuos penè omnes, & equos & mulos & iumẽta, & penè prorſus omnia quæcunq; habebant: ipſe etiã vix mortis periculũ euadens, cum raro agmine ſuorum, pede, tãdem Antiochiam lugubris peruenit. Miſeriæ cuius *Tancredus* compatiens cũ ſuſcepit piè; verboq; & opere cõſolatus eſt; quãplures ſummi viri ac nobiles ibi perierunt. Comes verò *Raimundus* per deuia fugiens, cum quadã parte exercitus vix euaſit; *Stephanus* quoq; Bleſenſis, & *Stephanus* Burgundię, & *Hugo* Magnus, & *Hugo* Licinienſis frater Raimũdi comitis, cum altera parte exercitus tramite deuio *Tharſum* vſq; peruenerunt: vbi *Hugo* Magnus diẽ vltimum nactus, à ſociis ſepultus eſt. Qui cùm venirent *Antiochiam*, alii per terram, alii nauigio Iheruſalẽ proficiſcũtur: cumq; ad ciuitatẽ *Tortoſam* perueniſſent, quæ ſecus mare ſita eſt, & à Saracenis incolebatur, vterque exercitus & terrâ & nauigio vecti inuicẽ ſe ibi ſalutauerũt; & viſa vrbis oportunitate, quòd ſcilicet ad capiendũ facilis eſſet, mox cõſilio inito, repẽtino eã impetu vndiq; inuadunt; & celeri aſſultu terrâ mariq; eam coarctãtes, mirâ leuitate muros conſcẽdunt, portas cõfringunt, & vrbem ingreſſi ſunt. Saraceni qui ibi reperti ſunt, omnes gladio interierunt; & de ſpoliis eorũ paupertatẽ ſuam noſtri reſtituerunt: deinde iumentis & nauibus ſtipendio ſarcinatis, iter arripiunt. Comes verò *Raimundus* prouincialis in ciuitate Tortoſa remanſit, & eam obtinuit: quod omnibus ſatis moleſtũ fuit, eò quòd ipſe aditus noſſet, per quos trãſituri erãt. Trãſeuntes autem *Archas* oppidum, venerũt antè vrbem *Tripolin*, & illic caſtra metati ſunt: vltrà deinde progreſſi, *Gibellulum* & *Berithũ* ciuitates prętermeantes, venerunt ad anguſtũ meatum ſuperiùs deſcripũ: vbi rex *Balduinus* de eorum aduẽtu non ignarus, ſed ab antea præmonitus, vt eis obueniret, cũ caterua militũ ſolicitè eos operiebatur, vt inde perduceret Iheruſalẽ. Vt ergò Regẽ viderunt, congratulati ſunt ei, & oſculo pacis inuicẽ dato iocundati ſunt valdè: inde *Ioppen* cum Rege profecti ſunt, vbi iã etiam applicuerant alii, qui per mare nauigauerãt. Et quoniã propè erat Paſcha, *Iheroſolimam* omnes feſtinanter aſcenderũt. Qui poſtquã loca ſancta viſitauerũt, & oblationibus & muneribus ſuis venerati ſunt, ſolẽnitate Paſchali peractâ, feſtiuè Ioppen regreſſi ſunt. Tunc comes *Pictauenſis*, quoniã inops & pauper erat, & hominibus carebat omninò deſolatus, nauem conſcendens, domũ regreſſus eſt. *Stephanus* quoq; comes Bleſenſis, & *Iofridus* Wẽdoniẽſis, & *Stephanus* Burgundiẽſis, & *Hugo* Liciniacẽſis, cum aliis pluribus domũ ſimiliter regredi cupientes, ventis & mari ſe cõmiſerunt: ſed aurâ deficiente, imò obſiſtente, Ioppen reuerti repulſi ſunt. Ii itaq; ibidẽ adhuc erãt, quando regi intimatum eſt, de hoſtiũ inuaſione ſuper Ramulenſes. Rex autem *Balduinus*, audiens ſuos ab hoſtibus circumuentos, & ad deprædationem & incendium in terram ſuam, imò intra caſtra & munitiones ſuas

XLVII. *Septimum bellum Romaniæ.*

XLVIII.

ipſos hoſtes ferè progreſſos, ratos primùm quoſdam fuiſſe præcurſores, qui cauſsâ prædæ ſuæ ſe antepoſuiſſent eoſque facilè intercipi poſſe, confeſtim equum aſcendit, & cum paucis profectus eſt. Comes tamen *Stephanus* Bleſenſis eum præmonuit, ne incautè & abſque prouidentia & conſilio exiret: Cui Rex indignans reſpondit vel reſponſum dedit: *quia ſi ipſe & ſocii ſui tunc eſſent in Francia, tamen ille nō permitteret eos euadere*: & ſic cum his qui parati erant, egreſſus eſt. Mox Comites præfati, equis & armis mutuò acceptis, cum omni militia ſua, quæ illâ die in Ioppen fuerat, ſubſecuti ſunt, Væ diei illi, quæ tot nobiles atque probos viros in interitum & mortem eduxit! Dies illa, dies amara, dies inuiſa, & omni ſeculo deteſtanda, & à memoria dierum ſolemnium penitus delenda. Ab vrbe Iheruſalem capta vſq; ad hanc diem non fuit tanta calamitas aut miſeria in tota terra Iſraël, nec tanta ſtrages virorum illuſtrium facta. Heu infortunium! ignari ad mortem progrediuntur: & forſitan iuſto iudicio DEI, vt à quibuſdam memoratur, id eis accidiſſe non dubitamus.

Octauum bellum apud Ramulam.

Ruebant enim ſine lege & conſilio, vnus poſt alium quaſi hœdi petulantes, cum ſuperbia & clamore, timore DEI omninò poſtpoſito, in virtute ſua confidentes; & DEI magnificentiam, cuius clementiâ & bonitate hæc omnia acciderant, ſuis laudibus & artibus attribuebant. Crucem Dominicam quoque, cuius præſentiâ hoſtes confundebantur, eâ die ſic obliti ſunt, vt nullus eorum eius memor eſſet. O cæca atque peruerſa humana deliberatio! ô cunctis, de ſe formidanda præſumptio! ô vbique pertimeſcendum DEI iudicium, atque eius exoptanda miſeratio! neque à quoquam fidele deſperanda eſt eius propitiatio. Ruunt, vt dictum eſt, ſine lege, & ſubitò ab hoſtibus dextrâ leuaque circundati, ſine lege pereunt. pugnant tamen virtute ſuâ, atque ſtrenuè in hoſtes ſe vertunt; ſed diſpari numero & potentiâ. Illi enim vix ducenti milites fuerunt; hoſtes verò, viginti millia & amplius erant. Stulta præſumptio, vana oſtentatio, impar conflictus: ſi enim manibus poſt terga reuinctis hoſtes aduenissent, equis & armis protecti, ſicut erant, conſtitiſſent, tanta rebellis multitudo, tamen quoque à noſtris formidanda eſſet. Sed futurum erat, ad correctionem forſan poſteritatis, ne ſic inſipienter aut temerè alii deinde hoſtibus ſe exponerent. Ergò cadunt noſtri, proh dolor! & ab hoſtibus vndique cæduntur: fit clamor, & dira eorum inclamatio noſtros attonitos reddit; inſtant telis & ſagittis: nec parcunt viris nec equis. Rex itaque videns ſuos hac illacque ſterni, nec iam importunam hoſtium incurſionem poſſe pati ſentiens; fugam dedecoroſam & inhoneſtam ſibi, iam iamque tardã vereſcens, dum tamen adhuc quoſdam ſuperſtites de optimatibus videt, ciuitatem *Ramulam*, quæ propè erat, ſi tamen hoſtium cuneos abrumpere poſſet, aggredi decreuit: vt ſaltem murorum protectione tuerentur, ne omnes ſimul repentino perirent interitu. Cumque id machinarentur, atque hoſtes perſenſiſſent, vno impetu omnes poſt eum ruentes, ad vſque ciuitatis mœnia vltimos cædendo perſecuti ſunt: Rex verò & comites, & alii quotquot erant ſuperſtites intra mœnia ſe receperunt. Verùm ciuitas hæc non adeò erat munita, vt intus tuti ab hoſtibus protegerentur: neque enim in murorum ambitu confidebant; neque turris illa, vbi cuſtodes prædicti erant, eos omnes aut dimidios capere poterat. Sed neque præſidium eis aliquod affuturum à parte aliqua exſpectare poterant: vnde factũ eſt, vt nocte adueniente, communi de conſilio rex ſolo comitatus armigero, equum velociſſimum aſcendens, qui præ velocitate *Gazela* vocabatur, ciuitatem egreſſus eſt; & ſe tàm vitæ quàm morti committens, per medios hoſtes ſe contulit, atque montana petiit. Tres ſubinde milites eum ſubſecuti ſunt, qui mox ab hoſtibus intercepti, capite truncantur. Hoſtes igitur de regis euaſione permoti, intempeſtæ noctis ſilentio equos aſcendũt; veſtigia eius perſequuntur, atque vias omnes circumquaque ex inſidiis ſæpiunt. Rex autẽ per abruta montium, per rupium aſperitates, deinde per multos labores quæque perluſtrãs, vt eorum manus effugere poſſet, die tertiâ tandem *Arſuth* oppidum peruenit: vbi nocte præcedente, quingenti ferè hoſtes ei inſidiati ſunt, & ad muros vſq; progreſſi, quaſi exploratores in ſpeculis ſe dederunt: qui paulò antequam rex aduenisſet, inde diſceſſerant. Recedentes ergò ad Ramulam ciuitatem, ſociis narrauerunt, quia de rege nullum ſcirent rumorem. Tunc ſimul omnes eos qui erãt in ciuitate acriùs pergẽtes, vi & timore deditioni illos coëgerunt. Ambo Comites, videlicet *Stephanus Bleſenſis*, & *Stephanus Burgundienſis* ibi capita perdiderunt; *Hugo* Liciniacenſis ſimiliter,

liter, & *Isfridus* Wendoniensis, & multi alii ibidem trucidati sunt; quidam verò in manicis ferreis Babiloniam perducti sunt: ita vt ex omni militia, quā rex de Ioppen eduxerat, & quæ posteà subsecuta eū fuerat, vix tres euaderēt, quorū vnus armiger eius fuerat, alter verò *Lichardus*, tertius verò Vicecomes Ioppitarum: ii etiam vulneribus multis grauiter confossi, nocte ac die per deuia montium fugientes, Iherusalem penè moribundi subintrant, atque infortunium quod acciderat, ciuibus lacrimis effusis innotescūt: de rege autem seu viueret, seu vltimum clausisset diem, nullum nouerant dare responsum. Tunc mœror & luctus totam ciuitatem perculit; atque omnes se miseros & peccatores acclamantes, in exterminium & deprędationem se breui futuros esse non dubitant. Episcopus autem Ramulensis, vt audiuit dispersionem huiusmodi, nec sibi, nec munitioni Ecclesiæ confidens, omnibus suis eductis, cùm migrandi occasionem persensisset, noctu Ioppen fugitiuus euasit.

XLIX. Rex verò, *Arsuth* oppidum ingressus, à suis gaudenter susceptus est; atque epulis, quibus satis abstinuerat, somnoque functus est. Intereà *Hugo de Tyberiade* optimus miles, audito quià hostes Babilonii terram Iherusalem ingressi essent, ratus quod regi necessarius esset, si cum suis ad eum festinaret, assumptis octoginta strenuis militibus, ignarus quid regi, suisque contigisset, properabat Ioppen: & ipsâ die ad vesperam veniens *Assur*, regem adhuc dormientem repperit. Nec morâ, rex expergefactus, vt vidit Hugonem, lætatus est; atque animo exhilaratus, ab eodem Hugone viriliter animatus & cōfortatus est. Mane autem facto, rex scapham conscendens, per mare, Ioppen deuectus est, & à ciuibus cum ingenti gaudio susceptus est: *Hugo* deinde alterâ die eum subsecutus est. Demum Syro quodam ascito, qui montium compendia nosset, legauit eum Iherusalem, vt omnes ad se venire faceret quicunque arma ferre possent: Ille volat præceps sub opaca nocte; & per deuia, hostium vitans insidias, die tertiâ Iherusalem peruenit. Cumque de rege innotuisset, quòd incolumis de manibus inimicorum euasisset, gratias DEO in altissimis referunt; atque ad subueniendum ei, omnes vnanimiter excitantur, & eius iniuriam, DEO præduce, vlcisci asseuerant; eademque nocte haud indilatè quotquot arma ferre poterant, iuxta præceptum regis, de ciuitate exeunt: & fuerunt nonaginta milites loricati, alii quoque ferè ducenti: qui totâ nocte migrantes, aurorâ illucescente omnes prope *Arsuth*, hostibus à sinistra parte vitatis, se repererunt; inde secus mare Ioppen proficiscentes, comperti sunt ab hostibus, & quidam eorum ibidem fuissent interempti, nisi iumentis derelictis, mari ad natandum se præcipites dedissent: sicque Ioppen, incolumes peruenerunt. Rex autem de eorum aduentu congaudens, impatiens omnis moræ, haud longiùs distulit negocium suum gerere: & primo mane suos ad bellum eduxit.

L. *Nonum bellum apud Ioppen.* Ordinatis agminibus, Ligno præcedente Dominico, hostes aggreditur. Illi verò nihil tale opinantes; sed petrarias & machinas præparantes omni studio, vt Ioppen expugnarent: cùm vidissent signa nostrorum procul, admirati sunt valdè; & primò hæsitātes, an ad bellum venirent, diu stabant stupefacti: demum sumptis armis obuiam pergunt, & more solito, circa nostros se effundunt, atque sagittis eos primò lacesserunt; dehinc cominus accedentes, gladiis & sicis in eos ruebant. Nostri quidem de ordine suo nil exeuntes, sed paulatim versus eos incedentes, & primam eorum incursionem patienter sustinentes; posteà grandine sagittarum visibus eorum immissâ, acriter eos repulerunt: & pedetentim se ingerentes, vbi densiorem multitudinem conspexerunt, ensibus cominus nudatis, atque lanceis vibratis, virtute DEI per auxilium sanctæ Crucis cooperante, audacter penetrauerunt: iterumque in eos redeuntes, & DEI auxilium clamore magno inuocantes, & ferire nihil hæsitantes, aciem eorum robustiorem quassauerunt; & collectam multitudinem nefandam, vellent nollent, fugere coegerunt: qui dorsa vertentes, versus Ascaloniam celerem fugam arripuerunt: nil de eorum tentoriis, vel quæ intus habebant, meditantes, neque de peditibus suis curam aliquam gerentes. Sed qui celeriores equos habuerunt, celeriùs campum vacuum dimiserunt; & vsque dum viderent Ascalonem, nunquam lora vel calcaria remiserunt. Tantus enim terror inuaserat vniuersos, vt existimarent nostros à dorso eos vsque cædere: nec securi fuerunt, donec intra mœnia se receperunt. Multi in calore & siti extincti sunt. At nostri eos diu sequi propter equorum debilitatem, & quia pauci erant, non potuerunt: sed in eos, qui adeò celeres equos non habue-

runt, & pedites eorum, qui de campo non exierunt, iniuriam suam ita vlti sunt, vt vix aliquis superesset de eis, qui non vitam cum capite amisisset. Tentoria, stipendia, sarcinas, mulos, equos, asinos, camelos, boues quoque & oues, & vniuersam supellectilem quam secum adduxerant, tradidit DEVS in manus seruorum suorum: & ditati sunt omnes, ita, vt qui pauper illuc venerat, diues domum reuerteretur. Et vltus est *Rex* eâ die de inimicis suis: & per DEI misericordiam & virtutem Sanctæ Crucis, eorum superbiam & elationem ita contriuit, vt longo tempore pòst, eum inquietare non auderent. Et quieuit terra ab incursionibus bellorum, tribus continuis annis. *Rex* autem cum triumpho *Iopen* regressus est, laudans & magnificans DEVM, *quoniam bonus, quoniam in secula misericordia eius.* Factum est autem hoc prælium, anno quarto ab vrbe capta Iherusalem, ad laudem Domini nostri IHESV CHRISTI, qui viuit & regnat in secula. Amen. Verno denique tempore subsequente, cùm solemnitatem Paschę ex more *Rex Balduinus* in Iherusalem celebrasset, vrbem *Anchon*, quæ antiquitùs *Tholomaida* dicta est, obsidione aggressus est. Verùm quia muro & antemurali valdè munita erat, & sine classe eam vndique coarctare non poterat, cùm sata atque virgulta eorumq; labores exteriores deuastasset, domum rediit, differens vrbis expugnationem, donec classem *Ianuensium* & *Pisanorum*, quam exspectabat, haberet. Interim tamen fines aduersariorum inuadere & expugnare non cessabat. Et contigit vna dierum, dum rex versus *Damascum*, se in hostiles efferret regiones, à quodã eum Æthiope in rupe delitescente grauiter sauciari, missili à posterioribus vsque in præcordia vibrato: cuius vulneris ictum, per multorum manus medicorum longo pòst curationis tempore vix euasit, & sospes factus est. Eo anno *Boiamundus* de Turcorum manibus & vinculis, DEI gratiâ, liberatus est, & Antiochiæ rediit: vbi à *Tancredo*, & à suis cum gaudio magno exceptus est. Eo principante Antiochiæ, dominatus vrbis *Laodiciæ* ei traditus est, quam ceperat Tãcredus super Imperatorem, dum *Boiamundus* teneretur in vinculis: Qui postquam Antiochiam venit, regi Balduino per nũcium innotuit, qualiter liber factus est. Rex verò vt audiuit, admodum vegetatus & confortatus est & lætatus; atque DEO gratias pro eius deliberatione reddidit. Posthæc sedato hyemis tempore quod instabat, appropinquante Paschâ, spirante Notho, stolus *Ianuensium* & *Pisanorum* in sexaginta nauibus rostratis, Ioppen applicuerunt; & à rege decenter atque optatò excepti sunt. Statutis deinde pactionibus, atque prout vtrique placuit cõfirmatis, *Tholomaidam* confestim adeunt, & mari terraque eam cingunt: cumq; ciuitatem hanc crebris inuasionibus per viginti dies obsedissent, machinasq; propè muros iam ingressuri erexissent, Sarraceni, qui eã obseruabant perterriti atque coacti, vellent nollent se dederunt. Ianuenses & Pisani, nostrique, de spoliis eorum ditati sunt. Nec enim de spoliis rex prohibere potuit, licet multùm niteretur obseruare eos, ne ciuitas ab incolis penitùs priuaretur. Et vt vidit, quia præualuerunt isti & illi, misit suos in ciuitatẽ, vt munitiones occuparent, & obtinerent: de præda verò tàm ipse, quàm alii locupletati sunt. Erat autẽ hæc vrbs omni populo Christiano necessaria, pro eo, quòd ei inest portus nauibus aptus, intra mœnia vtiliter conclusus: vbi postquam naues ingressæ sunt, quietè ab omnibus ventorum turbinibus & tempestatibus, atque piratarum nocturnis incursionibus, omni tempore se continere possunt: in tota verò terra Iherusalem nullus alius talis portus inuentus est. Anno itaq; Dominicæ incarnationis *millesimo centesimo tertio*, ab vrbe verò Iherusalem capta *quinto*, tradidit DEVS hanc ciuitatẽ Christianis, atque imperio subdidit Iherosolimitano; & magnificatus est Dominus in populo suo, & dilatatus est hæreditatem suam. Sed inimicus humani generis, quia capiti Ecclesiæ, quod est CHRISTVS, & nobis insidiari nõ desinit, inter Patriarcham *Daimbertum* & Ecclesiam sibi commissam dissensionem tantã immisit, odiumque seminauit, vt neque à clero, neque à rege, neque à populo amaretur; & tanta persona, tanta Ecclesiæ columna, tàm pius pastor, & egregius doctor, ab omnibus, proh dolor! ceu lupus inuisus est, & ab Ecclesiæ liminibus eiectus, sub velamine quasi Romanæ distinctionis, præsidente *Rodberto* Cardinali; & *Arnulfo* Sancti Sepulchri Archidiacono, cum aliis complicibus suis annitente, & accusante. Itaq; vir illustris & omni bonitate conspicuus, eorum non ferens violentiam, Romanam appellauit Sedem; atque Romam mox profectus est. Eã tempestate *Boiamundus* ab hostibus circumuentus, & maximè

Psal. 106, 1. — 10 — LI. An. M°. C°. III°. Indictione XI°. — 20 — 30 — 40 — LII. — 50

maximè ab *Imperatore* Constantinopolitano infestatus, qui etiam iam sibi quatuor abstulerat vrbes, auxilium de transmontanis partibus sibi quærere deliberans, trãsfretare parabat. Ad quem cùm patriarcha *Daimbertus*, quasi profugus & exul venisset, & causam sui itineris exposuisset, pio affectu ab eo susceptus est; atque sui itineris factus socius, in Apuliam simul transuecti sunt. Dehinc *Romam* profecti, vterque de iniuria sua Papam *Paschalem* conuenerunt: *Boiamundus* enim de principatus sui detrimento, quod ab Imperatore susceperat, insuper etiam de itinere Iherosolimitano, quod idem Imperator terra marique sic occupauerat, vt nemo Peregrinus Iherosolimam ausus iam ire foret, pro se & Peregrinis proclamationem faciens: 10 *Daimbertus* verò, de iniuria sibi tàm ab ipso Cardinali *Rodberto*, quàm à rege & clero Iherosolimitano irrogata. Quorum querimonias atque iniurias Papa *Paschalis*, vir summæ discretionis & industriæ, paternâ suscipiens compassione, vtrique prout tempus & causæ modus exigebat rationabiliter consuluit. *Daimbertum* enim Patriarcham loco suo restituit; Boiamundum verò trans Alpes in Gallias & partes Occidentis, vt contrà Imperatorem sibi adiutoria quæreret, legauit, atque signiferum CHRISTI exercitus eum constituit, vexillumque sancti Petri ei tradens, in pace dimisit. Iherosolimis interim, Patriarcha nouus creatur, cui nomen [*Ernaldus, vel*] *Euermarus*, quidam idiota; sed ampla persona & religiosus, vt ferebatur, erat. Hic ab omni clero, & maximè ab *Arnulfo* archidiacono, qui omninò *Daimber-* 20 *to* oppositus erat, in Patriarcham assumptus est: vt ille, scilicet Daimbertus, penitùs desperaret, nec ad cathedram hanc amplius aspiraret. Hoc totum factum est in præsentia *Rodberti* Cardinalis præfati, qui & ipse, vt à quibusdam fertur, ad honorem hunc aspirabat, rege cum optimatibus suis annuente. Vnde postea Ecclesia Iherosolimitana multa incommoda, multas aduersitates, multa detrimenta passa est; Nec immeritò: quoniam gregis pastorem vigilantissimum, & totius patriæ tutorem, orphanorum & pupillorum susceptorem, omniumque desperantium consolatorem, imò, vt verum fatear, lucernam ad instar Solis radiantem, sponte suâ extinxerant; & tenebris se, totumque ouile obduxerant, adeò vt totus mundus eis inde obstreperet atque detraheret; multisque importunitatibus & angustiis ob hoc 30 vexati sunt. Intereà *Tancredus*, adolescens egregius atque militaris, in partibus Antiochiæ contrà aduersarios sibi affines dimicans, quosdam bello, quosdam vi & ingenio atque industriâ, mirâ strenuitate subegit. E quibus *Rodoan* rex *Galapia*, cùm eum bello lacesseret, finesque regni Antiochiæ cum multo exercitu iam ingressus foret, ab illo deuictus atque confusus est; & conuersus in fugam, non minimam partem sui exercitus amisit: de quorum spoliis *Tancredus* & sui locupletati sunt. Itemque vrbem *Laodiciam*, quam Imperator Boiamundo fraudulenter abstulerat, obsidione cingens, vi eâ subdidit. His & aliis probitatibus innumeris Tancredus præclarus habetur, atque famosus effulget, vt meritò de eo per orbem terrarum fama inuidiosa euolet. Eo videlicet anno quo *Boiamundus* transfretauit, comes 40 *Raimundus* Prouincialis in oppido suo, quod *Mons peregrini* vocatur, & est situm ante ciuitatem Tripolim, penè senex, & plenus dierum obiit: Cui successit *Willelmus* dictus *Iordan*, nepos eiusdem comitis, qui vrbem Tripolim diu expugnãs, quoniam valida muro & turribus densis, & ex altera parte mari munita erat, nihil penitùs profecit: in posterum forsitan ruitura per alterius expugnationem. Euoluto itaque tempore trium annorum, *Rex Babilonis* virus suum in Christianos euomens, diutinâ & accuratâ deliberatione sibi exercitum ex multis nationibus colligens, per ducem militiæ suæ, *Semelimilch* nomine, in terram Iherusalem misit: addens conditionem vt nequaquam ad se redirent, donec Christianos de vniuersa terra Iuda & Iherusalem deleuissent. Audierat enim quod terra à Peregrinis vacua 50 esset; nec aliquis de transmontanis partibus Iherusalem amplius venire posset, propter Imperatoris & Boiamundi seditionem: omnique confidentiâ suos illuc dirigebat, vt Christianos quasi inclusos & ab omni ope destitutos omnes comprehenderent, atq; funditus extirparent: Venientes ergò *Ascaloniam*, more solito, tentoria extra vrbẽ in planis figunt, & regionem totam aduentu suo occupant. Erãt enim ferè trigies centena millia equites in armis, & pedites innumeri: in quorum auxilio etiam mille Turci Damasceni, sagaces in arcubus & sagittis venerunt. Quod cùm regi *Balduino* intimatum esset, congregatis ilicò suis, eis obuiam vadit, vt bello eos

LIII. LIV. LV.

indilatè excipiat; & ante *Ramulam* ciuitatem cum exercitu suo sedit: nec enim verebatur eorum multitudinem, quorum iam toties expertus erat inualetudinem, atque debilem virtutem. Comperto tandem quia tanti conuenissent, & de regionibus finitimis ad eorum auxilia copiosè confluxissent, cogitauit rex similiter exercitui suo incrementum dare, & mittẽs per omnes regni sui fines, acciuit sibi quæcunque potuit habere auxilia: & fuerunt sibi quingenti milites, & amplius quàm bis mille pedites. Hostes verò audientes regem cum suis appropinquasse, belloque eos operire, mirati sunt valdè: æstimabant enim vt potiùs fugeret, quàm bello eos exciperet; & gaudentes festinauerunt ei occurrere, vt antè eum in planis comprehenderent, quàm fugam moliretur. Cumque appropinquassent castris nostrorum, figunt & ipsi castra sua ibi propè; & more solito, per centurias & cohortes se vndique effuderunt, viasque omnes à tergo occupauerunt: ne scilicet quis nostrûm fugiens, manus eorum euaderet: bellumque eâ die & crastinâ fieri distulerunt, vt vel sic tædio nostros affligerent. Rex autem *Balduinus*, iterum mittens Iherosolimam, Patriarchæ innotuit diem, quo cum hostibus confligere existimabat: rogans & supplicans, vt tàm ipse quàm clerus & populus orationi vacarent, & vigiliis & eleemosynis DEVM exorarent, quatinus à gente perfida eos propitiùs liberaret. Nuncius festinus tàm morti quàm vitæ se exponens, per hostium cateruas montium abrupta peruolans, Iherosolimam venit, regis mandata peregit. Audito itaque Patriarchâ hoc rumore, iussit clerum conuenire, & pulsatâ maiori campanâ populum coadunari fecit in basilica Sepulchri; breuiterque locutus pro tempore & modo locutionis suæ, orationibus & vigiliis atque eleemosynarum largitatibus per illud triduum eos insistere efflagitans, se quoque bello affuturum spopondit. Cui mox assentientes omnes, lacrimasque vberes effundentes, * quotquot habere potuerunt, secum proficisci promiserunt Nec morâ, equos ascendentes vrbem sunt egressi. Et erant simul quinquaginta tàm clerici quàm laici equos habentes. Vespere autem facto, iter per insidias hostium audacter arripuerunt, & summo mane diluculo ad exercitum peruenerunt. Rex autem vt vidit Patriarcham, gauisus est, & Crucem Dominicam ei committens, signiferum belli eum constituit; & sonantibus lituis, hostes aggrediuntur. Hostes iam quidem quasi certi de victoria, partem suorum miserant, Ioppen alteram quoque partem Ramulam obsidere: visisque nostris ad bellum ordinatè incedere, arma velociter capessunt, & nostris obuiam venerunt: & confestim prælium cõmittitur. Facto itaque vtrinque cõcursu, clamor magnus ad astra tollitur, nostris, CHRISTVS VINCIT, CHRISTVS IMPERAT, CHRISTVS REGNAT, clamantibus, & Patriarcha lignum Dominicum præ cæteris baiulante. Tum clipei & galeæ ensibus resonant, *& ferri stridet acumen*: instat miles militi, & pro capitibus certatur. Turci verò *Damasceni* à sinistra se effundentes, sagittis nostros valdè infestabant: sed erat valdè solatium, quia à parte scutorum eos receperant: iam iamque arcuum officia dimiserunt; & vaginis, ensibus extractis cominus rem agere parabant, cùm rex *Balduinus* extrinsecus cum agmine suo adueniens, suis opitulatus est, hostibus illis mox dispersis & in fugam penè conuersis. Deinde alios atque alios instanter appetens, ad multitudinem Saracenorum, Æthiopumque acies suas omnes direxit; atque in eos in ipso impetu ferocique ira, quasi leo in pecudes frendens, omnem vim sui furoris effudit, cuneosque eorum atque turmas fœliciter penetrauit atque contriuit; & in fugam inhonestam, per vexillum sanctæ Crucis, vniuersos coëgit. Tunc qui equos velociores habuerunt, *Ascaloniam* fugerunt: sed pauci fuerant de Saracenis & Æthiopibus qui equos in illo certamine insiderent: coniurauerant enim tàm diu, quàm milites se de campo nullatenus fugere, neque pedites dimittere: iamque omnes pariter quasi pedites erant, omnesque pariter confusi atque deuicti sunt. Et quoniam fugere non valuerunt, neque nostrorum manus euadere, multi gladio interiêre, multique viui capti, manibus post terga reuinctis in triumpho ducti sunt. Ibi interfectus est *Gimelmulch*, dux & admiraldus militiæ Ascalonis. O si viuus captus esset, quot nomismata in redemptionem dedisset! *Semelimilch* autem dux Babyloniæ, ex quo viderat cornu suum confuratum, equum nactus, in fugam præcipitem se dedit; & non Ascaloniã, sed vt rectiùs potuit Babyloniam tendit. Timebat enim, ne si Ascaloniã ingrederetur, à nostris obsideretur & comprehẽderetur. Cũ eo quidam adhæserunt,

LVI. *Decimum bellum apud Ascaloniã.*

LVII.

10 20 30 40 50

adhæserunt, quidam Ascaloniam subintrant; quidam etiam montana petunt, quorum complures, equos lassitudine affectos relinquentes, vix euaserunt: Equi postea à nostris cum faleris reperiuntur: & sic, Dei gratia, à nostris victoria peracta, ad prædā tandē se effundunt: tentoria hostiū, vasaque vtensilia, equos & iumenta, mulos, asinos, camelos, dromedasque, atque infinitam pecuniam ibi tunc inuenerunt. Et glorificatus est Dominus eā die à fidelibus suis, & magnificatus est vehementer; & in ore omnium, laus & exultatio resonabat: & reuersi sunt Ioppen cum lætitia, suffarcinati atque onerati spoliis aduersariorum: Vbi iam conuenerant classes Babyloniæ, & Alexandriæ, & Damiatæ, & Tripolis, & vniuersorum portuum naues tam rostratæ quàm onerariæ, quascunque rex Babiloniæ imperio suo potuit excitare, plenæ omnes armatorum: ad hoc scilicet, vt cùm exercitus eius ciuitatem *Iherusalem*, atque terram Iudā, & inhabitantes Christianos penitùs deleuissent, tunc demum *Ioppen* atque alias ciuitates terrā & mari obsidendo expugnarent; atque omnem terram ex omni gente Christianorum, DEIque cultu penitus euacuarent, & expurgarent, atq; imperio Regis Babylonii subigerent: ipsiq; terram & ciuitates posteà possiderent. Sed viso capite *Gimelmulch*, quod à muris Ioppæ rex *Balduinus* eis ostendi fecit, spes eorum frustrata est; & penitus desperati, in fugā conuersi sunt. Tunc quidam Tripolim, quidam Alexandriam nauigauerunt, & dehinc Babyloniam. Anno igitur Dominicæ incarnationis *millesimo centesimo sexto*, Indictione decima quarta, ab vrbe verò Iherusalem capta septimo, prælium istud commissum est, vltimū bellorum. Atque finis hæc est. *Ergò diem belli vobis volo certificare.* *Versus.* *Iam decies orto Phœbo sub Virginis astro, Cùm terram solidā spectaret imagine Luna. Sexta kalendarum Septembris cùm legeretur. Annuit Omnipotens Francos gaudere triumpho. Tunc fugiunt Arabes, Turci simul, Æthiopesq;. Pars montana petit, remanet pars mortua campo.* Eodem anno quo prælium istud factum est, contigit in vigilia Natalis Domini *terræmotus* magnus valdè, ita vt omnes qui habitabant Iherusalē præsentirent. Nec non & sydus postmodùm *cometa* in cœlo apparuit: quod ferè ab Occidēte in ea parte, quā Sol hyberno tempore se abscondit, in Orientem radios suos ad instar telę lineæ in directum protendens, à mense Februario vsque in Martium, per quinquaginta dies aut ampliùs, crepusculo noctis oriebatur, & vsq; ferè in mediam noctem lumine pleno lucebat. Erat autem prima Luna quando primùm oriri cœpit sydus istud. Et sciendum est, quia à principio sui ortus tàm ipsa cometa, quàm splendor radiorum eius, de die in diem attenuatus est, adeò vt in diebus vltimis vix posset agnosci, nisi subtili acumine oculorum intueretur. Nec multò pòst, duo orbes in modum Solis, à dextra & sinistra parte huius quotidiani Solis, nec non eius magnitudinis, vel formā vel lumine apparuêre; & ab hora tertia vsque ad meridianam fulgebant: In quorum circulis omnium colorum species comprehendi poterant, ad instar yris: & quidam erant maiores; qui intus se cōcludebant minores. Et in sequenti quidem mense mediā fermè horā noctis stellæ, quasi de cœlo pluere visæ sunt: quæ omnia licet mortalibus occulta atque ignota forent, actuum tamen futurorum signa aut præsentium siue præteritorum facinorum prodigia erant.

LIV.

EXPLICIT HITORIA.

Venerandus Podiensis Aimarus Episcopus Sumpsit curam ab Vrbano Domini exercitus. Boiamundum dux Robertus Wiscardus Apuliæ Genuit valdè potentem ducem Antiochiæ. Vrbium exterior Flandriæ Bolonia Reges ambos edidit nobili prosapia. G. Balduinum patre Eustachio Ida mater principes Regentes Iherusalem genuit hos nobiles. Fit post mortem Godefridi regis inuictissimi, Balduinus frater eius dux rex Iherosolimis. Pater regum rex Philippus & Robertus Flandriæ, Orti sunt æquipollenter de regali semine. Ida mater Karlomanni descendit de genere: Soror ducis Godefridi incliti Lothariæ. Rodbertus comes Flandrensis probus miles inclitus, A Turcis appellabatur Georgii filius. Patriarcha, rex & custos Sepulcbri, de Flandria, In vrbe capta Salomonis obtinent regalia. *Versus.*

Cuius prima nobis periit.

INCIPIT SECVNDA PARS HISTORIÆ HIEROSOLIMITANÆ.

CVM audiſſet domnus *Buiamundus*, qui reuerſus Antiochiam, toti iam vrbi principabatur ſolus, hominibus Raimundi Comitis de ea eiectis; & domnus *Balduinus* Ducis Godefridi frater, qui & ipſe iam Edeſſę ciuitatis totiusque confinis trans fluuium Eufraten regionis obtinuerat principatum, certis referẽtibus nuntiis, ſanctum qui præceſſerat CHRISTI exercitum, & vrbem Hieroſolimam DEO ſe iuuante armis cepiſſe, & finitimam regionem, hoſtibus expulſis, magna ex parte ſibi ſubiugaſſe, & loca ſancta latiùs ad CHRISTI cultum liberauiſſe, lætiſſimi cum ſuis hominibus effecti, debitas proinde laudes DEO reddiderunt: dignas proſperatori laborum ſeruorum ſuorum, & conſummatori CHRISTO gratiarum actiones deuotiſſimè perſoluerunt. Gaudent omnes, cuncti ſimul lætantur; Antiochia cum ſuo Boamundo exultat: Edeſſa cum Balduino tripudiat; *Eufrateſia* vtriſque congratulatur: Tantæ victoriæ participes fiunt congratulando, qui non pugnando fuerant extremi expertes laboris. Erubeſcit Boamundus cum ſuis de reuerſione; de retardatione Balduinus verecundatur; pudore ſuffunditur vterque, quòd gloriarum ſuarum titulis ſupremæ laudis victoria non annumeretur. Quamuis eiuſdẽ fuerit virtutis & cautelæ ad muniendas defenſandáſve nouiter expugnatas regiones remanſiſſe, cuius & ad expugnandas præceſſiſſe. Aut nihil enim valuiſſet, aut parum, de Syria ſeu Eufrateſia eiectos in Perſidam vſque Perſas expuliſſe & Turcos, ſi omninò Chriſtianorum abſceſſu defenſoribus vacuæ, reinuadendæ relinquerentur hoſtibus regiones. Quin potius extremæ dementiæ fuiſſet, tot & tantos pro reparando in regionibus illis nomine & cultu Chriſtiano labores ſudaſſe & agones, ſi terras patrias, quas CHRISTO ſanguine pepererant ſuo, reſumendas ſcilicet relinquerent inimicis. Proinde & in profectione aliorum & iſtorum remanſione diuina agnoſcatur operata eſſe prouidentia, & vt vtrobique *non homini, ſed nomini tuo, CHRISTE, detur hæc gloria. Tua eſt potentia, tuum regnum, Domine. Tu Hieroſolimam cultoribus tuis reddidiſti; tu, Babylonios coram ipſis attriuiſti: tu, nihilominus Balduinum & ſuos, innumeras Perſarum multitudines cum parua cultorum tuorum manu ſæpiùs inuadentem in Meſopotamiæ finibus, ſæpiusq́ vincentem, fugantem, proterentem, confortaſti, adiuuiſti, magnificaſti.* Denique cùm cognouiſſent Perſæ, quod & *Balduinus* & Boamundus Hieroſolimam, vt DEO vota ſua perſoluerent, collegas ſuas ſubſequi cœpiſſent, cõglobati rurſum Edeſſenæ regionis partem inuadunt; quos ibi reperiſſent cultores CHRISTI, tanquam oues ſine paſtore, lupinâ rabie voraturi. Contra quos Balduinus cum parua ſatis, ſed electa ſuorum turma, ſubito reuerſus occurſu, in ſuis eos caſtris ſecuros, & nihilominus quàm Balduini recurſum ſuſpicantes, improuiſus repentè aggreditur; caſtra perrũpit, hoſtes perturbat, expugnat inimicos: alios occidit, alios fugat: ſicq; deletis hoſtibus, & victoriâ potitur, & prædâ ditatus opimâ, cũ ſuis ad propoſitum iter reuertitur; *Boamundumq́* recurſum ipſius prope oppidum, quod *Valenium* dicitur, præſtolantem breui aſſequitur. Applicuerat in portu Laodicenſi Archiepiſcopus quidam Piſanus, nomine *Daimbertus*, & cum eo Itali plures atque Tuſciani: aderat & quidã alius de Apulia Epiſcopus: hii omnes ſimul ſatis amicabiliter glomerati, ad viginti quinque milia tàm equitum quàm peditum poterant æſtimari. Qui omnes Sarracenorum fines latiùs introgreſſi, impoſſibile dictu quanta vel de infeſtationibus Paganorum, vel de cibariorũ penuria & homines & iumenta ſuſtinuerint pericula: adeò vt plerique vrgente inediâ, equorum vel aſinorum, vel & camelorũ carnes compulſi fuerint mãducare, vt vel ad qualemcumq; cibum proficerẽt iumẽta, quæ ad iter explendũ defeciſſent. Inueniebantur aliquãdo arundines quædam,

dam, vulgò dictæ *cannameles*, de quibus confici aiunt mel sylueſtre, vnde & nomen ex *canna* & *melle* compoſitum videntur habere: has qui poterant inuenire, dentibus ruminandas, propter melleum ſaporem, ingerebant: plus inde ſaporis capeſcentes, quam vigoris. Torrebantur algore hyemis viatores; & imbriū continuatione, tàm homines quàm iumenta ſoluebantur. Pleriq; & nobiles viri, deficientibus iumentis, de equitibus pedites facti, cogebantur incedere reſcellulis ſuis ſarcinati: & quas geſtabant, vt earum ſubſidiis vtcunq; releuarentur, earum oneribus nonnulli deficientes, penè ad mortem fatigabantur. Sed vincit omnia ſancto feruens deſiderio CHRISTI populus, nec ceſſauit donec perueniens Hieruſalem, vota ſua Domino 10 reddidit, adorans eum in loco vbi ſteterunt pedes eius. Occurrunt ſibi & quæ præceſſerant, & quæ nunc ſucceſſerant tribus tribus Domini, & verè teſtimoniū Iſraël ad confitendū nomini Domini. Occurrit Balduino Duci, dux, idemq; frater ipſius Rex *Godefredus*, ſeq; inuicem in oſculo ſancto ſalutantes, de ſua vel ſoſpitate vel laboris tam diuturni, tam glorioſè conſummati proſperitate congratulantur. Conſummant deſiderium ſuum ſimul omnes milites CHRISTI, loca Sancta circumeunt, Terræ Sanctæ baſia deuotiſſima infigunt; vixque poſſunt auelli ab aliis, niſi quòd aliorum deſiderio & amore alia coguntur deſerere. De *Hieruſalem*, peruolant in *Betlehem*, reuolant in Hieruſalem, de Betlehem, nunc ſanctiſſimi ſepulchri, nunc præſepii amore raptati: horrebat adhuc & ſordebat aër & terra, fœtore cadauerum 20 recens occiſorum: ipſaq; immenſitate horroris, quantam populo ſuo CHRISTVS præſtitiſſet de Turcis victoriam commendabant. Recreatis ibi à tanto vel viæ vel famis labore & hominibus & iumentis, poſt celebrata in Betlehem annua Natalis Dominici cum ſummo gaudio ſolempnia: & memorato ſuperiùs *Daimberto* Archiepiſcopo, Hieroſolimis Patriarchâ, electo: quidam quidē cum ducibus Boamundo & Balduino elegerunt Antiochiā redire, quidā verò Hieroſolimis remanere, cum rege Godefredo. *Anno ab incarnatione Domini, M.C.* memorati duces *Boamundus* atq; *Balduinus*, cùm de Hieroſolimis ad ſua reuerterētur cū ſuis, per Galileā venerūt vſq; *Paneadam*: hæc eſt quæ in ſanctis Euangeliis *Cæſarea Philippi* nominatur: vrbs inclita ſatis, à filiis Dan antiquitus ad radices mōtis Libani ædificata; ſed temporibus 30 Auguſti ſeu Tyberii Cæſaris reædificata diligētiùs à Philippo, filio Herodis, & Cæſarea eſt Philippi cognominata. Oriuntur ibi duo fontes, quorum quidam *Ior*, alter vero *Dan* nuncupantur: horum & fluenta & vocabula ſui compoſitione Iordanem efficiunt fluuium, qui exinde vſq; in lacum, qui *Alphatites*, vel potius *Mare Mortuum* dicitur, percurrens, & nominibus perdit & flumen: hîc eſt lacus, imò tenebroſiſſima quædam & impermeabilis abyſſus, illius Pentapolis vorago horribilis, quæ perditionis impiorum adhuc permanet teſtis. Dicitur autem *Mare Mortuum* idcirco nominari, quòd nihil viuum nec ex ſe gignere poſſit, nec aliunde forte immiſſum nutrire. Ita non modò horribili vaſtitate terra ibi damnata eſt, ſed aqua ſterilitate. Nam & ſolum ſi qua fortè fructificat, forinſecus & gratum colore, & ſpecie ſolidū 40 videtur; intrinſecus verò, vel tactu vel guſtu probatur inane: ita foris, prætendit gratiam; intus, fauillam abſcondit. Terra quondam Paradiſo DEI, vt Moyſes ipſe teſtatur, perſimilis; nunc horroris atque ſalſuginis effecta, etiam in ipſo germine ſuo exiſtit vmbra mortis. Talia perditorum quondam terra, perditionis adhuc præfert ſigna, vt iuſſu ipſo diſcant corruptionis & nequitiæ ſectatores, cui ſint fine perditioni mancipandi: quin potiùs vt pertimeſcant & deſinant ad ea libidinis opera ardere, quæ eos faciant ſempiterno igne ardere; caueantq; eo deſideriorum turpium fumo fuliginari, vnde *fumus tormentorum* eorum, ſicut Scriptura dicit, aſcendat in ſecula ſeculorum. Sed de hoc ſufficiat iſta breuiter memoraſſe: nunc ad propoſitum recurramus. Igitur Ducibus præfatis cum comitibus ſuis ad ſua, priùs per *Tyberiadam* 50 & dehinc per *Paneadam* reuertentibus, occurrunt cum multitudine grandi de Damaſco, nocituri ſi poſſent, qui eorum inſidiantes operiebantur tranſitum, Sarraceni, confidentes plurimùm de victoria, pro eo quod inermes & de labore viæ nimis defatigatos illos didicerant eſſe viatores: & de armorum quidem inopia nō omninò falſa erat eorum ſuſpicio: quia & lanceis carebant noſtri; & ſagittis parum abundabant; & arcus ipſi, qui locis illis glutino compaginari ſolent, aſſiduis imbribus humectati penè omnes, laxi erant & ſoluti. De victoriæ tamen obtentu, fefellit hoſtes militum ſuorum CHRISTVS; & de manibus eorum qui iam ſibi eos compre-

A. Dni. 1100.

A. Dn. 1100.

Geneſ. 13, 10.

Apoc. 14, 11.

A. Dn. 1103.

hendisse videbantur, sollertia ducum, eos clementer eripuit. Et *Boamundus* quidem in primo agmine, occursus hostium propugnabat & impetus; *Balduinus* verò in extrema parte versutias & insectationes improborum quassabat. Euaserunt tandem periculum illud CHRISTI milites, & euicerunt discrimen tam studiosè sibi, tamque feraliter intentatum. Quod in tali articulo euasisse, non minus optabile fuit iam conclusis iamque captis, quàm vicisse. Nam & hostibus ipsis non minus ingessit confusionis, in tanta opportunitate obtinendi victoriam, perdidisse quàm fugisse. Itaque ipsi videntibus è regione munitionis ipsorum, quam *Balaac* nuncupant, castra sua locauerant nocte illâ Christiani, sequenti die per *Tortosam* & *Laodiciam* transituri: vbi comitem *Raimundum*, quem ibi relinquerant, adhuc reperientes, sed propter victualium caritudinem & inopiam cum eo diutiùs remorari non valentes, alter Ducum cum suis ad suam properauit *Edessam*; alter verò Antiochiam suam cum suis gaudenter ingressus, iocundissimè à suis est susceptus. Vbi cùm per sex menses suum, ex more, strenuè ageret principatum *Gabriel*, vrbis Meletinæ primus, per legationem cum eo fœdus pepigit, & sui ipsius & eius, cui præsidebat, vrbis deditionem illi pactus: ad quã cùm Iulio mense, cum paucis pergeret recipiendam, incertum sanè cuius proditoris instinctu, Admiratus quidam, *Danisman* nomine, cum magna Turcorum gente, haud longè ab eadem vrbe, insidias proficiscentibus tetendit: & *Boamundum* cum suis inconsultè prorsus & omnino incautè, quia nimis securè, venientem, vndiq; de insidiis irruens gens nefaria circumuallauit subitò: & vsque adeo repentino & improuiso incursu perturbauit, vt non dico pugnare, sed nec arma pugnaturus corripere quisquam posset. Ita disgregati omnes, & in fugam versi, heu, prô dolor! ludibrio hostibus facti, plurimi perempti, nonnulli capti, paucissimi fugâ elapsi, & arma & castra atque etiam vecturas, cum omni substantia perdiderunt. *Boamundus* ipse comprehensus à Turcis, captiuus abductus, luctum & desolationem permaximam suis reliquit. Qui cùm adhuc ante vrbem *Meletinam*, quam Danisman obsidione cinxerat, captus teneretur, præciso sui capitis cincigno, & Balduino per quendam transmisso, mandat & cum omni supplicatione lamentabiliter postulat, vt sibi citato pro CHRISTI amore succurrere festinet. Audito Balduinus tam miserabili infortunio, vehementissimè tristis efficitur: deflet amicum, collegam plangit, communem casum lamentatur. Nec differt heros cordatissimus ad succursum, si posset, amici cum quanto poterat exercitu, iunctis & sibi Antiochenis, properare; seq; pro liberando, si præualet, collega omni exponere periculo. Verùm *Danisman*, Francorum sibi concursu prænunciato, eorum veritus animositatem, vrbem quam obsederat relinquit; & insequenti se per triduum Balduino, nullam congregandi copiã fugitans facit. Ita quasso labore *Balduinus* & sui, dolentes reuertuntur: *Boamundus* verò captiuus, vt dictũ est, abductus, diligentissimè custoditur. Regredienti Balduino *Gabriel* occurrit, & se & vrbem illi dedens: firmatis itaq; cũ Gabriele amicitiis, & vrbis custodiã suis Balduinus diligẽter cõmendatã, Antiocheni quidẽ orbati principe suo, Antiochiam mœsti redeunt; Balduinus verò, cum Edessenis reuertitur Edessam, vbi cùm suâ pace gauderet, & aliquãtâ frueretur prosperitate, germanum suum, ducem videlicet *Godefredum*, vix anno in regno Hierosolimorũ expleto, cũnctis deferentibus nunciis, didicit apud Hierosolimã XV. Kal. Augusti, diem extremũ clausisse; seq; ipsum ab omni Hierosolimorum populo regni successorẽ decretum esse, & electum. Dolet quidẽ de fratris morte Dux, sed de regni decretâ non minus gaudet hæreditate. Itaq; communicato cum amicis cõsilio, terram suam cuidam propinquo suo, comiti scilicet *Balduino* regẽdam cõmittit, & custodiendã; ipse verò cũ CC ferè militibus, & peditibꝰ D CC. Hierosolimã tendere disponit; & mirantibus multis, & amicis horrescentibus, quòd cum tam modico comitatu, tam periculosum iter aggrederetur, per tot hostium regiones transiturus: vnde pleriq; periculis se subduxerunt, pauefacti. Vẽrum est *Antiochiam*, & inde *Laodiciam*, inde *Gibellũ*, deinde *Aracleam*. Cumq; per *Tortosam*, & *Archas* castrum, *Tripolim* vsq; fuisset peruentum, Tripolitanorum rex, nundumq; Christianus, sed Christianis non omninò inimicus, in castris suis Balduino & suis victualia pro munere abundanter præberi fecit, innotescens etiã ipsis quod *Duchac* rex Damasci, & *Gmahadole* rex Calipti, cum multis Turcorum, Arabum, & aliorum Sarracenorũ cateruis, angustias locorum præoccupassent, transitum operientes

A. Dn. 1102.

rientes Christianorum. Est enim haud longè ab vrbe, quam *Beritum* vocant, prope mare, meatus artissimus quidem, sed ineuitabilis illac viantibus, cuius angustias si priùs occupauerint viri centum, centum milibus transitũ facillimè obcludere possint, montium & maris obiectibus, caueis etiam antrorum vndique muniti. Hunc itaque locum Damasceni præoccupantes & Calipteni, cùm præcurrẽtes Christianorum exploratores accedentes ad se statim impugnare cœpissent, qui ponè sequebantur ordinato per acies comitatu toto, auxilium eis de cœlo præstari in tanta necessitate deuotissimè precabantur. Nec defuit suis clemens vbiq; bonitas Saluatoris. Nam primo quidem congressu, plures hostium in insidiis suis confestim occisi, alii verò adeo perterriti sunt vt congredi formidantes, pugnam desererent: seque ipsos in caueas antrorum, vel montium angustias receptantes, de prohibẽdo potiùs transitu quàm de conflictu agitando curarent. Quod cernentes Christianæ vel duces vel signiferi militiæ, eodẽ quo confligere cœperant loco castra locant sua: videlicet ne, si ad modicum vel hospitandi gratiâ retrocederent, infractam hostium animositatem, quasi formidantes, rursus aduersum se concitarent. Noctem illam ferè omnes tam homines quàm iumenta, & incibati & sine potu, duxerunt insomnem. Simulabant contra hostes audaciam, sed parum de vita confidebant. Periculosum erat in castris manere; periculosius angustiarum fauces transeundas adire; periculosissimum retroducendo fugitare. Ita cùm neque de fuga consilium, neque spes vlla patesceret de victoria, de salute ferè omnis fiducia perierat. In tanta anxietate nocte illâ in castris suis languerunt Christiani: longa erat anxiis nox, præ acerbitate langoris: sed præ horrore formidatæ, iamque velut ante oculos positæ mortis non minus timebatur lucis accessus: aurora, quam desiderantes metuebant, illuxit. Consilium vel transeundi angustias, vel quod magis sperabatur moriendi gloriosè in bello libratur à primoribus, & ab omnibus firmatur. Collectis papilionibus, seu quibuslibet aliis rebus, onerata iumenta præ se minantes, armati milites ab irruentibus vndique hostibus defensant; gressum versus angustiarum accessum tendunt. Circumuallant gradiantes, & de montibus & de mari concurrentes vndique Sarraceni, clamoribus immensis perstrepunt, sagittis & missilibus appetunt, gladiis minitantur nudatis; simulque post tergum & ab vtroque latere, velut oues, ad angustiarum fauces eos minabant, vt ibi conclusis pro libitu illudere, atque pessundare sic interceptos valerent. Quod & facerent facillimè nisi pius CHRISTVS & suis in extremo conclusis articulo, tantò mirabilius, quantò insperatius consilium inspiraret, & ministraret auxilium; & inimicis suorum vtrumque mirabiliter subtraheret. Nam cùm inter vociferantes vndique, & gladios suos in mortes piorum impios exerentes, pii & fideles CHRISTI planiciem quandam angustiis illis penè contiguam occupassent, tantam cordibus suorum subitò præsens vbique in opportunitatibus, in tribulatione pius IESVS immisit fiduciam, vt audacissimo recursu impetitores suos impeterent, conglobatorum cuneos irrumperent, dispergerent; tripharia mque disgregatos fugarent: adeo vt effusi nunquam vltra vel resumere vires, vel in aciem se recolligere præualerent: aliis ad montana fugientibus, postremi quique gladiis insequentium trucidantur; alii de præruptis vel scopulis rupium vel montium cacuminibus, in præceps acti colliduntur; alii nauibus vel scaphis etiam per mare, quàm perniciùs possunt, aufugerunt, timentes ne etiam classem sibi possent eripere Christiani. Hoc planè mirabile erat intueri, per mare fugientes se non nisi per terram insectantes: quia non satis tutiore crederent Christianorum euadere manus, litus deserendo, nisi & fugiendo longiùs euasissent & visus. Quare hoc? nisi vt manifestissimo clarescceret indicio, istud non nisi opus esse virtutis? Quare hoc? nisi vt Christiani & verè filii Israël, suum & terrâ & mari pro se pugnantem videntes Dominum, gratulabundo concentu clamarent, *Si DEVS pro nobis, quis contra nos?* Ecce etenim comp... etiam visibiliter cernebant diuinum illud promissum: *Persequentur quinque de vobis, centum alienos; & centum è vobis decem millia.* Quin potius fugiebant hostes etiam illic, vbi se neminem persequi posse non nesciebant. Tantùm cordibus eorum terroris, tantùm inualitudinis immiserat Omnipotens, vt plurimi paucissimos, sed pios impii, non dicam impugnare, sed nec respectare auderent. Obstupuerant adeo præ formidine & penè diriguerant, vt velut ad quid

Rom. 8, 31.

Leuit. 26, 8.

A.Dni. 1100.

venissent non aduertentes, proiectis armis, inermes dexteras & nudas ceruices ferientibus obiectarent. Ecce, quo modo victi sunt, qui se iam vicisse gloriabantur! Vincuntur victores à victis, à captiuis captiuatores capiuntur; & ab eis quos se iam vinctos tenere putauerant, vinciuntur, asseruantur, distribuuntur. Postquam itaque fere toto illo die hostes suos persecuti sunt, ad castra eorum reuersi, & spoliis ditati opimis, armis quoque peremptorum collectis, consultiùs fore visum est Duci, vt in quoddam proximum sed vastum castellum secederent; ibique post tantæ cædis laborem, nocte illâ sub oliuis quiescerent & virgultis. Sequenti die, primo diluculo dux, cum aliquantis de militibus suis, ad angustias iam meatus accessit, explorare per se volens si qui adhuc ibi superessent qui transitum possent prohibere Sarraceni. Sed neque in hoc minus quàm in cæteris se probauit virtus CHRISTI, quod omnino inexpugnabilem locum hostes omnes deseruerant pauefacti. Quo sollerter satis explorato, iussu ducis commilitones eius ignem accenderunt in cacumine montis: vt viso, sicut condictum fuerat, fumo, qui in castro resederant, omnes subsequerentur. Ita prosperante DEO conuenerunt omnes, & liberam habentes viam, cum omnibus rebus suis transierunt: hospitatis autem prope *Berittum*, Admiratus ipsius, timore potius quàm amore permotus, victualia scaphis gestantibus transmisit. *Sidonii* quoque, & *Tirii*, sed & *Ptolomenses*, transeuntibus prope se, victualium conuectatione fingebant amicitiam; sed non nesciebantur cor habere nequam. Oppidum, quod *Caiphas* nuncupant, eodem anno ab Hierosolimitis recuperatum, *Tancredus* quidem iam possederat: sed quia iam Balduino maliuolus esse cœperat, nolentibus ad se intrare ciues panem & vinum extra muros vendiderunt, Tancredo, prouidente DEO, tunc absente. Transeuntes autem *Cæsaream Palestinæ*, venerunt *Ioppem* ciuitatem maritimam, ibi ducem Balduinum tanquam regem suum Franci gaudenter susceperunt. Properantibus exinde Hierosolimam, tota simul extra muros occurrit Ecclesia, eumq; lætabundo satis processu excipiens vsque in Dominici Sepulchri templum cum hymnis & laudibus deducit. Ibi firmatis cum rege, Christiano more, fœderibus, & Rex & qui cum eo venerant, à labore; & Hierosolimorum populus à desolatione principis, DEO & CHRISTO fauente, quieuerunt. Solus Patriarcha *Daimbertus*, cum paucis, huic tam celebri Regis defuit exceptioni: eo quòd & Regi, & aliquantæ vel cleri vel populi parti, iam cœperat de quibusdam esse exosus: vnde & extra sedem, aliâs versabatur priuatus. Propter quod & coronandi Regem, vsque ad sequentem Dominici natalis sollempnitatem, sollempnitas est dilata: simulque vt tunc, sicut decebat, gloria coronæ regalis gloria fieret clamor ex gloria tam gloriosissimæ festiuitatis: pace interim inter patriarcham & regem, inter clerum & archipræsulem tractata diligenter & reformata. Interim rex consilio cum proceribus habito commodum duxit finitimas hostium regiones intrare, & in ipso regni sui primordio Turcanæ feritatis insolentiæ, probitatis suæ, quasi gustum propinare: commodius fore iudicans hostes in terris & vrbibus suis aggredi, quàm ad se aggrediendum eis ex dilatione cornua sinere erigi. Elegit itaque Rex cum electa militiæ Christianæ manu, primo omnium *Ascalonitas* expetere, gentem videlicet rebellem semper, & Christianæ pacis æmulam, malignitatis totius aduersus seruos CHRISTI nutriciam, in qua & de qua pullulant semper assidua bellorum omnium & laborum fomenta. Quam & vrbem & gentem, sicut de antiquis scriptum est, idcirco credendum arbitror Dominum vel delere vel seruis suis tradere noluisse, vt semper in eis experiatur Hierusalem, & habeant consuetudinem præliandi: ne videlicet per ocium peioribus inimicis deterius impugnentur & expugnentur, moribus viciosis: vt iuxta dictum illud Satirici quidem sed garriendo veridici, „ *Seruabat castas humilis fortuna Latinas, Et labor in noctes & proximus Hannibal vrbi*; „ & nostri Hierosolomitæ ex bellorum & laborum assiduitate, & in humilitate deprimantur, & constringantur in castitate. Minus quippe superbire libet, vbi vix licet viuere: minus delectat fornicari eos, qui assiduè timent etiam mori. Bella itaque exteriora, interiorum sunt sæpe peremptoria bellorum. Hostes visibiles, inuisibilium sunt vel repressio vel oppressio inimicorum. Proinde contra spiritualia nequitię in cœlestibus, bella Hierosolimitis nostris necessaria semper credẽda sunt ea, quæ aduersus carnem & sanguinem, hoc est, aduersus Ascalonitas, continua sustinent bella. Ante *Ascalonem* igitur cùm rex *Balduinus* venisset cũ eo quę, CHRISTO duce,

duce, ductabat Christianorum exercitu, egressis aduersus se hostibus tam impetuoso restitit congressu, vt statim intra mœnia refugere compulsi, foras erumpere vltra non fuerint ausi. Proinde videntes Christiani nullam sibi tunc fieri copiam cōgrediendi, vicinas regiones perambulare maluerunt, quàm ibi frustra diutiùs immorari. Ob quorum metum, locorum incolæ, & se & sua & animalia intra latebras occultabāt cauernarum: E quibus cùm fumo speluncarum ingressibus admoto, cogerentur exire, comperto quòd plurimi eorum soliti essent exercere latrocinia in Christianos, & viantibus insidiari, sine dilatione aliqua statim sunt omnes iugulati. Siris tamen, qui inueniebantur inter eos, ob nomen CHRISTI, quod vt-10 cunque retinent, parcebatur. Peragratâ itaque, & armis atque incendiis totâ ferè illâ depopulatâ regione, consultum etiam est in *Arabiam* transire, terrorem vbique spargere, *parcere subiectis, & debellare superbos.* Transeuntes itaque per montana, prope ea loca quæ sepulturis Patriarcharum habentur insignia, ventum est in vallem antiquitus, vt Scriptura dicit, Paradiso DEI similem; nunc autem, imò satis olim, vmbram mortis & perditionis: vallem scilicet *Sodomorum* atque *Gomorreorum*, ciuitatum igne & sulphure perditarum; & in locis quibus absorptæ sunt, lacum habentem, imò abyssum, sicut supra memoratum est, inpermeabilem. Quam etiam *Mare Mortuum*, seu *salsissimum* Scriptura nominare est solita, tam pro eo quod nihil gignere viuum possit, vel nutrire; quàm etiam quod gustum & tactum probetur, su-20 per omnia amara, amarum. Hoc nullum vndique, nisi forte in subterraneis, habet exitum; nullum in se flumen recipit, nisi ab Aquilone Iordanem, vnde etiam *lacus* congruè nuncupatur: cuius longitudo in Meridiem stadiis porrigitur ferè septingentis, latitudo verò CL. stadiis patet. Vnde & conuenientiùs creditur scelestæ quoddam gentis habitaculum fuisse: cuius impuritatem gentis, cùm diuina non ferendam vltrà iudicasset seueritas, terrâ hiatu vastissimo dehiscente, & gentem nefariam tortis cœlitus sulphureis ignibus conflagratam absorbente, credendum voraginem illam abysso, occupante salsugine, illo fuisse repletam. Hunc itaque lacum rex, & qui cum eo erat exercitus girantes, à parte Australi *Arabiæ* montana sunt ingressi: ac deinde in vallem quandam cunctis terræ frugibus satis vberrimam: in qua 30 inuenerunt & eum *fontem*, quem Sanctus Moyses, iubente Domino, elicuisse fertur de petra virgâ bis percussâ, perrenni cursu viuaciter manantem, adeo vt & molendinos satis volubiles habere possit eius riuus, nullâ vnquam siccitate arescens. Inuenerunt ibi & *Oratorium*, quod Sancti Aaron hodieque dicitur, in montis vertice situm, in quo & ipsum & fratrem eius Sanctum Moysen diuinum fertur frequētare solere colloquium. Vtrum autem verum sit quod DEI & Sanctorum germanorum ibi adhuc manere, videri, & intrari posse dicitur collocutorium, viderint hi qui primùm talem inde vulgauerunt opinionem. Nam nos, quod suum est historiæ, facimus, vel res, vel quæ de rebus habentur opiniones, simpliciter referentes. In valle memorata victualibus cunctis satis opulenta nullum ferè incolarum in-40 uenire præualens exercitus Christianorum, cùm eos vltra procedere non sineret latissimè patens, vasta nimis solitudo & horrida, redire Hierosolimam disponunt. Quò cùm rediissent, de pacificando cum Rege, & Canonicis Sancti Sepulcri, Patriarcha *Daimberto*, tractatum diligenter, & efficaciter DEO fauente expletum est: & de coronando rege apud Betlehem, instante Dominici Natalis die, & tandem ab omnibus differri non oportere, collaudatum. Causabantur enim quidam non debere ibi coronari regem hominem, vbi constat spinis coronatum esse cœlorum regem: nec debere ab homine præsumi ad insigne honoris coronam, quam CHRISTVS Dominus sustinere dignatus sit ad dedecus illusionis. Sed quid quæso, quid refert ista causatio? quasi verò non totum nobis cedat ad honorem, quicquid vel 50 opprobrii CHRISTVS sustinuit vel laboris. Sicut enim mors CHRISTI, vitæ nostræ est causa; sic & irrisio CHRISTI, nostri est insigne honoris. An non omnis Christianus, ex illa CHRISTI corona, *genus electum, regale sacerdotium*, est factus. Nempe ad honorandum potiùs, quàm ad quassandum honorem regium, valere censendum est, quod CHRISTVS Dominus spinis est coronari dignatus. Proinde, quamuis laudandæ humilitatis fuerit quòd rex, Dux Godefridus hac consideratione dicitur coronari noluisse, nō est tamen improbandæ rationis fratrē eius ducem Balduinum & inunctum more Christiano à Christianis fuisse, & coronatū.

A. Do. 1100.

Gen. 13, 10.

Iosu. 3, 16. *Deut.* 3, 17. &c.

1. *Pet.* 2, 9.

A Dñi. 1101.

Annus itaque ab *incarnatione Domini M. C. I.* regis Hierosolymorum secundi, videlicet ducis Balduini, primus est. Quem licet in primordio regni sui paucarum vrbium possessorem, non numerosâ adhuc militiâ abundantem, finitimæ tamen gentes aggredi verebantur omnino, & metuebant, bellatorem eum strenuissimum esse non nescientes. Qui hoc potissimùm dolebat, quod quam vellet copiosam congregare militiam non valeret. Adhuc enim proficiscentibus Hierusalem peregrinis, via satis erat impedita, hostibus portus omnes præter *Iopensem* obtinentibus. Vnde quoque de Occidentalibus partibus difficillimus erat ad Orientales transitus: non dicam defensoribus, sed & habitatoribus adhuc magna ex parte vacua erat regio Hierosolimitana: Eorum quos, ad visenda & veneranda loca sancta, deuotio Christiana, de transmarinis partibus, per tot & tanta pericula perducebat, pauci inibi diutiùs volebant remorari: equi, quos remanentes vel emere possent, vel dono regis accipere, vix poterant inueniri. vnde vix vltra trecentos milites regia poterat habere militia, quos & ipsos de assignatis sibi custodiis adunare, periculosissimum erat: tum, ne ipsi viatim ab hostibus intercepti; tum, ne vel vrbes vel castra reinuaderent hostes, absente, præter mulierculas, omni ferè defensore. Nam pedites, vix ad *Hierusalem*, *Ramulam*, *Iopem*, & castrum *Cayphas* muniendum custodiendúmve, abundabant. Hæc idcircò memorauerim vt aduertant qui legerint ista, vel audierint, quot & quantos labores, timores, angores sustinuerint pro CHRISTO primitiui illi terræ vel regionis Hierosolimitanæ possessores: simulq; vt intelligatur, non minus miraculi esse regionem tam amplam, à tam raro vel possessore vel defensore retentari potuisse postmodum, quàm primitùs expugnari. Liquet itaque CHRISTI Domini in omnibus his operatã dignationem intueri, ammirari virtutem, clementiam contemplari. Quis enim audiat patriam tantam à trecentis militibus retentari, defensari inter innumeras hostium populosissimasq; nationes, Syriam scilicet, Arabiam, Ægyptum, Persidam, Mesopotamiam; & facilè credit? verè incredibile hoc fit, si sola virtus humana pensetur. At verò si Omnipotens, omnia quæcunque voluerit in cœlo & in terra faciẽs, cogitetur fideliter, & piè agnoscatur, desistit quidem hoc impossibile videri; magisq; incipit esse mirabile: mirabile quidem, sed non miserabile. Nam pro CHRISTO Domino laborare tantò gloriosius est, quantò beatius: *Labores manuum tuarum, quia manducabis beatus es*, ait Scriptura, *& bene tibi erit*: & beatissimus Apostolus, *si quid patimur*, inquit, *propter iustitiam, beati.* Proinde & nos cum eodem Apostolo, conuenienter audemus beatificare eos, quos scimus in via & in Terra Sancta innumeros & immensos labores sudasse & agones. Nec *Antiocheni* eorundem fuerunt expertes laborum, imoq; nec præmiorum exortes, quos ea potissimum desolatio tunc angebat quòd capto, vt & superiùs memoratum est, *Boamundo*, sine principe vel duce, extra muros vix audebant exire suos: hostium insuper frequentissimos & excursus tollerantes, & assultus. Quamobrem destitutioni suę consulentes, *Tancredum* Boamundi propinquum, eodem anno euocauerunt per legatos; & ei tam vrbis quàm regionis assignauerunt principatum: eo tenore, vt si quando, DEO miserante, Boamundus rediret, nihil ei recuperandum ducatum suum præiudicatum fuisset. Quò cùm Tancredus, vel propinqui amore, vel maioris principatus cupidine, migrare disposuisset, pacificatur regi Balduino, & castri sui Cayphas, & vrbis Tyberiadis eius fidei tradidit dominatum. Eodem anno *Ianuenses Itali* cum numerosa satis classe Laodiciæ hyemantes, verno tempore subsequente, Ioppem vsque nauigauerunt: ibique nauium in portu firmatã statione cum Rege, qui eis occurrerat iocundissimè excipiendis, Hierusalem vsq; profecti sunt. Vbi cùm Paschalem celebrassent sollempnitatem, reuersi Ioppem cum Rege fœdus inierunt huiusmodi: *Vt simul ad expugnandas hostium vel vrbes vel castra procedentes, pecuniæ quidem primam & secundam partem rex, & sui haberent; Ianuenses verò tertiam, cùm vno in castro vel vrbe captã vico semper obtinerent.* Taliter vtique fœderati, primò omnium oppidum Peregrinis Sanctæ viæ infestissimum *Assurt* videlicet obsederunt, à Godefrido rege obsessum nec captum. Quin potius centum fermè de Francis, ibi Rex præfatus amiserat, de turre lignea muro iam admota quidem; sed præ ascendentium nimietate confracta frustatim, in terram elisos. Quorum alios, videntibus & dolentibus Christianis, crucifixerunt statim Sarraceni; alios sagittis, alios aliis patibulis interfecerunt. Huius tam crudelis in collegas parati piaculi non immemo-

Psal. 127, 2.
1. Pet. 3, 14.

immemores qui rege Godefredo fuerant Christiani, tam ardenter ad expugnationem conuenerunt impiorum, vt eos ad resistendi desperationem compulerint, totis licet viribus se defensantes. Scientes itaq; se nec resistere diu posse, nec si caperentur meritas & pœnas & mortes euadere, de dedendo regi castro, si sibi vita concederetur cum pecunia, cœperunt per legatos tractare. Librato itaque rex cum Ianuensium consulibus consilio, visum est bonum omnibus, si sine discrimine obsidentium, Peregrinorum quoque Christianorum tam grande remoueretur periculum. Itaq; indulgetur opidanis vita cum rebus: castrum receptum diligēter munitur, impiis eiectis inde, & Ascalonam vsque cum suis omnibus deductis. Inde ad 10 *Cæsaream* vrbem Palestinæ munitissimam obsidio transfertur. Cæsarienses obsessi, obsessores irrident; conuitiis lacessunt & maledictis, de muris & propugnaculis suis plurimùm confidentes. Iussu regis machinæ parantur, muris admouēdæ scalæ plures deferuntur; fabricatur & turris lignea de malis nauium, satis excelsa, murorum altitudinē viginti cubitis transcendens. Prægrandes muro annisu lapides torquentur in arces; turrium solida crebris ictibus quassantur; nihilq;, quod ad expugnandos impios credatur valere, intentatum relinquitur. Nec minor obsessis inerat se defensandi solertia: non die, non nocte quiescunt: semper inueniuntur resistere parati: quindecim diebus impugnatur assiduè ciuitas, nec capitur. Pertæsus tam longę obsidionis Christianorum exercitus, erubescit sibi & indignatur, quòd ad obsedendum 20 fortiores sunt impii & blasphemi, quàm ipsi ad insistendum. Cohortantes itaque se inuicem, & alterutrum & verbo & exemplo prouocantes, correptis armis, ausu & impetu mirifico conuolant ad murum, scalas suberigunt, scutis capita tecti conscendunt; gladiis & lanceis obuios hostes in ipsis murorum propugnaculis aggrediuntur, alios trucidāt ibi, alios præcipitant: Scandendi post se & viam liberā faciunt sociis, & iam ex æquo cū hostibus decertant. Fit iā Christianorum murus, qui modò erat Sarracenorū. Deturbati è muro, ad munitiora fugiunt illi perniciter; sed ipsi perniciùs insequuntur. Densantur fugientes; & dū alius alium pręcurrere ad latebras gestit, se ipsi præpediunt, vt latebra quæ posset alicuius esse, fit nullius. Conglobantur super corruentium aceruos cateruæ percussorum; simulq; tanquā tritu-30 rantes in area triticum, indiscretâ omnes cæde trucidāt; nec sexui parcitur, nec ætati, vt ira DEI in blasphemos cōpleretur. *Admiratus* vrbis & *Archadius*: sic enim suum Sarraceni vocāt Episcopum: comprehensi, & ante regem adducti, viui & vincti iubentur asseruari, pecuniæ credo spe potiùs, quàm miserationis affectu. Qui viui cōprehendebantur prius pugnis colla percussi, Bizanteos intra ora in gingiuis occultatos, euomere cogebantur. Quos qui non euomebant, trucidati congregabātur in aceruum, & cōburebantur, ne vel aurum ab improbis glutitum perderetur, vel corrumperetur aër fœtore de cadaueribus exalante peremptorū. Consueuerunt enim pessimi, cùm se iamiamq; morituros præuident aurū sic transglutire suum, aut intra ora abscondere, victoribus eo modo & in ipsa morte inuidentes. Fœminæ quoque, 40 impudentiùs & turpiùs quàm eloqui deceat, intra se celatos nudare aureos morituræ cogebātur. Ita deditis morti Cæsariensibus ferè cunctis, perpauci de vtroq; sexu, siue ad efferenda congerendáve peremptorū cadauera; seu ad seruitutē, venales futuri, reseruati sunt. Iam verò captâ vrbe, quanta pecuniæ copia, quanta victualiū omnium abundantia, quot & quanta & formâ & materiâ præciosa vtensilia reperta sunt ibi & congesta, æstimari non facilè, necdum enarrari potest. Quod ex eo satis pensare licet, quòd plures prius pauperes, exinde facti sunt satis locupletes. Expugnatâ vrbe Cæsareâ, & custodiendâ prudentibus & strenuis viris cōmendatâ, auditum est, & cunctis referentibus nunciis approbatum, *Babilonios* apud *Ascalonā* congregatos bellū Christianis parare. Propter quod & Rex & exercitus Christianorū, 50 *Ramulam* ciuitatem Lidæ proximam adire festinauerunt; & se, ad excipiendū quod sibi parabatur bellum, præparare. Quod scientes Babilonii, distulerunt callidè paratos adire; se potiùs adiri prope mœnia sua, & intra aggeres suos præstolātes: vt vel vincere faciliùs possent, vel victi in munitiones suas sese receptare: quorum calliditate compertâ, Christiani calliditatem calliditate simili deludere maluerunt, quàm innumeros pauci, munitos immuniti expetere. Tandē, vidētes Ismaëlitæ suam sibi calliditatē nil valere; & moræ & inediæ pertæsi, alii alibi sunt dispersi. Quod rex & sui cognoscentes lęti & alacres *Iopem* redeunt, CHRISTVM Dominum super omni-

A. D. 1101.

bus quæ sibi præstitisset bonis, collaudantes. Verùm post duos menses cùm intimatum fuisset regi, aduersarios suos iteratâ contra se animositate, *Ascalonæ* esse congregatos, congregat & ipse apud *Iopem* quantum præualet exercitum: ducentos scilicet & sexaginta milites, & pedites nongentos: cum his contra vndecim millia militum & viginti peditum millia pugnaturus. Quis audiat hoc, & non horrescat? audacia est ista, an fiducia? temeritati hoc ascribēdum, an fortitudini? hoc etenim videri possit, non pugnare velle, sed mori. Ita planè est: parati erant mori: sed pro eo, qui pro ipsis mortem dignatus est pati. Non ergo audacia erat ista, sed fides; non temeritas, sed charitas: *CHRISTO* etenim, vt Apostolus dicit, *passo in carne*, & ipsi simili cogitatione armabantur. Vnde & ipsum, in quo passus est in carne CHRISTVS, secum detulerunt salutis Lignum; singulare, imò totum de eo habentes solatium. Proruunt illi de Ascalona; isti de Iope procedunt. Cumq; sese iam inuicem contuerentur, ordinatum Rex per sex acies exercitum suum, his eos affatur alloquiis: *Eia, milites CHRISTI, videtis quòd de tam longinquis regionibus per tot & tanta maris & terræ pericula quæsistis: venistis sponte offerre animas vestras, pro CHRISTO, discrimini: inuenistis, ad quod venistis. Non respuat ignauia, quod deuotio sancta quæsiuit, & tandem inuenit. Pro Domino pugnaturi, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Potens est vos saluare Omnipotens: dulcissima eius promissa recolite semper, & menti infigite, quibus & paucitatem vestram & paupertatem benignissimè consolatur, dicens:* nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. *Si sola regis terreni, vel stipēdia cogitaretis vel donatiua, meritò trepidaretis, vel vinci vel & mori formidantes. Optatiùs debet videri pugnaturo, mori, qui sciat ab æterno rege regnum paratum esse æternum morięti. Siue moriamur in bello isto, siue euadamus, de victoria dubitare non possumus. Si vinci videmur impiis & insipientibus, coram eis moriendo, ad CHRISTVM, gaudium nostrum, venientes, de diabolo & mundo meliùs triumphamus. Si verò, quod sæpè fecit CHRISTVS noster, & hic corpora nostra seruare voluerit, & de inimicis his victoriam præstare, minus quidem interim gloriosi erimus, quàm si moriamur: sed tamen magnum nomen, vltra nomen magnorum qui sunt in terris, nobis, CHRISTO Domino donante, comparabimus. De fuga, nullus cogitet vnquam: quia longè nimis nostra nobis Francia abest.* His & talibus à rege dictis, accensi omnes ad pugnam procedunt, congressum vltra differre non ferentes; reboant tubis, & simul omnes, *EIA, DEVS, ADIVVA NOS!* conclamant: Immergunt se latissimis confertissimisq; hostium turmis, obuios quosque sternunt: nec imbelles omninò inueniunt hostes; imò verò, totis sibi viribus obsistentes. Nā duas quæ præcesserūt acies obtegunt, multitudine nimiâ & penè funditus consumūt. Corruunt multi de Christianis, vulnerantur plures: impetus sustinent improborum; vicissimque eos impetentes, viriliter retrocedere compellunt. Rex qui in postrema parte cum sua acie substiterat, vbi densiores vidit hostium cohortes, accurrit; totumq; se de rege in militem transferens, alios lanceâ in terram deturbat de caballis; alios ense dimidiat in sellis. Conuocat suos, instantes cōfortat; & eis animatis in aduersarios excurrit. Crucem Dominicam præferri semper, & in ora impiorum inferri facit: vt eius præsentiâ, & roborentur serui Crucis, & inimici confunderentur. Cuius virtutem, sicut dæmones, ita & dæmonū satellites, diutiùs non sustinentes, pauore subito cælitus sibi immisso, in fugam versi, se ipsi impellere cœperunt, & alii super alios corruere: insistunt fugientibus insequentes, & quos consequi præualent, omnes prosternunt. Qui cùm rege erant, omnes in ferrum ruunt, ipso præ omnibus fortissimè, & fugante fugientes & prosternente. Vociferantur omnes, & confusis clamoribus ipsum pulsatur cœlum: fragor nimius vel de collisionibus armorum, vel de illisionibus cassidum resonat & gladiorum: plangores & vlulatus vndiq;, vel morięntium audiuntur vel vulneratorū. Ita quidē ex ea parte, quā salutiferū Crucis Dominicæ lignum delatū contra hostes fuerat, & illatum; & victi & vsq; Ascalonē fugati sunt inimici, Regē cum suis vel potiùs cruce CHRISTI insequente: adeo vt dux ipse Babyloniorum inuentus postmodum ibi sit mortuus, in medio quinq; miliū mortuorum. At verò ex alia parte, vnde crux CHRISTI remotiùs abfuerat, peremptis magna ex parte quos obuios habuerant Christianis, Sarraceni *Iopem* vsque procurrerunt; & nescientes vel fugam suorum, vel nostrorum victoriam ignorantes, iactitabant se & Regem & Christianos omnes in bello occidisse, in argumentum mendacii sui arma peremptorum Iopitis, de muro cernentibus, ostentantes. Dolēt illi

1. Pet. 4, 1.

Luc. 12, 32.

illi vehementer; nec tamen insultantibus vrbem, sicut frustra sperauerat, ilicò reddunt: exspectantes si fortè tristius aliquid vel lętius de bello possent audire. At verò Rex cum suis à persequentibus hostibus regrediens, quia Iopen peruenire non posset, eadem nocte in ipsis hostium tentoriis, quæ fugientes cunctis victualibus plena reliquerant, cùm requieuisset, sequente die Missâ de natiuitate gloriosæ Virginis Mariæ ibidem celebratâ, *Iopen* reuertebatur, iumentis de rerum in tabernaculis eisdem inuentarum multiplici copiâ onustatis. Occurrunt reuertentibus Iopem, ab Iope reuertentes quingenti Arabes: illi qui illuc pridie pręcurrerant quasi victores, ornati satis pompaticè armis Christianorũ in campo pugnæ collectis, minantes & aliquantam quam circa Iopem rapuerant prædam. Suspicabantur Sarracenos potiùs quibus obuiarent, Iopem, sicut & ipsi fecerant, adire volentes inuadẽdam: vnde non solùm securi, sed & gratulabundi occursabant. Verùm Christiani priùs eos cognoscentes in securos celerrimè irruunt; prosternunt alios, alios in fugam versos insequuntur. Nam resistendi nec ad momentum constantiam habuerunt inimici: ita dispersi, citissimè quò quisque potuit diffugerunt: CHRISTO ita videlicet disponente, ne qui partem suorum vicissent, non nisi victi redirent; vtque tanta victoria non nisi Dominicæ Crucis virtuti videretur assignanda. Non tamen diutiùs fugitantes insecuti sunt Christiani, vel pridiano labore vel vulneribus fatigati. Interim nocturnâ fugâ elapsi, Iopem per diuerticula venerant de bello Christiani: nunciantes, quod & ipsi verum putabant, regem cum reliquis omnibus Christianis in bello interisse. Dolent Iopitæ omnes; & præcipue regina vsque ad mortem contristatur. Scribunt ad *Tancredum*, per quẽdam cursorem marinum: & cum supplicatione omni lamentabiliter implorant, vt cõmendato alteri Antiocheno principatu, populo succurreret Hierosolimitano periclitanti, iam iamq; rege, cum suis, in bello ab Ascalonitis Babyloniisq; interfecto. Dolet Tancredus commune infortunium; & de ferendo, quod petebatur, populo DEI satis anxiè tractat auxilio. Cursor quidem talia deferens abcesserat. Superuenit eodem die rex cum exercitu residuo; & falsis rumoribus asperam Iopitis, tristitiæ & doloris nebulam, præsentiâ suâ detergit. Scribitur & Tancredo per alium de prosperitate legatum; vt anxietas priore nuncio delata, posteriore superueniente pelleretur. Inde *Hierosolimam*, cum læticia magna reditum est; & Crux Sancta in loco Sancto, & honorificè suscepta est, & locata. Hostibus, DEO fauente, ita repulsis & repressis, secuti sunt octo menses bellorum turbinibus immunes. Anno M. C. II. auditũ est Hierosolimis rursum *Babylonios*, ad viginti milia equitum, & peditum decem milia, apud *Ascalonam* cõuenisse, à rege Babilonis missos: exceptis clitellariis, qui camelos, asinosq; victualibus onustos minantes, clauas simul & missilia manibus ad pugnã gestarent. Hi omnes de Ascalona simul egressi, primò *Ramulam* adeũtes, messes quidẽ iam maturas vastant omnes, castris suis prope vrbẽ locatis. *Episcopium* quoq; vrbis munitissimũ, iuxta S. Georgii Ecclesiã situm, expugnare aggressi, cùm non præualerent, ad expugnandos arcis Ramulanę custodes, quindecim videlicet milites, recurrunt: idcircò maximè eos habentes exosos, quòd prædones Ascalonitæ, eorũ occursibus crebris, nõ sinerentur liberè quò vellent procurrere. Episcopus itaq; & sibi & vrbi cõsulere volens liberandæ, rẽ Regi, Iope moranti, legato currente innotescit, succursum celerẽ anxiè satis implorans. Erant tunc cũ rege ibidẽ quàm plures clari & nobiles viri, *Stephanus* Comes Blesensis, *Stephanus* quoq; Comes Burgundiæ, *Gaudifridus* Vindocinẽsis & *Hugo* Liziniacẽsis Ramundi Comitis frater. De quibus, licet hîc nimis longa retro series sit, nõ incongruè tamen repetendũ videtur, quòd hi omnes & cũ eis *Hugo magnus* & *Guillermus* Pictauensiũ Comes, primâ quidẽ profectione Hierusalẽ cum aliis, tendentes, Antiochiã vsq; venerant: sed inde alius aliã occasione, viã nondũ expletã, in terras suas redire volentes,* vsq; in extremas Romanię partes deuenissent quã plurimis peregrinantium copiis comitatâ. Vbi obsistente Solimano Turco, Niceæ sibi per eos ablatæ nõ oblito; vel potius iusto iudice DEO, ignauiã eorũ puniente, qui bonũ & sanctũ non implessent peregrinationis sanctę propositum, cùm centũ millia tàm equitum quàm peditũ ex eis variis mortibus disperissent, qui potuerunt euadere rursus Antiochiã post multa & maxima dispẽdia redire cõpulsi sunt: *Hugone Magno* Tarso Cilicię prius defuncto. Cumq; *Tortosam* vsq; venissent qui terrestri itinere Hierusalẽ tendebant, parte non minimâ per mare eunte, Tortosam

A. Dni. 1101.

A. Dni. 1102.

A. Dn. 1102.

quidem terrâ mariq; expugnare aggressi, vrbem captam *Raimundo* Comiti, ibi malenti remanere quàm Hierusalem, cui capiendæ probè satis interfuerat, dimittentes, alii *Hierusalem* primò tunc venerunt quæ Domino vouerant, ipso disponēte, tali ordine completuri. Quorum rex *Balduinus* aduentum audiens, ad angustias *Beriti*, de quibus supra satis dictū est, eis occurrit: septendecim diebus ibi eos præstolans: ne, præoccupato à Saracenis calle angusto, non possent transire. Exceptis ergo ibi secundæ illius profectionis Peregrinis, & Hierusalem ad loca sancta cum gaudio & lætitia deductis, *Iopem* cum Rege plures eorum redierunt, ventum oportunum ad nauigandum in Gallias plurimi præstolantes. Cùm itaque ibi essent cum Rege, quando ei de succursu Ramulanis ferendo Episcopi delatio delata est: correptis rex armis, inconsultè satis, & nimis intemperanter equum ascendit, nemini quicquam, nisi vt sequerentur, loquutus. Reboant buccinæ, litui concrepant; Regem, qui possunt vel volunt, subsequuntur, quò nesciret præcurrentem. Confidebat siquidem nimis de probitate sua: & qui de DEO solo in talibus deberet, de se ipso omninò temerè præsumebat. Punita est grauiter eius temeritas, DEO qui superbis resistit ei resistente, in eo qui non, vt solebat, extiterit victor; sed victus vix euaserit: & primò quidem rapidis cursibus vsque ad alienarum castra currere non cessans, cùm ea sicut erant, latissima confertissimaque prospexisset, pauore perterritus nimio, totus infremuit, dolens vehementissimè, & serò temeritatis suæ pœnitens: in eum detrusus necessitatis articulum, vt nec redire Iopem posset, ab hostibus visus & penè iam circumseptus; nec penè solus contra tot hostium milia pugnare. Respiciens tamen ad suos qui vix ducenti milites eum consequi potuerant properantem: *Age*, inquit, *ô fortissimi milites CHRISTI: quia in hoc deuenimus vt pugnam vitare nullo modo possimus, pugnemus viriliter; nec, vt solent mori ignaui, moriamur: scientes quia siue viuimus siue morimur Domini sumus.* His dictis in hostes se, audaci satis impetu, omnes ingerunt; sed vndique girantibus Turcis obtecti, parum proficiunt. Corruunt plures, plurimis tamen hostium prius peremptis: tandem qui supererant, morituros iamiamque se non dubitantes, nisi sibi consulere fugiendo possint, pondus belli interim declinantes, cursu rapido se in *Ramulam* intruserunt. Rex autem, & qui latus eius nobiles atque fortissimi pugnatores ambiebant, cùm similiter posset, Ramulam ingredi noluit: mori malens, quàm ibi concludi. Adiunctis itaque sibi vix quinque militibus, ad montana cum vno eorum contendit, consecutis cæteris ab hostibus trecentis. Ita, DEO se protegente, Rex interim euasit, nocte illâ vel oberrans per montana vel delitescens. Interim hostes arcis Ramulanæ custodes impugnant; & heu, prô dolor! expugnant. Episcopus ipse, munitione Episcopii sui relictâ, Iopem confugit. Ceciderunt in isto bello plures, satis clari & nobiles viri: inter quos præcipui, *Stephanus* Blesentium, & *Stephanus* Burgundionum Consules illustrissimi. Rex die tertiâ præ fame & labore iam penè deficiens, vix tandem intra oppidum suum *Arsut*, cum vno tantùm milite & armigero suo se recepit. Susceptus gaudenter à suis, cibo, potu & somno recreatus, conualuit. Ita planè corripuit eum Dominus iustè, sed benignè correxit. Elisit elatum, sed elisum erexit, vt posset ei cantare illud Prophetæ: *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Ipso enim namque die, quo in Arsut Rex euaserat, ecce vnus ex optimatibus eius, *Hugo de Tyberiade*, legatione ab Hierosolimis habitâ vt Iopitis succurrere festinaret, cum octoginta militibus ibidem Regi occurrit: desolationemque ipsius & confusionem, quantulacumq; recuperatione militiæ, magnificè exhilarauit. Nec sic tamen terrestri itinere cum eis Iopem Rex ausus commeare, cimbâ potiùs per mare euectus, gradientes per terram Iopem præcessit. Suscipitur à suis gaudenter; collectantibus cunctis & præ gaudio flentibus, quòd recepissent saluum quem planxissent mortuum: *Mortuus fuerat*, inquiunt, *rex, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Qui assumptis quos ibi repperit militibus, aduentanti, sicut condictum fuerat, Hugoni occurrit, & sic cum eis Iopem regressus est. Omnes insuper de Hierusalem, & *de Sancto Abraham* conuocat Christianos; bellumque rursus contra Arabas, etiam Iopem obsidere parantes, instaurat. Passi sunt tamen & ipsi, cum Iopem ferè C L. milites vel equites conuenirent, periculosissimas

Psal. 117, 18.

Luc. 15, 24.

10 20 30 40 50

sissimas ab hostibus in itinere insidias; euadentes tamen, DEO miserante, & *Iopem* tandem, fugantibus se vsque ad portas hostibus, peruenientes, gaudenter à rege recepti sunt: idcircò maximè quòd secum singularem omnium Christianorum spem atque virtutem detulissent, signum videlicet gloriosæ Crucis, lignum salutis: Cuius præsentiâ exhilarati omnes, & velut de graui langore conualuissent admodum vegetati, sequenti mane, cateruatim per acies ordinati, procedunt in hostes, tribus ferè ab vrbe milliariis castra metatos; ibique machinas suas ad expugnandam Iopem præparantes. Qui cùm contra spem Christianos aduersum se in bello viderent procedentes, præparati & ipsi, obuiantibus occurrunt audacter, fortiterque pugnantes obsistunt. Circumuallant innumeri paucos, & de solo diuino auxilio sperare compellunt: Quod cùm sibi adesse Christiani deuotissimè precarentur, non diu defuit clamantibus ad se pius exauditor CHRISTVS, & suis virtutem protectionemque tribuens misericorditer, & mirabiliter terrens hostes atque in fugam vertens. Nam milites quidem & equites circumfusa sibi hostium agmina impetu constantissimo penetrantes; rursumq; versus pedites suos, defendentes se fortissimè, iterato impetu recurrentes, prosternunt obuios, confertos dissipant; tandemq; in fugam actos, insequuntur. Ita qui de capiendis, vt frustra putauerant, in vrbe, tanquam de iam captis paulò ante tractabant; nunc victi turpiter, de sola fuga contendunt. Deserunt castra, de tentoriis nihil capessentes; & stipendia & arma victoribus relinquunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini. Denique nonnulli, dum fugiunt, sitis nimietate moriuntur. Euasissent pauci mortem, nisi & paucitas sua victores, & labor enecandi quos consequebantur, prægrauasset fatigatos. Ita posteriore bello, victi sunt hostes ab his quos ipsi priore vicerunt: Excepto quod in illo, de se præsumentium est confusa temeritas; isto, de Dominicæ Crucis virtute confidentium, fides est & humilitas victoriæ suæ glorificata triumpho: *Equus enim paratus ad diem belli*, ait Scriptura; *Dominus autem salutem tribuet*: tribuit planè Dominus salutem, sed oportunè: populum videlicet humilem, saluum faciendo, & humiliando oculos superborum: vt non glorietur omnis caro coram ipso, edocta non sperare in arcu & gladio suo, & cantare toto corde Saluatori suo, *Saluasti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudisti.* Non itaque, cùm pro peruersitate sua corripitur superbia, causetur DEVM in corde suo stultitia: ne si de iusto murmuret flagello proteruia, vel vinciri æterno carcere, vel supplicio sempiterno cruciari mereatur insania. Non itaq; fortunæ spectet euentus stultus; sed modestus, rerum merita penset: vt intelligat, quia rebus quidē rectus semper ordo est, quamuis opinioni peruersæ sua semper hæreat confusio. Expleto bello, & tabernaculis hostium cum omnibus spoliis, camelis quoq; & asinis quàm plurimis, vel collectis à victoribus vel direptis, rex & sui *Iopem* sunt cum magna lætitia reuersi, totum sequens vel autumni vel hyemis tempus DEO & CHRISTO miserante, à bellis ducentes quietum. *Anno ab incarnatione Domini M. C. III.* ab Vrbe autem capta vel potiùs recepta quarto, cùm Sanctum Pascha celebrassent in Hierusalem, ex more, Christiani; Rex cum quanto potuit exercitu vrbem munitissimam obsedit, antiquo quidem vocabulo priùs vt putatur *Acaron*, deinde *Ptolomaidam*; sed nunc vel *Acram* vel rursus Acaron nuncupatam. Obsessa quidem à Christianis Acra tunc est, sed minimè capta: tum, quia muro vel antemurali validissimo cincta est; tum, quia defensores & multos haberet fortes. Proinde obsidio vrbis huius interim omissa est, & expugnatio dilata: & atritis segetibus eorum, ortisque vastatis vel virgultis, Rex cum suis *Iopem* rediit. Vbi cùm esset, desiderabili satis & vtili nuncio lætificatus est, dominum *Boamundum*, miserante DEO, de captiuitate redisse cognoscens liberum; & suum Antiochiæ principatum recepisse. Nam & *Laodiciam*, quam *Tancredus* postea cœperat, hominibus Constantinopolitani Imperatoris ablatam, idem Boamundus simul recepit; eundemque Tancredum conuenienter pacificauit, sibi principatus sui consortem factum. Quo tempore, rege Balduino contra Sarracenos, more solito, strenuè satis pugnante, contigit eum, dum fugitantes insequitur hostes, ab Æthiope quodam, post rupē delitescente, missili fortiter torto, dolosum à dorso sub scapula vulnus excipere; vixq; post aliquantum tempus, DEO miserante, reparari: cicatrice tamen, conceptum futuræ longè post mortis eius effectum, latenter retinente.

A. Dn. 1102.

Prou. 21, 31.

Psal. 43, 9.

A. D. 1103.

A. D. 1104.

Anno M. C. IIII. Rex, & Christianorum exercitus, sancto Pascha Hierosolimis, ex more, celebrato, intermissam præcedēte anno *Ptolomaida* seu Acræ obsidionem repetunt, *Ianuensibus* cum classe, LXX. rostratas naues habente, sibi ad vrbis expugnationem sociatis. Quam cùm terra mariq; , machinis & peruasionibus crebris, validissimè diutiùs coangustassent, tandem, post viginti dies, ad deditionem & sui & vrbis compulerunt obsessos; eisq; eiectis vrbem liberam obtinuerunt, pro eo maximè Christianis necessariam & omninò vtilissimam, quòd intra mœnia sua portũ habeat peroptimum: refundente se vsq; ad medium vrbis mari; gratissimoq; refluxu ibidem nauium stationem continente. Res hostium omnes Christianis in prædam cesserunt, de ipsis hostibus occisis pluribus, quibusdam etiã viuere permissis. Eodem anno, æstiuo iam tempore transacto, *Boamundus* Antiochiæ principatum *Tancredo* collegæ ex integro committens, ipse cum paucis Apuliam petit, raro satis euectus nauigio, vt quantãcunq; posset de transmarinis sibi partibus militiam contrahens, secum reduceret. Transfretauit cum eo & Hierosolimorũ Patriarcha venerabilis *Daimbertus*; Romamq; petēs, cùm ad sedem suam cum autoritate Romani Pontificis reuerteretur, in itinere obiit Peregrinus. In cuius loco Rex & populus Hierosolimorum domnum Arnulfum, longè ante electum, sibi præsulem tunc cõfirmauerunt.

A. Dn. 1105.

Sequente anno, hoc est, *ab incarnatione Domini M. C. V.* Raimundo Comite in oppido suo, haud longe à Tripoli, defuncto, nepos ipsius *Guillelmus*, cognomento *Iordanus*, comitatum defuncti suscepit regēdum. Tancredo quoq; principatum ministrante Antiochenum, *rex Calipti*, *Rodoan* nomine, cum copioso nimis exercitu bellũ ei intulit; eumq; cum Antiochenis, paucis quidē, sed CHRISTI virtute robustis, in præliũ contra se cõuenire coēgit. Deniq; pugnâ cõmissâ Calipteni victi, victores fuerunt Antiocheni: CHRISTO Domino pugnãte pro fidelibus suis, suosq; & ipsorum hostes tam mirabiliter propugnãte, vt quamuis paruissimus esset Christianorum exercitus, interemptorum tamen ab eo non fuerit numerus perfidorum. Ita quos ad præliandum contra CHRISTVM & sua multitudo, & raritas inuitauerat Christianorum, CHRISTI virtutem dum nolunt cognoscere fide, nõ ignorare coguntur in sua blasphemi cõfusione. Glorificatus ita CHRISTVS in Antiochenis, quàm mirabiliter & in Hierosolimitis glorificari dignatus sit, eodem anno, prosequamur. *Admiralius* namq; *Babilonis*, Christianorum in terra Sancta raritate compertâ, *Semelmuch* militiæ suæ principem, *Ascalonam* cum quindecim millibus transmisit armatorum: hoc eis in præceptis dans, vt exterminatâ penitus de terris illis & gente Christianâ & nomine, etiam sacratissimum illud CHRISTI Domini Sepulchrum effoderent impiis manibus, & minutatim dispergerent: *ne vltra*, inquit, *amore Sepulcri conueniant illuc de Occidentalibus regnis cultores Sepulti.* Vnde & cõiurare fecit eos quos ad exequendum tantæ impietatis satellitium direxit: *nec terga eos vnquam vertere in bello; nec nisi patratâ Christianorum euersione vltrà redire.* Auditâ Rex & Christiani tam obstinatâ hostium malignitate, omnes de toto regno suo arma ferre valentes apud *Iopem* conueniunt, paucissimis ad murorum custodiam per loca singula relictis. Diutiùs tamen & illi Ascalonæ, & isti Iope congregati callebant, nec illi istos, nec illos isti expetentes. Prorupit tandem aduersus piorum populum proteruia sæuiens impiorũ; & Babilonii de Ascalona, de Iope Christiani apud Ramulam conuenerunt. Ibi rex & sui in extrema anxietate positi, misso ad Patriarcham & reliquos qui Hierosolimis remanserant legato, obnoxiùs flagitant, vt sibi diuinum in necessitate non cessent auxilium implorare, scientes crastinâ die bellum sine dubio futurum. Quo cognito *Patriarcha* clerum totum & omnem conuocans plebem, prælii diem & commune periculum insinuat, de flagitanda CHRISTI misericordia cõmonet; hortatur eâ die & sequēti ieiuniis, precibus & eleemosinis deuotiùs insistendum, vt Rege & suis pugnantibus gladiis, ipsi orationum & eleemosynarũ melioribus compugnarēt armis: *maximè*, inquit, *visitationibus ægrotorum, pauperum misericordiis, DEVM nobis facere satagamus propitium: talibus enim hostiis promeretur DEVS: &* sicut Scriptura dicit alibi: *Benedictionem post se nũ relinquit? Et ego*, ait Patriarcha, *nocte proximâ Ramulam, si potero, DEO volente, proficiscar, istis quos videtis fere CL. fratribus comitatus, singulare Christiani populi spem & virtutem nobiscum illuc deferentes, preciosissimæ Crucis CHRISTI trophæum.* Primo diluculo peruenerunt Ramulam nocturni viatores, Patriarcha & sui, Hierosolimitis

Ex Ioel. 2, 14.

Ecclesias

Ecclesias totâ nocte & sequenti Dominicâ die frequentantibus, incedentibusque [An. Do. 1105.] nudis pedibus,& ante DEVM plorantibus; nihilque prorsus omittentibus vnde sibi diuinam conciliari posse sperarent misericordiam. Rex & sui, Patriarchæ & gloriosæ Crucis præsentiâ exhilarati admodum & roborati, concurrunt ad presbyteros,& omnes singuli confitentes peccata sua, & se ad excipiendam fideliter mortem præparantes, Dominici Corporis & Sanguinis perceptione muniti. Quibus sollicitè præmissis, ordinantur ad pugnam; & procedunt per acies vix quingenti milites & pedites duo millia, aduersus quindecim millia Sarracenorum, vix quatuor à Ramula milliariis castra metatos; parantesque cum minore exercitus parte 10 Ramulam adire, maiorē verò mittere Ioppen, quam vacuam defensoribus sperabant, se posse præoccupare. Verùm cùm Regem & Christianorum exercitum tam audacter contra se, tam manè viderent procedere, dissipatâ quam frustra machinabantur versutiâ reglobati, potiùs de committendo prælio statim coacti sunt tractare. Ordinatis ergo & ipsi agminibus suis, aduersus procedentes procedunt audacter, de multudine confisi: Christiani, de CHRISTO potiùs confidentes, quàm de numero: more suo exclamātes, CHRISTVS VINCIT, CHRISTVS REGNAT, CHRISTVS IMPERAT, certamen ineunt animosi: occlamantes Sarracenos, & totis viribus oppugnantes impetunt; validissimosque, alii in alios excursus faciunt. Conantur circumuallare paucissimos plurimi; & maximè Turci à tergo girantes, 20 concludere & sagittis sternere, in antepositos oppugnatores intentos, nituntur Christianos. Quod cernens Rex cum acie sua, totum se periculo exponit, Turcis se cordatissimè opponit, eosque recto * Ecclesiæ DEO iuuante compellit fortissimo impetu dissipatos. Inde se in maiores confertioresque Arabum & Æthiopum phalanges immergit, creberrimisque atque validissimis incursibus densissimos tādem, DEO miserante, hostium cuneos perrumpit, peremptis * alios in fugam vertit. Fugiunt vsque Ascalonam, qui euadere potuerunt: insequuntur fugitantes conglobati post eos Christiani, atque ipsum *Ascalonæ Ammiratum Gemelmuch* in primis occidunt. Cuius morte compertâ, *Semelmuc* Princeps miliciæ regis Babilonis, consuluit vitæ suæ fugâ, amissâ penitus spe victoriæ de pugna, malens viuere periurus, 30 quàm execrandi sacramenti fide perire. Sequuntur ducis exemplum, qui possunt; & sacramentum, vitæ postponunt, sicut dictum est, quà vel quò quisq; poterat fugitantes. *Ammiratus* olim *Acaronita* captus & reseruatus à rege, postmodum viginti millibus aureis est redemptus. Æthiopes, quoniam nequiuerant fugere, in campo ferè omnes trucidati perierunt. Denique quatuor millia cæsorum numerata sunt, cùm de Christianis vix ceciderunt homines sexaginta. Reuersi ab insequendis hostibus Christiani, castra victorum victores diripiunt, plurimisque spoliis onusti, Ioppen summo cum gaudio reuertuntur: propitium sibi factum totis cordibus collaudantes DEVM; glorificantesq; protectorem & adiutorē suum CHRISTVM, in quo virtutem magnam fecissent, inimicis suis ad nihilum deductis.

40 Mirandis, plus miranda succedunt, cùm glorificatus prælii terrestris victoriâ CHRISTVS, & ventis & mari dignatur glorificari. Nam classis Babylonia, Iope iam ipsâ belli die cum maxima exercitus parte applicatâ: sperās frustra, deletis terrestri pugnâ Christianis, & Iopem & cæteras vrbes maritimas omnes sibi confestim subigendas: cùm versâ vice & suos victos, & Christianos vicisse cognouisset, Gemelmuc Ammirati Ascalonitæ præciso capite, & sibi per nautas regios iaculato, ilicò se in portus Tyri & Sidonis retraxit; ac deinde Babyloniam nauigare contendens, spiritu procellæ exagitatâ, partim naufragio disperiit, partim Iopensium portui impulsâ, Iopitis se capessendam obtulit. Denique, viginti quinque naues ibidem captæ tunc referuntur, Sarracenis plenæ. Ita qui terrâ & mari sperauerant se 50 atque parauerant perdere simul omnes Christianos, terrâ marique perditi, positi sunt *vt rota, & sicut stipula ante faciem venti.* [Psal. 82, 12.] Verùm pius Dominus qui tam magnificâ consolatione suos, sexto Kal. Septembris lætifica[illegible] eo[illegible]em iam declinante anno, ipsâ videlicet Dominicæ Natiuitatis vigiliâ, hor[illegible] nimis *terræmotu* Hierosolimam totam concussit, omniumque corda nimio terrore perterruit; admonens videlicet Hierosolimitas illos ita de beneficiis ab ipso sibi collatis exultare, vt ei semper seruire deberent in timore. Sed & sequente anno, videlicet *millesimo centesimo sexto, Cometa* quinquaginta & eò ampliùs diebus, vespertinis semper horis appa- [A. D. 1106.]

An. D. 1106.

rens, stupore simul & terrore totum repleuit tunc mundum. Nam splẽdoris alburni radium, versus brumalem Solis occasum, instar telæ lineæ producẽs, primis quidem diebus flammantior; postremis verò subobscurior visebatur, donec paulatim attenuatus post dies, vt dictum est, quinquaginta, videri omninò desisteret. In quibus etiam diebus, Februarii videlicet mense medio, ad dexteram & ad leuam Solis partem, duo quasi *Soles* apparuerunt, non tamen æquè vt medius fulgentes; sed formâ & lumine rariore, mediocriter rutilantes. In quorum giro, circuli duo visi sunt, alter alterum cõplectens: sed exterior totus albicans; interior, Iris instar, quadruplici colore distinctus, & à superiore medii Solis parte, velut arcuatâ amplexione, ad duos collaterales Soles pertingens; ab inferiore velut dimidiatus desinens. Referuntur & sequenti mense, nocte quâdam mediâ, stellæ de cœlo, instar pluuiæ, videri cecidisse. Quid tanta & insolita prodigia protenderint, adhuc minus habetur probatum. In Hierosolimorum tamen partibus contigit eodem anno *Hugonem* Tiberiadis Ducem bis à Damascenis victum, tertio belli recursu Damascenos vicisse adeo mirabiliter, vt cum C. X X. pugnatoribus, quatuor milia dispersit armatorum; eundemq; non longè post in expeditione cum Rege positum, ictu sagittæ occubuisse. *Anno M.C.VII.* solito efferuescentes *Ascalonitæ*, inter montium angustias *Iopitis* Hierusalem proficisci parantibus insidiate tetẽderunt, eos se ibi intercipere & perdere posse rati. Verùm Iopitis, de præparatis sibi insidiis præmuniti, L X X V. exploratores præmittunt: qui repentè à quingentis ferè militibus & peditibus mille, adeò conclusi sunt & intercepti, vt nullatenus vel redire possent, vel ad congregandum aliter quàm erant ordinare: Quo deprehensi articulo gratius elegerunt, si contingeret præliando mori quàm fugere, frustrà temptãdo mortẽ suam etiã ignauiæ notã maculari; auxiliatorem sibi precantes simul & sperantes CHRISTVM, mirũ in modũ primo impetu hostilẽ aciem penetrauerunt adeo, & dissipauerunt, vt nõ valentes vltra reconglobari, de fuga potius, DEO volente, satagerent, quàm de pugna: quorũ plures occisi, reliqui victi turpiter, & fugati, laqueo quẽ ipsi parauerant deprehensi, in eam, quã foderunt pedibus piorum, foueam ceciderunt.

An. D. 1107.

Eodem anno, *Boiamundus* de Galliis cũ magnis militiæ copiis regressus, numerosâ quoq; in portu *Brundusii* classe præparatâ, Bulgariã nauigans, *Ascalone* tandẽ applicuit; & eâ sine dilatione captâ, *Dirachiũ* adiens obsedit: Quã, quia defensoribus & victualibus satis munita erat, per annũ obsidens capere nõ valuit. Moliebatur tamen, si quo modo Imperatorẽ *Alexium*, Christianis Hierosolimã peregrè petẽtibus infestissimũ, & ipsis Sarracenis longè deteriorẽ, crudeliorẽmq; inimicũ, protrahere posset in bellũ. Quòd cùm nullo efficere posset ingenio, tandẽ per internuncios cõcordia & tẽtata est & cõfirmata: *Imperatore* quidem iurãte super preciosissimas reliquias, nullũ se per totum Imperiũ suũ illaturũ Peregrinis de cætero nocumentũ; sed seruaturũ fideliter & adiuturũ: *Boamundo* quoq;, Imperatori pacem & fidẽ iurante. Quo peracto, DEO fauente, negotio, Boamundus cũ minore exercitus sui parte, *Apuliam* rediit: reliquis Hierusalẽ, sicut fouerãt, profectis; pluribus tamẽ in obsidione Dirachi, prę nimio solis ardore correptis, & defunctis, *Guidone* etiã ibidem mortuo, Boamundi fratre. Quo anno & *rex Francorum Philippus* fertur obiisse, *Ludouicum* filiũ suũ regni successorẽ relinquens. *Anno M.C.VIII.* & ab Hierusalem capta *XI.* *Bertrannus* filius Raimundi comitis *Tripolim* obsedit, *Ianuensibus* sibi cum numerosa satis classe sociatis: cui Bertranno, cõsobrinus eius *Guilhelmus* cognomẽto *Iordanus*, opidi qui *Mons Peregrinus* dicitur dominus, inuidebat potiùs, quàm congaudebat, Tripolim obsidenti; sibi potius & obsidionẽ vrbis & expugnationẽ reseruare debere asserens, & ascribi. Ille de paterna hæreditate, iste de possessione opidi pręscribebat. Sub qua discordia dũ prępeditur vrbis obsidio, & expugnatio differtur, rex *Balduinus* illuc venit, *Ianuenses* ad Ascalonã, Beritum, & Sidonẽ obsidendas, DEO volente, sibi cõciliare quærens. Verùm cùm de concordandis sibi cognatis Bertranno videlicet & Guilhelmo, Rex & Ianuenses tractarẽt, *Guilhelmus*, dum noctu equitat, incertũ cuius dolo, sagittæ ictu percussus & mortuus; & discordiæ finẽ dedit, & vrbis expugnandæ negotiũ accelerauit. Coangustantur vndique ab obsessoribus obsessi, & de vita desperare cõpulsi, ad deditionẽ coartantur & vrbis & sui: vitæ tamen & libertatis sibi à Rege pactione petitã priùs, & iuramẽto confirmatã, eo tenore, vt portas aperientes ipsi in partẽ vrbis secederent, omnes simul, inde postmodum quò vellent

An. Do. 1108.

vellent abituri. Quod dum fieret, incertum sanè quo euentu, minores Ianuensium repentino tumultu per scalas & cordas murum conscendentes, vrbē ingrediuntur; caterruatimq; discurrentes obuios quosq; obtruncant Sarracenos, eos videlicet qui secedere, quò condictum fuerat, tardassent. Nam & ipsos qui iam secesserant, similiter trucidassent Ianuenses, nisi rem cognoscens Rex, furentibus festinus occurreret, susceptos in fide taliter liberans à morte. Ita captam à Christianis Tripolim *Bertrannus* comes, Rege cōcedente, possedit, Regi proinde fidelis hominii fœdere dedicatus. *Anno M.C.X.* Februo mense necdum elapso, Rex & Christianorum exercitus *Beritum* obsederunt, Tripolitanum comitem sociū habentes *Bertrannum*. Quam LXXV, vt opinor, diebus obsessam: cùm etiā naues, quas ad subsidium inclusorum finitimi Sarraceni deduxerant, classe suâ intra portum cōclusissent Christiani: tandē, auxiliante DEO, comprehenderunt, de turribus ligneis muro admotis, ausu mirifico super murū descendentes, desilientesq; de muro in vrbem, & obuios quosq;, siue in muris, siue in plateis, Sarracenos obtruncantes. Inde cùm etiam portas sociis patefecissent, ingreditur simul toto impetu omnis exercitus, maximā hostium facientes stragem, & totā peremptorum pecuniam diripientes. Apparuit tunc rursus *cometes* per aliquot noctes, radio versus Austrum longiùs producto: viderit DEVS quid protendens. Eodem tempore *Tancredus* cum Antiochenis regem Hierosolymorum sibi contra Turcos, regionē suam infestantes, in auxilium venire flagitant: cum quo Eufratem transeuntes, Edessam victualibus copiosiùs muniunt: sed hostibus nullam sibi congrediendi facultatē facientibus, Antiocheni quidem, Antiochiam; Rex autē & sui Hierosolimā reuertuntur. Applicuerant interim Iope classe pulcerrimâ, euecti de occiduis partibus Oceani, *Norrenses* quidam, Hierusalē deuotione Christianâ properantes, fratrem Regis terræ suæ, speciosissimū quendam iuuenem, ducem habentes: parati in Terra Sancta diutiùs morari pro Christi amore, si Regi placeret; & quocunque iuberet, cum eo per mare ituri, si tantùm sibi necessariū faceret victū præberi. Quod Rex & accipiens gratissimè, & libentissimè concedens, *Sidonem* ipse quidē à terra, Norenses à mari obsidere festināt; & machinis ad vrbē impetendā præparatis, hostes vndiq; coartant; tandemq; & virtute resistendi, & euadēdi spe sublatâ, eos ad deditionē compellūt: vitæ tamen prius eis fœdere firmato. Ita solidariis quidem, quò voluerunt abeūtibus; ruricolæ, Christianis fœderati remanserunt & subiecti. *Anno M.C.XI.* ebulliens è Perside *Turcorū* maxima multitudo, & per Mesopotamiā ad *Eufraten* veniens, flumine transmisso castrū, quod *Turbessel* nūcupant, obsederunt diutiùs; sed capere nō potuerunt. Vnde secedentes, & crebris excursibus *Tancredū* & Antiochenos irritātes, cōpulerunt rursus Regis Hierosolimorū & auxiliū flagitare, & aduentum. Cum quo *Apamiam* vel potiùs *Ahalapā* vrbē, præcedente anno probè satis à Tācredo captā adeūtes, munierunt; & Turcos in sua se retrahere cōpellētes, cùm eos in pugnā protrahere nō valerēt, quisq; in sua redierunt. Inde Rex *Tyrū* obsedit quidē cū multo apparatu, & vt eā expugnaret diutiùs laborauit; sed inefficax totus tunc eius extitit conatus: eò quòd duas turres ligneas muro altiores admotas, de duabus muri turribus à Sarracenis nocte vnâ * iaculantes mirâ se probitate defensarunt: & machinis ad extremū concrematis, Regem & suos inde recedere compulerunt, dolētes nimis, quod tam diuturnum laborem inefficacem ita perdidissent. Annum sequentem *M.* videlicet *C.XII.* Rex & Hierosolimitæ à bellis, DEO miserante, habuerunt quietum: Antiocheni verò solito tristiorem eum duxerunt, *Tancredo* principe defuncto, & morte suâ finitimos hostes in se proteruiùs insurgere, irritante. Obstitit tamen pro posse improbis *Rogerus* defuncti cognatus, principatus Antiocheni successor effectus. *Anno M.C.XIII.* mense Martio, cōtigit Solem quasi quartâ formæ suæ parte, ac si cornutū, prius à summo, demùm ab imò videri, à mane vsq; ad tertiā; nec tamē claritate suâ omninò priuari. Incertū sanè, vtrū ex cōcurrente occursu Lunę tūc XXVIII. eclipsim passus sit Sol; an aliquid prodigiū extiterit. Æstiuo deinde tēpore cōgregati *Turci*, flumine transmeato *Eufrate*, per Siriā, inter Damascū & Antiochiā trāseuntes; & inde per Phœnicis regionē inter Tyrū & Paneadam, quæ & Cæsarea Philippi dicitur, peruagātes; mari etiā Galileę circūito, & terrâ Neptalim & Zabulō versus Austrū peragratâ: tādē se inter duo flumina, *Ior*, sc. & *Dan*, incluserūt, in insula parua quidē, sed fluminū ambitu circūclusa, pōtibus etiā duobus hinc inde munita

Margin: A. D. 1110. — A. Dn. 1111. — * — A. Dn. 1112. — A. Dn. 1113.

A. D. 1113.

castra sua collocâtes. Qui locus adeò oportunus eis erat & cômodus, vt & inde quò vellent, excurrere possent; & impeti vel angustiari nô facilè possent, artis pontium meatibus muniti. Quem locum cùm Rex & sui, audito hostium accessu, præoccupare festinarent, à *Ptolomaida* moto exercitu, insidias incurrerunt ab hostibus sibi iã exinde paratas, adeò periculosè, vt Rex ipse, & vexillo & temptorio peroptimo amissis, vnà cum Patriarcha fugere cogeretur, milia fermè triginta, & peditibus mille ducentis, heu, prô dolor! extinctis. Contigit & hoc Regis immoderatâ prorsus & inconsultâ festinatione: qui militiâ suâ non exspectatâ, improuidè nimis & inconsideratè præcesserat, nec consule Tripolitano, nec principe Antiochiæ Rogero sibi adhuc sociatis. Qui cùm venissent, audito quod acciderat, Regis immode- 10 stiam culpantes, in monte prefatæ insulę præminente, castra sua & ipsi locauerunt. *Maledoctus*, insulanorum illorum Dux dicebatur; qui rege Damasci *Tuldequino* sibi sociato, insulam illã asseruabat sibi diutiùs; nec vllam côgrediendi secum facultatem Christianis præbebant. Coërceri tamen non poterant Insulani à montanis, quin cateruatim procedentes, & Christianorum vastarent terras, & victualia sibi in Insulam conuectarent. Tunc & hi qui subiecti fuerant Sarraceni, à Christianis recesserunt, angustantes eos vndique; & nec nuncium ab aliis ad alios dirigi sinentes. *Neapolim* ipsam, antiquitus *Sichem*, vel *Sichimam* nuncupatam, interim occupauerunt hostes, & penitus diripuerunt. *Ascalonitæ* & *Arabes* Hierusalem adeuntes, antemurale vrbis occupauerunt, messes multas ibi congestas succêdentes, sequenti- 20 que nocte, lætantibus Hierosolimitis abscesserunt. Nec qui in vrbibus vel oppidis erant, nec qui in castris de se inuicê rescire poterant: ita planè in angusto positę erât res Christianorum, vt nec messis, quæ plurima eo anno prouenerat, collegi posset, sed in agris relicta periret. Turbatur & mare plus solito; & vel piscandi maritimis denegat facultatê: concutitur & terra bis, terræmotu horrisono; & ædificiorũ euersionem, arescentibus præ timore minatur mortalibus. Obsederant omnia Christianorum loca, profunda silentia: quædam mortis imago stupefactos, & præ pauore penè exangues, vniuersos ibi obtexerat Christianos. Intelligebant euidêter omnes qui sanum aliquid sapiebant, irati sibi DEI hanc esse vindictam. Taliter duobus integris mensibus afflicti, tandem, miserante DEO, & iram in gratiam conuertente, 30 respirauerunt Christiani. Nam aduentantium de transmarinis partibus peregrinorum copiis, videntes Insulani illi exercitum indies augeri Christianorum, DEO eos perterrente, secesserunt post duos menses in partes Damasci; & Regi cum suis, facultas patuit in Ptolomaidam reuertendi. Vbi & *Comitissam Siciliæ* Rex repperit applicuisse, *Rogeri* fratris Rotberdi Guischardi, quondam coniugem. Postmodũ suam regis futuram vxorem. At verò *Maledoctus*, Damascum cum *Tuldequino* rege ingressus, nec morâ, iudicante DEO, dolo ibi à quodam sicario peremptus, & affligendi Christianos facultatem perdidit & viuendi: vir, quondã & diuitiis & armis potentissimus inter omnes Turcos, & in omnibus actibus suis astutissimus.

A. D. 1114.

Anno M. C. XIV. prius *locustarum* multitudine infinitâ ex Arabiæ partibus conuolante, 40 territorium Hierosolimitanum, per dies aliquot vehementer vastatum est: mense Aprili vel Maio & sequenti *terræmotu* horribiliter côcussum; *Mamistriæ* vrbis pars nonnulla subuersa; in regione quoq; Antiochia plurima oppida, quædam media, quædam ex integro, solotenus cum parte plebis subruta: itemque in vrbe quam *Mariscum* nuncupant, populus vniuersus repentinis ædificiorum ruinis præfocatus, heu prô dolor! terribiliter & miserabiliter extinctus: in Eufratesia etiam opidũ, quod *Trihalec* nuncupant, funditùs euersum.

A. D. 1115.

Anno M, C, XV, Turci, solitâ proteruiâ regressi, & castra vbi solebant inter Antiochiam & Damascum locantes, & Hierosolimitas & Antiochenos rursus contra se compulerunt conuenire: *Tuldequinum* quosque Damascenorum regem, morte Maledocti, dolosè ab eo perem- 50 pti, exosũm sibi factum, cum Christianis coëgerunt pacem facere, metuentem, ne non posset eorum impetus solus sustinere. Verùm cùm & Damascenos comperissent Christianis fœderatos, contra se ad bellum conuenisse, clanculo recedentes, occultantesq; se in caueis delituerunt, donec & Christianos, Antiochiã Antiochenos, & regem cum suis Tripolim, & Damascenos in sua comperissent recessisse; arbitrantes quòd Turci Eufrate transmisso in sua & ipsi remeassent. At verò *Ascalonitæ* interim, Regis & exercitus Christianorum absentiâ furoris suis faciendi nactos

se occa-

se occasionem rati, concurrunt, *Iopem*, classe Babylonicâ, septuaginta fermè naues habente, roborati, terra marique obsidentes eam, & fortissimè oppugnâtes, adeò vt etiam scalis secum ad hoc delatis murum contenderent ascendere, & comprehendere se vrbem posse putarent. Verùm ciuibus paucissimis quidem & debilibus, fortissimè tamen se defendentibus, cùm, quod frustra sperauerunt, non valerent, DEO protegente suos, efficere, portis vrbi igne iniecto combustis, recesserunt confusi, ne ab Hierosolimitis superuenientibus opprimerentur metuentes. Post dies tamen decem obsidionem eandem terra marique repetentes, fortissimisque inuasionibus vrbem impetentes, DEO pro suis resistente improbis, cùm nihil efficere præualerent, inualetudinem suam stupentes impii, recesserunt; plures secum de suis, occisos ibi, deferentes, de caballis quoque suis pluribus amissis. At verò hi, de quibus supra dictum est, *Turci*, Christianos excessisse comperientes, de latebris suis erumpunt, & stationis solitæ locum rursus occupantes, per regiones Syriæ discurrebant, rapinis & incendiis quæque poterant, vel oppida vel villas, pessundantes. Quâ rursus Antiocheni necessitate in exercitum coacti, maluerunt se discrimini committere, quàm totiens ab improbis fatigari. Vnde, nec Hierosolimorum, nec Damascenorum, sed solius DEI expetentes auxilium, & exspectantes, licet admodum pauci, audacter tamen innumeros & expetierunt hostes & impetierunt: adeò, vt, quamuis validissimè repugnantes, tamen, DEO propugnante, tandem eos fugam inire compellerent; & relictis omnibus, armis quoque proiectis, terga victoribus cedenda præbere. De quibus tria millia occisi, capti verò quàm plurimi: reliqui omnes & tabernaculis & vtensilibus, vecturis quoque, & pecuniis omnibus adeò nudati diffugerunt, vt equorum, mulorum, camelorum non fuerit numerus captiuorum; quadringenta quoque millia æstimata sint aureorum: &, quod his omnibus maius atque præstantius est, recuperata quàm plurimorum captiuorum libertas Francorum, siue Sirorum. Verè mirabilis in cunctis operibus suis DEVS. Ecce cùm multi fuissent simul Christiani, tam Hierosolomitæ quàm Antiocheni, vel fugerunt victi, vel omninò parum profecerunt. Nunc soli cùm essent Antiocheni, paucitate suâ prouocatam in prælium plurimam hostium multitudinem, DEO fortes, fuderunt, strauerunt, captiuauerunt; tantaque cœperunt spolia, vt & æstimationem, pondus & numerum vinceret multitudo. Quare hoc? nisi vt euidentissimis clarescat indiciis in nullo nisi in DEO gloriandum homini, qui per se nihil valens, audet tamen gloriari, quia in seipso fecerit virtutem, & non in DEO? Cuius præsumptionis timore, nihil apud DEVM abominabilius, nihil esse execrabilius potest: sicut è diuerso, nihil gratius, nihil acceptabilius, quàm verè humili & deuoto corde intelligere, quia omnia opera nostra operatur nobis ipse. Verùm, quos ita per se protegebat pius; per se quoque ipse corripiebat iustus. Eodem anno & *Mamistriam* terræmotu subuertens, vrbem olim satis illustrem; & pleraque alia in territorio Antiocheno loca, horrore simili concutiens. Eodem anno & *Arnulfus* Patriarcha, à quodam Romanæ vrbis legato de sede sua eiectus: sed ab ipso populo Romano, Romam veniens, ad suam sedem rediit, restitutus. Quo tempore & Rex Hierosolimorum in Arabiam profectus, castrum ædificans in monte quodam naturali situ satis munito, *Regalem* hunc *montem* nuncupauit: Custodes ibi & habitatores idoneos ponens, quorum obiectu prædonum latronúmue ex Arabia erumpentium præpedirentur excursus. Quod castrum tribus à Mari rubro distans mansionibus, quatuor ab Hierosolimis disparatur diætis. *Annum millesimum centesimum decimumsextum*, Hierosolimitæ, DEO fauente, bellis duxerunt quietum. Quo anno Rex cum ducentis militibus *Arabiam* ad ipsum vsque *Mare Rubrum* perambulans, *Helim* ciuitatem, primam Israëlitarum post transitum Maris rubri, mansionem, intrauit, habitatoribus omninò tunc vacuam: incolis eius aduentus Regii timore, Mare Rubrum nauigio * alterius ingressis. Peragrato ibi litore maris; & ruboris eius causa, non in aqua, cuiuslibet maris aquæ simillima, sed in arena esse animaduersa, Rex cum suis *Montem Regalem*, & inde *Hierosolimam* reuersus, *Comitissam Siculorum*, non legitimè ductam vxorem, mortis timore perterritus, ablaterauit, ei, quam pelicis amore dimiserat, reconciliatus vxori legitimæ adhuc viuenti. Ita corripuit eum DOMINVS, & correxit, mortis timore liberans reum à morte.

A. Dni. 1115.

A. Dn. 1116.

10 20 30 40 50

A. D. 1116.

Verum de situ *Maris Rubri*, quia se obtulit occasio, hoc breuiter memorandum: quod ab Oceano deriuatum, a parte Australi versus Septētrionem porrectum, nec longè à monte *Syna* terminatum, à Mediterraneo mari, versus Iopem & Ascalonam, quatuor vel quinque mansionibus dicitur abesse; & sinu latissimo totam Ægyptum, Numidiam quoque & Æthiopiam à Septētrionali plaga concludere. Vnde mirandum nimis quonam modo *Gyon*, qui & *Nilus*, de Paradiso in Oriente, vt credendum arbitror, sito, versus Ægyptum tendere possit; *Eufrates* quoque Armeniam, Mesopotamiamque permeare, cum inter primos ortus suos, & eas quas pertranseunt regiones memoratas Mare Rubrum, flumina hæc habeāt interiectum. Nam, quod post longos terrarum tractus subterraneos, cursus suos, nouis quasi ortubus, probantur super terram sæpiùs efferre, mirum vel ipsum Mare Rubrū, siue inter siue subter currendo, possint memorata flumina pertransire, vt ad ortus, quos post Mare Rubrum renouant, possint peruenire. Potest & hoc, qui omnia potest, facere DEVS: quo autem modo fiat, nec visu, nec auditu, nec lectione vnquam potui vestigare. De Scripturæ tamen Sacræ veritate, nullo nos modo oportet dubitare: docentis memorata flumina, & de Paradiso illo prægrandi fonte, ortus primos habere; & ipsa esse, quæ iam dictas regiones vel circumire noscuntur, vel permeare. Quibus autem, siue per medium Mare Rubrum directis quidem meatibus, sed ignotis; siue quamlibet sinuatis, subtus terram circuitibus, ad nota vsque defluant loca: quia peruestigare non valemus, eius hoc totum dimittamus prouidentiæ, quem & in supinis præcelsorum montium cacuminibus, viuidos ortus fontibus dare videmus; & *in nubibus*, sicut & Scriptura dicit, *aquas ligare* perspicimus: quem denique in cœlorum sublimibus, aquas ab initio locasse, & perpetuò continere non dubitamus, visibili hoc cœlo, hoc est, firmamento, in diuisione aquarum mediè librato. Sed iam ad historiæ ordinem recurramus. *Anno M. C. XVII* hostium vice Hierosolimitanum totum fere territorium infinitæ multitudines occupauêre *locustarum*, ita cateruatim continuatimque de pessundatis iam locis ad alia procedentes pessundanda, vt ex deuoratis cunctis virentibus terræ perpendere euidenter liceret Dominum præcepisse locustæ in disciplinatorum deuorare terras incolarum: si fortè reuertentes ad cor animaduerterent peruersi quàm non locustis vastandi, sed ipsis Sarracenis tradi mererentur trucidandi. Sequente Iunii mense, *Luna* post galli cantum prius tota rubea intuentibus visa, dehinc vsque ad luminis extinctionem fusca effecta, vtrum vel sanguinis effusionem rubore, vel nigredine famem futuram protenderet, aut ex obiectu terræ vmbrata eclipsin solitam pateretur, suspectos coniectores fecit: post duas ferè horas, pleno terciædecimæ formæ suæ fulgore recepto. Solet enim circa plenilunium Luna obiectæ inter se & solem terræ, quasi acuminatam vsque ad se vmbrā, vel tota vel ex parte incurrere: ac sic fulgoris sui dispendium, donec eandem vmbram alibi magis, alibi minus sibi * propinquitatem, euadat, ferre. Quod ne omni plenilunio eueniat, ea facit causa, quod Luna non eâdem semper viâ Zodiacum peruolat. Vnde tunc solum, iam dictum luminis patitur defectum, cum eas cœli partes plena peragrat, ad quas vsque maiores oppositi terræ tumore vmbras suas altius possunt efferre; Solisque deorsum currentis, accurrente desuper Lunâ, radios præpedire: Quod cum euenit, nescientes causam mirari facit, & portentum aliquod suspicari, cum naturalis Lunæ cursus in causa tunc sit, & efferentis se altiùs quàm Luna currit, vmbræ terrenæ incursus. Verùm hoc breuiter intimato; historiæ res gestas vt cœpimus, exsequamur. Secutus est locustæ pestem, sexto Kalend. Iulii horribilis nimis *terræmotus*, iram DEI præmonens citius debere placari. Concutiebantur ad ruinam ædificia, vt dura hominum stolidorum ad pœnitentiam concuterentur corda. Ædificatum per idem tempus castrum quoddam prope Tyrum, Rex *Balduinus*, quod intra quintum ab vrbe lapidem situm, *Scandaleon*, id est, campū Leonis, antiquitùs aiunt, nuncupatū: cuius diruta Rex diligenter reparans, custodes in eo idoneos locauit, vt eorum potentia, & prædonum excursus coërcerentur Tiriorum, & futura eiusdem vrbis præpararetur obsessio. Secutum est eodem anno, mense videlicet Decembri, tam mirabile quam insolitum signum in cœlo: cœlum ipsum, scilicet in Septentrionali plaga, primo noctis conticinio, ex magna parte igneo siue sanguineo fulgore respersum, radios albuni coloris ab imo sursum mixtim habens interpolatos,

Iob.26,8.

A. D. 1117.

polatos, & nunc ante, nunc retro, nunc & in medio subitis mutationibus intermixtos: inferior autem pars cœli, quam dicunt *orizonta*, quadam quasi noua albescat aurora: primam verò eiusdem vel ruboris vel alboris frontem maior quædam & clarior præcedebat velut Oriens Luna, adeo vt circumiecta quæque subtus loca clarius vndique candesceret, eodem fulgore illustrata. Coniectabant qui hoc suspiciebant signum, vel multum sanguinem in bello præsagari fundendum; vel alias quaslibet, & terribiles rerum portendi mutationes humanarum. Qui modestius sapiebant, nihil temerè censebant suspicandum, sed *dimisso diuinæ prouidentiæ & rerum & temporum moderamine, de sola morum peruersitate corrigenda, & imploranda propitiatione diuina laborandum*, commonebant. Defunctarum tamen post ante annum sublimium in hoc seculo personarum, plures præmisso præsignari casus opinabantur: Romæ *Paschalis* Papæ, mense Ianuario; Hierosolimis *Balduini* Regis, mense Aprili; *Arnulfi* quoque Patriarchæ, & Imperatoris Græcorum *Alexis*: nec non & aliorum defunctorum per idem tempus plurimorum huius Magnatorū mundi.

A. D. 1117.

Anno M. C. XVIII. Rex *Balduinus* elapso mense Martio, cum vrbem versus Ægyptum sitam, quam *Pharamam* incolæ nuncupant, diripuisset, die quodam Nili littora cum suis peragrans, cum de piscibus eiusdem fluminis in præfato opido comedisset, irritatum noxii cibi nouitate, acerbissimè sensit veteris plagæ suæ dolorem renouari: adeo vt equitare non valens letica de papilionum sudibus facta deferebans, vsque ad villam quæ dicitur *Laris*, Hierusalem rediens, reportaretur. Vbi cum esset, cicatricis inremediabiliter dolentis langore, per dies ingrauescente, ad mortem vsque perurgetur; & inter suos non sine grandi dolore & luctu cunctorum, defungitur, octodecim annis in regno Hierosolimorum exactis. Cuius interaneis lotis, qui aderant diligenter, & sale conditis, Hierosolimam, funeris baiuli, mœsti omnes properant Regis commilitones. Accidit sanè mirâ & inopinatâ, Dei, vt credendum reor, ordinatione, vt eo die & horâ quo *Pascha floridum* celebrans ex more populus Hierosolimorum, solempnem ageret processionem, de monte Oliueti in valle Iosaphat descendens cum Palmarum Ramis, militia quoque regii funeris latrix occurreret eidem processioni; sed plorans cantanti, dolens gaudenti, gemens & vlulans exultanti. Verùm re, sicut erat, cognitâ, facta est lugentium, quæ cantantium erat, processionalis tota caterua; totusque ille est in planctum chorus conuersus. Vlulant Franci, lamentantur Syri, Sarraceni & ipsi qui subiecti seruiebant, tristantur. Quis enim se continere a fletibus tunc posset, vbi totius patriæ propugnacula in vno cerneret corpusculo concidisse? Itaque in tanto dolore, quod superat curatum est exequiarum & sepulturæ: & sepelierunt eum, regiâ ambitione, in Golgotha iuxta germanum suum, regem videlicet Godefridum. Cuius Mausoleo epitaphium inscripserunt, versibus heroicis conscriptum. Deinde inito salubri consilio Hierosolimitæ, defuncti cognatum regem sibi illicò creauerunt, alium *Balduinum*, & ipsum consulem Edessenum, diuinâ prouidentiâ Hierosolimis, gratia colloquendi cum cognato, tunc positum: sed cui colloqui morte præuento non potuit, communi electione in regnum sepulto successit: ipso quidem die electus ab omnibus; sequenti vero Dominicæ Paschæ die, Regali vnctione consecratus: Videlicet præcauentes ne dilatione, vel ab hostibus aliquid contra se præsumeretur audacius, vel ab ipsis Christianis maligniùs nouaretur, ambitione instigante. Contra nouum regem noua confestim emergunt bella: cum eodem subsequente æstiuo tempore *Babilonii* simul, & *Damasceni*, viribus & copiis in vnum apud *Ascalonem* coactis, ad quindecim equitum & viginti peditum millia conuenientes, Christianum & populum & nomen exterminare pararent. Classis insuper non modica portu Tyri applicata, & arma & victum exercitibus conuectarat copiosum. Scientes itaque & Rex populusque Hierosolimorum, bellum sibi parari tam periculosum, Tripolitanos simul & Antiochenos per legatos euocant; & simul cunctis vndecunque viribus contractis contra hostes prope Ascalonam properant, castra sua è regione castrorum ita locantes, vt & videre & videri semper ad inuicem possent. Verùm quia & illi Christianis, ex numero; & isti Sarracenis, ex animo valde formidabiles erant, per tres continuò menses, alii contra alios sedentes, castra sua asseruabant, calentes vtrinque, & congressum semper differentes. Ita tandem diuturno affecti tædio Sarraceni, recesserunt absque prælio, co-

A. D. 1118.

piam facientes Hierosolimitis, cum trecentis de Antiochenis ad subsidium secum retentis, Hierosolimam optato tandem reuertendi, Tripolitanis cum reliquis Antiochenorum ad sua prosperè regressis. *Anno ab incarnatione Domini M. C. XIX.* quæ & quanta Antiochenos inuoluerint mala, & veritas historiæ iubet euoluere, & horror magnitudoque cladis prohibet referre. Sed nescio quid Christianis præstaret, eorum ipsis malorum subtrahere verba, quorum illi pertulerint facta: Quin potius noceret etiam perditis, exempla subprimere eorum perditionis, quandoquidem & ipsis forsitam sit peruersis vtile, ipsorum exitio ab eorum deterreri imitatione. Quòd si fortè ipsis nihil conferat damnatis, quomodo & quare perierint nosse; sequentibus tamen celeberrimum, fortè potest, cognitis aliorum ruinis, aliis cauere ruinosis. Proinde non ignoraretur Antiochenos omnes ferè & nobiles & plebeios, vnà cum principe suo *Rogero*, prope *Arcasium* opidum, simul esse vnâ die à Turcis interemptos: quorum septem feruntur millia occisi; de Turcis verò, nec homines viginti. Ita vendiderat eos DEVS sine precio, qui corrupti fuerant & sibi abominabiles facti: adeò vt etiam princeps ipsorum *Rogerus*, adulter non vereretur esse publicus, pluribus ciuium & huius, & aliorum scelerum nequitiis, ducis exemplo maculatis. Quin & dominum suum *Boamundi filium* in Apulia cum matre cogebat exulare: nec iure, vt princeps: sed crudelitate, vt tyrannus omnia agebat: nec DEO subiectus, nec hominibus modestus existens, dignus qui similibus esset prælatus. Ita superbia & luxuria omnia sibi apud Antiochenos vendicarant. Vnde non mirum si captiui criminum, & viciorum serui, traditi sunt hostibus perimendi: vt intelligant exitiorum exemplis concussi, qui verbis admoniti intelligere nolunt, *mortem esse stipendia peccati.* Prodierat quidem quasi ex adipe iniquitas Antiochenorum, vnde non fuit respectus morti eorum: dum iam Omnipotentis patientia, tantorum non posset culmina malorum vltrà ferre multa. Animaduertat hinc gens absque consilio & sine prudentia, quæ iram Domini irritare non pertimescit, commeruisse quidem se vt cessare faceret DEVS ex hominibus memoriam eorum: sed tamen eius exterminationem propter iram inimicorum esse dilatam; ne fortè superbirent hostes eorum & dicerent: *m. n. e. & n. d. f. hæc omnia.* Vnde nec peremptores Antiochenorum Turci de sua sunt in longum gauisi victoria, victi paulò post à paucis, qui de pluribus paulò ante triumphassent. Quod qualiter gestum sit, latiùs memorandum est: Cùm primo Turcorum aduentu permotus Antiochenorum & princeps & populus, Regis Hierosolimorum & aduentum implorassent per legatos, & succursum; *Rex* cum Patriarcha, relicto interim bello, nec longè à Iordane sibi à Damascenis intentato, ipsis tamen vno impetu de stationibus suis eiectis prius, & in fugam actis, Antiochiam festinabundus tendebat, eis, si ante bellum potuisset occurrere, auxiliaturus. Venerat cum eo & consul *Tripolitanus*, *Cæsariensis* quoque *Episcopus*, vice Patriarchæ Crucis Dominicæ baiulus. Qui, cùm Antiochiam peruenissent cum rege milites ferè ducenti quinquaginta, cognito, quod iam acciderat, Antiochenorum excidio lamentabili, & congruo planctu prosecuto, euocant Edessenos, & bellum Turcis iterum inferre parant. Qui vndecunque congregati fuerunt ferè milites septingenti; contra viginti millia Turcorum pugnaturi. Quis hoc audiens non horrescat? Quis non contremiscat, tam dispari prælii apparatu? Quorsum hoc, nisi vt intelligant mortales miseri, non se in se debere gloriari; sed in eo solo, apud quem nil refert in paucis vincatur, an in multis? Quod intelligens aliquatenus Turcorum quidam, fertur cuidam militi Christiano, cùm animaduertisset eum linguam nosse Persicam, exprobrando dixisse: *Quæ est ista vestra, non audacia, ô Franci, sed insania, vt contra tam plurimos, tam paucissimi vel conuenire ausi sitis vel pugnare, cras procul dubio, vincendi à nobis, & ad nihilum redigendi? Scimus enim pro certo, quod dereliquerit vos DEVS vester; & legis suæ desertores, vos vltra non adiuuabit; frustra de eius confiditis adiutorio, cuius legem reliquistis, nec fidem, nec veritatem inter vos, vt solebatis, conseruantes. Nam si DEI vestri legem & fidem seruaretis, adhuc sicut solebatis, & terribiles nobis ex more, & insuperabiles essetis.* Heu, proh pudor! quòd perfidiæ fideles; & huius, à perfidis arguuntur! Erubesce, ô Christiane, sacræ legis transgressionem à tuis tibi hostibus obiectari: Erubesce, inquam, veritatem tibi à filiis falsitatis exprobrando prædicari. Nam si in via DEI ambulasses, habitasses

A. D. 1119.

Rom. 6, 23.

Deut. 32. 27. *Manus nostra excelsa; & non Dominus fecit hæc omnia.*

10 20 30 40 50

habitasses vtique in pace super terram. Erubesce ergo, erubesce populus DEI; & toto corde conuerte te ad eum qui te & exspectat adhuc, & inuitat etiā per linguas inimicorum suorum ad se conuerti. Committitur itaque bellum sequenti die grauissimum, & vtrimque diutiùs acerrimè pugnatur. Victoria diu quidem anceps fuit, dum pars aliorum, ab aliorum parte ita superati sunt tandem, & in fugam acta, vt vsque Antiochiam fugerit disgregata à collegis pars Christianorum; & in Persidam, siue in Halapam pars maxima fugerit Turcorum. Rex etenim Hierosolimorum & Tripolitanorum consul cum suis, Crucis Dominicæ præsentiâ & virtute roborati, eius baiulum *Cæsariensem* nunquam deseruêre Episcopum: sed in campo belli semper & illæsi perstiterunt & inuicti, donec post biduum, nullo de Turcis redeunte ad bellum, inde sunt Antiochiam cum lætitia magna reuersi. Exierunt obuiam victoribus Patriarcha; & populus qui supererat Antiochenus: Omnipotenti DEO agentes gratias, & laudes debitas reddentes, quòd ira in misericordiam esset conuersa, & per virtutem gloriosissimæ Crucis, eius cultoribus victoria de hostibus, & vindicta fuisset restituta. Ibi Rex cum suis recreatus aliquantâ quiete, & totius regionis princeps & dominus ab omnibus fieri postulatus, Regno Hierosolimorum principatum adiecit Antiochenorum, multò latiùs hoc habens quàm veterum quilibet Israëlitarum. Inde Crucem Dominicam delectis perlatoribus commissam, Hierosolimam remisit, ipso exaltationis eius die, DEO disponēte, Hierosolimis cum ineffabilis gaudii tripudio excipiendam ab omni populo fideliter, & adorandam. Cumque *Rex* Antiochiæ aliquanto tempore demoratus, mortuorum in bello ciuium prædia & possessiones vel hæredibus legitimis, vel congruis possessoribus locasset, viduas maritis, & protectoribus pupillos tradens, reuersus Hierusalem, Dominici Natalis die cum vxore sua coronatus est in *Bethlehem.* *Anno ab incarnatione Domini M. C. XX.* rex *Balduinus* venditores vel tritici vel leguminum omnes intra portas Iherusalem ab omni consuetudine absoluit, ipsam modii mercedem, quàm *iumagium* vocant, remittens. Audiens autem, cunctis deferentibus nunciis, rursum *Turcos* Eufrate transito Syriam ingressos, non tardauit postulatum *Antiochenis* contra eos ferre succursum: Cruce Dominicâ à clero Hierusalem & Patriarcha, humiliter quidem petitâ prius, & fideliter satis, sed omninò ægrè obtentâ, dum vel illi formidant sine illa proficisci; vel isti, illâ recedente pertimescunt remanere. Ita certabant inter se fidelis populi spes & deuotio. Vicit ea quæ vincere debuit, fraternæ miseratio charitatis; & necessitati periculi imminentis consultum est obuiandum fore potiùs quàm voluntati propriæ faciendum. Prosecuti sunt eam nudis pedibus, cum Patriarcha, clerus & populus Hierosolimorum vniuersus: sicque cum ea profecti sunt Rex & sui; populus & clerus, ad vrbem sunt flentes reuersi. Iam Turci Antiochiam vndique angustabant, totam circa regionem incursantes improbissimè: & egressum Antiochenis vel regressum vix vsque ad primū ab vrbe lapidē patere sinentes. Qui tamē Regis aduentum prænoscentes, statim versus *Caliptum* se retraxerunt, tria Damascenorum millia militum euocantes sibi ad supplementum exercitus; & nec sic tamen Regi obuiare, vel cum eo congredi præsumentes: ad quos cum Rex propiùs accessisset, adeò vt iactis vtrinque sagittis, plures vndiq; vel sauciati vel interfecti corruerent, post triduum, recusantibus omninò bellū committere Turcis, Christiani Antiochiam, Turcorum pars maxima in Persidam redierunt. Ita Crucis Dominicæ virtute perterriti, non ausi vel inire prælium Turci, Syriam, quam circa Antiochiam latiùs occupauerant, Antiochenis interim liberam reliquerunt. Rex verò Crucem Dominicam, cum debita honorificentia, Hierusalem remittens, ipse ad tempus Antiochiæ remansit, inimicorum prohibens præsentiâ suâ recursus. *Anno ab incarnatione Domini M. C. XXI.* regressus ab Antiochia Rex, congregato omni à Sidone vsque Iopem populo suo, transiens Iordanem, regem Damasci, cum Arabibus sibi fœderatis, Christianorum terras versus Tiberiadam vastantem, in sua refugere coēgit, solo aduentus sui nuncio perterritum. Quem Rex biduo insequens, cùm consequi non posset, reuersus ad quoddā castellum octauo à Iordane lapide à Damascenis ædificatum, *Iarras* nomine, obsedit illud: & machinis coërcens expugnauit, custodibus eius XL. Turcis ad deditionem, sub fœdere libertatis & vitæ, coactis. Quod obtentum, Rex ad solum vsque dirui fecit, perspiciens hoc nec sine difficultate magnâ,

A.Dn. 1119.

A. Dn. 1120.

A. Dn. 1121.

vel muniri posse vel retineri; nec sine grauissimo Christianorum nocumento, ab hostibus recuperatum possideri. Fertur hoc olim insignis in Arabia ciuitas extitisse, *Gerasa* nuncupata antiquitus, situ loci fortis, lapide magno & quadro altiùs fundata & sublimiùs murata, proxima monti Galaad, & quondam in tribu Manasse instituta. Quod superfuit huius anni, pace hostium, & vbertate glebę prosperum, Christiani, DEO fauente, transegerunt. *Anno à natiuitate Domini M.C.XXII.*

A.D. 1122.

Rex à Ptolomaida exercitu moto, *Tripolim* est profectus, contemptum & rebellionem debellaturus *Pontii* consulis Tripolitani, repudiantis regi Hierosolimorum subiici, contra morem patris sui *Bertranni*; & debito ei hominio fœderari. Verùm, DEO volente, cùm Comes, meliore vsus consilio, debitam Regi subiectionem fecisset, pacati sibi & amici, rex & consul sunt effecti. Interea legationem *Antiochenorum* deferens Archiepiscopus quidam, Tripolim venerat ad Regem, succursum flagitans Antiochenis contra Turcos ferendum, totas circa regiones sine obstaculo deuastantes rursus longè lateque, & occupantes. Quo audito Rex gloriosissimæ Crucis Dominicæ præsentiâ munitus, continuò Antiochiam properat, trecentos secum lectissimos milites ducens, & equites trecentos, ad sua cęteris remissis. At verò *Turci* Regis aduentu, more suo perterriti, *Sardanium* castrum, quod iam obsederant, reliquerunt, ad sua se retrahentes. Rex inde, Antiochiam; Turci, ad incepta recurrunt. Occurrit rursus Rex regressis: & nec sic gens congrediendi secum illa Parthica facultatem præstat occurrenti, more suo semper instabilis: nunc dorsum, nunc visum agiliùs quàm opinari possis hostibus obuertens, vt cùm eam fugere putes, recursum repentinum, & impetus subitos necesse sit caueas; & vnde te credas vicisse, videre ne vincaris obseruare oporteat. Ita gens perfida & quietis omninò impatiens, dum Regis & suorum constantiam perviderent, & suam sibi nihil valituram astutiam, tandem ad sua recesserunt, congressum vitantes omnino, & victoriam sine sanguine Christianis relinquentes. Et cui alteri nisi gloriosissimæ Cruci Domini nostri IESV CHRISTI talis est assignanda victoria, in qua nec congredi ausus hostis, illæsus superatur; & victor, nullo sui dispendio victoriâ potitus, gloriatur? Quis non miretur, decem millia armatorum, mille ducentos timuisse? & vitato congressu ceu victos abscessisse? Proinde seruis Crucis absit gloriari nisi in virtute Crucis, in cuius cornibus, vt ait Scriptura, crucifixi est abscondita virtus; ea videlicet virtus quæ sequenter exprimitur, cùm dicitur: *ante faciem eius ibit mors: egredietur Diabolus ante pedes eius.* Pedes eius, baiulos eius, cultores, prædicatores eius esse aduertamus, ante quos Diabolum in satellitibus suis egredi, & fugere conspicimus, congredi verentibus & properantibus regredi, vt & fidelibus Crucis liceret cum ipsa Cruce ad sua reuerti. Ita cùm vsque Tripolim Rex Crucem Dominicam reduxisset, cum parte exercitus eam inde Hierusalem remisit, ipse cum reliquis Antiochiam reuersus. Interea *Balach* Admiratus quidam, astutiâ & malignitate nulli secundus, consulem Edessenum *Goscelinum* cœpit, & cum eo cognatum ipsius *Galerannum*, insidiis circumuentos, sociis eorum, centum militibus, crudeliter trucidatis. Reliquum huius anni spatium, neque Parthia, neque Babylonia Christianis fecit inquietum, Domino IESV CHRISTO donante & quietum eum esse, & fruge omnimodâ satis opimum. *Anno ab incarnatione Domini M.C.XXIII.* illa inter Imperatorem Almanniæ *Henricum*, & Papam Romanum diutiùs protracta discordia, tandem DEO est volente terminata, & regnum sacerdotio fœderatum, agente Papâ tunc *Calixto* secundo. Eodem anno *Venetici*, numerosâ satis & pulcerrimâ classe, centum videlicet nauium, præparatâ, Hierusalem adire & CHRISTI Domini, vel amplificare ibi nomen & cultum, vel roborare deuouerunt: *Carabos* insuper quàm plurimos, & naues onerarias, alias triremos, alias rostratas habentes: in quibus & magnæ proceritatis ligna posuerunt, construendis vbi opus esset machinis apta. Inerant autem nauibus, ter quina armatorum millia; equi verò non plus quàm trecenti. Itaque præcedente quidem anno, de terra sua egressi, in Insula *Curpho* nuncupata, hyemauerunt; isto autem qui nunc habetur in manibus anno, tandem in Syria applicuerunt: Quod priusquam fieret, contigit & regem Hierosolimorum, insidiis *Balach* circumuentum, abduci captiuum; & apud *Cartapetam* munitissimum eiusdem Balach castellum, in arce ipsius cum *Goscelino* & *Galeranno* reponi, diligenter obseruandum. Quo infortunio,

Gal. 6, 14.

Habac. 3, 5.

A.D. 1123.

infortunio, quid iocundius Sarracenis; quid Christianis tristius horribiliusque possent euenire, nescio. Quod postquàm Hierosolimis & circa per totam regionem vulgatum est, conuenerunt apud *Ptolomaidam* cum Patriarcha, proceres totius Hierosolimorum regni ferè omnes, tractaturi inter se in tanto discrimine quid facto opus esset. Communi itaque consilio & ascensu elegerunt & decreuerunt, Cæsareæ & Sidonis principem *Eustachium* totius regni fore custodem, virum vtique strenuum armis, & moribus honestum, pollentem consilio, & nobilitate clarum. Huius præceptis Patriarcha & populus vniuersus, omnes totius regni optimates obtemperare decreuerunt, quo vsque quid de rege fieri disposuisset DEVS, rei exitu pateret. Cumque cognouissent *Babilonios* Ascalonæ terrâ marique conuenisse, *Eustachius* Dux, & qui cum eo erant, legationem, Venetiorum classi obuiam miserunt, lembis agillimis directam, imminens periculum insinuantes eis, & speratum succursum obnixiùs sibi accelerari flagitantes. Interim Babilonii *Iopem* classe multâ euecti, de nauibus cum ingenti strepitu & piratico horrore exsiliunt: æreis tubis & clamoribus immensis personantes vndique & vlulantes, circumuallant vrbem; & machinis erectis, muros inuadunt; tormentis perualidis saxa iaciunt, adeò fortiter, vt vltra iactum sagittæ tanti lapides peruolarent. Arabes quoque & Æthiopes, qui plurimi pedites conuenerant, grandes in muros impetus dabant; alii tela, alii sagittas, alii saxa ciuibus de muro se, pro posse, defendẽtibus, ingerentes. Nihil prorsus intentatum relinquebant hostes, vnde obsessos fatigari posse sperarent. Nam & murum plerisque in locis suffodere aggrediuntur alii; dum alii, defensores è propugnaculis vel sagittarum imbribus vel turbinibus lapidum arcere contendunt. At verò ciues, quamuis admodum pauci, indefessè impugnantibus obsistunt, non diebus neque noctibus è muris descendentes: sed dum aliis alii impugnatores succedunt, ipsi semper irrequieti, defensandis muris persistunt. Mulieres & ipsæ, viris desuper laborantibus, deorsum collaborant, nunc lapides, nunc tela propugnantibus ministrantes; nunc sitientibus potum, esurientibus cibum offerentes. Verùm Sarraceni, cùm per dies quinque expugnandæ vrbi insistentes, DEO semper suos mirabiliter roborante, non præualerent, audito Christianorum aduentu Iopitis succurrere festinantium, non ausi ibi diutiùs immorari, se in naues suas retraxerunt, depositis machinis, & membratim nauibus illatis. De quibus dubium non est quod expugnarent vrbem, si diutiùs eam impugnare securè potuissent. Nam murum iam plerisque in locis suffoderant, & propugnaculorum plurima confracta disiecerant, tortorum fortiùs illisione saxorum conquassata. Ita classe, LXXX.* ferè habente, versus Ascalonam retractâ, terrestri prælio se præparant contra venientes aduersum se Christianos excipiendo. Nam de toto ferè Hierosolimorum regno, duce *Eustachio* præcipiente, iam apud *Ramatha*, vrbem quondam iuxta *Diospolim* sitam, omnes ferè concurrerant arma ferre valentes Christiani, gloriosâ CHRISTI Domini Cruce præsente freti admodum, & confortati: illâ autem à Patriarcha, & clero delatâ. Qui autem remanserant Hierosolimis, ieiuniis, vigiliis, orationibus, eleemosynis insistebant, fratribus suis & sibi in tanto periculo positis propitium fieri DEVM enixiùs flagitantes. Dux & qui secum erant proceres, primo mane de *Ramatha* consurgentes, ordinatis per acies agminibus suis, benedictione & absolutione à Patriarcha populo datâ, cautè & ordinatè in hostes procedunt, apud *Azotum*, quondam Philistinorum vrbem quintam, congregatos, & bello committendo se maximo apparatu conglobantes. Sarraceni, more suo, de numero confidunt; de Crucis & Crucifixi virtute præsumunt Christiani. Committitur igitur pugna durissima, & gladiis cominus res geritur. Quid plura? Placuit & hic CHRISTO Domino, & suis conferre virtutem, & inimicis confusionem inferre. Nam cùm milites hostilis exercitus, Christianæ militiæ ordines & arma mirarentur, ferocissimos eorum impetus sustinere non ferentes, protinus versi, pedites suos in campos dimiserunt trucidandos: quibus pro libitu percutientium detruncatis, Christiani victoriam sibi cœlitus collatam congaudentes, quantum vel possunt vel audent insequuntur fugientes, prosternentes omnes quos consequi præualent, & instantissimi prosternendis incumbentes. Ita sex hostium millibus peremptis, reliqui, quà vel quò quisque potuit, euaserunt. Nam sedecim millia præliantium conuenisse ferebantur, cum Christiani ad octo

A. Dn. 1123.

sint milia æstimati. Fugâ & strage hostiũ paratâ, victores ad castra læti redeũt, ditati opimis, trecentos camelos, & asinos quingentos, præ se minantes captiuos. Laudatur à suis CHRISTVS: & Crux magnificatur & Crucifixus, cuius virtute & dignatione redacti ad nihilum sunt inimici. Bello isto per omnipotentis Domini voluntatem & gratiam ita peracto, & Dominicâ Cruce Hierusalem Patriarchâ reportante, glorifico occurrentis populi processu, in loco suo reportatâ, post triduum de *Veneticorum* classe iocundi sunt rumores subsecuti: quæ cùm Ptolemaidæ applicuisset, intimatum est Veneticorum duci Babilonicam classem ab Iope reuertentem, ei, si cum sua classe occurrere vellet, DEO volente, obuiam fieri posse, & si ita sit voluntas in cœlo, comprehendi. Qui, suorum consilio, confestim classem suam bifariam diuisit, minorem eius partem versus Iopem festinanter ducens; alteram sequi à longè præcipiens: callens videlicet, ignaros ita in bellum & in periculum protrahi posse Sarracenos. Nec fefellit callentem opinio. Nam Sarraceni per mare vagantes, explorantesque si qua fortè peregrinantium in Hierusalem occupare possent nauigia, cùm octodecim naues de classe Venetica prospicerent appropinquantes, occurrerunt læti; & more suo tubis æreis clangentibus perstrepunt, grande sibi promittentes, tamquam de iam compræhensis tot nauibus, emolumentum. Venetici pauitare se, & velle nec posse fugere simulãtes, ad solũ hoc bellũ differunt, vt, sociis superuenientibus, feliciùs pugnent. Quos cùm propinquantes etiam Sarraceni cernerent, velis & remis latiùs æquora prosulcantes, qui se priùs ad prædam cohortantes, alter alterũ præcurrere nitebantur, iam se tantùm propinquasse cœperunt pœnitere, cùm neque fugere iam possent, nec auderent pugnare. Ita Venetici, de victoria securi, in Sarracenorum classem irruunt; exangues iam præ pauore, & dissolutos Sarracenos aggrediuntur audacter; & naues eorum celeriter ingrediuntur, omnes in suis nauibus, ac si in agris messem, detruncantes. Incredibile fortassis iudicatur dictu, quod ibi factum fuisse fertur mirabile; occisorum sanguine vsque occidentium tibias exundante, nauium tabulatus plenos omnes horruisse: denique peremptorum corporibus in mare præcipitatis, tantus ex eis fertur fluxisse sanguis, vt totum, vsque ad quatuor ferè millia passuum, mare videretur rubuisse. Ita deletis omnibus qui nauibus inerant hostibus, naues omnes cum omnibus vel armis vel opibus, à Veneticis captæ sunt, & detentæ. Inde vsque *Ascalonam* percurrentes, alias quoque decem naues comprehenderunt diuersis victualibus onustas, lignis quoq; mirâ proceritate directis ad machinas componendas præparatis: alias etiam naues ad littus vsque fugitiuas, ignibus iniectis incenderunt; alias funibus præcisis, secum Ptolomaidam reduxerunt. Ita, qui terrâ marique conuenerant perdere Christianos Sarraceni, terrâ mariq;, sub eodem tempore, ferè omnes periêre. Inbelles putabant esse, quos regem sciebant nõ habere. Probauerunt eos sine Rege non esse, quibus CHRISTVM Regem experti sunt non deesse. Tenebant quidem in vinculis Regem Balduinum; sed liberatorem Christianorum experti sunt semper esse CHRISTVM. Qui, vt se etiam improbis probaret Regem esse Regum, ipsum quoque Regem Balduinum eodem anno, mirabiliter dignatus est de vinculis liberare, & regno potenter suo restituere liberatum, Eustachio duce per idem tempus defuncto, & *Guilhelmo de Buris* ad regni tutelam ei substituto. Verùm liberatiò *Regis*, & eorum qui cum eo captiui tenebantur Goscelini & Galerãni, quo ordine euenerit, quia satis iocũda videtur esse narratio, nec prolixa videri debet nec onerosa. Fuerunt in *Edessa* vrbe strenuissimi viri, qui diuinâ, vt credendum arbitror, inspiratione permoti, posuerunt animas suas in manibus suis; & de captiuorum Regis & comitum liberatione, fortissimum inter se inierunt consilium. Nam fœderati inter se *Cartapetam* vsque peruenerunt, habitu pauperrimo contecti, simulque mercibus quibusdam vilissimis sarcinati, quas cùm se venales conuectare præmonstrarent, castrum totum perambulantes, explorabant diligentissimè quonam aditu ad carcerem possent peruenire, interiori castelli munitione cum ipsa arce priùs, si forte possent, occupatâ. Cuius custodes cùm prope portam inuenissent ludentes, ingressi sunt alter post alterum, tanquam, de facta sibi à castrensibus iniuria, querimoniam ad Magistratum deferentes. Vbi cùm primùm custodum lacrimabili conquestione, in se fecissent intentum, eductis subitò de subsemiciniciis suis pugionibus occultis, ipsum dicto citiùs necauerunt:

necauerunt: Dehinc arreptis, quas ibi inuenerunt, lanceis, omnes, qui cum ipso erant, peremerunt. Attollitur clamor ingens, & per totum etiam exterius castrum simul omnes perturbantur. Quicunque, exploraturi clamoris causam, ingressi fuissent, ante perimebantur, quam quidnam esset dinoscere possent. Ita centum de Turcis ibi feruntur necati. Claudunt deinde illi confestim portas, & carcere fracto Regem cum comitibus educunt. Inde scalis erectis, muri conscendunt fastigium: & in summa arce vexillum Christianorum exaltantes, suum esse, castrum exclamant. Conueniunt finitimi cum castrensibus vndique Turci, & interiùs illud cum arce castrum obsidentes, intus conclusos asseruant solicitè, ne quis eorum posset exire. Conclusi tamen, Rex & sui, de liberanda vita sua consultant inter se, nimis anxii. Quorum *Goscelinus*, sicut erat vir cordatissimus, paratum se dicit esse, pro communi periculo, proposito se discrimini exponere: *Cum tribus solummodo viris exibo*, inquit, *si hoc vobis complaceat, ô viri fortes, & proceres inclyti: &, si is qui cœpit cooperari nobis liberandis, voluerit misericors Dominus, Edessam vadam, & inde Antiochiam, vel etiam Hierosolymam, DEO volente, pergam, succursum vobis, quàm citiùs potero, & quæsiturus simul, & adducturus*. Collaudant cuncti propositum viri. Nec morâ, consul cum tribus delectis comitibus, nocturnus simul & furtiuus viator, egreditur cautè, & hostiles custodias transgrediens, vnum de suis ad Regem, sicut simul contradixerant, eâdem viâ remittit: liberum sibi, miserante DEO, patuisse iter significans. Latitant diebus, & noctibus per deuia properant; tandemque ad *Eufratem* perueniunt. Nauigium non habentes, natando transeunt, consuli, natatus ignaro, duobus vtribus secum ad hoc delatis, impletis vento atque suppositis. Ita transmisso flumine, ieiuni & sitibundi properant. Tandem Armeniorum fines ingressi, victum sibi quæritare nec sic audent, etiam Christianos illos habentes proditionis suspectos; ideoque, & videri pauitantes, & agnosci. In tantis positi malis, solum sperabant, hocque sibi affore precabantur, diuinæ pietatis auxilium. Confectus famis atque itineris labore consul, dum sub arbore nuce pausaret, obdormit vepribus & foliis contectus. Processerat interim vnus de comitibus consulis, sicubi quid victus inuenire præualeret circumspectans. Occurrit rusticus quidam Armenius, & rogatus caricas cum paxillo panis latitanti sub nuce consuli dum offerret, agnoscens eum: *Aue*, inquit, *domine Gosceline: aue consul nobilissime, & tuis desiderantissime pri[illegible]s. Quid hic agis? cur non properanter venis?* Neganti se Goscelinum esse, & adhuc occultare volenti: *Ne timeas*, rusticus inquit, *domine consul: ne me, te bene cognoscentem, suspectum habeas. Ita me saluet Dominus, quo modo salutis tibi, pro posse, cooperator, si iubes, existam. Age*, ait consul, *ô liberalissimæ mentis homo, miserere mei, per illam quam CHRISTO debes fidem & dilectionem te obsecro; nec me cuiquam maliuolorum meorum detegas, quæso: sed si quid volueris accepturus mercedis, vsque* Toruexel *castellum, me rogo perducito saluum*. Et ille: *Vxorem*, inquit, *habens & filiam infantulam, me cum illis tuæ fidei, & liberalitati à modo committo: animam meam animæ tuæ, nobilissime vir atque prudentissime, commendo: & patriâ & terrâ meâ, si iubes, pro te exibo libenter, duos quos habeo germanos vnà mecum adducens, & te cum eis, quò malueris deducens*. Quid multa? cucurrit rusticus & cum suis omnibus festinatiùs rediit. Imponitur consul rustici asellæ; & infantulæ, rustici filiæ, gerulus efficitur. Plorat infantula, in sinu consulis locata, & gerulum suum assiduis fatigat vagitibus. Tollerat & hoc tædium vir prudens, altiore consilio circumseptus: videlicet vt nihil minus quàm consul esse taliter gestatus, talisque gerulus occursantibus viatoribus crederetur. Tali comitatu comes deductus, tandem castellum suum *Toruexel* ingreditur. Læta fuit satis talium hospitum susceptio. Gaudent cuncti, simul omnes lætantur: Exultat vxor, familia tota congratulatur: fit rursus consul, qui fuerat exul; consolatus à suis, qui ab alienis fuerat desolatus; rursusque iam & consolator suorum, & alienorum desolator futurus. Remuneratur condignâ mercede consulis conuiator rusticus; & de paupere colono diues decurio efficitur. Liberatus itaque ab exilio consul, de captiuis liberandis, Rege videlicet & suis, sollicitus satis & anxius, contendit Antiochiam; & inde Hierosolimam percurrit: debitas liberatori suo laudes inibi persoluens, CHRISTO suas in monte Caluariæ compedes offerens ibidem suspensas; & alias eiusdem ponderis argenteas, pro munere, consecratas adiungens. Tractat cum optimatibus Regni de prouidenda liberatione Regi; & de acceleran-

A. D. 1123.

A. Dn. 112.

do ei succursu, quoscunque praeualet cohortatur. Contrahitur vndecunque Christianorum exercitus, & *Tripolim* vndique conuenitur, vt inde *Carpetam*, quo rex cum suis tenebatur clausus, coactis omnibus copiis contendatur, Cruce Dominicâ à Patriarcha & clero, Tripolim iam delatâ. Inde *Antiochiam* festinat, qui apud Tripolim fuerat congregatus CHRISTI exercitus. Ibique Antiochenorum copiis secum assumptis, *Toruexel* vsque perueniunt. Vbi cùm profectionem per Armeniam pararent, tristi rumore subitò percelluntur, Regem rursus cum ea qua obsessus tenebatur munitione à *Balach* captum esse audientes. De Regis itaque desperantes liberatione, succursum, quem ei ferre satagebant penitus omittunt; & ad incursandum vrbem *Caliptam*, ne inanes redirent, consilium transferunt. Per cuius suburbana vastantes omnia, & quaecunque inuenire potuerunt diripientes, *Ptolomaidam* vsque remeauerunt, Ioscelino consule Antiochiam cum suis redeunte. Transmisso *Iordane* Hierosolimitae, regionem monti Galaad & Arabiae confinem percurrentes, regionis, quibus improuisi aduenerant, accolas diripiunt; captiuos quamplurimos de vtroque sexu, cum ingenti camelorum atque ouium praeda, Tiberiadam, & inde Hierosolimam redeuntes, secum adducunt, Cruce Dominicâ in loco suo decenter recolatâ. Superest vt iam de Rege, & eis qui cum eo clausi remanserant, quomodo eis interim contigerit, explicetur. Cum enim *Balaach* Regem, quem *Cartapetae* vinctum cum reliquis cõcaptiuis dimiserat, turrem suam, vt supra relatum est, occupasse cognouisset; & Ioscelinum consulem euasisse, somnium, quo aliquando viderat à Ioscelino sibi oculos erui, secum reputans, anxius nimis & iratus, Cartapetam cum quanto poterat exercitu accurrit, quibuscunque praeualet modis de recuperando praedio suo pertemptans. Et quidem, primò blandè Regem alloquitur, de vita & libertate; de saluo etiam vsque Edessam seu Antiochiam deductu fidem illi facere, & dare obsides pollicetur, tantùm vt suum sibi restituat praesidium. Cui cùm Rex acquiescere nollet, vel de fide Balach dubius, vel de accelerando sibi per Ioscelinum succursu nimis securus, efferatus animo Balaac, ad callida, more suo, conuertitur machinamenta: rupem, supra quam castrum erat situm, suffodi faciens; & stipitibus validis muri fundamenta suspendi, ac demum illatâ copiosiore materiâ ignem immitti: quo fulcimentis omnibus exaesis, rupes repente vasto hiatu subsedit; & vna de turribus, muri cedente fundamento, cum horrisono fragore decidens, Regem, & omnes qui cum eo erant, stupore simul & terrore nimio concussit. Ita non solùm liberationis sed & vitae Rex & sui, omni spe amissâ, Balach se cum ea, cui inerant, altiore turre dedidêre, nihil nisi supplicium exspectantes. *Regi* tamen vitam Balach indulsit, & cum eo cuidam *nepotī suo* & *Galerrano*: eos autem qui Regi adiumento fuerant, alios quidem suspendit patibulis; alios decorians viuos, crudele suis spectaculum fecit; reliquis gladio trucidatis. Regem denique de castro eiectum, *Carram* vsque, cum tribus tantùm de suis, abduci praecepit.

A. Dn. 1124.

His circa Regem ita gestis, *anno à natiuitate Saluatoris M. C. XXIIII.* dux *Veneticorum* cum Hierosolimitis, Dominici Natalis solemnitate apud Bethlehem, fidelium more, celebratâ, se cum omnibus copiis suis *Tyrum* vel *Ascalonam*, post Epiphaniam, obsessum ire, communi iuramento confirmant: Venetici quidem, ex more cum classe sua per mare; Hierosolimitae verò cum toto tam equestri exercitu quàm pedestri à terra id fieri disponentes. Quibus, quia & militia pauca erat, & pecunia rara, *Patriarcha* & clerus praeciosiora Hierosolimitanae Ecclesiae oppignorare compulsi sunt ornamenta, militiae & clientelae gratiâ conducendae. Ita praeparatus pecuniis, & armis instructus diligenter vterque exercitus, conuenerunt *Ptolomaidae*, & ibi librato diligentiùs consilio, *Tyrum* potiùs adire delegerunt, faciliorem eius expugnationem fore arbitrantes. Obsidetur itaque ciuitas & de proximo vndique angustatur, quae diuitiarum opulentiâ & maris praesidio circumfulta, nec dominari consueuerat vnquam, nec expugnari. Interea *Ascalonitae* comperto Christiani exercitus abscessu longiore, solitâ proteruiâ ebullientes, Hierosolimam accurrũt, Vrbem se etiam obsidere posse putantes. Quorum de specula aduentu praecognito, Franci & Syri, qui ad vrbis custodiam fuerant relicti, accurrentibus occurrunt audacter; eorum quoque petulantiam, acri satis certamine excipiunt. Coguntur de propriis corporibus tuendis Sarraceni tractare, qui etiam Vrbis muros, vacuos defensore, praeoccupare se posse frustrà praesumpserant. Committitur

mittitur pugna tribus ferè horis acerrima, ex eo potissimum miranda, quod paucissimi plurimis adeo pertinaciter obsisterent in campo, nullius munitionis adiuti præsidio, vt, non dico cedere loco cogi possent, sed etiam in fugam agere confertissimos hostium cuneos præualerent. Quis non hoc Diuinæ virtutis opus animaduertat esse, gentem & locum sanctum, à profana impiorum ceruicositate, manifestè defendentis? Ita semel disgregati Ascalonitæ, vltrà se non potuerunt in aciem regregare; adeò præcipiti fugâ ruentes vt suspicionem fecerint insequentibus, quod fortè in præparatas vellent inducere insidias, dum fugiunt se fugantes. Quâ vel suspicione vel cautelâ reuocari, dato restandi signo, ad prædam se conuer- 10 terunt diripiendam Christiani, ei cuius gratiæ protectione vicissent, CHRISTO Domino, debita gratiarum vota persoluentes. Quibus hoc solum videretur magnum, si in tanto discrimine non perissent; lætabantur se præter spem etiam victores reuertisse, vt protectorem & saluatorem suum in omnibus agnoscerent esse CHRISTVM. Compulsi sunt hoc ipsum cõfiteri etiam Ascalonitæ, propria confusione ammoniti, victos se stupentes, & fugatos ab eis, quos, non dico procedere in pugnam, sed nec aperire os audere præsumserant, & gannire. Quorum, ne quid deesset confusioni, latè patentes campos mortuis reliquerunt opertos; alii quamplures ad mortem vulnerati, aut in via semineces ruebant morituri; aut vix sua subire poterant mœnia moribundi. Euasissent planè pauci, 20 nisi persequentes, vt dictum est, insidiarum reuocasset suspicio.

HACTENVS MANVSCRIPTVS NOSTER.



INCIPIT HISTORIA RERVM IN PARTIBVS TRANSMARINIS GESTARVM A TEMPORE SVCCESSORVM MAHVMETH, VSQVE AD ANNVM DOMINI M. C. LXXXIV.

Edita à venerabili Willermo Tyrensi Archiepiscopo.

WILLERMVS DEI PATIENTIA SANCTÆ TYRENSIS ECCLESIÆ MINISTER INDIGNVS, VENERABILIBVS IN CHRISTO fratribus, ad quos præsens Opus peruenerit, æternam in Domino salutem.

Periculosum esse, & grandi plenum aleâ, regum gesta describere, virorum prudentium nemo est qui dubitet. Nam, vt laborem, iuge studium, perennes vigilias, quibus huiusmodi solent indigere negotia, penitus omittamus, duplex historiographis certum est imminere præcipitium: quorum vix est, vt alterutrum declinare valeant. Effugientes enim Charybdim, Scyllam incurrunt, quæ succincta canibus, non minus nouit procurare naufragia. Aut enim rerum gestarum veritatem prosequentes, multorum in se conflabunt inuidiam; aut indignationis gratiâ leniendæ, rerum occultabunt seriem: in quo certum est non deesse delictum. Nam rerum veritatem studiosè præterire, & occultare de industria, contra eorum officium esse dinoscitur. Ab officio autem cadere, procul omni dubio, culpa est: si tamen verè dicitur officium, congruus actus vniuscuiusq; personæ, secundùm mores & instituta patriæ. *Rerum autem incontaminatam prosequi gestarum seriem, & veritatis regulam non deserere, res est quæ indignationem solet sæpius excitare: iuxta illud quod vetere prouerbio dici solet;* Obsequium amicos, veritas odium parit. *Aut igitur à suæ professionis cadent officio, obsequium præstantes indebitum; aut rei veritatem prosequentes, odium, cuius ipsa mater est, eos oportebit sustinere. Hæc nimirum frequentiùs ita sibi solent aduersari, & se mutuâ importunitate reddere molesta. Nam iuxta Ciceronis nostri sententiam:* Molesta est, veritas, siquidem ex ea nascitur odium, quod est amicitiæ venenum: molestius tamen obsequium, quod vitiis indulgēs, amicum sinit ire præcipitem: *quod in se videtur implere, qui obsequii gratiâ, contra officii debitum supprimit veritatem. Nam eorum qui adulationis studio rerum gestarum articulis inuoluunt impudēter mendacia, tam detestabile factum creditur, vt nec scriptorum numero debeant sociari. Si enim rerum veritatem gestarum occultare secus est, & deficiens à scriptoris officio, multo fortius peccatum reputabitur, mendacii næuum veris immiscere; & quod à vero deficit, credulæ pro vero posteritati contradere. Ad hæc, nihilominus æquè vel ampliùs formidabile historiarum scriptoribus solet discrimē*

occurrere, totis viribus fugiendum: videlicet, ne rerum gestarum dignitas, sermonis ariditate, & oratione ieiunâ, sui dispendium patiatur. Verba enim rebus, de quibus agitur, decet esse cognata; nec à materiæ nobilioris elegantia, scriptoris linguam degenerare. Vnde magnopere cauendum, ne amplitudo materiæ tractatus debilitate succumbat: & vitio narrationis exeat macilentum vel debile, quod in sui natura pingue solidumq; subsistit. Nam vt ait Orator eximius in Tusculanarum primo: Mandare quenquam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec delectatione aliqua lectorẽ allicere, hominis est intemperanter abutentis & literis & ocio. *Hoc igitur dilemma, & multiplicitatẽ periculi, in præsenti nobis videmur incidisse. Nā in opere quod gestamus præ manibus, multa de regũ moribus, & vita, & corporũ habitudine, siue cõmendabilia, siue notæ subiacẽtia, prout rerum gestarum series videbatur deposcere, interseruimus: quæ eorum posteri relegẽtes, impatienter fortasse portabunt, & aduersus Chronographum præter meritum incandescent; aut inuidum aut mendacem reputabunt; quorum vtrunq; (viuit Dominus) tanquā rem fugimus agere pestilentẽ. Nam de reliquo iam non licet ambigere; quod ad impar opus impudenter enitimur, & quod ad rerum dignitatem nostra non satis accedit oratio. Nonnihil est tamen quod egimus. Nam & in picturis rudes, & ad artis arcana nondum admissi, luteos primùm solent colores substernere, & prima liniamenta designare: quibus manus prudentior, fucis nobilioribus decorem consueuit addere consummatum. Primò enim, summo labore iecimus fundamenta, quibus sapiẽtior architectus obseruatâ veritatis regulâ, quam in nullo deseruimus, egregio tractatu, artificiosa magis poterit superædificare triclinia. Inter tot igitur periculorum insidias & anceps discrimen, tutiùs fuerat quieuisse; silẽdumque erat, & ocium calamis indicendum: sed vrgentissimus instat amor patriæ; pro qua vir benè dispositus etiam (si id necessitatis articulus exigat) vitā tenetur impendere. Instat inquam, & auctoritate quâ præminet, imperiosè præcipit, vt quæ apud se centum penè annorum gesta sunt curriculis, silentio sepulta, non patiamur sentire posse obliuionis incommodum: sed styli exarata diligenter officio, posteritatis memoriæ conseruentur. Paruimus igitur, & manus dedimus ei, cui nostram non satis honestè negare poteramus operam: non multum attendentes quid de nobis censura sit posteritas; & quid in tam excellẽte materia exanguis nostra mereatur oratio. Paruimus sanè, vtinam tam efficaciter, quàm libenter; vtinā tam commẽdabiliter, quàm deuotè: natalis soli magis tracti dulcedine, quàm vires cum assumpto labore compensantes; non ingenii ope freti, sed pii feruore affectus, & caritatis sinceritate. Accessit præterea domini Almarici regis, (cuius anima sanctâ requie perfruatur) illustris memoriæ, & inclitæ in Domino recordationis iussio, non facilè negligenda, & instantia multiplex, quæ ad idipsum nos maximè impulit: cuius etiam rogatu, ipso Arabica exemplaria ministrante, aliam historiam à tempore seductoris* Mahumeth, *vsque in hunc annum, qui est nobis ab incarnatione Domini MCLXXXIV. per annos quingentos septuaginta decurrentem conscripsimus: auctorem maximè secuti virum venerabilẽ* Seith, *filium Patricii, Alexandrinum patriarcham. In hac verò, nullā aut Græcam, aut Arabicā habentes præducem scripturam, solis traditionibus instructi, exceptis paucis quæ ipsi oculatâ fide conspeximus, narrationis seriem ordinauimus, exordium sumentes ab exitu virorum fortium, & DEO amabilium Principũ, qui à regnis Occidentalibus, vocante Domino, egressi, Terram Promissionis, & penè vniuersam*

Syriam

Syriam in manu forti sibi vendicauerunt. & inde vsq; ad regnum domini Balduini quarti: *qui in ordine regum, computato domino* duce Godefrido, *qui primus regnum obtinuit, locum habuit septimum: per annos LXXXIV. cum multa diligentia protraximus historiam. Et vt ad pleniorem status Orientalium regionis, lectori nihil deesse possit intelligentiam studioso, paucis & succinctè præmisimus, quo tempore & quanto, seruitutis iugum passa fuerit: quæ fuit hoc medio tempore fidelibus in ea degentibus inter infideles conditio: & quæ fuerit occasio, vt post tam longa continuæ seruitutis tempora, Occidentalium principes regnorum ad eorum liberationem exciti, tantum sibi peregrinationis onus assumpserint. Quòd si quis ad nostras occupationes respiciat, quorum multiplicitate fatigamur plurimùm; tum circa egregiam & à DEO custoditam Tyrorum metropolim, cui non de meriti electione, sed solâ Domini patientiâ præsidemus; tum circa domini Regis negotia, in cuius sacro palatio Cancellarii fungimur dignitate; & circa necessitates alias, quæ solito maiores emergunt: ad indulgendum erit procliuior, si fortè in opere præsenti occurrerit, vnde iustiùs offendatur. Occupatus enim circa plurima animi motus interior, ad discutiendà diligentiùs singula solet debilior consurgere; & partitus, tantam singulis non potest impendere diligentiam, quantam totus apud se residens, vniformis, consueuit vnicis & singularibus aptare studiis. Vnde & faciliùs meretur veniam. Distinximus autem volumen vniuersum in libros XXIII. eorumque singulos certis designauimus capitulis, quo lectori faciliùs, quicquid de articulis historiæ sibi viderit necessarium, occurrat: propositum habentes, vitâ comite, quæ deinceps nostris temporibus rerum futurarum depromet varietas, his quæ præmisimus addere; & numerum augere librorum, pro quantitate occurrentis materiæ. Certum porrò tenemus, nec nos hæc fallit opinio, quòd nostræ imperitiæ testem producimus opus præsens. Et qui latere possumus silentes, nostrum scribendo prodimus defectum, dum officium caritatis amplectimur: magis tamen volumus absque ea quæ inflat inueniri, quàm eâ quæ ædificat carere. Nam sine illa plures ingressi ad nuptias, mensâ regis inuenti sunt digni: qui autem sine hac inuentus est inter conuiuas, audire meruit:* Quomodo huc intrasti nõ habens vestem nuptialem? *quod ne nobis accidat, auertat qui solus potest, miserator & misericors Dominus. Scientes tamen, quoniam* multiloquio non solet deesse peccatum; *& miseri hominis lingua in lubrico posita, pœnam facilè meretur: inuitamus fraternè, & exhortamur in Domino nostrum lectorem, vt cùm iustum reprehensionis locum inuenerit, caritate mediâ, vtatur eâ licenter; & de nostra correctione, sibi acquirat æternæ vitæ præmium: memorque nostri in suis orationibus impetret apud Dominum, vt quicquid in opere præsenti deliquimus, nobis non imputet ad mortem; sed de gratuita bonitate & inolita pietate clementer indulgeat Saluator mundi: cuius tribunal nos miseri & inutiles in domo eius serui, accusantem supra modum verentes conscientiam, non immeritò formidamus.*

Matth. 22, 12.

Prou. 10, 10.

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI PRIMI.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIB. I.

INCIPIT

INCIPIT LIBER PRIMVS.

Cap. I.

TRADVNT veteres historiæ, & idipsum etiam habent Orientalium traditiones, quòd tempore quo *Heraclius* Augustus Romanum administrabat imperium, *Mahumeth* primogeniti Sathanæ (qui se prophetam à Domino missum mentiendo, Orientalium regiones, & maximè Arabiam seduxerat) ita inualuerat doctrina pestilens, & disseminatus languor ita vniuersas occu-
10 pauerat prouincias, vt eius successores iam non exhortationibus vel prædicatione, sed gladiis & violentiâ in suum errorem populus descendere compellerent inuitos. Cùm enim prædictus Augustus, victor reuersus de Perside (vnde Crucem Domini cum gloria reportauerat) adhuc in Syria moram faceret, & per *Modestum*, virum venerabilem, quem Hierosolymis ordinauerat episcopum, ecclesiarum ruinas, quas *Cosdroe* Persarum satrapa nequissimus hostiliter deiecerat, in priorem statum, datis sumptibus necessariis, reformari præcepisset. *Homar* filius *Catab* à prædicto seductore tertius, erroris & regni successor, cum infinitis Arabũ copiis, egregiam Palæstinorum vrbem Gazam iam occupauerat violẽter. Vnde postmodum Damascenorum fines cum suis legionibus & infinita multitudine, quam
20 secum trahebat, ingressus, Damascum expugnauerat, prædicto Imperatore adhuc in Cilicia rei exitum expectante. Quod cùm ei nunciaretur, quòd Arabes in tãtam elati superbiam, & de sua multitudine præsumentes, Romanorum fines inuadere, & corũ vrbes sibi vendicare non vererentur: videns quod ei vires non suppeterent ad occurrendum tantæ multitudini, & vt eorum comprimeret insolentiam, maluit ad propria sospes redire, quàm viribus imparibus, bellorum se dubiis committere casibus. Sic ergo eo discedẽte, qui afflictis ciuibus tenebatur patrocinium ministrare, Arabum inualuit violentia, ita vt subitò, & infra tẽpus modicum, à Laodicia Syrię vsque in Ægyptum, vniuersas occupauerint regiones. Quis autem fuerit prædictus *Mahumeth*, & vnde, & quomodo ad hanc proruperit insaniam, vt se prophetam
30 mentiri, & à DEO missum dicere præsumeret; cuius porrò vitæ & conuersationis; quãdiu regnauerit, & vbi; & quos demum habuerit successores; & quomodo penè orbem vniuersum pestiferis eius repleuerint dogmatibus; qui eũ in eodẽ errore secuti sunt, alibi disseruimus diligenter; sicut ex subsequẽtibus datur intelligi manifestè. Cooperabatur sanè ad eorum propositũ, quod paucis ante annis prædictus *Cosdroe* eandem Syriam violenter ingressus, vrbes deiecerat, concenderat suburbana; & ecclesias subuertens, populum captiuauerat: & Vrbe sanctâ effractâ, hostiliter in ea triginta sex ciuium millia gladio perimens, crucem Dominicam, & loci eiusdem episcopum *Zachariam*, cũ residuo populi tam vrbis quàm regionis vniuersæ secum transtulit in Persidem. Hic enim Rex Persarum potẽtissimus, domini *Mauritii*
40 *Augusti* (cuius adeò familiaris fuit beatus *Papa Gregorius*, vt vnum de liberis eius de sacro fonte susciperet) filiam nomine *Mariam* in vxorem duxit: cuius gratiâ coniugii, lauacrum regenerationis adeptus est, fuitque Romanorum amicissimus, quamdiu prædictus vixit Imperator. Quo demum à *Phoca Cæsare*, qui eidem postmodum in Imperio successit, proditiosè interfecto; abominatus eorum perfidiam, qui tam nefarium hominem, & adhuc domini sui cæde cruẽtatum super se regnare passi fuerant, quasi occultæ societatis reos, & illius sceleris habentes conscientiam: Imperii fines violenter ingressus est, in res eorum violenter deseuiens, soceri necem, vxore stimulante, vltum iri desiderans: subactisq; cæteris regionibus, quæ Romanorum suberant ditioni, nouissimè Syriam, vt præmisimus, obtinuit: populis eius aut per-
50 emptis gladio, aut secum in Persidem deductis. Ingressi ergo Arabes, terram habitationibus reperientes vacuam, maiorem subiiciendi eam sibi repererunt opportunitatem. Sic ergo vrbem DEO amabilem, Hierosolymã videlicet, paribus calamitatibus inuolutam comprehẽdentes, populo, qui in ea erat modico, vt eis factus tributarius extremis cõditionibus deseruiret, pepercerunt, permittentes eis suum habere episcopum, & ecclesiam, quæ, vt prædictum est, deiecta fuerat, reparare; & religionem liberè conseruare Christianam. Dum autem in eadem ciuitate princeps suprà nominatus moram faceret, cœpit diligẽter à ciuibus percunctari, & maximè

II.

à viro venerabili *Sophronio*, eiusdem loci episcopo (qui Modesto piæ memoriæ iam defuncto successerat) vbi nam esset locus in quo Templum Domini fuerat, quod à Tito Romano principe, cum ipsa vrbe dirutum fuisse legitur: qui ostendentes ei locum designauerunt, aliqua vetusti operis extantia vestigia demõstrantes: vbi sumptibus qui sufficere possent ad impensam designatis, & conuocatis artificibus, subiectâ pro votis materiâ tam ex marmorum diuersitate, quàm ex lignorum differẽtia multiplici, templum ædificari præcepit. Quo postea infra modicum tempus, iuxta conceptum mentis feliciter consummato, quale hodie Hierosolymis esse dinoscitur, multis & infinitis ditauit possessionibus, vnde suppeterent facultates, ad habenda perpetuò eiusdem sarta tecta, & vetera renouanda, & continenda luminaria per manum eorum qui in eodem templo deseruirent. Quæ autem sit illius forma, & quæ operis elegantia; quoniam penè omnibus notum est, non est præsentis tractare negocii. Extant porrò in eodem templi ædificio, intus & extra, ex opere Musaico, Arabici idiomatis literarum vetustissima monimenta, quæ illius temporis esse creduntur: quibus & auctor, & impensarum quantitas, & quo tempore opus inceptum, quoq; consummatũ fuerit, euidenter declaratur.

III. Sic igitur ciuitate DEO amabili & sacrosanctâ, peccatis nostris exigentibus, infidelium subiectâ hostium ditioni, iugum indebitæ seruitutis continuis passa est laboribus per *annos quadringẽtos nonaginta*; conditionibus tamen alternis. Nam frequenti rerum mutatione, dominos mutauit frequentiùs: secundùm quorum dispositionem, plerunque lucida, plerunque nubila recepit interualla; & ægrotantis more, temporum præsentium, grauabatur, aut respirabat, qualitate. Plenius tamen conualescere non poterat, quę infidelium principum, & populi sine DEO, dominatione premebatur violẽtâ. Diebus tamen illius admirabilis & prædicandi viri, *Aarum* videlicet, qui cognominatus est *Resith*, qui vniuerso præfuit Orienti (cuius liberalitatem & vrbanitatem pręcipuam, & mores singulariter commendabiles, vniuersus etiam vsq; hodię Oriens admiratur, & præconiis attollit immortalibus) interuentu piissimi & immortalis memoriæ viri, domini videlicet Imperatoris *Karoli* (qui mutuam, intercurrentibus nunciis frequentibus, inter se gratiam & mirabili subnixam fœdere, conciliauerant) plebi DEI tranquillitas præstita est, & fauor principis clementer indultus ad multam consolationem; ita vt magis sub imperatore *Karolo*, quàm sub dicto principe degere viderentur. De quo ita legitur in vita prædicti viri gloriosi: *Cum Aarum rege Persarum, qui, exceptâ Indiâ, totum penè Orientem tenebat, talem habuit in amicitia concordiam, vt is gratiam eius, omnium qui in toto orbe terrarum erant regum ac principum amicitiæ præponeret, solumq; illum honore ac magnificentiâ sibi colendum iudicaret. Ac proinde cùm legati eius, quos cum donariis ad sacratissimum Domini ac Saluatoris nostri Sepulchrum, locumq; resurrectionis miserat, ad eum venissent, & ei domini sui voluntatem indicassent, non solùm quæ petebantur fieri permisit, sed etiam sacrum illum & salutarem locum, vt illius potestati ascriberetur, concessit. & reuertentibus legatis suos adiungens, inter vestes & aromata, & cæteras Orientalium terrarũ opes, ingẽtia illi dona direxit: cùm ei ante annos paucos, eum quem tunc solum habebat, roganti mitteret elephãtem.* Nec solùm iis qui Hierosolymis habitabant sub infideliũ potestate fidelibus, verùm & iis qui in Ægypto & in Africa sub impietate degebant Sarracenorum, suarum largitionũ frequenter dirigebat solatia, & pietatis opera porrigebat; sicut in eius vita legitur, quæ habet ita. *Circa pauperes sustentãdos, & gratuitam liberalitatem (quam Græci* eleemosynam *vocant) deuotissimus, vt non in patria solùm & in regno suo id facere curauerit, verùm trans maria, in Syria & Aegypto atq; Africa, Hierosolymis, Alexandriæ, atq; Carthagini, vbi Christianos in paupertate viuere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat. Ob hoc maximè transmarinorum regum amicitias expetens, vt Christianis sub eorum dominatu degentibus, refrigerium aliquod ac releuatio proueniret.* Quod autem & quantis rerum, temporum, & dominiorum variis permutationibus hoc medio tempore flagellata fuerit, tam prædicta DEI cultrix ciuitas, quàm vniuersa ei adiacens regio, si quis scire desiderat, eam relegat historiam, quam nos de *Gestis Orientalium principum*, à tempore prædicti seductoris Mahumeth vsque in hunc præsentem diem, qui est nobis ab incarnatione Domini, millesimus centesimus octogesimus secundus, per annos quingentos septuaginta seriem rerum cõplexam, cum multo labore cõfecimus.

IV. Porrò per idem tempus inter Ægyptios & Persas æmula nimis & pertinax erat de

de monarchiâ contentio. Miniſtrabat autem odiorum fomitem & incẽtiuum maius, contradictoriarum obſeruãtia traditionum, qua vſque hodie vterque populus contentionibus reciprocis ſacrilegos ſe appellant, ſibi non cõmunicantes inuicem, ita vt etiam in nominibus velint habere differẽtiam. Qui enim Orientalium ſuperſtitionem ſequũtur, lingua eorũ *Sunni* dicuntur; qui verò Ægyptiorum traditiones præferunt, appellantur *Siha*, qui noſtræ fidei magis conſentire videtur. Quæ autem ſit inter eos erroris differentia, non eſt pręſentis tẽporis edocere. Tandẽ verò Ægyptiorum regno inualeſcente, & vſque Antiochiam prouincias & regiones occupãte, cum cæteris in eius Vrbs ſancta, legibus communibus, deſcẽdit poteſtatem. Sub
10 quo principatu (ſicuti captiuis ſolent aliquando tempora indulgentiora concedi) à ſuis anxietatibus cœpit aliquantulum eſſe remiſſiùs, quouſque conſummatâ hominum nequitiâ exigente, eidẽ regno *Hequen Calippha* præfectus eſt. Hic & prædeceſſorum ſuorum & ſucceſſorum pariter longè vincens malitiam, factus eſt poſteris, & eius inſaniam legẽtibus ſolennis fabula. Adeò enim in omni impietate & nequitia ſingularis extitit, vt eius vita DEO & hominibus odibilis, ſpeciales exigat tractatus. Hic inter cætera, quę pernicioſa plurima præceperat, eccleſiam Dominicæ reſurrectionis (quæ per venerabilem virum *Maximum*, eiuſdem loci epiſcopum, præcipiente domino Conſtantino Auguſto ædificata fuerat, poſtea per reuerẽdiſſimum *Modeſtum* tempore domini Heraclii reparata) funditus deiici mãdauit. Cuius præ-
20 cepti reſcriptum quidã eius procurator, præſes videlicet Ramulenſis, *Hyaroe* nomine, ad ſe directum ſuſcipiens, prędicta eccleſia vſq; ad ſolum diruta, iuſſionẽ regiam effectui mancipauit. Præerat verò eã tempeſtate eidẽ eccleſiæ vir venerabilis *Oreſtus* nomine, eiuſdem nequiſſimi regis auunculus, matris eiuſdẽ frater. Hoc autem ideò feciſſe dicitur, vt ſuæ perfidiæ, populis infidelibus daret argumentũ. Obiiciebatur enim ei Chriſtianitatis titulus, eò quòd ex matre Chriſtiana natus eſſet; quam quaſi crimen à ſe volens depellere, prædictum facinus auſus eſt perpetrare: nihil arbitratus ſupereſſe calumniæ, quod in eius perſonam impingi poſſet, quodq; eius æmulis pateret ad morſum, ex quo religionis fontẽ Chriſtianæ, fidei catholicæ cunabula deieciſſet. Ab ea die cœpit fidelium in eadem ciuitate multò deterior eſſe V.
30 conditio, tum ex dolore iuſtiſſimo, quẽ ex caſu Sanctæ Reſurrectionis eccleſiæ cõceperant; tũ ex multiplicatis angariis geminata moleſtia. Nã præter enormitatem tributorum & vectigaliũ, quæ ab eis præter morẽ, & contra priuilegia à ſuis prædeceſſoribus indulta exigebãtur, ſolennitates etiã interdixerãt, quas vſq; ad illum diẽ ſub aliis Principibus, & in occultò & palàm ſatis liberè celebrauerãt. Quoque dies erat celebrior, eò arctiùs domiciliorum ſuorum ſeptis cohibebantur, nec in publicũ audebant cõparere. domi etiam non tutum dabatur eis habere refugium, ſed iactu lapidum & ſordium immiſſione, & violentis irruptionibus, quantò dies erat ſolennior, tantò ampliùs moleſtabãtur. Ad hæc & pro quolibet verbo leui, ad quamlibet accuſatoris alicuius ſuggeſtionẽ, ſine cauſæ cognitione rapiebantur ad cruces
40 & ſupplicia, bona confiſcabantur, auferebantur poſſeſſiones, filiique eorum & filiæ rapti de domibus parentum, flagellis aliquando, nonnunquã blandimentis & promiſſionibus apoſtatare cogebantur, aut patibulis affigi. Qui autem pro tẽpore erat illis Patriarcha, is primùm iniurias excipiebat & opprobria; tum eos & publicè & ſecretiùs ad longanimitatem inuitãs, pro temporalibus quæ patiebantur malis, coronas promittebat ſempiternas. Cuius verbis & exemplo commoniti, tranſitorias pro CHRISTO contemnẽntes iniurias, ſe inuicem mutuâ caritate conſolabantur. Referre per ſingula longum eſſet, quanta in propriis corporibus prædicti ſerui DEI pertulerint tormẽta, vt hæredes fierent in domo Domini, & vt leges æmularentur paternas. Vnum tamen de tot millibus, exempli gratia, producamus in medium, vt
50 per hoc deprehendat veſtra dilectio, quam ex friuolis cauſis ad vltima ſupplicia rapiebantur. Quidã ciuis ex infidelibus noſtros odio perſequens inſatiabili, vir perfidus & nequã, vt eis aliquid ad mortẽ moliretur, morticinũ canis clàm proiecit in atrium Templi, in cuius mundicia conſeruanda, eius cuſtodes & vniuerſa ciuitas omnẽ impendebant ſollicitudinem. Mane facto, qui orationis gratia acceſſerũt ad Templũ, reperientes immundum cadauer & fœtens, penè ad inſaniã verſi, vniuerſam vrbem repleuerunt clamoribus. Concurrit ſubitò populus vniuerſus, & omnes aſſerunt pro conſtanti, Chriſtianos hoc feciſſe. Quid plura? Decernitur interitus

vniuersis, & tam piaculare flagitium morte piandum iudicatur. Fideles porrò de sua confidentes innocentia, mortem pro CHRISTO parati erant subire. Dumque adessent spiculatores eductis gladiis vt populum interimerēt, obtulit se adolescens plenus spiritu, dicens: *Periculosum est fratres, si ita perit omnis hæc ecclesia. Expedit magis vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Concedite mihi, vt mei habeatis annuam in benedictione memoriam, & generi meo honor in perpetuum debitus conseruetur: ego verò, auctore Domino, hanc à vobis stragem depello.* Susceperunt igitur gratanter verbum, & quod ille petierat, vltrò concedunt. Et vt in ramis Palmarũ ad perennem eius memoriam, contribules eius oliuam, quæ Domini nostri IESV CHRISTI significatiua est, introducant in ciuitatem, in processione solenni, confirmant. Quo facto, 10 prædictus adolescens primatibus se offert ciuitatis, reum se confitetur, & omnes alios astruit innocentes. Quod audientes iudices, aliis absolutis, illũ gladio exposuerunt. Et ita pro fratribus animam ponens, cum pietate dormitionem accepit, optimam in Domino habens repositam gratiam.

VI. Affuit tandem diuina clementia, & afflictorum miserta, consolationem intulit non modicam rebus desperatis. Prædicto enim Principe nequam rebus humanis exempto, cessauit ex parte quassatio, filio eius *Daher* regnum obtinente. Hic siquidem ad petitionem domini *Romani* Imperatoris Constantinopolitani (qui cognominatus est *Heliopolitanus*, cum quo etiam fœdus quod pater eius violauerat resarciens, contraxerat amicitiam) prædictam ecclesiam reædificandi fidelibus concessit potestatem. Quâ concessâ, 20 cognoscens plebs fidelium, quæ Hierosolymis habitabat, quòd ad tanti operis restaurationem eorum vires non sufficerent, missis nunciis ad prædicti Romani successorem, dominum *Constantinum monomachum*, qui tunc agebat in sceptris, precibus porrectis, humiliter significant in quanto mœrore, & in quanta desolatione post ecclesiam dirutam populus consedisset: orant affectuosissimè, vt ad reædificationem ecclesiæ, Imperialis munificentiæ liberalem porrigeret manum. Procurabat autem eorum legationem quidam *Ioannes* cognomento *Carianitis*, Constantinopolitanus natione, nobilis quidem secundùm carnem, sed moribus multo nobilior. Hic postpositâ seculi dignitate, CHRISTVM secutus, religionis assumpto habitu, Hierosolymis pauper pro Christo habitabat. Missus ergo, debitâ instan- 30 tiâ, sollicitudine non pigrâ, apud eundem dominum Imperatorem fideliter elaborans, obtinuit, vt ad opus prędicti ædificii de proprio fisco, idem DEO amabilis Augustus, sumptus necessarios & sufficiētes ministrari præciperet. Impetratâ ergo pro voto fidelis populi postulatione, lætus Hierosolymam reuersus est. Vbi nunciato itineris successu, & precum porrectarum exauditione, vniuersum clerum & populum, quasi de graui ægritudine conualescentes recreauit. Præerat autem eidem ecclesiæ tunc vir venerabilis, *Nicephorus* patriarcha. Sic ergo obtentâ licentiâ, & sumptibus de Imperiali ærario ministratis, eam quæ nunc Hierosolymis est, *sanctæ Resurrectionis* ædificauerunt ecclesiam, anno ab incarnatione Domini M.XLVIII. ante vrbis liberationem annis LI. tricesimo verò septimo postquam diruta fuerat. 40

A.Dni. 1048.

Quâ constructâ, contra imminentia pericula, & mille mortis discrimina consolationem receperunt. Non tamen cessabant aduersus eundem populum fidelem frequentes iniuriæ, & angariarum noua genera; sputa, colaphi, vincula, carceres; ad vltimum, suppliciorum omne genus, quibus populus DEI incessanter affligebatur. Nec solùm iis qui in eadem vrbe erant, sed etiam iis qui in Bethleem & Thecua, vbi soli habitabant fideles, idem cauterium imprimebatur. Quoties enim nouus accedebat præses, & missus à Calippha recens dirigebatur procurator, toties cōtra DEI populum nouæ struebantur calumniæ, & varia extorquendi inueniebantur argumenta. Et quoties à domino Patriarcha & populo communiter aliquid volebant violenter exigere, si aliquo casu eorum differebatur postulatio, statim minabantur 50 ecclesiam deiicere. Idque penè annis patiebantur singulis, confingentibus præsidibus se huiusmodi rescriptum à Regia directum celsitudine habere præ manibus, vt si aliquam difficultatem vel moram in præstandis tributis aut vectigalibus præsumerent annectere, eorum statim vsque ad solum dirutæ deponerentur ecclesiæ. Quamdiu tamen Ægyptiorum aut Persarum præualuit regnum, sub eorum imperio fideles melioribus vsi sunt conditionibus. At verò postquam Turcorum inualescere iterum cœpit regnum, & eorum virtus super Ægyptiorum & Persarum fines

nes

nes ampliari, & in eorum Vrbs sancta decidit potestatem, *per triginta octo annos*, quibus eam detinuerunt occupatam, maioribus molestiis cœpit populus DEI fatigari; ita vt leue ducerent, quod sub Ægyptiorum vel Persarum iugo pertulerant.

VII. Et quoniam de gente Turcorum frequenter nobis in opere præsenti erant dicenda quamplurima, quæ ipsi contra nostros, nostrique aduersus eos viriliter magnificeque sæpius gesserunt; & adhuc proteruè nimis in nostrorum impugnatione perseuerant: nō videtur alienum à nostro proposito, de ortu & prima origine gentis huius, & processu ad hunc excellentiæ gradum, in quo iam multis annis stetisse leguntur, aliquid præsenti interserere narrationi. Gens igitur *Turcorum*, seu *Turcomannorum* (nam ab eodem habuerunt originem) ab initio Septentrionalis fuit, inculta penitus, & certam non habens sedem. Vagabantur etenim, & passim circumferebantur, pascuorum sectantes commoditatem, non habentes vrbes vel oppida, vel alicubi manentem ciuitatem. Volentes autem proficisci, incedebant simul qui ex eadem tribu erant, aliquem de maioribus contribulium suorū habentes quasi principem, ad quem vniuersæ quæ in eadem tribu simul emergebant, referebantur quæstiones; cuiusque dicto ab vtraque dissonantium parte parebatur; cuiusq; non impunè licebat examen declinare. Migrantes autem, vniuersam secum suam substantiam transferebant, equitia, greges, & armenta, seruos & ancillas: nam in his eorum omne cōsistebat peculium: nusquam agriculturæ dantes operam; emptionum & venditionum ignorantes contractus, sed solis permutationibus, vitæ sibi comparantes necessaria. Volentes autem alicubi, locorum herbidorum amœnitate tracti, tabernacula figere, & ad tempus aliquod moram sine molestia facere, per quosdam ex suis, qui videbantur prudentiores, regionum principes solebant conuenire, & pactis initis sub placitis conditionibus, & certa tributorum præstatione, sub principe qui regioni præerat, moram iuxta condictum habebant in pascuis & nemoribus. Accidit autem quòd illius populi multitudo maxima ab aliis seorsum incedens, Persarum ingressi fines, regionem inuenerunt sibi aptissimam. Datoque Regi, qui erat pro tēpore, secundùm quod inter eos ab initio conuenerat, tributo, per annos aliquot moram ibi habuerunt diuturniorem. Augebatur autem eorum populus in immensum, & multiplicationis eorum non erat finis: ita vt Regi & indigenis, mentem quodammodo habentibus præsagam, suspecta nimis esset eorum embola. Vnde factum est, quòd habito consilio violenter à regni finibus eos per se propellere decreuerant. Sed mutato consilio visum est eis expedientiùs, vt multiplicatis angariis, & consuetis pressionibus, nouis irregulariter superadditis eos fatigarent, vsque dum sponte sine coactione discederent. Cumque iam annis pluribus iniuriarum pondus & tributorum enormitatem exactorum sustinentes, diutiùs tolerare nolle, communicato decernerent consilio, & hoc Regi esset compertum, missà voce præconiâ, iussi sunt à regno infra certum tempus discedere vniuerso. Transeuntesque fluuium *Cobar*, qui regnum ex ea parte limitabat, vbi vident solito liberiùs & diligentiùs suorum infinitam multitudinem: nam prius seorsum habitantes, sui nec numerum nouerant, nec potentiam: mirati sunt, quomodo tantus, tamque innumerabilis populus alicuius principum aliquando tolerare potuerit superbiam, & angariarum & tributorum acerbitatem portare. Visumque est eis absque dubio, quod & Persarum populo, & qualibet natione nec numero nec viribus essent impares; nihilque eis ad obtinendas violenter finitimas regiones deesset aliud, quàm id, quod more aliorum populorum sibi Regem non haberent. Volentes igitur votis consonis sibi Regem creare, describentes suorum vniuersam multitudinem, repererunt in eis centum familias cæteris splendidiores: quarū quamlibet sagittam vnam præceperunt afferre, & iuxta numerū familiarum centum sagittarum colligauerunt manipulū. Quem operientes, vocauerunt quendam puerulum innocentem, præcipientes ei, vt immissâ manu sub velamento, quo prædictarum latebat manipulus sagittarum, eò vnam educeret solam, ea conditione, vt de ea familia Rex assumeretur, cuius sorte sagitta exiret. Factumque est casu, quòd puer eduxit sagittam familiæ *Selducorum*. Vnde constitit apud omnes, sicuti prius ordinatum fuerat, quòd ex ea tribu princeps futurus crearetur. Præceptum est iterum, vt ex eadem tribu centum eligerentur, qui & ætate & moribus, & virtute cæteros anteirent suos contribules; vtque singuli singulas afferrent sagittas, offe-

rentium habentes inſcripta nomina. Factoque ex eis iterum manipulo, & diligenter cooperto vocatus eſt iterum puer, vel idē qui & prius, vel alius fortaſſe eiuſdem innocentiæ: cui ſimiliter perſuaſum eſt, vt vnam ex eis educeret: eduxitq; vnā cui inſcriptum erat nomen *Selduc*. Erat autem is vir ſpecioſus admodum, nobilis, & in ſua tribu præclarus, prouectæ ætatis, ſed integer viribus; & in re militari multā habens experientiam; quique tota corporis habitudine magni principis prætenderet elegantiam. Hunc ergo de communi decreto ſibi præficientes, in throno ſublimauerunt regio, eam quæ debetur regibus, ei exhibentes reuerentiam; & ad eius implenda imperia, fœdere complacito & iuramentis corporaliter pręſtitis ſe obligantes. Ille autem ſtatim collatā ſibi ſatis pro imperio vtens poteſtate, miſsâ voce præconiâ, edici publicè mandat, vt retrāſito flumine, & trāſmiſſis legionibus vniuerſis, Perſarum fines, vnde prius exierant, occupent violenter, & adiacentia ſibi vendicent regna: ne de cætero compellantur regiones exteras errabundi circuire, & aliarum nationum tolerare faſtus importabiles. Factumque eſt, quod infra paucos annos non ſolùm Perſarum, verùm etiā vniuerſa Orientalium regna ſibi ſubiugauerunt, ſubactâ Arabū & aliarum nationū, quę principatus obtinebant, violentiâ. Sicque populus vilis & abiectus ad tantum ſubitò culmen euolauit, quod vniuerſum occupauit Orientē. Idque factum eſt vix triginta aut quadraginta annis, antequam noſtri Occidentales Principes Peregrinationis iter, de quo hîc agendum eſt, arriperent. Vtq; aliqua eſſet differētia ſaltem nominis inter eos qui ſibi Regem creauerant, & per hoc ingentem erant gloriam conſecuti; & eos, qui in ſua ruditate adhuc permanent, priorem viuendi modum non deſerentes, dicuntur iſti hodie *Turci*; illi verò priſca appellatione, *Turcomanni*. Subactis itaque regnis Orientalibus, adiecerunt etiam, vt potentiſſimum Ægyptiorum regnum inuaderent: deſcendentesque in Syriam, Hieroſolymam cum quibuſdam aliis finitimis vrbibus, violenter ſubiugauerunt ſibi, fideles quos in ea repererant habitatores, durioribus ſolito aggrauantes moleſtiis, & angariarum multiplicitate fatigantes, vt præmiſimus.

VIII. Nec ſolùm in Oriente ita fideles ab impiis opprimebantur, verùm in Occidente & in omni penè orbe terrarum, maximè inter eos qui fideles dicebantur, fides defecerat, & Domini timor erat de medio ſublatus: perierat de rebus iuſtitia; & æquitate ſubactâ, violentia dominabatur in populis. Fraus, dolus, & circumuentio latè inuoluerant vniuerſa. Virtus omnis locum dederat, & ceſſerat quaſi inutilis, malitiâ ſubintrante. Videbatur ſanè mundus declinaſſe ad veſperam; & Filii hominis aduentus ſecundus fore vicinior. Nam multorum refrixerat caritas, & fides non inueniebatur ſuper terram: Confuſis ordinibus cuncta ferebantur; & in chaos priſtinum mundus videbatur redire velle. Maiores enim Principes, qui ſubiectos ad pacem tenebantur dirigere, neglecto pacis fœdere, pro cauſis leuibus contendentes adinuicem, regiones tradebant incendiis, prædas paſſim exercebant, pauperum bona impiis ſatellitibus ſuis exponebant ad rapinam: Non erant tutæ alicuius facultates inter tot inſidias: Cauſa ſufficiens putabatur, vt ad carceres quis traheretur, aut vincula, & in proprio corpore indignos ſuſtineret cruciatus, quod aliquid habere crederetur. Eccleſiarum & monaſteriorum non parcebatur prædiis; nec ſanctorum poſſeſſionibus conferebant aliquid à piis Principibus indulta priuilegia; ſed nec immunitatem ſolitam, & priſtinam ſibi vendicabant dignitatem. Effringebatur ſanè ſanctuarium, & vſibus dedicata cœleſtibus vi rapiebantur vtenſilia. Non diſtinguebat ſacrum à profano, manus ſacrilega; ſed ſublatâ differentiâ, prædæ patebant altarium veſtes, amictus ſacerdotum, & vaſa Domini. De gremio diuinæ domus, de adytis penitioribus, de baſilicarum atriis, qui ad eas confugerant, ad mortem trahebantur & ſupplicia. Vias quoque publicas accincti gladio graſſatores improbi obſidebant, iter agentibus prætendentes inſidias, vbi nec peregrinis, nec viris parcebatur religioſis. Sed nec vrbes nec oppida ab iis importunitatibus vacabant, in quibus ſicarii vicos omnes & plateas ſuſpectas reddebant innocentibus. Quo quis erat inſontior, eo pluribus ſubiacebat inſidiis. Fornicationum etiam genus quodlibet, quaſi res licita, paſſim & ſine rubore exercebatur impunè. Sed nec inter affines aut propinquos, tuta erant matrimoniorū fœdera. Amica cœleſtibus & DEO placens, quaſi res vilis, iuſſa migrare erat continentia. Nec parſimoniæ aut ſobrietati locus erat, vbi luxus, & ebrietas, & pernox alea præoccupauerant aditus, atque

atque atria possidebant. Nec clerus à populo vita nobiliore differebat; sed sicut in Propheta legitur: *Sicut populus, ita & sacerdos.* Nam episcopi, negligentes facti erant; canes muti, non valentes latrare; personarum acceptores, oleo peccatoris impinguantes capita sua, commissa ouilia lupis venientibus, mercenariorum more, deserebant. Et illius verbi immemores Dominici, quo dicitur: *Accepistis gratis, gratis date*: symoniacam non declinabant hæresim: Giezi sordibus & maculâ fœdati. Quid plura? vt in summa dicatur, *Omne in præcipiti vitium stetit*: &, *Omnis caro corruperat viam suam.* Nec pronos ad malum reuocare poterant Domini comminantis prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum. Erat enim pestilentiæ & fames, terroresque de cœlo, & terræmotus magni per loca: & cætera quæ Dominus in Euangelio diligenter enumerat. Sed obstinati in operibus mortuis, *quasi sus in volutabro*, & quasi iumenta putrescebant in stercore suo, piâ Domini longanimitate abutentes: quasi quibus à Domino diceretur: *Percussi eos, & non doluerunt; curaui eos, & non sunt sanati.*

Osee 4, 9. *Isa. 24, 2.* *Matth. 10, 8.* *Gen. 6, 12.* *Matth. 24, 7. &* *2. Pet. 2, 22.* *Ier. 5, 3.*

IX. His igitur & huiusmodi ad iracundiam prouocatus Dominus, non solùm eos, qui in Terra Promissionis erant fideles, prædictæ iugum seruitutis patiebatur portare, & supra vires molestiis fatigari multiplicibus: verùm & aliis qui adhuc suâ videbantur libertate gaudere, & quibus certum erat omnia pro votis succedere, suscitauit aduersarium, flagellum populorum, malleum vniuersæ terræ. Regnante enim apud Græcos *Romano*, qui cognominatus est *Diogenes*, & cum omni prosperitate Constantinopolitanum administrante Imperium, egressus est de intimis finibus Orientis, Persarum & Assyriorum satrapa potentissimus, *Belpheth* nomine, infinitam incredularum nationum secum trahens multitudinem, quæ numerum diceretur excedere, & vniuersam terrę superficiem operiret. Ascendens ergo in curribus & equis, in gregibus & armentis, & magnifico nimis apparatu, fines ingressus est Imperii, cuncta sibi subiiciens à suburbanis campestribus, vsque ad vrbes muratas & oppida munitissima. Non erat qui resisteret; non erat qui pro salute, pro liberis & coniugibus, & (quod grauius est) pro libertate contendens, se opponeret. Interea nunciatur Imperatori gladius incumbens, vis maior, & hostilis exercitus Christianum deuastans imperium: qui pro republica sollicitus, expeditiones conuocat equitum, & peditum colligit copias, quantas imminens compellebat necessitas, & quantas vniuersum Imperium poterat ministrare. Quid plura? Congregatis legionibus & equitatu copioso, hostibus procedit obuiam; & Imperii penetralia iam tenenti, & ad interiora iam progresso, in manu forti, sed fauore diuino destitutus occurrit. Certatur vtrinque acerrimè, & copiis penè paribus, sed odiis maioribus, qualia sacrilegii dolor & zelus fidei solet suggerere. Quid multa? Perit Christianus exercitus, fidelium prosternitur acies; sanguis, CHRISTI redemptus sanguine, ab impiis effunditur; quodque miserabilius est, capitur Imperator. Redit qui euaserat particulatim exercitus, confusionem quæ acciderat nuncians. Consternati sunt qui hoc audierunt, in grauia se dantes lamenta, & de vita & salute desperantes. Interea vir infidelis, sed magnificus, de tanto elatus successu, & de collata victoria factus sublimior, Imperatorem sibi præcepit præsentari; & in contumeliã nominis & fidei Christianæ sedens in throno regio, eum mandat pedibus subiici; & scabelli vice, coram positis Principibus, ascendens & descendens, corpore vtitur Imperiali: tandemque pro tanto obsequio eum libertati restituens, cum paucis ex suis magnatibus, qui cum eo capti fuerant, abire permisit. Hoc verò audientes Principes Imperii, alium sibi præficiunt: indignum arbitrantes, vt qui tam indigna in proprio pertulerat corpore, in sceptris ageret, & dignitate fungeretur Augustali: insuper priuatum oculis, & ignomiosè tractatum, vitam vix indulserunt agere priuatam. Princeps autem suprà nominatus, proposito liberè satisfaciens suo, vniuersas à Laodicia Syriæ vsque ad Hellespontum, qui Constantinopoli præterlabitur, itinere dierum triginta in longitudine, decem verò vel quindecim in latitudine, occupauit regiones, cum suis ciuitatibus & municipiis, vniuerso populo captiuato. *Tradidit eos Dominus in manus inimici, & dominati sunt eorum qui oderunt eos.* Inter quas nobilis & eximia prouinciarum multarum moderatrix, princeps ciuitas, principis Apostolorum sedes prima, capta est; sed nouissima; & facta est infidelibus *seruiens sub tributo.* Sic igitur Celesyriam, vtramque Ciliciam, Isauriam, Pamphyliam, Lyciam, Pisidiam,

Psal. 105, 39. *2. Sam. 8, 2.*

Lycaoniam, Cappadociam, Galatiam, & vtrunque Pontum, Bithyniam, & Asiæ minoris partẽ, nobiles prouincias, & omni commoditate insignes, plebibus refertas fidelibus, infra modicum tempus in suam iurisdictionem recepit; captiuans populos, ecclesias deiiciens, & cultum Christianum furore persequens exterminato. Quod si copiam habuisset nauiũ, ipsam vrbem regiam sibi procul omni dubio subiecisset. Tantam enim Græcis incusserat formidinem, vt vix regiæ ciuitatis se crederent mœnibus; & maris interpositi non satis tutũ arbitrarentur præsidium. Hæc igitur & similia populo fideli, qui Hierosolymis, & in finibus eius habitabat, miseriarum addebant cumulum, & in desperationis abyssum demergebant. Nam Imperio priùs in prosperis constituto, sicut præmissum est, nõ deerat eis ab Imperiali domo frequens in necessitatibus solatium; & Imperii status integer & incolumis, & vicinarum vrbium felix successus, & Antiochię potissimùm, spem aliquam libertatis aliquando futuræ, in eis confouebant. At nunc tã suam quàm aliorum gerentes sollicitudinem, & sinistris rumoribus vsque ad supremum defectum fatigati, mortem magis quàm vitam optantes, in seipsis liquefientes tabescebant, de perpetua seruitute securi.

X. Inter has tam periculosi temporis insidias, accedebat tam Grecorum quàm Latinorum gratiâ deuotionis, ad loca venerabilia multitudo nonnulla, quibus per mille mortis genera, perque hostium regiones ad vrbem accedentibus, negabatur introitus, nisi in porta aureus, qui pro tributo constitutus erat, ianitoribus daretur. Sed qui in itinere cuncta perdiderant, & vix cum incolumitate membrorum ad loca peruenerant optata, vnde tributum soluerent, non habebant. Sic ergo fiebat, vt ante vrbem ex talibus, mille vel plures collecti, & expectantes introeundi licentiam, fame & nuditate consumpti deficerent. Hi tam viuentes quàm mortui, miseris ciuibus intolerabili erant oneri. Nam & viuentes alere, & cibo quocunque modo sustentare satagebant; & mortuos sepulturę tradere nitebantur; cùm tamen eis suprà vires sua essent negocia. Quibus autem solito precio, vrbem dabatur ingredi, hi maiorem ciuibus ingerebant solicitudinem, timentibus, ne fortè deambulantes incautè, tanquam loca sancta visere volentes, sputis & alapis afficerentur; ad postremum autem, ne clàm suffocati interirent. Vnde hæc mala præuenire cupientes, Peregrinos ad loca Sancta volentes properare, ciues de eorum vita & incolumitate, caritate fraternâ solliciti, eorum sequebantur vestigia, timentes, ne quid eis sinistri casus accideret. Erat tamen in ciuitate *monasterium Amalfitanorum*, quod vsque hodie cognominatur *Sanctæ Mariæ de Latina*; & iuxta illud xenodochiũ, vbi erat oratorium modicum, in honore beati *Ioannis Eleymon* Alexãdrini patriarchæ, ad curam Abbatis prædicti monasterii respiciens, in quo huiusmodi miseris sic aduenientibus, tàm de monasterio, quàm de fidelium largitionibus, eis vtcunque alimonia ministrabatur. Nam de mille vix vnus accedebat, qui sibi sufficere posset. Amissis enim viaticulis, laborum immensitate consumpti, vix incolumes euadere poterãt. Igitur nec foris nec domi quies erat ciuibus, quibus mors diebus imminebat singulis; & quolibet mortis genere deterior, seruitus dura & intolerabilis incumbebat. Accedebat etiam ad miseriarum cumulum, quòd ecclesias eorum, quas cum tot & tantis laboribus reparauerant & conseruauerant, reparatas violenter ingressi, & dum diuina celebrarentur, cum furore & strepitu terrorem fidelibus incutientes, super altaria sedebant, nullam facientes locorum differẽtiam; subuertebant calices, & vasa diuinis obsequiis mãcipata pedibus conculcãtes, confringebant marmora, clerum contumeliis & verberibus afficientes. Ipsum quoque dominum *Patriarcham*, qui erat pro tempore, quasi vilem & abiectam personam, de sede propria per barbam & capillum, in solum dabant præcipitem. Plerunque etiam raptum, & quasi vile mancipium tractum, sine causa detrudebant in carcerem, vt sic populum affligerent patri cõpatientem. Hoc igitur tam diræ seruitutis genus, plebs DEO deuota, per hos quadringentos, vt præmisimus, & nonaginta annos, piâ longanimitate perferens, gemitibus & lachrymosis suspiriis, & iugi precum instantiâ, clamabat ad Dominum, vt correctis parcens, ab eis iracundiæ suæ flagella clementer auerteret. In profundum enim malorum descẽderant: vnde & *abyssus abyssum inuocans*, abyssus miseriarum abyssum misericordiarum, ab eo qui DEVS est totius consolationis, meruit exaudiri. Hos enim tandem de sede gloriæ suæ Dominus misericorditer respiciens, finem tantis laboribus volens imponere, consolationem

Psal. 41, 8.

nem

nem eis iuxta eorum desideria, paternâ prouisione, procurare disposuit. Cuius modum & diuinæ dispositionis ordinationem, qua diutinam plebi suæ releuare voluit afflictionem, hoc præsenti opere, ad CHRISTI fidelium perpetuam memoriam, scribere proposuimus. Per idem igitur tempus, cùm DEO placens prædicta civitas tantis, vt præmisimus, subiecta esset molestiis, inter eos qui orationis gratiâ, & causâ deuotionis ad loca accedebant venerabilia, sacerdos quidam, *Petrus* nomine, de regno Francorum, de episcopatu Ambianensi, qui & re & nomine cognominabatur *Heremita*, eodem feruore tractus, Hierosolymam peruenit. Erat autem hic idem staturâ pusillus, & quãtum ad exteriorem hominem, persona contemptibilis. Sed *maior in exiguo regnabat corpore virtus*. Viuacis enim ingenii erat; & oculum habens perspicacem, gratumque, & sponte fluens ei non deerat eloquium. Hic, lege communi semelque propositâ Christianis introire volẽtibus, dato tributo, vrbẽ ingressus, hospitio susceptus est apud quendam fidelem, qui & ipse de numero erat CHRISTI confessorum. A quo de eorum conditione diligenter percunctans (sicuti vir industrius erat) ab eo non solùm de præsenti periculo temporis, verùm etiam & de persecutione, quam eorum passi fuerant progenitores, à multis retrò temporibus, pleniùs edoctus est: & si quid defuit ad plenam verbo factam eruditionem, id postea fides oculata compleuit. Nã moram faciẽs in ciuitate, & ecclesias circuiens, didicit ipse pleniùs, quod prius verbo referentibus aliis comprehenderat. Audiens verò quòd eiusdem ciuitatis Patriarcha vir esset religiosus & timens DEVM, volens cum eo conferre de præsenti rerum statu, & de quibusdam aliis ab eodem perfectiùs edoceri, accessit ad eum, præsensque constitutus per fidelem interpretem mutuis sunt confabulationibus recreati. Erat autem nomen Patriarchæ *Symeon*: qui ex verbo *Petri* colligens, quòd vir esset circumspectus, & rerum multarum habens experientiam, potens quoque in opere & sermone: familiariùs cœpit exponere vniuersa, quæ populum DEI in ciuitate commorantem acriùs affligebant. Dumq; Petrus fraterno compatiens dolore, lachrymas continere non posset; quæreretque diligentiùs, vtrum aliqua salutis via contra hęc mala ingruentia reperiri possit? Respondit vir iustus: *Petre, lachrymas nostras, gemitus & suspiria peccatis nostris præpedientibus, exaudire dedignatur iustus & misericors Dominus: nondum enim ad plenum purgata est nostra iniquitas, vnde necdum flagella quiescunt. Sed si vester verus DEI cultor populus (cuius per superabundantem Domini misericordiam vires sunt adhuc integræ; & nostris hostibus formidabile, longè lateq́; floret imperium) præsentibus fraternâ pietate compati vellet, & remedium procurare his quæ nos premunt calamitatibus; aut saltem pro nobis apud CHRISTVM vellet intercedere: spes esset nobis, afflictionem nostram in proximo finiri. Nam de Græcorum Imperio, licet & consanguinitate & loco nobis sint propinquiores, & diuitiis abundent amplius, nulla nobis spes est de cætero, vt inde nobis aliquam habeamus consolationem. Vix enim sibi sufficiunt: omnisq́; eorum, vt audiuisse potest vestra fraternitas, virtus emarcuit, ita vt infra paucos annos plus quàm dimidium amiserint Imperii.* Cui Petrus: *Noueris, pater sancte, quòd si ecclesia Romana, & Occidentis principes, huius calamitatis quam patimini, diligentem & fide dignum habuerint instructorem, procul omni dubio, & verbo quantocyus & opere his malis vestris tentarent remedia procurare. Scribe ergò diligentiùs tàm domino Papæ & ecclesiæ Romanæ, quàm Regibus & Principibus Occidentis, & scriptum sigilli tui auctoritate corrobora. Ego verò pro remedio animæ meæ, hunc laborem mihi assumere non refugio: sed auctore Domino, paratus sum omnes conuenire, omnes sollicitare, instantiùs ærumnarum vestrarum immensitatem protestari, & ad properandum remedium diligenter singulos inuitare.* Placuit sermo, & visus est bonus in oculis tàm domini Patriarchæ, quàm eorum qui assistebant fidelium; & dependis ingentibus gratiarum actionibus viro DEI, pro sua compassione, tradunt scriptum postulatum. Verè magnus es Domine DEVS noster, & misericordiarum tuarum non est finis. Verè, IESV bone, non erit in te sperantibus confusio. Nam vnde huic egeno & inopi, & rerum necessariarum suffragiis destituto peregrinanti, & à patriis finibus longè posito, tanta fiducia, vt supra vires negotium sibi audeat assumere, & de voti consummatione habeat fiduciã? nisi quod in te, protectorem suum, iactauerat cogitatum; nisi quod caritatis ardore succensus, fratribus compatiens, proximum tanquam seipsum diligens, legem implere satagebat? Vires non suppetunt, suadet tamen caritas. Et licet durum & impossibile videretur, quod fratres iniungebant, amor DEI & proximi, leue facit: quia *fortis est, vt mors, dilectio.* Cant. 8, 6.

XI. XII.

Gal. 5, 6. *Fides* igitur *per dilectionem operans est*, quę apud te meretur: & merita, apud te non sunt ociosa. Vnde nec diu fluctuare permittis seruum tuũ; sed teipsum manifestas ei, & tuâ eum reuelatione solidas, ne vacillet, apocalypsim insinuans, per quam exurgat fortior ad opus caritatis implendum. Accidit enim quadam die, dum prædictus Dei famulus pro reditu ad propria, & pro implenda legatione assumpta, ampliùs solito esset sollicitus, ad fontem misericordiarum totâ deuotione recurrens, ecclesiam Dominicæ Resurrectionis ingressus est. Vbi cùm pernoctans, orationibus vigiliisque fatigatus esset impendiò, labore victus, in pauimento decubuit, vt somno satisfaceret irruenti. Cumque sopor (vt solet) se infudisset altius, visus est ei Dominus noster IHESVS CHRISTVS, quasi coràm positus astitisse, & eandẽ iniuxisse legationem dicens; *Surge*, Petre, *propera; & quæ tibi sunt iniuncta, intrepidus perage: Ego enim tecum ero. Tempus est enim vt purgentur sancta, & seruis meis subueniatur.* Expergefactus *Petrus*, & visione quam viderat confortatus in Domino, factus ad obediendum procliuior, & diuinam admonitionem sequutus, moras rumpit impiger, ad redeundum accinctus. Peractis igitur de more orationibus, sumptaque à domino Patriarcha licentiâ, & impetratâ benedictione ad mare descendit, nauem ibi reperiens mercatorum, qui in Apuliam transfretare proposuerant. Quam ingressus, & prosperâ vsus nauigatione, *Barum* peruenit. Inde Romam profectus, dominum *papam Vrbanum* circa partes illas reperit: cui domini Patriarchæ & fidelium qui Hierosolymis habitabant, literas porrigit; eorumque exponit miserias, & abominationes quæ in locis sanctis fiebant à gentibus immundis: & iniunctâ sibi tam fideliter, quàm prudenter, exequitur legationem.

XIII. Porrò per annos antè aliquot *Henricus* Theutonicorum rex, & idem Romanorum Imperator, à domino *Gregorio papa* septimo, huius Vrbani prædecessore, passus fuerat quæstionem & controuersiam non modicam, super anulo defunctorum episcoporum, & baculo. Inoleuerat enim consuetudo, præsertim in Imperio, quòd defungentibus ecclesiarum prælatis, anulus & virga pastoralis ad dominum Imperatorem dirigebatur. Vnde postmodum vnumquemlibet de familiaribus & capellanis suis inuestiens, ad ecclesiam vacantem dirigebat, vt ibi pastoris fungeretur officio, non expectatâ cleri electione. Quod dominus Papa contra omnem fieri honestatem considerans, & iura in eo facto conculcari ecclesiastica perpẽdens, semel, secundò ac tertiò eundem Imperatorem commonuit, vt à tam detestabili desisteret præsumptione. Quem præceptis salutaribus commonitum, cùm reuocare non posset, vinculo anathematis innodauit. Quod factum nimis indignè ferens Imperator, Romanam cœpit ecclesiam persequi: & domino Papæ *Guibertum Rauennatem* archiepiscopum, virum literatum & locupletẽ nimis, suscitauit aduersarium. Qui de viribus Imperatoris præsumens, & de multitudine diuitiarum confisus, excluso violenter prædicto venerabili viro, sedem inuasit Apostolicam: ita delirus, & ab intellectus sinceritate deficiens, vt id se esse crederet, quod falsò dicebatur. Cumque prius infelix mundus in maligno positus, vias sequeretur periculosas, vt prædiximus, & inutiles, huius schismatis occasione ad deteriora decliuis, omnem DEI & hominum post tergũ dederat reuerentiã, noxia sequens, & declinãs salutaria. Capiebantur pontifices; & quilibet ecclesiarum prælati, tanquã homicidiorum rei, mancipabãtur carceribus, bonis eorũ confiscatis, quicunq; Imperatori in hac sua peruersitate nõ erant consentientes. Nec solùm ad tẽpus eis irrogabãtur iniuriæ, verùm, exclusis in perpetuum, intrudebantur successores. Fugiens igitur dominus *papa Gregorius* Imperatoris indignationem, in Apuliam secesserat: vbi à domino *Roberto Guischardi* Apuliæ duce honestè susceptus est, & benignè tractatus: cuius etiam beneficio prædicti Imperatoris manus euaserat. Tandẽ Salernum veniens, ibi diẽ vitæ clausit extremũ: vbi & sepultus est. Cui, post dominum *Victorem*, qui solis duobus mensibus post eũ sedem obtinuerat, successit dominus prædictus *Vrbanus*, qui *Henrici* nihilominus, prædicti Henrici successoris, in eadẽ malitia obstinati, furorẽ declinans, locis munitioribus apud suos fideles delitescebat, nusquã plenè securus. Hic in illa sua aduersitate constitutus, prædictum *Petrum* virũ venerabilem ab Hierosolymis reuersum, iam dictę legationis fungentem officio benignè suscepit; & ei in verbo, cuius baiulus erat, se fidelem cooperatorem tempore accepto repromisit. *Petrus* autem omnem transcurrens Italiam, zelo diuino succensus, Alpes transiens, Occidentales, Principes

omnes

omnes singulatim circuit, instat sollicitus, increpat, arguit; atq; cooperante gratiâ, monendo quibusdam persuadet, vt fratribus in tanta afflictione positis subuenire non differant; & loca sancta, quæ Dominus propriâ dignatus est illustrare præsentiâ, infidelium spurcitiis diutiùs prophanari non permittant. Nec visum ei sufficere, quod hoc apud Principes disseminaret, nisi etiam & plebes & inferioris manus homines, ad idipsum piis exhortationibus animaret. Percurrēs ergò nationes, piè sollicitus, & regna, pauperibus & abiectissimis personis, legationi suæ fideliter satisfaciens, idipsum euangelizabat. Cui tantam gratiam, eius fidei meritum respiciens, contulerat Dominus, vt raro vnquam sine fructu populos conueniret. Fuitque domino Papæ, qui eum vltra montes sine dilatione sequi decreuerat, in eodem verbo plurimū necessarius. Nam præcursoris functus officio, auditorum mentes ad obediendum præparauerat, vt faciliùs idem persuadere volens, obtineret propositum, & vniuersorum animos ad se compendiosius inclinaret. Anno igitur ab incarnatione Domini *millesimo nonagesimo quinto*, indictione quartâ, regnante domino *Henrico quarto*, Theutonicorum Rege, & eodem Romanorum Imperatore, anno regni eius quadragesimo tertio, Imperii verò duodecimo: illustri quoque Francorum rege domino *Philippo* Henrici filio regnante in Francia, prædictus dominus *Vrbanus*, videns hominum malitiam modum excessisse, & cuncta ferri deorsum, quasi ad malum prona, post *Concilium* quod ex vniuersa Italia, ad corrigendos excessus hominū necessariū valdè, apud *Placentiam* celebrauerat, Imperatoris prædicti indignationem fugiens, discedens ab Italia, Alpes transcendit, regnum Francorum ingressus. Vbi videns, sicut & prius audierat, diuina passim cōculcari monita, doctrinam Euangelii sordere, fidem perisse, caritatem & omnem periclitari virtutem; è cōtrario autē aduersæ potestatis & principis tenebrarū longè lateq; nimis patére imperium: anxius plurimū, sicut ex officii debito tenebatur, quomodo tot vitiorum monstris, tot peccatorum prodigiis posset occurrere, quę ita miserabiliter pullulabant, & orbem inuoluerant vniuersum: Concilium generale, priùs apud *Vigiliacum*, deinde apud *Podium*, conuocare disposuit. Sed nouissimè apud *Clarum montem* Aluerniæ ciuitatem, diuinâ comite gratiâ, ex vniuersis transalpinarum partibus prouinciarum, mense Nouembre, episcoporum, & abbatum conuenit sacer conuentus, in nomine Domini, præsentibus etiam prædictarum partium nonnullis Principibus. Vbi, ordinatis de prælatorum ecclesiæ & virorum Deum timentium consilio institutionibus, quæ ad erigendum labentis ecclesiæ statum videbātur respicere; & promulgatis canonibus, qui ad morum ædificationem, & corrigendam delictorum enormitatem poterant proficere; & qui pacem, suggerente Petro heremitâ, quæ de rebus perierat, reformarent, qui verbo sibi iniuncto debitam gerebat sollicitudinem; nouissimè ad hanc exhortationem se conuertit, dicens: *Nostis, fratres dilectissimi, & vestram nosse id expedit caritatem, quomodo humani generis Reparator, pro nostra omnium salute carnem assumens, & homo inter homines conuersatus, Terram Promissionis, quampridem patribus promiserat, propriâ illustrauit præsentiâ; & assumptæ dispensationis operibus, & crebrâ simul miraculorum exhibitione reddidit specialiter insignem. Id enim & veteris & noui, penè in omnibus syllabis, docet series Testamenti. Quadam sanè dilectionis prærogatiuâ certum est eam dilexisse, ita, quòd eam orbis partem, imò particulam, hæreditatem suam dignatus est appellare, cùm* eius sit omnis terrâ & plenitudo eius. *Vnde per Esaiam ait:* Hæreditas mea Israël. *& item:* Vinea Domini Sabaoth, domus Israël est. *Et licet totam, in partem præcipuam, sibi dedicauerit ab initio, peculiariùs tamen Vrbem sanctam sibi adoptauit in propriam, testāte Prophetâ, qui ait:* Diligit Dominus portas Syon super omnia tabernacula Iacob. *De qua gloriosa dicuntur, videlicet quod in ea docens, passus, & resurgens Saluator, salutem operatus est in medio terræ: ad hoc à seculis prælecta, vt tantorum esset conscia, & cella familiaris mysteriorum. Electa nimirum: quod ipse qui elegit, testatur, dicens:* Et de Hierusalem ciuitate quam elegi, veniet vobis Saluator. *Quam etsi peccatis inhabitantium id exigentibus, iusto iudicio suo in manus impiorum sæpius tradi permiserit DEVS, & duræ iugum seruitutis ad tempus eam sustinere passus sit: non tamen arbitrandum est, quod eam quasi à se repudiatam abiecerit. Cùm scriptum sit:* Flagellat DEVS omnem filium quem recipit: *Illi verò thesaurizat iram, cui dicit:* Recessit zelus meus à te, iam amplius non irascar tibi. *Diligit ergo eam, nec intepuit erga eam dilectionis feruor, cui dicit:* Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu DEI tui: & nō vo-

[Margin: XIV. A. D. 1095. — XV. — Esai. 19, 25. & 5, 7. — Psal. 86, 1. — Hebr. 12, 6. — Ezech. 16, 42. — Esaia 62, 3. 4.]

caberis amplius desolata, sed vocaberis *voluntas mea in ea*, quia complacuit Domino in te. *Hæc igitur salutis nostræ incunabula, Domini patriam, religionis matrem, populus absque DEO, ancillæ filius AEgyptiæ, possidet violenter: & captiuatis liberæ filiis, extremas imponit conditiones, quibus versa vice meritò seruire tenebatur. Sed quid scriptum est?* Eiice ancillã, & filiũ eius. *Sarracenorũ enim gẽs impia, & mundanarum sectatrix traditionũ, loca sancta, in quibus steterũt pedes Domini, iam à multis retrò tẽporibus violẽtâ premit tyrannide, subactis fidelibus, & in seruitutẽ damnatis. Ingressi sunt canes in Sãcta, prophanatũ est sanctuariũ; humiliatus est cultor DEI populus; angarias patitur indignas genus electũ; seruit in luto & latere regale sacerdotiũ; princeps prouinciarũ, facta est sub tributo, ciuitas DEI. Cuius nõ liquefiat anima? cuius nõ tabescant præcordia, his ad animũ recurrẽtibus? Quis hæc siccis oculis audire potest, fratres karissimi? Tẽplũ Domini, de quo Zelans Dominus vẽdentes eiecit & emẽtes, ne domus patris eius fieret spelũca latronũ, factum est sedes dæmoniorũ. Idipsum enim & Matathiã sacerdotem magnũ, sanctorum progenitorẽ* Machabæorum, *ad Zelũ accendit commẽdabilẽ, sicut ipse testatur, dicens:* Templũ Domini quasi vir ignobilis: vasa gloriæ eius abducta sunt captiua. *Ciuitas regis regum omnium, quæ aliis regulas intemeratæ tradidit fidei, gentium superstitionibus cogitur inuita deseruire. Sanctæ resurrectionis ecclesia, requies dormientis Domini, eorum sustinet imperia, fœdatur spurcitiis, qui resurrectionis nõ habebunt participium, sed stipula ignis æterni, perennibus deputabuntur incendiis. Loca venerabilia diuinis deputata mysteriis, quæ Dominũ in carne susceperunt hospitẽ, signa viderunt, senserunt beneficia, quorum omniũ in se plenã fide prætendunt argumenta, facta sunt gregum præsepia, stabula iumentorum. Laudabilis populus, cui benedixit Dominus exercituũ, sub angariarũ & sordidarũ præstationũ pondere gemit fatigatus: rapiuntur eorũ filii, matris ecclesiæ cara pignora: vt gentium immunditiis deseruiant, & nomen DEI viui abnegẽt, vel ore blasphement sacrilego, cõpelluntur: aut impia detestantes imperia, cæduntur gladiis more bidentiũ, sanctis martyribus sociandi. Non est sacrilegis locorũ differentia, nõ est personarũ respectus: In sanctuariis occidũtur Sacerdotes & Leuitæ; coguntur virgines fornicari, aut per tormenta perire; nec matronis ætas maturior suffragatur. Væ nobis, qui in hãc tam periculosi tẽporis descendimus miseriã, quam in spiritu præuidens electus à Domino Dauid rex fidelis, deplorat dicẽs:* DEVS, venerunt gentes in hæreditatem tuã, polluerunt templum sanctum tuũ. *Et item:* Populum tuum humiliauerunt, & hereditatem tuam vexauerunt. Vt quid Domine irasceris in finẽ, accendetur velut ignis ira tua? Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine? *Verúmne est quod dicitur:* Nõ obliuiscetur misereri DEVS, nõ continebit in ira sua misericordias suas? Recordare quid acciderit nobis; intuere, & vide obprobrium nostrum. Væ nobis, vt quid nati sumus videre corruptionẽ populi nostri, & contritionem ciuitatis sanctæ; & sedere illic cùm dantur in manibus inimicorũ sancta? *Vos igitur dilectissimi, armamini Zelo Dei. Accingimini vnusquisque gladio suo super femur suum potentissimè. Accingimini, & estote filii potentis. Melius est enim mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ & sanctorum. Si quis Zelum legis DEI habet, adiungat se nobis. Subueniamus fratribus nostris.* Disrumpamus vincula eorũ, & proiiciamus a nobis iugum ipsorũ. *Egredimini, & Dominus erit vobiscum. Arma quæ cæde mutuâ illicitè cruentastis, in hostes fidei & nominis Christiani cõuertite. Furta, incendia, rapinas, homicidia, & cætera qualia qui agunt, regnũ DEI non possidebunt, hoc DEO beneplacito redimite obsequio; vt delictorum, quibus Dominum ad iracundiã prouocastis, celerem indulgẽtiam pro vobis obtineant hæc pietatis opera, & deprecatio collata sanctorum. Monemus igitur & exhortamur in Domino, & in remissionẽ peccatorum iniungimus, vt fratribus nostris, & cælestis regni cohæredibus (omnes enim sumus inuicem membra,* hæredes quidẽ DEI, cohæredes autem CHRISTI) *qui Hierosolymis & in finibus eius habitant, afflictioni & laboribus compatientes, infidelium insolentiam (qui sibi regna, principatus & potestates subiicere cõtendunt) debitâ compescatis animaduersione; & illis totis viribus occurratis, quibus est propositũ, nomen delere Christianum. Alioquin futurum est, vt in proximo ecclesia DEI iugum indebitæ perferẽs seruitutis, fidei sentiat dispendium, præualente Gentiliũ superstitione. In quanta enim positi sint afflictione, nouerunt ex vobis nonnulli, qui hæc quæ loquimur, oculatâ conspexerunt fide, & præsens illorum per manum* Petri, *viri venerabilis, qui præsens est, ad nos delata docet epistola. Nos autem, de misericordia Domini, & beatorum Petri & Pauli apostolorum auctoritate cõfisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & onus sibi huius Peregrinationis assumpserint, iniunctas sibi pro suis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem ibi in vera pœnitentia decesserint, & peccatorum indulgentiam & fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros. Interim verò eos qui ardore fidei ad expugnandos illos laborem istum assumpserint, sub ecclesiæ defensione, & beato-*

Gen.21,10. Matt.21,12. 1.Mach.2,8,9. Psal.78,1.& 93,5.& 78,5.& 88,47.& 76,9. Thren.5,1. 1.Mach.2,7. Psal.44,4. Psal.2,3. Rom.8,17.

& beatorum Petri & Pauli protectione, tanquam veræ obedientiæ filios recipimus; & ab vniuersis inquietationibus, tam in rebus quàm in personis statuimus manere securos. Si verò quisquam molestare eos interim ausu temerario præsumpserit, per episcopum loci excommunicatione feriatur: & tamdiu sententia ab omnibus obseruetur, donec & ablata reddantur, & de illatis damnis congruè satisfiat. Episcopi verò & presbyteri, qui talibus fortiter nō restiterint, officii suspēsione mulctentur, donec misericordiam sedis Apostolicæ obtineant. His dictis, finem dicendi fecit: præcipiens iis qui aderant, ecclesiarum prælatis, vt ad propria reuersi, cum omni instantia & debita sollicitudine plebes suas ad idem hortentur & inuitent diligentiùs. Iis dictis finem dicendi fecit: & solutâ Synodo valedicentes ad inuicem, ad propria sunt reuersi: ante omnia, iuxta statuta Synodi fideliter laborātes, vt pax (quę verbo vulgari *Treuga* dicitur) ab omnibus obseruetur illibata, ne ire volētibus, & ad necessaria discurrere, vllū ministraretur impedimentum. Dedit ergo Dominus fideli seruo suo euangelizāti virtute multâ, & excelso in verbo gloriæ, pro fidei meritis verbum efficax, & sermonem omni acceptione dignum in oculis vniuersorū. Et visa est à Domino res egressa, ita vt mandatū eius, licet arduū nimis & difficile videretur, cum omni auiditate tam maiores quàm minores amplecteretur. Nec solùm pręsentes ex illius verbo succensus huius desiderii feruor ad iter armauerat; verùm longè latéq; sermo idē egrediens, absentes etiā pari voto feruētes accendebat ad idē. Episcopi verò prout in mādatis acceperāt, fideles se cooperantes exhibebāt, plebes suas ad idipsum inuitātes, & circūeuntes parochias suas, verbū vitæ disseminabant in populis: nec cadebat vel vnus apex sine fructu super terrā. ita vt verè dici posset, quod verè illud verbum Domini impleretur: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Diuidebatur enim maritus ab vxore, vxor à marito; patres à filiis, filii à parentibus; nec erat caritatis vinculum, quod huic feruori posset præiudicium facere: ita vt de claustris multi egrederētur monachi; & inclusi de carceribus, in quibus se incluserant spontanei propter Dominū. Nec tamen apud omnes erat in causa Dominus; & virtutū mater discretio votum excitabat: sed quidam ne amicos desererent, quidā ne desides haberentur, quidā solā leuitatis causâ, aut vt creditores suos (quibus multorum debitorū pondere tenebantur obligati) declinantes eluderent, aliis se adiungebant. Omnes igitur ex causis variis properabant. Nō erat in regnis Occidentalibus, qui aut ętatis aut sexus, aut conditionis, aut status vellet esse memor; aut aliquibus persuasionibus deterritus ab incepto desisteret: sed omnes indifferenter manus dabant; omnes vnanimiter corde & ore votum profitebātur. Videbatur ad literam impleri, quod in Thobia scriptum est: *Ierusalem ciuitas DEI, nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes, adorabunt in te Dominum; & terram tuam in sanctificatione habebunt, nomen magnū inuocantes in te.* De præsentibus igitur qui Concilio interfuerant, multi cum gaudio susceperunt insitum verbum: quorū primus fuit dominus *Ademarus*, bonæ memorię Podiensis episcopus, vir vitę venerabilis, qui postea Apostolicę sedis legatione funct⁹, in eadē expeditione populo DEI tam fideliter quàm prudenter præfuit: Dominus quoq; *VVillelmus Aurasicensis* episcopus, vir verè religiosus, ac timēs DEVM. De absentibus verò vtriusq; Regni principibus, eodem feruore succensi, ad iter se accingebāt, mutuò se & frequēter exhortātes; & certum præfigētes diē, vt collectis necessariis, & viæ consortibus cōuocatis, iter arriperent. Videtur verè diuinitùs procuratū pręsens, vnde loquimur, negotiū, & verbum verè egressum à Domino. Nā cateruatim cōcurrebant populi, vnum vbicunq; de principibus iter vouisse audierant, vt se illius comitatui sociarent; eiusq; super se in toto itinere inuocarent nomen, obsequia promittentes & fidē. Et quia verbum illud publicè diceretur, *Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui:* laborabāt certatim, se necessariis cōmunire, mutuò se pręuenire cupientes. Verè diuinitùs procuratū: necessarius enim erat hic ignis purgatorius, quo præterita, quæ nimia erant, diluerentur cōmissa; & occupatio ista vtilis, qua declinarētur futura. Non enim erat inter mortales respectus DEI, nec ad homines reuerentia. Conuenerat autē apud omnes & idipsum de mandato Domini Papæ iniunctū fuerat, vt quotquot prædictæ viæ voto se obligarent, viuificæ Crucis salutare signum vestibus imprimerent; & in humeris illius sibi portarent memoriā, cuius passionis locum visitare proposuerant: illum imitantes, cui ad nostrā redemptionem properanti, *factus est principatus eius super humerum eius.* De quo etiam non immeritò videtur posse intelligi illud Isaiæ: *Leuabit*

[Margin: 10, XVI., 20, Matth. 10, 34., 30, Thob. 13, 13., 40, 50, Esaia 9, 6. & 11, 12.]

Dominus signum in nationibus, & congregabit dispersos Israël. Sed & illud mandatum Domini iuxta literam videbatur impleri: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum; & tollat crucem suam, & sequatur me.* De vtroque itaque regno, in arram futuræ Peregrinationis, signo Crucis se communiuerant, Vir illustris dominus *Hugo magnus*, domini Philippi Francorum regis frater; dominus *Robertus* Flandrensium comes; dominus item *Robertus*, comes Normannorum, domini Willelmi Anglorum regis filius; dominus *Stephanus* Carnotensium comes & Blesensium, senioris Theobaldi comitis pater; dominus *Ademarus* Podiensis episcopus; dominus *VVillelmus* Aurasicensis episcopus; dominus *Raimundus* comes Tolosanus, & sancti Ægidii; cum aliis multis inclytis & nobilioribus viris: vir quoque strenuus & insignis, dominus *Godefridus* Lotharingiæ dux, & cum eo fratres eius, dominus videlicet *Balduinus*, & dominus *Eustachius*: *Balduinus* itidē, qui cognominatus est de Burgo, prædictorum consanguineus, domini Hugonis comitis de Retest filius: item comes *Garnerus de Gres*: *Balduinus* comes Hamaucorum; *Isuardus* comes Diensis; *Rainbaldus* comes Auracisensis; *VVillelmus* comes de Foreis; Comes *Stephanus* de Alba marla; *Rotrodus* comes Perticensis; comes *Hugo* de Sancto Paulo. Sed & de viris maioribus, qui tamen Comites non erant, ad idipsum DEO placitum obsequium sponte se obtulerunt inclyti viri & nobiles: *Henricus de Ascha, Radulfus de Bagentiaco, Hebrardus de Pusato, Gentonius de Bear, VVillelmus Amanen, Guastus de Bederz, VVillelmus de Montepessulano, Gerardus de Russelun, Gerardus de Ceresiaco, Rogerus de Barnauilla, Guido de Possessa, & Guido de Garlanda*, Francorū regis dapifer; *Thomas de Feria, Galo de Caluo monte*: prædictus quoque *Petrus Heremita* cum ingenti multitudine, quam tum ex Regno, tum ex Imperio multo labore contraxerat. Circa alpes verò dominus *Boamundus* Tarentinorum princeps, domini Roberti Guiscardi Apuliæ ducis filius: dominus quoque *Tancredus*, eius ex sorore nepos; & alii multi, quorum numerum vel nomina non tenemus. Hi omnes tempus expectantes opportunum, cum ingentibus militarium virorum copiis, ad militiam parati Christianam erant accedere; & se tantæ peregrinationis laboribus pro CHRISTI nomine deuotè mancipare. Transcursâ itaque hyeme, cùm prima veris subsequentis se obtulerunt initia, & frigore depulso, grata terris reddita est temperies, equos præparant, arma exerunt, componunt sarcinas, & mutuis se, qui simul erant profecturi, inuitant legationibus: diligēter præordinantes, quando oporteat eos iter arripere, vbi cōuenire, & quâ viâ tutiùs commodiusque possint incedere. Nec enim poterant tot tamque infinita populorum millia in vna qualibet regione sibi reperire necessaria. Vnde studiosè procuratum est, vt singuli maiorum Principum, seorsim legiones suas traherent, & non eodem tramite proficiscerentur. Sed neque antequam ad vrbem Niceam peruenirent, eorum exercitus conuenerunt. Nam, sicut dicetur inferiùs, Dux cum suis legionibus per *Hungariam*; comes Tolosanus, & Episcopus Podiensis, per *Dalmatiam*; reliqui verò principes per *Apuliam*, sed variis temporibus, *Constantinopolim* peruenerunt. Parabatur interim quod ad tantum iter sufficere posse credebatur: & viaticula sua, cum viæ quantitate metiri nitebantur, ignorantes quòd *non sunt in manu hominis viæ illius*. Ignorat enim mortalis infirmitas, quid sibi crastina pariat dies. Non erat vspiam in tot prouinciis, quot habet Occidens, domus ociosa vel vna. Cuique iuxta suam conditionem familiaria suberant, circa quæ sollicitabantur, negocia, dum hic paterfamiliâs, ibi filius, illuc verò tota domus ad migrandum se componeret. Dirigebantur frequentes epistolæ, quibus qui simul profecturi erant, se mutuò exhortabantur, attentiùs moram increpantes, & monentes properare celeriùs. Vocantibusque cæteros his, qui turmarum erant duces designati, cum singultibus & suspiriis diuidebantur ab inuicem carorum amplexus, & supremum sibi valedicentes, separabantur in osculis. Mater filium, parentem filia, soror fratrem, vxor maritum, in vlnis deportantes paruulos, & suggentes vbera, cum lachrymis & eiulatu comitabantur abeuntes: & dicto vale, quos gressu non poterant, defixis obtutibus prosequebantur. Anno igitur ab incarnatione Domini *millesimo nonagesimo sexto*, mense Martio, octauâ die mensis, quidam *Galterus*, cognomento *Sensaueir*, vir nobilis, & in armis strenuus, cum ingenti multitudine pedestrium turmarum (nam paucissimos secum habebat equites) primus iter arripuit, & pertransiens Teuthonicorum regnum, in Hun-

Marginal notes: Matth. 16, 24. — XVII. — XVIII. A. D. 1096. — line numbers 10, 20, 30, 40, 50.

in Hungariam descendit. Est autem *regnum Hungariæ* paludibus interiectis, & magnis fluminibus præcinctum, & inaccessibile; ita vt nisi certis locis, & iis vehementer angustis, volentibus introire vel egredi, non pateat introitus vel exitus. Eidē autem regno tunc præerat vir Christianissimus, rex *Calemannus*, qui cognito prædicti Galteri aduentu, & de eius edoctus proposito, piam illius commendans intentionem, eū benignè admisit, & transitu suis expeditionibus per Hungariam concesso, publicorum cōmerciorum gratiā non negauit. Ille verò regno eius cum omni trāquillitate transcurso, vsq; ad fluuium *Maroe*, qui eiusdem regni limes ab Oriente dinoscitur esse, peruenit incolumis. Quo transito, Bulgarorum fines cum suis legio-
10 nibus attigit, ad locum perueniens qui dicitur *Bellegrauia*. Eo tamen ignorante, trans eundem fluuium in loco cui nomen *Malauilla*, de comitatu eius quidam remanserant, vt cibos emerent, & ad iter colligerent quædam necessaria: quos Hungari cōprehendentes, nudatos, & affectos verberibus, ablatis omnibus remiserunt ad suos. Et licet eorū aduersitati vniuersus plenā caritate cōpateretur exercitus, & sinistro, qui acciderat, casui plurimùm sociis condoleret; tamen videntes quia durum erat nimis, & penè impossibile fluuium retransire, & occasione emergentium negotiorum iter differre propositum, satius arbitrati sunt *dissimulare ad tempus iniuriam, quàm ad id quod assequi non possent, temerè aspirare*: spem habentes in eo, cui militare proposuerant, quòd CHRISTI seruis illata gratis iniuria non præteriret impunita; sed cō-
20 dignam ab eo reciperent mercedē, qui suis fidelibus repromisit dicens: *Et capillus de capite vestro non peribit: in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Continuantes igitur iter, *Bellegrauiam* peruenerunt, vt præmisimus: vbi *Galterus* à duce Bulgarorū, qui eidem loco præerat, emendi licentiam postulans, & impetrare nō valens, ante vrbem castrametatus est; vbi exercitū suum victus inopiā laborantē, cohibere non valens, graue nimis populi sui passus est dispendium. Nā cùm à Bulgaris omninò venalium nihil, aliquo precio interueniente, obtinere possent, egressus est eius exercitus, vt sibi modo quocunq; alimenta cōpararēt; ne præ necessarii victus deficere cogerētur inopiā. Qui greges Bulgarorum inuenientes, & armēta, violenter ex eis cœperunt abducere, & castris inferre suis. Quod audiētes Bulgari, correptis armis, ad eos qui
30 eorum abducebant animalia, hostiliter egressi, predam reuocare volentes, bellū raptoribus inferunt. Et facti superiores, centum quadraginta ex eis à præcedentiū comitatu separatos incautiùs, in oratorio quodā (quo se gratia cōsequendæ salutis cōtulerant) igne supposito, combusserunt, reliquis in fugā adactis. At verò *Galterus* sciens, quod populū secū traheret duræ ceruicis, & indiscretū, relictis his qui suo proprio spiritu ducebātur, incorrigibiles facti, cū reliquis agminibus Bulgarorū syluas, longè lateq; diffusas, prudenter circunspecteq; pertransiens, *Straliciam* Daciæ mediterraneæ metropolim egregiā peruenit: vbi eiusdē ciuitatis præsidi de damno & iniuria plebi DEI iniustè à Bulgaris illata cōquestus, plenā super omnibus cōmissis iustitiā cōsecutus est. Insuper ab eodē Duce, viro egregio, & timente DEVM, huma-
40 nissimè tractatus, cōmerciorum legē obtinuit cōmunē; vt sibi, & populo suo æquâ mensurâ, & iusto precio, necessaria venderentur: & vt legibus humanis in eius obsequio nihil videretur deesse, duces etiā itineris, qui eis vsq; ad Vrbem præessent regiam, concessit. Quò perueniens, & in præsentiā domini Imperatoris introductus, ab eius obtinuit magnificentia, vt vsq; ad aduentum *Petri*, de cuius precepto iter arripuerat, exercitū suū in locis vrbi finitimis, indultâ emendi vendendiq; licētiā, habere permitteretur: quod ei concessit Imperator. At verò *Petrus*, post hæc non multo interiecto temporis interuallo, cum innumerabili exercitu transcursâ *Lothoringiâ, Franconiâ, Bauariâ*, & eâ regione quæ *Austria* dicitur, cū vniuersa multitudine, quā ex omni populo, & tribubus, & linguis, & nationibus collegerat, quasi ad qua-
50 draginta millia, fines *Hungarorum* attigerat. Vnde missâ legatione ad dominum Regem, impetrauit, vt si pacificum vellet habere introitum, & sine tumultu & scandalis regnum eius pertransire, ei sine difficultate aditus præstetur. Quâ susceptâ licentiā, & cōditionem approbans interpositā, cum vniuersis legionibus, quæ eū sequebantur, regnum ingressus est. Quod cum omni tranquillitate transcurrens, alimentorū multā copiā, iusto precio, & bonis cōditionibus ab indigenis ministratâ, vsq; ad superiùs memoratam *Maleuillam* peruenit. Vbi intellecto quòd consortibus eorum, qui *Galterum* secuti, eos præcesserant, multam illius loci habitatores intu-

Luc. 21, 18, 19.

XIX.

lerant iniuriam,& impietatẽ non modicã in eos exercuerat: videntes etiam eorum spolia & arma nihilominus in muro ciuitatis, quasi pro trophæo dependentia, iustâ irâ succensi, protinus arma corripiunt, & se inuicem exhortantes, vrbem violenter infringũt, incolis penè omnibus aut interemptis gladio, aut in vicino flumine submersis. In quo tumultu, eorum meritis id exigentibus, illâ die cecidisse dicuntur de Hungaris quasi ad quatuor millia; de expeditione verò Petri, centũ dicuntur occubuisse. Sic igitur vrbe correptâ violenter, quinq; diebus continuis manserunt in ea, propter alimentorũ, quam in ea repererunt opulentiam. At verò Bulgarorum dux, *Nichita* nomine, qui Galtero & eius legionibus rerum venaliũ forũ prius interdixerat, intelligens quod Maleuillanis pro eo quod in præcedentes ipse quoq; deliquerat, subsequentes in eum vellet refundere, relictâ *Bellegrauâ*, cui præerat, de loci diffidens munitione, aufugit. Loci verò incolæ cum sua quisq; familia oppidũ nihilominus deserentes, cum gregibus & armentis in opaca syluarum, & nemorũ abdita, longè interiùs se contulerunt. Petrus autẽ dum adhuc in expugnato præsidio morã faceret, relatione quorundã edoctus, quod rex Hungariæ suorum stragem, quã audierat, nimis ægrè ferens, militares ex vniuerso regno cõuocaret copias, & in suorũ vltionẽ accingeretur animosiùs, congregatis nauibus quotquot ex vtraq; fluminis ripa inuenire potuit, legiones suas sub omni celeritate transferri præcepit, secũ trahens greges & armẽta, spoliaq; vberrima, quæ de loco violenter effracto vsq; ad redundantem copiã eduxerat. Quibus in vlteriore ripa collatis, ante *Bellegrauam*, quã tamẽ vacuã repererunt, castrametati sunt. Vnde cũ plaustris & vehiculis, cum gregibus & armentis, & vniuerso comitatu, itinere dierũ octo, nemorũ latè patentium condensa pertransiens, ante vrbem *Niz*, turribus & muro valido munitissimã, & viris fortibus refertã, cum suis astitit legionibus; & flumine quod eandẽ vrbẽ præterfluit, per quendã pontem lapideum trãsmisso, castra ibidẽ metatus est. Dumq; eius exercitus iã deficiente viatico, victus inopiâ laboraret, missâ legatione ad prȩsidem ciuitatis, amicè postulat, vt rerũ venalium, & eorum maximè quȩ vitæ sunt necessaria, bonis conditionibus, & iusto precio, populo peregrinanti, & obsequiis diuinis mancipato fiat cõmercium. Ille verò id nullatenus posse fieri respõdit, nisi prius datis obsidibus se obligaret exercitus, vt indigenis forum ministrantibus nec iniuria, nec vis maior vlla inferatur. Quâ conditione vtrinq; placitâ, datis obsidibus, egressi sunt ciues secũ deferentes venalia.

XX. Facta est igitur expeditionibus vniuersis alimentorum plenior abundantia, emendi vendendiq; contractibus mutuâ caritate inter vtrunq; populũ celebratis: nocteq; illâ in omni tranquillitate & mutua caritate transcursâ, summo mane receptis obsidibus, ad iter accingũtur. Dumq; essent in proficiscendo, & maior pars præcessisset, imò penè omnis exercitus; quidam turbati capitis homines, & diuinâ animaduersione digni, memores satis friuolæ contentionis, quã hesternâ nocte cũ quodã Bulgaro habuerant occasione vendẽdi emendiq;, separati aliquantulũ à præcedentibus agminibus, septẽ molendinis, quæ iuxta prædictũ pontem in flumine voluebantur, ignẽ supponentes, subitò conuerterunt in fauillã. Erant prȩdicti filii Belial natione Theutonici, numero quasi centum: qui etiam, cùm eorũ nõ sufficeret furori, quod cõmiserant, adiecerunt etiã, vt quorundã domicilia, quæ extra muri erant ambitũ, non dispari nequitiâ succenderẽt. Consummatoq; scelere, turbis innocentibus, tanquã cõmissi maleficii conscientiã non habentes, cursu maturato adiungere se fategerunt. At verò dux, qui eos benignè satis nocte tractauerat hesternâ, vidẽs quod nõ satis ei respõderant dignè pro meritis: scilicet pro collato beneficio, suppliciũ reportare cogebatur: paucorũ commissum, nõ æquo satis iudicio, refundens in omnes, vniuersos prȩdones reputãs, & incẽdiarios: ciues euocat, arma monet corripere; & ipse præuius cum ingenti multitudine, verbo suos exhortatur & exemplo, prædictas insequi expeditiones; & tanquã de sacrilegis vindictã reposcere persuadet. Egressi ergò vnanimiter, præcedẽtes insectãtur; & partes præcedentis exercitus posteriores inuadunt hostiliter, gladiis instãtes atrociùs. Prædictos itaq; malefactores, qui necdũ castris se adiunxerant, seorsum à turbarũ frequentia reperiẽtes, iustissimâ indignatione, morti tradiderunt. Sed siue casu, siue ex industria inuoluentes iustũ cum impio, multos de immeritis pari pœnâ cõfoderunt. Currus autẽ & vehicula, quibus tam alimenta, quàm omnimodã eorũ suppellectilẽ deferebãt, senes quoq;, & valitudinarios, matronas quoq; cũ pueris & puellis,

puellis,quæ passibus æquis cæteros subsequi non poterant,comprehendentes,vinculis alligatos secum deduxerunt: consummatâ strage, interemptorum sanguine satiati,& spoliis onerati,redeuntes ad propria. Interea vir venerabilis, *Petrus*, & vniuersa quæ præibant agmina,maioresq́; cuncti expeditionis viri, huius infortunii,quod suis acciderat,ignari penitus,iter continuabant inceptum. Cùm ecce quidam equo raptus velocissimo,cursu præcipiti festinans,casum nunciat, stragē suorum & captiuitatē ex ordine pandens. Quo cognito,de cōmuni prudentium consilio,viam,quâ totâ die venerant,relegentes,reuocatis legionibus, factæ cædis argumenta,& fratrum interemptorū funera non sine lachrymis & gemitu contuentes, XXI.
10 ante vrbē,vbi hesternâ nocte castra locauerant, constiterunt. Erat autē Petro & his qui secū erant,sensus habētes magis exercitatos,in eo facto simplex oculus, & pura intentio. Ideò redierāt,vt causâ mali cognitâ,& scandalorū amputatâ materiâ,inter vtrumq; populū pax plenior reformaretur; & ad propositū tutiùs purgatâ redirent cōscientiâ. Missis igitur viris prudentibus & honestis ad præsidē,& Maiores ciuitatis,diligenter discutiunt,quænā causa intercesserit, vt ad tantū tumultū & tantam sanguinis innocētis effusionē ita subitò veniretur. Causâ itaq; cognitâ,intelligētes q̃ missi fuerāt, quòd satis iustè indignatione cōceptâ, ad arma cōuolauerāt;& quòd non erat tēpus satis idoneum ad hoc,vt super illatis reposceretur vindicta,modis omnibus cōpetentibus,& totâ instant sollicitudine, vt pace reformatâ, prædâ, sarci-
20 nas,socios,& vniuersa quæ amiserant,cū integritate reciperent. Dumq; in eo perseuerarēt,pactis penè ad placitā vtrinq; redactis cōsonantiā,excitatus est casu,inconsulto quorundā calore & ausu temerario,in castris tumultus: volentibus indiscretis quibusdā iniuriā,quā sustinuerant,violenter vindicare. Porrò Petrus eorū insaniā volens cōpescere,& causam cædis declinare quærens, missis quibusdam prudentibus & magnæ auctoritatis hominibus,ab impetu & furore,quo ciuib⁹ instabāt hostiliter,eos reuocare nitebatur. Cumq; nō proficeret,neq; eius,licet salutaribus,acquiescere vellent monitis: exercitui missâ voce præconiâ sub promissæ obedientiæ debito,præcepit districtiùs, vt nemo illis qui suâ temeritate pacem reformatā ausi fuerant violare,opem ferat,aut ministret auxiliū. Cui verbo acquiescens exercitus,
30 sedebat quasi arbiter,finē inchoati tumultus,& rei exitū præstolantes. Qui autē pro bono pacis missi fuerant ad præsidē, videntes quod excitus in populo tumultus sedari non valeret,sed magis ac magis augebatur, & quod iuxta propositū proficere non poterant,reuersi sunt ad castra infecto negotio,elaborantes cū Petro viro Dei, vt turba cōprimeretur. Sed neq; id effectui mancipare dabatur. Erant autem quasi mille,qui ad hanc proruperant temeritatē. Quibus totidē de vrbanis egressis obuiā, bellum ingens ante vrbem vtrinq; committitur. Videntes autem qui in vrbe erant, quòd quasi schisma ortum erat in populo exteriore, sperantes, quòd quia inuito & contradicente Petro rixam cōcitauerant,reliqua pars exercitus nullatenus eis vellet ministrare subsidia,reseratis aditibus,omnes vnanimiter egressi, ex nostris penè
40 quingentos supra pontem occiderunt:reliquis penè omnibus, dum vada nesciunt, tanquā locorum ignari,submersis in flumine. Quod videns exercitus,& tantā suorum nō ferens iniuriā,ad arma conuolant vniuersi:& confligentibus inter se agminibus fit strages infinita,ita vt esset error nouissimus peior priore. Populares ergo, & vulgus indocile,Bulgarorum non ferentes instantiam,fugam ineunt:aliosq́; qui in certamine viriliter desudabant,exemplo suo, & impetu, terga dare compellunt. Fugit itaq; vniuersus exercitus,& turbatis ordinibus,non erat qui resisteret. In quo tumultu sæpè dictus Petrus vniuersam pecuniam, quam de fideliū largitione principū,vt inde pauperibus & egenis in itinere necessaria ministraret, collegerat,retēto curru in quo vniuersa eius deferebatur substantia,penitus amisit. Bulgari autem
50 instantes animosiùs,ex eis quasi ad decē millia gladio peremerunt,retētis vehiculis & sarcinis vniuersis;mulierū quoq; & puerorū ingenti multitudine captiuatâ. Qui autē euaserant,syluarum latebras & deuia secuti, vix tertiâ die,monentibus lituis & strepentibus tubis reuocati,circa Petrum, & illos, qui cum eodem euaserant, & in collem se receperant sublimem aliquantulum, conuenerunt. Die tandē quartâ,recollectis adinuicem eis qui dispersi fuerant, & ex occultis in quibus triduo latuerant prodeuntibus, conglobati iterum quasi ad triginta millia rursus ad iter se accingunt. Et licet plaustra, currusq́;, quasi ad duo millia imprudenter amisissent, XXII.

tamen à proposito deficere ignominiosum reputantes, viam, licet multâ difficultate, continuant. Dumque essent in proficiscendo, alimentorum multam sustinentes inopiam, ecce domini Imperatoris nuncius castris eorum se intulit, qui Petrum, & alios eiusdem exercitus Capitaneos, regiam proferens iussionem, publicè conuenit, dicens: *Sermo grauis, & verbum satis absonum, viri nobiles & inclyti, famâ referente, dè vobis ad Imperialem peruenit audientiam, quod in Imperio suo violentiam regionis habitatoribus & eius subditis inferatis enormem, rixas & tumultus concitantes. Quapropter eius auctoritate, si in conspectu Maiestatis eius gratiam aliquando inuenire quæritis, vobis iniungimus, quatenus in aliqua vrbium eius vltra triduum moram facere non præsumatis, sed continuato itinere congruo, tamen moderamine temperato, versus Constantinopolim expeditiones vestras* 10 *quantociùs dirigatis. Nos autem exercitum vestrum præeuntes, victui necessaria iusto precio vobis ministrari faciemus.* Quo audito reuixit spiritus eorum, qui præ victus inopia iam contabuerant: & intellectâ erga se domini Imperatoris clementiâ, in spem maiorem erecti, postquam apud eum qui regios detulerant apices, de sua innocentia, & supportata patienter, quam eis immeritis Bulgari gratis intulerant iniuria, pro tempore sufficienter allegauerunt: ducem prædictum sequentes, ab omni abstinẽtes enormitate, maturato itinere *Constantinopolim* peruenerunt. Vbi reperto prædicto *Galtero*, qui cum suis legionibus eorundem præstolabatur aduentum, iunctis exercitibus, castra in loco sibi deputato metati sunt. *Petrus* verò à domino Imperatore vocatus, vrbẽ ingressus est: & in eius præsentia constitutus, sicuti vir magna- 20 nimus erat & eloquens, de sua intentione, & tanti laboris causa interrogatus, plenè disseruit: & quod eum maximi Occidentalium partium & DEO digni principes, in proximo subsequerentur, edocuit: tantâ mentis constantiâ, & verborum vsus ornatu, vt & Palatii principes, viri admirarentur animositatem & prudẽtiam, & ipse dominus Imperator eum propensiùs commendaret. Benignè igitur habitum, & donis cumulatum vberioribus, ad suos redire præcepit Imperator. Vbi cùm dies aliquot, eius & victualibus, & requie refocillatus esset exercitus, paratis nauibus ex Imperiali mandato, transito Hellesponto, in Bithyniam, quæ prima, de Asiana diocesi, prouincia eodem mari terminatur, descenderunt: demumq; ad locum supra idem

XXIII. mare situm, cui nomen *Ciuitot*, peruenientes, castrametati sunt. Erat autem idẽ 30 locus in hostium confinio positus; vbi cùm in multa rerum opulentia quasi duobus mensibus continuis consedisset exercitus, non defuit eis penè quotidie rerum venalium copia, & refectio pro tempore necessaria. Quâ rerũ vbertate simul & ocio

Psal. 72, 7. dissolutus miser & duræ ceruicis populus, *prodeuntibus ex adipe stimulis insolentiæ*, cœpit seorsum inuitis magistratibus turmas agere; & ad decẽ vel amplius miliaria perlustrare regionem, greges & armenta secum trahentes. Receperant tamen sæpius ex parte domini Imperatoris litteras commonitorias, quatenus ante aduẽtum maiorum principum, qui subsequi dicebantur, longiùs euagari, aut in se hostes prouocare non præsumerent; sed in loco designato moram facerent, circumspectè se habẽtes. *Petrus* autem pro plebe sibi commissa valdè sollicitus, ad Vrbem regiam pro- 40 fectus erat, vt rerum venalium, si posset, alleuiaret precium, & humaniorem commerciis obtineret conditionem. Vnde populus cõtumax & calcitrosus, sumptâ occasione ex eius absentia, cœpit insanire vehementiùs; & conglobati seorsum ab exercitu eiusdem factionis complices, quasi ad peditum septem milia, adiunctis sibi equitibus trecentis, aliorum interdictum auribus surdis præeuntes, versus *Niceam* ordinatis agminibus profecti sunt. Vnde de locis prædictæ vrbis conterminis, greges & armenta ad maximum numerũ contrahentes, in castra reuersi sunt incolumes. Porrò vidẽtes Theutonici & illius linguæ homines, quod Latinis in eo negotio ad quod exierant, prosperè successerat, rapinarũ amore cõcepto, adiiciunt & ipsi simile aliquid attẽtare, vnde & nomẽ obtineant, & vires inferant rebus domesticis. Tã- 50 dem verò colligati ex eadẽ natione quasi ad tria millia cũ ducẽtis equitibus, versus Niceã contendunt. Erat autẽ in eadem regione oppidum ad radicem montis sitũ, à Nicea quatuor vix miliarium distans spacio: ad quod accedentes, impetu vehemẽtissimo, & totis viribus oppugnant vndique; & licet plurimùm resistentibus oppidanis, expugnatum occupãt violenter: & ibidem, interemptis habitatoribus, & occupatis quæ eorũ fuerant vniuersis, loci amœnitate tracti simul & opulentiâ, castrũ communiunt, proponentes vsq; ad aduentum principum in eodẽ loco cõmanere.

Solimannus

Solimannus verò illius regionis dux & moderator, audito longè ante Christianorum principum aduentu, ex vniuerso interim Orientis tractu, tam prece quàm precio, & modis quibus poterat, infinitas virorum fortium colligens copias, ad easdem partes redierat, vt contra hostiles impetus ciuibus & regioni optata præberet solatia. Qui audiens quod Teuthonicorum prædicta manus oppidũ eius expugnasset, & expugnatum detinere præsumeret, illuc sub omni celeritate festinat, & castrum obsidens, violenter expugnat: omnibus quotquot intus reperit, gladio peremptis. Interea rumor in castris personuit, & celebri fama peruulgatũ est, Theutonicorum cohortes, quę recenter de castris exierãt, in manu Solimanni penitus cecidisse. Vnde mente plurimùm cõsternati, gemitu & lachrymis, quas præ spiritus angustia cohibere nequeunt, dolorẽ protestantur. Tandẽ compertã pleniùs veritate, exoritur tumultus populariũ in castris; vociferante plebe, & id summã exigente precũ instãtiã, vt illatã fratribus tam enormẽ non dissimularent iniuriã; sed correptis armis, omnes vnanimiter tàm equites quàm pedites, interemptorũ fratrum sanguinẽ vindicaturi procederent. Quod verbũ Maiores exercitus, & qui in talibus pleniorẽ habebant experientiã, domini Imperatoris consilio parére volentes, cùm vellent cõprimere, & furẽtis populi indiscretũ mitigare feruorẽ: insurrexit plebs aduersus eos indomita; & cuiusdam *Godefridi*, qui cognominabatur *Burel*, qui princeps erat factionis, vsa patrocinio, Maioribus contumelias cœpit irrogare, timiditati asscribẽs, & non prudentiæ, quod fratrum interfectores, vltore gladio non persequerentur.

XXV. Præualuit tandem deteriùs affectorum sententia; & arma corripientes vniuersi, relictis debilibus cum mulieribus & paruulis, & his quibus arma nõ erant, congregãti sunt ad viginti quinque milia peditum armatorum, quingentos equites optimè loricatos habentes. Ordinatis ergo agminibus, & in acies digestis, versus montana per syluam prædictam, ad partes Niceas cõtendunt. Vixq; ad tria miliaria processerant, cùm ecce Solimãnus cum innumera suorum multitudine eandẽ syluam ingressus, vt in castra nostrorũ, quæ in loco erant supra nominato, subitus irrueret, accelerabat. Audiensq; per eandem syluam clamores insolitos, vt primùm cõperit quod à castris egressæ nostrorũ sibi occurrerent legiones, relictis montibus & syluã, ad patentes campos se contulit. Quò etiã nostri peruenientes, aduentus hostiũ ignari penitus, postquã eorum in vicino cõstitutum cognouerunt exercitũ, mutuis se vocibus exhortantes, in hostes irruunt, gladiis instantes cominus, interemptorum fratrum sanguinem de manu hostium requirẽtes. Hostes verò votis omnibus & ardente proposito nostros in se irruentes gladiis excipiunt; & compertum habẽtes, quod res pro capitibus agerétur, resistunt viriliter, iustã indignatione succensi, & de sua multitudine præsumẽtes. Tandem confligentibus adinuicẽ hinc inde cohortibus strenuè, satisq; viriliter, oppressi nostrates ab eorũ multitudine, & pondus belli nõ valentes ferre diutiùs, dissolutis agminibus, in fugam versi sunt: quibus nihilominus Turci gladiis incumbentes, vsq; in eorum castra, stragem operantes infinitã, eos insectati sunt. Ceciderunt in ea congressione de viris nobilibus, qui Petri castra sequebantur, Galterus Sensauer, Rainaldus de Breis, Fulcherus Aurelianensis, & alii innumerabiles. Nã de viginti quinq; milibus peditũ, qui de castris egressi fuerãt, & de quingentorũ numero equitum, vix vel vnus superfuit, qui aut mortem effugerit, aut vincula.

XXVI. Tandẽ verò hac potitus victoriã, & præsenti successu *Solimannus* factus elatior, in castra violẽtus irruit; id residuum quod supererat, nemine iam qui resistere posset inuento, gladiis abolet: senes, valitudinarios, monachos, & clerum vniuersum, matronas quoq; grandæuas ferro perimens; solis pueris & puellis, adhuc impuberibus, quorum pro eis ætas intercedebat, & facies, ad hoc parcẽs, vt seruituti mancipatet. Erat autem iuxta nostrorum castra, in littore maris situm, præsidium vetus, semirutum, habitatoribus vacuum, ita vt nec seras haberet, nec ostia; in quod, necessitate compulsi, salutem in eo posse consequi arbitrantes, Peregrinorũ quidam se cõtulerunt, quasi ad tria millia. Qui obiectis clypeis, & magnorum aduolutione molariũ aditus obstruũt, & ad sui tuitionem, prout necessitatis articulus imperabat, accinguntur. Dumq; Turcos instantes vehementiùs, spe obtinẽdæ salutis, qui obsessi erant, à se repellunt longiùs, pro vita & libertate totis viribus decertantes, nuncius quidã sub omni celeritate ad *Petrum* accedens, stragẽ suorum indicat; & residuos de populo iã consumpto, in oppido quodam semiruto artissimã

obsidione vallatos edocet, armorum & victus inopiâ laborãtes. Qui ad dominum Imperatorem accedẽs, fusis humiliter precibus obtinet, vt missâ illuc sub omni velocitate militiâ, reliquias populi ab imminẽtibus periculis præcipiat liberari: quod & factũ est. Turci enim auditâ domini Imperatoris iussione, ab oppidi protinus destiterunt impugnatione: & trahentes secum quos in vincula coniecerant, cum tentoriis & papilionibus, equis, mulis, & omnimoda nostrorũ supellectile optima spolia deferentes, Niceã reuersi sunt. Sic ergo ceruicosus populus, & intractabilis, dum monitis nesciunt acquiescere melioribus, suo lapsus impetu, totus descendit in interitum: & dum disciplinæ salutaris nescit iugum portare, suarum viarum fructus inutiles collegit, hostium gladiis deputatus.

XXVII. Post Petri verò transitum in Bithyniam, consequenter non multo temporis interuallo, quidam sacerdos *Godescalcus* nomine, natione Theutonicus, Petri sequens vestigia, eiusdem peregrinationis accensus desiderio, exhortationis habens gratiam, multos ex vniuerso Theutonicorum regno ad idem opus animauerat. Collectisque viæ consortibus, quasi ad quindecim millia, Hungariæ fines, sine difficultate admissus, ingressus est. Vbi cum eius exercitui venalia de mandato regio bonis conditionibus ab Hungaris exhiberentur, alimentorum abutentes opulentiâ & ebrietati vacantes, ad inferendas enormes indigenis se contulerunt iniurias: ita vt prædas exercerent; venalia foris illata publicis, violenter diriperent; & stragem in populo committerent, neglectis legibus hospitalitatis. Quod domino Regi postquam innotuit, irâ succensus, regnum vniuersum præcipit conuocari; & in vltionem tantarum iniuriarum armari populum imperat, & maiores etiam regionis. Commiserunt enim grauia in locis quampluribus, turpiaque nimis, & relatione indigna, quæ nonnisi cum subiectorum odio, & timiditatis nota, Rex poterat dissimulare. Conuocatâ igitur totius regni militiâ, tanquã in hostes, & supremâ dignos animaduersione, vnanimiter ruunt præcipites, pro tantis excessibus mortem irrogaturi. Tandemque apud locum cui nomen *Bellagraua* est, qui locus in vmbilico regni eorum positus est, prædictorum insensatorum confusam reperiunt multitudinem: qui præcognito Regis aduentu, & de eius indignatione non ignari, verentes quam læsam portabant conscientiam, arma corripuerant, quasi vim vi repellere, & à se propulsare iniurias parati. Quos postquam Hungari armis incumbentes viderunt, & ad resistendum animatos, perpendentes quòd non sine suorum multa strage poterant eis vim inferre: erãt quippe fortes viri, armorum vsum habentes, quique non facilè vellent gratis animas ponere: more suo dolis tentant peragere, quod viribus nequeunt. Missâ enim legatione ad prædictum Godescalcum, & exercitus primates, verbis pacificis eis loquuti sunt in dolo, dicentes:

XXVIII. *Peruenit ad dominum Regem de vestro exercitu grauis querimonia, quòd populo sibi subdito graues nimis & enormes intuleritis molestias, iniquâ lege vestros hospites, qui vos benignè tractauerunt, remunerantes. Tamen domini Regis plenius nouit prudentia, quòd non estis omnes horum commissorum rei: sed certum habet inter vos viros prudentes & timentes DEVM, quibus aliorum displicet enormitas, & quibus inuitis & renitentibus commissa sunt, quæ dominum Regem meritò ad iracundiam prouocarunt. Vnde aliquorum crimen timens in omnes refundere, ne iustum inuoluat cum impio, decreuit iræ suæ modum imponere; & Christianæ consortibus professionis parcere in præsenti. Vnde consulimus, vt eius omnino quiescat indignatio, quòd & personas vestras, & omnem, quam hîc habetis substantiam, arma quoque in manus domini Regis sine aliqua conditione tradatis. Alioqui nec vnus solus ex vobis mortem poterit euadere; cùm in medio regni eius constituti, nec viribus pares sitis, nec fugiendi habeatis potestatem.* Godescalcus igitur, & legionum primicerii, quibus ab initio contumacis populi displicebat insania, de regia benignitate præsumentes, in simplicitate spiritus, populum totis viribus renitentem, & pro vita decertare paratum, in eã quasi violenter traxerunt sententiam, vt cum armis & omni eorum substantia in potestatem domini Regis se traderent, pro his omnibus quibus eum offenderant, satisfacientes. Acquieuit tandem populus vniuersus, & armis traditis, vniuersaque eorum substantiâ, Regis primiceriis & suis procuratoribus resignatâ, dum veniam expectant, mortem inueniunt. Irruentes enim in populum nil tale verentem, armorum solatio destitutum, & de Regis clementia non immeritò præsumentẽ, non distinguentes iustum ab impio, stragem immanissimam exercuerunt: ita vt interẽptorũ funeribus, & cruore occisorũ locus pollueretur vniuersus, & tãtæ multitu-

multitudinis vix superessent vestigia. Euaserunt tamen aliqui commune periculum; & præuiâ Domini misericordiâ, Hungarorum gladios declinantes, & ad propria reuersi, de suorum strage, & sinistro casu, qui acciderat, eos qui profecturi erant, & eiusdem viæ votis tenebantur obligati, reddiderunt instructiores: monentes vt prædicti nequam populi suspectam semper habentes maliciam, prudentiùs incedant, & cautiùs discant negotiari. Per idem tempus, modico interiecto interuallo, conuenerant eodem studio ex Occidentalibus finibus turbæ innumerabiles, & peditum manus infinita absque duce & rectore, passim & imprudèter incedentes. Erant tamen inter eos viri quidā nobiles, *Tomas de Feria, Clarenbaldus de Vendoliolo, Willelmus Carpentarius, Comes Hermannus*, & alii nonnulli: quibus in nullo, disciplinæ impatiens, subiiciebatur populus: sed neglectâ prudentium & melius affectorum doctrinâ, passim, & sine delectu per omnia liberè discurrebant illicita. Vnde factum est, vt cùm in timore Domini iter debuissent inceptum peragere, & diuinorum memores mandatorum, obseruatâ Euangelicâ disciplinâ, pro Christo peregrinari: conuerterunt se ad insanias; & Iudæorum populum in ciuitatibus & oppidis, per quæ erat eis transitus, nil tale sibi verentem, & se habentem incautiùs, crudeliter obtruncabant. Hoc autem maximè factum est in vrbibus Colonia & Maguncia: vbi etiam vir potens & nobilis *Comes Emico*, in eadem regione præclarus, eorum cœtibus cum multo se adiunxit comitatu, non solùm prout eius decebat generositatem, nec morum censor, nec correptor enormitatis; sed maleficiorum particeps, & flagitiorum incentor. Qui omnes, transcursâ Franconiâ, & Bauariâ, postquam fines attigerunt Hungariæ, peruenientes ad locum cui nomen Meesżeburg, arbitrati quod liberè, & sine difficultate eis liceret introire, clausum reperientes aditum, citra pontem substiterunt. Erat autem is locus præsidium, munitum valde fluminibus maximis, *Danubio* & *Lintace*, & profundis circumseptum paludibus, itaetiam vt maiori multitudini, inuitis his, qui obseruabant introitum, non esset facilè irrogare violentiam. Dicebatur tamen esse eorum, qui aduenerant, numerus ad ducenta milia peditum; equitum verò, quasi tria milia. Porrò Rex Hungariæ transire volentibus, aditum prohiberi mandauerat, timens, ne iniuriarum, quas Godescalci legionibus intulerat, memores, in vltionem armari cuperent intromissi. Recens enim factum, & cruentæ cædis enormitas, longè lateq; diuulgata, Regem sibi timere compellebant. Obtinuerunt tamen ab his, qui ad prædicti municipii deputati erant custodiam, & à principibus legionum, qui in ea parte regionem obseruabant, vt legatos ad Regem dirigerent, qui pro impetranda pace, & obtinenda transeundi libertate Regem suppliciter conuenirent. Ipsi verò interim citra paludes in locis pascuis, castrametati sunt, rei præstolantes euentum. Interea, qui missi fuerant ad regem, infecto prorsus negotio, paucis euolutis diebus, reuersi sunt. Quorum relatione Maiores edocti, qui erant in exercitu, quod nullam apud Regem gratiam poterant inuenire, proponunt terras, quas citra fluuios & paludem Rex possidebat, depopulari, & suburbana succendere; & in rebus eius hostiliter versari. In quo dum desudarent attentiùs, accidit die quadam, quòd septingenti ex Regis supradicti militia nauigio transeuntes occulto, Peregrinis ex insperato, vt ab illatis regionem tuerentur iniuriis, casu se dederunt obuiam: Quos cùm declinare non possent, nec redire ad propria, aquis impedientibus, penè omnes interfecti sunt: paucis exceptis, qui in carecto & paludibus equis amissis, vitæ consuluerunt & saluti. Quâ erecti victoriâ, adiiciunt etiam, vt pontibus fabricatis, præsidium expugnent; & iter ferro aperientes, in regnum violenter ingrediantur. Iuxta hoc propositum cohortes excitant, & per pontes, quos de nouo erexerant, mœnibus applicantes, protecti clypeis, ad muri suffossionem, & violentum introitum animosiùs se accingunt. Eoque iam per eorum diligentem instantiam ventum erat, vt muro in locis pluribus perforato, iamiam Peregrinis pateret introitus. Et qui intus erant in municipio, omnino in desperationem descenderant, de vita penitus diffidentes: cùm ecce repente immisso diuinitus timore, relicto assultu, & maximâ impedimentorum parte neglecti, versi sunt in fugam, qui victores videbantur, fugæ causam penitus ignorantes. Nec aliud in causa dicitur extitisse, nisi quod peccatis multiplicibus Dominum ad iracundiam prouocauerant, impietatem secuti, quæ suis cultoribus terrorem solet

XXIX.

XXX.

Prou. 28, 1. incutere. *Fugit enim impius*, iuxta verbum Sapientis, *nemine persequente*. Hungari verò meliore factâ cõditione, videntes hostium cuneos terga dedisse, insequuti sunt eos tanquam victores, quos prius habuerant formidini, & quos infra mœnia vallati paludibus vix poterant sustinere, vltrò insequuntur, vice versâ, non solùm formidinem, verùm & mortem irrogantes. Ex quibus *comes Emico* cum maxima parte dissolutarum turmarum fugiens, in patriam suam reuersus est. Alii verò nobiles, quos suprà nominauimus, per Carinthiam declinãtes, in Italiam peruenerunt: quâ decursâ Apuliæ se intulerũt finibus: Vnde & eos de principibus, idem iter agentibus, qui Durachiũ nauigare proposuerant, secuti, in Græciam se contulerunt. His ergo & huiusmodi motibus penè totus concutiebatur Occidẽs: & seorsum turmas agebant penè nationes vniuersæ: & aliæ sub Principibus, aliæ quasi acephalæ iter adgrediebantur. Viæ tamen compendium, quod qui per Hungariam descenderãt, certum erat reperisse, propter insolentiam eorum, & enormitates nimias, quas frequenter & præter meritum, regionis inferebant habitatoribus, transeũtes qui præcesserant, eis penitus negabatur. Vnde & eos, qui subsequebantur, reddiderãt magis sollicitos, vt regis Hungarorum sibi gratiam conciliarent.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCIPIVNT CAPITVLA LIB. II.

te liberatur. Iterum apud Rodestum tam Imperatoris quàm principum nostrorum eidem occurrit legatio.

XIX. Comes relicto exercitu, ad Imperatorem properat: cum eo non conuenit. Imperator fraudulenter præcipit, vt in eius irruatur exercitum.

XX. Comitis absentis clàm à Græcis impugnatur exercitus. Comes indignatur: Imperator facti pœnitens, & sibi timens, principum interuentionem postulat, suam allegans innocentiam.

XXI. Comes interuenientibus principibus Imperatori reconciliatur. Inuitat Imperatorem, vt cum reliquis principibus proficiscatur. Qui mare transierant, versus Niceam cōtendunt. Comes eos protinus insequitur.

XXII. Robertus Normannorū comes, & dominus Eustachius ducis frater, cum suis legionibus Constantinopolim perueniūt, ab Imperatore ingentibus donis, & multâ præuenti honorificentiâ. Deinde transeuntes Hellespontum, reliquis principibus se associant.

XXIII. Tatinus quidam Imperatori familiaris, nostris associatur principibus, vir subdolus nimium, & iniquitate notabilis.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI II.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

Cap. I. A. Dni. 1096.

EODEMQVE anno, qui erat ab incarnatione Domini millesimus nonagesimus sextus, mense Augusto, quintadecimâ die mensis, vir magnificus & illustris *Godefridus Lotaringiæ Dux*: post discessum Petri Heremitæ, & eius exercitus casum, vt prædiximus, lamentabilem; post legionum Godescalci, stragem præmissam; post illud etiam infortunii genus, quod vt præmisimus, subsequenti multitudini citra Hungariam accidisse dicitur: conuocatis viæ consortibus, & compositis de more sarcinis, iter aggressus est. Fuerunt autem, qui eius castris se adiunxerunt, viri nobiles & inclyti, & perpete digni memoriâ, dominus *Balduinus*, eius frater vterinus; dominus *Balduinus de Montibus*, Hanaucorum Comes; dominus *Hugo, comes de sancto Paulo,* & *Engelramus* filius eius, egregiæ indolis adolescens; dominus *Garnerus* comes, cognomento de Gres; dominus *Renardus* comes Tullensis, & *Petrus* frater eius; dominus *Balduinus de Burgo*, eiusdem ducis consanguineus; dominus *Henricus de Ascha*, & *Godefridus* frater eius; *Dodo de Cons*; *Cono de Monte acuto*: & alii plures, quorum nomina non tenemus, vel numerum. Hi omnes vno & indiuiduo comitatu pariter incedentes, vicesima Septembris die in prouinciam quæ dicitur *Osterich*, ad locum, qui dicitur *Tollenburch*, cum omni tranquillitate sani & incolumes peruenerunt. Est autem is locus, vbi Lintax fluuius Imperii fines à regno disterminat Hungariæ. Quò peruenientes, solliciti valde super his quæ Godescalco & suis legionibus dicebantur accidisse, deliberant, quomodo cum salute in opere incepto possint incedere. Tandemq; de communi placuit consilio, vt missâ legatione ad Regem Hungariæ instruantur pleniùs, quænam causa fuerit, quare fratrum præcedentium apud eos ita deperierit exercitus; & vt opportunitate inuenta dominum Regem de pace conueniant, & omissis querelis veteribus, elaborent quomodo eis liber per Hungariam indulgeatur transitus. Nam alias inire vias, itineris cœpti videbatur dispendium. Missus est ergo vir nobilis *Godefridus de Ascha*, Henrici frater, eo quod eiusdem regis à multis retro temporibus familiaritatem habuerat, cum quibusdam honestis viris & nobilibus, vt eiusdem legationis fungatur officio: Qui ad Regem perueniens, depenso debitæ salutationis affatu, quod ei fuerat iniunctum fideliter exequens, Regi loquutus est in hæc verba:

II. *Vir illustris & magnificus, dominus Godefridus, Lotaringiæ Dux, & alii DEI cultores, qui cum eo sunt Principes, diuinis obsequiis mancipati, ad vestram nos direxerunt eminentiam, scire per nos cupientes: quare fidelium populus, quorum reliquias in via reperimus nobis occurrentes, tantam apud vos, qui de numero fidelium dicimini, repererunt inhumanitatem, vt tutiùs ad hostes quoslibet declinare potuissent. Quòd si prædicti populi tanta fuit culpa, vt extremis suppliciis digna fuerit flagellari: qui me miserunt, parati sunt eorum interitum æquanimiter tolerare. Nam quæcunque ex merito pœna infligitur, minus ad iram prouocat, & maiore sustinenda est patientiâ. Quod si secus est, & absque vlla causa calumniati estis innocentes, vt eos morti traderetis, non possunt*

illatam seruis DEI dissimulare iniuriam: sed parati sunt fratrum sanguinem vindicare. Super his ergo vestra per nostrum ministerium expectant responsa, pro eorum forma animos habituri. His dictis orandi finem fecit. Cui Rex suorum satellitum stipatus comitatu, in hæc verba respondit: *Placet, vir amicitiarum Godefride, cui meritis exigentibus iampridem nostram contulimus gratiam, quod ad nos ingressus es, tum vt veterem renouemus amicitiam, tum vt apud tam discretum iudicem nostram astruamus innocentiam. Sumus equidem & de numero, vt dicis, fidelium: & vtinam opere possimus implere huius nominis virtutem: sed qui vos præcesserunt, tam* Petrum heremitam *sequentes, quàm adhærentes* Godescalco, *quàm qui in regni nostri limitibus castrum nostrum expugnare, & ad nos violenter ingredi nitebantur, nec re, nec nomine CHRISTI fuerunt sectatores. Nam cùm primò Petrum & suos exercitus susceperimus hospitio, bona quæ apud nos erant tam gratis, quàm precio illis communicantes iusto,* more serpentis in gremio, & muris in pera, *malè remunerauerunt hospites suos. Nam in extremis regni nostri finibus, cùm iam pro collatis beneficiis grates tenerentur rependere, vnam de vrbibus nostris confringentes, & populum, qui in ea erat, delentes penitus, cum eorum spoliis, gregibus, & armentis, tanquam violenti prædones abierunt. Godescalci verò expeditiones, tanquam à prioribus nihil omnino pertulissemus iniuriæ, sine molestia & difficultate admissæ, in medio regni huius rapinas exercere, inferre violentiam, incendia procurare, & causis leuibus stragem operari non verentes, delictorum suorum enormitate Dominum ad iracundiam prouocauerunt. Nos quoque subditorum ferre non valentes molestias, manum adhibuimus, rei periclitanti remedium prouidentes. Vnde & priorum exemplo deterriti, ne tertiò iam detestabilium turmarum experiremur iniurias, consultiùs fore visum est, à regni nostri limitibus, DEO planè odibiles, arcere huiusmodi impiorum manipulos hominum, quàm iniurias ab eis & damna pati enormia, aut cum eis hostiliter decertare. Hæc igitur apud te virum prudentem & industrium, pro nostra excusatione sufficiat allegasse. Nam (viuit Dominus puram, sicut est, edisseruimus veritatem.)* His dictis eosdem legatos præcipit hospitaliter, & multâ honestate haberi, quousq; habito cum suis colloquio, ad prædictos principes nuncios dirigat, responsa conuenientia delaturos. Tandem missis de familiaribus suis aliquot cum legatis, qui ad se venerant, Duci & Principibus in hæc verba rescripsit: *Audiuimus sanè, & famâ referente iamdudum cognouimus, quod Princeps magnus, illustris, & egregius meritò apud tuos habearis: & quod fidei tuæ synceritatem, & commendabilem animi constantiam etiam longè positi viri prudentes admirentur. Nos quoque nominis tui bono odore, & operum tracti flagrantiâ, te licet absentem, colere proposuimus, & promptiùs honorare. Sed & viros nobiles, qui tecum sunt, zelo fidei Christianæ accensos, credimus pium habere propositum. Vnde & ea merita, quibus solent amici comparari, nolumus in nobis ociosa torpescere; sed omnibus debitam impendere caritatem, & fraternæ dilectionis erga eos operibus abundare parati sumus. Vnde quoniam ita se offert occasio, rogamus vt ad castrum nostrum,* Ciperon *nomine, præsens adesse velis, vt tecum possimus optata diu miscere colloquia, & tuis desideriis congruum adhibere consensum.*

III. Dux igitur auditâ Regis legatione, habitoq; suorum consilio, cum trecentis equitibus ex omni comitatu electis, die præfixâ ad locum peruenit destinatum. Vbi ponte transito, Regem inueniens, ab eo benignissimè, & cum multa susceptus est honorificẽtia. Tandem post multam hinc inde sibi mutuò familiaritatem exhibitam, placuit vt datis obsidibus, de numero nobilium electis, omni rancore deposito, & pace pleniùs reformatâ, regni aditus duci & suis legionibus panderetur. Rex ergo vt tantorum virorum legionibus intromissis fidem haberet pleniorem, ne fortè occasione qualibet, de virtute sua & numero confisi regnum turbare præsumerent: dominum *Balduinum* ducis fratrem cum vxore & familia obsidem petit. Cui Dux grato concurrens assensu, fratrem legibus complacitis obsidem tradit; & immissis legionibus, regnum ingressus est. Porrò Rex fideliter adimplens quod promiserat, per vniuersas regiones ad quas peruenturus erat exercitus, lege præcepit edictali, quatenus iusto precio, æquo pondere, victui necessaria legionibus exhibeantur; & rerum venalium turbas proficiscentes forum perpetuò comitetur. Dux verò per castra vniuersa, & seorsum & publicè voce præcepit edici præconiâ, sub pœna mortis & omnium publicationis bonorum, ne quis rapinam, vim, aut iniuriam accedentibus ad exercitum audeat irrogare: sed fraternâ caritate emptionum venditionumq; contractus celebrent, in vinculo pacis. Factumq; est ita, præuiâ Domini misericordiâ, quòd Hungariam transcurrẽtes vniuer-

vniuersam, nec in leui verbo mutuò se offenderunt. Rex verò proficiscentem exercitum, æquis penè passibus, cum ingentibus suorũ copiis, obsides secum deducens, ex latere sinistro comitabatur paratus: vt si quid fortè seditionis emergeret, per eius præsentiam continuò sedaretur. Tandem verò ad *Maleuillam*, de qua superius frequenter fecimus mentionem, peruenientes, in ripa fluminis *Sauoa*, quousq; exercitui transitus pararetur, consederunt. Compositis igitur ratibus: quia naues paucas, & ad tantum transferendum populum minus sufficiẽtes inuenerant: traiectis mille loricatis equitibus, qui contra quaslibet hostium insidias ripam vlteriorem communirent, vt translatus populus sedem inueniret quietam, certatim in partem op-
10 positam se transferunt. Vixq; plebs enauigauerat, & de principibus nonnulli; & ecce Rex cum ingenti suorum comitatu subito adfuit, dominum *Balduinum*, & vxorem eius, & alios simul obsides in manu domini Ducis, sicut ab initio condictum fuerat, resignauit; & donis vberibus tam dominum Ducem, quàm reliquos honorans Principes, reuersus est. Dux verò traiectas secutus expeditiones, in vlteriorem ripam, cum residuo principum & populi se contulit consequenter; veniensque ad *Bellagrauam* Bulgariæ oppidum, de quo superius fecimus mentionem, ibi castrametatus est. Inde compositis sarcinis, & legionibus ad iter expeditis, Bulgariæ syluas, & latè patẽtia nemora transcurrẽs, primùm *Niz*, deinde *Straliciam* peruenit. IV. Coniicere est ex his locis, qui aliquando vberiores & omnimodis commoditatibus re-
20 fertæ fuerunt prouinciæ, quanta sit Græcorum miseria, & eorum debilitas Imperii. Nam postquam deficientibus apud Constantinopolim Latinis principibus, in eorum potestatem sub primo *Nicephoro*, peccatis exigentibus, descendit Imperium, statim barbaræ nationes de Græcorum imbecillitate confisi, in eorum prouincias irruentes, pro arbitrio suo regionis cœperunt tractare habitatores. Inter quas *Bulgarorum gens* inculta, à tractu Septentrionali egressa, à Danubio vsq; ad Vrbem regiam, & iterum ab eodem flumine ad mare Adriaticum, vniuersas occupauerat regiones: ita vt confusis prouinciarum nominibus & terminis, totus iste tractus, qui in longitudine habere dicitur iter dierũ triginta, in latitudine verò decem, vel amplius, *Bulgaria* dicatur: miseris Græcis ignorantibus, quod hoc ipsum nomen eo-
30 rum protestetur ignominiam. Super Adriaticum enim mare erat *vtraq; Epirus*: cuius alterius metropolis est *Durachium*, regnum olim viri strenui & admirabilis, *Pyrrhi* Epirotarum regis. Vnde autem Dux cum suo comitatu transiturus erat; duæ fuerant *Daciæ*, *Ripensis* videlicet, quam à leua super ripas Danubii transeuntes reliquerunt; & *Mediterranea*, per quam iter agentes, & per vrbeis olim eximias, *Niz* & *Straliciam*, transeuntes percurrerunt. Erant & aliæ in eodem tractu prouinciæ, *Arcadia*, *Thessalia*, *Macedonia*, & *Thraciæ tres*, quæ pari cum aliis inuolutæ sunt calamitate. Nec solùm has prædictas prouincias suâ Græci amiserant mollicie; sed etiam postmodum eodem Bulgarorum subiugato populo, per *Basilium*, eorum imperatorem, in vlterioribus prouinciis, & maximè quæ regnis exteris collimitant, & per quas
40 ad eos acceditur, in vtraque videlicet Dacia, etiam hodie non permittunt habitatores introire, vel excoli regionem; vt syluis & frutectis loca latè occupantibus, nullam præstent introire volentibus habilitatem: maiorem habentes in *viarum difficultate, & veprium armatura*, quàm in propriis viribus resistendi fiduciam. Eodem modo & *Epirum primam*, quæ à Durachio habet initium, & vsque ad montem, qui cognominatur *Bagularius*, itinere dierum quatuor protenditur, per quam omnes alii transitum habuerunt Principes, desertam & habitatoribus vacuam relinquunt; vt accedere volentibus, nemora deserta & inuia, & alimentis carentia, repagulorum vice præbeant impedimentum. Prædictam ergo Daciam mediterraneam, quæ alio nomine *Mesia* dicitur, dominus Dux cum suis percurrens legioni-
50 bus; & exsuperatis *claustris*, quæ vulgo dicuntur *sancti Basilij*, ad loca planiora & alimentorum copiam ministrantia, descendens, *Philippopolim* vsq; ad nobilem & copiosissimam vrbem peruenit. Vbi cognito, quod dominus *Hugo magnus*, domini Philippi Francorum regis frater, cum quibusdam aliis nobilibus, ab Imperatore detineretur in vinculis, missis sub omni celeritate nunciis, litteris & viuâ voce monet, & rogat diligẽtiùs, quatenus prædictos viros, eiusdem Peregrinationis votum habẽtes, & sine culpa vinculis mancipatos, solutos abire permittat. Prædictus enim vir illustris, quasi primus omnium iter aggressus, transcursis Alpibus, in Italiam de-

scenderat,& inde in Apuliam perueniens,cum exiguo comitatu mare transiens, apud Durachium substiterat, eos qui subsequebantur expectans: non veritus quod in regno Græcorum,qui Christianâ professione censeri dicebantur, sibi suisq; aliquid sinistri occurreret:vbi à præside regionis vinctus & catenatus,Imperatori traderetur pro arbitrio tractandus,translatus est. Sic ergo eum apud se tanquam prædonem,aut homicidii reum Imperator detinebat in carcere, principum qui subsequi dicebantur,expectans aduentum:quatenus si prosperè accederent,eorum gratiâ eum soluisse videretur; sin autem, perpetuis eum compedibus manciparet.

V. Præerat autem per idem tempus Græcorũ Imperio vir nequam & subdolus, *Alexius* nomine, agnomine dictus Connino. Qui cùm esset in imperiali palatio à domino *Nicephoro*, cognomento *Botoniath*, qui tunc in sceptris agens principabatur, plurimùm honoratus: & *Megadomestici* dignitate, quem nos *maiorem Senescalcum* appellare consueuimus, fungeretur officio, ab Imperatore secundus, contra dominum & benefactorem suum malitiosè recalcitrans, quinto vel sexto anno, antequam populus noster accederet, depulso domino imperium inuaserat; & detinere præsumebat violenter occupatum. Missi ergo domini Ducis legati ad Imperatorem accedentes, prædictum nobilem virum cum sociis suis, sicut eis fuerat iniunctum, instantissimè postulant absolui. Quod cùm eis ab eodem Imperatore præcisè negaretur, ad nostras expeditiones, quæ iam *Adrianopolim* pertransierant, ibi residentes in pascuis, reuersi sunt. Postquam verò, eisdem referentibus nunciis, Dux & alii principes, quod nequaquam prædictos nobiles vellet Imperator absoluere, cognouerunt, de communi consilio vniuersam illam regionem legionibus suis exponunt ad prædam. Cumque per octo dies ibi moram fecissent continuam, vniuersa depopulati sunt. Quod audiens Imperator, nuncios ad eundem Ducem dirigit, rogans vt à præda desistat eius exercitus, & nobiles quos repetierat, recipiat expeditos. Cui verbo Dux libenter acquiescens, prædâ suis inhibitâ, pacatis legionibus, *Constantinopolim* peruenit: vbi ante vrbem, in manu robusta & copioso exercitu, fixis tentoriis castrametatus est. Occurrentes autem prædicti nobiles viri, dominus videlicet *Hugo magnus*, *Drogo de Neella*, *Willelmus Carpentarius*, *Clarembaldus de Vendoliolo*, extra vrbem in castra ducis se contulerunt, gratias pro sua liberatione soluturi: Quos cum multa caritate & debita honorificentia susceptos, benignè habuit secum aliquandiu, eorum molestiis, quas pertulerant præter merita, fraternè compatiens.

VI. Interea vix mutuos dissoluerant amplexus & alternis erant confabulationibus recreati, cùm ecce *Imperatoris* adsunt nuncii, monentes vt ad dominum Imperatorem cum paucis Dux introire festinet. Dux verò habito cõsilio, [illegible] ire distulit: vnde indignationem plurimam concipiens Imperator, forũ rerum venalium legionibus, quæ cum Duce aduenerant interdixit. Porrò Principes populi videntes indigentiam & alimentorum defectum, rursum de communi consilio per suburbana longè lateq; cùm ingentibus armatorum copiis discurrentes, greges & armenta vndiq; contrahunt; & alimentorum omnimodam in castra referunt opulentiam: ita vt vsq; ad satietatem minores etiam abundarent. Videns ergo Imperator regionem vniuersam prædæ & incendiis expositam, timens ne deterius etiam aliquid contingeret, iteratò commercium restitui præcepit. Cumque Natiuitatis Dominicæ dies immineret sollempnis, decreuerunt apud se, religionis intuitu, per illos dies quatuor nostri Principes, ab omni præda & qualibet iniuria manus cohibere. Quibus in omni quiete & trãquillitate peractis, adfuit Imperatoris nuncius, monens verbis pacificis, & tamen in dolo, vt ponte transito, qui est iuxta palatium, quod appellatur *Blaquernas*, legiones suas transferant, in palatiis, quæ super littora Bosphori erant plurima, hospitaturi. Potuit autem facilè persuadere: nam instantis maxima erat importunitas hyemis, & pluuiarum intemperies inaudita, ita vt eorum papiliones vix possent cohibere stillicidia: vnde & victus & supellex omnimoda de madore iugis aquæ corrumperentur, & putrescerent. Sed nec homines, nec iumenta, nec cæterorum quælibet animantium, vim algoris penetrabilem & niuium crebram, imò penè continuam, poterant tolerare diutiùs asperginem importunam: quibus omnibus supra vires angebantur incessanter. His autem, etsi verbo compati videretur Imperator, longè tamen alia mens eius erat: & eò tota eius properabat intentio, vt legionibus in locis angustioribus collocatis, minorem

euagandi

euagandi haberent licentiam; & ipse eas pro arbitrio cohibendi maiorem reciperet potestatem. Quod vt plenius intelligatur, de situ prædictæ vrbis aliquid est interferendum. VII. *Mare Ponticum* (quod ab adiacente regione nomen accepit) prædictæ ciuitati à parte Septentrionali positum est, ab eadem triginta distans miliaribus: à quo in modum fluminis, per quasdam angustias in Austrum descendit quædam eius portio: quæ spacio ducentorum triginta miliarium decurrens in directum inter *Seston* & *Abidon* vrbes antiquissimas, quarum altera in Europa est, altera in Asia, in nostrum mare labitur *Mediterraneum.* Quæ influxio à prædicto mari transfusa, postquam triginta miliariis à primis faucibus, vnde habet introitum, cō-
10 tinuo tractu descendit, sinum facit in partem Occidētalem, cuius longitudo est ad milia quinq;, vel sex; latitudo verò quasi vnius. Hoc autē ita angustum mare, quod à Pontico in Mediterraneum per ducenta triginta miliaria protenditur, *Bosphorus Propontidis*, siue *Hellespontus* appellatur. Quod autem ita sit, *Solinus* in septimo decimo de Memorabilibus testatur, ita dicens: *Quartus Europæ sinus Hellesponto incipit; Mæotis ostio terminatur: Atque omnis hæc latitudo, quæ Europam Asiamq́; diuidit, in septem stadiorum angustias stringitur.* Hic est Hellespontus, quem *Xerxes* ponte nauibus facto permeauit tenus deinde *. Europus porrigitur ad Asiæ vrbem *Priapum*, qua Magnus *Alexander* potiundi orbis amore transcendit, & pontus est inde diffusus, æquore patentissimo rursus stringitur in Propontidem, mox in quingen-
20 tos passus coartatur, fitque *Bosphoros Thracius*, quà *Darius* copias transportauit. Horum autem causæ nominum à veteribus poetarum fabulis videntur deductæ. Nam *Bosphorus* ideo dicitur, quod *Iupiter Europam* Agenoris filiam in bouis effigie assumpta, trans illud mare legitur deportasse: *Hellespontus* autem ab Helle Phryxi sorore; quæ super arietem cum eodem fratre suo nihilo minus dicitur transfretasse. Verbo autem vulgari dicitur *Brachium Sancti Georgij*, Europæ Asiæque limes: cuius illa est longitudo, quam diximus. Verùm latitudinis non est vsquequaque modus idem: Nam pro adiacentium situ & dispositione regionum, nunc ad vnius contrahitur miliarii spacium; nunc per triginta vel amplius diffunditur. Sinus autem prædictus tendens, vt præmisimus, in Occidentem, portus est inter eos
30 quos orbis habet, commoda statione famosissimus: Infra quem & Bosphorum, in angulo quodam, sita est prædicta ciuitas, olim dicta *Byzantium:* locus ignobilis, & inter Thraciarum vrbes quasi nouissima: nunc ampliatoris Augusti feliciore insignita vocabulo, princeps prouinciarum facta est, & Imperii familiare domicilium: Romæ senioris & nomen inuidens, & dignitatis prærogatiuam. A *Pausania* Spartiatarum rege priùs condita, iuxta id quod in tertio libro *Pauli Orosii* continetur, formam habens trianguli, trium inæqualium laterum: cuius primum latus ab eo angulo, qui inter portum & Hellespontum continetur, vbi est *Ecclesia Sancti Georgij*, quæ dicitur *Mangana*, vsque ad palatium nouum, cui nomen *Blaquernas*, secus portum directè protenditur: alterum verò ab eodem *Sancti Georgij*
40 *monasterio*, vsque ad *Auream portam*, secus Hellespontum ducitur: tertium verò ab eadem porta vsque ad prædictum palatium *Blaquernas*, per campestria, muris, turribus, & antemuralibus insigne, protenditur. Portum autem fluuius quidam ingreditur, æstate quidem modicus; sed hyeme aquis pluuialibus solet fieri torrentior, pontem habens supra se positum: quem pertransiens nostrorum exercitus, inter Ponticum mare & Bosphorum, & portum in ædificiis, quæ in ipso Bosphori littore erant plurima, hospitandi gratiâ se contulerant. Dumq; ibi moram facerent, reliquorum Principum expectantes aduentum, Dux frequentibus Imperatoris sollicitabatur legationibus, vt ad eum introiret. Qui suspectam habens eius familiaritatem, & colloquium reformidās, ad eius vocationem accedere verebatur. Vi-
50 dens tamen quod omnino esset indecens, & contra disciplinā honestatis, si non aut in persona propria veniret, aut saltem pro se idoneos mitteret responsales: nobiles viros dominum *Cononem de Monte acuto*, dominum quoque *Balduinum de Burgo*, & *Henricum de Ascha*, vt se excusatum haberent, ad eundem dirigit Imperatorem. Qui videns domini Ducis constantiam, & quod eum ad se nullatenus posset euocare, iterum venalia interdicit. Sed neq; sic cōstantis viri animum potuit emollire: vnde manū aggrauās, misit occultè sagittarios, qui nauibus inuecti ad eam partē, in qua Dux castra locauerat, peruenientes, summo mane in ipso diei crepusculo mul-

tos ex nostris, qui ad mare exierant, & qui de fenestris speculabantur, sagittis confoderunt, plurimos interficientes. VIII. Quod postquam Duci nunciatum est, conuocatis populi principibus, de communi consilio fratri præcepit, vt assumptâ parte militię, properet pontem occupare, per quem transierant, ne in illis angustiis intercepti, gentis suæ dispendia patiantur. Ille verò impiger, quingentos sibi assumens loricatos, ad prædictum pontem properans festinat, & occupat violenter. Iam enim non solùm illi, qui in nauibus descenderant, hostes se exhibebant, verùm vniuersa ciuitas contra eos hostiliter armabatur. Nostri verò cognoscentes studiosè & ex industriâ paratos sibi aduersarios, etiam ciues vniuersos in eorum perniciem ad arma conuolare, igne supposito vniuersa palatia, in quibus hospitati erant, tractu continuo per sex aut septem miliaria, tam priuatorum quàm Imperialia succenderunt. Deinde strepentibus lituis, cornicinum admonitione ex diuersis partibus, ad quas gratiâ hospitandi se contulerant, conglobati, Ducē, qui iam dispositis aciebus, ad pontē maturabat, armis correptis præcipites sequebantur. Verebantur enim plurimùm, qui rei militaris maiorem habebant experientiam, ne ponte ab hostibus occupato, in locis angustioribus reperti, facilius grauarentur: vnde cum tanta instantia vix expectatis peditum manipulis, omnis illuc equitum manus conuenerat. Sed præcurrens dominus Balduinus Ducis frater, vt prædiximus, pontem inuitis hostibus violenter occupauerat; & eis abactis, & in fugam conuersis, vlteriorem ripam fluminis nostris vendicauerat. Dux ergo & vniuersus exercitus, cum sarcinis & omnimoda supellectile sua, sine difficultate transeuntes, rursus ante Vrbem in locis liberis & latè patentibus constiterunt. Vbi habito conflictu inter *ecclesiam sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani*, quæ hodie vulgari appellatione dicitur *Castellum Boamundi*; & palatium nouum, quod dicitur *Blaquernas*, quod in angulo ciuitatis iuxta portum situm est, circa horam vespertinam, interfectis innumeris, nostri Græcos pondus belli amplius sustinere non valentes, infra vrbem se recipere compulerunt. Nostri verò campo viriliter obtento, tanquam victores, in loco ad id congruo castrametati sunt. Et fortasse rursum irruentibus ciuibus, congressio periculosior, & strages amplior subsecuta foret, odio ministrante feruorem; nisi nox irruens mutuis finem imposuisset certaminibus. Hic primùm patuit, & sine hæsitatione factum est manifestū, qua intentione prædictus nequam Imperator castra transferri præceperat: videlicet vt suspectum populum in illa locorum angustia, quasi infra quædam repagula coerceret. IX. Postea demum luce redditâ, edictum est publicè, vt ad arma populus consurgeret: & pars sub certis ducibus deputatis, vniuersam perlustraret regionem; & alimētorum, quorum Imperator commercium interdixerat, copias, vel violēter, vel cum precio comportaret, gregibus & armentis, frugibus & vniuersis alimentorum generibus non parcentes: Pars verò cum Duce, & quibusdam aliis magnatibus, ad tutelam castrorum in exercitu remaneret. Fraudem enim Imperatoris & suorum compertam habentes, contra eius muscipulas, quantâ poterant, se armabant cautelâ. Factum est igitur, vt qui pabulatum egressi sunt, sex diebus continuis cum ingenti, tam equitum quàm peditum multitudine, suburbana per circuitum vsq; ad sexaginta miliaria cōfringentes, tantam alimentorū in castra, die octauâ contulerunt copiam, vt ampliùs esset opinione hominum; & vix gregum & armentorum, vehiculorum quoq; & iumentorum turbas ante se trahere possent. X. Dum hæc verò in castris aguntur, ecce domini *Boamundi* nuncius præsens ante Ducem astitit, prædicti Principis literas deferens in hæc verba: *Noueris, virorū optime, quod tibi contra feram pessimam, & cum homine nequam incumbit negocium: cuius propositum est semper fallere, & omnem Latinorum nationem vsq; ad mortem modis omnibus persequi: & quod de eo rectè sentiam, tuo quoque aliquando approbabitur iudicio. Noui enim Græcorū malitiam, & odium aduersus Latinorum nomen pertinax & obstinatum. Cede ergo, si placet, Vrbe relictâ, ad partes Adrianopolitanas, vel circa Philippopolim: & legiones tibi à Domino commissas, in locis vberibus, alimentis & ocio præcipe recreari. Ego autem, auctore Domino, circa Veris initium festinus adero, consilium & auxilium fraternâ caritate, tanquam Domino meo, contra impium Græcorum principem ministraturus.* Perlectis igitur litteris, & earum tenore pleniùs intellecto, de communi principum consilio litteris & viuâ voce respondit in hæc verba: *Noui, dilectissime frater, & famâ referente pridem edoctus sum, quod odio inexorabili Græcorum astuciæ populum semper*

nostrum

nostrum persequi ardentissimè studuerunt: & si quid mihi defuit priùs ad scientiam, cotidiè per experimentum addisco plenius: nec dubito, quin iusto zelo aduersus eos mouearis, & de eorum nequitia rectè sentias. Sed DEI timorem habens præ oculis, & propositum meum considerans, arma infidelibus debita in populum conuertere Christianum reformido. Aduentum tamen tuum nobis desiderabilem, & aliorum Principum DEO deuotorum præsentiam auidissimè DEO amabilis, qui nobiscum est, expectat exercitus. Imperator ergo cum suis familiaribus & domesticis anxius plurimùm, tum quia totam regionem prædæ videt expositam, suorum gemitus & lamenta non perferens; tum quia domini *Boamundi* adfuisse legationem, eumque in proximo venturum cognouerat, iterum nunciis suis dominum Ducem, vt ad se ingrediatur, sollicitat: timens, ne si conueniat, qui venturi erant Principes, antequam Ducem sibi reddat placabilem, in eius ruinam vnanimiter consentiant. Instat ergò propensiùs, vt sibi Ducis priùs reconciliet animum: monens & exhortans attentiùs, vt recepto filio suo *Ioanne Porfiro genito*, quem ei pro obside dirigebat, ad se sine aliquo mentis scrupulo ingrediatur. Placuit ergo verbum Principibus, & recepto per *Cononem de Monteacuto*, & *Balduinum de Burgo*, viros nobilissimos, qui ad hoc missi erant, Imperatoris filio, & diligenti custodiæ in manu fratris deputato, ipse assumptis reliquis Principibus, fratre super exercitum, vt eius curam haberet, relicto, in vrbem ingressus, Imperatori diu desideratam suam obtulit præsentiam. Quo cum multa honorificentia, astantibus illustribus, & virum vnde multa audiuerant, & ex parte cognouerant, intueri volentibus, recepto, & Principibus, qui cum eo aduenerant, prout eorum dignitas deposcebat, & honoratis salutatione, & ad pacis osculum similiter admissis, de eorum incolumitate quærit diligentiùs; & nomina singulorum percurrens, vt eorum sibi gratiam compareт, singulis affabilem se præbuit & benignum. Tandem verò Ducem conueniens, his eum verbis alloquitur: *Audiuit Imperium nostrum, Dux dilectissime, quod apud Principes tuos sis potentissimus; & pietatis propositum, quod studiosè persequeris, deuotionis feruore armatus commendabili, non habet incognitum: quodque potius est, constantis animi & syncerae fidei virum te fama celebris longè latèq; prædicat. Vnde & multorum, qui te præsentem non viderunt, morum elegantia id exigente, gratiam meruisti. Quapropter nos etiam te totis caritatis visceribus amplecti volentes, & honorare propensiùs, in filium hodie præsentibus sacri palatij nostri magnatibus, te adoptare decreuimus; Imperium nostrum in tua potestate ponentes, vt per te in facie præsentis & affuturæ multitudinis illæsum manere possit & incolume.* His dictis, eum vestibus indutum Imperialibus, adhibitâ iuxta morem curiæ sollempnitate quadam, quæ in huiusmodi arrogationibus fieri solet, secũdum regionis morem adoptauit in filium, pace & gratiâ vtrinq; pleniùs reformatâ. Quo facto, apertis thesauris suis tam domino Duci, quàm eius consortibus, dona ingentia in auro, gemmis, & holosericis, & vasis preciosis, hominum æstimationem tam operis elegantiâ, quàm dignitate materiæ penitus excedentia, pro sua liberalitate contulit; ita vt vsque ad supremum muneribus cumulati, & diuitiarum incomparabiles copias, & Principis admirarentur munificentiam. Nec semel tantum erga ducem tantâ functus est liberalitate; sed ab Epiphaniorum die vsq; ad ascensionem Domini, singulis hebdomadibus, quantum duo viri fortes aureæ monetæ poterant humeris sustinere; de æreis verò denariis, decem modii, de Imperiali palatio ei ministrabantur. Qui tamen omnia, nihil sibi faciens residui, nobilibus & populo, prout cuique videbatur necessarium, liberaliter erogabat. Egressi ergò à domino Imperatore, sumptâ ad tempus licentiâ, in castra reuersi sunt. Vnde *Ioannem* Imperatoris filium, quem vsque ad domini Ducis reditum obsidem in castris detinuerant, cum honesto comitatu ad patrem remiserunt. Imperator verò, edicto publicè manifestato, pœnâ mortis eius violatoribus infligendâ, præcepit: vt iusto precio & æquo pondere Ducis exercitui quælibet necessaria venderentur. Dux etiam nihilominus in castris voce præconiâ sub pœna mortis inhibuit, ne hominibus Imperatoris aut vis inferretur, aut iniuria. Sicque satis conuenienter se supportantes adinuicem, mutuis cum omni tranquillitate vsi sunt commerciis. Tandem verò mense Martio mediante, audiens Dux, quod alii Principes in vicino constituti, cum suis exercitibus aduenirent, suggerente Imperatore; & idipsum volentibus tam plebe suâ, quàm patribus, parato nauigio transiens *Hellespontum*, exercitum suum in *Bithynia*, quæ prima de Asianis pro-

uinciis occurrit, collocauit; inq; pago Calcedonensi castrametatus est. Est autem *Calcedon* ciuitas in Bithynia, vbi sexcentorum Patrum & triginta sex, tempore domini *Leonis* Papæ senioris, & domini *Marciani* Augusti, contra *Eutychetis* monachi & *Dioscori* Patriarchæ Alexandrini impietates, quarta synodus generalis conuenit: locus videlicet Constantinopoli proximus, & sola Bosphori interpositione distans: vnde & Vrbem in vicino constitutam, erat omnibus intueri; & qui negotiis vrgentibus trahebantur, ter vel quater in die ad Vrbem ire regiam, & ad castra redire sine difficultate poterant. Quod autem maturiùs Ducis exercitum transfretare persuasionibus suis compulerat, non de fidei synceritate processit; sed fraude solitâ Ducem circumuenit, ne aliis aduenientibus, eius copiæ possent admisceri. Nā 10 & reliquos, qui postea subsecuti sunt, eodem artificio singillatim transire compulit: ita vt nunquam duo simul ante vrbem fuerint exercitus.

XIII. Interea dum hæc circa Constantinopolim per Imperatorem, & hominum Ducem sic geruntur, dominus *Boamundus*, Roberti Guischardi filius, princeps Tarentinus, qui ante ingruentem hyemem cum suo exercitu Adriaticum mare transiens, *Durachium* vsq; peruenerat, per deserta Bulgariæ suos, qui eum subsequebantur, operiens, pedetentim accedebat. Adhæserant porrò ei, & eius castris se adiūxerant, tam de Italia, quàm de aliis prouinciis viri nobiles, & potentes plurimi: quorum ad perpetuam memoriam numerum & nomina ex parte comprehendimus. *Tancredus*, Willelmi Marchionis filius; *Richardus de Principatu*, filius Guillelmi Ferrebrachia, fratris Roberti 20 Guischart; *Ranulfus* frater eius; *Robertus de Anxa*; *Hermannus de Carni*; *Robertus de Surda valle*; *Robertus* filius Tristani; *Hunfredus* filius Rodulfi; *Richardus* filius Comitis Ranulfi; & *Comes de Rosinolo* cum fratribus suis; & *Boelus* Carnotensis; *Alberedus de Cagnano*; *Hunfredus de Monte scabioso*. Hi ergo omnes domini Boamundi vexilla secuti, vsque ad vrbem *Castoream*, vbi Dominicæ Natiuitatis dies celebres egerunt, peruenerant. Vbi quoniam à ciuibus venalia populo prætereunti non exhibebantur, compulsi sunt greges & armenta, & cætera victui necessaria, rapere violenter; & damna locorum habitatoribus, qui eos tanquam hostes abominabantur, inferre. Inde progressi, in regione vberrima, cui nomen est *Pelagonia*, castrametati sunt. Vbi audientes quod in vicino erat municipium solis hæreticis habita- 30 toribus refertum, illuc sub omni celeritate contendunt; & castrum violenter occupantes, succensis ædificiis, oppidanis quoq; partim gladio, partim cōsumptis incendio, prædā vniuersam, & opima inde retulerunt spolia. *Imperator* verò prædicti domini Boamundi audiens aduentare legiones, primiceriis exercituum suorum, quos in iisdem regionibus gratiâ hyemandi collocauerat, clàm præcipit, vt vsq; ad *Bardarium* fluuiū cum vniuersis illarum regionū copiis ex latere sine intermissione prosequantur: vt si fortè eis conueniens daretur occasio, & ita opportunitas se offerret nocte vel interdiu, clàm siue aliter, exercitum procedentem tentarent fatigare. Suspectissimum enim domini Boamundi habebat introitum. Nam tam ab eo, quàm ab eius patre, multas & sæpiùs passus fuerat iniurias. Veruntamen sicut vir e- 40 rat subdolus, potens simulare & dissimulare propositum, missis quibusdam nobilibus ex suis domesticis ad eundem virum egregium, verbis pacificis ei locutus est in dolo, tentans si quo modo eum posset decipere. Erat autem verborum quæ tam viuâ voce quàm litteris per nūcios porrexerat prædictos, tenor huiusmodi.

XIV. *Compertum habet, & nullatenus dubitat nostrum Imperium, à DEO protectum, quod magnus & potens sis Princeps, & egregius; magnifici quoque, & præpotentis, & industrii Principis filius: teq; hactenus, meritis tuis id exigentibus, carum semper habuimus & acceptum, licet te præsentem non inspexerimus. Et nunc, quoniam ad seruitutem DEI & pietatis obsequia accinctum te & eiusdem Peregrinationis cum cæteris DEO deuotis Principibus cōsortium iniisse audiuimus, fortiùs amare, & honorare propensiùs, cordi nobis est, & in prompta fixum gerimus voluntate.* 50 *Quapropter, dilectissime noster, populis præcipe, qui te sequuntur, subiectis nostris parcere; violentiam, rapinas, & incendia fac cessare, ad nostram quantocyùs accedens præsentiam, securus de multiplici honore & gratia nostra, qua multipliciter te proposuimus præuenire. Præsentiū quoque latoribus dedimus in mandatis, vt exercitibus tuis iusto precio necessaria procurēt, vt sine intermissione, rerum venalium eos copia prosequatur.* Hæc Imperatoris verba, etsi in superficie multā videbantur habere humanitatem, intrinsecus tamen virus occultabant admixtum. Verū *Boamundus*, tanquam vir solers & argutus, Imperatoris compertam habens

habens maliciam, propositum dissimulans, cautiùs se habebat: gratias referens Imperatori, pro eo quod de statu suo dignaretur esse sollicitus. His igitur ducibus vsq; ad *Bardarium* fluuiū perueniēs: cùm iam ex parte, enauigato amne in vlteriore ripa cōsisteret exercitus, pars verò adhuc transeūdi vrgeret propositū, ecce Imperatoris satellites, qui cum infinita manu exercitus nostri vestigia sequebantur, rati opportunitatē se inuenisse, in eam partē exercitus, quę adhuc in transeūdi erat procinctu, hostiliter irruunt, quantâ poterant importunitate instantes. Quod *Tancredus* intelligens, sicut vir erat expeditissimus, fulmineus aduolat; & fluuiū, qui medius erat, enatans, partem fluminis attigit vlteriorem. Quem secuti equites, quasi ad duo millia, primo eorum statim aduentu, prædictorum cohortes dissoluunt gladiis; & conuersos in fugam, cædendo aliquantulū sunt prosecuti, interfectisq; ex eis quampluribus, nonnullos etiam cōprehendentes, ante dominum Boamundū eos statuerūt. Qui cùm diligentiùs interrogarentur, quare Christianū persequerentur exercitū: responderunt, quod *homines Imperatoris essent; & merendo stipendia, ad eius præceptū militare eos oporteret.* Hic demum pleniùs cunctis innotuit, quod quicquid eis Imperator loquebatur, fraus erat & circumuentio: tamen quia per eum transituri erant, inuitis aliis Boamūdus dissimulare potiùs volebat iniurias, quàm eum inutiliter ad iracundiam prouocare. XV. Transcursâ igitur Macedoniâ & vniuersâ Illyrico, cōpetenti moderamine itinere maturato, ad Vrbem cœpit appropinquare. Cumq; in vicino esset cōstitutus, quintâ feriâ ante Paschalem sollempnitatē, susceptâ iterum Imperatoris legatione, persuadēte vt dimisso exercitu ad se cum paucis & familiaribus suis ingrederetur, substitit aliquantulū; & effectui mancipare quod præcipiebatur, distulit, suspectā illius habens malitiā. Dumq; sic fluctuaret in incerto, ecce vir illustris dux *Godefridus*, ab Imperatore multā precū victus instantiâ, vt domino Boamundo exiret obuiā, & eū ad se nihil dubitantē introduceret, cū honesto Principū comitatu prædicto viro occurrit magnificè. Vbi mutuis cōplexibus & syncerę caritatis osculo se suscipiētes ad inuicē, post grata colloquia & mutuas de statu singulorū interrogationes, Boamundus à domino Duce cōmonitus, vt ad Imperatorē, sicut vocatus fuerat, ingrederetur: licet primùm se difficilē exhiberet, & Ducis non satis exaudiret monita, Imperatoris suspecta vt prædiximus habens colloquia, postmodū tamen honestā euictus persuasione, Duce præuio, ad Imperatorē confidēter ingressus est. Vbi ab eodē in osculo pacis & multimoda gratia, & honore præuentus multiplici, post multa familiariter cum vtroq; habita consilia, factus est, vt dicitur, dominus *Boamundus* Imperatoris homo, fidelitate manualiter exhibitâ, & iuramēto præstito corporaliter, qualiter solent fideles dominis suis exhibere. Quo facto, ex Imperialibus vestiariis oblata sunt prędicto viro munera in auro, vestibus, vasis, & preciosis lapidibus, tam precio quàm dignitate incōparabilia. His igitur ita pacificatis, dū adhuc in palatio moram faceret dominus Boamundus, *Tancredus* vir per omnia cōmendabilis, eiusdē ex sorore nepos, Imperatoris præsentiam studiosè declinans, & colloquia; vniuersum interim exercitū in Bithyniā transtulerat, vltra Bosphorū in pago Calcedonēsi, (vbi & domini Ducis translatus dudū residebat exercitus, subsequentiū expectans aduentū) castrametatus. Quod postquā Imperatori pleniùs innotuit, quod dominus Tancredus eius ita declinauerat præsentiam, ægrè tulit plurimū. Sed more prudētis, iniuriam dissimulans, præsentes Principes iterū atq; iterū muneribus cumulans immēsis, cum multo honore ad castra trans Bosphorū remisit propria: vbi iunctis agminibus, & plenâ caritate sociatis, in cōspectu Vrbis vterq; residebat exercitus, expectantes subsequentiū aduentum Principū, vt sociatis legionibus, iter quod assumpserant, vnanimiter prosequerentur. Ministrabatur autem tam ex Vrbe regia, quàm ex adiacentibus suburbanis, populo illic posito, ad sufficientiam, victus necessarius, ita vt pro voto copiosiùs abundarent.

XVI. Interea vir illustris *Flandrensium comes Robertus*; qui à principio ineuntis hyemis cum suo comitatu mare transiens, à *Baro* Apuliæ ciuitate maritimâ *Durachium* descenderat, in locis fertilibus, syluis, pascuis, & omnimodâ commoditate refertis, instantis brumæ declinauerat importunitatem: tandemq; circa veris initium iter arripiens, reliquos Principes, qui iam mare transierant, vt eis adiungeretur, multâ prosecutus est instantiâ. Qui antequam Constantinopolim perueniret, sicuti & aliis acciderat, legatos suscepit Imperiales: per quos ei mandabatur, quatenus reli-

cto exercitu, ad eius præsentiam paucis comitatus, accederet. Ipse autem, quomodo qui eum præcesserant cum domino Imperatore se habuissent, plenius edoctus, *Constantinopolim* perueniens, palatium cum paucis consortibus ingressus est. Vbi ab Imperatore cum multa receptus honorificentia, & benignè tractatus, exactam fidelitatem, aliorum sequens vestigia, corporaliter impendit. Vnde & maiorem consecutus gratiam, donâ suscepit ingentia, sociis eius etiam iuxta modū suum pari liberalitate honoratis. Postquam verò diebus aliquot, eius exercitus ibi iuxta vrbem & alimentis & ocio recreatus est; ipseque ad Imperatorem sæpiùs ingressus, de his quæ necessaria videbantur, cum eo sufficienter contulit, sumptâ licentiâ, cohortes transferens, ad viæ consortes nauigauit: à quibus benignè & plenâ caritate susceptus, eorum exercitibus cum suo comitatu sociatus est. Vbi cùm diebus singulis mutuis confabulationibus de variis rerum euentibus, qui singulis eorum in itinere acciderant, se recrearent ad inuicem; & labores suos gratâ quadam reuoluerent memoriâ, ad id quod instabat nouissimè recurrebat tractatus, vt diligentiùs inter se quærerent quando & quomodo ad operis cœpti consummationem intenderent. Dumq; circa hoc essent soliciti, & moram subsequentium arguerent sociorum, eis imputantes, quod sine fructu tempora præterirent, ecce nuncius *Comitis Tolosani*, & *Episcopi Podiensis*, vtrūq; adesse, & in proximo vrbem ingressuros, edocet.

XVII. Porrò hi duo magni & illustres viri, ab initio suscepti itineris cum suis expeditionibus, comites sibi perpetuò adhæserant indiuisi. Erantq; cum eis viri nobiles & apud suos tam nobilitate, quàm morum elegantiâ clarissimi: dominus videlicet *Willelmus* Aurasiensis episcopus, & *Rambaldus* eiusdem ciuitatis comes, *Gaustus de Bederz*, *Girardus de Rossèilon*, *Guillelmus de Monte pessulano*, *Guillelmus Comes Forensis*, *Raimundus Pelez*, *Centonius de Bear*, *Guillelmus Amaneu*: & alii multi, quorum etsi nomina non tenemus, certum est tamen ea in libro vitæ conscripta esse. Quippe qui patriam cognationem & amicos, & latè diffusa patrimonia relinquentes, Christum secuti sunt, voluntariam amplexi paupertatem. Hi omnes, prædictos venerabiles viros cum omni reuerentia secuti, in Italiam descenderunt, transcursaq; *Lombardiâ*, per eam regionem quæ *Forum Iulii* appellatur, iuxta *Aquileiam* transeuntes in *Istriam*, inde tandem in *Dalmatiam* descenderunt. Est autem Dalmatia longè patens regio inter Hungariam & Adriaticum mare sita, quatuor habens metropoles, *Iazaram*, & *Salonam*, quæ alio nomine dicitur *Spaletum*, *Antibarim*, & *Ragusam*; populo ferocissimo, rapinis & cædibus assueto inhabitata: montibus & syluis, magnis quoq; fluminibus, pascuis etiam longè lateq; diffusis occupata penitus, ita vt raram habeat agrorum culturam, locorum incolis in gregibus & armentis omnem viuendi habentibus fiduciam: exceptis paucis, qui in oris maritimis habitant, qui ab aliis & moribus & linguâ dissimiles, Latinum habent idioma; reliquis Sclauonico sermone vtentibus, & habitu barbarorum. Hanc igitur ingressi prouinciam, multam inuenerunt itineris difficultatem, maximè propter hyemis instantiam, & locorum nimiam inæqualitatem: Sed & victus, & alimentorū sustinentes grauem defectum, periculosè satis per dies aliquot laborauerunt inediâ. Locorum sanè habitatores relictis vrbibus & præsidiis, ad montes & syluarum condensa cum vxoribus & liberis, & cum omni substantia, quasi agrestes feræ fugientes, nostrorum formidabant aspectum. Occultè tamen, & de remoto, proficiscentis exercitus vestigia sequentes, senes valetudinarios, anus quoque grandæuas, quæ lento gradiebantur itinere, seorsum reperientes occidebant. Comes verò totius multitudinis debitam gerens solicitudinem, præmissis de principibus aliquot, qui agmina præirent, ipse cum maxima loricatorum manu postremus semper incedebat, nouissimus hospitabatur. Erat præterea aer caliginosus, & tenebræ continuæ, penè palpabiles, ita vt qui sequebantur, præcedentium vix tenerent vestigia; & qui præibant, vix per iactum lapidis ante se loca possent discernere. Terra enim, vt prædiximus, riuis, fluminibusque abundans, & penè tota palustris, tantam diebus singulis exsudabat vliginem, & tantam crassitudinem nebularum, vt aerem redderent penè suffocatorium. Ad hæc, *Sclaui Dalmatæ*, tanquam indigenæ, locorum habentes peritiam, per abrupta montium, & nemorum condensa, exercitum ex latere sequentes, frequentibus irruptionibus inermem populum, è syluis prodeuntes opprimebant. Comes verò, & alii magnates in ipsos tales sæpissimè facientes impetus, multos ex-

tos ex

tos ex eis lanceis confossos & obtruncatos gladiis perimebant: pluresq; sæpiùs occidissent, nisi quia syluas habentes vicinas, & ad eas confugientes, præsens captabant remedium. Accidit tamen quadam die, quod ex prædictis malefactoribus captis quibusdam, Comes manus & pedes pręcepit amputari, vt eorum consortes saltem hac pœnâ deterriti, exercitum persequi formidarent. Cumq; tribus hebdomadibus continuis tam laborioso itinere regionis partem transcurrissent, peruenientes ad locum, cui *Scodra* nomen, Sclauorum regem ibi repererunt. Cumq; dominus Comes, sicut vir benignus erat, affabilis & misericors, multâ munerum liberalitate amicitiam contrahens, sperabat populo suo indigenarum gratiam optinere, 10 vt saltem commercii & rerum venalium copiam consequeretur: tandem nec hac via prædictæ gentis ferocitatem emollire potuit, quos deinceps multò sæuiores inuenit. Cumq; per dies quasi quadraginta omnem Dalmatiam multo pertransissent labore, tandem peruenerunt *Durachium.*

XVIII.

Imperator verò Comitis suspectum habens aduentum, eò quòd vir prudens & magnificus esset, & maiores secum traheret copias, missâ multò antè legatione honestorum virorum, qui ei apud Durachium occurrerent, præcepit, vt aduenientem ex parte eius officiosissimè salutatum, honestè tractarent. Qui dicto parentes, in eius præsentia constituti, viuâ voce & literis eum blandè allocuti sunt, Imperatoris porrigentes epistolam, cuius hic tenor erat: *Iamdudum, Comes dilectissime, tuæ prudentiæ opinio celebris, & probitatis latè dif-* 20 *fusa fragrantia, ad nostri peruenit aures Imperij; & meritis exigentibus, nos ad tui dilectionem inuitauit, propositum habentes personam tuam amare & honorare propensiùs. Vnde & tuum aduentum cum multo desiderio expectauimus, multa de publicis negotiis cum tua nobilitate Imperio nostro carissima, tractare cupientes. Vnde monemus attentiùs, vt sine tumultu & scandalis terras nostras pertransiens, ad nos festinus accedas, securus de gratia nostra & honore multiplici, quo te proposuimus præuenire. Præsentium autem latoribus dedimus in mandatis, vt rerum venalium copiam & iuge commercium populo tuo bonis conditionibus faciant exhiberi.* His literis tam Comes, quàm eius exercitus exhilaratus admodum, rursus iter arripiens, transcursis syluis & montibus, & vniuersâ Epirotarum regione, multorum labore dierum, demum in pagum, cui *Pelagonia* nomen est, omnibus redun- 30 dantem copiis descendentes, castrametati sunt. Vbi cùm vir vitæ venerabilis dominus *Podiensis Episcopus* longiùs à castris aliquantulum, hospitandi commoditatem secutus, seorsum locasset tentoria, à Bulgaris irruentibus captus est. Sed quia tantus Pontifex adhuc populo DEI erat necessarius, casu, per eius misericordiam vitæ est reseruatus. Nam dum vnus de prædonibus aurum ab eo quæreret, eum contra cæteros tuebatur: inter quos excito tumultu ad vocem concertantium, exercitus commotus est vniuersus; & armis correptis in prædictos irruentes maleficos, dominum Episcopum cum suis expedierunt. Tandem resumpto itinere *Thessalonicam* transeuntes, & omnem Macedoniam, continuatis per multos dies laboribus, apud *Rodostum* vrbem maritimam, super Hellespontum sitam, à Constanti- 40 nopoli itinere dierum quatuor distantem peruenerunt. Vbi iterum Imperatoris Comiti occurrit legatio, & Principum etiam, qui præcesserant nuncii nonnulli, monentes & exhortantes obnixiùs, quatenus exercitu relicto, & paulatim subsequente, ipse cum paucis veniat expeditus, vt peractis apud Imperatorem negotiis, accedente eius exercitu, possit reliquos subsequi maturiùs; & populis properare volentibus, nullum ministret impedimentum. Præmiserat autem & ipse nuncios, qui & ipsi reuersi, eum ad idem animabant.

XIX.

Euictus igitur Comes tam Imperialium legatorum instantiâ, quàm verbo Principum, qui eum maturare hortabantur: relicto exercitu, sub cura & sollicitudine Episcoporum, & aliorum nobilium, qui in castris erant: ipse cum paucis *Constantinopolim* ingressus, sæpiùs cita- 50 tus, præcedentibus eum Imperialibus apocrisariis, suam Imperatori præsentiam exhibuit. Ibi tam ab eo, quàm à suis illustribus & inclytis, qui ei assistebant, honorificè susceptus, & benignè plurimùm, plenâ humanitate tractatus est. Vbi postmodum blandis persuasionibus, & multâ instantiâ pulsatus, vt Imperatori fidelitatem & iuramentum secundùm formam aliorum principum, qui eum præcesserant, exhiberet, negauit constantissimè. Interea verò dum hæc apud Constantinopolim agerentur, indignatus Imperator, quod ei Comes more aliorum, hominium facere detrectaret, clàm præcipit legionum suarum primiceriis, quæ in partibus il-

lis erant constitutæ, vt repente in exercitum Comitis irruentes, modis quibus possent, molestare attentarent, ita etiam, vt in eis cædem operari non vererentur. Hoc autem attentare ausus est, eâ fretus fiduciâ, quod principes omnes datâ sibi fidelitate obligauerat; quodq; eorum exercitus omnis mare illud transierant, vnde non facilè erat retransire. Nam quotquot illuc naues aut gratiâ commercii, aut transferendæ plebis causâ accedebant, omnes statim vlteriorem ripam deserere tenebantur: vt illis nauium deesset copia; & de redeundo frustra cogitarent. Ad hoc enim singillatim eos, vt prædiximus, transire blanditiis & callidis persuasionibus compulerat, ne simul iunctis agminibus ante Vrbem possent conuenire. Suspectum enim, vt prædiximus, nostrorum habebat aduentum, & conuentum multò amplius formidabilem. Quodq; Principibus quasi liberaliter contulerat, nec liberalitatis erat, neç gratiæ; sed timoris desperati, & fraudulentæ versutiæ. Nostris autem in simplicitate spiritus, & syncerâ fide incedentibus, vix persuaderi poterat Græcorum malitia, & nequam illorum Principis fraus, & circumuētio pertinax, maximè cum erga eos tantâ liberalitate, & simulatâ gratiâ redundaret.

XX. Igitur qui Imperatoris mandatum susceperant, centuriones, & quinquagenarii, & numeris militaribus præpositi, Regiam exequentes iussionem, præmonitis agminibus, clam & de nocte in domini Comitis irruunt expeditiones; dum incautos reperiunt, & nihil tale verentes, plurimos ex eis interficiunt: ita vt antequam expergefacti arma corriperēt, & fuga fœda & strages miserabilis intercederet. Tandem verò honestioribus viris admonentibus ad cor redeuntes, resumptis animis ac viribus, prædictæ Imperatoris latrocinanti familiæ multa suæ gentis intulerunt dispendia. Et licet pro tempore & loco satis viriliter nostri restitissent, viæ tamen cōsiderantes difficultatem, & crebra quæ ex insperato diebus penè singulis occurrebant discrimina, liquefiebant in seipsis, quasi assumpti pœnitentes itineris; & minus minusque feruebant in eo, quod erant aggressi: tædio laborum fatigati vehementiùs, ita vt multos non solùm de plebeis, verùm & de Maioribus incepti pœniteret; & diffidentes de consummatione propositi, votorum immemores, redire disponerent. Quod nisi monitis & exhortationibus ab episcopis & clero fuissent reuocati, & ad voti prosecutionem reaccensi, parati erant agmina deserere, & ad propria quocunq; tentare reditū periculo. Quod postquam domino Comiti nunciatum est, dolore cordis tactus intrinsecus, proditum se clamat; & missis de fidelibus suis viris aliquot nobilibus, Imperatori proditionis infamē obiicit titulum: asserens, quòd dum per eius vocationē & multiplicatas legationes in eius esset obsequio, contra bonos mores in eius exercitum suos præcepisset armari. Sed & Principibus, quorum prece & instantiâ dimisso exercitu properauerat, casum lamentabilem, qui suis acciderat, & Imperatoris fraudem apertissimam notam facit, super his vltionem tanquam à fratribus reposcens. Quod si Comiti, par affectibus & voluntati esset suorum iniuriam vlscicendi facultas, procul omni dubio à motu animi, quem conceperat, nec minis, nec terroribus, nec aliquorum interuentu Principum potuisset conuelli. Dicebatur enim vir animosus, & iniuriarum perpetuò memor, quique in suo sensu plurimùm abundaret. Imperator igitur rem videns nimiùm processisse, & facti pœnitens, Principes, dominum videlicet *Ducem*, dominum *Boamundum*, dominum *Flandriæ comitem*, qui adhuc in vlteriore maris littore cum suis legionibus residebant, ad se facit euocari, vt per eorum interuentum domini Comitis sibi possit animum reconciliare. Qui ad eius vocationem conuenientes, etsi multùm displiceret quod acciderat, tamen videntes quod non esset reposcendæ vltionis locus, dominum Comitem seorsum admonent, & honestis persuasionibus hortantur, vt iniuriam, quam communem reputant, dissimulare velit; ne vindictam prosequens, multorum dierum operam adgrediatur; & volentibus in via Domini procedere, ministret impedimentum. Factumq; est tandem, vt ad piam Principum intercessionem, Comes tanquam vir discretus, exacerbatum mitigās animum, Principum cesserit consilio, eorum dispositioni se committens. Illi autem Imperatorem familiariter conuenientes, quam molestè ferant quod acciderat, vnanimiter protestantur. Quorum Imperator intelligens indignationem, & vnanimitatis constantiam, coram Comite & vniuersa tam exterorum, quàm suorū domesticorum curia, in excusationē descendit, iurans & obtestans, quod neq; de conscientia eius

neque

neq; de mandato, quod accidisse dicebatur, euenerat. Tamen iuxta hanc innocentiam suam, Comiti satisfacere paratum se dicebat. Sicq; quotidie, magis & magis Græcorum dolus, & fraus Imperatoris detegebatur: ita vt iam nemo esset de Principibus cui non esset manifestum, & luce meridianâ clarius, quanto odio populum prosequebatur nostrum, & omne Latinorum genus haberet inuisum. Veruntamen, quoniam ad alia eorum properabat intentio, & ad DEO magis placitum propositum anhelabant, tutiùs iudicabant illatas dissimulare iniurias, quàm se à tam pio reuocare concepto, aut assumpto labori impedimentum ministrare. Comes igitur iuxta Principum exhortationem, Imperatori reconciliatur; & secundùm tenorem iuramentorum, quem alii præbuerant, & ipse iuramentum fidelitatis exhibens, in plenam gratiam reuersus, donis ingentibus & cumulatæ liberalitatis, quæ & numerum & pondus excederet, honoratus est. Accipientes porrò & alii principes iterata dona, & sumentes licentiam, ipsumque Comitem specialiter rogantes, ne moram post eos faceret, ad suas in Bithynia, transito Hellesponto se conferunt legiones. Interim quoque & domini Comitis exercitus Constantinopolim peruenit exercitus, qui statim de mandato ipsius, ad eos, qui se præcesserant, transiens, reliquis exercitibus est adiunctus. Comes verò gratiâ rei familiaris in vrbe moram faciens, per dies aliquot, simul & domestica tractabat negotia, & pro publicis, more prudentis viri, non desinebat esse sollicitus. Nam sicut ab aliis rogatus erat principibus, Imperatorem frequenter honestis persuasionibus inuitabat, sicut & alii ante eum sigillatim fecerant, vt proficiscentes comitaretur; & exercitus Dominici esse vellet dux & moderator. Commonitus autem sæpe & sæpiùs prædictus Imperator à singulis nostrorum Principum, & maximè à domino comite Tolosano, vt Dominici exercitus dux & comes esse dignaretur, & populorum, qui se diuinis obsequiis mancipauerant, vellet obtinere primatum: excusabat se, dicens, quod hostes circa se haberet ferocissimos, *Bulgaros*, *Commanos*, & *Pincenates*, qui fines Imperii sine intermissione circuibant, quærentes opportunitatem, vt subitò possent irruere, & eius turbare tranquillitatem. Ideoque, licet votis plurimùm conueniret tantæ peregrinationis habere consortium, & futuræ retributionis expectare participium, non posse regni curam deserere, & hostibus circumpositis malignandi præstare occasionem. Quicquid autem loquebatur, dolus erat & circumuentio: nec ob aliud hæc pro se allegabat, nisi quod nostrorum profectibus inuidẽs, sub aliquo quæsito colore, nostris suam subtraheret operam, & processum, quantum ei liceret, modis omnibus impediret. Qui verò mare iam transierant, dominus videlicet *Godefridus*, dominus *Boamundus*, dominus quoque *Robertus* Flandrensium comes, & dominus *Podiensis* Episcopus, compositis sarcinis, ad iter rursus accinguntur, propositum habentes versus Niceam pedetentim incedere; & ita suos, qui subsequebantur, operiri. Cumque per diem versus *Nicomediam*, quæ illius prouinciæ, Bithyniæ videlicet, metropolis est maxima, processissent, venerabilis sacerdos *Petrus Heremita* de locis illis finitimis, in quibus hyemis asperitatem declinauerat, cum paucis, qui de suo comitatu erant residui, proficiscentibus occurrens legionibus, & Principibus salutatis, eorum cœtibus adiunctus est. Vbi ab omnibus benignè susceptus, & de suorum casu diligenter interrogatus, rem eis seriatim aperuit; quomodo duræ ceruicis, incredulus, & omnino indomabilis esset populus, qui cum eo præcesserat; quodq; magis culpâ propriâ, quàm facto alterius, illis occurrens infortunium accidisset. Vnde compatientes ei & suorum afflictioni Principes, multa illi, & his, qui eum sequebantur, liberaliter contulerunt. Multiplicato igitur exercitu, & ex diuersis copiis in vnum conuenientibus facto per DEI gratiam numerosiore, competenti moderamine iter conficientes, *Niceam* peruenerunt. Vbi castris per gyrum dispositis, loca tamen venturis Principibus deputantes, vrbem mense Maio quintadecimâ die mensis, obsederunt. Comes autem *Tolosanus*, pertractatis apud Vrbem regiam negotiis, sumptâ ab Imperatore licentiâ, & ingenti rursus munerum liberalitate honoratus, cum suis, quos secum detinuerat, castra cum omni celeritate secutus, ad vrbem prædictam velox peruenit. Interea vir illustris dominus *Robertus Normannorum comes*, & alii in eodem comitatu viri clarissimi; dominus videlicet *Stephanus Carnotensium* comes & Blesensium, dominus quoque *Eustachius*, domini Godefridi

XXI. XXII.

ducis frater, missâ iterum legatione, tam domino Imperatori, quàm fratribus, aduentum suum in proximo futurum denunciant. Erat autem cum eis, *Stephanus* comes de Alba marla, *Alanus Fergandus*, & *Conanus*, ambo de Britannia, magni viri: sed & comes *Perchensis Rotholdus*, Rogerus de Barneuilla. Hi omnes cum aliis multis viris præclaris, & nobilibus, cum Flandrensium comite, & domino Hugone magno, anno præterito, circa hyemis ingruentis initia, in Apuliam descenderant: aliisque Durachium transeuntibus, ipsi temporis abhorrentes asperitatem, tam in Apulia quàm in Calabrorum finibus in locis commodis hyemem transegerunt. Tandem verò circa veris initium conuocatis viæ consortibus, & compositis ad iter sarcinis ad mare descendentes, aliorum secuti vestigia, *Durachium* peruenerunt. 10 Vnde continuato itinere, moram quam fecerant in Apulia, redimere cupientes, cum omni instantia iter peragunt. Tandemq;, Domino opitulante, optatâ vsi tranquillitate, decursis mediis prouinciis, *Illyrico* videlicet, *Macedoniâ*, & vtraq; *Thraciâ*, *Constantinopolim* peruenerunt. Vbi vocati à domino Imperatore, & more aliorũ palatium ingressi, ab eodem & suis, qui ei assistebant Illustribus, cum multa honestate suscepti sunt. Tandem post multa consilia, & cum illis tribus communiter, & cum eorum quolibet seorsum habita, idipsum quod ab aliis obtinuerant, blandis persuasionibus, & multâ pollicitatione ab eis instanter postulant. Hi verò aliorum præ oculis habentes exemplum (nam sufficienter de omnibus, antequam ad Imperatorem accederent, instructi fuerant, dicentes apud se, *nec enim maiores sumus quàm* 20 *patres nostri*) exactam fidelitatem, & secundum formam iuramentorum à præcedentibus exhibitorum sacramenta præstantes, Imperatori se obligauerunt. Vnde in ampliorem recepti gratiam digni habiti sunt, vt maiora munera reportarent. Apertis ergo ærariis, in auro, vestibus preciosis, vasis quoq; tam materiâ quàm artificio admiratione dignis, holosericis quoque, miræ & inauditæ æstimationis dona susceperunt, qualia prius non viderant; quæ ipsis etiam in quos transferebatur liberalitas, stuporem mentis inferrent, nostrarum rerum modum & dignitatem excedentia. Tantis igitur muneribus cumulati, ne viæ consortibus moræ causas viderentur innectere, sumptâ ab Imperatore licentiâ, transmisso Hellesponto, cum suis legionibus iter accelerantes Niceam, vbi vniuersus Christianorum resistebat 30 exercitus, peruenerunt: à Principibus, qui præcesserant, multo caritatis amplexu, & omnium concurrente suscepti desiderio, locum sibi deputatum obtinentes castrametati sunt.

XXIII. Adiunxerat se etiam nostrorum castris quidam Græcus, *Taninus* nomine, Imperatoris familiaris admodum, vir nequam & perfidus, nares habens mutilas in signum mentis peruersæ. Hic ex Imperiali iussione, nostris ducem viæ ad ampliorem cautelam postulantibus, designatus fuerat dux itineris & comes futurus. Electus ob hoc quod & locorum plenam habere dicebatur experientiam; & de eius malicia & perplexa dolositate plurimùm præsumebat Imperator. Hic etiam cum manu suorum nonnulla nostris Principibus adsociatus erat, vt non deesset *anser, qui inter olores perstreperet*, & peruersus *coluber inter anguillas*. Cuncta enim 40 quæ in expeditione fiebant, cunctaq; quæ à singulis dicebantur, sinistrâ peruertens interpretatione, Imperatori significabat; ab eo versâ vice commentorum & fraudis per frequentes internuncios formam recipiens. Hic primùm ex diuersis exercitibus, qui varios, & per loca diuersa variisq; temporibus secuti fuerunt Principes, vnus factus est DEI viuentis exercitus, ex multiplicitate partium aduenientium ad inuicem, suam recipiens integritatem. Nam ex quo relictis domibus iter aggressi fuerant prædicti DEO amabiles exercituum duces & capitanei, nusquam eis datum est mutuò se videre, & de negociis publicis colloqui adinuicem & differere; nisi postquàm ante prædictam vrbem conuenientes, castrametati sunt. Vbi recensito legionum numero, inuenti sunt habere *peditum promiscui sexus sexcenta mi-* 50 *lia; equitum vero loricatorum centum milia:* qui omnes ante prædictam vrbem consistentes, ad eius expugnationem omnimodam dabant operam; laborum suorum primitias cum omni deuotione Domino consecrantes.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

INCI-

INCIPIVNT CAPITVLA LIB. III.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI III.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

Cap. I. EST autem *Nicea* vna de vrbibus Bithyniæ, quæ ad Nicomediam eiusdem regionis metropolim, more suffraganearum vrbium prius habuit respectum: postea verò à domino *Constantino Augusto* seniore à iurisdictione illius emancipata est, ob reuerentiam sanctæ Synodi primæ, quæ in ea conuenit. In hac enim, temporibus domini *Syluestri* Papæ, & viri venerabilis *Alexandri Constantinopolitani* patriarchæ, & prædicti Constantini Augusti sancta Synodus trecentorum decem & octo patrum aduersus impietates *Arrij*, & sequacium suorum congregata est, quæ eorum pernicioso languore damnato, & sanctorũ testimoniis veritate declaratã, vniuersæ ecclesiæ DEI, fidei formam intemeratam præbuit. In hac eadem postmodum, tempore domini *Constantini Augusti* piissimi Irenæ filii, iterum conuenit septima synodus generalis aduersus *Iconomachos*, id est, impugnatores sanctarum imaginum, sub domino *Adriano* Romano pontifice, & viro venerabili *Tharasio* Constantinopolitano patriarcha: in qua prædicti hæretici dignam pro meritis ab Orthodoxa ecclesia, contra suam perfidiam, damnationis tulerunt sententiam. Est autem ciuitas situm habens commodissimum, in planicie constituta; non longè tamen à montibus, quos penè ex omni parte habet in circuitu: agrum optimum, glebam vberem, syluarumque & nemorum nihilominus multas habens commoditates. Sed & lacus multæ latitudinis, & longitudinis maximæ, iuxta prædictam vrbem positus, in Occidentalem porrigitur plagam, per quem nauigio ex diuersis partibus, * ciuitati maximum præstans munimen, ipsis mœnibus, ventis intumescẽs, illiditur. Ex reliquis autem partibus circa murum, vallum erat in circuitu, ex influxione fontium & riuulorum restagnans: quod plurimum, accedere volentibus ad vrbem impugnandi causâ, ministrare poterat impedimentum. Erat autem præterea bellicoso referta populo; muris & turribus sublimibus, & valde densis, opere solido compactis, insignis admodum & munita: ita vt accedentes nostri, & vrbis mirarẽtur munimen, & operis soliditatem. Huius vrbis, sicut & regionis totius, & adiacentium simul prouinciarum dominus erat quidam Turcorum potentissimus satrapa, *Solimannus* nomine, cognomento *Sa:* quod Persarum lingua *Rex* interpretatur: homo vafer & strenuus. Qui audito nostrorum aduentu, & super hoc valde sollicitus, multò ante in Orientem descenderat, ab illarum regionum Principibus, contra fidelium aduenientes copias, imploraturus auxilium. Effeceratque persuasionibus, & multâ precum instantiâ, necnon & stipendiorum interuentu, quod infinitas tum ex Perside, tum ex adiacentibus prouinciis secum adduxerat Turcorum copias: sperans quod eorum fretus auxilio, ab imminentibus periculis vrbem prædictam & regionem vniuersam posset eripere. Has tamen vniuersas prouincias (quæ à prædicto Hellesponto vsque in Syriam itinere dierum XXX. & à nostro mari Mediterraneo vsque in Septentrionem totidem dierum itinere protenduntur) modico antè tempore prædicti Solimanni patruus, *Belfetoth* nomine, maximus Persarum Soldanus tempore *Romani*, qui cognominatus est *Diogenes*, Imperatoris Constantinopolitani, qui ante hunc Alexium fuerat tertius, occupauerat violenter; & easdem prædicto ex plurima parte tradiderat Solimanno. Possidebat ergo, & iure proprietatis vendicabat sibi vniuersas prouincias à Tarso Ciliciæ vsque ad Hellespontum: ita vt è conspectu Constantinopolitanæ ciuitatis procuratores suos haberet, qui consuetudines à transeuntibus exigerent, tributa & vectigalia regionis vniuersæ ad vtilitatem domini sui colligentes. Ipse autem cum ea, quam tanto labore collegerat, multitudine, in montibus vicinis, vix à nostro exercitu decem distans miliaribus, opportunitatem quærebat, quomodo super nostros cum suorum salute posset irruere, & vrbem ab eorum inquietudine liberare.

II. Peruenientes igitur ante prædictam vrbem nostri exercitus, acriùs eam impugnare, confusis tamen agminibus, nec dum castris certo ordine dispositis, cœperunt. Tamen qui præsentes erant, loca sibi certa deputantes, & his qui venturi erant, congrua designantes, ad id specialiter omnimodam dabant operam, vt ciui-

ciuibus introitum negarent & exitum. Lacus tamen, qui ciuitati (vt prædiximus) erat coniunctus, huic eorum nimis obstabat proposito. Nam & inuecti & egredientes, paratis nauigiis, pro libero arbitrio ad partes varias indempnes ferebantur. Nostri autem cùm nauium prorsus nullam haberent copiam, eorum discursus minimè poterant impedire. Tamen id omnimodis procurabant, ne terrestri ad eos accederetur itinere, vias & introitus cum omni sollicitudine obseruantes. Factum est autem quod prædictus *Solimannus*, intelligens vrbem suam obsidione molestari, vt ciues consolaretur, & ad resistendum pleniùs animaret, mittens duos de familiaribus suis, qui ad vrbem per lacum nauigio descenderent, verba con-
10 solatoria per eosdem ciuibus dirigit in hunc modum: *Aduentum in huius felicis barbari populi, qui circa vrbem nostram obsidionem locare præsumpsit, non est opus vt multùm formidetis. Nos enim cum ingenti fortium & nobilium virorum comitatu in vicino sumus constituti, maiores adhuc quæ nos subsequuntur, expectantes copias: eritq; in proximo, vt collectis in vnum viribus, in eorum castra repentè irruamus. Vnde & vos quoque estote parati; vt nobis exteriùs irruentibus, vos etiam reseratis aditibus egredientes instetis vnanimiter, nobis opem collaturi. Sed neque eorum suspectam vos oportet habere multitudinem: de remotis enim partibus, & à Solis occasu descendentes, longi diuturnitate itineris, & laborum impendio fatigati, neque equos habent, qui belli pondus sustinere valeant; nec ipsi nobis qui recentes venimus, viribus & conatu pares poterunt reperiri. Et vos ipsi tenetis memoriter,*
20 *quàm facilè de ingenti eorum triumphauerimus multitudine, vnâ die plus quàm quinquaginta ex eis millia exterminio mandantes. Confortamini igitur, & nolite timere: cras enim ante horam diei septimam, plenam recipietis consolationem, ab hostibus expediti.*

III. Igitur qui missi fuerant, quærentes vnde commodiùs enauigare possent, secus ripam applicuerunt. Dumq; lustrantes quærunt aptiorem introitum, alter, nostris in eos irruentibus, subitò captus est; alter in tumultu gladio confossus interiit. Qui verò captus est, incolumis ante Principes deductus, minis & terroribus ad confessionem perductus est, vt planè cuncta edissereret; cuius gratiâ, & à quo missus aduenisset. Constitit autem eius relatione, quod *Solimannus* eos ad denunciandum ciuibus eius aduentum direxerat; quodq; in vicino constitutus,
30 ingentes conuocauerat copias, die alterâ in castra nostra clàm irruiturus. Compertum igitur habentes nostrarum legionum capitanei, quod prædictus Solimannus maturaret accedere, prædictum hominem præcipiunt custodiæ mancipari: & missis cursoribus, dominum *comitem Tolosanum*, & *episcopum Podiensem*, qui nondum ad eos peruenerant, quantocyus monent properare. Illi verò susceptâ fratrum legatione, sollicitudine non pigri, omnem arguentes moram, & totâ nocte insistentes itineri, valde manè ante solis exortum, cum ingenti multitudine erectis vexillis, in armorum fulgore & maximo strepitu castris se intulerunt. Vixque sarcinas deposuerant, vt cum aliis in loco sibi deputato se collocarent: cùm ecce circa horam tertiam, sicut ille qui in vinculis detinebatur, prædixerat, prædictus
40 Solimannus cum ingentibus equitum copiis, qui ad quinquaginta millia æstimabantur, de montibus descendens, ad plana se contulerat, ad vrbem accessurus. Quod nostri videntes, protinus ad arma conuolant, monentibus lituis; & clangore cornicinum cohortes excitant, instruunt agmina, instaurant acies: & obseruatâ rei militaris pleniùs disciplinâ, cuius experientiam habebant omnimodam, & vsum familiarem, nihil de contingentibus omittentes, ad occurrendum hostibus se accingunt. IV. *Solimannus* igitur præmissâ quadam acie, in qua erant equitum decem milia, ad portam properabat Meridianam, quæ domino *comiti Tolosano* ad custodiam erat deputata. Ignarus enim de aduentu eiusdem Comitis, sicut heri & nudius tertius eam arbitrabatur reperire posse vacantem: sed opinione frustratus, ibi
50 penè maiores quàm alibi reperit copias. Horum tamen ignarus omnium, ad locum prædictum festinans, cum multo impetu in domini Comitis irruit legiones, quæ adhuc vix sarcinas deposuerant. A quibus exceptus mirabiliter, confractis conatibus, & priore penitus acie dissolutâ, iam in fugam versi erant: cùm ecce Solimannus cum maioribus subsequens copiis, eis refundens animos, qui iam erant dissoluti, secum iterum in nostros redire compulit. At verò *Dux*, dominus quoque *Boamundus*, & *comes Flandrensis*, cum suis expeditionibus ad vnguem armati, videntes hostium maiores aduenisse cuneos, & turmas

densiores,præq; graui multitudine & animosa instantia, Comitis exercitum supra vires fatigari,irruunt vnanimiter; & hostium se inferunt legionibus,gladiis & lanceis cominus instantes. Cumq; hostes quasi per vnius horæ spacium resistēdi vires & animum viderentur habuisse, interfectis ex eis quasi ad quatuor millia, & captiuatis nonnullis,in fugam versi sunt. Nostri verò hac prima victoria,opitulante Domino,potiti,obsidionem cōtinuant,castris per gyrum sine interuallo dispositis. Ab ea ergo die neq; prædictus Solimannus, neq; infidelium principum aliquis, simile aliquid ausus fuit attentare, quamdiu in obsidione perstiterunt. Optimè porrò in eo conflictu se habuerunt prædicti Principes: sed & dominus *Tancredus*, *Galterus* quoq; de *Garlanda*, Frācorum regis dapifer, *Guido* etiam *de Porsessa*, & *Rogerius de Barnauilla*,celebrem sibi in eo negotio comparauerunt famam. Nostri igitur ad incutiendum terrorem hostibus de capitibus occisorum intra vrbem plurima iniici machinis iaculatoriis præceperunt: & ex eis mille,& de captiuis aliquot ad Imperatorem dirigentes, plurimam eius per hoc sibi gratiam compararunt. Vnde & pecuniam non modicam,& holosericorum diuersa genera ad remunerandos exercituum Principes, multa cum liberalitate direxit, præcipiens, vt & victui necessaria & rerum venalium, cum omni plenitudine,& sine dilatione ad eos deferatur cōmercium. 10

V. Visum est igitur Principibus nostris expediens esse ad propositum, vrbem ex omni parte,vt prædiximus, obsidione vallare; & Principes congruis locare stationibus: vt ingruente ciuibus vndiq; molestiâ, eos ad deditionem compellerent faciliùs. De communi igitur concilio,æquis portionibus ambitum diuidūt, singulas singulis deputātes Principibus: dominumq; *Ducem* cum duobus fratribus suis,& eorum legionibus ab Orīetali parte locant. Dominus verò *Boamundus*, cum domino *Tancredo*,& aliis Principibus,qui eum secuti fuerant,quorum superiùs nomina posuimus,cum suo iterum exercitu, partem vrbis Septentrionalem obtinuit. *Comes* verò *Flandrensis* & *Princeps Normannorum*, cum suis iterum cohortibus, iuxta prædictos in ordine locati sunt. Australem verò plagam *Raimundus Tolosanus Comes*, & *Episcopus Podiensis*, cum suis consortibus sibi obtinuerūt deputatam; iuxta quem dominus *Stephanus Blæsensium Comes* & Carnotensium, cum domino *Hugone magno*, & aliis quibusdam inclytis & nobilibus viris castra locauerat. Sic igitur ex omni parte vrbe vallatâ,placuit Principibus,ex vicina sylua sumptâ ad eos vsus competēte materiâ, machinas ad suffodiendum murum habiles & necessarias, quas vulgò *Scrophas* appellant; itemque iaculatorias, quas vulgari appellatione *Mangana* dicunt, & petrarias sub omni celeritate fabrefieri. Vocatisq; artificibus omnimodâ instant diligentiâ, vt opere consummato vrbem satagant impugnare. Dumq; in eo desudarent attentiùs; & vrbem frequentibus congressionibus, septem hebdomadarum curriculo hostiliter impugnassent, quadam die indicto de more conflictu,duos nobiles & magnificos viros & in armis strenuos, dominum videlicet *Balduinum* cognomento *Calderon*,& dominum itidem *Balduinum de Gant*,alterum iactu lapidis, alterum sagittæ ictu dum in expugnatione vrbis decertant animosiùs, miserabili amiserunt infortunio. Post hoc etiam, dum ex consilio & decreto Principum rursum exercitus iteraret assultum, *Willelmus Comes de Foreis*, & *Galo de Insula*, dum in eo conflictu nimiùm feruentes, hostes lacessunt, sagittis transfixi interierunt: *Guido* quoque de *Porcessâ*, vir nobilis de Regno Francorum, validâ ibidem correptus ægritudine,carne solutus est. Super quorum casu cōsternatus plurimùm DEI populus, eos honestè tradidit sepulturæ; exequias, quales viris nobilibus & magnificis exhiberi solent, intuitu pietatis caritatisve, impendentes. 20 30 40

VI. Quadam iterum die dum omnes in circuitu principes, suas certatim ad murum applicarent machinas; & modis quibuscunque poterant, muros debilitare, & sibi parare introitum niterentur, ocium & desides ferias, strenuorum more, declinantes, *Comes Hermannus*, & *Henricus de Ascha*, de regno Theutonicorum viri nobiles & inclyti, instrumentum quoddam artificiosè satis compositum, familiarium & domesticorum suorum conatu & virtute multâ, mœnibus applicant. Erat autem machina quercinis trabibus contexta, in cuius ambitu robustos intexuerant parietes; ita vt introducti equites viginti, viribus robustissimi, ab omni telorum immissione,& iactu, etiam maximorū molarium, qui intromissi erant ad subfodiendum murum,viderentur consistere posse securi. Quæ tandem machina, vt prædiximus, muris 50

muris applicata, instantibus desuper ad muri defensionem ciuibus, magnorum impulsu lapidum ita penitus contrita est, vt solutis compagibus, eos qui infra se erant comprimeret vniuersos. Condoluit itaq; prædictis nobilibus (eo quod inutiliter, non sine sumptu, consumpta esset multorum dierum opera) populus vniuersus; condoluit & viris fortibus, qui casu tam miserabili occubuerant. Spe tamen potiundæ victoriæ se inuicem consolabantur, eoque maximè, quòd vitam meliorem non diffiderent esse cõsecuturã eos, qui in huiusmodi negotio animas pro CHRISTO ponerent. Instar enim martyrii, non immeritò reputabant, in agone huiusmodi vitam amisisse. Vnde morte contemptâ, vitã pro nihilo ducentes præsen-
10 tem, quibuslibet periculis se obiiciebant confidentiùs, eâ spe facti animosiores. Instabant igitur Principes ad vrbis expugnationem, per circuitum vnanimiter; & vt quisq; in parte sibi deputata sollicitum se exhiberet, & obsessos molestaret amplius, gloriosum reputabat: feruebat opus impendio, & assiduis congressionibus, & pugnâ penè continuâ, requies ciuibus negabatur. Lacus tamen ciuitati adiacens, nostrorum maximè præpediebat operam, & studium citra optatam detinebat efficaciam, ciuibus omnimodam præbens consolationem. Nam per eum nauigantes, liberiùs victus & alimentorum inferebant copias; & armentorum nonnunquam, videntibus nostris, & contradicere non valentibus, multitudinem introducebant. Conuenientes igitur DEO amabiles Principes, super eo specia- VII.
20 liter deliberant articulo, qua ratione huic malo commodiùs possint occurrere: & tandem placuit in communi, vt missâ populi parte maximâ, & equitum etiam cum eis aliquot legionibus ad mare, naues inde siue integras, siue per partes dissolutas, super currus & vehicula, vel alio quocunq; artificii genere, vsq; ad lacum pertrahant: alioqui futurum, vt euacuatis eorum conatibus, consumptis studiis & impensis, res in irritum deducatur. Porrò peruenientes ad mare, quibus id muneris erat iniunctum, vias eorum & propositum Domino misericorditer dirigente, naues reperiunt mediæ cuiusdam quantitatis: quas à domino Imperatore faciliùs impetratas educentes de mari, sicco locauerunt in littore. Copulatisq; ad inuicem tribus aut quatuor plaustris, prout nauium longitudo deposcebat, eisque desuper im-
30 positis, vnius noctis spacio per miliaria septẽ vel ampliùs, funibus, humeris & ceruicibus hominũ & equorũ impositis, vsque ad prædictum pertraxerunt lacũ. Erant autem & inter eas quædam non ita modicæ, sed quæ centum aut quinquaginta pugnatorum numerum possent recipere. Receptis igitur nauibus, & in lacum depositis, lætatus est supra modum Christianus exercitus: & concurrentibus viris ad lacum primoribus, remiges inducunt, nauigandi habentes peritiam; & simul cum eis viros in armis strenuos, & animositate commendabiles, spem habentes omnino certam, quod auctore Domino vrbem essent in proximo habituri. At verò ciues solito plura in lacu videntes nauigia, admirati sunt; hærentes an suorum esset apparatus, qui eis subsidia ministrare curaret, an hostium. Tandemq; cognito, quod
40 nostri multis laboribus à mari deductas, & terrestri deuectas itinere, eas in lacum immisissent, nostrorum admirati sunt & vires & argumentum; quod rem desperatam, & penè impossibilẽ effectui mancipassent. Præoccupato itaq;, classe immissâ, ciuium per lacum discursu, decretũ est publicè, & voce indictum præconiâ, quatenus legiones singulæ, sicut sub certis Principibus erant constitutæ, ad impugnandam vrbem denuò viriliter armarentur; & maiore solito instantiâ, quantas possent ciuibus inferrent molestias. Sicq; singuli Principes suos animantes exercitus, & armatos ad congressum dirigentes, factus est assultus longè solito asperior. Machinis quoque instantes animosiùs, alii murum suffodere, alii magnos contorquere molares ad debilitanda mœnia satagebant. Erat autem in parte Australi, VIII.
50 quæ domino *comiti Tolosano* ad impugnandum erat deputata, turris quædam, sublimitate simul & grossitie cæteris notabilior, iuxta quam prædicti Solimanni vxor dicebatur habere domicilium: ad hanc deiiciendam Comes omne studium iam per dies aliquot impenderat: sed inutiliter. Nam cùm duabus machinis iaculatoriis eam continuis iactibus flagellasset instantiùs, præ operis soliditate lapidem etiam vnum ex ea dissoluere non poterat. Vnde, ne ab incepto quasi victus desisteret, instantiam ingeminans, tormenta etiã multiplicat & contortis maioribus saxorum molibus, & miræ soliditatis cautibus immissis, rimas cœpit agere, & in pulue-

rem ictibus fatigata resolui. Quod videns exercitus, adunatâ manu se inuicem cohortantes vallum exuperant; & ad murum accedentes, prædictam turrim deiicere, aut saltē perforare nituntur. Ciues autē cōpertū habentes, quod prædicta turris ruinam minaretur, eam interiùs lapidibus & cemento repleuerunt: vt si fortè murus aut suffossus, aut tormentis debilitatus corrueret, opus nouum pro vetusto succederet, & penetrare volentibus præstaret impedimentum. Nostri tamen sub testudine latentes solidissima, quam violenter secus murum appulerant, murum suffodere nitebantur. Tandemque effectum est, vt foramen quo duo armati viri faciliùs possent introire, ferreis instrumentis & multo labore conficerent. Ciues autem è conuerso, importunè insistentibus omnino resistere, argumenta argumētis, & vires viribus non inferiore spiritu obiectare, vnanimiter parati, arcubus & balistis, & omni armorum genere, lapidum quoq; contorsione pugillarium, hostes à se repellere, & illatas propulsare nitebantur iniurias.

IX. Erat autem inter eos, qui murum ab impugnantibus tuebantur, quidam cæteris improbior, corpore quoq; & viribus notabilior, qui arcu in nostros multā operabatur stragem. Insuper etiam & de successu, quo diu nimis vsus fuerat, intumescens, nostros probris afficiebat & contumeliis; desides eos vocans, & timiditatis obiiciens titulum. Erat autem hic in ea parte ita importunè desæuiens, quæ domino Duci & suis cohortibus ad impugnandum erat deputata; quod vir illustris non perferens dominus *Godefridus*, sumptâ balistâ locum quærens opportunum, manus contra prædictum caussatorem dirigit & telo per vitalia directo, confossum & exanimem ad terram deiicit: iustam pro his omnibus, quæ nostris intulerat rependens vicissitudinem. quo facto, cæteros eiusdem operis consortes, qui in ea parte illius exemplo animati, resistebant animosiùs, maximè deterruit; ita vt minus minusque & missilia contorquerent, & iacularentur conuicia. Alii tamen, qui in cæteris partibus pro vrbis defensione desudabant attentiùs, facti huius ignari, nihilominus de turribus & muris totâ se tuentes diligentiâ, in nostros & cædem & vulnera totis viribus procurabant exercere: picem quoque, oleum, & aruinam, & cætera quæ incendiis solent fomitem ministrare, & accensas faces in nostras machinas dirigentes, eas ex parte plurima, vbi non obseruabantur diligentiùs, consumebant. Quibus autem in parte Australi ad expugnādam prædictam turrim erat labor sedulus, curam ad idipsum continuabant & studium: sed videntes quicquid hesternâ die in muro suffoderant, totum nocte secutâ reparatum, cœperunt fieri remissiores, videntes quod non proficerent. Dumque penè desisterent ab incepto, ecce quidam valde strenuus & nobilis eques de exercitu *comitis Normannorum*, sui exemplo volens alios animare, loricâ indutus & galeâ, & opertus clypeo, vallum transiens, ad murum accessit imperterritus, nouam lapidum structuram, quam eâdem nocte ciues opposuerant, volens conuellere; & foramen quod hesternâ die factum fuerat rursus aperire: sed instantibus desuper cum omni importunitate ciuibus, nec aliorum quisquam vt opem ferret ausus fuit accedere, nec ille potuit consummare propositum, magnis enim lapidum molibus ibi secus murum contritus, cernentibus nostris, nec subuenire volentibus, interiit: cuius corpus exanime, vncis ad se ferreis subleuantes, infra mœnia suis expositum ludibriis deiecerunt; tandemque loricâ nudatum & galeâ, ad nostros reiecerunt extra mœnia: quo debitis exequiis sepulturæ tradito, fleuit super eum populus, eius plurimùm commendans animositatem & mortem eius in conspectu Domini reputans preciosam, per quam eius animam electis spiritibus non dubitabant sociandam: omnium enim, vt prædiximus, vna mens erat, & eadem sententia, eos qui sic in acie procumbebant, vitam mereri perpetuam; & in parte sortis sanctorum, prædestinato collocari in lumine.

X. Interea de more, quem sibi fecerant adinuicem, conuenientes nostrarum legionum DEO deuoti Principes; compertum habentes quod non proficerent, sed potiùs inutiliter operam consumerent & studium, apud se quærunt diligentiùs, deliberatione propositâ, quo in tanta necessitate opus sit consilio: dumque circa id insisterent, plurimum anxietatis sustinentes, ecce quidam *Longobardus* natione, accedens ad Principes, videns quòd omnium artificum eluderentur argumenta, & labor sine fructu deperiret, huius artis professus est se habere peritiam: asserens, quòd si ei sumptus de publico ad operis consummationem sufficientes, & neces-

necessarii ministrarentur, ipse auctore Domino, infra paucos dies turrim prædictam, sine damno nostrorum ad terram deiiceret; & latè patentem introitum omnibus ingredi volentibus, ministraret. Sumptibus igitur de publico ministratis ad omnem sufficientiam, & salario insuper condigno pro eius laboris recompensatione designato, subiectâ pro votis materiâ, machinam miro construit artificio: ita, vt qui intus erant, nolentibus hostibus, sine suo periculo secus murum eam possent applicare; & interiùs latentes, murum suffodere non timerent, quod ipso rerum experimento pleniùs edocuit ad euidẽtiam. Nam composito & armato vndiq; pro sua voluntate instrumento, viros fortes & loricatos, armis & ferreis instru-
10 mentis, ad suffodiendum murum necessariis instructos, sub eadem secum colligit machina; quã etiam cum suis opificibus probè nimis, & argumentosè plurimùm, trans vallum positam mœnibus applicat. Ciues autem solitâ instãtes proteruiâ, immissis magnis molaribus, & igne superiniecto, quæ omnia propter culminis arduitatem, & latera deuexa, quoniam inhærere non poterant, vt damnum subiectis irrogarent, de consueto auxilio cœperunt diffidere; & instrumenti, quod nullatenus lædere poterant, robur admirantur, & artificis argumentum. Qui autem sub ea latebant testudine, securi penitus ab hostium insidiis ad infringendum murum, & turrim subuertendam totis instant viribus; & conuulsorum loco lapidum stipites supponunt, & ligneam materiam: ne parte muri inferiore suffossâ, subitò corruat
20 pars superior, & machinam cõprimat, quæ tantæ pondus magnitudinis, & immensitatem ruinæ nullatenus ferre poterat. Factâ igitur tantâ suffossione, quæ ad turris deiectionem sufficere posse videbatur; & sustentaculis quæ murum casurum sustentabant igne supposito, & nutriendis ignibus aptâ subiectâ materiâ, machinam relinquunt, ad suos cum omni celeritate se conferentes. Factumque est, ita vt circa noctis medium, omni fulcimentorum consumptâ materiâ, & ignibus edacibus in cineres redactâ, turris cum tanto fragore ceciderit, vt etiam remotos quodam horrore concuteret; & terræmotus instar corda conturbans, & ingerens formidinem: ad quem sonitum excitæ legiones, ad arma conuolant, animos induunt, tanquam vrbem violenter ingressuri. *Solimanni* verò vxor, quæ hacte- XI.
30 nus vrbis obsessæ molestias multo labore pertulerat, turris casu, femineo more perterrita, paratis nauibus vrbe clam egressâ, ad loca tutiora se cum ancillis & familiaribus transferre proposuerat: sed nostri, qui per lacum in nauigiis erant, ad cohibendos introitus exitusque ciuium deputati, dum studiosiùs more prudentium cuncta perlustrant, abeuntem reperiunt, capiunt repertam; & captam cum duobus filiis tenellis admodum, Principibus repræsentant: qui sub arcta custodia cum aliis concaptiuis eam præcipiunt diligentiùs obseruari. Ciues autem & de aditu hostibus patefacto, & de captiuitate tantæ feminæ, mente plurimùm consternati, prorsus de viribus diffidentes, missâ legatione, à Principibus inducias postulant, de sua deditione cum eisdem tractaturi. Taninus autem, de quo superiùs
40 mentionem fecimus, præsentiens, sicuti vir erat versutissimus, populi à sui tuitione deficientis voluntatem: Maiores ciuitatis conuenerat, monens vt in sui deditione dominum Imperatorem honorarent: proponens, quod hic Peregrinorũ exercitus, qui præsens erat, ad alia properabat negotia; nec ex principali ꝓposito, sed incidẽter, & quasi prætereundo in eam descendissent obsidionem. Dominum autem Imperatorem circa se positum haberent perpetuò: de cuius commendabili plurimùm possent clementia præsumere, & semper expectare meliora. Optimum ergo erat, vt in eo facto Imperatorem, hominibus ignotis & genti barbaræ præponerẽt, ita vt in eius manu fieret deditio, quam declinare non poterant; & per eos vrbem reciperet Imperator, cuius non multis retrò temporibus, per Turcorum violentiã, imperium
50 iniustè amiserat. His & huiusmodi persuasus ciuiũ conuẽtus, in manu Imperatoris eligunt vrbẽ, personas quoq; suas & omnẽ substãtiam, saluâ incolumitate, resignare: nec tamen id nostris molestum fuit Principibus; quippe cùm ad alia tota eorum properaret intentio, nec his inhærere eorũ esset propositum: sperãtes tamen, quod iuxta pactorum tenorem, salua essent exercitui in solatium laboris & damnorum quæ pertulerant, spolia ciuitatis. Captiuos tamen de fratribus, quos tum sæpe dictus Solimannus tum de exercitu Petri Heremitæ, apud castrum Ciuitot, tum etiam quos ciues in obsidione ceperant, libertati restitutos, noster recepit exercitus

vniuersos antequam de eorum deditione vellent tractari sermonē, & eorum in hac parte votis satisfacere. Factum est igitur, quod de Principum cōniuentia, & populi consensu missi sunt ad Imperatorem nuncii dicentes: *Principes & Christianus exercitus, qui apud vrbem Nicenam, in eius obsidione pro CHRISTI nominis amore fideliter laborauerunt, eam autore Domino, multâ solicitudine & vrgente instantiâ compulerunt ad deditionem. Vnde nos ad tuam dirigentes serenitatem, monemus & exhortamur attentiùs, quatenus ad partes illas de tuis principibus cum sufficientibus expeditionibus aliquos mittere non moreris, qui vrbem traditam ad honorem tui nominis conseruare valeant; & captiuorum multitudinem hinc transferre sint idonei. Nos enim, vrbe vestræ celsitudini resignatâ, iter quod semel assumpsimus, auctore Domino, prosequi non differemus.* His auditis lætabundus Imperator & gaudens, quosdam de familiaribus suis, de quorum fide præsumebat & industria, cum ingentibus copiis, ad partes illas dirigit, qui & vrbem suscipiant, & communiant susceptam; omnem captiuorum substantiam, tam in auro & argento, quàm in quolibet supellectilis genere sibi vendicantes: singulisque Principibus dona mittens ingentia, eorumque litteris & viuâ voce captans beneuolentiam; grates pro tam honesto seruitio, tantoque Imperii, quod per eos accesserat, incremento, refert ingentes. Verùm populus & secundæ manus homines, qui ad hoc in prædictæ vrbis orbis obsidione studiosiùs desudauerant, vt de spoliis captiuorum ciuium, & de substantia multiplici infra vrbem reperta, rerum suarum dispendia quæ pertulerant, resarcire possent: videntes, quod non satis æquâ mercede eorum remuneraret labores; quodq; publicandum erat ex compacto, rebus familiaribus & fisco inferre suo proponeret, ægrè nimis tulerunt, ita vt pœniteret eos & impensi laboris & sumptuum, quos, vt eis videbatur, inutiliter attriuerant. Sed & Principes eundem Imperatorem, circa pactorum tenorem malitiosè versatum constanter asserebant. Nam in pactorum serie quæ inter eos inita fuerant, hæc formula dicebatur interserta: *Quod si aliquam de vrbibus, quæ eius Imperii fuerant, totâ illâ eorum profectione, vsque in Syriam, præuiâ Domini misericordiâ, capi contingeret, vrbe cum adiacentibus pertinentiis Imperatori restitutâ, præda, manubiæ, & vniuersa reliqua substantia, exercitibus, in laboris remunerationem & refusionem impensarum omnino cederet sine contradictione.* Et licet nostris satis facile & in expedito esset, Imperatoris familiam longè ab vrbe repellere, & ad dominium suum remittere vacuos, idq; iure fecisse viderentur: *nam iniquum est, ei fidem seruari, qui contra pacta nititur versari*: tamen timorē Domini habētes præ oculis, & ad maiora festinantes, verbum de communi prouidentia dissimulant; populumque molestè id ferentem, honestis comprimunt persuasionibus, vt expediti proposito valeant satisfacere. Græci verò, qui ad hoc missi fuerant, vrbem ingredientes, susceptis armis ciuium, & deditione completâ, exeuntes ad castra, & statuti coram Principibus, pro vita ciuium & incolumitate supplicant, dicentes eos domino Imperatori vrbem restituisse, & suas iugo illius potestatis ceruices mancipasse. Sic ergo vrbe captâ, & copiis quæ sufficere videbantur ad vrbis tuitionem deputatis, *Solimanni* vxor cum duobus filiis, de quibus prædiximus, & captiuorum ingenti multitudine Constantinopolim translata est: vbi ab Imperatore non solùm clementer, verùm & liberaliter nimis tractati, infra paucos dies libertati pristinæ sunt restituti. Id autem eâ fecisse dicitur intentione, vt & Turcorum sibi reconciliaret gratiam, & in nostram propensiores suis beneficiis excitaret iniuriam; & alios, si quando vrbem casu quolibet contingeret obsideri, à deditione simili non deterreret. Capta est autem vrbs *Nicea* anno ab incarnatione Domini *millesimo nonagesimo septimo*, mense Iunio, xx. die mensis. Solutâ igitur obsidione, de mandato Principum, iterum ad proficiscendum inuitatur exercitus, & compositis sarcinis, tertio Kalend. Iulii iter arripiunt. Cumq; per biduum iunctis legionibus incessissent, casu nocte illâ secus quendam pontem, aquarū commoditatem secuti, castrametati sunt, vnde summo diluculo ante lucis exortum, dum adhuc essent tenebræ, rursus ad iter se accingētes, transito ponte, siue casu, siue ex industria, diuisi sunt Principes abinuicem, cum suis expeditionibus. Dominus enim *Boamundus*, & *Normannorum Comes*, & *Stephanus* comes Blesensium, *Tancredus* etiam, & *Hugo* comes de sancto Paulo, læuam secuti, scorsum illâ die profecti, in vallem peruenerunt cui nomen *Gorgoni*: ibiq; secus ripam fluuii decurrentis, pascuorum habentes commoditatem & graminis,

XII. (margin) — A.Dni. 1097. — XIII. — line numbers 10, 20, 30, 40, 50

nis circa horam nonam castra locauerant. vbi & noctem illam, solliciti tamen, locatis in gyrum excubiis, quietã transegerunt. Reliqui verò omnes, dextram tenentes, illam compleuerunt diætam: & vix à prædictorum castris duobus distantes miliaribus, in locis itidem pascuis, & aquarum habentibus cõmoditatem, castra composuerant. *Solimannus* verò, illatæ memor iniuriæ, & ad animum reuocans sine intermissione, quomodo per illos vrbem egregiam, vxorẽ & filios amisisset, ad id totis viribus anhelabat, vt eis vicem rependeret; & aliquas si posset, eis præstrueret insidias. Conuocatis itaque ingẽtibus denuò militum copiis, nostrorum à læua, æquis penè passibus, subsequebatur exercitũ: in quo etiam exploratores habẽs, qui de statu

10 proficiscentium, eum indesinenter redderent doctiorem, præstolabatur assiduè, quomodo sumptâ occasione opportunâ in eos posset irruere. Cognito autẽ per eosdem quod diuisus esset exercitus, & pars altera quæ viribus & numero minor videbatur, sibi erat vicinior, horam ratus inuenisse competentẽ, descendit de montibus cum illo suorum infinito comitatu. Vixque aurora Solis subsequẽtis nunciabat aduentum, & noctis vmbra densior luce propinquâ, dissolui cœperat, cùm ecce qui in speculis erant constituti, vt hostiũ, si quæ essent, de remoto præsentirent insidias, & exercitũ admonerent, visis hostibus, lituis cõcinunt, & cursu rapti velocissimo, hostes adesse denunciant. Igitur cornicinum clangore & voce præconiâ excitę legiones vniuersæ, ad arma conuolant, equos præparant, tanquam pręlium cominus ha-

20 bituri. Erat autem mane, in ipsa die Kalend. Iuliarum. Dispositâ igitur vniuersâ populi multitudine per acies, & præpositis singulis cohortibus quinquagenariis & cẽturionibus, & per alas pedestrium turmarũ primiceriis cõstitutis; sarcinas, & impedimenta, omnemq; senum, mulierum, ac debilium inualidam multitudinem, quo expeditiores ad pugnam possent procedere, secus harundinetũ in vicino positum, curribus & vehiculis eos prætexentes, collocant quasi in tuto. Missisque nunciis ad reliquas partes exercitus, à quibus temerè diuisi fuerãt, monent & hortantur attentiùs, vt accelerare velint, significantes in quantis angustiis positi sint. Postquàm verò iuxta rei militaris disciplinam in castris domini Boamundi omnia videntur secundum ordinem disposita, ecce circa horam diei secũdam adest Solimannus, in-

30 finita secum Turcorum agmina trahens: quodque nostris erat mirabilius, in tanta multitudine, quę ducentorum millium dicebatur excedere quantitatem, nec vnus nisi eques poterat reperiri. Nostri autem, vt prædiximus, promiscuè vtriusque ordinis secum trahebant legiones. Accedente igitur Turcorum exercitu, tantus factus est in castris tumultus, quòd vix alicuius sermo poterat exaudiri. Fragor enim armorum & equorum strepitus, tubarum classica, & tympanorum sonus horribilis, ipsorum etiam certatim conclamantium vlulatus vsque ad sidera tolli videbatur, ita vtplurimum inassuetis & minus circa huiusmodi exercitatis legionibus, terrorem incuterent vehementem. Irruentes igitur in nostrum exercitum Turcorum acies, tantam immiserunt sagittarum multitudinem, vt instar grandinis aërem

40 occuparent; & in nostrorum legionibus vix vacuus à vulnere aliquis inueniretur: vixque prior nubes descenderat cum arcubus, sequens emissa non rarior; si quid prior intactum dimiserat, secunda illæsum non præteriit. Nostri autem, quibus id pugnæ genus erat incognitum: eoq; minus tolerabile, quò & minus vsu cõpertum, videntes quod equi eorum sine remedio deficerent; ipsiq; subitorum vulnerum, & quæ non multum præcauere poterant, confixionibus interirent, gladiis & lancearum acumine in hostes irruendo, eos à se propellere satagebant. Illi autem irruentium pondus ferre non valentes, studiosè diuidebãtur ab inuicem, vt eorũ impetus eluderent; & neminem sibi obuiam habentes ad suos redirent, conceptâ spe delusi. Quibus ad suos infecto negotio redeuntibus, Turci denuò religabãtur adinuicem,

50 & immissâ iterum in modum imbrium sagittarũ multitudine, neminem penè absque letali vulnere præteribant. Resistebant tamen nostri quantum poterãt loricis, cassidibus protecti & clypeis: sed equi eorum & inermis populus passim & sine delectu prosternebantur. Ceciderunt in eo conflictu viri ex vtroque ordine memorabiles, ad duo penè millia: inter quos egregiæ indolis adolescens *VVillelmus* Marchionis filius, domini Tancredi frater, dum pro suis in agone desudat viriliter, sagittâ confossus interiit. *Robertus* quoque Parisiensis, vir in armis strenuus, eodem mortis genere vitam finiuit. Dominus quoque Tancredus, dum in mediis fulminat ho-

XIV.

stibus, vitæ prodigus, & suę conditionis immemor, vix à domino Boamundo mortis casibus, nolens & inuitus violenter ereptus est. Inualescebant igitur hostium agmina, & nostris penè deficientibus, arcu ab humeris dependente, & eius neglecto officio, gladiis instant cominus; ita vt dissolutis cohortibus, nostri fugam arriperēt, ad sarcinas & impedimenta redeuntes: vbi circa currus & vehicula, sub arundineti densitate arbitrantes se aliquod inuenire posse refugiū, conglobati sunt.

XV. Dum igitur sic afficeretur fidelium exercitus, & domini Boamundi virtus prorsus collapsa deficeret, ecce viri illustres & magnifici, dux *Godefridus*, comes *Raymundus*, *Hugo* magnus, *Balduinus* & *Eustachius* ducis fratres, & alii DEO deuoti Principes, deducentes secum optimè armatorum equitum quadraginta millia, in castris suorū turbis pedestribus relictis cum omni genere impedimentorum, veloces aduolant suis opem collaturi. Accedētibus verò eis ad castra domini Boamundi, iterū qui iā penè succubuerāt, resumptis animis, & restitutis in integrum viribus, rursus ad certamen redeunt; & illatam quærentes iniuriam vlcisci, & priores redimere defectus, in hostes irruunt animosiùs; & gladiis instantes viriliter, quos prius quasi superiores horruerant, forti prosternunt dexterà, iam resistere nō valentes. Dominus verò *Podiensis* episcopus, cum aliis eiusdem officii comministris populos admonent, hortantur Principes, ne manus remittant: sed certi de victoria diuinitùs conferēda, interemptorum sanguinem vlciscantur; & de fidelium strage, fidei hostes & nominis Christiani non patiantur diutiùs gloriari. In his & huiusmodi populum incitabant ad congressum, viri DEI; & vires quantas poterant, eorum animis infundebant. Irruentes igitur nostri solito vehementiùs, & proteruiùs instantes gladiis, dissolutis agminibus, non sine strage innumera, eos in fugam vertunt: fugientibus etiam tantâ adhærentes instantiâ, vt per tria aut quatuor miliaria vltra eorum castra, quæ in valle opima locauerant, continuam ex eis cædem operantes, persequerentur. Vnde eis cum multa confusione dispersis, & interfectis quampluribus, reductis etiam captiuis nonnullis, quos ex nostris violenter abductos trahebāt secum, ad hostium castra reuersi sunt: vbi reperientes infinitas auri & argenti copias, alimentorum quoque commoditates amplissimas; greges, armenta, asinorum turbas, & iumentorum, camelorum quoque phalanges, quales prius nostri non viderant, & equos nonnullos, papiliones quoque & tentoria varii coloris, & formæ inauditæ; transferentes secum omnia, onusti spoliis vberrimis, prædam agentes & manubias, in castra reuersi sunt sua. Cecidisse dicuntur illâ die de hostium numero viri potentes & inclyti, & apud suos locum maximum obtinentes, ad tria millia: de nostris verò popularibus, & plebe infima promiscui sexus, quatuor millia. nam de Maioribus duos tantum ibi corruisse, veterum tradit memoria. Pugnatum est ibi ab hora diei secunda, vsque in horam octauam, vario euentu, die Kalendarum Iuliarum, viribus longè imparibus, & numero multùm dissimili; Nam qui *Solimannum* secuti fuerant, centum quinquaginta millium, solis connumeratis equitibus, dicebantur excedere numerum. Nostrorum autem qui præsentes illo in tanto certamine desudarunt, vix fuit numerus equitum ad millia quinquaginta. Obtentâ igitur diuinitùs tantâ victoriâ, vt saucios, aliquâ concessâ requie, ad modicum refouerent, reuocatis adinuicem exercitibus, tribus diebus continuis in locis amœnis & pascuis virentibus corpora curauerunt, & equorum habuerunt solicitudinem; in omni alimentorum abundantia & infinitis copiis, quas hostes comportauerant, & reliquerant fugientes. Optimè se habuerunt in eo tam periculoso discrimine, nostri maiores Principes: sed & quidam de mediocribus, *Balduinus* videl. *de Burgo, Thomas de Feria, Reinaldus de Beluaco, Galo de Caluomonte, Guastus de Beders, Chirardus de Cheresi*, perennem sibi gloriā in eodem facto peperērūt. Ab ea igitur die, communi decretum est consilio, quatenus de cætero iunctis agminibus, indissolubili copulâ simul incederent; vt & aduersa communicarēt, & prosperis coůterentur.

XVI. Postquā ibi per triduum, vt prædiximus, morā sibi & equis suis fecerunt necessariā, iterū monentibus lituis, ad iter se accingunt, viā inceptā cōtinuaturi. Vbi trāscursâ vniuersâ Bithyniâ, *Pisidiam* ingressi sunt: inde viæ quærētes cōpendia, casu descenderūt in regionē arentem & inaquosam, in qua & caloris immoderati, qualē solet ardens Iulius ministrare, & sitis importunæ geminâ fatigati molestiâ, cœpit populus penè deficere, ita vt promiscui sexus illâ die præ sitis anxietate & caumatis intemperantia, plus quā quingenti spiritū dicerētur exhalasse. Accidisse dicitur eâ die, q̃ nulla alia tradit historia, quòd prægnantes

prægnantes præ sitis angustia, & caloris intemperie, ante tempus à natura decretum, fœtus edere compellerentur; quos præ anxietate spiritus, quosdam viuos, extinctos quosdam, alios etiam semineces in castra proiiciebant: aliæ ampliore abundantes humanitate, proles suas circumplexæ, per vias volutabantur, & sexus oblitæ feminei, arcana denudabant, magis pro instante mortis periculo sollicitæ, quàm vt sexui debitam conseruarent reuerentiam. Sed & viris nō multum proderat sexus robustior, qui sudore deficientes & calore, ore patulo, & naribus aëra captantes, contra sitis importunitatem quærebant, quod inuenire non poterant, humoris remedium. Nec solùm homines his tantis erant subiecti periculis; verùm &
10 iumenta deputata sarcinis & alia quælibet animantium genera, arefactis interioribus, & vitalibus interclusis, sua negabant obsequia; sed nec auibus delicatis, quarum prędâ & volatu solet recreari nobilitas, nisis videlicet, accipitribus & herodiis, proderat cura dominorum, quibus inter manus flatum vitalem exhalabant. Catuli quoque naribus sagaces & apti venatibus, dominorum delitiæ, relictis dominis quibus fideliter adhærere consueuerant, anhelantes & sitibundi passim per vias deficiebant: quodque his omnibus longè erat periculosiùs, equi fideles præliorum consortes, & in quibus de propria salute dominis multa erat fiducia, quique & calce & dentibus suam priùs protestabantur superbiam, vrgente sitis & caloris immoderati periculo, quasi vilia deficiebant subiugalia. Tandem omnibus à tanta aqua-
20 rum laborantibus inopia, misericorditer affuit pater misericordiarum, & DEVS totius consolationis. Nam diu optatus & quæsitus multùm, inuentus est fluuius; ad quem peruenientes, præ nimio desiderio certatim ad aquas properant: vbi repertâ aquarum pro votis copiâ, bibendi modum excedentes, in grauius descēderunt periculum. Nam plures qui sitis discrimen euaserant, sicut in talibus solet accidere, auiditate potus, modum non ponentes, mortem quam euasisse videbantur, in aquarum repererunt opulentia. Nec solùm de hominibus, verùm & de iumentis multa eo casu ceciderunt. Tandem verò opitulante Domino, his erepti periculis, in regionē copiosam satis & vberem, riuis, nemoribus & pascuis amœnissimam descenderunt; iuxta *Antiochiam minorem*, quæ prædictæ Pisidiæ metropolis esse dinosci-
30 tur, in locis pascuis castrametati. XVII. Hîc primùm quidam de principibus studiosè ab exercitu separati sunt, seorsum particulares trahentes exercitus. Quorum primus fuit dominus *Balduinus* Ducis frater, & cum eo *Petrus comes de Stadeneis*, *Rainardus comes Tullensis*, frater eius; *Balduinus de Burgo*, *Guillebertus de Monte claro*, cum septingentis equitibus, & pedestribus manipulis aliquot. Secundus fuit dominus *Tancredus*, & cum eo *Richardus de principatu*, *Robertus de Ansa*, & quidam alii viri nobiles, cum quingentis equitibus, & peditibus etiam nonnullis. Horum autem omnium, vnum atque idem erat propositum, vias prætentare, circumpositas explorare regiones, & fortunam experiri; rerumque euentum, qui pro loco & tempore occurreret, ad Principum, qui eos miserant, referre notitiam, quò prudentiùs & magis si-
40 ne discrimine proficisceretur exercitus. Qui à castris egressi, primùm viam regiam non deserentes, vrbes finitimas *Iconium* & *Heracleam* prætergressi, tandē in dextram declinantes, versus oram maritimam festinare cœperunt. Dux verò & alii principes, qui in castris remanserant, locorum in quibus castrametati fuerant, tracti amœnitate, & vicinitate nemorum, vt sibi inter tot laborum difficultates, aliquid recreationis indulgerent, & curis edacibus, quibus angebantur continuè, subtraherent, vel modicum, venandi gratiâ certatim saltus ingrediuntur: vbi variis semitis ad diuersa rapti desideria, varios inuenerunt rerum euentus. Inter quos Dux etiam, recreationis gratiâ & exercitii syluas ingressus, in vrsum immanissimi corporis & horrendi, casu incidit: qui dum pauperem Peregrinum ligna arida comportantem
50 persequeretur atrociùs, illeque vix refugium inueniret ante faciem subsequentis, & imminens multo clamore protestaretur periculum, fortè Dux affuit; & sicuti plurimus erat in compatiendo fratribus, velox irruit, opem laturus patienti. Videns ergo bellua Ducem instantem gladio, spreto eo quem prius persequebatur, in hostem fortiorem se contulit, dente armatus & vnguibus: tandemque equo Dux periculosè vulnerato, factus pedes, instat gladio nihilominus. Vrsus autem patulo rictu, & murmure occurrens horrisono, Ducis instantiam paruipendens, contempto gladio, nititur se cominus ingerere configenti. Porrò Dux irruentem à se pro-

pulsans gladio, totis enitebatur viribus, vt eum mucrone perforaret: verùm ille, declinans gladium, & brachiis complexum illigans, in solum nititur deiicere, vt sub se positum, dente & vnguibus faciliùs possit laniare. verè miles egregius gladium non deserens, sicuti vir robustissimus erat, læuâ complexus belluam, dextrâ impingit aciem, & capulotenus immerso gladio, mortem ingerit colluctanti: saucius tamen, & crure læsus periculosissimè, cruentam nimis obtinuit victoriam. Vulnere quippe grauatus, & nimiâ sanguinis debilitatus effluxione, solo decubans, se non poterat erigere. Tandem verò prædicto paupere, qui eiusdem Ducis beneficio mortem euaserat, proclamante; & casum qui acciderat, denunciante legionibus, cucurrit illuc vniuersus populus, vbi fortis Athleta, exercituum patronus, læsus iacere dicebatur: quem lecticâ impositum cum vniuersorum gemitu & lachrymis, reliqui Principes in castra detulerunt, Chirurgicorum adhibitâ solicitudine, quorum operâ & studio, conuenientibus remediis, plenam posset salutem recipere. 10

XVIII. Per idem tempus vir quoque magnificus & illustris dominus *Raymundus Tolosanus comes*, graui correptus ægritudine, lecticâ similiter deferebatur: qui eousque grauatus extitit, vt in terrâ depositus, quasi moriturus, penè spiritum exhalaret. Vnde vir venerabilis dominus *VVillelmus Aurasicensis episcopus*, quasi iam defuncto, fidelium animabus debita impendit obsequia. Sic ergo tantorum legiones, quasi destitutæ consilio virorum, penè in desperationem conficiendi itineris & consummationis votorum descenderant: vnde pro eorum statu plurimùm solliciti omnes vno spiritu fusis lachrymis, vt restituerentur saluti Dominum precabantur. Fiebantque orationes in celebratione diuinorum, pro eis ab vniuersa illa peregrinante ecclesia: quorum supplicationes & desideria, miserator Dominus clementer exaudiens, sospitati eos & plenæ cõualescentiæ, supplicantis populi vota, benigno fauore prosequens restituit. Transcursâ igitur Pisidiâ, *Lycaoniam* ingressi, *Iconum* eiusdem regionis metropolim peruenerunt: quam vacuam reperientes, alimentorum maximam penuriam passi sunt. *Turci* enim nostrorum aduentu cognito, in nulla vrbium suarum resistendi habebant fiduciam; sed expoliatis vrbibus, & vastatâ regione vniuersâ, cũ vxoribus & liberis, gregibus & armẽtis, & omnimodâ substantiâ, ad montes confugiebant imperuios; in eo solo spem habentes, quòd nostri alimentorum inopiâ fatigati, eorũ pertransire regiones maturarent, neque hac suâ sunt opinione delusi, cùm nostri regionis sterilitatem fugientes, & victus defectum, quantum poterant iter accelerare properabant. Inde *Heracleam* pertransseuntes, ad vrbem *Marasiam* applicati, castrametati sunt, moram ibi per triduum cõtinuum facientes, Vbi domini Balduini, germani Ducis, longâ & graui fatigatâ ægritudine vxor, quã ipse abiens fratribus commendauerat, ex præsenti luce vocata, optimo fine quieuit in Domino. Erat autem nobilis matrona, ex Anglia trahẽs originem, *Gutuera* nomine, vitâ & moribus commẽdabilis: quam cum honestis exsequiis ibidem sepelierunt. 20 30

XIX. Interea vir per omnia commendabilis dominus *Tancredus*, primus in Ciliciam, viarum casu secutus compendia, perueniens, *Tarsum*, eiusdem prouinciæ metropolim, cum iis qui cum secuti fuerant, obsederat. Est autem *Cilicia* vna de prouinciis quæ in Oriente continentur. *Orientem* autem Antiochenam, iuxta veterum auctoritatem vocamus diœcesim. Habetq; Cilicia ab Oriente, Celessyriam; ab Occidẽte verò, Isauriam; à Septentrione, Tauri montis iuga; ab Austro verò, mare Cypricum, siue Myrtoum. Continet autem infra se duos metropoles, *Tarsum* videlicet, doctoris gentium patriam, & natale domicilium, de qua nobis in præsenti est sermo; & *Anauarzam*, vtranque cum suis suffraganeis vrbibus: vnde duæ potiùs dicuntur Ciliciæ, prima & secunda. Tarsum autem fundasse dicitur *Tarsis*, secundus filiorum Iaphan, filii Iaphet, filii Noë tertii, sicut veterum habent traditiones; & argumento est, vrbis à vocabulo conditoris denominatio. *Solinus* tamen de vrbis conditore aliter sentit, dicens ita in quadragesimo tertio capitulo de Memorabilibus: *Cilicia matrem vrbium habet Tarsum, quam Danaë proles nobilissimus Perseus locauit.* Hanc vrbem intersecat Cydnus amnis: hunc alii præcipitari Tauro monte, alii deriuari ex alueo Hydaspi tradiderunt. Et potest tamen vtrunque verum esse, & quòd Tharsis primus eam fundauerit; & quòd postmodum eam reparauerit, vel ampliauerit Perseus. Vbi cùm dies aliquot dominus Tancredus & sui in eodem perseuerassent negotio, ciues ad hoc compulerat, & minis & blandis persua- 40 50

suasionibus, quòd introducto eius vexillo, & super turrim eminentiorem locato, signum deditionis futurę fecisse viderentur; ea tamen conditione, vt vsque aduentum domini Boamundi & maioris exercitus, eos conseruaret indemnes; nec à propriis domiciliis interim demigrare, aut sua deserere prædia inuitos cõpelleret; ipsi autem eidem aduenienti, vrbem sine difficultate resignarent: quod verbũ domino Tancredo bonum visum est, & acceptum. Erat autem prædicta ciuitas, sicut & reliqua vniuersa regio, *Christianos* habens habitatores, *Armenos* videlicet & *Græcos*; exceptis paucis, qui vsum & autoritatem habentes militiæ, munitionibus præerant, populum violentâ dominatione prementes: fidelibus autem militare non permit-
10 tebatur; sed negotiationibus & agriculturæ dabant operã. Interea dominus *Balduinus* Ducis frater, cum his qui secum aduenerant, deuia secutus, maximã victus pertulerat inopiam, tandemq; post multos errorum circuitus, in montis verticem casu se contulit: vnde subiectam Ciliciæ regionẽ, cum suis vrbibus vsque ad mare prospectu libero posset intueri. qui postquam circa Tarsum castra esse cognouit, hostium ratus tabernacula, iter suum cœpit habere suspectum: experiri tamen volens, cuius esset illa regio, & cuius castra, quę de remoto conspexerat, animositate solitâ, cum omni suo comitatu ad campestria descenderat. At verò dominus Tancredus præmonitus ab his quos in speculis sublimioribus locauerat, hostium præcauens insidias, socios cõuocans, arma corripit: & hostium ratus agmina, quæ vrbi vellent
20 subsidia ministrare, occurrit eis imperterritus, fiduciam habens in Domino; & erectis vexillis, suos exhortatione corroborans, procedit aduenientibus obuiam. Postquam verò vtrinque mutuò sibi occurrentes, & contemplantes se de vicino, arma cognoscunt non esse hostilia, confidentiùs accedentes, in mutuos ruunt amplexus: & post gratas ad inuicem confabulationes, iunctis agminibus ad vrbem redeunt, obsidionem continuaturi. Vbi à domino Tancredo multùm hospitaliter & plenâ caritate suscepti, de gregibus & armentis, quæ de adiacente contraxerat regione, honestum eâ nocte habuerunt conuiuium. XX. Mane autem facto, videntes dominus *Balduinus* & qui cum eo erant, domini *Tancredi* vexillum in superiore ciuitatis arce locatũ, inuidiæ stimulis agitati, professionis immemores, (qua, velut vterini
30 fratres, quanto tempore incesserant, habẽtes vnanimitatem spiritus in vinculo pacis, vsi fuerant, & perpetuò decreuerant vtendum) indignati sunt, quod eis præsentibus, qui multò fortiores & maiores haberent copias; signa sua in vrbem immittere præsumpsisset. Dominus verò Tancredus eorum, sicut modestus erat, indignationem mitigare cupiens, allegabat, quod de eius vexillo factum fuerat, minimè in eorum redundare ignominiam: nam ante eorum aduentum & aduentus spem aliquam, eas cum ciuibus in virtute sua obtinuerat conditiones. Dominus autem *Balduinus* suggerentibus sociis, & ad id pro posse instigantibus, causæ meritum non distinguens; sed præter debitum suo ductus spiritu, verbis procacibus dominum exacerbans Tancredum, rem eò arroganter deduxit, vt penè arma in se conuerte-
40 rent, stragem mutuam operantes. Factumque est, vt ciuibus ad se vocatis, publicè minaretur; quòd nisi Tancredi vexillum deponerent, & suum loco illius erigerent, inuito eo qui eis securitatem promiserat, vrbem & suburbana in gyrum omnia traderet exterminio. Videntes porrò ciues, quòd Balduini multò maiores essent copiæ, & virtus longè præstantior, sub eisdem conditionibus & pactorum forma, quam prius domino Tancredo pepigerant, deiecto priore, domini Balduini in eadem arce locauerunt vexillum. Quod videns dominus Tancredus, tantâ confusus iniuriâ, meritò concepit indignationem: sed saniore consilio, & piâ longanimitate, motum animi temperans, timens ne periculosa nimis inter fidelium acies oriretur dissensio, solutis castris, ad vrbem vicinam, cui nomen *Adana*, se contulit:
50 Ad quam perueniens, non est permissus introire. obtinuerat enim eandem ciuitatem quidam *Guelfo*, natione Burgundio, qui cum aliis à maiore diuisus exercitu, turbas seorsum traxerat; & ad ciuitatem illam casu perueniens, eiectis inde Turcorum copiis, eam violenter occupauerat. Audiens igitur dominus Tancredus, quòd in nostrorum potestatem vrbs prædicta, auctore Domino, peruenerat, missis nunciis gratiâ hospitandi, & emendi vitæ necessaria, implorat à prædicto domino vrbis aditum sibi & sociis reserari: quibus admissis, cuncta vitæ necessaria tàm sibi quàm equis, partim gratis, partim interueniente precio, ministrata sunt sufficien-

ter. Repererat enim Guelfo prædictus, eandem vrbem auro & argento, gregibus & armentis, frumento, vino & oleo, & omni commoditate redundantem.

XXI. At verò dominus *Tancredus* summo diluculo vrbem ingressus, viam secutus regiam, & iter accelerans, cum omni suo comitatu *Mamistram* peruenit. Erat autem Mamistra vna de nobilibus eiusdem prouinciæ ciuitatibus, turribus & muro, & multorum incolatu insignis; sed & opimo agro, & glebâ vbere, & amœnitate præcipuâ commendabilis. Iuxta quam castrametatus, infra paucos dies continuis assultibus & iugi congressione vrbem impugnans, auctore Domino, interemptis infidelibus, qui in ea reperti sunt, occupauit violenter. Vbi etiam infinitas diuitiarum copias, & alimentorum vbertatem reperiens omnimodam, portiones suis congruas pro meritorum qualitate distribuens, locupletauit vniuersos: in qua defectus victualium quem pertulerant, gratâ redimentes opulentiâ, sibi, equis, & subiugalibus vniuersis pastum benigniùs indulserunt, otio simul & alimentis corpora recreantes. 10

XXII. Verùm dominus *Balduinus*, post discessum domini Tancredi, iterum Tarsenses frequentiùs commonet, & monitis potenter minas permiscens, vrbem sibi pręcipit aperiri, & suum intromitti comitatum. Non enim honestum ei videbatur, quòd vsque ad aduentum exercitus ita tereret ocium, & sederet inutiliter occupatus. Videntes autem ciues, quod Tancredus ei resistere non potuerat; & quod si id facere detrectarent, cominus vrbem esset impugnaturus, *facientes de necessitate virtutem*, & de propriis viribus diffidentes, portas aperiunt, domino Balduino cum vniuerso comitatu eius introducto. Designauerunt autem eidem turres geminas quas interim possideret, reliquis eius consortibus per ciuitatem promiscuè in domibus fidelium hospitio susceptis. *Turci* verò qui præerant vrbi, alias adhuc in sua potestate turres detinebant. Et licet plures essent, & maiora ciuitatis munimina tranquillè adhuc possiderent, tamen suspectam habentes nostrorum quos introduxerant, societatem, subsidii quoque spem nullam habentes, opportunitatem quærebant, quomodo cum vxoribus & liberis & omnimoda substantia sua clàm possent egredi. Accidit autem, quod eâdem nocte viri trecenti de expeditione domini *Boamundi* Tancredum sequentes, ad vrbem peruenerunt prædictam, quibus de mandato Balduini, vrbis interdictus est introitus. Illi autem longo fatigati itinere, rebus vacui necessariis, multâ precum instantiâ vrbis precabantur hospitalitatem, & alimentorum commercium: pro quibus etiam qui interiùs erant, inferioris manus homines, compatientes fratribus, cùm preces porrigerent, non sunt admissi; eo quod de familia dicerentur esse Boamundi, & in Tancredi festinarent auxilium. Populus tamen interior à fraterna non deficiens compassione, cùm egredi non valeret, in sportis panem, in vtribus vinum per murum funibus porrigentes, sufficienter ministrauerunt, vnde noctem illam possent transigere. Ibi ergo ante ciuitatis portam secundùm quod poterant, se locantes, quoniam intrare non permittebantur, quieuerunt. Nocte verò eâdem, cùm se tam qui intrinsecus erant, quàm exteriores, sopori dedissent, & circa intempestum silentiũ gratâ perfruerentur requie, accidit quòd Turci, & alii qui in ciuitate erant infideles cum vxoribus & liberis, seruis & ancillis, & omni supellectile, apertis portis, clàm & cum silentio egredientes, vrbem deserunt: non enim satis bene cum suis quos receperant hospitibus, poterant conuenire, suspectam habentes eorum cohabitationem. egredi autem eis erat liberum: nam ciuitatis vnam vel duas portas habebant in sua potestate: sed vt cruentam hostibus post se relinquerent victoriam, præmissis sarcinis & impedimentis omnibus, eos quos extra portam repererunt somno grauatos, penè omnes interficiunt. 20 30 40

XXIII. Mane facto, cùm iam se lux adulta infunderet, surgentes qui in ciuitate quieuerant, vrbem reperiunt vacuam: & clandestinam admirantes hostium fugam, mœnia perlustrant & aditus, quærentes diligenter, quâ parte fuerint egressi: dumque singula diligenter discutiunt, stragem reperiunt, quam in seruos CHRISTI, Turci abeuntes exercuerant. Vnde graui dolore percussi, & mœrore consternati debito, in lamenta se dederunt; diuisique ab inuicem, secunda classis contra dominum Balduinum & Maiores arma corripiunt, fratrum eis necem imputãtes & interitum: eo quòd *hospitalitatis gratiam, quæ ad omnes meritò se porrigit indigentes*, viæ consortibus denegassent. vnde facto impetu, in primates suos iustâ indignatione commotus irruit populus: & nisi se in turres 50

turres sublimiores contulissent, satis æquipollente numero stragem exteriorem in suis Maioribus recompensassent. Tandem * turbâ cognitâ, & schismate quod ex iusta causa exortum erat in populo, iam ingrauescēte, solicitus elaborare cœpit, quomodo sedaretur tumultus, se apud populum excusando. Postquam igitur pace ad tempus impetratâ, & indicto silētio, arma sustinens, quieuit aliquātulum turba pedestris, pro se allegare cœpit, vt se innocentē assereret, iurans & obtestans, quod nō ob aliam causam eos à ciuitate arcuerat, nisi quia neminem se admissurum vsq; ad aduentum Ducis fide promiserat interpositâ. Vnde factum est, quod per quorundam ex nobilibus interuētum, blandis persuasionibus, sed pro tempore & loco necessariis, sedatus ad modicum quieuit populus, ipso plebi reconciliato. Dumq; ibi sopitis scandalis per dies aliquot in omni tranquillitate sedissent, ecce classis visa est in pelago, vix tribus miliaribus distans ab vrbe; ad quam ex vtroq; ordine tam equites quàm pedites certatim properantes, ad mare descendunt: vbi de littore mutuò sibi colloquentes, cognouerunt per eorundem relationem, quod Christianæ professionis essent homines. Interrogati autem de patria: responderunt, quòd à *Flādria, Holandia, Frisonia*: in quibus partibus piraticam annis octo exercuerant; tandem cōpuncti corde, & delictorum suorum pœnitentes, orationis gratiâ, vt ad Hierosolymam proficiscerentur, in hoc mare descenderant. Cognito autem, quòd viri fideles essent, eos ad portum inuitant, & datis dextris in osculo pacis susceptos, classe in tuto locatâ, vsque ad Tarsum perduxerunt. Erat autem quidam eorum primicerius *Guinemerus* nomine, de pago Boloniensi, de terra comitis Eustachii, patris domini Godefridi. Hic postquam dominum *Balduinum* cognouit, sciens quia domini sui filius esset, relictâ classe, cum eodem Hierosolymam ire disposuit: erat autē diues admodum, ex illa arte pessima quā diu exercuerat, factus locupletior; & multos habens in suo obsequio; quos ex parte plurima secum trahēs, eum sequi decreuit. Vnde ordinatâ ex vtriusq; comitatu quingentorum virorum vrbi sufficiente custodiâ, iterum procedere & tentare fortunam disposuerunt. XXIV. Proficiscentibus ergo illis, & viam regiam non deserentibus contigit peruenire *Mamistram*, quam paulo antè, vt prædiximus, dominus *Tancredus* violenter occupauerat, & in manu forti detinebat occupatam: quò peruenientes, arbitrati quod in vrbem minimè reciperentur, extra in pomœriis hospitati sunt. Tancredus verò audiens, quod *Balduinus* iuxta vrbem sua castra locasset, iratus admodum, memor iniuriarū quas ab eodem immeritus pertulerat, infremuit spiritu: & irâ succensus, suos ad arma conuocat, paratus de omnibus quæ ille intulerat, vicem rependere condignam. Præmissis itaq; nonnullis sagittariis, qui eorum equos per pascua dispersos sauciarent, aut secum deducerent comprehensos, ipse subitò cum quingentis loricatis equitibus in eorum castra irruens, antequam possent arma corripere, omnes penè contriuerat. Tandem verò illis arma corripientibus, & ad resistendū paratis, fit conflictus asperior, parte vtraq; decertante proteruiùs: factumq; est ita, vt confligentibus inter se nimis hostiliter aciebus, plures ceciderint, nonnullis etiam ex vtraque parte retentis. Tandem verò domini Tancredi manus impar viribus & numero, pondus certaminis ferre nō valens diutiùs, terga dedit fugiens, in vrbem se receptura. Erat autem inter vrbem prędictam & castra domini Balduini fluuius, super quē pons erat valdè angustus: quo dum in vrbem redire domini Tancredi properaret familia, pontis angustiâ impedimentum ministrante, interierunt ex vtroq; ordine plures, aliis infra vrbem se recipientibus. Et fortasse maiora vtrinq; ardentibus odiis passi forēt dispendia, nisi nox conflictum dirimens irruisset. Capti sunt ibi de comitatu domini Tancredi *Richardus de Principatu*, eius cōsanguineus, & *Robertus de Ansa*, viri nobiles & præclari, quorum persuasionibus & stimulis ad prædictam dominus Tancredus conuolauerat vltionem. De familia verò domini Balduini captus est vir præclarus, & nobilis, *Gilleberus de Monte claro*: pro quorum absentia, turbatæ sunt plurimùm hinc inde acies, arbitrantes quod in hesternis congressionibus vitâ decessissent. Luce demum posterâ sole oriente restitutâ, de tumescentibus odiis & indignatione aliquantulum mitigatâ, professionis suæ memores, ad cor, respiciente eos diuinâ clementiâ, reuersi sunt: & missâ legatione, rogantes quæ ad pacem sunt, restitutis hinc inde captiuis, & sibi mutuò satisfacientes, in plenam gratiā, interueniēte pacis osculo, redierunt.

XXV. Inde cum omni illo suorum comitatu dominus *Balduinus* ad maiorem exercitū,

qui iam *Maresiam*, vt prædiximus, peruenerat, sociis id exigentibus, reuersus est: audierat enim, quanto, quamq; periculoso casu dominus Dux ante Antiochiam Pisidiæ laborauerat: vnde de eius plurimum salute solicitus, præsens de eius statu plenius volebat edoceri. *Tancredus* verò assumpto sibi populo residuo, qui in classe aduenerat, & ex eo viribus adauctis, vniuersam percurrens Ciliciam, hostium præsidia, quotquot ibi reperit, expugnat, incendit, hostibus qui in eis reperti sunt, gladio peremptis: perueniensque ad locum cui nomen *Alexandria minor*, violenter expugnatum, nihilominus occupauit, vniuersam regionem suę subiiciens potestati. Audientes verò qui in montibus habitabant, tam Armeniorum quàm Turcorum satrapæ, quod prædictus Tancredus in manu robusta, & exercitu copioso, vniuersam sibi subiugaret prouinciam, timentes ne forte ad eos ascendens, eorum quoq; captiuaret populos, subuerteret municipia, missis certatim legationibus, eius sibi satagunt conciliare gratiam, & amicitiam fœderare: vnde vt propositum faciliùs valerent effectui mancipare, missis donis ingentibus in auro, argento, equis, mulis & holosericis, fœdus contrahebant, tanti principis iram & indignationem multâ liberalitate declinantes. Erat itaque vir in cunctis prosperè agens, fuitque Dominus cum eo, & omnia eius opera, tanquam serui fidelis dirigebat.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI QVARTI.

hostibus & deuictis, cum præda redeunt, & spoliis vberibus.

XX. Suenno Danorum regis filius exercitum subsequens, cum suis copiis iuxta vrbem Finiminis à Turcis interficitur.

XXI. Tatinus vir subdolus, tanquam victualium commercia missurus, & Imperatorē rogaturus, vt subueniat, ab exercitu discedit non rediturus.

10 *XXII. Fame inualescente, & lue pestiferâ populum occupante, triduanum ab episcopis indicitur ieiunium. Dux Godefridus plenam recipit sanitatem, & exercitus de eius salute consolationem.*

XXIII. Exploratorum qui missi erant ab hostibus importunitas, per quoddam Domini Boamundi factum memoriale compescitur.

XXIV. Aegyptius Calipha nuncios dirigit ad principes, fœdus postulans, & eorum gratiam sibi conciliare quærens.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI QVARTI.

INCIPIT LIBER QVARTVS.

CAP. I.

DVM igitur *Tancredus* ità in Cilicia viriliter cuncta sibi subiiceret, & maior exercitus apud Maresiam iam peruenisset, prædictus *Balduinus* viso fratre, cuius gratia ad exercitum redierat, eiusque 20 cognitâ conualescentiâ, rursum æstuat; & Tancredi succensus stimulis, & virtutis eius quæ publicè prædicabatur, æmulus, socios colligit; & rursum egredi & casus experiri recentes proponit. Audientes verò qui ab eo super hoc sollicitabantur, quantâ aduersus dominum Tancredum apud Tarsum Ciliciæ, de maiore confisus comitatu, intumuisset malitiâ, cum eo proficisci verebantur: abominabilis enim factus erat penè omnibus, illâ eius culpâ id exigente. Et nisi Domini ducis obstitisset reuerentiâ, *Boamundus* & sui impunitam non reliquissent, quam Tancredo intulerat iniuriam. Vnde factum est, vt paucos inueniret illius viæ cōsortes. Super quo à fratre, seruo DEI, correptus grauiter, reatum cum omni humilitate recognoscens, & con-30 dignam nobili viro pro commisso satisfactionem promittens; & quoniā prÆter morem, & alterius magis suggestione, quàm de proprio motu deliquerat, indulgentiā consecutus est, & omnium sibi reconciliauit gratiam. Erat enim vir aliàs per omnia commendabilis, nec auditus fuit ampliùs sermo huiusmodi de illo. Porrò huic eidē familiaris erat quidam nobilis Armenius, *Pancratius* nomine, quem à carcere domini Imperatoris elapsum, apud Niceam sibi fecerat familiarem, viæq; cōnsortē semper habuerat: erat autem idem vir in armis strenuus; sed peruersæ fidei, & subdolus nimis. Hic dominum Balduinum horis penè singulis solicitabat instātiùs, vt assumptâ militiâ, secum proficisceretur in regionem, quam cum paucis posset occupare faciliùs. Tandē verò associatis sibi ducentis equitibus, & populo non modico, duce 40 prædicto Pancratio, in partem Septentrionalem proficiscens, ingressus est regionē opulentissimam. Erant autem prædictæ regionis habitatores Christianæ professionis, & veri DEI cultores, exceptis paucis, qui in præsidiis morabantur, fidelē populum, & quibus inhibitum erat militare, pro arbitrio tractātes. Ingressus igitur regionem, Christianis locorū cultoribus, infidelium abhorrentibus principatum, & eidē præsidia tradentibus, infra paucos dies vsq; ad Euphratē fluuium magnum, vniuersam obtinuit regionem. Factumq; est nomen eius hostibus circumpositis ita formidabile, vt munita etiam sponte deserentes præsidia, fugam inirent nemine persequente. Fidelibus autē qui eum receperant, tanta de eius præsentia accessit virtus, & ex virtute fiducia, vt, sicut legitur in Propheta, *Vnus fugaret decem, & duo decem mil-*50 *lia.* (Deut. 32, 30.) Nec solùm vulgus ita mente ei adhærebat; sed qui in partibus illis erant Christiani principes, cum eodem fœderati, ad propositum cooperantes se, communicatis viribus, & impensis deuotè obsequiis exhibebant.

II. Post hæc, diebus aliquot euolutis, egrediēs fama, magnifici viri nomen & opera longè lateq; per adiacentes diuulgabat prouincias; strenuitatē, fidem & constantiā animi prædicans commēdabilem. Exiit ergo sermo iste ad ciues Edessanos, & vniuersam eorū, rumore crebrescente, impleuit vrbem; quod talis tantusque princeps de exercitu Christianorū aduenerat, qui iugum seruitutis eorum penitus posset dissoluere, & eos restituere

libertati. Vnde tam qui ciuitati præerant, quàm maiores natu, penes quos vniuersa ciuitatis illius residebat autoritas, missâ legatione, literis & viuâ voce, eũ ad se satagunt euocari. Est autem *Edessa* nobilis Mesopotamiæ metropolis, quæ alio nomine *Rhages* appellatur. Hæc est ciuitas, ad quam *Thobias* senior, iuniorem Thobiam filiũ suum misit, vt à Gabelo consanguineo suo decem talenta argenti reposceret, quæ ei dum adhuc esset infantulus, commodauerat. Huius ciues statim post Domini passionem per *Thaddæum* Apostolum, salutarem CHRISTI susceperunt doctrinam: digni inuenti per omnia, & tanti prædicatione Apostoli, & epistolâ Saluatoris, quã ad *Abgarum* regem eorum rescribens misit, sicut in primo Ecclesiasticæ historiæ, quam *Eusebius* Cæsariensis scripsit, reperitur. In qua, sicut ab initio & à temporibus 10 Apostolorum susceperant, fidei synceritate perseuerantes, infidelium iugum eatenus patiebantur, quòd eis tributa & vectigalia annuatim cogebantur exsoluere; vineas quoque & agros, & quælibet prædia exteriùs posita, penè continuis exactionibus compellebantur redimere. Infra tamẽ vrbem nemo nisi fidelis habitare præsumebat. Hæc enim sola inter omnes illius regionis vrbes, in sua manens ingenuitate illibata ab infidelibus, qui circumpositas iampridem occupauerat prouincias, nec subiugata fuerat, nec alterius professionis quempiam pertulerat habitatorem: sed exteriùs in vrbibus finitimis & præsidiis confinibus habitantes, tantas prædictis ciuibus inferebant molestias, vt egredi vrbem non liceret, nec sua exteriùs procurare negotia. Huic autem vrbi præerat quidam natione Græcus, multo confectus 20 senio, vtriusque sexus liberis carens, qui ab eo tempore, quo vniuersa prouincia Constantinopolitano subiecta erat imperio, missus ad eandem vrbem, præses fuerat: & Turcis superuenientibus antequam præsidatus sui tempus esset euolutum, de necessitate moram facere compulsus, iurisdictionem continuauerat suam; nec ipso ad propria redire valẽte, nec populo ab administratione eum cedere compellente. Erat tamen prælatus inutilis, à subditis non valens propulsare molestias, aut quietem aliquam procurare. Conuenientes ergo ciues adinuicem, cum eius tamẽ conscientia & bona voluntate, legatos, vt prædiximus, vt suis remedium aliquod adhiberet molestiis, ad dominum *Balduinum* dirigunt. Qui populi & Maiorum intellectâ postulatione, habito cum suis cõsilio, acquieuit; & ad iter se accingens, cum 30 octoginta tantùm equitibus Euphratem transiit, reliquos de comitatu suo per arces & municipia quæ sibi contulerat Dominus, citra Euphratem ad custodiam derelinquens. Porrò *Turci* qui trans Euphratem habitabant, præcognito eius aduentu, ei parauerant insidias: erat autem in itinere oppidum, cui præerat quidam Armenius, in quod, vt prætentas sibi declinare posset insidias, se contulit, à domino loci benignè & hospitaliter susceptus. Cùm autem ibi per duos quieuisset dies, non ausus procedere, Turci qui per biduum illic latuerant in insidiis, moram fastidientes longiorem, ante prædictum oppidum erectis vexillis, cũ turmis validioribus subitò astiterunt, prædam quam in pascuis adiacentibus repererunt, violenter abducẽtes. Nostri autem quoniam impares & numero erant & viribus, ad eos egredi non 40 præsumentes, infra oppidum se cohibebant. Tandem die tertiâ abeuntibus illis, & reuersis ad propria, Balduinus inceptum iter peragens, Edessam peruenit: vbi à prædicto ciuitatis duce, occurrente ei vniuerso clero & populo, cum tubis & tympanis, cum hymnis quoque & canticis spiritualibus, & multo præuentus honore, & omnium gratia susceptus est.

III. At verò dux qui eum citari fecerat, apud se tacitus considerans honorem & gratiam, quam aduenienti populus exhibuerat, inuidere cœpit, & à pactorum tenore quæ prius proposuerat, resilire. Cùm enim ad hoc eum euocasset, vt vniuersorum bonorum, vectigalium & tributorum, quæ ciuitas habebat, eum in vita sua decreuisset ex æquo fore participem, & post eius obitum cuncta ex integro possessurum, mutato proposito, cœpit offerre: *Quod si vrbi & ciuibus suis vellet contra Turcorum importunitates ministrare subsidium, & arcere violentiam, ipse* 50 *iuxta boni viri arbitrium, honestam annuatim laboris recompensationem designaret.* Quod dominus *Balduinus* omnino respuens, vt tanquam gregarius aliquis apud eum stipendia mereret, ad reditum se parabat: cùm ecce ciues, eo cognito, ad eundem ducem properant, monentes & instantes attentiùs, quatenus tantum principem tamque eorum libertati necessarium, nullatenus abire patiatur; sed iuxta priorem tenorem pactorum eum sibi obliget, vt de cætero tam ipse quàm vniuersa ciuitas optatâ quiete

quiete perfruatur. Videns autem dux vnanimem plebis & Maiorum instantiam, & feruorem dilectionis quam erga eum conceperant, reniti, & eorum obuiare postulationibus periculosum ducens, inuitus licet, & suspectum eius habens introitum, tamen assensum præstitit; & sub quodam colore, cumulatæ recompensationis, eo in filium adoptato, præsentibus ciuibus, quamdiu viueret, omnium bonorum ex æquo, solenniter contulit participium; & post eius obitum, ex integro successionē. Gauisus est autem populus, libertatis suæ omnimodam in eo spem habentes. Ab ea igitur die, de domini Balduini protectione præsumentes, iniurias quas à duce perpessi fuerant, solito liberiùs reuocantes, ad animum, propositum habebant vltū iri, si quando locus daretur & tempus opportunum: quod postmodum rei subsequens exitus euidentissimè declarauit. Erat autē iuxta eos antiquissima ciuitas, & munita supra modū, *Samosatū* nomine: cui præerat vir infidelis, natione Turcus, *Balduc* nomine, in armis strenuus, sed subdolus & nequam. Hic prædictos ciues multis afficiebat molestiis, tributa & agrorum vectigalia, & angarias multiplices eis ingeminans; & pro his omnibus eorum liberos habebat obsides, quibus nullam impendēs humanitatem, in luto & latere sibi seruire compellebat. Pro quibus molestiis ciues vniuersi ad domini *Balduini* prouoluti genua, orant vnanimiter, & cum lachrymis implorare satagunt, quatenus ab illius vexatione eos protegere dignetur; & ita efficere, vt liberos suos, qui ab eo detinebantur inuiti, possent recipere. Ille autem eorum hanc primam postulationem volens exaudire benigniùs, & per hoc sibi populi gratiam ampliorem promereri, conuocato populo, & armis communito; ad locum prædictum in manu robusta peruenit: vbi cùm per dies aliquot frequentibus congressionibus, & multâ instantiâ vrbem impugnasset, Turcis qui intus erant strenuè resistentibus, & de loci præsumentibus munitione, videns quod non proficeret, relictis militibus septuaginta, in loco vicino & munito aliquantulum, qui Samosatenis sine intermissione requiem negarent, & continuas molirentur insidias, ipse Edessam reuersus est. Videntes autem ciues, quod esset dominus Balduinus vir strenuus, & in cunctis prosperè agens: & indignum reputantes, quod qui dignus erat, tanquam liberator vrbis, & quietis fundator, vniuersa possidere, & pro arbitrio cuncta disponere, parem haberet in ciuitate virum inutilem: accito *Constantino* nobili & potente viro, qui in montibus vicinis munitissima habebat præsidia, de communi proponunt consilio, vt duce eorum interempto, dominum Balduinum sibi ducem constituant, & principem singularem. Ciues enim, eius meritis exigentibus, oderant illum: multis enim calumniis eos dicebatur affligere, aurum & argentum & quælibet preciosa ab eis violenter extorquens; cui si quis tentabat resistere, eidem statim, data pecunia, Turcorum suscitabat inimicitias & odium: ita vt non solùm vinetis & hortis & satis succendendis, gregibus quoque & armentis abducendis timerent; verùm & de vita periclitarentur sæpius. Conuenientes igitur ad inuicem, horum malorum memores, & videntes quòd maior ad diu desideratam libertatem obtinendam, per hospitem susceptum pateret via, ex condicto ad arma conuolant; & turrim in qua domicilium habebat, multâ impugnant instantiâ, proteruâ animositate diruere satagentes. Videns autem plebis feruorem, & pro meritis aduersus se indignationem conceptam, accito domino Balduino, pro vita solicitus, rogat, vt effusis thesauris, pro eius salute ad populum intercedat. Ille autem, cùm bona fide ciuium ab eo vellet propulsare iniurias, & ab illo proposito cohibere, videns quod non proficeret, sed magis & magis irritaretur populus; reuersus ad ducem, monet & hortatur attentius, quatenus quocunque modo vitæ consulat & saluti. Ille autem desperati more, *quærens remedium vbi non erat*, per fenestram fune demisso, seipsum etiam deponebat: vbi antequam ad terram perueniret, mille sagittis confossus interiit. Quem defunctum & exanimem per plateam trahentes, amputato capite, vix aduersus eum conceptam indignationem expleuerunt. Die verò alterâ dominum *Balduinum* inuitum & renitentem, sibi præfecerunt in dominum, exhibitis corporaliter de conseruanda fidelitate iuramentis: & introducētes eum sollempniter, & cum omni gloria in præsidium ciuitatis, vniuersos thesauros, & infinitas, quas ille à multis retro temporibus congregauerat, ei tradunt diuitias, vniuersa in tranquillo constituta ciuitate. Balduc verò, quem Samosatenæ præesse ciuitati diximus, videns quod Balduinus

de die in diem proficiens, vniuersam sibi subiugabat regionem, prædictam ciuitatem sub precio decem milium aureorum venalem obtulit. Dominus verò Balduinus post multam deliberationem, videns loci munimen, & quod nō facilè viribus poterat superari, datâ infinitâ pecuniâ, vrbem & ciuium obsides, cum multa gloria suscepit. Hic primum tantam ciuium Edessanorum in se conciliauit gratiam, vt iam non solùm dominum, sed & patrem eum haberent, parati pro eius incolumitate & gloria vsque ad mortem decertare.

VI. Erat in eadem prouincia ciuitas, *Sororgia* nomine, infidelibus eodem modo referta habitatoribus, Edessanis in vicino constituta, cui præerat quidam Turcorum satrapa, *Balac* nomine. Hic etiam prædictis ciuibus, multas inferebat iniurias, & continuis vexabat molestiis: pro quo etiam domino Balduino supplicantes Edessani, facilè obtinent, vt congregato exercitu, vrbem prædictam obsideret. Vnde factum est, vt statutâ die illuc proficiscens, desiderium populi manciparet effectui, ciuitatem obsidens. Locatis autem in gyrum castris, & machinis congruâ prouisione dispositis, vrbem animosiùs cœpit impugnare. Videntes autem ciues viri constantiam, & de viribus diffidentes, nimiâ concussi formidine, missâ ad eum legatione, pacem impetrant eâ conditione, vt vrbe resignatâ, vita eis & incolumitas conseruetur. Susceptâ autem ciuitate, & eius præsidio relictis de suo comitatu ad eius custodiam sufficientibus, præfectoque vno ex illis, qui eius ibidem procuraret negotia, ciuibus quoque annuatim præstando imposito tributo, Edessam cum ingenti gloria reuersus est. Factumq; est, vt per huius vrbis impugnationem, liber ab Antiochia vsque Edessam transire volentibus, pateret commeatus. In medio enim itinere, inter prædictam vrbem & Euphratem constituta, transire volentibus, præstabat prius impedimentum. His ergo dictis de domino Balduino, ad ea quæ restant de maiore exercitu dicenda, redeamus.

VII. Interea dum circa partes Edessanas trans Euphratem dominus ita desudat Balduinus, maior exercitus, vt præmissum est, per abrupta montium & vallium deuexa, *Maresiam* vsque peruenerat. Erat autem prædicta ciuitas Christianos habēs habitatores, paucis exceptis qui in præsidio ciuitatis morabantur, cæteros pro libero detractantes arbitrio. Hi verò audito nostrorum aduentu, perterriti, clàm aufugerant, vrbem solis fidelibus relinquentes: Ad quam postquam DEO deuotus peruenit exercitus, ante vrbis mœnia, in pascuis virentibus castrametati sunt, violentiam inferri ciuibus omnino prohibentes. Vnde factum est vt rerum venalium illic, cum omni trāquillitate, ministrata fit abundantia. Compertum autem habentes, ex indigenarum relatione fideli, quod in proximo alia quædam esset ciuitas, bonis redundans omnibus, & cæteris multo fertilior, quæ à Turcis detinebatur, nomine *Artasia*: illuc cum omni celeritate de communi consilio *Comes Flandrensium Robertus*, assumptis sibi quibusdam nobilibus, *Roberto* videlicet *de Roseto*, & *Goscelone* filio Cononis Comitis de Monte acuto, cum mille loricatis proficiscitur: quò perueniens, protinus eam obsidione vallat. Turci autem de loci munimine præsumentes, vrbe relictâ, in præsidium se contulerunt. At verò Armenii, & alii fideles eiusdem vrbis habitatores, comperientes quod hi qui in tanto armorum fulgore aduenerant, de exercitu essent, quem diù, & cum multo expectauerant desiderio, in spem libertatis erecti, arma corripiunt: & in Turcos, qui eos violentâ dominatione per multa oppresserant tempora, gladios conuertunt. Factumq; est, vt subitò perimentes vniuersos, eorum capita exteriùs proiicerent; & portis apertis fideles qui exteriùs erant, intra vrbem deuotissimè inuitarent ad hospitium; & plenis hospitalitatis legibus, eis & equis eorum necessaria ministrarent. Est autem hæc ciuitas, quæ alio nomine *Calquis* appellatur, quæ sicut prædicta *Maresia* vna de suffraganeis vrbibus, quæ ad *thronum Antiochenum* subiectionis habent respectum. Distat autem ab Antiochena miliaribus quindecim. Hæc ergo fama longè lateq; per regionem diffusa, ciues Antiochenos exciuit, vt arma corriperent; & in perniciem illorum qui ad Artasiam conuenerant, & eius ciues occidendo vrbem occupauerant, accingerentur. Electi ergo de his qui apud Antiochiam ad tutelam eiusdem vrbis conuenerant, quasi ad decem milia, illuc sub omni festinatione contendunt. Ad quem cùm approximarent locum, præmissis armaturæ leuis equitibus triginta, qui equos habebant velocissimos, reliqui in loco occulto ad insidias derelicti remanserunt. Hi ergò qui præmissi sunt, quasi excursores, vt nostros ad insectandum incautiùs inuitarent, ante vrbem

vrbem Artasiam cœperunt liberè nimis, quasi prædas abacturi, discurrere. Nostri autem qui in vrbe erant, eorum ferre non valentes superbiam, & liberos nimis excursus, certatim ad arma conuolant; & eos insectantes incautè aliquantulum, super eas quas studiosè locauerant insidias, descenderunt: qui de latebris egredientes, nostros ab vrbe laborabant excludere, ne ad eam confugientes, contra irruentes maiores copias possent inuenire refugium. Nostri tamen auctore Domino, eos à se viriliter repellentes, sani & incolumes, cum omni suo comitatu infra prædictam vrbem se receperunt. Videntes autem, quòd non erat opus facile vt ciuitatem ita subitò sibi vendicarent, apponunt eam obsidione vallare. Cumque per diem integrum vrbem expugnassent, & illis qui intus erant resistentibus viriliter, non proficerent; audientes etiam quod maior appropinquaret exercitus, cuius periculosum erat nimis aduentum expectare; saniore ducti consilio, Antiochiam reuersi sunt: ponte tamen, qui medius erat, militibus communito. Comes igitur cum his qui secum erant, vrbem quam ei contulerat Dominus, vsque ad aduentum maioris exercitus solicitus cōseruabat. Sed interim egregiæ indolis adolescens prædictus, *Goscelo* domini Cononis comitis de Monte acuto filius, validâ correptus ægritudine, vitâ decessit: ibidem cum honestis exequiis traditus sepulturæ. VIII. Vix circa auroram, Turci qui ab Antiochia venerant, discesserant ab Artasia, cùm ecce nunciatur, maiorem exercitum eiusdem ciuitatis fines ingressum, non longè ab vrbe castra locasse. Dumque pro fratribus qui apud Artasiam obsidionem pati dicebantur, debitam gerunt solicitudinem, de communi consilio, mille & quingentos in subsidium eorum loricatos dirigunt, præcipientes, vt si ad vrbem obsidione solutâ, liberum possent accessum habere, relictis custodibus, qui ad vrbis defensionem sufficere possent, dominus *comes Flandrensis*, & alii nobiles, qui cum eo ibidem erant, ad exercitum redeant. Redierat etiam dominus *Tancredus*, eandem mandati formam suscipiens, à Cilicia, vbi regionem vniuersam suæ mancipauerat ditioni. Reuersi erant & alii nihilominus, qui circumquaque dispersi, variis rapti fuerant studiis: excepto domino *Balduino* Ducis fratre, qui circa partes Edessanas, de die in diem, præuiâ Domini misericordiâ, magis ac magis proficiebat. Sic igitur reintegrato exercitu, & partibus recollectis, quasi lege præcipiunt edictali, vt de cætero, nemo, nisi iussus, præsumat ab exercitu separari. Solutis igitur castris versus Antiochiam acies dirigunt, viarum compendia secuti. Et quia fluuius in via medius erat, & super fluuium pontem audierant esse munitissimum, timentes ne exercitus aliquod ibi sustineret impedimentum, dominum *Robertum Normannorum ducem* cum suo comitatu iusserunt præcedere, & prætentare itinera; quatinus si quid difficultatis occurreret, id subsequentibus legionibus faceret notum, & Principes super eo redderet doctiores. Præcedebant autem eius exercitū quasi legionum primicerii, vexilla baiulantes, viri nobiles & inclyti, & in vsu armorum commendabiles, dominus *Eurardus de Pusato, Rogerus de Barnauilla*. Separatus igitur ab exercitu dominus Comes cum suis cohortibus, & maiores præcedens copias, ad prædictum pontem peruenit. Erat autem pons lapideus, in vtraque fronte turres habens munitissimas ex opere solido, sicut & totus pons erat compositus: in quibus centum viri fortes & in armis strenui, arcus vsum habentes familiarem, & sagittandi peritiam, ad earum custodiam erant deputati, & vt transire volentes à vadis & fluminis accessu violenter arcerent. Aduenerant præterea ab Antiochia equites septingenti, qui in vlteriore eiusdem fluminis ripa constituti, vada præoccupauerant, transitum nostris omnino pro viribus inhibituri. Fluuius autem, cui pons superpositus est prædictus, *Orontes* appellatur, verbo vulgari *Fer* dictus, qui ab eo loco secus Antiochiam defluens, inde ad mare descendit. De hoc quidam somniare solent, quod sit *Farfar* Damasci fluuius: sed compertum habemus, quod errore trahuntur, qui hoc asserunt. *Farfar* enim & *Albana* à Libano trahentes originem, per agrū Damascenum secus ipsam vrbem defluentes, in Orientem properant, vbi in arenosa solitudine deficere dicuntur: *Orontes* verò secus *Heliopolim*, quæ alio nomine appellatur *Malbec*, primum habens exordium, per Cæsaream & prædictam Antiochiam in mare descendit Mediterraneum. Perueniens igitur ad pontē *Normannorum Comes*, cum suis expeditionibus transire prohibitus est, tum ab his qui in turribus erant super pontem, tum ab his etiam, qui fluminis vlteriorem occupauerant ripam: factus est itaque

ibidem conflictus asperrimus, dum & nostri violenter fluuium transire nituntur & hostes transire volentibus omnino contradicere, & à vadis arcere, sagittarum immissa grandine moliuntur. Dumque in hoc vtrinque desudarent atrociùs, ecce maior aduentabat exercitus. Cognitoque quod circa pontem Comes & qui cum eo præcesserant, bello detinebantur occupati, iter accelerant, vt laborantibus sociis opem ferant, & exclusis hostibus transitum sibi præparent expeditum. Postquam ergo vniuersæ aduenerunt legiones, voce præconiâ & lituis commoniti, arma corripiunt, & totis viribus insistentes, pontem, hostibus in fugam versis, violenter occupant. Alii verò qui secus pontem propter locorum angustiam pugnare non poterant, vt interim otiosi non torpescerent, vado reperto fluuium exuperantes, ripam vlteriorem, exclusis hostibus, liberam possident. Translato igitur vniuerso exercitu cum curribus & vehiculis & impedimentorum vniuerso genere, citra fluuium, sex aut quinque ab vrbe distantes miliaribus, in locis pascuis & latè virentibus castrametati sunt. Die verò sequenti iterum procedentes, inter montes & fluuium, viam secuti regiam, ante vrbem infra miliare vnum castra locauerunt.

IX. Est autem *Antiochia* ciuitas gloriosa & nobilis, tertium, vel potius secundum (nam de hoc maxima quæstio est) post vrbem Romam dignitatis gradum sortita: omnium prouinciarum quas tractus continet Orientalis, princeps & moderatrix. Hæc priscis temporibus dicta est *Reblata*, ad quam *Sedechias* rex Iuda cum filiis ante Nabucodonosor Babyloniorum regem deductus est; vbi in patris præsentia filios eius occidi præcepit, & ipsum consequenter oculis priuari. Hanc, post mortem Alexandri Macedonis, *Antiochus*, qui post eum regni eius partem obtinuit, turribus & muro validissimo circundatam, & in statum reparatam meliorem, de nomine suo vocari præcepit Antiochiam, regni sui caput constituens; & in ea sibi & successoribus eius, in perpetuum, domicilium ordinans familiare. In hac Apostolorum princeps, cathedram obtinuit sacerdotalem, & pontificali primus functus est dignitate: viro venerabili *Theophilo*, qui erat in eadem ciuitate potentissimus, in proprio domate basilicam dedicante. Cui *Lucas*, ex eadem vrbe trahens originem, tam Euangelium suum, quàm Actus scribit Apostolorum: qui etiam beato *Petro*, septimus in ordine Pontificum, in eadem Ecclesia successit. In hac etiam primus fidelium habitus est conuentus, in quo & Christianorum nomen dedicatum est. Priùs enim, qui CHRISTI sequebantur doctrinam, *Nazareni* dicebantur: postmodum verò, a CHRISTO deducto nomine, autoritate illius Synodi, *Christiani* dicti sunt fideles vniuersi. Vnde &, quia gratis & sine difficultate prædicantem suscepit Apostolum, ad CHRISTI fidem vnanimiter conuersa; & nomen, quod sicut vnguentum effusum, longè lateq; redolet, prima inuenit & docuit; nomen ei designatum est nouum, & *Theopolis* est appellata: vt quæ priùs hominis nequam & impii nomen pertulerat, eius qui eam ad fidem vocauerat, domicilium & ciuitas deinceps appellaretur, super hoc condignam recipiens à Domino retributionem: Vt quæ prioris erroris magistra, multis sub se positis regionibus imperauerat, postmodum in via Domini, & honesta morum disciplina, easdem haberet nihilominus suffraganeas. Viginti enim prouincias in sua iurisdictione eiusdem, DEO amabilis, ciuitatis dicitur habere Patriarcha: quarum quatuordecim, singulos habent metropolitas, cum suis suffraganeis: sex verò reliquæ, sub duobus primatibus, qui vulgari appellatione dicuntur *Catholici*; quorum alter est *Aniensis*, alter verò *Hirinopolitanus*, qui est *Baldacensis*; cum eorum suffraganeis disponuntur. Quæ omnes vno nomine, *Oriens* videlicet, nuncupantur, sicut ex synodo Constantinopolitana colligitur, quæ sic habet: *Orientis autem Episcopi, solius Orientis curam gerant: seruato honore primatus Ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicenæ synodi continetur.*

X. Sita est autem in prouincia, cui nomen *Syriaceles*, quæ maioris *Syriæ* pars esse dignoscitur: commodissimam & amœnam habens positionem. Protenditur vallibus, agrum habens optimum, & glebam vberem, riuis & fontibus tota pene irrigua, amœnitate singularis, inter medium montium ab Oriente in partes decliuis occiduas: longitudinem habens quasi ad miliaria quadraginta; latitudinem verò, pro diuersitate locorum, sex vel quatuor. In superiore sui parte lacum ex adiacentibus collectum fontibus habens, piscosum maximè, à fluuio, qui

qui vallem percurrit ad mare secus vrbem defluens, spacio vnius distans miliarii: vnde riuus egreditur, qui postmodum in eundem fluuium inferiùs circa vrbem deriuatur. Montes verò, qui eam ex latere vallant vtroque, etsi sublimes sint valde, tamen dulces & perspicuas emanant aquas; & vsque ad suprema culmina, in cliuis & lateribus suis, agriculturæ præbent habilitatem præcipuam. Quorum qui ab Austro est, sicut & fluuius, qui eandem vrbem præterlabitur, *Orontes* dicitur, teste *Hieronymo*, qui Antiochiam inter Orontem fluuium, & Orontem promontorium dicit consistere: cuius pars inferiùs secus mare in immensam se porrigens altitudinem, nomen sibi vendicat speciale, & vulgari appellatione dicitur mons *Parlier*:
10 hunc quidam *Parnassum* reputant, Baccho dedicatum & Apollini; quorum opinioni suffragari videtur *fons Daphnidis*, quem quidam *Castalium* reputant, iuxta veterum tenorem fabularum, Musis sacrum, & gymnasiis celebrem philosophorum: qui ad radices eiusdem montis, in eo loco qui dicitur *Scala Boamundi*, iuxta vrbem prædictam habere dicitur exordium. Sed à vero secus est hæc opinio. Nam Aoniæ regionis, quæ pars est Thessaliæ, *Parnassum* constat esse promontorium; secundùm quod *Naso* in primo Metamorph. describit ita:

Separat Aonios Actæis Phocis ab aruis
Terra ferax, dum terra fuit; sed tempore in illo
Pars maris, & latus subitarum campus aquarum.
20 *Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,*
Nomine Parnassus, superatq; cacumine nubes.

Hic autem iuxta *Solinum*, *Cassius* appellatur, de quo in Polyhistoris sui capitulo quadragesimo primo, sic ait: *Iuxta Seleuciam Cassius mons est, Antiochiæ proximus; cuius è vertice vigiliâ noctis adhuc quartâ, globus solis conspicitur, & breui corporis circumactu, radiis caliginem dissipantibus, illinc nox, illinc dies cernitur.* Sed ne te Seleuciæ nomen decipiat æquiuocum, noueris duas esse vrbes, quarum vtraque dicitur *Seleucia.* Prima, quæ Isauriæ metropolis est, quæ ab Antiochia plus quàm dierum quinque distat itinere: & altera quæ Antiochiæ proxima, vix ab ea miliaribus distat decem, iuxta fauces Orontis fluminis; qui locus hodie *Portus Sancti Simeonis* dicitur.
30 Fons autem supradictus, *Daphnis* dicitur, & *Castalius*, vbi fanum fuisse dicitur Apollini dedicatum: quod gentilis superstitio frequentare consueuerat, vt inde reportaret oracula, & super ambiguis quæstionibus responsa. Quem locum *Iulianus* apostata, postquam à CHRISTO, & à pietatis doctrina desciuit, dum in partibus Antiochenis moram faceret, ad Persas iturus, vt Apollinem super eo facto consuleret, adibat frequens, secundùm quod *Theodoritus* in trigesimo primo capitulo Tripartitæ historiæ asserit ita: *Cùm igitur Iulianus apud Pythonem Daphneum responsa peteret, de Parthici belli victoria; & ille de vicinitate corporis* Babylæ *martyris eum accusaret, iussit eius corpus auferri.* Idipsum etiam euidentiùs aliquantulum in decimo Ecclesiasticæ historiæ dicitur, hoc modo: *Dedit & aliud Iulianus vecordiæ suæ ac leuitatis indi-*
40 *cium. nam cùm Daphnis, in suburbano Antiochiæ iuxta fontem* Castalium *litaret Apollini, & nulla quæ quærebat responsa reciperet; causasq; silentii percunctaretur à sacerdotibus Dæmonis: aiunt,* Babylæ *martyris sepulchrum propè assistere, & ideo responsa non reddi.* Quia licet fons prædictus dicatur Castalius, non tamen intelligendus est esse ille Castalius, qui alio nomine *Pegasæus, Caballinus*, & *Aganippe* dicitur: ille enim in prædicta esse legitur Aonia, iuxta verbum *Solini*, quod sic se habet: *Thebis Helicon locus est, Cytheron saltus, amnis Ismenus, fontes Arethusa & Hypodia, Salmace, Dirce; sed ante alios Aganippe & Hippocrene. Quos quoniam literarum primus repertor, equestri ordinatione deprehendit, dum rimatur quænam insideret loca, incensa est licentia poëtarum, vt vtrunque pariter disseminaret, & quòd aperta foret alitis equi vngula; & quòd potus, inspiratione faceret li-*
50 *teraturam.* Qui verò à Septentrione, verbo vulgari & consueto *Montana nigra* dicitur; mons videtur pinguis & vber fontibus, & riuis irriguus, in syluis & pascuis multas suis habitatoribus præbens commoditates: vbi & priscis temporibus multa traduntur fuisse virorum religiosorum monasteria; & vsque in præsens, DEVM timentium loca plura fouet & nutrit venerabilia. Per medium autem huius vallis, fluuius, de quo suprà fecimus mentionem, fluenta deducit vsque ad mare. In eum tamen montem qui ab Austro est magis vicinus & procliuior, inter montem & fluuium ciuitas constituta est; ita vt à sublimioribus montis partibus muri

sumentes initium, per deuexum montis vsque ad flumen deducti, maximum infra se spacium, tam de montis decliuo latere, quàm de plano, quod à radice montis vsque ad fluuium protenditur, ambientes. Clauduntur autem infra muri ambitum, miræ celsitudinis montes duo; in quorum alterius vertice, qui videtur eminentior, situm est præsidium munitissimum, & insuperabile: qui duo ab inuicem profundissimâ, sed angustâ separantur valle, per quam torrens demissus à montibus, ingreditur, & vrbem per mediam defluens, multas ciuibus præstat commoditates. Sunt præterea in eadem ciuitate fontes nonnulli, inter quos præcipuus est, qui in porta Orientali est, quæ dicitur *Sancti Pauli*: sed & fons Daphnidis, ab vrbe tribus aut quatuor distans miliaribus, formulis & aquæductu artificialiter immissus, in 10 locis pluribus multo argumento aquas ministrat horis constitutis. Sunt autem tàm qui in montibus, quàm qui in deuexo, quàm qui in planicie ex opere solidissimo muri, densi plurimum, & proportionabilem habentes altitudinem, turribus frequentibus, & ad defensionem aptissimis, æquis spaciis circumscepti. In parte autem Occidentali inferiùs, circa partes ciuitatis nouissimas, ita mœnibus & monti fit vicinus fluuius, vt pons quo transitur, portæ ciuitatis & muro continuetur. Longitudinem autem ciuitatis quidam ad duo, quidam verò ad tria reputant miliaria. Distat autem à mari miliaribus decem, aut duodecim.

XI. Huius autem tam egregiæ ciuitatis dominus erat quidam, *Acxianus* nomine, natione Turcus, qui de familia fuerat magni & potentissimi principis Soldani Persarum, de quo superiùs fe- 20 cimus mentionem, *Belfetoh* videlicet, qui vniuersas illas prouincias suo violenter subiugauerat imperio: tandem verò subactis populis & nationibus, volens ad propria redire, nepotibus suis ac vernaculis, vniuersas quas sibi vendicauerat, distribuit prouincias, vt tantorum beneficiorum memores, perpetuo sibi fidelitatis nexu tenerentur obligati. In qua distributione, *Solimanno* eius nepoti, vt prædiximus, *Nicea* cum adiacentibus prouinciis collata est. Cuidam verò alteri eius nepoti, *Ducac* nomine, vrbem contulit *Damascenam* cum vrbibus suffraganeis & adiacentibus regionibus: quorum vtrique *Soldanatus* & nomen contulit & dignitatem: Solimanno, quia cum Græcis limitans, Imperii Constantinopolitani, perpetua, & sine intermissione patiebatur certamina; Ducac verò, cum Ægyptiis, 30 quorum prædicto Soldano suspectum erat incrementum, & vires formidabiles, iugem & penè continuum habebat conflictum, & guerram pertinacem. Cuidam verò seruo eius, *Assungur* nomine, qui fuit Sanguini pater, & auus Noradini, famosissimam contulit ciuitatem *Alapiam*. Huic quoque, de quo sermo est in præsenti, *Acxiano*, vrbem eadem liberalitate concessit *Antiochenam*, cum finibus modicis. Nam vsque Laodiciam Syriæ, *Calipha Ægyptius* vniuersas possidebat regiones. Hic ergò, audiens quod tantus fidelium Principum adueniret exercitus, missis frequentibus nunciis, & viuâ voce & epistolarum officio, omnes Principes vniuersi solicitabat Orientis; maximè autem & *Calipham Baldacensem*, & eximium & cæteris omnibus potentiorem *Soldanum Persarum*. Erat- 40 que ei satis facile, & in expedito, persuadere quod postulabat. nam de nostrorum aduentu erant multò ante præmoniti: de quorum numerositate & virtute insuperabili Solimannus, qui ipso rerum experimento & fide oculatâ conspexerat, eos reddiderat fidâ relatione doctiores. Instat ergò vterque multâ precum instantiâ, & profusis opem postulant lachrymis: hic, vt illatam vlcisci possit iniuriam; ille verò, vt patriam ab eorum possit impugnatione tutam reddere, & eorum à se propulsare violentiam. Promittunt igitur illi manus, & subsidium pollicentur imploratum: quod postmodum, sicut res ipsa docuit, fideli interpretatione impleuerunt. *Acxianus* tamen interea de nostrorum aduentu solicitus, quantâ potest diligentiâ, ex adiacentibus prouinciis, & finitimis vrbibus vires corrogat 50 & inducit; & obsidionem de die in diem præstolans, victus & alimentorum colligit copias, arma congregat: materiam ad contexendas varii generis machinas, ferrum, chalybem, & cætera quæ in huiusmodi solent vsum præstare necessarium, ardentibus studiis ciues hortatur inducere; qui certatim pro statu publico & vrbis tutela soliciti, quantâ possunt, insistunt diligentiâ, vt nulla eis desit rerum, quæ ciuibus obsessis solent ministrare solatium. Circumeuntes itaque regionem, suburbana spoliant; frumentum, vinum, oleum, & cætera vitæ necessaria,

greges

greges quoq; & armenta inde secum trahentes, vrbem necessariis cumulant: contra aduenientium importunitatem hostium, multâ prouidentiâ, & labore non paruo, se communientes. Conuenerant autem de vniuersis regionibus, quos idem exercitus pertransierat, multi nobiles & magni viri, ante faciem nostrorum fugientes, qui ob loci munimen & robur, quod videbatur insuperabile sine alicuius vocatione, solâ spe obtinendæ salutis, in eandem vrbem se contulerant. Vnde ampliato numero, dicebantur in ciuitate esse tam ex ciuibus, quàm ex congregatis auxiliis, equitum sex vel septem millia; peditum autem ad pugnam expeditorum copiæ, quindecim aut viginti millium summam dicebantur excedere. Videntes ergo XII. 10 nostri ciuitatem in vicino constitutam, antequam ad ciuitatem accederent, conuenerunt adinuicem, super instanti facto deliberationem habituri. Erant enim de Principibus nonnulli, qui propter instantem hyemem, vrbis differre obsidionem, vsque ad veris initium persuadere conabantur; allegantes, *quod exercitus per vrbes & castella diuisus erat, qui non facilè ante veris initium posset reuocari.* Dicebatur præterea, *quod Imperator Constantinopolitanus eis infinitas mitteret copias in subsidium; & quod etiam de partibus Transalpinis recens iterum adueniret exercitus: quorum vtrunque oportere expectare, vt multiplicatis viribus, facilius possent obtinere propositum. Interim verò per partes diuisum, per loca opulentiora hyemandi gratia dirigendum exercitum, vt vere redeunte, & reparatis viribus, & equis pabulo refocillatis, fortiores iterum ad debi-20 ta possent opera consurgere.* Aliis verò longè videbatur expedientiùs, vt *statim & subitò vrbs obsidione vallaretur, ne datis induciis eam ciues communire possent diligentius; & vocati ad eorum subsidium, colligendi maiores copias, ferias haberent ampliores.* In hac igitur tanta deliberatione ea pars obtinuit, quæ operi protinus insistendum, moram esse periculosam, & expeditionis vires non esse abinuicem separandas allegabant. Placuit igitur de communi consilio, vt ad vrbem vnanimiter accederent, & eam vallarent obsidione: vnde factum est, vt solutis castris, vrbi appropinquantes, mense Octobri, octauâ decimâ die mensis, ante vrbem consisterent, castrametati. Et licet nostrorum qui gladium poterant educere, ad trecenta millia diceretur numerus, exceptis mulieribus & paruulis, tamen ciuitatem non potuerunt vn-30 dique castris circumpositis vallare. nam exceptis montibus, qui (vt prædiximus) mœnibus eorum claudebantur, circa quos nec attentatum fuit castra locare, ciuitatis partem, quæ à montis radice vsque ad fluuium loco protenditur planiore, non potuit obsidio continuata vniuersam cohibere. In hoc igitur nostrorum aduentu, & castrorum positione; licet cum multo strepitu & cornicinum stridore, equorumque hinnitu, & armorum fragore, & confusa vociferatione, quæ vsque ad sidera tolli videretur, noster accederet exercitus; tamen totâ illâ die, & per subsequentes aliquot, tanto silentio conquieuit ciuitas, vt neque ex ea sonus aut strepitus audiretur; & vt meritò crederetur defensoribus vacua, quæ tamen multis tam alimentorum, quàm optimè armatorum copiis militum redundabat. Erant ita- XIII. 40 que in ea ciuitatis parte, quæ in plano sita est, portarum aditus quinque. In plaga enim superiore, quæ ad Orientem respicit, erat porta vna, quæ hodie dicitur *Sancti Pauli*; eo quod monasterio eiusdem Apostoli, in cliuo montis posito, sit subiecta. Secunda verò eidem è regione opposita, tantum ab ea distans, quantum in longum ciuitas porrigitur vniuersa, porta est Occidentalis, quæ hodie *S. Georgii* dicitur; eò quòd eiusdem martyris basilicæ sit vicina. In latere autem Septentrionali, tres erant portæ, quæ ad flumen habebant exitum: quarum superior *porta Canis* dicitur, pontem habens ante se, per quem palus, muris contermina transitur: Secunda verò, hodie *porta Ducis* appellatur: quarum vtraque, quasi spacio vnius miliarii distat fluuius. Tertia verò porta, *Pontis* dicitur, eo quod ibi pons est, quo fluuius transi-50 tur. nam inter prædictam Ducis portam, quæ media est, vsque ad hanc, quæ est in eo latere nouissima, ita muris applicatur fluuius, vt de cætero muris continuus, à ciuitate non recedat. Hanc igitur, & eam quæ dicitur S. Georgii, quoniam ad vtramque illarum, non nisi flumine transmisso, peruenire poterat exercitus, inobsessas dimiserunt, reliquis tribus superioribus obsidione vallatis. Superiorem igitur dominus *Boamundus* obsedit, cum his qui ab initio eius castra secuti fuerant: circa eum, à parte inferiore, *Robertus comes Normannorum*, *Flandrensium co-*

mes Robertus, *Stephanus* quoque *Blesensium comes*, dominus *Hugo Magnus*: hi à castris domini Boamundi, vsque ad portam Canis, castra cum suis Normannis, Francis, & Britannis continuauerant sua. Circa portam verò eandem dominus *Raimundus comes Tolosanus*, & *Episcopus Podiensis*, cum aliis nobilibus, qui eorum castra secuti fuerant, cumque omni Guasconum, Prouincialium, & Burgundionum infinita multitudine, castra locauerant, vsque ad sequentem portam omne spacium occupantes. Circa verò eandem portam, dux *Godefridus* cum fratre suo *Eustachio*, & *Balduino Hemacorum*, *Rainardo Tullensium*, *Conone de Monte acuto*, comitibus præclaris & illustribus viris, & aliis nobilibus qui ab initio eius castra secuti fuerant, Lotharingis, Frisonibus, Sueuis, Saxonibus, Franconibus & Bauaris, castra locauit sua, reliquas partes, penè vsque ad portam pontis occupans: inter ciuitatem, & ei iam cohærentem fluuium, & reliquorum castra principum, quasi in triangulo constitutus. Erant autem in prædicta regione pomeria, quæ nostri succidentes vniuersa, claustra sibi, & equis eorum inde contexebant repagula. Admirabantur itaque qui de turribus & muris per cancellos castra contemplabantur ciues, armorum fulgorem, operum diligentem instantiam, hospitandi modum, castrorum positionem, & suspectam tam viribus quàm numero multitudinem; dumque præsentia cum præteritis comparant tempora, præsentem molestiam cum tranquillo qui præcesserat rerum statu conferentes, vxoribus & liberis, paternis quoque laribus, & quod præcipuum est mortalibus, libertati timentes, felices eos reputant, quos tantis mors amica subtraxerat periculis; quibusque dederat obitus, ne tot [illegible]uoluerentur calamitatibus. Suspensi igitur de die in diem suorum cladem, & vrbis expectabant impugnationem: quasi certum habentes, quod absque ruina ciuitatis, & libertatis eius naufragio, tanta obsidio solui non posset, quæ ad id totis viribus anhelabat.

XIV. Igitur qui in castris erant, vt equis pabulum, sibique necessariam procurarent alimoniam, trans fluuium de necessitate egredi consueuerant, & procedere longiùs aliquantulum. Cumque sæpe ac sæpius illuc properantes cum omni incolumitate reuerterentur indemn[illegible]; ciuibus adhuc infra vrbem se cohibentibus, nec præsumentibus adhuc exteriùs euagari; pro consuetudine sibi fecerant, fluuium sæpius in die transire: idque cum multa fiebat difficultate: nam inuadabilis erat fluuius, & natando transire oportebat. Quod compertum habentes qui in ciuitate erant, plerumque palàm, sed clàm frequentiùs, per pontem flumine transmisso, nostris incautè discurrentibus, & gratiâ quærendi necessaria, dispersis ab inuicem, cædem inferebant & vulnera: eâ maximè freti fiduciâ, quod non poterant facilem habere ad castra reditum, fluuio impedimentum ministrante. Eodemque pacto & qui in castris erant, quamuis suos coram se malè tractari cernerent, non facilè poterant optatum suis præbere subsidium: Vnde visum est Principibus omnino esse expediens, vt pontem ibi ex quacunque erigerent materia, per quem faciliùs hostium insidiis possent occurrere; & suos recipere compendiosiùs, ad castra redire cupientes: vtque non deesset e[illegible]am peditibus eorum, ad suas necessitates euocatis, maximeque vsque ad mare volentibus descendere, via compendiosior, & sine difficultate. Inuentis igitur aliquot nauibus, tam in flumine quàm in lacu superiori, eisque adinuicem competenti nexu colligatis; superpositis etiam trabibus, & ligneâ ad id conueniente materiâ, vimineis desuper contexuerunt cratibus, ita vt pluribus vnâ fronte transire volentibus, solidam in se præberet habilitatem. Vnde ex eo facto maiorem populus consecutus est commoditatem. Distabat autem pons iste ligneus, à ponte lapideo qui vrbi erat contiguus, quasi vnius spacium miliarii; eratque positus iuxta *domini Ducis* castra, è regione contra portam quæ eidem Duci erat ad custodiam deputata; quæ etiam vsque hodie ab eo cui commissa fuerat, *porta Ducis* appellatur: ita vt eius castra intra prædictam portam & pontem de nouo constitutum, essent sine interuallo media. Nec solùm per pontem superiùs dictum, & portam ei cohærentem nostris procurabant pericula; verùm & per superiorem, quæ ab illa erat tertia, quæ *porta Canis* etiam hodie dicitur, multa nostris occurrebant discrimina. Erat enim, vt prædiximus, pons ibi lapideus super paludem quandam vrbi conterminam, quæ tum ex eius fontis, qui est in Orientali *porta Sancti Pauli*, tum ex aliorum deri-

uatione

uatione iugi,& riuulorum continuo processu conficitur. Per hunc igitur pontem in castra domini *comitis Tolosani*, cui ad custodiam porta illa casu contigerat, nocturnæ fiebant eruptiones; & per diem etiam, repentini nonnunquam assultus. Apertâ enim portâ, subitâ sagittarum immittebant grandinem; & pluribus ex eius comitatu sauciis vel interemptis, in eo spem habentes, quòd non nisi per pontem eos insectari poterãt, facto impetu, & cæde perpetratâ, ilicò per pontem ad portam redeuntes, infra vrbem se recipiebant indemnes, vnde fiebat, vt prædictus Comes & episcopus Podiensis, & alii nobiles, qui in parte illa castra locauerant, maiorem equorum iacturam, & plura multò amplius in equis & mulis paterentur dispendia, 10 quã aliorum Principum legiones. *Comes* igitur & reuerendus *Episcopus*, tanta suorum non ferentes æquanimiter dispendia, cõuocantes suos, præcipiunt, vt malleis & instrumentis repertis ferreis, omnes vnanimiter ad prædicti pontis dissolutionem se præpararent: factumque est ita, vt die quadam loricati, cassidibus tecti & clypeis, ad pontem conuenientes, prædictum cum multa instantia pontem dissoluere conarẽtur; sed resistente plurimùm operis soliditate omni ferro duriore, & ciuibus sagittarum immissione, & contorsione lapidum, eorum laborem impedientibus, videntes quòd non proficerent, ab incepto destiterunt. Mutato igitur consilio, machinam decernunt è regione contra pontem erigẽdam, de qua per introductorum solicitudinem & instantiam armatorum, ciuium irruptiones cohiberẽtur. 20 Comportatâ igitur competente & pro votis materiâ, & artificibus conuocatis, subitò, & infra paucos dies, suis absoluta partibus & diligentiùs completa, cum multo labore, & eam trahentium periculo, ante pontem in modum excelsæ turris erecta est, & domino Comiti ad custodiam deputata. Ciues autem videntes machinã muro proximã, illuc sub omni celeritate contendunt; & directis ad machinam iaculatoriis iterum tormentis, crebrâ molarium contorsione eam debilitare festinãt. Ipsi quoque in turribus & muro constituti, sagittis & omni iaculorum genere his qui in machina erant, & circa eã, instantes animosiùs, eos à põte arcere satagebãt. Dumq; qui supra murum erant, ex omni latere instarent & iacularentur frequentiùs, ita vt præ sagittarum immissione, & iaculorũ frequẽtia nostros à se aliquantulum propu- 30 lissent: alii apertâ portâ, cum multo exeuntes impetu, pontem violenter occupant: & rem gladiis cominus peragentes, ad machinam accedunt, & exclusis inde qui ad eius erant deputati custodiam, machinam succendunt, & subitò redigunt in fauillam. Videntes autem nostri Principes, quòd neque sic contra eas, quæ per eam portam inferebantur, molestias plenè proficerent, sequenti die tres iaculatorias erigunt machinas: vt saltem eorum iactu continuo, & saxorum contorsione, muros & portam debilitare, & ciuibus per eam exitum possent impedire. Fiebat itaque vt quamdiu se in iaculando continuarent machinæ, nemo per eam portam auderet egredi: remittentibus verò illis operam, iterum ciues ad solitas recurrebant irruptiones, castri vicinis multas inferentes molestias. Videntes igitur nostri, quòd neque 40 sic proficerent, de quorundam consilio, rupes ingentis magnitudinis, quæ vix centum deuolui possent manibus, & robora prægrandia, in virtute loricatorum mille, protegente eos vniuerso exercitu, vltra pontem deferẽtes, portæ obiiciunt: tantam ex eis præstruentes cõgeriem, vt porta de cætero ciuibus inutiliter aperiretur, molarium aggere conatus eorum præpediente. Sicque factũ est, vt tali argumento per eandem portam, ciuium frangeretur impetus, & eruptiones quiescerẽt repentinæ.

XV.

XVI.

Factum est autem die quadam, quòd de nostro exercitu viri, tam ex equitibus quàm ex peditibus, numero trecenti, nostrum pontem pabulandi gratiâ transeuntes, cœperunt per regionem, more suo, vt sibi quærerent necessaria, dispergi. Morem autem fecerat, & pro consuetudine induxerat, tum necessitas importuna, 50 tum id etiam quod frequentiùs ab illis partibus, licet secum plura comportarent necessaria, redierant indemnes: vnde sibi quandam incautam nimis pollicebantur securitatem, arbitrantes, quòd se perpetuò in huiusmodi continuarent successus; nec se, sicut in bellicis solet fieri negotiis, casus sinister interponeret. Quos ex vrbe cõtuentes, egressi in maiore multitudine ciues, per pontem transeuntes lapideum, ad eos quos incautiùs deambulãtes viderant, sub omni celeritate contendunt: in quos irruentes subitò, pluribus ex eis interfectis, reliquos in fugam vertunt: qui dum ad pontem nauium tanquam in castra se collaturi properarent,

primis pontem occupantibus, plures ex eis vado transire cupientes, mortem inuenerunt in vndis, in quibus arbitrabantur reperire salutem. Alii quoq; nihilominus de ponte, licet inuiti, turbis comprimentibus ferebantur in alueum præcipites; quos ex parte plurima aquarum opprimebat violentia, & inuolutos pariter trahebat in profundum, absorbens auidè, quod postmodum reddere denegabat. Quod postquam nostris innotuit, concurrentes ad arma loricatorum aliquot millia, flumine transmisso, hostes à nostrorum redeuntes cæde, & de spoliis exultantes habent obuiam: quos vsque ad pontem ciuitatis, grauissimam in eis stragem operantes, multâ prosecuti sunt instantiâ. At verò ciues videntes suorum stragem & vulnera,& deficientibus compatientes, reseratâ portâ in graui multitudine,& audaciâ 10 solito ampliore, pontem transeunt lapideum; & vt suis necessarium procurarent auxilium,in nostros irruentes animosiùs,primùm validè resistentes,demùm vi oppressos multitudinis, in fugam vertunt; & vsque ad pontem contextum nauibus persequi non desistunt: in quo facto plurimi, ex nostris peditibus gladio ceciderunt, pluribus etiam submersis in flumine. De equitibus verò,dum super pontem arctiùs se comprimunt, hostes fugiendo insectantes, de ponte in fluuium dati præcipites,cum equis,loricis, galeis & clypeis, postmodum comparere desierũt,fluentorum voragine præfocati. Sic ergo noster exercitus non leuiorem quàm qui in vrbe erant, patiebatur obsidionem: nam cohibentibus eos tam ciuibus, quos latere non poterat nostrorum exitus,quàm hostibus exteris,qui in syluis & montibus delitescebant, nostris insidias prætendentes, & de nostris triumphantes sæpiùs, non 20 erant ausi extra castra procedere,aut victus quæritandi gratiâ longiùs euagari; nec in ipsis etiam castris tuta satis erat mora, timentibus vniuersis, ne hostium ingens, quæ ex locis plurimis congregari dicebatur, super eos repente irrueret multitudo: ita vt prudenti viro meritò posset venire in ambiguum, vtris magis timẽdum esset, quorúmue melior esset conditio, an obsidentiũ, an eorum qui obsidionem pati videbantur.

XVII. Referre casus singulos, qui in tanta obsidione, & tanto continuo tempore per loca varia diebus penè singulis accidebant, longum esset enumerare; & historiæ compendio, quod studiosè quærimus, valdè contrarium: vnde omissis specialibus,generalia prosequamur. Inter hos igitur assidui Martis euentus varios, 30 cùm iam quasi in mensem tertium protracta esset obsidio, cœpit in castris victus deficere, & præ alimentorum inopia exercitus laborare. Cùm enim ab initio maximam rerum necessariarum habuissent opulentiam, & equis eorum non deessent pabula,more imprudentium arbitrati sunt,quòd se in eodem statu deberent continuare tempora, nihil sibi facientes reliquum; sed concessâ abutentes vbertate, infra paucos dies, quæ ad multos sufficere poterant, si congruo dispensarentur moderamine, profligabant victualia. Non erat in castris modus, nec *prudentibus amica parsimonia*; sed vbique luxus, vbique superfluitas: nec solùm in his quæ ad hominum pertinebant alimoniam, verùm & in cibis iumentorum, & in equorum pabulis,omnis omnino modus defecerat: vnde factum est, vt exercitus ad tantam redigeretur inopiam,quòd fame inualescente,penè populus deperiret vniuersus. Col- 40 ligebantur ergo adinuicem, præbitis inter se iuramentis,quòd æquis portionibus, & bonâ fide, cuncta quæ lucro cederent, diuiderentur: trecentorum aut quadringentorum simul egrediebantur agmina, vniuersam perlustrantia regionem, vt sibi victũ quacunque ratione procurarent. Hi tale propositum habentes, in principio, antequam ciues ad eos egredi,& insidias moliri consueuissent,dumque suburbana longè lateque gregibus & armentis,frumento,vino,& aliis redundarent alimentis, cum multa præda,& vberibus spoliis,& victu plurimo reuertebantur: vnde prædicta in castris fuerat opulentia. At nunc exhaustis locis conterminis, & Turcis,qui priùs timore contabuerant, resumptis viribus, & animositate receptâ, sua loca de- 50 fendentibus,aut vacui penitus reuertebantur;aut, quod sæpius contingebat, interemptis omnibus,non supererat,qui vel de eorum interitu castra certificaret. Inualescebat igitur per singulos dies fames & inedia; ita vt vix pro duobus solidis,qui vni personæ semel in die sumpto cibo,sufficeret,panis inueniretur. Bos vel iuuenca,quæ ab initio quinque dabatur solidis, duabus marcis vendebatur: Agnus vel hœdulus,qui pro tribus aut quatuor denariis dari consueuerat,quinque aut sex solidis vix repertus vendebatur. Equo autem pro cibo necessario per noctem octo

vix

vix poterant solidi sufficere; vnde factum erat, vt qui aduenientes equorum secum deduxerant plus quàm septuaginta millia, vix in castris haberent duo millia, cæteris fame & algore consumptis: quiq; superesse videbātur, inediâ tabescentes quotidie, & frigoris attenuati violentiâ, paulatim deficiebant. Computruerant prætereà castrorum papiliones & tentoria, ita vt multi quibus adhuc victus supererat, consumpti frigoris inclementiâ, vitā expirare cogerentur. Tanta enim erat aquarum inundantia, & pluuiarum intemperies, vt & victus & vestes computrescerent; & non esset locus, vbi aut capita, aut necessariam possent in sicco locare supellectilem. Tanta igitur lues legiones in castris oppresserat, vt iam locus deesset sepulturæ; iam funeribus exequiarum negarentur officia. Si qui autem adhuc vigoris aliquid in se videbantur habere, ne ipsi quoque pari consumerentur periculo, aut in fines *Edessanos* ad dominum *Balduinum*, aut in *Ciliciam* ad eos qui vrbibus ibi præerant, aut ad alia loca quælibet, quæ in nostrorum iam deuenerant potestatem, occultè se conferebant. Sic ergo his abeuntibus, aliis verò languore & fame consumptis, aliis etiam peremptis gladio, adeò comminutus erat exercitus, vt vix eius dimidium videretur superesse.

XVIII. Videntes igitur DEO deuoti Principes afflictionem populi, & molestias, quibus incessanter premebantur, compassione liquefientes, & pereuntis exercitus doloret abidi, conuenerunt adinuicem, sicut & frequenter facere consueuerant, deliberationem habituri, quomodo & quale tantis malis possent adhibere remedium. Tandemque post multas diuersi generis opiniones, visum est expedientiùs, vt quidam de magnatibus, assumptâ secum exercitus parte, hostium terras ingrederentur, vt inde sibi prædam, & victui deferrent necessaria; alii verò medio tempore in castris residentes, cum omni sollicitudine exercitum tuerentur. Factumque est ita, vt domino *Boamundo*, & *comiti Flandrensi* id muneris iniungeretur: domino *comite Tolosano*, & *episcopo Podiense*, ad custodiam castrorum derelictis. *Comes* enim *Normannorum* aberat, & dux Lotharingiæ dominus *Godefridus* lecto decubans, graui molestabatur ægritudine. Assumptis ergo tùm equitibus, tùm de numero peditum cōuenientibus copiis, & quales fatigatus exercitus poterat ministrare, in terras hostium profectus est. Audientes ergò ciues, quòd Boamundus & Flandrensis comes abierant, comes Normannorum aberat, Dux verò infirmabatur, occasionem sumentes ex tempore, & ex vtroque solito maiorem audaciam, proponunt de communi consilio in nostrorum castra irruere; & oportunitatem non negligere, quam principum absentia videbatur ministrare. Conuocatâ igitur ex vniuersa ciuitate omnimodâ multitudine, ad *portum Pontis* cōueniunt; & reserato aditu, quidam per pontem, quidam per vadum quod erat inferiùs, certatim transeuntes in castra moliebantur irruere. Comes autem cum quadam equitatus manu illis occurrens, duobus ex eis interemptis, reliquos infra vrbem se recipere compulit. Acciderat autem in eo conflictu, quòd nostri equites equum quendam vacuum, cuius dominum ad terram deiecerant, persequerentur, vt eum caperent. quod videns populus infelix & indiscretus, arbitrati quòd nostri equites timoris causa fugerent, in fugam quoque se dederunt: & præ timore se coangustantes ad inuicē, ipsi sibi mortis causam ministrabant. Videntes igitur ciues, quòd nostri fugerent nemine persequente, rursus per pontem egressi, fugientibus instant cominus: à ponte lapideo vsque ad naualem pontem nostros insectantes, cædem in eis plurimam operati sunt: nostris enim se ad inuicem comprimentibus, & præpedientibus iter, partim gladio, partim flumine, de equitibus quindecim, de numero peditum viginti consumpti sunt. Quo successu hostes plurimùm erecti, in vrbem cum gloria se receperunt.

XIX. At verò prædicti principes, dominus *Boamundus*, & *Flandrensium comes*, qui de communi consilio pabulatum exierant, vt castrorum, victu lato, releuarent inopiam, cum suis cohortibus hostium regionem ingressi, hunc nostrorum casum quocunque modo, factis felicioribus recompensauerunt: nam expugnatâ hostium villâ quadam bonis omnibus refertâ, Boamundus ad partes varias exploratores direxerat, vt de statu regionis eum redeuntes instruerent, & prædam si possent, congregarent ampliorē. Factum est autē, vt quidam ex eis reuertentes, Turcorum multitudinem in proximo constitutam renunciarent, contra quam dominum Flandrensem cum honesto dirigens comitatu, ipse cum maioribus copiis subsequebatur, quasi opē si deficeret collaturus. Ille

verò, sicut vir strenuus erat & magnificus, in hostes animosiùs irruens, non priùs ad Boamundum rediit, quàm cæteris in fugam versis, centum ex eis gladio peremit. dũq; victor ad maiores reuerteretur copias, ecce exploratores alii, multò fortiores ex alio latere nunciant acies aduenire; contra quas multiplicatis viribus, & adaucto comitatu, eundem Flandrensem dirigit: ipse verò cum reliqua parte copiarum ponè subsequebatur in subsidium cùm opus foret, descensurus. Factum est itaque præuiâ Domini misericordiâ, vt hostibus in locis quibusdam angustioribus deprehensis, cùm videret, quod neque sagittis, neque arcu, sed gladiis cominus res cum eis ageretur, pugnę huiusmodi vsum non habentes familiarem, in fugam versi sunt: quos quasi per duo miliaria insectantes, stragem plurimam in eis exercuerunt. Vnde cum trophæo redeuntes, cum equis & mulis & vberibus spoliis, & præda multimoda, quàm de vniuersa contraxerant regione, in castra sani & incolumes se contulerunt. Lætatus est exercitus de fratrum successu, & cœpit à laboribus suis aliquantulùm respirare: quoniam tamen præda pauca fuerat, & quæ tantæ multitudini vix ad paucos dies poterat sufficere, non multùm releuata est exercitus inopia.

XX. Interea de partibus Romaniæ, rumor quidam mœrore plenus & anxietate, vniuersorum corda perculerat; & præsentibus miseriis adiecerat cumulum tristiorem. Dicebatur enim, & verè sic erat, quòd quidam homo nobilis & potens, Danorum regis filius, *Sueno* nomine, vir genere, moribus & formâ conspicuus & illustris, eiusdem peregrinationis accensus desiderio, mille quingẽtos optimè armatos eiusdem nationis iuuenes secum trahens, in subsidium nostris, & ad præsentem properabat obsidionem. Hic de regno patris tardior egressus, plurimùm accelerauerat, vt se præcedentibus cum omni suo comitatu adiungeret legionibus: sed causis præpeditus familiaribus, non potuit assequi quod optauerat. Seorsum igitur trahens agmina, solus absque alicuius aliorum consortio Principum, iter arripuerat, & viam aliorum secutus, peruenerat Constantinopolim, vbi ab Imperatore satis honestè tractatus fuerat: & cum incolumitate Niceam perueniens, in partes Romaniæ ad exercitum properans, cum omni suo comitatu descenderat. Dumque inter vrbes *Finiminis* & *Termam* castrametatus esset, & minus prouidè se haberet aliquãtulum; irruentibus super eum clàm & de nocte Turcorum ingentibus copiis, in ipsis castris gladio perempti sunt: tamen aduenientium strepitu præcognito, sed nimis è vicino, ad arma conuolant; vbi antequam pleniùs instructi hostes possent excipere, ab improuisa oppressi multitudine, penè omnes ceciderunt; sed tamen diu & viriliter resistentes, ne gratis animas viderentur impendisse, cruentam post se hostibus reliquerunt victoriam.

XXI. *Tatinus* etiam, de quo & suprà fecimus mentionem, Imperatoris apocrisarius, qui quasi pro duce itineris ab eodem Imperatore nostrorum exercitui fuerat adiunctus, & vsque in præsentem diem nostras secutus fuerat legiones, videns molestias quibus premebatur exercitus; timensque, sicuti & timidus erat, ne Principes possent in proposito perseuerare, & populus vnâ die sub hostium gladiis contereretur vniuersus: ad conuentum accedens Principum, persuadere cœpit cum multa instantia, *vt solutâ obsidione ad vrbes & finitima præsidia, vniuersus se transferret exercitus, vbi & vita necessaria possent abundantiùs reperire, & Antiochenis frequentes inferre molestias, quousque domini Imperatoris exercitus, quem ex diuersis nationibus, ad infinita contraxerat millia, vt eis subsidium ministraret, circa veris adueniret initium.* Adiiciebat etiam, quòd *quia laboribus eorum ab initio communicare decreuerat, & tàm prosperitatis quàm aduersorum se optabat habere consortium, maiorem se ob communem gratiam & publicam vtilitatem velle laborem assumere; videlicet vt ad Imperatorem directo festinet itinere, exercitum maturare compellat, & de vniuersis citra vrbem finibus, victui necessaria faciat comportari.* Cuius mentem, licet nostri Principes extunc & ab initio subdolam cognouissent & fallacem, tamen illius verbo, nemo se obuium dedit, nec fuit quisquam qui eius se moliminibus opponeret. Tunc, vt quocunque colore fraudem suam palliaret & commentum, tentoria reliquit, & ex plurima parte familiam; aut eorum negligens salutem, aut in occulto significans, vt ad locum destinatum die statutâ eum sequerentur. Abiit ergò, quasi in proximo rediturus, qui postea non comparuit: vir infidelis & nequam, morti perpetuæ tradendus. Reliquit ergò post se perniciosum exemplum: nam ab ea die, quicunque à castris clàm se potuerunt subducere, fugam occultam inierunt, iuramentorum immemores, & publicæ professio-

professionis, quam ab initio votis conceperant ardentibus. Fames tamen interim inualescebat, nec poterant Principes huic tanto malo præsens aliquod remedium adhibere. Nam licet bini & bini de electis Principibus, cum ingentibus alternatim copiis, hostium regiones sæpe ingrederentur, & sæpius victoresq; redirent ad propria; tamen nec prædas, nec victui secum deferebant necessaria. Hostes nimirum comperta exercitus eorũ qui deprædandi gratiâ exire consueuerãt famâ, greges & armenta, & si qua alia in peculiis habebant animalia, ad montes imperuios & loca transferebant penitiora; vbi nec nostris pateret accessus, & peruenientibus etiam non esset facilè prædas abducere. Per idem tempus, cùm circa exercitum de die in diem fames, & ex fame lues, & alia increbresceret pericula, videntes seniores populi, & qui sensus habebant magis exercitatos, peccata hominum id exigere; & Dominum ad iracundiam prouocatum, meritò hæc flagella populo duræ ceruicis infligere; conuenientes adinuicem, & Domini timorem habentes præ oculis, anxiè deliberare cœperunt, quomodo commissa celeri pœnitudine diluentes, & pro culpis præteritis condignè satisfacientes, & similia in posterum præcauentes, indignationem Domini sibi possent reddere placabilem. Factum est igitur de mandato & auctoritate domini *Podiensis episcopi*, qui legatione sedis Apostolicæ fungebatur, & aliorum DEO amabilium pontificum; consentientibus, & idipsum fieri summoperè postulantibus Principibus laicis, & vniuerso exercitu: indictum est triduanum *ieiunium, vt afflictis corporibus, animæ ad orationem possent consurgere fortiores.* Quo cum omni deuotione expleto, decernunt pariter, fatuas ac leues mulierculas ab exercitu sequestrare, adulteria, & omne fornicationis genus sub pœna mortis inhibentes: comessationes & ebrietates, & *periculosum alearum ludum*, incauta iuramenta, in pondere & mensura fraudem, & omnem circumuentionem, furtum & rapinam interdicentes. Quibus decretis, & vniuersorum, corroboratis conniuentia, iudices etiam super horum omnium cognitione certos constituunt, quibus & cognoscendi & animaduersionis plenam conferunt autoritatem. Inuenti sunt tamen postea quidam harum sanctionum violatores, quibus per prædictos iudices, accusatis & conuictis solemniter, iuxta legum seueritatem pœnâ pro modo culpæ inflictâ, alios à similibus deterruerunt commissis. Factumq; est per Domini superabundantem gratiã, vt populo ad frugem melioris vitæ reuocato, ex parte quiesceret ira Domini sæuior. Statim enim dominus *Godefridus*, qui totius exercitus quasi singularis erat columna, de valida ægritudine, quâ diu molestatus fuerat, occasione vulneris, quod ei apud Antiochiam Pisidiæ vrsus intulerat, plenè cœpit conualescere: vnde totus exercitus plurimam suæ afflictionis recepit consolationem. Rumor interea, & fama celebris iam vniuersum repleuerat Orientem, sed nec etiam Austri regna & exteras nationes intactas reliquerat, tantas Christianorum aduenisse copias, & vrbem in manu valida obsedisse Antiochenam. Vnde Regum quisque pro suo statu solicitus, exploratores ad nostrum dirigebant exercitum, vt per eos de moribus & virtute & proposito tantæ multitudinis redderentur prudentiores: eratque tanta in castris eorum copia, vt penè singulis diebus, aliis abeuntibus, his qui eos miserant, statum exercitus nunciaturi, recentes eisdem conditionibus aduenirent. Nec erat difficile huiusmodi hominibus inter nostros latere, cùm linguarum habentes commercium, alii *Græcos*, alii *Surianos*, alii *Armenios* se esse confingerent, & verborum idiomate, & moribus & habitu talium personas exprimerent. Super eo quoque, vt Reipub. consuleretur, conuenientes adinuicem, deliberare cœperunt Principes, quid fieri oporteret. Videntesque quod huiusmodi exploratores non facilè erat à castris expellere, quoniam à prædictis nationibus, lingua, moribus & habitu penitus erant indifferentes: interim donec plenius deliberetur, quid contra illos statuendum sit, optimum iudicant, *consilia sua communicare paucioribus*: ne per plures diffusa, vsque etiam ad illos peruenirent, qui in læsionem Christianæ plebis, ea essent hostibus propalaturi. Cumque nihil aliud contra talium improbitatem excogitare possent amplius, dominus *Boamundus*, sicuti perspicacis erat ingenii, & mentis acumine pollebat, fertur dixisse Principibus: *Fratres & domini, omnem istam sollicitudinem proiicite super nos. Nam nos, auctore Domino, conueniens huic morbo inueniemus remedium.* Sic itaque soluto Principum cõsistorio, quisq; ad castra sua reuersus est. Boamundus verò promissi memor, circa

primum noctis crepusculum, cum alii per castra pro cœnæ apparatu more solito essent soliciti, educi præcipit Turcos aliquot, quos habebat in vinculis, & tradens eos carnificibus, iugulari mādat; & igne copioso supposito, quasi ad opus cœnæ, diligenter assari præcipit, & studiosius pręparari; præcipiens suis, quòd si ab aliquibus interrogati essent, quidnam sibi talis cœna vellet? responderent: *Quod inter Principes conuenerat, vt quotquot deinceps de hostibus, aut eorum exploratoribus caperentur, omnes prandiis & principum & populi ex seipsis escas, viâ simili cogerentur persoluere.* Audientes igitur, qui in expeditione erant, quòd talia in castris domini Boamundi tractarentur, facti admirantes nouitatē illuc concurrunt vniuersi. Quo facto, qui in exercitu erant exploratores deterriti, totum esse serium; & sine simulatione, quod decretum dicebatur, arbitrantes, ex eo quod acciderat euidens trahebant argumentum: timentesque ne simile quid eis contingeret, à castris egressi, redibant ad propria, his qui eos miserant dicentes: *Quoniam populus hic, quarumlibet nationum, sed & ferarum exuperat sæuitiam: cui non sufficiat vrbes, castella, & omnimodam hostium diripere substantiam; & eos vinculis mancipare, aut more hostium torquere inclementiùs, aut saltem occidere, nisi etiam & de carnibus eorum ventrem suum impleāt, & adipe saginentur inimicorum.* Exiit ergò sermo iste, ad partes Orientis remotissimas; & non solùm finitimas, verùm longè positas exterruit nationes. Ciuitas quoq; tota contremuit, verbi nouitate & acerbitate facti conterrita. Sicq; factum est per studium & operam domini Boamundi, vt hæc exploratorum pestis ex parte quiesceret; minusque nostra hostibus diuulgarentur consilia.

XXIV. Porrò *Ægyptius Calypha*, inter cæteros infidelium Principes, diuitiis & militiâ potentissimus, nuncios suos ad nostros direxerat Principes: cuius legationis causa hæc erat. A multis retro temporibus vetus odium, & graues inimicitiæ inter Orientales & Ægyptios ex dissimilitudine superstitionis eorum, & contrariis dogmatibus ortæ fuerant, & vsque in præsens, tractu continuo, inexorabiliter deductæ: ita vt prędicta regna mutuis congressionibus plerunq; collisa, fines suos contra se porrigere, & terminos alternatim protelare certatim cōtenderent: sicut in primo huius operis libro dictum est diligentiùs. Factis vero nunc his, nunc illis, pro temporum differentia, & successuum varietate superioribus, regna quoque suscipiebant incremēta, ita vt quicquid vni accideret, toti alterū decessisse videretur. Possidebat autem per idem tempus *Princeps Ægyptius*, à finibus Ægypti vsque Laodiciam Syriæ vniuersas itinere dierum triginta regiones. *Persarum* verò *Soldanus*, Antiochiam, regni Ægyptiorum finibus conterminam, modico ante nostrorum aduentum sibi vendicauerat tempore; & vniuersas vsque ad Hellespontum, vt prædiximus, occupauerat regiones. *Suspectum igitur habens Ægyptius Persarum vel Turcorum incrementum*, super eo plurimùm cōgratulabatur, quod amissâ Niceâ, Solimannus cum suis malè tractatus diceretur, & quòd circa Antiochiam nostri locassent obsidionem: Turcorum damnum sibi pro lucro reputans; & eorum molestias, pro summa sibi & suis tranquillitate. Timens ergo ne nostri ab incepto deficerent, & laboris superati diuturnitate fatigarentur, nuncios dirigit familiares, assumptos ex domesticis, qui nostros Principes ad continuandam obsidionem solicitent; & eius opem & auxilium promittentes, Principum sibi corda concilient & gratiam, fœderent cum eis pacta & amicitiam. Qui mandatum domini fideliter exequentes, nauigio vecti, in nostrorum castra peruenerunt, pro his omnibus quæ iniuncta fuerant, valde soliciti. Hi licet à nostris Principibus satis hospitaliter & honestè suscepti fuissent, & ad eorum colloquium, vt iniuncta nunciarent, frequenter admissi; nostrorum tamen tolerantiam, vires & armorum genus admirantes, & laboris patientiam, suspectas habebant tantæ multitudinis copias, quod futurum erat, animo præsagientes: nam quod ille fraudulenter in aliorum supplantationem tractabat, id in se postmodum coactus est experiri. Nam Antiochenâ vrbe deuictâ, & Christianę restitutâ fidei, & pristinę libertati, quicquid ab eadem ciuitate, vsque ad *riuum Ægypti*, qui *Gazæ* conterminus est, itinere dierum quindecim, fidelis hodie detinet populus, totum ab eius violenta dominatione per Omnipotentis DEI gratiam, ab eo sibi potenter vendicauit.

EXPLICIT LIBER QVARTVS.

INCI-

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI QVINTI.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI QVINTI.

40

INCIPIT LIBER QVINTVS.

INTEREA ciues *Antiocheni*, simul & eorum dominus, pro statu suo valde solliciti, vidẽtes nostrorum longanimitatẽ, & in laboribus perseuerantiam; quodq; nec fame, nec frigoris inclementiã ab incepto poterant reuocari; sed inter tot molestias propositum continuare satagebant: missis epistolis, & crebris legationibus, Principes finitimos in sui subsidiũ euocare contendunt, orantes, & persuadere nitentes attẽtiùs, quatinus fratrum compassione moti, eis opem maturare non differant. Modum etiam, quo sibi subueniri 50 possit commodiùs, insinuant talem; vt ad vrbem accedentes, occultè in insidiis lateant, expectantes vt ciues more solito cum hostibus, secus pontem cõgrediantur, & circa eos detineantur occupati: dumque circa id tam interiores quàm exteriores plurimùm fuerint negotiosi, tunc irruant subitò, & incautos opprimant; futurumq; esse, vt & antè & retrò eis occurrentibus, nec vni ex eis liceat mortem euadere. Factum est igitur per eorum iugem instantiam, quod ab *Halapia*, *Cæsarea*, *Hama*, *Emissa*, *Hierapoli*, & aliis conterminis ciuitatibus ad ingentem numerum cõgregata militia, clàm & sine tumultu, sicut in mandatis acceperant, accedentes, circa castrum cui

CAP. I.

nomen *Harenc*, quod ab Antiochia vix quatuordecim distat miliaribus, castra taciti locauerant: propositum habentes, sicut ab Antiochenis formam receperant, nostris circa vrbis assultū occupatis, ex improuiso irruere. Verùm fidelibus locorum incolis, qui nostris multo vsui sæpius fuisse noscuntur, statum eorum & aduentum significantibus, Principes præmoniti conueniunt ad inuicem, super eo negotio deliberaturi. Placuit itaque demū, vt omnes quotquot in exercitu erāt equites, equos quibus vti possent habentes, circa primum noctis crepusculū armis instructi, clàm, & sine tumultu vexilla suorum sequentes Principum, in silentio castris egrediantur: pedites autem in castris remaneant, pro tuitione castrorum solliciti, quousque Maiores proficiscentes, auctore Domino, reuertantur.

II. Sub primo igitur noctis crepusculo, sicuti cōdictum fuerat, à castris egressi per pontem nauium, vix septingentos secum eduxerunt equites, ad eum proficiscentes locum, qui medius inter lacum, de quo superius fecimus mentionē, dum de vrbis situ loqueremur, & *Orontem* fluuium, qui à se quasi vnius miliarii distant spacio: ibi eâ nocte quieuerunt. Hostes verò nihilominus eadem nocte, eundem fluuium per pontem superiorem transierant, de nostrorum aduentu ignari penitus. Mane autem facto, vbi lux prima terris se intulit, nostri cum omni celeritate arma corripientes, in sex acies suum ordinant exercitum, certis ducibus præsignatis. *Turci* verò, iam in vicino cōstituti, habentes compertum per exploratores, quòd nostri eis occurrebant, ipsi etiam de suis copiis duas acies præmiserant, reliquarum copiarum maiore turba subsequēte. Factum est autem diuinitus, vt nostri, qui vix erāt, vt prædiximus, septingenti, per turmas, iuxta rei militaris disciplinā dispositi, quasi suscepto de supernis incremento, infinita millia viderentur. Procedētibus itaq; paulatim cōtra se legionibus, cœperunt eorū primæ acies in nostros cū impetu irruere maximo; & immissa sagittarum grandine, ad suos habere recursum. Nostri autē eorum neglecto impetu, sed comminus accedentes, vibratis solito vigore lanceis, & gladiis incumbentes, eos in vnam compellunt turbam solidari: cōprimentibus autem eos locorum angustiis, hinc lacu, inde fluuio euagandi licentiam inhibente; videntes quòd ad consuetas discurrendi artes & sagittandi habilitatem recurrere non dabatur, nostrorum non valentes sustinere instantiā, & se præ timore gladiorum comprimentes, in sola fuga spem salutis cōstituunt: dātes ergo terga, fugam arripiunt. Nostri verò certatim insectantes, vsq; ad prædictum eorum castrum, *Harenc* nomine, quod à loco pugnæ decem distabat miliaribus, eos occidēdo, & stragem infinitā operando, persecuti sunt. Videntes autem oppidani, suos in fugā versos, hostium gladiis penè omnes occubuisse, timentes post eorum casum in præsidio remanere, succēso oppido, ipsi quoque in fugam versi sunt. At verò regionis incolæ *Armenii*, & alii fideles, quorū illic multa erat copia, prædictum occupant municipium, illud statim nostris Principibus antequam redirent ad castra, resignātes. Ceciderunt illâ die de hostibus quasi ad duo millia: ex quibus quingenta capita reportātes, erecti in spem bonam, & de gemino qui eis acciderat triumpho, lætantes, cum mille validis equis, qui eis plurimū erant necessarii, & spoliis ingentibus ad castra reuersi sunt, Domino maximas persoluentes gratiarum actiones.

III. At verò ciues interim totâ nocte promissum expectantes subsidium, votis ardentibus lucem affore præoptabant; vt videlicet hostibus exterius irruentibus, ipsi quoque nihilominus ab interius prodeuntes, nostros harum rerum ignaros & repertos incautius, possent opprimere. Videntes autē circa noctis nouissimā iam illucescente aurorā, quòd aduentus illorum nulla comparebant argumenta; & cognito per exploratores, quòd nostri Principes eis obuiam processissent, congregati ad inuicem, & per portas ciuitatis certatim egredientes, penè totâ die nostris grauissima intulerunt certamina, quousque de superioribus ciuitatis significantibus excubiis nostrorum aduentum, in vrbem se receperunt: vbi super turres & mœnia, & loca eminentiora constituti, aduentare quidem considerant legiones, ignari tamen nostrorū an suorum essent castra, quæ accederent. Tandem verò nostris propius accedentibus, vbi eorum cœperunt arma cognoscere, eosque prædam & manubias trahere conspexerunt; & eos redire victores, attritis suorum copiis compertum habuerunt, in grauia se dederunt, tanta spe frustrati, lamenta. Nostri verò ad vrbem accedentes, & castris illati, in victoriæ signum, & doloris eorum incrementum, ducenta Turcorum capita machinis

iaculatoriis

iaculatoriis in vrbem contorqueri fecerunt; reliqua verò ante vrbem in palis præceperunt conseruari suspensa: vt tam hæc quàm illa, *tanquam spina in oculo*, eorum augerent & multiplicarent molestias. Dicitur autem numerus fuisse eorũ qui ad prædictum Antiochenorum subsidium venire decreuerãt, ad viginti octo millia, sicut ex relatione captiuorum pleniùs compertum est. Factum est autem hoc mense Februario, septimâ die mensis, anno ab incarnatione Domini *M. XCVII.* Eodem tempore visum est nostris Principibus, vt in colle quodam qui supra domini Boamundi erat tentoria, castrum ædificaretur; vt si aliquãdo in nostras expeditiones Turci tentarent irrumpere, eis noua munitio impedimentum præstaret, & nostrorum castris esset quasi antemurale. Quod postquam factum est, & diligenti custodiæ deputatum, totus exercitus ita collocatus est in tuto, tãquam si vrbis mœnibus essent per circuitũ vallati. Erat enim eis ab Oriente hæc noua munitio; ab Austro murus ciuitatis, & palus muris adiacens; ab Occasu verò Solis & Septentrione, fluuius in ciuitatem se obliquans. Cumque iam in mensem quintum se protraxisset obsidio, naues quædam *Ianuensium*, Peregrinos & victualia deferentes, infra fauces fluminis egressæ à pelago, se contulerant; expectantes, & idipsum nunciis frequentibus exigentes, vt missis de Principibus aliquot, qui eos securè conducerent, ad castra proficiscerentur. Hostes enim scientes, quòd eorum qui in expeditione erant, frequens erat ad mare discursus, & eorum iterum qui in nauibus erant, recurrendi ad castra votum non remissius, vias obsidebant & itinera; & frequentes trãseuntibus porrigebant insidias, & stragem in eis operabantur: vnde non nisi in maximo comitatu ad castra præsumebãt accedere. Decreuerant autem per eosdẽ dies in capite pontis, vbi erat quoddã eorum superstitionis oratoriũ, munitionem quãdam nostri Principes erigere: vt minus liber hostibus per pontẽ pateret exitus. Sed quoniam infiniti de exercitu ad mare descenderant, qui peractis negotiis, ad castra redire proposuerant: eliguntur de Principibus dominus *Boamundus*, & *Comes Tolosanus*, & cum eis dominus *Eurardus de Pusato*, & comes *Garnerus de Gres*, qui Ægyptiorum nuncios redire cupientes, vsque ad mare prosequerentur; & eos qui in portu erant, tam qui recentes aduenerant, quàm qui de castris ad eos descenderãt, ad castra reducerent. Audientes verò Antiocheni, quòd prædicti Principes ad mare descenderant, missis quatuor millibus expeditorum militum illis obuiam, præcipiunt vt eis parent insidias; & incautè redeuntibus, si ita contigerit, viriliter occurrere non formident. Factum est autem, vt post diem quartum, cùm in redeundo essent; secum traherent inermis populi, & iumentorum victualibus, & omnimoda supellectile onustorum multitudinem, hostes eis in quibusdam locorum angustiis repente ex insidiis occurrerent. Præibat autem dominus comes Tolosanus, dominus verò Boamundus posteriora tuebatur agmina: qui licet viri strenui essent, & per omnia commendabiles, plebem tamen inconsultam pro voluntate regere non valentes, nec vires addere, vel alios, quibus natura negabat, postquam diu, tum pro sua honestate, tum pro illorum arcendo periculo restiterunt, videntes quòd mora ad se traheret periculum, nec eos ampliùs inutiliter laborare oporteret; sibi prouidentes, imparem nimis conflictum reliquerunt, ad castra cum suis qui eos sequi poterant, se conferentes. At verò vulgus relictis sarcinis & impedimentis, partim ad syluas, partim ad montes fugit: qui verò fugere nequiuerunt, hostium gladiis ceciderunt interempti. Facta est ibi nostrorũ strages maxima: sed de numero occisorũ quidam aliter & aliter nobis retulerunt: tamen plurium opinio est promiscui sexus & ætatis vsque ad trecentos cecidisse. Rumor interea ad castra peruenerat, eos qui à mari ascendebant, omnes in via hostium insidiis & congressione improuisâ, penitus corruisse: de Principum autem vita vel morte, non erat quispiam, qui pro certo aliquid nunciaret. Interea verò dominus *Godefridus*, sicuti vir erat impiger, & ad arma promptissimus, tantam pro DEI populo, quantam pro liberis gerens solicitudinem, conuocatis Principibus, & legionibus vniuersis, arma eos incunctanter iubet arripere: & emissâ voce præconiâ, sub pœna mortis interdicitur, ne quis tantæ necessitatis articulo se audeat subtrahere; sed omnes ad arma conuolent, fratrum sanguinem vindicaturi. Nec morâ, quasi vir vnus conuenerunt vniuersæ legiones: quibus in vnum redactis, pontem transit nauium; & per acies diuiso exercitu, Principes ei præficit, dominum *Robertum Normanniæ comitem*, domi-

Margin: A. D. 1097. | IV. | V. | line numbers 10, 20, 30, 40, 50

num quoque *Flandrensem*, dominum *Hugonem Magnum*, dominumque *Eustach.um* fratrem suum; singulis singulas acies distribuens, congruis locat stationibus; verbis infundens animos, ad virtutem inuitat, & tanquam viris prudentibus propositum aperit, dicens: *Si ita, vt nobis nunciatum est, peccatis nostris exigentibus, Domino permittente, de dominis & fratribus nostris hostes nominis & fidei Christianæ triumphauerunt, nihil aliud restare video, viri illustres, quàm vt cum eis moriamur; aut tantã Domino IHESV CHRISTO illatam vlciscamur iniuriam. Mihi, credite, quia nec vita, nec salus, morte, vel quolibet ægritudinis genere, carior est, si tantorum Principum sanguis impune effusus est super terram; aut tanta DEO deuoti populi strages, maturam non inuenerit vltionẽ. Videtur ergo mihi, quòd hostes de præsenti aliquantulum elati victoria, imprudentius se habebunt: & de sua virtute præsumentes, per nos ad vrbem redire, prædam & manubias inferre non verebuntur.* Solet enim prosperitas eos, quibus præsens arridet, reddere incautiores; sicuti versã vice, miseris & afflictis rebus, solet solertia maior accedere. *Nos ergo, si tamen ita vobis videtur, hic simus parati; & iustam causam fouentes, de obtinenda victoria, in eo cui militare nos credimus, spem certam habeamus: & hostes, si per nos redire voluerint, in ore gladii, hostium more suscipiamus, iniuriæ memores illatæ, & à paternis virtutibus non degeneres.* Placuit itaque sermo iste, & in oculis omnium visus est bonus; dumque in eo adhuc consisterent verbo, ecce dominus *Boamundus* à mari rediens, in castra se contulit; & post modicum interuallum, Comes est subsecutus: quos reuertentes, cum lachrymis, & plena caritate suscepit populus, tantorum Principum penè solatio destitutus. Intellecto itaque domini Ducis consilio, verbum approbant, & ita fieri oportere protestantur. *Axcianus* itaque cognoscens quia sui vicerant, timensque redeuntibus, maximè propter egressas de castris præter solitum legiones, quotquot erant in ciuitate armorum vsus habentes, sub edicto publico ad *portam Pontis*, præcipit conuenire, vt suis redeuntibus, opem impendere, si opus fuerit, non morentur. Nostri verò missis exploratoribus, diligenter percunctari faciunt, quo accedant itinere, de obtinenda victoria spem habentes in Domino.

VI. Nec mora, dum ordinatis aciebus, & erectis vexillis, hostium præstolantur aduentum, ecce aduolãt, qui eos in vicino constitutos denunciãt; & nostros armari, & hostibus exire obuiam, multã vociferatione hortantur. Illis verò appropinquantibus, & eatenus vicinis, quo nostris progrediendum esse videretur, inuocato de supernis auxilio, mutuò se exhortantes, vibratis hastis, pristinæ virtutis memores, in eos vnanimiter irruunt, gladiis instantes cominus. Dumque solita eis incumbunt instantia, & iniuriæ memores, quam pertulerant, nec respirandi permittunt ferias, emarcuit virtus eorũ, & præ timoris angustia renibus dissolutis, in fugam versi, versus pontem ciuitatis certatim contẽdunt. Sed præuenerat eorum molimina, in huiusmodi assuetus negotiis, *Lotharingiæ Dux* illustris: & locum, qui ante pontem eorum erat aliquantulum eminentior, cũ suis occupat; & eos quos venerabiles Principes gladiis insectabãtur, ad pontem volentes effugere, aut gladiis obtruncat, aut in agonem vnde fugerant violenter redire compellit perituros. Instat *Comes Flandrensium*, tanquam vir strenuus; & armorum vsum habens familiarem, cum suis sequacibus hostiũ prosternit agmina, obiiciẽs animosiùs & frequẽter quæ in nostros mala cõmiserãt, exaggerat. *Normannorũ* verò nihilominus *Comes*, à paterna virtute nõ degener, strenuè nimis in eodem desudat opere. *Comes* quoque *Tolosanus*, zelo DEI succensus; *Hugo* etiam *Magnus*, regii memor sanguinis, & à tantæ dignitatis culmine non recedens; *Comes Eustachius*, domini Ducis frater. *Balduinus* quoque, Hermaucorum Comes; & *Hugo de sancto Paulo*, cum aliis nobilibus, tantâ hostes animositate insequuntur, tantâ in eos virtute desæuiunt, vt contritis eorum viribus, more pecudum impunè cæderentur. *Acxianus* autem vrbis portas post suos quos inde ad pugnam emiserat, claudi præcipiens, vt eis animos ampliores infunderet, & pro desperatione reditus, magis animaret ad prælia, dum sibi credit consulere, suos inconsultè trahit in ruinam: dum enim nostrorum impetus, & armorum instantiam sustinere nõ valerent diutius, salutis vnicum erat fuga remedium: cuius spe frustrati penitus, passim gladiis cæduntur & pereunt, qui eã viã mortem poterãt euasisse. Erat autẽ in castris tantus armorum fragor, & gladiorum tinnitus & coruscatio, equorum fremitus, & populi vociferantis clamor, quòd nisi armorum genus manifestam inter eos præberet differentiam, multos potuisset error indiscretus imminentibus subiecisse periculis,

culis, aut sinistris casibus exemisse. Matronę autem ciuitatis cum filiabus, & paruulis, senes quoque & imbellis populus, de turribus & muro suorum stragem contuentes, gemitibus & lachrymis suorum deplorant exterminium: *felicia iudicantes quæ præterierant tempora; eos felices nihilominus, quibus mors amica pridem contulerat, ne istis inuoluerentur calamitatibus. Quæcunque fœcundas, beatas prius matres reputauerant; nunc mutato cantico, faustas esse steriles, & matribus multò prædicant feliciores.* Acxianus interea populum suum videns penitus defecisse, quodque residuum erat gladiis expositum, strage vicinâ consumendum, portas præcipit sub omni celeritate aperiri, vt populi reliquias in tuto permitteret collocari. Reserato autem aditu tanta per pontem fugientium facta est turba & tumultus, vt hostibus insectantibus, & præ timore se inuicem comprimentibus, infiniti præcipitarentur in fluuium. *Dux* verò *Lotharingiæ*, etsi in toto conflictu optimè se habuerat, tamen circa pontem iam aduesperascẽte die, tantum tamq; insigne virtutis, quâ singulariter præminebat, dedit argumẽtum, vt perpetuâ dignum iudicetur memoriâ factum eius celebre, quo se vniuerso exercitui reddidit insignem. Nam postquam multorum capita loricatorũ, sine ictus repetitione, solitâ virtute amputauit, vnũ de hostibus proteruiùs instantẽ, licet lorica indutum, per medium diuisit, ita vt pars ab vmbilico superior, ad terram decideret; reliquâ parte super equum cui insederat, infra vrbem introductâ. Obstupuit populus, visâ facti nouitate; nec latere patitur, quod vbique prædicat, factum tam mirabile. Cecidisse eâ die dicuntur de hostibus, quasi ad duo millia: quod nisi nox importuna, nostrorum titulis & palmæ inuidens, se intulisset immatura, finem eâ die proculdubio Antiochenorum habuisset negotium. Tanta autem circa pontem & in flumine perpetratæ cædis extabãt vestigia, vt mutato colore fluuius totus ad mare sanguineus descenderet. Fama est etiam, & ita per quosdam fideles, qui ab vrbę egressi ad nostros se contulerunt, pleniùs innotuit, quòd duodecim de maioribus eorum satrapis, in ea cõgressione gladiis obtruncati, irreparabile ciuitati damnum intulerunt.

VII. Luce demum posterâ solito cursu terris restitutâ, iterum conuenerunt Principes adinuicem, gratias Omnipotenti pro collata exhibentes victoria, vt de instantibus deliberarent negotiis. Visumq; est omnibus expedire, vt ad id, quod prius conceperant redeuntes, munitionẽ quandam in capite pontis erigerent: vt & ciuibus præpediretur exitus, & nostris securior discurrendi ministraretur facultas. Erat autem ibi, vt prædixisse nos meminimus, superstitionis eorũ oratoriũ; vbi etiã sepulturæ suorum, locum deputauerant. Illuc ergo tam nocte præteritâ, quàm diei parte sequentis iã exactâ, defunctorum suorum transtulerant & sepelierant corpora. Quod vt plebi nostræ pleniùs, & pro certo compertum est, illuc violẽter irruentes, occasione spoliorum, quæ cum ipsis tradita fuerant sepulturæ, sepulchra violãt; sepultos effodiunt, aurum & argentum, & vestes preciosas cũ ipsorum funeribus de monumentis extrahẽtes. Factũ est autem, vt qui priùs de numero interemptorum, eò quòd de nocte consummatũ erat prælium, dubitarent, per hanc talẽ reuelationem facti doctiores, pleniorem de hesterno negotio lætitiam conceperint. Nam præter eos qui in flumine variis casibus submersi sunt, & qui in vrbe sepulti, quiq; letaliter saucii, mortem adhuc præstolabantur imminẽtem, mille quingẽti in prædicto loco reperti sunt. Ex quibus trecenta vel ampliora capita ad portum dirigentes, nostros qui illuc ab hesterno conflictu redierant, lætificauerunt admodum: Ægyptiorum quoque legatos, qui nondum à portu discesserant, plurimũ in eo facto deterrentes: Vnde factum est, vt qui in mõtibus & speluncis, & syluis & frutectis, ab hesterno elapsi periculo, latebãt, audita nostrorũ victoriâ, ad castra se cõtulerunt: multiq; milites, quos in prælio cecidisse crediderant, sani & incolumes, auctore Domino, reuersi sunt. Vnde recepto populo, qui ad varia loca se cõtulerant, castrum circa pontis initiũ, ex ipsis lapidibus, quos de monumentis effoderant, vnanimiter & feruenti studio muro erigunt solido, & erectum vallo profundo communiunt. Dumq; inter Principes de eius custodia esset deliberatio, & nemo esset eorum, qui tanto oneri se vellet subiicere; & causas quisq; pro sua excusatione varias allegaret, vir DEO amabilis dominus *comes Tolosanus* vltrò se obtulit; & publicæ vtilitatis gratiâ nouum præsidium in suam suscepit curã. Vnde & vniuersarum expeditionum gratiã, quam toto anno valde demeruisse videbatur, sibi reconciliauit in integrum. Nam ab ęstate præterita, per totam insequentem hyemẽm, occasione cuiusdam ægritudinis, ita

remissus iacuerat, & penè inutilis, vt curam exercitus, quam Principum aliorum quisque pro viribus & studio supportabat indefesso, ipse solus videretur negligere, nemini se exhibens munificum, nemini affabilitatis gratiā indulgens: eratque id in eo notabilius, eo quòd omnibus aliis amplius posse & habere plura diceretur. Vt igitur & desidiam simul & auaritiam excusaret, onus prædictū gratanter assumpsit. Præterea in manu domini Podiensis, & quorundā nobiliū quingentas dicitur marcas argenti examinati, ad restaurationē equorum, quos in conflictu amisisse contigerat, dedisse. Vnde eius facti animosiores domestici, de damno equorū resarciendo habentes fiduciam, hostibus solito fortius instabant; & domini Comitis, quam passus fuerat, lenita est inuidia, ita vt ab omnibus pater & conseruator exercitus appellaretur. 10

VIII. Porta igitur pontis per prędictum nouum præsidium, in quo quingentos viros fortes dominus Comes locauerat, sic obsessa, vt ciuibus per eam non nisi cum maximo periculo pateret exitus, nostri ad necessaria prosequenda discurrebant liberiùs. Hostes verò iā non nisi per portā Occidentalē, quæ inter radicem montis & fluuium erat, exire poterāt. Et licet nostris, quorū castra omnia trans fluuium posita erant, non multum eorum exitus per eam portam posset esse periculosus: quia tamen nimis liberā euagandi videbantur habere licentiā; & vitæ necessaria per eam solā adhuc inferebātur obsessis: cōuenientes iterum, vt super huiusmodi necessariū haberent tractatū, viri virtutū, & immortalis memoriæ Principes, decernunt præsenti plurimùm expedire negotio, vt trās fluuium in loco ad id idoneo aliqua constitueretur munitio, vbi aliquo ex Principibus locato, illa talis euagandi amputaretur licentia. Cumque de constituenda munitione apud omnes cōstaret, nemo tamen se obtulit, qui eius præsumeret tuitionem sibi assumere. Dumq; sic hęrerent, & factum non procederet, dominus *Tancredus*, vir insignis & industrius, ad id muneris eligitur: sed cùm de rei familiaris tenuitate excusationem vellet intexere, prædictus *comes Tolosanus* ad opus ædificii centum ei marcas argenti contulit: & vt laboris consortibus honestum non deesset salarium, quadraginta eis marcæ per menses singulos ex publico sunt deputatæ. Sicque factum est, vt in colle quodam eidem portæ contermino, vbi pridem monasterium fuerat, præsidio locato, & viris prudentibus & robustis ad eius deputatis custodiam, dominus Tācredus tam strenuè, quàm feliciter, vsque ad consummationem negotii, debitā sollicitudine conseruauit illæsum. Erat autem inferiùs, secus fluminis decursum, secessus quidam inter montes & eundem amnem, herbidus, & pascuorū amœnitate simul & vbertate cōmendabilis, tribus aut quatuor vix ab vrbe distans miliaribus: in hūc ob defectū in vrbe pabulorū, Antiocheni equos ex parte plurima transtulerāt suos: quod vbi nostris compertum est, clàm conuocatis equitum cohortibus, quædam secuti viarum dispendia, vt propositum occultarent, ad locum prædictum cōueniunt: vbi occisis qui armentis præerant nonnullis equitibus, exceptis mulis & mulabus, duo millia nobilium ad castra deduxerunt equorum. Nec erat præda vel manubiarum genus aliud eo tempore, quod magis exercitui foret necessarium: nā suos tum in acie, tum fame, tum frigore, aliisque casibus innumeris penè omnes amiserant. 20 30 40

IX. Sic igitur ciuitate ex omni parte obsidione vallatā, vt iam ciuibus ad procuranda exteriùs negotia, nec liber exitus, nec sine difficultate daretur introitus, cœperunt multā difficultate laborare, & multis aggrauari molestiis. Victus enim deficiens & subitò exorta inopia, ciues plurimum molestabat: imminutā quoq; equorum vsibus alimonia, eos inediā tabescere, & omninò sua negare officia compellebat. Nostris autem solito liberior tum ad mare, tum ad alia loca ad quæ eos sua trahebat necessitas, progrediendi data erat facultas: vnde & in castris ex parte plurima releuata erat illa victus inopia, qua periculosè nimis per totā hyemem laborauerat exercitus. Nam decursā hyemis asperitate, & veris iam dulci temperie restitutā, sedato pelago, classis quæ in portu erat, ire & redire poterat tranquilliùs; & viarū difficultate temporis incalescentis beneficio deposita exire poterant, qui curā domesticā & familiari solicitudine ad procuranda negotia trahebantur. Et iam etiam qui in castris & in vrbibus finitimis, castrorum fugientes asperitatem, latuerant, reddito fauore temporis clementioris, iterum ad castra reuertebantur, arma reparantes; & redintegratis viribus iterū se accingebant ad prælia. Sed & dominus *Balduinus*, Ducis frater, de quo supra fecimus mentionem, de suarum cumulo diuitiarū, quas 50

ei, vt

ei, vt prædiximus, multâ liberalitate contulerat Dominus, audiens quod tantâ inopiâ laboraret exercitus, illorum decreuit de sua plenitudine piæ compassionis affectu, releuare paupertatem: & missis ingentibus donis, in auro, argento, sericis, equis nobilibus & preciosis, singulorum Principum rem domesticam reddidit ampliorē. Nec solùm maioribus, verùm & multis de plebe munificum se exhibens & liberalem, propensius omnium sibi reconciliauit gratiam, vniuersos in suā excitans caritatem. Insuper autē ne domino suo & fratri primogenito aliquid minus fecisse videretur, in terra quā citra Euphratem possidebat, omnes reditus quos circa *Turbessel*, & in suburbanis ei adiacentibus, in frumento, hordeo, vino & oleo habebat; nec 10 non & aureorum quinquaginta millia fratri designauit persoluenda. Præterea quidam Armeniorū potens satrapa, domini Balduini familiaris, *Nichossus* nomine, tentorium miri operis, maximæ capacitatis, gratiâ domini Balduini, per nuncios suos direxit ad dominum Ducem: sed positis in itinere à *Pancratio* insidiis, ablatū est prædictum tentorium à pueris deferentibus; & ex parte prædicti Pancratii, ad dominum Boamundum dono delatum est: quod postquam domino Duci innotuit, & per pueros prædicti Nichosii ita rem processisse cognouit, adiuncto sibi Flandrensium comite, cuius amicitia specialiter in tota expeditione vsus fuerat, dominum Boamundum conuenit, vt munus sibi destinatum & ablatum violenter, restituat: ille verò licet donationis nobilis viri Pancratii titulum prætenderet, seq; iustè pos-20 sidere, quod Dux petebat, allegaret: tamen ne tumultus fieret in populo, aut inter Principes scandalum oriretur, multâ precum reliquorum Principum victus instātiâ, munus quod sibi oblatum fuerat, restituit, gratia inter eos pleniùs reformata. Vnde miramur plurimùm, quod vir tantâ modestiâ insignis, tantaque morum dignitate conspicuus, rem modicam & contemnendam facilè, tantâ importunitate repetiit: nec aliquid nobis pro solutione occurrit, nisi quia scriptum est: *Nihil ex omni parte beatum.* & illud: *Quandoque bonus dormitat Homerus.* illud quoque tertium: *Opere in longo fas est obrepere somnum.* Vt enim in nobis sæpius à bono sentiamus defectum, humanæ leges conditionis habent. Interea famâ celebri vulgabatur, *Persarum principem* potentissimum, ad Antiochenorum instantiam, & suorum et-30 iam postulationes assiduas, ex vniuerso imperio suo, in eorum subsidium, innumerabiles dirigere copias; & infinitam Turcorum multitudinem in Syriam ascendere, sub deputatis magistratibus, lege edictali præcepisse. Nec solùm ab exterioribus rumor hic originem habebat & incrementum; verumetiam qui de vrbe egrediebantur, ad castra nostra habentes refugium, idipsum consonè protestabantur. Cumq; per dies singulos magis & magis rumor hic ampliaretur, & iam pro foribus dicerentur imminere, timor nostrum cōcussit exercitum; ita etiam vt dominus *Stephanus Carnotensium comes*, vir potentissimus & princeps illustris, quem ob meritum singularis prudentiæ principes suis consiliis quasi patrem præfecerant, simulatâ ægritudine, sumptâ à fratribus licentiâ, cum domesticis & familiaribus vniuersis, & 40 omnimodâ quâ plurimum abundabat substantiâ, ad mare descenderet, dicens se apud *Alexandriam minorem*, quæ non longè à portu in littore maris sita, initium præstabat Ciliciæ, moram velle facere, quousque receptâ plenâ conualescentiâ, & viribus resumptis, iterum redire valeat: quo discedente, secuti sunt eum, qui in eius comitatu aduenerant, viri quasi ad quatuor millia, qui ad mare perueniens, ad prædictam secessit Alexandriam, rei euentum præstolans: habens apud se propositum, quod si nostris in bello, quod sperabatur futurum, prosperè succederet, rediret ad exercitum, quasi de ægritudine conualescens; sin autem, in nauibus quas sibi parauerat, cum probro perpetuo & existimationis iactura, redire in patriam tentaret. Quo facto tam notabili, & perennem irrogante infamiam, Principes qui 50 in castris erant consternati, nobili viro compatientes, qui & decus generis, & honestatem propriam tantâ culpâ funestauerat, cœperunt anxiè deliberare, quomodo huic tanto malo possent occurrere: ne qui residui erant, pernicioso illius prouocati exemplo, simile aliquid auderent attentare. Placuitq; tandem de communi consilio, vt missâ voce præconiâ, omnibus generaliter ab exercitu discessus interdiceretur: adhibitâ pœnâ, quod si aliquis, cuiuscunq; conditionis officio fungeretur, aut cuiuscunq; dignitatis cingulo præemineret, furtim, & sine Principum licentia, se à castris subtraheret, tanquā sacrilegus aut homicida, perpetuæ subiaceret

X.

infamiæ, & vltimum præterea supplicium cogeretur subire. Factumq; est ita, vt *tum virtutis amore, tum pœnæ formidine*, nemo iam de cætero, nisi à Principibus impetratâ licentiâ, vel ad modicum auderet se à castris subtrahere; sed omnes vnanimiter tanquam viri claustrales, Principibus suis sine difficultate & molestia se obedientes exhibebant.

XI. Porrò hæc ciuitas DEO amabilis, à tempore Apostolorum, vt prædiximus, CHRISTI doctrinam, & iugum suaue, prædicante ei Apostolorum principe, suscepit, & vsque in præsentem diem fideliter & deuotè portauit. Dumq; totus concuteretur Oriens, *successoribus Mahomet* ad impietatem superstitionis & peruersorum dogmatum vniuersas violenter subiugantibus prouincias, hæc & eorum languorem respuit; & gentis incredulæ dominationem, quam diu potuit, ferre detrectauit. Nam cùm omnes à sinu Persico vsque ad Hellespontum, & ab India vsq; ad Hispanias, hereses illius seductoris, vniuersas occupassent regiones, hæc in medio peruersarum nationum, quasi sola & singularis, fidei conseruauit integritatem, & pro sua stetit viriliter libertate. Nam vix annorum quatuordecim elapsa erât curricula, ex quo perurgente eam intolerabili hostium procellâ, longis obsidionibus fatigati eius ciues inclyti, & iam diutiùs resistere non valentes, vrbem hostibus nominis & fidei Christianæ resignare coacti sunt. Vnde factum est, quod etiam aduenieme nostrorum exercitu, penè omnes ciuitatis habitatores fideles erant, sed nullam in ciuitate habentes potestatem: Nam eis negotiationi, & aliis mechanicarum artium officiis vacantibus, solis Turcis & infidelibus militare licebat, & maiores ciuitatis administrare dignitates: vnde nec arma eis licebat tractare, nec ad curam rei militaris admittebantur: & maximè postquam de aduentu Occidentalium Christianorum rumor ad Principem ciuitatis peruenerat, ita suspecti habebâtur, & præsertim postquam vrbem vallauerat obsidio, vt etiam non nisi certis horis de domibus exire, & prodire in publicum liceret. Erant autem ex eis in ciuitate familiæ valde nobiles, antiquam ducentes ex generosis proauis sanguinis dignitatem: inter quas erat tribus vna generositate insignis, quæ dicebatur *Beni Zerra*, quod in lingua Latina interpretatur, *Filii loricatoris*. Hi enim siue à primo eorum parente, qui hanc artem exercuit; siue ab eo quod ipsi hanc professionem exercerent, vt loricas intexerent, dicebantur *Filii loricatoris*. Probabilius tamen est, & videtur, quod quidam ex eis adhuc eidem arti darent operam; vt sicut nomen habebant hereditarium, ita & per successionem traditam artem non desererent. Vnde & in parte ciuitatis Occidentali secus portam, quæ hodie dicitur *S. Georgii*, turris vna, quæ vulgari appellatione dicitur *Duarum sororum*, vt in ea artis suæ, quæ domino & ciuitati plurimùm videbatur vtilis, quieti conuacarent, erat eis deputata. Erantq; in ea familia duo fratres, quorum maior, & qui contribulium suorum & familiæ princeps erat, dicebatur *Emirfeirus*, vir potens plurimùm, & vrbis domino multâ familiaritate coniunctus, ita vt in eius palatio Notarii fungeretur officio, & plurimâ esset insignis dignitate. Hic autem, quoniam vir erat valde industrius & vafer; audiens quod dominus *Boamundus* princeps magnificus esset & illustris, & in omnibus quæ exteriùs gerebantur, primas haberet partes: statim post vrbem obsidione vallatam, per fideles internuncios eius sibi conciliauit gratiam; totoq; obsidionis tempore, fideliter & deuotè se continuauerat in proposito; ita vt diebus penè singulis de statu ciuitatis, & Acxiani proposito eum redderet doctiorem. Dissimulabat enim quantum poterat, sicuti vir discretus erat & prudens, hanc quam cum domino Boamundo contraxerat familiaritatem, nè fortè aliis cognita, sibi & suis posset esse in periculum. Dominus quoque Boamundus versâ vice, hanc boni viri occultabat amicitiam, & arcanum penes se quasi sepultum comprimebat; ita vt nec eorum familiaritatis & discurrentis internuncii, etiam vtriusque domestici & contectales, nullum vel leue possent intelligere argumentum.

XII. Dumq; iam quasi mensibus septem hæc inter eos se continuasset gratia, ita occultè, vt diximus, plerunq; de eo, quomodo ciuitas Christianæ restitueretur libertati, sermo inter eos habitus est familiaris: cumq; super eo à domino *Boamundo* sæpiùs esset commonitus, semel eidem per filium, qui secretorum erat baiulus, respondisse dicitur: *Nosti, virorum optime, & meâ mihi luce carior, quàm syncerè te dilexerim, ex quo auctore Domino, in hanc communem gratiam descendimus: teneoq; nihilominus memoriter, quod in verbo tuo, firmam, & bono viro condignam reperi vsquequaque stabilitatem: vnde factum est, vt per dies singulos mihi magis & magis insinuêris, & multò*

& multò carior occurras. Super eo autem, vnde me commonuisti sæpius, nonnunquam solicitus deliberaui, partes congruo pensans libramine. Nam si patriam pristinæ restituere libertati; & exclusis immundis canibus, quorum violentâ dominatione premimur, DEI cultorem populum possem introducere, certus sum, æterna mihi non defutura præmia; & cum sanctis animabus æternæ beatitudinis non defuturum consortium. Si verò rem semel aggressus, difficilem & arduam, consummare nequiuero, certum est, & nulli venit in dubium, quin domus mea, & præclaræ nomen familiæ penitus deleatur, ita vt non memoretur nomen illius vltra. Veruntamen, quoniam consueuit emolumentorum spes, mortalium mentes ad similia sæpius inuitare: *si hoc posses apud tuos consortes obtinere, quod nostro studio traditam tibi, propriam* 10 *vendicares ciuitatem: ego tui gratiâ, (cui omne bonum, tanquam liberis meis cupio) ad prædictum opus, licet difficile videatur, auctore Domino, cuius glutino mihi coniunctus es, me accingam: & turrim hanc munitissimam, vt vides, cuius plenam habeo potestatem, sine difficultate tibi tradam, vnde vestris omnibus liber in ciuitatem esse poterit introitus. Si verò, sicut pares estis, ita vrbem captam, æquis inter vos portionibus proposuistis diuidere: ego gratiâ illorum, ad quos nulla mihi est proportio, in hoc periculum non descendo. Vnde tu diligenter elabora & enitere, publicæ vtilitatis & salutis gratiâ, vt apud tuos comprincipes id obtineas: sciturus procul omni dubio, quod quacunque die te id obtinuisse cognouero, vrbis tibi aditum, sicut persuadere niteris, aperire non differam. Ad hæc noueris, quod nisi hoc in proximo fiat, differetur fortasse in perpetuum: nam diebus penè singulis ciuitatis domino, & nuncii diriguntur & epistolæ, quod* 20 *qui in subsidium eius ex omni Oriente conuenerunt, circa Euphratem castrametati sunt, equitum ducenta trahentes secum millia. Quod si vos extra vrbem repererint, difficile est, vt & ciuium & aduenientium multitudinem hostium, tolerare possitis.*

XIII. Ab ea igitur die dominus *Boamundus* prætentare cœpit solicitus, & singulorum Principum corda percunctari diligenter, quid nam haberent in animo; & quid si vrbs obsessa caperetur, de ea disponerent: celans tamen propositum, nisi apud eos de quibus certum habebat, suis grato assensu obtemperaturos desideriis. Cumq; intelligeret se apud quosdam illorum non multum posse proficere, rem distulit vsque in tempus magis opportunum. Dux tamen *Godefridus*, & *Normannorum comes*, & comes simul *Flandrensium*, nec non & dominus *Hugo magnus*, eius acquieuerant postulationi, & grato cō- 30 currebant assensu; secretum nobilis viri approbantes, & admirantes prudentiam, & apud se occultum, & nemini vnquam publicandum comprimentes. Solus verò *Tolosanus comes* in eo ab aliis erat dissonus. Vnde factum est, quod res in periculosam penè descendit dilationem: nam nec ille, domini Boamundi familiaris, tantum sibi aliorum gratiâ laborem volebat assumere, nec tantis se mancipare periculis; nec ipse dominus Boamundus tantâ pro vtilitate communi, quantâ pro domesticâ & familiari laborabat instantiâ: familiaritatem tamen cum viro prædicto, muneribus & obsequiis prosequebatur, legibus syncerae impletis amicitiæ: missisque frequentibus, & receptis pariter nunciis, vtrimque semel concepto vires & fomitem ministrabant amori.

XIV. Interea qui ab *Acxiano* & ciuibus subsidium postulaturi 40 missi fuerant in Persidem, consummato pro votis negotio, & impetratâ postulatione, quam prætulerant, reuertebantur ad propria. Princeps enim ille magnificus, Antiochenorum molestiis, quas audierat compatiens, & occurrere volens nostrorum conatibus, & vires præcidere, ne regnorum eius aliquas partes suâ violentiâ possent comprimere; infinitas *Persarum*, *Turcorum*, *Curdinorumq́* copias in Syriam dirigit, quendam familiarem suum, de cuius virtute, fide & industria plurimū præsumebat, illis præficiens; & sub eo centuriones, quinquagenarios, & inferiores constituens magistratus, qui omnes eius & parerent & regerentur imperio. Epistolas præterea ad vniuersarum sibi subiectarum præsides regionum, vim legis obtinentes, ei delegat, præcipiens populis & nationibus, tribubus, & linguis, *vt omnes* 50 *sine excusatione dilectum filium suum* Corbagath, *quem exercitibus suis de meriti electione præfecerat, sequantur; & eius omnes subiiciantur potestati, parentes in omnibus quæcunque pro liberæ voluntatis arbitrio ipse imperare decreuisset.* Assumptis igitur de mandato domini, prædictis legionibus, & quæ toto itinere occurrebant, cum ducentis millibus *Mesopotamiam* ingressus, circaque partes *Edessanorum* castrametatus est. Hic cum eidem multorum relatione cognitum esset, quod vnus de Francorū Principibus, contra quos dirigebatur, tàm ciuitatem, quàm vniuersam adiacentē obtineret

prouinciam, decreuit antequam Euphraten pertransiret, prædictam impugnare & violenter occupare ciuitatem. Dominus autem *Balduinus* præcognito eius aduentu, vrbem suam victualibus, armis & viris strenuis vndique corrogatis, diligenter communierat, ita quod de eius minis & terroribus modicum quid erat sollicitus. Cumque voce præconiâ publicè mandatum esset cohortibus, vt vrbem obsidione vallarent, & obsessam totâ impugnarent instantiâ; videntes quod resistentibus strenuè ciuibus, non multum in eo facto possent proficere: qui sensus habebant magis exercitatos, ad illum accedētes Principem suum, post multa tandem persuaserunt, vt relictis incidentibus caussis, principale propositū exequeretur; & Euphrate transmisso, Antiochiam, quò principaliter dirigebatur, obsidionem dissoluturus maturaret. Nam in reditu suo, obtentâ victoriâ, vix vnius opus esset diei, & prædictâ occupare ciuitatem, & Balduinum vinculis mancipare. Cumq; per tres septimanas continuas ibi operam consumpsisset & impensam, præcepit legionibus vt transirēt fluuium: & ipse nihilominus transiens, proposito cœpit instare diligentiùs. Hęc autem eius circa partes Edessanas mora, caussa fuit quod dominus *Balduinus* prædictæ obsidioni se præsentem dare non potuit: caussa fuit etiam & nostrorum salutis. Nā si directo ad eos peruenisset itinere, sicuti & domino Boamundo ab eius amico prædictum fuerat, antequam vrbem obtinerent, in graui esset res eorum constituta discrimine: nam etiam vrbe priùs per DEI gratiam obtentâ, vix eius potuerunt aduentum sustinere.

XV. Rumor interea aduentum tantorum exercituum præcurrēs, castra repleuerat, & multis idipsum referentibus, quasi pro certo habebatur, quod in vicino essent constituti. Super quo Principes valde solliciti, viros experientissimos, de quorum fide & industria meritò possent pręsumere, ad loca dirigunt diuersa; vt quantâ possint diligentiâ, per suos, de quibus dubitare non erat licitum, percōtarentur & fierent prudentiores, an ita foret sicuti vulgò dicebatur. Eliguntur ergo ad id muneris viri nobiles & in armis strenui, *Drogo de Neella, Clarenbaldus de Vendoil, Girardus de Cerisiaco, Rainardus Comes Tullensis*, & alii nonnulli, quorum nomina non tenemus: qui ad varias partes dispersi cum suis comitatibus, sedulitate quantâ possunt diligenter inuestigant; & missis iterum suis exploratoribus ad loca vlteriora, ex omni parte expeditiones confluere & conuenire in vnum exercitus, sicut solent flumina in mare decurrere, pro certo colligunt: tandemque maturè reuersi, Principes qui eos miserant, super eo pleniùs instruunt, iam non de cætero dubitantes. Septem itaque diebus, antequam prædictus Princeps cum suis adueniret legionibus, pręmoniti sunt nostri Maiores exercitus, exploratoribus iniungentes, ne id populo notum fieret; ne fortè plebs famis angustiâ & laboris diuturnitate fatigata, timore concuteretur nimio, & de fuga cogitaret; quod quibusdam etiam de Maioribus nuper acciderat.

XVI. Conuenientes igitur adinuicem super facto in quo totius negotii videbatur summa consistere, in spiritu humilitatis & in animo contritò cœperunt adinuicem deliberare, quid in tanta necessitate fieri oporteret; tandemq; placuit quibusdam, vt omnes quotquot erant in obsidione, exteriùs aduenienti multitudini vrbe relictâ procedant obuiam ad duo vel tria miliaria: ibique cum superbo Principe, & de viribus suis nimiùm præsumente, inuocato de cœlis auxilio, belli fortunam experiantur. Aliis autem videbatur expedientiùs, vt partem exercitus in castris deserant, qui ciues egredi & hostibus admisceri volentes, infra mœnia cohibeant: pars verò potior & armis magis instructa, iuxta consilium priorum, aduenientibus hostibus in virtute Omnipotentis occurrant ad tria miliaria; ibiq; si ita est à Domino prouisum, congrediantur. Dumq; in hac deliberatione studiosiùs disceptarent adinuicem, & quisq; suam pro arbitrio daret sententiam, dominus *Boamundus* maiores Principes, dominum *Ducem Godefridum*, & dominum *Flandrensium Comitem Robertum*, dominum item *Robertum Comitem Normannorum*, dominum quoq; *Raymundum Comitem Tolosanum*, seorsum à turba secretiùs conuocat, & in loco familiari constitutos alloquitur, dicens: *Video vos, fratres dilectissimi, & diuinæ seruitutis consortes, de aduentu istius Principis qui venturus esse dicitur, multâ sollicitudine macerari; & in deliberatione præmissa variis affectos desideriis, varia sensisse: sed tamen neutram partium illuc se dirigere, vbi totius negotii summa consistit. Nam siue omnes egrediamur, vt volunt ex vobis quidam, siue pars in castris remaneat; videmur operam & studium, & impensas per tam longa tempora inutiliter expendisse: nam egredientibus vniuersis soluetur obsidio, & nostrum euacuabitur*

bitur propositum, ciuibus in suam se libertatem recipientibus, aut dum hostibus egressu libero se adiungent, aut dum vrbi auxiliares introducunt cohortes. Si verò pars legionum in castris remanserit, idipsum video de necessitate contingere. Nam quomodo poterit pars vna, præsente eorum subsidio, ciues infra vrbem cohibere, cùm nos omnes, viribus communibus & indiuisis, absque vlla spe subsidii deiectos, vix poteramus cohibere? Alterutrum horum mihi videor videre profectò futurum, vt vel suis coniuncti auxiliis, mixtis viribus in nos irruant fortiores; aut saltem introductis auxiliariis copiis, vrbem victu, & armis diligenter comuniant: ita vt etiamsi auctore Domino exteriores vicerimus, de obtinenda tamen vrbe nulla nobis fiducia reseruetur. Vnde mihi videtur, Patres reuerendissimi, quod illuc omnis nostra deberet festinare intentio, &
10 *circa id sollicitudo versari, vt ante huius tanti Principis aduentum ciuitas in nostram prius descenderet ditionem. Quod si modum quæritis, quo hoc nostrum tale consilium effectui valeat mancipari, ne impossibilia videamur suggerere, in promptu est nobis viam aperire compendiosam, & qua facilè ad finem perueniatur optatum. Amicum habeo in ciuitate fidelem, quantum humanus diiudicare valet oculus, & prudentem plurimùm: hic secundum quod aliquibus ex vobis iam me retulisse memini, turrim habet in sua potestate munitissimam, quam sub certis conditionibus, quotiens id ab eo exegero, fide mediâ obligatus, mihi resignare tenetur. Pro quo facto multam illi pactus sum dare pecuniam; sibiq; & hæredibus eius in perpetuum non modica prædia, & libertatem omnimodam, quasi pro labore salarium, si res optatum sortiri poterit euentum, fide interpositâ, compromisi. Si ergo vestræ videtur Amplitudini, vt nostrâ sollicitudine & studio*
20 *capta ciuitas in nostram iure hæreditario possidenda transeat iurisdictionem, paratus sum, cum prædicto familiari meo pacta complere. Sin autem, elaboret vestrum quilibet & quocunque studio vrbem poterit obtinere, habeat eam sibi in omni pace quietam: ego illi in præsentiarum meas cedo actiones, & iuri meo renuncio.* His dictis, Principes gauisi sunt gaudio magno; XVII. & petitioni oblatæ grato concurrentes assensu (excepto *Comite Tolosano*, qui partes suas se nemini cedere, proteruè nimis asseuerabat) vrbem cum suis pertinentiis iure hæreditario possidendam concedunt in perpetuum; & compromittentes adinuicem, & datis dextris se obligantes, quòd sibi creditum nemini reuelarent arcanum: dominumque *Boamundum* monent & hortantur attentiùs, quatinus ad rei consummationem totâ incumbat sollicitudine, ne periculosam intercedere patiatur
30 moram. Soluto itaque conuentu, ille sicut vir erat moræ impatiens, & ardenter vrgens propositum, amicum solitis conuenit internunciis; & significans quod apud Principes cuncta pro votis impetrauerat, amici animum solito reddidit lætiorem. Monet ergo & per fidem inuitat mediam, vt nocte proximè subsequente, auctore Domino, res effectui mancipetur. Acciderat autem medio, vt dicitur, tempore quiddam, quod ad conceptum prius opus eum nihilominus animauerat. Nam dum circa frequens ministerium & curam, quam in domo domini sui & vrbe vniuersa habebat amplissimam, detineretur occupatus, casu filium quem habebat iam puberem, ex caussa vrgente, sed nobis occulta domum direxisse dicitur, qui illuc perueniens rem inuenit detestabilem. Vnum enim de Maioribus Turco-
40 rum principibus, cum matre reperit puer, illicitâ carnis copulâ commisceri; quod abhorrens & dolore cordis tactus intrinsecus, ad patrem properus rediit, rem nefandam, seriatim pandens. Ille verò facti acerbitate permotus, & zelo maritali succensus, dixisse fertur: *Non sufficit canibus immundis, quòd nos indebitè iugo premunt seruitutis, & nostra cottidianis exactionibus debilitant patrimonia; nisi & thori leges violent, & iura dissoluant coniugalia. Ego, si vixero, hanc eorum, auctore Domino, abbreuiabo insolentiam, dignam pro meritis compensationem retribuens.* His dictis, iniuriam dissimulans, filium secreti conscium, & de illata matri turpitudine confusum, solito itinere ad dominum dirigit *Boamundum*, monens attentiùs, vt ad opus prædictum vniuersa præpararet necessaria; in se verò nullam
50 esse moram, quo minus nocte proximâ promissum impleatur. Significat nihilominus, vt circa horam nonam omnes Principes, singuli cum suo comitatu, tanquam hostibus obuiam profecturi de castris egrediantur: circa primam verò noctis vigiliam, clàm & cum silentio reuertentes, parati sint circa noctis medium, iuxta eius monita se habere. Susceptum ergo adolescentem, ad Principes secreti conscios occultè secum deducit: & consilii formam, quam per eundem à patre susceperat ordinatam, pandit ex ordine. Illi verò viri argumentum, & fidei stupentes synceritatem, consilium approbant; & ita fieri oportere consentiunt.

XVIII. Accidit autem per eosdem dies quiddam, quod in maioribus negotiis solet contingere frequentius. Ciuium enim & eorum maximè qui curam vrbis gerebant propensiorem, cœpit animus præsagire, non ex aliquibus euidentibus indiciis; sed magis ex suspicione, quod de vrbe tradenda occultè haberetur tractatus; cœpitque sermo iste in omnium ore penè versari. Vnde conuenientes adinuicem Maiores ciuitatis, Principem adeunt, super eo verbo consilium habituri: videbatur enim verisimile, & multæ ad id concurrebant præsumptiones. Erant enim in eadem ciuitate, vt prædiximus, multi fideles, qui etsi omnino huius reatus erant immunes, tamen suspecti habebantur: inter quos prædictus nobilis homo, & si de eius fidei synceritate *Acxianus* non modicè præsumeret, à reliquis magnatibus in eadem habebatur suspicione. Verùm & coram Acxiano positi, dum super eo facto deliberationem haberent sollicitam, inter alios qui videbantur suspecti, huius habuerunt mentionem: ideoque maiorem videbantur de eius suspicione habere rationem; quod & vir erat industrius, & præ cæteris fidelibus in vrbe potentior. Quibus prædictus Princeps quodammodo persuasus, eum ad se præcipit euocari: quo in eius præsentia constituto, de eodem verbo coram eo cœpit studiosè idem continuari tractatus, vt eius super hoc consilium audiretur; & deprehenderetur ex eius verbo manifestè, vtrum meritò suspectus esset vel non. Cõtigit autem, sicut vir industrius erat, & celeris valde perspicacitatis, quod protinus cognouit, quòd eius gratiâ ille talis haberetur conuentus, quòd apud eos suspectus haberetur: vnde, vt artificiosè celaret propositum, & se apud eos assereret innocentem, fertur dixisse his qui conuenerant vt tentarent eum: *Sollicitudinem geritis, viri venerabiles, & huius ciuitatis Principes maximi, valde commendabilem, & quæ non nisi in prudente locum potest habere.* Prudenter enim timetur, quod accidere potest; & abundans in re capitali cautela, non nocet. *Vnde non leui motu inducti esse videmini, vt pro libertate, vita, vxoribus & liberis hac geratis sollicitudinem. Est tamen, si nostro vultis acquiescere consilio, via compendiosa satis, qua huic morbo quem venturum formidatis, possit conueniens aptari remedium, & cura competens adhiberi. Hoc negocium tam detestabile, quod ita prudenter veremini posse accidere, nullatenus potest effectui mancipari, nisi per eorum operam, qui turribus & muris sunt præfecti, & ad portarum deputati custodiam. Quod si de eorum synceritate diffiditis, mutentur frequentiùs, ne in aliquo certo loco moram facientes diuturnam, perniciosam cum hostibus possint contrahere familiaritatem. Huiusmodi enim negotium non facilè absoluitur; sed temporis indiget diuturnitate; nec penes priuatam personam tantæ rei potest consistere momentum; nisi & de Maioribus ciuitatis, pari factionis scelere corrupti muneribus, inuoluantur. Mutatio verò hæc repentina & frequens, omnem huiusmodi periculosæ negotiationis amputabit opportunitatem.* Hæc cum dixisset, innocentiam visus est astruxisse suam; & suspicionem quam de eo conceperant, aliquatenus mitigasse. Placuit itaque eius sermo, & in oculis omnium visus est bonus; fuissetque statim effectui mancipatum eius consilium, nisi quia nocte irruente dies iam declinauerat; ita vt nequaquam circa vrbis statum tanta posset fieri mutatio. Curâ tamen vigili & exactâ diligentiâ vrbem præcipiunt custodiri, eorum quæ à prædicto viro tractabantur occultè, penitus ignari. Ipse autem sciens quod in proximo res esset maximam mutationem subitura, sedulũ se gerit quomodo interim propositum impleretur, antequam aliquid occurreret impedimẽti.

XIX. Porrò ciues ab ipso primo nostrorum introitu, ex quo circa vrbẽ locata est obsidio, suspectos habuerunt Græcos, Syros, & Armenios, & alios cuiuscunque generis, Christianæ fidei professores. Vnde statim eos qui tenuiores erant, nec sibi & familiolis suis poterant sufficere, victum penes se habentes necessarium, extra vrbem fecerant, ne vrbi essent oneri: solis diuitibus, & qui ampla habebant patrimonia, & alimenta penes se domibus suis sufficientia, retentis. Hos etiam tantis angariis affligebant, & parangariis, vt melius esse videretur his, quos ab vrbe depulerãt, quàm quibus pro summo beneficio vrbis indulserant habitationem. Nam & pecuniarias eis sæpiùs infligebant multas, id quod habere videbantur violenter extorquentes; & ad quælibet sordida munera & onera ciuilia rapiebant inuitos. Nam si erigendæ erant machinæ, aut immensi ponderis transferendæ trabes, statim id eis muneris iniungebatur. Hi lapides & cœmenta, & quamcunque materiam ad opus ædificiorum necessariam circumferre compellebantur: hi iaculatoriis etiam machinis, molares qui extra mitterentur tenebantur ministrare; & funibus quibus extra contor-

contorquebantur inseruire, pro arbitrio præfectorum sine intermissione, nullâ datâ requie, cogebantur. Demum verò postquam iniuncta sibi obsequia fideliter & deuotè compleuerant, colaphos & verbera reportabant, pro mercede indignis affecti contumeliis. Nec sufficiebat hoc immundis canibus, quorum violentâ dominatione premebantur: sed vt inauditam complerent malitiam, octo diebus, antequam supradictum virum, vt prædiximus, tanquam suspectum conuenirent, consilio secretiùs habito, vniuersos quotquot in vrbe habitabant fideles, subitò, & de nocte occidere decreuerunt: Quod nisi per quendam magnum & prudentem ciuitatis principem, qui semper Christianis se amicum exhibuerat, octo dierum ad 10 id complendum, inuitis aliis, datæ fuissent induciæ, procul omni dubio, missis spiculatoribus, illius tam perniciosi executoribus consilii, eâdem nocte vniuersa fidelium turba gladio cecidisset. Recepta autem fuerat eo intuitu octo dierum prædicta dilatio, vt interim considerarent, vtrum solueretur obsidio: quod si nostri in obsidendo perseuerassent, tunc quod decretum fuerat, executioni mandaretur; sin autem, parceretur ciuibus, qui ad mortem erant deputati. Effluxerant porrò feriæ, eaque nox erat nouissima; iamque secretiùs exierat edictum, vt prædicta executioni mandaretur sententia: cum de complendo eâdem nocte nostris proposito, inter dominum *Boamundum* & prædictum *Emirfeirum* conuenerat; & pro fixo fuerat statutum, vt quod multum antè inter eos conceptum fuerat, adimpleretur: quod au-20 ctore Domino factum est. Vnde accidit, quod eâdem nocte nostris vrbem occupantibus, pro excito tumultu, Maiores ciuitatis minus facti sunt soliciti; nihil aliud arbitrantes vrbis strepitum significare, quàm id quod in Christianos conciues præceperant exerceri. Vnde & vrbe violēter effractâ, in domibus fidelium reperti sunt de hostibus quamplures, qui ad hoc conuenerant, vt sicuti eis iniunctum fuerat, incautos repentè occiderent. XX. Igitur circa horam nonam, missâ voce præconiâ per castrorum ambitum, edicitur publicè vniuersis de equestri ordine, quatenus armati omnes, maiores sequantur Principes, id quod eis iniunctum fuerit, sine mora executuri. Erat autem non solùm plebs huius ignara secreti; verùm etiam paucis ex Maioribus reuelatum erat hoc mysterium. Factum est igitur, vt iuxta pruden-30 tis viri consilium, egressæ à castris vniuersæ equitum copiæ, Principum secutæ vexilla, longiùs se abire finxerunt, quousque nox irruens, terris solitam induxit caliginem: quâ occultati, clàm & in silentio ad castra sunt reuersi. Huic autem viro DEI, qui tantum nostris fauorem contulerat, frater erat vterinus, longè alterius mentis, & disparis propositi: cui frater, quoniam de eius non multum præsumebat synceritate, nihil secreti sui communicauerat; sed suspectum habens eum, quātum poterat propositum, occultabat suum. Accidit autem eâdem die, dum nostræ circa horam nonam egrederentur legiones, quod ambo fratres iuncti adinuicem per cācellos murorum, castra prospicerent, & egredientia contuerentur agmina: laborabat autem frater senior, iunioris nosse propositum, & eius voluntatem diligenter 40 indagare: vnde exorsus, ad fratrem dixit: *Misereor, frater mi, populo huic nostræ professionis gratiam & fidem consecuto, cui tam subitus paratur interitus: ignarus enim quid crastina pariat dies, securus egreditur, & quasi rebus in tuto locatis, nihil timere videtur: verùm si sciret quantæ illi præstruantur insidiæ, & quanta in proximo eorum paretur ruina, fortè aliter sibi prouideret.* Cui frater: *Stultâ*, inquit, *solicitudine consumeris, & indiscretâ compassione fatigaris: vtinam Turcorum gladiis iam occubuissent vniuersi: à die enim introitus eorum primo, multo deterior facta est nostra conditio: vixq́ esse poterit, vt tantum nobis per eos vtilitatis accedat, quantum molestiarum eorum occasione passi sumus.* Sic ergo qui priùs dubitauerat, an fratri suo communicaret propositum, nunc tanquam pestem declinans, abhorret animo, execratur in conscientia; & ne CHRISTI obsequium per eum præpediretur, 50 de eius cœpit morte (caritati fraternæ publicam fidelium præponens salutem) tractare. XXI. Interea dominus *Boamundus* totâ mente anhelus, quomodo votis satisfaceret, ne de eius desidia res optata susciperet dilationem, Principes circuit, totâ instantiâ monet esse sollicitos, scalam in funibus cannabinis satis artificiosè intextam, paratam habens præ manibus, quæ vncis inferiùs ferreis, superiùs verò ad murorum propugnacula debeat alligari. Iam verò nocte mediâ, cùm se vniuersa quieti dedisset ciuitas, continuis vigiliis, & labore immenso vires sopori ministrātibus, interpretem domesticum & valde familiarem ad prædictum amicum dirigit, vt ab

eodem sciscitetur diligentiùs, vtrum adhuc sibi velit adesse domini sui familiam. Adueniens autem ille, virum in cancellis reperit vigilantem. Cumque ei interpres voce submissâ, verba domini sui exposuisset, respôdit ei: *Sede quietus & tace, quousque præfectus vigilum, qui cum multo accedit comitatu, & fulgore lampadarum, locum istum pertranseat.* Erat enim in ciuitate consuetudo, quòd præter vigiles, qui singulis turribus erant deputati, eorum superior magistratus, ter vel quater in nocte, muros cum ingenti circuiret comitatu, faculas ardentes gestando præ manibus, vt si quos inueniret aut somno grauatos, aut negligentiùs se habentes, debitæ animaduersioni subiiceret. Pertransiens autem hic, cuius tanta erat iurisdictio, & prædictum virum vigilantem reperiens, eius commendauit diligentiam, ad vlteriora deproperans loca securus. Videns autem vir prædictus horam se obtulisse rebus agendis opportunam, interpretem sepositum alloquitur, dicens: *Vade citus; & dic domino tuo, vt cum viris electis festinus adueniat.* Qui dicto citiùs recurrens ad dominum, & paratum reperiens, conuocatis clàm aliis Principibus, & in ictu oculi, sicuti præmoniti erant subsequentibus, quisque cum suo domestico comitatu, subitò ante turrim diu antè prænotatam, quasi vir vnus astiterunt, ita vt nec clamor, nec strepitus ex eis audiretur. Interea ille vir prædictus turrim eandem ingressus, fratrem reperit somno grauatum, cuius quia mentem nouerat alienam à suo proposito, timens ne per eum rei iam penè consummatę ministraretur impedimentum, gladio transuerberat, *facto pius & sceleratus eodem.* Post hæc rediens ad cancellos, & quos euocari pręceperat præsentes conspiciens, dato & resumpto mutuæ salutationis affatu, funem demittit inferiùs, quo scalam ad se pertrahat subleuatam. Erectâ igitur scalâ, & tam à superiore parte, quàm ab inferiore firmiùs annexâ, nemo repertus est, qui ad vocem superioris, vel domini Boamundi mandatum præsumeret ascendere, & in se huiusmodi experimentum facere. Quod dominus *Boamundus* videns, conscendit ipse prior intrepidus. Cumque iam muri propugnaculo, transcursâ scalâ, manum adhibuisset, comprehendens eam qui erat interior, sciens quia Boamundi esset manus, dixisse fertur: *Viuat hæc manus.* Et vt eius & omnium fidelium sibi maiorem conciliaret gratiam, eò quòd fratrem vterinum, in opere tam sancto non consentientem transuerberauerat, inducit eum in turrim; & fratrem ostendit exanimem proprio sanguine cruentatum. Deosculatus igitur dominus Boamundus viri constantiam, & fidei synceritatem, ad murum rediens, emisso paulisper per cancellum capite, voce suppressâ suos ad ascensum cœpit inuitare: cumque adhuc dubitarent; nec erat aliquis ausus ascendere, totum reputantes sophisticum, quicquid de muro dicebatur: quo cognito, ad suos per eandem scalam rediens, suæ incolumitatis euidens dedit argumentum. Vnde factum est, vt certatim ascendentes, in momento murum replerent; & non solùm turrim illam, verùm & de collateralibus nonnullas occuparent. Audiuimus quod inter alios dominus *Flandrensium Comes*, & dominus *Tancredus* ascenderint, quorum doctrinâ cæteri regebantur.

XXII. Videntes verò Principes, quod sufficiebat numerus & prudentia eorum qui iam ascenderant, vt vna vel plures portæ aperirentur, sub omni velocitate reuersi sunt ad castra, vt suas præparent copias; & dato signo ab interioribus, vrbem ingredi non morentur. Qui verò supra murum ascenderant, virtute induti ex alto, duce prædicto viro qui eos introduxerat, iam decem turres, in eodem sine interpolatione tractu, occisis earum custodibus occupauerant: & tamen adhuc vniuersa quiescebat ciuitas, ita vt nec rumor aliquis audiretur. Erat autem secus eam partem muri, vnde nostri ascenderant, porta adulterina: ad quam descendentes, confractis eius vectibus & seris, eam violenter aperiunt; & admittentes eos qui de foris expectabant, creuit eorum nùmerus qui intus erant in immensum: ita vt ad *portam*, quæ *Pontis* dicitur, facto impetu concurrentes, cæsis gladio eius custodibus, eam violenter aperirent. Interea quidam de familia domini *Boamundi*, eius vexillum super eum contulerant montem qui vrbi præminebat; & iuxta præsidium superiùs in arce quadam, loco eminentissimo collocauerant. Cognoscentes autem quod aurora rutilans Solis ortum nunciaret, dato signo cornibus & lituis, cœperunt perstrepere ad vrbis ingressum, eos qui in castris erant, animantes. Principes verò, signi quod condixerant intelligentes argumentum, raptis armis, subitò sua secum trahentes agmina, in vrbem irruunt, aditus

aditus & portas occupantes. Interea populares exciti, quos hactenus secretum latuerat, videntes iam castra pene vacua, alios secuti, in vrbem certatim se ingerunt. Ciues autem tanto tumultu expergefacti, primùm dubitant, quidnam sibi velit clamor iste insolitus: deinde videntes discursus per vrbem loricatorum insuetos, & stragem quæ passim per vicos fiebat & plateas, rem pro vt erat, arbitrati sunt. Relictis ergo domibus, cum vxoribus & liberis tentabant effugere: dumq; armatorum declinant acies, latebras quærentes, & salutis viam, attoniti quid faciant, armatis se ingerunt imprudenter. Qui autem erant vrbis habitatores, Syri, Armenii & aliarum nationum fideles, hi de euentu qui acciderat congratulantes plurimùm, correptis armis, nostrorum se adiungebant cœtibus: & sicuti maiorum habebant locorum peritiam, ita alios post se trahentes vrbis docebant diuerticula; & portas, si quæ adhuc clausæ tenebantur, obtruncatis eorum custodibus, confractis seris aperientes, reliquum exercitus intromittebant. Videbatur eis hæc à Domino egressa vicissitudo, vt qui canibus immundis, indebitæ seruitutis iugo subiecti fuerant, angariis & parangariis & cruciatibus immisericorditer fatigati, nunc versâ vice, æquipollentes refunderent calumnias, & eis procurarent interitum. Et iam vniuersus nostrorum introductus erat exercitus; iam liberè portas turresque sibi vendicauerant, & mœnia; iam principum vexilla, & omnibus nota in locis sublimioribus constituta insignia, victoriæ dabant argumentum. Erant ergo vbique strages, vbique luctus, vbique mulierum eiulatus: & interfectis patribusfamiliâs, passim obtruncabatur familia; & effractis domibus, vasa diripiebantur; & vniuersa illarum substantia his qui primi accedebant, concedebatur ad prædam. Discurrebant victores per loca priùs inaccessa; & tracti cædis cupidine, & lucri desiderio, nec sexui parcunt, nec conditioni; ætatis etiam apud eos nulla erat differentia. Occurrentes autem sibi per vicos & plateas ciuitatis, quærunt diligentiùs vbi potentum sint domicilia, & vbi habitauerant locupletiores: illucq; iunctis concurrentes agminibus, interfectisq; domesticis, effringentes penetralia, nobilium liberos, matres quoq; familiâs gladiis transuerberantes, domus suppellectilem, aurum, argentum, & vestes preciosas æquâ sorte inuicem partientes. Cæsa fuisse dicuntur eâ die, de ciuium numero plus quam decem millia, quorum corpora passim & sine delectu per vias iacebant insepulta.

XXIII. *Acxianus* verò videns, quod hostibus erat tradita ciuitas, & quod turres & mœnia & vrbem sibi vendicauerant vniuersam; vidensq; quod populus, qui stragem euaserat, in præsidium certatim se conferebat, timens ne Christianus exercitus illuc eos prosequens, præsidium vellet obsidione vallare, solus absque comite per posticum egressus, amens, vitæ tamen & salutis quærens compendium, fugã iniit: dumque solus præ doloris angustia, sine certo proposito errabundus vagaretur, casu habuit obuiam quosdam Armenios, qui statim eum cognoscentes, accesserunt, quasi solitam exhibituri reuerentiam: dumq; ille, quasi extra se factus, hos passus esset ad se peruenire, cognoscentes ex eo, quod solus ita aufugerat, vrbem esse deuictam, violenter eum ad terram deiecerunt: & educto eiusdem gladio, caput ei præcidentes, in vrbem intulerant, coram vniuerso populo illud Principibus offerentes. Erant autem in ciuitate quidam nobiles, qui de remotis partibus ad Antiochenorum, gratiâ exercendæ virtutis, venerant subsidium: hi locorum ignari, cognito quod ciuitas in nostrorum deuenerat ditionem, dubii quid facerent, & pro vita solliciti, in præsidium superius se recipere decreuerant: dumque illuc totâ properarent intentione, casu accidit, quòd nostros à parte superiori habentes obuiam; & inter locorum intercepti angustias, ita vt neque ascendere, neque descendere, propter montis deuexitatem liceret, instantibus nostris desuper, dum quocunque modo fugere nituntur, præcipitati sunt cum equis & armis, quibus erant insigniti, quasi trecenti: qui confractis ceruicibus, & membris contritis, vix de seipsis reliquerunt aliquam memoriam. Qui autem aut de vrbe, aut de adiacente prouincia locorum habentes peritiam, inuenti sunt expeditiores, hi summo diluculo, postquã cognouerunt vrbem effractam, per portas, quæ iam incipiebant reserari, iunctis agminibus egrediebantur, vt confugerent ad montana: quos nostri cominus insectantes, partem reduxerunt, violenter eos compedibus alligantes; pars equorum erepta beneficio, ad montana confugiens, vitæ consuluit & saluti. Circa horam verò diei quintam, redeuntibus nostris, qui egressi fuerant; & qui per vrbem dispersi fue-

rant recollectis adinuicem, quæsitum est diligentiùs, & pro certo cognitum, quod nihil prorsus alimentorum in vrbe repertum fuerat: nec mirum, cùm iam penè mẽsibus nouem continuâ obsidione vallata fuisset. Sed tamen in auro, argento, gemmis, vasis preciosis, tapetibus & holosericis, tot & tantæ repertæ sunt copiæ, vt qui prius mendicabat esuriens, nunc factus locupletior, omnibus affluenter abundaret. Reperti sunt autem in tota vrbe, qui ad arma facerent, equi vix quingenti; & hi etiam confecti macie, & inediâ tabescentes. Capta est ergo *Antiochia*, anno ab incarnatione Domini, *Millesimo nonagesimo octauo*, mense Iunio, tertiâ die mensis.

A. D. 1098.

EXPLICIT LIBER QVINTVS.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI SEXTI.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI SEXTI.

INCIPIT LIBER SEXTVS.

CAP. I.

SEDATO autem tumultu, & gladiis inebriatis sanguine, fessis à cæde continua victoribus, cùm iam ciuitas quieuisset: conuenientes adinuicem Principes, multum adhuc superesse laboris, & nondum consummatum negotium intelligentes, per portas & mœnia designatis custodibus, in montem ascendere decreuerunt, & oppugnare præsidium. Et missâ voce præconiâ, cohortes vniuersas, in montem prædictum ascendere certatim compellunt:

pellunt:

pellunt: quò peruenientes, cum præsidii constaret munitione, quod omnino esset insuperabilis, & quòd solâ fame poterat expugnari; videntes quòd inutiliter consumerent operam & studium, & res multorum dierum ferias exigeret, ad alia se conuertunt argumenta. Mons enim iste, qui vrbi præminet, valle quadam profundissimâ, & deuexo plurimùm præcipitio diuisus est, ita vt eius pars quæ in Orientem respicit, sit humilior, largam in sui vertice habens planitiem, vinetis aptam & agriculturæ: tanta tamen est profundæ intercapedinis distantia, vt potiùs montes duo, quàm vnus in duo diuisus videatur. Qui verò in Occidentem protenditur, lõgè sublimior est, & cacuminatus, in cuius parte sublimiore situm est presidium, muro solido, & turribus validioribus; ab Oriente & à Septentrione prædictum habens immane & in modum barathri præcipitium; ita vt nec excogitari possit, quomodo ex illis duabus partibus præsidio noceatur. Ab occidẽte verò collis erat depressior; inter quem & præsidium vallis erat, sed modica, nec latitudine diffusa, nec profunditate præceps, per quam volentibus à præsidio in vrbem descendere, iter vnicum & singulare, satis per se nemine impugnante periculosum. Hunc ergo collem nostris visum est Principibus occupare, ne fortè per portam præsidii hostibus immissis, in nostrorum læsionem, in vrbem pateret descensus. Locatis ergo ibi viris prudentibus & strenuis, & relictis tam in armis, quàm in victu necessariis; factoq; muro cum propugnaculis ex opere solido; & locatis super eum ordine cõgruo machinis, quibus à se hostium possent repellere molestias: Principes de maioribus deliberaturi, in vrbem descenderunt, ad eundem locum completis negotiis redituri. Omnes enim illic moram facere, quousq; expugnaretur præsidium, decreuerant: excepto domino *Duce*, qui de communi Principum consilio, portam Orientalem in suam receperat custodiam; simul & præsidium, quod nostri extra vrbem firmantes, domino Boamundo commiserant. Audientes igitur, quòd magnus princeps, de quo suprà dictum est, *Corbagath* videlicet, in proximo venturus esset, & iam fines Antiochenos ingressus, innumerabiles infuderat copias: decernunt vsque ad mare aliquem de Principibus dirigere, vt eos de fratribus, qui illuc gratiâ alimentorum & colligendi victus se contulerant, reuocent; & quicquid necessariorum illic repererint, totum ad vrbem quantociùs præcipiant comportari. Factum est autem, vt per illud biduum, quod vsque ad aduentum maiorum copiarum superesse videbatur, in omni solicitudine discurrentes, quicquid victus & pabulorum vndecunque contrahere potuerunt, in vrbem introducentes, ad eius conductionem toto studio laborarent. Sed & suburbanorum incolæ, & agrorum cultores, scientes Christianis vrbem esse redditam, quæcunque inferre poterant, diligenti studio cõportabant. Sed modicum erat, & penè nihil quod vndique inferebatur: nam diutina obsidio, quæ mensibus nouem continuis vniuersam exhauserat regionem, nihil reliqui fecerat, vnde vel ad paucos dies nostris posset subueniri. Alterâ verò die post vrbem captam, cùm nostri circa vrbis custodiam, & pro inferendis alimentis essent valde soliciti, ecce trecenti equites de exercitu *Corbagath* studiosè præmissi, si fortè ex nostris aliquos extra vrbem incautè se habentes reperire possent, armati ad vnguem, & equis inuecti celeribus, iuxta vrbem se locant in insidiis. Ex quibus triginta, qui equos videbantur habere velociores, vsque ad vrbem cœperunt discurrere, ex industria ignorantiam prætendentes, & discurrentes incautiùs. Hos cùm nostri qui in ciuitate erant, ita viderunt discurrere, ægrè tulerunt, indignum omnino reputantes, nisi eis obuiam procederetur. Vnde vir in armis strenuus, cuius multa in eodem exercitu egregia fuerũt opera, *Rogerus* videlicet de *Barnavilla*, de comitatu domini Roberti Normannorum comitis, assumptis secum cõsortibus quindecim, eis in occursum ab vrbe properat, more suo aliquid insigne gesturus. Qui dum laxis habenis in prædictos excursores irrueret animosiùs, subitò, sed fraudulenter, in fugam versi sunt, tamdiu fugam continuantes, quousque ad suorum peruenerunt insidias. Vnde consurgentibus his qui latuerant, reintegrato suorum numero, in eos qui socios insectabantur, calle reciproco irruentes, in fugam adegerunt: dumque *Rogerus* & sui, viribus impares & numero, in vrbem se contendunt recipere, hostilium equorum velocitate præuentus, ictu sagittæ trans præcordia letaliter confossus, equo lapsus interiit: vir suis perpetuò lugendus, expeditionis Christianæ quantum in se erat, fidelissimus procurator. Cæ-

teris autem in vrbem se recipientibus, in præsentia omnium qui in muro erant & turribus, nemine ex eis opem ferente, viri memorabilis capite amputato, hostes reuersi sunt indemnes. Quibus abeuntibus, nostri corpus eius cum honestis exequiis, non sine lachrymis & vniuersorum gemitu in vrbem introducentes, in porticu basilicæ Apostolorum principis, supremo humanitatis officio, præsentibus Principibus & vniuerso populo, sepulturæ dederunt magnificè.

III. At verò sequenti die, quæ ab vrbis liberatione erat lux tertia, summo diluculo, circa Solis exortum sæpe dictus Princeps potentissimus, cum infinitis, & maioribus etiam quàm priùs diceretur copiis, regionem quantum ex sublimiore ciuitatis parte poterat quis intueri, suorum multitudine occupauerat vniuersam: & ponte superiore trāsito, inter lacum & fluuium, qui inter se quasi spacio vnius miliarii distare videntur, castrametatus est. Erat autem tanta expeditionum eius multitudo & militiarum numerus, vt etiam illa tam insignis planicies, in qua sitam esse prædiximus Antiochiam, vix eorum castris sufficeret, vt de collibus etiam vicinis locando tabernacula, nonnullos occuparent. Die demum tertiâ postquam ante vrbem castrametatus est, videns quia nimis esset ab vrbe remotus, habito cum suis cōsilio; vt his qui præsidium tuebantur, de loco viciniore conferret solatium; & vt per eam portam, quæ castro, suberat suos in ciuitatem posset immittere, solutis castris, ad montana conscendit, à porta Orientali vsque ad Occidentalem vniuersum Australe latus continuâ vallans obsidione. Erat autem secus eandem Orientalem portam præsidium quoddam in colle aliquantulum edito situm, quod ab initio ad castrorum tuitionem fundatum, domino *Boamundo* prius tradiderant conseruandum: vrbe verò captâ, postquam generalem cœpit gerere administrationem, prædictam munitionē, simul cum vicina porta, *domini Ducis* custodiæ deputauerunt. Circa quod præsidium, dum castra hostes locassent sua, & his qui erant in præsidio assultus darent cum multa instantia frequentissimos, *Dux* eorum non ferens insolentiam, cum suo egressus est comitatu, vt his qui in præsidio erant penè deficientibus ministraret subsidium, & castra quæ ante portam erant locata dissolueret: sed egredienti Duci, & suis volenti subuenire, occurrit Turcorum multitudo ingens, quam & viribus & numero longè superiorem Dux sustinere non valens, vix eorum ereptus gladiis, fugâ initâ, in vrbem se recepit: vbi hostibus proteruè nimis insistentibus, dum plebs indiscreta comprimeretur acriùs, & mutuò sibi præ turba negarent introitum, ducenti penè partim oppressi, partim vulneribus saucii, nonnullis etiam captis, miserabiliter perierunt.

IV. Sic igitur Duce confuso, qui quasi omnium præcipuus videbatur, Turci in tantam elati sunt audaciam, vt per portam superioris præsidii, quibusdam notis compendiis, in vrbem descendentes, in nostros subitò irruerent: & reperientes improuidos, sagittis & gladiis plerunque multos interficerent: nostris autem eos insequentibus, subitò montem corripientes, in arcem se recipiebant superiorem; aliunde vias habentes, quàm per eum collem, quem nostri occupauerant & communierant diligentiùs. Dumque sæpius ita contingeret, & multi de populo in ciuitate, hac fraude deperirent, conuenerunt in vnum Principes, vt huic tanto malo remedium procurarent. Factumq; est, quòd de communi cōsilio, dominus *Boamundus*, & dominus *Comes Tolosanus*, inter partem vrbis inferiorem & cliuum montis, vallum duxerunt profundum admodum, & latitudinis competentis; quo impetus eorum qui descendere de monte consueuerant, retardaretur, & populus infra vrbem posset tranquillus quiescere. Et vt etiam vallum ad sui tuitionem redderent habiliùs, munitionem ibi construunt, fidelem & deuotam operam impendentibus; tanquam pro salute propria, vniuersis legionibus. *Turci* verò, qui superiùs adhuc obtinebant præsidium, & qui exteriùs erant in obsidione, per superiorem portam admissi, per occultas semitas descendentes, huic nouæ munitioni frequentes dabant assultus; & quantâ poterant instantiâ, vt eam deiicerent, elaborabant. Accidit autem die quadam, quod erumpens à superioribus partibus, per solita compendia Turcorum manus solito numerosior, circa prædictum, & de nouo conditum præsidium, tantâ cœpit eos qui intus erant oppugnare instantiâ, quòd nisi Principes qui aliis vrbis partibus erant ad custodiam deputati, & vniuersus qui per vrbem dispersus erat populus, maturiùs subuenisset, penè dominum *Boamundum* & *Eurardum de Pusato*, *Radulphum de Fontanis*,

Reibaldum

Reibaldum Creton, Petrum filium Gilæ, *Albericum* & *Iuonem*, viros strenuos & nobiles, qui ad eius tuitionem intrò se contulerant, expugnassent: sed aduenientes cum multo impetu *Dux*, & *Comes Flandrensis*, & *Princeps Normannorum*, eorum adeò represserunt insolentiam, vt interemptis pluribus, & captiuatis nonnullis, non solùm à presidio, verùm ab vrbe vniuersa, conuersos in fugam, & malè tractatos, sub omni celeritate fugere compellerent: qui ad dominum suum reuersi, nostrorum vires, & admirabilem animorum constantiam prædicabant. ita vt in eis videretur completum illud vaticinium: *Lingua canum tuorum ex inimicis*: nam fidelis populi extollebant præconium, qui erant eius persecutores. *Corbagath* verò, cum per dies quatuor in montanis, vt prædiximus, moram fecisset continuam, videns quòd non proficeret, & quòd equis pabula deficerent, solutis castris, iterum cũ vniuersis legionibus suis denuò descẽdit ad campestria; & transito flumine, per vadum inferius, partitis agminibus æquipollẽtibus spaciis, & locatis in gyrum principibus suis, vrbem vallat obsidione: vbi dum die sequente, quidam ab exercitu diuisi, nostros ad conflictum prouocarent, contigit vt de equis descendentes, & his qui in muro erant instantes proteruiùs suorum iacturam incurrerent. Dominus enim Tancredus per portam egressus Orientalem, in hos tales irruit subitus; & antequam ad equos possent habere recursum, sex ex eis interimens, reliquos in fugam adegit: quorum amputans capita, in vrbem intulit ad consolationem populi, qui pro defectu Rogeri de Barnauilla, qui ibidem occisus fuerat, graui mœrore concutiebatur. Interea populus, qui paucis ante diebus eandem vrbem obsederat, & obsessam sibi vendicauerat violenter, nunc versâ vice, sicut & rerum solet esse vicissitudo, obsidionem sustinens, graui supra modum molestatur inediâ, & immensis supra vires fatigabatur laboribus. Foris erat gladius, & intus pauor. Nam, præter eam, quam de numerosis expeditionibus quæ ab exterioribus vrbem obsederant, meritò conceperant formidinem; hostibus adhuc præsidium detinentibus, vnde fiebant sępissimè, vt dictum est, irruptiones, non erat illis tranquillitas. Fiebat igitur, peccatis eorum exigentibus, quòd multi in desperationem lapsi, professionis immemores, & iuramentorum quæ exhibuerant prodigi, clam funibus & in sportis per murum demissi, derelictis sociis, aufugerant ad mare: ex quibus nonnulli in manus hostiũ deuenientes, perpetuæ mancipati sunt seruituti; alii verò ad mare peruenientes, eos qui in nauibus erant, præcisis anchoris, in fugam compulerunt, dicentes: *Princeps hic magnus, qui cum innumerabilibus aduenit copiis, vrbem quam nos expugnaueramus, extincto vniuerso nostrorum numero & Principibus interemptis, violenter recepit: nos autem opitulante Domino, gladios eorum euasimus. Vos igitur funes præcidite, & maturate fugam, ne ad mare descendentes, pari vos inuoluant periculo.* Ipsi autẽ cum eis conscendentes, fugã inierunt. Erãt autem qui sic aufugerant, non solùm de popularibus & plebeiis, verùm etiam viri nobiles, & multâ generositate insignes: *VVilhelmus* videlicet *de Grantemaisnil*, vir inclytus de Apulia, qui sororẽ domini Boamundi habebat vxorem, & *Albericus* frater eius; *VVilhelmus Carpentarius, Guido Trussellus*, & *Lambertus Pauper*, & alii multi, quorũ nomina non tenemus: quia deleta de libro vitæ, præsenti operi non sunt inserenda. Nõnulli etiã, quod multo erat abominabilius, futuri timore periculi, famis & laborum impatientiâ, ad hostes se conferebant, CHRISTI doctrinã & eius fidem cum impietate abnegantes. Hi de statu nostro certificantes aduersarios, supremũ eodem modo penè nostris intulerunt periculũ. Alii verò qui in ciuitate remanserant, spem diffugii nihilominus ex parte plurima cõceperant. Sed vir vitæ venerabilis, *Podiensis episcopus*, & dominus *Boamundus* Princeps illustris, eorũ præuenerunt molimina. Nã designatis per portas singulas viris prudentibus, & de quorum experientia simul & fide meritò præsumerent; turribus quoq; per singulos nobiles collocatis, ita nocte & die studio indefesso seruabãt excubias, vt nemini penitùs, quantumcumq; properanti & arguto, vlla pateret via subterfugii. Et vt liberiùs generalem, quę eis concessa fuerat, exercere possent iurisdictionem, iurauerunt omnes, à maiore vsque ad minimum, quod vsque consummationem negotii Antiocheni, & bellum quod sperabatur futurum, completum, domini *Boamundi* mandatis deuotè & fideliter obedirẽt: vnde ille incessanter nocte ac die, suis comitatus domesticis & familiaribus, & de his quibus ampliorẽ habebat fidem, vicos & plateas, muros & turres ciuitatis cũ multa circuibat sollicitudine, diligẽter inuestigãs, ne quis incautè se ha-

Psal. 67, 25.

V.

beret, ne quis hostium introitus pateret insidiis. Erant autem præsidia quatuor, in quibus maior exigebatur custodię diligentia: Superiùs videlicet, quod cõtra arcem superiorem è regione positum erat: Secundum item, quod inferiùs, infra vrbem supra vallum erat constitutum, cõtra eorum irruptiones, qui à porta castri superioris in vrbem consueuerant descendere: Tertium extra portam Orientalem positum, quod ad castrorum custodiam ante vrbem captam fuerat fabricatum: Quartum quoque, quod in capite pontis constructum fuerat, per quod porta pontis nouissimè fuerat obsessa: cuius curã dominus *Comes Tolosanus*, ex quo ciuitas capta fuerat, cum aliis in vrbem se conferens, dereliquerat. Vrbe autem captâ, *Flandrensium comes* prædictum ingressus castrum, cum quingentis viris fortibus & strenuis diligenter 10 communierat, timens, ne si in manus fortè hostium deueniret, nostris per pontem introitus negaretur & exitus; in quo fieret obsessorum deterior multò conditio.

VI. Contigit autem die quadã, quod videns *Corbagath*, nostros nimiam egrediendi & ingrediendi habere licẽtiam; & prædictum iuxta pontem præsidium, multùm suis obstare conatibus: præcipit de suis ad duo millia loricatorum armari, & prædictum cum omni instantia impugnare præsidium. Illi autem dicto citiùs parentes, circa prædictæ munitionis vallum congruis locatis stationibus, quantâ possunt instantiâ, immissâ sagittarum grandine, prædictum locum, ab hora diei prima vsque in vndecimam continuis infestant assultibus, & congressionibus impugnant: Comite cum suis resistẽte viriliter, & locum, cuius tuitionem assumpserat, totis viribus 20 protegente. Cumq; circa Solẽ iam occiduum, & vesperam imminentem viderent impugnatores, quòd nõ multùm proficerẽt, soluto assultu ac castra reuersi sunt. At verò Comes timens ne multiplicatis viribus, in crastino ad opus simile accingerentur; sciensq; quod nullatenus posset contra tãtum exercitum, prædictam tueri munitionem, intempestę noctis silentio ignem adhibens, & incendio tradens vniuersa, in vrbem cum suis eiusdem rei consortibus se contulit. Mane autẽ facto redeuntes in idipsum qui hesternâ die castrum impugnauerant, assumptis sibi duobus aliis millibus, iterum ad idem opus se accingunt; & ad prædictum locum properantes, vbi desertum reperiunt, & ex parte plurima dirutum, infecto negotio reuersi sunt ad propria. Per eosdem dies accidit, quòd quidam de hostium exercitu latenter e- 30 gressi, quosdam de nostris casu obuiã habentes, viros egenos & inopes, proficiscentes incautiùs, ceperunt: quos ante Principem suum deductos statuerunt, vt ei tanquam domino, successus sui & manubiarum dedicarent primitias. Ille autem in captiuis & armorum, & habitus contemnens vilitatem (erant enim eis arcus lignei, enses quoque sordebant operti rubigine; vestes etiam præ continuis laboribus laceræ, & assiduitate vtendi prætendentes vetustatem: non enim erant populo peregrinanti, diuersa, quibus alternatim vterentur, mutatoria) dixisse fertur: *Ecce populus qui regna debeat sollicitare aliena; cui pro multis diuitiis deberet sufficere, vt in quocunque terrarum angulo panis eis quasi vilibus daretur mercenariis. Ecce arma, quibus Orientalium ingenuitas debeat flagellari, quibus vix passer ictus periret. Alligate eos, & compeditos cum armis* 40 *suis, & isto suo habitu, domino meo qui me misit repræsentate, vt ex istis colligat quàm nullius momenti sit de talibus triumphare; qualesq; habendi sint, quos tam miserabilis populus se gloriatur subegisse. Abiiciat ergo à se curam, & omnem istam super me proiiciat sollicitudinem: in proximo enim erit, quòd canes eæ immundæ comparere desinant, & consumptæ penitùs nequeant in populis numerari.* His dictis tradi præcipit quibusdam ad hoc deputatis, qui eos iuxta eius definitionem ad maiorem Soldanum vinctos deducerẽt in Persidem. Leuissimum enim iudicabat, eos sibi posse subiicere, quorum virtutem nondum expertus fuerat: quod quia sibi pro gloria putauerat adscribendum, vt eos apud dominum suum vilipenderet, id in eius postea confusionem retorsum est: quanto sanè à contẽptibilioribus, suo iudicio, victus abiit & confusus, tanto illi maior est inflicta con- 50 tumelia; tantoq; maior irrogata confusio. *Solet enim esse victis quasi pro solatio & casum reddere leuiorem, si à viris fortibus & strenuis dicantur superati: sicut è diuerso, ruborem ingeminat, & adauget ignominiam, ab indignis & vilibus obtenta victoria.*

VII. Vrbe igitur sic ex omni parte obsidione vallatâ; cùm iam populo egredi vel ingredi, & sua exteriùs procurare negocia non liceret, facta est nostrorum multò deterior conditio: Nam cùm nihil inferretur alimentorum, exorta est fames in ciuitate solito vehementior, ita vt præ defectu victualium, & famis importunè vrgentis acerbitate, ie-

iuna

igna plebs propagandi cibi gratiâ, ad turpia nimis declinaret compendia. Non erat in escis, etiam apud delicatos, differentia; non erat mundorum ab immundis legalis illa distinctio: sed quod casus offerebat, siue gratis siue cum precio, id in cibum vertebatur: inde venter rugiens & famelicus, si tamen ad hoc sufficiebat quod assumptum fuerat, implebatur. Non erat rubor nobilibus, non ingenuis verecundia, mensis alienis importunos se conuiuas ingerere, auidè manibus alienis inhiare, importunè petere quod sæpius negabatur. Fugerat à matronis, quibus aliquando familiaris fuerat pudor, à virginibus reuerentia: & suorum oblitæ nataliũ, exhaustâ facie, vocibus flebilibus, & quæ saxa possent mouere pectora, nõ timẽtes repulsam, 10 passim victum quæritabant: quas autem famis acerbitas expugnare non poterat, vt rubore deposito, fronte induratâ ad mendicandum descenderent, hæ in abditis delitescentes, in seipsis tabescebant; mori magis eligentes quàm se dare in publicum vt aliquid postularent. Erat denique intueri viros robustiores prius, quos virtus præcipua & nobilitas præclara cunctis reddiderant conspicuos & insignes, innixos præ nimia debilitate baculis, per vicos & plateas artus circumferre semineces; vultu deiecto, etsi non voce, eleemosynam petere à transeuntibus. Intueri erat nihilominus pueros vagientes & adhuc lactis egentes alimoniâ, per compita passim expositos: quibus quæ eos genuerant, materna denegabant obsequia, dum sibi non sufficerent ad hoc saltem, vt sibi aliquid peterent necessarium. Vix erat in tan- 20 to populo qui sibi sufficeret: vniuersis penè sumptus defecerant; omnibusque, quasi in vsum venerat mendicare. Aut si cui res adhuc domestica suppetebat, dum non occurrebat venale quod erat necessarium, nihilominus indigebat: quique apud suos in largiendis dapibus prius liberales iudicabantur, & profusi, hi secessus quærentes abditissimos, & loca inaccessa cæteris, qualem qualem sumentes refectionem, his quę vndecunque collegerant incumbebant auidiùs, nemini quod eis erat pro cibo communicantes. Quid plura? Camelos, equos, asinos, mulos, & immunda quęlibet & indigna relatu, suffocata & morticina, quotiẽs dabatur ex his aliquid habere, pro summis reputabant deliciis: & ex his importunam repellentes esuriem, miseram quocunq; modo sustentabant vitam. Nec solùm plebeios & mediæ ma- 30 nus homines huius tam miserabilis inediæ calamitas inuoluerat, verùm & maioribus nimis importunè se ingesserat Principibus: eratque eis tanto molestior, quanto pluribus prouidentes, indigebant amplioribus; & suam, petentibus, negare non poterant munificentiam. Referre verò quid singulis acciderit Maioribus, licet hoc habeant adhuc veterum traditiones; & quantâ egestate pii pro CHRISTO laborauerint Principes, longè esset ab historiæ compendio, & speciales tractatus exigeret. Sed vt in summa dicatur, vix est quod aliqua contineat historia, tantos Principes, tantumq; exercitum, tantas alibi sine defectu & tam patienter pertulisse molestias.

VIII. Interea dum ita ciuitas per studium & operam *Corbagath* & suorum, ex omni parte circumdata esset obsidione; & populus inclusus nusquam egredi, nullusque 40 ad eos introire posset; insuper & cõgressionibus penè continuis, tam in vrbe quàm extrà supra vires fatigati essent, accidit vt præ laboris diuturnitate & famis angustiâ in seipsis deficientes, minus vigiles, minusq; solliciti vrbẽ custodirẽt. *quibus cura circa corporis alimentum penè tota versabatur, necesse erat, vt ad cætera tractanda consurgerent remissiores.* Vnde factum est, vt die quadã turris vna, iuxta eam per quam nostris datus fuerat in ciuitate introitus, custodita negligentiùs, hostibus paulò minus ad vrbem iterum impugnandam occasionem præstitisset. Quidam enim de hostibus sperantes, quòd in noctis silentio potuissent eam occupare, vt inde sibi, sicuti & nostris prius in vrbem pateret descensus, ad eam obtinendam scalas muro clàm adhibuerunt, quibus iam circa noctis crepusculum, quasi triginta super murum ascende- 50 rant, turrim vacuam ingressuri: in quo negotio dum feruentiùs desudarent, casu contigit, quod qui vigilum administrabat pręfecturam, mœnia perlustrans, ad eam partem peruenit, vbi hæc talia gerebantur. Cognitisque eorum moliminibus, multâ vociferatione eos qui in vicinis erant turribus excitauit, turrim denuncians, fraudulenter ab hostibus occupatam. Ad quem tumultum excitati sunt, qui in ea regione obseruabant excubias: inter quos vir strenuus & insignis *Henricus de Ascha* cum duobus aliis, *Francone* videlicet, & *Sigemaro*, cognatis, de villa quæ dicitur *Machela*, super Mosam fluuium, ad partes illas impiger conuolat: timens ne fortè

ab aliquibus pecuniâ corruptis, ciuitas proditiosè tradita esset hostibus. Quò perueniens cum confluentibus ad eum qui in vicinis erant turribus, hostes inuadit viriliter; & strenuitate solitâ, in momento, licet perplurimùm resistentes, à prædicta turri depulit, quatuor ex eis peremptis gladio: reliqui viginti sex, (triginta enim iam ascenderant, alios postmodum introducturi) fractis cruribus & brachiis & ceruicibus, de muro præcipitati sunt. Amisit tamen vir strenuus socium suum *Sigemarum*, transuerberatum gladio; Franconem verò letaliter saucium, quasi semineccem, domum fecit reportari.

IX. Perurgente igitur obsessos singulis diebus maiore inediâ, & fame periculosiùs inualescente, affligebatur populus vehementiùs: vnde præ angustiarum multitudine & quotidianæ afflictionis pondere intermisso, quidam vitæ negligentes & salutis, vrbe clàm egressi, per medias hostium acies, per mille discrimina, ad mare, vbi adhuc aliquot tam Græcorum quàm Latinorum erant naues, descendebant, vt cibos emerent, & iterum referrent in vrbem venales: alii verò, vt se tantorum eximerent casibus periculorum, abibant nõ redituri; nullam spẽ habentes, quòd eorum qui in vrbe relicti fuerãt, in melius possent procedere negotium, aut hostium saltem gladios declinare. Quod postquam Turcis compertũ est, clandestinis itineribus & nocturnis caussâ quærendi victus nostros ad mare descẽdere, & circa vrbem euagari; missis nonnullis locorum habẽtibus peritiam, qui eis prætenderent insidias, sæpissimas ex eis operati sunt strages. Et quoniam sæpius eis in eo successerat facto, duo millia electorum equitum ad oram maritimam dirigũt, qui peremptis nautis & institoribus, & classe succensâ, omne de cætero commerciorũ genus amputarẽt; vt & eâ præcisâ negotiãdi semitâ, omnis omnino Christianis deficeret alimonia, & salutis spes intercluderetur: quod & factum est. Nã mandatum exequentes, succensis ex parte nauibus, & earum nautis, quos incautos repererant, ex plurima parte interfectis, reliquos in fugam adegerunt: quo rumore, qui à Cypro, Rhodo, & aliis insulis; quique de Cilicia, Isauria & Pamphilia, & aliis maritimis regionibus gratiâ commerciorum solebant accedere, plurimùm deterriti, iã illuc redire & merces inferre formidabant, nec audebant accedere; vnde nostris, etsi nimis periculosa priùs, periculosior tamen facta est conditio, rerum venalium penitùs cessante commercio. Nam dum institoribus liber per mare patebat accessus, etsi modicum erat quod per eos inferebatur, nec tanto poterat sufficere populo; tamen ad nonnullam nostris erat cõsolationem, & eorum aliquatenus releuabat inopiam. Hostes verò redeuntes ab ora maritima, de nostris etiam in via quosdam reperiunt, quos omnes gladiis interimũt, exceptis paucis, qui per dumos & fruteta & speluncarum latebras delitescere potuerunt: quæ fama mali nuncia, nostros non minus, quàm ipsa famis enormitas molestauit: quotiens enim suorum casum audiebant, totiens eorum dolor renouabatur. Vnde tot molestiis & laboris immensitate, & quotidianâ suorum ruinâ, & infortuniorum acerbitate supra vires fatigati, iam de vita desperare; iamque minus pro sua tuitione sollicitari, minusque obedire Principibus incipiebant.

X. Interea *Willelmus de Grentemaisnil*, & alii qui cum eo aufugerant, peruenientes Alexandriam minorem; vbi dominus *Stephanus Carnotensium & Blesensium Comes*, cuius reditum tam Principes, quàm vniuersus populus, per dies singulos ardentibus præstolabantur desideriis, adhuc suam simulabat ægritudinem: quæ apud Antiochiam gerebantur, exponunt; & ne ipsi etiam ob leuem & friuolã caussam, & tanquam timidi socios deseruisse viderentur, ærumnarum & afflictionis modum qui erat, amplificant. Et licet magnus esset & incomparabilis, tamen studiosâ relatione maiorem efficiunt; & de magnis, maiora loquuntur. Nec erat difficile ei persuadere quicquid timiditatem augere poterat, cùm ipse priùs eiusdem rei gratiâ socios deseruerat, & fugerat à cõsortibus, ægritudine simulatâ. Factum est itaque, quòd communicato adinuicem consilio, naues habentes paratas, mare ingressi sunt: qui dum aliquãdiu nauigassent, peruenientes in vnam ex vrbibus maritimis, sicuti solliciti erat, vt vbi nam Imperator esset diligenter inuestigarent, didicerunt per quorundam dissonam relationem, & veridicam, quòd Imperator cum infinitis legionibus tam Græcorum quàm Latinorum, apud vrbem *Finiminis* castra locauerat, Antiochiam proficiscens, quasi nostris subsidium collaturus, sicuti ex compromisso tenebatur. Exceptis autem exercitibus quos ipse ex vniuersis nationibus collegerat, erant ei adiuncti, quasi ad quadraginta millia Latinorum:

norum: qui à legionibus quæ præcesserant, aut paupertatis caussâ, aut suâ suorumq; valetudine, aut ex quibusdam aliis vrgentibus caussis, per terram Imperatoris derelicti fuerant: nunc verò resumptis viribus & animo de Imperatoris præsentia, & eius innumerabilibus copiis, transeundi fiduciam habentes, ad viæ consortes toto spiritu, totâque mente festinare satagebant. Audiens ergo prædictus comes *Stephanus*, quod illic resides Imperator, vires maiores præstolaretur, & ad proficiscendum se accingeret, assumpto cum his qui secum erant, itineris compendio, versus Imperatoris exercitum cum omni celeritate contendit. quò perueniens, ab Imperatore honestè satis, sed cum admiratione susceptus est: nouerat enim eum Imperator; 10 & ab initio dum cum aliis transiret, eius sibi contraxerat amicitiam. Interrogans igitur ab eo Imperator diligenter de vita & salute & statu Principum; & quænam esset caussa, quòd ab aliis rediret separatus, respondit: XI. *Fideles tui, Imperator inuictissime, qui paulo antè per tuam habuerant transitum eminentiam, & de tua plenitudine, te largiente, facti sunt locupletiores, captâ Niceâ, vsque Antiochiam satis prospero cursu peruenerunt, vrbemq; ipsam iugi obsidione quasi per nouem continuos menses expugnatam, præuiâ Domini misericordiâ, violenter sibi, excepto vrbis præsidio, quod in monte sublimiori situm, vrbi præminet nullis superabile viribus, vendicauerunt. Cumq; crederent rem esse consummatam, quodq; se periculis exemissent vniuersis, vrbe iam receptâ, factus est error nouissimus peior priore, & in multo maiora quàm passi fuerant, inciderunt discrimina. Vix enim ab vrbe captâ tertia* 20 *dies elapsa fuerat, cùm ecce* Corbagath *Persarum Princeps potentissimus, cum infinitis Orientalium copiis, & in multitudine omnem numerum excedente, eandem obsidione vallauit vrbem; & ex omni parte obsessis introitum negans & exitum, Principes & omnem populum tot & tantis molestiis affligit, quòd nec etiam de eorum vita sperare liceat. Multitudinis autem eos obsidentium non est facile numerum comprehendere: nam vt in summa dicatur, omnem adiacentem vrbi regionem, locustarum more operuerunt eorum agmina, ita vt etiam tabernaculis videatur locus deesse. Noster autem populus, fame, frigore simul & æstu, cædibus & clade, ita comminutus est, quòd totus infra vrbem se collegerit; & vix ad eius tuitionem sufficere posse videatur. Præterea & id solatii, quod de regno tuo, tam de insulis quàm de aliis vrbibus maritimis, nauigio inferri consueuerat, noueris funditus esse præcisum. Nam emissâ copiarum parte, omnem* 30 *inter Antiochiam & mare regionem, ita occupauerunt, vt classe penitùs consumptâ, nautis & institoribus gladio peremptis, omnem commerciorum spem & obtinendi victus fiduciam nostris amputauerint. Sed nec in ciuitate tantùm alimentorum dicitur superesse, vt vel vnius diei subuenire possit necessitati. Ad hæc, ad maiorem ærumnarum cumulum, nec in vrbe etiam tutum habent refugium. nã irruentibus iis qui per castrum superiùs in vrbem clàm & sæpius immittuntur, in ipso ciuitatis medio per vicos & plateas periculosæ fiunt congressiones; nec minorem curam intestinorum habentes conflictuum, quàm eorum quæ ab exterioribus inferebantur. Vnde nos, & qui hîc nobiscum sunt præsentes Capitanei & nobiles viri, videntes confratrum negotia non posse procedere, eos conuenimus, sæpiùs & fraternè monentes, vt sibi consulerent; & inuitâ diuinitate rem impossibilem comprehendere velle desisterent: quos cùm à suo non possemus reuocare proposi-* 40 *to, nos, ne paribus imprudenter inuolueremur calamitatibus, nostræ curauimus saluti prouidere. Et nunc, si placet, & tuis ita visum fuerit Illustribus, desiste procedere, ne tuæ felices quas tecum trahis expeditiones, paribus inuoluantur periculis. nam à facie tantæ multitudinis, quam vniuersus ministrauit Oriens, consultius est intentato negotio, re adhuc integrâ, discedere; quàm temerè, casu fortuito, cum tot & tantis experiri. Testes sunt eorum quæ loquimur præsentes inclyti viri, eiusdem sortis participes; sed etiam &* Tatinus *vir prudens & vafer, quem nobiscum tua direxit amplitudo, qui nostrorum cognoscens defectum, prudenter nimis ab eorum se subtraxit collegio, vt hæc tuæ nota faceret maiestati.* Erat autem in prædicto Imperatoris exercitu, quidam domini Boamundi frater, *Guido* nomine: qui hoc audiens, penè ad insaniam motus est, fratris & amicorum casum deplorans. Hic licet primùm Co- 50 mitis narrationi obuium se daret, timoris caussam obiiciens, quod à tãtorum cœtu Principum se subtraxisset imprudenter: compescuit eum prædictus vir, secundùm carnem inclytus, & si moribus nõ ita, *VVilhelmus de Grentemaisnil*, qui suam & domini Boamundi sororem habebat vxorem. XII. His igitur auditis, conuocato Principum suorum consistorio, deliberat, vtrum procedendum sit ei, an domum exercitus oporteat reuocare: habitaque pro tempore & negotio deliberatione argumentosâ, tandem de communi consilio visum est expedire, tutius esse, incolumes domum exercitus reuocare, quàm vniuersi in se excitare Orientis regna; & se du-

biis inconsideratè committere fortunæ casibus, & prœliorum. Tantam igitur Imperator verbis prædicti Comitis fidem adhibuit, vt non solùm ita fore, prout asseruerat; verùm etiam vt timeret apud se, ne Princeps prædictus, nostris, vt dicebatur, interemptis, cum vniuersa multitudine quam secū trahere dicebatur, in regnum eius introiret: & quam, de opera & studio peregrinantium Principum, Niceam cum vniuersa Bithinia receperat, iterū cogeretur amittere. Vnde huic prouidēs articulo, vniuersas prouincias ab Iconio vsq; Niceam, rediens, à dextra læuaq; incēdiis & rapina mandari præcipit; vt si casu quolibet suas aduersus eius Imperiū hostes vellent expeditiones dirigere, regio vastata alimentis carens, & habitatoribus viduata, aliquod saltē ministraret impedimentū. Sicq; factum est, vt per operā prædicti Comitis, subsidiū, quod ex compromisso conferre paratus erat Imperator, Christianus eo plurimùm indigens non haberet exercitus. Considerātibus tamen interiùs, & rem perscrutantibus diligenter, videri potest, etsi prædicti Comitis opus nullatenus valeat excusari, vtpote viciosam habens originem, & causam primam ab honestate dissentientē: tamē quod ex eo subsecutū est, *eo procurante qui solus potest & nouit ad meliores exitus, etiam quæ malo sunt inchoata principio pertrahere*, in eorundem Principum & plebis DEI, quæ ita cecidisse videbatur, certum est gloriam redundasse. Nam qui portauerant pondus diei & æstus, & relictis vxoribus & liberis, peregrinantes Domino decreuerant militare, dignum erat, vt gloriam pro suis laboribus reportarēt: quam si præsens fuisset Imperator, cæteris omnibus inuidisset. Videretur enim, si cū suis expeditionibus abfuisset, ob præcipuam sui auctoritatē & copiarum maiorem numerum, negotium consummasse; & ita sibi meritò palmā competere. Vnde creditur à Domino procuratum, vt qui fideliter, & deuotè & cum innumerabilibus desudauerant periculis, laboris fructum & victoriæ titulum reportarent.

XIII. Rumor interea de recessu Imperatoris, multorum relationibus vrbem repleuerat; qui & molestiis quibus premebantur incessanter, adiecit cumulum, & in desperationis barathrum omnes penè dedit præcipites. Abominātur prædicti Comitis & in perpetuum damnant memoriam; execrantur *VVilhelmum de Grentemaisnil*, & omnes illius impietatis participes, imprecantes vt cum proditore Iuda in æternis incendiis habeant portionem: qui non solùm communibus se subtraxerunt laboribus, verùm etiam tanto, quod eis videbatur Dominus præparasse, DEI populum defraudauerunt subsidio. At verò *Corbagat*, & qui in castris eius erant principes maximi, sicuti cognito per exploratores Imperatoris aduentu, suspensi meritò tenebantur, viresque eius suspectas habentes, robur Imperii non immeritò formidabant; ita nunc notum per eosdem eius habentes discessum, in maiorem se erigunt insolentiam: & quasi de victoria certā spe conceptā, nostros animosiùs comprimebant, & coangustabant attentiùs. Vnde fiebat, vt in tanta essent, fideles qui in vrbe erant, calamitate, & multiplicis miseriæ nouissimo constituti, vt iam nec salutis spes, nec consolationis via vlla superesse videretur. Adeoque inualuerat, & omnes occupauerat desperatio, vt circumeunte domino *Boamundo* ciuitatem, cui super omnes vniuersi exercitus cura cōmissa erat generalis, nec verbo, nec verberibus quicquam proficeret, vt vel vnum de domibus in quibus latitabant, posset auellere; & ad peragendas excubias, vel ad occurrēdum hostibus, siue intus siue extra, quorum multiplices patiebantur insidias, destinare. Vnde die quadam, defatigatis vociferando præconibus & apparitoribus, infecto negotio reuersis, cùm videret quòd inutiliter operam consumerent, nec aliquem de latebris posset educere, in locis plurimis incendia per ministros suos procurari iubet, & vrbem succendi: vt saltem incendiorum metu prodirent in publicum, qui congelatis visceribus, obsequio diuino studium negabant & operam: vnde factum est, vt quorum priùs non poterat habere copiam, eos postmodum ad prosequenda munera certatim inueniret præcipites. Dicitur etiam, quòd Principes de vita desperantes & salute, habito inuicem familiari consilio occultè decreuerant, vt relicto populo & plebe vniuersā, ipsi clàm de nocte aufugerent, ad mare properantes. Quod postquam *Duci* innotuit, & viro venerabili *Podiensi Episcopo*, conuocantes eos ad se, iustis in eos increpationibus inuecti sunt, ponentes præ oculis, quàm perennem infamiæ notam sibi & posteritati suæ in perpetuum meruerint prædicti nobiles viri, qui contra honestatem morum, generositatis suæ titulos denigrantes, tanto fidelium CHRISTI se collegio subtraxerant. Erat

rant. Erat igitur in populo DEI tantus alimentorum defectus, tanta famis angustia; tot & tantæ tam exteriùs quàm interiùs hostium importunitates, vt nusquam contra ea solatium, nusquam contrà remedium inueniretur. Maiores & minores, paribus inuoluti calamitatibus, nullam sibi adinuicem consolationis gratiam impendebant: memores vxorum & liberorum quos domi reliquerant, amplissima quæ ob CHRISTI caritatem dimiserant patrimonia, mente recolunt: & de Domini quasi conqueruntur ingratitudine, eo quòd labores eorum, & deuotionis synceritatẽ non respiciat: sed quasi à DEO alienum populũ, in manus hostiũ tradi patiatur.

XIV. Dum ergò sic affligeretur DEI populus, respexit eum Dominus, & gemitus eorum audiuit, mittens eis consolationem de sede Maiestatis suæ. Quidam enim *Petrus* clericus, vt dicitur, de regione quæ dicitur *Prouincia*, ad episcopum Podiensem, & dominum Comitem accessit Tolosanum, asserens, quod ei beatus *Andreas* apostolus in somnis apparuerat; & eum ter vel quater commonuerat diligentissimè: quatinus ad Principes loqueretur, & nunciaret, vt Lanceam, qua Domini nostri IHESV CHRISTI latus fuerat perforatum, in ecclesia principis Apostolorum occultè repositam, cum omni studio perquireret: eique locum certis designauerat indiciis. Qui accedens ad prædictos DEO amabiles viros, verbum sicut ei iniunctum fuisse testabatur, ex ordine pandit, asserens se ab eodem Apostolo multis terroribus ad hoc compulsum. Nam cùm sæpe legationem hanc sibi assumere, quoniam pauper & nullius prudẽtiæ erat, detrectasset, vrgentissimam Apostoli iussionẽ, nisi cum mortis periculo, declinare se non posse profitebatur. Hi autem reliquis Principibus verbum secretiùs communicantes, eundem Clericum præsentem constituunt, vt ab eodem modum & formam iussionis acciperent: quibus verbis fidem habentes, ad locum quem eis infra septa prædictæ ecclesiæ designauerat, conueniunt: vbi effossâ terrâ in altum aliquatinus, Lanceam, sicuti prædixerat, reperiunt. Quod audiens populus, tanquam immissâ de supernis consolatione, ad ecclesiam cucurrit vnanimis; & donis muneribus tam preciosum multo honore præuenientes inuentum, cœperunt quodammodo à suis anxietatibus respirare, & in obsequiis diuinis reparari fortiores. Fuerunt & alii nonnulli, qui se dicebant visiones angelorum & sanctorum Apostolorum vidisse, quibus quasi in inuicem consonantibus fides habebatur amplior; & populus à sua deiectione resurgebat in immẽsum. Factum est igitur ad suggestionem venerabilium, & DEVM timentium virorum, quod Principes vniuersi iterum voto concepto, & iuramentis corporaliter pręstitis, se obligauerunt mutuò, vt si Dominus eos de præsenti casu clementer eriperet, & de hostibus suis optatam indulgeret victoriam, quod ipsi ab inuicem non discederent, quousque auctore Domino Vrbem Sanctam, & gloriosum eius Sepulchrum, Christianæ fidei & pristinæ restituerent libertati.

XV. Cùm autem diebus viginti sex continuis hac tã intolerabili afflictione laborassent, cœpit iterũ populus, ad cor rediẽs, fortitudine lumbos suos accingere; & longanimitate plus solito abundare, quadam spe immissâ diuinitùs se confortans: ita vt omnes vnanimiter à maiore vsque ad minimum his molestiis finem imponendum consonarẽt, & cum hostibus pugnandum; vt subitò, per diuinæ virtutis auxilium, eos de suis viribus præsumentes, à se possent repellere, & vrbem quam eis contulerat Dominus, liberam vendicare. Vtilius enim iudicabant belli semel fortunam experiri, quàm perpetuâ tabescere inediâ, & ingruentium molestiarũ iugi sarcinâ torqueri. Hic igitur erat, & in omnium ore sermo vertebatur, vt extra vrbem egredientes, cum hostibus decertarent: nec erat ea mens nobilium tantùm; sed etiã populares eodem desiderio succensi, Principum arguebant desidiam, & mores increpabant. Conuenientes igitur Principes in vnum, & populi immissum diuinitùs cognoscentes feruorem, de communi decernunt consilio, vt missâ legatione ad Principem hostium, alterutrum duũm proponant: *Quòd aut cedat, vrbem nostris perpetuò possidendam derelinquens, sicut iuris eorum ab initio fuerat, & nunc, auctore Domino, in idipsum est reuersa; aut ad pugnam se præparet, gladii iudicium subiturus.* Electus est igitur ad id muneris prosequendum, *Petrus Heremita*, vir vitæ venerabilis, de quo in superioribus multa diximus: adiunctusque est ei socius & comes quidam *Herluinus*, Persarum idiomatis, & Parthicæ linguæ aliquam habens peritiam, vir itidem prudens & discretus: quibus datum est in mandatis id quod præmisimus, cum subdiuisione tamen hac: vt, *si pugnam præeligere*

inueniretur, esset in eius optione, vtrum singulariter ipse cum vno ex Principibus experiri vellet; an certum numerum suorum, nostrorum totidem opponere; an simul hinc inde vniuersos confligere exercitus, & legiones vnanimiter ad pugnam conuenire. Impetrato igitur ad tempus fœdere, & gratiâ mittendæ legationis pace petitâ, profecti sunt duo, prædicti viri, cum sibi destinatis consortibus, vsque ad tentorium Principis: vbi eum reperientes cum suis ducibus & satrapis, *Petrus Heremita*, sicuti vir magnanimus erat, licet staturâ pusillus esset, munus iniunctæ legationis strenuè & fideliter procurauit. Accedens enim ad præfatum Persarum satrapam, nullamque ei omninò exhibens reuerentiam, constanter & imperterritè verba proposuit, dicens: *Direxit nos ad tuam nobilitatem, DEO amabilium, qui in Antiochia sunt Principum sacer conuentus, monens vt ab eorum infestatione, & ab vrbis, quam eis restituit diuina clementia, impugnatione desistas. hanc enim Apostolorum Princeps Petrus, nostræ fidei fidelis & prudens dispensator, verbi sui virtute, & exhortationis, quâ præminebat, gratiâ, sed & signorum magnitudine ab idololatriâ reuocans, ad fidem CHRISTI conuertit, nobis eam reddens peculiarem. Nunc verò eam à vobis violenter, sed indebitè occupatam, nobis restituit fortis & potens Dominus: vnde pro auita hereditate, & CHRISTI domicilio familiari, debitam gerentes solicitudinem, vnum tibi ex pluribus proponunt: vt aut ab vrbis obsidione, & eorum molestatione quiescas; aut tertiâ ab hac die cum eis gladiis decernentibus experiaris. Ac ne fortè oblatum certamen causeris, & subterfugii causam iustam inuenias, optionem tibi proponunt, vt vnum è pluribus eligere possis: an solus cum vno ex Principibus tantùm congrediaris, & victor totum obtineas, aut victus conquiescas; aut plures cum totidem eisdem conditionibus decertent; aut vniuersæ hinc inde legiones bellicis euentibus experiantur.* Ille verò spretâ eius legatione, respondisse dicitur: *Non videtur, mi Petre, quod Principum, qui te huc miserunt, res sit in eo statu collocata, quòd mihi debeant optiones proponere; vel quod ego tenear, pro eorum arbitrio, aliquid eligere: cùm ad hoc per nostrum deuenerint gladiū, vt neque sibi liberam habeant optandi facultatem, sed pro nostro arbitrio eos oporteat sumere, & deponere voluntatem. Vade ergo, & dic imprudentibus, qui suam adhuc non intelligunt conditionem, qui te huc ad nos direxerunt, quòd omnes quotquot integræ ætatis ex vtroque sexu reperire potero, domini mei obsequiis deputatos, vitæ reseruabo; omnes verò alios, tanquam arbores inutiles, gladio succidam, ita vt neque eorum aliqua supersit memoria. Quod nisi satius duxissem, eos famis acerbitate consumi, quàm gladiis interire, iampridem effractis mœnibus, & vrbe violenter occupatâ, viarum suarum fructus collegissent, gladiis vltoribus subiecti.*

XVI. At verò *Petrus* intellectâ Principis, ad quem missus fuerat, mente; & superbiâ cognitâ, quam ex multitudine suorum & incomparabilibus diuitiis collegerat, sumptâ licentiâ, ad suos reuertitur. Quem infra vrbem receptum, & quæ secum deferebat responsa volentem edere, & significare his qui eum miserant Principibus, affuit vniuersa tam patrum, quàm plebis multitudo, cum summa auiditate audire gestientes responsi formam, & legationis finem. Dumque *Petrus* secundùm verborum seriem, Principis, ad quem missus fuerat, superbiam, minas, & immoderatum fastum, præsente populo vniuerso, seriatim proponere decreuisset: timens vir illustris *Dux Godefridus*, ne si cuncta ex ordine populo continuis afflicto laboribus, & iam præ ærumnarum immensitate deficienti panderetur, plebs nimis deterreretur, & timore deficeret, volentem in narratione procedere compescuit, seorsum ducens eum à turba frequentiore; & suggerens, vt omissis aliis, id solùm breuiter & in summa significetur, quòd bellum exigant hostes, & ad id omninò se præparent. Populus ergo iuxta Petri verbum intelligens, quòd hostes pugnam deposcerent, vnanimiter omnes à maiore vsque ad minimum, paribus accensi desideriis, id ipsum votis expetunt ardentibus, cum tanta hilaritate verbum suscipientes, vt iam omninò pressurarum quas pertulerant viderentur immemores, & de victoria securi. Acclamantibus ergo vniuersis, & tam voce quàm signis consonantiam, & omnium conniuentiam significantibus, bellum crastinâ die futurum indicitur. Gauisus igitur, reuersus est populus ad propria, totamque illam noctem præ pugnæ desiderio ducunt insomnem: dum arma exerunt, dum equos præparant, loricas detergunt & galeas, aptant clypeos, gladios acuunt, somno locus non datur, nec indulgetur sopori. Edicitur præterea publicè, & voce præconiâ nunciatur, quatinus summo mane, ante Solis exortum, vnusquisque armis correptis, & instructus ad prælium, suis associetur legionibus, & proprii Principis vexillum sequatur. Mane autem facto, circa primum diei crepusculum, sacerdotes & ministri

ministri Domini, per ecclesias diuina celebrantes, & consummantes sacrificium, plebes monent, vt peractis de more confessionibus in spiritu humilitatis, & animo contrito, contra mundi pericula, Corpore & Sanguine Domini se communiant; & indultis offensis, & rancore deposito, si quis erat, reformatâ pleniùs caritate, cũ maiore fiducia ad prælium egrediantur: & eius verè sint auditores & membra, qui dixit: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Celebratis ergò diuinis, & legionibus vniuersis cœlesti munere satiatis, tanta est eis diuinitùs infusa gratia: vt qui heri & nudius tertius quasi segnes & abiecti, macilenti & exangues, præ defectu virium vix poterant attollere lumina, frontes erigere, & 10 ieiuniis attenuati, victi laboribus quærebant latibula, pristinę honestatis immemores: nunc vltrò in publicum prodeuntes, abiectâ ignauiâ, quasi resumptis viribus, arma baiulãt viriliter; & de bellicis trãctare animositate præsumunt solitâ, palmam sibi promittentes. Vix reperiebatur in tanto populo conditionis aut ætatis cuiuspiam, qui non meditaretur fortia; qui ad arma non consurgeret; qui non sibi præsagiret victoriam. Sacerdotes verò sacris induti vestibus turmas circumeuntes, & conuentus, cruces deferebant in manibus, & sanctorum patrocinia, peccaminum promittentes indulgentiam, & plenam delictorum remissionem his qui fortiter in acie desudarent, & paternarum traditionum, & Christianæ fidei vellent esse defensores. Episcopi nihilo minus, Principes, & exercitus primicerios tã seorsum, quàm 20 in publico exhortantes, quantâ eis diuinitus dabatur exhortationis gratiâ instabant, benedicentes populum, & Domino commendantes: inter quos præcipuus CHRISTI cultor dominus *Podiensis Episcopus*, exhortationibus iugiter insistens; ieiuniis & orationibus, & largâ eleemosynarum liberalitate seipsum Domino dabat in holocaustum. Conuenientes igitur summo diluculo, quarto Kalendas Iulii, ante portam quæ ponti erat contermina, inuocato de supernis auxilio, omnes vnanimiter quasi vir vnus antequam vrbem egrediantur, acies instruunt; & instructis, ordinem & modum assignant procedendi. In prima igitur acie, *Hugonem Magnum*, fratrem Regis Franciæ, ducem & signiferum constituunt; eique associant virum per omnia commendabilem, *Anselmum de Riburgismonte*, cum aliis nobilibus, 30 quorum numerum vel nomina non tenemus. Secundæ præficiunt Dominum *Robertum*, qui cognominatus est *Friso*, Flandrensium Comitem, cum his qui ab initio castra eius secuti fuerant. Tertiam iussus est regere dominus *Robertus Normannorum dux*, & cum eo vir inclytus, nepos eius, Comes *Stephanus de Albamarla*, & alii nobiles, qui in eius aduenerant comitatu. Episcopus verò Podiensis, dominus *Ademarus*, bonæ memoriæ, cum sua & domini *Comitis Tolosani* familia, quartæ præerat aciei, Dominicam secum deferens Lanceam. Quintam verò *Rainardus* Comes Tullẽsis, & *Petrus de Stadeneis* frater eius, Comes *Garnerus de Gres*, *Heinricus de Ascha*, *Rainardus de Ammerbac*, *Galterus de Dommedart*, suo moderamine iussi sunt producere. Sextæ verò aciei de mandato Principum præfecti sunt *Rainboldus* Comes de O-40 ringis, *Ludouicus de Moncons*, *Lambertus* filius Cononis de Monteacuto. Septimam verò vir illustris & magnificus, dominus Lotharingiæ *Dux Godefridus*, cum viro venerabili fratre suo *Eustachio*, iuxta militarem disciplinam disposuit. Octauæ verò vir in armis strenuus & morum generositate insignis præfuit *Tancredus*. Nonam verò Comes *Hugo de Sancto Paulo*, & *Engelrandus* filius eius, *Thomas de Feria*, *Balduinus de Burgo*, *Robertus* filius Gerardi, *Rainoldus Beluacensis*, *Galo de Caluomonte* disponere iussi sunt. Decimæ verò præfecti sunt *Rotoldus* Comes Percensis, *Euerardus de Pusato*, *Drogo de Monci*, *Radulphus* filius Godefridi, *Conanus Brito*. Vndecimam verò *Yscardus* Comes Diensis, *Raimundus Piletus*, *Gastus Biterensis*, *Girardus de Roseilon*, *VVilhelmus de monte Pessulano*, *Guilhermus Amaneus* tenuerunt. In duodecima verò, quæ erat no-50 uissima, & cæteris refertior, constitutus est princeps & moderator dominus *Boamundus*, iussusque est postremus incedere, vt præcedentibus tempore oportuno ministraret subsidium; & pro his qui ampliùs ab hostibus grauarentur prouidam gereret solicitudinem. Dominum autem *Comitem Tolosanum* ægritudine validâ periculosiùs laborantem, in vrbe dimiserunt ad eius custodiã, contra illos qui adhuc rebelles erant in præsidio, ne fortè in absentia Principum, vrbem arbitrantes vacuam, super debiles & infirmos, senes & mulierculas & imbellẽ populum, irruptiones molirentur. Fecerunt autem & in colle qui præsidio erat oppositus, murum

XVII.

ex calce & lapidibus cum propugnaculis solidissimum, super quem machinas iaculatorias constituerunt nonnullas, ducentos viros, robustos viribus, & armis instructos, qui locum tuerentur, ibi relinquentes.

XVIII. Sic ergo dispositis suorum ordinibus, & in aciem redactis, de cõmuni decernunt consilio, quòd dominus *Hugo Magnus*, dominus quoque *Comes Flandrensis*, & *Dux Normannorum* reliqua præcedant agmina: vniuersisque præcipiunt hunc obseruare proficiscendi ordinem, vt præmissis peditibus equites subsequerentur, & eis diligentem adhiberent custodiam. Cautum est etiam edicto publico, & lege communi promulgatum, *ne quis hostium spoliis inhiare præsumat; sed omnes hostium cædi vnanimiter incumbant, quousque obtentâ victoriâ & prostratis hostibus, licitè possint ad spolia colligenda redire.* Porrò *Corbagath* suspectum habebat ab initio, & maximè postquam ad eum *Petrus* missus fuerat, nostrorum subitum in castra sua egressum: vnde & cum iis, qui in præsidio erant, conuenerat, vt si quando nostri de exitu cogitarent, & se præpararet ad egressum, oppidani dato signo, castris id significare properarent. Factum est igitur circa horam diei primam, dum nostri acies suas disponerent, qui in præsidio erant, id compertum habentes, signo dato de quo inter eos conuenerat, id castris cominus significauerunt. Vnde nostrorum volentes præpedire propositum, præmiserunt de suis quasi ad duo millia, qui circa pontem nostris occurrerent, & eos egredi non paterentur: qui vt instarent proteruiùs, & ad sagittandum essent habiliores, descendentes de equis pedites se constituerunt, pontis partem vlteriorem occupantes. At verò nostri compositis aciebus, & iuxta rei militaris disciplinam ordine congruo digestis, reseratâ portâ, obseruatis stationibus & legionibus impermixtis seriatim egrediuntur. Dumque prædicti hostes qui ad cohibendum nostris exitum conuenerant, in eo proposito fortiùs desudarent, dominus *Hugo Magnus*, qui primæ præerat, vt præmisimus, cohorti, præmissis turbis pedestribus & sagittariis, in eos irruens animosiùs, primò tentantes resistere, sed tandem nostrorum impetum ferre non valentes, violenter dissolutos adegit in fugam, tantâ instans animositate, vt vix equos ex quibus descenderant, recipere possent: quibus fugam ingressis, vir memoriâ dignus *Anselmus de Riburgismonte*, qui in prima constitutus erat acie, protinus irruens, seculis memorabile virtutis suæ dedit experimentum: nam in mediis eorum cuneis salutis immemor, audaciter inuolutus, dum hos deiicit, illos perforat, & in eorum strage desudat animosiùs, vniuersorum ordinum in se prouocauit & oculos & fauorem. Quod videntes *Hugo Magnus*, & *Robertus Comes Flandrensium*, *Robertus* quoque *Normannorũ Comes*, & *Balduinus Comes Hemaucorũ*, & Eustachius Ducis frater, prædicto nobili viro vt subsidium administrẽt, aduolant celeriùs, viri strenuitatem admirantes; & collatis viribus irruentes, si quid adhuc erat roboris, potenter confringunt: & stragem ex eis operantes innumeram, penè vsque ad eorum castra insectati sunt fugientes.

XIX. Accidit autem in exitu nostrorum ab vrbe quiddam memoriâ dignum: quòd dum essent in procinctu, & iam extra portam acies dirigerent, hostibus qui aditum præpedire proposuerant, partim interemptis, partim in fugam versis, ros quidam suauissimus immissus de supernis, modicus, sed gratissimus, super nostrum exercitum descendit ita placidus, vt quasi in eo benedictionem & gratiam suam videretur Dominus infudisse. Quicunque enim eo imbre cœlitus immisso conspersus est, ita plenam mentis & corporis, suscepit hilaritatem & integritatem sospitatis, tanquam nihil laboris, nihil molestiæ totâ illâ expeditione passus esset: nec solùm hominib⁹, verùm etiã equis vigor pristinus à DEO restitutus est in integrum, vt qui per multos ante dies non nisi folia & cortices arborum habuerãt pro pabulo, hostium equos & hordeo pastos & paleâ, totâ illâ die & celeritate vincerent, & laboris patientiâ. Tanta ergo ex illius benedictionis rore nostris legionibus victoriæ spes & fortitudinis gratia videbatur accessisse, vt de eis videretur esse dictum: *Pluuiam voluntariam segregabit DEVS hæreditati suæ:* & Spiritus sancti gratiam manifestè se non dubitarent accepisse. Eductis autem extra vrbem legionibus, decernunt esse vtilius versus montana acies dirigere, quæ ab eadem vrbe quasi distabant duabus miliaribus; & ita vniuersam occupare planitiem; ne fortè hostes infinitas habentes copias inter eos & vrbem clàm vel violenter transeuntes, sicuti facere consueuerant in præliis, nostros possent ex omni parte vallare, & aditum ad vrbem intercludere fugientibus.

Psal. 67, 10.

tibus. Procedebant autem gradu lento, ita tamen vt non permiscerentur acies, neque ordines confunderentur: factumq; est diuinæ virtutis operatione, vt qui intra vrbem hostibus pauciores, imò penè nulli eorum comparatione crederẽtur, tot & tanti, quot & quanti extra vrbem, aut plures, aut non pauciores esse viderẽtur. Qui enim quinque panes post quinque millium refectam esuriem in tantã fragmentorum quantitatem nouit prius multiplicare; idem populum sibi acceptabilem & sectatorẽ bonorum operũ, ad nominis sui gloriam, non inferiori miraculo voluit augere. Erãt autem immixti procedentibus ad prælĩu, DEO deuoti sacerdotes & Leuitæ stolis amicti albis, signum Crucis mirabile deferentes in manibus. Qui verò in vrbe remanserãt super muros ascendentes, vestibus induti sacerdotalibus, in lacrymis & oratione perseuerantes, expansis manibus pro fideli populo sine intermissione orabant ad Dominum, vt parceret populo suo; & ne daret Gentibus in opprobrium hæreditatem suam. Interea Princeps hostium intellecto nostrorum egressu, tum ex signo quod in præsidio vrbis conspexerat, tum ex eorum relatione qui ab egredientibus deuicti aufugerant, conuocatis Senioribus & expeditionum primiceriis, iã incipit habere pro seriis, quæ prius quasi ludicra reputauerat; & quorum prius arma & tenuitatem negligere videbatur, iam incipit habere suspecta. De communi igitur consilio, Antiochenorum tamen maximè vsus experientiâ, acies instruit, disponit agmina; & qui præcedere, qui subsequi debeant, diligenti studio distinguit, & debitâ digerit sollicitudine. Inter cætera verò antequam nostri vniuersa inter vrbem & montes occupassent campestria, aciem vnam viris prudentibus, & robustis insignem, cui præesse dicebatur vir illustris *Solimannus* Nicenorum Princeps, de quo superiùs mentionem fecimus sæpissimam, versus mare dirigit, eo intuitu vt nostris deuictis & conuersis in fugam, volentibus ad mare descendere, vel in vrbem ingredi, illi occurrerent: & ita inter molares duos, videlicet inter subsequentes & occurrẽtes à fronte, DEI populus cõtereretur. Reliquas autẽ à dextris locans & à sinistris, sub singulis Principibus, sub obtẽtu gratiæ suæ, districtè præcipit, *quatinus pristinæ virtutis memores, strenuè & viriliter decertare contendant: friuolum reputantes, quicquid tam imbellis populus, vulgus famelicum, plebs inermis & inconsulta, nitetur moliri.* Occupatâ igitur vniuersâ planitie, & prouiso diligentiùs ne ab hostibus possent circumdari, monentibus lituis, & pręcedentibus legionum vexilliferis, nostri versus acies hostium gradatim prodeunt: quibus cùm appropinquassent, adeò vt iam in eos, hostes sagittas suas cõtorquere possent, facto impetu, tres primæ acies vnanimiter in eos irruunt, lanceis & gladiis instantes cominus. Sed & nostri pedites qui arcubus vtebantur & balistis, equitum pręcedentes manipulos, votis ardentibus vltrò & certatim se ingerebant; quibus subsequentes equitum turmæ, quantam poterant adhibebant custodiæ diligentiam. Dumque primæ acies viriliter in agone desudant, ecce subsequentes eis, adiunctæ & illatę impetu non inferiore, eos qui se præcesserant reddunt tam audaciâ quàm viribus pręstantiores. Cumque iam omnes, exceptâ nouissimâ, cui præerat dominus *Boamundus*, ad hostes peruenissent acies, & cùm eis decertarent viriliter, ita vt pluribus interfectis, iam penè dissolutis agminibus hostes in fugam verterentur, Duxque cum suo comitatu validiorem & densissimam hostium cohortem iam penitùs in fugam adegisset: ecce Solimannus, cum ea legione quàm suprà diximus eum versus loca maritima deduxisse, rediens, in aciem domini Boamundi audacter & cum multo impetu à tergo irruit, tantam immittens sagittarum multitudinem, vt instar grandinis totam aciem operiret; moxque depositis arcubus, & eorum neglecto officio, clauâ instans & gladiis, ita vt importunam eorum instantiam dominus Boamundus vix sustineret: dumque iis premeretur atrociùs, & penè dissolueretur legio cui præerat, licet ipse strenui more & fortis viri, in hostes medios cum paucis consortibus decertaret, *Dux* subitò cum suis copiis euocatus, vnaque cum eo vir spectabilis dominus *Tancredus*, impiger aduolat, domino Boamundo subsidium ministraturi: quorum opportuno aduentu, statim hostium eneruatæ sunt vires, & omnis eorum virtus emarcuit, instantibus nostris animosiùs, vulneraque & mortem ministrantibus. Dumque vident se viribus impares, irruentium pondus se non posse sustinere diutiùs, ad alia se conuertunt argumenta; & ignem solito excutientes artificio, subiiciunt in stipulam. erat enim fenum multum in loco aridum valde, & stipula apta

Matt. 14, 17.

XX.

prorsus incendio, quæ subiectum ignem suscipientia gratum ministrauerunt fomitem: & licet flammam quidem modicam, tetram tamen atque densam fumi dederunt caliginem: quâ inuolutæ acies, minus quidem instabant hostibus, fumo plurimùm officiente luminibus, & puluere nihilominus, qui equorum & peditum excitabatur frequentiâ. In hac igitur tanta fumi caligine studiosiùs excitata, hostes nostros insecuti, de peditibus, nonnullos occiderunt: equites autem equorum rapti beneficio periculosam illam declinãtes nebulam, redeuntes in idipsum, & diuino freti adminiculo agonem continuantes, reintegratis diuino munere viribus, hostes in fugam gladiis persecutoribus conuertunt; nec desistunt insequi, quousque ad suorum iam dissoluta agmina, eos recurrere violenter compulerunt. 10

XXI. Erat autem in eadem regione vallis modica, per quam horis hyemalibus torrens de monte defluens descendere consueuerat, cursuq; præcipiti alueum in vallem subegerat: vltra quam cùm hostes confugere noster compulisset exercitus, in colle quodam eminentiori aliquantulum, dum tentarent resistere, & tubarum sonitu & strepitu tympanorum dissolutas iterum reuocare conarentur legiones, sine intermissione eos subsecuti, nostri Principes aduolant celeriùs: tam qui in postremis, vbi maius exercebatur negocium, cum Solimanno laborauerãt, dominus *Dux Godefridus*, dominus *Boamundus*, *Tancredus* quoque, & alii quidem nobiles, auctore Domino victoriâ potiti; quàm qui in prima fronte, obuias sibi iam contriuerant acies, *Hugo Magnus* videlicet, & vterque *Robertus*, tam Flandrensium quàm Normannorum Comes, & alii multi perpete digni memoriâ: vallo transmisso hostes à prædicto colle deiiciunt violenter; & iterum ab inuicem dissolutos, nostrorum constantiam sustinere non valentes, fugam inire compulerunt. *Corbagath* autem ab initio turbam declinans, in colle quodam constitutus frequentes dirigebat nuncios, qui ad eum recurrentes sæpiùs, de belli euentu eum edocebant. Hic dum præstolaretur anxius, quo fine tantum terminaretur negocium, repentè suas dissipatas penitus & in nullo sibi cohærẽtes, diffluere cõspicit legiones: quo facto perterritus, monentibus suis qui eum comitabantur, vt saluti consuleret; relictis castris & suorum immemor, fugam iniit quantociùs, tantâ correptus formidine, vt neminem expectans, & equos permutans alternatim, vt fugæ possent sufficere, transito Euphrate vix tutum se reputaret. Relictæ verò acies, Principis destitutę solatio, resistendi animo simul & viribus vacui, quibus equi sufficere poterant, eâdem viâ saluti consulẽtes, fugâ elapsi, insequentium gladios euaserunt. Nostri autem equorum timentes defectum, non multùm insequi præsumpserunt, excepto domino *Tancredo*, & paucis aliis, qui vsque ad occasum Solis, tribus aut quatuor miliaribus eos sternendo prosequuti sunt. Tantum siquidem diuina virtus eis timorem immiserat, vt vel resistere, vel à se insectantium propulsare iniurias nec attentarent. decem enim ex nostris videbantur eis quasi multa milia; nec erat qui à facie nostrorum fugientibus ministrare posset consolationem. Hîc planè innotuit, quia *non est consilium contra Dominum*: quamque verè dicatur quod *non deserit Dominus sperantes in se*, ipso rerum experimento factum est euidens & manifestum: cùm populus inops & famelicus tantam virorum fortium multitudinem, DEI fretus auxilio, potuit superare; & præter spem propriam, in vno prælio vniuersum à DEO destitutum Orientem confundere.

Prou. 21,30.
Iudit. 13,17.

XXII. Consummato igitur prælio, & diuinitus concessâ nostri Principes potiti victoriâ, in castra hostium redeunt: vbi tantam rerum necessariarum reperiunt opulentiam, tantas Orientalium diuitiarum copias, vt iam auri, argenti, gemmarum, holosericorum & preciosarum vestium, necnon & vasorum tam artificio quàm materiâ commendabilium, neque numerus esset, neq; mensura: equorum etiam, sed & gregum & armentorum, annonæ quoque nihilominus, & victualium tanta ibi reperta est abundantia, vt iam nescirent quid eligerent, etiam qui supremâ priùs laborauerant inopiâ. Colligentes itaque hostium papiliones & tentoria, quibus plurimùm indigebant (sua quippe, vetustas & imbrium quos sæpe pertulerant intemperies corruperant, vt iam essent inutilia) gazas in eis reperiebant multiplices; sed & ancillas & paruulos quos fugientes dimiserant, secum in vrbem detulerunt. Inter cætera autem, & maioris eorum Principis admirabile reperiunt tabernaculum, in modum ciuitatis, turribus, propugnaculis & mœnibus, ex optimo serico & variis coloribus contextum: à cuius medio,

20 30 40 50

dio,quasi à triclinio principali,in partes plures adnexa defluebant diuersoria, quæ quasi per vicos distinguebantur, quibus duo hominum milia spaciosè considere posse dicebantur. Onerati igitur spoliis, & manubiis ditati,cuncta in vrbem deferunt,diem agentes solemnem in lętitia & exultatione;gratias illi exhibentes de cuius munere venerat,vt tot casibus superatis, tot decursis laboribus, optatam consecuti essent victoriam. Qui autem erant in præsidio, videntes quod sui defecerant, & necessariam subsidii spem haberent nullam,interpositis conditionibus,quod cũ salute liceret egredi,vxoresq; ac liberos simul & omnem eorum substantiam liberè possent educere,arcem nostris resignant Principibus, eorum vexillis in summis
10 turribus collocatis.Sic igitur factum est per Domini superabundantem gratiam,vt recepto vrbis pręsidio,& obtentâ victoriâ,qui heri & nudius tertius tenues erant & pene famelici,bonis inciperent omnibus abundare. Ad hoc enim iam deuenerant etiam qui inter eos erant potentissimi,& eximii nominis,vt etiam mendicare compellerentur: Nam vt de gregariis taceamus, *Comes Harmannus* vir nobilis de regno Teuthonico,ad eam deductus est paupertatem,vt ei de mẽsa Ducis,panis pro quotidiano stipendio,quasi magnum,deputaretur. *Henricus* quoq; *de Ascha* vir probitate singularis,inediâ penitus consumptus esset, nisi ab eodem domino Duce assumptus esset in conuiuam. Sed & ipse etiam *Dux*,dum ciuitas obsideretur,antequam egrederentur ad prælium,tantâ laborabat inopiâ,vt equos non habens,eum cui in-
20 sedit in prælio à *Comite Tolosano* multis precibus vix extorserit. Iam enim tam ipse quàm alii Principes quicquid pecuniarum secum detulerant,in larga eleemosynarum liberalitate & pietatis operibus, & his maximè quæ ad communem respiciebant vtilitatem,pronâ deuotione cõsumpserant. Vnde factum est,quod multi nobiles, & apud suos tam genere quàm strenuitate præclari,eâ die quâ bellum indictũ est, consumptis opibus inopes facti,& equos non habentes,partim pedites,partim super asinos & vilia iumenta, egressi sunt ad pugnam: quorum inopiam benignè respiciens consolator Dominus, antequam Sol vergeret ad occasum,deuictis hostibus opes contulit redundantes. Renouatum est ibi euidentiùs illud *Samariæ* antiquum & vetus negotium,de mensura similaginis & ordei, quæ statere vno ac-
30 cipiebatur. Nam qui mane vix sibi sufficere poterat, vespere habuit vnde multos aleret. Factum est autem hoc,Anno ab incarnatione Domini M. XCVIII. mense Iunio,vicesimâ octauâ die mensis. [A. D. 1098.]

[XXIII.] Reuersis igitur Principibus de prælio,& vrbe iam in omni tranquillitate compositâ, curæ fuit omnibus, & præcipuè patrono exercitus, viro venerabili domino *Podiensi Episcopo*, cooperantibus aliis qui in eodem exercitu erant pontificibus, & plebe suffragia ministrante, tam maiorem vrbis Ecclesiam,quę in honore principis Apostolorum dedicata erat;quàm reliquas, quæ per vrbem erant constitutę,in pristinum decorem reformare basilicas;& in eis clerum restituere,qui diuinis iugiter se manciparet obsequiis. Gens enim Turcorum impia,loca profanauerat venerabilia; & eiectis inde cultuum diuinorũ mini-
40 stris,vsibus prophanis ea deputauerant: in aliis equos & iumenta,quasi in stabulis collocantes; in aliis verò indigna locis exercentes negotia. Venerabiles quoque sanctorum imagines,(quibus simplex populus, & *plebs DEI cultrix piâ ruditate commendabilis*, quasi pro libris vtitur, quæ vice lectionis simpliciores ad deuotionem excitant,)ex ipsis corraserant parietibus; & quasi in viuentes personas desæuientes, oculos effoderant, mutilauerant nares, & luto sumpto de immundis obduxerant; deiecerant altaria, & nefandis operibus inquinauerant Domini Sanctuarium. Placuit igitur de communi consilio,vt statim sine dilatione in eis Clerus restitueretur,& pristina reformaretur dignitas,designatis stipendiis vnde possent sustentari qui in eis Domino militarent. Obtulerunt itaque de spoliis hostium, au-
50 rum & argentum,vnde fierent candelabra,cruces, calices, & textus Euãgeliorum, & cætera Ecclesiasticis necessaria vsibus vtensilia. Olosérica quoque ad opus sacerdotalium indumentorum, & altarium operimenta. Dominum quoq; *Patriarcham, Ioannem* nomine,qui tanquam verus CHRISTI confessor,post nostrorum aduentũ,infinita ab infidelibus pertulerat supplicia,in sede propria cum multo honore locauerunt:per vrbes finitimas,quæ Cathedralem consueuerant habere dignitatem, constituentes Episcopos. Nostræ verò latinitatis Patriarcham, eo viuente qui pridem ibi ordinatus fuerat,eligere vel consecrare non præsumpserunt,ne duo vnum

& eundem obtinere thronum viderentur: quod manifestè contra sacros Canones & contra Sanctorum constituta Patrum esse dignoscitur. Sed tamen postmodũ vix euoluto biennio, videns ipse quòd non satis vtiliter præesset Græcus Latinis, vrbe cedens, Constantinopolim abiit. Post cuius discessum conuenientes eiusdem ciuitatis clerus & populus, Artasiensem Episcopum *Bernardum* nomine, natione Valentinum, qui in eadem expeditione dominum Podiensem Episcopum secutus, fuerat Capellanus eius, sibi præfecerunt Patriarcham. Vrbis autem potestatem & dominium sicuti ab initio promiserant, omnes vnanimiter domino *Boamundo* concesserunt, excepto *Comite Tolosano*, qui portam ponti conterminam cum adiacentibus turribus, suis munitam satellitibus detinebat: quas postmodum post discessum Comitis ex vrbe, eiectis inde militibus, sicuti inferiùs dicetur, recepit. Quoniam autem apud suos nomine dignitatis *Princeps* dictus fuerat, obtinuit consuetudo, vt de cætero Antiochiæ dominus, Princeps appelletur.

EXPLICIT LIBER SEXTVS.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI SEPTIMI.

XXII. Pro-

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI SEPTIMI.

INCIPIT LIBER SEPTIMVS.

10 CAP. I.

REbus igitur in vrbe sic dispositis, de communi decernunt consilio, vt dominum Constantinopolitanū Imperatorem per nuncios suos sollicitent, quatinus iuxta pacta quæ cum eis inierat, eis auxilium in propria persona nō differat ministrare; sed proficiscentes Hierosolymam, sicut tenebatur ex promisso, maturè subsequatur: alioquin pactorum seriem negligenti, ipsi nullatenus vellent se obligatos teneri. Electi autem sunt ad id muneris prosequendum viri nobiles & clarissimi, dominus videlicet *Hugo Magnus*, domini Philippi Francorū regis frater, & dominus *Balduinus Heumaucorum Comes*: quorum alter irruentibus in itinere hostibus, comparere desiit, cuius vsq; hodie dubius est exitus, aliis dicentibus eum in acie cecidisse; aliis, ab hostibus captum & mancipatum vinculis, in vlteriora deductum Orientis, asseuerantibus. Dominus verò *Hugo Magnus* irruentium insidias declinans hostium, ad Imperatorem peruenit incolumis: vbi insignibus gestis eius multam nubem induxit, & titulo generis derogauit non modicùm. Nam cùm in expeditione multa gessisset egregiè, vnde sibi famam pepererat immortalem, in ea legatione meritum denigrauit, dum expleto negocio, ad eos qui eum miserant, nec responsa detulit, nec curauit redire. Fuitque in eo delictum hoc, tanto notabilius, quanto ipse genere erat præclarior: nam iuxta verbum nostri *Iuuenalis*:

Omne animi vitium, tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

Suscitata est itaque, ex caussis occultis, statim vrbe captâ & consummatâ victoriâ, postquam res iam erant in tranquillo collocatæ, tanta clades in populo, vt vix aliqua præteriret dies, in qua triginta vel quadraginta non efferrentur funera; ita quod de populo superarat, iam quasi penitùs deleretur. Quâ lue pestiferâ & contagione, cunctos longè lateque indifferenter inuoluente, vir vitæ venerabilis & immortalis memoriæ, dominus *Ademarus Podiensis Episcopus* viam vniuersæ carnis ingressus est, atque cum gemitu & lachrymis & intimis omnium suspiriis, tanquam pater & præcipuus plebis vniuersæ moderator, in basilica beati Petri, in eo loco vbi Lancea Domini reperta fuisse dicebatur, cum multa sepultus est honorificentia. Eiusdem cladis acerbitate *Henricus de Ascha*, vir & generis titulo, & strenuitate commendabilis, apud castrum Turbessel consumptus est, ibiq; sepultus. Sed & *Rainardus de Amesbach*, miles pariter & manu & sanguine clarissimus, eodem occubuit casu, sepultus in vestibulo basilicæ principis Apostolorum. Sexus quoque fœmineus ibi penè vniuersus eadem lue deperiit, ita vt infra paucos dies penè quinquaginta milia deficerent. Cuius tanti mali, quidam circa hoc curiosi, caussas assignare cupientes, dissentiebant ab inuicem: dicentibus aliis quòd ex occultis quibusdam aëris passionibus hoc accideret; aliis verò id pro caussa assignantibus, quòd populus longo tempore famis acerbitate vexatus, postquam alimentorum attigit abundantiam, cibos cum auiditate sumens nimia; præteritos defectus quærens redimere, sibiipsi caussam mortis immoderatâ gulositate inferebat. Idque pro suæ opinionis assertione in euidens trahebant argumentum, quòd sobriis & iis qui sibi parcè sumebant alimenta, multò melius erat, & redibant ad conualescentiam. II. Interea verò tum cladis effugiendæ gratiâ, tum assumptæ peregrinationis intuitu cœpit vociferari populus, & instanter acclamare, vt ad iter versus Hierosolymam, cuius caussâ venerant, iterum Principes se accingerent; & Domini præirent exercitui, caussæ principali, quæ omnes de regio-

nibus suis exciuerat, satisfacientes. Qua ex causa Principes conuenientes in vnum, super hac populi postulatione tam fauorabili & exauditione digna, deliberationē ingressi sunt, in qua alius sic, alius aliter afficiebatur: quibusdam enim id videbatur expedientiùs, vt statim sine dilatione iter arriperent, & populi satisfacerent desideriis; quibusdam verò ob instantis feruorem æstatis & aquarum penuriam, & populi famis acerbitate diutiùs afflicti debilitatem, & equorum defectum, vsque ad clementioris initium temporis & Kal. Octobr. iter differendum videbatur; vt hoc medio tempore, equis de nouo acquisitis, & refocillatis veteribus, populo quoque alimētis & requie in statum pristinum reformato, & omnium viribus reparatis, ad laborem itineris possent resurgere fortiores. Placuit tandem omnibus posterior sententia; & vsque ad tempus prætaxatum de communi conniuentia receptæ sunt ferię. Vt verò interim, & cladis declinarent imminentis periculum, & necessariorum maiorem alibi reperirent abundantiam, diuisi sunt Principes ab inuicem, eâ conditione, vt sine dilatione, tempore redirent condicto. *Boamundus* enim in Ciliciam descendens, *Tharsum*, *Adanam*, *Mamistram*, *Anauarzam* vrbes recepit; & custodibus deputatis, regionem sibi vendicauit vniuersam. Alii quoque per vrbes dispersi finitimas, seorsum à turbis, equis & sibi, curam agentes, indulgebant. Multi etiam tam de plebe, quàm de nobilioribus, ad dominum *Balduinum* Ducis fratrem, vt ab eo aliquid accipere mererentur, Edessam, cui præerat, transito Euphrate, certatim properabant. Quos ille cum multa honestate suscipiens, & apud se commorantes tractans benigniùs, multis donatis muneribus, hilares remittebat ad suos.

III. Accidit autem per eosdem dies, quod *Rodohan Halapiensium* princeps, cum quodam de suis satrapis, qui castello *Hasarth* præerat, contraxerat inimicitias; eoque odium inter eos peruenerat, quod cōuocata ex vniuersis sibi subditis regionibus militia, castrum prædictum obsederat. Videns autem præsidii dominus, quia non facilè nisi per auxilium Francorum, domino potenti & irato posset resistere, missâ legatione ad Ducem *Godefridum* per quendam Christianum fidelem suum, missis muneribus, vt eius sibi faciliùs conciliaret gratiam, eius amicitiam postulat; seruitium suum cum deuotione spondet, indissolubili nexu fœderis ei se cupiens obligare: & vt verbis eius pleniorem haberet fidem, & nulla ex parte de eius promisso dubitaret, filium suum ei destinat obsidem, orans & petens, vt à præsenti eum soluat periculo, condignam pro meritis tempore opportuno retributionem percepturus. His & huiusmodi vir venerabilis persuasus, prędicto nobili amicitiâ fœderatur, in suam eum gratiam recipiens: missoque nuncio, fratrem suum *Edessanum comitem* cum militaribus copiis ad se præcipit euocari, vt amicum obsidione solutâ expediat. Vixque prædictus *Rodohan* circa castrum *Hasarth* per quinque dies cum suis expeditionibus consederat, cùm ecce dux *Godefridus* in magna multitudine tam fidelium suorum, quàm amicorum, quos ad persequendum propositum inuitauerat, ab Antiochia egressus in manu forti, ad partes illas vt amico subueniret, impiger properabat. Qui autem à prædicto nobili viro ad dominum Ducem missi fuerant, videntes quia prosperè & pro votis cuncta compleuerant, in conspectu Ducis domino suo gratiam obtinentes cumulatiorem, quoniam ipsi in persona propria dominum suum super eo nullatenus poterant reddere doctiorem (exercitus quippe hostilis ita vndique castrum vallauerat, vt nec introitus alicui pateret, vel exitus) duas emiserunt columbas, ad id muneris prosequendum instructas apprimè, quibus literulas legationis suæ seriem continentes, ad caudas religauerunt, quibus dominum suum super his omnibus quæ obtinuerant, instruerent diligentiùs. Quæ suæ libertati restitutæ, in momento ad locum vnde eductæ fuerant redeuntes, ab earum custode pariter & alumno captæ sunt; & dissolutæ paginulæ præsentatæ sunt domino: quibus perlectis, in tantam spem erectus est, vt qui priùs obsidentem veritus multitudinem, de resistendo diutiùs desperauerat, eosdem sponte lacessere non vereretur.

IV. Interea cùm iam diei vnius itinere Dux cum suo comitatu processisset, occurrit ei frater eius cum tribus milibus virorum fortium, & armatorum optimè: quo cum plena caritate & pietatis affectu benignè suscepto, propositi pandit seriem, & gratiam quam cum prædicto nobili viro contraxerat, aperit diligenter: quæ omnia frater approbans, ante omnia monet, vt quoniam eius vires, ad tantam obsidionem violenter dissoluendam, non videbantur posse sufficere:

cere: antequam procedat, Principes qui apud Antiochiam remanserant, in suum euocet auxilium, vt confidentiùs valeat in facto procedere. Acquiescens ergò Dux fraternis monitis, missâ legatione, dominum *Boamundum*, dominumque *Tolosanum comitem*, multâ precum exorat instantiâ, & sub obtentu fraternitatis inuitat humiliter, vt sibi pro amico laboranti, opem ferre non differant, vicem condignam tempore accepto recepturi. Inuitauerat autem eos & prius, antequam vrbem egrederetur, & multùm amicè illorum sibi postulauerat suffragium: sed inuidiæ stimulis agitati, eò quòd prædictus vir nobilis, Ducis prius quàm suum expetierat adminiculum, eum sequi detrectauerāt: at nunc iteratâ vocatione commoniti, vidētes quòd 10 non possent cum sua honestate Ducis preces non admittere, conuocatis copiis dominum Ducem secuti, eius se expeditioni sociauerunt. Qui postquam conuenerant adinuicem, facti sunt omnes quasi ad triginta millia pugnatorum. *Rodoan* verò, licet Turcorum quadraginta diceretur habere millia, tamen diffidens de viribus, & nostrorum timens aduentum, quos in proximo affuturos per suos nouerat exploratores, solutâ expeditione, reuersus est Halapiam. Dum autem nostrorum exercitus fugæ *Rodohan* ignarus, cœptum adhuc continuant iter, multique ab Antiochia vtriusque ordinis viri de remoto sequerentur, vt proficiscentibus se associarent legionibus, in quasdam hostium, quas illi studiosè prætenderant, non pauci, casu descenderunt insidias, longè à præcedenti, vt diximus, agmine separati: quos longè & 20 industriâ & viribus impares exuperantes Turci, captiuatis nonnullis, plurimos ex eis occiderunt. Quod postquam Duci, cæterisque Principibus innotuit, à cœpto desistentes itinere, prædictos malefactores vnanimiter insecuti, antequam in suos se possent secessus recipere, & solita reperire diuerticula, eos casu habuerunt obuiam: quos gladiis excipientes, & irruentes in eos animosiùs, dissoluerunt in momento; & retentis nostris, quos captiuos abducebant in compedibus, interemptisque ex eis quampluribus, & captiuatis innumeris, in fugam verterunt, penè ad supremam deletos internecionem. Erant autem hi ex electa sæpe dicti *Rodoan* militia, ex familiaribus & domesticis eius quasi decem milia. Quo peracto, iterum rediens in vnum noster exercitus, ad locum destinatum cum victo- 30 ria peruenerunt: quibus cum trecentis equitibus præsidii dominus occurrens, in conspectu vniuersarum legionum, prono capite, defixis in terram genibus, primò Duci, dein Principibus aliis in multa deuotione magnas agens gratiarum actiones, se coram omni populo præbitis corporaliter iuramentis, Christianis Principibus fidelem obligauit & tradidit: asserens, quod ab eorum gratia & obsequiis, nulla dies, casus nullus, illum auelleret in perpetuum. Sic igitur feliciter consummato negocio, & amico pro votis expedito, exercitus reuersus est Antiochiam, domino *Balduino* fratre Ducis Edessam redeunte. *Dux* ergo videns adhuc prædictam in vrbe regnare pestilentiam, & cladem magis ac magis in populo dominari, fratris acquiescens petitionibus, qui eum præsens quàm 40 intimè rogauerat, vt in suam descenderet regionem, ibique Augusti feruorem, & pestilentis aëris declinaret malitiam: assumpto familiari comitatu, & indigentium maximâ manu, vt eis in necessariis caritatiuè prouideret, in terram fratris descendit, in finibus *Turbessel, Hatab & Rauandel* habitans, regione totâ pro suo vtens arbitrio, & fratris sæpius habens præsentiam. Accidit autem, dum moram ibi faceret, quod regionis incolæ, & maximè viri religiosi, qui in monasteriis, quæ illinc erant plurima, habitabant, graues de *Pancratio*, & *Couasilio* eius fratre, in eius præsentia fundebant quæstiones. Erant autem hi duo fratres, Armenii natione, viri præclari, sed subdoli supra modum; habentes in ea regione municipia, de quorum munimine præsumentes, regionis habitatores, & maxi- 50 mè monasteria, grauibus & indebitis molestabant exactionibus; processeratque eò vsque eorum temeritas, quòd etiam domini comitis Edessani nuncios cum muneribus ad fratrem directos, dum adhuc obsidio circa Antiochiam perseuararet, in itinere spoliare præsumerent; & destinata domino Duci munera, domino dirigerent Boamundo, vt eius sibi aduersus comitem Edessanum conciliarent gratiam. Auditis ergò querimoniis, & iustâ motus indignatione, missis quinquaginta de numero suorum equitibus, cum populo regionis, eorum præsidia effregit violenter, & effracta solotenus deiecit, vt eorum intolerabilem aliquatenus

V.

comprimeret insolentiam. Duce igitur in partibus illis commorante, vniuersi penè Maiores nostri exercitus, sed de popularibus infiniti, vt contra imminẽtes paupertatis angustias aliquod reperirẽt solatium, ad dominum Comitem prædictum certatim confluebant: & maximè ex quo præsidium *Hasarth*, quod in medio itinere constitutum erat, in nostrorum deuenerat gratiã. Quos omnes in tanta suscipiebat honorificẽtia, & tantâ remunerabat liberalitate, vt ipsi etiam qui ad hoc venerant, mirarentur.

VI. Factum est itaque, quod nostrorum turbis ad vrbem sæpe dictam confluentibus, tanta erat in ea Latinorum multitudo, quod ciuibus iam inciperet esse molestum: frequentes enim eis, in hospitio suscepti, inferebant molestias, supra modum in populo dominari volentes. Iamque ciuium consilio nobilium, quorum beneficio tantam vrbem acquisierat, minus & minus vtebatur. Vnde vehementi indignatione aduersus eum suosque succensi sunt, pœnitentes admodum, quòd cum sibi præfecissent: timentes, vnâ die, ab eo cui nihil sufficere videbatur, bonis omnibus spoliari. Factâ ergo conspiratione cum principibus Turcorum finitimis, tractare cœperunt, quomodo dominus *Balduinus* aut casu occideretur repentino, aut vrbe saltem pelleretur. Vt autem ad hoc propositum inuenirentur paratiores, thesauros suos, & omnem substantiam per castella & vrbes finitimas apud suos deposuerant familiares. Dumque circa id plenâ solicitudine tractarent frequentiùs, factum est, vt relatione cuiusdam, qui erga eundem plurimâ fidei & dilectionis synceritate abundabat, huiusmodi ad eum sermo perueniret: cui rei plurima & digna fide reperiens argumenta, missâ satellitum suorum numerosâ manu, omnes homicidas illos teneri præcepit, & vinculis alligari. Tandem re per eorundem confessionem pleniùs intellectâ, factionis illius principes excæcari præcipiens; alios verò, qui minus deliquerant, confiscatis eorum bonis, vrbe fecit extorres; aliorum autem substantiam, suo applicans ærario, vrbis habitatione clementer indultâ, pecunialiter tantùm multauit. Vnde susceptâ ad viginti aureorum milia quantitate, his qui ad se venerant, quorumque ope vrbes & finitima sibi subiiciebat municipia, multâ liberalitate erogabat stipendia: & tam ciuibus quàm populis adiacentibus, solo nomine inferebat formidinem. Vnde & de eius exterminio multi cum omni solicitudine cogitabant; ita vt socer eius timens, ne pro dotis residuo, quam cum filia promiserat, nec dum persoluerat, graues quæstiones pateretur, in montes, vbi sua habebat præsidia, clàm aufugit.

VII. Erat porrò in eadem regione nobilis quidam, genere Turcus, *Balas* nomine, eidem Comiti confœderatus, qui aliquando *Sororgiæ* dominus fuerat, ante illum Latinorum frequentem accessum Comiti plurimùm familiaris. Hic videns, quòd circa eum Comitis amor intepuerat, siue rogatu ciuium, siue propriâ ductus malitiâ, accessit ad eum orans & petens, vt vnicum quod ei supererat præsidium, veniens ipse in propria persona, susciperet: asserebat enim, sibi eius gratiam sufficere, & pro multa hereditate reputari. Vxorem autem ac liberos, & omnem substantiam suam in vrbem Edessanam asserebat se velle introducere: multùm enim contribulium suorum indignationem fingebat se vereri, eo quod Christianis factus esset familiaris. Quibus verbis Comes persuasus, diem condixit, vt ad locum perueniens, eius satisfaceret voluntati. Statutâ autem die, assumptis secum ducentis equitibus, ad locum præuio Bala destinatum peruenit. *Balas* autem oppidum occultè præmunierat, Turcos centum, fortes viribus, & armis optimè instructos introducens, qui ita latebant in præsidio, vt nullus ex eis compareret. Cùm ergo ante oppidum constitissent, rogauit Comitem, vt cum paucis & familiaribus castrum ingrederetur, ne fortè omni illâ intromissâ multitudine, ipse in substantia sua aliquam iacturam sustineret. Et iam pro voto cuncta penè persuaserat, cùm proditionem quodammodo præsagientes quidam, qui circa eum erant nobiles & viri circumspecti, ingredi volentem quasi violenter detinuerunt, hominis suspectam meritò habentes malitiam; & tutiùs iudicantes per alias personas hoc primum fieri experimentum: quorum prudenti Comes acquiescens consilio, duodecim de suis viros robustissimos, & armatos egregiè, in præsidium iussit introire: ipse autem exteriùs in loco satis vicino cum reliqua militia subsedit quietus, donec rei exitum fide conspiceret oculatâ. Qui autem ingressi sunt, fraudem & malitiam iniqui proditoris in seipsos experti sunt: nam egressi de latibulis armati ad vnguem Turci, de quibus

quibus prædiximus centum, seductos equites, resistere volentes, sed in cassum, violenter comprehenderunt, vinculis eos mancipantes. Quo cognito, Comes pro suis fidelibus, quos ita fraudulenter amiserat, tristis admodum, & maximè solicitus, accedens propiùs ad præsidium, cœpit Balas diligenter commonere; & sub obtentu iuramentorum, quæ illi de obseruanda fidelitate exhibuerat, attentiùs conuenire, vt sumptâ immensitate pęcuniæ, quos proditiosè ceperat, restitueret: negauit penitus, nisi ei Sororgia redderetur. Comes autem videns quòd non proficeret: erat enim præsidium in excelsis rupibus situm, arte & viribus insuperabile, reuersus est Edessam, suorum ægrè ferens captiuitatem, & fraudem quam per-
10 tulerat animo reuoluens anxietate nimiâ. Præerat autem prædictæ vrbi Sororgiæ, quidam *Fulbertus Carnotensis*, vir in militaribus negotiis expertissimus, centum expeditissimos sub se habens equites. Hic dolum comperiens quem dominus eius passus fuerat, totâ mente compassus, æstuabat animo, quomodo tantam vlcisceretur iniuriam. Vnde die quadam positis in loco ad id opportuno insidiis, ante sæpiùs memoratū oppidum, quasi prædam abacturus, cum paucis studiosè, vt eum insequerentur, accessit: qui autem erant in municipio, videntes quòd ex pascuis prædam abigeret, armis correptis, certatim illum vltra quas idem posuerat insidias, insectati sunt fugientem. Vnde resumptis viribus, & erumpentibus his qui latuerant, in eos irruentes, quibusdam interfectis, aliis in oppidum vix refugium haben-
20 tibus, ex eis sex viuos comprehendit: pro quibus totidem de suis, modico temporis interuallo, factâ compensatione, recepit; quatuor verò ex eisdem, deceptis custodibus elapsi, in suam se receperunt libertatem; duos verò, qui de illorum supererant numero, vir nequam & impius decollari præcepit. Vnde factum est, vt ab ea die dominus *Balduinus* Turcorum declinaret amicitiam, & suspectam penitus haberet fidem: quod statim euidenti docuit argumento. Erat enim in eadem regione quidam eiusdem generis, *Balduc* nomine, qui vrbem Samosatum veterem & munitissimam, precio interueniente, eidem Comiti vendiderat. Hic vxorem & liberos, & vniuersam familiam in vrbem Edessanam traducere tenebatur ex compacto: sed caluas quærens occasiones, propositum adimplere differebat, mali-
30 gnandi quærens opportunitatem: hunc ad se more ingressum solito, & moræ causas allegantem friuolas, ne simile aliquid ab eo pateretur, decapitari iussit. VIII. Interea verò dum circa Turbessel dux moram faceret, & hæc circa partes Edessanas agerentur, *comes Tolosanus* cum suo comitatu & multo pauperum populo egressus Antiochiâ, ne interim ociosus torpesceret, *Albaram* vrbem munitissimam in Appamiensi prouincia constitutam, ab Antiochia quasi duorum dierum itinere distantem, obsedit, & obsessos in ea ciues violenter compulit ad deditionem. Vrbe verò captâ, & adiacente sibi cum vniuersis suburbanis subiectâ regione, quendam *Petrum* Narbonensem genere, de suo comitatu, virum honestæ conuersationis, & valde religiosum, in eiusdem loci elegit Episcopum: cui statim dimidium ci-
40 uitatis & vniuersi contulit territorii, DEO gratias exhibens, quòd per eius operam & studium Oriens Episcopum haberet Latinum: qui Antiochiam vt suæ cōsecrationis munus susciperet, de mandato Comitis profectus, pontificalis adeptus est plenitudinem potestatis. Postmodum verò Antiochena ordinata Ecclesia, per dominum *Bernardum* eiusdem ciuitatis patriarcham [illegible]atinorum primum, suæ Metropolis in eandem Ecclesiam transtulit dignitatem, suscepto ab eodem pallii genio, factus Archiepiscopus. Erat per idem tempus cum domino comite Tolosano quidam nobilis *Willelmus* nomine: hic effractâ vrbe Antiochenâ, casu fortuito vxorem *Aciani*, Antiochenorum principis, cum duobus nepotibus ex filio *Samsadolo* paruulis ceperat, & apud se detinebat in vinculis: pro quorum redemptione, præ-
50 dictus Samsadolus, suprà nominato nobili viro infinitam dedit pecuniæ summam, matre cum liberis pristinæ restitutis libertati. Eodem quoq; tempore ingens virorū multitudo de regno Theutonico, de partibus *Ratisponensibus*, numero quasi mille quingenti prospero vecti nauigio, in portu *sancti Symeonis* applicauerant: qui omnes infra modicum tempus eâdem clade consumpti sunt. Tribus enim mensibus continuis vsque ad Kalend. Decembris, morbus ille pestilens, ita populum afflixerat, vt infra hoc temporis spacium, de equestri ordine ceciderint viri nobiles plus quàm quingenti; de plebe verò infinitus erat numerus. IX. Kalendis autem

Nouembribus, cùm iam sicut ex compacto tenebantur omnes Principes, qui cladem euitantes ab vrbe secesserant, essent reuersi, captâ iam vt præmisimus, Albariensi vrbe, de communi consilio, *Marram* vrbem munitissimam, ab Albara octo distantem miliaribus, ne nil interim ageretur, expugnare proponunt: non enim poterant vociferantis populi, & iter versus Hierosolymam expetentis clamorem tolerare. Præparatis igitur necessariis, die constitutâ profecti sunt, vt proposito satisfacerent, *Comes Tolosanus* & *Flandrensis*, *Comesq; Normannorum*; *Dux* etiam & dominus *Eustachius* eiusdem frater, & *Tancredus*, vnà cum illis supranominatam vrbem obsidione vallauerũt. Erant autem ciues eiusdẽ loci superbi admodum, & præ multitudine diuitiarum arrogantes: eoq; maximè, quòd semel in quodam conflictu, multos de nostris occiderant; vnde adhuc apud se gloriabantur, nostrum contemnentes exercitum, & Principibus irrogantes conuicia. Sed & cruces etiam super turres & mœnia figentes, sputis & aliis modis quibusdam probrosis nimiùm, in nostrorũ contumeliam afficiebant. Vnde motu maiore & indignatione vehementi, quantam poterat incendere sacrilegii dolor, vrbem aggredientes, continuis assultibus, si scalarum habuissent copiam, die secundâ, quâ ad eandẽ applicuerant, vrbem violenter effregissent. Tertiâ demum die, adueniens *Boamundus* cum maioribus copiis, vrbem ex ea parte quâ inobsessa remanserat, obsidionem continuauit: post cuius aduentum diebus aliquot, indignãtes nostri, quod ibi tam diu detinerentur inutiliter, crates contexunt, & turres erigunt, ligneas machinasq; componunt iaculatorias: & impatientes moræ, vrbem proteruiùs impugnare satagunt. Complanato igitur multo labore vallo, nostri murum suffodere nitebantur, qui verò intus erant totis viribus resistentes, lapides, ignem, & plena apibus aluearia, calcem quoq; viuam, quantâ poterant iaculabantur instantiâ, vt eos à muro propellerent; sed DEI virtute & misericordiâ, de nostris nullos, aut paucos lædere poterãt: tantoq; nostri instabant vehementiùs vndiq; vrbem impugnantes, quanto ciues deficere & eorũ euacuari conatus conspiciebant. Cùm autẽ à primo diei crepusculo, vsq; ad Solem occiduũ continuatus esset assultus, defatigatis labore continuo ciuibus, & iam minore resistentibus curâ, applicatis ad murum scalis, violenter nostri muros cõscendunt. Inter quos vir nobilis de Episcopatu Lemouicensi *Guilferus*, cognomento de *Turribus*, murum primus conscendit: quem plures subsecuti, quasdam ciuitatis turres occupauerunt: sed in eodem facto procedere, & vrbem sibi vendicare vniuersam, nox irruens intempesta prohibuit. Differẽtes autem vsq; in sequentem diem, nostri equites & maiorum manus, negocium, vt summo mane redirent in idipsum, totâ nocte circa vrbem, ne hostibus pateret exitus, custodierunt vigilias. At verò plebs indomita longis fatigata laboribus, & diutinæ famis acerbitate vexata, vidẽs quòd hostiũ nemo cõpareret in mœnibus, quòd ciuitas sine strepitu tota quiesceret, absq; maiorum conscientia in vrbem ingressa est; & eam reperientes vacuam, clàm & sine strepitu vniuersa eius obtinuerunt spolia. Ciues enim in speluncas se contulerant subterraneas, vt saluti consulerent vel ad tempus. Mane autem facto, exurgentes Principes, & vrbem obtinentes sine prælio, pauca inde sustulerunt spolia: cognoscentes tamen, quòd in latibulis subterraneis se ciues occultauerant, appositis ignibus, & fumo copiosiùs immisso, eos ad deditionẽ compulerunt; & inde violenter abstractos partim obtruncauerunt gladiis, partim compedibus mancipauerũt. Mortuus est ibi dominus *Wilelmus*, bonæ memoriæ, *Aurasiacensis Episcopus*, vir religiosus ac timens DEVM. *Dux* autem cùm per dies, cum aliis, ibi moram fecisset, quindecim, cum *Flandrensium Comite* familiaribus tractus negotiis, Antiochiam reuersus est.

X. Per idẽ tempus videns dominus *Godefridus* Lotharingiæ Dux, quod populus ad proficiscendum se accingeret, & Principes ad idipsum inuitaret instantiùs, proposuit, priusquàm à regione illa discederet, fratrẽ videre, & eius colloquio recreari. Profectus ergo cum familiari comitatu, in fratris regionem descendit: quo viso, completisque pro quibus ierat negotiis, & sumptâ licentiâ, Antiochiam, ad cæteros Principes, qui eum expectabant, reuertebatur. Cumq; iam vrbi per sex vel quinq; miliaria esset proximus, accidit quòd in loco herbido & amœno satis, secus fontem, qui dulces & perspicuas emanabat aquas, ipsâ loci facie ad id inuitante, descendit vt cibum sumeret: dumq; in eo sociorum ferueret intentio, & aptus pro loco & tempore prandii fieret apparatus, ecce repentè de carecto paludis, quæ

quæ loco illi erat contermina, hostium equites ad vnguem armati, super conuiuantes irruunt. Dux tamen & sui, antequam ad eos Turci accederent, arma corripuerant equis insidentes: vnde factum est, vt habito inter eos conflictu, præuiâ Domini gratiâ, Dux fieret superior, ita vt interfectis pluribus, reliquos in fugam adigeret: & inde cum gloria in vrbem se recepit. Captâ ergo ciuitate prædictâ, orta est inter dominum *Boamundum* & *Tolosanum Comitem* grandis controuersia. Comes enim Albariensi Episcopo eam dare proposuerat; Boamundus verò eam ciuitatis partem quam occupauerat, pro comitis arbitrio Episcopo nolebat concedere, nisi Comes eas quas ipse apud Antiochiam possidebat, priùs ei resignaret turres. Tandem verò neglecto negotio quod apud Marram gerebatur, dominus Boamundus cum indignatione reuersus est Antiochiam, vbi expugnatis turribus quas Tolosani Comitis munitas detinebant satellites, eius inde violenter deiecit familiam: & sic vniuersam absq; consorte possedit ciuitatem. Comes verò videns quod eius recesserat æmulus, & pro libero arbitrio de vrbe capta posset disponere, Episcopo eã sicut & priùs proposuerat, contulit Albariensi. Dum autem cum eodem ordinaret Episcopo, quomodo deputatis ex vtroq; ordine custodibus, vrbem possent ab hostibus conseruare indemnem, sentiens hoc populus, molestè nimiùm cœpit ferre; & apud se conqueri, quod moras innecterent Principes, & pro singulis captis vrbibus lites inter se suscitarent & iurgia, ita vt principale eorum propositũ omnino neglectum videretur. Vnde conuenientes adinuicem ordinauerunt apud se, vt quacunq; ex causa absente Comite, vrbem diruerent, ne de cætero eorũ votis aliquod præstaret impedimentum. Contigit verò interea, quod conuenientibus apud *Rugiam*, quæ quasi in medio inter Antiochiam & prædictam Marram sita est, Principibus, vt ad vociferationes populi, super itinere deliberationem haberẽt, Comes vocatus illuc peruenit. Vbi dissentientibus ab inuicem, nihil consonum, nihilq; vtile de proposito constitutum est: vbi dum Comes moram faceret, populus qui apud Marram relictus fuerat, nactâ occasione ex Comitis absentia, multùm prohibẽte & renitente plurimũ prædicto Episcopo, turres & mœnia deiecerant funditus, vt Comes rediens, vlteriùs innectendi moram ex eo causas non haberet. Redeunte verò Comite, tristis admodum pro casu, qui acciderat, videns tamen populi volũtatem, factum prudenter dissimulauit. Populus verò nihilominus proteruiùs instabat, orans & petens, vt populo Dei ad peragendum iter inceptum ducem se præberet: alioquin ipsi vnum quemlibet de militibus sibi præficerent, qui eorum præesset exercitui, & eos in via Domini præcederet. Erat præterea in eodem exercitu tanta famis acerbitas, vt deficientibus alimentis, multi contra morem, ferarũ animos induti, ad esum immundorum se conuerterent animalium. Dicitur etiam, si tamen fas est credere, quòd multi præ alimentorũ inopia, ad hoc vt carnes humanas ederent, prolapsi sunt: sed neq; clades deerat in populo, nec meritò deesse poterat, vbi tam immundis & pestilentibus cibis (si tamen cibi dicendi sunt, qui contra naturam sumuntur) misera plebs alebatur. Nec enim momentaneum fuerat, nec ad tempus modicum, illa tanta talisq;, quæ populum afflixerat, inopia: sed quasi hebdomadibus quinq;, vel ampliùs, circa illam quam expugnare nitebantur vrbem, moram fecerant cum hoc periculo. Defecerant autem ibidem nõ solùm bellicis casibus, verùm etiam valetudinibus variis, viri præclari & nobiles: inter quos perfectissimæ indolis adolescẽs *Engelrandus*, filius domini Hugonis Comitis sancti Pauli, ægritudine correptus validâ, diem clausit extremũ. His omnibus vir inclytus & insignis dominus *Comes Tolosanus*, mente anxiatus & spiritu, infra seipsum fluctuabat dubius: nam & periclitantis populi eum affligebat molestia, & fatigabat necessitas; & itineris desiderium, quo tam maiores quàm minores succensi erant, ita vt etiam cum clamoribus assiduis & frequenti contestatione id importuniùs exigerent, requiem penitus denegabant. Volens igitur vtriq; morbo cõgruum aptare remediũ, certus tamen quod alii Principes eum in hac parte sequi nollent, vt populo vociferanti & suæ satisfaceret conscientiæ, diem ad iter aggrediendum populo præfixit quintumdecimum, & ne medio tempore fame, quæ nimis inualuerat, populus periclitaretur, assumptâ parte militiæ, & de turbis pedestribus his, qui videbantur validiores, parte reliquâ infra vrbem relictâ, in terras hostium descẽdit, vt vitæ necessaria plebi quocunq; periculo procuraret. Ingressus igitur cum maximo comitatu,

regionem hostium opulentissimam, effractis municipiis pluribus, & succensis suburbanis aliquot, greges inde retulit & armēta, seruosq; & ancillas & alimentorum ingentes copias, ita vt vsq; ad satietatem plenam, ieiunus & esuriens reficeretur populus; & sociis qui apud Marram vrbem tuentes remanserant, portiones pro sorte virili deputarent. Regressus igitur cœpit Comes æstuare, quid faceret, populo iterum clamante, quod ad iter aggrediendum præfixa iam instaret dies, & dilationes omnes respueret. Videns autem quòd causam foueret populus honestam, & quòd eorum non posset ampliùs sustinere instantiam, licet solus esset, nec eum de principibus aliquis sequi decreuisset, cum suo tantùm comitatu, succēsâ vrbe, & in fauillam redactâ, iter aggressus est. Videns autē quia non multos haberet equites, Episcopum rogauit Albariensem, vt secum proficisceretur: qui benignè preces admittens Comitis, quendam nobilē virum, *Willhelmum* videlicet de *Cumliaco*, super res suas cum septem equitibus & peditibus triginta præfecit: qui bonâ fide & plenâ deuotione res suas conseruans commēdatas, infra paucos dies, pro septem equitibus habuit quadraginta, & pro triginta peditibus octoginta vel ampliùs recepit, res domini multiplicans in immēsum. Igitur statutâ die iter arripiens profectus est, neminem aliorum operiens. Erant autem in eius comitatu quasi decem virorum millia, ex quibus vix trecenti quinquaginta erant equites. Cui proficiscenti, *Normannorum Comes*, & dominus *Tancredus*, vterque cum quadraginta equitibus, & numerosa peditum manu se aggregauerunt, comites in itinere se præstantes indiuisos. Profecti autem, tantam in itinere rerum inuenerunt opulentiam, vt populo nihil ampliùs esset necessarium. Transeuntes enim per *Cæsaream, Hamam, & Emissam*, quæ vulgari appellatione *Camela* dicitur, à Principibus earum & ducatum merebantur habere, & rerum venalium forum optimis conditionibus; insuper & dona plurima in auro, argento, gregibus & armentis, & victualibus omnimodis, à municipalibus & oppidanis, per quorum fines transibant, vt eorum parcerent regioni. Sicque per dies singulos eorum augebatur exercitus, & in meliorem proficiebat statum, rebus ad omnem sufficientiam abundans necessariis. Equorum etiam, quorum maximam passi fuerant indigentiam, tam gratis quàm precio ingentem sibi comparauerunt multitudinem, ita vt antequam cum reliquis conuenirent Principibus, mille & ampliores, exceptis prioribus, in suo haberent exercitu. Tandem cùm per dies processissent aliquot, iter agentes mediterraneum, de communi decretum est consilio, vt ad oram redirent maritimam, vt de statu reliquorum Principum, quos in finibus Antiochenis post se dimiserant, faciliùs instruerentur; & à nauibus quæ ab Antiochia & Laodicea per mare ascendebant, rerum necessariarū assequerētur commercium.

XIII. Fuerant sanè toto illo itinere, ex quo à Marra discesserant, eis cuncta satis prospera: nisi quod sæpiùs circa expeditionis nouissima, prædones quidam occultè consueuerant irruere; & de senibus & valetudinariis, qui exercitum non poterāt æquis subsequi passibus, nōnullos interimebant, aut captiuabant: quorum fraudibus Comes argutè obuians, præeuntibus exercitum domino *Tancredo*, domino quoq; Normannorū duce *Roberto*, vnà cum Albariēsi Episcopo, ipse cum quibusdam viris insignibus & egregiis post exercitum remansit in insidiis, vt prædictis malefactoribus, qui proficiscētem exercitum ponè sequebantur, vt incautos opprimerēt, tempore occurreret opportuno. Factumq; est vt more solito irruentibus maleficis, Comes è latebris egrediens, eis se daret obuiam; & repentè irruens prosterneret vniuersos, equos eorum & spolia, & de captiuis aliquot, cum multa lætitia in expeditionem referens. Ab ea die tutè & sine difficultate incedebat populus, rebus necessariis affluēter abundans: nec fuit in omni regione quā prætererunt proficiscentes; à dexteris vel à sinistris ciuitas vlla, vel municipium, cuius ciues exercitui & eius ducibus non dirigerent munera; fœdus non impetrarent à transeuntibus & amicitiam: excepto vno, cuius habitatores de sua multitudine & loci præsumentes munimine, nec forum eis obtulerunt rerum venalium, nec impetrato fœdere, ducibus miserunt exenia; sed iunctis agminibus nostrorum expeditioni conati sunt impedimentum præstare. Quod videntes nostri, iustâ indignatione succensi, in eos irruerunt vnanimiter; & in momento dissolutis eorum manipulis, & captiuatis nonnullis, eorum oppidum effregerunt violenter; gregesq; eorum & armenta, equos etiam, qui in subiectis pascuis alebantur, & omnem eorum

rum

rum substantiam diripientes, abduxerunt secum. Erant autem in eodem exercitu finitimorum Principum nuncii, ad hoc vt pacem impetrarent missi. Hi nostrorum videntes vires & audaciam, vt plenam pacem suis obtinerent dominis, ad propria reuertebantur, vt qui eos miserant, de nostrorum muribus & fortitudine pleniùs instruerent; sed mox cum equis & aliis muneribus reuertebantur. Post dies autem aliquot, regione mediâ cum omni tranquillitate decursâ, in campestria vrbis antiquæ & loci situ munitissimæ, haud longè à mari, quæ *Archis* appellatur, descenderunt, satis in vicino iuxta vrbem castrametantes. Est autem *Archis* vna de vrbibus prouinciæ Phœnicis, ad radices Libani, in colle sita munitissimo, quatuor aut quinq; à mari distans miliaribus, longè lateq; diffusa, optimi soli, & glebæ vberis habens planiciem: cui etiam & lætissima non desunt pascua, & aquarum commoditates viuentium. Hanc, vt veterum habent traditiones, *Aracheus* septimus filiorum Chanaan fundasse dicitur, & de suo nomine *Arachis* dixisse: sed postea corrupto nomine, *Archis* dictam fuisse. Circa hanc, vt præmisimus, nostri castra locauerunt sua, non casu fortuito; sed quorundam ex nostris, qui in vinculis hostium detinebantur, literis & exhortatione commoniti. Erant enim in ciuitate *Tripolitana*, quæ est ciuitas nobilissima in littore maris sita, ab Archis sex aut quinq; distans miliaribus, de nostris aliquot, qui in ea violenter detinebãtur. Ab initio enim obsidionis Antiochenæ, & maximè post vrbẽ debellatam, cœperunt nostri vt sibi victũ propagarent, compellente inopiâ, imprudenter circuire regiones, & se hostibus circumiacentibus vltrò ad prædam exponere. Vnde factum erat, vt vix esset ciuitas vel oppidum, quod de populo nostro non haberet captiuos: iuxta quem modum in vrbe Tripolitana, de qua præmisimus, de nostris plus quàm ducenti eâdem detinebantur conditione. Qui nostrorum intelligentes aduentum, significauerunt Principibus, vt nullatenus ab Archis discederent, sed eam vallarent obsidione: sic enim aut vrbem infra paucos dies possent recipere; aut à rege Tripolitano, vt ab obsidione desisterent, infinitam extorquere pecuniam, & captiuorum fratrum obtinere liberationem. Quod & factum est: nam statim accedentes ad vrbem, propiùs castris circumpositis obsidione vallauerunt: tum vt id tentarent, quod eis intimatum fuerat; tum vt reliquos Principes operirentur, qui eos in proximo subsecuturi credebantur. Egressi autem de castris eisdem equites centum, cum peditum ducentorum duobus manipulis; & *Raimundum Pelet* secuti, vsque ad vrbem *Antaradon*, quæ vulgari appellatione *Tortosa* dicitur, ab obsidione viginti vel ampliùs distantem miliaribus, vt experirentur si quid sibi necessarium & vsui futurum reperirent, peruenerunt. Est autem *Antarados* ciuitas in littore maris sita, iuxta se insulam habens modicam, quasi per duo distantem miliaria, vbi antiqua & per multa secula insignis ciuitas, *Arados* nomine fuit. Huius *Iezechiel* propheta memoriam facit, ad Principem Tyri dirigens sermonem, ita: *Habitatores Sydonij & Aradij fuerunt remiges tui.* Et idem infra: *Filij Aradij cum exercitu tuo erant super muros tuos, in circuitu tuo.* A cuius nomine & prædicta ciuitas nomen accepit, vt Antarados diceretur, eo quod prædictæ Arado esset opposita. Harum vtraq; sita est in Phœnice prouincia: & eiusdem ciuitatis vnus & idem auctor fuit, *Aradius* videlicet, nouissimus natu filiorum Chanaan, filii Cham, filii Noe. Ad hãc itaq; vrbem accedentes domini Tolosani exercitus pars prædicta, vrbem cœperunt acriùs impugnare: sed cùm resistentibus ciuibus animosè satis, in eius expugnatione non possent multùm proficere, nocte irruente, in diem crastinam distulerunt negocium: vt receptis consortibus, qui eos subsequi decreuerant, facto mane ad idem opus fortiores resurgerent. At verò ciues timentes ne maiores eâ nocte accederent copiæ, quibus tandem resistere non valerent, cum vxoribus & liberis & familia vrbem egressi, ad montes vicinos, vt fugâ saluti consulerent, se contulerunt. Nostri porrò summo mane se adhortantes adinuicem, casus qui de nocte illa acciderat ignari, vt opus continuarent hesternum, & ad vrbem impugnandam se armarent, accedentes cominus, & eam reperientes vacuam, intrepidè & constanter ingressi sunt, victualibus & spoliis eam inuenientes redundantem. Vnde onerati vsque ad supremam satietatem, ad castra reuersi sunt: eis quæ interim acciderant, cuncta per ordinem edocentes, & de successu proprio vniuersum lætificantes exercitum. Interea circiter Kalendas Martias, populus, qui Antiochiæ remanserat, videns præfixam

[Margin: 10, 20, 30, 40, 50 (line numbers); XIV. XV. XVI. (section numbers); Ezech. 27, 8, 11.]

ad iter aggrediendum imminere diem, dominum Lotharingiæ ducem *Godefridum*, dominum quoq; *Robertum* Flandrẽsium Comitem, & alios Principes multâ cœpit vrgere instantiâ, vt iter arriperent; & eis volentibus voti consummationem adimplere, ducatũ præberent. Prætendebant & domini Comitis Tolosani, Ducis quoq; Normannorum, & domini Tancredi fidem & constantiam, & admirabilem gratiam quam plebi DEI exhibuerant, eos iam per dies multos in via Domini fideliter præcedentes. His & huiusmodi persuasi Principes antefati, compositis sarcinis & necessariis ad iter præparatis, assumptâ secum vniuersâ tam equitum quàm peditum multitudine, quibus cordi erat & in proposito versus Hierosolymam proficisci, in Kalendis Martiis apud *Laodiciam* Syriæ quasi ad vigintiquinq; milia virorum fortium & armatorum conuenerunt, prædictos principes secuti. Sed & dominus *Boamundus* cum suo comitatu illuc vsq; eos prosecutus est: non tamen aut cum eis proficisci, aut ibi moram facere longiorem poterat, ne fortè recens captam Antiochiam hostibus circumpositis, temerè vel ad tempus inobseruatam negligere videretur: tamen vt societatis memor & gratiæ, quam in via Domini cum aliis contraxerat proceribus, eos vsque ad locum prosequutus est supradictum, quicquid officii & humanitatis poterat promptâ exhibens deuotione, vt sui memoriam altiùs imprimeret abeuntibus. Reuersus est ergo salutatis Principibus, & sumptâ cum multo gemitu & suspiriis licentiâ, vt ciuitatis sibi creditæ curam ageret diligentem, populo apud Laodiciam derelicto. Est autem *Laodicia*, ciuitas nobilis & antiqua, sita in maris littore, quæ fideles habens habitatores, sola de vrbibus Syriæ, Imperatoris Græcorum iurisdictioni erat supposita. Ad hanc *Guinimerus* quidam Boloniensis, quem superiùs cum classe apud Tharsum Ciliciæ, dum dominus ducis frater *Balduinus* eam occupasset, applicuisse meminimus, cum eadem classe sua peruenerat. Et dum eam imprudenter, non comparatis viribus aggrederetur impugnare, & suæ mancipare ditioni, captus erat à ciuibus, & carceri cum omni suo plenè comitatu mancipatus. Hunc quia de terra patris sui aduenerat, & apud Tharsum prædictam, fratri suo vtilitati fuerat & honori, dominus Dux à præside ciuitatis & loci primatibus sibi petiit restitui: qui verbo Ducis non audentes in quopiam contraire, prædictum Guinimerum cum sociis vniuersis & classe quam induxerant, Duci restituerunt: quem suæ classi Dux præficiens, æquis eum passibus per terras gradientem subsequi præcipit: quod & factum est.

XVII. Egressus igitur *Laodiciâ* Syriæ prædictus exercitus, receptis his quos in eadem vrbe repererant, & qui ab Antiochia & Cilicia & vrbibus finitimis, causis familiaribus & occupationibus domesticis detenti, tardiùs egressi fuerant, oram legentes maritimam, ad vrbem *Gabulensem*, quam vulgari appellatione *Gibellum* dicunt, quæ à prædicta Laodicia duodecim distat miliaribus, peruenerunt. Vbi cùm per aliquod temporis interuallum castris in gyrum locatis vrbem obsedissent, is qui ciuitati præerat, principis Ægyptii procurator (nam hæc prima de vrbibus maritimis, Ægyptiorum erat subiecta potestati) aureorum sex millia *Duci* obtulerat, insuper ingentia munera, si ab obsidione desisteret: quem, tanquam sordidorum contemptorem munerum, cùm flectere nequiuisset, ad alia se cõuertens studia, legatos de quorum fide præsumebat & industria, ad comitem direxit *Tolosanum*, prædictam pollicens pecuniam, si eum à Ducis manibus posset expedire. Ille autem, vt dicitur, clàm oblatâ sumptâ pecuniâ, confinxisse dicitur, quòd infinita hostium multitudo à tractu descenderet Persico, propositum habens eas iniurias vltum ire, quas Persarum populus sub duce *Corbagath* passus fuerat apud Antiochiam, & quòd nõ inferius priore bellum parabatur rediuiuum: & super his omnibus nuncios se dicebat recepisse fide dignos, de quorum verbo nullatenus esset ambigendum. Missâ igitur legatione per virum venerabilem, dominum *Albariensem Episcopum*, & directis epistolis, dominum Ducem, & comitem Flandrensium anxiè nimis sollicitat, vt obsidione solutâ, properare non differant; sed communibus periculis fraternâ compassione occurrãt. Illi verò auditâ fratrum necessitate, & quod imminere dicebatur periculo, in simplicitate spiritus gradientes, solutâ statim obsidione, & itinere maturato, transeuntes vrbem *Valeniam*, quæ sub oppido *Margat*, in littore maris sita est; deinde *Marecleam*, quæ prima de vrbibus Phœnicis à Septentrione venientibus occurrit, *Antaradum*, quæ vulgari appellatione *Tortosa* dicitur, quæ similiter vna est de vrbi-

vrbibus suprà nominatæ prouinciæ, in littore maris similiter constituta, peruenerunt. Quam reperientes habitatoribus vacuam, insulæ quæ ab Occidente eidem obiecta est ciuitati, vbi & nostrorum naues aliquot opportunâ statione locatas inuenerant, vicinitatem admirati sunt. Vnde compendia secuti, infra paucos dies ante vrbem *Arscensem* cum omni sua multitudine constiterũt. Quibus dominus *Tancredus* occurrens, fraudem Comitis vniuersam seriatim edocuit: vnde & seorsum longè à tabernaculis eorum, qui præcesserant castrametati sunt. Videns autem Comes, quòd ab eo aliorum principum esset alienatus animus, missis muneribus, eos sibi reconciliare satagebat. Vnde factum est, vt post modicum temporis interual-
10 lum, reconciliatis sibi Principibus, excepto domino Tancredo, qui aduersus eum graues suscitabat quæstiones, in vnum corpus circa vrbem conuenerint expeditiones. Cumq; Comes ante Ducis aduentum multis iam diebus inutiliter ibi consumsisset operam, spes erat quod in aduentu reliquorum Principum, vrbs facilè superari posset, & obsidentium labor optato fine consummari: sed contra spem accidit. Nam neque priùs neque posteriùs propitium in eo facto habuit populus Dominum: quotiens enim vrbem nitebantur impugnare, & ad varia se attollebant nocendi argumenta, vt vel * agerent ad deiiciendum murum, vel contra eum assultus committerent, toties noua occurrebant impedimẽta, & omnis eorum euacuabatur conatus; frustrabantur opera, impensa deperibat: ita vt manifestè daretur
20 intelligi, quòd in eo opere, eorum conatibus fauor se subtraxisset Diuinus. Quippe occidebatur populus; & viri nobiles & præclari inutiliter decumbebant. Ceciderunt ibi viri nobiles & præclari, casu miserabili, vterq; iactu lapidis, ***Anselmus de Riburgismonte***, vir in armis strenuus, & perpete dignus memoriâ; & ***Pontius de Baladuno***, vir nobilis & familiaris domino comiti Tolosano. Propterea & populus inuitus ibi detinebatur, cui erat in proposito, iter inceptum consummare: vnde nec operam dabat cum studio, nec multam in facto impendebat sollicitudinem, maximè autem post Ducis aduentum: etiam qui cum comite Tolosano aduenerant, eius familiares & domestici, se subtrahebant ex industria, vt Comes affectus tædio, aliorum Principum vias sequeretur, qui etiam inuiti & compellente Comite con-
30 tra conscientias detinebantur. Renouata est ibi quæstio de Lancea, quę apud Antiochiam reperta fuerat: vtrum ea esset, qua de latere Domini sanguis & vnda profluxit; an res esset commenticia. Dubitabat enim valde super hoc populus: sed & Maiores penitus fluctuabant incerti: aliis dicentibus, quod verè ipsa esset, quæ Domini Cruce maduerat, eius latus aperiens, & per inspirationem diuinam in cõsolationem plebis reuelata; aliis asseuerantibus, quòd versutiarũ Tolosani comitis esset argumentum, & gratiâ quæstus adinuentio ficta. Huius autem dissentionis auctor erat præcipuus, quidam *Arnulphus*, Domini Normannorum comitis familiaris & capellanus; vir quidem literatus, sed immundæ conuersationis, & scandalorum procurator: de quo in sequentibus multa dicenda occurrent. Cumq; diu super hoc
40 in populo sermo hic discurreret contradictorius, hic qui eam reuelationem sibi factam fuisse asserebat, vt populo fidem faceret, & omnem tolleret ambiguitatẽ, rogum copiosum præcepit accẽdi, pollicens se auctore Domino, certo per ignem experimento fidem se facturum incredulis, quòd nihil confictum, nihil cõmento adumbratum in eo facto intercessisset; sed solâ reuelatione diuinâ, ad notitiam hominum & eorũ consolationem, totum esset procuratum. Accenso igitur rogo copioso admodum, cuius incendii feruor etiam circumpositos terrere poterat: conuenit vniuersus populus à maiore vsq; ad minorẽ, in ea sexta feria, quæ sanctũ Domini Pascha prçcedit, in qua & mundi Saluator pro nostra salute passus esse legitur, vt tantæ rei plenũ haberet experimentum. Qui verò tam periculosum examen sponte subi-
50 turus erat dicebatur *Petrus Bartholomei*, clericus quidẽ, sed modicè literatus, & quãtum ad humanũ * diem diiudicare pertinet, homo simplex videbatur: Qui oratione factâ in conspectu circumpositarum legionum, assumptâ secum prædictâ Lanceâ, per ignem transiuit, quantũ populo videbatur, illæsus. Verùm hoc eius factum non solùm non amputauit quæstionẽ, sed maiorẽ suscitauit: nam infra paucos dies vitâ decessit, cuius accelerati obitus occasionem, cùm homo sanus & vitalis priùs videretur, quidam asserebant tentatum incendium: dicentes, quòd in eo tanquam fraudis patronus, mortis causam collegisset. Alii verò dicebant, quòd ab incendio

XVIII.

sanus euaserat, & incolumis; sed egressum ab igne, turbæ, causâ deuotionis irruentes, oppresserant & contriuerant eatenus, vt vitæ finem ministrarent. Sicque res quæ in dubium venerat, nullam recipiens decisionem, maius induxit ambiguum.

XIX. Per idem tempus legati nostri, qui inuitantibus Ægyptiis, qui ad obsidionem Antiochenam missi à *Calipha Ægyptio*, venerant, vt præmisimus, descenderant in Ægyptum, post annum quo tam violẽter quàm dolosè detenti fuerant, ad Principes, qui eos miserant, sunt reuersi: venerantq; cum eis Ægyptiorum principis legati, verba deferentes multùm ab his quæ priùs attulerant, dissimilia. Cùm enim multâ priùs obtinere laborassent precum instantiâ, vt nostrorum Principum contra insolentiam Turcorum & Persarum haberent gratiam & auxilium: nunc mutato cantico, pro summo beneficio se arbitrabantur nostris indulgere, si Hierosolymam ducentos aut trecentos simul permitteret inermes accedere, & completis orationibus redire incolumes. Quod verbum nostri Principes pro ludibrio habentes, prædictos nuncios redire compulerunt, significantes, quod *non secundùm propositas conditiones particulatim illuc accederet exercitus; sed iunctis agminibus Hierosolymam proficiscerentur vnanimes, regno eius periculum illaturi.* Huius autem mutationis causa fuerat quiddam, quod ex nostra victoria, quæ apud Antiochiam acciderat, habuerat ortum. Nam Turcis ita ibi periclitantibus, ita per omnem Orientem eorum confractus est gladius; & sublimis quæ fuerat gloria, versa est in confusionem, vt vbicunq; cum aliis nationibus erat eis negotium, in omni loco succumberent, & calculum reportarent in omni conflictu deteriorem. Iuxta quam eorum conditionem, inualescente super eos Ægyptiorum regno, per manum cuiusdam, cui erat nomen *Emireius*, principis militiæ regis Ægyptiorum, Hierosolymam amiserant, quam triginta & octo annis antè ab eisdem Turci eripuerant violenter. Vnde factum est, vt hostes quos priùs quasi fortiores horruerant, nunc per nostrorum operam deiectos, & confractis viribus, in imo videntes constitutos, nostrorum auxilium, quod priùs instanter nimis expetierant, contemnebant.

XX. Aduenerant præterea Constantinopolitani Imperatoris legati, multùm conquerentes de domino Boamundo, qui contra legem pactorum & exhibiti tenorem iuramenti Antiochiam præsumebat detinere: allegantes in conspectu Principum, *quod domino suo præbitis corporaliter iuramentis, omnes qui per eum transierant, tactis sacrosanctis Euangeliis promiserãt, quod neq; de oppidis, neq; de ciuitatibus aliquã, quæ de Imperio eius fuerãt, vsq; Hierosolymã, detinere præsumerent, sed eâ captâ, eius Imperio resignarent:* de reliquis verò habitæ conuẽtionis partibus, nullã omnino habebant memoriam. Certum est autẽ, quod id inter eum & Principes, apud Constantinopolim conuenerat: sed in fine conuentorum fuerat annexum, quòd ipse cum omni suo comitatu, & ingentibus copiis eos deberet sine dilatione subsequi, & auxilium in suis necessitatibus ministrare. Quibus de communi Principum consilio responsum est, quòd *Imperator pacta conuenta prior violauerat: vnde meritò & ab his quæ iuxta legem pactorum sibi poterant competere, casum patiebatur. Iniquum enim est ei fidem seruari, qui contra pactum nititur versari.* Nam cum nostris Principibus ex compacto teneretur obligatus, quòd conuocatis exercitibus, statim eos sequeretur; & per mare nauibus continuum eis ministrari faceret commercium, & rerum venalium toto itinere exhiberi præciperet opulentiam, vtrumq; neglexit fraudulẽter adimplere, cum sine difficultate vtrumq; posset effectui mancipare. Vnde quod de Antiochia factum fuerat, quoniam id iure fecisse videbantur, ratum volebant permanere, & inconuulsum: vt is eam iure hæreditario possideret in perpetuum, cui de communi liberalitate concessa fuerat. Instabant præterea eiusdem Imperatoris legati, persuadere cupientes, vt eiusdem Imperatoris aduẽtum, quem in Kal. Iulii affuturum promittebant, præstolaretur exercitus, pollicentes quòd singulis Principibus ingentia daturus esset munera; sed & plebeis cum multa liberalitate stipendia, vnde honestè sustentari possent, esset largiturus. Super quo deliberationem habentes, dissentiebant ab inuicem. Nam *Tolosanus comes* expectandum esse tanti principis aduentum vtile iudicabat, siue ex eo quod ita futurum arbitraretur; siue ex eo quod eâ occasione Principes & populum detinere laboraret: quousq; vrbem quam obsederat, sibi posset vẽdicare. Turpe enim & ignominiosum reputabat, si à proposito ita manifestè deficeret, desiderium non valens adimplere. Aliis autem opposita longè melior videbatur senten-

tia,

tia, videlicet vt cœpto instarent itineri, & votum pro quo tot labores pertulerat, feliciter cõsummarent: fraudes enim Imperatoris, & eius versutias, quas sæpiùs experti fuerant, declinare iudicabant commodiùs, ne eius labyrinthis & eius ambagibus iterum se inuoluerent, à quibus non satis facilè postmodum possent expediri. Effusa est igitur inter Principes cõtentio, & eorum penè in nullo consonabant desideria. Vnde & is, qui vrbi præerat *Tripolitanæ*, cum priùs infinitam obtulisset pecuniæ summam, vt obsidione solutâ, ab eius finibus nostræ migrarent expeditiones, cognito schismate, quod inter Principes erat exortum, non solùm dare pecuniam priùs oblatam renuit; verùm nostris spõtè occurrere, & cum eis experiri pro-
10 posuit. Factum est autem, quod de communi consilio, relicto *Albariensi Episcopo*, & aliis nonnullis viris potentibus in obsidione, qui castra tuerētur, Principes indicto prælio, instructis aciebus, & ordine congruo dispositis, versus Tripolim agmina dirigunt: quò peruenientes, eiusdem loci præsidem, cum vniuersa ciuium multitudine tam equitum quàm peditum extra vrbem reperiunt: vbi ordinatis pari modo agminibus, nostrorum aduentum præstolabantur intrepidi. Cùm enim duobus mensibus, & ampliùs aliquid, Comes Tolosanus in prædicta obsidione operam consumpsisset inutiliter; nec profecisset quippiam, cœperant eos Tripolitani contemnere; & nostrum exercitum minus & minus habere suspectum, quasi ab ea virtute quam prius audierant, facti degeneres, in seipsis strenuitatis consuetæ pateren-
20 tur defectum. Postquam ergò ad vrbem ventum est, & hostium contra se positas nostris datum est intueri legiones, in eos statim irruerunt animosiùs, & primo impetu dissolutis eorum cohortibus hostes in fugam versos, infra vrbem certatim se recipere proteruâ compulerunt instantiâ, septingentis ex eorũ numero gladio peremptis: de nostris verò tres aut quatuor cecidisse dicuntur. Ibi celebrauerunt Pascha, quarto idus Aprilis. Obtentâ igitur victoriâ, in castra iterum reuersi sunt, vbi nihilominus vociferari & acclamare cœpit populus vniuersus, vt illâ perniciosâ obsidione dimissâ, versus Hierosolymam, quò eorum omnino festinabat desiderium, iter arriperent: obtinuitq; proteruâ instantiâ populus, vt incensis castris, *Dux & Flandrensium comes*, necnon & *Normannorum comes*, sed & *Tancredus*, populo satis-
30 facientes, inuito & plurimum renitente *Comite Tolosano*, obsidionem deserentes, versus Tripolim, tanquam iter continuaturi, expeditiones direxerunt. Erantque in eo facto procliuiores, qui ab initio prædicti Comitis ab initio castra fuerant secuti ita vt eum deserentes, prædictos Principes certatim sequerentur: quo intellecto, videns quod neque precibus neque pollicitis eos reuocare poterat, *faciens de necessitate virtutem*, alios secutus est, licet inuitus. Cumq; vix quinque miliaribus progressi, ante vrbē *Tripolitanam* castrametati essent, eius loci præses, qui Ægyptii Caliphæ in ea regione procurabat negotia, depositâ illâ tali arrogantiâ, quâ prius cum nostris Principibus de pari posse contendere arbitratus fuerat, cognoscens seipsum, missâ legatione à Principibus obtinuit, vt datis quindecim milibus aureorũ, insuper etiã
40 muneribus in equis, mulis, sericis, & vasis preciosis, & restitutis vniuersis quos de nostro populo detinebat captiuis, à sibi commissa discederent prouincia; ac tribus quibus præerat ciuitatibus, *Archis* videlicet, *Tripolis* ac *Biblio* cum suis pertinentiis parcerent transeuntes. Misit insuper greges & armenta, & alimentorum vberē copiam, ne præ victualium inopia, suburbana spoliare cõpellerentur, & agrorũ cultoribus inferre molestiam. Accitis etiam quibusdã fidelibus *Syris*, montis *Libani* habitatoribus, qui vrbibus illis à parte supereminet Orientali, excelsus admodum & in sublime iuga porrigens, tanquam à viris prudentibus & locorum gnaris, qui ad eos gratulabundi descenderant, vt fraternæ caritatis dependerent affectum, consilium ab eis petierunt, quâ viâ versus Hierosolymam tutiùs possent incedere, & commo-
50 diùs. Illi tandem cõpensatis bonâ fide vniuersarũ viarum, quæ illuc ducebant tam cõmoditatibus quàm compendiis, nouissimè viam eis cõmendauerunt maritimã: vt & directiorem sequerentur, & nauiũ suarum quæ proficiscentem subsequebãtur exercitum, eis solatium non deesset. Erant autem in nostrorũ classe, non solùm *Guinimeri*, sociorumq; eius, qui à Flandria, Normannia, & Anglia, vt præmisimus, descenderant; verùm & *Ianuensium, Venetorũ, Græcorumq;* naues, quæ à Cypro, Rhodo, & aliis insulis rebus onustæ venalibus frequenter accedebant, quæ nostris legionibus multã inferebant consolationē. Assumptis ergo ducibus itineris, tum ex prædi-

XXI.

ctis fidelibus, tum ex Tripolitani principis familia, oram legentes maritimam, iuga
Libani à ſiniſtris habentes, *Biblium* pertranſeuntes, ſupra ripam fluminis ſecus locũ
cui nomen eſt *Maus*, caſtrametati ſunt: vbi per diem vulgus debile, & eos, qui non
ita celeriter ſubſequi poterant, operientes, habuerunt requiem. Die demum

XXII.

tertiâ ante vrbem *Beritenſium*, ſecus fluuium, qui iuxta vrbem labitur, caſtrametati
ſunt: vbi, à præſide loci, vt ſatis parcerent & arboribus, datâ pecuniâ, & victualibus
ad ſufficientiam miniſtratis, nocte quieuerunt vnâ. Sequenti verò die *Sydonem* per-
uenientes, ſecus fluenta, aquarum commoditatem ſecuti, locauerunt tabernacula.
Vbi, neſcimus quâ fiduciâ, qui vrbi præerat, noſtris Principibus nullam exhibuit
humanitatis gratiam; ſed de viribus præſumens ſuis, exercitum noſtrum aggreſſus
eſt moleſtare: in quo facto non multum ſucceſſit ei proſperè. Nam quibuſdam ex
noſtris in eos irruentibus, qui eorum diſcurſionibus prouocati, diutius diſſimulare
non poterant, interfectis ex eis aliquot, reliquos infra vrbem ſe recipere compule-
runt: vnde factum eſt, vt noctem illam in caſtris, ceſſantibus eorum moleſtiis, cum
omni tranquillitate peragerent. Mane autem facto, vt aliquantiſper recrearetur
populus, moram ibi facere decreuerunt, mittentes de exercitu expeditiores quoſ-
dam, qui de vrbanis adiacentibus victui neceſſaria contraherent: qui comportatis
gregibus & armentis & victualiũ ingente copiâ, cum ſoſpitate regreſſi ſunt omnes:
excepto quodam nobili viro, *Galtero* videlicet de *Verra*, qui redeuntibus aliis, ad
vlteriora progrediens, vt maiorem prædam contraheret, dubiâ ſorte ſublatus, com-
parere deſiit, vniuerſis eius dubium exitum nimis moleſtè ferentibus. Sequẽti poſt-
modum die tranſcurſis ſcopuloſis ex parte plurima locis, per loca planiora, à dex-
tris relictâ antiquâ vrbe *Sarcptâ* Sydoniorum, viri DEI *Heliæ* nutriciâ, trãſmiſſo flu-
mine, qui medius diſcurrit egregiam illius regionis metropolim *Tyrum*, vetuſtiſſi-
mum Agenoris & Cadmi domicilium, peruenerunt, vbi circa illum egregium &
ſeculis admirabilem *fontem hortorum*, & puteum aquarum viuentium caſtrametati,
in pomeriis latè patentibus & multâ commoditate refertis, nocte quieuerunt vnâ:
dehinc die reſtitutâ iterum ad iter ſe accingentes, exſuperatis anguſtiis, quæ inter
montes prominentes & mare periculosè nimis iacent mediæ, iterum in plana de-
ſcenderunt, quæ vrbi *Acconenſium* ſubiecta ſunt. Vbi iuxta ciuitatem, ſecus fluuium,
qui eandem vrbem præterlabitur, caſtrametati, à procuratore & ciuibus munera
ſuſcipientes, rerum venalium bonis conditionibus habuerunt commercium: fa-
ctus eſt inſuper noſtris Principibus familiaris & amicus, ſpondens, quod ſi poſt ca-
ptam Hieroſolymam, viginti dierum ſpacio, abſq; contradictione in regno poſſent
conſiſtere, aut Ægyptiorum vires ſuperare, ipſe vrbem Acconenſem abſq; difficul-
tate vlla eis reſignaret. Inde verò progreſſi Galileam à læua deſerentes, inter Car-
melum & mare, *Cæſaream* ſecundæ Paleſtinæ metropolim, quæ priſco nomine *Tur-
ris Stratonis* appellata eſt, peruenientes, ſecus fluuium, qui de paludibus eidem vrbi
adiacentibus defluit, caſtrametati ſunt: vbi & ſanctum Pentecoſtes diem, quarto
Kal. Iunias celebrauerunt, à prædicta vrbe, vix duobus diſtantes miliaribus. Inde
poſt diem tertium, itineris reſumentes laborem, relictis à dextra locis maritimis,
Antipatrida & Ioppe, per latè patentem planiciem, *Eleutheriam* pertranſeuntes, *Lid-
dam* quæ eſt *Dioſpolis*, vbi & egregii martyris *Georgÿ* glorioſum vſque hodie ſepul-
chrum oſtenditur, in quo ſecundùm exteriorem hominem in Domino creditur
requieſcere, peruenerunt. Cuius eccleſiam, quam ad honorem eiuſdem martyris,
pius & orthodoxus Princeps Romanorum Auguſtus, illuſtris memoriæ dominus
Iuſtinianus, multo ſtudio & deuotione promptâ ædificari præceperat, audito noſtro-
rum aduentu, ſolotenus hoſtes deiecerant paulò ante, timentes ne trabes eccleſiæ,
quæ multæ proceritatis erant, in machinas & tormenta ad expugnandam vrbem
vellent conuertere. Compertum autẽ habentes, quod in vicino nobilis quędã eſſet
ciuitas *Ramula* nomine, cum quingentis equitibus dominũ *Flandrenſium Comitem*
præmiſerunt, qui ciuium prætentarent animos, & quidnam haberent propoſiti, ex-
perirentur: qui accedentes ad vrbem propiùs, videntes quod nemo ad eos egrede-
retur, portas, quas patentes repererunt, ingreſſi ſunt, vrbem penitus reperientes va-
cuam. Nocte enim quæ præceſſerat, cognito noſtrorum aduentu, abeuntes cum
vxoribus & liberis, & vniuerſa eorum familia, vrbem vacuam reliquerant: quod
ſtatim remiſſo nuncio, Comes legionibus ſignificans, ad vrbem eos accedere ma-
turare

turare consuluit. Illi verò completis de more orationibus ad vrbem accedentes, in omni commoditate frumenti, vini & olei, ibi continuum exegerunt triduum, Episcopum eidem Ecclesiæ præficientes quendam Robertum Normannum genere, de episcopatu Rothomagẽsi, cui vtramq; vrbem, *Liddam* videlicet & *Ramulam* cum adiacentibus suburbanis, iure perpetuo possidendas contulerunt, primitias laborũ suorum cum omni deuotione egregio Martyri dedicantes. Interea *Hierosolymitæ* de nostrorum aduentu nunciis edocti frequentibus, scientes quòd omnis quę aduenire dicebatur multitudo, speciale & præcipuum haberet ciuitatem illam obtinendi propositum: quantâ possunt diligentiâ, quantâ valent sollicitudine, vrbem communire satagunt; victui necessaria, armorum genera quælibet, ligna, ferrum & chalybem, & quæcunq; obsessis solent præstare præsidium, corrogare, & in vrbem inferre, studiis se inuicem preuenientibus, contendunt. Sed & *princeps Aegyptius*, qui multo labore eodem anno, Turcorum expulso principatu, prædictam vrbem receperat, comperto quòd ab Antiochia noster discesserat exercitus, quãto poterat studio, turres reparari præceperat, & mœnia. Ciuibus vt eorum sibi & fidem conciliaret, & gratiam, de proprio ærario cum multa liberalitate ministrari præcipiens stipendia, tributorum & vectigalium præstationes remittens in perpetuum: qui tum vt vitæ consulerent, & saluti, tum vt tantæ libertatis sublimarẽtur priuilegio, Regiæ satagentes parere voluntati, conuocatis vicinarũ vrbium ciuibus, viris fortibus & industriis, & armatis optimè, vrbem communierant diligenter. Insuper etiam conuenientes omnes vnanimiter in atrio Templi, quod erat spaciosissimum, vt nostrorum præuenire possent aduentum & præcidere, decreuerunt, vt interfectis vniuersis fidelibus, qui eius vrbis erant habitatores, *Ecclesiam Dominicæ resurrectionis* deiicerent funditus, & Sepulchrum Domini ab eadem radicitus conuellerent, ne illorum occasione, aut orationis gratiâ, fidelium populus deinceps accedere, aut vrbem frequentare proponerent. Sed tandem cognito, quod per hoc maiora populorum nostrorum in se conflarent odia, & in suum vehementiùs irritarent interitũ, mutato consilio, extortâ ab eis violenter vniuersâ pecuniâ, & quicquid habere videbantur, quatuordecim aureorum milia, tum à Patriarcha, qui tunc vrbi præerat, tum à populo ciuitatis, tum ex adiacẽtibus Monasteriis abstulerunt: vnde oportuit eundem virum venerabilem, vt haberet vnde tantam summam extortæ pecuniæ soluere posset (nam ad id vniuersorum non sufficiebant patrimonia) & vt inopiam suam, & plebis quocunq; modo cõsolaretur tenuitatem, in Cyprum insulam nauigare, vt ibi à fidelibus eleemosinarum, & piæ largitionis mendicaret suffragia, quæ attritæ & esurienti plebi Dei, quæ Hierosolymis & in eius finibus habitabat, mitteret ad vitæ sustentationẽ. Nec etiam hoc eis visum est sufficere, sed extortis à plebe per quæstiones & grauia tormenta bonis omnibus, exceptis solis senibus & valitudinariis mulieribus & paruulis, omnes alios vrbe depulerunt: qui vsq; ad nostrorũ aduentum in viculis suburbanis delitescentes, quotidie mortem expectabant, non audentes vrbem introire: sed nec exteriùs inter persequentem populũ, tuta eis dabatur requies, habẽtibus locorum incolis omnem eorum suspectam operam, & eos vsq; ad immundas & intolerabiles perurgentibus angarias. Erat præterea eodem tempore, in eadem Deo amabili ciuitate, vir vitæ venerabilis & fide insignis, *Geraldus* nomine, qui ei de quo suprà diximus, pręerat xenodochio, in quo pauperes, qui orationis gratiâ ad vrbem accedebant, hospitabãtur, & aliqualem pro loco & tempore sumebant refectionem. Hunc credentes pecuniarum aliquam habere repositionẽ, & suspectum habẽtes, ne in nostrorum aduẽtu aliquid eis moliretur damnosum, vinculis subiecerunt & verberibus, ita vt manuũ ac pedum, torquẽdo, eius cõfringerent articulos, & membrorũ partem maximã redderent inutilem. Consummato igitur ibi triduo, custodibus ibi aliquot deputatis, qui munitiorẽ eiusdẽ ciuitatis partem ab hostiũ tuerentur insidiis, summo diluculo ad exequẽdum se accingunt propositum. Vnde assumptis itineris ducibus, viris prudentibus, & locorũ peritis, peruenerunt *Nicopolim*. Est autem Nicopolis ciuitas Palestinæ: hanc dum vicus adhuc esset, sacer Euangeliorum liber appellauit *Emaus*; beatusq; *Lucas* Euangelista hanc dicit ab Hierosolymis distare stadiis sexaginta. De hac *Sozomenus* in sexto Tripartitæ historiæ ita ait: *Hanc Romani post vastationem Hierosolymorum, Iudæamq; victoriam, Nicopolim ex euentu victoriæ vocauerunt. Ante hanc vrbem in tri-*

uio, vbi CHRISTVS *cum* Cleopha *post resurrectionem noscitur ambulasse, tamquam ad alium vicum iturus, fons quidam est salutaris, in quo passiones hominum diluuntur, & alia pariter animalia diuersis detenta languoribus emundantur: quod vt ita contingat, traditur ex quodam itinere apparuisse* CHRISTVM *ad fontem cum discipulis suis, & lauasse pedes: ex quo aqua facta est diuersarum medicamen passionum.* Hæc prædictus Historiographus de castello Emaus ita disserit: Vbi noctem illam in aquarum abundantia, & rerum copia victui necessariarum egerunt tranquillam: vbi circa noctis medium, fidelium qui in ciuitate *Bethleem* habitabant, legatio adfuit ad Ducem *Godefridum*, orans & petens, cum multa instantia, vt illuc aliquam militiæ partem dirigeret. Conuenientibus enim ex vniuersis finitimis oppidis & locis suburbanis hostibus, Hierosolymam properabant, tam vt vrbem tuerentur, quàm vt ipsi etiam in vrbe salutis sibi inuenirent consilium. Timebant autem prædicti fideles, ne ad partes eorum accedentes, ecclesiam deiicerent, quam multo precio sæpiùs ab eisdem hostibus, ne deiiceretur, redemerant. Auditâ igitur & cum pietatis affectu susceptâ fratrum fidelium postulatione, electis ex suorum numero centum expeditis equitibus, ad locum prædictum, vt fidelibus opem ferrent, Dux præcipit contendere: quibus dominus *Tancredus* datus est primicerius, & consors itineris: qui ducibus eiusdem loci habitatoribus, ad locum summo diluculo perueniunt destinatum: vbi à ciuibus cum hymnis & canticis spiritualibus honorificè suscepti, introducente eos populo & clero, ingressi ecclesiam, fœlicis puerperæ diuersorium, & Saluatoris præsepe, in quo fœlicium cibus animalium requieuit, beatis oculis conspexerunt. Vbi etiam & ciues eiusdem loci, præ gaudii & exultationis immensitate, votiua Domino cantica psallentes, in signum victoriæ, domini Tancredi vexillum super ecclesiam statuerunt. At verò, qui in exercitu remanserant, præ itineris desiderio, loca venerabilia scientes in proximo constituta, pro quorum amore & reuerentia tot labores, tot pericula tertio iam anno sustinuerant, noctem ducebant insomnem, votis ardentibus auroram deposcentes, vt itinerarii sui fœlicem conspicerent clausulam; & tam longæ peregrinationis beatam consummationem possent intueri. Videbatur eis nox vltra solitũ vices suas producere, partemq; lucis futuræ sibi vsurpare indebitè, omnisq; mora animis ardẽtibus periculosa videbatur, eratq; abominabilis, iuxta id quod prouerbialiter dici solet: *Animo cupienti nihil satis festinatur:* & item illud, *Dilatione votum creuerat.*

XXV. Postquam autem in castris cognitum fuit, quòd Bethleemitarum nuncios, Dux nocte illâ susceperat, & de suis in eorum subsidium præmiserat quosdam: non expectatâ procedendi licentiâ, vel opportunitate, qualem lux exoriens iter agentibus solet ministrare, intempestæ noctis silentio, excitantibus se mutuò plebeis & moram arguentibus, inuitis Principibus surrexerunt, iter arripientes. Cumq; processissent aliquantulum, vir quidam nobilis & strenuus, *Gastus Biterrensis*, assumpto sibi triginta expeditorum equitum comitatu, ab exercitu separatus versus Hierosolymam aurorâ iam illucescente cœpit contendere, vt si quas extra vrbem gregum aut armentorum reperiret copias, eas secum in expeditionem deduceret. Cumq; iam Vrbi esset proximus, iuxta votum occurrerunt ei animalia, quibus pauci præerant pastores, qui visâ nostrorum militiâ in vrbem perterriti aufugerunt. Gastus verò interim relicta absq; custodibus secum trahens animalia, ad exercitum reuertebatur: cùm ecce ad pastorum vocem exciti Hierosolymitæ, correptis armis, prædam abactam violenter reuocare cupientes, certatim insecuti sunt abeuntem. Vir verò insignis, insectantium veritus multitudinem, relictâ prædâ saluti fugiendo consulens, in collis cuiusdam culmine cum suo substitit comitatu: dumq; ibi rei præstolaretur euentum, ecce per vallem eidem loco subiectam, dominus *Tancredus* cum prædictis centum equitibus, à Bethleem rediens ad exercitum maturabat, quibus prædictus vir nobilis occurrens, casum qui ei acciderat, ex ordine pandit: coniunctis itaque agminibus, eos qui prædam reducebant verso secuti sunt itinere; & antequam in vrbem se reciperent, subitò in eos irruentes, interfectis pluribus, reliquisque in fugam versis, prædam iterum receptam violenter abducentes, ad exercitum cum multa lætitia sunt reuersi: à quibus cùm quæreretur, vnde prædam illam contraxerant; respondentes, quod de agro Hierosolymitano eam abduxissent: audito nomine ciuitatis, pro qua tot & tantos labores pertulerant, præ feruore deuotionis lachrymas & suspiria cohibere non valentes, pro-

pronos in terram se dederunt, adorantes & glorificantes DEVM, de cuius munere venit, vt sibi à fidelibus suis, dignè & laudabiliter seruiatur; quiq; populi sui vota benignè exaudire dignatus est, vt iuxta eorum desideria, ad loca optata mererentur peruenire. Vnde progressi pusillum, è vicino Vrbem sanctam contemplantes, cum gemitu & suspiriis præ gaudio fusis spirituali, pedites, & nudis ex plurima parte vestigiis, cœpto feruentiùs insistentes itineri, subitò ante Vrbem constiterunt, castra circumponentes eo ordine, quo à maioribus Principibus singulis designabatur. Videbatur impletum esse, quod per Prophetam præmissum fuerat vaticinium, & exhibitum historialiter verbum Domini; *Leua Hierusalem oculos, & vide potentiam Regis. Ecce Saluator tuus venit soluere te à vinculo.* Et illud: *Eleuare, eleuare, consurge Hierusalem; solue vincla colli tui, captiua filia Syon.* Esai. 51, 17. 52, 2.

EXPLICIT LIBER SEPTIMVS.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI OCTAVI.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI OCTAVI.

INCIPIT LIBER OCTAVVS.

CAP. I.

VRBEM sanctam & DEO amabilem *Hierosolymam*, in sublimibus sitam esse montibus certum est; & in tribu Beniamin positam veterum tradit auctoritas; habetque ab Occidente tribum Symeon, & Philistiim regionem, & mare Mediterraneum: à quo vbi propiùs est, iuxta vetustissimum oppidum *Ioppen*, viginti quatuor distat miliaribus, inter se & prædictum mare habens castellum *Emaus*, quæ postea dicta est *Nicopolis*, vt præmisimus, vbi post resurrectionem suam Dominus duobus discipulis apparuit: *Modim* etiam, sanctorum Machabæorum fœlix præsidium: *Nobe* quoq; vicum sacerdotalem, vbi Dauid esuriens cum pueris suis, tradente Abimelech sacerdote panes propositionis comedit: & *Dispolim*, quę est *Lidda*, vbi Petrus Æneam virum paralyticum ab annis octo in grabato iacētem saluti restituit: & *Ioppen* prædictam, vbi idem Petrus, discipulam nomine Tabitham, plenam operibus bonis & eleemosynis, defunctā suscitauit, & sanctis ac viduis resignauit viuam: vbi & apud Symonem coriarium hospitatus, *Cornelii* nuncium suscepit, sicut in Actibus Apostolorum continetur. Ab Oriente verò *Iordanis* habens fluenta, & ei adiacentem solitudinem, filiis prophetarum familiarem, quasi ad milliaria quatuordecim: & *vallem syluestrem*, vbi nunc est *mare salis*, quod & *lacus Asfaltes*, & *Mare Mortuum* nuncupatur: quæ omnis regio antequam Dominus subuerteret Sodomam, vt in Genesi legitur, *quasi paradisus DEI irrigabatur*. Citra verò Iordanem, vrbem *Hiericho*, quam Moysi successor Iosue, magis orando quàm pugnando subegit; vbi postea Dominus præteriens, cæco lumen restituit: *Galgala* quoque Helisei receptaculum. Vltra Iordanem verò *Galaad*, *Basan*, *Ammon* & *Moab*, quæ postmodum Ruben, Gad, & dimidia tribus Manasse susceperunt in sortem, quæ omnis hodie regio generali appellatione dicitur *Arabia*. Ab Austro verò, habens sortem Iuda, in qua est *Bethleem*, familiare Domini reclinatorium, & fœlix natiuitatis Dominicæ & cunarum locus: & *Thecua* vrbs, prophetarum Abacuc & Amos domicilium: & *Ebron*, quæ alio nomine dicitur *Cariatharbe*, sanctorum Patriarcharum sepulchrum venerabile. A Septentrione verò vrbem habens *Gabaon*, Iosuæ, filii Nun, insignem victoriâ, & defixi solis miraculo præclaram: Tribum quoque habens Ephraim, in qua est *Silo*, tabernaculi Domini custos aliquando: *Sichar*, confabulatricis Domini Samaritanæ patria: *Bethel*, aureorum cultrix vitulorum, & peccati Hieroboam testis. Sed & *Sebastea* Ioannis Baptistæ, Helisei quoq; & Abdiæ tumulus; quæ olim dicta est à monte Somer, in quo sita est, *Samaria*, regum Israël thronus sublimior, vnde & tota prædicta regio vsque in præsentem diem dicitur *Samaria*. *Neapolis* quoque, quæ olim dicta est *Sichen*, conditoris nomen habens: in qua, secundùm lectionem libri Geneseos, filii Iacob Simeon & Leui, in vltionem stupri, quod filius Sichen, *Hemor*, sorori eorum *Dinæ*, amore illius captus, intulerat, tam ipsum quàm filios eius in ore gladii percusserunt, vrbem eorum succendentes.

Gen. 13, 10. — Matth. 20, 29. — Gen. 34, 25.

II. Est autem *Hierusalem*, Iudeæ metropolis, in loco riuis, syluis, fontibus & pascuis penitus carente, sita. Hæc iuxta veteres historias, & Orientalium populorum traditiones, primùm dicta est *Salem*: deinde *Iebus*: postmodum tempore Dauid, qui eiecto inde Iebuseo eius habitatore, postquam septem annis regnauerat in Ebron, eam ampliauit, & regni constituit solium, dicta est *Hierusalem*. Vnde ita legitur in Paralipomenon: *Abiit ergo Dauid & omnis Israël in Hierusalem*, *hoc est* Iebus, *vbi erant Iebusæi habitatores terræ: dixeruntq́ qui habitabant Iebus ad Dauid, Non ingredieris huc. Porrò Dauid cœpit arcem Syon, quæ est ciuitas Dauid: dixitq́:* Omnis qui percusserit Iebusæum in primis erit princeps & dux. *Ascendit igitur primus*, Ioab *filius Saruiæ, & factus est princeps. Habitauit autem Dauid in arce, & iccirco appellata est* ciuitas Dauid, *ædificauitq́ vrbem in circuitu à Mello vsque ad gyrum; Ioab autem reliqua vrbis extruxit.* Postea verò regnante filio eius Salomone, dicta est *Hierosolyma*, quasi Hierusalē Salomonis. Hanc verò, vt referunt egregii scriptores, & illustres historiographi, *Egesippus* & *Iosephus*, Iudæorum id exigentibus meritis, quadragesimo secundo post passionem Domini anno, *Titus* Vespasiani filius, Romanorum princeps

1. Paral. 11, 4, &c.

princeps magnificus, obsedit; obsessam expugnauit; & expugnatam deiecit funditus, ita vt iuxta verbum Domini, *non remaneret in ea lapis super lapidem.* Hanc eandem postea *Aelius Adrianus* quartus ab eo Romanorum Augustus, reparauit, vnde & ab eodem dicta est *Aelia*, sicut in Nicea Synodo legitur: *Episcopus Aeliæ ab omnibus honoretur*; & cætera. Cumque prius in cliuo sita esset pręcipiti, ita vt in Orientem partim, partim in Austrum tota deuexa respiceret, in latere tam montis Syon, quàm Moriæ constituta, vt solum Templum, & præsidium, cui nomen *Antonia* erat, in sui haberet fastigio, & parte superiore; ab eodem Imperatore in montis verticem tota translata est, ita vt Dominicæ passionis & resurrectionis locus, qui priùs extra vrbem fuerat, vrbe reædificatâ infra murorum ambitum clauderetur. Est autem ciuitas & minor maximis, & mediocribus maior; formâ quidem oblongâ, & parte alterâ longiore, tetragona tamen vallibus profundis admodum, ex tribus partibus circumsepta. Nam ab Oriente vallem habet *Iosaphat*; huius mentionem facit propheta Ioël, dicens: *Cùm conuertero captiuitatem Iuda & Hierusalem, congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat; & disceptabo ibi cum eis super populo meo, & hæreditate mea Israël.* Cuius in imo, constructa est nobilis Ecclesia in honore DEI genitricis, vbi & sepulta creditur; & gloriosum eius vsque hodie, accedentibus populis, monstratur sepulchrum. Sub qua etiam torrens *Cedron*, aquis pluuialibus factus tumidior, hybernis mensibus defluere consueuit. cuius mentionem beatus Ioannes Euangelista facit dicens: *Egressus IESVS trans torrentem Cedron, vbi erat hortus*, & cætera. Ab Austro verò vallem habet prædictæ contiguam, cui nomen *Ennon*, quæ sortis Beniamin & Iuda, in funiculo distributionis limes fuit. sicuti in Iosue scribitur: *Ascenditque per conuallem filii Ennon, ex latere Iebusæi ad meridiem, hoc est Hierusalem; & inde se erigens ad verticem montis qui est contra Gehennon ad Occidentem:* in qua hodie de precio Saluatoris, pro quo Iudas mercator pessimus Dominum Iudæis tradidit, ager emptus ostenditur, in sepulturam Peregrinorum deputatus, cui nomen *Acheldemac.* De hac etiam valle in Paralipomenon scribitur ita: fitque sermo de Achaz. *Ipse est qui adoleuit incensum in valle Ennon, & lustrauit filios suos in igne iuxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in aduentu filiorum Israël.* Ab Occidente verò, eiusdem vallis partem, in qua vetus piscina, quæ tempore regum Iuda celebris fuit, designatur: Indeque protenditur ad superiorem piscinam, quæ hodie vulgari appellatione dicitur *Lacus Patriarchæ*, quod est iuxta vetus cæmiterium, in spelunca quæ cognominatur *Leonis.* A Septentrione verò plano itinere ad vrbem acceditur, vbi vsque hodie locus in quo protomartyr Stephanus à Iudæis lapidatus, & pro persecutoribus orans positis genibus, emisit spiritum, designatur. III. Sita est autem in montibus duobus, sicut Dauid commemorat dicens: *Fundamenta eius in montibus sanctis:* quorum fastigia infra muri ambitum ex parte plurima continet, modicâ valle distincta, quæ etiam vrbem per medium diuidit. Horum alter qui ab Occidente est, *Syon* appellatur, vnde plerunque & tota denominatur ciuitas, vt ibi: *Diligit Dominus portas Syon, super omnia tabernacula Iacob.* Alter verò qui ab Oriente est, mons *Moria* dicitur, cuius mentio fit in Paralipomenon secundo, hoc modo: *Et cœpit ædificare Salomon domum Domini in Hierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius, in loco quem parauerat Dauid in area Orna Iebusæi.* In Occidentali ergo quasi in supremo montis vertice *Ecclesia* est, quæ nomine montis dicitur *Syon:* & non longè ab ea *turris Dauid*, opere constructa solidissimo quæ quasi præsidium ciuitatis cum turribus, muris & antemuralibus sibi annexis, vniuersæ sub se positæ præeminet ciuitati. In eodem quoque, sed in deuexo quod ad Orientem respicit, sita est *sanctæ Resurrectionis Ecclesia*, formâ quidem rotunda: quæ quoniam in decliuo prædicti montis sita est, vt cliuus eidem eminens & contiguus, Ecclesiæ penè superet altitudinem, & eam reddit obscuram. tectum habet, erectis in sublime trabibus, & miro artificio in modum coronæ contextis, apertum & perpetuo patens, vnde lumen Ecclesiæ infunditur necessarium: sub quo hiatu patulo *Saluatoris* positum est monumentum. Porrò ante nostrorum Latinorum introitum, locus Dominicæ passionis qui dicitur *Caluariæ*, siue *Golgatha*; & vbi etiam viuificę Crucis lignum repertum fuisse dicitur; & vbi etiam de Cruce depositum Saluatoris corpus, vnguentis & aromatibus dicitur delibutum & syndone inuolutum, sicut mos erat Iudæis sepelire, extra prædictæ ambitum erant Ecclesiæ, oratoria

Marginalia: Matth. 24, 2. — Ioel. 3, 2. — Ioan. 18, 1. — Ios. 15, 8. — 2. Par. 28, 3. — Psal. 86, 1. — Psal. 86, 2. — 2. Par. 3, 1.

Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50

valdè modica. Sed postquam nostri opitulante diuinâ clementiâ, vrbem obtinuerunt in manu forti, visum est eis prædictum nimis angustum ædificium: & ampliata ex opere solidissimo & sublimi admodum Ecclesia priore, intra nouum ædificium veteri continuo & inserto, mirabiliter loca comprehenderunt prædicta. In altero verò monte, qui in parte est Orientali, in decliuo eius, quod in Austrum respicit, *Templum Domini* est, in eo loco, vbi iuxta lectionem libri Regum & Paralipomenô, *Dauid* rex, ab Aureuma siue Orna homine Iebusæo aream emit. Vbi & præceptum est ei altare Domino ædificare, in quo postmodum obtulit holocausta & pacifica; & inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in igne de cœlo, super altare holocausti. Vbi etiam de mandato Domini, filius eius *Salomon*, post patris obitum templum ædificauit: cuius quæ forma fuerit; & quomodo sub *Nabuchodonosor* Babyloniorũ rege ceciderit; iterumq; sub *Cyro* rege Persarum à *Zorobabel* & *Iesu* sacerdote magno reædificatum fuerit; & quomodo illud idem cum vniuersa vrbe postmodũ sub *Tito* Romanorum principe deletum fuerit, veteres tradunt historiæ. Huius autẽ quis auctor fuerit, & quæ compositionis sit forma, in præsenti sufficit edocere. Porrò in principio huius voluminis, ædificii huius auctorem diximus *Homar* filium Catab, qui tertius à seductore Mahometh, erroris & regni successor extitit: & ita esse, antiqua literarum monimenta in eodem ędificio intus scripta, & de foris, manifestè declarant. Forma verò huiusmodi est: Platea quædam, quantum arcus vix iacere potest habens longitudinis, & latitudinis tantundem, quadrangula & æquidistantibus contenta lateribus, muro circundata est valido, altitudinis moderatæ: in quam ab Occidente, duabus portis introitur, quarum altera dicitur *Speciosa*; vbi secũdùm quod in Actibus Apostolorum continetur, claudum ex vtero matris suæ, eleemosynam à transeuntibus petentem, consolidatis basibus erexit Petrus: alterius verò certum nomen non tenemus. A Septentrione verò vna; ab Oriente quoque alia, quæ vsq; hodie *Porta Aurea* dicitur. Ab Austro verò domum habet Regiã, quæ vulgari appellatione *Templum Salomonis* appellatur. Super singulas autem portas, quæ vrbi sunt conterminæ, & per angulos prædictæ superficiei turres erant sublimes admodum, in quibus certis horis superstitionis Sarracenorum sacerdotes, vt populũ ad orationem inuitarent, ascendere consueuerant: quarum quædam adhuc supersunt, quædam verò variis casibus sunt depositæ. Infra hæc igitur septa nemini habitare, nemini etiam introire, nisi nudis & lotis pedibus permittebatur, ianitoribus per singulas portas constitutis, qui huius rei curam haberent diligentem. Porrò in medio huius sic circumseptæ areæ, planities iterum quædam est eminentior, eodem modo quadrilatera à lateribus subiectæ ex omnibus partibus æquidistans: ad quam à parte Occidentali, duobus locis per gradus, & ab Austro totidem, ab Oriẽte verò vno tantùm ascenditur: In cuius singulis angulis, singula erant oratoriola: quorum quædam adhuc extant, quædam verò vt alia ibi construerentur, deposita sunt. In huius superioris areæ medio Templum ædificatum est, formâ quidẽ octogonum, & laterũ totidem; intus & deforis marmoreis tabulis & opere Musaico decoratum; tectum habens sphæricum, plumbo artificiosè coopertum. Harum vtraque platearum tam continens & inferior, quàm superior & contenta, albo strata est lapide, ita vt hybernis temporibus aquæ pluuiales, quæ plurimæ de Templi descendunt ædificio, quasq; aliunde non pauciores excipiunt, limpidissimæ, & absq; cœno in cisternas defluant, quæ plurimæ infra septa prædicta continentur. Intus verò in medio Templi, infra interiorem columnarum ordinem, rupes est aliquantulum eminentior, cum subiecta ex eodem saxo spelunca, supra quam sedisse Angelus dicitur, qui propter dinumerationem populi à *Dauid* incautè factam, percussit populum, quousque præceptum est ei à Domino, vt parcens populo gladium suum conuerteret in vaginam. Vbi postmodum emptâ sexcentis siclis auri iustissimi ponderis areâ, altare, vt præmisimus construxit. Hæc autem ante nostrorum introitum, & postmodũ annis quindecim nuda patuit & aperta: postea verò, qui eidem præfuerunt loco, albo eum cooperientes marmore, altare desuper & chorum, in quo clerus diuina celebrat, construxerunt.

IV. Dicitur autem regio, in qua prædicta DEI cultrix ciuitas sita est, *Iudæa*: dicitur nihilominus & *Palæstina prima*. Iudæa sanè ab eo, ex quo decem tribus Hieroboam filium Nabath secutæ, à Roboam filio Salomonis discesserũt; solæq; duæ tribus, Beniamin videlicet & Iuda, adhæserũt ei. Vnde

(margin: 1. Reg. 24. 24.)

Vnde a cognomento Iudæ, vtriusque tribus regio, *Iudæa* dicta est. Vnde & illud est de Euangelio: *Reuertere in terram Iuda.* Vnde etiam tam ipse Roboam, quàm eius successores, *reges Iuda* dicti sunt, cum reliquarum decem tribuum reges, *reges Israël* vel *Samariæ* dicerentur. *Palæstina* autem quasi Philistina à Philistiim deducto nomine dicitur. Dicuntur autem tres esse Palæstinæ, quarum prima est quæ propriè *Iudæa* dicitur, cuius metropolis est *Hierosolyma.* Secunda, cuius metropolis est *Cæsarea maritima.* Tertia, cuius metropolis est *Bethsan*, siue *Scythopolis*, cuius hodie dignitatem obtinet *Nazarea* Ecclesia. Siue autem sic, siue sic dicatur, certum est, Terræ Promissionis & Syriæ portionem esse, quod ex ea Homelia datur intelligi, qua dicitur: *Familiare est Syris, & maximè Palæstinæ regioni, quæ pars Syriæ est, in qua Dominus corporaliter apparere dignatus est, ad omnem penè sermonem suum parabolas iungere.* Sed & quasi in vmbilico Terræ Promissionis eadem posita est regio, secundùm hoc quod in Iosue Terræ Promissionis termini describuntur, in quo ita legitur: *A deserto & Libano, & flumine magno Euphrate, vsque ad mare Occidentale, erunt termini vestri.* Est autem locus in quo ciuitas sita est, aridus & inaquosus, riuos, fontes, ac flumina non habens penitus, cuius habitatores aquis tantùm vtuntur pluuialibus. Mensibus enim hybernis, in cisternis quas in ciuitate habent plurimas, imbres solent sibi colligere, & per totum annum ad vsus necessarios conseruare. Vnde miramur plurimùm, quod *Solinus* Iudæam aquis dicit esse illustrem: ait enim in suo Polyhistore: *Iudæa illustris est aquis; sed natura non eadem aquarum.* Nec aliquid nobis pro solutione occurrit, nisi dicamus: aut eum rei veritatem non esse assecutum; aut terræ pristinam faciē postmodum immutatam. Certum est tamen, quod amicus Domini, *Ezechias* rex Iuda, cognito aduentu *Sennacherib*, filii Salmanassar regis Assyriorum, fontes qui erant extra Vrbem, obturauit. De quo ita legitur in secundo Paralipomenon: *Quod cùm audisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, & totum belli impetum verti contra Hierusalem, inito cum principibus consilio virisq; fortissimis, vt obturarent capita fontium quæ erant extra vrbē, & hoc omnium decernente sententia; congregauit plurimam multitudinem, & obturauerunt cunctos fontes, & riuum qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant reges Assyriorum, & inueniant aquarum abundantiam.* Inter quos præcipuus erat qui dicebatur fons *Gion*, de quo in eodem legitur: *Hic est Ezechias, qui obturauit superiorem fontem aquarum Gion, & auertit eas subter ad Occidentem vrbis Dauid.* Gion autem locus est ab Austro, in valle Ennon media Hierusalem positus, vbi hodie est in honore beati Procopii martyris Ecclesia; vbi Salomon in regem inunctus fuisse dicitur, iuxta quod in tertio Regum libro legitur ita: *Tollite vobiscum seruos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite eum in Gion, & vngat eum ibi Sadoch sacerdos & Nathan Propheta, in regem super Israël & Iudam, & canetis buccinâ, atque dicetis: Viuat rex Salomon.* Id tamen ante prædicti Solini tempora fuisse certum est: nam eum & post Titum Romanorum principem, qui vrbem deleuit, & ante Ælium Adrianum, qui eandem reparauit, fuisse, euidēter ex eiusdem Polyhistoris lectione colligitur, in cuius quadragesimo capitulo ita legitur: *Iudææ caput fuit Hierosolyma, sed excisa est: successit Hiericus, & hæc caput esse desiit, bello Artaxerxis subacta.* Extra vrbem ad duo vel tria miliaria, fontes sunt nonnulli; sed & pauci numero, & modicam nimis ministrantes aquarum commoditatem: iuxta vrbem tamen à parte Australi, vbi duæ valles prædictæ se continuant, quasi miliario distans ab vrbe, fons est quidam famosissimus, *Siloë*: ad quem, eum qui a natiuitate cæcus fuerat, Dominus misit, vt ibi lauaretur & videret: Fons quidem modicus, in imo vallis scaturiens, & qui nec sapidas, nec perpetuas habet aquas: interpolatum enim habens fluxum, die tantùm tertiâ aquas dicitur ministrare. Porrò ciues præcognito nostrorum aduentu, ora fontium & cisternarum quæ in circuitu vrbis erant, vsque ad quinq; vel sex miliaria, vt populus siti fatigatus, ab vrbis obsidione desisteret, obstruxerant: vnde postmodum in eius obsidione, infinitas molestias noster passus est exercitus, sicut in sequentibus dicetur. Qui autem intus erant, præter aquarum pluuialium, quam habebant, vbertatem maximam, fontes etiam à partibus deductos exterioribus, & aquæductis inuectos, in piscinas duas maximæ quantitatis, quæ circa Templi ambitum, exteriùs tamen, sed infra vrbem continentur, recipiebant: quarum altera vsq; hodie *Probatica piscina* reputatur, in qua olim immolatitiæ lauabantur hostiæ, quæ in Euangelio quinque porticus dicitur habere; & in quam Angelus dicebatur de-

Marginalia: Iosu. 1,4. — 2. Par. 32, 2,3. — 2. Par. 32, 30. — 3. Reg. 1,33. — Ioan. 9,7. — Ioan. 5,2.

scedere,& aquã mouere,illo effectu,vt qui primus post motionem aquę descenderet in piscinam,sanaretur:in qua & Dominus paralyticum curatum, grabatum iussit tollere.

V. A. Dn. 1199. Anno igitur ab incarnatione Domini *millesimo nonagesimo nono*, mense Iunio,septimâ die mensis, nostrorum ante prædictam vrbem castrametatæ sunt legiones:diciturque fuisse aduenientium numerus promiscui sexus, ætatis & conditionis, quasi ad quadraginta milia, inter quos expeditorum vix poterant esse viginti milia peditum;equites autem mille quingenti;reliqui autem omnes,aut inerme vulgus, aut valitudinarii & debiles. In Vrbe autem dicebantur esse virorum fortium & optimè armatorum quadraginta milia: conuenerat enim ex vicinis oppidis, & suburbanis adiacentibus in vrbem maxima multitudo, tum vt à facie exercitus in vrbem se conferentes, propriæ saluti consulerent; tum vt vrbem regiam ab imminentibus protegerent periculis, eam armis & victualibus communientes. Postquam ad Vrbem accesserunt, habito diligenti tractatu, vnde faciliùs & commodiùs vrbem possent impugnare, cum his qui locorum habebant peritiam, videntes quod neque ab Oriente, neq; ab Austro propter vallium prædictarum profunditatem possent proficere,à Septentrione eam obsidere decreuerunt. Ab ea igitur porta, quæ hodie dicitur *Sancti Stephani*, quæ ad Aquilonem respicit, vsque ad eam quæ *turri Dauid* subiecta est,& ab eodem Rege cognominabatur, sicuti & turris quæ in parte eiusdem ciuitatis sita est Occidentali, nostri Principes castrametati sunt. In quorum ordine dominus Lotharingiæ dux *Godefridus* primus fuit; post eum,dominus *Flandrensium Comes Robertus*; tertium verò locum dominus item *Robertus Normannorum Comes*: quartum verò locum circa turrim angularem, quæ ab eodem cognominata est, dominus *Tancredus*, & alii quidam nobiles obtinuerunt:ab eadem verò turri vsque ad portam Occidentalem,*Comes Tolosanus* cum suo comitatu vrbem obsedit: verùm postea, tum propter turrim, quæ castris eius imminebat, prædictam portam quasi sub se positam potenter tuebatur; & propter vallem nihilominus quæ inter vrbem & castra eius erat media, videns quòd in ea parte vrbem impugnando non multùm posset proficere, de consilio quorundam prudentum,& qui locorum habebant peritiam, super montem in quo ciuitas ædificata est, inter vrbem & *Ecclesiam*, quæ dicitur *Sion*, quæ ab vrbe distat quantum arcus semel potest iacere, in parte Septentrionali, castrorum partem transtulit; parte etiam ibidem, vbi priùs fuerat derelicta. Hoc autem eâ dicitur intentione fecisse,vt & faciliùs ad vrbem expugnandam sui possent accedere, & prædictam Ecclesiam ab hostium iniuria tueri. Is enim locus erat, in quo Saluator cum discipulis cœnasse, & eorum lauisse pedes dicitur; ibidem etiam & Spiritus Sanctus super discipulos in linguis igneis die sancto Pentecostes descendisse: ibi etiam & piam DEI genitricem mortis soluisse debitum, veterum habent traditiones: vbi etiam protomartyris Stephani sepulchrum vsque hodie designatur.

VI. Locatis igitur,vt prædiximus, castris à porta Septentrionali, quæ vulgò dicitur *Sancti Stephani*,vsque ad turrem angularem, quæ valli Iosaphat præminet, & inde vsque ad oppositum eiusdem ciuitatis angulum,qui super cliuum eiusdem vallis ab Australi situs est parte, & inde vsque ad portam Australem, quæ hodie dicitur *montis Sion*, ciuitas remansit inobsessa, vix eius dimidium obsidione claudente. Quintâ igitur die,postquam ante Vrbem noster constitit exercitus, indictum est generaliter, & voce significatum præconiâ,quatinus omnes vnanimiter à maiore vsque ad minimum armis instructi,& protecti clypeis,ad vrbem impugnandam se accingerēt: quod & factum est.Consurgentes enim omnes vnanimes, tantâ circa partes vrbis obsessas irruerunt instantiâ,tantaq; curâ & virtute continuantes congressum,ciues impugnabant,vt effractis antemuralibus, infra muros interiores eos se cum timore recipere compellerent,& de resistendo diffidere cogerentur: quòd si illâ die, in eo vrbem impugnandi feruore,scalas habuissent,aut ad occupanda mœnia machinas aptassent,procul omni dubio ciuitatem sibi poterant vendicasse. Cumq; à summo mane circa horam diei septimam in eo facto desudassent, videntes quod absq; machinis non multùm possent proficere,propositum ad tempus distulerunt, opus auctore Domino,consummatis machinis,feliciùs repetituri. Dumque circa id Principes plenâ deliberarent solicitudine, vbi apta instrumentis ligneis posset reperiri materia(nã adiacens vniuersa regio nullam huiusmodi videbatur opportunitatem ministra-

ministrare) casu affuit quidam fidelis indigena, natione Syrus, qui in valles quasdã secretiores, sex aut septem ab vrbe distantes miliaribus, quosdam de Principibus direxit, vbi arbores, etsi non ad conceptum opus aptas penitus, tamen ad aliquem modum proceras inuenerunt plures. Vbi habentes artifices & lignorum cæsores, quantum ad opus prædictum necessarium videbatur, camelis & plaustris impositis, ad vrbem detulerunt. Conuocatis ergo artificibus, & qui in huiusmodi exercitio maiorem habebant peritiam, omnem operam adhibent & studium indefessum, in securi & ascia, & in huiusmodi omnimodo instrumentorum genere, ex subiecta materia, castella & machinas iaculatorias, quas *mangana* vel *petrarias* vocant, arietes 10 quoque simul & scrophas ad suffodiendum murum, certatim & summâ contexunt diligentiâ. Dabatur autem artificibus, quibus propriæ non suppetebant facultates, vt gratis operam possent impendere, merces, de simbolis quos populi offerebat deuotio. Nam nullius Principum ad hoc sufficiebant copiæ, vt architectis possent ministrare salarium, excepto *comite Tolosano*, qui perpetuò plus cæteris abundabat. Ipse enim de proprio ærario absque collatione populi, suis artificibus impensas ministrabat necessarias: sed & multis nobilibus, quibus sua defecerant viatica, stipendia ministrabat. Dumque sic circa maiora negotia maiores Principes essent soliciti, alii nobiles & præclari viri erectis vexillis, populum educebant ad loca vbi aliquid frutectorum & syluæ humilis esse, per indigenas compererant: vt equis, asinis, 20 & omnium iumentorum genere virgulta deferrent inde, & vimina, vt inde crates contexerẽtur, & maiora supplerentur opera. Feruebat igitur opus, & omniũ inuigilabat studium, nec erat in tanto populo deses quispiam, aut qui ocio torpescere permitteretur: sed quisque aliquid muneris impendebat, sublatâ differentiâ, quid quẽque secundũ suam deceret conditionẽ. Quicquid enim vsui esse poterat, id totum tractare reputabatur honestum. Instabant operi simul in vnum diues & pauper, nec conditionis reputabatur imparitas, vbi par erat studium, & in exequẽdo opere feruor non dissimilis. qui maior erat meritis, magis sollicitus erat circa frequens ministerium: qui verò inferior, ad aliquod tamen obsequium admittebatur. Pro nihilo reputabant quicquid in toto itinere pertulerant, nisi tanti laboris fructum liceret 30 capere, & vrbem introire, pro qua tot casus sustinuerant aduersos: leue iudicabant quicquid mandari poterat, dum ad id tantummodo cooperari crederetur, vt voti compotes fieri mererentur. Interea siti fatigabatur exercitus vehementissimâ. VII. Nam, vt prædiximus, locus ciuitati adiacens aridus est, & inaquosus, riuos aut fontes, vel etiam puteos aquarum viuentium nisi remotos, non habens aliquos: eosque ipsos audito nostrorum aduentu, vt locus ad continuandam obsidionem redderetur ineptior, iactu pulueris & modis aliis quibus poterant, oppilauerant, vniuersos: sed & cisternas & pluuialium aquarum receptacula dissipauerant, vt aquas non valerent cohibere; aut de malitia occultauerant, ne indigentibus & populo sitienti, remedium ministrarent. Ciues tamen Bethleemitæ & qui apud The- 40 cuam prophetarum vrbem habitabant viri fideles, frequentes erant in exercitu, quorum ducatu vtebatur populus egrediẽs ad fontes, qui per quatuor vel quinque ab obsidione distabant miliaria: vnde cum difficultate nimia, inuicem se comprimentibus & vndas haurire prohibentibus, post moras longissimas, quas sibi mutuis improbitatibus innectebant, aquas in vtribus deferebant lutulentas, quarum haustu, quo vix sitiens semel refocillari posset anima, multo precio vendebatur. Sed & *Siloë* fons vrbi conterminus, de quo suprà fecimus mentionem, cùm neque perpetuas aquas haberet, & easdem certo tempore funderet insipidas, populo non poterat laboranti sufficere. Augebat denique sitis importunitatem, & angoris geminabat molestiã, æstatis inclementia & ardẽs Iunius: labor quoque & excitatus puluis, 50 oris & pectoris ariditatem prouocabat. Dispersi ergo & seorsim egredientes, aquas diligenti perscrutabantur indagine: & dum cum paucis se arbitrarentur quæsitos inuenisse latices, subitò ingens occurrebat turba, idem habens propositum: ita vt inuentis fontibus inter eos nonnunquam oriretur seditio; & dum mutuò se præpedirẽt, plerunque ad pugnam veniretur. Qui tamen pedites erãt, hi sibi quocunque modo aquis inuentis parcè vtentes, poterant procurare remedium: verùm hi quibus equorum ingens erat numerus, cum difficultate maxima, sitibundos equos per tria vel quatuor miliaria educentes, adaquare poterant. Neglecta porrò animalia,

& quibus domini sui prouidere non poterant, per campos lento gradu & deficientibus viribus vagantia, equi videlicet, muli, asini, sed & greges & armenta, siti & ariditate consumpta, in seipsis deficiebant, tabescentia; & liquefacta interiùs moriebantur: vnde in castris fœtor erat maximus, & pestilens, & periculosa nimis aëris corruptela. Non videbatur in hac obsidione, improbæ sitis molestia minus populum fatigare, quàm circa Antiochiam victus inopia macerauerat eundem. Porrò victum & ad opus equorum pabula per adiacentia suburbana disquirentes, incautè dispersi, securè nimis per regionem vagabantur; vnde cognitis eorum discursionibus, vrbani per partes inobsessas clàm egredientes, his talibus occurrebant aliquotiens, multosque ex eis interficiebant, sæpiùs equos secum deducentes: nonnullos etiam plerunque saucios, fugâ lapsos, casus eripiebat prosperior. Imminuebatur diebus singulis nostrorum numerus; & ei *quod hesterna dies habere videbatur, sequens aliquid detrahebat*, dum casibus variis, quibus mortalis subiacet infirmitas, penè quotidie multi deperirent: nec accederent aliunde, qui loca deficientium supplerent, vel officia. Hostium verò versâ vice augebatur vires, multiplicabantur auxilia, quæ per partes inobsessas liberũ in vrbem habebant introitum, & in nostrorum perniciem ciuibus adiungebantur.

VIII. Cùm igitur circa construendas machinas, contexendas crates, scalas connectendas, vniuersus noster desudaret exercitus, & circa id plurimùm sollicitaretur, ciues nihilominus, vt argumẽtis argumenta repellerent, omnem impendebant vigilantiam; & totâ curâ se erigebant, vt viam inuenirent, per quam possent resistere. Habentes itaque sufficientem lignorum & arborum procerarum materiam, quam cum multa diligentia ante nostrorum aduentum, ad vrbem communiendam satis abundante cautelâ comportauerant, machinas interiùs nostris æquipollentes, sed meliore compactas materiâ, certatim erigebant: id toto studio procurantes, ne in huiusmodi instrumentorum genere, vel arte vel materiâ reperirentur inferiores: sed & continuas super murum & in turribus habentes excubias, vniuersa penè quæ fiebant in exercitu, maximè quæ ad huiusmodi instrumentorum spectabant artificia, diligentissimè considerantes, Maioribus pandebant ciuitatis, vt *arte æmulâ & cuncta imitari satagente*, ipsi nostrorum moliminibus ex æquo responderent: eratque satis facile. Nam & artificium & instrumentorum fabrilium, ferri quoque & æris & funium & cæterorum, quæ ad huiusmodi solent esse necessaria, multo maiores habebant intus, quam nostri deforis copias: nec solùm in eo ciues, edicto publico, compellebantur laborare, verumetiam fidelibus qui cum eis habitabant, seruilem & extremam conditionem sustinentibus, angarias infligebant insolitas, & grauibus affligebant parangariis. Nec solùm præstationibus eos macerebant violentis; verùm ad vincula trahebant & carceres, suspectos eos habentes tanquam nostris fauerent, & eis statum & secreta reserarent ciuitatis: nec erat de fidelium numero ausus quispiam murum ascendere, aut comparere in publico, nisi aliquibus onustus necessariis, quasi iumentum traheretur: hi enim cogebantur & onera portare; & qui alicuius artificii habebat experientiam, operas compellebantur impendere fabriles. Ad leuem etiam cuiuslibet delatoris calumniam, rapiebantur ad supplicia: & eos qui ex vicinis oppidis & finitimis ciuitatibus se in vrbem contulerant, hospitio cogebantur recipere, & eis ministrare necessaria: cumque domesticis & familiaribus, eorum substantia ad victũ tenuem & miserum non sufficeret, angariabantur tamen exteris bona communicare sua, ita vt ipsi indigerent primi. Ad hoc, etsi ad opera publica aliquid erat necessarium, primùm ante omnia fidelium domus effringebantur, vt si in eis tale quid reperiretur, violenter extorqueretur ab eo cuius erat domicilium. Vocati porrò quocunque loco vel tempore, siue nocte siue interdiu, siue quocumq; ex casu moram innecterent, vt primam citationem sine temporis interuallo minus sequerentur, rapiebantur ignominiosè per barbam & capillum, ita vt etiam hostium eorum misera conditio posset lachrymas excitare: miseriarum denique & laborum ponderis immensi, neque numerus erat, neque finis. Vnde & supra modum fatigati, in supremum iam deuenerant defectum: ita vt magis mori optarent in Domino, quàm vitam continuare temporalem: vita enim eorum miserabilis nimium distabat à morte, cùm nec sumendæ refectioni semel in die tempus indulgeretur, nec sopori necessariò vel ad modicum requies præstaretur: quicquid sinistri accidebat,

id illis

id illis imputabatur totum: non erat illis à propriis penatibus in publicũ exitus, aut introitus in propria, à suspicione liber: quorumlibet patebãt calumniis, & cuilibet dabatur ad eorum accusationem locus. Interea dum hæc circa Hierosolymam in obsidione geruntur, affuit nuncius qui naues *Ianuensium* in portu Ioppensi applicuisse nunciaret, petens à Principibus, vt de exercitu aliqua dirigeretur militia, cuius ducatu & viribus ii, qui appulerant, ad vrbem possent accedere. Est autem *Ioppe* ciuitas maritima, de qua Solinus in XXXIX. de Memorabilibus mundi capitulo, sic ait: *Ioppe oppidum antiquissimum orbe toto, vtpote ante terrarum inundationem conditum. Id oppidum saxum ostentat, quod vinculorum Andromedæ vestigia adhuc retinet, quam expositam belluæ non irritus rumor circumtulit. Quippe ossa monstri illius M. Scaurus inter alia miracula, in ædilitate sua Romæ publicauit. Annalibus nota res est. Mensuræ quoque veracibus libris continentur, scilicet, quod costarum longitudo excesserit pedes quadraginta, sublimitas autem elephantis Indicis eminentior fuerit: porrò verticuli spinæ ipsius, latitudine semipedẽ sunt supergressi.* Idipsum & Hieronymus in epitaphio sanctæ Paulæ testatur his verbis: *Vidit & Ioppen, fugientis portum Ionæ: &, vt aliquid perstringam de fabulis Poëtarum, religatæ ad saxum Andromedæ spectatricem.* Accidit autem, vt iuxta eorum postulationem, de communi consilio, dominus *Comes Tolosanus*, qui cæteris ampliùs abundabat, quendam nobilem de suo comitatu, cui nomen *Galdemarus*, cognomento *Carpinnelle*, cum triginta equitibus, & peditibus quinquaginta illuc dirigeret: qui postquam profecti sunt, videntes Principes, quòd qui missi erant, ad tantum onus non sufficerẽt, iterum eundem Comitem rogauerunt, vt illuc dirigeret plures: qui eorum monitis acquiescens, viros egregios & insignes, *Raymundum Pelet*, & *VVilelmum de Sabran*, cum quinquaginta equitibus post eos qui priùs egressi fuerant, iterum ad opus prædictum destinauit. *Galdemaro* verò, qui priùs egressus fuerat, postquam in campestria, quæ circa Liddam & Ramulam sunt, descenderat, occurrerunt hostiũ sexcenti: qui in eos protinus irruentes, de eius equitibus interemerunt quatuor, & de peditibus multò plures: dumque nostri quocunque modo resisterent, & se, licet pauci essent, ad conflictum hortarentur mutuò, accidit vt qui subsequebantur prædicti duo nobiles viri, cum omni celeritate adessent, & antequam eorum dissolueretur congressus prædicto se inferrent negotio: vnde factum est, vt coniunctis nostris adinuicem, affuerit virtus diuina, & hostibus insistentes, cæsis ex eorum numero ducentis, reliquos in fugam adegerunt. Ceciderunt tamen in eo conflictu viri nobiles *Gillebertus de Treua*, & *Aicardus de Montmerla*: quorum casus postquam innotuit nostris expeditionibus, non mediocrem intulit mœstitiam. Nostri verò palmâ sibi concessâ diuinitùs, Ioppen iuxta eorum propositum, peruenerunt incolumes: vbi à prædictis nautis cum ingenti suscepti lætitia, mutuâ caritate & gratis confabulationibus recreati sunt adinuicem. Dumque ibi moram facerent aliquam, quousque illi qui in nauibus aduenerant, sarcinas composuissent, & se aptassent ad iter, subitò & de nocte, Ægyptiorum classis, quæ apud *Ascalonam* delitescebat, nocendi locum operiens, circa eandem vrbem affuit: quod cum nostris compertum est, ad mare accedentes, naues priùs tentauerunt ab hostium insidiis protegere: sed cognoscentes postmodum, quòd eorum multitudini non valerẽt resistere, sumptis velis & funibus & cęteris earum armamẽtis, & cum omni supellectili sua egressi, in præsidium loci se contulerunt. Vna autem ex eis, quæ prædatum abierat, dum onusta spoliis in locum rediret eundem, cognoscentes quia classis hostium portum Ioppensem occupauerat, flatibus acta prosperis Laodiciam peruenit. Erat autem *Ioppe* per idem tempus versa in solitudinem, & habitatoribus vacua: eius enim ciues modico ante nostrorum aduentum tempore, de eius munimine diffidentes, locum deseruerant; nostri verò nonnisi arcem tantùm conseruabant. Rebus igitur compositis ad iter succincti, præuia militia quæ ad eum vsum descenderat, vt eius ducatum impenderet, cum omni substantia sua Hierosolymam profecti sunt: vbi à legionibus gaudenter excepti, maximam castris consolationem attulerunt. Erant enim viri prudentes, & nautarum more architectoriæ habẽtes artis peritiam, in cædendis, dolandis, & copulandis trabibus, erigẽdisq; machinis, expeditissimi. Sed & alia multa, his qui in expeditione erant modis omnibus profutura, secum attulerant argumenta: ita vt quod ante eorum aduentum, vix & cum difficultate sperabatur effectui posse mãcipari, per eorum operam facilè compleretur.

X. At verò qui expeditione remanserant, cœpto fideliter instantes operi, & in erigendarum studio machinarum se totâ diligentiâ continuantes, opus iam ex parte maxima peregerant. *Dux* enim & *duo Comites*, Normannorum videlicet & Flandrensis, quendam egregium & magnificum virum, dominum videlicet *Gastonem de Beart*, operi præfecerunt; & super artifices ne se haberent negligentiùs circa propositum, curam eum rogauerant impendere diligentem. Ipsi verò egrediebantur sæpiùs populum educentes in manu forti, vt ligna cæderent, & cæsa ad opus ædificiorum comportarent. Alii verò virgulta, frutices, & vimina, & minorum ramos arborũ cædentes, vt ex eis crates fierent, ex quibus machinæ operirentur exteriùs, certatim congerebant: alii animalium tam occisorum, quàm præ sitis ariditate deficientium detrahebant coria, mundorum siue immundorum indifferenter, vt ex eis super crates protegerentur machinæ, ne fortè ab hostibus ignis immissus ædificia posset consumere. Nec solùm circa partem Septentrionalem Ducis studio, & prædictorum Comitum duorum opus ita feruebat, verùm etiam & à turri angulari vsque ad portam Occidentalem, quæ est sub arce Dauid, dominus *Tancredus*, & alii nobiles plurimi, qui in ea parte castra locauerant, nõ inferiore sollicitudine eidem instabant operi, curam impendentes diligentissimam. Sed in parte Australi domini *Comitis Tolosani* exercitus, & cuncta familia, indefesso studio, & cum omni diligentia circa idem sollicitabatur negotium: eoque feruentiùs, quò & ditior erat, & maiores ei de nouo tam hominum quàm rerum necessariarum accesserant copiæ: quotquot enim de nauibus aduenerant, eius se adiunxerant castris, & supellectilem intulerant ad opus ædificiorum valde necessariam. Funes enim & malleos & alia instrumenta ferrea secum habentes; sed & optimos artifices qui in construendis erigendisq; machinis, vt prædiximus, multam habebant experientiam, ad consummationem operis plurima præstiterunt compendia. Præerat autem Ianuensibus qui aduenerant, quidam nobilis *Wilelmus* nomine, cognomento *Ebriacus*, cuius in operis artificio, multa pollebat industria. Cumque iam per quatuor hebdomadas circa id vniuersus desudasset exercitus, multo labore ad consummationem iam peruenerat negotium. Vnde & communicato consilio, Principes vrbis oppugnationi diem præfixerant; sed quia inter dominum *Tolosanum* Comitem, & dominum *Tancredum* grauis intercesserat simultas, & inter cæteros etiam nonnullos, ex caussis quibusdam exortæ erant inimicitiæ, placuit episcopis, Principibus quoque, & vniuerso populo, vt prius reformatâ inter eos pleniùs caritate, diuinum sinceris mentibus implorare possent auxilium.

XI. Die igitur statutâ, de publico decreto indictæ sunt vniuerso populo Letaniæ, & assumptis crucibus & Sanctorum patrociniis, episcopi & clerus vniuersus induti sacerdotalibus & leuiticis indumẽtis, nudis pedibus & cum multa deuotione populum subsequẽtem, vsque ad montem *Oliueti* præcesserunt. Vbi vir venerabilis *Petrus Heremita*, & *Arnulphus Comitis Normannorum* familiaris, vir literatus, exhortationis sermonem habentes ad populum, in quantum poterant ad longanimitatem animabant. Est autem *mons Oliueti* vrbi ab Oriente oppositus, ab vrbe quasi miliario distans, *valle Iosaphat* interiectâ: vnde est, quod à beato Luca dicitur: *Ab Hierosolymis iter habens Sabbathi:* Vnde & Saluator noster, cernentibus discipulis, quadragesimo resurrectionis suæ die est eleuatus in cœlum, & nubes suscepit eum ex oculis eorum. Ad quem locum cùm peruenisset plebs fidelis, in spiritu humilitatis & in animo contrito, implorato cum gemitu & lachrymis de supernis auxilio, reconciliatis ad inuicem Principibus prędictis, & omni populo in mutuam caritatem reuocato, de monte descendentes, ad *ecclesiam montis Sion*, quæ in Australem eiusdem ciuitatis partem, secus vrbem, vt prædiximus, in montis fastigio sita est, ascenderunt. Ciues autem in turribus & muro positi admirantes, quid sibi vellet huiusmodi populi circuitus, arcubus & balistis tela in turmas iaculabantur: vnde nonnulli ex nostris, incautiùs se habentes, vulnera susceperunt. Sed & cruces in nostrorum opprobrium & contumeliam, quas super murum locauerant, sputis & aliis immundis actionibus ignominiosè tractantes, in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, & eius salutiferam doctrinam conuicia, & verba blasphemiæ impudenter congerebant. Populus tamen cum omni deuotione votum prosequens, irâ succensus, qualem sacrilegii dolor poterat ministrare, ad prædictam peruenit ecclesiam. Vbi completis iterum orationibus;

Actor. 1, 12.

10 20 30 40 50

nibus, & indictâ die qua vrbē vnanimiter impugnarent, circundatâ vrbe, in castra reuersi sunt. Si quid autem operis consummationi deerat, cum multa celeritate id maturari præcipitur, ne quid impedimēti ex aliqua imperfectione, vrbē impugnare volentibus, occurreret. Adueniente igitur die ad impugnandā vrbem præfixâ, eâ nocte quæ diem proximā præcedebat, *Dux* & duo sæpedicti *maiores Comites*, videntes quòd ea pars ciuitatis quam ipsi obsederant, à ciuibus esset machinis, armis, & viris fortibus maximè communita, eoque fortiùs quo magis ex ea parte timendum arbitrabantur; & quòd in ea parte die sequenti, ob loci munimen, non multùm sperarent se posse proficere, mirabili prouidētiâ & stupēdo labore machinas & castellum antequam connecterētur ad inuicem membra, ad eam regionem, quæ est inter portam S. Stephani, & turrem angularē, quę à Septentrione super vallem Iosaphat posita est, particulatim transtulerunt, castris etiā illuc delatis. Videbatur enim eis, & verè sic erat, quòd quia ex illa parte ciuitas remanserat inobsessa, idcirco & à ciuibus minore diligentiâ seruaretur: factumq; est, vt translatæ machinę, continuatis totâ nocte vigiliis, ante Solis exortum cum multo labore cōpactæ sunt, & congruis stationibus collocatæ. Sed & castellū in ea parte, qua murus videbatur humilior, & deforis planior & cōmodior accessus, mœnibus ita est applicatū, vt qui erāt in turribus, & qui in machina penè posse pugnare cominus viderētur: nec fuit sanè labor modicus. Nā penè per dimidiū miliare ab eo loco, in quo prius castra locauerāt, prædicta transtulerant instrumenta, & ibidē ea antequā Sol exoriretur, cōpactis adinuicem mēbris, erexerant. Sole autē exorto, accedentes ad murū ciues, vt quid extra molirentur nostri conspicerent, partē castrorum, & omnē apparatū bellicū, qui heri & nudiustertius ibi visus fuerat, abesse cum stupore admirati sunt, & circūspicientes cum diligentia adiacentem regionē, & muri ambitū perlustrantes, cognouerūt castra Ducis translata esse; & erectas in parte, quâ prædiximus, machinas speculati sunt. Eadē quoq; nocte, & circa alias vrbis partes, prout in diuersis, (vt prædiximus) locis castra posuerant, vigilias & laborē continuantes, machinas suas erexerant: Nam penè eodē momento, & *Comes Tolosanus* castellū, quod cum multo studio fabricauerat, inter prædictā ecclesiā mōtis Sion & vrbē, muro applicauerat: & reliqui Principes qui secus *turrim* angularē, quæ hodie *Tancredi* dicitur, eadē diligentiâ & pari laboris pōdere, eiusdē penè altitudinis & soliditatis ligneam turrim iuxta murū locauerant. Erat autē par prædictarū machinarum effectus, & non dissimile artificiū: cùm enim quadrilatera essent ædificia, latus quod vrbi erat oppositum, duplici erat texturâ munitū; & exterior arte quadā deponi poterat, ita vt muro superpositum, vicem pontis introire volentibus posset exhibere. Nec tamen ex ea parte immunita erat machina: sed quod suberat, anteriore deposito, castellum non minus quàm latera reliqua communiebat. Adolescente igitur die, iuxta condictum ad vrbem impugnandam affuit nostrorum vniuersa armis accincta multitudo, omnes vnum & idem habentes propositum, aut animas pro CHRISTO deponere, aut Vrbem Christianæ restituere libertati. Non erat in tanto populo senex aut valitudinarius aut ætate minor, quem non moueret zelus, & deuotionis feruor non accenderet ad pugnam: sed & mulieres oblitæ sexus, & inolitæ fragilitatis immemores, tractantes virilia, supra vires, armorum vsum apprehēdere præsumebant. Accedentes igitur ad pugnam vnanimes, præparatas machinas muro nitebantur propiùs adiungere, vt faciliùs eos qui à turribus & muro resistebant, animosiùs possent impugnare. At verò ciues propositum habētes aduersantibus omnino resistere, telorū ictu, sagittarum immissione innumerabilium, contorsione lapidum, tam de manibus emissarum, quàm qui ex machinis iaculatoriis cum horrēdo impetu torquebantur, nostros ab accessu muri propellere satagebant. Nostri verò nihilo segniùs protecti clypeis, & obiectis cratibus, tam arcubus quàm balistis tela immittentes frequentia, & pugillaria contorquentes saxa, ad murum accedere nitebantur imperterriti, his qui in turribus erant requiē denegantes, & resistendi audaciam. Alii verò infra machinas constituti, aut castellum contis promouere nitebantur, aut iaculatoriis molares maximos ad mœnia dirigentes, ipsa, collisione frequenti & ictibus continuis, debilitare, & ad casum impellere nitebantur. Alii verò minoribus tormentis, quę *mangana* vocantur, minores immittendo lapides, eos qui erāt in propugnaculis à nostrorū infestatione compescere satagebant. Verùm neq;

XII. (margin, line 4) — XIII. (margin, line 37) — line numbers 10, 20, 30, 40, 50 in left margin

hi, qui ad promouendum castrum dabant operam, iuxta votum satis poterant proficere, cùm vallum ingens & profundum quod antemurali erat suppositum, accessum machinæ plurimùm impediret; nec qui tormentis mœnia perforare nitebantur, satis eorum labor proderat: Nam ciues à propugnaculis, stramine plenos & paleâ saccos suspenderant, restes quoque & tapetia, trabes ingentis magnitudinis, & culcitras refectas bombice, à turribus & muro aliquantulum dimiserant, vt per eorum molliciem & mobilitatem, contortorum molarium ictus eluderent, & laborantium euacuarent conatum. Præterea & ipsi interiùs machinas erexerant nostris multo plures, quibus sagittando & immittẽdo lapides, nostros ab opere deterrebãt incepto. Instantibus igitur totâ animositate hincinde partibus & omni decertantibus conatu, horrendus & supra hominum opinionem, proteruus à mane vsque ad vesperam se continuauit conflictus, & congressio pertinax, ita vt instar grandinis super vtrumque populum telorum & sagittarum descenderet multitudo, & emissi cautes in ipso aëre mutuò se collidерent, & causas mortis varias & multiplices irrogarent pugnantibus. Porrò par labor & idem periculum erat, tam iis, qui sub *Duce*, quàm qui sub *Tolosano*, & sub aliis etiam militabant Principibus. Nam in locis tribus; vt præmissum est, pari studio & feruore non dissimili ciuitas impugnabatur. Nostris verò vt vallum iactu ruderum, lapidum quoque & terræ implere possent; & iter dirigere, vt procedere possent machinæ, cura erat propensior. Ciuibus è conuerso, vt eorum impedirent propositum, labor erat præcipuus, & magis vrgens sollicitudo. Vnde & his qui ad prædictum opus accingebantur, quantâ poterant resistebant instantiâ; & in ipsas machinas, torres incensos, tela ignita sulphure, pice, pastâ & oleo, & iis quæ incendio solent fomitem ministrare, vt eas exurerent, certatim iaculabantur. Præterea & ingentium quæ intus parauerant tormentorum ictus in castella nostra tantâ dirigebant arte, vt machinarum penè crura confringerent, perforarent latera, & eos qui in cœnaculis, vt inde vrbem impugnarent, ascenderant, penè ad terram deiicerent attonitos. Nostri verò iniectis ignibus occurrentes, aquas desuper fundebant copiosiùs, vt incendiorum comprimerent importunitatem.

XIV. Hunc igitur tam periculosum procacemque nimis, & adhuc ancipitem vtriusque partis conflictum, nox diremit interueniens. Et licet corpora qualem qualem per noctis intempestum viderentur habere requiem, animi tamen curâ immoderatâ peruigiles, nihilo remissiùs laborabant. Fatigabantur interiùs mordaci mentes sollicitudine, & propositi memores æstuabant, lucem expectantes auidissimè, vt iterum redirent ad certamen, & præliorum experirentur fortunam; spem habentes in Domino, quòd palmam & meliorem essent reportaturi calculum. Angebantur tamen plurimùm, timentes ne clam in eorum machinas hostes quocunque pacto procurarent incendia: vnde continuas exegerunt vigilias, noctem illam penitus trahentes insomnem. Ciues autem nihilominus curis torquebantur edacibus, formidantes plurimùm, ne quos pridie tantâ viderant proteruitate instantes, sumptâ occasione ex noctis intempestæ silentio, effracto muro, vel scalis adhibitis, clam vrbem ingrederentur. Vnde solicitudine non pigri, sed diligenti vigilantiâ, tanquam quibus res erat pro capite, feruentes, totâ nocte muri circumibãt peribolon, præfectis vigilum in singulis turribus constitutis. Præterea & qui maiores erant natu, & quibus reipublicæ erat cura propensior, plateas ciuitatis circuibant, alios admonentes, *pro vxoribus & liberis, pro rebus domesticis, & statu publico se exhiberent peruigiles; portas & vicos perlustrarent, ne qua hostium via pateret in insidiis.* His igitur curis pars angebatur vtraque, nec quietis locum solicitudo peruigil patiebatur adesse. Deterius erat partibus cessante conflictu, animis æstuantibus, nec habentibus requiem, quàm pridiè fuerat, dum in prælio desudaretur.

XV. Nocte igitur circa diem procliuiore, cùm iam aspiratis diei aurora nunciaret exortum, excitus est cum omni auiditate populus iterum ad certamen. Reuertebatur porrò quisque ad officium, cui hesternâ die fuerat deputatus. Quidam enim infra machinas positi iaculatorias, ingentis molares magnitudinis, & soliditatis exquisitæ, in mœnia contorquebant: alii in castello inferiùs positi, ad ipsum promouendum tam arte quàm viribus operam dabant omnimodam: alii in supremo constituti cœnaculo, arcubus & balistis, & quolibet missilium genere eos qui erant in turribus lacessentes, quanto poterant studio, & indefesâ instantiâ, vt nec manum auderent

derent exerere, infra propugnacula coercebant: Alii verò, vt vallo complanato, & effracto antemurali, castellum mœnibus propiùs posset applicari, omnem adhibebant solicitudinem. Alii porrò, quorũ erat turba plurima, sagittis & iactu lapidũ ciues arcebant à propugnaculis, ne per eos his qui in producenda machina desudabant, ministraretur impedimentum. Ciues autem, quò maiorem nostrorum videbant instantiã, eò diligentiùs in cõtraria se attollebant argumẽta, vt & vim viribus, & artem simili repellerent artificio. Nam & impugnantibus æquipollenter tela remittebant & lapides; & his qui castellũ promouere satagebant, admirabili strenuitate præstabant impedimentum. Et vt semel omnium nostrorũ eluderent molimi-
10 na, ignẽ incessanter in ollis fragilibus, & quibuscunque modis poterãt, cum sulphure, & pice, aruina, & adipe, stupa, cæra, lignis aridis, & stipula, & quæcunque solent incendium irritare, & ignibus ministrare fomitem, iaculabantur. Fiebat igitur in vtroque populo strages maxima, & de vtraque classe, variis casibus & euentibus inopinatis plurimi sternebantur. Alii enim machinarũ iactu in frusta conterebantur munitissima: alii trans loricas & clypeos, sagittis & telorum multiplicitate confossi, subitò deficiebant corruentes: alii pugillaribus, manu missis vel funda, cautibus elisi, aut moriebãtur protinus; aut attritis membris, per multos dies, aut in perpetuum reddebantur inutiles. Nec tamen his omnibus periculis ab opere deterrebantur incepto, nec congrediendi feruor his omnibus in eis poterat mitigari: nec erat facile
20 discernere, vter cũ maiore studio decertaret populus. Sed nec silentio prætereundum credimus, quod eadem die relatione dignum dicitur accidisse. Erat sane nostris exteriùs vna inter cęteras machina, quæ saxa miri põderis in vrbem multâ violentiâ, & impetu immittebat horribili, quæ stragem in populo ciuium operabatur multiplicem: contra quam cùm nullâ arte possent proficere, duas adduxerunt maleficas, vt eam fascinarent, & magicis carminibus redderent impotẽtem: quæ dum suis pręstigiis instarent super murum, & incantationibus, repentè ex eadem machina molaris immissus, vtramq; illarum cum tribus puellis, quæ illarum gressum fuerant comitatæ, obtriuit, & excussis animabus, de muro inferiùs deiecit exanimes: Vnde in castris factus est plausus, & ingens exultatio; ciuibus autem ingens ex ad-
30 uerso accreuit mœstitia. Cùm igitur vsque in horam diei septimam, sine certa XVI. victoria anceps & dubium satis protractum esset negotium, desperantes nostri, & immensitate laboris defatigati supra vires, cœperunt instare remissiùs: ita vt iã propositum haberent castellum continuis penè ictibus confractum, & alias machinas igne recepto iam fumantes, reducere pusillum, & conflictum vsque in diẽ differre crastinam: & iam paulatim diffidens dilabebatur populus, animis penè dissolutis, & hostibus insultantibus & prouocantibus vltrò ad prælia nimis procaciter & ampliùs solito: cùm ecce adfuit virtus Diuina, quæ rebus desperatis necessariã, & pro votis fidelium intulit cõsolationem. Nam de *monte Oliueti* miles quidam, qui tamen postea non comparuit, splendidum & refulgentem ventilando clypeum, signum
40 dabat nostris legionibus, vt redirent in idipsum, & congressionem iterarent. Quo signo exhilaratus animo dux *Godefridus*, qui cum fratre suo *Eustachio*, in superiori castelli nostri cœnaculo ad vrbem impugnandam, & ad cautiùs tuendum ædificium erat constitutus, populum & Maiores cœpit ingentibus reuocare clamoribus. Factúmque est, præuiâ Domini misericordiâ, quòd vniuersus cum exultatione ad pugnam reuersus est populus, cum tanto feruore, vt tanquam viribus integris de nouo videretur incipere prælium. Denique qui priùs aut fessi, aut læsi vulneribus, operã subtraxerant, nunc receptis animis, & viribus geminatis vltrò se offerebant, instantes animosiùs. Porrò Principes, & qui columnæ videbãtur exercitus, hi alios præcedebant, & suo exemplo reddebant animosiores. Sed & mulieres, ne tanti ex-
50 pertes laboris esse viderentur, viris in agone desudantibus, potum, ne deficerẽt, ministrabant in vasculis, & verbis efficacibus eos ad certamen animabant. Porrò tãta erat in castris lætitia, vt iam quasi certi de victoria, infra horæ spaciũ vallo complanato, & effracto antemurali, castellum muro violenter applicarent. Ciues autem, vt prædiximus, trabes proceræ longitudinis, & soliditatis multæ à muro suspenderant, vt machinarũ ictus eliderent, quarum duas nostri qui erant in castello, præcisis funibus, quibus erant religatæ, deiecerunt in terram: quas, qui erant inferiùs, cum multo periculo suscipientes, infra machinam detulerunt, easque demũ ponti,

quem statim, vt dicetur in sequentibus, de castello super murum erexerunt, ad maiorem subiecerunt soliditatem. Ex fragilibus enim pons contextus erat lignis: nec nisi horum subiecto adminiculo, populum transeuntem sustinere potuisset.

XVII. Interea verò, dum hæc in Septentrionali plaga tanto studio tractarentur, *Comes Tolosanus*, & qui cum eo erant in parte Australi, quantâ poterant instantiâ, eodem zelo feruentes, vrbem impugnabant: completoq; vallo, circa quod opus per continuum desudauerant triduum, castellum in manu forti, iuxta murum locauerant, ita vt qui in turribus erant & in machina, penè possent se mutuò lanceis vulnerare. Erat ergo par vtrobique populi feruor, & instantia non dissimilis; eoq; diligentiùs instabant operi, quod ea esset dies, quâ quidã CHRISTI seruus, qui in mõte Olíueti habita- bat, confidẽter promiserat vrbẽ esse capiendã. Sed & signũ, quod & ipsi agitati clypei ab eodẽ monte Oliueti viderant, eos vehementer accenderat & reddiderat de obtinenda victoria securiores. Videbatur porrò vtriusque exercitus æquis passibus procedere negotiũ, tanquã quod ab eodẽ auctore pari diligentiâ procurabatur, qui mercede condignâ, seruorum suorum deuotionem remunerare decreuerat. Tempus enim erat, vt tanti laboris fructum, & militiæ fideliter exhibitæ stipendia reportarent.

XVIII. Igitur *Ducis & Comitum* legiones, quæ vt prædiximus, in parte Septentrionali vrbem impugnabant, eousque opitulante Domino profecerãt, quòd hostibus defatigatis, & iam resistere non valentibus, effractis antemuralibus, & vallo penitus complanato, ad murum impunè poterant accedere, rarò audentibus aduersariis eis per cancellos aliquid irrogare iniuriæ. Qui verò in castello erant, hortante Duce, in culcitram bombice plenam, & saccos plenos stramine ignem iniecerant, qui flante Boreâ accẽsus, fumum infra vrbem intorquebat caliginosum: quo instante proteruiùs, qui murum defendere tenebantur, ora vel oculos non valentes aperire, stupidi & fumidę caliginis turbati voragine, muri deseruêre custodiã. Quo cognito Dux, sub omni celeritate trabes, quas ab hostibus, eripuerant, sursum ferri præcepit, quibus ex vna parte in machina, ex altera super murũ locatis, latus castelli quod moueri poterat, deponi præcepit: quo super trabes prædictas collocato, vicem pontis prębuit congruâ soliditate subnixum. Sic ergo quod hostes pro se introduxerãt, in eorum versum est læsionem. Ponte igitur sic ordinato, primus omnium vir inclytus & illustris *Dux Godefridus*, reliquos vt subsequãtur exhortans, cum fratre suo *Eustachio* vrbem ingressus est: quem continuò subsecuti sunt *Ludolfus* & *Gislebertus* vterini fratres, viri nobiles, & perpete digni memoriâ, ortum habentes de ciuitate Tornaco; consequenter verò infinita tam equitum quàm peditum manus: ita vt nec machina, nec pons prædictus plures posset sustinere. Videntes ergo hostes, quòd nostri murum iam occupauerant, & Dux suum iam introduxerat exercitum, turres deserunt & mœnia, ad vicorum angustias se conferentes. Porrò nostri videntes, quòd Dux, & maxima pars nobilium turres sibi vendicauerant, iam non expectato per machinam ascensu, scalas certatim ad murum applicant, quorum illis maxima erat copia: nam bini & bini equites ex edicto publico singulas sibi præparauerant, per quas ascendentes vnanimiter, aliis qui suprà murum erant, Ducis mandatum præstolantes, se adiungebant. Ingressi sanè statim post Ducem sunt, *Flandrensium comes, & dux Normannorum*; vir strenuus, & per omnia commendabilis, dominus *Tancredus, Hugo senior, Comes de sancto Paulo, Balduinus de Burgo, Gasto de Beart, Gastus de Beders, Girardus de Rosseillon, Thomas de Feria, Conanus* Brito, Comes *Raimboldus* de ciuitate Oringis, *Ludouicus de Monson, Conon de Monte acuto, & Lambertus* filius eius, & alii plures, quorum numerum & nomina non tenemus. Quos omnes, postquam Dux cognouit se infra vrbem recepisse incolumes, quosdam ex eis ad portam Septentrionalem, quæ hodie dicitur *Sancti Stephani*, cùm honesto dirigit comitatu, vt portam aperiant, & populum introducant, deforis expectantem: quã sub omni celeritate reseratâ, ingressus est passim, & sine delectu vniuersus exercitus. Erat autem feria sexta, & hora nona. Videturque procuratum diuinitùs, vt quâ die & quâ horâ pro mundi salute in eadem vrbe passus est Dominus, eadem & pro Saluatoris gloria fidelis decertans populus, desiderii sui felicem impetraret consummationem. Eadem enim die & primus homo conditus & secundus pro primi salute morti traditus esse dicitur. Vnde & decuit, vt eius membra & imitatores, in ipsius nomine de hostibus eiusdem triumpharent.

Porrò

XIX. Porrò *Dux* & qui cum eo erant per vicos ciuitatis & plateas, strictis gladiis, clypeis tecti & galeis, iuncto agmine discurrentes, quotquot de hostibus reperire poterant, ætati non parcentes, aut conditioni, in ore gladii indifferenter prosternebāt. Tantaq; erat vbique interemptorum strages, & præcisorū aceruus capitum, vt iam nemini via pateret aut transitus, nisi per funera defunctorum. Iamque penè ad vrbis medium diuersis itineribus stragem operātes innumeram, nostri Principes peruenerant; & subsequentis populi infinita multitudo, infidelium cruorem sitiens, & ad cædem omnino procliuis: cùm *Comes* adhuc *Tolosanus* & Principes alii, qui cum eo erant, circa montem Sion decertantes, vrbem captam, & nostrorum victoriam ignorabant. sed excito de nostrorum introitu, & strage ciuium, ingenti clamore, & horrendo sonitu, admirantibus qui in ea parte resistebant ciuibus, quidnā sibi vellet clamor insolitus, & populi vociferantis tumultus, cognouerunt vrbem violēter effractam, & nostrorum immissas legiones: vnde relictis turribus & muro, ad diuersa fugientes loca, saluti propriæ consulere satagebant. Hi quoniam præsidium ciuitatis in vicino constitutum erat, ex parte plurima se in arcem cōtulerunt: at verò exercitus pontem liberè, & sine difficultate super murum aptātes, & scalas applicantes mœnibus, certatim in vrbem nemine obstante ingressi sunt. Intromissi autem, portam Australem, quæ illis erat contermina, statim aperuerunt, vt reliquus sine difficultate populus admitteretur. Ingressus est igitur vir insignis & strenuus *Tolosanus Comes*, & *Ysoardus Comes Diensis, Raimundus Pelez, VVilhelmus de Sabran, Episcopus Albariensis*, & alii multi nobiles, quorum numerum vel nomina nulla nobis tradit historia. Hi omnes vnanimiter, iunctis agminibus, ad vnguem armati, per mediam vrbem discurrentes, stragem operati sunt horrendā: nam qui Ducem & suos effugerant, putantes se mortem quocunq; modo declinasse, si ad alias se conferrent fugiendo partes, hos sibi habentes obuiam, occumbebant periculosiùs: & Scyllam euitantes, incurrebant Charybdim. Tanta autem per vrbem erat strages hostium, tantaq; sanguinis effusio, vt etiam victoribus posset tædium & horrorem ingerere.

XX. Confugerat porrò in atrium Templi populi pars maxima, eò quod locus in parte vrbis esse videretur secretior, muro quoque & turribus, & portis validioribus apprimè communitus: verùm eis nihil fuga talis contulit ad salutem. Nam statim cum parte maxima exercitus vniuersi, illuc dominus *Tancredus* se contulit, & Templum violenter ingressus, post stragem innumeram, infinitas auri & argēti, & gemmarum copias inde secum dicitur abstulisse: quæ tamen postmodū, sedato tumultu, restituisse creditur in integrū. Porrò reliqui Principes, interemptis his, quos sibi per reliquas vrbis partes repererāt obuiam, audientes quòd infra septa Templi populus fugiens se contulerat, illuc descendunt vnanimes, & intromissā tam equitum quàm peditū multitudine, quotquot ibi reperiunt, nemini parcētes obtruncāt gladiis, sanguine replentes vniuersa: iustoque DEI iudicio id certum est accidisse, vt qui superstitiosis ritibus Domini sanctuarium prophanauerant, & fidelibus populis reddiderant alienum, id proprii cruoris luerēt dispendio, & morte interueniente piaculare soluerent flagitium. Horror erat denique cæsorum intueri multitudinem, & humanorū artuum passim fragmenta cōspicere, & effusi sanguinis aspergine cunctā redundare superficiem. Nec solùm defunctorum corpora membris potioribus lacera & abscisis mutilata capitibus, intuentibus erat angustia; verùm & ipsos victores à planta pedis vsque ad verticem cruore madentes periculosum erat conspicere, & horrorem quendam inferebant occurrentibus. Cecidisse dicuntur infra Templi ambitum ex hostibus ad decem millia, exceptis aliis qui passim per vrbem obtruncati, vicos replebant & plateas, quorum nō minor dicebatur esse numerus. At verò exercitus pars reliqua per Vrbem discurrens, per angiportus & viarum diuerticula latentes miseros, & mortis periculū declinare cupientes, pecudum more raptos in publicum, detruncabant. Alii diuisi per manipulos ingrediebantur domicilia, raptumque patremfamiliâs cum vxoribus & liberis, & vniuersa familia, aut gladiis transuerberabant, aut de locis superioribus in terram dabant præcipites, ita vt confractis ceruicibus interirent: quam verò quisque domum effregerat, eam sibi cum vniuersa eius substantia iure perpetuo vendicabat: id enim prius ante vrbem captam inter eos conuenerat, vt vrbe violenter impugnatâ, *quod sibi quisque acquireret, id iure proprietatis sine molestia possideret in perpetuum.* Vnde vrbem perlustran-

tes diligentiùs,& stragi ciuium proteruiùs instantes, vrbis diuerticula, secessus quoque & secretiora ciuium effringebant penetralia, clypeos vel quodlibet armorum genus in introitu defigentes, vt esset signum accedentibus, ne gressum ibi figerent, sed loca præterirent, quasi iam ab aliis occupata.

XXI. Subiugatâ igitur penitus ciuitate, & interemptis ciuibus, tumultu aliquantulùm sedato, conuenerunt Principes ad inuicem, antequam arma deponerent, ordinantes, vt per turres singulas ad maiorem cautelam custodes deputarentur; & per portas vrbis singulas viri honesti constituerentur ianitores, quousque de communi conniuentia & publico decreto Principũ, aliquis vrbi præficeretur, qui eius curam gereret, & pro libero cuncta dispensaret arbitrio. Hostium enim circumpositorum meritò suspectas habebant insidias, & impetus non imprudenter formidabant repentinos. Tandem verò vrbe ad hunc modum ordinatâ, armis depositis, in spiritu humilitatis & in animo verè contrito, nudis vestigiis, lotis manibus, & sumptis mundioribus indumentis, cum gemitu & lachrymis loca venerabilia, quæ Saluator propriâ voluit illustrare & sanctificare præsentiâ, cœperũt cum omni deuotione circuire, & cum intimis deosculari suspiriis: specialiter autem Dominicæ passionis & resurrectionis Ecclesiam, vbi clerus & populus fidelium, qui per tot annos duræ nimis & indebitæ seruitutis iugum portauerant, de restituta libertate, Redemptori gratias exhibentes, cum crucibus & sanctorum patrociniis, Principibus occurrẽtes, eos in prædictam cum hymnis & canticis spiritualibus introduxerũt Ecclesiam. Intueri erat amœnissimum, & spirituali plenum iucunditate, quantâ deuotione, quanto pii feruore desiderii, ad loca sancta fidelis accederet populus; quantâ mentis exultatione & spirituali gaudio Dominicæ dispensationis deosculabantur memoriam. Vbique lachrymæ, vbique suspiria, non qualia mœror & anxietas solet extorquere, sed qualia feruens deuotio & interioris hominis consummata lætitia, solet Domino in holocaustum incendere. Erat porrò tã in ecclesia, quàm per Vrbem vniuersam, tãtus populi, gratias Domino exhibentis, clamor, vt iã quasi vsq; ad sidera tolli sonus videretur, & de eis meritò dictũ crederetur: *Vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis iustorum.* (Psal. 117, 15.) Feruebant sanè pio succensa desiderio, per vrbem vniuersam opera misericordiæ. Hi Domino confitebantur deflenda quæ commiserant, voto se obligantes ne de cætero deflenda cõmitterent: illi in senes valetudinarios & egentes profusâ liberalitate cunctam erogabant substantiam; pro summis & sufficientibus reputãtes diuitiis, quod hunc vidisse diem sibi fuerat concessum diuinitus: illi flexis nudisq; genibus, cum singultibus & præcordialibus suspiriis loca circuibant venerabilia, lachrymarum cuncta replentes aspergine: quorum verè sermo dirigebatur ad Dominum, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* (Ps. 118., 136.) Quid plura? Difficile est, vt nostro comprehendatur sermone, quanta in plebe fideli sanctæ deuotionis esset immensitas. Certatim enim se mutuò vincere cupientes, in operibus pietatis vnanimiter desudabãt, cœlestis memores beneficii, & gratiam præ oculis habentes diuinam, quæ tãtos eorum labores remunerare dignata est. Quis enim tam ferrei pectoris, quis tam mentis adamantinę, cuius interiora non liquefierent, cùm liceret tantæ peregrinationis fructũ carpere dignissimũ, & exhibitæ militiæ numerare stipendia? Quibus tamen mens erat altior, in arram futuræ retributionis, quã sanctos suos se remuneraturum promisit Dominus, id muneris videbatur exhibitum, vt *per collationem præsentium munerum, firma sit expectatio futurorum*; (Psal. 121, 3.) & per eam quæ hic peregrinatur Hierusalem, ad eam perueniatur, cuius *participatio est in idipsum.* Porrò Episcopi & sacerdotes in ecclesiis consummantes sacrificia, orabant pro populo, pro collato beneficio gratias exhibentes.

XXII. Eâ die dominus *Ademarus*, vir virtutum & immortalis memoriæ, Podiensis Episcopus, qui apud Antiochiam, vt prædiximus, vitâ decesserat, à multis in sancta visus est ciuitate, ita vt multi viri venerabiles, & fide digni eum super ciuitatis murum, primum omnium ascendisse, & cæteros animasse ad ingressum, oculis corporeis se vidisse constanter assererent: & postmodũ plurimis, loca venerabilia circumeuntibus, eadem die manifestus apparuit. Aliique quàm plures, qui in toto itinere diuinis obsequiis mancipati, piam in CHRISTO dormitionem acceperant, in eadem ciuitate apparuerunt multis, loca sancta cum aliis ingredientes. In quo manifestè dabatur intelligi, quia etsi vitâ decessissent temporali, ad æternam vocati beatitudinem, non sunt fraudati à desiderio suo; sed quod pio expetierãt studio, pleno sunt effectu consecuti, magnũ nobis futuræ resurrectionis argumentum præten-

prætendentes. Dignumque erat, vt sicut resurgente Domino multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt, & in ciuitate sancta apparuerunt multis; ita fidelibus populis sanctæ Resurrectionis locum, à Gentili superstitione mundātibus, priscum renouaretur miraculum, vt & ipsi in spiritu resurrexisse crederētur, qui resurgentis Domini tam piis se manciparant obsequiis. His igitur & huiusmodi per superabundantem cœlestem gratiam, plebi DEI in ciuitate sancta, miraculosè magis quàm mirabiliter exhibitis, tanta erat in populo mentis hilaritas, & interna cordis exultatio, vt laborum immemores, quos pertulerant infinitos, felices se dicerent, quibus id diuini muneris datum erat intueri. Clamor erat spiritualiter exul-
10 tantis ciuitatis ad Dominum, & quasi præcipiente Domino, solemnitas agebatur celebris: ita vt illud Prophetæ impletum ad literam videretur oraculum, *Lætamini cum Hierusalem, & exultate in ea, omnes qui diligitis eam.* [Esai. 66,10.] Denique fideles, qui virum [XXIII.] venerabilem *Petrum Heremitam*, quarto vel quinto prius anno in eadem ciuitate viderant; & cui tam dominus Patriarcha, quàm alii, tam de clero quàm de populo Maiores, pro excitandis Occidentalium regnorum Principibus epistolas suas tradiderant, iterum cognoscentes, flexis genibus cum omni humilitate venerabantur, referentes ad memoriam priorem eius aduentum, & familiaritatis gratiam, quam cum ipsis contrahere dignatus fuerat; gratias exsoluentes, quòd tam sedulè tamque fideliter solo pietatis intuitu eorum procurauerat legationem: Dominum
20 etiam super omnia collaudantes, qui in seruis suis gloriosus est: qui ita præter spem hominum, prædicti viri vias direxerat, & sermonem in manu eius dederat efficacem, vt & gentes & regna ad tantos labores pro CHRISTI nomine tolerandos, sine difficultate conuerteret. Verè namque videbatur sermo hic egressus à Domino, qui ait: *Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed prosperabitur in omnibus ad quæ mittam illud.* [Esai. 55,11.] Itaque singillatim & in communi, multiplici nitebantur eum honore præuenire, ei soli post Dominum adscribentes, quòd duræ seruitutis, quam per tot annos passi fuerant, soluta erat conditio, & ciuitas sancta pristinæ restituta libertati. Dominus autem *Patriarcha*, vt prædiximus, pro Reipub. statu, & salute ciuium, multo precio comparanda in Cyprum nauigauerat, eleemosy-
30 nas à fidelibus illius regionis mendicaturus, vnde tributa, & imposita extraordinariè & supra vires vectigalia persolueret, ne pro eorum defectu aut ecclesias deiicerent tributorum exactores, aut populum gladiis manciparent, sicut anterioribus consueuerant temporibus. Nam omnium eorum quæ circa vrbem gerebantur, prorsus erat ignarus, & ad consueta quasi rediturus pericula timebat: cui Dominus interim, præter spem, quietem procurauerat tranquillam. Completis igitur [XXIV.] orationibus, & locis venerabilibus cum omni deuotione visitatis, visum est expedire Principibus, ne ex interemptorum cadaueribus, aëris pestilētis generetur corruptela, Vrbem & maximè Templi ambitum ante omnia mundari: vnde ciuibus qui casu mortem euaserant, compedibus alligatis id muneris iniungitur: sed quia
40 ad tantum onus non videbātur posse sufficere, pauperibus etiam de exercitu, merces cottidiana proponitur, vt prædictę rei dent operam, & sine dilatione vrbem expediant. Quo disposito Principes ad propria reuersi, domos quales interim familia discurrens præparauerat, pro hospitiis habuerunt. Vrbem autem reperientes commoditatibus plenam, & bonis omnibus redundantem, omnes à maiore vsque ad minimum cœperunt copiosiùs abundare. Reperiebantur enim in effractis domibus, auri & argenti, gemmarum & preciosarum vestium, frumenti, vini & olei, sed & aquæ, cuius maximam in obsidione passi fuerant penuriam, ingentes copiæ: vnde & ipsi qui domos sibi vendicauerant, poterant habere ad omnem sufficientiam, & indigentibus fratribus caritatiuè ministrare. Factumque est, vt secundâ &
50 tertiâ & deinceps die, in foro publico, rerum venalium optimis conditionibus exhiberetur commercium, ita etiam, vt plebs inferior, necessariis omnibus abundaret. Dies igitur solemnes & dies agentes lætitiæ, cibum & requiem, quibus maximè indigebant, corporibus indulgentes, recreati sunt aliquantulum; Diuinæ muneris largitatem admirātes, & cœlestis gratiæ, quâ erga eos dignatus est Dominus abundare perpetem præ oculis habentes memoriam. Ad maiorem autem tanti facti memoriam, ex communi decreto sancitum, & communi omnium voto susceptum & approbatum est, vt hic dies apud omnes solemnis, & inter celebres celebrior

perpetuò habeatur, in qua ad laudem & gloriam nominis Christiani, quicquid in prophetis de hoc facto quasi vaticinium prædictum fuerat, referatur; & pro eorum animabus fiat ad Dominum intercessio, quorum labore commendabili, & fauorabili apud omnes, prædicta DEO amabilis ciuitas, & fidei Christianæ & pristinæ est restituta libertati. Interea verò pars hostium ea quæ in arce Dauid, à facie gladii fugiens se contulerat, videntes quòd vrbē vniuersam sibi populus noster vēdicauerat, & quòd ipsi diutius obsidionē tolerare non possent, petitâ & impetratâ à domino Comite Tolosano fiduciâ, qui circa partes illas turri vicinior hospitatus erat, quòd cum vxoribus & liberis & omni substantia quam secū intulerāt, liberum haberent exitum, & securum vsque Ascalonam conductum, arcem ei resignauerunt. Qui verò vrbi purgandæ curam susceperant, adhibitâ diligentiâ, & feruentes in opere, partim igne cōsumptis cadaueribus, partim sepulturæ traditis, prout temporis patiebatur angustia, subitò & infra paucos dies, vrbem reddiderunt expeditam, ad solitam eam redigentes munditiam. Vnde confidentiùs locorum venerabilium populus frequentabat limina; & per vicos & plateas ciuitatis conuenire, & confabulari poterat liberiùs. Capta est autem prædicta ciuitas, anno ab incarnatione Domini *millesimo nonagesimo nono*, mense Iulio, quintâ decimâ die mensis, feriâ sextâ, circa horam diei nonam: anno tertio, ex quo fidelis populus, tantæ peregrinationis sibi onus assumpserat: præsidente S. Romanæ ecclesiæ domino *Vrbano Papa* secundo; Romanorum verò imperiū administrante domino *Henrico IV*. In Francia verò regnante domino *Philippo:* apud Græcos autem in sceptris agente domino *Alexio:* præuiâ Domini misericordiâ, cui honor & gloria per infinita seculorum secula: Amen.

A.D. 1099.

EXPLICIT LIBER OCTAVVS.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI NONI.

I. Octauâ die, post vrbem captam, Principes conueniunt, vt ex se vnum eligendo vrbi & regioni præficiant. clerus indiscretè nititur contraire.

II. Principes neglectâ cleri cōtradictione, dominum Ducem eligunt, & electum cum hymnis & cāticis Sepulchro Domini repræsentāt.

III. Dux promotus, à Comite Tolosano turrim Dauid quam ab hostibus susceperat, reposcit: Dissentiunt Principes, sed tandem turrim obtinet postulatam.

IV. Episcopus Marturanensis, vir subdolus & nequam, quendam Arnulphum sibi similem, in Patriarcham nititur promouere: sed non proficit. Crux Dominica reperitur.

V. Quis & vnde fuerit, & quibus maioribus progenitus Dux Godefridus, aperitur.

VI. Matris præsagium de futuro statu filiorum.

VII. Recensetur factum eius memorabile in quadam monomachia.

VIII. Factum eiusdem egregium in victoria Imperatoris Henrici, contra Radulphum Pseudoregem Saxonum.

IX. Quàm piâ liberalitate erga ecclesias quæ sunt Hierosolymis, abundauerit: & quod humilitatis intuitu, regio diademate noluit insigniri.

X. Princeps Aegyptius militiam & vires suas omnimodas, contra nostros excitat, & in Syriam dirigit.

XI. Dux è diuerso completis apud Hierosolymam letaniis & orationibus, circa Ramulam congregatis Principibus, expeditiones colligit.

XII. Committitur prælium, & nostris diuinitùs confertur victoria, receptis diuitiis innumerabilibus.

XIII. Discedunt Principes ab inuicem: Normannus & Flandrensis repatriant: Tolosanus redit Constantinopolim: Tancredus vrbi præficitur Tiberiadensi.

XIV. Boamundus Antiochenorum Princeps, & Balduinus Comes Edessanorum, Iherosolymam veniunt, natiuitatem Dominicam ibi celebrantes.

XV. Daimbertus ecclesiæ Pisanæ Archiepiscopus, Iherosolymitanæ præficitur ecclesiæ Patriarcha.

XVI. Studio malignorum inter Ducem & Patriarcham graues cum simultate suscitantur quæstiones, super turri Dauid, & quarta parte ciuitatis.

XVII. Qua ratione quarta pars ciuitatis in ius & potestatē domini Patriarchæ cesserit.

XVIII. Item de eodem: & quæ loca venerabilia sæpe dicta pars infra se contineat.

XIX. Quis

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI NONI.

10

INCIPIT LIBER NONVS.

CAP. I.

SAnctâ igitur ciuitate per Domini superabundantem gratiam Christiano populo restitutâ, & rebus ad aliquem modum in trãquillo collocatis, decursis in multa lætitia, in timore tamen Domini & gaudio spirituali; diebus septem, octauâ die conuenerunt Principes, habituri tractatum, inuocatâ sancti Spiritus gratiâ, vt aliquem de suo eligant collegio, qui regioni præsit, & regiam prouinciæ impendat sollicitudinem. Dumq; essent in eo, congregati sunt quidam de clero, spiritu superbiæ tumidi, quærentes quæ sua sunt, 20 non quæ CHRISTI IESV, dicentes se habere verba secretiora, quę perferri velint ad Principes, intus in conclaui residentes; & intromissi dixerunt: *Nunciatum est clero, quod ad hoc, vt de vobis vnum eligatis in Regem, conuenistis. Videtur autem nobis propositum vestrum sanctum, & vtile, & omni curâ executioni mandandum, si tamen ad id ordine congruo veniatur. Certum est porrò spiritualia temporalibus digniora esse: quæ verò digniora sunt, meritò debere præcedere. Vnde videtur nobis, nisi ordo præposterus studiosè quæratur, quòd prius eligenda sit DEO placens & religiosa persona, quæ Ecclesiæ DEI præesse sciat & prodesse, quàm de secularis potestatis electione agatur. Si hoc ordine velitis incedere, placet nobis admodum: vobiscum sumus corpore & spiritu; si verò secus, inualidum censemus, & viribus carere decernimus, quicquid extra nostram conniuentiam ordinaueritis.* Hæc autem eorum postulatio, etsi in 30 superficie videretur aliquid honestatis habere, tamen intrinsecus habebat malitiæ plurimùm, vt docebunt sequentia. Huius autem factionis primicerius erat quidam *Episcopus de Calabria, Marturanensis* videlicet, qui *Arnulpho* cuidam, de quo superiùs satis dictum est, nimiâ familiaritate coniunctus erat; & ipsum infra sacros ordines constitutum, & sacerdotis filium, & nimiâ notatum incontinentiâ, ita vt in expeditione canticum populis se exhiberet, & esset materia fatuis & lasciuis hominibus in choro canentibus, contra sacros canones, & contra omnium honestorum volũtatem, in Patriarchalem nitebatur locare sedem. Erat enim peruersæ mentis homo, pro nihilo ducens honestatem: vnde & cum supradicto Arnulpho facilè poterat conuenire, iuxta illud: *Qualis quisque est, talium consortio delectatur. Pares enim paribus,* 40 veteri prouerbio, *facilè iunguntur.* Inuaserat autem hic idem Bethleemiticam Ecclesiam, pactus cum prædicto Arnulpho, quòd si eius studio in Patriarcham promoueretur, iam dictam Ecclesiam sine quæstione & molestia, perpetuò sibi liceret possidere: sed eius omnia hæc molimina, mors vicina præuenit, sicut in sequentibus dicetur. Defecerat sanè in Clero religionis & honestatis vigor; & dissolutus passim & sine delectu per illicita defluebat, postquam Dominus *Ademarus* piæ in Domino recordationis Podiensis Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus, in fata concessit. Dominus tamen *Wilelmus Aurasiensis Episcopus*, vir religiosus ac timens DEVM, post prędicti beati viri transitum, eandem curam suscepit, & quàm diu vixit, administrauit fideliter: sed modico elapso tempore apud Marram quieuit in Domino. His autem 50 defunctis, factum est sicut in Propheta dicitur: *Sicut populus, ita & sacerdos:* excepto domino *Albariensi Episcopo*, & paucis aliis, qui timorem Domini habebant præ oculis. Principes tamen leue & friuolum reputantes prædictorum verbum, cœpto insistentes operi, nihilominus tractabant de proposito. Tradunt quidam eos, vt magis secundùm DEVM & secundùm merita personarum in electione procederent, de familiaribus cuiusque magnorum Principum assumpsisse quosdam seorsum, & eos ad iurisiurandi religionem præstandam compulisse, quatenus de moribus & conuersatione dominorum suorum interrogati, verum sine admixtione falsitatis

Ose. 4, 9.

II.

SSS 4

dicerent: hoc autem eâ fiebat intentione, vt sic de meritis eligendorum, pleniùs & fideliùs instruerentur electores. Qui postmodum ab electoribus, sub debito præstiti iuramenti, diligentiùs interrogati, multa dominorum suorum vitia coacti sunt secretiùs confiteri, virtutesque nihilominus enumerare; vt nudo apertoque iudicio constaret, qualis quisque esset eligendorum. Inter quos domini *Ducis* familiares interrogati, respōderunt, quòd in omnibus domini Ducis actibus, id magis absonum domesticis suis videbatur, quòd ecclesiam ingressus, etiam post Diuinorum consummatam celebrationem, inde separari non poterat; sed de singulis imaginibus & picturis rationem exigebat à sacerdotibus, & iis qui horum videbātur aliquā habere peritiam; ita quòd sociis suis affectis aliter, in tædium verteretur, & nauseā; & prandia quæ certo & opportuno tempore parata erant, diutinâ & importunâ nimis expectatione, minus tempestiuè, magisque insipida sumerentur. Quod audientes qui electorum gerebant officium, beatum dixerunt virum cui hęc sunt; & cui inter defectus computatur, quod alius sibi adscriberet ad virtutem: tandemq; consonantes adinuicem, post multas deliberationum partes dominū *Ducem* vnanimiter eligunt, electumq; Sepulchro Domini, cū hymnis & canticis, deuotissimè obtulerunt. Dicitur tamē, quod in dominum *Comitem Tolosanum Raimundum*, procerum pars maxima conueniret: sed hoc * intelligentes, quòd nisi regnum consequeretur, domum esset statim rediturus, natalis soli dulcedine ducti, etiam contra conscientiam suam, multa de domino Comite confinxerunt, vt reprobus haberetur. Ille tamen nihilominus patriam spernens, CHRISTVM deuotissimè secutus, non abiit retrorsum; sed in anteriora se extēdens, peregrinationem, quam semel ingressus est, & voluntariam paupertatem vsque in finem prosecutus est: sciens quia *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et illud: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno DEI.*

Matth. 24. 13. Luc. 9. 62.

III. Domino igitur *Duce*, de communi voto, concurrente omnium consensu, regni apicem obtinente, *Comes sancti Ægidii* ciuitatis præsidium, arcem videlicet Dauid, quam sibi ab initio, vt præmisimus, hostes tradiderant, possidebat. Erat autem in eminentiore ciuitatis parte, versus Occidentem sita, & ingentibus quadris constructa lapidibus, vnde totam vrbem inferiùs positam erat intueri. Hanc, quasi totius ciuitatis nouissimum refugium, videns Dux sibi deesse, curtatum nisi illam haberet, arbitratus se habere principatum, cœpit à domino Comite in auditorio Principum reposcere. Comes verò eam, tanquam sibi ab hostibus traditam, vsque in Pascha, quo transire & domum redire proposuerat, eam sibi velle habere, vt interim cum suis honestiùs in Regno morā facere posset, allegabat. Dux verò nisi turrim habeat, vniuersa se velle deserere, dicebat: allegans omnino inhonestum esse, vt eo domino designato alter ciuitatis haberet præsidium, quem quasi parem aut superiorem conspiceret. *Comes autem Normanniæ, & Flandrensium Comes* domini Ducis partes fouebant; qui verò cum domino Comite sancti Ægidii, eius etiam familiares erant, vt domino suo, saltem hac viâ, occasionem præberent abeundi, partem iuuabant aduersam. Factum est autem, vt quousque de iure decerneretur, cui cedere deberet, turrim in manu domini Albariensis Episcopi, quasi apud sequestrum de communi consilio commiserit. Ille verò non expectato iudicio, ante litis contestationem domino Duci dicitur eam tradidisse: cumq; id sibi postmodum à nonnullis imputaretur, vim sibi illatam publicè asserebat. Dominus igitur Comes, exacerbatus plurimùm, & indignatione plenus, quod turrim ita ignominiosè, vt sibi videbatur, amiserat, & quod cæteri Principes, non satis beneficiorum eius memores, quæ in via sæpiùs eis contulerat, secus * eum minus agerent amicè, descendens ad Iordanem, & aquis eius lotus, ad propria redire, suorum satisfaciens desideriis, disponebat.

IV. At verò prædictus *Marturanensis Episcopus*, vir subdolus & nequam, non cessabat interea plebem indoctam contra pios concitare Principes; & in vulgus serere, quod inuidię caussa, vt eā liberiùs possent sine pastore conculcare, Principes nollēt Ecclesiæ prouidere. Assumensq; secum eiusdem factionis complices, prædictum *Arnulphum*, aliis contradicentibus, elegit: & auxilio fretus Comitis Normannorum, cuius erat & fuerat in tota expeditione familiaris & conuiua, in sedem Patriarchalem, fatuo populo suffragia consulta ministrante, intronizauit: sed neuter suis adinuentionibus lætatus est diu. Nam *Arnulphus* temerè assumptam coactus est deponere dignitatem; & eius

10 20 30 40 50

& eius turpitudinis impudens patronus, viarum suarum fructus recollegit in proximo. Per idem tempus, inuenta est in parte sanctæ Resurrectionis Ecclesiæ, seorsum, portio vna *Crucis Dominicæ*: quam ob metum Gentilium, quorum iugum patiebantur, fideles ad ampliorem cautelam, multo ante, paucis admissis, occultauerant. Hanc studio & operâ cuiusdam hominis Syri, qui eius tam pretiosi depositi fuerat conscius, repertam, thecâ recõditam argenteâ, primùm ad *Domini Sepulchrũ*, deinde ad *Templum* Domini, cum hymnis & canticis spiritualibus deportantes, prosequente eam vniuerso clero & populo, consolationem quasi de cœlo missam omnes in commune acceperunt, arbitrantes se laborum & molestiarum suarum
10 mercedem condignam recepisse. Sæpedicto igitur domino *Duce*, per DEI gratiam in regni culmine confirmato, scandalisque omnibus, si qua emerserant, amputatis, regnum diebus eius conualescere, & confirmari cœpit. Regnauit autem anno vno; peccatis hominum id exigentibus, ne diuturniore tanti Principis solatio, regni nouella plantatio recrearetur, & aduersus ingruentes molestias reciperet consolationem. Raptus est de medio, ne malitia immutaret cor eius: sicut scriptum est; *Viri misericordiæ colliguntur, & non est qui reputet.* Oriũdus verò fuit de regno Francorum, de Remensi prouincia, ciuitate Boloniensi quæ est secus mare Anglicum sita; ab illustribus & religiosis originem ducens progenitoribus. Pater eius fuit dominus *Eustachius* senior, illustris & magnificus eiusdem regionis Comes; cuius
20 multa & memorabilia fuerunt opera, quorum adhuc apud seniores finitimarũ regionum, memoria est in benedictione, & in pia recordatione viri religiosi & timentis DEVM. Mater vero inclyta, & inter Occidentis nobiles matronas, tum morum prærogatiuâ, tum generositatis titulo præclara, *Ida* nomine, Lotharingiæ Ducis eximii *Godefridi*, qui cognominatus est *Strumà*, soror. Qui postmodum cùm sine liberis esset, nepotem æquiuocum, in filium suum adoptauit; eúmque vniuersi patrimonii sui heredem constituit: vnde eidem defuncto, in eodem Ducatu successit. Fuerunt porrò huic tres ex vtroque parente fratres, quibus & morum dignitas & virtutum præstantia, tanti principis verè dabat esse germanos: dominus videlicet *Balduinus* Comes Edessanus, qui eidem postea successit in regno; domi-
30 nus quoque *Eustachius* Comes Boloniensis, patri synonymus, qui in bonis succedens paternis, post patrem obtinuit Comitatum: cuius filiam illustris & magnificus Anglorum rex Stephanus, *Mahaldem* nomine, vxorẽ duxit. Hic etiam, vt domino Balduino fratri absque liberis defuncto in regno succederet, à principibus Orientalibus citatus, venire noluit; timens, ne sine scandalo eius promotio celebrari non posset. Tertius fuit Dominus *Wilelmus*, vir inclytus, à paterna & fratrum simul honestate, & strenuitate non degener. Duo primi dominum & fratrem suum in expeditione secuti sunt, tertio domi remanente. Fuit autem, sicut & secundùm carnem primogenitus, ita & secundùm interiorem hominem, morum gerens prærogatiuam, & cui meritò primitiua competerent, dominus *Godefridus* vir religio-
40 sus, clemens, pius, ac timens DEVM, iustus, recedens ab omni malo, serius & stabilis in verbo; *seculi vanitates contemnens, quod in illa ætate, & militari præsertim professione rarum est*; in orationibus iugis, in operibus pietatis assiduus; liberalitate insignis, affabilitate gratiosus, mansuetus & misericors; in omni via sua commendabilis, & DEO placens. Fuit autem & corpore procerus, ita vt & maximis minor, & mediocribus maior haberetur: robustus sine exemplo, membris solidioribus, thorace virili, facie venustâ, capillo & barbâ flauus mediocriter; in vsu armorum & exercitio militari omnium iudicio quasi singularis. Horum tantorum Principum mater, sancta, religiosa, & DEO placens fœmina, dum adhuc essent in ætate tenera, spiritu plena diuino, futuras præuidit conditiones; & statũ qui
50 præparabatur adultis, quasi quodam prædixit oraculo. Nam dum semel circa matrem, sicut mos est puerulis, luderent adinuicem, & sese lascessentes, ad matris gremium frequentem haberent recursum, accidit quod eis sub eius chlamyde latentibus, vir venerabilis comes *Eustachius*, eorum pater, ingressus est. Vbi cùm mutuò se prouocarent, pedes & manus agitantes, matris, qua induta erat, operti chlamyde, quæsiuit Comes, quidnam esset quod ibi tam crebrò moueretur: cui illa respondisse dicitur: *Tres magni principes, quorum primus Dux, secundus Rex, tertius Comes esset futurus.* Quod postmodũ benignâ dispensatione diuina impleuit clemẽtia:

Margin: V. — *Esai. 57, 1.* — VI.

& verum prædixisse matrem, rerum euentus subsequens declarauit. Primus enim dominus *Godefridus*, vt præmissum est, defuncto succedens auunculo, eius ducatum obtinuit, regnum etiam Hierosolymorum postmodum, vniuersorum principum electione, consecutus: in quo secundus natu, dominus ei *Balduinus* successit: tertius, dominus *Eustachius*, qui defuncto patre, succedens in vniuersum, auitam eorum, vt præmissum est, obtinuit hæreditatem. Præterimus denique studiosè, licet id verum fuisse plurimorum astruat narratio, *Cygni fabulam*, vnde vulgò dicitur, sementiuam eis fuisse originem; eò quòd à vero videatur deficere talis assertio. Vnde his prætermissis, ad id quod cœperamus de domino Duce, prosequendum redeamus. Huic autem inter cætera quæ more suo gessit egregiè, accidisse dicitur quiddam memoriâ dignum, quod præsenti dignum duximus inserere narrationi. 10

VII. In singulari namque quodam certamine, quod ipse multùm inuitus subiit, sed tamen iuxta regionis consuetudinem, saluâ opinionis suæ integritate declinare nõ poterat, exstat factum eius memorabile, & præsenti narratione dignum. Passus est vir insignis à quodam nobili & potente viro (qui de numero erat Principũ, eiusq; dicebatur consanguineus) in curia domini Imperatoris, super quibusdam ingentibus prædiis, & latè diffuso patrimonio quæstionem: super qua, cum vtrique parti, experiendi gratiâ dies esset præfixus, eo adueniẽte, præsentes se exhibuerunt tam reus quàm actor in curia. Vbi lite contestatâ, cum prædictus vir nobilis rei proponeret vendicationem; Dux autem quantum poterat reniteretur; secundùm leges patriæ, adiudicata est inter eos *monomachia*, & pugna singularis. Cumq; Imperii maiores Principes ad hoc tantis elaborarent viribus, ne tam insignes viri spectaculum de se populo præstarent indignum; seq; tanto vellent subiicere discrimini, in quo alterutrius opinionis integritas posset periclitari, & non proficerent: mandata est executioni Imperialis sententia, & vulgi stante coronâ, Principibus de more circumpositis, locum ingressi sunt, futuro certamini deputatum, Martem dubium experturi. Dumque in eo conflictu à viris illustribus & magnificis, strenuè nimis decertaretur & viriliter, casu contigit, quòd vibrato in aduersarii clypeum ictu, Ducis cõfractus est gladius, ita vt supra capulum vix ad semipedalem quãtitatem in manu eius fieret residuum. Quod videntes qui astabant Principes, quòd Ducis conditio facta esset multò deterior, indictâ pace, Imperatorem adeunt, & supplicantes impetrant, vt de compositione inter tam egregios Principes tractare liceat. Vnde dum inter eos tractaretur diligentiùs, eos quæ ad pacem erant rogantes, Dux omnino repulit; & irreuocabiliter perseuerans, agonem reiterat, rediens in idipsum. Dumq; eius aduersarius propter integritatem gladii sui, sibi quasi superior factus videtur, instat proteruiùs, Duci negans requiem, quousque Dux ad solitam recurrens virtutem, quâ singulariter præminebat, & irâ succensus, irruens capulo quem gestabat in manu, tantâ circa tempus læuum virtute percussit aduersarium, quòd eum quasi seminecem, solo deiecit prostratũ, vt penè vitâ videretur omnino destitutus, & eiecto proprii fragmẽto gladii, & hostis prostrati gladium manu tenens, Principes ad se vocat, qui eum priùs de compositione conuenerant; & rogat attentiùs, monens vt de pace tractantes, virum insignem, qui iam defecerat tam ignominiosæ morti subtraherent. Qui admirantes Ducis virtutẽ egregiam, & misericordiã incomparabilem, pace impetratâ, controuersiam tam honesto fine sopierunt, vt tamen Dux victor, & immortali dignus gloriâ apud omnes haberetur. 20 30 40

VIII. Illud quoque factum, haud inferioris gloriæ, in frequenti versatur hominum memoria, quod præsenti lectioni nihilominus dignum duximus inserere. *Saxonum* populus, inter Germanicas nationes ferocissimus, Romani imperii iuga ferre detrectans, & liberioribus habenis, excussa disciplinæ regulâ, vagari cupiens, à domino Imperatore *Henrico* defecerat: inq; sua adeò erat obstinatus proteruia; vt contra prædictum Augustum, regem sibi crearet quendam comitem, *Radulphum* nomine, virum nobilem de eodem populo. Hac iniuriâ permotus Imperator, vniuersos Imperii Principes ad se generaliter fecit euocari. Quibus ante se constitutis, iniuriam omnibus tamen, notam, pandit, ad vltionem inuitat. Illi verò omnes Imperii gloriam æmulantes, & Saxonum enorme delictum nimis ægrè ferentes, certatim seipsos exponunt: vires compromittunt; non esse dissimulandam tantam contra Romanum imperium asserunt iniuriã, sed plectendum morte tam piaculare flagitium; & læsæ crimen maiestatis, vltore gladio feriendum 50

feriendum decernunt. Ex condicto igitur,& domini Imperatoris mandato,ad locum destinatũ,die præfixâ,infinita millia secum trahentes, adsunt,de vniuersis Imperii finibus tam Ecclesiastici,quàm cæteri Principes, Saxonum regionem violenter ingressuri,& exacturi de tantis iniuriis vindictam. Cumq; cõgressionis dies immineret,& ordinatis legionibus vterque exercitus in procinctu se haberet præliandi,conuocatis ad se Principibus Imperator, quærit cui tutè possit Imperiale committere vexillum,& tantorum exercituum constituere primicerium? Cui de communi consilio datum est responsum: *Dominum ducem Lotharingiæ Godefridum, præ omnibus ad id oneris idoneum & sufficientem esse.* Cui, tanquam viro à tot milibus ele-
10 cto, & singulariter omnium iudicio excellenti, tradidit Aquilam, multùm inuito,& renitenti. Contigit autem illâ die,quod confligentibus inter se hinc inde exercitibus,& hostiliter nimis adinuicem gladiis instantibus, Dux cum Aquila præcedens Imperatorem,versus aciem,cui præerat pseudorex *Radulphus*, contendens, illuc aciem,cui præerat Imperator,direxit: ad quam perueniens, confractâ & dissolutâ acie Regis, præsente Imperatore & de Principibus aliquot, vexillum quod gestabat,Regi per vitalia pectoris immersit;& eo transuerberato, ad terram deiecit exanimem:denuò signum, licet cruentatum, erigens Imperiale. Videntes autem Saxones, regem suum defecisse, defecerunt & ipsi, domino Imperatori se dedentes;& satisfactione iniunctâ pro delicti modo, receptis munitionibus & obsidibus,
20 quorum interuentu se obligauerunt, ne aliquando simile attentarent, in gratiam reuersi sunt. Hæc autem idcirco interseruimus, vt quantus esset apud maximos orbis terrarum Principes,hic de quo agimus, vir inclytus, insinuetur. Maximum enim esse,nemo est qui dubitet,à tantis Principibus, qui pares in orbe non dicuntur habere,vnum omnium iudicio optimum designari; præsertim cùm ipse eorum iudicium opere tam insigni approbauerit;& præsenti argumento, quod verè de illo sensissent,edocuerit. Fuerunt & alia multa eiusdem inclyti viri magnifica & admiratione digna opera, quæ vsque in præsens in ore omnium, pro celebri vertuntur historia. Inter cætera quoq; propositum iam habens peregrinationem ineundi, castrum,vnde ei cognomen erat, *Bulionem* videlicet,agro,situ,munitione,commo-
30 ditatibus, & longè lateque diffuso territorio, celebre ac nominatissimum, *Ecclesiæ Leodiensi*,piâ liberalitate in perpetuam eleemosynam concessit habendum. Sed nos qui ea tantum quæ apud nos gessit,describere sumus aggressi,ad propositum redeamus. Postquam igitur Regnum obtinuit, paucis diebus interpositis,sicut vir religiosus erat, in his quæ ad decorem domus DEI habebant respectum, solicitudinis suæ Domino cœpit offerre primitias. Nam protinus in Ecclesia Dominici Sepulchri,& Templi Domini, *Canonicos* instituit, eisque ampla beneficia, quæ *Præbendas* vocant, simulque & honesta domicilia circa prædictas DEO amabiles Ecclesias,assignauit: ordinem & institutionem seruans, quas magnæ & amplissimæ à piis Principibus fundatæ vltra montes seruant Ecclesiæ: plura etiam, nisi
40 mors eum præuenisset, collaturus. Adduxerat etiam prædictus vir DEO amabilis peregrinationem ingressurus,de claustris bene disciplinatis monachos,viros religiosos,& sanctâ conuersatione insignes, qui toto itinere, horis diurnis & nocturnis,Ecclesiastico more,diuina illi ministrabant officia. Quos,postquam Regnum adeptus est,iuxta eorum postulationem, in *valle Iosaphat* locauit; amplissimumque loco,eorum gratiâ,contulit patrimonium. Quæ autem,& quanta sint,quæ Ecclesiis DEI pia liberalitate concessit,longum esset enumerare: ex tenore tamen priuilegiorum Ecclesiis indultorum,colligere est,quot & quanta sunt,quæ vir DEO plenus,pro animæ suæ remedio locis venerabilibus erogauit. Promotus autem,humilitatis causâ,coronâ aureâ,regum more, in sancta ciuitate noluit insigniri: eâ con-
50 tentus,& illi reuerentiam exhibens,quam humani generis reparator, in eodem loco vsque ad Crucis patibulum pro nostra salute spineam deportauit. Vnde quidam in Catalogo Regum,non distinguentes merita,eum dubitant connumerare:magis attendentes quæ exteriùs geruntur in corpore,quàm quæ fidelis & DEO placens anima mereatur. Nobis autem non solùm Rex, sed Regum optimus,lumen & speculum videtur aliorum. Non enim consecrationis munus,& Ecclesiastica spreuisse credendus est Princeps fidelis sacramẽta: sed pompam seculi, & cui omnis creatura subiecta est,vanitatem;& perituram humiliter declinasse coronam,vt immar-

IX.

X. cessibilem alibi consequeretur. Per idem tempus, vrbe recens captâ, dum adhuc Principes, qui eam diuino mancipauerant cultui, nondum essent diuisi abinuicem, rumor insonuit; & verè sic erat; quòd *Princeps Ægyptius*, inter Orientales potentissimus, ex vniuersis regionibus suæ ditioni subiectis militares conuocauerat copias, & exercitus collegerat infinitos, indignè ferens, quod populus barbarus, de vltimis egressus terrarum finibus, in regnum suum introierat, & prouinciam imperio suo subditam, occupauerat violenter. Vocatoq; ad se militiæ suæ principe *Elafdalio*, qui alio nomine dicebatur *Emireius*, præcipit vt vniuersum Ægypti robur, & omnes imperii vires colligēs, in Syriam ascendat; & populum præsumptuosum deleat de superficie terræ, ita vt non memoretur nomen illius vltrà. Erat autem hic idem Emireus Armenius * nomine, à Christianis originem habens parentibus: sed *diuitiarum immensitate suffocatus, apostatauerat à creatore suo, fide neglectâ, ex qua iustus viuit.* Hic idem, etiam eodem anno, quo à fideli populo est obsessa, & fidei restituta Christianæ, eâdem à Domino protectam ciuitatem, à Turcorum potestate domino suo vendicauerat: vixq; eam mensibus vndecim obtinuerat quietam, cùm Christianus exercitus eam, propitio Domino, ab indebitæ iugo seruitutis eripuit. Indignatus ergo, quòd iam reciso tempore suâ potitus erat victoriâ; & quòd momentanea videbatur, & erat per eum domino suo acquisita possessio, laborem sibi gratanter assumit iniunctum, sperans de his qui factum eius denigrauerant, posse faciliùs triumphare. Assumpto igitur sibi vniuerso exercitu, & vniuersis Ægypti viribus, quales Ægyptiaca diocesis in optimo statu constituta tunc poterat ministrare, ascendit in Syriam, in spiritu vehementi, & intolerabili fastu, propositum habēs populum nostrum delere, ne etiam eius extaret memoria. Sed Domino visum est aliter, qui est *terribilis in consiliis super filios hominum.* (Psal. 65,4.) Veniens igitur cum equitatu magnifico, & ingentibus copiis, ante Ascalonam castrametatus est. Denique associauerant se eorum expeditionibus, ex vniuersa Arabia, & finibus Damascenis, ingentes copiæ. Et licet Turci priùs non satis bene cum Ægyptiis conuenirent, sed suspectas mutuò suas haberent vires, & æmulum contra se alternatim dilatare satagerent imperium: tamen nostrorum metu, etsi non ob gratiam, quam haberent mutuam, conuenerūt adinuicem, vt in nostrorum qui de nouo aduenerant supplantationem molirentur aliquid: *satiùs arbitrati, suorum pati fastus æmulorum, & iugum etiam portare, quàm barbarorum duros & feroces nimiùm gladios experiri.* Sic igitur Ægyptiorum, Arabum, & Turcorum congregatis in vnum innumerabilibus copiis, in agro, vt prædiximus, Ascalonitano castra contulerant, inde Hierosolymam profecturi: nec enim arbitrabantur, quòd tātæ multitudini noster occurrere præsumeret exercitus.

XI. Quo audito, congregati adinuicem nostri Principes, Episcopi, clerus, & populus vniuersus, arma baiulantes spiritualia, & ante Sepulchrum Domini cum gemitu & lachrymis, corde contrito & humiliato prostrati orabant, postulantes à Domino vt populum suum clementer ab imminentibus liberaret periculis, quem vsque in præsens misericorditer sibi conseruauerat victorem: & qui locum sanctificationis suæ mūdari voluerat, eum vlteriùs contaminari propter gloriam nominis sui non pateretur. Inde etiam nudis pedibus cum hymnis & canticis spiritualibus ad Templum Domini eodem deuotionis feruore accedentes, effusis coram Domino præcordiis, orabant dicentes: *Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam gentibus in perditionem.* (Ioel. 2,17.) Quibus de more completis, perceptâ ab episcopis benedictione, & ordinatis qui medio tempore vrbi præessent ad custodiam viris prudentibus, *Dux* cū *Comite Flandrensium* ex vrbe profectus, in campestria descendit Ramulensia, cæteris Principibus in vrbe relictis. Porrò viri illustres, dominus *Eustachius*, Ducis frater, & dominus *Tancredus*, euocati à ciuibus *Neapolitanis*, vt vrbem sine molestia reciperent, illuc de mandato Ducis erant profecti: vbi moram facientes, tum propter loci opulentiam, tum vt vrbi sufficientem designarent custodiam, horum quæ sic dicebantur erant ignari: sed euocati à domino Duce, sine dilatione redierunt, reliquis Principibus associati. Dux verò & Flandrensium Comes, peruenientes *Ramulam*, vbi de facto pleniùs sunt edocti, certum habentes quod prædictus *Emireius* cū suis copiis ante Ascalonam consedisset, misso sub omni celeritate nuncio, reliquos Principes, qui rei expectantes certitudinem in vrbe remanserant, præcipit euocari.

XII. At verò *Comes Tolosanus*, & alii Deo deuoti Principes, cognito per Ducis nunciū, quòd

quòd in tam graui multitudine hostes aduenerant, quodq; tam in vicino castra locauerant, inuocato de supernis auxilio, collectis quas pro tempore & loco habere poterant viribus, in campestria Philistiim ad eum locum qui hodie dicitur *Ibelim*, vbi dominum Ducem esse cognouerant, descenderunt. Erant autem eis equitum mille ducenti, peditum verò circà nouem millia. Cumq; ibi per diem noster quieuisset exercitus, circa horam vndecimam apparuit eis in campestribus, quasi de remoto, multitudo ingens: quam rati hostilem esse exercitum, præmissis ducentis leuioris armaturæ equitibus, qui de eorum statu & numero reliquos instruerent, ipsi ad arma se præparant: cumq; accederent propiùs qui præmissi fuerant, cognouerũt
10 armenta esse boum, equorum, camelorumq; phalanges. Erant tamen ibi animalibus curam præstantes equites, pastorum vice armentis custodiam intendentes. Ad quos cùm peruenisset noster exercitus, non expectato congressu, fugerunt tam pastores, quàm qui pastoribus præerant equites, gregibus & armentis sine custode relictis. Capti tamen sunt quidam ex eis, quorum relatione de hostium statu, & proposito pleniùs edocti, cognouerunt quòd prædictus Princeps iuxta eos, quasi ad miliaria septem castra locauerat, propositum habens post biduum accedere, & nostrum delere exercitum. At verò nostri certi de prælio, acies instruunt nouem; quarum tres præponunt, tres locant in medio, tres præcipiunt subsequi; vt vndecunque ad eos hostium fiat accessus, triplicem ibi reperiant acierum ordinem sibi ob-
20 iectum. De hostium verò numero, nullus poterat habere certitudinem: nam & infinita erat eorum multitudo, & singulis diebus incrementi aliquid eorum accedebat viribus. Sic igitur obtentâ sine contradictore prædâ, quæ præ nimia multitudine numerum excedebat, noctem illam ibi transegerunt gaudentes; more tamẽ prudentum, & quibus disciplinæ militaris plenior erat experientia, curam circa se peruigilem, & debitas obseruantes excubias. Mane autem facto, voce præconiâ bellum indicitur, & instructis ordinibus, Domino rei commendantes exitum, in hostes vnanimiter properant, victoriæ spem in eo collocantes, cui facile est cum paucis multos superare. Porrò Ægyptii, & qui eis adhæserant de partibus Syriæ, nostrorum videntes instantiam, & animositatem importunam, longè aliter sapientes
30 quàm priùs, cœperunt de viribus diffidere; & in sua numerositate spei minus, & minus habere fiduciæ, arbitrantes omnem illam quæ occurrebat multitudinẽ, hominum esse cohortes. Nostrorum sanè, vt dictum est, modicus erat numerus; sed præda, de qua superiùs fecimus mentionem, casu, nemine ducente, nostris legionibus se applicauerat, ita vt nostris iter figentibus non procederet; & eisdem proficiscentibus continuò sine duce sequeretur. Arbitrati ergò nostrorum infinitum esse numerum, viresque incomparabiles, fugerunt nemine persequente, vix etiam fugâ salutem inuenire posse sperantes. Amissus est ergo illâ die, casu incognito, scandalorum fomes, auctor seditionum, *Marturanensis Episcopus*, ignorantibus cunctis eius exitum: quocunque tamen casu id acciderit, rebus humanis exemptus, desiit
40 comparere. Dicitur tamen quòd à domino Duce ad vocandos Principes qui in vrbe remanserant missus, dum rediret, captus sit ab hostibus, & occisus; aut carceri perpetuo mancipatus. Collatâ igitur de supernis victoriâ, in hostium castra noster peruenit exercitus. Vbi tantam variæ suppellectilis & peregrinarum copiam inuenit diuitiarum, vt vsque ad nauseam satiati, mella fastidirent, & placentas: & pusillus & abiectior dicere posset, *Inopem me copia fecit*. Sic igitur fugientibus aduersariis, palmâ nobis sine labore concessâ, cum ingentibus gratiarum actionibus reuersi sunt Hierosolymam, tam Principes quàm vniuersus Christianus exercitus, onerati manubiis, & prædam inauditam secum trahentes; gaudentes & exultantes in Domino, tanquam victores, captâ prædâ, quando diuidunt spolia. His
50 ita gestis DEO amabiles, DEOque deuoti Principes, domini *Normannorum* & *Flandrensium Comites*, consummato fœliciter assumptæ sibi peregrinationis itinerario, ad propria redire disponunt: inde iter arripientes, nauigio Constantinopolim ad dominum Imperatorem *Alexium* peruenerunt: à quo benignè tractati, & cum honestis dimissi muneribus, auctore Domino, sani & incolumes in suam se patriam receperunt. Quorum alter, Normannorum videlicet Comes, domum rediens, rerum statum, ab eo quem reliquerat, peregrè proficiscens, secus à voto, longè inuenit mutatum: nam dum in expeditione Domino militaret, frater eius primogeni-

XIII.

tus *Wilelmus*, qui cognominatur *Ruffus*, rex Anglorum, vitâ sine liberis decessit: cumque ei successionis ius & regni primitiua meritò competerent, frater eius *Henricus* natu se posterior, persuadens regni Principibus, quòd frater suus Hierosolymis rex constitutus, redeundi animum non haberet, regnum Angliæ hac fraude obtinuit. Reuersus ergo frater, ab eo cœpit, sicut & de iure poterat, regnum instanter reposcere. Cumque ille id negaret penitus, classe paratâ, & conuocatis copiis in Angliam ingressus est violenter: vbi cum omni regni illius robore frater occurrens, paratus erat cum fratre congredi; sed intercedentibus pacis mediatoribus, pax inter eos reformata eâ conditione, quòd Rex fratri suo primogenito certam pecuniæ summam singulis annis daret nomine census. Quo facto, Dux in terram suam reuersus est pacificus: postmodum verò, cum quædam castella, quæ Rex in Normannia etiam antequam in regem promoueretur, possidebat, Dux ab eo reposceret, & ille reddere negaret, obsedit ea vt violenter comprehenderet. Quo audito, Rex in Normanniam cum ingentibus copiis transfretauit: & cum fratre dimicans, cœpit eum, & perpetuo carceri mancipauit: vbi & defunctus est, fratre postmodum eidem in vniuersum succedente. Dominus quoque *Comes sancti Ægidii* vsque Laodiciam Syriæ reuersus, vxore ibi dimissâ, ad eam in proximo rediturus, iterum Constantinopolim, ad eundem dominum Imperatorem, cum honesto comitatu profectus est: vbi ab Imperatore susceptus magnificè, benignè tractatus, & ingentibus donis & amplâ remissus munificentiâ, in Syriam ad vxorem & familiam post biennium, vt in sequentibus dicetur, sospes reuersus est. Dominus verò *Dux* detento secum inclyto & nobili viro domino *Tancredo*, Comite quoque *Garnerio de Gres*, & aliis quibusdam nobilibus, commissum sibi à Domino regnum prudenter strenueque administrabat. Concessit autem, & solitâ liberalitate donauit iure hereditario in perpetuum possidendam, vrbem *Tiberiadensem* super lacum Genesar sitam, cum vniuerso *principatu Galileæ*, simul & *Caypham*, quæ alio nomine dicitur *Porfiria*, vrbem maritimam cum suis pertinentiis prædicto domino Tancredo. In quo principatu ita DEO placidè & laudabiliter se habuit, quod vsq; in præsentem diem memoria eius in benedictione est apud illius homines prouinciæ. Sed & Ecclesias eiusdem dioceseos ingenti fundauit sollicitudine, & amplis dotauit patrimoniis, Nazarenam videlicet & Tiberiadensem, sed & montis Thabor; & insuper ecclesiastica contulit ornamenta. Quorum portionem non modicam, per fraudem & calumnias subsequentium Principum prædicta amiserunt loca venerabilia. Tamen vsque hodie de residuo necessaria sibi procurant, pro illius orantes anima, qui tam piâ liberalitate, & tantæ caritatis visceribus erga DEI Ecclesias abundauit. Et quia in modico fuit fidelis, supra multa constitutus est à Domino; & intrauit in gaudium patrisfamiliâs, pro vniuersis quæ dederat centuplum accipiens. Nam mox infra biennium meritis exigentibus, ad principatum vocatus Antiochenum, illam quoque, à temporibus Apostolorum gloriosam & nobilem, magis & magis, plurima largiendo, nobilitauit Ecclesiam. Sed & principatum pluribus subiugatis vrbibus, & præsidiis mancipatis, longè lateque promotis finibus ampliauit, sicut in sequentibus dicetur.

XIV. Dum hæc in regno sic aguntur, dominus *Boamundus* Antiochiæ princeps, dominus quoque *Balduinus* prædicti domini Ducis frater, Comes Edessanus, multorum relatione habentes compertum, quòd reliqui eorum fratres, & tantæ consortes peregrinationis, prosequente eos fauore Diuino, Vrbem sanctam sibi vendicauerant, & viæ caussam consummauerant fœliciter, condicunt inter se diem certum, quo paratis ad iter necessariis, illuc auctore Domino proficiscantur, vt laborum suorum caussam, vota Domino soluentes, compleant; & vt domino *Duci*, domino quoque *Tancredo*, & aliis principibus fraternum impendant solatium. Remanserant enim hi duo illustres & magnifici viri, alter apud Antiochiam, vt principatum conseruaret; alter apud Edessam, vt ab irruentibus hostibus protegeret Comitatum. Ita enim ab initio statim post captam Antiochiam, de communi prouidentia fuerat ordinatum, vt vterque concessas sibi diuinitus, DEI cultrices vrbes, non desererent; sed curam ad earum tuitionem impenderent peruigilem; ne forte recurrentibus hostibus, & reparatis copiis, rediuiua pararentur bella, & sic in vacuum cucurrissent. Licet ergo vterque negotiosus esset plurimùm, tamen consummandæ peregrinationis gratiâ propositum vrgent, & die

præfixâ

præfixâ iter arripiunt. Dominus itaque *Boamundus*, assumptis secum eis qui eiusdem peregrinationis desiderio trahebantur, & ingentibus tam equitum quàm peditum copiis, iam vsque *Valeniam* vrbem maritimam, quæ est sub castrum *Margat*, peruenerat, vbi fixerat inuitis ciuibus sua tentoria. Porrò dominus *Balduinus*, eum è vestigio sequens, apud prædictam vrbem eundem repperit, vbi coniunctis adinuicem agminibus cœpto insistunt itineri. Applicauerant autem per eosdem dies, apud Laodiciam Syriæ, homines de Italia: inter quos erat vir literatus & prudens, religiosus quoque valde & honestatis amicus, dominus *Daimbertus* Pisanorum Archiepiscopus; quidam quoque de Apulia Episcopus, *Arianensis*: hi etiam castris prædictorum Principum se adiunxerant: vnde & numerus factus est maior, ita vt sexus promiscui, tam equitum quàm peditum, diceretur esse multitudo ad viginti quinque milia. Iter ergo aggressi, & oram secuti maritimam, non nisi hostium reperiunt vrbes, vnde cum maxima difficultate, & alimentorum inopia, viam poterant incœptam conficere: cùm enim non haberent commercia, & venalia non reperirent, defecerat viaticulum in eorum cistarciis. Sed & algoris vehementia, & imbrium intemperies, multos ad supremum compulit defectũ: hyems enim erat, mensis December. Soli enim *Tripolitani* & *Cæsarienses*, in tam prolixo itinere, transeuntibus obtulerunt venalia: & tamen cùm multo alimentorum defectu, & famis angustia procedebant, non habentes iumenta, & apta sarcinis deuehendis animalia. Tandem protegente eos Diuinâ clementiâ, peruenerunt *Hierosolymam*, vbi à domino Duce, & ab vniuerso clero & populo deuotè suscepti, loca Sancta corde contrito & in spiritu humilitatis perlustrantes, fide discunt oculatâ, quod verbo & doctrinâ priùs comprehenderant. Celebrato sanè in sancta Bethleem Dominicæ natiuitatis die, præsepe vident, & speluncam admirabilem, vbi pia DEI genitrix, salutis porta, mundi reparatorem pannis inuoluit, & lacte pauit vagientem. XV. Cùm igitur vsque ad illum diem, quasi per menses quinque Hierosolymitana vacasset Ecclesia, proprium non habens antistitem, conuenerunt qui præsentes erant Principes, vt in ea parte, Ecclesiæ DEI prouiderent. Demumque post multa deliberationum libramina, prædictum venerabilem virum dominum *Daimbertum*, de communi omnium consilio in sedem collocant Patriarchalem: nam quod de *Arnulpho* prius factum fuisse diximus, sicut imprudenter factum fuerat, ita & subitò & facilè dissolutum est. Prædicto ergo viro DEI in sede collocato, tam dominus *Godefridus*, quàm dominus princeps *Boamundus*, hic regni, ille principatus humiliter ab eo susceperunt inuestituram, ei arbitrantes se honorem impendere, cuius tanquam minister ille in terris vicem gerere credebatur. Quo facto, assignatæ sunt domino Patriarchæ possessiones, tam illæ quas tempore Gentilium, à diebus Græcorum, Græcus habuerat Patriarcha, quàm quædam erogatæ de nouo; vt haberet vnde honestè sustentari posset domus Patriarchalis. His ita ritè completis, sumptâ à domino Duce licentiâ, dominus *Boamundus*, dominus quoque *Balduinus*, in fines suos reuersuri, ad Iordanem descenderunt: inde per *vallem Illustrem*, eiusdem fluminis ripam sequentes, *Scytopolim* transeuntes, vsque *Tiberiadem* peruenerunt. Vbi assumptis sibi necessariis ad iter alimentis, secus mare Galileæ viam carpentes, Phœnicem Lybanicam ingressi, *Paneadem*, quæ est *Cæsarea Philippi*, à dextris prætereuntes, Itureamque ingredientes, vsque ad locum cui nomen *Heliopolis*, quæ alio nomine dicitur *Malbec*, accesserunt. Inde ad oram maritimam redeuntes, *Antiochiam*, protegente eos Diuinâ clementiâ, sani & incolumes attigerunt. XVI. Interea Hierosolymis, studio & operâ quorundam malignorum, quibus semper cordi est scandalum serere, & aliorum inuidere tranquillitati, suscitata est quæstio, inter dominum *Patriacham*, & dominum *Ducem*, domino Patriarcha reposcente ab eo ciuitatem sanctam DEO ascriptam, & eiusdem ciuitatis præsidium: simulque vrbem Ioppensem, cum suis pertinentiis. Cumque aliquandiu agitata esset præsens quæstio, Dux, sicuti vir humilis erat, & mansuetus, ac timens sermones Domini, in die Purificationis beatæ Mariæ, præsente clero & populo vniuerso, Ecclesiæ sanctæ Resurrectionis, quartam partem Ioppe resignauit. Postea die sancto subsequentis Paschæ, in præsentia cleri & populi, qui ad diem festum conuenerant, vrbem Hierosolymam cum turri Dauid, & vniuersis eius pertinentiis, in manu domini Patriarchæ resignauit: eâ tamen conditione, vt prædictis vrbibus cum terri-

toriis suis ipse interim frueretur vteretur, quousque captis ex aliis vrbibus vna vel duabus, Regnum Dominus permitteret ampliari. Quod si medio tempore Dux absque legitimo defungeretur hærede, prædicta omnia absque difficultate, omni contradictione remotâ, in ditionem domini cederent Patriarchæ. Hæc omnia etsi aliorum relatione comperta, & etiam quorundam operâ scripto mandata, præsenti interseruimus narrationi: miramur tamen, quibus rationibus motus dominus Patriarcha, hanc aduersus Ducem suscitauerit quæstionem, cùm nec vspiam legerimus, aut à viris fide dignis audierimus, eâ conditione domino Duci, regnum à victoribus Principibus fuisse traditum, vt alicui personæ, alicuius præstationis annuæ, vel perpetuæ vinculo se sciret obligatum. Nec pro crassa & supina nostra ducenda est ignorantia, cum quolibet mortalium amplius harum rerum veritatem, diligenter inuestigauerimus, ad hoc specialiter studiosè, vt ea præsenti scripto mandaremus, sicuti in nostro longè ante fuerat proposito.

XVII. Veruntamen quartam partem ciuitatis ab introitu Latinorum, & etiam à multis retro temporibus, Hierosolymorum Patriarcham certum est tanquam propriam possedisse. Quod qualiter acciderit, & vnde initium possidendi habuerit & caussam, breuiter aperiendum est: nam nos studiosiùs hæc inuestigantes, frequenti inquisitione tandem ad huius rei peruenimus indaginem. Habent veterum traditiones, dum ciuitas illa ab infidelibus detineretur, nunquam pacem continuam, vel ad tempus modicum, habuisse; sed frequentibus bellis, & crebris obsidionibus, finitimis Principibus eam sibi vendicare volentibus, perpetuò fuisse fatigatam: vnde eius & turres & mœnia, tum vetustate, tum obsidentium operâ, in ruinam collapsa, hostium insidiis locum latè patere cogebant. Cùm igitur ea tempestate Ægyptiorum regnum viribus & diuitiis, sed & prudentia seculari, cæteris quæ vel in Oriente vel in Austro erant regnis esset præstantius, volens *Ægyptius Calipha* imperii sui fines porrigere, & suam longè lateque propagare ditionem, missis exercitibus, vniuersam Syriam vsque *Laodiciam*, quæ Antiochiæ contermina, Cœles Syriæ limes est, violenter occupauit: designatisque præsidibus, qui vrbibus tam maritimis quàm mediterraneis præessent, vectigalia constituit, & vniuersam regionem fecit tributariam: præcipiens singulorum ciuibus locorum, ciuitatis suæ muros reædificare, & turres validas per circuitum erigere. Hac communi lege, procurator qui Hierosolymis præerat, eiusdem loci compulit habitatores legibus parere communibus, & mœnia cum turribus in statum reformare priorem. Quibus cùm partes futuri designarentur operis, contigit ex malitia magis quàm ex opum comparatione, quod quarta pars structuræ illius, miseris Christianis, qui in vrbe degebant, designaretur. Erant autem prædicti fideles, tot angariis & parangariis, tributis, vectigalibus, & aliorum sordidorum munerum præstatione attenuati adeò, quòd omnium opes vix sufficerent, vt vna vel duæ de prædictis turribus resarcirentur. Videntes ergo quòd occasiones quærerent aduersus eos, non habentes aliud refugium, ad Præsidem accedunt, cum lachrymis supplicant, orantes, vt iuxta eorum possibilitatem onus eis imponatur; nam quod iniunctum eis fuerat, omnino insufficientes erant portare. Qui cùm a sua præsentia eos excludi præcepisset sub graui interminatione, dixit: *Edicta summi Principis, sacrilegium est violare: aut ergo opus iniunctum consummabitis, aut vltoribus gladiis, tanquam læsæ maiestatis reos, vos oportet succumbere.* Tandem multiplicatis intercessoribus, & munerum interuentu, apud Præsidem ferias obtinent, quousque missis legationibus, ad Dominum Constantinopolitanum Imperatorem, eius ad peragendum opus prædictum, implorent eleemosynam.

XVIII. Destinati ergo nuncii ad prædictum Principē accedentes, gemitus & lachrymas fidelis populi, non sine suspiriis audientium, quantum possunt exprimunt diligentiùs: pandentes ex ordine, sputa, colaphos, vincula, carceres, bonorum direptiones, cruces, supplicia, quæ miser ille populus pro CHRISTI nomine incessanter pateretur; & nunc quas de nouo aduersus eandem plebeculam ad perdendum eos quærerent occasiones. Porrò tunc agebat in sceptris, vir prudens & magnificus dominus *Constantinus*, qui cognominatus est *Monomachus*, Constantinopolitanum Imperium strenuè & viriliter administrans. Is lachrymosis CHRISTI fidelium petitionibus gratuitum impendens assensum, pecuniam promittit, vnde opus iniunctum possit absolui, eorum molestiis & continuis afflictioni-

flictionibus plenâ caritate compatiens. Adiicit tamen conditionem, quòd ea lege prædictam sit eis pecuniam largiturus, si apud regionis dominum id obtinere possint, vt infra prædictum muri ambitum, quem de Imperialibus eleemosynis erigere proposuissent, nulli nisi Christiano habitare liceret. Scribit igitur ad Cyprios, vt si Hierosolymitæ fideles id possent impetrare, de vectigalibus & fisco debitis, tantam eis pecuniam ministrarent, quæ prædicto operi sufficere posset. Illi verò ad propria reuersi, domino Patriarchæ & plebi DEI quomodo egerint, pandunt seriatim: qui gaudentes verbum amplexi sunt, & ad implendam legem pactorum, quam dominus adiecerat Imperator, omni studio fideliter elaborant. Missis igitur nun-10 ciis ad magnum & supremum eorum principem, Ægyptium videlicet Calypham, prosequente eos diuino fauore, apud eundem, prædictam impetrant postulationem: & munimentum, eius subscriptione & sigillo corroboratum, insuper obtinent. Tandem feliciter consummato negocio, ad propria reuersi, designatam muri partem auctore Domino, cōpleuerunt: anno ab incarnatione Domini M.LXIII. Regnante apud Ægyptios, & id fieri permittente *Bomensor Elmostensib*, anno tricesimo sexto ante vrbis liberationem. Habitauerant sanè vsque in illum diem, promiscuè cum fidelibus, Sarraceni: sed ab ea hora, auditâ iussione Principali, ad alias ciuitatis partes de necessitate se contulerunt, quartâ prædictâ fidelibus sine contradictione relictâ. In quo serui CHRISTI conditionē suam videntur fecisse 20 longè meliorem: nam de cohabitatione virorum Belial, multò sæpiùs oriebantur scandala, & multiplices eis accedebant molestiæ: tandem seorsum habitantes, sine admixtione zizaniorum, degebant quietiùs: si quas habebant quæstiones, ad cognitionem referebant Ecclesiæ, & mediante domini Patriarchæ, qui pro tempore erat, arbitrio, controuersias inter se decidebant. Sic ergo ab ea die, & eâ ratione qua prædiximus, prædicta pars ciuitatis quarta, alium non habuit iudicem vel dominum nisi Patriarcham; & eam quasi propriam, Ecclesia sibi perpetuò vendicauit. Distinguitur autem quarta prædicta hoc modo: à *porta* Occidentali, quæ dicitur *Dauid*, per *turrim* angularem, quæ cognominatur *Tancredi*, vsque ad portam Septentrionalem, quæ dicitur *Protomartyris Stephani*, est ambitus muri exterioris: In-30 teriùs verò limes est via publica, quæ ab eadem porta vsque ad mensas numulariorum directè protenditur, & inde iterum ad portam Occidentalem. Continet autem intra se venerabilem locum Dominicæ passionis & resurrectionis, Domum hospitalis, vtrunq; monasterium, virorum videlicet & sanctimonialium, quorum vtrunque cognominatur *de Latina*; domum etiam Patriarchalem, & Canonicorum Dominici Sepulchri claustrum, cum suis pertinentiis.

XIX. Eodem tempore, cùm iam ferè omnes Principes qui in expeditione venerant, essent ad propria reuersi, ita quòd Dux solus, cui regnum erat commissum, & dominus *Tancredus*, qui in partem solicitudinis à domino Duce tanquam vir prudens, strenuus & felix, erat detentus: tam modicæ erant nostrorum facultates, & militantium copiæ, vt o-40 mnibus conuocatis, & certatim concurrentibus, vix inuenirentur equites trecenti, & peditum duo millia. Vrbes autem, quæ in nostram venerant ditionem, paucæ admodum erant; & locis hostilibus interiectis, interpolatæ, ita vt summo periculo, cum necessitas id exposcebat, de vna ad alteram veniretur. Suburbana autem, etiam in nostrorum finibus vniuersa ab infidelibus & Saracenis incolebantur: quibus sæuiores hostes nostro non erant populo; eoque peiores quò & domestici: *nulla enim pestis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus.* Hi non solùm nostros incautè gradientes viis publicis obtruncabant, & hostium mancipabant seruituti; verùm etiam & agrorum culturæ operam denegabant, vt fame nostros affligerēt; malentes ipsi esuriem pati, quàm nostris, quos hostes reputabant, aliquam ministrare 50 commoditatem. Nec solùm vrbibus egressi, suspectas habebant semitas; verùm & in domibus, infra vrbium mœnia constitutis, propter inhabitantium raritatem, & patulas hostibus murorum ruinas, vix tutus inueniebatur ad quiescendum locus. Nocturni enim fures, vrbes vacuas, & raro habitatore cultas, clandestinis irruptionibus effringebant, in propriis domiciliis multos opprimentes: vnde nonnulli clàm, multi etiam manifestè possessiones quas acquisierant deserentes, reuertebantur ad propria; arbitrantes quòd vnâ die hi qui patriam tueri nitebantur, opprimerentur ab hostibus, & nō esset qui eos ab imminentibus cladibus posset eruere.

Hi causam edicto dederunt, *vt annua præscriptio locum haberet; & eorum foueret partes, qui in tribulatione perseuerantes per annum & diem tranquillè & sine quæstione aliquid possederant.* Quod introductum est, vt prædiximus, odio illorum qui timoris causâ suas reliquerant possessiones, ne post annum redeuntes, ad earum admitterentur vendicationem. Cumque tantâ regnum laboraret inopiâ, adiecit tamen vir DEVM timens, DEOq; amabilis, auctore Domino, regni fines ampliare: conuocatisque militaribus auxiliis, & populo regionis, vrbem maritimam, Ioppensi conterminam, quæ olim dicta est *Antipatrida*, nunc verò vulgari appellatione dicitur *Arsur*, obsedit. Sed cùm in ea essent viri fortes, & strenui, armis, victualibus & cæteris ad hos vsus necessariis abundantes; Dux verò exteriùs grauem sustineret inopiam, & maximè quia naues non habebat, quibus obsessis introitum negaret & exitum; necessitate compulsus, prædictam soluit obsidionem, expectans vt tempore procedente, magis opportuna sibi ad id complendum concessa, diuinitus eidem se offerret occasio: sed morte præuentus immaturâ, ad optatum propositum non peruenit. 10

Accidit autem in eadem obsidione dignum memoriâ quiddam, quod præsenti curauimus lectioni inserere. De montibus Samariæ, in quibus vrbs Neapolitana sita est, quorundam suburbanorum reguli, deferentes secum exenia panis & vini, caricarum quoque, & vuæ passæ, ad prædictam descenderunt obsidionem, magis, vt credimus, vt nostrorum explorarent vires & multitudinem, & de statu eorũ pleniùs edocerentur, quàm vt Duci deferrẽt munera. Hi postquam in exercitum peruenerunt, vt ante Ducem introducerentur, cœperunt instanter postulare: in cuius constituti præsentia, obtulerunt donaria quæ secum detulerant. Dux autem, sicut vir humilis erat, & seculi pompam omnino declinans, super saccum stramine plenum, humi positum, residebat, suos expectans quos pabulatum emiserat. Quod intuentes illi, admiratione stupidi, quæsierunt, *cur tantus Princeps, & tam admirabilis dominus, qui ab Occidente veniens, totum concusserat Orientem, & Regnum maximum in manu valida occupauerat, ita sederet inglorius, vt neq; tapetia, neq; holoserica circa se more haberet Regio; nec stipatus satellitibus armatis, formidabilem se præberet accedentibus.* Quibus ita percũctantibus, quæsiuit Dux quid loquerẽtur: quo cognito, respondit: *Quod homini mortali sufficere meritò terra pro sede temporali poterat, cui post mortem perpetuum domicilium est præstitura.* Quod audientes qui gratiâ tentandi accesserant, admirantes viri responsum, humilitatem & prudentiam, abierunt dicentes: *Quia verè hic est, qui vniuersas regiones debeat expugnare, & cui repositũ est de vita merito, populis & nationibus principari.* Mirabantur & timebant pariter finitimarum habitatores regionum, peregrini virtutẽ & successum populi; eoq; in maiorem rapiebãtur & admirationem & metum, quo hæc suorum relatione, quibus ampliùs credere tenebantur, cognouerant; & vsq; ad Orientis vlteriora factum hoc, tam mirabile, diuulgabatur. 20 30

XXI. Dum hæc ita in regno Hierosolymorum aguntur, accidit quod quidã *Gabriel* nomine, Armenius natione, qui vrbi *Meletenia*, trans Euphratem in Mesopotamia sitę præerat, Persarum timens incursum, & eorum non valens sustinere molestias, legatos misit ad dominum *Boamundum* Antiochenorum principem, inuitans vt ad se venire non differat, prædictam vrbem quibusdã interpositis conditionibus, ilicò recepturus. Quod audiens vir magnificus dominus Boamundus, vocationẽ viri impigrè secutus, assumpto sibi solito comitatu, transito Euphrate, Mesopotamiam ingressus, penè iam ad vrbem prædictam peruenerat, cùm ecce Turcorum quidam potentissimus satrapa, *Danisman* nomine, eius aduentu præcognito, ex improuiso in eius comitatũ irruit: & incautos opprimens, quosdam in ore gladii peremit; reliquos verò multitudinẽ hostium ferre nõ valentes, adegit in fugam. Ipse verò dominus Boamundus, peccatis exigentibus, captus est ab hostibus, & eorum vinculis mancipatus. Quo successu elatus, de multitudine exercitus, quem secum trahebat copiosum, præsumens, eandem vrbem obsidione vallat, in proximo sperans eam se habiturum. At verò qui de prædicto euaserant periculo, *Edessam* peruenientes, Comiti ex ordine pandunt casum, qui domino Principi & eis acciderat. Quod intelligens vir strenuus, domino Principi tanquam fratri vterino compatiens, & periculoso rei euentu commotus interiùs, militares cum omni celeritate conuocat copias: & sumptis ad iter necessariis, ad partes velox accelerat. Distare autem dicitur prædicta ciuitas ab Edessa, itinere dierum trium; quod subitò & maturè conficiens, iam proximus vrbi aderat: 40 50

sed

sed audiens prædictus *Danisman* Comitis aduentum, obsidione solutâ, secum deducens dominum Boamundum, quem tenebat in vinculis, in partes regni sui, prælium declinans, secessit vlteriores. At verò Comes audiens, quòd prædictus Danisman eius formidans aduētum, ab obsidione discesserat, insectatus est per triduum fugientem: videns quòd non proficeret, Meleteniam reuersus est, vbi à prædicto Gabriele magnificè, cum ingenti gloria susceptus, tractatus optimè, ciuitatem eisdem conditionibus, quibus domino Boamundo prædictus Gabriel obtulerat habendam, recepit. Hisque peractis, ad propria reuersus est. Interea dum vir insignis dominus *Dux*, & sui, qui cum eo, aliis discedentibus, vt regnum conseruarent, Hierosolymis remanserant, tantâ laborarent inopiâ, tantâ affligerentur paupertate, quantam vix aliquis verbo possit exprimere: accidit, quòd per exploratores, quibus meritò fides erat adhibenda, nunciatum est, quòd in partibus Arabiæ trans Iordanem, in regione Ammonitarum, quidam *Arabes* incautiùs se haberent: vnde si super eos repentè irrueretur, ingentia possent lucra reportari. Quibus vir illustris persuasus, conuocatis secretiùs tam equitum quàm peditum copiis, quales Regnum recens ministrare poterat, transito Iordane, hostium fines ingressus est: vbi feliciter consummato negotio, dum cum ingenti præda gregum & armentorum, & infinitis mancipiis reuerteretur, nobilis quidam, & in populo suo præclarus Princeps, de gente Arabum, industrius, & disciplinæ militaris feruentissimus amator, impetratâ pace per internuncios, ad eum cum honesto nobilium eiusdem gentis accessit comitatū. Audierat enim multorum relatione, de populi huius viribus, & gloria, qui ab Occidente descēdens, per tot terrarum spacia, & tantam laborum multitudinem, vniuersum sibi Orientem subiecerat; & præcipuè de Ducis virtute singulari, & strenuitate præcipua: vnde, studio feruentissimo, eū videre gestiebat. Accedens igitur, & exhibitâ reuerentiâ, cum debitæ salutationis affatu, multâ precum Ducem rogauit instantiâ, vt in conspectu eius, gladio suo, camelum maximum, quem præsentem ad eū vsum exhibuerat, ferire dignaretur, vt & ipse posset virtutis eius aliis testimonium perhibere. Cui Dux, quoniam ad videndum eum de remoto venerat, acquieuit: & euaginato gladio, cameli præsentis caput amputauit ita facilè, tanquam si rem fragilem iussus esset præcidere: quo viso, obstupuit Arabs virtutis immensitatem; sed in mente sua, multùm id adscribebat ensis acumini. Vnde impetratâ licentiâ, vt confidentiùs loqueretur, quæsiuit, *vtrum cum alterius gladio simile quid posset operari?* Dux verò subridens, eiusdem nobilis viri sibi dari præcepit gladium: quo arrepto, aliud sibi eiusdem generis animal iussit præsentari: quo percusso, caput eius vno ictu sine difficultate præcidit. Hic verò primùm sæpe dictus vir nobilis admirari cœpit, cum stupore vehementi; & ictus vehementiam, non ex ferri acie, sed ex robore viri cognouit procedere. Quodque de viri virtute audierat, verum esse comperit: vnde oblatis muneribus in auro, argento, & equis, domini Ducis sibi conciliauit gratiam; & reuersus ad propria, virtutis, quam in Duce viderat, præco factus est, ad quoscunque loquebatur. Dux verò cum præda & manubiis Hierosolymam reuersus est. Eodem mense, Iulio videlicet, idem dominus *Godefridus*, regni Hierosolymorum egregius moderator, validâ & incurabili correptus ægritudine, ægrotare cœpit ad mortem. Tandem inualescente morbo, nec exaudiente remedia, assumpto salutis nostræ viatico, deuotè pœnitens, & verus CHRISTI confessor, viam vniuersæ carnis ingressus est, centuplum accepturus, & cum beatis spiritibus vitam possessurus æternam. Obiit autem quintodecimo Kalend. Augusti: anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo. Sepultus est verò in ecclesia Dominici Sepulchri, sub loco Caluariæ, vbi passus est Dominus: vbi & successoribus eius, vsque in præsentem diem, pro sepultura deputatus est locus.

XXII. X. A. Dn. 1100.

EXPLICIT LIBER NONVS.

CAPITVLA LIBRI DECIMI.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI DECIMI.

INCIPIT LIBER DECIMVS.

CAP. I. RECEDENTE ab hac luce, sed tamen lucem meliorem consecuto, inclytæ & piæ in Domino recordationis, domino Duce *Godefrido*, primo ex Latinis regni Hierosolymorum moderatore insigni, vacauit regnum mensibus tribus. Tandem verò, siue de supremo domini Ducis iudicio, siue de communi Principum, qui pauci erant, consilio, citatus est domi-

est dominus *Balduinus* Edessanus comes, domini prædicti Ducis ex vtroque parente frater, vt in regnum accederet, iure sibi debitum hæreditario, & fratri succederet in eadem cura. Hic in adolescentia sua liberalibus disciplinis conuenienter imbutus, clericus, vt dicitur, factus est, & in Remensi, Cameracensi, Leodiensi ecclesiis beneficia, quæ vulgò *Præbendæ* dicuntur, gratiâ generositatis, qua singulariter præminebat, obtinuit: tandem ex causis nobis occultis, arma capessens militaria, deposito clerici habitu, miles effectus est. Demumque procedente tempore, vxorem ex Anglia duxit illustrem & nobilem, dominam *Gutueram* nomine, quam secum deducens, dominum ducem Godefridum, dominumque Eustachium fratres
10 suos, viros virtutum & immortalis memoriæ, in expeditionem illam primam, faustã & felicem per omnia secutus est. Prædicta verò eius vxor, antequã Antiochiam fidelis perueniret exercitus, longo fatigata dolore, apud Maresiam optimo fine vitâ decessit, ibique sepulta est, vt prædiximus. Ipse autem postmodum ab Edessano duce vocatus, & ab eo adoptatus in filium, & post eius mortem Comitatum cum suis pertinentiis consecutus, sicut diligenter præmissum est, vxorem duxit filiam cuiusdam nobilis & egregii Armeniorum Principis, *Tafroc* nomine, qui cum fratre *Constantino* circa Taurum montem præsidia habebant inexpugnabilia, multasque virorum fortium copias: vnde & propter diuitiarum & virium immensitatem, gentis illius reges habebantur. De sementiua autem eius secundùm carnem origine, & de
20 progenitorum excellentia, vel natiuitatis loco non multum est necessarium repetitos edere tractatus: nam dum superiùs domini Ducis gesta conscriberemus, sufficienter de illa quæ communis est ambobus, edisseruimus ingenuitate. Dicitur autem fuisse corpore valde procerus, & fratre multo maior, ita vt, sicut de Saul dicitur, *altior esset vniuerso populo, ab humeris supra:* capillo & barba fuscus, carne tamen mediocriter niueus: naso aquilino, & prominente pusillũ labro superiore, cum subiecto dentium ordine aliquantulum depresso: non tamen eatenus, quod vsque ad vicium ei posset imputari. Grauis in incessu, habitu & verbo serius; chlamydem semper deportans ab humeris, ita vt ignotis grauitate, quam verbo prætendebat, & habitu, episcopus magis quàm secularis persona videretur. Veruntamen
30 vt vitiatæ propaginis & primæ maledictionis hæredem se non dubitaret, carnis dicitur lubrico impatienter laborasse: ita tamen cautè quæ ad illum defectum respiciunt, negotia procurare satagebat, vt nemini scandalum, nulli vis maior, nulli enormis infligeretur iniuria: quodque rarum est in huiusmodi, vix ad paucos ex cubiculariis eius, huius rei poterat peruenire notitia: tamen si more peccatorum ad excusandas excusationes in peccatis, eius fautor quærit descendere, videtur aliquam apud homines, & si non apud districtum iudicem, excusationem habere de peccato, sicut in sequentibus dicetur. Fuit autem nec multâ distentus pinguedine, nec immoderatâ macie tenuis; sed mediâ quadam corporis habitudine; promptus ad arma, ad equum agilis; impiger & sollicitus, quotiens eum regni vocabant
40 negotia. Porrò magnificentiam, animositatem, & disciplinæ militaris experientiam, & cæteras animi bene dispositi dotes egregias, quas velut iure hæreditario à progenitoribus in se transfusas, tam ipse quàm fratres eius perpetuò possederũt, superfluũ videtur in eo commendare, præsertim cùm domini Ducis ita extiterit expressus æmulator, vt crimen sibi reputaret ab eius vestigiis declinare: eo minus, quo cuiusdam *Arnulfi*, hominis nequam & pessimi, qui Hierosolymis erat Archidiaconus, cuius ad malum omne opus & intentio prona dicebatur, de quo superiùs fecimus mentionem, quòd sedem inuaserat Patriarchalem, nimiâ vtebatur familiaritate, & regebatur consilio, quod ei ad notam imputabatur. Defuncto igitur domino Duce, & sepulturæ tradito, vt præmisimus: hi, quibus de suprema vo-
50 luntate mandauerat testamenti sui executionem, arbitrium deserentes defuncti, suam illius iudicio prætulerunt voluntatem; nam neque *arcem Dauid* domino Patriarchæ *Daimberto* tradiderunt; nec ciuitatem, eius resignauerunt ditioni, sicut testamenti tabulis continebatur, & sicut in die sancto Paschæ, quod proximè præterierat, præsente clero & populo, in ecclesia Dominicæ resurrectionis, Dux in Domino piæ recordationis, pactis inter eum & dominum Patriarcham initis, interseruerat. Huius autem contumaciæ princeps erat quidam Comes *Garnerus* cognomento *de Gres*, miles acerrimus, dominorum Ducis & Comitis consanguineus: hic

II. — 1. Reg. 10, 23. — III.

confestim mortuo Duce, prædictam turrim inuadens, diligenter communierat; miseratque ad dominum comitem Balduinum occultè nuncios, ignorantibus aliis, vt velocissimus, & sine dilatione veniret: dumque super eo facto à domino Patriarcha sollicitaretur frequentiùs, vt supremæ Ducis voluntati satisfaciens, ecclesiæ ius resignaret, innectebat ambages, moras contexens, & tempus quocunque modo quærens redimere, vt comes citatus, iure adhuc suo illibato posset accedere: sperans, plurimùm gratiæ apud sæpe dictum Comitem, pro huiusmodi fidelitate exhibita, se inuenturum: à qua spe delusus decidit, præter omnium opinionem. Accidit enim, quòd infra quinque dies, idem Comes, casu vitâ decessit, omnibus ducentibus pro miraculo, & domini Patriarchæ meritis ascribentibus, quòd hostis & persecutor ecclesiæ ita subitâ morte defecerat. Sed neque in eius defectu Ecclesiæ melior facta est cōditio. Nam qui in præsidio erant, quod acciderat non magnifacientes, in eodem vsque ad aduentum Comitis Edessani perstiterunt. Porrò dominus Patriarcha sciens Comitem vocatum esse, & eius formidans aduentum, volens eius promotionem quocunque modo impedire, domino Boamundo Antiochenorum Principi, epistolam rei seriem pleniùs continentem dirigit. Cuius rescriptum ad maiorem rei euidentiam, præsenti inserere curauimus lectioni. IV. *Scis, fili carissime, quoniam me ignorantem & inuitum, bonæ tamen ac sanctæ intentionis affectu, in eam quæ omnium Ecclesiarum singularis est mater & gentium domina, Rectorem & Patriarcham elegeris, electumq́ communi tam cleri ac plebis, quàm Principum assensu, in huius summæ dignitatis sedem, licet indignum, DEI præeunte gratiâ, locaueris. In quo ego culmine constitutus, quanta pericula, quot labores, quot persecutiones sustineam, iniuriis offensus mille, meus cognoscit animus; & ipse omnium inspector CHRISTVS. Vix enim* dux Godefridus *dum adhuc viueret, non tam propriæ voluntatis arbitrio, quàm malorum persuasione seductus, ea reliquit ecclesiæ tenenda, quæ Turcorum temporibus, qui tunc fuerat Patriarcha, tenuerat; & sancta Ecclesia, cùm ampliùs honorari, & exaltari debuit, tunc maiora desolationis atque confusionis suæ opprobria sustinuit. Resipuit tamen ille, per misericordiam DEI; & ab impietatis desistens proposito, in die purificationis beatæ Mariæ virginis, de Ioppe quartam partem ecclesiæ sancti Sepulchri dedit: & post in die Paschalis solennitatis, iam vltrà superbè sapere, aut in seculari pompa confidere respuens, diuino nutu compunctus, cuncta quæ iuris erant Ecclesiæ, liberè reddidit:* & homo sancti Sepulchri ac noster effectus, *fideliter se DEO, & nobis, amodo militaturum spopondit. Reddidit itaque nostræ potestati turrim Dauid, cum tota Hierosolymitana vrbe, eiusq́ pertinentiis, & quod in Ioppe ipse tenebat: sic tamen, vt ob rerum temporalium insufficientiam, nostrâ concessione, ipse hæc tam diu teneret, donec illum DEVS in captione Babylonis, aut aliarum vrbium amplificasset. Si autem absque hærede masculo moreretur, hæc omnia absque vlla contradictione ecclesiæ redderentur. Hæc omnia cum in præsentia totius cleri ac populi, in die solemni Paschæ, ante sacrosanctum Sepulchrum confirmasset, etiam in lecto ægritudinis de qua mortuus est, coram multis & probatis testibus ipse constituit: quo defuncto,* Comes Garnerius, *vt hostis contra ecclesiam DEI insurgens, fidem pactumq́ iustitiæ nihili pendens, turrim Dauid contra nos muniuit: & legatis suis ad Balduinum directis, mandat, vti ecclesiam DEI direpturus, resq́ eius violenter occupaturus, quantociùs veniat: vnde iudicio DEI percussus, quarto post obitum Ducis die obiit. Hoc ipso autem mortuo, viri ignobiles, ac de plebe, adhuc eandem turrim cum tota vrbe occupantes tenent, aduentum Balduini, ad ruinam ecclesiæ & totius Christianitatis interitum præstolantes. At ego, qui solius DEI clementiæ, tuæq́ dilectioni, fili karissime, sum relictus, miseriis omnibus calumniisq́ insidiantium mihi malignorum circumuentus, tibi soli: (qui in te solo post DEVM confido, & spei meæ anchoram in tua dilectionis soliditate figo) tibi (inquam) soli, quas patior ærumnas, imò quas Ecclesia patitur, voce flebili & anxiâ cogitatione refero. Tu autem, si quid pietatis habes, & nisi paternæ gloriæ vis esse degener filius: qui tyrannicâ crudelitate, clausum ab impia manu dominum* Apostolicum Gregorium *de vrbe Roma eripuit, vnde memorabile seculis omnib⁹ nomē emeruit: omni occasione remotâ, festina venire; & terræ regniq́ tui curâ in militibus tuis prudentioribus sapiēter dispositâ, sanctæ Ecclesiæ miserabiliter laboranti, misericorditer succurre. Et certè scis ipse, quoniam auxilium tuum, consiliumq́ promiseris, & debitorem te sanctæ Ecclesiæ ac mihi, sponte tuâ feceris. Scribe igitur ad Balduinum literas, interdicens ei, ne sine licentia nostra & legatione (cùm ille tecum in Patriarcham & Rectorem ecclesiæ Hierosolymitanæ me elegerit) sanctam Ecclesiam deuastaturus, & res eius occupaturus, vllo modo veniat: monstrans ei, quoniam irrationabile est, tot pro eadem Ecclesia labores sustinuisse, totq́ pericula, vt illa libera fieret, si nunc vilis & abiecta seruire cogatur*

cogatur illis, quibus dominari & praeesse materno iure debet. Quod si ille iustitiæ resistens, rationabilibus acquiescere noluerit, per eam quam beato Petro obedientiam debes, te contestor, vt quibuscunque modis vales, aut etiam si necesse sit, vi aduentum eius impedias. Quicquid autem super iis quæ mando, tu facturus sis, galeâ tuâ ad me sub festinatione missâ, per hunc eundem, quem ad te mitto nuncium, mihi carissime, manifesta. Hanc tamen epistolam, ad dominum Boamundum minimè credimus peruenisse. Nam eodem mense quo dominus bonæ memoriæ Dux carne dissolutus, migrauerat ad dominum, modico ante vel postea captus erat ab hostibus, sicut diligenter præmissum est. Dominus verò *Balduinus* Edessanorum Comes, redditâ sibi egregiâ Medorum metropoli, *Meletenia*, faustâ felicitate fruebatur; & perdomitis hostibus in circuitu admodum, aliquam sibi pacem & populo suo, per DEI gratiam obtinebat: cùm ecce nuncius ab Hierosolymis properans, dominum Ducem vitâ decessisse nunciat: cognitoque quod amici & fideles fratris defuncti eum instãter vocabant, vt ad regni maturaret successionem, cõgregato sibi ducentorum equitũ, & octingentorum peditum comitatu, resignatâ terrâ in manus cuiusdam consanguinei sui, viri prudentis & egregii, domini videlicet *Balduini de Burgo*, qui sicuti in illo comitatu, ita postmodum & in regno successit, VI. Nonas Octobris versus Hierosolymam iter arripuit, mirantibus nonnullis, quòd cum tam exiguo apparatu, tantum iter per medios hostium fines aggredi proposuisset. Cùm autem peruenisset *Antiochiam*, vxorem cum ancillis quæ ei famulabantur, cum onerosa supellectile, & plurima parte sarcinarum præcepit ad mare descendere, vbi & nauigium iusserat præparari, quò illa honestè vsque Ioppen deuehi posset: nam hæc sola ex maritimis vrbibus, in nostram venerat ditionem, reliquis omnibus adhuc ab infidelibus detentis. Hoc autem eo videtur fecisse intuitu, vt hostium regiones transiturus, expeditior esset ad ea quæ occurrerent negotia, atque ad casus repentinos omnino paratior. Inde *Laodiciam Syriæ* perueniens, oram maritimam secutus, per *Gabulum, Valeniam, Maracleam, Antaradon, Archis*, vsque *Tripolim* peruenit: vbi ab eiusdem ciuitatis rege, in castris extra vrbem, muneribus & honore præuentus, didicit eodem insinuante rege, quòd *Ducah* Damascenorum rex, proficiscenti ei in via præstruxerat insidias. Et procedens inde & *Biblum* pertransiens, ad fluuium peruenerat, qui cognominatur *Canis*. Est autem in eodem loco transitus periculosissimus, inter montes excelsos, rupium asperitate & ascensu arduo nimis imperuios, & fretosum mare; vix habens latitudinis cubitos duos, longitudinis autem stadia quatuor. Has locorum angustias & callem periculosum obsederant, vt transitum impedirent, regionis incolæ, & de Turcis nonnulli, qui vt iter domini Comitis præpedirent, ad hoc de remotis conuenerant partibus. Ad quem locum cùm peruenisset dominus Comes, præmissis aliquot de suis qui rem prætentarent, cognouerunt quosdam de iis qui locum munierant, transito flumine descendisse in planum: quod videntes nostri, timentes ne post se maiores reliquissent insidias, rei statũ domino Comiti per vnũ ex ipsis indicauerunt. Qui sine mora aciebus instructis eis occurrens, ad congrediendũ paratos reperit: in quos animoso irruens impetu, primo conflictu eorum soluit manipulum, pluribus ex eis interemptis, reliquis autem in fugam conuersis; sarcinisque depositis, ibi castra metari præcipit: vbi cùm locus esset arctus aliquantulum inter montes & mare, noctem duxerunt in multo discrimine peruigilem; molestias eis irrogantibus, tam iis qui in montibus aditus præoccupauerant, quàm qui in nauibus ab vrbe Beritensi & Biblio descenderãt, sagittarum totâ nocte multitudinem immittentes, & circa extrema castrorum multa nostris inferentes pericula; & tantis exacerbantes angustiis, vt equos fessos ex itinere, & præ caloris immensitate sitibundos, eâ nocte quamuis propè esset fluuius, non possent adaquare. Postea autem illucescente die, communicato cum suis consilio, præcipit Comes, vt compositis ad iter sarcinis redire incipiant: & præmissis debilioribus, & qui ad arma non multum poterant, ipse cum robustis sequebatur, non solùm a tergo, verùm ex vtroque latere irruentium sustinens impetus. Id autem prudenter nimis & callidè, more suo, vt hostes deciperet, adinuenerat; non de suo diffidens comitatu; sed vt eum fugientem insequentes, in locis patentibus hostes reperiret, cum eisq; liberiùs congredi posset: plurimùm enim angustias metuebat. Dumq; sic in redeundo eius laboraret exercitus, hostes arbitrati

caussa formidinis eos reditum maturare, tantò instant proteruiùs, quantò eos ampliùs timore deiectos arbitrantur. Descendentes igitur de locorum angustiis certatim, per loca liberiora nostros vrgentissimè cœperunt insectari: ita vt qui in nauibus erant, prædam affectantes, in terram desilirent, sperantes sine difficultate, tanquam deuictis hostibus, trophæum reportare. Videns autem Comes quòd montes deseruerant, & iam plana tenentes, nostris instabāt vrgentibus, indicto suis reditu, erectis vexillis, in hostes acriùs instantes regreditur; eumque insecutæ acies, domini præeuntis exemplo irruunt animosiùs: & antequam in montes, more solito se possent recipere, gladiis in eos vibratis desæuiunt, vsque ad supremam interniciem non parcentes. Illi verò nostrorum non ferentes impetum, & cædentium robur admirantes & stupentes instantiam, nullam defensioni dant operam; sed in sola fuga spem habentes, eâ viâ saluti consulunt: ita vt nec qui de nauibus exierant, ad mare redire præsumerent, & qui ad montes se contulerant, dum incautè fugiunt, periculosa incurrentes præcipitia, improuisæ mortis mille vias inuenirent. Hostibus igitur ita prostratis, nostri victores ad locum vbi sarcinas & impedimenta dimiserant cum exultatione redeunt: vbi nocte quiescentes, benedixerunt Dominum, qui potentes deponit, & exaltat humiles. At verò die sequenti retrocedentes, vsque ad locum qui dicitur *Iunia*, curam sibi, & equis debitam impendentes sollicitudinem, prædam inter se more militari diuiserunt, & capta mancipia. Manè verò sequente, volens dominus Comes, comitatui suo prudenter fideliterque prouidere, assumptis sibi de expeditioribus equitibus nōnullis, ad locum vbi pridie conflictus fuerat, accessit intrepidus, perscrutari volens, vtrum adhuc angustias detinerent aduersarii, an locus transire volentibus liberè pateret. Vidensque transitum hostibus vacuum, & sine difficultate permeabilem, suos facit euocari: qui auditâ optabili legatione, ad locum peruenientes, sine molestia dominum Comitem consecuti, locum transeunt, quem diu habuerant suspectum, & meritò formidabilem: & accedentes ad pagum *Beritensium*, ante vrbem castrametati sunt: inde oram sectantes maritimam, transeuntes *Sydonem*, *Tyrum* & *Ptolomaidam*, vsque ad locum cui nomen *Cayphas*, peruenerunt. Comes verò suspectum habens dominum *Tancredum*, propter illam enormem nimis & indebitam, quam in eum apud Tharsum Ciliciæ commiserat, iniuriam, neminem suorum in vrbem prædictam permisit introire, timens ne vir magnificus, offensæ memor, vellet ei vicem rependere. Porrò dominus Tancredus aberat; ciues tamen eius, domino Comiti exeuntes obuiam, benignè multùm & fraterno caritatis affectu, rerum venaliū, & maximè eorum quæ ad victum erant necessaria, bonis conditionibus obtulerunt commercium. Inde per *Cæsaream*, deinde *Arsur* viam legentes maritimam, vsq; *Ioppen* peruenerunt; vbi ab vniuerso clero ac populo solenniter exceptus, fauentibus vniuersis, pro Domino se gessit. Inde profectus *Hierosolymam*, occurrente sibi vniuerso clero & populo, tam Latinorum quàm aliarum nationum, cum hymnis & canticis spiritualibus, tanquam Regem & dominum suum introduxerunt gaudentes.

VII. Per idem tempus, *Arnulfus*, de quo superiùs fecimus mentionem, primogenitus Sathanæ, filius perditionis, videns quòd à cathedra Iacobi, quam ausu temerario inuaserat, meritis exigentibus decidisset, molestare cœpit & turbare quietem domini *Daimberti*, quem eadem ecclesia de communi omnium conniuentia sibi præfecerat. Statim enim post Ducis obitum, apud dominum Balduinum Comitem, eum super multis accusauerat; cleri quoque partem concitauerat aduersus eum, sicuti malitiosissimus erat, & scandalorum sator. Erat etiam potens, & in diuitiis superabundans, archidiaconatum habens eiusdem ciuitatis, & pro stipendiis Templum Domini & Caluariæ locum. Sic ergo quoniam & diues erat & prudens vt faceret malum, plurimùm in clero, magis autem apud seculares poterat personas. Videns itaque dominus Patriarcha, & prædicti Arnulphi malitiam, qui ei datus erat pro stimulo; & Comitis credulitatem, suspectum habens eius aduentum, descendens de domo Patriarchali, in ecclesiam montis Sion se contulerat; ibiq; scandala fugiens, priuatus lectioni & orationi vacabat: vnde prædictæ domini Comitis receptioni & honori eidem à ciuibus impenso, suam non exhibuerat præsentiam.

VIII. Cùm autem per dies aliquot, Comes moram fecisset in vrbe, vt sibi & equis aliquam indulgeret requiem, ordinatis regni negotiis, quantum ad illud præsens videbatur

sufficere,

ſufficere, ſicuti homo laborioſus erat, & ocia fugiens, congregatâ expeditione, tam ex iis quos ſecum deduxerat, quàm quos in regno repererat ſubitus & ex improuiſo ante vrbem aſtitit *Aſcalonam.* Vbi cùm egredi ciues contra eum formidarent, videns quòd non multum proficeret, campeſtria ſecutus, quæ inter montes & mare media interiacent, ſuburbana inuenit: quorum habitatores relictis domibus, in ſpecus ſubterraneas cum vxoribus & liberis, cum gregibus & armentis ſe contulerant. Erant autem latrunculi & prædones, viarum effractores publicarum, qui crebris irruptionibus inter Ramulam & Hieruſalem, iter reddiderant valde periculoſum, in viatores incautos ferro ſæpiùs hoſtiliter ſæuientes: quo cognito, Co-
10 mes inſtari præcipit vehementiùs, & igni ad oſtia ſpeluncarum adhibito, fumidam docet adhibere materiam, vt fumo incluſos moleſtante, ad deditionē cogeret, vel aëre ſuffocatorio, ſpiritus cōpelleret exhalare. Factum itaq; eſt, quòd qui intus erant, incendiorum cauma, fauillam, fumiq; importunitatē non ferentes, ſine conditione in manus ſe dederunt Comitis. Quibus non parcens, iuxta id quod eorū videbātur exigere merita, centū ex eis decollari præcepit: ſumptisq; victualibus, quæ tam ad vſus hominum quàm iumentorum apud eos reperta ſunt neceſſaria, tribu Simeon decurſâ, ad montana inde conſcendit: vbi locum ſepulturâ Patriarcharum Abrahæ, Iſaac, & Iacob celebrē, *Hebron* videlicet, qui alio nomine dicitur *Cariathiarbe,* prætereuntes, per vineas Engaddi, ad *vallem* deſcēdit *illuſtrem,* vbi eſt mare ſal-
20 ſiſſimum. Deinde *Segor,* paruulam quidem, ſed tamen quæ Loth de Sodomis fugientem nouit ſaluare, tranſeuntes, fines Moabitarum ingreſſi, Syriam Sobal perluſtrauerunt vniuerſam, tentantes ſi quid eis occurreret, in quo gentem perfidam damnificare poſſent, ſuas verò conditiones reddere meliores: nihil tamen toto illo itinere profecerunt, niſi quòd de bonis hoſtium ſe, equos & iumenta exhibebant. Præcognito enim eorum aduentu regionis incolæ, ad montes imperuios & adſueta confugerant præſidia, ita vt vniuerſam noſtri deambulantes regionem vacuam & ſine cultore reperirent. Tandem videns dominus Comes quòd non proficeret, & quòd Natiuitatis Dominicæ immineret ſolemnitas, eandem viam, quâ venerat, remenſus, XII. Kal. Ian. die feſto ſancti Thomæ Apoſtoli, Hieroſolymam ingreſſus.
30 eſt. Anno igitur ab incarnatione Domini *milleſimo centeſimo primo,* reconciliatis adinuicē domino Daimberto Patriarcha, & domino comite Balduino, per quorūdā prudentū commendabilem interuentum, in die ſancto Natiuitatis Dominicæ, in eccleſia Bethleemitica, aſtantibus clero & populo, eccleſiarum quoque prælatis & regni principibus, conſecratus eſt, & in Regem inunctus, per manum domini *Daimberti* memorati Patriarchæ, dominus *Balduinus,* & regio diademate ſolenniter laureatus. Domino itaque Balduino, vt prædictum eſt, regni ſolium obtinente, & in regno confirmato, dominus *Tancredus,* inclytæ recordationis, & piæ in CHRISTO memoriæ, iniuriæ memor, quam ab eodem domino Balduino apud Tarſum Ciliciȩ, prȩter merita paſſus fuerat, ſicut vir religioſus erat, & propriæ ama-
40 tor conſcientiæ, timens ei aliquo fidelitatis obligari vinculo, quem non poterat purâ caritate diligere, vrbem Tiberiadenſem ſimul & Caypham, quæ illuſtris memoriæ dominus Godefridus ob inſignia eius merita ei liberaliter conceſſerat, in manus domini Regis reſignauit: ſumptaque licentiâ, diſceſſum eius moleſtè ferētibus vniuerſis, ad partes ſeceſſit Antiochenas. Sæpe enim & ſæpius ab eiuſdem regionis principibus euocatus fuerat, vt vſque ad reditum domini *Boamundi,* ſi quando eum Dominus de carcere educere dignaretur, principatus curam gereret & ſolicitudinem, tanquam is ad quem de iure hereditario, ſi domino Boamundo redire non daretur, vniuerſa deuolueretur hereditas. Perueniente igitur Antiochiam, populus & Maiores generalem & liberam ſtatim ei contulerunt adminiſtrationem.
50 Rex verò reſignatam ſibi Tiberiadem cuidam *Hugoni de ſancto Aldemaro,* viro nobili & in armis ſtrenuo, iure conceſſit hereditario poſſidendam. Quieuitque regnum menſibus quatuor. Contigit autem per eoſdem dies, ſuggerentibus viris quibuſdam, quibus idipſum officii erat, regionum finitimarum ſtatum, & hoſtium explorare infirma, quòd *Rex,* conuocatâ ſecretiùs ingenti militiâ, Iordanem tranſiens, fines Arabum ingreſſus eſt; & pertranſiens vſque ad interiora ſolitudinis, quam prædictus populus ſolet inhabitare, ad locum peruenit deſtinatum; vbi noctu & ſubitò ſuper incautos irruens, in ipſis eorum tabernaculis de viris nōnullos,

[Margin: IX. A. D. 1101. — X. — XI.]

vxores verò cum paruulis vniuersis, & omnem eorum substantiam sibi fecerunt in prædam, trahentes secum spolia infinita, camelorum quoque & asinorum multitudinem inauditam. Viri autem ex plurima parte, de remoto sentientes nostrorum aduentum, equorum velocitate rapti, ad vlteriora deserti fugâ salutem quærentes se contulerunt: tentoria, vxores, & liberos, simul & omnem substantiam suam hostibus exponentes. Accidit autem quòd dum in redeundo armenta & mancipia ante se trahentes proficiscerentur, quædam illustris fœmina, cuiusdam magni & potentis Principis vxor, in eadem transmigratione, casibus inuoluta communibus, inciderat. Huic prægnanti partus imminebat dies, ita vt in ipso itinere, præ doloris deficiens angustia, qualis solet esse parturientis, partum ediderit. Quod audiens 10 Rex, præcepit eam de camelo cui insidebat deponi, & de spoliis in terra lectum parari commodum pro tempore, datoque cibo & vtribus aquæ duobus; datâ etiam ei, secundum quod optauit, ancillâ, & duabus camelis, de quarum lacte nutriretur, designatis, mantello suo, quo erat indutus, eam inuoluens, dimisit; & cum exercitu suo profectus est. Eadem verò die, vel sequenti, magnus ille Arabum satrapa, cum multo suorum comitatu, exercitus nostri de more gentis suæ sequens vestigia, dolens & tristis admodum, quòd vxorem, nobilem matronam, & in proximo parituram amiserat, reliqua omnia quasi pro nihilo ducens, casu in vxorem sic iacentem incidit: vidensque & stupens humanitatem, qua erga eam dominus Rex abundauerat, cœpit vsque ad sidera Latinorum nomen, & maximè domini Regis clementiam extollere; & eidem de cætero, quantum poterat, esse fidelis; sicut postmodum 20 in multo necessitatis articulo, euidenti significauit argumento.

XII. Dum hæc in Oriente geruntur, audientes Occidentales principes mirabilia magna, quæ per seruos suos, qui peregrinationem ingressi fuerant, operatus est Dominus: quomodo per tot terrarum spacia, per tot varios multiplicesque casus exercitum suum in Terram traduxerat Promissionis, & quomodo ante faciem eorum subiecerat gentes, regna humiliauerat: læti de fratrũ successu; sed hoc ægrè ferentes, quòd eorum felicibus actibus digni non fuerunt interesse: apponunt qui relicti fuerant, & ex compromisso apud se firmiter concipiunt, expeditionem innouare. Horum maximus erat vir illustris & magnificus *Pictauensium Comes Wilelmus*, idemque Aquitaniæ Dux: dominus quoque *Hugo Magnus* Philippi regis Francorum frater, Co- 30 mes Viromandensium, qui primam expeditionem secutus, captâ Antiochiâ, inopiâ rei familiaris tractus, in patriam redierat: dominus quoque *Stephanus Carnotensium*, & Blesensium Comes, vir prudens & magni consilii, qui captâ Antiochiâ, futurum prælium reformidans, cum probro & ignominia consortes deseruit, & turpi fugâ perpetuam infamiam emit: hic priorem quærẽs defectum redimere, & abolere meritam priùs infamiam, ad iter se præparat, honestum sibi asciscens comitatum. Dominus quoque *Stephanus Burgundiæ Comes*, vir inclytus, & multâ nobilitate insignis, ad idem iter accingitur: & multi alii nobiles, qui suis regionibus, vitâ, genere & armis præclari, eodem accensi desiderio, ad proficiscendum se præparant, 40 expectantes, vt die constitutâ, maiores Principes iter arripiant, seque eorum associent legionibus. Factum est autem, vt die præfixâ, tempore opportuno, ordinatis ad iter necessariis, consortibus accitis, iter arripuerint; primæque expeditionis vestigia, etsi non deuotionem secuti, *Constantinopolim* peruenerunt: vbi à domino Imperatore Alexio satis honorificè suscepti, dominum *Comitem Tolosanum*, qui in prima expeditione tantus Princeps, tamque commendabilis extiterat, repererũt. Hic, vt prædiximus, vxore & familiâ ex plura parte, apud Laodiciam relictâ, ad dominum Imperatorem redierat, opem imploraturus, quatinus in Syriam redire, & vnam vel plures ex vrbibus eius sibi vendicare posset. Proposuerat enim incœptâ semel peregrinatione perseuerare perpetuò, & nunquam ad propria redire. Hunc er- 50 go tanquam virum industrium & prudentem gaudentes se reperisse, sumptâ à domino Imperatore licentiâ, donis ab eo cumulati vberioribus, dominum Comitem quasi pro duce habentes, transito Hellesponto, cum suis legionibus apud *Niceam Bithiniæ*, prioris exercitus vestigia legentes, peruenerunt.

XIII. At verò idem Imperator, vetusto Græcorum more, nostrorum successibus inuidens, quamuis eos, vt prædiximus, apud se satis benignè habuisset, occultè tamen per internuncios frequentes, in eorum perniciem hostes sollicitabat; & de eorum aduentu crebris epistolis,

epiſtolis & nunciorum diſcurſibus reddebat inſtructiores, eos præmonens, ne tantum populum ſuo periculo liberè tranſire patiantur. *Vicem ſcorpionis agens, cui cùm non ſit in facie quod formides, prudenter feceris, ſi caudæ poſterioris declinare poteris maleficium.* Per eum igitur & ſuos, noſtrorum aduentu præcognito, ex vniuerſo Orientali tractu vires conuocant, & tam precibus quàm prætio militaria colligunt auxilia, eorum iter præpedire volentes, quos tranſeundi propoſitum habere cognouerant. Noſtri autem ſiue ex induſtria, ſiue caſu, diuiſi ſunt ab inuicem; & variis cœperunt partibus incedere, facti quaſi ex induſtria *arena ſine calce*; nullum inter ſe habentes vinculum caritatis; & illam quam prior exercitus obſeruauerat diſciplinam, omnino 10 contemnentes. Suſcitatus eſt eis ergo, exigentibus meritis, potens aduerſarius, & dati ſunt in manus hoſtium, ita quod ex eis vnâ die in ore gladii promiſcui ſexus ceciderunt plus quàm quinquaginta millia. Quibus autem conceſſum eſt diuinitùs hoſtium manus effugere, hi nudi vacuique, amiſſis ſarcinis, & omnimodâ ſupellectile perditâ, ſalutem quocunque modo inuenerunt; tandemque caſu magis quàm induſtriâ, in Ciliciam peruenientes, apud *Tharſum* eiuſdem prouinciæ metropolim, dominum *Hugonem Magnum*, fatali ſublatum neceſſitate amiſerunt: quo in eccleſia doctoris Gentium, qui ex eadem fuit oriundus ciuitate, magnificè ſepulto, refocillati per dies aliquot, reſumpto itinere, *Antiochiam* peruenerunt. Quibus dominus *Tancredus*, prædictæ ciuitatis principatum adminiſtrans, omnem mo-20 re ſuo humanitatis gratiam exhibuit: maximè autem domino Pictauienſium Comiti; quia & cæteris nobilior, & longè potentior, & ampliùs cæteris in prædicta infauſta expeditione damnificatus fuerat, amiſſis penitus vniuerſis. Tandem videndi loca ſacra tracti deſiderio, quibus equi defecerant, nauigio; quibus autem adhuc ſupererant, terreſtri itinere Hieroſolymam feſtinantes, apud *Antaradon* vrbem maritimam, quæ vulgari appellatione *Tortoſa* dicitur, conuenerunt. Vbi de conſilio domini *Raymundi Comitis Toloſani*, ciuitatem impugnantes, quoniam eis expugnabilis videbatur, auctore Domino, infra paucos dies violenter occupauerunt, ciuibus eius aut peremptis gladio, aut perpetuæ mancipatis ſeruituti. Vrbem igitur domino Comiti reſignantes, ſpoliiſque iure belli inuicem diuiſis, cœpto inſiſtunt o-30 peri: prædicto Comite ad tuendam prædictam vrbem, inuitis cæteris, & eum ſecum trahere nitentibus, remanente.

XIV. Interea dum prædictus exercitus, vt prædiximus, circa partes Romaniæ infeliciter laboraret, dominus *Rex Hieroſolymorum*, nolens ocio torpeſcere, ſed regni fines ampliare ſolicitus, omnem dabat operam, quomodo regni anguſtias poſſet dilatare. Applicuerat porrò circa veris initium, in portu Ioppenſi, claſſis *Ianuenſium*, qui à domino Rege & eiuſdem vrbis ciuibus cum multa ſuſcepti ſunt honorificentia. Et quoniam in proximo erat Paſchalis ſolemnitas, ſubductis ad terram nauibus, Hieroſolymam ad diem feſtum aſcenderunt. Completâ igitur, de more, celebritate Paſchali, Rex per viros prudentes & exhor-40 tationis habentes gratiam, claſſis prædictæ conſules, ſimul & maiores natu, & turmarum capita, conuenire facit, interrogans: *Vtrum redeundi haberent propoſitum; aut ſeruitio Diuino ad incrementum Regni per tempus aliquod, honeſto deputato ſalario, ſe velint mancipare.* Qui communicato cum ſuis conſilio, reſponderunt: *Quòd ſi honeſtis conditionibus in regno poſſent moram facere, propoſitum eis erat, & fuerat ab initio, in DEI ſeruitio ad incrementum Regni fideliter per tempus aliquod deſudare.* Pactis ergò hinc inde, ad congruam conſonantiam redactis, ſtatutum inter eos, & iuramentis interpoſitis confirmatum, quòd *quamdiu cũ prædicta claſſe in Regno vellent moram facere, ſi quampiam de vrbibus hoſtium, vel oppidis per eorum auxilium violenter capi contingeret, tertiam partem manubiarũ & pecuniæ ab hoſtibus ablatæ, ſine omni moleſtia haberent ſuorum conſortibus diuidendã, reliquis duabus domino Regi conſeruatis. Inſuper & in qualibet ciuitatum, quæ eodem te-50 nore vendicarentur ab hoſtibus, vicum vnum, qui proprius eſſet ciuium Ianuenſium, ex compacto reciperent.* Hac igitur ſpe erectus dominus Rex, & de cœleſti præſumens auxilio, congregatis de ciuitatibus, quas habebat, tam equitum, quàm peditum militaribus copiis, *Arſur* oppidum maritimum, mari & terrâ obſidione vallat. Eſt autem hic locus, qui alio nomine *Antipatrida* appellatur, ab Herodis genitore Antipatro ſic appellatus, locus vber, ſyluarum & paſcuorum multas habens commoditates. Hunc locum anno præterito dux Godefridus bonæ memoriæ, obſidione clauſerat: ſed videns quòd non proficeret, non enim nauigiis abundabat, vt marinum obſeſſis

posset accessum impedire, infecto reuersus est negotio. Cùm igitur præsidium, locatis in gyrum agminibus, circũdedissent, castellum præcipit, ex magnis trabibus fabricari: quo cõposito, & artificum sollicitudine mœnibus applicato, præ ascendentium multitudine, cùm minus quàm expediret, in se haberet soliditatis, ad terram confractum decidit. Quo casu de nostris quasi centum grauiter læsi sunt: quidam etiã capti ab hostibus, quos in nostrorum præsentia affixerunt patibulis: quâ indignatione noster vehementer est motus exercitus; & instantes animosiùs, hostes infra vrbẽ cohibent, tantã captos formidine, vt iam de sui defensione, nec etiam cogitare viderẽtur. Nostri verò applicatis ad murũ scalis, iam turres & mœnia videbantur occupasse: cùm ecce oppidani de vita desperãtes, per intercessores apud dominum Regem obtinẽt, vt resignato municipio, ipsi cum liberis & vxoribus, mobilia sua deferentes, liberum & tranquillum habeant exitum, & vsque Ascalonam securum ducatum. Captum ergò præsidium relictis ibi custodibus, qui locum prouidè tuerentur, Cæsaream confestim adiit, eam sine dilatione obsessurus.

XV. Est autem *Cæsarea* vrbs in maritimis constituta, cuius priscum nomen est *Turris Stratonis*. Hanc, vt veteres habent historiæ, Herodes senior ampliauit, & nobilibus ædificiis insignitam, in honorem Cæsaris Augusti, *Cæsaream* appellauit, secundæ Palæstinæ, Romani Principis autoritate, metropolim constituens. Est autem locus, aquarum fluentium, & hortorum irriguorum habens plurimam commoditatem; portu carens: quamuis de eodem Herode legatur, quòd multis sumptibus, & curâ diligentiore, inutiliter tamen elaborauerit, vt tutam ibi aliquam nauibus præberet stationem. Ad quã cùm peruenisset Rex cum suo exercitu, classe eũ per mare æquis passibus prosequente, obsidionem locant in circuitu, & machinis iaculatoriis congruis stationibus dispositis, vrbem impugnant animosiùs, & crebris congressionibus circa portas ciuitatis ciuibus irrogant formidinem; magnorumque molarium immissionibus turres & mœnia debilitant, & domicilia interiùs confringentes, obsessis requiem negant. Paratur interea miræ altitudinis machina, turribus multò sublimior, vnde nostris esset facultas amplior vrbẽ impugnãdi liberiùs. Cùm ergò quasi diebus quindecim tam ciues quàm noster exercitus in eo perseuerassent negocio, vt hi totis viribus inferre, illi non dissimili studio propulsare conarentur molestias, & in cõflictibus assiduis animosiùs decertarent: intelligentes nostri, ciues molles ocio, & longâ quiete delicatos, armorum vsum non habentes, tantis impares laboribus, singulis diebus agere remissiùs, & bellorum ponderibus fatigari; moram inuicem arguunt; & se mutuò cohortantes, non expectant vt erigatur quæ fiebat machina, sed facto vnanimiter impetu, solito acerbiùs instant; & ciuibus infra mœnia violenter illatis, tantum ingerunt terrorem, vt de vita diffidentes, nec muros ad tuitionem communirent, nec defensioni vllam darent operam. Quod intelligentes nostri, scalas ad muros applicant, & subitò certatim ascendentes, turres occupant & mœnia: quorundam quoque studio reseratis aditibus, Rex cum suis ingreditur, ciuitate violenter effractâ. Hi iam passim discurrentes armati, & quæ sibi ciues tuta putabant præsidia, domos effringẽtes, patribusfamiliâs occisis, vasa, domus & quælibet eius desiderabilia rapientes, cæsâ familiâ, atria possidebant. Nam de his qui per vicos & plateas ciuitatis casu nostris obuiã se dabant, superfluum est differere: cùm hi etiam, qui diuerticula studiosè quęrebant & latebras, stragem declinare non poterant. Multi autem ipsi sibi, quibus fortasse aliàs indultum esset, mortis causas asciuerunt, qui aureos & lapides preciosos deglutientes, in suum exitium talium cupidos prouocabant eatenus, vt sectis eis per medium, intus in visceribus deposita rimarentur.

XVI. Erat autem in parte ciuitatis, in loco edito, vbi olim ab Herode ad honorem Augusti Cæsaris, miro opere dicitur fabricatum templum, publicum ciuitatis Oratorium: illuc vniuersus penè ciuitatis populus, quoniam orationis locus erat, spe consequendæ salutis confugerat: quo effracto, tanta eorum qui intrò se contulerant, facta est strages, vt occidentium de cruore occisorum bases tingerentur; & horror esset, funerum multitudinem intueri. In hoc eodem Oratorio, repertum est vas coloris viridissimi, in modum parapsidis formatum, quod prædicti Ianuenses smaragdinum reputantes, pro multa summa pecuniæ in sortem recipientes, ecclesiæ suæ pro excellenti obtulerunt ornatu. Vnde & vsque hodie transeuntibus per eos magnatibus, vas idem quasi pro miraculo solent ostẽdere, persuadentes

dentes quòd verè sit, id quod color esse indicat, smaragdus. Occisis autem per loca varia omnibus penè ciuibus adultis, virgunculis vix parcitur, & pueris impuberibus. Hic dabatur verè ad literam intueri quod scriptum est in Propheta: *Tradidit Dominus in captiuitatem virtutem eorum, & fortitudinē eorum in manus inimici.* Igitur cessante gladio, & strage populi cōsummatâ, comportatis in vnū spoliis & supellectile vniuersâ iuxta tenorem pactorum tertia pars designatur Ianuensibus, reliquis duabus domino Regi & suis in sortem cedentibus. Hic primùm noster populus, qui attritis in expeditione reculis, pauper & inops ingressus fuerat, & eadem tenuitate vsque ad illum laborauerat diem, onerati spoliis, & ditati pecuniâ cœperunt fieri 10 locupletiores, pinguiore sibi supellectile constitutâ. Adducti sunt autem coram domino Rege, sedente pro tribunali, procurator ciuitatis, qui linguâ eorum dicitur *Emir*; & Iuridicus, qui iuridicendo præerat, qui etiam linguâ eorum *Cadius* appellatur. His duobus, spe futuræ redemptionis, studiosè indulta est vita; compedibus tamen mancipati, traditi sunt custodibus deputatis. Porrò non habens Rex moram ibi faciendi diuturniorem ferias liberas, reuocantibus eum aliis negotiis, electo ibi Archiepiscopo quodam *Balduino*, qui cum domino duce Godefrido in expeditione venerat, relictis ad custodiam ciuitatis de exercitu nonnullis, ipse cum cæteris Ramulam festinat.

Psal. 77, 67.

XVII. Est autem *Ramula* ciuitas in campestribus sita, iuxta *Liddam*, quæ est *Diospolis*, huius antiquum nomen non reperi; sed neque ipsam pri-20 scis fuisse temporibus, frequens habet opinio; quam post tempora seductoris Mahumeth, eius successores Arabum principes, veteres tradunt historiæ, fundasse. Erat autem quādo Christianorum exercitus in partes Syriæ primitus appulit, ciuitas celebris, quæ multo populorum frequentabatur accessu, turribus & muro circumdata valido. Verùm, postquam nostrorū partibus illis se infuderunt legiones, quia nec antemurali cingebatur, aut vallo, vrbe relictâ, Ascalonam fugerūt omnes, propter ampliorem illius vrbis munitionem, eius habitatores. Nostri verò, vrbe, vt prędiximus, repertâ vacuâ, in quadam parte eius, castrum muris & vallo cōmunierunt, difficile arbitrantes, tantum murorum ambitum, cum paucis habitatoribus occupare. Rumor itaq; insonuerat, non multū à vero discrepans, quod *Ægyptius Calypha*, 30 quendam militiæ suæ principē, cum ingenti multitudine, ad partes direxerat Ascalonitanas: more suo præcipiens, vt absq; dilatione proficiscens, populum illum inopem & mendicū, qui fines eius ingredi præsumpserat, & quietem eius turbare non verebatur, aut gladiis deleret funditus, aut vinctum ad se perduceret in Ægyptum. Dicebātur autem esse qui aduenerāt, prædictum Principem secuti, vndecim equitum millia; peditum verò in viginti millibus dicebatur summa consistere. Hæc dominum Regem fama à Cæsarea maturare compulerat, timentem ne de multitudine sua pręsumentes, periculosas in Regnū irruptiones molirentur: quò perueniens, quasi per mensem expectans, videns quòd non procederent, Ioppen reuersus ęst. Tandem mense tertio Ægyptiorum legiones, de quibus præmisimus, timentes do-40 mini sui præterire mandatum; & super eo quod distulerant, indignationē metuentes & offensam, *de necessitate facientes virtutem*, animos erigunt, reparant vires; & ordinatis agminibus fines nostros ingredi, & nobiscum pugnare contendunt. Quod vbi domino Regi nunciatum est, collectis regni modicis copiis: quia maiores, possessionum angustiæ ministrare non poterant; exercitum circa Liddā & Ramulam colligit quantum potest. Erat autem ei equitum numerus ducenti sexaginta; pedites verò nongenti. Vbi autem constitit quòd hostes accederēt, Rex illis procedens obuiā, acies sex numero præcepit ordinari: quibus ordine dispositis, præuio ligno Crucis Dominicæ, quod quidam Abbas religiosus cum multo DEI timore gestabat in manibus, hostium acies cōtuentur: quibus intuitis, inuocato de supernis au-50 xilio, erectis in cœlum luminibus, eorum multitudinem non verentes, hostibus animosè se ingerunt, gladiis instantes viriliter, scientes quia res pro capite ageretur. Hostes nihilominus è diuerso, vxoribus & liberis, possessionibus & prædiis, quas in Ægypto dimiserant, nisi victores redeant metuentes, resistunt totis viribus; & pro modo suo laborant iniurias propulsare. Factum est autem, vt primæ hostium acies in vnam ex nostris irruentes, & ingenti multitudine illam dissoluentes, adegerunt in fugam: quam insectantes & perurgentes atrociùs, penè vsque ad supremum interitum deleuerunt. At verò reliquæ nostræ acies hostibus resistentes & instantes

atrociùs ſtragem mirabilem & inauditam exercebant, domino Rege, prout decebat tantum principẽ, nunc hos, nũc illos verbo & exemplo animante; & cum acie, cui præerat, oppreſſis & deficientibus miniſtrante vires, & animoſitatem ſuggerente. Accidit autem, vt poſt diu ancipitem belli euentum, noſtris diuinitùs conceſsâ victoriâ, hoſtes in fugam verſi ſunt, eorum Principe deſtituti, qui in agone decertans viriliter, gladiis confoſſus interierat. Videns ergo dominus Rex hoſtium agmina diſſoluta, cohortes partim gladio cecidiſſe, partim irreuocabiliter iniſſe fugam, præcipit ſub mortis periculo, vt occupandis ſpoliis nemo prorſus audeat inhiare; ſed hoſtes inſectando non parcant gladiis, ſed omnes interimant, quouſque vel vnus poſſit inueniri. Ipſe quoque primus hoſtes inſecutus, tam equitum quàm agilium peditum turmas trahens ſecum, vſque Aſcalonam, quaſi per miliaria octo, hoſtes cædere, & ſtragem operari multam, non deſtitit, quouſque nocte irruente, conſortibus cornu admonitis, in campum rediit certaminis: vbi tanquam victor, nocte illâ quieuit, ſpoliis iuxta militarem diſciplinã inter ſuos diuiſis. Dicuntur de hoſtibus cæſa ibi quaſi quinque millia: de noſtris verò recenſito numero, inuenti ſunt abeſſe equites ſeptuaginta; de peditibus verò multò plures, quorum tamen certus non habetur numerus.

XVIII. At verò qui noſtram heſterno conflictu fugauerant aciem, vſq; Ioppen fugientes inſectati, deficientium arma, loricas, ſcuta ſimul & galeas ſibi aptantes, ante vrbem intrepidi aſtiterunt, ciuibus intonantes, dominum Regem ſimul & vniuerſum Chriſtianum exercitum in prælio corruiſſe: & hoc eis pro euidenti eſſe argumento ſignificabant, quod familiarium & domeſticorum arma notiſſima, intueri poterant & agnoſcere. Quo audito, ciues & Regina quæ in vrbe erat, verum eſſe quod dicebatur arbitrantes, in lamenta ſe tradiderunt, initoque conſilio cum ſenioribus natu, & qui ſenſus habebãt magis exercitatos, vnicum credunt eſſe remedium, vt miſsâ legatione ad dominum Tancredum Antiochenorum principem, vt regno periclitanti & rectore deſtituto, ſubuenire feſtinet: quia vniuerſa fidelis populi, poſt DEVM, ſpes in eo ſit conſtituta. Rex autem nocte illâ in campeſtribus tranſactâ, luce terris reſtitutâ, victrices reuocans acies, verſus Ioppen iter dirigit. Accidit autem quòd dum eſſent in proficiſcendo hi, noſtros habuerunt obuiam, qui nocte proximè præteritâ relatione infauſtâ vrbem deterruerãt. hi noſtros cõtuentes, arbitrati ſunt ſuorum eſſe agmina: nam noſtrum exercitum heſternâ die cecidiſſe penitùs, quaſi certum habebant: quò fiducialiùs accedẽtes, noſtris penè ſe infuderant agminibus, cum dominus Rex ſuos exhortãs, & primus in eos irruens, ſecum præcipitem equitũm traxit numerum. Qui omnes vnanimiter pro animabus decertãtes, hoſtibus inſtãt viriliter, & artiùs deprehenſos, gladiis cominus rem agentes, nuſquam permittunt euadere. Interfectis igitur ex eis quampluribus, reliquis etiam præ timore mortis conuerſis in fugam, læti, & gratias Domino perſoluentes, onerati ſpoliis, & de rebus hoſtium facti locupletiores, iter cœptũm cõficiunt, Ioppen verſus contendẽtes. At verò Ioppitæ cõſternati animo, pro his quæ audierãt, vbi noſtra redire reſpiciunt agmina, quaſi de graui ſomno expergefacti, fuſis præ gaudio lachrymis, portas aperiunt; eis exeunt obuiam, ſignificantes quàm triſtia de ipſis audierant, & in quantum deciderant deſperationis profundum. Ingreſſi igitur in vrbem, lætum & celebrem egerunt diem, recenſentes adinuicem quantam fecerat cum illis Dominus miſericordiam. Vt verò dominus Rex cognouit, quomodo Regina & qui circa eam erant in illo mentis exceſſu, quem præ timoris anguſtia paſſi fuerant, domino Tancredo ſcripſerant, miſſo celerrimè nuncio, eundem egregium Principem pro regni caſu ſollicitum, & iam accinctum ad iter, de ſuo mirabili ſucceſſu literis certificat. Qui ſuſcepto nuncio, & de victoria domini Regis lætabundus & gaudẽs, gratias creatori perſoluit immenſas.

XIX. Interim principes illi, de quibus priùs feceramus mentionem, qui in partibus Romaniæ, miſerabili caſu tantum amiſerant exercitum, vt prædiximus, Antiochiam perueneran; & inde progreſſi, vrbem *Tortoſam*, ſicuti præmiſſum eſt, ab hoſtibus expeditam, domino *Raymundo* Comiti Toloſano tradiderant. Quibus Hieroſolymam properantibus, ne fortè ad fluuium *Canis* eorum iter præpediretur, Rex aſſumptâ ſecum occurrens militiâ, tranſitus anguſtias præoccupauit: Nec fuit leue quod eorum gratiâ tentauit: nam iuxta hoſtium vrbes quatuor, nobiles & populoſas, Ptolomaidam videlicet, Tyrum, Sydonem & Berytum, eum oportuit

tuit pertransire, priusquam ad locum perueniret prædictum. Domino igitur Rege cum suis transitus difficultatem obtinente, adsunt illustres viri, dominus videlicet *Wilelmus* Comes Pictauiensium, Aquitaniæ dux idem: dominus *Stephanus* Comes Blesensiũ: dominus *Stephanus* Comes Burgundiæ: dominus *Gaufridus* Comes Vindocinensium: dominus *Hugo* Lisiniacẽsis domini Raimundi Comitis Tolosani frater, & alii nobiles multi, læti plurimùm & gaudentes, tum quia transitum, quem tãquam periculosum nimis diu ante suspectũ habuerant, inuenerunt expeditum; tum quia dominum Regem sibi obuiam repererunt. Conuenientes igitur adinuicem, in mutuos irruunt amplexus, & alternæ salutationis affatu depenso, pacis iungunt 10 oscula, vicariis confabulationibus se recreantes: adeò vt iam & laborum & damnorum viderentur immemores, tanquam sinistrum nihil pertulissent: quibus secum assumptis, & legibus humanitatis, & plenâ caritate benignè tractatis, Rex *Hierosolymam* perduxit. Et quoniam propè erat Paschalis solemnitas, transcursis ibi diebus festis, *Ioppen* quasi in patriam redituri peruenerunt: vbi dominus Comes *Pictauiensium*, qui multâ premebatur indigentiâ, nauem ingressus, prosperè satis ad suam peruenit regionem. Vterque verò *Stephanus* nauem similiter ingressi, postquam diu & multùm fatigati sunt in æquore, contrariis acti flatibus, Ioppen redire coacti sunt.

XX. Cumq; omnes isti pariter moram ibi facerẽt, *Ascalonitæ* adiunctis sibi ex iis qui de prædicto prælio euaserãt Ægyptiis, & ingenti militiâ congregatâ, quæ ad nume- 20 rum viginti milium dicebatur accedere, fines nostros circa Liddam, Sauronam & Ramulam ingressi sunt: quod vt domino Regi nunciatum est, præter morem se habens nimis prouidè, non conuocatis ex finitimis vrbibus militaribus copiis; sed de sua virtute præsumens, non expectatis etiam iis qui secum erant in vrbe, properus nimis, imò præceps, vix secum ducentos habens equites, vrbem egressus est. Porrò illi nobiles, sumptis equis mutuò ab amicis & cognatis, ignominiosum sibi reputantes, si tantâ ingruente necessitate ipsi fruerentur ocio, nec fratrum laboribus cõmunicarent, egressi sunt pariter, Dominum Regem sequentes. Rex verò qui alios nimis incautè præcesserat, vbi hostium contemplatus est legiones, admirans multitudinem, facti cœpit pœnitere, reputans apud se verè dictum: *Malè cuncta mini-* 30 *strat impetus*; optaret non venisse se: verùm adeo hostium cohortibus se immerserat, vt iam nec pudor, nec mortis periculum reditum suaderent. At verò qui in exercitu hostium erant prudentiores, & in re militari maiorem habebant experientiam, videntes nostros præter morem absq; peditum manipulis, equitum quoq; turmas, prætermisso ordine militari confusas accedere, cœperunt apud se maiorẽ de victoria spem habere; vnde facti animosiores, digestis in ordinẽ aciebus, vno impetu in nostros irruunt, tantò instantes animosiùs, quantò eos ordinem solitum magis neglexisse conspexerant. Oppressi itaq; irruentium vehementiùs ingẽti multitudine, & belli pondus ferre non valentes, cæsis pluribus in fugam versi sunt: qui tamen in cõflictu ceciderunt, cruentã hostibus de se reliquerunt victoriã: nam vsq; ad supre- 40 mũ defectũ decertantes viriliter, ex hostibus plurimos gladiis cominus obtruncantes, reliquos dissolutis agminibus penè in fugã converterant, cùm ecce resumptis animis, nostrorũ paucitatem, suorum verò attendentes multitudinẽ, exhortantes se adinuicẽ, iteratò se ingerunt vehementiùs; & nostros, vt prædiximus, adegerunt in fugã: qui autẽ sani euaserunt, in oppidũ Ramulam se conferentes, salutẽ se sperabãt inuenisse. Ceciderunt in ea acie vterq; Comes *Stephanus*, & alii nobiles, quorũ numerum vel nomina non tenemus. Congratulandum est, vt nobis videtur, huic viro nobili, & apud suos & sanguinis generositate & operum magnificentiâ præclaro, Comiti videlicet Carnotensium, domino *Stephano*. Certum est enim, quod iuxta magnam misericordiam suam egit cum eo Dominus: cui veterem infamiæ no- 50 tam, quam ab expeditione fugiens Antiochena, miserabiliter contraxerat, optimo fine abolere concessit: nec enim meritò ei ad næuum imputabitur de cætero, quod tam fausto fine redemit. Nam qui pro CHRISTI nomine decertantes, in acie fidelium & Christiana militia dicuntur occumbere, non solùm infamiæ, verùm & peccaminum & delictorum omnimodam credimus abolitionem promereri.

XXI. Rex verò, etsi de oppidi munitione non multùm præsumeret, tamen vt mortis imminens declinaret dispendium, videns quod circumfusis hostium agminibus aliàs nõ dabatur ei euadendi locus, cum aliis intus in municipiũ se recepit: dumq; de vita &

salute totâ nocte sollicitus, curis grauibus vreretur, ecce intempestæ noctis silentio, ab hostium se subtrahens exercitu, adfuit oppido vicinus, solus absque comitatu, prædictus ille nobilis de Arabia princeps: cuius vxori dominus Rex, vt præmisimus, modico antè tempore, tantam exhibuerat humanitatem; memor sanè collati beneficii, & ingratitudinis declinans peccatum, suppressâ voce, iis qui in muro erant, locutus est, dicens: *Verba habeo ad dominum Regem secretiora, quæ perfero; facite vt ad eum introducar: expedit enim.* quod postquam domino Regi nunciatum est, verbum admisit, & illum præcepit introduci: qui admissus, Regem quis ipse sit, edocet: Beneficium quod ab eo in vxore sua receperat, ad memoriam reuocans; & eius se intuitu illi obligatum perpetuò ad refundendam vicem non dissimilem, asserens: Regem instruit, vt de præsidio egrediatur, consilium pandens hostium, quod summo mane castrum debeant obsidione vallare, & omnes intus comprehensos in mortis præcipitare sententiam: iuxta quod dominum Regem monet, vt secum egrediatur, spondens se, auctore Domino, tanquam locorum peritum, eum in tuto sine difficultate repositurum. Tandemq; Rex egressus cum eo, paucissimis comitatus, ne fortè si maiores turbas traheret, hostium in se concitaret exercitum, illum sequens ad montana conscendit: vbi prædictus nobilis ab eo digrediens, ad hostium expeditiones reuersus est, obsequium suum & promptam tempore opportuno promittens deuotionem. At verò hostes victoriâ potiti, eos qui intra oppidum se contulerant, obsidione vallantes, & vndique impugnantes hostiliter, violenter comprehēderunt, comprehensosq; pro libero tractantes arbitrio, partim neci tradiderunt, partim compedibus alligantes, perpetuæ mancipauerunt seruituti. Tanta quidem nobilium virorum & fortium strages, vsque ad illum diem in Regno non legitur accidisse. Confusum est penè Regnum, & omnium vires eneruatæ, cordibus prudentium interiùs liquefactis: ita vt nisi maturè visitasset eos misericorditer *Oriens ex alto*, in desperationis decidentes abyssum, regnum parati erant deserere. Erat quippe nostrorum populus exiguus; nec de partibus transmarinis tutè poterant in Orientem accedere, timentes hostium vrbes maritimas, quæ à dextra læuaq; erant plurimæ. Nam vt prædiximus, à Laodicia Syriæ, vsque ad Ægypti fines nouissimos, non nisi duas de vrbibus maritimis noster obtinebat populus, *Ioppen* videlicet, & de nouo captam *Cæsaream*. Qui autem accedebant, completis orationibus ilicò reuertebantur, nostrorum videntes debilitatem, & penè defectum, timentes communibus cum eis calamitatibus inuolui.

XXII. Rex ergo ad montes, vt prædiximus, fugiēs, amissis viæ consortibus, velocis equi ereptus beneficio, & prædicti nobilis viri ducatu, totâ nocte in locis desertis trepidus latuit: manè facto, duobus sociis, quos casus obtulerat, comitatus, viarum secutus dispendia, per medias hostium insidias, *Arsur* vsque peruenit. Vbi à suis qui in eodem oppido erant, gaudenter exceptus, sumpto cibo, confortatus est: nam præ famis sitisq; angustia, dum veniret, penè defecerat. Videtur autem & diuinitus procuratum quiddam, quod ei dicitur accidisse. Nam eadem die, vix vnius horæ interiecto spacio ab eodē oppido maximus hostiū discesserat numerus, qui sine intermissione oppidanis totâ die pro foribus bellum intulerant: quos si in eodem loco perseuerantes Rex accedens reperisset, vix eorum manus potuisset effugere. Rumor interim de Rege varius habebatur: nam qui de prælio euaserant pauci, Hierosolymam venientes, Regem inter cæteros cecidisse asserebant. *Episcopus* verò *Liddensis*, qui auditâ & prope conspectâ eorum qui in Ramulensi præsidio capti fuerant strage, relictâ Ecclesiâ suâ Ioppen confugerat, de Rege interrogatus, se nihil omnino scire fatebatur: eos tamen qui in præsidium se receperant, vitam miserabiliter finiisse, constanter asserebat; se quoque fugâ latēter elapsum, vt vitæ consuleret, dicere non verebatur. Erat ergo per totum regnum, ad quos sermo iste peruenerat, vbique luctus, vbique gemitus & lachrymæ, diffidētibus de vita singulis, & mortem optantibus celerem, ne viderent mala gentis suæ, & regni desolationem aspicerent. Cùm ergo mœror & luctus & suspiria, Regnum occupassent vniuersum, ecce Rex, quasi stella matutina in medio refulgens nebulæ, ab Antipatrida egressus, *Ioppe* nauigio subitum se intulit. Vbi à ciuibus cum gaudio susceptus, ex insperato depulsis tenebris serenum intulit, suâ delens præsentiâ quicquid sinistrum acciderat. Exiit ergo sermo iste per vniuersos Regni fines; & quos rumor primus animo deiecerat, secundus in spem bonam erexit. Interea dominus

minus *Hugo de Sancto Aldemaro*, Tyberiadensis dominus, à Hierosolymitanis cōmonitus vt domino Regi subueniret, cum octoginta equitibus, vsq; Arsur peruenerat, Regi auxilium ministraturus. Quod rex audiens, assumptis secum quos apud Ioppen inuenire poterat, ei procedit obuiam, timēs ne hostes per regionem liberè diffusi, eis aduenientibus insidias molirentur, aut cōgregatis copiis; eorum manifestè iter impedire niterentur. Occurrens ergo illis, iunctis cum multa hilaritate cōplexibus, & agminibus sociatis, Ioppen cum multa ciuium exultatione ingressi sunt. Missis igitur nunciis, eos qui in montibus erant, ad subueniendum ei sollicitat: qui maturè conuenientes, propter hostes qui media liberiùs obtinebant, viarum secuti 10 dispendia, infra paucos dies, apud Arsur peruenerūt: Vnde cum difficultate & vitæ periculo, hostibus inter eundum occurrentibus, *Ioppen*, auctore Domino, peruenerunt. Erant autē qui de nouo accesserāt equites promiscui meriti, quasi nonaginta; Quibus receptis, dominus Rex in bonā spem erectus, quærens quas intulerant, hostibus recompensare iniurias, & mala quę irrogauerant refundere cū vsuris, instructis & iuxta rei militaris disciplinam ordinatis cōgruè tam equitum aciebus, quàm peditum manipulis, hostibus obuiam egreditur, eorum multitudinem de Domini fretus auxilio paruipendens. Erant autem hostes in proximo quasi ad miliaria tria, crates, scalas, & varii generis machinas ex electa lignorum materia cōtexentes; quibus erat propositum, & idipsum leue videbatur, vrbem inimicam impugnare; Re-20 gemq; obsessum interiùs, cū ciuibus vniuersis, quasi vilia captiuare mācipia. Dumque in hoc essent opere solliciti, ecce Rex cum suo iam præsens aderat exercitu. Quod videntes aduersarii, quòd ab iis quos victos reputabant, vltrò prouocarētur ad prælia, correptis armis accingunt se vt occurrāt; nihil timentes eos, quos iam penitus defecisse arbitrabantur. Nostris tamen irruentibus, & pro omnibus quæ acceperant paratis recompensare duplicia, more leonum, quibus raptis catulis est ira propensior, & pro vxoribus & liberis, pro libertate & patria totis viribus decertantes, infusâ desupernis virtute, & diuinâ præeunte gratiâ, hostium gladiis dissoluunt agmina; & interfectis ex eorum numero quàmpluribus, reliquos turpiter fugam inire compellunt. Insequi autem diutiùs propter eorum paucitatem, nostris non 30 est visum expediens: sed in castra hostium redeuntes, spolia colligunt plurima; asinos, camelos, papiliones & tentoria, victusq; & alimentorum diuersa genera secum deferentes, Ioppen cum victoria, populo applaudente vniuerso, reuersus est. Quieuitque regnum quasi mensibus septem.

XXIII. Igitur dum hæc in Regno variè multipliciterq; sic aguntur, dominus *Tancredus* vir illustris, congregatâ de vniuersis suis militiâ, & tam equitum quàm peditum copiis cōuocatis, nobilē sedem, Cœlesyriæ metropolim, obsidet *Apamiam*. Vbi cùm aliquandiu more optimi principis, debitâ perseuerasset instantiâ, singula percurrens argumenta, quibus hostium solēt expugnari præsidia; nihil omittens eorum quæ obsessis molestias solent inferre grauiores, operoso studio, & sollicitudine non pigrâ, pręueniente eum Diuinâ clementiâ, 40 ciuitatem obtinuit, principatus fines amplians in immensum. Inde eadem, vt dicitur die, *Laodiciam* perueniens, quæ à Gręcis possidebatur, eam in suam recepit ditionem; veteribus conditionibus interpositis inter se & eosdē Laodicenses, quòd quacunq; die Apamiam sibi vendicaret, eadem die ei sine difficultate resignarent Laodiciam. Harum vtranque nobilissimarum vrbium, *Antiochus* Seleuci filius fundasse legitur, & de nominibus filiarum, quarum altera Apamia, altera verò Laodicia dicebatur, ciuitatibus dedisse nomina. Hic autem de Laodicia Syriæ nobis est sermo: nam est & alia Laodicia quæ inter septem vrbes Asiæ minoris numeratur, iuxta id quod in Apocalypsi *Ioannis* scribitur, ita: *Quod vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis, Ephesum, Smyrnam, Pergamum, Tyatiram, Sardis, Philadelphiam, & Laodiciam.* (Apoc. 1, 11.) Harum 50 alteram, Laodiciam videlicet, diuus Seuerus coloniam fecit, teste Vlpiano, qui de ea in Digestis, titulo de censibus, ita ait: *Est & Laodicia in Syria, cui diuus Seuerus ius Italicum, ob belli ciuilis merita concessit.* Domino igitur eius promouente negotia, opus multorum dierum vno perfecit itinere, duas simul vrbes recipiens, quarum ampla lateque diffusa cum multis oppidis & suburbanis iacebant territoria. Erat quippe vir DEVM amans, Deoque amabilis, fide insignis, strenuitate conspicuus, exigentibus meritis populo acceptus, & in cunctis prosperè agens.

XXIV. Dominus etiam *Balduinus* Edessanorum comes, vir magnificus, & per omnia commendabilis,

qui domino Regi, vt prædictum est, in Comitatu Edessano successerat, strenuè & feliciter terram sibi subditam administrabat, hostibus circumpositis suspectus plurimùm & formidabilis. Cumq; sine vxore esset & liberis, cuiusdam *Gabrielis* Meleteniæ Ducis, de quo superiùs fecimus mentionem, filiam *Morfiam* nomine, vxorem duxit, magnam & valdè necessariam cum ea, dotis nomine, suscipiens pecuniam. Erat autem prædictus *Gabriel*, natione, linguâ, & habitu Armenius; fide tamen Græcus. Accidit autem, quod dum in optimo esset statu, & optimâ tranquillitate frueretur, quidam consobrinus eius, *Ioscelinus* videlicet *de Cortenay*, vir nobilis de Francia, de regione quæ dicitur *Gastineis*, accessit ad eum: qui cùm non haberet terram vel possessiones aliquas, ne ad alium ignotum, gratiâ promerendi beneficii cogere- 10 tur declinare, possessiones ei maximas contulit; omnem illam videlicet suæ regionis partem, quæ circa Euphratem fluuium magnum sita est, in qua erant vrbes *Cortium* & *Tulupa*; oppida verò ampla & munitissima *Turbessel*, *Hamtab* & *Rauendel*, & quædam alia. Sibi verò regionem trans Euphratem, hostibus magis vicinam, detinuit, vnâ solâ vrbe de interioribus, Samosato videlicet, retentâ. Erat autem vir prudentiâ præditus seculari, in agendis circumspectus; in cura & dispositione rei familiaris prouidus valde; optimus paterfamiliâs, vtilium prouisor; vbi necessitas exigebat liberalis, sed modicè aliâs parcus, domesticorum bonorum solertissimus conseruator; in sumendis alimentis sobrius, de habitu & ornatu proprii corporis non multùm habens curam. Vnde & prædictam regionis portionem, sibi à domino Co- 20 mite liberaliter cōcessam, multâ rexit industriâ, bonis omnibus abundans.

XXV. Eodem tempore dominus *Boamundus* Antiochenorū princeps, vir magnificus, & per omnia commendabilis, Diuinâ cum respiciente gratiâ, post annos quatuor, quibus vinculis hostium mancipatus fuerat, precio interueniente redemptus, Antiochiam reuersus est. Vbi à domino Patriarcha, clero & populo vniuerso, gratāter susceptus, vniuersam prouinciam, & Regnum nihilominus, desiderato eius lætificauit aduētu. Cognitoq; quàm prudenter fideliterq; dominus Tancredus, eius cōsanguineus, commissum sibi in eius absentia administrauerat principatum, captisq; duabus eximiis vrbibus eius fines strenuè dilatauerat, gratias illi agens immensas, benignè habuit; plurimam partem regionis, sicut eius videbantur exigere merita, sibi & here- 30 dibus suis iure perpetuo tradidit possidendam. Nec multo pòst, vniuersum ei, sicut in sequentibus dicetur, commisit principatum. Interea verò *Arnulfo*, de quo superiùs diximus, Hierosolymitano Archidiacono more suo inter Regem & dominum Patriarcham *Daimbertum* scandala serente, & ministrante odium, cœpit repullulare quæ priùs sopita videbatur inter eos inimicitia; adeoque creuerat inter eos indignatio, vt suscitato aduersus eum per eiusdem seductoris operam & studium clero, vir religiosus & pacis amator, iuges molestias ferre non valens, ecclesiâ simul & vrbe relictâ, inops & pauper, consilii simul & auxilii indigens, ad dominum confugit Boamundum: Qui aduenientem honestè suscipiens, tanto erga eum maiore motus misericordiâ, quò eius sollicitudine & operâ ad Hierosolymitanam ecclesiam no- 40 uerat esse promotum: & ne apud se aliter quàm tantum virum haberi oportebat, moram faceret, ecclesiam sancti Georgii, quæ infra Antiochenam vrbem sita est, cum ingentibus prædiis & multis redditibus, consentiente domino *Bernardo*, eiusdem loci Patriarchâ, liberaliter assignauit: ibique cum eo vsque ad eius in Apuliam transitum, sicut in sequentibus dicetur, morā habuit continuam.

XXVI. At verò Rex, prædicti Arnulfi seductus malitiâ, prætermisso DEI timore, expulso domino Patriarchâ Daimberto, adiecit etiam vt peius faceret. Quendam enim simplicem & religiosum circumueniens sacerdotem, *Ebremarum* nomine, in sedem intrusit Patriarchalem. Hic autem simplex homo, in prima venerat expeditione, honestæ conuersationis merito cunctis acceptus: sed in hoc crassam nimis & supinam inuentus 50 est ignorantiam habuisse, quod viuente domino Patriarchâ, sedem eius licere sibi credebat vsurpare. Eodem etiam anno, qui erat ab incarnatione Domini *millesimus centesimus tertius*, circa veris initiū, celebratâ Hierosolymis Dominicæ resurrectionis solemnitate, conuocatis de Regno vniuerso militaribus copiis, dominus Rex obsidet *Ptolomaidam*. Est autem *Ptolomaida*, ciuitas maritima, prouinciæ Phœnicis, vna de vrbibus suffraganeis, quæ ad Tyrensem metropolim habēt respectum: portum habens infra mœnia & exteriùs, vbi tranquillam possit nauibus præbere stationem.

A. Dn. 1103.

tionem. Est autem & satis commodè sita inter montes & mare, pingue & optimum habens latifundium, *Belo* flumine præterfluente ciuitatem. Hanc frequens fama est geminos fratres fundasse *Ptolomæum* & *Acconem* & muris vallasse solidioribus; eamq; quasi per mediū diuisam, suis nominibus appellasse: vnde & hodie binomia est, vt Ptolemaida dicatur & *Accon*, sicut pene omnes Syriæ ciuitates duo vel tria habent nomina. Ad hanc igitur cum suis legionibus dominus Rex perueniēs, quoniam naualem non habebat exercitum, non multùm potuit quoad deditionem artare; sed cæsis in circuitu pomeriis, interemptis ex ciuibus nonnullis; abductâ etiam prædâ, gregibus & armentis, quæ extra ciuitatem repererunt, solutâ obsidione, ad
10 propria reuertebatur. Volensque per Cæsaream redire, accidit quòd in loco, qui dicitur *Petra incisa*, iuxta antiquam Tyrum, inter Capharnaum & Doram oppida maritima, qui locus hodie *Districtum* appellatur, prædones & viarum publicarum effractores inuenit. In quos in insidiis latentes vehementer irruens, pluribus interemptis, aliis elapsis fugâ, vnus casu in Regem vibrās iaculum, à parte posteriore per cratem costarum, cordi vicinum immisit telum, quo ictu eum penè morti tradidit; sed tandem medicorum adhibitâ sollicitudine, post incisiones & cauteria, salutem recepit aliqualem; eiusdem vulneris, certis temporibus recrudescente dolore, perpetuò fatigatus. Per idem tempus dominus *Raimundus* bonæ memoriæ, XXVII. Tolosanus comes, obtentâ ciuitate quæ vulgò dicitur *Tortosa*, vt præmisimus, fi-
20 nes suos tanquam vir egregius, magnificus, & verus DEI cultor, strenuè nimis & viriliter dilatabat circumquaque: anxiusq; quo modo Christiani nominis aduersarios à finibus illis propulsaret, in colle quodam ante vrbem Tripolitanam, vix ab ea miliaribus distante duobus, fundauerat præsidium: cui, quoniam à Peregrinis constituebatur, nomen ex re dedit, vt perpetuò diceretur *Mons Peregrinus*: & ita vsque hodie à fundatore nomē seruat impositum, naturali situ, & artificum industriâ satis munitum. Vnde Tripolitanis ciuibus incessanter diebus penè singulis inferebat molestias; ita vt vniuersæ regionis incolæ, & etiam ipsius ciuitatis habitatores annua eidem persoluerent tributa; nec minus ei obedirent in omnibus, quàm si vrbem ipsam sine contradictore possideret. Natus est etiam ei in eodem loco, ex pro-
30 pria vxore, DEO deuota fœmina, filius de nomine maiorum dictus *Amphossus*, qui eidem postea in comitatu Tolosano successit. Anno ab incarnatione Domini XXVIII. *millesimo centesimo quarto*, mense Maio, idem dominus Rex conuocatis viribus & po- A. D. 1104. pulo vniuerso, à minimo vsque ad maximum, eandem de qua suprà diximus, *Ptolomaidam* obsidere contendit: inde potissimum occasione sumptâ, quod per eosdem dies, *Ianuensium* in partes Syriæ classis applicuerat, nauium rostratarum, quæ vulgò dicuntur *Galeæ*, septuaginta. Quo cognito, missâ statim ad consules legatione, verbis amicis inuitat eos, vt antequam ad propria redeant, CHRISTO velint militare: exemplum etiam familiare proponens de eorum ciuibus, quorum studio & operâ, vrbem Cæsaream regno vendicauerat, non sine perpetua ciuium Ianuensiū gloria,
40 & emolumento non modico. Tandemq;, prudentibus interpositis viris, & rem effectui fideliter mancipare quærentibus, responsum dederunt: *Quòd si redditūum & obuentionum quæ ex marino accessu in portu colligerentur, tertia pars illis in perpetuum concederetur; & in ciuitate ecclesia, & in vico iurisdictio plena daretur, ad capiendam prædictam vrbem fideliter elaborarent.* Placuerunt itaque domino Regi & principibus eius cōditiones prædictę, & fidei nexu corroboratas, vtrimq;, scripti beneficio, perpetuæ memorię mandauerunt. Sic igitur die præfixâ illi per mare, dominus Rex cum suis per terram vrbem prædictam, locatis in gyrum castris, obsidione vallant; ciuibusque introitu negato & exitu, molestias inferunt quales quantasq; solent obsessis irrogari. Machinis etiam circumpositis, quales solēt argutorum hominum reperire ingenia, in ho-
50 stium erigunt perniciem, turres ex eis flagellantes & mœnia; & ædificia etiam interiora magnorum molarium immissione confringentes. Præterea crebris cōgressionibus tam à classe per oram maritimam, quàm ex opposita parte per regium exercitum fatigatis; plurimis ex ciuibus casibus variis interemptis, obsidentium instantiam, & frequentes impetus, durum videbatur portare. Cumque per dies viginti continuos, tam nostri oppugnando, quàm illi à se repellendo iniurias, desudassent, interpositis conditionibus, quòd *qui egredi optarent, cum vxoribus & liberis, & eorū mobilibus, ad quas vellent partes, liberum haberent exitum; qui verò in domibus suis manere,*

& natale solum eligerent non deserere, datâ singulis annis domino Regi certâ præstatione, bonis conditionibus vterentur; Regi ciuitatem tradiderunt: quâ obtentâ, Ianuensibus iuxta singulorum merita, possessiones & domicilia assignauit. Hic primùm per mare accedentibus patuit secura tranquillitas, & portu commodiore recepto, & littore ab hostibus aliquantulum expedito.

XXIX. Eodem anno, dominus *Boamundus*, cum vniuersis eiusdem prouinciæ magnatibus, dominus quoque *Tancredus*, dominus etiam nihilominus *Balduinus*, Edessanorum comes, vnà cum domino *Ioscelino* eiusdem cōsanguineo, conuenientes ad inuicem, fide mediâ compromiserunt, quod Euphraten transeuntes, *Carran* vrbem, Edessæ vicinam, ab infidelibus detentam, obsiderent. Iuxta quod conceptum, euocantes certatim ex suis regionibus militares copias, & auxilia vndecunque conrogantes, die præfixâ Euphraten transeuntes, apud Edessam peruenerunt. Interfuerunt autem eidem infaustæ expeditioni viri venerabiles, & ecclesiæ præclara lumina, dominus *Bernardus*, Antiochenorum patriarcha; dominus *Daimbertus*, Hierosolymorum patriarcha, qui tunc vagus, exul, & profugus apud Antiochiam demorabatur: dominus quoque *Benedictus*, Edessanorum archiepiscopus. Hi omnes apud prædictam vrbem congregati, propositum effectui mancipare satagentes, cum suis legionibus ad locum perueniunt destinatum. Est autem *Carran*, vt veteres tradunt historiæ, is locus, ad quem *Thare*, filium Abraham, & ex filio Haran nepotem *Loth*, de Vr Chaldæorum fugiens, & in terram Chanaan properans, eduxit, & habitauit ibi, secundùm quod in libro Geneseos continetur; (Gen. 11, 31.) vbi & idem mortuus est: vbi & *Abraham* responsum accepit à Domino, vt egrediens de terra sua, & de cognatione sua, Domini sequeretur promissiones. Idemq; est locus, in quo & Romanorum dictator *Crassus*, aurum quod sitierat, Parthis propinantibus, bibit. Quò cùm peruenissent, sicuti ab initio proposuerant, vrbem claudunt obsidione: nec multùm erat necessarium vrbem aliter impugnare, quàm ingressus exitusque ciuibus prohibere; modicum enim, & penè nihil intus habebant alimentorum. Caussa autem huius erat inopiæ: Dominus Balduinus longè antè multam dabat operam, quomodo inopiâ illius loci fatigarentur ciues, vt fame aliquando molestati, vrbem ei traderent. Modus autem, quo propositum effectui mancipare satagebat, hic ei visus erat idoneus. Inter Edessam porrò, & prædictam illam ciuitatem, quæ vix quatuordecim à se distant miliaribus, fluuius quidam discurrit medius, qui suâ irrigatione, canalibus deriuatus, circumadiacentem planiciem vberem reddebat, & frugibus fœcundam. A priscis autem temporibus solum prædictum hanc habuerat limitationem, vt quod citra fluuium erat, Edessanis sine molestia cederet; quod verò trans fluuium, Carrenses proprium possiderent. Videns autem dominus *Balduinus*, quòd hostium ciuitati omnino exteriùs nihil alimentorum accederet, sed de locis illis communibus omnem sibi victum propagarent; maluit ipse hac commoditate defraudari, quàm vt hostes, qui non satis commodè aliunde poterant, de locis mediis alerentur. Frequentibus igitur irruptionibus diu antè prohibuerat in locis suis agriculturam exerceri, sperans quod de regione trans Euphratem, & de ea quæ inter Edessam & eundem fluuium iacebat media, alimentorum posset suis ciuibus ministrare sufficientiam; Carrenses autem eâ subtractâ commoditate, quam de prædictis locis communibus habere consueuerant, ad intolerabilem compellerentur inopiam, sicut verè rei exitus manifestum dabat; idq; iam annis ante pluribus inhibuerat. Obsidentes igitur prædictam vrbem, vt præmisimus, multâ victus inopiâ eam inuenerunt laborantem. Ciues tamen nostrorum aduentu longè antè præcognito, per nuncios & literas principes Orientis solicitauerant, significantes, quòd nisi maturè subuenirent, parati erant deficere. Videntes autem, quòd eis inde nullum ministrabatur subsidium, & famis angustia singulis diebus eos ampliùs molestaret, communicato consilio, potiùs eligunt vrbem resignare, quàm intus fame tabescere, & præ alimentorum defectu liquefieri.

XXX. Exeuntes ergo, tradunt se in manus obsidentium, sine conditione aliqua. Sed stimulante inuidiâ, effusa est contentio inter principes: & dum contēdunt ad inuicem dominus princeps *Boamundus*, & dominus comes *Balduinus*, vtri illorum tradatur ciuitas, vtrius illorum priùs in vrbem inducatur vexillum; differunt vsque mane vrbem traditam occupare, quousque de illa friuola quæstione pleniùs deliberarent. Didicerunt itaque per rerum experientiam, quàm verum sit illud: *Mora*

secum

secum periculum trahit: & illud iterum; *Nocuit differre paratis.* Nam antequam dies illucesceret crastina, tam ingens hostium affuit multitudo, tamq; numerosus & formidabilis Turcorum exercitus, vt nostri etiam de vita diffiderent. Qui autem aduenerant, alimentorum infinitas secum trahebant copias: condixerantq; adinuicem prudenter satis & callidè, vt se in duas diuiderent turmas, vt dum altera cum nostris quocunque euentu, siue prospero siue sinistro, dimicaret, altera ciuibus inferret victualia. Factumq; est ita. Nam statim die iam aliquantulum adultâ, aduersæ partis Principes instruunt agmina, ordinant acies, tanquam protinus pugnaturi, seorsum illis constitutis, quibus sarcinarum cura fuerat commissa. Neque his tamen, qui se aptabant ad prælia, spes erat vlla, aut obtinendi victoriam, aut resistendi diutius: sed id solùm eis videbatur sufficere ad propositum, si nostris circa eos occupatis, obsessi ciues allatum sibi possent victum recipere. Videntes igitur nostri Principes hostes præparari ad prælium, ipsi quoque aciebus & agminibus congruo digestis ordine, vtroque Patriarcha sermonibus exhortatoriis, addere militibus nituntur animos: sed Domini gratiâ destituti, nec verbis iuuantur, nec admonitionibus. Nam statim primo conflictu facti sunt hostes eorum in capite; & ipsi ignominiosè cedētes terga dederunt hostibus: castra deserentes & sarcinas, fugâ salutem quærebant, quam non potuerunt inuenire. Nam hostes reiectis arcubus, & eorum officio neglecto, gladiis instantes cominus, penè omnes interficiendo deleuerunt. Capti sunt ibi *Comes Edessanus*, & dominus *Ioscelinus* eius consanguineus; & vinculis alligati, in terras hostium tracti sunt remotiores. Dominus autem *Boamundus*, cum domino *Tancredo*, & vtroque Patriarcha, tumultui se subducentes bellico, viarum studiosè declinantes compendia, Edessam peruenerunt incolumes. At verò eiusdem loci Archiepiscopus, sicut vir simplex erat; turbis inuolutus præliaribus, vinctus & cathenatus, numerum auxit captiuorum. Accidit autem, quod cuiusdam Christiani deputatus custodiæ, super eum, ex quo Episcopum nouit esse, motus visceribus caritatis, animam suam pro illius ponens anima, illæsum abire permisit: qui tandem, protegente eum Domino, infra paucos dies Edessam reuersus est, cum multa ciuium hilaritate susceptus. At verò dominus Princeps, dum adhuc Edessæ moram faceret, audiens quod peccatis exigentibus, Comes captus esset, consentientibus ciuibus, vrbem domino Tancredo seruandam credidit, & regionē vniuersam; eâ conditione, vt redeunti de carcere domino Comiti, ei statim sine difficultate resignaret: Ipse autem domini Ioscelini terram in suam recepit solicitudinem. Porrò nec priùs nec postmodum in vniuerso Oriente, tempore Latinorum, vspiam legitur tam periculosum fuisse prælium, tantaq; strages virorum fortium, gentisq; nostræ tam ignominiosa fuga.

EXPLICIT LIBER DECIMVS.

CAPITVLA LIBRI VNDECIMI.

INCIPIT LIBER VNDECIMVS.

CAP. I.

AESTATE verò transcursâ, dominus *Bodmundus*, multo aeris alieni pondere fatigatus, vt ad debiti solutionem se pararet, & vt de partibus vltramarinis maiores militum secum traheret copias, principatus sui curâ & administratione generali, cum plena iurisdictione dilecto suo consanguineo domino *Tancredo* commissa, in Apuliam nauigauit; & cum eo dominus *Daybertus*, Hierosolymorum patriarcha. Qui postquam in Apuliam peruenit, modico tempore in sua regione moram faciens, assumpto de suis fidelibus honesto comitatu,

tatu, alpes transiens, ad dominum *Philippum* illustrem Francorum regem peruenit. A quo inter cætera duas eius obtinuit filias, vnam de legitimo natam matrimonio, *Constantiam* nomine, quam sibi fœdere coniugali copulauit in vxorem; alteram nomine *Ceciliam*, quam ei Andegauensium Comitissa, (quæ spreto marito, ad eundem dominum regem se contulerat) vxore adhuc viuente, pepererat, quam domino Tācredo nepoti suo, ex Apulia missam, destinauit vxorem. Completis ergo negociis tam apud eundē dominum Regem, quàm in aliis vltramontanis partibus, cum ingenti equitum peditumq; transfretare volētium multitudine, in Apuliā iterum reuersus est. At verò dominus *Daybertus*, ad Ecclesiā Romanā accedens, & iniuriarum

10 quas patiebatur, modū aperiens; simul & Arnulfi nimis efficacem malitiam ordine pandens; necnon domini Regis sinistram intentionem, quâ ecclesiam DEI humiliare nitebatur, omnes ad sui mouit compassionem, gratiam obtinēs vniuersorum. Nec solùm id enorme, quod de domino patriarcha *Dayberto* suprà memorauimus factum esse, cōtra disciplinam Ecclesiasticam, Rex commiserat; verùm etiam vxorem legitimam, quam apud Edessam, dum ibi Comes esset, duxerat, absq; causæ cognitione, non conuictam, non confessam, lege matrimoniorum neglectâ, dimisit: eamque in *monasterio sanctæ Annæ*, matris DEI genitricis & semper virginis Mariæ, monacham fieri compulit violenter. Est autem idem locus Hierosolymis in parte Orientali, iuxta portam quæ dicitur *Iosaphat*, secus lacum qui tempore antiquo *Pro-*

20 *batica* dicebatur piscina: vbi ostenditur cripta, in qua Ioachim & prædictæ Annæ, traditiones habent veterum, domicilia fuisse; vbi & virgo perpetua, nata esse perhibetur. Erant autem ibi tres vel quatuor pauperes mulierculæ vitam sanctimonialē professæ, quibus gratiā vxoris introductæ ampliauit possessiones & patrimonium dilatauit. Caussa autem cur ab vxore diuerterit, apud diuersos varia ferebatur: dicentibus aliis, dominum Regem ideo dimisisse vxorem, vt ditiorem & nobiliorem ducendo, conditionem suam faceret meliorem; & paupertati, quâ plurimum premebatur, sumptâ dotis nomine aliunde opulentiâ, consuleret: aliis verò asserentibus, Reginam improuidam, minusq; prudētem, thori maritalis minus cautè obseruasse fœdera. Cumq; prius, quasi gaudens, religionis habitum videretur assumpsis-

30 se, & primo conuersionis suæ tempore, satis honestè videretur in eodem monasterio conuersata, tandem occasione sumptâ ex commentis fraudibus, ad dominum Regem accedens, licentiam obtinet vt pro necessitate monasterii sui, ad subleuandam eius inopiam liceret ei consanguineos suos, qui Constantinopoli erant, visitare: sub quo prætextu de Regno exiens, sordibus & immunditiis omnem cœpit dare operam; depositoq; religionis habitu, diuaricans se ad omnem transeuntē, nec propriæ parcens æstimationi, nec Regiam quam habuit reuerita dignitatem. Anno sequenti, qui erat ab incarnatione Domini *millesimus centesimus quintus*, dominus *Raimundus* bonæ memoriæ Comes Tolosanus, vir religiosus & timens DEVM, vir per omnia commendabilis, cuius actus admirabiles, & vita virtutibus insignis, speciales desiderant tractatus, in oppido suo, quod ipse fundauerat ante vrbem Tripo-

II. A. Dn. 1105.

40 litanam, cui nomen *Mons Peregrinus*, viam vniuersæ carnis, verus CHRISTI confessor, ingressus est, pridie Kal. Martii: cui successit nepos eius *Wilhelmus Iordanis*, in eadem obsidionis sollicitudine: in quo opere vsq; ad aduentum Comitis *Bertrami*, satis strenuè viriliterq; desudauit, quousq; super eadem re quæstionem passus, aliquantulum ab opere destitit, vt in sequentibus dicetur. Admirandam sanè huius venerabilis viri, & tam præsentibus quàm futuris commendabilem insignis animi credimus constantiam, qui semel pro CHRISTO initam, vsq; ad supremum exitum vitæ, non fastidiuit patienter portare peregrinationem. Et cùm in patria tanquam vir illustris & præpotens, & amplissimum habens patrimonium, potuisset bonis o-

50 mnibus abundare pro votis, elegit potiùs abiectus esse in obsequiis Domini, egressus de terra & de cognatione sua, quàm in tabernaculis apud suos abundare peccatorum. Cæteri enim Principes eiusdem peregrinationis professores, Vrbe Sanctâ restitutâ libertati, quasi votorum potiti consummatione, reuersi sunt ad propria: hic autem semel assumptam crucem veritus est deponere. Cumq; à suis familiaribus & domesticis illi cum multo suggereretur studio, vt voti compos, desideranti se patriæ restitueret, maluit se in holocaustum dare Domino, quàm illecebris se reddere secularibus: magistrum imitatus, cui cum diceretur, *Descende de cruce*, maluit con-

Matth. 27. 40.

ſummatâ paſſione, alienis deponi manibus, quàm ab incepto noſtræ ſalutis deſiſtere propoſito. Eodē etiam anno, *Rodoan*, quidam vir præpotens, Halapiæ dominus, de adiacentibus regionibus tam prece quàm precio, conuocatis auxiliis, in graui multitudine Antiochenorum fines ingreſſus, regionem totā incurſionibus deterrebat, & incendiis moleſtabat frequentibus. Quod audiens dominus *Tancredus*, conuocatis viribus, & tam equitum quàm peditum militaribus copiis, illuc procedit ei obuiam, vbi eum ſuas habere copias famâ celebriore cōpererat. Egreſſus igitur ab Antiochia, verſus *Artaſiam* exercitus dirigit: quò perueniens, hoſtium ingentem multitudinem, vt ei nunciatū fuerat, reperit: in quos inuocato de ſupernis auxilio, & pro meritis impetrato, viriliter irruens, primò reſiſtere tentantes, ſed mox in diſſolutionem datos, in fugam adegit. Cæſis autem innumeris, captiuati ſunt ex eis plurimi, retento vexillo prædicti *Rodoan:* qui vt vitæ conſuleret, fugam primus iniecerat: quodq; noſtris multo fuit ſolatio, in recompenſationem eorum quos in ſimilibus negotiis amiſerant ſæpiùs, equos optimos, quos ab hoſtibus deiectis eorum ſeſſoribus abſtulerant violenter, ſibi multos vendicauerunt.

III. Eodem anno, acceſſerunt ad *Ægyptium Calypham* quidam de principibus eius, dicentes: *Populus ille Peregrinorum, qui hoc nouiſſimo tempore regnum tuum violenter ingreſſi ſunt; & animarum prodigi ſuarum, hactenus principibus à te miſſis reſtiterūt, de multitudine confiſi quam prior introduxerat exercitus, hanc ſibi comparauerāt audaciam. Nunc autem illis ex maxima parte reuerſis ad propria, & aduentantium Peregrinorum ſolatio deſtituti, facti ſunt rariores, frequētibus expeditionibus facultatibus eorum omnino conſumptis. Vnde nobis videtur opportunum, ſi tuæ idipſum viſum fuerit Maieſtati, vt electum vnum de magnatibus tuis, ad partes illas dirigas, qui regionem illam ab illo infœlici populo occupatam, expediat.* Placuit ſermo, & optimus viſus eſt in conſpectu Calyphæ: & præcipiens ingentem conuocari exercitum, & claſſem parari maximam, deſignatis principibus vtrique ſeorſum exercitui, eos in Syriam dirigit: qui peruenientes *Aſcalonam*, magnam Regno vniuerſo intulerunt formidinem. Quod audiens Rex, *Ioppen* cum vniuerſis regni viribus celer peruenit, lege edictali præcipiens, vt omnes illuc de ſingulis vrbibus, ſine mora conueniant. Adfuerunt igitur ſub omni celeritate qui euocati fuerant; inter quos & dominus *Ebremarus* Hieroſolymorum patriarcha, viuificæ Crucis lignum ſalutare ſecum deferēs, nihilominus adfuit. Quibus receptis, recenſito noſtrorum numero, inuēti ſunt habere equites quingentos, peditum duo milia. Hoſtium verò dicebatur eſſe numerus ad quindecim milia, exceptis illis qui in claſſe militabant. Qui ab Aſcalona diſcedentes, claſſem præceperunt verſus Ioppen properare: ipſi autem *Azotum* tranſeuntes, in duas ſe turmas diuidunt, ordinātes, vt altera illarum verſus *Ramulam* procedat, dominum Regem ad pugnam prouocans; altera *Ioppen* properet, vt Rege contra alteram occupato, illam vrbem impugnet, conuocatis iis qui in claſſe illuc iam aduenerant. Iuxta ergo prædictum conſilium, bipertito agmine, pars altera Ramulenſes fines ingreſſa, inſtructis aciebus, aduentus ſui, tubarum crepitu, & ſtrepitu tympanorū, euidens dederunt argumentum. Hoc autē de induſtria fiebat, vt dominum Regem cum ſuis expeditionibus in ſe prouocantes, pars altera oram maritimam ſecuta, Ioppen tuta poſſet peruenire: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. Nam cùm Regem cum ſuis expeditionibus appropinquantem intuerentur, contabuerunt corda eorum præ timoris anguſtia: & alteram partem reuocantes, vix adhuc putabant ſe ſufficiētem habere multitudinem, vt eius poſſent manus euadere. Factum eſt ergo, quòd conuenientibus contra ſe mutuò legionibus, Rex cum ſuis in hoſtes irruens inſtat animoſiùs; verbo ſimul & exemplo ſuorum exhortans acies, vires ingeminat. Dominus quoq; Patriarcha, viuificæ Crucis lignū præliaturis ingerens, & percurrens agmina, monet & hortatur *vt eius meminerint, qui pro nobis peccatoribus in eodem ligno ſalutem operari voluit:* præcipit etiam, *in remiſſionem peccatorum vt contra hoſtes nominis & fidei Chriſtianæ decertent viriliter, ab eodem mercedem expectantes, qui ſuis ſolet centuplum retribuere.* Sic ergo noſtri facti animoſiores, hoſtibus vehementiùs inſtant; & implorato de cœlis auxilio, peremptâ ex eis infinitâ multitudine, reliquos in fugam conuertunt. Cecidit autem in eodē conflictu, præſes Aſcalonitanus; ſed vniuerſi exercitus procurator euaſit fugiens. Dicuntur cæſa illâ die, de hoſtibus quaſi quatuor milia; de noſtris verò ſexaginta inter mortuos reperti ſunt. Obtinuerunt ergo, præuiâ Domini clemētiâ, hoſtium caſtra, & infinitas camelo-

camelorum phalanges: sed & asinos & equos innumerabiles, cum optimis spoliis & pluribus mancipiis secum trahentes, Ioppen cum lætitia & exultatione peruenerunt. Captus est etiam illâ die quidam nobilis, qui aliquando fuerat procurator in ciuitate Acconensi, pro quo Rex postmodum viginti millia dicitur habuisse aureorum. Classis tamen hostiū nihilominus adhuc in portu Ioppensi morabatur: sed cognito suorum interitu, Austro flatus ministrante necessarios, in portum se Tyrensem receperunt. Vnde postmodum in Ægyptum redire cupientes, ortâ repente in mari procellâ, vi turbinis ab inuicem diuisi, viginti quinq; naues ex eis fretum sustinere non valentes, in nostra littora impegerunt: ex quarum remigibus & nautis,
10 exceptis mortuis, nostri in vincula coniecerunt plus quàm duo millia. Interea IV. dominus *Daimbertus* Hierosolymorum patriarcha, post longam exspectationē, quâ eum detinuerat dominus *Paschalis* Papa, & ecclesia Romana, volens pleniùs edoceri, vtrum Rex Hierosolymorum, & qui eum expulerant, vellent contra eū aliquid allegare, vnde hoc videri possent de iure fecisse: postquam nemo cōparuit, qui contra eum aliquid obiiceret; nec in eius facto aliquid aliud notari poterat, nisi quod Regiâ expulsus erat violentiâ, cum plenitudine gratiæ, & Apostolicarum prosecutione literarum, iussus est ad propria redire, & sedem recipere, ex qua indebitè fuerat deturbatus. Qui tandem in Siciliam veniens, apud Messanam moram faciēs necessariam, transitum expectans, graui correptus ægritudine, sextodecimo Kal. Iu-
20 lii, viam vniuersæ carnis ingressus est. Sedit autem in pace annis quatuor, in exilio verò, tribus. *Ebremarus* verò eiusdem sedis incubator, audiens quòd prædictus dominus Daimbertus, cum plenitudine gratiæ reuertebatur, sedem suam recepturus; antequam de obitu eius instrueretur, ad eandem Romanam transfretare decreuit Ecclesiam, allegaturus de sua innocentia, quomodo inuitum & renitentem in eandem sedem eum locauerant. Quò perueniens nihil impetrare potuit, quàm vt cum eo dirigeretur legatus, qui de causa eius, Hierosolymis constitutus, pleniùs posset cognoscere. Designatus est autem ad id munus prosequendum dominus *Gibelinus*, vir senior & grandæuus, Arelatensis Archiepiscopus, qui de mandato domini Papæ, Hierosolymam profectus, conuocato Episcoporum regni concilio, de
30 causa domini Ebremari cognouit pleniùs. Cumque ei constitisset per testes idoneos sufficientes, & maiores omni exceptione, quòd dominus *Daybertus* absque causa legitima, Arnulfi factionibus & Regiâ violētiâ fuerat expulsus; & quòd *Ebremarus* adhuc viuentis Pontificis; & Ecclesiæ Romanæ habentis communionem, sedem occupauerat, auctoritate quâ præminebat, eum à patriarchatu deposuit. Sed considerans multam viri religionem, & simplicitatem miram, *Cæsariensem*, quæ tunc vacabat, Ecclesiam, ei concessit habendam. Postmodum verò dum de substituendo Ecclesiæ Hierosolymitanæ Patriarcha, clerus & populus disceptaret, constitutâ ad hoc specialiter die, vt super eo negotio de more tractaretur, post multas hinc inde deliberationum partes, in dominum *Gibelinum* Apostolicæ sedis Le-
40 gatum vnanimiter conueniunt, & eum in sedem locant Patriarchalem. Hoc etiam prædictus *Arnulfus* malitiosè dicitur construxisse, vt homo senex & decrepitus, in illa sede diu viuere non posset. Eodem anno, qui erat ab incarnatione Domini *millesimus centesimus septimus*, Ascalonitæ, solitâ vsi malitiâ, in via publica, quâ A. Dn. 1107. ab Hierosolymis ad mare descenditur, in locis opportunis insidias locauerant, equitum quingentorum & peditum mille. Audierant enim quòd nostrorum caterua, ab vrbe Ioppensi egrediēs, Hierosolymam esset profectura: volentesq; quod viribus non poterant, dolis procurare, in prædictis latebant insidiis: cùm ecce nostri omnium horum ignari, iter cœptum conficientes, in eorum offenderunt insidias. Cumq; plurimùm anxiarentur, dubitantes vtrum cederent, aut contenderet;
50 instantibus hostibus deliberandi spacium abstulerunt. Videntes ergo nostri quòd aut ignominiosè occumbere, aut cum eis viriliter pugnare oporteret, *facientes de necessitate virtutem*, animos induunt; & quos priùs habuerant formidabiles, resumptâ audaciâ, & spiritu vehementi instantes, in mentis conuertunt stuporem: & iamiam nostrorum impetus ferre non valentes, multis interemptis, captiuatis etiam nonnullis, eos in fugam versos aliquandiu prosecuti sunt. Tandem diuinâ opitulante gratiâ, victoriâ potiti, tribus tantùm de suo numero perditis, Hierosolymam profecti sunt. Eodem etiam tempore, cùm *Tyrensium* ciuitas adhuc ab hosti- V.

bus detineretur,& nostrorum modis omnibus impediret processum: vir nobilis & potens,& inclytæ in Domino recordationis, dominus *Hugo de sancto Aldemaro*, qui post dominum Tancredum vrbi præfuit Tiberiadensi, quantum locorum distantia permittebat,(distant enim à se prædictæ duæ ciuitates, quasi miliaribus triginta) frequentibus & occultis irruptionibus ciues molestabat Tyrenses. Cumque in eundo & redeundo sæpiùs eius periclitaretur militia, eò quòd in medio prædictarum vrbium nec præsidium inueniretur, nec munitionis aliquod genus, in quo se sui possent recipere, & subsequentium hostium declinare importunitatem: adiecit vir præclarus, in summis montibus vrbi Tyrensi prominentibus, & ab eadem quasi per decem distantibus miliaria, in loco cui nomen priscum *Tibenin*, castrum ædificare, cui quoniam in monte erat excelso admodum & cacuminato, nomē indidit *Toronum*. Est autem locus is inter mare & Libanum, quasi in medio constitutus, à Tyro & Paneade æquè distans, in tribu Asar, salubritate & aëris gratâ tēperie commendabilis; solum habens opimum, vineis & arboribus prorsus habile; sed & frugibus & agriculturæ commodissimum. Præstitit ergo non solùm fundatori diebus illis, ad opus prædictum commoditatem optatam; verùm vsque hodie & vbertate quam porrigit, & multâ munitione quâ præminet, & Tyrēsium vrbi, & Regno vniuerso vtilitates incomparabiles. Nec mora, post prædicti fundationem præsidii, idem nobilis homo cum equitibus septuaginta hostiū fines ingressus, cum quatuor milibus Damascenorum prælium committens semel, & secundo eodem die ab hostibus repulsus grauiter; tertio melioribus irruens auspiciis & animositate diuinitus collatâ, simul & viribus, auctore Domino, fortioribus receptis, hostes in fugam cōuertit. Ipse tamen ictu sagittæ letaliter confossus, interiit, vir prudens & strenuus, & exigentibus meritis Regi & regno plurimùm cōmendabilis & acceptus. Cæsi sunt in eo conflictu, de hostibus ducenti, & equi totidem à nostris recepti. Pòst eosdem etiam dies visa sunt in Oriente signa & prodigia multa in cœlestibus. Nam per quadraginta dies, & eo ampliùs, *Cometa* circa noctis initium visus est longè comam trahere: & iterum ab ortu solis, vsq; ad horam tertiam visus est Sol duos habere collaterales, paris magnitudinis, sed inferiores splendore solis. Visa est & Iris circa solem, suis distincta coloribus. Quæ omnia, certum erat mortalibus noua portendere.

VI. Per idem tempus, *Alexius* Constātinopolitanus Imperator, vir malitiosus & nequam, volētibus per eius regiones Hierosolymam proficisci, multa ministrabat impedimenta. Nam & contra primam expeditionem, quæ ei multo fuerat emolumēto, vt premissum est, *Solimannum* potentissimum Turcorum principem, & Barbaras ex vniuerso Oriente sollicitauerat nationes: & contra secundam, cui *Pictauensium* præerat Comes, easdem nihilominus nationes, & infideles populos frequentibus concitauerat legationibus; vnde eius efficiente malitiâ, posterior expeditio penè tota deperiit. Nec solùm semel & secundò ita in nostros malignatus fuerat; sed quotiens se offerebat oportunitas eis damna moliri, parare præcipitia, pro lucro sibi reputabat: præsentibus tamē, & coram positis benigna dabat responsa & munera largiebatur, vt eò falleret commodiùs, Græcorum obseruans morem de quibus dicitur: *Timeo Danaos & dona ferentes.* Suspectum enim habens omnium Latinorum generaliter processum, nec eorum vires multiplicari, nec dilatari potestatem, vbicunque ministrare poterat impedimentum, patiebatur. Harum igitur dominus *Boamundus* memor iniuriarum, à transmontanis reuersus partibus, vniuersorum Latinorum caussam prosequens, equitum habens quinq; milia, peditum verò quadraginta milia, septimo Idus Octobris in terram prædicti Imperatoris nauigio peruenit; & confractis penè vniuersis maritimis vrbibus, & in direptionem datis, vniuersam Epirum, tam primam quàm secundam depopulatus est; tandemq; Durrachiū obsidens, Epiri primæ metropolim, regionem circumquaque incendiis & depopulationibus tradens, circumiacentibus regionibus, pro libero arbitrio vtebatur, parans ad delendas Latinorum iniurias, auctore Domino, ad vlteriora Imperii violenter procedere. Audiens igitur Imperator dominum Boamundum, cum ingenti militia Latinorum, intra fines suos ingressum, ipse suos nihilominus colligit exercitus, & ei procedens obuiam, copias suas in vicino constituit: vbi communibus interuenientibus amicis, Imperator fœdus iniit cum eo, interpositis iuramentis, *quod de cætero CHRISTI fidelibus in Orientem transire volentibus, bonâ fide, sine fraude & malo*

ingenio,

ingenio, consilium ministraret & auxilium: nec eorum iter ab iis quos ipse cohibere posset, impedire pateretur. His ita compactis & fidei nexu interposito confirmatis, dominus quoque *Boamundns* iuramento corporaliter præstito, amicitiam & fidelitatem perpetuò conseruandam promisit. Inde in Apuliam reuersus, dimissâ peregrinorum turbâ, quæ votis obligata, tenebatur iter Hierosolymitanum perficere, ipse domi, familiaribus adhuc detentus curis, remansit. Æstate verò sequente, præparatis iam ex parte ad iter necessariis, & congregato nauigio, dum ad iter accingeretur, copiis vndecunque conuocatis, validâ correptus ægritudine, in fata concessit: vnico filio principatus & nominis herede relicto, ex domina *Constantia* domini Philippi, illustris 10 Francorum regis, filia suscepto. Mortuus est etiam eodem anno dominus *Philippus* Francorum rex illustris, socer eius. Accidit etiam per eosdem dies, dum adhuc prædicti nobiles, dominus videlicet Comes *Balduinus* & *Ioscelinus*, eius consanguineus, apud hostes detinerentur in vinculis, occasione sumptâ ex eorum absentia, collecta est ex Orientali sinu *Turcorum* infinita multitudo, & innumerabiles copiæ; atque in Mesopotamiam descendentes, circa partes Edessenas cœperunt hostiliter degrassari, præsidia quædam violenter occupantes, suburbana tradentes incendiis, colonos captiuantes & agriculturæ dantes operam: ita vt extra ambitum vrbium muratarum, tutus non reperiretur locus; & deficiente agriculturâ, victus omninò deficeret. Dominus autem *Tancredus*, cui regionis commissa erat sol- 20 licitudo, circa partes Antiochenas detinebatur occupatus: cuius curam etiam, vt pręmisimus, domino Boamundo discedente, susceperat. Audiens tamē, quòd tanta hostium in partibus illis esset importunitas, vocato domino Hierosolymorum *Rege*, & causâ vocationis manifestatâ, ipse quoque quantas potest ex vniuersis vrbibus & præsidiis conuocat copias. Cui sic acceleranti, & pro regione sollicito infra paucos dies Rex affuit, iunctisque simul agminibus Euphratem transierunt: quò peruenientes hostes reperiunt, vt eis fuerat nunciatum, per vniuersam regionem liberis discursibus euagantes: qui cognito nostrorum aduentu, cœperunt se adinuicem recolligere; & illam quam prius habuerant, discurrendo minus experiri licentiam. Compertas iterum habentes sæpiùs nostrorum vires, cum eis pugnare 30 formidant; nec tamen ad propria redire disposuerant; sed scientes vtrumque Principem liberas ferias non habere, vt moram diuturnam in ea possent facere regione, ita diu nitebantur eos protrahere, vt tædio affecti maturarent reditum, & ipsi ad consuetas recurrerent infestationes. Cognoscentes igitur nostri eorum propositum, cōsilium ineunt quale pro temporis angustia poterant inuenire commodius: congregari enim præcipiunt, ex ea regione quæ est circa Euphratem, quæ frugibus copiosissimè abundabat, vniuersi generis alimentorum copias: & flumine transmisso, oneratis equis, camelis, asinis, & burdonibus victum copiosissimum, & ad multa tempora sufficientem vrbibus inferunt & præsidiis: maximè autem vrbem Edessanam vsque ad redundantem sufficientiam communientes. Postmodum ve- 40 rò de corporibus ciuitatum & præsidiorum, non multam gerentes sollicitudinem, quoniam admodum armis, viris, & victu erant munita, reuocantibus eos maioribus rerum articulis, ad Euphraten reuersi sunt. Vbi dum modicis & corpore & numero fluuium transeunt nauiculis, quosdam de inferiore manu qui adhuc transitum expectabant, vlteriorem ripam tenentes, hostes nostrorum vestigia sequuti, irrunt; & ex eis quosdam interficientes, reliquos csptiuos trahunt, præsentibus domino Rege, dominoque Tancredo, & eis subsidium ministrare non valentibus: amnis enim medius erat, quem vadis transire non poterant; neque erat facile, paucis paruisque nauiculis, tantum exercitum reportare. Nostri verò dolentes admodum super illis pauperibus, quos se præsentibus occidi viderant, & ex parte capti- 50 uari, reuersi sunt ad propria: regionem etiam cis Euphratem, præcipientes magnatibus, qui ei præerant, diligētiùs communiri. Erant autem qui supra ripam Euphratis capti fuerant & interfecti, pauperes Armenii, qui Turcorum fugientes importunitatem, in loca tutiora se conferre proposuerant. Sequente anno, qui erat ab incarnatione Domini *millesimus centesimus nonus*, dominus *Balduinus* Comes Edessanus, cùm annis quinque cōtinuis fuisset apud hostes detentus in vinculis, vnà cum Ioscelino cognato suo, datis obsidibus pro certa summa pecunię, quam pro sua redemptione pepigerant, in suam se libertatem receperunt, redeuntes ad propria: cum

VII.

VIII.

A. D. 1109.

quibus etiam satis misericorditer fecit Dominus. Nam obsides eorum in quodam presidio, custodibus deputatis commissi, casu, siue somno siue mero grauatis, mortem intulerunt, vnde postmodum ad propria clàm, & per diuerticula de nocte errabundi peruenerunt. Accedenti ergo prædicto comiti ad Edessanam vrbem, dominus *Tancredus* dicitur ei introitum denegasse: sed tandem memor iuramentorum, quæ interposita fuerant, cùm eodem Comite capto, domino Tancredo ciuitas tradita fuerat, ad cor rediens, tam ipsam vrbem, quàm regionem vniuersam eidem præcepit resignari. Quâ iniuriâ moti, postmodum bellum eidem Tancredo ambo pariter indixerunt. Ioscelinus autem specialiter, qui citra Euphraten sua habebat præsidia, & Antiochenis vicinior erat partibus, Principem magis infestabat. 10 Accidit autem quadam die, vt Turcorum multitudinem in suum couocans auxilium, in terram Principis irruptiones moliretur, quod Princeps præsentiens, ei occurrit: commissoque inter eos prælio, primâ fronte de exercitu domini Tancredi ceciderunt viri quasi quingenti: sed tandem resumptis animis, & aciebus instauratis, Turcorum magnam strauerunt multitudinem, Ioscelinum & suos in fugam conuertentes. Porrò videntes maiores regionis, & qui sensus habebant magis exercitatos, quòd tantorum virorum periculosa nimis erant odia, & quòd in multum poterant Christiano populo detrimentum cedere, interpositis partibus suis, eos adinuicem reconciliauerunt.

IX. Eodem tempore *Bertramus*, domini Raimundi bonæ memoriæ comitis Tolosani filius, cum classe Ianuensium circa vrbem applicuit Tripolitanam, vbi *Wilelmus Iordanis* eius cōsanguineus vrbem obsidione vallabat eandem, sicut & continuè fecerat à die obitus prædicti venerabilis viri, qui in 20 eodem negocio moriens defecerat. Statim autem in eius aduentu orta est contentio inter eos, Bertramo de patris successione allegante: Wilelmus autem, proprii laboris, & impensæ per quatuor annos continuos sollicitudinis merita prætendebat. Ille in bona paterna tanquam hæres legitimus volebat succedere: iste locum, suâ expugnatum instantiâ, sibi nitebatur vendicare. Dumque ista diu esset agitata controuersia, interuenientibus amicis communibus, vt de pace tractarent, conuenit inter mediatores, quòd pro bono pacis, *Wilelmo Iordanis* ciuitates Archis & Tortosa cum suis pertinentiis concederentur; *Bertramo* verò Tripolis, & Biblium, & 30 Mons peregrinus, item cum suis pertinentiis. Factumque est ita, & ratum habitum partis vtriusque concessu. Vnde *Wilelmus* pro parte sibi designata, factus est homo Principis Antiocheni, fidelitate ei manualiter exhibitâ: *Bertramus* partis sibi designatæ, à domino rege Hierosolymorum inuestituram suscepit, ei solemniter exhibens fidelitatem. Additúm est etiam in compositionis forma, quòd si alter sine liberis vitâ decederet, alter ei succederet in vniuersum. Quęstione verò prædictâ per huiusmodi sopitâ transactionem, accidit quod inter armigeros vtriusque familiæ, ex causa leui, orta est contentio: pro qua pacificanda, cùm velox in equo sæpe dictus comes Wilelmus occurreret, sagittâ casu percussus, interiit. Dicebatur à nonnullis, quòd comitis Bertrami dolis & machinationibus comes Wilelmus interierit; sed tamen vsque hodie illius vulneris non comparuit certus auctor: sic igitur 40 sublato æmulo, & prædictæ vrbis competitore, Bertramus solus in expeditione mansit. Erat autem classis *Ianuensium*, cum qua venerat, galearum septuaginta: cui præfecti erant duo nobiles viri Ianuenses, *Ansaldus* & *Hugo Ebriacus*. Videntes ergo quòd circa vrbem Tripolitanam, per idem tempus operam consumerent, vtile iudicant interim aliquid memoriâ dignum aggredi: commonitoque familiariùs comite Bertramo, vt cum eis præsens velit esse per terras, ipsi classem versus Biblium dirigunt. Est autem *Biblium* vrbs maritima, in Phœnice cōstituta, vna de suffraganeis vrbibus, quæ Tyrensi metropoli iure metropolitico intelliguntur esse subiectę, cuius memoriâ *Iezechiel* Propheta facit, dicens: *Senes Biblii, & prudentes eius, ô Tyre, præbuerunt nautas ad ministeriū variæ supellectilis tuæ.* Item in secundo libro Regū de eadem scribitur ita: *Porro Biblii præparauerunt ligna & lapides ad ædificandum domum Domini.* Dicta est autem prisco vocabulo *Eue*[illegible]: eamque fundasse creditur *Eueus*, 50 sextus filiorum Chanaan. Ad hanc peruenientes, & eam mari terraque circumuallantes, ciuibus admodum territis, & de sui tuitione diffidentibus, classis præfectos prædictum Ansaldum & Hugonem Ebriacum missâ legatione conueniunt, significantes, quòd si volentibus egredi liberum cum vxoribus & liberis vellent dare exitum;

Ezech 27, 9.

3. Reg. 5, 18.

exitum; nolentibus autem sua deserere domicilia, in vrbe liceret bonis conditionibus immorari, parati essent reseratis aditibus, eos tanquam dominos admittere. Quibus conditionibus iuxta vota eorum admissis, vrbem prædictis duobus tradiderunt viris: quorum alter, *Hugo* videlicet *Ebriacus*, sub annua certi census præstatione fisco Ianuensium inferenda, vsque ad certum tempus eam recepit. Hic idem, huius Hugonis, qui eidem hodie præest ciuitati, auus fuit, qui eius nomen obtinet & agnomen. Captâ ergo prædictâ ciuitate, classis iterum Tripolim est reuersa.

X. Audiens igitur dominus Rex prædictam *Ianuensium classem*, captâ Biblio, circa Tripolitanas partes moram adhuc facere, illuc properus accedit, tentaturus si eosdem Ianuenses aliquibus conditionibus secum posset detinere, quatinus eorum fretus auxilio, vnam de vrbibus maritimis sibi vendicaret. Restabant enim adhuc in nostro littore quatuor rebelles, *Berythum* videlicet, *Sydon*, *Tyrus* & *Ascalona*, quæ nostrorum nouellæ plantationi multùm oberant, ad obtinendum incrementum. Illuc ergo veniẽs, omnes qui in obsidione erant, tam per mare, quàm per terras, suâ exhilarauit præsentiâ, & in opere cœpto reddidit feruentiores. Statim enim in eius aduentu visi sunt, qui exteriùs in obsidendo laborabant, maximum reperisse solatium; ita vt & maior eis audacia accessisse videretur, & vires non dubitarent incrementum accepisse: obsessis autem è conuerso, & desolatio se intulit solito amplior, & spes resistendi omnino succubuit eneruata: quoque hostes vident solito fortiores, eò se debiliores reputant; quodq; illis accederet, totum sibi decedere reputantes. Innouant ergo nostri quasi noui recentesque, assultus; & hostibus omnino vbicunq; locus est, solito instant proteruiùs: tanquam obsidionẽ, quam continuo penè septennio multo labore protraxerant, tunc primitus inchoassent. Videntes ergò ciues nostrorum singulis diebus vires inualescere, eorum verò è conuerso minui, diuturnis laboribus fatigati, spem subsidii nullam habentes, communicato inter se cõsilio, tractant quomodo tantis malis possent finem imponere. Missis igitur legationibus tam ad dominũ Regem, quàm ad dominũ Comitẽ, sub conditione spondent eis vrbem se resignaturos, si egredi volentibus, liberè, & sine difficultate liceret, & familias suas cum omni supellectile ad loca optata transferre possent; nolẽtibus autem exire, si sub certa pensione domino Comiti annuatim persoluenda, tutè & trãquillè in domibus suis manere, & possessiones suas colere concedatur. Auditis igitur ciuium postulationibus, Rex cum Comite & aliis magnatibus, cõsilio communicato, vtile iudicat, eorum admissis desideriis, vrbem sine dilatione recipere. Placuit igitur sermo iste omnibus, & præstitâ conniuentiâ, euocatis ante se ciuibus, eorum admittunt petitiones. Præstitisque iuramentis, quod prædictæ conuentiones eis *sine fraude & malo ingenio*, *bonâ fide* conseruarentur, vrbem recipiunt, introire volentibus aditibus reseratis. Capta est prædicta ciuitas, anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo nono*, mense Iunio, decimâ die mensis. Factus est autem ibidem Comes Bertramus, fidelitate manualiter exhibitâ, domini Regis *homo ligius*: vnde & eius successores, vsq; in præsentem diem, Regi Hierosolymorum idipsum tenentur exhibere. [A. Dn. 1109.]

XI. Accidit autem per eosdem dies, quòd à vinculis hostium absolutus dominus *Balduinus* Edessanorum Comes, cùm multos haberet equites, nec haberet vnde eis exhibitæ militiæ & impensi fideliter officii persolueret stipendia, arguto habito satis & acuto consilio, destinat cum eisdem suis commilitonibus, socerum, qui valdè pecuniosus erat, apud *Meleteniam* visitare, præstructo & præordinato solerter, vt postquam ad eius ventum esset præsentiam, quid fieri oporteret. Compositis igitur ad iter necessariis, illuc peruenit, vbi ex more depenso mutuæ salutationis affatu, & pacis signo cum mutuis amplexibus & plenâ charitate alternatim præbito, magnificè nimis & supra hospitalitatis leges, tanquam domesticus, & affectione filius, susceptus est à socero. Cùm igitur per dies aliquot ibi dominus Comes moram fecisset, & semel confabulationibus fortasse necessariis, hinc socer, inde gener diei partem aliquam protraxissent, accesserunt, (sicut inter eos priùs condictum fuerat) & eis colloquentibus ingesserunt se milites eius. Tunc vnus ex eis, quasi omnium autoritate factus verbi patronus, Comitem alloquitur dicens: *Nosti, Comes, & nemo te meliùs, quàm fideliter, & quàm strenuè, turba hæc militum, quæ præsens est, tibi iam multo tempore, fidem tuam & promissionem secuta, militauerit: quantos labores, quantasq; in vigiliis, siti, fame, frigore, simul & æstus importuni-*

tate pertulerit molestias, vt te & regionem tibi diuinitùs cōmissam, ab hostium iniuriis redderet securam; & à ciuibus & reliquo populo in ea commorante, infidelium & inimicorum Crucis CHRISTI auerterent impetus, & molestias propulsarent. Te introducit pro se testem, hoc collegium, tibi aliquando necessarium. Compertum habes, quantum iam effluxerit temporis, ex quo sine stipendiis tibi militauerimus: quotiens nobis solui necessitate compulsi postulauerimus: quotiens petitas inducias, tibi compatientes, indulserimus, de die in diem æquanimiter sustinentes: & nunc res eò deductæ sunt nostræ, quod diutius præstolari non possumus. Paupertas inuincibilis est, *quæ diuturniores ferias, & tempus auctius tibi iterum dari negat. Elige tibi vnum: aut debitum solue, inopiæ nostræ subueniens; aut pignus quod obligâsti, iuxta pactum exhibe.* Miratus est *Gabriel*, quidnam sibi vellet hæc concio, & sermo ita solennis quid portenderet. Tandemque edoctus per interpretes, rem tenuit: sed quærit, *cuiusmodi pignus, pro pactis stipendiis, dominus comes obligasset.* Cui, cùm quasi pudore prohibitus, dominus Comes responsum non daret, respondit eorum aduocatus: Quia *barbam suam hypothecauerat eis, vt nisi statutâ die pacta militibus solueretur stipendia, eidem barba sine contradictione raderetur.* Quòd audiens Gabriel, stupidus præ facti nouitate, & complosis manibus supra modum admirans, anhelare cœpit, & præ angustia nimis æstuare. Mos enim est Orientalibus, tàm Græcis quàm aliis nationibus, barbas totâ curâ & omni sollicitudine nutrire; pro summoq; probro & maiori quæ vnquam irrogari possit ignominia reputare, si vel vnus pilus quocunque sibi de casu barba cum iniuria detrahatur. Interrogansq; dominum Comitem, *si ita esset sicut dicebatur?* Respondit: *Ita.* Iterùm fortiùs admirans, penè extra se factus, quærit iterum: *Quare rem tantâ diligentiâ conseruandam, argumentum viri, vultus gloriam, hominis præcipuam auctoritatem, ita obligasset, tanquam rem mediocrem, & ab homine sine confusione separabilem?* Cui Comes: *Quia non erat mihi res alia dignior, cuius interpositione, militibus proteruè instantibus, possem pleniùs satisfacere. Sed nec oportet dominum & patrem meum, multùm super hoc esse sollicitum: nam spero de misericordia Domini, quòd impetratis à militibus induciis, postquam Edessam rediero, militum instantiæ satisfaciens, cum mea honestate pignus luam obligatum.* Milites è diuerso: statim se diuersuros ab eo, minasque intentare, sicut edocti erant, nisi soluat maturiùs, vnanimiter asserebant. Quod audiens *Gabriel*, vir simplex, & collusionis eorum ignarus, apud se fluctuans quid faceret, elegit potiùs de suo soluere militibus id in quo tenebatur gener obligatus, quàm eius pati, qui reputabatur filius, tantam ignominiam. Quærit quæ sit debiti summa. Cui responsum est, *Triginta millium Michaëlitarum:* quod genus aureorū, tunc in publicis commerciis erat celebre, à quodam Imperatore Constantinopolitano, qui eam monetam suâ fecerat insignem imagine, *Michaële* nomine, sic nuncupatum. Soluere igitur spondet pro genero, conditione tali, pactam pecuniam: vt mediâ dominus Comes fide firmiter promittat, quòd de cætero nullo casu, nullo necessitatis articulo, ita quibuslibet personis se velit obligare. Solutâ igitur pecuniâ, sumptaque à socero licentiâ, dominus Comes cum suis, tumentibus loculis, & depulsâ inopiâ, diues ad propria reuersus est.

XII. A. Dn. 1110.

Anno sequenti, qui erat ab incarnatione Domini *millesimus centesimus decimus*, sollicitus Rex, & curam gerens peruigilem, quomodo sibi Regnum à DEO commissum posset honorare, & DEO protectori suo aliquid acceptione dignum offerre, proposuit de pio mentis feruore, ecclesiam *Bethleemiticam*, quæ vsque ad illum diem prioratus tantùm fuerat, ad cathedralem sublimare dignitatem. Quod qualiter gestum fuerit, ex rescripto eiusdem piissimi regis super hoc edicto, ampliùs & perfectiùs erit manifestum, quod sic habet: *Diuinâ inspirante gratiâ gens* Francorum *admonita,* Hierusalem *ciuitatem sanctam, diuq; oppressione Paganorum fatigatam, vbi mors, quæ primo præuaricante parente genus humanum inuaserat, morte Saluatoris est destructa, à spurcitia prædicta liberauit. Obsessa est nanq; ciuitas hæc cultu diuino digna, septimo Idus Iunii, à gente præfata;* & *idibus Iulii, DEO pro ea pugnante, est capta. Captâ autem ciuitate anno Domini millesimo centesimo, dispositione diuinâ suggerente, placuit clero atque Raimundo sancti Egidii, Roberto Normanniæ, & Roberto Flandrensi Comitibus, Tancredo, & cæteris primatibus, cum vniuersa Francorum multitudine, vt piissimus & misericordissimus dux* Godefridus, *carissimus frater meus eidem præsideret: ipse verò, vir DEO dignus, sanctæ ciuitatis gubernator, primo principatus sui anno peracto, DEO propitio, tertiâ die sequētis, in pace quieuit. Cui ego* Balduinus *ab exultante clero, principibus & populo, primus rex Francorum, nutu diuino, excellentiam* Bethleemiticæ *ecclesia, natiuitatem Domini nostri IESV CHRISTI præ-*

STI præfulgidâ mente pertractans, in qua primùm venerabiliter caput meum diademate ornatum effulserat, vt episcopali dignitate donaretur, mihi per omnia placuit. Igitur quod corde castè conceperam, indesinenter excogitans, tandem ad aures Arnulfi *archidiaconi, viri clarissimi, & Hierosolymitani capituli vsque perduxi, eumq; & idem Capitulum, vt super hac re mihi consulerent, obnixè rogaui. Qui tam iustæ petitioni meæ obsequentes, tum pro Hierosolymitana sede, quæ postea quasi orbata parente videbatur, tum pro hoc negotio Romam peti decreuerant. Hanc itaque legationem* Arnulfus *archidiaconus, &* Aichardus *eodem tempore decanus suscipientes, Romam perrexerunt: & Sancto Spiritu cooperante, apud domnum* Paschalem *secundum, vniuersalis ecclesiæ Pontificem, de vtroque negotio honestum inuenientes consilium, Hierusalem remearunt. Domnus vero* Paschalis *Papa, Gibellinum Arelatensem Archiepiscopum, virum sapientiæ radiis choruscum, omniq; morum honestate fulgidum, cui id legationis Arnulfo atque Aichardo præsentibus iniunxerat, post eos Hierusalem direxit. Propterea à me, clero simul & populo gaudenter susceptus, pro præcepto domni Paschalis Papæ & mea bona voluntate, & assensu Hierosolymitani capituli, ac totius fauore consilii, & propriâ deliberatione omnia dispensans, in Bethleemitica ecclesia,* Aschetinum, *virum illustrem eandem gubernãtem, quem Hierosolymitanum capitulum eiusdem ecclesiæ cantorem, me cum meis proceribus & populo volente Ascalonæ elegerat atque statuerat episcopum, obtinere primatum episcopalem decreuit; Bethleemiticæq; sedi, pro præcepto & consideratione nostra, Ascalonæ ecclesiam parochiali iure subiugauit. Tandem ego* Balduinus, *DEI gratiâ rex Hierusalem, Latinorum primus, iam dicta lætus obnixè firmaui. Villam etiam Bethleem, quam ecclesiæ concesseram, pro salute animæ meæ, & misericordissimi ducis fratris mei Godefridi, atque omnium parentum meorum: & vnum casale, quod est in territorio Accon, nomine* Bedar: *aliud etiam quod est in territorio Neapolitano, nomine* Seylon: *aliud quoque adiacens Bethleem, quod dicitur* Bethbezan: *& duo casalia in territorio Ascalonitano, vnum videlicet* Zeophir, *& aliud nomine* Caicapha, *cum suis pertinentiis episcopo, eiusq; successoribus firmiter ac liberè tenere ac possidere præcepi, dedi atque concessi. Præfatam quoque ecclesiam à calumnia quâ Hierosolymitana ecclesia eam vexabat, commutatione terrarum ac vinearum quæ in circuitu Hierusalem in meo dominio erant, absolutissimam reddidi. Statuimus autem, quod si quis clericus, vel laicus, nefandissimâ cupiditate ductus, illud quod pro petitione mea de Bethleemitica ecclesia, natiuitate Domini ac Saluatoris nostri præclara, Spiritu Sancto iuuante, à domno* Paschale, *Romanæ sedis summo ac venerando Pontifice, per* Gibelinum *eiusdem legatum, Arelatensem Archiepiscopum roboratum est, post decessum meum violare præsumpserit, inuasionis crimine, nisi commonitus resipuerit, obligetur, ac totius regni nostri expers effectus, grauiter iudicetur. Præterea concedo, quod quicunque meorum optimatum, vel aliquis militum seu burgẽsium, DEI afflatus spiritu de suis redditibus, pro sua suorumq; animabus, dare eidem ecclesiæ voluerit, libera sit sibi piæ voluntatis executio, & in perpetuum valeat facultatum suarum legitimè facta donatio. Facta est autem hæc concessionis, vel confirmationis nostræ inscriptio, rerumq; gestarum designatio, anno ab incarnatione Domini* millesimo centesimo decimo, *indictione tertiâ. Præsidente Romanæ ecclesiæ Papâ, domno* Paschale *secundo: Hierosolymis verò* Gibelino *Arelatensi Archiepiscopo, sedis Apostolicæ vicario, in Patriarcham electo.* Sunt ergo istius assertionis testes, *Arnulfus* Archidiaconus, *Aicardus* Decanus, *Eustachius Garnerius, Anselmus* turris Dauid custos, *Radulfus de Foritaneto, Pisellus* vicecomes, *Symon* ducis filius, *Anfredus* vir religiosus, *Gerardus* camerarius: & alii quamplures.

XIII. Eodem anno prædictus DEI cultor, & magnificus triumphator, idem dominus Rex curam gerens indefessam, quomodo Regnum sibi à DEO commissum posset ampliare, sumptâ occasione ex galeis quibusdam quæ in regno hyemauerant, mense Februario, congregatâ pro viribus Christiani populi, ex vniuersi regni finibus multitudine, vrbem obsidet Berythensium. Est autem *Berythum* ciuitas maritima, inter Biblium, & Sydonem in Phœnice sita, vna de suffraganeis vrbibus, quæ Tyrensi metropoli intelliguntur subiectæ, Romanis quondam acceptissima, ita vt iure Quiritium ciuibus concesso, inter colonias reputaretur: de qua ita *Vlpianus* testatur in Digestis, titulo de Censibus, loquens de Phœnice prouincia: *Est & Berythensis colonia, in eadem prouincia, Augusti beneficiis gratiosa.* Et vt diuus Hadrianus in quadam oratione ait, *Augustiana colonia, quæ ius Italicum habet.* Nec solùm ius Italicum, verùm etiam & docendi ius, quod raris concessum fuit vrbibus, ab eodem Augusto obtinuit potestatem, sicut in primo Codicis, eâ constitutione quæ sic incipit, *Cordi nobis est,* in qua ita legitur: *Et*

Berytensium Doctorem Dorotheum. Dicta autem creditur priscâ appellatione *Gersea*, quam *Gerseus* quintus filiorum Chanaan fundasse legitur. Ad hanc perueniens, accito sibi dominô *Bertramo* Tripolitano Comite, vrbem cœpit studio vehementi artare. Aduenerant autem, vt eidem vrbi ministrarent subsidium, ex Tyro & Sydone naues quædam, viris fortibus, & bellicosis refertæ. Quòd si liberum introitum & exitum habere potuissent, inutiliter operam consumerent, qui obsidioni eius incubuerant. Sed adueniente classe, de quarum ope confisus Rex, opus præsens assumpserat, timentes se mari committere, protinus intra portum se receperunt; ita vt ciuibus omninò per mare & introitus negaretur & exitus. Erat autem eidem ciuitati pinea sylua vicinior, quæ multam & idoneam obsidentibus, ad componen- 10 dum scalas & quaslibet machinas, abundè præstabat materiam. Ex hac igitur erigentes sibi turres ligneas, & machinas iaculatorias componentes, & quæ aduersus huiusmodi solent esse necessaria fabricantes argumenta, vrbem continuis impugnant assultibus, ita vt nec horæ spacio, interdiu vel de nocte, obsessis requiem indulgerent: alternatim enim & per vices mutuas, sibi succedentes adinuicem, labore intolerabili ciues fatigabant. Cùm autem per menses duos continuos incœpto opere viriliter desudassent, arguentes moram adinuicem, quadam die dum solito vehementius vrbem in pluribus locis, congressionibus molestarent, quidam de turribus ligneis, quæ mœnibus fuerant violenter applicatæ, saltu super murum se intulerunt: quos alii tum eodem modo, tum per scalas ascendẽtes, secuti, in vrbem 20 descendentes, portam ciuitatis violenter aperuerunt. Ingressus igitur sine difficultate noster exercitus, ciuibus ad mare confugientibus, vrbem occupauit vniuersam. Qui autem in nauibus erant, audientes quòd Rex cum suis vrbem effregerat, prosilientes & ipsi de nauibus portum occupant; & ciues qui gratiâ salutis illuc cõfugerant, gladiis repellentes, in hostes redire compulerunt: sicque ciues miseri, inter hostium cohortes geminas infeliciter angustiati, nunc his, nunc illis instãtibus, gladiis in medio depereunt: quousque Rex stragem immoderatam cõspiciens, eis qui residui erant, misericordiam implorantibus, voce præconiâ finem cædis indicit, & victis vitam indulgeri præcipit. Capta est autem prædicta ciuitas, anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo & vndecimo*, mẽse Aprili, vicesimâ septi- 30 mâ die mensis.

An. D. IIII.

XIV. Eodem anno quidam populus de insulis Occidentalibus egressus, maximeque de ea Occidentis parte quæ *Noroegia* dicitur, audientes quòd à CHRISTI fidelibus capta esset ciuitas sancta Hierosolyma, volentes illuc deuotionis gratiâ properare, classem sibi parauerant opportunam. Quam ascendentes, aurâ flante secundâ, mare Britannicum nauigantes, dein *Calpen* & *Athlanta*, angustias huius mediterraneæ influxionis ingressi, nostrum hoc mare pertranseuntes, apud *Ioppen* applicuerunt. Erat autem prædictæ classis primicerius, & præceptor supremus, quidam iuuenis, procerus corpore, & formâ decorus, Noroegiæ regis frater. Qui postquam portum Ioppensem attigerunt, propositum iter aggredientes, Hierosolymam, cuius gratiâ venerant, adierunt. Rex igitur cognito eorum aduen- 40 tu, illuc cum omni celeritate properat: & cum illo prædicto nobili viro, benignè & familiariter locutus, tentare cœpit & diligenter inquirere, vtrum naualis ille exercitus, moram vellet in regno facere, & operas suas ad tempus CHRISTO dedicare, vt vnà de infidelium vrbibus per eorum studium, fideli populo posset accrescere. Qui communicato consilio ad inuicem, responderunt, quòd ad id venerant, & eâ intentione ferebantur, vt CHRISTI seruitio se manciparent. Iuxta quod propositum parati erant, vt quamcunq; de vrbibus maritimis Rex cum suo exercitu, obsidere vellet, illuc itinere marino cum omni celeritate contendere, nihil præter victum pro stipendiis exigentes. Rex igitur deuotissimè verbum amplectens, congregans Regni robur vniuersum, & militiam quantam potuit, Sydonem peruenit. 50 Classis quoque nihilominus à portu Acconensi egressa, illuc directè properauerat, ita vt penè eodem momento vterque exercitus ante vrbem conueniret. Est autem *Sydon* ciuitas maritima inter Berythum & Tyrensem metropolim sita, prouinciæ Phœnicis portio non modica, commodissimũ habens situm, cuius tã Veteris quàm Noui textus instrumenti frequentem habet memoriam. De ea quippe in secundo Regum libro, ita *Salomon* ad *Hiram*, Tyriorum regem: *Præcipe igitur, vt præcidant mihi cedros de Libano, & serui mei sint cum tuis; mercedem autem seruorum tuorum dabo tibi quamcunque*

3. Reg. 5. 6.

cunque petieris. Scis enim quoniam non est in populo meo, qui nouit ligna cædere sicut Sydonii. In Euangelio quoque eius facit Dominus mentionem, dicens: *Amen dico vobis, si hæc facta essent in Tyro & Sydone*, & cætera. & alibi: *Egressus IESVS, secessit in partes Tyri & Sydonis.* Hãc Sydon Chanaan fundasse legitur: vnde & vsq; in præsentẽ diẽ nomen tenet auctoris. Est autem vna de vrbibus suffraganeis Tyrensis metropolis. Hãc igitur noster exercitus, ex vtraque parte obsidione vallans, ciuibus magnam intulêre formidinem: videntesque quòd viribus nequaquam possent resistere, & ab imminentibus se tueri periculis, dolis perficere quod virtute nequeunt, machinantur. Erat porrò in domini Regis comitatu, eius familiaris & quasi cubicularius, quidam *Balduinus*, aliquando gentilis, quem dominus Rex pietatis intuitu accedentem ad Baptismatis lauacrum, de sacro fonte susceperat; & ei nomen imponens suum, in numero domesticorum receperat: hunc nobiles de ciuitate viri, quocunque modo se volentes expedire, clàm per internuncios conueniunt, infinitam promittentes pecuniam, & in ciuitate possessiones amplissimas, si à tantis calamitatibus eos, Regem interficiendo, absoluat. Erat autem hic idem domino Regi adeo familiaris & carus, vt etiam ad loca secretiora quibus naturæ, se purgare volentis, satisfit necessitatibus, Regem solus plerunque comitaretur. Verbum itaque oblatum ille gaudens suscepit, & eorum postulationes effectui mancipare promittens, totus in hoc erat, vt tempus ad complendum facinus exspectaret opportunum. Interea quidam fideles de ciuitate, ad quos verbi huius peruenerat notitia, timentes, ne per domini Regis incuriam verbum hoc tam detestabile posset effectum sortiri, literas scribunt sine certi auctoris titulo, easque cum sagitta in exercitum nostrorum dirigunt, rei seriem ordine pandentes: quæ casu ad dominum Regem peruenientes, animum eius, nec immeritò plurimùm affecerunt. Qui conuocans principes, & quid eum facere oporteret deliberatione habitâ, vocatus est ille; & crimen confessus, principibus in eum dictantibus sententiam, suspendio vitam finiuit. Videntes ergo ciues commenta sua felices non habere successus, aliâ viâ cœperunt ingredi; & missâ legatione petunt, vt nobilibus concedatur exitus; plebi verò, sicuti & priùs, agriculturæ operam dare liceat, bonis conditionibus. Quo concesso vrbem resignant, cum vxoribus & liberis ad loca desiderata, sine contradictore tendentes. Quam protinus & sine dilatione, cuidam de magnatibus suis, *Eustachio* videlicet *Grener*, iure hæreditario possidendam liberaliter concessit. Classis verò receptis à domino Rege donariis, & acceptâ licentiâ, prosequente eos vniuersorum benedictione, ad propria reuersi sunt. Capta est autem prædicta ciuitas, anno ab incarnatione Domini *MCXI.* mense Decembri, decimâ nonâ die mensis. Per idem tempus mortuus est dominus *Gibelinus*, bonæ memoriæ, Hierosolymorum Patriarcha: cui substitutus est inuitâ (vt credimus) diuinitate, *Arnulfus*, de quo sæpissimam in superioribus mentionem habuimus, Hierosolymitanus Archidiaconus, qui vulgò cognominatus est *Mala corona*. Sed *propter peccata populi patitur DEVS regnare hypocritam.* Hic, sicuti & priùs, seipsum continuans, multa pessima gessit opera. Nam inter cætera neptem suam, apud dominum *Eustachium Grener*, vnum de maioribus regni principibus, nobilium duarum vrbium dominum, Sydonis videlicet & Cæsareæ, nuptui collocauit, cum ea conferens Ecclesiastici patrimonii optimas portiones, Hiericho videlicet, cum omnibus pertinentiis suis, cuius hodie redditus annualis quinq; millium dicitur esse aureorum. Fuit autem & in suo pontificatu conuersationis immundæ, ita vt eius vulgò pateret ignominia. Cui rei colorem quærens, ordinem quem primi principes studiosè & cum multa deliberatione in ecclesia Hierosolymitana instituerant, *Regulares Canonicos* introducendo commutauit. Regem etiã ad hoc impulit, vt viuente adhuc vxore suâ aliam duceret, sicut in sequentibus dicetur. Nec morâ interpositâ diuturniore, post Sydonem captam, collecta est in *Perside* equitum manus infinita: qui vt proprias experirentur vires, vt super eo aliquando possent gloriari, in regiones nostras ascenderunt. A primo enim Latinorum introitu, vsque ad annum regni eorum quasi quadragesimum, non defuit nostris pestis illa, sæuior hydra, recens, & damno capitum facta locupletior. Annis quippe penè singulis de illo sinu Persico, tanta erumpebat illius populi detestabilis multitudo, vt penè vniuersam terræ superficiem suâ numerositate operirent. Sed miserante nostros labores Diuinâ clementiâ, suscitauit Persarum

Margin: Matth. 11. 21. Marc. 7, 24. — A. Dn. 1111. — XV. — Iob. 34. 30. — XVI.

Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50

insolentiæ,& regno nimis de se præsumenti,æmulum imperium gentis *Hiberorum*: quo per gratiam DEI incrementum suscipiente, & vires acquirente, per successus continuos contrita est Persarum superbia: & qui priùs prædicto populo suspecti erant & formidabiles,facti sunt versâ vice, eis & viribus & armorum experiētiâ longè inferiores:quiq; regnis exteris etiam remotioribus,consueuerant inferre sollicitudinem,nunc sibi sufficere reputant, si intra fines suos tranquillitatē reperiunt vel ad tempus. Est autem *Hiberia* regio in plaga Septentrionali constituta,quæ alio nomine dicitur *Auesguia*, Persis contermina, homines habēs corpore proceros, robustos viribus,multâ strenuitate commendabiles. Hi frequentibus bellis & congressionibus assiduis Persarum adeò copias attriuerunt, vt iam se nec pares reputent, & pro suo statu solliciti aliorum prouincias vexare destiterint. Prædicta ergo multitudo à finibus illis egressa, Mesopotamiam transcurrens, transmisso Euphrate fluuio magno, regionem citra fluuium pro arbitrio tractantes, optimum regionis præsidium *Turbessel* obsident: cumque per mensem continuum ibidem operam cōsumpsissent, videntes quòd non proficerent, ad partes Halapienses se contulerunt, de sua multitudine confisi, machinantes vt dominum *Tancredum* incautè & cum impetu prouocarent ad prælium. Dominus autem Tancredus, sicut vir prudens erat, & in agendis circumspectus, dominum Regem litteris euocat & nunciis, vt maturè subsidium conferat. Qui sine mora conuocatâ ingenti militiâ, assumpto sibi domino *Bertramno* Comite Tripolitano, cum suis iterum copiis ad partes illas se contulit. Qui cùm peruenissent ad oppidum *Rugiam*, ibi dominum Tancredum cum suis expeditionibus inuenerunt: vnde in hostes progressi, ante vrbem *Cæsaream*,quæ vulgò appellatur *Cæsarea*, vbi hostes castrametati fuerant,ordinatis agminibus peruenerunt. Vbi cùm se mutuò vterque conspexisset exercitus, Turcis declinantibus prælium,à regione discesserunt, nostris ab inuicem sumptâ licentiâ, ad propria reuersis.

XVII. Consequenter autem eodem anno, cùm *Tyrus* sola de vrbibus maritimis, quæ sunt à Laodicia Syriæ vsque ad Ascalonam, quæ est nouissima Regni ciuitas,infidelitatis iugum pateretur: adiecit dominus Rex, qui alias auctore Domino expedierat, illam regno vindicare. Congregatis ergo ex vniuersa ora maritima nauibus quotquot inuenire potuit, classem ordinat qualem qualem: cui præcipit, vt illuc sub omni celeritate maturarent: & ipse conuocatis Regni viribus,& populo vndique accito vniuerso, prædictam vrbem,locatis in gyrum copiis, obsidione vallat. Est autem *Tyrus* ciuitas in corde maris sita, in modum insulæ circumsepta pelago,caput & metropolis prouinciæ Phœnicis: quæ à riuo Valeniensi, vsque ad Petram incisam, Doræ conterminam, protenditur, infra sui ambitum, vrbes suffraganeas continens quatuordecim. De situ & commoditatibus huius ciuitatis, in inferioribus dicetur latiùs: vbi de eius obsidione nouissima, & captione concessa diuinitus,auctore Domino,tractabitur. Obsessâ itaque ciuitate prædictâ, sicut princeps erat valde sollicitus, omnem dabat operam, omne studium impēdebat, quomodo multipliciter grauatis ciuibus, eos ad deditionem compelleret: percurrensque argumenta singula, quibus obsessis vrbibus solent irrogari molestiæ,omnia diligenter impendebat,vt ciuitas in suam transiret ditionem. Nam crebris assultibus,continuis penè congressionibus,murorum & turrium flagellatione, & violentis ictibus, telorum quoque & sagittarum immissione perpetuâ,affligebat obsessos. Tandemque ad malorum cumulum duas præcepit erigi ex lignea materia turres, lapideis ædificiis multò sublimiores; vnde & vrbē esset quasi subiectam inspicere; & bellum ciuibus quasi de superioribus ineuitabiliter inferre. Ciues autem è conuerso viri prudentes & strenui, & huiusmodi versutiarum non omninò expertes,argumentis obiiciunt argumenta; & modis paribus quibus eis inferebantur iniuriæ, repellere satagebant. Duas siquidem turres, comportatis lapidibus, & congesto ad multam quantitatem cemento, quæ machinis nostrorum rectè videbantur oppositæ, ascendentes, superædificare cœperunt: ita vt subitò & intra paucos dies ligneis machinis, quæ exteriùs erant oppositæ, multò altiores inuenirentur. Vnde in subiectas machinas ignem iaculantes, omnia sine difficultate parati erant incendere: videns ergo Rex, quòd ars arte deluderetur, longis laboribus, & expensis non modicis, quas per quatuor menses & eo ampliùs ibidem consumpserat,grauatus plurimùm,ab incœpto destitit,spe frustratus: solutaque obsidione,

sidione, ipso Ptolomaidam reuerso, reliqui certatim ad propria redierunt. Per idem tempus dominus *Tancredus*, illustris memoriæ, & piæ in Domino recordationis, cuius eleemosynas & pietatis opera, in perpetuum enarrabit omnis ecclesia sanctorum, letale debitum persoluit. Hic dum in supremæ lecto ægritudinis decubaret, circa se in sui obsequio adolescẽtem *Pontium*, domini Bertrami Comitis Tripolitani filiũ habebat: vidensque sibi mortis imminere diem, vxore sua corã se posita, *Cæcilia*, quę vt superiùs pręmisimus, domini Philippi Francorum regis filia erat, & prædicto iuuene, consuluisse dicitur ambobus, vt post eius obitum iure conuenirent maritali. Factumque est ita, vt post eius ex hac luce decessum, mortuo etiam 10 domino Bertramno Comite Tripolitano, eiusdem patre, prædictus *Pontius*, eandem dominam, prædicti domini Tancredi viduam, vxorem duxerit. Successit autem ei in eodem principatu, de eius supremo iudicio, quidam eius consanguineus, *Rogerius* Richardi filius, eã conditione, vt quandocunque dominus *Boamundus* iunior, domini Boamundi senioris filius, Antiochiam cum suis pertinentiis, quasi hæreditatem propriam reposceret, eam sibi sine molestia & contradictione restitueret. Sepultus est autem idem vir illustris, in porticu ecclesiæ principis Apostolorum, anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo duodecimo*.

An. D. 1112.

XIX.

A. Dn. 1113.

Anno quoque ab incarnatione Domini *millesimo centesimo decimo tertio*, æstate subsecutã, iterum de *Perside*, quæ mala semper consueuit effundere germina, ex qua tanquam ex fonte per- 20 nicioso, aquæ solent pestilentes deriuare, multitudo infanda prorupit sub principe potentissimo, & titulis generositatis præclaro, *Menduc* nomine: tantam secum trahens numerositatem, vt eorum neque numerus certus esset, neque finis. Hi mediis transcursis regionibus, ad Euphratem peruenerunt, nouis vtentes consiliis. Nam qui eos de eodem populo præcesserant, sæpius circa partes Antiochenas vires suas consueuerant primùm experiri; his autem sicut ex postfacto patuit, longè alia mens, & propositum erat dissimile: nam omnem Cœlesyriam pertranseuntes, relictã à sinistris Damasco, inter Libanum & oram maritimam, Tiberiadem prætereuntes, circa pontem sub quo Iordanis defluit, castrametati sunt. Quod audiens Rex, cognito quod de infinita multitudine præsumerent, dominum *Rogerum* An- 30 tiochenorum principem, Comitemque *Tripolitanum* in suum euocat subsidium; tamen antequam illi conuenirent, ipse cum suis expeditionibus in vicino eis loco castra posuerat: quod hostibus vt innotuit, emissis de exercitu equitum duobus millibus, intelligentes magis opus esse industriã quàm viribus, mille quingentos ex eis præcipiunt latere in insidiis; quingentos verò reliquos procedere iubent longiùs, & quasi se habentes incautiùs, Regem cum suis insequendo irritare. Quod nõ longè ab eorum proposito, certum est accidisse. Nam prædictos quingentos, quasi incautiùs se habentes, & progressos longiùs, Rex considerans, & impetuosè suos conuocans, illis procedit obuiam, & versos in fugam prosequens, imprudentiùs in eorum decidit insidias: quibus ex suis latebris egredientibus, facta est hostium ingens 40 multitudo, collectisque & ad se reuocatis quingentis prioribus, in nostros irruunt impetu vehementi. Quibus, cùm nostri tentarent resistere, & gladiis à se propulsare, proteruiùs instantes, oppressi multitudine, fugam inire compelluntur, quam nec etiam tutam reperiunt: nam fugientium facta est strages maxima, ita vt Rex ipse relicto vexillo quod gestabat in manibus, & *Arnulfus* patriarcha, qui cum eo erat, & alii Regni principes, relictis castris & impedimentis omnibus vix euaserint. Obtinuerunt ergo hostes nostrorum castra; & facta est, peccatis nostris exigentibus, confusio multa in populo DEI. idque totum domino Regi ascribebatur, quod impetuosè nimis, & de sua virtute plus æquo confidens, conuocata noluit auxilia pręstolari. Nam dominus Rogerus princeps Antiochenus, & Tripolitanus Comes in 50 proximo erant, die sequente vel tertiã procul omni dubio venturi. Ceciderunt illã die, de equitibus nostris triginta; de peditibus verò, mille ducenti. His ita gestis, affuerunt prædicti duo magni potentesque viri: cognitoque casu qui acciderat, Regem arguunt tanquam nimis præcipitem; tãdemque redeuntes in vnum, in montibus vicinis castra locant, vnde erat inferiùs in valle, hostium exercitus contueri. Illi autem scientes reliquas Regni partes militiã vacare, missis de suo exercitu ad varias partes, terram vniuersam cœperunt percursitare, cędes passim per vias publicas operari, incendia procurare, effringere suburbana, captiuare colonos, ita liberè

per vniuersam se habere regionem, tanquam sibi omnia subiecissent. Recesserant etiam à nobis per illos dies, nostri domestici, & suburbanorum nostrorum, quæ *casalia* dicuntur, habitatores, Sarraceni: & hostium adiuncti cohortibus, alios erudiebant in nostram perniciem; qui tanto id meliùs facere poterant, quanto statum nostri pleniorem habebant scientiam. „ *Nulla enim pestis efficacior ad nocendum quàm familiaris inimicus.* His ergo ducibus hostes freti & eorum fortiores facti solatio, villas circuibant & castella, prædas, & mancipia secum trahentes. Tantusque horror Regnum occupauerat vniuersum, vt extra mœnia nemo prorsus auderet comparere.

XX. Accesserat præterea ad timoris & ærumnæ cumulum, quod *Ascalonitæ*, tanquam vermes inquieti, scientes quòd Rex cum omnibus regni viribus, circa partes Tiberiadenses detineretur occupatus, hostes quoque regionem penè totam obtinerent, egressi cum ingenti multitudine, ad montana conscendunt, & Hierosolymam, militaribus destitutam copiis, obsident: nonnullos, quos extra vrbem reperiunt, aut captiuant, aut interficiunt: messes aridas, quas agricolæ in areas cōgesserant, tradunt incendiis. Tandem cum per aliquot dies ibi consedissent, videntes quòd nullus ad eos egrederetur, sed omnes intra mœnia cautiùs se haberēt, timentes Regis aduentum, reuersi sunt ad propria. At verò æstate iam in autumnum declinante, iuxta consuetudinem, Peregrinorum cœperunt applicare naues. Qui verò in eis aduecti erant, audientes quòd Rex & populus Christianus tantis laborarēt angustiis, illuc cum omni celeritate tam equites quàm pedites certatim properant: ita vt euidentibus incrementis noster per singulos dies multiplicaretur exercitus. Quod intelligentes hostium Principes, timentes ne multiplicatis viribus, ad vlciscendum suas se pararent iniurias, in fines Damascenorū se receperunt; nostri verò ab inuicem discedētes, reuersi sunt ad propria. At verò hostilium exercituum Princeps, qui regnum ita potenter afflixerat, *Damascum* perueniens, consentiente, vt dicitur, Damascenorum rege *Doldequino*, à quibusdam sicariis interfectus est. suspectam enim eius dicebatur habere potentiam, ne eum regno priuaret.

XXI. Diuiso igitur ab inuicem exercitu, & singulis ad propria remeantibus, affuit nuncius, domino Regi significans, quòd *Comitissa Siciliæ*, apud vrbem Acconensem applicuerat. Fuerat prædicta Comitissa, domini *Rogeri* Comitis, qui cognominatus est *Bursa*, qui frater fuit domini Roberti Guischardi, vxor: nobilis, & potens & diues matrona. Ad hanc anno proximè præterito, quosdā nobiles de regno suo Rex direxerat, inuitans eam, & cum instantia postulans, vt cum eo lege coniugali vellet conuenire. Quæ verbum filio communicans, domino videlicet *Rogero*, qui postea fuit rex Siciliæ, cœpit cum eodem de verbo illo deliberare: & tandem visum est ambobus quòd si dominus Rex sub certis conditionibus prædictum verbum vellet confirmare, ipsi petitioni eius parati erant acquiescere. Forma autem conditionū hæc erat: *Quòd si Rex ex prædicta Comitissa prolem susciperet, ei post regis obitum sine contradictione & molestia regnum concederetur: quòd si absque herede ex eadem Comitissa suscepto defungeretur, Comes Rogerus filius eius, hæres existeret; & in regno, sine contradictione & molestia Rex futurus, succederet.* Rex autem abeuntibus legatis in mandatis dederat, vt quibuscunque petitionibus parentes, eam secū modis omnibus deducere laborarent. Audierat enim, & verè scierat, quòd mulier locuples erat; & filio accepta, bonis omnibus abūdabat. Ipse verò è conuerso, pauper erat & tenuis, vix ad necessitates quotidianas & equitū stipendia sibi poterat sufficere: vnde & de illius redundātia, suæ sitiebat inopiæ subueniri. Missi igitur legati, cōditiones prędictas gratāter suscipiunt: & interpositis iuramētis, prout exigebantur, quòd his pactis à domino Rege & suis Principibus, *bonâ fide, sine fraude & dolo malo* staretur, Comitissa, filio vniuersa necessaria suggerēte, se accingit ad iter, & oneratis nauibus frumento, vino & oleo, & salsis carnibus, armis præterea & equitaturis egregiis, assumēs secum infinitam pecuniam, omnibus eā prosequentibus copiis, in nostram, vt prædictum est, appulit regionem. Hæc autem vt prædictum est, *Arnulfi* patriarchæ machinabatur malicia, vt illa nobilis & honesta deciperetur femina. deceptam quippe negare non possumus eam, quæ in simplicitate viarum suarum, Regem putabat idoneā gerere personā, ad hoc vt ei nuberet legitimè. Erat autē longè secùs: nā vxor quam ipse apud Edessam legitimè duxerat, adhuc in rebus agebat humanis. Postquam ergò applicuit dicta Comitissa, præsente domino Rege, Patriarcha, & regni principibus innouata sunt iuramenta,

iuramenta, iuxta eandem formam, qua priùs in Sicilia fuerant exhibita. Et quia intentione sinistrâ, & oculo non simplici hæc fuerant inchoata, respiciens Dominus ad eorum intentionem; nec solitam mulieri, licet innocenti, in regno concessit fœcunditatem, & *extrema huius gaudii luctus occupauit*, vt in sequentibus dicetur. *Difficile est enim, vt bono claudantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Interim tamen tot tantasque aduenien Regno intulit commoditates, vt meritò minimùs dicere posset: *Et nos de plenitudine eius accepimus.* Accidit autem illis diebus, quòd in finibus *Edessanis*, suborta est fames validissima, tum propter terræ & aëris intemperiem; tum quia in medio hostium regio illa sita erat, & inimicis vndique vallata, nec locorum incolæ hostilitatis metu liberam agriculturæ poterant operam dare: ita, quòd ciues illius vrbis simul & suburbani nihilo minus ordeaceum panem, & etiam glande mixtum, edere præ inopia cogerentur. Terra autem domini *Ioscelini* in tuto cis Euphratem collocata, frugibus & alimentorum copiâ pleniùs abundabat. Verùm licet ita bonis omnibus afflueret eius prouincia, prædictus *Ioscelinus*, in hac parte minus sapiens, & ingrato similis, domino & consanguineo suo, qui ei hæc eadem vniuersa contulerat, de sua plenitudine & vbertate stupenda, nihil omninò porrigebat, licet dominum Comitem, suosque extremam pati non dubitaret inopiam. Factum est autem, vt pro quibusdam negotiis dominus Comes *Balduinus* ad dominum Rogerum, filiũ Richardi Antiochenorum Principem, cui etiam quandam sororem suã in vxorem contulerat, nuncios destinaret. Hi abeuntes, Euphrate transito, per terrã domini Ioscelini iter habentes, euntes redeuntesque ab eo sunt satis hospitaliter & humanè tractati. Tandẽ, sicut mos est imprudentibus, quidam de familia domini Ioscelini, nuncios domini Comitis verbis lacessentes, exprobrare cœperunt domini Comitis paupertatem; domini verò sui immensas è conuerso extollere copias; frumenti, vini, & olei, & alimentorum redundantiam, auri argentique immensa pondera; militum, peditumque numerositatem: adiicientes etiam, sicut *lingua pruriens, incautè plerunque loquitur*, quòd non erat Comes illi regioni, cui præerat commodus: consultiùs faceret, si comitatum suum domino Ioscelino venderet; & receptâ innumerâ pecuniâ, remearet in Franciam. Quæ verba in pectus nunciorum (etsi dissimulare viderentur) altiùs descenderunt: & licet à leuibus personis essent dicta, tamen domini mentem redolere videbantur: sumptaque licentiâ, ad dominum Comitem redierunt. Quò peruenientes, omnia quæ in via acciderant, simul & verba, quæ in domo domini Ioscelini audierant, ordine pandunt. Quibus auditis iratus dominus Comes, & multo libramine ponderans apud se verba quæ audierat, intellexit, quòd à domino Ioscelino hæc omnia ortum habuerãt: & indignatus plurimùm, quòd ille, cui tantas contulerat copias, cùm de sua opulentia meritò teneretur suam releuare inopiam, *contra bonos mores paupertatem, tanquam vitium*, exprobraret: in quam tamen non leuibus actibus, sed necessitate descenderat ineuitabili; sibique idipsum vnde ille gloriabatur, liberaliter detraxerat, vt in eum cõferret: cœpit æstuare indignatione plenus. Simulat ergo ægritudinem, & lecto decubans, mãdat domino Ioscelino, vt absque mora ad se venire properet: quo comperto, festinat dominus Ioscelinus, nihil veritus, in nullo viam habens suspectam: tandem Edessam perueniens, inuenit Comitem in præsidio ciuitatis, & in ea eius parte, quæ *Rangulath* dicitur, in interiore conclaui decubantem: ad quem ingrediens, depenso debitæ salutationis affatu, quæsiuit à domino Comite, *quomodo ei esset?* Cui ille respondit: *Multò melius per gratiam DEI, quàm tu velis.* Et iterum verbum continuans, intulit: *Ioscelíne, habésne aliquid, quod ego tibi non dederim:* Cui ille: *Domine, nihil. Vnde est ergo, quòd ingratus, & meorum beneficiorum immemor, de meo superabundãs & dilatatus, & mihi benefactori tuo indigenti, nõ ex temeritate, sed ex causa, quam nullus sapiens, nullus peritus declinare posset* (quia non est consilium contra Dominum) *non compateris? portionem eius quod totum dedi, non retribuis? Insuper & tenuitatem diuinitùs collatam, quasi pro vitio exprobras & pro crimine obiicis. Sumne ego tam inutilis, vt vendam tibi quod mihi contulit Dominus, & fugiam, vt dicis? Resigna quod dedi, & redde vniuersa quæ tibi contuli, quia indignum te fecisti.* His verbis dictis, præcepit eum captum vinculis mancipari, afflixitque eum mirabiliter, & miserabiliter, nõ minus & multimodis quæstionibus & tormentis: quousque abiuratâ vniuersa regione, cuncta quæ ab eodẽ Comite dono susceperat, resignaret. Exiens ergo de finibus illis, bonis

Ioh. 1, 16.

XXII.

omnibus spoliatus, ad dominum *Balduinum* Hierosolymorum regem primum accessit; cunctisque quæ ei acciderant ordine manifestatis, propositum aperit, quòd in patriam redire proposuerat. Quo audito, dominus Rex videns eum regno maximè necessarium, dedit ei vrbem *Tiberiadensem*, cum finibus suis iure perpetuo possidendam, vt tanti viri solatio se muniret. Quam vrbem strenuè & prudenter cum omnibus suis pertinētiis, quam diù in ea mansit, rexisse, & fini ampliasse dicitur præstantissimè: cumq; adhuc *Tyrus* ab infidelibus detineretur, exemplo prædecessoris sui, multas eius ciuibus dicitur intulisse molestias. Et licet aliquantulum montibus interpositis ab eis videretur esse remotior, sæpe tamen eorum fines ingrediebatur, eis damna collaturus. Anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo decimo quarto*, tātus vniuersam Syriā terræmotus cōcussit, vt multas vrbes & oppida infinita dirueret funditus: maximè autem circa Ciliciam, Isauriam, & Cœlesyriam. Nam in Cilicia *Mamistram* cum multis oppidis solotenus prostrauit; *Maresiam* quoque deiecit cum suburbanis suis, ita vt quorundam vix etiam exstarent vestigia: quatiebātur turres & mœnia, maioribusque ædificiis periculosiùs ruentibus, fiebat populorum strages infinita; & ciuitates amplissimæ quasi agger lapidum constitutæ, tumulus erant oppressorum, & contritis habitatoribus vicem præstabant sepulchri. Fugiebat plebs mente consternatā habitationem vrbium, domiciliorum ruinam formidantes: & dum sub dio requiem inuenire sperant, timore concussi, somnos interrumpunt, oppressiones quas vigilantes timuerant, in somnis perpessi. Nec erat hoc, tam ingens, in vna tantùm regione, periculū: sed vsque ad extremos Orientis fines, hæc pestis latè se diffuderat. Anno quoque sequenti, iuxta morem solitum, *Bursequinus* Turcorum potentissimus, congregatā gentis eiusdem multitudine infinitā, regioni Antiochenæ hostiliter se infudit, pertransiensque totam illam prouinciam, inter Halapiam & Damascum castrametatus est, expectans vt opportunitate concessâ, inde in partes nostras has vel illas, irruptiones molirentur. Porrò *Doldequinus* Damascenorum rex, illorū expeditiones habens nimis suspectas: timensque, ne magis eā intentione illuc cōuenissent, vt sibi & regno suo detrimenta molirētur, quàm vt cōtra Christianos quorū vires sæpiùs erant experti, dimicaturi aduenissent; fact⁹ est sollicitus. Imputabatur enim ei mors prædicti nobilis viri, qui apud Damascum fuerat interemptus, quasi de eius cōscientia talis illius interitus processisset. Audito ergò Turcorū aduētu, & eorū intentione pleniùs cognitā, missis legationibus cū ingenti munerum magnificētia, tā ad dominum Regē, quàm ad dominū Principem Antiochenum, pacē petit ad certum tempus, & implorat: iuramenta præstās & obsides, quod toto concessi temporis fœdere, Christianis tam ex Regno quàm ex Principatu fidelē debeat societatē obseruare. Interea Princeps *Antiochenus* videns eos suis partibus viciniores; & quorundam edoctus relatione, quod in terram suam impetus molirentur, dominum Regem in sui subsidium euocat: Doldequinum quoque nihilominus iure fœderis obligatum, vt cum suis adesse procuret copiis, inuitat. Rex autem pro salute regionis sollicitus plurimùm, congregatā militiā, & honesto stipatus comitatu, illuc impiger contendit: assumptoque secum Tripolitano comite Pontio, intra paucos dies ad eum locū, vbi dominus Princeps suas collegerat copias, peruenit. Porrò Doldequinus, sicut & vicinior erat, ita & domini Regis præuenerat exercitum, nostrorum castris, tanquam socius se adiungens. Collectis ergò omnibus in vnum copiis, ante vrbem *Cæsaream*, vbi hostes adesse priùs audierant, vnanimiter constituerunt: quo hostibus cognito, videntes quòd nisi cum graui periculo non possent nostros sustinere, simulant recessum, tanquam de cætero non redituri. Vnde nostri ab inuicem separati, reuersi sunt ad propria.

XXIII. A. D. 1114. — A. D. 1115.

XXIV. Interea dum Rex ita circa partes Antiochenas detineretur occupatus, *Ascalonitæ* eā freti fiduciā, quod Rex absens erat, secumq; maiores regni vires cōtraxerat, sumptā opportunitate ex tempore, vrbem *Ioppensem* obsident. Modico siquidem antè tempore, septuaginta nauium classis in eorum subsidium ex Ægypto ascenderat, quam ante se præire, & Ioppensium littus occupare præcipiunt. ipsi verò subsecuti in multis millibus, erectis vexillis, subitò ante vrbem constiterunt. Qui verò in classe erant, cognito suorum per terras aduentu, è nauibus certatim prosiliunt, ciuitatem cominus impugnaturi. Sic ergò dispositis in gyrum ordinibus, vrbem ex omni parte ambiunt, & signo dato impugnant, vndique instantes animosiùs. Ciues autem,

autem, etsi pauci essent numero, & viribus longè impares, pro vxoribus & liberis, pro libertate & *patria, pro qua quivis egregius honestum mori reputat*, resistunt viriliter: turresq; ac mœnia pro viribus communientes, arcubus & balistis, iactu quoq; pugillarium lapidum hostes à se propellunt longiùs, nec ad murum patiuntur accedere. Contigit autem Ascalonitis longè secus à spe quàm conceperāt: nam vrbem arbitrantes vacuam reperire, scalas fabricauerant & altitudine & numero sufficiẽtes, per quas statim sine contradictore intra mœnia irrūpere posse non diffidebāt. Resistentibus igitur viriliter obsessis, non dabatur eis scalas mœnibus applicare: quibus vix licitum erat ad eos, qui in turribus erant, aliquid iaculari. Tantam enim ciuibus 10 Dominus contulerat gratiā, vt circumstantē multitudinem, diuino freti auxilio, nō formidarent. Erant autē portæ ciuitatis ligneæ, nullum ex ære vel ferro habentes operimentū. Has, ignē artificiosè contorquendo ex parte combusserunt, nō tamē eatenus, vt per eas maior vis ciuibus, aut maior inferri posset molestia. Videntes ergo post dies aliquot Ascalonitæ, quòd non proficerent, timentesque ne regionis populus ad obsessorum conueniret subsidium, solutâ obsidione, domum reuersi sunt. Classis verò secundis vsa flatibus, in portum Tyrensium se recepit. Euoluto autem decem dierum spacio, tentare volentes, vtrum Ioppitas incautos aliquando reperire possent, Ascalonâ secretiùs egressi, congregatâ suorum ingenti multitudine, subitò & sine strepitu, iteratò ante Ioppen astiterunt. Ciues autem, in talibus as- 20 sueti, semper erant in excubiis, continuas noctibus per successiones agentes vigilias, vt semper ad resistendum inuenirentur parati. Videntes ergò hostium reuersas legiones, & bella sibi recidiua parari, certatim turres conscendunt & mœnia; tātoque acriùs contendunt resistere, quanto vires hostium minores conspiciunt, & numerum vident imminutum. Nam classem quæ aliâ vice multa ciuibus intulerat discrimina, abesse conspiciunt, non facilè redituram. Augebat & nihilominus obsessorum fiduciam, quòd Rex in proximo dicebatur venturus. Vnde facti animosiores, & resistentes confidentiùs, variis casibus, multos de hostium exercitu proterniùs instantes peremerunt. Cùm ergo quasi per septem horas continuas vrbem impugnassent, videntes quòd inutiliter cōsumerent operam, reuocatis agminibus ho- 30 stes Ascalonam reuersi sunt. Dum igitur hæc in regno geruntur, *Bursequinus* (de quo superiùs diximus) qui ad aduentum Domini Regis & aliorum nobilium, qui contra eum conuenerant, fugam & discessum à partibus Antiochenis simulauerat, videns quòd Rex & Princeps Antiochenus, *Doldequinus* quoq; discesserant abinuicem, & curis tracti domesticis redierant ad propria, arbitratus quòd non facilè denuò possent conuenire, rursum partes infestat Antiochenas: & percurrens regionē vniuersam, villas incendit, concremat suburbana; & quicquid extra munita præsidia reperire poterant, sibi dabant in direptionem & prædam: diuisis etiam cateruatim agminibus ad varias dirigebant partes, vt stragem passim operarentur; & incautis occurrentes, siue per agros, siue iter agentes, aut captiuos secū traherent, aut gla- 40 diis obtruncarent. Nec solùm villas absq; muro, suis effringebant irruptionibus; verùm etiam & murata municipia violenter occupabant. *Marram* siquidem, & *Cafardam*, comprehensis intus habitatoribus, partim peremptis gladio, partim compedibus mancipatis, ad solum vsq; deiecerant; & obtinentes regionem totam, vndique prædam, vndique Christiana mancipia singulis diebus contrahebant. Quod vt Principi nunciatum est, accito sibi domino Comite Edessano, duodecimâ mensis Septembris, Antiochiâ egressus, ante oppidum *Rugiam* cum suis expeditionibus impiger astitit. Missisq; statim exploratoribus qui de hostium statu eum certificarent & proposito, ipse acies instruit, componit agmina, ad pugnam viriliter se accingēs: circa quæ, dum iuxta rei militaris disciplinam à domino Comite fideliter adiutus 50 desudaret, ecce nuncius cum omni celeritate properans, hostes in valle *Sarmati* castrametatos asserit. Quo audito, exhilaratus est admodum vniuersus exercitus, quasi spe victoriæ iam conceptâ. Ipse etiam *Bursequinus*, audito nostrorum aduentu, suos armari præcipit, & instructis agminibus ad agendum strenuè commilitones inuitat. Volens tamen suæ prouidere saluti, cum fratre & quibusdam familiaribus, montem vicinum nomine *Danim*, antequam nostri accedant, occupat: vnde suos possit præliantes intueri, & de belli ordine necessario suos pleniùs instruere. Factum est ergo, vt dum circa hæc esset occupatus, ecce nostrorum acies,

XXV.

erectis vexillis cœperunt comparere; visisque hostibus, spretâ eorum multitudine, dominus *Balduinus* Edessanus Comes, qui cum sua cohorte cæteros præcedebat, in eos animosiùs irruens, impetu vehementi totum eorum concussit exercitum. Quẽ pari exemplo reliquæ acies consecutæ, in medios hostium cuneos se immergunt, ensibus, & gladiis instantes cominus; iniurias parati refundere, quas villanis & pauperibus nimis licenter intulerant. Hostes itaque primis congressionibus resistendi spem habentes, proterue nimis à se nostros tentabant propulsare: sed tandem nostrorum vires, impetus, & admirabilem stupentes constantiam, dissolutis penitus eorum agminibus, in fugam versi sunt. *Bursequinus* verò de montis culmine suorum videns defectum, nostros verò inualescere, cum fratre & familiaribus quos in mõte collegerat, relicto vexillo, castris & sarcinis omnibus, fugâ elapsus, vitæ consuluit. Dissolutas itaq; acies & in fugam versas, nostri persequuntur instantiùs; & gladiis obtruncantes fugitiuos, quasi per duo miliaria stragem infinitam operati sunt. Princeps autem cum parte suorum, tanquam victor, in campo certaminis biduo moram faciens, suos operiebatur, qui ad partes diuersas hostes fuerant insecuti. Quibus receptis, & comportatis ante se spoliis omnibus, portiones congruas victoriæ præstat consortibus. Castra enim deserentes omnibus referta commoditatibus, & ingentibus diuitiis redundantia vsque ad supremum, omnium eorum immemores fugam inierant. Sed & prædam & manubias, quas de locis diuersis contraxerãt; simul & captiuos nostros, quos in vincula coniecerant, receperunt nostri; & gaudentes cum suis animalibus, vxoribus, & liberis remiserunt ad propria. Dicuntur autem in eo conflictu cecidisse de hostibus plusquam tria milia. His peractis, Princeps equis, mulis, & captiuorum ante se præmissâ multitudine, diuitiarum quoque omnimodâ varietate antecedente, Antiochiam cum ingenti plausu & populorum lætitia victor ingressus est.

XXVI. Eodem tempore Dominus Papa auditis enormitatibus *Arnulfi* patriarchæ, & de eius immunda conuersatione pleniùs edoctus, legatum dirigit ad partes Syriæ, quendam virum venerabilem, & multâ religione conspicuum, *Aurasicensem* Episcopum; qui ad partes nostras perueniens, conuocato vniuersi Regni Episcoporum concilio, prædictum Arnulfum coram se astare præcepit: tandemq; meritis exigentibus, auctoritate sedis Apostolicæ ab officio pontificali deposuit. Ille verò adhuc fiduciam habens in suis præstigiis, quibus penè vniuersorum subuertebat animos, transfretare coactus, ad Romanam perrexit Ecclesiam: vbi domini Papæ & totius Ecclesiæ, blandis verbis, & largâ munerum profusione, religionem circumueniẽs, cum gratia sedis Apostolicæ remeauit ad propria, sedem obtinens Hierosolymitanam eadem viuendi licentiâ, quâ prius meruerat depositionem. Per idem tempus, cùm adhuc Christianus populus vltra Iordanẽ non haberet vllum præsidium, cupiens Rex in partibus illis Regni fines dilatare, proposuit auctore Domino, in *tertia Arabia*, quę alio nomine dicitur *Syria Sobal*, castrum ædificare, cuius habitatores terram subiectam, & Regno tributariam ab hostium irruptionibus possent protegere. Volens igitur proposito satisfacere, conuocatis regni viribus. Mare transit Mortuum: & transcursâ *Arabiâ secundâ*, cuius metropolis est *Petra*, ad tertiam peruenit. Vbi in colle, ad eius propositũ loco satis idoneo, præsidium fundat, situ naturali & artificio valde munitum, in quo post operis consummationem tam equites quàm pedites, ampla illis conferens prædia, habitatores locat; oppidoq; muro, turribus, antemurali & vallo, armis, victu & machinis diligenter communito, nomen ex regia dignitate deductum ei imposuit, *Montemq; Regalem*, eò quòd Regem haberet fundatorem, appellari præcepit. Est autem prædictus locus commoditates habens fœcundi soli, frumenti, vini & olei copias vberes ministrantis; salubritate simul & amœnitate præcipuâ singulariter commendabilis, totam adiacentem regionem suæ vendicans ditioni.

XXVII. Eo temporũ articulo videns Rex, & super eo valde sollicitus, Vrbem sanctam & DEO amabilem habitatoribus vacuam, ita vt eo ad cætera Regni negocia de necessitate * populus, qui saltem ad protegendos ciuitatis introitus, & turres & mœnia, contra repentinas hostium irruptiones munienda sufficeret; anxius cogitabat, apud se deliberans, & ab aliis percunctabatur frequentiùs, quomodo fidelibus populis, & DEI cultoribus incolis eam posset replere. *Gentiles* enim qui fuerant eius habitatores, vrbe violenter effractâ, penè omnes in gladio ceciderant; si qui autem casu euaserant, iis non est da-

est datus locus intra vrbem ad manēdum. Instar enim sacrilegii videbatur Deo deuotis Principibus, si aliquos, qui in Christiana non censerentur professione, in tam venerabili loco esse permitterent habitatores. *Nostrates* verò adeò pauci erant & inopes, vt vix vnum de vicis possent incolere. *Suriani* autem, qui ab initio vrbis ciues extiterant, tempore hostilitatis per multas tribulationes, & infinitas molestias adeò rari erant, vt quasi nullus eorum esset numerus. Ab introitu siquidem Latinorum in Syriam, maximè autem postquā Antiochia capta, versus Hierosolymā tendere cœpit exercitus, adeò prædictos Dei famulos conciues eorum cœperunt affligere, vt pro quolibet leui verbo multos ex eis occiderent, ætati non parcentes, aut cōditio-
10 ni: suspectos eos habentes, quod Occidentales Principes, qui dicebantur aduenire, in eorum perniciem ipsi literis & nunciis euocassent. Sic ergo pro eius desolatione curam gerens debitam, sciscitabatur diligentiùs, vnde illic ciues posset euocare, tādemq; didicit, quòd trans Iordanem in Arabia multi fideles in villis habitarent, qui sub grauibus conditionibus hostibus seruiebant in tributo. Hos euocans dominus Rex, & meliores promittens conditiones, tractos tum locorum reuerētiâ, tum nostrorum dilectione, & amore libertatis, intra modicum tempus multos cum vxoribus & liberis, cum gregibus & armētis & vniuersa familia recepit. Multi etiam sine vocatione, duræ seruitutis iugū declinantes, vt vrbem Deo dignam incolerent, cōuenerunt. Quibus Rex eas ciuitatis partes, quæ magis hoc solatio videbantur indi-
20 gere, conferens, eis domicilia repleuit. Interea decidit in mentē domino Regi, (& fortasse cleri suggestione ad hoc deuenit) vt missis nunciis ad ecclesiam Romanam, domino Papæ petitiones porrigeret: quarum tenor erat, vt *quascunq; vrbes, quācumq; prouinciam sudoribus bellicis & regiâ sollicitudine, auctore Domino, sibi posset vendicare, & de potestate hostium violenter eripere, omnes ditioni & regimini Hierosolymitanæ Ecclesiæ subiicerent.* Super quo rescriptum à sede Apostolica impetrauit, cuius tenorem præsenti interserere narrationi dignum duximus: *PASCHALIS seruus seruorum DEI, glorioso Hierosolymitano regi BALDVINO salutem & Apostolicam benedictionem. Ecclesiarū quæ in vestris partibus fuerunt, vel sunt, terminos atque possessiones, diutinâ infidelium possessio tyrannisq; confudit: cùm itaque certos eius fines assignare deliberatione nequeamus, tuis precibus,*
30 *non immeritò duximus annuendum, vt, quia pro Hierosolymitanæ ecclesiæ sublimatione personā tuam extremis periculis exponere deuouisti, quascunque infidelium vrbes ceperis, vel cepisti, eiusdem Ecclesiæ regimini dignitatiq; subiaceant. Porrò earundem ciuitatum episcopi, Patriarchæ, tanquam proprio metropolitano, obedientiam exhibere procurent; quatinus & ipse illorum fultus suffragiis, & ipsi adinuicem ipsius vnanimitatis auxilio vegetati, sic in Hierosolymitanæ Ecclesiæ exaltatione proficiant, vt de illorum profectibus Omnipotens DEVS glorietur. Data Laterani V. Idus Iulii.* Ad petitionem quoque eiusdem domini Regis, idem dominus *Paschalis*, domino Patriarchæ *Gibelino*, & successoribus eius in perpetuum super eodē articulo priuilegium indulserat, cuius rescriptū huic pręsenti narrationi interserere curauimus; cuius verba sunt hæc: *PASCHALIS Episcopus, seruus seruorum DEI, reuerēdissi-*
40 *mo fratri, Hierosolymitano Patriarchæ GIBELINO, & successoribus eius in perpetuum canonicè promouendis. Secundùm mutationes temporum transferuntur etiam regna terrarū: vnde etiā Ecclesiasticarū Parrochiarum fines, in plerisq; prouinciis mutari expedit, & transferri. Asianarū siquidem Ecclesiarum fines, antiquis fuerunt definitionibus distributi: quas distributiones, diuersarum diuersæ fidei gentium confudit irruptio. Gratias autem DEO, quòd nostris temporibus, & Antiochiæ & Hierosolymæ ciuitates cum suburbanis suis, & adiacentibus prouinciis, in Christianorum Principum redactæ sunt potestate. Vnde oportet nos diuinæ mutationi & translationi manum apponere, & secundùm tempus, quæ sunt disponenda, disponere, vt Hierosolymitanæ Ecclesiæ, vrbes illas & prouincias concedamus, quæ gloriosi regis Balduini, ac exercituum eum sequentium sanguine, per DEI gratiam acquisitæ sunt. Præsentis itaque Decreti pagina tibi fra-*
50 *ter karissime, & coepiscope Gibeline, tuisq; successoribus, & per vos sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, Patriarchali, siue Metropolitano iure regendas disponendasq; sancimus ciuitates omnes atque prouincias, quas supradicti Regis ditioni aut iam restituit, aut in futurum restituere gratia diuina dignabitur. Dignum est enim, vt Sepulchri Dominici Ecclesia, secundùm fidelium militum desideria, competentem honorem obtineat; & Turcorum seu Sarracenorum iugo libera in Christianorum manu abundantiùs exaltetur.* Super qua exauditione, dominus Bernardus, vir vitę venerabilis, Antiochenorum Patriarcha, quoniam in læsionē Ecclesiæ suæ redundare videbatur, indignatus est plurimùm, ita vt missis

XXVIII.

nunciis ad Romanam ecclesiam, super eo facto plurimùm conquereretur; & de illata sibi & ecclesiæ suæ manifesta iniuria, dominũ Papam & ecclesiam totam literis suis argueret. Cuius dominus Papa indignationem mitigare cupiens, in hæc verba rescripsit: *PASCHALIS Episcopus, Seruus seruorum DEI, venerabili fratri BERNARDO, Antiocheno Patriarchæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Quamuis inter cæteras Apostolica sedes illa emineat, quam Petri Apostoli morte in corpore dignatio superna clarificauit, inter Romanum tamen & Antiochenum Episcopos tanta quondam legitur caritas extitisse, vt nulla inter eos diuersitas videretur. Eadem enim Petri persona vtrasq; illustrauit ecclesias: Multa post hæc tempora transierunt, quibus infidelium dominatio vnitatem hanc in personis præsidentium impediuit. Gratias autem DEO, quòd temporibus nostris Christianorum principatum in Antiochena ciuitate restituit. Dignum est igitur, karissime frater, vt eiusdem caritatis in nobis vnitas firma permaneat; nec de nobis menti tuæ opinio vlla surrepat, quod Antiochenam ecclesiam deprimere, aut inhonorare velimus. Si quid ergo vel Antiochenæ, vel Hierosolymitanæ ecclesiæ aliter fortasse quàm oportuit de Parrochiarum finibus scripsimus, nec leuitati est nec malitiæ ascribendum, nec propter hoc apud nos est scandalum concitandum; quoniam & locorum prolixa longinquitas, & antiquorum nominum commutatio, quæ ciuitatibus vel prouinciis accidit, magnam nobis ambiguitatem vel ignorantiam intulerunt. Cæterùm & optauimus & optamus non scandali, sed pacis fomitem fratribus ministrare; suum ius & honorem quibusque ecclesiis conseruare. Data Laterani VII. Idus Augusti.* Volens autem dominus Papa mentem suam interpretari, & quâ intentione domino Regi, & ecclesiæ Hierosolymorum id concesserat, quod in eius rescriptis continebatur, eidem Patriarchę Bernardo in hunc modum rescripsit: *PASCHALIS Episcopus, seruus seruorum DEI, coepiscopo BERNARDO, Antiocheno Patriarchæ, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sicut aliis literis fraternitati tuæ scripsimus, nos & personam tuam, & ecclesiam tibi commissam plenâ caritate diligimus; nec vllo modo volumus honorem vestræ dignitatis imminui, quin Antiocheni Patriarchatus prælatio, sicut præteritis temporibus conseruata est, ita etiam in futurum integra, præstante Domino, conseruetur. Illud autem quod filio nostro Balduino, Hierosolymitanorum regi, per nuncios suos intercedenti, concessimus, caritatem vestram omnino conturbare non debet, si litterarum nostrarum sensum interiùs perscruteris. Sic enim in eis scriptum est:* Ecclesiarum quæ illis in partibus fuerunt, vel sunt, terminos atque possessiones diutina infidelium possessio tyrannisque confudit. Cùm itaque certos eis fines assignare præsenti deliberatione nequeamus, tuis non immeritò precibus duximus annuendum, vt quia pro Hierosolymitanæ ecclesiæ sublimatione personam tuam extremis periculis exponere deuouisti, quascunque infidelium vrbes cœperis, vel cœpisti, eiusdem ecclesiæ regimini dignitatique subiaceant. *Eodem sensu illa etiã verba discutienda sunt, quæ fœlicis memoriæ Gibelino Hierosolymitano Patriarchæ, de ciuitatibus atque prouinciis scripsimus, quæ supradicti Balduini regis prudentiâ, & exercituum eum sequentium sanguine, per DEI gratiam, acquisitæ sunt. Siquidem ecclesias illas, quibus certi fines assignari possunt, quarum termini ac possessiones diutinâ possessione ac tyrannide confusi non sunt, & ipsarum ecclesiarum vrbes, illi volumus ecclesiæ subiacere, ad quam ex antiqua sciuntur iustitia pertinere. Non enim volumus aut pro Principum potentia, ecclesiasticam minui dignitatem; aut pro ecclesiastica dignitate Principum potentiam mutilari. Data Beneuenti, decimo quinto Kalend. Aprilis.* Sed & domino Regi eodem modo scripsit, exponens qua intentione prædictis illius petitionibus assensum præbuerat; & significans quod ecclesiam Antiochenã in nullo velit indebitè grauari: In hæc verba; *PASCHALIS Episcopus, seruus seruorũ DEI, karissimo BALDVINO, illustri Hierosolymitanorum regi salutem, & Apostolicam benedictionẽ. Concessio illa quam nos petitioni tuæ accommodauimus, vt quascunque infidelium vrbes cæperis, vel cæpisti, Hierosolymitanæ Ecclesiæ regimini dignitatiq; subiaceant, non parum cùm fratrem nostrum Bernardum Patriarcham, tùm vniuersam Antiochenam turbauit Ecclesiam. Cùm enim nos concessionem illam super illis Ecclesiis indulserimus, quarum terminos atque possessiones, diutina infidelium possessio tyrannisq; confudit, illi eas Ecclesias à Hierosolymitano Patriarcha, te conniuente inuasas, conqueruntur, de quibus ambiguitas nulla sit, quin eas etiam Turcorum vel Sarracenorum temporibus sedes Antiochena possederit: quia earum episcopi, etiam infidelium oppressi tyrannide, Antiocheno Patriarchæ obedientiam exhibebant. Porrò nos literis ad supradictum Patriarcham missis, Antiocheni Patriarchatus prælationem, sicut ab antiquis patribus distributa, & præteritis temporibus conseruata est, ita etiam in futurum integram conseruari sanxeramus. Tuam igitur strenuitatem monemus, & monentes præcipimus, ne à te inuasiones huius-*

nes huiusmodi fieri (vbi manifesta est veritas) permittantur; sed vnaquæque Ecclesia, iustitiæ suæ limitibus perfruatur. Nec enim possumus manifestè sanctis patrum nostrorum constitutionibus obuiare: nec omnino volumus, aut pro Principum potentia, ecclesiasticam minui dignitatem, aut pro ecclesiastica dignitate Principum potentiam mutilari; ne apud vos occasione alterutrâ pax (quod absit) turbetur ecclesiæ. Clericis quoque Hierosolymitanis per præsentia scripta præcipimus, quandoquidem paternas possessiones, & patriam pro ecclesiæ (vt creditur) exaltatione, pro religionis obseruantia reliquerunt, vt Hierosolymitanæ ecclesiæ sint iure contenti; nec iniustè aut procaciter vsurpare ea contendant, quæ certò sciuntur ad ius Antiochenæ Ecclesiæ pertinere. Omnipotens Dominus, suâ te in omnibus dexterâ protegat, & de hostibus Ecclesiæ triumphare concedat. Data Laterani, decimo quinto Kal. Aprilis.

XXIX. A. D. 1116.

10 Anno sequente, vt adiacentium regionum Rex pleniorem haberet experiẽtiam, & de situ prouinciarum magis edoceretur, assumptis secum locorum peritis, & comitatu, qui sibi ad propositũ sufficere videbatur, transiẽs Iordanem, & transcursâ *Syriâ Sobal*, per vastitatem solitudinis ad *Mare Rubrum* descendit, ingressus *Helim* ciuitatem antiquissimam, populo Israelitico aliquando familiarem: vbi leguntur fontes duodecim fuisse, & Palmæ septuaginta. Ad quã cùm peruenisset, loci illius incolæ domini Regis aduentu præcognito, nauiculas ingredientes, in mare vicinum, mortem effugere cupiẽtes, se cõtulerunt. Vbi dominus Rex locis notatis & cõsideratis diligentiùs, eandẽ qua venerat remensus viã, ad *Montem Regalem*, castrũ videlicet, quod de nouo fundauerat, re-20 uersus est. Inde *Hierosolymam* rediẽs, graui ex insperato correptus est ęgritudine. quâ cum supra vires fatigaretur, & timeret deficere, læsam habens conscientiam, super eo quod legitimâ vxore iniustè abiectâ, aliam superduxerat: corde compunctus & facti pœnitens, viris religiosis & DEVM timentibus aperiens conscientiã, reatũ confessus est, satisfactionem promittens: cui cùm pro consilio daretur, vt Reginã quam superduxerat, à se demitteret; abiectã verò, ad regiam vnde deciderat reuocaret dignitatem; acquieuit: & quod ita facturus esset, si vita ei cõcederetur productior, voto se obligauit. Vnde factum est, vt euocatã ad se Reginã ordine rẽ aperuerit: quæ, licet super eodem facto aliquantulum esset instructa, nã idipsum aliquando à pluribus audierat; tamẽ visa est ęgrè ferre, quod ita temerè fuerit euocata, & fraude Prin-30 cipum regionis, qui ad eã citandam missi fuerant, circumuenta. Dolens igitur & tristis tam de illata contumelia, quàm de opibus inutiliter consumptis, ad reditum se præparat; post tertium annum, quo ad dominum Regem venerat, in patriã reuersura. Quâ redeunte ad propria, turbatus est supra modum filius; & apud se odiũ cõcepit aduersus Regnũ & eius habitatores, immortale. Nam cùm reliqui fideles diuersi orbis Principes, aut in propriis personis, aut immensis liberalitatibus Regnum nostrum, quasi plantam recentem promouere & ampliare sategerint, hic & eius hæredes vsque in præsentem diem, nec etiam verbo amico nos sibi conciliauerunt: cùm tamen quouis alio Principe longè commodiùs, faciliusq; nostris necessitatibus cõsilia possent & auxilia ministrare. Videntur ergo iniuriæ perpetuò memores; & de-40 lictum personæ, iniustè in populum refundũt vniuersum.

XXX.

Eodem anno postquã Rex de prædicta conualuit ægritudine, anxius quomodo vrbem *Tyrensium*, quæ sola de vrbibus maritimis ab hostibus detinebatur, suo mancipare posset imperio, inter Ptolomaidam & prædictam Tyrum, castrum ædificat: in eodem loco vbi *Alexãder* Macedo, ad expugnandam eandem vrbem, olim dicitur fundasse idem præsidium, & de suo nomine *Alexandrium* vocasse. Est autem locus fontibus irriguus, vix quinque miliaribus à Tyro distans, in littore maris constitutus. Hoc autem eâ reædificauit intentione, vt Tyrensibus esset pro stimulo, & vnde eis frequentes irrogarentur iniuriæ. Hunc locum hodie appellatione corruptâ populares appellãt *Scandalium*. Arabicè enim Alexander, *Scandar* dicitur, & Alexandrium, *Scandariũ*: vulga-50 res verò R in L conuersa, dicunt *Scandalium*.

XXXI. An. D. 1117.

Anno sequente, vt Ægyptiis vicem refunderet pro iis quæ in regno sæpiùs commiserant, cum ingentibus copiis descẽdit Rex in Ægyptum, & vrbem antiquissimam, *Pharamiam* nomine, confregit violenter; & confractæ copias suis commilitonibus dedit in prædam. Est autem *Pharamia* vrbs antiqua, vt diximus, in littore maris sita, non longè ab ostio *Nili*, quod *Carabeix* dicitur: supra quod iterum *Tampnis*, vrbs antiquissima; & signorum, quæ Dominus per *Moysen* seruum suum coram Pharaone operatus est, familiaris. Captâ igitur vrbe, egressus Rex ad prædictum ostium Nili, admiratus est aquarum quas

priùs non viderat fluenta; eoque maximè, quod Nilus, cuius portionem alueus ille vsque in mare deducit, vnum de quatuor Paradisi fluminibus dicitur esse, & creditur. Captis igitur de piscibus, quorum illic maxima est copia, in vrbem quam occupauerant redeunt, & parato prandio refecti sunt ex eis: cumque Rex surrexisset à cœna, sensit se dolore plurimo interiùs prægrauari; & recrudescente antiqui vulneris molestiâ, cœpit laborare vehementiùs, ita vt de vita periclitans desperaret. Indicto igitur legionibus per vocem præconiam reditu, domino Rege, ægritudine inualescente, eatenus debilitato, vt equitare non posset, lecticam instruunt, eumque in ea, anxiè laborantem collocant. Sicque continuatis itineribus, transcursâ ex parte solitudine, quæ inter Ægyptum & Syriam media diffunditur, *Laris* antiquam eiusdem solitudinis vrbem perueniunt maritimam. Vbi morbo superatus Rex, ad extremum veniens, in fata concessit: vnde lugentibus, & præ doloris angustia deficientibus legionibus, Hierosolymam deportatus est. Et eâ dominicâ quæ dicitur in *Ramis palmarum*, per vallem Iosaphat, vbi de more populus ad diem festum conuenerat, in vrbem introductus, & iuxta fratrem sub Caluaria, in loco qui *Golgotha* dicitur, regiâ magnificentiâ sepultus est. Mortuus est autem anno ab incarnatione Domini M. C. XVIII. Regni eius octauo decimo.

A. Dn. 1118.

EXPLICIT LIBER VNDECIMVS.

CAPITVLA LIBRI DVODECIMI.

XXIII. Clas-

XXIII. Classem hostium circa Ioppen repertam, idem Dux violenter effringit, & conuertit in fugam, galeis pluribus retentis.

XXIV. Regni Principes cum eodem Duce conueniunt; & Tyrus obsidetur.

XXV. Rescriptum priuilegii, continẽtis cõsonantiã pactorum inter Venetos, & principes regni Hierosolymorum pro Tyrensi obsidione.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI DVODECIMI.

10

INCIPIT LIBER DVODECIMVS.

SECVNDVS Hierosolymorum rex, ex Latinis fuit dominus *Balduinus de Burgo*, qui cognominatus est *Aculeus*; vir religiosus, ac timens DEVM, fide conspicuus, in re militari exercitatus plurimùm. Hic fuit natione Francus, de Episcopatu Remensi, filius domini *Hugonis* comitis de Retest, & *Milisendis* præclaræ comitissæ, quæ tot dicitur sorores habuisse, vnde tanta multitudo filiorum & filiarum dicitur procreata, quantam ii nouerunt qui Principum genealogias sollicitâ inuestigant diligentiâ. Hic viuente adhuc patre cum aliis nobilibus, qui iter Hierosolymitanum arripuerant, in comitatu domini 20 Ducis *Godefridi*, cuius erat consanguineus, eandem viam, eâ deuotione quâ alii ingressus est, relinquens domi apud patrem iam grandæuum, fratres duos, & sorores totidem, quorum ipse omnium primogenitus erat. Nomen alterius fratrum *Geruasius*, qui postea fuit electus ad Ecclesiam Remensem; alterius *Manasses*. Sororum autem alteram habuit Castellanus de Vitriaco, nomine *Mahaldam:* alteram dominus *Herbrandus de Herges*, vir nobilis & potens, nomine *Hodiernam:* ex qua natus est *Manasse de Herges*, quem nos postmodum tempore dominæ Milisendis reginæ, regium vidimus Constabularium. Porrò patre huius domini Balduini regis defuncto, *Manasses* filius eius, quia dominum Balduinum, qui primogenitus erat, regni occupatio detinebat, successit: quo etiam sine liberis decedente, *Geruasius* frater eo- 30 rum, dimisso Remensi Archiepiscopatu, vxorẽ contra instituta ecclesiastica ducens, eundem Comitatum iure possedit hæreditario. Susceptam autem ex vxore vnicam filiam cuidam nobili viro in Normannia, matrimonio copulauit. Quo defuncto sororis illorum filius, Mahaldis videlicet, quæ Castellano Vitriacensi nupserat, *Iterius* nomine, in eodem Comitatu successit. Sed de his hactenus.

CAP. I.

II. Domino igitur *Balduino*, domini ducis piæ & illustris memoriæ Godefridi fratre, post fratris obitum ad regnum Hierosolymorum vocato, & in Regni solio solenniter collocato, hic (de quo nobis est in præsentia sermo) tradẽte domino Rege qui consanguineus eius erat, in comitatu Edessano successit, quem annis decem & octo, & aliquid ampliùs, strenuè & feliciter administrauit. Anno igitur sui Comitatus o- 40 ctauo decimo, regione suâ in optata tranquillitate locatâ, proposuit Hierosolymorum regem, dominum, consanguineum & benefactorem suum, & loca sancta, deuotionis gratiâ visitare. Ordinatis igitur ad iter necessariis, commissaque fidelibus suis, de quorum fide & industria pleniùs confidebat, regione, municipiis in tuto dispositis, tanquam vir prouidus & plenè circumspectus, viam destinatam, adiuncto sibi honesto comitatu, aggreditur. Dumq; iter prosequeretur inceptum, ecce nuncius occurrit, denuncians quòd dominus Rex in Ægypto, sicut & verum erat, vltimum fato clauserat diem. Quo audito, plurimùm de morte domini & consanguinei sui, sicut nec mirum erat, consternatus, nihil tamen ab incepto destitit itinere, sed Hierosolymam maturatis gressibus contendit. Ad quam cùm peruenisset, 50 accidit casu, quod in die festo, qui dicitur *Ramispalmarum*, cùm de more populus vniuersus in vallem *Iosaphat* conuenisset, ad solemnem & celebrem tantæ diei processionem, subitò ex vna parte Comes cum suis ingrederetur: & è regione, domini Regis funus, cum exequiis importaretur, vniuersâ militiâ, quæ cum eo in Ægyptum descenderat, domini sui funus de more prosequente.

III. Introducto igitur funere regio in sanctam ciuitatem, & in Ecclesia Dominici Sepulchri iuxta fratrem, ante locum qui dicitur *Golgatha*, sub monte Caluariæ, honorificè sepulto, conuenerunt qui aderant de Maioribus regni, Episcopi, Archiepiscopi, & alii ecclesia-

rum prælati cum domino Arnulfo Patriarcha; & de laicis principibus nonnulli; inter quos erat vir industrius, vnde sæpiùs suprà fecimus mentionem, *Ioscelinus*, potens in opere & sermone, Tyberiadensis dominus. Habitaque deliberatione de instanti negocio, varias promunt sententias: dicentibus aliis, *Expectandum esse dominũ Eustachium comitem, nec interrumpendam hereditariæ successionis antiquissimam legem: specialiter, cum bonæ memoriæ fratres eius congruo, & cunctis placato moderamine regnum feliciter administrassent.* Aliis dicentibus, *Negocia regni, & continuam necessitatem non posse pati has dilationes, nec indulgere tantas ferias; sed maturandum esse, vt regioni citiùs consulatur, ne fortè si incubuerit necessitas, non sit qui exercitus educat & reducat, & Regni procuret negocia; & pro ducis inopia Regni status periclitetur.* Hanc partium fluctuationem & votorum repugnantiam, prætentatâ domini Patriarchæ, & ad se inclinatâ mente, prædictus *Ioscelinus*, qui maximæ erat in Regno auctoritatis, illorum iuuans partem, qui dicebant Regem statim esse ordinandum, diremit, dicens: *Præsentem esse dominum comitem Edessanum, virum iustum & timoratum, domini Regis consanguineum, armis strenuum, per omnia commendabilem, quo meliorem nulla nobis regio, nulla prouincia posset ministrare. Commodius esse ipsum in Regem assumere, quàm casus periculosiores expectare.* Erant itaque multi, qui de sinceritate fidei arbitrabantur domini Ioscelini verba procedere, scientes quomodo non multo antè dominus Comes, vt prædiximus, tractasset eum; & illud reputantes, quod prouerbialiter dici solet, *Omnis laus vera est ab hoste*: nescientes quod aliàs eius properaret intentio, fidẽ verbis eius habentes, præstabant coniuentiam. Ipse autem, vt dicebatur, aliter affectus erat: nam spe futuræ in Comitatum successionis, dominum Comitẽ in Regnum introducere nitebatur. Domino igitur *Arnulfo* patriarchâ, & domino *Ioscelino* hanc opinionem amplectentibus, reliqui facilè in eandem inducti sunt: & pari voto, & vnanimi consensu, eum in Regem eligentes, in die sanctæ Resurrectionis, qui proximè secutus est, sollemniter, & ex more inunctus & consecratus est; & diadematis insigne regium suscepit. Quæcunque autem domini Patriarchæ, aut domini Ioscelini in eo facto fuerit intentio, Dominus rei euẽtum misericorditer conuertit in bonum. Nam virum iustum, piũ, ac timentem DEVM, Diuinâ eum præueniente gratiâ, se exhibuit: eratq; vir in cunctis prosperè agens. Videtur tamen minus regularem habuisse introitũ; legitimumque regni hæredem certum est à debita successione fraudulẽter exclusisse, illos qui eum promouerunt. Mortuo namq; domino Rege, siue de eius supremo iudicio, siue de communi Principum regni cõsilio (quia neutrum pro certo compertum habemus) missi erant quidam nobiles & magni viri, qui ad regni successionem cõmuni edicto citarent comitem Boloniensium dominum *Eustachium*, dominorũ Godefridi ducis eximii, domini Balduini regis fratrem. Qui ad eum peruenientes, inuitum & renitẽtem, causas honestissimas prætendentes, quare eum venire oporteret, vsque in Apuliam traxerunt. Vbi audiens prædictus vir venerabilis, religiosus, ac timens DEVM, verè tantorum virorum imitator & frater, & in virtutibus & honestis meritis successor, quòd Hierosolymis medio tempore dominus *Balduinus*, Edessanus comes eius consanguineus, Rex fuerat ordinatus, instãtibus nunciis qui pro eo missi fuerant, & allegantibus vt nihilominus procederet, quia quod factũ erat, contra ius & fas, & contra hereditariæ successionis legem antiquissimam, nullo modo stare posset, respondisse dicitur vir DEO plenus: *Absit hoc à me, vt per me in Regnum Domini ingrediatur scandalum, per cuius sanguinem pacem CHRISTI recepit; & pro cuius tranquillitate viri virtutum & immortalis memoriæ, fratres mei, egregias animas cælis intulerunt.* Compositisq; iterum sarcinis, & comitatu recollecto, inuitis iis qui eum ad regnum trahere nitebantur, ad propria remeauit.

XV. Dicitur autẽ formâ fuisse conspicuus, corpore procerus, facie venustâ, capillo raro, flauo, canis mixto; barbam habens raram, sed tamen vsque in pectus demissam; colore viuido, & quantum ætas illa patiebatur, roseo. Habilis ad vsum armorum, & equis regendis aptissimus: rei militaris multam habens experientiam: in agendis suis prouidus; in expeditionibus fœlix; in operibus pius, clemens & misericors; religiosus & timens DEVM; in orationibus iugis, ita vt callos in manibus haberet & genibus, pro afflictionis & genuflexionis frequentia: impiger, licet senior, quotiens eum vocabãt Regni negocia. Adeptus ergo Regni soliũ, sollicitus de comitatu Edessano, quem sine duce dimiserat, *Ioscelinum* consanguineum suũ vocat, vt quod in eum priùs deliquerat, gratuitâ plenaq; satisfactione

factione corrigeret; eique tanquam qui regionem illam pleniùs nouerat, comitatũ donat: sumptaq; fidelitate, per vexillum inuestit, & inducit in possessionem: & conuocans inde vxorem, & filias, & familiam, per operam & studium eiusdem domini Ioscelini, in proximo cum sospitate recepit vniuersa. Erat autem ei vxor *Morfia* nomine, cuiusdam nobilis Græci, *Gabrielis* nomine, de quo supradiximus, filia: quam dum Comes esset cũ pecunia infinita, quæ dotis nomine donabatur, duxit in vxorem; ex qua susceperat tres filias, Milissendem videlicet, Haalim, & Hodiernam: nã quartam, cui Iueta nomen fuit, postquam Regnum adeptus est, vxor ei peperit. Coronatus autem & consecratus est, anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo octauo decimo*, mense Aprili, secundâ die mensis; præsidẽte sanctæ Romanæ Ecclesiæ domino *Gelasio* Papâ secundo; Antiochenæ verò, *Bernardo*, Latinorum in eadem ciuitate Patriarchâ primo; Sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ domino *Arnulfo*, ex Latinis in eadem ciuitate Patriarchâ quarto. Per idem tempus Constantinopolitanus Imperator *Alexius*, Latinorũ maximus persecutor, rebus humanis exemptus est: cui successit *Ioannes* filius eius, patre multò humanior, & meritis exigentibus, populo nostro patre longè acceptior: qui etiam non omnino syncerus erga Latinos Orientales extitit, sicut docebunt sequentia. Dominus quoque *Paschalis* Romanus Pontifex viam vniuersæ carnis ingressus est, Pontificatus eius anno sextò decimo: cui successit dominus *Gelasius*, qui & *Ioannes Gaietanus* dictus est, sanctæ Romanæ ecclesiæ Cancellarius. Mortua est nihilominus & domina *Adelasia*, Siciliæ Comitissa, quæ prædicti domini regis Balduini, de facto, etsi non de iure, vxor fuerat. Eodẽ anno æstate proximè subsecutâ, princeps *Ægyptius*, qui tunc erat pro tempore, congregatâ ex vniuersis Ægypti finibus tam equitum quàm peditum multitudine infinitâ, tam per terras quàm nauali exercitu, in Regnum nostrum proponit violenter introire, facile putans, tam modicum populum aut consumere gladio; aut à cunctis Syriæ finibus fugientes eliminare. Transcursâ igitur solitudinis vastitate, quæ inter nos & Ægyptum media interiacet, cum equitatu numeroso, & peditum iaculis instructorum infinita multitudine, ante Ascalonam castrametatus est. At verò *Doldequinus*, Damascenorum rex, cognito Ægyptiorum aduentu, siue sponte ab eis inuitatus, congregatâ iterum ingenti militiâ, deuia secutus, ne fortè noster ei obuiaret exercitus, transito Iordane, castris se eorum associat, & vires augere nititur, in nostram læsionem. Nauium autem, quædam apud *Ascalonam* applicuerunt; quædã verò vsque *Tyrum*, quoniã ciuitas erat munitissima, & portum habens commodũ, profectæ sunt: expectãtes vt de domini arbitrio, & de voluntate eius qui classi præerat, eis aliquid præcipiatur. Rex autem multo ante tempore eorum aduentu præcognito, tam ex Antiochenis quàm ex Tripolitanis partibus, conuocatis militaribus auxiliis, suisq; in vnum congregatis, in *campestria Philistiim*, illis descendit in occursum: transitoq; eo loco, qui olim *Azotus* dictus est, vbi vna de quinque ciuitatibus Philistinorum fuisse dinoscitur, de vicino Ægyptiorum castrametatus est, ita vt vtrisque partibus daretur mutuò hostium castra singulis diebus intueri. Cumq; iam per mẽses quasi tres, se inuicem lacessere formidarent; nostris, tantam multitudinem in se temerè irritare timentibus; illis verò, nostrorum vires, audaciam, & in præliis experientiã formidantibus; placuit Ægyptio principi tutius esse, cũ incolumitate domũ redire, quàm in se & in suos imprudenter bellorum insidias experiri: sicq; redeuntibus in Ægyptum expeditionib⁹, postquã de eorũ subito regressu nulla nostros mouebat suspicio, nostri quoq; sumptâ à domino Rege licentiã, ad propria cum gaudio reuersi sunt. Per eosdẽ dies, mortuo *Arnulfo* Hierosolymorũ patriarchâ, viro inquietissimo & officii sui sanctimoniã negligente, substitutus est ei vir simplex, ac timens DEVM: dominus *Gormundus*, natione Francus, de episcopatu Ambianensi, de oppido Pinqueniaco. Huius diebus & meritis etiam, vt creditur, multa magnificè ad regni consolationem & incrementum operari dignatus est Dominus: sicut in sequẽtibus præsens enarrabit historia. Eodem anno, quidam nobiles viri de equestri ordine, DEO deuoti, religiosi, & timentes DEVM, in manu domini Patriarchæ, CHRISTI seruitio se mancipantes, more Canonicorum regularium, *in castitate, & obedientia, & sine proprio* velle perpetuò viuere professi sunt. Inter quos primi & præcipui fuerunt, viri venerabiles, *Hugo de Paganis*, & *Gaufredus de sancto Aldemaro*. Quibus, quoniam neq; ecclesia erat, neq; certum habebant domicilium, Rex in palatio

[Margin: line numbers 10, 20, 30, 40, 50; A. Dñ. 1118.; V.; VI.; VII.]

quod secus templum Domini, ad Australem habet partem, eis ad tempus concessit habitaculum. *Canonici* verò *Templi* Domini, plateam quam circa prædictum habebant palatium, ad opus officinarum, certis quibusdam conditionibus cõcesserunt. Dominus autem Rex cum suis proceribus, dominus quoq; Patriarcha cũ prælatis ecclesiarum, de propriis dominicalibus certa eis pro victu & amictu beneficia quędam ad tempus, quædã in perpetuum contulerunt. Prima autem eorum professio, quodq; eis à domino Patriarcha, & reliquis episcopis, in remissionem peccatorum iniunctum est; *vt vias & itinera, maximè ad salutem Peregrinorum, contra latronum & incursantium insidias, pro viribus conseruarent.* Nouem autem annis post eorũ institutionem in habitu fuerunt seculari, talibus vtentes vestimẽtis, quales pro remediis animarum suarum populus largiebatur. Tandem nono anno, Concilio in Frãcia apud *Trecas* habito, cui interfuerunt dominus *Remensis*, & dominus *Senonensis* Archiepiscopi, cũ suffraganeis suis; *Albanensis* quoq; Episcopus, Apostolicæ sedis legatus; Abbates quoq; *Cistercienses*, & *Clareuallensis*, & *Pontiniacensis*, cum aliis pluribus, instituta est eis regula, & habitus assignatus, albus videlicet, de mandato domini *Honorii* Papæ, & domini *Stephani* Hierosolymitani patriarchę. Cumq; iam annis nouem in eodem fuissent proposito, non nisi nouem erant: ex tunc cœpit eorum numerus augeri, & possessiones multiplicabantur. Postmodum verò, tempore domini *Eugenii* Papæ, vt dicitur, cruces de panno rubeo, vt inter cæteros essent notabiliores, mãtellis suis cœperunt assuere, tam equites quàm eorum fratres inferiores, qui dicuntur *Seruientes*. Quorum res adeò creuit in immensum, vt hodie trecentos plus minusve in conuentu habeant equites, albis chlamydibus indutos: exceptis fratribus, quorũ penè infinitus est numerus. Possessiones autem tam vltra, quàm citra mare adeò dicuntur immensas habere, vt iam non sit in orbe Christiano prouincia, quæ prædictis fratribus bonorum suorum portionem non contulerit; & regiis opulentiis pares hodie dicantur habere copias. Qui, quoniam iuxta Templum Domini, vt prædiximus, in palatio regio mansionem habent, *Fratres militiæ Templi* dicuntur. Qui cùm diu in honesto se conseruassent proposito, professioni suæ satis prudenter satisfacientes, neglectâ *humilitate (quæ omnium virtutum custos esse dinoscitur; & in imo sponte sedens, non habet vnde casum patiatur)* domino Patriarchæ Hierosolymitano, à quo & ordinis institutionem, & prima beneficia susceperant, se subtraxerunt, obedientiam ei, quam eorum prædecessores eidem exhibuerant, denegantes: sed & Ecclesiis DEI, eis decimas & primitias subtrahentes, & eorum indebitè turbando possessiones, facti sunt valde molesti.

VIII. A. Dn. 1119.

Anno sequenti mortuus est dominus *Gelasius* Papa secundus, domini Paschalis successor, qui & *Ioannes Gaietanus* dictus, vir literatus: qui fugiens domini *Henrici* Imperatoris persecutionem; & æmuli sui antipapæ, qui cognominatus est *Burdinus*, declinans violentiam, in regnum Francorum se conferens, apud *Cluniacum* diem clausit extremum, ibidem etiam sepultus. Cui successit dominus *Guido*, secundum carnem nobilis, Viennensis Archiepiscopus, qui postea in papatum assumptus, *Calixtus* appellatus est. Hic postmodum domini Imperatoris *Henrici*, cuius consanguineus erat, consecutus gratiam, & eius fretus auxilio, in Italiam cum Cardinalibus, & vniuersa curia descendens, apud *Sutriũ*, vrbem Romæ conterminam, æmulum & hęresiarcham *Burdinum* violenter cepit: insuper & camelo impositum, cute indutum vrsinâ, ad Canense cœnobium, quod iuxta Salernum situm esse dinoscitur, cũ multa misit ignominia: vbi vsque in supremum senium, vitam compulsus est, lege loci, ducere cœnobiticam. Et ita sopitum est schisma, quod à tempore domini *Gregorii* septimi, per tempora domini *Vrbani*, domini *Paschalis*, domini quoque *Gelasii*, prædecessorum eius, quasi per triginta annos ecclesiam incessanter fatigauerat: domino Imperatore *Henrico* ad ouile Ecclesiæ post multa tempora, quibus per excommunicationis sententiam à cœtu fidelium præcisus fuerat, reuocato.

IX.

Eodem anno, quidam infidelium potentissimus princeps, & apud suos valde formidabilis, infelicis populi & perfidæ plebis, videlicet Turcomannorum dominus, *Gazzi* nomine, cui se adiunxerant *Doldequinus* Damascenorum Rex, & *Debeis* Arabum satrapa potentissimus, cum ingentibus copiis partes Antiochenas, in graui suorum multitudine ingressus erat, citra Halapiam castrametatus. Cuius aduentu præcognito dominus *Rogerus* Antiochenus Princeps, domini Regis sororius, circumpositis mandat principibus, domino videlicet

Ioscelino

Ioscelino Edessanorum Comiti, domino quoque *Pontio* Comiti Tripolitano, domino nihilominus etiam Regi, & significat instantem necessitatem; monens & obnixiùs postulans, vt cum omni celeritate, contra instantia pericula, opem laturi venire non morentur. Rex ergo assumptis sibi, quas tam subitò de Regno colligere potuit, militaribus copiis, *Tripolim* vsque maturatis itineribus peruenit, vbi dominum Comitem, ad iter peræquè succinctum, secum associans, cœpto instat itineri. At verò dominus Princeps, interim moræ impatiens de communi lege mortalium, futurorum nescius, egressus ab Antiochia, circa *Artasium* oppidum castrametatus fuerat. Erat autem is locus alendis exercitibus satis commodus: nam ex nostris fi-
10 nibus erat, volentibus ad exercitum accedere, liber & facilis accessus; vnde in expeditione necessariorum erat vbertas maxima, & quanta in vrbibus solet, optata commoditas. Vbi cùm per dies aliquot domini Regis & Comitis expectasset aduentum, prohibente domino Patriarchâ, qui illuc vsque eum fuerat prosecutus, renitentibus etiam de proceribus nonnullis, exercitum iubet iter arripere, fortiter contestans, se nullius deinceps præstolaturum aduentum. Erant autem quidam de nobilibus regionis, qui ad hoc eum impellebant; non vt conditiones exercitus facerent meliores, sed vt terras suas, quas hostium castris vicinas habebant, præsente exercitu, in tuto collocarent. Horum ergo consilium secutus, in suam suorumque cladem præceps, ab eo loco vbi prius fuerat discedens, in eum qui dicebatur *Cam-*
20 *pus sanguinis* castra iubet locari: recensitoque eius exercitu, inuenti sunt equites septingenti, & peditum instructorum tria milia, exceptis negociatoribus, qui emẽdi vendendiq́; gratia castra solent sequi. Hostes verò cognoscentes castra Principis in proximo locata, vt dissimulantes propositum, conceptum commodiùs possent effectui mancipare, solutis castris fingunt se versus *Cerepum* oppidum acies dirigere: quò peruenientes, cùm eâ nocte nihil proficerent, circa partes castrametati sunt. Mane facto, Princeps exploratores dirigit, nosse volens vtrum ad obsidendum oppidum hostes se dirigant; aut ad committendum cum nostris ad castra contendant: dumque ipse cum suis, armis se instruerent, quasi iam bellum præsens expectantes, ecce nuncii recurrentes, vno verbo asserunt, hostes tribus turmis ordi-
30 natis, habentibus singulis equitum vicena milia, citatis gressibus, ad nostrum exercitum accedere. Quo cognito, Princeps quatuor instaurat acies; & equo circumuolans, circuit diligenter, & verbis competentibus animat instauratas: dumque in his daret operam, ecce hostium acies; erectis vexillis nostro exercitui penè iungebantur. Commissum est itaque prælium, vtrisque animosè instantibus: sed peccatis nostris exigentibus, facta est pars aduersa superior. Nam acies quibus præerant viri nobiles & in armis strenui; *Gaufridus Monachus*, & *Guido Fremellus*, quæ primæ fuerant ad irruendum in hostes deputatæ, optimè & secundùm rei militaris disciplinam progressæ, maiores hostium cuneos & densiores cohortes, violenter dissolutas, penè in fugam adegerant: sed acies cui præerat *Robertus de Sancto Laudo*, cùm
40 exemplo aliarum quæ præcesserant, animosiùs debuisset in hostes irruere, hostibus vires resumentibus, substitit improbè: demumque in fugam lapsa, Principis aciem, quæ aliis erat ministratura, soluit per medium, & partem secum in fugam vertit, ita vt de cætero reuocari non posset. Accidit etiam in eodem prælio quiddam relatione dignum. Nam dum in ipso præliandi agone, hinc inde feruentiùs desudarent, ecce turbo ab Aquilone prodiens immanissimus, in medio belli campo, cunctis cernentibus hæsit humi; serpendoque longiùs tantùm congesti pulueris secum detulit, quod vtriusque partis oculos pulueris immensitate, ne pugnare possent, perstrinxit; seque per gyrum extollendo, in modum dolii sulphureis ignibus combusti in sublime se contulit. Facti sunt itaque hostes eo casu superiores; &
50 pars nostra corruit, nostris penè omnibus gladio interemptis. X. Princeps autem, tanquam vir in armis strenuus, cum paucis in medio hostium viriliter dimicans, dum suos incassum reuocare contendit, contra hostium maiores se dirigens impetus, gladiis confossus interiit. Qui autem sarcinas & impedimenta secuti erant, in montem vicinum se contulerant: qui verò hostium arma videbãtur effugisse, bellicis se tumultibus eximentes, videntes nostros in montis culmine conglobatos, opinantes eos vires ad resistẽdum habere, & cum eis posse saluari, ad illos certatim accedebant: quò cùm peruenissent vniuersi, hostes eis qui in campis erant, penitus

gladio interemptis, ad illos se couertunt: & directis illuc cohortibus, omnes in momento horæ trahunt ad exterminium. *Rainaudus* autem *Mansuerus*, quidam de maioribus illius regionis principibus, cum quibusdam aliis nobilibus, in turrim cuiusdam vicini oppidi, cui *Sarmatan* nomen, gratiâ salutis se contulerat. Quod postquam prædicto Turcorum principi compertum est, illuc sub omni celeritate conuolans, prædictos nobiles viros, qui intus se collegerant, ad deditionem violenter compellit: sicque factum est illâ die, quòd de tot millibus qui dominum Principem secuti fuerant, culpis nostris id merentibus, vix vel vnus qui nunciaret, euasit: de hostibus verò, vel paucis, vel nemine interfectis. Dicitur autem hic idem princeps *Rogerus*, homo fuisse perditissimus, incontinens, parcus, & publicus adulter. Insuper etiam dominum suum iuniorem *Boamundum*, senioris Boamundi filium, in Apulia cum matre morantem, ab Antiochia, quæ paterna ei hereditas erat, omni eo tempore quo principatum tenuit, fecerat alienum. Nam eâ conditione dominus *Tancredus*, bonæ memoriæ, moriens ei principatum commiserat, vt reposcenti domino Boamundo, vel eius hæredibus, non negaret. Dicitur tamen quòd in ea expeditione quâ confossus interiit, apud dominum *Petrum*, venerabilem virum, Apamiensem Archiepiscopum, qui eidem necessitatis articulo præsens interfuerat, corde contrito & humiliato delicta sua coram DEO cõfessus fuerat, promittens auctore Domino, pœnitentiæ fructus condignos: & sic verè pœnitens, prælii discrimen ingressus est.

XI. Interea Rex & Comes Tripolitanus accedentes, ad eum locum qui dicitur *Mons Nigronis*, peruenerant: quod prædictus *Gazzi* comperiens, decem milia equitum electorum eis obuiam dirigit, qui eorum si possent, impediant accessum. Hi verò abeuntes, in tres turmas se diuidunt, vnâ ad mare versus sancti Symeonis portum dirigentes, alias duas diuersis itineribus Regi obuiam destinantes. Contigit autem quòd vnam ex duabus turmis obuiam habuit, quam præuia Domini misericordia, pluribus interfectis & captiuatis nonnullis, violenter dissolutam, in fugam conuertit. Inde per *Latorum* & *Casambellam* Antiochiam perueniens, à domino Patriarcha, clero quoque & populo vniuerso cum summis desideriis est susceptus: vbi tam cum suis, quàm cum iis qui de prædicto prælio fuerant residui, deliberationem ingressus, quærit, quid in eo tãtæ necessitatis imminenti articulo magis expediat. Interea *Gazzi* dimissis oppidis Emâ & Artasio, *Cerepum* obsidet, eâ magis fiduciâ, quod *Alanum* eiusdem loci dominum cum comitatu suo à domino Rege audierat Antiochiam euocatum; quod & verum erat. Accedens ergo ad præsidium, & locũ imparatum reperiens, ex diuersis partibus fossores immittit, qui collẽ cui prædictum insidebat municipium suffoderent, trabibusq; subnexum, igni postea supposito consumendis, turres superpositas & mœnia, cedente aggere, ad terram deiiceret. Timentes ergo oppidani, ne suffosso aggere totum præsidium in præceps rueret, interpositis conditionibus de vita & incolumitate, & libero ad suos reditu, locum tradunt. *Gazzi* verò inde ad castrum *Sardonas* acies dirigens, obsidione locũ vallat, quem etiam intra paucos dies, tradentibus cum loci eiusdem habitatoribus, eodem modo recepit: moræq; impatiens, eoque maximè, quòd neminem sibi resistere posse arbitrabatur, cunctam pro arbitrio tractabat regionẽ, ita quòd nulla spes esset finitimorum locorum incolis, iugum tãti principis euadendi.

XII. Rex autem cum Comite, & militia quantam habere poterat, egressus Antiochiâ, putans se apud Cerepũ hostes inuenire, versus *Rugiam* dirigit expeditiones: inde *Hab* pertransiens, in monte qui dicitur *Danim* castrametatus est. Quod audiens *Gazzi*, conuocatis principibus suis, sub interminatione mortis præcipit, vt noctem illam ducẽtes insomnem, armis & equis cum summa diligentia procurandis totã impendãt; summo diluculo ante lucis exortum attentiùs præparati, in castra Regis irruant, & eos somnolentos adhuc inuenientes, gladiis confodiant; ita vt nec vel vni mortẽ liceat effugere. At verò Diuina longè aliter ordinauerat clementia. Rex autem cum suis non remissiore curâ sollicitus, noctem eandem, vt de futuro bello tractaret necessaria, ducit peruigilem; monente & exhortante populum viro venerabili * signo Crucis Dominicæ, dominũ Regem vsq; ad partes illas fuerat prosecutus. Armati igitur, & ad bellum suscipiendum accincti viriliter, summo mane hostium expectabat futuros impetus. Dispositis igitur de mandato Regis, iuxta rei militaris disciplinam, aciebus nouem (nam septingentos in eo conflictu dicitur habuisse milites) & ordine

congruo

congruo collocatis, Domini præstolantur misericordiam. Præmissis igitur tribus aciebus quæ agmina vniuersa præcederent, domino quoque Comite Tripolitano, cum suis dextrum cornu tenente, principibus verò Antiochenis in sinistro collocatis, pedestres manipulos in medio locat. Rex autem, aliis subsidiũ ministraturus, cum quatuor sequitur aciebus. Dumque sic instructi hostium aduentũ expectant, ecce adsunt cum ingenti clamore, & cum stridore tubarum & tympanorum strepitu, atrocissimè in nostros irruentes. Erat autem eorum maior in infinita multitudine fiducia; nostris autem in præsentia victoriosissimæ Crucis, & in confessione veræ fidei spes amplior & indeficiens. Consertis igitur aciebus, & immixtis hostiliter
10 legionibus, gladiis cominus agitur; & spretis humanitatis legibus, tanquam in feras immanissimas ardentibus studiis, & odio insatiabili vtrinque decertatur. Cumque manipulorum nostrorum pedestrium proteruam & periculosam nimis cognoscerent instantiam, totis viribus ad exterminãdas pedestrium turmas elaborabant. Factumque est, Domino permittẽte, vt ex plurima parte eâ die, hostium gladiis deperirent. Rex autem videns pedestres manipulos supra vires aggrauari, aciesque præmissas subsidio indigere, cum suis qui ei adhærebant, pronus inter media ruit agmina, & gladio instans animosiùs, densissimos hostiũ dissipat cuneos: adhærentibusq; ei fideliter earundem acierum consortibus; & aliis iam destitutis, vires & animos verbis & exemplo conferentibus, vnanimiter in hostes irruunt: & inuocato de cœ-
20 lis auxilio, affuit Diuina clementia, & factâ hostium strage infinitâ, reliquos resistere non valentes in fugam vertunt. Dicuntur ibi de nostris peditibus quasi septingenti cecidisse, de equitibus verò centum. At verò de hostiũ numero vsque ad quatuor millia, exceptis sauciis letaliter, & compedibus mãcipatis. *Gazzi* verò fugiens cum *Doldequino* rege Damascenorum, & *Debeis* Arabum principe, suos morti expositos dereliquit. Nostris autem insectantibus, & ad loca varia progressis, Rex cum paucis campum obtinens, vsque ad primas noctis partes in eo perseuerauit. Tandem victualium vrgẽte defectu, in vicinum oppidum, *Hab* nomine, gratiâ refectionis sumendæ se contulit. Vnde mane facto, ad prædictum rediens campũ nuntios, cum annulo proprio, in certum signum victoriæ, ad sororem suam, & ad dominum
30 Patriarcham dirigit, significans, Diuinâ opitulante gratiâ, victoriæ munus sibi diuinitus collatum. Eâ tamen die vsque ad suppremam vesperam campum non deseruit, quoadvsque rumore certo de hostibus habito, quòd in dispersionem dati, redituri non erant. Tandem verò, coadunatis sibi quotquot de suis in præsenti habere potuit, Antiochiam palma insignis, occurrente ei vniuersæ ciuitatis clero & populo, cum domino Patriarcha, victor ingressus est. Concessa est autem nostris diuinitus hæc victoria, anno ab incarnatione Domini *M C XX.* Regni quoque domini *Balduini* regis secundi, anno secundo, mense Augusto, in vigilia assumptionis sanctæ DEI genitricis Mariæ. Rex verò cum domino *Cæsariensi* archiepiscopo, & honesto comitatu, lignum viuificæ Crucis remisit Hierosolymam, ita vt in die Ex-
40 altationis eiusdem, a clero & populo cum hymnis & canticis spiritualibus sit honorificè recepta. Ipse autẽ propter ingruentes regionis necessitates, in eadem prouincia moram facere compulsus est: vbi tam dominus Patriarcha, quàm vniuersi proceres vnà cum clero & populo, cõsonis desideriis & gratuito assensu principatus Antiocheni curam, & omnimodam potestatem Regi tradũt, ita vt *liberam*, sicut in Regno habebat, in Principatu habeat *instituendi, destituẽdi, & omnia pro arbitrio tractandi facultatẽ.* Collatis igitur liberis, vel aliorum graduum consanguineis, eorũ qui in acie ceciderant possessionibus, prout ratio vel regionis consuetudo deposcebat; viduis quoque apud compares & competentis meriti viros, nuptui collocatis: præsidiis quoque, quibus videbatur necessarium, viris, victu, armis diligentiùs com-
50 munitis, sumptâ ad tempus ab eis licentiâ, in Regnum reuersus est. Vbi in ecclesia Bethleemitica solemni natiuitatis Dominicæ cum vxore coronatus est.

An. Do. 1120. *

XIII. Eodem anno, qui erat ab incarnatione Domini *millesimus centesimus vicesimus*, cùm peccatis nostris exigentibus regnum Hierosolymorum multis vexationibus fatigaretur, & præter eas quæ ab hostibus inferebantur molestias, locustarum intemperie & edacibus muribus, iam quasi quadriennio continuo fruges ita penitùs deperissent, vt omne firmamentum panis defecisse videretur; dominus *Gormundus* Hierosolymorum Patriarcha, vir religiosus ac timens DEVM, vnà cum domino

Rege *Balduino*, prælatis quoque Ecclesiarum, & Regni principibus, apud *Neapolim* vrbem Samariæ conuenientes, conuentum publicum & curiam generalem ordinauerunt. Vbi sermone ad populum habito, exhortationis gratiâ; cùm apud omnes constare videretur, quòd populi peccata Dominum ad iracundiam prouocassent: de communi statuunt consilio *errata corrigere; & excessus redigere in modum: vt tandem ad frugem melioris vitæ redeuntes, & pro commissis dignè satisfacientes, eum sibi redderent placabilem, qui peccatoris non vult mortem, sed magis vt conuertatur & viuat.* Deterriti ergo signis de cœlo minacibus, & terræmotu frequenti, clade quoque, simul & famis angustiâ, & hostium proteruâ nimis & pene cottidianâ instantiâ, per opera pietatis Dominum sibi reconciliare quærentes, ad morum erigendam conseruandamque disciplinam, vigintiquinque capitula, quasi vim legis obtinentia, de communi sanxerunt arbitrio. Quæ si quis legendi studio, videre quærit, in multarum Archiuis ecclesiarum, ea facilè reperire potest. Interfuerunt autem huic Concilio: dominus *Gormundus*, Hierosolymorum Patriarcha; dominus *Balduinus*, Hierosolymorum ex Latinis Rex secundus; *Ebremarus* Cæsariensis Archiepiscopus; *Bernardus*, Nazarenus episcopus; *Asquitillus*, Bethleemita episcopus; *Rogerus*, Lindensis episcopus; *Gildonus*, electus Abbas sanctæ Mariæ de valle Iosaphat; *Petrus*, Abbas de mõte Thabor; *Achardus*, Prior Templi; *Arnaldus*, Prior montis Sion; *Gerardus*, Prior Sepulchri Domini; *Paganus*, regis Cancellarius; *Eustachius Graniers*, *Wilelmus de Buris*, *Barisanus*, Ioppe Costabularius, *Balduinus de Rames*, & alii multi vtriusque ordinis, quorum numerum, vel nomina non tenemus.

Ezech. 33, 11.

XIV. An. Do. 1121.

Anno sequenti, prædictus fidei & nominis Christiani pertinax & indefessus persecutor, *Gazzi*, tanquam vermis inquietus, semper quærens quem lædere possit, sumptâ occasione ex regis absentia, conuocatis militaribus copiis, apponit etiam quædam nostrorum præsidia obsidere: quo præcognito dominum Regem vrgentissimè vocant. Ille verò impiger, assumpto sibi salutiferæ Crucis ligno, equitumque honesto comitatu, ad partes illas properat: vocato etiam domino *Ioscelino* Edessano Comite, sociatisque sibi Antiochenis proceribus, contra prædictum potẽtem castra dirigit, quò cùm peruenisset, sperantes in proximo bellum se habiturum, contigit quòd morbo, qui *apoplexia* appellatur, tetigit eum manus Domini. Vnde magnates qui in eius erant exercitu, Principis sui destituti solatio, bellum prudenter sanoque consilio declinauerunt: dominumque suum in lectica semiuiuum deferentes, Halapiam properabant. Ad quam priusquam peruenirent, ille æternis tradendus incendiis, infelicem dicitur animam exhalasse. Rex quoque factâ apud Antiochiam morâ, quæ videbatur pro tempore necessaria, in Regnum, auctore Domino, sospes reuersus est: apud vtrosque tam in Regno, quàm in Principatu, meritis suis id exigẽtibus, carus admodum & acceptus: vtramque nimirùm administrationem fideliter deuoteque implebat, Regni videlicet & Principatus, licet multùm distarent ab inuicem. Nec erat facilè discernere, vtrius sollicitudine magis angebatur: licet Regnum eius esset proprietas, quam etiam ad successores suos iure posset trãsmittere; Principatus verò, commissus. Maioremque etiam videbatur pro statu Antiochenorum exhibere diligentiam: in eoque se continuauit bonâ fide, vsque ad aduentum domini *Boamundi* iunioris, sicut in subsequentibus dicetur.

XV.

Per idem tempus, rege Hierosolymis existente, piâ liberalitate & largitione principali, ciuibus contulit Hierosolymitanis, & sigillo Regio communitam eis præcepit paginam fieri, in perpetuum valituram, libertatem *consuetudinum*, quæ à ciuibus merces inferentibus vel efferentibus solebat exigi: ita vt de cætero, omnis Latinus ingrediens vel egrediens, siue mercimonia inferens siue educens, omnino nihil sub prætextu alicuius consuetudinis aliquid cogatur præstare, sed liberam prorsus vendendi & emendi habeat potestatem. Dedit etiam Surianis, Græcis, Armenis, & harum cuiuslibet nationum hominibus, Sarracenis etiam nihilominus liberam potestatem, sine exactione aliqua inferendi in Sanctam Ciuitatem, triticum, hordeum, & quodlibet genus leguminis. Modii etiam & ponderis remisit mercedem consuetudinariam: in quo prædicti populi sibi conciliauit animos, & gratiam publicam sibi promeruit. In vtroque enim, regio more & affectu plurimum commendabili, ciuibus videtur prouidisse, vt & ciuitas, sine exactione illatis alimentis, abundaret ampliùs; & quòd tam ipse quam eius prædecessor totâ diligentiâ procurabat, vt vrbs DEO amabilis multiplicatis

catis

catis & frequentioribus habitatoribus incoleretur. Anno sequente, *Doldequinus*, perfidus & impius Damascenorum Rex, fœderato sibi Arabum principe, & eius sibi sociatâ militiâ, videnſque dominum Regem pro vtraque regione, viribus ſuis imparem portare ſollicitudinem, de eius præſumens occupationibus, regionem noſtram Tyberiadi proximam, immiſſis legionibus, hoſtiliter nimis vaſtare cœpit. Quo audito, dominus Rex congregatâ de vniuerſi Regni finibus militiâ illuc more ſuo impiger contendit. *Doldequinus* verò Regis præcognito aduentu, videns eo præſente, ſe non poſſe proficere, nec cum eo conſerere tutum reputans, in vlteriora regni ſe contulit. Rex autem cum ſuis agminibus in Auſtrum declinans, *Geraſam* peruenit. Fuit autem Geraſa vna de nobilibus prouinciæ Decapoleos ciuitatibus, ab Iordane paucis diſtans miliaribus, monte Galaad contermina, in tribu Manaſſe ſita. In huius parte munitiore, quoniã reliqua ciuitas hoſtilitatis metu diu iacuerat deſolata, caſtrũ ex quadris & magnis lapidibus, cum multis ſumptibus erigi ſibi fecerat anno præterito *Doldequinus*, victuque & armis communitum, quibuſdam fidelibus ſuis conſeruandum tradiderat: quò perueniens Rex, impugnato vehementiùs præſidio, quadraginta milites, qui in eo ad cuſtodiam relicti fuerant, interpoſitis conditionibus, quòd cum ſalute ad ſuos haberent reditum, caſtro recepto, permiſit abire incolumes; habitaque cum ſuis deliberatione, vtrum magis expediret dirui funditus præſidium, aut Chriſtianitati reſeruari, placuit de vniuerſorũ aſſenſu municipium euerti funditus: nam ſine multis ſumptibus, & labore continuo, & multo periculo tranſeuntium, non videbatur à noſtris poſſe conſeruari.

XVI. A. D. 1122.

Cùm ita ergo, per gratiam DEI, ſe Regni proſperè ſatis haberent negotia, inuidens pacis inimicus tranquillitati, quam ſperabat, ſcandalum molitus eſt iniicere. *Pontius* enim Tripolitanorum Comes ſecundus, neſcimus cuius inſtinctu, Regi Hieroſolymorum ſuum denegabat hominium; & ſeruitium, quod de iure fidelitatis tenebatur impendere, impudenter negabat. Rex autem tantam non ferens iniuriam, collectis ex vniuerſo Regno tam equitum quàm peditum copiis, ad partes illas peruenit, ſuper tanta iniuria vltionem petiturus: vbi antequam aliquid damni paſſa eſſet pars alterutra, interuenientibus viris honeſtis & DEO amabilibus, pax inter eos conueniens reformata eſt. Inde procedens, propter illorũ neceſſitates ab Antiochenis vocatus, ad partes illas deſcendit. *Balac* enim Turcorum princeps, magnificus & potens, regionem totam frequentibus irruptionibus moleſtabat, idque confidentiùs, quia paulo ante dominum *Ioſcelinum*, Edeſſanum Comitem, & dominum *Galerannum* eius conſanguineum, ex improuiſo in eos irruens, ceperat, & captos vinculis mancipauerat. Sciens ergo dominum Regem aduenisse, cœpit a ſuis incurſionibus aliquantulum retardari, & eius declinare conflictus: audierat enim quòd in præliis eſſet fortunatior, & de eo cuilibet difficile eſſet triumphare. Circuibat tamẽ cũ expeditiore militia, quaſi de remoto, ſi ei daretur locus, vt noſtris inferre damna poſſet, & circa id erat ſollicitus. Rex igitur cum ſua, quam ſecum deduxerat militia, in terram Comitis Edeſſani deſcendit, vt populo rectore carenti, aliquod impertiret ſolatium: circumienſque regionem, diligenter quærebat, vtrum munita eſſent præſidia, & ſufficientes equitum peditumque, armorum quoque & alimentorum haberẽt copias: & vt defectus ſuppleret, debitam gerebat ſollicitudinem. Cõtigit autem, dum eadem curâ ſollicitus Edeſſam properaret, ab oppido *Turbeſſel* egreſſus, vt eadem diligentiâ de ſtatu regionis trans Euphratem eſſet inſtructior; & cuncta pro poſſe in melius reformaret: nocte quadam iter conficiens incœptum, cum ſuo domeſtico proficiſcebatur comitatu: vbi dum aliquantulum incautiùs, diſſoluto agmine, & dormitantibus penè vniuerſis, iter agerent ſecuri: *Balac* prædictus, qui Regis iter præſenſerat, in inſidiis poſitus, ſubitò irruit, Regiſq; comitatum imparatum reperiens, & ſomno grauatum, caſu in ipſum Regem incidit, manus iniecit, ſecumque deduxit captum, tam iis qui præibant, quàm qui ſequebantur, ad partes varias fugâ dilapſis, & quid regi accidiſſet ignorantibus. Captum ergò ſæpedictus *Balac* Regem, trans Euphraten in præſidio, cui *Quartapiert* nomen, vinculis fecit mancipari, vbi erant etiam *Ioſcelinus* Comes, & *Galerannus*, de quibus ſupra dictum eſt. Noſtri autem Principes qui in regno erant, audito caſu miſerabili, qui domino Regi acciderat, vnà cum domino Patriarcha de ſtatu Regni valdè ſolliciti, apud vrbem Acconenſem, cum eccleſiarum prælatis, quaſi vir

XVII.

vnus conueniunt; & ducem atque præceptorem sibi de communi voto constituunt dominum *Eustachium Grener*, virum prouidum & discretum, & rei militaris plenam habentem experientiam: qui duas in Regno, iure hereditario, suffragantibus meritis, possidebat ciuitates, Sydonem videlicet & Cæsaream, vtramque cum suis pertinentiis. Tradunt ergò ei Regni curam, & administrationem generalem, quoadusque dominum Regem visitet oriens ex alto, & suæ libertati restituens, negociis regiis possit superesse. Sed interim ad ea, quæ de domino Rege cœperamus, retorqueamus historiam.

XVIII. Domino ergò Rege apud castrum prænominatum, cum domino Comite in vinculis constituto, notum habentes quidam *Armenii* de terra Comitis, quòd tanti principes, Christiani nominis in eo municipio captiui tenerentur, pro nihilo ducentes periculum, si etiam eorum artes prosperum non haberent exitum, nouas ineunt inauditi moliminis vias. Quidam tamen asserunt, hos eosdem domini *Ioscelini* diligentiâ vocatos, & spe remunerationis amplissimæ, huic se exposuisse discrimini. Quinquaginta enim ex eis, qui robustiores videbantur, fide interpositâ, & mutuis obligati iuramentis, apud se constituunt, vt illuc euntes, prædictos viros magnificos, quocunque periculo, liberare contendant. Habitu ergò se simulant monachos; sicas sub laxis vestibus portãtes, ad prædictum tendunt oppidum, tanquam de negociis monasteriorum acturi aliquid; simulant verbo & gemitu, & faciei modificatione se à quibusdam vim iniuriamque passos: Præfecto loci, ad cuius sollicitudinem spectabat, ne quid in locis adiacentibus enormiter, & contra disciplinam temporum fieret, id se velle cum lachrymis protestari, asserunt. Alii dicunt eos quasi mercatores, vilium mercium portatores, oppidum ingressos. Admittuntur tandem, & municipium ingressi, exerunt gladios, & occurrentes sibi perimunt vniuersos. Quid plura? Obtento castro, Regem soluunt & Comitem; & castrum muniunt quantum possunt. Rex interim Comitem *Ioscelinum* emittere disponit, vt sibi & sociis, quorum operâ expediti videbantur, auxilium congreget, & velociùs mittere non moretur. Cognoscentes autem, qui in suburbanis habitabant Turci, quòd hac fraude Rex, & qui cum eo intus erant, castrum obtinuerant, arma corripiunt: & ad locum accedentes, procurant diligentiùs, vt saltem vsque ad aduentum Balac domini sui, his qui in oppido erant, introitus negent & exitus. Comes tamen Ioscelinus, assumptis sibi tribus sociis, quorum duos itineris haberet comites, tertium ad dominum Regem de statu suo significans, statim remitteret, hostium se exponens insidiis, egressus est: & Domini protectus misericordiâ, ignorantibus his qui castrum obsederant, cum duobus consortibus, vt preordinatum fuerat, viam arripit, tertium remittens in oppidum: cui & annulum suum tradidit in signum, quòd cum salute, hostium cuneos euaserat. Rex autem cum his quorum ope solutus erat, præsidium munire totis viribus satagebat, tentans, si quo pacto vsque ad aduentum subsidii, quod in proximo sperabat, illud sibi conseruare posset.

XIX. At verò *Balac* terribili visione eadem nocte turbatus, in somnis videbatur sibi videre, quòd Comes *Ioscelinus* eum propriis manibus, luminibus orbaret. Quo visu territus, summo mane ad prædictum oppidum nuncios dirigit, qui dominum Ioscelinum absque mora decollarent. Qui accedentes ad castrum propiùs, cognoscentes quòd eo casu in manus hostium deuenisset, remenso itinere cum omni velocitate ad dominum redeunt, omnia quæ illic gesta fuerant, ordine pandentes. Ipse verò conuocatis vndique militaribus copiis, ad partes illas impiger contendit, & locatis in gyrum expeditionibus, obsidione vallat eos, qui in oppidum se contulerant. Vbi per internuncios habito sermone cum domino Rege, spondet & promittit firmiùs, quòd si absque difficultate præsidium ei restituat, ipse sibi & suis omnibus liberum exitum & securum vsque ad vrbem Edessanam præstaret conductum. Rex autem de oppidi munitione confisus, sperans cum adminiculo eorum, qui ad eum ingressi fuerant, castrum posse ad aduentum subsidii violenter detinere, conditiones respuit oblatas, & in defensione municipii instantiùs perseuerat. *Balac* verò, spretis conditionibus iratus admodum, artifices conuocat, & machinas ordinat multiplices, quibus solent hostium præsidia impugnari: & instans proteruiùs, in omne argumentum, quo nocere possit obsessis, subtiliter se attollit. Erat autem collis, supra quem situm erat oppidum, cretaceus, & ad suffodiendum facilis. Videns ergò eâ parte faciliùs posse

posse locum aggrauari, immissis fossoribus, scrobes præcipit ingentes intus colle suffodi, trabibusq; & ligneâ materiâ sustẽtari: Deinde receptis artificibus, igne immisso, succensâ quæ intus erat materiâ, collis subsedit; & turri quæ superposita erat, cum ingenti fragore collapsâ, timuit Rex ne casu simili vniuersum præsidiũ in præceps rueret, castrum Balac nullis interpositis conditionibus resignauit. Qui obtento castro, domino Regi, & cuidã nepoti suo, domino quoq; Galeranno vitã indulsit: eosque in *Carram*, ciuitatem Edessæ vicinam vinctos cõpedibus præcipit deportari, & eos ibidem sub arcta conseruari custodia. Prædictos autem Armenios, viros strenuos & fideles, qui vt Regem & dominum suum à vinculis soluerent, tantis se 10 exposuerant periculis, variis affecit cruciatibus. Alios enim viuos decoriari fecit, alios serrâ diuidi per medium, alios viuentes sepeliri, alios pueris suis quasi signum ad sagittandum tradi: qui etsi coram illis tormenta passi sunt, spes tamen illorum immortalitate plena est; & in paucis tentati, in multis benè disponentur. XX. At verò Comes *Ioscelinus*, cum iis quos assumpserat viæ consortes, cum multa sollicitudine & timore continuo iter incœptum peragens, cum victu modico & duobus vtribus, quos secum casu detulerat, vsque ad fluuium magnum *Euphratem* peruenit. Vbi habitâ cum periculorum consortibus, quomodo fluuium transire posset, deliberatione, impletis vento vtribus, eisque fune sibi circumpositis, regentibus eum à dextra læuaque sociis, quibus multum erat in natando exercitium, auctore Domi- 20 no, vlteriorem ripam sanus & incolumis attigit. Inde non minore periculo, nudis pedibus, labore pressus insolito, fame & siti, & lassitudine fatigatus, tandem præuiâ Domini misericordiâ, apud insigne oppidum eius *Turbessel* peruenit: inde iniuncti verbi plenam gerens sollicitudinem, aptato sibi necessario pro tempore comitatu, Antiochiam, deinde cum consilio domini Patriarchę Bernardi, Hierosolymam profectus, rem domino Patriarchæ, & Regni Principibus ordine pandit, casum qui acciderat, seriatim aperit, ad subsidium sine dilatione inuitat: asserens Regis negotium dilationes non posse capere, sed opus esse maturo cõsilio & indilato. Factumque est ita, vt ad eius exhortationem congregatus sit Regni vniuersi populus, quasi vir vnus; & assumptâ sibi Cruce Dominicâ de singulis vrbibus, quæ erant mediæ, 30 auxilia sibi coniungentes, Antiochiã peruenerunt: vbi adiunctis sibi eiusdem ciuitatis tam plebe quàm patribus, præuio Comite, *Turbessel* peruenerũt. Vbi quid circa dominum Regem medio tempore accidisset, plenius cognito, comperto quòd vlterius procedere non esset fructuosum, de communi consilio ordinatum est, vt singuli redirent ad propria: tamen ne omninò nihil fecisse viderentur, ordinant apud se, vt apud *Halapiam* transeuntes experiantur, vtrum aliquid damni aut iniurię hostibus inferre possint: quod secundùm propositum factum est. Nam ante vrbem prædictam habentes transitum, ciues eiusdem loci, contra eos quasi ad pugnandum egressos, in vrbẽ regredi violenter compulerunt: diebus quatuor cõtinuis, inuitis ciuibus morã ibi facientes. Qui autẽ de Regno erant, ab aliis diuisi, in Regnũ redeun- 40 tes, circa partes *Scythopolitanas*, transitò Iordane, terras hostium subitò ingrediuntur, & imparatos reperientes, irrunt super eos, pluribusq; ex eis gladio interemptis, captiuatis etiam infinitis tam viris quàm mulieribus, cum ingẽti præda & opimis spoliis læti ouantesq; ad propria reuersi sunt. XXI. Interea princeps *Ægyptius* de Regis captiuitate arbitrans sibi multam opportunitatem emersisse, vt regnum Hierosolymorum sibi meritò suspectissimum, aliqua ex parte posset opprimere, ex omnibus Ægypti finibus militaria præcipit auxilia conuocari; vrbibusque maritimis mãdat, præfectis operum specialiter ad hoc deputatis, galeas præparari, armari classem; & cætera quæ ad vsum naualis exercitus possunt esse necessaria, sine dilatione præcipit ordinari. Paratis igitur septuaginta galeis, cũ infinita pedestris exercitus multi- 50 tudine, trãscursâ solitudine, apud *Ascalonam* castrametatus, cum suis resedit legionibus, classis autem vsq; *Ioppen* progressa, ibi ante vrbẽ se locauit; egressiq; de nauibus in graui multitudine, vrbẽ cœperunt ex omni parte per gyrum, continuatis cõgressionibus, hostiliter molestare, ita vt præ inopia defendentiũ, securi ad murũ suffodiendum accederẽt, & in locis pluribus debilitarent. Quòd si liberas ferias vrbem impugnandi per diem sequentem habuissent, effractis mœnibus, procul omni dubio, violenter occupassent ciuitatem; pauci enim erant intus, qui eorũ congressionibus repugnarẽt. Interea dominus Patriarcha, dominus quoque *Eustachius Grener*,

regni constabularius, cum aliis Regni Principibus, congregatâ omni eâ quam tunc habere potuerunt militiâ, in campestribus Cæsareæ, in loco cui *Caco* nomen, conuenerunt: inde versus *Ioppen*, ordinatis agminibus descendentes, dirigunt legiones. Quo audito, qui vrbem impugnabant, in classem se certatim recipiunt, nostrorum aduentum formidantes. Classe autem instructâ, remis incumbunt, expectantes quid suis, quos hostibus vicinos esse cognouerant, accideret. Nostri verò interea, præuiâ Cruce Dominicâ, fide armati, & cooperãte DEI gratiâ, in victoriæ spem erecti, compositis aciebus, & in congruum redactis ordinem, iuxta eum locum qui dicitur *Ibelim*, hostes reperiunt. Qui etiam, iuxta morem eorum, cohortibus dispositis, affecti vt cum nostris proculdubio pugnarent, aduenerant: sed viso nostrorum apparatu, & animositate certis argumentis intellectâ, qui quasi leones accesserant, lepores, & leporibus timidiores, bellum detrectare cupiunt, magis tamen cupientes non incepisse. Nostri porrò populi promiscui, & plebis omnimodæ, dicebantur esse quasi septem millia: Hostium verò, expeditorum ad prælium, sedecim millium dicebatur esse numerus, exceptis his qui classi deseruientes, dicebantur esse in nauibus. Irruentes igitur nostri super eos in spiritu vehementi, corde contrito, & in timore Domini, auxilio de supernis inuocato, instant gladiis atrociùs, & cominus irrogato mortis periculo, respirandi etiam negant facultatem. Mirantur tandem Ægyptii nostrorum vires & audaciam; & quod sermone audierant, plagis sentiunt impositis, & oculatâ fide contuentur. Parant tamen, & contendunt illatis resistere iniuriis, & nostris æquâ lance respondere: sed longè impares & animis & viribus, in proposito deficiunt, fugam ineuntes. Relictis igitur castris, omni diuitiarum genere & commoditate refertis, fugâ vitæ consulunt. Nostri tamen insectantes instantiùs, quotquot ex eis consequi possunt, gladiis obtruncant, ita vt de tanta multitudine pauci vel vincula vel mortem euaserint. Dicuntur eâ die septem ex eis millia cecidisse. Nostri autem victores in castra reuersi, gazas Ægyptias, immẽsa auri argentique pondera, supellectilem varii generis preciosissimam, papiliones & tentoria, equos, loricas, gladios copiosè reperientes, iure bellorum diuidentes spolia, supra modum locupletati, reuersi sunt ad propria. Classis verò intellecto quid suis acciderat, vt securam sibi stationem eligerent, apud Ascalonam, quæ adhuc in eorum potestate erat, declinantes, de suorum ruina pleniùs edocti sunt. Per idem tempus dominus *Eustachius Grener*, regni procurator, vir prouidus & discretus, vitâ decessit: in cuius loco substitutus est dominus *Wilelmus de Buris*, vir magnificus, & per omnia commendabilis, Tyberiadensis dominus.

XXII. Eodem tempore, auditâ regni Orientalis necessitate, dux Venetiæ, *Dominicus Michaëlis*, vnà cum maioribus eiusdem prouinciæ, compositâ classe, cum quadraginta galeis, gatis viginti octo, quatuor maioribus ad deuehenda onera aptatis nauibus, iter in Syriam arripiunt: cumque in *Cyprum* insulam peruenissent, denunciatum est eis, eorum iam præcognito aduentu, quòd Ægyptiorum classis circa partes Syriæ in maritima Ioppensi applicuisset, & circa partes illas moram faceret, vrbibus maritimis valdè suspectam. Quo audito, dux præfatus suis egressum indicit, & ordinato exercitu, versus littora *Ioppensia* cursum accelerat. Nunciatur eis interea, quòd prædicta classis Ægyptia, Ioppe relictâ, in partes se contulerat *Ascalonitanas*: audierant enim de suis, qui cum nostris in terra pugnauerant, rumores sinistros; eaque occasione ad suam se contulerant ciuitatem. Quo etiam Veneti per internuncios cognito, illuc classem dirigunt, optantes intimè hostium classem inuenire, & cum eis tentare congressum. Porrò sicut viri prouidi, & in eo negocio exercitati, classem ordinant, secundùm quod eis vtilius visum est. Erant sanè in eadem classe quædam naues rostratæ, quas gatos vocant, galeis maiores, habentes singulæ remos cẽtenos, quibus singulis duo erant remiges necessarii. Erant autem & quatuor naues maiores, vt prædiximus, ad deportanda onera, machinas, arma, & victui necessaria deputatæ. Has cum gatis priores ordinant, eâ intentione, vt si ab hostibus fortè de remoto conspicerentur, nõ putaretur hostium exercitus, sed mercatorum naues. Galeæ verò subsequebantur. Sic ergo ordinato exercitu, versus littora proficiscuntur. Erat autem eis & auræ fauor optabilis, & maris grata tranquillitas, & hostium classis in vicino. Cumque iam esset circa crepusculum matutinum, & aurora lucis orientis nunciaret aduentum, hostes classem sentiunt aduenire; die quoque luminis ampliùs ministrante, eam

eam conspiciunt viciniorem. Stupefacti ergo, & plurimùm timentes, remos corripiunt, & clamore & nutibus suos hortantur, vt funes rescindant, ancoras erigant, remiges ordinent, & de pugna securi arma corripiant. XXIII. Interea dum hæc apud hostes turbato ordine & confuso tumultu, *metu confusionem inducente*, aguntur, ecce ex Veneticis galeis vna, cui Dux inerat, alias velocitate præcurrens, eam casu fortuito, cui partis Dux aduersæ insidebat, tanto concussit impetu, vt penè totam cum suis remigibus fluctibus inuolueret: aliæ tandem multâ velocitate sequentes, singulæ singulas penè fretis inuoluunt. Fit igitur pugna grauis, & congressus vtrinque valde hostilis, tantaque strages hominum, vt etiam (etsi fide videatur carere) qui in-
10 terfuerunt, constanter asserant, victorū pedes, occisorum sanguine vsque ad summum eorum, cruentatos sorduisse: Mare verò adiacens de præcipitatis corporibus, & effluente de nauibus interemptorum sanguine, vsque ad passuum in circuitu duo millia, colorem sanguineum contraxisse: littora verò cadaueribus à salo proiectis ita repleta fuisse, vt de fœtore putrescentium funerum, circumposita regio & luem contraheret, & aëris corruptelam. Continuatur cominus pugna, & ardentibus studiis impugnant hi, illi tentant resistere: sed tandem auctore Domino, facti superiores Veneti, hostes vertunt in fugam; retentis galeis quatuor, cum totidem gatis, & naue vnâ maximâ, duce eorum interempto, victoriam obtinuerunt seculis memorabilem. Collatâ igitur nostris diuinitùs prædictâ victoriâ, nolentes tempus
20 inutiliter consumere, præcipiente Duce, versus Ægyptias partes vsque *Laris* antiquissimam solitudinis vrbem maritimam, peruenerunt, explorantes vtrum hostium naues aliquas sibi casu haberent obuias: quod ita factum est, & ita eis successit ad votum, tanquam si aliquo certo nuncio vniuersa quæ postea acciderunt, ex ordine didicissent: nam illis in eo pelago laborantibus, decem naues hostium haud longè ab eis visæ sunt, ad quas cum omni celeritate contendentes, primis congressionibus eas violenter occupant, viris quos in eis reperiunt partim occisis, partim compedibus mancipatis. Erant autem naues eædem, Orientalibus oneratæ mercimoniis, speciebus videlicet, & pannis sericis: quæ omnia secundùm consuetudinem suam diuidentes, facti locupletiores, deductis secum prædictis nauibus, apud
30 vrbem Acconensem applicuerunt. XXIV. Dominus verò Patriarcha Hierosolymorum *Gormundus*; dominus quoque *Wilelmus de Buris*, regni Constabularius & Procurator, *Paganus* quoque regius Cancellarius, vnà cum Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris Regni proceribus audientes, quòd Dux Venetiæ, cum nauali exercitu, nostris applicuisset littoribus, & de hostibus ita gloriosè triumphasset, miserunt nuncios ad eum, viros prudentes & honestos, qui *eum & populi Venetorum primores, exercitusq́; capitaneos, ex parte domini Patriarchæ, principum & populi salutarent, & conceptam de eorum aduentu lætitiam significarent: inuitantes eos, vt Regni commoditatibus indifferenter, tanquam ciues & domestici, vti frui non dubitarent: paratos se esse asserentes, humanitatis legibus & plenâ hospitalitatis gratiâ se eos velle tractare, prout decebat, habere propositum.*
40 Dux ergo, vt & loca Sancta, diu antè conceptâ deuotione videret, & principibus qui se tam benignè inuitauerant loqueretur, relictis qui classi præessent viris prudentibus, ipse cum Maioribus eiusdem populi Hierosolymam venit. Vbi honestè susceptus, & cum multa tractatus honorificentia, Natale Domini celebrauit. Vbi etiam à Regni principibus diligenter commonitus, vt CHRISTI seruitio & incremento Regni, se ad tempus aliquod manciparet, respondit: *Quod ad hoc specialiter venerat, & ad hoc tota eius dirigebatur intentio.* Factum est ergo de cōmuni consilio, quòd præsente domino Patriarcha, & reliquis eiusdem Regni principibus, conuenit inter eos quibusdam pactis interuenientibus, vt alteram de maritimis vrbibus, *Tyrum* videlicet, vel *Ascalonam* obsiderent: nam aliæ, per DEI gratiam, à torrēte Ægypti,
50 vsque Antiochiam omnes in nostram peruenerant ditionem. Verùm hic dum nostrorum voluntates ad varia rapiuntur desideria, res in periculosam penè descendit altercationem. Nam *Hierosolomitæ, Ramatenses, Ioppenses, Neapolitani*, & qui in finibus horum erant, magnopere nitebantur, vt ad obsidendam *Ascalonam* proficisceretur: erat enim vicinior, & minus laboris & sumptuum videbatur exigere. At verò *Acconenses, Nazareni, Sydonii, Berytenses, Tyberiadenses, Biblii*, & cæterarum maritimarum vrbium habitatores, versus *Tyrum* dirigendos esse contendebant exercitus: allegantes, quòd cùm ciuitas esset nobilis & munitissima, totis viribus elaborandum

erat, vt in nostram cederet potestatem, ne aliquando hostibus posset esse occasio, vt ad nos, gratiâ recuperandæ regionis & totius prouinciæ, per eam haberent ingressum. Sic ergo per hanc votorum dissonantiam res in periculosas, vt diximus, penè peruenit inducias. Placuit tandem, quibusdam mediantibus, sorte definiri huiusmodi controuersiam: sortis autem forma, non multum ab honestate abhorrebat. Conscripserunt enim in membranis codicillos duos, alterum *Tyri* mentionem, alterum *Ascalonæ* continentes, & super altare chartulas illas locauerunt, assumentes vnum de pueris innocentibus, & parentes non habentem, cui data est optio, vt quam velit illorum assumat: & vtrius illarum vrbium nomen secum attulerit, ad illum vterque exercitus sine quæstione dirigatur. Cecidit ergo sors super Tyrum. Hæc à senioribus quibusdam audiuimus, qui constanter asserebant, se prædictis omnibus interfuisse. Confirmato ergo hoc consilio, dominus Patriarcha, & inclyti regionis illius, simul cum populo vniuerso in ciuitatem conueniunt *Acconensem:* nam Veneticorum classis in eiusdem portu ciuitatis, tutâ statione locata erat. Præbitis ergo corporaliter iuramentis, quòd in finibus pactorum fideliter ab vtraque parte staretur, præordinatis quæ ad huiusmodi opus solent esse necessaria, decimoquinto Kal. Martii vrbem prædictam geminâ vallant obsidione. XXV. Sed vt nihil antiquitatis eorum quæ interim occurrunt prætereamus, libet rescriptum priuilegii, consonantiam pactorũ inter Venetos & principes regni Hierosolymorum continentis, ad maiorum rerum gestarum euidentiam ponere, quod sic habet:

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS, PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI. *Tempore quo* Calixtus *Papa secundus, & quartus* Henricus *Romanorum Imperator Augustus, pace eodem anno inter Regnum & Sacerdotium super annuli & baculi controuersia, celebrato Romæ concilio, DEO auxiliante, peractâ, alter Romanam ecclesiã, alterq; regnum regebat,* DOMINICVS Michaelis *Venetiæ Dux, Dalmatiæ, atq; Croatiæ regni Princeps, innumerâ classium militiaq; multitudine, priùs tamen ante importuosas Ascalonis ripas, paganorum classium regis Babyloniæ grauissimâ strage factâ, demum in Hierusalem partes, ad necessarium Christianorum patrocinium victoriosus aduenit. Rex quippe* Balduinus *Hierusalem secundus, tunc temporis, peccatis nostris exigentibus, sub* Balac *principe Parthorum, paganorum laqueo cum pluribus aliis captiuus tenebatur. Propterea nos quidem* Gormundus, *DEI gratiâ sanctæ ciuitatis Hierusalem Patriarcha, cum nostræ ecclesiæ fratribus suffraganeis, domino* Wilelmo de Buris *Constabulario, &* Pagano *Cancellario, nobis cum totius regni Hierosolymitani sociâ Baronum militiâ coniunctâ, Achone, in Ecclesia sanctæ Crucis conuenientes: eiusdem regis Balduini promissiones, secundùm literarum suarum & nunciorum prolocutiones, quas eidem Veneticorum Duci suos per nuncios, vsque Venetiam, Rex ipse mandauerat, propriâ manu, & Episcoporum siue Cancellarii manu pacisq; osculo, prout ordo noster exigit, datis: Omnes verò Barones, quorum nomina subscripta sunt, super sancta Euangelia subscriptas depactionum conuentiones, sanctissimo Euangelistæ Marco, prædicto Duci suisq; successoribus, atque genti Veneticorum simul statuentes affirmauimus, quatinus sine aliqua contradictione, quæ dicta & quemadmodum inferiùs subscripta sunt, ita & rata, & in futurũ illibata, sibi suæq; genti in perpetuum permaneant.* Amen. *In omnibus scilicet supradicti Regis, eiusq; successorum sub dominio, atque omnium suorũ Baronum ciuitatibus, ipsi Venetici ecclesiam & integram rugam, vnamq; plateam siue balneum, nec nõ & furnum habeant, iure hereditario in perpetuum possidenda, ab omni exactione libera, sicut sunt Regis propria. Verùm in platea Hierusalem tantum ad proprium habeant, quantum Rex habere solitus est. Quòd si apud Accon, furnum, molendinum, balneum, stateram, modios & buzas ad vinum, oleum, vel mel mensurandum in vico suo Veneti facere voluerint, omnibus inibi habitantibus absque contradictione quicunq; voluerit coquere, molere, balneare, sicut ad propria Regis liberè liceat. Sed modiorum, stateræ atque buzæ mensuris, hoc modo vti liceat. Nam quando Venetici inter se negotiantur, cum propriis, id est, Veneticorum mensuris mẽsurare debẽt: cùm verò Venetici res suas aliis gentibus vendunt, cũ suis, id est, Veneticorum mensuris propriis vẽdere debent. Quando autem Venetici ab aliquibus gentibus extraneis quàm Veneticis, commercio aliquid accipientes comparant, cum Regiis mensuris datoq; precio accipere licet. Ad hæc Venetici nullam dationẽ, vel secundùm vsum, vel secundùm vllam rationem, nullo modo, intrando, stando, vẽdendo, comparando vel morando, aut exeundo, de nulla penitùs caussa aliquam dationẽ persoluere debent, nisi solùm quando veniunt, aut exeunt cum suis nauibus Peregrinos portantes: tunc quippe secundùm Regis consuetudinem, tertiam partem ipsi Regi dare debent. Vnde ipse Rex Hierusalem, & nos omnes, Duci Veneticorum de-*

funda

fundat Tyri, ex parte Regis, festo Apostolorum Petri & Pauli, trecentos in vnoquoque anno bizantios Sarracenatos, ex debiti conditione persoluere debemus. Vobis quoque, Duci Venetiæ, & vestræ genti promittimus, quòd nihil plus accipiemus ab illis gentibus, quæ vobiscum negociantur, nisi quantum soliti sunt dare, & quanta accipimus ab illis qui cum alijs negotiantur gẽtibus. Præterea illam eiusdem plateæ, rugæq; Achon partem vnum caput in mansione Petri Zanni, *aliud verò in sancti* Dimitri *monasterio firmantem; & eiusdem rugæ aliam partem, vnam materiariam & duas lapideas mansiones habẽtes, quæ quondam casulæ de cannis esse solebant, quam Rex* Balduinus *Hierusalem primitus beato Marco, dominoq; Duci* Ordolafo, *suisq; successoribus in Sydonis acquisitione dedit; ipsas inquam partes, beato Marco, vobisq;* Dominico Michaëli, *Venetiæ Duci, vestris quoque successoribus per præsentem paginam confirmamus: vobisq; potestatem concedimus, tenendi, possidendi, & quicquid vobis inde placuerit, in perpetuum faciendi. Super eiusdem autem rugæ alia parte, à domo* Bernardi *de nouo Castello, quæ quondam* Iohannis *fuerat* Iuliani, *vsque domum* Guiberti *de Ioppen generis Laudæ, recto tramite procedente, vobis eandem quam Rex habuerit potestatem penitus damus. Quin etiam nullus Veneticorum in totius terræ Regis, suorumq; Baronum dominio, aliquam dationẽ in ingrediendo, vel ibi morando, aut exeundo per vllum ingenium dare debeat: sed sic liber sicut in ipsa Venetia sit. Si verò aliquod placitum, vel alicuius negocii litigationem, Veneticus erga Veneticum habuerit, in curia Veneticorum diffiniatur. Vel si aliquis aduersus Veneticum querelam aut litigationem se habere crediderit, in eadem curia Veneticorum determinetur. Verùm si Veneticus super quemlibet alium hominem, quàm Veneticum, clamorem fecerit, in curia Regis emendetur. Insuper vbi Veneticus ordinatus vel inordinatus, quod nos* sine lingua *dicimus, obierit, res suæ in potestatem Veneticorum reducantur. Si verò aliquis Veneticorum naufragium passus fuerit, nullum de suis rebus patiatur damnum. Si naufragio mortuus fuerit, suis heredibus aut alijs Veneticis res suæ remanentes reddantur. Præterea super cuius gentis burgenses in vico & domibus Veneticorum habitantes, eandem iustitiam & consuetudines quas Rex super suos, Venetici habeant. Denique duarum ciuitatum* Tyri & Ascalonis *tertiam partem, cum suis pertinentiis, & tertiam partẽ terrarum omnium sibi pertinentium, à die sancti Petri, Sarracenis tantum seruientium, quæ nõ sunt in Francorum manibus, alteram quarum, vel si, DEO auxiliante, vtranque per eorum auxilium, aut aliquod ingenium in Christianorum potestatem Spiritus sanctus tradere voluerit: illam, inquam, tertiam partem, sicut dictum est, liberè & regaliter, sicut Rex duas, Venetici habituri in perpetuum, sine alicuius contradictionis impeditione, iure hereditario possideant. Vniuersaliter igitur supradictas conuentiones ipsum Regem, DEO auxiliante, si aliquando egressurus de captiuitate est, nos* Gormundus *Hierusalem Patriarcha confirmare per Euangelium faciemus. Si verò alter ad Hierosolymitanum regnum, in Regem promouendus aduenerit, aut superiùs ordinatas promissiones antequam promoueatur, sicut antè dictum est, ipsum confirmare faciemus; alioquin ipsum nullo modo ad regnum prouehi assentiemus. Similiter easdem & eodem modo confirmationes, Baronum successores, & noui futuri Barones facient. De caussa verò Antiochena, quam vobis Regem* Balduinum *secundum, sub eadem constitutionis depactione promisisse benè scimus, in Antiocheno principatu se vobis Veneticis daturum: videlicet sic in Antiochia, sicut in cæteris Regis ciuitatibus, si quidem Antiocheni Regalia promissionum fœdera vobis attendere voluerint: nos idem* Gormundus *Hierusalem Patriarcha, cum nostris Episcopis, Clero, Baronibus, populoq; Hierusalem, consilium & auxilium vobis dantes, quod nobis dominus Papa inde scripserit, bonâ fide totum adimplere, & hæc omnia superiora, ad honorem Veneticorum promittimus.*

Ego Gormundus Dei gratiâ Hierosolymorum Patriarcha, propriâ nostrâ manu supradicta confirmo.
Ego Ebremarus Cæsariensis Archiepiscopus, hæc eadem similiter confirmo.
Ego Bernardus Nazarenus Episcopus similiter confirmo.
Ego Asquitinus Bethleemita Episcopus similiter confirmo.
Ego Rogerius Liddensis sancti Georgii Episcopus similiter confirmo.
Ego Gildoinus Abbas sanctæ Mariæ vallis Iosaphat similiter confirmo.
Ego Gerardus Prior sancti Sepulchri similiter confirmo.
Ego Aicardus Prior templi Domini similiter affirmo.
Ego Arnaldus Prior montis Sion similiter affirmo.
Ego Wilelmus de Buris, Regis Constabularius, similiter affirmo.

Datâ apud *Achon*, per manus *Pagani*, Regis Hierusalem Cancellarii, anno *millesimo centesimo vicesimo tertio*, Indictione secundâ. An. D. 1123.

EXPLICIT LIBER DVODECIMVS.

CAPITVLA LIBRI TERTIIDECIMI.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI TERTIIDECIMI.

INCIPIT

INCIPIT LIBER TERTIVSDECIMVS.

ST autem Tyrus ciuitas antiquissima, secundùm quod Vlpianus vir prudentissimus Iurisconsultus, ex eadem vrbe trahens originem, in Digestis, titulo de Censibus, asserit, dicens: *Sciendum est, esse quasdam colonias iuris Italici, vt est in Syria Phœnice splendidissima Tyriorum colonia, vnde mihi origo est, nobilis regionibus, serie seculorum antiquissima, armipotens, fœderis quod cum Romanis percussit tenacissima. Huic enim Diuus Seuerus & Imperator noster, ob egregiam in Remp. Imperiumq́ue Romanum insignem fidem, ius Italicum concessit.* Ex hac vrbe, si ad veteres recurramus historias, *Agenor* Rex fuit, & filii eius, *Europa, Cadmus & Phœnix*, à quorum altero tota regio, vt *Phœnicis* diceretur, nomen accepit. Alter verò Thebanæ conditor vrbis, & Græcarum inuentor literarum, celebrem posteris de se reliquit memoriam. Tertia verò eiusdem regis filia, Orbis terrarum parti tertiæ nomen dedit, vt *Europa* diceretur. Huius quoque ciues excellenti mentis acumine, & ingenii viuacitate præclari, indiuidua vocum elementa, conuenientibus designare apicibus, primi tentauerunt, & memoriæ thesauros ædificantes, mortalium primi scribendi prudentiam, & mentis interpretem sermonem, characteribus designandi formam posteris tradiderunt: id & veterum habent historiæ, & belli ciuilis egregius prosecutor *Lucanus* designat, dicens:

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signasse figuris.

Hæc & triti conchilii, & preciosi muricis, egregio purpuram colore primâ insigniuit: vnde & præcipua inter eos, etiam hodie, vrbis trahens nuncupationem, *Tyria* dicitur. Ex hac etiam *Sychæus*, & vxor eius *Elisa Dido* fuisse leguntur: qui in Africana diocesi, ciuitatem illam admirabilem & Romani æmulam Imperii, *Carthaginem* videlicet, condiderunt; regnumq́ue illud *Punicum* quasi *Phœnicum*, à regione vnde exierant denominantes, appellauerunt: sed etiam & originis memores, perpetuò se *Tyrios*, *Carthaginenses* voluerunt appellari. Vnde illud *Maronis* in primo:

Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuère coloni. Et illud:
Tros Tyriusq́ue mihi nullo discrimine habetur.

Fuit autem ab initio binomia: nam & *Sor* Hebraicè dicitur, quod nomen tenet vsitatiùs & *Tyrus:* quod posterius, licet & Græcam videatur redolere eloquentiã (interpretatur enim *Angustia*) tamen à cõditore certum est, eam huiusmodi contraxisse vocabulum. Certum est enim iuxta veterum traditiones, quòd *Tyras* septimus filiorum Iaphet, filii Noë, hanc vrbem condiderit, & à suo sumptum vocabulo nomen eidem indiderit. Quanta huius ciuitatis priscis temporibus gloria fuerit, ex verbis Ezechielis prophetæ manifestè est colligere, cui à Domino dicitur: *Et tu, fili hominis, assume super Tyrum planctum: & dices Tyro quæ habitat in circuitu maris, negotiatio populorum, ad insulas multas. Tu dixisti, perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita: finitimi tui, qui te ædificauerunt, impleuerunt decorem tuum, abietibus de Sanir, & exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris. Cedrum de Libano tulerunt, vt facerent tibi malum: quercus de Basan dolauerunt in remos tuos, transtra tua fecerunt ex ebore Indico, & prætoriola de Insulis Italiæ. Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum, vt poneretur in malo. Iacynthus & purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum.* Et Esaias: *Transite maria, vlulate qui habitatis in Insula. Nunquid non hæc vestra est, quæ gloriabatur à diebus pristinis in antiquitate sua? Ducent eam pedes sui longè ad peregrinãdum. Quis cogitauit hoc super Tyrum, quondam coronatam, cuius negociatores principes, institores eius inclyti terræ?* Ex hac etiam & *Hyram*, Salomonis cooperator ad ędificium tẽpli Domini, Rex fuit: & *Appollonius*, gesta cuius celebrem & latè vulgatam habent historiam. Ex hac nihilominus vrbe fuit *Abdimus* adolescẽs, Abdæmonis filius, qui Salomonis omnia sophismata & verba parabolarum ænigmatica, quæ Hyram regi Tyriorum soluenda mittebat, mirâ soluebat subtilitate: de quo ita legitur in Iosepho Antiquitatum libro octauo: *Meminit horum duorum Regum*, Menander, *qui ex Phœnica lingua Antiquitates Tyriorum in vocem conuertit Helladicam, ita dicens: Moriente* Abibalo, *successit in eius regnum filius eius*

Marginal notes: Cap. I. — Ezech. 27, 2. — Esai. 23, 6.
Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50

Hyram, qui cùm vixisset annis quinquaginta tribus, regnauit triginta quatuor. Huius temporibus erat Abdimus, *Abdæmonis filius in vinculis, qui semper propositiones quas imperasset Hierosolymorum Rex, euincebat.* Et iterum infra: *Adiecit ad hoc, Regem Hierosolymorum* Salomonem *misisse ad* Hyram *Tyri Regem figuras quasdam, & petiisse ab eo solutionem, ita vt si non posset discernere, soluenti pecunias daret: cùmq; fateretur Hyram, se non posse illas soluere, multaq; foret pecuniarum detrimenta passurus, per* Abdimum *quendam Tyrium, quæ proposita fuerant, sunt absoluta; & alia ab eo proposita, quæ si Salomon non solueret regi Hyram, multas pecunias daret.* Et hic fortasse est quem fabulosè popularium narrationes *Marcolfum* vocant, de quo dicitur quòd Salomonis soluebat ænigmata, & ei respōdebat, æquipollenter iterum soluenda proponens. Hæc eadem & *Origenis* corpus occultat, sicut oculatâ fide etiam hodie licet inspicere. Et *Hieronymus* Pammachio & Occeano scribens in ea epistola quæ sic incipit, *Scedulæ quas misistis,* hoc ipsum asserit dicens: *Centum & quinquaginta propè anni sunt hodie, ex quo Origenes Tyri mortuus est.* Sed & si ad Euangelicam recurramus historiam, hæc eadem nihilominus & illam admirabilem genuit *Chananeam,* cuius pro filia, quæ malè à dæmonio vexabatur, supplicantis magnitudinem fidei commendat Saluator dicens: *Mulier, magna est fides tua:* quæ conciuium filiabus admirandæ fidei, & commendabilis patientiæ monumenta relinquens, prima docuit, vt in muneribus fidei, charitatis & spei, CHRISTVM Saluatorem deprecarentur, iuxta verbum Prophetæ dicentis: *Filiæ Tyrii in muneribus vultum tuum deprecabuntur.* Est autem & Phœnicis vniuersæ metropolis, quæ inter Syriæ prouincias & bonorum penè omnium commoditate, & incolarum frequentiâ primum semper obtinuit locum.

Matth. 15, 28. — *Psal. 44, 14.*

II. Porrò aduertendum est, quòd hoc nomen *Syria,* aliquando largiùs, vt sit nomen totius; aliquando strictiùs, vt parti tantùm conueniat, accipitur: sed aliquando cum adiectione dicitur, & notat partes, sicuti manifestiùs dicetur. *Syria* ergo *maior* multas prouincias infra suum continet ambitum: à Tygride enim habens initium, vsque in Ægyptum protenditur, & à Cilicia vsque in mare Rubrum: cuius ab inferiori parte, quæ est inter Tygridem & Euphratem, prima eius partium *Mesopotamia* est, quæ quia inter duo flumina sita est, *Mesopotamia* dicitur: quasi quæ inter duo flumina iaceat: *potamos* enim Græcè, Latinè *fluuius* dicitur: quæ quia Syriæ pars est, iccirco frequēter in Scripturis *Mesopotamia Syriæ* dicitur. Post hāc verò eiusdem Syriæ, *Cœlessyria* regio, maxima portio est, in qua *Antiochia,* ciuitas illa nobilis, cum suis suffraganeis vrbibus sita est: Cui, quasi à septentrione, vtraque *Cilicia* contermina est, quæ eiusdem Syriæ sunt partes. Ab Austro verò *Phœnicis* statim coniungitur, inter partes eius præcipua, quæ olim, per multa tempora, simplex fuit & vniformis; nunc autem in duas diuisa est: quarum prima *maritima* dicitur, cuius metropolis est *Tyrus,* vnde nobis est sermo; vrbes habens quatuordecim suffraganeas; à riuo Valaniæ, qui est sub castro Margath, habens initium, finem autem ad Lapidem incisum, qui hodie dicitur *Districtum,* iuxta vetustissimam vrbem quæ dicitur *Tyrus antiqua.* Vrbes autem quæ infra hanc prouinciam continentur, sunt hæ: ab Austro nouissima *Porfyria,* quæ alio nomine dicitur *Heffa,* vulgari verò appellatione *Caifas:* secunda *Ptolomaida,* quæ alio etiam nomine dicitur *Accon:* tertia ab Oriente *Paneas,* quæ est *Cæsarea Philippi:* quarta à Septentrione *Sarepta,* quinta *Sydon,* sexta *Berythum,* septima *Biblium,* octaua *Botrium,* nona *Tripolis,* decima *Artusiæ,* vndecima *Archis,* duodecima *Arados,* tertiadecima *Antarados,* quartadecima *Maraclea.* Altera verò Phœnicis dicitur *Libanica,* cuius metropolis est *Damascus,* quæ etiā aliquando dicitur *Syria:* vt ibi, *Caput Syriæ Damascus:* Hæc iterum Phœnicis postea diuisa est in duas portiones; quarum altera dicitur *Damascena;* altera verò, *Emisena.* Sunt etiam & Syriæ partes vtraque *Arabia:* prima, cuius metropolis est *Bostrum;* secunda, cuius metropolis est *Petra deserti.* Sed & *Syria Sobal,* eiusdem Syriæ maioris pars est, cuius est metropolis *Sobal.* Nihilominus & tres *Palæstinæ,* eiusdem Syriæ partes sunt: prima, cuius est metropolis *Hierosolyma,* quæ propriè appellatur *Iudæa;* secunda, cuius metropolis est *Cæsarea* maritima; tertia, cuius metropolis est *Scythopolis,* quæ alio nomine dicitur *Bethsam,* cuius hodie locum tenet *Nazareth. Idumæa* quoque huius eiusdem Syriæ maioris, pars est nouissima, ad Ægyptum respiciens.

Esai. 7, 8.

III. Erat autem prædicta ciuitas non solùm munitissima, vt prædiximus, sed etiam fertilitate præcipuâ, & amœnitate quasi singularis: nam licet in ipso mari sita sit, & in modum insulæ tota

10 20 30 40 50

tota fluctibus ambiatur; habet tamen pro foribus latifundium per omnia commendabile, & planiciem sibi continuam diuitis glebæ & opimi soli, multas ciuibus ministrans commoditates: quæ licet modica videatur, respectu aliarum regionũ, exiguitatem suam multâ redimit vbertate; & infinita iugera multiplici fœcunditate compensat. Nec tamen tantis artatur angustiis: protenditur enim in Austrũ versus Ptolemaidam, vsque ad eum locum qui hodie vulgò dicitur *Districtum Scandarionis*, miliaribus quatuor aut quinque; è regione in Septentrionem, versus Sareptam & Sydonem iterum porrigitur totidem miliaribus: in latitudinem verò, vbi minimũ, ad duo; vbi plurimum, ad tria habẽs miliaria. In hac eadem fontes sunt plurimi, qui 10 perspicuas & salubres emanant aquas; & gratâ temperie cõtra immoderatos æstus præstant refrigerium. Inter quos præstantissimus, & famæ titulis celeberrimus, de quo etiam & *Salomon* in canticis cecinisse dicitur: *Fons ortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Hic licet in humiliore totius regionis parte, fluentorum suorum habeat originem; & non ex montibus, sicut alii plerunq; fontes, sed ex ipsis abyssi cataractis scaturire videatur: tamen curâ & manu artifice in superas elatus auras, totam circumquaq; regionem affluenter irrigat, & suæ visitationis beneficio ad vsus multiplices reddit fæcundam. Erectus est ergò, & in sublime deductus miro opere lapideo, ferri duritiem imitante, ad altitudinem cubitorũ decem; & qui in imo situ naturali, non multum poterat esse vtilis, artificio contra naturam obti-20 nente factus sublimior, vniuersæ regioni se gratum præstat, & ad prouentus fructuarios aquas porrigit affluenter. Accedentibus, & facti miraculum volentibus intueri, turris exterius videtur eminentior, nec fontis aliquam prætendit effigiem: vbi verò ad eius peruentum est fastigium, collectarum est videre quasi cumulum aquarum, quæ inde per aquæductus eiusdem altitudinis, sed & miræ soliditatis, ad circumiacẽtem se transferunt regionem. Præparata sunt nihilominus ad eius summum ascendere cupientibus, ascensoria per gradus eadem soliditate lapideâ, quibus etiam equites sine difficultate possint ad eius prouehi superiora. Procuratur autem adiacenti regioni ex eius beneficio miranda commoditas; ita vt non solùm ortos, & lignis fructiferis insita, & amœnitate præcipuâ nutriat pomeria; verùm & ca-30 namellas, vnde præciosissima vsibus & saluti mortalium necessaria maximè, conficitur *zachara*: vnde per institores ad vltimas orbis partes deportatur. Sed & *vitri* genus elegantissimum, & in eodem rerum genere facilè obtinens principatum, de arena quę in eadem planicie colligitur, mirabiliter conficitur, quod inde ad remotas etiam delatum prouincias, aptam vasis mirabilibus, & perspicuâ sinceritate præcipuis materiam præbet: vnde & nomen vrbis longè ad exteras nationes porrigitur celebre, & multiplici fœnore lucrum accrescit institoribus. Nec solùm his cõmoditatibus, verùm & munitione incõparabili prędita erat ciuitas, sicut in sequẽtibus dicetur: vnde ob id quòd munitissima erat, tantisq; cõmoditatibus abundãs, Ægyptiorum principi, omnium ferè potentissimo, qui omnẽ regionẽ à Laodicia Syriæ 40 vsq; in arentem Lybiã libero possidebat imperio, grata erat & accepta, & eam quasi regnorũ suorum robur & domiciliũ suum reputans, victu, armis, & viris armipotẽtibus diligenter cõmunierat, arbitrans *reliqui corporis in tuto partes consistere, si capitis salutem inuiolatam posset cõseruare.* Igitur quinto decimo Kal. Martii, vt prædiximus, vterq; noster exercitus ad prædictam applicuit ciuitatem, & eam quantum potuit, obsidione vallauit. Sita autem est hæc eadem ciuitas, iuxta verbum Prophetæ, *in corde maris*, ita vt pelago vndique ambiatur, nisi in modico spacio, quãtum arcus sagittam iaculari possit. Tradunt seniores, eam aliquando insulam, & à solida terra omnino separatã fuisse: sed obsidens eam aliquando Assyriorum potentissimus princeps *Nabuchodonosor*, voluit eam solo continuare, sed opus non consummauit: huius 50 quoque obsidionis *Ezechiel* Propheta memoriam facit, dicens: *Ecce ego adducã ad Tyrum* Nabugodonosor, *regem Babylonis ab Aquilone, regem regum, cum equis & curribus & equitibus, & cætu populoq; magno: filias tuas quæ sunt in agro, gladio interficiet, & circumdabit te munitionibus, & comportabit in gyro, & leuabit contra te clypeum & lanceam*, & cætera. Huius obsidionis in decimo Antiquitatum *Iosephus* memoriam facit, dicens: *Sed etiam* Diocles *in secundo Coloniarum libro meminit huius regis. Et* Philostratus *in Indicis & Phœnicibus historiis dicit: Quia Rex iste obsedit Tyrum annis tribus, & mensibus decem, cum illo tempore in Tyro regnabat Ioatabalus.* Post eum verò *Alexander*

Cant. 4, 15.

IV.

Ezech. 27, 3.

Ezech. 26, 7.

Macedo, continuauit eam solo; & continuatam violenter occupauit. Cuius obsidionis idem *Iosephus* in vndecimo libro Antiquitatum memoriam facit, dicens: *Alexander autem ad Syriam veniens, Damascum cepit, & subiugatâ Sydone, Tyrum obsidebat.* Et infra: *Quapropter in obsidione intentius perseuerans, expugnauit: cumq; eam cepisset, ad ciuitatem Gazam peruenit.* Et infra: *Septem autem mensibus in obsidione transactis, & duobus in Gaza, Sanabala mortuus est.* Obsederat autem & eam priùs *Salmanassar*, & inuaserat Phœnicen vniuersam. De hoc autem memoriam facit *Iosephus* in nono libro Antiquitatum, dicens: *Pugnauit enim aduersus Tyrum, cùm in ea regnaret* Helisæus: *de quibus testatur &* Menander, *qui temporum facta conscripsit, & Tyriorum antiquitatem in Græcam linguam conuertens, sic ait:* Helisæus *nomine, regnauit annis triginta sex: hic recedentibus Cuthæis nauigans reduxit eos, contra quos denuò* Salmanassar *Assyriorum rex insurgens, cunctam Phœnicem bellis inuasit: qui factâ pace cum omnibus, post terga sua reuersus est. Recessit autem à Tyro ciuitas Sydon, & Arche, & antiqua Tyrus, & multæ aliæ vrbes, quæ semetipsas Assyriorum regi tradiderunt: quapropter Tyriis non subiectis, denuò Rex aduersus eos egressus est, Phœnicibus exhibentibus ei naues sexaginta, & remiges* octoginta: contra quos Tyrii nauigantes in duodecim nauibus, dispersis hostium nauibus, cœpêre captiuos viros quingentos, vnde honor Tyriorum propter hoc creuit eximiè. Reuertens autem Assyriorum Rex, disposuit custodias super fluuium & aquæductus ciuium, vt Tyrios haurire pocula prohiberet: & dum hoc quinq; annis fuisset factum, tulerunt de effossis puteis bibentes aquam. Hæc in archiuis Tyriorum de Salmanassar Assyriorum rege scripta sunt.*

V. Sic ergò, vt diximus, quasi insula est præfata ciuitas, procellosum circa se habens mare, latentibus scopulis & nimiâ inæqualitate periculosum: ita vt peregrinis & ignaris locorum, ad vrbem nauigantibus periculosum sit accedere; & nisi ducem habeant, qui adiacentis maris habeat notitiam, non nisi cum naufragio vrbi possunt appropinquare. Erat autem ex parte maritima per circuitum muro clausa gemino, turres habens altitudinis congruæ proportionaliter distantes. Ab Oriente verò, vnde est per terras accessus, muro clausa triplici, cum turribus miræ altitudinis, densis admodum, & propè se contingentibus: Præterea & vallum latè patens, per quod facilè eius ciues possent mare introducere in alterutrum. A parte verò Septentrionali portus ciuitatis interior, inter turres geminas habet ostium, infra mœnia tamen receptus: nam exteriùs insula fluctibus obiecta, æstuantis pelagi primos frangens impetus, inter se & solum tutam nauibus præbet stationem, ventis inaccessam, soli tamen obnoxiam Aquiloni. Classe ergo in eam partem inductâ, & in tranquillo locatâ, exercituq; pomeria vrbi vicina tenente, castris quoq; per circuitum collocatis, exitus introitusq; ciuibus negant, & solis mœnibus cogunt esse contentos. Erat autem prædicta ciuitas duos habens dominos: nã *Ægyptius Calypha* tanquam maior dominus, duas habebat eius portiones: *Damascenorum* verò regi, quia vicinior erat, ne eam molestaret; immo etiam vt in necessitatibus ciuium, eis auxilii sui ministraret suffragia, tertiam concessit. Erant autem in ea ciues nobiles & pecuniosi valdè, quippè qui continuis nauigationibus vniuersas penè mediterraneo mari adiacentes prouincias, gratiâ commerciorum, peregrinis * mercibus & multiplicibus diuitiis vrbem repleuerant. Confugerant ad eam præterea, intuitu munitionis eius, de Cæsarea, Ptolemaida, Sydone, Biblio, Tripoli, & aliis maritimis vrbibus, quę in nostram iam deuenerant potestatem, ciues inclyti & locupletes, ibiq; domicilia multa sibi precio comparauerant: impossibile penitus arbitrantes, quòd vrbs tam munita in nostrorum ditionem, aliquo casu posset descendere. Vnicum enim & singulare totius regionis, sicuti etiam est hodie, videbatur esse præsidium, & robur incomparabile.

VI. Compositis ergò sarcinis, & rebus ad quandam commoditatem locatis, iuxta portum naues vniuersas educunt ad siccum, exceptâ vnâ galeâ, quæ semper ad suspectos casus, qui emergere poterant, erat parata: quo facto, ducto vallo profundo conuenienter à mari superiori ad inferius, vniuersum claudunt exercitum. Tunc sumptâ de nauibus conueniente materiâ, vnde secum Veneti multam detulerant copiam, conuocatis artificibus, varii generis erigunt machinas. Dominus sane *Patriarcha* cum Regni Principibus, vicem domini Regis obtinens, lignorum cæsores, & architecturæ peritos conuocans, subiectâ pro votis materiâ, castellum ædificari præcipit multæ altitudinis: vnde cum his qui in turribus erant, pugnari posset quasi cominus, & vrbem totam liceret intueri. Machinas nihilominus iaculatorias fabricari præcepit, quibus magnis molaribus turres

turres & mœnia concutiantur,& ciuibus terror inferatur. Dux etiam cum suis partem regiam æmulantes,eiusdem generis erigunt machinas, locisq; competentibus componunt erectas.Instant ergò cœpto,cum omni sollicitudine,operi, & propositum vrgent non deficientes ab incepto; sed magis ac magis accensi,ciues artant, & de machinis vrbi molestias inferunt incessanter. Assultibus quoque & congressionibus assiduis,obsessis requiem negant. Ciues nihilominus vt se tueantur solliciti, cuncta discutiunt, vt à se nostrorum propulsent iniurias, & hostibus damna inferant.Erigunt ergò ipsi de intus è regione machinas, & saxis ingentibus earum iactu libratis,castella nostra sine intermissione cedunt;& circa ea regionem, timore mo-
10 larium emissorum,ita sibi vendicant propriam, vt nemo de nostris ibi auderet immorari;sed & eos quibus conseruandi machinas sors dederat necessitatem, vt non nisi cum cursu celerrimo ad eas auderent accedere,nec in eis nisi cum maximo discrimine commorari.Qui autem in excelsis turribus erant constituti,arcubus & balistis tantam inferebant his,qui in castellis & circa machinas eos impugnabant, iaculorum & sagittarum multitudinem,tantoq; instabāt saxorum pugillarium iactu, vt vix etiam manus auderent exerere.Nostri etiā qui in castellis erant,æquipollenter nimis ictus ictibus recōpensantes, vim vi repellentes, tantam his qui in turribus & supra muros erant positi,ingerebant laboris necessitatē,vt sæpius in die permutati,belli pondus sustinere non possent.Qui autem in machinis erant,docentibus his
20 qui iaculandi peritiam erant assecuti,tantis viribus,tantoq; conamine ingentia torquebant saxa,vt muris illisa,vel turribus, vniuersa cōcuterent, & penè traherent in ruinam.Excitabatur de collisis lapidibus & cemento dissoluto puluis tam immensus,vt his qui in mœnibus & supra turres erant, quasi nubes interposita, nostrorum negaret aspectum. Si qui autem de missis lapidibus turres aut mœnia præteribant, in vrbem cum impetu lapsi, ædificia magna cum habitatoribus in minuta redigebant fragmenta.Qui autem in campo,tam pedites quàm equites prælìabantur,animosè viriliterq; singulis penè diebus cum his, qui de vrbe ad pugnam egrediebantur,conserebant;nostris plerunque,interiores ad cōmittendum irritātibus; ciuibus nonnunquam,spontè etiam,in obsidentes facientibus irruptiones. Cum igitur VII.
30 ita diebus singulis,ancipiti Marte,nostri nunc de machinis, nunc circa portā cum ciuibus experirentur,& quantā poterant instantiā sese mutuò prouocarent: vocatus à Regni principibus cū honesto comitatu affuit dominus *Pontius* Tripolitanus comes:in cuius aduētu nostrorum visæ sunt vires quasi geminatæ, multiplicata audacia;hostibus verò è conuerso illata formido,& quasi desperatio resistendi. Erant autē in eadem ciuitate de Damascenis equites septingenti, qui ciuibus nobilibus, mollibus & delicatis, & in re militari non multùm exercitatis,sui exemplo animos ad resistendum ministrabant, & in seipsis prompto animo suffragia debita largiebantur.Tamen hi etiā vidētes nostrorum vires & conatus singulis diebus in melius proficere,opes verò ciuium sensim comminui, vires quotidie periclitari, fieri cœ-
40 perunt tepidiores,& *onus quod portare non poterant, sapienter declinare:* ita tamen,vt nec ciuibus deditionem persuaderent,nec multùm de viribus præsumendum esse hortarentur. Porrò in ciuitatem,sicut hodie etiā est, vnicus erat introitus & porta singularis: nam, vt prædiximus,ciuitas tota quasi insula,fretis vndiq; ambitur,excepto loco quodam angusto,per quē est accessus ad portam, in quo sine intermissione tā equitum quàm peditum erant conflictus varii,sicut in huiusmodi solet contingere plerunque euentu. Interea dum hæc apud Tyrum aguntur, *Ascalonitæ* videntes VIII.
regnum militię viribus desolatum,omneq; robur regionis apud Tyrum in obsidione detineri,sumptā occasione ex tempore cum vniuersa militia, trāscursā planicie, quæ media iacet,ad montes,in quibus Hierosolyma sita est, festinanter properant;
50 arbitrantes prædictam vrbem felicissimam, vacuam reperire; & de eius habitatoribus aliquos incautiùs egredientes,secum posse trahere captiuos. Accedentes ergo ex improuiso nimis, quosdam de ciuibus per agros & vineas improuidè se habentes,occiderunt,circiter octo. Ciues autem, etsi pauci numero, tamen fide feruentes,zelo iustissimo pro patria, pro liberis & vxoribus succensi,armis correptis, vrbem egrediuntur,vnanimiter hostibus occurrentes.Et cùm trium horarū spacio se mutuo conspexissent, nostris non audentibus in eos irruere,cùm nō nisi pedites haberent:videntes Ascalonitæ,quòd ibi non possent absq; periculo moram facere;

nec erat tutum cum gente obstinata, atque ad resistendum animosius præparata, iuxta vrbem congredi, parant reditum cum velocitate. Nostri autem eos cautiùs aliquantulum insecuti, retentis ex hostium equis decem & septem, de militibus quatuor, quadraginta duos ex eis interficiunt: consummatoque feliciter negocio, cum plena sospitate domum reuersi sunt.

IX. At Tyrenses interea crebris vigiliis, assiduis conflictibus, & labore cõtinuo fatigati, rariùs accedunt ad prælia, remissiùs occurrunt officiis sibi deputatis: stupentes supra modum, quod ciuitas, quæ singulis penè diebus cùm terrestri tum marino populorum frequentabatur accessu; omnibusq; commodis vtroque accessu consueuerat cumulari, in tam arto sederet posita, vt neque ciuibus, neque exteris introitus pateret aut exitus; quodq; victus deficeret, & alimoniarum iam penè nullum esset residuum: habito consilio ad Ægyptium Calypham, & Damascenorum regem scribunt epistolas, monentes & deprecantes anxiè, quatinus rebus eorum iam pene desperatis, maturè subueniãt: instantiam significant hostium, & vires & animos singulis diebus ampliores; suorum defectum, alimentorum inopiam, angustias importabiles. Quo facto, in spem erecti aliquantulam, prædictorum Principum præstolantes subsidia, ad resistendum pro more solito se inuitant. Et licet ex eis plures letaliter saucii, pugnare ipsi non possent, alios tamen verbis quibus possunt ad resistendum hortantur. Nunciatur interea, quòd Damascenorum Rex *Doldequinus* obsessorum epistolis & legatione motus, cum innumera Turcorum manu, & copiosissimo equitatu à finibus Damascenis egressus, in dioecesi Tyria, secus fluuium castrametatus fuerat. Erat autem idem fluuius à ciuitate Tyrensi, vix quatuor distans miliaribus. Dicebatur etiam, quòd classis Ægyptia, maior solito, & armatis instructior, ciuibus deferens & subsidia militum, & victui necessaria, intra triduum esset affutura. Asserebatur nihilominus, Damascenorum regem, & militum maiora præstolari suffragia; & ad hoc fluminis transitum, & cum nostris congressum prudenter differre, donec classis veniat, vt eo nobiscum dimicante, classis liberum & sine difficultate ad vrbem habeat accessum. Quo audito, nostri communicato consilio & partibus prouidâ deliberatione libratis, optimum ducunt, vniuersum exercitum in tres partes diuidere, ita vt equites omnes & stipendiarii pedites, vnà cum domino Comite Tripolitano, & domino *Wilelmo de Buris*, regio Constabulario, & regni negotiorum procuratore, de castris egrediantur; & cùm opus fuerit Damasceno occurrant, cum eo auctore Domino pugnaturi: Dux autem cum suis galeas conscendant, & classi aduenienti occurrentes, cum eis belli tentent fortunam, & tanquam viri strenui, gladiis viriliter experiantur: Ciues autem, qui de vniuersis regni vrbibus ad eandem obsidionem conuenerant, cũ parte Venetorum maxima, machinas & castella vigilanter seruent; & ita efficiant, vt & de castellis non remittatur manus pugnantium, nec machinæ desinant solitos impulsus importuniùs inferre, & ante portam indeficiens habeatur conflictus. Placuit verbum vniuersis, & statim sicuti videbatur expedire, effectui mancipatur. Egressi sunt enim *Comes Tripolitanus*, & *Regius Constabularius*, cum vniuersa militia hostibus obuiã: & cùm processissent quasi ad duo miliaria, hostes nullatenus ausi sunt comparere. Certum tamen erat, quod secus fluuium prædictum castra locauerat *Doldequinus*, ab initio cor gerens & animum transeundi: sed audiens nostros, quorundam relatione, tam prudenti vsos consilio, periculosum ducit cum viris tã prudentibus, tamq; strenuis temerè dimicare; sed tubis clangentibus suos conuocat, imperat ad propria regressum. Dux autem classe instructâ & paratâ, vsque *Alexandrium* descendit; qui locus à prædicta ciuitate quasi sex distat miliaribus, qui hodie vulgari appellatione dicitur *Scandarium*. Cognoscentes autem, quòd Rex Damascenorum ad propria remeasset, & quòd classis exspectatæ nullum comparebat signum, iterum repositis in littore galeis, omnes in castra se recipiunt, & ciuium impugnationi vehementiùs instant.

X. Factum est autem vnâ die, quòd quidam iuuenes de ciuitate, vt se in populo suo commendabiliores redderent, & perennem sibi acquirerent apud posteros gloriam, mutuò se obligantes compromiserunt, quod clàm ad nostra castra egredientes, machinas & nostra castella succenderent. Quod verbum effectui mancipantes, clàm ab vrbe egredientes, incendium machinæ, quę nobis vtilior erat, supposuerunt. Quod videntes nostri, ad arma conuolant, & aquis copiosè ministratis, ignibus tentant resistere. Factumque est ibi quiddam admira-

admiratione & relatione dignum. Quidam enim iuuenis probitatis eximiæ & admirandæ virtutis, videns machinam succensam, constanter ascendit super eam,& aquas porrectas desuper infundebat. Quod videntes qui in turribus erāt,arcus habentes & balistas,omnes in eum manus dirigunt;iacentesque certatim in eum,qui positus erat quasi signum ad sagittam, operam consumpserunt: nam totâ illâ die in propria carne nullam sensit penitus læsionem. Qui autem ignem subiecerant,à nostris comprehensi,omnes vltore gladio confossi,suis cernentibus interierunt. Porrò vidētes nostri,quod machina interior lapides magnæ quantitatis,in castella nostra ita directè iacularetur; & quod vtrunq; ex magna parte læserat;quodq; non es-
10 set in castris qui dirigendi machinas, & torquendi lapides,plenam haberet peritiā, vocātes quendam de Antiochia, Armenium natione, *Hauedic* nomine,qui in ea facultate dicebatur instructissimus,subitò receperunt eum: qui tantâ arte in dirigendo machinas,& ex eis missos molares contorquendo vtebatur, vt quicquid ei pro signo deputaretur,id statim sine difficultate contereret. Qui postquam ad exercitum peruenit, designatum est ei honestum de publico salarium,vnde se pro modo suo magnificè poterat exhibere:tantaq; deinceps operi ad quod vocatus est institit diligentiâ,tantaq; arte vsus est in facto, vt non solùm ciuibus continuatum, sed de nouo videretur bellum illatum, & molestiæ duplicatæ in eius aduentu. Dum (XI.) hæc Tyri aguntur, *Balac*, potentissimus Turcorum satrapa,in cuius vinculis domi-
20 nus Rex tenebatur,ciuitatem *Hierapolim* obsidet: dumq; in obsidione perseueraret, vocauit ad se eiusdem ciuitatis dominum, verbis pacificis in dolo: qui simplex & nimiùm credulus, verbis illius fidem habens, suam statim exhibuit præsentiam: quem ante se constitutum,Balac statim præcepit decollari. Audiens ergo *Ioscelinus* senior,Comes Edessanus,quod *Balac* ciuitatem sibi vicinam obsideret, timensque ne priore domino expulso,durior ei pararetur aduersarius, conuocatâ tum ex partibus Antiochenis, tum ex suis ingenti militiâ, ei obuiam ire festinat: inuentoque eius exercitu,agminibus suis in acies ordinatis,repentè irruit super eum; conuersoque in fugam eius exercitu, ipsum casu obuium habuit: quem gladio transuerberans,ad terram deiecit, deiectoque caput amputauit, nesciens tamen quod hic es-
30 set Princeps exercitus. Hic planè manifestam habuit eiusdem Balac somnii interpretationem: nam verè oculos dici potest quis illi eruisse,cuius caput amputans,videndi viuendiq; finem indicit. Statimque sicut vir circumspectissimus erat, & cui nihil ad plenam deerat experientiam, eiusdem Principis caput, vt nostros de sua prosperitate exhilaresceret & victoria, per quendam adolescentem dirigit, & per Antiochiam,vt nec hos nec illos tanti successus fineret esse expertes, ad nostrum præcipit exercitum festinare:qui adueniens corda satiauit vniuersorum, & in supremam erexit lætitiam. Dominus verò Comes Tripolitanus *Pontius*,qui in ea expeditione cum suis domino Patriarchæ,& aliis principibus, tanquam vnus de vernaculis,obediens semper extitit,& ad publica negotia humiliter expeditus, ob re-
40 uerentiam domini Comitis,qui eum miserat,& tantæ legationis dignitatem, ad equestrem promouit ordinem,arma ei conferens militaria. Hæc postquam nostris qui in expeditione erant,comperta sunt,erectis in cœlum manibus, cœperunt laudare, benedicere & glorificare DEVM, *qui terribilis est in consiliis super filios hominum.* (Psal. 65,4.) Tunc demum zelo maiore accensus noster exercitus,quasi reparatis viribus, receptoque denuò spiritu,ad opus inceptum feruentiùs accingitur, crebrisque cōgressionibus omnem obsessis negant requiem. Ciues autem, alimentis iam penitus consumptis, fame periculosissimè laborantes, cùm iam nullâ spe subsidii fouerentur,remissiùs se habebant. Accidit autem semel, quòd quidam iuuenes de ciuitate, natandi habilitatem habentes multam, de portu egressi interiore, in exte-
50 riorem nando peruenientes ad galeam illam, quam superiùs diximus in mari semper esse paratam,fune quem secum deportauerant, eidem firmiter alligato, eisque incisis, quibus galea tenebatur defixa, redeuntes in vrbem secum cœperunt trahere quam firmiter alligauerant: quod videntes qui in castellis erant ad speculam deputati, clamare cœperunt, quo excitati nostri, ad littus conuolant: sed antequam de remedio pleniùs deliberarent,præfati iuuenes eam infra vrbem iam receperant:cùm autem in ea quinque viri essent, qui ad eius erāt custodiam deputati,vno occiso,reliqui quatuor se in mare præcipites dederunt,vnde enatando, ad

XII. littus peruenerunt incolumes. Porrò *Ascalonitæ* velut culices inquieti, in nocendi proposito perseuerantes, videntes Regni robur circa Tyrum in obsidione detineri; regionem autem vniuersam militiâ vacuam, irruptionibus expositam; collectis viribus iterùm ad montana Iudææ vnanimiter conscendunt; ibiq; iuxta Hierosolymam locum à Septentrione positum ab eadem Hierosolyma quinque aut sex miliaribus distantem, *Bilin* dictum, qui hodie celebriori vocabulo *Mahomeria* appellatur, subitò inuadunt, & occupant violenter: eiusque incolis ex maxima parte interemptis gladio, senes cũ mulieribus & paruulis in turrim se recipientes, mortis euaserunt discrimen. Illi verò totam adiacentem regionem liberis discursibus peragrantes, nemine contradicente, quoscunque obuiam reperiunt, aut vinculis 10 mancipant, aut obtruncant gladiis, in prouinciales pro libero arbitrio debacchantes.

XIII. Interea *Tyrii* famis importunitate solito vehementiùs laborantes, alias ingrediuntur vias; & iam per conuenticula coeuntes, tractare incipiunt, quomodo his molestiis quas patiuntur, finem imponant: commodius esse dicentes, vrbe hostibus traditâ, ad alias, liberos, suæ gentis ciuitates posse transire, quàm fame tabescere; quàm vxores cum liberis, ipsis cernentibus, nec opem ferre valentibus, inopiâ liquefieri. Tandem post huiusmodi per turbas tractatus, verbum de communi consensu ad maiores natu, & vrbis moderatores & ad publicum defertur. Congregataque ciuitate vniuersâ, verbum in publico auditorio proponitur & tractatur diligentiùs. Stat omnibus sententia, tantis malis finem imponere; & quocunque ca- 20 su, quibuscunque conditionibus ad obtinendam pacem perueniendum. Porrò *Damascenorum Rex*, ciuium calamitate permotus, & quòd supremo defectu laborarent audiens, eorum compassus molestiis, conuocatis vndique militaribus copiis, ad mare descendit, vbi & priùs fuerat; circa fluuium vrbi prædictæ vicinum castrametatur. Quod audientes nostri, suspectum habentes eius aduentum, iterum se instruunt, quasi prælium pro foribus expectantes: vrbi tamen, propositum nihilominus non deserentes, instant incessanter. Rex interim Damascenorum legatos, cum verbis pacificis, ad nostri capitaneos exercitus, ad dominum videlicet *Patriarcham*, ad dominum *Ducem Venetiæ*, ad dominum *Comitem Tripolitanum*, ad dominum *Wilelmum de Buris*, & ad reliquos regni proceres, dirigit viros prudentes & discre- 30 tos, qui viam pacis prætentarent. Tandem post multas altercationes, parti placuit vtrique, vt concesso ciuibus cum vxoribus & liberis, & omni substantia egressu libero, ciuitas Christianis tradatur. Si qui autem de ciuibus in eadem ciuitate magis optarent commorari, iis, saluis possessionibus & domiciliis, libera commorandi licentia concedatur. Populus sanè & secundæ classis homines, intelligentes quòd his ciuitas conditionibus traderetur, quòd de hoc verbo inter Principes tractaretur ægrè ferentes, quodque violenter effracta eis ad manubias & prædam non pateret, operas vnanimiter bellicis necessitatibus subtrahere decreuerunt, parati à Principibus omnino dissentire: præualuit tamen maiorum mens sanior; & vrbe receptâ, data est ciuibus libera egrediendi, sicut pactis conuenerat, facultas. In signũ 40 ergo victoriæ super eam turrim, quæ portæ ciuitatis imminet, positum est domini Regis vexillum: super eam autem quæ dicitur *viridis*, domini Ducis Venetiæ; super eam autem quæ dicitur turris *Tanariæ*, domini Comitis Tripolitani, cum multa gloria sunt collocata vexilla. Porrò priùs quàm ciuitas aut caperetur, aut obsideretur, maxima pars eius dioeceseos in nostrorum deuenerat potestatem: ita quòd omnia montana quæ vrbi adiacent, tam in castris quàm in suburbiis, penè vsque ad Libanum quidam nobilis & potens homo, qui in montibus habitabat, *Henfredus* videlicet *de Torono*, iunioris Henfredi, qui postea factus est regius Cõstabularius, pater, vsque penè ad quartum vel quintum ab vrbe lapidem, quietè possidebat, castrum habens in eisdem montibus naturali situ & artificio munitissimum, vnde prædictis ci- 50 uibus frequentes & subitas inferebat molestias: sed & dominus Tyberiadensis, dominus *Wilelmus de Buris*, regius Constabularius, & ante eum dominus *Ioscelinus* Comes Edessanus, qui prædictæ ciuitatis dominus fuerat, in eisdem montibus possessiones habebant amplissimas, vnde etiam frequentiùs, & ex improuiso vrbi prædictæ periculosas moliebantur insidias: nihilominus & ab Austro dominus Rex *Balduinus*, bonæ memoriæ, prædecessor istius, in littore maris iuxta fontem salubrem & perspicuum, castrum fundauerat, *Alexandrium* nomine, ab vrbe Tyrensi sex aut

septem

ſeptem diſtãs miliaribus. Quibus moleſtiis vrbs prædicta, multo ante tempore crebriùs fatigata, maiorem in ſe oppugnandi, eam obſidentibus præſtitit facultatem. Dicitur autem in eadẽ expeditione vitâ deceſſiſſe, vir venerabilis *Odo* nomine, qui ad titulum eiuſdem eccleſiæ, vrbe adhuc ab hoſtibus detentâ, ordinatus fuerat Metropolitanus, & à Patriarcha Hieroſolymitano conſecratus dicebatur. Egreſſi ergo ciues longâ obſidione fatigati, ſubleuandi gratiâ tædii ad caſtra noſtra deproperant, conſiderantes diligentiùs, quiſnam eſſet populus iſte tam ferreus, tam laboris patiens, tam in vſu armorum edoctus, qui tam egregiam ciuitatẽ, & tam munitam vrbem intra menſes paucos, ad ſupremam redegiſſet inopiam, & extremas ſubire conditiones compuliſſet: intueri libet machinarum formam, caſtellorum proceritatem, armorum genus, caſtrorum poſitionem, Principum etiam nomina diligentiùs inueſtigare, cunctaq; cum ſollicitudine percunctari, vt inde poſteris fide plenas, certâ relatione texere poſſint hiſtorias. Noſtri quoq; ciuitatem ingreſſi, vrbis munitionem, ædificiorum robur, turrium eminẽtiam, murorum ſoliditatem, portus elegantiam, introitus difficultatem admirantes, ciuium etiam commendant conſtantiam, qui in tanta famis neceſſitate poſiti, & tantâ laborantes inediâ, deditionem eò vſq; protraxerãt: nã ciuitate à noſtris receptâ, nonniſi quinq; modii frumenti in ciuitate reperti ſunt. Et licet primâ facie durum plebeis viſum foret, quod prædictis conuentionibus ciuitas in noſtram deueniret poteſtatem, conſequenter tamen placere incipit: cõmendatur labor impenſus; & perpete dignum memoriâ opus credunt, quod eorum laboribus & ſumptibus eſt cõnſummatum. Tripartitâ ergo ciuitate, duabus domino Regi, tertiâ Venetis ſecundùm quod pactis priùs fuerat inſertum, aſſignatâ, cum multa lætitia & plena iocũditate, ſinguli ad propria remearunt. Capta eſt autem eadẽ ciuitas, & nomini reſtituta Chriſtiano, tertio Kal. Iulii, anno ab incarnatione Domini M.C.XXIV. Regni verò domini *Balduini*, regis Hieroſolymorum, ſecundi, anno ſexto. Eodem anno, quarto Kal. Septembris, dominus Rex Hieroſolymorũ *Balduinus*, cùm quaſi mẽſibus decẽ & octo, vel ampliùs aliquid, apud hoſtes detentus fuiſſet in vinculis, pactâ pro ſe pecuniâ, obſidibus datis, libertatem precio interueniente cõſecutus, Domino auctore, *Antiochiam* reuerſus eſt. Dicitur autem ſumma pro ſe pactæ pecuniæ fuiſſe centum milia Michaelitarum, quæ moneta, in regionibus illis, in publicis commerciis & rerum venalium foro, principatũ tenebat. Reuerſus igitur Antiochiã, anxius quomodo pactã ſoluere poſſet pecuniã, & ſuos ad ſe reuocare obſides, cum prudẽtioribus deliberat, quid ad ſuum expedimentũ facere poſſit. Igitur perſuaſum eſt ei, vt *Halapiã*, alimentorum inopiâ laborantem & quaſi penè vacuam, obſideat; eaq; viâ facilè obtinere poſſe, vt ciuibus obſidione anguſtiatis, aut obſides ſibi reſtituant, aut pecuniam cõferentes tantam ſummam tribuant, quantã pro ſui liberatione ab initio pepigerat. Conuenit ergo apud eum, publicè conuocatâ vniuerſâ de toto principatu militiâ; vrbem prędictam obſidet, & legionibus vt mos eſt per gyrum collocatis, ciuibùs introitus negat & exitus, modicoſq; cibos ſecum ponere ciues violenter compellit. Illi verò Orientalibus, & maximè qui trans Euphraten erant, crebris de ſua neceſſitate epiſtolis ſignificant, niſi maturè ſubueniant, vrbem in proximo ruituram. Habentes ergo Principes illi pro vrbe amica ſollicitudinẽ, certatim vires cõuocant, & de communi miniſtrato auxilio militares congregant copias; tandemq; Euphrate tranſmiſſo accelerant, omnem dantes operã, vt prædictam vrbem obſidionis liberẽt moleſtiâ. Erant autẽ qui in ſubſidium venerant obſeſſorũ, equitum ſeptem milia, exceptis iis qui & ſarcinarum & impedimentorum curam gerebant, & vernaculis, qui maioribus dominis debitum impendebant obſequium. Rex verò, & qui in expeditione ſecum erant, intelligentes, quòd tanta eſſet hoſtium multitudo aduenientium, arbitrati, commodiùs eſſe retrocedendo, in tuto ſe & ſuas expeditiones locare, quàm temerè cum hoſtium turbis validioribus congredi: antequã venirent ad vrbem eorum expeditiones, noſtri in quoddam caſtrum ſuum munitum, *Ceperum* nomine, ſe receperant, vnde Antiochiam pariter conuenientes, diuiſi ſunt ab inuicem, domino Rege cum familiari comitatu Hieroſolymam reuerſo: vbi ab vniuerſo clero & populo, tanquam diu deſideratus, cum multa ſuſceptus honorificentia, plebi & patribus, quaſi poſt actum biennium, acceptabilem ſuam intulit præſentiam. Eodem anno dominus *Calixtus*, bonæ memoriæ Papa ſecundus, vitâ deceſſit, cui ſubſtitu-

tus est quidam *Lambertus*, patriâ Bononiensis, Hostiensis Episcopus, qui dictus est *Honorius*. Hic electus est sub contentione, cum quodam *Theobaldo* presbytero Cardinali, tituli sanctæ Anastasiæ: & quia electio ipsius Honorii minus canonicè processerat, post duodecim dies in conspectu fratrum, mitram & mantum spontè refutauit, atque deposuit. Fratres verò tam Episcopi, quàm presbyteri & diaconi cardinales, vidẽtes ipsius humilitatem, & prospicientes in posterum, ne in Romanam Ecclesiam aliquam inducerẽt nouitatem, quod perperam factum fuerat, in melius reformarunt, & eundem Honorium denuò auctorizantes, ad eius vestigia procidenrunt, & tanquam pastori suo & vniuersali Papæ, consuetam obedientiam sibi exhibuêre.

XVI. Interea domino Rege Hierosolymis existẽte, crebris nunciatur legationibus, quendam inter Orientales principes potentissimum, *Bursequinum* nomine, congregatâ ex finibus Orientalibus ingenti militiâ, transito Euphrate, in partes peruenisse Antiochenas. Hic regionem pro arbitrio, nemine prohibente, discurrens, quicquid extra vrbes & munita poterat reperire præsidia, tradebat incendiis, & suis ad prædam exposuerat vniuersa. Huic cùm proceres Antiocheni resistere, sæpius frustra vires experti, attentassent, videntes quòd non proficerent, domino Regi, cui multo antè Principatus curam commiserant, id ipsum significant, orantes instantiùs, vt dilatione postpositâ, ad se venire procuret. Rex autem geminâ fatigatus curâ, Regni videlicet & Principatus, in Regno, cui multo ampliùs obligatus fuerat, minus impẽdebat solicitudinis. Principatus enim molestiis sæpiùs euocatus, omnẽ penè iam per decennium ibi & operam & opes consumpserat, ita quòd in negotiis eorum versatus, in propria persona captus fuerat, per biennium ferè continuum indignè satis hostium vincula passus, & carceres: nam in Regno, protegente eum manu diuinâ, nihil ei prorsus sinistri acciderat; sed omnia prosperè & fœliciter in manu eius dirigebat electorum *Regum consolator Dominus*: tamen propositum cum omni reuerentia volens obseruare, collectâ quantam habere potuit militiâ, ad partes illas festinus accessit. Prædictus verò *Bursequinus*, sicuti vir potens erat, & in armis multam habens experientiam, adiuncto sibi Damascenorum rege *Doldequino*, ante Regis aduẽtum, quem ab Antiochenis citatum nouerat, castrum obsidet nomine *Caphardan*, & obsessos interiùs, multis compulsos molestiis, ad deditionem, conditionibus de salute conseruanda interpositis, compulit. Inde minorem Syriam pertrãsiens, sperans similibus abundare successibus, *Sardanum* oppidum obsidione vallat. Sed cùm per dies aliquot operam ibi consumpsisset, videns se non posse proficere, insigne oppidum *Hasard* nomine, minus tamen munitum, apponit obsidere: dumque ibi machinas erigit & bellicos instruit apparatus, vires in damnum obsessorum experiens, ecce Rex, & Comes cum eo Tripolitanus, nec non & Edessanus, cum ingentibus copiis adsunt, obsessis opem, auctore Domino, in proximo collaturi. Qui postquã ad hostes inceperunt accedere, tres ex se ordinauerunt acies; quarũ in prima, quę in dextro erat cornu, Antiochenos locant proceres; in secunda verò quę in sinistro erat ordinata latere, vtrunq; cum suis cõstituunt Comitem; in medio verò, dominum Regem. Erant autem eis, equites mille & centum; peditum autem duo millia. *Bursequinus* verò nostrorum videns aduentum, & pro certo sciens, quod ad congrediendum statim more prudentum erant parati, videns quod honestè bellum declinare non posset, instituit & ipse acies viginti: dicebantur enim equitum esse quindecim milia. Ordinatis ergo hinc inde cohortibus, & in ordinem dispositis, & contra se mutuò accedentibus, irruunt in se, hostium more, vehementiùs; & armis proteruo studio vicissim illatis stragem inferunt, mortem modis pluribus irrogantes: *solet enim in huiusmodi conflictibus odiorum incentiuum & inimicitiarum fomitem dare maiorem, sacrilegii & legis contemptæ dolor: aliter enim & demissiùs solet inter consortes eiusdem legis & fidei pugna committi; aliter inter discolos & contradictorias habentes traditiones: hîc enim sufficit ad materiam iugis scandali, & perpetuorum iurgiorum, quod in eiusdem fidei articulis non communicant, & si nulla alia sit odiorum materia.* Congredientes ergo prædictæ acies instant proteruiùs in alterutrũ: sed diuinâ præsente clementiâ, (cui non est difficile cum paucis multos superare; cuius sermo est de suis: *Vnus mille, & duo fugabunt decem millia*:) [Deut. 32, 30.] præualuit pars nostra; & hostibus in fugam conuersis victoriâ de cœlis concessâ, gloriosissimè potiti sunt. Dicuntur autem in eo conflictu hostium cecidisse duo milia, de nostris verò viginti quatuor. *Bursequinus* autem

autem videns, quod longè aliter quàm ratus fuerat, ei accidisset, cõfusione indutus & reuerentiâ transito Euphrate, non iam ambulans in mirabilibus super se, ad propria reuersus est. Rex autem tum ex hostium spoliis, tum ex fidelium & amicorum suorum liberalitate, ingenti collectâ pecuniâ, filiam suam quinquennem, quã pro se obsidem dederat, solutâ pecuniâ recepit; sumptaq; ab Antiochenis ad tempus licentiâ, sospes victorq; Hierosolymam reuersus est. Eodem anno Rex super vrbem *Berytensem* in montanis castrum vnum, cui *mons Glauianus* nomen, fundauit. Per XVII. idem tempus elapso pacis temporalis, & initi fœderis spacio, quod inter dominũm Regem & *Doldequinum*, interuentu pecuniæ priùs conuenerat, sociatâ sibi de vni- 10 uerso Regno militiâ, in terram *Damascenorum* Rex ingreditur: vbi regionem liberis peragrans discursibus, suburbana quędam diruit; eorumque habitatores secum deducens, prædam maximam & spolia de hostibus referens vberrima, sospes & incolumis in sua se recepit. Necdumq; dissolutis cohortibus vix elapso triduo, nunciatur, Ægyptiorum exercitum cum ingenti apparatu ad vrbem *Ascalonam* accessisse: erat enim Ægyptiis consuetudo per annos singulos quater ad eandem ciuitatem nouas expeditiones dirigere; vt viribus continuè reparatis, sustinere possent assiduos nostrorum conflictus, & penè continuas quæ sæpius irrogabantur iniurias. His autem qui noui recentesque venerant, mos erat & consuetudo, vt nostrorum plurimum affectarent cõgressus, experiri cupientes nostrorum vires, & de sua pro- 20 bitate certa ciuibus dare argumenta: vnde & frequentius in bellicis congressionibus ex eis plures, & capi consueuerant, & gladiis interire sæpius, tanquam regionis ignari, & armorum plenam non assecuti experientiam; veteranis ciuibus, nostrorũ prudentius declinantibus occursum, & remissius insectantibus aliquando fugientes. Quod postquam domino Regi nunciatum est, magis continuata quàm renouata expeditione, illuc celerrimè contendit: quò cùm peruenisset, ipse cum fortioribus & magis strenuis loco ad id congruo se locat in insidiis, leuis armaturæ præmissis militibus, qui discursionibus vagis vrbanorum irritent animos, & prouocent ad insectandum. At verò ciues videntes liberis discursionibus per loca vrbi contermina nostros euagari, indignè ferentes nimium eorum tantam audaciam, certatim 30 arma corripiunt; & egressi imprudẽter seorsum per manipulos, nostros spontè terga dantes, in fugam vertunt. Fugientes quoq; sequentes imprudentius, vsque ad locum, vbi Rex cũ electa militia latebat in insidiis, peruenerunt. Rex autem opportunitatem non respuens oblatam, & qui cum eo erant, ei fideliter adhærentes, hostes ad vrbem redire volentes præueniunt; cum eisque cominus conferentes, gladiis instant animosius; & antequã in vrbem se recipiãt, quadraginta ex eis passim obtruncant, cæteris in vrbem confugientibus, & vix intra mœnia saluari se credentibus. Qui autem ceciderunt, strenuos fuisse, & de nobilioribus, ciuium lamenta & eiulatus in ciuitate solito amplior, docuerunt. Rex autem tubis clangentibus, & tympanorum strepitu suis ad se reuocatis, cum ingenti lætitia prope vrbem castrameta- 40 tus, totâ nocte ibidem victor quieuit; inde sospes Hierosolymã reuersus est. Se- XVIII. quenti verò anno, qui erat ab incarnatione Domini *millesimus centesimus vicesimus sextus*, regni verò eiusdem domini *Balduini* octauus, mense Ianuario, congregatus An. D. 1126. est de mandato domini Regis & Principum, vniuersi regni populus, à maximo vsque ad minimum, voce præconiâ, per vrbes singulas: & infra paucos dies, collectũ est vniuersi Regni robur, quasi vir vnus, iuxta vrbem *Tyberiadensem*, quasi in fines Damascenorum ex condicto ingressuri. Quò peruenientes, signis commoniti militaribus, compositis sarcinis, & agminibus ordine incedentibus, peragratâ *Decapoli* regione, terras hostium ingrediuntur: inde vallem angustam, quæ dicitur *Cauea Roob*, vsque ad campestria *Medan* transierunt. Est autem planicies longè lateque 50 patens, prospectibus libera, per quam fluuius, *Dan* nomine, transiens, inter *Tyberiadem* & *Scythopolim*, quæ olim dicta est *Bethsan*, *Iordanem* influit. Arbitrantur autem quidam, qui & nominis iuuantur argumento, quòd iste sit fluuius, qui Iordani præstat vltimam nominis partem: nam quicquid in mare descendit Galileæ, & inde egreditur, vsque ad istius fluminis influentiam, *Ior* dicunt: reliquum verò quod exinde defluit, *Iordanem* esse dicunt, quasi *Ior* & *Dan* commixtis. *Beda* tamen, & quidam alii nostri doctores, auctoritatis præcipuæ, vtrunque fontem iuxta Cæsaream Philippi, ad radices Libani situm, originem dicunt habere: quorum alter *Ior*, alter

dicitur *Dan*: ex quibus Iordanis fluenta contrahens, totus inde in stagnum *Genesar*, quod est *mare Galilea*, descendit; & inde totus egrediens, per miliaria penè centum, in lacum *Asphaltites*, qui alio nomine dicitur *Mare salsissimum*, *vallem* sulcans *Illustrem*, se infundit. Prædicta ergò campestria noster pertransiens exercitus, vsque ad vicum, cui nomen *Salome*, peruenit. Erat autem locus is, sicut & hodie, Christianis deputatus habitatoribus: vnde nostri loco parcentes, habitatoribus eius quasi fratribus vsi, ad locum cui nomen *Mergisafar*, ordinatis cohortibus, & militiâ locis congruis deputatâ, contendunt. Dicitur autem idem esse locus, in quo *Saulus*, lupus rapax, ecclesiæ DEI persecutor, vocem audiuit dicentis: *Saule, Saule, quid me persequeris?* & cætera. Videtur autem diuinitus procuratum, vt in eo loco, in quo hæc acciderant, eadem die quâ hæc eadem accidisse dicebantur, vt ex persecutore fieret vas electionis, fidelium exercitus illuc perueniret. Illic ergò congregati, per biduum sustinentes, castra Damascenorum contra se posita non longiùs intuentur. Tertiâ demum die conuenientes adinuicem, ordinato hinc inde & diligentiùs instructo præliandi apparatu, arma conferunt ex vtraq; parte nimis hostiliter; & paribus quasi congressibus incedentes, ancipitem diu de victoria protraxerunt sententiam. Rex tamen more solito hostibus instans atrociùs, strenuorum quemq; vocat ex nomine; & verbis simul & exemplo commonens, ad stragem inuitat, & victoriam pollicetur. Illi verò stricto gladio hostibus incumbentes, Regem quoad possunt, strenuè nimis imitari nituntur: & fidei zelum habentes, diuinam simul & suas vlcisci nituntur iniurias. At verò *Doldequinus* suos nihilominus dictis animat, & ad pugnam promissis incendit, asserens eos *iustum bellum gerere pro vxoribus & liberis; & pro libertate, quod maius est, proq; solo patrio cum prædonibus decertare*. His & similibus insistunt non inferiore spiritu, viribus non imparibus. Porrò pedestres manipuli, domini Regis & equitum exemplis edocti, in ipsas hostium acies acriùs se ingerunt, & insistunt animosiùs; si quos de hostibus lapsos vel saucios reperiũt, gladiis obtruncant, euadendi vias intercludunt; nostros verò deiectos erigunt, & restituunt ad conflictum; saucios verò remittunt ad sarcinas, vt sui curam possint habere: quodq; ampliùs hostilibus turbis illâ die damnosum fuisse creditur, quidam equis hostium sauciandis omnem dabant operam, eorumq; sessores subsequẽtibus sociis parabant ad victimam. Rex verò in condensis hostium cuneis, strenuis quibusdam, & illustribus comitatus, quasi leo fulminat, & à dextris & à læua stragem operans ipsis victoribus miserabilem. Non legitur apud nos vsque ad illum diem, tam periculoso & ancipiti certamine desudatum esse: nam cùm ab hora diei tertia, vsque in decimam protractum esset prælium, vix horâ vndenâ discerni poterat, vtra pars meliorem esset reportatura calculum. Tandem, opitulante diuinâ clementiâ, & intercedente pro eis Doctore gentium egregio, hostes in fugam versi sunt, suorum stragem perpessi seculis memorabilem. Dicuntur ex eis cecidisse illâ die plusquam duo milia: de nostris verò recensito tam equitum quàm peditum numero, inuentum est, de equitibus viginti quatuor cecidisse; de pedestribus verò, octoginta. Sic ergo nostris diuinitus collatâ victoriâ, Rex victor agonis campum obtinuit. Vnde cum lætitia & gratiarum actionibus educens exercitum, ad propria cœpit habere regressum. Dumq; in itinere esset, turrim habens obuiam, in qua nonaginta sex de hostibus, gratiâ salutis, se receperant, eam violenter impugnant, & hostes comprehensos gladiis vitam finire compellunt. Inde etiam procedentes, aliam nihilominus turrim occupant violenter, viginti de hostibus, qui ad eam conseruandam erãt deputati, indulgentes vitam, eò quòd nostris turrim prædictam sine difficultate tradiderant: quam celerius suffodientes, cum ingenti strepitu ad terram deiiciunt penitus dissolutam. Vnde multiplici & seculis memorandâ potiti victoriâ, ad propria cum gaudio remearunt.

XIX. Per idem tempus dominus *Pontius* Tripolitanus Comes, vrbem *Rafaneam* finibus suis conterminam, videns propositum effectui mancipabile, obsidere proponit: sed vt faciliùs conceptum assequatur, dominum Regem Hierosolymorum, vt & præsentiam suam exhibeat, & opem conferat, & literis sollicitat, & frequentibus nunciis hortatur. Rex autem vt impiger erat, & populi Christiani communibus fideliter obtemperans negotiis, assumpto sibi honesto comitatu, illuc sine dilatione properat: quò perueniens, Comitẽ ad prædictum opus reperit succinctum: vnde machinas & quæ ad impugnandam vrbem poterant

poterant esse necessaria, viaticumq; ad dies aliquot sufficientem assumentes, præmissis pedestribus alis, ad partes destinatas expeditiones suas dirigunt. Quò peruenientes, vrbem iuxta propositum obsidione vallant, primo statim eorum aduentu ciuibus introitum negantes & exitum. Erat autem ciuitas, tum situ naturali, tum etiam inhabitantium paupertate munita modicum; multisque fatigata molestiis, diu resistere non poterat. Nam idem Comes in monte quodam illi contermino præsidium ædificauerat; cuius incolæ vrbē prædictam, continuis opprimentes angustiis, vsque ad supremum penè defectum eos compulerant. Cùm ergo diebus decem & octo eam vehementiùs impugnassent, ciues ad deditionem compulerunt, indulto 10 priùs sibi & vxoribus & liberis libero exitu, & indemnitate promissa. Est autē prædicta *Rapsanea* in prouincia Apamiensi, vna de suffraganeis eius: capta est autē vltimo Martii die. Rex verò Hierosolymam reuersus, ibi Paschales cum multa deuotione celebrauit dies. Per idem tempus Dominus *Henricus* Romanorum imperator vltimum fato clausit diem: cui substitutus est vir per omnia commendabilis, Saxoniæ dux dominus *Lotharius*, qui postmodum in Apuliam cum infinito descendens exercitu, vniuersam vsq; ad Farum regionē violenter occupauit, ducem in Apulia constituens, prouidū virum & discretū, *Retnonem* nomine: *Rogerum* autē comitem, qui terram illam violēter occupauerat, in Siciliam fugere cōpulit, quam postmodum discedente Imperatore recuperans, pugnauit cum prædicto *Reinone*, eoque 20 defuncto ducatum obtinuit; postmodum etiam Siciliæ & vniuersæ prouinciæ Rex effectus est. Porrò domino Rege apud Tyrum moram faciēte, ecce nuncius ab Antiochia properans, literis & viua voce astruit, immanissimum nostræ fidei persecutorem *Bursequinum* cum ingenti apparatu in partes Cœlesyriæ descendisse; oppida obsidere, suburbana nemine prohibente, passim & sine delectu incendere, eorum habitatores trahere captiuos, vxores verò & liberos mācipare seruituti. Quod Rex audiens, quamuis Ægyptios suspectos haberet, & cum ingenti classe quam parauerant, in proximo venturos non dubitaret: tamen *more prudētis medici, qui vbi violentiorem morbi sentit instantiam, illic properat aptare remedia*: neglectis aliis, maiori occurrens necessitati, ad partes illas celeriùs contendit. Quod audiens *Bursequinus*, 30 obsidionem quam circa *Cerepum* nobile oppidum cum ingenti cura locauerat, cōtinuò soluit, in vlteriores fines hostium retrocedens. Priusquam tamen Rex aduenirct, municipium quoddam nō magni nominis violenter ceperat, in quo mulierculas quasdā cum liberis suis captiuauerat: nam viri qui in eodem obsessi fuerant, cum multa difficultate & periculis, eorum manus euaserant, malentes soli salutem fugā reperire, quam cum vxoribus & liberis eodem captiuitatis iugo miserabiliter inuolui. Postmodum autem prædictus impius & maledictionis hæres *Bursequinus* à domesticis & familiaribus suis gladiis cōfossus, interiit, nequitiarum suarum semina simul & fructus impietatis, opere suo recolligens. At verò dum hæc geruntur in partibus Antiochenis, *classis Ægyptia*, sicut & prænunciatum fuerat, galeis viginti 40 quatuor vniuersam oram maritimā perlustrantes, vsq; ad vrbem *Berytensem* descenderunt, explorantes sollicitè, si quid in aliqua nostrarū vrbium damni possent irrogare; aut si quos fortè incautè prætereuntes, vel accedentes in Syriā, ex improuiso, quasi de insidiis egressi, possent occupare: tandē verò potus inopiā laborantes, sitis necessitate cōpulsi, vt aquas hauriant, ad terrā secus fluenta descenderunt: quibus occurrens populus ciuitatis cū quibusdā aliis, qui de finitimis vrbibus ad eorū conuenerant subsidium, ab aquis eos violenter repulerunt, aquæ vsum omnino cōtradicentes: sed & armis instantes animosiùs, in naues eos violēter compulerunt redire, centū & triginta ex eis gladio peremptis. Autumno sequente, dominus *Boamundus* iunior, domini Boamundi senioris filius, princeps Tarentinus, inito pacto, 50 & cōposito fœdere cum domino *Guilelmo* duce Apuliç patruo suo, de futura successione, videlicet tali, *vt vter eorum prior vitā decederet, alter ei succederet in vniuersum*: paratis nauibus, galeis videlicet decem, & duodecim aliis ad sarcinas & impedimenta deuehenda, & arma simul & victualia transferenda opportunis, iter in Syriam dirigit, de domini Regis fide præsumens, vt ei aduenienti, & paternam reposcenti hereditatem nō negaret. Aduenienti igitur, & infra fauces *Orontis* fluminis classe iam in tuto receptā, postquam domino Regi compertum est, cum magnatibus regionis ei processit obuiam; & Antiochiam ingresso, vrbem & regionē benignè ei restituit

XX.

XXI.

vniuersam, cuius cura peruigil & anxia nimis sollicitudo eum per annos macerauerat octo. Restituto igitur Principatu, vniuersi proceres & magnates regionis præsente domino Rege, & monente, fidelitatem ligiam in palatio suo illi exhibuerunt. Postmodum interuentu quorundam vtrique parti familiarium factum est, quòd dominus Rex vnam de filiabus suis *Halim* nomine, natu secundam, placitis vtrinq; conditionibus, ei concederet vxorē, vt amplior inter eos gratia & amica magis proportio intercederet. Erat autem dominus *Boamundus* adolescēs, quasi annorum decem & octo, formæ venustate conspicuus, procerus admodum, crine flauo vultu fauorabili, & qui verè Principem, etiam ignorantibus, indicaret: sermone gratus, & qui verbo audientium animos facilè sibi conciliaret: liberalis plurimùm, & more patris verè magnificus; secundùm carnem nulli mortalium nobilitate secundus; quippe cui *Boamundus senior*, domini Roberti Guischardi illustris & per secula viri memorabilis filius pater erat; mater verò, spectabilis & nobilissima inter illustres *Constantia*, excellentis regis Francorum Philippi filia. Celebratis igitur de more nuptiis, & filiâ apud dominum Principem lege coniugali solemniter collocatâ, Rex Hierosolymam, oneris maiore parte depositâ, sospes & incolumis reuersus est. Dominus verò *Boamundus* vere sequenti oppidum *Cafardan*, quod aliquot antè annis, hostes in manu forti sibi violenter subiugauerant, cōuocatis ex vniuerso Principatu militaribus copiis, & machinis ad impugnationem præsidiorum necessariis per operam artificum fabrefactis, castrum obsidet; & modico temporis interuallo violenter expugnatum recepit, nulli parcens eorum quos intus comprehendit, quamuis multo precio vitam tentarent emere, & pecuniæ interuentu obtinere salutem. Has dedit primitias, inclytus & nobilis, suæ adolescentiæ, princeps, & bonæ indolis argumenta prima.

XXII. Nec morâ, causis interuenientibus occultis, quātum ad nos, DEO tamen odibilibus, ortæ sunt graues inimicitiæ inter eundem dominum Principem, & comitem Edessanum *Ioscelinum* seniorem: ita quòd *contra bonos mores, & nostrorum disciplinam temporum, perniciosum posteris relinquēs exemplum, Turcos & infidelium turmas in suum conuocaret subsidium*; & eorum fretus auxilio, regionem *Antiochenam* incendiis traderet, & eius habitatoribus, CHRISTI seruis, indebitæ iugum induceret seruitutis: quodq; notabilius, & diuinâ animaduersione dignius creditur, absente Principe, & hoc penitus ignorante, dum in seruitio CHRISTI hostes impugnando desudat, hæc omnia cōmissa dicuntur. Vnde prædictus *Ioscelinus* eorum omnium, ad quos sermo iste peruenit odium incurrens & indignationē, omniū maledictiones merebatur. Rex verò, famâ deferente hęc audiens, solicitus primùm, ne illius occasione scissurę, maior in nostrâ confusionē hostibus pateret introitus, quia *Regnum in seipsum diuisum*, iuxta verbum Domini, *desolabitur*; consequenter autem, quia secundùm carnem vterq; illi erat proximus: alter enim cōsobrinus materteræ filius; alter verò gener, & cui recenter desponsauerat filiam: velox ad partes illas pacem cōpositurus, aduolat; dominoq; Antiochenorum Patriarchâ *Bernardo*, fidelem & deuotum cooperatorem se exhibente, pacem optimam inter eos reformauit: eò maximè opportunitatem præstante, quòd medio tempore Comes grauem incurrit ægritudinem, quâ periculosissimè laborans, & facti pœnitens, Domino se votis obligauit, quòd si vitam indulgeret & salutem, domino Principi satisfaceret, & ei debitam fidelitatem impendens reconciliaretur: quod & factum est. Nam postquā plenam adeptus est conualescentiam, præsentibus domino Rege, domino quoque Patriarchâ, reconciliatis eis adinuicem, & plenâ intercedente gratiâ, fidelitatem ei manualiter exhibuit, eam deinceps debito tenore, conseruans. Rex autem pace compositâ, Hierosolymam reuersus est. Per idem tempus, Comes Siciliæ *Rogerus* classem galearum quadraginta multo studio paratam, ad partes Africæ dicitur direxisse: vbi earum aduentu præcognito, prouinciales præmoniti, prouidè se habentes, nullam hostibus nocendi sibi præbuerunt opportunitatem: imò è conuerso Galeas quas penes se habebant, studio non inferiore armantes, prædictos malefactores suos, infecto negotio redeuntes, cursu celerrimo persequentes, vsque in Siciliam deuecti sunt: quò peruenientes cum galeis octoginta, vrbem *Syracusanam* nobilē & antiquā, longâ pace desidem, securam, & nihil tale verentem, aggrediuntur subitò, & protinus occupant violenter. Impugnatâ etiam vrbe, ciues obtruncant gladiis, nemini parcentes sexus intuitu vel ætatis; quibus autem parcebatur, omni

Luc. 11, 17.

omni morte durior seruitus parabatur. Porrò Episcopus loci cũ paucis ecclesię clericis ad suburbana fugiens, vix euasit. Vere demũ proximè subsecuto, quarto anno postquam ciuitas fidei restituta est Christianæ, Rex cum domino Patriarcha, & maioribus regni principibus apud *Tyrum* conuenientes, de pontifice eidem ecclesiæ ordinando cœperunt habere tractatum: tandemque dominum *Wilelmum*, virum venerabilem, ecclesiæ Dominici Sepulchri Priorem, natione Anglicum, vitâ & moribus commendabilem, eidem vrbi præficiunt. Hîc iam nouit Dominus, non possumus satis gemitus cohibere: nam sicut prouerbialiter dici solet, *vbi amor, ibi oculus; vbi dolor, ibi manus*: hæc nos premunt altiùs, & inflicto dolore, præcordia non sinunt quiescere. Admirantes enim illius tẽporis prudentiã, hæremus in nobis ipsis quasi temeritatem reputantes. Nam qui biennio antequam prædicta ciuitas Christianæ restitueretur libertati, Episcopum ibi consecrauerant sibi, post modũ supinâ & crassâ prudentiâ vsque in quartum annum distulerunt eidem Antistitem prouidere: vt interim distractis ecclesiis, & cathedrali ecclesiâ membris mutilatâ propriis, qui primus accederet curam habens regiminis, cum maledicto homine partem deteriorem acciperet: scriptum est enim: *Maledictus homo, qui partem suam deteriorem facit.* Prædecessor tamen ille noster, & qui postea vsque ad nos subsecuti sunt, illius maledicti meritò declinamus effectum, qui nõ ipsi nobis partes fecimus deteriores; sed deteriores factas ab aliis, de necessitate suscepimus cõditiones. Parcat eis Dominus, & ad gehennã non imputet, qui ecclesiam ita tractauerunt. Porrò prædictus bonæ memoriæ prædecessor noster dominus *Wilelmus*, suscepto consecrationis suę munere, à domino Hierosolymitano Patriarcha, vt pallium reciperet, inuito & renitente eodẽ suo consecratore, Romã profectus est: vbi a domino Papa *Honorio* secundo benignè susceptus, quod petebat obtinuit: cũ multa honorificẽtia, & de Apostolicarum prosecutione literarum, remissus ad propria; quarum hic erat tenor: *HONORIVS Episcopus, seruus seruorũ DEI, venerabilibus fratribus suffraganeis EPISCOPIS, clero & populo TYRI, salutem & Apostolicam benedictionem. Venientem ad nos karissimum fratrem nostrum* Wilelmum, *Archiepiscopũ vestrum, debitâ caritate recepimus: & quem canonicè electum, & à venerabili fratre nostro* Gormundo, *Hierosolymitano Patriarcha consecratum accepimus, pallii dignitate, plenitudine videlicet pontificalis officii decorauimus. Quia verò de persona sua maximum fructum matri ecclesiæ vestræ Tyri, Diuinâ suffragante misericordiâ, credimus prouenturum, ipsum cum gratia sedis Apostolicæ, & nostrarum literarum prosecutione, ad vos duximus remittendum. Vniuersitati ergo vestræ mandando præcipimus, quatinus eum benignè recipiatis, & tanquã proprio Metropolitano, & animarũ vestrarum episcopo, subiectionẽ, obedientiam & reuerentiam humiliter deferatis. HONORIVS episcopus, seruus seruorum DEI, venerabili fratri GORMVNDO Hierosolymitano Patriarchæ, salutẽ & Apostolicam benedictionẽ. Susceptis fraternitatis tuæ literis, fratrẽ nostrum* Guilelmum, *quem in ecclesia Tyri cõsecrasti Archiepiscopum, benignè suscepimus, & cum dignitate pallii, plenitudine videlicet pontificalis officii, decorauimus. Suffraganeis etiam ecclesiæ suæ mandando præcipimus, quatinus ei tanquam proprio Metropolitano, subiectionem, obedientiam & reuerentiam deferant. Data in territorio Barensi, octauo Idus Iulii.* Misit etiam & cum eodem Archiepiscopo, dominum *Egidium* Tusculanum episcopum, Apostolicę sedis legatum, virum eloquentẽ & literatum admodum, cuius vsque hodie extant ad Antiochenos epistolæ valde celebres: per quem Antiocheno Patriarchę *Bernardo* epistolam scripsit, monens vt domino Tyrensi suos, quos detinebat, restitueret suffraganeos. ait enim inter cætera: *Vnde per Apostolica scripta, & venerabilem fratrem nostrum* Egidium, *Tusculanum Episcopum, Apostolicæ sedis legatum tibi mandamus, quatinus suffraganeos Tyrensis ecclesiæ sibi restituas: quod nisi infra quadraginta dies, post earum inspectionem literarum, quas ad eos direximus, debitam ei subiectionem exhibuerint, nos ex tunc eos ab officio episcopi suspendimus.* Quid autem in caussa extiterit quod à Hierosolymitano Patriarcha consecratus & ei obediens fuerit, cùm à tempore Apostolorum vsque ad eum diem Tyrensis ecclesia Antiochenæ sedi subdita fuisse dinoscatur, sequens competenti loco subiunctus edocebit tractatus. Anno sequenti circa Veris medium, vir illustris & magnificus, dominus *Fulco* Andegauensium Comes, pro quo Rex de communi omnium tam ecclesiasticorum quàm secularium Principum cõsilio miserat, ad hoc vt ei dominã *Milisendam* primogenitam suã, vxorem daret, apud Acconensem vrbẽ applicuit cũ honesto nobiliũ comitatu, & apparatu opes regias exce-

Margin: XXIII. A. D. 1127. — XXIV. A. D. 1127.

Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50

dente. Venit etiam & cum eo dominus *Wilhelmus de Buris*, Regius Constabularius, qui statim à domino Rege, de hostium vinculis educto, ad citandum prædictum Comitem, cum quibusdam aliis nobilibus directus fuerat. Fuerat autem abeunti datum in mandatis, vt in anima Regis & regni Principum confidēter iuraret, quòd ex quo Regnum sospes attingeret, infra quinquaginta dies, ei primogenita Regis filia cum spe regni post Regis obitum, traderetur: cui postquam applicuit, statim sine dilatione, iuxta legem pactorum, antequam adueniret sanctæ Pētecostes in proximo futuræ celebritas, prædictam filiam suam lege tradidit maritali, eisque vrbes geminas, Tyrum videlicet & Ptolomaidam, in vita sua tradidit possidendas, quas vsque ad eiusdem Regis obitum possederunt. Astitit autem prædictus Comes tan- 10 quam vir prouidus, & discretus, domino Regi totâ vitâ suâ, fideliter in negotiis regni ingrediens & egrediens, filii deuotè implens officium: & ea quibus solent amici comparari merita, in obsequiis domini Regis, in eo non fuerunt otiosa.

XXV. Eodem anno dominus *Gormundus*, bonæ memoriæ Hierosolymitanus Patriarcha, dum in pago Sydoniensi præsidium quoddam, cui *Belhasem* nomen, obsideret, quod à quibusdam detinebatur prædonibus, mortis caussâ collectâ, ægritudine correptus validâ, Sydonem deportatus est: vbi inualescente ægritudine, cōditioni mortalium satisfaciens, viam vniuersæ carnis ingressus est, cùm Hierosolymitanæ quasi per annos decem præfuisset ecclesiæ. Cui substitutus est vir quidam secundùm carnem nobilis, sed vitâ & moribus multò nobilior, *Stephanus* nomine, Abbas sancti 20 Joannis de Vallea, qui locus in vrbe Carnotensi habetur. Erat autem ipse Carnotensis genere, domini Regis Balduini consanguineus. Hic eiusdem ciuitatis, ante conuersionem suam, in equestri ordine & habitu fuerat *Vicedominus*: postmodum seculo renuncians, habitum religionis in prædicto claustro suscepit, demum suffragantibus meritis, ad regimen eiusdē ecclesiæ promotus est: in adolescentia sua liberalibus disciplinis conuenienter instructus. Qui cùm orationis gratiâ & deuotionis intuitu Hierosolymam venisset, ibique transitum expectans, moram faceret, contigit quòd post exequias domini Gormundi Patriarchæ, dum clerus & populus de substituendo pastore tractarent, communi omnium voto electus est. Postquam ergo consecratus est, cœpit aduersus dominum Regem quæstiones mouere 30 difficiles, allegans, *Ioppensem* ciuitatem ad ius suum & ecclesiæ Dominicæ resurrectionis pertinere: ipsamque Sanctam ciuitatem post captam Ascalonam eodem modo ecclesiæ cessuram, de iure confirmans. Erat autem homo magnificus, in proposito constans, honestæ conuersationis, iuris sui sollicitus prosecutor. Vnde inter eum & dominū Regem graues exortæ sunt inimicitiæ: quarum tamen, mors immatura finem dicitur fecisse. Nam non completo biennio, in fata concessit. Opinantur nonnulli, eum veneno dato interiisse: sed nos pro certo id compertum non habemus. Traditur tamen, quòd dum in lecto supremæ decubaret ægritudinis, & Rex ad eum visitandum esset ingressus, & ab eodem de eius statu quæreret, ita responderit: *Sic est nobis in præsenti, domine Rex, sicuti vultis.*

XXVI. Anno sequenti 40 *Hugo de Paganis*, Magister militiæ Templi primus, & quidam alii viri religiosi, qui à domino Rege, & aliis Regni principibus ad Occidentales missi fuerant principes, vt nostrorum subsidium populos excitarent, & ad obsidionem Damascenæ vrbis, potentes specialiter inuitarent, reuersi sunt: plurimaque nobilium virorum turba, verborum illorum fidem secuti, in Regnum venerant. Vnde de eorum confisi viribus & opera, ex condicto conuenerunt omnes Orientis Christiani principes: dominus videlicet Rex *Balduinus*, dominus *Fulco* Comes Andegauensium, dominus *Pontius* Comes Tripolitanus, dominus *Boamundus* iunior princeps Antiochenus, dominus *Ioscelinus* senior, Comes Edessanus: hi omnes communicato consilio, collectis vndique copiis militaribus, & subsidiis conuocatis, instructis agminibus cer- 50 tatim properant, vt egregiam & nobilem *Damascenorum* ciuitatem obsideant, obsessamque aut violenter ad deditionem compellant, aut armis cominus expugnent. Sed tantis conatibus, ex occulto, iusto tamen, iudicio Diuina occurrit prouidentia: nam cùm fines Damascenorum prosperis, DEO duce, adhuc successibus attigissent, peruenientes ad locum, qui dicitur *Mergesaphar*, separauerunt se ab exercitu inferioris manus homines, quibus in castris id solet esse officii, vt pro victualibus necessariisque tam ad vsum hominum quam iumētorum alimentis per suburbana longè

longè lateq; vagantes se porrigerent. Quibus ad custodiam datus est dominus *Wilelmus de Buris*, cum equitibus mille. Porrò illi, sicut talibus solet esse consuetudo, separati ab inuicem, omnem cœperunt regionem temerè perlustrare, studiosè seorsum & sine consortibus incedentes, vt quod quisque reperiret ceteris non communicans, sibi proprium vendicaret: dumque circa hæc detinerentur occupati, & suburbana effringentes, spolia ad suos comportare nituntur, imprudẽter nimis cœperunt se habere, & militarem transgredi disciplinam. Quod audiens Damascenorum princeps *Doldequinus*, sperans sicuti accidit, incautos eos, & locorum ignaros, si subitò cum suis irrueret, posse cõficere, assumptis sibi ex omni numero suorum expeditissimis, & re militari prudentioribus, subitâ congressione nostros qui pabulatum, vt prædiximus, incautè processerant, adoritur; & imparatos, aliisque studiis dantes operam, facilè vertit in fugam; dispersos passim per agros, obtruncat: nec insequi desistit, donec tam vulgus quàm robur egregiorum, qui eis ad custodiam deputati fuerant, in fugam conuertit, pluribus ex eis interemptis. Quo comperto, nostri qui in exercitu erant, ad tantam propulsandam iniuriam, & ad vltionem prosequendam parati, arma corripiunt; hostibus obuiam, viriliter obstinatis animis & indignatione nimiâ accensis, ire parant: cùm subitò *virtus Diuina, quâ inuitâ, hominum non satis promouentur negotia*, tantam imbrium immisit intemperiem, tãtam aeris caliginem, tantam viarum, propter aquarum abundantiam difficultatem, vt vix de vita nemine, nisi solâ aëris inclementiâ perurgente, sperare liceret. Caliginosus enim aër, & nubium densitas, ventorum etiam irregularis concursus, tonitrua & coruscationes sæpissimæ, idipsum multo antè significauerant. *Sed ignara futuri mens hominum cæca, reuocantem non exaudiuit Diuinam longanimitatem: sed eâ inuitâ, quod impossibile est, procedere nititur.* Videntesque pro peccatis eorum immissam aeris intemperiem, reuocant de necessitate propositum: & mutatis conditionibus qui hostibus primùm terribiles, nimiumque suspecti aduenerant, nunc hoste quieto & etiam superiore facto, sibiipsis oneri erant; & ad propria redire victoriam reputabant immensam. Igitur octauo Idus Decembris, anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo tricesimo*, regni domini *Balduini* duodecimo, accidit hoc, in eodem ferè loco, vbi quadriennio priùs insignem & cunctis memorabilem de eisdem hostibus idem Rex obtinuerat palmam. *Mirabile est, & verè mirabile, & supra opiniones hominũ, quòd de sua virtute præsumentes humilias, æterne Saluator: & qui in homine confidunt, & carnem ponunt brachium suum, iaculo tuæ maledictionis, meritis exigentibus, confodis: adiutorem non quærens, nec gloriæ cõparticipem.* Tu enim dixisti, benedicte Domine: *Gloriam meam alteri non dabo. Mihi vindictam, & ego retribuam. Percutiam, & sanabo; & ego viuere faciam; & non est qui de manu mea possit eruere.* Et verè Domine. *Nam dum Rex solis regni sui viribus, & propriâ vsus militiâ, superhabundanti Diuinæ gratiæ se commisit totum, de hostibus sæpius insperatos reportauit triũphos; vbi verò de multitudine confidẽs, hominis operâ se sublimari posse præsumpsit, & multiplicatis auxiliis de mortalium cœpit virtute confidere, gratiam subtrahens, eum suis conditionibus reliquisti. Abiit enim in multitudine confusus, qui in paucitate, Domini fretus auxilio, de hostibus facilè consueuerat triumphare.* Sic ergo temporis diuinitùs immissâ abacti intemperie, & cœlis contra eos impugnãtibus, nec de suis qui hostium gladiis ciciderant sumpta est vltio, nec propositum effectui mancipare potuerunt. His ita gestis, nostri Principes ab alterutro diuisi, impossibile credentes quòd incœptum priùs opus, facilè posset de cætero continuari, ad propria sunt reuersi. Mortuus est interim piæ memoriæ dominus *Stephanus* Patriarcha Hierosolymorum: cui successit dominus *Wilelmus*, Prior ecclesiæ Dominici Sepulchri: vir simplex, modicè literatus, formâ decorus, moralitate commendabilis; Flamingus natione, de eo loco qui dicitur *Mecine*; Regi, regnique principibus & populo vniuerso plurimùm acceptus.

[Margin: An. D. 1130. — Esai. 48, 11. Rom 12, 19. Deut. 32, 39.]

XXVII. Postquam igitur dominus *Boamundus* Regis gener, princeps Antiochenus, ab ea expeditione rediens in suam se recepit prouinciam, *Rodoan* maledictionis filius, Halapiæ princeps, Turcorum dominator potentissimus, fines Antiochenorum ingressus est. Cui cùm dominus Princeps volens eum à suis arcere finibus, obuiam properasset, in Ciliciam descendit, aliis etiam tractus caussis, quæ domesticam & familiarem habebant rationem. Vbi cùm in eo loco qui dicitur *Pratum palliorum*, in campestribus latè patentibus castrametatus est, hostium irruente subitò multitudine, suis eum destituentibus, gladiis cen-

fossus interiit. Magnus Princeps, & DEO si vixisset amabilis, nisi mors immatura & sors inuida humanis eũ rebus subtraxisset: quo casu populus Antiochenus mente plurimùm consternatus, qui sub illius regimine tutum per longa tempora se arbitrabatur posse conseruari, & de eius adolescentia supra id quàm expediret præsumebat, in recidiuas iterum incidentes querimonias, vt sine Principis officio iterum hostibus præda fierent, communicato consilio dominum Hierosolymorum regem euocant. Quod postquam domino Regi nunciatum est, facti nouitate permotus, timens, ne pro Ducis defectu prædictæ regioni deterius aliquid contingeret, omissis propriis, cœpit aliena curare, nil reputans alienum, quod Christianis principibus accidisset; dignum etiam suâ existimans sollicitudine, quicquid populo Christiano per labores suos posse videbat accedere, citatis gressibus Antiochiam properat. Interea eius filia, morte mariti cognita, nequam agitata spiritu, rem concipit nefariam, antequam de aduentu patris quicquam persentisceret. Vt statum sibi præpararet tranquilliorẽ, & effectui manciparet propositum, ad quendam Turcorum potentissimum Ducem, nomine *Sanguinum*, nuncios dirigit, eius ope sperãs, inuitis patribus & vniuersâ plebe, Antiochiam sibi in perpetuum vendicare posse. Erat autem eidem ex domino Boamundo bonæ memoriæ, vnica filia, cuius nõ multa apud matrem videbatur esse gratiâ: illuc enim tota matris videbatur properare intentio, vt vel in viduitate consistens, vel ad secunda vota demigrans, Principatum sibi exhæredatâ filiâ, perpetuò possideret. Miserat autem & prædicto nobili viro, per quendam familiarem suum, palefredum albissimum, argento ferratum, freno & cæteris argenteis faleris redimitum, *exameto* coopertum albissimo, vt in omnibus candor niueus consonaret. Qui nuncius in itinere casu interceptus, & in domini Regis constitutus præsentia, facti seriem confessus, viarum suarum fructus colligens, supremo supplicio vitam finiuit. Rex itaque Antiochiam ob prædicta quæ acciderant infortunia properans, illucque perueniens in ciuitatem, filiâ prohibente non est admissus, cauteriatã quæ timens conscientiam, etiam patris arbitrium verebatur: suis ergo complicibus & quos pecuniâ corruperat ciuitatem tradens, omninò resistere moliebatur, & tyrannidem suam liberiùs exercere. Sed accidit ei longè secus à proposito. Nam in eadem ciuitate erant viri timentes DEVM, insanientis fœminæ contemnentes proteruiam: quorum vnus erat *Petrus Latinator*, monachus sancti Pauli, & *Wilelmus de Aduersa.* Hi consentientibus aliis, dominum Regem occultis vocant internunciis, & ex condicto dominum *Fulconem*, Andegauensium Comitem, in porta Ducis locant; dominum verò Comitem *Ioscelinum*, in porta sancti Pauli: deinde aditus reserãt, Regem introducunt. Quo cognito, Principissa in arcem contendit: vnde postmodum à prudentioribus, & quibus plenam fidem habebat, euocata, ante patris præsentiam se constituit, eius arbitrio paritura. Pater verò, licet pro commisso grauiorem aduersus eam indignationis motum conceperat, tamen interuenientium prece deuictus, & paterno non destitutus affectu, receptâ Antiochiâ, ne filia simile aliquando attentaret, *Laodiciam* & *Gabulum* vrbes maritimas ei concessit, quas tamen maritus supremo iudicio ei ob donationem propter nuptias destinauerat. Ordinatis igitur illius ciuitatis negotiis, & curâ Principibus concesfâ, reuocante eum domesticâ sollicitudine, Hierosolymam reuersus est: sumptis tamen priùs, tam maiorum quàm minorum fidelitatibus, & corporaliter iuramentis: quòd vel eo viuente, vel post eius obitum Antiochiam cum suis pertinentiis, *Constantiæ* pupillæ, domini Boamundi iunioris filiæ, fideliter conseruarent. Verebatur enim propriæ filiæ suæ malitiam, ne prædictam pupillam tentaret, sicut & priùs fecerat, exhæredem facere.

XXIIX. Reuersus ergo Hierosolymam, decidit in grauem nimis ægritudinẽ: vidensque sibi mortis imminere diem, egressus de proprio palatio, supplex & humilis in conspectu Domini, Regio statu deposito, in domũ domini Patriarchæ, quia loco Dominicæ resurrectionis erat vicinior, se transferri præcepit: spem habens in eo, qui mortem ibi deuicerat, quòd suæ resurrectionis faceret eum participem. Ibique accitis filiâ & genero, pueroque Balduino iã bimulo, coram positis domino Patriarcha, & ecclesiarũ prælatis, & de Principibus nonnullis, qui fortè aderant, Regni curam & plenam eis tradidit potestatem, more pii Principis paternâ eis benedictione indultâ. Ipse verò CHRISTI verus confessor, habitum religionis assumens, & vitam regularem professus, si viueret,

ueret, ei qui spirituũ pater est, tradidit spiritum, cum piis principibus, auctore Domino, præmia percepturus. Mortuus est autem anno ab incarnatione Domini, *millesimo centesimo tricesimo primo*, regni verò eius tertiodecimo, mense Augusto, vicesimâ primâ die mensis: sepultus est autem inter prædecessores suos piæ recordationis Reges, sub monte Caluariæ, ante locum qui dicitur *Golgota*, multâ suorum curâ & solemnibus obsequiis, regiâ dignis magnificentiâ. Cuius vsque in præsentem diẽ ob egregiã fidem & opera insignia, memoria est in benedictione apud omnes.

A. Dn. 1131.

EXPLICIT LIBER TERTIVSDECIMVS.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI XIV.

I. Quis moribus, & quibus maioribus editus fuerit dominus Fulco, tertius Hierosolymorum Rex.

II. Quòd antequam vocaretur à domino Balduino Rege, causâ peregrinationis Hierosolymam venerat: & de eius in Regem promotione.

III. Senior Ioscelinus Edessanus Comes, æger in lectica hostibus occurrit: & obtentâ victoriâ carne soluitur: & de filio eius Ioscelino.

IV. Rex vocatur ab Antiochenis: & malicia Principissæ aperitur.

V. Properanti Antiochiam, Comes Tripolitanus se opponit: sed à Rege deuincitur. Res Antiochena in tuto collocatur.

VI. Iterum ab Antiochenis reuocatur. Sanguinus in finibus Tripolitanis castrum quoddam obsidet: Rex sororis interuentu, obsidionem soluit.

VII. Rex Antiochiam properat: hostes qui conuenerant in fugam vertit: hostium spoliis ditantur Antiocheni.

VIII. Hierosolymitanus Patriarcha & Regni principes præsidium fundant valde necessarium, cui nomen Castrum Arnaldi.

IX. De Regis consilio mittitur ad Raimundum Pictauiensium Comitis filium, qui Constantiam Boamũdi filiam ducat vxorem.

X. Bernardus Antiochenus Patriarcha moritur: Radulphus Mamistanus archiepiscopus ei succedit, cum tumultu.

XI. Papa Honorius vitâ decedit: substituitur ei Innocentius: oritur schisma periculosum. Wilelmus *Tyrensis Archiepiscopus carne migrat: Fulcherius ei substituitur: Romam proficiscitur: pallium petit & obtinet.*

XII. Præcipit Romana ecclesia, vt idem obediat Hierosolymitano Pontifici: & eum locum obtineat apud eum, quem prius obtinuerat apud Antiochenos.

XIII. Mandatur eius suffraganeis, vt ei obediant: & ad hoc plures diriguntur epistolæ.

XIV. Aperitur vnde & ex qua causa hæc inter duos Patriarchas orta sit controuersia: & quâ ratione se quisque tueatur.

XV. Comes Ioppensis apud Regem accusatur: & grandis in regno excitatur tumultus.

XVI. Galterus Cæsariensis Comitem ad duellum prouocat: ille se ad hostes confert: à suis destituitur.

XVII. Ciuitas Ioppensis obsidetur: Regni Principes de pace tractant: Belinas interim ab hostibus capitur.

XVIII. Comes Ioppensis apud Hierosolymam malitiosè vulneratur: fit tumultus iterum: sed receptâ conualescentiâ, ex condicto mare transit.

XIX. Fit treuga cum Damascenis: Restituuntur captiui, qui apud Belinas capti fuerãt.

XX. Raimundus Pictauiensium Comitis filius occultus accedit, & Antiochiam perueniens, Boamundi filiam Constantiam vxorem ducit, inuitâ & renitente Principissâ, eiusdem puellæ matre: & obtinet principatum.

XXI. Quis, & qualis, & ex qua maiorum prosapia fuerit Raimundus, describitur.

XXII. Ad comprimendam Ascalonitarum insolentiam Rex castrum ædificat, cui nomen Gybelin, *quod alio nomine* Bersabee *dicitur.*

XXIII. Comes Tripolitanus proditione quorundam ex suis iuxta Montem Peregrinum occiditur: successit ei filius Raimundus: necem paternam vlciscitur.

XXIV. Ioannes Imperator Constantinopolitanus, versus Antiochiam properans, Ciliciam occupat vniuersam.

XXV. Sanguinus castrũ cui nomẽ Montferantus, *obsidet: Rex cum Comite Tripolitano obsidionem quærit soluere: sed deficiunt: & victi, Comes capitur, Rex in castrum se recepit.*

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI QVARTIDECIMI. 10

LIBER QVARTVSDECIMVS.

CAP. I. VOCATO igitur ex hac luce domino *Balduino*, Hierosolymorum ex Latinis rege secundo, qui cognominatus est *de Burgo*, successit in regno dominus *Fulco* gener eius, Comes Turonensium, Cænomanensium & Andegauensium, cui prædictus dominus Rex filiam suam primogenitam *Milisendem* nomine, dederat vxorem, vt præmisimus. Erat autem idem *Fulco* vir rufus, sed instar Dauid, quem inuenit Dominus iuxta cor suum; fidelis, mãsuetus, & contra leges illius coloris affabilis, benignus, & misericors; in operibus pietatis & eleemosynarum largitione liberalis admodum; secundùm carnem princeps potens, & apud suos fœlicissimus, priusquam etiam ad regni vocaretur gubernacula; rei militaris experientissimus, & in bellicis sudoribus patiens & prouidus plurimùm; staturâ mediocri, sed iã grandæuus, & plus quàm sexagesimũ agens annũ. Inter alios verò, quos lege mortalitatis patiebatur defectus, fluidam & labilẽ catenus habebat memoriam, vt suorum domesticorũ etiam non teneret nomina, nec vultus nisi paucorũ agnosceret: ita vt de eo cui paulò antè supremũ impenderat honorem, & familiaritatis gratiã, diligenter postmodũ quæreret, quis nã esset, si ex improuiso se præsentem daret. Vnde multos de eius familiaritate præsumẽtes, ad confusionem compulit, cùm ipsi aliis se defensores dare proposuerant, & ipsi patrono apud eum indigerent. Pater huius, Turonensium & Andegauensium Comes, *Fulco* etiam dictus est, & cognominatus *Rechin*, qui vxorem duxit sororem domini *Amalrici* de Monfort, nomine *Berteleam*: vnde duos suscepit filios; *Fulconem* istum, vnde nobis est sermo; & *Gaufridum Martel*; & filiam vnam, *Hermingerdam* nomine, quæ prius vxor fuit Pictauiensium comitis *Wilelmi*: à quo spreta, & contra matrimonii leges abiecta, ad comitem Britanniæ se contulit, eiq; affectione adhæsit maritali: ex quibus natus est *Conanus*, eiusdem Britanniæ comes, qui cognominatus est *Grossus*. His ergo tribus liberis apud prædictum *Fulconem* seniorem editis, mater spreto marito, ad regem Francorum *Philippum* se contulit: qui etiam, abiectâ vxore suâ legitimâ, eam suscepit thori participem, curarum sociã, & affectione postea tractans maritali, contra leges ecclesiasticas, inuitis, & multùm renitentibus Regni eius episcopis, simul & Principibus, apud se detinuit: ex eaque suscepit filios, *Florum*, *Philippum*, & *Ceciliam*, de qua superiùs fecimus mentionem, quæ priùs *Tancredi* Antiochenorum principis vxor fuit, postmodum eo defuncto, domino *Pontio*, Tripolitano Comiti, votis vsa secundis, adhæsit. Præfatus verò *Fulco*, senioris Fulconis filius, patre iam defuncto, vxorem duxit filiam comitis Cenomanensium *Helyæ*, *Guiburgem* nomine, ex qua duos suscepit filios, & filias totidem. Huius autem matrimonii causa fuit mater: Nam dum idem adolescens in curia comitis Pictauiensium domini sui, pincernæ fungeretur officio, auditâ fratris primogeniti morte, ab eodem Comite captus est, & vinculis mancipatus, occasione quorundam castellorum, quæ ab eo contendebat violenter eripere, quæ pater eius & frater in finibus prædicti Comitis iure hereditario, sed de feodo prædicti Comitis diu possederant. Quod audiens mater, quæ iam ab eius patre multo antè diuerterat, & ad dominum regem Francorum se contulerat, maternis mota visceribus, apud dominum Regem supplex implorauit & obtinuit, quòd filius eius a vinculis absolutus, paternæ restitueretur hereditati:

hereditati: insuper etiam effecit, vt suprà nominati Comitis Heliæ vnicam filiam, cum eis omni hereditate, dominus Rex eius filio vxorem concederet: ex qua, vt prædiximus, duos filios genuit, & filias in eodem numero. Primogeniti nomen fuit *Gaufridus*, qui patri successit in eodem Comitatu, cui senior *Henricus*, rex Anglorum potentissimus, filiam vnicam *Mahaldam* nomine, domini Henrici Romanorum imperatoris viduam, vxorem dedit: ex qua idem *Gaufridus* tres suscepit filios: *Henricum* videlicet, qui nunc Angliæ regnum strenuè & prudenter administrat; & *Gaufridum*, qui cognominatus est *Plantagenest*; & *Wilelmum*, qui dictus est cognomento *Longaspata*. Nomen verò secundi, eiusdem domini Fulconis filii, materni aui nomen referentis, *Helyas*: cui *Rotoldus* Comes Perchensis filiam suam vnicam vxorem dedit, spondens, quòd de cætero vxorem non duceret, sed omnem hereditatem suam cum omni integritate in eum moriens transferret. Pactorum tamen immemor, & promissorum prodigus, vxorem duxit, sororem Comitis *Patritii*, nobilis de Anglia viri: ex qua plures suscepit liberos: vnde prædictus *Helyas* ab eius hæreditate contra spem factus est alienus. Nomina autem filiarum, alterius *Sibylla*, quæ inclyto & nobili viro domino *Theoderico* Flandrensium Comiti nupsit, ex quibus ortus est *Philippus*, qui hodie Flandrensium procurat comitatum: nomen secundæ *Mahaldis*, quæ prædicti Anglorum regis Henrici filio desponsata fuerat: sed antequam conuenirent, sponsus in Angliam nauigans, naufragium passus, pelago submersus est: eius verò sponsa, perpetuum vouens cœlibatum, in claustro puellarum religioso admodum, apud *Fontem Ebraudi*, sanctimonialem perpetuò vitam duxit. II. Prædictus igitur *Fulco* vxore defunctâ, Hierosolymam orationis gratiâ, priusquam à domino Rege vocaretur, petierat: vbi magnificè plurimùm in DEI seruitio se habens, populi vniuersi gratiam & domini Regis, & vniuersorum principum familiaritatem plurimam, meritis exigentibus acquisiuit: quippe qui centum equites per annum integrum in regno suis habuit impensis: tandemque sospes ad propria regressus, filias nuptui, filios autem matrimonio collocans, Comitatum suum optimo statu composuit: dumque strenuè & prudenter annos aliquot post suum reditum suis incumbit negotiis, ecce dominus Rex Hierosolymorum de successione sollicitus, videlicet apud quem primogenitam suam nuptui collocaret, post multam deliberationem, de communi vniuersorum principum consilio, sed & de populi fauore, quosdam de Principibus suis, dominum videlicet *Wilelmum de Buris*, dominum *Guidonem Brisebarre*, ad prædictum dirigit Comitem, inuitans eum ad filiæ nuptias, & Regni successionem: qui compositis rebus, & ordinato Comitatu, datâ benedictione liberis suis, assumens sibi de honestis proceribus suis, iter veniendi ad domini Regis vocationem arripuit: cui postquam in Regnũ ingressus est, statim infra paucos dies, sicut ex pacto tenebatur, primogenitam suam, ei matrimonio copulauit: conferens eidem dotis nomine, duas ciuitates maritimas, *Tyrum* & *Ptolomaidam*: quas quasi triennio possidens, continuò Comes sicut ante quasi vocabatur. Defuncto igitur domino Rege vndecimo Kal. Septemb. anno ab incarnatione Domini, *millesimo cẽtesimo tricesimo primo*, idem Comes cũ prædicta vxore, octauo decimo Kal. Octob. in die exaltationis sanctæ Crucis, in ecclesia Dominici Sepulchri, à domino *Wilelmo*, bonæ memoriæ Hierosolymorum Patriarcha, solenniter & ex more coronatus & consecratus est. III. Per idem tempus dominus *Ioscelinus* Comes Edessanus, longâ ægritudine fatigatus, lecto decubans, mortis imminentem expectabat diem. Ceciderat enim anno proximè præterito circa partes *Halapiæ*, super eum turris ex crudis lateribus compacta: quam cum hostibus in ea inclusis vt faciliùs caperet, suffodi fecerat; subfossa subitò corruens, incautum oppresserat: vnde eum sui cum multo labore, quasi sepultum & contritis artubus, vix eruerunt: quo languore multo tempore maceratus, adhuc egredi nitentem detinebat animam; cùm ecce nuncius aduolans, *Soldanum Iconiensem* obsedisse quoddam eius castrum, cui nomen *Cressum*, nunciat. Quo audito, vir magnanimus, sicut erat corpore debilis & prorsus impotens, sed mente validus, filium præcepit ad se euocari, iniungens, vt assumptâ secum vniuersâ regionis illius militiâ, hosti suprà nominato viriliter occurreret, & locum patris suppleret impotentis. Ille verò obiiciens, quòd prædictus Soldanus in graui multitudine diceretur aduenire, respectu tantarum virium paucos se habere, cœpit se excusare: vnde

pater, pensatâ pusillanimitate filii, & ex eo verbo qualis futurus esset, colligens, militares præcipit conuocari copias, & populum regionis vniuersum. Quibus paratis, sibi aptari lecticam mandat: & in eam ascendens, hostibus occurrit, doloris oblitus & impotentiæ: in quo cùm aliquantulum cum exercitu processisset, nunciat ei vnus de Magnatibus regionis *Gaufridus*, cognomento *Monachus*, Soldanum audito eius aduentu, obsidionem à castro dimouisse prædicto, & iter ad reditum maturasse. Quo cognito Comes lecticam quâ gestabatur, ad terram deponi iussit; & erectis in cœlum manibus, & deuoto spiritu, Domino cum suspiriis & fletu gratias agens, quòd in nouissimis suis eum benignus & misericors Dominus tantâ gratiâ visitasset: quòd semineci, & in ipsis mortis vestibulis constitutus adhuc hostibus Christianæ fidei esset formidabilis, in gratiarum actionibus vltimum cœlo tradidit spiritum, relicto filio æquiuoco suo, sed à paterna gloria degenere plurimùm, & eodem vniuersorum bonorum ex asse herede instituto. Fuit autem idem *Ioscelinus* iunior, ex sorore *Leuonis* Armeni, viri inter suos potentissimi, natus: pusillus staturâ, sed membris plenioribus, robustus valde, carne & capillo niger, faciem habens latam, sed morbi, qui vulgò *variola* dicitur, cicatricibus respersam; oculis tumentibus, naso prominente; vir liberalis, & militaribus actionibus conspicuus; sed comessationibus & ebrietatibus supra modum deditus, Veneris operibus, & carnis deseruiens immunditiis, vsque ad infamiæ notam. Hic nobilem corpore, sed moribus nobiliorem, *Wilelmi de Saona* viduam, nomine *Beatricem*, vxorem duxit: ex qua filium, tertium *Ioscelinum* suscepit; & filiam, quæ priùs vxor fuit *Rainaldi de Mares*, postea domini *Almarici* Comitis Ioppensis, qui postea fuit Hierosolymorum Rex: vnde natus est *Balduinus* Hierosolymorum Rex sextus, & *Sibilla* soror eius. Hic autem, vt in inferioribus dicetur, ignauiâ, & peccatis suis exigentibus, vniuersam regionem, quam pater suus congruo rexerat moderamine, perdidit.

IV. Anno igitur primo Regni domini *Fulconis*, cùm esset tam ciuitas, quàm tota regio Antiochena Principis destituta solatio: mortuus enim fuerat ante dominum Regem dominus *Boamundus* iunior, vnicâ filiâ hærede relictâ, timentes Magnates illius regionis, ne protectoris defectu prouincia illa hostium pateret insidiis, dominum Regem ad se vocant, vt partium illarum curam gereret, & omnia ad suam reuocaret sollicitudinem. Vxor enim Principis prædefuncti, domini Regis *Balduini* filia, dominæ *Milisendis* soror, mulier callida supra modum, & malitiosa nimis, quosdã habebat suorum commentorũ fautores, quibus cooperantibus, circa Principatum malignari studebat: volens sibi vniuersam regionem, filiâ quam ex marito susceperat, exherede factâ, vendicare; & sic demum obtento Principatu, pro arbitrio suo ad secunda vota migrare. Pater autem eius, dum viueret, statim defuncto marito, hæc eadem machinantem industriè satis præuenerat; & eam vi eiectam ab Antiochia, iusserat esse contentam eo, quod maritus nomine donationis propter nuptias in eam contulerat, duabus videlicet vrbibus maritimis, *Gabulo* & *Laodiciâ*. Illa porrò, patre defuncto, putans congruam inuenisse opportunitatem, ad prius conceptum iterum aspirabat propositum. Horum autem studiorum complices munerum largitione, & promissis superamplioribus, quosdam potentiores effecerat, *Wilelmum* videlicet de *Sehunna*, *Guarentonis* fratrem, & *Pontium* Comitem Tripolitanum, necnon & *Ioscelinum* iuniorem Edessanum Comitem. Quod timentes regionis illius Magnates, quanto poterant studio, eius impiis moliminibus obuiam se dare nitebantur. Vnde & dominum Regem, vt præmisimus, eo citauerant intuitu, vt in his eum haberent adiutorem, & regioni rectoris solatium non deesset.

V. Auditâ igitur Antiochenorum legatione; & super regionis illius turba quàm periculosam nimis metuebat, motus dominus Rex vehementer, ad illorum vocationem properans, vsque *Berythum* peruenit. Sed Comite Tripolitano per terras suas illi transitum prohibente, assumpto sibi *Anselino de Bria*, nobili viro, & fideli suo, vsque ad portum *sancti Symeonis* nauigio peruenit: vbi ei occurrentes nobiles & potentes Antiochenorum proceres, in vrbem eum introduxerunt, eius imperio subiicientes vniuersam regionem. Comes autem Tripolitanus, licet domini Regis sororem haberet vxorem, vt sæpe dictum est, tamen festinus post Regem, ad partes se contulit Antiochenas, vt gratiâ Principissæ, cuius muneribus corruptus dicebatur, eius

actibus

actibus se opponeret. Habebat autem idē Comes in partibus illis duo castra, *Arcicanum* videlicet, & *Rugiam*, quæ pro vxore possidebat. Dederat enim ea dominus Tācredus, piæ in CHRISTO recordationis, moriens vxori, causâ donationis propter nuptias. Hæc Comes armis communiens & militiâ, dominum Regem & suos inde cœpit molestare. Quod Antiocheni ægrè nimis ferentes, Regem persuasionibus impellunt, vt illi occurrens, eius præsumptuosos refrenaret impetus. Qui eorum verbis acquiescens, memor iniuriarum quas veniens, eo transitum prohibente, pertulerat, illuc cum omnibus quas habere potuit copiis, contendit. Factum est autem, quòd circa prænominatam *Rugiam* conuenientes, instructis vtrinque aciebus,
10 hostiliter committerent, & diu ancipiti euentu congrederentur adinuicem. Tandem Rex factus superior, Comitem cum suis in fugā vertit; & confectis agminibus multos de eius cœpit militia quos in vincula coniectos, Antiochiā perduxit: tandē per viros industrios, & fideles pacis interpretes, reconciliatis adinuicē Rege & Comite, resignatis Comiti quos Rex ceperat de suis militibus, regionis status in meliorem videtur deuenisse conditionem. Timentes tamen illius prouinciæ prudentiores, ne domino Rege ad propria reuerso, intestinis regio concuteretur seditionibus, & sic hostibus amplior ad nocendum pateret occasio, Regem profusis exorant precibus, quatinus moram apud eos faciat longiorem. Rex autem considerans per Domini misericordiam Regnum suum in tuto collocatum; plenâ tran-
20 quillitate gaudere: & eam in qua erat, rectoris plurimùm indigere patrocinio regionem, benignè annuit; & tam vrbem, quàm adiacentia communi procerum consilio congruo moderamine disponens, quantam rebus propriis & exactam magis, vt ad optimum statum cuncta proueheret, impendebat sollicitudinem. Vnde omnium gratiam ciuium, & etiam Principum, qui in fidelitatis perseuerabant debito, sibi comparauerat cumulatiorem. Collocatis itaque eorum in tuto rebus, & negociis ordine congruo dispositis, cùm iam per tempus aliquod, prout necessitas eorum videbatur exigere, moram fecisset necessariam, reuocante eum domesticorum curâ, reuersus est in Regnum; curâ Principatus nobili & industrio viro *Rainaldo*, cognomento *Mansuer*, commissâ. Procedente autem tempore, dum i- VI.
30 dem Rex in regni à DEO sibi commissi viriliter desudaret necessitatibus; & *Marthæ* more, circa frequens ministerium eius negotia sedulâ prouisione procuraret; adest nuncius ex parte Antiochenorum, referens infinitam Turcorum manum è sinu Persico, & vniuerso Orientali tractu, flumine magno Euphrate transito, circa partes Antiochenas in multitudine graui consedisse. Quo audito, de statu sibi commissi Principatus, & salute in eo degentium, plurimùm anxius: eoque maximè, quia omnem spem suam in eum proiecerant: nihilo minus etiam & inde sollicitus, quod prouerbialiter dici solet: *tua res agitur, paries dum proximus ardet:* intelligens finitimorum defectum in suum redundare periculum: decernens, fratribus auxilio indigentibus subsidia ministrare, opus esse honestum: accitis sibi de
40 Regno vniuerso equitum peditumque auxiliis, ad iter accingitur, illuc cum omni celeritate contendens. Dumque in proficiscendo cum suis agminibus Sydonem vsque peruenisset, ecce soror eius, domina *Cecilia*, Comitissa, *Pontii* Tripolitani Comitis vxor, flebilia nunciat, dicens: *Sanguinum* Halapiæ Principem, Turcorum potentissimum satrapam, in multitudine virtutis suæ in præsidio quodam suo, cui *Mons Ferrandus* nomen, maritum suum obsedisse. Orat ergo, & vrgentissimâ, fœmineo more, rogat instantiâ, quatinus cæteris ad tempus dilatis, quæ non tantam exigerent diligentiam, negociis, marito in augustiis posito maturè subueniat. Cuius nimiâ Rex motus instantiâ, dilato ad modicum priore cœpto, illic dirigit acies, assumptis de comitatu nonnullis, qui relicti fuerant de Comitis expeditio-
50 ne, militibus. Audiens igitur *Sanguinus*, dominum Regem ad soluendam obsidionem properare: habito cum suis consilio, quid vtilius videretur, obsidionem gratis soluit, cum suis legionibus, ad propria reuersus. Hinc itaque, domino VII. Comite interim expedito, Rex istâ sollicitudine liber, ad cœptum redit opus, & *Antiochiam*, sicut priùs proposuerat, maturatis festinat itineribus. Audito eius aduentu, Antiocheni ei obuiam exeuntes, cum omni gaudio tantum hospitem suscipiunt, spem habentes, quòd per eius industriam, hostium, qui aduenire dicebantur, violētiam tolerare possent sine periculo. *Non multùm enim proficere consueuit,*

licet ingens fuerit sine duce multitudo; & cohortes numerosæ sine rectore, quasi arena sine calce, vix solent sibi cohærere. Nunciatur interea consonantibus rumoribus & famâ celeberrimâ, quòd hi qui Euphraten transiisse in manu robusta, & apparatu copioso nimis dicebantur, adiunctis sibi quos circa fluuium, locorum peritis, inuenerant, in finibus *Halapiæ* castra locauerant, regionem totam improuisis incursionibus depopulaturi. Conuenerant porrò ex omnibus contermінis finibus, in locum vnum, cui nomen est *Canestriuum*; inde collectâ omni multitudine, consilio eorum qui locorum habebant peritiam, ex improuiso per omnem prouinciam irruptiones facturi: quo comperto, dominus Rex conuocatis ex omni Principatu militaribus copiis, cum suis quos secum habebat familiaribus, egressus Antiochiâ. circa castrum *Harenc* castrametatus, substitit prudentis more (*quia malè cuncta ministrat impetus*) per dies aliquot, vt hostes, qui maiores dicebantur habere copias, suos pugnâ lacesserent, aut alio quouis modo conceptum aperirent propositum. Videns autem quòd nihil tale molirentur, sed securi in castris moram quietam agerent, adhuc fortasse maiora præstolantes suffragia, irruit super eos repente; & incautos reperiens, antequam arma possent corripere, gladiis instat, perforat lanceis: vix paucis conceditur equorum beneficio, cæteris interemptis, fugâ mortem euadere. Relictis igitur castris omni commoditate, & variâ supellectile repletis, cæsisque ex eis innumeris, & quasi ad tria millia, victores nostri, hostium spoliis vsque ad fastidium onusti, & iam plura nolentes, equos, mancipia, armenta, greges, tentoria, omne genus prædæ & manubiarum omnimodam varietatem secum trahentes, Antiochiam cum summa lætitia & trophæorum insignibus reuersi sunt. Ex tunc cœpit dominus Rex, omnium Antiochenorum indifferenter, tam procerum quàm popularium corda pleniùs reconciliata, & omnium habere fauorem. Nam priùs occasione Principissæ, cui domini Regis ingrata & suspecta erat præsentia, quidam de Maioribus ei fuerant aduersi, fauentes Principissæ intuitu munerum, quæ illa profusâ largiebatur munificentiâ.

VIII. Interea dum dominus Rex in partibus Antiochenis ita detineretur occupatus, & illius regionis negotia ad suam reuocaret sollicitudinem, tanquam propria, quousque ibi de communi consilio Princeps ordinaretur, nostri qui in Regno remanserant, dominus videlicet *Patriarcha*, & ciues Hierosolymitæ, in domino habentes fiduciam, collectis in vnum viribus, iuxta locum antiquissimum, *Nobe*, qui hodie vulgari appellatione dicitur *Bettenuble*, in descensu montium, in primis auspiciis campestrium, viâ quâ itur Liddam, & quâ peruenitur ad mare, præsidium solido fundant opere, ad tutelam transeuntium Peregrinorum: ibi enim in faucibus montium inter angustias ineuitabiles, maximum iter agentibus solebat imminere periculum, Ascalonitis subitas irruptiones illic facere consuetis. Consummato itaque fœliciter opere, nomen indicunt, *Castellum Arnaldi*, locum dicentes: factumque est per gratiam Domini, etiam prædicti castelli beneficium, quod adire volentibus Hierosolymam, aut ab ea redire, minus periculosus factus est transitus, & via multò securior.

IX. Adeptâ itaque dominus Rex tam insigni victoriâ, *Antiocheni* Principatus pro libero arbitrio disponens negotia, clarus habebatur admodum, duorum regnorum moderamina, Diuinâ prouisione sortitus, in vtroque prosperis affluens, populum cum plena tranquillitate tuebatur. Accedentes porrò ad eum illius regionis primores, specialiter autem quibus domino *Boamundo*, Principi iam defuncto, & filiæ eius adhuc pupillæ fidelitatem obseruare cordi erat, dominum Regem familiariter adeunt, orantes intimè, vt qui pleniùs nobilium virorum & illustrium adolescentium, in partibus vltramontanis habebat notitiam, eos edoceret, quem de tot Principibus euocarent, apud quem domini sui filiam, bonorum paternorum heredem, nuptui commodiùs collocarent. Qui gratantèr suscipiens verbum, & fidem simul & sollicitudinem commendans, in partes cum eis huius deliberationis ingressus, transcursis plurimis, de communi omnium consilio placuit, vt nobilis quidam & præcipuæ indolis adolescens, *Raimundus* nomine, domini *Wilelmi* Pictauiensium Comitis filius, ad hoc vocaretur. Is in Curia domini *Henrici* senioris, Anglorum regis, apud quem arma sumpserat militaria, moram facere dicebatur, domino *Wilelmo*, fratre eius primogenito, Aquitaniam iure hereditario gubernante. Libratis ergo deliberationis partibus, id expedientius esse arbitrati, legatos occultè dirigunt, *Geraldum* quendam

quendam cognomento *Ieberrum*, fratrem Hospitalis, cum literis domini Patriarchæ, & procerum vniuersorum: timentes ne si solemniter & per maiores citaretur personas, Principissa, sicut erat mulier malitiosa nimis, impedimenta moliretur. Erat enim cuiuis impedire aduentum facile: nam *Rogerus* tunc Apuliæ Dux, postmodum autem Rex, Antiochiam cum omnibus pertinentiis suis, quasi iure sibi debitam hereditario, tanquam domino *Boamundo* consanguineo suo volens succedere, vendicabat. *Robertus* enim *Guiscardus*, Boamundi senioris pater, & *Rogerus* Siciliæ Comes, qui cognominatus est *Bursa*, huius Rogeri Regis pater, fratres fuerunt ex vtroque parente. Iunior autem *Boamundus*, senioris filius, fuit pater istius adolescentulæ, ad cuius nuptias prædictus adolescens *Raimundus* inuitabatur. Oportebat igitur cautè illum euocari, ne comperto eius aduentu, aut vi, aut insidiis, eius æmuli præpedirent accessum. His igitur ita dispositis, dominus Rex, prosequente eum vniuersorum gratiâ, ad partes Hierosolymitanas se contulit. X. Per idem tempus, *Bernardus* vir grandæuus plurimùm bonæ memoriæ, simplex ac timens DEVM, primus Latinorum apud Antiochiam Patriarcha, tricesimosexto sui pontificatus anno, viam vniuersæ carnis ingressus est. Post cuius obitum, cùm vniuersi illius amplissimæ sedis suffraganei, tam Archiepiscopi quàm Episcopi, de more cōuenissent, vt ecclesiæ pastoris destitutæ solatio, vtiliter prouiderent; & super eo ipso tam salubri negotio in palatio Patriarchali, diligentiores, mutuò (sicut in talibus fieri solet) haberentur tractatus, *Radulfus* quidam Mamistanus Archiepiscopus, de castro *Danfrunt* oriundus, quod in confinio Normanniæ & Cœnomannensis dioceseos situm est, vir militaris, magnificus, & liberalis plurimùm, plebi & equestri admodum acceptus ordini, absque fratrum & Coepiscoporum conscientia, solo populi, vt dicitur, suffragio electus est, & in cathedram Principis Apostolorum inthronisatus. Quod audientes qui ad hoc, vt sibi Patriarcham, auctore Domino, præficerent, conuenerant, timentes furentis & vociferantis populi indiscretos impetus, diuisi sunt ab inuicem, ei quem non elegerant, obedientiam exhibere recusantes. Ille tamen nihilominus ecclesiam & palatium occupans, statim sine mora pallium de altari beati Petri, nullâ ad ecclesiam Romanam habitâ reuerentiâ, sibi assumpsit. Processu quoque temporis nonnullos de suffraganeis ecclesiæ in suam attraxit communionem. Et vt multorum relatione cognouimus, si Canonicorum ecclesiæ pacem amplexus fuisset, nec eorum turbare possessiones spiritu superbiæ ductus præsumpsisset, potuisset tranquillo statu vitam ibi transegisse. Sed quia verum est, quod prouerbialiter dici solet: *Difficile est vt bono claudantur fine, quæ malo sunt inchoata principio*: peccatis suis exigentibus, præ multitudine diuitiarum ita factus est insolens, & neminem præ se ducens hominem, vt potiùs *Antiochi*, quàm *Petri*, vel *Ignatii* successorem se exhiberet. Maiores enim ecclesiæ, alios violenter eiecit; alios vinculis & carceri, quasi capitalium reos mancipauit. Inter quos quendam *Arnulfum* nomine, Calabrum natione, virum vtique nobilem & literatum, item *Lambertum* miræ simplicitatis hominem & honestæ conuersationis, literatum etiam, eiusdem ecclesiæ Archidiaconum, in quodam præsidio tanquam viros sanguinum, in diuersoriū calce plenū detrusit in carcerē, & per multos afflixit dies, dicens eos in mortem suam conspirasse. Hæc & iis similia, in subditos efferâ mente pertractās, vniuersorum in se prouocabat odium. Vixque inter familiares & domesticos, prauæ stimulis conscientiæ agitatus, tutus ei videbatur locus. Sed de his hactenus. nam in sequentibus, tempore opportuno, de eius exitu, suo loco dicemus. XI. Dum hæc in Oriente geruntur, dominus *Honorius* Papa, extremum diem claudens, fatale debitum soluit: dumque de substituendo ei successore inter Cardinales tractaretur, diuisa sunt eorum desideria: ita quòd, non valentes in idem consonare, sub contentione duos elegerunt, *Gregorium* videlicet, Diaconum Cardinalem sancti Angeli, quem consecrantes vocauerunt *Innocentium*; & *Petrum*, qui cognominatus est *Leonis*, presbiterum Cardinalem, tituli sanctæ Mariæ Transtyberim, quæ dicitur *Fundens oleum*, quem etiam consecrantes, qui eum elegerant, *Anacletum* vocauerunt. Ortum est igitur schisma periculosum nimis, ita vt non solùm quæ infra Vrbem erant periclitarentur ecclesiæ, & populus mutuâ cæde periret; verùm etiā penè orbis concuteretur vniuersus, regnaque diuersis accēsa studiis inter se collidērentur. Obtinuit tandem, post multos la-

bores & immensa pericula, dominus *Innocentius*, prædicto Petro, papatus æmulo, prius vitâ defungente. Per eosdem dies migrauit ad Dominum carnis onere deposito, prædictus noster prædecessor *Wilelmus*, primus Latinorum, Tyrẽsium archiepiscopus, post vrbis liberationem. Nam dum adhuc ab hostibus detineretur, ordinatus fuerat ad titulum eiusdem ecclesiæ quidam *Odo*, qui ante eiusdem vrbis liberationẽ vitâ decesserat, vt præmissum est: cui substitutus est dominus *Fulcherus* bonæ memoriæ, Aquitanicus natione, patriâ Engolimensis, vir religiosus ac timens Deum, modicè literatus, sed constans & amator disciplinæ. Hic apud suos Abbas extiterat Canonicorum regularium, in Monasterio cui *Cella* nomen: sed postmodum tempore prædicti schismatis, quod inter dominum *Innocentium* papam, & *Petrum* Petri Leonis filium exortum est, fauens prædicto Petro *Gerardus* Engolismensis episcopus, Apostolicæ sedis Legatus, alii parti præstantes assensum molestiis quàm pluribus fatigabat. Quod vir vitæ venerabilis non ferens, sumptâ licentiâ a fratribus, orationis gratiâ Hierosolymam venit, tandemq; in claustro ecclesiæ Dominici Sepulchri regularem vitam & assiduitatem professus, ad ecclesiam Tyrensem vocatus est. Rexit autem eandem ecclesiam strenuè, & feliciter annis duodecim, quartus ante nos, qui nunc eidem ecclesiæ, non electione meriti, sed solâ Domini dignatione & patientiâ præsidemus. Qui postquam à domino Hierosolymitano Patriarcha *Wilelmo*, suæ munus consecrationis accepit, exemplo prædecessoris sui volens ad ecclesiam Romanam pro obtinendo pallio properare, ab eodem Patriarcha & eius complicibus passus est insidias & violentiam, ita vt vix & cũ multa difficultate manus eorum posset effugere, & ad ecclesiam Romanam pro caussa prædicta peruenire: sicut ex tenore literarum domini papæ Innocentii manifestè deprehenditur. Ait enim: *INNOCENTIUS Episcopus, seruus seruorum DEI, Venerabili fratri GUILELMO Hierosolymitano Patriarchæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Magisterium totius ecclesiæ & ecclesiasticæ institutionis beato Petro Apostolorum principi, cælesti priuilegio esse collatum, euangelica declarat auctoritas.* Et infra: *Miramur autem, quoniam cum Romana ecclesia pro liberatione Orientalis ecclesiæ tantopere laborauerit, & filiorum multorum sanguinem effundendo, corda tam ecclesiasticorum quàm secularium ad eius seruitium excitauerit, nequaquam, prout conuenit, eidem matri suæ hac vice respondere curasti: parum enim tibi visum fuerat, quòd venerabilem fratrem nostrum* Fulcherum *Tyrensem Archiepiscopum, more prædecessorum suorum pro susceptione pallii ad Romanam ecclesiam venientem, disturbare præsumpseras, nisi & erga eum à nobis redeuntem te inhumanum difficilemq;, & nimis asperum exhiberes: adeò quòd nec antiquam dignitatem Tyrensis ecclesiæ sibi restituere; nec de damnis sibi illatis, aut etiam de Caypha, siue Porphyria, iuxta mandatum nostrum infra tres menses, post acceptionem nostrarum literarum ei iustitiam facere volueris: cùm vtique satis indignũ sit, vt honor qui sibi, si ei obediret, ab Antiochena exhiberetur ecclesia, à te vel tuis successoribus subtrahatur. Præterea in subiectos illius nimis potestatiuè diceris te habere. Quocirca auctoritate Apostolicâ mãdando tibi præcipimus, sicut eiusdem matris tuæ piis optas studiis atq; solatiis confoueri, sicut in tuis necessitatibus, eius patrocinijs desideras adiuuari, iam dictum Archiepiscopum diligas & honores, & in nullo perturbare præsumas: quin potius de omnibus, de quibus apud te querimoniam deposuerit, sibi plenam iustitiã infra quadraginta dies, postquam præsentia scripta susceperis, exhibere non differas, nec aliquid in subditos suos contra statuta Canonum præsumas. Alioquin timendum tibi est, ne tam ipsum quàm suffraganeos suos à tua obedientia subtrahamus, eosq; in manu nostra retineamus. Data Later. XVI. Kal. Ian.*

XII. Reuersus ab ecclesia Rom. mandatum accepit, vt quousque deliberaretur, vtri duorum Patriarcharum perpetuò cederet, interim sicuti & prædecessori eius dictum fuerat, Hierosolymitano obediret: eamque dignitatem in Hierosolymitana obtineret ecclesia, quam eius prædecessores in Antiochena, quamdiù ei obedierunt, obtinuerant. Certum est autem, quòd inter tredecim Archiepiscopos qui à diebus Apostolorum sedi Antiochenæ subditi fuerunt, *Tyrensis* quidem primum locum obtinuit, ita vt in Oriente *Prothothronos* appelletur: sicuti in catalogo Pontificum suffraganeorum, qui ad ecclesiam Antiochenam respiciunt, continetur. In quo sic legitur: *Sedes prima, Tyrus: sub qua sunt episcopatus XIII. Sedes secunda, Tarsus: sub qua sunt episcopatus V. Sedes tertia, Edessa: sub qua sunt episcopatus X. Sedes quarta, Apamia: sub qua sunt episcopatus VII. Sedes quinta, Hierapolis: sub qua sunt episcopatus VIII. Sedes sexta, Bostrum: sub qua sunt Episcopatus XIX. Sedes septima, Anauarza: sub qua sunt episcopatus*

episcopatus IX. Sedes octaua, Selencia: sub qua sunt episcopatus XXIV. Sedes nona, Damascus: sub qua sunt episcopatus X. Sedes decima, Amida: sub qua sunt episcopatus VII. Sedes vndecima, Sergiopolis: sub qua sunt episcopatus IV. Sedes duodecima, Theodosiopolis: sub qua sunt episcopatus VII. Sedes tertiadecima, Emissa: sub qua sunt episcopatus IV. Metropolitani per se sustinentes VIII. Archiepiscopi duodecim. Quòd ergo primum locum inter suffraganeos Hierosolymitanæ ecclesiæ [obtineret] quodq; de solo domini Papæ mandato eidem obediat ecclesia Tyrensis, ex rescripto literarum domini *Innocentii*, ad eundem *Wilelmum* Hierosolymitanum directarum, manifestè colligitur: quod sic habet: *INNOCENTIVS Episcopus, seruus seruorum DEI, WILELMO Hierosolymitano Patriarchæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Quanto munificentiæ supernæ benignitas, Hierosolymitanam Ecclesiam tuis temporibus altiùs sublimauit, tanto magis expedit personam tuam erga fratres suos humaniorem existere, & eos qui tibi obedientiam exhibēt, caritate mutuâ honorare. Proinde fraternitati tuæ mandamus, quatinus venerabilem fratrem nostrum* Fulcherium *Tyrensem Archiepiscopum, qui ex mandato sanctæ Romanæ Ecclesiæ tibi obedit, fraterni amoris intuitu diligas, & honores: sollicitè prouidēs, ne sibi grauamen aliquod inferas; vel sub obtentu huiuscemodi subiectionis, quæ vtique ex beneficentia Apostolicæ sedis, tibi & Ecclesiæ Hierosolymitanæ impenditur, Tyrensis Ecclesia, nobilis & famosa, suæ iustitiæ aut dignitatis patiatur aliquod detrimentum. Indignum est enim, vt honor qui sibi, si ei obediret, ab Antiochia exhiberetur, à te vel tuis successoribus subtrahatur. Data Albani, decimosexto Kal. Augusti.* Redeunti igitur, licet cum molestia restituti sunt ei de suffraganeis eius, qui in manu *Hierosolimitani* Patriarchæ vsque ad illam diem fuerant, Acconensis, Sydoniensis, & Berythensis: reliquos autem, id est, Biblitanum, Tripolitanum, Antaradensem, qui alios Episcopatus eiusdē Ecclesiæ, in manu sua velut proprios possidebant, *Antiochenus* Patriarcha violenter detinebat, eam solam prætendens occasionem, quòd ei non obediret, non quòd ad eius iurisdictionem eos respicere denegaret: quod ne fieret, sed ad matrem suam Tyrensem Ecclesiam redirent, idem dominus *Innocentius* Papa præceperat, scribens tam prædictis Episcopis, quam Antiocheno Patriarchæ, in hunc modum: *INNOCENTIVS Episcopus, seruus seruorum DEI, venerabilibus fratribus GERARDO TRIPOLITANO, R. TORTOSANO, & H. BIBLITANO Episcopis salutem, & Apostolicam benedictionem. Scire debet vestra fraternitas, quoniam status Ecclesiæ tunc clariùs elucescit, cùm gradus in ea constituti illæsi seruantur; & quæ debetur prælatis singulis, absque contentione seu contradictione, reuerentia exhibetur. Vnumquemque etenim ex his qui sibi subiecti sunt, considerare conuenit, quanta suos prælatos si quos habeat, reuerentiâ & honorificentiâ debeat honorare: quæ si iniustè & immeritò subtrahantur, vnitatis status profectò nutabit, ad quem Ecclesiastica doctrina, ob maiorem firmitatem, diligenti consideratione omnia in se ordinando reduxit. Ne igitur Ecclesiarum vestrarum honor vel dignitas ob contentionem seu rebellionem indebitam minuatur, vel annulletur, per Apostolica vobis scripta mandamus atq; præcipimus, quatinus venerabili fratri nostro* Fulcherio, *Tyrensi Archiepiscopo, tanquam metropolitano vestro debitam obedientiam & reuerentiam deferatis. Nos enim vos & Ecclesias vestras, Tyrensi Ecclesiæ, quæ vestra metropolis est, autoritate Apostolicâ restituimus, & à iuramento vel fidelitate, quâ Patriarchæ Antiocheno estis astricti, eodem modo absoluimus. Si verò nostris mandatis obedire, & intra tres menses post harum acceptionem literarum, ad obedientiam prædicti fratris nostri redire neglexeritis, sententiā quam ipse in vos canonicè promulgabit, nos autore DEO, ratam habebimus. Datum Laterani, decimosexto Kal. Februarii.* Ne autem ab Antiocheno Patriarcha, qui eos diu detinuerat, & vir erat potentior, præpedirentur domini Papę iussionem exequi, scripsit eidem Patriarchæ, in hæc verba: *INNOCENTIVS Episcopus, seruus seruorum DEI, venerabili fratri RADVLPHO Antiocheno Patriarchæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Sanctorum Canonum institutionibus continetur, vt vnusquisque suis terminis contentus existat, nec in aliena iura irrepat. Ea etiam quæ nobis fieri nolumus, tam diuinis quàm humanis legibus, proximis nostris facere prohibemur. Quæ cùm ita sint, fraternitati tuæ mandamus, quatinus suffraganeos Tyrensis Ecclesiæ non impedias, quin venerabili fratri nostro* Fulcherio *Archiepiscopo, metropolitano suo, debitam obedientiam & reuerentiam deferant: alioquin Canonicis sanctionibus contraitur, si metropolitanis à suis suffraganeis obedientia subtrahatur. Optamus enim, vt circa prælatos & subditos suum ius, & proprius ordo absque cōtradictione seruetur. Datum Laterani, decimosexto Kal. Februarii.* Nec solùm his ita scripsit dominus Papa, verùmetiā & illis qui à Patriarcha Hierosolymitano detenti fuerant: qui eius

timore, mandatis Apostolicis obedire detrectabant, eodem modo præcipiens iniũxit, vt omni occasione postpositâ, domino Tyrensi obedientiam exhiberent, in hũc modum: *INNOCENTIUS Episcopus, seruus seruorum DEI, venerabilibus fratibus BALDVINO Berycensi, BERNARDO Sydoniensi, IOANNI Ptolomaidensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ad hoc sancti patres diuersos esse in Ecclesia gradus & ordines voluerunt, vt dum subiectionem & reuerentiam minores maioribus exhibent, vna fieret ex diuersitate connexio, & recte officiorum gereretur administratio singulorum. Grauat autem nos, & valde miramur, quòd cùm vobis iampridem literis Apostolicis præceperimus, vt venerabili fratri nostro* Fulcherio *Tyrensi Archiepiscopo, metropolitano vestro, obedientiam & reuerentiam exhiberetis, quasdam occasiones & interpretationes minus idoneas prætendendo, id facere contempsistis: cùm vtique quasi peccatum ariolandi, sit repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Mandamus itaque vobis, & auctoritate Apostolicâ iteratò præcipimus, quatinus omni occasione submotâ eidem fratri nostro de cætero pareatis: nec sub obtentu obedientiæ, quam alicui primati dependitis, sibi subiectionem & reuerentiam metropolitano vestro debitam aliquatenus subtrahatis. Quod si contemptores vlterius extiteritis, sententiam quam idem Archiepiscopus in vos canonicè protulit, aut protulerit, nos auctore Domino, ratam habebimus. Si verò pro eo quòd eidem fratri nostro obedieritis, à Patriarcha Hierosolymitano aliquid contra vos fuerit constitutum, nos eandem sententiam viribus carere decernimus, & nullius momenti esse censemus. Datæ Laterani, decimosexto Kal. Februarii.*

1. Sam. 15, 23.

XIV. Ne autem in admirationem cuiquam veniat, quod cùm prius Tyrensem Archiepiscopum quatuordecim de iure suffraganeos habere diximus, dominus autem Papa nõ nisi sex scribit: sciendum est, quòd *Paneadensis* ciuitas, quæ est *Cæsarea Philippi*, nondum habebat Episcopum, & isti sex reliquos detinebant episcopatus. *Sydoniensis* enim detinebat, sicut & nunc etiam detinet, Sareptanum: *Tripolitanus* verò Botriensem, Archensem, Artuscensem: *Antaradensis* verò, qui & *Tortosanus* dicitur, Aradiensem, & Maracleensem. Ex his autem sex, *Antiochenus* Patriarcha tres sibi habebat obedientes, Antaradensem, videlicet, Tripolitanum, & Bibliensem. Captis enim prædictis vrbibus, in eis consecrauit Episcopos, eâ intentione, vt Tyrensi metropoli expeditâ, & Archiepiscopo iuxta prisca constituta sibi debitam exhibente obedientiam, ipse eos sine difficultate ei, sicut & de iure tenebatur, restitueret. Erant autẽ hæ prædictæ ciuitates in comitatu Tripolitano, vnde, domino Rege non impediente, liberiùs hoc poterat facere Antiochenus Patriarcha: in reliquis autem tribus, Berytho, Sydone & Ptolomaida, quæ est *Accon*, dominus Hierosolymitanus Patriarcha consecrauit Episcopos tali intentione, vt captâ vrbe Tyrensium, & ibi per eundem Archiepiscopo consecrato, eos sibi restitueret; præsumebat enim, vt contra priscam consuetudinem *Tyrensis* aliquando ei deberet obedire, fiduciam habens in literis domini Papæ *Paschalis*, quibus domino *Balduino*, primo Hierosolymorum regi, & domino *Gibelino*, tertio Hierosolymorum Patriarchę, concessisse videbatur, quòd quascunque ciuitates dominus Rex aut eius exercitus acquisierant iam, vel acquisituri erant, omnium earum Episcopi Hierosolymitano Patriarchæ subiacerent: sicut præmissum est, cùm de regno domini *Balduini*, Hierosolymorum Regis primi, tractaremus. Sic igitur vniuersâ Tyrensi prouinciâ, antequam ipsa metropolis expediretur, expeditâ, prædicti duo Patriarchæ diocesim inter se diuiserunt: & quod extra regnum erat, ab eo loco qui dicitur *Passus pagani*, inferiùs, Antiochena habuit & habet Ecclesia; quod verò citra est & intra regni fines continetur, Hierosolymitanus possedit Patriarcha. Tandem verò vrbe Tyrensi per Domini misericordiam liberatâ, post annum ab eius liberatione quartum, Hierosolymitanus ibi, vt prædiximus, consecrauit Archiepiscopum, & eos quos detinebat sibi restituit suffraganeos. Cùm medio tempore, dum eam in propria cura Hierosolymitanus haberet Patriarcha, ita attenuata est, & ad nihilum redacta, vt etiam de Ecclesiis quæ infra ambitum eiusdem ciuitatis erant, non nisi vnam futuro reseruarent Archiepiscopo. Factumque est, sicuti vulgari prouerbio dici solet, vt petentibus & immeritis, *de alieno corio fierent larga corrigia:* contendunt etiam vsque hodie, de nostris visceribus prædicti duo domini, in nostram iniuriam fortes, de nostra paupertate facti locupletiores; & distractis membris, quorum integritate à diebus antiquis, à temporibus Apostolorum, consentientibus sanctis & vniuersalibus septem Synodis, longè lateque floruerat, lacera iacet, & suis potioribus mutilata

tilata membris expectat consolationem, & non est qui consoletur eam; porrigit manum, & non est qui adiuuet: facti sumus similes illis de quibus dicitur:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Satiantur de nostris carnibus; quibus vtinam aliquando id contingat ad vomitum. Huius tamen tanti caussam mali Romanæ non immeritò imputamus ecclesiæ: quę dum Hierosolymitano nos præcipit obedire, ab Antiocheno indebitè nos patitur decurtari: nos enim, si nostra nobis restitueretur integritas, prono animo, sicuti sumus filii obedientiæ, alterutri illorum parati essemus sine contradictione, sine molestia, subesse. Nemini autem alienum videatur à nostro proposito, qui professi sumus historiam conscribere, quòd de nostræ statu ecclesiæ hæc interseruimus: nec enim decet nos aliena tractare, & nostrorum immemores fieri negotiorum. Sicut enim prouerbialiter dici solet: *Malè orat, qui sui obliuiscitur.* Sed nunc ad historiam redeamus. XV. Reuerso itaque domino Rege à partibus, vt præmisimus, Antiochenis, ecce iterum turba periculosa nimis suboritur. Nam ex causis quibusdam, quidam in dominum Regem, de maioribus Regni principibus coniurasse dicuntur; *Hugo* videlicet comes Ioppensis, & *Romanus de Podio*, dominus regionis illius quæ est trans Iordanem. Quod vt euidentiùs pateat, altiùs aliquantulum repetenda est historia. Tempore domini *Balduini de Burgo*, qui hunc *Fulconem* in regno præcesserat, nobilis quidam vir, & apud suos potens, *Hugo de Pusato*, de episcopatu Aurelianensi, cum vxore *Mamilia*, filia domini *Hugonis Cholet*, comitis de Ruci, orationis gratiâ Hierosolymam petens, filium habuit in Apulia. Vxor enim eius grauida, iter arripuerat: quem, quoniam tenellus erat nimiùm, & cum salute non poterat deportari, ibi dimisit apud dominum *Boamundum* consanguineum suum; & transfretans, ad dominum regem *Balduinum*, item secundùm carnem propinquum, venit. Cui Rex statim post introitum suum, ciuitatem Ioppen, cum pertinentiis suis, sibi & heredibus suis, iure hereditario dedit habendam: vbi non multò post, prædictus nobilis homo, vitam morte finiuit. Cuius vxorem cum prædicta vrbe dominus Rex cuidam iterum nobili viro, comiti videlicet *Alberto*, fratri comitis de Namura, viri potentissimi de Imperio, de episcopatu Leodiensi, concessit. Cùm autem vterque intra modicum tempus decessisset vitâ, tam comes prædictus, quàm vxor eius: *Hugo* prædictus, qui puer in Apulia remanserat, iam pubes factus, patris hereditatē, more parentum, ad se iure hereditario deuolutam, à domino Rege petiit, & impetrauit: quâ obtentâ, dominam *Emelotam*, Arnulfi patriarchæ neptem, & magnifici viri domini *Eustachii Grener* viduam, duxit vxorem: ex qua prædictus dominus Eustachius filios susceperat geminos, *Eustachium* iuniorem, vrbis Sidoniensis dominum, & *Galterum*, qui Cæsareæ præfuit. Defuncto autem domino *Balduino*, dominoque *Fulcone* in regni solio sublimato, contigit inter eundem dominum Regem, Comitemque prænominatum, ex causis occultis graues oriri simultates. Dicebatur à nonnullis, quòd dominus Rex suspectum nimis haberet Comitem, nec cum domina Regina familiaria nimis misceret colloquia: cuius rei multa videbantur extare argumenta. Vnde & maritali zelo succensus, inexorabile odium aduersus eum dicebatur concepisse. Erat autem idē Comes adolescens, corpore procerus, decorus formâ, actibus insignis militaribus, gratiosus in oculis omniū, in quem videbantur naturæ dona plena liberalitate conuenisse; ita vt in Regno vel corporis elegantiâ, vel generositatis titulo, vel rei militaris experientiâ, nullum proculdubio haberet parem: dominæ quoque Reginæ ex parte patris valde proximus: eorum enim patres consobrini fuerant, id est, duarum sororum filii. Quidam verò verbum huiusmodi palliare volentes, dicebant id solum odiorum fuisse fomitem, quòd Comes quasi arrogans, & de se plus æquo presumens, domino Regi nolebat, more aliorū Regni principum, subiici; & eius detrectabat ceruicosè nimis imperiis obedire. XVI. Exurgens intereà *Galterus* Cæsariensis, eiusdē Comitis priuignus, vir toto corpore elegantissimus, viribus insignis, ætate integer, à domino Rege, vt dicitur, subornatus, in cœtu procerum, præsente domino Rege, vbi curia erat frequentissima, publicè, & more accusatoris obiicit Comiti, quòd maiestatis crimine reus erat: & quòd cōtra domini Regis salutem, cum quibusdam factionis eiusdem complicibus, contra bonos mores, & contra nostrorum disciplinam temporum conspirasset. Comes verò infitiatus crimen, seipsum obtulit, quòd iudicium Curiæ super obiectis, tanquam in

hac parte innocens, paratus erat subire. His ita se habentibus verbis, de consuetudine Francorum, decernitur inter eos pugna singularis, & ad exequendam pugnam dies competens designatur. Comes verò solutâ curiâ, Ioppen reuersus, dubium est an veritus conscientiam, & obiecti criminis reum se cognoscens, an curiam habens suspectam, ad præfixam diem præsentem se nō exhibuit: vnde maiorem obiecti criminis meritò incurrit, etiam apud fautores suos, suspicionem. Curia verò, & procerum conuentus, eius attendentes contumaciam, eum licet absentem, tanquam obiecti criminis reum cōdemnauerunt. Quod Comes intelligēs, rem est aggressus vsque ad illam diem inauditā, odio populi & omni indignatione dignam: Ascalonā enim vrbem, nomini Christiano inuisam, & hostibus familiarem nostris, nauigio properans cōtra dominum Regem ab hostibus opem postulaturus, ingressus est. Illi verò videntes nostrorum intestina prælia, & domesticas seditiones, suis incremētis accedere, & nostrorum esse causam periculorum, gratuitū impēdunt assensum: sumptisq; ab eo obsidibus, & pactis hincinde redactis ad consonantiā, *Ioppen* reuersus est. Porrò *Ascalonitæ* pertinaci in nos & obstinato odio ducti, & de Comitis fœdere & gratia facti securiores, solito proteruiùs, & magis confidenter fines nostros inuadentes, liberis discursibus, nemine prohibente, prædam agentes vsq; *Arsur*, quę alio nomine dicitur *Antipatrida*, currere non timuerunt. Quod audiens Rex, conuocatis de vniuerso Regno militaribus copiis, & populi immēsitate multâ, Ioppen obsidet. Hæc vidētes quidam de fidelibus eius, qui cum eo erant in eadem vrbe, *Balianus* videlicet senior, & quidā alii DEVM timentes, quòd ita in præceps totus ire decreuerat Comes; & quòd fidelium & amicorum salutaribus suorum monitis, ab incepto pernicioso reuocari nō poterat, sed causas pertinaciter amplioris tractare periculi nō vereretur, relinquentes quæ ab eo habebant beneficia, meliores partes secuti, ad dominum Regem se contulerunt.

XVII. Interea dominus Patriarcha *Wilelmus*, vir mitissimus, & pacis amator, & quidam de Regni Principibus, videntes intestina hæc prælia, Regno nimis esse periculosa, attendentes illud Euangelicū: *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet*: timentes, sicut & meritò timere poterant, ne hac occasione hostibus Christiani nominis damni inferēdi maior pateret occasio & opportunitas, medios se constituunt, & de bono pacis inter dominum Regem, & sępe dictum Comitem conantur vtiles inuenire tractatus. Tandē verò post multas altercationes, sicut in huiusmodi fieri solet, placet pacis cōpositoribus, vt pro bono pacis, & vt domino Regi aliquid amplioris impenderetur honoris, Comes per triennium extra regnum fieret: quo peracto, cū domini Regis gratia in Regnum iterum, sine calumnia quā pro eodem negocio de cætero pateretur, cum suis quos eduxerat ei liceret introire: interim verò de redditibus possessionum suarum, omne eius debitum, & quod vndecunq; contraxerat ęs alienum, persolueretur. Per idem tempus, dum dominus Rex circa Ioppē ita esset occupatus, & dominus *Rainerius* cognomine *Brus*, cum aliis Regni Principibus ibidem morā faceret, ciuitas *Paneadensis*, à *Tegelmeluch* Damascenorum rege obsessa, antequam Rex obsessis ministrare posset, quod cum multa instantia procurabat, subsidium, violēter effracta, in manus deuenit hostium. Captis quoq; ciuibus, & qui in ea erant stipēdiariis vtriusq; tā equitum quàm peditū ordinibus, vxor prædicti nobilis & strenui viri cum aliis transmigrationem passa est captiua.

XVIII. Interea Comes Iopensis transitum expectans, dum Hierosolymis prout consueuerat moram faceret, accidit quòd in eo vico, qui dicitur *PelliparIorum*, ante meritorium vnius negociatorū, Alfani nomine, dum super mensam eius aleâ luderet, quidam miles natione Brito, super Comitem nihil tale verentem, sed pro ludo sollicitum, ex improuiso educens gladiū, multis eum, & hostiliter nimis confodit vulneribus, in facie vniuersorum astātium. Fit ergo repentinus statim populorum concursus, & ciuitas omnis, auditâ facti acerbitate immanissimi, concussa est & infremuit vehementer. Sermo publicè vnus in omnium ore vertebatur, non sine Regis conscientia hoc fieri potuisse; nec maleficū, nisi de Regis fauore confisum, talia pręsumpsisse moliri: spargitur per vulgus vniuersum, Comitem innocētem, iniustas pati calumnias; & Regem odii quod aduersus eum gratis, & præter merita Comitis, conceperat, nimis euidens argumētū dedisse. Accedit itaq; Comiti plebis fauor, & gratia popularis: & quicquid ei obiectum fuerat, totum de malitia processisse videbatur. Quod sanè postquā domino Regi

Matth. 12, 25.

Regi compertum innotuit, volens factum purgare, & se constituere manifestis indiciis innocentem, maleficum iubet iudicio sisti, & pro commisso flagitio, omnibus notorio, nec accusatore nec testibus indigente, vbi iuris ordo non erat necessarius, dignam pro meritis præcipit reportare sententiam. Conuocatâ igitur Curiâ, de communi consensu, prędictus sicarius, mutilationis membrorum iudicatur subire discrimen. Quod postquam Regi nunciatum est, executioni præcipit mandari sententiam, eo solo excepto, ne lingua inter mutilanda membra computetur: illam excepit, ne forte diceretur studiosè factum, vt illi amputaretur lingua, ne se missum à Rege, & rei veritatem posset confiteri. In quo planè facto, prudenter nimis suæ
10 Rex præuidit existimationi, multumque conceptam aduersus se compescuit indignationem: nam ab illo, neque secretò neq; publicè, vel ante vel post membrorum dispendium potuit extorqueri, quòd de domini Regis mandato vel conscientia ad illud tā enorme factū processisset; sed de proprio motu: & sperans in eo se domini Regis gratiam promereri posse, id tale præsumpsisse fatebatur. Comes autem curæ proprii corporis habendæ gratiâ, & causâ procurandæ salutis moram faciens, receptâ ad plenum conualescentiâ, mœstus plurimùm, tum pro illata recenter iniuria, tum quia per loca incognita mendicare, propriâ hereditate extorris, compelleretur, iuxta condictum Regno egressus, in Apuliam se contulit: vbi dominus *Rogerus*, qui vniuersam illam iam sibi subiugauerat regionem, eum benignè recepit, putans
20 quòd caussâ inuidiæ virum strenuum & nobilem eius æmuli Regno depulissent: & ei compassus, Comitatum contulit *Garganensem*: vbi morte præuentus immaturâ; vir lugendus posteris, in Regnum deinceps non est reuersus. Ab ea die quicunque Comitis apud dominum Regem fuerant delatores, & incentores odii, dominæ *Milisendis* Reginæ, quam etiam obiecti criminis quodammodo respergere videbatur infamia, & dolor immanissimus, expulsi Comitis macerabat præcordia, indignationem incurrentes, exactam pro tutela proprii corporis oportebat habere diligentiā. Maximè autem *Roardum* seniorem, qui postmodum dictus *de Neapoli*, qui dominum Regem præcipuè in eam induxerat odiorum materiam, domina Regina quibus poterat persequebatur modis. Nō erat eis tutum, ante eius accedere præ-
30 sentiam; sed & publicorum conuentuum se subtrahere cœtibus erat consultius: sed nec domino Regi, inter fautores & consanguineos Reginæ, tutus omnino erat locus. Tandem placatâ eius indignatione per quorundam eorum familiarium interuentionem, Rex alios quoque eiusdem rancoris participes, multâ vix reconciliauit instantiâ, eatenus tantùm, vt ante eius præsentiam, eis liceret cum aliis introire. Rex autem ab ea die ita factus est vxorius, vt eius quam prius exacerbauerat, mitigaret indignationem, quod nec in caussis leuibus, absq; eius conscientia attentaret aliquatenus procedere. Per idem tempus petentibus *Damascenis* à domino Rege pacem temporalem, præter alia quæ gratiâ obtinendi fœderis contulerunt, omnes captiuos, quos in vrbe Paneadense ceperant, simulque & prædicti strenui vi- XIX.
40 ri, cuius erat ciuitas, domini videlicet *Rainerii Brus* vxorem ex compacto restituerunt. Quam vir egregius & insignis post biennio reuersam, ad maritalis amplexus participium deuotus admisit. Cognoscens autem postmodum, quòd non satis prudenter se apud hostes habuerat, & maritalis thori reuerentiam non satis cautè, matronarum more nobilium, obseruauerat, abiecit eam à se: illa verò culpam non inficiens, claustrum sacrarum virginum Hierosolymis ingressa, voto se obligans perpetuæ continentiæ, sanctimonialis effecta est. Eâ demum defunctâ, prædictus vir inclytus *Agnetem* duxit, domini *Wilelmi de Buris* neptem: quam postmodum eodem defuncto, *Girardus* Sydoniensis accepit vxorem: vnde natus est *Rainaldus*, qui nunc eidem Sydoniorum præest ciuitati. Prædictam verò Paneadensium vrbem,
50 quam ita diximus domini sui absentiâ superatam, quidam *Assisinorum* magistratus, *Emir Ali* nomine, à populo suo diu possessam, susceptâ pro ea compensatione placitâ, nostris non multo antè tempore resignauerat & tradiderat habendam; quam sine interuallo Rex prædicto viro, iure hereditario concesserat possidendam. Quis autem sit *Assisinorum* populus, & quām friuolas & DEO odibiles sequatur traditiones, in sequentibus loco & tempore docebimus: interim autem id de eis nouisse sufficiat, quia populus est Christianis, & aliarum sectarum nationibus, & maximè Principibus suspectus admodum, & meritò formidabilis.

XX. Interea qui ab Antiochenis pro domino *Raimundo*, Pictauiensium Comitis filio missi erant, vt præmisimus, prout eis iniunctum fuerat sollicitè inuestigantes, vbi compendiosiùs eum inuenire possent, certis didicerunt relationibus, eum apud dominum *Henricum* seniorem Anglorum Regem, à quo & arma sumpserat militaria, moram facere. Vnde recto itinere in Angliam abeuntes, prædictum ibi reperiũt adolescentem: cui caussâ viæ secretiùs patefactâ, de consilio domini Regis benefactoris sui, verbum oblatum deuotus amplectitur, & viæ necessaria præparans, iter nemini notus ingreditur. Præsenserat porrò Dux Apuliæ *Rogerus*, quæ de illius vocatione apud Antiochiam concepta fuerant; vnde in singulis Apuliæ vrbibus maritimis prætenderat insidias, vt eum comprehenderet, sperans quod si eius posset transitum præpedire, faciliùs ad petitam hæreditatem, redemptis pecuniâ illius regionis magnatibus, posset obtinere compedium. Verùm dominus *Raimundus* prudenter celans propositum, omni fastu deposito, tãquam vnus de popularibus, nunc pedes, nunc vilibus insidens iumentis, inter plebeios iter carpebat incœptum, nulli vnquam vel leue generositatis aut copiarum prætendens argumentum. Socii autem eius per turmas diuisi, simul & familia, quidam per diætas tres aut quatuor præcedebant, quidam verò sequebantur, tanquam ad eum nullum habentes respectũ. Sic ergo peregrino & vili amictus habitu, & seruorum plerunque subiens officia, specie fallens vniuersos, hostis prudentis & potentissimi declinauit tendiculas. Perueniens itaque *Antiochiam*, amicos suo exhilarauit aduentu: quibusdam verò non modicam intulit formidinem, qui Principissæ fautores, huius promotioni resistere nitebantur. Porrò modico antè tempore, postquam tamen prædicti missi fuerant, vt dominum Raimundum citarent, *Aaliza* principissa domini Boamundi vidua, dominæ quoque *Milisendis* Reginæ soror, quam pater eius à ciuitate exclusam Antiochena, Laodiciâ & Gabulo iusserat esse contentam, interueniente apud Regem sorore suâ, ne actibus eius obuiaret, quorundam procerum fulta patrocinio, iterum Antiochiam ingressa est, pro domina se gerens; & vniuersa ad suam reuocabat sollicitudinem. Inter hæc *Radulphus* Antiochenorum Patriarcha subdolus, & in omni via sua multiplex, Principissæ persuaserat, vt eius interim aduersus clericos suos, qui eum persequebantur, gratiâ fungeretur & obsequiis, quòd is qui vocatus erat, & venisse dicebatur, dominus *Raimundus*, ei esset destinatus, & futurus maritus; credulamque nimis, hac vanâ spe deludebat. Raimundus autem præsentiens, quòd absq; domini Patriarchæ gratia & consilio ad optatum pertingere non posset, per interpretes vtrique familiares, aditum quærit, quomodo domini Patriarchæ sibi fauorem comparet, & pleniùs conciliet affectum. Exigitur ergo à domino Raimundo, vt iuramento corporaliter præstito, domino Patriarchæ fidelitatem exhibeat: versâ vice, suscepturus sine difficultate puellam in vxorem, & cum omni quiete principatum: interseritur etiam pactis, quòd si domini Raimundi frater, *Henricus* nomine, in partes descenderet Antiochenas, dominus Patriarcha fideliter elaboraret, quomodo puellæ matrem, domini Boamundi viduam, cum duabus vrbibus maritimis & earum finibus, haberet vxorem. Sic ergo pactis interpositis & iureiurando roboratis, admissus est in vrbem, adhuc exspectante matre, vt sibi omnis ille nuptiarum fieret apparatus: & confestim ad Basilicam Apostolorum principis deductus, dominam *Constantiam* adhuc intra nubiles degentem annos tradente domino Patriarchâ, & id fieri postulantibus magnatibus vniuersis, duxit vxorem. Principissa verò audiens quòd delusa esset, Antiochiâ subitò egressa, in suam se contulit regionem, principem postea inexorabili odio persecuta. Ab ea igitur die de elato factus elatior, solidas nimiùm se sperans in domino Principe bases recepisse dominus Patriarcha, solito se exhibebat arrogantiorem, de domino Principe plus æquo præsumens, & planè deceptus: nam Princeps pro magna ducens ignominia, quod ab eo fidelitatem extorserat, beneficii immemor, cœpit eum hostiliter persequi; & iuramenti prodigus, aduersariis eius adiunctus est.

XXI. Erat autem idem dominus *Raimundus*, egregii sanguinis priscâ generositate insignis, corporis eximiâ proceritate, & totâ eiusdem gratissimâ compositione præstãtissimus; adolescens, vix primâ malas vestitus lanugine, speciosus formâ præ regibus & principibus orbis terræ, verbo & affabilitate commendabilis, totâ sui habitudine venustam Principis eximii prætendens elegantiam; armorum vsu & rei militaris experientiâ, omnibus qui eum præcesse-

præcesserunt, vel secuti sunt, anteponendus; literatorum, licet ipse illiteratus esset, cultor; in diuinis assiduus, Ecclesiasticorum officiorum & maximè in diebus solemnibus auidus auditor; cõiugalis integritatis, postquam duxit vxorẽ, sollicitus custos & seruator; in cibo & potu sobrius, munificus & liberalis supra modum; sed parum prouidus, aleæ & damnosis talorum ludis plus æquo insistens. Erat præterea inter cæteros quos patiebatur defectus, animo præceps, in agendis impetuosus, in ira modi nescius, rationis expers, parum fœlix; in ea fidelitate quam domino Patriarchæ promiserat iuramenti immemor, & fidei interpositæ prodigus. Porrò *Ascalonitæ* illis diebus insolentiores solito, & successibus facti animosiores, vniuersam regionem liberis nimiùm discursibus percurrebant. Erat autem eadem ciuitas Principi Ægyptiorum subiecta potentissimo: qui timens, ne eâ subactâ, Christianorum exercitus in Ægyptum irrumperent, & eius turbarent quietem, omni sollicitudine & sumptibus infinitis dabat operam, vt eam quasi pro muro inter se & nostram haberet regionem: formidansque ne continuis laboribus & bellorum indeficientibus periculis, suorum virtus succumberet, singulis trium mensium spaciis, nouos populos, recentesq; legiones in subsidium ciuium, cum victu necessario, & armorum copia, sollicitus dirigebat. Hi autem qui de nouo accedebant, volentes tyrocinii sui vires experiri, & animositatis certa dare insignia, plerunq; inuitis veteranis, discursus & expeditiones, experimenti frequenter moliebãtur gratiâ. Nostri verò videntes præsumptionem eorum non cessare, & vires indeficienter reparari, & morte ciuium, Hydræ more, ciues ampliùs & indesinenter suscipere incrementum: post multa consilia, optimum iudicant, contra hanc hydram immanissimam, damno capitum factâ locupletiorem, & totiens attritam, grauiter in nostra pericula renascẽtem, municipia in circuitu per gyrum ædificari, vnde collectâ faciliùs militiâ, & de vicino commodiùs hostium discurrentium refrenari posset impetus, & ciuitas frequẽtiùs impugnari. Prouiso igitur loco ad hoc idoneo, circa radices mõtium, in campestrium initio, quæ inter montes & vrbem prædictam cõtinuo interiecta sunt tractu, in ea parte Iudeæ, quæ tribui Symeon sorte exiit in funiculo distributionis, vrbem veterem & dirutam, *Bersabee* nomine reædificare parant. Cõuocato itaq; vniuersi Regni populo, domino quoq; Patriarchâ *Guilelmo* & magnatibus, opus conceptum aggrediuntur, & inceptum bonis auibus, consummatum, auctore Domino felicius præsidium ædificãtes muro insuperabili, antemuralibus & vallo, turribus quoq; munitissimum, miliaribus duodecim à prædicta distans Ascalona. Hic locus tempore filiorum Israël, Terræ Promissionis ab Austro, sicut & *Dan*, quæ hodie dicitur *Paneas*, vel *Cæsarea Philippi* à Septentrione erat terminus, sicuti in veteri testamẽto sæpiùs inuenitur, *à Dan vsque Bersabee.* Hîc *Abraham*, sicut & alibi in plerisq; locis, puteum dicitur fodisse, cui nomen ex aquarum copiis indidit, *Abundãtia.* De his etiam & Iosephus in libro Antiquitatum meminit dicens: *Abimelech itaque & terram ei distribuit, & pecuniam, constitueruntq; vt inter se sine dolo conuersarentur, facientes ad quendam puteum fœdus quem* Bersabeæ *vocant, quòd fœdus Putei dici potest: sic autẽ hactenus à comprouincialibus nominatur.* Dicitur autem & Puteus septimus, Arabicè autem *Bethgebrim*, quod interpretatur *domus Gabrielis.* Consummato igitur præsidio, & partibus omnibus absoluto, de communi consilio traditur fratribus domus Hospitalis quæ est Hierosolymis, qui vsque in præsens depositum debitâ custodierunt diligẽtiâ, factiq; sunt impetus hostium in ea parte debiliores. Post hæc nõ multo temporis interuallo, dominus *Pontius* Comes Tripolitanus, *Bezeuge* Damascenorũ principe militiæ in fines Tripolitanos ingresso, sub castro quod *Mons Peregrinus* dicitur, hostibus cum omni suorũ manu viriliter occurrens, dissolutis agminibus suis, & in fugam versis, captus est; & prodentibus eum Surianis, qui in Libanicis super eãdem ciuitatem habitant iugis, occisus est, *Raimundo* filio herede relicto, & in eodem Comitatu successore. Captus est ibidem nihilominus dominus *Giraldus*, eiusdem ciuitatis Episcopus: sed postquam apud hostes aliquãdiu ignotus detentus est, dato pro se captiuo vno, qui apud nostros detinebatur in vinculis, libertati pristinæ restitutus est. Cecidit in eodẽ prælio nobilium prædictæ vrbis, sed & mediæ manus hominum maxima multitudo. *Raimundus* autẽ patre defuncto, collectis de residuo militiæ auxiliis, & pedestriũ manu valida cõgregata, subitò Libanum in virtute magna cõscendens, omnes illos viros sanguinum, qui prædictũ potentem virum in agrum

[Margin: XXII. (at "Porrò Ascalonitæ"); XXIII. (at "Post hæc"); Ind. 20, 1. and 2. Sam. 3, 10. (at "à Dan vsque Bersabee"); line numbers 10, 20, 30, 40, 50]

Tripolitanum, suis persuasionibus induxerant, & quos paternæ necis & publicæ stragis reos esse deprehendere potuit, cum vxoribus & liberis, vinculis mancipatos Tripolim deduxit: vbi in præsentia populi, in vltionem sanguinis eorum qui in acie ceciderant, eos variis affecit suppliciis, & durissima mortis genera, tamē pro immanitate commissi sceleris debita, compulit experiri. Hæc prima virtutis suæ rudimenta prædictus adolescens Comes, omnium in se prouocās affectum, & fauorem concilians, dedit.

XXIV. Nunciatur interea, & multorum relatione diuulgatur, quòd dominus *Ioannes*, Constantinopolitanus Imperator, domini *Alexii* filius, conuocatis de vniuersi Imperii finibus, populis, tribubus & linguis, in multitudine curruum & quadrigarum, & inauditis copiis equitum congregatis, in Syriam descendere maturabat: nec erat sermo fide vacuus. Statim enim ex quo famā comperit certiore, quod *Raimundo* vocato ciues ei *Antiochiam* tradidissent, & domini *Boamundi* filiam ei contulissent vxorem, disposuerat Antiochiam venire, multùm indignans quod absque eius conscientia & mandato, aut domini sui filiam nuptui collocare præsumpserant; aut ciuitatem alterius ditioni, eo inconsulto, ausi fuerant mancipare. Eam enim cum vniuersis adiacentibus prouinciis ad sui iurisdictionem reuocans, sibi vendicare contendebat: asserens, magnos illos Principes, viros virtutum, & immortalis memoriæ, & à Domino missos, qui in prima venerunt expeditione, quos longum nimis esset enumerare per singulos, cum patre suo & in Imperio antecessore domino *Alexio* conuenisse, multā munerum & obsequiorum interuentione, quòd quascunque vrbes vel castella in tota illa profectione quocunque casu comprehenderent, eius sine cōtradictione subiicerent Imperio, & mancipatas pro posse & viribus quousque ipse cum suis adesset copiis, fideliter conseruarēt. Et hoc allegabat gestis insertum, & prædictorum Principum iuramentis corporaliter præstitis confirmatum. Certum est autem prędictos Principes cum domino Imperatore pacta iniisse; ipsumque versā vice conditionibus quibusdam se Principibus obligasse, à quibus ipsum prius certum est defecisse: vnde ei tanquam pactorum violatori se non teneri constanter asserebant, qui prædictis conditionibus interfuerant; eosque qui iam vita decesserant, nihilominus reddebant excusatos, dicentes eum prius tanquam varium & inconstantem hominem, & cum eis fraudulenter versatum, aduersus sua pacta venisse. Vnde & meritò lege pactorum se dicebant absolutos: *Iniquum est enim ei fidem seruari, qui contra pacta nititur versari.* Facto igitur per annum continuum, missis procuratoribus per vniuersum regnum, ad iter apparatu pro Imperiali magnificentia necessario, in curribus & equis, thesauris numerum & pondus & mensuram nescientibus, & copiis infinitis, superato nauigiis Hellesponto, qui vulgari appellatione dicitur *Brachium sancti Georgii*, viam versus Antiochiam dirigit, in multitudine graui. Transcursis igitur mediis prouinciis in *Ciliciam* peruenit, vbi moram faciens, *Tarsum* primæ Ciliciæ metropolim egregiam obsidens, occupauit eam violenter; & eiectis ex ea domini Principis Antiocheni fidelibus, quorum fidei vrbem prædictam commiserat, suos induxit. Ipsum autem & de *Adama*, & *Mamistra* & *Anauarza* secundæ Ciliciæ metropoli celeberrima, & cunctis eiusdem prouinciæ ciuitatibus, & municipiis & oppidis quibuslibet, facere non distulit. Sicque vniuersam Ciliciam per annos quadraginta, à principe Antiocheno sine calumnia possessam, ex quo prædicta *Tarsus*, per manum domini *Balduini*, fratris domini Ducis; *Mamistra* verò cum omni reliqua regione, per manum domini *Tancredi* viri clarissimi, antequam Antiochia, in nostram deuenisset potestatem, Christianæ libertati restitutæ sunt, suo contra ius & pium vendicans Imperio: inde etiam cum vniuersis exercitibus suis in multitudine virtutis suæ progrediens, *Antiochiam* accelerat; ad eamq; perueniēs, statim more hostili circumuallat obsidione. Ordinatis itaq; per gyrum machinis, & ingentibus tormentis congruis stationibus collocatis, vrbem cœpit vehementiùs artare.

XXV. Dum hæc circa Antiochiā aguntur, *Sanguinus* vir sceleratissimus, & Christiani nominis immanissimus persecutor, videns Comitem Tripolitanum cum multa suorum manu paulò antè corruisse, regionem quoque vniuersam militaribus destitutam auxiliis, in finibus Tripolitanis supra ciuitatem *Raphaniam*, in monte situm præsidium, cui nomen *Mons-Ferrandus*, de quo etiam superiùs præmisimus, potenter obsidet; & oppidanos intus obsessos acriter impugnat, vrget indesinenter, & multā molestat instantiā. Hoc audiens Comes

Comes Tripolitanus *Raimundus*, adolescens, Pontii prædefuncti filius, domini Regis ex sorore nepos, missis sub omni celeritate nunciis, dominum Regem profusis anxiè precibus rogat, vt in tanta necessitate, rebus penè desperatis nō moretur subuenire, sed opem laturus acceleret. Dominus itaq; Rex paterno more pro vniuersis Christiani populi necessitatibus debitam gerens sollicitudinem, cōuocatis subitò vniuersis Regni Principibus, & militaribus tam equitum quàm peditum auxiliis conglobatis, impiger aduolat, & Tripolitanis se ex improuiso exhibet finibus. Occurrunt ibidem nihilominus & domini Principis *Antiocheni*, sinistra deferentes, nuncii, scriptis & viuâ voce asserētes, quod & verum erat, dominum Imperatorem
10 Antiochiam obsedisse: monentes & multâ rogantes instantiâ, quatinus illuc cum omnibus copiis descendat, & fratribus in graui anxietate positis, maturè subueniat. Habitâ itaque deliberatione, quid in tam ancipiti facto fieri oporteret: placuit vniuersis, vt priùs Christianis in vicino castro vallatis, ministretur auxilium, quod satis leue videbatur; dehinc omnes vnanimiter Antiochenis subuenturi, progrediantur. Coniunctis igitur ad inuicem, tam domini Regis, quàm Comitis viribus, & robore collato, hostibus obuiam, gratiâ destituti diuinâ, progredi nituntur. Vbi ad locum cœperunt appropiare destinatum, *Sanguinus* audiens nostrorum aduentum, obsidionem soluens, ordinatis agminibus, eis occurrit. Nostri quoque instructis aciebus & iuxta militarem disciplinam dispositis, nihilo segniùs vnanimiter proceden-
20 tes, versus oppidum, obsessis opem laturi, contendunt; & vt municipium alimentis vacuum, comportatis repleant necessariis. Qui autem duces erant itineris, nostrum præcedentes exercitum, errore an malitiâ dubium est, commodiorem & planam à læua declinantes viam, montis ardua secuti, per loca inuia, & angusta nimis, nostras inducunt acies, vbi Martiis congressibus locus non erat idoneus, nec habilis ad resistendum, neque ad impugnandum opportunus. Quod videns *Sanguinus*, sicut erat vir sagacissimus, & rei militaris multam habens experientiam, videns meliorem se habere calculum, animo feruens, suos conuocans, & inter milia suorum primus, verbo suos erigens, prouocans exemplo, in medias nostrorum irruit acies; & viriliter dimicās, ad nostrorum stragem animat, & agmina nostra prima in fugā conuer-
30 sa prosternit. Videntes autem nostri Maiores exercitus, primas acies defecisse, & in nullo resistendi spem habere, seq; in angusto positos, subueniendi afflictis copiam non habere, monent dominū Regem, vt saluti consulens, in vicinū se cōferat præsidium. Quod vidēs dominus Rex esse pro tempore expedientius, in præsidiū se cum paucis recipit, pedestribus copiis penè omnibus, aut neci traditis aut in vincula cōiectis. Captus est ibi egregiæ indolis adolescens comes Tripolitanus, & de equestri ordine cum eo capti sunt nōnulli. Pars autē dominum Regem secuta, in municipiū ingressi, vitæ consuluerunt quocunq; modo, & saluti. Amiserunt ergo illâ die impedimentorum vniuersam multitudinē, equos, & ad sarcinas deputata animalia, quibus prædictum oppidum instaurare fuerat propositum. Nā qui in castrum fugien-
40 tes ingressi sunt, vacui, & sola secum arma, quibus muniti erant, habentes, nihil victus intulerant. Cecidit illâ die inter cęteros vir magnificus, nobilitate & armorum vsu insignis *Gaufridus Charpalu*, domini Ioscelini senioris Edessani comitis frater, cuius interitus tanquā strenui viri, multis extitit doloris causa amplioris, & vniuersum concussit exercitum casus eius lugubris. *Sanguinus* interea videns nostros nihil prorsus alimentorum intulisse in castrum, se eorum copias habere vniuersas, & omnes Regni vires attriuisse, Comitem quoq; se habere in vinculis, Regem etiam in castro semiruto, & alimentis vacuo, cum Regni maioribus inclusum: apposuit iterū municipium obsidione claudere; sperans non esse qui possit obsessis subsidium ministrare; idq; præsidium infra paucos dies non dubitans se posse euincere. Conuo-
50 catis igitur in vnum cuneis, redeunt nostrorum spoliis onusti, ampliorem prædam præ collectorum multitudine fastidientes; & castrū ordinatis in gyrum legionibus, obsidione vallat vrgentissimâ. Porrò intus cum domino Rege se cōtulerant, de regni proceribus, *Wilelmus de Buris* constabularius, *Rainerus Brus* miles insignis, *Guido Brisebarre*, *Balduinus de Ramis*, *Hemfredus de Torono*, tyro & nimiùm adolescens: & alii plures, cum quibus Rex habens consilium, deliberat quid in tanta, tamque angusta & vrgente necessitate fieri oporteat. Decernunt ergò pariter, vt principem Antiochenum, & Edessanum Comitem Ioscelinum iuniorem in suum sollicitent subsi-

XXVI.

dium; dominumque Hierosolymorum Patriarcham cum vniuersis regni populis inuitent;& interim eorum quocunq; modo præstolentur aduentum. Per idem tēpus, dum hæc circa *Montem Ferrandum* aguntur, *Rainaldus*, qui cognominatus est *Episcopus*, nepos domini *Rogerii* Episcopi Liddensis, militiæ sancti Georgii primicerius, miles in armis strenuus, & actibus militaribus insignis, dum Ascalonitas more solito, sed incautè prosequitur, in prætentas casu decidens hostium insidias, captus est. Interea non cessant nuncii, sed sub omni celeritate properāt. Hic dominū Principem debitâ stimulat instantiâ; & Regis & suorum necessitates edocens, moras arguit, festinare monet attentiùs: Ille, dominum Edessanum Comitē continuis incēdit hortatibus. Tertius Hierosolymā festinus accelerat, & populum commouet vniuersum. Verùm princeps Antiochenus dubius quid faciat, hæret aliquantulum: nam pro foribus habēs Imperatorē, vrbi timet, si tentet abscedere: iterum domino Regi in tanta necessitate posito, durum nimis & inhumanum reputat non subuenire. Tandem domini Regis & Christiani populi molestiis & anxietatibus cōpatiens, ciuitatē suam Domino cōmittens, satiùs iudicat cum fratribus quantùlibet aduersa sustinere, quàm eis sic deficientibus, abundare prosperis, & qualibet tranquillitate gaudere. Cōuocat igitur proceres, & populi Maiores; reuelataq; cunctis propriâ conscientiâ, inuitat omnes ad Regis subsidium, & facilè persuadet. Sponte enim in eadem Deo gratissima concurrunt omnes desideria; & subitò paratos se offerentes, ab vrbe egressi, dominū Imperatorem circa eandem ciuitatem relinquētes, vnanimiter ad domini Regis subsidium proficiscuntur. Comes quoq; Edessanus, cū vniuersis viribus suis pari voto accingitur, & ad idem opus mirâ festinat celeritate. Dominus quoque Hierosolymorum Patriarcha *Wilelmus*, collectis vniuersis copiis, quas in Regno potuit inuenire, assumpto sibi Dominicæ crucis venerabili ligno, illuc impiger accelerat; & vndique suffragia corrogans, in eorum subsidium maturè contendit.

XXVII. His ita circa dominum Regem se habentibus, *Bezeuge* regni Damascenorum procurator, & Princeps militiæ quo de etiam superiùs fecimus mentionem, audiens Regnum solito robore vacuum, Regem in extremis regionibus obsidione clausum, Principes & vniuersum populum circa eius liberationem sollicitū, ad illas partes vnanimiter conuolare: ratus ex tempore nocendi occasionem inuenisse optatā, cum multa militia in Regnum ingreditur; & *Neapolim* ciuitatem immunitam, muro & antemuralibus, & etiam vallo carētem, aggreditur ex improuiso; & subitò irruens, tanquā fur in nocte, in ciues incautos gladiis, & toto desæuit spiritu, ætati non parcens, aut sexui: tādem seriùs admoniti, qui inuenti sunt residui, in præsidium quod in medio ciuitatis est, cum vxoribus & liberis, se cum multo labore recipientes, vix à cæde & incendiis elapsi sunt. Ille autē nemine prohibente, discursibus liberis vniuersam vrbem obambulās, incendiis cuncta subiiciens, prędā & manubias, & quæcunq; desiderabilia in vrbe depopulatus, indemnis recessit.

XXVIII. *Sanguinus* interea obsessos continuis vrgens molestiis, mœnia tormentis quatiens, machinis molares & saxa ingentia iaculatoriis in medium cōtorquens præsidium, domos prosternit interiùs, nō sine multa inclusorum formidine: tantis enim eos cautes violenter immissi, contorta omnimodorum telorum genera, opprimebant angustiis, vt iam intra muros nullus tutus ad occultandos saucios & debiles inueniretur locus. Vbique periculum, vbique discrimen, & mortis imago tremendæ eorum se ingerebat oculis; & mentibus non deerat repentini timor interitus, & casuum præsentia sinistrorum. Ad hoc vir sæuissimus, assultus ingeminat, & destinatis per vices agminibus, successionis quodam ordine vires reparat; & prioribus defatigatis, recentes subrogat, vt continuatum potius quàm renouatum videretur præliorum negotium. Nostri verò, non habentes ad hanc vicissitudinis recreationem inducendam sufficientes copias, ipsi primos, ipsi nouissimos continuatis laboribus sustinent impetus. Diminuebatur prærerea eorum diebus singulis numerus, aliis vulnerum acerbitate, aliis ægritudinum varietate decumbentibus; omnibus autem vnus idemque defectus, & tolerandæ perpetis molestiæ par impotentia. Noctes enim, excubiis deputati trahebant insomnes; diebus verò, continuis congressionibus fatigati, nullas percipiendæ quietis ad restaurandam corporum exinanitionem, hostes ferias indulgebant. Accedebat & ad malorum cumulum, quod nec ingredientes alimentorum aliquid intulerant; nec in castro, ex priore obsessione,

sessione, erat aliquod victus residuum: nam quod ipsi inferre decreuerat, in manus hostium cum omni peruenerat integritate. Vnde statim post ingressum, suos, nil aliud habentes, equos comederant, quibus deficientibus, omnis omnino deficerat alimonia. Attenuabantur itaq; præ ieiunio, etiam fortium & robustorum corpora; & inducta per inediam macies, strenuis etiam vires furabatur. Tanta præterea erat inclusorum multitudo, vt nec ciborum sufficerent copiæ ad hoc, vt vnusquisq; modicum quid acciperet: ita sanè obsessorum multitudine vniuersa municipii referta erant diuersoria, vt vicus & plateæ iacentium frequentiâ, quasi iuncis strata viderentur: emissa quoque incautè iacula, casu & sine studio dirigentis letalia inferebant vulnera. Hæc omnia *Sanguinus* nouerat pleniùs, eoque proteruiùs suos ad instandum impellebat, quòd nostros hæc molestiùs pati posse non dubitabat. Ad hæc & circa oppidum tam frequentes hostium erant dispositæ cohortes, & tantâ diligentiâ omnes obseruabant aditus, vt nec ad nos accedere quispiam, nec de nostris egredi aliquis, quasi rem desperatam attentaret. Augebatur obsessis in dies molestia singulos, & victu penitus deficiente, nullum erat spei residuum; & rebus ipsis edocebantur, quàm violentum sit famis imperium, & quàm verè dictum sit illud: *Asserit vrbes sola fames.* Id tamen pereuntem quocunque modo adhuc fouebat populum, quòd principis & Comitis Edessani, necnon & Hierosolymorum præstolabatur subsidium: &, quia *animo cupienti nihil satis festinatur*, omnis habebatur mora suspectior; dilatione votum creuerat, & hora pro anno computabatur. Interea dum hæc circa obsidionem sic aguntur, princeps *Raimundus* cum suis iam aderat legionibus, Comes quoq; Edessanus ingentia trahens agmina non longè aberat: sed & Hierosolymorum exercitus salutiferæ Lignum Crucis sequẽtes vnanimiter, maturato itinere accelerabant. Quo per nuncios fideles comperto, Sanguinus timens tantorũ aduentum Principum; idq; specialiùs reformidans, ne auditis obsessorum molestiis, eisq; compatiens dominus Imperator, quẽ circa Antiochiam esse cognouerat, cũ suis intolerabilibus copiis super se iratus irruat, antequã ad obsessos hic rumor perueniat, de pace primus missis internunciis dominũ Regẽ, & Principes suos alloquitur, dicens: *Castrum iam semirutum, antè se diu non posse stare; populũ ieiunum & fame laborantem, resistendi vires & animos amisisse; suum verò è contra exercitum, necessariis abundare: tamen domini Regis intuitu, qui magnus & eximius esset Princeps in populo Christiano, dicit se vniuersos captiuos quos paulo antè ceperat, tam Comitem quàm alios restituturum, & domino Regi cum omnibus suis liberum & tranquillum exitum, & ad propria reditum, indulturũ, si ei castrum omnibus vacuum restituere voluerint.* Nostri porrò nescientes tã præsens esse subsidium, prẹterea fame, vigiliis, laboribus, angore attriti, vulneribus confossi letalibus, imbelles facti & exhausti viribus, verbum oblatum cum omni auiditate suscipiunt, admirantes, vnde tanta hominis tam inclemẽtis processerit humanitas: quacunq; tamen occasione, porrectas gratanter suscipiunt cõditiones. Pactis ergo hinc inde ad placitam vtrinq; redactis consonantiam, comes Tripolitanus restituitur, & cum eo captiuorum maxima multitudo; statimq; dominus Rex cum suis egressus, ab hoste satis humanè tractatus, præsidio Turcis resignato, confusus quidem, sed tamen de periculorum nimia perplexitate erutus, gaudens, de montibus descendit in campestria *Archis* contermina; vbi audito domini Principis & domini Comitis aduentu, approbans eorum sollicitudinem, & fraternam caritatem, sed serò oblatam conquerens, eis occurrit deuotus; solutisq; ingentibus gratiarum actionibus, quòd pro eius negocio tam sollicitos se exhibuerant, & quantum in eis erat, optatum ministrauerant subsidium; & mutuis collocutionibus recreati, diuisi sunt ab inuicem, ad propria redeuntes. Dominus autem Princeps, cuius res in arto videbantur constitutæ, quia potentissimum orbis terræ principem ante suam ciuitatem hostilia meditantem dimiserat, *Antiochiam* sub omni celeritate rediens, per portam superiorem, quæ præsidio ciuitatis, & arci contermina est, ingressus, Imperatorem adhuc in eodem perseuerantem proposito reperit: vbi per dies aliquot habitis congressibus, nõnullis Antiochenis in Imperatoris exercitum clàm sæpè, palam sæpiùs irruptiones faciendo, damna eis frequenter intulerunt enormia; & cũ eis more hostili, non attentâ fidei professione, versabantur. Imperator quoque versâ vice tormentis ingẽtibus & machinis iaculatoriis, cautes immanissimos, & immensi põderis cõtorquendo, à porta pontis mœnia cædendo & turres, vbris claustra debilitare

XXIX.

XXX.

& effringere nitebatur. Dispositisq; per gyrum legionibus, sagittis, & omnium missilium genere, necnon & fundibulariorum manu proterua, ciues à muri propugnatione arcebant eminus; & ad suffodienda mœnia aditum & opportunitatem nitebantur vendicare. His igitur ita se habentibus, timori erat prudentioribus vtriusq; exercitus, quòd nisi maturo rei subueniretur cōsilio, res in eum casum esset deuentura, in quo non facilè, periculis emergentibus, remedia possent aptari conuenientia. Interponunt se itaq; viri timorati, partium arbitri, pacis portantes manipulos: & domini Imperatoris ingressi castra, eius verbis pacificis, & omni humilitate prætētâ, mitigare satagebant indignationē: Rursum dominum Principem adeuntes, prudenter & circumspectè nimis, prout opus erat, viam pacis student inuenire. Tandē visum est arbitris, & quæsiti fœderis moderatoribus, quod *dominus Princeps ad Imperialem accedens magnificentiam, in præsentia illustrium & inclytorum Imperialis palatii, cum vniuersorum cœtu procerum suorum, cum debita sollemnitate ei ligiam exhibeat fidelitatem; interq; præstito corporaliter sacramēto, quòd domino Imperatori Antiochiā ingredi volenti, vel eius præsidium, siue irato siue pacato, liberum & tranquillum non neget introitum. Et si dominus Imperator ei Halapiam, Cæsaream, Hamā, Emissam, sicut pactis erat insertum, Principi restitueret quietas, quòd his & aliis circumadiacentibus cōtentus vrbibus, Antiochiam domino Imperatori sine difficultate restituat iure proprietatis habendam: dominus verò Imperator in recōpensationē exhibitæ fidelitatis, Principi concedat, quod si auctore Domino cum contigerit Halapiam, Cæsaream, & omnem circumadiacentem regionem sibi acquirere, totum Principi sine molestia & diminutione accrescat; & iure perpetuo sibi & heredibus suis, tamē in beneficio, quod* feodum *vulgo dicitur, tranquillè possideat.* Egressus est igitur dominus Princeps, iuxta condictum, cum omni suorum nobilium comitatu, ad castra Imperialia: vbi cum debita honorificentia à domino susceptus Imperatore, recensitis ad placitum hincinde pactis cōsensum, fidelitatem suam domino Imperatori manualiter exhibuit: sed & statim prædictarum vrbium cum omnibus pertinentiis suis, dominus Imperator inuestituram ei concessit, spondens firmissimè, quòd æstate proximè futurâ, eas auctore Domino, comprehensas corporaliter tradat. Sic itaque fœdere completo, pace pleniùs restitutâ, vexillo Imperiali super principalem præsidii arcem collocato, donis ingentibus cumulatus, cum suis Princeps in ciuitatem est regressus. Dominus autē Imperator, propter instātem hyemis asperitatem, cum vniuersis exercitibus suis in Ciliciam reuersus, circa *Tarsum* in regione maritima, hyemandi gratiâ se contulit.

EXPLICIT LIBER QVARTVSDECIMVS.

CAPITVLA LIBRI QVINTIDECIMI.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI QVINTIDECIMI.

INCIPIT LIBER QVINTVSDECIMVS.

CAP. I.

TRANSCVRSIS igitur circa partes Ciliciæ mensibus hybernis, vere iam reducto, & gratam exercitibus referente temperiem, missâ voce præconiâ, & edicto Imperiali publicè mandatur primiceriis, cẽturionibus, quinquagenariis legionum, iterum cohortes instrui, instrumenta bellica reparari, armis accingi populum vniuersum. Præmissis ergo legationibus dominus Princeps, dominus quoque Comes Edessanus, aliique illarum partium primores inuitantur, vt cũ domino Imperatore proficiscantur ad prælia. Quibus vndique conglobatis, quasi circa Kal. Aprilis, tubarum stridore, clangore tympanorum, exercitus vniuersus, vt pactis inter se & Principẽ priùs initis, satisfaciant, versus *Cæsariam* acies dirigi præcipit; & fines hostium ingressus, paucis euolutis diebus, ante prędictam vrbem castra metatus est. His auditis, Princeps & Comes, conuocatis ex vniuersa regione suorum copiis, Imperatorem sub omni celeritate sequentes, subitò cum suis ante suprà nominatam ciuitatem, paribus accensi desideriis adfuerunt. Est autẽ prædicta ciuitas, inter montem & fluuium, qui Antiochiam præterfluit, ferè in modum Antiochiæ sita, partem sui maximam in plano vsque ad flumen habens: partẽ quoque in decliuo montis; præsidiũ verò in montis fastigio imminens, humanis inexpugnabile viribus est cõstitutum. Vnde à læua & à dextra demissis vsque in fluuium mœnibus, ciuitas ambitur cum suburbio sibi adiacente. Transito itaque fluuio, dispositisque in gyrum agminibus, ex ea parte vnde ciuitas suburbio ante se posito habilior ad impugnãdum videbatur, vrbem vallat obsidione. Hic demum machinis congruâ prouisione dispositis, turres ac mœnia, & infra muros ciuium domicilia grauium immissione molarium, incessanter cõcutiunt, & crebris ictius & vicariâ immissorum cautium repetitione, non sine multa inhabitãtium strage funditus deiiciunt, in quibus erat defensionis spes maxima, ædificiorũ munimina. Vrgebat dominus Imperator, sicut erat vir magnanimus, studio feruente propositum, & propositis brauiis, adolescentium gloriæ cupidos, ad certamina & congressus Martios accendebat animos: loricâ quoque indutus, & accinctus gladio, casside caput tectus aureâ, medius immixtus agminibus, nũc hos nunc

illos sermonibus hortatur congruis; nunc exemplo tanquam vnus è popularibus prouocat, & instat viriliter, vt alios ad instandum reddat animosiores. Sic igitur vir egregiâ animositate insignis, sine intermissione discurrens, æstus belli à prima diei hora vsque ad nouissimam sustinens, nihil sibi quietis, vt vel cibum sumeret indulgebat: sed aut hos qui machinis deseruiebant, vt frequentiùs & directiùs iacularentur, admonebat; aut iis qui in conflictibus desudabant, addebat animos, per vicarias successiones vires reparans, & pro deficientibus recentes surrogans, & integris conatibus validos. Princeps autem & Comes, vt dicitur, adolescentes ambo, & illius ætatis læuioribus nimium tracti studiis, cæteris in prælio & re militari desudantibus, aleam ludebant, non sine damno rei familiaris, assiduè; & circa bellorum studia remissiùs se habentes, cæteros quoque à feruore instãtiæ, suo reuocabant exemplo. Quod audiens Imperator, & facto eorum pernicioso nimis motus, interiùs eos semel & secundò, familiari & secreta commonitione, reuocare studuit, exemplum sui proponens, qui cum Regum terræ & Principum omnium esset potentissimus, nec labori proprii parcebat corporis, nec immẽsis sumptibus. Tandem cum per dies aliquot in huiusmodi congressionibus & assiduis conflictibus perseuerasset exercitus, indignatus Imperator, quòd incomparabilibus eius copiis vrbs pusilla tam diu posset resistere, affectus tædio, moram arguens, suorum accusans desidiam, ad fortiores animat insultus, & cõgressus ingeminans, acriùs instare pręcipit. Dumq; vrbis effractioni certatim instant, suburbium prędictum, quod in inferiore ciuitatis parte situm esse diximus, cominus effractum occupant violenter, ciuibus qui ibi reperti sunt, non parcentes, nisi fortè qui ex eis verbo vel habitu, vel quouis signo Christianam professionẽ se esse sectaturũ designaret. Multos enim fideles habebat & habuerat ab initio ciuitas illa habitatores, qui sub miseræ seruitutis iugo ab infidelibus dominis premebantur indebitè.

II. Sic ergo ciuitate ex parte quadam impugnatâ, timentes ciues, violentas hostium in vxores & liberos & vrbis penetralia irruptiones, pacem ad tempus postulant modicum, & impetrant postulatam. Erat porrò illius ciuitatis dominus quidam nobilis homo, Arabs natione, *Machedolus* nomine: hic missis occultè ad Imperatorem nunciis, pro salute vrbis & ciuium indemnitate, profusis cum omni humilitate supplicat precibus, & infinitam spondens pro eodem pecuniam. Indignatus enim Imperator, quòd Princeps & Comes, ita dissolutè & negligenter in expeditione se habuerant, eoque pręcipuè, quòd pro eorum negotio & implenda promissione videbatur laborare, maximum contra eos rancorem conceperat; & promissam eorum fidelitatem, tanquam sine operibus mortuam, magis splendidam quàm solidam, pro nihilo ducens, firmissimè apud se, cum paucis familiaribus, præordinauerat, quòd in odium eorum, & infidelitatis pœnam, oblatâ qualibet occasione, quæ aliquam saltem honestatis speciem videretur pętendere, solutâ obsidione, ad propria rediret. Susceptâ igitur pactâ pro dissoluenda obsidione, pecuniâ, edicitur publicâ voce præconiâ obsessis pax; & legionibus mandatur, vt ad reditum se præparent. Sicque solutis castris Imperator versus *Antiochiam*, acies præcipit dirigi, & vniuersus illuc exercitus properare. Audientes hoc princeps & Comes, serò ducti pœnitentiâ, dominum Imperatorem ab incœpto reuocare nituntur; sed perseuerat in proposito, quod irreuocabiliter conceperat Imperator; spretisque eorum persuasionibus, iter accelerat. Dicebatur, Comes in eo malitiosè nimis versatus: Nam occulto, sed postmodum clarè patuit, aduersus dominum suum, Principem videlicet, ducebatur odio, & incrementum eius habens omne suspectum, seducebat imprudẽtioris adolescentis animum, ipse versutior: ad id toto contendens studio, vt Princeps Imperatoris indignationem mereretur, ne per eum ad maiora proueheretur compendia.

III. Perueniens igitur *Antiochiam* dominus Imperator cum filiis suis & familiaribus, & militia non modica ad vrbem ingressus, domino Principe, dominoque Comite Stratoris officium exequentibus, dominoque Patriarcha cum vniuerso clero & populo ordinatâ de more processione, in psalmis & hymnis, canticis & musicorum concentu instrumentorum, cum plausu & exultatione populorum, priùs ad cathedralem ecclesiam, deinde ad palatium Principis solemniter deductus est. Vbi cùm per dies aliquot, balneis, & cæteris quæ ad corpus pertinent recreationibus, tanquam dominus in domo, pro libero vsus esset arbitrio, profusaque & penè prodigâ tam in dominum

dominum Principem & Comitem, quàm in eorum Magnates, necnon & in ciues indifferenter vsus esset Imperiali munificẽtiâ, Principem simul & Comitem, & omnes prouinciæ primores, ad se fecit euocari: quibus in præsentia sua constitutis, Principem alloquitur, dicens: *Nosti, dilectissime fili Raimunde, quomodo ob gratiam tui, vt iuxta conuentiones inter nostrum DEO amabile Imperium, & fidelitatem tuam priùs per prudentum virorum mediationem initas, tuum augeam principatum, & dilatẽ super hostes fidei nostræ possessiones tuas, diu iam in ista regione conuersatus sum: & ecce opportunitate ingruente, tempus est vt promissa soluam, & omnem circumadiacentem regionem tuæ subiiciam ditioni, sicut pactorum tenor manifestiùs edocet. Sed nosti optimè, nouerũt & isti, qui tecum in nostra assistunt præsentia, quòd non est, quod tibi soluere tenemur, opus temporis modici; sed moram tua negotia videntur exigere diuturniorem & impensas ampliores deposcere. Oportet igitur vt ciuitatis huius præsidium, sicut ex pacto teneris, nostræ deputes custodiæ, vt in eo nostri tutiùs reponantur thesauri: vrbem quoque nostris exercitibus peruiam facias, vt liberam omnino intrandi egrediendiq́ habeant sine difficultate licentiam. Nam de Tarso, vel Anauarza, vel aliis Ciliciæ vrbibus, non ita commodè bellica parari possunt instrumenta, ad angustias & obsidionem Halapiæ inferendã; aliamq́ præstat hæc ciuitas iis vsibus opportunitatẽ, longeq́ meliorem quàm alia quæuis posset ministrare. Imple ergo promissum, & iuxta tenorem exhibitæ fidelitatis, prosequere quod tuum est: nam nostræ erit eminentiæ, id quod tibi tenemur exsoluere, largâ interpretatione & superfluente mensurâ largiri.* His dictis, Princeps & sui, verbi acerbitate perterriti, diu hærẽtes quid super his respõderent, cum multa anxietate secũ voluebãt, quid ad hoc referrent. Durũ enim videbatur & graue nimis, quòd ciuitas tanto nostræ gentis acquisita periculo, tantoque sanguinis felicium Principum dispendio Christianæ fidei restituta, quæ tantarũ semper fuerat caput & moderatrix prouinciarum, in manus effeminati Græcorum populi descenderet. nã sine ea reliquæ regionis portiones nobis stare posse non videbantur. Iterum, id pactis domini Principis insertũ, nemo erat qui dubitaret; præterea tot de suis intromiserat, quòd non facilè videbatur ei, vim inferre volẽti, resistere posse. Sic igitur res in arcto posita erat, cùm ecce Comes Edessanus pro omnibus respondens, ita orsus est: *Domine, sermo quẽ perorauit Imperialis sublimitas vestra, diuinâ redolet eloquentiâ, & omni acceptione dignus est: in nostrum enim totum illius tenorem videmus respicere penitus incrementum. sed res noua, nouo indiget consilio, nec est in domino Principe solùm hoc effectui mancipare. Oportet enim, vt cum suorum, mei videlicet, & aliorum suorum fidelium consilio, super hoc pleniùs deliberet, quomodo faciliùs verbum vestrum & postulatio debitum sortiatur effectum, ne tumultu plebis intercurrente, executioni petitionum vestrarum futuræ præstetur impedimentum;* Placuit itaque domino Imperatori Comitis responsum: & datis ad modicum induciis, vt dictæ satisfieret deliberationi, Comes domum regreditur, Principe in palatio remanente, & suiipsius (vt dicebatur) non habente potestatem. IV. Comite igitur domum reuerso, missis occultè nunciis, qui populum vniuersum, patefactâ Imperatoris postulatione, ad arma sollicitent, fit tumultus cum immoderato strepitu per vrbem; & turbis vndique conuenientibus, clamor attollitur in immensum. Hæc audiens Comes, accepto equo velociter ad palatium festinans, tanquã popularium incursus fugiens, ante pedes Imperatoris se dedit exanimem. Subito igitur Comitis ingressũ, imperator attonitus, quærit diligenter, *quænam sit caussa, quòd ita inordinatè, præter morem & disciplinam sacri palatii, ante maiestatem irruperit Imperialem.* Respondit: *necessitatem legem non habere; seq́ populi furentis insectatione coactum, vt mortis euitaret discrimen, contra morum regulas aduenisse.* Item sæpiùs sciscitanti, vt caussam diligentiùs aperiret, respondit: *se gratiâ percipiendæ quietis in hospitium declinasse, & ad id operam dare proposuisse, cùm ecce subitò vniuersus ciuitatis populus, quasi vir vnus ante domus ianuam cum gladiis & armis qualia furor ministrabat assistens, virum sanguinarium, proditorẽ patriæ, plebis homicidam, cœpit clamare: qui ciuitatem Imperatori, sumptâ inde pecuniâ vult vendere: Comitem Edessanum sibi dari obuiam velle: vixq́ eos iam effractâ domo, cum mille periculis effugisse.* Interea clamor per ciuitatem excitatur ingens, tumultus immoderatus, rumor celeberrimus omnium aures circumstrepit, ciuitatem Græcis vẽditam, præsidium iam eis traditum; ciues, relictis auitis domibus & fundis paternis, migrare oportere. His itaque rumoribus ciues accẽsi, quoscunque de Imperatoris reperiunt familia, de equis deiiciunt, vi spoliant, verberibus afficiunt, resistere volentes, gladiis obtruncant; & vsque in palatium Principis, iniurias & mortẽ fugientes, strictis gladiis

insequuntur. Hoc strepitu ciuium, & suorum conclamantium vociferatione vehementi motus Imperator, Principem & Magnates accersiri iubet, & mitigatâ pro têpore indignatione, timens ne contra se duriùs aliquid orirerur, sermonem, quem eodem die corâ omnibus aliquâtulum liberiùs dixerat, tâgens ait: *Memini me vobiscû hodie super vno verbo habuisse tractatum, vnde fortasse scandalum hoc in populo dicitur obortum. Nunc autem nouerit tam patrum, quàm plebis vniuersitas, quòd ex quo ità durum & difficile vobis videtur quod dixi, reuoco sententiam, retracto quod proposui. Habetote vobis tam vrbem totam, quàm præsidium: sufficit Imperio meo, statum temporum hactenus obseruatum continuare. Noui quòd verè fideles mei sitis, nec à fidelitate promissa & præstita vlla dies vnquam vos conuellere poterit. Egredimini igitur & populum furentem compescite. Quòd si mora in ciuitate mea eis aliquatinus suspecta est, ne super hæc moueantur: cras enim, auctore Domino, egrediemur.* His dictis laudant omnes domini Imperatoris propositum; & extollunt vsque ad sidera mentem prouidam, consilii altitudinem, consulti pectoris iudicium. Et egredientes Princeps & Comes, & alii procerum primores, voce, manu, nutibus & signis tumultum sedare tentant: tandemque indicto silentio, & plebe verbis amicis ad aliquam tranquillitatem redactâ, domum eos redire, & armis depositis quietè degere rogant propensiùs. Quod & factum est. Dominus autem Imperator, die sequente cum filiis & consanguineis & familiaribus egressus, ante vrbem castra locari præcipit.

V. Scientes ergo hi quibus mens erat sanior, dominum Imperatorem, licet more prudentis dissimulauerit, rancorem aduersus Principem & nobilium primores mente concepisse, tanquam eorum instinctu & occultâ operâ popularium tumultus & plebis scandalum esset excitatum: dirigunt reformandæ pacis gratiâ idoneos ad hoc, & sensus habentes exercitatos, ad Imperialem excellentiam nuncios, qui dominum Principem & Magnates regionis apud dominum Imperatorem satagant excusatos habere; & super eo qui in populo excreuit tumultu, prorsus asserant innocentes. Qui ergo missi fuerant, in auditorium Imperatoris intromissi, pro iniuncto negocio verba facientes, allegare student & persuadere Principis innocentiam, in hunc modum: *Nouit Augustalis apex, & Imperialis eminentia nobis multo meliùs, quòd in quolibet collegio, nedum in ciuitatibus, & magnis hominum cœtibus, non omnes pari splendêt prudentiâ, nec pari sunt præditi disciplinâ: sed aliter & aliter affectis ciuibus, dispares mores, disparia sequuntur studia: ita vt iuxta prudentis verbum, verum sit quod dicitur,*

Tres mihi conuiuæ propè dissentire videntur. *Et illud:*
Quot homines, tot sententiæ.

Sed in hac tanta varietate morum dissimilium, prudentis est, qualitatem distinguere meritorum, & congrua meritis præmia deputare. Iuxta hanc rationem plebis indiscretæ calor inconsultus, in damnum non debet redundare melius affectorum. Vsu enim inter homines solet euenire, vt plebs confusa, modum nesciens, rixas & tumultus consueuerit incautius suscitare. Idq; in omnibus benè moratis vrbibus, vetustam & vsu approbatam longæuo consuetudinem obtinuisse certum est, vt patrum modestiâ populares comprimantur impetus, & ignara modi refrenetur audacia. Aliter, vulgi multo meliorem quàm nobilium esse conditionem; turbæ imprudentis confusionem, quàm discretorum experientiam, nisi Maioribus colligere liceat peccata plebis inconsultæ. Ignorante sanè domino Principe, nescientibus iis ad quorum nutum maiora tractantur negocia, deliquit plebs indiscreta. Pœnas ergo toleret quas meruit, domino Principe cum Maioribus indemnibus conseruatis: paratus est denique in argumentum suæ innocentiæ in finibus stare pactorum; &, si liceat, vrbem cum præsidio in manus Imperii transferre. His & similibus persuasus Imperator, motum indignationis nimiæ, quem de sola suspicione conceperat, humaniore sententiâ reuocauit: accersitoque domino Principe, nec non & Comite cum proceribus, ad se familiariter præcipit introire; & detersâ omni interiecti rancoris nebulâ, mutuæ salutationis benignè suscipit & impendit affatum. Tandem eis innotescens quòd caussas haberet vrgentissimas, quibus impellentibus eum domum redire oporteret; sumptâ licentiâ, promissoque firmissimè, quòd iterum auctore Domino, pacta completurus, in manu valida esset rediturus, in Ciliciam vniuersos dirigit exercitus. Vnde completis negociis circa Ciliciam & Syriam, præparatisque ad iter agminibus, ad propria reuersus est.

VI. Interea dum hæc circa Antiochiam geruntur, subsequente æstate, non post multum temporis interuallum, vir inclytus & magnus apud Occidentales Principes, dominus *Theodoricus*

doricus Flandrensium Comes, domini Regis gener, orationis & deuotæ peregrinationis gratiâ cum honesto nobilium virorum comitatu Hierosolymam venit, cuius aduentum Rex & populus vniuersus multa cum hilaritate suscipientes, cõfisi de insigni & robusta, quam secum adduxerat militia, apponunt vnanimiter cum domini Patriarchæ, & aliorum Regni Principũ consilio, trans Iordanem in finibus Ammonitarum iuxta montem Galaad obsidere præsidium vnum, nostris regionibus perniciosum valde. Erat autem prædictum municipium spelunca quædam in latere montis eminentis maximè decliuo sita, aditum habens penè inaccessibilem. Desuper verò immanissimum imminebat præcipitium, vsque in infima subiacẽtis val-
10 lis, à vertice supereminentis promontorii contiguum. Ex latere verò altrinsecus ad eandem speluncam erat inter cliuum superincumbentis altitudinis, & dictum præcipitium,* artus & formidabilis. In hanc se collegerat furum manipulus nocens, & prædonum turba de finibus Moab, & Ammon, & Galaad, qui præmissis exploratoribus locorum peritis, & per eos de statu regionum nostrarum pleniùs edocti, sumptâ opportunitate frequẽtes irruptiones, clàm, & plerunque periculosas nimis, nostris finibus inferebãt. Quibus malis nostri volentes occurrere, proponunt, vt præmisimus, speluncam obsidere. Conuocato igitur vniuerso Regni populo, & copiis militaribus congregatis, transito Iordane, illuc perueniunt: & sicut regionis patiebatur inequalitas, simul & angustia, aditus occupant, castra per circuitum locantes;
20 & dispositis agminibus per gyrum, locum obsidione vallant. Legem itaque castrorum exequentes, ad quælibet nocendi se conuertunt argumenta, obsessos modis quibus possunt artantes, vt ad deditionem impellant: illi versâ vice quicquid miseris rebus solet venire sollertiæ colligentes, in sui tuitionẽ vigilanter armãtur. Dumque ibi penè omnis Christianus vnanimiter desudaret exercitus, Turci quidam ex tempore opportunitatem nacti, videntes trans Iordanem vniuersam regionem militiâ destitutam, hostilibus patére insidiis, Iordane trãsmisso, Hiericuntinam regionem relinquentes, à dextris, secus *Asphaltem* lacum, qui & *Mare Mortuum* dicitur, incedentes, inde se ad montana conferentes, in eam prouinciæ partem irruperunt, quæ tribu Iudæ olim cessit in sortem; & peruenientes ad ciuitatem prophetarum
30 Amos & Abacuc, *Tecuam* nomine, incolis vacuam, violenter occupauerunt, paucis quos ibi repererunt occisis. fugerant enim loci illius habitatores, hostium aduentu præcognito; & cum vxoribus & liberis, armentis & gregibus in speluncam *Odollam*, illis vicinam se contulerant. Vicum ergo prædictum inuenientes vacuum, domicilia eorum qui fugerant ingressi, quod residuum erat, asportabant. Erat autem casu Hierosolymis illis diebus ab Antiochia veniens, vir piæ in domino recordationis, miles eximius, & in armis strenuus, nobilis carne & moribus, dominus *Robertus*, cognomine *Burgundio*, natione Aquitanicus, magister militiæ Templi. Hic cum quibusdam de fratribus suis, & cum iis qui Hierosolymis remanserant, paucis & promiscui generis equitibus, vexillum regium baiulante quodam domini Re-
40 gis familiari, *Bernardo Vacher*, subsequente populo, ad locum prædictum certatim & sub omni celeritate contendunt. Audientes itaque Turci nostrorum aduentum, locum deserentes *Habehim*, Iohelis prophetæ domum, versus *Ebron* patriarcharum sepulchrum, fugam inierant: volentes inde in plana Ascalonam versus descendere. Nostri autem, scientes hostium acies in fugam versas, non eisdem vestigiis inhærentes, tanquam de trophæo certi, sed ad diuersa incautè nimis tendentes, fugientium spoliis magis quàm stragi hostium insistebant imprudenter. Quod intelligentes qui fugam inierant, iterum more solito conglobati, resumentes animos, dispersas acies, quantum possunt, reuocare nituntur: nostrisque ex improuiso & nimis confidenter irruentes, passim vagantes & securos inuadunt, gladiis obtrun-
50 cant: paucis tamen resistentibus, & collectis adinuicem, pugna committitur. Inter hæc qui diuersa fuerant secuti tubarum clangore, stridore cornuum, equorum fremitu, armorum fulgore coruscãtium, vocibus suos adhortantium, simul & pulueris equorum pedibus agitati nebulâ in sublime raptâ, commoniti, ad locum properant certaminis. Sed antequam eorum qui restiterant cateruis se coniungerent, deficientibus primis, & in fugam actis, facti sunt hostes, nostris deuictis, superiores. Conuersos itaque in fugam nostros, per loca saxis asperrima & prorsus inuia, & omnino fuga non admittẽtiâ sagittis & strictis gladiis more hostiũ insectantes, alios

ferro perimunt, alios prosternunt præcipites; & à prædicta *Hebron*, quæ est *Cariatharbe*, vsque in fines Thecuæ persequentes, stragem multam nimis operati sunt in populo. Ceciderunt autem illâ die multi nobiles & inclyti viri, inter quos vir eximius frater militiæ Templi, *Odo de Monte Falconis*, omnes morte suâ mœrore & gemitu conficiens, occisus est. Hostes verò victoriâ potiti, cæde nostrorum & spoliis lætantes, Ascalonam reuersi sunt. Nostri autē qui in expeditione erant, cognito quod apud nos acciderat infortunio, animo nimirum sunt vehementer consternati. Sed tamen intelligentes hanc esse *bellorum legem*, vt nunc hi, nunc illi variis euentibus fiant superiores, iterum consolationem recipientes, cœpto instant operi feruentiùs solito, & auctore Domino, infra paucos dies prædictum obtinent præsidium, inde 10 cum gloria & triumpho ad propria reuersi.

VII. Interea dum hæc in partibus geruntur Hierosolymitanis, *Sanguinus* tanquam vermis inquietus, successibus in immensum elatus, præsumit etiam Damascenorum regnum sibi vendicare. Quod intelligens *Ainardus* illius regni procurator, militiæ princeps, socer quoque regis Damascenorum, quòd in fines suos violenter esset ingressus, nuncios ad dominum Regem, cum verbis pacificis dirigit, petens & obnixè postulans ab eo & populo Christiano *auxilium & consilium* contra hostem vtriusque regni crudelissimum. Et ne presumptuosè, gratis & sine multorum spe emolumentorum, dominum Regem & eius Principes in sui subsidium videretur sollicitare, spondet pro impensis ad hoc opus necessariis, mensibus singulis persoluenda aureorum vicena millia: insuper 20 & hoste à finibus suis violenter abacto, vrbem Paneadensem, paucis ante annis à nobis violenter ablatam, pactis inserit, nostris absque contradictione restituendam: & super iis omnibus conuentionum articulis, vt eis fides amplior habeatur, nobilium filios, quantos expedit, obsides se daturos pollicetur. His auditis dominus Rex, conuocans vniuersos Regni principes, legationis modum & verborum seriem eis diligentiùs aperit; consilium postulat, quid eis super huiusmodi petitionibus respondendum videatur. Tandemque communicato adinuicem consilio, & deliberationis prouido libramine, partibus pensatis, optimum iudicant, *Ainardo* & Damascenis, contra hostem immanissimum, & vtrique suspectum regno, opem esse ferendam: ministranda etiam gratis subsidia, *ne hostis potentior, per nostram desi-* 30 *diam, in nostram perniciem, regno acquisito, Regni suscipiat incrementum.* Præterea & additæ conditiones, caussam reddunt ampliùs fauorabilem: idque potissimum omnes trahit in hanc partem procliuiores, quod de vrbe Paneadense in fine verborum est adiunctum.

VIII. Approbato ergo generali consilio, susceptisque iam dictis obsidibus, & in tuto collocatis, confestim ex omnibus regni finibus apud Tyberiadem præcipitur, tam equitum quàm peditum innumera manus conuenire. *Sanguinus* autem in multitudine virtutis suæ, cum immensis equitum copiis eiusdem prouinciæ fines ingressus, relictâ post se Damasco, vsq; ad eum locum qui dicitur *Rasaline*, peruenerat: ibique per aliquot temporis interuallum, dubitans de nostrorum aduentu, cum suis legionibus consederat. Certus enim esse videbatur, quòd nisi no- 40 strorum vires eius propositum impedirent, facilè ad optatum posset pertingere. Nunciatur ergo nostris, Sanguinum in prædicto loco consistere; Damascenos quoque vrbe iam egressos, domini Regis, & nostrorum apud *Nuaram* præstolari aduentum: quo cognito, nostræ quoque acies castris solutis, vexillis præcedentibus, ad prædictum locum vnanimiter contendunt. Quod audiens Sanguinus, timens, sicut vir erat industrius, in terra hostium cum gemino committere exercitu, priusquam nostri cum Damascenis conuenirent, locum prædictum deserens, declinatis nostris & Damascenorum ad læuam copiis, fugam accelerat; & in eam regionem quæ dicitur vulgo *Vallis Baccar*, maturatis se confert itineribus. Nostri autem nihilominus ad locum prædictum peruenientes, Damascenis permixti, 50 de discessu Sanguini edocti pleniùs, de communi consilio, sicut pactis continebatur, contra Paneadem vniuersos dirigunt exercitus. Hanc vrbem (vt prædiximus) *Doldequinus* Damascenorū rex, paucis ante annis violenter occupauerat: sed postmodum magistratus, cui eam commiserat, à Damascenis deficiens, contra Damascenos, Sanguino adhæserat: vnde erat, quòd ad hoc, vt domino Regi traderetur, fideliùs elaborabant; malentes eā Christianis restitui, quorum gratiâ fruebantur, quam vt hostis eorum tam suspectus, tamque formidabilis, eam possideret: vnde

grauiùs,

grauiùs,eis & quasi de vicino nocere poterat,& maiores inferre molestias. Ista est *Paneas,* quæ vulgari appellatione *Belinas* dicitur,olim ante introitum filiorum Israël in Terram Promissionis, dicta *Lesen:* quam postea filii Dan acceperunt in sortem,& vocauerunt *Lesen Dan:* sicut legitur in *Iosue,* vbi scriptum est: *Ascenderuntq́ filii Dan, & pugnauerunt contra* Lesen, *ceperuntq́ eam, & percusserunt eam in ore gladii, ac possederunt, & habitauerunt in ea, vocantes nomen eius* Lesen Dan, *ex nomine Dan patris sui:* Consequenter autem dicta est eadem *Cæsarea Philippi,* eò quòd *Philippus* tetrarcha, senioris Herodis filius, in honorem Tiberii Cæsaris eam ampliauerit, & ædificiis admirabilibus reddiderit insignem, ita vt ad nomen Cæsaris & ampliatoris vocabulum,vnam prætenderet appellationem. Conuersis igitur ad vrbem agminibus,& ad eam peruenientes Kal. Maii,ciuitatem vndique vallant obsidione. *Ainardus* cum suis ab Oriente, inter vrbem & siluam suorum locat expeditiones, in eo loco qui dicitur *Cohagar:* Rex autem & noster exercitus ab Occidente, versus campestria suas locant legiones. Sic igitur ordinatis in gyrum stationibus studiosè procuratur, vt inclusis generaliter omnis interdicatur aditus, nec ingredi vel egredi volentibus libera pateat euagandi potestas. Placet præterea,& de communi sancitur consilio, quatinus missis nunciis fidelibus, dominum *Raimundum* Antiochenorum Principem, & dominum Comitem Tripolitanum conuocent ad præsentis operis subsidium: quod & factum est. Ipsi nihilominus interea cum Turcis æquè feruentibus, ad congressus quotidianos accinctis, obsessos assultibus vrgent assiduis; & machinis iaculatoriis, quas *petrarias* vocant, immissis magnæ quantitatis molaribus, mœnia concutiunt, & infra vrbem conterunt domicilia: ad hoc & telorum immissionibus, & multâ sagittarum grandine, adeò fatigant oppidanos, vt nullus intra muros tutus ad latendum inueniretur locus; vixque muro & propugnaculis tecti, contorquentes saxa, aut arcubus vtentes, eos qui deforis impugnabant auderent conspicere. Intueri erat ibi præter solitum hostes ab hostibus Marte sæuissimo prouocari; & fictione depositâ, seriò nimis in eorum armari perniciem: nec facile erat discernere, vtra proteruiùs cõtra communes aduersarios arma corriperet manus, aut in congressionibus instaret acriùs, aut diuturniore longanimitate in belli pondere perseuararet: erat nãq; nostris militibus cum Damascenis cohortibus animorum par affectus,& consonans desiderium. Experientia quidem & vsus armorum longè dissimilis,sed voluntas nocendi non inferior. At verò obsessi,licet cõtinuis assultibus fatigati, vigiliis & nimiis laboris põdere essent attriti, tamen resistunt viriliter; & pro viribus libertatem, vxores, & liberos tueri satagentes, vrgente molestiâ solertiores effecti,ad omnia resistendi se conuertunt argumẽta. His ita per dies aliquot tractatis, videntur omninò non proficere, nisi castello ligneo mœnibus applicato,obsessis desuper bellum inferatur. Cumq; in tota illa regione ad vsus huiusmodi,conueniens non inueniretur materia,mittuntur Damascum de mandato domini *Ainardi,*qui trabes proceras,& ingentis magnitudinis,ad hoc specialiter multo ante deputatas, deportari faciant, & cum omni redeant celeritate.

IX. — *Iosu. 19,47.*

X. Interea princeps *Antiochenus,*& comes *Tripolitanus* nostris exciti legationibus, cum ingẽtibus copiis, & valida manu, optatò aduenientes,castris se adiungunt nostris: quorum aduentu geminatus est obsessis timor,& resistendi spes omnis visa est cecidisse. Dumque hi qui recentes aduenerant,certatim vires experiuntur, & laudis cupidi, & gloriæ consequendæ gratiâ congregatis seorsum vrbem impugnant agminibus: obsessis ingeritur formido amplior, & diffidentia; nostris verò spes de obtinenda victoria iam certior, animos erigens, minuebat tædium, & ad impugnandum singulis diebus reddebat fortiores. Nec morâ,dum hæc circa vrbẽ fiunt, ecce qui Damascum ierant redeuntes, trabes secum miræ magnitudinis afferunt, & soliditatis optatæ. Quibus per artifices & lignorum cæsores sub omni celeritate læuigatis, & clauis ferreis debitâ soliditate coniunctis erigitur subitò immensæ altitudinis machina, quâ desuper vniuersa prospicitur ciuitas; & vnde sagittis omnique telorum genere, pugillariũ quoq; iactu lapidum arcent oppidanos:quâ erectâ, complanatis quæ inter machinam & murum erant media, mœnibus applicatur, vrbem despiciens vniuersam, tanquam turris in vrbis medio subitò appareret ædificata. Hic primùm dura nimis, & ad supremum compellens defectum, facta est obsessorum conditio: nam ad contorsiones lapidũ,& telorum immissiones, qui-

bus eos instanter vrgebant, qui in castello erant, non erat omninò remedium inuenire: non inueniebatur interiùs locus, qui tutas sauciis aut debilibus posset latebras ministrare; vel ad quas confugerent post labores, qui adhuc solidi, & viribus integri, aliis se poterant præstare defensores; & iam per murum discurrere negabatur: & deficientibus sociis, absque mortis periculo non licebat opem ferre: nam quæ ab inferioribus inferebantur bellorum pondera, & nocendi argumenta, factâ relatione, ad ea quæ de superioribus imminebant diuersi generis pericula, nulla aut modica poterant iudicari: ita vt bellum non tam cum hominibus, quàm cum superis videretur. Fuerat autem ab initio spes obsessis, eâdemque vsque in præsentem articulum fouebantur, quòd *Sanguinus* eis esset ministraturus, sicut & fide interpositâ firmauerat, subsidium: sed vrgente iam periculo, nec subsidium, nec defensionis locus videbatur relictus. 10

XI. Dum hæc in expeditione geruntur, Legatus quidam Romaniæ ecclesiæ, *Albericus* nomine, episcopus Hostiensis, natione Francus, de episcopatu Beluacensi, apud Sydonem applicuit. Venerat autem specialiter ob illud missus negocium, quod in ecclesia Antiochena, inter dominum Patriarcham & eius Canonicos erat obortum: cuius etiam gratiâ, vir vitæ venerabilis, dominus *Petrus* Lugdunensis Archiepiscopus, paucis antè diebus, legationis fungẽs officio, in Syriam venerat; sed morte præuentus, finem iniuncto non potuit dare negocio: vnde hic, vt tantæ controuersiæ debitum finem imponeret, prædicto venerabili viro substitutus est, sicut in sequentibus dicetur. Hic audito, quòd vniuersus Christianus exercitus in obsidione apud Paneadem detineretur, & quòd ibi dominus Patriarcha Hierosolymorum *Wilelmus*, dominus *Fulcherus*, Tyrensis Archiepiscopus, cum cæteris Regni Principibus moram facerent, illuc sub omni celeritate contendit: adueniensque licet in cœpto non torperent opere, sed instarent feruenter, qui & vrbem obsederant, tamen prudentis viri studio & auctoritate subnixus Apostolicâ, ad propositum inuitat; & exhortatorii sermonis eis addens stimulos, ad impugnandam vrbem accendit vehementiùs. Interea qui in machina ad hoc deputati erant, ciues continuis vrgẽt assultibus; & negatâ requie, desuper iniectâ terroris & periculi causâ multiplici, fatigationibus assiduis molestias ingeminant: iamque quibusdam ex eis consumptis gladio, quibusdam verò letaliter sauciis, aliis verò prę lassitudine deficientibus, eorum minuebatur numerus, nec instantes more solito à sui poterant impugnatione repellere. Quod intelligens Damascenorum procurator, & militiæ Princeps *Ainardus*, vir prouidus admodum, & fœderis quod nobiscum pepigerat tenacissimus, & fidelissimus prosecutor, sciens quia *vexatio dat viam auditui, & ad conditiones extremas consummata miseria impellere solet*, missis occultè quibusdam de familiaribus suis, qui obsessos cum spe salutis ad deditionem inuitarent, verbum prætentauit fideliter: illi autem primùm abhorrentes, & fingentes se longiùs ire, tanquam adhuc resistendi spem viderentur habere aliquam, nouissimè tamen cum auiditate multa, gratanter suscipiunt oblatum verbum. Magistratus tamen, quem ipsi vocant *Emir*, nobilis homo & potens, oblatis adiicit conditionibus, vt pro vrbis deditione, habitâ consideratione, ne egeret, aliqua boni viri arbitratu fieret ei recompensatio: turpe enim videretur & indecens, vt vir nobilis & tam famosæ vrbis dominus, propriâ pulsus hereditate, mendicare compelleretur. *Ainardus* verò, videns nobilis viri petitionem iuri satis conuenire, & æquitati, totaque mentis properans intentione, vt ciuitas in nostram veniret potestatem, iuxta illorum desiderium se obligat: quòd vsque ad certam summam, quæ inter eos conuenit in balneis & pomeriis ei reditus annuatim soluẽdos assignaret; & populo exire cupienti, liberum cum omnibus rebus suis exitum procuraret. Iis verò qui vrbem & prædia sua tam vrbana quàm rustica incolere, & nusquam abire vellent, vel ad tempus, vel in perpetuum, bonis conditionibus tranquillam, fide interpositâ, moram pollicetur. Quod verbum tam dominus Rex, quàm reliqua populi pars, placitè suscipientes, vrbem sine mora parati sunt tradere. *Ainardus* itaque videns, conuentiones ad optatam peruenisse consonantiam, & iam in nullo vacillare sermonem, dominum Regem, Patriarcham, Principem, & Comitem familiariùs conuenit, & rei seriem secretiùs pertractatæ, diligenter apperit, & ad consensum modis quibus potest hortatur: illi porrò viri prudentiam, & fidei sinceritatem attendentes, conditiones approbant,

approbant, & consensum impartientes gratuitum, omnia se facturos iuxta illius ordinationem firmissimè compromittunt. Sic ergò ciuitate traditâ ciues cum omni suppellectile sua, cum vxoribus & liberis, liberum habentes exitum, ad loca optata se contulerunt. Nostri verò ciuitate receptâ, domino Patriarchâ id procurante, dominoque *Fulchero* Tyrensi archiepiscopo, ad cuius iurisdictionem Paneadensis Ecclesia iure metropolitico certum erat pertinere, id concedente & electionem approbante, dominum *Adam*, archidiaconum Acconensem, in episcopum eiusdem loci eligunt; & curam fidelium illic commorari volentium, committunt spiritualem: temporalem verò iurisdictionem domino *Rainerio* cognomine *Brus*, cui paucis ante annis violenter erepta fuerat, restituunt. Inde DEO gratias & hostias solemnes exhibituri, Hierosolymam dominus Rex, cũ domino principe Antiocheno, cum domino Patriarcha, & domino Legato contendunt. Completis igitur de more orationibus, & morâ per dies aliquot Hierosolymis habitâ, dominus Princeps, prætentatâ domini Legati mente, quid propositi aduersus Patriarcham suum haberet, & inuitans eum, vt non pigritaretur venire, sed fortis & de eius auxilio certus veniret, Antiochiam reuersus est. Missus enim erat (vt prædiximus) idem Legatus, vt super quibusdam criminibus, eidem Patriarchæ, à quibusdam canonicis ecclesiæ suæ obiectis cognosceret, & causam fine debito terminaret. Nunc tempus est, vt quod superiùs de prædicto Patriarcha præmisimus, exoluamus: quod vt faciliùs intelligatur, à superioribus aliquantulum repetenda est historia.

XII.

Domino igitur *Raimundo*, primùm Antiochiam (vt præmisimus) accedente, antequam vxorem destinatam haberet, domino *Radulpho*, qui tunc ecclesiæ præerat Antiochenæ, vt faciliùs ad optatum perueniret, fidelitatem manualiter exhibuit, spondens fide interpositâ, quòd *ab ea die in antea,* * *non esset in consilio, vel in facto, quòd honorem, vitam, aut membrum perderet, aut caperetur mala captione*; sicut in forma exhibendæ fidelitatis continetur. In qua fidelitate nec modico quidem tempore perseuerauit: statim enim vxore ductâ, & totâ regione receptâ, per eius studium & operam, adiunctus est eius aduersariis, opem conferens, & omne consilium, contra fidelitatis debitum, in eius læsionem. Habentes igitur eius æmuli tantum studiorum suorum cooperatorem, animosiùs eius impugnationibus insistentes, Romam proficiscuntur. Erant autem eius aduersarii, *Lambertus* quidam, eiusdem ecclesię archidiaconus, vir quidem litteratus, & conuersationis honestæ, sed secularium modicam, aut nullam habens experientiam; & *Arnulfus* quidam, Calaber natione, nobilis genere, litteratus, & in secularibus circumspectus. Hi interpositis appellationis vocibus, cõsentiente & fauente domino Principe, Romam profecti, eũ etiam inuitum, sed per Principẽ vi compulsum, eandẽ arripere viam coëgerunt. Factum est itaque quòd *Arnulfus* præcesserat, & in Siciliam compendioso itinere profectus, coniunctis sibi de amicis & cõsanguineis, quia de Calabria erat oriundus, vbi postmodum fuit Consentinus archiepiscopus (erat enim nobilis valdè, vt diximus) dominum *Rogerum* Apuliæ ducem, cui notus erat, conuenerat, dicens: *Ecce, Princeps egregie, in manus tibi, optatò, sed & gratis, datur hostium tuorum immanissimus, Antiochenorum patriarcha, qui tibi & heredibus tuis in perpetuum Antiochiam abstulit; sublimato in ea, viro* [illegible], *contra iuris ordinem. Ecce tibi eum obtulit Dominus, & cõsummata eius peccata dederunt præsentẽ. Eia expergiscere, tracta quomodo eum habeas: certus, quia per eum ad hereditatẽ iure tuo legitimæ successionis debitã, iterũ tibi patére poterit introitus, qui tibi per eundem negatus est indebitè.* His verbis motus Apulię dux, sicut vir erat solertissimus, in singulis maritimis vrbibus, locari præcipit insidias, vt adueniens statim captus, & vinculis mãcipatus, in Siciliã protinus dirigatur. Ille verò prosperâ vsus nauigatione, nihil tale veritus, Brundusium applicans, iuxta Ducis mandatum, sublatis omnibus quæ secum tanquam Princeps potentissimus detulerat; sed & dispersâ cunctâ familiâ, vinctus traditur eidem *Arnulfo*, in Siciliam ante Ducem pertrahendus. Hic primùm Arnulfo iuxta desideria datum est in hostem & impium persecutorem suum, pro libero desæuire arbitrio, & vices equâ lance reddere, pro his quę de manu eius acceperat duplicia. Tandem in præsentia Ducis constitutus, habitisq; cum eo familiaribus colloquiis & conuentionibus interpositis, sicuti erat vir prudens & facundissimus, & honestissimam habens personam, receptis vniuersis cum omni integritate quæ amiserat, sed & familiã restitutâ, spondens quòd in reditu per eundem Ducem sit ha-

biturus regressum, cum omni honestate Romam pergens, dimittitur. Romam verò perueniens, primâ facie difficiles habuit ad dominum *Papam* introitus, tanquam Romanæ persecutor ecclesiæ, & qui singularem sedis Apostolicæ primatum comminuere & infringere voluerit, sedem æmulam contra Romanam erigens, & parificans ecclesiam, tanquam læsæ maiestatis reus, ab ingressu sacri arcetur palatii, & à domini Papæ colloquio suspenditur.

XIII. Porrò tam dominus *Papa*, quàm vniuersa ecclesia, procliuiores erant ad hoc, vt dominum Patriarcham, sumptâ qualibet honestâ occasione grauarent; eiusque aduersariis plurimum exhibebant fauorem: suspectus enim eis habebatur admodum, eò quòd vir diues esset, & magnificus, & sedem cui præerat, Antiochenam videlicet, Romanæ subiacere dedignabatur; sed ei eandem in omnibus parificare contendebat, dicens: *Vtramque Petri esse cathedram, eamq; quasi primogenitæ insignem prærogatiuâ*: vnde multipliciter ad eius grauamen nitebantur. Tandem quorundam amicorum vsus officio, interuenientibus tam domini Papæ, quàm suis familiaribus, & semitas dirigentibus, admissus est ad domini Papæ & curiæ solemniter congregatæ præsentiam, & cum multa susceptus est magnificentia. Porrò semel & secundò eo in consistorium ingresso, sumptâ opportunitate, eius aduersarii prodeunt in publicum; & oblatis libellis acusatoriis, parati erant, cum omni iuris solemnitate, ad accusandum procedere. Verùm cognoscens tota curia, quòd qui ad accusandum prodierant, non erant eatenus instructi, vt domino Papæ & eius assessoribus plenâ de obiectis possent ibi fidem facere, significatur ambabus partibus, quòd interim quiescant, quousque dominus Papa aliquem de latere suo, ad partes dirigat Antiochenas, qui ibi habitâ testium & instrumentorũ copiâ, de caussa pleniùs possit cognoscere. Intereà resignato pallio, quod idem Patriarcha de altari Antiochenæ ecclesiæ, suâ sibi sumpserat auctoritate, in iniuriam, vt dicebatur, sedis Apostolicæ, & cardinalibus tradito: aliud ei, sumptum de corpore beati Petri, more solemni per priorem Diaconorum traditur. Sic itaque morâ, quantum negotium eius videbatur exigere, Romæ habitâ, cum plenitudine gratiæ, saluâ tamen quæstione, sumptâ licentiâ, ad ducem *Rogerum* in Siciliam reuersus est: qui redeuntem honorificè suscipiens, postquam mutuis colloquiis sæpè & multùm ad inuicem plura & quæ sufficere videbantur, familiariter contulerunt, datis eidem à domino Duce galeis, quotquot ad iter remetiendum habuit necessarias, secundis vsus flatibus, in Syriam deuectus, fauces *Orontis* attigit, qui fluuius Antiochiam præterfluit: qui locus vulgari appellatione *Portus sancti Symeonis* dicitur, ab Antiochia decem plus minúsue modicum distans miliaribus.

XIV. Postquam ergo, sicut dictum est, dominus Patriarcha Cœlesyriam aduenit, & suæ ita vicinus factus est ciuitati, scribit Ecclesiæ suæ, vt die statutâ, ei extra ciuitatem, in loco prænominato cum processione solemniter occurrant. Qui Principis fauore freti, qui eum, vt prædiximus, odio inexorabili contra fidelitatis debitum, quo eidem tenebatur astrictus, persequebatur, omnino facere, vel eidem obedire negant; sed & introitum ciuitatis, per Principis violentiam penitùs interdicunt. Ille verò intelligẽs cleri sui malitiam, & eorum de quibus lõgè aliter meruerat, auersionem, Principis quoque obstinatam indignationem, secessit in montana, quæ vrbi conterminata sunt, quæ vulgò dicũtur *Nigra*; ibi in Monasteriis, quibus locus ille abundat, moram faciens præstolabatur, vt rancore deposito, humaniore sententiâ tã dominus Princeps, quàm clerus suus, eũ in vrbẽ reuocarẽt. Princeps sanè solito ampliùs & manifestiùs ipsi oppositũ se dabat: auxerat enim odium & maiora dederat incendia *Arnulfus*, qui de Sicilia eidem Principi scripserat, quòd idẽ Patriarcha cum Duce *Rogero*, eius æmulo, contra eum pactis secretioribus conuenerat: & in argumentum assertionis suæ prætẽdebat, quòd eum per Siciliam redeuntẽ, muneribus & multâ præuenerat honorificentiâ, & galeas ad iter contulerat necessarias: quæ omnia ad persuasionẽ meritò videbantur operari. Dum itaque in locis prædictis moraretur, Comes Edessanus, *Ioscelinus* iunior, tũ odio Principis, tũ fauore Patriarchæ, eum, missis ad hoc specialiter nũciis, vt in terram suam securè & confidenter cum omni suo descendat comitatu, diligẽter inuitat. Fauebãt enim prædicto Patriarchæ, illius regionis episcopi, & tanquã dominum & patrẽ deuotè venerabantur, *Edessanus* videl. *Coriciensis* & *Hierapolitanus* Archiepiscopi. Illorũ ergo vocatione tract⁹, ad eos descẽdit, honorificè nimis ab omnib⁹ illius regionis tractatus Præ-

tus Prælatis: sed & Comes iuxta id quod ei promiserat, humanissimè & deuotè multùm, eius suscepit aduentum, & moram gratanter amplexus est. Princeps verò, pecuniâ, vt dicitur, redemptus, ore, non corde, eidem gratiam suam, per quorundam vtriusque familiarium interuentionem, restituit, & nuncios dirigẽs ad ingressum ciuitatis & reditũ ad propria verbis pacificis in dolo, familiariùs inuitat. Quod audiens Patriarcha, maturat reditum; & assumens sibi vicinos illos episcopos, quorum sibi deuotionem in illa sua aduersitate certis indiciis expertus fuerat necessariam, Antiochiam peruenit: vbi occurrẽs ei vniuersa ecclesia & populus vniuersus, sed & equestris ordinis cum Principe maxima multitudo, cum hymnis & canticis, 10 pontificalibus indutus, solemniter in ciuitatem & in maiorem ecclesiam, dehinc in palatium suum introductus est. XV. Interea Legatus quidam ecclesiæ Romanæ, *Petrus* nomine, natione Burgundio, Lugdunensis Archiepiscopus, missus à domino Innocentio Papa, vt caussæ prædictæ debitum finem imponat, venit in Syriam, apud Accon applicans. Erat autem vir vitæ venerabilis, simplex, ac timens DEVM, longæuus, & iam in senium vergens. Qui statim, ex quo Syriam ingressus est, Hierosolymam orationis gratiâ profectus est: vnde sub compendio digressus, vrgentibus eum prædictis *Lamberto* & *Arnulfo*, vt Antiochiam, vti finem impositurus, accelleraret, Accon iterum peruenit: vbi graui correptus ægritudine, antequam procederet, veneno, vt dicitur, in potu ministrato, subitò deficiens, in fata concessit. 20 Prænominati autem Patriarchæ aduersarii, Antiochiam properantes, omnimodò destituti auxilio, spe quoque quam de aduentu Legati conceperant, frustrati, viæ & laborum, quæ per tot pertulerant tempora, tædio fatigati, per interuentores, quos ad hoc reputabant idoneos, pacem supplices postulant, restitutionem beneficiorum suorum implorant, accusationi renunciare parati, & fidelitatẽ exhibere. *Lambertus* in Archidiaconatum restituitur: *Arnulfus* verò nihil humanitatis inueniens, Principis iterum fretus auxilio, solitâ longanimitate iterum ad labores & iter accingitur; Romamque proficiscens, iterum opportunè & importunè pulsat: tandemque precibus proteruè insistens, obtinet, vt prædictus Legatus, de quo nobis in præsenti sermo est, in Syriam dirigatur. Qui Hierosolymam, vt præmisimus, adue- 30 niens, completis orationibus, dominum Patriarcham & vniuersos Regni pontifices ad Synodum conuocans, apud Antiochiam pridie Kal. Decembris celebrandam, illuc cum omni celeritate contendit. XVI. Die igitur statutâ affuerunt de diocesi Hierosolymitana, dominus *Wilelmus* Patriarcha, *Gaudentius* Cæsariensis Archiepiscopus, *Anshelmus* Bethleemita episcopus: affuit & dominus *Fulcherus* Tyrensis Archiepiscopus, sanctæ Romanæ ecclesiæ multùm deuotus, & fidelis, in quo tota Legato spes erat consummationis negotii: erat autem vir magnanimus, & discretus plurimùm; adfuit cum duobus de suffraganeis suis, *Bernardo* videlicet Sydoniense, & *Balduino* Berythense. De prouincia autem Antiochena, quoniã viciniores erant, adfuerunt vniuersi, quorum varia nimis & ab inuicẽ dissona erant desideria. 40 Nã *Stephanus* Tarsensis Archiepiscopus, *Gerardus* Laodicensis, *Hugo* Gabulensis episcopi, Canonicorum cõtra dominum Patriarchã fouebant caussam. *Franco* autem Hieropolitanus, & *Gerardus* Coriciensis, *Serlo* quoque Apamiensis, licet ei ab initio aduersarius fuisset, conuersus ad eum, domino Patriarchæ, suum manifestè præstabant patrocinium. Alii, in neutram partem manifestè videbantur declinare. Die ergo præfixâ, residentibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ex more in ecclesia principis Apostolorum, & pontificalibus indutis, præsidente domino Legato, & vices domini Papæ obtinente, lectus ibi est in publico mandatorum domini Papæ tenor. Quo perlecto diligentiùs, & pleniùs cognito, prodierunt in publicum accusatores, *Arnulfus* sæpe dictus, & *Lambertus* Archidiaconus: qui licet priùs cum 50 domino Patriarcha conuenisset in dolo, & beneficii sui obtinuisset restitutionem, tamen *conuersus in arcum prauum*, denuò se constituit accusatorem. Adiunctique sunt eis alii etiam complures, videntes non satis prosperè tempora domino Patriarchæ respondere. Hîc etiam erat illud manifestè verum deprehendere, quod *Naso* noster prouerbialiter dicendum tradidit,

Cùm fueris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Procedentes igitur in publicum auditorium accusatores, paratos se dicunt, secun-

dùm iuris regulas, porrectis libellis accusatoriis, ad accusandum procedere; & subire, si deficiant, talionem. Erant autem capitula, super quibus proposuerat eum impetere, schedulis inscripta. Quædam de enormi & indisciplinato, & contra regulas sanctorum Patrum, eius introitu: quædam de eius incontinentia, & operibus Symoniacis. His instanter postulantibus, vt se præsentem exhiberet, mittuntur qui eum ad Synodum solemniter inuitent; & vt ad obiecta veniat responsurus, moneant: qui omnino venire refutauit. Eâ itaque die nihil ampliùs processum est in verbo illo, nisi quòd exhortatorios habuerunt sermones ad inuicem, sicut moris est in talibus. Secundâ iterum die, conuenientes denuò, & ex ordine residentes, iterum citatorio edicto dominum Patriarcham sollemniter vocant: qui sicut & pridie, omnino venire noluit. Interim *Serlo* Apamiensi Archiepiscopus, in choro pontificum sine veste residẽs nuptiali; non enim more aliorum indutus erat pontificalibus: à domino legato conuenitur, quare reliquis fratribus non cõsonaret; & quare ad accusandum, sicut aliquando fecerat, non procederet? Respondit: *Quòd aliquando feci, inconsulto calore & contra salutem animæ meæ, detrahens patri meo, & more maledicti Cham, verenda patris discooperiens, operatus sum, & nunc ab errore deuio me, auctore Domino, reuocans, nec eum accusare, nec iudicare præsumptuosè, tentabo: sed pro eius statu & incolumitate, paratus sum vsque ad mortem decertare.* Præcipitur ergo exire: & datâ in eum sententiâ excommunicationis simul & degradationis, siue iustè, siue aliter, ab omni officio sacerdotali & pontificali depositus est. Tantus enim timor domini Principis, in partem Legati nimiùm procliuis, omnes inuaserat, vt iam nulla contradicendi libertas alicui præstaretur. Incẽdebat eundem Principem, minus prouidum & indiscretum, quidam *Petrus* Armoinus, præsidii ciuitatis custos, vir malitiosus supra modum, sperans, quòd si Patriarcham deponi contingeret, quendam nepotem suum *Aimericum* nomine (quem dominus Patriarcha in suam perniciem, eiusdem ecclesiæ Decanum fecerat) posset per seductum Principem, in sedem illam prouehere: quod & factũ est. *Serlo* igitur, siue de facto, siue de iure depositus, Antiochiâ egrediens, in suam diocesim se contulit; perueniensque ad castrum *Harenc*, ægritudine præuentus, & curarum anxius pondere, lecto decubuit: & conuersus ad parietem, iniuriarum enormitatem non ferens, exspirauit.

XVII. Tertiâ demum die iterum conuenientes, & residentes ex ordine, tertiò dirigunt, qui dominum Patriarcham peremptorio citent edicto, & vt veniat obiectis responsurus, moneant. Qui, vtrum conscientiam veritus, an contra se Synodum insidiosè collectam sciens, & Principis violentiam timens, pro certo compertum non habemus, venire, sicut & prius, omninò negauit. Erat autem in palatio suo cum suis familiaribus, multo stipatus equitum & popularium comitatu: confluxerant enim ad eius subsidium vniuersi de ciuitate, qui nisi Principis timuissent potentiam, Legatum cum vniuersis qui in eius depositionem conuenerant, vrbe cum ignominia parati erant depellere. Videns ergo Legatus quòd ad se venire nolebat Patriarcha, de domini Principis confisus patrocinio & viribus, in palatium ascendit, ibique datâ in eum depositionis sententiâ, *annulum & crucem* compulit violenter resignare: inde iubente Legato, Principi traditus, & vinculis miserabiliter alligatus, tanquam vir sanguinum ignominiosè tractatus, apud monasterium *sancti Symeonis*, iuxta mare, in monte eminentissimo situm, carceri mancipatus est. Fuit autem idem dominus *Radulphus* (nam nos ipsi in nostra pueritia vidimus eum) vir specie decorus, procerus corpore, oculis aliquantulum obliquis, non tamen ad indecentem modum; literatus mediocriter, sed facundus plurimùm, & iucundissimi sermonis, multam habens gratiam; liberalis admodum, militarium virorum, sed & secundæ classis fauorem non modicum assecutus; promissorum & pactorum facilè immemor; in verbo suo varius & inconstans, subdolus, ac nimium in omni via sua multiplex, prouidus & discretus: in eo solo repertus imprudentior, quòd aduersarios quos sibi meritò suscitauerat, in gratiam suam redire volentes, non admiserat. Dicebatur etenim, & verè sic erat, arrogans, & de se plus æquo præsumens: vnde in eum deuenit casum, quem si aliquantulum circumspectiùs se habuisset, facilè potuisset declinare. Captus ergo & cathenatus in monasterio diu detentus, tandem elapsus, Romam profectus est. Ibi aliquatinus gratiam sedis Apostolicæ assecutus, dum redire maturaret, veneno hausto, sceleris ministro porrigente nescimus quo, miserabiliter interiit:

interiit: in seipso, quicquid vtraque fortuna facere poterat, alter *Marius*, pleniùs expertus. Legatus igitur deposito Patriarchâ, & consummatis apud Antiochiam pro quibus venerat negotiis, Hierosolymam reuersus est: vbi vsque ad sollennitatem Paschalem moram faciens, habito priùs consilio cum prælatis Ecclesiarũ, tertiâ post sanctum Pascha die, vnà cum domino Patriarcha & Episcoporum nonnullis, Templum Domini solenniter dedicauit. Affuerunt ibi dedicationis die, multi tam de partibus vltramõtanis, quàm de cismarinis regionibus, magni & nobiles viri. Inter quos adfuit & dominus *Ioscelinus* iunior, Comes Edessanus, qui tunc in solẽnibus sancti Paschæ diebus, magnificè nimis in ciuitate moram faciebat. Quâ celebritate completâ, conuocatis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum prælatis, vnà cum domino Patriarcha, concilium celebrauit, in primitiua & Ecclesiarum matre sancta Syon, tractans ibi cum eis de his quæ instanti tempori videbantur cõuenire. Cui Synodo interfuit *Maximus* Armeniorum Pontifex, imò omniũ Episcoporum Cappadociæ, Mediæ, Persidis, & vtriusq; Armeniæ Princeps, & doctor eximius, qui *Catholicus* dicitur. Cũ hoc etiã de fidei articulis, in quibus à nobis dissentire videtur populus eius, habitus est tractatus; & ex parte eius, promissa est in multis correctio. Quibus ritè peractis, prędictus Legatus ad Acconensem rediens ciuitatem, inde parato nauigio, Romam reuersus est. Clerus verò Antiochenus, & maximè qui in depositione domini Radulphi conspirauerant, instinctu & suggestione Principis & maximorum, vt dicitur, interuẽtu munerum, elegerunt sibi quendam eiusdem Ecclesiæ subdiaconũ, *Aimericum* nomine, Lemouicensem natione, hominem absq; literis, & conuersationis nõ satis honestæ: quem prædictus dominus *Radulphus*, arbitrãs eum sibi reddere obligatiorem & fideliorem ampliùs, in Decanum eiusdem Ecclesiæ promouerat, spe frustratus. Nam ab ea die cum eius aduersariis dicitur conuenisse; & in benefactoris sui, fidelitatis immemor, conspirasse depositionem. Quod autem de eius promotione factum est, *Petrus* quidam cognomine Armoinus, eiusdem ciuitatis Castellanus, artibus suis & multâ munerum profusione dicitur effecisse, & tam clerum quàm Principem ad id impulisse, eò quòd eius esset consanguineus.

XIX. Per idem tempus, quatuor vix euolutis plenè annis, ex quo à Tarso Ciliciæ & vniuersa Syria discesserat, dominus *Ioannes* Constantinopolitanus Imperator, reparatis viribus, & legionibus reuocatis, crebris domini Principis & Antiochenorum nunciis excitus, iterum expeditiones, iterum exercitus in Syriam dirigens, in multitudine virtutis suæ, in curribus & equis, in thesauris infinitis, & innumerabilibus copiis, iter versus Antiochenas dirigit partes. Enauigato igitur *Bosphoro*, qui limes Europæ, Asiæque intelligitur, transcursis mediis prouinciis, *Attaliam* vsque peruenit, quæ est vrbs maxima, in littore maris sita, prouinciæ Pamphyliæ metropolis: In hac dum moram faceret dominus Imperator, duo de filiis eius, *Alexius* videlicet primogenitus, & natu secundus *Andronicus*, languore correpti grauissimo, extremum morientes clauserunt diem. Vocansque Imperator natu tertium, *Isaacium* nomine, cum fratrum funeribus defunctorum, vt eâ humanitatis gratiâ procurans & exequiarum nouissimam exhibere faciens reuerentiam, tumulis mandaret, prout Imperialem decebat magnificentiam, Constantinopolim remisit: vbi sepultis fratribus, iuxta patris imperium in vrbe, vsque ad patris obitum moram fecit continuam. Pater verò natu nouissimum sibi assumens *Manuelem*, inceptum prosequens iter, transcursâ Isauriâ, in Ciliciam peruenit: inde peragratâ Ciliciâ subitò, vix eum famâ sui aduentus præueniente, in terram Comitis Edessani, cum omnibus copiis suis ingressus, ex insperato ante *Turbessel* consedit. Est autem prædictus locus, castrum opulentissimum, circa Euphraten, ab eo distans miliaribus viginti quatuor, vel modicum amplius. Ad quem locum postquam peruenit Imperator, petiit à Comite *Ioscelino* iuniore obsides, qui de subito eius attonitus & admirans ingressu, videns eius incomparabiles copias, & quas nemo Regum terræ sustinere posse videretur, seque imparatum, & omnino ad resistendum non posse sufficere, *de necessitate faciens virtutem*, vnam ex filiabus suis, *Isabellam* nomine, tradidit ei obsidem. Hoc autem ad nihil aliud exigebat, nisi vt Comitem hoc vinculo arctiùs sibi deuinctum, ad prosequenda mandata sua haberet fideliorem. Inde versus *Antiochiam* vniuersos dirigens exercitus, illucque sub omni celeritate contendens, secus oppidum quoddam, nomi-

ne *Gastun*, exercitus collocauit mense Septembre, vigesimâ quintâ die mensis. Inde nuncios ad Principem dirigens mandat, vt iuxta pactorum legem, inter se priùs initam, vrbem ei cum vrbis pręsidio & omnibus indifferenter ciuitatis munitionibus, resignet; vt inde finitimis hostium ciuitatibus guerram posset inferre, quasi de vicino commodiùs: & ipse versâ vice, quantum in se erat, paratum se constanter asseuerat, pacta quæ scriptis indita priùs fuerant, largâ interpretatione complere, & insuper addere mensuram bonam & confertam, secundùm qualitatem meritorum.

XX. Princeps verò Antiochenus, dominus *Raimundus*, qui priùs eum tam frequentibus citauerat nunciis, videns se in arto constitutum, seq; pactorum lege obligatum sciens, hęret dubius quid faciat; conuocatisq; Maioribus & primoribus tam ciuitatis, quàm regionis vniuersæ, partes ingreditur deliberationis, consilium postulans, quid facto sit opus in re tam periculosa. Illi verò post multam deliberationem vnanimiter conuenientes, nullatenus arbitrantur expedire statui regionis, quòd vrbs tam nobilis, tam potens, tam munita, in manus aliquo pacto tradatur Imperatoris: futurum enim esse, vt per ignauiam Græcorum, sicut non semel ante contigit, ciuitas in manus hostium deueniret, simul cum vniuersa regione. Sed ne Princeps fidei violatæ meritò possit argui, colorem quærūt, quo velari possit Principis factum minus commendabile: id enim pactis priore eius aduentu, inter eos conuenerat, vt præmisimus, vt ei ciuitatem sine difficultate traderet; idq; postmodum frequentibus nunciis ad veniendum in Syriam eum inuitans, promiserat se bonâ fide seruaturum. Vt ergo Principem in hac parte quocunque modo habeant excusatum, legatos dirigunt ad Imperatorem, de nobilioribus regionis, qui ei ex parte beati Petri, domini quoque Patriarchæ, & ciuium vniuersorum ingressum ciuitatis inhibeant, significentque: *Se Principis facta quæ præcesserant, rata omnino non habituros, neque eundem Principem sic paciscendi in vxoris hereditate, de iure habuisse facultatem: sed neque eandem, absque coniuentia ciuium & procerum, transferendi dominium in aliam personam habuisse, vel habere omnino potestatem; aut auctoritatem, in iniuriam ciuium vel Principum regionis transigendi, vllam aliquo iure, alterutri illorum concessam. Quòd si in hoc vel vterque, vel alter, obstinatè perseuerare præsumerent, futurum esse, vt vrbe & vniuersis finibus illorum eiectos, extorres faciant eius, quam cum detrimento fidelium suorum contra ius venalem proposuerant, hereditatis.* His verbis motus Imperator, & corda ciuium & prouincialium omnium prænoscens, indignatus admodum, in Ciliciam iterum exercitus redire præcipit, vt ingruente hyemis inclementiâ, oræ maritimæ committeret temperiei: solet enim esse circa maritimas regiones hybernis diebus aura suauior, & fouendis legionibus cōmoditas aptior inueniri.

XXI. Videns itaque Imperator, ciuitatis optatum omnino sibi & suis negatum esse introitum, sperans hyeme transcursâ, gratâ veris redeunte clementiâ, circa Antiochiam etiam inuitis ciuibus, aliquid pro votis obtinere: dissimulat mentis conceptum, & occultandi gratiâ propositi, ad dominū *Fulconem* Hierosolymorum Regem, magnę nobilitatis viros dirigit, significans, quòd deuotionis & orationis gratiâ, & vt cōtra hostes in partibus illis opem ferat, libenter, si ita Christianis videretur, veniret. Rex autem, habito consilio, ad eius petitionem responsa ferentes nuncios remittit, dominum *Anselmum* Bethleemitam Episcopum; dominum *Gaufridum*, Abbatem Templi Domini, Græcâ linguâ peritum; *Roardum* arcis Hierosolymitanæ Castellanum, dicens: *Regnum arctissimum esse, nec ad sufficientiam tantæ multitudinis, alimentorum copiis abundare; nec tantos, nisi cum famis & rerum necessariarum periculo, sustinere posse exercitus. Veruntamen, si cum decem milibus, eius DEO amabili placeret Imperio, vsq; ad Vrbem Beatam, & loca nostræ salutis venerabilia peruenire, & aliquid pro votis disponere, omnes cum summis desideriis ei obuiam exirent: & cum omni lætitia & mētis exultatione, eius susciperent aduentum; & tanquam domino, & maximo Principi orbis terrarum obedirent.* Quod audiens Imperator, & contra Imperialem gloriam reputans, cum tam modica manu proficisci, qui tot milibus semper stipatus incedere consueuerat, verbo supersedit: remissisque nunciis, multâ liberalitate, honore & gratiâ præuentis, ver operiens futurum, hyberna in Cilicia circa Tarsum tempora peregit: æstate proximè futurâ promittens, & animo gerens, magnum aliquid, & perenni dignum memoriâ, in Syriæ partibus se facturum. Interea quidam nobilis homo *Paganus* nomine, qui priùs fuerat regius pincerna, postmodum habuit terram trans Iordanem, postquam *Romanus de Podio*, & filius eius *Radulphus*, meritis suis exigentibus, ab

bus, ab ea facti sunt exheredes & alieni: in finibus Arabiæ secundæ, castrum ædifi-
cauit cui nomen *Crahc*, naturâ loci, simul & opere manufacto, munitum valde, iux-
ta vrbem antiquissimam eiusdem Arabiæ metropolim, prius dictam *Raba*, in cuius
obsidione mandato Dauid, & Ioab studio, *Vrias* innocens legitur occisus: post-
ea verò dicta est *Petra deserti*, vnde & secunda Arabia hodie dicitur *Petracensis*.

XXII. Interea circa veris initium, antequam soleant reges exercitus ad bella produce-
re, Imperator Constantinopolitanus, syluarum & nemorum, venandi gratiâ, vehe-
mentissimus amator, tollendi studio fastidii, & longâ id exigente consuetudine, sal-
tus cum solito & ad hoc deputato comitatu ingreditur: dumq; feras solitâ persequi-
tur diligentiâ, arcum manu baiulans, & sagittis grauidam de more gestans phare-
tram, ecce aper, canum deprehensus industriâ, & importunitate fatigatus, latrati-
bus actus acerbis, ante dominum Imperatorē in insidiis positum, necessariò habuit
transitum: qui correptâ mirâ celeritate sagittâ, arcum implet nimis, & sagittæ acie
toxicatâ, seipsum in ea manu vulnerat, qua regebat arcum. Sumpto itaq; ex tam le-
ui causa in proprio corpore mortis responso, syluas, morbi compellente molestia,
deserens, in castra se contulit; accitaque medicorum frequentiâ, rem aperit, & sui-
ipsius mortis causam se existere, dicere non veretur. Illi autem pro domini sui salute
valde soliciti, curam adhibent; sed recepta interiùs pestis mortifera, remedia nō au-
dit, & serpens interiùs & ad interiora progrediens, salutis vias intercludit: vnum ta-
men dicunt & singulare, sed tanto indignum Principe, posse adhiberi remedium;
si læsa manus, in qua vis tota mali adhuc contineretur, antequam reliquas corporis
partes adhuc illæsas inficiat, præcidatur. Hoc vir audiens magnanimus, licet dolo-
ris angeretur immensitate, & mortem non dubitaret adesse præ foribus, Imperiali
tamen maiestate constanter obseruatâ, spreuit: & respondisse dicitur: *Indignum esse,
vt Romanum imperium vna manu regatur!* Sinistro igitur euentu, & quo periculosior
interuenire nullus poterat, attonitus concutitur exercitus omnis; & pro tanti prin-
cipis defectu, dolor vniuersas occupat legiones; mœror & anxietas corda sibi vēdi-
cant singulorū, & castra omnino insperatâ replent amaritudine.

XXIII. Videns interea
dominus Imperator, tāquam vir prouidus & discretus, sibi certum imminere mor-
tis diem, vocatis ad se consanguineis & affinibus, quorum multa cum turba semper
sequi consueuerat, primoribus sacri palatii, & exercituum primiceriis, de successo-
re Imperii inter eos suscitat quæstionem: plurimùm dubius quid faciat, an maiori
natu filiorum suorum *Isaacio*, quem cum funeribus fratrum suorum ab Attalia (vt
præmisimus) remisit Constantinopolim, cui de iure regni primitiua videbantur cō-
petere: an iuniori filio, qui secum erat, qui optimæ & præcipuæ erat indolis adole-
scens, & futurus magnus ab omnibus dicebatur, Imperii committeret guberna cu-
la. Subiungit etiam & dubitationis causam, dicens: *Si huic sceptra Imperii concesseri-
mus, legibus humanitatis, quæ primogenitum merito faciunt potiorem, videbimur contraire:
Si verò illi, communibus obseruatis iudiciis, moderamen Imperii contulerimus, non erit qui
hos exercitus, & totius robur & gloriam Romani imperii domum reducat incolumes.* Ho-
stibus enim interiectis, insidias molientibus, & vndique corrogantibus suffragia,
non nisi cum periculo, sine rectore posse pertransire legiones, certum videbatur.
Erat autem inter Principes vir magnificus, Megadomesticus *Ioannes* nomine, qui
cum suis *Isaacio* multùm affectabat imperium conseruari; & de incolumi legio-
num ad propria reditu, dubitantem Imperatorem nitebatur confirmare. Porrò
Manuel iunior filius, qui ibidem cum patre præsens erat, vniuersi exercitus, &
maximè Latinorum fauore & præconiis extollebatur. De principibus quoque nō-
nulli ad eius promotionem omnimodam dabant operam. Patris quoq; in eundem,
quia prudētior, & in armis magis strenuus, & omnino affabilior videbatur, affectus
magis & gratia erat procliuior: Angebat eum etiam maximè exercitus cura propen-
sior. Sic igitur post multam deliberationem, auctore Domino, obtinuit iunior fi-
lius, & exhibitâ sibi in patris præsentia, & eo mandante Imperiali reuerentiâ, *ocreis*,
vt mos est in illo Imperio, insignitus *purpureis*, ab vniuersis legionibus certatim
Augustus est appellatus. Sic domino *Manuele* ad apicem promoto Imperialem,
pater eius inclytæ recordationis, vir inclytus, liberalis, pius, clemens & misericors,
in fata concessit. Fuit autem staturâ mediocris, carne & capillo niger; vnde & co-
gnomento dicitur etiam hodie *Maurus*; facie despicabili, sed moribus conspicuus, &

actibus insignis militaribus. Defunctus est itaq; sub *Anauarza*, vrbe antiquissima, quæ est secundæ Ciliciæ metropolis, in eo loco qui dicitur ***Pratum Palliorum***, Anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo trigesimo septimo*, mense Aprili; Imperii verò vigesimo septimo; vitæ verò *. Tandem verò cōpositis in ea regione negotiis, dominus Imperator cum omni sospitate Constantinopolim suos reduxit exercitus: vbi fratrem natu se priorem, palatium, auditâ patris morte, iam obtinentem, per Misticonem suum, qui palatio & thesauris præerat vniuersis, missis occultè literis, ex improuiso captum, & nihil tale veritum, in vincula coniecit. Sed postmodum, postquam Vrbem regiam solemniter ingressus est, per interuentionem communium consanguineorum, & principum sacri palatii fidelem operam, fratri reconciliatus est: sicq; cum tranquillitate debita, iuxta patris supremum iudicium, obtinuit dominus *Manuel* monarchiam, fratrem suum tanquam primogenitum, multiplici non cessans, quàm diu vixit, honore præuenire, & gratiâ prosequi cumulatiore.

A. D. 1137.

XXIV.

Interea dominus rex Hierosolymorum *Fulco*, & alii regni principes, vnà cum domino Patriarcha, & aliis Ecclesiarum prælatis, volentes Ascalonitarum insolenter nimis desæuientium impetus refrenare; & discurrendi per regionem, nimiam aliquatenus artare licentiam: constituunt de communi voto, in campestribus iuxta vrbem *Ramulam*, non longè à *Lidda*, quæ est *Diospolis*, castrum ædificare. Erat autem in eadem regione collis aliquantulum editus, supra quem vnam de vrbibus Philistinorum, traditiones habent fuisse constitutam, *Geth* nomine, iuxta illam aliam eorum ciuitatem, quæ dicta est *Azotum*, ab Ascalona distans miliaribus decem, non longè ab ora maritima. Conuenientes igitur vnanimiter ex cōdicto, in præfato colle, firmissimo opere, iactis in altum fundamētis, ædificant præsidium, cum turribus quatuor, veteribus ædificiis, quorum multa adhuc supererant vestigia, lapidum ministrantibus copiam; puteis quoque vetusti temporis, qui in ambitu vrbis dirutæ frequentes apparebant, aquarum abundantiam, tum ad operis necessitatem, tum ad vsus hominum largientibus. Perfecto igitur castro, & partibus omnibus absoluto, cuidam nobili viro & prudenti, de communi traditur consilio, domino videlicet *Baliano* seniori, Patri Hugonis, Balduini, & Baliani iunioris, qui omnes ab eodē loco cognominati sunt de Hibelin: hoc enim nomen illi erat loco, antequam etiam castrum illic ædificaretur. In cuius custodia & hostium persecutione, cuius gratia municipium erat conditum, diligentem habuit vir prædictus vigilantiam; & post eius obitum prædicti eius filii, viri nobiles & in armis strenui, in nullo segnius, quousque prædicta ciuitas nomini restituta est Christiano, diligētissimâ tenuerunt custodiâ.

XXV. An. D. 1138.

Anno proximè subsecuto, videntes Regni Principes, & ipso rerum experimento plenius cognoscentes, in fundatione duorum præsidiorum, *Bersabee* videlicet, & *Hibelin*, contra Ascalonitarum superbiam se plurimùm profecisse, & eorum ex maxima parte repressam insolentiam, impetus tardiores, debilitatos conatus, adiiciunt tertium ædificare; vt amplioribus molestiis, & multiplicatis in gyrum municipiis, vrbem affligant, & quasi obsessis, frequentiùs terrorem, & cum terrore pericula incutiant magis repentina. Erat autem in ea Iudeæ parte, quæ à montibus declinans, campestribus incipit esse contermina, secus Philistiim fines, in tribu Symeon, ab Ascalona octo distans miliaribus, locus quidam, qui ad montana comparatus, collis; ad planiorem verò regionem collatus, mons sublimis poterat appellari, & loco nomen Arabicè *Tellesaphi*, quod apud nos interpretatur *Mons* siue *collis clarus*. Hic complacuit prudentioribus, præsidium fundari, eò quòd aliis quæ ad vsus similes facta erant municipiis, & ciuitati vicinius, & loco situque munitiore videretur. Proposito igitur satisfacientes, dominus Rex & Principes eius, vnà cum domino Patriarcha & prælatis Ecclesiarum, circa Veris initium, hyemē transcursâ, ad locum vnanimiter conueniunt, & vocatis artificibus, simul & populo vniuerso necessaria ministrante, ædificant solidis fundamentis & lapidibus quadris oppidum, cum turribus quatuor, congruæ altitudinis. Vnde vsque in vrbem hostium liber esset prospectus, hostibus prædatum exire volentibus valde inuisum & formidabile: nomenq; ei vulgari indicunt appellatione, *Blanchaguarda*, quod Latinè dicitur *Alba specula*. Castrum ergo perfectum & omnibus suis partibus absolutum, dominus Rex in suam suscepit custodiam, & tam victu quàm armis sufficienter munitum, viris prudentibus & rei militaris habentibus experientiam, quorum nota est fides & probata

bata deuotio,seruandum commisit.Qui frequenter per se,frequentiùs adiunctis sibi ex aliis municipiis ad vsus similes ædificatis,militibus, egredientibus hostibus occurrebant,eorum euacuantes molimina; nonnunquam verò ipsi Ascalonitas lacessentes,grauia inferebant eis discrimina, & de eis sæpiùs triumphabant. Porrò qui circumcirca possidebant regionem, prædicto confisi munimine, & vicinitate castrorum, suburbana loca ædificauerunt quàm plurima, habentes in eis familias multas,& agrorum cultores;de quorum inhabitatione facta est regio tota securior, & alimentorum multa locis finitimis accessit copia. Inter hæc *Ascalonitæ* videntes vrbem per gyrum præsidiis inexpugnabilibus vallatam, cœperunt de statu suo solito amplius diffidere;& principem Ægypti potentissimum, cui nihil amplius residui de vniuersa regione factum erat, dominum suum, nunciis frequentibus commonere,vt pro vrbe,quæ Imperii sui robur erat,gereret sollicitudinem. Interea per Domini superabundantem gratiam, Regno ad aliquam tranquillitatem redacto, concepit domina *Milisendis*, piæ recordationis regina, pro remedio animæ suæ,& parentum suorum; pro salute quoque mariti & liberorum,si locum inueniret iuxta cor suum,monasterium sacrarum virginum fundare.Erat autem ei soror, inter cæteras iunior, *Iueta* nomine,quæ in monasterio sanctæ Annæ matris sanctæ DEI genitricis,vitam sanctimonialem erat professa. Huius etiã intuitu,plurimùm ad prædictum propositum, domina mouebatur Regina: indignum enim videbatur ei vt Regis filia,tanquã vna ex popularibus in claustro alicui subesset matri. Transcursâ igitur mente vniuersâ regione,& diligenter inuestigato,quis nã inueniretur aptior ad fundandum monasterium locus: tandem post multam deliberationem, placuit *Bethania*,castellum Mariæ & Marthæ,& Lazari fratris earum,quem dilexit IESVS, familiare Domini diuersorium & domicilium Saluatoris. Is autem locus ab Hierosolymis distat stadiis quindecim, iuxta verbum Euangelistæ, vltra montem Olíueti,ad Orientem situs, in decliuo eius montis. Erat autem idem locus Ecclesiæ Dominici Sepulchri proprius: pro quo domina Regina tradens Canonicis vrbem Prophetarum *Thecuam*, locum in proprium recepit. Vbi quoniam quasi in solitudine erat,& hostium patere poterat insidiis, turrim munitissimam quadris & politis lapidibus, officinis distinctam necessariis, multis sumptibus ædificari præcepit, vt DEO dicatis virginibus contra subitos incursus non deesset præsidii inexpugnabilis solatium. Turri igitur constructâ, loco ad aliquem modum ad cultum religionis præparato,sanctimoniales induxit fœminas, matrem eis constituens annosam quandam, & in religione probatam, venerabilem matronam, multa Ecclesiæ conferens prædia:ita,vt in bonis temporalibus, nulli monasteriorum,virorum aut mulierum inferior haberetur; imò, vt dicitur, plus aliarum qualibet Ecclesiarum abundaret.Inter cæteras enim possessiones, quas prædicto venerabili loco contulerat,locum famosissimum, & omnium commoditatum abundantiâ simul refertum,in campestribus Iordanis situm, *Hiericho,* cum suis pertinentiis liberaliter assignauit.Contulit etiam eidem monasterio sacra vtensilia, ex auro & gemmis, & argento,ad multam quantitatem,simul & holoserica ad decorem domus DEI; sed & indumenta tam Sacerdotalia quàm Leuitica, & omnis generis, prout disciplina exigebat ecclesiastica. Defuncta quoque illa venerabili matrona, quam eidem præfecerat loco,ad intentionem rediens, sororem suam, de consensu domini Patriarchæ,& sororum sanctimonalium coniuentia,eidem præfecit monasterio:cum qua etiam adiecit plura in calicibus, libris, & cæteris quæ ad Ecclesiasticos respiciunt vsus,ornamenta, locum non cessans, quàm diu vixit, intuitu animæ suæ & sororis,quam vnicè diligebat,gratiâ,ampliare. Accidit autem illis diebus,quod cùm dominus Rex,vna cum domina Regina transcurso autumno, in ciuitate Acconense moram faceret, voluit Regina, subleuandi gratiâ fastidii, extra vrbem ad loca quædam suburbana, fontibus irrigua, causa recreationis exire: quò dominus Rex, vt solatium Reginæ non deesset, adiecit etiam ipse, cum solito comitatu proficisci. Dumque inter eundum esset, accidit casu vt qui agmina & comitatum præibant pueri, leporem in sulcis iacentem excitarent, quem fugientem clamor prosecutus est vniuersorum. Rex autem arreptâ lanceâ, vt eundem leporem insectaretur, sinistro actus casu,equum ad illas cœpit vrgere partes,& cursui vehemẽter instare.Tandem inconsultè festinãs,equus in præceps agitur;corruensq; in ter-

XXVI.

XXVII.

10

20

30

40

ram, Regem dedit præcipitem: iacentique præ casus dolore attonito, sella caput obtriuit, ita vt cerebrum tam per aures, quàm per nares etiam emitteretur. Ad hunc casum, vniuersus qui præibat & qui sequebatur, facti acerbitate perterritus, conuersus est comitatus; & iacenti opem ferre volentes, exanimem reperiunt, cui neque vox erat, neque sensus. Regina verò compertâ mariti morte tam inopinatâ, & sinistro saucia casu, veste & capillo lacera eiulans, & doloris immensitatem suspiriis contestans & lamentis, in terram corruens, corpus amplectitur exanime. Non sufficit humor oculis, præ fletus vbertate continui; & vox, doloris interpres, crebris interrumpitur singultibus; nec dolori satis fit, licet nihil aliud sit sollicita quàm dolori satisfacere. Familia quoque lachrymis, voce & habitu mœrorem contestans, anxietatis nimiæ lugubria prætendit argumenta. Nunciatur interea, & famâ circumuolante diuulgatur per vrbem Acconensem, Regis miserabilis interitus; & ad partes illas certatim turbæ confluunt, intueri volentes factum inauditum quod acciderat. Inde cum lachrymis in prædictam vrbem deportatus, triduo, sine sensu, tamen adhuc palpitans, protraxit vitam: quartâ demum die, idibus videlicet Nouembris, anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo quadragesimo secundo*, Regni verò eius anno vndecimo, deficiens, in senectute bona vltimum clausit diem. Inde Hierosolymam cum debita delatus honorificentia, occurrente vniuerso clero & populo, in Ecclesia Dominici Sepulchri, sub monte Caluariæ introeuntibus ad dextrã, secus portam, inter alios felicis memoriæ Reges, eius prædecessores, per manum domini *Wilelmi*, venerabilis Hierosolymorum & piæ recordationis Patriarchæ, regiâ magnificentiâ sepultus est: duobus superstitibus liberis, adhuc impuberibus relictis, *Balduino* videlicet primogenito annorum tredecim, & *Amalrico* annorum septem: Resedítq; regni potestas penes dominam *Milisendem*, DEO amabilem reginam, cui iure hereditario competebat.

A. D. 1142.

EXPLICIT LIBER QVINTVSDECIMVS.

CAPITVLA LIBRI SEXTIDECIMI.

XIX. Transi-

XIX. Imperator præcedens cum expeditionibus suis, Constantinopolim peruenit. Soldanus Iconiensis contra eum insidias præstruit.

XX. Transito Hellesponto seducitur Imperator Conradus, Græcorum malitiâ: & ad loca periculosa nimis eius trahitur exercitus.

XXI. Absentant se malitiosè, qui eius exercitui, à Græco Imperatore duces erant dati: & periclitatur Imperatoris exercitus.

10 *XXII. Irruunt è repentè super Theutonicorum legiones Turci, & eas obtruncant: euadit tamen Imperator.*

XXIII. Rex Francorum transito Hellespõto, apud Niceam Bithyniæ, cum suis peruenit legionibus: colloquuntur sibi adinuicem: Imperator Constantinopolim reuertitur.

XXIV. Rex Francorum aliâ procedens viâ, Ephesum peruenit: Guido Comes de Pontiuo ibi moritur. Franci Meandrũ fluuium transeunt, inuitis hostibus.

XXV. Francorum, casu miserabili, prosternitur exercitus: pars quæ præcesserat, euadit.

XXVI. Rex casu euadens, ad eos qui præcesserant, se colligit: residuum exercitus apud Attaliam peruenit, inde in Syriam transfretans.

XXVII. Raymundus Princeps Antiochenus, Regem Francorum apud portum sancti Symeonis honestè recipit: deducit Antiochiam: sed tandem malè diuiduntur ab inuicem.

XXVIII. Hyeme transcursâ, Conradus Imperator, vsus nauigio, in Syriam peruenit: Comes quoque Ansussus apud Acconensem applicat ciuitatem, moriturq; apud Cæsaream.

XXIX. Rex Francorum ab Antiochia digressus, Hierosolymam properat; mittitur ei obuiam Hierosolymitanus patriarcha.

20 EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI SEXTIDECIMI.

INCIPIT LIBER SEXTVSDECIMVS.

QVæ de præsenti hactenus contexuimus Historia, aliorum tantùm quibus prisci temporis plenior adhuc famulabatur memoria, collegimus relatione; vnde cũ maiore difficultate, quasi aliena mendicantes suffragia, & rei veritatem, & gestorum seriem, & annorum numerum sumus consecuti: 30 licet fideli, quantum potuimus, hæc eadem recitatione scripto mandauimus. Quæ autem sequuntur deinceps, partim nos ipsi fide conspeximus oculatâ, partim eorũ, qui rebus gestis præsentes interfuerunt, fidâ nobis patuit relatione. Vnde gemino freti adminiculo, ea quæ restant, auctore Domino facilius fideliusque posterorum mandabimus lectioni. Nam & recentium temporum solidior solet occurrere memoria; & quæ visus menti obtulit, non ita facilè obliuionis sentiunt incommodũ, sicut quæ solo sunt auditu collecta. Vt enim Flacci *nostri vtamur verbo, huic nõstro consonante:*

40 Segniùs irritant animum, demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus: & quæ
Ipse sibi tradit spectator, *&c.*

DEFVNCTO domino *Fulcone*, Hierosolymorum ex Latinis rege tertio, successit ei dominus *Balduinus* tertius, ex domina Milisende Regina filius eius, fratrem habens vnum puerulum, *Amalricum* nomine, annorum septem, vt præmisimus: qui postmodum eidem sine liberis defuncto, successit in regno, sicut in sequentibus aperietur. Tredecim annorum erat dominus *Bal-* 50 *duinus*, cùm regnare cœpit: regnauit autem annis viginti. Fuit autem adolescens optimæ indolis, id de se certis promittens indiciis, quod postea in virilem euadens ætatem pleno rerum persoluit experimento. Nam vir factus, sicut facie, & totâ corporis habitudine, præ cæteris * differenti formæ præminebat elegantiâ; ita & mentis viuacitate & eloquentiæ flore, omnes reliquos regni Principes facilè anteibat. Erat autem corpore procerus, mediocribus maior; ad corporis proceritatem membrorum habens consonam, & quasi proportionaliter respondentem vniuersaliter dispositionem, ita vt nec in modico, à ratione

CAP. I.

totius, in eo pars aliqua dissentiret. Fuit sane facie decorus elegantissima, colore viuido, & innatum designante vigorem: à quibus plane in ea parte matrem referens, & ab auo non degener materno; oculis mediæ quantitatis, modice prominentibus, fulgoris temperati; capillo plano, non flauo penitus; barbâ mentum genasque, gratâ quadam plenitudine, fauorabiliter vestitus; carnositatis mediâ quadam habitudine modificatus, ita vt nec fratris more pinguior, nec matris exemplo dici posset macilentus. Tanta autem, vt in summa dicatur, formæ præibat eminentia, vt ignaris etiam eximiâ quadam in eo refulgente dignitate, certum in se de Regia maiestate daret indicium.

XI. Huic autem tantæ corporis venustati, mentis quoque bene constitutæ æquipollenter respondebat habitus. Nam ingenii summe velocis erat, & sponte fluentis eloquii ei non deerat prærogatiua quædam singularis, nec morum dignitate commendabilium quolibet principe videbatur inferior. Affabilis enim & misericors erat admodum; & licet supra vires se pene omnibus exhiberet liberalem, alieni tamen minime cupidus, nec Ecclesiarum vexabat patrimonia, nec subiectorum, more prodigi, insidiabatur opulentiis. Quodque in ea ætate rarissime solet contingere, etiam in adolescẽtia sua erat DEVM timens, & ad ecclesiasticas institutiones, & ecclesiarum prælatos omnimodam habens reuerentiam: ingenii etiam viuacitate præditus, fidelis etiam memoriæ erat assecutus beneficium: erat autem & commode literatus, & fratre suo domino Amalrico, qui ei successit, multò ampliùs: cùm verò quid otii ex occupationibus publicis decerpere poterat, libenter incumbebat lectioni; historiarum præcipue auditor, antiquorum regum & optimorum principum gesta moresq; diligenter inuestigabat: literatorum maxime, sed & prudentum laicorum confabulationibus plurimùm recreabatur. Tantâ autem affabilitatis gratiâ præminebat, vt etiam contemptibilibus personis, ex improuiso & nominatim salutationibus dependeret affatum; & ad se ingredi volentibus, vel occurrentibus passim mutuæ collocutionis aut offerret vltrò commercium, aut postulantibus non negaret. Vnde tantam sibi plebis & patrum conciliauerat gratiam, vt prædecessorum suorum quolibet ampliùs, vtrique classi haberetur acceptus. Erat autem & laboris patiens, & in dubiis bellorum euentibus, more optimi principis maxime prouidus: in summis necessitatibus, quas pro Regni incremento pertulit sæpiùs, regiam præferens constantiam, & fortis viri nusquam deserens securitatem. Iuris etiam consuetudinarii, quo Regnum regebatur Orientale, plenam habens experientiam: ita vt in rebus dubiis, etiam seniores Regni principes eius consulerent experientiam, & consulti pectoris eruditionem mirarentur. Erat præterea iucundi sermonis, facetique; & personis quibuslibet fauorabili quadam compositione se conformem tribuens, omni ætati & conditioni gratissime se contemperabat. Vrbanitatis quoque præcipuæ; eò minus, quòd dicendi nimiâ vtebatur libertate, ita vt quæ in amicis erant notabilia, & reprehensioni obnoxia, sublatâ differentiâ, vtrum placeret an læderet, eis in faciem publice iacularetur: quæ tamen, quoniam non nocendi animo, sed quadam mentis hilaritate, vel potiùs leuitate dicebat, non multùm inde etiam eorum quos sermone liberiore lacessebat, gratiam demerebatur: eoque ampliùs veniale videbatur, quòd in se versâ vice contortâ, æquanimiter dicta supportabat mordacia. Ad hæc & alearum, & damnificos talorum ludos, plusquam Regiam deceret maiestatem sequebatur: & carnis curam perficiens in desideriis, iniuriam alienis dicebatur inferre matrimoniis. Sed hoc in adolescentia: nam vir factus, secundùm Apostolum, *euacuauit quæ erant paruuli*. Insignibus enim virtutibus secutis, vitia prioris compensauit ætatis: vxore enim susceptâ, cum ea vixisse continentissime dictus est. Et quæ in adolescentia minus DEO placita, & notæ subiacentia, lubrico ætatis impellente, contraxerat, postmodum prudentiore consilio detersit, & studio in melius reformauit saniore. In sumenda præterea corporis refectione sobrius erat admodum, & supra id quòd ætas illa exigebat abstemius: *ebrietatem, tam in cibo quàm in potu, pessimi criminis fomitem esse* asserens, abominabatur.

[margin: I. Cor. 13. 11.]

XII. A.D. 1142. Defuncto igitur patre, quarto Idus Nouembris, proxime subsecuto Dominici natalis die, anno incarnationis Dominicæ *millesimo cẽtesimo quadragesimo secundo*, præsidẽte sanctæ Romanæ ecclesiæ domino *Eugenio* Papa tertio, Antiochenæ domino *Aimerico*, Hierosolymitanę domino *Wilelmo*, Tyrẽsi verò ecclesię presidẽte domino *Fulchero*, cõueniẽtibus de more Principib⁹, simul &

vniuersis

vniuersis Ecclesiarũ Prælatis, in Ecclesia Dominici Sepulchri, per manus domini *Wilelmi*, bonæ memoriæ Hierosolymorum Patriarchæ, solemniter inunctus, consecratus, & cum matre coronatus est. Erat autem mater, mulier prudentissima, plenam penè in omnibus secularibus negotiis habens experiẽtiam, sexus fœminei planè vincens conditionem, ita vt manum mitteret ad fortia; & optimorum Principũ magnificentiam niteretur æmulari, & eorum studia passu non inferiore sectari. Regnum enim, filio adhuc intra puberes annos constituto, tantâ rexit industriâ, tanto procurauit moderamine, vt progenitores suos in ea parte æquare meritò diceretur: cuius quàm diu regi voluit consilio filius, optatâ tranquillitate gauisus est populus, 10 & prospero cursu Regni procedebant negotia. Verùm attendentes quibus mẽs erat leuior, quòd eorum studiis, quibus dominum Regem inuoluere nitebãtur, dominæ Reginę multùm obuiabat prudentia, dominum Regem more aliorum eiusdem ætatis, cereum *in vitia flecti*, *monitoribus asperum*, suis inducunt persuasionibus, vt à matris tutela se subtrahens, Regnum ipse moderaretur auitum. Indignum esse dicentes, Regem, quem omnibus aliis præesse conuenit, quasi priuati filium, semper ad matris vbera dependere. Quæ res sicut ex inconsulta leuitate, vel ex quorundam malitia habuit initium, ita Regnum vniuersum paulò minus habuit cõterere: sicut inferiùs, cùm de his tractabitur, diligentiùs docebitur. Eodem anno, illo medio temporis interuallo, quod inter patris obitum, & eiusdem domini Balduini 20 in regnum promotionem fuit, *Sanguinus* vir sceleratus, Turcorum inter Orientales potentissimus, eius ciuitatis quæ olim *Niniue* dicta est, nunc autem mutato nomine *Musula* dicitur, & est metropolis eius regionis, quæ olim dicta est *Assur*, dominus & moderator, maximam & egregiam Medorum metropolim, *Edessam* nomine, quæ aliâ magis vsitatâ appellatione *Rages* dicitur, in multitudine magna obsedit, multùm præsumẽs tum de gentis suæ numerositate, & viribus; tum de simultatibus quæ inter Principem Antiochenum *Raimundum*, & eiusdem Comitem ciuitatis *Ioscelinum*, exortæ fuerant nimis periculosæ. Erat autem eadem ciuitas trans Euphratem sita, ab eodem flumine distans itinere diei vnius. Prædictus autem Comes ciuitatis illius, contra prædecessorum suorum morem, illius dimissâ vrbis habitatione, circa Euphraten, in loco qui dicitur *Turbessel*, iugem & assiduam constituerat conuersationem, tum propter loci vbertatem, tum propter ocium: erat enim longè ab hostium tumultu; deliciis vacãs, nec debitam gerens pro tam nobili vrbe sollicitudinem. Prædicta verò vrbs Chaldæos, & ex Armeniis imbelles viros, & armorum vsum penitus nescientes, solam negotiandi artem familiarem habentes, habebat domesticos; raroq; Latinorũ frequentabatur accessu, paucissimos ex eis habens ciues. Erat autem solis mercenariis tradita eius cura, neque iis etiam pro tempore, vel pro modo exhibitæ militiæ, præstabantur stipendia; sed plerunque in annũ vel ampliùs, pactam petentes pecuniam protrahebantur. At verò vterque *Balduinus* & *Ioscelinus* senior, postquam eundem Comitatum adepti sunt, illic iugem & manentem cõstituerant habitationem, ex locis finitimis illuc tam victus quàm armorum, & aliorum quæ pro tempore erant necessaria, copiam, ad omnem sufficientiam diligenter inferentes: vnde non solùm in se tuta poterat consistere, sed & aliis vicinis vrbibus meritò erat formidabilis. Erant autem, vt præmisimus, inter principem Antiochenum & Comitem inimicitiæ, non iam occultæ, sed quæ iam vsque ad odium processerant manifestum: vnde vterque, pro alterius molestiis aut sinistris euentibus, modicam aut nullam gerebat sollicitudinem; imò etiam detrimẽtis gaudebat, & sinistris casibus lætabatur. Ex his omnibus prædictus princeps magnus *Sanguinus* occasionem colligens, secumq; ab vniuerso Orientali tractu infinitas equitum copias deducens, conuocatis etiam finitimarum vrbium populis, vrbem prædictam obsidione claudit; & obsessis omnem præstruit aditum, ita vt nec obsessis ciuibus egredi, nec ad eos introire, volentibus vlla daretur facultas. Sed & victus & alimentorum quorumlibet, plurimùm angebantur inopiâ qui obsessi erant. Erat autem ciuitas muro circundata solido, & turrium excelsarum vallata [præsidio] ciuitatis parte [superiore] alterum inferius, ad quæ ciuibus etiam expugnatâ vrbe, secundum poterat esse refugium: sed & *hæc omnia, sicut vsui solent esse cõtra hostes, si sint qui pro libertate velint contendere, & se viriliter hostibus opponere; sic sine vtilitate iacent, vbi non reperitur in obsessis qui vicẽ velit gerere defensoris. Parũ est enim in ciuitatibus turres, muros esse*

(margin: 30, 40, 50; XV.)

& antemuralia, nisi sint qui hac omnia tueantur. Vacuam ergo vrbem reperiens, & ex eo obtinendi maiorem habens fiduciam, locatis in gyrum legionibus, & legionum primiceriis congruâ statione dispositis, vrbem vallat: deinde tormentis & machinis iaculatoriis mœnia debilitat; & crebris sagittarũ immissionibus ciues incessanter affligens, obsessis requiem negat. Nunciatur interea, & famâ discurrente vulgatur, quòd prædicta Dei cultrix ciuitas, has obsidionis ab hostibus fidei & nominis Christiani patiebatur angustias: vnde ad hunc sermonem, fidelium longè lateque hæc audientium, liquefacta sunt corda, & zelus armari cœpit, ad vltionem iniquorum. *Comes* verò hoc audiens, & facti acerbitate percussus, copias impiger conuocat militares; & serò memor vrbis eximiæ, *quasi iam defunctæ parat exequias, qui ægrotantis, & remedia postulantis, curam habere noluit*: circuit fideles, amicos sollicitat, Antiochenum Principem dominum suum suppliciter monet, & attentiùs per nuncios hortatur, vt eius compatiatur laboribus, & vrbem prædictam a iugo futuræ liberet seruitutis. Peruenerunt etiam huius tam sinistri casus nuncii ad Regem Hierosolymorum, obsidionis circa prædictam vrbem & angustiarum, quas ciues eius patiebantur, certitudinem attestantes. Domina autem Regina, quæ regni moderabatur imperium, communicato cum proceribus consilio, *Manassem* regium constabularium, consanguineum suum, *Philippum* Neapolitanum, *Elinandum* Tyberiadensem, vnà cum militari multitudine, illuc sub omni celeritate dirigit, vt optatum domino Comiti, & afflictis ciuibus ministrent solatium. Princeps verò Antiochenus, de Comitis gaudens aduersitatibus, non multùm attendens, quantum communibus debeat vtilitatibus, & quòd *personale odium in publicam non debet redundare læsionem*, occasiones colligit, dum petitum differt subsidium ministrare.

At *Sanguinus* interea obsessos continuis vrgens assultibus, omnia nocendi percurrit argumenta; nil intentatum relinquit eorum quæ ciuibus possint augere molestiam, & sibi ad obtinendum locum possint tribuere facultatem. Immissis igitur fossoribus per scrobes & subterraneos meatus, secus murum ducit cuniculum, suffossumque opus stipitibus sustentat appositis: quibus igne consumptis, decidit ex magna parte murus, & hiatum hostibus peruium plusquam centum dedit cubitorum. Hostes igitur aditum pro votis habentes, confluentibus vndique in vrbem ingrediuntur legionibus, & quos de ciuibus habent obuiam gladiis periment, conditioni, ætati aut sexui non parcentes: ita vt de iis dictum videretur: *Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt, iuuenem simul ac virginem lactentem, cum homine sene.* Captâ igitur vrbe, & hostium gladiis traditâ, qui prudentiores erant ex ciuibus, vel magis expediti, in præsidia, quæ in vrbe esse diximus, cum liberis & vxoribus, vt vitæ saltem, licet tempore consulerent modico, se contulerunt: vbi tantus in introitu concurrentium populorum factus est tumultus, vt præ turba comprimente, multi miserabiliter suffocati interirent: inter quos & reuerendissimus vir, *Hugo*, eiusdem ciuitatis Archiepiscopus, cum quibusdam clericis suis eodem dicitur modo occubuisse. Huius tamen miserabilis euentus culpam nonnullam in prædictum refundunt Antistitem, qui prædicto interfuerunt negotio. Nam cùm pecuniam collegisse diceretur infinitã, quam erogans militibus, vrbi posset esse auxilio, maluit opibus auarus incumbere, quàm populo consulere pereunti: vnde factum est, vt auaritiæ fructus colligens, mortem cum popularibus sortiretur indifferentem, ab auditu etiam malo, nisi misericorditer dominus subueniat, non multum securus. Talibus enim terribiles loquuntur Scripturæ, dicentes: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Sic igitur dũ Princeps Antiochenus, odio victus indiscreto, differt fratribus debitum auxilium ministrare; dumque Comes aliena præstolatur suffragia, vrbs antiquissima, & nomini Christiano à temporibus Apostolorum deuota, verbo & prædicatione Apostoli *Thaddei*, ab infidelium superstitionibus eruta, indebitę iugum passa est seruitutis. Dicitur in eadem vrbe & corpus beati Thomæ Apostoli, vna cum prædicti Apostoli, & beati Abgari regis corporibus esse sepultũ. Hic est *Abgarus*, toparcha illustris, cuius epistolam ad Dominum Iesvm Christvm missam, *Eusebius* Cæsariensis, in historia sua quam ecclesiasticam nominat, asserit: quem & Domini dignum rescripto docet, vtriusque ponens epistolam, & in fine ita subiungens: *Hæc in Archiuis publicis Edessenæ vrbis, in qua tunc supradictus Abgarus regnauit, ita descripta reperimus in iis chartis, quæ gesta Abgari Regis seruata antiquitus continebant.*

Sed

Sed hæc hactenus, nunc ad historiam redeamus. Huius domini *Balduini*, anno primo quo regnare cœpit, Turci, quibusdam fauentibus & vocantibus locorum incolis, castrum quoddam nostrum, cui nomen *Vallis Moysi*, in Syria Sobal, quæ est trans Iordanem, occupauerant. Est autem prædictum oppidum, iuxta aquas cõtradictionis, vbi Moyses populo Israëlitico vociferante & deficiente præ siti, ex silice fluenta produxit, & bibit populus vniuersus & iumenta eius. Cognito itaque quòd prædictum municipium hostes, nostris qui in eo erant occisis, detinerent, congregatis vndiq; militaribus copiis, dominus Rex, licet tener adhuc nimium, illuc proficiscitur: & transiens cum suis expeditionibus, *Vallem illustrem*, vbi nunc *Mare Mortuum*, quod & *Lacus Asphaltes* dicitur, interiacet, secundæ Arabiæ, quæ est *Petracensis*, in finibus Moab, montana conscendit. Inde Syriam Sobal, quæ est tertia Arabia, quæ hodie vulgò dicitur *Terra Montis regalis*, percurrentes, ad locum perueniunt destinatum. Indigenæ autem regionis, comperto nostrorum aduentu, cum vxoribus & liberis in præsidium se contulerant, præsumentes de loci munitione, eò quòd inexpugnabilis videretur. Vbi nostri, loci videntes difficultatem & insuperabile munimen, postquam aliquot diebus saxa contorquendo, crebris sagittarum immissionibus, & aliis nocendi argumentis, inutiliter operam consumpserant, ad alia se dirigunt consilia. Erat autem tota illa regio oliuis consita pinguibus, ita vt instar nemorum condensorum, vniuersam terræ superficiem obumbrarent: vnde regionis habitatores, sicut & eorum progenitores, sibi victum omnimodum propagabant; quibus deficientibus, omnino viuendi spes eos destitueret. Has igitur extirpare & dare incendiis decretum est, vt saltem hoc damno deterriti, & succisis oliuetis desperarent, & Turcis qui in municipium se contulerant traditis vel exclusis, nostris castrum restituerent: quod conceptum, fructuoso non caruit euentu. Nam protinus vbi succidi amicas viderunt arbores, mutato consilio, ad alia se conuertunt studia: & conditionibus interpositis, quòd Turcis quos introduxerant, liber & sine periculo pateret exitus; quodque eis & eorum vxoribus & liberis non imputaretur ad mortem, quod deliquerant; castrum domino Regi restituerunt. Recepto itaque municipio, & custodibus in eo locatis, alimentorum quoque immissa copiâ, simulque & armorum, dominus Rex cum suis, consummato negotio, quod ei in primis Regni sui auspiciis occurrerat, victor, & sospes cum vniuerso exercitu, ad propria reuersus est. *Sanguinus* interea, vnde supra fecimus mentionem, subiugatâ vrbe Edessanâ, tanto in immensum elatus successu, apposuit & ciuitatem munitam, supra Euphratis fluenta sitam, *Calogenbar* nomine, obsidere: in cuius obsidione dum perseueraret, tractante & disponente prædictæ vrbis domino, cum quibusdam cubiculariis & familiaribus eius eunuchis, nocte vnâ vino æstuans, & præ nimia crapula supinus iacens in tabernaculis suis ab eisdem domesticis suis, gladiis confoditur. De quo quidam nostrorum, nunciato eius interitu, sic ait:

Quàm bonus euentus! fit sanguine sanguinolentus,
Vir homicida, reus, nomine Sanguineus.

Qui autem eum interfecerant, à domino vrbis obsessæ, ex condicto intra mœnia recepti, vltrices consanguineorum extincti manus effugerunt. Fugit autem & vniuersus eius exercitus, domini solatio & prouisione destitutus: cui defuncto successerunt eius filii, alter apud *Mussulam*, introrsum in Oriente; alter apud *Halapiam*, natu posterior, nomine *Noradinus*, vir prouidus & discretus, & iuxta traditiones illius populi superstitiosas, timens DEVM; felix quoque, & paternæ ampliator hereditatis. Non multo pòst tempore, anno secundo regni domini *Balduini*, nobilis quidam Turcorum satrapa, ex caussis quibusdam, *Meieredin* regis Damascenorum indignationem sustinens, & procuratoris eius *Mehenedin*, qui alio nomine *Ainardus* dicebatur, gratiâ destitutus, cuius multo maior quàm ipsius Regis in vniuersis Damascenorum finibus erat auctoritas: ad dominũ Regem & matrem eius, cum honesto comitatu venit Hierosolymam, asserens, quòd si dominus Rex honestam, & pro boni viri arbitratu sufficientem ei vellet assignare compensationem, ipse *Bostrensem* vrbem, cui præerat, vnà cum oppido *Selcath*, Christianis resignaret. Est autem *Bostrum* primæ Arabiæ metropolis, quæ hodie vulgari appellatione *Bussereth* dicitur. Erat porrò idem nobilis homo, vt dicebatur, Arme-

nus genere, corpore procerus, facie venustâ, virilem totâ corporis habitudine animositatem prætendens, eratq; nomen ei *Tantais*. Conuocatis igitur huius rei gratiâ vniuersis regni Principibus, & deliberationis partibus congruo libramine pensatis, auditâ tanti viri aduentus caussâ, placuit omnibus de cõmuni consilio, vt de honesta & competente recompensatione, supradicto satisfiat viro; & conuocatis exercitibus, ad Bostrenses partes dirigantur expeditiones: maximum enim & DEO acceptum Regni iudicant incrementum, si Christianæ fidei & nostræ iurisdictioni, per huius operam, iure perpetuo possit accrescere ciuitas prænominata. Pactis igitur hinc inde ad congruam consonantiam redactis, vniuersus regni populus voce præconiâ congregatur, & implorato de supernis auxilio, viuificæ Crucis ligno 10 secum assumpto salutari, tam dominus Rex, quàm Principes omnes, *Tyberiadem* vsque perueniunt: vbi circa pontem, vnde ex mari Iordanis fluenta se diuidunt, castrametantur. Porrò prædictus *Ainardus*, cum domino Rege, sicut & cum patre eius fœdus priùs inierat, & pacem temporalem: vnde oportebat eum præmoneri solenniter, vt ad resistendum præparandumque se, & conuocandum exercitum legitimas pro more regionis haberet ferias; ne si repentè & ante sollemnem commonitionem, infra suos fines, hostiliter dominus Rex ingrederetur, contra legem pactorum videretur versatus. Missis igitur nunciis, ad eundem procuratorem, dum ille tanquam vir sagacissimus ex industria differt responsa dare, iam penè mensis præterierat: quo medio tempore non cessauit, tam prece quàm precio, omnes fini- 20 timos suæ gentis proceres, longè lateque in sui subsidium conuocare: quibus vndique ad infinitatem nimiam congregatis, domino Regi & principibus mandat, dicẽs: *Contra legem initi fœderis, in terram domini mei paratis intrare, & seruum eius contumacem, & contra debitæ fidelitatis iura versantem, indebito protegere laboratis patrocinio: rogamus humiliato in preces animo, quatinus ab iniusto dominus Rex desistat proposito; pactorum priùs initorum tenorem conseruet illibatum. Nos parati sumus, domino Regi vniuersas cum omni integritate impensas, quas pro hac expeditione fecit, refundere.* Ad hæc dominus Rex de communi consilio responsum dedit, dicens: *Nos pactorum & fœderis concepti, nullatenus intendimus violare tenorem: sed quia prædictus nobilis homo ad nos venit, vt nobiscum familiariter loqueretur, non possumus homini in Regno nostro spem habenti, cum nostra honestate ita penitus deesse. Sufficiet autem nobis, vt in vrbem quam nostro deseruit intuitu, eam introducere sine difficultate liceat: postquam autem in suum se receperit municipium, tractet eum dominus suus patriis legibus, & secundum merita sua eidem præmia largiatur: nos enim siue in eundo, siue in redeundo, regi Damasceno amico nostro, omnino auctore Domino, sicut tenemur, declinabimus iniuriam irrogare.* Erat autem hic idem *Ainardus*, vir prudentissimus, & populi nostri amator: qui cùm haberet tres filias, vnam illarum dederat prædicto Damascenorum Regi, alteram *Noradino* Sanguini filio: tertiam cuidam egregio militi, *Manguarth* nomine. Habebat ergo regni curam, tum quia Regis erat socer, tum quia vir circumspectus erat plurimùm. Rex autem deses, ebriosus, & epulo, solis vacabat delitiis, & libidine totus effluebat dissolutus. Is (vt diximus) gentis nostræ 40 gratiam, quibuscumque poterat obsequiis mereri, satagebat; & quibus solent amici comparari, merita in eo non erant ociosa. Quod vtrum ex animo & ex dilectionis synceritate procederet, an inuitum impelleret necessitas, inter prudentes quærebatur. Poterat sanè vtrunq; esse in causa: nam generum suum *Noradinum*, sicut & patrẽ eius priùs, suspectum habebat non modicũ, ne Regem, iterum generum suum, virũ prorsus inutilẽ, & crassâ supinum ignorantiâ, regno, & se ab administratione detruderet. Inde erat maximè, quod nostrorum sibi necessariam reputans gratiam, omni viâ quâ poterat ad eam obtinendam aspirabat. Videbatur vir discretus præsagientem habere spiritum: nam quod verebatur accidit. Statim enim eo mortuo, prædictus Noradinus, consentientibus sibi Damascenis, illo qui regnabat violen- 50 ter excluso, regnum occupauit. Elaborabat ergò fideliter, vt dominus Rex, refusis sibi expensis, quæ pro vocanda fecerat expeditione, ad propria rediret indemnis: & proculdubio minus hostiliter in eo facto, contra dominum Regem & Christianum exercitum se habuisset, si conuocatas exteras nationes, pro suo potuisset arbitrio cohibere. Multa enim fidei, synceritatis, & constantiæ illius in plerisque negociis, certo rerum experimento cognouimus argumenta.

IX. Verùm dum hæc nunciarent legati, inter quos erat præcipuus quidam domini Regis familiaris,

Bernardus

Bernardus Vacher: populus cœpit acclamare, eundem Bernardum proditorem esse: non esse populo Christiano fidelem, quicunque dissuasionibus huic negotio velit dare impedimentum. Magnis etiam vocibus cœpit plebs indiscreta clamare, procedẽdum esse, vrbem tam nobilem nõ facilè esse deferendám: grates habendas nobili viro, & eius per omnia propositum amplectendum fideliter & deuotè, qui tantum Christianitati obtulisset seculis memorabile beneficium, & pro eo vsque ad mortem decertandum. In hoc itaq; tanto tumultu, præualuit vulgi sententia, spreto consilio saniùs affectorum. Compositis igitur sarcinis, & solutis castris, versus prædictum oppidum iter dirigunt: transitaque caueâ *Roob*, in planiciem peruenerunt, 10 quæ dicitur *Medan*, vbi singulis annis Arabum & aliorum Orientalium populorum solent nundinæ cõuenire solennes. vbi tanta hostium nostris cœpit occurrere multitudo, vt qui priùs cœpto insistendum, & in negotio procedendum acclamauerãt, redire si fieri posset, præoptarent, & iudicarent vtilius. Visis tamen hostium cuneis, & stupentes multitudinem, nostri accingunt se tanquam statim præliaturi. Rex verò de consilio eorum qui rei militaris habebant experientiam, castra protinus iubet locari: quibus compositis, curam corporis, prout in arto positi poterant, agentes, noctem illam duxerunt insomnem. At verò hostes multiplicati supra numerum, legiones nostras vndique vallantes, quasi manubias & vilia mancipia, nostros proculdubio habituros in crastino compeditos non dubitabant. Nostri verò 20 continuis excubiis se obseruan tes prudenter, & virorum fortium circa se totâ sollicitudine impleuerunt officia. Mane facto, communicato cõsilio, nostri procedendum esse decernunt: nam redire, cùm ignominia plenum, tum penè videbatur impossibile. Verùm hostes circumpositi vtrumque impedire videntur. Tandem nostri animosiùs insistentes, per medias hostium acies, viam ferro aperiunt, & ad destinatum vnanimiter locum contendunt: sed loricis, cassidibus, simul clypeis onusti, lento incedebant gradu; hostium etiam circumpositâ multitudine præpediebantur. At verò equites, licet expeditiùs possent incedere, peditum tamen oportebat in incessu conformes fieri manipulis ne dissolueretur agmen, & irruendi super cuneos hostibus daretur occasio. Compatiebantur itaque sibi inuicem co- 30 hortes, & quasi vir vnus affectus erat populus vniuersus. Tanta enim equitibus erat pedestrium turmarum cura, vt ipsi de equis descendentes, communicato cum eis labore, fessis pro vehiculo se exhibentes, itineris molestiam redderent leuiorẽ. Hostes tamẽ interea crebris sagittarum immissionibus exercitũ fatigantes, multiplicatis molestiis, nostrorum cohortes dissoluere nitebantur. Nostri autem è diuerso, quantò ad hoc magis eos videbant instare & importuniùs, tantò sibi inuicem cohærere magis, & cœpto insistere feruentiùs itineri non formidant. Accedebat ad maiorem molestiarum cumulũ, sitis aspera, ex laboris difficultate, & æstatis caumate geminata. Erat quoque eis iter per loca arida & inaquosa: tota enim illa regio fontes nescit; verùm hyeme solent aquas colligere lacunis tam naturalibus quàm ma- 40 nufactis, pluuiales. Acciderat autem illis diebus, vnde & hæ ipsæ factæ erant inutiles: nã tanta fuerat paulò antè locustarũ in ea prouincia præter morẽ intemperies, quòd omnes huiusmodi piscinas tabo infecerant, & aquæ vsum reddiderant abominabilem putredine, quam morientes intulerant. Hæc autẽ, quà nostris iter erat, regio dicitur *Traconitis*: cuius in Euangelio *Lucas* facit mentionem, dicens: *Philippo autem Iturea & Traconitidis regionis tetrarcha.* Videtur autem nobis à Traconibus dicta. *Tracones* enim dicuntur occulti & subterranei meatus, quibus illa regio abundat: nã penè vniuersus illius regionis populus in speluncis & cauernis habitat, & in traconibus habet domicilia. Transcursâ igitur cum summo periculo regionis illius parte, circa horam diei nouissimam ad locum perueniunt, qui antiquo 50 *Adratum* dicitur vocabulo, nunc autem vulgari appellatione dicitur ciuitas *Bernardi de Stampis*. Est autem vna de vrbibus suffraganeis, quæ ad Bostrensem metropolim habet respectum: vbi adiunctis illius loci incolis, ad hostium numerum, maior nostris accessit molestia: vbi etiam de cisternis, quarum ora videbant patentia, & sine difficultate haurire aquas se posse nostri arbitrarentur, demissas situlas non sine damno amittebant: nam qui intus latebant in cauernis subterraneis funes præcidentes quibus hauriendi adligata erant instrumenta, funes remittebant decurtatos; & spe potus elusos, ad maius compellebant sitis

Luc. 3. 1.

X.

dispendium, dum in hauriendis aquis frustra diutiùs laborabant. Sic igitur quatuor diebus cōtinuis, nunquam indultâ requie, nostri afflicti sunt incessanter, vix noctibus habentes ocium vt necessitatibus corporis quocunque modo satisfacerēt. Augebatur præterea per singulos dies hostium numerus; nostrorum verò decrescebāt agmina, aliis interemptis, aliis sauciis letaliter: alii verò de vita desperātes, & nimiâ percussi formidine sarcinarum & impedimentorum augebant turbam, infra equos & iumenta delitescentes, & simulantes impotentiam, ne ad sustinenda hostilis impetus onera, egredi compellerentur. Tāta enim sagittarum & missilium penè continua supra nostrum exercitum erat densitas, vt grandinis aut imbrium instar descenderent, & vniuersa tam homines quàm iumenta telis consita viderentur. Mirari poterant intuentes, aut hostes in iaculādo tantùm posse, aut nostros tantùm patientiæ inuincibilis continuare laborem. Instabant & nostri, telis & sagittarum immissione nihilo minus: sed hostium exercitus, discursus habens liberiores, rariùs sagittis lædebantur nostris. Quartâ demum die continuatis cum tanto periculo itineribus, ad locum destinatum appropiantes, vrbem eminus contuentur: vbi cum multa difficultate, hostibus violenter exclusis, aquas intra rupes modicè scaturientes, occupant, & circa eas castra metantur: vbi refectioni vacantes aliquantulum, corporibus quantum permittebatur indulgent. Eâ nocte ibi qualem qualem nostri habentes requiem, diem exspectabant cum summo desiderio sequentem: cùm ecce intempestę noctis silentio, ex vrbe prædicta quidam latenter egressus, per medias hostium acies ad nostrum se contulit exercitum, infaustæ legationis baiulus. Qui statim veniens, ad Regem se postulat introduci, verba dicens se habere secretiora quæ perferat. Admissus ergo, conuocatisque Principibus, simul quoq; & illo nobili viro, qui eiusdem ciuitatis magistratum administrauerat, & nos in præsentia duxerat pericula, nunciat, vrbem vxore eiusdem nobilis viri prodēte, hostibus traditam; & eorum introductos satellites, arces & præsidium, exclusis aliis, obtinere vniuersum. Hoc infelici rumore, nostri mente plurimùm consternati, quid facto opus sit deliberant: tandemq; visum est expedientiùs, reditum ad propria, cum quocunq; periculo, maturare. Fuerunt tamen nonnulli de maioribus Regni Principibus, qui domino Regi secretiùs & in aurem consulerent, quatinus assumpto sibi viuificæ Crucis ligno, equum domini *Ioannis Gomani*, qui omnes alios eiusdem exercitus equos celeritate & laboris patientiâ longè superare dicebatur, conscenderet, & solus suæ consuleret saluti. Hoc autem dicebant, omninò de reditu desperantes, & omnium stragem timentes in proximo futuram. Quod verbum Rex, licet infra annos puberes constitutus (significans qualis in maiore ætate futurus esset) regiâ spreuit magnificentiâ, dicens: *Propriam se omninò contemnere salutem, si tam DEO deuotus populus casu tam flebili deperiret.* Videntes ergo Regem eorum monitis, licet ex affectu pio prodeuntibus, nō acquiescere, ad alia se conuertunt studia; & de reditu tractare incipiūt, vidētes nō sine vniuersorū strage ad vlteriora se posse procedere. Tunc primùm cœpit spe tantâ deiectis, & euacuatos videntibus omnes suos conatus, labor duplo exsurgere molestior. Nam etsi priùs dura nimis, & penè intolerabilia, & quibuslibet quæ postmodū accidere possent non inferiora passi erant, spes tamen & fiducia obtinendi ciuitatem, laborantium animos confouens, ad tolerantiam gratis quibusdam stimulis accendebant. Videntes ergo se prorsus spe delusos, fixum firmumque quod proposuerant decernentes, ad iter se accingunt, voce præconiâ reditu cunctis significato.

XL. Redditâ igitur terris die, ecce *Noradinus* in auxilium soceri vocatus, infinita secum trahens Turcorum agmina, ab vrbe prædicta veniens, ad hostium se adiungit cohortes. Nostri verò ad redeundum, secundùm propositū, iter arripiunt. Quod videntes aduersarii, clamoribus perstrepentes obuiam se dare cōtendunt, vt impediant regressum. At nostri ipsâ difficultate, quæ vndique premebat, facti animosiores, obuias acies gladiis & ferro dissoluētes, viam sibi cùm summo periculo & strage suorum violenter aperiunt. Erat autem nostris indictum publicè, vt defunctorum corpora camelis & aliis animalibus ad sarcinas deputatis imponerent, ne nostrorum consideratâ strage, redderentur fortiores inimici: debiles quoque & saucios, iumentis imponi mandatur, ne omninò nostrorum aliquis aut mortuus aut debilis crederetur. His & datum erat in mandatis, vt gladios educentes, saltem speciem validorum exprimerent. Mirabantur itaque hostium

hostium prudentiores, quòd de tanta immissione sagittarum, de crebris conflictibus, de tanta sitis, pulueris, æstus immoderata molestia nullus vnquam mortuus aut deficiens inueniretur; populum iudicant ferreum, qui tot, tamque continua possint tam perseueranter sustinere dispendia. Videntes porrò hostes, quòd sic nō proficerent, ad alia se conuertunt molimina: erat sanè regio tota vepribus & fruteétis humilibus, carduis aridis, & synapis syluâ, veteribus stipulis & frugibus iam maturis; obsita his omnibus ignem subiiciunt, vento nostris obuio fomitem & vires ministrante. Hic incendii vicinioris afflatu, fumique occurrentis nube densissimâ, nostris ingeminatur molestia: cùm ecce ad venerabilem virum dominum *Robertum* Nazarenum archiepiscopum, qui Crucem Dominicam baiulabat, omnis populus cum clamore & eiulatu conuersus, postulabat cum lachrymis, dicens: *Ora pro nobis pater; & per hoc viuifica Crucis lignum, quod manibus gestas, in quo nostræ salutis auctorem credimus pependisse, erue nos ab his malis, nam diutiùs sustinere non possumus.* Erat autem populus, in modum fabrorum officinas exercētium, vento agitante fuliginem, tam facie quàm toto corporis habitu, nigredine factus decolor; & tam æstatis quàm incendiorum caumate duplicato, ad supremum afflictus siti, supra vires laborabat. Ad has itaque gementis populi voces, vir DEO amabilis, contritus corde, & animo valdè compatiens, salutare lignum erigit contra incendia, quæ illi totis viribus procurabant: & inuocato de supernis auxilio, statim adfuit virtus diuina, & in momento conuersis in oppositum flatibus, incendia simul cum tetra fumi caligine in hostes, qui nostrum præcedebant exercitum, se dirigunt: & quæ in nostram parauerant læsionem, in suam vident retorta perniciem. Stupent hostes nouitate miraculi, & singularem reputant Christianorum fidem, quæ tam præsens possit à domino DEO suo pro votis impetrare beneficium. Suis ergò occupari necessitatibus, nostris aliquam indulgent requiem, & ad tempus respirare concedunt. Dum verò his tam intolerabilibus noster exercitus premeretur malis, diffidentes de vulgi patientia Maiores, & qui sensus habebant magis exercitatos, Regem adeunt, persuadent vt legatio ad *Ainardum* dirigatur, pacem postulans sub conditione qualibet, dum solummodo ad propria possit redire exercitus. Eligitur quidam qui suspectus habebatur, quòd aliâ vice in legatione simili contra CHRISTI populum malitiosè versatus fuisset: tamē propter linguæ commercium, quod habere dicebatur familiare plurimùm, iterum id ei muneris iniungitur. Dumque ei persuaderetur, vt fideliter iniunctum exequatur officium, dixisse perhibetur: *Iniustè & præter meritum suspectus habeor: vado tamen. quòd si obiecti reus sum criminis, nunquam mihi redire concedatur, quin hostium gladiis confossus intereum.* Datam ergo in se mortis sententiam miser homo, diuino iudicio expertus est statim: nam antequam ad hostes perueniret, & legationis functus esset munere, armis hostium confossus interiit. Conuenerant ad eandem expeditionem quatuor incluti Arabum principes fratres, illustris & eximii Arabum satrapæ filii, qui dictus est *Merel*, cum innumera suorum manu: hi dum nostros ex latere proteruis nimis assultibus vexarent instantiùs; nostri autem propositâ lege ad eos erumpere non auderent, ne si contra rei militaris disciplinam ordines soluerent, duriorem in se tanquam locorum desertores experirentur sententiam: vnus de familia Turci illius, qui nobiscum erat, non ferens illorum fastum, & à nostris iniuriam propulsare cupiens, vitæ prodigus, & legis immemor propositæ, equum viriliter admittens, in vnum ex illis quatuor hastam, quam manu gerebat, dirigens, gladio transuerberatum in medio suorum agmine, ad terram deiecit exanimem; seque statim, sanum & incolumem in nostrum recepit exercitum. Factus est ergò circa corpus defuncti, populi concursus innumerabilis: & cognito quòd iam infelicem exhalauerat animam, in vocem erumpunt flebilem, & doloris immensitatem fletus vbertate testantur. Nostri verò lætantes, diligenter quærunt quis nam esset, qui tanto se obiecerit periculo, cuius tam insigne factum gloriam meruerit perennem: cognitoque quòd vir alienigena, & cui legem propositam licebat ignorare, eò maximè quòd linguæ commercium non habens, edictum publicum non intellexerat, licet contra rei militaris disciplinam egisse non dubitaretur, tamen *iuris ignaro clementer indulgent*, viri factum amplectentes, non tam ratione quàm euentu commendabile. Soluitur ergo ex ea parte hostium cuneus; & liberiora habens noster exercitus spacia, angustias

quas patiebatur, locis redimit patentioribus. & iam continuato per aliquot dies itinere, ventum erat iterum ad *Caueam Roob:* quem locum, quoniam angustus erat, & periculosus poterat esse transeuntibus, Principes consultò iusserunt declinari. Prædictus verò Damascenorum procurator *Ainardus*, videns quòd Rex cum suis exercitibus versus prædictam vallem properabat, missis nunciis offert, quòd si ei bonum videretur, trans Caueam ei faceret honestè prandium præparari: nouerat enim iam per dies aliquot exercitum alimẽtorum inopiâ laborasse. Quod verbum vtrum ex dilectionis synceritate processerit, an ex dolo, volens nostras expeditiones in periculosarum vallium angustias immergere, pro certo non habemus compertum. Regulariter tamen creditur esse traditum, quòd *hostium munera meritò etiam habeantur suspecta.* Generali ergo decreto, decernunt viâ superiore, quoniam planior 10 & minus periculosa erat, incedere. Cumque ducem non haberẽt qui agmina præiret, & locorum per quæ trãsituri erant haberet peritiam, ecce subitò cohortes præcedens miles quidam ignotus, albi sessor equi, rubei coloris vexillum baiulãs, loricã indutus, curtis vsque ad cubitos manicis antecedebat exercitum. Hic tanquam angelus Domini exercituum, viarum sequens compendia, & ad aquas ducẽs prius incognitas, congruis & commodis stationibus castrametari docebat. Sic igitur cùm quinque diebus, vsque ad prædictam Caueam vix peruenissent expeditiones, tribus postea sub iam dicto duce & itineris præambulo, iter agentes, *Gadaram* vsque perueniunt.

XIII. Sita est *Gadara* in ea regione quæ *Decapolis* dicitur, de qua in Euangelio Marci legitur: *Exiens IESVS de finibus Tyri, venit per Sydonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.* (Marc. 7, 31.) 20 In hac, sicut & nomen indicat, sunt ciuitates decem: Hippus, Pella, Gadara, de qua hic nobis est sermo, cum aliis septem. Ad quam, quoniam in confinio hostiũ & nostræ regionis sita est, cùm peruenissent primæ nostrorum legiones, tunc denuò quasi rediuiuo malo & recrudescente insaniâ, furere cœperunt hostes circa postrema agmina: sed videntes quòd non proficerent, & quòd nostri in sua iam se contulerant, fumo, caloris intemperie, tædioque fatigati, solutis agminibus gregatim ad propria redire cœperunt. Nostri quoque nihilominus, transcursâ nocte illâ maiore solito tranquillitate, exhaustis præ labore debitam corporibus exhibentes indulgentiam, die sequente ad vrbem *Tyberiadensem* perueniunt. 30 Asserunt autem vnanimiter, quibus illius facti adhuc plenior famulatur memoria, quòd hunc, vnde diximus, ducem itineris nemo nouerit: nam cùm ventum erat, vt castrametaretur exercitus, subitò disparebat, nec vspiam in castris videbatur; manè verò iterum exercitum anteibat. Non habet præsentium hominum memoria, quòd Latinorum tempore, in toto Oriente, absq; manifesta hostium victoria, tam periculosa fuerit expeditio. Domino igitur Rege in Regnum reuerso, Cruce quoque Dominicâ Hierosolymis restitutâ, gauisus est populus qui remanserat, reuerso ad se populo, dicens: *Mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus est.* (Luc. 15, 24.) Postmodum verò idem nobilis homo, ab *Ainardo* vocatus verbis pacificis in dolo, quasi sub specie reconciliationis, malè nimis tractatus est: nam oculis erutis, in summa 40 egẽstate & miseria, vitam miserabiliter infelicem finire coactus est.

XIV. Dum hæc circa nos geruntur, in partibus Edessanis factum miserabile, scriptis innodari dignum accidit: quod vt pleniùs intelligatur, altiùs aliquantulum repetenda est historia. Mortuo Sanguino, maximo nominis Christiani persecutore: *Noradinus* filius eius, dum de successione in patris principatum, apud Mussulam sustinet quæstionem, & circa id in partibus illis detinetur occupatus, videntes Edessani ciues, quòd pauci de familia eius in ciuitate essent residui, qui ad tuenda præsidia erant deputati, reliqua autem populi pars vniuersa fide polleret Christianâ, occultè dirigunt nuncios ad prædictum Comitem *Ioscelinum*, significantes, vrbem Turcis vacuam, exceptis paucis qui præsidia seruabant, solis ciuibus relictam. Erant autem, 50 & à diebus Apostolorum fuerant, illius ciues vrbis in CHRISTI fide radicati, & fundati, ita vt, sicut aliàs dictum est, aut rarissimus, aut nullus alterius professionis homo inter eos habitaret. Orant etiam & cum omni monent instantia, vt militaribus copiis sine mora congregatis, ad vrbem acceleret; eamque tradentibus ciuibus, sine periculo & sine difficultate recipiat. Ille verò cum omni celeritate, assumens sibi dominum *Balduinum de Mares* nobilem & potentem virum, & vniuersam regionis illius tam equitum quàm peditum militiam, transito repente fluuio ad

prædictam

prædictam vrbem, cum omni comitatu suo de nocte repentinus accessit: vbi à ciuibus intempestæ noctis silentio, dormientibus iis qui ad vigilias erant deputati, funibus & scalis sunt intromissi, qui cæteris de foris expectantibus portas aperirent. Quibus apertis, immissis omnibus indifferenter, statim per vrbem discurrentes, quotquot habuerunt de hostibus obuiam, in ore gladii peremerunt. Fugit tamen eorum pars quædam, & mortis declinans periculum, in præsidia se recepit. Obtinuit ergo Comes, & Christianus qui cum eo erat exercitus, vrbem eo modo per dies aliquot: Præsidia tamen, quoniam victualibus, armis & militia instructa erant, & munita diligentiùs, comprehendere non valuit: maximè cùm neque machinas, neque vnde fieri possent materiam aut secum detulisset, aut in tota vrbe reperisset.

10

Diriguntur igitur, qui de successu qui acciderat, nostros longè lateque positos certificent nuncii, & ad subsidium inuitent finitimos, quatinus eorum suffragio, vrbem quam sic Domino fauente receperat, perpetuò obtinere, & cultui conseruare Christiano possint. Quibus auditis lætatus est vbique populus Christianus: & secundùm multitudinem doloris, quam de illius vrbis captiuitate conceperat, videntur in ea mensura recepisse consolationem. Sed, *extrema gaudii luctus occupat*: & subitò versa est in mœrorem cithara, & dolor natus rediuiuus peior priore. *Noradinus* enim audiens, quòd Comes prædictam vrbem tradentibus ciuibus receperat, corrogatis vndique ex omni Orientali tractu militaribus copiis, & populis vicinarum vrbium, voce præconia in vnum congregatis, adest subitò, & vrbem in circuitu dispositis legionibus vallat obsidione. Erat itaque nostris, sicut scriptū est, *Foris gladius, & intus pauor.* Nam hostiles exteriùs acies, exitū negant, parāt prælia, mortem intentant; interiùs, qui in præsidiis intra vrbē erant, terrorem incutiunt, & assiduis molestant vexationibus. Nostri porrò inter tot angustias ignari quid faciant, voluunt apud se, & frequenter mutant consilia; sed ad quālibet deliberationis partem se conuertentes nihil tutum reperiunt, nullum sine mortis discrimine rei exitum inuenientes. Tandem pro loci & tēporis conditione, visum est vniuersis expedire, quòd quocunque periculo, quocunque mortis discrimine, vrbe sit egrediendum. Nā satiùs esse nō dubitant, cum hostibus tentare congredi, & gladiis iter aperire, vt saluti cōsulatur, quàm obsidionem sustinere: qua vrgente, aut omnes indifferenter gladio pereant; aut inopiâ alimentorum compulsi, hostium vinculis mancipentur, & durā & omni mortis genere deteriorē subire cogantur seruitutē. Placuit omnibus hæc sententia: & licet periculosa sit nimis, habito tamē respectu ad alia quæ accidere poterant deteriora, compendiosior iudicatur. Audientes hæc ciues, quorum operâ & studio Comes cum suis introductus erat, quòd omnis resistēdi spes & via salutis defecerat, timētes, ne si in vrbe post Comitis exitū remanerēt, morte grauissimâ punirētur, eò quòd huius facinoris viderētur esse auctores, assumptis vxoribus & liberis cū Christiano exercitu egredi, & dubiam cū fratribus fortunā experiri, eligūt potiùs, quàm morte certissimā occumbere; aut iugū sub infidelibus hostibus durissimæ pati seruitutis, omni genere mortis ampliùs formidabile.

XV.

Deut. 32. 25.

20

30

40

XVI.

Patefactis igitur portis, quasi id singulare remediū, & vnica via sit salutis, omnes certatim egredi contendunt: & licet per medios hostium cuneos ferro iter aperiendum esse nō dubitent, leue tamē iudicant, quicquid accidere potest, vrbem egressis. Interea de hostibus nōnulli, reserantibus eis aditum qui erant in præsidiis, in vrbē recepti, à tergo instant acriùs, & exitū maturare cōpellunt: qui verò exteriùs erant, audito quòd sui ex parte intra ciuitatē introducti essent, & iā cum nostris pugnā committerent, suis volentes adiungi, portā quam nostri aperuerant, vt exirent, violēter occupant: & cōuocatâ ex vniuersis ordinibus ingēti multitudine, egressum inhibēt, sed & in vrbē introire cōtendunt. Cōmissa est igitur ibi inter partes pugna, quātum loci patiebātur angustiæ, periculosa nimis vtrique parti. Tandē vi cōpellentibus eis qui ab intus instabāt cominus, & in hac parte nostris vires & animū ministrātibus, irruitis & plurimùm renitentibus exterioribus, viā ferro, multā vtriusque partis strage aperiunt, cāpis se patentibus infundētes. Intueri erat ibi quod & visu miserabile, & recitatione gemitu plenū, inerme vulgus, imbellē ciuium populū, senes, valitudinarios, matronas cum virginibus tenellis, grādæuas matres cū paruulis & sugentibus vbera, in ipsis portarum angustiis, partim equorum pedibus conculcari; partim turbâ cōprimentiū, interclusis respirandi meatibus, miserabiliter suffocari, par-

50

tim gladiis hostium non parcentibus interire. Porrò interfecti sunt ibi de ciuibus sexus promiscui penè omnes, qui nostrum exercitum egredientem sequi decreuerant, paucis euadentibus, qui aut proprii vigore corporis, aut equorum beneficio, abeuntem exercitum poterant comitari. Videns ergo *Noradinus*, nostros ad recedendum succinctos, cohortes conuocat ad insectandum abeuntes, acies instruit, componit agmina; & procedentes continuis vrgens à tergo congressionibus, insequitur. Erat autem nostris iter versus Eufratem, qui à prædicta vrbe miliaribus distabat quasi quatuordecim: quo toto itinere non defuit domino Comiti, & exercitui eius, pugna iugis, periculum indeficiens: singulis enim penè passibus conflictus erant, tum multorum, tum singulares, quibus ex vtraque parte plures occumbebant: mortuus est ibi vir nobilis, vnde suprà fecimus mentionem, & militaribus insignis operibus, dominus *Balduinus de Mares*: ceciderunt quoque & alii plures viri commendabiles, & digni memoriâ, quorum animæ sanctâ requie perfruantur, quorum nomina non tenemus: quæ tamen certum est in cœlis esse cõscripta, quia pro caussa fidei, & Christiani populi libertate, glorioso fine quieuerunt. Comes tãdem impar viribus, suis ex parte plurima deficientibus, assiduos hostium non ferens impetus, fugâ vitæ consulens, transito Eufrate, in *Samosatum* se recepit. Alii verò ad diuersa se conferentes, prout vnicuique visum erat expedientiùs, sarcinas & impedimenta deserentes, vitæ consuluerunt, & saluti. Exiit ergo sermo iste per omnes fines latè adiacentium regionum: & quos priùs de recepta vrbe Edessanorum rumor fecerat lætiores, nunc de reamissa, & strage nobilium & populi confusione Christiani, casus contristauit asperior.

XVII. Per idem tempus dominus *Wilelmus* bonæ memoriæ Hierosolymorum Patriarcha, vir simplex ac timens DEVM, viam vniuersæ carnis ingressus est. Obiit autem quinto Kal. Octobris, Pontificatus eius anno quintodecimo: cui postmodum subsequente Ianuario, octauo Kal. Februarii, substitutus est dominus *Fulcherus* Tyrensis Archiepiscopus, in prædecessorum nostrorum numero tertius. Eodem tempore, circa Epiphaniorum diem, fulmen diuinitùs immissum, ecclesiam Dominici Sepulchri & montis Syon, ictu perculit periculoso: omen, vt credimus, portendens infaustum, & vniuersam deterrens ciuitatem. Visus est & Cometa per dies multos: & alia quædã præter morẽ, apparuerunt signa, futurorũ designatiua. Illis etiam diebus, cùm Tyrensis vacaret ecclesia, contigit tam dominum Regem quàm matrem eius, penes quam Regni cura, & vniuersum residebat moderamen; dominum quoque Patriarcham, qui ab eadem ecclesia fuerat assumptus; Episcopos quoque eiusdem ecclesiæ suffraganeos, apud prædictam vrbem, vt ecclesiæ prouiderent, conuenisse: vbi dum de more, de eligendo pontifice tractaretur, sicut solet in huiusmodi accidere, diuisa sunt eligẽtium, in duo desideria. Pars enim dari sibi deposcebat dominũ *Radulphum*, Regis Cancellarium, virum vtique literatum, sed nimis secularem, Anglicum natione, formâ decorum, Regi & Reginæ, cunctisque curialibus valde acceptum: & hi dominum Regem, & eius matrem habebãt propitios & fautores. Alii verò, quorum princeps erat *Ioannes Pisanus*, eiusdem ecclesiæ Archidiaconus, qui postea fuit Cardinalis Romanæ ecclesiæ, sanctorum Syluestri & Martini, & *Bernardus* Sydoniensis, & *Ioannes* Berytensis episcopi: hi dominum Patriarcham sequentes, prædictum Radulphum promouere nolebant; sed interpositâ appellationis voce, contra alios de Regia violentia præsumentes, patronum habentes dominum Patriarcham, modis omnibus prohibebant. Factum est autem, quòd per violentiam obtinens prædictus Cancellarius, ecclesiam & eius bona inuasit, posseditque per biennium: quousque per Romanum Pontificem, præsentibus partibus lis decisa, dictante domino *Eugenio*, factum prædicti Cancellarii in irritum est deductum. Postmodum autem idem *Radulphus*, fauente sibi domino *Hadriano* Papâ, qui eius compatriota erat, ad ecclesiam assumptus Bethleemiticam, episcopus eius ordinatus est loci. In prædicta autem metropoli, de communi omnium consensu, concurrente vniuersorum coniuentiâ, substitutus est vir miræ simplicitatis & mansuetudinis, timens DEVM, & recedens à malo, cuius memoria in benedictione est apud Dominum & homines, dominus *Petrus*, ecclesiæ Dominici Sepulchri Prior, de citeriore natus Hispania, ciuitate Barchinona, nobilis secundùm carnem, sed spiritu nobilior: cuius vita & conuersatio, longiores & diligentiores

postulant

postulant tractatus: sed nos historia reuocat, vt omissis specialibus, de publicis edisseramus. Captâ igitur vrbe, vt præmisimus, Edessanâ, rumor letalis memoriæ pleniùs personuit, & crebrò fama diuulgabatur per Occidētem vniuersum, quòd impia gens Turcorum, non solùm vrbem prædictam, sed omnem omnino Orientis tractum, licentiâ liberiore percurrens, nostrorum vrbes, villas, municipia depopularentur; sed populum ampliùs solito Christianum præliis & crebris nimium inuasionibus affligerent. Erant qui verba huiusmodi longè lateq; in populis & nationibus disseminarent; & desides, & longâ pace dissolutas, ad tantarum vltionem iniuriarum sollicitarent prouincias: dominus quoque *Eugenius* Papa tertius, vir Deo plenus, paternam gerens pro filiorum Orientalium, quæ dicebatur, afflictione sollicitudinem, & eis affectu pleniore compatiens, viros religiosos, & exhortatorii sermonis habentes gratiam, potentes in opere & sermone, ad diuersas Occidentis partes dirigit, qui populis, & tribubus & linguis, Orientalium fratrum denuncient pressuras intolerabiles; & ad tantas vltum iri fraterni sanguinis iniurias, eos debeant animare. Inter quos vir immortalis memoriæ & honestæ conuersationis speculum, dominus *Bernardus*, Clareuallensis Abbas, piæ in Domino, & per omnia amplectendæ recordationis, ad prædicti Deo placiti muneris executionem, præcipuus eligitur: qui iniunctæ sibi dispensationis sedulus executor, eiusdem operis secum Deo amabiles trahens comministros, impiger, indefessus, licet corporis esset inualidi, tum propter senium imminens, tum propter ieiunia penè continua & subtilem nimis dietam, regna circuit, regiones obambulat, euangelizans vbique regnum Dei: *afflictionem populi, qui est in Oriente, simul & molestias, quibus incessanter opprimuntur, aperit diligenter; vrbes fidelium, prius fidei Christianæ deuotas, iuga pati persecutorum nominis Christiani, & seruitutem durissimam,* proponit euidentiùs. *Fratres quoque pro quibus Christus mori voluit, vinculis mancipatos & compedibus, fame attritos, horrendis carcerum clausos ergastulis, squalore sordidos, indutos amaritudine, sedere in mendicitate & ferro,* pleniùs edocet. *Ad hoc ad eorum liberationem inuitat; ad propulsandas fratrum iniurias oppressorum accendit; non defuturum de supernis auxilium, volentibus hunc tam pium laborem assumere, spondet; præmia etiam pro iis sempiterna, cum electis pollicetur.* Hæc ei per gentes, principatus & regna piâ longanimitate differenti, affuit tam patrum quàm plebis fauor gratuitus: & exhortationibus eius spontaneum præbentes assensum, iter versus Hierosolymam compromittunt; & viuificæ Crucis signum humeris aptantes, ad iter accingūtur. Nec solùm in plebeis & popularibus turmis hic persuadentium sermo ita se præbuit efficacem, verùm vsque ad supremos orbis moderatores, & eos qui præcipua regnorum videbantur dispensare fastigia, sermo iste cum effectu non inferiore peruenit. Illustres enim & potentissimi regum terræ, dominus videlicet *Conradus* Romanorum Imperator, & dominus LODOVICVS Rex Francorum, cum multis vtriusque regni principibus, consono voto & paribus desideriis amplexi sunt verbum; & salutare viuificæ Crucis signum in arram futuræ profectionis cum omni deuotione, ceruicibus imprimunt & indumentis.

XIX. Composito igitur congruo moderamine regnorum statu suorum, assumptis etiam iis qui eiusdem desiderii feruore concepto, votis salutaribus tenebantur obligati, paratis ad iter necessariis, prout Regiam decebat dignitatem, Deo placitæ peregrinationis, mense Maio, iter arripiunt vnanimiter. sed auibus infaustis & omine sinistro. Nam tanquam inuitâ Diuinitate, & eis iratâ, iter assumpserunt; in tota illa profectione nihil Deo placitum, peccatis nostris exigentibus, operati sunt: sed nostrûm, quibûs opem se laturos arbitrabantur, statum, in deteriorem mutauerunt conditionem. Segregatim igitur proposuerunt incedere, & separatos abinuicem exercitus ducere eâ videlicet ratione, ne populis inter se dissentientibus, contentiones inter eos orirentur, & vt commodiùs vitæ necessaria suis procurarent legionibus; sed etiam vt equis & iumentis, ad onera deputatis, pabula non deessent. Transcursâ igitur Bawariâ, & flumine magno *Danubio* apud Ratisbonam transmisso, à læua eundem fluuium habentes, in *Austriam* descenderunt, inde *Hungarorum* fines ingressi, vbi à domino Rege illius prouinciæ honorificè tractati sunt. Decurso igitur regno & vtraque emensâ Pannoniâ, *Bulgarorum* prouincias, Mœsiam videlicet & Daciam mediterraneam, Ripensem à læua dimittentes, prætereunt. Inde *Thracias* attingentes, & vrbes famosissimas *Philippolim* & *Hadrianopolim* transeuntes, ad vrbem Regiam perue-

nerunt. Inde cum domino *Manuele* Constantinopolitano Imperatore habito familiariùs colloquio, transcursis feriis quæ ad recreationẽ exercituũ, & quietem post tot labores videbantur necessariæ, transito *Hellespontо*, qui eandem vrbem alluit, & Europæ terminus, Asiæ prębet initiũ, *in Bithyniã*, quę prima de Asianis occurrit prouinciis, castrametantur legiones vniuersæ in pago Chalcedonensi, vnde relictam vrbem è vicino erat conspicere. Hæc est *Chalcedon*, vrbs antiqua, vbi quarta sexcentorum triginta sex Patrũ conuenit sancta Synodus, domini *Martiani* Augusti, & domini *Leonis* Romani pontificis, contra Euthyceten monachum & Abbatem, qui vnam tantùm in domino Iesu Christo asserebat naturam. *Soldanus* interea *Iconiensis*, audito tantorum Principum aduentu, & suspectum habens eorum introitũ à multo retro tempore, ex vltimis Orientis finibus militaria conuocat auxilia; & sollicitum se gerit, quomodo ab imminentibus hostium tantorum periculis se possit eximere. Vrbes igitur munit, ruinas erigit, finitimorum implorat suffragia populorũ; & cum anxietate continua, eorum quos pro foribus audierat, pręstolatur aduentum, de die in diem expectans suorum interitũ, patriæ desolationem. Dicebatur enim, à seculis inaudita aduenire multitudo, & vniuersam terræ superficiem eorum dicebatur equitatus operire; maxima eis ad potum non sufficere flumina, & regiones vberes cibos eis non posse ministrare ad sufficiẽtiam. Et licet maior vero fama præcurrens hoc nunciaret, rei tamen veritas magnis principibus à fide alienis Christiana, multùm poterat & meritò terrorem incutere. Nam vt constanter asserunt qui in eadem expeditione præsentes fuerunt, in solo domini *Imperatoris* comitatu, ad septuaginta milia fuerunt loricatorum, exceptis peditibus, paruulis & mulieribus, & equitibus leuis armaturæ. In exercitu verò domini *Regis Francorum*, virorum fortium loricis vtentiũ numerus ad septuaginta millia, exceptâ classe secundâ, æstimabatur: quibus si clemens & propitia comesq; fuisset Domini gratia, & eos in bene placito suo visitare dignatus esset Dominus, non solùm Soldanum, verùm vniuersas Orientis prouincias, nomini potuissent Christiano subiecisse, sed eorum ex occulto, iusto tamen iudicio, spreuit famulatum Dominus; nec habuit acceptum munus, quod indignis fortasse offerebant manibus.

XX. Interea dominus Imperator *Conradus*, transiectis vniuersis trans Bosphorum legionibus, cum paucis & familiaribus admodum principibus, sumptâ à domino Imperatore licentiâ, nauigio eundem Bosphorum superans, exercitus iter iubet arripere, constitutis super singulas legiones singulis principibus: inde relinquens à læua Galatiam & Paphlagoniam, & vtrunq; Pontum, à dextris verò Phrygiã, Lydiam, & Asiam minorem, per mediam iter agẽs *Bithyniam*, iuxta eiusdem regionis metropolim *Nicomediam*, *Niceam*, vbi trecẽtorum decem & octo sanctorum Patrum, temporibus domini Constantini, aduersus infelicis Arrii impia dogmata, cõuenit Synodus, à dextris deserens, totam illam transcurrit regionem. Inde *Licaoniam*, cuius metropolis est *Iconium*, viam compendiosiorem secuti, instructis agminibus, vniuersus attigit exercitus. Vbi prædictus Soldanus congregatis militaribus copiis, & maximâ Turcorum multitudine ex finitimis collectâ regionibus, sustinens expectabat, vt loco & tempore opportuno occurrere posset transeuntibus; & ne procederent, procurare posset impedimentum. Omnes enim vsq; in vltimos Orientis fines illarum prouinciarum reges, duces, & cuiuscunque generis principes tam prece quàm precio, in nostram sollicitauerat læsionem: asserens, & frequentibus contestans nunciis, quòd si tantæ, tamq; armatæ multitudini liber transitus indulgeretur, futurum esse, vt suæ ditioni vniuersum violenter subiiciant Orientem. Ex vtraque igitur Armenia, Cappadocia, Isauria, Cilicia, Media, Parthia, ad eius vocationem conuolat gentium infinitus numerus, & colligitur numerositas inaudita: quorum omnium fretus auxilio, spem concipit, vt paribus possit resistere copiis, immensæ quam audierat aduenire multitudini. Tradiderat autem Constantinopolitanus discedenti ab eo, & idipsum petenti, domino Imperatori, viæ duces, locorum peritos, prouinciarum finitimarum omnem habentes prudentiam; sed fidei modicæ. Hi ad hoc dati credebantur, vt bonâ fide præirent exercitus, ne periculosè incautis occurrerent locorũ angustiæ; aut inuia secutis, victus deesset legionibus. Hi postquam in terram hostium introduxerunt cohortes, primiceriis exercitus præceperunt, vt ad certos dies, quibus per loca deserta gratiâ compendii eos trãsire oportebat, necessariam sumerent ciborũ alimoniam,

spondentes

ſpondentes firmiſſimè, quòd prætaxato paucorũ dierũ effluxo numero, ad *Iconium* vrbem nominatiſſimã peruenturus eſſet exercitus, & in regionem optimã,& commoditatibus redundantem conſenſurus. Illi autẽ dicto parentes, currus, iumenta,& quælibet vehicula victualibus onerãtes, eis habentes fidem, in ſimplicitate ſpiritus ſui ſecuti ſunt præcedentes. Verùm Græci innatã vſi malitiã,& conſueto in noſtros ducti odio, ſiue de mandato domini ſui, ſiue hoſtiũ corrupti pecuniã, ſtudioſè & ex induſtria per deuia cœperũt trahere legiones: & in ea introducere loca, quibus populum ſimplicem maior fieret hoſtibus opprimendi & expugnandi copia, & longè amplior miniſtraretur opportunitas. Imperator verò videns dierum prętaxatum iam effluxiſſe numerũ, & expeditiones nõdum ad optatum & promiſſum perueniſſe locum, viarũ duces Græcos accerſiri iubet, & coram principibus ſuis interrogare cœpit diligentiùs: *Quid nam ſit, quod amplioribus iam diebus, quàm ipſi ab initio deputaſſent, viam cœptam tenuiſſet exercitus, nec ad locum perueniſſet conſtituti?* Illi autẽ ad ſolita recurrentes figmenta, futurum eſſe dicunt,& conſtanter affirmant, opitulante Domino, infra triduũ vniuerſas *Iconium* peruentum iri legiones. Quibus verbis Imperator, ſicut vir ſimplex erat, perſuaſus, adiecit, vt etiam hoc triduum patienter ſuſtineret, fidem habens eorum promiſſionibus. Nocte ergò inſequente, caſtris more locatis ſolito, cæteris præ labore quieti membra concedentibus, prædicti peſtilẽtes viri, intẽpeſtæ noctis ſilentio, clàm ab exercitu diffugiunt, relicto ſine duce populo, qui eorum fidei fuerat cõmendatus. Relatã demũ luce, cùm iam tempus immineret, vt proficiſceretur exercitus, non ſunt inuenti qui de conſuetudine præibant agmina: tandemq́; ad Imperatorem & principes exercitus, fugitiuorum fraus relata eſt, & ab omnibus cõperta malitia. Illi autem vt prolongarẽt iniquitatẽ ſibi, & peccatum peccato adderent, viri Belial, ad Francorum regis, qui in proximo dicebatur eſſe, properant exercitũ, mentientes Dn. Imperatorem, qui præceſſerat eorum fretũ ducatu, omnia egiſſe ꝓſperè; Iconium violenter expugnatam, funditus deieciſſe, & de hoſtibus triũphaſſe ſolemniter. Hęc autẽ vt credimus, eã videbãtur intentione aſſerere, vel vt dominũ Regem in idem præcipitarent periculũ, & eadem incedere via ꝑſuaderent; aut fortaſſe, vt periclitantibus fratribus nõ ſubuenirent, dum illis omnia ſuccedere crederent ad votũ: aut fortaſſe illud cõfinxerunt, ne ſi exercitũ deperiſſe dicerent, ipſi tanq̃ proditores, quorũ maleficio corruiſſet populus, raperentur ad pœnas. Quacunq; tamen intentione illud dixerint, certũ eſt illorum perfidiã ſeductũ exercitũ, in ea vnde corruit deſcendiſſe mortis diſcrimina. Videns ergò Imperator ducibus itineris deſtitutũ exercitum, conuocato vniuerſorum principum cœtu, quid facto opus ſit deliberat. Aliis itaq; redeundũ, aliis verò procedendũ eſſe dicentibus, fit votorum tanta diſſonantia, vt verè dici poſſet: *Effuſa eſt contentio ſuper Principes, & errare fecit eos Dominus in inuio, & non in via.* Dumq́; ſic locorum ignari, & pro alimentorũ defectu ſolliciti fluctuarent (defecerat enim penitus tã equis & iumentis pabulum, quàm hominibus quodlibet ciborum genus) nunciatur, nec erat à verò longius, in vicino hoſtium cõſiſtere acies, & Turcorum innumeram adeſſe multitudinẽ: Erat autem in ſolitudine ſterili, longè à culto ſolo cõſtitutus exercitus: ſicut ſtudioſè, vt præmiſimus, à prędictis ſeductoribus fuerat introductus. Nam declinantes à dextra Lycaoniã, per q̃ iter eis eſſe debuerat, cùm tẽpore receſiore illuc facilè potuiſſent perueniſſe, & omnibus abundaſſe copiis, loca culta ſequentes; læuam tenuerunt, & in Cappadociæ ſolitudines, longè ab Iconio, vniuerſum deuiare cõpulerunt exercitum. Dicebatur publicè, nec à veriſimili multũ abhorrebat ꝙ de conſcientia & mandato Imperatoris Græcorũ, noſtrorum prouectibus inuidentis, cõſtructa fuerunt hæc tam periculoſa molimina: ſuſpectũ enim ſemper & habuiſſe & habere Græci dicuntur noſtrũ, maximè Theutonicorum, tanquã Imperiũ æmulantium, incrementũ omne. Moleſtè ſiquidem fuerunt, ꝙ eorum rex, Romanorũ ſe dicit Imperatorẽ: in hoc enim ſuo nimium detrahi videtur Imperatori, quẽ ipſi *monarchã*, id eſt, ſingulariter principari omnibus dicunt, tanquã Romanorum vnicum & ſolũ Imperatorem. Sic igitur, dum fame & locorũ ignorantiã, laboris quoq; diuturnitate, difficultate viarũ, equorũ defectu, ſarcinarũ pondere, domini Imperatoris laboraret exercitus, Turcorũ ſatrapæ, & diuerſi generis magiſtratus, conuocatis prius ad id ipſum militaribus auxiliis, repentè ſupra eorum caſtra hoſtiliter irruunt; & irruptione ſubitã, nihil tale verentes, conturbant legiones. Freti autem e-

Marginalia: XXI. (at "Imperator verò videns"); Pſ. 106. 40. (at "Effuſa eſt contentio"); XXII. (at "Sic igitur"). Line numbers 10, 20, 30, 40, 50.

quis velocibus,quibus non defuerant necessaria, & armorum leuitate,arcuum videlicet & pharetarum,castra magnis vociferationibus circumstrepunt, & agilitate solitâ,in nostros lentos,& armis onustos grauibus, impetus exercēt periculosos. At verò nostri loricis,ocreis,& clypeis onerati, habentes equos fame & itineris longitudine fatigatos,& ad sustinendos discursus insufficiētes, licet viribus & armorum vsu præminerent,longiùs tamen à castris, nec hostes insequi,nec cum eis committere volebant. Hostes è conuerso cateruatim irruentes,eminus sagittarū,instar grādinis,immissâ multitudine infinitâ, equos eorumq; sessores vulnerantes, & causas mortis de remoto inferentes, equorū velocitate, nostrorū persequi volentium gladiis,fugientes,eripiebantur. Sic ergo in gyrū nostrorum vallatus exercitus,telorū & sagittarū immissionibus anxiè nimis, & vsq; ad mortē premebatur: nec dabatur referendi vicē, & cum hostibus cominus conferendi copia: quippe quibus comprehendendi aduersarios nulla erat facultas. Quoties n. in hostes nostrorū acies impetus facere nitebātur,illi dissolutis agminibus,nostrorū eludentes conatus,ad diuersa ferebantur: Iterū nostris in castra se recipientibus,illi agmina reuocantes sua,nostrū cingebant exercitū;& instantes acriùs, quasi obsessis requiē negabant. Factum est autē,occulto Dei iudicio,iusto tamen,quòd omnis illa tantorū Principū virtus, quæ priùs armis,viribus,animis,& numero videbatur incōparabilis, subitò contrita,languido lacessita Marte, corruit, ita vt vix remanerent illorū vestigia gloriæ, & tantarū vix superesset residuū copiarum. Nam de septuaginta milibus loricatorum equitū,& de tanta pedestrium turbarum manu, quorū infinitus erat numerus,vix, vt asserūt qui præsentes fuerunt,decima pars euasit,aliis fame,aliis gladio interemptis,nonnullis etiam vinculis hostium mancipatis. Euasit tamen Dn. Imperator cū paucis ex principibus suis;& cū residuo suorū,licet cum difficultate nimia,post dies aliquot in partes Niceæ se cōtulit. Hostes verò victoriâ potiti, onusti spoliis,& gazâ multiplici facti locupletiores,equis, armis vsq; ad nauseam ditati,in sua se contulerunt,tanquam locorū periti, præsidia, expectantes auidè Francorum regis aduentum,qui ad easdē prope partes aduenisse dicebatur. Sperabant enim, quòd ex quo domini Imperatoris maiores fuderant copias,& de comitatu domini regis Franciæ multo faciliùs possent obtinere:q & factum est. Huic tamen tanto negotio Soldanus Iconiensis non interfuit: sed quidam nobilis militiæ suæ primicerius Turcorū magnus satrapa, *Paramum* dictus,hanc plagam, Domino permittente,contra spem exercuit. Accidit autem anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo quadragesimo sexto*, mense Nouembri.

A. Dni. 1146.

XXIII. Interea rex Francorum penè eisdem subsecutus vestigiis cum suo exercitu peruenerat Constantinopolim: vbi modico tempore secretioribus cum Imperatore vsus colloquiis, & ab eo honorificentissimè, & multâ munerum prosecutione dimissus, principibus quoq; suis plurimùm honoratis,inter vrbem Regiam & mare Ponticum, quod ab ea triginta distat miliaribus, vbi Hellespontus angustissimus, vix ad vnum miliare habet latitudinis, cum vniuersis legionibus transito mari,in Bithyniam descenderat: gyratoque sinu maris, qui ab adiacente vrbe eiusdem Bithyniæ metropoli, *Nicomediensis* dicitur, qui etiam Bosphori, siue Hellesponti pars est, in pago Niceo,non multùm à Nicea remotus, castra locauerat,deliberans quâ viâ incedendum esset;& de domino Imperatore,qui eum præcesserat,noua diligentiùs inuestigans: & ecce nunciatur dominum Imperatorem amisso exercitu, vagum & profugum, cum paucis principibus euasisse. Primùm itaq; sermo dubius, & sine certo auctore ortus est; sed processu tēporis factus est certior: nam modico interiecto interuallo, Dn. *Fredericus* Sueuorū Dux,adolescens admirandæ indolis, Dn. Imperatoris ex fratre primogenito nepos,qui eidem domino Conrado,patruo suo succedens,Romanum hodie strenuè & fœliciter administrat Imperium, à castris domini Imperatoris egressus, ad exercitum Dn. Regis Francorū properans,hæc eadem quæ priùs incerto auctore susceperant, pleniùs & certiùs edocuit. Venerat autem, vt dominum Regem cum prædicto domino Imperatore ad colloquium inuitaret,vt communi consilio,licet serò, de itinere tractaretur. Factum est autem, vt audito periculo fratrum & interitu, & domini Imperatoris sinistro casu qui acciderat, vniuersus Francorum meritò turbaretur exercitus, & mente compateretur: tandem verbo domini Ducis Rex motus habitâ cum suis deliberatione, vt cum eo loqueretur, cū paucis ex Principibus suis progressus,

Duce

Duce prçuio,vsq; ad Imperatoris castra,quç in vicino idē locauerat,peruenit. Dato itaq; & accepto debitæ salutationis affatu, simul & osculo pacis interueniēte,familiaribus vsi colloquiis,ordinant proposito insistere, & simul iūctis agminibus proficisci. Multi tamen de vtroq; exercitu,sed maximè de castris Theutonicorū, amissis viaticis,& expensis ad iter necessariis,laboris quoq; immēsitate deterriti, votorum immemores,Cōstantinopolim sunt reuersi. Cōmunicato igitur cum vtriusq; exercitus primoribus consilio,viā quā priùs incesserat Imperator, ad læuā,relinquentes versus Asiā minorē,relictâ à dextris vtraq; Phrygiâ,post tergū verò Bithyniâ,dirigūt acies:& nunc mediterraneo, nūc maritimo gradientes itinere, Philadelphiā à læua

10 declinantes,*Smyrnā*,& inde *Ephesum* eiusdē Asiæ metropolim, Ioannis Euangelistæ cōuersatione,prædicatione,simul & sepulchro clarā,peruenerūt. Hîc demū Imperator,seu quia cū paucioribus erat,qui multo plures priùs secū habuerat, verecūdiā sustinens,aut Francorū fastus non ferēs, seu aliis latentibus causis, remissis quæ supererant per terrā legionibus,ipse ab Epheso vsus nauigio,Cōstantinopolim reuersus est. Vbi à domino Imperatore,multò quàm primo aduētu,susceptus honestiùs, morā apud eū vsq; ad veris initium sequentis,cū suis habuit principibus: erat enim inter eos affinitatis vinculum:nam eorū vxores,sorores erant, filiæ *Berengarii* senioris, Comitis de Sulcepach,magni & egregii principis, & in regno Theutonicorum potentissimi: vnde ampliori erga eū abundabat gratiâ,& liberalitatē in eum & suos

20 tenebatur,maximè interueniente Imperatrice, effundere cumulatiorem. Interea Rex Francorum de itinere cum suis principibus valde sollicitus,dum apud Ephesum gratiâ recreandi exercitus, moram faceret, *Guido* Comes de Pontiuo, vir militaribus præclarus & insignis actionibus,morbo grauatus in fata concessit, ibiq; in vestibulo ecclesiæ honorificè sepultus est. Rex autem inde profectus cum suo exercitu,iter in Orientem pro viribus maturabat. profectus enim inde,post paucos dies,ad vada *Meandri*, oloribus amica,peruenit. Hic est ille fluuius,de quo *Naso* noster in libro dicit Heroicum:

Sic vbi fata vocant, vdis abiectus in herbis,
Ad vada Meandri concinit albus olor.

30 Supra cuius ripas in pascuis gratè virētibus castrametatus est. Hîc primùm Francis hostes,iuxta eorum desiderium datū est intueri: nam accedere volentibus ad aquas,ex opposita fluminis ripa,hostes in magna multitudine ripas contingere,& aquæ vsum nostris interdicebant. Tandem verò inuentis vadis,flumine,hostibus inuitis,transmisso,irruentes nostrorū acies, pluribus ex eis neci traditis,multisq; vinculis mancipatis,eos in fugam vertunt: & obtinentes eorum castra simul & opima spolia,& supellectilem vniuersam,vlteriorem fluminis ripam viriliter sibi vendicarunt. Habitâ itaq; huiusmodi victoriâ,& de hostium manubiis & præda facti lætiores, nocte illâ cum tranquillitate transcursâ,rursum dato mane,ad iter se accingunt: inde *Laodiciam*, eiusdem regionis vrbem peruenientes, sumptis viaticis ad dies ali-

40 quot, more solito proficiscūtur vnanimes. Erat autem exercitui mons obuius, arduus admodum, & ad ascendendū difficilis: illum eâ die,iuxta legem profectionis transire oportebat. Porrò in expeditione consuetudo erat, singulis diebus quosdam de illustribus,qui agmina præirent, quosdam qui subsequerentur ad custodiā imbellis populi,& maximè turmarum pedestrium deputare:& cum principibus de modo viæ,de profectionis quantitate, de loco castrorum in die sequenti,ordinare. Præibat autem illâ die cum vexillo regio sorte vocatus, in ordine vicis suæ, nobilis quidam de Aquitania vir, nomine Gaufridus de Rancun. hic cùm prædictū montem ascendisset,cum agminibus quæ præcedebant, in montis fastigio positus:licet præordinatum fuisset,quòd in montis vertice castrametarentur qui præibant,con-

50 tra legem dispositam,proposuit adhuc aliquantulum procedere:nam videbatur ei, quòd modicùm nimis illâ die profectus esset exercitus,& multa diei pars adhuc superesset:cœpit,ducibus præeuntibus, & locum cōmodiorem in vicino promittentibus,adhuc vltrà proficisci. Qui autem sequebantur,arbitrati quòd in montis prædicti vertice essent castrametaturi,modicumq; rati superesse itineris ad diem deputati,lentè nimis & remissiùs sequi cœperunt præcedētes: ita quòd monte à quibusdam transcurso,quibusdam verò circa montem adhuc moram facientibus, diuisus est exercitus. Quod videntes qui à longè exercitum ex latere cōtuebantur hostium

XXIV. XXV.

cunei, parati semper, si occasionē inuenirent, irruere, & ad hoc specialiter sequētes sine intermissione exercitū: sumptâ occasione, cùm ex locorum angustiis, tū quia maior & fortior expeditionis portio præcedens, separata erat; nec facilè subsequentium aut conditionē nosse, aut eis laborātibus subuenire posse arbitrabantur: cliuū mōtis occupant, vt maius inter præcedentes & subsequentes chaos firmaretur: instructisq; aciebus, super nostros irruunt, & antequā arma possint corripere, nostras violenter dissoluūt acies: nec iā sagittis vel arcu, sed gladiis instantes cominus, Martem & mortē ingerunt, & diffugere paratos, vrgent atrociùs. Nostris autē oberant locorū angustiæ; equi quoq; ob diuturnitatem & difficultatē itineris facti debiliores, sarcinarū etiam multiplex numerositas, nonnullū prestabant impedimentū: resistunt tamen vnanimiter, & paribus animis, pro vita, pro libertate, pro consortibus itineris decertāt viriliter, gladiis ac lanceis rē peragunt, sese mutuis sermonibus exhortantes & exēplis. Hostes è cōuerso spe fruendi victoriâ, suos animant, ad memoriam reuocantes, quòd paucis ante diebus maiores multò copias minore fudissent periculo, & de pluribus & lōgè fortioribus facilè triūphassent. Pugnant igitur Marte diu ancipiti, & dubio euentu: verùm in fine, peccatis nostris exigentibus, infidelium præualuit manus; & noster vsq; modicū numerū, plurimis interemptis, captiuatis innumeris, redactus est exercitus. Occubuerūt illâ die viri nobiles & illustres, rebus militaribus singulariter insignes, piâ digni recordatione, Comes de Guarēna, vir inter Maiores eximius, *Galcherus de Montiay*, *Eurardus de Bretol*, *Iterus de Magnac*, & alii multi quorum nomina non tenemus, quę tamen scripta esse in cœlis credendum est, quorum memoria in benedictione erit in seculum seculi. Occidit illâ die, nostris infaustâ, & casu nimis aduerso, ingens Francorum gloria; & virtus gentibus hactenus formidabilis, contrita corruit, immundis & Deum nescientibus, quibus priùs terrori fuerat, facta ludibrio. *Quid est, benedicte domine IESV, quòd populus iste, tibi tam deuotus, pedum tuorum volens adorare vestigia, loca venerabilia, quæ tuâ corporali consecrasti præsentiâ, deosculari cupiens, per manus eorum qui te oderunt, ruinam passus est? verè iudicia tua abyssus multa, & non est qui possit ad ea. Tu enim solus es Domine, qui cuncta potes; & non est qui possit resistere voluntati tuæ.*

Psal. 35, 6.

XXVI.

Rex interea, casu magis quàm industriâ, tanto tamq; confuso exemptus periculo, sæpe dicti, qui vicinus erat, montis cliuum ascendens, cum paucis eius fugæ consortibus, sine duce, noctis intempestæ silentio ad suorum castra, aliquantulum locata remotiùs, se contulit. Hi autem qui præcesserant, vexillum Regium secuti, vt præmisimus, & montis angustias sine difficultate transierant, & castra, nemine prohibente, loco satis commodo, locauerant, ignari prorsus & expertes omnium, quæ iis qui sequebantur acciderant. Præsagiebat tamen animus eorum qui præcesserant, ex quo viderunt acies interruptas & tantam subsequentium moram, quòd aliquid sinistri obtigerat, nec erant eis pro voto vniuersa. Ex quo autem per eos qui euaserant, & cum Rege in castra se contulerant, de infausto, qui acciderat, facti sunt certiores euentu, statim luctus occupat vniuersa, mœror & anxietas corda sibi vendicat singulorum. Dumq; sibi quisque, quem amiserat, proximum querulis vocibus, & lachrymosis quærit suspiriis, & dolore multiplicato quæsitum non inuenit, eiulatu resonant agmina, & gemitu cohortes macerantur, non erat in castris locus quem dolor familiaris, & domestica iactura non premeret: hic patrem, ille dominum; illa filium, hæc maritum cūcta lustrando perquirit: dumq; non inueniunt quod quærunt, noctem percurrunt pondere curarū peruigilē, quicquid absentibus potest accidere deterius suspicantes. Reuersi sunt tamen nocte illâ de vtraq; classe nonnulli, qui frutectis & rupibus & cauernis terræ, mortis declinantes discrimen, noctis protecti beneficio, casu magis quàm prudentiâ se adiungebant, ad castra peruenientes. Factum est autem hoc anno ab incarnatione domini, M.C.XLVI. mense Ianuario. Cœpit autem ab ea die panis, & omnis penitus alimonia in castris deficere; sed nec alterius generis deinceps per multos dies, habuerunt commercium: sed etiam, quod deterius erat, sine duce, sine præambulo, passim nunc hac, nunc illac errabundi, locorum nullam omnino habentes peritiam, vagabantur. Tandem verò *Pamphiliam* ingressi, per abrupta montium, per deuexa vallium, cum difficultate nimia, sine tamen hostium conflictu, vsq; *Attaliam* eiusdem regionis metropolim peruenerunt. Est autem *Attalia* ciuitas in littore maris sita, Imperatoris Constantinopolitani [subiecta] imperio, agrum habens opimum

A.D. 1146.

opimum,& tamen ciuibus suis inutilem: nam angustiantibus eos vndiq; hostibus, nec permittentibus agrorum cultui vacare, iacet ager infructuosus, dum nō est qui exercendo fœcunditatem possit procurare: alias tamen multas habens commoditates, gratum se solet præbere hospitibus. nam aquas emanans perspicuas & salutares, pomeriis est obsita fructiferis, situ placens amœnissimo: traiectarum tamen frugum & per mare deuectarū solet habere copias, & transeuntibus sufficientē ciborū commoditatem ministrare. Quia verò hostibus nimis est contermina, eorum non valens indesinenter sustinere molestias, facta est eis tributaria, per hoc necessariorum cum hostibus habens commercium. Hanc nostri, idiomatis Græci non habentes peritiam, corrupto vocabulo *Sataliam* appellant. vnde & totus ille maris sinus, à promuntorio *Lissidona*, vsq; in insulam Cyprum, *Attalicus* dicitur, qui vulgari appellatione *Gulphus Sataliæ* nuncupatur. Ad hanc perueniens Rex Francorum cum suis, ob multitudinem concurrentium tantam passus est alimentorum penuriam, quòd penè residuum exercitus, & maximè pauperes ibi consumerentur inediâ. Ipse verò cum suis Principibus, relictis pedestribus turmis maturato nauigio, Isauriam Ciliciamq; à læua deserens; à dextris autem Cypro relictâ, prosperis actus flatibus fauces *Orontis* fluminis, quod Antiochiam præterlabitur, qui locus hodie dicitur *Sancti Symeonis portus*, iuxta antiquam vrbem *Seleuciam*, & ab Antiochia decem distat miliaribus, ingreditur. Audiens igitur princeps Antiochenus *Raimundus*, Regem Francorum in partibus suis applicuisse, cuius aduentū multis diebus antè expectauerat, cum desiderio sustinens, conuocatis nobilibus totius regionis, & populi primoribus, cum electo comitatu ei occurrens, in vrbem Antiochenam, omnem ei exhibens reuerentiam, occurrente ei vniuerso clero & populo, magnificentissimè introduxit: conceperat autem multò ante, audito eius aduentu, quòd per eius auxilium Antiochenum principatum ampliare posset: vnde & eidem in Franciam, antequam etiam iter arriperet, honesta præmiserat donaria, & exenia multi precii, vt eius sibi conciliaret gratiam, largitus fuerat. Præsumebat nihilominus & de Reginæ apud dominum Regem interuentu, quæ eiusdem peregrinationis Regi adhæserat comes indiuisa: quæ eiusdem domini principis neptis erat, domini videlicet *Wilelmi* Pictauiensium Comitis, fratris eius primogenita filia. Aduenienti igitur, vt diximus, omnem exhibuit humanitatem: sed & circa nobiles & principes, qui eius secuti sunt comitatum, eius simile non defuit studium, nec eximiæ liberalitatis opera; sed omnes honore præueniens, prout cuiusq; exigebāt merita, plenâ tractabat munificentiâ. Erat ei sanè spes maxima, quòd vrbes finitimas, *Halapiam* videlicet, & *Cæsaream*, aliasq; nonnullas eius fretus auxilio, & copiis adiutus sibi posset subiugare. Nec eâ spe delusus esset, si Regem cum suis ad hoc potuisset induxisse proceribus. nam tantus de aduentu Regis hostibus nostris timor incubuerat, vt iam non solùm de viribus suis diffiderent, sed de vita etiam viderentur desperare. Conueniens igitur solēniter, & in præsentia tam principum domini Regis quàm suorum Princeps dominū Regem, iuxta id quod mente conceperat, & secretiùs nonnunquā conuenerat, & petitiones suas effectui sine difficultate mancipabiles, honestatiq; simul & vtilitati conuenire ostēdens: vbi videt se nō proficere, cùm Rex Hierosolymam votis ardentibus irreuocabiliter ire proposuisset, spe frustratus, mutato studio, Regis vias abominari, & ei præstruere patenter insidias & in eius læsionē armari cœpit. Vxorē enim eius in idipsum consentientē, quæ vna erat de fatuis mulieribus, aut violenter aut occultis machinationibus, ab eo rapere proposuit: Erat, vt præmisimus, sicut & priùs & postmodū manifestis edocuit indiciis, mulier imprudēs, & cōtra dignitatem Regiam legē negligens maritalē, thori coniugalis fidem oblita: quod postquā Regi cōpertum est, Principis præueniens molimina, vitæ quoq; & saluti cōsulens, de consilio magnatū suorū iter accelerans, vrbe Antiochenâ cū suis clàm egressus est. Mutatus est igitur color optimus, & dissimilia facta sunt postrema prioribus; & qui cū tanta gloria susceptus fuerat aduenies, egrediens sorte mutatâ, recessit inglorius. Sunt qui Regi hęc ad nimiā imputant maliciā & ei dicūt dignè pro meritis accidisse, quòd tanti viri, & de se & de suis ita benemeriti preces non admiserit: præsertim cùm constanter asseuerent, quòd facilè vnam vel plures ex prænominatis vrbibus, si ad id dare operā voluisset, obtinere potuisset.

XXVIII. Interea dom. Imperator, transcursâ hyeme, apud vrbem Regiam, vbi à domino

Constantinopolitano, humanitatis legibus diligenter, prout tantũ decebat princi-pẽ, tractatus, & donis in decessu largissimis cumulatus, classe quam eidẽ Imperialis magnificentia deputauerat, vectus, cum quibusdam ex principibus suis in Oriẽtem perueniẽs, portum attigit Acconensem. Inde Hierosolymam proficiscẽs, à domino Rege *Balduino*, & domino *Fulchero* bonæ memoriæ Patriarcha, occurrente ei extra ciuitatẽ vniuerso clero & populo, cũ hymnis & canticis, in sanctam introductus est ciuitatem. Applicuit etiam eisdẽ diebus in portu quoq; Acconẽsi, vir magnificus & illustris, Comes Tolosanus, *Ansossus* nomine, domini Raymundi senioris Comitis filius (qui tantus princeps, tanti fuit meriti in prima expeditione:) vir suis egregius titulis; sed patris piâ clarior memoriâ, dum inde Hierosolymã, vt Domino pro per- 10 acta fœliciter peregrinatione gratias ageret, ꝓficisceretur, apud Cæsareã vrbẽ maritimam, paucis postquam appulit diebus, porrecto (vt dicitur) veneno, sed auctore tanti sceleris incerto, vitã finiuit. Huius viri inclytæ recordationis, vniuersus populus cum summo desiderio præstolabatur aduentum: sperans quòd faustum & fœlix omen patris, adueniens, Regno esset illaturus.

XXIX. Nunciatur interea Hierosolymis, regem Francorum ab Antiochia digressum, ad partes accedere Tripolitanas, vnde de communi omnium principum consilio dirigitur ei obuiam Dn. *Fulcherus*, bonæ memoriæ Hierosolymorum Patriarcha, vt exhortationibus congruis, & monitis salutaribus eum in Regnum euocaret: ne fortè vel à domino Principe, restitutâ in integrum gratiâ reuocatus, vel à domino Comite Tripolitano, eius con- 20 sanguineo, detentus Hierosolymorum differret desideria. Orientalis enim Latinorum tota regio quatuor Principatibus erat distincta. Primus enim ab Austro, erat *Regnum Hierosolymorum*, initiũ habens à riuo qui est inter Byblium & Berythum vrbes maritimas prouinciæ Phœnicis, & finem in solitudine quæ est vltra Darum, quæ respicit Ægyptũ. Secundus erat versus Septentrionem, *Comitatus Tripolitanus*, à riuo supradicto habẽs initium, finem verò in riuo qui est inter Maracleam & Valeniam, vrbes similiter maritimas. Tertius erat *principatus Antiochenus*, qui ab eodem riuo habens initium, vsq; in Tarsum Ciliciæ, versus Occidentem protendebatur. Quartus erat *Comitatus Edessanus*, qui ab ea sylua quæ dicitur *Marrim*, in Orientem vltra Euphratem protẽdebatur. Hi omnes magni viri & potentes ab initio spem cõ- 30 ceperant, quòd in aduentu prædictorum Regum, per eorũ operam & auxiliũ possent fines suos dilatare, & porrigere terminos in immẽsum. Omnes enim hostes immanissimos, & vrbes hostiũ inuisas, plurimùm habebant conterminas, quas sibi adiungere cupiebant. Erant ergo de cura domestica, & familiari incremẽto valde solliciti. Vnde Reges nunciis & muneribus ad se quisq; inuitabant, alios prçuenire cupientes. Inter hos Dn. Rex, & qui in Regno erant, spẽ sibi videbãtur fouere maiorẽ, tum ob reuerentiã locorum venerabiliũ, quorum amor & deuotio omnes trahebat ampliùs; tum quia dominũ Imperatorem apud se habebãt, ad quẽ credibile erat dominum Regem Francorũ accessurum, cùm cõplendæ orationis & peregrinationis gratiâ, tum vt de cõmuni consilio in opere aliquo ad incrementum Christianitatis 40 procederetur. Missus est ergo dominus Patriarcha, vt prædiximus, à Regni principibus, metuentibus plurimùm, ne à Dn. Principe, cuius affinis erat, & ei artiore caritatis vinculo iungi videbatur, & maximè interuẽtu Reginæ, circa partes Halapiæ detineretur, sicut & probabile videbatur. Cognito verò, ꝙ minus amicè ab inuicẽ discesserant, spes eis accessit amplior, quòd sine dilatione inde digrediens, Hierosolymam esset peruenturus. Contra tamen fortunæ insidias, & quia „*prudenter timetur* „*quicquid accidere potest*, virũ venerabilem prædictum Patriarcham, cuius auctoritate moueretur, prçmiserunt: nec spe conceptâ frustrati sunt: nam eius verbum secutus, Hierosolymã incunctanter aduenit. Quò perueniens, occurrente ei vniuerso clero & populo, cũ hymnis & canticis vnà cum principibus suis, honorificè, & cũ debita 50 gloria, in vrbẽ receptus est, & ad loca venerabilia deductus. Tandem completis de more orationibus, indicitur apud vrbem Acconensem Curia generalis, vt de fructu tantæ peregrinationis, & de tantorum fine laborum, & de Regni desiderato tractaretur incremento. Tandem die statutâ ad destinatum conuenientes locum sicut & præordinauerant, quid facto esset expedientius, cum Regni nostri magnatibus, quibus plenior rerum & locorum erat cognitio, diligentiùs deliberare cœperunt.

EXPLICIT LIBER SEXTVSDECIMVS.

CAPITVLA LIBRI SEPTIMIDECIMI.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIB. SEPTIMIDECIMI.

INCI-

INCIPIT LIBER SEPTIMVS-DECIMVS.

Dignum credimus, & præsenti satis conuenire videtur historiæ, vt posteritatis mandetur memoriæ, qui Principes prædictæ interfuerunt Curiæ, qui ex tantis conuenerant regionibus. Interfuit ergo primus Dn. *Conradus* inclytæ recordationis Theutonicorum Rex, & Romanorum Imperator: & de principibus eius ecclesiasticis, Dn. *Otto* Frisingensis episcopus, vir literatus frater eius; Dn. *Stephanus* Metensis episcopus; Dn. *Henricus*, domini Theodorici Flandrensium Comitis frater, Tullensis episcopus: Dn. *Theotinus* natione Theutonicus, episcopus Portuensis, Apostolicæ sedis Legatus, qui de mandato Dn. Eugenii Papæ, eiusdem Dn. Imperatoris castra fuerat secutus. De laicis verò Dn. *Henricus* dux Austriæ, eiusdem Imperatoris frater; Dn. dux *Guelpho*, vir illustris & potens: dominus *Federicus*, inclytus Sueuorum & Vindelicorum Dux, eiusdem domini Imperatoris ex fratre primogenito nepos, eximiæ indolis adolescens, qui ei postmodum succedens, Romanum hodie strenuè & viriliter administrat imperium; dominus *Hermannus*, prouinciæ Veronensis Marchio; dominus *Bertholdus de Andes*, qui postea fuit Bauariæ dux; dominus *Wilelmus* Marchio de Monteferrato, eiusdem domini Imperatoris sororius; *Guido* Comes de Blandrada, qui prædicti Marchionis sororem habebat vxorem, ambo de Lombardia erant, magni & egregii principes. Interfuerunt & alii nonnulli, nobiles & spectabiles viri, quorum nomina vel titulos non tenemus. Interfuit dominus *Ludouicus* Francorum Rex piissimus, inclytæ in Domino memoriæ, & cum eo dominus *Godefridus*, Lingonensis episcopus; Dn. *Arnulphus*, Lexouiensis episcopus; dominus *Guido* de Florentia, ecclesiæ Romanæ presbyter Cardinalis, tituli sancti Chrysogoni, apostolicæ sedis Legatus; dominus *Robertus*, Comes Perchensis, eiusdem domini Regis frater; dominus *Henricus*, domini Theobaldi senioris Comitis filius, Comes Trecensis, eiusdem domini Regis gener, egregiæ indolis adolescens; Dn. *Theodoricus*, Flandrensium magnificus Comes, Domini Regis Hierosolymorum sororius; Dn. *Iuo de Neella* Suessionensis, vir fidelis & prudens. Interfuerunt & alii multi, nobiles, & potentes, & digni memoriâ viri: quorum nomina, prolixitatem declinantes, studiosè præterimus. De nostris autem regionibus, affuit dominus *Balduinus*, Hierosolymorum Rex, inclytæ indolis adolescēs: & cum eo mater eius, prudens & circumspecta mulier, cor habens virile, & quolibet consulto principe nihil inferiùs sapiens: Et cum eis, dominus *Fulcherus* Patriarcha; dominus *Balduinus* Cæsariensis Archiepiscopus; Dn. *Robertus*, Nazarenus Archiepiscopus; Dn. *Rorgo*, Acconensis episcopus; dominus *Bernhardus*, Sidoniensis episcopus: dominus *Wilelmus*, Berytensis episcopus; Dn. *Adam*, Paneadensis episcopus; Dn. *Geraldus*, Bethleemita episcopus; *Robertus* magister militiæ Templi; *Raimundus* magister domus hospitalis. de laicis verò, *Manasses* Regis constabularius, *Philippus* Neapolitanus, *Helinandus* Tiberiadensis, *Gerardus* Sydoniensis, *Galterius* Cæsariensis, *Paganus* dominus regionis quæ est trans Iordanem, *Balianus* senior, *Hunfredus de Torono*, *Guido Beritensis*: & alii multi, de quibus per singula longum nimis esset enumerare. Hi omnes, vt diximus, in vrbem conuenerant Acconensem, tractaturi quod optimum, & loco & tempori magis conueniens videretur; quod primùm, auctore Domino, ad incrementum regni & Christiani gloriam nominis attentarent.

II. Tractatis igitur continuo libramine deliberationis partibus, post subiecta, sicut in talibus fieri solet, diuersarum partium diuersa consilia, de communi cōsilio visum est tempori expedientius, Damascum vrbem nostris damnosam obsidere: vnde firmato circa id cōsilio, voce præconiâ præcipitur publicari, quatinus die statutâ omnes vnanimiter parati sint, copias suas ad partes illas dirigere. Mense igitur Maio, vigesimâ quintâ die mensis, anno ab incarnatione Domini M.C.XLVII. cōgregatis ex vniuerso Regno militaribus tam equitū quam peditū copiis, tā ex indigenis quā ex peregrinis, (A. Dni. 1147.)

præuio

præuio viuificæ Crucis salutari ligno, prædicti Deo amabiles Reges, vnà cum suis expeditionibus, ad vrbē *Tiberiadem*, ex condicto perueniunt. Inde viarum compendia secuti, secus mare Galileę vsq; *Paneadem*, quę est *Cæsarea Philippi*, vniuersos deduxerūt exercitus. Vbi deliberatione habitā cum iis qui situs vrbis Damascenæ & adiacentis regionis habebant peritiam, cōmunicato cum maioribus principibus consilio, vtilius iudicant prædictam vrbē eatenus obsidione vallare, vt priùs occupentur pomeria, quæ ex maxima parte vrbem ambiunt eandem, & plurimam videntur conferre munitionem: arbitrantes quòd occupatis pomeriis vrbem deinceps obtinere satis esset in expedito. Sic igitur iuxta initum consiliū iter aggressi, transcurso famosissimo monte *Libano*, qui medius inter Cæsaream Philippi, & eandem Damascum interiacet, apud vicum cui nomen *Daria* est, in agrū descenderunt Damascenum, ab vrbe quatuor aut quinque distantes miliaribus: vnde & totam ciuitatem cum adiacente regione, de plano dabatur intueri. Est autem *Damascus*, ciuitas maxima minoris Syriæ, quæ alio nomine *Phœnicis Libanica* nuncupatur, metropolis: sicut ibi legitur, *Caput Syriæ Damascus*; à quodam Abrahę seruo denominata, qui eam creditur fundasse. Interpretatur autē *sanguinea, vel sanguinolenta*. Est a. in campestribus sita, in agro sterili & arido, nisi quantū aquarū antiquis meatibus deductarum irrigatur beneficio. Fluuius enim à promuntorio descendēs vicino, in superioribus illius regionis partibus, canalibus exceptus, vt inde liberiùs per plana possit deduci, per diuersas subiectæ regionis partes ad agrorum sterilitatē fœcundandam dirigitur: quod verò residuū est, quia copiosas habet aquas, ex vtraq; ripa pomeria nutrit, arboribus consita fructiferis, iuxtaq; ciuitatis murū Orientem versus labitur. Peruenientes igitur prædicti Reges ad locum prænominatum, videlicet *Dariam*, vrbē habentes iam vicinam, instruunt acies, & ordinem incedendi assignant legionibus ne promiscuè incedentes, contentiones suscitent adinuicē, & operi futuro ministrent impedimentum. Primus itaq; cum suis *Hierosolymorum Rex*, eò maximè quòd locorum peritiam eius cohortes dicebantur habere, de communi principum statuto ire præcipitur, & cæteris subsequentibus iter aperire. Secundum & medium locū *Rex Francorum* cum suis expeditionibus tenere iubetur, vt pręcedentibus, si necessitas emerserit, opem ferat. Tertium & nouissimum *Imperator*, eodem decreto, conseruare mandatur, vt hostibus si forte à parte irruant posteriore, resistere sit paratus, & præcedentes copias à parte relicta reddat securiores. His ergo tribus exercitibus ordine congruo dispositis, ad vrbē castra promouent, accedere contendentes. Est a. ciuitas ab Occidentali parte, vnde nostris erat accessus, & à septemtrionali pomeriis obsita longè lateq;, instar cōdensorum nemorū & opacarum syluarū, ita vt vltra quinq; aut amplius miliaria versus Libanū protendantur. Et hæc eadē, ne dominia fortasse sint in incerto, & ne volentibus passim introire liceat, clausa sunt muro, licet luteo: nā lapidibus regio illa non abundat. Clausa sunt itaq;, & secundùm hoc quod cuiq; designata sunt possessiones, muro huiusmodi vallata, relictis semitis, & viis publicis, licet angustis, quibus hortulanis & curā pomeriorum habentibus ad vrbē cum iumentis fructus deferentib. perueniatur. Sunt a. hęc pomeria vrbi pro summo munimine: nā præ densitate & arborum frequentia, & viarum angustiis, videbatur durū & penè impossibile, vt ab ea parte esset trāsitus vrbē adire volētibus. Per hæc tamen loca decretū erat nostris principibus ab initio exercitus introducere, & ad vrbē p... referri accessū: ex causa gemina; tū vt occupatis munitioribus locis, & in quibus populo Damasceno maior erat fiducia, quod superesset, leue videretur, & cōpleretur faciliùs; tū vt expeditionibus, fructuum & æquæ non deesset commoditas. Immittit ergo primus Hierosolymorū Rex, per illas pomeriorū angustiores semitas, suas acies: sed vix & cū multa difficultate procedere poterat exercitus, tum viarū impeditus angustiis; tum eorū qui in virgultis latebant, insidiis lacessitus; tum etiam manifesto hostiū qui aditus obsederant, & viarū præoccupauerant anfractus, conflictu. Egressus n. erat vnanimiter ciuitatis populus, & in prædicta descenderat pomeria, vt tā occultis quàm manifestis congressionibus exercitū transire prohiberet. Erant pręterea intra ipsa pomeriorū septa, domus eminentes & excelsæ, quas viris pugnaturis cōmunierant, quorū possessiones erant vicinæ: vnde sagittis & aliorū immissione telorum, hortorum septa tuebantur, neminem accedere permittentes; sed & publicam volentibus transire viam, reddebant eminus sagittis valde periculosam.

Margin: 20, 112, Esa. 7, 8, 30, 40, 50

Nec erant tamen ex vna tantũ parte nostris præ dictorum formidabiles insidiæ; sed ex omni latere par erat incautis periculum, & suspectum æquè improuisæ mortis discrimen. Erant nihilominus & secus muros interiùs latentes viri cum lanceis, qui per specularia modica, in muris ad hoc studiosiùs ordinata, vnde videre transeuntes poterant, minimè vero ipsi videri, prætereuntes confodiebant ex latere: quo casu plurimi dicuntur illâ die miserabiliter occubuisse. Sed & aliæ innumerabiles non defuerunt inter illas angustias periculorum transire volentibus species.

IV. Hoc igitur intelligentes nostri, instant acerbiùs & effractis hortorũ violenter claustris, pomeria certatim occupãt: & quos intra septa vel in huiusmodi domibus reperiunt, gladiis transuerberant, aut in uincula captos coniiciunt. Quod audientes qui ad simile opus exierant, aliorum exemplo timentes interire, relictis hortis, cateruatim in vrbem se recipiunt: sicq; illis in fugam versis, aut peremptis gladio, liber nostris ad anteriora patuit aditus. Equestres porrò tam ciuium, quàm eorum qui eis in subsidiũ venerant, copiæ, intelligentes quòd ad obsidendum vrbem per illas partes noster venturus esset exercitus, ad amnem qui vrbem præterlabitur, accesserant, vt arcubus & balistis expeditiones ex itinere fatigatas, & præ sitis angustiâ laborantes, arcerent à flumine, & aquarum maximè necessariam negarent sitientibus commoditatem. Nostri verò ad releuandam sitim, quam ex laboris difficultate & ex pulueris nube densa, equorum hominumq; pedibus agitati, collegerant, ad fluuium quem vicinum audierant properantes, vbi secus ripam viderunt tantam hostium multitudinem, substiterunt ad modicum: tandemque collectis viribus, necessitate vires & audaciam ministrante, semel & secundò, sed frustra aquas sibi vendicare nituntur. Dumque circa id Hierosolymorum Rex cum suis plurimùm desudat, & frustra laborat, nunciatur domino Imperatori qui posterioribus præerat agminibus, sciscitanti: *Quænam esset caussa, quare non procederet exercitus?* quòd hostes fluuium obtinentes, nostros non permittebant accedere. Quo cognito, irâ succensus, per medias Regis Francorum acies vsque ad conflictum eorum, qui pro flumine contendebant, cum suis principibus celer peruenit. Vbi tam ipse quàm sui de equis descendentes, & facti pedites (sicut mos est Theutonicis, in summis necessitatibus bellica tractare negocia) obiectis clypeis, gladiis cominus cum hostibus experiuntur: quorum impetus, qui priùs fortiter restiterant, sustinere non valentes, in fugam versi, flumina deserunt, in vrbem cum summa velocitate se conferentes. In quo congressu, domini Imperatoris factum seculis memorabile dicitur accidisse: nam vni de resistentibus, viriliter & strenuè dimicanti, quamuis loricato, vno ictu caput, collum, cum sinistro humero & brachio cohærente, simulque partem subiecti lateris dicitur amputasse. Quod factum ciues, tum qui hoc viderant, tum eos qui ex aliorum relatione idipsum cognouerant, in tantam deiecit formidinem, vt & de resistẽdo & de vita penitus desperarẽt.

V. Obtento igitur flumine, & ripâ liberiùs concessâ, longè lateque secus vrbem castrametantur; & tam pomeriis violenter expugnatis, quàm fluminis liberè pro arbitrio vsi sunt commoditate. Attoniti ergò ciues, & exercitus nostri & numerũ stupentes & virtutẽ, de viribus suis cœperũt diffidere, quasi resistere non valentes; timentesq; subitas nostrorum irruptiones, nihil tutum reputant, dum ad mentem reducunt, quales eos hesternis congressionibus sint experti. Habitâ igitur deliberatione, vsi eâ *quæ miseris & afflictis rebus solet adesse, solertia*, & ad vltima recurrentes argumenta, omnes vicos ciuitatis, ex ea parte, in qua nostri castra locauerant, magnis & proceris contexunt trabibus: in eo solo spem habentes, vt dum nostri circa effringenda repagula huiusmodi laborarent, ipsi per partem oppositam, cum vxoribus & liberis egrederentur fugientes. Videbatur satis in expedito, si propitia nobis esset Diuinitas, quòd vrbem in vicino obtenturus esset populus Christianus: sed aliter visum est *ei, qui terribilis est in consiliis super filios hominum.* Nam dum, vt diximus, ciuitas in arto constituta esset, nec eius ciues resistendi aut salutis spem haberent vllam, sed compositis sarcinis migrare è loco disponerent, peccatis nostris exigentibus, cœperunt de nostrorum præsumere cupiditate; *& pecuniarum interuentu, eorum expugnare animos sunt aggressi, quorum corpora posse vinci diffidebant*: totâ enim solicitudine in argumenta varia se attollentes, quibusdam de principibus promissâ & collatâ infinitæ quantitatis pecuniâ, vt eorum studio & operâ obsidio solueretur, vt Iudæ proditoris officio

Psal. 65. 4.

10 20 30 40 50

ficio fungerentur persuaserũt. Hi ergo datis & pollicitis corrupti, & *vitiorũ omnium fomitem, cupiditatem* secuti, in id sceleris descẽderunt, vt Regibus & peregrinis Principibus, de eorum fide & industria confidentibus, impiis suggestionibus persuaderent, vt relictis pomeriis, in oppositam ciuitatis partem transferrent expeditiones: & vt dolũ quocunque colore tegerent, allegant, in opposita ciuitatis parte, quæ Austrum respicit, & quæ ad Orientem, nec pomeria esse, quæ vrbi sint pro robore; nec ad murum expugnandum, vallo vel flumine impediri accessum. Murum quoque asserunt humilem, & ex crudis compactum lateribus, primos vix posse impetus sustinere. Ibi nec machinis, nec multo opus esse conamine dicunt, sed statim primis
10 congressionibus manibus murum deiici, & in ciuitatẽ irrumpere non esse difficile. Horum autem ad hoc solum properabat intentio, vt exercitus ab ea parte, qua locatus erat, quaq; ciuitas maximè premebatur, & diu tolerare nõ poterat, amouerent, scientes quòd in opposita parte perseuerare, & obsidionem continuare nõ possent. Crediderũt ergò tam ipsi Reges, quàm totius primores exercitus, & loca quæ priùs cum multo sudore, & multa suorũ strage occupauerant, deserentes, vniuersas transferũt legiones; & in opposita ciuitatis parte præuiis seductoribus castrametati sunt. Vbi videntes se ab aquarum commoditate longè positos, fructuum quoque vbertate carere, & iam deficere penitus alimẽta, dolum intercessisse; & malitiosè a locis vberibus se translatos, licet serò, conqueruntur. Deficiebat ergò victus in ca- VI.
20 stris: nam spe subitò obtinendi ciuitatem, sicut eis persuadebatur antequam iter arriperent, ad paucos dies sufficientia detulerant alimenta; & maximè peregrini, quibus non multum poterat imputari, tanquam locorum ignaris. Persuasum namque illis fuerat, quòd primis congressionibus statim, & sine difficultate vrbem essent obtenturi: interimq; fructuum alimonia, qui gratis occurrerẽt, etsi alius omninò deesset victus, magnum posse ali exercitum asserebant. Quid ergo faciant dubii, & in secreto & in publico deliberant. Redire enim ad loca vnde exierant, durum videbatur & impossibile: nam nostris egredientibus, statim hostes, vt viderunt effectui mancipatum quod cupierant, multò fortiùs quàm antè eadem loca ingressi, communierant vias, quibus nostri priùs introierant; obiectis trabibus & molibus
30 magnis præstruxerant, sagittariorum immittentes manum infinitam, qui ab ingressibus arcerent ingredi cupientes. Rursum ex ea parte in qua castra locauerant, vrbem impugnare, moram videbatur exigere: sed ferias longiores, victus inopia non indulgebat. Colloquentes itaque Peregrini Principes ad inuicem, videntesq; manifestam illorum, quorum fidei animas suas & negotia commiserant, malitiam, scientes quòd non proficerent, redeundum esse decernunt, fraudes eorum qui eos seduxerant detestantes. Sic igitur Reges & Principes, quantos à seculis non legimus conuenisse, confusione induti & reuerentiâ, peccatis nostris exigentibus, infecto negocio, redire compulsi, eadem viâ quâ venerãt, in Regnum sunt reuersi. Qui deinceps, non solùm quàm diu in Oriente moram egerũt, nostrorum Principum vias
40 omnes suspectas habebant; & eorum meritò, tanquam malitiosa nimis declinabant consilia, circa Regni negocia tepidos se exhibentes: verùm postquam ad eorum regiones, eis datum est reuerti, susceptarum perpetuò memores iniuriarum, eorundem Principum abominati sunt maliciam. Nec se solos, verùm etiam & alios, qui non interfuerant, circa amorem Regni efficiebant remissiores: ita vt iam de cætero, neque tot, neque feruentes adeò, huius peregrinationis viam arriperent; & aduenientes etiam nolentes eorum illaqueari fraudibus, domum citiùs redire etiam hodie contendant. Memini me frequenter interrogasse & sæpiùs, prudentes VII.
viros, & quibus illius temporis solidior adhuc suberat memoria, & eâ maximè intentione, vt compertum historiæ mandarem præsenti: Quænam tanti mali caus-
50 sa fuerit, & qui tanti sceleris fuerint auctores; & quomodo tam detestabilis conceptus effectui potuit mancipari. In assignatione autem caussæ dissonas inueni relationes: nam quorundam erat opinio, quòd *Comitis Flandrensium* factum quoddam occasionem præstiterat huic malo: is nanque, vt præmisimus, in eo fuit exercitu. Qui postquam nostræ legiones ad vrbem prædictam accesserunt, & iam violenter obtentis pomeriis & flumine, obsessa est ciuitas, ad singulos Regum dicitur singillatim & seorsum accessisse, & profusis precibus postulasse, vt capta ciuitas ei daretur: & hoc etiam dicitur impetrasse. quod audiẽtes Regni nostri quidam pro-

ceres, consentientibus etiam aliorum nonnullis, indignati sunt, quòd tantus Princeps, & cui sua poterant sufficere, & qui gratis Domino militare videbatur, Regni tantam portionẽ sibi dari postulabat: sperabant enim sibi accrescere, quicquid per istorum principum operam & laborem Regno incrementi accederet. Vnde indignati, in hoc tam piaculare descenderunt flagitium, vt mallent eam hostibus conseruare, quàm vt Comiti prædicto cederet in sortem. Indignũ enim eis admodum videbatur, vt qui totâ vitâ suâ Regno militantes, infinitos labores pertulerant * aliis qui recentes aduenerant, tantorum fructus laborum colligentibus, ipsis neglectis & absque remunerationis spe, quam diu & ex meritis videbantur collegisse. Alii dicunt principem *Antiochenum* indignatum, quòd Rex Franciæ ita ab eo diuertisset, & beneficiorum suorum immemor, in nullo eum iuuisset, quibusdam mandasse in exercitu principibus, & obtinuisse, quatinus eius gratia efficeret, ne conatus eius finem sortiretur optatum; & vt ita procurarent, vt infecto negocio redire cogeretur inglorius. Alii dicunt omninò nihil aliud intercessisse, nisi quòd ab hostibus infinitâ sint redempti pecuniâ, qui hoc tam ingens procurauerunt malũ: & pro summo solent recitare miraculo, quòd postmodum tota illa *malè sumpta pecunia, inuenta est reproba & penitus inutilis.* Qui autem fuerint tã detestabilis ministri sceleris, varia multorum nihilominus fuit opinio, sed mihi pro certo compertum nõ est. Quicunque tamen sunt, sciant, quòd pro meritis digna quandoque præmia reportabũt, nisi misericors Dominus, condignè satisfacientibus, clementer indulgeat. Ita ergo vt præmisimus, nostri sunt sine gloria reuersi. Lætata est ergo *Damascus* in profectione ipsorum: quia incubuit timor eorum super eos: nostris autem è diuerso, *versa est in luctum cithara; & facti sumus canticum hostium nostrorum totâ die.* Reuersi itaque in Regnum prædicti Reges, iterum conuocato procerum cœtu, aggredi conãtur (sed incassum) factũ aliquod, in quo memoriã suã posteris possint reddere cõmendabilem. Erant nonnulli, qui suggererent circa *Ascalonam*, quã adhuc detinebat populus infidelis, quæ quasi in Regni medio sita erat, & ad quam sine difficultate poterant vniuersa deferri necessaria, ponendam obsidionem: facileque esse dicebant, & in promptu, vt cultui restitueretur Christiano: sed post multa huiusmodi verba, sicut & prædictus conceptus passus est aborsum; & dum adhuc ordiretur, succisus. Iratus enim Dominus, omnes eorum conatus videbatur euacuare.

VIII. Videns igitur dominus *Conradus* Imperator, quòd ei gratiam suam subtraxerat Dominus, & in Regni negociis ei procedere negabatur, parato nauigio, sumptaque licentiâ in regnum proprium est reuersus. Quò perueniens, infra paucos annos apud *Bauenberg* mortuus est, vbi & magnificè in ecclesia maiori sepultus est: vir pius & misericors, corpore conspicuus, generositate insignis, rei militaris ad perfectum habens experientiam, vitâ & moribus per omnia commendabilis, cuius memoria in benedictione est. Cui dominus *Fredericus* Sueuorum dux illustris, qui eiusdem peregrinationis comes adhæserat indiuisus, ex fratre primogenito nepos (cuius supra fecimus mentionem) inclytæ indolis adolescens, in imperio successit, qui hodie Romanum strenuè & feliciter administrat imperium. Dominus verò *Rex Francorum*, peracto apud nos vnius anni curriculo, circa transitum vernalem, Pascha Hierosolymis celebrato, cum vxore & principibus suis ad propria reuersus est. Quò perueniens, iniuriarum memor, quas in via, & in toto peregrinationis tractu, vxor ei irrogauerat, in præsentia Pontificum regni sui, solenniter celebrato diuortio, ab vxore, titulo consanguinitatis obiecto, diuertit. Quam protinus sine temporis interuallo, *Henricus* Normanniæ dux, & Andegauensium Comes, antequam in Aquitaniam suam, quæ ei paterna erat hereditas, se reciperet, duxit vxorem. Qui statim eâ ductâ, domino *Stephano* Anglorum regi, sine liberis sexus melioris defuncto, successit in regno. Dominus verò rex Francorum, Hispaniarum Imperatoris filiam, *Mariam* nomine, virginem DEO placitam, moribus & sanctâ conuersatione commendabilem, secundis votis felicior, sibi matrimonio copulauit.

IX. Ab ea die cœpit Orientalium Latinorum manifestè deterior fieri conditio: nam nostrorum Principum & Regum maximorum, qui Christiani populi videbantur bases esse solidiores, viderunt hostes nostri, & subsannauerunt labores sine fructu, sine effectu conatus, vires attritas, confractam gloriam: & quorum sola nomina hostibus nostris prius erant formidini, nunc præsentiam sine damno despexerant. vnde in-

tantam

Margin notes: Psal. 30,31 (beside "in luctum cithara"); line numbers 10, 20, 30, 40, 50.

tantam elati sunt præsumptionem & audaciam, vt iam de cætero nec eorum vires haberent suspectas, nec nostris instare solito acerbiùs vererentur. Inde fuit, quòd statim post vtriusque Regis discessum, *Noradinus*, Sanguini filius, cuius superiùs fecimus mentionē, conuocatâ infinitâ Turcorum ex omni Oriente manu, circa partes Antiochenas cœpit solito proteruiùs desæuire: vidensq; Latinorū terrā Principū auxilio destitutā, apposuit etiam castrum, cui nomen *Nepa*, obsidere. Quod postquam domino *Raimundo* Principi Antiocheno pleniùs innotuit, sicut homo animosus & impetuosus, nec alterius consilio in huiusmodi regebatur, non expectato suorum equitum, quos euocari præceperat comitatu, cum paucis imprudēs ad partes illas accelerat; & adhuc in obsidione perseuerantem, circa prædictum municipium inuenit Noradinum. Qui audiens Principem aduenire, timens ne maiores secum traheret copias, expectare & cum eo congredi veritus, ab obsidione discessit, in loco tuto se conferens, & expectans, & frequentibus nunciis doctior fieri cupiens, qualia secum Princeps traxerat auxilia, & vtrum maiora accederent adminicula. Princeps verò præsenti successu elatus; & de se, more solito, plus æquo præsumens, cœpit se habere incautiùs: & dum haberet finitima præsidia, in quibus se indemnem cum suis poterat conseruasse, & suos reduxisse incolumes, maluit se cāpis credere patētibus: indignū iudicās, vt illius timore videretur cessisse vel ad tempus: & hostium maluit patere insidiis. Eâ igitur nocte, videns *Noradinus* nullas Principi vires accreuisse maiores, sperans cum suis eas quas secum adduxerat, facilè superaturum, Principis comitatum vallat, per gyrum agminibus dispositis; & in modum vrbis obsidet. Mane autem facto, videns Princeps hostium multitudinem, & de viribus suis, licet serò diffidens, dubitare cœpit; tamen acies instruit, militiam ordinat, tanquam cominus cum hostibus congressurus. Inito itaq; prælio, qui cum eo erant, viribus impares, hostium non ferentes multitudinem, Principe cum paucis relicto, in fugā versi sunt. Princeps verò tāquam magnanimus, & in armis singulariter strenuus, viriliter decertans, in media hostium strage quam exercuerat, cædendo fatigatus & exhaustus spiritu, gladiis cōfossus interiit: cuius caput cum brachio dextro à corpore separantes, reliquum corpus mutilum, inter alios vitâ priuatos, reliquerunt. Cecidit ibi inter alios vir magnus & potens, suæ perpetuò lugendus regioni, dominus *Rainaldus de Mares*, cui Comes Edessanus filiam suam vxorem dederat. Ceciderunt & alii nobiles nonnulli, quorum nomina non tenemus. Fuit autem dominus *Raimundus* vir magnanimus, rei militaris experientissimus, hostibus supra modum formidabilis, parum tamen felix, cuius multa quæ in Principatu strenuè & magnificè gessit opera, speciales exigunt tractatus: sed nos ad prosequenda communia festinātes, in singulis huiusmodi negotiorum articulis immorari, & his stilum committere non valemus. Occisus est autem anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo quadragesimo octauo*, Principatus eius anno tertiodecimo, mense Iunio, vigesimâ septimâ die mensis, die festo sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, inter vrbē Apamiam & oppidum Rugiam, in eo loco qui dicitur *Fons muratus*. Cuius corpus quibusdā notis & cicatricibus cognitum, inter cæterorum defunctorum corpora repertum, Antiochiam delatum est, & in vestibulo ecclesiæ Apostolorum principis, inter eius prædecessores, solemnibus exequiis sepultum.

An. D. 1148.

X. *Noradinus* verò in augmentum gloriæ & in signum victoriæ, & quòd maximus Gentilitatis persecutor crederetur occidisse, caput cum manu dextera, quæ ad hos vsus de corpore prædicti viri separari fecerat, ad maximum Sarracenorum principem & monarcham, *Calypham* videlicet *Baldacensem*, & alios Turcorum satrapas, per Orientem constitutos direxit. Destituta itaque tanti rectoris solatio Antiochena regio, in lamenta se dedit, fletus non cohibens, & crebris suspiriis dolorē indicās, querulis quoq; & lachrymosis vocibus fortis viri egregia gesta rememorans. Nec solùm finitimos mors illius audita cōtristauit populos; sed & longè lateq; rumor hic dispersus, tam maiorum quàm minorum in amaritudinem deduxit animas, & acerbo interiùs mœrore confecit. Interea idem fidei & nominis, more patris, maximus persecutor Christiani *Noradinus*, videns Principem regionis, & maximam robustorum eius partem cecidisse in prælio, totamque prouinciam suo subiacere arbitrio, immissis statim expeditionibus suis, totam cœpit hostiliter circuire regionem: ita vt iuxta Antiochiam pertransiens, & cuncta præstans incen-

dio, ad monasterium *sancti Symeonis*, quod inter Antiochiam & mare in montibus sublimibus situm est, ascenderet, propriâ in ea vsus potestate, & cuncta libero tractans imperio: & inde ad mare, quod nunquam priùs viderat, descenderet, & in eo, in signum quòd victor vsque ad mare peruenerat, coram suis lauaretur. Inde rediens castrum *Harenc*, ab Antiochia vix miliaribus distans decem, prætereiens occupat, & occupatum armis & militibus & alimentis muniens, instruit diligenter: ita vt multorum dierum posset obsidionem sustinere. Timuit ergo populus vniuersus, & humiliata est in conspectu eius terra, eò quòd tradiderat Dominus in manus eius, robur militiæ & principē regionis: & non erat auxiliator, nec qui contra imminentia pericula protectionis afferre posset remedium. Relicta enim erat in Reipublicæ & principatus administratione sola Principis vxor *Constantia*, cum filiis duobus, & filiabus totidem, adhuc impuberibus; nec erat qui Principis fungeretur officio, & plebis erigeret deiectionem. Eâ tamen tempestate, dominus *Aimericus* eiusdem ciuitatis Patriarcha, vir solers & locupletissimus, strenuè satis afflictæ se regioni præbuit patronum; & ad conducendas militum copias, stipendia, contra morem suum non parcè ministrauit, temporis satisfaciens necessitati. Porrò Hierosolymorum Rex audiens illarum partium pericula, & morte domini Principis cognitâ, mente plurimùm consternatus, conuocatâ subitò militiâ, vt oppressis opem ferat fratribus, celer ad partes conuolat Antiochenas, & de se diffidentibus & animo deiectis propriâ præsentiâ præbuit consolationē. Collectis itaque militaribus tam suorum, quos secum traxerat, quàm de tota regione auxiliis, ad resistendum inuitat; & vt resumptis cordibus respirare discant, castrum *Harenc*, quod superiùs de nouo captum diximus, obsidet. Sed post dies aliquot non proficiens, quia instructum erat diligentiùs, infecto negotio, Antiochiam est reuersus. *Soldanus* etiam *Iconiensis*, auditâ Principis morte, in multitudine graui in Syriam descendit, & captis multis vrbibus & castellis pluribus, *Turbessel* obsidet, licet Comes cum vxore & liberis intus esset. Rex verò *Henfredum* Constabularium, cum sexaginta militibus ad tuendum *Hasart*, interea dirigit, ne à Turcis occupetur. Tandemque Comes datis Soldano captiuis omnibus quos de sua regione vinctos habebat, & duodecim equitum armis, pace factâ, abeunte Soldano, ab obsidione liberatus, eodem die Hasart venit; & inde Antiochiam, domino Regi gratias pro humanitate quā in eum exercuerat, acturus properauit: Inde etiam viso Rege, sumptaque ab eo licentiâ, cum modico quem deduxerat comitatu, ad propria reuersus est. Rex autem apud Antiochiam destitutæ regionis curam agens, ad hoc moram faciens, compositis pro loco & tempore negotiis, tranquillitate aliquatinus restitutâ, reuocātibus eum curis domesticis, in Regnum suum est reuersus.

XI. Interea Comes Edessanus *Ioscelinus* iunior, vir supinus, à patria degener honestate, sordibus effluens, libidine dissolutus, spretis melioribus perniciosa sequens, putans sibi optimè successisse, quòd Princeps Antiochenus, quem odio insatiabili persequebatur, occubuerat: nō multùm attendens, quàm verè dicatur, *Tua res agitur, paries cùm proximus ardet*: dum Antiochiâ, vt dicitur, à domino Patriarcha euocatus, de nocte proficisceretur, separatus à comitatu, cum adolescente, qui eius equum trahebat, gratiâ, vt dicitur, aluum purgandi, & vt secretioribus naturæ satisfaceret debitis, ignorantibus tam iis qui præibant quàm qui sequebantur, irruentibus in eum prædonibus, qui in insidiis latebant, captus est; ac vinculis mācipatus, *Halapiam* perductus est. Vbi immundarum viarum suarum fructus colligens, squalore carceris & cathenarum pondere fatigatus, anxietate spiritus & corporis iugi molestiâ consumptus, fine miserabili vitam finiuit. Redditâ terris die, qui in eius erant comitatu, eorum quæ circa ipsum acciderant penitus ignari, dominum suum quem non reperiunt, anxiè quærentes, vbi vident se inquirendo non proficere, reuersi nunciant quid eis acciderat: & iterum repleta est stupore & extasi vniuersa terra. Et quamuis vicinorum sinistris non nouerant condolere casibus, nūc familiaribus oppressi periculis eodem discunt experimento, quomodo doloribus sit compatiendum alienis. Tandem post dies aliquot quorundam relatione, quibus id pro certo compertum erat, cognouerunt, quòd apud Halapiam detinebatur in cōpedibus. Vxor verò eius, mulier pudica, sobria, & timens DEVM, quales DEVS amat, cum filio impubere & duabus filiabus remanserat: quæ quanti potuit, consilio procerum, qui superstites erant, populum regere nitebatur.

nitebatur; & regionis præsidia aduersus hostes, armis viris & alimentis communire, vires transcendens fœmineas, satagebat. Sic igitur peccatis nostris exigentibus, vtraque regio, melioribus destituta consiliis, vix in se subsistens, fœmineo regebatur imperio. Dum verò hæc ita circa partes aguntur Antiochenas, non multo post temporis interuallo visitante Regnum diuinâ clementiâ, erigentes se de puluere & de abiectione nimia, in qua propter sinistros casus, qui frequentes acciderant, iacere videbantur; redeuntes ad cor tam dominus Rex, quàm cæteri Hierosolymitanæ regionis Principes, vt Ascalonitas hostes immanissimos artiùs cohibeant, & magis eorum periculosos refrenēt impetus, *Gazam* vrbem antiquissimam, ab Ascalona decem distantem in parte Australi miliaribus, dirutam & habitatoribus carentem, reformare proponunt, vt sicut à Septentrione & ab Oriente fundatis in gyrum municipiis eam quasi obsederant, ita eidem ab Austro simul non deesset stimulus; & ex ea quoque parte continuis impugnaretur congressionibus, & frequētibus lacesseretur insidiis. Die igitur statutâ, conuenit vniuersus populus, quasi vir vnus, ad prædictum locum; & opus vnanimiter aggressi, vrbem certatim reædificare cōtendunt. Fuerat autem eadem *Gaza*, ciuitas antiquissima, vna de quinque vrbibus Philistiim, ædificiis præclara, cuius antiquæ nobilitatis in ecclesiis & amplis domibus, licet dirutis, in marmore & magnis lapidibus, in multitudine cisternarum, puteorum quoque aquarum viuentium, multa & grandia extabant argumenta. Fuerat autem sita in colle aliquantulum edito, magnum satis & diffusum infra muros continens ambitum. Videntes autem nostri, quòd non satis expediret, nec fortasse præsentis temporis vires sufficerent, vt tota reformaretur, partem prædicti collis occupant; & iactis ad congruam altitudinem fundamentis, opus muro insigne & turribus ædificant, & in breui, opitulante Domino, cōsummant feliciter. Consummatum etiam & partibus suis absolutum, de communi consilio fratribus Militiæ Templi custodiendum, & perpetuò cum vniuersa adiacente regione possidendum committunt. Qui tanquam viri fortes, & in armis strenui, & commissum vsque in præsentem diem fideliter prudenterque seruauerunt; & vrbem prædictam frequentibus, cùm occultis tum manifestis impugnationibus viriliter afflixerunt: ita, vt qui priùs excurrentes & per vniuersam regionem hostiliter desæuientes, nostris erant formidini, nunc pro summa felicitate reputent, si clausis intrà mœnia viuere liceat, & quiete perfrui, pace precibus vel prætio ad tempus impetratâ. Nec solùm vrbe prædictâ, ad cuius læsionem constructum erat illud præsidium, recalcitrante, vtile fuit; sed etiam eâ deuictâ, quasi regni limes ab Austro contra Ægyptios, pro multo fuit regioni tutamine. Circa veris autem initium, domino Rege, dominoque Patriarchâ, completo ex parte municipio interiore, relictis ibi Militiæ Templi fratribus, quorum diligentiæ deputatum erat, Hierosolymam reuersis, accidit subsidium Ægyptiorum, quòd ter vel quater in anno ad reparandas vires Ascalonitarum solenniter solebat accedere, in multitudine graui ante prædictum oppidum adesse; & oppidanis interiùs hostium metu congregatis, assultus hostiles multâ instantiâ dedisse. Sed videntes, qui militiæ præerant, quòd non proficerent, cùm dies aliquot in obsidione operam consumpsissent, Ascalonam profecti sunt. Ab ea itaque die, tanquam attritis viribus & nocēdi contractâ licentiâ, cœperunt prorsus à vexatione adiacentis quiescere regionis. Sed & Ægyptiorum exercitus, qui ita frequens, vt prædiximus, ciuitati iam afflictæ solatium ministrabat, iam non nisi marino accedere consueuit itinere, prædicti municipii interpositas timens insidias, & militiā habens suspectam.

XIII. Inter hæc dum satis prospero cursu Regni Orientalis negotia procederent, & quasi quadam trāquillitate gauderet: cōminus, quòd Comitatus nobis deperierat, & in hostium nostrorum cesserat potestatem Edessanus, regio quoque Antiochena frequentibus hostium insidiis fatigabatur: videns inimicus homo, qui solet superseminare zizania, & nostræ inuidēs prosperitati, intestinis nos tentans concutere seditionibus, quietem nostram perturbare aggressus est: cuius periculi hæc fuit causa, & origo. Domina *Milisendis* regina, inclytæ recordationis & piæ in Domino memoriæ, defuncto marito, vt prædiximus, relicta cum duobus liberis adhuc infra annos cōstitutis, Regni tanquam iure hereditario sibi debiti curam & administrationem sortita est, filiorum legitimam agens tutelam. Hanc cōsilio Principum regionis, strenuè & fideliter, vires &

animum transcendens fœmineum, vsque ad illum diem administrauerat: filio primogenito, domino *Balduino*, cuius in præsenti gesta conscribimus, etiã postquam in Regni sublimatus est solium, eius multùm fauente & meritò subiacente imperiis. Inter cæteros autem quorum operâ consilioque vtebatur, familiarem admodum habebat quendam nobilem virum, eius consobrinũ, *Manassen* videlicet: cui, statim post eius introitum in regnum, curam militiæ tradiderat omnem, & ordinauerat Constabularium. Hic autem de dominæ Reginæ gratia præsumens, nimiùm arrogans, vt dicitur, & Regni Maioribus insolenter se præferens, nulliq; debitam exhibens reuerentiam, inuidiam in se nobilium regionis cõcitauerat maximam: & nisi dominæ Reginę eos cohiberet auctoritas, parati erant, conceptum odium vsque in opus pertrahere. Duxerat autem & domini *Baliani* senioris viduam, nobilẽ matronam Hugonis, Balduini & Baliani Ramatẽsium fratrum, matrem: vnde sibi cumulauerat diuitias, & multiplicauerat possessiones. Eorum autem qui prædictum Manassen odio prosequebãtur, primus erat & affectu & opere, Rex ipse: asserens, quòd ei matris suæ subtraheret gratiam & munificentiam impediret. Habebat autem super eodem facto plurimos incentores, odiorum fomitem ministrantes, quibus prędicti viri inuisa erat potẽtia, & molesta nimis dominatio. Hi dominum Regem impellebant, vt etiam matrem à Regni amoueret potestate, dicentes, eum iam ad adultam peruenisse ætatem, indignũ esse vt fœmineo regeretur arbitrio, & regni proprii curam aliquam sibi committeret moderandam. Horum igitur & similium Rex fretus consilio, proposuerat, in die festo Paschæ Hierosolymis solenniter coronari: cuius glorię, cùm à domino Patriarcha, & à viris prudentibus, qui pacem Regni diligebant, instanter rogaretur, vt matrem participem faceret, distulit prædictorum consilio, ne matrem haberet consortem, illâ die quâ proposuerat: & sequenti die subitò, matre non vocatâ, in publicum processit laureatus.

XIV. Transcursâ igitur illâ solemnitate, conuocato procerum cœtu, præsente etiam *Iuone* Suessionensi Comite, & *Galtero* Castellano sancti Aldemari, matrem conuenit, & vt Regnum secum diuidat instanter exigit, & auitæ sibi postulat hereditatis portionem assignari. Tandem post multos hinc inde habitos deliberationis tractatus, diuisâ hereditate, domino Regi optione datâ, assumpsit sibi in partem Tyrensem & Acconensem, cum pertinentiis suis, vrbes maritimas: relictis dominæ Reginæ Hierosolymâ & Neapoli, cum suis iterum pertinentiis. Sicque diuisi sunt ab inuicem, sperãte populo quòd pro bono pacis tolerandum esset, quod sic ordinatum fuerat; quòd vterque contentus esse deberet suâ, quæ eum contigerat, portione. Per eosdem itaque dies dominus Rex nobilem quendam & magnificum virum dominum *Henfredum* de Torono, cui magnæ & amplæ possessiones erant in Phœnice, in montibus qui Tyrensi adiacent metropoli, ordinauit Constabularium suum, & ei militiæ suæ curã commisit. Sed neq; sic etiam quieuit dominã Reginam persequẽtium stimulus: sed & caussis leuibus vires resumens ignis, qui latuerat in fauilla, incendium maius, & priore multo periculosius, cœpit ministrare. Nam Rex eisdem impellentibus quorum consilio priùs acquieuerat, matrem iterum cœpit molestare; & eam quam ex vtriusque beneplacito Regni obtinuerat portionem, exclusâ omnino matre, sibi vendicare proposuit. Quod intelligens Regina, commendatâ Neapoli quibusdam fidelibus suis, qui eius curam haberent, Hierosolymam se recepit. Rex verò interea congregatâ quantâ potuit militiâ, prædictum Manassen in castello quodam eius, cui nomen *Mirabel*, obsidet; eumque ad deditionem compellens, Regnum & omnem cismarinam regionẽ abiurare coëgit: inde occupatâ Neapoli, matrem persequens Hierosolymam proficiscitur. Recesserant autem à domina Regina, iuramentorũ & fidelitatis immemores, quidam ex iis qui infrà sortẽ eius habebant possessiones, & ei fide mediâ erant obligati. Pauci verò ei adhærentes, fidei seruauerant integritatem: *Amalricus* videlicet Comes Ioppensis, filius eius, valde adolescens; *Philippus* quoque Neapolitanus, & *Rohardus* senior, & pauci alii quorum nomina non tenemus. Audiens itaque Regina, filium cum exercitu aduenire, in arcem cum familiaribus suis & fidelibus se recepit, de præsidii munitione confidens. Dominus verò Patriarcha *Fulcherus*, bonæ memoriæ, videns tempora periculosa, & dies tentationis imminere, volens partes suas interponere, & de iis qui ad pacem sunt rogare, assumptis sibi de clero, viris religiosis & DEVM timẽtibus, domino Regi obuiam

obuiam exiit, monens vt à prauo desistat proposito, & in finibus pactorũ consistẽs, matrem quiete perfrui patiatur: apud quem postquam videt se non proficere, cõsilium eius detestans, in vrbem regressus est. Rex autem vrgens propositum, ante vrbem castra locat. Tãdem verò ciuibus indignationem declinantibus Regiã, & portas aperientibus, intromissus est cũ suis expeditionibus: vbi statim arcem, in quam mater se contulerat, aptatis ad eam expugnandã machinis, obsidione vallat; & more instans hostili, balistis, arcubus, & iaculatoriis machinis continuas inferẽs molestias, obsessis requiem negat. Illi verò, omnino instanti omnino reluctantes, vim vi repellere nituntur, & quibus modis exteriores obsessos impugnare satagunt, eisdẽ
10 iniurias propulsare & in hostes æquâ lance damna refundere, obsessi non verẽtur. Tandem cùm per dies aliquot, periculosè nimis hinc inde decertatum esset, cùm in arcem expugnando Rex non multùm proficeret, nec tamen à proposito vellet desistere, intercurrentibus quibusdam pacis & gratiæ reformatoribus, vrbe Neapolitanã cum suis finibus contentã dominã Reginã, Regni caput domino Regi resignat Hierosolymam, interpositis ex parte domini Regis, & præstitis corporaliter iuramentis, quòd super ea possessione per eum perpetuò non deberet molestari: sicque eis in mutuam redeuntibus gratiam, quasi stella matutina in medio refulgens nebulæ Regno & Ecclesiæ restituta est tranquillitas. At verò nunciatũ est regi Hierosolymorum, & famâ certiore compertum, quòd Comes Edessanus sorte tam
20 miserabili captus erat, & regio tota absque defensoris cura, hostium latè patebat insidiis; quòd omnis illa prouincia, sicut & Antiochenorum partes, fœmineo relictæ moderamini, suam exposcebant sollicitudinem: assumptis sibi *Henfredo* Constabulario, & *Guidone* Berytensi (nam de iis qui in portione dominæ Reginæ erant, licet singillatim euocasset, neminem habere potuit) ad partes peruenit Tripolitanas: vbi & Comitem cũ suis militibus assumens, *Antiochiam* celer peruenit. Dicebatur enim publicè, & verè sic erat, quòd potentissimus Turcorum princeps *Soldanus Iconiensis*, cum innumero equitatu ad partes illas descenderat, & ferè omnem suis finibus cõterminam occupauerat regionem. Non valentes enim locorum habitatores resistere, & exercituum illius sustinere potentiam, vrbes & municipia vniuersa illi tra-
30 diderant, impetrantes ab eo saluum & liberum exitum cum vxoribus & liberis, & sine periculo conductum vsq; *Turbessel*: is enim locus cæteris munitior, plures habens habitatores, vbi & dominus Comes iugem & manentem habebat habitationẽ, adhuc in tranquillo videbatur esse. Dumq; sic exceptis paucis præsidiis, vniuersam occupasset regionem, maioribus eum reuocantibus curis, domum redire compulsus est: nihilominus tamẽ, prouincialium aut labor est imminutus, aut remissior facta sollicitudo. Nã *Noradinus* molestissimus gẽtis nostræ persecutor, & Turcorum princeps potentissimus, penè continuis incursionibus vniuersam eatenus molestabat regionem, vt extra præsidia nemo penitus auderet comparere. Sic igitur inter duas molas, miser ille populus incessanter contĕrebatur; & à duobus maximis prin-
40 cipibus supra vires angebatur, quorum alterius tantùm vix posset potentiam tolerare. Interea dominus Imperator *Constantinopolitanus*, audiens illarum partium desolationem, vnum de principibus suis, cum immensis sumptibus, & militia suorũ nõ modica, ad prædictas partes direxerat, offerens Comitissæ liberisq; eius annuos certæ quantitatis reditus, qui eis ad honestum sufficere possent victum in perpetuum, in recompensationem traditæ sibi regionis, si pręsidia quæ adhuc penes se retinebat, eius Imperio vellet concedere. Spondebat enim confidenter, in immensitate diuitiarum suarum spem habens, quòd & illa à Turcorũ incursionibus conseruaret illibata, & alia quæ amiserant, facilè suo restitueret Imperio, si ei prouincia resignaretur. Adueniente igitur Rege Antiochiam, caussâ cognitâ aduentus Imperia-
50 lium nunciorum, ipsis etiam iniunctam sibi legationem aperientibus, facta est inter Principes regionis illius dissensio: aliis dicentibus, rem nondum in eum necessitatis articulum descendisse, vt id fieri oporteat; aliis è contra asserentibus, necessarium id esse fieri, priusquam terra penitus in hostium manus tradatur. Inter has igitur deliberationis ambiguitates, cognoscens dominus Rex, quòd prædicta regio, in eo statu, in quo erat, diu perseuerare nõ posset; ipsum enim ampliorem ibi moram facere, Regni propria cura non patiebatur; nec eius tot tantæque erant vires, vt duas quindecim dierum itinere à se distantes prouincias administrare posset com-

XV. XVI.

modè; vidensq; Antiochenam quæ media erat prouinciam, Principis solatio iam per plures annos destitutam, in eam descendit sententiam, vt præmissis conditionibus, Græcis oppida quæ supererant traderentur. Et licet non multum præsumeret, quòd Græcorum viribus in eo statu conseruari posset prouincia, maluit tamen, vt eis possidentibus iste casus accideret, quàm ei periclitantis populi & terræ deficientis imputaretur ruina. Pactis igitur hinc inde iuxta prædictas conditiones, adhibito consensu dominæ Comitissæ & liberorum eius, ad placitam consonantiam redactis, præfigitur dies, quo dominus Rex, cum omni militia sua in partes illas descendat, Imperatoris homines in possessionem inducat, & eis vniuersa resignet oppida. Die igitur statutâ Rex ex condicto assumens sibi Comitem Tripolitanum, & tam suos quàm Antiochenarum partium magnates, in terram Comitis Edessani, Græcos secum deducens, vsque *Turbessel* peruenit: vbi assumptâ sibi dominâ Comitissâ cum liberis suis & aliis omnibus, tam Latinis quàm Armenis, sexus promiscui, exire volentibus, Græcis regionem assignat. Erant autem oppida quæ à nostris adhuc possidebãtur, *Turbessel, Hamtab, Rauendel, Ranculat, Bile, Samosatum*, & fortasse alia quędam. Quibus omnibus Græcorum potestati resignatis, ipse cum vniuerso egredi volentium populo, cum iumentis & sarcinis eorum, quæ erant multæ nimis (nam vnusquisq; cum omni domo & familia, & supellectile vniuersa exire proposuerat) ad iter accingitur; & cum omni huiusmodi imbellis populi multitudine, & impedimentorum quantitate numerosa egredi maturat, educere volens eos sine periculo.

XVII. Audiens itaque *Noradinus*, quòd Rex ad educendum populum ingressus fuerat, & quòd de conseruanda regione omnino desperantes, Græcis viris effœminatis & mollibus, oppida resignauerant, de nostra formidine factus animosior, congregatâ ex vniuersis adiacentibus regionibus militiâ, ad easdem partes festinus descendit, volens Regi & populo de viribus suis diffidenti, & sarcinis multiplicibus impedito occurrere: ad lucrum sibi putans cedere, si tales sibi obuiam habere posset. Factumque est, quòd vix ad vrbem *Tulupam*, quæ à Turbessel vix quinque aut sex distabat miliaribus, illam impotentem multitudinem adduxerat, cùm ecce *Noradinus* vniuersam regionem suis repleuerat legionibus. Erat autem castrũ illis vicinum, *Hamtab* nomine, per quod iter eis erat futurum: illuc nostri properare volentes, videntes imminere periculum, acies instruunt, ordinant agmina, tanquam mox cum hostibus commissuri. Illi verò instructis caterуis, nostrorum aduentum, tanquam de victoria securi, auidè nimis expectabant. Accidit tamen contra spem eorum, quòd noster exercitus ad prędictum oppidum, præuiâ Domini misericordiâ, peruenit indemnis: vbi nocte totâ fessis tam iumentis, quàm hominibus, ad requiem concessâ, conuocato procerum cœtu, & de futuro in crastinum itinere deliberantes, fuerunt nonnulli de magnatibus, qui prædictum præsidium exposcerent sibi dari, arbitrantes opitulante Domino contra Turcorum incursiones viribus propriis locum posse cõseruare: quorum vnus de regno erat *Henfredus de Torono*, vir magnificus Regius Constabularius: alter erat vir nobilis & potens, de principatu Antiocheno, *Robertus* videlicet *de Surda valle*. Sed videns dominus Rex neutrius vires aut potentiam ad prædictum opus sufficere, spreto vtriusque verbo tãquam inutili, pactis insistit perseuerans; & tradito Græcis municipio, populum præcipit ad iter accingi. Videre erat ibi viros nobiles, & inclytas cum ingenuis virginibus & paruis pueris matronas, natale solum, auita domicilia, cognatam regionem, singultibus & lacrymosis deserere suspiriis, & transmigrationem ad populum alterum cum fletibus & lamentis inire. Non erat pectus ita ferreum, cuius interiora non mouerent fletus & lachrymæ, & querulæ voces populi transmigrantis. Luce igitur terris redditâ, compositis sarcinis, rursum iter arripiunt: & ecce ex vtroque latere hostium acies iunctis agminibus, incedebant, in comitatum nostrorum parati ex omni parte irruere. Nostri ergò hostium videntes agmina, & grauem multitudinem, de quingentis equitibus, quos habebant, instaurant acies, & incedendi ordinem assignant instauratis. Dominum itaque Regem præire iubent, vt agmina præcedat, & turbis pedestribus gradiendi modum assignet: Comitem Tripolitanum, & *Henfredum* regium Constabularium posteriores iubent tueri partes; & vt cum maioribus & fortioribus militum copiis hostium sustineant impetus, & eorum à plebe arceant violentiam: Antiochenos verò magnates à dextris & à sinistris collocant, vt positæ in medio multitudini,

titudini, vndiq; per gyrum non deesset robur fortium, & armata militia. Sic igitur, & eodem ordine totâ die nostris gradientibus vsque ad Solis occasum intolerabiles nostris non defuerunt molestiæ, frequentes impetus, pugna iugis, congressiones continuæ. Tanta autem erat immissarum in exercitu numerositas sagittarum, vt omnes sarcinæ, ericii more, sagittis viderentur consitæ: præterea puluis, calor quoq; qualem solet Augustus ministrare, sitis quoq; aspera, plebem supra vires fatigabat: tandē Sole iā ad occasum declinante, Turci secū non habētes victualiū quidpiam, amissis de exercitu suo nonnullis nobilibus, dato ad reditum signo, nostros insequi desinunt, eorū stupentes incōparabilem instantiam & perseuerantiā. Dumq; *Henfredus* Constabularius, arcu abeuntes persequitur, aliquantulum à comitatu remotior, accessit ad eum miles quidam de hostium numero, qui repositis armis, & iunctis alternatim ad latus manibus, signum exhibet reuerentię. Is porrò cuiusdam potentissimi Turcorum principis, qui eidem Constabulario fraterno fœdere iunctus erat, & in eo tenacissimus, domesticus erat & familiaris, ab eodem missus, vt eū verbis eius salutaret, & de statu hostilis exercitus eum redderet doctiorem. Refert autem *Noradinum* cum suis in proposito habere eā nocte ad propria maturare reditū: defecerat enim in castris eius omnis penitus alimonia, vnde eos diutiùs non poterant insectari. Sic igitur illo redeunte ad propria, Constabularius in castra se recipit: & verbo quod audierat, domino Regi cōmunicato, instante iam nocte, in loco qui dicitur *Ioha*, castrametatus est populus vniuersus. Insequentibus diebus, populo sine molestia per syluam quæ dicitur *Marris*, & vsq; ad loca nostræ ditioni subdita traducto, dominus Rex in Antiochiam se recepit. Videns igitur *Noradinus* terram Comitis, Latinorum auxilio destitutam, de Græcorum mollitie, quibus commissa erat, præsumens, frequentibus irruptionibus, & quas Græci non satis supportare nouerant, eam cœpit aggrauare. Tandemq; immissis exercitibus copiosis, obsidione vallans oppida, Gręcis violenter exclusis, infra annum vniuersam occupauit regionem. Sic igitur prouincia opulentissima, riuis, syluis, & pascuis lætissima, vbere glebâ diues, & omnibus redūdans cōmoditatibus, in qua quingenti equites sufficientia habebant beneficia, peccatis nostris exigentibus, in hostium manus deuenit, & à nostra iurisdictione vsq; in præsentem diem facta est aliena. Decesserunt itaq; ecclesiæ Antiochenæ in partibus illis tres Archiepiscopi, Edessanus, Hieropolitanus, & Coricensis: quorum ecclesias etiam nunc infidelitas detinet, & Gentilis superstitio, licet inuitas. Interea dominus Rex Hierosolymorum *Balduinus*, pro vrbe Antiochena, & eius adiacente diocesi plurimùm solicitus, ne principis destituta solatio, sicut & terra Comitis, de qua prædiximus, in manus hostium, forte descendat miserabili, & populo Christiano simul cū iactura intolerabili, ampliùs accedat confusio: vidensq; sibi liberum non esse, reuocante eum Regni curâ, moram ibi habere longiorem, dominā Principissam sæpè ac sæpiùs commonet, vt vnum de nobilibus sibi, cui nubat, eligat viris, cuius consilio & operâ Principatus regatur. Erant autem eo tempore inclyti & nobiles viri in eadem regione, domini Regis castra sequētes, dominus videlicet *Iuo de Neella*, Comes Suessionensis, vir magnificus, prudēs & discretus, cuius in regno Frācorū plurima erat autoritas; *Galtherus* quoq; de *Falcunberga*, Castellanus sancti Aldemari, qui postea fuit Tiberiadensis dominus, ipse quoq; vir prudens, vrbanitatis eximiæ, prouidus in consiliis, & in armis strenuus; dominus quoque *Radulphus de Merlo*, vir summè nobilis, & armorum vsum habēs, & prudentiâ multâ conspicuus; quorum quilibet ad procurandam regionem, meritò videbatur sufficiens. Illa autem vincula timens coniugalia, solutamq; ac liberam vitā præponens, non multùm attendebat, quid populo expediret, circa id plurimùm solicita, vt carnis curam perficeret in desideriis. Rex autem eius intelligens propositum, apud Tripolim principibus vtriusq; tam Regni quàm Principatus, curiā indicit generalem. Ad quā tam dominum Antiochenum Patriarchā cum suffraganeis suis, quàm dominam Principissam cum suis proceribus inuitat: interfuit autem & mater eius, domina Regina *Milisendis*, & Regni Principes eam secuti. Vbi cùm de publicis negotiis diligens habitus esset tractatus, ventum est ad negotium Principissæ: sed neq; tunc vel Rex, vel Comes, eius consanguinei; vel Regina vel Comitissa Tripolitana, ambæ eius materteræ, in hoc eam potuerunt inducere, vt sibi & regioni in hac parte vellet prouidere. Dicebatur autem & Patriarchæ niti cōsilio, qui

XVIII.

tanquam vir argutus, & non simplex, [illegible] interim [illegible]
[illegible] erat nimis, in hoc eam dicebatur errore fouere. Cùm ergo nihil [illegible]

XIX. proficerent, solutâ curiâ, ad propria quisque reuersus est. [illegible]
bus, inter dominum Comitem & eius vxorem, dominam Milisendis Regi[illegible]
[illegible] maritali orta simultas: cuius sedandæ gratiâ, & [illegible] principissam [illegible]
viderent, domina Milisendis aduenerat. In qua re [illegible]
[illegible] multum profecisset, sororem, rediens, deducere [illegible]
procinctu ambæ erant vrbem Tripolitanam iam egressæ. Comes [illegible]
[illegible] Principissæ comitem se ad tempus dederat, à qua [illegible] licentia [illegible]
reuersus est interuallum: qui dum portam ciuitatis ingrederetur, [illegible]
casus timeret sinistri, in introitu portæ, inter murum & antemurale, [illegible]
diis confossus, miserabiliter interiit. Cecidit autem & cum eo [illegible]
vir, cuius superiùs fecimus mentionem, dominus *Radulphus de Merlo*, [illegible]
milite suo: quorum vterque domino Comiti in ea profectione casu [illegible]
sortem. Rex autem in ciuitate securus aleam ludebat, recreationi dans ope[illegible]
rum omnium ignarus. Commota est ergo vniuersa ciuitas, nece Comitis [illegible]
ad arma populus conuolans, quemcunque alienum à lingua nostra, vel habitu [illegible]
perit, putans sicarios qui hoc malum commiserât inuenire, gladio perimit, & [illegible]
tem omnibus irrogat indifferenter. Interea Rex repentinis excitus clamoribus, [illegible]
te Comitis intellectâ, tristis admodum, & mente plurimùm consternatus, [illegible]
& suspiria non valens cohibere, matrem & materterã mox præcipit [illegible]
bus reuersis, post multa lamenta & fletus vberes, corpore cum debita [illegible]
magnificentia sepulturæ tradito, præcipiente domino Rege, cuncti [illegible]
rum partium, dominæ Comitissæ & liberis eius fidelitatem exhibuerunt. [illegible]
tem domino Comiti, filius ei æquiuocus, nomine *Raimundus*, vix annorum [illegible]
cim, & filia nomine *Milisendis*, fratre natu posterior. His ergo sic compositis [illegible]

XX. cum matre & principibus suis in Regnum reuersus est. Non multo [illegible]
interiecto temporis interuallo, quidam nobiles Turcorum satrapæ, [illegible]
& apud suos egregii nominis, quibus cognomen est *Hiaroquin*; quorum [illegible]
tas, antequam à Christianis liberaretur, dicitur fuisse hereditas: horum [illegible]
eorum improperante ignauiam, quòd tamdiu ab hereditate auita se [illegible]
exterres, collectâ infinitâ Turcorum multitudine *Hierosolymam* venire, [illegible]
si iure hereditario sibi debitam vendicare proponunt. Assumptis ergo [illegible]
bus militarium virorum copiis, matrem longæuam continuis exhortationibus [illegible]
monentem, secuti, iter arripiunt propositum, si Dominus ita permiserit, [illegible]
ri. Peruenientes igitur *Damascum*, ibi ad reparandos exercitus, & vires [illegible]
moram facientes aliquam, volentibus Damascenis eorum insipiens [illegible]
silium, non acquieuerunt; sed resumptis viaticis, & compositis iterum [illegible]
si de proposito non diffidentes, versus Hierosolymã proficiscuntur. [illegible]
ito *Iordane* cum vniuersis cohortibus suis montana conscendentes, in quibus [illegible]
prædicta ciuitas, in montem *Oliueti*, qui mons conterminus prædictæ [illegible]
vrbi, se contulerunt: ita vt inde loca omnia venerabilia, & maximè Templum Do-
mini, quod in summa & præcipua habent reuerentia, & vniuersam vrbem [illegible]
tur liberis prospectibus intueri. Quod videntes qui in vrbe erant [illegible]
xima totius regionis militiæ pars apud *Neapolim* conuenerat, [illegible]
que mœnibus erat, ne illuc aduenientium hostium se conferret [illegible]
to de cœlis auxilio, arma corripiunt, & certatim egressi, in hostes [illegible]
eis committere votis ardentibus accelerant. Est autem via, quæ ab Hierosolymis
descendit in *Hiericho*, & inde ad *Iordanem*, inæqualis plurimum, [illegible]
cipitiis periculosa frequentibus, ita vt, nihil etiam timentibus, [illegible]
bus transitum, molestum semper soleat ascendentibus vel descendentibus [illegible]
re accessum. In hanc ergo ingressi, dum nostrorum acies [illegible]
tè fugiunt, præcipitiis & locis angustis nullam ad fugiendum [illegible]
tibus, multi sine gladio pereunt præcipitati. Qui verò locis [illegible]
tabant insistere, nostrorum gladios incurrentes, [illegible]
minus dabantur præcipites. Equi verò eorum itineris longitudine, [illegible]
cultate fatigati, [illegible] asperitatem, tollentes illos, [illegible]

tes, ne-

tes,negabant obsequium: vnde facti pedites,armis onusti, & vsum laboris non habentes,nostrorum subsequentium gladiis tanquam pecudes deputantur. Fit ergo tanta tam equorum quàm hominum strages,his prædictis casibus,quod præ multitudine peremptorum,ad insequendum qui præibant impediretur transitus. At verò nostri tanto auidiùs insectantes, spretis spoliis, & manubias declinantes, cædi acriùs instãt,pro summo lucro reputantes,hostiũ sanguine cruentari. Qui verò apud Neapolim conuenerant, scientes prædictos hostes ad nos ingressos, vnanimiter egredientes,ad Iordanis fluenta hostibus occurrentes certatim conuolant, vt vada occupent,& impediant transire volentes: vbi eos qui insectantes effugerant,incautos reperiunt,& cõfodiunt ex latere irruentes. Facta est ergo illâ die manus Domini super eos,ita vt,sicut scriptũ est: *residuum locustæ comederet bruchus.* Nam qui equorum velocitate,aut aliquâ industriâ insectantes videbantur declinasse,occurrentiũ ex latere gladiis cædebantur. Si qui verò agmina præeuntes,Iordanem ingressi fuerant,vadorum ignari,vndis rapiebantur tumentibus, flumine suffocati. Sic igitur qui in multis milibus ascenderant,in spiritu vehementi,in equitatu suo spem habẽtes,ad modicum redacti numerum,confusione induti & reuerẽtiâ, ad propria sunt reuersi. Dicuntur illâ die ex eis cæsa esse ad quinque milia. Factum est autem hoc anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo quinquagesimo secundo*, nono Kalen. Decembris: Regni verò domini *Balduini* regis quarti, anno nono. Nostri ergò hostium onusti spoliis, & vberes de trophæo manubias agentes, sollemnes Domino laudis hostias immolaturi, Hierosolymã reuersi sunt. Collatâ igitur nostris diuinitus prædictâ victoriâ, erecti in spem bonam, Domino corda eorum dirigente,apponunt vnanimiter, communicato tam maiorum quam minorũ consilio,hostes eorum qui in vicino constituti erant,quiq; nostris sæpiùs grauia inferebant pericula, *Ascalonitas* videlicet,aliquo modo lædere. Idq; visum est pro tempore expedientiùs, vt pomeria ciuitati adiacentia, vnde ciuibus multa erat commoditas, in manu forti extirpare niterentur, & in parte saltem hostes proteruos damnificare. Iuxta quod propositum, collectæ vnanimiter in manu valida ante vrbem prædictam vniuersæ Regni copiæ,arbitrati sufficiens esse, si effectui possent mancipare propositum. Sed præsentibus nostris ante vrbem,affuit mirabiliter diuina clemẽtiâ, quæ eos ad maiora cœpit ex insperato accendere. Nam postquã ante vrbem nostrę constiterunt acies,tantus ciues pauor inuasit,quòd infra vrbẽ omnes se receperunt certatim: nec inuentus est vel vnus,qui extra mœnia nostris se daret obuiam. Vnde sumptâ occasione ex eo quòd ita deterriti videbantur, dirigente eos diuinâ gratiâ, adiiciunt vrbẽ obsidione vallare. Missisq; nunciis per vniuersos Regni fines,præcipiunt conuocari eos qui domi remanserant, vt omnes vnanimiter die præfixâ adesse non differant,propositum quale DEVS eis inspirauerit,aperientes. Qui ergò vocati fuerãt,gratulabundi & sine mora conuenientes,ad eos qui se præcesserant, adiuncti sunt, castra cum aliis circa vrbem locantes. Et vt firmum esset quod aggrediebantur,& de perseuerantia in proposito nulli dubitare liceret, iuramentis exhibitis corporaliter se inuicem obligant, quòd ante vrbem captam, ab obsidione non desistant. Conuocatis igitur vniuersi Regni viribus, & populo vnanimiter conueniente, dominus Rex, dominusquę Patriarcha, cum aliis tam secularibus, quam ecclesiasticis regni Principibus, signum Dominicæ Crucis viuificũ & venerabile secum habentes, ante vrbem prædictam felicibus auspiciis octauo Kalendas Februarii castrametati sunt. Interfuerunt autem de ecclesiarum prælatis, dominus Hierosolymorum Patriarcha *Fulcherus*, dominus *Petrus* Tyrensis Archiepiscopus, dominus *Balduinus* Cæsariensis Archiepiscopus, dominus *Robertus* Nazarenus Archiepiscopus, dominus *Fredericus* Acconensis Episcopus, dominus *Geraldus* Bethlemita Episcopus: Abbates etiam nonnulli: *Bernhardus* etiam *de Tremelai* magister Militiæ Templi, & *Raimundus* magister Domus Hospitalis. De Principibus autem laicis: *Hugo de Ibelim*, *Philippus* Neapolitanus, *Henfredus de Torono*, *Symon* Tiberiadensis, *Gerardus* Sidoniensis, *Guido* Berithensis, *Mauritius* de monte Regali, *Rainaldus de Castellione*, *Gauderus de Sancto Aldemaro*, qui duo apud dominum Regem stipendia merebant. Ordinatis itaque compositisque per gyrum tentoriis, & principibus certis congruisque mansionibus dispositis, cœpto fideliter insistunt operi, tanto labori debitam deuotè & prudenter impendẽtes sollicitudinem.

Ioel.1,4.

A. D. 1152.

XXI.

XXII. Est autem *Ascalona* vna de quinque Philistiim vrbibus, in littore maris sita, formam habens semicirculi, cuius chorda siue diameter, secus littus maris iacet, circumferentia verò, siue arcus, super terram ad Orientem respiciens. Iacet autem tota ciuitas quasi in fouea, tota decliuis ad mare, aggeribus vndique cincta manu factis, supra quos mœnia sunt, cum turribus frequentibus, opere solido, duritiem lapidis vincente cœmento nexorum; muris debitâ spissitudine latis, & congrua proportione sublimibus: verùm etiam & antemuralibus, eadem soliditate fabrefactis [illegible] est per gyrum, & communita diligentiùs. Fontes autem neque intra murorum ambitum, neque sibi vicinos habent aliquos, sed puteis tum extra, tum infra [illegible] sapidas & ad potum habiles ministrantibus abundat: Cisternas quoque [illegible] pluuialium receptiuas, ad maiorem cautelam, ciues interiùs construxerant [illegible] las. Erant autem & in murorum ambitu portæ quatuor, turribus excelsis & [illegible] diligentissimè communitæ: quarum prima quæ ad Orientem respicit, dicitur [illegible] *maior*, cognomento *Hierosolymitana*, eò quòd Vrbem Sanctam respiciat, habens [illegible] ca se duas turres altissimas, quæ quasi robur & præsidium subiectæ videntur [illegible] ciuitati: hæc ante se tres aut quatuor in antemuralibus portas habet minores [illegible] bus ad eam per quosdam amfractus peruenitur. Secunda est quæ ad Occidentem respicit, & dicitur *Porta maris*, eò quòd per eã ad mare ciuibus pateat egressus. [illegible] ad Austrum, *Gazam* vrbem, de qua superiùs fecimus mentionem, respiciens, [illegible] ab ea cognomen ducit. Quarta ad Septentrionem respiciens, ab vrbe [illegible] eodem sita littore, *Ioppensis* dicitur. Hæc autem ciuitas, situ maris nullam [illegible] aptitudinem, portum, vel aliquam tutam nauibus non habet vel habuit [illegible] sed littus tantùm arenosum, & circa id mare, ventis intumescentibus, [illegible] de, & accedentibus, nisi multa fuerit in mari tranquillitas, nimis suspectum. [illegible] autem exteriùs vrbi adiacens harenâ est obsitum, agriculturæ nescium, [illegible] men & fructiferis arboribus accommodum; exceptis valliculis in parte Septentrionali paucis, quæ iniecto fœcundatæ lætamine, & aquis irrigatæ putealibus, [illegible] rum & fructuum aliquam ciuibus præstant commoditatem. Erat autem in [illegible] tate populus multus, quorum ei qui minimus erat, & vt vulgò dicebatur, [illegible] cens nato, de thesauris *Ægyptii Calyphæ* dabantur stipendia. Multam enim [illegible] mam, tam prædictus dominus, quàm eius principes, pro eadem vrbe gerebant [illegible] citudinem: arbitrantes, quòd si illa deficeret, in nostrorum veniens ditionem, [illegible] restaret aliud, quàm vt libero & sine difficultate accessu nostri principes in [illegible] descenderent, regnum violenter occupaturi. Vtebantur ergo ea pro [illegible] fusâ liberalitate quater in anno, tam per mare quàm per terras ciuibus [illegible] subsidia: vt eâ superstite, & nostris circa eam studium consumentibus, [illegible] psi optatâ interim tranquillitate fruerentur. Multis ergo propterea [illegible] ministrabant expensis, arma, victum, & recentem militiam, certis temporibus diligentes, vt nostris circa eos occupatis, minor eos de nostrorum suspectis [illegible] ueret sollicitudo.

XXIII. Hanc igitur vrbem, per annos quinquaginta & amplius, [illegible] quam Dominus Terræ Promissionis partes reliquas populo Christiano tradi[illegible] adhuc resistentem, & nostris conatibus æmulam, tãdem obsidere conati [illegible] aggressi arduam, & penè impossibilem. Nam, præter id quod muris & antemuralibus, turribus & aggere, armis & victualibus erat supra omnem opinionem [illegible] cta, populum habebat vsum & experientiam armorum habentem, in tanta [illegible] tate, vt à prima obsidionis die, vsque ad nouissimum, numerus obsidentium [illegible] titudine obsessorum in duplo vinceretur. Dominus igitur Rex, dominus [illegible] Patriarcha, dominus etiam *Petrus*, prædecessor noster, Tyrensis Archiepiscopus, [illegible] lii quoque Regni magnates, tam principes quàm ecclesiarum prælati, [illegible] eis ciues vrbium singularum, segregatim tabernacula figentes, vrbem per [illegible] sederant: dominum verò *Girardum* Sydoniensem, vnum de magnis Regni [illegible] bus, quindecim nauium rostratarum & ad cursum expeditarum classi [illegible] vt per mare volentibus accedere, aditum impediret; volentibus egredi [illegible] nus inhiberet egressum. Porrò nostri penè diebus omnibus, nunc equites [illegible] dites, in vrbem frequentes dabant assultus: illi verò occurrentes [illegible] bant viriliter, pro vxoribus & liberis, & quod præcipuum est, pro libertate [illegible] dentes. Quibus congressionibus nunc hi, nunc illi, sicut in huiusmodi solet accidere, fie-

re, fiebant superiores; nostri tamen frequentiùs meliorem calculum reportabant. Dicebatur autem & in castris tanta esse, cum rerum venalium omnimoda commoditate, securitas, vt ita se haberet populus in tentoriis & tabernaculis quibuslibet, sicut domi in muratis vrbibus se consueuerat habere. Vrbani autem, curâ præcipuâ locum de nocte custodientes, deputatis alternatim vigilibus, & ipsi maiores vicissim nihilominus custodientes vigilias, mœnia perlustrantes, noctes ex parte plurima ducebant insomnes. Erant autem & in circuitu murorum, & turrium in propugnaculis locatæ vitreæ lampades opercula habentes vitrea, ignē qui oleo fouebatur inclusum conseruantes, ex quibus mœnia circuire volētibus, lumen tanquā de die ministrabatur. Nostris quoq; qui in castris erant, pro tempore turmatim deputabantur vigiliæ, & iugis non deerat custodia, timentibus ne vrbani nocturnas irruptiones in castra facerent; aut Ægyptii in eorum subsidium properantes, subitis & improuisis incursionibus læderent exercitum: quamuis & circa *Gazam* in locis pluribus non deerant exploratores, qui hostium aduentum citissimè possent prænunciare.

Sic igitur duobus mensibus eodem tenore continuatâ obsidione, accidit vt more solito circa Pascha adesset transitus, & Peregrinorum adueniret frequentia. Cōmunicato ergo cōsilio diriguntur de exercitu, qui auctoritate Regiâ tā nautis quàm Peregrinis redire volentibus, interdicant reditum, & omnes ad obsidionem & laborem Deo tam acceptum promissis inuitent stipendiis, & naues tā maiores quàm minores illuc deducant. Factumq; est vt subitò & intra paucos dies, secundo actæ flatu naues omnes, quotquot illo transitu aduenerant, ante vrbem adessent; Peregrinorum quoq; tam equitum quàm peditum ingentes copiæ nostris expeditionibus se adiungerent, & diebus singulis exercitus augeretur. Erat ergo in castris lætitia, & spes fruendi victoriâ: apud hostes autem mœror inualescebat & anxietas, & de viribus diffidentes rariùs egrediebantur ad conflictus, licet sæpiùs lacessiti. Frequentibus etiam nunciis Calypham Ægyptium sollicitāt, quatenus maturè procuret subsidium, alioquin in proximo se defecturos significant. Ille verò impiger per principes suos, operi huiusmodi præpositos, classem instruit, militiam comparat, armis, victualibus & machinis naues excelsas onerat, præfectos ordinat, expensas tribuit, moras arguit, & imperat celeritatem. At nostri interea emptis multo precio nauibus, sumptisque ex eis malis, vocatis artificibus, castrum ligneum ingentis eximiæ celsitudinis; intusq; & de foris cratibus & coriis contrà incendia & fortuitos casus diligenter cōmuniunt, vt iis quibus ex eo vrbem impugnare mandabatur, tutum posset conferre præsidium. Ex reliqua autem lignorum naualium materia, machinas instruunt iaculatorias, quas congruis ad infringenda mœnia locāt stationibus. Scrophas quoq; ex eâdem contexunt materiâ, quibus impunè ad complanandos aggeres accedebatur. His ergò ritè compositis, consideratâ quoq; eâ muri parte, qui castellum nostrum posset applicari faciliùs, complanato ex multa parte per prædicta instrumenta priùs aggere, magnis clamoribus castrum muro applicant, vnde totam eminus erat vrbem conspicere, & cum iis qui in vicinis erant turribus, comminus experiri. Laborabant porrò ciues & instabant proterniùs, cùm ex muris tum ex aggere, arcubus & balistis; sed incassum operam consumentes, eos qui intus latebant, quorum studio promouebatur machina, lædere non poterant. Fiebat ergo ciuium concursus ad eam muri partem, quæ castello erat opposita: & qui inter eos erant animosiores, ibi præcipiebantur vires experiri, continuum habentes & [illegible] certamen cum iis, qui de castello eos impugnabāt. Sed & in aliis eiusdem mœnibus partibus, per loca varia non deerat conflictus & pugna pertinax, ita vt vix absque [illegible] dies præteriret vlla, exceptis sauciis, quorum vtrinque turba erat plurima. [illegible] & quorundam in illa obsidione, tam nostrorum quàm hostium virtute [illegible] egregium, facta memorabilia. Sed nos generalia prosequentes, huiusmodi [illegible] non multam damus operam. Cùm igitur per [illegible] menses continuos nostri principes in obsidione perseuerassent, hostium [illegible] vires [illegible] aliquatenus, nostros autem spes solito amplior [illegible] subitò Ægyptiorum classis flatibus acta prosperis [illegible]. [illegible] voces cum manibus tendunt ad sidera, [illegible] nostris esse, aut in proximo [illegible] classi [illegible] videns hostium [illegible] ad vrbem accedere, [illegible]

paucis quas habebat galeis, tentans occurrere & impedire [illegible] nem veritus, terga vertit, fugâ vitæ consulens: & [illegible] vero classis [illegible] vrbem accessit intrepida; ciuibus optatam deferens consolationem. [illegible] in eadem classe, Galeæ, vt dicitur, septuaginta & [illegible] bus vsque ad summum oneratæ, miræ & ingentis magnitudinis, [illegible] subsidium vrbi prædictæ princeps miserat Ægyptius. [illegible] tis viribus, & de subsidio præsumentes, nostris [illegible] certamina, solito proteruiùs & frequentiùs conflictus [illegible] tius, quibus nostrorum nota erant negotia; rudes verò, & qui [illegible] riæ cupidi, vt vires ostentarent & audaciam, dum incautè [illegible] frequentiùs, quousque & ipsi nostrorum experti constantiam, [illegible] irruere, & modestiùs irruentium impetus sustinere. Dum[que] hæc [illegible] in castris geruntur, domina *Constantia*, domini Raimundi Antiocheni [illegible] dua, licet multos inclytos & nobiles viros, eius matrimonium appetentes [illegible] mineo repulisset; *Rainaldum de Castellione*, quendam stipendiarium militem [illegible] cultè in maritum elegit: noluit autem verbum publicari, quoadus[que] domini [illegible] cuius erat consobrina, & sub cuius protectione Principatus videbatur [illegible] interueniret auctoritas & consensus. Festinauit igitur prædictus *Rainaldus* [illegible] citum, & verbum domino Regi communicans, sumptâ eius conniuentia [illegible] chiam rediens, prædictam duxit in vxorem Principissam, nõ sine multorum [illegible] ratione, quòd tam præclara, potens & illustris fœmina, & tam excellentis [illegible] militi quasi gregario, nubere dignaretur. Interea *Noradinus*, vir prudens [illegible] spectus, audiens quia mortuus erat *Aimardus* socer eius, Damascenorum [illegible] militiæ, & Regis procurator negotiorum, qui suis conatibus plurimum [illegible] stiterat; vidensq; dominum Regem Hierosolymorum, omnemq; regni [illegible] litiam, circa Ascalonam iamdudum occupatos; arbitransque quòd [illegible] dionem desererent, vt Damascenis contra se auxilium postulantibus [illegible] sumptâ ex tempore occasione, ad partes cum ingenti militia accessit [illegible] quasi regnum violenter occupaturus. Vbi fauentibus & vltrò manus [illegible] mascenis, Regem eorum hominẽ dissolutum & inutilem, regno priuatum [illegible] & profugum super terrã, fugere compulit in Orientem. In quo facto, [illegible] minus deterior facta est conditio: nam pro viro impotente, & qui pro [illegible] nostris erat obnoxius, eatenus, vt tanquam subiectus, annua tributa [illegible] durior nobis oppositus est aduersarius. Nam, sicut *regnum in seipsum* [illegible] verbum Saluatoris, *desolatur*; sic *vnita plurima, sibi robur ex mutuo solent* [illegible] *hostes consurgere fortiora*. Captâ itaque Damasco, & subactâ regione [illegible] Ascalonitis opem, qualem poterat de remoto conferre, vrbem *Paneadem* [illegible] vltimis regni finibus sitam, de nostrorum præsumens occupationibus [illegible] in obsessorum auxilium reuocati, obsidionem circa Ascalonam desererent [illegible] fecto negotio redire compellerentur. Sed præuiâ Domini misericordia [illegible] ea decidens, neutram obtinuit. nam ipse circa obsessam ciuitatem [illegible] nostri opitulante Domino ad deditionem compulerunt. Per idem quoque [illegible] mortuo domino *Bernardo*, bonæ memoriæ Sydoniensi Episcopo, [illegible] *Amalricus*, piæ in Domino recordationis, Abbas Canonicorum regularium [illegible] Præmonstratensis, in eo loco qui dicitur *sancti Abacuc*, [illegible] minatus est ab Arimathia; vir simplex, & timens DEVM, & egregiè [illegible] qui in Ecclesia Liddensi, per manum domini *Petri* felicis memoriæ [illegible] chiepiscopi, munus consecrationis dicitur recepisse: quoniam [illegible] li longiùs abscedere [illegible] licentia. Interea qui in expeditione [illegible] cum multa diligentia instantes operi, non cessant assiduè [illegible] gitare, & circa turrim, quæ *Maior* dicitur, congestiones [illegible] [illegible] nihilominus iaculatoriis [illegible] in vrbem, non sine strage multa, funditus [illegible] bus [illegible]. Qui verò in castello [illegible] [illegible] in turribus & in muris [illegible] [illegible] discretè cogebantur [illegible] sagittis [illegible] [illegible] quamuis

quamuis durum esset, tolerabile. Vnde communicato inter se consilio, eorum maximè expetentes opem, quibus maior in eiusmodi videbatur experientia, proponunt, vt quocunque periculo, quocunque ciuium discrimine, interiectis inter murum & castellum lignis aridis, aptam ignibus materiem & fomitem præstare valentibus, procurato occultè incendio, concremetur: alioquin nec spes salutis, nec resistendi fiducia, sic oppressis & vsque ad summum afflictis, videbatur. Surgentes igitur eorum exhortationibus quidam viri fortes, viribus & animo præstantiores, ciuium suæ præferentes salutem, obiectãt se periculis, ligna ad eam partem muri, quæ castello erat vicinior, comportantes, & in locum qui medius videbatur inter murũ & machinam proiicientes exterius. Composità porrò lignorum strue maximâ, & quæ videbatur ad incendium castelli sufficere, picem desuper infundunt, oleum quoq; & liquamen, & cætera huiusmodi incendiorum irritamenta, quæ solẽt ignibus præstare fomitem. Igne igitur immisso, affuit nobis manifestè diuina clemẽtia: nã statim inualescente incendio, suscitatus est ventus ab Oriente vehemens, qui totas incendii vires, in murum ciuitatis flatu vehementi contorsit. Ventus igitur, vehementiâ suâ, flammas in murum, incendiumq; impellens, totâ nocte illâ peruigil & flatus continuans, murum vsque in fauillam decoxit: ita vt mane facto, circa diei crepusculum, ab vna turri, vsque ad cõterminam, totus corruerit funditus, ita quòd ruinæ sonitus vniuersum cõmouit exercitum: decidẽs autem tanto põdere castello illisus est, vt cui non nocuerant incẽdia, muri casus de principalibus membris quædam confringeret, & eos qui in eius soliis & proiectis excubias procurabant, paulò minus ad terram deiiceret. Excitus igitur ad hunc ruinę sonitũ vniuersus exercitus, arma corripiunt; ad partes illas conuolant quasi patefacto diuinitus aditu, protinus intraturi. At magister Militiæ Templi, Bernardus de Tremelai, cum fratribus suis, alios ante multò præuenientes, aditũ occupauerant, neminẽ nisi de suis intrare permittentes: eos autem hac intentione dicebantur arcere, quatenus primi ingredientes, spolia maiora & manubias obtinerent vberiores: Nã *in violenter effractis vrbibus, id hactenus apud nos pro lege obtinuit consuetudo, vt quod quisque ingrediens sibi rapit, id sibi & heredibus suis perpetuò iure possideat.* Poterant autem omnibus indifferenter ingredientibus, & mancipari ciuitas, & victoribus spolia sufficere. Sed *de vitiata radice & peruersa intentione opus prodiens, rarum est vt bono fine claudatur:* quia

Non habet euentus sordida præda bonos.

Dum ergo cupiditate rapti, ad prædæ participiũ renuunt habere consortes, in mortis periculo, meritò reperti sunt soli. Ingressos igitur ex eis circiter quadraginta, cæteris subsequi non valentibus, ciues priùs de vita solliciti, & extrema omnia sustinere sine contradictione parati, videntes eos paucos, resumptis viribus & recepto animo, eos gladiis excipiunt, & interceptos obtruncant. Iunctis igitur iterum agminibus, quasi viribus renatis, & armis quæ quasi victi deposuerant, resumptis, ad eam partem vnanimiter conuolant, quâ murus deciderat. Trabes itaque immensæ magnitudinis & ligna ingentia, quorum illis ex nauibus multa erat copia, contexentes, hiatum replent, obturant aditum, & locum certatim faciunt impermeabilem. Communitis etiã turribus, quæ ex vtroque latere vicinæ fuerant incendio, quas incendiorum importunitatem ferre non valentes, dereliquerant, bella renouant, ad congressus iterum accinguntur; nostros vltrò prouocant ad prælia, tanquam nihil omnino aduersitatis perpessi. Qui autem in castello erant, scientes se bases habere minus solidas, & quòd ab inferiore parte læsa erat in spondis solidioribus machina, minus proteruè instabant, non multùm de eius soliditate præsumentes. Illi autem interemptorum corpora in nostram confusionem, super murum in propugnaculis funibus suspendentes, nostris insultabant, lętitiam quam mente conceperant, verbis & nutibus exprimentes. Sed huius *gaudii extrema luctus occupat:* & quæ sequuntur manifestè indicant, quàm verè dicatur, *ante ruinam exaltabitur cor.* Nostri è conuerso, mente consternati & animo, mœrore confecti, & cordis amaritudine, de victoria diffidunt, pusillanimes effecti. Prou. 16, 18.

XXVIII. Interea dominus Rex, casus acerbitate perterritus, Principes conuocat, & corâm positâ viuifica Cruce (nam in eius tabernaculo conuẽnerant) præsentibus domino Patriarchâ, domino quoq; Tyrensi Archiepiscopo, & aliis Ecclesiarũ Prælatis, quid in tanta rerum varietate sit opus, quærit sollicitus. Illis verò sub DEI timore constitutis, & cum multa anxietate

deliberantibus, facta est votorum dissonantia, & deliberantium quasi bipertitum desiderium. Alii namque, de obtinenda vrbe diffidentes, longo se tempore operam ibi inutiliter consumpsisse asserebāt, militiam ex parte cecidisse, Principes saucios, aut peremptos, expensas deficere, ciuitatem inexpugnabilem esse, ciues eius bonis omnibus abundare, eorum vires reparari sæpiùs, nostras verò deficere, prætendentes, reditum persuadebant. Alii verò quibus mens erat sanior, perseuerandū esse adhuc in proposito, & de Domini misericordia sperandum, qui non soleat relinquere sperantes in se piâ longanimitate, hortabantur: proponentes *parum esse, negotia quælibet bonum habere principium, nisi & simili fine claudantur.* Dicunt etiam multùm temporis & expensarum plurimùm impendisse; sed spe fructus vberioris, quem Dominus, etsi differre, non tamen auferre videbatur: cecidisse suos aiunt; sed tamen spes erat, vt meliorem inuenirent resurrectionem: fidelibus esse promissum, *Tristitia vestra vertetur in gaudium*: &, *Quodcunque petieritis, fiet vobis*, asserebant. Hæc & similia allegantes, reditum dissuadebant; & vt in proposito tanquam viri fortes perseuerarent, monere nitebantur. Priorem sententiam penè omnes Laici Principes fouebant: Rex quoque tædio casuum aduersorum in eam procliuior videbatur. In opposita sententia dominus Patriarcha, dominus quoq; Tyrensis erant cum clero, cōsortem habentes dominum *Raimundum* magistrum hospitalis, cum fratribus suis. Sic igitur eis ab inuicem dissentientibus, & varia pro vtraque parte allegantibus, affuit præsens diuina clementia, quæ domini Patriarchæ sententiam, quæ maioribus iuuabatur meritis, & ampliore nitebatur honestate, omnibus fecit cōplacere. Proponunt igitur vnanimiter, recurrendum esse ad Dominum, & implorato de cœlis auxilio, in eo quod cœperant perseuerandum, quoad vsque visitet eos *Oriens ex alto*, & labores eorum clementer respiciat. Redeuntes itaque in idipsum, vnanimiter arma corripiunt, perstrepunt tubis; lituis & voce præconiâ ad pugnam populum excitant vniuersum. Illi verò peremptorum fratrum vlcisci affectantes iniurias, solito ardentiùs ante vrbem conueniunt, & hostes ad prælia auidissimè prouocant. Intueri erat, nostras acies, tanquam nihil damni pertulissent, aut recentibus vterentur viribus, exterminato furore, in hostes irruere, & impetus inferre solito vehementiores, ita vt mirarentur hostium cunei; & in nostris virium augmentum insuperabile, & instandi stuperent perseuerantiam: cumque & ipsi pari tentarent resistere conatu, frustra nitentes, non poterant nostrorum tolerare instantiam aut gladios declinare. Certatum est ergo illâ die, viribus longè disparibus: sed tamen tam equitum quàm peditum copiæ, de hostibus vbique triumphantes, palmam vndique reportabant. Facta est itaque strages hostium maxima, & recompensata est mensurâ superaffluente, quam nostri nudiustertius passi erant, iniuria. Non erat in ciuitate familia, quam luctus domesticus, & familiaris non premeret anxietas. Induta est ergò confusione ciuitas, & comparatione præsentis periculi leuia videntur præterita. A prima enim obsidionis die, vsque in præsentem, nunquam paria damna receperant, nec similis illis acciderat iactura. Consumpto enim militiæ robore, & vrbis moderatoribus interemptis, defecerat consilium, virtus elanguerat, & omnis spes euanuerat resistendi. Factumq; est quòd de publico cōsilio missi sunt quidam de primoribus populi, pacis interpretes, & inducias à domino Rege postulantes ad tempus, vt datis nostrorum, receptisq; suorum defunctorum corporibus, liceat vtrisque, pro more suo, debitas funeribus exhibere exequias, & supremum honorem impendere. Placuit itaq; nostris postulata conditio: receptaq; suorum corpora, cum exequiarum solennibus, commendant sepulturæ.

XXIX. Ascalonitis verò, postquam præsentem suorum stragem conspexerunt, & manum magnam, quam exercuerat in eos Dominus, renouatus est dolor, anxiatus spiritus, & præ doloris immanitate, eorum interiùs liquefactæ sunt animæ. Et vt nihil eis ad cumulum deesset malorum, accidit eadem die, vt quadraginta fortibus ex eis, trabem ingentis magnitudinis, ad locum vbi necessaria videbatur, deferentibus, lapis ingens de nostra emissus iaculatoria machina, casu super trabem decideret, & quotquot oneri suberant deportando, omnes simul cū ea trabe contereret. His ergò pressi molestiarū ponderibus, & in amaritudine positi, eos qui residui erant ex Patribus, plebs cōuocat cum lachrymis & gemitu in vnum collecta, ita vt nec matres deessent, paruulos tenētes ad vbera, nec senes valetudinarii, quibus vix supremus in præcordiis hærebat

Ioh. 16, 20.
Matth. 7, 8.

10 20 30 40 50

hærebat spiritus. Vbi per disertos & prudentes viros de communi omnium consilio habitus est ad populum vniuersum huiusmodi sermo: *Viri Ascalonitæ, qui habitatis intra portas istas, nostis, & nemo vobis meliùs, quàm periculosam & difficilem cum populo isto ferreo, & in proposito nimium pertinaci, iam per annos quinquaginta luctam habuimus: experimentis quoque compertum habetis, quotiens in acie patres nostros fuderint; & quotiens loco parentum filii contra eos bella reparauerint recidiua, iniurias propulsare, & locum hunc, vnde originem traximus, cum vxoribus & liberis, & quod maius est, libertatem conseruare cupientes. Quinquagesimus quartus hodie agitur annus, ex quo populus iste nobis tam molestus, ab extremis Occidentis partibus ad nos ascendens, à Tarso Ciliciæ vsque in Ægyptum vniuersam regionem manu forti violenter occupauit: sola hæc ciuitas decessorum nostrorum meritis & virtute, in medio tantorum vsque in præsentem diem indeficiens subsistit aduersariorum: quæ tamen hactenus passa est, respectu imminentium, minima aut nulla iudicari possunt. Et nunc quidem resistendi animus nobis in nullo remissior est; sed attritus exercitus, consumptæ copiæ, laboris pondus intolerabile, hostium peruigil & nimiùm pertinax multitudo, continuæ tam animorum quàm corporum molestiæ vires negant, & protrahendi negocium inuident facultatem. Vnde Patribus videtur, si & vobis ita visum fuerit, instanti tempori, & præsentibus miseriis expedire, vt missis nunciis pro vniuerso populo ad potentem istum Regem, qui nos obsidet, tentemus exitum liberum cum vxoribus & liberis, seruis & ancillis, & omnimoda supellectile, conditionibus interpositis impetrare; & ei, quod gementes dicimus, vrbem resignare, vt tantis malis finem imponamus.* Visus autem sermo hic in oculis omnium bonus, & cum magnis & consonis clamoribus, sicut in huiusmodi fieri solet, esse approbatus, electi sunt de omni populo viri prudentes & discreti, reuerendæ senectutis argumenta portantes, qui præordinatas ad dominum Regem & Principes eius deferant conditiones: quibus extra portam egressis, sumptis priùs induciis, & accedendi licentiâ, dominum Regem adeunt. Factaque eis vniuersorum Principum (sicut expetierant) copiâ, verbum proponunt, placitas exponentes ex ordine conditiones. Quibus iussis ad tempus egredi, Rex cum Principibus habito consilio, quid singulis videatur diligenter exigit: illi autem præ gaudio erumpentes in lachrymas, oculos cum manibus tollentes ad sidera, vberes Creatori referunt gratias, quòd indignis tantam dignatus est conferre sui muneris largitatem. Reuocatis igitur nunciis, datum est illis de communi responsum: *Placere conditiones interpositas, si tamen infra triduum subsequens, vniuersam expedirent ciuitatem.* Quod illi approbantes, vt robur pactis magis accedat, iuramenta sibi exigunt præstari: quibus per manum domini Regis & electorum Principum corporaliter, & cum solemnitate præstitis, quòd *bona fide, sine dolo malo* factorum tenor prædictorum conseruetur: datis priùs obsidibus eis, quos nominatim Rex expetierat, ad propria læti sunt reuersi, secum deducentes quosdam de nostris milites, qui vexilla Regia super eminentiores ciuitatis turres in signum victoriæ collocarent. Postquam autem exercitus noster cum summo desiderio id expectans, vexilla regia in turribus sublimioribus conspexit, factus est exultantis populi clamor ingens cum lachrymis, vsque ad sidera voce consonâ laudantium, & dicentium: *Benedictus DEVS patrum nostrorum, qui non deserit sperantes in se: & benedictum nomen maiestatis eius, quod est sanctum: quia vidimus mirabilia hodie.* Factum est autem, vt cùm per totum triduum continuum ex compacto haberent inducias, nostrorum formidantes præsentiam, infra biduum compositis sarcinis, cum vxoribus & liberis, seruis & ancillis, & supellectile omnimoda accincti ad iter, egressi sunt. Quibus dominus Rex duces itineris concedens, vsque *Laris*, ciuitatem antiquam, sitam in solitudine, iuxta pactorum tenorem, dimisit in pace. Dominus autem Rex, dominus quoque Patriarcha, cum cæteris Regni Principibus, & Ecclesiarum prælatis, vnà cum vniuerso clero & populo, præuio ligno Dominicæ Crucis, cum hymnis & canticis spiritualibus vrbem ingressi, in præcipuo eorum & eximii decoris oratorio, quod postmodum in honore Apostoli Pauli consecratum est, Crucem Dominicam intulerunt. Vbi celebratis sollemniter diuinis, post gratiarum actiones, in hospitia sibi deputata se recipientes, lætum & seculis memorabilem egerunt diem. Intra paucos autem dies, dominus Patriarcha ordinans Ecclesiam, certum numerum Canonicorum ibi, & eis certa stipendia (quæ *prebendas* vocant) instituit: Episcopum quoque quendam *Absalonem*, Ecclesiæ Dominici Sepulchri Canonicum regularem, reclamante multùm, & id fieri interdicente, *Gerald-*

do Bethleemitâ Episcopo, ordinauit. Postmodum verò per appellationem caussâ ad Romani Pontificis audientiam delatâ, obtinuit prædictus Bethleemita Episcopus, eo excluso quem dominus Patriarcha ibi consecrauerat, Ascalonitanam Ecclesiâ, cum possessionibus suis, sibi & Ecclesiæ Bethleemiticæ iure perpetuo possidendâ. Rex autem, tam in vrbe, quàm in suburbanis, matris consilio, benemeritis, & quibusdam etiam precii interuentu, possessionibus & agris in funiculo distributis, ciuitatem fratri suo adolescenti, domino *Amalrico* Ioppensi Comiti liberaliter concessit. Capta est ergo prædicta ciuitas, anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo quinquagesimo quarto*: regni verò domini *Balduini* Regis quarti, anno decimo, mense Augusto, die mensis duodecimâ. Accidit autem miseris Ascalonitis proficiscentibus, & descendentibus in Ægyptum, casus miserabilis. Nam discedentibus ab eis Regis hominibus, qui dati erant euntibus duces itineris, & vt nemo eos molestaret, ad tutelam, *Nocquinus* quidam, Turcus genere, armis strenuus, sed peruersus moribus & infidelis, qui apud eos laborum particeps, stipêdia merens, diù militauerat: fingens se profectionis eorum & descensionis in Ægyptum consortem, vbi videt eos ducibus destitutos, spretâ fide, humanitate contemptâ, irruit super eos; & ablatis spoliis discedens, errabundos dimisit in solitudine.

An. D. 1154.

EXPLICIT LIBER SEPTIMVSDECIMVS.

CAPITVLA LIBRI OCTAVIDECIMI.

I. Rainaldus de Castellione, princeps Antiochenus, Patriarcham Antiochenum ignominiosè tractat: ille in regnum confugit. Oritur fames valida super terram.

II. Defuncto Anastasio, substituitur ei Adrianus. Imperator Fredericus Romæ coronatur. Inter Papam & regem Siciliæ Wilelmum graues oriuntur inimicitiæ.

III. Inter dominum Patriarcham & fratres Hospitalis quæstiones suscitantur de decimis, & quibusdam iniuriis, quæ ab Ecclesiis eis inferebantur.

IV. Describitur, vnde habuit ortum & initium domus Hospitalis.

V. Quomodo Ægyptius Calypha ad petitionem Amalphitanorum, locum eis designari præcipit, vbi Ecclesiam ædificent.

VI. Patriarcha cum plurima parte Episcoporum Orientalium, Romam proficiscitur, ad Adrianum Papam.

VII. Imperator Constantinopolitanus, cõsentiente Papâ, Apuliam inuadit. Dominus Patriarcha cum suis ad Curiam peruenit.

VIII. Adrianus Papa Beneuentũ properat: Patriarcha illuc festinat, proponit actiones: sed corruptâ muneribus Curiâ, iustitiã opprimit. Reuertitur infecto negotio Patriarcha.

IX. In Ægypto tumultus excitatur ciuilis: fugit Soldanus ab eis, & occiditur à nostris: capitur eius filius Nosceradinus.

X. Princeps Rainaldus insulam Cyprum occupat, & eius habitatores spoliat violenter.

XI. Rex contra pacta & pacis fœdus, quod cum eis pepigerat, Turcos & Arabes in sylua capit Paneadense.

XII. Henfredus Constabularius vrbem Paneadensem pro parte dimidia, Hospitalariis concedit: capitur à Noradino subsidium quod inferebatur, & ciuitas obsidetur.

XIII. Rex illuc properans, obsidionem soluit: sed incautè rediẽs noster exercitus, hostium insidias in itinere patitur periculosas.

XIV. Rex apud castrum Saphet, fugiens de prælio se recipit: prosternitur exercitus: & de principibus plurimi capiuntur.

XV. Noradinus iterum Paneadem obsidet, sed rege rursum occurrente non proficit.

XVI. Comes Flandrensium Theodericus applicat. Mittuntur nuncii Constantinopolim, qui domino Regi vxorem petant.

XVII. Rex cum vniuersis regni viribus & Comite Flandrensium Antiochiam properat. Noradinus desperatam incurrit ægritudinem.

XVIII. Obsidetur Cæsarea: & post modicum violenter effringitur.

XIX. Noradini frater ad nos transit. Hierosolymitanus Patriarcha Fulcherus moritur. Spelunca trans Iordanem nostris restituitur. Rex in partibus Antiochenis castrum Harenc obsidet: & obsessum occupat.

XX. Hierosolymis Amalricus Prior Ecclesiæ Dominici Sepulchri in Patriarcham eligitur; de eius electione inter Episcopos oritur cõtentio.

XXI. Noradinus in regione Suitæ, speluncam obsidet nostram: Rex occurrẽs obsidionem soluit; pugnat cum nostris Noradinus, & vincitur.

XXII. Redeunt nuncii, qui Constantinopolim

polim pro regio matrimonio missi fuerant; & Regi uxorem ducunt, neptem Imperatoris.

XXIII. Imperator Constantinopolitanus Antiochiam venit: princeps Raynaldus de eo quod in Cyprios commiserat satisfaciens, ei reconciliatur.

XXIV. Rex ad partes illas properans, ab eodem Imperatore honestè suscipitur, & infinita reportat munera.

10 *XXV. Imperator Antiochiam ingreditur, in ciues multam liberalitatem exercens: vnde postmodum ad propria reuertitur.*

XXVI. Hadriano defuncto, in ecclesia Romana schisma oritur periculosum.

XXVII. Noradinus, Iconiensis Soldani fines ingressus, partem eius violenter occupat. Rex Damascenorum fines depopulatur.

XXVIII. Princeps Antiochenus Rainaldus ab hostibus capitur, & apud Halapiam 20 *vinculis mancipatur.*

XXIX. Ioannes quidam Romanæ ecclesiæ presbyter Cardinalis, in Syriam descendit Legatus: de eius susceptione inter episcopos oritur dissonantia. Amalrico Ioppensi Comiti, fratri Regis, filius nascitur Balduinus.

XXX. Rex ab Antiochenis vocatus, illuc properat: Imperiales Legati adsunt, vxorem domino suo, vnam de consanguineis domini Regis postulantes.

XXXI. Rex sororem Comitis Tripolitani, virginem illustrem Milisendem nomine, ei deputat: sed post annum eam repudiat Imperator, & vxorem ducit Mariam principis Raimundi filiam.

XXXII. Rex circa Antiochiam castrum reædificat, quod dicitur Pons Ferri. *Regina Milisendis mater eius moritur.*

XXXIII. Comes Tripolitanus pro repudio sororis iratus, Imperatori quantas potest irrogat iniurias.

XXXIV. Rex apud Antiochiam pharmacũ bibit: vnde in supremã deductus ægritudinẽ, quærebat ad propria reuerti, sed inualescẽte ægritudine, in itinere apud Berithũ vitã finit.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI OCTAVIDECIMI.

INCIPIT LIBER OCTAVVSDECIMVS.

INTEREA *Rainaldus de Castellione*, qui domini Raimundi, Principis Antiocheni viduam duxerat, de quo facto superius diximus, videns quia domino Patriarchæ factum non multùm placuerat ab initio, & adhuc in eodem perseuerabat, suspectas eius omnes habebat vias. Ille autem tanquam vir & ditissimus & potens, & supremæ auctoritatis, liberè satis, tam de eius persona, quàm de eius actibus, tum in secreto, tum in publico sæpius loquebatur. Erant autem nonnulli, sicut in talibus frequenter solet contingere, qui huiusmodi verba, odiorum fomitem quærentes, reportabant: vnde motus in indignationem & iram inexorabilẽ Princeps, domino Patriarchę violentas iniecit manus; & ausu Diabolico captum, in castellum quod ciuitati Antiochenæ supereminet, ignominiosè deduci fecit: quodque satis videtur abominabile, sacerdotem longæuum, Petri Apostolorum principis successorem, virum ægrotatiuum, & penè perpetuò infirmantem, nudo capite, & melle delibuto, per diem æstiuum in sole feruentissimo compulit sedere, nemine contra solis importunitatem præbente remedium, vel gratiâ pietatis muscas abigente. Hoc audiens dominus Rex Hierosolymorum, in stuporem raptus, viri dementis admirans insaniã, & præ admiratione in seipso deficiẽs, missis venerabilibus nũciis, domino *Frederico* Acconẽse episcopo, domino *Radulpho* eius cancellario, per eos literas dirigit, & auctoritate Regiâ prædictum dementem corripit, & à perpetrata redire monet insania. Ille autem visis nunciis, & regiis perlectis apicibus, postquam eum multis affecerat cõtumeliis, remisit liberum, bona etiam quæ ab eo & suis violenter rapuerat plenè restitutis. Tãdem verò dominus Patriarcha Antiochenam deserens diocesim, in regnum se contulit Hierosolymorum. Vbi à domino Rege & eius matre discretissima, domino quoque Patriarcha, & Regni vniuersis episcopis benignè habitus, per aliquot mansit annos. Facta est autem anno sequenti fames valida super vniuersam terram: & iratus nobis Dominus, omne firmamentum panis contriuit, ita vt tritici modius aureis quatuor venderetur. Quod nisi fuisset frumenti copia, quæ in vrbe Ascalonitana, eâ deuictâ, inuenta est, fame regionem oppugnante, popu-

CAP. I.

A. D. 1155.

30 40 50

lus penè deperisset vniuersus. Sequentibus tamen annis, ex quo regio Ascalonæ adiacens, quæ annis quinquaginta metu hostilitatis inculta iacuerat, postquam agricolarum curam sensit,& populus regionis,metu hostium propulsato,liberè terram exercere potuit,tantâ vniuersum Regnum repleuit vbertate,vt omne quod effluxerat tempus, habitâ comparatione ad præsens, ieiunum & sterile meritò quis posset appellare. Diu enim culturæ nescia, vomeris vsum non sustinens,integris in se subsistens viribus, postquam rusticam sensit adesse solicitudinem, credita semina,cum fœnore multiplici, & fructu sexagesimo reportauit.

II. Dum hæc in partibus geruntur Orientalibus,Romæ defuncto domino *Anastasio* Papa quarto,substitutus est ei dominus *Hadrianus* tertius:hic Anglicus natione,de castello sancti Albani, apud Auinionem ciuitatem Prouinciæ, in Arelatensi diocesi, Abbas fuit Canonicorum regularium in ecclesia sancti Rufi ; vnde ad ecclesiam Romanam à domino bonæ memoriæ *Eugenio* vocatus,in episcopum Albanensem ordinatus est, *Nicolaus* nomine. Hic defuncto domino Anastasio, qui prædicto domino Eugenio successerat, de Noruegia, Occidentali & vltima prouincia, ad quam missus fuerat ab eodem legatus,electioni interfuit, & à clero & populo vnanimiter electus est, & *Hadrianus* appellatus. Contigit autem eodem anno, quòd dominus *Fredericus* Theutonicorum Rex, nondum tamen Imperator, in Italiam cum infinita suorum manu descẽderat,& *Dertonâ*, vnâ ex vrbibus Lombardiæ, quam diu obsederat,subactâ,Romam venire,& ibi coronari disposuerat.His autem diebus,inter dominum Papam *Adrianum* (de quo prædiximus) & Regem Siciliæ dominum Wilelmum, domini Rogerii bonæ memoriæ filium, graues ex causis quibusdam ortæ erant inimicitiæ : ita quòd vsque ad odium manifestum, & guerram noxiam prodierat res, ita vt sententiam excommunicationis dominus Papa in eum iacularetur. Dominus tamen *Fredericus*, de quo prædiximus, propositum vrgens, accelerato itinere, infra paucos dies de Lombardia Romam venerat, ita vt subitus eius aduentus domino Papæ,& vniuersæ ecclesiæ Romanæ suspectus esset admodum. Tandem per internuncios pacis ordinatores, interpositis conditionibus solitis,in ecclesia beati Petri solemniter & ex more,sexto Kal.Iulias coronatus est, & *Augustus* appellatus: inde subsecuto triduo, ambo sub ciuitate Tiburtina, in loco qui dicitur ad *pontem Lucanum*, festo die sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, hic Imperiali schemate decoratus, ille summi Pontificatus singularia habens insignia, iunctis agminibus, exultantibus clero & populo processerunt laureati. Vnde post diei festi consummationem, in bona pace diuisi ab inuicem, dominus Imperator ad partes properauit Anconitanas, quò eũ Imperii cura trahebat, domino Papâ circa partes Romanas,in montanis vrbibus moram faciente. Interea Rex Siciliæ *Beneuentanam* vrbem,ecclesiæ Romanæ familiare domicilium,principibus suis mandat obsideri,& vrgentissimis angustiis eius præcipit arctari habitatores. Quod verbũ dominus Papa molestè ferens supra modum, vicem ei æquâ lance volens refundere,principes proprios contra eum nititur armare : nec in ea parte fraudatus est à desiderio suo. Nam potentissimum regni sui Comitem, eiusdem Regis amitæ filium *Robertum* videlicet de *Bassauilla*, cum multis aliis viris nobilibus, quibus auxilium consiliumq; Romanæ ecclesiæ perpetuò non defuturum pollicebatur, contra eum insurgere persuasit. Exules quoque, quos tam ipse quàm pater eius de Regno eiiciens,bonis fecerat extorres paternis, viros inclytos, & potentes, dominum videlicet *Robertum de Surrento*,principem Capuanum, Comitem quoque *Andream de Rapacanina*, & alios multos,exhortationibus suis prouocauerat, vt in Regnũ redirent,& ad iure hereditario sibi debitas accederent possessiones, Romanam ecclesiam in perpetuum eis non defuturam,in verbo Pontificali spondens eis firmissimè. Vtrunque nihilominus, Imperatorem Romanorum videlicet, & Constãtinopolitanum,alterum ore ad os,& manifestè,qui adhuc erat in Italia; alterum verò per literas, sed occultè, ad occupandum Siculi regnum sollicitat.

III. Sic igitur dum in Italia turbantur tam ecclesiæ,quàm regni Siculi negotia,non fuit quoque tractus Orientalis noster absque turba. Nam per idem tempus, vrbe Ascalonitanâ diuino fauore Christianis restitutâ,cùm Regni satis prosperè procederent negocia, lætis frugibus, cœpit inimicus homo superseminare zizania, & à Domino præstitæ inuidere tranquillitati. *Raimundus* enim magister domus Hospitalis,vnà cum fratribus suis,eodem spiritu

ritu repletis, licet aliàs vir religiosus & timens DEVM crederetur, tam Domino Patriarchæ, quàm cæteris ecclesiarum prælatis, multas tã super parrochiali iure, quàm super iure Decimationum, cœperunt inferre molestias: nam à suis episcopis excõmunicatos, vel nominatim interdictos, & ob scelera sua separatos ab ecclesia, ad diuinorum celebrationem, passim & sine delectu recipiebant; ægrotis eisdem & viaticum & supremam vnctionem, mortuis verò sepulturam non negabant. Ob enormia verò commissa, si quando silẽtium ecclesiis vniuersis, vel alicuius ciuitatis, vel cuiuslibet municipii imponebatur, hi primùm & campanarum pulsatione, & vociferatione solito maiore interdictos populos ad diuina vocabãt, vt oblationes & cæteras obuentiones matricibus ecclesiis debitas, ipsi haberent, & aliis lugentibus, soli ipsi lætarentur. Obliti illius verbi egregii prædicatoris: *Gaudete cum gaudentibus; & flete cum flentibus.* Sacerdotes suos, nec admittentes iuxta sanctorum antiquam sanctionem decretorum, locorum episcopis præsentabant, vt cum eorum conscientia in suis diocesibus diuina celebrarẽt; nec abiicientes, siue iustè siue iniustè, hoc notum faciebant episcopis. De prædiis autem suis, & vniuersis reditibus, quocunque iure ad eos deuolutis, omnino decimas dare negabant. Hæc omnium querela aduersus eos Pontificum; hæc iactura omnibus cathedralibus ecclesiis, vbique ab eis irrogabatur: specialiter autem domino Patriarchæ, & sanctæ Hierosolymorum ecclesiæ, hanc Christianis omnibus odibilem inferebant iniuriam: nam ante sanctæ Resurrectionis ecclesiæ ianuas, in ipsius contemptum, & contumeliam ecclesiæ, ædificia cœperunt erigere multò sumptuosiora & sublimiora plurimũ, quàm illa habet ecclesia, quæ Domini Saluatoris in Cruce depẽdentis precioso dedicata est sanguine, & ei post Crucis patibulum in seipsa gratissimam præstitit sepulturam. Insuper quotiescunque de more dominus Patriarcha, vt ad populum loqueretur, ad locum in quo mundi Saluator pro salute nostra pependit, & totius orbis celebrata est apud eum copiosa redemptio, ascendebat, ipsi vt eius actibus & dispensationi sibi creditæ aliquod præstarent impedimentum, pulsatis campanis tot tantis, & studiosè, & tam diù, vt nec domini Patriarchę sermo sufficeret ad clamandũ, nec populus eum licet multùm laborantem audire merebatur; cumque super huiusmodi temeritate sæpiùs cõquereretur dominus Patriarcha ad ciues, & eorum, præsentibus argumentis, deprehenderetur malitia, cõuenti à pluribus, incorrigibiles inuenti sunt, comminantes etiam se aliquando grauiora molituros. Quod & factum est: nam etiam vsque ad eam temeritatem, ausu diabolico & spiritu furoris concepto, peruenerunt, vt armis correptis, tãquam in domũ alicuius gregarii irrumperent in prædictam DEO amabilem ecclesiam, & sagittas tanquã in speluncam latronum iacularẽtur multas: quas postmodum collectas, & redactas in manipulum, ante locum Caluariæ, vbi crucifixus est Dominus, fune dependentes, & nos ipsi vidimus, & alii viderunt infiniti. Huius autem tanti mali primitiuam originem Romana ecclesia, licet fortasse nesciens, nec multo põderans libramine, quid ab ea peteretur, diligenter considerantibus videtur intulisse: nam locum prædictum, à domini Patriarchę Hierosolymitani iurisdictione, cui diù & meritò subiacuerat, emancipauit indebitè: vt nec ad DEVM, timorẽ; nec ad homines, nisi quos timent, habeant reuerentiã. Nec tamen omnes vno iudicio & sublatâ discretionis differentiâ, in hanc DEO odibilem, & viciorum matrem omnium, inuoluimus superbiam, credẽtes vix posse contingere, vt in tanto corpore omnes eodem gradiantur itinere, & sit nulla differentia meritorum. Vt autem, ex quàm modico iactu seminis, tantum locus memoratus cœperit incrementũ, quamque indebitè contra DEI ecclesias recalcitrauerit, & vsque hodie recalcitrare non desinat, sumpto aliquantulum altiùs exordio, præsenti duximus mandandum historiæ, veritatis regulam omnino, auctore Domino, non prætermittentes.

Rom. 12, 15.

IV. Regno Hierosolymorum cum vniuersa Syria & Ægypto, cum adiacentibus prouinciis, peccatis nostris exigentibus, in manus hostium nominis & fidei Christianæ, secundùm quod antiquæ tradunt historiæ, deuolutis: quod tempore domini *Eraclii* Romanorum Imperatoris, inualescentibus contra eum Arabiæ populis, certum est accidisse: non defuerunt de Occidentalibus multi, qui loca sancta, licet in hostium potestatem redacta, aut deuotionis, aut commerciorum, aut vtriusque gratiâ, visitarent aliquoties. inter eos autem qui negotiationis obtẽtu, de Occidẽtalibus per illa secula, loca prædicta adire tẽtauerunt,

fuerunt viri de Italia, qui ab vrbe quam incolunt dicuntur *Amalfitani*. Est autem *Amalfia* ciuitas inter mare & montes eminentissimos constituta, ab Oriente habens vrbem nobilissimam *Salernum*, vix septem miliaribus marino ab ea distantem itinere; ab Occidente verò *Surrentum*, & *Neapolim* Vergilianam; ab Austro verò *Siciliam*, ducentis miliaribus, plus minusve modico, remotam, Tyrrheno mari interiacente. Huius regionis habitatores, vt prædiximus, primi merces peregrinas, & quas Oriēs priùs non nouerat, ad supra nominatas partes lucri faciendi gratia inferre tentauerunt: vnde & optimas conditiones apud illarum partium præsides, pro rebus necessariis quas inferebant, & sine difficultate accessum, & populi nihilominus gratiam merebantur. Possidebat illis diebus *princeps Ægyptius* vniuersas maritimas regiones, 10 à Gabulo ciuitate, sita in littore maris iuxta Laodiciam Syriæ, vsque in Alexandriā, quæ est nouissima ciuitas Ægypti. Et per præsides singulis ciuitatibus deputatos, imperium suum latè reddebat formidabile. Prædicti verò Amalfitani tam Regis quam principum fuorum plenam habentes gratiam, loca vniuersa, quasi negotiatores & tractatores vtilium, tanquam merces circumferendo, confidenter poterāt circumire: vnde & traditionum paternarum non immemores & fidei Christianæ, loca sancta, quoties opportunitas dabatur, visitabant: nō habentes autem in eadem vrbe familiare domicilium, vbi moram possent facere aliquantulam, sicut in vrbibus habebant maritimis: congregatis de suo populo, quotquot ad opus conceptum poterant conuocare, Calypham Ægyptium adeunt, & obtentā familiariū eius gratiā, petitionem suam scripto porrigunt, & votis consonè recipiunt impetratum. 20

V. Scribitur ergo Hierosolymorum præsidi, vt viris Amalfitanis, amicis, & vtilium introductoribus, locus Hierosolymis iuxta eorum desiderium, in ea parte quam Christiani habitant, ad construendum ibi domicilium, quale voluerint, designetur amplissimus. Erat autem ciuitas, sicut & hodie est, in quatuor partes penè diuisa æqualiter, ex quibus sola quarta, in qua *Sepulchrum Dominicum* situm est, fidelibus cōcessa erat ad habitandum: reliquas autē cum *Templo Domini*, soli infideles habebant domesticas. Designatur ergo eis de mandato Principis, qui sufficiens videbatur ad construenda necessaria locus, sumptaq; à negotiatoribus quasi per symbolum pecuniā, ante ianuam Ecclesiæ *Dominicæ Resurrectionis*, quantum vix lapidis iactus est, 30 monasterium erigunt, in honore sanctæ & gloriosæ DEI genitricis, perpetuæque virginis Mariæ, simul cum & iis officinis, quæ ad vsus monachorum & suæ gentis hospitum susceptionem, poterant aliquam præstare commoditatem. Quo facto de partibus suis, tam monachos quàm Abbatem transferentes, locum regulariter instituunt, & Domino conuersatione sanctā reddunt placabilem. Et quoniam viri Latini erant, & qui locum fundauerant, & qui in religione conseruabant, idcirco ab ea die vsque in præsens, locus ille *monasterium de Latina* dicitur. Accedebant etiā per illa nihilo minus tempora, vt loca deoscularentur venerabilia, sanctæ viduæ & continentes, quæ timoris oblitæ fœminei, & periculorum quæ multiplicia occurrebant, non habentes formidinem: quibus aduenientibus, cùm nō esset intra septa 40 monasterii, vbi colligerentur honestè, congrua satis prouisione procuratum est ab eisdem sanctis viris, qui locum fundauerunt, vt aduenientibus deuotis fœminis, non deesset seorsum oratorium, domus familiaris & locus in diuersorio. Tandemque diuinā fauente clementiā, ordinatum est ibi monasteriolū in honore piæ peccatricis, Mariæ videlicet Magdalenæ; & sorores sub certo numero, ad obsequium aduenantium mulierum constitutæ. Confluebant etiam per illa periculosa tempora nonnulli ex aliis gentibus, tam nobiles quàm secundæ classis homines, quibus quoniam ad Sanctam ciuitatem nō nisi per terras hostium erat accessus, de suis viaticulis cùm ad vrbem peruenissent, omnino non fiebat residuum: sed miseros & inopes ante ciuitatis portam, tam diu cum summo labore, fame, siti, & nuditate expe- 50 ctare oportebat, quousque dato aureo numismate vrbem eis licebat introire. Ingressis autem, & locis Sanctis ex ordine peragratis, non erat eis vel ad vnum diem refectionis spes vlla, nisi quantum eis de prædicto monasterio fraternè ministrabatur: nam omnes alii ciuitatis habitatores Sarraceni erāt & infideles, excepto domino Patriarchā, & clero & popello misero Surianorum; qui diebus singulis tot angariis, parangariis, & sordidorum munerum præstationibus vexabantur, vt vix sibi, in suprema paupertate cōstitutis, in continuo timore mortis, liceret respirare. Nostris

ergo

ergo miseris, & ad supremum afflictis & egentibus, cùm non esset qui tectum præberet, procuratum est à beatissimis viris, qui monasterium Latinorum incolebant, vt misericorditer victui & tegumẽto detrahentes, ad opus talium, intra ambitũ sibi designatum, Xenodochium erigerent, vbi tales sanos vel ęgrotantes colligerent, ne de nocte per vias reperti iugularentur; & in eodem loco congregatis, de reliquiis fragmentorum vtriusque monasterii, tam virorum quàm mulierum, ad quotidianam sustentationem qualemqualem, aliquid ministraretur. Erexerunt etiã in eodẽ loco altare in honore beati *Ioannis Eleymon*. Hic vir DEO placens, & per omnia commendabilis, natione fuit Cyprius: tandem suffragãtibus meritis, factus est Alexan-
10 drinus Patriarcha, vir in operibus pietatis singulariter excellens, cuius pia studia & liberales eleemosynas in perpetuum enarrabit omnis ecclesia sanctorum. Vnde & à sanctis Patribus vocatus est *Eleymon*, quod interpretatur, *misericors*. Huic autem loco venerabili, quòd ita caritatiuè se porrigebat ad homines, neque reditus erant, neque possessiones; sed prædicti *Amalfitani* annis singulis, tam qui domi erãt, quàm qui negotiationes sequebantur, collectâ inter se quasi per symbolum pecuniâ, per eos qui Hierosolymam proficiscebantur, Abbati qui pro tempore ibi erat, offerebant, vt inde fratribus & sororibus ad victum & tegumen prouideretur, & de residuo fieret aduenientibus Christicolis in xenodochio aliqua misericordia. Ita ergo per multorum annorum curricula, quousque placuit summo rerum Opifici, ciuita-
20 tem illam, quam proprio cruore mundauerat, à superstitionibus gentilium purgare, sub iis conditionibus mansit locus ille. Adueniente namque Christiano populo, & Principibus à DEO protectis, quibus Regnum illud Saluator tradi voluit, in monasterio fœminarum inuenta est Abbatissæ fungens officio, quædam DEO deuota & sancta mulier, *Agnes* nomine, nobilis secundùm carnem, natione Romanâ: quæ etiam postquam ciuitas restituta est fidei Christianæ, per aliquot vixit annos. Et in xenodochio similiter repertus est quidam *Geraldus*, vir probatæ conuersationis, qui pauperibus in eodem loco tempore hostilitatis, de mandato Abbatis & monachorũ, multo tẽpore deuotè seruierat: cui postea successit *Raimundus* iste, de quo nobis sermo est in præsenti. Sic ergo de tam modico incrementum habentes, VI.
30 prædictæ domus fratres, priùs à iurisdictione se subtraxerunt Abbatis: deinde multiplicatis in immensum diuitiis, per ecclesiam Romanam à manu & potestate domini Patriarchæ sunt emancipati: quâ perniciosâ libertate impetratâ, nullam prorsus ecclesiarum Prælatis deinceps exhibentes reuerentiã, decimas sibi ex quibuscunque prædiis ad se quocunque iure deuolutis, penitus negant. Hoc exemplo multa de iis locis, quæ dicuntur *venerabilia*, tam monasteria quàm xenodochia, quibus Ecclesia de mera liberalitate & solitæ pietatis officio prima præstiterunt fundamina, & ad optata perduxerunt incrementa, tandem ex adipe recalcitrantes, ab vberibus piæ matris, quibus ab initio quasi modò geniti infantes lacte pasti, & solido pro tempore cibo saginati, diuisi sunt, ita vt meritò de eis conqueri possit Ec-
40 clesia: *Filios enutriui & exaltaui; ipsi autem spreuerunt me*. Parcat eis Dominus, & ad *Esai. 1, 2.* cor redire concedat, vt matri suæ quam dereliquerunt, discant seruire in timore: & illi etiam ampliùs indulgeat, quæ cùm haberet centum oues, vnicam vidit pauperis, & inuidit: cui à Domino dicitur: *Occidisti, & possedisti*. Væ illi, quicun- *3. Reg. 21, 19.* que sit ille: quia iuxta iudicium Prophetæ, *vir sanguinum est*. Postquam ergo sæpe ac sæpiùs, tam dominus Patriarcha, quàm reliqui ecclesiarum prælati apud eosdem fratres sua iura reposcendo non proficiebant, vt præmisimus, ad Romani Pontificis hinc inde processum est auditorium. Assumens ergo sibi dominus Patriarcha, licet longæuus esset, & ferè centenarius, de ecclesiarum Prælatis dominum *Petrum* Tyrensem Archiepiscopum, & de suffraganeis eius dominum *Fredericum* Acco-
50 nensem episcopum, dominum *Amalricum* Sydoniensem episcopum, dominum quoque *Balduinum* Cæsariensem archiepiscopum, dominum *Constantinum* Liddensem episcopum, dominum *Renerum* Sebastenum episcopum, dominum *Herbertum* Tiberiadensem episcopum, vernalis temporis gratiâ respirante, cùm primùm mare flatibus exagitatum hybernis, spirante Fauonio, cœpit se reddere placabilius, iter aggressi, auctore Domino, *Hydruntum* Apuliæ vrbem maritimam prospero cursu attigerunt. Interea dum Pontifices Orientis vnà cum domi- VII. no Patriarcha fines attigissent Apuliæ, vt præmisimus, *Constantinopolitanus* Imperator

verbum domini Papæ secutus, immissis de Principibus suis, cum infinitâ pecunia, consentientibus illarum partium proceribus, regionem violenter inuaserat, ita vt postquam dominus Patriarcha cum suis ab Hydrunto vsque *Brundusium* peruenisset, domini Imperatoris familia, vrbem prædictã, tradentibus eam ciuibus, iam recepisset in suam, solo præsidio ciuitatis in quo pauci erant, in fidelitate domini Regis perseuerante. Comes quoque *Robertus*, de quo superiùs fecimus mentionem, cum iis qui partes suas, tam Regis odio, quàm eius gratiâ sequebantur, *Tarentum*, *Barum*, egregias metropoles, & omnem maritimam regionem vsque ad Regni terminos violenter occupauerat. Prędicti verò magni & inclyti viri, *Robertus* Princeps Capuanus, & Comes *Andreas*, vniuersam Campaniam, quæ vulgari appellatione dicitur *Terra Laboris*, vsque Salernum, & vsque Neapolim, & vsque ad sanctum Germanum, sibi vendicauerant: eratque tota regio in tanto motu, vt nusquã quies, nusquam securitas esset, transire volentibus. Romanorum etiam Imperator, dominus *Fredericus*, circa partes Aconitanas cum exercitibus suis moram faciens, tantam in legionibus, quas in Italiam introduxerat, cladem patiebatur, vt deficientibus Maioribus & nobilioribus Imperii principibus, vix decimus superesset: vnde eos qui supererant, ad propria redire volentes, cohibere non valens, ipse quoque ad reditum, licet inuitus accingebatur. Multa enim supererant negotia, & maximè contra eundem Siculum Regem, quæ eius exigebant præsentiam. Dominus porrò Patriarcha cum sui consortibus itineris anxiè deliberabat, quâ viâ ad dominum Papã in tanto tumultu posset accedere: vndiq; enim prælia, vndique seditiones, omnem videbantur aditum præclusisse. *Ansquetinus* quoque quidam Regis Siciliæ Cancellarius vrbem obsederat *Beneuentanam*, nunciis domini Patriarchæ, qui ad hoc missi fuerãt, vt ei à prædicto Cancellario ducatum implorarent, omnino negans per partes illas transitum, quæ tamen via multò cæteris erat compendiosior. Tandemque habito quorundam prudentum consilio, viam maritimam secutus, cum omni comitatu suo *Anconam* peruenit: missis inde ex latere suo quibusdam episcopis, qui dominum Imperatorem Romanorum, iam vt prædiximus, ad propria redeuntem, verbis illius salutarent, & pro negotiis eius ad dominum Papam literas obtinerent Imperiales. Quod & factum est, licet ipse vrbem *Senogalliam* & *Pisaurum* iam pertransiisset, pro redeundo sollicitus. At verò dominus Patriarcha cum suo comitatu Romam versus iter dirigens, dominum Papam à ciuitate *Narniensi* egressum, quasi fugientem persequebatur. Tandem Romam veniens, ibiq; per dies aliquot factâ morâ, cùm ei nunciatum esset, dominum Papam apud vrbem *Ferentinam* gressum fixisse, illuc incunctanter properat, vt de negotio pro quo venerat, experiri tentaret. Dicebant quidam, dominnm Papam, vt eum tædio afficeret, & grauaret sumptibus, eum studiosè declinare. nam muneribus infinitis corruptus, in partem Hospitalariorum dicebatur se dedisse procliuem, qui iam ad eum multò antè præuenerant. Alii dicebant, vrbis Beneuentanæ gratiâ, quæ obsidione claudebatur, vt diximus, eum tam maturato aduenisse itinere. Illud tamen erat euidens, fauorem suum & familiarium suorum, Hospitalariis nimis familiariter indulsisse; dominum verò Patriarcham cum suis, quasi adulterinos filios, fastu quodam & indignatione à se repellere, quasi indignos.

VIII. Postquam igitur ad prædictam vrbem peruenit, obtulit se de more Apostolicis conspectibus: vbi & malè receptus, & peius habitus, inuitis ex plurimâ parte Cardinalibus, certum de domini Papæ mentis conceptu, & habitudine reportauit argumentum. Ille tamen quorundam prudentum amicorum suorum fretus consilio, totum hoc dissimulans, sicut homo seuerus erat, dominum Papam frequentabat, diebus festis assiduus erat in consistorio, episcoporum suorum cœtu venerabiliter circumseptus: cui etiam aduocatorum turba, quotiens opus erat, iugis assistebat, officium adimplere parata. Datâ igitur vtrisque partibus audientiâ, cùm iam per dies multos vtrinque inutiliter esset decertatum, videns dominus Patriarcha, & per quosdam familiares amicos suos intelligens, quòd non proficeret, sumptâ licentiâ, conditionem referens deteriorem, confusione indutus, & reuerentiâ, aggressus est ad propria redire. De tanta autem Cardinalium turba, vix reperti sunt duo vel tres, dominus videlicet *Octauianus*, dominus *Ioannes* de sancto Martino, qui eiusdem domini Patriarchæ, dum esset Tyrensis Archiepiscopus, Archidiaconus fuerat, qui CHRISTVM sequentes, eius ministrum

ministrum in caussa sua piè vellent vouere. Alii omnes abeuntes post munera, secuti sunt vias Balaham, filii Bosor. Dominus verò Papa vrgentibus eũ curis domesticis, transcursâ Campaniâ *Beneuentum* peruenit. Interea Rex Siciliæ, dominus *Wilelmus*, audiens, & crebris edoctus legationibus, quòd in partibus Apuliæ, Comes *Robertus de Bassauilla*, vnà cum Græcis regionem occupassent violenter; in Campania verò princeps Capuanus, & Comes *Andreas* latè sua diffunderent imperia, dominus quoque Papa in Beneuentum se receperat, vnde omnibus prædictis vires & animos ministrabat, cõgregatis ex vniuersa Sicilia & Calabria militaribus copiis, cum ingentibus expeditionibus in Apuliam peruenit. Vbi statim circa Brundusium, fugiente Comite *Roberto*, primo Marte Græcorum fudit copias; & attrito penitus eorum exercitu, duces eorum captos, vinculis mancipauit. Gazas quoque, quas intulerant, valde multiplices, suis intulit tam potenter quàm feliciter vestiariis: Inde receptâ vniuersâ regione, quæ ab eo defecerat, & populis gratiâ restitutâ, Beneuentum obsidet: vbi tantis tam dominũ Papam cum suis Cardinalibus, quàm ciues vniuersos affecit molestiis, vt & victus deficeret, & de salute redderet valde sollicitos: vbi nunciis intercurrentibus, quibusdam occultis conditionibus, reformata est pax inter eos, exclusis omnibus illis à fœdere, qui domini Papæ suasionibus, tantis se laboribus immerserunt & periculis. Videntes ergo prædicti nobiles viri, quòd contra spem accidisset eis, & quòd dominus Papa, non obtentâ eis domini Regis gratiâ, pacem sibi & Romanæ ecclesiæ, illis exclusis fecerat, solliciti pro se, anxiè cœperunt disquirere, quónam pacto possent, sani & incolumes, extra Regnum se facere. Comes itaque *Robertus* & *Andreas*, cum quibusdam aliis nobilibus viris in Lombardiam properantes, ad dominum Imperatorem se cõtulerunt. Princeps verò *Capuanus*, cæteris infelicior, dum *Garilianum* nauigio transire parat, à suis vectoribus, cum suos iam præmisisset, & ipse cum paucis in ripa citeriore iamiam transiturus expectaret, captus est; & Regis fidelibus traditus, in Siciliam deductus est, vbi continuo carcere & cæcitate violenter inductâ, miserabiliter vitam finiuit.

IX. Per idem tempus regno Hierosolymorum satis prosperè per DEI misericordiam se habente, contigit regiones ei adiacentes ex vtroque latere, quasi inopinatò miserabiliter concuti. Nam Ægyptiorum quidam potentissimus, *Soldanatus* agens officium, dominum regionis, *Calypham* videlicet, quem Ægyptii pro summo numine colere solent & venerari, accedens ad eum familiariter, tanquam negotiorum eius domesticus procurator, in secretiore palatii cubiculo fraudulenter occidit: hoc autem eâ intentione dicitur fecisse, vt filium suum *Noseredinum* in Calypham erigeret, & in regni administratione, filio præsidente, sine cura & sollicitudine perseueraret. Arbitratus est autem per dies aliquot rem posse occultari, quousque recepto palatio maiore, & thesauris occupatis ex integro, cœtuque amicorum & familiarium conuocato, volentibus ei hoc quod egerat ad mortem imputare, resistere posset. Sed res longè aliter accidit. Nam modico interiecto tempore, scelus commissum innotuit, & omnis populus à maximo vsq; ad minimum, tanquã vir vnus, conueniens, domum illius, in quam se perpetrato homicidio contulerat, vndique vallantes, ad pœnas vnâ voce virum sanguinum exigunt, qui domino regionis ausu nefario mortem intulerat. Dumque instant proteruiùs, videns aliam salutis non superesse viam, thesauros aperiens, aurum, gemmas, & quæcunque habebat desiderabilia per fenestras vociferanti proiicit populo: vt dum in colligendo esset sollicitior, ipse quocunque modo ad iter se præpararet. Quid plura? Egressus cũ honesto filiorum ac nepotum comitatu, inuitis eis qui eum obsederant, iter arripit versus solitudinem, Damascum vt dicebatur profecturus: illi autem nihilo segnius eum insectãtes, impedire laborabãt. At verò filius eius primogenitus, & alii de familia viri prudentes, & in armis strenui, eos a se longiùs arcentes, sustinebant impetus, & ad suos propiùs accedere non permittebant. Interdum etiam & vasa aurea siue argentea, vestesque preciosas, & holoserica æstimationis non modicæ, post se relinquebant ex industria, vt eis properantibus moras innecterent, & pro diuidendis, quæ colligebant, materiam inferrent contentionis. Tandem videntes Ægyptii se non posse proficere, infecto negocio, domum sunt reuersi: ille verò profectus, dum fatorum se putat subductum esse insidiis, dum securo graditur itinere, nihil superesse difficultatis arbitrans, dum Scyllam fugit, decidit in Charybdim. Nostri enim audi-

to eius transitu, casu præstruentes insidias, in eis more nocere volentiũ, absque strepitu latebant: Ille ex improuiso in prædictas irruens insidias, primis congressionibus est confossus letaliter, ibique statim gladio vitam finiuit. Erat autem nobili viro nomen *Habeis*, filius verò eius *Noseredinus*, & omnis omninò familia, & vniuersæ illæ diuitiæ, quas secum ex Ægypto detulerant, in manus hostiũ tradita sunt. Sic ergo opimis onusti spoliis, & qualia orbis noster priùs nõ audierat, subfarcinati, prædam more solito diuidentes, ad propria sunt reuersi. Accidit autem, quòd inter cæteros qui eidem negotio interfuerant, fratres Militiæ Templi plures habuerunt milites; & potiores reportauerunt pro numero militum, manubiarum & prædæ portiones. Cecidit enim eis in sortem præter cætera in funiculo distributionis, prędicti nobilis viri filius *Noseradinus*, vir audacissimus, rei militaris singularem apud Ægyptios habens experientiam: cuius etiam nomen populis illius regionis esset formidabile, aspectus verò terrorem incutiens, sine consolatione. Hunc porrò, cùm diebus multis prædicti fratres habuissent in vinculis, & auidissimè petens in CHRISTO regenerari, literas iam didicisset Romanas, prima fidei Christianæ rudimenta edoctus, pro sexaginta millibus aureorum Ægyptiis eum ad mortem postulantibus vendiderũt. Traditum autem vinctũ manibus & pedibus cathenis ferreis, in cauea ferrea camelis imponentes, in Ægyptum deduxerunt, vbi inhumanis desideriis suis satisfacientes, eum mordicitus decerpentes, in frusta minutissima conciderunt.

X. Anno sequente idem *Rainaldus de Castellione*, princeps Antiochenus, consilio peruersorum, quorum maximè studio regebatur, piaculare iterum committẽs flagitium, *Cyprum* insulam nobis vicinam, populis refertam fidelibus, Regno nostro vtilem, & amicã semper, immissis hostiliter legionibus, violenter occupauit. Causa autem huius tam abominandæ inuasionis videbatur hæc esse: In partibus Ciliciæ circa Tarsum, erat quidam nobilis & potẽtissimus Armenus, nomine *Toros*, qui domini Imperatoris gratiam, eius efficiente inconstantiâ, frequẽtiùs demerebatur, & incurrebat offensam. Confisus enim de eo quòd ab Imperio remotus erat plurimũ, & quòd in montibus arduis habebat domicilia, per plana Ciliciæ prædam agebat & manubias, nõ veritus terram domini sui, modis quibus poterat damnificare, & Imperii fidelibus cuiuscunque cõditionis graues & indebitas inferre molestias. Audiens hoc Imperator, scripsit prædicto *Rainaldo*, quatenus cõuocatâ militiâ, prædictum *Toros* à suis arceret finibus, & Cilicum sibi subiectorum possessiones ab eius incursionibus redderet securas: quòd si ad opus complendum pecunia esset necessaria, ipse de thesauris suis tempore opportuno mitteret sufficientem. Factum est ergo, quòd congregatis militaribus copiis, vt Imperialibus deseruiret mandatis, in Ciliciam ingressus, prædictum Toros expulit, & exercitum eius vsque ad supremam internecionem deleuit. Expectans ergo honestam *Rainaldus* pro tanto facto retributionem, videbatur ei differri plurimũ: vnde moræ impatiens, ad prædictum maleficium conuolauit. Erant autem insulani à quibusdã de nostris diligenter præmoniti: vnde & de tota insula vires contraxerãt, qualesquales: sed ingrediens prædictus Princeps *Rainaldus*, eorum statim fudit exercitum; & vniuersas eorum eatenus contriuit copias, vt deinceps nec vnus inueniretur, qui contra eum manum auderet erigere. Habens igitur liberos per totam insulam discursus, vrbes cõtriuit, deiecit oppida, monasteria tã virorum quàm fœminarũ impudẽter cõfregit, expositis ludibrio sanctimonialibus & virginibus tenellis: nam auri & argenti, & vestiũ preciosarum non erat numerus, neque finis: sed amittendi hæc populo, comparatione læsę pudicitiæ, quasi stercora reputabãtur. Sic ergo per dies aliquot per totã debacchantes regionem, dum non esset qui resisteret, ætati non parcunt, vel sexui, conditionum quoque nullam habentes differentiam. Tandem comportatis vndecunque spoliis [illegible]nubiarum infinitate omnimodarum, ad mare se recipiunt, & inde præparatis nauigiis, in partes descenderunt Antiochenas, profligatis intra modicum tempus, quas malè acquisierant diuitiis: iuxta id quod prouerbialiter dici solet: *Non habet euentus sordida præda bonos.*

XI. Per idem tempus conuenerat præter solitum multitudo inaudita Arabum & Turcomannorum, qui nihilo minus in tentoriis habitant, & de fructu animalium vitam solent, sicut Arabes, propagare, in *sylua* quæ *P[illegible]adensi* adiacet ciuitati, & ab ea hodie cognomen ducit vulgare: nam antiquitus, tam quæ ad Septentrionem, quàm quæ ad Austrum protenditur, quæque

quæque ipsum Libanum protegit, omnis sylua *Saltus Libani* dicebatur. vnde & de Salomone legitur, quòd in ea sumptuosi operis & mirabilis ædificii domum construxit, quæ dicta est *domus Saltus Libani*. Nunc autem ab vrbe (vt prædiximus) proximâ, sylua cognominatur vniuersa. In hanc prænominati populi, impetratâ tamen priùs domini Regis gratiâ, & pace solemniter concessâ, animalia introduxerant, equosq; maximè, ad numerũ infinitum, pascuorũ sequentes cõmoditatem. Accesserunt porrò ad dominum Regem viri impii, filii Belial, Domini timorem præ oculis non habentes; suggesseruntque ei, & in malitia sua faciliùs inuoluerunt, persuadentes vt prodigus fidei, & immemor fœderis, quod cum eis pepigerat, subitò in

10 prædictos viros, qui pabulandi gratiâ tam greges in syluam, quam armenta induxerant, irruptionem faceret: & tam eos, quam eorum pecualia, suis daret ad prædam: quod & factum est. Rex enim ære grauatus alieno, & multis obligatus debitis, cùm non haberet vnde creditoribus satisfacere posset, procliuius, ad hoc vt quocunq; modo se expediret, patulam prauis incentoribus aurẽ præbuit, & eorum acquieuit suggestionibus: Nam post consilium abiens impiorum, conuocatâ militiâ, repentè irruit super eos, incautosque & nihil tale verentes reperiens, hostiliter circa eos versatus, suis exposuit in direptionem: qui enim ex eis aut equorum vsi velocitate, fugâ saluti consulere potuerunt; aut syluarum latebris hostem declinare, ipsâ necessitate docente, satagerũt, vitæ reseruati sunt: reliquis omnibus aut occisis

20 gladio, aut duræ seruituti mancipatis. Facta est igitur manubiarum & prædæ tanta & tam inaudita multitudo, vt par ei in nostris regionibus non dicatur fuisse. Cuiuis de popularibus & de plebeis, equorum in sortem ceciderat numerus maximus: nec tamen nostris ad aliquem gloriæ vel laudis propagandæ titulũ adscribi potest, cùm pacis violatores & effractores fœderis, homines incautos, de Regis gratia præsumẽtes, dum non esset qui eis resisteret, malè pro arbitrio tractauerunt. Sed iustus retributor Dominus, DEVS vltionum, non diu passus est nos tam turpibus emolumentis lætari: sed significans, quod *etiam infidelibus, fidei tenor obseruandus sit illibatus*, in nostram confusionem, & commissi criminis pœnam adducens cum eo vltionem, pro omnibus peccatis nostris reddidit duplicia, & multiplicato fœnore, intulit confu-

30 sionem, sicuti in sequentibus dicetur. Nihilò minus etiam per eosdem dies, *Henfredus* de Torono, regius Constabularius, cùm sæpè dictam vrbem Paneadem, quæ eius erat hereditaria possessio, sumptibus & curâ continuâ fatigatus, iam solus commodè regere & conseruare non posset, de consensu domini Regis, cum fratribus hospitalis ex æquo diuidit, ita vt totius ciuitatis & suburbanorum omnium fratres prædicti habentes dimidium, impensas tam vtiles quàm necessarias ex dimidio ministrarent, ciuitatis pro parte altera debitam gerentes sollicitudinem. Erat autem ciuitas in confinio hostium posita, eisque valde contermina, ita vt nulli, nisi in manu forti, aut clandestino nimis itinere accedenti, accessus vel discessus inde posset esse nisi cum periculo. Factum est autem, postquam prædicti fratres ciuitatem

XII.

40 inde suâ pro parte susceperunt,* vt congregatis alimentorum, armorum virorum copiis, locũ certâ die diligentiùs cõmunire curarẽt: collectoq; maximo ad propositum sufficiente camelorum, & omnimodorum animalium ad sarcinas deputandorum comitatu, simul & militiâ, quæ omnem illam expeditionem violenter in vrbem introducerent, ad locum accedebant, vrbem ad multa sequentia tempora necessariis communituri. Dumque proficiscendo cum omnibus impedimentis suis vrbi appropinquarent, ecce hostes, eorum aduentu præcognito, eis occurentes, instantes gladiis, cæsis ex eis quàm pluribus, agmen dissoluunt, cæteris autem fugâ vitæ & saluti consulentibus, sarcinas occupant: qui effugere nequeunt, hostium instantiâ præuenti, aut gladiis intereunt, aut vinculis mancipantur. Sicque quæ

50 pro instruenda ciuitate congesta fuerant, in eius læsionem hostibus sunt concessa. Sæpè autem nominati fratres, similium casuum formidantes dispendia, à pactis resilientes priùs placitis, vrbem cum suis tam oneribus quàm emolumentis, domino Constabulario resignauerunt. Nec morâ, sumptâ ex tempore opportunitate, *Noradinus*, ex prædicto successu factus elatior, apposuit eandem vrbem, casu prædicto consternatam, obsidere: conuocataque militiâ, & machinis comportatis, ex improuiso ante vrbem cõsistens, locatis agminibus per gyrum, eam vallat obsidione. Erat autem in parte ciuitatis præsidium, munitum admodum armis, viris, & pro

temporis articulo, victualibus: in quo poterat esse ciuibus secundum captâ vrbe refugium. Tamen præsumentes de ciuitatis munimine, & quod similia sæpius fuerant in ea perpessi, vrbem tueri, atque pro ea viriliter stare decreuerunt: potuissentque votis consonè, eam conseruasse intemeratam, nisi de se præsumentes, cœpissent incautiùs negotiari. At verò *Noradinus* machinis & tormentis instans iaculatoriis, sagittariorum quoque continuâ & indeficiente vtens operâ, obsessis requiem negat, & fatigatos multipliciter diu noctuque sine intermissione compellit ad defectum. Interemptis enim pluribus, sauciis quoque letaliter nonnullis, pauci erant qui defensionis officium exequerentur; quod nisi ipse Constabularius cum filio paternæ probitatis æmulatore præcipuo, quorum vterque tanquam pro hereditate propria familiariùs & certatim stare parati, alios suo exemplo ad resistendum animarent, laboris immensitate superati, & impugnantium viribus impares proculdubio defecissent: sed reuocabat eos (vt prædiximus) dominorum præsentia; & eorum virtus indeficiens, ad animandum alios efficax, vires reparabat labentes, & ad dimicandum reddebat fortiores. Dumque die quadam hostes solito instarent acriùs, accidit, vt qui in vrbe erant, apertâ portâ, vt cum hostibus committerent, egrederentur: dumque incircumspectè se congressionibus offerunt, hostium in se irritant multitudinem: quos dum in se irrunt, ferre non valentes, in vrbem se tentant recipere. Factumque est, vt cum præ ingredientium tumultu porta claudi non posset, hostes promiscuè cum ciuibus ingressi sint, cum tanto numero, vt obtentâ violenter ciuitate, non sine periculo, & multorum strage nostros in præsidium ingredi cogerent violenter. Nunciatur interea domino Regi, quòd prædicta ciuitas tantas à Noradino patiebatur angustias, & quòd ad supremum penè sit inclinata defectum: vnde collectis, quas pro tempore habere potuit militaribus tam equitum quàm peditum copiis, ad partes illas cum suis legionibus impiger conuolat: propositum habens, aut obsidione vrbem prædictam absoluere, aut Martios euentus, & belli fortunam cum Noradino experiri.

XIII. Audiens igitur præfatus Princeps, quòd eâ intentione dominus Rex adueniret, nolens se dubiis bellorum submittere casibus, solutâ obsidione: priùs tamen vrbe, quàm violenter expugnauerat, igni succensâ & suffosâ, ad propria reuersus est: suam tamen, quam semel collegerat, non passus ab inuicem discedere militiam, sed eam secum detinens, & ampliorem conuocans, in nemoribus finitimis (quasi mentem habens præsagam) latebat in insidiis, rei exitum præstolaturus. Rex verò ad vrbem accedens, & optatum obsessis præstitit solatium; & tam diu præsentem se exhibuit, quoadusque lapsa erigerentur, consolidarentur fracta, & ciuitas in pristinum, reparatis mœnibus, reformaretur statum. Conuocatis enim ex vrbibus finitimis, & de Regno vniuerso cœmentariis, & quicunque architecturæ aliquam habere videbantur experientiam, instantiâ diligenti turres ac mœnia reparant, renouant antemuralia; & intra murorum ambitum ciuibus instaurant ex integro domicilia, & publicis ædificiis statum restituunt pristinum; quæ omnia Noradinus eo tempore, quo eam obtinuerat, funditus deiecerat studiosè, vt prædiximus. His ita peractis, arbitratus Rex cum suis Principibus, moram suam in vrbe prædicta, ciuibus nō multum deinceps esse necessariam: quippe restitutis iam in integrum vniuersis; municipio quoque, armis, victu, hominibus quoque diligenter satis pro tempore communito: dimissis peditum manipulis, ipse cum solis equitum turmis Tyberiadem redire proposuit. Egressus ergo ex eadem vrbe, & in Austrum iter dirigens, secus lacum, cui nomen *Meleha*, castrametatus est, vbi nocte illâ longè aliter, quàm disciplina militaris exigeret, & imprudenter se habens, non obseruatâ castrorum lege, requieuit exercitus. *Solet enim vsu inter homines euenire, vt in prosperis & pro voto successibus circumspectè minus se consueuerint habere. Nam miseris regulariter solet adesse solertia rebus.* Vnde fortasse dictum est: *Cadent à latere tuo mille*, sinistro videlicet; *& decem millia à dextris tuis*: [Psal. 90, 7.] plures enim, acti prosperis, & successibus elati, solent in præceptis ruere: è diuerso verò dispendiis & aduersis casibus defatigati, propriis edocti periculis, didicerunt se in dubiis habere circumspectiùs; & semper timere fortunam, quam sæpiùs experti sunt in suis negotiis amaram. Rex igitur mente recolens, quòd tātum Principem ab impugnatione vrbis obsessæ dimouerat, ratusque eum cum suis expeditionibus longiùs abiisse, nec facilè in suam aut suorum iniuriam iterum tot nationes in vnum

vnum conuenire posse arbitratus, imprudentiùs aliquantulum, & pro singulorum arbitrio indulgentiùs cœpit se, vt prædiximus, habere. Nunciatur porrò hostibus in insidiis commorantibus, quod dimissis pedestribus alis domini Regis exercitus, circa lacum *Melehu* securè nimis, & imprudentiùs se haberet; quodq; de Principibus eius nonnulli, *Philippus* videlicet Neapolitanus, & quidam alii cum suis comitatibus discessissent: videntes rem pro votis accidere, castra mouent subitò; & eorum prudentissimo Principe rem (prout expedire nouerat) accelerante, ad partes illas contendunt, & ad Iordanē, qui medius erat inter eos, vsq; perueniunt: quo transito, in eo loco qui vulgari appellatione *vadum Iacob* appellatur, cis Iordanē, quâ regius exercitus crastinâ transiturus erat die, se locant in insidiis. At verò luce terris redditâ, iterum ad proficiscendum noster exercitus, nocturnarum insidiarum nescius, & eorum quæ ab hostibus interim præstructa fuerant ignarus, versus eas partes quas Turci clam occupauerant, iter arripiunt: dumque securi, & nihil prorsus sinistri formidantes proficiscuntur, ecce subitò ex insidiis prodeunt, qui ad hoc specialiter conuenerant, vt incautos aggrederentur; securisque, & nihil tale verentibus, strictis se offerunt gladiis, more hostium vulnera & mortem ministraturi. Nostri porrò, licet serò, expergefacti, dimissis diuersis confabulationibus, videntes rem agi seriò, equos arma q; corripiunt: sed antequam ad resistendum præparari & cōuenire possent, ex ordine, dissoluta sunt (hostibus importunè instantibus, & gladiis cominus strenuè decertantibus) agmina, ita vt nusquā de nostris nisi paucissimi cohærerent. Rex autem cum paucis qui ei adhæserant, videns acies dissolutas, confusum exercitum hostibus vndique patere ad prædā; hostes vndique inualescere, nostros verò iam non deficere, sed ab initio potius defecisse: vt saluti consuleret, prudenter subiit in montem qui vicinus erat: vnde cum summis periculis hostes nunc à dextris, nunc à sinistris, equi cui insidebat beneficio, declinans, in castrum cui *Sephet* nomen, quod in eodem monte situm erat, vix & cum multa difficultate se recepit. Capta est illâ die de Principibus nostris maxima multitudo, cæsi verò pauci: nā omnes indifferenter, tam qui rei militaris dicebantur habere prudentiam, & vsum præcipuum, quàm gregarii, hostibus tanquam vilia mancipia, ignominiosæ seruitutis iugum, & perpetuæ infamiæ notam non abhorrentes, vt miseræ vitæ consulerent, sine contradictione se tradebant. Captus est inter cæteros ibi vir nobilis & inclytus, dominus *Hugo de Ibelim*: *Oddo* quoque *de sancto Amando*, regius Marescalcus, *Ioannes Gotmanus*, *Robardus* Ioppēsis, & *Balianus* frater eius: *Bertrandus de Blanquefort*, magister Militiæ Templi, vir religiosus, & timens DEVM: & alii multi, quorū nomina non tenemus. Refudit nobis Dominus iuxta meritū viarum nostrarum fructū; & qui innocentes & de nostra præsumētes fide, spretis humanitatis legibus, oppresseramus indebitè, æquâ lance pensam reportauimus cōfusionem. *Dati sunt enim inclyti nostri, gentibus in opprobrium; & hostium expositi ludibrio, peccatis nostris exigētibus, traditi sunt in commotionē capitis, in populis: zelus Domini exercituum fecit hæc.* Bene tamen & misericorditer, non oblitus misereri, nec continēs in ira sua misericordias suas, nobiscū fecit: prouidens, vt Regem saluum faceret, qui si illa die defecisset, Regnum omne procul dubio in supremum, quod DEVS auertat, descendisset periculum. *In milite enim, quantumuis eximio, vnius sors est; in rege verò, vniuersorum periculum:* quod satis attendit diligenter qui pro Rege solicitus erat, Dauid fidelis, dicens: *Domine saluum fac Regem.* Rumor interim de Rege varius longè lateq; regionem pro ea sollicitā afficiebat, dicentibus aliis, quia gladiis confossus interierat: aliis, quòd inter concaptiuos vinctus, hostibus id ignorantibus, abductus erat; aliis, quòd Diuinâ eū protegente clementiâ illæsum, bellicis tumultibus se subduxerat. Anxiè ergo nimis, & quasi mater vnicum habēs filium, piam pro eo gerit plebs vniuersa sollicitudinem; & dum ignorat quid circa eum geratur, quicquid deteriùs accidere potest, id eum passum affectuosissimè compatiens suspicatur. Ipse verò, regione ab hostibus aliquantulū expeditâ, cum paucis admodum, qui cū eo in prædictum oppidum se cōtulerant, adiunctis sibi nōnullis qui casu de hesternis euaserant periculis, ad Acconensem properans vrbē, cum plausu populi & exultatione nō modica, quasi rediuiuus exceptus est. Factum est hoc anno regni domini Balduini quartodecimo, mense Iunio, tertiodecimo Kal. Iulii. *Noradinus* verò, sicut erat vir strenuus, & successus suos continuare impiger, transcursis vniuersis regionibus, & prædis hincinde

Marginalia: 10; 20; XIV.; 30; Psal. 43, 16. Esai. 10, 7.; 40; Psal. 19, 10.; 50; XV.

comportatis, factus locupletior; conuocatis iterum militaribus copiis, & lege edi-ctali ex Damasco & omnibus finibus eius, accitis amplioribus, adiicit iterum, vt *Pancadem* obsideret: nihil minus suspicans, quàm quòd per Regem vel eius Principes, quorum vires attriuerat, obsessis ministraretur subsidium. Locatâ igitur secundùm propositum, circa sæpedictam vrbem obsidione, more iterum hostili, machinis frequentibus, & ordine congruo dispositis, turres concutit, mœnia debilitat, & crebrâ sagittariorum operâ, & telorum instar grandinis immissione, eos qui intus se receperant, vices prohibet exercere resistentis. Ciues autem loci illius, memores, quomodo in proximè præteritâ obsidione, ciuitatem tueri cupientes, in proposito defecerant, præuenire cupientes, in præsidium sponte se receperant vniuersi. Præ- 10 fecerat autem eidem loco, & curam supremam tradiderat Constabularius, abiens, & aliis tractus negotiis, cuidam consanguineo suo, *Guidoni* videlicet de *Scandalione*, rei militaris experientissimo; sed modicæ fidei, & DEVM prorsus ignoranti. Is cum mandantis intuitu, tum prætextu propriæ existimationis, ne quos in rebus bellicis egregiè gestis titulos obfuscaret, verbo simul & exemplo alios ad resistendum animabat; nec defuturum in proximo subsidium, & perennem gloriam benè merentibus, certiùs promittens: vnde erat, quòd omnes quasi pro re propria dimicantes, stupendos se & admirabiles, pro indeficientibus vigiliis & continuis laboribus, hostibus darent. Qui nihilo minùs, omninò resistentibus omninò aduersari parati, sine intermissione molestias inferunt; & maiores habentes numeros, qui alterna- 20 tim sibi succedere præcipiebantur, eos qui vnde vires repararent, penitùs non habebant, ad defectum, anxietatibus quotidianis compellebant. Nunciatur interea domino Regi, sed & Principes qui residui erant in Regno non latebat, quantis anxietatibus, qui in ciuitate obsessi erant, premerentur. Vnde missis legationibus tam ad Principem Antiochenum, quàm ad Tripolitanum Comitem, vt morâ postpositâ ad subueniendum maturarent: Rex verò, quod residuum erat in Regno militiæ, missis conuocat præconibus: & accidit Diuinitate propitiâ, vt intra paucos dies, & expectato citiùs, vterque prædictorum Illustrium, cum honesto comitatu, Regiis se castris, sub *Castello nouo*, in loco qui dicitur *Nigraguarda*, vnde ciuitatem obsessam erat comminus intueri, se intulerint. Audiens ergo Noradinus, quòd Principes 30 prædicti cum domino Rege conuenerant & in procinctu erant, vt ad vrbem accederet: sicuti vir prouidus erat, & in negotiis suis circumspectissimus, licet oppidum iam ex partibus pluribus effregisset, & iam obsessis nulla spes esset resistendi, tamen bellorum declinans insidias, & casus præliorum ancipites, obsidione solutâ, in vlteriores sui Regni partes se cōtulit.

XVI. Cùm hæc igitur in Regno ita variè multipliciterq; geruntur, & captiuatis nostris ex maxima parte principibus, Regnum in desolatione iaceret, accidit, diuinâ nos respiciente clementiâ, Comitem Flandrensium, dominum *Theodoricum*, inclytum & magnificum virum, cuius introitus in Regno sæpe fuerat vtilis & necessarius, cum vxore *Sibylla*, quæ domini Regis ex patre soror erat, in portu Berytensium applicuisse, cuius aduentum, tantâ mentis exultatione 40 vniuersus suscepit populus, vt iam quasi præsagire videretur, Regni pressuras importabiles, eius & suorum introitu, ex parte plurima releuandas fore: nec fraudati sunt à desiderio suo, qui pro Regni tranquillitate erant piè solliciti. Nam statim post eius ingressum, adfuit magni consilii Angelus, qui nostrorum vias dirigens ad Regni compendia, & Christiani gloriam nominis, eos misericorditer præcessit, sicut consequenter dicetur. Interea tamen videntes Regni Principes, tam ecclesiastici quàm seculares, quòd Rex virilem iam nactus ætatem, sine coniuge hactenus fuerat, & pro liberis solliciti, prout oportebat, vt ei filius tanquam heres legitimus in Regnum succederet, consuluerunt in medium, vt Regi liberos non habenti, in honesto matrimonio prouideatur. Tandem post multas deliberationum par- 50 tes, multiplici concurrente ratione, visum est omnibus expedientius esse, cum domino Constantinopolitano Imperatore, super huiusmodi negotio verbum tentare: tum quia nobilium virginum & proximâ consanguinitate iunctarum, in palatio suo non deerat ei copia; tum quia Princeps potentissimus, & inter mortales locupletior, de suis copiis, nostrâ quâ Regnum maximè laborabat, poterat releuare inopiam, & tenuitatem mutatâ conditione reddere superabundantem. Missi sunt ergo de communi cōsensu, ad explendum, auctore Domino, quod con-

ceperant, dominus *Attardus* Nazarenus Episcopus, dominus quoque *Henfredus de Torono*, regius Constabularius: qui dispositis pro tempore rebus, mare ingressi, nauigio illuc iter arripuerunt. Interea ne tanti Principis, totiq; nobilium fortiumq; qui cum eo venerant, deses & sine fructu iaceret aduentus, adiiciunt de communi consilio, diuinâ eis aspirãte gratiâ, cum omnibus militaribus copiis ad partes se trãsferre Antiochenas: significatoq; eo ipso, tã domino Principi, quàm domino Comiti Tripolitano, suggeritur vtriq; familiariùs, vt certâ die præparatam habeat vterq; eorum militiam, vt subitus in terras hostium, die condictâ, eorum possit esse introitus. Factum est autem, præuio cœlesti fauore, quòd in Tripolitanis partibus, in eo loco, qui vulgò appellatur *La Boquea*, licet ex partibus diuersis, conuenerunt vnanimes. Inde hostium fines ordinatis agminibus violenter sunt ingressi. Sed tamẽ primâ fronte, non multo lætati sunt successu: nã hostium oppidum, cui vulgaris appellatio est *Castrum Rugium*, multâ expugnantes instantiâ, penitus non profecerunt. Sed debile principium melior fortuna secuta est: suggerente enim domino *Rainaldo* Antiochenorum Principe, & ad id obtinendum plurimùm pro viribus elaborante, vniuersi Principes qui conuenerant, cum suis expeditionibus ad partes Antiochenas auspiciis se dirigunt felicioribus. Quò cùm peruenissent, eis in ciuitate prædicta, dum deliberant quid pro tempore sit expedientius, morã facientibus: ecce gratissimi rumoris nuncius Regem adit & Principes, certo certiùs asserẽs, quod *Noradinus* hostium nostrorum potentissimus, qui iuxta castrum *Nepam* cum multa militia castra locauerat, aut mortuus erat, aut in incurabile & desperatam deciderat ægritudinem. In argumentum autem suæ assertionis allegabat, quòd pridie castra eius adeò turbata viderat, vt seruos eius & maximè familiares, resq; domesticas passim & sine delectu diripere volẽtibus, data esse ad prædam assereret; & cum eiulatu & fletu maximo, & cum intimi doloris euidentibus argumentis, soluta agmina, & confusum exercitum, ad partes diuersas secessisse. Erat autem vero consentaneũ, quod prædictus nuncius attulerat: nam in ęgritudinem inciderat desperatissimam, ita vt extra ordinem solutis agminibus, rapinæ in exercitu impunè fierẽt, & nullius cohiberetur violentiâ: sicut apud eos, defuncto domino, solet accidere. Ipse autem in lectica, quasi membris officia negantibus, corpore impotẽs, per manus fidelium suorum vsq; *Halapiam* delatus est. Comperto igitur nostri rerum statu, videntesq; omnia ad propositum cooperari, cõmuni voto, & approbato cõsilio, nuncios ad potentissimum Armenicorum Principem dominum *Toros* dirigunt, rogantes intimè, & modis quibus possunt id persuadere laborantes, vt omni excusatione postpositâ, cum militaribus auxiliis, Antiochiæ cum eis adesse procuret, & tam fructuosi laboris tantis Principibus se dignetur adhibere consortem. Ille verò susceptâ legatione gauisus, sicut vir impiger erat, & strenuus, conuocatis suorum ingentibus copiis, maturato itinere, Antiochiam peruenit: quo recepto, nostri gaudentes plurimùm, eductis expeditionibus vrbẽ egressi, versus Cæsaram castra dirigunt. Est autem *Cæsara* ciuitas, super Orontem fluuium, qui Antiochiam præterlabitur, sita: hanc vulgari appellatione quidam *Cæsaream* appellant, & putant eam esse, quæ est Cappadociæ metropolis eximia: cui beatus & egregius doctor præfuit Basilius: sed à vero, qui hoc credunt, exorbitant. Nam prædicta metropolis ab Antiochia distat plusquam itinere dierum quindecim, vel circa id. Hæc autem est in Syria Celes, quæ alia prouincia est, à Cappadociana diœcesi multis mediis prouinciis disiuncta; nec *Cæsarea* dicitur, sed potius *Cæsara*; vna de suffraganeis vrbibus Antiocheni Patriarchatus. Est autem ciuitas satis commodè sita, cuius pars inferior in plano iacet, superior verò in sui fastigio præsidium habet munitissimum longum satis, sed angustum admodum: cui ex altera parte ciuitas, ex altera fluuius, præter naturalem munitionem, robur præstant, & accessum reddunt imperuium. Ad quam nostri ordinatis iuxta rei militaris disciplinam agminibus, accedentes, vrbem primo aduentu, locatis ordine congruo singulorum Principum agminibus, obsidione claudunt. Obsessâ igitur ciuitate, & ciuibus hostium metu infra vrbem collectis, Rex & qui deforis castra locauerant, locatis machinis & iaculatoriis instrumentis, vrbem non cessant molestiis quibus possunt, operâ continuâ & cõtinuis laboribus fatigare. Certant Principes quisque pro sua portione, quæ ab initio sorte obtigerat, suos inuitando, & pollicendo præmia, vrbem vehementiùs impugnare: dumque

certatim priores vrbem effringere cupiunt; dum quisque sibi palmam de prima irruptione vendicare quærit, tantam ciuibus inferunt molestiam, vt ex parte qualibet, mortem sibi arbitrentur imminere. Erant enim ciues loci illius rerum militarium expertes, negotiationi dantes operam; præterea & præsentis casus ignari, nihil minus vnquam, quàm obsidionem formidabant, præsumentes & de domini sui, quem sospitem arbitrabantur, potentia, & de loci munitione. Erant ergo ad huiusmodi portanda onera, propter prædicta impares; & assultus cõtinuos simul & Martios congressus ferre non valentes. Factum est igitur, vt post dies aliquot deficientibus omnino ciuibus, ad impugnantium iugem instantiam effractis mœnibus irruerint nostri in vrbem mediam; & captâ violẽter ciuitate, oppidanis in præsidium se recipientibus, tradita sunt eis quæcunque in inferioris ciuitatis parte erant residua, & omnia indifferenter sunt ad prædam concessa: vsi ergo pro arbitrio & ciuium domiciliis, & quæ in eis reperta sunt per dies aliquot. Cùm satis in expedito videretur esse, vt & præsidium nihilominus cum omnibus qui euadendi gratiâ in illud se receperant, si debita adhiberetur instantia, faciliùs occuparetur, orta est inter Principes nostros, friuola satis, sed tamen multùm noxia contentio. Dominus enim Rex, volens patriæ saluti consulere, videns quia dominus Comes Flandrensium cùm militibus, tum pecuniâ sufficienter instructus, locum poterat contra hostium vires & insidias indemnem conseruare, ei ciuitatem ab initio destinauerat: eaque intentione & præsidium instantiùs decreuerat impugnare, vt vtrunq; receptum domino Comiti traderet conseruãdum, & iure perpetuo hereditarioque nihilominus possidendum assignaret. Hoc autem cùm ceteris Principibus valde videretur idoneum, & ad hoc gratuito vnanimiter conuenirent assensu, Princeps *Rainaldus* ambages intexuit, dicens: *vrbem illam cum suis pertinentiis ab initio hereditatis Antiocheni Principis portionem esse; ideoq; oportere, vt quicunque eam possideat, Antiocheno Principi fidelitatem exhibeat.* Comes autem supradictus pro eadem possessione, domino Regi fidelitatem deuotè paratus erat exhibere: Principi autem Antiocheno, siue domino Rainaldo, qui in præsenti administrabat principatum, siue adolescẽti *Boamundo*, qui in proximo sperabatur Princeps futurus, omnino se exhibiturum negabat: asserens, *Se nunquam nisi regibus fidelitatem exhibuisse.* Ortâ ergo peccatis nostris exigentibus, super huiusmodi quæstione, inter Principes cõtrouersiâ, neglecto negotio, quod vtile plurimùm, & ad obtinendum facile imminebat, suffarcinati spoliis, & prædâ vsque ad satietatem onusti, Antiochiam cum suis legionibus reuersi sunt.

XIX. Eodem tempore Noradini frater, *Mirmiram*, audito fratris defectu, credensque eum in fata concessisse, Halapiam peruenit, eamq; tradentibus ciuibus, sine difficultate obtinuit: dumq; circa præsidium vehementiùs instaret vt ei traderetur, cognito, quia frater eius adhuc viueret, solutis agminibus ab vrbe discessit. Per idem tempus dominus *Fulcherus* Hierosolymitanus Patriarcha, Latinorũ octauus, religiosus ac timens DEVM, Patriarchatus eius anno duodecimo, duodecimo Kal. Decembris, viam vniuersæ carnis ingressus est. Eodem nihilominus tempore, studio & industriâ dominæ *Milisendis* reginæ, & operâ eorum qui in Regno residui erant, & maximè *Balduini de Insula*, cui dominus Rex abiens curam Regni commiserat, sollicitudine & vigilantiâ receptum est à nostris præsidium trans Iordanem, in finibus Galaad situm, spelunca videlicet munitissima, quam à nostris incautè se habentibus, paucis antè annis hostes fraudulenter surripuerant. Super quo missus ad dominũ Regem nuncius vniuersas lætificauit cohortes, & audito successu, reddiderat hilariores. Interea Principes nostri qui Antiochiæ demorabãtur, etsi priùs apud Cæsaram aliquantulum dissoni, vt præmisimus, inuenti fuerant, habentes tãdem, Domino largiente, vnanimitatem spiritus, in vinculo pacis iterum adiiciunt erigere se ad opus insigne aliquod & memoriâ dignum perpetuâ. Placuit enim omnibus, & de communi processum est coniuentia, vt castrum vrbi Antiochiæ vicinum, vix ab ea distans miliaribus duodecim, prædictæ vrbi damnosum valde, & cuius larga in suburbanis, quæ vulgò *casalia* appellant, potestas & iurisdictio erat, obsideant. Factumque est, vt in die Natiuitatis Dominicæ, vniuersus circa prædictum municipium vnanimiter se locaret exercitus. Noradinus autem eâ quæ eum occupauerat adhuc detinebatur ægritudine, ita vt ex omni Orientali tractu conuocati prudentiores Physici, adhibitis remediis quæ illius infirmitas minus exaudire

videbatur,

videbatur, de vita eius desperarent penitus. Hoc autem nostris, fauorabili cœlestis numinis dispensatione, ad propositum maximè cooperari videbatur. Nam vix esse poterat, vt sospite prædicto Principe, & incolumitatis prærogatiuâ gaudente, noster exercitus in regionibus ei subditis ita liberas ageret ferias. Rex verò, & qui cum eo erant in prædicto exercitu, occasionem temporis ad suum trahentes compendium, tantò feruentiùs propositũ vrgent, & cœpto simul instant operi, quantò prædictum magnificum virum certò certiùs norunt non posse suis superesse negociis. Municipio igitur prædicto in gyrum obsidione vallato, machinas erigunt, & ea parant instrumenta, quibus solent in præsidiis obsessi ampliùs molestari. Erat autẽ 10 prædictum castrum in colle non multùm sublimi situm, ita vt videretur agger, cui superpositum erat, comportaticius & manufactus. Vnde maximam dabant, qui in exercitu erant prudentiores, operam, vt scrophas materia competenti intexerent, in quibus liberè delitescerent, qui ad suffodiendum aggerem introducerentur. Videbatur enim eis, nec erat à vero dissimile, quòd aggere per occultos suffosso cuniculos, ædificiorum quæ superposita erant, partem nonnullam corruere oporteret: crates quoque vimineas, scalas etiam mediæ quantitatis, & omnia quę in huiusmodi solent vsum præstare, maturato accelerant studio. Quibus cũ omni diligẽtia pręparatis, manipulorum quoq; pedestrium, turmarum primiceriis, equitumq; magistratibus voce præconiâ & secretioribus suggestionibus indicunt, omnes vt promptâ operâ & vigilantiore studio, ad molestandum obsessos operam darent. Sic igi- 20 tur certis partibus, singulis principibus designatis, quisq; cum domesticis & familiaribus tanquam sibi soli vniuersum incumberet negotium, instabat vehemẽtiùs: & dum quisque optimos ostentare curat se habere satellites, tantâ opus continuis assultibus & cottidianis congressionibus prosequuntur instantiâ, vt multorum opus dierum infra duos menses vigili sollicitudine complerent. Accidit sanè quadam die, quòd machina iaculatoria, quæ in præsidium diebus penè ac noctibus molares immittebat, casu in castri primicerium, & cui omnis commissa erat cura, decidit, subitoq; oppressum, in fragmenta contriuit: quo defuncto, tanquam pastore percusso, dispersæ sunt oues, & tanquam arena sine calce, sibi inuicem non 30 cohærentes, destiterunt ab illa quam prius habuerant resistendi pertinacia. Nostri autem eo cognito, tantò cœperunt instare vehementiùs, quantò interiores eis videbantur ad resistẽdum esse remissiores: nec morâ, paucis interiectis diebus missa ad dominum Regem legatione, sub conditione vt liberum & tranquillum habeant exitum, & cum rebus suis ad propria reditum, municipium domino Regi restituunt, datis eis ducibus, qui eos sine molestia vsq; ad locum quẽ ipsi expetierant, securos perducerent. Sic ergo expugnato castro, & domino Principi, cuius iurisdictionis fuerat, resignato, felici clausulâ consummatis negotiis, Antiochiam sunt reuersi: vbi valedicentes ab inuicem, dominus Rex, cũ magnifico Flandrensiũ Comite, in regnũ est reuersus, domino Comite Tripolitano vsq; Tripolim eos officiosis- 40 simè prosequente. Per idem tẽpus cùm Hierosolymitana, mortuo domino *Fulchero* bonæ memoriæ, vacaret Ecclesia, contigit Ecclesiarũ prælatos Hierosolymam conuenire, vt de substituendo tantæ sedis Antistite, secundùm statuta Canonũ tractaretur. Factum est autem, vt dicitur, quòd contra iuris regulas, tam per interuentum dominæ Milisendis sorore, quàm dominâ Flandrensiũ Comitissa Sibylla, domini Regis itidem sorore, electus est dominus *Amalricus*, Ecclesiæ Dominici Sepulchri Prior, natione Francus, de episcopatu Nouiomẽsi, de oppido Neella, vir commodè litteratus, sed simplex nimium, & penè inutilis: promotus est autem, cõtradicentibus domino *Hernesio* Cæsariensi Archiepiscopo, & domino *Radulpho* Bethleemitâ Episcopo, & appellationum voces exhibentibus. Tandem ille sede poti- 50 tus, domino *Frederico* Acconensi Episcopo negotium committit, qui ad Romanam accedens Ecclesiam, apud dominum Hadrianum, qui tunc præerat, absentibus aduersariis, multâ vt dicitur interueniente munificentiâ, eidem gratiam Romanæ sedis obtinuit: & pallium, plenitudinem videlicet pontificalis officii, secum detulit rediens. Conualuit interim medicorum diligentissimâ *Noradinus* curâ, & domino Rege in Regnum reuerso, ipse quoque sospitatem plenam adeptus, in partes se contulit Damascenas: vbi ne otium tereret, & à consueta diceretur destitisse vigilantia, æstate sequenti præsidium quoddam nostrum, in regione, quæ dicitur

XX.

XXI.

Sueta, situm, congregato exercitu, & ingentibus conuocatis auxiliis repentè obsidet. Erat autem præsidium spelunca, in latere cuiusdam montis arduo & admodum deuexo sita: ad quam non erat vel à superioribus, vel ab inferioribus partibus accessus; sed ex solo latere, calle nimis angusto, & propter præcipitium imminens periculoso, ad eam veniebatur. Habebat autem interiùs mansiones & diuersoria, quibus suis habitatoribus necessarias poterat præbere commoditates: sed nec etiam aquæ viuæ & indeficientis eis vena deerat, vt quantum loci patiebatur angustia, locus satis aptus & regioni plurimùm vtilis haberetur. Quod postquam domino Regi fidâ relatione compertum est, assumpto sibi domino Comite Flandrensium, & conuocatis Regni viribus, illuc cum omni celeritate contendit: iam enim qui intus erant, obsidionis onera ferre non valentes, conditiones interposuerant, quales necessitas extorquere solet: videlicet, quòd nisi intra decem dies eis subsidium ministraretur, municipium pro certo deinceps resignarent. Porrò idipsum domino Regi notum erat: vnde & quantum poterat maturans subsidium, iuxta Tiberiadem secus pontem, vnde de lacu Genezar Iordanis fluenta se diuidunt, cum exercitu suo castra locat. Audito igitur *Noradinus* nostrorum aduentu, consilio tractus *Syracuni* principis militiæ suæ, viri strenui & de se plurimùm præsumentis, solutâ obsidione, cum suis expeditionibus nostris obuiam se facit. Rex verò audiens, quòd *Noradinus* occurrere proposuerat, in castra conuocatis summo diluculo Principibus, adorato suppliciter viuificæ Crucis ligno, quod dominus *Petrus* prædecessor noster, Tyrensis Archiepiscopus, piæ in Domino recordationis gestabat, de communi consensu, concurrente omnium fauore gratissimo, bellum indicitur. Motis igitur expeditionibus, & arrepto itinere, exultantes animo, tanquam de victoria securi, ad locum properant, vbi hostium dicebatur esse exercitus: tandemq; pro votis eos habentes in proximo, armati ad vnguem, & instructis ordine militari cuneis, quos *acies* vocat, irruunt in hostes vnanimiter, & gladiis instant atrociùs, rem pro capite gerentes. Hostes verò nihilominus nostrorum impetus constantissimè & imperterritè sustinentes, gladiis vices referunt; & resistendo viriliter, illatas iniurias à se repellere cõtendunt animosiùs. Tandem verò post varios euentus, nostris est diuinitus concessa victoria, & hostibus non sine multa suorum strage in fugam conuersis, Rex cum suis victor campum obtinuit. Factum est autem hoc Idibus Iuliis, anno regni eius decimoquinto, in loco cui nomen *Puthaha*. Inde progressus, sicuti necessarium videbatur, ad præsidium quod obsessum fuerat, cum vniuerso contendit exercitu: vbi lapsa reparans, & locum armis, victu, & viris prudentibus diligenter cõmuniens, feliciter impleto proposito, soluto exercitu, & ad propria dimisso, reuersus est.

XXII. Porrò de nunciis, vnde superiùs fecimus mentionem, qui gratiâ coniugii domini Regis Constantinopolim ierant, mortuus est dominus *Attardus* Nazarenus Archiepiscopus, corpusq; eius ad propriam, studio & vigilantiâ suorum fidelium, delatum est Ecclesiam. Cui successit dominus *Letardus*, eiusdem Ecclesiæ Prior, vir mansuetus admodum, affabilis & benignus, qui hodie etiam eidem præest Ecclesiæ, vicesimum tertium habens in pontificatu annum. Qui autem de prædictis nunciis superfuerunt, dominus videlicet *Henfredus* constabularius, *Ioscelinus* quoq; *Pisellus*, & *Wilelmus de Barris*, inclyti & nobiles viri, & in secularibus exercitati admodũ, pro iniuncto sibi verbo, apud dominum Imperatorem debitâ instantes diligentiâ, tandem post innumeras dilationes, & verborum ænigmata, qualia Græci quælibet cauillantes, perplexis ambagibus respondere solent, pro votis impetrant: & conditionibus interpositis, tam de dote quàm de donatione propter nuptias, destinatur Regi vxor virginum illustrissima, quæ in sacris Imperii penetralibus nutriebatur. Erat autem eiusdem domini Imperatoris neptis, domini *Isaacii* fratris eius, natu se prioris filia, *Theodora* nomine, annum agẽs tertiumdecimum, formæ venustate singulariter conspicua, vultus elegantiâ, & totius corporis habitudine intuentibus fauorabilis. Dotis autem quantitas erat in centum millibus Hyperperorum, iusti põderis, exceptis decem aliis eiusdem monetæ millibus, quos dominus Imperator ad opus nuptialium expensarum liberaliter concessit; & excepto mundo virginali, in quo tam in auro, quàm in gemmis, vestibus & margaritis, tapetis & holosericis, vasis quoque preciosis, quadraginta milia iustâ æstimatione poterant computari. Rex autem proprio scripto apud dominum Imperatorem se obligans, quòd quicquid eius

eius nuncii cum eo præcisè firmarent, ratum esset habiturus, per legatos spondet firmissimè, quatinus post eius obitum vrbem Acconensem cum omnibus eius pertinentiis, totâ vitâ suâ nomine donationis propter nuptias cum omni tranquillitate, sine cōtradictione esset habitura. Peractis itaque, & ad consonantiā redactis vtrinque pactis, designatis eidem illustri puellæ de maioribus Imperii principibus paranymphis, qui eius iter vsque ad dominum Regem comitarentur, cum regiis legatis iter arripit, in Syriam, ad maritum profectura. Accidit autem, vt Septembre proximo, cum omni comitatu suo sospes & incolumis apud Tyrum applicans, infra paucos dies Hierosolymis (vt regni obtinuerat cōsuetudo) consecrata, & regio insignita diademate, peractis solēniter nuptiis, viro tradita est. Et quoniam per idem tempus Hierosolymitanus electus, consecrationis suæ munus nōdum obtinuerat, nec missi ab eo propriæ causæ patroni, à sede Apostolica fuerant reuersi: ascisciscitur de mandato regio Antiochenus Patriarcha *Aimericus*, qui & Reginæ vnctionis gratiam Regiæ conferret, & coniugii vsitata solemnia celebraret. Hic demum vxore traductâ, omnem illam leuitatem, quâ vsque ad illum diem iusto amplius dicebatur laborasse, ita penitus deposuit, vt cum Apostolo videretur posse dicere: *Cum essem paruulus, sapiebam vt paruulus, loquebar vt paruulus: ex quo autem factus sum vir, euacuaui quæ sunt paruuli.* [1. Cor. 13.] Nam & vxorem postmodum commendabili dilexisse dicitur affectu, & thori fidem vsq; ad extremum ei creditur conseruasse illibatam: postpositis itaque leuibus actibus quasi mutatus ab illo, seria cœpit amplecti, & attentius tractare salubria.

[XXIII.] Eodem anno, dominus Imperator Constantinopolitanus, conuocatis pro Imperiali magnificentia ex omnibus Imperii finibus, militaribus copiis; & ingenti exercitu ex omnibus tribubus & populis & linguis & nationibus cōgregato, transito Hellesponto, in Syriam descendere proposuit: transcursisque mediis cum omni celeritate prouinciis, ex improuiso, ita vt vix cuipiam credibile videretur, cum exercitibus suis in Ciliciam, circa Decembris initium, subitus aduenit. Huius autem tam maturati itineris causa erat præcipua, quòd quidam Armenorum potentissimus Princeps, *Toros* nomine (de quo superius fecimus mentionem) vniuersam Ciliciam, quæ montibus, in quibus ille habebat castra munitissima, subiacebat, ab vrbe murata vsque ad extremum suburbium violenter occupauit, *Tarsum* videlicet primæ, & *Anauarzan* secundæ Ciliciæ metropoles; & alias ciuitates, *Mamistram*, *Adanam*, *Sisium*, eiectis inde Imperialium negotiorum procuratoribus, in suam redegerat potestatem. Vt autem eum incautum posset opprimere, & iter accelerauerat, & occultauerat intentionem. Mouerat eum etiam nihilominus & Cypriorum causa lugubris, & fauore digna, in quos tāquam in hostes fidei & detestabiles parricidas, Princeps Antiochenus, vt præmisimus, tam inhumanè suam exercuerat tyrannidem. Tam subitus autē, vt prædiximus, fuit Imperialium exercituum aduentus, vt prædictus *Toros*, qui Tarsi tunc morabatur, vix liberas ferias habuerit, vt ad montes vicinos, gratiâ salutis, se conferret, cùm ecce legiones, & primi de exercitu, campis iam infuderant se patentibus. Quo audito, Princeps Antiochenus *Rainaldus* stimulis conscientiæ agitatus, eò quòd non multo ante eius aduentum tempore, in Cyprios innocentes & immeritos tantâ desæuisset insaniâ, & tam eis, eorumque vxoribus & liberis, DEO & hominibus abominabilem intulisset iniuriam: timens eius aduentum, ne fortè prædictorum vociferantium querulis vocibus excitus ad vindicandas eorum iniurias descendisset, cœpit anxius deliberare, nunc secum, nunc si quos habebat magis familiares adhibitis, quid eum facere oporteret: & quo satisfactionis genere Imperiali se posset de tanta offensa reconciliare amplitudini. Tantaque cum (vt dicitur) de domini Imperatoris aduentu formido corripuerat, vt nec domini Regis, quem tamen in proximo venturum sperabat, vellet expectare præsentiam: cùm tamen certo certius nosse poterat, eius interuentione & studio, & maximè nouæ affinitatis gratiâ, in causa prædicta, longè meliores se inuenturum conditiones. Visus ergo domesticorum consilio, assumptis ex eis pro arbitrio nonnullis, domino quoque *Girardo* venerabili Laodicensium Episcopo, sibi facto itineris consorte, in Ciliciam, vbi dominus Imperator erat cum suis expeditionibus, obtentâ tamen prius quorundam familiarium domini Imperatoris gratiâ, qui verbi huius interpretes discurrebant, ad vrbem *Mamistram* peruenit: vbi post multos circuitus, cū summa ignominia & populi nostri confusione, Imperiali

reconciliatus est excellentiæ. Nudis enim, vt dicitur, pedibus, indutus laneis manicis vsque ad cubitum decurtatis, fune circa collum religato, gladium habens in manu nudum, quem mucrone tenens, cuius capulum domino Imperatori porrigeret, coram vniuersis legionibus, domino Imperatori præsentatus est: ibiq; ante pedes eius ad terram prostratus, tradito domino Imperatori gladio, tam diu iacuit, quousque cunctis verteretur in nauseam, & Latinitatis gloriam verteret in opprobrium, & *in delinquendo & satisfaciendo vehementissimus*.

XXIV. Dominus quoque Hierosolymorum Rex, audito domini Imperatoris aduentu, assumpto sibi fratre, & de Regni Principibus electissimo comitatu, relicto domino Comite Flandriæ, qui in proximè futuro transitu ad propria decreuerat redire, versus Antiochiam festinus contendit: quò perueniens, nuncios ad dominum Imperatorem, dominum videlicet *Gaufridum* Abbatem Templi Domini, Græcæ linguæ habentem commercium, & nobilem virum dominum *Ioscelinum Pessel* dirigit, debitæ salutationis affatum per eos officiosissimè dependens, & de eius sciscitans beneplacito, vtrum eum ad se velit accedere, & domini Regis sibi habere præsentiam. Quibus datum est in responsis, vt Regem moneant & inuitent, vt ad eum venire non pigritetur. Insuper & de Imperiali latere mittitur illustris *Apocrisarius*, qui & literis & viuâ voce, tãquam Imperii dilectissimum filium, Regem sollicitet, vt ad eum accedere non recuset. Statutâ ergo die, assumpto sibi egregiorum equitum selecto comitatu, illuc perueniens, honestissimè susceptus est: nam statim in occursum ei ab eo diriguntur duo nepotes eius, fratres vterini, Ioannes videlicet Protoseuasto, & Alexius Protostrator, qui inter illustres sacri palatii primum obtinebant locum, cum maximo nobilium comitatu. Deinde ipsis eum ducentibus vsque ad ostium tentorii, vbi dominus Imperator cum suis Illustribus residebat, cum multa gloria introductus, humanissimè ab eo salutatus, & ad osculum pacis erectus, secus eum in sede honesta, humiliore tamen, locatus est. Vbi & eius consortibus tam debitæ salutationis affatu, quàm pacis osculo ab eo humanissimè honoratis, de incolumitate tã domini Regis quàm suorum, qui cum eo aduenerant, diligenter quærit; & vultum exhibẽs solito lætiorem, verbo & toto corporis gestu significat, eorum se aduentum gratissimè suscepisse, & oblatâ tanti Principis & suorum delectari præsentiâ. Crebris itaque collocutionibus tam secretis quàm in cœtu procerum, & gratâ circa dominum Imperatorẽ conuersatione per dies decem, quibus apud eum iugem se exhibuit, sicuti vir gratiosus erat, tantum domini Imperatoris & Principum suorum fauorem meruit, & tanto caritatis vinculo eorum cordibus conglutinatus est, vt & viuentem vnicè de cætero tanquam filium dilexerint, & defuncti, apud eos eius memoria vsque hodie non desinat esse in benedictione. Et ne apud dominum Imperatorem mora eius esset infructuosa, sicuti vir argumentosus erat, & oculum in secularibus habens perspicacem: videns quòd dominus Imperator extra vrbem castra locari præceperat, vt cõtra prædictum *Toros*, quem odio persequebatur insatiabili, dirigeret exercitus, impetratâ prius licentiâ, cœpit tractare diligentiùs, quomodo prædictum Principem domino Imperatori reconciliare posset. Vocatoque eo, & præsente constituto, resignatis præsidiis quæ dominus Imperator reposcebat, in gratiam eum restituit pleniorem: ita vt fidelitatem ligiam, per eiusdem domini Regis interuentionem, antequam ad propria reuerteretur, manualiter eidem exhiberet. Tãdem à domino Imperatore, prout magnificentiã decebat Imperatoriam, cum suis principibus donis vberioribus, & immensâ munerum liberalitate cumulatus, prosequente eum vniuersorum gratiâ, Antiochiam reuersus est. Audiuimus à quibusdã, omni exceptione maioribus & fide dignis, quòd exceptis illis, quæ eius consortibus prodigâ liberalitate contulerat, quæ infinita credebantur, soli domino Regi viginti duo milia Hyperperorum, & tria milia marcarum argenti examinatissimi, exceptis vestibus & holosericis, & vasis preciosis, dicebatur largitus. Antiochiam verò veniens, fratrem suum dominum *Amalricum* Ioppensem & Ascalonitanum Comitem, cum domino *Hugone de Iebelino*, qui nuperrimè de hostium vinculis redemptus, postliminio reuersus fuerat, ibidem reperit. Qui & ipsi dominum Imperatorem adire cupientes, illucq; postmodum profecti, ab eodem domino Imperatore benignè suscepti, tractati honestiùs, de more Imperiali, donis vberioribus honorati, gaudẽtes ad dominum Regem remissi sunt.

XXV. Peractâ igitur in Cilicia Dominicæ Paschæ solemnitate,

mnitate, transcursis diebus celebribus, versus Antiochiam exercitus dirigit, & legionibus vsque ad vrbem applicatis, pro foribus eius astitit in infinita multitudine formidabilis: vbi dominus Patriarcha cum vniuerso clero & populo, cum textibus Euangeliorum, & omnimodo Ecclesiarum ornatu, obuius adfuit. Rex quoq; cum Principe eiusdem loci, & Ascalonitano Comite, cum vniuersis tam Regni quàm Antiocheni principatus proceribus ei obuiam exiens, cum summa gloria, Imperiali diademate laureatum, & Augustalibus decoratum insignibus, cum tubarum stridore, & tympanorum strepitu, cum hymnis & canticis in vrbem introducunt, & vsq; ad cathedralem Ecclesiam, ad basilicam videlicet Apostolorum Principis, deinde ad palatium cum eadem patrum & plebis prosecutione deducũt. Vbi cùm per aliquot dies balneis, & cæteris corporalibus deliciis operam dedisset, effusa in populum ciuitatis, more solito rogâ liberalissimâ, proposuit venandi gratiâ vrbe exire; & ad loca venatui apta, gratiâ tollendi exire fastidii, dominum Regem secum trahens, eiusdem operis consortem. Accidit autem, vt prædicto studio insistentes, die solenni Ascensionis Dominicæ, dum saltus more circumeunt venatorio, Rex equi cui insederat raptus impetu, per loca humilibus frutectis & sentibus obsita, casu raptus in præceps, & ad terram cum equo prouolutus, brachium fregit: quod vt domino Imperatori innotuit, ei multa humanitate compatiens, chirurgicorũ implens officium, flexo ante eum genu, tanquam vnus de popularibus operam ministrabat diligentem: ita vt cum indignatione stuperent, & mirarentur eius principes & cõsanguinei, quòd maiestatis oblitus Imperatoriæ, & Augustalem negligens dignitatem, Regi se exhiberet ita deuotum & familiarem, quòd etiam eorum cuilibet videretur indignum. Redeuntes ergo inde ob casum qui acciderat Antiochiam, per dies singulos visitationis gratiâ dominum Regem adibat, & cataplasmatibus innouatis cum vnguentis necessariis fasciâ iterum diligẽter inuoluebat: tantâ circa eum curâ sollicitus, quâ maiorem vix posset ægrotanti adhibere filio. Domino igitur Rege plenam conualescentiam assecuto, præcipit Imperator, & voce præconiâ notum fieri mandat primiceriis legionum, vt certâ die versus *Halapiam* acies dirigant, & machinas cum bellicis instrumentis ante se faciant deportari: ipse verò cum domino Rege, & vtriusque Principibus, cum tubis & tympanis, & præliorum incẽtoribus lituis, vrbe postmodum egressus, in eo loco qui vulgò appellatur *Vadum Balenæ*, substitit, & exercitus vniuersus. Inde missis nunciis ad *Noradinum*, qui fortè Halapiæ tunc erat, obtinet per legatos, quendam *Bertrandum* comitis sancti Egidii naturalem filium, cum quibusdam aliis concaptiuis sibi dari. Ipse verò postmodũ non multò interiecto temporis interuallo, reuocantibus eum curis domesticis, ad propria reuersus est. Rex etiam post domini Imperatoris discessum, cum suis quos secum eduxerat, in Regnum se recepit. Per idem tempus domino *Hadriano* Papâ apud Anagniam vrbem Campaniæ morbo squinantiæ defuncto, corporeque eius Romam translato, & in basilica beati Petri Apostolorum principis honorificè sepulto: dum de substituendo pastore inter Cardinales haberetur tractatus, sicut in talibus solet frequenter contingere, diuisa sunt eligentium desideria: ita vt pars eligeret dominum *Rolandum* eiusdem Ecclesiæ presbyterum Cardinalem, tituli beati Marci, qui idem erat sedis Apostolicę cancellarius, cui manus imponentes, & ordinantes Episcopum, *Alexandrum* appellauerunt. Alii verò dominum *Octauianum*, virũ secundùm carnem nobilem, eiusdem Ecclesiæ presbyterum Cardinalem tituli sanctæ Ceciliæ trans Tyberim: cui etiam nihilominus manus imponentes, Episcopum constituerunt, vocantes eum *Victorem*. Cuius schismatis occasione, vniuersa Latinorum Ecclesia, peccatis nostris exigentibus, paulò minus habuit diuidi, & irreuocabiliter ab inuicem separari, maioribus Orbis Principibus certatim partibus gratiam suam & fauorem ministrantibus. Tandem anno nonodecimo, redeunte ad vnitatem Ecclesiæ, domino *Frederico* Romanorũ Imperatore, qui parti oppositæ auxilium suggerebat, & consilium; & domino *Alexandro* Papæ plenâ caritate reconciliato, reddita est pax Ecclesiæ, & depulsis errorum tenebris, resplenduit tranquillitas, quasi stella matutina in medio nebulæ. Interea *Noradinus* lætus admodum de Imperatoris discessu, cuius aduentus magnum, præsentia maiorem ei terrorem incusserat, securus iam de cætero de tanti Principis suspecta nimis potentia, videns etiam dominum Regem ad propria reuersum, occasionem se arbitratus reperisse,

XXVI.

XXVII.

qualem à multis retro tēporibus desiderauerat: conuocatâ ex vniuersis finibus suis militiâ in terram *Soldani Iconiensis*, quam sibi habebat conterminam, expeditiones dirigit, & vrbem *Mares*, simul & oppida *Cressum* & *Behetselin*, in suam satagit redigere potestatem. Soldanus autem, ab illis remotus partibus, non facilè suis poterat ministrare subsidium: vnde & eâ fiduciâ contra fortiorem se, hoc præsumpserat aggredi *Noradinus*. Cognito autem dominus Rex, quòd circa partes illas cum omnibus viribus suis detineretur occupatus, volens illius occupationes ad suum trahere compendium, sciens Damascenorum fines absque militarium virorum robore, hostium facilè patere insidiis, congregato exercitu, regionem Damascenorum ingreditur, & cuncta pro arbitrio incendiis tradens, & prædæ, ab *Offro*, primæ Arabiæ famosa metropoli vsque Damascum, nemine contradicente, liberè contraducebat exercitum. Erat autem Damasci quidam nobilis *Negemedinus* nomine, cui ob plurimam rerum secularium quam habere dicebatur experientiam, negotiorum suorum curam commiserat, & vrbem cum suis pertinentiis pro eius arbitrio eidem tradiderat gubernandam. Hic videns dominum suum in regione remota magnis occupatum negotiis, seq; virorum militarium copias non habere, quibus Regiis viribus posset resistere, tanquam vir prouidus, & instantia pericula à se quærens propellere, oblatis quatuor millibus aureorum, pacem trium mensium postulat, & multiplicatis sibi datâ pecuniâ intercessoribus, impetrat postulatam, datis insuper sex gregariis militibus, quos in vinculis detinebat. Sic ergo Regem cum suo exercitu à patria sua prudenter amouit. Interea domina *Milisendis* Regina, mulier prouida, & supra sexum discreta fœmineum, quæ Regnum tam viuēte marito, quàm regnante filio, congruo moderamine annis triginta, & ampliùs, vires transcendens fœmineas rexerat, ęgritudinem incidit incurabilem, de qua vsque ad obitum salutem non recepit, licet vtraq; sororum eius tam domina Tripolitana Comitissa, quàm domina Abbatissa sancti Lazari de Bethania, omnem circa eam impenderent diligētiam; & accitis medicorum vndecunq; peritissimis, remedia qualia videbantur necessaria, non cessarent ministrare: ipsa verò aliquantisper læsâ memoriâ, corpore quasi consumpto, lecto decumbens, multo tempore, paucissimis ad eam reserato accessu, iacebat quasi dissoluta. Rex autem interim effluxo tempore, quod *Negemedino* Damascenorum procuratori constituerat, temporeque fœderis quod initum fuerat decurso, Noradino adhuc circa partes prædictas, nondum completis negotiis occupato, hostium fines violenter ingreditur, & pro arbitrio regionem discurrens, prædas trahit liberè, incendia procurat, manubias agit sine contradictore: & depopulatâ regione, effractis suburbanis, captiuatis locorum incolis, iterum sospes ad propria reuersus est.

XXVIII. Non multo autem interiecto tempore, accidit quòd princeps Antiochenus *Rainaldus*, cognito per exploratores, quòd in partibus illis, quæ & aliquando fuerant Comitis Edessani, inter *Maresiam* & *Tulupam* absque militaribus viris, terra armentis & gregibus referta, locorum incolis armorum vsum nescientibus, facilè posset patere ad prædam: credulus, aurem præbet dictis eorum facilem, & collectâ ingenti militiâ, infaustis auibus iter aggreditur. Perueniensque ad loca prædicta, dictorum plenam inuenit fidem: nam proculdubio armentorum & gregum stupendam reperit multitudinem: sed populus cuius hæc erant, populus fidelis erat. Tota enim illa regio non nisi in præsidiis Turcos habet, paucos admodum, qui & præsidia tuentur, & rusticorum præstationes colligunt, dominis maioribus, quorum procuratores sunt, conseruandas. Suburbana autem soli Christiani, Suriani & Armeni inhabitant, & agriculturæ operam dant, & rura colunt. Collectâ igitur ex diuersis partibus prædâ, & manubiis nemine prohibente comportatis, onusti spoliis, & multimodâ supellectile locupletati, sospites & cum omni tranquillitate reuertebantur: cùm ecce *Megedin* præfectus Halapiensis, Noradino familiaris, & fidei synceritate coniunctissimus, assumptâ sibi vniuersæ regionis expeditiore militiâ, eius præcognito reditu, maturat ei exire obuiam, vt sarcinis & prædâ oneratos, aliquibus locorum angustiis, aut impeditos opprimeret, aut saltem impedimenta relinquere compelleret violenter. Factūq; est, vt iuxta prudentis viri conceptum, properantes illi obuiam, ducibus itineris qui de exercitu Principis aduenerant, ad locum perueniunt destinatum, proximum satis regioni, vbi Princeps cum vniuersa præda castra locauerat. Qui cognito hostiū aduentu,

aduentu, cum suis deliberat, quid eum in præsenti necessitate oporteat facere: relictoque saniore consilio, videlicet, vt prædâ dimissâ, expeditiores sine multa difficultate redirent ad propria: elegerunt, vt prædam & spolia non deserentes, cum hostibus, nisi per eos staret, strenuè decertarent. Manè itaque facto, & die iam aliquantulum adultâ, concurrentibus agminibus pugna committitur, instantibus hostibus arcubus & gladiis, studio valde pertinaci. Nostri autem, etsi primâ facie animũ resistendi visi sunt habuisse, nouissimè tamen mente consternati, terga dederunt, fugã dimissis spoliis eligentes. Princeps autem, peccatis suis exigentibus, omnes quas cõmiserat impietates, corporaliter luiturus, captus est, & compedibus religatus, Halapiam cum aliis cõcaptiuis spectaculum factus populis infidelibus, cũ summa ignominia deductus est. Factum est autẽ hoc, anno regni domini *Balduini* decimo octauo, mense Nouembre, nono Kal. Decembris, inter Cressum & Mares, in loco qui dicitur *Commi*. Per eosdem dies, quidam *Ioannes*, vir admodum literatus, Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis, tituli sanctorum Ioannis & Pauli, missus à domino *Alexandro* Papa ad partes Orientales legatus, apud *Biblium*, cum quibusdam Ianuensibus applicuit. Volens igitur impetratâ licentiâ, tanquam Legatus in Regnum introire, prætentauit domini Regis & aliorum Regni Principum, tam ecclesiasticorum quam secularium mentes, quidnam de eius ingressu sentirent. Diuisus enim erat, vt prædiximus, occasione schismatis oborti, penè orbis vniuersus: aliis domino Papæ Alexandro, aliis parti oppositæ fauentibus. Vnde post multam deliberationem, mandatum est ei ex parte, vt subsisteret, nec in Regnum præsumeret ingredi, quousq; habitâ cum prælatis Ecclesiarum & Regni Principibus pleniore deliberatione, ei de communi consilio mandaretur, quid eum facere oporteret. Interim ergo conuocatis apud *Nazareth*, tam domino Patriarchâ, quàm reliquis ecclesiarum prælatis, de Principibus quoque nonnullis cum domino Rege assistentibus, cœperunt deliberare, quid in tanta ambiguitate facto esset expedientius. Omnes enim Orientis Pontifices, de vtroque patriarchatu, in neutram partium manifestè declinauerant, in occulto tamen, aliis huic, aliis illi suum fauorem præstãtibus. Factum est autem, sicut in talibus solet contingere, quòd dissentientes ab inuicem, & votis eorum in plura distractis, alii dicerẽt, quòd dominus *Alexander* & eius Legatus susciperetur, vtpote caussam fouens potiorem: quorum Princeps erat dominus *Petrus*, piæ in Domino recordationis, prædecessor noster, Tyrẽsis Archiepiscopus: Alii è conuerso domini *Victoris* caussam præferentes, & eum semper Regno amicum & tutorem fuisse asserentes, Legatum nullo modo recipiendum esse censebant. Rex autem mediam quandam viam sequens, cum suis Principibus & de ecclesiarum prælatis quibusdam, timens ne Episcopi inter se diuiderentur & scinderetur Ecclesia, persuadebat neutram partium recipiendam esse: Legato verò, si tanquam peregrinus, orationis gratiâ, absque insignibus Legationis, ad loca Sancta vellet accedere, dandam esse licentiam, & concedendam libertatem moram in Regno faciẽdi, vsque ad primum transitum, ex tunc redeundum ei esse. Allegabat etiam, & dictorum suorum causam subiungebat & rationem, dicens: *Schisma recens est; necdum orbi innotuit, vter eorum caussam foueat potiorem: periculosum autem esse, in re dubia partem sibi ex sententia deligere, & de re incerta diffinitiuam præcipitare sententiã. Præterea, nec Legato opus esse in Regno, qui Ecclesias & monasteria grauet impensis, extorsionibus attenuet.* Hæc erat domini Regis sententia: quæ licet vtilior videretur, tamen præualuit eorum sententia, qui legatum esse recipiendum asserebant. Vocatus igitur in Regnum venit, multis quibus aduentus eius placuerat, postmodum onerosus. Per illud tempus natus est domino *Amalrico* Ioppensium Comiti, ex *Agnete* filia Comitis Edessani, filius, quem patris rogatu, Rex de Sacro fonte suscipiens, suum ei nomen imposuit: cumque ab eo iocosè quæreretur, *Quidnam nepoti, & filio de Sacro fonte suscepto donaret?* respondit, sicuti homo iocundi & vrbani sermonis erat; *Regnum Hierosolymorum.* Quod verbum quibusdam prudentibus, qui hoc audierant, altius descendit in pectus, notantes: quòd licet iuuenis esset admodum, & vxor eius adolescentula, præsagire videbatur, quòd absque liberis foret ex hac luce subtrahendus: quod & factum est. Capto igitur Principe, & Antiochenâ prouinciâ rectoris solatio destitutâ, populus iterum regionis, timore & anxietate corripitur; & diebus singulis regionis desolationem, nisi Dominus eos custodiat, animis suspen-

XXIX.

XXX.

sis expectat: tandemque visum est ad solitum recurrere auxilium, & ab eo contra mala imminentia petere solatium, vnde sine repulsa sæpiùs obtinuerant postulatum. Missa igitur legatione, & adiunctis precibus lachrymosis, dominum Hierosolymorum Regem suppliciter inuitant, vt ad subueniendum genti desperatæ, populo pereunti, honorem & gloriam ab hominibus, & à Domino præmia relaturus æterna, venire non moretur. Rex autem miserabili regionis illius casu cognito, prædecessorum suorum vestigiis inhærens, eorum anxietatibus compatiens, laborem deuotus amplectitur; & assumptâ secum honestâ militiâ ad partes accelerat Antiochenas: vbi cum omni gaudio & animorũ exultatione, eius à patribus & plebe susceptus est aduentus. Residens ergo in eadem ciuitate quantum temporis & loci deposcebat necessitas, negotiis Principatus tanquam suis propriis exactissimam adhibet diligentiam: & regionis procuratione domino Patriarchæ ad tempus, vsque dum redeat commissâ, honestisque sumptibus dominæ Principissæ constitutis, rerum domesticarum sollicitudine reuocatus, reuersus est ad propria. Porrò domino Rege in Regnum reuerso, ecce adsunt domini Imperatoris Constantinopolitani, viri spectabiles, & in sacro Palatio præclari, Legati Imperiales, literas cũ aurea bulla, simul & verba secretiora ad dominum Regem deferentes. Horum autem primus erat, vir illustris *Gundostephanus* eiusdem domini Imperatoris consanguineus: secundus erat maximus Palatinorum interpretum, *Trifsillus*, homo vafer, & pro negotiis Imperialibus valde sollicitus: qui, vt prædiximus, sacros apices detulerunt, quorũ tenor erat, vt in summa dicatur, talis: *Noueris, nobis dilectissime & Imperio nostro acceptissime, quòd fœlix & inclytæ in Domino recordationis* Hirene, *sacri Imperii nostri consors, diem vitæ clausit extremum, electis spiritibus socianda, vnicâ nobis filia communis Imperii herede relictâ. Nos autem de Imperii successione solliciti, & melioris sexus sobolem non habentes, de secundis votis cum illustribus sacri palatii diligentem sæpiùs habuimus tractatum. Tandem de vniuersorum principum fauore & consensu placuit, vt de sanguine tuo, quem vnicè diligit nostrum Imperium, nobis in consortium iungamus Imperii: & vtram consobrinarũ tuarum seu illustris viri Comitis Tripolitani sororem, seu magnifici viri principis Antiocheni germanam iuniorem nobis elegeris, nos pro tua optione, synceritati tuæ omnem fidem habentes, eam nobis in thori sociam & Imperii participem, auctore Domino assumemus.* Cognitâ ergo Rex, domini Imperatoris, tum ex eius literis, tum ex nunciorum viuâ voce, intentione, spondet obsequium, operam promittit, & gratias multiplices Imperatoriæ soluit maiestati, tum quia de sanguine eius in tantam eminentiam sibi associare proposuit; tum quia eius fidem commendans, in eius ponit arbitrio, vtram ipse delegerit, eam in thori participem & Imperii consortem assumpturum.

XXXI. Rex ergo habitâ deliberatione cum suis familiaribus, quid sibi & Imperiali celsitudini, in præsenti facto magis conueniat, cõuocatis Imperialibus nũciis persuadet, & præcipit, quatenus *Milisendem* bonæ indolis adolescentulam, domini Comitis Tripolitani sororem, domino suo suscipiant in vxorem. Illi verò cum summa reuerentia domini Regis amplectentes verbum, præstiterunt assensum: contestantes tamen, quòd hoc ipsum domino Imperatori per nũcios & literas significari oporteret. Præparantur interea virgini tanto culmini destinatæ, à matre & amita, fratre & amicis omnibus, immensorum sumptuum ornamenta, & modum nescientia, supra vires Regias; murenulæ, inaures, spinteres, & periscelidæ, annuli, torques & coronæ ex auro purissimo: vasa quoque argentea, immensi ponderis & magnitudinis; inauditæ ad vsum coquinæ, escarum & potuum, & lauacrorum obsequium præparantur, exceptis frænis, sellis, & vt breuiter dicatur, omnimodâ supellectile: quæ omnia tam infinitis præparabantur impensis, & tanto studio procurabantur, vt ipsa etiam opera suum prędicarent excessum, & regium luxum facilè superarent. Interea dum Græci singula ad vnguem perscrutantur & rimantur interiùs de moribus puellæ, de occultarum corporis partium dispositione, dum nuncios frequentes ad Imperatorem dirigunt, & eorum præstolantur recursum, annus effluxit: quod valde molestè ferentes tam dominus Rex & Comes, quàm reliqui eiusdẽ virginis cognati & amici, Imperiales nuncios publicè conueniunt, alterutrum duûm proponentes. Vt aut præcisè à verbo diù tractati desistant matrimonii, & expensas resarciant: aut desinant morarum perplexitates intexere, & consummato negotio iuxta conuentiones initas finem imponãt. Comes autem multiplicibus grauabatur impendiis: nã & duode-

duodecim galeas fieri iusserat, & eas instruxerat vsque ad plenum, quibus sororem vsque ad maritum prosequi decreuerat, & tam de Principatu quàm de Regno omnes maiores apud Tripolim conuenerant, expectantes Dominæ in proximo futurum exitum: quibus Comes ex toto, aut ex parte plurima, prouidebat necessaria. Græci autem more suo amphibologicè respondentes, rem adhuc protrahere nitebantur: verùm dominus Rex eorum sophisticis occurrens moliminibus, specialem super eo negotio, ad dominum Imperatorem, dominum *Ottonem de Risbergis*, dirigit nuncium, obnixè postulans, vt ei per eundem voluntatem suam præcisè declaret: qui sperato citiùs ad dominum Regem rediens, & viuâ voce & literis edocet domi-
10 no Imperatori quæ tractata erant, de prædicto matrimonio, omnia displicere: quod intelligens Rex, à verbo destitit, pro multa ducens ignominia, quòd id quod eius interuentu credebatur esse tractatum, & partibus suis absolutum, in irritum deuenisset; & proculdubiò in suam videbatur redundare iniuriam. Porrò domini Imperatoris nuncii, Comitis Tripolitani indignationem formidantes, inuentâ casu nauiculâ, in Cyprum se fecerunt deportare. Soluto itaque cœtu optimatum, qui apud Tripolim conuenerant, dominus Rex in partes secessit Antiochenas, quarum curam, vt prędiximus, à populo regionis diligenter expetitus, sibi assumpserat: ad quas cùm peruenisset, eosdem Imperatoris nuncios reperit, quos à Tripoli credebat abiisse. Hi cum domina Principissa pro filiarum eius nouissima, *Maria* nomine, quotti-
20 dianum & familiarem habebant tractatum. Insuper & domini Imperatoris auro signatas in præsenti habebant literas, quibus ratum se habiturum, quod per eorum manum de præsenti matrimonio, cum domina Principissa vel amicis eius firmaretur, promittebat. Præsens ergo factus Rex, communicato ei verbo, etsi in priore facto læsus videretur, eatenus vt meritò in præsenti operam, & studium domino Imperatori posset subtrahere, tamen gratiâ cōsanguineæ, quæ pupilla erat, & patris destituta solatio, partes interponit suas; & post multas dilationes, effectui satagit mancipari. Completo itaque negotio, galæis in faucibus Orontis fluminis, in loco qui dicitur *portus sancti Symeonis*, præparatis, traditâ puellâ, prosequentibus eam de magnatibus regionis, qui ad hoc videbantur idonei, & vsque ad maritum viæ consor-
30 tibus, iter arripiunt. Interea dum Rex in partibus illis moram faceret, vt eius præsentia regioni esset vtilis, castrum quod super pontem fluminis *Orontis* (qui vulgò dicitur *Pons ferri*) aliquando fuerat, ab vrbe Antiochena quasi sex aut septem distans miliaribus, reædificauit, vtiliter satis, ad cohibendum hostium discursus & latrocinantium introitus occultos. Occupato ergo eo circa partium illarum negotia, pia mater eius longo macerata languore, & continuis exhausta cruciatibus, tertio Idus Septembris viam vniuersæ carnis ingressa est: quod postquam ad eius peruenit notitiam, veris contestans argumentis quantâ eam synceritate dilexisset, in lamenta se dedit, & per dies multos nullam prorsus recepit consolationem. Sepulta est autem inclytæ recordationis domina *Milisendis*, Angelorum choris inferen-
40 da, in valle Iosaphat, descendentibus ad sepulchrum beatæ & intemeratæ DEI genitricis & virginis Mariæ ad dexteram, in crypta lapidea, ianuis ferreis præsepta, altare habens vicinum, vbi tam pro remedio animæ eius, quàm pro spiritibus omnium fidelium defunctorum, acceptabiles creatori quotidie offeruntur hostiæ. Interea *Comes Tripolitanus* dolore cordis tactus intrinsecus, & ægrè ferens, quòd ab Imperatore sic erat delusus, videns se occasione Imperatoris enormes fecisse impensas, sororem suam, tanquam gregarii alicuius filiam, ab eo sine caussæ cognitione repudiatam esse, anxius apud se gemit, & ex corde ducit suspiria, cogitans si quâ viâ posset Imperatori reddere vices, & pro illata iniuria eâdem mēsurâ reddere talionem. Hæc ei cogitanti, ex diuerso occurrebat, quòd Princeps inter mortales erat poten-
50 tissimus, nec eius vires sufficere poterant, vt eum vel in aliquo lædere posset: tamen ne illatam iniuriam aut non sentire videretur, aut negligentiùs dissimulare, galeas quas ad alium vsum præparauerat, dolore compulsus, armari præcipit: & vocatis piratis, & nefandorum scelerum artificibus eas tradit, præcipiens, vt prædicti Imperatoris terras obambulantes, omnino nec ætati parcerent, nec sexui, & conditionum etiam nullam haberent differentiam: sed passim & sine delectu tam monasteria, quàm ecclesias, omnia traderet incendiis, & rapinas vbique, siue homicidia liberè perpetrarent, pro iusta caussa arma & vires illaturi. Illi autem dicto parentes,

XXXII.

XXXIII.

mare ingressi, regiones Imperatoris, tam quæ in insulis erãt quàm quæ in terra mari contermina perlustrantes, verbum Comitis interpretantes largiùs, vbique rapinas, vbique incendia, vbique homicidia procurant; Ecclesias violant, effringunt monasteria, locorum venerabilium omnino nullam habentes differentiam. Sed & Peregrinis Loca Sancta adeuntibus, vel inde reuersis, viaticula sua diripientes, nudos & inopes, aut mori, aut in mendicitate vitam protrahere compellebant: negotiatoribus nihilominus victum eo commercii genere sibi, vxoribus & liberis propagantibus, bona quæ congesserant diripientes, vacuos domum redire, sorte cum lucro deperditâ cogebant.

XXXIV. Dum hæc Comes Tripolitanus, zelo propriæ ductus iniuriæ procurat, Rex apud Antiochiam ante ingruentem hyemem, prout cõsueuerat, pharmaco vti volens, per manum *Barac*, medici Tripolitani Comitis, pillulas accepit, & quas in instanti sumeret, & quas postmodum modico interiecto tempore esset accepturus: *Nostri enim Orientales Principes, maximè id efficientibus mulieribus, spreta nostrorum Latinorum physicâ & medendi modo, solis Iudæis, Samaritanis, Syris & Sarracenis fidem habentes, eorum curæ se subiiciunt imprudenter, & eis se commendant, physicarum rationum prorsus ignaris.* Dicebantur autem prædictæ pillulæ veneno infectæ, nec erat à vero multùm dissimile: nam residuum quod Regi secundò sumere mandatum fuerat, postea experimento apud Tripolim in pane infuso, cuidam datum caniculæ, mortem sibi infra paucos dies propinauerunt. Ab ea igitur die, quâ prædictam Rex bibit medicinam, cum dysenteria febriculam incurrit, quæ postea in hecticam versa est, nec ab ea, vsque in diem obitus, remedium sensit, aut conualescentiam. Sentiens igitur apud se doloris instantiam & ægritudinis augmentum, ab Antiochia discedens vsque Tripolim peruenit. Vbi mensibus aliquot decubuit, de die in diem expectans remedium. Vbi autem ægritudinem cognoscens inualescere, & salutis nullam superesse fiduciam, *Berythum* deportatus, ecclesiarum prælatos, simul & Regni Principes ad se cum omni celeritate præcipit euocari: quibus in præsentia sua constitutis, fidem suam piè ac religiosè articulatim aperiens, in spiritu contrito, & humiliato, præsentibus Pontificibus peccata cõfitens, carnis solutus ergastulo, animam cœlis intulit, cum electis Principibus, auctore Domino, coronam immarcessibilem percepturus. Obiit autem anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo sexagesimo secundo*; Regni eius anno vigesimo, quarto Idus Februarii; ætatis verò tricesimo tertio: liberis non extantibus, fratre Regni herede instituto. Inde Hierosolymam cum summa reuerentia & regalibus exequiis, cum vniuersorum gemitu & lachrymis deportatus, occurrente ei clero & vniuerso populo ciuitatis, in Ecclesia Dominici Sepulchri ante Caluariæ locum, vbi pro salute nostra crucifixus est Dominus, honorificè inter suos prædecessores sepulturæ traditus est. Tantam autem mœstitiam & tot doloris intimi argumenta in nostro vel in alio regno, pro defectu alicuius Principis extitisse, nulla tradit historia; nulla præsentium hominum tenet memoria: nam exceptis ciuibus, in quorum vrbes funus introducebatur regium, quorum luctus & dolor sine exemplo videbatur, descendebat de montibus fidelium multitudo, cum eiulatu prosequens præcedentes exequias. Sicque à Berytensi vrbe Hierosolymam diebus quasi octo continuis, non defuit lamentum iuge, & luctus horis penè singulis renouatus. Dicuntur nihilominus & hostes de eius morte doluisse: ita vt quibusdam suggerentibus *Noradino*, quòd fines nostros ingrediens interim dum exequiis operam daremus, terram depopularetur, dicatur respondisse: *Compatiendum est, & humanè indulgendum iusto eorum dolori: eò quod principem amiserint, qualem reliquus hodie non habet orbis.* Nos autem de operibus eius hunc librum consummantes, oramus, vt cum piis & electis, eius anima sanctâ requie perfruatur. *Amen.*

A. D. 1162

EXPLICIT LIBER OCTAVVSDECIMVS.

CAPITVLA

CAPITVLA LIBRI NONIDECIMI.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI NONIDECIMI.

INCIPIT LIBER NONVSDECIMVS.

Cap. I.

A. D. 1163.

DOMINO igitur *Balduino* tertio, Latinorum Hierosolymis Rege quarto, absque liberis (vt dictum est) defuncto, successit ei in eadem ciuitate sancta, Latinorum Rex quintus, dominus *Amalricus*, frater eius vnicus, Comes Ioppensis & Ascalonitanus, anno ab incarnatione Domini, *millesimo centesimo sexagesimo tertio*: à liberatione verò eiusdem DEO amabilis ciuitatis, sexagesimo secundo: præsidente sanctæ Romanæ ecclesiæ domino *Alexādro*, pontificatus eius anno tertio; sanctæ verò Resurrectionis ecclesiæ, domino *Amalrico*, Latinorum Patriarcha nono, pōtificatus eius anno quarto; sanctæ autem Antiochenæ Ecclesiæ, domino *Aimerico*, Latinorum in eadem ciuitate Patriarcha tertio, anno pontificatus eius vigesimo; sanctæ verò Tyrēsi ecclesiæ, domino *Petro*, Latinorum in eadem ciuitate post vrbem captam, Archiepiscopo tertio, pontificatus eius anno tertiodecimo. Post fratris tamen obitum dissonantibus inter se Regni principibus, & de Regis substitutione aliter & aliter affectis, paulò minus se interposuit ingens, cum periculo ex schismate ortum scandalum. Sed optatò affuit Diuina clementia, quæ rebus periclitantibus competentia nouit aptare remedia: subitò enim, fauente sibi potissimùm clero & populo, paucisque de magnatibus, euacuatis aliter affectorum moliminibus, in ecclesia Dominici Sepulchri, à suprà dicto domino *Amalrico* Patriarcha, præsentibus & cooperantibus Archiepiscopis, Episcopis, & vniuersis ecclesiarum prælatis, Regiæ vnctionis gratiam, & diadematis insigne adeptus, & in Regni solium hereditario sibi iure debitum, duodecimo Kal. Martii sublimatus est, die octauâ post fratris obitum. Hic statim, ex quo miles factus, arma cœpit gestare militaria, factus est Comes Ioppensis, cui postea frater eius inclytæ recordationis dominus *Balduinus*, eximiam Philistinorum metropolim Ascalonam, diebus suis expugnatam, & Christiano post longa tempora nomini restitutam, Regiâ liberalitate concessit: sicut superiùs, dum de regno eiusdem domini Balduini dissereremus, diligentiùs comprehensum est. Viginti septem annorum erat dominus *Amalricus*, cum regnare cœpisset. Regnauit autem annis vndecim, mensibus quinque.

II. Fuit igitur vir experientiâ præditus seculari, prudens admodum, & in agendis circumspectus: linguæ aliquātulum impeditioris, nō adeò tamen, vt ei multum pro vitio posset imputari; sed ita, vt illam sponte fluentis eloquii non haberet elegantiam. Consiliis longè melior, quàm verborum affluentiâ, vel ornatu. In iure cōsuetudinario, quo regebatur Regnum, subtilis plurimùm, & nulli secundus: imò qui Regni principes & mentis acumine & discretionis præiret synceritate vniuersos. In periculis & summis necessitatibus, quas frequenter incurrit, dum pro Regno ampliando viriliter & sine intermissione decertat, fortis & prouidus; & animum regia quadam constantiâ conseruans imperterritum. Modicè literatus erat, & fratre multò minus: sed ingenii viuacitate, & tenacis memoriȩ beneficio, interrogatione frequenti, legendi studio, cùm aliquid ocii Regni occupationes indulgebant, iuxta id quod Regibus solet contingere, satis commodè erat instructus; in quæstionibus argutior, in earum solutionibus plurimùm recreabatur. Historiarum, præ cæteris lectionibus, erat auidus auditor, memor perpetuò, prōptus & fidelissimus recitator. Totus erat in seriis; in mimicis vel alea nunquam. Accipitrum & herodiorum volatu & prædâ, libentiùs delectabatur. Patiens erat laboris; sicut erat corpulentior & pinguis nimiùm, algoris calorisque inclementiâ non multùm angebatur. Decimas, in ea parte vir Euangelicus, cum omni integritate, & sine molestia ecclesiæ dari præcipiebat. Missam omni die (nisi ægritudo aut ingruens præpediret necessitas) audiebat deuotus. Maledictorum conuiciorumque quȩ in eum & publicè sæpius, & clàm ferebantur, etiam à vilibus & contemptibilibus personis, patientissimus exceptor, & dissimulator erat egregius, vt nec quæ audierat, ea audisse videretur. In cibo potuque sobrius, in vtroque ebrietatē abominabatur. Procuratoribus etiam suis tantam dicebatur habere fidem, vt ex quo eos negotiis præfecerat suis, nec rationem ab eis exigeret, nec de eorum infidelitate suggeren-

suggerentibus autem præberet: quod tamen quidam ducebant pro vitio; quidam virtuti ascribentes, argumentum syncerae fidei asserebant esse. His animi dotibus, & bonis potioribus, detrahebat quædam in eo notabilia, quæ priùs dictis nubē quandam inducere videbatur. Taciturnus enim erat vltra decens, & eximiæ vrbanitatis expers. Affabilitatis gratiam, quę maximè principibus subiectorum corda cōciliat, penitùs non habebat. Rarò vnquā quempiam alloquebatur, nisi compulsus necessitate, aut sermone priùs lacessitus: tantoque in eo notabilior occurrebat iste defectus, quātò in fratre fuerat sermonis iucundi & amplectendę affabilitatis gratia cumulatior. Lubrico etiam carnis, vt dicitur, impatienter laborans (quod ei clementer indulgeat Dominus) aliena attentare matrimonia dicebatur. Libertatis quoq; ecclesiarū vehemens impugnator, earū patrimonia crebris & indebitis exactionibus, diebus suis, vsque ad supremā exinanitionē attriuit: ita quòd ęre alieno grauari cōpelleret loca venerabilia, supra suarum obuentionū vires. Pecuniæ cupidus suprà quàm Regiā deceret honestatem. Interuentu munerū auferebat sæpe, differebat sæpiùs, aliter quàm cēsuræ rigor, & iuris modestia pateretur. Auaritiæ tamen suæ excusationē prætendens, mihi etiā familiariùs colloquēti, causas nitebatur assignare, dicens: *Principē quemlibet, & maximè Regē, semper hāc debere penes se prouidentiam habere, ne egeat, propter duo: tum quia tuta est opulentia subiectorum, vbi non eget Imperator; tum quidem vt præ manibus habeat, vnde necessitatibus regni sui, si fortè inopinatæ occurrant, consulat: & in eo casu, Regem prouidum, oportere esse abundè munificum, & sumptibus omninò non parcere, vt non sibi, sed Regni vsibus, quicquid id est, videatur possidere.* Horum alterum in eo fuisse, nec inuidi eius possunt negare. Nam in regni necessitatibus nec expensis parcebat, nec proprii corporis fatigatione reuocabatur. Sed non erat tuta omninò subiectorū opulentia: ad quorum exhaurienda patrimonia sumptā qualibet leui occasione, frequentiùs recurrebat. Corporis autem quadam fauorabili staturā quasi proportionaliter erat modificatus, vt mediocribus maior, & longissimis minor esset. Facie venustā, & quæ ignotis etiam reuerendi Principis meritò prætenderet dignitatem. Oculis fulgentibus, mediæ quantitatis: naso instar fratris aquilo decenter: capillo flauo, refugoque pusillùm. Barbā, genas mentumque, gratā quadam plenitudine vestitus. Risum tamen habebat incompositum, & quo totus in ridendo concutiebatur. Prudentibus & discretis viris, & remotorum locorum peritiam habentibus, & externarum consuetudinum tenentibus experientiam, libentissimè confabulabatur. Memini me semel, ab eo familiariter euocatum, dum in castello Tyrensi, febriculā lentā, non multùm periculosè laboraret, horis quietis & lucido interuallo, sicut in interpolatis febribus solet contingere, secretiùs cum eo multa contulisse; & ad quasdam eius quæstiones, quantum pro tempore occurrebat, adhibuisse solutiones: multùm enim nostrā collatione recreabatur. Inter quas vnam nobis obtulit quæstionem, vnde me multùm mouit interiùs: tum quia inusitatum erat illud quæri, quia nec quæstione dignum videbatur, quod fides vniuersalis edocebat, & firmissimè tradiderat credendum; tum quia animo grauiter vulnus imprimebat, si Princeps Orthodoxus, & Orthodoxorum filius, in re tam certa pateretur scrupulum, & in conscientia dubitaret. Quæsiuit sanè, *Si præter doctrinam Saluatoris & Sanctorum qui CHRISTVM secuti sunt, de qua non dubitabat, posset ratio inueniri, quā posset probari argumentis euidentibus & necessariis, resurrectionem futuram?* Ad quod nouitate permotus verbi, respondi: *Sufficere Domini ac Redemptoris nostri doctrinam, quā manifestissimè multis locis in Euangelio, carnis resurrectionem futuram edocet: venturum se iudicem, iudicare viuos & mortuos & seculum per ignem promittit: daturum se electis regnum, præparatum à constitutione mundi; impiis autem ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, pollicetur. Sanctorum quoque Apostolorum, & Patrum etiam veteris Testamenti sufficere piam assertionem.* Ad quod ille: *Hæc omnia firmissimè teneo: sed rationem quæro, quā alicui hæc neganti, & doctrinam CHRISTI non recipienti, futuram resurrectionem & aliam vitam post istam mortem, probari possit.* Cui ego: *Assumite ergo vobis huius hominis sic affecti personam, & tentemus aliquid circa hoc inuenire.* *Placet*, inquit. Tum ego: *DEVM iustum confiteris esse?* Tum ille: *Nihil verius: confiteor.* Tum ego: *Iusti autem est, pro bonis bona, pro malis mala retribuere?* Tum ille: *Verum est.* Ego: *In præsenti vita autem non fit istud. Nā & boni quidā, in præsenti seculo, nonnisi molestias patiuntur, & aduersa; mali verò quidam felicitate gaudent continuā, sicut rerū quotidianarum*

exempla nos edocent. Tum ille: *Certum est.* Ego verò processi: *Ergo in alia vita fiet; quia non potest DEVS non esse iustus retributor. ergo alia vita erit & huius carnis resurrectio: in qua meruit quis bonum vel malum, in ea debet recipere præmium & remunerari.* Tum ille: *Placet supra modum; & omnem detersisti de corde meo dubitationem.* His & similibus plurimùm recreabatur collationibus. Sed ad propositum redeamus. Pinguis erat supra modum, ita vt more fœmineo mamillas haberet, cingulotenus prominentes: Cæteras autem corporis partes, manu traxerat natura lætior benigniore, vt non solùm mediam prætenderent venustatem, verùm quadam gauderent formæ prærogatiuâ. In sumenda quoque corporis refectione sobrium, vinique abstinentissimum, nec inimici negare possunt.

IV. Denique dum adhuc frater eius in rebus ageret humanis, & Regnum feliciter administraret, vxorem duxit *Agnetem*, Ioscelini iunioris Comitis Edessani filiam, ex qua viuente fratre, prolem suscepit geminam, filium videlicet *Balduinum*, quē patruus de sacro fonte suscepit, & filiam natu priorem, nomine *Sybillam*, Comitissæ Flandrensis, sororis vtriusque, æquiuocam. Hanc tamen vxorem, defuncto iam fratre, dum Regnum ad se iure hereditario deuolutum vēdicaret, coactus est abiurare. Nā & in initio dū eam duxisset, inuito domino Patriarchâ *Fulchero* bonæ memoriæ, & contradicente, sibi eam matrimonio copulauit; eò quòd quarto consanguinitatis gradu se dicebantur contingere, sicut postea in facie ecclesiæ per communes consanguineos solemniter est probatum. Præsentibus enim domino *Amalrico*, bonæ memoriæ Patriarchâ, domino quoque *Ioanne*, sanctorum Ioannis & Pauli presbytero Cardinale, & Apostolicæ sedis legato, iuxta iuris ecclesiastici solemnitatem, consanguineis vtriusque corporaliter iuramenta præstantibus, & asseuerantibus sic esse vt dicebatur, interueniente diuortio, solutum est matrimonium. Hoc addito tamen, vt qui ex ambobus nati erant, legitimi haberentur, & in bona paterna successionis plenum ius obtinerent. Quæsiuimus sanè nos postea diligenter, tanquam circa talia curiosi, quoto consanguinitatis gradu se contingerent: quia nondum de scholis redieramus, sed trans mare adhuc, circa liberalium artium detinebamur studia, quando Hierosolymis hæc facta sunt. Et tandem inuenimus per dominam *Stephaniam*, Abbatissam ecclesiæ Mariæ maioris quæ Hierosolymis ante Sepulchrū Domini sita est, quæ domini *Ioscelini* senioris, Comitis Edessani filia fuit, ex sorore domini Rogerii, filii Richardi Antiocheni Principis, religiosam, & nobilem carne & moribus fœminam, iam natu grādæuam, sed memoriter hæc tenentem, quòd eorum generatio sic erat. Dominus *Balduinus de Burgo*, secundus Hierosolymorum Rex, vir per omnia magnificus (de cuius vita & moribus, & tam dextris quàm sinistris euentibus, latiùs disseruimus, dum de regno eius tractaremus) & dominus *Ioscelinus* senior, duarum sororum filii fuerant. De domino Balduino nata fuit *Milisendis* regina: Ex Milisende verò nati sunt dominus *Balduinus* tertius, & dominus *Amalricus* reges. Item ex domino Ioscelino seniore, *Ioscelinus* iunior, ex quo prædicta *Agnes* Comitissa, domini Amalrici de facto, non de iure, vxor; & tertius *Ioscelinus*, nunc Regius Senescalcus, & domini Regis Balduini, qui hodie regnat, auuncul⁹, nati sunt. Porrò domino Amalrico Rege absq; coniugio adhuc perseuerante, illa statim nobili & magnifico viro domino *Hugoni de Ibelim*, senioris Baliani filio, *Balduini* Ramatensis (qui nunc prædictam vrbem, post fratrem sine liberis defunctum, possidet) & *Baliani* iunioris, qui viduam domini Amalrici regis hodie habet vxorem, fratri, copulâ coniuncta est maritali. Eoque defuncto, domino Amalrico adhuc superstite, apud dominum *Rainaldum Sydoniensem*, domini Gerardi filium, eadem affectione se contulit: cum quo minus licitum, quàm cum domino Amalrico priùs, dicitur habere contubernium. Nam prædictus pater eius dominus Gerardus, tanquam vtriusque consanguineus (sicut & pro certo erat) consanguinitatem inter prædictas personas esse, sicut à maioribus suis audierat, proprio iureiurādo firmauit: vnde & secutum fuit diuortium, vt prælibatum est.

V. Confirmato igitur domino *Amalrico* in regni solio, primo eius Regni anno, negantibus Ægyptiis annuam tributi pensionem persoluere, quam cum fratre suo pepigerant; cōgregatis militaribus copiis, & exercitu copioso, Kal. Septembris manu forti descendit in Ægyptum: vbi cū innumera multitudine occurrens ei regni illius procurator, qui linguâ eorum *Soldanus* dicitur, *Dargan* nomine, circa Ægyptum in solitudine cum eo congredi non est veritus: veruntamen

nostrorum

nostrorum impetus non valens sustinere, plurimis suorum interfectis captis nonnullis, in fugam compulsus, in vrbem proximam, quæ linguâ eorum *Belbeis* dicitur, cum residuo coactus est se recipere. Timentes autem Ægyptii, ne dominus Rex eo confecto, ad vlteriora Regni cum exercitu suo vellet contendere, nullum aliud arbitrati se habere contra impetus nostrorum remedium, ruptis aggeribus, qui fluuium restagnantem vsque ad certa tempora cohibere solent, *Nilum*, qui iam consueta susceperat incrementa, exuberātem inducunt; vt saltem vel his repagulis nostrorū cohiberent incursus, & se fluminis beneficio restagnantis tuerentur. Dominus verò Rex, habito ex hostibus triumpho, rebus feliciter compositis, inde victor in regnum suū cum gloria reuersus est. Porrò *Dargan* iste, quem totius Ægypti procuratorem diximus, & Soldanum, quendam alium potentem admodum, *Sauar* nomine, paucis ante diebus ab eadē administratione partim dolo, partim viribus expulerat; qui cum amicis & familiaribus, & copiis quas secum potuit deportare, fugâ elapsus, ad Arabes contribules suos, auxilium ab eis postulaturus, se contulit. Expectans igitur rei exitum, & euētum bellorum operiens, latebat apud suos, vt diximus, tempore opportuno aliquid cōtra æmulum moliturus. Audiens ergo, quòd dominus Rex in Regnum suum redierat, & quòd suus aduersarius, in sua administratione solito insolentior, & quasi gloriosior, eò quòd tantū Principem in prælio sustinuerat, quodque regno non multùm læso abierat, in eodem principatu potens & fortis perseueraret; ad *Noradinum* potentissimū principem, Damascenorum Regem, properat, implorans ab eo auxilium, quo fretus in Ægyptum rediens, excluso æmulo regnū resumere posset. Cui *Noradinus*, muneribus & promissis illectus, sperās quòd si semel exercitus eius Ægypti fines posset introire, regnū sibi posset comparare violenter, facilem præbuit assensum: tradensque ei principem militiæ suæ, virum industrium, & in armis strenuum, liberalē supra vires patrimonii sui, gloriæ cupidum, & in re militari admodum exercitatum, militibus carum efficiente munificentiâ & acceptum, *Siraconum* nomine, cum ingēti militia direxit in Ægyptum. Erat autem homo iam senior, pusillus staturâ, pinguis multùm & corpulentior, ex humili locupletior factus, & suffragantibus meritis, ex seruili conditione Princeps constitutus; in altero oculorum habens albuginem; laboris patientissimus, sed & sitim & famem æquanimiter tolerans, supra id quod ætas illa soleat sustinere. Verùm intercurrentibus nunciis, & famâ publicâ Soldanus *Dargan* edoctus, hostem quem prius expulerat, cum infinitis Turcorum millibus aduentare, diffidens rebus propriis, ad emendicata recurrit suffragia. Legatos enim cum verbis pacificis, ad dominum Regem dirigit, orans & petens contra ingruentes hostes auxilium: tributum autem non solùm, quale cum domino Balduino Rege fuerat constitutum, verùm multò maius, & pro domini Regis arbitrio præstādum, pollicens subiectionem perpetuam, fœdusque perenne, firmare datis paratus obsidibus.

VI. Per idem tempus dominus *Petrus*, venerabilis Tyrensium Archiepiscopus piæ in Domino recordationis, anno prædicti domini Regis secundo, mense Martio, primâ die mensis, viam vniuersæ carnis ingressus est. Cui intra paucos dies, eodem mense substitutus est, domino Rege plurimùm ad id aspirante, eiusdem ecclesiæ suffraganeus, dominus videlicet *Fredericus*, Acconensis Episcopus; vir secundùm carnem nobilis, corpore procerus admodum, natione Lotharingus, modicè literatus, sed militaris vltra modum.

VII. Dum hæc cum domino Rege prædicti Legati tractarent, peneque eorum desideriis esset satisfactum, antequam ad propria redirent, prænominati *Sauar* & *Syraconus*, in Ægyptum cum suis auxiliis iam descenderant: & cum Soldano *Dargan* hostiliter congressi, primo conflictu inferiores, & grauiter prostrati: antequam secundò eadem lege conuenirent, sæpedictus *Dargan*, à quodam ex suis clam sagitta percussus, suis lugendus interiit. Quo mortuo, *Sauar* tanquam victor, voti compos, *Gaberc* ingressus, quoscunque de amicis, consanguineis, & familiaribus illius reperire potuit, gladio confossis, iterum suâ potitus est dignitate. Nam summo eorum Principi pro minimo est, vter de contendentibus aut succumbat, aut obtineat, dummodo non desit, qui sua & regni negotia procuret, & se illius mancipet seruituti. *Siraconus* verò ciuitatem inuadens finitimam, *Belbeis* nomine, eam sibi quasi propriam cœpit constanter vendicare, significans opere, & fortasse sermone idipsum contestans, quòd reliquas eiusdem

regni partes suæ ditioni, si ita daretur, inuito Soldano & Calyphâ, vellet mancipare. Timens ergo *Sauar*, ne hospitem talem introducendo, suam & domini sui conditionem fecisset deteriorem; néue talem suscepisset, qui *tanquam mus in pera, & serpens in gremio*, malè remuneraret hospites suos: cum omni festinantia legatos & verbum pacis dirigit ad dominum Regem in Syriam, qui iuxta conuentiones inter dominum Regem & *Dargan* Soldanum, priùs initas, non solùm verbo, sed & opere statim adimplerent, & si opus esset, supererogarent ampliora. Pactis igitur hinc inde firmatis, Rex cum vniuerso suorum exercitu, anno regni eius secundo, iter arripiens, descendit denuò in Ægyptum. Vbi occurrens ei *Sauar* cum Ægyptiis, sæpedictum *Siraconum* in ciuitate Belbeis, quam in proprium præsidium se receptantem, obsederunt, diutinaque obsidione & alimentorum inopiâ fatigatum, ad deditionem compulerunt, interpositis conditionibus, quòd cum suis omnibus liberum & sine molestia haberet exitum, & reditum ad propria: quod ei concessum est: quo obtento, ciuitatem deserens, per solitudinem reuersus est Damascum.

VIII. *Noradinus* interea circa partes Tripolitanas, in eo loco qui vulgò appellatur *La Bochea*, moram faciens, dum prosperis elatus, aliquãtulum se gerit incautiùs, damnum incurrit penè irreparabile. Aduenerant illa tempestate quidam nobiles, de partibus Aquitanicis, *Gaufridus* videlicet, qui cognominatus est *Martel*, domini Comitis Engolismensis frater, & *Hugo de Liniziaco* senior, qui cognominatus est *Brunus*, orationis gratia. Hi completis de more orationibus, ad partes se contulerunt Antiochenas. Cognito ergo quòd *Noradinus* circa partes Tripolitanas, in loco supradicto, cum suo exercitu moram faceret, nimisque securè & sine sollicitudine, ocio resolutus quiesceret, conuocatis militaribus auxiliis, super eius exercitum irruentes subitò, multis captis, pluribus gladio peremptis, exercitum eius penè vsque ad supremam exinanitionem deleuerũt. Ille verò relicto gladio, & omissis impedimentis vniuersis, nudus altero pede, iumento insidens, confusus nimiùm & de vita desperans, vix fugâ elapsus, nostrorum manus euasit. Nostri verò spoliis & multiplicibus locupletati diuitiis, victores, ad propria redierunt. Fuerunt autem huius expeditionis duces, *Gilbertus de Laci*, vir nobilis, & in armis exercitatus, præceptor fratrum Militiæ Templi in partibus illis: & duo magni prædicti viri, & *Robertus Mansel*, qui Galensibus in eadem expeditione præerat, & alii pauci.

IX. *Noradinus* autem casu consternatus sinistro, irâ succensus, indutus confusione & reuerentiâ, infamiam abolere cupiens, ad vlciscendam suam suorumque iniuriam, proximos & amicos sollicitat, vniuersos penè Orientis Principes nunc prece nunc precio supplex inuitat, vires reparat, militaria suffragia colligit vndecunque. Collectis igitur immensis copiis, & innumeris millibus conglobatis, oppidum quoddam nostrum in finibus obsidet Antiochenis, *Harenc* nomine; & ordinatis per gyrum, vt mos est, machinis oppidanos cœpit acriter, nullaq; datâ requie incessanter vrgere. Quod factũ postquam Principibus nostris innotuit, dominus *Boamundus* tertius, Raymundi filius, Antiochenus Princeps; dominus quoque *Raimundus* iunior, Comes Tripolitanus, Raimundi Comitis filius; *Calamannus* etiam præses Ciliciæ, domini Imperatoris consanguineus, & Imperialium in illa prouincia procurator negotiorum; *Toros* quoque Armeniorum Princeps potentissimus, sociatis sibi quæ vndecunque potuerunt peditum equitumque suffragiis, ordinatis agminibus, & in aciem dispositis, obuiam ire festinant, & obsidionem soluere inuitis hostibus aggrediuntur. Sanè *Noradinus*, & qui cum eo erant Parthorum principes, communicato consilio, tutiùs opinantes, obsidione sponte solutâ discedere, quàm cum hostibus penè iam instantibus incautè congredi, compositis sarcinis, recedere moliebantur: Nostri verò nihilominùs eis instantes, dato successu & prosperis abutentes, dum eis non sufficit, quòd oppidanos obsidione tantorum principum expedierant, dum incautiùs insequuntur, dissolutisque agminibus, & contra militarem disciplinam passim discurrentibus euagantur, recurrentibus subitò, animumque & vires resumentibus Turcis, quibusdam locorum palustrium angustiis comprehensi, primo franguntur impetu; quibusque priùs fuerant formidini, ludibrio satis miserabiliter exponuntur. Profligati enim & fracti, turpiter hostium gladiis, victimarum more, cæduntur. Non est qui vigoris meminerit præteriti, qui paternæ memor virtutis, aut propriæ, propulsare studeat iniuriam, aut pro merenda libertate & honore patrio gloriosus

gloriosus decertare. præcipites ergo,& suæ dignitatis immemores,armis depositis, vitam indignâ supplicatione merentur, quàm pro patria viriliter decertando, excellentiùs fuerat impendisse,& exempli ad posteros fauorabilis. Porrò *Toros* Armenius videns hostium præualere cuneos, nostrorum verò è conuerso acies corruisse,fugâ saluti consulens,bellicis se exemit tumultibus. Displicuerat sanè ab initio sibi, quòd hostes ab obsidione discedentes, fuerant insecuti; & dissuadere adorsus fuerat: sed præualuit inutilior aliorum sentẽtia. Dominus autem *Boamundus* princeps Antiochenus, dominus quoque *Raimundus* Comes Tripolitanus, *Calamanus* etiam Ciliciæ procurator, *Hugo* quoque de *Liniziaco*, de quo superiùs fecimus men-
10 tionem; *Ioscelinus* etiam tertius,Comitis Edessani secundi Ioscelini filius,& multi alii nobiles,vt vitę cum probro & ignominia consulerent,hostibus se tradentes,vinculis tanquam vilia mancipia,miserabiliter alligãtur; & Halapiam traducti, spectaculum facti sunt populis infidelibus,& carceribus mancipati. Successibus tandem & prosperâ nimium fortunâ, *Noradinus*, & qui cum eo erant, erecti castrum quod prius obsederant,confidentiùs repetunt,& obsidione iterum vallãtes, infra paucos dies expugnant,& potenter occupant violenter expugnatum. Factum est hoc anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo sexagesimo quinto*: Regno verò domini *Amalrici* anno secundo, quarto Idus Augusti, dum ipse adhuc in Ægypto detineretur propriis negotiis occupatus. Rebus interea nostris tanta rerum muta-

An. D. 1165.

X.

20 tione,tamque sinistris euentibus,vsque ad supremam exinanitionem penè afflictis, cùm neque saltem spei residuum superesset,iam animo cõsternati per singulos dies deteriora formidarent vniuersi,ecce Comes Flandrensis *Theodoricus*,domini Regis sororius,cum vxore religiosa & DEVM timente fœmina,& aliquanta militũ manu applicuit: cuius tantâ lætitiâ suscepit aduentum omnis populus, vt quasi post immoderatum solis ardorem, auram gratissimam & præsens remediũ videretur suscepisse: sperabant enim,quòd eius freti auxilio, domini Regis & Christiani exercitus possent aduentum præstolari. Sed hoc quale quale serenum,orta subitò nubes caliginosa,mutilauit miserabiliter, & conuertit in tenebras. *Noradinus* enim rebus secundis,& casu prosperiore factus sublimior, vidẽs Regnum solitis carere solatiis, &
30 maioribus Regni principibus,quos ipse captiuos tenebat,destitutum:ad hoc & dominum Regem & militiæ robur abesse vniuersum, sumptâ ex tempore occasione opportunâ,apposuit vt Paneadẽsem obsideret ciuitatem. Est autem *Paneas* vrbs antiquissima,ad radicem Libani famosissimi promontorii sita, antiquissimis temporibus & Israëlitici populi diebus, *Dan* dicta; terminus à Septẽtrionali plaga possessionis eorum,sicut & *Bersabee* ab austro. Vnde quotiens lõgitudo Terræ Promissionis describitur, duc itur *à Dan vsque ad Bersabee*. Diebus autem *Philippi*, senioris Herodis filii,qui erat Tetrarcha Ituręæ, & Traconitidis regionis, sicut in *Luca* legitur, qui eã ampliauit in honorem Tiberii Cæsaris, & in perpetuam sui nominis memoriam, *Cæsarea Philippi* dicta est. Dicitur autem & *Paneas*: sed nostri Latini corrumpentes
40 nomen,sicut penè omnium aliarum vrbium, *Belinas* vocant. Est autem ab Oriente agro Damasceno contermina: iuxta quam fluentorum suorum Iordanis habet originem. Hæc est illa ciuitas de qua in Euangelio legitur: *Quod venit IESVS in partes Cæsareæ Philippi, & interrogauit discipulos suos.* Vbi & *Petrus* Apostolorum princeps, ob egregię confessionis meritum,regni claues cœlestis Domino tradente,suscepit. Hanc obsidẽs,& immunitam reperiens,absente domino *Henfredo* regio Constabulario,& cum domino Rege moram in Ægypto faciente, cuius erat hereditaria possessio,episcopo quoque eiusdem loci absente,populo quoque imminuto,machinis & tormentis bellicis in gyrum collocatis, suffosso muro, turribus assiduo lapidum iactu ex parte maxima debilitatis, intra paucos dies expugnat: eos qui intus erant
50 ad deditionem compellens,pactis interuenientibus,quòd cum rebus suis omnibus egredientes,liberum haberent & pacificum exitum: ciuitatem recepit,anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo sexagesimo septimo*. Regni verò domini Regis *Amalrici* anno secundo, XV. Kal. Nouembris. Commiserat autem eandem ciuitatem,in Ægyptum proficiscens dominus Constabularius, cuidam militi fideli suo, qui dicebatur *Galterus de Quasnieto*, quem in custodia loci quidam dicunt negligentem fuisse. Addunt etiam, & in deditione eum quodam sacerdote *Rogerio* nomine,qui Canonicus erat illius ecclesiæ,sumptâ pecuniâ,malitiosè versatum: vnde

Luc. 3. 1.

Matth. 16. 13. 19.

A. D. 116[illegible].

& in reditu domini Regis ex Ægypto, timuerunt admodum, verentes ne imputaretur eis ad mortem. Nos autem horum nihil pro certo compertum habemus, nisi hoc, quòd ciuitas illa hostibus tradita est.

XI. His interea sic gestis in Syria, dominus Rex, *Siracono* de Ægypti finibus excluso, *Sauar* verò Soldano in administratione sua confirmato, ad propria cum gloria victoriosus remeauit: Vbi, etsi ita priùs audierat, compertis quæ in Regno acciderant tristibus, & calamitatibus ex integro cognitis, vocatus ab Antiochenis vt rebus eorum penè desperatis subueniret, vocantibus eis fraternâ miseratione compatiens, assumpto secum Comite Flandrense, maturatis itineribus Antiochiam properat, eorum afflictioni optata solatia præstiturus. Adueniens ergo, præsensque factus, negotia domini Principis tantâ diligentiâ, tantaque sollicitudine, quantâ vix propria tractare consueuerat, fideliter, prudenterque administrans; nobiles & plebeios multâ mansuetudine prouidoque moderamine regens; dispositisque per vrbes singulas prudentibus viris, qui res ad dominicalia Principis pertinentes, bonâ fide, sanoque cõsilio procurarent; ad propria reuersus, non desinens tamen, sed cum eiusdem fidelibus & amicis satagens, de eiusdem redemptione tractare. Effectum est autem per eius industriam, quòd in eadem æstate, multo tamen interueniente precio, vix per annum integrum apud hostes detentus, libertati simul & honori pristino restitutus est: qui Antiochiam reuersus, non quieuit deses, sed viuacitate quâ potuit, vt obsides quos dederat soluto pro eis precio, recipere non moraretur, ad Imperatorem Constantinopolitanum festinat, qui paucis ante diebus sororem eius iuniorem *Mariam* vxorem duxerat. Vnde ab eo honorificè susceptus, benignè tractatus, munificentissimè donis Imperialibus cumulatus, intra paucos dies Antiochiam est reuersus. Videtur autem mirum, quòd *Noradinus* tam prudens, tamque prouidus Princeps; & qui captiuos nostros tam inuitus à suis dimittebat carceribus, & in hoc maximè gloriabatur, quòd multos ex nostris, & præsertim nobilibus, suis haberet vinculis mancipatos, cur Antiochenum Principem tàm citò permisit libertati restitui. Super quo duæ nobis occurrunt solutiones: vel quia domini Imperatoris preces timebat, ne fortè gratis ab eo dominus Imperator vellet eum habere, cui aliquid tale negare verecundaretur: vel quia cùm esset iuuenis, nihilque bonæ spei de se promitteret, verebatur ne si diutiùs eum teneret, Antiocheni fortiorem surrogando, sibi consulerent, & ei durior obiiceretur aduersarius. tutiùs enim videbatur viro discreto, & circumspecto plurimùm, quòd hic, de quo nõ multùm bene sperabatur, Antiochenæ præesset prouinciæ, quàm vice eius aliquis prudentior robustiorque eandem administraret regionem, cum quo periculosius esset negotia partiri. Hæc nobis videtur viri vigilantissimi mens fuisse. Eadem tempestate, *Syraconus*, vnde sæpiùs fecimus mentionem, vir in nostram argumentosus perniciem, municipium quoddam nostrum, in territorio Sydoniensi situm, speluncam videlicet inexpugnabilem, quæ vulgò dicitur *Cauea de Tyrum*, corruptis (vt dicitur) precio custodibus, subitis & improuisis occupat machinationibus. Argumentum est, quòd per consensum illorum quibus custodienda tradita fuerat, in manus hostium deuenisset, quia statim tradito municipio, qui intus erant, omnes ad hostium fines declinauerunt, excepto eorum domino, qui casu fortuito comprehensus, suspendio apud Sydonem, vitam infelicem finiuit. Eodem anno dominus *Wilelmus* inclytæ recordationis, Siciliæ Rex, domini *Rogeri* Regis filius, extremum clausit diem, morte præuentus. Per idem quoque tempus, eiusdem generis præsidium, *spelunca* iterum inexpugnabilis, vltra Iordanem in finibus Arabiæ situm, fratrum militiæ Templi diligentiæ deputatum, eidem Siracono traditur: ad quam eripiendam dominus Rex properans cum multa militia, dum supra Iordanem castrametatus esset, recepit nuncium, quòd præsidium in manus iam deuenerat inimicorum: quo audito, dominus Rex confusus & irâ succensus, de fratribus Templi, qui hostibus castrum tradiderant, patibulo fecit suspendi circa duodecim. Sicq; rebus nostris eo anno, qui erat regni domini *Amalrici* tertius, peccatis nostris exigentibus, plurimùm accessit detrimenti: ita vt Regnum vniuersum in arcto nimis esset constitutum.

XII. Dum hæc circa nos aguntur, rumor frequens personuit, & famâ celebri diuulgabatur, quòd sæpedictus *Siraconus* cum magnifico apparatu, conuocatis infinitis militibus, ab Orientali & Septentrionali tractu, in Ægyptum denuò parabat descensum: nec

erat

erat vana opinio. Adierat enim illum maximum Saracenorum Principẽ, qui quasi singularis monarcha, cunctis excellentior, omnibus præesse intelligitur, *Calypham* videlicet de *Baldac*: Ad quẽ perueniens, exhibitâ solitâ reuerentiâ, cœpit exponere diligenter, innumerabiles Ægypti diuitias, bonorũ omnium, & singularium commoditatum copias admirabiles; Principis illius inęstimabiles thesauros, census, vectigalia, de terrestribus & maritimis vrbibus, annuas obuentiones quantitatis infinitæ; ad hæc populum deliciis deditũ, rei militaris expertem, longa quiete dissolutum: adiiciens & inculcans & ad memoriam frequenter reuocans, quomodo tam hic, qui modò regno illi præerat, quam eius progenitores, cõtra eũ suosq; prędecessores sedẽ sibi erexerant æmulam, singulari eorum excellentiæ imprudenter se parificantes; quòd etiam legem aliam, contradictoriasque traditiones docere præsumpserant. His & aliis Calyphæ animæ reuerberans, quæ intendebat persuasit. Scripsit ergo vniuersis erroris sui Principibus, districtè præcipiens, vt vires conferant, impendant auxilium, eumque sequantur. Audiens hæc dominus *Amalricus*, volens illius molimina præuenire, curiam apud *Neapolim* conuocat generalem: vbi præsentibus domino Patriarchâ, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, Principibus & populo, necessitates Regni docet ex ordine, omnium suppliciter implorans auxilium. Decretum est ergo, & communi voto susceptum, vt omnes generaliter, nemine excepto, ad Regni subsidium, vniuersarum rerum mobilium decimas darent: quod & factum est. Rumor interim erat non remissior, quòd procul dubio Siraconus, sumptis necessariis ad dies multos alimoniis, vtribusque aquam deferens, per solitudinem, quâ populus Israël ad Terram venerat Promissionis, iter arripuerat. Rex autem collectis, quos habere poterat, militibus, obuiam exiens, vsque ad *Cadesbarne*, quæ est in solitudine, cum omni celeritate properat, vt euntem impediret: eoque non inuento, celeriùs reuertitur.

XIII. Conuocatis ergo ex vrbibus singulis per vocem præconiam, tam equitum quàm peditum viribus vniuersis, & apud Ascalonam vnanimiter congregatis, tertio Kal. Februarii, cœptum agredientes iter, assumptis sibi ad dies constitutos necessariis alimentis, vastitatem solitudinis, quæ interiecta est media inter *Gazam*, vltimam regni nostri ciuitatem, & Ægyptiacam diocesim, recensito suorum numero, & nouissimis expectatis, apud *Laris*, antiquissimum eiusdem solitudinis oppidum, maturatis trãseunt itineribus: tandem apud eam quæ hodie dicitur *Belbeis* ciuitatem, vnde frequentem fecimus mentionem, quæ olim dicta est *Pelusium*, cuius frequens memoria est in prophetis, vniuersus applicat exercitus. Cognito ergo domini Regis aduentu, *Sauar* Soldanus, de subito nostrorum stupefactus occursu, timens ne aduersus eum strueretur omnis apparatus, & de fide nostrorum dubitans, formidine nimiâ corripitur: nam licet aliâs vir prudens & industrius, prouidusque plurimùm haberetur, in ea tamen parte tam supinus, tamque crassâ laborans ignorantiâ repertus est, vt viæ caussam nostrorũ edoctus, vix crederet; peneque serò, lentusque miserit exploratores per solitudinem, qui ei certa de hostium exercitu nunciarent. Redeuntes autem qui missi fuerant, Turcorum expeditiones, ad eum locum qui dicitur *Attafi*, peruenisse denunciant. Tunc verò Soldanus fidei nostræ admirans, & laudibus attollens sinceritatem, diligenter considerans, quantam pro amicis sollicitudinem Christianus impendisset exercitus, vniuersas regni & Calyphæ, Regis obsequiis exponit diuitias, vniuersorumque mandatorum eius sedulum ab illa die se præbuit executorem: eiusq; dominus Rex, ad omnia necessariis vtebatur ministeriis.

XIV. Transeuntes igitur *Pelusium* & *Cahere*, vbi regni solium & totius Ægypti culmen magnificis decoratum ædificiis monstratur, ad læuam habentes nobilem & egregiam metropolim, quæ vulgò *Babylonia* dicitur, linguâ verò Arabicâ *Macer* appellatur, supra ripam fluminis castra locauerant. Huius ciuitatis nomen non potuimus reperire antiquius: nam *Babylon*, siue *Babylonia*, ciuitas fuit antiquissima in Oriente. Iuxta enim veteres & vetustissimas etiam historias, nulla vnquam in Ægypto huius nominis audita est ciuitas. Vnde verisimile est, post tempora *Pharaonum*, qui primi in Ægypto regnauerunt, & *Ptolemæorum* qui posteriores; sed etiam post Romanorum tempora, qui regnum Ægypti in prouinciam redegerunt, hanc vrbem conditam, sicut de *Cahere* constat, quod *Iohar* princeps militiæ *Mehezedinalla*, qui tunc in Africa regnabat postquam domino suo Ægyptiacam omnem

diocesim acquisiuit, fundasse dinoscitur: quòd qualiter acciderit, in sequentibus dicemus. Aliqui tamen confidenter asserunt, quòd ista sit illa antiqua & nobilis & famosissima *Memphis*, cuius in veteribus historiis & in prophetis multa est memoria, quę totius regni illius, & multarum finitimarum prouinciarum caput & moderatrix dicitur fuisse. Vsque hodie tamen, vltra Nilum, qui hanc, de qua loquimur, vrbem præterfluit, quasi ad decem miliaria apparet vrbs annosa, infinita, vetustæ nobilitatis, & eximiæ magnitudinis argumenta præferens: quam etiam incolæ regionis *Memphim* veterem fuisse, pro certo asseuerant. Probabile est ergo, aut necessitate compulsum, aut maioribus commoditatibus tractum, Mempheos populum, citra flumen domicilia transtulisse, nomenque vel tunc, vel postea, mutasse pristinum. Cæterùm fixum tenemus, quòd Iohar, (vt suprà diximus) qui exercitibus magni principis *Mehezedinalla*, ad expugnandam Ægyptum ab Africa missus fuerat, iuxta hanc eandem ciuitatem, subacta vniuersa regione, & populis tributariis constitutis, *Cahere* cōstruxit, quasi dominio suo pręcipuum futurum & familiare domicilium, anno à regno *Mehemet* trecentesimo quinquagesimo octauo: quem *Mehezedinalla* tertio postea anno, relicta *Caræa*, vbi regni sui sedes per aliquot annos fuerat, secutus, iuxta Principis sui dispositionem, prædictum locum Regni solium constituit, & domesticâ inhabitatione reddidit gloriosum, anno à regno *Mehemet* trecentesimo sexagesimo primo, regni verò sui vigesimo: sicut alibi in historia, quam de Principibus Orientalibus contexuimus, diligentiùs est digestum.

XV. Locatis igitur nostris super ripam fluminis, vix à prædicta vrbe stadiis duobus, communicato consilio, libratisq; multâ deliberatione partibus, potissimum ducunt *Siracono* suisq;, antequam fluuium transeant, occurrere; eumque *regni finibus arcere, quàm flumine transmisso cum eis conferere, quos postea ipsa remeandi difficultas redderet acerbiores.* Solutis igitur castris, ad locum vbi hostes esse dicebantur, festinant. Is autem ab eo, vbi nostri priùs castrametati fuerant, quasi miliaribus decem dicebatur distare. Postquam verò ad prædictum conueniunt locum, ipse iam tanquam dux vigilantissimus, cum vniuerso penè exercitu flumen transierat, paucis relictis, quos nostri capientes, vinculis alligarunt. Interrogati tamen de transitu eius, de militum numero, de multis necessariis nostros instruxerunt: quiddam sanè quod nostris erat incognitum, eorum patuit relatione: videlicet, quòd in solitudine, postquam *Syriam Sobal* transierant, oborto subitò ventorum turbine immanissimo, tātus ex harena puluis in modum nubiū & densæ caliginis per aëra dispersus est, vt oculos, vel ora, vt sibi colloquerentur, qui in exercitu erant, aperire omninò non auderent, de equis descendentes, ad terram prostrati, manibus quantò altius arenæ imprimere poterant adhærentes solo, ne vi turbinis raperentur in sublime, iterum ad terrā recasuri. Solent enim in illa solitudine instar maris, arenarum quasi quidam fluctus attolli deponique, in modum procellarum: ita vt non minus quàm per aquas nauigantibus, periculosum sit, per illa & importuna loca transire. Amissis ergo camelis, & alimentorum parte maximâ, vix de vita sperantes, extinctis pluribus, multis etiam per vastitatem latè patentium arenarum dispersis, redditâ demum aëris clementiâ, incertis itineribus, magis deuiantes quàm de via certi, post dies aliquot, vt prædictum est, peruenerunt in Ægyptum. Porrò videns exercitus noster, quòd ille cū suis flumen transierat, recursâ per quam venerant viâ, iuxta eandem vrbem, quam priùs dimiserant, super fluminis ripam castra iterum locauerunt.

XVI. Videns igitur Soldanus, quòd hostem infra regni præcordia susceperat, quem nullatenus aut sustinere, aut à Regni finibus nisi per dominum Regem poterat expellere sollicitus erat, quo pacto dominum Regem posset in Ægypto detinere: verebatur enim, ne laboris immensitate fatigatus, redire ad propria disponeret: nec aliâ ratione, quod dominus Rex in terra moram faceret, posse fieri penitùs illi videbatur, nisi maior ei tributorum summa statueretur, & sufficientes sibi & suis Principibus designarentur impensæ. Placuit ergo sibi, & idipsum nostris visum est expedire, vetera innouare pacta, pacisque perpetuæ fœdera inuiolabili stabilitate inter dominum Regem & Calypham firmare; annua quoque, tributi ampliatâ possessione, domino Regi certa stipendia de ærario Calyphæ constituere. Videbatur enim res non facilè finem habitura, sed laboris exigere diuturnitatem, & temporis plurimùm postulare. Conuentionum autem & facti huius mediatores, prætentatis hinc inde partium desideriis, &

riis, & voluntate præcognitâ, decernunt domino Regi quadringenta aureorum millia: ducenta millia statim soluentes, reliqua ducenta millia, placitis temporibus sine difficultate soluturos se spondentes, eâ conditione, eoq; tenore: *Quòd dominus Rex bonâ fide, sine fraude & malo ingenio, propriâ manu firmaret, quòd regno Ægypti non egrederetur, nisi priùs Siracono, omni eius exercitu penitùs extincto, aut de omnibus Ægypti finibus expulso.* Placuit autem partibus cōditio. Dominus Rex his qui à Calypha missi fuerant, super placitis conuentionibus dexteram dedit. Missus est autem dominus *Hugo Cæsariensis*, miræ prudentiæ iuuenis, & supra id quod solet ætas illa ministrare, circumspectus, & cum eo quidam alii, in cuius manu Calypha, iuxta consonantiam
30 placitam pacta firmaret: non enim sufficiens videbatur, si in eo Soldanus se solus obligaret. Et quoniam singularem, & seculis nostris incognitam habet illa principis domus consuetudinem, libet diligenter annotare, quæ fidâ relatione eorum qui ad illum tantum Principem sunt ingressi, de statu & magnificentia, & immēsitate diuitiarum, & gloriæ multiplicitate, cōperimus: non enim erit minimùm profecisse, hæc intellexisse diligentiùs. Prædictus ergo *Hugo Cæsariensis*, & cum eo *Gaufridus* Fulcherii frater militiæ Templi, in principio obeundæ legationis, ducente Soldano, *Cahere* ingressi, ad palatium, quod linguâ eorum *Cascere* dicitur, ascendentes cum apparitorum numerositate maxima, qui cum gladiis & strepitu præcedebāt, per angiportus, & loca luminibus egentia ducti, ad singulos introitus arma-
XVII.
40 torum Æthiopum cohortes crebræ salutationis officium certatim Soldano exhibētes, reperetunt. Transeuntes autem primam & secundam custodiam ad quædā diffusa & magis spaciosa loca, Soli peruia, & diuo exposita, intromissi, deambulatoria inueniunt, columnis subnixa marmoreis, auratis laquearibus, & prominētibus celata operibus, pauimento strata vario, ita vt omni suo ambitu, regiam prætenderent dignitatem: quibus tanta inerat materiæ & operis elegantia, vt transeuntium etiam inuitos detinerent oculos, & quadam videndi auiditate, inuitante operum eximiâ nouitate, intuentium aspectus non sinerent satiari. Erāt ibi piscinæ marmoreæ, aquis redundantes limpidioribus: erant auium multimodarum, quas noster non nouit orbis, varii garritus, formæ incognitæ & coloris peregrini, figurarum quan-
50 tum ad nos prodigiosarum, cuique gustus iuxta speciem suam, & edulium cuique varietati eorum consentaneum. Inde ad vlteriora, præuiis eunuchorum principibus, admissi, iterum ædificia tantò prioribus elegantiora inueniunt, quantò quæ priùs viderant vulgaribus & vsitatis præstantiora videbantur. Hîc quadrupedum stupenda varietas, qualem pictorum solet manus lasciua depingere; qualem solet poetica licentia mentiri, aut somniantis animus visionibus imaginari nocturnis; qualem Orientis, & Austri solēt dioceses ministrare; Occidens autem videre nunquam, audire verò rariùs consueuit. Videbatur procul dubio, quòd ex iis locis, *Solinus* noster Polystoris sui deduxerit historiam. Et iam per multos anfractus, & varia diuerticula, quæ etiam negotiosos poterant sui contemplatione detinere,
XVIII.
60 ventum est ad ipsam regiam, vbi maiores armatorum cunei, satellitum quoque stipatus numerosior, habitu & frequentiâ domini gloriam incomparabilem fatebantur: ipsa quoque locorum facies domini opulentiam, & supereminentes diuitias prætendebant. Ingressis porrò eis & in interiorem partem palatii admissis, *Soldanus* de more consuetam domino exhibens reuerentiam, semel & secundò humi prostratus, quasi nemini debitum cultum, & quoddam adorationis genus cœpit supplex impendere: tertiò iterum prostratus ad terram, gladium quem de collo gerebat suspensum, deposuit. Et ecce subitò contractis mirâ velocitate velariis, margaritarum varietate auroq; contexis, quæ media dependebant, & obumbrant solium, reuelatâ facie, throno sedēs aureo, habitu plusquam regio, paucis circa eum de do-
70 mesticis & familiaribus eunuchis, apparuit *Calypha.* Tunc accedens cum omni reuerentia Soldanus, sedentis pedibus osculum humiliter imprimens, aduentus legatorum causam, & tenorem pactorum, regni etiam vrgentissimam necessitatem, hostes immanissimos in mediis astare visceribus; quid etiam ab eo exigatur, quidúe ei à domino Rege impendatur, sub verborum compēdio aperit. Ad hæc ille benignè multùm & placidâ tranquilli vultus hilaritate respondit: se iuxta initas & vtrinque admissas conuentiones, dilecto suo domino Regi, largâ interpretatione cuncta adimplere paratum esse. Petentibus nostris, vt hæc propriâ manu firmaret, sicut do-

minus Rex fecerat: prima facie viri illi, qui ei familiarius astabant, [illegible] cubicularii, penes quos consiliorum regiorum erat auctoritas, rem [illegible] in seculis inauditam, abhorrere: tandem verò, post multam deliberationem, [illegible] Soldani diligentem instantiam, manum porrigit, inuitus nimium, sed [illegible] dictus *Hugo de Cæsarea*, multùm admirantibus & stupentibus Ægyptiis, [illegible] bere summo Principi loqueretur, dixit: *Domine, fides angulos non habet: [illegible] dia, per quam se solent obligare Principes, omnia debent esse nuda; & aperta cum [illegible] colligari, & solui conuenit vniuersa, quæ fidei interpositione, pactis quibuslibet in [illegible] pterea aut nudam dabis, aut fictum aliquid, & minus puritatis habens, ex parte tua [illegible] nari.* Tunc demum inuitus plurimùm, & quasi maiestati detrahens, [illegible] mē, quòd multùm ægrè tulerunt Ægyptii, dexteram suam in manum domini [illegible] *nis* nudam præbuit, eundem *Hugonem*, pactorum formam determinante, [illegible] syllabis sequēs, tenorem conuentorū *bonâ fide, sine fraude & malo ingenio* se [illegible] rum contestans. Erat autem, sicut dominus *Hugo* nobis retulit, iuuenis primæ pubescēs lanugine, fuscus, procerus corpore, facie venustâ, liberalis plurimùm, [illegible] ras habens vxores: nomen eius *Elhadech*, filius *Elfeis*. Quibus dimissis, regiæ liberalitatis insigne, munera legatis dirigit, quæ tantum Principem suâ quantitate & specie commendarent, vt à facie tanti Principis iucundum haberent egressum, & ad suos remitteret lætiores.

XIX. Et quoniam de magnificentia eius, secundùm quod audiuimus ab his, qui viderunt, & oculatâ fide inspexerunt, dictum est de nomine quoque dignitatis, & ortu & processu eius, quantum nobis nosse datum est, tum ex lectione veterum historiarum, tum ex multorum veridica relatione, in medium proferamus: non enim erit absque historiæ compendio, in hac parte lectorem reddidisse doctiorem. Princeps igitur Ægyptius, apud suos duobus appellatur nominibus: dicitur enim *Calypha*, quod interpretatur *successor* vel *heres*: eo quòd [illegible] rum prophetæ vicem & successionem, iure teneat hereditario. Dicitur & [illegible] quod interpretatur *Dominus noster*. Posterioris nominis ratio inde videtur [illegible] initium, ex quo *Ioseph* noster, tempore Pharaonis omnem Ægypti regionem, vendentibus Ægyptiis præ angustia famis possessiones suas, emit; subiecitque eas Pharaoni, & cunctos populos eos à nouissimis terminis Ægypti, ad extremos [illegible] eius, dicens agrorum cultoribus: *Quintam partem Regi dabitis; quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibos familiis vestris & liberis.* Emit ergo prius possessiones, deinde personas: vnde est, quòd arctiore vinculo tenentur Ægyptii domino suo, & ampliùs sunt ei obligati, quàm aliarum habitatores regionum magistratibus suis. Quippe qui & eos & eorum possessiones precio interueniente comparauit: vnde & seruili nexu, & extremâ conditione ei tenentur annexi. Ita ergo per [illegible] procuratoris sui egregiam sollicitudinem temporibus Pharaonum, deinde Ptolemæorum, & postea temporibus Romanorum, qui eam more aliorum regnorum redegerunt in prouinciā, consuetudo hæc obtinuit, vt serui sint Ægyptii, & eā reuerentiā consueuerint appellare. Nihilominus autem & veteris consuetudinis portio est, quòd idem Princeps ocio vacans perpetuò, & deliciis deditus, tumultuum ignarus, & sollicitudinis expers, procuratorem habet, qui vniuersa administrat regni negotia, tanquam alter *Ioseph*; & potestatem gladii, & omne [illegible] implet. Hic *Soldanus* dicitur, & in hac administratione erat *Sanar*, vnde [illegible] verbum est tam frequens.

XX. Prioris autem nominis hæc est ratio: [illegible] propheta eorum, imò subuersor, qui primus Orientales populos ad [illegible] xit superstitionem, successorem habuit statim post se quendam de [illegible] suis, *Bebecre* nomine. Post quem successit in regno *Homar* filius [illegible] *Vhemen*: post quē *Hali* filius Bithaleb. Hi omnes dicti sunt *Calyphæ*, [illegible] omnes qui eis successerunt; eò, quòd eorū magistro præcipuo [illegible] erant hæredes. Iste tamen ab eo quintus, *Hali* videlicet, [illegible] præcesserant, magis in armis strenuus, & in re militari [illegible] ris exercitatus, & ipsius Mehemet patruelis, indignari cœpit [illegible] lius diceretur successor; & non magis Propheta eximius, & multò [illegible] beretur. Nec satis visum est ei ita de se velle, vel alios opinari, nisi & [illegible] blice prædicaret: adiecit etiam [illegible]

disseminare, quod Angelus legislator Gabriel, ad se missus fuerat diuinitus; sed errore deceptus eam Mehemet contulisset: vnde fuit grauiter à Domino correptus. Hæc etsi absona quibusdam eorum, & ab eorum traditionibus multùm dissentire videbantur, inuenit tamen populum qui sibi crederet: sicque in gente illa, exortum est schisma, quod postea non defecit vsque in præsentem diem: aliis dicentibus *Mehemet* maiorem esse, & omnium eximium Prophetarum, & hi linguâ eorum dicuntur *Sunni*: aliis dicentibus, *Hali* solùm esse Prophetam Domini, & isti dicuntur *Ssia*. Occisus est autem prædictus Hali, & obtinuit pars aduersa principatum, & fuit penes sequaces Mehemet monarchia in Oriente; & alios contrariæ opinionis viros opprimebant, tanquam potestatem habentes. Anno igitur ducentesimo octogesimo sexto, à regno sæpedicti seductoris, surrexit vir quidam nobilis, nomine *Abdalla*, filius *Mehemet*, filii *Iaphar*, filii *Mehemet*, filii *Hali*, filii *Hussen*, filii *Hali* maioris, de quo præmisimus. Hic egressus de *Selemia* ciuitate, quæ est in Oriente, transiuit in Africam, & occupatis vniuersarum illarum partium regnis, vocauit se *Mehedi*, quod interpretatur *Complanans*: quasi qui vniuersa ad quietem dirigit, & sine offendiculo vias, populo effecit planiores. Ædificauitque ciuitatem de nomine suo maximam, *Mehediam*, quam regnorum suorum voluit esse caput, & superemin&entem metropolim. Hic classe ordinatâ, cepit *Siciliam*, & quasdam Italiæ partes depopulatus est. Hic primus omnium post Hali attauum suum, ausus est dicere, & se nominare *Calypham*; nō quod Mehemeth se diceret successorem, quem execrabatur; sed maximi & eximii prophetæ Hali, de cuius stirpe descenderat, vt præmisimus. Ausus est etiam nihilominus in Mehemeth & sequaces eius, maledicta publicè iaculari, & alium ritum, aliumq; modum orandi tradidisse. Huius abnepos *Ebuthemim*, cognomento *Elmehedinalla*, subiugatâ sibi Ægypto, per *Iohar* principem militiæ suæ; constructoque *Cahere*, quod interpretatur *Vincens*; eò quòd domini eorum præcipui & summi principis omnia vincentis, futurum erat domicilium: egressus de *Caroea*, quæ est in diocesi Africana, in qua prædecessores eius quatuor habitauerant; descendit in Ægyptum, & prædictum locum constituit regni solium. Ab illa igitur die, vsque in præsens, non defuit Calyphæ Orientali, qui tot annis fuerat monarcha, æmulus in Ægypto regnans, cum eo de paritate cōtendens, imò etiam se præferens. Hæc si quis pleniùs scire voluerit, illam legat historiã, quam de Orientalibus principibus & eorum actibus, à temporibus prædicti seductoris Mehemet, videlicet per annos quingentos septuaginta septem, vsque in præsentem diem, qui est annus ab incarnatione Domini *millesimus centesimus octuagesimus secundus*, cum multa scripsimus diligentia, instante & rogante domino *Amalrico* inclitæ memoriæ, & exemplaria Arabica ministrante. A. D. 1182.

XXI. Pactis igitur, vt prædiximus, renouatis, & vtrinque ad consonantiam redactis, ad opus conceptum vnanimiter se accingunt, parati hostem insequi, & de regno expellere vniuerso. Nox interim irruens, causam porrexerat quietis: manè facto, rerum inueniunt aliquam mutationem. Nam *Siraconus* illâ nocte veniens, supra ripam fluminis eiusdem oppositam, è regione nostri exercitus castra posuerat. Comportatis igitur nauibus & trabibus palmaceis, quales illa regio consueuit habere, dominus Rex pontē præcipit ordinari: iungebantur naues binæ, defixisq; anchoris, reddebantur stabiles; desuperq; trabibus ordinatis terra supponebatur; demum turribus ligneis, machinis superere&ctis, armabātur. Sicque per dies aliquot, vsq; amnis medium, productum est opus: nam reliquū exequi, & ad vlteriorem ripam procedere, hostium formido vetabat. Hic iam per mensem & eo amplius omnis belli euentus, suspensus tenebatur, nostris nō valentibus amnem transire; hostibus nō audentibus, ne nostri à tergo irruerent, vlteriùs euagari. Dum hæc circa *Cahere* aguntur, misit *Siraconus* partem de suis qui insulam, quę vicina erat, omnibus referta copiis, si possent occuparent, & nostros aliquando illuc descensuros præuenirent; quod & factum est. Sed postquam domino Regi innotuit, hostes in insulâ descendisse, misit illuc dominum *Milonem de Planci*, & *Chemel* Soldani filiū, cum parte militię: qui ad insulã tandem peruenientes, Turcos in ea reperiunt, in loci illius habitatores immanissimè sæuientes: quibus tandē facti obuiã, cōmisso inter eos prælio, viriliter hinc inde pugnatū est. Sed tandē nostri, iuuante Domino, superiores facti, cōpulerūt eos in flumē proximū se dare præcipites: vbi qui gladios euaserūt, submersi sunt in aquis vehemētibus. Perierūt ergo ex eis illâ die, variis casibus

equites quingenti. Quod postquam Siraconi nunciatum est, cœpit de proposito amplius diffidere, animo plurimum consternatus. His ita se habentibus, quidam de nostri regni principibus, *Henfredus* videlicet *de Torono*, Regius Constabularius, item *Philippus de Neapoli*, qui cum domino Rege ex caussis familiaribus, moram facientes, egressi non fuerant, cum multa velocitate exercitum secuti, castris nostris se applicant: quorum aduentum cum multa hilaritate & plausu nostræ susceperunt cohortes. Erant enim viri fortes, & in armis strenui, in re quoque militari a multis annis plurimùm exercitati. Inito ergo consilio, deliberant quid facto sit opus: tandemq; communi voto decernunt, classem vniuersam intempestæ noctis silentio, clam hostibus in insulam, quæ inferiùs erat, vix octo miliaribus ab eo loco, vbi castra erant, remota, deducere; exercitumque omnem, circa primam noctis vigiliam illuc transfretare: eo videlicet intuitu, vt hostibus ignorantibus, flumine transito, de nocte super incautos irruerent, damna quanta possent irrogaturi. Mandatur ergo executioni consilium, & classis, nescientibus aduersariis, ad prædestinatum locum descendit. Exercitus verò cum summo silentio sequens, & nauibus subitò transuectus, insulam occupat: & dum alteram fluminis partem, eodem modo, iuxta condictum exsuperare nituntur, exorto repentè ventorum turbine, opus implere prohibiti sunt: vnde & in ea parte, quæ vlteriorem ripam respicit, castrametari coacti sunt. Reliquerunt tamen de nostris, qui pontem cœptum perficiant, & perfectum tueantur; eisq; præficiunt dominum *Hugonem de Ibelim*, virum magnificum & potentem, qui vt prædiximus, relictam domini Regis vxorem duxerat.

XXII. Insula hæc, vnde nobis sermo est, apud eos *Maheleth* dicitur, bonis omnibus copiosior, & glebæ vberi lætissima, ex diuisione fluentorum *Nili* fit: ibi enim diuiditur fluuius, partes quas ab inuicem separat, vsque ad mare iterum non recepturus; sed tamen iterum non conueniens, quatuor hostiis mari se immiscet. Prima pars quę nostram Syriam respicit, inter duas antiquissimas vrbes maritimas mare ingreditur, inter *Taphnim* & *Pharamiam*: sed alterius ædificiis vicinior, locum præterfluendo alluit; ab altera aliquantulum, quasi miliaribus tribus aut quatuor, distat: Secunda apud *Damiatam* vrbem antiquam & nobilem, fretis adiungitur: Tertia apud *Sturionem*; Quarta apud *Ressith* (qui locus Alexandriæ conterminus est, vix ab ea distans miliaribus quatuor, aut circa id) marinis fluctibus excipiuntur. Quærentibus sanè nobis & inuestigantibus diligenter, nulla alia amnis huius occurrunt hostia: vnde miramur plurimùm, antiquos Nilum *septemfluum* dixisse, quasi septē hostiis mare ingrediatur. Nec aliud nobis pro solutione occurrit, nisi aut serie seculorum antiquissimâ locorum faciem alteratam, fluuiumque, sicut aliis etiam amnibus solet crebriùs accidere, alueum mutasse: aut pristinæ ætatis viros, rei veritatem non esse assecutos: aut forte exuberante flumine, & solitis incrementis facto redundantiore, vias præter istas quatuor, tumoris sui tempore, aquarum decursus reperit, per quas postmodum infra alueum receptus, pelagus desinit introire: quas si quæ sunt, quia iuges non habent aquas, sed more torrentium, certis tantum temporibus defluunt, inter ostia non computauimus. Occupatâ igitur insulâ, minor pars fluminis restabat: iamiamque inclarescente die, hostes somno soluti, nostros vidētes abiisse, classe abductâ, ad arma conuolant, subitum nostrorum timentes incursum. Inde cum celeritate secuti, secus fluuium agmina trahentes, nostros conspiciunt insulam occupasse, eamque quæ transeunda restabat fluminis portionem, classe immissâ quasi propriam vendicare. Castra igitur locant ex aduerso, longè tamen à crepidine aluei aliquantulum, vnde non habebant prorsus liberum ad aquas accessum: vnde etiam equos ad aquas trahentes, inferiùs descendebant. Sequenti igitur die, propositum fuerat nostris omnibus fortunam tentare, & aperire ferro viam: cùm ecce nocte illa, nobis ignorantibus, hostes descendunt: manè autem facto, videntes eos abiisse, flumine [illegible] transmisso, hostes insequi nostri festinant. Hic sanè accelerandi gratiâ, quo [illegible] tiùs equites proficiscerentur, relictis pedestribus auxiliis, dominus Rex cum equitibus ad iter accingitur. Dimisit tamen dominum *Hugonem de Ibelim*, [illegible] Soldani filium, cum multa tum nostrorum tum Ægyptiorum militia, qui [illegible] pontemq; quem nostri perfecerant, à subitis hostium incursibus tuerentur. [illegible] ditæ sunt nostris turres, & vniuersæ nobilis illius vrbis munitiones, [illegible] phæ nostris hactenus incognita, eis peruia facta est, ita vt & ipse domin[illegible]

eius

eius familia, salutis spem omnem in nostris tantùm haberent. Tunc reuelata sunt nostris illa Sancta Sanctorum à seculis abscondita; & stupẽda priùs, & paucis familiaria patuerunt arcana. Misit etiam dominus Rex, *Gerardum de Pugi*, & alterum Soldani filium, *Mahadam* nomine, in vlteriorem fluminis ripam, iterum, cum vtriusque gentis expeditione: qui si fortè hostes amnem transire tentarent, ipsi eorum conatibus reniterẽtur. Depositis igitur, vt prædiximus, ex maxima parte impedimẽtis, dominus Rex hostem insequitur, cõtra decursus aquarum: ipsa enim regionis forma, certum dabat insequentibus de hostium itinere argumentum. Omnis enim Ægyptiacus tractus, a prioribus auspiciis suis, quibus Æthiopum regioni continuari 10 dicitur, inter duas solitudines iacet arenosas, perpetuâ sterilitate damnatas: nec aliquando sentit aut præstat fructuarios prouentus, cuiuscunque generis, nisi quãtum de beneficio exuberantis *Nili*, certis temporibus fœcundatur. Fluuius autem non nisi quantum locorum adiacentium opportunitas permittit, suâ reddit irrigatione frugibus aptam regionem: nam vbi circa se planiorem reperit superficiem, liberiùs effusus, latiùs etiam terram cultui præbet habiliorem, & factus diffusior diffusiorẽ glebæ porrigit vbertatem. A *Cahere* ergo inferiùs, versus mare, planiora penitus inueniens loca, excursus habet liberos: vnde & fœcunditatem liberiùs latiusq; procurat, & regno maximum dans incrementum, fines eius dilatat. Nam ab eo oppido quod dicitur *Facus*, quod Syriam respicit, vsq; *Alexandriam*, quæ nouissima illius re-20 gni ciuitas, arentem contingit Lybiam, centum & ampliùs miliaribus culti fœcundique commoditas diffunditur. A *Cahere* verò suprà, vsquequò perueniatur *Chus*, Ægyptiæ diocesis vltimam ciuitatem, quæ regno Æthiopiæ dicitur esse contermina, tãtas patitur collium arenosorum obiectu angustias, vt rarò septem aut octo miliaribus, frequentiùs quatuor aut quinque, aut altrinsecus, aut ex vna tantùm parte diffusus, ad suæ exundationis modum, regni fines laterales vel cõtrahat, vel producat: nam quæ loca non irrigat fluuius, Solis ardoribus & perpetuę, vt diximus, sterilitati deputantur. Superior igitur regio linguâ eorum *Seith* appellatur. Cuius nominis nullam aliam adhuc potuimus inuenire rationem, nisi quòd priscis temporibus in superioribus Ægypti partibus legitur fuisse ciuitas vna antiquissima *Sais* nomi-30 ne, cuius mentionem *Plato* noster in Timeo, sub persona Critiæ discipuli sui, Solonem præcipuę auctoritatis virum introducentis facit: cuius verba ad maiorem euidentiam ponenda iudicauimus, ne quid deesse auctoritati videatur. *Est*, inquit, *regio Ægypti*, Delta *nomine, cuius è vertice Nili scinduntur fluenta, iuxta quam* Sais *nomine, ciuitas magna fuit, quam regit mos vetus, qui, lex* Satyra *nuncupatur. Ex hac vrbe* Amasis *fuit Imperator*, &c. Est tamen quædam alia regio ad candẽ pertinens Ægyptum, à Cahere distans itinere diei vnius, per terram inhabitabilem, quæ eiusdẽ fluminis beneficio per quosdã meatus visitata, opimum & fertile nimis habet solum, agrorũ & vinearum multâ gaudens opulentiâ. Hanc Ægyptii linguâ suâ *Phium* vocant; hanc vt veterum tenet traditio, prudẽtissimus procurator Ægypti, & optimus vtiliũ prouisor Ioseph, 40 cùm priùs solum inutile, aratri prorsus ignarum, & culturæ & curæ expers omnino à mundi iacuisset initio, sicut eiusdem solitudinis partes aliæ, considerato loci situ: quia circumadiacẽtibus locis finitimis humilior videbatur, & quòd solutis quibusdam aggeribus, qui medii erant inter habitabilem tractum & eandẽ solitudinis partem, facilè posset fluminis recipere beneficium: positis aggeribus, & mediâ quæ interiacebat superficie complanatâ, Nilum restagnantem, paratis aquæ ductibus introduxit, & à seculis solo incognitam familiarem fecit fœcunditatem. Nos autẽ antiquum eius vocabulum non tenentes, opinamur, priscis temporibus *Thebaidã* dictam, vnde sanctorũ Thebæorum Legio (quæ sub Diocletiano & Maximiano Augustis apud Agauno martyrio coronata est) fuisse dicitur, cuius primicerius magnus 50 martyr Mauritius legitur fuisse. Et aliud argumentum accedit, quòd optimum opium quod vsquam inuenitur, quod medici *Thebaicum* vocant, ibi nascitur. Nam terra *Gessen*, quæ fratribus Ioseph data fuisse legitur, in ea parte Ægypti est, quæ Syriam respicit, sicut ex lectione libri Geneseos esse deprehenditur, quod diligens facile lector inueniet: Hæc autem, oppositam Ægypti partem & vlteriorem fluminis ripam habet viciniorem quæ Libyam respicit. Est autem regio non modica; imò trecentas sexaginta sex tam vrbes, quàm suburbana, finibus suis dicitur coërcere. Hac igitur (vt diximus) lege loci, quia regnum erat ita angustum, nec ad dexteram,

XXIII.

nec ad læuam poterant declinare: & etiam crebris exploratorum internunciis edoctus dominus Rex & Soldanus de itinere hostium, per triduum continuum secuti, quartâ demum die, sabbato videlicet, quæ illam Dominicam præcedit, qua in Ecclesia DEI cantatur *Lætare Hierusalem*, nunciatur hostes esse in proximo. XXIV. Communicato itaque ad debitum compendium consilio (nam ferias liberiores, instans non patiebatur necessitas) prudenti consilio & animositate prouida opus esse dicut; omniumque desideriis bellum decernitur, gladiis conserendum acclamatur. Verùm impar nimis erat accinctorum ad prælium distributio. *Siraconus* enim habebat Turcorum duodecim millia, ex quibus nouem millia loricis galeisq; tegebâtur, reliqua tria millia arcubus tantùm & sagittis vtebantur: præterea Arabum aut decem aut vndecim millia lanceis pro more vtentium. Nostri verò equites vix erant CCC. LXXIV. absque Ægyptiis vilibus & effœminatis, qui potiùs impedimento & oneri essent quàm vtilitati. Erant præterea nobis equites leuis armaturæ, quos *Turcopulos* vocant, sed nescimus ad quem numerum: multorum quoque relatione audiuimus, quòd illâ die in tanto conflictu ex maiore parte, prorsus fuerunt inutiles. Compertum ergo habentes tam nostri de hostium vicinitate, quàm ipsi de nostrorum aduentu, prout res exigere videbatur, acies ordinant, cuneos disponunt, arma exerunt: qui rei militaris exercitatione pristinâ erant prudentiores, alios hortantur, rudes instruunt, sermonibus exhortatoriis inflammant animos, promittunt victoriam, victoriæ fructum laudem immortalem. Erat autem locus in quo committendum erat, in confinio cultæ terræ & solitudinis, locus inæqualis, arenarum collibus vallibusque mediis interpollatus, ita vt neque aduenientes de remoto videre, nec abeuntes longiùs liceret intueri. Nomen loco *Beben*, quod interpretatur, *portæ*: eò quòd inter colles oppositos transitus arcetur. Nam *Lamonia*, vnde quidam huius diei prælium solent denominare, ab eo loco decem miliaribus erat remota. At verò hostes sollicitudine non pigri, nihilominus instructis aciebus à dextris & à sinistris colles occupauerant, ad quas tum propter cliuum, tum propter arenarum mollitiē nostris durum erat cum impetu accedere; eamq; cui *Siraconus* præerat, mediam posuerant cohortem, cæteris vtrinque collocatis. Etiam ventum erat ad hoc, vt cominus rem agi oporteret: egressique nostri qui in acie Regis erant, vnanimiter cohortē cui Siraconus preerat, viriliter prosternunt; prostratos, gladiis obtruncant; ipsum etiam in fugam versum insequuntur. Porrò *Hugo Cæsariensis* in eam aciem cui præerat *Salahadinus*, Syraconi nepos, impetum faciens, à suis destitutus deficit, deficiens capitur; multi etiam cum eo capti, plures interfecti. Ibi cecidit vir nobilis, & in armis strenuus, *Eustachius Cholet* de regione Ponti. Hoc successu elatæ cohortes aliæ, conuenientes ad inuicem, & vndique vallantes, aciem illam quæ impedimentis & sarcinis conseruandis deputata erat, aggrediuntur, statimque dissolutam prosternunt: ibi occubuisse dicitur vir nobilis, Siculus natione, probus & honestus iuuenis *Hugo de Creona*. Dissipatâ igitur acie, mortuis pluribus, qui gladios euadere potuerūt, fugâ saluti consulunt. Hostes verò impedimenta & sarcinas liberè occupant, & secum trahunt occupata. Interim dissolutis hinc inde agminibus, & per dictas valliculas dispersis, variis euentibus pugna committitur, testibus his solis qui conserebant: nam aliis non dabatur id videre: erat autem anceps prælium, & nunc ii, nunc illi fiebant superiores, ignari quid alibi ageretur. Vtrique alibi reputant se victores, alibi victos. Venerabilis quoq; frater noster, dominus *Radulphus* Bethleemita Episcopus, domini regis Cancellarius, cui postmodùm nos in eodem officio successimus, grauiter vulneratus, vniuersa impedimenta sua in eodem tumultu amisit. Anceps diu prælium, certum de victoribus iudicium differebat: donec inclinata iam dies, dispersos ad signa hortabatur redire: tunc demum noctis irruentis metu, iam incipiunt, qui liberi erant, ad suos festinare; Regemque studiosè quærendo, ex variis partibus prodeuntes, iterum se colligunt. Dominus autem Rex, in eo loco in quo pugnauerat, victor, feliciter rem gesserat: alii autem sorte variâ in diuersis partibus Martem experti sunt, hîc prosperâ, ibi aduersâ vsi fortunâ; vnde neutram partem certa coronauit victoria. Rediens verò cum paucis admodum, collem quendā occupans, aliquantulum sublimem, erecto vexillo, vt ad eum recolligerentur qui dispersi erant, socios operiebatur. Quibus pro parte reuocatis, hostes ante se in collibus geminis, qui impedimentorum dissoluerant aciem, & partim occiderant, partim

tim occupauerant, conspiciunt dissolutos. Nec aliunde nostris patebat ad redeundum via, nisi intermedium collium prædictorũ pertransirent. Habentes igitur redeundi propositum, in aciem ordinati per hostes medios, quos à dextra læuaq; contuebantur, iter agunt, gradu lento: contra quos cũ tanta constantia proficiscentes, nil ausi sunt aduersitatis hostes moliri: sed iuncto agmine, viris fortioribus & armatis optimè per gyrum locatis, ad quãdam fluminis portionem peruenerunt, & eam vado pertransierunt incolumes nostri. Eã igitur nocte totã abeuntes nostri, per viã vnde prius venerant, redeunt. Peruenientibus autem Lamoniã, occurrit eis *Gerardus de Pugi*, qui cum quinquaginta equitibus & Turcopolis centum, & *Mahadan* filio Soldani, oppositam fluminis partem tenuerat, vt hostes si fortè fluuium transire vellent, impediret. Venit autem optatò: nam plurimùm eis dominus Rex timebat, ne seorsum inuentos, siue vltra siue citra fluuium hostes aggrederentur. Sed & pro pedestribus turbis, quas post se dimiserat, vt prædiximus, nihilominus erat sollicitus, timens ne hostibus subitò & incautè occurrerent. Vnde apud prædictum oppidum per triduum, eos sustinens operiebatur, quibus præerat nobilis homo & prudens *Iofcelinus de Samosato*. Quartã vix die receptis paulatim nostris, & peditum manu iterum sibi sociatã, continuatis itineribus, *Cahere* peruenientes, ante Babylonem secus pontem castra metantur. Recensito igitur militum numero, centum ex eis deesse reperiunt; de hostibus verò mille quingentos asserunt cecidisse. At verò *Siraconus*, suis nihilominus qui supererant, in corpus vnum reuocatis, per solitudinem, nostris ignorantibus, *Alexandriam* tendit, cui protinus Alexandrini ciuitatem tradunt. Rex autem vt primum rumorem comperit, vocatis ad se principibus, Soldano quoque & filiis eius, & nobilibus Ægyptiorum, quid facto opus sit, studiosiùs quærit. Vbi post multas disceptationes, sicut in rebus dubiis solet contingere, quoniam Alexandria ex se alimentorum non habet copiam, nec frugum quippiam, nisi quantum sibi de superioribus Ægypti partibus nauigio ministratur, placuit classem in flumine ad custodiam locari, vt inde Alexandrinis commerciorum omnino nihil possit inferri. Quo facto, ipse cum vniuerso exercitu ad partes illas descendens, inter locum qui dicitur *Toroge* & *Demenehut*, castra componit; qui locus ab Alexandria octo distat miliaribus: inde loca finitima & etiam remota per solitudinem, missis excursoribus, penetrans, & discutiens, ne fortè aliquis aut opem ferat obsessis, aut inde veniens aliquos exteriores ad eorum adminiculum sollicitet. Nihilominus & classis, quoslibet transire volentes, aut transitum prorsus inhibet; aut cognitum non nisi diligenter quæsitum, descendere permittit. Euoluto igitur vnius mensis spacio, cùm ciuitas illa nihil omnino alimentorum medio tempore aliunde suscepisset, cœpit conqueri populus quòd defecerat panis in cistartiis, & quòd victum non haberent: quod intelligens *Siraconus*, timens ne cum aliis ipse cum suis inediã tabefieri compelleretur, relicto nepote *Salahadino*, quasi cum mille equitibus in ciuitate, ipse nocturnis itineribus per solitudinem, prope tamen nostram expeditionem, euadit in superiores Ægypti partes, vnde paulo antè descenderat: quod postquam Regi innotuit, impigrè subsequitur, quousque *Babylonem* peruenit. Hic iam cùm in procinctu vniuersus esset exercitus, compositisque sarcinis sequi decreuisset, repente nobilis & potens Ægyptius *Benecarselle*, Regem adiit; Alexandriam summã inopiã laborare docet: consanguineos in eadem se vrbe asserit habere potentissimos, & ciuitatis moderatores, qui facilè possint populum fame afflictum, in quam partem velint trahere, & ciuitatem cum omnibus Turcis qui in ea relicti erant, in manu domini Regis dare. Motus itaque Rex ad hoc verbum: quærit à principibus, quid eis videatur: tandemque consonantibus omnium desideriis, approbante etiam Soldano, Alexandriam redeunt, eamq; gemino circundant exercitu. *Alexandria* totius Ægyptiæ diocesis, in ea parte quæ Libyam respicit, & in Occidentem protenditur, omnium ciuitatum est nouissima, in confinio culti soli & arentis solitudinis sita, ita vt extra ciuitatis mœnia versus Solis occasum, vasta protinus heremus adiaceat, culturæ & curæ omnino non sentiens beneficium. Hanc, vt antiquæ tradunt historiæ, *Alexander* Macedo, Philippi filius, cuius etiam nomen appellatione suã prætendit, condidisse dicitur. Condita est autem, vt ait *Iulius Solinus*, duodecimã centesimã Olympiade, Lucio Papyrio L. filio, & Caio Petilio, Gai F. Coss. quam metatus *Dinocrates* architectus, secundum

XXV. XXVI.

10 20 30 40 50

post conditorem inter memorabilia locum obtinet. Sita est autem nō longè ab hostio Nili, quod *Heracleoticon* quidam, alii *Canopicon* appellāt. Hodie verò locus à quo denominatur hostium illi conterminum ciuitati, deletis antiquis nominibus, *Ressith* appellatur; distat autem à fluminis alueo quinque aut sex miliaribus: sed tamen quibusdam meatibus, tempore soliti incrementi, fluuii pars vrbem influit; quam aquarum influxionē cisternis amplissimis, ad hoc specialiter deputatis, ad vsus proprios toto anno diligenter seruant: sed & ad pomeria, quæ sunt extra vrbem procurtanda, occultis traconibus portionem ex ea dirigunt necessariam. Sita est autem, quantum ad celebranda commercia, commodissimè. Portus habet duos, lingua quadam interiacente, valde angustà, disiunctos. In capite autem illius interstitii turris est miræ altitudinis, quæ *Pharos* appellatur, quam Iulius Cæsar ad vsus necessarios dicitur erexisse, & illuc deduxisse coloniam. De superioribus autem Ægypti partibus per fluenta Nili, omnimodorum alimentorum copiam, & rerum pene omnium suscipit vbertatem. Verùm & de regionibus transmarinis, si qua sunt quæ Ægyptus non habet, nauigio omnis opulentia ministratur: vnde ampliùs qualibet vrbe maritimâ omnibus commoditatibus dicitur abundare. Ad hæc ex vtraque India, Saba, Arabia, ex vtraque etiam nihilominus Æthiopia, sed & de Perside, & aliis circumadiacentibus prouinciis, quicquid aromatum, margaritarum, Orientalium gazarum, & peregrinarum mercium, quibus noster indiget orbis, per Mare Rubrū, vnde gentibus illis ad nos iter est, in superiores partes Ægypti, ad eam vrbem quæ *Aideb* dicitur, super ripam eiusdem maris sitam infertur, id totum ad flumen, & inde Alexandriam descendit. Sic ergo Orientalium & Occidentalium illuc fit concursus populorum: estque eadem ciuitas forum publicum vtrique orbi. Clara sanè, & antiquis titulis & modernis; sed & beati *Marci*, principis Apostolorum spiritualis filii, diuinitus ad eādem Ecclesiam missi, illustrata prædicatione, & verbo; & sanctorum patrum *Athanasii* & *Cyrilli* prælatione, & tumulis decorata, secundum inter Patriarchas locum obtinens; Ægypti, Libyæ, Pentapolis, & multarum prouinciarum reuerenda metropolis. Deducitur illuc classis vniuersa; portasq; & omnem aditum obsidentes, nemini accedendi licentiam permittunt.

XXVII. Interea qui in Syria remanserant, audientes quia dominus Rex Alexandriam obsederat, & quòd nauigatione continuâ infra paucos dies illuc possent peruenire, certatim iter arripiunt, & correptis armis, nauibus victui imponunt necessaria, & seipsos inuitantes læti nimium proficiscuntur. Inter quos & dominus *Fredericus* Tyrensis Archiepiscopus, prædecessor noster, zelo motus aliorum, & speciali erga dominum Regem tractus affectu, cum honesto satis comitatu, nauigio descendit in Ægyptum: sed aquis Niliacis causam præstantibus, dysenteriâ cœpit periculosissimè laborare: vnde antequam domino Regi traderetur [Alexandria,] coactus est, inualescentē ægritudine, domum redire. Hic demum sumptis nauium malis immensæ quantitatis, vocati artifices, lignorum cæsores, castellum erigunt miræ altitudinis, vnde totā erat despicere ciuitatem: machinæ quoque, quas vulgo *Petrarias* vocant, vnde immissi molares graues & magni, muros cædebant, congruis stationibus locatæ, intolerabilem ciuibus, horis pene omnibus inferebant terrorem. Erant circa eandem ciuitatem, ad instar syluarum & frondosi nemoris, gratâ amœnitate, & plenâ fertilitate arboribus consita fructiferis, & herbis referta salutaribus pomeria, quæ & sui contemplatione transeuntes, meritò inuitarent ad ingressum, & ingressos hortarentur ad requiem. In hæc ingressus noster ex magna parte exercitus, priùs occasione colligendæ erigendis machinis materiæ, deinde solo nocendi affectu, & damni inferendi cōsideratione, aromaticas & multis vsibus aptas, tanto studio ad terram prosternunt arbores, quanto vix labore ab initio fuerant procuratæ. Fitque subitò vt solo complanato, prioris status prorsus nulla remanerent vestigia: idq; fuit, in quo se maximè læsa ciuitas, & eius damnificatos habitatores, post adepta pacis fœdera conquerebantur. Instabant ergo nostri, & artes quibus obsessis possent officere, satagentes inuenire, omnem attentabant nocendi aditum; & argumentis quibus poterant, in eorum lęsionem se instruebant. Assultus quoque assidui requiē negabant fatigatis. Erant sanè ciues negotiationibus assueti, rerum militarium expertes, quiq; vsum præliandi non haberent: vnde molestiùs insuetum laborem poterant portare. Turci autem qui illic remanserant, tum quia pauci erant, tum quia ciuibus variis & in-

& inconstantis animi non cum multa fiducia se cõmittebant, rari ad cõflictus, & in congressionibus remissiores, non multùm alios animabant. Quid plura? Quotidiani conflictus, cædes suorum continuæ, vigiliæ perennes, nocturni timores, alimentorum super omnia defectus, populũ attriuerant, deiecerant animos, vt iam vrbem deserere, & libertatis immemores, quibuslibet populis mancipari magis eligerent, quàm in domesticis laribus cum paruulis & vxoribus famis acerbitate cõsumi. Serpebat ergo murmur in populis, iamiam ad plures sermo manifestus diffundebatur; *vrbe pellendos esse hospites pestilentes, qui tantam ciuibus intulerant afflictionem: quærendum quocunque pacto esse, quomodo ciuitas, depulsis ingruentibus molestiis, obsidione solutâ, pristinis* 10 *commoditatibus, & solitæ restitueretur libertati.* Sensit hoc *Salahadinus*, & occultis citatisque nunciis, statum vrbis miserum, populi à se deficientis propositum, alimentorũ supremam inopiam, patruo suo ex ordine pandit; vtq; rebus desperatis præsens remedium satagat inuenire, & pereuntibus consulere, modis omnibus, implorat. Interim populum simul cum Patribus alloquitur; monet *pro vxoribus & liberis vsque ad mortem decertãdum; hortatur vt legis & paternarum traditionum sint æmulatores; pro foribus salutem adesse:* Siraconum *quoque patruum suum, pro eorum liberatione, & pro amouendis hostibus Ægyptum circuire, in proximo cum infinitis copiis adfuturum.* At dominus Rex cognito quòd inter ciues esset dissensio, ciuitatem vrgeri monet incessanter: quantoque eos ampliùs nouit afflictos, tantò acriùs instare præcipit. Soldanus quoque suc- 20 cinctus, ad omnia impiger, sedulus, plenâ solicitudine circuit principes vniuersos; manu profusâ, impensas porrigit ad construẽdas machinas, & sumptus ad omnem belli vsum liberales; artificibus competentia salaria largitur; pauperibus & egenis, præsertim sauciis, vt sui curam haberent, munera donat; bellicosis quoque, & quos in prælio nouit strenuos, aliquid distribuit.

XXVIII. Dum hæc apud Alexandriã aguntur, superiores Ægypti Siraconus peragrat regiones: perueniẽsq; vsque *Chus*, tentat expugnare ciuitatem: vidensque quòd non proficeret, & prolixiora huiusmodi exposcerent tempora, ipsum autem ad alia nepotis necessitas vrgeret negocia, sumptâ ab vrbibus illis pecuniâ, maturat reditum, & ad inferiora reuocat exercitum quem trahebat. Cumque regrediens Babylonem peruenisset, videns quod Rex *Cabere* & 30 ponti *Hugonem de Ibelim* dimisisset tutorem, & longè secus quàm arbitratus esset, omnia se haberent, *Hugonem Cæsariensem*, quem captiuum tenebat, familiari compellat alloquio; vtq; vir eloquens & vrbanè facundus, sermone composito cœpit eum conuenire: *Magnus princeps es, nobilis, apud tuos clarissimus, nec est de vestris principibus quispiam, si libera mihi daretur optio, cui magis hoc meum communicare secretum cupiam, & verbi huius participem constituere. Obtulit sponte fortuna, & euentus donauit bellicus, quod aliàs multis conatibus esset quærendum, vt tuæ experientiæ mihi ad opus præsens fieret copia. Fateor sanè, quòd gloriæ cupidus, sicut mortalibus solet contingere, & regni tractus opulentiâ, de indigenarũ quoque imbecillitate confisus, spem aliquando concepi, vt in manus meas regnum hoc aliquando traderetur. Ideo cum sumptibus & laboribus infinitis, infructuosis tamen, vt video, cum equita-* 40 *tu copioso nobilium, qui omnes eadem trahebantur, per tot pericula descendi in Ægyptum, aliter ratus de rerum euentu quàm occurrit. Aduersa enim, vt video, fortunâ ingressus sum, vtinam prosperâ vel redire liceat. Homo nobilis es, vt dixi, Regi carus, sermone potens & opere; esto inter nos pacis mediator; prosperum fiat in manu tua verbum: dic domino Regi:* Ocium terimus, & effluunt tempora sine fructu, domi multa restant: *ipsius etiam regno suo plurimùm esset necessaria Regis præsentia: nunc aliis consumit operam: nam postquam nos repulerit, miseris ciuibus, & vix vitâ dignis, huius regni relinquit opulentiam. Recipiat suos, quos in vinculis habeo; ipse quoque obsidione solutâ & quos in vinculis habet, & quos in ciuitate cohibet Alexandrina, restituat: & ego susceptâ priùs ab eo securitate, quòd in itinere, per suos nihil nobis difficultatis occurrat, paratus sum exire.*

XXIX. Audito hoc verbo dominus *Hugo* sicut erat vir prouidus 50 & discretus, multo apud se libramine verba oblata compensans, licet vtilem nostris pacis formam & tenorem fœderis non dubitaret: tamen ne videretur plus libertatis propriæ rapi desiderio, quàm vtilitati publicæ hoc verborum tractatu prouidere honestius iudicat per alium primos tentari aditus. Hanc suam intentionem ipse nobis postmodũ familiariter exposuit. Missus est verbi baiulus, qui similiter captiuus tenebatur, quidam Regis familiaris, *Arnulfus de Turuassel*, qui cum domino *Hugone*, de quo prædiximus, in eodem prælio captus fuerat; qui suscepto verbo, ad Regem properat; legationis causam diligenter aperit: conuocato cœtu, in principum consi-

storio, præsente Soldano & filiis eius, conceptum verbum & compositionis formã proponit. Placet omnibus pacis tenor, & sufficere videtur ad gloriam, & ad plenam pactorum inter Regem & Calypham initorum fidem: vt ciuitas per deditionem in domini Regis transeat potestatem; & tam hi de hostibus, qui obsidione claudebantur, quàm qui *Siraconum* secuti, per Ægypti fines erant dispersi, solutis quoq; captiuis, quos de nostris trahebãt in vinculis, suis etiam nihilominus receptis, de vniuersis Ægypti finibus compellantur exire. *Sauar* Soldanus cum vniuersis Ægyptiorum Satrapis pactum approbat, fœderis consonãtiam libens amplectitur: dummodo hostis suspectissimus & Regni æmulus excludatur, sibi plenius dicit esse satisfactum. Tandem dominus *Hugo*, suam exhibens præsentiam, verbis hinc inde tractatis nouissimam manum, & placitum finem apposuit. 10

XXX. Indicitur ergo voce præconiã cohortibus singulis, & omnibus generaliter præliandi finis, & per legem edictalem ne Alexandrinis inferatur molestia interdicitur. Egrediuntur igitur cõcessã pace, lętantes, qui diuturnã fuerant obsidione macerati; angustias quas pertulerant fastidientes, deambulationes tædii releuandi gratiã, amant & appetunt liberiores. Inuentã etiam alimentorum copiã, & commerciorum libertate permissã, inediã tabefactorum corporum ruinam restaurare satagunt, & refocillare animas iam labẽtes. Iuuat agmina videre pacata, quæ paulò ante horruerant & oderant; & eorũ colloquiis perfrui, quos ante modicum timuerant, periculorum suorum ministros & mortis procuratores. Nostri quoque, non segniùs vrbem ingrediuntur optatam; & 20 liberis discursibus, vias, portus, mœnia lustrantes, diligenter videndo colligunt, vnde ad propria reuersi, suis aliquando texere possint historias, & audientium animos gratis confabulationibus recreare. Huic splendidæ ciuitati turris imminet miræ altitudinis, *Pharos* dicta: ad quam facibus accensis, & igne copioso, more sideris micãtem, ignari locorum, nocturnas nauigationes dirigunt. Nam *Alexandria* cæco mari, & periculoso nimis accessu, & vadis fallacibus aditur: quo antequam ingrediantur nauigantes, ignibus, qui cõtinuo fomite & sumptibus publicis super eum nutriuntur, edocti, imminentia vitant naufragia, & ad cursus se erigunt salutares. Super hãc victoriæ signum, domini Regis vexillum erigitur; & quod prius paucis innotuerat, fit omnibus signo contuito manifestum. Quo viso, qui cautiùs se habẽtes ad prima 30 tracti fœderis verba, nostris se committere pertimuerãt, iam de pace facti certiores, non timent se nostris adiungere, & de fidei nostræ præsumere sinceritate: vnũ præ omnibus admirantes, quod tantam ciuium multitudinem, tantamque aduenarum numerositatem, qui omnes ad tutelam ciuitatis fideliter operam ministrabant, tam modicus exercitus intra vrbis mœnia facilè coercuerat, & ad ignominiosam iuxta libitum compulerant deditionem: vix enim de nostris equites erant quingenti, peditum quatuor aut quinq; millia; obsessorum autem qui arma poterant educere, supra quinquaginta millia.

XXXI. Egressus igitur *Salahadinus* ad dominum Regem, quousque iter ad redeundum arripuit, in castris mansit, dato sibi custode, qui eũ tractaret honestè, & temerariorum ab eo propulsaret iniurias. At verò Soldanus cum tu- 40 barum clangore, & tympanis & choris, & omni genere musicorum instrumentorum, stipatus agminibus, præcurrente innumerã apparitorum manu, vociferantibus armatorum turmis, per portas ciuitatis, cum triumpho tanquã victor ingressus, terrore ciues concutit; hos damnat, illos absoluit; & delicta discutiens potenter, omnibus distribuit præmia meritorum. Tandem in certa pecuniæ quantitate ciuibus condemnatis, procuratores tributorum ordinat, vectigalium & ciuilium functionum instituit exactores. Exactã itaque infinitã pecuniã, fidelibus suis curam iniungens ciuitatis, in castra gloriosus se recepit. At verò nostri ad reditum adspirãtes, qui nauigio venerant, sumptis ad iter necessariis, naues conscendunt, & se flatibus committentes, ad propria cum gaudio reuertuntur. Rex quoq; incensis machinis, 50 & compositis sarcinis, versus Babylonem iter dirigit. Adiunctis ergo sibi quos ibi dimiserat, Soldano in sua administratione cõfirmato, exclusis hostibus, suis qui capti fuerant receptis, duodecimo Kal. Septembris Ascalonam ingressus est, anno regni eius quarto: ab incarnatione Domini verò *millesimo centesimo sexagesimo septimo.*

An. D. 1167.

EXPLICIT LIBER NONVSDECIMVS.

CAPITVLA

CAPITVLA LIBRI VIGESIMI.

XXXII. *Occiditur à fratribus Militiæ templi, Assissinorum Legatus; & ingens in regno excitatur tumultus. Radulphus Bethleemita Episcopus vitâ decedit.*

XXXIII. *Moritur Noradinus. Rex Paneadem obsidet: & factâ treugâ recedit; collectâ ægritudine Hierosolymam proficiscitur, vbi & infra paucos dies vitâ decedit.*

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI VIGESIMI.

INCIPIT LIBER VIGESIMVS.

CAP. I.

INterea dominus *Hernesius*, bonæ memoriæ, Cæsariensis Archiepiscopus: *Odo* quoque *de sancto Amando*, tunc regius pincerna, procuratâ tam prudenter quàm fideliter, domini Regis legatione, pro qua missi fuerant, apud dominum *Manuelem* Imperatorem Constantinopolitanum, impetrato quod petierant post actum biennium, nauigio redeuntes, domini Imperatoris Protoseuasto filiam, domino Regi vxorem futuram ducentes, apud Tyrum applicant. Quo cognito, dominus Rex cum celeritate Tyrum peruenit, conuocatisque Ecclesiarum prælatis, & Regni principibus, eandem *Mariam*, regiæ vnctionis & consecrationis munus adeptam, ipse quoque habitu regio insignis, & auito diademate laureatus, per manum domini Patriarchæ *Amalrici*, bonæ memoriæ, in Ecclesia Tyrensi, cum debitâ magnificētiâ quarto Kal. Septembris vxorem duxit. Hic *Iohannes* Protoseuasto, cuius filiam (vt diximus) Rex duxit, eiusdem domini Imperatoris ex fratre natu priore, ortus est nepos. Misit autem dominus Imperator cum prædicta nepte sua, viros illustres & magnificos, Imperialis eminentiæ familiares, dominum *Paleologum*, & *Manuelem* Seuaston, consanguineum suum, cum multis aliis, qui magnificè eam domino Regi traderent, & de iniunctis solennitatibus nihil sinerent præteriri. Tyrensi autem Ecclesiæ præerat, in qua hæc facta sunt, dominus *Fredericus*, qui ex Acconensi Ecclesia ad illam fuerat translatus. Hic, triduo postquam Rex in eadem ciuitate coronatus fuerat, & nuptias celebrauerat, præsente, & rogante domino Rege, & aliis multis honestis viris, Archidiaconatum eiusdem Ecclesiæ, vnde dominus *Wilelmus* ad Acconensem Ecclesiam fuerat vocatus, nobis liberaliter contulit. Per idem tempus *Andronicus* quidam nobilis Græcus, & potens, domini Imperatoris Constantinopolitani consanguineus, de partibus Ciliciæ adueniens, cum multa militia, dum dominus Rex in Ægypto adhuc detineretur, vsque ad eius aduentum apud nos moram fecit nobis consolatoriam; sed more *serpentis in gremio, & muris in pera* malè remunerauit hospites suos, verum esse docens, quod a Marone dictum fuerat, *Timeo Danaos & dona ferentes.* Cui dominus Rex statim post reditum suum vrbem dedit Berythensem: ad quam gratiâ videndi ciuitatis, dum dominam *Theodoram*, domini Balduini regis viduam, quæ vrbem Acconensem nomine donationis propter nuptias possidebat, nepotis sui filiam, apud quem diu fuerat hospitatus, inuitasset, fraudulenter, vt dicitur, abduxit, & in terram hostium, Damascum priùs, deinde in Persidem, fauente *Noradino*, transuexit. Eodem anno nihil penè memoriâ dignum in regno accidit, nisi quod circa quadragesimale tempus duæ Ecclesiæ in Regno, susceptis Episcopis, ordinatæ sunt: quarum altera ab ingressu Latinorum in Terram Promissionis, Latinum non habuerat Pontificem: videlicet *Petracensis*, quæ vltra Iordanem in finibus Moab sita est, secundæ Arabiæ metropolis: altera verò, *Ebronensis* videlicet, vt dicitur, nunquam; sed tempore Græcorum prioratus fuerat, sicut & Bethleemitica fuisse dinoscitur Ecclesia. Sed *Bethleemitica* ob natiuitatis Dominicæ reuerentiam priùs meruit, statim post sanctæ & DEO amabilis ciuitatis liberationem, tempore domini Balduini Regis primi, cathedrali gaudere prærogatiuâ. *Ebronensis* quoque intuitu seruorum DEI, quorum memoria in benedictione est, Abraham videlicet, Isaac, & Iacob, eadem tūc dignitate primùm meruit insigniri. Præficitur ergo Petracensi Ecclesiæ, & secundæ Arabiæ metropolitanus efficitur dominus *Guerricus*, Canonicus regularis in templo Domini; Ebronensi verò, dominus *Reinaldus*, domini Fulcherii piæ recordationis Patriarchæ nepos.

II.

III.

Æstate

Æstate igitur sequente, vir nobilis dominus *Stephanus*, domini Regis Siciliæ Cācellarius, & Panormitanæ electus Ecclesiæ, adolescens bonæ indolis, & egregius formâ, domini *Rotoldi* Comitis de Percio frater, agitantibus eum & aduersus eum conspiratis regionis illius principibus inuito Rege puero, & matre eius reniti nō valente, regno expulsus, cum paucis vix eorum euasit insidias, & ad nos nauigio peruenit: qui non multùm postea, validâ correptus ægritudine, mortuus est, & Hierosolymis in Templi Domini capitulo honorificè sepultus est. Per idem quoq; tempus, dominus *Wilelmus* Neuernēsis Comes, magnus Princeps, nobilis & potens, de regno Francorum, cum honesta militia Hierosolymam venit, propositum habens, 10 in seruitio Christianitatis contra hostes fidei nostræ, suis expensis militare: sed eius pia & honesta studia, mors immatura, felicibus eius inuidens actibus, miserabiliter præuenit: nam subito & diuturno languore correptus, post longas corporis molestias, in primo gratissimæ iuuentutis flore, cum multis omnium suspiriis & gemitu vitam finiuit. Eadem æstate, Comes *Alexander de Grauina*, & quidam *Michael Hydrontinus*, domini Imperatoris Constantinopolitani familiares & legati, ad dominum Regem missi, Tyrum peruenientes, dominum Regem, adhibitis quos Rex de suis verbis participes voluit fieri, secretiùs cōueniunt, viæ causas exponunt, & super his omnibus scripta porrigunt Imperialia. Summa autem legationis hæc erat: *Senserat dominus Imperator, quòd Ægypti regnum, potens admodum hactenus, & opulentum valde, in manus peruenerat debilium & effœminatorum; & quod finitimis populis in notitiam venerat, tam domini, quàm principum suorum impotentia, infirmitas & insufficientia. Vnde, quia non videbatur quod posset diù in statu se continuare præsenti, quin ad gentes alienas, eius dominium & moderamen oporteret transire, concepit apud se, quòd auxilio domini Regis facilè posset illud in suam iurisdictionem recipere.* Vnde super hoc prædictos miserat Legatos. Sunt nonnulli qui dicunt, quòd super eodem facto priùs fuerat à domino Rege per nuncios & frequentes epistolas solicitatus, quod verisimilius est, vt militaribus copiis, classe quoque & impensis eum iuuaret, certas partes tum Regni tum manubiarum sub interpositis conditionibus recepturus. Hac ergo gratiâ, memorati Legati Regem adeuntes, firmatis conuentionibus ad placitam vtrinque consonantiam, adiunctus sum ego comes de Regio mandato, vt Regis & Regni vniuersi consilium, cum eorum literis ad dominum Imperatorem, properans deferrem: & pactis mediis, quale à me exigeretur, sub certa tamen forma, robur imponerem. Assumptis igitur præfatis domini Imperatoris apocrisariis, qui apud Tripolim, vt eis Rex literis suis signauerat, nostrum præstolabantur aduentum, ad vrbem Regiam profecti sumus. Detinebatur porrò eo temporis articulo Imperator in *Seruia*, quæ regio montosa & nemoribus obsita, difficiles habens aditus, inter Dalmatiam & Hungariam & Illyricum media iacet, rebellantibus Seruiis, & confidentibus de introituum ad se angustiis, & de imperuia eorum regione. Habent vetustæ traditiones, hunc omnem populum, ex deportatis & deputatis exilio, qui in partibus illis ad secanda marmora, & effodienda metalla damnati fuerant, originem habuisse, & inde etiam nomen traxisse seruitutis. Est autem populus incultus, absq; disciplina, montium & syluarum habitator, agriculturæ ignarus; gregibus & armentis copiosi, lacte, caseo, butyro, carnibus, melle, & cerâ vberiùs abundantes. Hi magistratus habent, quos *Suppanos* vocant; & domino Imperatori aliquando seruiunt; aliquando de montibus & syluis egredientes, omnem circa se regionem, vt sunt audaces & bellicosi viri, depopulantur. Ob hæc ergo intolerabilia vicinis eorū maleficia, ingressus erat ad eos in virtute multa & innumera manu dominus Imperator. Quibus subactis, & præcipuo eorum Principe mancipato, redeunti domino Imperatori, post multiplices viarum labores, in prouincia *Pelagonia*, in ciuitate quæ vulgò dicitur *Butella*, occurrimus, iuxta illam antiquam & domini felicissimi & inuictissimi & prudentis Augusti patriam, domini Iustiniani ciuitatem, videlicet *Iustinianam primam*, quæ vulgò hodie dicitur *Acreda*: vbi à domino Imperatore honorificè suscepti, benignè & Imperiali clementiâ tractati, legationis & viæ caussam, formamq; pactorum diligenter exposuimus: quæ omnia lætâ mente suscipiēs, & gratanter amplectēs, quod præordinatum fuerat, approbauit. Præbitis ergo corporaliter hinc inde iuramentis, eius auctoritate interpositâ, confirmata sunt quæ priùs per nuncios fuerunt ordinata. Receptis ergo Imperialibus literis, pactorum

formam ex integro continentibus, & consummatâ fœliciter legatione, munificentissimè de more solito dimissi, Kal. Octobr. iter ad reditum arripuimus.

V. Interea statim post exitum nostrum, antequam reuerteremur ad propria, antequam de auxilio domini Imperatoris per nostram legationem certus fieret Rex, fama publica personuit, vt dicitur, quòd *Sauar* Soldanus Ægyptius, frequentes ad *Noradinum* dirigebat legationes, & eius occultè implorabat subsidium, dicens: *Quod à pactis quæ cum Rege pepigerat, vellet recedere; & quòd inuitus cum inimico populo, aliquo pacis fœdere iungeretur: quòd si de eius auxilio certus foret, pacta frangeret, ab eo penitus recedens.* Vnde Rex, vt dicitur, iustâ indignatione motus, conuocato Regno vniuerso, collectis equitum peditumque copiis, in Ægyptum festinat descendere. Sunt qui dicant, prædicta omnia ficta fuisse, & quòd *Sauar* Soldano innocenti, & nihil tale merenti, pacta & conuentionum tenorem bonâ fide seruanti, contra fas & pium, illatum sit bellum; sed vt factum tam notabile aliquam haberet excusationem, hic color videtur quæsitus: vnde & Dominum, iustum secretorum & conscientiarum arbitrum, omnem nostris conatibus subtraxisse fauorem, asserunt, & prædictis moliminibus, iusticiâ vacuis, prosperos negasse successus. Caussam porrò & incentiuum huius mali, vt aiunt, ministrabat *Gerbertus*, cognomento *Assallit*, magister domus Hospitalis, quæ est Hierosolymis, vir magnanimus, & quadam liberalitate donandi profusus; tamen instabilis, & mente vagus. Hic omnes eiusdem domus thesauros exponens, insuper & infinitæ quantitatis pecuniam mutuam sumens, omnia militibus erogauit, quoscunque inuenire potuit sibi alliciens: vnde prædictam domum tantâ æris alieni mole grauauit, quòd non erat spes solutum iri. Ipse etiam postmodum desperans, officium suum deserens, & administrationi renuncians, in centum millibus aureorum dimisit domum obligatam. Eâ tamen consideratione tot & tantas misisse dicitur expensas, quòd captâ & subiugatâ Ægypto, *Belbeis*, quæ olim dicta est *Pelusium*, cum vniuerso territorio suo, iuri eiusdem domus, ex pacto priùs cum Rege inito, cederet in perpetuum. Fratres autem Militiæ Templi, eidem se subducentes facto, aut quia eis contra conscientiam suam videbatur; aut quia Magister, æmulæ domus, huius rei auctor, & Princeps videbatur, vires penitus ministrare, aut regem sequi negauerunt. Durum enim videbatur eis, amico regno, & de nostra fide præsumenti, contra tenorem pactorum, & contra iuris religionem, immeritis & fidem seruantibus bellum indicere.

VI. Accinctus igitur, & præliari instructus apparatu, Regni viribus conuocatis, anno regni eius quinto, mense Octobri, descendit in Ægyptum: & transcursâ heremo, quæ media iacet, quasi itinere dierum decem, *Pelusium* applicat, quam mox obsidione cingens, infra triduum violenter expugnat, expugnatamque ferro aperit, & suos immittit incunctanter. Accidit autem hoc, tertio Nonas Nouembris. Captâ igitur ciuitate, ciuibus eius ex parte maxima gladio peremptis, non parcitur ætati, aut sexui: & qui mortem quocunque casu inueniebantur declinasse, iacturam libertatis, *quæ honestis viris omni genere mortis suspectior* est, incurrentes, miseræ seruituti subiugabantur. Capti sunt inter cæteros eiusdem conditionis *Mahazam*, filius Soldani, & quidam eius nepos, qui vrbi præerant, exercitus illic congregati curam habentes. Effractâ igitur ciuitate, irruentibus passim & sine delectu cuneis, penitiores domiciliorum penetrant aditus, reserant penetralia, & eos qui mortem delitescendo effugisse videbantur, compeditos educentes, ignominiosè ad necem protrahunt: quos ætatis integræ, & armorum potentes reperiunt, gladiis transuerberant: vix senibus parcitur & pueris, & secundæ sorti non pleniùs indulgetur. Facta sunt desiderabilia eorum, hostium præda; & quæque speciosa in sortem, dum sibi diuidunt spolia. His igitur rumoribus *Sauar* mente consternatus, quid faciat ignorat; deliberat prout temporis & rerum in arcto positarum patiebatur angustia, an Regem muneribus tentet expugnare, & indignationem eius datâ emolliat pecuniâ, an finitimos superstitionis suæ principes, ad sui auxilium precibus, precioque sollicitet. Tandem placet, vtrunque maturatâ prouisione tentare. Missa ergo legatione ad *Noradinum*, implorat subsidium, & impetrat imploratum: vocato enim *Siracono*, cuius sæpiùs fecimus mentionem, partem exercitus, & nobilium suorum partem non modicam cum satrapis qui partem sollicitudinis portarent, tradit: sumptisq; alimentis ad iter necessariis, & camelis, ad deuehenda onera sufficientibus, eos in

eos in Ægyptum dirigit. Rex interim euersâ Pelusio, cum vniuersis agminibus versus *Cahere* cohortes dirigit, sed lento nimis gradu, vix vnius iter diei decem diebus conficiens: tandemque ante vrbem castrametatus, machinas parat, crates erigit, & cætera ad tales vsus profutura disponit. Videntur quę foris struuntur promittere impetus proximè futuros, & obsessis incutere formidinē, & quandā mortis imaginem intentare. Qui autem facti illius arcana norunt, huius moræ caussam fuisse asserunt, quòd Soldanus interea aduenientis exercitus terrore concussus, prolixiores deliberandi haberet inducias, & pro amouēdo exercitu pecuniam pacisceretur: tota enim illuc properabat Regis intentio, vt à Soldano pecuniam emungeret: malebat enim precio redemptus abire, quàm vrbes illas, sicut de Pelusio contigerat, popularibus ad rapinam exponere, sicut manifestiùs infrà dicetur. Soldanus verò interea per suos & Regis familiares omnem prætentat aditum, omnem explorat subintrandi viam: tandem Regis animum pecuniarum cupidum, promissionibus eneruat, infinitam spondet pecuniam, quam vix vniuersum regnum, corrasis vndique copiis persoluere posset. Promittit enim, vt aiunt, aureorum vigesies centena millia, vt redditis sibi filio ac nepote, amotisque expeditionibus, rediret ad propria. Hoc autem, vt postea patuit, non eo moliebatur intuitu, vt promissorum summam spes esset aliquando solutum iri: sed ne subito incursu accedens ad *Cahere*, imparatū immunitumque reperiēs, repentinis irruptionibus expugnaret, quod proculdubio, vt constanter asserunt qui interfuerunt, si citatis itineribus captâ *Pelusio*, deiectis adhuc & stupidis à recenti clade, & insperatâ tantæ vrbis calamitate, Ægyptiorum animis, illuc noster peruenisset exercitus, accidisset. Verisimile enim videtur, quòd viri molles & effœminati, deliciis à multo retro tempore dediti, rerum militarium expertes, adhuc fumante vicinæ vrbis incendio, & innumero suorum interitu consternati, sibi timentes quod aliis videbant accidisse, nec inde animos vel vires habuisse resistendi.

VIII. Dum hæc circa *Cahere* aguntur, ecce nostra quàm Rex de nostris finibus exiens maturare præcepit classis, per mare ventis vsa prosperis, applicuisse dicitur, per illius fluminis ostium, quod vulgò dicitur *Carabes*, ingressa. Ciuitatem antiquissimam supra illam fluminis ripam, *Tapnim* nomine, sitam, violenter occupant: quæ statim nostris in direptionem data est, & prædam. Dum ergo nostri per fluminis alueum ad Regem festinare contendunt, Ægyptii nauibus suis, alueum fluminis obsidentes, transitum negabant. Misit ergo Rex *Henfredū de Torono* Constabularium suum, vt illuc cum lecta veniens militia, alteram saltem fluminis ripam, vt eis ex illa liber fieret transitus, violenter occuparet: quod satis expeditè factum esset, nisi quod interim rumor de aduentu *Siraconi* consilium mutari compulit. Mandatum est ergo eis, vt ad mare descēdentes, reditum maturarent ad propria: quod & factum est: vnam tamen Galeam imprudenter amiserunt.

IX. At Soldanus & sui interea moliri non cessant, quomodo Regem à se repellant: dolisque peragunt, quod virtuti sentiunt deesse; & fraudis commercio redimunt, virium defectus. Promissâ igitur pecuniâ, inducias pro solutione postulant: allegant quantitatem multam nimis esse, nec in vno loco posse totam reperiri; tempus auctius indulgendum, vt pactis pareatur: datis tamen in continenti centum millibus, filium recipit & nepotem Soldanus: pro summa reliqua duos nepotulos suos adhuc impuberes, obsides exhibet. Rex verò obsidione solutâ, quasi per miliare recedens, circa *hortum Balsami* castra componit: vbi per dies octo, crebris sed inutilibus Soldani legationibus vsus, tandem ad eum locum qui cognominatur *Syriacus*, transfert exercitus. Soldanus interim frequentibus nunciis vniuersum regnum sollicitat, quicquid armorum vbique est congerit, vndecunque auxilia conuocat, alimenta inducit, infirma vrbis circuit & consolidat, omnem resistendi viam percurrit; ad pugnam pro ceruicibus, pro libertate, pro vxoribus & liberis, sermonibus suasoriis inuitat; casum proximæ ciuitatis lamentabilem, ante oculos ponit; captiuitatis acerbitatem, dominorum iugum importabile, seruitutis extremam omnium conditionem exponit.

XI. Erat in eodem domini Regis exercitu, vir quidam secundùm carnem nobilis, sed moribus degener, neque DEVM timens, neque ad hominem habens reuerentiam, *Milo* videlicet *de Planci*, homo inuerecundus, clamosus, detractor, seditiosus. Hic immoderatam domini Regis cognoscens auaritiam, volēs potiùs ei morem gerere, quam

salutaribus eum monere consiliis, consilium dederat ab initio, & obstinatè sedulóque persuadebat, vt ad hoc potissimum daret operam, vt Regno in prædicta quantitate multato, cum Calypho & Soldano tentaret componere, quam Cahere & Babyloniam violenter effringere: non quia, vt dicitur, posse fieri desperaret, sed vt elusis militibus, & cæteris qui ad prædam manus & animos intenderant, vniuersum tanti laboris emolumentum, in Regis fiscum videretur introducere. Expugnatis enim violenter vrbibus, longè vberiores solent exercitus de spoliis reportare fructus, quàm vbi Regibus & Principibus sub quodam fœderis nexu, certis conditionibus, ipsis tantùm dominis vtilibus, mácipantur. Ibi enim, vtpote in tanto tumultu & depopulatione confusa, quod cuique quocunque casu occurrit, iure belli occupanti conceditur, & victoris auget peculium: ibi verò solis Regibus tractantur vtilia; & quæ sic accedunt, fisci iuribus vendicantur. Et licet Regibus & sublimioribus potestatibus accedens incrementum, in subditorum videatur redundare diuitias, & omnium opulentiam cumulare, tamen *auidius quæruntur, quæ familiares ditant lares, & domesticis inferuntur rationibus.* His itaque altercationibus dissidebant: pars maxima, diripi cuncta, & ferro decerni petebat; Rex autem cum suis partem amplectebatur oppositam: præualuit tamen sententia posterior, & regiæ satisfactum est voluntati. Locatis igitur nostris in vico prænominato, qui à Cahere quinque aut sex distat miliaribus, penè continuus & pro cuiusque* erat interpretum & nunciorum discursus. Dum igitur quasi succedentes sibi ad Regem dirigit legationes, & quam sedulus sit in colligenda pecunia significat, orat etiam ne moram caussetur, sed patienter expectet; monet etiã & consulit, ne propiùs accedendo, Calypham vel populum de contracto pacis fœdere, pleniùs confidentem, deterreat. subitò futurum, vt censu tradito, felicibus auspiciis redire valeat. Dumque huiusmodi, quasi delusoriis præstigiis, nostros deludit apparatus, & recta persuadentium consilia, & salubriores monitus potiora suggerentium euacuat: ecce rumor insonuit, quòd *Siraconus* adueniens, innumeram Turcorum secum trahebat multitudinem: quo comperto, solutis castris, compositisque sarcinis, Rex *Pelusium* redit. Vbi sumptis ad iter victualibus, relictis qui ciuitatem tuerentur, tam equitum quàm peditum copiis, octauo Kal. Ianuarias, *Siracono* in solitudinem obuiam exit: cumque iam aliquantulum esset in heremo processum, significatur Regi per exploratores locorum gnaros, & quibus erat fides habenda, quòd cum suis legionibus *Siraconus* iam transierat. Hic iam opus erat nouo consilio. Nam duplicatis hostium viribus, non erat tutum, diuturniorem moram facere. Mora enim enorme secum trahebat periculum: nam neque cum eis sanè tutum videbatur conserere; nec Soldanus de cætero pactorum finibus stare volebat; nec nos eum ad legem placidorum obseruandam compellere poteramus. Ad hoc enim de industria, & studiosè dilatoriis ambagibus videbatur rem protraxisse, vt sic Turcis superuenientibus exire compelleremur. Redeunt igitur nostri *Pelusium*, ibique receptâ parte exercitus, quæ ad vrbis illius tuitionem relicta fuerat, alterâ post Kal. Ianuarias die, ordinatis agminibus, redeundi in Syriam iter arripiunt.

XI. Porrò *Siratonus* videns temporum opportunitatem votis suis consonare, & Rege abscedente iam non esse quippiam, quod eius desideriis præstet impedimentum, quod priùs mente conceperat, mandat effectui. Castra igitur locat ante *Cahere*: & quasi pacificus esset eius introitus, patienter per aliquot dies sustinet, tanquam vir prudentissimus, nihil spirans asperum, nihil prætendens amarum, versutiâ, quâ plurimùm callebat, celans propositum. Egrediebatur ad eum *Sauar* Soldanus in castra quotidie, cum multa gloria & maximo comitatu; & impenso cotidianæ visitationis officio, & deuotæ salutationis affatu, datis etiam muneribus, reuertebatur. Iamque prosperi ingressus & regressus assiduitas, securitatem videbatur polliceri; & quòd heri & nudiustertius cum reuerentia fuerat susceptus, consuetudinem inducebat fidentiorem. Securum igitur & nimis de Turcorum fide præsumentem, sceleris minister præuenit; occultè suis præcipit, quòd dum die sequenti, summo mane, quasi deambulaturus ad aquas egreditur, eâ horâ quâ Soldanus visitationis consuetudinem fecerat, venientem confoderent. *Sauar* verò, diei parte solitâ, vt consuetæ visitationis & debitæ salutationis dependat alloquium, egreditur ad castra: cui occurrentes mortis eius ministri, executioni mancipant, quod fuerat imperatum. Deiectum enim ad terrã, capite minuunt, gladiis obtruncant.

cant. Quod videntes eius filii, citatis equis in *Cahere* se recipiunt, ante *Calypham* consternati, & genibus prouoluti pro vita supplicãt. Quibus ille dicitur respondisse, eã conditione de vita sperandum, si nihil occultè cum Turcis molirentur: qui pactorum formam statim violantes, clàm per internuncios cœperunt cum Siracono de pace tractare: quod audiens Calypha, vtrunque iussit gladio interire. Sic ergo Rege absente, *Sauar* de medio sublato, *Siraconus* votis satisfacit suis: regnum occupat: & ingressus ad Calypham, reuerentiam impendit debitam. Ipse quoque versâ vice plurimum honoratus, dignitate & officio Soldanatus insignitur: & gladii recipiens potestatem, Ægyptum sibi vendicat vniuersam. *O cæca hominum cupiditas, & omni crimine maior! O nefanda cupidæ mentis & insatiabilis animi rabies! Ecce, à quàm quieto & tranquillo penitus statu, in quam turbulentum & anxietatibus plenum nos deiecit immoderatus habendi ardor? Ægypti copiæ, opulentiarum immensitas, nostris vsibus famulabantur: ex ea parte nostrum Regnum tuta habebat latera; non erat quem ab Austro formidaremus. Mare volentibus adire, vias præstabat pacatiores: nostri quoque negotiationis & commerciorum gratiâ, sine formidine, bonis conditionibus in Ægypti fines poterant introire. Ipsi quoque versâ vice, peregrinas inferentes diuitias, commercia nostris incognita secum trahentes, vtilitati simul & honori nobis erant, dum ad nos ingrediuntur. Præterea census annui immensa præstatio, tam fisco regio, quàm domesticis singulorum peculiis vires præstabat, inferebat incrementum. At nunc è conuerso, cuncta calculum sunt sortita deteriorem; mutatus est color optimus, & versa est in luctum cithara nostra. Quocunque me vertam, suspectas inuenio partes. Mare pacatos negat aditus, omnis vicina per circuitum regio hostibus paret, & in nostram se accingunt perniciem regna contermina. Hæc omnia hominis vnius inuexit cupiditas, & auaritia vitiorum radix nostra obnubilauit data diuinitus serena.* Sed ad historiam redeamus. Mortuo Soldano & filiis eius, quibus contra pietatis formam, necis indebitæ causas præbuimus, *Siraconus* voti compos obtinuit principatum. verùm hoc successu non diu est lætatus. nam vix anno potitus imperio, rebus humanis exemptus est: cui successit *Salahadinus* fratris eius, *Negemedini* filius, vir acris ingenii, armis strenuus, & supra modũ liberalis. Hic primis auspiciis sui principatus ad Calypham dominum suum, vt solitam illi exhiberet reuerentiam, ingressus, clauâ quam gestabat in manibus, dicitur eum ad terrã prostratũ occidisse, omnemq; eius gladio transuerberasse progeniem, vt ad nullum superiorẽ habens respectum ipse sibi & Calypha & Soldanus esset. timebat enim, ne ad se ingredientẽ aliquando, quia iam Turci populo inuisi habebantur, iugulari præciperet. Præuenit ergo eum, & sibi more domini nihil tale verenti mortem intulit, quam eidem ille, vt dicitur, parabat intentare. Mortuo igitur Calypha, regiam gazam & thesauros & cuncta illius domus desiderabilia, pro libero diripiens arbitrio, cuncta liberaliter nimis, militibus erogauit, ita vt intra paucos dies euacuatis vestiariis, ipse mutuam sumens pecuniam, graui pondere se obligaret æris alieni. Non defuerunt tamen, vt dicitur, qui de filiis Calyphæ occultè quosdam eriperent, eã intentione, vt redditâ Ægyptiis aliquando regni administratione, non deesset qui prædecessoribus suis, nominis, dignitatis & sanguinis hæres existeret. Domino Rege in Regnum reuerso, nil memoriâ dignum primâ illius anni parte gestum est, nisi quòd defuncto *Raynero*, bonæ memoriæ Liddensi episcopo, *Bernardus* Abbas ecclesiæ montis Thabor, in eadem ecclesia inthronizatus est. Vere tamen sequente, quod erat sexti anni domini Amalrici initium, videntes Regni prudentiores, quòd in subiugata Turcis Ægypto, plurimum nobis decesserat, & multo deterior facta erat nostra conditio: nam violentissimus hostis noster, *Noradinus* per mare poterat, classe numerosâ ex Ægypto proficiscente, regnum nostrum artare non modicum, & quamlibet ex maritimis vrbibus vtroque vallare exercitu; & quod formidabilius erat, Peregrinis ad nos transitum impedire aut negare penitus: consulunt opus esse, vt de prælatis ecclesiarum viri venerabiles, prudentes & eloquentiâ præditi, ad Occidentis Principes dirigerentur, qui doceant & diligenter insinuent Regni pressuras importabiles; & populi Christiani afflictionem, & casus asperos fratribus imminentes. Electi sunt ergo de communi consilio in opus ministerii huius dominus Patriarcha, dominus *Ernesius* Cæsariensis archiepiscopus, dominus *Wilelmus* Acconensis episcopus: sumptisque tam domini Regis, quàm vniuersorum episcoporum literis, ad dominum *Fredericum* Romanorum Imperatorem, ad dominum *Ludouicum* Francorum regem,

ad dominum *Henricum* regem Anglorum, ad dominum *Wilelmum* Siciliæ regem, ad Comites quoque, nobiles & inclytos *Philippum* Flandrensem, *Henricum* Trecensem, *Theobaldum* Carnotensem, & ad reliquos Occidentalium partium Principes, nauem conscendunt. Sed subitò sequenti nocte obortâ tempestate maximâ, naue quassatâ, fractis remigiis, malis depositis, plurimùm turbati, post triduum, vix euadentes naufragium, reuersi sunt. Successit eis in eadem legatione dominus *Fredericus* Tyrensis Archiepiscopus, multâ precum domini Regis & Principum deuictus instantiâ, ducens secum dominum *Ioannem* Paneadensem episcopum, eiusdem ecclesiæ suffraganeum: qui melioribus auspiciis nauem ingressi, feliciter ad optatum portum nauigauerunt: parum tamen in negotio quod eis iniunctum fuerat, proficientes. Nam prædictus episcopus, postquã in Franciam peruenit, statim apud Parisios vltimum clausit diem: dominus verò Archiepiscopus completo biennio, omninò vacuus reuersus est.

XIV. Transcursâ illa æstate, absque factis memorabilibus, circa prima autumni sequentis initia, fidei memor, & pacta memoriter tenens, quæ cum domino Rege per nostram mediationem, & per interpositum studium dominus Imperator firmauerat, classem dirigit promissam, in eo facto plurimùm commendabilis: nam Imperiali magnificentiâ placidorum legem pleniùs interpretatus, promissum vberiore cumulauit solutione. Erant sanè in præfato exercitu, naues longæ, rostratæ, geminis remorum instructæ ordinibus, bellicis vsibus habiliores, quæ vulgò *galeæ* dicuntur, centum quinquaginta. Item his maiores ad deportandos equos deputatæ, ostia habentes in puppibus, ad inducendos educendosque eos patentia, pontibus etiam quibus ad ingressum & exitum, tam hominum quam equorum procurabatur commoditas, communitæ, sexaginta. Item harum maximæ, quæ *dromones* dicuntur, alimentis varii generis armisque multiplicibus, machinis quoque & tormentis bellicis vsque ad summum refertæ, decem aut duodecim. Misit autem cum classe de suis Principibus *Megalducas* consanguineum suũ, quem vniuersis præfecit, & quendam alium *Mauresium* nomine, sibi valdè familiarem, de cuius experientia (sicut postea pleniùs patuit) plurimùm confidebat: nam eundem postmodum vniuerso suo præfecit Imperio. Comitem quoque *Alexandrum de Conuersana*, nobilem de Apulia virum: quem ob insignem fidem, & multam erga se deuotionem, dominus Imperator carum habebat & acceptum. His curam sui committens exercitus, in nostrum dirigit Orientem: qui prosperâ vsi nauigatione, circa finem Septembris portum ingrediuntur Tyrensem: inde Accon profecti, inter fluuium & portum placidâ statione componunt.

XV. An. D. 1169. Anno igitur ab incarnatione Domini *millesimo centesimo sexagesimo nono*, à liberatione verò vrbis sexagesimo octauo, regni verò domini *Amalrici* anno sexto, Idibus Octobris: compositis Regni negociis, relictâ etiam militiâ, quæ in Regis absentia ab insidiis & incursionibus Noradini, quem circa partes Damascenas commorantem reliquerat, Regnum tueretur: congregatus est vniuersus exercitus tàm Latinorum quàm Græcorum apud *Ascalonam*, classe iam à portu Acconensi per dies aliquot egressâ, & iter contra fines Ægyptios agente*. Septimo igitur decimo Kal. Septembris, ab vrbe prædicta egredientes, per mansiones competentes, vbi aquarum non deesset commoditas, & ne peditum phalanges supra vires grauarentur, itineribus moderatis, *Pharamiam* vrbem antiquissimam, nonâ demum die perueniunt. Mediam autem hanc viam, maritimam oram sequi volentibus, fortuitus quidam casus nuper reddiderat productiorem. Euictis namque verbere assueto, & penè continuo assultu quibusdam arenarum aggeribus, qui medii inter planiora quædam loca & fretum vicinum interponebantur, mare violenter fractis obicibus, viam sibi euicerat, & liberum sibi introitum ad illam vlteriorem vendicauerat planiciem: quo licentiâ influens liberiore, stagnum effecerat ore quidem angusto, sed intus campos obtinens patentiores. Vbi ab illa die marinis influxionibus tanta solet piscium includi multitudo, vt non solùm finitimis, verùm etiam remotis vrbibus vberiores & inauditas piscium præstet commoditates. Occupatis igitur salo restagnante locis mari vicinioribus, volentibus secus æquorea transire littora, & in Ægyptum descendere, obiectum est dispendium, quòd stagnum circumire, & miliaribus decem, vel eo ampliùs digredi, antequam ad littus iterum redeatur, quadam necessitate compellat. Hæc autem gratiâ miraculi, & de nouo factæ irruptionis interseruimus, & quòd

pars

pars solitudinis priùs obnoxia solis ardoribus, nunc subiecta fluctibus, & natantiũ facta familiaris, nauigiis patens, piscatorum implet retia, & præter solitum facta fœcundior, fructus reddit priùs incognitos. *Pharamia* verò, vnde supra fecimus mentionem, ciuitas deserta, olim multo frequentata habitatore, iuxta primum Nili ostium, quo marinis excipitur fluctibus, sita est, quod vulgò *Carabes* dicitur, heremo iuncta, inter fluuium, mare, & solitudinem posita: distat tamen ab ostio fluminis miliaribus tribus: Ad quam nostri peruenientes, classem nostram reperiunt aduenisse. Vbi aptatis nauibus cum remige necessario, vniuersus in vlteriorẽ ripam deportatur exercitus. Relinquentes igitur à læua *Tapnim*, eximiam olim metropolim, nunc autem paruissimi ad instar redactam oppidi, inter loca palustria & maris littus viam carpentes mediam, quasi miliaribus viginti, duobus diebus *Damiatam* perueniunt.

XVI. Est autem *Damiata* inter Ægypti metropoles antiqua & nobilis plurimùm, secus ripam Nili sita citeriorem, vbi secundo ostio prædictus fluuius mare ingreditur, inter fluminis alueum & mare, situ valde commodo posita: à mari tamen, quasi miliario distans: ad quam sexto Kal. Nouembris noster perueniens exercitus, inter vrbem & mare castrametati sunt, classem expectantes, quæ maris inclementiâ & ventorum aduersis flatibus detinebatur: quæ post triduũ, pacatâ maris vndâ, & vẽtis vsa secundis alueum amnis ingressa, inter ciuitatem & mare, secus ripam, placitâ se statione locauit. Porrò in vlteriore fluminis ripa erat turris singulariter erecta, armatis sufficienter ad sui præsidium munita. Ab hac, vsque ad ciuitatem cathena protendebatur ferrea, quæ nostris maximum dabat impedimentum, ita vt ad superiora nullus omninò pateret transitus. Ad eos verò de superioribus, à Babylonia & Cahere, liberè & absque impedimento, poterant naues quælibet introire. Classe igitur compositâ, nostri quoque pomeria quæ inter castra & vrbẽ media iacebant, transeuntes, vrbi viciniora figunt tentoria, vnde liber ad mœnia erat discursus. Vbi dum per triduum assultus differunt, experimento discunt, quàm verum sit, *Nocuit differre paratis.* Aduenientes enim de superioribus Ægypti partibus, Turcorum infinitæ multitudines, & armatis naues onustæ, nostris videntibus, nec impedire valentibus, vrbem priùs penè vacuam, replebant. Et quam primo accessu vix primos impetus sustinere posse iudicauerant, nunc non nisi machinis & tormentis bellicis expugnandam asserunt. Eliguntur ergo artifices, & pro votis subiecta materia, sumptu numerosiore & labore maximo erigitur castellum miræ altitudinis, septem habens solia, vnde ciuitas tota videri poterat. Construuntur & aliæ varii generis machinæ quædam, quibus magnis molaribus cædantur mœnia: quædã, quib9 quasi caueis occultis, fossores muros vrbis suffodiãt, & subterraneis meatibus suffossos cõpellant ad ruinã. Fabrefactis interim machinis, & per itinera cõplanata secus murum collocatis, qui in castello erant, vrbanos sagittis, saxis pugillaribus & armis qualia furor & loci angustia ministrabat, vrgebant cum instantia: qui verò sub iaculatoriis tormentis, missis molaribus, certatim mœnia, & iuncta mœnibus domicilia deiicere adoriuntur. Hoc videntes oppidani, vt arte artem deludãt, & nostris moliminibus eadem subtilitate obuient, e regione nostri castellum educũt in sublime; armatos imponunt, qui nostris renitãtur a pari, & eis æquipollenti conatu respondeant: Tormenta nihilominus tormentis obiiciunt; & ad nostra confringenda argumentis quibus possunt, tota sollicitudine se suspendunt: Fiunt ad sui tuitionem solertes, & *ingenium à necessitate vires sumit.* Quique priùs arbitrabantur se ad hoc non sufficere, necessitatis pressi articulo, vias inueniunt priùs incognitas, & ad propriæ salutis tutelam fiunt ex obtusis subtiliores. Ibi erat experimento cognoscere, quam verũ sit illud prouerbialiter dictum: *Miserisq; venit solertia rebus.* Nostri verò cùm instare acriùs debuissent, timidè gelideq; cœperunt cuncta ministrare: erãt qui fraudi, erant & qui incuriæ & negligentiæ imputarẽt. Ibi profectò patuit statim, nostros aut minus experientiæ habuisse, aut à solita defecisse prudẽtia, aut exercitus moderatores malitiosè versatos: cùm castellũ quod erectũ fuerat, per loca cliuosa & penè inuia muris applicari iusserũt. Nã cùm essent in eadem parte ciuitatis mœnia in multis locis humiliora & infirma nimis & loca multa assultibus & expugnationi faciliùs peruia, castellũ erexerũt in ea parte ciuitatis, quæ firmior & magis munita habebatur, & vbi cum tãta difficultate mœnibus est applicatũ, quanta alibi nusquã occurrisset: nec ibi ciuibus quicquã inferebat molestiæ, aut

eorum ædificiis, sed soli basilicæ sanctæ DEI genitricis, quæ iuxta muros sita est. Illud sanè nihil habet ambigui, qui de malitia * more processerit, quòd primo nostrorum aduentu dilata est vrbis impugnatio: nam vacuam reperientes eam, dum non nisi domesticos haberet suos, viros imbelles, effœminatos, præliorũ ignaros, si pro debito animosiùs institissent, primis congressionibus eam occupassent violenter. Concessæ namque feriæ, tantum virium obsessis intulerunt, tantaque medio tempore virorum fortium & egregiè armatorum accessit numerositas, vt non solùm intra mœnia, sed etiam in campestribus nostrorum impetus possent sustinere.

XVII. Accessit præterea miserabile quiddam, quòd omnis illa quæ in classe venerat Græcorum multitudo, tantâ cœpit alimentorum inopiâ laborare, vt omnino panis eis omnibus deficeret, nec ciborum quippiam apud eos inueniretur. Cædebatur ad vsus varios sylua palmarum, castris contermina: deiectisque ad terram certatim arboribus, in summo earum, vnde rami habent originem, Græci fame laborantes, quærebant multo studio quandam teneritudinem, vnde ramis humor viualis ministratur, esui quodammodo habilem: vnde suam, licet miserè, consolabantur esuriem. *Quærendi victus artem, fames auxerat; & ventris appetitus rugientis, solertiam induxerat ampliorem.* Hoc sanè per dies aliquot edulio vitam miserè protrahentes, famem laborabant depellere. Quibusdam tamen, qui non penitùs erant alimoniâ destituti, auellanæ, passæ, & siccæ castaneæ contra famis importunitatem solatiâ ministrabant. Nostris autem panis, & varii generis alimentorum non deerat sufficientia: sed cogitantes de crastino, sacculis parcebant, timentes ne si ipsi cibos non habentibus, incautè diuiderent, aliquando & ipsis deficeret: iterum & de mora incerti, tempus prolixiùs habebant suspectum. Præterea tanta imbrium abundantia, tanta pluuiarum intemperies per idẽ tempus incubuit, vt neque tuguriis pauperiores, nec papilionibus diuites arte qualibet arcere possẽt stillicidia, imò nimborum redundantiâ. Vallo igitur cingentes tẽtoria, vt illuc pluuiarum deflueret impetus, vix in tuto se poterãt collocare. Accidit quoque per eosdẽ dies grande nimis infortunium. Nam cùm galeas, & cęteras diuersi generis naues, à mari eductas, in fluminis alueum introduxissent, & iuxta ciuitatem tutâ, vt videbatur, statione ordinassent: videntes oppidani quòd ventus à superioribus descenderet, & quasi Nili fluenta sequeretur aliquantulum vehementior, quod conceperant, in opus trahere nituntur. Accipientes enim mediæ quantitatis cymbam, lignis aridis, pice & liquamine, & omnibus his quæ solent ignibus incẽtiuum ministrare, eam vsque ad summum eius replentes, ignem subiiciunt: & accensam, in classem nostram, flumine eam gratis deferente, dirigunt: nec deerat austri flatus, qui suppositis ignibus ministrabat irritamentũ, sumptâ occasione ex subiecta materia. Descendens igitur incensa nauicula in classem, reperiensque eam quasi contiguam, transire non valens, hæsit inter rates: præbitoque quod gestabat incendio, sex ex rostratis nauibus, quas *galeas* vocant, vsque in fauillas exussit: vniuersamque classem ignis inualescens penitus occupasset, nisi domini Regis sollicitudo, qui comperto incendio, nudis adhuc pedibus, equum velociter conscendens, nautas ad resistendum ignibus, manu multisque clamoribus excitasset. Diuidentes itaque eas abinuicem, latè vagantis incendii furorem, declinauerunt. Si quæ verò vicini odore incendii conflagrare cœperant, ignis fomitem, vel in fauilla, vel alio modo secum trahentes, beneficio fluminis, & vicinarum aspergine aquarum, remedium consequebantur. Fiebant præterea, sed diebus interpolatis, in vrbem assultus, in quibus, secundùm hoc quod bellorum dubius solet esse euentus, nunc nostri, nunc hostes deteriorem calculum reportabant: frequentiùs tamen nostri pugnandi occasionem ministrabant. Nam hostes rarò, nisi lacessiti, ad congressum prouocabant: nonnunquam tamen per adulterinam portam, quæ Græcorum respiciebat castra, in eos irruptiones subitas faciebant oppidani, nescimus quâ fiduciâ adducti: aut quòd nostris eos audierant naturaliter inualidiores, aut quia famæ periclitantes, ad sustinendos impetus minus reputabant idoneos. Eorum tamen magistratus *Megaducas*, & alii viriliter & satis strenuè, quoties opus erat, in acie decertabant. Vnde eorum exemplo inferiores animati, plerunque etiam præter solitum, & instabant acriùs, & animosiùs resistebant. Augebantur porrò ciuibus, tam per terras quàm nauigio, turbæ militares: vt iam de cætero nostris, magis essent formidini qui infra mœnia tenebãtur, quàm molestiæ

molestiæ aliquid pati, qui dicebantur obsessi. Murmur ergo iam serpebat in populo, & erat omnium penè vna sententia, nostros operam inutiliter consumere: iratâ diuinitate se hoc opus cœpisse: tutius esse redire ad propria, quàm in Ægypto fame tabescere, vel hostiũ gladiis deputari. Mediantibus ergo nostris, & de satrapis Turcorum nonnullis, & maximè quodam eorum Principe, fideliter operam dante, *Iecelino* videlicet, consonantibus in idipsum Græcis, occultis quibusdam conditionibus fœdus initur; mox voce præconiâ pax indicitur. Egrediuntur ergo tam de ciuibus, quàm de his qui in eorum subsidium venerant, ad nostrorum castra, pro libero arbitrio: nostris quoque volentibus vrbem introire, liber introitus & egressus sine difficultate patebat. Hic tandem mutuorum data est facultas commerciorum, & quod cuique libitum erat emere vel permutare, facta est licentia. Sic ergò quasi per triduum nostri communi cum hostibus vsi rerum venalium foro, ad iter se accingunt. Depositis igitur machinis, & igne succensis, qui terrestri venerant itinere, dominum Regem secuti, eadem quâ venerant viâ in Syriam reuertentes maturatis gressibus, duodecimo Kal. Ianuarias *Ascalonam* peruenerunt. Dominus verò Rex, gratiâ vicinæ festiuitatis, *Accon* properans, in vigilia Natiuitatis Dominicæ, eandem attigit ciuitatem. Qui autem nauigio venerant, omine sinistro & infaustis auibus naues conscendunt: nam statim in primo obeundi itineris initio, exortâ subitò validissimâ tempestate, fretorum experti insuperabilem malitiam, cõfractis nauibus, & collisis ad littora, omnes penè passi sunt naufragium. Sic itaque de tanta classe, quæ ad nos descenderat, tam de maioribus, quàm de minoribus, paucæ naues reseruatæ sunt incolumes, quæ ad redeundum ex seipsis præstarent habilitatem. Infecto igitur negotio, omni tamen diligentiâ, quâ compleri debebat, à nunciis domini Imperatoris impensa, & debitâ sollicitudine procurandis negotiis exhibitâ, domum redeunt, deiecti animo, fati aduersitate consternati: timentes, ne sibi, præter meritum, Imperialis excellentia sinistrum imputaret euentum: & quòd casus attulerat ineuitabilis, irâ succensus eorum dominus, indebitè eorum ascriberet aut malitiæ, aut neglectui. Meminimus tamẽ, post reditum nostrum, tam à domino Rege, quam à quibusdam Regni Principibus, sollicitè & diligenter quæsisse, quænam causa fuerit, quòd tantus exercitus, tantorum Principum studio procuratus, ita in proposito defecerit. Nam nos eo anno, familiaribus tracti negotiis, & domini Archiepiscopi nostri declinantes indignationem immeritam, ad ecclesiam nos contuleramus Romanam: reuersi autẽ, prædictæ quæstionis solutionem quærentes, variis multorum relationibus de rei veritate cupiebamus edoceri: nam longè à spe nostra dicebatur accidisse: qua sollicitudine nostra nos trahẽte, hæc omnia scripto mandare iam conceperamus. Inuenimus Græcos etiã in prædicto negotio, non sine lata culpa fuisse. Nam cùm pecuniam ad alendum tãtum exercitum sufficientem, se missurũ firmissimè promisisset dominus Imperator, in ea parte inuentus est sermo eius, minus soliditatis habuisse. Ex quo enim in Ægyptum descenderant eius *Archontes*, vbi etiam aliis indigentibus, de imperiali magnificentia subuenire debuissent, cœperunt ipsi primitus indigere, & mutuam quærere pecuniam, vnde suis legionibus tam ad victum quàm ad stipendia prouiderent; & nemo illis dabat. XIX. Æstate verò sequente, anno videlicet domini *Amalrici* septimo, mense Iunio, tantus, tamque vehemens circa partes Orientales terræmotus factus est, quantus qualisque memoriâ seculi præsentis hominum, nunquam legitur accidisse. Hic vniuersi Orientalis tractus vrbes antiquissimas & munitissimas, funditus diruens, habitatores earum ruinâ inuoluens, ædificiorum casu contriuit, vt ad exiguam redigeret paucitatem. Non erat vsque ad extremum terræ locus quem familiaris iactura, dolor domesticus non angeret: vbique luctus, vbique funebria tractabãtur. Inter quas & prouinciarũ nostrarum, Syriæ & Phœnicis vrbes quàm maximas, & serie seculorum antiquitate nobiles, solotenus deiecit. In Cœlesyria, multarum prouinciarum metropolim, olimque multorum moderatricem regnorum, *Antiochiam*, cum populo in ea commorante, strauit funditus: mœnia, & in eorum circuitu turres validissimas, incomparabilis soliditatis opera, ecclesias, & quælibet ædificia tanto subuertit impetu, quòd vsq; hodie multis laboribus & sumptibus immensis, continua sollicitudine, & indefesso studio vix possunt saltem ad statum mediocrem reparari. Ceciderunt in eadem prouincia vrbes egregiæ de maritimis

quidem, *Gabulum* & *Laodicia*; de mediterraneis verò, licet ab hostibus detinerentur, *Nerea*, quæ alio nomine dicitur *Halapia*, *Cæsara*, *Hamum*, *Emissa*, & aliæ multæ: municipiorum autem non erat numerus. In Phœnicia autem, *Tripolis*, ciuitas nobilis & populosa, tertio Kal. Iulii, tanto terræmotus impetu, circa primam diei horam, subitò concussa est, vt vix vni de omnibus, qui infra eius ambitum reperti sunt, salutis via pateret. Facta est tota ciuitas quasi agger lapidum, & oppressorum ciuium tumulus, & sepulchrum publicum. Sed & *Tyri*, quæ est eiusdem prouinciæ metropolis famosissima, terræmotus violenter, absque tamen ciuium periculo, turres quasdam robustissimas, deiecit. Inueniebantur, tam apud nos, quàm apud hostes oppida semiruta, & insidiis & hostium viribus latè patentia. Sed dum quisque districti Iudicis iram sibi metuit, alium molestare pertimescit. Sufficit cuique dolor suus, & dum quemlibet cura fatigat domestica, alii differt inferre molestias. Facta est, sed breuis, pax, hominum studio procurata; & fœdus compositum, diuinorum iudiciorum timore conscriptum: & dum indignationem peccatis suis debitam expectat quisque desuper, ab iis quæ solent hostiliter inferri, manum reuocat, & impetus moderatur. Nec ad horam, vt plerunque solet, fuit ista iræ DEI reuelatio; sed tribus aut quatuor mensibus, vel etiam eò amplius, ter aut quater vel plerunque sæpius, vel in die vel in nocte, sentiebatur motus ille tam formidabilis. Omnis motus iam suspectus erat, & nusquam tuta inueniebatur quies. Sed & dormientis animus plerunque, quod vigilans timuerat, perhorrescens, in subitum saltum, ruptâ quiete, corpus agitari compellebat. Superiores tamen nostræ prouinciæ, Palestinæ videlicet, horum omnium, Domino protegente, fuerunt expertes malorum.

XX. Eodem anno, mense Decembri, anno videlicet domini *Amalrici* septimo, freques fama circumuolat, & crebris nunciis diuulgabatur, quòd *Salahadinus* conuocatis ex vniuersa Ægypto, & finibus Damascenorum militaribus copiis, ampliatoq; ex plebeis & secundæ classis hominibus militum numero, Regnum nostrum depopulaturus, ad partes Palæstinas moliebatur accedere. Quo audito, dominus Rex sub omni celeritate in fines ascendit Ascalonitanas. Vbi fidâ suorum relatione, pro certo cognouit, quòd prędictus magnus & potentissimus Princeps cum exercitu copioso valde, & solito ampliore, castrum, cui nomen *Darun*, per biduum obsederat: tantamque illo biduo, obsessis nullâ datâ requie, intulerat molestiam, tantis, tamque frequentibus sagittarum immissionibus, eos qui in præsidio erāt, lacessiuerat, vt omnibus, penè sauciis, pauci pro loci defensione arma possent corripere. Muro etiā suffosso, & effracto violētiùs, partē municipii iam occupauerat, oppidanis in arcē, quæ munitior videbatur, de necessitate se recipientibus: eius quoq; turris in partē inferiorē, effracto & incenso ostio, violēter irruperant, militibus, qui intus erant, eius partes superiores, adhuc tuentibus: ita domino Regi nunciabatur; & verè sic erat. Erat autem eidem præsidio dux, & custos datus, vir nobilis & in armis strenuus, religiosus ac timens DEVM, dominus *Ansellus de Paß*: cuius si fortè præsentiam illâ die prædictum castrum nō habuisset, procul omni dubio in manus hostium deuenisset. Quo comperto, Rex, tactus dolore cordis intrinsecus, & succensus irâ, quantum angustia temporis & hostium vicinitas patiebātur, conuocatis vndecunque tam equitum quàm peditum suffragiis, vrbe *Ascalonâ* egressus, octauâ decimâ die mensis prædicti, *Gazam* contendit. Affuit ibi cū eo dominus Patriarcha, cum venerabili & precioso viuificæ Crucis ligno. Adfuerunt & viri venerabiles, dominus *Radulphus* Bethleemita episcopus, & Regni Cancellarius: item dominus *Bernardus* Liddensis episcopus, & de Regni Principibus pauci admodum. Recensitoque suorum numero, vix inueniunt equites ducentos quinquaginta, de peditibus verò ad duo millia. Illam ergo noctē in prædicto loco præ sollicitudinis & curarum pondere, insomnem trahentes, assumptis sibi fratribus Templi, qui illuc pro tuitione loci conuenerant, circa ortum Solis vrbe vnanimiter egrediuntur, iter suum ad prædictum castrum dirigētes. Est autem, vt credimus, prædictum castrum in *Idumæa*, (ipsa est Edom) situm, trans torrentem illum qui dicitur *Ægypti*, qui etiam terminus est Palæstinæ & prædictæ regionis. Hoc ipsum idem dominus *Amalricus* paucis ante annis, in loco aliquātulum eminente fundauerat, occasione vetustorum ædificiorum, quorum ibi aliqua adhuc supererant vestigia. Traditur autem à senioribus illarum partium incolis, quòd priscis temporibus ibi fuerat monasterium

rium, Græcorũ vnde & adhuc nomen tenet, *Darum*: quod interpretatur *domus Græcorum*. Fũdauerat autem, vt prædiximus, dominus Rex illic castrum modicæ quantitatis, vix tantum spacium intra se continens, quantũ est iactus lapidis, formæ quadræ, quatuor turres habens angulares, quarum vna grossior & munitior erat aliis: sed tamen absque vallo erat, & sine antemurali. Distat autem à mari quasi stadiis quinque, à Gaza verò milliaribus quatuor. Conuenerant autem aliqui ex locis finitimis agrorum cultores, & negotiationibus quidam operam dantes; ædificauerant ibi suburbium & ecclesiam non longè à præsidio, facti illius loci habitatores. Erat enim locus commodus, & vbi tenuiores homines faciliùs proficerent quàm 10 in vrbibus. Condiderat autem Rex eâ intentione prædictum municipium, vt & fines suos dilataret, & suburbanorum adiacentiũ, quæ nostri *casalia* dicunt, & annuos redditus, & de transeuntibus statutas consuetudines pleniùs & faciliùs sibi posset habere. Egressus ergo *Gazâ* noster exercitus, & in edito quodam loco, qui in ipso itinere erat, constitutus, castra videt hostium: & præ nimia multitudine territi, cœperunt se solito arctiùs comprimere, ita vt præ turbæ densitate vix possent incedere. Illi statim in nostros irruentes, tentabant, si vnquam eos possent ab inuicem separare: sed nostri, propitiâ diuinitate, solidiùs inter se conglobati, & hostium sustinebant impetus, & iter maturatis gressibus conficiebant. Tandem ventum est ad locum destinatum, ibique defixis tentoriis, stetit vniuersus exercitus: dominoq; 20 Patriarchâ in arce locato, reliqui omnes extra & iuxta suburbiũ castrametati sunt. Erat autem hora diei, quasi sexta. Habitis ergo illâ die singularibus conflictibus, & per turmas nonnullis, nostri & audacter institerunt, & restiterunt viriliter. Nocte autem accedente, *Saladinus*, ordinatis agminibus versus *Gazam* suos dirigit exercitus; nocteque illâ secus torrentem quieuerunt: facto mane, ante Gazam constituti, vrbi cœperũt approximare. Fuit autem *Gaza* vrbs antiquissima, Philistiim metropolis egregia, cuius in historiis tam ecclesiasticis quàm secularibus, multa fit mẽtio: cuius etiam hodie, vetustæ nobilitatis, in nobilibus ædificiis, multa extant argumenta. Iacuit autem multis temporibus deserta, ita vt nec vno incoleretur habitatore, quousq; dominus Balduinus, illustris memoriæ Hierosolymorũ Rex quar- 30 tus, ante captam Ascalonam, collectis Regni viribus & publicis sumptibus, castrum in quadam parte ciuitatis munitum satis, ædificauit, constructumque statim fratribus Militiæ Templi donauit, iure perpetuo possidendum. Castrum ergo totum collem, supra quem ciuitas fundata fuerat, vt prædiximus, non potuit occupare: sed conuenientes quidam ad loci illius habitationem, vt tutiùs ibi morarentur, reliquam partem collis, portis & muro, sed humili & infirmo, tentauerant munire. Audito ergo hostium aduentu, loci illius habitatores, cum vxoribus & paruulis, decreuerant in præsidium introire: erant enim homines inermes, agrorum cultores, talibus inassueti: reliquam verò ciuitatis partem, tanquam immunitam hostibus exponere. Sed *Milo de Planci*, quidam de Regni magnatibus, sed vir nequã, volens qua- 40 si populum animare, introire penitus prohibebat, & ad tuendam vrbis partem inualidiorem hortabatur. Erant porrò ibi iuuenes expediti & ad arma prompti, sexaginta quinque, de partibus Hierosolymitanis, de vico qui dicitur *Macomeria*. Hi ad exercitum properantes, casu nocte illâ in eandem vrbem deuenerant: qui dum de mandato prædicti *Milonis*, secus portam exterioris ciuitatis, pro libertate & patria strenuè decertant, & hostibus viam ferro aperire volentibus fortiter resistunt, hostes ex alia parte in ciuitatem irruentes, inter præsidium & dictam portam, adhuc introitum hostibus negantes, reperiunt: irruentesque à tergo, incautos vallant vndique, & iam resistere non valentes, gladiis obtruncant. Sed tamen multis ex eis peremptis, vulneratisque pluribus, cruentam de eis victoriam retulerunt. Volen- 50 tes autem loci habitatores iterum in præsidium introire, receptis iam hostibus infra mœnia, & eos passim & sine delectu neci tradentibus, non est permissum; nec vlla alia salutis occurrebat via. Irruentes igitur Turci vbi ciuitatem occupauerunt, nec ætati parcunt, nec sexui; & vagientes saxis allidentes, iram vix poterant satiare. Qui autem in præsidio erant, hostes à turribus & muris lapidum iactu, & crebrâ telorum immissione longiùs arcentes, castrum propitio Domino seruauerunt incolume. Sic ergo occupatâ ciuitate, ciuibus interemptis, quasi palmam tenentes, versus *Darum* reuertuntur: dumque proficiscuntur, inueniunt de peditibus nostris

XXI.

quasi quinquaginta, qui ad exercitum nostrum incautè properabant. Hos satis viriliter se tuentes, & resistentes fortiter, gladiis enecant & interficiunt vniuersos.

XXII. Compositis igitur agminibus, & in aciem prout rei militaris exigit disciplina, digestis, quadraginta duas instruunt cohortes, quarum viginti duas littus iubent sequi marinum, vt inter *Darum* & mare proficiscantur: reliquas autem iter mediterraneum tenere præcipiunt, quousque castro præterito, omnes in vnum corpus iterum se recipiant. Videntes ergo nostri, hostes instructis redire ordinibus, ad conflictum se præparant: & licet pauci sint, confidunt tamen de Domini clementia; inuocatoque de supernis auxilio, accinguntur ad prælium, Domino ministrante vires & animorum constantiam, nihil putantes certiùs, quàm eos ad hoc redire, vt 10 cũ nostris congrediãtur: at illi longè aliud habentes propositũ, nec ad dextram nec ad læuã declinantes, in Ægyptum redire festinabant. Quod postquã domino Regi per certos constitit nuncios, quòd iter arripuerant non redituri, relictis qui castrum semirutum reædificẽt, reædificatum muniant ampliùs, & munitum fideliter custodiant, *Ascalonam* cum suis, Domino ducente, iterum reuersus est. Dicebatur ab iis qui frequentiùs in Regno expeditiones viderant, quòd nulla ætate tantam Turcorum multitudinem collectam audierant: reputaturque hostium numerus, in quibus nonnisi equites erant, ad millia quadraginta.

XXIII. Per idem tempus, quarto Kal. Ianuarias, in Anglia apud *Cantuariam*, nobilem & eximiam eiusdem prouinciç metropolim, celebrata est passio beatissimi & gloriosissimi martyris *Thomæ*, eiusdem ciuitatis Archiepiscopi. Hic fuit natione Londoniensis, & sub bonę memoriæ 20 *Theobaldo* Cantuariensis ciuitatis antistite, meruit in Archidiaconum eiusdem ecclesiæ promoueri. Vnde ab *Henrico* secũdo, eiusdem prouinciæ Rege, in partem Regiæ solicitudinis vocatus, factus est eius Cãcellarius, & vniuersi regni fidelis & prudens, & maximus procurator. Tandem suffragantibus meritis, & post prædicti beati patris obitum, ad Cantuariensem, ordinante Domino, vocatus ecclesiam, dũ pro ecclesiæ suæ iustitia viriliter & constantissimè contra tyrannicas decertat impietates, eundem Regem persecutorem fugiens, exilium compulsus est subire, quod in Francia, septennio continuò, mirabili & prædicanda tulit patientia. A quo dum pacem promissam expectat, rediens, impiorum gladiis, intra eandem ecclesiam, cui 30 auctore Domino præsidebat, contumeliis affectus, pro persecutoribus orans, capite cæsus, proprio sanguine laureatus, felici commercio, martyrio coronatus est: per quẽ pius & misericors Dominus, in sæpedicta ecclesia, & vniuersa prouincia, tot & tãta diebus penè singulis operari dignatur miracula, vt Apostolorum videantur innouata tempora.

XXIV. Sequenti anno, qui erat regni domini *Amalrici* septimus, videns sæpedictus Rex, quantis molestiis Regnum cottidie fatigabatur, & quòd hostium incessanter augebatur numerus, virtus suscipiebat incrementum, in immensum quoq; facultates eorum multiplicabãtur & diuitiæ: Regni nostri autẽ prouidi principes & discreti iam penitus defecerant, & in eorum loco soboles succrescebat perniciosa, quę locum tãtorum virorũ inutiliter occupabat, & bona paterna in vsus 40 dilapidabat detestabiles: vnde Regnum in tantam deuenerat debilitatem, quantam cognoscere poterant, etiam qui sensus habebant minus exercitatos: Conuocat vniuersos Regni Principes, ibique eis præsentibus, Regni necessitates aperit, expetit ab eis consilium: *quomodo his malis, ne Regnum depereat, possit obuiari.* At illi ex præsente, deliberatione habitã, quasi ex sententia vnanimiter responderunt: ***Regnum peccatis nostris exigentibus, in hunc deuenisse articulum, quòd neque ad impugnandum aduersarios, neque ad sustinendos eorum impetus sufficiebat. Opus esse dicunt, vt implorato Occidentalium Principum auxilio, tentet his malis resistere: aliam autem salutis viam asserunt se omninò inuenire non posse.*** Visum est demum, & id de communi consilio placuit, vt electas honestas personas ad sollicitandos, & de Regni anxietatibus edocendos, dominũ 50 Papam, & illustres dominos Romanorum Imperatorem, Francorum, Anglorum, Siciliæ & Hispaniarũ Reges, & inclytos Duces & Comites dirigant, qui ab eis contra imminentia pericula auxilium implorent. Decretum est etiam, vt domino quoque Imperatori Constãtinopolitano, quia nobis vicinior, & cæteris longè opulentior, faciliùs optata nobis posset ministrare suffragia, Regni status anceps & periculosus significetur. Addunt etiam, vt talis ad eum persona dirigatur, quæ prudentiã, facundiã, & auctoritate tanti principis animum ad nostra sciat & possit inclinare desideria.

desideria. Dumque super hoc, quis ad tantam legationem implendam idoneus esset, deliberaretur, Rex habito cum paucis & familiaribus consilio, propositum pandit, & coram omnibus mentis reuelat conceptum, dicens: *Istud per neminem posse fieri, nisi per eum*: adiecit etiam, *Separatum esse pro Regni necessitatibus subleuandis, & labores & qualibet subire pericula.* Hi cum stupidi & admiratione pleni Maiores Regni dicerent: *Durum est nimis, vt absque Regis præsentia, regnum quasi desolatum inueniatur*: respondit: *Regat dominus Regnum suum, cuius minister ego sum: apud me fixum est vt vadam: non est qui ab hoc proposito me possit reuocare.* Assumpto ergo domino *Wilelmo* Acconense episcopo, & de Regni Magnatibus, *Guarmundo* Tyberiadense, & *Ioanne de Arsur*, *Ge-*
10 *rardo de Pugi* Marescalco, *Roardo* Hierosolymitano Castellano, *Reinuardo de Nephins* (nam *Philippum Neapolitanum*, qui iam Militiæ Templi deposuerat Magistratum, per terras præmiserat) & cum maximo comitatu, qualis Regiam decebat maiestatem, sexto Idus Martii iter aggreditur in galeis decem. Vnde propitio Domino, prosperâ vsus nauigatione, fauces Abydenas, & ostia Bosphori, quod vulgari appellatione *Brachium sancti Georgii* dicitur, feliciter ingressus est. Audiens ergo dominus Imperator, vir magnificentissimus, prouidus & discretus, & per omnia commendabilis, quòd tantus Princeps, & tam famosi & DEO amabilis Regni moderator, Imperium suum præter solitum ingrederetur, primùm vehementer admirans, quænam tanti laboris & insueti itineris caussa posset esse: deinde gloriæ suæ considerans in-
20 crementum, honoris amplitudinem, gratiæ cœlestis donum incomparabile, quòd sibi gratis videretur oblatum diuinitùs, quod nulli prædecessorum suorum legitur accidisse, videlicet quòd Rex Hierosolymorum, locorum venerabilium Dominicæ passionis & resurrectionis defensor, & aduocatus ad se veniat, plurimùm exhilaratur, & aduenientem eum multiplici disponit honore præuenire. Accersitoque *Ioanne* Protoseuasto nepote suo, & inter sacri Palatii Principes eminentissimo, cuius filiam idem dominus Rex vxorem habebat, ei dirigit in occursum, vt iuxta pristinam & inuiolabilem Imperii disciplinam, & incomparabilem magnificentiam, in vrbibus & locis ad quæ perueniret, eum faceret haberi honestissimè; & instrueret tanquam filium, vt de introitu eius in vrbem Regiam domini Imperatoris nun-
30 cios expectaret. Tunc idem magnificus Princeps cum honesto comitatu domino Regi occurrens, vsque *Caliopolim* peruenit, quæ est ciuitas in littore Bosphori sita, à faucibus non multùm distans Abydenis. Inde quoniam ventus ad vrbem Regiam volentibus properare, non multùm erat idoneus, descendens de galeis vsque *Heracleam*, quæ in eodem maris est sita littore, cum suo familiari comitatu eques peruenit. vbi & classem suam, quę receptâ aurâ secundiore, prosperis vsa flatibus, eius iter præuenerat, in portu reperit. Vnde iterum classem cōscendens, vento prosequente fauorabili, *Constantinopolim* vsque peruenit. Est autem in ipsa vrbe super littus maris, ad Orientem prospiciens, Imperiale palatium, quod *Constantinianum* appellatur: introitum habens ad mare, miro & magnifico tabulatu; gradus habens mar- XXV.
40 moreos, vsque in idipsum mare; leones habens & columnas, fastu erectas Regio, ex eadem materia. Hinc soli Augusto solet introitus patere ad superiora palatii: sed domino Regi honoris intuitu præcipui, præter communes regulas aliquid indultum est, vt eâ parte ingredi permitteretur. Ibi verò occurrentibus ei magni Sacri palatii Principibus, cum maximo Curialium numero, in summa honorificentia receptus est: vnde per angiportus & miræ varietatis diuersoria, multis tam suorum quàm palatinorum stipatus ordinibus, vsque ad supereminentem Regiam, vbi dominus Imperator cum suis illustribus residebat, deductus est. Dependebant ante consistorium velaria preciosæ materiæ, & operis non inferioris, imò quibus illud *Nasonis* meritò posset aptari, *Materiam superabat opus.* Extra quas maiores Principes
50 domino Regi occurrentes, introduxerunt eum intra prædicta velaria. Hoc autem dicitur factum esse, conseruandæ Imperialis gloriæ caussâ, & pro reconcilianda sibi domini Regis gratia: nam in cœtu procerum suorum, solis astantibus inclitis dicitur ei familiariter assurrexisse: quod si præsente generali curiâ factum fuisset, nimis visus esset dominus Imperator suæ derogasse maiestati. Ingresso ergo domino Rege, contractis subitò velariis, his qui extra vela fuerāt relictis, apparuit dominus Imperator throno sedens aureo, Imperiali vestitus schemate: & iuxta eū dominus Rex throno sedens honesto, humiliore tamen. Hic nostris Principibus & pacis

osculum & debitæ salutationis cum multa humanitate dependens affatum, de salute domini Regis, & Principum suorum quærens diligentius, verbo & vultu significat, cum multa mentis hilaritate eorum aduentum suscepisse. Præceperat autem dominus Imperator domesticis suis & sacri palatii sui procuratoribus, quædam miræ excellentiæ diuersoria infra palatii ambitum, domino Regi suisque familiaribus aptari: suis autem Principibus singulis singula, honesta multum in vrbe, non tamen longè à se, hospitia præparari. Sumptâ igitur licentiâ à facie domini Imperatoris, dominum Regem secuti, recesserunt ad tempus: statutaq; horâ, quâ ad eum redeant, dominus Rex principes suos iubet ad propria descendere hospitia. Singulis ergo diebus, horis ad hoc specialiter deputatis, tum cum domino Imperatore, tum secum de negotiis pro quibus venerant, sollicitos habentes tractatus, omnimodam dabant operam, quomodo consummatâ tanti laboris & itineris causâ, cum fine optato redire possent ad propria. Habitis ergo frequenter cum domino Imperatore tum seorsum, tum in cœtu illustrium suorum familiaribus colloquiis, viæ caussam aperit, Regni necessitates edocet, immortalitatem famæ, quam dominus Imperator in subiugando sibi Ægypti regno comparare posset, diligentiùs exponit; facilitatem quoque obtinendi propositi, euidentibns astruit argumẽtis. Quibus persuasus, aurem benignam dominus Imperator eius assertionibus accommodat, & desideriis plenum & optatum pollicetur effectum. Interim munerũ immensitate, iuxta Imperialem magnificentiam tam dominum Regem, quàm eius Principes honorat multipliciter; frequentibus visitationibus de eorũ statu & incolumitate sollicitum se ostẽdit. Interiores etiam palatii partes, penetralia non nisi domesticis suis peruia, lares quoq; secretioribus vsibus dedicatos, basilicas vulgaribus inaccessas, thesauros & vniuersorum desiderabilium repositiones auitas, eis tanquam familiaribus suis præcipit reserari. Sanctorum etiam reliquias, dispensationis quoque Domini nostri IESV CHRISTI preciosissima argumẽta, Crucem videlicet, & clauos, lanceam, spongiam, arundinem, coronam spineam, syndonem, sandalia, exponi iubet: non est archanum, non est mysticum à temporibus beatorum Augustorum Constantini, Theodosii, Iustiniani, in abdytis sacri cubiculi repositum, quod eis non reueletur familiariter. Interdum etiam feriis intermissis, dominum Regem cum suis ad recreationes, & ludorum nouitates quæ vtriusque non dedeceant honestatem, aliquoties inuitat: vbi & musicorum genera instrumentorum varia, & cantus admirandæ suauitatis, consonãtiis distinctos artificialibus; choreas quoq; virginum, & histrionum gesticulationes admiratione dignas, seruatâ tamen morum disciplinâ, præcipit exhiberi. Sed & spectacula quoque publica, quæ nos *ludos theatrales*, vel *Circenses* consueuimus appellare, vrbanis, domini Regis gratiâ, cum multis sumptibus, & solita magnificentiâ præcipit exhiberi.

XXVI. Factâ autem per dies aliquot in palatio Constantiniano morâ, causâ inducendæ varietatis, quæ maximè solet releuare fastidium, ad palatium nouum, quod *Blachernas* dicitur, se & dominum Regem transtulit. vbi etiam plenis humanitatis legibus infra palatium suum honestis conclauibus deputatis, in ipsis penetralibus patrum suorum, eũ per dies aliquot benignè habuit. Sed & suis nihilominus, non longè ab eodem palatio, honesta simul & commoda fecit hospitia præparari. Vbi etiam, sicut & priùs, impensas non solùm necessarias, & voluptuarias supereffluentes, *vestiaritæ*, & hi quibus id officii deputatum erat, magnificè & superabundanter non cessabant ministrare. Sed & vrbem totam, tum interiùs, tum exteriùs, simul & ecclesias & monasteria, quorũ penè infinitus est numerus, columnas etiam trophæorum argumenta, arcus quoque triumphales, ducentibus eum magnis proceribus & locorum gnaris, dominus Rex peragrauit, & singulorum rationem & causam inquirens à viris antiquissimis, & prudentibus, pleniùs edoctus est. Descendit etiam per eosdem dies idem dominus Rex per Bosphorum, vsque ad ostia *maris Pontici*, vnde est introitus & initium huius influxionis, quæ *Bosphorus* dicitur, in *mare Mediterraneum*. Circuibat itaque loca incognita, tanquam vir curiosus, & causas rerum scire desiderans: quibus ad plenum cognitis, in vrbem rediens, iterum ad familiares domini Imperatoris recurrit affatus, negociis quæ viæ causam præbuerant, finem cupiens optatum imponere. Habitis ergo feriis competentibus, tractatis necessariis, completo feliciter & pro votis negotio, pactis hinc inde ad placitam vtrinque consonantiam redactis, & scripto

& scripto traditis vtriusq; bulla signato, sumptâ licentiâ, & vniuersorum gratiâ prosequente, ad iter se accingit. Ibi tunc primùm in dominum Regem & suos Imperialis quasi prodiga, sed planè commẽdabilis, claruit munificentia: nam immensa domino Regi conferens auri pondera, holosericorumq; multitudinem, simul & peregrinarum eximia dona diuitiarum, suos etiam vsque ad puerorum nouissimum donis ingentibus cumulauit. Sic & *Protoseuasto* in omnes, tanquam vir inclytus, suam effudit liberalitatem. Sed & reliqui Principes eodem zelo accensi, certatim se mutuò munificentiâ vincere cupientes, munera domino Regi offerunt: quibus & materiæ dignitas, & operis elegantia, & fauor non deerat in vtroque. Compositâ ergo classe, negotio feliciter consummato, descendens in *Bosphorum*, qui Europæ Asiæq; terminus esse dignoscitur, ducentis ab vrbe miliaribus per illud fretum nauigans, inter *Seston* & *Abydon* vrbes famosissimas, Leandri Heroque domicilia, mare ingreditur mediterraneum: inde secundis actus flatibus, decimo septimo Kal. Iulii, ad vrbem applicat *Sydonensem*. Ingressus itaque in Regnum, audiens quòd *Noradinus* in finibus Paneadensibus cum exercitu copioso resideret, timẽs ne in Regnum irruptiones inde moliretur, sollicitudinem contra hoc, quantam expedire videbatur, obiiciens, in Galilæam descendit: & conuocatis Regni Principibus, iuxta fontem illum celeberrimum, qui inter *Nazareth* & *Sephorim* est, castrametatus est: vt quasi in centro Regni cõstitutus, commodiùs inde ad quaslibet Regni partes, si vocaret necessitas, se transferret. Illuc enim tam ipse, quàm sui prædecessores conuocare exercitus eodem intuitu consueuerant. Eisdẽ diebus dominus *Fredericus* Tyrensis Archiepiscopus, prædecessor noster, missus ad hoc, vt à Principibus Occidẽtalibus, nobis consilium & auxilium imploraret, cõpleto biennio, spe frustratus, nihil obtinens eorum quæ nostro nomine petierat, vacuus rediit. Comitem tamẽ *Stephanum*, virum quidem carne nobilem, moribus verò non ita, domini *Theobaldi* senioris Blesensium, Carnotensium, Trecensium Comitis filium, præmiserat, quem dominus Rex per eundem Archiepiscopum ad hoc, vt ei filiã suam vxorem daret, euocauerat: qui in regnum perueniẽs, & super eodem verbo à domino Rege benignè commonitus, oblatas & priùs placitas renuit conuentiones; & turpiter & immundè in Regno conuersatus per menses aliquot, per terras redire disposuit. Cumque Antiochiam peruenisset, & inde in Ciliciam, vt per terram Soldani Iconiensis, impetrato priùs eius ducatu, Constantinopolim properaret, contigit quòd iuxta Mamistram vrbem Ciliciæ in insidiis, quas ei prætenderat *Milo* Armeniorum Princeps potentissimus, frater *Toros*, casu incidit. Et irruentibus in eum qui latebant in insidiis, vniuersa quæ secum asportabat preciosa & desiderabilia multùm, prædæ datus, amisit; vixq; à prædonibus, equum vilem quo deferretur, multâ obtinuit precum instantiâ. Inde cum paucis multo labore Cõstantinopolim, vniuersorum Orientalium cũ odio prosequente, ignominiosus peruenit. Eodem anno comes quoq; *Stephanus* æquiuocus eius, sed morum honestate longè dissimilis, vir modestus, & planè commendabilis, filius comitis Wilelmi de Sauna, & dux Burgundiæ *Henricus* iunior, superioris Stephani ex sorore nepos, in Regnũ orationis gratiâ & deuotionis intuitu ingressi, & moram modicam facientes, per Imperatorẽ Constantinopolitanũ ad propria reuersi sunt, ab eo suscepti honorificè, & cum multis muneribus dimissi. Sequẽti anno, qui erat regni domini *Amalrici* octauus, dominus *Wilelmus* bonæ memoriæ, Acconẽsis Episcopus, ab vrbe Constãtinopolitana, à domino Rege in Italiã directus, peragratis eius partibus, & omni viâ ad obtinendum, quod petebat, prudenter fideliterq; prætentatâ, dum in redeundo ad propria remenso itinere ad dominum Imperatorem ex condicto rediturus, apud Adrianopolim secundæ Thraciæ claram metropolim peruenisset, casu sinistro mortem immeritus subiit inauditam. Nam dum horâ meridianâ, longo fatigatus itinere, post sumptum cibum membra sopori concessisset, quidam *Robertus* de comitatu eius, quem ipse ad sacerdotium prouexerat, & inter familiares receperat, in eodẽ in quo dominus Episcopus conclaui iacens, iam de longa ægritudine, quâ plurimùm laborauerat, conualescens, furiâ inuectus, dominum Episcopum dormientem, arrepto gladio pluribus inflictis vulneribus, letaliter confodit. Quem cùm sui qui exteriùs erant clamantẽ audirent, & præ mortis angustia gemitus edentem & suspiria intelligerent, volentes irruere, vt laboranti ferrent opẽ domino, ostio ab intus firmiter obserato ingredi

non potuerunt. Tandem effracto violenter ostio, dominum semianimem & adhuc circa præcordia modicum spiritus habentem, repererunt. Volentes igitur prædictum maleficum vinculis mancipare, & homicidarum legẽ ad pœnas rapere debitas, voce & manu prohibuit, orans & petens, vt pro remedio animæ suæ ei plenior fieret indulgentia; nec ad mortẽ ei præsens factum imputaretur, postulans enixiùs, vltimum Domino tradidit spiritum, tertio Kal. Iulii. Huius autẽ tanti maleficii caussam hactenus non potuimus certam deprehendere. Quidam enim dicunt, prædictum *Robertum*, tanti sceleris perpetratorem, longâ ægritudine laborasse, & in conualescentia positum, phrenesis raptum violentiâ, in tam piaculare flagitium descẽdisse nescienter. Alii dicunt, odio cuiusdam cubicularii eius, qui de domini Episcopi nimis præsumens gratia, tam eum quàm reliquos malè dicebatur tractare, tam immane scelus perpetrasse. Eodem anno quidam *Ioscius* eiusdem Ecclesiæ Canonicus, & subdiaconus, nono Kal. Decembris, in eadẽ Ecclesia substitutus est.

XXVIII. Per idem tempus defuncto magnifico & nobili viro, de quo frequenter fecimus mentionem, Armeniorum Principe maximo domino *Toros*, quidam frater eius *Melier* nomine, vir nequissimus, vt fratris hereditatem sibi posset vendicare, accessit ad *Noradinum*, petens ab eo, & cum omni instantia postulans, vt militares ei concederet copias, quibus fratris hereditatem violenter sibi posset occupare: eius autem fratre defuncto, quidam *Thomas*, communis ex vtriusque sorore nepos, vocantibus eum regionis principibus, omnem auunculi principatum tranquillè possidebat. Erat autem vir Latinus, sed minus habens industriæ, nec multùm prudens eis qui se vocauerant liberalem & conformem se exhibere. Interpositis itaq; conditionibus, quales *Noradino* videbantur posse placere, obtinuit, vt partem militiæ suæ nõ modicam ei concederet: cuius fretus auxilio, *præter morem patrum suorum in paternam, & auitam hereditatem primus infideles introduxit.* Ingressus itaque violenter in terram patris, nepotem expulit, & sibi regionem vendicauit vniuersam: statimque potestatem consecutus, quicquid fratres Militiæ Templi in partibus habebant Ciliciæ, licet eorum frater aliquando fuisset, primis auspiciis sui principatus funditus abstulit, tanto fœdere deinceps Noradino & Turcis coniunctus, quanto vix inter se solent fratres conuenire. Factus ergo tanquam infidelis, lege Domini neglectâ, Christianis quãta poterat, inferebat dispendia, captosq; casu siue in prælio, siue in expugnatis municipiis, vinculis mancipatos, in terras hostium inferebat venales. Princeps ergo Antiochenus, & de regione illius maiores, videntes quolibet hostium proteruius prædictum nequam hominem in Christianos deseuire, arma contra eum corripiunt: licet *exemplum sit periculosum, fideles contra eos qui eadem professione censentur, arma corripere*, in tarque belli ciuilis videatur habere: mala tamen confratribus illata, non audent dissimulare; sed bellum inferunt, & hostem publicum denunciant. Interea dominus Rex audiens, quòd in partibus illis exortum erat scandalum, partes suas in his quæ ad pacem sunt, interponere cupiens, cum familiari comitatu ad partes descendit Antiochenas: inde domesticos nuncios ad prædictum immanissimum & à DEO destitutum *Melier* dirigit, petens ab eo, & obnixè postulans quatinus cum eo in loco sibi beneplacito, die competente ad colloquium descenderet. Quod verbũ cùm ille quasi gratanter videretur accepisse, corde tamen longè erat ab eo. Cumq; ter vel quater dominus Rex idipsum per nuncios tentasset efficere, in fine tamen malitiosi hominis deceptus versutiis, in ea parte non profecit. Tandem collectis de vniuersa prouincia militaribus copiis, in terram eius omnis illarum partium Christianus descendit exercitus: vbi in campestribus Ciliciæ (nam conscendere in montes durum erat, & difficile) regionẽ obambulant, fruges incendunt, municipia contendunt expugnare: ecce nuncius verbi sinistri baiulus ad dominum Regem accedit, significans, quod & verum erat, quòd *Noradinus* secundæ Arabiæ metropolim *Petram*, quæ alio nomine *Crac* appellatur, obsederat. Quo audito, dominus Rex anxius plurimùm, cum suo familiari comitatu, sumptâ à domino Principe licentiâ, cũ omni celeritate reuertitur: sed antequam in Regnum se reciperet, Principes regionis prudenter & strenuè Regni robur collegerant vniuersum; domino quoque *Radulpho* Episcopo Bethleemitâ Crucem Dominicam deportante, domino *Henfredo* constabulario exercitus curam committunt. Dumque impigrè, & sine dilatione ad locum properant destinatum, ecce nuncius proficiscentibus occurrit, dicens (sicut & verum

& verum erat) *Noradinum* saluâ vrbe, obsidione solutâ, ad propria reuersum. Adueniens ergo Rex in Regnum, præter spem, votis tamen consonam, inuenit tranquillitatem. XXIX. Anno sequenti, *Salahadinus* cum ingentibus copiis, & infinito equitatu circa initium autumni, in regiones nostras introitum parat, ex omni Ægypto copias educens innumerabiles: transcursaque solitudine, ad eum locum peruenerat, qui dicitur *Cannetum Turcorum*. Rex autem eius aduentum præsentiens, exercitus suos collegerat: & assumpto sibi domino Patriarchâ, cum viuifico & venerabili Dominicæ Crucis ligno, circa *Bersabee* castra locauerat, vt de vicino aduenientibus hostibus commodiùs posset occurrere. Distabat autem locus, vbi ille cum suis
10 expeditionibus dicebatur esse, à castris regiis vix miliaribus sedecim: nondum tamen apud dominum Regem pro cõstanti habebatur, quod ad illum peruenisset locum. Verum tamen erat, quòd aquarum cõmoditatem secutus, ibi castrametatus erat. Habitâ igitur deliberatione cum principibus suis, quasi de industria eius occursum declinarent, diuersas studiosè ingrediuntur vias. Expeditiones igitur, & omnẽ populum versus *Ascalonam* dirigunt, eius occursum verbo quærentes, quem in proximo positum declinauerant studiosè. Deinde *Darum* venientes, indeque ad locum supra nominatum reducentes exercitum, inutiliter impensas & operam consumpserunt. Ille enim Idumææ campestria secutus, in *Syriam Sobal* cum suis cohortibus ascendens, castrum quod vniuersæ regionis caput est, & singulare præ-
20 sidium, obsidet: & quantum loci patitur opportunitas, studiis impugnat ardentibus. Erat autem municipium in colle situm edito, turribus, muris, & antemuralibus egregiè munitum: eratque ei suburbium extra præsidium situm in decliuo collis, in loco tamen adeò sublimi & arduo, ita vt neque assultus, neq; arcuum vel machinarum formidaret ictus; erantq; loci illius habitatores fideles vniuersi: quo amplior eis fides haberi poterat. Præterea armis & victu, & viris, pro captu loci sufficiẽtibus, diligenter satis erat instructum. Vbi cùm per dies aliquot inutiliter consumpsisset operam, videns quòd non proficerent, indicto suis reditu, viam solitudinis ingressus, in Ægyptum reuersus est. XXX. Sequẽti anno, qui erat regni domini *Amalrici* decimus, videns idem *Salahadinus* quòd anno præcedente contra nostros non
30 multùm profecerat, volens præteritos redimere defectus congregatâ ex vniuersis Ægypti finibus infinitâ militiâ, & ingentibus copiis, in Regnũ iterum introire disponit. Et ingressus solitudinem, vt magis occultus accedat, tantoq; maiorem nocẽdi inueniat habilitatem, eâdem regionem, in quam anno proximè præterito ascenderat cum suis exercitibus, mense Iulio ingressus est. Rex autem eius aduentu præcognito, vniuersæ Regni militiæ robur secum trahens, illi vsque in solitudinem occurrit: vbi cùm ei nunciatum esset, quòd in Syriâ Sobal sicut anno prædicto declinasset, timens eum illuc sequi, ne fortè Regem audiens post se venientem, ex opposita parte Regnum depopulaturus ingrederetur, ascendit in montem, & locum sibi diligens ad stationem congruum, secessit in Carmelum. Est autem hic *Carmelus* nõ
40 ille mons, qui in maritimis situs est, *Heliæ* familiaris; sed viculus quidam, vbi olim stulti *Nabal* domicilium legitur fuisse. Hunc ergo locum sibi prudenter delegit, propter aquarum commoditatem: erat enim ibi vetus & ingentis magnitudinis piscina, quæ ad vsum vniuersi exercitus aquarum ministrabat copias. Sed & vicinus erat ei regioni quæ est trans Iordanem, locus prædictus, ita vt sola *Vallis Illustris*, in qua *Mare* iacet *Mortuum*, media vtramque disterminet regionem. Facilius ergo & crebrius erat nostris, de factis hostium audire noua, & eorum statum cognoscere. Interea *Salahadinus*, dum Rex propter prædictam causam ad prædictas partes dubitat accedere, quicquid extra præsidia reperit, tradens incendiis, arbusta succidens & vineas, suburbana confringens, in regionem totam pro arbitrio desæuit.
50 Tandem pro votis tyrannide potitus, in Ægyptum circa finem Septembris reuersus est. Per idem tempus dominus *Raimundus* iunior, Raimundi senioris filius, Comes Tripolitanus, octauo anno captiuitatis suæ, quibus in mendicitate & ferro apud hostes detentus fuerat, datis pro se aureorum milibus octoginta, pristinæ se restituit libertati, ad auitum rediens Comitatum: quem dominus Rex benignè suscepit redeuntem; & terrâ suam, quam medio conseruauerat tempore, sine difficultate restituit. Insuper etiam, vt ad persoluendum redemptionis suæ precium esset idoneus, Regiâ liberalitate in eũ plurima contulit. Sed & Principes suos & Ecclesia-

XXXI. rum prælatos, exemplo sui itidem facere, cum effectu persuasit. Accidit eisdem diebus apud nos res periculosa nimis, & detestabilis, Regno & Ecclesiæ, vsq; in presens tẽpus, & fortasse in perpetuum lugenda. Quod vt plenius innotescat, sumendũ est altius narrationis exordium. In prouincia Tyrensi, quæ *Phœnicis* dicitur, circa Episcopatum *Antaradensem*, est quidam populus, castella decem habens cum suburbanis suis: estque numerus eorum, vt sæpius audiuimus, quasi ad sexaginta millia, vel amplior. Hi nõ hereditariã successione, sed meritorum prærogatiuã Magistrum solent sibi præficere, & eligere Præceptorem, quem spretis aliis dignitatum nominibus, *Senem* vocant: cui tantæ subiectionis & obedientiæ vinculo solent obligari, vt nihil sit tam durum, tam difficile, tamque periculosum, quod ad Magistri imperium, animis ardentibus non aggrediantur implere. Nam inter cætera, si quos habent Principes odiosos, aut genti suæ suspectos, datã vni de suis, vel pluribus, sica, non considerato rei exitu, vtrum euadere possit, illuc contendit, cui mandatum est; & tam diu pro complendo anxius imperio, circuit & laborat, quousque casu iniunctum peragat officium, Præceptoris mandato satisfaciens. Hos tam nostri, quàm Sarraceni (nescimus vnde deducto nomine) *Assissinos* vocant. Hi etiam annis quadringentis Sarracenorum legem, & eorum traditiones tanto zelo coluerunt, vt respectu eorum omnes alii quasi præuaricatores iudicarentur, ipsi autem legem viderentur implere. Contigit autem diebus nostris, quòd Magistrum sibi præfecerunt virum facundissimum, subtilem, & acris valde ingenii. Hic præter morem maiorũ suorum, cœpit habere penes se Euãgeliorum libros, & codicem Apostolicum: quibus continuato incumbens studio, miraculorum CHRISTI & præceptorum seriem, sed & Apostoli doctrinam, multo labore, aliquantisper assecutus erat. Inde conferens CHRISTI & suorum suauem & honestam doctrinam, cum iis quæ miser & seductor *Mahemet* complicibus suis, & deceptis ab eo tradiderat, cœpit sordere quicquid cum lacte biberat, & prædicti seductoris immunditias abominare. Eodem quoque modo populum suum erudiens, ab obseruantia illius superstitionis cessare fecit, oratoria quibus antea vsi fuerant deiiciens, eorum ieiunia soluens, vinum & suillas carnes suis indulgens. Tandem ad interiora legis DEI volens procedere, virum prudentem, in consiliis prouidum, eloquentem, & Magistri sui doctrinam redolentem, nomine *Boaldelle*, ad dominum Regem dirigit, verba secreta deferentem: quorum præcipuus & maximus erat articulus, quòd si fratres Militiæ Tẽpli, qui castella regioni eorum habebant contermina, duo millia aureorum, quæ singulis annis de hominibus eorum quasi pro tributo solebant assumere, eis vellent remittere, & fraternam deinceps obseruare caritatem, ipsi ad fidem CHRISTI & baptisma conuolarent.

XXXII. Rex autem, eorum legationem læto animo & gratanter suscipiens, petitioni eorum sicut vir discretissimus erat, plenius annuens, aureorum duo millia, quorum ipsi annuam præstationem relaxari postulabant, de suis propriis redditibus, prædictis fratribus refundere, vt dicitur, paratus erat: nunciũq; quem apud se pro verborum consummatione diu detinuerat, ad proprium Magistrum, dato sibi duce itineris, & proprii custode corporis, vt oblatum verbum penitus absolueretur, remisit. Qui dum cum itineris consorte, & dato duce Tripolim pertransisset, fines suos ingressurus in proximo, subitò de fratribus supradictis, ex improuiso strictis gladiis irruentes, hominem de Regio ducatu, & nostræ gentis fidei synceritate præsumentem, incautum, & nihil verentem tale, læsæ maiestatis crimen incurrentes, occiderunt. Quod audiens Rex, præ facti atrocitate, irã & quasi insaniã succensus vehementer, conuocatis Regni Principibus, in iniuriam suam quicquid acciderat, asserens redundare, instrui quærit, quid eum oporteat facere. Tandemque de communi Principum consilio, consulitur, verbum quod acciderat non esse negligendum: nam in eo & auctoritas Regia videbatur deperire; & Christiani nominis fides & constantia immeritam cõtrahere infamiam; & Orientalis Ecclesia, DEO placitum, & iam paratum incrementum amittere. Mittuntur ergo de communi consilio nobiles quidam, *Seiher de Mamedune*, & *Godescalcus de Tirholt*, ad hoc specialiter selecti, qui à Magistro prædictorũ fratrum, *Odone de sancto Amando*, exigant, vt tanti excessus & tam piacularis flagitii, Regi & Regno vniuerso satisfactionem exhibeant. Dicebatur autem quidam frater eorum, *Galterus* videlicet *de Mainsnilio*, vir nequam & monoculus, cuius spiritus in naribus eius, omnino penes.

penes se nihil discretionis habens, de conscientia tamē fratrum, hoc fecisse. Vnde, vt dicitur, ei præter debitum parcēdo, domino Regi per nuncios significauit, fratri qui hoc cōmiserat, se pœnitentiā iniunxisse, & ita cū iniuncta pœnitentia, ad dominum Papam se eū directurum: Inhibere autem ex parte domini Papæ, ne in prædictū fratrem manus quis auderet iniicere violētas. Adiecit etiā & alia à spiritu superbiæ, quo ipse plurimùm abundabat, dictata, quę pręsenti narrationi nō multùm necessariū est interserere. Rex autem pro eodem negotio apud Sydonem constitutus, eundē Magistrum cū multis ex fratribus eius, & eodē malefactore reperit: habitoq; consilio, cū iis qui eius viā illuc comitabantur, prædictum maiestatis reum, de do-
10 mo eorū violenter educi fecit, & Tyrum in vinculis traductum, carceri fecit mancipari. Tandem huius verbi occasione paulo minus vniuersum Regnū habuit ruinam irreparabilem sustinere. Rex tamen & apud *Assisinorum Magistrum*, cuius tam sinistro casu legatus deperierat, de sua allegans innocētia, immunis apparuit; & cum prædictis fratribus, temperato satis vsus moderamine, vsque ad obitus diem rem dimisit indiscussam. Dicitur tamen, quòd si de suprema illa conualuisset ægritudine, cum Regibus & Principibus orbis terrarum, quæstionem illam proposuerat per honestissimos nuncios diligentiùs pertractare. Vere autem proximè subsecuto, venerabilis frater dominus *Radulphus* fœlicis memorię Bethleemita Episcopus, & Regius Cancellarius, vir liberalis & benignus admodum, diem fatalem ingressus est,
20 in capitulo Ecclesiæ suæ honorificè sepultus: post cuius obitum, dum in eadem Ecclesia de pastore substituēdo tractatus haberetur, votis dissonis deciderunt in quæstiones difficiles, quæ domini *Balduini*, successoris domini Amalrici, & filii eius, vix terminatæ sunt anno secundo; quę prædictā Ecclesiā ad multa traxerunt dispendia.

XXXIII. Eodem quoq; tempore, vix vnius mensis elapso spacio, *Noradinus* maximus hominis & fidei Christianæ persecutor, princeps tamen iustus, vafer & prouidus, & secundùm gentis suæ traditiones religiosus, regni eius anno vicesimo nono, mense Maio defunctus est. Huius defectum Rex audiens, cōfestim sine dilatione vniuersas conuocans Regni vires, vrbem obsidet *Paneadensem*. Quod audiēs prædicti vxor Principis, vires transcendens fœmineas, missā legatione ad dominum Regem, vt ab
30 obsidione discedat, eiq; pacē concedat temporalem, certā pecuniæ in multa quantitate summam promittit: quam Rex, vt ampliorem extorqueret, primā fronte visus est respuisse, obsidionem nihilominus continuans. Cumq; ibi per dies quasi quindecim, vigili operā & studio diligenti obsessos impugnasset, & tam machinis quam modis aliis, multiplices eis molestias intulisset, videns eos ad resistendum, singulis diebus animosiores, & pleniùs cognoscens quòd non proficeret, & prædictæ nobilis matronæ Legati pro pace impetranda instarent vehementiùs, susceptā pactā pecuniā, & viginti captiuis equitibus de nostro populo libertati restitutis, animo maiora concipiens, solutā obsidione reuersus est, apud familiares conquerens, quòd nō satis sanus esset, nec in bona corporis habitudine. Inde dimissis expeditionibus,
40 cum familiari comitatu *Tyberiadem* peruenit, vbi dysenteriā cœpit periculosissimè laborare. Inde morbum metuens, per *Nazareth* & *Neapolim*, eques tamen, nec ita prorsus inualidus, *Hierosolymam* ingressus est. Vbi ingrauescente valetudine, febre etiā cœpit vehemētissimè laborare, cessante physicorū artificio, dysenteriā. Cumq; per dies aliquot eā febre supra vires affligeretur, præcepit ad se accersiri medicos Græcos, Syros, & illarum nationum homines, petens instantissimè ab eis, vt aliquā decoctiunculā aluum eius soluerēt: quod cum ab eis impetrare nō posset, fecit ad se cōsequenter vocari Latinos, à quibus idipsum exigens, adiiciens etiā, vt sibi omnis rei imputaretur euentus: dederunt ergo ei decoctiunculam vnam, quā sumptā, sine difficultate assellauit aliquoties, ita vt sibi videretur quòd ei esset melius: antequam
50 tamē corpus medicinæ violentiā exhaustum, sumpto cibo posset reficere, febre solitā recurrente, in fata concessit. Mortuus est autem anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo septuagesimo tertio*, quinto Idus Iulii; regni verò duodecimo, mense quinto; ætatis verò trigesimo octauo. Sepultus est autem inter prædecessores suos, secus fratrem, in eadem linea, ante locum Caluariæ; vir prudens & discretus, & ad regni gubernacula prorsus idoneus: cuius precibus & instantiā, gesta tam prædecessorum suorum, quàm sua, scripto mandare proposuimus præsenti.

An. D. 1173.

EXPLICIT LIBER VIGESIMVS.

CAPITVLA LIBRI VIGESIMIPRIMI.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI VIGESIMIPRIMI.

INCIPIT

INCIPIT LIBER VICESIMVS PRIMVS.

CAP. I.

SEXTVS Hierosolymis Latinorum Rex fuit, dominus *Balduinus* quartus, domini *Amalrici*, illustris memoriæ Regis, de quo prædiximus, filius, ex *Agnete* Comitissa, Ioscelini iunioris Edessani Comitis filia, cuius sæpe in superioribus fecimus mentionem. Hanc, vt prædictum est, dum ad regnum auitum & iure hereditario debitum vocaretur, compellente domino *Almarico*, bonæ memoriæ, tunc Hierosolymorum Patriarchâ, domini *Fulcherii* prædecessoris sui vestigiis inhærendo, coërtione Ecclesiasticâ coactus est dimittere. Dicebantur enim, sicuti verè sic erat, proximâ consanguinitatis lineâ se contingere: sicuti diligentiùs comprehensum est à nobis, dum de regno domini *Amalrici* in ordine tractaremus. Hunc, puerum adhuc, annorum circiter nouē, dum nos Archidiaconatum administraremus Tyrēsem, pater multùm pro eius eruditione sollicitus, multis precibus, & sub obtentu gratiæ suæ, nobis erudiendum tradidit, & liberalibus studiis imbuendum. Dumq; apud nos esset, & ei vigilem curam, & quantam regio puero conuenit, tum in morum disciplina, tum literarum studio sollicitudinem impenderemus, accidit, quòd colludentibus pueris nobilium qui secum erant: & se inuicem, vt mos est pueris lasciuientibus, vnguibus per manus & brachia vellicātibus, alii sensum doloris clamoribus significabant; ipse autem quasi doloris expers patienter nimis, quamuis ei coætanei eius non parcerent, supportabat. Hoc autem cùm semel & sæpiùs accidisset, mihiq; nunciatum esset, credidi priùs, de virtute patientiæ, & non ex insensibilitatis vitio procedere: vocansque eum, percunctari cœpi, quidnam esset: tandemque comperi brachium eius dexterum manumq; eandem, pro parte dimidia, obstupuisse, ita vt penitus vellicationes, aut etiam morsus non sentiret. Dubitare cœpi, reputans mecum illud Sapientis verbum: *Certum est à salute plurimùm abstinere membrum quod obstupuit; & ægrum se non sentientem, periculosius laborare.* Nūciatum est hoc patri; consultisq; medicis, crebris fomentis, vnctionibus, pharmacis etiam, vt ei subueniretur, diligenter, sed frustra, procuratum est. Erat enim, vt processu temporis, ipso rerum experimento postea pleniùs cognouimus, amplioris & penitus incurabilis doloris initium, quod præmittebatur: quodq; siccis oculis dicere non possumus, cùm ad pubertatis annos cœpit exurgere, morbo elephantioso visus est periculosissimè laborare: quo per dies singulos ingrauescente nimiùm, extremitatibus maximè læsis, & facie, fidelium suorum corda, quoties eum intuebantur, compassionis affectu molestabat. Proficiebat tamen in studio literarum; singulisq; diebus magis & magis, bonæ spei & amplectendæ indolis succrescebat. Erat autem iuxta illius conditionem ætatis, formâ venustâ, & præter morem maiorum suorum, equis admittendis regendisq; aptissimus; memoriæ tenacis, & confabulationum amator; parcus tamen; sed & beneficiorum pariter & iniuriarum valde recolens: patri per omnia, nō solùm facie, verùm toto corpore, incessu quoque & verborum modificatione similis: ingenii velocis, sed verbi impeditioris: historiarū more patris auidus auditor, & salubribus monitis valde obtemperans.

II.

Hic defuncto patre, vix erat annorum tredecim, habens sororem *Sibyllam* nomine, natu se priorem, ex eadem matre, quæ in claustro sancti Lazari in Bethania, apud dominam *Iuetam*, eiusdem loci Abbatissam, patris eius materteram, nutriebatur. Defuncto igitur patre, conuenientibus in vnum vniuersis Regni Principibus, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, consonante omniū desiderio, in Ecclesia Dominici Sepulchri solemniter & ex more, à domino *Amalrico*, bonæ memoriæ, Hierosolymorum Patriarcha, cum ministrātibus Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ecclesiarum Prelatis, Idibus Iulii, quartâ die post patris obitum, inunctus est & coronatus: præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ domino *Alexandro*, Papâ tertio; sanctæ verò Antiochenæ Ecclesiæ, domino *Aimerico*, Hierosolymitanæ domino *Amalrico*, Tyrensi verò domino *Frederico*: Imperante apud Constantinopolim, inclytæ recordationis & piæ memoriæ domino *Manuele*; apud Romanos domino *Frederico*, apud Francos domino *Ludouico*, in Anglia domino *Henrico Gaufredi* Comitis

Andegauicensium filio; in Sicilia verò domino *Wilelmo* secundo, domini item *Wilelmi* senioris filio: Antiochiæ autem præerat dominus *Boamundus*, *Raimundi* principis filius; Tripoli verò, dominus *Raimundus* iunior, senioris *Raimundi* Comitis filius.

III. Huius domini *Balduini*, anno primo, circa Augusti initium, ducentarũ nauium classis à domino Wilelmo Siculorum rege, ad impugnandam *Alexandriam* missa, honestas tam peditum quàm equitum copias deferens, descendit in Ægyptum. Vbi dum eius procuratores & primicerii incautiùs se habent, amissis ex vtroque ordine quampluribus, tam captiuatis quàm peremptis gladio, per moram quinq; aut sex dierum, quam circa vrbem fecerant, cõfusi recesserunt. In Regno verò nostro, procurãte *Milone de Planci* Regni negocia, obortæ sunt graues inimicitiæ, inter eum & quosdã Regni Principes: inuidebãt enim, & anxiè mouebãtur, quòd ipsis ignorantibus, nec vocatis, ipse solus, nimiùm de se præsumens, spretis aliis, Regi semper assisteret; & cęteris à Regia familiaritate seclusis, eis inconsultis, Regni negotia procuraret. Interea *Comes Tripolitanus*, ad dominum Regem accedens, apud Principes, qui tunc fortè aderant, Regni procurationem petit, allegans domini Regis adhuc infra pubertatis annos degentis, tutelam legitimam, iure agnationis sibi deberi. Et hanc multiplici ratione sibi dicebat competere, *tũ quia consanguineorum suorũ omnium erat proximus; tum quia ditißimus & potentißimus erat omnium Regis fidelium: tertiam quoq; annectebat rationem validißimam, quòd dum ipse captus fuisset, ex ipso carcere, fidelibus suis, sub obtentu fidelitatis, praecepit, quatenus domino Regi* Amalrico *patri huius, vniuersam terram suam, arces & castella traderent; & eius mandatis & omnimodæ ditioni supponerent vniuersa:* Hoc adiiciens etiam, in calce verborum, quòd *si eum humanitus in carcere vitam finire contingeret, prædictum dominum Regem, quia consanguineorum suorum omnium esset proximus, ex asse constituerat heredem.* Pro iis omnibus, hanc sibi rependi vicissitudinem magis honoris gratiâ, quàm spe futuræ alicuius vtilitatis, postulabat. Dilata est ad has domini Comitis allegationes responsio, eo prætextu, quòd paucos haberet dominus Rex de Regni maioribus secum, quorum consilio in præsenti vteretur: Promisit tamen, quòd tempore opportuno eos citiùs & generaliùs conuocaret; habitoq; eorum consilio, congruum, auxiliante Domino, super his omnibus daret responsum. His ita gestis, Comes ad sua se contulit: fauebat autem Comiti populus penè omnis; de Baronibus verò *Henfredus de Torono*, Regius Constabularius, *Balduinus* Ramatensis, *Balianus* frater eius, *Rainaldus* Sydoniensis; Episcopi verò omnes.

IV. Prædictus verò *Milo de Planci*, vnde prædiximus, nobilis homo erat de Campania vltramontana, de terra *Henrici* Comitis Trecensis; fueratque domino *Amalrico* Regi nimiùm familiaris, & consanguineus, ita vt regni sui eum Senescalcum constitueret: tandem mortuo *Henfredo* iuniore, senioris *Henfredi* filio, *Stephaniam* eius viduam, *Philippi Neapolitani* filiam, vxorem ei dedit. Erat autem ex parte vxoris dominus *Syriæ Sobal*, illius videlicet regionis quæ est trans Iordanem, quæ vulgò dicitur *Montis regalis*. Susceperat tamen ex priore marito sobolem geminam prædicta vidua, filium videlicet & filiam. Hic, vt prædiximus, confisus de nimia familiaritate, quam apud dominum Regem huius patrem habuerat, Regni Principes, etiã se maiores, despectui habebat. Erat autem homo incircumspectus, superbus quoque & arrogans, verborum inutilium prodigus, & de se plus æquo præsumens. Hic vt videretur aliorum quodammodo lenire inuidiam, arte quadã, sed nimiùm manifestã, ad colorem quæsitum, alium quendam *Roardum* nomine, arcis Hierosolymitanæ custodem, gregarium hominem & minus sufficientem, subornauerat, tanquam is præesset; Milo verò obsequeretur eius mandatis. Erat autem versã vice: vnus, nomen magis splendidum quàm solidum gestabat; ille autem sub hoc colore, de Regni negotiis pro sua voluntate tractabat. Dum ergo incautè se gerit, dum imprudentiùs loquitur, & omnia Regni negotia, inuitis aliis, ad suam reuocat sollicitudinem, omnia disponit, omnia pro arbitrio dispensat, conflato aduersus eum odio pertinaci, subornati sunt quidam, qui vitæ eius insidias molirentur: quod cùm ei nunciatum esset, quasi friuolum pro nihilo duxit. Dumque more solito incautè se habens, in Acconensi ciuitate moram faceret, circa primum noctis crepusculum, in via publica gladiis confossus, turpiter & ignominiosè tractatus, interiit. Porrò de eius nece variæ sententiæ ferebantur in populo, dicentibus aliis, quia pro sua fidelitate, quam domino Regi deuotus exhibebat, hoc ei acciderat; aliis è contra, quòd

quòd sibi Regnum occultè parabat, missis nunciis ad amicos & notos suos in Franciam, vt ad eum properarent, quorum suffragiis Regnum sibi videbatur posse obtinere. Nobis autem neutrum horum pro certo compertum est. Notorium tamen erat, *Balianum* Ioppensem *Roardi* prædicti fratrem, ad partes transmontanas missum, cum Regiis epistolis & muneribus, cuius indies præstolabatur aduentum. Per idē tempus eodem mense, dominus *Fredericus* Tyrensis Archiepiscopus, prædecessor noster, vir secundùm carnem nobilis admodum, cuius suprà fecimus mentionem, dum apud Neapolim ægritudine aliquandiu esset grauissimâ detentus, tertio Kal. Nouembr. viam vniuersæ carnis ingressus est. Cuius funus cum decentibus exe-
10 quiis & debita honorificentia Hierosolymā delatum est, & in capitulo Templi Domini, vnde priùs Canonicus fuerat regularis, sepultum est. Eodem quoque tempore, conuocatis Regni Principibus & Ecclesiarum Prælatis, dum Rex esset Hierosolymis, *Comes Tripolitanus* iterum rediit, auditurus super petitionibus suis de obtinenda Regni procuratione, quas porrexerat priùs, responsum. Iteratoque verbo, dum eisdem insisteret, habitâ Rex per continuum biduum deliberatione, nouissimè de communi omnium coniuentia, in capitulo Dominici Sepulchri tradita est ei vniuersa Regni, post dominum Regem, populo acclamante, procuratio & potestas. Et quoniam de Comite nobis sermo, rerum serie sic exigente se obtulit, dignum est vt de eo quæ pro certo comperimus, posteris memoriæ mandemus:
20 non quòd panegyricos propositum sit scribere, sed vt quantum compendiosæ historiæ sermo patitur succinctus, quis qualisque fuerit edoceamus. Hic de quo nobis sermo est, *Raimundus* Comes, à domino seniore *Raimundo*, sementiuam traxit carnis originem: qui in exercitu Domini, cuius operâ & studio & laboribus, Regnum Orientale CHRISTI seruitio restitutum est, tantus Princeps fuit, quemadmodum superiùs diligenter edocuimus, dum de primis Principibus, qui in prima expeditione venerant, tractaremus. Prædictus igitur dominus Comes senior *Raimundus*, bonæ memoriæ, filium habuit *Bertrannum* nomine, qui post mortem patris, & *Guilelmi Iordani* necem, qui prædicti Comitis nepos erat, Tripolitanum obtinuit Comitatum. Hic filium habuit *Pontium* nomine, qui eundem Comita-
30 tum post mortem patris hereditario iure possedit, qui *Ceciliam* Philippi Regis Francorum filiam, *Tancredi* viduam, duxit vxorem: ex qua suscepit filium *Raimundum* nomine, qui eidem in Comitatu successit. Hic *Hodiernam* domini *Balduini* Hierosolymorum Regis secundi filiam, duxit vxorem, ex quibus iste *Raimundus*, de quo nobis in præsenti est sermo, natus est: qui patri in porta vrbis Tripolitanæ, ab Assissinis repentinis inuasionibus occiso, in eodem Comitatu successit. Erat ergo prædictus Comes domini *Amalrici*, & domini *Balduini* Regum, ex parte matris, consobrinus: erant enim duarum sororum filii: Ex parte patris erat vno gradu inferior: eius namque auia, mater patris, videlicet, *Cecilia*, de qua prædiximus, soror fuit domini Regis *Fulconis*, patris dominorum *Balduini* & *Amalrici* Regum, ex eadem ma-
40 tre, non ex eodem patre. Nam vtriusque mater, soror domini *Amalrici de Muntfort*, *Fulconi* seniori Andegauensium Comiti in vxorem tradita fuit: quæ postmodum *Fulcone* iuniore iam edito, maritum deserens, ad Francorum Regem, dominum *Philippum*, se conferens, hanc *Ceciliam* cum quibusdam aliis filiis edidit. Rex autem nihilominus Reginam vxorem suam legitimam, vnde iam *Ludouicum* & *Constantiam* susceperat, contra legem Ecclesiasticam amore prædictæ Comitissæ infatuatus, expulerat. Ita ergo ex vtroque parente, vinculis consanguinitatis sibi inuicem erant connexi, dominus Comes, & prædicti Reges duo. Erat autem prædictus Comes vir carne tenuis, submacilentus, staturâ modestè procerus, facie aquilus, capillo plano mediocriter fusco, acutis luminibus, erectus humeris, men-
50 te compositus, prouidus multùm, & in actibus suis strenuus, cibo & potu quasi supra hominem sobrius, alienis munificus, suis verò non ita affabilis admodum; &, quod in hostium vinculis summo labore collegerat, literatus modicè, sed magis tamē naturali mentis viuacitate, scripturarum intelligentiam, more domini *Amalrici* Regis, nitebatur apprehendere. Frequens in quæstionibus, si præsentem haberet quem ad earum solutionem arbitraretur sufficere. Is eodem anno quo Regni procurationem suscepit, dominam *Eschiuam*, domini *Galterii* principis Galileç viduam, locupletem valde, filiis fœcundam ex priore marito, duxit vxorem: sed postquam

PPPP 2

V.

ad eum peruenit, caussâ occultâ parere desiit: quam cum filiis ita tenerè dicitur diligere, tanquam ei vniuersos illos peperisset. Verùm decursâ breuiter hac digressione, ad historiæ seriem redeamus. Per idem tempus, quia præcedente æstate dominus *Radulphus* bonæ memoriæ, Bethleemita Episcopus, regni Cancellarius, ex hac luce migrauerat, vt esset qui regiarum epistolarum curam haberet, de consilio principum suorum, nos ad prædictum vocauit officium, & *Cancellarii* nobis tradidit dignitatem.

VI. Eodem anno *Salahadinus Negemendi* filius, *Syraconi* ex fratre nepos, qui patruo suo Syracono in Ægypti regno successerat, vocantibus occultè eum Damascenis optimatibus, legitimo eorum domino *Mehele Salah*, filio videlicet *Noradini* adhuc impubere, apud Halapiam commorante, commissâ Ægypti curâ cuidam fratri suo *Seifedin* nomine, vt regnum Damascenorum occuparet, per vastitatem solitudinis in Syriam festinans, *Damascum* peruenit. Vnde non post multos dies, ciuitate, tradentibus ciuibus, receptâ, versus Cœlesyriam properat, sperans quòd omnes illius vrbes in suam, sine bello, ditionem reciperet: nec spe frustratus est. Nam intra modicum tempus, tradentibus locorum incolis, & vltrò reserantibus aditus, contra fidelitatem domini sui, cuius seruus fuerat, omnes illius prouinciæ vrbes recepit; *Heliopolim* Græcè videlicet, quæ hodie *Malbec* dicitur, Arabicè dictam *Baalbeth*: *Emissam*, quæ vulgò *Camela* dicitur; *Hamam*; *Cæsar*, quæ vulgò dicitur *Cæsarea magna*. Præsumebat autem præterea *Halapiam*, & ipsum puerum, per quorundam proditorum operam sibi tradi: sed illud casu quodam impeditum est. Nam dum hæc in partibus illis aguntur, dominus Rex, communicato cõsilio, quid in tam subito euentu, & in tanta rerum permutatione opus esset facto, dum diù cũ Principibus suis deliberat, placuit demum vniuersis, quòd dominus Comes cum exercitu tam de Regno quàm de suo Comitatu, ad partes Cœlesyriæ quantociùs properet. Additur etiam in mandatis, quatinus omni conamine profectibus Salahadini contrarium se obiiciat: & meritò. Suspectum enim nobis erat omne eius incrementum, & quicquid ei accedebat, nobis totum decedere videbatur. Erat enim vir consilio prouidus, armis strenuus, supra modum liberalis; in quo prudentioribus nostris maximè erat suspectus. *Nam nullo alio hodie visco subiectorum, & etiam quorumlibet aliorum hominum corda magis solent Principibus conciliari, nihilq́ alienos animos magis obligat, quàm munificentia, maximè principalis.* Suspectus ergo nimirum nobis erat, ne geminatis possessionibus, duplicato cum viribus imperio, acrior in nos insurgeret, & fatigaret vehementiùs. Quod tamen euacuatis nostris moliminibus, & frustra cohibere volentibus, lachrymosis hodie inspicimus oculis; quòd tantus terrâ mariq́ue in nos insurgit; quòd, nisi nos misericorditer visitauerit *Oriens ex alto*, nulla sit spes resistendi. *Tutius sanè videbatur puero, adhuc infra annos constituto, ministrare subsidium; non vt gratiâ eius, aliquid humanitatis videretur ei præstandum; sed vt suspectiori æmulo nutriretur aduersarius, quo remorante eius proposita, in nos fierent eius impetus infirmiores.*

VII. Libet paulisper ab historiæ textu, non euagandi inutiliter gratiâ, sed vt inferatur aliquid non absque fructu, discedere. Solet quæri, & verè meritò quærendum videtur, *quid causæ sit, quòd patres nostri in numero pauciore maiores hostium copias in conflictu sæpe sustinuerunt fortiùs; & frequentiùs, propriâ Diuinitate, in manu modica maiores eorum cuneos & innumeram plerunque multitudinem contriuerunt: ita etiam, quòd ipsum nomen Christianum, gentibus DEVM ignorantibus, esset formidini, & in operibus patrum nostrorum glorificaretur Dominus. Nostri autem temporis homines, versâ vice, à paucioribus sæpius deuicti; & cum pluribus nonnunquam aduersus pauciores frustra aliquid tentasse, & succubuisse aliquoties reperiuntur.* Considerantibus ergo nobis, & statum nostrum diligenter discutientibus, prima occurrit causa, in DEVM auctorem respiciẽs; quòd pro patribus nostris, qui fuerunt viri religiosi, & timentes DEVM, nati sunt filii perditissimi, filii scelerati, fidei Christianæ præuaricatores, passim & sine delectu per omnia currentes illicita: tales aut talibus peiores, qui dixerunt Domino DEO suo, *Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus*: quibus meritò, peccatis eorũ exigentibus, gratiam subtrahat Dominus, tanquã ad iracundiã prouocatus. Tales sunt præsentis seculi, & maximè Orientalis tractus homines: quorũ mores, imò vitiorum monstra, si quis diligentiori stilo prosequi tentet, materiæ immẽsitate succumbat, & potiùs Satyram mouere videatur, quàm historiã texere. Secunda nobis causa ex latere occurrit; quòd tempore præterito, cùm illi viri venerabiles, zelo ducti diuino, ardore fidei interiùs

Iob. 21, 14.

incertiùs succensi, primùm ad Orientales partes descenderunt, erant bellicis assueti disciplinis, prœliis exercitati, vsum habentes armorũ familiarem. Populus verò Orientalis è contrario, longâ pace dissolutus, rei militaris expers, inexercitatus legibus præliorum, vacatione gaudebat. Vnde nõ erat admiratione dignum, si pauci plures sustinerent leuiùs, aut eis deuictis in bellicis euentibus meliorem calculum, & cum palma victoriam reportarent. In talibus enim (vt meliùs me norunt, qui sensus circa talia habent pleniùs exercitatos) *experientia vsu comparata longæuo & continuo, aduersus indoctas vires & carentes industriâ, solet sæpiùs obtinere.* Tertia quoque causa non inferior, nec minus efficax, iterum nobis se ingerit; quòd priscis temporibus singulæ penè ciuitates dominos habebant diuersos, vt more Aristotelis nostri loquamur; non subalternatim positos qui rarò, paribus; frequentiùs, contrariis studiis agebantur. Contra quos diuersa sapientes, vel sæpiùs aduersa; sibique suspectos inuicem, minore periculo decertabatur: quippe qui nec ad communes iniurias propulsandas facilè possent aut vellent conuenire; nec in nostram leuiter perniciem armarentur, qui suos nimirum non minus quàm nostros formidini haberent. At nunc omnia regna nobis contermina, in vnius potestatem, Domino ita sustinente, redacta sunt: nam proximè præteritis temporibus, vir immanissimus, & nomen Christianum abhorrens, quasi pestem aliquam, *Sanguinus*, huius qui nuper obiit *Noradini* pater, post alia quæ violenter occupauit regna, nostrâ memoriâ nobilem & egregiam Medorum metropolim *Rages*, alio nomine *Edessam* dictam, fidelibus qui in ea erant, neci datis, cum omnibus finibus suis occupauit violenter. Item *Noradinus* eius filius, expulso Damascenorum rege, magis fraude suorum quàm viribus propriis, regnum illius sibi vendicauit, atque ad paternam adiecit hereditatem. Nouissimè idem *Noradinus* per ministerium & industriam *Siraconi*, regnum Ægypti antiquissimum, & opulentum nimis, sibi mancipauit: sicut superiùs, dum de regno domini *Amalrici* tractaremus, latiùs disseruimus. Sic ergo vt diximus omnia vicina nobis regna, vnius parent imperio, vnius nutibus seruiunt vel inuiti, ad vnius vocem, quasi vir vnus, in nostram armantur læsionem: non est qui dispari rapiatur studio; non est qui domini mandata impunè prætereat. Hæc sanè omnia *Salahadinus*, de quo sæpiùs mentionem fecimus, vir genere quidem humilis, extremæ conditionis homo, secundâ nimis arridente fortunâ, possidet: ex Ægypto & finibus adiacentibus auri primi & purissimi, quod *obryzum* dicitur, inæstimabilem habens copiam; ex aliis prouinciis equitum, pugnatorum, & aurum sitientum turmas habens innumeras; quas auri habentibus copiam, facilè est satis congregare. Sed nunc ad historiam redeamus. Placuit igitur, vt præmisimus, omnibus, qui aderant, quòd huic viro tam magnifico, & ita per successus continuos ad supremum culmen acceleranti, modis omnibus resisteretur: ne cùm ampliùs posset, in nos duriùs insurgeret aduersarius. Assumptis igitur Regni Principibus, congregatisque vndique militaribus auxiliis, ad partes Tripolitanas dominus Comes festinans contendit: ibique circa fines Archenses castrametatus, in ea regionis parte quæ dicitur *Galifa*, consedit.

VIII. Dum hæc apud nos geruntur, audiens filii *Noradini* patruus, princeps maximus, & inter Orientales gentis Parthorum potentissimus, nomine *Cotobedi*, quòd fratre mortuo, *Salahadinus* spretis humanitatis legibus, immemor factus suæ conditionis & beneficiorum sibi à patre pueri collatorum ingratus, ita contra dominum suum adhuc impuberem insurrexisset, congregatâ equitum numerosâ manu, quorum maxima dicitur esse illi copia, Euphrate transmisso, contra proditores suos, nepoti opem laturus aduenit. Erat autem hic maximus princeps, dominus illius antiquissimæ & famosissimæ ciuitatis *Niniue*, quæ olim *Ionæ* Prophetæ exhortationis verbo, in cinere & cilicio dicitur egisse pœnitentiam: nunc autem mutato nomine, loco etiam non multùm longè ab illa antiquiore remota, ex residuis ædificiorum & populi restituta, *Musula* dicitur: retentâ adhuc metropoleos dignitate, in omni Assyria. Hic postquam aduenit, in campestribus circa *Halapiam* castra locauit. Salahadinus interea nihilo segniùs *Bostro* primæ Arabiæ metropoli maximâ, *Heliopoli* quoque, quæ hodie vulgò dicitur *Malbec*, spontaneâ ciuium traditione sine bello receptis, vrbem *Emissenam*, quæ dicitur *Camela*, obsederat: & absque cunctatione aliqua tradita est ei à ciuibus eiusdem vrbis pars inferior: nam in colle quodam aliquantulum edito erat ciuitatis præsidium, satis

munitum, in quod fideles prædicti pueri se contulerant, quod tamen & armis & alimentis prius satis & attentius communierant. Susceperat etiam nihilominus eiusdem prouinciæ vrbes illi conterminas, tradentibus locorum incolis, *Hamam, Cæsaream*, & regionem vniuersam, vsque ad ipsam *Halapiam*. Hi ergo qui in arce erant ciuitatis Emissenæ, missis nunciis ad Comitem Tripolitanum, & nostros qui erant in castris, vt prædiximus, expectantes vt ab alterutra parte, in tanto tumultu optatis conditionibus euocarentur, rogant, vt ad eos venire non pigritentur, pollicentes non esse absque emolumento & condigno fructu, si sibi contra huiusmodi pestilentem hominem subsidia ministrarent. Porrò domini Comitis obsides in eodem municipio seruabantur, quos pro sua redemptione & certa pecunia vsque ad sexaginta milia aureorum, *Noradino* patri pueri dum à carcere solutus egrederetur, obligauerat. Erant etiam ibidem & domini *Rainaldi* Sydoniensis, pro fratre suo *Eustachio*, obsides nonnulli. Sperantes ergo, quòd aliquo pacto eos pro spe subsidii, quod postulabant, à principe arcis, in qua erant, possent recipere, illuc celerrimè cum omni militia contendunt: vbi cùm nihil ponderis in eorum verbis reperissent: erat enim spes eis, per supradictum principem suum posse obsidionem solui: post multas tamen deliberationis varietates, in castra vnde priùs exierant, reuertuntur. *Salahadinus* interea videns, quòd nostri quasi indignati recesserant, factus inde erectior, & de eorum absentia præsumens plurimum, *Halapiæ* viciniùs approximans, exercitum prædicti Principis cœpit ad pugnam lacessere, crebrisque irritare incursionibus: quo sæpiùs instigante, commissum est cominus & grauiter inter eos. Tandem deficientibus Niniuitis, proditione suorum, vt dicitur, pecuniâ corruptorum, victoriam obtinuit *Salahadinus*. Inde *Emissam* rediens, sicut priùs ciuitatem, ita demum & ciuitatis præsidium recepit. Inde ad Comitem legationem dirigens, dominum Comitem orat, ne suis successibus se opponat, sed permittat se cum filio *Noradini*, & aliis qui in auxilium eius venerant, experiri: ne autem & hoc ipsum sine condigna retributione contemnat, obsides suos & domini *Rainaldi* gratis offert restituendos. Placuit hoc verbum domino Comiti, receptisque obsidibus, prout pactis fuerat insertum, cæteris quoque nobilibus qui in eadem expeditione erant, non sine decenti munificẽtia dimissis, solutis castris, ad propria remearunt. Dicebatur horum omnium verborum dominus *Henfredus de Torono*, regius Constabularius, mediator fuisse, qui prædicto *Salahadino* nimiæ familiaritatis affectu deuinctus arguebatur. Factum est igitur contra propositum nostrum, *vt cui penitus fuerat obuiandum, ne contra nos factus potentior, solito vehementiùs insolesceret, eidem fauor noster accederet; & de nobis auderet sperare, qui in nostrum continuè ampliabatur detrimentum.* Egressi itaque à nobis circa Kal. Ianuarias, Kal. iterum Maii domum reuersi sunt.

IX. Iisdem diebus dominus *Mainardus*, bonæ memoriæ, Berythensis Episcopus, dum in vrbe Tyrensi languore correptus aliquantulum ægrotasset, morte præuentus est septimo Kal. Maii, cuius anima requiescat in pace. Eodem mense, cùm Tyrensis ecclesia septem vacasset mensibus continuis, consonante cleri & populi voto, Regis quoque, vt moris est, conueniente assensu, DEI patientiâ potiùs, quàm meritis nostris, ad regimen illius Ecclesiæ vocati sumus, & infra decem dies in Ecclesia Dominici Sepulchri, per manus domini *Amalrici* Hierosolymitani Patriarchæ, munus consecrationis, sexto Idus Iunii, auctore Domino, suscepimus, licet indigni.

X. Per idem tempus Salahadino circa partes illas arctiùs occupato, nunciatum est domino Regi, Damascenorum fines, absque militia, & sine rectore, patere satis apertè ad prædam, & ad alia incommoda sustinenda, quæ hostibus iure belli possunt inferri. Quo comperto, congregatis militaribus copiis, *Iordanem* transiens, per syluam quæ Paneadensi adiacet ciuitati, & ab ea nomen ducit, *Libanum* famosissimum promontorium habens ad læuam, agrum Damascenum attingit. Erat autem tempore messis. Discurrentes ergo nostri, & totam regionẽ obambulantes liberè, fruges siue in areis comportatas, siue solo hærentes, siue per agros manipulatim congestas, incendiis tradunt. Homines autem, præcognito eorum aduentu, ad loca munitiora cum vxoribus & paruulis se contulerant. Sicque pro arbitrio nostri regionem habentes, peruenerunt vsque *Dariam*. Is locus suburbanus est, *Damasco* conterminus, vix ab ea distans miliaribus quatuor: inde etiam *Bedegene*, qui locus ad radicem Libani situs, perspicuas emanat aquas, vnde *domus voluptatis* dicitur, perueniunt.

uenientes & inuitis, & multùm renitentibus incolis, occupant locum violenter: spoliis inde ditati, prædam & manubias secum trahentes, cernētibus nec contradicere valentibus Damascenis, sani & incolumes post dies aliquot domum reuersi sunt. Per idem tempus dominus *Hernesius* bonæ memoriæ, Cæsariensis Archiepiscopus defunctus est: inque loco eius, dominus *Eracleus* Hierosolymitanus Archidiaconus electus & consecratus est. Anno secundo regni domini *Balduini* quarti, *Salahadino* adhuc circa partes Halapię negotiis occupato, mense Augusto, primâ die mensis, conuocatis Regni Magnatibus & collectâ militiâ, iterum dominus Rex hostium fines ingreditur, pertransiensque agrum Sydoniensem, & montana, quæ media sunt inter nostros & hostium terminos conscendens, peruenit ad locum bonis temporalibus commodum penè omnibus, glebâ vberem, fontibus irriguum, cui nomen *Messaara*: inde in vallem quæ dicitur *Bacar*, descendens, terram reperit, vt legitur, lacte & melle manantem. Hanc regionem existimant quidam dictam fuisse olim *Ituream*, cuius in Euangelio *Lucæ*, *Philippus* Herodis senioris filius, tetrarcha dicitur, simul & Traconitidis regionis; antiquiùs autem, videlicet tempore Regum Israël, *saltum Libani* nuncupatam, eò quòd ad radices Libani porrecta distenditur vallis opimo solo, aquis salubribus, populorum numerositate, suburbanorum frequentiâ, & aëris gratâ temperie commendabilis. In huius partibus submissioribus ciuitas ostenditur vsque hodie validis mœnibus circumsepta, multa prætendens nobilitatis pristinis in ædificiis argumenta, cui nomen est modernum *Amegarra*. Hanc quidam antiquitatis perscrutatores, arbitrantur esse *Palmaream*, nobilē quondam in Phœnice coloniam: cuius memoriam facit *Vlpianus* Tyrius in *Digesto nouo*, titulo 10. *de Censibus*. Huc peruenientes nostri, cœperunt omnē regionem liberè, nemine contradicente, perlustrare, incendiisque vastare vniuersa: incolæ autem regionis ad montes confugerant, ad quos non erat facilè iter nostris peruium: greges verò & armenta pro maxima parte in paludibus, quæ erant in vallis medio, vbi pascua erant vberrima, aduentu nostrorū præcognito, collocauerant. Interea Comes Tripolitanus, ex condicto per agrum Bibliensem, iuxta castrum quod *Manethera* dicitur, subitò in fines Heliopolitanos ingressus, in eadem valle, cum suis, cūcta incēdiis cremare nunciatur. Quod audientes nostri, obuiam illis properātes, illi quoque nihilo minus occurrere nobis optātes, cōuenerunt quasi in vallis medio: quod audiens *Semsedolus* Salahadini frater, qui Damasci residebat procurator, congregatâ militiâ, locorum etiam incolis conuenientibus, resistere tentat, acies instruit, nostris obuiam ire parat. Nostri quoque ordinatis agminibus, animo proniore occurrunt: decertatur vtrinque viriliter: sed diuinitate propitiâ multis interfectis, captis innumeris, hostis in fugam versus est. *Semsedolus* cum paucis euadens, ad montis ardua se contulit. Nostri verò hostilibus onusti spoliis, cum armentis & præda maximâ redeunt: paucis tamē, imprudenter, qui paludes pręliandi gratiâ fuerant ingressi, dum vias ignorant, & nostrorum ita subitū non opinantur regressum, amissis. Reuersus ergo dominus Rex, & sui, cum omni sospitate, trahentes boum armenta, ouiumque greges & supellectilem omnimodam, victoriæ argumenta & felicitatis insignia, Tyrum auctore Domino peruenerunt. Comes quoque Tripolitanus, eodem quo venerat itinere, secum etiam prædam referens innumeram, ad propria feliciter cum suis omnibus se contulit. Eodem anno dominus *Rainaldus de Castellione*, qui domino Raimundo Principi Antiocheno, in eodem Principatu successerat, vxorem eius, *Constantiam* nomine, ducēs, post multos annos captiuitatis suæ, quam apud Halapiam duram nimis passus fuerat, interuenientibus amicis suis, & multæ quantitatis pro eo numeratâ pecuniâ, libertati restitutus; simulque cum eo *Ioscelinus*, Ioscelini Comitis Edessani filius, domini Regis auunculus, studio & industriâ *Agnetis* Comitissæ, vxoris *Rainaldi Sydoniensis*, sororis suæ, matris videlicet Regis, ereptus à vinculis, in pristinam libertatem se recepit. Eodem anno, mense Maio, secundâ mensis die, per nostrum ministerium, in ecclesia Tyrensi, munus consecrationis susceperunt, dominus *Odo* Sydoniensis electus, qui eiusdem ecclesiæ Tyrensis fuerat præcentor, & dominus *Rainaldus*, Berythensis electus.

Eodem quoque tempore dominus *Manuel* Imperator Constantinopolitanus, illustris memoriæ & amplectendæ in CHRISTO recordationis, cuius beneficia & liberalitatem eximiam vniuersus penè sensit mundus, dum contra immanissimam

Turcorum gentem, & impium eorum ducem, *Iconii Soldanum*, pro amplando Christiano nomine, pietatis commendabili motu decertat, peccatis nostris exigentibus, suorum stragem infinitam, & copiarum Imperialium, quas secum supra hominum etiam opinionem trahebat, enormia circa Iconium passus est dispendia: vbi etiam de consanguineis eius, viri illustres, & inclytâ recordatione digni, in acie occubuerunt: inter quos & *Ioannes Protosenasto*, eiusdem domini Imperatoris ex fratre nepos, vir egregiæ liberalitatis & memorandæ magnificentiæ, cuius filiam *Mariam* dominus *Amalricus* vxorem duxerat, dum strenuè resistit hostibus, multis confossus vulneribus interiit. Ipse tamen ex plurima parte receptis exercitibus, sed sinistro casu, mente supra modum consternatus, in suos fines corpore incolumis se recepit. Dicitur autem suorum ducum qui præibant agmina, magis imprudentiâ, quàm hostium viribus id accidisse. Nam cùm patentes amplæque viæ, ad producendas acies, & sarcinarum moles commodiùs trahendas, & impedimentorum omne genus subuehendum, quod & numerum excedere dicebatur & mensuram, non deessent, incautè nimis in periculosas locorum angustias præcipites se dederunt, vbi nec hostibus, qui loca eadē iam occupauerāt, dabatur resistere; nec referendi vices copia ministrabatur. Ab ea die, huius tam sinistri casu prædictus dominus Imperator, adeò menti perhennem dicitur impressisse memoriam, vt de cætero nec solitâ mentis hilaritate, quâ singulariter præminebat, lætiorem se suis, id admodum postulantibus, exhiberet; nec corporis sospitate quâ plurimùm pollebat, vsque in supremum vitæ diem frueretur: ita sanè continuâ facti refricatione vrebatur, vt nec animo quies, nec menti consueta tranquillitas indulgeretur.

XIII. Tertio regni eiusdem domini *Balduini* anno, circa Octobris initium, dominus *Wilelmus* Marchio, qui cognominatus est *Longaspata*, filius Marchionis *Wilelmi* senioris de Monteferrato, vocatus à domino Rege, & vniuersis Regni Principibus, tam secularibus quàm ecclesiasticis, apud Sydonem applicuit: cui infra quadraginta dies, postquam aduenit, quoniam anno præcedente, dum ad hoc specialiter citaretur, id per manum domini Regis, & omnium Principum iuramentis corporaliter præstitis firmatum fuerat, dominus Rex sororem suam, natu se priorem, vxorem dedit: & cum ea Ioppen & Ascalonem vrbes maritimas cum pertinentiis suis, & vniuerso Comitatu, sicut prius pactis insertum fuerat, eidem contulit: inuitis tamen & palàm contradicentibus quibusdam, quorum consilio vocatus fuerat, non satis attendentibus, quoniam *varii & inconstantis hominis est, aduersus sua facta venire*. Erat autem prædictus Marchio, adolescens decenter procerus, formâ commendabilis, crine flauus; animosus viriliter; iracundus, ita vt modum excederet; liberalis plurimùm; profusus mente, & qui nihil vnquam vellet occultare propositi; talem se foris exhibens, qualem intus gerebat animum; multùm in cibo, in potu quoque maximè superfluus, non vsque tamen ad animi læsionem: armorum vsum & experientiam ab ipsa ineunte ætate pleniùs dicebatur habere: nobilis secundùm seculi dignitatem, ita vt in eo, aut nullum, aut rarissimum diceretur habere parem. Pater quippe eius domini *Philippi* Francorum Regis auunculus erat, matris eius videlicet frater: Mater verò eius, domini *Conradi*, illustris Romanorum Imperatoris soror fuerat, domini *Frederici*, qui nunc post dominum inclytæ recordationis *Conradum* patruum suum, strenuè Romanum administrat Imperium, amita: & ita vtriusque illorum illustrium Regum, pari gradu consanguineus erat præfatus Marchio. Ductâ demum vxore, cùm vix tribus mensibus cum ea fuisset corpore incolumis, decidit in ægritudinem difficilem nimis: quâ quasi mensibus duobus sine intermissione laborans, sequenti Iunio, domino quoque Rege apud eandem Ascalonam grauiter ægrotante, in fata concessit, vxore prægnante relictâ: cuius corpus Hierosolymam deuectum, in vestibulo ecclesiæ domus Hospitalis, intrantibus ad læuam, magnificè satis, per nostrum ministerium, tumulatum est. Circa id temporis *Henfredus de Torono*, regius Constabularius, dominam *Philippam*, domini *Raimundi* Antiochiæ Principis filiam, domini *Boamundi* tertii, qui nunc eundem regit Principatum, & dominæ *Mariæ* Imperatricis Constantinopoleos sororem, vxorem duxit, quam *Andronicus* domini Imperatoris consanguineus, priùs vxorem habuerat: hacque dimissâ, dominam *Theodoram*, domini Regis Balduini viduam, neptem suam impudenter nimis sed & impudicè non minus, clàm abduxit. Hic de quo

quo prædiximus, dominus *Henfredus* statim ex quo illam in domum traduxit suam, cœpit desperabiliter infirmari: illa quoque nihilo minus, languore nimio correpta, infra paucos dies vitam finiuit. Quarto anno regni eiusdem domini *Balduini* quarti, mense secundo, circa Kal. Augustales, diu expectatus *Philippus Comes Flandrensium*, apud Acconensem applicuit ciuitatem: cuius aduentu dominus Rex, qui ab Ascalona Hierosolymam, in lectica adhuc ægrotans se fecerat deferri, exhilaratus plurimum, mittens de principibus suis & ecclesiarum prælatis, multiplici fecit eum honore præuenire. Cui etiam postquam Hierosolymam peruenit, vbi adhuc Rex grauiter infirmabatur, communicato consilio vniuersorum, domini videlicet Patriarchæ, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & Priorum, Magistrorum quoque Hospitalis & Templi, & omnium Principum laicorum, obtulit ei potestatem, & liberam & generalem administrationem super Regnum vniuersum, *vt & in pace & in guerra, intus & foris, super maiores & minores plenam haberet iurisdictionē; & vt super thesauros & reditus Regni liberè exerceret arbitrium suum.* Qui habito cum suis consilio, respondit: *Quòd ipse nō venerat ad hoc, vt potestatem aliquam acciperet, sed vt seruitio se manciparet diuino, cuius gratiâ venerat: nec erat eius propositi, quòd alicui administrationi se obligaret, quin liberè posset, cùm eum sua reuocarent negotia, ad propria redire. Sed dominus Rex in regno suo procuratorem ordinaret quem vellet, & ipse, tanquam domino suo Francorum Regi, ob regni vtilitatem ei vellet obedire.* Videntes ergo quòd ita penitus, quod obtuleramus, renueret, iterum per Principes suos dominus Rex eū fecit deuotissimè rogari, vt saltem expeditionis in proximo futuræ, quā multo priùs tempore cum domino Imperatore Constantinopolitano ordinauerat, & vniuersi exercitus Christiani dux vellet esse; & prælia Domini contra Ægyptios procuraret. Ad quod verbum, sicut & ad prius respondit. Cōstituit ergo dominus Rex, sicut & priùs ante introitum Comitis fecerat, Regni & exercituum procuratorē dominum *Rainaldum*, quondam Antiochiæ Principem, virū approbatæ fidei & mirabilis constantiæ: qui si dominus Rex in propria persona venire non posset, administraret Regni negotia, cum consilio tamen domini Comitis per omnia regeretur. Cumque hoc ipsum domino Comiti nunciatum esset, respondit: *Quòd non videbatur ei talis procurator necessarius; sed talem ordinaret, cuius & belli gloria, si DEVS ita prouideret; & dedecus, si Dominus ita pateretur, esset proprium; & cui regnum Ægypti cederet, si dominus illud in nostram traderet ditionem.* Ad hoc respondimus, qui missi à Rege fueramus: *Quòd talem non posset dominus Rex constituere procuratorem, nisi eundem Regem crearet: quod neque domini Regis, neque nostri erat propositi.* His ita se habentibus, tandem aperuit euidentiùs mentis arcanum; & quò tota eius properabat intentio, non habuit occultum, dicens: *Mirum esse quòd de matrimonio consanguineæ suæ nullus eum conueniret.* Audientes hoc verbum, admirati sumus hominis malitiam, & sinistrum mentis conceptum, quòd qui tam honestè à domino Rege susceptus fuerat, contra leges consanguinitatis, hospitalitatis immemor, in supplantationem domini Regis hæc moliri attentaret.

Libet paulisper digredi, vt pleniùs auditorum sensibus ingeratur, quidnam sit, in quo prædictum Comitem, malitiosè versatum, tum ex multorum relationibus, tum etiam ex eius confessione cognouimus. Quidam potens homo, cum domino Comite peregrinationis illius comes venerat, *Aduocatus* videlicet de *Betuna*, qui duos secum traxerat filios iam adultos. Hic, vt dicitur, suffragio vsus Comitis *Wilelmi de Mandauilla*, qui cum eodem Comite, eâdem viâ venerat, dominum Comitem circumueniens, persuadere cœpit, quòd maximis sibi compendiis vti posset dominus Comes, in facto Regni: dicens se amplissimum habere patrimonium, in eius Comitatu, quod vniuersum domino Comiti hereditario iure possidendum daret, si elaboraret sæpèdictus Comes, vt duæ filiæ domini Regis *Amalrici*, apud duos filios suos nuptui locarentur. Erant autem domini *Amalrici* profectò duæ filiæ, vna quæ vxor fuerat Marchionis; altera infra annos nubiles constituta, cum domina Regina matre eius apud Neapolim degens. His ergo verbis assensum præbens Comes, pronum se dabat, vt verbum hoc effectui mandaretur. Sed nunc redeamus ad propositum. Intellecto ergo quorsum spiritus Comitis anelaret, respondimus: *Quòd domino Regi id prius oporteret nunciari; quodq; illi videretur de communi consilio respondendum, die crastinâ renunciaremus.* Facto mane, priùs tamen habito consilio, redeuntes ad Comitem, respondimus: *quòd apud nos consue-*

tudo erat, vsu approbata longæuo, quòd viduam, & maximè prægnantem, infra annum luctus non sit honestum, ad vota migrare secunda: & vix præterierant tres menses à morte mariti. *Vnde non esset nobis imputandum ad malum, si contra disciplinam temporum & regionis nostræ, de matrimonio prædictæ dominæ nullum habuerimus tractatum. Tamen vniuersis nobis gratum esse & acceptum, si cum eius, ex quo præsens erat, consilio, de verbo prædicto tractaretur: nam pro certo dominus Rex, & in hoc, & in omnibus aliis negotiis, eius semper proposuerat specialiter regi consilio, & eius quantum cum suo honore posset, deseruire voluntati. Præiret ipse in verbo, & nominaret aliquam personam, ad hoc idoneam: & nos de communi voluntate, in facto præsenti, parati eramus procedere.* Quod verbum molestè ferens, dixit: *Se id omnino non facturum, nisi priùs vniuersi Principes iurarent, quòd sine contradictione, eius starent verbo: nam hoc esset personam alicuius nobilis dehonestare, si eo nominato, repulsam pateretur.* Nos autem respondimus: *Quòd illud omninò contra domini Regis, & nostrã esset honestatem, si eius sororem personæ ignotæ, & cuius etiam nomen ignoraretur, traderemus.* Tandem cognitã Regis & Principum omnium voluntate, licet plurimùm indignans, & iratus, ab hoc verbo destitit. XVI. Erant per idem tempus Hierosolymis, domini Imperatoris nuncii, viri inclyti & eminentes, dominus *Andronicus*, qui cognominatur *Angelus*, domini Imperatoris ex sorore nepos; *Ioannes* vir magnificus, Megaltriarcha; vir nobilis *Alexander*, Comes Cupersanensis de Apulia; *Georgius Sinaites*, Imperialis aulæ familiaris. Hi ex præcepto Imperiali ad dominum Regem venerant, arbitrantes tempus esse sicut & sperabatur, vt in aduentu domini Comitis Flandrensis, pacta, quæ aliquando inter dominum Imperatorem, & dominum Regem *Amalricum* inita fuerant; postmodum inter eundem dominum Imperatorem, & dominum *Balduinum* qui in præsenti regnat, non dissimilibus conditionibus fuerant innouata, auctore domino, contraheretur ad effectum. Et ob hoc curia generalis apud eandem sacratissimam Vrbem indicta fuerat, conuenientibus in vnum vniuersis Regni Magnatibus. Erat omnibus spes vna, eaque quasi fouebat vniuersos, quòd *auxilio & consilio* prædicti Comitis & suorum Regnum DEO amabile, optatum susciperet incrementum, & de conterendis CHRISTI hostibus, diligens haberetur tractatus: cùm subitò, vt præmisimus, in sinistrum latus mutatus est Comes, & promissorum immemor, ad alia se conuertit negotia, omne spei nostræ firmamentum euacuans. Instant tamen Imperiales Apocrisarii, vt pactis staretur, allegantes, *moram solere secum periculum trahere: per eos non stare, quominus in concepto negotio procederetur: verùm se paratos asserunt, omnes pactis insertas conditiones, fideliter & largã interpretatione velle adimplere.* Nos autem audientes legatorum verba, deliberatione habitã, visum est expedire, vt domino Comiti verbum ex ordine panderetur: quo accito, & præsente, propositus fuit ei pactorum inter nos & dominum Imperatorem in scriptis fideliter tenor, eius aureã bullã munitus. Quo diligenter lecto, & intellecto pleniùs, quæsitum est ab eo, *Quid sibi videretur?* Qui respondit: *Se hominem peregrinum esse, locorum ignarum, & maximè regionis Ægypti, quæ longè ab omnibus aliis regionibus, alterius dicitur esse conditionis; quæ certis temporibus aquis irrigetur, & occupetur vniuersa. Nos autem meliùs nosse & locorum faciem, & abeundi opportunitatem: tamen se audiuisse ex eis qui frequenter in Ægyptum descenderant, tempus ad eius impugnationem non conuenire.* Adiecitque, *quòd hyems in proximo erat; Ægyptus verò aquis Nili restagnantis operiebatur. Iterum infinitam Turcorum multitudinem illuc confluxisse* audierat. Timebat prætereà, & maximè, *ne iter agentibus, aut etiam peruenientibus, alimenta deficerent, & inediæ molestiã conficeretur exercitus.* Ad hoc nos, videntes quòd caluas quæreret occasiones, ne sub hoc prætextu viam declinaret, obtulimus ei sexcentos camelos, ad victualia, arma & cætera impedimentorum genera per terras deportanda: & naues quotquot haberet necessarias ad alimẽta, siue bellicis vsibus necessarias, machinarum moles per mare deuehendas. Quibus omnibus spretis, subintulit: *Quòd omninò in Ægyptum non descenderet nobiscum; ne fortè ipse, & qui eum sequerentur, fame perire compellerentur:* adiecit etiam, *quòd ipse consueuerat, per opulentas regiones suos trahere exercitus; nec possent sui huiusmodi tolerare inopias: sed eligeremus alias partes, vbi commodiùs & faciliùs ad Christiani nominis incrementum, & exercitus ducere, & hostes CHRISTI conterere possemus: & ad hoc ipse cum suis libenter se accingeret.* XVII. Porrò nobis nec tutum erat, nec honestum à pactis discedere. Nam domini Imperatoris nuncii, præclari & nobiles viri, cum infinita pecunia præsentes erant, paratos se asserentes, vt præmisimus, con-

mus, conuentiones inter nos & dominum Imperatorem initas fideliter adimplere; habentes in portu Acconensi septuaginta galeas, exceptis aliis nauibus, ad iter & opus condictum sufficientes: item *iuramentis nostris obuiare, inhonestum nimis & periculosum videbatur.* Quòd si etiam cum assensu Imperialium nunciorum res in aliud tempus differri potuisset, præsens domini Imperatoris auxilium deserere, nō reputabamus tutum, timentes indignationem eius, quæ nobis poterat esse nimis periculosa. Igitur iuxta condictum nostrum, secundùm quod priùs conuenerat, consentientibus partibus vtrisque, iter nostrum firmauimus, ad opus nos accingētes, quod ante multò cum domino Imperatore constitueramus. Quo audito, Comes Flan-
10 drensis iterum contra nos vehementiùs cœpit inflāmari, dicens: quòd in eius contumeliam totum hoc fuerat fabricatum. Et factum est post multa, vt eius quocunq; modo satisfaceremus voluntati, quòd de communi tam nostrorum quàm Græcorum consilio, iterum expeditio dilata est, vsque per totum Aprilem sequentem. His ita gestis, dominus Comes, cùm Hierosolymis quasi per quindecim dies fuisset, cōpletis orationibus, & sumptâ palmâ, quod est apud nos consummatæ peregrinationis signum, quasi omninò recessurus, *Neapolim* abiit. Vnde post dies aliquot, ad nos misit Hierosolymam *Aduocatum de Betuna*, cum quibusdam aliis de suis hominibus: qui nobis ex parte domini Comitis nunciarunt, quòd Comes paratus erat, & hæc erat eius deliberationis summa, quocunque nobis videretur optimum, siue in Æ-
20 gyptum, siue ad alias partes nos sequi. Quo comperto, etsi nobis videretur ridiculū toties mutare sententias, & nimiæ instabilitati videretur meritò imputandum, nulli certò hærere proposito: tamen Græcos, licet inuiti conuenimus, videntes Comitis intētionem. Non enim erat eius propositi dicta cōpensare operibus: sed ad id summâ ope nitebatur, quòd nos in culpam traheret, & scribere vltramontanis Principibus posset, per nos stetisse, quo minus in negotio esset processum. Culpam ergo suā in nos retorquere volens, prædictos ad nos miserat: nullo modo sperans, quòd Græci ad nostram iterum redirent voluntatem. Conuenimus ergo Græcos, XVIII. tentantes, si vellent iterum pactis stare prioribus: & si Comes nobiscum veniret, vtrum vellent in Ægyptum descendere? Qui respondentes: *Quamuis tempus esset ar-*
30 *tum nimis, vt exercitus possent præparare suos, tamen si Comes propria manu vult iurare, quòd veniat nobiscum; & si contigerit eum, vel hic, vel in via infirmari, quòd suos mittat; & quòd in tota expeditione* bonâ fide, sine fraude, & malo ingenio, *pro Christianitatis incremento laboret: & quòd non* sit in consilio vel auxilio, *quòd pacta inter dominum Regem & dominum Imperatorem tractata & conscripta, ex aliqua parte infringantur; & idipsum homines suos iurare fecerit, licet nobis nimis durum, & contra virilē constantiam videatur, toties mutare consilia, tamē vt Regni huius DEO amabilis, & domini Imperatoris amplietur gloria, veniem⁹.* Hic, cùm suum iuramentū, *Aduocatus* & qui cū eo missi fuerāt, super dictis cōditionibus offerret: nec omnia tamē prædicta cū suo iuramēto vellent cōprehendere, nec Comitis promitteret iuramentum, noluimus ampliùs verbis inutilibus insistere: solu-
40 tum est colloquiū nostrum; sumptaq; licentiâ, Imperiales legati, negotiū sæpè dictū, vsque in tempus opportunum differētes, ad propria redierunt. Post hoc cœperunt nuncii Comitis quærere, ex quo prædicta nō posset esse in præsenti expeditio, *Quid cū auxilio Regni dominus Comes posset facere, ne omninò videretur ociosus?* Placuit tandem his quibus verbum erat hoc propositū, quòd in terram Tripolitanam aut Antiochenā proficisceretur: ibi enim videbatur quòd ad honorem suum, & Christianitatis incrementum, aliquid posset operari. Erant nonnulli, qui domino Principi Antiocheno, qui præsens erat, & domino Comiti Tripolitano imputabant, quòd Comes ita erat aduersus profectioni in Ægyptū; nitebātur enim, vt dicitur, ad suas eum partes trahere, sperantes eius auxilio aliquid adoriri, ad incrementum suarum
50 regionū respiciens: sed spe suâ frustrati sunt: quia nec apud nos, nec apud eos quippiam memoriâ dignum ei datum est diuinitus consummasse. Dignum quippe erat, vt cui Dominus suam subtraxerat gratiam, in nullo prosperaretur. Quia *superbis resistit DEVS, humilibus autem dat gratiam.* 1. Pet. 5. 5. Promisit tamen dominus Rex, se cooperatorem & adiutorem futurū: tradiditque ei illuc eunti, centum equites de suis, & peditum duo millia. Et in hoc statu erant res nostræ, circa Kal. Octobris. Assumptis ergo suis, & domino Comite Tripolitano, Magistroque domus Hospitalis & multis ex fratribus Militiæ Templi, ad partes contendit Tripolitanas. Per idem tempus do-

minus *Balianus de Ibelim*, frater domini *Balduini de Ramis*, viduam domini Regis *Amalrici*, Reginam *Mariam*, filiam *Ioannis* Protoseuasti, vnde superiùs fecimus mentionem, domino Rege id permittente, vxorem duxit: cum qua etiam Neapolitanam vrbem, quam illa possidebat nomine donationis propter nuptias, in vita vxoris habendam suscepit.

XIX. Perueniens igitur ad partes destinatas Comes, compositis ad iter necessariis, ordinatisque agminibus, cum Tripolitano Comite & suis, terras hostium ingreditur, circa *Emissenam* & *Hamam*, morem facientes aliquam, non sine hostiũ damno. *Salahadinus* enim completis pro voto in illa regione negotiis, factâ cum filio *Noradini* pro suo arbitrio pace, in Ægyptum descenderat: timens ne ille de quo prædiximus, apparatus, & diu promissa expeditio, illuc, sicut disposi- 10 tum multò ante fuerat, properaret. Traxerat ergo secum, quoscunque & vndecunque eos corrogare poterat, maximas militum copias: illuc robur cōgerens, vbi videbantur maiora emergere posse negotia. Inuenientes igitur Comes & sui, regionem viribus vacuam, liberiùs poterant euagari: municipia tamen, & ciuitatum præsidia, alimentis, armis & custodibus satis erant & sufficienter munita. Cognito verò dominus Princeps, quòd hostium fines ingressi essent, sicut ex condicto inter eos conuenerat, ipse verò aliâ viâ properans adiungit se illis. Conuenientes itaque corpore, conuenerunt & mente: idque temporibus præsentibus magis opinantes expedire, placuit vt castrum *Harenc* obsiderent. Est autem prædictus locus, in territorio Chalcidensi, quæ ciuitas hodie vulgò appellatur *Artasia*, nobilis aliquando, 20 nunc ad instar paruissimi redacta oppidi. Distat autem vterque locus ab Antiochia quasi miliaribus duodecim. Ad quem locum vbi peruentum est, locatis in gyrum castris, locum ex omni vallant parte, vt nec obsessis exitus; nec ad eos, subsidium ministrare volentibus, liber pateret introitus. Proinde machinas, & quæ ad vsus huiusmodi solent esse necessaria, construunt: & quandam quasi perpetuitatem obsidionis & propositi constantiam promittentes, casas componunt vimineas, & propter ingruentem hyemem vallis castra muniunt, ne torrentium impetu damna rerum sustineant in aliquo. Porrò ab Antiochia & suburbanis confinibus ruris incolæ, & illius professionis homines, certatim student necessariam ministrare alimoniam. Erat sæpedictum castrum filii *Noradini*, idque solum in partibus illis *Salahadinus* ei dimiserat. Vallato igitur vndique municipiô, temporibus certis, & per vi- 30 ces, more solito, oppidanis dabant assultus, & machinis ac tormentis mœnia quatientes, obsessis negabant requiem.

XX. Interea dum hæc in partibus Antiochenis geruntur, *Salahadinus* audiens, quòd Comes, & totius exercitus Christiani robur, quod ipse non sine timore vehementi in Ægypto præstolatus fuerat, ad partes se contulerat Antiochenas: arbitratus non imprudenter, quòd Regnum viribus vacuum impunè posset inuadere; & duorum alterum faciliùs obtinere, aut obsidionem ab obsesso dimouere municipio; aut hostibus illic perseuerantibus, de his qui in Regno remanserant, obtinere triumphum. Collectis igitur vndique militaribus copiis, in multitudine graui, & armis & omnibus penè quæ in bello solent v- 40 sui esse, solito instructiore, egressus de Ægypto, per vastitatem interiectæ solitudinis, maturato itinere peruenit ad vrbem antiquissimam, desertam tamen, *Laris* nomine: vbi depositâ impedimentorum parte, & sarcinarum onere subleuato, assumptis sibi qui expeditiores, & pugnandi peritiores videbantur, relictis post se oppidis nostris *Darum* & *Gaza* vrbe famosissimâ, subitò ante *Ascalonam*, præmissis quibusdam excursoribus, irruit. Dominus verò Rex, aliquot diebus ante, de aduentu eius præmonitus, id quod residuum erat in Regno militiæ, celeriter conuocans, cum suis eandem vrbem, paucis ante diebus ingressus fuerat. Aberat (vt præmisimus) Comes Tripolitanus cum centum ex nostris militibus, de multo numero electis; Magister quoque Hospitalis cum fratribus suis, & pars maxima Militiæ Tem- 50 pli: reliqua verò pars fratrum in *Gazam* se receperat, timentes ne eam, quia prima de vrbibus nostris ei occurreret, *Salahadinus* obsideret: Item *Henfredus* Regius Constabularius, ægritudine maximâ (vt diximus) laborabat. Paucos igitur secum habens dominus Rex, vt comperit, quòd per campestria nobis contermina liberè & hostiliter vagarentur & discurrerent hostes, inuocato diuino auxilio, relictis qui ciuitatem tuerentur, vrbe cum suis egreditur, tanquam cum eis pugnaturus. *Salahadinus* verò prope ciuitatem gentem suam in vnum collegerat. Egressus autem Christianus

ſtianus exercitus, inſpectâ partis aduerſæ multitudine infinitâ, qui ſenſus habebant magis exercitatos in talibus,tutiùs eſſe dicebant *in ſe ſubſiſtere, quàm dubiis belli euentibus inconſultè ſe committere.* Ita ergo vſq; ad veſperã,habitis tamẽ interdum ſingularibus conflictibus,quamuis proximæ eſſent vtrinque acies,eorum impetus ſuſtinuerunt noſtri. Adueſperaſcente autem die,periculoſum credẽtes,in tam modica manu,caſtris ſe committere illa nocte,præſertim cùm tanta eſſet hoſtium immenſitas, in ciuitatem Aſcalonam iterum prudenter ſe receperunt. Quod factum,in tantam Salahadinum cum ſuis erexit præſumptionem, vt iam non in ſe ſolidè ſubſiſteret, ſed ambularet in mirabilibus ſuper ſe; & iam quaſi victor,commilitonibus ſuis Re-
10 gni ſubiugati portiones certas deſignaret. Cœperunt ergo de cætero,quaſi pro votis obtinentes omnia,incautiùs diſcurrere, habere ſe imprudentiùs,paſſim per turmas inordinatis agminibus vagari. XXI. Nocte ergo illâ opinati ſumus, quòd ante vrbem caſtra locarent ſua, in ea regione, vbi pridie fuerant; aut vrbi viciniùs ſe conferentes, ipſam obſidione clauderent. Verùm ipſi neque ſibi neque equis requiem indulgentes, cateruatim vniuerſam perluſtrantes regionem, prout cuique impetus erat, ad diuerſa rapiebãtur. Erat autem inter eorũ ſatrapas quidam, *Iuelinus* nomine, vir bello ſtrenuus, ad quælibet tentanda pronus; vir apoſtata, qui relictâ mediatoris DEI & hominum fide, ad Gentilem impietatem deuia ſecutus, ſe contulerat,natione Armenius. Hic,cùm acie cui præerat, vſque *Ramam* vrbem in cam-
20 peſtribus ſitam peruenit; inueniensque eam vacuam, ſuccendit: diffidentes enim illius loci ciues, eò quòd non eſſet munita commodè,partim cum domino *Balduino* Rege in expeditionem apud Aſcalonam profecti fuerant; pars cum infirmiore manu, cum mulieribus & paruulis in Ioppen ſe contulerant; pars in caſtrum in montibus,ſitu munitum ſatis,cui nomen *Mirabel*,aſcenderant. Incensâ igitur vrbe,prædictus *Iuelinus Liddam*, finitimam vrbem, cum omni ſuo comitatu properat, locum partitis agminibus, ſubitò vallat in circuitu: deinde ſagittarum immiſsâ grandine, & omni armorum genere, incluſos aggreditur, & inceſſanter fatigat. Contulerat ſanè ſe populus omnis ſuper eccleſiam beati martyris Georgii. Porrò tantus noſtros inuaſerat timor, vt iam non eſſet ſpei reſiduum,niſi in fuga: nec ſolùm his qui
30 in campeſtribus habitabant, vbi tam liber hoſtium erat diſcurſus, verùm etiam & montium incolis tantus incubuerat horror, vt Ciuitatem ſanctam prope deſererent eius ciues; & de vrbis tuitione diffidentes,in arcem quę dicitur *Dauid*,reliquâ parte ciuitatis neglectâ,ſe certatim conferrent. Proceſſerant quippe excurſores vſque ad locum qui dicitur *Calcalia*, & obtexerant penè vniuerſam ſuperficiem terræ eorum præambuli; & iam etiam dimiſſis campeſtribus,ad montana conſcendere diſponebant. Hæc erat facies regionis deſolatæ, & oppreſſæ amaritudine, in die qua obtexit eam caligine Dominus in furore ſuo, ad iracundiam prouocatus: tamen *non continuit in ira ſua miſericordias ſuas, nec oblitus eſt miſereri; ſed conuerſus, conſolatus eſt nos, & appoſuit vt complacitior ſit adhuc, & ſecundùm multitudinem dolorum noſtro-* Pſal. 76. 7. & 93. 19.
40 *rum, in corde noſtro conſolationes eius lætificauerunt animas noſtras.* XXII. Nam dum hæc ita in partibus illis geruntur, dominus Rex audiens quòd fines eius longè latequè, hoſtium multitudo diffuſa penitùs occupauerat, ex *Aſcalona* cum ſuis egreditur, ac hoſtibus obuiam ire parat: *ſatiùs ducens, cum hoſtibus etiam dubio euentu præliandi fortunam tentare, quàm prædam, incendia, ſuorum ſtragem ſuſtinere.* Egrediens igitur per maritimam oram,littus quoque ſecutus, vt ſubitò & occultus poſſet inimicis occurrere, peruenit ad eum locum,vbi Salahadinus è regione erat in campeſtribus.Quò perueniens, acies omnemque apparatum bellicum, tàm equitum quàm peditum aduerſus eum dirigit: vbi adiunguntur ei fratres Militiæ Templi, qui in *Gaza* remanſerant. Inde inſtructis ordinibus militum, hoſtibus obuiam ire parant: dumque
50 proficiſcuntur vnanimes iniurias ſuas vltum iri,incendiis quæ ex omni parte intuebantur, & ſtrage ſuorum auditâ, in virilem audaciam diuinitùs accenſi,quaſi vir vnus facti, properant: cùm ecce ex aduerſo non multum diſtantia hoſtium agmina contuentur.Erat autem hora diei quaſi octaua. *Salahadinus* interea audiens noſtros ſpe pugnandi aduentare, timens quem prius videbatur optaſſe congreſſum, miſſis qui ſuos paſſim diſperſos conuocarent; clangore quoque buccinarũ, & tympanorum ſtrepitu, verbis quoque, ſicut in talibus fieri ſolet, manipulos ſuos ad conflictum animabat, & dictis vires addere nitebatur. Erat ibi cum domino Rege, *Odo*

QQQQ

de sancto Amando, magister Militiæ Templi, cum octoginta ex suis; Princeps *Rainaldus*, *Balduinus de Ramis*, & *Balianus* frater eius; *Rainaldus Sydoniensis*, Comes *Ioscelinus*, regis auunculus & Senescalcus. Omnes verò quotquot erant promiscuæ conditionis, vix trecenti septuaginta quinque inuenti sunt. Hi omnes inuocato de supernis auxilio, præuio viuificæ Crucis ligno mirabili, quod dominus *Albertus* Bethleemita episcopus gestabat in manibus, instructis ordinibus, ad dimicandum viriliter se accingebāt. At verò interea ad hostium cuneos, qui longiùs prædas secuti, & procurantes incendia discesserant, certatim ex diuersis partibus addebantur, fiebatq; maior numerus: ita quòd nisi *Dominus, qui non derelinquit sperantes in se*, nostros interiore quadam inspiratione clementiùs erigeret, omninò non solùm de victoria, sed & de salute & de libertate desperare cogerentur. Ordināt & ipsi nihilominus acies suas, & iuxta militarem disciplinam agmina digerunt, disponentes qui primi aggrediantur, & qui eis sint subsidio.

XXIII. Interea accedentibus hincinde gradatim bellatorum ordinibus, commissum est prælium, priùs casu dubio, sed viribus longè imparibus; postmodum nostris animosiùs insistentibus, infusâ cœlitùs gratiâ, quæ eos solito redderet fortiores, confractis eorum legionibus, post multam stragem hostes in fugam vertunt. Quis autem esset hostium numerus, inuestiganti mihi & quærenti diligentiùs, veridicâ multorū relatione innotuit, quòd viginti sex millia equitum expeditorum: exceptis iis qui summariis insidebant, & camelis; intra fines nostros immiserat; ex quibus erant octo millia egregiorum, quos ipsi linguâ suâ *Toassin* vocant: reliqua verò decem & octo millia erant gregariorum, quos ipsi appellant *Carnagolam*. De egregiis autem erant mille, qui omnes induti croceis super loricas examentis, *Salahadino* concolores, eidem familiariùs ad tutelam proprii corporis assistebant. Solent enim Turcorum satrapæ, & maiores Principes, quos ipsi linguâ Arabicâ vocant *Emyr*, adolescentes, siue ex ancillis natos, siue emptos, siue capta in præliis mancipia studiosè alere, disciplinâ militari instruere diligenter; adultis autem, prout cuiusque exigit meritum, dare stipendia, & largas etiam possessiones conferre: In dubiis autem bellorum euentibus, proprii conseruandi corporis solent his curam committere, & de obtinenda victoria spem habere nō modicam: hos linguâ suâ vocant *Mameluc*. Hi assistentes domino suo perseueranter, vnanimiter ab eo nitebantur propulsare iniurias, & vsque ad mortem non destituere. Hi sanè in conflictu perseuerantes, quoadusq; fugeret dominus eorum, vnanimiter perstiterunt: vnde contigit, quòd cæteris fugâ clapsis, hi penè omnes occumberent. Cōuersis itaq; hostibus in fugā, insecuti sunt nostri, vsq; dum inclinatâ iam die nox irrueret: ab eo loco, qui dicitur *Mons Gisardi*, vsque ad paludem illam, quæ vulgò dicitur *Caunetum Esturnellorum*. Toto autem illo fugæ tempore & spacio, nō desiit hostium strages fieri continua, per duodecim vel amplius milliaria: nec de omni numero superfuissent aliqui, nisi nox importunè irruens, persequentiū gladiis eripuisset. Vt autem expeditiùs possent fugiendo saluti consulere, abiectis armis & vestibus, sarcinis expositis, relictis infirmioribus, qui fortiores erant, & equorum velocium sessores, fugiendo pro viribus, beneficio noctis imminētis, neci subtracti sunt: alii autem omnes aut capti, aut gladiis interempti, grauiores exitus sunt consecuti. De nostris autem in primo conflictu quatuor aut quinque occubuerunt equites; pedites autem ad certum, quem nos ignoramus numerum. Peruenientes autem, qui fugâ fuerant elapsi, vsque ad prædictam paludem, si quid residuum erat oneris, loricas videlicet & caligas ferreas, in carectum aquæ, & in ipsam aquam proiecerunt interiùs, vt & ipsi expeditiùs incederent, & arma in aquis proiecta, nostris nullo tempore possent esse aut vsui, aut victoriæ signo. Quorum tamen vtrunque nostri postea sunt pleniùs assecuti: nam inhærentes eorum vestigiis, & nocte instante, & sequenti die, & prædictum arundinetum diligentiùs perscrutantes, paludē quoque ipsam contis & vncis percunctātes, quicquid illi occultauerant, celeriùs repererunt. Audiuimus à quibusdam fide dignis, quòd centum inde viderant vnâ die loricas extrahi, exceptis galeis & ocreis ferreis, & minoris ponderis rebus, vtilibus tamen & preciosis. Collatum autem nobis est hoc tam insigne & seculis memorabile beneficium, diuinitùs, anno domini *Balduini* quarti, tertio, mense Nouembre, septimo Kal. Decembris, die festo sanctorū martyrum Petri Alexādrini & Katerinæ virginis. Reuersus autem dominus Rex *Ascalonam*, exspectauit quousque suos reciperet,

ciperet, qui diuersis itineribus insecuti fuerant fugientes, quos infra dies quatuor recollegit. Videre erat redeuntes, manubiis onustos, mancipia trahentes, camelorũ armenta, equos, tentoria referentes, exultantes secundùm Prophetæ dictum: *Quasi victores captâ prædâ, quando diuidunt spolia.* Accessit & aliud, in quo manifestè innotuit præsentem esse diuinam nobis clementiam: nam sequenti die, & per decem dies continuos, tanta vis imbrium, tanta algoris præter solitum violentia incubuit, vt verè credi posset, etiam ipsa contra eos coniurasse elementa. Equos nimirum omnes amiserant, quibus per illud triduum, quo in finibus nostris moram fecerant, nec cibum, nec potum, nec vllam indulserant requiem: item indumenta, & vestium genera quælibet (vt præmisimus) omninò à se reiecerant. Accedebat ad miseriarum cumulum, quòd nec victum penitùs habentes, frigore, inediâ, viarum tædio, & laboris insueti pondere tabescebant. Reperiebantur ex eis passim aliquando plures, aliquando pauciores, in quos quamuis etiam impotens & debilis, impunè poterat pro suo arbitrio desæuire: ignari enim locorum ex eis plerique, putantes, domũ redire, nostris se vicis aut viatoribus, aut eos quærentibus offerebant. Arabes interea, infidum genus hominum, videntes quidem casum qui Turcis acciderat, ad illos properant, quos superiùs cum sarcinis apud *Laris* ciuitatem diximus relictos, quos nũciatâ suorum strage territos, in fugam vertunt: eos quoque nihilominus, qui quocunque casu nostrorũ manus euaserant, duriùs insequuntur; & qui à nobis elapsi videbantur, illis dabantur ad prædam: ita vt impletum videretur illud Propheticum: *Residuum locustæ, comedit bruchus.* Id enim moris huic generationi nequã esse dicitur, vt sub quocunque duce ingrediantur ad prælia, anceps soleant declinare certamen: & quandiu bellorum dubius est euentus, de remoto conspicere: demumque adhærere victoribus; victos verò tanquam hostes insequi, & de eorum locupletari spoliis. Igitur per dies multos de syluis, de montibus, de ipsa etiam solitudine educebantur captiui: aliquando etiam sponte nostris occurrebant, satius arbitrantes carceri & vinculis mancipari, quàm frigore & inediâ tabescere & cruciari. Interea dominus Rex prædâ, & manubiis, lege belli distributis, votiuas gratiarũ actiones pro collatis sibi à Domino beneficiis soluturus, *Hierosolymam* properauit. *Salahadinus* autem, qui cum tanta superbia, & tam multiplici equitatu ascenderat, diuinâ percussus manu, vix cum centum equitibus reuersus est; ipse quoque camelo inuectus dicitur. Intueri libet & considerare interiùs, diuini huius muneris largitatem; & quomodo in nobis exhibita nobis liberalitate, hanc vniuersam sibi voluit pius consolator gloriam vendicare. Nã si præsenti operi diuinitus procurato, Comes Flandriæ, Princeps Antiochenus, Comes Tripolitanus, & illa militiæ multitudo quæ aberat, interfuisset, more imprudentum, & qui solet in prosperis irrepere fastus, etsi non verbo, saltem cogitatione non vererentur dicere: *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* At nunc iuxta verbum suum, quod scriptum est, *Ego gloriam meam alteri non dabo:* reseruatâ sibi penitùs auctoritate & gloriâ, non in multitudine, sed paucorum vsus ministerio; & Gedeonis innouans clementer miracula, innumeram strauit multitudinem: significans, quòd *ipse sit, & non alius, cuius beneficio vnus persequitur mille, & duo fugant decem millia.* Ei ergò ascribatur, *à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum*: quia non est in hoc præsenti articulo, quod operibus suis imputare possit homo. Diuinæ enim gratiæ munus est, & non meritis exhibitum: *Tuum est opus, Domine, extendisti enim manum tuam, & deuorauit eos terra: in multitudine gloriæ tuæ deposuisti omnes aduersarios meos.* Cùm hæc apud nos peraguntur, Comes, & qui cum eo erant, in obsidione supradicti castri perseuerabant, sed inutiliter: nam in dissolutionem dati, aleis & cæteris noxiis voluptatibus maiorem dabant operam, quàm disciplina militaris aut obsidionis lex exposceret; continuis itineribus Antiochiam properabant, vbi balneis, commessationibus, & ebrietatibus & cæteris lubricis voluptatibus dediti, desidiis obsidionem deserebant. Sed neque ii qui ibi iuges & assidui videbantur, negligentiâ torpentes aliquid vtilitatis operabantur, terebant ocia, & *palustres* trahebant dies. Ipse etiam Comes singulis diebus minabatur, quòd eum redire oporteret, quodque inuitus ibi detinebatur: quod verbum non solùm eos qui in obsidione erãt exteriùs, ab honesto reuocabat proposito; sed etiam obsessos reddebat ad resistendum promptiores; sperantes enim in vicino soluendam obsidionem, proponebant hoc modico tem-

pore melius esse cuncta tolerare, etsi dura videretur quæ possent inferri, quàm municipium fidei suæ creditũ, inuisis prodere gẽtibus, & proditionis notam incurrere perpetuam. Erat autem prædictum castrum in edito loco sitũ, in colle constitutum, qui ex maxima parte videbatur congestus, ex vno solo latere impugnãtibus aditum præbens: in reliquis autem etsi assultus dare volentibus minimè peruius, tamen vndique machinis liberè poterat flagellari. Post varios igitur euentus & frequẽtes assultus, quibus si ex animo res gesta esset, & propitia adesset diuinitas, posse capi videretur, decidit res in negligẽtiam, vt prædiximus; & peccatis nostris exigentibus, ita omnis nostrorum emarcuit virtus, & euacuata est omnis prudentia, vt cùm iam qui inclusi tenebantur, in supremam desperationem incidissent, nostri cœperint de reditu ad propria tractare. Admirari non sufficimus (esse enim videtur amplius opinione hominum) quòd tantis Principibus tantam induxit Dominus mentis caliginem; & ita in indignatione sua eos cæcitate percussit, quòd nemine compellente, castrum iam penè expugnatum, solâ stimulante inuidiâ, & negligentiâ reuocante, hostibus dimitterent. Videns ergo dominus Princeps, quòd ita Comes Flandriæ fixerat propositum, quodque in hoc verbo irreuocabiliter erat obstinatus, sumptâ ab obsessis, in incerta nobis quantitate, pecuniâ, obsidionem soluit. Comes autẽ Flandriæ *Hierosolymam* rediens, completis sibi solemnibus sanctæ Paschę diebus, ad reditum se parat; aptatisq; galeis & nauibus ad onera deuehenda necessariis, per dominum Imperatorem Constantinopolitanum, ad propria rediturus, à *Laodicia* Syriæ, nauigationis suæ iter arripuit, in nullo relinquens post se in benedictione memoriam. Eodem tempore dominus *Fredericus* Romanorum Imperator, post vicesimum annum schismatis, cum domino *Alexandro* Papa, apud Venetias pacificatus est. Per idem quoque tempus cum sanctæ vrbis *Hierusalem*, propter nimiam vetustatem, muri iam ex parte corruissent, factâ collatione inter Principes, tàm seculares quàm ecclesiasticos, collecta est certæ quãtitatis pecunia annuatim persoluẽda, quousque auctore Domino, opus consummaretur: vt impleretur illud: *Benignè fac in bona voluntate, sic vt ædificentur muri Hierusalem.* [Psal. 50, 19.]

[XXVI. An. Do. 1178.] Anno ab incarnatione Domini *MCLXXVIII.* qui erat Regni domini *Baldwini* quarti, annus quintus, mense Octobri, cùm anno præcedente indicta esset per vniuersum Latinorum orbem Romæ Synodus generalis, ad eandem Synodum vocati, profecti sunt de nostro Oriente, ego *Wilelmus* Tyrensis Archiepiscopus, *Heraclius* Cæsariensis Archiepiscopus, *Albertus* Bethleemita episcopus, *Radulphus* Sebastenus episcopus, *Ioscius* Acconensis episcopus, *Romanus* Tripolitanus episcopus, *Petrus* Prior ecclesiæ Dominici Sepulchri, *Rainaldus* Abbas ecclesiæ montis Sion. Prædictus verò *Ioscius* nõ solùm ad Synodum properabat nobiscum, verùm ad dominum *Henricum* Burgundiæ Ducem legatione fungebatur, vt eum ad nos euocaret. Conueneramus enim vnanimiter, vt domini Regis sororem, quam priùs Marchio habuerat, eisdem conditionibus eidem in matrimonio concederemus: quod verbum cum idem Dux per manum prædicti domini Episcopi, priùs gratanter suscepisset; & etiam, vt dicitur, iuramento propriæ manus, se venturum firmasset, causis quibusdam adhuc nobis incognitis, venire renuit, iuramenti quod præbuerat immemor, & fidei quâ se obligauerat prodigus inuentus. Eodem mense quo nos iter ad Synodum arripuimus, dominus Rex cum omnibus Regni viribus, castrum quoddam super ripas Iordanis, in eo loco qui vulgò *Vadum Iacob* appellatur, aggressus est ædificare. Habent traditiones veterum, eum esse locum vbi Iacob de Mesopotamia rediens, missis nunciis ad fratrem, factisque duabus turmis, dixit: *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* [Gen. 32, 10.] Est autẽ in pago *Cades Nepthalim*, inter *Nepthalim* & *Dan*, quæ alio nomine appellatur *Paneas*, alio etiam *Cæsarea Philippi* dicitur: quarum vtranque Phœnicis constat esse portionem, & Tyrensis metropolis vrbes suffraganeas. Distat autem à *Paneade* miliaribus decem. Porrò collis erat ibi mediocriter eminens, super quem fundamenta iacientes profunditate congrua, murum miræ spissitudinis, in quadrum ædificantes opere solidissimo, ad conuenientem altitudinem, infra sex menses erexerunt. Contigit autem, dum in ædificando ibi moram facerent, egressi sunt latrunculi de partibus Damascenis, qui vniuersas ita obsederant vias, quòd non nisi cum periculo ire ad exercitum, aut inde redire, aut vias carpere quaslibet viatores possent. Erant autem prædicti latrunculi de

loco

loco in montibus* Acconibus sito, cui *Bacades* nomen, qui vulgò *Bucael* dicitur. Hic locus in finibus *Zabulon* situs est, amœnus admodum: & licet in summis montium, tamen aquis irriguus est, & arborum fructiferarum frequentiâ consitus, habitatores habens insolẽtes, armis strenuos, & numerositate superbos, adeò, vt vicinorum agros & suburbana finitima sibi facerent tributaria: maleficis, & debita supplicia fugientibus, agressoribus quoque & viarum effractoribus tutum apud se præbentes refugium, ob prædæ & vi raptarum rerum, quod eis dabatur, participium. Erant ergò omnibus per circuitum propter intolerabilem eorum arrogantiam, tam nostris quàm etiam Sarracenis inuisi & odibiles facti, ita vt sæpiùs fuerit attentatum
10 eos funditus extirpare: sed successum res non habuit: vnde & singulis diebus fiebant proteruiores. Quorum intolerabilem superbiam, furta commissa, perpetrata homicidia, dominus Rex non ferens, locum prædictum subitò & violenter occupans, quos comprehendere potuit, neci dedit: sed fugerunt ex parte maxima, præcognito domini Regis aduentu; & ad partes Damascenas, cum vxoribus & paruulis se contulerunt. Inde frequentes in prouincias nostras, occultè tamen, irruptiones, veteris consuetudinis non immemores, facere consueuerant. Nunc autem adiunctis sibi eiusdem factionis consortibus, fines nostros ingressi erant, vt præmisimus. Quod audientes nostri, indignati, quòd huiusmodi homines vias publicas ita fecerant periculosas, locis competentibus eis ponentes insidias, operam dabant
20 sollicitam, quomodo eos possent præuenire. Accidit autem nocte quadam, quòd ipsi factâ prædâ de montibus *Zabulon* descendentes, volentes se ad partes vnde exierant conferre, in nostros, qui eis insidias parauerant, incidentes, viarum suarum fructum collegerunt: captis etenim ex eis nouem, septuaginta & plures interfecti sunt. Accidit autem hoc, mense Martio, duodecimo Kal. Aprilis. Per idem tempus Romæ celebrata est Synodus in *Basilica Constantiniana*, qui dicitur *Lateranum*, trecentorum episcoporum: Pontificatus domini *Alexandri* anno vigesimo, mense Martio, Indictionis duodecimæ, quinta die mensis. Cui si quis statuta & episcoporum nomina, numerum & titulos scire desiderat, relegat scriptum quod nos ad preces sanctorum Patrum, qui eidem Synodo interfuerunt, confecimus dili-
30 genter: quod in Archiuo sanctæ Tyrensis ecclesiæ, inter cæteros, quos eidem contulimus ecclesiæ libros, cui iam sex annos præfuimus, iussimus collocari. XVII. Constructo igitur castro & ex partibus suis absoluto, nunciatum est domino Regi, quòd in eam syluam quæ Paneadensi adiacet ciuitati, hostes incautè pascua sequentes, greges immiserant & armenta, non habentes secum illas militum copias, quibus freti nostris irruentibus possent resistere. Arbitrantur ergo nostri quòd immunitos eos, sicut nunciatum fuerat, & præliaribus auxiliis destitutos, facilè possent opprimere, illuc occultè tendunt: & vt latenter & ex improuiso, celatoque eorum aduentu possent irruere, de nocte iter aggrediuntur, & de nocte accelerant. Mane igitur facto ad locum destinatum perueniunt: vbi aliis ad alia præliandi gratiâ pro-
40 perantibus loca, aliis lentè nimis, & de remoto subsequentibus, ea acies in qua Rex erat, imprudenter nimis quibusdam septis lapideis se immergit, vbi ex hostibus latebant nonnulli: audito enim nostrorum aduentu, latêre disposuerant, vt declinato nostrorum impetu, propriæ saluti eo modo possent consulere. Videntes nostros super eos irruisse incautiùs, licet inuiti & de vita desperantes, facti sunt, ipsâ necessitate vrgente, fortiores: & subitò exilientes, videntes nostros inter angustias, instant animosiùs: & quibus satis fuerat priùs, latendo posse declinare aduersarium, interfectis equis, sagittis eminus missis, nostros comprimunt violenter. Videns itaque dominus Constabularius hostem ex improuiso emersisse, eis cum multo impetu se ingerit mediũ: dum de more viriliter dimicat, dominumq; Regem in arto positũ,
50 ne in eum periculosiùs irruatur, fideliter protegit, & ab iniuriis vendicat potenter, crebris & violentis ictibus lacessitus, & letalibus confossus vulneribus, tandem suis eum eripientibus, vix in equo reuocatus est. Ceciderant porrò in ea congressione viri memorabiles, & piâ recordatione digni: Iuuenis quidam elegantis formæ, & honestis pollens moribus, nobilis & diues, *Abraham de Nazareth*, & *Godescalcus de Turolte*, qui etiam bonam sui reliquit existimationem; & alii pauci inferioris manus. His ita se habentibus, de casu tam periculoso dominus Rex suorum ereptus operâ, ad castra vnde exierat, reuersus est; vbi suos qui ad varia inordinatè dispersi

fuerant recepit. Dominus verò *Henfridus* regius Constabularius, ingrauescentibus doloribus, ad *Castellum nouum* quod ipse adhuc ædificabat, delatus est. Factum est autem hoc, quarto Idus Aprilis. Decubans ergo ibi & per dies quasi decē, cum dolore vitam protrahens, supremo iudicio memoriter & prudenter ordinato, vir per omnia commendabilis, decimo Kal. Maii, patriæ perpetuò lugendus, viuendi fecit finem; & in ecclesia beatæ DEI genitricis & semper Virginis, apud nobile, & famosum castrum eius, *Toronum* videlicet, debitâ magnificentiâ sepultus est. Quo defuncto, statim intra eundem mensem, Salahadinus prædictum castrum, quod de nouo fuerat constructum, sexto Kal. Iun. obsidet; crebrisque insultibus, & denso sagittarum nimbo fatigare cœpit violenter inclusos: cùm ecce vnus de interioribus, cui nomen erat, vt dicitur, *Raynerius de Marum*, vnum de ditioribus, Admiratis sagittâ saucium interemit: pro cuius obitu omnes ita consternati sunt, vt infecto negotio, solutâ obsidione discederent. 10

XXVIII. Sequenti mense, cùm iam prædictus *Salahadinus*, bis, iam vel eo ampliùs in pago Sydoniensi violenter esset ingressus, & liberè satis, nemini cohibente, quædam incendia, hominum quoque stragem exercuisset, adiecit iteratò, introire: locatisque castris inter vrbem *Paneadensem*, & fluuium *Dan*, excursores præmiserat frequenter qui prædas agerent, incendia procurarent. Ipse autem, quasi pro subsidio, castra nō deserens, eorum reditum & aggressionū euentum exspectabat. Nunciatum est interea domino Regi, quòd ita per fines nostros Salahadinus desæuiret: qui assumpto sibi Dominicæ Crucis ligno, conuocatisq; suis, quoscunque colligere vndecunque potuit, ad vrbem properat Tyberiadensem: inde per oppidum *Sephet*, per vrbem antiquissimam *Naason*, ad prædictum *Toronum* cum suis peruenit. Vbi, frequentibus nunciis intercurrentibus pro certo comperit Salahadinum cum exercitu suo adhuc in eodem perseuerare loco: suos autem leuioris armaturæ milites, qui præmissi fuerant, agros Sydoniensium hostiliter depopulari, cædes, incendia, prædas exercere. Habitâ itaque deliberatione, placuit omnibus, hostibus obuiam ire. Inde ergo, iuxta condictum contra Paneadem exercitum dirigentes, perueniunt ad vicum qui dicitur *Messaphar*: vnde quia in summis montibus situm est, prospicere erat totam subiectam regionē vsque ad radices Libani; castra quoque hostium dabatur eminus intueri. Patebant quoque nihilominus prospectibus singulorum, inimicorum discursus & incendia. Descendentes igitur nostri per mōtis decliuum cum festinatione, turmas peditum secum trahere non poterant: fessi enim erant oppidò viæ longinquitate, nec poterant equites passibus adæquare. Vnde cum paucis peditibus, qui agiliores inuēti sunt, in planiciem quæ statim montibus subiecta est, deuenerunt in eum locum, qui vulgò *Mergium* appellatur. Per aliquot igitur horas, vt pleniùs deliberaretur quid facto opus esset, ibi substiterunt. Interea Salahadinus de subito Regis aduētu aliquantulum perterritus, timens suis excursoribus, quos quasi à se & suis videbat exclusos; timens item ne in castra irruerent, impedimēta, sarcinas & omnem supellectilē inter murum & antemurale vicinæ vrbis cōportari præcipit, vt ad quelibet belli euentum expeditior inueniatur. Succinctus ergo, & dubius plurimùm, rei exitū præstolabatur. Verùm excursores qui prædatū ierant, audito nostrorū aduentu, perterriti, postpositis aliis optimum ducunt, si suorum agminibus possint aggregari. Transmisso ergo flumine, quod per medium diuidit Sydoniensium agros, & prædictam planiciem, in qua diximus nostros esse, occurrūt nostris: vbi inito cominus prælio, nostri statim, propitio Domino, fiunt superiores; multisque interfectis & ad terram deiectis, pluribus in fugam versis hostes, ad castra suorum se conferre nituntur. 20 30 40

XXIX. Dum hæc ita se haberent, *Odo* magister Militiæ Templi, & cum eo Comes Tripolitanus, deinde alii sequentes, collem quendam sibi obuium ascenderunt, flumen habentes ad læuam; à dextris verò erat eis planicies maxima, & castra hostium. Audiens ergo *Salahadinus* suos grauari, expositos periculo, neci quoque datos, parat eis subsidium ministrare: in quo proposito dum fixus maneret, ecce suos qui euaserant, fugientes, videt: Quibus occurrens, cognito rei statu, animos verbis addit, in aciem reuocat; nostris quoq; insequentibus & nimiùm securis, subitò se immergit. At verò pedites nostri de spoliis eorum qui interfecti fuerant, ditati, putantes nihil superesse ad consummatam victoriam, secus ripam fluminis castrametati, quieti consederāt: equites verò hostes super se, quos deuictos putabant, reparatis viribus videntes irruere, 50

irruere, non habētes ferias vel ocium, vt iuxta militarem disciplinam, acies instruerentur, ordinarentur agmina, ordine confuso decertantes, resistunt ad tempus, & hostium perseueranter sustinent impetus. Tandem viribus impares, nec se cùm dispersi essent inordinatiùs, mutuò iuuātes, in fugā versi succumbunt turpiter. Cumq; satis commodè hostes insequentes, per alia loca possent declinare, & in tutū se locare, peccatis nostris exigentibus, deteriorem deliberationis partem secuti, in angustias scabris rupibus obsitas, & penitus exitum negātibus se immergunt: vbi nec ad anteriora procedere, nec nisi cum mortis periculo, per hostiū manus redire dabatur: qui fluuium transierunt vitæ & saluti consulentes, ex maxima parte, in municipium proximum cui nomen *Belfort*, se contulerunt: alii flumen transeuntes & vlteriorem ripam secuti, versus Sidonem euntes, confusi prælii æstum periculosum declinauerunt. Quibus cùm dominus *Rainaldus* Sidoniensis cum suis, qui ad exercitū festinabat, occurreret, intellecto quod acciderat infortunio, eis etiam monētibus, Sidonem reuersus est. Quod factum, in illa die, multiplex damnū creditur intulisse. Verisimile est enim, quòd si in castrum suum cōtinuato itinere se recepisset, cooperātibus oppidanis, & rusticis locorum peritis, multos eripuisset hostibus, qui nocte illā in cauernis, in rupibus latentes, sequenti manè discurrentibus & cuncta perlustrantibus inimicis, inuenti, capti, vinculis mācipati sunt. Dominus autē Rex, quorundam fidelium suorum fretus auxilio, euasit incolumis. Comes quoq; Tripolitanus, cum paucis *Tyrum* peruenit. Capti sunt ibi de nostris, *Odo de sancto Amando* Militiæ Templi Magister, homo nequam, superbus & arrogans, spiritū furoris habens in naribus, nec DEVM timens, nec ad hominem habens reuerentiā. Hic, iuxta multorum assertionem, damni prędicti & perennis probri occasionem dicitur dedisse: qui eodem anno quo captus est, in vinculis & squalore carceris, nulli lugendus, dicitur obiisse. *Balduinus* quoque *de Ramis*, nobilis vir & potens; *Hugo* quoque de *Tyberiade*, domini Comitis Tripolitani priuignus, adolescens bonæ indolis, & acceptus plurimùm; & alii multi, quorum nomina non nouimus, nec numerum, capti sunt.

XXX. Rebus igitur nostris sic se habentibus, & in imo collocatis, ecce dominus *Henricus* Comes Trecensis, vir magnificus, senioris *Theobaldi* Comitis filius (quem nos à Synodo redeuntes, apud Brundusium Apuliæ ciuitatem dimiseramus) apud Acconensem ciuitatem, cum multo nobilium comitatu applicuit. Venerant, vt* præmisimus, nobiles multi in eodem transitu, dominus videlicet *Petrus de Corteniaco*, domini *Ludouici* Francorum regis frater; dominus quoque *Philippus*, domini Comitis *Roberti*, eiusdem domini Regis fratris filius, Beluacensis electus: quorum aduentu, nostri, anterioribus casibus plurimùm consternati, aliquatenus tamen in spē erecti sunt, sperantes quòd tot tantorumq; nobilium patrocinio propulsare futuras, præteritasque vlcisci possent iniurias: verùm aduersā nobis diuinitate, nec priores depulerunt, sed etiam in maiores descenderunt molestias. Nam hostis noster immanissimus *Salahadinus*, dextris euentibus & prosperā fortunā, in tantam est elatus superbiam, vt subitò antequam nostris ad modicum respirare liceret, castrum nostrum, quod nuper Aprili proximè præterito fuerat consummatum, obsideret. Traditum sanè fuerat sæpe dictum castrum fratribus Militię Templi, qui omnem illam regionem de concessione Regum sibi vendicabant, statim postquam fuerat consummatum, eorumq; diligentiæ commissum. Quod vbi domino Regi fuit nunciātum, conuocans Regni robur omne, & militiam vniuersam, accito quoq; domino *Henrico* Comite, & aliis nobilibus viris, qui aduenerant, apud Tyberiadē properat: vbi collectis vniuersis Regni Principibus, opem ferre obsessis, hostes ab obsidione amouere proponit: dumque expectat, & in diem apparatus differtur, nunciatur castrum prædictum, sicut verè erat, ab hostibus violenter captum, funditusque vsque ad solum dirutum, occisis omnibus aut captiuatis, qui in eo ad tuitionem relicti fuerant. Sicque accessit damnis prioribus, maior confusio: vt verè dici posset, *Recessit ab eis Dominus DEVS eorum. Verè iudicia DEI, abyssus multa; verè terribilis est DEVS in consiliis super filios hominum.* Nam qui tantam fidelibus suis, anno proximè præterito contulerat sui muneris immensitatem, tantā eosdem nunc indui reuerētiā passus est, & confusione. *An quis nouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Quid est Domine DEVS? Quia hic præsens multitudo, & nobilium numerus erat, subtraxisti gratiam, ne sibi ascribant, quod meritis non datur, sed gratiā: aut quia de collato gratis priore beneficio, non*

Psal. 35. c. & 65. 4.

satis vberes tibi benefactori suo gratiarum persoluerant actiones: aut quia flagellas, *Domine*, filium quem recipis: *imples facies nostras ignominiâ, vt quæramus nomen tuum sanctum, quod est benedictum in secula. Scimus, Domine, & confitemur, quia tu non mutaris. Tu enim dixisti:* Ego DEVS, & non mutor: *quicquid tamen id est, scimus quia iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Per idem tempus renouatum est verbum, quod anno proximè præterito de duce Burgundiæ motum fuerat, cum domino Comite Herico, eius auunculo: sperabatur in proximè futuro transitu venturus esse: sed sicut postea euidenter patuit, caussis quibusdam occultis adhuc, venire recusauit.

Mal. 3, 6.

EXPLICIT LIBER VIGESIMVSPRIMVS.

CAPITVLA LIBRI VIGESIMISECVNDI.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI VIGESIMISECVNDI.

INCIPIT

INCIPIT LIBER VICESIMVSSECVNDVS.

Eodem quoque tempore dominus *Boamundus* Antiochenorum Princeps, & dominus *Raimundus*, cum militia in Regnum ingredientes, dominum Regem terruerunt, timentem, ne res nouas moliri attentarent: videlicet ne Rege, regno priuato, sibi regnum vellent vendicare. Premebatur enim solito acriùs Rex ægritudine suâ, & singulis diebus lepræ signum magis & magis euidēs prominebat. Soror autem domini Regis, quæ Marchionis vxor fuerat, adhuc in sua viduitate perseuerabat, Ducem, vt præmisimus, expectans. Cognoscens ergo Rex illorum nobilium, & licet vterque esset eius cōsanguineus, suspectum habens aduentum, sorori maturat nuptias: & quamuis nobiliores & prudentiores, ditiores etiam in Regno, tum de aduenis tum de indigenis potuissent reperiri, penes quos multo commodiùs, quantum ad Regni vtilitatem, illa posset locari: non satis attendens, quòd *malè cuncta ministrat impetus*, tamen caussis quibusdam interuenientibus, cuidam adolescenti satis nobili, *Guidoni* videlicet de *Liziniaco*, filio *Hugonis Bruni*, de Episcopatu Pictauiensi, ex insperato traditur, infra Paschalia, præter morem, sollemnia. Prædicti verò nobiles viri, videntes quòd eorum aduentus, domino Regi & suis suspectus habebatur, orationibus de more cōpletis, domum reuersi sunt. Medio tamen tempore, dum ambo apud Tyberiadem, per aliquot dies moram facerent, ignarus de eorum præsentia, in ipsam vrbem impetum fecit *Salahadinus*: nihil tamen damni ciuibus irrogans, iterum in fines Paneadenses se recepit: dumque ibi moram cum suis exercitibus haberet, exspectans, vt postea patuit, naualem exercitum, quem totâ hyeme præcedente, quinquaginta galearum parari fecerat, dominus Rex suspectam eius habens moram, nuncios mittit, qui de *trenga* haberent cum eo tractatum. Quod verbum ille, vt dicitur, gratanter admisit; non quia de viribus suis diffideret, aut nostros, quos toties eo anno confuderat, aliquatenus haberet formidini: sed quia ariditate nimiâ & propter pluuiarum inopiam, omne alimentorum genus, tam equis, quàm hominibus, in regione Damascena, per continuum defecerat quinquennium. Factæ sunt igitur, tam per mare quàm per terras, tam aduenis quàm indigenis & hinc inde iuramentis interpositis roboratæ, humilibus satis quantum ad nos conditionibus, inducię: quodq; nunquam antea dicitur contigisse, paribus legibus fœdus initum est, nihil præcipui nostris sibi in ea pactione reseruantibus. Eodem anno, æstate quæ proximè secuta est, idem *Salahadinus*, locatâ Damascenâ & Bostrensi in tuto prouinciâ, equitum copias omnes, versus partes dirigit Tripolitanas; ibique locatis castris turmas dispergit per vniuersam regionem militares. Comes autem cum suis in vrbem *Archis* se contulerat, operiens si ei daretur opportunitas cum hostibus absque graui periculo committendi. Porrò fratres *Militiæ Templi*, cùm essent in eadem regione, in suis municipiis clausi tenebantur, expectantes omni penè horâ vallari obsidione; nec se congressionibus temerè committere audebant. Identidem & fratres *Hospitalis*, timentes, in castrum suum, cui nomen erat *Crach*, se contulerant; arbitrantes satis esse, si in tanto tumultu præfatum oppidum ab iniuriis hostium possent vendicare. Erant ergo media hostium agmina inter prædictorum Fratrum & domini Comitis expeditiones, ita vt mutuum sibi non possent ministrare auxilium, nec etiam dirigere internuncios, qui de singulorum statu alterutros valerent instruere. At verò *Salahadinus* per campestria, & maximè per loca culta passim obambulans, & nemine se opponente, liberè cuncta perlustrans, fruges partim in areis iā congestas, partim per agros manipulatim collectas, partim adhuc solo hærentes, suppositis ignibus incendit, prædas abigit, depopulatur vniuersa. Dum hæc in partibus illis geruntur, ecce circa Kal. Iunias, naualis exercitus eius in partibus subitò apparuit Berythensibus: cuius exercitus primicerii, postquam pro certo cōstitit quòd *Salahadinus* cum domino Rege fœdus inierat, reuerentiam habentes ad leges pacis quas indixerat, timuerunt Berythensium finibus & infra totius regni terminos, iura fœderis violare. Audientes quoque, quòd eorum dominus in par-

tibus Tripolitanis cum suis expeditionibus moram faceret, illuc properant, & insulam *Aradum* (quæ vrbi Antaradensi opposita est, vix tribus miliaribus ab ea distans) galeis in portu commodè locatis, occupant. Hanc insulam dicitur primus habitasse, & in ea vrbem munitissimam sui nominis ædificasse *Aradius* Chanaan filius, nepos Noë, vnde *Arados* dicta est. Huic ab Oriente vicina est ciuitas iterum olim valde nobilis, quæ ex eo, quòd prædictæ ciuitati è regione opposita est (vt superiùs diximus) *Antarados*, hodie verò corruptâ nuncupatione *Tortosa* dicitur: vbi Apostolus Petrus Phœnicen circumiens, in honore DEI genitricis dicitur Basilicam fundasse modicam, quæ multo populorum vsque hodie frequentatur accessu; & vbi diuinitus, per eiusdem semper Virginis intercessionem, multa dicitur indigentibus fidelibus præstari beneficia. Hæ vrbes ambæ Tyrensi metropoli suffraganeæ, cum alia illis contermina, quæ *Maraclee*, prouinciæ Phœnicis dicitur portio, intelliguntur. Applicati ad prædictam insulam, regionem vniuersam terrore concutiunt, ibique mandatum domini sui operientes, domum supra portum Antaradensem incenderunt, damna ciuibus maiora, sed incassum inferre molientes. Interea *Salahadinus* regionem pro suo arbitrio depopulatus, classi mandat vt redeat: ipse quoque reuocatis agminibus, in suos se recepit fines. Paucis tamen postmodū euolutis diebus, inito fœdere cum domino Comite, interiùs in regionem se contulit Damascenorum.

XV. Per idem tempus cùm per menses septem continuos, cum illustris memoriæ domino *Manuele* Constantinopoleos Imperatore magnifico, moram nobis & Ecclesiæ nostræ perutilem fecissemus, quartâ post Pascha feriâ, licentiam redeundi ad propria per multam obtinuimus instantiam. Qui commendatis nostræ deuotioni legatis suis, viris nobilibus & magnificis, in galeis quatuor, quas nobis more Imperiali liberaliter nimis concesserat, transcursis *Tenedo, Mutilene, Chio, Samo, Delo, Claros, Rhodo, Cypro* insulis; à læua autem relictis *Phrygiâ, Asiâ* minore, *Lyciâ, Lycaoniâ, Pamphyliâ, Isauriâ, Ciliciâ* prouinciis, fauces *Orontis* fluminis, & *Seleuciæ* portum, qui hodie dicitur *sancti Symeonis*, quarto Idus Maias attigimus, propitiâ Diuinitate, saluis rebus, & corpore incolumes. Non videtur tamen prætereundum, sed erit præsentis historiæ articulus non modicus; quòd dum in Vrbe regia moram (vt prædiximus) cum ingruentis hyemis necessitate, tum felicissimi domini Imperatoris mandato faceremus, contigit eum paternâ prouisione, & mente quodammodo præsagâ de maturo ex hac luce exitu, geminam sobolem suam, filium videlicet & filiam, matrimonii legibus alterum vxori, alteram viro copulare. Filio sanè adhuc impuberi, vix annorum tredecim, *Alexio* nomine, aui paterni nomen referenti, illustris Francorum Regis domini *Ludouici* filiam, vix annorum octo, *Agnetem* nomine, solenniter contulit, Imperialibus insignibus vtrique collatis, in palatio domini Constantini senioris, in ea parte palatii quæ dicitur *Trullus*: vbi & sancta & vniuersalis Synodus sexta, temporibus *Constantini*, filii *Constantini*, filii *Heraclii*, dicitur fuisse congregata. Filiam verò nuptui collocauit apud adolescentem nomine *Reinerium*, *Willelmi* senioris Marchionis de Monte ferrato filium, domini item *Willelmi* fratrem, cui nos Regis nostri sororem contuleramus. Hunc, quasi annorum decem & septem, per suos apocrisarios dominus Imperator fecerat euocari, qui ante nostrum aduentum in Vrbem regiam diebus circiter quindecim descenderat: factaq; morâ tam in vrbe quàm in expeditione cum domino Imperatore, redeunte quoq; domino Imperatore circa Epiphaniarum dies in vrbē, mense Februario in palatio nouo, quod *Blachernas* dicitur conuocatâ curiâ suâ, cum Imperiali magnificentia, per manum *Theodosii* eiusdem vrbis Patriarchæ, eidem filiam suam nomine *Mariam*, vxorem dedit, & de nomine patris sui *Ioannem* appellatum, Cæsarem cōstituit. Hanc filiam, *Hirene* vxor eius prior, Imperatrix piæ memoriæ, quæ ei de regno Theutonico in vxorem data fuerat, peperit: nam ex *Maria*, quam secundò duxit, solum *Alexium*, qui hodie imperat, suscepit. Verùm si ludos Circenses, quos ciues illius vrbis *Hippodromos* vocant, & variorum gloriam spectaculorum populo per illos dies cum solennitate exhibitam; si Imperialem circa vestes, & proprii corporis indumenta in lapidibus preciosis & margaritarum pondere & numero excellentiam; si palatii suppellectilem auream, argenteam, numero & pondere infinitam; si velorum ad ornatum dependentium precium; si famulorum & curialium numerositatem scripto comprehendere tentemus: si apparatus, nuptiarum magnificētiam: si effusam in omnes,

tam

tam suos quàm exteros immensæ liberalitatis munificentiam, per singula velimus prosequi, immensitate materiæ sermo succumberet, etiamsi specialis ad hoc deputaretur tractatus. Sed nunc ad historiam redeamus. Completis ergo apud *Antiochiam*, iniunctis nobis ab Imperiali excellẽtia, cũ domino Principe, & cum domino Patriarcha mandatis, domino Rege apud *Berythum* inuento, eoque terrestri itinere *Tyrum* properante, nos propitiâ Diuinitate, continuâ nauigatione, pridie nonas Iulii, post annum & menses decem, ex quo ad Synodum profecti eramus, ad Tyrensem reuersi sumus Ecclesiam. Anno septimo regni domini *Balduini* quarti, decimotertio Kal. Octobris piissimus & Christianissimus Frãcorum Rex, vir virtutum 10 & immortalis memoriæ dominus *LVDOVICVS*, onere carnis deposito, cœlis intulit animam, cum electis Principibus præmia possessurus æterna: filio vno superstite & herede, *Philippo* nomine, ex *Ala* Regina, filia *Theobaldi* senioris, sorore domini *Henrici* Comitis Trecensium, *Theobaldi* Comitis Carnotensium, *Stephani* Comitis Sainsorensium, domini *Wilelmi* Remensis Archiepiscopi: Mortuus est anno regni eius quinquagesimo, vitæ verò sexagesimo. Sequenti mense, pridie nonas Octobris, anno Pontificatus sui vicesimo secundo, dominus *Amalricus* bonæ memoriæ Hierosolymorum Patriarcha, vir simplex nimiùm, & penè inutilis, viam vniuersæ carnis ingressus est. In cuius loco, dominus *Heraclius* Cæsariensis Archiepiscopus, intra dies decem substitutus est. Eodem mense, dominus Rex sororem suam, vix an- 20 norum octo, cuidam adolescenti *Henfredo* nomine, despondit. Hic tertius *Henfredus*, iunioris *Henfredi* filius fuit, ex *Stephania* Philippi Neapolitani filia: qui secundus *Henfredus*, senioris Henfredi de Torono Regis Constabularii, cuius suprà sæpiùs fecimus mentionem, fuit filius: cuius auus maternus, videlicet *Philippus*, dominus fuit *Arabiæ* secundæ, quæ est *Petracensis*, qui locus hodie vulgò *Crach*, & *Syriæ Sobal*, qui locus hodie *Montis Regalis*: quarum vtraque est trans Iordanem. Hic postea conuersus, factus est Magister Militiæ Templi. Tractante ergo & plurimùm elaborante Principe *Rainaldo*, matris eiusdem pueri iam puberis, tertio marito, celebrata sunt Hierosolymis prædicti adolescentis, & sororis domini Regis sponsalia. Commutauit præterea patrimonium suum, quod in finibus Tyri per mortem 30 aui paterni hereditario iure ad se fuerat deuolutum, *Toronum* videlicet, & *Castellum nouum*, & *Paneadem*, cum pertinentiis suis, cum domino Rege certis conditionibus: quarum tenor in Archiuis regiis, nobis dictantibus, per officium nostrum, continetur introductus. Eodem mense, tertiâ mensis die, vir eminentissimus & immortalis memoriæ, omnium principum terræ munificentissimus, dominus *Manuel* Constantinopolitanus Imperator, onere carnis deposito, animam cœlo reddidit: cuius memoria in benedictione, cuius eleemosynas & beneficia largissima enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. Defunctus autem dicitur anno Imperii sui quadragesimo, vitæ verò (quantũ adhuc nosse datur) quadragesimo primo. Per idem quoque tempus dominus *Boamundus* Antiochiæ Princeps, relictâ dominâ 40 *Theodorâ* vxore suâ, domini Imperatoris nepte, quandam *Sibyllam*, maleficiis vtentem, vt dicitur, Ecclesiasticâ seueritate contemptâ, in vxorem ducere præsumpsit. Per idem tempus, cùm dominus *Ioscelinus* Regis auunculus & Senescalcus, à domino Rege missus pro quibusdam regni negociis, in vrbe Constantinopolitana, & dominus *Balduinus de Ramis* pro redemptione sua, à domino Imperatore auxilium postulaturus, similiter in eadem ciuitate moram facerent, mortuo iam domino Manuele, piæ recordationis Imperatore, Kal. Martii detecti sunt quidam nobiles viri magni & illustres, res nouas molientes, contra dominum *Alexium* Imperatorem, filium domini *Manuelis*, conspirasse: quos comprehensos, tanquam maiestatis reos, vinculis mancipari, tradi carceribus, licet eius quidam ex eis essent consan- 50 guinei, præcepit Imperator, matris adhuc tutelæ, iuxta patris arbitrium, suppositus. Inter quos erant, quasi totius factionis opifices, *Manuel* senioris *Andronici* (vnde superiùs fecimus mentionem) filius; *Alexius* quoque Protostrator, *Theodoræ Calusinæ* neptis domini Imperatoris, filius; item frater Logothetæ, qui Canacliui vtebatur officio; & alii quidam magnates eximii, circiter duodecim. Sed & eiusdem domini Imperatoris soror, domina *Maria*, factionis eiusdem conscia, cum marito Marchionis filio (cuius superiùs etiam fecimus mentionem) ad Ecclesiã sanctæ Sophiæ nocte confugiens, in pendulo sortis dubiæ, septis Ecclesiæ conseruabatur: vbi

cum marito contra Imperatorem fratrem, eâdem Ecclesiâ armis & militibus communitâ, cum fautoribus suis, & eiusdem propositi cōplicibus, tentabat aliquid moliri, fauente sibi eiusdem ciuitatis Patriarchâ. Sed tandem conualescentibus Imperatoris partibus, Latinorum maximè fretis auxilio, illa confractis viribus de vitâ desperans, supplex per intercessores veniam postulat; & fratri, indultâ gratiâ, reconciliata est.

VII. Eodem tempore, occasione pellicis, quam abiectâ vxore legitimâ, *Boamundus* Princeps Antiochenus superduxerat, turbatus est Orientalium Latinorum status, & maximè Antiochenarum partium principatus. Nam commonitus semel & secundò idem Princeps, vt à tam manifesto adulterii cōmisso recederet, & vxorem ad se reuocaret legitimam: *more peccatoris, qui cùm in profundum venerit vitiorum, contemnere solet*; obturatis auribus, vocem noluit sapienter incantantium exaudire, sed obstinatè in peccato perseuerans, sententiam in se excommunicationis, merito latam, suscepit. Cui tamen non multùm deferens, sed delictum ingeminās, tam dominum Patriarcham, quàm eiusdem regionis Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos, hostiliter persequi cœpit, manus in eis iniiciens violentas; & venerabilium locorum, tam Ecclesiarum quàm monasteriorum, septa violans; res sacras diripiēs, & eorum, nefario spiritu, & ausu temerario, perturbans possessiones; ipsum etiam dominum Patriarcham cū clero, qui ad eum confugerat, in quodam Ecclesiæ municipio, firmo tamen, armis quoque & militiâ simul & victualibus sufficienter cōmunito, dicitur obsidere; & frequentibus, more hostili, eos impugnare congressionibus. Vnde quidam de magnatibus regionis illius, eius non ferentes insaniam, cognoscentes se plus debere DEO quàm hominibus, ab eo mente & corpore recesserunt, eius maleficia detestantes: inter quos vir nobilis & potens *Rainaldus* cognomento *Mansuerus*, in præsidium suum inexpugnabile & munitissimum (adiunctis sibi quibus cordi erat causa honestior, & timor DEI ante oculos) se recepit, in eo præbens præsulibus à propriis eiectis sedibus, & aliis indifferenter, ob eandem causam profugis, tutum refugium. Ob quod factum tota regio in tātum descendit tamque periculosum discrimen, vt viris prudentibus, & sensus habentibus exercitatos, procul omni dubio videatur, vt nisi nobis maturè diuina subuenerit clementia, hostibus, ad nostram ruinam, & Christiani nominis perēnem iniuriam, patere debeat introitus, & in eorum potestatem vniuersa redire prouincia: de quorum manibus, opitulante Domino, fidelium principum sollicitudine, & Christianæ plebis multis laboribus & sumptibus, est erepta. Verus est enim Veritatis sermo, & omni acceptione dignus: *Quia omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet*. Dominus autem Hierosolymorum Rex vnà cum domino Patriarcha, & aliis Ecclesiarum Prælatis, simul & laicis principibus, debitam gerentes sollicitudinem, conuenientes apud se, & quid in tam periculoso rerum statu agendum sit, summâ diligentiâ deliberantes, licet prædicti imprudentis & dissoluti Principis merita videantur exigere, vim inferre dubitant, ne fortè, hostium viribus & rogatis auxiliis, volens resistere, Turcis exponat regionem, vnde eos postmodum, etiam volens & enitens plurimùm, non possit amouere. Item apud hominem insanum, & ad mala præcipitem, maleficiis præoccupatum, precibus & salutaribus monitis locum non esse intelligentes: nam hoc esset *surdo asino narrare fabulam, & verba ventis dare:* mittere viros prudentes & exhortationis habentes gratiam, non præsumunt. Sustinent ergo malum hoc, ne deterius incurrant, ab eo expectantes subsidium, qui solet conuertere in profundo maris positos; *& dare niuem sicut lanam, mittens cristallum sicut bucellam panis:* vt ille diuinâ visitatione commonitus, & ad cor rediens, ad frugem vitæ melioris se erigat, & optimi moderatoris virtute induatur ex alto. Tandem videntes nostri malum illud ingrauescere, & nullum in proximo sperantes remedium: iam enim non solùm persona Principis anathematis vinculo tenebatur astricta; verùm vniuersa regio, propter rapinas, incendia, quæ in bonis venerabilium fiebant locorum, interdicto erat supposita; ita vt præter baptisma paruulorum, nullum de sacramentis Ecclesiasticis populo ministraretur: cœperunt nostri timere ampliùs, videntes rem in eum casum descendisse, in quo non sine vniuersorum periculo diu stare posset. Ordinant itaque de communi consilio, vt dominus Patriarcha, dominus quoq; *Rainaldus de Castellione*, qui aliquando Princeps Antiochenus fuerat, huius domini *Boamundi* iunioris vitricus: magister quoque Militiæ Templi, frater *Arnaldus*

Matth. 12, 25.

Psal. 147, 5. 6.

naldus de Toroge; Magister quoque domus Hospitalis, frater *Rogerus de Molins*, ad partes illas properent, tentantes, si præuiâ DEI gratiâ, aut ad tempus, aut in perpetuum, tantis malis aliquod possint inuenire & aptare remediũ. Timebamus enim, ne fortè à domino Papa & transmarinis Principibus, nobis ad negligentiam, vel potiùs ad malitiam imputaretur, si vicinis nostris tam miserâ sorte laborantibus, nullum daremus compassionis signum, nullum studeremus adhibere remedium. Dominus igitur Patriarcha assumptis ex Ecclesiarum prælatis domino *Monacho* Cæsariensi electo, domino *Alberto* Bethleemitâ Episcopo, domino *Rainaldo* Abbate Montis Sion, domino *Petro* Ecclesiæ Dominici Sepulchri priore, prudentibus
10 viris & discretis, subsequentibus eum aliis eiusdem itineris consortibus, ad partes illas descendit; assumptoque sibi Comite Tripolitano, eidem Principi familiari admodum & accepto, vt eorum verbum faciliùs effectui posset mancipari, apud *Laodiciam* conueniunt: tandemque tam dominum Principem, quàm dominum Patriarcham seorsim conuenientes, diem vtrique constituunt apud Antiochiam; vbi prætentato hinc inde verbo, pacem constituunt temporalem: ita videlicet, vt refusis tam domino Patriarchæ quàm Episcopis & locis venerabilibus quæcunq; amiserant, cesset interdictum, & populis Ecclesiasticorum sacramẽtorum restituantur munera. Ipse autem in propria persona, ab Episcopis latam patienter ferat sententiam; aut si penitus quærat absolui, pellicem abiiciat, vxore legitimâ reuocatâ. His
20 ergo peractis, putantes se regionis incendium aliquantulum mitigasse, ad propria reuersi sunt. Princeps verò nihilominus in eisdem sordibus obstinatus irreuocabiliter perseuerat. Adiecit præterea, & quod regioni periculosius est, eo solo quòd eis factum eius dicebatur displicere, fidelium suorum optimos, inclytos & nobiles viros, extra ciuitatem, & omnem terram suam expellere: videlicet Constabularium suum, Camerarium quoque, & *Guiscardum de Insula*, *Bertrandum* quoq; filium Comitis *Gisleberti*, & *Garinum Gainart*: qui ad dominum *Rupinum* Armeniorum Principem magnificum de necessario declinãtes, honestissimè ab eo sunt suscepti, ita vt singulis statim daret munera ingentia, & victum singulis sufficiẽtem assignaret. Eodem anno, mense Augusto, vicesimâ septimâ die mensis, pontificatus eius anno vicesi-
30 mo tertio, dominus *Alexander* Papa tertius, viam vniuersæ carnis ingressus est, & in Ecclesia Lateranensi sepultus: cui substitutus est dominus *Lucius* Papa tertius, qui & *Hubaldus*, Hostiensis Episcopus, natione Tuscus, Patriâ Lucensis, vir grandæuus admodum & modicè literatus. Eodem quoq; tempore, venerabilis in CHRISTO frater noster, piæ in Domino recordationis, dominus *Raimundus* Ecclesiæ Berythẽsium Episcopus, Idibus Septembris ex hac luce subtractus est, lucis perpetuæ, præuiâ Domini gratiâ, præmiis perenniter potiturus. Cui postmodum in eadem Ecclesia substitutus est vir honestus & literatus magister *Odo*, Ecclesiæ nostræ Archidiaconus, cui nos, in ieiuniis Decembris, & sacerdotii gradum, & pontificalem, auctore Domino, contulimus dignitatem. Per idem tempus mortuus est *Melechsalah*, VIII.
40 *Noradini* filius, adolescens adhuc, cui de omni hereditate paterna, sola manserat *Halapia*, cum paucis admodum municipiis. Hic moriens, testamento nouissimo dicitur Halapiam & omnem hereditatem suam, ex asse, in quendam patrui sui filium *Hezedin* nomine, filium *Thebeth*, Mussulæ dominum contulisse. Quo defuncto, Principes eius, nuncios ad prædictum dominum *Mussulæ*, illustrem & magnificum Turcorum satrapam, dirigunt, monentes, vt non differat cum omni celeritate ad eos venire: qui susceptâ legatione festinus aduenìens, auita bona & sibi iure hereditario debita suscepit, timens ne *Salahadinus*, qui prædictum patruelem suum, ex parte plurima exheredauerat, ab Ægypto rediens, hanc etiam vrbem inuitis ciuibus violenter occuparet: præsertim cùm quidam de maioribus, occultum ei
50 præstarent fauorem. *Salahadinus* verò, compositâ vsque ad completum biennium nobiscum pace temporali, in Ægyptum descenderat, vt sua ibidem studiosiùs procuraret negotia. Anxius enim plurimùm sollicitabatur, eò quòd audierat classem Regis Siculi, cum ingenti apparatu & infinitis copiis in mare descendisse, & ad partes Ægyptias properandi habere propositum. Superfluam autem super eo articulo conceperat formidinem: nam prædicta classis in Occidentem iter arripuit, ad Baleares Insulas, Hispaniæ conterminas citeriori, quarum altera vulgari appellatione *Maiorica*, altera verò *Minorica* dicitur, contendens: vbi infaustâ nauigatio-

RRRR

ne,& sinistris acta flatibus,tota pene deperiit circa *Sacuam Albenguenam*; & viginti millia vrbes maritimas, freto intumescente, littoribus allisa. Interea dum Regnum pace, vt prædiximus, gauderet temporali, natio quædam Syriorum, in Phœnice prouincia circa iuga Libani, iuxta vrbem Bibliensium habitans, plurimam circa sui statum passa est mutationem. Nam cùm per annos penè quingentos cuiusdam *Maronis* heresiarchæ errorem fuissent secuti, ita vt ab eo dicerentur *Maronitæ*, & ab Ecclesia fidelium sequestrati, seorsum sacramenta conficerent sua, diuinâ inspiratione ad cor redeuntes, languore deposito, ad Patriarcham Antiochenum *Aimericum*, qui tertius Latinorum nunc eidem præest Ecclesiæ, accesserunt: & abiurato errore, quo diu periculosè nimis detenti fuerant, ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ reuersi sunt, fidem Orthodoxam suscipientes, parati Romanæ Ecclesiæ traditiones, cum omni veneratione amplecti & obseruare. Erat autem huius populi turba non modica, sed quasi quadraginta millium dicebatur excedere quantitatem, qui per Bibliensem, Botriensem & Tripolitanum Episcopatus, iuga Libani & montis deuexa, vt prædiximus, inhabitabant: erantque viri fortes, & in armis strenui, nostris, in maioribus negotiis quæ cum hostibus habebant frequentissimè, valde vtiles: vnde & de eorum conuersione ad fidei synceritatem, maxima nostris accessit lætitia. *Maronis* autem error & sequacium eius, est & fuit, sicut ex sexta Synodo legitur, quæ contra eos collecta esse dinoscitur, & in qua damnationis sententiam pertulerunt: quòd in Domino nostro IESV CHRISTO vna tantum sit, & fuerit ab initio, & voluntas & operatio. Cui articulo ab Orthodoxorum Ecclesia reprobato, multa alia perniciosa nimis, postquam à cœtu fidelium segregati sunt, adiecerunt: super quibus omnibus ducti pœnitudine, ad Ecclesiam, vt prædiximus, redierunt Catholicam, vnà cum Patriarcha suo & Episcopis nonnullis, qui eos sicut prius in impietate præcesserant, ita ad veritatem redeuntibus, pium ducatum præstiterunt.

IX. Porrò dum ita Regnum, vt prædiximus, pace ad tempus inter dominum Regem & *Salahadinum* initâ, quadam tranquillitate frueretur, non defuerunt filii Belial & impietatis alumni, qui spiritum habentes inquietum, turbas in Regno mouerent, & mala intestina molirentur. Cùm etiam Comes Tripolitanus, quasi per continuum biennium circa partes Tripolitanas multiplicitate negotiorum impeditus, moram agens, in Regnum non potuisset ascendere, accidit, quòd inuitante sollicitudine, quam pro vrbe gerebat Tyberiadense, quæ vxoris erat hereditas, redire disposuit: cumque omnem ad iter prosequendum fecisset apparatum, & iam vsque *Biblium* peruenisset, prędicti viri nequam Regem nimis simplicem, malignâ suggestione circumuenerunt, persuadentes, prædictum Comitem sinistrâ intentione in Regnum velle introire, vt de eius supplantatione tractaret occultè: vnde factum est, quòd eorum verbis seductoriis, Rex aurem nimis credulam præbens, missâ legatione, Regni aditũ ei inconsultè nimis interdixit. Quo facto, Comes, cui præter meritum tanta irrogata erat iniuria, confusus & iustâ succensus indignatione, desistens à proposito, licet inuitus, sumptibus innumeris factis inutiliter, Tripolim reuersus est. Erat autem prædictorum ea intentio seductorum, vt absente Comite, qui vir industrius erat, & ad omnia circumspectus, ipsi regia negotia pro libero tractarent arbitrio, & Regis infirmitatem ad suum traherent compendium. Inter quos Regis mater, mulier planè DEO odibilis, & in extorquendo importuna; & eiusdem frater, Regius Senescalcus, cum paucis eorum sequacibus, viris impiis, Regem ad hoc proteruiùs impellebant. Quod factum postquam Regni Principibus innotuit, eorum qui sensus magis habebant exercitatos, maximè corda molestauit: timebant enim, ne tanti Principis patrocinio Regnum destitutum, in præceps rueret, & iuxta Domini verbum, *in seipsum diuisum desolaretur*: maximeque cùm Rex inualescente singulis diebus ægritudine, reddebatur impotentior, & ad procuranda Regni negotia minus minusque fieret idoneus; imò vix in seipso potens subsistere, totus dissolueretur. Videntes ergo regni Maiores periculum, quod ex prædicto facto certum erat imminere, ad reuocãdum Comitem, & eius mitigandam indignationem, omnimodam impendunt operam: & tandem post multos circuitus & diuersa consilia, Rege inuito, sed tamen permittente, prædictum illustrem virum, iniurias sibi illatas prudenter dissimulantem, in Regnum introduxerũt, pace inter eum & dominum Regem pleniùs reformatâ.

Matth. 12, v. 25.

Dum

X. Dum hæc itaque in nostro sic geruntur Oriente, apud *Constantinopolim* grandis circa Imperium facta est permutatio, & casus accidit vniuersæ Latinitati lugubris, & inauditam irrogans, cum enormi damno, contumeliam. Dolor enim, quem pridem fallax & perfida Græcia conceperat, edidit & peperit iniquitatem. Defuncto enim domino *Manuele*, inclitæ recordationis Imperatore felicissimo, successit ei, tum ex testamento patris, tum ex iure hereditario, impubes filius, *Alexius* nomine, vix annorum tredecim. Quo sub matris tutela constituto, dum per *Alexium* Protoseuasto, domini Imperatoris senioris nepotem ex fratre se priore natu, Imperialia procurarētur negotia, visum est tam Maioribus quàm populo ciuitatis illius, opor-
10 tunitatem inuenisse, vt quod aduersus nostros malignè conceperant, possent effectui mancipare. Regnante enim DEO amabili prædicto Imperatore, merito fidei & strenuitatis suæ, tantam Latinus populus apud eum repererat gratiam, vt neglectis Græculis suis tanquam viris mollibus & effœminatis, ipse tanquam vir magnanimus & strenuitate incomparabilis, solis Latinis grandia committeret negotia, de eorum fide meritò præsumens, & viribus. Et quoniam apud eum optimè habebantur, & erga eos profusâ liberalitate abundabat, ex omni orbe, ad eum, quasi ad benefactorem præcipuum, tam nobiles quàm ignobiles concurrebant certatim. Quorum exigentibus obsequiis, magis & magis in nostrorum accendebatur amorem, & omnes ampliùs in statum promouebat meliorem. Vnde Græcorum nobi-
20 les, & maximè eius consanguinei, sed & reliquus populus odium insatiabile aduersus nostros conceperant: accedente etiam ad indignationis cumulum, & odiorum fomitem & incentiuum ministrante, sacramentorum inter nos & eos differentiâ. Arrogantes enim supra modum, & à Romana Ecclesia per insolentiam separati, hæreticum omnem eum reputant, qui eorum friuolas nō sequitur traditiones: cùm ipsi magis hæreticorum sibi nomen adaptent, dum contra Romanam Ecclesiam, & Apostolorum Petri & Pauli *fidem, aduersus quam portæ inferi non possunt præualere*, nouas, & pestilentes opiniones aut gignunt, aut sequuntur. Denique, his & huiusmodi, à multo retro tempore, simultatem hanc apud se conceperant, opportunitatem quærentes, vt saltem pòst Imperatoris obitum, inuisum Latinorum populum, tam
30 in vrbe, quàm in Imperii finibus cōmorantem, delerent penitus, odium inexorabile satiantes. XI. Prædicto igitur Imperatore rebus humanis exempto, dum, vt prædiximus, *Alexius* Protoseuasto Imperium procuraret, visum est non satis commodam adhuc ad complendam malitiam suam reperisse opportunitatem: nam & ipse, Imperatoris exemplo, nostrorum consilio vtebatur & auxilio, eosque sibi quantum poterat, reddebat familiariores: in vno tamen tam nostris quàm omnibus generaliter, se penitus exhibebat odiosum. Quod, licet Græcorum more mollis esset supra modum, & carnis curam toto studio in immundis perficere satageret desideriis, auarus tamen erat, & thesauris parcebat Imperialibus, tāquam si eos proprio su[...] comportasset. Dicebatur etiam, quòd cum Imperatrice, licet viuente adhuc
40 [...]o, sed in extremis laborante, vitam sanctimonialem esset professa, stupri habere consuetudinem. Arrogans præterea, & neminē præ se ducens hominem, aliis inconsultis Principibus, cūcta pro suo disponebat arbitrio, ita vt de cæteris, æquè nobilibus & viris magnificis, nihil videretur curare. Vnde factum est, quòd per studium & operam Principum palatii, qui ei plurimùm ob ea quæ præmisimus inuidebant, euocatus est ex Ponto, cui præerat *Andronicus* senior, domini Imperatoris prædefuncti patruelis, vt ad complendam eorum malitiam cooperator accederet, & *Alexium* Protoseuasto depelleret ab administratione quam gestabat. Erat autem prædictus *Andronicus*, domini Imperatoris defuncti patruelis, vir perfidus & nequam, cōspirationum seminator, & erga Imperium semper infidelis: vnde ob mul-
50 tiplicia eius scelera, tempore domini Imperatoris vincula passus fuerat, & carceres; & exigentibus meritis, ignominiosè tractatus, vagus & profugus super terram, Orientem circumierat vniuersum; in ipsoq; suo exilio multa turpia cōmiserat, & animaduersione digna: nouissimè tamen, vix tribus ante Imperatoris obitum mensibus, reconciliatus in gratiam redierat. Et ne, more solito, circa vrbem turbas posset excitare, & conspirationes moliri vt regno præesset, missus est in Pontum sub honoris prætextu præsidialis. Hunc igitur, Imperatoris & ipsius etiam Protoseuasto consanguinei, & ii maximè in quibus maiorem videbatur habere fiduciam, clandestinis e-

uocauerunt legationibus, monentes, vt aduersus eum armaretur, qui eius filios & alios illustres quosdam, ignominiose coniecerat in vincula. Porrò hic, vt prædiximus, illustres quosdam in conspiratione deprehensos, carceri mancipauerat: vnde ampliorem in se concitauerat inuidiam. Vocatus ergo prædictus *Andronicus*, innumeras Barbararum nationum secum trahēs copias, ad vrbem accessit, & secus Hellespontum è conspectu ciuitatis castrametatus, vniuersam occupauit Bithyniam: contra quem missi quidam potentes, vt eius resisterent moliminibus, proditorum more ad eum se contulerunt: inter quos primi erant & præcipui, *Andronicus* Angeli, princeps militiæ quæ contra eum directa fuerat, & *Alexius* Megaducas qui classi erat præfectus, vterque Imperatoris consanguineus. Nec solùm ii, qui ita manifestè ad eum transfugerant, partem nostrorum reddiderant debiliorem, verùm omnes alii, tam illustres, quàm ciuium multitudo, iam non occultè, sed in propatulo suum *Andronico* præstabant fauorem; & eius in vrbem desiderabant aduētum, modis quibus poterant, vt maturè transfretaret procurantes.

XII. Factum est itaq; quòd inualescente eorum conspiratione, captus est Protoseuasto, & priuatus oculis, & argumentis virilibus decurtatus: vnde nostri plurimùm mente consternati, timentes ne ciuium super eos repentina fieret irruptio, præmoniti à quibusdam qui coniurationis habebant conscientiam; qui validiores erant, alii in galeis quadraginta quatuor, quas in portu repererant, Græcorum effugerunt molimina; alii in nauibus, quarum in portu maxima erat copia, omnem domum imponentes, mortis euaserunt discrimen. Qui autem seniores erant, vel infirmi reperti sunt, & ad fugam minus idonei, ii in domibus suis relicti, impietatis quam alii effugerant rabiem perpessi sunt. Nam parato clàm nauigio sæpedictus *Andronicus*, vniuersas, quas secum trahebat, in vrbem introduxit copias; quę vix ingressæ, vnà cum ciuibus in eam vrbis partem, quā nostri incolebant irruentes, residuum populi, qui aliis abeuntibus aut noluerāt, aut non poterant exire, desæuientibus gladiis peremerunt: & licet pauci essent, qui ad arma possent sufficere, restiterunt tamen diù, & cruentā de se hostibus reliquerunt victoriā. Immemores igitur & fœderis & obsequiorū quæ plurima Imperio nostri cōtulerant, peremptis iis qui resistere posse videbantur, ignē eorū domiciliis subiiciunt, & vniuersam eorū regionē subitò cōuertūt in fauillā: mulieribus & paruulis, senibus & valitudinariis incendio cōsumptis. Nec sufficiebat eorū impietati, in loca desæuire prophana; verùm Ecclesias & loca, quęlibet venerabilia succendentes, qui ad ea salutis caussà confugerant, cum ipsis pariter sacris ædibus concremabant. Nec erat differentia plebeiorum & cleri, nisi quòd atrociùs in eos desæuiebant, qui religionis & honestatis habitū prætēdebāt. Monachis enim & sacerdotibus primas irrogabant iniurias, & exquisitis perimebāt cruciatibus. Inter quos virū venerabilē *Ioannem* nomine, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconū, quē pro negotiis Ecclesiæ, dominus Papa illuc direxerat, cōprehendentes, in contumeliā Ecclesiæ deco[illegible]lauerunt, caput eius ad caudā canis immundæ religantes. Sed nec mortuis, qu[illegible] omnis parcere consueuerat impietas, inter tam detestabiles & peiores parrici[illegible]crilegos, tuta erat quies, quos de monumentis extractos per vicos & plateas, quasi illatas sentirent iniurias, distrahebant. Accedentes præterea ad Xenodochiū, quod dicebatur *sancti Ioannis*, quotquot in eo repererunt lāguidos, gladio peremerūt. Qui autē, ex officio pietatis, oppressorū meritò tenebātur afflictionē releuare, eorum videlicet sacerdotes & monachi, hi dato precio, grassatores & sicarios, ad stragē inuitabāt, disquirētes secessus & domorū penetralia, ne qui in eis delitescerent, vt mortis discrimen declinare possent; inuentosq;, & violenter extractos tradebant carnificibus: quibus etiam, ne gratis operam impenderent, precium sanguinis pro miserorum interfectione porrigebant. Qui autem clementiùs cum eis videbantur operari, hi eos qui ad se confugerant, & quibus spem dederant salutis, Turcis & aliis infidelibus populis, in perpetuam vendebant seruitutem: ex quibus promiscui sexus, ætatis, & conditionis, plus quàm quatuor millia, barbaris nationibus, precio interueniente, distracta esse dicuntur. Sic ergo impius Græcorum populus, & genimina viperarum, more *serpentis in g[illegible]mio, & muris in pera*, nihil tale meritos, nihilque tale verentes, malè remunerauerunt hospites suos: quibus tamen filias suas, neptes quoque & sorores, vxores dederant, & ex diutino conuictu sibi reddiderant familiares.

XIII. Verùm non omnino, tantum & à seculis inauditum facinus impunè cōmisisse dicuntur.

dicuntur. Nam qui, vt præmisimus, in galeis exierant, & qui postmodum eos aliis nauibus sunt subsecuti, habentes secum multitudinem maximam, & classem non modicam, circa vrbẽ, satis in vicino se collegerãt, rei expectantes exitum. Qui postquam plenius cognouerunt, quòd ii qui in ciuitate tumultum excitauerant, eorum succenderant regiones; vxores quoq; & liberos & omnẽ familiã partim gladio, partim consumpserant incendio, iustâ indignatione commoti, exarserunt in irã. Et cupientes vehemẽti feruore, vltum iri suorum sanguinem, circuierunt vtrunque *Hellesponti* littus, ab hostio *Maris Pontici*, quod ab vrbe *Constantinopolitana* distat triginta miliaribus, vsque ad ostium maris *Mediterranei*, quod ab eadem distat miliaribus
10 ducentis, vrbes & quælibet municipia in vtroque sita littore, comprehendentes violenter, & eorum habitatores ferro perimentes vniuersos: sed & monasteria, quæ tam in vtroque eiusdem maris littore, quàm in insulis modicis, quæ per illud mare dispersæ sunt, sita erant, peruadentes, pseudomonachos & sacrilegos eorum sacerdotes, in vltionem fraterni sanguinis, gladio peremerunt, ipsa monasteria cum iis qui ad ea confugerant, succendentes. Ex quibus locis, infinitas auri, argenti, gemmarum & holosericorum dicuntur extraxisse copias: vnde damnum rerum amissarum, & dispendia bonorum suorum multiplici fœnore sibi poterãt recompensare. Nam præter Monasteriorũ diuitias innumeras, & thesauros infinitos, quos à multis retro congesserant temporibus, ciues Constantinopolitani, ingentia ibidem depo-
20 suerant auri & cæterarum gazarum pondera: quæ omnia secum deferentes, & maris illius deserentes angustias, inter *Seston* & *Abydon*, vrbes antiquissimas & maritimas, mare ingressi sunt mediterraneum; littora Thessalię, & mari adiacentium prouinciarum vrbes & oppida perlustrantes diligentiùs, & cuncta incendio & rapinæ tradentes, stragem innumeram operati sunt. Sed & galeas alias à prioribus circa *Chrysopolim*, vrbem Macedoniæ, dicuntur reperisse decem, aliasque in locis aliis quàmplures: vnde sibi classem maximam & Græcis omnino formidabilem, in eorum perniciem dicuntur ordinasse. Alii verò, qui stragem & rapinam abominabantur operari, cum vxoribus & liberis, & residuo substantiolæ suæ, naues ingressi, quarum illis multus occurrebat numerus, à prædicto declinantes exercitu, ad nos in
30 Syriam descenderunt. *Andronicus* interea vrbem pro votis obtinens, & nullum habens contradictorem, Imperatorem cum futura vxore, regis Francorum filia, in die festo Pentecostes, solenniter fecit coronari, omnem ei exhibens reuerentiam; sororem quoque & sororis maritum, simul & matrem Imperatoris, intra septa palatii, adhuc tractans humaniùs; ipse tamen tam in vrbe, quàm extra, quælibet Imperii negotia, pro suo liberè disponens arbitrio: timetur tamẽ, ne hanc fraude palliatâ, personis exhibeat humanitatem, quousque Imperio paulatim occupato & subiectis omnibus, liberiùs ostendat, qualem circa eos gerat voluntatem. Factum est autem hoc, anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo octuagesimo secundo*, mense Aprili. Interea dum hæc in Græcia sic geruntur, nauis quædam mille quin-

An. D. 1182.

XIV.

40 gentos peregrinos deferens, apud Damiatam, in finibus Ægypti, flatibus acta sinistris, confracta est: passis tamen naufragium, spes erat salutis, eò quòd *Salahadinus* nobiscum, tam per terras quàm per mare treugam diceretur habere, & pacem temporalem. Sed longè aliter accidit eis, quàm vel pacis tenor, vel pactorum series exigeret. *Salahadinus* enim prædæ victus cupidine, & tantam Christianorum turbam, occasione fœderis, nolens de regno suo exire liberam, omnes cõiecit in vincula, & eorum sibi bona confiscari præcepit: missaq; legatione ad dominum Regem, contra formam pactorum, & quæ penè impossibilitatem continebant, ab eo cœpit reposcere: adiiciens, *Quòd nisi pro omnibus illis ei pro voto satisfieret, ipse nauim prædictam sibi vellet in compensationem detinere, & præterea renunciare paci, de qua inter eos conuenerat.*
50 Quod cùm non obtinuisset eius nuncius, quoniam caluas occasiones magis innectabat, vt nauem sub aliquo quæsito colore detinere posset, quàm iustas caussas allegaret; soluto fœdere, cogitare cœpit, quomodo suo more, vetus exercens odium, Regnum posset aggrauare. Conuocatis igitur expeditionibus, & vniuersis tam peditum quàm equitum copiis, simul & eorum multitudine, qui à Damasco & adiacentibus ei finibus, annis præteritis, famis acerbitatem declinantes, in Ægyptum descenderãt, proposuit redire Damascum, vt inde quasi de vicino nos ampliùs molestaret. Adiecit etiam, vt in veniendo, regionem nostram quæ est trans Iordanem,

pro posse damnificaret; aut fruges succendendo, quæ iam albæ erant ad messem; aut vnum vel plura de præsidiis nostris, quæ in ea erant prouincia, violenter expugnando. Id autem, eo maximè dicebatur proposuisse intuitu, vt sibi satisfaceret, de Principe *Rainaldo*, qui ei præerat regioni, cò quòd Arabes quosdam infra tempus fœderis contra legem pactorum cepisse diceretur, & repetitos reddere negauerat. Cognito ergo per exploratores eius aduentu, & proposito, Rex habitâ Hierosolymis curiâ generali, & super petitionibus *Salahadini* diligenti tractatu, de quorundam consilio, cum totis Regni viribus, in prædictam regionem, vallem pertransiens Syluestrem, in qua est *Mare Mortuum*, peruenit; vt venienti *Salahadino* occurreret, & se opponeret prouinciam vastare volenti. Porrò *Salahadinus* transcursâ cum suis expeditionibus solitudine, quod iter, cum multa difficultate, vix diebus viginti confecerat,* iamque terram habitabilem in finibus nostris, iuxta præsidium, quod dicitur *Mons Regalis*, quasi ad decem milliaria castrametatus: expectans vt de statu regionis, & vbinam esset Rex cum suis expeditionibus, certificaretur. Rex verò iuxta vrbem veterem, cui nomen *Petra Deserti*, in secunda sitam Arabia, castra locauerat, ab exercitu *Salahadini* triginta sex vix distans miliaribus; eratque ibi vniuersum cum eo Regni robur: sed & Comes Tripolitanus ibi inuitus detinebatur; contra cuius cõsilium Rex illuc profectus erat, & reliquas Regni partes inobseruatas, & absque militia dereliquerat: fauore enim prædicti *Rainaldi* Principis, magis quàm consideratione maioris compendii, quidam ad hoc Regem impulerant, non multùm attendentes, quid interim Regno viribus destituto posset accidere: quod quàm imprudenter factum fuerit, rei exitus subsequens statim declarauit. Nam qui circa *Damascum, Bostrũ, Baulbec, & Emissam* erant Principes, videntes Regni robur abesse, & militiâ destitutam regionem vniuersam, cõuocatis clàm & sine tumultu copiis, *Iordanem* secus mare Galileæ, quod est Tyberiadis, transeuntes, fines nostros latenter ingressi sunt; & percurrentes ex parte Galileam, peruenerunt ad locum qui est sub monte Thabor, cui nomen *Buria*, iuxta *Naim* vrbẽ antiquissimam. Homines autem illarum partium de treuga pręsumentes, quam nondum nouerant defecisse, securi nimis, minus sibi prouidebant: vnde factum est, quod clàm & de nocte super eos irruentes, locum ex omni parte vallauerunt, ita vt neque ad montem, qui loco imminebat, fuga* non pateret obsessis. Luce igitur redditâ, videntes loci habitatores infinitam circa se hostium multitudinem, in turrim quæ suburbio præerat, certatim se contulerunt: quam vndiq; circumdantes, & cum summa instantia suffodientes, intra quatuor horarum spacium suffossam, solo deiecerunt: ante ruinã tamẽ, cùm iam rimam duceret, & casum minaretur, eos qui in eã confugerant, in deditionẽ susceperũt. Colligentes igitur pro libero, & sine contradictore arbitrio, tũ illius, tum adiacentium locorum prædã vniuersam, exceptis his qui in conflictu ceciderunt, penè quingentas animas secum detulerunt in vinculis. Nã quia locus erat frugifer, & messis tempus aderat, multi ex locis finitimis metendi gratiâ illuc se contulerant, quos omnes (vt prædiximus) secum sine contradictore deducentes, iterũ Iordane trãsito, sani & incolumes reuersi sunt ad propria.

XV. Accidit præterea per eosdem dies, dum adhuc Rex, & exercitus in *Syria Sobal* detineretur Christianus, casus periculosus admodũ, & nostris perpetuò lugendus. Erat enim nobis in regione *Suite*, trans Iordanem, à Tyberiade sedecim distans miliaribus, præsidium munitissimum, & (vt dicitur) inexpugnabile, ex quo nostris multa dicebatur prouenire vtilitas: nam cùm prędicta regio hostium magis esset contermina finibus, quàm nostris, & ipsi eam faciliùs pro suo possent tractare arbitrio, & eius habitatoribus confidentiùs imperare, huius tamen præsidii beneficio multis annis obtentũ fuerat, & obtinebatur nihilominus in præsenti, quòd nostris & illis ex æquo diuidebatur potestas, & vectigalium par & tributorum fiebat distributio. Erat autem spelunca in latere cuiusdam montis sita, cui subiectum erat immane præcipitium; à parte verò superiori nullus omnino accessus; ex altero verò latere, tantum arcta nimis semita, & per quam homini libero, & ab omni onere expedito, vix absque periculo iter præberetur. Erat autem commissum fidei & diligentiæ nobilis viri & ditissimi *Fulconis* Tyberiadensis. Ad hunc locum accedentes prædicti hostium Principes, qui *Burium*, vt præmisimus, effregerant, & nostrum captiuauerant populum, repentè ante præsidium astiterunt, & infra quinque dies obtinuerunt expugnatum. Super quo facto,

facto, non eadem omnium erat opinio: quibusdam asserentibus, quòd qui erant in præsidio, pecuniâ redempti, locum hostibus tradiderunt: aliis verò, quòd ex latere speluncam effregerunt, quia lapis cretaceus erat, & facilè soluebatur, & violenter ingressi stationem primam quæ inferior erat, occupauerunt, dicentibus: vnde postmodum eos qui erant in medio & in supremo cœnaculo (nam ibi tres dicebantur esse mansiones) ad deditionem compulerunt. Compertum est autem postmodum, quòd culpâ magistratuum, qui cæteris præerant, municipium ad hostes peruenerit: nam aliis resistere volentibus, ipsi auctoritate quâ præminebant, inhibebant defensionem; & postmodum resignato municipio ad hostes se contulerunt. Dicebantur autem esse qui loco præerant, Syri, qui apud nos effœminati & molles habentur. Vnde maior culpa in prædictum *Fulconem* refunditur, qui tales loco præfecerat tam necessario. Exiit ergo sermo iste, & longè lateq; diffusus est per Regnum, peruenitque vsque ad nostros qui erant trans Iordanem, prepedire volentes transitum *Salahadini*, ex Ægypto ascendentis in Syriam, & properantis Damascum; quo comperto, consternati sunt animo vniuersi, & maximè Tripolitanus Comes ad cuius curam prædictum municipium respiciebat. Vnde factum est, vt qui Regnũ negligenter reliquerant, ibi negligentiùs se habẽtes, nihil DEO placitum, nihil Regno vtile operari possent: Nam cùm vsque ad fines regionis nostræ, aduenienti *Salahadino* debuissent occurrere, & Regni prepedire introitum, imprudenter nimis vsque ad locum cui *Gerba* nomen, eũ permiserunt accedere, vbi aquarũ, quibus maximè sitiens, eius indigebat exercitus, omnẽ reperit abundantiã; & inde missâ expeditionũ parte circa præsidium nostrũ, cui nomen *Mons Regalis*, vineta succiderunt, & alia quædã oppidanis intulerunt damna. Quòd si ad eũ locum nostri peruenissent, eum proculdubiò oportuisset in Ægyptum redire: trahebat enim secum infinitã imbellis populi multitudinẽ, quibus & aqua iã defecerat in vtribus, & panis in cistarciis, quos omnes in solitudine oportuisset inediâ deperire: nã procedere non poterat, & cũ nostris erat periculosum cõmittere. Audientes ergo, quòd ad prædictum iã peruenisset locum, iterum decreuerunt nostri ad aquas *Rasel Rasit*, illi occurrere: quod si factum fuisset, per vlteriorem solitudinẽ oportuisset eum iter cœptũ agere, quod nonnisi cum multa tam hominum quàm iumentorũ potuisset consummasse iacturа. Quod propositũ cùm non fuisset effectui mancipatum, accessit ad prædictas sine difficultate aquas; & inde sine cõtradictore fines suos cum omni incolumitate ingressus, Damascum peruenit. Quod nostri cognoscentes, iterũ eadem viâ quâ priùs transierant, reuersi sunt ad propria: timentes verò, ne à Damasco, in quam se cum omni suo comitatu receperat, Regno aliquid insidiarum, & damni moliretur, cõgregatus est vniuersus Regni populus ad fontem *Sephoritanum*, inter Sephorim & Nazareth: vbi habẽtes secum Dominicæ Crucis lignum, præsente Rege & Patriarchâ, & aliis tam ecclesiasticis quàm secularibus regni Principibus, de die in diẽ hostium expectabant incursus. Salahadinus interea congregatâ ex vniuersis finibus suis, super ea, quam ex Ægypto proficiscens secum transtulerat, militiâ, propositum habens, vt fines nostros ingrederetur, ad eum locũ accessit, qui dicitur linguâ eorum *Raseline*, quod interpretatur *Caput aquæ*. Is autẽ locus à nostris finibus & ab vrbe Tyberiadensi modicum distare dicitur. Vbi cùm per dies aliquot morã fecisset, subitò fines nostros ingressus est, in loco qui dicitur *Cauam*, inter duo flumina, qui à Tyberiade vix distat quatuor miliaribus, castrametatus. Quod vbi nostris per exploratores cognitum est, ad vrbem prædictam sub omni celeritate exercitum dirigunt, vt militares copias, quæ ad eius loci & finitimorum municipiorum tuitionem, *Saphet* videlicet & *Belueir*, deputatæ erant, secum assumerent, hostem protinus insecuturi. Porrò Comes Tripolitanus, vir prudens & in armis strenuus, & in re militari plurimam habẽs experientiam, duplici tertianâ ibidem periculosissimè laborabat: vnde nostris, qui de eius consilio & prouidẽtia plurimùm præsumebant, multa accreuit mœstitia, eò quòd tanti Principis solatio, in tanto necessitatis articulo, fraudarentur. Conuocatis tamen ex locis finitimis auxiliaribus copiis, erectis vexillis hostem insecuti sunt. *Salahadinus* verò nostrorum audiens aduentum, transito Iordane, cum suis expeditionibus in partes Scytopolitanas se contulit. Est autem Scytopolis tertiæ Palestinæ metropolis, inter montes Gelboe & Iordanẽ, in campestribus & agro sita irriguo, quæ alio nomine dicta est *Bersan*, cuius prærogatiuâ Nazarena hodie,

quæ in eadem diœcesi sita est, gaudet ecclesia: nam vrbs præscripta raro hodie incolitur habitatore, ad instar modici redacta oppidi. Ad quem locum peruenientes hostium cunei, presidium modicum quod ibi est in paludibus situm, cœperunt fortiter impugnare: sed resistentibus viriliter oppidanis, videntes quòd non proficerent, versus castrum nouum, cui nomen est hodie *Beluoir*, inter prædictam vrbem & Tyberiadem in montibus situm, vt nostris occurrerent, acies direxerunt. Nostri verò Iordanis fluenta secuti, vbi ad prædictum peruenerunt locum, deserentes vallem, ascenderunt in montes: multâ tamen immensi caloris, qui supra modum proficiscentibus incubuerat, incommoditate fatigati: vbi noctem illam, vicinis hostibus suspectam, continuatis excubiis transegerunt: mane facto, descendentes in 10 planiciem, quæ inter prædictum oppidum & vicum, cui nomen *Forbelet*, hostes viderunt circumpositos, in tanta multitudine, quantam videre non consueuerāt. Dicebatur enim à senioribus Regni Principibus, quòd à primo Latinorum in Syriam introitu, nunquam tantas vidissent hostium copias. Eratque numerus expeditorum ad pugnam, quasi ad viginti millia: nostri autem equites vix reputabantur septingenti. Erat autem Salahadino & Principibus eius, vna & communis intentio, nostros ex omni parte vallare, vt nec vnus euadere posset: nam de iam dicta multitudine præsumētes, & nostram contemnentes paucitatem, quòd eis nostri possent resistere, nullatenus arbitrabantur. Verùm ei, *cui non est difficile in paucis maiorem superare multitudinem*, aliter visum est. Nam præuiâ misericordis DEI clementiâ, licet 20 eorum respectu, nostri nulli viderentur, tamen ordinatis iuxta militarem disciplinam agminibus, & in hostium cuneos, solitâ irruentes animositate, & hostium impetus multâ sustinentes constantiâ, in eo conflictu superiores inuenti sunt: licet multi de nostris, quos nominatim tangere supersedemus, ignominiosissimè, & cum perpetuo probro, bellicis sudoribus se subtraxerunt. Optimè se habuerunt illâ die, strenuè & viriliter decertantes, *Balduinus Ramatensis*, & *Balianus* frater eius. Sed & *Hugo* iunior, domini Comitis Tripolitani priuignus, cum acie Tyberiadensium, memoriam eâ die meruit in benedictione celebrandam: qui licet esset adolescentior, tamen supra illius ætatis vires, cum acie supradictâ, cui præerat, tres hostium cuneos violenter effregit, & conuertit in fugam, ad suos, per DEI gratiam, rediens 30 illæsus. Ceciderunt in eo conflictu de nostris, ex equestri ordine pauci, sed sanctorum adepti consortium; de popularibus verò, plures: hostium autem maior facta est strages: sed & de Principibus eorum ceciderunt aliquot, quorum cæde consternata pars aduersa, campum deseruêre certaminis. Sed nec illud prætereundū est cū silentio, quòd tanta per eos dies præter solitum fuit caloris inclementia, quòd ex vtroque exercitu non pauciores caumatis ceciderunt importunitate, quàm gladio. De numero autem interemptorum hostium, nihil certū colligere potuimus: nam vt suorum casum nostris occultarent, eos qui in acie ciciderant, secū deportabant: quos sequenti nocte in castris occultè sepelierunt, ne eorum manifestatus interitus, nostros redderet fortiores. Dicimus tamen, vtroque supradicto casu, de eis qua- 40 si ad mille cecidisse. Quo facto, videns *Salahadinus*, quòd præter spem ei acciderat, & quòd duriores, quam esset arbitratus, inuenisset aduersarios, confusus, transito iterum Iordane, reuersus est ad propria, in eodem loco, vnde egressus fuerat, denuò castrametatus. Nostri verò, reuocatis agminibus, ad fontem *Seforitanum*, vnde priùs egressi fuerant, reuersi sunt. Quo itinere quidam Dominici Sepulchri Canonicus, *Balduinus* nomine, ecclesiæ eiusdem thesaurarius, & viuificæ Crucis baiulus, caloris immensitatem non ferens, delatus in lectica, sub monte *Thabor*, iuxta torrentem *Cyson*, expirauit. Sed & alter quidam eiusdem ecclesiæ frater & Canonicus, *Gaufridus* videlicet de Nouo vico, qui prædicto Balduino in eo itinere deputatus erat ad solatium, dum alienis rapitur studiis, in prędicto conflictu sagittâ confossus interiit, 50 *Dignum est enim, vt qui gladium accipit*, iuxta verbum Domini, *gladio debeat perire*. *Matth. 26.*

XVII. Domino igitur Rege cum suis expeditionibus ad locum supradictum reuerso, *Salahadinus* ægrè ferens nimium, quòd ita eius & suorum euacuatus esset conatus, iterum conuocat copias; iterum omnia percurrit argumentorum genera, anxiè cum suis deliberans, quomodo iterū nostris recidiua posset inferre grauamina. Videns autē quòd nullâ viâ cōmodiùs nostros posset opprimere, quàm si ex pluribus partibus nostros attentaret molestare, fratri quem suorum procuratorem negociorum re-

rum reliquerat in Ægypto mādat, & districtè præcipit, quatenus sub celeritate classem ab Alexandria & vniuersa Ægypto dirigat in Syriam, significās ei propositum, quòd in votis haberet, classe receptâ, *Berythensium* vrbem, tam per mare quam per terras obsidione vallare: & ne Regni populus ad eius liberationē cum Rege posset accelerare, eidē præcipit, vt collectis equitum viribus, quæ in Ægypto erāt residuæ, ipse etiam ab Austro ingrediens, omnē circa *Gazam*, & *Ascalonam* & *Darum*, quæ sunt Regni nostri oppida nouissima, Ægyptiacam respicientes diocesim, regionem depopulaturus ingrediatur. Hæc autem eo tractabat studio, vt dum Regni pars illis qui ab Ægypto irrumperent, tentarent occurrere, debilitatis cæteris, & factis paucioribus, ipse vrbem obsessam acriùs & liberiùs impugnaret. Factumque est iuxta mentis illius conceptum, & mandati formam. Nam infra paucos dies, & classis nauium rostratarum triginta iuxta condictum affuit: & frater quas in vniuersa Ægypto contrahere potuit, circa *Darum* introduxit copias. Ipse autē vt aduenicnte classe paratior inueniretur, in eam regionem quę vulgari appellatione dicitur *vallis Bacar.* expeditiones dirigit, constitutis exploratoribus super montes illos qui medii sunt inter regionem prædictam, & agrum Berythensiū, in mare prominentes, qui de aduentu galearū ipsum redderent instructiorē. Ipse autem, hoc interuallo, ex locis adiacentibus pedestria conuocabat auxilia, & quę ad futuram obsidionē arbitrabatur necessaria solicitus procurabat. Nec morâ, circa Augustales Kal. sæpedicta classis in littore appulit Berythensium: quod vt prædicto *Salahadino*, per deputatos ad hoc specialiter, nunciatum est exploratores, illicò sine mora superatis mediis montibus (de quibus præmisimus) vniuersas expeditiones suas demisit in campestria; & vrbē sæpe nominatam, prout diu antè destinauerat, vndique vallat obsidione. Nostris autem qui ad *Sephorum* in castris erant, varius de *Salahadini* proposito rumor ferebatur, dicentibus aliis, quòd vrbē Berythensium sicut pro certo patuit, obsidere decreuisset; aliis verò asseuerātibus, quòd circa obtinendā *Halapiam*, tota eius anhelabat intentio: nonnullis etiam astruentibus, quòd domino *Mussulæ*, magnifico & potenti Turcorū satrapæ, qui eius quædā oppida circa Eufratē obsidere dicebatur, tentabat occurrere. Verùm dum hic sermo tam dubius in castris verteretur, affuit nuncius, verbi ambiguitatem dirimens, qui vrbem *Berythensium* procul omni dubio asserebat obsessam. Adfuit nihilominus & à parte Australi nuncius, qui eiusdem *Salahadini* fratrem, cum ingētibus copiis, fines nostros circa *Darum* inuasisse, & triginta sex leuis armaturæ milites, quos *Turcopulos* appellant, interfecisse, & quędam succendisse suburbana nunciaret pro certo. Quo comperto, Rex habitâ cum Principibus deliberatione, eligit morbo periculosiori occurrere, & vrbem obsessam ab ingruente molestia liberare: nam ei suæ sufficere non videbantur copiæ, vt vtrunque hostem à suis finibus eodem momento posset arcere. XVIII. Conuocatis igitur expeditionibus, & translato vniuerso exercitu, Rex vsque Tyrum peruenit. Classem quoque nihilominus quam tum in Acconensi, tum in Tyrensi portu repperit parari præcipiens, subitò & præter spem omniū, intra dies septem, armatam optimè, & viris fortibus instructam Galearum triginta trium ordinauit. Interim tamen, dum hæc apud nos studiosè nimis & votis ardentibus præparantur, *Salahadinus*, vrbem, vt prædiximus, obsidens, quantas poterat molestias, vtroque circa id desudante exercitu, ciuibus inferebat: nā ordinatis circa vrbem legionibus, & sibi vicissim succedentibus agminibus, tantas per triduum continuum obsessis intulit angustias, vt negatâ requie, nec ad refectionem corporis necessariam ferias indulgeret aliquas. Machinas tamen seu iaculatorias, seu alterius generis, quibus solent ab hostibus expugnari præsidia, nullas secum detulerat, aut quia absque eorū adminiculo vrbem subitò, & sine difficultate se arbitrabatur posse effringere, & obtinere violenter; aut quia nostrorum celerem expectans aduentum, tantam operam inutiliter consumere recusabat: quod tamen absque machinis poterat, diligenti studio & totâ percurrebat sollicitudine. Nam, vt prædiximus, infinitam multitudinem sibi per vices alternatim succedentem, seriatim circa vrbem collocauerat, quæ tantam in eos, qui in muris erant & turribus, & ad tuitionem vrbis desudabant, sagittarum immittebant multitudinem, quòd instar grandinis & vrbem replerent & mœnia. Nec solùm eo modo obsessos, ab vrbis tuitione nitebantur arcere, verùm & fossores, qui ad hoc specialiter vt murum suffoderent, vocati fuerant, violenter laborabant

intromittere, vt antemuralia murosque effringendo & aditus patefacerent, quibus armatorum copiæ, inuitis ciuibus ingrederētur: & vt ipsi liberiùs huic studio operam possent impendere, alii, vt præmisimus, arcubus instabant & balistis, & infinitâ telorum immissione; & tantâ instabant proteruiâ, quòd vix sine mortis periculo, qui intus erant, digitum audebant exerere. Ciues tamen, licet pauci essent admodum, præfecti tamen vrbis & episcopi maximè, quorum multa in eo facto meritò commendatur virtus & constantia, monitis & exhortationibus acquiescentes, his omnibus argumentis, argumenta obiiciebant contraria, & nullam resistendi artem relinquebant intentatam. Nam & contra exteriores sagittarios, tela & sagittas, arte non dispari vel studio retorquebant, vnde hostibus dispendia longè multipliciora inferebant, & causas mortis illis irrogabant frequentiùs, qui cum maiore proteruia videbantur instare. Et his qui murum nitebantur suffodere, arte occurrebant eadem, ita vt ipso opere desudantibus plerunque aut mortem inferrent, aut fodiendi aufferrent instrumenta. Nec solùm qui per terras aduenerant, has tantas ciuibus obsessis inferebant molestias: verùm & qui nauigio accesserant, non minus proteruè, non minùs hostiliter obsessis instabant. Ipse autem *Salahadinus* non longè ab vrbe in colle constitutus, & propriâ præsentiâ, & exhortationis verbo suos ad instantiam animabat: eaque tenus profecit, quòd quidam de Principibus eius *Choëlinus* nomine, scalas mœnibus applicandas decerneret, & violenter ingrediendum esse denunciaret. Turpe etenim ei videbatur & ignominiosum, quòd tantæ, tantorum virorum multitudini, populus tam modicus posset vel auderet resistere. In quo proposito dum perseueraret attentiùs; & alios ad idipsum tum verbo tum exemplo animaret, subitò sagitta iuxta oculum in facie percussus, & se & alios reuocauit ab opere incœpto: eumque per triduum penè continuum, ita vrbem impugnasset, videntes quòd non proficerent, qui per mare aduenerant, de mandato *Salahadini* in Galeas se recipientes, circa noctis initium tertiæ clàm & de nocte reuersi sunt. *Salahadinus* quoque reuocatis agminibus, ab vrbe discedens aliquantulum, per campestria quæ vrbi prædictæ adiacent, turmas cœpit diuidere, turres quæ erant in adiacentibus suburbanis funditus deiici præcipiens: sed nec pomeriis & vinetis, quæ in circuitu vrbis erant plurima, parcentes, in securi & ascia cuncta deiecerunt. Vt autem in obsidione liberiùs tutiusque perseuerare posset, viarum quasdam difficultates, & angustias quæ inter vrbem prædictam & *Sidonem* positæ, per quas nostro exercitui ad vrbis liberationem accedere volenti, de necessitate futurus erat transitus, non solùm à suis pedestribus turbis occupari fecerat, verùm vbi erant maiores angustiæ, siccis lapidibus absque cœmento, vsque in ipsum mare fecerat deduci maceriam; vt vtroque impedimento nostræ retardatæ legiones, eò minus liberè ad eum possent accedere, ipseque interim non desineret vrbem molestare. Cumque firmum fixumque priùs diceretur habere propositum, ab vrbis obsidione, nisi eâ violenter effractâ, non discedere: mutatâ voluntate, vt prædiximus, reditum accelerauit ad propria. Cuius rei caussa fuisse dicitur, quòd quendam literarum baiulum, quæ in vrbem ad solidandos animos obsessorum, à quibusdam dirigebantur fidelibus, casu ceperant, qui obseruabant transitus: quem ante Salahadinum deductum, grauissimis quæstionibus subiecerunt. Vbi tum ex eius confessione violenter extorta, tum ex literarum tenore cognoscentes, quòd nostrorum vterque paratus erat exercitus, & infra triduum procul omni dubio affuturus, mutato proposito, soluerunt, vt prædictum est, obsidionem. Classis tamen nostra vsque ad locum peruenit destinatum: sed vrbem reperiens liberam, in portus vnde priùs exierat, non multo interiecto tempore, reuersa est. Rex autem & vniuersus exercitus eius, cognito quòd hostes ab vrbe discessissent obsessa, cùm apud *Tyrum* per dies aliquot moram fecisset, reuocatis expeditionibus, *Sephorim* reuersus est.

XIX. *Salahadinus* interea, sicut erat vir vigilantissimus, & toto mentis ardore ad dilatandam nominis sui gloriam, & regni incrementum anhelabat, nostrorum vires quasi pro nihilo ducens, & ad maiora suspirans, ad partes transire disposuit Orientales. Id tamen, nondum pro certo liquet vtrum proprio ductus spiritu, & solitâ præceps magnanimitate, sit aggressus; an à Principibus illius regionis euocatus, rem adeò difficilem, & quæ supra vires videbatur, attentauerit. Quacunque ergo fiduciâ, ingentes equitum collegit copias, & compositis pro locorum & temporũ opportunitate

sarcinis,

sarcinis, & quæ ad tantum iter conficiendum sufficere posse videbatur, necessariis, versus Eufraten properat. Apud nos autem sermo diuulgabatur freques, quod versus *Halapiam* contenderet, vt eam sibi vendicare niteretur. Ea enim sola, cum paucis oppidis adiacentibus sibi, de tota *Noradini* hereditate supererat, quæ nondum in eius peruenerat ditionem. Mortuo enim Noradini filio, frater Cotebedini domini Mussulæ, fratre permittente, ad quem iure hereditario defuncto prædicto adolescente deuoluta fuerat, possidebat. Credebatur ergo, sicuti & erat verisimile, quòd vt eam vrbem obtineret, ad partes illas festinasset. Sed sicut rei patefecit exitus, longè sublimiora mente conceperat. Relictâ enim post se vrbe prædictâ, & Eufrate
10 transmisso, Mesopotamiæ vrbes splendidissimas, *Edessam*, *Carram*, & alias quamplures cum oppidis suffraganeis, & vniuersam pene regionem, quæ sub potestate prædicti principis, domini videlicet *Mussulæ*, prius iacuerat, tam viribus, quàm munerum interuentione, intra paucos dies sibi vendicauit. Corruptis enim multâ liberalitate regionum magnatibus, qui Domino sæpedicto fidelitate tenebantur astricti, receptisque eorum municipiis, in suum obsequium omnes conuerterat, ita vt sæpedictus magnus & nobilis princeps suorum penitus destitutus auxilio, ei occurrere, aut resistere non posse diceretur, sed etiam publicè dicebatur, quòd corruptis eius domesticis & familiaribus, potum ei mortiferum, vnde vix postmodum euasit, propinasset: vnde liberiùs vsque *Mussulam*, cum suis expeditionibus
20 iam peruenisse (famâ referente) credebatur. Varius tamen super eo facto apud nos disseminabatur sermo, dicentibus aliis, quod prosperè incederet, & omnia illi suppeterent ad votum: aliis è diuerso asserentibus, quod per maiores illarum regionum Principes, contra illius insolentiam conuenientes, eius malè tractatus esset exercitus. Rex igitur & Regni nostri Principes, videntes regionem hostium, viribus destitutam militaribus, arbitrati, sicut & meritò videri poterat, quòd nocendi hostibus optata pateret occasio; eoque ampliùs indignati, quòd tantam eius qui abierat, notabant superbiam, quòd contemptis Regni viribus, vt regna sibi vēdicaret extera, proficiscens, cum Rege nec treugam nec fœdus inierat: communicato consilio, collectis Regni viribus, assumpto sibi viuificæ Crucis ligno precio-
30 so, domino quoque Patriarchâ eos prosequente, hostium fines ingressi sunt, regionem pro viribus depopulaturi. Pertranseuntes ergo *Traconitidem* regionem, quæ *Bostrensis* dioceseos pars est non modica, Syriam minorem, cuius caput est *Damascus*, ingressi, & ad Orientalem eius plagam contendentes, locum celebrem & famosum *Zora* nomine, multis refertum habitatoribus, qui à Damascena non multùm distat vrbe, violenter effregerunt; & inde regionem perlustrantes ex parte plurima, loca suburbana quæ vulgò *Casalia* dicuntur, suppositis ignibus & aliis, quibus poterant, nocendi artibus deiecerunt. Regionis autem habitatores, præcognito nostrorum aduentu, cum gregibus & armentis, cum liberis & vxoribus ad loca se contulerant munitiora. Vnde factum est, vt prædæ & manubiarum aut nihil, aut
40 modicum secum nostri reportauerint: fruges tamen & cætera vitæ necessaria, quæ illi abeuntes secum transferre non poterant, nostri vel incendio, vel aliis quibus id modis fieri poterat, consumpserunt. Redeuntes verò depopulando vniuersa quæ occurrebant, iuxta nobilem illius regionis metropolim, *Bostrum* nomine, quæ vulgari appellatione dicitur *Bosseret*, habuerunt transitū. Vbi cùm de effringendo eiusdem ciuitatis suburbio, inter nostros tractatus haberetur, videntes quòd id subitò fieri non posset, sed moram exigeret diuturniorem, quam tamen non dabat aquarum inopia, ad redeundum se præparant, sibi & equis & iumentis omnibus sitis formidantes importunitatem. Est enim regio prædicta, arens prorsus & inaquosa; fontes, riuos & flumina non habens penitus: hybernis enim mensibus lacunis so-
50 lent aquas colligere pluuiales, & eas totâ conseruare diligentiâ, ad vsus necessarios per annum integrum, calore solis, & assiduitate limi cui superiacent, factas insipidas. Has etiam aduentu nostrorum præcognito, effractis lacubus, aut emiserant, aut immissis corruperāt immunditiis, ne pertransiens exercitus morā ibi posset nectere: Sed neq; depopulationem quantam vellent exercere, temporis patiebatur pars illa: iam enim fruges, & cætera illa quæ incendium solet consumere, congesserant in horrea, quæ in speculus subterraneis regio illa habere consueuit; quas etiā terra coopertas & arte occultatas multâ, difficile erat inuenire: sed etsi quid reperiebatur

XXX.

in areis, id exutum ſtramine, & mundatum à palea, non facilè admittebat incendium, graui ſolitudine ignem non admittente. Vixque aliud areis damnum poterant inferre, quàm vt fruges diſpergerent; & ad opus equorum, abeuntes ſecum deferrent. Multi tamen artem nocendi quærentes, aliunde ſtramina, aliunde paleas frugibus immiſcebant iam purgatis, vt faciliùs admittere poſſent incendia. Reſiduum autem militiæ, quam in eadem regione *Salahadinus* abiens dereliquerat, quoniam de viribus non præſumebant eatenus vt cum noſtris auderent congredi, vel eis de proximo miniſtrare impedimentum, gregatim de remoto ſequebantur, vt circa abeuntis exercitus poſteriora, aliquid poſſent latenter moliri. Sed neque ſic noſtris impedimentum miniſtrare potuerunt, aut lædere totum vel partem exercitus. 10

XXI. Tranſcurſa igitur regione, & eâ quantum eis nocere dabatur damnificatâ, redeuntes, in ea eiuſdem prouinciæ parte, cui *Suite* nomen eſt, ſubſtiterunt. Hæc autem eſt regio, in qua præſidium ſitum eſt, quod à noſtris paulo antè, vt prædiximus, hoſtes dum in Syria Sobal moram facerent, fraudulenter eripuerant. Eſt autem regio commoditatibus vini, frumenti & olei, ſimul & ſalubritate commendabilis, & amœnitate præcipuâ: de qua fuiſſe traditur *Baldad* ille, *Iob* amicus, qui ab ea cognominatus eſt *Suites*. Ad hanc ergo peruenientes, honeſtum iudicant, & ita fieri oportere decernunt, vt prædictum municipium obſideant; & quam nobis intulerant, in eiuſdem captione fraudulenta, hoſtes iniuriam, locum recipiendo, ſi eis concedatur diuinitus, reſarciant. Iuxta ergo condictum, ante locum caſtra locant 20 ſupra nominatum, omnem adhibentes operam & ſtudium, vt ii, qui intus erant, ad deditionem compellerentur. Et quoniam locus erat munitiſſimus, & ſitus eius huiuſmodi, quòd ei nullatenus, niſi à parte ſuperiori, noceri poſſet, ibique non aliàs quàm ſi rupes vſque ad ipſam habitationem incideretur: decernunt à parte ſuperiori cæſores lapidum, eiſque quotquot haberent miniſtros neceſſarios, ſimul & operum cuſtodes, vt tutè & ſine irruentium periculo laborare poſſent, collocare. Erat enim ſpelunca in altiſſimo montis latere poſita, non habens niſi cum multa difficultate acceſſum, in quo vix pediti iter eſſe poterat expedito: nam inferiùs, vſque in profundum ſubiectæ vallis, ingens eſt & horribile præcipitium: ex latere autem, ad eam accedebatur itinere vnius pedis vix habente latitudinem. Erant autem in 30 eadem ſpelunca manſiones tres, ſibi inuicem ſuperpoſitæ, in quibus mutuus per quaſdam ſcalas ligneas, & per quædam anguſta foramina interiùs aſcenſus erat & deſcenſus. Sic ergò eâ ſolâ quâ eis noceri poterat viâ, aggreſſi ſunt ſpeluncam deſuper, vt præmiſimus, incidere, tentantes ſi ad primam & ſuperiorem ſpeluncæ habitationem, incidendo ſic poſſent penetrare. Erat igitur in eo omnis noſtrorum intentio, & totus in eo labor impendebatur. Ordinatis enim ad id operis exequendum artificibus, quotquot erant neceſſarii, & cooperatoribus miniſtris, qui lapides inciſos & lapidum fragmenta, per præceps in vallem ſubiectam deuoluerent, vt ſine intermiſſione opus procederet, vicarias tam interdiu quàm de nocte conſtituebant ſucceſſiones: vt defatigatis prioribus, noui recenteſque venirent, qui operis 40 poſſent & ſcirent portare pondus. Proficiebat ergo labor impēdio, tum ex frequentia & feruore eorum qui prædicto inſtabāt operi, tum ex quadam habilitate quam ex ſe præbebat ſaxi, quod incidebatur, materia. Erat enim lapis cretaceus, & ad frangendum facilis; niſi quòd venas duriſſimi ſilicis interpolatim habebat immixtas, quæ ſæpiùs & ferrea læderent inſtrumenta; & iis qui in opere feruebant, aliquoties miniſtrarent impedimentum. Porrò quicquid fragmentorum, vt locus expediretur, in vallem ſubiectam, vt prædiximus, deuoluebatur, totum id qui in ſpelunca erant obſeſſi, contemplabantur de proximo: vnde eis timor incutiebatur amplior, tanquam qui ſingulis expectabant horis, vt inciſione perfectâ ad eos violenter introiretur. Noſter autem bipertitus erat exercitus: nam pars eius, vt prædiximus, in 50 monte ſupremo, in quo erat ſpelunca, caſtra locauerat, vt eos qui erant in opere ſolliciti, ab hoſtium protegerent inſidiis; pars verò inferius reſidebat in plano, quibus id ſpecialiter erat propoſiti, vt obſeſſis introitum negarent & exitum. Hi etiam nonnunquam per illam artam, vnde præmiſimus, ſemitam, ad inferiorem eiuſdem ſpeluncæ ſtationem accedentes, eos qui intus erant, licet non proficerent, aſſultibus moleſtare nitebantur. Erant autem intus viri fortes & bellicoſi, tam victualium quàm armorum habentes copiam, quaſi ad ſeptuaginta: quos tāquam virtute probatos,

batos, de quorum fide & constantia præsumebat plurimùm *Salahadinus*, abiens intus dimiserat, eorum diligentiæ commendans municipium. Et iam eousque ventũ erat, quòd qui in spelunca erant, præ frequenti & penè continua malleorũ percussione, intus quiescere non poterant: videbatur enim, ad omnem ictuum ingeminationem, spelunca tremiscere & vniuersa concuti: ita vt iam non timerent, quòd nostri ad eos irrumperent violenter, sed quòd tota spelunca, repetitione malleorũ fatigata, subitò corruens, vniuersos opprimeret. Deniq; quòd eis subsidium ministraretur, omnino sperare non licebat: nam priùs nouerant, ad partes remotissimas, & vnde facilè redire non poterat, demigrasse Salahadinum, & militares secum duxisse copias. Vnde factum est, quòd postquam obsidionem tribus vel modico ampliùs septimanis perpessi fuerant, missâ legatione ad dominum Regem, per interuentum domini Comitis Tripolitani obtinent, vt resignato præsidio, cum armis, quæ ipsi intulerant, & propria supellectile, liber eis vsque *Bostrum* indulgeretur transitus. Sic ergo illis abeuntibus, recepto præsidio, confusionem, quam ex eodem priùs videbantur induisse, auctore Domino, & per eius superabundantem gratiam, diluimus. Porrò tam Domino Regi, quàm aliis Principibus curæ fuit non modicæ, statim, sicut expediens videbatur, vt locum resignatum & armis communirent, & victualibus; & viris fidelibus, de quorum fide non dubitaretur & industria, committerent. Quo cum omni diligentia completo, noster ad propria reuersus est exercitus. Factum est autem hoc, anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo octogesimo secundo*,* die mensis Octobris. Modico autem, post hoc, interiecto temporis interuallo, id est, Decembre proximè subsecuto, videntes nostri quòd *Salahadinus* non redierat, & adhuc maioribus negotiis impeditus, circa partes Mussulæ detineretur occupatus: nolentes opportunitatem amittere, quam idem de sua absentia ministrabat, iterum conuenientes, communicato Regni consilio, apud *Cæsaream* vrbem maritimam condicunt vnanimiter, & communi decernunt voluntate, vt collectis Regni viribus, & præparatis ad dies quindecim, tam ad vsus hominum quàm iumentorum necessariis, fines hostium iterum ingrediantur, porrectam occasionem non neglecturi. Factâ ergo expeditione occultâ, in qua solos equites secum habuerunt, ab hostiũ finibus Bostro adiacentibus, sicut ab initio condictum fuerat, prædam in gregibus & armentis, nec non & mancipiis quampluribus, secum traxerunt, cum omni incolumitate redeuntes ad propria. Cui negotio, quoniam à partibus Tyberiadensibus & profectum habuerunt, & ad easdem partes regressum, dominus Comes Tripolitanus præfuit. Quintâ decimâ verò demum die, Rex cum vniuersis Regni Principibus, equitumq; ac peditum copiis, quas Regnum pro tempore ministrare potuit, assumptâ secum Cruce Dominicâ, iuxta Tyberiadem, secus mare Galileæ, in loco cui nomen *Castelletum*, adfuit; & exinde, per locum, cui nomen *Vadum Iacob*, fluuium pertransiens, hostium regionem ingressus est. Vnde progrediens exercitus, Libanum à sinistris deserens, & loca planiora secutus, priùs locum cui nomen *Bettegene*, cum adiacentibus viculis, partim incendio, partim ruinâ deiecerunt funditus, vniuersa eius bona, modis variis tradentes exterminio. Consequenter verò continuato itinere, ad locum peruenerunt, cui nomen *Daria*, quæ ab vrbe Damascena vix quatuor aut quinque distat miliaribus, quam etiam cum adiacentibus viculis eodem modo depopulati sunt. Regionis autem incolæ, partim ad iuga Libani se contulerant, partim confugerant Damascum. Vnde in tota regione, vix vnum de hostibus valuerunt comprehendere: de nostris tamen quosdam qui pabulatum egressi, incautè se habebant, amisimus. Egressi enim ab vrbe Damascena equites nonnulli, de equorum velocitate fidentes, exercitum eminus aliquando præibant, aliquando subsequebantur, exspectantes, si nocendi tempus aut locum inuenirent: qui in nostros, de quibus prædiximus, irruentes, more hostili in eos versati sunt, vniuersos obtruncantes. Ciues autem Damasceni ab vrbe egressi, iunctis agminibus circa pomeria, quæ vrbi adiacent plurima, conglobati, nostrorum cohortes eminus contemplabantur, procedere non audentes. Factumq; est ita, quòd neque nostri in eos, neq; ipsi in nostras expeditiones attentauerunt irruere; sed abeuntibus nostris, ipsi in vrbem se receperunt. Nostri verò regione, vt prædictum est, decursâ, & damno illato, vt prædiximus, sine difficultate & impedimento, reuersi sunt ad propria, domino Rege *Tyrum*, vt ibi Domi-

An. Do. 1182.

XXII.

SSSS

XXIII. nicæ Natiuitatis nobiscum solennia celebraret properante. Interea de *Salahadino*, rumor incertus ferebatur, dicentibus aliis, quòd in Mesopotamia circa partes *Mussulæ* multùm proficeret, & sibi regionem subiugaret vniuersam. Aliis autem dicentibus, quòd vniuersi Orientalis tractus Principes conuenerunt, vt eum ab illis regionibus expellerent violenter; & eas partes, quas ipse dolis & interuentu pecuniæ sibi vendicauerat, ab eo reuocaret. Nobis autē valdè suspectus erat eius profectus; & ne maius susciperet incrementum, eramus plurimùm sollicití, timētes ne multiplicatis viribus ad nos rediret fortior. Vnde factum est, quòd subsequente Februario, conuenerunt Regni Principes vniuersi, apud *Hierosolymam*, de rerum statu, qui præsens erat, consilium habituri. Multùm enim, vt prædictum est, de eius reditu timebatur: Vnde & anxiè magis ad omnia resistendi argumenta, se nitebantur attollere. Factum est igitur post multas deliberationum partes, quòd de vniuersorum placuit consilio, vt census de vniuersis Regni finibus colligeretur, vnde necessitatis tempore, equitum peditumque copias habere possemus; vt rediens prædictus hostis, nos ad resistendum paratos inueniret. Rex enim & alii Principes, in tantam descenderant egestatem, quòd ad complenda debita munia, omninò erant insufficientes. Collecta est ergo de publico pecunia, cuius descriptionis quis fuerit modus, ex rescripti, quod super eo negotio factum est, serie, pleniùs innotescet, quod sic habet. *Hæc est forma colligendi census, qui de communi omnium Principum, tam ecclesiasticorum, quàm secularium, & de assensu vniuersæ plebis Regni Hierosolymorum, pro communi vtilitate eiusdem Regni, contra imminentes necessitates, colligi debet. Decretum est publicè, quòd in qualibet ciuitate Regni, quatuor eligantur viri prudentes & fide digni qui & ipsi iuramento corporaliter præstito, quòd in præsenti negotio bonâ fide debent versari, primùm pro se debent dare, deinde alios ad idipsum compellere, de singulis centum Bizantiis, quos habent, vel eorum valens, siue in rebus penes se constitutis, siue in debitis quæ sibi debentur, Bizantium vnum: de redditibus verò, de singulis centum Bizantiis, Bizantios duos. Debent autem circa alios compellendos ita se habere, quòd vnumquemq; de ciuibus, seu habitatoribus ciuitatum, vel locorum quibus præsunt, iuxta id quod eis videbitur bonâ fide, quod eorum substantia valeat, vnicuique secundum possibilitatem suam iniungere secretè, quid ad prædictam collationem soluat. Quòd si ille cui iniunctum est quantum debeat dare, dixerit, se grauatum esse, & supra vires ei iniunctum esse, afferet iuxta propriam conscientiam quantum ei videbitur, quòd sua mobilia valeant, & præstito iuramento, quòd amplius non debeat dare, iuxta dictam conditionē recedet quietus. Illi autem quatuor tenebuntur ex debito iuramenti secretum tenere, quicquid à ciuibus eis oblatum fuerit, siue magnum, siue paruum; & diuitias siue paupertatem eorum tenebuntur ex iuramento non detegere. Hoc autem debent obseruare in his omnibus, qui habent valens centum Byzantiorum, cuiuscunque linguæ, cuiuscunque nationis, cuiuscunque fidei, non habitâ differentiâ sexus; & siue sint viri, siue sint fœminæ, omnes huic legi subiacebunt. Si verò prædicti quatuor selecti, qui ad hoc deputati sunt, cognouerint pro certo, quòd alicuius substantia non valeat centum Byzantios, accipiant super eum* Foagium, *id est, pro foco, Byzantium vnum: quòd si non poterint integrum, accipient dimidium: & si dimidiū non poterint, accipient* Rabuinum, *secundum quod bona fide videbitur eis faciendum. Huic autem conditioni subiacebunt omnes illi cuiuscunque nationis, linguæ, & fidei, & sexus sint, quorum mobilia non valent centū Byzantios. Decretum est etiam, quod singulæ Ecclesiæ, & singula monasteria, & Barones omnes, quotquot sunt, & vauassores etiam, de singulis centum Byzantiis quos habent in redditibus, sicut & alii, de Regno quicunque redditus habent, debent dare duos Byzantios: Solidarii verò de singulis centum Byzantiis, Byzantium vnum. Quicunque verò* casalia *habent, tenentur iurare, quod de singulis focis quos habent in villis & casalibus suis præter supradicta, bonâ fide dabunt vnum Byzantium: ita quod si casale focos habuit centum, centum inde Byzantios persoluere, rusticos compellat. Erit autem postmodum domini casalis, inter rusticos eiusdem loci, prædictos Byzantios congruis portionibus diuidere, ita vt iuxta possibilitatem suam ad solutionem prædictam, vnusquisque compellatur: ne ditiores leuiùs transeant, vel grauentur pauperiores. Idem autem erit, & si plures vel pauciores habeat casale focos. Hanc autem pecuniam sic collectam de singulis vrbibus, quæ sunt à* Caypha, *citra versus* Hierosolymam, *illi qui, (vt prædiximus) præerunt singulis vrbibus & castellis, deferent Hierosolymam: & eam tradent sub certo numero & pondere, his qui Hierosolymis ad hoc opus præsunt & ipsi consignatam & seorsum, sicuti de singulis ciuitatibus vel locis aliis recipient, in saccis singulis sigillatam, præsente domino Patriarcha, vel eius nuncio; præsente quoque Priore Dominici Sepulchri, præsente quoque Castellano vrbis eiusdem debens*

debent collocare in arcam, quæ erit in thesauro sanctæ Crucis, quæ habebit tres seras, & claues totidem, quarum primam habebit dominus Patriarcha, secundam Prior Sepulchri, & tertiam Castellanus, & quatuor prædicti ciues, qui ad colligendam pecuniam sunt deputati. A Caypha *verò vsque* Berythum, *qui vrbibus præerunt, collectam pecuniam similiter deferent ad* Acconensem *ciuitatem, & ibi tradetur sicuti de singulis ciuitatibus & castellis deferetur, sub certo numero & pondere illis quatuor qui in eadem ciuitate colligendæ præsunt pecuniæ, & reponetur in singulis saccis inscriptis, & sigillatis in arcam, quæ habebit seras tres, & totidem claues: quarum primam habebit dominus* Tyrensis Archiepiscopus, *secundam* Ioscelinus *regius Senescalcus, tertiam verò prædicti quatuor ciues, qui ad hoc opus vrbi præsunt Acconensi. Recipient* 10 *autem prædictam monetam isti, præsentibus dictis dominis qui claues habebunt. Hæc autē sic collecta pecunia, expendi non debet in minutis Regni negociis, sed in defensione terræ tantummodo: & quamdiu hæc pecunia superierit, cessare debebunt tā ab ecclesiis, quàm à ciuitatibus exactiones, quæ vulgò* Taliæ *appellantur: fietq; semel; & non reputabitur pro consuetudine in posterum.*

Interea vir impiger, & per omnia strenuum Principem agens, *Salahadinus*, in XXIV. Mesopotamia Syriæ regiones occupat, & præcipui nominis sibi violenter vendicat ciuitates: inter quas egregiam metropolim *Amidam*, quæ & populi numerositate, & murorum validissimo ambitu, simulque loci situ, videbatur inexpugnabilis, obsidet, obsessam expugnat, & expugnatam tradit ex compacto cuidam Turcorum Principi, *Noradino* nomine, filio *Carassalem*: cuius obsequiis & auxilio fretus, libe- 20 ram in partibus illis moram egerat, & subegerat regionem. Vere demum proximè subsecuto, reuocatis expeditionibus & vniuersa regione apud fideles suos in tuto collocatâ, remenso Eufrate in Cœlesyriam reuertitur, circa *Halapiam* disponens exercitum, & vrbem modis omnibus satagens molestare. Qui autem eidem vrbi præerat, videns quòd frater eius, qui se multò erat fortior & potentior, videlicet *Mussulæ* dominus, eundem *Salahadinum* non potuerat à suis finibus arcuisse, sed eo inuito omnes trans Eufratem subegerat prouincias, timens ne simile sibi aliquid contingeret, missâ clàm legatione, absque *Halapiensium* conscientia, cum *Salahadino* paciscitur, vt redditâ sibi *Semar*, & quibusdam aliis oppidis, quorum nomina non tenemus, ipse *Halapiam* eidem resignaret. Quam legationem *Salahadinus* cum 30 omni iucunditate suscipiens, quia nihil auidiùs ab initio sui principatus affectauerat, quàm vt *Halapiam*, quasi totius Regni robur, sibi modo quocunque vendicaret, grato concurrens assensu, conditionem amplectitur: & traditâ ciuitate prænominatâ, cum adiacentibus pertinentiis, recepit *Halapiam*, in Nonis Iuniis. Hic primùm nostros geminatus corripuit timor: nam quod maximè verebantur, acciderat. Visum enim erat ab initio nostris, quòd si sæpè nominatam vrbem suo posset adiungere Principatui, omnis nostrorum regio vndique videretur, & quasi per circuitum eius potentia & viribus quasi obsidione vallata: vnde rumore comperto, nostri in varia se attollunt argumenta, elaborantes circa vrbium & oppidorum, maximè quæ in confinibus hostium posita erant, munitionem: præcipuè autem, 40 circa *Berythensium* vrbem, quæ huiusmodi operâ plurimum videbatur indigere. Sed & Princeps Antiochenus de tanti hostis vicinitate sollicitus, videns sibi duriorem oppositum aduersarium, cum modico comitatu, ne terram suam militaribus copiis relinqueret destitutam, assumpto secum Comite Tripolitano Regem adiit, qui per eos dies in vrbe Acconensi moram faciebat. Vbi in præsentia Regni Principum, contra prædictum Salahadinum auxilium postulans, iuxta votum meruit exaudiri. Designati sunt enim ei in optatum subsidium, de Regni militia promiscuæ conditionis, quasi equites trecenti: qui eum ad partes Antiochenas secuti, dum in eius parati erant militare obsequio, infra modicum tempus, sumptâ ab eodem licentiâ, reuersi sunt. Ipse verò cum prædicto *Salahadino* pace temporali compositâ, 50 visus est aliquam tranquillitatem assecutus. Vtque minus sollicitudinis haberet, magisque circa fines Antiochenas inuigilare posset, & curam impendere propensiorem, *Tarsum* primæ Ciliciæ metropolim, quam à Græcis receperat, *Rupino* Armeniorum Satrapę potentissimo, qui eiusdem regionis vrbes reliquas possidebat, multarum pecuniarum tradidit interuentu; consultè id faciens: nam cùm esset ab eo remota nimis, & prædicti *Rupini* terra in medio constituta, non nisi cum difficultate, & infinitis sumptibus eius curam Princeps gerere poterat, quod prædicto nobili viro erat facile. *Salahadinus* autem, in ea regione rebus pro voto compositis, *Dama-*

scum cum suis legionibus se transtulit. Vnde etiam priore multo vehementior nostros formido corripuit: eoque periculosior, quo de eius proposito per exploratores nullatenus certificari poterant. Aliis enim videbatur, quòd aduocato nauali exercitu, *Berythensium* vrbem, sicut anno proximè præterito fecerat, moliretur obsidere: alii verò nitebantur asserere, quòd in montanis, qui Tyrensi prominent ciuitati, præsidia duo, *Toronum* & *Castellum nouum* eius esset propositum expugnare: aliis verò videbatur, quòd regionem trans Iordanem, videlicet *Syriam Sobal*, cordi haberet depopulari, & oppida quæ in ea regione sunt, euertere. Nonnulli etiam erant qui persuadere nitebantur, quòd diuturnis longisque expeditionibus fatigatus, pace ad tempus impetratâ, propositum haberet in Ægyptum descendere, vt fatigatos exercitus repararet, & sumptus iterum ad futuras expeditiones colligeret necessarios. Inter hæc igitur tam ambigua, Rex & Regni Principes vniuersi, cum multa formidine tenebantur suspensi. Vnde collectis Regni viribus apud fontem *Seforitanum*, vbi conuenire de prisca consuetudine solent exercitus residentes, rei euentum præstolabantur. Vocatisque tam Principe Antiocheno, quàm Tripolitano Comite, vires & subsidia corrogabant, vndecunque de die in diē expectantes, vt in aliquas Regni partes subitus irrūperet, & legiones induceret solito multipliciores.

XXV. Dum igitur noster, apud fontem *Seforitanum*, ita suspensus detineretur exercitus, contigit Regem apud *Nazareth* febre repentinâ grauissimè laborare; morbo quoque elephantioso, quo ab initio Regni sui, & à primis adolescentiæ auspiciis molestari cœperat, præter solitum ingrauescente, lumen amiserat, & corporis extremitatibus læsis & computrescentibus omninò, pedes manusque ei suum denegabant officium: Regiam tamen dignitatē, & administrationē nihilominus (licet à nonnullis ei suggereretur, vt cederet; & de bonis regiis sibi tranquillam seorsum eligenti vitam, honestè prouideret) hactenus detrectauerat deponere. Licet enim corpore debilis esset & impotens, forti tamen pollebat animo, & ad dissimulandam ægritudinem & supportandam Regiam sollicitudinem supra vires enitebatur. Febre igitur, vt præmisimus, est correptus; & de vita desperans, conuocatis ad se suis Principibus, præsente matre & domino Patriarchâ, *Guidonem de Liziniaco* sororis suę maritum, Comitem Ioppensem & Ascalonitanum, de quo in superioribus sæpissimam fecimus mentionem, Regni constituit Procuratorem, saluâ sibi Regiâ dignitate, retentaque sibi solâ *Hierosolymâ* cum reditu decem millium aureorum, annuatim soluendorum: reliquarum Regni partium generalem, & liberam ei contulit administrationem, præcipiens fidelibus suis & generaliter Principibus omnibus, vt *eius vasalli fierent, & ei manualiter exhiberent fidelitatem*: quod & factum est. Iurasse tamen priùs de mandato domini Regis perhibetur, *quòd eo viuente non aspiraret ad coronam; & quòd de vniuersis ciuitatibus & castellis quæ Rex in præsentiarum possidebat, nihil transferret in alium, vel à fisco alienaret.* Creditur autem id studiosè, & de multa industria eidem iniunctum fuisse, & ad id firmiter obseruandum iurisiurandi religione in præsentia vniuersorum Principum obligatum fuisse: eò quòd singulis eorum, ferè de maioribus Regni membris, portiones promiserat non modicas, vt ad id obtinendum quod petebat, eorum suffragiis iuuaretur & studio: quibus, vt promissa cōpleret, simili vinculo, dicebatur astrictus. Nos verò id asserendo dicere nō conuenit, quia pro recto compertum non habemus: ita tamē famâ frequente diuulgabatur in populo. Erant tamen nonnulli, quibus hæc mutatio non multùm placuit, quorum alii familiaribus studiis, & ex causis occultis ad id vt displiceret proclives se dabant: alii publicam agentes causam, & de Regni statu anxiè soliciti, publicè contestabantur, prædictum Comitem, tantæ administrationis imparem oneri, ad procuranda Regni negotia non posse sufficere: alii verò, quibus de eius promotione spes suberat, vt suas meliores possent facere cōditiones, vtiliter factum asserebant. Eratque murmur, & vox dissona plurimùm in populo, iuxta id quod prouerbialiter dici solet: *Quot homines, tot sententiæ.* Verumtamen hac diu desideratâ & iniunctâ sibi pro votis administratione, quâ in primis satis inconsideratè visus est gloriari, non diu lætatus est, sicut in sequentibus dicetur. Inconsideratè autem onus huiusmodi præfatum sibi assumpsisse Comitem, eâ diximus ratione, quòd non satis diligenter vires suas cum eo quod iniungebatur munere compensauit. Impar enim & viribus & prudētiâ, pondus importabile humeris imposuit, parabolâ

rabolâ non satis edoctus Euangelicâ, quâ suggeritur ei *qui turrim vult ædificare, vt sedens prius computet sumptus, & discutiat diligenter vtrum pares cum assumpto proposito vires habeat, ne deficiens audiat: Iste homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Luc. 14. 28. &c. XXVI. His ergo apud nos se ita habentibus, exercitu quoque nostro apud *Sephorim* in vnum, ex parte plurima, congregato, sæpedictus *Salahadinus*, post multam deliberationem, accitis sibi viribus de regione quæ trans Euphratem est, conuocatis quas vndecunque potuit asciscere equitum copiis, in multitudine graui, & ad vnguem armata, nouissimum fines nostros ingressus est. Subitò enim transcursâ *Auranitide* regione, secus mare Tyberiadis, in campestribus Iordanis, eo loco cui nomen est *Cauan*, 20 cum suis legionibus apparuit, in partes varias distributo exercitu: vnde profectus, secus Iordanis fluenta versus Scythopolim properat. *Scythopolis* autem (vt sæpe dictum est) ea est quæ hodie dicitur *Bethsan*, olim vniuersæ metropolis Galilææ; cuius nobilitatis argumenta, ex ædificiorum ruina pristinorum, & multo marmore, quod in effractis ædificiis inuenitur, est colligere: nunc verò ad nihilum redacta, raro incolitur habitatore, solo oppidulo, quod in paludibus situm est, paucorum habitationi reseruato. Hi verò, licet armis & victualibus pro suo numero, & loci capacitate satis abundarent, de præsidii tamen munitione diffidentes, antequam hostilis omninò accederet exercitus, castrum deseruerant, relictis impedimentis omnibus, Tyberiadem se transferentes. Vnde factum est, quòd hostes ad prædictum 30 accedentes locum, & vacuum reperientes, eum pro arbitrio tractauerũt: quicquid armorũ, quicquid victus, quicquid vtilium deniq; intus erat, secũ deferẽtes. Vnde profecti, diuisoque procedentes exercitu, pars quædam circa fontem, cui nomen *Tubania*, qui ad radices montis Gelboë oritur, secus vrbem antiquitus nobilem, quę dicta est *Iezrahel*, nũc autem vulgari appellatione dicitur *paruum Gerinum*, castra locauerunt, commoditatem aquarum secuti. Nostri autem qui apud fontem *Sephoritanum*, (de quo sæpissimam in his tractatibus nostris fecimus mentionem) adhuc detinebantur in castris, expectantes suspensi, ex quanam parte hostiles in nostram regionem vellent irrumpere legiones: cognitoque quòd campestria *Bethsaniam* tenerent, & multiformiter partitis legionibus iam occupassent illas partes, corre-30 ptis armis vnanimiter, viuificæ Crucis lignum, regiaque vexilla secuti, transcursis montibus, in quibus sita est *Nazareth*, Domini ciuitas, descẽderunt in campum magnum, cui nomen vetus *Esdrelon*. Vnde ordinatis aciebus, & iuxta militarem disciplinam modo competenti dispositis, versus fontem *Tubaniæ*, vbi sæpè dictus *Salahadinus*, cum ingenti egregiorum & selectorum militum manu secus aquas se locauerat, cuneos dirigunt; quasi propositum habentes, hostibus expulsis, aquarum sibi vendicare commoditatem. Quò peruenientes, rati sunt, quòd non sine difficultate, & periculosis congressionibus aquas possent obtinere: subitò *Salahadinus* castra soluens, ex insperato fontem deserit, inferiusque versus *Bethsan*, fontis eiusdem fluenta sequẽs, vix vnius miliarii spacio à nostris semotus, castrametatus est. Porrò an-40 tequam nostri ad eum peruenissent locum, hostes turmatim se diuidentes à maioribus copiis, regionem adiacentem circuire, & more hostili tractare iam inceperãt ex quibus quidam vicum suprà nominatum, videlicet *paruum Gerinum*, confregerant, cuncta quæ in eo repererant: tradentes exterminio: de loci tamen habitatoribus paucos, aut nullos reperire potuerunt: nam hostium aduentu præcognito, ad loca munitiora se contulerant. Quidam autem eum locum, qui vulgari appellatione dicitur *Forbelet*, adeuntes, vicum effregerunt, cuncta quæ illis se dabant obuiam, tractantes hostiliter: alii verò vias secuti publicas, quibus ad nostrum, ex partibus diuersis, tam equites quàm pedites properabant exercitum, transeuntibus multiplicia inferebant pericula: ita vt non sine discrimine, & mortis dispendio, ad nostrum 50 alicunde perueniretur exercitum. Nonnulli verò ex eisdem, in montem *Thabor*, (quod priùs fuerat inauditum) ascenderunt; & monasterium Græcorum, quod dicitur *sancti Heliæ*, pro libero tractantes arbitrio, ipsum etiam maius cœnobiũ effringere tentauerunt: sed receperant se infra septa monasterii, quæ muro & turribus erant vallata, tam monachi, quàm eorum vniuersa familia; & de viculis nonnulli finitimis; qui eos qui in montem ascenderant hostes, ab vniuerso monasterii ambitu viriliter abegerunt. Ascẽderunt etiam, nihilo minus ex eodem comitatu, in eum montẽ, super quẽ *Nazarena* sita est ciuitas: ita vt de prominentibus collibus vniuer-

sam infra se positam respicerent ciuitatem: qui tantæ fuerũt formidini mulieribus & paruulis, senibus, aut debilibus qui in vrbe erant relicti, vt dum certatim in maiorem ecclesiam inueniendæ gratiâ salutis se conferre niterentur, multi à turba præfocati interiisse dicerentur. Armipotentium enim magna pars ciuium, aut castra secuti erant & expeditionem publicam; aut ad vrbes maritimas, maximè *Ptolomaidam*, cum suis se transtulerant famulis.

XXVII. Sic igitur qui à maiore hostium se diuiserant exercitu, longè lateque per vniuersam regionem dispersi, volentibus ad nostras accedere legiones dura & grauissima inferebant pericula: quo terrore, iã nemo vel commerciorũ gratiâ, vel auxiliariũ more ad castra nostrorũ audebat accedere: vnde subitò fames exorta est in exercitu. Nã vt expeditiùs hostibus occurrerent, absque oneribus & impedimentis, nostræ illuc se transtulerãt acies, sperantes quòd infra biduum, aut triduum saltem res esset finem habitura. Indigebant autem maximè pedites, & præsertim qui ab ora maritima instantissimè vocati fuerant, *Pisani, Ianuenses, Veneti, Longobardi*, qui relictis nauibus & transfretandi apparatu (instabat enim transitus, Octobre iam penè mediante) simul cum Peregrinis quos referendos susceperant, nostris se adiunxerant castris. Hi autẽ omnes, vix ad arma ferenda sufficientes, quia castrorum locus à mari quasi viginti distabat miliaribus, nihil omninò victualium intulerãt. Mittuntur igitur legati ad vrbes finitimas, qui earum præfectos, pro mittendis cibariis sub omni celeritate sollicitent: qui debitâ diligentiâ, Regiæ parentes iussioni, certatim & sine dilatione, quantâ possunt, illuc dirigunt victualia. Quorum pars maxima ad castra perueniens, opulentiã intulit pro loco & tempore sufficientem: pars verò quædã incautiùs delata, ad manus hostium peruenit, multam inferẽs commoditatem: nam & ipsi nihilominus inopiâ premebantur. Præmissi fuerant sanè de nostris equites nonnulli, quibus id erat muneris specialiter iniunctum, vt iis qui cum alimentis ad exercitum accedebant, tutũ procurarent accessum: qui quos repererunt sibi obuiam, cum incolumitate perduxerunt ad castra; quibus autem hi tales non fuerunt præsidio, manus hostium incurrentes, aut gladio interempti sunt, aut hostibus perpetuò seruire compulsi. Hic sanè si nostra peccata, nobis DEVM passa fuissent esse propitium, videbatur robur hostium facilè in ruinam verti potuisse, & intolerabilem superbiã descẽdisse in lubricum. Nunquam enim legitur tantam ex vniuerso Orientali tractu conuenisse, tam equitum quàm peditum multitudinem: nec ab aliquibus traditur senioribus, adeò armatam in vnum coiisse manum, ex priuati Regni viribus. Erant enim eis equites ad mille trecentos; peditum verò armatorum egregiè, quindecim milliũ summam dicebatur numerus excedere. Præterea magni & admirabiles præerant exercitui duces, illustres genere, & armorum experientiâ præclari, dominus *Raimundus* Comes Tripolitanus; dominus *Henricus* Dux Louaniæ, nobilis de Imperio Theutonicorum Princeps; *Radulfus de Maleine*, inclytus de Aquitania vir: exceptis regni Principibus, qui erant, *Guido* Comes Ioppensis; *Rainaldus de Castellione*, dominus terræ vltra Iordanem, qui aliquando fuit Princeps Antiochenus; *Balduinus de Ramis*, *Balianus Neapolitanus*, frater eius, *Rainaldus Sydoniensis*, *Galtherus Cæsariensis*, *Ioscelinus* regius Senescalcus. Ex his omnibus videbatur satis probabile, hostes nostros, inconsideratè nimis transisse Iordanem, & nostris finibus insedisse: sed peccatis nostris id merentibus, *effusa est contentio super Principes*, ita vt in publicis negotiis, quæ tantam videbantur exigere diligentiam, non solùm negligenter, verùm etiam maliciosè dicerentur versati. Nam qui negotia præsentia videbantur maximè promouere potuisse, hi (vt dicitur) Comitis Ioppensis odio, cui Regni curam nudius tertius Rex commiserat,* indignè ferentes, quòd homini incognito, indiscreto & penitus inutili tantorum negotiorum summam in tantis periculis, & tãtæ necessitatis articulo cõmisisset. Vnde factum est, quòd per octo dies continuos, castra hostium circa se posita, & vix à nostris distãtia spacio vnius miliarii, patiẽter nimis, imò probrosè, quod nusquã alibi in Regno accidisse legitur, passi sunt moram facere, & in regionem pro libero arbitrio desæuire vniuersam. Mittebãtur qui aderant viri simplices, & malitiæ Principum nostrorum expertes, quid nam esset, quod tãtâ opportunitate oblatâ nõ fieret cum hostibus congressio, neq; de conflictu quicquam ordinaretur. Prætendebant tamen occasionẽ, vbi de his in publico tractabatur, quòd *Salahadinus* hostilium princeps legionum, in loco resideret, scopulis obsito, ita quòd ad eum,

ad eum, non sine periculo graui, nostræ possent acies accedere: præterea & cohortes haberet validas, quasi in circuitu dispositas, quæ in nostros propositum haberet vndique irruere, si cum *Salahadino* nostræ tentarent acies, congredi. Dicebatur à quibusdam, quia verè sic erat, & iustè à Principibus sic allegabatur: alii verò asserebant, quia color quæsitus erat, & fraudulenter fabricabatur belli fuga, ne Comiti adscriberetur si quid prosperum in eo facto accideret, & sub eius ducatu rem bene gessisse viderentur. Hæc tam multipliciter à pluribus dicta, ita conscripsimus, nihil assertiuè ponentes, tanquam qui rei veritatem non sumus pleniùs assecuti. Certum est tamen, quòd septem aut octo diebus cōtinuis, circa Iordanem in finibus nostris 10 hostes morā egerunt liberam, nostris quotidie impunè damna irrogantes multiplicia. Octauâ tandem die, siue nonâ potiùs, reuocatis expeditionibus suis, ad propria reuersus est indemnis. Nostri verò ad fontem iterum se contulerunt *Sephoritanum*, non penitus, quin adhuc rediret, securi. Accidit autem per eosdem dies, quibus ad fontem *Tubaniā* noster exercitus detinebatur, quiddam memoriâ dignum. Nā cùm hactenus tam fons suprà nominatus quàm qui ex eo riuus profluit, pisces aut nullos, aut rarissimos habere crederetur, illis diebus tantam dicitur copiam ministrasse, quæ vniuerso exercitui sufficere posset. Accidit porrò non multùm ab eorū opinione secus: nam vix euoluto vnius mensis spacio, renouatis viribus, bella parat recidiua, reuocat cohortes, congregat legiones, comportat machinas, & eorum 20 omnium quæ vrbes obsidentibus vsum solent præstare necessarium, curam gerit diligentem. Quibus ritè dispositis, transcursis *Basan* & *Galaat*; *Ammonitarum* quoque & *Moab*, quæ sunt vltra Iordanem regionibus, vrbem cui nomen pristinum *Petra deserti*, modernum verò *Crach*, obsidere disponit. Quo per exploratores præcognito, *Rainaldus de Castellione*, qui regionis illius tanquam hereditatis vxoriæ curam gerebat, trahens secum militiam, quæ ad castri tuitionem sufficere posse videbatur, ad partes illas citus pertransiit. Erat autem ei ibidem & aliud negotium. Nam *Henfredus* tertius, iunioris *Henfredi* filius, senioris *Henfredi* qui cognominatus est *de Torono*, Regii Constabularii ex filio nepos, prædicti *Rainaldi* priuignus, domini Regis sororem iuniorem, quam quadriennio penè antè desponsauerat, ducturus erat 30 illis diebus in vxorem. Vix ergo ad locum peruenerat suprà nominatum, vixque nuptiarum compleuerant solennia, cùm ecce eadem die, vt dicitur, *Salahadinus* cum innumerabili affuit multitudine, machinas & tormenta iaculatoria, quibus obsessa solent flagellari præsidia, secum deferens; & castris circumpositis locum obsidione vallauit. Fuit autem prædicta ciuitas in monte sita sublimi admodum, & vallibus ambitu profundis; iacuitque multis temporibus confracta, redacta penitus in solitudinem. Tandem verò regnante domino *Fulcone* Latinorum Orientalium rege tertio, *Paganus* quidam qui cognominatus est *Pincerna*, regionis vltra Iordanem dominus, in eodem monte, in quo ciuitas sita fuerat, præsidium fundauit, in ea montis parte, quâ idem mons minus cliuosus est, & quæ plano exteriùs 40 adiacenti magis est contermina. Qui verò successerunt ei, *Mauritius* videlicet nepos eius, & *Philippus Neapolitanus*, locum prædictum vallo & turribus reddiderunt insigniorem. Extra prædictum autem præsidium, vbi olim ciuitas ædificata fuerat, suburbium nunc erat, in quo eius loci habitatores quasi satis tuta sibi posuerant domicilia. Nam ab Oriente erat eis oppidum, quasi pro munitione summa, ex reliquis verò partibus totus mons, vt prædictum est, imis vallibus cingebatur ita, vt si vel modico muro esset præcinctus, nullius hostilitatis formidaret accessus: duobus enim tantùm locis, ad montis fastigium ascendendi patet opportunitas, qui à paucis facilè contra hostium ingentes copias possunt defendi: reliquæ verò partes omnino dicuntur imperuiæ. Videns ergo Princeps *Rainaldus*, quòd 50 hostes aduenerant, proposuit, improuidè satis, sicut iis videtur qui circa huiusmodi sensum habent exercitatum, locum exteriorem, & suburbium præsidio adiacēs, tueri: inhibuitque habitatoribus loci, res suas in præsidium transferre volentibus, & suæ prouidere saluti, ne sua desererent domicilia, nec aliquid de suis friuolis præsumerent asportare. Sed dum tam equites quàm peditum manipuli circa hoc essent solliciti, & ad impediendum hostium ascensus desudarent, vicit hostium multitudo; & illis in fugam versis, qui eis iter præpedire moliebantur, mōtem obtinuerunt, ferro iter aperientes vniuersum: ita vt paulò minus cum nostris in præsidium

XXVIII.

se recipere certantibus, hostes violētum habuerint ingressum: ita vt nisi vnius equitis, cui nomen *Iuenus* erat, restitisset admiranda probitas, qui iam de hostibus accesserant, per pontem, & portam ponti conterminam, liberum suis, & sine difficultate vendicassent introitum. Sic ergo miseri ciues, imprudenti rectoris consilio, rerum suarum passi sunt dispendium, hostibus eorum lares obtinentibus, cum vtensilibus omnimodis, & suppellectile vniuersa. Qui autem in præsidium se receperant, timētes hostium impetum, imprudenter nimis & inconsideratè penitus, pontem, qui super vallum erat vnicus, quo iis qui obsessi erant, introitus patebat & exitus, deiecerunt. Erant autem intus, promiscuæ conditionis & sexus, turba plurima & inutilis, quæ obsessis potiùs oneri erant quàm vtilitati, histrionum videlicet, tibicinum & psaltriarum, quæ ex omni regione ad diem nuptiarum conuenerant: quibus præter spem accidit: nam dum ludicra quęrerent & lasciuiam nuptialem, Martios inuenerunt congressus, & longè suis studiis dissimiles præliorum occupationes. Contulerant se præterea in locum prædictum ex locis suburbanis, Suriani cum vxoribus & paruulis, locumq; repleuerant. Ita vt discurrere volentibus, præ turbis non pateret via libera; essentq; viris expeditioribus, & defensionis studio dātibus operam, oneri & impedimento. Victualibus tamen dicebatur locus abundare; sed armorum non erat tanta copia, quātam loci tuitio videbatur exigere.

XXIX. Rex verò interea videns, quòd in supradicto negotio apud fontem *Tubaniacum* Comes Ioppensis, cui vt præmisimus, Regni commiserat administrationem, minus strenuè minusq; prudenter se gesserat; quodq; eius imprudentiâ, & omnimodâ insufficientiâ Regni status penè lapsus fuerat, saniore vsus consilio, reuocat ad se suam quam illi commiserat administrationem. Dicuntur & aliæ subesse causæ. Nam vt prædiximus, vbi curam regni ei commiserat, vrbem Hierosolymam cum decem millibus aureorum persoluendorum annuatim, pro expensis familiaribus, sibi retinuerat: postmodum, facti pœnitens, pro Hierosolyma Tyrum eisdem conditionibus, eò quòd munitissima totius regni esset ciuitas, & suis commoditatibus aptior videretur, sibi voluit permutari. Quam eius petitionem, quoniam Comes ægrè visus est suscepisse, Rex prędictam dicitur mutasse sentētiam. Factumq; est meritò, vt qui in modico erga eum qui sibi vniuersa contulerat, noluit esse liberalis, ab vniuersa summa rerum dccideret. Nec solùm Regni cura & administrationis honor ei subtractus est, verùm etiam successionis spes est eidem penitus amputata. Nā de communi principum consilio, maximè domini *Boamundi* Principis Antiochenorum, domini quoque *Raimundi* Tripolitani Comitis, *Rainaldi Sidoniensis*, *Balduini Ramatensis*, *Baliani* fratris eius, præsente ipso & contradicere non audente; suggerente hoc, & ad id penitus hortante matre, *Balduinus*, adhuc puerulus, vix annorum quinque, prosequente eum vniuersæ plebis suffragio, cleri quoque qui præsens erat assensu, in Ecclesia Dominicæ Resurrectionis, Regiâ decoratus est vnctione, & solenniter coronatus: statimq; sine dilatione exhibitæ sunt eidem puero, vniuersorum Baronum cum solita iuramentorum forma, manualiter fidelitates, honorq; & gloria Regiæ debita maiestati, cum omni plenitudine sunt depensa: solus tamen *Ioppensis Comes*, vt ei suum exhiberet hominium, à nemine est inuitatus: quod factum prudentioribus, sicut erat proculdubio, conceptæ simultatis, imò manifesti odii, euidens visum est argumentum: sicut ex post facto liquebit manifestiùs. Verùm super hoc tantæ mutationis articulo varia erat, & multiplex virorum prudentium opinio, dicentibus aliis, quòd in hac pueri promotione nihil compendii Regno, nihil vtilitatis rebus accessisset publicis: nam vterque Regum, alter morbo, alter ætate præpediente, prorsus erat inutilis: magisq; videretur expediens, si de communi consilio procerum, alicui viribus strenuo, cōsilio pollenti, regiorum cura negotiorum, & Reipublicæ committeretur administratio: aliis autem videbatur, quòd de puero factum erat, etsi non poterat vsquequaque vtile iudicari, in eo tamen publicæ videbatur consultum esse vtilitati, quòd prædicto Comiti ad regni successionem anhelanti, viro, vt dicebant, insufficienti, succedendi spes erat præcisa: in quo futurorum materia scandalorum, & periculosæ seditionis quæ post Regis obitum timebatur, fomes, finem accepisse sperabatur. Omnibus tamen mens vna erat & desiderium, vt gerendis publicis, maximeq; educendis & reducendis exercitibus, contra hostium solito vehementiorē instantiam, præficeretur procurator: idq; soli Comiti Tripolitano cōuenire, eumq; solum

solum ad prædicta posse sufficere, penè omnium vna erat sententia. Factum est autem hoc, anno ab incarnatione Domini *millesimo centesimo octogesimo tertio*, indictionis primæ, mense Nouembre vicesimâ die mensis. At verò *Salahadinus* interim, dum hæc Hierosolymis sic aguntur, obsessam vrbem curâ nihilominus propensiore & totis viribus fatigabat, iis qui intus erãt obsessi, requiem importunâ denegans instantiâ. Octo enim erectis machinis, sex ab interiori parte, vbi antiqua fuerat ciuitas, duabus verò ab exteriore, in eo loco, qui vulgari appellatione dicitur *Obelet*, castrum tantâ importunitate non minus nocte quàm interdiu, immissis miræ magnitudinis molaribus flagellabat, quòd vel manum exerere, vel respicere per cancellos, aut aliquo defensionis vti genere, nemo illorum qui intus erant, præsumerent attentare: eoq; ventum erat, quòd eis præ nimio terrore confusis, nec audẽtibus comparere, hostes ad prædam, quam miseri ciues in vallum, quod præsidio conterminum suberat, introduxerant, immissi funibus * impunè occiderent, & diuisa membratim animalia sibi extraherent ad cibum indemnes, omnino aduersitatis nihil ab oppidanis perpessi. Sed & qui in exercitu hostium erant, coquorum vel pistorum habentes officium, quique rerum venalium procurabant forum, hi in domibus ciuium omni commoditate refertis officinas locauerant suas, liberè suis professionibus vtentes. Repererant sanè in eis frumenti, ordei, vini & olei pro votis abundantiam, quibus, inuitis eorum dominis, violenter vtebantur. Porrò qui in præsidio erant, & ipsi machinam aliquando tentauerunt erigere: sed tanto artificio saxa dirigebant contorta, qui machinis præerant exterioribus, quòd præ assiduis ictibus & mortis formidine, quam singuli lapidum immissorum intentare videbantur, nostri à proposito deficientes, satius iudicabant, patienter quicquid inferebatur portare, quàm ad illud defensionis genus cum mortis se attollere periculo. Nec solùm qui egrediebantur de abditis, accedentes ad propugnacula, vt vel tela vel lapides in hostes iacularentur, vel vt obsidentes inspicerent legiones, tanto erant expositi periculo, terroreque quatiebantur ad desperationem compellente: verùm & qui erant in conclauibus intimis, & qui ad loca secretiora se contulerant, accedentium fragore molarium & sonitu perterriti, videbantur quasi audire tonitrua, expectantes quasi fulminum ictus, & suspensi semper, ne confracta super eos ruerent ædificia. Sollicitus erat Rex interea, & totâ procurabat diligentiâ quomodo subueniretur obsessis; quomodo eis desideratum maturaretur subsidium. Assumpto igitur secum viuificæ Crucis ligno salutari, & Regni viribus ex omni parte congregatis, ad partes illas properat, opem laturus obsessis: perueniensque ad *Mare salis*, quod alio nomine dicitur lacus *Asphaltes*, secus locum cui nomen *Segor*, qui hodie vulgari appellatione dicitur *Palmer*, post multas deliberationes, vniuerso exercitui ducem ac præceptorem, Comitem instituit Tripolitanum. *Salahadinus* verò, cognito per exploratores, quòd Christianus in proximo esset exercitus, & quòd Tripolitanus Comes præfectus esset legionibus, depositis machinis, & indicto suis reditu, obsidionem, quâ per mensem continuum, locum afflixerat prædictum, soluit ad propria reuersus. Rex tamen nihilominus cum omni exercitu ad locum perueniens destinatum, optatam ciuibus intulit consolationem; indictoque reditu, & reuocatis agminibus, sospes Hierosolymam reuersus est.

A. Do. 1183. XXX.

EXPLICIT LIBER VICESIMVSSECVNDVS.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI VICESIMITERTII.

* * * * * *

INCIPIT LIBER VICESIMVSTERTIVS.

PRÆFATIO.

Propoſueramus ſiniſtrorum tædio caſuum, qui frequentiùs ſolito, imò qui penè continuè Regno accidunt, à modò calamis ocium indicere, & ſepulta mandare ſilentio quæ poſteris publicanda ſuſceperamus. Nemo enim eſt, qui non inuitus lãguorem patriæ, & ſuorum defectus in lucẽ proferat: 10 cùm quaſi inter homines conueniat, & tanquam naturale reputetur, vnumquemq; totis niti viribus patriam laudibus attollere, & titulis non inuidere ſuorum. *Verùm præconiorũ nobis omnis ſubducitur materia, & ſolùm apta fletibus & lachrymas extorquens nobis ſe offert lugentis patriæ calamitas, & miſeria multiformis. Qui enim hactenus in ſuperioribus libris, virorum fortium qui in noſtro* Oriente, *maximeq;* Hieroſolymis, *per annos octoginta & ampliùs principatũ tenuerunt, egregia facta, quali quali ſtilo deſcripſimus, deficimus in nobiſipſis deteſtatione præſentium, obſtupeſcentes* 20 *materiam, quæ ſe oculis & auribus ingerit, quæ nec* Codri *carmine, nec cuiuslibet* Mæuii *digna eſt relatu. Nihil enim in noſtrorum Principum actibus occurrit, quod memoriæ theſauris, vir prudens credat eſſe mandandum; nihil quod aut lectori recreationem conferat, aut ſcriptori proficiat ad honorem. Periit enim apud nos, iuxta quod Propheta conqueritur,* A prudente conſilium, ſermo à ſacerdote, viſio à Propheta: *factusque eſt apud nos,* ſicut populus, ita & ſacerdos: *ita vt nobis aptari poſſit illud propheticum,* Omne caput languidũ, & omne cor mœrens: à planta pedis vſq; ad verticem, non eſt in nobis 30 ſanitas. *Iam enim ad ea tempora, quibus* nec noſtra vitia, nec eorum remedia pati poſſumus, *peruentũ eſt: vnde noſtris id merentibus peccatis, facti ſunt hoſtes in capite; & qui de inimicis triumphantes, palmam frequentiùs ſolebamus referre cum gloria, nunc in omni pene conflictu, diuinâ deſtituti gratiâ, deteriorem calculum reportamus. Ideoque ſilendum erat, conſultiusq; videbatur noſtris defectibus, noctem inducere, quàm ſolem inferre pudendis. Sed quibus cordi eſt, vt in eo quod ſemel cœpimus, nos continuemus propoſito, quique orant inſtantiùs, vt regni Hieroſolymorũ ſtatus omnis tam proſper quàm aduerſus, poſteritati, no-* 40 *ſtrâ ſignificetur operâ, ſtimulos addunt, proponẽtes Hiſtoriographorum diſſertiſſimos,* Tit. Liuiũ *videlicet, Romanorũ non ſolùm proſpera, ſed etiã aduerſa mandaſſe literis:* Ioſephum *quoq;, non ſolùm quæ à Iudæis egregiè geſta ſunt, verũm & quæ eis ſunt ignominioſè illata, longis tractatibus publicaſſe. Abundãt & aliis exemplis, qui ad hoc nos nituntur impellere; eoque faciliùs perſuadent, quòd planè liquet rerum geſtarum ſcriptoribus, vtranq; ſortem pari eſſe ratione propoſitã, vt* ſicut geſtorum fœliciter narratione poſteros ad quandam animoſitatẽ erigunt; ſic infortuniorũ ſubiectorum exemplo, eoſdẽ reddant in ſimilibus cautiores. *Annalium enim conſcriptores non qualia optant ipſi, ſed qualia* 50 *miniſtrant tẽpora, mandari ſolent literis, ex officio. Rerũ autem & bellorum maximè, varius ſolet eſſe euentus, & non vniformis: in quo non proſperitas cõtinua, nec caſus oppoſitus ſine lucidis interuallis. Vincimur ergo; & quæ ſubſequẽtia miniſtrabunt tempora, ſicut cœpimus, (vtinam fauſta fœliciaq;,) auctore Domino, vitâ comite, ſcripto mandare curabimus diligenter, à ſecundo propoſito reuocati.*

Ier. 18, 18. Oſee. 4, 9. Eſai. 1. 5, 6.

Interea

INterea inter *Regem* & *Comitem* Ioppensem odiorum fomes, magis magisque per dies singulos ex caussis occultis augebatur, eoque vsque contractus rancor proruperat, quòd Rex iam manifestè caussas videbatur colligere velle, quibus sororem suam ab eo soluto matrimonio separaret: vnde iuxta hoc propositum, Patriarcham publicè conuenit, diem sibi præfigi postulans, quasi matrimonium accusaturus, quâ in eius præsentia solenniter celebraretur diuortium. Comes verò super iis omnibus instructus, ab expeditione rediens, à reliquo exercitu segregatus, compendioso itinere *Ascalonam* profectus est, vxorem præmonens, quæ tunc *Hierosolymis* morabatur: quòd ante Regis introitum, maturiùs ab eadem vrbe discedens, *Ascalonam* proficiscatur: verebatur enim, ne si Rex eius copiam habere posset, eam ad virum non permitteret redire vlteriùs. Mittitur ergo à Rege nuncius qui Comitem euocet, & vocationis caussam aperiat: ille verò renitēs, absentiæ caussas allegat, prętendens ægritudinem. Cumque sæpiùs euocatus venire differret, adiecit Rex in propria persona illuc ire, & Comitem viuâ voce solenniter in ius vocare. Quò perueniens, cum quorundam ex principibus suis comitatu, ciuitatis portas serratas reperit, quas manu tangens, & tertiò eas sibi aperiri præcipiens, cùm neminem inueniret qui eius obediret verbo, cum debita indignatione reuersus est, spectante id vniuersæ ciuitatis populo, qui in turribus & muris, audito Regis aduentu se locauerant, rei exitum præstolantes. Rex verò inde *Ioppen* recto tendens itinere, antequā ad vrbem perueniret, quamplures ex loci eius ciuibus obuios habuit, ex vtraque classe maiores: quibus vrbem aperientibus, Rex sine difficultate ingressus est; ibiq; ordinato procuratore, qui loci curam gereret, *Accon* peruenit. Indicitur ergo apud eandem vrbem Curia generalis, ad quam cùm die statutâ Regni principes conuenissent, cœpit Patriarcha, vtrunque Magistrum, Templi videlicet & Hospitalis, in eo verbo habens consortes, dominum Regem conuenire, & etiam flexo genu, pro Comite intercedere, vt rancore deposito, eum in suam gratiam restitueret: cumque statim exauditi non fuissent, recesserunt cum indignatione simul, non solùm à Curia, verùm etiam à ciuitate. Fuerat autem in præsentia Principum qui conuenerant, verbum propositum de mittendis nunciis ad Reges & reliquos Principes vltramontanos, qui eos ad Christianitatis & Regni auxilium inuitarent. De quo cum prior habendus esset tractatus, Patriarcha, vt prædiximus, incidens, verbum præferens Principale, in sermonem priorem descenderat: itaque cum motu intemperato, vt præmisimus, ab vrbe discesserat Acconensi. Comes verò Ioppensis cognito, quòd ad eius pacem Rex animum suum nollet inclinare, adiecit peiora prioribus; & assumens eam quam secum habebat militiam, versus castrum, cui nomen *Darum*, suos direxit; & in castra quorundam Arabum, qui in partibus illis gratiâ pascuorum, tentoria locauerant sua, à Rege habentes securitatem, & sub eius fiducia commorantes securi, repentinus irruit, & imparatos reperiens, prædam inde & manubias agens, reuersus est *Ascalonam*: quo cognito, Rex, iterum reuocatis principibus, Tripolitano Comiti Regni curam & generalem administrationem committit, in eius prudentia simul & magnanimitate spem habens. In quo facto, populi vniuersi & Principum, ex parte plurima videbatur satisfecisse desideriis: vnica enim & singularis videbatur omnibus salutis via, si prædicto Comiti regiorum cura committeretur negotiorum.

HÆC EST ORDINATIO SVB APOSTOLICA SEDE ANTIOCHIÆ, CATHOLICORVM, METROPOLITANORVM, ARCHIEPISCOPORVM, EPISCOPORVM.

CATHOLICVS Irinopolis: quæ est *Baldac*. Catholicus *Ani*: qui est Persidis.

Sedes prima, Tyrus. *Sub hac sede sunt episcopatus XIII.*
Porfirion.
Archis.
Ptolomais.
Sydon.
Sarepta.
Biblium.
Botrion.
Orthosia.
Archados.
Antarados.
Paneas.
Araclis.
Tripolis.

Sedes secunda, Tarsus. *Sub hac sede sunt episcopatus V.*
Sebasti.
Mallos.
Thina.
Coridos.
Pademdes.

Sedes tertia, Edessa. *Sub hac sede sunt episcopatus X.*
Virchi.
Constantia.
Garron.
Marçopolis.
Varnon.
Gedaron.
Ymeria.
Querquensia.
Capsaron.
Callinicos.

Sedes quarta, Apamia. *Sub hac sede sunt episcopatus VII.*
Epiphania.
Seleucouila.
Larissa.
Valanea.
Mariã.
Raphania.
Arethusa.

Sedes quinta, Hierapolis. *Sub hac sede sunt episcopatus VIII.*
Zeuma.
Surron.
Varnalis.
Neocæsarea.
Perri.
Orimon.
Dolichi.
Europi.

Sedes sexta, Bostrum. *Sub hac sede sunt episcopatus XIX.*
Gerasson.
Philadelphia.
Adraon.
Midanon.
Austanidon.
Delmundon.
Zozoyma.
Herri.
Iceni.
Eucuni.
Constantia.
Paramboli.
Dionysia.
Conaachon.
Maximopolis.
Philipolis.
Chrystopolis.
Neilon.
Lorea.

Sedes septima, Anauarza. *Sub hac sede sunt episcopatus IX.*
Epiphania.
Alexandros.
Irinopolis.
Cambrisopolis.
Flauias.
Rossas.
Castrauali.
Eguas.
Sisia.

Sedes octaua, Seleucia. *Sub hac sede sunt episcopatus XXIV.*
Claudiopolis.
Diocæsarea.
Oropi.
Dalisanidos.
Seuila.
Kelenderis.
Anemori.
Titopolis.
Lamos.
Antiochia parua.
Hefelia.
Ristria.
Selenunta.
Yocopi.
Philadelphia parua.
Irinopolis.
Germanicopolis.
Mobsea.
Demetiopolis.
Abidi.
Zmonopolis.
Adrasson.
Mynu.
Neapolis.

Sedes nona, Damascus. *Sub hac sede sunt episcopatus X.*
Albi.
Palmipon.
Laodicia.
Suria.
Konokora.
Yabruda.
Danabi.
Karacena.
Hurdani.
Surraquini.

Sedes decima, Amida. *Sub hac sede sunt episcopatus VII.*
Ynilon.
Valentini.
Arsomasata.
Sophin.
Kicaris.
Ripha.
Zemus.

Sedes vndecima, Sergiopolis. *Sub hac sede sunt episcopatus IV.*
Bizonamas.
Marcopolis.
Venechalis.
Ermenia.

Sedes duodecima, Theodosiopolis. *Sub hac sede sunt episcopatus VII.*
Ortros.

Mazinimi.

Mazinimi.
Maurocastron.
AgiaMaria.
Axirri.
Carosa.
Politimos.
Sedes tertiadecima, Emissa.
Sub hac sede sunt episcopatus IV.
10 Arqui.
Orisson.
Herygẽ.

Oragison.
METROPOLITANI per se subsistentes, VIII.
Deritus.
Heliopolis.
Laodicia.
Samosata.
Kyros.
Pompeiopolis.
Mopsuestia.
Adana.
ARCHIEPISCOPI XII.

Verea.
Kalquis.
Gabula.
Seleucia.
Piperia.
Anasarphon.
Paltos.
Germanicia.
Salamias.
Varcossos.
Fossos.
Anauagathon.

Iuxta traditiones veterum, & etiam quædam scripta quæ auctoritatem habent non modicam apud Palestinos, & maxime Græcos, *Hierosolimitana Ecclesia*, vsque ad tempora *Iustiniani* sanctæ recordationis Augusti, Episcopum habuit nullà, vel modicâ dignitatis prærogatiuâ gaudentem. Tempore verò prædicti Deo dilecti Principis, congregata est *Synodus* generalis apud Constantinopolim, tempore domini *Vigilii* Papæ, *Eutichii* Constantinopolitani, *Apollinarii* Alexandrini, *Domni* Antiocheni, *Eustochii* Hierosolimitani, Patriarcharum, super tribus capitulis: videlicet 20 scriptis *Theodoreti*, Cyri; item scriptis *Theodori*, Mopsuestiæ Episcoporum: & epistola *Hibere* ad Marim Persam. In qua Synodo, post alias Ecclesiæ Dei necessarias institutiones, quas pro tempore promulgãdas decreuit, sanctorum Patrum, qui ad eam conuenerant, auctoritas prædictam Deo amabilem honorare Ecclesiam, & eius Episcopo locum inter Patriarchas dare, communi sanxit voluntate, reuerentiam exhibens sanctæ Resurrectioni. Et quoniam prædicta Dei cultrix ciuitas, quasi in limite Alexandrini & Antiocheni patriarchatuum erat; nec haberent vnde illi vrbes ordinarent suffraganeas, nisi vtrique aliquid detraherent: visum est expedire, ab vtroque aliquid decerpere, vt eidem, iuxta formam aliorum Patriarchatuum, ordinarent subiectos. Subtraxerunt ergo *Antiocheno*, Cæsariensem, & Scythopo-30 litanum, metropolitanos: *Alexandrino verò*, Rabbensem & Beterenſem, item metropolitanos. Et quoniam iterum eundem Patriarcham oportebat habere præter supradictos metropolitanos, familiares suffraganeos, quos Græci *Cyncellos* vocant, subtraxerunt prædictis metropolitanis quosdam Episcopos, & quosdam de nouo creauerunt, vsque ad viginti quinque: quorum vrbium numerum & nomina subiunximus, computatis priùs Metropolitanis, & eorum suffraganeis. Est autem ordo, talis:

Sedes prima, Cæsarea maritima. *Sub hac sede sunt episcopatus XIX.*
40 Dora.
Antipatrida.
Iampnias.
Nicopolis.
Onus.
Soscuris.
Raphias.
Regium Apatos.
Regium Hierico.
Regium Liuas.
50 Regium Gadaron.
Azotus Paralias.
Asotusippum.
Estomason.
Estilion.
Tricomias.
Toxtus.
Saltum.

Constantiniaquis.
Sedes secunda, Scythopolis. *Sub hac sunt episcopatus IX.*
Capitoliados.
Miru.
Gadaru.
Pelos.
Vilisippus.
Tetracomias.
Oluna.
Galanis.
Komanas.
Sedes tertia, Ratba Moabbitis. *Sub hac sede sunt episcopatus XII.*
Augustopolis.
Arindila.
Kara.
Serapolis.
Mempsidos.

Eulitis.
Zora.
Virosum.
Pentacomia.
Mamapson.
Mitroconeras.
Saltum Hieraticun.
Sedes quarta, Bitira Arabiæ. *Sub hac sunt episcopatus XXXV.*
Adrasson.
Dias.
Medauon.
Hierasson.
Nein.
Filadelfia.
Ierapolis.
Essmos.
Neapolis.
Themistus.
Philipopulus.

Dionysia.
Constantinu:
Pentacomias.
Tricomias.
Canastados.
Saltum Votanios.
Exacomias.
Enacomias.
Comegonias
Comogeros.
Comosthonis.
Comis.
Mahadaron.
Comocoreatas.
Comis Capron.
Comis Insuauos.
Comis Pirroareton.

Comis Pecius.
Comis Ariathon.
Comis Neotis.
Clima Anatolis queuisinõ.
Comis Ariotas.
Comis Trachonos.
Comis Nefdamos.

SVFFRAGANEARVM prima,
Lidda.
Ioppe.
Ascalon.
Gaza.
Meimas.
Diocletianopolis.
Beitt Gerbein.
Neapolis.

Sebastia.
Iericyntus.
Tyberiadis.
Diocæsarea.
Legionum.
Capitolina.
Mauronensis.
Gedera.
Nazareth.
Thabor.
Caracha, vel Petra.
Adroga.
Afra.
Aelis.
Faram.
Elinopolis.
Mons Sina.

IACOBI

IACOBI DE VITRIACO ACCONENSIS EPISCOPI HISTORIA HIEROSOLIMITANA.

10

INCIPIT PROLOGVS, MAGISTRI IACOBI ACCONENSIS EPISCOPI IN HISTORIA HIEROSOLIMITANA AB EODEM abbreuiata.

POSTQVAM *diuinæ propitiationis cõmiseratio, exercitus* CHRISTI *longanimitatem, & patientiam clementer respiciẽs, & eiusdem diuturnos miserata labores, portas Ægyptiorum confregit, &* Damiatam *famosam Ægypti ciuitatem subdidit nomini Christiano,* super flumina Babylonis longo tempore sedimus, & fleuimus dum recordaremur Syon: *non valentes pauci contra multos ad vlteriora procedere, non audentes relinquere ciuitatem. Multi autem ex nostris hiis diebus otio marcentes, & languentes tædio, experimento didicerunt quàm verè dictum sit à Salomone,* Desideria occidunt pigrum, noluerunt enim manus eius quicquam operari: *Et Propheta Ieremias,* Viderunt eam hostes & deriserunt Sabbata eius. *Ego verò considerans quàm grauis sit iactura temporis amißi, secundùm cõsilium Sapientis, dicentis:* Seruo maliuolo tortura & compedes: mitte eũ in operatione ne vacet: multas enim malitias docuit ociositas. *Animum meum tanquam seruum maliuolum ad vana & inutilia pronum, cuius* cogitationes, *frequenter* dissipatæ sunt, *torquentes cor meum, meditatione diuinarum scripturarum studui cohercere, & quasi compedibus aßiduæ lectionis, ne mente vagaretur, astringere. Cùm igitur causa recreationis, & auiditate audiendi aliqua noua & incognita mihi, varios libros ex armariis Latinorũ, Græcorum & Arabum reuoluerem, Regum* Orientaliũ *historiæ, prælia & gesta casu in manus meas deuenerunt: quorum auctores curiosi, cum maximo labore, prædictorum hominum laudes inanes inaniter attollẽdo prælia & triumphos, diuitias, potestatem & gloriam præteritam scripto diligenter commendantes, memoriale posteris reliquerunt. Cœpi igitur non modicùm animari, dolere & contristari, & nostrorum negligentiam & inertiam arguendo accusare: eò quòd* filii huius seculi prudentiores in generatione sua filiis lucis: *cùm tanto studio & diligentia reproborum hominum pereuntia gesta describere procurauerunt. Ex nostris autem, diebus istis nouißimis pauci vel nulli inuenti sunt qui Regis æterni prælia, & triumphos gloriosos, & mirabilia gestà describere & scripto mandare studuißent, ad laudem & gloriam illius, qui solus laudabilis est & gloriosus in secula. Cùm tamen, sicut dicitur in Tobia:* Sacramentum Regis abscondere bonum est; opera autem DEI reuelare & cõfiteri honorificum est. *Antiqui autem & Sancti Patres de talento sibi commißo timorem Domini semper antè oculos habentes, cum omni diligentia & circumspectione, mirabilia* IESV CHRISTI *opera, tam ea quæ in propria persona ipse operari dignatus est, quam*

Psal. 136, 1. — Prou. 21, 25. — Lam. 1, 7. — Eccl. 33, 28. — Iob. 17, 11. — Luc. 16, 8. — Tob. 12, 8.

20 30 40 50

ea quæ Sanctorum suorum operatus est ministerio, ad eius laudem, & tam præsentium quàm futurorum informationem, scribere studuerunt. Sancti siquidem Euangelistæ, *propria* CHRISTI *opera*; Lucas, *Actus Apostolorum*; *& alii viri Religiosi, actus & gesta tam martyrum quàm confessorum*; Ieronimus, *vitas patrum* Orientalium; Gregorius, *vitas patrum Occidentalium*; Eusebius *Alexandrinus, Ecclesiasticam historiam*; *alii viri prudentes*, historiam tripartitam, *& alia quæ in Ecclesia* DEI *à principio acciderunt, variis voluminibus conscripserunt. Modernorum autem ignauiâ, fragmenta de mensa Domini cum* 10 *Apostolis negantes colligere, ferè penitus obmutescit: cùm tamen in diebus nostris mira, & omni laude & memoriâ digna operatus sit Dominus, siue in Hispania, contra Mauros; seu in Prouincia, contra hæreticos; in Græcia, contra schismaticos; in Syria contra* *. *Sed in Ægypto, contra Agarenos; in remotis partibus Orientis, contra Persas, Assyrios, Chaldeos & Turcos. Tanta igitur & tam admiranda Regis nostri prælia, & gloriosos de inimicis triumphos, sub silentio abscondere non debeo, ne fortè ingratitudinis arguar. Malo igitur, & cum muliere paupercula, duo vel tria minuta in gazofilacio Domini ponere; annuntiare laudem eius balbutiendo, quàm ab eius præconiis obmutescendo cessare. Cùm* 20 *enim in constructione tabernaculi quidam aurum, alii argentum, alii autem æs, alii verò Iacinthum, purpuram, coccum bis tinctum, bissum, recortam, pilos caprarum & pelles arietum obtulerunt, vnusquisque secundùm propriam facultatem: confido in eo, qui magis pensat affectum quàm effectum; & magis attendit ex quanto fiat, quàm quantum fiat: & si non quantum volo, sed quantum valeo in eius offero sacrificium, insufficientiæ meæ veniam sit daturus. Pro tribus igitur materiis præsens opus tribus conclusi libellis. In* primo libro, *historiam* Ierosolimitanam *compendiosè perstringendo, de hiis quæ in partibus Orientis* 30 *Dominus miserabiliter operatus est disserui: describens inhabitantium genera ciuitates, & alia loca, de quibus frequentiùs in Diuinis Scripturis mentionem fieri reperio; sicut mihi visum fuit expedire ad maiorem intelligentiam Sacræ Scripturæ: diuersas etiam Terræ proprietates & varias, ad maiorem prædicandi copiam adiungendo. In* secundo libro, *modernorum* Orientalium *historiam sub compendio pertransiens de hiis quæ Dominus in partibus* Occidentis *diebus istis nouissimis operatus est, & præcipuè de diuersis tam regularium quàm secularium ordinibus pertractaui: de ordine & religione Cruce signatorum &* 40 *vtilitate peregrinationis pleniùs in fine disserens. In* tertio libro, *ab Occidente in Orientem regrediens, de hiis quæ post generale* Concilium Lateranense, *Dominus in populo suo & in exercitu Christianorum vsque ad captionem* Damiatæ *operari dignatus est, sicut propriis oculis vidi, tractare cœpi. Concedat mihi Dominus quod in recuperatione Terræ Sanctæ & Sarracenorum conuersione vel destructione, & in reparatione Orientalis Ecclesiæ, libellum valeam consummare. Quãtum autem præsens tractatus exemplo prosit sub* CHRISTI *vexillo militantibus; quantum valeat ad fidei confirmationem, & morum infor-* 50 *mationem; ad confutationem infidelium, & confusionem impiorum hominum, & ad laudem & imitationem bonorum, diligens lector manifestè poterit perpendere.*

* Marc. 12, 42.

Exod. 25. 4. & 35. 5.

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIVNT

INCIPIVNT CAPITVLA SEQVENTIS LIBRI.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIT

INCIPIT HISTORIA IHEROSOLIMITANA ABBREVIATA.

CAP. I.

TERRA Sancta promissionis, DEO amabilis, & sanctis Angelis venerabilis, & vniuerso mundo admirabilis, à DEO electa, & præelecta, vt eam præsentiâ suâ visibiliter illustraret, & in ea liberationis nostræ sacramenta ministrando, genus humanum redimeret, quantò maiori zelo dilecta est à Domino; tantò frequentiùs, peccatis habitantium in ea exigentibus, flagellata est, & variis casibus exposita ab eo, qui *sanctũ dare canibus, & ante porcos* prohibet *proiicere margaritas*: Dũ aliis decedẽtibus, & aliis succedentibus, diuersis tradita est possessoribus. Omnes ferè inter sanctũ & prophanũ non habentes distãtiam, pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, terram lacte & melle manãtem; Domini nostri IESV CHRISTI, & sanctorum Patriarcharum & Prophetarũ & Apostolorum patriam, variis sordium immunditiis maculantes, ita quòd in ea videatur impletum, quod dicit Dominus per Prophetam: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*. Pupilla enim inter omnia corporis membra, tenerrimâ affectione diligitur: ita quòd sordes intrinsecus in oculum decidentes, statim pro posse nostro ab eadem remouere festinamus. Sic Redemptor noster à Terra Sancta, cui super omnes alias amoris sui contulit prerogatiuam, sordeis & inquinamenta peccatorum remouendo, peccatores in ea commorãteis affligit, flagellat & eiicit. Pœnitentibus & reuertentibus ad cor, eam clementer restituit, dum *abyssus abyssum inuocat*: scilicet abyssus miseriarum abyssum misericordiarum. Vt igitur aliquantulum altiùs inchoantes manifestis exemplis prædicta comprobemus; *Melchisedech* DEI altissimi sacerdos, rex fuit Salem, sicut legitur in Genesi, quę postea, sicut multi opinãtur, dicta est *Hierusalem*. Post verò Iebusæi vsq; ad tempora *Dauid*, reges eandẽ ciuitatem possederunt. Completis autem, & vsq; ad summum iniquitatibus eorum cumulatis, tradidit Dominus in manus filiorum Israël ciuitatẽ Sanctam, & locum quem sibi specialiter dedicauit, vt in eo sibi deseruirent & offerrent diuersa sacrificia, vnius summi, & ineffabilis sacrificii præfiguratiua. Postea verò peccatis habitãtium tanquã arena maris multiplicatis, temporibus regis Sedechię & Hieremiæ Prophetę in manus Babyloniorum per annos septuaginta deuenit. Peccatis enim Iudæorum exigentibus, *eò quòd fecit labruscas vinea reproba, quæ facere debuit vuas, destructa est maceria eius, & vindemiauerũt eam omnes qui prætergrediuntur viam*. In diebus autem Melchisedech, *Abraham* de mandato & voluntate Domini exiens de terra & cognatione sua, & de domo patris sui, venit in Terram promissionis; & multis diebus habitauit in ea, offerens Domino filium suum in monte visionis, scilicet in monte *Moria*, in quo sita est Hierusalem ciuitas sancta, quæ vocata est *Bethel* & *Luza*. Vnde à quibusdam dicitur, quòd locus ille in quo Iacob dormiens lapide capiti supposito vidit scalam vsque ad cœlum erectam, & Dominum innixum scalæ, & Angelos ascendentes & descendentes, vnde & euigilans ait: *Non est hic aliud nisi domus DEI, & porta cæli*: eò quòd locus ille Luza & Bethel in Genesi nuncupatur, sit ille locus in quo postea templum Domini constructum est à Salomone. Abraham igitur Terram sanctam promissionis vsque ad obitum inhabitãs, in eadẽ idoneam elegit sibi sepulturam in loco sancto, qui dicitur *Hebron*, & *Cariath-arbe*, eò quòd ibi sepulti sunt in spelunca duplici quatuor Patriarchæ: Adam scilicet cũ Eua vxore sua, & Abraham & Isaac, & Iacob. Licet enim defunctus fuisset in Ægypto, voluit tamẽ, & præcepit filiis suis vt corpus suum in Terra sancta cũ patribus suis sepelirent. In qua tamen terra multis diebus, Domino sustinẽte, pessimæ & abominabiles, & DEO odibiles habitauerunt nationes: scilicet septem gentes, quas Dominus à facie filiorum Israël eiecit de terra, quæ suos deuorat habitatores. Et quoniam commisti sunt inter gentes filii Israël, & didicerunt opera eorum, & fornicati sunt in adinuentionibus suis, & here-

ditatem Domini cõtaminauerunt: tradidit eos Dominus in manibus inimicorum suorum, & dominati sunt eorum qui oderunt eos. Vnde decem Tribus, quæ vitulos aureos in Dan & in Bethel adorabant, ad tantã indignationem prouocauerunt Dominum, quòd vsque in hodiernum diem exilio perpetuo cõdemnatæ à Terra Sancta ministerio regis Assyriorum procul valdè eiectę sunt; & tanquam lutum platearum deleuit eos Dominus, qui durâ ceruice & incircumciso corde legi DEI subiecti esse renuerunt. Posthæc verò tanquam mare quod mortuos expellit, & cadauera retinere non potest, residuum populi, scilicet, Tribus Iuda & Beniamin, Terra Sancta, vt prædictum est, vsque in Babylonem euomuit. Quantas autem tribulationes & persecutionum molestias, postquam reuersi sunt à Babylonia, & multiplicata sunt mala super terram, ab *Antiocho illustri*, qui muros sanctæ ciuitatis destruxit, & *abominationem desolationis*, Idolum videlicet abominabile, in templo Domini posuit, & ab eius successoribus perpessi sunt, nullus ambigit, qui gesta Regum Antiochorum, & historias & prælia Machabæorum agnouit. Sed & *Pompeius*, cùm ingressus esset Hierusalem cum exercitu Romanorum, multipliciter eos oppressit, adeò quòd in vestibulo Templi Domini, loca sancta & venerabilia irreuerenter pertractans, equos proprios collocauit. Postquam verò ad *Herodem* alienigenam, & filios eius, & postea in manus Romanorum, regnum Iudæorum cum Terra Sancta deuenit; impletum est in ipsis Iudæis, quod longè antè Psalmista prophetauerat de ipsis dicens: *DEVS, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt Templum sanctum tuum.* Et iterum: *Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.* Vulpem enim appellat Dominus Herodem in Euangelio, dicens: *Dicite vulpi illi.* Filii etiam huius sæculi, qui prudentes sunt in generatione sua & dolosi, & in peccatis suis fœtidi, non immeritò vulpes appellãtur. Postquam verò Dominum nostrum Iudæi crucifixerunt, cùm quadraginta duobus annis expectasset eos Dominus ad castigationem; ipsi autem excæcati in peccatis noluerunt benedictionem, & elongata est ab eis; venerunt Romani, locum eorum tollentes sub *Tito* & *Vespasiano*; succendentes ciuitatem, & vsque ad fundamenta destruentes, vt lapis super lapidem non remaneret, parte Iudæorum fame peremptâ, parte gladio trucidatâ, parte pretio distractâ & in omnem ventum dispersâ: sicut ex libris *Iosephi*, & aliis historiis manifestè declaratur; & Propheta longè antè prædixerat: *Exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam*: singularem ferum, crudelem ducem, seu crudelem gentem Romanorum, eos esse depasturos præuidit. Sed & Christianorum temporibus refrigescente multorum caritate, & maximè Græcorum & Surianorum, qui in Terra Sancta tempore *Heraclii* Imperatoris Romani habitabant, cùm iam sanguis CHRISTI, qui priùs, quando recenter effusus fuerat, in cordibus fidelium feruebat, per vniuersum ferè mundũ cœpisset tepescere: *Cosdroes* tyrãnus rex Persarum Terram Sanctam cũ exercitu infidelium ingressus, ciuitatẽ vastauit, ecclesias euertit, vniuersum populum variis calamitatibus oppressit: aliis gladio peremptis; aliis secum in Persidem captiuis deductis, ciuitati autem sanctæ non parcens, effractis muris violenter irrupit, loca sancta & atria, in quibus steterunt pedes Domini, ingressus est canis immundus, prophanans Domini sanctuarium, & ecclesiam sanctam subuertens, Dominicum lignum, in quo vera mundi hostia pependit, secum ausus est in Persidem deportare. Dominus autem cùm iratus fuisset, misericordiæ recordatus *fulgura in pluuiam fecit*: impio tyranno ab Heraclio Augusto interempto, & sanctâ Cruce Dominicâ ciuitati DEO amabili à prædicto Imperatore cum triumpho & gloria magna, deuotissimè, cum hymnis & laudibus diuinis restitutâ. Cùm autem Imperator Ecclesias ordinari, quas nequissimus Cosdroes deiecerat, & propriis sumptibus reparari præcepisset; statim post eius recessum, princeps Arabum, nomine *Homar*, collectâ secum infinitâ multitudine tam potenter, quàm violenter Terram sanctam hostiliter ingressus, modico tempore non solùm contra Christianos qui in regno Hierosolymitano morabantur, præualuit; sed etiam vniuersas ciuitates à Laodicia Syriæ, vsque in Ægyptum, Damascum etiam cum multis vrbibus aliis, cum multa sanguinis effusione, bestia sæuiens occupauit. Hic autem impiissimus Homar, discipulus erat perfidi & sceleratissimi Machometi, & regni eius successor tertius. *Machumetus* enim statim post tempora beati Gregorii, parum ante tempora prædicti Heraclii, abominabilem doctrinam suam

[Marginalia: 3. Reg. 12. — 4. Reg. 17. — Psal. 17. — 1. Machab. 1. — Psal. 78. — Psal. 62. — Luc. 13. — Luc. 16. — Psal. 108. — Psal. 79. — Abac. 2. — Ier. 10, 13. — III. — IV. — line numbers 10, 20, 30, 40, 50]

stram primò in Arabia, vnde oriundus extitit, & postea bestiali populo in partibus vicinis, hominibus rudibus & incultis, partim prædicauerat, partim per timorem & violentiam in errorem suum contradicentes impulerat. Cuius successores tanto furore & feruore diabolico succensi sunt, vt in pestiferã magistri sui doctrinam non solùm verbis & exhortationibus populos insipientes inducerent, sed vi & metu, & gladiis tam Arabes, quàm alios Orientales populos miserabiliter impingerent. Seductor autem ille, qui dictus est *Machometus*, quasi alter Antichristus, & primogenitus Satanæ filius, tanquam Satan in Angelum lucis transfiguratus, irâ DEI magnâ & indignatione maximâ sustinente, & inimico generis humani cooperante; plures populos peruertit, & in errorem suum traxit, quam aliquis alius hæreticus ante tempora ipsius legatur subuertisse; vel aliquis sanctus prædicatione vel miraculis ad Dominum conuertisse reperiatur. Doctrina enim eius pestifera, serpens vt cancer, non solùm Arabes & Syros, Medos & Persas, Ægyptios & Æthiopes, & alios Orientales populos lætaliter infecit, sed etiam Africam & plures Occidentales regiones corrumpens vsque in Hispaniam peruenit. Nec puto quòd ab infantia primitiuæ ecclesiæ vsque ad senectam & senium eiusdem, videlicet vsque ad tempora Filii perditionis, maior fuerit, vel futura sit abominatio desolationis; vel maius flagellum ecclesiam sanctam DEI oppresserit, quàm execrabilis erroris venenum pestiferum, quod serpens antiquus per os Pseudoprophetæ & successorum eius in tanta populorum multitudine, iam ferè per sexcentos annos euomuit. *Iustus es Domine, si disputem tecum; veruntamen iusta loquar ad te. Cur bestiæ tam crudeli tam laxas habenas concessisti? Quare tanquam potens crapulatus à vino, & tanquam vir fortis qui saluare non potest, tanto tempore siluisti, conculcante impio & vastante vineam tuam, & tot animarum millia, pro quibus sanguinem fudisti, tibi auferente? Cur fortis armatus inimicus noster tanto tempore in pace custodiuit atrium suum, & fortior non superuenit, qui vasa eius potenter auferret, eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum? O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ DEI, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Quis est homo qui respondeat DEO, vel disputet cũ ipso? Nunquid dicit figmentum ei qui se fecit, quid me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Iudicia Domini abyssus multa.* Scimus enim, quòd licet antiquus aduersarius noster nihil possit nisi quantum DEVS permiserit, peccata tamen nostra adeo fecerunt ipsum contra nos potentem, vt DEVS iusto, licet occulto, iudicio vsque ad tempora nostra per filium perditionis, perfidum Machometum eundem inimicum permiserit insanire. Fuit autem *Machometus* Ismaëlita, ex Agar ancilla Abrahæ, ex progenie Ismaëlis, hominis ferocis, *cuius manus cõtra omnes, & manus omnium contra ipsum.* Licet enim *Saraceni*, à Sara, tanquam ex libera, mendaciter & inaniter se nominent Saracenos; veriùs tamen *Agareni*, ab Agar, quæ cõcubina fuit Abrahæ, debent dici. Cùm autem adhuc puer esset, & defuncto patre suo Abdimeneph, & matre suâ, relictus esset pauper & orphanus, susceptus est à quodã homine Gentili & Idololatra, qui nutriuit eum in illo loco Arabiæ, qui dicitur linguâ eorum *Salingua*. Postquam autem factus est ætatis adultæ, & ad annos iuueniles peruenit, cùm iã proprii corporis exercitio, more pauperum, victum sibi laboriosè posset acquirere, factus est mercenarius cuiusdã mulieris viduæ, cuius asinũ custodiens à quibusdam viatoribus, quos super asinum ad partes Asiæ deferebat, mercedem recipiebat ad opus dominæ suæ: quæ etiã camelos suos postmodum eius custodiæ commisit; & ad ciuitates vicinas & oppida circunstantia factus negotiator, merces deportabat. Cumque pro seruitio suo & huiusmodi negotiatione prædictæ viduæ gratiã & familiaritatem fuisset adeptus, sese inuicẽ libidinosè concupiscẽtes, primò occulto & fornicario concubitu pariter coierunt; postea verò mulier illa cũ eo publicè matrimonium contraxit, & copiosam pecuniam tradidit illi. Ipse verò, qui semper vitam miseram & inopem vsque ad dies illos duxerat, subitò & quasi casu fortuito & inopinato ditatus, cœpit in oculis suis extolli, & apud se inaniter gloriari, cogitans intra se & modis omnibus procurans, qualiter super gentes illas, quæ regem non habebant, & tribus suas posset dominari, & apud homines illos magnus haberi. Primò igitur congregauit homines pauperes & inopes, & obligatos ære alieno, viros prophanos, latrones, prædones, homicidas, &

[Margin: 2. Corin. 11. — 1. Timoth. 2. — 1. Thessal. — Ierem. 12. — Psal. 77. — Luc. 11. — Rom. 11. — Rom. 9. — V. — Gen. 16.]

raptores, vt eorum auxilio multâ pecuniâ per violentiam & rapinam congregatâ, nomen sibi faceret, & ab omnibus timeretur. Cùm autem ex huiusmodi peruersis & desperatis hominibus, filiis Belial, non modicam multitudinem congregasset, posuit eos iuxta vias publicas in insidiis & locis abditis, vt negotiatores causâ mercimonii de Asia venientes, sine misericordia spoliarent. Quadam die misit triginta de latrunculis suis vt mercatores quosdam per partes illas transeuntes spoliarent. Quidam autem vir potens de partibus illis, cuius camelum Machometus abstulerat, cum trecentis hominibus occurrens sociis Machometi, fugatis ipsis, mercatores illos de manibus prædonum liberauit. Aliâ vice misit sexaginta de militibus suis vt sibi prædam adducerent, qui omnes à quibusdam in insidiis positis ita sunt occisi, vt nec vnus ad dominum suum reuerteretur. Misit tertiâ vice multos ex sociis ad locum quendam, vt multitudinem asinorum, qui per locum illum transire debebant, mercibus variis onerati, raperent; sed antequam ad locum illum peruenissent, mercatores cum asinis die præcedente transierant. Hæc autem Propheta mendax, præuidere non potuit; nec in prædictis casibus sibi vel sociis suis potuit præcauere. Mentiuntur ergo miseri Saraceni, qui eum summum Prophetam Domini fuisse perniciosè protestantur. Aliquando etiam cùm fugisset de prælio quodam, multis dentibus confractis vix euasit. In multis enim præliis deuictus, & cum exercitu suo fugatus, nec sibi, nec suis aliquod potuit præstare subsidium. Misit frequenter socios suos, vt homines sibi contradicentes nocte in domibus suis iugularent. Vicinos etiam suos, quibus inuidebat, clam & proditoriè trucidari faciebat, & maximè Iudæos quos plurimùm odio habebat. Plerunque autem impii & facinorosi eius complices, villas & casalia subitò ingredientes, ex improuiso homines paruulos etiam & mulieres passim occidebant, & partem prædæ domino suo, qui defensionem & authoritatem eis præstabat, afferebant. Frequenter autem hi, quos ad exercenda latrocinia mittebat, ab his quos spoliare volebāt, sunt occisi. A quodam autem prælio dentibus suis à dextera parte excussis, labro superiori conciso & genis confractis, vultu lacerato & deturpato vix euasit. Quidam autem ex sociis suis eleuans manum suam super eum ad tutelam, amputato digito vno vix eum valuit liberare. Ecce quàm decepti sunt, & crassis tenebris inuoluti miseri Saraceni, qui mendaciter affirmant ipsum super omnes Prophetas spiritum Prophetiæ habuisse; & decem angelos sibi fauentes, & eum custodientes omni tempore secum habere. Dicunt etiam, quòd antequam DEVS à principio cœlum & terram creasset, nomen Machometi quasi in conspectu DEI consistebat; & nisi ipse Machometus futurus fuisset, nec cœlum, nec terra, nec infernus, nec paradisus fuisset. Ipse verò cùm ei frequenter malè accidisset, & à prçliorū cōflictu victus & fugatus cū magna reuerteretur confusione, ad sui excusationem dicebat: quòd missus erat à Domino, non vt miracula faceret, sicut & alii Prophetæ ante ipsum; sed vt leges datas Iudæis per Moisen, & Christianis per CHRISTVM exponeret mundo & declararet; & eos qui mandata legis malè intelligebant, corrigeret & instrueret: ita quòd si quis mandata eius suscipere recusaret, vel gladio interficeretur, vel pro incredulitatis suæ pretio tributum soluere cogeretur. Si qui autem credere legi suæ renuerēt, vel cōtrarium prædicarent, contra eos prælia semper inferrent; & ipsis trucidatis, si possent, vxores eorū & liberi perpetuę seruituti subderētur. *Inimicus etiam fidei suæ nec fidem, nec promissionem obseruare, sed eos omnibus modis decipere concedebat.* Cùm igitur ipse de se fateatur quòd gratiam faciendi miracula non haberet, miracula illa quæ de illo Saraceni gloriantes prædicant, constat esse falsa, & ipsos deceptos oculis penitus excæcatis veritatem ignorare. Dicunt enim quòd lupus quidam in via quâ ambulabat aliquando ei obuiam venit, contra quem cùm tres digitos Machometus erexisset, lupus exterritus confestim fugiendo recessit. Affirmant etiam homines animales & bruti, quòd bos quidam quandoque cum eo loquutus fuisset; & quòd arbor fici ad eius vocationem & imperium ad terram inclinata, ad eum humiliter accessit. Dicunt etiam quòd Lunā ad ipsum descendentem, in sinu suo recepit; & ipsam Lunam in partes ab eo diuisam, iterum coniunxit. Asserunt etiam quòd cùm venenum in carne agnina aliquando sibi fuisset oblatum, agnus loquutus sit ei dicens: *In me habeo venenum, caue ne me sumas in cibum.* Socius autem eius, qui cum eo in mensa sedebat, ex eo comedit, & vitam veneno amisit. Ab illo tamen die post annos decem

Gen. 1.

10 20 30 40 50

decem & octo, *Machometus* veneno sibi occultè dato interiit, nec tamen mortem suam Pseudopropheta præsciuit. Ipse autem diuino percussus iudicio, morbo caduco laborans aliquando in terram cadendo spumabat. Prædicta autem vxor eius præ verecundia & morbi abominatione volebat eum dimittere. Ipse autem dicebat vxori suæ, quòd Angelus Domini Gabriel ei loquebatur, ipsum de lege, quam dabat hominibus, instruens, & DEI mãdata ad ipsum deferens: ipse verò præsentiam Numinis corporaliter sustinere nõ poterat; spiritus autem eius quasi in ecstasim raptus Angeli vocem audiebat, & præcepta firmiter retinebat. Mulier autẽ simpliciter credidit, & sic in matrimonio cũ ipso remansit. Erat luxuriosus & libidinis ardore succensus super omnes homines Orientalis regionis; ex quo tamen in immensum gloriabatur, iactans se solum supra quadraginta homines ex diuino munere virtutem generatiuam habere, & coëundi supereminentem potestatem à DEO accepisse. Vnde quindecim duxit vxores, exceptis ancillis & concubinis, quas omnes zelotypiæ spiritu impulsus ita recluserat, quòd nunquam poterant exire; nec vlli homini alii fas erat eas videre, vel ad eas aliquo modo intrare. Vnde vsque hodie Saracenorum, & ferè omnium Orientalium mos est, quòd vxores suas ita recludant, vt vix solis radium videre queant: ab earum etiam colloquiis consanguineos, quantumcumque proximos, prorsus priuantes. Virgines etiam earum ita coram hominibus, vultus abscondunt, & collum & manus quibusdam linteaminibus velant, quòd plerunque aliquis vxorem duxit, nec faciem eius, antequam eam traduceret, agnouit. Quandoque autem cõtra aliquam earum iratus iurauit, quòd ad eam per mensem non intraret, sed libidinis suæ turpitudine deuictus spreto iuramento ante terminum eidem commiscebatur. Cuidam autem ex vxoribus suis in dotem seu donationem propter nuptias loricam ex fragmentis cornuum factam concessit, & duas molas cum duobus ceruicalibus rotundis ex palmarum foliis contextis. Propter has autem ab alienorum vxoribus nullatenus homo impudicus abstinebat, sed passim, quascunq; sibi placẽtes habere poterat, adulterio polluebat: ita quòd cùm propter hoc infamaretur, & à multis accusaretur, & maximè à sociis erroris sui & coadiutoribus maleficii reprehenderetur, eò quòd propter turpitudinem vitæ, eius prædicatio à multis iam non reciperetur: ipse, ad sui excusationem & populi indignationem sedandam legem promulgauit, quæ vsque ad præsentem diem à Saracenis firmiter obseruatur, de *adulteriis* videlicet *puniendis*: vnde mulier adultera apud eos occiditur. Sibi soli tamen dixit esse à Domino, angelo Gabriele nuntiante, in priuilegio specialiter cõcessum, quòd ad aliorũ vxores posset accedere, & prophetas & filios virtutis ad cultum DEI generare. Ipse autem seruum quendam habebat, qui propter vxoris suæ pulchritudinem domini sui luxuriam valdè suspectam habebat. Vnde vxori suæ districtè præcipiebat, ne aliquo modo à domino suo videretur, vel cum eo loqueretur. Illa tamen nihilominus quadam die loquuta est cum Machometo: seruus autem ille indignatus, & iracundiâ concitatus eam repudiauit, & à se statim eiecit. Dominus autem eiectam eius vocauit, & cum vxoribus suis eiectam recepit. Timens autem, ne de adulterii crimine blasphemaretur, finxit quòd charta de cœlo missa fuisset illi à DEO, in qua à Domino mandaretur, vt genti suæ legem promulgaret, quatenus si quis vxorem repudiauerit, si alius eam recipere voluerit, vxor illius sit, qui eam suscepit. Istud vsque hodie inter Saracenos habetur pro lege. Si autem adultera non possit à marito conuinci, & propter criminis suspicionem, vel propter fœditatem aliquam, siue ob aliam causam eam repudiatam dimiserit, si postea pœnitentiâ ductus ipsam velit ad thorum reuocare, non aliter licet mulieri ad virum suum accedere, nisi priùs tantâ verecundiâ confundatur, quòd in oculis mariti sui ab alio viro extraneo cognoscatur; & sic per huiusmodi pollutionem ipsam miserabiles homines existimant purgari, & dignam quòd ad maritum suum reuertatur. Porcus autem ille & canis immundus in tantum libidinis feruorem exarsit, quòd ipse aliis concessit modum turpitudinis, quo in propriis vxoribus abutebatur. Ait enim in libro suo quem vocat *Alchoranum: Si vxores vel ancillas habetis, ipsas pro modo vestro ad voluntatem vestram parate.* pro quo execrabili verbo statim viuus deberet concremari. Per hoc enim latenter vitium Sodomiticum hostis naturæ in populo suo introduxit: vnde ipsi ex maxima parte

non solùm in vtroque sexu, sed etiam in brutis turpitudinem abusiue operantes, facti sunt, *sicut equus & mulus quibus non est intellectus*. Asserunt enim ad perniciosam sui excusationem, quòd re propriâ ad omnem voluntatem & voluptatem suam quilibet licitè possit vti. Hæc autem de pessima & abominabili eius vita parua de magnis, pauca de multis, dicta sufficiant. Nunc autem de execrabili eius lege, vel potiùs errore, aliqua subiungamus.

Psal. 31.

VI. Quadam die dum de ciuitate *Mecha* veniens, camelum quendam inuenisset in via, rapuit & duxit in ciuitatem *Metham*, in qua hodie sepultus ab impiis & deceptis populis adoratur. In prædicta autem ciuitate cùm de seipso testimonium proferret, asserens se esse Prophetam, & à DEO ad salutem populi transmissum, illi noluerunt eum recipere, nec eius falsis & vanis acquiescere sermonibus: sed tanquam falsarium, & viarum prædatorem & latronem, à ciuitate sua proiecerunt. Fugit igitur cum suis sociis confusus & expulsus ad ciuitatem quandam desertam, vbi erant homines ex parte Iudæi, & ex parte Gẽtiles, idololatræ, rudes & indocti, qui nunquam vel rarò veritatis audierant prædicationem. Videns autem pauperes illos & incultos homines faciles ad seducendum, constituit in ciuitate templum quoddam in quo figmenta sua & vana documenta vanis & idiotis prædicaret. Et quoniam magnus laqueus diaboli, & profunda fouea perditionis futurus erat homo ille, cùm rudis esset & illiteratus, prouidit ei mille artifex, Christianæ religionis inimicus, socios & coadiutores erroris sui, qui eidem tanquam impietatis instrumenta assisterent, & ipsum fallaciter instruerẽt, & in nequitia fouerent. Quidam enim monachus, homo apostata & hæreticus, vir Belial, nomine *Sosius*, cùm de execrabili hæresi Romæ fuisset publicè conuictus & condemnatus, & excommunicationis vinculo innodatus, extra omnem ecclesiã DEI esset eiectus, & à fidelium consortio fuisset penitùs expulsus, fugit ad partes Arabiæ, cupiens se de molestia sibi facta contra Christianos vindicare. Cùm autem inuenisset Machometum, qui iam aliquam habebat in populo suo præeminentiam, nec tamen à multis adhuc Propheta putabatur, cœpit eum cum quodam Iudæo, qui similiter ipsi Machometo adhæserat, exhortari & amonere, quatenus sicut Moyses, & CHRISTVS legem dederunt populo suo, & propter hoc ab vniuersis reputati sunt magni, ita & ipse, vt magni nominis & summus Propheta haberetur, consiliis & documentis ipsius Monachi & Iudęi, legẽ daret illi populo, cuius maior pars idola colebat, & facilè ad eius doctrinam flecti possent. *Machometus* autem, eorum peruersis acquiescens suggestionibus, vt maioris auctoritatis lex eius esse videretur, ex veteri & nouo Testamento ad augmentum erroris sui, prædictis hęretico, & Iudæo docentibus, quædam adiunxit, adinuentionibus propriis, quæ suggerente diabolo de corde suo finxit. Vnde secundùm ritum Iudæorum circunciduntur Saraceni, carnes autem porcinas non comedunt: cuius rationem cùm vellet Machometus assignare, dicit quòd ex fimo cameli porcus post diluuium fuerit procreatus: vnde tanquam ex immundiciis natus, non debet à populo mundo manducari. Similiter pisces non habentes squammas, secundùm consuetudinem Iudæorũ, non manducant. In hoc autem cum Christianis conueniunt, quòd credunt vnum solũ DEVM omnipotentem, omnium creatorem. Trinitatem autem non recipiunt: sed abominantur fidem nostram, & derident nos tanquam tres Deos adoremus, ineffabilem Filii generationem non recipientes à Patre, sed carnaliter tantùm, & per partium decisionem, omnem indifferenter intelligentes generationem: *Caro enim & sanguis & non Pater noster qui est in cœlis reuelauit eis. Animalis enim homo ea quæ DEI sunt non percipit*. Asseruit etiam Pseudopropheta vera quædam falsis interserens, quòd *Moyses* fuit magnus Propheta; sed CHRISTVS maior & summus fuit prophetarum ante tempora sua, natus ex Maria, virgine ante partum, & in partu & post partum, omnium fœminarum sanctissima: conceptus de virtute DEI, absque semine carnalis hominis. Postea verò venenum infidelitatis adnectẽs, asserit ipsum fuisse purum hominem; sicut alii Prophetæ non dii, sed homines puri fuerunt. Nesciens autem humilitatis virtutem, & sanctæ Crucis mysterium ignorans, asserit cum Manichæis, quòd CHRISTVS, nec verè fuit crucifixus, nec verè passus, nec in veritate mortuus vel sepultus, nec tertiâ die resurrexit; sed alius quidam homo, similis ei, pro eo fuit crucifixus: CHRISTVS autem sicut à DEO venit, ita ad DEVM viuus absque vlla mortis passione rediit; & in cœlos, ad DEVM, qui miserat eum,

Matth. 16.
1. Corinth. 2.

eum, ascendit. Vnde est quòd *Templum Domini*, quod dicitur Salomonis, in quo Dominus à beata virgine fuit oblatus, & quædam alia loca in quibus CHRISTVS, cum Maria & Ioseph transiens in Ægyptum, dicitur quieuisse, in magna reuerentia habeant. Ecclesias etiam beatæ Mariæ virginis in multis locis honorent: Rubum etiam quem vidit Moyses ardere, & non comburi, & alia loca in quibus in monte & circa montem Synai Dominus Moysi apparuit, magno venerentur obsequio. Crucem tamen Domini, & locum Sepulturæ eius derident, dicentes, quòd tantus Propheta, tam ignominiosam mortem cùm posset euadere, nunquam vellet sustinere. Persequuntur autem Saraceni Iudæos, & cum odio maximo eis improperant, quòd sanctissimum Prophetam CHRISTVM recipere noluerunt, & multas ei persequutiones intulerunt. Maximè quia Machometus in Alcorano suo de Iudæis valdè conqueritur, eò quòd essent duræ ceruicis & mandatis eius acquiescere recusarent. De Christianis autem dicit, quòd magis pii sunt, eò quòd legem eius audirent & flerent. Ipse autem tam Christianos, quàm Iudæos, frequenter *homines legis* appellat; & ita confusus est in tractatu suo, & sibi ipsi contrarius, quòd aliquando affirmat, quòd quilibet homo in lege sua possit saluari: aliquando verò asserit, quòd omnes præter Saracenos damnabuntur: ipsi autem Saraceni omnes, quantumcunque pessimè egerint, ad preces eius, quem DEVS in omnibus exaudiet, saluabuntur. Ex quo verbo timorem peccandi populo seducto abstulit, & ad omnes turpitudines & impietates, suos incitans, securos in iniquitatibus suis reddidit. Et quoniam in Euangelio IESV CHRISTI ipsum CHRISTVM à beato Ioanne baptizatum audierunt Saraceni, ipsum beatum Ioannem in magna reuerentia habentes, loco baptismi post omnes immundicias, quas turpiter operantur, & maximè quando ad oratorium debent accedere, corpus suum aquâ simplici abluendo, ab immundiciis suis hoc modo se æstimant purificari. Vnde passim & frequenter hac fallaciâ seducti obscœnis & abusiuis voluptatibus inquinantur, & postea, vt dictum est, aquis abluuntur. Quandoque etiam à sacerdotibus Christianis filios suos faciunt baptizari, nullam aliam spem in baptismo ponentes, nisi quòd propter hoc filios suos diutiùs viuere, vel ab infirmitatibus corporis faciliùs putant liberari. Recipiunt autem *Pentateuchum* Mosi, & omnes libros Prophetarum & Apostolorum, quos à DEO fuisse loquutos, & homines fuisse sanctos non negant. *Psalterium* etiam, & totius veteris Testamenti translationem secundùm septuaginta Interpretes recipiunt. Sed more Iudæorum vel ad litteram tantùm intelligunt Scripturas, vel peruersè aliqua quandoque exponunt. *Euangelia* autem Domini nostri IESV CHRISTI legunt & non intelligunt: vera tamen esse confitentur quæcunque locutus est CHRISTVS. Eodem modo Apostolos, qui conuersati sunt cum CHRISTO, quos Machometus libro suo vocat *viros albis indutos*, & eorum libros recipiunt. Omnes autem qui cum CHRISTO, dum esset in terris, non fuerunt, tanquam falsarios & Euangelicæ veritatis ignaros, non admittunt: sed tam eos quàm eorum libros despiciunt. Vnde beatum Apostolum Paulum cum libris suis, & omnes alios qui post Paulum varios libros scripserunt ipsi abominantur, doctrinam eorum blasphemantes. Quando autem ex libris Euangeliorum CHRISTI, vel sanctorum Apostolorum, vel etiam ex veteri Testamento aliqua legi suæ repugnare videntur, cùm aliter non possunt euadere, dicunt libros nostros à falsariis esse corruptos, quibusdam subtractis, & aliis pro voluntate appositis. hoc est vltimum & miserabile eorum refugium. Ita enim quolibet idiota respondente, nec ipsi ex libris suis, nec Iudæi ex veteri Testamento, nec aliqui ex scriptis antiquorum, per locum *ab auctoritate*, possent aliquid probare. Quàm absurda autem & friuola sit huiusmodi responsio, patet ex hoc, quòd Sancti qui post CHRISTI tempora sequuti sunt, eadem miracula, quæ CHRISTVS fecit, & etiam aliqua maiora CHRISTI virtute fecerunt. Quicquid autem in libris suis scripserunt, ex nouo & veteri Testamento habuerunt, idipsum sentientes, & concorditer scribentes de thesauro suo noua & vetera protulerunt. Notum est autem quòd sancta Euangelia, & libri Apostolorum & alia legis Christianorum volumina, in diuersis mundi partibus, & variis idiomatibus,

Luc. 2. Exod. 3. Ioan. 19. Act. 7. Matth. 3. Matth. 13.

VVVV

& diuersis etiam scriptoribus, & variis temporibus scripta sunt concorditer, & absque vlla sententiarum contrarietate; & ab omni hominum genere vsque ad tempora nostra successiuè sunt recepta: ex quorum vniformitate manifestum est quòd nullo modo potuerunt esse falsata. Quomodo enim tot falsarii, & ita à se remoti tam idiomatibus, quàm locis, in vnum penitùs possent conuenire? Quidam autem prudentiores ex ipsis, & naturaliter ingeniosi, & tam in libris naturalibus gentilium Philosophorum, qui penitùs legi Machometi contradicunt, quàm in libris nostris exercitati, Euangelia CHRISTI legentes, & legis nostræ puritatem cum erroribus impii seductoris conferentes, ad gratiam baptismi IESV CHRISTI frequenter confugerunt: & longè plures conuolarent, nisi carnalibus illecebris, & peruersæ vitæ consuetudinibus irretiti, CHRISTI paupertatem & vitam Christianorum nimis artam reputantes, CHRISTI suauissimum iugum, asperum & quasi intolerabile reputarent. Hæc autem præcipua fuit causa quòd peruersas huius seductoris traditiones, & insanias falsas, plures, quàm alicuius alterius hæresiarchæ, sequuti sunt homines. Lex enim Euangelica auaritiam & desideria terrena detestatur, carnales voluptates, & fœdas concupiscentias tanquam inimicas animæ prohibet & execratur. Vnde fluxus carnalis voluptatis restringere, & motus illicitos cohibere, & curam carnis in desideriis non perficere, & corpus præcipit spiritui subiugare; terrenis lucris non inhiare, mundana & transitoria omnia contemnere; inimicos diligere, nulli malum pro malo reddere, pro persecutoribus orare; & multa iubet talia, quæ licet homini sint impossibilia, DEO tamen, qui virtutem subministrat, sunt facilia. Vnde Diuinâ gratiâ præueniente & cooperante, non solùm facilè, sed cum gaudio & spirituali delectatione à CHRISTI fidelibus adimplentur. Carnales autem & imprudentes Saraceni, lucra temporalia, & terrena desideria, & præsentis vitæ delicias, futuram beatitudinem nullatenus credunt impedire. Vnde more pecudum post carnis concupiscentias abeuntes, in luto voluptatis obscœnæ infixi, mortui, & sepulti, nullis vitiis resistere norunt; sed carnis passionibus miserabiliter subiecti & suppeditati, plerumque non prouocati ab appetitu, credunt esse meritorium fœdos appetitus prouocare. Ex quo factum est quòd in partibus Orientis, & maximè in calidis regionibus bruti & luxuriosi homines, quibus austeritas Christianæ religionis intolerabilis & importabilis videbatur, *artam viam* quæ ducit ad vitam, & *angustam portam* deserentes, latam & spatiosam viam, quæ ducit ad mortem facilè sunt ingressi, & multiplicati sunt super numerum carnalibus illecebris irretiti. Cùm autem contra alias hæreses sancti viri zelo iustitiæ, & diuino amoris feruore succensi, prædicando, disputando, & ex diuinis scripturis ratiocinando sese viriliter opponerent, & de faucibus Leuiathan plures in hæresim lapsos extraherent: homo ille perditissimus ad cumulum nequitiæ suæ, cùm de veritate vel etiam probabilitate sectæ suæ diffideret, præcepit genti seductæ, *ne contra legem suam prædicatores admitterent: sed si quis contradicere vellet, statim gladio feriretur:* quicunque etiam ipsum Machometum negaret, protinus occideretur. Dicebat enim frequenter auditoribus suis: *Videte, ne decipiamini. nemo Propheta fuit, cui gens & plebs eius non imposuisset mendacium. Nolite ergo credere, quæ homines dicturi sunt de me. Timeo enim ne gens mea, postquam mortuus fuero, de me mendacia dicat, & mihi falsa apponat. nolite detrahentibus credere, sed tantùm ea de me credatis, quæ in libro legis, quem ego vobis daturus sum, inuenietis. Si quis autem contradixerit & blasphemauerit, occidatur.* Et quoniam ille homo libidinosus plures habuit tam vxores quàm concubinas, concessit, & meritorium prædicauit cuilibet plurimas habere vxores, & tot concubinas quot posset procurare, & in necessariis prouidere. Saraceni autem tres vel quatuor simul, & non ampliùs, hodie ducunt vxores, quæ liberæ sunt. Concubinas & ancillas quas emunt, quotcunque volunt, possunt habere. Magis autem religiosus iudicatur inter eos qui plures potest impregnare. Filiis autem concubinarum æquè, & filiis vxorum, pro voluntate sua relinquunt possessiones & hereditates, vt sit filius ancillæ

Matth. 11. Psal. 39. Rom. 13. Matth. 5. Matth. 7.

cillæ heres cum filiis liberæ. Et plerunque postpositis filiis vxorum, filius concubinarum, quos magis diligunt, regnorum suorum viri nobiles heredes constituunt. Ex quo frequenter accidit quòd potentes Saraceni Christianarum mulierum filii, nostris amici facti sunt,& Christianis in terra sua commorantibus beneuoli & propitii fuerunt. *Machometus* enim in multis propitius fuit mulieribus,& propter libidinem suam valdè eis compatiebatur: vnde legem promulgauit, vt *postquam ancilla de Saraceno conciperet, libera confestim efficeretur*; & postquam natus esset fœtus,cuiuscunque legis esset mater,libera permitteretur abire. Ita tamen quòd partus ventrem non sequeretur,sed cum patre remaneret,& legem suam inuiolabiliter obseruaret. Vt autem non solùm Gentiles & Idololatras,sed etiam Christianos simplices ad sectam suam detestabilem faciliùs traheret, quasi in laudem domini nostri IESV CHRISTI quædam miracula de infantia Saluatoris, quæ in libris inueniuntur apocryphis, libro legis suæ, quæ *Alcoranus* dicitur, inseruit, dicens: *Quòd CHRISTVS cùm puer esset, de luto terræ volucres procreauit:* Et quædam alia miracula,quæ nec in Euangeliis continentur,nec ab Ecclesia recipiuntur,de CHRISTO prædicauit. Vera autem miracula,quæ CHRISTVS indubitàter fecit,quemadmodum in Euangelio legimus,penitus tacuit,nullam indè faciens mentionem. Vt autem peruersæ sectæ suę falsitatem,& irrationabilia instituta,ne deprehenderentur,quibusdam quasi honestis & religiosis mandatis posset inuoluere, & aliquo religionis co[illegible] suum excusaret errorem, eleemosynas & orationes multùm commendauit: sed super omnia *pro defensione legis suæ vsque ad sanguinis effusionem & mortem fortiter pugnare, meritoriũ esse dogmatizauit.* Dicebat enim, quòd mors metuenda nõ esset, cùm DEVS vltimum diem & finem cuiuslibet præuiderit, quem nullus potest præterire; vel aliquo modo terminũ, quẽ DEVS infallibiliter præuidit, potest homo præuenire vel anticipare. Quoniam autem Christiani versus Orientem solent orare, Iudęi autem ad Occidentem, ipse nolens aliorum imitator reputari, vt singulariter & super alios eius auctoritas præemineret, nouum modum orandi inuenit; scilicet versus Meridiem. Ipsi autem Saraceni nec decimas reddunt, nec aliqua sacrificia faciunt, nec etiam aliquas in matrimoniis suis benedictiones adhibentes, more canum copulantur. Faciunt autem qualibet nocte legem Machometi ab aliquo in eminente loco astãte proclamari. Qui cùm legem Machometi sanctam & iustam esse,& ipsum summum Prophetam à DEO missum fuisse in auribus omnium proclamauit; alii omnes respondentes, affirmant ita esse: & hoc sibi sufficere credunt ad salutem. Attendens autem quòd Iudęi secundùm legem suam vnum diem Sabbati quâlibet septimanâ quiescendo feriant; similiter Christiani diem vnum, scilicet Dominicum, in honore Resurrectionis Dominicæ, singulis hebdomadis solemnizant, vt gens eius à prædictis nationibus distincta, alias imitari recusaret; sextam feriam, diẽ scilicet *Veneris*, ipse solemniter in qualibet septimana pręcepit obseruare. Ieiunia autem semel in anno per mensem integrum fieri instituit, quem nos *quadragesimam Paganorum* appellamus. Ieiunant autem per totam diem nihil prorsus manducantes vel bibentes: nocte autem quotiescunque volunt comedentes & bibentes, à nullis deliciis carnalibus abstinent. Per totam noctem more pecudum ventres diuersis ferculis vsque ad crapulam & vomitum adimplentes, in noctibus cum fœnore recuperant, quod amiserunt in die. Vinum tamen in diebus ieiuniorum nõ est eis licitum bibere. Aliis autem diebus à vino plerumque maior pars Saracenorum consueuit abstinere, & maximè qui inter eos magis religiosi esse videntur, & hi qui Peregrini fuerint Machometi; corpus eius in Mecha ciuitate visitãtes. Machometus enim vinum valdè vituperans, eò quòd sibi à vino gastrimargus homo temperare nesciret, bibentis excessum, ad excusationem sui, in vinum retorquebat. Hæc est autem certior,& magis euidens ratio quare à vino præcipiantur abstinere. Ipsi enim gulosi & nullo fræno sobrietatis astricti, ferè quotiescunque vinum bibunt, amisso rationis vsu adeo inebriantur, quòd more porcorum, nunc in luto sese volutãtes proiiciunt, nunc per vicos & plateas ciuitatis titubando incedunt, & inter se rixantes sese mutuò interficiunt. Et quoniam vsum Veneris & luxuriam meritorium reputant, frequentiùs in tempore ieiunii concubinis & vxoribus commiscentur, vel causâ libidinis explendæ, vel vt plures filios ad legis suæ defensionem valeant generare. Sicut autem in Diuinis Scripturis spiritualiter duæ distinguuntur ciuitates, coniunctæ

quidem corpore, sed diuisæ mente; vna DEI, altera Diaboli, vna *Hierusalem*, altera *Babylon* nuncupata: ita Machometus ad litteram duas ex vna parte ciuitates DEI sanctas, & omni acceptione dignas, scilicet *Mecham* & *Hierusalem* asseruit; ex alia autem parte duas ciuitates Diaboli, *Antiochiam* videlicet & *Romam*, vrbes pessimas & execrabiles prædicauit. Vnde Saraceni non solùm ciuitatem Mecham, in qua corpus Machometi sepultum est, causá peregrinationis & orationis adeunt; sed etiam cum magna veneratione ad ciuitatem Hierusalem, etiam quando à Christianis possidebatur, à partibus remotis veniebāt in Templo Domini, quod ipsi rupem seu templum Salomonis appellant, orationes & oblationes votiuas reddituri. Et quoniam carnalis populus spiritualium ignarus, non nisi carnalibus facilè moueretur, prædicauit etiam ille magister erroris, quòd omnes sibi credentes post resurrectionem corporum pulcherrimas in Paradiso voluptatis, haberent virgines, & speciosas mulieres cum magnis oculis, ex quibus quotcunque vellent filios generarent: cùm tamen dicat Dominus in Euangelio: *Post resurrectionem neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli DEI.* Et iterum: *hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum DEVM, & quem misisti IESVM CHRISTVM.* Econtra verò Antichristus ille dogmatizauit dicens: *hæc est vita æterna in Paradiso post mortem, vt manducetis & bibatis quæcunque fercula volueritis: quæcunque enim petieritis; statim de cælo mittentur vobis. Omnibus autem affluetis voluptatibus, semper gaudebitis, nullus offendet vos, & nihil vobis nocebit.* Addidit etiam seductor ille; quòd tria flumina lactis scilicet, & mellis, & vini optimi aromatici habebunt in paradiso, quibus in iocunditate sua, quotiescunque placebit, poterunt vti: & quòd Angelos DEI pulchros & magnos sint visuri: ita quòd ab vno oculo Angeli vsque ad alium sit spatium itineris vnius diei. Multa quoque alia ita friuola & vana dixit homo ille illiteratus, qui nihil ex aliquibus litteris didicerat; sed asinos & camelos, vt prædictum est, custodierat, quòd multi ex Saracenis, qui liberales artes nouerunt, & libros Philosophorum legerunt, magistri sui doctrinam derident: vitam tamen imitantur desiderio voluptatum carnalium, & timore aliorum Saracenorum, legem Machometi superficialiter venerantes.

VII. Cùm autem annis quadraginta miserabilem vitam Machometus protraxisset, & morte sibi imminente, veneno se oppressum sensisset, dixit cognatis & amicis suis: *Quando me mortuum videritis, corpus meum nolite sepelire: Scio enim corpus meum post triduum in cælum esse deferendum.* Cùm igitur indignam vitam dignâ morte terminasset, discipuli eius & socii non solùm per triduum, sed per dies duodecim corpus seruauerunt, expectantes vtrum in cælum deferretur. Videntes autem magistri sui dicta prorsus irrita esse, & effectu caruisse; cùm iam intolerabilis esset fœtor cadaueris; ipsum corpus aquâ non lauantes, sub terra absconderunt. Qui autem inter eos prudentiores fuerunt, deprehensâ seductoris falsitate, omnia quæcunque dixerat falsa & irrita æstimantes, ab eius lege discesserunt. Cùm autem ad exemplum eorum omnes ferè alii vellent discedere, cognati Machometi & socii, qui priùs in honore & reuerentia apud populum habebantur, & occasione legis multa lucrabantur, mœsti & confusi cum multis blanditiis & promissionibus cœperūt omnibus modis simplices attrahere; & ad sectam prædictam animos eorum inclinare. Quendam autem ex discipulis Machometi loco eius elegerunt, quem vocauerunt *Calypham*, quasi successorem siue heredem, eò quòd dignitatis & principatus Machometi successor existeret. Hic verò dignitatē & potestatē adeptus, cœpit partim blanditiis, partim comminatione & metu, populos ad se reuocare, & multitudinem hominum congregare. Quidam autē socer Machometi, *Achali* nomine, contra prædictum Calipham inuidiâ concitatus, & indignatione commotus, concupiscētiâ lucri, & ambitione secularis dignitatis tractus: modis quibus potuit per se, & per suos eidē se opponens, & multipliciter expugnans, non cessauit donec ipsum à principatu remouit.

VIII. Post hunc verò quidam patruelis Machometi, nomine *Haly*, cùm obtinuisset principatū, vehemēter cōmoueri cœpit & indignari, quòd successor Machometi vocaretur, cùm se digniorē ipso Machometo reputaret, & Prophetam eximiū, cui Dominus familiarius, quàm Machometo, loquutus fuisset, se vellet ab omnibus æstimari. Hic igitur & complices eius, legi Machometi maximè detrahebant, & in ipsum multa maledicta proferebant, alios ritus & alias institutiones, & aliū orandi modū, quàm tradidisset Machometus, prędicantes,

dicantes. Illi autem qui legem Machometi tenere voluerunt, in partibus Orientis *Calypham Baldacensem* statuerunt: qui in tanto honore & reuerentia à suis habetur, quod nisi mandato & auctoritate illius nullus quantumcunque potens aut nobilis appellatur *Soldanus*; & omnes eius subditi tam Reges, quàm alii, pedes eius ad terram prostrati reuerenter osculantur. Successores autem *Haly*, de quo suprà fecimus mentionem, contra singularem Orientis Calypham sedem suam erexerunt in terra Ægypti, innumeris diuitiis & deliciis affluentes. Vnde inter Ægyptios & alios Orientales populos magna semper ex tūc fuit dissensio, & odium implacabile, & in lege discordia & contradictio, Saracenorum populis in duas partes diuisis: quadam parte Haly & eius successoribus adhærente, maiori tamen parte consentiente Machometo. Postquam autem *Salahadinus* temporalem administrationem Ægypti sub domino suo Calypha Ægyptio adeptus est, timens sibi, eò quòd Calyphæ non immeritò, multis eum accusantibus, erat suspectus; vt ipse Salahadinus ad nullum superiorem haberet respectum; sed ipse sibi & Soldanus esset & Calypha, accessit ad dominum suum Calypham Ægyptium, tanquam ei debitam & solitam vellet exhibere reuerentiam, & clauâ ferratâ, quam gestabat in manibus, ex improuiso ipsum ad terram prostratum deiecit, & per proditionem occidit. Omnes autem eius filios & cognatos & speciales amicos vel interficere iussit, vel carceri in perpetuum mancipari. Ex tunc Soldanus Baldacensis solus monarchiam & dignitatem tam super Ægyptios, quàm super omnes alios Orientales obtinuit, Salahadino compellente Ægyptios vt ei concorditer obedirent, & nullum Calypham alium instituere præsumerent, nec ritus alios, quàm alii Orientales obseruarent.

IX. Princeps autem Occidentalium Saracenorum omnium, qui Machometi legem obseruant potentissimus, qui caput & imperii sui dignitatem, & regni sui soliū in ciuitate *Maroch*, quæ quondā *Carthago* dicebatur, collocauit; & non solùm Æthiopiæ & Africæ, sed etiā Hispaniæ ex magna parte dominatur, orientali Calyphæ cum vniuerso populo suo, subiectus esse recusauit: Sed se ipsum Regem & Calypham reputans, *Miramummelin*, id est, Regem credentium, se & eius omnes successores præcepit appellari. Linguâ enim eorum *Mira*, idem est quod *Rex*; *Mummelin* autem *credentium* interpretatur. Vnde inter Orientales & Occidentales Saracenos magnum est schisma, & dissensiones quamplurimum vtiles Christianis, eò quòd isti illis in præliis & expeditionibus contra nos renuunt præstare subsidium, regno ipsorum in seipso diuiso & ex magna parte dissoluto.

X. Copiosa tamen Gentilium & Idololatrarum multitudo, & hi maximè qui Septentrionalem inhabitant reigonem, circa paludes Mæotidas, & in partibus Bulgariæ & Commaniæ, vsq; ad fines Hungarię; & qui in confinio regni Daciæ, & in aliis partibus adiacentibus cōmorantur, Machomet legem recipere renuerunt. Et quia ab aliis Saracenis Orientalibus & Occidentalibus valdè remoti sunt, per metum seu violentiam non potuerunt compelli. Vnde vsque hodie quidam eorum errorem vetustum retinētes, Idola colunt, venerantur, & adorant: Alii autem more pecudum nec legē, nec scripta, nec litteras vllas habentes, arbores, & arbusta, & pecudes, & generaliter quidquid mane casu aliquo primùm eis occurrit, illud pro Deo reputantes, per totum diem colunt & adorant. Quidam autem ex eis se verum & summum DEVM ignorare cōfitentes, putantes tamen DEVM ignotum aliquo placare sacrificio, & obsequio venerari; carnes vel panem, seu aliam huiusmodi oblationem in altum proiiciunt, in honore illius, qui DEVS est, & habitat in excelsis, clamantes & dicentes: *Eius sit hæc oblatio, qui super omnes est, & summæ diuinitatis inter alios obtinet principatum.*

XI. Ab his autem Septentrionalibus Saracenis, qui *Comani* nuncupantur, principium & originem, hi qui *Turcomani* dicuntur, & in terra Turcorum inhabitant, traxisse creduntur. Vnde nomine composito à Turcis, & Comanis appellātur Turcomani. De Turcis siquidē ex antiquis Orientalium historiis certum habemus, quòd ex Septentrionali regione exeuntes, Persarum fines ingressi, non solùm regionem illam, sed vniuersas ferè Orientales prouincias armatâ manu occupauerunt violēter. Ex tunc autem gens illa, priùs rudis & inculta, nec habens certam mansionem, sed passim cum vxoribus & filiis, & pecoribus vagans, & pascuarum commoditatem sectās, regem sibi præfecit, ciuitates & oppida possidere incipiens, agriculturæ dans operā, quæ priùs de peculio tantùm viuebat, & iura sibi ciuilia constituens. Hi

autem, qui in sua ruditate permanentes, priorem viuēdi modū deserere noluerunt, appellati sunt *Turcomani*. In multis autem, qui *Beduini* dicuntur, imitantur Saracenos. Differunt tamen natione, & quibusdam aliis consuetudinibus viuendi.

XII. *Beduini* autem ex Arabum genere principaliter duxerunt originē, ex quorum stirpe dicunt descendisse Machometum. Hi autem dogmatizantes quòd diē mortis à DEO sibi constitutum nec præuenire possunt, nec præterire, nunquam ad pugnā armati procedunt; sed solummodo camisiati; peplis more fœminarum capita inuoluentes: lanceis & ensibus tantummodo vtentes; arcubus autē & sagittis more aliorum Saracenorum pugnare dedignantur. Et licet leuiter & de facili conuertātur in fugam, alios tamen Saracenos timidos & ignauos reputant, qui spicula & sagittas à longè iaculantur. Sunt autem non solùm Christianorum, sed etiam Saracenorum proditores; mendaces & inconstantes & amici fortunæ, & duplici viâ gradientes, his quos cernunt præualere, libenter adhærentes. Portant autem in capitibus pileos rubeos cum peplis, in tentoriis de pellibus animaliū habitantes: ouinis etiam pellibus & caprinis plerunque vestiuntur. Nullam autē habentes certam mansionem, in campestribus & pascuis turmatim per tribus incedentes, vagi habitant, & pascuorum vbertatem sectantes, diuersas regiones circumeunt, lacte viuentes, & animalium copiam secum trahentes. Ipsi autem penitus ociosi, tam equorum quàm pecorum vxoribus suis procurationem relinquunt. Ex Orientalibus autem nonnulli, qui legē Machometi custodiunt, excepto quòd more Christianorum ad ortum Solis adorāt, eò quòd patres eorū, qui Christiani fuerunt, hunc modū orandi eis reliquerunt; ab hiis Saracenis hæretici & prophani reputātur. Ex quibus nonnulli ipsum Solem Deum summum reputāt, eò quòd inter omnes creaturas visibiles, precellentem habeat pulchritudinem.

XIII. Sunt insuper quidam alii miserabiles in montanis homines, circa iuga Libani in partibus Tripolitanis commorantes, qui licet ex parte magna Machometi legē obseruent: dicunt tamē se legē quādā aliā occultam habere, quā non licet alicui reuelare, nisi filiis eorū cùm iam adultæ sunt ætatis, vt secreta pueriliter non reuelent: vel mortis articulo imminente cùm patres in extremis laborātes spem euadendi nō habent. Vxores autem & filiæ in lege maritorū & parentum suorū, ignorantes legē illam, dicunt se credere. Quòd si fortè filius leuitate aliquā legem illā, quam vocant occultā, matri suæ reuelaret, vxor à marito, & filius à patre absque vlla retractatione necarentur. Hi autē præter morem aliorum Paganorū, vinum bibunt, & carnes porcinas edunt, & ab omnibus aliis tanquā hæretici legis reprobantur. Hi autē pessima & abominabilia & sexui fœmineo contraria in occulto turpiter operantes, sicut illis narrantibus qui ab eis recesserunt cognitū est, timent ne vxores eorū eos relinquerent, vel contemptui haberēt, si execrabiles ritus eorū & immunditias sectæ peruersissimæ cognoscerent.

XIV. In prouincia autē Phœnicis, circa fines ciuitatis Anteradēsis, quæ hodie vulgariter appellatur *Tortosa*, quidā populus scopulis & mōtibus vndique circūclusus inhabitat, habēs castella decē fortissima, & propter viarū angustias & rupes inaccessibiles, inexpugnabilia, cum suburbanis & vallibus omnium fructuum & frugū fertilitate fœcundissimis, & amœnitate iucundis. Horum autem hominū, qui *Assasini* nuncupantur, quadraginta millium numerū excedere dicitur multitudo. Præficiunt autē sibi Capitaneū non successione hæreditariâ, sed meritorū prærogatiuâ, quem ipsi *Veterem* seu *Senem* appellant, non tā prouectę ætatis ratione, quàm prudētiæ & dignitatis præminentiâ. Primus autē & summus infaustæ religionis eorū Abbas, & locus, vnde principiū habuerunt, & à quo * Syriam venerūt, in partibus est Oriētalibus valdè remotis versus ciuitatem Baldacensem, & partes Persidis prouinciæ. Hi autē vngulā non findentes, neque sacrum à prophano discernentes, *omnem indifferenter obedientiam superiori suo exhibitam, sibi credunt esse vitæ æternæ meritoriam.* (Leuit. 11.) Vnde tanto subiectionis & obedientię vinculo magistro suo, quem *Senem* nominant, astringuntur, quòd nil ita periculosum est aut difficile, quod ad mandatum domini sui hilari animo, & ardenti voluntate amplecti & perficere vereantur. *Senex* autem dominus eorum, pueros de populo illo in locis secretis & delectabilibus facit nutriri, & diuersis idiomatum generibus diligenter imbutos & instructos ad varias prouincias mittit cū cultellis, & potētes homines tā ex Christianis, quàm ex Saracenis, vel quia ex aliqua causa habet eos odio, vel ad preces amicorum suorum, seu etiam propter immensæ

immensæ pecuniæ pretium sibi datum, mandat occidi; promittens propter huius mandati executionem longè maiores delicias habituros sine fine in paradiso post mortem, quàm sint illæ in quibus fuerũt enutriti. Quòd si propter huiusmodi obedientiam eos mori contigerit, martyres à suis iudicantur, & inter sanctos ab illo populo deputati in summa habentur reuerentia. Parentes autẽ eorum à magistro, qui *Senex* dicitur, multis muneribus ditati, si serui fuerant, de cætero liberi dimittuntur. Vnde miseri & seducti adolescentes de conuentu prædictorum fratrum ad varias partes mundi transmissi, cum tãto gaudio & desiderio legationem mortiferã suscipiunt, cum tanta diligentia & sollicitudine perficiunt, sese variis modis transfigurã-
10 tes, & aliarum nationum ritus & habitum sibi assumentes, aliquando in specie mercatorum, quandoq; in specie Clericorum seu Monachorum, & infinitis aliis modis sese occultantes, quòd vix aliquis in vniuerso mundo adeo cautus est, qui sibi possit ab eorum insidiis præcauere. Contra inferiores personas aliquid machinari dedignantur: Potẽtes autem, quibus ipsi aduersantur, vel pretio magno se redimunt, vel armati incedentes cum caterua satellitum, cum suspicione & metu mortis, semper incedunt. Hi autem super omnes alios Saracenos legem Machometi & eius instituta diligenter & artissimè seruauerunt vsq; ad tempora cuiusdam magistri sui, qui naturali præditus ingenio diuersarum scripturarum exercitatus studio, Christianorum legem, & CHRISTI Euangelia cœpit cum omni diligentia legere & perscruta-
20 ri, admirans miraculorũ virtutem, & doctrinę sanctitatem. Ex quorum cõparatione friuolã & irrationabilem cœpit abominari Machometi doctrinã; & tandem cognità veritate, subditos suos à ritibus maledictæ legis studuit paulatim reuocare. Vnde exhortatus est eos, & mãdauit, quòd vinum cum modestia biberent, & carnes porcinas manducarent. Tandem verò post multas admonitiones, & varias doctoris sui prædicationes, in hoc omnes concorditer consenserunt, quòd relictà Machometi perfidià, percepti baptismi gratià efficerentur Christiani: Ita tamen quòd eiusdem essent conditionis & libertatis, vt alii Christianorum legi subiecti. Erant enim tunc temporis fratribus Militiæ Tẽpli tributarii, duo millia byzantiorũ eisdẽ annuatim persoluentes pro securitate cuiusdã terræ suæ, quæ in confinio terræ prędictorũ fra-
30 trum sita erat, qui multas eis molestias occasione vicinitatis inferre consueuerant. Præfatus autẽ Assasinorũ magister vnũ de familiaribus suis, virum eloquentẽ, prudentem, & strenuũ, de quo plurimùm confidebat, misit ad Regẽ Hierosolymitanũ. Rex autẽ intellectà causà legationis, pro tanti populi visitatione, & tot animarum à laqueis diaboli liberatione DEO gratias agens, nuntium Senis cum summo gaudio & honore magno recepit; & ipsum ad propria reuertentem, vt Domino suo bonam Regis & Christianorum voluntatem, & magnum desiderium nuntiaret, vsq; ad fines terræ suæ deduci præcepit. Qui dum fines suos iam ferè ingressurus Tripolim pertrãsisset, quidam ex nostris, vir Belial & iniquus, DEI timorem ante oculos suos non proponens, hominem de Regio ducatu, & fidei Christianorum sinceritate cõ-
40 fidentem, improuisum & nil tale sibi metuentem, in detrimentum Christiani nominis, & maximè Ecclesiæ Orientalis, occidit. Vnde populus ille, qui tanquã planta nouella nondum plenè radicatus erat in fide, cum ira magna, & indignatione fidem nostrã respuens, & nostrorum consortiũ suspectum habens à tam sancto & honesto proposito resiliuit; & vsque ad tempus præsens Christianos & DEI Ecclesiam persequi & infestare non prætermisit. In vno igitur corporali homicidio prædictus ille proditor animas innumeras interfecit. His igitur & aliis innumeris monstruosis hominibus miserabilis regio Oriẽtalis corrupta est; & aliæ quamplures, eius perniciosо infectæ sunt exemplo, & coinquinatæ contagio. Nec inuentus est aliquis vir Catholicus, qui se *murum pro domo Domini* tantæ pesti valeret opponere, eò quòd *Ezech. 13.*
50 Saraceni contra legem suam prædicatores non admittunt: & maximè quia ante maledicti Machometi tempora tanta perfidorum hæreticorum multitudo aduersùs paucos fideles præualens Orientalem vastauit Ecclesiam, quòd pauci vel nulli inuenti sunt in partibus illis prælati, qui ad bestias Ephesi pugnarent, vel caperent *1. Cor. 15.* vulpeculas vineam Domini Sabaoth demolientes, & eius tunicam inconsutilem *Cant. 2.* laniantes. Quantò autem hæc pestis recentior, tantò fuit feruentior. Vnde, sicut *Ioan. 19.* superiùs tetigimus, *Homar* Princeps Arabiæ potentissimus, & in errore Machometi feruentissimus, & tertius eius successor, tempore Heraclii Imperatoris Sanctam &

Deo amabilem ciuitatem cum vniuerso regno Hierosolymitano adeo oppresserat,& tyrannidi suæ subiugauerat,quòd populum Christianorum in ciuitate commorantem non solùm sibi tributarium fecit, sed variis oppressum calamitatibus extremis conditionibus sibi seruire coëgit. Peccatis igitur exigentibus Christiani in ciuitate Sancta, & in partibus adiacentibus commorantes, per quadringentos nonaginta annos iugum durissimum infidelium & crudelium perpessi sunt dominorum.

XV. Cùm autem Oriētalis Ecclesia ab origine sua,instar illius reginæ quæ à dextris regis in vestitu deaurato,circundatâ varietate, astitisse perhibetur, prærogatiuâ religionis floruerit,& suæ lucis primitiuos radios ad partes Occidentales trāsmiserit;& à tempore perfidi Machometi vsque ad tempora nostra, consenescentis mundi die vergente ad vesperam, eclipsim passa tetendit ad occasum; immò ferè peruenit ad defectum.Et quæ crebris pressurarum tunsionibus concussa, sæuientis inimici vibrantem hastam,cedere nesciens,ad pugnam edocta, cōstanter sustinuit; fallacibus Pseudoprophetæ persuasionibus, & carnalis voluptatis illecebrosis fluxibus emollita,& miserabiliter irretita,quinimò grauiter sauciata succubuit;& amplexata est stercora,quæ nutrita fuit in croceis. Et propter hoc à Domino derelicta est tanquam vmbraculum in vinea, & tanquam tugurium in cucumerario. Quæ tamen in quibusdam membris suis,quasi pauci racemi finitâ vindemiâ,& paucæ oleæ post concussionem oliuæ, quasi Iob in terra Hus, & Loth in regione Sodomorum,quasi lilium inter spinas, inter malleum & incudem adhuc perseuerans cogitur proclamare: *O vos omnes qui transitis per viam,attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.Filios enutriui & exaltaui,ipsi autem spreuerunt me.* Quomodo obscuratum est aurum,mutatus est color optimus. Nolite me vocare *Noemi*, id est,pulchram,sed vocate me *Mara*,id est,amarā: quia me amaritudinibus repleuit Omnipotens.

XVI. His & consimilibus vocibus vidua paupercula, tempestate diuulsâ, dum clamare non cessaret;& coram piissimo Domino genua flectere, & ad ostium misericordiæ eius sine intermissione pulsare non desisteret; eius afflictionem & humiliationem Dominus respiciens, cuidam pauperi & religioso homini, de regno Franciæ,in Ambianensi Episcopatu vitam eremiticam agenti, qui & *Petrus Eremita* dicebatur,inspirauit,quatenus Sepulchrum Dominicum, & loca religiosa & reuerenda visitaturus,cum multo labore & periculo Hierosolymam adiret. Cùm igitur ad portam ciuitatis peruenisset, dato nummo aureo pro ingressu, ianitoribus qui à peregrinis recipiebant tributum,videns loca Sancta ab impiis irreuerenter tractari, virum etiam venerabilem *Symeonem*,ciuitatis Patriarcham, vna cum subditis suis tanquam vile mancipium cum omni abiectione innumeris oppressionibus affligi, sicut erat vir sanctus & valdè compatiens, & super afflictos pia gestans viscera,cœpit dolere, & vehementer contristari & variis modis secum anxius cogitare, si quo modo possit afflictis subuenire. Cùm autem quadam nocte in Ecclesia Dominicæ Resurrectionis in orationibus Domino supplicans pernoctaret, longo vigiliarum labore fatigatus supra pauimentum Ecclesiæ somno humanitus irruente cœpit paululum dormitare.Dominus autem Iesvs Christvs apparuit ei in somnis,iniungens ei legationem ad Dominum Papam, & ad alios Principes Occidentales,pro liberatione Terræ Sanctæ.Ipse verò diuinâ reuelatione confortatus, & zelo charitatis succensus, cum litteris prædicti Patriarchæ Symeonis & aliorum fidelium Hierosolymis commorantium,primò dominum *Papam Vrbanum* petiit:à quo benignè receptus,Italiam transcurrens,& alpes transiens,tam Principes Occidentales, quàm inferiorem populum sollicitiùs admonēdo,& variis exhortationibus, sicut erat vir prudens & potens,in opere & sermone,modico tempore multorum animos ad suscipiendum Peregrinationis Hierosolymitanæ laborem inclinauit, Domino cooperante,& legati sui sermonibus copiosam gratiam largiente. Non multo autem tempore pòst,venerabilis Pater Apostolicæ sedis antistes *Vrbanus* prædictum Petrū in Galliam subsequutus, conuocato generali concilio apud *Clarummontem*, Aluerniæ ciuitatem, calamitates & oppressiones fidelium in Terra Sancta commorantium,& tam Dominicum Sepulchrum, quàm alia loca sancta ab immundis canibus conculcata & prophanata diligenter exposuit;omnibus, quos Spiritus Sanctus ad vltionem iniuriarū Crucifixi,& ad Terræ Sanctæ liberationem inspiraret,in remissionem omnium peccatorum, tam sanctam & Deo placitam peregrinationem iniungens,

Psal. 44. | Thren. 4. | Isai. 1. | Iob. 1. | Gen. 19. | Cant. 2. | Thren. 1. | Isaia. 1. | Thren. 4. | Ruth. 10. | Ephes. 3. | Luc. 12. | Thren. 1. | Tit. 1.

10 20 30 40 50

iniungens. Semen autem diuini verbi in terram bonam & fertilem cecidit per gratiã Domini, qui verbum dedit euangelizanti seruo suo, virtute multâ. Nã in eodem sermone multi, qui præsentes fuerant, signo salutiferæ Crucis suis humeris affixo, sese voto peregrinationis Domino obligauerunt: quorum primus fuit vir venerabilis & sanctæ conuersationis *Episcopus Podiensis*, cum multis aliis tam nobilibus, quàm inferioribus viris. Prælati autem Ecclesiarum, & alii viri prudentes & litterati, secundùm quod in mandatis acceperant, tam in vtroque Regno, quàm in Imperio talentum sibi creditum cum omni prouidentia & sollicitudine multiplicantes, innumeram tam nobilium, quàm aliorum multitudinem signauerunt. Inter quos 10 præcipui & præminentiores extiterunt *Dux Normannorum*· *Comites Tolosanus, & sancti Ægydii; & Flandrensium; Blesensium, & Carnotensium: Hugo*, frater Regis Francorum: *Godefridus*, dominus de Buillon, Dux Lotharingiæ, cum fratre suo *Baldwino*: de regno etiam Siciliæ *Boamundus* cum *Tancredo* cognato ipsius. Anno igitur ab incarnatione Domini *millesimo nonagesimo sexto, Petrus Eremita*, copiosam vtriusque sexus secum trahens multitudinem, Theutonicorum regnum transiens, per partes Hungariæ Constantinopolim peruenit. Multa autem in via illa à gente Bulgarorum passus incommoda de exercitu suo ferè decem millia amisit in prælio. Currus etiam & plaustra vsque ad duo millia, cum paruulis & mulieribus & diuitiis multis, & varia supellectilia, à prædictis barbaris & impiis hominibus detenta sunt, & 20 violenter ablata. Eodem siquidem anno Principes, Comites, & Barones, cum innumerabili populo, ex omnibus tribubus, & linguis, & nationibus, non simul, sed successiuè & seorsum, propter hospitiorum & victualium commoditatem, vsque Constantinopolitanam vrbem subsequuti sunt *Petrum*. Traditis autem sibi ab *Alexio* Græcorum Imperatore ducibus itineris, qui plenam locorum habebant peritiam & experientiam, transmisso Hellesponto, qui hodie *brachium sancti Georgii* dicitur, cum vniuersis legionibus *Nicænam* peruenerunt ad vrbem, quam nostri cum multis machinis & bellicis instrumentis multipliciter & viriliter cum summo labore expugnantes, ciues ad deditionem coëgerunt; & eam in manu Imperatoris Constantinopolitani relinquentes, variis transcursis regionibus, & prolixi itine- 30 ris diuturno labore plurimùm fatigati, mense Septembri ante ciuitatem *Antiochenam*, quæ tunc erat Saracenorum subiecta dominio, castra locauerunt. Cùm autem per menses ferè nouem in obsidione ciuitatis continuè laborassent, & variis tribulationibus oppressi, videlicet fame, frigore, & hyemalibus imbribus, & multimodis ægritudinibus, & diuersis mortis generibus, à Turcis in ciuitate commorantibus sibi illatis, parũ profecissent, nec vllis bellicis instrumentis contra munitissimam ciuitatem præualerent; respexit Dominus afflictionem populi sui, per quendam fidelem Christianum, in ciuitate sub infidelium dominio commorantẽ, qui de nocte per scalam dominum *Boamundum* Principem Tarentinum clam cum militibus suis in ciuitatem recepit: Illi verò portas nostris aperientes, interfecto eius 40 Duce, nomine *Axiano*, cum aliis ferè vndecim millibus, quibusdam autem vinculis mancipatis & compedibus alligatis, ciuitatem nobilem, multarum prouinciarum à diebus antiquis metropolim, & moderatricem, dante Domino, possederunt, Anno gratiæ *millesimo nonagesimo octauo*, die tertiâ mensis Iunii. Sed quoniam pauca admodum in ciuitate victualia repererunt, diuturnâ famis inediâ laborantes, ex magna parte cum suis equis consumpti sunt. Princeps enim Persarum potentissimus, cum innumerabili Turcorum exercitu, quendam militiæ suæ Principem *Corbagath* nominatum, quem nostri vulgariter *Corbaram* appellant, in auxilium miserat, qui nostros intra ciuitatis ambitum ex omni parte concluserat, multitudine pugnatorum adeo premens obsessos, quòd absque mortis periculo nullus 50 exire valebat. Tandem autem inediâ perurgente, & fame intolerabili compellente, de necessitate facientes virtutem, pauci contra multos ad prælium coacti sunt exire: *Lancea* Domini sancta, quâ latus eius in cruce fuerat perforatum, quæ paulo ante per reuelationem sub terra reperta fuerat, eos pro vexillo præcedente. Nostris autem ab vrbe egressis, non in humana virtute, nec in pugnatorum multitudine, sed tantùm Domino confidentibus, ros de supernis infusus consolatione mirabili ipsorum animos exhilarans, equos debiles & macilentos & iam ferè deficientes subitò robore suscepto, miraculosè cõfortauit. Ex quo factum est quod nostrorum

Luc. 8. *Psal. 67.* XVII. A. Dn. 1096. XVIII. A. Dn. 1198. XIX. *Ioh. 19.*

exercitus innumeram infidelium multitudinem audacter aggrediens, & brachio forti & extento viriliter pugnans, diuino protectus adiutorio, gloriose de hostibus triumphauit; aliis gladio trucidatis, aliis terga vertentibus, & equorum velocium præsidio fugâ elapsis. Nostri verò, qui suprema paulò ante laborauerant inopiâ, ad hostium castra reuersi, tantam auri & argenti, equorum & victualium inuenerunt copiam, vt omnes cumulati diuitiis & victualibus supra modum abundantes, cum hymnis & laudibus ciuitatem ingressi, Domino pro tanta victoria gratias referrent. Post hæc verò dominium ciuitatis Boamundo concedentes, ordinatis Ecclesiis, & clero in ciuitate relicto, stipendiis vnde sustentari possent assignatis, in Ecclesia Cathedrali Apostolorum principis Patriarcha constituto, ad voti completionem vnanimiter aspirantes, feruenti animo & intenso desiderio, versus partes Hierosolymitanas iter valdè laboriosum, & periculosum per angusta viarum, & angustias hostium aggressi sunt.

Ierem. 32.

XX. Postquam verò DEO deuotus exercitus, nec labore victus, nec morte vincendus, per medium circunstantium regionum, Hierosolymorum montana conscendens, ante Sanctam ciuitatem peruenit, tentoria figens, & castra secundùm militarem disciplinam collocans, ex omni parte ipsam vrbem obsidione vallauit. Erectis autem petrariis & aliis bellicis instrumentis, & scalis muro applicatis, multùm laborantes, parum in principio profecerunt. Quibusdam enim ex nostris sagittarum imbre grauiter sauciatis; aliis verò molarium immissione peremptis, machinis etiam ligneis ex magna parte igne succensis, ab his, qui in ciuitate fortiter resistebant, maxima frequenter DEI martyres perpessi sunt detrimenta. Tandem verò fiduciam in Domino resumentes, de supernis auxilium inuocantes, quadam sextâ feriâ, quæ specialiter dies est Crucifixi, ardore animi succensi, & crucis signo muniti, prompto animo pro illo mori parati, qui pro ipsis eodem die mortuus est, strenui DEI pugiles scalas muris immittentes, per sagittas & spicula, per lapides desuper venientes & ingentia saxa, per gladios, lanceas, & ignes supra muros ascendendo, omnes ferè Saracenos, quos in ciuitate repererunt, iusto DEI iudicio trucidantes, tanto tempore ab impiis occupatam, diuino freti auxilio, recuperauerunt ciuitatem, CHRISTI & Christianorum hereditatem à perfidis liberantes, Anno incarnationis Verbi *millesimo nonagesimo nono*. *Suriani* verò, & alii fideles ab intolerabili iugo seruitutis liberati, ad cœlos manus tendentes, & præ ingenti gaudio lachrymantes, *Petro Eremitæ*, qui ad eorum preces pridem legationem pro liberatione ciuitatis susceperat, DEO & sancto viro gratias agentes, occurrerunt, & tam ipsum, quàm vniuersum exercitum cum cereis & crucibus, cum hymnis & canticis spiritualibus, ad Dominicum Sepulchrum deducentes; postquam omnipotenti DEO, qui prosperum iter eorum fecerat, multiplices gratiarum actiones nostri principes cum vniuerso populo reddiderunt, & alia loca sancta deuotissimè cum orationibus & oblationibus visitauerunt: instituentes Patriarcham Latinum, & tam clerum, quàm Ecclesias ordinantes, *Godefridum* dominum de *Buillon*, militem strenuum, & virum DEO & hominibus acceptum, dominum ciuitatis vnanimiter elegerũt. Qui licet ciuitatis administrationem ad multarum precum instantiam suscepisset, præ reuerentia tamen Domini, & cordis humilitate, noluit Rex appellari; nec coronam aureã deportare, vbi Dominus noster spinis coronatus fuit pro nostra redemptione, & totius mundi salute.

A. Dn. 1099.

XXI. Post liberationem ciuitatis Sanctæ multi ex nostris voti sui assecuti finem, & desiderio suo completo ad propria cum gaudio sunt reuersi. Alii verò magnanimi & magnifici viri, prudenter attendentes quòd ciuitatem nõ possent retinere, nisi fines suos valerent ampliare, & hostes vicinos à se longiùs propulsare, vt hostiæ suæ finem consummationis apponerent; & secundùm præceptum Dominicum, *non solùm caput, sed & caudam in sacrificio suo offerrent*; prælegerunt in summo periculo potiùs remanere, quàm ciuitatem relinquere. Et quamuis numero paucissimi essent respectu circumstantium nationum; & vndique infidelium multitudine vallarentur, habentes *Arabes*, *Moabitas*, & *Ammonitas* ab Oriente: *Idumæos* & *Ægyptios* & *Philistæos* à Meridie: Ciuitates autem maritimas *Ptolomaidem* siue *Accon*, & *Tyrum* & *Tripolim* & omnes alias vsque *Antiochiam* ab Occidente: *Tyberiadem* vero & *Cæsaream Philippi* & regionem *Decapoleos* & *Damascum* à Septentrione; maluerunt tamen animas suas pro CHRISTO morti exponere, quàm missã manu ad aratrum, retrò respicere, & negotium imperfectum relinquere. Et quoniã hæc

Leuit. 3.

Luc. 9.

hæc sancta animalia cùm ambularent non reuertebantur, sed posteriorum obliti, in anteriora se extendebant, nil putãtes actum, cùm aliquid superesset agendum: Dominus erat cum eis consolando eos & confortando, & tantum timoris & formidinis aculeum infidelibus circunquaque immittendo, quòd vnus ex eis persequebatur mille, & duo decem millia. Vnde non in fortitudine sua neque in multitudine, sed in sola DEI protectione spem habentes, & salutiferæ Crucis vexillum secũ semper in prælio deferentes, inimicis partim fugatis, partim trucidatis, partim carceri mancipatis, vrbes munitissimas & castra inexpugnabilia CHRISTO subiecerunt, Terram sanctam de manibus impiorum tam feliciter quàm fortiter eruẽtes. In primis autem auspiciis expeditionis suæ ciuitatem *Ioppen* in littore maris sitam obsidione vallantes & fortiter expugnantes, ceperunt. Vt hi qui de partibus transmarinis ad subsidium Christiani exercitus nauigarent, nauibus suis collocandis sub prædicta ciuitate portum habere valerẽt. *Ramulam* etiam, quæ à quibusdam *Ramatha* dicitur, in campestribus sitam, ciuitatem quondam nobilem, populosam, & muro valido circundatam, & turribus excelsis munitam: *Cayphan* etiam, quæ alio nomine dicitur *Porphyria*, in littore maris sub prima parte Carmeli montis sitam, ab Accon quasi miliaribus quatuor distantem: Et præterea *Tiberiadem* ciuitatem in Galilæa supra *stagnum Genesareth* sitam; quod ab eadem ciuitate, *mare Tiberiadis* dicitur, & etiam *mare Galilææ* plerumque nominatur, anno primo post captionem Hierusalem nostri sub Duce strenuo Godefrido subiugauerunt. Ipso vero in fine eiusdem anni viam vniuersæ carnis ingresso, frater eius *Balduinus*, miles in armis strenuus, ab annis adolescentiæ suæ præliis exercitatus, de communi omnium assensu electus est in dominum, & in Regem inunctus. Ipse autem vir militaris, & in agẽdis negotiis suis prouidus & sollicitus, cum summo studio fines suos & regni angustias cupiens dilatare, auxilio fretus *Ianuensium*, quorũ classis in portu Ioppensi circa veris initium applicuerat, oppidum maritimum *Assur* expugnauit: quod alio nomine *Antipatrida* dicitur, ab Herodis genitore Antipatro sic dictum, inter Ioppen & Cæsaream situm, in loco siluis condensis amœno, & pascuis herbosis fœcundissimo. Post hæc verò prædictis Ianuensibus opem ferentibus, *Cæsaream Palæstinam* terrâ & mari obsidione vallatam, sibi subiugauit. Hæc autẽ Cæsarea, antequam Herodes, qui pueros interfecit, in honore Cæsaris eam ampliasset *Turris Stratonis* nomen habebat; quæ supra maris littora sita portum commodum non habet: Hortorum autem & pascuorum & aquarum fluentium plurimam habet vbertatem. Ipsa verò metropolis est Palæstinæ secundæ. In hac autem beatus Apostolus Paulus longo tempore detentus in carcere, vt pergeret Romam, suam persequutus est appellationem. Captâ Cæsareâ addidit dictus rex collecto vniuerso exercitu à minore vsque ad maiorem, *Acconensem* obsidere ciuitatem: eò quòd Peregrinis suscipiendis esset aptissima, & portum habens idoneum tutam nauibus præberet stationem. *Ianuensibus* autem cum septuaginta galeis eam ex parte maris obsidentibus, nostris verò ex parte terræ ipsam continuè & instanter impugnantibus, post viginti dies, cùm iam impetum nostrorum, & crebras congressiones ciues vltra sustinere non possent, interpositis conditionibus, quòd eis cum rebus suis exire liceret, regi resignauerunt ciuitatem. Est autem prædicta ciuitas binomia: vocatur enim *Ptolomaida* & *Accon*: eò quòd duo fratres, vnus dictus Ptolomæus, alius Accon, ipsam fundasse, & à nominibus suis nomina ciuitati dicantur imposuisse. Est autem inter mare & montes, Belo flumine præterfluente satis commodè fundata, hortis & vineis, & casalibus circumstantibus & arabili terrâ sufficienter abundans, in prouincia Phœnicis, sub Tyro Metropoli constituta. Postea verò terrâ & mari *Berythensi* ciuitate obsidione cinctâ, adiuncto sibi viro nobili *Bertranno* Comite Tripolitano, post menses duos obsidionis, turribus ligneis mœnibus applicatis, & scalis muro coniunctis, nostri violenter vrbem ingressi, multos ex ciuibus occiderunt; aliis vinculis mancipatis, & captiuitate detentis. Est autem *Berythum* ciuitas maritima, inter Sidonem & Biblium, in Phœnicis regione, sub Tyro metropoli sita, arboribus fructiferis & siluis, & vineis fertilis, & amœna: in qua quondam de latere crucifixi lignei, in contumeliam CHRISTI lancea & clauis a Iudæis perforati, sanguis copiosus effluxit. Quo viso miraculo omnes qui in ciuitate erant Iudæi baptismi gratiam susceperunt.

Ezech. 1.
Deut. 32.
XXII.
XXIII.
Iosue 23.
XXIV.
Matth. 2.
Act. 23. & 27.
XXV.
XXVI.

XXVII. Eodem autem anno, quo capta est vrbs Berytus, dominus Rex non otio torpes, nec CHRISTI gratiam in vacuum recipiens, ciuitatem Sidonem suo subegit dominio, in manu forti & brachio extento ciues resistere non valentes, vrbem sibi reddere compellens. Est autem *Sidon* in prouincia Phœnice, inter Tyrum eiusdem Metropolim, & Berythum, supra maris litus sita, arboribus fructiferis & vineis, siluis & agris pascualibus & frugiferis multam ciuibus præstans commoditatem. Cuius fines Dominus IESVS præsentiâ suâ dignatus est visitare, sicut in Euangelio legitur: *Egressus IESVS secessit in partes Tyri & Sidonis.* Et in secundo Regum Salomon ad Hyram, sic ait: *Scis enim quòd non est in populo meo, qui nouerit ligna cadere, sicut Sidonii.*

2. Cor. 6. Ierem. 23. Matth. 15. 3. Reg. 5.

XXVIII. Cùm autem Rex fines regni sui ex parte Occidentali prædicto modo dilatasset, cupiens ad Orientem trans Iordanem regnum Christianorum ampliare, in tertia Arabia, quæ *Syria Sobal* nuncupatur, in colle sublimi castrum fundauit munitissimum, cui nomen imposuit *Mons Regalis:* eò quòd à Rege fuisset fundatum. Habet autem fœcunditatem frumenti, vini & olei; aëris salubritate & amœnitate præcipuâ maximè commendabile; vniuersam regionem adiacentem vsq; ad fines Moabitarum & aquas contradictionis propriæ subiiciens ditioni.

XXIX. Eodem autem anno prædictus Rex *Baldouinus*, cuius memoria in benedictione erit vsque in perpetuum, postquam inter Ptolomaïdem & Tyrum quoddam fundauit præsidiū, quod vulgariter appellatur *Scandalion*, fontibus irriguum, & à Tyro quinque miliaribus remotum, viam vniuersæ carnis ingressus, sub Caluaria, in loco, qui *Golgatha* dicitur, honorificè, prout regiæ competit magnificentiæ, est sepultus. Cui successit vir nobilis & strenuus, in officio militari exercitatus, religiosus & timēs DEVM, *Baldouinus de Burgo*, de regno Franciæ, prædicti Regis consanguineus.

Eccl. 45. Iosue 23. Iob. 19.

XXX. Longum & super ingenii mei paruitatem esset singulariter enumerare quàm potenter & magnificè, quàm eleganter & strenuè prædictus vir, & alii CHRISTI milites, tanquam alteri Machabæi, in regno ampliando & finibus Christianorum dilatandis, in hostibus impugnandis, & in ciuitatibus & aliis munitionibus expugnādis, manus suas Domino consecrantes, se gesserunt. Quorum prælia & triumphos vsque in finē sæculi enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. Et vt generaliter & breuiter de multis pauca tangamus; *quatuor principatus* egregios, à perfida gente Paganorum longo tēpore detentos, opitulante Domino, CHRISTI Ecclesiæ subiecerunt. Quorum primus est *Edessanus* comitatus, in regione Medorum, à silua quadam quæ dicitur *Marith* habens initium; protenditur autem trans fluuium Eufraten versus partes Orientales, multas in se continens ciuitates, & plurima castra & munitiones.

Eccl. 44.

XXXI. Est autem *Edessa* ciuitas nobilis, Medorum metropolis, cuius priscum nomen, sicut in Tobia legitur, fuit *Rages*; nunc autem vulgariter *Roase* nuncupatur. Ad hanc *Tobias* à ciuitate Niniue, quæ hodie *Mussula* dicitur, vulgariter autem *Mosse*, filium suum misit ad Gabelum. Hanc beatus *Thadæus* Apostolus ad CHRISTI fidem verbo diuinæ prædicationis & virtute miraculorum conuertit, in qua beati Thadæi Apostoli corpus sanctum dicitur esse sepultum. In hac autem ciuitate, vt veteres tradunt historiæ, sicut etiam in Ecclesiastica reperitur historia, *Rex Abgarus* CHRISTI tempore regnauit. Qui audiens & admirans mira CHRISTI opera, & inaudita miracula quæ Dominus IESVS in Iudæa faciebat, epistolam suam misit ei. Cui Dominus noster scribere, & litteris eius dignatus est respondere. Hanc siquidem antiquam & egregiam vrbem Dominus Baldouinus, frater Ducis Godefridi, antequam ad regnum Hierosolymitanum vocaretur, possedit: & tam ipse, quàm eius post eum successores totum comitatum Edessanum expulsis Saracenis suæ ditioni subiecerunt. Est autem prouincia illa siluis & pascuis & fluuiis opulentissima. Specialiter autem regio illa dicitur *Mesopotamia*, eò quòd inter duo flumina sit medio loco constituta: *Mesos* enim Græcè, medium Latinè: *Potamos* autem fluuius à Græcis appellatur. In hac autem est *Carram* ciuitas, in qua Abraham egressus à Chaldæa, antequam in terram promissionis veniret, habitauit. Habebat autem prædictus Comitatus tres Archiepiscopos: Edessanum videlicet, Geropolitanum & Coriciensem sub Antiocheno Patriarcha constitutos.

Tob. 4. Gen. 12.

XXXII. Secundus autem principatus est Antiochenus, cuius Metropolis est *Antiochia.* Habet autem initium versus Occidentem à Tharso ciuitate Ciliciæ, de qua beatus Paulus Apostolus extitit oriundus: Finem vero à parte Orientali in riuo qui est inter Valeniam sub castro Margath, & Maracleam vrbes

Act. 22.

10 20 30 40 50

vrbes maritimas. Huius autem ciuitatis antiquum nomen fuit *Reblata*, ficut in IIII. Regum libro legitur, quòd Rex Hierusalem Sedechias ductus fuit ad Regem Babylonis Nabuchodonosor in Reblatha, & filiis suis coram eo interfectis exoculatus est à prædicto Rege Babylonis. Inde verò ab Antiocho Rege, qui eam mirificè ampliauit, & omnium prouinciarum, quas tractus Orientalis continet, principem & moderatricem instituit, Antiochiæ nomen accepit. Postquam verò beati Petri Apostolorum principis, qui in ea primò cathedralem dignitatem suscepit, ad Dominum conuersa est prædicatione & miraculis, à viro nobili, & in vrbe potentissimo Theophilo, qui postea eiusdem ciuitatis septimus ordinatus est antistes, appellata est *Theophilis*, vt quæ prius à prophano rege nomen habuit, à viro sancto & religioso nouum nomen sortiretur. Est autem hic Theophilus, ad quem beatus Euangelista Lucas, qui de eadem ciuitate originem traxit, Actus scribit Apostolorum. In hac autem nomen sanctum, quod os Domini nominauit, primò impositum est Christicolis: vt qui prius Galilæi & discipuli vocabantur, à CHRISTO *Christiani* de cætero dicerentur. Obtinet autem in Ecclesia DEI tertium dignitatis gradum post sedem Apostolicam. Habet autem sub se viginti prouincias eiusdem ciuitatis Patriarcha, quarum quatuordecim Metropolitanos habent cum sibi suffraganeis Episcopis. Sex verò reliquæ sub duobus primatibus, quos *Catholicos* vocant, continentur; quorum alter Hirinipolitanus est, id est, Baldacensis, quæ quondam dicta est Babylonia; alter Annensis, qui Persidis primas appellatur. Est autem sita in prouincia, quæ *Cœlesyria* nominatur, inter mõtes & flumina situm habens commodissimũ, agros fertiles & glebæ maximam vbertatem, & tam fluminũ quàm fontium amœnitatem singularem, & ex vicino lacu copiosam piscium abundantiam. Distat autem à mari decem vel duodecim miliaribus, habens portum in faucibus *Orontis* fluminis, qui *portus sancti Symeonis* appellatur. Habet autem à Septentrionali parte montem quendam, qui vulgariter *Montana nigra* dicitur, in quo sunt multi Eremitæ ex omni gente & natione, & plura monasteria tam Græcorum, quàm Latinorum monachorum. Et quoniam fontibus & riuis totus est irriguus, *Mons Nero*, id est aquosus nuncupatur. *Neros* enim Græcè, aqua Latinè. Simplices autem & laici, *Noire*, id est, nigra exponunt in vulgari sermone.

4. Reg. 25. — Actor. 11.

XXXIII. Tertius principatus ex quatuor prædictis est comitatus *Tripolitanus*, initium habens à prædicto riuo, qui est sub castro *Margath*, finem verò ad riuum, qui fluit inter Biblium & Berythum vrbes maritimas. Est autem *Tripolis* ciuitas nobilis, & opulenta supra maris littus in prouincia Syriæ Phœnicis, idoneam habens positionem, & situm commodissimum, fontibus & riuis irrigua, agris frugiferis & fructiferis arboribus, & pascuis virentibus vberrima, & montis Libani vicinitate, & eidem monti collibus adiacentibus multas habens commoditates. Ad pedes autem Libani montis in partibus illis oritur fons amœnissimus aquas habens limpidissimas, quæ per quosdam subterraneos meatus fluunt impetu de Libano, omnes hortos regionis copiosè irrigantes. Hunc dicunt esse *fontem hortorum*, de quo in Canticis facit Salomon mentionem. In medio etiam mari iuxta ciuitatem fontes aquæ dulcissimæ inter maris vndas salsas & amarissimas abundanter ebulliunt. In partibus etiam illis sunt vineæ, quæ bis in anno vindemiantur. Hanc autem vrbem egregiam *Raimundus* Comes Tolosanus, vir per omnia commẽdabilis, miles strenuus, & DEO deuotus, post captionem Hierusalem longâ obsidione vallauit; iuxta quam quoddam castrum, vt commodiùs expugnaret ciuitatem, construxit; quod *Castrum Peregrinum*, seu *Peregrinorum* vsque hodie nominatur, eò quòd à Peregrinis sit constructum. Post eius verò mortem filius eius *Bertrannus* obsidionem continuans post septem annos obsidionis prædictam vrbem ciuibus tradentibus possedit, & à Rege Hierosolymitano, qui in captione ciuitatis præsens fuerat, *homo ligius* eius effectus, ciuitatem recepit.

Cant. 4.

XXXIV. Quartus principatus est *regnum Hierosolymitanum*, habens principium à prædicto riuo, qui inter Biblium & Berithum fluit; finem verò in solitudine, quæ vltra castrum, quod dicitur *Darum*, respicit Ægyptum. *Regnum* autem *Hierosolymorum* cum summo labore & multa sanguinis effusione CHRISTO acquisierunt, & recuperauerunt in integrum, *manum suam mittentes ad fortia*, viri triumphatores & amici DEI, à Dan vsque Bersabee CHRISTI fidei eliminãtes inimicos, & a Terra Sancta propulsantes.

Prou. 31, 18. — 2. Reg. 17.

XXXV. Est autem *Dan*, terminus Terræ Promissionis à parte Septentrionis, ciuitas antiquissima,

XXXX

ad pedem montis Libani sita, qui mons inter ipsam & Damascum medius interiacet; cuius nomẽ antiquum fuit *Lesem*. Postquã vero capta est à filiis Dan, eam *Lesem Dan*, vocauerunt, frequentiùs tamen Dan simpliciter nominatur. Postea vero Philippus Tetrarcha, senioris Herodis filius, eam ampliauit, & in honore Tiberii Cæsaris, *Cæsaream Philippi* ipsam appellauit. Dicitur præterea *Paneas*, vulgari vero idiomate, *Belinas* nuncupatur. Silua autem quæ adiacet ciuitati similiter Paneas appellatur: olim tamen tam ipsa, quàm omnis alia silua, quæ monti Libani adiacet, *saltus Libani* dicebatur.

XXXVI. Bersabee autem terminus est Terræ Sanctæ à parte Australi. Est autẽ ciuitas *Bersabee* in illa parte Iudeæ, quæ cessit in partem tribus Symeon, ad radicem montium, in initio campestrium, inter mõtes & Ascalonam sita, decem miliaribus distans ab Ascalona. Interpretatur autem *puteus fœderis*, siue fœdus putei, eò quòd Abraham in signum fœderis, quod habuit cũ Rege Abimelech, in eodem loco puteum fodit. Dicitur præterea *puteus septimus*: & vulgariter hodie *Gibelin* appellatur. (Gen. 21.)

XXXVII. Opus admodum difficile, & quod vires meas excedit, est prosequi & enumerare quantùm armis profecerint, & Christianorum fines ampliauerint, Domino opitulãte, gloriosi CHRISTI milites, quorum memoria est in benedictione. (Eccl. 45.) Omnes enim ciuitates & munitiones à ciuitate *Belbais*, quæ alio nomine dicitur *Pelusium*, & est in solitudine, in confinio Ægypti; vsq; ad Edessam & Carram, & fines comitatus Edessani, trans fluuium Eufraten, in regione Mesopotamiæ, Christianorum ditioni subiecerunt CHRISTI milites, & veri nominis Christiani, induti virtute ex alto, longo tempore, & sub diuersis regibus contra Saracenos pugnantes. Multis autem ex ipsis fœlici martyrio coronatis regnum Hierosoloymitanum & Christianorũ fines proprii sanguinis effusione in immensum ampliauerunt. Cùm autem ex parte terræ, ciuitates non paucas, oppida, & munitiones multas suo subiugauerint dominio, nullas ex parte maris reliquerunt ciuitates, seu munitiones maritimas à ciuitate, dicta *Pharamia*, quæ est sita in confinio Ægypti, & regni Hierosolymorum, vsque ad Laodiciam Syriæ, quas Christianorum ditioni non subiecissent.

XXXVIII. Est autem *Pharamia* vrbs antiquissima in littore maris non longè ab ostio Nili in introitu Ægypti sita, quam primus Rex Hierosolymorum Latinus *Baldouinus* violenter effractam, potẽter occupauit, manubias multas & prædam copiosam sibi & suis commilitonibus diripiens.

XXXIX. Post Pharamiam sequitur alia ciuitas antiqua, propè mare in solitudine sita, quæ *Laris* nominatur: deinde ciuitas *Belbeis*, quæ in Prophetis appellatur *Pelusium*, quinque stadiis distans à littore maris. Has prædictas ciuitates vltra fines regni Hierosolymitani, ex parte Ægypti, scilicet vltra vltimam eiusdem regni munitionem, quæ dicitur *Darum*, nostri suo subiecerunt imperio.

XL. Est autem *Darum* * præsidium quoddam seu oppidum in confinio Idumææ & Palæstinæ situm, quinque stadiis distans à mari. Hanc autem munitionem Rex Hierosolymorum *Almaricus* in aliquantum, eminenti loco fundauit, formâ rotundâ, quatuor turres angulares habentem, vbi quondam fuerat monasterium Græcorum, vnde adhuc priscum nomen retinet, id est *Darum*, quod interpretatur *domus Græcorum*. Post hanc sequitur *Gaza* ciuitas antiquissima, à prædicta munitione quatuor stadiis distans, vna quondam ex quinque ciuitatibus Philistinorum: quam dirutam, & habitatoribus vacuam, quartus Hierosolymorum Rex *Baldouinus* reædificauit in parte collis aliquantum eminentis, suprà quem prædicta ciuitas situm habuerat; & præsidium fundauit; & partibus suis competenter absolutum & consummatum Fratribus Militiæ Templi, qui ipsum custodirent, & ab inimicis nostris defenderent, perpetuò possidendum donauit. Distat autem decem miliaribus ab *Ascalona*, quæ similiter vna fuit ex quinque vrbibus Philistiim in littore maris sita, formam habẽs quasi arcus siue semicirculi, cuius corda iacet secus ripam marinam; circumferentia verò super terram, respiciens ad Orientem. Hanc autem ciuitatem prædictus Rex ex omnibus regni Hierosolymitani ciuitatibus vltimam adhuc à Saracenis detentam, cũ multo labore, & magna difficultate longo tempore obsessam vix tandem potuit subiugare. Erat enim muris & antemuralibus, turribus plurimis, & aggere valido, armis & victualibus, & pugnatorũ multitudine sufficientibus munita. Tãdem verò saluis personis & rebus, Ascalonitas ad deditionem coëgit.

XLI. Inter Ascalonam autem & Ioppen, est *Azotum* decem miliaribus ab Ascalona: quondam vna ex quinq; ciuitatibus Philistæorũ, distãs nõ longè à mari: nunc verò ad modici casalis redacta

est par-

est paruitatem. Quarta autem ciuitas Philistiim nomine *Geth*, non longè à Lidda, & Ramula, in colle aliquantum edito fuit sita. Ex lapidibus autem eius quæ dudum vastata fuerat, tertius Rex Hierosolymorum *Fulco* in eodem colle præsidium, cui nomen *Ibelim*, ædificauit, tradens illud cuidam viro nobili *Balliano*; cuius omnes successores ab eodem loco, vsque hodie nominati sunt de Ibelin. Hoc autem oppidum, cum quibusdam aliis, scilicet *Bersabee* siue *Gibelin*, & *Albâ specula*, quæ vulgariter dicitur *Blanchegarde*; & octo miliaribus distat ab Ascalona, contra superbiam Ascalonitarum, ad eorum insolentias, & violentas irruptiones in regnum nostrum reprimendas, nostri antequam capere possent Ascalonam, fundauerunt. Quin-10 ta Philistinorum ciuitas dicta est *Acharon*, propè mare non longè ab Azoto sita.

Post prædictas autem quinque vrbes Philistiim, per quas arcam Domini in primo Regum libro circumduxisse leguntur Philistæi, propter plagam prominentiũ extalium, sequuntur maritimæ ciuitates, & aliæ munitiones: *Ioppe* scilicet, *Assur*, *Cæsarea Palæstina*. Est autem alia Cæsarea, quæ dicitur Philippi siue Dan. Post has *Petra incisa*, siue *Districtum*, inter Doram & Capharnaum. Est autem alia ciuitas, quæ similiter dicta est *Capharnaum*, iuxta mare Galileæ; in qua Dominus docuit & miracula multa fecit. Deinde *Cayphas* siue *Porphyria*: post hanc *Accon* seu *Ptolomaïda*. De his omnibus sufficienter diximus superiùs. Post has verò sequitur *Tyrus*, egregia & famosissima ciuitas in corde maris sita, ex omni parte ferè marinis fluctibus 20 circundata, portum idoneum & securam infrà mœnia prębens nauibus stationem. Est autem metropolis & caput vniuersæ Phœnicis prouinciæ, muro & antemurali & turribus eminentibus circũsepta, piscium fertilitate commodissima, fontibus & riuis aquę dulcis irrigua, vineis & hortis, arboribus fructiferis & agris frugiferis fertilis & amœna. In cuius territorio in loco aliquantulum edito est fons siue puteus, supra quem fessus ex itinere dicitur quieuisse Dominus, cùm transiret per fines Sidonis & Tyri: habet autem aquas limpidissimas intrinsecus ita copiosè scaturientes, quòd omnia pomaria & hortos olerum & vniuersam irrigat regionem. Hunc Salomon in Cãticis, *puteum aquarum viuentium* appellat. Est autem extra ciuitatem, iuxta muros eiusdem, lapis quidam tam ab indigenis quàm peregrinis in honore 30 magno & reuerentia habitus, eò quòd super illum dicitur sedisse Dominus, & docuisse turbas confluentes, nec tamen gentilium voluit ingredi ciuitatem. Hanc autem ciuitatem antiquissimam post diluuium dicitur fundasse *Tyras* filius Iapheth, qui fuit Noë filius, & à nomine suo Tyrum appellauit. Hebraicè autem dicitur *Sor*, & nos vulgariter eam *Sur* appellamus. Quanta autem fuerit eius dignitas & præminentia & gloria, manifestum est ex Scripturis Ezechielis, qui ad Tyrum loquens inter alia dicit: *Tu dixisti, perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita.* Et iterum: *Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam: cuius negotiatores, principes; institores eius, terræ incliti:* & cætera multa quæ de eius diuitiis & excellentia & negotiationibus narrat Propheta. Huius vrbis Rex fuit *Agenor*, cuius filius *Phœnix* toti regio-40 ni nomen imposuit. Ex hac etiam *Dido* traxit originem, quæ in Africa condidit *Carthaginem*, quam hodie *Marroch* appellant. Huius etiam Rex fuit *Hyram*, qui ad ædificium Templi Domini Cedros de Libano ministrauit Salomoni, cuius seruus *Abdimus* omnes parabolas & ænigmatum obscuritates, quas Salomon Hyram Regi Tyriorum soluendas mittebat, mirâ ingenii subtilitate soluebat; quæ si non solueret, Hyram multam pecuniam daret Salomoni. E contrario autem Hyram huius consilio Salomoni quædam problemata sub certa pœna pecuniæ soluenda mittebat: hunc quidam æstimant esse *Marchol*: qui Salomoni æquipollenter respondebat. Huius etiam prædictæ vrbis Rex fuit *Apollonius*, cuius gesta latè patent in vulgatis historiis. In hac etiam sepultum est corpus Origenis, teste beato 50 Hieronymo, qui in epistola quam mittit Pammachio & Occeano sic ait: *Centum & quinquaginta anni propè sunt hodie, ex quo Origenes Tyri mortuus est.* Ex hac etiam fuisse dicitur illa mulier Chananæa, quæ Domino IESV CHRISTO pro filia à Dæmonio malè vexata supplicauit, iuxta Dauid vaticinium: *Filia Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur.* Ex hac etiam *Vlpianus* legis peritus extitit oriundus. Tyrii autem, vt dicitur, primi figuras litterarum inuenerunt. Vnde Lucanus:

Phœnices primi, famæ si creditur ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Marginalia: XLII. (1. Reg. 5.); XLIII.; Cant. 4.; Gen. 10.; Ezech. 27, 3.; Esai. 23, 8.; 3. Reg. 5.; Matth. 15.; Psal. 44.

Tyrii etiam primi dicuntur ex murice tinxisse purpuram. Vnde preciosior purpura hodie *Tyria* appellatur. Hãc autem egregiam & munitissimã ciuitatem primus Hierosolymorum Rex *Baldouinus*, cùm per mẽses quatuor obsedisset, Tyriis viriliter resistentibus videns quod non proficeret, multisq; expensis inutiliter in expugnatione grauaretur, solutâ obsidione recessit, tempore magis idoneo cũ maiori apparatu reuerti proponens. Vnde vt posset Tyrenses magis coarctare, & ampliùs molestare, inter Acconensem ciuitatẽ & Tyrũ, castrum quoddã reædificauit in littore maris, quod quondã Alexander Macedo, quando Tyrum obsedit ædificauerat, ipsum *Alexandriũ* nuncupans: nostri autẽ hodie *Scandaliũ* ipsum appellant. Est autẽ locus ille fontibus irriguus, quinq; miliaribus distans ab vrbe Tyrensi. Sed & vir nobilis *Hugo de sancto Aldemaro*, Tyberiadensium dominus, inter ciuitatem suã, & Tyrum in mõtibus excelsis Vrbi Tyrensi præminẽtibus ad decem miliaria castrum munitissimũ dictum *Toronum* ædificauit, vt inde Tyrenses quasi è vicino ampliùs coarctare posset & molestare, & eorum subsequentiũ impetus declinare: est autem inter mare & Libani montẽ quasi in medio constitutũ, arboribus & vineis & agriculturæ cõmodissimum. Post hæc verò cùm secundus Hierosolymitanus Rex *Baldouinus de Burgo* peccatis exigentibus in captiuitate Saracenorum detineretur, dominus Patriarcha Hierosolymitanus cũ Archiepiscopis & Episcopis & aliis regni Baronibus, cũ Comite Tripolitano, ciuitatẽ obsidione vallauit, cum duce etiã Venetorum, qui multitudine pugnatorũ comitatus cum galeis quadraginta & multis tã maioribus quàm minoribus nauibus ex parte maris vrbẽ obsedit. Qui cum immenso labore & multa sanguinis effusione, cum variis machinis, & bellicis instrumentis longo tempore ciuitatẽ impugnassent, quinto obsidionis mense ciues fame intolerabili deficientes ad deditionem cõpulerunt, qui saluis personis, & rebus, nostris resignauerunt ciuitatem. Anno igitur ab incarnatione Domini M.C.XXIV. capta est a Christianis ciuitas Tyrensis, & nomini Christiano restituta.

A. Dn. 1124.

XLIV. Post hanc autem est ciuitas *Sarepta* propè mare, in cuius introitu loquutus est Helias Propheta ad viduam mulierẽ ligna colligentẽ, cuius farinula, eò quòd panem inde fecit viro DEI, suscepit incrementum: In eodem loco iuxta portã ciuitatis, modicã cappellam fecerunt Christiani. Post hanc autem sequuntur aliæ ciuitates maritimæ, primò *Sydon*, postea *Berithũ*, deinde *Biblium*, quæ vulgariter hodie *Gibeleth* appellatur, in Phœniciæ prouincia suprà littus maris cõstituta; quondã *Euæa* dicta, eò quòd Euæus, vt dicitur, sextus filiorum Chanaan, ipsam fundauerit. De hac in Ezechielẽ dicitur: *Senes Biblii, & prudentes eius, ô Tyre, præbuerunt nautas ad ministerium variæ suppellectilis tuæ.* Et iterum in libro 1. Regũ 5. sic inuenitur: *Porrò Biblii præparauerunt ligna & lapides ad ædificandum domum Domini.* Hanc Comes Tripolitanus *Bertrannus*, Ianuensibus cum galeis septuaginta sibi præstantibus auxilium, sibi subiugauit, & Ianuensibus cõcessit. Post hanc supra mare sita est ciuitas, quæ dicitur *Botrum*, vulgariter autem *Betiron* nuncupatur. Deinde castrum quod *Nephin* appellatur: postea ciuitas *Tripolis* nuncupata. Deinde ciuitas *Archis* dicta, quæ per miliare vnum à mari distat. Deinde *Arrados* ciuitas in insula iuxta littus maris sita, quam Arradius filius Chanaan ædificauit: in qua beatus Petrus Apostolus matrem beati Clementis mendicantem inuenit, & ad fidem cõuersam, filio restituit, sicut in *Itinerario Clementis* legimus: in quo etiam fit mentio de duabus columnis vitreis mirabili artificio in prædicta insula cunctis admirantibus in altum erectis. Inde *Anteradensis* ciuitas, sic dicta quasi ante Arradum sita: vulgari autem appellatione hodie dicitur *Tortosa*: in qua beatus Petrus Phœnicẽ circuiens, cum à partibus Hierosolymitanis transiret in Antiochiam, in honore beatæ virginis Mariæ modicam fundauit ecclesiolam, in qua etiam diuina celebrauit mysteria: quæ vsque hodie in magno habetur honore, & multorum populorum accessu frequentatur, eò quòd beata virgo in illo loco sibi ab infantia primitiuæ Ecclesiæ consecrato, multa operatur miracula, & infirmis illuc venientibus grata cõfert subsidia sanitatum. Dicitur autem à multis, quòd inter omnes beatæ Mariæ Ecclesias ista fuerit prima: non solùm autem à Christianis, sed etiam à Saracenis in magna habetur reuerentia, qui filios suos plerumque ad pręfatam Ecclesiam adducunt baptizandos, vt diutiùs viuant, vel vt corporalem recuperent sanitatem. Prædictam verò ciuitatem Anteradensem, post captionem ciuitatis Sanctæ, quidam viri nobiles per partes illas causâ peregrinationis transeuntes & Hierosolymam pergentes,

3. Reg. 17. Ezech. 27. 1. Reg. 5.

Comites videlicet *Pictauiensium & Blesensium*, cum quibusdam aliis viris illustribus, ab hostibus expeditam Comiti Tripolitano tradiderunt. Post hæc sequuntur aliæ maritimæ ciuitates; videlicet *Maraclea, Valania*, cum castro *Margath*; *Gabulum*, quod vulgariter dicitur *Gibel*, & inter omnes vltima ex parte Antiochię, ciuitas situm habens egregium, & bonorum temporalium magnam habens vbertatem, *Laodicia Syriæ* nuncupata, vulgariter autem *Liche* nominatur. Vir siquidem illustris & strenuus in armis dominus *Tancredus*, cùm Antiocheni principatus administrationem suscepisset, eodem die quo nobilem occupauit ciuitatem dictam *Apamitam*, ditioni suæ subegit prædictam ciuitatem, vno die duabus egregiis vrbibus Antiochenum
10 magnificè amplians principatum. Est autem *alia Laodicia* in Asia minori, quæ à beato Ioanne inter septem Asiæ ciuitates in Apocalypsi numeratur. Has omnes maritimas ciuitates nostri viriliter occupantes, nec vnam solam munitionem propè mare Saracenis reliquerunt: vnde ex parte maris, hostium penitus eneruata est fortitudo. Quasdam tamē mediterraneas ciuitates, quas maximè vltra iuga Libani nostri subiugare nequiuerunt, fines earum & suburbana frequenter vastādo, & multas ciuibus insidias machinādo, vt à molestatione cessarent, sibi tributo seruire coëgerunt. *Emissena* verò ciuitas, quæ hodie *Camela* seu *Chamele* nuncupatur; & quędam aliæ ciuitates Cœlesyriæ, scilicet *Heliopolis*, quæ alio nomine dicitur *Maubech*, & *Aman*, cū quibusdam aliis, propter vicinitatem à nostris cōmodiùs poterant molesta-
20 ri, vnde pacem & securitatē multâ pecuniâ redimebant. Sed & tam Calipha, quam Soldanus Ægyptius, nostrorum impetus & violentas in regno suo irruptiones sustinere non præualens, multa Regi Hierosolymitano annuatim tributa soluebat, maximè quādo sibi à Soldano Damasceno Ægyptii metuebant. E contrario autē, Rex Damasci datâ multâ quantitate pecuniæ à nostris, qui medii inter Damascenos & Ægyptios erāt, treugas & securitatem obtinebat. Ciuitatem siquidem Halapiæ secundus Hierosolymorū Rex Latinus, *Baldouinus* scilicet *de Burgo*, collectis ex toto regno viribus obsedit; sed multitudine Saracenorū à partibus Orientis ad succursum ciuitatis properāte, Rex longè viribus inferior solutâ obsidione recessit. Quartus autem Hierosolymorum Rex *Baldouinus, Fulconis* Regis filius, cum Romanorum
30 Imperatore *Conrado*, & Rege Francorum LVDOVICO, qui sancto Clareuallense Abbate Bernardo prædicante signum Crucis receperat, cum Hierosolymitano Patriarcha & Portuensi Episcopo Apostolicæ sedis Legato, cum multis Archiepiscopis & Episcopis, Ducibus, Comitibus & aliis Baronibus, tā de Regno quàm de Imperio, Damascenam obsedit ciuitatem. Est autem *Damascus* ciuitas antiquissima, ferè inter omnes Orientales vrbes quātitate & populorum multitudine habens præminentiam; à quodā Abrahæ seruo, qui eam fundasse dicitur, sic nominata. Est autē minoris Syrię, quæ *Phœnicis Libanica* appellatur, Metropolis: sicut legitur in Propheta: *Caput Syriæ Damascus*. Est autem in campestribus, in agro sterili & arido sita, nisi quantum aquarum irrigatur beneficio; quæ de montibus descendentes, per quos-
40 dam meatus deducuntur; & vniuersam irrigantes planiciem reddunt fertilem & arboribus fructiferis abundantem. Iuxta prædictam ciuitatem in loco, qui hodie dicitur *Melgissaphar*, apparuit Dominus Saulo cùm appropinquaret Damasco, dicens ei: *Saule Saule, quid me persequeris?* Prædicti igitur Principes cum innumerabili exercitu ciuitatem è vicino ex vna parte obsidentes, pomeria ciuitatis violenter effregerunt, fluuium iuxta muros ciuitatis defluentem ad vsus suos forti manu occupantes. Damasceni autem de suis viribus diffidentes cùm iam diu ex parte pomeriorum nostris resistere non valerent, quosdam ex his qui de Syriæ partibus peregrinis principibus ducatum & consilium præbuerant, cupiditate cæcatos more suo corruperunt, qui persuaserunt ad aliam ciuitatis partem trāsferri exercitum. Vnde
50 relicto priori loco, & à Saracenis occupato, & contra nostros munito, deficientibus victualibus & aquarum penuriâ laborante exercitu, attendentes Principes nostri manifestam illorum, quorum se fidei commiserant, malitiam, indignantes, & Orientalium fidem seu magis perfidiam detestantes, & suspectam habentes, induti confusione & reuerentiâ, multùm laborantes & parum proficientes, ad propria redierunt. *Ioannes* autem Constantinopolitanus Imperator, cum infinita multitudine militū, curruum, & equorum, vnà cum Principe Antiocheno & Comite Edessano, Cæsareā ciuitatē, ab Antiochia non multùm distātem, quæ hodie *Cæsarea*

Margin notes: *Apoc. 1.* — XLV. — XLVI. — *Isaia 7.* — *Actor. 9.* — *Psal. 40.* — XLVII.

magnus nuncupatur, obsedit; sed indignatus eò quòd prædictus Princeps & Comes in expeditione desides & remissi ipsum iuuare, & sibi obedire negligebant, acceptâ ab obsessis pecuniâ obsidione solutâ recessit. Sed & Rex Hierosolymitanus *Balduinus quartus* cum labore multo & periculo maximo *Bostrensem* ciuitatem occupaturus adiit: sed inueniens eam suprà id quam crediderat munitam & inexpugnabilem, reuersus est, multa in redeundo à Saracenis passus incommoda, & pluribus ex suis interfectis. Est autem *Bostrum* ciuitas antiquissima primæ Arabiæ Metropolis, quæ hodie vulgari appellatione *Bussereth* dicitur, continens sub se Traconitidem regionem. De qua in Euangelio beatus Lucas sic ait: *Philippo autem Ituraeæ & Traconitidis regionis Tetrarcha.* Quoniam autem fontibus & riuis regio illa penitus caret, illius terræ habitatores aquas pluuiales per *tracones*, id est meatus subterraneos colligunt in lacunis. Vnde propter hoc regio illa *Traconis* appellatur. Populus etiam illius regionis in speluncis habitans, & in traconibus habens domicilia, commoratur in cauernis. Post regionem autem *Decapoleos*, cuius fines seu extremitates sunt inter mare Galilææ & Sydonem, quæ etiam post ciuitatem Tyberiadensem versus Damascum protenditur, est *Ituræa* regio, scilicet post territorium Sydonense & montana, media inter nos & Saracenos, in valle quæ dicitur *Bachar:* & quia ad radices Libani protenditur, *saltus Libani* nuncupatur. Ituræa autem regio prædictæ regioni Traconitidi vicina est & cõtermina.

(Luc. 3.) (10)

XLVIII. Rex autem *Amalricus* prædicti Balduini germanus, ciuitatem Ægypti nominatam *Cayrum* obsidione cinctam, facilè, vt dicitur, expugnasset, & etiam totam Ægyptũ nomini Christiano & Christianorũ ditioni subegisset, nisi consilio pessimo cuiusdam malitiosi hominis *Milonis de Planci*, acceptâ ab hostibus pecuniâ, obsidione solutâ recessisset. Ipse enim priùs *Alexandriam* egregiam Ægypti ciuitatem, quam Siracunus & nepos eius Salahadinus Soldano Ægyptio abstulerant, obsederat; & eos ad deditionem compellens ex pacto eam Soldano Ægyptio, receptâ ab eo promissâ pecuniâ, resignauit. Postea verò idẽ Rex Constantinopolitano Imperatore innumerã Græcorum multitudinem sibi in auxiliũ mittente cum ingenti tam galearum, quàm aliarũ nauium classe, *Damiatam* ciuitatem Ægypti munitissimã obsedit: sed fame & frigore, & immoderatâ pluuiarum inundatione repulsus, cũ magno exercitus sui detrimento, ab obsidione recessit.

(20) (30)

XLIX. Cùm igitur ciuitates memoratas pluresq; alias, maximè mediterraneas nostri subiugare non possent, in extremitatibus terræ suæ, vt fines suos defenderent, castra munitissima & inexpugnabilia inter ipsos & hostes extruxerunt; scilicet *Montem regalem*, & *Petram deserti*, cuius nomen modernum est *Crac*, vltrà Iordanem; *Sapheth* & *Beluoir*, cum multis aliis munitionibus, citra Iordanẽ. Est autem *Sapheth* castrum munitissimum inter Accon & mare Galileæ, non longè à montibus Gelboë situm. *Beluoir* verò, non longè à monte Thabor iuxta ciuitatem quondam egregiam & populosam Iezraël, inter Citopolim & Tyberiadem, situm est in loco sublimi.

L. Ad maioris autem securitatis cautelam, inter diuersos Principes & Barones diuisum est regnum Hierosolymitanum, qui terram sub Rege defenderent & custodirent: ipso rege partem sibi digniorem & meliorem retinente, scilicet ciuitatem Hierusalem, Neapolim, Accon, & Tyrum, cum quibusdam oppidis & casalibus: *Homines Ligii regni fidelitate & Sacramento cum certo militum numero, seruitio regio obligati fuerunt*, Comes *Tripolitanus*, dominus *Berythi*, dominus *Sydonis*, dominus *Cayphæ* seu Porphyriæ, dominus *Cæsarea*, Princeps *Galileæ*, qui & dominus Tyberiadis; Comes *Ioppes* & *Ascalonis*: dominus *Montis regalis*, & totius terræ trans Iordanem: dominus *Assur*, & dominus *Ibelim*, cum quibusdam aliis. Sed hii inter alios, maiores erant, præminentiam & dignitatem obtinentes.

(40)

LI. Ex tunc cœpit Orientalis Ecclesia reuirescendo florere, & cultus religionis in partibus Orientis ampliari, & vinea Domini nouos botros germinare. Ita quòd in ea videretur impletum, quod scriptum est in Canticis Canticorum: *Hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra: tempus putationis aduenit.* A diuersis enim mundi partibus, ex omni tribu & lingua, & omni natione quæ sub cælo est; odore sanctorum & venerabilium locorum tracti deuoti DEO Peregrini, & homines religiosi, ad Terram Sanctam confluebant. Reparabantur Ecclesiæ veteres, nouæ fabricabantur: Monasteria regularium, largitione Principum, & eleemosynis fideliũ in locis idoneis construebantur: ecclesiarũ ministri & alia ad

(50) (Cant. 2.) (Actor. 2.)

seruitium

seruitium & ad cultum diuinum pertinentia sufficienter & competenter ordinabantur vbique. Viri autem sancti sæculo renunciantes, variis affectionibus & desideriis tracti, & feruore religionis accensi, eligebant sibi loca proposito suo & deuotioni magis competentia. Alii exemplo Domini specialiter ducti, desertum illud desiderabile, in quo Dominus noster post baptismum quadraginta diebus solitarius ieiunauit, quod *Quarantena* appellatur, vt vitam ducerent eremiticam, prææligentes, in modicis cellulis Domino deuotissimè militabant. Alii ad exemplum & imitationem sancti viri & solitarii Eliæ Prophetæ, in monte *Carmelo*, & maximè in parte illa quę supereminet ciuitati Porphyriæ, quæ hodie *Cayphas* appellatur, iuxta fontem, qui *fons Eliæ* dicitur, non longè à monasterio beatæ virginis Margaretæ, vitam solitariam agebant in aluearibus modicarum cellularum, tanquam apes Domini, dulcedinem spiritualem mellificantes. Est autem alius *Carmelus* trans Iordanem, iuxta desertum solitudinis, in quo latuit Dauid fugiēs à facie Saul, vbi erat habitatio Nabal viri stulti. Hic autē, in quo cōuersatus est Elias, situs est in maritimis, distans ab Accon IV. miliaribus. Quàm plures verò in solitudinibus Iordanis, vbi beatus *Ioannes Baptista* fugiēs hominū turmas, vt liberiùs DEO vacaret, ab annis puerilibus delituit; mortui mundo, vt viuerent DEO, quietis sibi sepulchrum elegerunt. In hac autem eremi solitudine non nisi *locustas* cum melle beatus Ioannes edebat. Est autem in partibus Syriæ plerisque consuetudo, adueniente locustarum multitudine, eas colligendò & congregando ad victum reseruare. Mellis autem ex calamellis maximam in partibus illis vidimus abundantiam. Sunt autem *calamelli* calami pleni melle, id est, succo dulcissimo, ex quo quasi in torculari compresso, & ad ignem condensato priùs quasi mel, posthæc quasi zuccara efficitur. Vocantur autem alio nomine *canamelles*, quod nomen ex *canna* & *melle* componitur, eò quòd cannis siue arundinibus huiusmodi calami sunt similes. Quoniam autem verisimile mihi non videbatur, quòd beatus CHRISTI Baptista locustarum carnes manducaret, qui pane etiam vesci renuebat, quæsiui diligenter à quodam Surianorum monacho, cuius cœnobium in partibus illis erat, habens maximam monachorum multitudinem sub vno abbate, vitam arctissimam ducentium, cuiusmodi essent locustæ quas in solitudine illa Iordanica beatus Ioannes manducasse perhibetur. Qui mihi statim respondit, quòd frequenter in refectorio suo quædam herba monachis ad edendum apponebatur, quam ipsi *langustæ*, id est, locustam nominabant, cuius circa monasterium suum magna habebatur copia; adiungens quòd illa esset, quam edebat beatus Ioannes. Sed & de melle siluestri ex apibus in deserto illo, frequenter copiosè reperiebant. Alii autem ex viris religiosis in deserto illo, quod adiacet mari Galileæ, (in quo Dominus frequenter turbis prædicauit; panibus hordeaceis cum paucis pisciculis, hominum multitudinem pauit; & variis miraculorum signis regionem illam illustrauit; in quo etiam loco post resurrectionem suam discipulis suis manifestus apparens, cum eis manducauit & bibit: pedibus autem supra mare illud ambulauit: ibi etiam quosdam ad se discipulos euocans, ait: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*:) solitariam sibi elegerunt habitationem: quidam in planicie, in qua fœnum multum reperitur ex herbis desiccatis; alii in monte propinquo, in quo Dominus seorsum consueuerat orare. Est autem *mare Galileæ*, stagnum in finibus Galileæ, ex aquis dulcissimis collectum, variis piscium generibus commodissimum; visu amœnum, & delectabile ad potandum. Et quoniam tam in longitudine, quàm in latitudine valdè spaciosum est, more Hebræorum & Ægyptiorum, qui quaslibet aquarū copiosas & spatiosas congregationes tam ex aquis dulcibus, quàm ex salsis, *mare* nominant, prædictus lacus maris nomine nuncupatur. Dicitur etiam *mare Tiberiadis*, eò quòd ciuitati Tiberiadensi, quæ vulgariter *Thabaria* nominatur, adiacet, iuxta quam ciuitas Petri & Andreæ, quam Dominus propriâ illustrauit præsentiâ, sita est *Bethsaida*. Dicitur præterea quādoque *stagnum Genesareth*, quod interpretatur, *auram generans*, eò quòd ex fontibus montium circumstantium, frequenter vētum colligit validum, ex quo factâ in stagno perturbatione, & inualescente tempestate, vndis fluctuantibus nauiculæ plerunque submerguntur. Fluuius autem *Iordanis* ad radices Libani montis, iuxta Cæsaream Philippi, ex duobus fontibus, videlicet Ior & Dan, ex quibus nomen trahit & originem, in prædicto stagno Genesareth descendit: & inde

(Marginalia: LII. Matth. 4. — 3. Reg. 17. — 1. Reg. 25. — LIII. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. — Marc. 1. — Matth. 14. — Ioan. vlt. — Matth. 14. — Matth. 4.)

totus egrediens per centum ferè miliaria regionem adiacentem irrigans, per *vallem illustrem*, quæ vallis *Salinarum* dicitur, in mare mortuum se infundit, & postea nunquam apparens absorbetur in abysso. Est autem secus locum, qui dicitur *Segor*, qui hodie vulgari appellatione *Paumier* nominatur. Dicitur etiam prædictum mare, *lacus Alphates*, siue *Alphaltidus*, & *mare Salis*, eò quòd sit ita salsum & amarum quòd ex eo nec homo, nec bestia bibere potest. & plerunque etiam *mare Diaboli*, eò quòd nihil viuum in eo generatur, nec aliquid vitam habens in eo submergi valet. Habet autem iuxta se montem salis excelsum; arbores etiam iuxta ripas eius, poma ferũt pulchrum exteriùs corticem habentia; interiùs autem non nisi cinis, & quasi fauilla fœtida reperitur. Dominus enim ignem & sulphur pluit super Sodomam & Gomorram, & alias tres ciuitates. Homines illi pessimi erant, & hostes naturæ, ignominiosam, & abominabilem turpitudinem inter se abusiuè operantes. In loco autem illo, qui *Pentapolis* dicebatur, est prædictus lacus, cuius fundus inueniri non potest. Dominus enim ciuitates illas vsque in abyssum post prædictum incendium submersit. Fluuius autem *Iordanis*, de quo paulò ante fecimus mentionem, à monte Libani vsque ad locum illum, multas ex se præbet commoditates vniuersæ regioni. Reddit enim hortos irriguos, & terram fructiferam, habens aquas dulces ad bibendum, & pisces sanos ad edendum, & ripas idoneas ad arundines, seu cannas procreandas, ex quibus tecta domorum tegunt, & parietes contexunt. Campi autem adiacentes ex calamellorum condensa multitudine stillantes dulcedinem, zuccaræ procreant abundantiam. Peregrini enim, & etiam indigenæ, corpora sua & vestimẽta in aquis Iordanis cum magna deuotione soliti sunt abluere: eò quòd Redemptor noster à beato Ioanne in flumine illo baptizatus contactu mundissimę carnis fluuium sanctificauit, vim regeneratiuam conferens vniuersis aquis. Tota etiam Trinitas illum fluuium felicem & dignissimum dedicauit: Supra quem Pater est auditus, Spiritus sanctus in columbæ specie visus, Filius in humana natura baptizatus. Multi autem vtriusque sexus homines & mulieres baptismo pœnitentiæ à beato Ioanne in prædictis aquis baptizati, CHRISTI gratiæ & baptismati sese habiles & idoneos, & aquarum submersioni assuefactos reddiderunt. In signum autem futuræ purificationis Naaman Syrus in hoc flumine à lepra mundatus, quasi carnem pueri recepit. Iosue autem cum multitudine filiorum Israël aquis superioribus in altum ascendentibus, inferioribus autẽ in mare descendentibus, sicco vestigio pertransiuit: ex quo duodecim lapides, iuxta numerum duodecim tribuum, filii Israel extraxerunt. De quibus ad litteram dixit beatus baptista Ioannes: *Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Helias autem & Helisæus, aquis Iordanicis Heliæ pallio percussis, & in duas partes diuisis, per siccum trãsierunt. Multi igitur ex viris religiosis propter fluminis sanctitatem & aquarum oportunitatem, vicinas fluuio construxerunt habitationes.

(Gen. 19. — Matth. 3. — Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. — 4. Reg. 5. — Iosue 3. & 4. — Matth. 3. — 4. Reg. 2.)

LIV. In monte *Thabor*, qui sublimis est & arduus valdè, in quo Dominus coram Petro & Iacobo & Ioanne, præsentibus Moyse & Elia, transfiguratus gloriam futuræ resurrectionis ostendit, propter loci reuerentiam & honorem, monasterium construxerunt. Est autem prædictus mons in regione Galileæ, non longè à Nazareth, habens ad radicem eius torrentem *Cison*: montes autem Gelboë ex vna parte, ex altero verò mare Galileæ. De montibus autem *Gelboë* quidam fabulantur, quòd nec ros nec pluuia ad litteram super eos descendat: sed hoc falsum esse à vicinis habitatoribus frequenter est comprobatum. De ordinibus etiam *Cistercienſium* & *Præmonstratensium* in locis idoneis monasteria construxerunt. Multi autem ex his qui desiderio sanctæ Terræ de terra sua & de cognatione sua & de domibus patrum suorum exierunt, licet turba & tumultus hominum plerunque religioni sint impedimentum, maluerunt tamen inter turbas populorum corporaliter habitare, quàm à sanctarum ciuitatum Hierusalem, Bethlehem & Nazareth, quæ tanquam cellæ aromaticæ Saluatoris redolent conuersationem, habitatione priuari. In Nazareth enim de Spiritu sancto ex Maria Virgine conceptus fuit Dominus; in Bethlehem natus; in Hierusalem pro salute nostra crucifixus, mortuus & sepultus.

(Matth. 17. — 2. Reg. 1. — Luc. 1. Matth. 1. & 2. — Matth. 27.)

LV. Est autem Hierusalem ciuitas ciuitatum, sancta sanctarum, domina gentium, princeps prouinciarum, speciali prærogatiuâ ciuitas Regis magni dicta; & quasi in centro mundi, in medio terræ sita; vt ad eam confluerent omnes gentes; possessio Patriarcharum, alumna Prophetarum, doctrix Apostolo-

(Thren. 1. — Isa. 2.)

Apostolorum, salutis nostræ cunabula; Domini patria, mater fidei, sicut Roma mater est fidelium; à DEO prælecta & sanctificata, in qua steterūt pedes eius; ab Angelis honorata, & ab omni natione, quæ sub cœlo est frequētata. Est autem in monte eminenti constituta, ex vtraque parte montuosa, in illa parte Syriæ, quæ dicitur Iudæa & Palæstina; lacte & melle fluens; frumento, vino & oleo, & omnibus bonis temporalibus abundans. Fluminibus autem prorsus caret; fontes autem nō habet, excepto vno, qui *Siloë* nominatur, qui sub monte Syon per medium vallis Iosaphat fluens, quandoque copiosas ministrat aquas: plerunque verò modicę vel nullæ penitùs aquæ reperiuntur in ipso. Sunt autem tam in vrbe, quàm extra vrbem cisternæ multæ ex aquis pluuialibus, tam hominibus, quàm animalibus ad potum sufficientes, & ad alias varias necessitates. Habet autem plura & diuersa nomina ex variis euentibus, & secundùm diuersas linguas & nationes. Primò enim vocata est *Iebus*, postea *Salem*, ex quibus duobus vocabulis nomen tertium habet *Hierusalem*. Dicitur etiam *Solyma*, & *Hierosolyma*; *Luza* & *Bethel*. Ad vltimum dicta est *Helya*, ab Helio quæstore Romano, qui eam in loco, in quo modo est, post destructionem à Tito & Vespasiano factā, reædificauit. Primus eius episcopus fuit Apostolus *Iacobus*, qui perticâ fullonis in Hierusalem percussus, martyrio transiuit ad Dominum. Post hunc, vsque ad tempora Iustiniani Imperatoris, non nisi simplices habuit Episcopos, nullâ maioris dignitatis prærogatiuâ præminentes. Temporibus autem prædicti, DEO dilecti & religiosi Imperatoris, in synodo generali, apud vrbem Constantinopolitanam, ob reuerentiam Ciuitatis sanctæ, in ea constituerunt *Patriarcham*, quosdā suffraganeos Antiocheno & Alexandrino subtrahentes, eò quòd in confinio & limite horum duorum Patriarchatuum erat constituta. Obtinet autem quartum locum post Apostolicam sedem in Ecclesia DEI. Habet autem sub se quatuor *Metropolitanos:* quorum primus est *Tyrensis*, continens sub se quatuor suffraganeos episcopos, scilicet, Acconensem, Sydonensem, Berithensem & Paneadensem. Est autem *Paneas* ciuitas illa, quæ nunc vulgariter *Belinas* nuncupatur, ad radicē Libani montis sita, Damascenæ ciuitati satis est vicina; & est terminus Terræ Promissionis. Secundus Metropolitanus seu Archiepiscopus est *Cæsariensis*, vnum solum subiectum habens suffraganeum, Episcopum videlicet Sebastenſem.

LVI. *Sebasta* alio nomine olim dicebatur *Samaria*, in qua sepulti fuerunt viri sancti Ioannes Baptista, Helisæus, & Abdias Propheta. Ciuitas autem quæ dicitur *Caypbas* siue Porphyria, non habet Episcopum: subest autem immediatè Archiepiscopo Cæsariensi. Tertius metropolitanus est *Nazarenus*, vnum solum habens suffraganeum Tyberiadensem Episcopum. Est autem *Tiberias* ciuitas supra mare Galileæ sita in regione Galileæ, frumenti & vini & pisciū vbertate redundans. Fuit autem quondam sedes Archiepiscopalis in vrbe *Citopoli*, quæ hodie dicitur *Bethsam*, inter montes Gelboë & Iordanis fluuium in campestribus sita. Est autem fertilis valdè, riuis & fontibus irrigua, quæ quondam tertiæ Palæstinæ & vniuersæ Galileæ Metropolis extitit: sed propter dignitatem loci, & reuerentiam Dominicæ Conceptionis translatus est Archiepiscopatus ad ciuitatem *Nazarenam*. Quartus autem metropolitanus est *Petracensis*, vnum solum habens suffraganeum episcopum Græcum in monte Synai, ecclesiæ beatæ virginis Katharinę, & monachis eiusdē monasterii prefectum. Est autē *Petra* ciuitas munitissima, quæ vulgari nomine hodie dicitur *Crac*, & *Petra deserti*, vltrà Iordanē in finibus Moab, in mōte sublimi sita, secundæ Arabiæ metropolis. Est autem, vt dicitur, locus ille de quo dicit Esaias Propheta: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ*, &c. Est autem iuxta vrbem antiquissimam, quæ dicitur *Rabath* antequam ciuitatem procurante Dauid occisus fuit Vrias. (*Isaia 16.*)

LVII. Habet præterea Hierosolymitanus Patriarcha quosdam Episcopos suffraganeos sibi nullo mediante subiectos, scilicet Bethleemitanum, & Ebronensem & Liddensem. Fuit autem ecclesia *Bethleemitica* Prioratus Canonicorum regularium vsque ad tempora Baldouini primi Regis Latinorum in Hierusalem. Rex verò propter loci dignitatem & Dominicæ Natiuitatis præcellentiam, eam cathedrali dignitate sublimauit, constituens in ea Episcopum de mandato & voluntate bonæ memoriæ *Paschalis* Papæ, qui etiam Ascalonem ciuitatem eidem immediatè subiecit. Similiter *Ebronensis* ecclesia, quæ priùs fuerat Prioratus, propter loci dignitatem, in quo sepulti sunt Adam & Eua, & tres Patriarchę, Abraham, (*Iosu. 14.*)

Isaac, & Iacob, cum Sara & Rebecca, in spelunca duplici, & propter reuerentiam seruorum DEI, ad episcopalem sublimata est dignitatem. Ebron autem antiquis nominibus Arbe & Cariatharbe appellatur. *Lidda* autem ciuitas, quondam *Diospolis* appellabatur, nunc ad *sanctum Georgium* nuncupatur.

LVIII. Habet insuper prædictus Patriarcha Abbates & Priores, sibi subiectos, *insignia Pontificalia, baculos* scilicet & *mitras, annulos,* & *sandalia* ex priuilegio dignitatis habentes, domino Patriarchæ in ministerio reuerenter assistentes. Patriarchalis siquidem ecclesia, quæ est *Dominici Sepulchri,* sub monte Caluariæ, canonicos habet regulares secundùm habitum & regulam beati Augustini viuentes. Habent autem Priorem, ad quem cum prædictis canonicis pertinet eligere Patriarcham, qui est eis loco Abbatis. In ecclesiis autem *Templi Domini* & *montis Sion,* & *montis Oliueti,* sunt Abbates & Canonici secundùm regulam prædictam beati Augustini Domino ministrantes. In ecclesiis verò seu monasteriis *de Latina* & vallis Iosaphat, sunt Abbates cum monachis nigris, secundùm regulam beati Benedicti Domino seruientes. In *Bethania* verò, quæ est castellum Mariæ & Marthæ, & Lazari fratris earum, & distat ab Hierusalem quindecim stadiis, vltrà montem Olueti, in decliui eiusdem montis, est Abbatia *sancti Lazari,* quæ dicitur *de Bethania,* in qua est Abbatissa nigra, & moniales, sancti Benedicti regulam & instituta profitentes. Est autem alia Bethania trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. Eiusdem autem ordinis & professionis est Abbatia *sanctæ Annæ* genitricis matris Domini, iuxta portam quæ dicitur *Iosaphat,* iuxta probaticam piscinam sita, in quo loco beata Virgo Maria nata fuisse perhibetur: in qua est Abbatissa cum monialibus nigris. Abbatia insuper *sanctæ Mariæ,* monialium in Hierusalem cum Abbatissa & monialibus nigris, sub sancti Benedicti regula DEO seruientibus, tanquam cella aromatica sanctis & castis & Deo deuotis personis erat referta, quæ religionis districtionem, vitæ honestatem, & caritatis feruorem nullâ compellente aduersitate vel paupertate reliquerunt. In monte *Thabor* est Abbatia nigrorum monachorum, sub metropolitano Nazareno. *Ioppensis* autem ciuitas non habet Episcopum, sed immediatè subest Priori & Canonicis Dominici Sepulchri. Similiter ciuitas *Neapolis,* quæ in Euangelio dicitur *Sychar,* vbi est puteus Iacob, iuxta quem Dominus loquutus est Samaritanæ mulieri, Episcopo caret; pertinet autem immediatè ad Abbatem Dominici Templi. Multæ etiam aliæ sunt ciuitates in terra promissionis, quæ licet ante tempora Latinorum proprios haberent Episcopos Surianorum & Græcorum; Latini tamen propter multitudinem & paupertatem eorum, ne dignitas Episcopalis vilipéderetur, plures ecclesias Cathedrales & ciuitates vni cathedrali subiecerunt. Nunc autem de his locis, quæ inter alia loca venerabilia maiorem habent sanctitatis præminentiam; breuiter subiungamus.

Ioannis 4.

LIX. *Nazareth* ciuitas est modica ferè in introitu Galilææ ex parte Occidentali iuxta montes sita. Inter ipsam autem & Sephor est fons irriguus & perspicuus, aquas ex se copiosas emittens, qui *fons Sephoritanus* appellatur: in quo loco fortè Reges Hierusalem frequenter propter aquarum & herbarum commoditatem solent exercitus suos cógregare. In hac autem ciuitate à quibusdam beata Virgo nata fuisse perhibetur. Hoc autem nó est dubium, quòd in ea postquam desponsata fuit Ioseph, virgo sancta morabatur, ad quam missus est Angelus, salutis nostræ nuncians primordia. Hæc autem sancta & DEO amabilis ciuitas, (in qua Verbum caro factum est; & flos omnia vincens aromata, in vtero virginali germinauit; vnde & meritò flos interpretatur) in hoc super omnes speciali gaudet priuilegio, quòd salutis nostræ Dominus in ea principium procurauit; & in ipsa præterea nutriri, & parentibus subiici dignatus est, cui pater omnia quæ sunt in cœlo & in terra subiecit. *Bethlehem* verò, quæ *domus panis* interpretatur, in qua natus est verus panis qui de cœlo descendit, in decliui montis Hierosolymitani sita est, non longè distans à ciuitate Sancta, per milliaria scilicet quatuor. In hac verò Dauid ciuitate, est sancta & venerabilis ecclesia Cathedralis in honore beatæ Virginis consecrata. Præsepium etiam, in quo iacere & reclinari dignatus est ille *cuius cælum sedes est, terra autem scabellum pedum eius,* factus fœnum secundùm carnem, quo pia animalia vescerentur: in quo loco pastores, reuelatione Angelicâ admoniti, puerum pannis inuolutum cum Maria matre eius inuenerunt, & tres Magi stellâ duce ad prędictam ciuitatem venientes natum regem humiliter adorantes, mystica ei munera obtulerunt. In hac

Luc. 1. Ioannis 1. Isa. 11. Ioannis 6. Esaia 66, 1. Luc 2. Matth. 2.

impius

impius hostis Herodes CHRISTVM quærens occidere, multos innocentes paruulos crudeliter interfecit. In ea etiam sepulchrum est Rachelis vxoris Iacob, quę dum peperisset Beniamin, in eodem loco vitam finiuit. Ex hac traxit originem illa mulier Noëmi, quæ Ruth Moabitidem adduxit de Petra deserti, quam duxit Boos vxorem, ex quorum progenie ad montem filiæ Syon venit agnus terræ dominator. De cisterna autem Bethleemitica Dauid aquas concupiuit, aquas sapientiæ salutaris potare desiderans de cisterna beatæ Virginis. Hanc autem sanctam & DEO dilectam ciuitatem beatus Latinus interpres *Hieronymus*, vt ibi Domino seruiret, præelegit, in qua etiam corporis eius gleba pretiosa tradita est sepulturæ, Beata etiam *Paula* & *Eustochium* filia eius, cum multis aliis virginibus in monasterio sanctimonialium DEI seruitio, & diuinæ contemplationi deuotissimè vacantes, regna mundi, & omnem eius ornatum, propter amorem Domini nostri IESV CHRISTI, & loci sancti deuotionem, contempserunt.

Gen. 35. *Ruth. 1. & 4.* *Isaia 16.*

LX. Ciuitas autem sancta *Hierusalem*, in qua redemptionis nostræ mysteria Dominus corporaliter exhibuit, quantò omnibus aliis locis & ciuitatibus priuilegio præminet sanctitatis, & excellẽtiâ dignitatis, tanto quasi odore agri pleni, cui benedixit Dominus, plures religiosas personas ad se traxit: qui locorum venerabilium multitudinem variis & competentibus temporibus cum feruore spiritus visitantes, nunc ex his, nunc ex illis materiam deuotionis assumẽtes, & ardore desiderii animas suas vrgentes, ipsas præ tædio dormitare non sinebant. Est autem sæpè nominata & nominanda ciuitas secundùm omnes eius partes in monte sublimi sita, muro valido vndique circundata, nec nimiâ paruitate angusta, nec magnitudine cuiquam fastidiosa, à muro vsque ad murum habens distantiam, quantum arcus quater proiicit sagittam. Habet autem à parte Occidentali munitionem ex lapidibus quadris, cemento & plumbo fusili quasi indissolubiliter compaginatis constructam, quę ex vno eius latere pro muro est ciuitati, & *turris Dauid* appellatur. Montem autem Syon habet à Meridie, in quo Dauid in arce Syon eiectis Iebusæis habitauit, & eam *ciuitatem Dauid* appellauit. Montem autem Oliueti habet ab Oriente. Mons siquidem Caluariæ, in quo crucifixus est Dominus, in parte illa quæ *Golgotha* nũcupatur, & locus Dominici Sepulchri, qui loco illi proximus est sub monte Caluariæ, vsque ad tempora Helii Hadriani Imperatoris extra ciuitatis ambitum erant. Dominus enim passus est, & sepultus est extra portam ciuitatis. Prædictus autem Helius Adrianus, ciuitatem à Tito & Vespasiano destructam reparauit, vicos & plateas decenter pauimento decorauit, ductus aquarum construens, quibus pluuiali tempore ciuitas à sordibus purgaretur.

Hebr. 13.

LXI. Adeò autem ampliauit ciuitatẽ, quòd locum *Dominici Sepulchri* infra murorum ambitum inclusit, in quo loco postea Christiani ob reuerentiam Dominici Sepulchri artificioso opere, decenti schemate, formâ rotundâ, vno tantùm foramine superiùs apertam Dominicæ resurrectionis ecclesiã gloriosam construxerũt, quæ inter sancta & venerabilia loca non immeritò obtinet principatũ. In quo loco corpus Domini pretiosum cum aromatibus honorificè sepultũ, vsque in diẽ tertium requieuit: die autẽ tertiâ resurrexit, in quo loco sancti Angeli mulieribus apparuerũt: Milites autem sepulchrũ custodientes, velut mortui effecti sunt: in quo etiã loco in nocte Dominicæ resurrectionis ignis sacer descẽdit de supernis. Cùm autẽ per mundũ vniuersum à fidelibus dicatur: *Surrexit Dominus de sepulchro, qui pro nobis pependit in ligno*: soli Canonici ecclesiæ resurrectionis Dominicæ speciali gaudẽt prærogatiuâ dicentes, & ad oculũ demonstrationẽ facientes: *Surrexit Dominus de hoc sepulchro.* Similiter in Euangelio Paschali, cũ dicitur, *Surrexit, nõ est hic*; diaconus qui legit Euangeliũ digito demonstrat Dominicam sepulturam. Is autem qui dicitur *Caluariæ* locus, Hebraicè autẽ *Golgotha*, Ecclesiæ Dominici Sepulchri vicinus, inter loca sancta magnã obtinet dignitatẽ, & maximã ob memoriã Dominicę passionis habet cõpunctionis virtutẽ: in quo Dominus passus est pro salute nostra; vestimẽtis exutus; in cruce leuatus; clauis affixus; felle & aceto potatus; à Iudæis irrisus; inter iniquos deputatus; morte ignominiosâ cõdemnatus; pro trãsgressoribus orauit; matrẽ suã discipulo cõmẽdauit; latroni salutẽ promisit; cũ clamore & lacrymis spiritũ emisit; ex latere perforato sanguinẽ & aquã, quibus mundũ ablueret, produxit: in quo loco vestimenta eius diuiserũt, & super tunicã eius sortẽ miserunt; terra mota est, & petræ scissæ sunt; sanguis eius in terrã cecidit; sol obscurat⁹ radios suos subtraxit. His omnib⁹, dũ locus

Mar. 16. *Matth. 27.* *Marc. 15.* *Luc. 23.* *Ioan. 19.*

sacer à deuotis Peregrinis frequentatur, cor contritum & humiliatum compungitur, & quasi torculari passionis lachrymæ compassionis exprimuntur. Vrbs autem fortitudinis nostræ Syon, *mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitũ fuit* DEO *habitare in eo; quasi fauus stillans dulcedinem; & flos redolens suauitatis odorem*, pias mentes afficit & confortat, & reficit, & sanctitatis suæ præminentiâ, consolatur & pascit: in quo Dominus Pascha cum discipulis celebrauit, pedes Apostolorum linteo præcinctus lauit, exemplum humilitatis ostendit, vestimenta resumens cum discipulis manducauit & bibit; nouum Testamentum instituit; panem in corpus suum & vinum in sanguinem proprium conuersum, discipulis ad manducandum & bibendum tradidit; diuinis sermonibus discipulos informauit: in quo loco beatus Ioannes supra sanctum pectus eius recubuit; & beata Virgo cum Ioanne sibi ad custodiam deputato, post mortem filii sui quandiu vixit, habitauit; & Dominus discipulis suis in domo clauso ostio commorantibus, apparuit. Apostoli etiam post Ascensionem Domini vsque ad diem Pentecostes in eodem loco cum ieiuniis & orationibus promissum Spiritum Sanctum expectantes permanserunt. In die verò Pentecostes, in specie ignis, in illo loco Spiritum Sanctum cum scientia linguarum omnium, ad robur receperunt. Facto autem super illum locum de cœlo sono repentino, multitudo Iudæorum conuenit, quibus beatus Petrus prophetiam Iohelis exponens, multos ad Dominum conuertit. His omnibus insignis locus ille præminens, inter alia loca sancta, maximam obtinet priuilegii dignitatem.

[Isa. 27. — Psal. 76. — Ioan. 13. — Luca 24. — Actor. 2. — Ioel. 2.]

LXIII. *Templum* autem *Domini* sanctum, quod in monte Moria, in area Ornam Iebusæi à Salomone constructũ est, inter loca sancta & venerabilia nullatenus est prætereundum: quod licet à Babyloniis primò sit destructum, & postea a Romanis, à fidelibus tamen & religiosis viris opere rotundo, & decenter & magnificè in eodem loco miro & subtili artificio, iterum est reparatum. In hoc loco supra rupem quæ adhuc in eodem templo consistit, dicitur stetisse & apparuisse Dauid exterminator angelus, qui propter peccatum denumerationis Israelitici populi, quæ Dauid præcipiente facta est, multa millia de populo interemit. Vnde Saraceni Templum Dominicum vsque hodie *rupem* appellant: quod in tanta veneratione habent, vt nullus eorum ipsum audeat aliquibus sordibus, sicut in aliis locis sanctis faciunt, maculare; sed à remotis & longinquis regionibus, à temporibus Salomonis vsque ad tempora præsentia, veniunt adorare. Quoties autem Ciuitatem sanctam possident, imaginem Machometi ponentes in templo nullum Christianum permittunt intrare. In prædicta autem rupe creditur à quibusdã arcam Domini vsque hodie fuisse reclusam. eò quòd Iosias, Rex Israël imminẽtem præuidens ciuitatis destructionem, ipsam in sanctuario Templi includi præceperit, & abscondi. In secundo tamen libro Machabæorum reperitur, quòd imminente captiuitate, exiuit Ieremias Propheta in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit DEI hereditatem; & in spelunca quam inuenit, tabernaculum & arcam, & altare incensi intulit, & ostium speluncæ obstruens ait, quòd ignotus erit locus donec congreget Dominus congregationem populi sui. & propitius DEVS tunc ostendat hæc, & apparebit maiestas Domini. In hoc autem sancto & venerabili loco, cùm *Salomon* opere consummato, Domino sacrificia offerret, nebula impleuit domum, & apparuit gloria Domini, & ignis descendit de cœlo, & deuorauit holocausta & victimas, & maiestas Domini impleuit domum, nec poterant sacerdotes ingredi domum Domini; sed omnes filii Israël videbãt descendentem ignem, & gloriam Domini super domum. Cùm autem flexis genibus & manibus ad cœlum expansis orasset Salomon Dominum, vt quicunque Templum beneficia petiturus ingrederetur, preces eius a Domino reciperentur, apparuit ei Dominus dicens: *Exaudiui orationem tuam & deprecationem tuam quã deprecatus es coram me: sanctificaui domum hanc, quam ædificasti mihi: oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. Elegi enim & sanctificaui locum istum mihi.* In hoc loco, sicut in II. Machabæorum legitur, *Heliodoro* à Rege Antiocho misso, vt locum sanctum violaret, & pecuniam depositam per violentiam auferret, apparuit equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis ornatus: qui autem sedebat videbatur habere arma aurea: equus autem Heliodoro cum impetu priores calces allisit. Alii autem apparuerunt duo Iuuenes virtute decori, operti gloriâ, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant

[3. Reg. 6. — 4 Reg. vlt. — 2. Reg. 24. — Mach. 2. — 2. Paralip. 7. — 2. Mach. 3.]

gellabant sine intermissione, multis plagis verberantes. In hoc *beata Virgo*, donec à Ioseph desponsata fuisset, cum aliis virginibus dicitur ministrasse: Templi cortinas, & vestimenta sacerdotalia præparando, literas sacras addiscens, ieiuniis, vigiliis, & orationibus & diuinarum scripturarum studio prudenter & humiliter vacans: annis etiam puerilibus à parentibus, vt sisterent eam coram Domino, ad Templum adducta, omnes gradus quibus ascendebatur ad Templum, per se absque vlla difficultate dicitur ascendisse, quod in oculis omnium mirabile visum est, & à sæculo de paruo infantulo inauditum. In hoc loco dum sanctus *Zacharias* incensum offerret Domino, apparuit ei Angelus nuntians eius orationem à DEO exauditam: omnes enim sacerdotes, pro Messia venturo & populi liberatione in hora incensi Domino supplicabant: addidit etiam quòd Elizabeth vxor eius sterilis filium ei fuisset paritura. In hoc loco Dominus noster IESVS CHRISTVS cum turture & columba à parentibus est oblatus, à Simeone susceptus, à sancta Anna vidua omnibus, qui expectabant redemptionem Hierusalem, annunciatus: & cùm iam duodecimum ætatis annum attigisset, vt diuinæ Scripturæ studio vacandi daret exemplum, in medio Doctorum ad disputationem sedens, opponebat & respondebat, ita vt omnes super responsis & prudentia eius mirarentur. Cùm autem ascendisset orare in Templum, eiecit ab eo vendentes, & ementes, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, obiiciens eis scriptum esse; *domus mea domus orationis vocabitur*. Aliquando etiam suprà pinnaculum Templi ascendit, vbi diabolus, vt se deorsum mitteret, tentando suggessit. Imminente eius passione totâ die erat in Templo docens, & in vespere in Bethaniam secedens, summo mane reuertebatur. Huius Templi velum in morte eius scissum est à summo vsque deorsum, vt pateret introitus ad sancta sanctorum. Ab huius Templi pinnaculo beatus *Iacobus* Apostolus prædicans præcipitatus, perticâ fullonis percussus, coronatus est martyrio. Est præterea Hierosolymis templum aliud immensæ quantitatis & amplitudinis, à quo fratres militiæ Templi, *Templarii* nominantur, quod *Templum Salomonis* nuncupatur, forsitan ad distinctionem alterius, quod specialiter Templum Domini appellatur. *Mons* autem *Olіueti*, mons pinguis, mons Oliuarum, mons trium Luminum, mons Sanctus & omni acceptione dignus, quasi passibus mille distat ab Hierosolymis: in cuius decliuio est *Bethphage*, quæ interpretatur domus buccæ, viculus sacerdotum: & *Bethania* castellum Mariæ & Marthæ & Lazari, in quo Maria Domini pedes vnxit, & capillis suis tersit, & ministrante Marthâ, ad pedes Domini sedens, verbũ ex ore eius auidè suscipiebat. In quo CHRISTVS Lazarum suscitauit: in quo etiam frequenter dignatus est hospitari, prædicare, & miracula facere. In hoc sancto & dignissimo monte Dominus sedebat contra Templum, quando discipuli eius signa aduentus eius ad iudicium, & consummationis sæculi ab eo quæsierunt. In hoc autem monte frequenter cũ discipulis exibat ad orationem, & maximè imminente passione. In hoc monte à pueris Hebræorum, cum ramis palmarum sibi obuiã occurrẽtibus, honorificè est susceptus; & ab illo loco cum hymnis & laudibus vsque in Hierusalem super asinum deductus. Ex hoc monte videntibus discipulis suis, ad cœlos gloriosè ascẽdit.

Luc.1. — Luc.2. — Matth.21. — Matth.4. — Matth.21. — Matth.27. — Ioan.12. — Luc.10. — Ioan.11. — Matth.24. — Matth.24. — Actor.1.

LXIII. Sunt alia loca sancta & venerabilia tam in ciuitate, quàm extra: scilicet *vallis Iosaphat*, quæ est inter montem Syon, & montem Olіueti, in quo loco dicitur esse trans torrẽtem Cedron, viculus paruus, qui dicitur *Getsemani*; & iuxta illum hortus, in quo à Iudæis captus est Dominus. In hac valle beata Virgo sepulta fuit. In hoc autem loco Dominus ad iudicium creditur esse venturus. *Probatica piscina*, in cuius aqua ab Angelo commota sanabantur infirmi; & *natatoria Siloë*, in quo cæcus natus curatus est à cæcitate. *Ecclesia beati protomartyris Stephani*, in quo loco ipse à Iudæis fuit lapidatus. Castellum *Emaus*, quod distat ab Hierusalem stadiis sexaginta, habens iuxta se *Modin*, ciuitatem Machabæorum, & ciuitatem *Gabaon*, in quo Dominus panem frangens, & gratias agens duobus discipulis in fractione panis apparuit. Sunt alia loca quã plurima, quæ Dominus corporali præsentiâ suâ visitare & sanctificare dignatus est. Quæcunque enim loca Dominus pedibus suis calcauit, sancta & consecrata, & pro pretiosis reliquiis à fidelibus habentur. Vnde non immeritò Terra illa promissionis lacte & melle fluens, & omnium aromatũ superans fragrantiam, non solùm religiosos clericos, sed etiam laicos, tam milites quàm alterius con-

Matth.26. — Luc.24.

ditionis, vt in ea relictis parentibus & propriis patrimoniis regulariter viuerent, incitauit, attraxit, & illexit: quorum quidam Hospitalarii siue *fratres Hospitalis sancti Ioannis*: Alii *fratres militiæ Templi*: alii *fratres Hospitalis sanctæ Mariæ Theutonicorum* in Hierusalem nuncupantur.

LXIV. *Hospitale sancti Ioannis* à tempore Surianorum & Græcorum, cùm adhuc sub Saracenorum dominio Ciuitas sancta captiua teneretur, initium habuit, in hunc modum. Licet temporibus illis totam terram Promissionis Saraceni peccatis exigentibus occupassent, multi tamen Christiani de gente *Surianorum* patriam suam deserere noluerunt, sed extremis conditionibus afflicti, & iugo duræ seruitutis oppressi inter Saracenos habitabant. Princeps autem Ægyptius, qui vniuersas regiones à Laodicia Syrię vsque ad extremam Ægypti ciuitatem Alexandriam possidebat, quartam ciuitatis Hierosolymitanæ portionem ex parte Dominici Sepulchri Surianis & Patriarchę eorum sub annuo tributo ad habitãdum concesserat: alias autem tres portiones inhabitabant Saraceni. Vnde ex Occidẽtalibus regionibus plerunque ad Terram promissionis veniebant Christiani quidam, causâ negotiationis tracti; alii causâ deuotionis & peregrinationis cum magno periculo, dato Saracenis tributo, loca Sancta visitabant: inter quos quidam de Longobardis, & maximè *Almaphitani*, de ciuitate scilicet Almaphia, quæ nõ nisi septem miliaribus distat ab egregia ciuitate Salerno, quia merces peregrinas afferebant, & principem Ægyptium tributis & muneribus sibi beneuolũ & placatum reddiderant, apud ipsum optimas inuenerunt conditiones. Vndè ab ipso Principe facilè obtinuerunt, vt in honore beatę Mariæ prope ecclesiam Sepulchri Dominici, quantum vix iactus est vnius lapidis, ecclesiam Latinorum construerent: eò quòd Suriani Græcorum consuetudines & instituta in diuinis officiis penitus obseruabant: vnde vsque in hodiernum diẽ prædicta ecclesia, dicitur ecclesia *sanctæ Mariæ de Latina*. Latinum enim Abbatem & Monachos more Latinorum diuina celebrantes in ea instituerunt. Tempore autem procedente extrà septa monasterii, in quo mulieres peregrinas recipere eiusdẽ loci monachi inhonestũ reputabant; aliud ordinauerũt monasterium in honore beatæ *Mariæ Magdalenæ*, & sorores mulieres religiosas, quæ peregrinis mulieribus Latinis in prædicto loco ministrarent, & eas in hospitio reciperent. Post hæc verò cõfluente Peregrinorum multitudine, cùm prædicta monasteria ad recipiendos omnes pauperes afflictos & infirmos nõ sufficerent, iuxta ecclesiã suam prædictus Abbas & monachi ad opus infirmorũ & egenorũ, *Hospitale* & capellã in honore sancti *Ioannis Eleemonis* in eodẽ loco construxerunt. Hic vir sanctus, DEO placens, & per omnia cõmendabilis, Cyprius fuit natione, & meritis sanctitatis exigentibus ad Patriarchatum Alexandrinum fuit vocatus. Et quoniam in eleemosynis & in aliis operibus pietatis singulariter præcellebat, *Eleemon*, id est, misericors est appellatus. Et quoniam à principio prædictum Xenodochium seu hospitale sancti Iohannis reditus vel alias possessiones non habebat, de fragmentis & reliquiis mensarum vtriusque monasterii, & de quibusdam eleemosynis fidelium Abbas de Latina, ad quem illud Hospitale spectabat, pauperibus & infirmis faciebat prouideri. Postquam autem diuinæ placuit pietati, vt ciuitatem redemptionis nostræ per Ducem *Godefridum* & alios CHRISTI fideles ab impiorum dominio liberaret, & eam cultui restitueret Christiano, vir quidam sanctæ vitæ, & probatæ religionis nomine *Gerardus*, qui longo tempore de mandato Abbatis in prædicto hospitali pauperibus deuotè ministrauerat, adiunctis sibi quibusdam honestis & religiosis viris habitum regularem suscepit, & vestibus suis albam crucẽ exteriùs affigẽs in pectore, regulę salutari & honestis institutionibus factâ sollemniter professione, seipsum obligauit. Cui etiam mulier quædam *Agnes* nomine, Romana natione, nobilis carne, sed nobilior sanctitate, quę in monasterio mulierum vicem gesserat Abbatissæ, in ministerio pauperum adiuncta eandẽ regulam, & humilitatis habitũ votiuè suscepit. Prædicti igitur fratres humiliter & deuotè Domino seruiẽtes, & infirmis pauperibus de paupertate sua diligenter ministrantes in agro, qui dicitur *Acheldemach*, mortuos suos sepeliebãt. Hic est ager illi figuli, qui emptus est à Iudæis in sepulturam peregrinorum ex triginta argenteis, quos Iudas in Templo proiecit. Abbati autem sanctę Mariæ de Latina, qui prædicti Hospitalis principium extiterat, & tam ipsos quam infirmos eorum de propria mensa diu sustentauerat, obedientiam, & reuerentiã quam diu pauperes fuerunt, non negauerũt: primum paupertatis suæ

Matth. 27.

patronum

patronum & coadiutorem eorum & loci apud Dominum protectorem beatum Ioannem Eleëmona deuotissimè venerantes, & ipsum dominum & aduocatum suum confitentes; domino etiam Patriarchæ Hierosolymitano deuotè obedientes de bonis suis decimas secundùm sacros Canones, & vtriusque Testamenti præcepta absque contradictione reddebant. Orationi autem vacantes, vigiliis & ieiuniis se ipsos affligentes, operibus misericordiæ affluentes, parci sibi & austeri; pauperibus autem & infirmis, quos *Dominos suos* appellabant, largi & misericordes existebant. Panis de pura simila largiebantur infirmis, residuum verò cum furfure, ad vsus proprios reseruabāt. Si quis autē inter ipsos in aliquo delinquebat, nullo modo relinquebatur impunitū, ne facilitas veniæ præberet incentiuum delinquendi. Secundùm enim quod culpæ reatus exigebat, quidam signo Crucis à vestimentis auulso tanquam membra putrida prorsus eiiciebantur; alios vinculis & carceri mancipabant; alios ad pedes fratrum in terra cibum parcissimum vsque ad condignam satisfactionem, sumere decernebant. Et quoniam DEVS erat cum eis, ab omnibus amabantur. Vnde factum est, quòd in omnem terram Christianorum exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ forma sanctitatis eorum. Et quoniam ex omni natione, tribu & lingua post Terræ sanctæ liberationem CHRISTI fideles Sepulchrum Domini visitaturi Hierosolymis confluebant, largitione Principum & eleemosynis fidelium modico tempore adeò ditati sunt, quòd ab vniuersis Occidentalibus prouinciis redditus copiosos colligentes, casalia sibi & oppida tanquam *terræ Principes* comparantes ditioni suæ subiecerunt. His ita gestis procedente tempore cum omnibus mundi partibus diuites & pauperes, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus loca Sancta visitaturi Hierosolymam pergerent, latrunculi quidam, & raptores, & viarum publicarum prædatores incautis Peregrinis insidiantes, multos ex ipsis spoliabant, quosdam autem trucidabant. Quidam autem DEO amabiles & deuoti milites charitate feruentes, mundo renunciantes, & CHRISTI se seruitio mancipantes, in manu Patriarchæ Hierosolymitani, professione & voto solemni sese astrinxerunt, vt à prędictis latronibus & viris sanguinum defenderent Peregrinos, & stratas publicas custodirent, more Canonicorum regularium in obedientia & castitate, & sine proprio, militaturi summo Regi. Quorum præcipui extiterunt viri venerabiles & amici DEI, *Hugo de Paganis*, & *Gaufridus de sancto Aldemaro*. In hoc autem tam sancto proposito nonnisi nouem fuerunt à principio. Talibus autem vtentes vestibus, quales eis in eleemosyna largiebantur fideles, nouem annis in habitu sæculari seruierunt. Rex autem & eius milites prædictis viris nobilibus, qui omnia pro CHRISTO reliquerant, compatientes, vnà cum domino Patriarcha de rebus propriis eos sustentabant, quædam beneficia & possessiones eisdem postea pro remedio animarum suarum conferentes. Et quoniam nondum propriam habebant Ecclesiam, neque certum domicilium, dominus Rex in quadam parte palatii sui iuxta Templum Domini, eisdem ad tempus habitaculum concessit. Abbas autem & Canonici Templi Domini plateam, quam habebant iuxta Regis palatium, ad opus officinarum eis tradiderunt. Et quoniam iuxta Templum Domini mansionem habuerunt, *fratres Militiæ Templi* postea, vt dicitur, sunt appellati. Cùm autem annis nouem in hac professione & sancta paupertate, communem vitam ducentes, concorditer & quasi vnius moris in domo permansissent, anno gratiæ *millesimo centesimo vigesimo octauo*, de mandato domini Papæ Honorii, & domini Stephani Hierosolymitani Patriarchæ, instituta est eis regula, & albus habitus absque aliqua Cruce assignatus. Hoc autem factum est in Concilio generali apud *Trecas* ciuitatem Campaniæ celebrato, sub domino Albanense episcopo Apostolicæ Sedis Legato, præsentibus Remensi & Senonensi Archiepiscopis, & Cisterciensis ordinis Abbatibus, cum multis aliis ecclesiarum Prælatis. Post hæc verò tempore domini Eugenii Papæ Cruces rubeas vestimentis suis exteriùs affixerunt, vestes albas in signum innocentiæ deferentes; per Cruces autem rubeas martyrium designantes, eò quòd sanguinem proprium secundùm instituta regulæ, pro defensione Terræ sanctæ effundere sunt professi; & CHRISTI Crucis inimicos viriliter expugnando, à Christianorum finibus propellere; & ad nutum & mandatum eius, qui preest militiæ, non impetuosè neque inordinatè, sed prudenter & cum omni cautela ad prælia procedendo, primi in progrediendo, in

Psal. 18. LXV. Psal. 75. An. Do. 1128.

YYYY 2

regrediendo postremi: Nec est eis licitum terga fugiendo dare, vel sine mandato reuerti. Et quoniam strenui & fortes CHRISTI milites, tanquã alteri Machabæi, de viribus suis non præsumentes, sed in virtute Diuina spem omnem ponẽtes, & in cruce IESV CHRISTI summam habẽtes fiduciam, *pretiosa in conspectu Domini morti* corpora sua pro CHRISTO exponebant, Dominus cum ipsis & pro ipsis pugnabat. Vnde adeò formidabiles facti sunt fidei CHRISTI aduersariis, quòd vnus persequebatur mille, & duo decem millia: non quot essent, sed magis vbi essent, dum ad arma clamaretur, interrogantes: Leones in bello, agni mansueti in domo: in expeditione, milites asperi; in ecclesia, velut eremitæ & monachi: inimicis CHRISTI duri & feroces; Christianis autem, benigni & mites: vexillum bipartitum ex albo & nigro, quod nominant *Baucant*, præuium habentes: eò quòd CHRISTI amicis candidi sunt, & benigni; nigri autem & terribiles inimicis. Et quoniam religionis vigor absque districtione disciplinæ nõ potest obseruari, viri religiosi & prudentes à principio sibi præcauentes, & in posterum prouidẽtes, transgressiones seu negligentias delinquentium fratrum nullo modo dissimulare, vel impunitas prætereire voluerunt; sed quantitatem criminum & peccatorum circũstantias circumspecto examine diligenter ponderantes, à consortio suo quosdã irreuocabiliter eiicientes, Crucem rubeam auferebant, ne morbidæ capræ contagio, grex ouium macularetur: alios autem vsque ad condignam satisfactionem ad terram absque mappa cibum tenuem sumere, vt coram omnibus eis rubor, & aliis timor incuteretur, iniungentes; quibus etiam ad cumulum maioris confusionis & expiationis canes, si fortè secum manducarent, non liceret amouere: alios etiam vt à gehennali carcere valerent liberari, carceribus & vinculis ad tempus, vel in perpetuum, secundùm quod expedire videbatur, coërcebant. Multis insuper aliis modis secundùm regulæ salutaris instituta, ad obseruantiam regularis disciplinæ & professionis honestæ, rebelles & contumaces compellebant. Domino etiam Patriarchæ Hierosolymitano, à quo professionis principium, & vitæ corporalis subsidium habuerunt, debitam obedientiam & reuerentiam humiliter exhibebant: decimas, & alia quæ sunt DEI, DEO; & quæ sunt Cæsaris, Cæsari reddentes. Nulli molesti erãt, sed ab omnibus propter humilitatem & religionem amabantur. Ex quo factum est, quòd nomen honestatis eorum, & fama sanctitatis, quasi cella aromatica redolens suauitatem odoris, diffusa est per mundum vniuersum; & impleta est domus sanctæ ecclesiæ ex odore vnguenti; & memoria eorum in ore omnium fidelium quasi mellis dulcedinem sapiebat. Virtutes autem & prælia eorum, & gloriosos de inimicis CHRISTI triumphos, enarrabit omnis ecclesia sanctorum. Milites autem ex vniuerso mundo non solùm mediocres, sed & Duces & Principes eorum exemplo mundi vincula disrumpentes, & omnibus pro CHRISTO renunciantes, ad eos confluebant: professionis & religionis eorum cupientes esse participes; pompositam mundi vanitatem, & carnales delicias à se penitùs relegantes, & tanquam stercora reputantes, CHRISTI militiam & religionis humilitatem diuinitùs inspirati deuotissimè amplexabantur. Vnde modico tempore adeo multiplicati sunt, quòd in conuentu eorum plusquam trecentos *equites*, exceptis *seruientibus*, quorum non erat numerus, omnes albis chlamydibus indutos haberent. Amplis autem possessionibus tam citra mare quàm vltra dilatati sunt in immensum; villas, ciuitates, & oppida exemplo Fratrum Hospitalis sancti Ioannis possidentes, ex quibus certam pecuniæ summam pro defensione Terræ sanctæ summo eorum *Magistro*, cuius sedes principalis erat in Hierusalem, mittunt annuatim. Pari modo summo & principali magistro Hospitalis sancti Ioannis, procuratores domorum, quos *Præceptores* nominant, certam pecuniæ summam singulis annis transmittunt. Prædicti enim Hospitalis fratres, ad imitationem fratrum Militiæ Templi, armis materialibus vtentes, milites cum seruientibus in suo collegio receperunt, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam de promotione & statu futuræ ecclesiæ: *Ponam te in superbiam sæculorum.* Et iterum: *Lupus & agnus pascentur simul; Leo vt bos comedet paleas; habitabit Lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: Vitulus & Leo, & ouis simul morabuntur.* Et quoniam *funiculus triplex difficilè rumpitur*, placuit diuinæ prouidentiæ prædictis duabus domibus addere tertiam, sanctæ Terræ admodum necessariam, quasi ex prædictis duabus compositam. Professionem

enim

Marginalia: Psal. 115. 5. — Deut. 32. — Luc. 20. Matth. 22. — Isaia 60. Isaia 65. LXVI. — Eccl. 4. — Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50.

enim & regulam & institutiones fratrum Militiæ Templi, tam in bello, quàm in pace, prorsus obseruant; infirmos, peregrinos, & alios nihilominus, sicut fratres Hospitalis sancti Ioannis in hospitali suo, quod dicitur *sanctæ Mariæ Teutonicorum in Hierusalem*, recipiunt, eisdem cum omni deuotione & pietate necessaria sufficiẽter ministrantes; domino Patriarchæ & aliis ecclesiarum prælatis humiliter obedientes. Decimas autem integras ex omnibus bonis quæ possident, secundùm quod exigit ordo iuris, & diuina institutio, reddentes, ecclesiarum Prælatos non molestant. Hi autem quasi à modico & tenui fonte principium habentes in magnum fluuium excreuerũt, beatâ virgine Maria eorum aduocatâ, cui cum omni deuotione & humi-
10 litate seruiunt, eos tam in bonis spiritualibus quàm temporalibus subsidiis promouente, & incrementum largiente. Cùm enim ciuitas sancta post prædictam eius liberationem habitaretur à Christianis, & multi ex Teutonicis & Alemannis causâ peregrinationis pergentes Hierusalem linguam ciuitatis ignorarent, inspirauit diuina clementia cuidam honesto & religioso viro Teutonico, qui in ciuitate cũ vxore sua morabatur, quatenus quoddam Xenodochium de bonis suis construeret, in quo pauperibus & infirmis Teutonicis hospitalitatem exhiberet. Cõfluentibus autem ad ipsum ratione commercii linguæ & noti sibi idiomatis, de gente illa multis pauperibus & peregrinis, de consensu & voluntate domini Patriarchæ, quoddam oratorium composuit iuxta prædictum hospitale in honore beatæ DEI genetricis
20 Mariæ. Longo autem tempore in magna paupertate tam de bonis suis, quàm de his quæ colligebat, ex fidelium eleemosynis pauperes infirmos procurabat. Quidam autem & maximè de gente Teutonicorum prædicti viri charitatem & meritum attendentes, omnibus renunciantes, se & sua DEO & prædicto Hospitali tradiderunt, ministerio pauperum, deposito seculari habitu, voto se adstringentes. Procedente autem tempore cùm non solùm de inferioribus, sed de equestri ordine, & de nobilibus Alemaniæ viris DEO deuotis prædicto Hospitali sese voto obligassent, paupertatem voluntariam, & *abiecti in domo DEI esse magis, quàm habitare in taberneculis peccatorum eligentes*; visum est eis DEO gratum esse & acceptum, & magis meritoriũ, non solùm pauperibus infirmis seruire, sed insuper animas suas pro CHRISTO
30 ponere, & ab inimicis fidei Christianæ Terram sanctam defendendo, CHRISTO tam spiritualiter quàm corporaliter militare. Vnde, sicut prædictum est, regulam & instituta fratrum militiæ Tẽpli ita susceperunt, quòd opera pietatis & DEO amabilem hospitalitatem non reliquerunt: sicut animalia sancta habentes faciem hominis pariter & leonis; & vtrumque seruitium ita religiosè & diligenter adimplentes, quòd DEI & hominum gratiam promeruerunt & fauorem: ad differentiam aliorum Cruces nigras albis chlamydibus assuentes. Et quoniam vsq; ad tempora præsentia in humilitate paupertatis & feruore religionis permãserũt, *auertat Dominus ab eis superbas, auaras, litigiosas, & solicitudine anxias & religioni inimicas diuitias*. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum
40 patiatur? Multis præterea viris regularibus, & religiosis, anachoretis, monachis, canonicis, sanctimonialibus, & inclusis, virginibus DEO dicatis, viduis castis & sanctis, Terra sancta velut paradisus voluptatis florebat, & tanquam ex rosis, liliis & violis, odorem suauitatis spirabat. Benedixerat enim Dominus coronæ anni benignitatis suæ, vnde adeo pinguescebant speciosa deserti, quòd vbi serpentes priùs & dracones habitauerant, oriebatur viror calami & iunci. Licet ad punctum in modico dereliquerit eam Dominus, in miserationibus magnis eius filios congregauit. Ex variis autem generibus hominum, & diuersis linguis & nationibus vniuersam terram reddidit populosam, ita quòd illud propheticum, in ea videretur impletum: *Filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent*. Videbat autem & af-
50 fluebat, mirabatur & dilatabatur cor eius, quando conuersa fuisset ad eam multitudo maris, & maximè *Ianuenses, Venetici*, & *Pisani*: Fortitudo autem gentium, venisset ei, præcipuè de partibus Franciæ & Alemanniæ, homines bellicosi. Hi in mari fortiores; illi potentiores in terra: hi marinis præliis aptiores, vsu & exercitio in aquis promptiores ad pugnandum; illi in terra probiores, & ad bella doctissimi, & in equestri exercitu gladio & lanceâ magis strenui ad præliandum: hi in galeis meliores; illi in equis præcellentes. Homines siquidem *Italici* grauiores & maturi, prudentes & compositi, in cibo parci, in potu sobrii, in verbis ornati & prolixi, in

Psal. 83.
Ezech. 1.
Matth. 16.
LXVI.
Psal. 64.
Psal. 48.
Isa. 60.

consiliis circumspecti, in re sua publica procuranda diligentes & studiosi, tenaces & sibi in posterum prouidentes, alii subiici renuentes, ante omnia libertatem sibi defendentes, sub vno quem eligunt capitaneo communitati suæ iura & instituta dictantes, & firmiter obseruantes, Terræ sanctæ valdè sunt necessarii, non solùm in præliando, sed in nauali exercitio, in mercimoniis & peregrinis & victualibus deportandis. Et quoniam in potu & cibo modesti sunt, diutius in Orientali regione viuunt, quàm aliæ Occidentales nationes. *Alemanni* autem, *Francigenæ*, *Britones*, *Anglici* & alii transmontani, minus compositi & magis impetuosi, minus circumspecti in agendis, in cibis & potibus magis superflui, in expensis magis profusi, in verbis minus cauti, in consiliis festini, & minus prouidi, in ecclesia deuoti, in eleemosynis & aliis operibus misericordiæ feruentiores, in præliis autem animosiores, & ad defensionē Terræ sanctæ, [& maximè Britones,] quamplurimùm sunt vtiles, & valdè formidabiles Saracenis: qui tamen propter quorundam eorū leuitatem & intemperantiam, *filii Hemaudii* à Pollanis appellantur. *Pollani* autē dicuntur qui post prædictam Terræ sanctæ liberationē ex ea oriundi extiterunt: vel quia recentes & noui, quasi pulli respectu Surianorū reputati sunt; vel quia principaliter de gēte Apuliæ matres secundùm carnē habuerunt. Cùm enim in Occidentaliū principum exercitu paucas mulieres respectu virorū adduxissent nostri, qui in Terra sancta remanserunt, de regno Apuliæ, eò quòd propiùs esset aliis regionibus, vocātes mulieres, cū eis matrimonia contraxerunt. Sunt præterea in prædicta Terra sancta plures aliæ nationes varios ritus habentes, in cultu diuino & modo religionis a se inuicem valdè dissidentes: *Suriani* videl. & *Græci*, *Iacobitæ*, *Maronitæ*, & *Nestoriani*, *Armeni* & *Georgiani*: negotiationibus & agriculturæ, & aliis cōmoditatibus non modicùm necessarii Terræ sanctæ, seminātes agros & plantantes vineas, & facientes fructū natiuitatis. Cùm igitur cœlis desuper rorantibus Dominus daret benignitatem, & Terra sancta daret fructū suum, & sicut lætantiū omnium habitatio esset in ea, & esset canticū populo Domini, sicut vox sanctificatæ solēnitatis, & lætabātur coram Domino, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores captā prædā quando diuidūt spolia, ex omni parte mūdi concurrebāt. Cortina cortinam trahebat, & qui audiebāt, dicebant; *Venite ascendamus ad mōtem Domini, & ad domum DEI Iacob. Visitauit enim Dominus terram suā, & inebriauit eā, multiplicatis locupletare eā.* Nō solùm autē de Saba, sed de vniuerso mūdo veniebant, aurū & thus in Hierusalē deferentes, & laudem Domino annunciantes: & erat Sepulchrū eius gloriosum, adeò quòd ad litterā completum videretur illud Isaiæ: *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi.* Et dicent illud, quod legimus in Tobia de Hierusalem, *Luce splendidā fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te: nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt Dominum in te.* Illud autē quod tempore Iudæorum, peccatis eorū exigentibus, Dominus non compleuit, tunc demum videbatur completum; scilicet quod dicitur in Deuteronomio: *Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit: à deserto & Libano & flumine magno Eufrate, vsque ad mare Occidentale, erunt termini vestri.* Cum igitur prædicta Domini vinea vsque ad extremū terræ spiraret suauitatē odoris; serpens antiquus, draco venenosus, humano generi inimicus, odorē bonum diu sustinere nō valens, videns & inuidens tantā in partibus Orientis, dexteræ Excelsi mutationē, ecclesiam sanctā scilicet dilatari, cultū diuinū ampliari, infideles cōfundi, Christianos exaltari, innouari signa, immutari mirabilia, ignē de supernis sancto sabbatho Paschę in ecclesia Dominicæ resurrectionis descēdere, populū deuotissimè accurrere, DEI gloriā prædicare & eius magnalia attollere, infideles erubescere, fideles autē in Domino gaudere: tāto lumine obtenebratus, & quasi lętali vulnere malitiæ suę interiùs sauciatus, cœpit mille modis cogitare, & variis machinationib⁹ procurare, qualiter venenū suū posset latēter infundere, vineā Domini demoliri, & in agro Domini dormiētibus pastorib⁹ zizania superseminare. Cùm igitur à principio in locis aridis & inaquosis, in primis scil. Peregrinis adhuc pauperibus, & multis laboribus cōfectis & attenuatis requiē nō inuenisset, inuenit demū domum vacantē, scopis mundatā; homines otio vacātes, & iam securè habitantes; à fructu frumēti, vini & olei sui, multiplicatos, & bonis tēporalibus supra modum refertos: & assumens septē spiritus nequiores se, cum septem videl. peccatis criminalibus, propter ingratitudinē nequioribus, quàm prius, introiuit;

Marginalia: 10, 20, 30, 40, 50; Psal. 106. LXVIII. Psal. 84. Isaia. 9. Isaia 2. Psal. 64. Isa. 60. Isa. 11. Esa. 2. Tob. 13. Deut. 11. Matth. 13. LXIX. Matth. 12. Psal. 4.

introiuit; & *facta sunt posteriora, peiora prioribus*, dum vulneribus iteratis à facie insipientiæ putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices eorum. Impinguati enim, incrassati, dilatati recalcitrauerunt: & ex adipe diuitiarum & deliciarum prodiit iniquitas insipientium hominum. Saturauit eos Dominus & mœchati sunt, & in domibus meretricum luxuriabantur: tanquam aqua effusi sunt, & post concupiscentias suas abierunt: non sunt transfusi de vase in vas; requieuerunt in fæcibus suis, tanquã iumenta in stercoribus putrescentes: equi emissarii facti sunt; vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat: supercecidit ignis & nõ viderunt Solem; oculos suos statuerunt declinare in terram; superbi, elati, inflati, contumeliosi, seditiosi, inuicem mordentes, inter fratres discordiam seminantes, malitiosi, sortilegi, & sacrilegi, iracundi, & iniqui, desidiâ & ignauiâ torpentes, auaritiâ insatiabiles, crapulâ & ebrietate prægrauati, luxuriâ & immunditiâ fœtidi, fures, raptores, homicidæ, viri sanguinum, & proditores, parentibus & maioribus suis non obedientes, insipientes & incompositi, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia; &, vt prophetico vtar eloquio, *maledictum, & mendacium, homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit*: ideò dilatauit infernus animam suam, absque vllo termino, & singulis criminibus & vitiis singula præparauit hospitia, & infinita multiplicauit tormenta. Adeo autem omnis cogitatio hominum impiorum intenta erat ad malum omni tempore, & corruperat viam suam super terram; adeò virtus omnis & religionis honestas emarcuerant, & multorum refrigescente charitate, filius hominis fidem in terra non inueniebat, quod vix aliquis reperiebatur, qui inter sanctum & profanum haberet distantiam, vel à vili pretiosum separaret. Omnes in præcipitium & confusionem ferebantur; à planta pedis vsque ad verticem non inueniebatur sanitas; & erat *sicut populus, sic sacerdos*.

Psal. 37. Deut. 32. Psal. 72. Ierem. 5. Eccl. 18. Ioël. 1. Ierem. 5. Psal. 57. Osee 4. Gen. 6. Luc. 18. Ezech. 22. Isaia 1. Osee 4.

Vt enim a sanctuario Domini incipiamus: Postquam *omnis penè mundus in eleemosynis, & oblationibus, & variis muneribus, Ecclesiarum Prælatis, & personis regularibus factus est tributarius*, pastores semetipsos pascentes, lanam & lac ex ouibus quærentes, de animabus autem non curantes; quinimò proditionis exempla in subiectos transmittentes; vaccæ pingues in monte Samariæ, facti sunt de CHRISTI paupertate diuites, de eius humilitate superbi, de illius ignominia gloriosi, de Crucifixi patrimonio impinguati, dilatati, incrassati: cùm tamen dixerit Dominus Petro, *Pasce oues meas*: nunquam *Tonde oues meas*, ipsum dixisse reperimus. Dum enim quæ sua sunt quærerent, non quæ IESV CHRISTI, facti sunt cæci duces cæcorum, canes muti non valentes latrare: domum Domini pompaticè ingredientes; clauẽ scientiæ habentes, ipsi tamen nec intrabant, nec alios intrare sinebant: leprâ autẽ Gyezi miserabiliter respersi, cathedras vendentium columbas, & numulariorum mensas, quas Dominus euertit, ipsi passim in Ecclesiis erigebãt; dicentes, cum Iuda proditore: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam illum?* Omnes autem diligebant munera, sequebantur retributiones, auferentes claues Simoni Petro, & eas Simoni Mago tradentes: diffluentes autem luxu multiplici, & otio turpi marcentes, non solum de micis, quæ cadebant de mensa Domini, sed de panibus integris, & de cibis delicatis pascebant catellos suos, quos de turpibus cõcubinis ipsi turpiores procrearant. Regulares autem postquam veneno diuitiarũ infecti, amplis possessionibus suprà modum excreuerunt, contemptis superioribus suis, disrumpentes vincula eorũ, & proiicientes ab eis iugũ ipsorum, nõ solùm ecclesiis & ecclesiasticis viris molesti facti sunt; sed & ipsi inuicẽ inuidentes, & inuicem detrahentes, nõ sine graui scãdalo totius Christianitatis, vsq; ad apertas cõtumelias, & odia manifesta, & ferè vsq; ad cõflictus, & violentias & pugnas non solùm verborũ, sed verberũ plerunque procedebãt. Postquã enim *turrim Babel* ædificare cœperunt, confusis & diuisis linguis à se inuicẽ discedentes, non solùm inter se discordabant; sed & partes sibi facientes, inter alios discordias procurabãt. Multi tamen ex ipsis meliùs affecti, viri iusti & timorati, quantum eis in hac tempestate licebat, salutarem regulã & sanctas ordinis institutiones obseruantes, tanquam granum inter paleas, & lilium inter spinas, puncti & compuncti, & vehementi cordis dolore intrinsecus grauiter sauciati, non *abierunt in consilio impiorum, & in via peccatorum non steterunt, nec sederunt in cathedra pestilentiæ*. Adeo tamen iniquorum & deteriùs affectorum præualuit impietas & superabundauit iniquitas, quòd frequenter a Prælatis interdictos, vel anathematis

LXX. Ezech. 34. Ierem. 5. Ioan. 21. Phil. 2. Isaia 56. Amos 6. Luc. 11. 4. Reg. 5. Matth. 21. Matth. 26. Isaia 1. Matth. 15. LXXI. Psal. 2. Gen. 11. Cant. 2. Psal. 1.

vinculo nominatim & specialiter innodatos, ipsi ad diuina recipere non timebant. Et qui cum gaudentibus gaudere, & cum flentibus flere debuerunt, aliis lugentibus soli lætabantur. Et propter hoc Ecclesiasticæ disciplinæ rigore districtionis eneruato, sæculares & pestilentes homines Prælatorum suorum sententias, & spiritualis gladii iustitiam terribilem vilipendentes, contemnebant. Abbates enim, Priores, & Monachi eorum mercenarii & miserabiles Capellani, timore Domini proiecto, falcem suam in messem alienam mittere non formidabant, clandestinis matrimoniis personas illegitimas vel fugitiuas copulantes; infirmos causâ cupiditatis, non causâ pietatis visitantes, & eisdem contradicentibus propriis Pastoribus sacramenta ministrantes; ligantes & soluentes, contra DEVM, & sanctorum statuta canonum, animas quarum cura ad ipsos non pertinebat: cùm tamen dicat Apostolus: *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum?* Mortuos autem, Prælatis eorum contradicentibus, passim ad sepulturam admittebant, ius parochiale sibi illicitè vsurpantes, *Monachorum enim officium est plangere, & orare; non sacramentum laicis ministrare.* Non solùm autem Monachi, sed & ipsæ moniales superioribus suis inobedientes, excusso disciplinæ iugo de claustro exiliebant, tanquam lapides sanctuarii in capite omnium platearum dispersi, publica balnea cum personis sæcularibus irreligiosè frequentantes. Nec hæc supradicta memorauimus, vt præcedentium crimina subsequentibus & his qui præsentis sunt temporis imputemus; sed vt ipsi manus suas lauantes in sanguine peccatorum, discant bonos imitari, malos autem detestari & reprobare. Discant humiliari cum CHRISTO, & eius amplecti paupertatem, puritatem & caritatem, vt non solùm habitu exteriori mundo renunciãtes, *in patientia sua possideant animas suas.*

LXXII. Inter laicos autem & personas sæculares quantò maiores & potentiores extiterunt, tantò perniciosiùs vias suas corruperunt. Generatio enim praua atque peruersa, filii scelerati & degeneres, homines corrupti, & legis diuinæ præuaricatores, ex supradictis peregrinis, viris religiosis DEO acceptis, & hominibus gratiosis, tanquam fæx ex vino, & amurca ex oleo, quasi lolium ex frumento, & rubigo ex argento procedentes, paternis possessionibus, sed non moribus successerunt; bonis temporalibus abutentes, quæ parentes eorum ad honorem DEI contra impios strenuè dimicantes, proprii sanguinis effusione sunt adepti. Filii autem eorum, qui *Pullani* nominantur, in deliciis enutriti, molles & effœminati, balneis plusquàm præliis assueti, immunditiæ & luxuriæ dediti, more mulierum mollibus induti, circumornati & compositi vt similitudo Templi, quàm desides & ignauos, quàm pusillanimes & timidos, contra CHRISTI inimicos se exhibuerint, nemo dubitat, qui quantum à Saracenis paruipendãtur, non ignorat. Vnde cùm coram prædictis eorum patribus, licet admodum paucis, Saracenorum multitudo tanquam à facie tonitrui trepidaret, istorum inertiam, nisi Francos & Occidentales populos secum haberent, plusquàm sexum fœmineum non formidarent. Ipsi autem cum Saracenis fœdus ineuntes, & inimicorum CHRISTI pace gaudentes; à se autem inuicem pro facili causa diffidentes, lites & iurgia, & bella ciuilia inter se concitantes, & plerumque ab inimicis fidei nostræ contra Christianos auxilium postulantes, vires & expensas, quas ad honorem DEI in paganos cõuertere debuissent, ipsi inaniter in Christianitatis detrimentum inter se consumere, non erubescunt: verbis autem compositis ita mentis propositum palliare didicerunt, foliis pulcherrimis sine fructu velut steriles salices cooperti & ornati; quod qui eos per experientiam pleniùs nõ nouerunt, vix eorum in *corde & corde loquentium* dissimulationes possunt perpendere, & fallacias euitare. Vxores autem suas homines suspiciosi, & zelotypiæ spiritu concitati, sub arcta custodia recludentes, ita studiosè & sollicitè custodiunt, quod fratribus earum & cognatis quantumcunque propinquis vix ad ipsas patet introitus: Ecclesias autem & processiones, & diuini verbi salutiferas prædicationes, & alia ad salutem animarum pertinentia, ipsis adeo interdicunt, quòd vix semel in anno licet eis Ecclesias visitare: quidam tamen ter in hebdomada exire ad balnea cum diligenti custodia suis concedunt vxoribus. Hi autem qui inter ipsos ditiores & potentiores sunt, vt Christiani appareant, & aliquam habeant excusationem, iuxta lectos vxorum suarum erigi faciunt altaria, per quosdam miseros capellanos, & imperitos Presbyterunculos sibi missas celebrari procurantes. Quantò autem Pullanorum vxores arctiùs recluduntur, tantò studiosiùs mille artibus, & infinitis

Marginalia: Rom. 12. (line 2); Rom. 14. (line 12); Thren. 4. (line 17); Psal. 57. (line 21); Luc. 21, 19. (line 23); Deut. 32. (line 26); Psal. 143. (line 34); Psal. 103. (line 38). Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50.

infinitis machinationibus foramina reperire satagunt, & nituntur. Sortilegiis enim & maleficiis & abominationibus innumeris à Surianis & Saracenis mulieribus suprà modum & incredibiliter sunt instructæ. His autem qui de remotis partibus & longinquis regionibus causâ deuotionis, & ad eorum subsidiũ aduenient Peregrinis, cum laboribus maximis, & intolerabilibus expensis, se & sua Domino offerentes, non solùm ingrati, sed multifariè molesti existunt. Mallent enim otio semper torpere, & desideriis carnalibus satisfacere, quàm ruptis & deficientibus treugis conflictum cum Saracenis habere. Postquam autem in hospitiorum immoderato pretio, & mercimoniis & concambio, & aliis multimodis negotiationibus circum-
10 uenientes & depauperantes Peregrinos, in immensum ditati sunt, tunc demum CHRISTI pugiles, & pro CHRISTO exulantes contemtui & derisui habẽtes, multis iniuriis & contumeliis affligunt, *filios Hernaudi*, tanquam fatuos, & idiotas, eos appellantes, & quod * vindicaturi sua forent, eisdem quibus compati debuerant, frequenter improperant. Tanta & longè deterior est hominum reproborum peruersa malitia, & malitiosa peruersitas, qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis, quibus procella tenebrarum reseruata est in æternum. Ducunt enim in bonis dies suos, sed in puncto ad inferni nouissima descendent. Quemadmodũ enim impiorum malitiam detestamur, secundùm quod dicit Propheta: *Vidi præuaricantes & tabescebam.* Et iterum: *Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi*; ita bo-
20 nos, si qui sunt inter eos, in Domino commendamus. *Si aliquis igitur propter hæc prædicta mihi irascitur, de se ipso quod huiuscemodi sit, videbitur confiteri.*

LXXIII. Illi autem qui de *Ianuensium, Pisanorum*, & *Venetorum* præclaris ciuitatibus, & de aliis Italiæ partibus in Syria commorantur, quorum Patres, & prædecessores de CHRISTI inimicis gloriosè triumphantes immortale nomen, & æternam coronam sibi acquisierunt, valdè formidabiles existerent Saracenis, si cessante inuidiâ & insatiabili auaritiâ, pugnas & immortales discordias inter se non haberent. Quoniam autem frequentiùs & libentiùs contra se inuicem, quàm contra perfidam Paganorum gentem præliantur, negotiationibus verò & mercimoniis plusquàm CHRISTI præliis implicantur, lætificant & securos reddunt inimicos nostros, qui parentes eorum vi-
30 ros pugnaces & strenuos, quondam maximè formidabant.

LXXIV. Sunt alii homines à diebus antiquis sub diuersis dominis in terra commorantes, sub Romanis, Græcis, Latinis & Barbaris, Saracenis & Christianis, vicibus subalternis longo tempore iugum passi seruitutis; vbiq; serui, semper tributarii, ad vsus agriculturæ, & ad alias inferiores necessitates, dominis suis reseruati; prorsus imbelles, & præliis velut mulieres inutiles, exceptis quibusdam qui inermes & ad fugam expediti, arcubus & sagittis tantum vtuntur. Hi *Suriani* nuncupantur, vel à ciuitate dicta Sur, quæ inter Syriæ ciuitates magnam à priscis temporibus obtinet præminentiam; vel à Syria, Y conuersa in V, Suriani dicuntur, qui in scripturis antiquis *Syri* nominantur. Sunt autem homines magna ex parte infideles, duplices, & more Græcorum velut vul-
40 pes dolosi, mendaces & inconstantes, amici fortunæ, proditores, & qui ad munera facilè inclinantur, aliud in ore, aliud in corde habentes, furtum & rapinam quasi pro nihilo reputantes: secreta Christianorum, pro modico pretio facti exploratores, nuntiant Saracenis, inter quos nutriti sunt, quorum etiam linguâ libentiùs vtuntur, quàm aliâ, & quorum mores peruersos ex parte magna imitantur. Commixti sunt enim inter eos, & didicerunt opera eorum, vxores suas more Saracenorum recludentes, & tam ipsas quàm filias suas linteaminibus vndique ne videri possint inuoluentes; barbas autem sicut Saraceni, Græci, & sicut omnes ferè Orientales non radunt, sed cum magna diligentia eas nutrientes, in ipsis quàm plurimùm gloriantur, virilitatis signum, vultus honorem, hominis auctoritatem & gloriam,
50 ipsam barbam reputantes. Sicut autem apud Latinos Eunuchi, qui barbâ penitus carent, indecentes & quasi effœminati censentur, ita ipsi pro summo habẽt opprobrio non solùm si barbæ radantur, sed etiam si vnus ab eis pilus extrahatur. Vnde nuntii *Dauid*, quibus *Naas* Rex Ammonitarum in contemptũ Dauid, dimidias barbas rasit, aliam partem radere noluerunt, sed absconderunt se in Hierico donec barbarum recuperassent honorem. Vnde cùm *Comes Edessanus Balduinus* more Orientalium barbam nutriuisset, eò quòd filiam ducis nobilis Armeni natione, sed Greci fide, nomine Gabrielis, in vxorem duxisset, vt à socero suo diuite, ipse pauper

Marginalia: * ; Prou. 2. ; Iob 21. ; Psal. 118. ; Psal. 138. ; Psal. 105. ; 2. Reg. 10.

poſſet extorquere pecuniam, dixit ei quòd neceſſitate coactus barbam ſuam pro magna ſumma pecuniæ quibuſdam creditoribus ſuis obligaſſet: at ille dolens & admirans valdè, & opprobrium ſempiternum filiæ ſuæ, & generis ſui cupiens euitare, triginta milia biſantiorum hac conditione dedit illi, quòd de cætero nullâ paupertate compellente, nullo caſu cõtingente, barbam ſuam præſumeret obligare. Vtuntur autem Suriani in ſermone vulgari, linguâ Saracenicâ: litterâ etiam & ſcripturâ Saracenicâ vtuntur in contractibus & negotiationibus, & in omnibus aliis, exceptis Diuinis Scripturis, & aliis ſpiritualibus, in quibus literâ Græcâ vtuntur: vnde in diuinis officiis laici eorum, qui non niſi linguam Saracenicam nouerunt, eos non intelligunt: cùm tamen Græci, qui eâdem linguâ in vulgari & in ſcripturis vtuntur, ſacerdotes ſuos in Eccleſiis, & in litterali ſermone, qui idem eſt cum vulgari, intelligant. Conſuetudines autem & inſtitutiones Græcorum in diuinis officiis, & in aliis ſpiritualibus Suriani penitus obſeruant, & eis tanquam ſuperioribus ſuis obediunt: Latinorum autem Prælatis, in quorum diœceſibus commorantur, non corde, ſed ore tantùm, & ſuperficialiter ſe dicunt obedire, timore ſcilicet ſecularium dominorum: habent enim proprios Epiſcopos Græcos; nec Latinorum excommunicationes, vel alias quaſcunque ſententias in aliquo formidarent, niſi ab eorum communione, in contractibus & in aliis neceſſitatibus laici noſtri ſe ſubtraherent: dicunt enim inter ſe quòd Latini omnes excommunicati ſunt, vnde non poſſunt aliquos aliquâ ſententiâ innodare. In Niceno enim Concilio, quod vnum eſt ex quatuor principalibus Conciliis quæ ab Eccleſia tanquam quatuor Euangelia, ſine retractatione recipiuntur, in quo trecenti decem & octo fuerunt Epiſcopi, inter alia multa dictum fuit, & determinatum, *Spiritum Sanctum à Patre procedere*; & in fine omnes qui prædicto concilio aliquid adderent vel ſubtraherent, anathematis ſententiâ conſtrinxerunt. Licet autem expreſſum fuerit, quòd à Patre Spiritus Sanctus procederet, non tamen ipſum à Filio procedere negauerunt. Multa enim à principio expreſſa non fuerunt, quæ poſtea propter remouendos errores à ſanctis ſubſequentibus determinata & declarata fuerunt. Vnde vbi Græci habent in Symbolo, *Et in Spiritum Sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre procedit:* Latini dicunt expreſſiùs, *Qui ex Patre Filioq; procedit.* Similiter vbi Græci dicunt, *Spiritus Sanctus à Patre non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Latini addiderunt, *Spiritus Sanctus à Patre & Filio*: non tamen aliud, hoc eſt contrarium addiderunt. Sic enim prædicta ſententia intelligitur, & eſt data contra illos qui contrarium addidiſſent. Quemadmodum Paulus in Epiſtola ad Galatas ait: *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* (Gal. 1.) Certum eſt autem quòd multa alia quam euangelizauit Paulus, euangelizata ſunt à ſanctis, ſed non contraria. Sic enim huiuſmodi prohibitiones intelliguntur. Vnde tam Græci, quàm Suriani occaſione ſymboli, quod in Nicena Synodo compoſuerunt ſancti Patres, miſerabiliter decepti, negant à Filio procedere Spiritum Sanctum, cùm tamen Dominus IESVS inſufflans in diſcipulos & dicens; *Accipite Spiritum Sanctum*, (Ioan. 20.) manifeſtè oſtenderit ipſum ſpirare Spiritum Sanctum; & quòd ab ipſo ſicut à Patre procedit, tanquam nexus & amor amborum. Vnde in Euãgelio ipſe dicit: *Ego noui virtutem de me exiiſſe:* (Matth. 9.) virtute enim Spiritus Sancti ab eo exeunte ſeu procedente, ſanauit mulierem, quæ veſtimenti eius fimbriam tetigerat. Cùm ipſe enim ad Patrem dixerit, *Omnia mea tua ſunt, & omnia tua mea ſunt*; (Ioan. 17.) patet quòd ſicut Spiritus Sanctus eſt Patris, ita eſt & Filii, quemadmodũ dicit beatus Paulus Apoſtolus: *Miſit DEVS Spiritum Filii ſui in corda noſtra, in quo clamamus Abba, pater.* (Rom. 8.) Et beatus Ioannes in Epiſtola Canonica de CHRISTO: *vnctio eius docet vos de omnibus.* (Ioan. 2.) Et iterum: *vnctio quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* (Ibidem.) Ex quibus apertè patet, quòd Spiritus Sanctus ſiue vnctio, quod idem eſt, ſicut eſt Spiritus Patris, ita eſt Spiritus Filii; & ſicut Pater mittit eum, ita Filius mittit ipſum: Ipſo teſtante qui ait, *Cùm aſſumptus fuero à vobis, mittam eum ad vos.* (Ioan. 16.) Et ita Spiritus Sanctus communis eſt duarum perſonarum ab vtraq; procedens. *Fluuius igneus & rapidus*, ait Daniel, *egrediebatur à facie eius.* (Dan. 7.) Propter hæc ſicut omnes Latini Spiritum Sanctum à Filio procedere confitentur, ità qui ſapientiores ſunt inter Græcos eandem ſententiam non negant, licet formam verborum non recipiant, eò quòd nuſquam apud ſe, talem verborum formam, ſcilicet, *Procedit à Filio*, reperiant. Cùm igitur tam Græci quàm Suriani, vt prædictum eſt, omnes Latinos excommunicatos reputent, altaria ſuprà

quæ

quæ Latini celebrauerunt diuina, priusquam in ipsis celebrent, abluere consueuerunt. Sacramentis etiam nostris nullam exhibent reuerentiam, nec assurgere volunt, quãdo corpus Domini ad visitãdos infirmos, nostri deferunt sacerdotes. Cùm autem sancta Romana Ecclesia, & omnes Occidentales ad imitationem Domini, ex azymo pane sacramentum conficiant: Dominus enim postquam secundùm ritum Iudæorum cum azymis agnum manducauit Paschalẽ, panem, quo vtebatur in cœna, in corpus suũ conuertit: ipsi contra mysterium ex fermentato pane cõficiunt sacramenta. Expurgato enim fermento veteri malitiæ & nequitiæ in azymis sinceritatis & veritatis mysticè instruimur epulari. Sed & in multis aliis sanctæ & summę *Romanæ Ecclesiæ*, à qua propriâ authoritate recesserunt, ipsi schismatici contradicunt, contra DEI dispositionem: qui Romanam ciuitatem totius mundi Metropolim & capitaneam, sicut in temporalibus omnibus præerat, ita in spiritualibus vniuersis fidelibus voluit præfuisse. *Cephas* enim, qui simpliciter caput interpretatur, id est *Petrus*, totius mundi caput à Domino est constitutus, dicente Domino absque aliquorum exceptione: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.* Et iterum; *Pasce oues meas:* non dixit tantùm Latinos vel Occidentales, sed simpliciter *oues meas*, vt esset vnum ouile & vnus pastor. Patet ergò cùm super hanc Petram pro qua Dominus rogauit, vt non deficeret fides eius, post CHRISTVM ædificata sit & fundata CHRISTI Ecclesia, quòd omnes qui ab Ecclesia Romana recedunt, quia absque fundamento ædificant, in vanum laborantes, & ab eo qui à Domino Cephas vocatus est separati, acephali & monstruosi homines, meritò sunt reputandi. *Quartas* autem *nuptias* Suriani sicut & Græci non admittunt. Sacerdotes autem eorum & diaconi licet in prædictis ordinibus matrimonia non contrahant, vtuntur tamen vxoribus cum quibus ante sacros ordines contraxerunt. Subdiaconatum verò sacrum ordinem non reputant. Paruuli eorum statim post baptismum à simplicibus sacerdotibus in frontibus *chrismate* consignantur, quod non est concessum vel licitum apud Latinos, nisi Episcopis & supra, qui locum in Ecclesia DEI obtinent Apostolorum: per impositionem enim manuum Apostolorum Spiritus Sanctus ad robur & confirmationem conferebatur: cuius impositionis manuum locum obtinet prædictum sacramentum. Diem autem *Sabbathi* adeò sollemnem reputant, quòd non licet alicui eorum in Sabbatho ieiunare, excepto tantummodo Sabbatho sancto Paschæ. Sollemniter autem sicut in die Dominica, in Sabbatho diuina celebrant, & carnes in ea manducantes, more Iudæorum splendidè epulantur. Hæc autem sollemnis obseruatio à Latinis reprobata est; ne Iudaizare videantur.

Matth. 26. | 1. Cor. 5. | Ioan. 10. | Matth. 16. | Ioan. 21. | Ioan. 10. | Luc. 22. | Ioan. 1. | Actor. 8.

LXXV. Sunt præterea in Terra Sancta & in aliis partibus Orientalibus, aliæ Barbaræ nationes, à Græcis & Latinis in multis dissidentes, quorum alios *Iacobitas* appellant, à quodam magistro suo dicto Iacobo, cuiusdam Alexandrini Patriarchæ discipulo. Hi à multis iam temporibus à Constantinopolitano Patriarcha Dioscoro excommunicati, & ab Ecclesia Græcorum sequestrati, maiorem partem Asiæ & totius tractus Orientalis inhabitabãt: quidam inter Saracenos; alii autem proprias absque infidelium consortio occuparunt regiones: scilicet Nubiam, quæ contermina est Ægypto, & magnam Æthiopiæ partem, & omnes regiones vsq; in Indiam, plusquam quadraginta regna, vt asserunt, continentes. Omnes autem sunt Christiani, à beato Matthæo Apostolo & aliis Apostolicis viris ad CHRISTI fidem conuersi. Sed posteà inimico superseminante zizania, lamentabili & miserabili errore longo tempore obtenebrati, paruulos suos in vtroque sexu more Saracenorum ex magna parte *circumcidentes*, non prudenter attendunt, quòd Baptismi gratia superueniens, carnis euacuauit circuncisionem, quemadmodum fructu adueniẽte flores decidunt & marcescunt. Vnde & beatus Paulus ad Galatas sic ait: *Si circuncidamini, CHRISTVS nihil vobis proderit.* Et iterum: *Testificor omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Euacuati estis à CHRISTO, qui in lege iustificamini; à gratia excidistis.* Alius autem error ipsorum est non minor prædicto, quòd *confessiones* peccatorum suorum non sacerdotibus, sed soli DEO latenter faciunt, ponentes thus iuxta se in igne tanquam cum fumo peccata sua ascendant coram Domino. Errant miseri non intelligentes Scripturas; & pereunt ex defectu doctrinæ, vulnera sua medicis spiritualibus abscondentes, quorum est inter leprã & lepram discernere, & peccatorũ circũstantias pensando pœnitentias in-

Matth. 13. | Gal. 4.

Matth. 18. iungere, & secundùm claues sibi traditas ligare & soluere, & pro confitentibus sibi
Luc. 17. specialiter orare. Vnde Dominus in Euangelio ait leprosis: *Ostendite vos sacerdotibus.*
Matth. 3. Et de beato Ioanne Baptista legimus, quòd baptizabantur ab eo confitentes peccata sua. Erubescentia autem & pudoris anxietas, & confitentis humilitas, maxima pars est pœnitentiæ. Proniores autem ad peccandum efficiuntur, qui turpitudines
Prou. 28. suas hominibus non æstimant reuelandas. Cùm tamen scriptum sit: *Qui abscondit peccata sua, non dirigetur: qui autem deliquerit & confessus fuerit, misericordiam consequetur.* Tertius error est prædictorum Iacobitarum seu Iacobinorum, & ignorantia crassa, & quasi tenebræ palpabiles, quòd plures eorum ante baptismũ paruulos suos cum ferro calido adurentes & signantes, in frontibus imprimunt *cauterium.* Alii autem 10 in modum Crucis in ambabus genis, seu temporibus in modum Crucis infantes suos consignant; peruersè putantes eos per ignem materialem expiari, eò quòd in Euangelio beati Matthæi scriptum sit, quòd beatus Ioannes Baptista de CHRISTO
Matth. 3. dixerit: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*: cùm tamen omnibus fidelibus liqueat, quòd in igne spirituali, id est, Spiritu Sancto fiat peccatorum remissio, & non in igne visibili. Vnde Dominus frequenter in Prophetis arguit filios Israel, eisdem terribiliter comminando, eò quòd more Gentilium filios traiiciebant per ignem.
Deut. 18. Ait enim Dominus in Deuteronomio per Moisen Prophetam: *Caue ne imitari velis abominationem illarum gentium; nec inueniatur in te qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem.* Et constat omnibus Christianis quòd Dominus noster vel eius Apostoli, 20 seu aliqui Patres sancti huiusmodi consuetudinem in Ecclesia non reliquerunt, neque tales adustiones fieri mandauerunt. Horum verò qui inter Saracenos commorantur, tam Iacobinorum, quàm Surianorum in brachiis Cruces ex ferro calido impressas, aspeximus: Ipsi autem ad Paganorum distinctionem, & ob sanctæ Crucis reuerentiam Crucis characterem sibi imprimi asserebant. Cùm autem à Græcis & Surianis diligenter inquireremus ob quam causam Iacobitas detestarentur, & eos à suo eiecissent consortio; hanc esse causam præcipuam asserebant; quòd in damnatam & pessimam hæresin incidissent, *vnam naturam* tantùm, quemadmodum vnam personam in CHRISTO esse asserentes. Huiusmodi enim hæretici in concilio Chalcedonensi excommunicati sunt & condemnati. Quorum quidam peruersè 30 asserebant CHRISTVM post humanam assumptionem, nõ ex duabus naturis existere, sed solùm in eo diuinam naturam permanere. Hunc errorem introduxit *Eutyches* Constantinopolitanus Abbas. Alii autem ex duabus naturis, vnam in CHRISTO asserunt naturam. Quidam Alexandrini Episcopi, Theodosius scilicet & Galanus, huius erroris authores extiterunt. Constat autem quòd secundùm naturam humanitatis, Dominus IESVS CHRISTVS esuriuit & sitiuit, & alias necessitates
Ioan. 8. sustinuit, mortem etiam in cruce pertulit: Secundùm naturam diuinitatis mortuos
Ibidem. suscitauit, & alias virtutes operatus est; secundùm quam ipse de se dixit: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Et iterum: *Ego principium qui & loquor vobis.* Et rursum: *Ego &*
Ioan. 10. *Pater vnum sumus.* Secundùm humanam naturam idem ait: *Pater maior me est.* Et 40
Ioan. 1.
Matth. 26. iterum de calice transferendo: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Cùm autem diligentissimè à prædictis Iacobinis inquisissem vtrum vnam tantùm in CHRISTO naturam esse affirmarent, ipsi nescio si timore, vel aliâ ratione ducti negauerunt. Cùm autem quærerem quare vno tantùm digito se signarent, respondebant quòd vnitate digiti, vnam diuinam essentiam, tribus autem partibus Trinitatem designabant: In nomine Trinitatis & vnitatis signaculo Crucis sese munientes. Græci tamen & Suriani eis obiiciebant quòd propter vnitatem naturæ quam in CHRISTO credebant, vno tantùm digito se signarent. Quidam autem eorum vtuntur litterâ Chaldæâ, alii Arabicâ quæ Saracenica dicitur. Laici autem eorum secundùm diuersas nationes & prouincias, diuersis vtuntur idiomatibus in sermone vulgari. Linguam 50 autem Clericorum suorum, quâ in diuinis Scripturis vtuntur, non intelligunt. Licet enim litterâ vtantur Saracenicâ, vulgare tamen Saracenicum non repræsentat,
LXXVI. sed quoddam proprium idioma, quod non nisi à litteratis intelligitur. Sunt aliæ nationes non solùm in Terra Sancta, vel inter Saracenos, sed seorsum per se in maiori parte Indiæ habitantes. Hos autem *Nestorinos* seu *Nestorianos* appellant, à quodam hæresiarcha Nestorio, qui peruersâ doctrinâ suâ ex magna parte Orientalem regionem letaliter infecit, & maximè illos qui in terra potentissimi Principis, quem

presbyterum

presbyterum Ioannem vulgus appellat, commorantur. Hi omnes Nestoriani sunt cum Rege suo, qui cum Iacobinis longè plures esse dicuntur, quàm Latini vel Græci. Vt enim de his qui seorsum habitant, quorum infinitus est numerus, taceamus; inter Saracenos non pauciores, vt dicitur, sunt Christiani infidelibus coniuncti, & eorum dominationi subiecti, quàm sint ipsi Saraceni; qui licet Machometi legem pestiferam recipere noluissent, ab hæreticis tamen miserabiliter sunt corrupti. Prædictus autem perditionis filius *Nestorius*, Constantinopolitanus Episcopus, & omnes illius sequaces beatam Virginem *Mariam negant esse matrem DEI.* Concedunt tamen quòd mater est CHRISTI hominis, aliam asserentes personam diuinitatis in 10 CHRISTO, & aliam humanitatis: & secundùm duas naturas, duas in CHRISTO distinguentes personas: nec vnum CHRISTVM in verbo DEI & carne credunt; sed separatim atque seiunctim alterum Filium DEI, alterum filium hominis affirmant. Hæc autem detestabilis hæresis in Ephesina synodo, in qua fuerunt Patres trecenti, reprobata est & condemnata. Sicut enim anima rationalis & caro, vnus est homo; ita DEVS & homo vnus est CHRISTVS. Licet enim alia sit natura animæ, alia carnis; non est tamen alius homo secundùm animam, alius secundùm carnem. Et quamuis alia sit natura ferri, alia ignis: vna tamen res est ferrū ignitum. Secundùm prædictam hæresin huiusmodi loquutiones non sunt concedendæ: *CHRISTVS est DEVS & homo: Filius DEI mortuus est, & sepultus*: quia secundùm quod est filius DEI, 20 impassibilis extitit, & immortalis. Cùm tamen dicat Isaias: *Paruulus natus est nobis; & vocabitur nomen eius DEVS fortis*: Et ita puer paruulus fuit DEVS; quod est contra peruersam istorum doctrinam. Similiter de filio DEI Hieremias: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*: cùm tamen secundùm quod est DEVS sit inuisibilis. Et beatus Paulus: *Misit DEVS filium suum natum ex muliere, factum sub lege.* Ex quo manifestum est quòd Filius DEI fuit Filius Virginis, & ita Maria fuit mater DEI. *Homo enim natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus.* Igitur homo qui natus est ex Maria Virgine, creauit eam, & ita homo ille fuit DEVS. Similiter concedemus, quòd puer ille sydera creauit, & ab æterno fuit Patri consubstantialis & æqualis. *Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis.* Cùm enim ipse 30 de se dicat: *Ego principium, qui & loquor vobis:* non est dubium alicui sani capitis, quin illa eadem persona, quæ est principium & creatrix omnium, loqueretur hominibus: & ita patet absque vlla ambiguitate, quòd eadem est persona diuinitatis & humanitatis, quod tamen negant miseri Nestoriani. Chaldæâ autem litterâ vtuntur in diuinis scripturis; & ex fermentato diuina more Græcorum conficiunt.

Isaia 9. *Baruch, 3.* *Gal. 4.* *Psal. 86, 5.* *Ioan. 1.* *Ioan. 8.*

LXXVII. Quidam autem homines circa iuga Libani in Phœnice prouincia, non longè ab vrbe Bibliensi inhabitantes, numero nō pauci, arcubus & sagittis in prælijs edocti & expediti, *Maronitæ* nominantur, à quodam magistro suo Marone hęretico, qui *vnam voluntatem*, & vnam tantùm operationē in CHRISTO asserebat: cuius erroris author extitit quidam Antiochenus Episcopus *Macarius*. Hic autem cum suis cō-40 plicibus in sexta Constantinopolitana synodo, ad quam centum quinquaginta Patres conuenerunt, condemnatus est, & tāquam hæresiarcha, vinculo anathematis innodatus ab Ecclesia fidelium est eiectus. Sicut enim in homine puro alia est voluntas rationis, alia sensualitatis; ita in CHRISTO alia fuit voluntas humanitatis, secundùm quam voluit manducare, & bibere, & calicem passionis à se transferri; alia diuinitatis, quæ eadem fuit cum voluntate Patris. Has autem duas voluntates manifestè aperuit, cùm dixit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Quis autem ignorat quòd manducare & bibere, & aliæ huiusmodi necessitates, quæ fuerunt in CHRISTO homine, operationes sint humanitatis, & ad immutabilem diuinitatem non pertinent? Mortuos autem suscitare, & animam post mortem resumere, 50 ad humanitatem non pertinet, sed tantùm ad diuinitatis potentiam. Ex quibus manifestum est aliam esse operationem humanitatis, aliam diuinitatis. Similiter & de duplici cuiuslibet hominis voluntate beatus Apostolus Paulus in Epistola ad Romanos manifestè nos instruit, ita dicens: *Non enim quod volo, bonum ago; sed quod odi malum, illud facio.* Ecce quanta pugna est inter voluntatem rationis & voluntatem sensualitatis. Et iterum ait: *Velle mihi adiacet, perficere autem bonum non inuenio:* spiritus enim promptus est, secundùm voluntatem rationis; caro autem infirma, secundùm sensualem voluntatem: secundùm quam alius cinxit Petrum, &

Matth. 24. *Rom. 7.* *Matth. 26.* *Ioan. 21.*

duxit quò non voluit, qui tamen sponte reuersus Romam, voluit crucifigi voluntate rationis. Has autem duas voluntates exprimit Paulus Apostolus per duas leges in homine repugnantes, sic dicens: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Prædictus igitur Maro diabolicâ illusione imprudenter obcæcatus, multos habuit erroris sui sequaces, quos Maronitas appellant, qui per annos ferè quingentos ab Ecclesia sancta & consortio fidelium sequestrati, seorsum sacramenta sua conficiebant. Qui tamen postea reuertentes ad cor in præsentia venerabilis Patris Aimerici Antiocheni Patriarchæ fidem catholicam profitentes, & errorem prædictum abiurantes, sanctæ Romanæ Ecclesiæ sequuti sunt traditiones. Vnde cùm omnes alii Orientales Prælati, exceptis duntaxat Latinis, *annulis & mitris pontificalibus* non vtantur, nec *baculos pastorales* gestent in manibus, nec vsum habeant *campanarum*, sed percussis baculo vel malleo tabulis populum ad Ecclesiam soliti sunt congregare; hi prædicti Maronitæ, in signum obedientiæ, consuetudines & ritus obseruant Latinorum. Vnde & eorum Patriarcha interfuit generali concilio Lateranensi, sub venerabili Papa Innocentio tertio in vrbe Romana sollemniter celebrato. Vtuntur autem Chaldæâ litterâ, & vulgari idiomate Saraceno. Populus autem *Armenorum*, qui in Armenia prouincia propè Antiochiam inter Christianos & Saracenos seorsum inhabitat, ab omni Christianorum natione, ritus habens singulares & proprias obseruationes, seiunctus est, & diuisus. Habent autem prædicti Armeni proprium primatem, quem *Catholicon* appellant, cui cum summo honore & reuerentia omnes à minimo vsque ad maximum tãquam alteri Papæ obediunt. Inter hos autem & Græcos inexorabiles sunt discordiæ, & dissensiones implacabiles; & inuicem alii aliorum ritus & instituta detestantur. Habent autem proprium idioma, & proprias litteras, & in vulgari sermone diuinas scripturas pronunciant, ita quòd sacerdotes, & clerici eorum à laicis in Ecclesiis intelliguntur, sicut dictum est de Græcis. *Natiuitatem* autem *Domini* secundùm carnem, non celebrant, sed in diebus Natalis Domini ipsi ieiunant. Finito autem ieiunio, in die apparitionis Domini, simul cum sollemnitate apparitionis festum celebrant Baptismi Dominici, & eodem die festũ spiritualis Dominicæ natiuitatis asserunt se celebrare: cùm tamen Dominus propriè non possit dici regeneratus seu renatus, eò quòd in aquis baptismi purgatus non fuerit, qui peccatum originale non habuit; qui etiam actuale peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. *Quadragesimam* verò, quæ est ante Dominicam resurrectionem, ita arctissimè ieiunando obseruãt, quòd non solùm à carnibus & caseo, & ouis, & lacte abstinent; sed etiam pisces non manducant, oleo non vtuntur, vinum non potant: si tamen ieiunium dici debeat: nam fructus & legumina quoties placet eis in die, manducãt. Vt autem manifestiùs æmulis suis, Græcis scilicet & Surianis, contradicere videantur, in quibusdam sextis feriis carnes edunt. *Aquam* autem *cum vino* in Sacramento sanguinis CHRISTI non ponunt: in quo ritu peruerso non modicum errare conuincuntur. Nam Dominus noster IESVS CHRISTVS secundùm morem non solùm Iudæorum, sed omnium Orientalium, qui nunquam puro vino vtuntur, in cœna posuit mensam, miscuit vinum, ex vino lymphato Sacramenta conficiens. Vino enim non temperato in partibus illis nemo commodè valet vti. Vnde beatus Cyprianus de hac vini cum aqua commixtione, sic ait: *Si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non obseruauit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio docuit, potest simplicitati eiusdem indulgentiâ Domini venia concedi. Nobis non potest ignosci: qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus, vt calicem Domini cum vino mixtum, secundùm quod Dominus obtulit, offeramus.* Ex hoc igitur manifestum est quòd Dominus calicem vini mixti in cœna obtulit. Vnde prædicti Armeni in altaris Sacramento nec Dominum imitantur, nec obseruant mysterium. Aqua enim, quæ labilis & fluxibilis est, populum mortalem & fluxibilem designat. Vnde aqua vino commiscetur, vt tam CHRISTO, quàm sanguini redemptionis nostræ populus sociandus esse designetur. Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis CHRISTI incipit esse sine nobis: Si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine CHRISTO: nec significatur prædicta coniunctio, cùm *Sacramentum debeat esse sacræ rei signum.* Non igitur debet in calice Domini, aut vinũ solum aut aqua sola offerri, quia vtrunque

Margin: Rom. 7. — 10 — LXXVIII. — 20 — 30 — 1. Pet. 2. — 40 — 50 — Ioan. 19.

vtrunque ex latere eius in passione sua legimus profluxisse. Licet autem Armeni summo Pontifici, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiam promiserint, quando scilicet Rex eorum ab Imperatore Romano *Henrico*, terram suam recepit, & coronã regiam ab Archiepiscopo Maguntino suscepit; ritus tamẽ veteres, & consuetas obseruationes mutare noluerunt. Est præterea in regione Orientali quidam alius Christianorum populus bellicosus valdè, & in præliis strenuus, fortis robore, & potens innumerâ pugnatorum multitudine; Saracenis valdè formidabilis: Persis & Medis & Assyriis, in quorum confinio commoratur, & ab infidelibus populis vndique clauditur, frequenter valdè damnosus in expeditionibus extitit. Hi homines *Georgiani* nuncupantur, eò quòd sanctum Georgium, quem in præliis suis contra gentem incredulam aduocatum habent & patronum, & tãquam signiferum, cum summa reuerentia colunt & adorant, & pręaliis sanctis specialiter honorant. Vtuntur autem Græco idiomate in scripturis diuinis, & Græcorum consuetudines in sacramentis obseruant. Clerici eorum rotundas habent *coronas*, laici verò quadratas. Quotiescunque Dominicum Sepulchrum visitaturi peregrè adueniunt, absq; tributo aliquo cum erectis vexillis ciuitatem sanctã ingrediuntur. Saraceni enim nullo modo molestare præsumunt, ne fortè cùm ad propria reuersi essent, aliis Saracenis sibi vicinis, vicem rependerent. Nobiles autem mulieres eorum more Amazonum tanquã milites armis vtuntur in præliis. Hi valde indignati sunt comminantes Principi Damasceno *Corradino*, eò quòd absq; eorum voluntate muros Hierusalem euertere præsumpsisset, cùm populus Latinorum ciuitatem Damiatæ obsidebat. Crines autem & barbas nutrientes vnius ferè cubiti longitudine, pileis in capitibus vtuntur. Illi verò Christiani qui in Africa & Hispania inter Occidentales Saracenos commorantur, *Mosarabes* nuncupati, Latinam habent litteram, & Latino sermone in scripturis vtuntur, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut alii Latini, cum omni humilitate & deuotione obediunt, ab articulis fidei vel sacramentis in nullo deuiãtes. Constituunt autem sacramentum altaris de pane Azymo quemadmodum alii Latini. Sanctam autem Eucharistiæ formam quidam eorum in septem partes diuidunt; alii verò in nouem, cùm tamen Romana Ecclesia, & alii eidem subiecti, ipsam Eucharistiam in tres tantum portiones partiantur. Huiusmodi autem partitio cùm non sit de substantia sacramenti, nõ variat, vel impedit virtutẽ sacramenti. Sunt aliæ miserabiles in partibus Orientis nationes, Deo odibiles, & hominibus cõtemptibiles & abiecti, quorum quidam dicuntur *Essæi*, de genere Iudæorum descẽdẽtes: quorum quidam vitam post mortem & dogmatizant, & recuperare sperãt. Matrimonia autem non contrahunt, vt caueant fœminarum intemperantiam, quas nunquam vni viro fidem credunt seruare. Alii matrimonia contrahunt, & cũ prægnantibus non concumbunt, vt ostendant quia nõ causâ voluptatis, sed causâ procreandæ prolis, vxoribus commiscentur. Animatum autem post mortem, vel supplicia denegant, vel honores. Sed quia his sectis sinistrè incedunt, laborem suum infatuati perdunt. Ex his *Assassini* præmemorati dicuntur habuisse principium. Vnde adhuc in parte scripturam retinent Iudæorum, ex Hebræo & Chaldæo litteras habentes permixtas. Alii sunt *Sadducæi*, qui resurrectionem mortuorum non credunt, libros tamen Moysi recipiunt, sed eos non intelligunt. Vnde Dominus in Euangelio redarguit eos dicens: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem DEI.* Cumque introduxisset hanc authoritatem ex libris Moysi: *Ego sum DEVS Abraham, & DEVS Isaac, & DEVS Iacob*, conuincens eos concludit in hunc modum: *Non est DEVS mortuorum, sed viuorum.* Alii sunt *Samaritani*, litteram habentes Hebræam, sicut Iudæi: Moysi pentateuchum tantùm recipiunt, Prophetas autem & alias Iudæorum scripturas non admittunt. Cùm autem Salmanazar Rex Assyriorum decem tribus Israël captiuasset, prædictos Samaritanos loco Iudæorum, vt terras excolerent, in Samariam transmisit. Cùm autem ad prædicationem Apostolorum recepisset Samaria verbum Dei, quidam eorum in errore antiquo remanserunt; quibus Dominus ideo vuluam sterilem, & vbera arentia tradidit; in tãtum terram maledictam & reprobam æternis incendiis deputatam ariditate & sterilitate condemnauit, quòd vix trecenti eorũ vt dicitur in vniuerso mundo superstites reperiuntur. Alii autem ex *Iudæis* libros Moysi & Prophetas, & totum Vetus Testamentum ad litterã tantùm recipiunt. Contra quos ait Apostolus Paulus: *Littera occidit, spiritus*

Ioh. 19. — LXXIX. — LXXX. — LXXXI. — Matth. 22. — 4. Reg. 17. — Actor. 8. — 2. Cor. 3.

Ioh.6. *spiritus autem viuificat.* Et Dominus in Euangelio: *Spiritus est qui viuificat, caro nō prodest quicquam*; id est, intelligentia carnalis. Ex quo patet quòd Diuina Scriptura nihil prodest Iudæis, immò nocet eis, sicut dicit Propheta Dauid: *Fiat mensa eorum in laqueum, & in retributionem & in scandalum: Obscurentur oculi eorum ne videant.* Mensam eorum diuinam scripturam appellans. Maxima autem pars eorum seorsum habitat, in illis partibus Orientis in quibus infra Caspios mōtes Rex Macedonum Alexander eos fertur inclusisse, qui temporibus Antichristi educendi sunt, & ad Terram sanctam reducendi. Inter eosdem montes Caspios & mare, idem Alexander inclusit Gog & Magog, cuius innumerabilis est multitudo quasi arena maris, eò quòd carnibus humanis, & crudis immundorum animalium carnibus vescebantur, eorum abominationes detestatus. Alii autem *Iudæi*, de quibus patres eorum clamauerunt: *Sanguis eius super nos & super filios nostros*, per vniuersum ferè mundum, & in omnem ventum dispersi, vbique sunt serui, vbique tributarii: *fortitudo eorum*, vt ait Isaias Propheta, *conuersa est in fauillam.* Imbelles enim & imbecilles facti sunt quasi mulieres. Vnde singulis lunationibus, vt dicitur, fluxum sanguinis patiuntur. Percussit enim eos DEVS in posteriora & opprobrium sempiternū dedit illis. Postquam enim fratrem suum verum Abel occiderunt, facti sunt vagi & profugi super terram, sicut maledictus Cain, habentes caput tremulum, id est, cor pauidum; die ac nocte timentes, & vitæ suæ non credentes. A Saracenis autem, inter quos habitant, magis habentur odio & contemptui, quàm à Christianis. Cùm enim Christianorum Principum detestabilis auaritia eos propter lucra temporalia sustineat, & Christiana mancipia ipsis habere permittat, & immoderato vsurarum fœnore ab ipsis Christianos spoliari concedat; ipsi apud Saracenos propriis manibus abiectissima & vilia operantes, mancipia & serui sunt paganorū, & extremis conditionibus inter eos cōmorari permittuntur: nec tamen ab ipsis Saracenis, sicut nec à Christianis trucidantur, truncum siluestrem igni deputatū hyemali, & vineam reprobā ad tempus Domino reseruante, eò quòd fructum pretiosum in fine mundi, quādo reliquiæ Israël saluabuntur, debeat germinare & facere vuas, quæ modo in amaritudine conuersa, non facit nisi labruscas. Quemadmodū de ipsis ait Propheta Dauid: *Dominus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas illos, nequando obliuiscantur populi mei.* Ipsi enim mortis CHRISTI nobis memoriā renouant, & ex Scripturis eorum testimoniū sumimus de his quæ pro nobis operatus est Dominus, quemadmodū dicit Daniel: *Occidetur CHRISTVS, & non erit populus eius, qui eum est negaturus.* Et Dauid: *Filii alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.* Nec est aliquis ex Prophetis qui contra ipsos testimoniū non perhibeat pro nobis. Adeò tamen excæcatum est cor populi huius, palpantis & impingentis in meridie, sicut in tenebris; & aures eius aggrauatæ, & clausi oculi eius, quòd non intelligit, neq; aduertit populus insipiens & duræ ceruicis, quàm grauiter in morte CHRISTI Dominum contra se exasperauerunt. Cum enim ante CHRISTI passionem idola colendo, & alia abominabilia operando Dominū multipliciter offendissent, aliquando tradidit eos Dominus in manus inimicorū suorū, vt seruirent eis, quandoq; decē annis, quandoq; viginti, quandoq; autem quadraginta, sicut in libro Iudicum reperitur. Aliquando etiā annis septuaginta in captiuitate Babylonica detenti sunt, & postea à Domino liberati. Postquam autem Dominum IESVM occiderunt, licet posteà idola coluisse nō legantur, iam plusquàm annis mille in captiuitate detenti, misericordiam à Domino nondum sunt consequuti. Sed quemadmodum CHRISTVS ad DEVM orauit: *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita mē, & retribuam eis*: ita à DEO patre obtinuit; & sicut eis longè ante Moyses prædixerat ex persona Domini dicens: *Mea est vltio & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum.* Et iterum: *Occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, vt irritetis eum per opera manuum vestrarum.* Hanc autem vltimam eorum captiuitatem prædixit Daniel Propheta his verbis: *Ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli, statuta desolatio, & deficiet hostia & sacrificium, & in templo erit desolationis abominatio, & vsq; ad consummationē & finē perseuerabit desolatio.*

LXXXII. Hi verò qui ab initio recuperationis & liberationis Terræ Sāctæ statum eius pleniùs agnouerunt, & varias alternasq; illius mutationes, decrementa & promotiones diligentiùs inspexerunt, in veritate affirmant, quòd nullum genus hominum, nullaque alia pestis efficacior fuit

Marginal references: Psal.68. Matth.27. Isa.10. Psal.78. Gen.4. Isaia 5. Psal.68. Dan.9. Psal.17. Iudic.4. Iud.13. 2.Paral. vlt. & Ierem.25. Psal.40. Deut.32. Deut.32. Dan.9.

fuit ad nocendum, quàm flagitiosi, & pestiferi homines, scelerati & impii, sacrilegi, fures & raptores, homicidæ, parricidæ, periuri, adulteri, & proditores; cursarii, seu piratæ; rutarii, ebriosi, ioculatores, deciorum lusores, mimi, & histriones; apostatæ monachi; & moniales meretrices publicæ; & quæ relictis maritis suis lenonibus adhæserant; vel qui fugientes vxores proprias, alias superducebant. Huiusmodi monstruosi homines in partibus Occidentis mare mediterraneum transeuntes, & ad Terram sanctam confugientes quia cælum nō animum permutabant, innumeris flagitiis & sceleribus ipsam commaculantes, tantò audaciùs consueta mala perpetrabant, quantò à notis & propinquis suis magis remoti, sine verecundia peccabant, non Dominum timentes nec hominem reuerentes. Facilitas autem euadendi, & impunitas delinquendi, impietatis eorum habenas relaxabant, eò quòd post facinora perpetrata vel ad Saracenos vicinos CHRISTVM abnegantes fugiebant; vel in galeis, & nauibus seipsos recipientes, ad insulas maritimas transmeabant; vel ad regularium domos quas passim & vbique reperiebant currentes, *perniciosâ priuilegiorum libertate impios defendente*, impunè euadebant. Quidam autem, viri sanguinum & filii mortis, in patria sua deprehensi in iniquitatibus & maleficiis suis, mutilationibus membrorum, vel suspendio adiudicati, prece vel pretio plerumque obtinebant, vt in Terram Promissionis sine spe reuertendi perpetuo condemnati exilio, remanerēt. Hi autem non pœnitentiâ compuncti, sed violentiâ coacti Terræ sanctæ incolæ facti, peregrinis hospitia immoderato pretio locantes, modis quibus poterant decipientes incautos, & extraneos homines, & ab eis pecunias negotiationibus indebitis emungentes, miseram vitam de spoliis hospitum suorum sustentabant: siccariis & latronibus, alearum lusoribus, & meretricibus publicis, spe lucri maioris apud se receptacula præparantes: diuitibus autem & potentibus, vt eorum fautores essent, & eos in prædictis iniquitatibus sustinerent, annuum censum reddebant, ad cumulum impietatis & damnationis vtrorumque. Hi enim qui prostibulorum & deciorum principatum & dominum pretio magno acquirebant, à meretricibus & lusoribus maiorem extorquebant pecuniam. Qui autem contra Dominicum præceptum pretium prostibuli accipiunt, omnium peccatorum & abominationum quæ in ipsis fiunt, semetipsos participes constituunt; *consentientes enim & facientes par pœna constringit.* Nonnulli autem ex his quos animi vanitas, & inconstantiæ leuitas impellebant, non tam causâ deuotionis loca Sancta visitaturi peregrè procedebāt, quàm causâ curiositatis & nouitatis ad partes sibi incognitas, transmigrabant: vt mira & inexpertis stupenda, quæ de partibus Orientis audierant, non sine magno labore probarent. Multa enim in partibus illis mirabiliter operatus est Dominus, quæ sicut iusti & benè affecti & prudentes homines ad laudem DEI conuertunt & gloriam; quemadmodum *beatus Brandanus* longo tempore per maria nauigauit, vt videret mirabilia DEI in profundo: ita leues & curiosi homines ad vanitatem retorquent, quæ Dominus in argumentum potentiæ suæ, & materiam laudis dignatus est operari. Ex quibus pauca de multis præsenti operi dignum duximus adnectenda, diligentibus & studiosis lectoribus forsitan profutura.

Deut. 23.

LXXXIII.

Terræ motus periculosi, horribiles & terribiles valdè nō solùm in regno Hierusalē, sed in partibus adiacētibus frequenter fiūt; & maximè in partibus maritimis ex violētia ventorū, qui de spiramine & impulsione vndarū in locis cauernosis & speluncis terrarum concepti, dum liberam exhalationem aër inclusus & concitatus non habet, terram cum magno impetu & tremore concutiunt: quæ si resistere non valeat, rumpitur, & fit hiatus immensus; & quandoque ob hanc causam ciuitates absorptæ sunt in abyssum. Quando verò terra non rumpitur, tam vehementi impetu à spiritu procellarum concitatur, & impellitur, quòd ciuitates cum muris & turribus & aliis ædificiis subitò corruentes, homines improuisos suffocant & opprimunt. Vnde qui sapientes sunt in partibus illis, ignorantes quâ horâ prædicta tempestas superuentura sit, cum omni diligentia vigilantes, animas suas præparare non negligunt, *nec viuere præsumunt in statu illo, in quo mori non auderent.* Et huiusmodi pestiferâ concussione Tyrensis ciuitas postquam in manus Latinorum deuenit; cum habitatoribus suis ferè penitus est deleta. Cùm autem in partibus Occidentalibus *coruscationes & tonitrua* habeant fieri in æstate; in Terra Sancta fiunt in hyeme. In æstate enim nunquam vel rarò pluit in ea. In hyeme verò licetnon adeo fre-

quenter imbribus irrigetur, tribus tamen aut quatuor continuis diebus ac noctibus, postquam fieri incipiunt pluuiarum vehementes inundationes, quasi particulari quodam diluuio terram totam inebriant, & submergunt. *Niues* autem nisi circa montes altitudine nimiâ præminentes, cuiusmodi est Libanus, in terra rarissimè reperiuntur. In toto autem æstiuo tempore, & maximè in diebus canicularibus feruentissimis, & in mense Augusti nix frigidissima à monte Libano per duas vel plures dietas defertur, vt vino commixta, tanquam glaciem ipsum frigidum reddat. Cõseruantur autẽ prædictæ niues sub palea, ne feruore solis seu calore aëris, dissoluantur.

LXXXIV. *Fontes* autem limpidissimi dulcis aquæ, tam in mari quàm in terra inueniuntur: quorum vnus, vt dicitur, in partibus Samariæ alternis coloribus quater in anno variatur: viridem scilicet & sanguineum, puluerulẽtum seu turbidum & limpidum colorem mirâ & gratâ vicissitudine inspicientiũ oculis prætendendo. Fons autẽ *Siloë* non singulis & continuis, sed diebus interpolatis ter vel quater in hebdomada dulces aquas ex visceribus suis emittit. At verò iuxtà montes Libani, inter duas ciuitates, Archas scilicet & Raphaneam, fluuius quidam cursu velox & aquis plurimùm abundans, defluit, quẽ *Sabbaticum* appellãt, eò quòd sex diebus in hebdomada nullas ex se penitus exhibẽs aquas, die septimo profert copiosas, ex sicco, subitò exuberans & inundans effectus. In Tyrensi autem & Acconensi territorio ex arenulis maris, ex sabulo videlicet & glarea marina, subtili artificio *vitrum* efficitur purissimum. *Mare* autem *Rubrum*, quod siccis pedibus filii Israël transierunt, in confinio est Ægypti & Arabiæ, cuius aquæ ex terra adiacente, quæ quasi sanguinei coloris est, rubeæ esse videntur: quæ tamen eiusdẽ sunt coloris, cuius sunt alterius maris aquæ. Est autem quidam *fluuius in Perside*, qui semper de nocte congelatur, adeo quòd homines & animalia per glaciem valeant pertransire; de die autem semper in aquas resoluitur. Quidã autem fluuii in partibus Orientis *aureas arenas* habere dicũtur. *Fons* præterea limpidissimus & amœnus, qui in Paradiso terrestri in remotis Orientis partibus oritur, tantam ex se copiam producit aquarum, vt in quatuor flumina diuidantur, quæ tamen statim sub terra absconduntur, & per viscera terræ desluentia, quibusdã subterraneis meatibus in aliis remotis regionibus iterum oriuntur. Nam *Phison*, qui & *Ganges*, ex quodam monte Indiæ saliens, iterum incipit super terram cursum suum ostendere, apertè defluendo. *Gyon*, qui & *Nilus*, non longè à monte Atlante de terra exiens, à terra protinus absorbetur, sub qua latenter fluendo Mare Rubrum pertransiens, in ipso littore Rubri Maris incipit iterum apparere, & Æthiopiam circuiens, in terram Ægypti se infundit. *Tygris* autem & *Euphrates* quasi ex eodem fonte in quodã monte maioris Armeniæ egredientes, statim à se inuicem separantur, & Mediterraneo Mari absorbentur. Cùm autem prædictus fons Paradisi vniuersæ terræ superficiem in quatuor fluminibus irrigare dicatur, ex variis tamen terræ qualitatibus quidam fontes frigidas habent aquas, alii calidas & fœtidas ex terra sulphurea. In *Epiro* autem est fons mirabilis in quo faces accensæ extinguuntur, & extinctæ iterum accenduntur. In *Æthiopia* apud Garamantes fons quidam est tam frigidus de die vt non bibatur, tam calidus de nocte vt non tangatur. Est fons quidam in partibus Orientis, ex cuius aquis *ignis Græcus* efficitur quibusdam aliis admixtis, qui postquam vehementer fuerit accensus, vix aut nunquã potest extingui nisi aceto & hominũ vrinâ, & sabulo. Prædicti autem fontis aquas magno pretio comparant Saraceni. Sunt aquæ quædam quæ vulneribus medentur; aliæ quæ sanant ægritudines oculorum, aliæ quæ bibentes canoros reddunt. Sunt quidam fontes qui memoriam conferunt; alii qui obliuionem faciunt. Sunt alii qui luxuriã auferunt, alii qui libidinem accendunt. Sunt alii qui steriles fœcundant; alii verò fœcundas steriles reddunt. Sunt flumina ex quibus bibentes oues nigrescunt; ex aliis autem velut nix albæ fiunt. Sunt stagna in quibus nulla res natare potest, sed omnia merguntur; sunt alia in quibus omnia fluitant, nec mergi possunt. Sunt lacus in quibus ter in die aquæ amaræ sunt, & ter in die dulces fiunt. Sunt quidam fontes calidi, qui oculis medentur, fures autem arguunt. Nam qui sacramento furtum negat, si periurus efficitur, aquis prædictis excæcatur; si autem non fuerit reus, clarius videt quàm prius. Hoc autem magis miraculo ascribendum est, quàm naturæ. Est præterea fons quidam quietus & trãquillus, si autem iuxta ipsum intonent tibiæ, quasi exultabundus ad sonitum eleuatur, & tanquam miretur vocis dulcedinem

dulcedinem extra ripas intumescit. Præter communes siquidem arbores quę LXXXV. in Italia & Alemannia & Francia,& in aliis Europæ partibus habentur,sunt ibi speciales arbores tam fructiferæ,quàm steriles. Sunt ibi palmæ corticibus asperæ, graciles in imo, dilatantur in summo, fructus quos *dactylos* appellant ex se procreantes; in summitate autem tantam habent teneritudinem & saporis suauitatem,quòd quasi nuces albæ & recentes, prædictarum arborum partes superiores manducantur. Sunt in eadem terra arbores mirabiles,quas propter earum præcellentiam nominant *arbores Paradisi*, poma oblonga suauissima, & quasi vnctuosa, dulcissimum saporem habentia ferentes: in vno autem globo plusquam centum sese contingentia & compressa inuoluuntur. Folia autem arboris memoratæ vnius cubiti habent longitudinē,dimidii cubiti dimensione dilatantur.Sunt ibi aliæ arbores poma pulcherrima & citrina ex se producentes, in quibus quasi morsus hominis cum dentibus manifestè apparet; & idcirco *poma Adam* ab omnibus appellantur. Sunt prætereα aliæ arbores fructus acidos, pontici videlicet saporis, ex se procreantes, quos appellant *limones*. Quorum succo in æstate cum carnibus & piscibus libentissimè vtuntur, eò quòd sit frigidus & exsiccans palatum ,& prouocans appetitum. Sunt ibi prę ter ficus communes,quędam singulares ficuum species,fructus in ipsis truncis absque ramis & foliis facientes; non inter folia vel ramos superiores, sicut fit in aliis arboribus,sed ipsi trunco adhærentes: has autem,*ficus Pharaonis* appellant. Sunt insuper cedri Libani pulchræ & sublimes valdè,sed steriles. Quædam autem quæ dicuntur cedri maritimæ paruæ sunt, sed admodum fructuosæ, facientes ex se fructus pulcherrimos secūdùm humani corporis quantitatē,quos *citrones*,seu poma citrina appellant,triplicem in se substātiā & saporē habentia.In prima parte calida, in media tēperata,in vltima verò quæ latet intrinsecus,frigida existunt.Hunc autē dicunt esse fructū,de quo Dominus dicit in Leuitico: *Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ.* In paruis autē arboribus quædā crescunt alia poma citrina, minoris quātitatis frigida, & aciti seu pontici saporis, quæ poma *Orenges* ab indigenis nūcupātur. *Cucumeres* autē,*melones*,& *cucurbitæ*,licet capitibus asinorū sint maiores,herbis potiùs quàm fructibus assignātur. Sunt ibi prętereà arbusta quædā quæ seminātur,ex quibus colligunt bombacem,quę Francigenæ *cotonem* seu *coton* appellant; & est quasi mediū inter lanam,& linū,ex quo subtilia vestimēta contexuntur. *Sericum* autem nō colligunt ex aliquo semine terræ, neque ex arbustis,vel arboribus; sed ex quorundā vermium stercoribus siue ex sputo procreantur. Quædā autem species spinarū,quas *spareas* nominānt, priusquam decrescant in rhamnum, optimæ sunt ad edēdum. De quibus dicit Dauid Propheta: *Priusquā intelligerent spinæ vestræ rhamnū.* Quēadmodum prædictæ spinæ molles sunt in principio,& delectabiles ad manducandū; postea verò duræ fiunt & quibusdam aculeis pungunt; ita peccatorum suauitas in aculeum remordēntis conscientiæ,& pœnæ æternę conuertitur. Sunt insuper in Terra *canamellæ*,de quibus zucchara ex compressione eliquatur. Olim in vniuerso mundi vinea *balsami* nō nisi in Terra sancta, in loco qui dicitur Hierico inueniebatur: procedente autem tēpore ab Ægyptiis translata est in cāpum ciuitatis Ægyptiæ, quæ *Babylonia* nuncupatur,& à Christianis sub dominio Saracenorū detētis excolitur. Dicunt autē Ægyptii & experimēto probauerūt, quòd si à Saracenis excolatur, illo anno sterilis permanet,quasi fructū facere dedignetur. Sunt autem in prædicto cāpo sex fontes,in quorū vno dicūt quòd beata Virgo CHRISTVM paruulum balneauit. Vnde certū est & probatū quòd liquor balsami, quē *opobalsamum* Physici appellant, translatā prædictā vineā seu frutice in alium locum nunquā potest procreari. Sunt insuper in partibus Orientis & maximè in India pretiosæ quædā & speciosæ & aromaticæ arbores, quarum fructus sunt *gariophyli*, *nuces muschatæ*, *cassia fistula*, *cardamomū*, *piper* albū, nigrum quod est rotundū,& piper oblongum. Dicunt tamen quidam quòd omne piper nascitur album; sed quoniā inter arbores piperis multitudo serpentium inhabitat, oportet quòd comburantur serpentes, & ita ex cōbustione piper nigrescit. Quando etiā sine adustione colligitur, mittūt illud in clibanum, ne in aliis partibus possit seminari, & fructificare, & vt diutiùs valeat cōseruari. Sunt & aliæ arbores quarum radices sunt *Zingiber*, *Galanga*,& *Zedoaria*,quæ vulgariter *Citouart* appellatur. Dicunt tamen quidā quòd sunt radices Orientalium herbarum. *Mandragora* autem radix est cuiusdā herbæ, quæ formā habere videtur

Leuit. 23.

Psal. 6.

humanam. Est autem quædã mandragora masculina, quædam fœminina. Aliæ autem sunt arbores, quarum rami sunt *liquiritia*, *cassia lignea*, *lignum aloës*. nemo tamen huius arboris potuit deprehendere originem: rami autem eius in flumine Babylonico reperiuntur: impulsione enim ventorũ, aut temporis vetustate de montibus cadentes in fluuium, cũ retibus capiuntur. Dicunt autem quidam quòd de Paradiso terrestri per fluuium, huiusmodi lignum aloës deferatur. Aliarum autem Orientalium arborum cortex est *cinnamomum*. *Macis* autem flos est nucis muscatæ, vel, vt dicunt alii, cortex illius. *Cyminum* autem, semen est non arboris sed herbæ.

Gummi autem ex arboribus seu arbustis defluentia, sunt *opobalsamum*, *myrrha*, *tragacanthum*, *mastix*, *thus*, *terebinthina*. *Ambra* verò non pertinet ad arbores vel herbas, sed est sperma ceti, & est aromaticum valdè & confortatiuum. Similiter *muscus* suauissimi odoris, licet inter species aromaticas nominetur, est tamẽ vt dicunt stercus, seu struma inguinis cuiusdam Orientalis animalis, quod *Muquiliet* dicitur: vndè in latrinis & inter stercora, odorem amissum recuperat. Aliam quandam herbam, quam *dictamum* appellant, feræ sagittis vulneratæ diligenter quærunt, & inuentam manducant, quæ tantæ virtutis est, vt sagittas de corporibus earum eiiciat. *Quercus Mambre* sub qua habitauit Abraham, vsque ad tempora Constantini Imperatoris permansit. In partibus enim illis arbores tempore longissimo perdurãt. Vnde *cedrum* & *ebenum* imputribiles æstimant. *Iuniperus* autem adeò conseruat ignem, quòd prunæ cineribus eius opertæ vsque ad annum non extinguuntur. In India autem quædam sunt Insulæ in quibus arbores omni tempore virescunt: Habent autem in vno anno duas hyemes & duas æstates. In eisdem etiam partibus *Montes aurei* sunt, quos dracones & gryphes custodiunt. In *Sardinia* autem est herba quædam similis apiastro, quæ comedentibus rictus contrahit, & quasi ridentes interimit. Sunt præterea in partibus Indiæ *cannæ* fluuiales quasi pinus, habentes altitudinem sexaginta pedum, ex quibus naues & domus construuntur. Quædam etiam arbores sunt apud *Seres*, folia tanquam lanã ex se procreantes, ex quibus vestes subtiles contexuntur. Aliæ autem fructus odoriferos ferentes, cum sole oriuntur, & cum sole occidentes, sub terra absconduntur. Aliæ etiam centum pedibus in altum extolluntur, similes lauris, & oliuis, quasi opobalsamum & thus ex se procreantes. Aliæ etiam ferentes nuces hominum capitibus maiores, in quibus serpentes multi sunt, & simiarum maxima multitudo. *Vites* etiam in partibus illis tantæ magnitudinis botros seu racemos producunt, quòd plures homines in vecte vnum possent sustinere. De arboribus autem quas in extremis Indiæ partibus magnus *Alexander* inuenit, quæ ipsum in Babylonia veneno moriturum prædixerunt, licet diuino imperio asina Balaam loquuta fuerit, credimus tamen quòd in ipsis dæmones sint loquuti: mirabile tamen videtur quòd cogitationibus Alexandri respondebant, & futura tanto tempore priusquam contigissent, præscire potuerunt. Illas autem preciosissimas medicinales, & aromaticas arbores, quas Dominus in extremis & excelsis & temperatissimis Orientis partibus ab initio plantauit in horto voluptatis, præsenti opusculo tanquam ignotas inserere non valemus. Magnum enim chaos positum est inter exilium nostrum, & prædictum voluptatis paradisum. Magnus enim tractus terrarum interiacens, innumerique serpentes locum nobis inaccessibilem reddiderunt: præsertim cùm vsque ad cœlum muro igneo clausus esse dicatur; & Angelus Domini non solùm hominibus, sed etiam malignis spiritibus inhibeat. De præfatis autem arboribus paradisi, duas ex scripturis diuinis aliquatenus cognoscimus, quarum vna dicitur *arbor scientiæ boni & mali*, de cuius fructu vetito in detrimentum posteritatis suæ, primi parentes comederunt: Altera lignum vitæ nuncupatur, de cuius fructu qui manducaret in eodem statu semper immortalis permaneret.

Num. 22.

Genes. 2.

LXXXVI. In Terra promissionis, & in aliis partibus Orientis quædam sunt animalia, quæ in aliis partibus mundi non habentur. Sunt ibi *Leones* in pectore & pedibus anterioribus, & in cauda virtutem magnam habentes, quorum fœtus vsque ad tertium diem, in quo ad rugitum parentum quasi de morte excitantur, aliquo sensu non vtuntur. Dormit autem leo apertis oculis; & caudâ suâ delet vestigia pedum suorum, ne à venatoribus percipiantur: Hominibus, nisi prouocatus ad iram, non nocet, parcit supplicibus, inuadentes ipsum inuadit, magistrum suum metuit quando catulus ante ipsum verberatur. Est ibi sæuissimum quoddam animal, quod

mal, quod *Lanzani* nuncupatur; à cuius crudelitate nulla bestia potest esse tuta: nam vt dicunt, ipsum Leonem terret. Sunt & *Leopardi*, sic dicti quasi Leonibus similes in capite & in dispositionibus membrorum, licet nõ sint tam magni, nec tam robusti: adeò etiam mansueti fiunt ab hominibus, quòd eis sicut canibus vtuntur ad venandũ: non enim currendo, prędam capiunt, sed saltus faciendo; & si in tertio saltu prędã non capiunt, eam prorsus dimittunt sibi indignãdo. Sunt ibi *Papiones* quos canes siluestres appellant, Lupis acriores, continuis clamoribus de nocte vlulantes. *Leæna* primo partu quinq; fœtus emittit; deinde per singulos partus numerũ minuens postquam ad vnum peruenit sterilis efficitur. Sunt etiam *Vnciæ*, sæuissima animalia

10 qui non sunt canibus altiora, longiora tamen habentia corpora: canibus valdè inimica. Prædam non comedunt, nisi in altum eam portent; quando inueniunt arborem, ad supremum ramum deferunt, & pẽdendo eam comedunt. Ex nigris & albis maculis respersum corpus habent. Quando sunt in calore coitus & aliquem vulnerauerint, mures ad ipsum vulneratum cõueniunt, & mingunt super eum si possunt, & statim moritur. Vnde audiui ab illo qui vidit, quòd quidam vulneratus fecit in archa portari se ad mare; & mures veniebant ad mare vt venirent ad eum, sed non potuerunt peruenire. Fel venenum mortiferum est. Sunt ibi pulcherrima animalia quæ *Pantheræ* nominantur, ex albo & nigro minutis orbiculis superpictæ; quarum odore cætera animalia mirabiliter affecta eas sequuntur. Postquam enim diuersis

20 venationibus pastæ & satiatę fuerint, tribus diebus & noctibus continuè dormiunt in speluncis suis: euigilantes autem & rugitum proferentes tãtæ suauitatis odorem de gutture suo emittunt, qui cuncta pretiosa aromata vincit, quòd omnes bestias, exceptis serpentibus, qui bono odore necantur, dulcedine spiraminis ad se trahunt. Hæ autem non nisi semel pariunt: nam fœtus earum postquam partui propinqui sunt, non expectantes debiti temporis horam, matricem vnguibus lacerãtes ipsam semini retinendo prorsus reddunt inutilem. Sunt ibi præterea *Elephantes* robusti membris, & corpore magni velut montes; sunt bellicosi & audaces, & maximè quando eis sanguis ostenditur ad prælium ampliùs animantur; cum quibus Persæ & Indi pugnare solent, turres ligneas cum hominibus armatis super eorum dorsa

30 ponentes. Habent autem rostra maxima prominentia quasi ampla intestina, quæ appellant *proboscides*, cum quibus homines capiunt, deuorant & transglutiunt. Magnus autem Alexander pugnaturus aduersus Indos æreas statuas prunis ardentibus adimpleri præcepit: putantes autem elephantes statuas illas esse homines, protendẽtes labra comburebãtur: & statim tam homines quàm hominum ærea simulacra fugere cœperunt, neminem audentes contingere. Aliâ vice grunnitu & stridore porcorum cum sonitu buccinarum multos superauit elephantes, eò quòd talibus stridoribus assueti non erant. Incedunt autem gregatim sese inuicem diligentes, & concorditer ambulantes: motibus quibus possunt sibi applaudunt, alter alterum quasi salutando, & se inuicẽ eo adiuuantes. Frigidæ naturæ sunt; vnde & *ebur*, quod

40 de ossibus eorum fit, frigidum est, & candidum. Nã si ebur panno supponatur igne superposito, pannus non comburitur, sed naturali eboris frigiditate, vt dicunt, extinguitur ignis. Tantùm semel gignunt, fœtus suos in vtero gestant annis duobus: viuunt autem annis trecentis: mures timent & fugiunt: dracones autem maximè formidant, nam ab ipsis implicati & innodati prosternuntur & necantur: vnde in insulis postquam pepererint, fœtus suos reponunt propter dracones. Pariunt autem in aquis, nam si fœtus in terra caderet surgere non valeret: habent enim ossa solida sine iuncturis: vnde crura & tibias flectere nequeunt. Quando autem quiescere volunt, arboribus inclinantur & incumbunt. Venatores autem arbores secant, & quibusdam obicibus, ne penitus corruant, fulcientes, in insidiis

50 latent, donec reuertens elephas cum arbore cui innititur cadat, & resurgere non valeat. Ad barritum autem & gemitum illius plerunque concurrunt alii elephantes: cumque se incuruare & socium suum erigere nequeunt, gemunt pariter & barriunt; & quasi compatientes, cum lugente lugent. Paruuli autem elephantes prout valent sese supponentes, ipsum aliquando subleuantes erigunt, & ita de manu venatorum liberatur. Per fumum autem, qui fit ex inguine & pilis elephantis, quælibet animalia venenata fugantur. Sunt ibi *vnicornes*, quos Græci *Rhinocerotes* appellant, habentes in media fronte cornu robustissimum, longitudine

quatuor pedum. Hoc cornu quodcunque animal ventilant: perforant etiam ipsum elephantem & in ventre percutiendo deiiciunt & occidunt. Quando autem à venatoribus capiuntur, ex sola indignatione animal superbum moritur. Nullâ tamen venantium fortitudine capi possunt; sed virgo pulchra & ornata ante eorum oculos proponitur, quæ aperit eis sinum suum, & statim omni depositâ feritate in puellæ gremio suscipiuntur, & ibidem quiescentes soporati capiuntur. *Monoceros* autem alia est bestia, quasi monstrum quoddam atrocissimum mugitu horrido, caput habens quasi cerui, corpus velut equi, caudam ad modum porci, pedes autem elephantinos: vno cornu acutissimo in medio frontis armatur: captum potest perimi, sed nequaquam domari. Sunt ibi *lynces* quæ ita perspicaces habent oculos, quòd 10 solida corpora subtilitate visus penetrare dicuntur. Qui autem huius animalis naturam plenius cognouerunt, eius vrinam in lapidis pretiosi naturam, qui *Lyncurius* appellatur, conuerti dicunt. Vnde inuidiâ quadam naturali, liquorem emissum arenis, in quantum possunt, abscōdunt, ne in vsus humanos, talis vrinæ egestio conuertatur. Sunt ibi *tygres*, quibus Hyrcanorum regio maximè abundat, fuluis colorum maculis in superficie nitentes; veloces supra modum, vt volare videantur, quando cursu agitantur. Sunt autem ferocissimæ & incomparabili rabie sæuientes, præcipuè quando raptis catulis insequuntur venatores, qui vix euadere possent, nisi clipeos vitreos in ipso itinere proiicerent, in quibus quasi in speculis tigres figuram suam intuentes, & fœtus suos reperisse putantes sistunt, amplexantes & deo- 20 sculantes ipsum vitrum & tandem pedibus confringentes, nihil reperiunt, & interim venatores fugiendo euadunt. *Castor* autem animal est talis naturæ, vt dicitur, quòd cùm ipsum venatores sequuntur, seipsum dentibus suis castrando, genitalia proiicit: sunt enim medicaminibus apta; & propter hæc se à venatoribus æstimat infestari, & eis proiectis liberari. Et quoniam nō potest diu subsistere, nisi caudam in aquis teneat, ædificat domum suam super aquas, faciens in ea mansiones diuersas, vt cum aquis crescentibus in superioribus ascendat, & cum decrescentibus ad inferiorem mansionem descendat. Sunt ibi præterea *vrsi* maximi, quorum virtus maxima in brachiis est & in lumbis: caput autem habent inualidum & debile. Et quia vrsa ante fœtus perfectionem immaturam prolem parere festinat, carnem 30 quam ex se producit lambit, & fœtum formando, producit in membra. Sunt *equæ* in Cappadocia quæ à vento concipiunt, sed fœtus earum nō nisi triennio viuere possunt. Sunt autem *equi* qui nullum sessorem præter proprios dominos admittere volunt; quibus mortuis dolent supra modum, & lachrymantur & mādùcare renuentes fame & inediâ moriuntur. *Camelus* animal est horriferum, deforme valde, adeò quòd equis, & quibusdam animalibus timorem incutiat: habet autem strumam in dorso, collum longum, & crura prolixa, horribiliter stridet, hordeum citò transglutiens reseruat vt rursus ruminando totâ nocte mādùcet. Est autem animal pigrum, & lento gradu incedens. Quidam tamen sunt cameli, quos *cursarios* appellant, seu *dromedarios*, qui plures dietas in vno die perficiunt, & velociter currunt. Est ibi præ- 40 terea quiddam animal monstruosum, *Manticora*, habens hominis faciem, corpus leonis, caudam scorpionis; triplicem in dentibus ordinem habens; colore rubea, oculis glauca; habens sibilum quasi serpentis, ita sonorum, quòd modulos imitatur fistularum; carnes humanas ad edendum auidissimè affectans: ita velox cursu, sicut auis volatu. Est ibi alia bestia *Cencrocota*, quæ velocitate præcedit bestias vniuersas, habens corpus asini, clunes cerui, pectus & crura leonis, vastum oris hiatum, vsque ad aures: loco autem dentium, os habet solidum; vocem autem hominis imitatur. Est ibi alia bestia quæ dicitur *Eale*, cuius corpus equi, maxilla apri, cauda elephantis, nigro colore horrens, in aqua & in terra æqualiter potēs; habens cornua maxima, quorum vno pugnans, aliud post terga reflectit, quo obtuso, reli- 50 quum ad pugnam dirigit. *Hyæna* bestia est sæuissima & dolosa valdè, carnibus humanis vescitur, ex sepulchris mortuorum effodiendo extrahit cadauera; pabula pastorum insequitur, vt auditu assiduo voces humanas imitari possit, quibus vocibus homines noctè accitos deuorat & perimit. Vomitus quoque humanos & singultus simulans, canes concurrentes dilaniat, qui postquam eius vmbrā attigerint, latratum prorsus amittunt. Dicitur autem quòd quodcunque animal lustrauerit, mouere se non possit. In oculis eius lapis pretiosus reperitur, qui *Hyæna* vocatur. *Onocentaurus*

centaurus

Centaurus autem animal est, vt dicitur monstruosum, naturâ biforme, habens caput velut asini, corpus autem quasi hominis. *Parandri* verò species multiformis dicitur esse: est enim boum magnitudine, ramosis cornibus, ceruino capite, vrsino colore, & pilis villosis & condensis. Hunc affirmant habitum & colorem metu variare, ita quòd cùm in aliquo delitescit loco siue saxo albo, siue frutectis virentibus, ad eorum similitudinem permutatur. *Crocodilus* animal est quadrupes, quod in terra nascitur; in fluminibus tamen sicut in terra inhabitat, nec minorem habet potentiam in aqua, quàm in terris. Per diem autem humi frequentiùs acquiescit, nocte verò in aquis; habet autem oua velut anserum, quæ in terra profert. In fluuio autem Nili 10 plusquam alibi inueniuntur crocodili. Reponunt autem oua sua vbi fluuius exuberans non possit attingere: In flumine autem Cæsareæ Palæstinæ similiter habitant. Deuorant autem tam homines quàm animalia: plerunque ad viginti cubitos longitudinis excrescunt; linguis carent, maxillas superiores mouent, morsus habent horribiles & tenaces, vnguium immanitate armati sunt, maximâ pellis firmitate quasi clipeo muniuntur. Horum carnem Saraceni manducant. *Hippopotamus* similiter in terra nascitur; in aquis sicut in terra similiter potens est, & inhabitat: est autem plerumque maior elephantibus, habẽs rostrum resupinum, vngulas bifidas, caudam tortuosam, dentes prurigineos, dorso & hinnitu similis equo. Noctibus autem segetes depascit, ad quas pergit quasi retrogradiens, vt fallente vestigio reuer- 20 tenti nullæ insidiæ præparẽtur. In partibus autem Indiæ præcipuè reperiuntur. Est autem in Babylonia quædam alia bestia, quam *Chimæram* appellant, alta in anteriori parte, submissa autem in posteriori. Hanc autem in magnis solemnitatibus pallio operientes pretioso, domino suo vt ipsi honorificè & magnificè seruiãt, præsentant Saraceni. Sunt præterea quidam *fului tauri* in partibus Orientis, condensis & asperis setis, horridi, grandi capite, oris rictu ab aure vsque ad aurem patente: omnia spicula duro & impenetrabili tergo repellunt, cornua autem ad pugnam vicissim deponunt, vel producunt. Ibi etiam *boues* sunt tricornes, pedes equinos habentes. *Myrmicoleon* autem, seu *formicoleon*, quod idem est, modicum est animal, aliis animalibus est velut formica; formicæ autem est quasi leo. Absconditur enim in pul- 30 uere, insidiando formicæ frumentum portanti, quam ex improuiso perimit, & frumentum consumit. *Leontophonos* Græcè dicitur quoddam animal paruum, quod capiunt venatores & exurunt, cuius cineres super carnes conspergunt, ex quibus carnibus leones comedentes ilicò moriuntur: vnde leones huiusmodi bestiam naturali quodam odio persequuntur, quam captam vnguibus statim dilaniant; ex ea verò gustare non audent. Sunt ibi *porci* magnæ & miræ magnitudinis, habentes dentes cubiti vnius. Quædam etiam aliæ bestiæ nigræ & horribiles, capitibus similes equis, elephantibus fortiores, tria cornua in frontibus habentes. *Mures* etiam vulpibus maiores, morsu animantia perimentes, homines autem licet mordeant, parum tamen eos morsibus molestant. Aliæ etiam *bestiæ* ariete maiores, facie hirci- 40 na, collo velut aselli crinito, vngulis bifidis & caudâ vitulinâ. Sunt insuper aliæ quędã bestiæ similes Hippopotamis, pectore velut crocodilus, setas quasi porci in dorsis habentes, dentibus ad bellum fortissimis, tardæ in incessu sicut testudo; quæ non lanceis, vel sagittis penetrari possunt; sed malleis ferreis ab his qui cõtra ipsas præliantur, conterũtur. Sunt aliæ bestiæ pedes bifidos velut porcus habentes, cũ vngulis trium pedũ magnitudine, caput porcinũ, caudam verò habentes leoninã. Quædam autem feræ in eisdem partibus ossa quasi serrata, acuta valdè velut gladius habent in capite, cum quibus milites armatos cum clipeis transfodientes interficiunt. Sunt præterea *Cynocephali*, ceruicem equinam cum immensis corporibus habentes, flammis, quas ex ore aspirant, homines perimentes. In prædictis autem LXXXVII. 50 partibus Orientis maxima, & varia procreatur serpentium multitudo. Sunt autem *serpentes* naturâ frigidi, vnde parùm vel nihil nocent, nisi postquam incoluerint: Nocte autem minus lædunt, quàm die, eò quòd nocturno rore frigescunt: Hiemali autem frigore in nodos torquentur, æstate autem resoluuntur. Qui autem veneno inficitur, primitùs obrigescit; postquàm verò calefactum fuerit venenum, hominem ariditate interficit. Dicunt autem quòd nocere non possit, nisi hominis sanguinem contigerit. Hominem autem nudum fugit vt dicitur, nec ipsum audet molestare: caput autem abscondens totum corpus obiicit ferienti; nam si caput

eius euaserit, nihilominus viuit amisso corpore. Ingressurus autē aquas venena deponit; postquam autem ab aquis exierit, eadem resumit: quòd si fortè casu quolibet amissa non inuenit, terræ frequenter caput allidens, moritur præ dolore. Viuit autem serpens longo tempore: nam postquam senuerit, ieiunando carnes proprias consumit, donec cute præ macie laxatâ per foramen petræ transit, vbi pellem veterem deponendo iuuentutem recuperans, renouatur. Odorem autem bonum fugit, quo plerunque necatus moritur. De medullis autem hominum quandoque serpens procreatur. Inter omnes serpentes & supra omnia terræ animantia maximus est *Draco*, qui abstractus à spelunca sua, quandoque super aërem fertur, ipsum concitando, & vehementer impellendo. Est autem cristatus, ore paruo & strictis arteriarum fistulis, quibus spiritum attrahit, & linguam exerit, dentibus autem non nocet: caudâ autem si quem ligauerit, occidit: à quo nec elephas tutus est corporis sui magnitudine. Auram autem spirando inficiens flatu pestifero mortem ingerit: pedibus autem carens pectore & ventre serpit. De cerebro autem eius lapis pretiosus *dracontias* exciditur. Sicut Leo rex est animalium, ita *basiliscus* rex dicitur esse serpentium. Vnde idem est basiliscus Græcè, quod *regulus* Latinè. Timent eum & fugiunt omnes serpentes, eò quòd solo afflatu necat illos; homines autem visu venenato interficit: ab eius etiam aspectu nulla auis illæsa pertransit. Est autem longitudine semipedalis, albis maculis lineatus: terram per quam transit polluit & exurit, extinguit herbas, arbores inficit, & corrumpit. Quidquid morsu eius occiditur, nec fera, nec alite depascitur. Ædes autem in quibus aliqua corporis eius particula reseruatur, nec serpētes ingrediuntur, nec aues fœdāt, nec intexunt araneæ. A mustelis tamen basiliscus vincitur, quas homines cauernis eius inferunt, quibus visis fugit serpens, illæ persequuntur & occidunt. In partibus autem Hierico circa solitudines Iordanis, quidam serpens inuenitur qui *Tyr* nominatur, ex cuius carnibus cum quibusdam, quæ illis admiscentur, fit confectio quædam quasi electuarium, quæ dicitur *tyriaca*, omne venenum in corpore humano superans & extinguens. Cùm autem contra omne aliud venenum valeat, contra prædicti tyri venenum nihil prodest. *Salamandra* Græcè dicitur, *stellio* Latinè: nominatur etiam, vt dicunt, *chamæleon*. Est autem quadrupes habens faciem quasi lacertæ, caudam prolixam & tortuosam, vngues subtili aduncitate hamatos, corpus asperum, cutem qualis est in crocodilis. Profert autem ex cute quasi quandam lanam, de qua zonæ contextæ comburi non possunt igni. Prædictum enim animal viuit in igne, & non solùm non vritur, sed plerunque incendium extinguit. Est autem pigrum incessu, victorem suum interfectum perimit: nam si vel ales modicum ex eo comederit illicò moritur. Inter omnia venenata animalia maximam habet nocendi virtutem: cætera enim singulos perimunt, hæc plurimos pariter interimit: Nam si arbori irrepserit, poma omnia adeo inficit veneno, quòd quicunque ex eo comederint moriuntur: si autem in puteum ceciderit, vis veneni eius omnes potantes interimit. *Vipera* serpens est sic dicta, eò quòd vi pariat, cuius natura ea esse traditur, vt pater in cōceptione moriatur, mater verò in partu necetur. Voluptate enim libidinis quasi in insaniam versa, caput maris ore receptum, præscindit: cuius cùm ad partum venter intumuerit, catuli non expectantes maturam naturæ solutionem, corrosis eius lateribus, cum matris interitu vi erumpunt. *Aspis* quorundam verborum virtute incantatur, ne veneno noceat. Ipsa verò quando percipit incantantes, vnam aurem terræ affigit, alteram caudâ obturat, vt non audiat vocem venefici incantantis sapienter. *Saura* serpens est, qui quando senescit, oculi eius cæcantur; ipse verò ingreditur foramen parietis respicientis ad ortum Solis, vt oriente Solis radio contra Solem intendat, & sic lumen recuperat. *Hypnapis* verò, genus est aspidis, somno quos mordet interimēs: veneno enim somnū immittit, & quos mordet, dormiendo perimit. *Scytalis*, tantâ præfulget tergi varietate, vt notarum genera videntes retardet: est autem tanti feruoris, vt hyeme pellem deponat. Huius morsu si quis tangitur, velut ardore igneo consumitur. *Amphisbæna*, serpens est duo habens capita, vnum in loco suo, alterum in cauda: vtroque autem capite currit. *Seps* exiguus serpens est, qui simul carnem & ossa veneno consumit. Serpentes dicti *Tarantæ*, modicæ sunt quantitatis: illi autem, quos pungunt, vehementer anguistiantur, & nisi theriaca eis subueniatur, quandoque anxietate moriuntur. *Cerastes* serpens est habens in capite

Psal. 57.

in capite cornua: abscondit totũ corpus in puluere, cornua: sola volucribus ostendens; postquam autem super eam aues insederint, eas interimit. *Hæmorrhois* serpens est morsu sanguinem eliciens; & dissolutis venarum meatibus, totum cruorem extrahens, mortem ingerit. Contra tria genera serpentum, qui filios Israël in deserto perimebant, erectus est serpens æneus in palo. Hi fuisse dicuntur dipsades, situlæ, & Scorpiones. *Dipsas* adeò subtilis est, quòd quasi inuisibiliter percutiens, cùm calcatur, non videtur: inducens autem tumorem & inflationem homines perimit. *Situla* quos inficit, siti perimit. *Scorpio* blandum, & quasi virgineum dicitur habere vultum; sed aculeum habet in cauda venenosa. Sunt in India serpentes tam vasti, vt ceruos deuorare dicantur, & ipsum Oceanum transnatare. Sunt alii serpentes piper album comedentes, lapides pretiosos in capitibus habentes: singulis autem annis inter se præliantes; sese mutuò ex magna parte interficiunt. Habent autem quidam serpentes cornua velut arietes, quibus homines ventilando percutiunt.

Num. 21.

LXXXVIII.

Sunt præterea in partibus Orientis aues mirabiles, quæ nusquam alibi reperiuntur. Est ibi *Phœnix* auis singularis & pulcherrima, magna corpore, plumis autem, vnguibus, & oculis decora. Dicitur autem quòd in capite cristam habet velut pauo: collum eius aureo colore refulget: roseas habet pennas, in posterioribus purpureas: caudam habet cerulei coloris. Viuit autem multis annis: dum autem se viderit senuisse, petit locum præminentem valde & amœnum, in cuius medio fons est magnus, vbertate profluus, & serenitate præclarus, in cuius margine arbor est nobilis & sublimis valde: in huius vertice de variis aromaticis speciebus nidum seu sepulchrum sibi construit: ex calore autem Solis, plausu alarum seipsam accendens, de cineribus suis innouata resurgit. *Psittacus* auis est Indiæ, colore viridi, torque aureo; grandi linguâ, vnde articulata profert verba, ita vt si eam non videas hominem loqui putes: homines autem salutat, dicens: *Aue*, vel χαῖρε. Primo & secundo anno, citiùs discit, & tenaciùs verba retinet; paulò senior, indocilis est & citò obliuiscitur. Nobiliores quinos habent in pedibus digitos, cæteri autem tantùm ternos. *Ibis* auis est Niliaca, semetipsum purgat rostro, aquam in posteriora fundens: ore autem parit pullos, serpentum populatur oua, gratissimam nidis suis ex his escam deportans. *Pellicanus* dicitur quasi pellem canam habens. Hæc auis fertur occidere pullos suos; eosque per triduum lugẽs, seipsam rostro proprio vulnerat, & sic pullos occisos proprii sanguinis aspersione viuificat. *Diomediæ*, Latinè dicuntur aues quas Græci *Herodios* appellant; Si Græcus ad eas accesserit, ipsis vt dicunt blãdiuntur; alias autem nationes, morsibus impugnant. Sunt autem magnitudine cygnorum, colore niueo, duris & ingentibus rostris: quando autem lachrymosis vocibus dolent, vel sui mutationem; vel Regis interitũ prænunciando significant. *Gryphes* aues sunt ferocissimæ vltra omnem rabiem sæuientes: sunt autem corpore magnæ, & adeò fortes, quòd armatos homines præliando superant & occidunt. *Onocrotalus*, auis est, quæ multas simul in ventre recondit escas, postea verò extrahit & manducat. *Sirenes*, licet in parte superiori virginibus assimulantur, partes tamen inferiores auis speciem prætendunt: vnde inter aues marinas eas deputant, licet sint monstruosæ. In partibus autem Indiæ sunt *vespertiliones* columbis maiores, habentes quasi hominum dentes: homines autem in faciem percutiunt, nares & aures & alia membra eis amputantes. In eisdem autem partibus sunt aliæ volucres magnæ velut vultures, rubei coloris, pedibus & rostris nigris. Hominibus autem non nocent, sed tantummodò pisces quos de fluminibus extrahunt, deuorant. In Ægypto autem ex *ouis gallinarum* in clibano calefactis absque matrum cubatu, pulli procreantur: vnde quot oua habent; tot pullos eodem die prædicto artificio, si placet, habere possunt. Sunt præterea *columbæ*, quæ nunciorum fungentes officio, litteras dominorum sub alis deportant, tempore modico, multa terrarum spatia transeuntes. Sunt autem valdè vtiles, maximè quando per terras inimicorum alii nuncii transire non audent. De his autem auibus, quas *Alexander* vidit in Perside, quæ si in faciem ægrotantium inspicerent, conualescebant, si autem respicere noluissent, absq; dubio moriebantur: & de his similiter quos sanctus *Brandanus* vidit in quadã excelsa & pulcherrima arbore, quarum vna respondit ei quòd essent spiritus pœnitentiam suam in corporibus volucrum ibidẽ facientes, vtrum verum sit aut possibile, prudenti Lectori iudicandum relinquimus. In flumi-

ne Gange sunt *anguillæ* longitudine triginta pedum, in quo etiam quidam *vermes* sunt, qui instar cancri bina habent brachia longitudine sex cubitorum, quibus elephantes corripiunt, & vndis immergunt. Indicum etiam mare gignit *testudines*, de quarum testis capacia hospitia sibi faciunt homines. Sunt autem *cancri* in mari Occidentali qui homines apprehendunt & submergunt; habent autem terga dura velut Crocodili. Sunt ibi pisces ex quorum pellibus homines ampla & pulchra sibi faciunt indumenta. In fundo autem Oceani quidam sunt pisces cum animantibus terrestribus similitudinem habentes: quorum quidam pedibus ambulantes, fructus arborum in imo maris nascentium, manducant. *Echinus* piscis est semipedalis tantæ virtutis, vt nauim adhærendo, retineat: ruant venti, sæuiant procellæ, 10 tollantur fluctus, nauis tamen quasi radicata immobilis stat, nec procedere potest, pisciculo non tam eam detinente, quàm ei adhærente. *Murænæ* fœminini sexus tantùm esse dicuntur, & à serpente concipi: vnde à piscatoribus tanquam à serpente sibilo euocantur: Fustibus & malleis cum difficultate interimuntur; capite percusso vix interimi possunt, caudâ statim necantur. In quibusdam *conchis marinis* lapides preciosi inueniuntur: dicunt enim quòd nocturno tempore littus adeunt, & rore cœlesti margarita concipiunt: decrescente Lunâ vacuantur, crescente iterum implentur. *Ostrea* autem species sunt concharum seu cochlearum, quarum carnibus cancri miro ingenio viuunt: quia enim testas earum aperire non valent, explorant in insidiis, quando claustra aperiunt, & latenter iniicientes lapillum, 20 impeditâ conclusione, carnes earum corrodunt. *Delphini* pisces sunt, qui tempestate imminente in superficie vndarum apparentes ludunt. *Cete* autem omnium piscium maximum est: habet autem strictos oris meatus, vnde non nisi paruos pisciculos deglutit, quos odorifero oris anhelitu euocans & ad se trahens in ventrem suum mittit. Cùm autem tempestas oritur in mari, attollit se super fluctus. Quidam autem ceti ita magni sunt, quòd insulæ vel montes videtur: quibus vrgente tempestate nautæ naues religantes dum credunt se super solidam terram manere, ignes accendunt, quos bellua sentiens, tam naues quàm nautas secum trahit in profundum.

LXXXIX. Sunt præterea in partibus Orientis lapides pretiosi, admirabilis virtutis & incredibilis, inexpertis. *Adamas* in vltima India reperitur, lucidi coloris & 30 ferruginei: quantitatem nuclei nucis auellanæ non excedit; duritiâ suâ omnibus metallis resistit, hircino tamen sanguine recenti & calido rumpitur; igne non calescit, ferrum occultâ quadam naturâ ad se trahit. Acus ferrea postquam adamantem contigerit ad stellam Septentrionalem, quæ velut axis firmamenti, aliis vergentibus non mouetur, semper conuertitur. vnde valdè necessarius est nauigantibus in mari. Iuxta magnetem positus non finit eum rapere ferrum: Quòd si magnes ferrum traxerit, accedente adamante ferrum rapit, auferendo prædam magneti. Dicitur autem quòd fugat venena, artibus maleficis resistit, noctis phantasmata & somnia vana repellit: Insanis autem multùm prodest contactus adamantis. *Magnes* similiter lapis est Indicus, ferruginei coloris, adeo apprehendens fer- 40 rum vt cathenam faciat annulorum: In magicis præstigiis vtuntur eo magi: Valet contra Hydropisin & contra ignis adustiones. Est ibi *Smaragdus* coloris viridissimi: cuius corpus cùm planum & extensum fuerit, velut speculum imaginem reddit: oculos autem intuentium recreat & confortat: Valet contra emitritæam, & contra caducum morbum: Prodest etiam ad motus libidinis compescendos: Eius viror intenditur si vino ablutus fuerit, & oleo oliuarum perunctus. Est ibi *Carbunculus*, qui & *anthrax* Græcè dicitur, & vulgariter *Ruby*, eò quòd rubei sit coloris, lucens in luce & tenebris plusquam ignitus carbo, flammas ad oculos vibrans & effundens velut ignem. Est ibi *Sapphyrus*; sereno cœlo colore similis, nunquam tamen quantumcumque purus sit imaginem speculi in se ostendit: Dicitur au- 50 tem vegetare & confortare membra gestantium ipsum, & tumores sedare: Sudorem restringit, ardorem refrigerat interiorem, vlcera sanat, ex oculis sordes, & ex fronte tollit dolores, morbis linguæ medetur. Hac gemmâ in maleficiis suis vtuntur necromantici. Est ibi *Topazius* aurei coloris, & imaginem intuentium transuersam repræsentans. Est autem frigidæ naturæ, & valet contra luxuriam: vndas bullientes compescit: prodest autem hæmorrhoidibus. Est ibi *Iaspis* viridis & translucentis coloris. Inueniuntur tamen aliorum colorum, qui

qui non adeo sunt pretiosi. Valet contra phantasmata, & febres & hydropisim: mulieribus etiam parturientibus fertur prodesse. Est ibi *Amethystus* purpurei coloris, & violacei. Valet autem multùm vinum potantibus, nam contrarius est ebrietati. Est ibi *Achates*, habens albas venas nigro permixtas. Valet autem contra venena, & contra sitim, & visum fouere dicitur: Quod autem dicitur conferre gratiam & facundiam, magis ascribendum est superstitioni, quàm fidei. *Abestus*, lapis est Arcadiæ ferrei coloris, qui semel accensus nunquam potest extingui. *Pyrites*, lapis est Persicus, fului coloris; tenentis manum si vehementer prematur, vrit adeò vt teneri non possit. *Gagathes*, lapis est niger, lucidus, planus & leuis; ardet in aqua, oleo 10 autem extinguitur; calefactus confricatione paleas ad se trahit: prodest hydropicis; ablutus aquâ, dentes labefactos consolidat; fumus eius mulieribus menstrua reddit, qui etiam multùm prodest caducis. Valet etiam prædictus lapis contra infirmitatem ventris & præcordiorum. Aqua autem in qua tribus diebus immergitur, valet parientibus, si bibatur, vt citiùs liberentur. Valet autem contra magorum præstigias: Fugat insuper serpentes, vnde aquila contra serpentes ipsum ponit in nido suo. Dicit tamen *Sergius*, quòd aquila tanti caloris est quòd oua sua cubans decoqueret, nisi gagatem lapidem frigidissimum nido adhiberet. Est ibi præterea *Ethites*, qui facillimè igne vicino accenditur. Hunc similiter aquila collocat in nido suo; sunt tamen bini, masculus & fœmina: Prosunt autem non solùm aquilæ ad 20 pariendum oua, sed prægnantibus alligati, partus celeritatem efficiunt. *Hyacinthus* lapis est granatus, flore purpureo: non potest scindi, nisi fragmentis adamantinis. In ore positus frigidior extrahitur, confortat hominem, tristitiam & vanas suspiciones tollit. *Lyncurius* ex vrina lyncis procreatur, habens colorem quasi electri; trahit autem ad se paleas, si fuerit confricatus: Ictericis valet, & contra dolores stomachi & contra ventris perturbationem. *Alectorius*, lapis est crystallo vel aquæ limpidæ similis: In iecore verò galli gallinacei reperitur si castratus fuerit, postquam tribus annis vixerit: nunquam autem excedit fabæ quantitatem: postquam autem prædictus lapis in ipso fuerit, nunquam postea bibit. Hunc lapidem si quis in ore suo posuerit sitim penitùs extinguit. Valet autem frigidis, qui coire non pos- 30 sunt. *Chelidonius* lapis est modicus, qui in hirundine reperitur: est autem niger, & quandoque rufus: valet autem contra insaniam, & contra lunaticam passionem, & contra febres, & contra noxios humores: aquâ ablutus infirmis oculis prodest. *Chrysolitus* auro micat, & velut ignis scintillat, medium habens colorem inter cæruleum & viridem. Reperitur autem in Æthiopia, & multùm valet contra noctium fantasmata. Ibidem etiam reperitur *Chrysopasius*, qui de nocte lucet; de die verò obscurus est. *Beryllus* in India reperitur conspicuus, oleo vel aquis marinis assimilatur colore. Aqua ablutionis eius valet infirmis oculis: prodest etiam contra eructationes & suspiria, & contra hepatis dolores. *Sardius* autem, & *Onychinus* lapides sunt pretiosi, quos in rationali ante pectus sacerdotis Dominus cum aliis decem 40 margaritis ferri præcepit. Sardius rubeæ terræ similis est. Onychinus autem vnguis hominis habet similitudinem. Reperitur autē in flumine Paradisi, qui *Phison* nuncupatur. Habet autem ruborem candori permixtum. Sunt insuper aliæ gemmarum species in partibus Orientis. Ad commendationem autem diuinæ potentiæ, vt confiteantur Domino opera eius, hæc prędicta de lapidibus pretiosis sufficiant.

Exod. 28

XC.

Sunt præterea in partibus Orientis quidam homines, ab aliis mundi nationibus valdè dissimiles. Sunt ibi *Amazones*, egregiæ in armis & præliis mulieres, iuxta montes Caspios, in Insula vndique fluuio clausa commorantes. Sunt autem plusquam ducenta millia prædictarum mulierum, absque virorum consortio seorsum in prædicta Insula habitantium. Omnes autem tenentes gladium & ad bella doctis- 50 simæ: quando victrices cum Regina sua reuertuntur à præliis, à viris suis, qui extra insulam per se commorantur, adorantur. Semel autem in anno transeuntes ad maritos suos, postquam reuersæ fuerint, si masculum conceperint, ipsum per sex annos nutriunt, & postea patri suo transmittunt: Si verò fœminam pepererint, ipsam secum reseruantes custodiunt. Sicut autem in quibusdam volucribus fœminæ fortiores sunt, quàm masculi, ita prædictæ Amazones fortiores sunt viris suis: quibus ad bella procedentibus, mariti earum domi remanentes quiescunt. Et quoniam ex frequenti vsu libidinis multi spiritus consumuntur; quantò rariùs coëunt, tantò

præfatæ viragines fortiores sunt & magis idoneæ ad pugnandum. Sunt alii homines quos *Oxydraces*, seu *Gymnosophistas* appellant, id est, nudos sapientes. In nuditate enim & paupertate & humilitate ambulant, contemptâ fallaci & transitoria mundi huius vanitate, in tuguriis & speluncis habitantes, non habentes casalia vel ciuitates. Nulli autem nocent, nec armis contra aliquos se defendunt. Filii autem eorum & vxores seorsum inhabitant cum animalibus quæ ad vitam sobriam sustentandam enutriunt. Hos homines cùm Alexander Macedo reperisset, valdè miratus ait illis: *Petite à me quod vultis, & dabo vobis.* Qui respondentes dixerunt: *Da nobis immortalitatem, quam super omnia desideramus: alias enim diuitias non curamus.* Quibus Alexander: *Mortalis cùm sim, immortalitatem vobis quomodo dare possem?* Cui illi: *Si mortalem te agnoscis, quare tot mala faciendo discurris?* Sunt alii homines valdè mirabiles vltrà Gangem fluuium habitantes, quos *Brachmanos* appellant, quorum religionem & mores & ritus ex epistola subsequenti, quam prædicto Alexandro rescribendo miserunt, pleniùs diligens lector agnoscere potest. Scripsit enim Rex eorum Dindimus Alexandro, in hunc modum: *DINDIMVS Brachmanorum didascalus, ALEXANDRO Regi, gaudium. Cognouimus per tuas litteras quia desideras scire, quid sit perfecta sapientia. Veruntamen ex hoc cognoscimus te multùm esse sapientem, & valdè laudamus quia desideras scire perfectam sapientiam, quod melius est omni regno: quia Imperator qui nescit sapientiam, non dominatur subiectis suis, sed dominantur illi subiecti. Tamen impossibile nobis videtur, vt vos possitis tenere vitam & mores nostros, quia nostra doctrina multùm est separata à vestra. Nam neque deos colimus sicut vos colitis; neque vitam quam vos tenetis, nos tenemus. Voluissem denique à te petere veniam pro hac causa, vnde nos rogasti super omnia, quia nihil prodest si scripsero de vita & consuetudine nostra. Tempus enim non habes ad legendum, eo quòd occupatus es in causis bellorum. Sed ne dicas quia pro inuidia hoc faciam, quantumcumque possum de hac re scribere, vnde nos rogando mandasti, scribam. Nos enim Brachmani simplicem & puram vitam ducimus, nulla peccata facimus; & nolumus quidquam habere, nisi quantum ratio nostræ naturæ exigit. Omnia patimur & sustinemus. Illud dicimus esse necessarium, quod non est superfluum. Apud nos illicitum est arare campum cum vomere, & terram seminare, & boues ad carrum iungere; & retia in mare mittere ad capiendos pisces; aut aliquas venationes facere, siue de quadrupedibus terræ, siue de auibus cæli: abundanter enim annonam habemus: nullam aliam annonam quærimus ad manducandum, nisi quam terra producit, sine hominis labore. De talibus cibis implemus mensas nostras, qui nobis non nocent; & de ipsis cibis non multum implemus ventrem nostrum, quia illicita est apud nos extensio ventris. Proinde sumus sine aliqua ægritudine; & dum viuimus & quandiu viuimus, semper sanitatem habemus; nullam medicinam nobis facimus, nullum adiutorium quærimus pro salute nostrorum corporum. Vno termino mortis vita nostra finitur, quia non viuit vnus plus altero, sed secundùm ordinem natiuitatis, vnicuique terminus mortis succedit. Nullus autem de nobis ad focum sedet pro frigore: Nullum frigus aliquando corpora nostra sentiunt; sed stamus nudo corpore semper contra ventum. Desideria corporis nostri non facimus: omnia per patientiam supportamus. Tu autem, Imperator, omnia ista vince: & si istos inimicos, quos intra corpus habes, viceris, iam fortior inimicis haberi poteris.* Propter hanc causam pugnas cum inimicis quos foris habes, vt istos inimicos nutrias quos intus portas. *Nos autem Brachmani omnes inimicos quos in corpore nostro habuimus, occisos habemus: & ideo inimicos, quos foris habemus non timemus, nec adiutorium ab aliquo contra illos quærimus, neque de mari, neque de terra; sed securi semper & sine aliquo timore viuimus. Corpora nostra cooperta habemus de frondibus arborum & fructus earum manducamus; lac comedimus, & aquam de fluuio bibimus. Laudes DEO semper canimus, & desideramus vitam futuri sæculi: & non desideramus vllam causam audire, quæ ad vtilitatem non pertinet: & non loquimur multùm, sed cùm locuti fuerimus, non dicimus nisi veritatem, & statim tacemus. Diuitias non amamus: est enim insatiabilis causa cupiditas, quæ solet ad paupertatem adducere homines cùm non possint acquirendi finem facere. Inter nos nulla inuidia est: nullus inter nos fortior vel potentior est altero. Paupertatem habemus, & per eam diuites sumus, quia omnes illam communem habemus. Litem non facimus, nec apprehendimus arma. pacem habemus per consuetudinem, non per virtutem. Iudicia non habemus, quia non facimus vnde ad iudicium ire debeamus. Vna lex est contraria nostræ naturæ, quia misericordiam nullam facimus, eo quòd ne-*

nos ta-

nos talem causam facimus, vt ad misericordiam ire debeamus. Culpas alicui non dimittimus, vt per eas DEVS remittat peccata nostra nobis. Nec damus diuitias nostras pro peccatis nostris, sicut vos facitis. Nullum laborem facimus qui ad auaritiam pertineat: membra nostra libidini non tradimus, adulteria nulla committimus, nec aliquod vitium facimus, vnde ad pœnitentiam ire debeamus: sicut vos, qui de malo quod facitis, quando pœnitentiam inde agitis, sic loquimini contra vos de ipso malo quod facitis, velut contra inimicos soletis loqui. De factis nihil querimur, quia omnes rectum facimus. Subitam mortem non patimur, quia per sordida facta ipsum aëra non corrumpimus. Nullum vestimentum in varios colores tinguimus. Fœminæ nostræ non ornantur vt placeant: etiam ipsum ornamentum pro pondere computatur: quia nolunt pulchræ esse pro ornamentis, sed tantùm in ea natura quâ natæ sunt. Nam quis potest naturæ opus mutare? Quòd si aliquis mutare voluerit, quasi non sit rectè factum, criminosum est. Balnea non facimus, neque aquam calidam vt corpora nostra lauentur: Sol enim nobis calorem dat, & de rore infundimur. Nullam cogitationem super alium habemus. Non dominamur super homines qui sunt nostri similes: alioquin crudelitas est premere hominem ad seruitium, quem nobis ipsa natura fratrem dedit & qui est creatura ab vno patre cœlesti, sicut & nos sumus. Petras non resoluimus in calcem vt faciamus domos ad habitandum; neque vascula nisi de terra facimus. In fossis aut speluncis montium habitamus, vbi nullus sonus ventorum auditur, & vbi nullam pluuiam timemus. In terra dormimus absq; solicitudine: nos enim tales domos habemus, in quibus dum viuimus habitamus; & dum morimur, habemus illas pro sepulturis. Ad negotiandum per mare non nauigamus, vbi & multa pericula sustinent, qui illuc nauigant, & multa miracula cognoscunt. Psal. 106. *Nos artem non discimus vt bene loquamur: per simplicitatem omnia dicimus, quæ nunquam nos permittit mentiri. Scholas Philosophorum non frequentamus, in quorum doctrina discordia est, & nihil certum atque stabile, sed semper mendacia; sed illas scholas frequentamus in quibus discimus vitam; & quæ demonstrant nobis hoc quod in scripturis ostenditur; & non docent nos aliquem lædere; sed secundùm veram iustitiam alios iuuare nos docent, & non discimus in eis aliquam causam, quæ nobis aliquam tristitiam facit. Ludos nullos amamus: si autem volumus scire aliqua quæ ad ludum pertinent, legimus facta prædecessorum nostrorum, & nostra: & cùm debemus exinde ridere, plangimus. Tamen videmus aliqua in quibus admiramur & delectamur: hoc est, cœlum optimè resplendere ex stellis, solem rubicundum in cursu suo, & radios eius illuminare totum mundum. Videmus mare semper purpureum esse; & quando illic tempestas surrexerit, non dissipat vicinam terram, sicut in vestris partibus facit, sed complectitur eam sicut sororem suam. Ibi videmus cotidie diuersa genera piscium, & saltum dare & ludere Delphinos. Nec non & delectamur videre florentes campos, de quibus naribus nostris suauissimus odor ascendit, & de optimis locis siluarum & fontium, vbi audiuimus cantilenas auium. Hanc consuetudinem semper habemus. Nostra etenim natura hanc consuetudinem habet; Imperator, quam si tenere volueris, credimus quoniam durum tibi esse videbitur; & si nolueris eam tenere, nostra culpa non est, quia de quibus nos rogasti & mandasti, per has litteras scriptum tibi dirigimus. Sed tamen, si placet, dicemus aliquantulum de nostra doctrina, propter quam nostra vita tibi dura esse videtur: Vos Pactoli atque Hermi fluuios, splendido auro currentes, absque colore & pauperes reddidistis: Vos Nilum fluuium bibendo à suo cursu minuistis: V[illegible]onstrastis vt horribilem Oceanum nauigaret homo. Vos, tartareum custodem, canem Cerberum sopiri posse pretio confirmatis. Vos omnia manducantes, vultum semper ieiunum portatis. Vos in sa[illegible]ificio filios vestros interficitis. Vos facitis adulterare matres vestras. Vos mittitis discor[illegible] inter reges: qui sunt humiles, per vos etiam superbi facti sunt. Vos suadetis homini[illegible] nequaquam sufficere eis spatia terrarum, sed cœli quærere habitacula præparatis, a[illegible] pro[illegible]ocatis. Vos etiam per vestros deos multa mala committitis, sicut illi fecerunt. [illegible] potestis accipere à Ioue Deo vestro, & à Proserpina dea vestra, quam[illegible] quia ille multas fœminas adulterauit, & illa multos viros secum concumbere fecit. [illegible] non dimittitis in sua libertate viuere, sed seruos illos habetis: vos non iudica[illegible]: vos facitis iudicibus mutare legem. Vos multa dicitis quæ debent fieri, & non [illegible] non tenetis alium sapientem, nisi illum qui habet facundiam loquendi.* Omnem [illegible] vestrum in lingua habetis, & tota sapientia vestra in ore vestro consisti[illegible] *[illegible] potestatem habeatis in lingua vestra multa loquendi, multò tamen meliores sunt [illegible] tacere. Vos argentum & aurum colitis, & desideratis habere maximas domos, & [illegible] seruos; & tamen tantùm manducatis & bibitis, quantùm alius homo manducat & bibit. Omnia tenetis, & dominamini super*

illas diuitias quas habetis; sed sola sapientia Brachmanorum vincit vos in omnibus; quia sicut nos consideramus, illa mater vos genuit, quæ & lapides. Vos autem ornatis sepulchra vestra, & in vasis gemmarum cineres corporum vestrorum reponitis. Quid enim peius esse potest, quàm ossa quæ terra recipere debet? vos ea incenditis, & delectabilem vobis miseri sepulturam construitis; & non dimittitis vt in sinu suo recipiat terra quos genuit. Discant homines quale meritum vestris amatoribus post mortem redditis. Nos in honorem deorum pecudes non occidimus; neque templum facimus, vbi statuam auream vel argenteam ponamus cuiuscunque Dei, sicut vos facitis; neque altaria de auro & argento vel gemmis facimus. Vos autem talem legem habetis, vt de omnibus bonis vestris honoretis Deos vestros, vt vos exaudire debeant. Vos non intelligitis quia DEVS non pro pretio, neque pro sanguine vituli, neque pro sanguine hirci aut arietis, exaudit aliquem hominem, nisi per bona opera, quæ DEVS diligit: quia in verbo tantummodo homo similis est DEO; quia DEVS Verbum est, & Verbum istud mundum creauit, & per hoc [Ve]rbum viuunt omnia. Nos autem hoc Verbum colimus, hoc adoramus, hoc amamus. Nam D[E]VS spiritus & mens est; ideo non amat aliud, nisi mundam mentem. Quapropter nimium vos esse

Ioannis 1.

„ *insipientes dicimus, pro eò quòd* tenetis vt natura vestra cœlestis sit, & quòd DEI habeat
„ communitatem; vos autem sordidatis illa de adulterio, & fornicatione, & seruitu-
„ te idolorum. *Vos istas causas amatis, istas semper facitis, quas cum facitis quousque viuitis, mundi non estis, & post mortem exinde tormenta sustinebitis. Vos denique speratis DEVM habere propitium pro carne & sanguine quem ei offertis. Vos non seruitis vni DEO qui solus regnat in cœlo, sed multis diis seruitis. Vos tot Deos colitis, quot membra habetis in corpore. Nam hominem dicitis esse mundum paruum: & sicut corpus hominis multa membra habet, ita dicitis diuersos deos in cœlo consistere, & vnicuique partes nostri corporis attribuitis; & proprias singulis victimas occiditis, & nomina illis exquisita donatis: affirmantes* Mineruam, *pro eo quod fuit inuentrix multorum operum, natam de capite Iouis, & tenere sapientiam: proinde dicitis eam tenere summitatem capitis.* Iunonem, *pro eo quòd fuit iracunda, dicitis esse deam cordis.* Martem, *pro eò quòd fuit præses bellorum, dicitis esse Deum pectoris.* Mercurium, *pro eo quòd multùm loquebatur, dicitis esse Deum linguæ.* Herculem, *pro eo quòd duodecim mirabiles virtutes fecit, dicitis esse Deum brachiorum.* Bacchum, *quia fuit inuentor ebrietatis, dicitis Deum gutturis, & sic stare supra guttur hominis, quomodo si stetisset supra cellam vino plenam.* Cupidinem, *pro eo quòd fuit fornicator, dicitis tenere faculam ardentem in manu, cum qua accendat libidinem: proinde dicitis illum esse Deum iecoris, vbi habitat maxima pars ignis corporis.* Cererē, *pro eo quod fuit frumenti inuentrix, dicitis deam esse ventris.* Venerē, *pro eo quòd fuit mater luxuriæ, dicitis deam esse membrorum genitalium. Totum enim corpus hominis diuiditis inter deos. Nullam partem corporis vestræ potestati relinquitis: & nō tenetis quia corpora nostra vnus DEVS, qui in cœlo est, creauit. Exinde tamē nullam gratiam vobis reddunt ipsi dii vestri, sicut liberis hominibus, sed vt colonis & subiectis imponunt vobis tributū; atq; aliis alia tributa à vobis offeruntur.* Marti, *denique offertis aprum:* Baccho, *offertis hircum:* Iunoni, *offertis pauonem:* Ioui, *mactatis taurum:* Apollini, *occiditis cygnum:* Veneri, *immolatis columbam:* Mineruæ, *noctuam occiditis:* Cereri, *far sacrificatis:* Mercurio, *mella soluitis: Altaria* Herculis, *coronatis ex frondibus arboris populi: Templum* Cupidinis, *rosis ornatis. & si necessitas vobis euenerit, nō volunt commune sacrificium, nec communia templa; sed vnusquisque Deus proprium sibi præmium datumq; assequit[ur.] Vnusquisque autem Deus de his quos colitis siue auē, siue frumenta, siue quadrupedē, siue qualemcunque aliam causam consecratā habet. In illis est illorum potestas, nō in corpore vestro. Et vos quomodo dicitis illos habere potestatem in vestro corpore, qui non habent potestatē nisi in animalibus quæ offeruntur illis? Certè digna tormēta sustinebitis post mortē propter vestros errores. Reuera enim nō rogatis deos adiutores, sed carnifices, quia membra vestra per diuersa tormēta diuident. Necesse est enim tot tormenta sustinere corpora vestra, quot deos dicitis habere potestatem in corporibus vestris. Vnus Deus vos facit fornicari, alius bibere, alter litigare. Omnes vobis imperant, & vos omnibus seruitis; omnes colitis, & miserum corpus vestrum debet deficere propter tot seruitia, quæ facitis multis diis. Et rectū est vos talibus diis seruire propter tanta mala quæ facitis: & quia non vultis cessare à malis, ideò seruitis talibus diis. Sine causa enim seruitis talibus diis, qui vobis imperant omnia mala facere. Si verò exaudierint vos ipsi dii vestri, quando eos rogatis, damna faciunt in conscientia vestra: Si verò vos non exaudierint, erunt contrarii desideriis vestris, quia vos non alia de causa rogatis eos, nisi de malo: Ergo siue exaudierint, siue non exaudierint, vobis semper nocent. Hæ sunt deæ vestræ quæ dicuntur* furiæ, *quæ peccata hominum post mortem, per furorem vindicant. Hæc sunt illa tormenta, quæ vobis doctores vestri dixerunt, quæ vos velut mortuos iam in isto sæculo cruciant. Etenim si benè*

benè volueritis considerare, non peiorem causam potest aliquis sustinere, quàm vos modo sustinetis. Et quanta simulacra dicunt doctores vestri esse apud inferos, vos estis. Pœnæ sunt plurimæ in inferno; & vos modo pœnas patimini, quando vigilatis propter committenda adulteria & fornicationes & furta. Dicunt autem tātum malum esse in inferno, quod semper sitiant, & nunquam satientur: & vos tantam cupiditatem habetis acquirendi diuitias, vt nullo tempore satiemini. Dicunt Cerberum esse in inferno, qui habet tria capita: & venter vester, si conspicitis, sic est quomodo cerberus, propter multam comestionem & bibitionem. Similiter dicunt quòd sit in inferno serpens qui vocatur Hydra; & vos propter multa vitia, quæ per saturitatem ventris habetis, Hydra dici potestis. Et omnia alia quæ doctores vestri dicunt esse in inferno, si considerare vultis,
10 *propter mala vestra vos estis. Heu vos miseri qui talem fidem tenetis, vnde post mortem tormenta sustinere debetis.* Et rursum in secunda epistola inter alia sic ait: *Nos non sumus habitatores istius mundi, quasi semper hic esse debeamus; sed sumus peregrini in isto mūdo, quia morimur & pergimus ad domos patrum nostrorum: non grauant nos peccata nostra, nec manemus in tabernaculis peccatorum: nullum furtum facimus, & pro nostra conscientia quam habemus, in publicum non eximus. DEVS autem qui omnia creauit in mundo, varias operatus est causas, quia non poterat constare mundus nisi per diuersitatem multarum rerum: & dedit arbitrium homini ad discernendum de omnibus quæ in mundo sunt. Quicunque ergo dimiserit peiora & secutus fuerit meliora, hic non est DEVS, sed amicus DEI. Nos enim, quia sanctè & continenter viuimus, ideò dicitis quia aut Deos nos facimus, aut contra Deos inuidiam habemus. Ista suspitio*
20 *quam de nobis habetis, ad vos pertinet. Nam cùm tantùm inflati sitis de prosperitate quam habetis, ponitis super vos gloriosum ornamentum. Mittitis aurum in digitis vestris, sicut fœminæ faciunt. Vnde sciatis quia de hac causa vnde speratis vos esse maiores, ad veram humilitatem nihil vobis prodest. De auro autem non fiunt beatæ animæ, neque corpora humana exinde satiantur, sed magis de hac causa vitiantur. Nos autem, qui veram humilitatem cognoscimus, & scimus ipsam naturam auri, quando sitimus imus ad fluuium vt bibamus aquam; ipsum autem aurum cum pedibus calcamus. Aurum enim non tollit famem neque sitim: si sitierit homo & habuerit aquam, tollitur sitis eius. Similiter est si esurierit & comedat, cessabit fames eius. Si ergo de eadem natura aurum esset, cùm acceperit illud homo, sine dubio cessaret cupiditas illius. Sed ideo malum est aurum, quia cùm incipit homo illud habere, plus augetur cupiditas illius. Quicunque est ma-*
30 *lus homo, honoratur, & colitur à vobis; quia omnis homo cum tali homine habet dilectionem, qualis ipse est. Vos enim dicitis vt non curet DEVS mortalia: ædificatis vobis templa, statuitis altaria, & delectamini quando occiduntur ibi pecora, & nomen vestrum nominatur. Hoc factum est patri tuo, hoc auo tuo, cunctisq́; parentibus, hoc etiam & tibi promittitur. Vos autem nobis qui recta videmus vultis adducere tenebras cæcitatis vestræ; & non dimittitis nos vt plangamus de miseriis vestris. Non tantum beneficium præstat homo homini perdito, quantum si plangit eum.*
Ex his patet quàm religiosè, & secundùm legem naturæ vixissent isti Brachmani, qui nec legem Mosaicam, nec legem Euangelii audierant, si se peccatores humiliter agnouissent, secundùm quod dicit Apostolus. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas non est in nobis.* Aquam enim veræ humilitatis de (1. Ioan. 1.)
40 fonte Paradisi emanantem, in libris Gentilium nō reperimus. Sunt præterea homines in partibus supradictis, qui amore alterius vitæ in ignem mittere se non formidant. Sunt alii qui parentes proprios nimio confectos senio mactare & carnes eorum ad epulandum præparare, immensam reputant pietatem & magnam religionem. Hos autem qui hæc facere renuunt, tanquam impios & irreligiosos detestantur. Sunt ibi quidā homines magni velut *gigantes*, vt elephantes facillimè transiliant: sunt alii adeò *parui*, vt cubitum longitudinis vix excedant. Sunt matres quæ semel parientes canos partus proferunt, qui tamen diu viuentes in senectute nigrescunt: Sunt aliæ quæ quinquennes pariunt, sed partus non nisi octo annis viuere possunt. Sunt alii qui pisces crudos manducantes ipsum etiam salsum mare bi-
50 bunt. Sunt alii qui manus habent auersas, & in pedibus octo digitos. Alii plantas pedum habent transpositas. Alii canina capita habentes, & vngues aduncos pellibus pecudum induti, pro voce canum latratus proferunt. Alii ita paruum os habent quòd gracili calamo non nisi sorbilia comedunt. Alii carnibus humanis vescuntur, hominum autem vestigia tam diu olfactu percipiunt, quousque aquam aliquam homines, quos insequuntur, transierint. Sunt ibi monoculi qui *Arimaspi*, & *Cyclopes* appellantur. Sunt alii qui vnum tantùm pedem habentes, velocissimè currunt. Habent autem tantam pedis latitudinem, quòd eius planta contra solis feruorem

vmbram spatiosam sibi faciunt, & quasi in domo sub planta pedis requiescunt. Sunt alii absque capitibus oculos in humeris habentes, pro naso autem & ore duo habēt foramina in pectore, setis autem horridi sunt ad modum bestiarū. Sunt alii qui solo odore cuiusdam pomi viuunt: quos si longiùs ire cōtigerit, ipsum pomum secum deferunt, aliter enim morerentur, si prauum sentirent odorem. Sunt alii homines siluestres, sex manus per singulos habentes. Sunt ibi prætcrea mulieres speciosæ valde, in flumine calido habitantes, habentes horridas vestes, armis argenteis, eò quòd ferrum non habent, vtentes. In quibusdam verò siluis Indiæ habitant mulieres barbas vsque ad mamillas habentes, pellibus animalium indutæ, nec viuunt nisi de venatione. Sunt ibi præterea viri & mulieres nudi incedentes, corpus pilosum 10 sicut bestiæ habentes, æquè in flumine vt in terra habitantes. Quando autem extraneos homines superuenire inspiciunt, submersi in flumine non apparent. Sunt homines agrestes magni valde & pilosi sicut porci, & velut feræ mugientes. Sunt ibi quædam mulieres in flumine speciosæ valdè; excepto quòd dentes habēt caninos, albæ autem sunt veluti nix. In quibusdam montibus Indiæ habitant *Pygmæi* duorum cubitorum homines, quibus bellum est contra grues, qui tertio anno pariunt,

XCI. octauo senescunt. Hæc prædicta quæ partim ex historiis Orientaliū, & mappa mundi, partim ex scriptis beati Augustini & Isidori, ex libris etiam Plinii & Solini, præter historiæ seriem, præsenti operi adiunximus: si fortè alicui incredibilia videantur, nos neminem compellimus ad credendum: vnusquisque in suo sensu ab- 20 undet. (Rom. 14.) Ea tamen credere quæ contra fidem non sunt vel bonos mores, nullum periculum æstimamus. Scimus enim quòd omnia DEI opera mirabilia sunt, licet per vsum & consuetudinem hi qui frequenter ea intuentur, nullâ admiratione moueantur. *Cyclopes* enim qui omnes monoculi sunt, non minus forsan hos qui duos habent oculos admirantur, quàm nos, ipsos vel alios qui tres oculos haberent, admiraremur. Sicut autem *Pygmæos* pro nanis habemus, ita ipsi nos gigantes reputarent, si ex nostris aliquem inter ipsos aspicerent. In terra autem *gigantum* qui maior est inter nos, nanus reputaretur ab ipsis. Nos autem nigros *Æthiopes* turpes reputamus: inter ipsos autem qui nigrior est, pulchrior ab ipsis iudicatur. Multa autem in regionibus nostris non admiramur, quæ populus Orientalis si audiret, 30 vel non crederet, vel mira reputaret. In quibusdam partibus *Flandriæ aues ex arboribus* procreantur, rostris arboribus infixis dependentes: Postquam autem tempus maturitatis aduenerit, ex ramis statim decidunt, & sicut aliæ volucres volare incipiunt. Carnes autem earum in quadragesima manducant, nec aliquâ admiratione ducuntur, qui talia videre frequenter consueuerunt. In insula *Thanatos*, in partibus scilicet Hyberniæ, nunquam *serpentes* inueniri possunt, cuius terra ad quascunque regiones deferatur serpentes necat. In insula *Sardiniæ*, nec serpens, nec lupus procreatur. In insula *Thyle* nunquam arbores folia deponunt, in qua sex mensibus æstiuis semper est dies, sex autem mensibus hyemalibus nocte continuâ obscurantur. In insula autem Siciliæ *Ætna* continuis & sulphureis æstuat incendiis. 40 In Ionio autem mari est *Charybdis* & *Scylla*. In Hybernia locus quidam habetur, qui *purgatorium sancti Patricii* nuncupatur. Si quis illuc ingressus fuerit, nisi verè pœnitens & contritus fuerit, statim à dæmonibus raptus & necatus, nunquam postea reuertitur: qui autem verè contritus & confessus ingreditur, per ignem & aquam & per mille genera tormentorum à dæmonibus correptus, ibidem purgatur: qui autem ampliùs deliquit, acerbiùs in eodem loco punitur: qui autem à prædicto loco purgatus regreditur, nunquam deinceps ridere potest, vel ludere, vel aliqua quæ in mundo sunt diligere; sed semper lugens & gemens posteriorum oblitus, in anteriora se extēdit. In *minori Britannia* fons quidam esse refertur, cuius aquæ supra propinquum lapidem proiectæ pluuias & tonitrua prouocare dicuntur. In 50 *maiori Britannia* quidam fuerunt homines *caudati*: In *Francia* quidam *cornuti*. Aliquos etiam vidimus velut canes latratus emittentes. In Longobardia cum buffonibus in fronte nascuntur pueri: si quis autem absque buffone nascatur, mater eius tanquam adultera, & quæ ab alienigena conceperit, à marito suo reputatur. In quibusdam regionibus, & maximè in extremis *Burgundiæ* partibus, circa Alpes, quædam sunt mulieres *guttur magnum* vsque ad ventrem protensum, tanquam amphoram seu cucurbitam, amplum habentes. Quidam autē tantas in dorsis habent strumas, quòd quic-

quid in

quid in augmentum corporum cedere debet, gibbus absorbet, & propter hoc parui sunt velut Nani. Hæc prædicta hi homines apud quos frequenter talia contingunt, non admirantur. Ex mutis & surdis, muti & surdi infantes procreantur: ex leprosis autem plerumque leprosi nascuntur: non tamen ex cæcis, cæci; vel ex monoculis, monoculi; vel ex mutilatis, nascuntur mutilati. Septimo vel nono mense puer editus non moritur; octauo mense natus, nequaquam viuere potest. In partibus Occidentis quidam *siluestres* homines in siluis capti sunt, qui postquam inter homines veniebant manducare renuentes, moriebantur, vel euadebant. Quidam etiam *Hermaphroditi* seu gemini sexus in partibus Franciæ à multis visi fuerunt. *Comani*
10 carnes crudas comedunt, & sanguinem equinum bibunt. Non solùm autem in hominibus, sed in brutis animalibus, & in rebus inanimatis quædam mirabilia fiunt, quæ tamen ex vsu & frequentia homines non admirantur. *Vulpecula* vt volucres capiat, in via resupina protenditur; & se mortuam & quasi sine anhelitu simulat. *Formica* granum frumenti, ne germinet in terra, per medium secat. *Ceruus*, vt renouetur, flatu serpentem de cauerna extrahit, quo deuorato fontem vrgente veneno sitiens, postquam aquas biberit, recuperat iuuentutem. Cerui autem aquas natando transeuntes, cornua ponderosa clunibus suis inuicem sustentare dicuntur; postquam autem primus fessus fuerit, loco eius vltimus succedit. *Aranea* de visceribus suis vt muscas capiat, subtilia retia facit. *Lupus* si priùs hominem videat,
20 quàm ab homine videatur, homo raucescit: dicitur autem quòd postquam ouem rapuerit, insequentibus pastoribus ouem dentibus non lædit, sed super dorsum suum suauiter eam iacere permittit, ne fortè ouis sentiens læsionem, dum seipsam moueret, fugam lupi retardaret. *Simia* si duos fœtus parturit, vnum odio habens, alterum diligit: illum quem amat inter brachia portat; alter quem odio habet, dorso eius vel collo adhæret. *Canes* soli, nomina sua cognoscunt, dominos suos tenerrimè diligunt, & pro eis morti se exponunt: corpora mortuorum dominorum nullà fame compellente, relinquunt: quamuis autem libenter dormirent, hospitia domini sui nocte vigilantes custodiunt. *Musio* seu murilegus, tam acutè cernit, vt fulgore luminis superet tenebras noctis. *Mustela* serpentes, & mures persequi-
30 tur: ingenio autem callida, in domibus vbi fœtus nutrit, transferendo frequenter locum mutat, ne reperiantur. *Hericius* talis est prudentiæ, dum abscindit vuas de vite, vel poma de arbore, super ea sese volutans, aculeis adhærentia, secum defert: qui etiam dum aliquid persenserit, statim in globum collectus, ad arma se conuertit. *Agnus* talis est naturæ, quòd matrem suam statim natus inter omnes alias oues, balatu cognoscit: Lupum autem abhorrens, licet nunquam priùs ipsum viderit, statim fugit, qui tamen viso equo, vel alio animali, nec fugit, nec timet. *Aquila*, pullos suos vnguibus suspensos radiis solis obiicit: quos autem immobilem tenere viderit aciem, tanquam generè dignos, conseruat & pascit; si quos flectere viderit obtutum, tanquam degeneres abiicit. Quando autem sene-
40 ctâ grauatur, sublime volans omnes nubes transcendit: ex calore autem solis propinqui oculorum eius caligo consumitur, & pennæ eius graues alleuiantur; statimque cum impetu descendens, aquis immergitur, & ita iuuentus eius renouatur: Rostrum autem aduncum petræ allidens sublato veteri nouum recuperat, vt cibum capere valeat. *Turtur* quandiu maritus eius viuit, nunquam ab eo recedit; quo mortuo, nunquam alii copulatur, sed solitaria incedens siccis arborum ramis insidet, gemens & tristis. *Coruus* pullos non pascit, nisi plumis nigrescentibus proprii coloris similitudinem agnoscat. *Grues* volant ordine litterato: quæ autem præest agmini, voce castigat alias vt ordinem non deserant: quâ raucescente, alia succedit eidem officio deputata. Nocte verò inter se excubias diuidunt; vnguibus
50 autem lapillos suspensos tenent, quibus somnolentas arguant si lapides decidant: In senectute autem nigrescunt. *Ciconiæ* dum maria transeunt, cornices duces earum exercitum præcedunt: maxima autem illis est cura fœtus & affectio, adeò vt dum nidos propensiùs fouent, assiduo accubitu, plumas exuant: serpentibus autem inimicantur. *Struthio* ferrum comedit, oua autem sua fouere negligens in puluere relinquit: ibi autem fotu pulueris animantur. *Ardea* dum altiùs volat, tempestatem significat: adeò enim imbres & procellas formidat, quòd omnes nubes volando transcendit. *Monedula*, si aurum vel monetam inuenit, furatur &

abscondit. *Pauo* cùm inspicitur & laudatur, caudam in circulum extendendo flectit, & pulchritudinem ostendit: hinc autem pedum deformitatem cùm prospicit, caudam deponit. Pauo vocem habet terribilem, incessum simplicem, caput serpentinum, pectus sapphyrium, pēnas aliquantum ruffas, caudam longam & oculatam. *Accipitres* dum viderint pullos tentare posse volatus, escas eis non deferunt, sed pennis eos verberant, & à nidis præcipitant, atque teneros ad prædam compellunt, ne adulti pigri fiant. Accipiter siluestris, domesticas rapit aues, & statim deuorat; domesticus siluestres rapit, & domino suo reseruat. *Palumbes* genus est columbarum, quæ amisso corporali consorte, solitaria incedit; nec quicquam viride ad requiescendum petit, neque carnalem copulam vltrà requirit. *Columba*, pullos alienos nutrit, vmbram accipitris in aquis prospicit, in alto nidificat, vbi malæ bestiæ attingere non possint: gemitum habet pro cantu: morticinio non viuit, sed puro grano; felle caret, gregatim incedit, nulli rostro nocet. *Vpupa*, auis est spurcissima, cristis erectis galeata, semper in sepulchris vel stercoribus commoratur; cuius sanguine quisquis se inunxerit, dormitum pergens, dæmones quasi suffocantes se videbit. *Hirundines* lapsura culmina nunquam petunt, à diris auibus tanquam sacræ nunquam infestantur. Hirundo residens non comedit, sed escas in aëre volando rapit: Cognoscit autem tempus aduentus sui. *Gallus* horas noctis discernit; priùs se alis verberat quàm cantus emittat: in maiori nocte, maiores & validiores cantus format. *Perdix* auis est immunda & dolosa; alteri oua diripiens, fouet ea: sed pulli dum propriæ matris vocem audiunt, hanc quæ fouit relinquunt, & ad eā quæ genuit confugiunt. Si quis ad nidos suos accesserit, obuiam ei occurrunt, pedum vel alarum debilitatem simulantes, & quasi statim capi possint gressus fingunt tardiores: postquam autem longiùs à nidis homines paulatim traxerint, statim auolant. Pulli autem cùm se deprehendi metuunt, glebulas pedibus attollentes, sub eis latentes absconduntur. *Bubo* absconditur de die, quærit escam de nocte: aues veretur, nam eam omnes aues persequuntur, & dilaniant, quando eam reperire & capere possunt. *Vultur* exercitus sequitur, vt mortuorum cadaueribus satietur: libenter autem pedibus graditur, vnde à quibusdam *gradipes* appellatur. *Coturnices* æstate depulsâ, maria transmeant, morbum caducum sicut homines patiuntur. *Cygnus* plumas habet candidas, sed carnes nigras: dicitur autem quòd citharædis canentibus aduolat, & cantum suum ad modum citharæ aptat. In rebus etiam inanimatis multa fiunt quæ homines ex vsu mira esse non aduertunt. *Argentum viuum* tantæ virtutis est, quòd si, suprà ipsum saxum magnum ponatur, oneri resistit. *Aqua* frigida calci frigidæ infusa, ipsam calescere facit. *Solis radius*, album nigrescere facit veluti cutem hominis; nigrum autem in album conuertit, veluti pannum lineum: Item ceram dissoluit, & liquescere facit; lutum autem indurat & constringit. *Crystallus* licet frigidus sit, aquâ frigidâ conspersus ad solis radios, ignem ex se producit. *Aër* motus frigescit, *terra* autem & aqua motu calefit. *Ignis* diuisus in partes plurimas non minuitur; flatu hominis extinguitur, flatu iterum accenditur. *Flatus* hominis frigida calefacit; è contrario autem flatu hominis quæ calida sunt frigida fiunt. *Terra* cùm summè ponderosa sit in se, sine base vel fundamento subsistit.

XCII. Quis enumerare sufficiat mira & magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, quæ in materiam laudis suæ, & in vsum necessitatis nostræ creauit? *Vidit DEVS omnia quæ fecerat, & erant valdè bona: & nil odit eorum quæ fecit.* Solum peccatum, quod nihil est, odit, persequitur, & destruit. Vnde cùm sex diebus solo verbo cuncta creauit, annis plusquam triginta ad destruendum peccatum in mundo laborauit. Hoc solum est, quod ei displicet; quod oculos maiestatis eius offendit; quod ipsum mitem & suauem, nobis asperum reddit. Hoc est quod de angelo diabolum fecit, de amico inimicū, de libero seruum, de incorrupto mortalem & corruptum, de beato miserum, de ciue exulem & eiectum, de filio DEI fecit filium diaboli: hoc est quod nunquam impunitum relinquit. Vnde peccatis prædictorum impiorum hominum exigentibus, & criminibus prophanorum, qui Terram Sanctam sceleribus multimodis sordidabant ipsum prouocantibus, conuersus est nobis in crudelem qui naturâ benignus est & suauis. Vnde *facti sumus in derisum vicinis nostris, & inimici nostri subsannauerūt nos. Cithara nostra versa est in luctum, & fortitudo nostra redacta est in fauillam. Facta est quasi vidua domina gentium, princeps prouinciarum facta est sub*

Ierem. 8. — Psal. 110. — Gen. 1. — Sap. 11, 25. — Thren. 3. — Iob 30. — Lament. 1, 1.

est sub tributo. Adeò enim conclusit Dominus in gladio populum suum, & hereditatem suam spreuit; adeò facti sunt inimici nostri in capite & nos in caudam, quòd non solùm Terram Promissionis, sed omnes ferè regiones, ciuitates & munitiones ab introitu terræ Ægypti vsque Mesopotamiam, itinere plusquam viginti dierum, inimici nostri nobis violenter abstulerunt; & de ciuitatibus quidem maritimis tantùm duas nobis relinquentes, *Tyrum* scilicet & *Tripolim*, & insuper *Antiochiam* cum paucis munitionibus, scilicet castrum quod *Cursatum* dicitur, iuxta Antiochiam, *Craccum*, & *Margath*, & *Castrum Album*, *Archis*, & *turrem Enteradi*, & castrum *Nephin* in comitatu Tripolitano, omnes mediterraneas ciuitates & munitiones, proprio dominio impii subiecerunt. Huius autem aduersitatis & amaræ tribulationis calamitas, à comitatu Edessano infaustum sumpsit exordium. Mortuo enim viro strenuo & in agendis prouido *Ioscelino* Comite Edessano, filius eius iunior *Ioscelinus* à paterna probitate & honestate degenerans, sordibus effluens & libidine dissolutus, *Edessam* ciuitatem valdè negligenter munitam relinquens amisit, *Sanguino* Mussulæ Domino, quæ caput est & Metropolis prouinciæ Assur, ciuitatem obsidente, quam effractis mœnibus violenter occupauit. Post hæc verò prædicto Ioscelino diuinæ vltionis iudicio capto à Saracenis, & in carcere Halapiæ fame & inediâ miserabiliter consumpto & mortuo, vxor eius residuam terram quam tenebat, Imperatori Constantinopolitano sub annuo censu resignauit: qui copiosam Græcorum transmittens multitudinem ipsam terrā contra Saracenos se defensurum promisit. *Noradinus* autem prædicti Sanguini filius de recessu Latinorum licet admodum paucorum gaudens, Græcorum autem imbellem multitudinē, quos molles & effœminatos agnoscebat paruipendens, eodem anno Græculis partim interfectis, partim verò captiuatis, totam terram suo subegit imperio. Addidit insuper idem Noradinus castrum, quod dicitur *Harenc*, & ad Antiochenum principatum pertinebat, per decem milliaria ab Antiochia distans, obsidere. Et quoniam tunc temporis *Raimundus* Princeps Antiochenus interfectus erat in prælio; filius autem eius *Boamundus*, qui ei in principatu successerat, in captiuitate Saracenorum tenebatur, ipsum castrum facilè paucis resistentibus expugnauit. *Paneadem* etiam ciuitatem nostris violenter auferens, suæ subegit ditioni, rege Hierosolymorū Almarico tunc absente, & circa partes Ægypti commorante. Ex tunc cœpit nostrorū deterior fieri conditio: residuam tamen terram nostri defenderunt, quousq; regna Ægypti & Damasci, sub diuersis & auersis dominis permanserunt. Postquā verò peccatis exigentibus, prædicta duo regna viribus duplicatis sub vno domino coniūcta sunt, regnum Hierusalem, quod in medio eorum constitutum est, perturbari cœpit & grauiùs infestari. *Siracunus* siquidem vnus ex prædicti Noradini satrapis regnum Ægyptium, quod violenter occupauerat, nepoti suo ex fratre Salahadino in morte reliquit. Hic siquidem *Salahadinus* ingenio astutus, in armis & præliis exercitatus, *in agendis prouidus, & festinus*, liberalis valdè & munificus, non solùm suis, sed etiā quibusdam ex nostris, quos sibi muneribus & promissis alliciebat, quanta mala nostris intulit, & quasi flagellum Domini populum Christianorum triturauerit, totus penè mundus agnouit. Postquam enim, sicut superiùs diximus, dominum suum Calipham Ægyptium improuisum occidit, filio domini sui Noradini iam defuncti, qui puer tunc temporis in Halapia morabatur, regnum abstulit Damascenum, præcipuis regni tyrannis partim muneribus & promissis, partim metu & violentiâ ad proditionem inclinatis. Addidit præterea prædicto domino suo, cuius ipse & pater eius serui fuerant, opulentissimas auferre ciuitates: *Haman* videlicet, & *Maubec*; Emissenam ciuitatem, quam vulgariter *Chamele* appellant, & insuper Cæsaream magnam. Mortuo autem prædicto Noradini filio cùm in potestatem patrui eius domini Mussulæ iure hereditario Halapia deuenisset, non solùm *Halapiam*, verùm etiam Comitatum Edessanum & totam terram vsque Eufraten & insuper Mesopotamiæ nobiles ciuitates, *Edessam*, *Carram*, & vniuersam penè regionem prædicto Mussulæ domino Salahadinus abstulit violenter, in detrimentum & damnum populi Christiani. Eius enim promotio & exaltatio, nostrorum erat formido, periculum & deiectio, præsertim cùm Saraceni, qui à principio quando primùm Latini terram ingressi sunt, rudes in præliis erant, & quasi inermes cum arcubus tantùm ad bella procedebant, vsu & exercitio & frequenti cōgressione cum

nostris rei militaris plenius adepti essent disciplinam; & more Latinorum loricis & galeis, lanceis, ensibus & clypeis vterentur. Ad cumulum autem malorum regnum Hierusalem in manus alieni hominis deuenerat, qui non erat de semine illorum, per quos salus facta est in Israël. Ob hanc causam magnæ erant discordiæ & dissensiones inter regni nostri Barones.

1. Mac. 5.

XCIII. Primus siquidem Latinorum qui regni Hierosolymitani dominium obtinuit, fuit DEO amabilis Dux *Godefridus de Bouillon*, per quem DEVS operatus est salutem & liberationem Terræ Sanctæ. Hic regnum vno tantùm anno strenuè gubernauit: Principem autem militiæ Soldani Ægyptiorum cum infidelium innumera multitudine in prælio superauit. Quo viam vniuersæ carnis ingresso, frater eius *Baldouinus* Comes Edessanus, eidem in regno successit. Hic primus Rex Latinorum Hierosolymitanus fuit: nam frater eius, vbi Dominus spinis coronatus fuerat, regio diademate coronari recusauit. Hic siquidem Baldouinus principem militiæ Ægyptii Caliphæ, qui secum vndecim milia equitum & triginta milia peditum adduxerat, cum ducentis sexaginta equitibus, & nongentis peditibus superauit; ipsumque Principem cum quinque milibus ex suis interfecit, reliquis partim captis, partim fugâ elapsis. In alio etiam bello maximam Ascalonitarum & Ægyptiorum multitudinem cum paucis admodum superauit. In tertio autem prælio habens secum equites quingentos, peditum verò duo milia, viginti duo milia Ægyptiorum in prælio subiugauit, cæsis quatuor milibus ex eis cum præside Ascalonitarum, reliquis autem in fugam conuersis. Regnauit autem annis decem & octo, & mortuus est: cui successit secundus Latinorum Rex Hierosolymitanorum *Baldouinus de Burgo* consanguineus eius, qui secundo regni sui anno cũ septingentis equitibus congressus est cum Gazi Principe Turcorum potentissimo. Hic denique Gazi innumeram Turcorum multitudinem secum habens, cõfectus est in prælio, cæsis ex suis quatuor milibus; multis autem vinculo mancipatis, cum reliquis fugæ præsidio vix euasit. In secundo autem prælio regem Damascenum superauit, habens secum mille cẽtum equites, peditum verò duo milia: hostes autem equitum quindecim millia habuisse dicuntur, ex quibus duobus milibus interemptis, multis captis, pluribus autem vulneratis, alii cum principe suo terga dederunt: de nostris autem viginti quatuor ceciderunt. In tertio autem bello Rex Ascalonitas cum Ægyptiis, qui ad eorum venerant subsidium, in bello prostrauit. In quarto autem conflictu Doldequinum Damasci Regem contriuit in bello; duobus milibus ex hostibus interemptis; de nostris autem equitibus viginti quatuor; de peditibus verò octoginta ceciderunt. Regnauit autem tredecim annis, & mortuus est: cui successit in regno gener eius *Fulco* Comes Andegauensium, Cenomanensium & Turonensium, cui prædictus Rex filiam suam primogenitam Milisendem dederat vxorem. Hic cum infinita Turcorum multitudine, quæ de sinu Persico ebullierat, circa partes Antiochenas congrediens, tribus milibus interemptis, multis autem captiuitate detentis, cæteris fugâ mortem euadentibus, gloriosum triumphum de hostibus reportauit. Regnauit autem vndecim annis. Dum autem in territorio Acconensi leporem agitando cum equo suo præceps corrueret, improuiso & lamentabili casu in fata concessit, relinquens duos filios, Baldouinum primogenitum, qui illi in regno successit, & Amalricum. Hic autem *Baldouinus* nono regni sui anno, quosdam nobiles Turcorum satrapas cum vniuerso exercitu suo citra partes Hierichontinas in prælio superauit, interfectis ex eis quinque milibus, reliquis verò cũ ignominia & confusione fugientibus. Quinto decimo autem regni sui anno, cum Principe Damasci Noradino congrediens, fugiente Noradino cum parte exercitus sui, reliquis autem interemptis, Rex victor campum obtinuit. Regnauit viginti quatuor annis, & mortuus est sine liberis; cui successit in regno frater eius *Amalricus*. Hic primo regni sui anno in partibus Ægypti cum Dargam Principe militiæ Ægyptiorum congrediens, factâ magnâ strage hostium, diuinitus victoriam obtinuit. In secundo autem prælio habens secum trecentos septuaginta milites, pugnam iniit cum Principe Soldani Damasci *Siracuno*, circa solitudines Ægypti. Hic autem Siracunus habebat in comitatu suo duodecim milia Turcorum; Arabum autem vndecim milia. Eo die, nocte appropinquante à se inuicem discesserunt, centum ex nostris interemptis: de hostibus autem, mille asserunt cecidisse. Regnauit autem annis duodecim; & eo viam vniuersæ carnis ingresso, regno præfectus est filius eius

10 20 30 40 50

lius eius *Baldouinus*. Hic diuino iudicio leprâ percussus, regnum nihilominus strenuè rexit. Anno siquidem regni eius tertio, cum trecentis septuaginta quinq; equitibus circa partes Ascalonæ occurrens Salahadino, ipsum cum viginti sex millibus equitum in prælio superauit: ipso Salahadino cũ parte exercitus fugiente, aliis partim trucidatis, partim vinculis mancipatis: de nostris autem quatuor aut quinque tantùm occubuisse dicuntur. In alio autẽ prælio circa Tyberiadem cum septingentis equitibus occurrens Salahadino, qui viginti milia equitũ secum habere dicebatur, factus superior, mille ex hostibus interemit: de nostris autem paucissimi ceciderunt. Cùm autem Rex propter prædictam eius ægritudinem vxorem ducere
10 noluisset, duas sorores quas habebat, *Sibyllam* primogenitam, & *Isabellam* iuniorem, duobus viris nobilibus genere, vxores dedit: Sibyllam dedit *Willermo de Longaspatha*, Marchioni Montisferrati: Isabellam autem tradidit *Enfrido de Torono*. Mortuo autem prædicto Willermo, & relicto quodam paruulo filio, cui nomen *Baldouinus*, Rex prædictam sororem suam tradidit cuidam adolescenti de Pictauensi comitatu, Guidoni scilicet de Lesinio: cui etiam, eò quòd infirmitate nimiùm grauabatur, totius regni administrationem cõmisit: deinde verò regis indignationem incurrens, procurationem & administrationem amisit. Rex enim conuocatis regni Maioribus, nepotem suum paruulum *Baldouinum* in regem inungi fecit; & tam ipsum quàm regni negotia prouidentiæ & tutelæ comitis Tripolitani cõ-
20 misit. Non multo tẽpore post Baldouino rege leproso viam vniuersæ carnis ingresso, iuniore etiã rege Baldouino defuncto, præfatus *Guido* procurãte vxore suâ Sibyllâ, ad quam regnum iure hereditario pertinebat, sublimatus est in regem, nõ requisito assensu Comitis Tripolitani, qui totius regni procurator tunc erat. Vnde valdè indignatus præsertim cùm ipse ad regnum aspiraret, absque regis consensu, cum quo rancorem & inimicitias contraxerat, cum Salahadino treugas iniit; & vt maiorem in regno & contra ipsum regem defensionem haberet, & nocendi materiam, cum domina Tyberiadis & totius Galileæ matrimonium contraxit. Vnde facta est in regno periculosa valdè & perniciosa dissensio quibusdam Comiti fauẽtibus, aliis autem regi adhærentibus. Attendens igitur *Salahadinus* tanquam vir XCIV.
30 astutus & in rei militaris exercitio, & experientia sufficienter instructus, quod regnum in se diuisum fuisset desolatum, & *in immenso foramine discordiæ facilè pateret ingressus*, & maximè sumptâ occasione eò quòd princeps Montis regalis & totius terræ trans Iordanem, treugas, quas cum Saracenis vicinis habebamus, maximam eorum prædam auferens, confregerat, ex omnibus subiectis regionibus multitudinem pugnatorum congregauit, ex Ægypto, Arabia & Damasco, Halapia, & Mesopotamia, tam equites, quam pedites, contra nos conuocando. Dicitur autem quinquaginta milia equitum, exceptis peditibus, in comitatu suo secum traxisse. Præmisit autem ante faciem suam decem milia electorum equitum, qui per terram comitis Tripolitani, qui treugas cum Saracenis habebat, per partes scilicet Tybe-
40 riadis & Nazareth, vsque ad suburbia Accon transierunt, vt more suo nostros prouocarent: si fortè incautè vel inordinatè prosequẽtibus nostris possent eos perimere vel captiuos retinere: nec effectu caruit astuta impiorum machinatio. Magister enim Militiæ Templi cum fratribus suis plusquam septuaginta incautè egrediens, cũ Magistro Hospitalis, qui cum fratribus suis decem de castello suo *Beluoir* reuertebatur, interclusi sunt ab eis iuxta *casale Roberti*. Licet autem non nisi centum viginti milites in comitatu suo haberent, decem millibus Saracenorum viriliter resistentes, multis ex eis interfectis, ipsi tandem ferè omnes interfecti sunt, vel retenti. Magistro autem Templi cum paucis fugâ elapso, magistro verò Hospitalis trucidato, primo die Maii cruentam de nostris reportauerunt victoriam. Ex quo facto animo-
50 siores effecti Saraceni, mense Iulio sequenti, omnibus viribus suis in vnum congregatis vltimam regni nostri ex parte Damasci ciuitatem, *Tyberiadem* videlicet obsederunt. Iam enim Comes Tripolitanus, cuius erat ciuitas a Saracenis ruptis treugis recesserat, eò quòd imponeretur sibi, quòd contra regem & regnum mala plurima machinans Saracenis confederatus fuisset. Munierat igitur prædictam vrbem contra Saracenos, vxore sua in præsidio relictâ. Dominus autem *Guido* Rex Hierosolymitanus, & *Raimondus* Comes Tripolis cum omnibus ferè totius regni viris nobilibus, cum equitibus & peditibus quotquot habere potuerunt, sinistris omi-

Ioh. 8.

nibus, diuini fauoris auxilio destituti, Salahadino & suis occurrentes, tentoria sua circa fontem Sephoritanum locauerunt. De multitudine siquidem sua plusquam de diuino adiutorio confidebant: à primo enim introitu Latinorum in Terram Sanctam, nostri tot milites in vno prælio congregare nequiuerunt. Erant enim mille ducenti milites loricati: peditum autem cum armis, arcubus & balistis circiter viginti milia, infaustæ expeditioni interfuisse dicuntur. Die autem sequenti dum nostrorum exercitus versus obsessam ciuitatem progrederetur, copiosa equitum leuiter armatorum multitudo de exercitu Salahadini à dextris & à sinistris nostros proteruè nimis infestans, sagittis & spiculis tam equos quàm equites sine intermissione vulnerans in loco arido & inaquoso exercitum nostrum castra locare, & tentoria figere coëgit. Quod prudenter attendens Salahadinus, sequenti die priusquam ad aquas exercitus nostri peruenire potuissent, iuxta *Thoronum* Ethin ordinatis secundùm militarem disciplinam aciebus nostris tam equitibus, quàm equis siti arentibus, dimicaturus hostiliter occurrit. Erant autem dies feruentes valdè. Mense enim Iulio quarto nonas eiusdem, in festo translationis sancti Martini, anno Incarnationis Domini *millesimo centesimo octogesimo septimo*, tradidit Dominus populum Christianorum, infinitis eorum peccatis exigentibus, in manus impiorum, adeo quòd nostri subitò terga dantes inimicis ferè omnes à maximo vsque ad minimum trucidati sunt, vel captiuitate detenti. In tantum enim formidine & pusillanimitate humiliauit eos Dominus, quòd vnus ex hostibus versâ vice, centum persequebatur ex nostris; & quidam arma sua turpiter proiicientes, in manus inimicorum se ipsos gratis tradebant. Factâ autem magnâ strage cæsorum *Guido de Lisiniaco* Rex Hierosolymorum, & Magister Militiæ Templi cum multis aliis tam maioris quàm minoris ordinis in captiuitate detenti abierunt absque fortitudine, ante faciem subsequentis. Vt autem certis indiciis & euidentibus signis Dominum sibi terribiliter offensum agnoscerent, & diuinæ protectionis clipeum ab ipsis recessisse non dubitarent, lignum salutiferæ Crucis, quod die illo tenebroso secum in prælio detulerunt, lamentabili infortunio amiserunt. Salahadinus autem existimans Templariorum & Hospitaliorum ordines prorsus in partibus Orientalibus delere, quotquot ex ipsis capere potuit, decapitari præcepit.

An. Dn. 1187.

XCV.

Qui autem de Christianis casu aliquo euadere potuerunt, qui etiam in ciuitatibus & munitionibus remäserunt, longo tempore post prædictum infortunium, velut mulieres, meticulosi facti sunt, & emarcuit cor eorum, ita quòd plures ex ipsis paucos ex Saracenis expectare non audebant. Vnde statim post prædictam victoriam Salahadino ante *Accon* venienti, saluis personis suis resignauerunt ciuitatem. Inde verò *Berithum* transiens absque contradictione eandem à ciuibus desperatis recepit. *Biblium* etiam absque vlla difficultate obtinuit. Ab *Accon* autem vsque ad *Ascalonam* de ciuitatibus maritimis nulla ei ausa fuit resistere. Ascalonitæ verò eò quòd inexpugnabilem credebant esse suam ciuitatem, cursum eius paulisper retardantes, ei responderunt, quòd ciuitatem suam non relinquerent, donec certi essent vtrum Hierosolymitani ciuitatem suam non retinerent vel resignarent. Postquam autem ante *Hierusalem* sua fixit tentoria, hac conditione tradiderunt ei ciuitatem, quòd liberi cum his, quæ secum deportare possent, egrederentur, & vsque in terram securitatis ab ipso deducerentur. Sic igitur de manibus inimicorum euadentes postquam Tripolim deuenerunt, in manus deteriores prophanas & sacrilegas inciderunt. Quicquid enim secum detulerunt, comes Tripolitanus *Boamundus*, cum satellitibus suis filiis Belial, qui prædictis exulibus fratribus suis compati debuerunt, prorsus abstulerunt, crudeliores Saracenis se ipsos Christianis exhibentes. Ex quo illud miserabile & à sæculis inauditum referunt ibi accidisse; dum quædam matrona paruulum suum secum super humeros deferens ab impiis hostibus spoliaretur: nulli enim sexui vel conditioni parcebant, nec etiam pudenda perscrutari erubescebant: attendens mulier illa quòd ea quæ sibi Saraceni pro se & filio suo nutriendo reliquerant, hi ad quos confugerat, rapiebant, supra modum perturbata, & spiritu tristitiæ & desperationis absorpta propriū filium in mare proiecit. Prædictus autem Salahadinus *Ascalonam* reuertens hac conditione ciuitatem recepit, quòd Regem & Magistrum Templi, quos captiuos tenebat, restitueret libertati. Inde verò non segnis neque piger vsque Tripolim pertransiens,

pertransiens, videns ciuium multitudinem cum his, qui ad ciuitatem confugerant ad resistendum paratam, credens quòd de manu eius ciuitas non posset euadere, si tempore oportuno postquam alias occupasset munitiones reuerteretur, versus *Antiochiam* cursum direxit, præsertim quia tunc temporis circa munitiones maritimas non vellet multùm laborare; eò quòd Piratarum Princeps in mari potentissimus, quem *Margarit* nominabant, de regno Siciliæ cum octoginta galeis ad nostrorum subsidium aduenerat, missus à strenuo & illustri Rege Siciliæ Wilermo. Hic enim postquam lamentabilem casum Regni Hierosolymitani audierat ab his qui ad partes illas in nauibus confugerant, confestim eadē æstate non solùm prędictas galeas, 10 sed milites quingentos, & *Turcopulos* trecentos, & victualia absq; æstimatione transmiserat ad subsidium residuæ terræ, vir venerabilis & DEO deuotus. Salahadinus autem suam fortunam impetu spiritus sui nō segniter vrgens infra trium mensium spatium totum obtinuit Antiochenum principatum; excepto castro inexpugnabili domini Antiocheni Patriarchæ quod *Cursatum* appellant; & ciuitate Antiochena; à qua datâ sibi multâ pecuniâ à domino Patriarcha recessit, spem certam & fiduciam habens, quòd aliis circunquaque occupatis munitionibus sola ciuitas diu repugnare non posset. Ipse enim plusquam viginti quinque ciuitates & oppida, in prædicto principatu suæ subiecerat ditioni. Reuertens igitur in regnum Hierosolymitanum ciuitatem *Tyrensem*, quæ sola ex omnibus regni ciuitatibus remanserat, 20 terrâ & mari cum vniuersali exercitu obsidione vallauit. Erat autem in tempestate illa in ciuitate Tyrensi vir nobilis & armis strenuus *Conradus* Marchio Montisferrati: Nam eodem, vt dicitur, die quo nostri in prædicto bello corruerunt, ipse de Constantinopoli veniens, illuc nauigio deuenit. Hic autem ciuibus promisit quòd defenderet ciuitatem, si eam post eius liberationem sibi concederent possidendam. Ciues autem libenti & grato animo eius annuerunt petitioni: Nam & ipsi, quasi desperati nullo modo posse resistere fortitudini Salahadini credebant, qui vniuersam iam occupauerat vndique regionem. Ipse autem ex parte terræ Salahadino viriliter resistens, ex parte maris galeas eius igne succendit. Vnde Salahadinus turbatus valdè & iratus, solutâ obsidione statim recessit. Ipse enim 30 absque expensis magnis & damno, & sine aliqua sanguinis effusione credebat eos angustiare, & ad deditionem compellere. Et reuera facilè hoc fecisset, nisi DEVS aliter prouidisset: Nam castra munitissima *Saphet*, *Beluoir*, *Turonum* & *Belfort* quæ in montanis sita erant, ipse ad deditionem compulit, licet aliquo tempore, quamdiu victualia habuerunt, restitissent. Quomodo enim pauci & perterriti & impotentes homines tam potenti Principi resisterent? qui non solùm terram Ægypti, sed vniuersam ferè Syriam propriæ subiecerat ditioni, quæ à Tigri fluuio habens initium vsque in Ægyptum protenditur, & à Cilicia vsque ad Mare Rubrum.

XCVI. Prima siquidem pars eius, quæ inter Tygrim & Euphratem media interiacet, *Mesopotamia* Syriæ nuncupatur: Secunda eius pars *Cœlesyria* specialiter dicitur, in 40 qua sita est Antiochia, cum vrbibus sibi suffraganeis, vsque ad riuum Valeniæ, sub castro Margath. Tertia autem pars Syriæ, *Syria maritima*, & *Syria Phœnicis* nominatur, in qua sita est Tripolis, & Tyrus & Accon, habens initium à prædicto riuo, finem verò ad Lapidem incisum, qui dicitur *Districtum*, hodie verò *Castrum Peregrinum* nominatur. Quarta pars eius dicitur *Syria Libanica*, in qua situs est Libanus. Dicitur præterea *Syria Damascena*: nam Metropolis eius est Damascus. Quandoque tamen simpliciter Syria appellatur, nomine totius parti attributo: vt ibi, *Caput Syriæ Damascus*. (*Isaia 7.*) Tres etiam *Palæstinæ*, maioris Syriæ partes sunt. Prima, cuius Metropolis est Hierosolyma; & hæc pars specialiter *Iudæa* appellatur. Secunda, cuius Metropolis est Cæsarea maritima; & continet totam terram Philistinorum. 50 Tertia, cuius Metropolis est Scythopolis, quæ hodie dicitur Bethsam. Sunt insuper Syriæ partes, vtraque *Arabia*. Prima, cuius Metropolis est Bostrum: Secunda, cuius Metropolis est Petra deserti. Sed & *Syria Sobal* eiusdem Syriæ maioris est pars, cuius Metropolis est Sobal. Nouissima autem pars Syriæ est *Idumæa*, respiciens ad Ægyptum. Tantum igitur & tam potentem aduersarium tot regna sub se habentem, tantorum capitum belluam, pro peccatis nostris tanquam diuinæ vltionis flagellū, contra nos Dominus suscitauit. XCVII. Interea rumores sinistri, & casus lamentabiles vniuersas Occidentis regiones concusserant; omnibus qui audierant animo con-

sternatis, & quasi graui vulnere doloris immensi sauciatis. Præ omnibus autem venerabilis pater *Vrbanus*, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ tempestate illâ præerat; summus Antistes, attendens & inconsolabiliter dolens quòd temporibus suis Orientalis Ecclesia tam miserabilem desolationem & tam irreparabilem incurrisset ruinam, audiens Sancta prophanari, & à canibus immundis conculcari, pretiosum salutiferæ Crucis lignũ ab impiis & indignis hominibus detineri & contrectari, Terram sanctam tanto Christianorum sanguine liberatam rursus ab infidelibus & prophanis hominibus occupari, perturbatione doloris & mœroris anxietate febrem incurrens, non multò post partim febre, partim tædio & langore vitam finiuit. Cui successit in pontificali dignitate vir honestus & omni acceptione dignus *Gregorius*, 10 qui peccatis nostris exigentibus post septem hebdomadas in fata concessit. Post quem ad apicem summæ & Apostolicæ dignitatis sublimatus est *Clemens tertius*. Hic modis omnibus cum fratribus suis Cardinalibus laborauit ad Christianorum succursum, qui pauci remanserant tanquam oues inter lupos, & ad Terræ Sanctæ liberationem inuitans, admonens & obsecrans Occidentales Principes, & omnes CHRISTI fideles; & in plenam omnium peccatorum remissionem iniungens, quatenus CHRISTI Ecclesiæ & ciuitati redemptionis nostræ, induti virtute ex alto, succurrere non differrent. Ex quo factum est quòd Imperator Romanorũ Fredericus, & Rex Franciæ Philippus, & Anglicorum Rex Ricardus, & omnes ferè Principes, Duces, Comites, & Nobiles eisdem subiecti, vnà cũ Archiepiscopis, Episcopis, Ab- 20 batibus & aliis Ecclesiasticis personis, cum inferiori populo, cuius non erat numerus, viuificæ Crucis signo humeris suis affixo, ad Terræ Sanctæ succurrendum, voto sese sollemniter astrinxerunt, verbo & exemplo inuicem exhortantes, & alios incitantes: adeò quòd dedecus & ignominiosum videretur, si tanquam desides & ignaui, aliis proficiscentibus, ipsi domi remansissent.

XCVIII. Sequenti autem æstate post amissionem Terræ Sanctæ, cùm Rex *Guido* ciuitatẽ Tyrensem non posset recuperare, eò quòd prædictus Marchio, qui eã liberauerat, sibi propriam ex pacto vendicauerat; nec de toto regno suo saltẽ vnum Casale remanserat, vbi caput reclinaret; indutus reuerentiâ & confusione, præsertim cùm Terra Sancta sub ipsius amissa esset regimine, quasi de vita sua nõ curaret, cum paucis valde quos colligere potuit, Ac- 30 conensem obsedit ciuitatem, in torono aliquantum eminenti, quod est iuxta ciuitatem, tentoria sua collocando. Erat autem frater eius cum eo *Gaufridus de Lusinio*, vir animosus & in armis strenuus, qui gratiâ fratris sui omnes alios præcesserat peregrinos. Postquam autem res innotuit Salahadino, dicitur gratias retulisse DEO suo, eò quòd Christianorum reliquias cum rege suo in manu sua conclusisset: & reuerâ non solùm Salahadino cum innumera sui multitudine exercitus; sed his qui in ciuitate erant, tam pauci homines diu resistere non valerent. Cumque dicerent Salahadino Principes eius quatenus prædam à Domino sibi oblatam capere festinaret, fertur respondisse, quòd cùm isti non possent euadere, fratrem suum, quem vẽturum in proximo expectabat, vt gaudii eius & victoriæ socium vellet expectare. 40 Ipse tamen non multis diebus post per experientiam didicit, quoniam semper *nocuit differre paratis*. Nam vir nobilis, & in DEI seruitio probatissimus *Iacobus de Auesnis* secum Flandrenses, Brabantinos & Frisones adducens, & opportuno tempore adueniens, sua ante Accon fixit tentoria. Multitudo insuper nobilium & aliorum de Campania & Burgundia, nec non qui de Italia aduenerunt, non longo tempore post, ante prædictam applicuerunt ciuitatem. Vt autem subitas & improuisas Saracenorum euitare possent irruptiones, castra sua fossato vndique munierunt. Quantas autem tribulationes & angustias, quot pericula & detrimenta, antequam venirent Reges Franciæ & Angliæ, perpessi sint, longum esset enarrare. Nam eorum machinas frequenter Saraceni combusserunt: multos autem sagittis 50 & spiculis lætaliter vulnerantes, frequenter occiderunt: multò autem plures inediâ, labore, & aëris corruptione vitam in sabulo ante ciuitatem finierunt. Videntes itaque nostri quòd facilè ciuitatem expugnare non possent, præsertim cùm hi qui in ciuitate erant acriter resisterent, Salahadinus autem cum exercitu suo nostros exteriùs ex parte fossati multipliciter infestaret; quadam die contra hostes pugnaturi exierunt. Saraceni autem licet longè plures essent, nostros expectare non audentes, castris suis relictis fugerunt. Nostri verò cùm iam ad castra Saracenorum absque

absque contradictione aliqua peruenissent, iusto, licet occulto, Dei iudicio cõmoti & perterriti, nullo insequente fugere cœperunt. Quod videntes Saraceni fiduciã resumentes & audaciam, reuersi ad nostros posteriores cædere, & sagittis tam equos quàm equites vulnerare sine intermissione cœperunt. Paucos autem de nobilioribus, qui turpe & ignominiosum reputabant terga dare, multitudine suâ concludentes Saraceni occiderunt. Inter quos Magister militiæ Templi, & *Andreas Comes Brenensis* cum aliis compluribus die illo ceciderunt. Hi autem qui in ciuitate erant exeuntes, & nostris in reditu occurrentes, multos interemerunt. Tanta autem erat gentis nostræ confusio & perturbatio, tantus timor fugientes inuaserat, quòd vix de omnibus his qui exierant aliquis vt dicitur euadere posset, nisi vir strenuus & in armis exercitatus prædictus *Gaufridus de Lisinio*, qui ad castra conseruanda remanserat, cum his, quos secum habebat, nostris succurrere festinaret. Dicunt autem casu mirabili tantam nostris die illo accidisse confusionem: Dum enim equus quidam domini sui manus fugiendo euasisset, quibusdam insequentibus & clamantibus, crediderunt alii nostros à facie inimicorum fugere; & ita omnibus ferè fugientibus, ad tentoria sua cum maximo dedecore, & Christianitatis detrimento, redierunt. Cùm autem per annum & dimidium nostri qui præcesserant, Imperatorem & Reges, & alios subsecuturos Principes expectarent, tanta fames & victualium penuria orta est in exercitu, quòd carnes equorum & cadauera mortuorum animalium compulsi sunt manducare. Modius enim frumenti qui tempore pacis pro dimidio bisantio habebatur, sexaginta bisantiis vendebatur. Ex quo factum est quòd pedites de exercitu tantam penuriam amplius sustinere renuentes, contrà mandatum maiorum vsque ad triginta milia contra Saracenos exissent, vt à castris eorum victualia deportarent: hostes autem astuti fugam fraude simulantes incautos homines non solùm victualibus, sed auro & argento & variis supellectilibus onerari permiserunt. Cùm ita suffarcinati & immensis ponderibus prægrauati reuerterentur exultantes, *cithara eorum subitò conuersa est in luctum*; &, *extrema gaudii luctus occupauit*. [Iob 30.] [Prou. 14.] Saracenis enim cum impetu & clamore valido subsequentibus, non est inuentus vel vnus qui resisteret inimicis: non solùm autem aurum & argentum, sed etiam arma proiicientes, omnes ferè vel in via prostrati sunt, vel in mari fugiendo submersi. De his autem qui euadere potuerunt, multi præ timore in insaniam versi sunt. Sic igitur eorum murmur & inobedientiam Dominus puniri permisit. His autem diebus *Sibylla* prædicti Guidonis Regis vxor in exercitu viam vniuersæ carnis ingressa est. Vnde regnum ad sororem eius *Isabelam*, vxorem viri nobilis *Herfrandi de Torono* iure hereditario deuolutum est. Quod attendens *Montis-Ferrati Marchio*, qui iam Tyrum vt dictum est occupauerat, regnandi ambitione & regni cupiditate permotus, prædictam Elisabeth viro suo auferens, cum ea de facto matrimonium contraxit. Licet autem Peregrinis tantum scelus valdè displiceret, prædicto viro nobili Herfrando conquerenti satisfacere dissimulauerunt, eò quòd non nisi per manus Marchionis, à Tyro victualia venalia haberent: Ipse etiam muneribus quosdam ex maioribus corrupit, vt sibi fauorem præstarent.

[XCIX.] Dum hæc in exercitu ab his qui præcesserant variè agerentur, Imperator Romanorum *Fridericus*, cum virtute magna & innumera pugnatorum multitudine per terram profecturus, iter arripuit. Egressus autem de vltimis finibus Alemanniæ, transiensque Hungariam, Macedoniam & Græciam, per terras Saracenorum in manu potenti & brachio extento, subiugatis sibi Iconio, Philomenâ, & aliis pluribus ciuitatibus vsque ad Armeniam peruenit: vbi dum æstu maximo balneandi gratiâ in fluuium, quem *Ferreum* appellant incolæ, descendisset, casu flebili submersus & suffocatus in aquis, peccatis exigentibus interiit, in totius Christianitatis detrimentum. Adeò enim aduentum eius Salahadinus metuebat, quòd muros Laodiciæ & Gabeli, Tortosæ, & Biblii, Berithi, & Sidonis, eò quòd per partes illas Imperatorem transiturum putabat, dirui præcepit, solis munitionibus, oppidis videlicet & turribus, reseruatis. Sed & *Rex Franciæ Philippus* & *Ricardus Rex Angliæ*, postquam Brundusii posteriores exercitus sui expectantes hyemauerunt, vere subsequenti cum nauibus & galeis, cum equis multis & bellicis instrumentis & copia victualium portui Accon applicantes, nostrorum exercitum immenso gaudio repleuerunt. Rex siquidem Franciæ prior cum suis applicuit. Nam *Ricardus* Anglorũ

Rex insulam Cypri, Græcis in ea commorantibus deuictis, in aduentu suo sibi subiugauit. Obsidentes igitur ciuitatem & ex omni parte vallantes per totam illam æstatem continuè impugnauerunt, his qui intus erant cum virtute magna resistentibus. Petrarias enim Petrariis opponentes & machinas nostras confringentes, igne etiam Græco castella lignea, quæ nostri cum expensis magnis fabricarant, succendentes, multas nostris molestias inferebant. Cùm autem quadam die nouos & recentes pugnatores cum armis & victualibus in naui maxima, quã *dromum* nominant, Salahadinus in ciuitatem mitteret, Rex Anglorum cum galeis ei iuxtà portũ occurrens, nauem cum militibus submersit in profundum, cum magna Christianorum exultatione & maxima Saracenorum confusione. Nam præter alia quibus nauis onerata fuerat, dicunt quòd in ea fuissent quidam serpentes, quos in exercitum nostrum mittere proposuerant, & per hoc multùm nostros damnificare credebant. Rex autem Franciæ *Philippus* diebus ac noctibus sine intermissione muros ciuitatis, turres & mœnia immensis molaribus concutiens, interiùs autem machinas hostium, domos, & ædificia confringens & subuertens, requiem negabat obsessis. Sed & Rex Anglorum ex alia parte frequentes & periculosos insultus inclusis acriter inferebat. Cùm igitur ex continuis & violentis molarium tunsionibus & attritionibus murus ciuitatis rumperetur, attendentes inclusi, quòd diu resistere iam non possent, hac conditione resignauerunt ciuitatem, vt saluis personis & liberis exirent, & ob hoc Crucem sanctam, quam in prælio perdiderant Christiani, se reddere promiserunt. Sed cùm eã inuenire non possent, iratus & indignatus Rex Anglorum omnes illos, qui in partem eius cesserant, præcepit trucidari. Rex autem Francorum captiuos suos pro redemptione nostrorum, quos Saraceni captiuos tenebant, in vinculis reseruauit, temperantiùs & mitiùs agens. Rex autem Anglicorum magis damnificauit & debilitauit inimicos, multis milibus interemptis, qui plurimùm in posterum nocere possent Christianis. Videns itaque Salahadinus captam esse ciuitatem, & magnam partem suorum interemptam, cõsternatus animo, nec habens spem vt alias ciuitates contra nos retinere valeret, muros maritimarum ciuitatum, scilicet Porphyriæ, Cæsareæ, Ioppen, & Ascalonis, Gazæ & Darum destruxit. Rex autem Ricardus reædificans Ioppen muniuit: quã postea à Salahadino obsessâ, Rex cum galea per mare festinans, exercitu suo per terram cum difficultate magna subsequente, succurrens obsessis exercitum Saracenorum remouit. Saracenis autem valdè confusis & perterritis, & à facie nostrorum cum principe suo fugientibus, non solùm regnum Hierosolymitanum, sed partem magnam terræ Saracenorum nostri facilè potuissent acquirere, nisi humani generis inimicus tãtis Christiani populi successibus inuidens superseminaret zizaniam. Immisit enim inter reges æmulationes & discordiam, & facta est *contentio inter Principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via.* Venantes enim propriam gloriam, & quæ sua sunt, non quæ IESV CHRISTI quærentes, inuicem detrahendo & inuidendo, lætificauerunt inimicos suos; magnam autem Christianorum populo confusionem induxerunt. Adeò autẽ ab initio rancor, inuidia & discordia inter Reges inualuerunt, quòd plerumq; quãdo Rex Francorum contra ciuitatem assultus ex vna parte faceret; Rex Angliæ ne ciuitatem impugnarent, suis inhibebat. Quotquot autem de Principibus & Baronibus Franciæ muneribus vel promissionibus sibi allicere poterat, latenter attrahebat, & in partem suam inclinabat. Vnde Rex Frãciæ perturbatus valdè & commotus, & maximè quia ægritudine quadam laborabat, relicto *Duce Burgundiæ* cum parte exercitus loco sui, statim post captionem Acconensis ciuitatis, recessit. In hoc tamen minus sapienter egit, quòd suum præpropere nimis reditum propalauit. Nam Salahadinus, vt dicunt, totam terram nostram nobis libenter reddidisset, si Reges saltem tantummodo simularent quòd terram eius vnanimiter vellent inuadere, & inter se pacem & concordiam habere. Rex igitur Angliæ cum exercitu suo, & Dux Burgundiæ cum Francorum exercitu residuo, *Hierusalem* obsessuri, ab Accon versus Ioppen procedẽtes, plurima in itinere pertulerunt incommoda. Salahadino enim cum militibus & Turcopulis innumeris posteriores prosequẽte, à dextris etiã & à sinistris nubem telorum emittentibus Saracenis, nostri cum maxima difficultate vsque Assur oppidum, quod inter Cæsaream & Ioppen situm est, peruenerùnt, multis tam ex equitibus quàm ex equis grauiter vulneratis; ipso etiã Rege Ricardo

Margin: 10, 20, 30, 40, 50; Matth. 13. Psal. 106. Phil. 2. C.

in via illa telo quodam sauciato. Nostri autem iuxta prædictum castrum Saracenos vt eis vicem rependerent, acriter inuadentes, & ipsis terga dantibus insistētes, multos ex eis occiderunt; sed non sine graui damno Christiani exercitus. Nā in die illa cecidit miles nobilis, & in armis strenuus *Iacobus de Auenis*; multique cum illo felici martyrio coronati ceciderunt, qui seorsum nostris ignorantibus cum multitudine Saracenorum pugnabant. Salahadinus autem cum his, qui fugæ præsidio euadere potuerunt, in Hierusalem se recepit. Nostri autem in quodam loco qui dicitur *Bethenuble*, inter Ioppen & Hierusalē castra locauerunt, vt inde proficiscerentur Hierusalem obsessuri. In eodem autem loco nunciatum est Regi Ricardo, quòd de par-
10 tibus Ægypti cum mulis & equis & camelis innumeris, victualibus & aliis bonis oneratis, ad exercitum Salahadini maxima veniret *carauana*. Ipse autē illi festinanter occurrens, & iter de nocte latenter arripiens, maximam prædam secū ad exercitum adduxit. In magno tamen periculo reliquerat exercitum, nam maiorem militum partem secum trahens, paucos valdè respectu eorum, qui cum Salahadino erant, reliquit. Habito autem post hæc consilio, quòd tempore hyemali non obsiderent Hierusalem, pręsertim cùm nullā inter Accon & Hierusalem munitionē haberent, nisi Ioppen; nec sine graui & manifesto periculo victualia ad exercitum deportare valerent, cum multis lachrymis & immensa tristitia maioris partis exercitus, propositū mutauerunt. Nam à multis dicebatur, & ab his maximè qui statum Sarace-
20 norum pleniùs agnouerant, quòd exercitum nostrum nunquam expectasset Salahadinus: nec poterat inuenire qui in ciuitate ipso recedēte includi vellent, vel auderent remanere, Acconensium exemplo perterriti, quibus non potuit succurrere Salahadinus; quin etiam ipsos captos partim trucidari, partim captiuari permiserat, cùm ipsos potuisset redemisse. Rex igitur Anglorum cum exercitu suo pergens, *Ascalonam*, muros eius per totam illam hyemem cum labore magno & expensis reparare non cessauit: oppidum etiam *Darum* reædificans muniuit; Gazam verò reparatā tradidit Templariis ad quos ante pertinebat, vt ipsam custodirēt. *Dux* verò *Burgundiæ* cum his qui de regno Franciæ secum remanserant, eò quòd non benè cum Anglicis conueniebant, secedens Tyrum ibidem cum Marchione hyemauit. Vere
30 autem subsequente cùm iterum vsque Bethenuble ambo exercitus vt Hierusalem obsiderent, peruenissent; Rex *Ricardus* quasi in virum alterum mutatus, dixit quòd modis omnibus vellet repatriare: hanc occasionem prætendens, quòd frater eius *Ioannes* ad regnum aspirans, partem terræ eius iam occupasset. Ex alia verò parte regem Franciæ, qui ab ipso iratus recesserat, non immeritò suspectum habebat, metuens ne ducatum Normanniæ Rex Philippus in eius absentia violenter inuaderet. His igitur auditis rumoribus Saraceni exultantes, & quasi de graui somno excitati, corda resumpserunt. Nostri autem confusione & dolore induti, recuperationis Ciuitatis sanctæ spem penitus amiserunt, gementes pariter & lugentes, eò quòd sacrificii sui caudâ sublatâ, labores suos inchoatos & non perfectos, quasi ad-
40 nihilari viderent. Si autem recessum suum aliquanto tempore Rex Anglorum abscondendo distulisset, optimas conditiones & treugas bonas & honorabiles apud Saracenos inuenire possemus. Ipse autem in detrimentum totius Christianitatis, sicut homo impetuosus erat, ad recessum aspirans & festinans, quascunque treugas Salahadinus offerre voluisset, absque contradictione & difficultate recepit. Ex quo factum est quòd Ascalonam & Darum & Gazam nostri diruere compulsi sunt, secundùm treugarum conditionem & tenorem. Darum siquidem & Ascalona, Gaza & tota terra vsque Ioppen in partem cessit Saracenorum. Ipsi autem Ioppen & aliam maritimam vsque Accon, nobis ex pacto reliquerūt, scientes pro certo, quòd munitionibus destructis terram planam diu contra ipsos retinere, recedente exer-
50 citu non possemus. Interim autem Marchione Montis Ferrati *Conrado*, à quibusdam baptizatis Saracenis, quos in domo sua diu nutriuerat, interfecto, *Comes Campaniæ Henricus* ad suggestionem Regis Angliæ, cum vxore illius *Isabella* matrimonium contrahens, in terra remansit. Rex autem Anglicorum, dum recederet, in Alemannia captus, & ab Imperatore detentus, donec maximâ pecuniæ summâ redemptus, vix tandem euadens in Angliam peruenit. Comes verò Henricus licet cum Regina contraxisset, Accon & Tyri dominium adeptus, coronari tamen & Rex fieri recusauit: nā & ipse sicut alii ad reditum aspirabat. Ex quo factum

Psal. 43.

est, quòd cùm aliquot annis in terra remansisset, & omnibus præparatis repatriare vellet, de fenestra domus suæ decidens supra fossati ciuitatis Acconensis pauimentum, ceruicibus contractis expirauit. *Haimericus* autem Rex Cypri, frater Guidonis de Lisinio iam defuncti, cum Reginâ Elizabeth matrimonio copulatus, post prædictũ Comitem terræ dominium & administrationem suscepit. Post recessum autem Regis Angliæ & aliorum Peregrinorum, in quanto periculo Christianorum paucitas & residuum Terræ sanctæ remanserunt, citò nobis Saraceni ostendissent, nisi mortuo Salahadino inter ipsos factâ diuisione multiplices exortæ fuissent discordiæ & inimicitiæ valdè necessariæ Christianis. Nã filiis Salahadini patruus eorum, scilicet frater illius, omnia regna, excepto Halapiæ regno, auferẽs, aliorum Saracenorum animos propter hoc contra se prouocauit. Nostri autem contra ipsum aliquid attentare non poterant vel audebant: pro magno enim reputabant, licet multas ab impiis frequẽter recepissent iniurias, iuxta ipsos quocũq; modo viuere, & terræ suæ residuum conseruare. *Biblii* tamen ciuitatem & munitionem, quibusdam Saracenis, eam nostris ignorante Soldano resignantibus, datâ pecuniâ recuperauerunt illi ad quos iure hereditario pertinebat. Sed & *Berythi* ciuitas cum oppido, fugientibus Saracenis qui eam custodiebant, Christianorum restituta est potestati. Imperator enim Romanorum *Henricus* missâ multitudine Alemanorũ ad Terræ sanctæ subsidium, treugas soluere præcepit. Ipsi autem in partibus Tyri munitionem, quæ *Toronum* dicitur, obsidentes, cùm obsessi saluis personis castrum resignare voluissent, nocte vnâ munitionem recipere distulerunt Alemani, nã & oppidum & personas non posse euadere de manibus suis æstimabant. Sequenti autem die innumerâ Saracenorum multitudine ad castri succursum concurrẽte, confusi recesserunt. Cumque appropinquassent Berythi, exterriti Saraceni qui in ciuitate morabantur, eis vrbem & munitionẽ reliquerunt. Audientes autem quòd dominus eorum Imperator *Henricus* obisset, absque alia vtilitate confestim ad propria redierũt. Sed & quidã ex nostris ipsorum fiduciâ prouocati, *Ioppen* contra Saracenos munierunt: quibus in breui tempore & absque magna difficultate Saraceni munitionem auferentes, ipsam solotenus diruerunt, illos quos intus repererunt captiuos ducentes. Ex tunc treugis reformatis, quas libenter Saraceni concedebant, eò quòd ferè totum regnum Hierosolymitanum possidebant, & inter se maximas habebant discordias & graues inimicitias, nõ addiderunt nostri, licèt nimiùm afflicti, facilè treugas rumpere, vel aliquam penitùs munitionem obsidere, vel diruptã reparare. Vnde nõ multo tempore post cùm quidam nobiles, de Campania præcipuè & de aliis Franciæ partibus, transfretassent, nostris treugas soluere recusantibus, ipsi *Antiochiam* pergentes sub Principe Antiocheno militaturi, qui tunc guerrã cum quibusdam habebat, a Saracenis inter Tripolim & Antiochiam capti sunt & detenti, & in carcere Halapiæ mancipati. Duabus tamen vicibus, postquam prædicti Alemanni recesserunt, nostri treugas cum Saracenis ruperũt. Vnâ vice aduenientibus quibusdam nobilibus de regno Francię, *Simone* scilicet de *Monteforti* viro nobili & religioso, & in armis strenuissimo, & fratre eius *Guidone* cum quibusdam aliis, & cum Comitissa Flãdriæ quæ virum suum fuerat subsequuta: ipse autem iam coronatus erat Constantinopolitanus Imperator: Aliâ vice, quando mortuo Rege Haimerico & eius vxore, *Comes Brenensis Ioannes* ad regnum Hierosolymitanum vocatus, transfretauit, heredem regni filiam Marchionis Conradi & Reginæ Isabellis ducẽs in vxorem. Parum tamen aut nihil profecerunt: Nam neque munitionem aliquam obsederunt, nec dirutam reparauerunt; sed tantùm in terra Sarracenorum equitantes, quibusdam casalibus succensis, prædam quandoque abduxerunt. Statim autẽ postquam prædictus Ioannes coronatus fuit in Regem & inunctus, Saraceni montem *Thabor* in dedecus & detrimentum Christianorum, & maximè vt ciuitatem Accon ampliùs coarctarent, contra nos munierunt. Nostri verò treugas iterum cum Saracenis firmantes, cum multis oppressionibus & miseriis gementes & dolentes, de supernis auxilium inuocabant, à DEO & sancta Romana Ecclesia consolationem & subsidium de die in diem expectantes.

EXPLICIT HISTORIA IHEROSOLYMITANA.

IACOBI DE VITRIACO librum secundum, petat qui volet, ex editione Duacensi: neque enim huc facit.

IACOBI

IACOBI DE VITRIACO
HISTORIÆ ORIENTALIS
LIBER TERTIVS:
QVI POTISSIMVM DE CAPTA A CRVCE SIGNATIS DAMIATA AGIT.

10 DOMINVS Papa *Innocentius* bonæ memoriæ, volens ſcire mores Turcarum & vires Saracenorum, contra quos Chriſtiani exercitus præparabant: mandauit Patriarchæ Hieroſolymitano, vt inquiſitâ diligentiùs veritate, tam detetores nominatim, quàm terras eorum, ſanctæ Romanæ Eccleſię ſcriptis ſuis fideliter exponere procuraret. Quod quidam in diebus iſtis per quaſdam naues redeuntes de partibus Terræ Sanctæ, domino Papæ detentores & fines eorum expoſuerunt certiſſimè in hunc modum. Duo fuerunt fratres, *Saladinus* & *Saffadinus*. Mortuo Saladino, qui vndecim habuit filios, regnauit 20 Saffadinus dictus, qui occidit omnes nepotes ſuos, præter vnum, qui vocatur *Naradinus*, qui tenet terram illam videlicet *Halapiam*, cum omnibus confinibus ſuis, ciuitatibus, villis, caſtris & aliis munitionibus, quæ ſunt plures ducentis. *Saffadinus* habuit filios quindecim, de quibus heredauit ſeptem; videlicet *Malealim*, qui primus eſt & maior natu omnibus, & tenet Alexandriam, Babyloniam & Kayron, Damiatam & totam terram Ægypti in meridie & ſeptentrione. Mortuo autem patre ſuo Saffadino, de generali conſtitutione patris & fratrum fuit, quòd ipſe eſſet dominus omnium & totius terræ. Secundus eſt filius nomine *Coradinus*, qui habet Damaſcum & ſanctam Hieruſalem, & totam terram quæ fuit Chriſtianorum: quæ ſunt inter ciuitates, munitiones & caſtra, plures trecentis, præter villas: qui modo in 30 menſe Ianuario fecit treugas, vſque ad magnum *Paſſagium*, cum Patriarcha, & aliis magiſtris de Hoſpitali & Templo. Tertius filius eſt nomine *Melchiphais*, id eſt, *grandis*; qui tenet terram quæ dicitur *Gemella*, cum tota illa prouincia, in qua ſunt CCCC inter ciuitates, caſtra, villas & munitiones. Quartus filius eſt nomine *Melchiſenaphat*, id eſt, *magnus dominus*, qui tenet terram Aſiæ cum omni potentatu ſuo, in quo ſunt plures ſexcentis inter ciuitates, munitiones & caſtra. Quintus filius eſt nomine *Melchiſaphat*, qui tenet regnum terræ de *Sarco*, vbi interfectus fuit Abel à Cayn fratre ſuo: in quo regno ſunt octingentæ inter ciuitates & munitiones & caſtra plana. Sextus filius eſt nomine *Machomet*, qui tenet regnum de *Baudas*, vbi eſt Papa Saracenorum, qui vocatur *Kabatus*, ſiue *Caliphas*; qui colitur, adoratur, 40 & tenetur in lege eorum tanquam Romanus Epiſcopus apud nos, qui non poteſt videri niſi bis in menſe, quando hic cum ſuis vadit ad *Machomet* Deum Saracenorum. Et inclinato capite & factâ oratione in lege eorum antequam exeant de templo, ſplēdidè comedunt & bibunt, & ſic reuertitur Caliphas coronatus ad palatium ſuum. Iſte Deus Machomet viſitatur quotidie & adoratur, ſicut viſitatur & adoratur dominus Papa. In iſta ciuitate de Baudas iſte Machomet eſt Deus, & Calyphas eſt Papa, quæ ciuitas eſt caput totius gentis & legis Saracenorum, vt Roma eſt in populo Chriſtiano. Septimus filius eſt nomine *Saluphat*: qui non habet ſpecialem terram, ſed hic eſt cum patre ſuo Saffadino. Iſte portat vexillum coram eo, quando equitat in expeditione. Cui vnuſquiſque fratrum ſingulis annis pro certo reditu di-50 gnitatis ſuæ trãſmittit mille Saracenos & duos dextrarios bene præparatos. *Saffadinus* pater quando equitat & viſitat filios ſuos prædictos, incedit velato capite vno ſamito rubeo, cui omnes filii inclinato capite ad terrã, exeunt ei obuiam per ſeptem milliaria, & oſculantur pedes ipſius, & tunc ipſe ſuper equum recipit eos ad oſculum & ad manum, & cum vnoquoque moratur per triduum ſemel in anno; & ſic à primo vnumquemque vſque ad ſeptimum filium viſitat memoratos; & quilibet omni anno pro certo tributo ſoluit ei viginti mille Saracenos in fiſco patris, & pater dat omni anno vnicuique filiorum tantũ auri, vnde poſſit fieri vnus anulus, in

quo sculpitur imago ipsius. Isti volunt libenter reddere Terram Sanctam in manus domini Papæ ad opus Christianorum, ita vt certi sint & securi de tota alia quam detinent à populo Christiano, singulis annis sub certo tributo Patriarchæ Hierosolymitano persoluẽdo, & dabunt cautelã Romanæ Ecclesiæ. Deinde non ampliùs impedient Terrã Sanctam, in qua Dominus noster suis pedibus ambulauit. Prædictus *Saffadinus* de more prædecessorũ suorũ faciem suã non ostẽdit omnibus, nisi decies in anno, quia semper est velatus cùm nuncios recipit Christianorũ, Veneticorum, & aliorum Regum vel Principum totius orbis. Primo die recipit ipsos in prima scala de Cayron, vbi semper est status eius. Tunc recipit litteras, & non audit nuncios. In secundo die audiuntur in secunda scala, astantibus centum Turcis, seruis suis, benè armatis. Tertio die per *Turquigentem*, id est, Interpretem, dat responsum nunciis secundùm modum causæ; & post triduum possunt ad ipsum accessum habere. *Saffadinus* quindecim vxores habet in lege sua, quæ omnes sunt in vno palatio simul, & cum singulis dormit. Si verò aliqua illarum concipit & ex eo filiũ habet, ipse vadit & dormit cum ea aliis videntibus. Illã, quæ nõ habet ex eo filium, ad se, quando vult, per nuncios suos in vesperis horis facit vocari, & detinet eam per noctẽ & diem, & sic de singulis facit: & statim quando aliqua istarum quindecim moritur, introducit aliam inter alias de consuetudine legis suæ. Quinquagenarius est Saffadinus, potens in armis & gente, eloquens valdè in lingua sua. Muniuit ipse totã terram suam, & filiorum suorum, & exercitus congregat infinitos: sed in omnibus vult cum suis in prædictũ modum obedire Apostolicæ Sedi. Octo filii Saffadini de cõstitutione sic viuunt. Duo ex ipsis custodiunt Sepulchrum Domini cũ quinq; Latinis: Quibus duobus fratribus quicquid datur vel offertur Sepulchro, peruenit, & ipsi diuidunt inter se æqualiter: & valet illud frequenter viginti mille *Saracenatos*. Quatuor habent redditus de calice, qui omni anno in mense Augusto irrigat totam terrã Ægypti: Et plus valent isti redditus, quàm quadraginta mille Saracenati. Duo alii fratres minores, quotidiè sunt ante Deum suum Machomet pro Castitate, & totum quod datur ad pedes, habent ipsi: & isti redditus valẽt plus quàm triginta mille Saracenati. *Hierusalem*, gloriosa metropolis Iudææ, in medio mundi sita est. Cui ab Oriente, adiacet Arabia; à Meridie, Ægyptus; à Septẽtrione, mare Cyprium; ab Occidente, mare magnum. Ab Hierusalem vsque *Acchon*, sunt tres diætę, & ab Acchon vsque ad Damascum, sunt quatuor diætæ. *Damascus* est optima ciuitas in Idumæa, duplici muro, & turribus pluribus decorata, viridariis & pomeriis exornata, ex omni latere habens irriguum intra & extra pro voluntate inhabitantium, & sunt in ea plures Christianorum ecclesiæ. A Damasco ad quatuor milliaria, est quidam locus in montibus situs, in quo est Ecclesia Beatæ Virginis Mariæ in rupe ædificata, in qua sunt duodecim moniales & octo monachi. Hic locus *Sardinia* appellatur. In hac ecclesia tabula est lapidea ad mẽsuram vnius vlnæ longa, & lata ad modum dimidiæ vlnæ: In hac tabula est depicta imago Virginis Mariæ. Hæc imago super lignum fuit incarnata, effundẽs oleum odoriferum super odorem Libani; quo liniti diuersis languoribus curati sunt: & oleum nunquam minuitur quantumcumque inde accipitur. Oleum hoc à religioso quodam Christiano seruatur, augmentatur pro quacunque infirmitate vel re ipse voluerit: si cum deuotione & fide sincera sumptum fuerit, pro honore Virginis perpetuæ cum Missarum solennitatibus, impetratur indubitanter. Ad hunc locum in Assumptione & natiuitate Beatæ Virginis Mariæ omnes Sarraceni illius prouincię causâ orandi confluunt, & suas cerimonias & oblationes offerunt cũ magna deuotione. Hæc tabula Constantinopoli facta fuit, & depicta, & à quodã Patriarcha Hierosolymitano in Hierusalẽ translata. Hanc tabulam petiit quędam Abbatissa prædicti loci, & impetrauit, & secum detulit. Et nota quòd in terminis Damasci & Antiochiæ est quoddam genus Sarracenorum, quod vulgari nomine *Heresim* appellant, & alio nomine *Veteres Montani* vocantur. Hoc genus hominum sine lege viuit, carnibus porcinis vescitur contra legem Saracenorũ; & qualibet muliere vtitur indifferẽter, scilicet suã sorore siue aliã. In montibus habitat & in firmissimis locis recipitur. Terra ipsius non est multùm fertilis: De peculio non habet. Nõ nisi vnum solũ dominum habet, qui ab omnibus Saracenis & etiã Christianis propinquis & remotis multùm timetur, quia miro modo facit illos occidere. Habet dictus Dominus plura palatia altis muris clausa,

clausa, ita quòd nõ nisi per paruũ ostium hominibus diligentissimè pateat introitus. In his palatiis filios rusticorum suorum facit nutriri à primis cunabulis, & diuersis linguis instrui à magistris sibi deputatis. A primæua ætate eis hoc prædicatur, & docetur, vt Domino illius terræ obediant: quod si fecerint, gaudia Paradisi conferantur eis. Et nota quòd ex quo in Palatiis includuntur, præter doctores & magistros suos, neminem vident, quousque à Principe ad aliquem interficiendum euocantur. Tunc in præsentia Principis constituti interrogantur, si velint ei obedire, vt conferat eis Paradisum. Illi qui sunt instructi dat vnicuique cultellum vnum acutum, & eos emittit ad interficiendum quemcunque velit. Nota quòd Damascum 10 habitauit Edom. Vnde Propheta: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? &c.* Hîc Abel interfectus est à Cain fratre suo. Prope Idumeam est quædam terra quæ *Phœnicia* appellatur, id est, Baruth. In Phœnicia est *Tyrus*, *Acchon*, *Sarepta*, *Berithus*, *Biblium & Agaby*, *mons Libani*. In *Berytho* fuit quædam imago Domini, quæ nõ multùm post passionẽ eius ad ignominiam ipsius Domini nostri IESV CHRISTI à quibusdam Iudæis ridiculosè est crucifixa; ex cuius latere statim exiuit sanguis & aqua. Vnde & multi Iudæorum in vero crucifixo crediderunt. Quicunque sanguine illo liniebatur, quacunque grauabatur infirmitate, sanus fiebat. In *Sydone* nata est Dido. *Tyrus* nobilissima est Phœnicis metropolis, quæ celat originem *tumultum. Hæc CHRISTVM maritima perambulantem noluit recipere. 20 Hæc, vt Diuina testatur *propagina, multos martyres DEO reddidit. Apud *Sareptam* Helias filium viduæ suscitauit. *Libanus* mons est Phœnicis, ad cuius radices Farfar & Albana fluuii oriuntur. Montis Libani & planities Archados transfluit *Albana*, copulans se mari magno, in illis partibus in quibus beatus Eustatius vxore priuatus & filiis recessit desolatus. *Farfar* per Syriam tendit in Antiochiam labens secus muros ciuitatis, decem milliariis ab eo mari mediterraneo se commendat. In Antiochia sedit Beatus Petrus Apostolus septem annis infulâ decoratus. Ad radices Libani oriuntur duo fontes *Ior* & *Dan*, ex quibus sub montibus Gelboë *Iordanis* conficitur. In quo CHRISTVS à Iohanne Baptista tribus miliaribus à Hiericho baptizari voluit: & vox Patris super eum intonuit, dicens: *Hic est filius meus dilectus.* 30 Etenim hic Iordanis diuidit Idumæam, & Galilæam, & terram Hierusalem. Ab *Acchon* vsque Nazareth sunt septem miliaria, & septem vsque ad montem Thabor, & quatuor vsque ad montem Carmeli; qui & Caiphas dicitur, & septem vsque ad castellum filii DEI, quod priùs & nunc *districtum* vocabatur. A districto vsque ad Cæsaream sunt septem miliaria. A Cæsarea vsque *Ioppen* est vna diæta. A Ioppe vsque Ascalonam sunt septem miliaria. Est autem alia ciuitas iuxta mare sita nomine *Gaza*, vbi Sampson confregit portas, & secum detulit. Istæ tres ciuitates supra mare sunt: nulli inhabitant eas, neque Christiani, neque Pagani, nisi *Cæsaream*, vbi modò Christiani de nouo ædificauerunt optimum castrum. Item, à Hierusalem vsque ad montem Synai sunt duodecim diætæ per desertũ. Est autem desertum terra sabulo-40 sa & inculta, nil germinans, præter arbusta humillima; & terra illa est distemperata, quia in hyeme est nimis frigida, & in æstate nimis calida. Transitus eius difficilis est & incognitus, & vix ab aliquo scitur nisi ab Idumæis, qui sæpiùs illum locum frequentant. Nota quòd desertum illud nutrit leones, struthiones, porcos, boues siluestres & lepores: aqua inuenitur ibi rarissima, nisi in quartum vel quintum diem. Item, mare tangit desertum in vno latere, & ex alio mare rubrum. Item in deserto sunt septuaginta duæ palmæ, vbi Moyses percusso silice eduxit aquas. Syna mons in Arabia, & terminat Ægyptum. *Ægyptus* terra plana est & calidissima, raro habens pluuiam; sed irrigatur à Gyon, qui & Nilus dicitur, septem habens brachia per Ægytum decurrentia. Est iste fluuius maior Rheno; in Paradiso oritur, & ab-50 undat piscibus non multùm valentibus. Hic fluuius feras nutrit indomitas sub aqua latitantes. Attamen sæpe egrediuntur ad solem, & mordent & deuorant omnia animalia, quæ incauta sunt iuxta mare. Alit enim *Crocodilos* infinitos. Hoc genus animalis ad modum lacertæ formatum est, habens quatuor pedes, crura curta & grossa, & caput quasi crose, magnos habet dentes: ad solem egreditur quandoque, & si qua animalia vel homines inuenerit, mactat si potest, & comedit in momento. Incipit autem Nilus excrescere in medio Iunio vsque ad festum Exaltationis sanctæ Crucis, & exinde decrescit vsque ad Epiphaniam Domini. Et no-

Isaia 63.

Matth. 3.

ta, quòd quando diu in crescendo est, vbicunque post recessum aquæ terra apparet, rusticus semen proiicit, & in Martio metit. Terra ista non producit alium bladum, nisi hordeum & triticum pulcherrimum. In hac terra, vbi maior pars Nili recipitur infra mare, ibi inter ripas Nili & littus maris est sita Damiata ciuitas. Hæc est pulcherrima & firmissima valde, & infinitis turribus exteriùs & interiùs decorata, habens versus fluuium duplicem murum, versus siccum triplicem murum. Nota quòd ante Damiatam in medio Nilo erecta est turris fortissima. In qua erant septuaginta cameræ factæ ad arcum volutum; & in vnaquaque earum erant tres archeriæ. A cuius turris pede maximæ cathenæ protenduntur ad muros ciuitatis, ne pateat aditus nauigio intrantibus vel egredientibus Ægyptum, nisi de licentia Soldani. Hac enim viâ exeunt naues oneratæ ab India venientes Syriam, Armeniam, Antiochiã, Græciam & Cyprũ: ab hoc transitu Rex Babyloniæ recipit infinitos redditus. Hæc ciuitas quasi caput & clauis est totius Ægypti, præcellit enim in munitione Babyloniam, Alexandriã, Thanasiũ, & cunctas ciuitates Ægypti. Ab hac ciuitate sunt octo diætæ vsque ad montem *Syna*, vbi requiescit corpus beatæ *Catharinæ* Virginis. In magna veneratione tenent Sarraceni locum illum, & monachos eiusdem loci. Item â Damiata sunt septem miliaria vsque Thanasium, & aliud brachium Nili intrat mare ante Thanasium. Item à Damiata ad tres diætas est maxima ciuitas super Nilum, quæ *noua Babylonia* dicitur. Et notandum est quòd ad tertiam partem miliarii ab hac ciuitate, fuit quondam egregia ciuitas & munitissima, quæ *Cayer* vocatur, in qua adhuc sedes est regalis & palatia principum: Hæc & noua Babylonia ad mandatum Soldani vno muro clausæ sunt, & sunt factæ vna eademque ciuitas. In hoc loco Sarraceni habitant, Iudæi, Christiani; & quælibet natio suam legem colit. Circa hanc ciuitatem sunt optima pomeria, & viridaria multa. Est etiam ab hac ciuitate ad vnum miliarium *hortus Balsami*: habens in quantitate ferè dimidium mansum. Et est lignum Balsami, vt lignum vitis triennium, folium paruum sicuti trifolium: tempore maturitatis circa finem Maii scinditur cortex ligni Balsami, secundùm quod in vasis vitreis colligitur; & per sex menses in stercore columbino reconditur & decoquitur, & desiccatur; postea liquor à fece separatur. Qui hortus habet fontem vnde irrigatur, quia ab aqua alia non potest irrigari. Et nota quòd nusquam terrarum nisi in hoc loco Balsamus crescit. Vsque ad hunc fontem Beata Virgo MARIA cum Saluatore nostro, Herode persequente fugit; & ibi per aliquot tempus latuit, lauans in hunc fontem pannos pueri: & vsque in hodiernum diem, fons iste à Sarracenis in maxima veneratione habetur. In Epiphania Domini maxima multitudo Sarracenorum de omni confinio illic confluit, & se lauat in prædicta aqua fontis. Item apud *Cayer* est arbor palmæ antiquissima & alta, quæ se Beatæ Mariæ Virgine inclinauit, quando cum Saluatore illic transiuit; & ab ea dactylos collegit, & iterum erigebatur: quam Sarraceni inuidentes, tunc temporis succiderunt: quæ proximâ nocte sequenti consolidata est & erecta, & vsque ad hodiernum diem succisiones apparent. Hanc quoque arborem Sarraceni venerantur & honorant. Et nota quòd tres fuerint *Babyloniæ*: Prima fuit super fluuium *Cobar*, vbi regnauit Nabuchodonoser Rex Babyloniæ, in qua fuit turris Babel: & hæc deserta dicitur, & distat à Babylonia per triginta diætas. Fuit & alia in Ægypto, sita super *Nilum*, in qua regnauit Pharao, distans à noua Babylonia per quinque miliaria: & hæc quoque destructa est. Et est *noua Babylonia*, de qua suprà dictum est. Et nota, quòd à noua Babylonia vsque ad Alexandriam sunt tres diætæ per terram, & sex per aquam. Nilus tamen non descendit in Alexandriam secus muros ciuitatis, sed aliquantulum est remotus. *Alexandria* est egregia ciuitas, muris & ædificiis & vniuersa hominum multitudine decorata, sub Rege Babyloniæ constituta. In eius porta turris altissima est erecta, vt nauigantibus portum indicet: quia Ægyptus terra plana est, vnde de nocte ignis in ea ponitur. Aquam dulcem hæc ciuitas non habet, nisi per conductum sumptam: Nilus vno tempore anni in cisternis suis colligitur. In hac vrbe sunt plures ecclesiæ Christianorum: inter quas est ecclesia sancti Marci Euangelistæ, extra muros nouæ ciuitatis supra mare sita. Antiquitus enim hæc vrbs vsque ad mare protendebatur, sed modò non sic est. Est etiam ibi quædam Capella, in qua Marcus Euange-

Euangelista Euangelium scripsit, & martyrium sumpsit & locum sepulturæ: postea Venetis ibidē est furatū corpus ei⁹. In hac ecclesia Patriarcha eligitur & cōsecratur. Et nota quòd per totam Ægyptum omne genus leguminum à festo sancti Martini vsque ad Martium recens colligitur: similiter fructus hortorum & herbarum. Oues & capræ bis pariunt in anno, & ad minus geminum fructum proferunt: certū datur pro eis tributū. Item in Ægypto nutriuntur pulli in furno simul mille, vel duo millia per ignem absque gallina; & vsus iste Regis est. Et notandum quòd *Sarraceni* credunt in DEVM Saluatorem: Credunt & Beatam Mariam, virginem fuisse ante partum; & Filium eius Prophetam esse dicunt, & à DEO cum corpore & anima as-
10 sumptum fuisse in cælum: Sed negant eū fuisse Filium DEI, & baptizatum, & sepultum & mortuum. *Machomet* Prophetam esse dicunt, & eorum legislatorem, quem etiam frequentare solent in peregrinationibus suis. Dicunt etiam quòd vnicuique Saraceno liceat septem vxores ducere simul; & vnicuique earū speciales expensas à contractu nuptiarum prouidere: Similiter quotquot habere poterit *sclauas* vel seruas, cum eis licenter peccat: quarū seruarum, si qua cōceperit, libera erit: & vnumquemque filiorum suorum siue de libera, siue de ancilla heredem sibi elegerit, facere potest. Multi tamen Saraceni adeo religiosi sunt, qui nō nisi vnā habent vxorem.

LÆtetur mons Syon, & exultent filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine. Confiteantur Domino quoniam magnificè fecit, scribentes & prædicantes mirabilia Domini; qui man- *Psal.47,10.* *Isaia 12,5.*
20 dauit sanctificatis suis, & vocauit seruos suos in ira sua, exultantes nō in propriis viribus, non in operibus iustitiæ quę fecerunt ipsi, sed in gloria Maiestatis eius, qui est in omnibus benedictus in secula, Amen. Terra de qua oriebatur panis, qui de cœlo descēdit, in loco Natiuitatis suæ ferro succisa est in munitionibus multis, quas inhabitant perfidi. Locus Saphiri, lapides terræ, quia fuit possessio Patriarcharum, alumna Prophetarum, doctrinæ Apostolorum, mater fidei. Glebæ illius aurū in his, qui sibi charitat[illegible] adhęserunt; & religionis custodes nunquam in ea defuerūt. Quæ quondā de libera post multos gemitus & longa suspiria iā exultat in spe, & de bonitate liberatoris sui confisa, gaudens gaudebit remota virga peccatorum de sorte iustorū. Sanè quæ vidimus, & audiuimus, & veraciter intelleximus, scribimus omni- *Tit.3.5.* *Rom.1,25.*
30 bus orthodoxis, absque falsitatis ammistione; vt quicquid est, vsque ad virtutis fastigium assurgat in laudem DEI, & in gratiarum actiones.

ANNO gratiæ *Millesimo ducentesimo decimo septimo*: expirante treugâ Christianorum & Agarenorum, in primo passagio generali post Concilium Lateranēse: congregatus est exercitus Domini in *Acchon* copiosus cum tribus *regibus*, Hierusalē, Hungariæ, Cypri: qui mystica munera secum non deferentes, parum egerunt memoriâ dignum. Affuit *Dux Austriæ*, vulgariter *Ostriche*, & *Dux Bauariæ*, cū multis Comitibus & viris generosis, ac militia magna regni Theutonici. Aderāt etiam *Episcopi* Peregrini, *Archiepiscopus* Niccossiensis, Iorienſis, Hungariæ, Baiocensis, Sicensis, Monasteriensis, & Traiectensis; & cū eis vir potens & nobilis dominus *Gualterus de* *An. Dō. 1217.*
40 *Auesnes*, qui reuersus in passagio vernali quadraginta milites reliquit in seruitio Terræ Sanctæ, quibus prouidit sumptus per annum. Bauari insolenter & contra legem Christianorum se habuerunt, hortos & pomeria Christianorum destruendo. Nec his contenti, Christianos occiderunt, eiicientes de domibus religiosos. *Dux Austriæ* sicut princeps Catholicus, per omnia Christo laudabiliter militauit. *Patriarcha* Hierosolymitanus cum magna humilitate cleri & populi, tollens reuerenter mirificæ sanctæ Crucis lignum, sextâ feriâ post festum omnium Sanctorum profectus est ab Acchon in castra Domini, quæ præcesserunt ad *Recordanam*. Hîc autem dulce lignum post Terram Sanctam perditam reseruatum fuit ad hæc tempora. Imminente siquidem conflictu Saracenorum cum Christianis, tēpore Saladini, sicut à senio-
50 ribus accepimus: Crux secta fuit, pars ad præliū delata, & ibidem perdita, pars reseruata, quæ nūc exhibetur. Cū tali vexillo ordinatis aciebus processimus per *planū Fabæ* ad fontē *Trebaniæ*, multùm eodem die laborantes; & pręmissis exploratoribus, videntes puluerem ab aduersariis concitari, incerti fuimus, an contra nos, an fugiendo properarent. Sequenti igitur die per montes *Gelboë*, quos habuimus ad dextram, & paludē ad sinistram, profecti sumus *Bethaniam*, vbi castra fixerat aduersarius. Sed metuens tam ordinatè procedentis & tam copiosi DEI viuentis exercitus aduentum, tentoria tollens & fugiens, terram vastandam militibus CHRISTI reliquit.

CCCCC

Inde transeuntes Iordanem, in vigilia sancti Martini, corpora nostra lauimus pacificè in eo; & quieuimus per biduum, ibidē copiam victualiū & pabuli reperientes. Deinde super littus maris Galilæi tres mãsiones fecimus, peragrãtes loca in quibus Saluator noster mirabilia dignatus operari corporali præsentiâ cum hominibus conuersatus est. Aspeximus *Bethsaidam* ciuitatē Andreæ & Petri, tunc ad casale modicū redactã. Demõstrata sunt loca, vbi CHRISTVS discipulos vocauit; & vbi supra mare siccis pedibus ambulauit, turbas pauit in deserto, montē ascendit orare; & locus, vbi cū discipulis suis post resurrectionē manducauit: & tūc per Caphernaum infirmos nostros pauperes in iumẽtis portãtes, reuersi sumus in Acchon. In secundo equitatu adiuimus pedē montis *Thabor*. Primò aquarū inopiam, postmodū per 10 defossionē copiam inuenientes, desperabãt capitanei nostri de montis ascensu, donec puero Saracenico mitti ante castrū fore cõprehensibile, consiliū inierunt. Primâ verò Dominicâ Aduentus cùm legeretur Euangeliū, *ite in castellum quod cōtra vos est*, Patriarcha præcessit cū signo Crucis, Episcopis & Clero per decliuium montis orantibus & psallentibus, licet mons præruptus sit vndiq; & excelsus, & quasi impossibilis ad ascendendū extra semitã strictã: milites tamē & satellites, equites & pedites viriliter ascenderunt. *Ioannes* Rex Hierusalē cū militia Domini strauit castellanū vnū, & Admiraldū vnum primo impetu. Defensores castri qui intrepidi extra portas ad defendendū montē nostris occurrerant, in fugã conuersi sunt & stuporē. Sed Rex, vt imponitur ei, quantū meruit ascendendo, tantum demeruit descendendo. 20 Inclusis enim hostibus infra castrū, turpiter Reges Hierusalē & Cypri, Magister Hospitalis, & alii Barones in partē montis, deliberaturi quid facerent, secesserūt. Nobilis *Dux Austriæ* nõ interfuit huic deliberationi, quia ex altera parte montis incredulos impugnabat, & ad nos, qui in summitate montis eramus, ascendere de facili nõ valebat; nec Magister Templi, qui remanserat infirmus in Acchon. Cum verò Magistro Hospitalis fratre *G. de Monte acuto* consulenti, quæ pars exercitus ad custodiēda castra rediret, & quæ pars in monte castrū obsideret, ad quod libens & paratus erat, quia de facili videbatur comprehensibile & reddibile breui tempore, cum sine offendiculo ad insultum necessaria possent erigere: contradixerunt alii & maximè *Comes Tripolis*; dicens esse in periculo exercitum diuisum. Quâ verò fide hoc consu- 30 luerit Comes, & alii assenserunt, DEVS nouit; & sic impeditâ obsidione, ipsâ Dominicâ Rex & Comes descendētes, & alios descendere facientes per indultū animaduerterunt incredulos. Sed quo DEI iudicio vel principū consilio exercitus DEI descenderit & inglorius recesserit, ignoramus: hoc tamen scientes quòd diuinorū iudiciorū abyssum humanæ mentis oculus penetrare nõ potest. Multi autē Templarii, & Hospitalarii, & quidã seculares in secundo montis ascensu, quando castrēses vires receperūt, vulnerati sunt, & pauci mortui. Credimus autē CHRISTVM Dominum sibi soli reseruasse huius triumphum, qui cum paucis discipulis ipsum ascēdit, gloriã suæ resurrectionis ibidē demonstrãdo. Porrò in primo & secundo equitatu maximã multitudinē virorū captiuorum, & mulierū, & paruulorū secum adduxe- 40 runt. *Episcopus* autē *Acchon* paruulos, quos potuit obtinere prece vel pretio, baptizauit; & distribuēs inter religiosas mulieres, literis applicare disposuit. In tertio equitatu, cui Patriarcha cū signo Crucis & sacri Põtifices prædicti nõ interfuerūt, multa damna & incõmoda tū per latrunculos, tū hyemis asperitate sustinuimus; presertim in Vigilia Natiuitatis Domini per viã, vbi multi pauperes & iumenta frigore perierunt. Ac ipsâ nocte tempestatē terrestrē, vētis & pluuiis cõmotã, experti sumus grauissimã in finibus Tyri & Sidonis, iuxta Sareptam. Posthæc exercitus Domini quadrifariã diuisus est. Reges Hungariæ & Cypri Tripolim profecti sunt, vbi *Rex Cypri* adolescētulus diē clausit extremū. Rex *Hungariæ* breui tēpore cõmoratus cū magno damno Terræ Sanctæ recessit: Peregrinos & galeas, dextrarios & iumenta cū armis 50 secū traxit, multùm admonitus ne sic recederet; tãdē excõmunicatus cū sua sequela cõtumax abiit. Alia pars Peregrinorū & timidorū, & eorū, qui procumbentes ad terrã ore pleno de abundãtia temporaliū biberūt, remãsit in Acchon. Rex verò DEI Hierusalē & Dux Austrię cū Hospitali S. Ioãnis & Episcopis supradictis & quibusdã aliis castrū in Cæsarea Palestinę breui tēpore viriliter & constãter firmauerūt, licet hostis aduētus frequēter nunciaretur; per hoc castrū, DEO dãte, ciuitas ipsa recuperabitur. In Basilica Principis Apostolorū festū Purificationis cū sex Episcopis solenniter

Matth. 21, 2.

Iud. 7, 5.

niter celebrauit. Templarii verò cũ *Gualtero de Auesnes*,& paucis auxiliatoribus Peregrinis,& Hospitali de domo Theutonicorum, *Castrum Peregrinorum*, quod olim *Destrictum* appellabatur, firmare cœperunt: quod situm est in diocesi Cæsariensi inter Cayphas & Cæsaream: promontorium amplum & latum, mari imminet, munitum naturaliter scopulis. Situs loci talis est ad Aquilonem, Occidentẽ & Austrum. Versus Orientẽ est turris firma, & dudũ à Templariis ædificata, & possessa tã guerræ quàm treugarum tempore. Turris autem ibidem posita fuit olim propter latrunculos, qui in via stricta Peregrinis ascendentibus in Hierusalem & descendentibus, ab ea insidiabantur. Hãc longè distantẽ à mari, quæ propter viam strictã *Districtum* 10 appellatur, toto ferè tẽpore, quo Cęsariense castrum firmatum est,& consummatũ, Templarii ex aduerso promontorii fodientes & deportãtes, laborantes per septem hebdomadas, tandem ad fundamentum primum peruenerũt, vbi murus antiquus, longus & spissus apparuit. Inuenta est pecunia in moneta modernis ignota, collata beneficio DEI filiis patris militibus suis, ad alleuiandos sumptus & labores. Deinde in anteriori parte arenam effodientes & deportantes, alius murus breuior inuentus est; & inter communirorum planitiem fontes aquæ dulcis largiter ebullierant; lapidum etiam & cæmenti copiam Dominus ministrauit. Duæ turres ædificantur ante frontem castri, lapidibus quadratis & dolatis, tantæ quantitatis, vt lapis vnus vix à duobus bubalis in curru trahatur. Vtraq; turris cẽtenos habet pedes in lõgitudinẽ, 20 septuaginta quatuor in latitudinem. Spissitudo binas includit testudines, altitudo plurimùm ascendens, promontorii celsitudinẽ transgreditur. Inter duas turres murus nouus & altus cum propugnaculis cõsummatus est;& miro artificio intrinsecus milites armati per gradus ascendere possunt & descendere. Iterum murus paulò distans à turribus extenditur ab vno latere maris ad aliud, puteum habens aquæ viuæ inclusum. Promontorium ab vtroque latere muro cingitur alto & nouo vsq; ad rupes. Et inter murũ Australem & mare duo sunt putei, aquæ dulcis copiam habẽtes, aquam castro exhibentes. Oratoriũ cum palatio & domibus plurimis castrũ includit. Huius ædificii prima est vtilitas, quòd conuentus Templariorũ eductus de peccatrice, & omni spurcitiâ plena ciuitate Acchon in huius castri præsidio residebit, 30 vsque ad reparationem murorũ Hierusalem. Territoriũ munitionis huius piscariis, salinis, lignis, pascuis, & herbis abundat; vineis plantatis,& plantandis, pomeriis, hortis habitatores delectat. Inter Acchon & Hierusalem nulla est munitio quã teneant Agareni. Vnde de hoc castro nouo plurimùm damnificantur Sarraceni, & terrore diuino ipsos fugante loca inclyta deserere coguntur. Habet hæc structura portum naturaliter bonum; cũ artificio adiutus poterit esse melior. Sex miliaribus distat à monte Thabor. Vnde huius castri constructio præsumitur causa fuisse munitionis illius; quia in campo longo lato, qui interiacet montanis castri huius montis Thabor, nec arare, nec seminare, nec metere securè poterãt, propter metum habitantium in eo. *Monasteriensis* Episcopus apud Cęsaream obdormiuit in Domino: 40 Magister *Thomas* Theologus, Doctor bonus & opinionis claræ, apud Castrum Filii DEI diem clausit supremum. Posthæc exercitus rediit in Acchon. *Episcopi Alemanniæ* & multi alii se properabant ad transfretandum, breui tẽpore in terra Promissionis commorati. Exspectabatur passagium secundum & nouũ, & maximè classis ab Aquilone veniens, quæ per angustum mare Carthaginis nauigatura sperabatur. A principio prædicationis Crucis CHRISTI prouincia *Coloniensis* studio magno in sumptibus plurimis ferè trecentas naues pręparauit: Quarũ quædam remanserunt, quædam vi tempestatis perierũt; sed maior pars venit Vlisibonæ ciuitatis Hispaniæ. Ibi orta est discordia, quibusdam procedere volentibus, aliis hyemare cupientibus in obsidione castri fortissimi, quod *Alcatia* dicitur: & sic classis diuisa est: pars apud 50 *Gaetam & Cornetum* hyemauit;& pars alia obsedit *Alcatiam*, duos habens capitaneos, Comitem Guilielmum de Hunladia,& Comitem Georgium de Wite. Captum est hoc castrũ per Theutonicos:& cùm essent adhuc in obsidione, congregata est contra eos maxima multitudo Saracenorum, contra quam viriliter pugnauerũt Templarii & Hospitalarii cum militia Reginæ Portugaliæ. Victi sunt virtute diuinâ Saraceni. Rex eorum vnus occisus est,& cum eo plurimi trucidati & in captiuitatem ducti. Excitata fuit prouincia Coloniensis ad obsequiũ Saluatoris mũdi, per signa quæ apparuerũt in cœlo. Nam in prouincia Coloniensi, & diocesi Monasteriensi,

in villa Frisiæ *Bendui*, mense Maio, sexta feria ante Pentecosten, cùm prædicaretur Crux ibidē, triplex forma crucis apparuit in aëre. Vna candida, versus Aquilonem: Alia versus Meridiem, eiusdem coloris & schematis: Tertia medio colore colorata, habens crucis patibulum & figurā hominis suspensam, eleuatis brachiis & extensis, cū infixione clauorū in manibus & pedibus & capite inclinato: hęc media fuit inter alias duas, in quibus nō erant effigies humani corporis. Alia vice & alio loco, in villa Frisiæ *Sutehuysem*, tempore prædicationis Crucis, apparuit iuxta Solem crux cærulei coloris: hanc viderunt plusquam priorem. Tertia fuit apparitio in diœcesi *Traiectensi* in villa quadam, vbi Bonifacius coronatus est martyrio; vbi in die eiusdem martyris cùm magna militia conuenisset ad indictum statiosè, apparuit Crux alba & magna, ac si trabs ex transuerso trabis artificialiter composita fuisset. hoc signum vidimus. Mouebatur autem paulatim ab Aquilone ad Meridiem. Credimus autem duas apparitiones fuisse demonstratas, vt omnis ambiguitas primæ visionis tolleretur, sicut dicit Apostolus de Resurrectione CHRISTI: *Quòd visus est Cephæ, postea vndecim Apostolis, deinde plus quàm quingentis fratribus.* Anno igitur gratiæ MCCXVIII. mense Maio, applicare cœperunt ad portum Acchon *cogones* de prouincia Coloniensi cum aliis paucis de Bremensi & Treuirensi prouinciis. Confirmatū fuit consilium in Concilio Lateranensi cū domino Papa Innocentio bonæ recordationis Henricū Romæ de introducēda militia Christiana in terra Ægypti. Mense ergo Maii post Ascensionem Domini, præparatis cogonibus armatis, galeis, & aliis nauibus oneratis, de Acchon profecti sunt, *Ioannes* Rex de Hierusalē, *Patriarcha* cū *Episcopis* Nicosiensi, Acchonensi, Gyrmideno, Duce *Austriæ*, tribus domibus, & copiosa multitudine Christianorum. Indicta fuit collectio nauigantium, apud *Castrum Filii DEI*, quod *Peregrinorum* dicitur: sed flante Boreâ, Rege, Duce, & Magistris domorū ad indictum locū venientibus, exercitus Domini prosperis velis processit, vbi peruenit ad portum *Damiatæ* tertio die, non descendens, sed biduo capitaneos expectans. Maiores congregati sunt ad calandram Templi, quid facerent deliberaturi. Quibusdam reditum suadentibus, tandem ad consilium Archiepiscopi Nicosiensis, & omnibus ei consentientibus, capitaneo capite *de Sareponte*, applicuimus ad portam Damiatæ, hostilem terram cepimus sine sanguinis impensa, priusquam capitanei in galeis sequerentur, qui eodem die circa horam nonam applicuerunt gratulantes, & mirantes nos figere tentoria conspicientes. Illi autem, qui modicam moram fecerunt in prædicto castro, nos vsque ad sextum diem ab exitu de Acchon subsequendo portum Damiatæ tenere non potuerunt. Multi etiam & nondum præparati post primos nauigantes, aut omninò remanserunt vi ventorum repulsi, aut per mare quatuor vel pluribus hebdomadibus iactati, vix applicuerunt. Archiepiscopus Rhemensis, & Episcopus Lemouicensis graues annis remanserūt in Acchon. Lemouicensis, debita naturæ ibi soluit; Rhemensis verò, in passagio sanctæ Crucis reuersus obiit in via. Nobis igitur, vt dictum est, applicantibus: *Frisus* quidā dextro genu in terram fixo, & sinistrâ manu circumferente ancillæ speculum ferreum, vibrauit illud, & intuitus Saracenum vnum, dum luderet, percussit. Pauci autem de Saracenis nobis occurrerunt ad portū. Sed isto cadēte subitò cum equo, aliisq; fugientibus, sine impedimento castrametati fuimus, intus littus maris & ripā fluminis Nili. Hoc etiam mirabile Dominus fecit, quòd in primo aduentu aqua fluminis iuncta mari dulcis hauriebatur, quę postmodum multis vicibus salsa fuit vsque ad *casale*, quod distat à Damiata ferè per milliare. Modico autem tēpore post aduentum Christianorum facta fuit Eclipsis ferè generalis. Quæ licet ex causis naturalibus in plenilunio plerunque proueniat, quia tamē Saluator dicit: *Erunt signa in Sole & Luna, &c.* hanc eclipsin cōtra Saracenos interpretati sumus, quasi prætendentem ipsorum defectum, qui sibi Lunam attribuunt, incremento vel decremento Lunæ vim magnam ponentes. Legitur autem in *Quinto Curtio*, quòd cùm *Alexander Macedo*, totius malleus orbis, contra Darium & Porum de Græcia profectus esset in Asiam, & acies hominum subsisterent ordinatæ: facta est eclipsis Lunæ, quam Alexander pro Græcis contra Persas interpretatus, suos animauit, & pugnans contra Darium vicit eum. Turris in medio Nili capienda fuit ante transitum ipsius. Frisones autem impatientes more suo Nilum transeuntes, iumenta Saracenorum tulerunt, & cupientes in vlteriori ripa castra metari stabant pugnantes con-

1. Corin. 15, 5, 6.

A. Dn. 1218.

Luc. 21, 25.

tes contra Saracenos, qui obuiam ipsis de ciuitate processerunt. Reuocati sunt per obedientiam, quia non videbatur Principibus nostris expedire, quòd turris paganis repleta post tergum relinqueretur Agarenorum. Interim *Dux Austriæ* & Hospitale sancti Ioannis duas scalas præparauerunt super duos cogones. Theutonici verò & Frisones tertiam nauem propugnaculis muniuerunt, castellulo in summitate mali composito, absque scalæ suspensione. Caput eorum, Dux, & iudex eorum fuit Comes *Adolphus de Monte*, vir nobilis & potens, frater Coloniensis Archiepiscopi, qui ante turrem captam mortuus fuit apud Damiatam. Scalæ Ducis & Hospitalis directæ sunt circa festum sancti Ioannis Baptistæ die Dominicâ primâ subsequenti, Sarracenis eam defendētibus viriliter. Scala Hospitalariorum fracta cum malo cecidit, bellatores suos præcipitans: Scala Ducis simili modo confracta, eâdem ferè horâ, milites strenuos & armatos corpore deciduos, secundum animas leuauit ad cœlum glorioso martyrio coronatos. Ægyptii lætati vehementer subsannantes leuauerunt voces, tympanizantes & buccinis perstrepentes; mœror & tristitia Christianos inuasit. Nauis autem Theutonicorum inter turrem & ciuitate, anchoram habebat fixam, damna multa per balistarios qui intus locati fuerant, inferens Ægyptiis, præsertim illis, qui stabant in ponte inter ciuitatem & turrim porrecto. Ipsa verò nauis à bellatoribus ciuitatis, & turris, & pōtis, igne Græco impetebatur vehementiùs. Tandem igne Gręco correpta fuit, & cùm timerent Christiani ne consumeretur omnino, defensores illius ignē viriliter extinxerunt; & sic tandē sagittis tam intus quàm foris, quam in castellulo in summitate mali collocato, in funibus densis repleta, cum magno Christianitatis honore ad locum suæ stationis fuit reducta. Non modica etiā damna intulit & sustinuit nauis vna Tēplariorum, propugnaculis munita, quæ huius assultus tempore iuxta turrim hærebat. Nos verò considerantes turrim capi non posse petrariarum vel tribulorum ictibus, hoc etiam multis diebus attentatū fuerat: neq; applicatione castri, propter fluminis profunditatem; nec fame, propter ciuitatis vicinitatē; neque suffossione, propter aquæ circumfluentis vicinitatem: Domino demonstrante, & architecto prouidente, sumptibus Theutonicorum & Frisonum, eodemq; labore, duos cogones coniunximus, trabibus & funibus fortissimè cohærentes, & sociâ compaginatione vacillandi periculum prohibentes, quatuor malos & totidem antennas in eis ereximus. In summitate castellum vnum firmiter asseribus, & opere reticulato contextū collocantes, contra machinarum importunitatem; coriis vestiuimus illud per circuitum & super tectum, propter ignem Græcum: sub castello fabricata fuit scala funibus fortissimis suspensa, & triginta cubitis vltra proram protēsa. Opere breui tempore feliciter consummato, inuitati sunt ad illud videndum Maiores de exercitu, vt si quid deesset, quod sumptibus vel humano ingenio suppleri deberet, indicarent. Et accepto responso quòd tale opus ligneum nunquam ante super aquam compositum fuisset, probandum esse considerauimus: quia crebris machinarum ictibus pōs pro magna parte destructus fuit, qui de ciuitate ducebat ad turrim hostes fidei. Sextâ igitur feriâ ante festum sancti Bartholomæi, nudis pedibus cum deuotione nostræ gentis ad sanctam Crucem processionem fecimus. Vbi implorato humiliter auxilio diuino, vt res DEI careret inuidiâ & iactantiâ, de qualibet gente, quæ tunc erat in exercitu aliquos ad huius negotii executionē inuitauimus: licet gens Theutonicorum & Frisonum ad naues implendas sufficeret & regendas. Die sancti Bartholomæi sextâ feriâ cùm Nilus excreuisset, & aquarum impetus negotium plurimùm impediret, cum multa difficultate & periculo hoc instrumentum contra torrentem à loco, in quo fabricatū fuerat, trahebatur ad turrim. Nauis vna minori machinæ socia præcessit velificando. Clerici nudis pedibus per littus ambulabant, supplicantes. Cùm ad turrim ventum est: illa duplex compositio ad latus occidentale non potuit cōuerti, sed ascendendo directè ad plagam aquilonarem applicabatur, funibus & anchoris tandem fixis, licet vis aquarum inundantium illud repellere moliretur. Machinæ sex vel plures directæ fuerunt super turres ciuitatis, & collocatæ ad illud cōcutiendum, sed vna in initio, aliis * post paucos ictus, cōfracta quieuit: aliæ verò sine intermissione ad instar grandinis lapides emiserunt. Nec minori periculo prior nauis ad pedem turris collocata substitit. Ignis Græcus cominus de turri fluminis, & eminus de ciuitate, fulminis instar veniens, pauorem incutere po-

tuit. Sed per liquorem acetosum & sabulum, subuentum est ignem extinguere laborantibus. Iacuit Patriarcha ante lignum Crucis prostratus in puluere; stans clerus nudis pedibus, indutus stolis, clamauit in cœlũ. Defensores turris, extensis lanceis, anteriorem partem scalæ subterunxerunt oleo, deinde ignem Græcum apposuerunt, qui erupit in flammas: Cumque Christiani, qui in ea erant concurrerent ad ignis suffocationem, suo pondere caput scalæ depresserunt in tantũ, vt pons tornatilis frõti appositus inclinaretur. Signifer Ducis Austriæ de scala corruit; Saraceni vexillum tulerunt. Babylonii se vicisse putantes vociferati sunt, aërem clamore vexando. Christiani de equis descendentes ad supplicationes se prostrauerunt, cõplosis manibus, rigatis vultibus dolorem, quem pro illis habuerunt, qui discrimen 10 in fluminis profundo & totius Christianitatis protestando. Ad hanc populi deuotionem & eleuationem manuum in cœlum, leuauit scalam diuina pietas; extinxerunt ignem fidelium lachrymæ: & sic nostri resumptis viribus cum defensoribus turris gladiis, sarissis, clauis & aliis instrumẽtis viriliter pugnauerunt cominus. Miles quidam iuuenis *Leodiensis* diocesis, primus turrem ascendit. *Friso* quidam iuuenculus flagellum, quo granum excuti solet, tenens, & ad pugnãdum connexione cathenarum præparatum, ad dextram & sinistram fortissimè percussit; & quendam tenentem signum Soldani croceum strauit, vexillum abstulit. Alii post alios successerunt, superatis hostibus, quos resistentes duros senserant & crudeles. O ineffabilis DEI pietas! ô inexplicabilis Christianorum hilaritas! post planctum & luctum, 20 post fletum & gemitum, gaudium vidimus & triumphum. *Te DEVM laudamus, Benedictus Dominus DEVS Israël, &c.* & alia cantica gratiarum, altis, & præ gaudio cum lachrymis vocibus mixtis, repetitis laudibus decantauimus. Interim Saraceni, qui in inferiori parte turris se receperant, igne supposito superficiem turris combusserunt: victores nostri, calorẽ sustinere non valentes, regressi sunt super scalam. Pons verò qui in inferiore parte operis præparatus erat, diuulsus est, ad pedẽ turris aquis profundis & vndiq; circumfluentibus: angustã malleis ferreis ianuã congressi sunt victores, defendentibus eam Sarracenis, qui erant intrinsecus. Stabat vtrumque opus immobile. Asseres scalæ pro parte discussi sunt, & ambitus operis fortissimis funibus compositus, & multis locis perforatus & machinarum ictibus. Ab hora nona 30 feriâ sextâ vsque ad horam decimam sequẽtis Sabbathi durauit hoc periculum. Opus autem reticulatum, quod scalam protegebat integrum permansit cũ castellulo, in quo stabant balistrarii & lapidum iactatores, qui tuebantur eos. Tandem inclusi in turri colloquiũ petebant; & se sub pactione vitæ dederunt Duci Austriæ: præter illos, qui præcipites nocte per fenestras euaserunt turris angustias, quorũ plures in flumine submersi sunt & interfecti. Captiui verò numerati sunt ad cẽtum viros. Ab illo die cùm confusi essent Babylonii & territi, &, vt putabatur, ad fugã parati, Principes nostri ad desidiam & inertiam deuoluti, more suo, differendi negocium caussas prætendebant: nec imitati sunt Iudam Machabæum, qui videns, quòd tempus iuuabat eum, hostibus non dabat requiem. Cogones se præparabant ad recessum 40 Frisonum & Theutonũ. Abiit multitudo maxima in passagio sanctæ Crucis instãti. Ad illud passagium venerunt quidam Romani, & post hoc *Albanensis Episcopus*, Apostolicæ Sedis legatus, & cum eo quidam Princeps Romanorũ: deinde Magister *Robertus de Corteon*, in ecclesia sancti Stephani in monte Cælio presbyter Cardinalis. Parisiensis, Gyrundẽsis, Hungariensis *Episcopi* mortui sunt in sabulo Damiatæ; Cardinalis Robertus similiter. Venit postmodum *Burdegalensis Archiepiscopus*, qui vtilem moram fecit; Andegauensis, Mantuanus, Hunianensis, Salpensis *Episcopi*: venit & *Comes Niuerniensis*, qui imminente periculo cum Christianorum recessit scandalo. Comes *de Marcha*, & Comes *de Bar*, & filius eius; frater *Guilielmus de Carnoto* Magister militiæ Templi; *Heruæus de Visione. Iterius de Tacci, Oliuerius* filius Regis Angliæ, & multi alii equestris ordinis & plebei apud Damiatã, rebus humanis exempti migrauerunt ad Dominum. 50 Sapiens corde & fortis robore qui facit mirabilia, magnalia & inscrutabilia, quorum nõ est numerus: qui excelsos iudicat, qui ponit humiles in sublimi; ipse magnificatus est solus in obsidione Damiatæ. Nõ enim, vt in aliis expeditionibus contra Saracenos, diuersis temporibus ordinatis, per humanum consilium aut bellatorum ministerium; sed per semetipsum, quod petere non præsumpsit homo, per suæ diuinitatis potentiam mirabiliter operatus est: non

est: non Regibus nec aliis Principibus & nationibus; sed suo nomini, dans gloriam & honorem, vt in omnibus peccatoribus completa sit promissio Prophetica: *Vos tacebitis, & Dominus pugnabit pro vobis.* Post captam siquidem turrim in profundo Nili sitam: Saphadinus inueteratus dierum malorum, dolore nimio, sicut asseritur, tactus, exhereditator fratruelium suorum, & vsurpator regnorum Asiæ, mortuus est, & sepultus est in inferno. Postmodum in festo sancti *Demetrii*, qui frater vterinus beati Dionysii legitur, summo diluculo castra Templariorum inuaserunt hostes; & modicum damnum nobis inferentes, per expeditos equites nostros, fugati sunt ad pontem, quē procul à nobis in superiori parte fluminis cōstruxerant: & ibidem in-
10 terempti sunt ad numerū D. sicut à transfugis intelleximus. In crastino autem, ipso die sancti *Dionysii*, Sarraceni iterum cū galeis armatis improuisi venientes, vbi tētoria Romani fixerant inuadentes, modicâ manu Christianorum repulsi sunt: Rege *Ioanne Hierusalem* viriliter ibidem pugnante, ad exhortationem Episcopi Bethleem, cùm persequeretur ipse Episcopus illos recurrentes ad galeas; qui gladios persequētium ac fluminis voraginem euadere potuerūt. Sicut autem olim Ægyptii in aquis vehementibus maris rubri, sic in Nilo submersi sunt circiter ad M.D. numerū, sicut à Sarracenis postea didicimus. Porrò quia multi de populo Christiano placuerunt Domino, necesse fuit, vt tentatio probaret illos. *Ionas* per angusta tempestatis in mare missus est, & ventre piscis conclusus, probatus rediit ad aridam: *Apostolus* tri-
20 plici naufragio tribulatus euasit. Populus Domini præmisso triduano ieiunio, quod Clerus in pane & aqua seruauit obedienter, & multis processionibus ordinatis à venerabili *Albanensi Episcopo*, P. Apostolicæ sedis Legato, tentari meruit. Nam in vigilia sancti Andreæ Apostoli mediâ nocte, intumuerunt fluctus maris crescentes, & excursum terribilem facientes vsque ad castra fidelium; aliâ parte fluuius nos occupauit; in campos natabant tentoria, perierunt cibaria, pisces fluuiales & marini se quasi nihil timentes cubiculis ingerebant, quos manibus cepimus, quibus tamen deliciis carere voluimus; & nisi consilio Spiritus sancti ante prouisum esset in fossato, quod in alios vsus factum fuerat, mare coniunctum flumini, homines cum iumentis, naues cum armis & victualibus detraxisset ad hostes. Nec tamen hoc pe-
30 riculum euaserunt quatuor *cogones* super quos præparata fuerant propugnacula ad capiendam ciuitatem; qui vno impetu cum quinta naui quæ inter eas hærebat, ad oppositam ripam vi ventorum præcipitati, ante nostros oculos sunt igne Græco combusti. Pepercit Dominus operibus Frisonum & Theutonicorum, quibus turris capta fuerat. Naues oneratæ, quæ in portu maris stabant, ruptis repentè funibus, perierunt. Durauit hæc tempestas per triduum continuum. Quo elapso Dominus, qui consolatus est *nos in omni tribulatione nostra*, imperauit ventis & mari, stare faciēs ipsum à furore suo. Inuasit præterea multos de exercitu quædam *pestis*, contra quam physici nullum ex arte sua remedium inuenire poterāt; dolor repentinus pedes inuasit & crura; & coniunctim caro corrupta gingiuas & dentes obduxit, masticandi
40 potestatem aufferens: tibias horribilis nigredo obfuscauit; & sic longo trāctu doloris afflicti, cum patientia multa migrauerunt ad Dominum plurimi; quidam vsque ad tempus vernale durātes, beneficio caloris euaserunt liberati. Post dictam tempestatem naues parabantur ad transitum fluminis: Quæ magno periculo sursum ascendentes, inter ciuitatem & turrim captam, machinis & igne Græco iaculis plurimis sunt impediti. Vnde accidit, vt vnus cogo Templariorum raptus prope ripam ciuitatis præcipitaretur ad hostes, qui cum barbotis & vectis ferreis ipsum præpugnauerunt diutiùs, ignem Græcum cum lapidibus desuper de turribus proiicientes; & cùm sic præualere non valerent, propter defensorum audaciam, certatim nauium ascendentes præcipites in eam ascēderunt ad Templarios; vbi cùm diutiùs pu-
50 gnaretur, tandem nauis perforata fuit (ab hostibus, siue à nostris, incertū habuimus; sed à nostris credendum est) profundum petiit, submergens Ægyptios cum Christianis, adeo vt vix summitas mali appareret super aquam. Et sic *Sampson* plures strauit moriens quàm viuens: Sic & isti martyres plures secum traxerunt in aquæ voraginem, quàm gladiis interficere potuissent. Ciues autem Damiatæ, cruētam victoriam suam ferè septem diebus planxerunt. Exinde pontem reparantes aperturam reliquerunt angustam, vt naues nostræ sine periculo ascendere non possent. *Theutonici* verò & *Frisones* zelo iustæ indignationis accincti, cum minori naui, cuius

Exod. 14, 14. *Exod. 14, 28.* *Ionæ 2, 1.* *2. Cor. 11, 25.* *2. Cor. 1, 4.* *Matth. 8, 20.* *Iudic. 16, 30.*

ministerio turris capta fuerat, quā Gallici *sanctam martyrem* appellant, pontē viriliter inuaſerunt, auxilium non habentes niſi de cælo. Pauciores autem viri, quàm decem de gente prædicta, contra omnem fortitudinem Babyloniorum pontem aſcendentes, ſpectante multitudine Chriſtianorum, ad hanc audaciam plurimùm extollentes, fregerunt eundem; & ſic cum quatuor nauibus, ſuper quas pons erat fundatus, reuerſi ſunt cum triumpho, liberam viam & apertam ſurſum velificantibus relinquentes. His itaque geſtis, Saraceni, periculum, quod eis imminebat attendentes, ripam nobis oppoſitam foſſatis & argilloſa materia cum propugnaculis ligneis & altis munierunt, machinas & petrarias ibidem locantes, nobis ſpem aufferentes ibidem tranſeundi. In *caſale* verò, quod ferè per milliare diſtat à ciuitate, vbi hæc noua munitio terminabatur, per tranſitum fluminis nauium immerſiones fecerunt cum palis infixis gurgiti. Nihilominus Apoſtolicæ ſedis Legatus deſiderium bonum habens obſidendi ciuitatem, naues ſuperiùs congregatas vrgebat ad tranſitum. Vnde *Cogones* propugnaculis & caſtellulis, viris etiam armatis muniti, cum galeis & aliis nauibus, CHRISTO duce, prædictas immerſiones euaſerunt. Hoſtes autem, diſſimulato metu, tres ordines armatorum ſtationi nauium noſtrarum contrapoſuerunt, vnam per cliuum ſuper ripam cum clypeis, quos *targias* appellant, linealiter ordinatam: Secundam poſt dorſum eorum ſimilem priori: Tertiam equitum longam & terribilem, ictibus lapidum & telorum plurimùm vexando ſtationem Chriſtianorum. Sanè nocte *ſanctæ Agathæ* Virginis & martyris, cùm coadunatus eſſet populus fidelium qui ſequenti die tranſiturus erat, pluuiæ & venti multum diſcriminis & difficultatis addiderunt noſtris. Sed fidelis DEVS, qui non patitur ſuos tentari ſupra id quod poſſunt, reſpiciens ad caſtra ſeruorum ſuorum, quod ſecundùm inferiores cauſas difficile fuerat vel impoſſibile, conuertit in facilitatem & gaudium, ſuæ virtutis innouans miracula. Poſt mediam ſiquidem noctem tantum pauorem *Soldano* Babyloniæ & ſatrapis ſuis incuſſit, vt relictis caſtris, ignorantibus nobis & Ægyptiis, quos ad reſiſtendum ordinauerat, in ſola fuga ſpem poſuit. Quidam apoſtata, qui multo tempore legem Chriſtianorum tranſgreſſus cum Soldano militauerat; ſtans à ripa Gallicè clamabat: *Quid moramini? quid ſtatis? Soldanus abiit:* hoc dicto in nauicula Chriſtianorum ſe recipi poſtulauit, vt in poteſtate ipſorum poſitus fidem dictis faceret. Summo igitur diluculo cùm inchoatum eſſet officium Miſſæ dicti feſti per oratoria Chriſtianorum: *Gaudeamus omnes in Domino*, nunciata ſunt hæc Legato, Regi & aliis. Itaque fugientibus Ægyptiis, noſtri certatim & alacriter abſque omni impedimento hoſtium, & ſanguinis impenſa tranſierunt. Sed adeo limoſa & profundioribus aquis difficilis fuit ad applicandum terra hoſtilis, vt vix equi ſine aſcenſoribus, & ſellis eiectis, poſſent aſcendere. *Templarii* verò inter primos aſcendentes equos, erectis ſignis cum quibuſdam Hoſpitalis ſancti Ioannis fratribus, & paucis aliis ſecularibus militibus, verſus ciuitatem curſu propero feſtinātes, in partibus illis, vbi caſtra paganorum ſederant, quos ibi inuenerunt ad centum viginti trucidantes inſtanter. Strenuiſſimus autem *Rex Hieruſalem* poſtquam cum Magiſtro & fratribus Hoſpitalis, cum *Comite Niuernienſi* de fuga exercitus infidelis rediit, vbi primos curſus incaſſum expenderant, quoſdam de maledicta familia ante portam ciuitatis adhuc renitentes, adiit intrepidè; quamuis cum modico comitatu. *Hos fugat & ſternit, alios omneſq; potentes Vertere terga fugæ claudit in vrbe fugans*, vſque ad introitum portarum victorioſo gladio non ceſſante. Verùm Hoſpitalis ſancti Ioannis fratres, cum prædicto Niuernienſi Comite, non quieſcunt, qui cum quibuſdam ex noſtris immanem multitudinem hoſtium in via, quæ ducit Thaneos, nudatis mucronibus conſequentes, occidentes alios, & alios ſubmergentes. Non gloriabatur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea; neque ſerra contra trahentem in ea. Miraculum iſtud cui comparabimus, vel cui æquabimus, niſi ei, quod legimus de *Benadab* Rege Syriæ, qui obſederat Samariam arctans eam plurimùm? Cui Dominus contulit tantum terrorem, vt relictis caſtris fugeret. Et ſicut per leproſum qui erat in introitu portæ, illic fuga Syrorum fuit nunciata Samaritanis: ita per leproſum in anima, præfati videlicet apoſtatę, nunciata fuit Ægyptiorum fuga. Et ſicut ille populus Samaritanorum, ſpolia in caſtris Syrorum collegit; ſic noſter exercitus tentoria & manubria fugientium diſripuit, *targias* plures, & omnes galeas cum *barbotis* & aliis nauibus, quæ infra caſale inueniebantur, cum aliis Hoſpitalis fratres victores occupauerunt.

Iſaia 10, 15.

4. Reg. 6, 24. 7, 3. &c.

pauerunt. Multi bellatores relictis vxoribus & paruulis, territi propter inopinatũ transitum, de Damiata fugerunt; ac sic per gyrum ac firmiter obsessa est ciuitas. Igitur diuiso exercitu nostro in duas partes, vna videlicet in sabulo ad custodiam tam fluuii, quàm portus, altera ad obsidendam munitam vrbem necessariò deputatam; super impetuosas & inuadabiles Nili vndas pontem construere nobis necessitas imperauit: qui quanto necessarior, tanto fortior in sumpto & labore plurimo. Super robustas naues in transuerso fluminis ordinatas, fauente Domino, constructus est, periculosam diuisionem exercitus vniens & ipsum flumen reddens inimicis immeabile. Et sic per gyrum firmiter obsessâ ciuitate, exercitu continuato per pon-
10 tem vtramq; ripam fluminis cõtingentem. Per desidiam autem & inertiam quorundam, quorum nomina nouit Dominus, factum est vt hostes resumptis viribus & animis, adueniente etiam *Coradino* cum *Halapinis* & magna multitudine, locum illum occuparent, à quo nostri miraculosum transitum fecerant: & sic nos obsidentes ciuitatem, ipsi periculosiùs obsederunt: & nisi per diuinum consilium castra, quę erãt inter mare & fluuiũ, retenta fuissent; maximè per Theutonicos & Frisones, portus nobis ablatus fuisset, & negocium plurimùm periclitatum vacillaret. Vt autem transitus miraculum magis claresceret, & soli DEO asscriberetur firmiter, ad tantam Sarraceni peruenerunt temeritatem, vt diluculo Sabbathi ante Dominicam, *Oculi mei semper ad Dominum*, nobis tale periculum non prouidenti-
20 bus; sed diuino auxilio cum damno equitum & peditum sunt repulsi: cum multitudine graui propiùs accederent, & in fossatum se præcipitarent. Anno gratiæ *millesimo ducentesimo decimo nono*: Regina ciuitatum Hierusalem, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, destructa est à *Coradino*, filio Saphadini, & foris & intus. Muri enim cum turribus redacti sunt in aceruos lapidum præter Templum Domini & turrim Dauid. De Sepulchro glorioso destruendo habuerunt Sarraceni consilium; & per litteras comminati sunt, quas ciuibus Damiatæ transmiserunt ad ipsorum solatium. Sed huic temeritati nemo manus apponere præsumpsit, propter loci reuerentiam. Sicut enim in *Alchorano* libro legis eorum scriptum habent: IESVM CHRISTVM Dominum nostrum credunt de Maria Virgine conceptum &
30 natum: Quem sine peccato vixisse Prophetam, & plus quàm Prophetam protestantur; cæcos illuminasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse, firmiter asserunt. Verbum & spiritum DEI, & nuncium ad cælos ascendisse, non discredunt. Sed passionem & mortem, diuinam etiam naturam vnitam humanæ naturæ in CHRISTO ac Trinitatem personarum, negant. Vnde veriùs hæretici, quàm Sarraceni nominari deberent. Sed vsus similis nominis præualuit. Vnde quando tempore Treugarum sapientes ipsorum Hierosolymam ascendebant, codices Euangeliorum sibi postulabant, * & osculabantur propter munditiam legis, quam CHRISTVS docuit; & maximè propter Euangelium Lucæ: *Missus est Gabriel Angelus*, quod litterati inter eos sæpiùs repetunt & retractant. Lex autem eorum, quam dictante Diabolo,
40 ministerio *Sergii* monachi & apostatæ ac hæretici, *Machometus* Sarracenis dedit Arabicè scriptam, à gladio cœpit, & per gladium tenet, & in gladio terminabitur. Machometus iste illiteratus fuit, sicut ipse protestatur in Alchorano suo, & prænominatus hæreticus dictauit, ipse promulgauit, & per comminationes obseruari statuit. Luxuriosus & bellicosus fuit: ideoque de immunditia & vanitate legem tulit; quam carnaliter viuentes in parte voluptatis firmiter obseruant. Et sicut legem nostram veritas & munditia vniunt; ita errorem ipsorum timor mundanus & humanus ac voluptas carnalis firmissimè custodiunt. In *die Palmarum* anni præscripti, inimici nostri multà cominatione præmissâ, quòd seipsos vel nos omnes perderent; vnâ die collectione terribili, & innumerabili exercitu equitum & pedi-
50 tum irruerunt super nos, vndique fossatum nostrum inuadentes, & maximè pontem Templariorum & *Ducis Austriæ*, quem ipse cum Theutonicis defendere studuit. Hostes cum electis militibus suis de equis suis descendentes cum Christianis atrociter pugnauerunt; ceciderunt hinc inde mortui & vulnerati: Tandem pontem ascendentes, partem eius combusserunt. Dux Austriæ præcepit suis, vt ponte relicto, aditum darent instantibus & introitum; sed intrare non præsumpserunt propter militiam nostram, quæ acies suas ordinauerat, subsidium munitiones defendentium. Mulieres aquam & lapides, vinum

A. Dñ. 1219.

* Luc. 1.

& panes bellatoribus ministrabant intrepidè. Orationi Sacerdotes insistebant; vulnera sauciatorum ligabant; DEVM benedicebant. Eadem die non est datum spatiū gerendi alias palmas quàm balistas & arcus cum sagittis, lanceas & gladios cum clypeis; adeo instabant & vexabant atrociter, qui venerant ad perdendum nos studio liberandi ciuitatem, ab ortu solis vsque ad horam ferè duodecimam; Tandem fugati, retraxerunt se cum damno maximo. Instabat iam *passagium vernale*. Recessurus erat *Dux Austriæ*, qui per annum & dimidium CHRISTO fideliter militauerat, plenus deuotione, humilitate, obedientiâ, largitate; qui præter alios sumptus, innumerabiles equos in negociis bellicis & priuatis Clericis domū fecerat Theutonicorum. Ducentas marcas vel amplius ad comparandum prædium creditur cōtulisse, & castro Templariorum nouo, quinquaginta marcas auri. Cui etiam *Comes Austriæ* quingentas marcas argenti donauit, ad murorum & turrium fundamentum. In *Calendis Maii* magna multitudo Peregrinorum cœpit recedere, nobis in summo periculo relictis. Sed Pater noster misericors & benignus, Dux & pugnator noster, defensor & protector sperantium in se, sibi facilè in paucis, sicut & multis vincere, CHRISTVS IESVS, non permisit incredulos simul in nos irruere: donec noui recentesque Peregrini cum copioso succursu superuenirent. Copia victualium, & equorum nutu diuino transmissa, collectionem fidelium lætificauit. Isti, igitur, rapto fidelium agonistarum numero, in festo *Ascensionis Domini*, more suo, per terram & per aquam irruerunt perfidi. Et multoties sic attentantes, præualere non potuerunt. Particulariter etiam prope castra nostros prouocabant, damnificantes & damnificati. Vnde quadam die pedites nostri cadauer perfidi armatum, ad modum autem viui appodiantes, erexerunt, caput abscissum contortis crinibus super cadauer colligantes, & ad iactum iaculi extra *licias* Sarracenis equitantibus relictum exposuerunt. Quod videntes Sarraceni septem, primò tres, secundò quinque, tertiò septem simul irruerunt in cadauer mortuum, quasi in audaciam Christianorum tot cedere volentes, & à nostris inde coadunantibus fugerunt infideles viso capite truncato, cum crine torto. *Pridie* verò *Calendas Augusti* omnem, quam adducere poterant copiam, post diuturnos assultus tandem fossatum contra militiam Templi transeuntes, & licias nostras viriliter rumpentes, pedites nostros verterunt in fugam, adeo vt totus exercitus Christianorum iam periclitaretur. Milites de Frācia, seculares equites, ter conati sunt ipsos repellere longiùs extra fossatum; sed non potuerunt. Sarraceni siquidem iuxta mœnia nostra fractis munitionibus ligneis, equitum ac peditum acies ordinauerunt. Clamor ortus est insultantium; omnis multitudo eorum properauit sequelam; timiditas aucta est Christianis. Sed spiritus qui induit *Gedeonem*, Templarios animauit. *Magister Templi* cum *Marescallo*, cæterisque fratribus, qui cum eo tunc aderant, per exitum angustum, impetu facto, viriliter in fugam conuertit incredulos. *Domus Theutonicorum* & Comites, & alii milites de diuersis nationibus, videntes militiam Templi in periculo constitutam, festinanter per exitus sibi compositos tulerunt auxiliū. Sed pedites Sarraceni, abiectis clypeis, interficiebantur, præter eos, quos fuga præcipites percussoribus abstulit. Post equites nostros egressi sunt pedites nostri, & per modicum spatium se retraxerunt hostes. Acies hinc inde substiterunt armatæ, donec crepusculum vespertinum, prælium interemit: Sarraceni priores abierunt. Occisorum corpora perfidorum strata iacebant iuxta fossatum plurima; præter eos, qui sauciati grauiter vel leuiter reducti sunt ad castra. Sic saluauit Dominus sperantes in se in die illâ, per virtutem Templariorum, & domus Theutonicorum, & eorum qui ipsis cooperati, discrimini se commiserunt. De nostris pauci interempti sunt & capti. Instrumenta contra ciuitatem parata, multiplici conatu defensorum Damiatæ, ferè omnia combusta sunt. *Ianuenses, Pisani, Venetiani* firmiter asserebant, se ciuitatem expugnaturos, per quatuor naues super quas scalæ pendebant. Sed ipsi non erant de genere illorum virorum, per quos salus facta est in Israel: Volebant enim sibi facere nomen cum tubis & calamellis & signis multis progressi. Legatus Apostolicæ sedis sumptus eis præbuit copiosos de communi. Rex & alii chordas & anchoras, prout requirebant, exhibuerunt abundanter. Aggredientes itaque ciuitatem, primo die multos interfecerunt & vulnerauerunt. Et quantò postmodum sæpius assultum fecerunt, tantò magis muri firmati sunt ligneis castellulis & liciis: defensores etiam robustiùs & ædificatiùs

Psal. 17, 31.
1. Reg. 14, 6.
Iudic. 7.

10 20 30 40 50

dificatiùs contra se venientibus opposuerunt; & sic scalæ mutilatæ per ignem ac pluries reparatæ, tandem infecto negotio reductæ sunt ad ripam. Et sic deprehensum est & intellectum veraciter, solâ virtute diuinâ *Damiatam* in manu Christianorum fore tradendam. Nos verò insensati & immemores beneficiorum DEI, ac mirabilium quæ fecit, prouocabamus oculos diuinæ maiestatis contra nos per *desidiã & desideria maiorum*, *& murmurationes minorum.* Pedites equitibus improperabant ignauiam; equites pericula peditum, quando contra Sarracenos egrediebantur, dissimulabant. Vnde factum est, vt conuincti sunt culpis exigentibus, *in decollatione S. Ioannis Baptistæ*, licet vix inuenirentur, qui in custodia castrorum remanerent, naualem & terrestrem exercitum educentes, ad castra Babyloniorum tenderemus, inter mare & fluuium, vbi dulcis aqua reperiri non poterat ad potandum. Ipsi verò sublatis tentoriis fugam simulabant. Et cùm processum fuisset à nostris, adeò vt appareret aduersarios diuersâ fronte nolle confugere: Capitanei nostri longum inierunt consilium, vtrum procederent an redirent: discordia inter eos facta fuit. Interim solutæ sunt acies præter ordinem illorum, quos in disciplina militari legauit obedientia. *Equites Cypri* in dextro cornu, Sarracenis incursum facientibus à latere timiditatem suam ostenderunt. *Italici* pedites primò fugerunt; post eos equites de diuersis nationibus, & quidam Hospitalis S. Ioannis, *Legato* Romanæ sedis, & Patriarcha, qui crucem baiulabat, multùm, sed frustra supplicantibus, vt subsisterent. Æstus solis erat vehemens, pedites pondere armorum premebantur: calorem auxit labor viæ; & qui secum vinum detulerunt, in angustia sitis illud biberunt purum, propter defectum aquæ. His occurrentibus qui subsistentes se defenderunt, & post primitiuos fugientes anhelo cursu terga dederunt, extincti sunt sine vulneribus corruentes. *Rex* verò, cum Templariis & domo Theutonicorum, & Hospitali S. Ioannis; & de *Hollandia*, & *Withe*, & *Cestriæ* & *Sansbrigiæ* Comitibus; *Gualtero* & *Bartholomæo* Francigenis; Pisanis, aliisque militibus impetus persequentium sustinuit. Rex verò igne Græco ferè combustus fuit. Hi omnes pro muro fuerunt fugientibus, quoties facies suas ostenderunt, totiens Sarraceni fugerunt: Quando verò gradatim reuertebantur, ictus & tela sustinuerunt inimicorum. Capti sunt in illa defensione Christianitatis, *Beluacensis* electus, & frater eius *Andreas de Nantolio*; dominus *Galterus* Camerarius Regis Franciæ, & filius eius; frater Andegauensis Episcopi *Vicecomes* cum domino *Ioanne de Arcies* viro venerabili & valde strenuo; *Henricus de Vlmo*, & alii multi, qui trucidati sunt, & in captiuitatem ducti. Templarii triginta tres capti vel occisi sunt, cum Marescallo S. Ioannis & quibusdam aliis fratribus eiusdem domus. Nec euasit sine damno domus Theutonicorum. Militia Templi, quæ prima solet esse in congressu, vltima fuit in regressu. Vnde cùm ad fossatum nostrum nouissimi redirent, foris subsistit, vt anteriores intra mœnia, quãtum possibile fuit, reduceret. Persecutores ad captiuos deducendos, & spolia colligenda tandem redierunt, sicut à Sarraceno postmodum intelleximus, quingenta capita Christianorum Soldano præsentantes. Mœror & tristitia nostros occupauit; sed nulla desperatio. Pro certo habemus quòd pœna peccati fuit hæc castigatio: & minus erat in pœna, quàm exigeret culpa, ipso temperante vindictam, qui dicit animæ peccatrici: *Fornicata es cum multis amatoribus; tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.* Constat autem nobis, quòd in præcipua sua militia, luctuosa damna sustinuerunt increduli. Manè miserator Dominus, qui non obliuiscitur misereri, nec continebat in ira sua misericordias suas; qui in tribulatione peccata dimittit; qui facit de tenebris lucem splendescere; luctum nostrum conuertit in gaudium, mœrorem in lætitiam. Nam *Soldanus* vnum de captiuis nostris mittens, de pace vel treuga nobiscum tractare cœpit: In quo tractatu fossatum nostrum & munitiones nostras reparauimus alacriter. Interea nautæ Christianitatis proditores, & cũ eis Peregrini plurimi, magis seipsos amantes, quàm fratribus compatientes, ante tẽpus consueti passagii agonistas CHRISTI in summo periculo relinquentes eleuatis velis ab arrepto portu, nobis tristitiam, Babyloniis audaciam contulerunt. Qui tractatum pacis intermittentes, in vigilia sanctorum *Cosmæ & Damiani*, & sequenti die proximo in Sabbato cum galeis & barbotis per flumen; cum magonellis & targiis & fustibus pro implendo fossato, per terram, feritate Barbaricâ & impetu consueto, nos impetierunt. Sed durus bellator, triumphator in Israël, solitâ vsus gratiâ

Hierem. 3, 8. 12.
Psal. 78, 9.
2. Cor. 4, 6.
1. Reg. 15, 29.

castra sua defendit misso per mare *Saluarico de Malleon* cum galeis armatis, & bellatoribus multis in ipso necessitatis articulo. Et nos clamantes in cœlum, nec trepidantes ad prælium, sed viriliter resistentes, illos interfectos, sauciatos & confusos, ab insultu triduano recedere coëgimus Ipsius virtute, qui saluat sperantes in se. Interea ciuitas obsidione longâ, ferro, fame, pestilentiâ grauiter, & vltra quàm credi potest, vel scribi, afflicta, in sola pace, quam Soldanus ciuibus promisit, spem posuit: Adeo enim in ea fames inualuerat, vt cibi desiderabiles deessent: panis corruptus abundauit in ea. Durabilis non est annona Ægypti propter molles glebas, in quibus crescit, nisi supra circa partes Babyloniæ artificiose seruetur in annos. Et sicut audiuimus, *coctanum* vnum vndecim bysantiis vendebatur in ea. Ex angustia famis diuersa morborum genera vexabant eos, & inter cætera incommoda quæ sustinuerunt, noctibus quasi *aurisia* percussi, nihil videre poterant. Soldanus de die in diem vanis promissionibus, ipsos à deditione dehortatus, decepit miseros. Postremò autem portas suas obstruxerunt intrinsecus, ne aliquis ad nos veniens de suis, nunciaret quomodo dies afflictionis eos possedit. Si quis verò per posticum, vel de turre per funes euadere potuit; inflatus & famelicus ciuium suorum probabat euidenter inopiam. Illis, qui foris in circuitu, Sarracenis, nos obsederunt, copia panis & pabuli cœpit decrescere. *Nilus* siquidem, qui post festum S. Ioannis Baptistæ vsque ad exaltationem sanctæ Crucis solet excrescere, & Ægypti planiciem irrigare, hoc anno more suo non ascendit ad signum, quod ponere solent Ægyptii; sed prout credimus magnam partem terræ siccam reliquit, quæ nec arari nec seminari poterat suo tempore. Vnde *Soldanus* caristiam timens & famem, etiam amore retinendi Damiatam, talem pacem cum *Coradino* fratre suo attulit, vt sanctam Crucem, quæ olim capta fuit in victoria Salahadini cum ciuitate sancta Hierusalem, & omnibus captiuis, qui per regnum Babyloniæ & Damasci viui reperiri possent; sumptus etiam ad reparandum muros Hierusalem redderent; insuper regnum Hierosolymitanum restituerent totaliter, præter *Craccum* & *Montem regalem*; pro quibus retinendis tributum obtulit, quandiu treuga duraret. Sunt autem hæc duo loca in Arabia sita, septem munitiones firmissimas habentia: per quæ negociatores Sarracenorũ & Peregrini ipsorum Mecham tendentes vel ab ea reuertentes transire solent. Et qui potenter tenuerit Hierusalem, & voluerit, grauiter nimis cum agris & vineis lædere eos poterit. Hanc compositionem acceptandam, & vtilem Christianitati, *Rex* & *Francigenæ* & Comes *Cestriæ* cum Capitaneis *Theutonicorum* censuerunt pertinaciter. Nec hoc mirãdum fuit: quia longè minori pace, quæ priùs oblata fuerat, contẽti fuissent, nisi sano consilio fuisset illis obuiatum. *Legatus* autem cum *Patriarcha* & *Episcopis*, *Templariis*, *Hospitalariis*, & omnibus *Italiæ* Capitaneis, multisque aliis prudẽtibus viris efficaciter huic tractatui se opposuit; rationabiliter ostendẽs, ante omnia Damiatam fore capiendam. Opinio diuersa peperit discordiam, quæ citò sedata fuit propter communem necessitatem. Interea *Soldanus* magnam multitudinem peditum clanculo per loca palustria misit ad ciuitatem, quorum ducenti quadraginta Christianis dormientibus fugerunt, ingressi Dominicâ nocte post festum omnium Sanctorum: tandem per clamorem vigilum, occisi sunt; & captiuos ad trecentos & plures computauimus. Nonas Nouembris, SALVATORE mundi regnante & domino *Albanensi* Episcopo Apostolicæ sedis legatione fungente, solerter & vigilanter capta est ciuitas Damiatæ absque deditione, sine defensione, sine violenta deprædatione cum tumultu, vt soli filio DEI ascribatur victoria euidenter, qui populo suo in Ægypto ingressum inspirauit, & ibidem vires monstrauit. Et cùm caperetur ciuitas in oculis Regis Babyloniæ more solito, non fuit ausus CHRISTI milites ad defensionem paratos per fossatum nostrum aggredi. Eodem tempore & fluuius excreuit vberrimis aquis fossatum implens. Ipse verò *Soldanus* confusus propria castra combussit & fugit. DEVS autem qui tertiâ die aquas sub firmamento in locum vnum congregauit, ipse agonistas suos per aquas maris ad portum Damiatæ perduxit; mense Maio, tertiâ feriâ. Eosdem transduxit per Nilum ad obsidendam ciuitatem; mense Februario, feriâ tertiâ. Hanc vrbem vitulæ consternanti, quę modò terræmotu submersa est, possumus assignare. *Vitulam* appellamus propter eius lasciuiam. Piscibus enim, auibus & pascuis, frumento, hortis & pomeriis abundauit: negotiando, piraticã exercẽdo, delitiis affluxit in culpa; pereffluxit in Gehenna.

Sed

Marginalia: Dan. 13. (line 6); * (line 10); * (line 31); * (line 41); Gen. 1, 9. (line 51); Isaia 15, 5. (line 54); Apoc. 19. (line 57). Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50.

Sed vnâ horâ venit iudicium eius. Consternantem DEVM, quia terræ raptu tertio habitatores eius perierunt, ipsâ tamen integrâ manente. A Græcis & Latinis primò obsessa fuit, qui ab ea defecerunt. Hac vice tertiâ Rex regum & Dominus dominãtium seruis suis ipsam tradidit, IESV CHRISTO duce, qui viuit & regnat & imperat, & vincit; qui sementis irrigua locauit Ægyptiis; & confudit operantes sericum, & byssum plectentes, & texentes subtilia. Tali duce CHRISTI milites Damiatam ingressi plateas eius inuenerunt stratas cadaueribus mortuorũ, pestilentiâ & fame deficientium; aurum & argentum nimis; pannos sericos negotiatorum, in abundãtia; supellectilem variam, in superabundantia. Ciuitas hæc præter naturalem situm loci, qui munitur triplici muro, cincta est turribus lateritiis multis & magnis fortissimè munita; clauis & antemurale totius Ægypti; inter Ramesse & campum Thaneos sita, in terra, vt coniicere possumus, *Gessen*, quæ pascualis est, quam petierunt filii Israël à Pharaone tempore famis. Damiata, Damiata inclyta in regnis, multùm formosa in superbia Babyloniæ in mari dominatrix: In ascensu persecutorum tuorum per paucas & modicas scalas comprehensa. Nunc humiliata es sub potenti manu DEI; & adultero, quem diu tenuisti, proiecto, ad priorem virum tuum reuersa es. Et quæ priùs parturiebas spurios à modò paries filios legitimos ad cultum filii DEI, firmiter à cultoribus CHRISTI possessa. *Acchon Episcopus* ex te primitias animarum DEO soluit: paruulos tuos, qui in te reperti sunt, ab ipso vitales etiam morti proximos, baptismatis vndâ sacramentaliter mundando. Multiplices soluisti pœnas; quia præter eos, qui viui comprehensi sunt in te, mortui tui promiscui sexus à tempore obsidionis in circuitu cõputantur ad mille & ampliùs: quos sine ferro & igne Dominus percussit, à modò dedignatus sustinere spurcitias in te commissas. Gaudeat igitur vniuersalis Ecclesia, dignas gratiarum actiones referendo pro tali triumpho; & non solùm pro Damiata; sed pro destructa perniciosa munitione montis *Thabor*, & pro aditu libero in Hierusalem: vt reædificentur muri eius tempore ab altissimo prouiso. Pro *Castro* præterea *Peregrino*, quod magnis sumptibus ædificat viriliter & inexpugnabiliter militia Templi, de qua superiùs scriptum est. Lætare prouincia *Coloniensis*, & lauda & exulta; quoniam in manibus, instrumentis bellicis, bellatoribus & armis, victualibus & pecunia maius auxilium tulisti, quàm residuum regni Theutonicorum. Tu autem *Colonia* ciuitas Sanctorum, quæ in hortis hæreditas inter virginum lilia, rosas Martyrum, violas confessorum: Flecte genua cordis tui pro deuotione filiarum tuarum, magnificas gratiarum actiones altis vocibus resonando. Ante captionem Damiatæ *liber* nobis apparuit *Arabicè scriptus*. Cuius auctor se Iudæum, vel Christianum, vel Sarracenorum negat in illo. Quisquis autem fuerit, prædixit mala, quæ Salahadinus populo Christiano crudeliter intulit, in destructione Tiberiadis: in victoria, quam de Christianis habuit, quando Regem Hierusalem & principes captiuos duxit, Aschalonem destruxit; & quomodo conabatur Tyrum apprehendere, sed non profecit; & alia multa, quæ peccata illius temporis meruerunt, prædixit. Prædixit destructionem hortorum & palmarum ciuitatis Damiatæ, quam factam vidimus, quando librum hunc per interpretes inspeximus: Addidit & Damiatam à Christianis fore capiendam. *Salahadini* nomen non ponit, sed per nigros oculos & crocea vexilla ipsum designat. Insuper prædixit quendam Regem Christianorum *Nubianorum* Mecham ciuitatem debere destruere, & ossa Machometi Pseudoprophetæ dispersa proiicere; & quædam alia quę nondum euenerunt. Sed si completa fuerint, ad exaltationẽ Christianitatis, & depressionem Agarenorum euenient. Scimus quosdam gentiles ethnicos Spiritum sanctum habere in ore, sed non in corde, & manifestè de CHRISTO prophetasse. Vnde non miramur si per canales lapideas aqua purior pertransit. Ad hæc fama discurrens per totum orbem, Damiatam à Christianis esse comprehensam, *Georgianorum* litteras ad castra Catholicorum transmitti persuasit. In quibus continebatur, quòd indignata gens illa vel excitata, Rege eorum conuocante Principes, decreuit & iurauit se obsessuram aliquam ciuitatem famosam Sarracenorum: allegans sibi verecundum esse, quòd fratres de transmarinis partibus & vltimis terræ finibus venientes, per mare spaciosum periculis plenum tam munitam ciuitatem longâ obsidione cepissent: nisi & ipsi, quibus facilius erat, perfidos impugnarent, & Damascum vel aliam ciuitatem vel locum alium nominatum,

Apoc. 19, 6, 16.
Isaia 19, 9.
Gen. 46, 34.

virtute caperent armorum. Sunt autem *Georgiani* cultores CHRISTI, ritus habentes Græcorum, Persis vicini, longo terrarum tractu à Terra Promissionis distantes, quorum dominium extenditur vsque ad Caspios montes, in quibus decem tribus inclusæ desiderant aduentum Antichristi; tunc etiam erumpent magnam stragem facturæ. Georgiani bellicosi sunt homines, habentes rasuram in capite, Clerici rotundam, Laici quadratam: Mulieres eorum equestris ordinis edoctæ sunt ad prælium. Homines isti quando ordinatis aciebus aggressuri sunt inimicos, quilibet pugillarem cucurbitā repletam vino * prout velociùs ebibit, & statim viriliter aduersarios inuadunt. Computandum esse non dubitamus inter beneficia Saluatoris IESV CHRISTI, quòd à sicariis maiores nostros defendit in obsidione Damiatæ. Visitatum siquidem habebant *Assassini*, & eorum præceptor *Vetulus de montanis*, cultellos emittere contra Christianos ad intercipiendam vitam ipsorum, qui negotium Christianitatis propensiùs procurabāt. Nam treugarum tempore, filium Tripolitani Comitis, adolescentem spectabilē in Ecclesia beatæ Virginis apud *Carchusam* ante altare procumbentem, nequiter interfecerunt. Vnde Militia non cessauit eos persequi pro tam religiosa exanitate violata, donec humiliarentur vsque ad seruitutem tributi. Tria namq; millia bysantiorum annatim Templariis persoluunt. Eiusdem obsidionis tempore Armeniæ Rex *Leo* nomine defunctus est in terra sua. *Melchisomaphat* filius Saphadini multa damna Templariis intulit, cùm essent in obsidione Damiatæ: Combussit enim oppidum Castri albi; & turres munitas destruxit: Sed cùm rediret in terram suam, victus est à Sarracenis. Mortuus est *Soldanus Ichonii*, qui creditur baptizatus fuisse. Qui tantæ benignitatis erat in Christianos, vt treugam cum Sarracenis solui iuberet CHRISTI cultores, quos vinculatos inuenit in munitionibus, quas expugnauit; & in optione eorum posuit, vtrum in patriam suam redire vellent, an acceptis ab eo solidis sub ipso militare potiùs eligerent. Idem Christianos in tantum familiares habuit, vt custodes sui corporis constitueret eosdem: licet pater ipsius à *Lascaro* Græco fuisset interfectus. Manutenuit etiam *Myralyn* filium Salahadini exhereditatum contra filios Saphadini, quantum Caliphas permittebat de Baudas, Papa suæ gentis. Cōtriuit Dominus baculum impiorum, confregit cornu superborum, terribilis in consiliis super filios hominum, portas Damiatæ potenter aperuit. Ingredientibus nobis fœtor intolerabilis, aspectus miserabilis; mortui viuos occiderunt. Vir & vxor, dominus & seruus, pater & filius se mutuis fœtoribus interemerunt. Non solùm plateæ erant mortuis plenę; sed in domibus & cubiculis & lectis iacebant defuncti. Exstincto viro mulier impotens surgere, subleuandi carens subsidio vel solatio, putredinem nō ferens expirauit. Filius iuxta patrem, vel è conuerso; ancilla iuxta dominam, vel vice versâ; languore deficiens iacebat exstincta; paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Infantes ad vbera matrum pendentes, inter amplexus moriētium vocitabant. Delicati diuites, inter aceruos tritici interierunt fame, deficientibus cibis, in quibus erant nutriti, pepones & allia, cepas & altilia, pisces & volatilia, & fructus arborum, & olera frustra desiderantes. Multitudo vulgi contracta vel molestiā diutiùs fatigata, deficiens aruit. Octoginta ferè sicut à captiuis referentibus didicimus, à tempore quo perfecta est obsidio, perierunt in ciuitate; exceptis eis quos sanos vel languidos inuenimus, quasi mortuos, quorum trecenti spectabiliores vtriusque sexus ad redemptionem captiuorum nostrorum reseruantur; alii sunt mortui post victoriā, alii magno pretio venditi, alii baptizati CHRISTO donati sunt. Ciuitas hęc gradatim murata, primum murum habet humilem ad custodiam fossati, secundum altiorem, tertium eminentiorem secundo. Murus medius viginti octo turres habet principales, binas vel ternas testudines continentes, quæ omnes remāserunt integræ cum muris, præter vnam: quæ crebris *tribuculis* Templariorū ictibus concussa fuit aliquātulum. Adeo enim exercitus noster ad pigritiam resolutus fuit, vt milites otio dediti negligerent opus CHRISTI. Vulgus autē ad tabernas & negotiationes fraudulentas se conuertit. *Cati* duo, ad fossatum implendum magnis sumptibus compositi fuerunt: quorum vnus in custodia Regis, alter in custodia Romanorum cōbustus fuit. Cùm adhuc potentes essent in armis custodes ciuitatis, fossæ duæ subterraneæ factæ fuerunt, ad suffodiendum fundamenta munitionum. Sed labor iste frustratus est post expensas plurimas. Sic Dominus dare voluit ciuitatem

integram

Isaia 14, 5. *Psal.* 65, 4. *Thren.* 4, 4.

integram sine damno capientium eam in virtute. In commune iurauimus omnes, vt absportata de ciuitate spolia redderentur inter victores diuidéda. Hoc etiam sub anathemate terribili fuit præceptum à domino *Legato* Apostolicæ sedis. Transgressores perpetuò remanebant infames, cum *Achor*, qui furatus fuit de anathemate Hiericho, computandi. Veruntamen concupiscentia oculorum plures fecit fures. Suscepimus tamen ad vtilitatem Reipublicæ magnam partem delitiarum Ægypti in auro & argento, *perlis* & pomis ambræ, filis aureis, phylacteriis variis, pannis sericis pretiosis, sicut enumerat Isaias: *In die illa auferet Dominus calceamentorum ornamenta & lunulas & torques, monilia & armillas, mitras & discriminalia, periscelidas & murenulas, olfacteriola & annulos, inaures & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, acus & specula, syndones & vittas, & teristra* quæ omnia nemo dinumerare poterat. Sed ad ponderandum multùm impendimus; quæ distributa sunt per exercitum Domini cum annona quæ reperta fuit in ciuitate. *Legatus* Apostolicæ sedis, Damiatam, cum suis appenditiis & pertinentiis omnibus regno Hierosolymitano concessit in perpetuum. *Machomeria* Damiatæ, per inuocationem sanctæ Trinitatis, mutata est in Ecclesiam beatæ Virginis, in quadrum posita. Tanta ferè eius latitudo, quanta longitudo eius consideratur, columnis sustentatur marmoreis, centum quinquaginta minus vna, septem porticus habens; & in medio habens aperturam longam & latam, in qua pyramis alta sursum ascendit. Quatuor in ea principalia fundata sunt altaria, titulatorium beatæ Virginis primum: Principis Apostolorum Petri secundum: Sanctæ Crucis tertium: Beati Bartholomæi, in cuius festo turris fluminis capta fuit, quartum. Inuecti sunt in Damiata tribuculi quatuor cum petrariis & mangonellis plurimis, balistæ cum cornu fortissimæ, magnalium balistarum & arcuum propter multitudinem nescimus numerum: Insuper omne genus armaturæ fortium repertum Christianitati conseruatur. Aurum & argentum cum perlis & aliis rebus mobilibus non solùm inter Cleros & milites, sed etiam inter satellites, mulieres & paruulos diuidebant proportionaliter. Turres ciuitatis distributæ inter regna, quorum bellatores conuenerunt ad eius captionem. Deducta fuit primò vna turris, sicut decuit & oportuit, quæ Romanæ fuit assignata Ecclesiæ, cum porta ipsius, quæ olim dicebatur Babylonica, appellatur Romana. Alia etiam turris Archiepiscopo reseruatur Damiatæ. Et sicut olim ciuitas DEI viuentis *Hierusalem* sancta, capta fuit ab hostibus nocte, sic Christiani ante diluculum Damiatam obtinuerunt. Instrumentum quo turris fluminis capta fuit, Theutonici cum Frisonibus in commune dederunt; de quo factus est pons nouus inter ciuitatem & castrum, quod construitur ad munimentum ripæ ciuitati cōtrapositæ. Duo castellula composita sunt ad custodiam pontis de eodem instrumento. Insuper de altis arboribus super quas scalæ pendebant, ædificatur specula super altitudinem castri noui ad indicandum portum longè nauigantibus. Pons vetus qui mediante insulâ vtramque ripam contingebat, obsidionis tempore multipliciter à Saracenis fuerat attentatus, & à Christianis viriliter defensus, facto officio ad alios reseruatur vsus. Non minori miraculo, imò maiori donauit Dominus Christianis *Thanis*, mense Nouembri in festo beati Clementis, qui habet habitaculum suum in mari. Nam missi exploratores, numero quasi mille viri, in nauiculis per paruum fluuium, qui fluuius *Thanis* appellatur, vt de casalibus sibi tollerent victualia, & situm prædicti loci diligenter explorarent. Sarraceni, qui erant in præsidio castri, seratis portis fugerunt. Nostri verò solum CHRISTVM Capitaneum ibidem habentes, templa erumpentes intrauerunt. Testati sunt nobis redeuntes se nunquam in palatio fortius castrum vidisse. Septem turres habet firmissimas testudinatas. Insuper per gyrum duplici fossato & vtroque murato cingitur, habens antemurale. Lacus sese diffundit in lacum per circuitum in tantum, vt aditus equitibus hyeme sit impossibilis, æstate difficilis, adeo vt per nostrum exercitum obsidione nunquam caperetur. Lacus piscosus est valde, de cuius piscariis Soldano Babyloniæ soluebantur annuatim quatuor marchæ argenti. A senioribus indicatum est nobis. Auibus & salinis abundat. Per circuitum casalia multa seruiebant ei. Ciuitas olim famosa, maior Damiatâ, ad castrum modò redacta; nunc etiam ruinosa magnitudine ædificiorum. Hæc est *Thanis* cuius campos meminit Propheta: *Coram patribus eorum fecit mirabilia*, &c. Et Isaias: *Stulti principes Thaneos, sapientes consiliarii Pharaonis de*

Iosu.7,18. Isaia 3,7. Psal. 77, 5. Isaia 19,11.

4.Reg.25,25. *derunt consilium insipiens.* Hæc est *Thanis*, in qua lapidatus asseritur *Hieremias*. Destru-
Hierem. 41, 2. cta est Hierosolyma à Babyloniis, & Godolia ab Ismahele interfecto. Reliquiæ populi contra consilium Hieremiæ Prophetæ interfecti sunt, in Ægyptum Hiere-
Hierem. 43, 7, 9. miam secum ducentes, qui mansit cum eis in Thanis. *Sume lapides grandes & absconde eos in crypta, quæ est sub muro lateritio in porta domus Pharaonis*, &c. Postmodum locu-
Hierem. 44, 26, 27. tus est eis Hieremias: *Hæc dicit Dominus DEVS. Ego iuraui in nomine meo magno, quòd omnes viri Iuda, qui sunt in terra Ægypti, gladio & fame peribunt, donec penitus consumantur.* Et insurrexit populus aduersus Hieremiam, & lapidauerunt lapidibus, quos abscõderat sub muro lateritio. Ægyptii honorauerunt Prophetam sepelientes eum iuxta tumulum regum. Oratione enim suâ fugauerat Crocodilos. *Alexander* autem Ma- 10 cedo veniens ad sepulchrum Prophetæ, cognoscens loci mysteriũ, transtulit ipsum in Alexandriam & sepeliuit gloriosè. *Crocodilos* apud Damiatam inuenimus & interfecimus. Est autem bestia aquatica crudelis, homines & iumenta deuorans, quæ solo visu apertis oculis oua sua fouet: Exclusi pulli statim fugiunt eam tãquam hostem; quos enim rapere potest statim glutit & deuorat. Et cùm cætera animalia molam * fouent inferiorem, illud mouet contra naturam superiorem. Distat *Thanis* à *Damiata* itinere vnius diei per mare, versus Terram Promissionis: vt facile sit de Acchon vel de Damiata per mare, per terram, per fluuium præsidium ibidem ponere vel victualia transmittere. Damna multa Christianis intulit in obsidione Damiatæ, quando naues ad nos accedentes vel recedentes à nobis, vi ventorum 20 delatæ sunt illuc. Nam ante Thanis littus maris arcuosum & importuosum sinum facit amplum & latum, in quem naues deuolutæ sine vento multùm opportuno recedere non valent. *Coradinus* reuersus in Palæstinam Cæsariense castrum obsedit, quod erat in custodia Regis; & breui tempore cepit illud & destruxit, defensoribus illius negligenter agentibus, qui tamen ferè omnes euaserunt, quia liberum introitum & exitum habebant per mare. Deinde accessit ad *Castrum Filii DEI* cum toto exercitu suo; & desiderans obsidere illud ex omni parte, sagaciter intellexit, quod comprehensibile non erat: Insuper Templarios ad omne periculum paratos inuenit, qui castrum victualibus & omni armatura fortiter munierant. Eodem tempore Templarii latrones Sarracenorum ab Acchon repulerunt viriliter, quosdam occi- 30 dendo, alios captiuando. Coradinus autem auxilium postulabat à Sarracenis, qui ab ortu Solis venientes obsederunt Acchon; quod efficere non poterant propter inexorabilem discordiam principum terræ ipsorum, Christianis plurimùm opportunam, quam Calyphas Papa ipsorum sepelire laborabat. Anno incarnationis
A. Dn. 1220. Domini *millesimo ducentesimo vigesimo*, *Coradinus* Princeps Damasci destruxit *Saphet* castrum firmissimum, quod Salahadinus, flagellum Christianorum, per longam obsidionem in tantum arctauit, vt defensores fame deficientes, requisitâ licentiâ Magistri militiæ Templi redderent illud Tyranno. Quæ vox, quæ lingua valet retexere nobis multiplicata beneficia Saluatoris? quem bonitas insolita, & clementia naturaliter insita intrinsecus aduenlens, Ecclesiæ continuata supplicatio, benigni- 40 tatis oculo respicere castra fidelium suauitate deuotionis induxerunt: *Ipsum lenit oratio, lachryma cogit.* Et cuius laudi non sufficit obstupescens in corde conscientia; quomodo sufficere poterit scribentis manus, aut loquentis lingua? Veruntamen coaceruare libet & admirari, licet modici temporis miracula, quæ descenderunt à
Iosua 6, 11. &c. patre luminum. Filii Israhel præsentes erant circumeuntes cum arca Domini, clangentes buccinis; & septimo die vociferantes, quãdo ceciderũt muri Hiericho, vt populus Domini liberum haberet ingressum. Nos autem dormitauimus ante Damiatam pusillanimes & inertes, ad omnia vnanimes & torpentes. Nihilominus ceciderunt muri Hierusalem & Montis Thabor, & Saphet, & aliarum munitionũ nobis hostiliter aduersantium. Insuper Damiatam contra voluntatem quorundam 50 Pseudochristianorum nobis donauit Altissimus: adhuc & castrum inexpugnabile Thanis, cum victualium copia; in hostili terra de thesauro suæ largitatis obtulit,
Exod. 16, 13. qui manna de cælo cultoribus suis in deserto præbuit. Patet ergo omnibus hanc peregrinationem sanctam, DEO gratam esse per euidentiam miraculorum acceptam. Erubescant & confundantur, qui stipẽdia summi Regis receperunt ab Ecclesia; & negligenter militantes vel ante tempus recedentes, peregrinationem suam corruperunt, rationem reddituri Iudici CHRISTO, qui nec decipi nec corrumpi potest.

potest. Excitentur pigri, qui votum suum non fuerunt executi. *Ruina* enim *hominis deuotare sanctos, & post votum retractare.* Quam excusationem afferent in die tribulationis & angustiæ, qui labores aliorum abstulerunt: interficientes animas, quas veri prædicatores viuificauerunt? qui propriæ consulentes auaritiæ, signa Crucis de humeris miserorum, quos voti fecerunt transgressores, tulerunt? Reuertantur etiam ad mentem, quos accusat reatus, conuincit conscientia, pro eo quod falsas paupertates vel debilitates allegando religionem examinatorum circumuenerunt; quia solius DEI est secundùm veritatem iudicium. Defraudatores eleemosynarum, quæ collatæ fuerunt in Terræ Sanctæ succursum; quia mentiti sunt Spiritui Sancto, culpas suas texerunt, cum Anania & Saphira portionem habituri peribunt; & cum Iuda fure pessimo & Domini sui proditore punientur gehennaliter; quia proditores Christianitatis stipendia militantium sibi retinuerunt, dantes animas pro rebus transitoriis, quarum furtum suggessit cupiditas. Immemores Hierusalem matris nostræ, quæ prostrata iacens erigi desiderat à redeuntibus de captiuitate Babyloniæ. Consolare ciuitas Domini, quia nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt DEVM in te. Benedicti gaudebunt qui reparauerunt te. Tu autem lætaberis in filiis tuis, & beati omnes qui diligunt te & gaudent super pacem tuam. Factum est autem vertente anno quo solent Reges ad bellum procedere: *Ioannes* Rex Hierusalem castra fidelium reliquit multas causas prætendens ad excusationem sui; & festinatum reditum promittens, anteriorum oblitus ad posteriora se conuertit: aperiente manum Domino qui portum Damiatæ repleuit vbertate vini, frumenti, & olei, adiuncta peregrinorum & equorum copia numerosa, vt ad progrediendum in negotio feliciter inchoato, nulla locum habeat excusatio. Superuenerunt in sexto passagio, *Mediolanensis* & *Cretensis* Archiepiscopi, *Ianuensis* & *Reginensis* Episcopi, & nuntii Regis *Frederici*, deferentes litteras cum bullis aureis, & aduentum ipsius annuntiantes. Aderat Episcopus *Bricciensis*, & Italiæ militia copiosa. *Legatus* autem considerans, non sine magno gratiæ priuilegio, Diuino munere sufficienter fuisse prouisum in omnibus, quæ requirebat negotii processus, angebatur dolore, quòd tempus inutiliter præteriit, & opportunitas tanta periit. Vnde conuocatis maioribus, ipse primo loco, deinde Mediolanensis Archiepiscopus, & alii similiter Episcopi persuadere studentes progressum contra Soldanum, qui castra sua posuerat supra Nilum, itinere vnius diei à Damiata: sed milites habita deliberatione huic exhortationi contradixerunt: hanc maximè causam prætendentes, quòd Rex Hierusalem aberat pro suæ voluntatis arbitrio: nec alius Princeps militans aderat, cui gens diuersarum nationum obedire vellet ad educendum populum Domini: & sic concordabant ad otium; ex quo multiplicata sunt mala in castris. Mense Iulio superuenit Comes *Mattheus de Appulia*, cum octo galeis: quarum duas cursarias, insidiantes Christianis, cepit in via maris.

Prou. 20, 25. — Act. 5, 1. — Ioan. 12. — Isaia 49. & 60. — Tobia 13, 13. 15.

FINIS LIBRI TERTII HISTORIÆ ORIENTALIS.

INCIPIT EPISTOLA MAGNI IACOBI ACCONENSIS EPISCOPI, MISSA AD RELIGIOSOS, FAMILIARES, ET NOTOS SVOS IN LOtharingia existentes, de captione Damiatæ.

Dilectissimis in CHRISTO fidelibus fratribus, Magistro Iohanni de Niuella, *& cæteris:* Iacobus *diuinâ permissione* Acconensis *Ecclesiæ minister humilis.* 10

Iugum CHRISTI suaue cum gaudio & vnanimitate portare.

Psal. 106, 15, 16. Psal. 46, 3. Psal. 74, 10. Deut. 32, 31.

Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum, qui portas æreas contriuit, & vectes ferreos confregit: subiecitque populos nobis, & gentes sub pedibus nostris: ciuitatem Paganorum gloriæ, & ciuitatem fiduciæ incredulorum; ciuitatem munitissimam, & inexpugnabilem; & à multis Regibus, & populis pluries obsessam, sed nunquam superatam, in diebus nostris sanctæ Ecclesiæ & exercitui Christianorum subiecit, *& cornua peccatorum confregit:* aperiens nobis ostium magnum ad subiugandos infideles, & ad ampliandum CHRISTI imperium; & vt captis & eiectis vulpeculis, vinca Domini Sabaoth, quasi nouella plantatio, propagetur; & faciat vuas, quæ faciebat labruscas: & vbi toties inuocatum est nomen maledictum perfidi Machometi, nomen abominabile, quod os dæmonis nominauit, à modo inuocetur nomen benedictum IESV CHRISTI gloriosum, quod os Domini nominauit: vt cognoscant Ægyptii Dominum, & conuertantur ad ipsum: vt ab Occidente ad Orientem lumen veritatis reconuertatur. *Non enim est DEVS noster, vt dii eorum, & inimici nostri sunt iudices,* videntes virtutem Domini & mirabilia eius in captione *Damiatæ:* quod qualiter factum sit, & quàm miraculosè, prædicabo. Igitur cùm ex parte *liciarum* nostrarum & fossati nostri pluries impugnassent nos *Saraceni*, & nihil profecissent; sed multis suorum interemptis, confusi recessissent, ad solita sua peruersitatis arma recurrentes, verbis pacificis & dolosis nostros decipere, & circumuenire tentauerunt, & multa nobis promittentes, si recedere, & obsidionem Damiatæ relinquere vellemus: quæ magna in superficie, iis qui minus cauti erant, videbantur. Nam primò promiserunt, quòd *S. Crucem*, & terram planam cum ciuitate *Hierusalem*, & *Sepulchro Dominico*, & omnes quos in potestate habebant Christianos redderent; & pecuniam pro muris Hierusalem reparandis nobis darent. Secundò castrum quoddã quod iuxta ciuitatem Tyri situm est, quod *Turo* dicitur, cum quibusdam munitionibus aliis, scilicet *Sephet* & *Beafort*, cum *Belinis*, cuius muros destruxerunt, nobis reddere promiserunt: castrum autem munitissimum, scilicet *Craccum*, & *Montem Regalem* volebant retinere; sed pro illis annuum nobis censum dare promittebant: quod multis ex Peregrinis nostris magnum & sufficiens videbatur. Hi autem qui experimento fraudes versipellium cognoscebant, & maximè *Templarii*, & *Hospitalarii* & *S. Mariæ Alemannorum*; dominus etiam Legatus, cum Patriarcha, Archiepiscopis, Episcopis, cum vniuersitate cleri; & quædam pars Peregrinorum, verbis eorum seductoriis nullum præbebant assensum. eò quòd intenderent Saraceni sub occasione simulatæ pacis exercitum CHRISTI dissipare, vt recedẽtibus Peregrinis, qui nobiscum erant, & * aliqui qui hoc audierunt non venturum, terram planam recuperauerunt, & *Hierusalem* cum monte *Thabor* & aliis castris, collectâ contra nos multitudine cum fortitudine sua recuperarent. *Crucem* verò Sanctam eos non habere credebamus: cùm Saladinus & alii Saraceni recuperatâ à nostris Acconensi ciuitate, eam diligentissimè quæsissent, vt captiuos suos à morte liberarent, & inuenire non possent. Sed facta contra nos discordia & diuisio [est] quod & ipsi Saraceni intendebant, & modis omnibus procurabant. Considerauit autẽ dominus *Legatus*, vir cautus & prouidus, & in negotiis Domini peragẽdis vigil, quòd hæc dissensio &

moram

moram maximam pariebat, & periculum maximum; & quòd gratiâ DEI abutebantur, cùm Dominus nobis ciuitatem offerret. Sed his qui in ciuitate erant, partim mortuis, partim ægrotantibus, fame & inediâ tabescétibus, adeò vt in ea pauci remansissent qui ciuitatem possent defendere, *Soldanus* die noctuque tam per terram quàm per aquam, nouos in ciuitatem mittebat pugnatores. Vnde dominus Legatus non sustinuit ampliùs expectare: paucis tantùm de suis, quod conceperat, reuelauit, ne quidam ex nostris malitiosè insultantes, impedirent; & ne hostium exploratores hoc secretum eis intimarent: ante autem mediam noctem consurgens cum militibus & conuenientibus suis ad fossatum ciuitatis deuenit. Saraceni
10 autem quendam põtem destruxerant, quo mediante ad primum vrbis murum, & eiusdem muri portam erat accessurus: Legatus verò cum suis scalis, & asseribus iussit pontem reparari; moxque transeuntes, ipsam portam combusserunt: deinde festinanter per medios ignes transeuntes, inter duos muros sese receperunt. Et primi, murum, portâ succensâ, scalas applicantes, ascenderant; alii verò, per medios ignes per portam transierunt. Ciues autem in stuporem & pusillanimitatem conuersi, & confracti viribus, & de defensione desperantes, modico conamine restiterunt. vnde factũ est, vt nullus ex nostris interemptus, paucis tãtùm leuiter vulneratis, de Sarracenis verò pluribus interfectis, DEVS in manus nostras miraculosè tradiderit ciuitatem. Igitur nonis Nouembris, Saluatore mundi regnante domino *Petro*
20 *Albanensi* Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, solenniter vigilante, anno gratiæ *MCCXIX.* capta est *Damiata*, absque deditione, sine defensione seu violentia, sine deprædatione vel tumultu, vt soli Filio DEI euidens adscribatur victoria: qui populo suo ingressum in Ægyptũ aspirauit & ibidem vires instaurauit; gloriam suã alteri non dedit; triumphum verò sanctæ Romanæ ecclesiæ contulit. Quidam verò ex nostris qui propriam gloriam quærebant, & iam contentiosè de spoliis & partitione ciuitatis inter se agebant, suo more, gloriâ Dominus eos priuauit. Illucescente namque die, videns *Soldanus*, & exercitus eius, vexilla nostra super turres, & mœnia ciuitatis erecta, ingenti terrore concussus, cum mœrore fugiens, castrum cum ponte, quem super fluuium fecerat, combussit: certissimè sciens, quòd DEVS, re-
30 probatis & confusis Saracenis, pro nobis miraculosè pugnasset. cum enim mense Februario, in die *S. Agathæ* Virginis, fluuium *Nili* (qui alio nomine dicitur *Gyon*) fugientibus Saracenis transiremus; & vndique ante *Damiatam*, tam per terram, quàm per vtramque insulam, cingeremus, plusquam sexaginta Saracenorum millia intra muros ciuitatis remanserunt inclusi. Post nouem verò menses, ipsis nonis videlicet mensis Nouembris, captâ ciuitate, vix tria ex eis millia inuenimus: inter quos vix centum remanserant sani qui possent defendere ciuitatem. Dominus enim pestilentiâ percutiens aduersarios, gladium euaginauit post eos; adeò quòd cùm ingrederemur ciuitatem, tot inuenerimus mortuorũ cadauera super terram, quòd pauci qui remanserant, viui, ob intolerabilem fœtorem, tot mortuos sepelire
40 non poterant. Purgatâ autem ciuitate, dominus Legatus cum Patriarcha & vniuerso clero Acconensi, cum candelis & luminaribus, cum hymnis & canticis, cum laudibus & gratiarum actione, in die *Purificationis beatæ Mariæ*, processionaliter ingressus est ciuitatem. Fecerat autem dominus Legatus parari magnam basilicam, in qua ad honorem beatæ Virginis cum magna populi deuotione celebrauit: in qua etiam sedem *Archiepiscopalem* instituit, multis etiam aliis intra ciuitatis ambitum constitutis ecclesiis, eiecto perfido Machometo, diuinum officium, diebus ac noctibus, ad honorem DEI & Sanctorum eius iugiter adimpleuit. Inuenimus autem in ciuitate pauca valdè victualia; aurum verò & argentum, pannos sericos cum vestibus pretiosis, & aliam multam supellectilem reperimus. Sed quo-
50 niam multi fures & latrones, & solo homine Peregrini, in captione versati, in exercitu nostro tunc temporis erant; Saraceni autem maximam pecuniæ partem in terra absconderant, & in aquam proiecerant, vix ad vtilitatem communitatis quadringentorum millium Byzantinorum precium colligere, & inter nostros diuidere potuimus. Idcircò nimirum & scandalum, rixæ & contentiones exortæ sunt in populo insipienti & indisciplinato: de captis verò Saracenis quos in ciuitate reperimus, quadringentis melioribus & ditioribus retentis, vt captiuos nostros facta commutatione pro ipsis recuperare possemus, omnes, eo quod sumptuosum esset

An Dom. 1219.

nimis tot homines pascere, vendidimus Christianis, vt seruirent eis in perpetuum, exceptis paruulis: quos ego cum labore magno, & expensis feci reseruari: quibus baptisatis plus quàm quingenti post baptismum ad Dominum, primitiæ DEO & Agno, transierant. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt: & sequuntur Agnum quocunque ierit.* Alios autem præter illos, quos retinuimus, quibusdam amicis meis, vt eos iuuarent, & Sacris Literis ad cultum DEI imbuerent commisi. De consensu verò Peregrinorum, dominus Legatus dominium ciuitatis cum pertinentiis, ad amplificationem Hierosolymitani regni, Regi Hierosolymitano in possessionem perpetuam contulit: domos verò ciuitatis cum quibusdam tractibus, secundùm varias nationes, quæ ad *Elam* fuerant, diuiserunt peregrinis. Erant autem in ambitu primi muri viginti & octo turres maiores, exceptis minoribus, quorum munimine inexpugnabilis erat ciuitas: nisi eam Dominus miraculosè populo suo tradidisset Christiano, nec solùm istam, sed ciuitatem *Thaneos*, cum castro adiacente, octo turres inexpugnabiles habente, quod ex nulla parte posset obsideri, non minori, vt dicitur, miraculo, nobis DEVS subiecit. Ciuitas autem Thaneos, cum sua diocesi, sub Damiata metropoli continetur. Sed ne triumphum viribus nostris, vel nostræ multitudini possemus adscribere, vt humiliaremur & cum Propheta confiteremur: *non in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me: Dominus est qui humiliat, & subleuat:* multis tribulationibus ad purgationem peccatorum, & maiorem coronam electorum, antequam traderet ciuitatem, populum suum permisit affligi. Dum enim multitudine magnâ, tam equitum quàm peditum, die quodam nostri contra Soldanum exirent ad pugnam, tanquam nil timentes, sed in sua fortitudine confidentes: non proponentes DEVM ante conspectum suum: non cum humilitate, sed cum superbia & elatione, multi, propter lucrum temporale, contra hostes perrexerunt. *Soldanus* qui primus per experientiam didicerat, quòd pauci de nostris dum ponunt DEVM adiutorem suum, multos ex suis absque magna difficultate superassent, non est ausus nostrum exercitum exspectare: sed paulatim nostris subsequentibus, cum omni supellectili sua fugiendo cedebat. Cùm autem intra fossatum, quo Soldanus castra sua cinxerat, exercitus noster peruenisset, paulisper tanquam fessi ex tunc nostri subsistentes pausauerunt: tumque .... inimicis verò tum insequentibus, nostrorum quidam terga vertentes non fugati fugerunt: quod videntes quidam ex nostris militibus, corde constantes, & de fuga suorum admirantes, & nimium dolentes, vt à posteriori exercitum custodirent, ordinati, consertis aciebus secundùm ordinem, & militarem disciplinam subsequebantur: vt scilicet absque magno damno reuerti posset exercitus; vbi quidam ex nostris impetum subsequentium Saracenorum, qui nostrorum equos sagittis vulnerabant, sustinere non valentes, relictis sociis, euaserunt Saracenos. Ex quo factum est, vt primo die priusquam ad castra nostra perueniremus, plus quàm mille è nostris amitteremus: quibusdam gladio interfectis, quibusdam captis, equis eorum vulneratis, vel præ calore deficientibus; multis etiam ex peditibus propter æstum solis extinctis: quidam ex solo timore, iusto, sed occulto DEI iudicio, in insaniam conuersi, expirauerunt. In primo bello plus quàm ducentos milites amisimus, quibusdam interfectis, aliis verò in captiuitatem ductis. Capti sunt autem viri nobiles, *Electus Beluacensis*, & frater eius *Andreas de Nansolio*; *Iohannes de Arciato* miles strenuus; *Andreas de Espeisse*, *Gualterus* Regis Franciæ Camerarius, & filius eius Vicecomes Bellimontis; frater *Andegauensis* Episcopi, & *Odo de Castellione*, & multi alii; quos longum esset enarrare. Multi autem die illo coronati feliciter ad Dominum migrauerunt. Ego verò die illâ absque armis, cum cappa, & superpellicio cum domino Legato & Patriarcha, qui sanctam ferebat Crucem, exieram; & non placuit DEO cum suis martyribus me miserum & indignum vocare, sed adhuc ad laborem & dolorem voluit reseruare. Multis aliis tribulationibus Dominus nostram repressit superbiam. Naues enim nostras cum scalis ex parte fluminis medio ciuitatis, frequenter applicantes, repulsi sumus: Sarracenis ignem Græcum proiicientibus & bellicis machinis, quæ *petrariæ*, vel petrariæ dicuntur, lapides iaculando quosdam ex nostris interficientibus: ex parte verò terræ, cum labore & expensis magnis fodientes, aquis fossati impedientibus, nil profecimus. Cùm autem bellica quædam

Apoc. 14, 4.
Psal. 43, 8.
1. Reg. 2, 7.

dam instrumenta, quæ *Cattos* nuncupant, versus nostros traheremus, ignem Græcum copiosè proiicientes Saraceni, multis ex nostris vulneratis illa combusserunt. Nobis etiam inuitis, & ignorantibus, quandoque sub parte terræ, quandoque sub aquis per fluuium, ciuitatem ingrediebantur, non modicum his qui erant in ciuitate, ferebant solatium. Nostri verò magnum rete ex transuerso fluminis protendentes, facti piscatores hominum, Saracenos prendebant. Iam verò omnibus attẽtatis, quid amplius faceremus vix excogitare valebamus: Longè enim fortior erat ciuitas paulò antequam caperetur, quam in obsidionis principio: Dominus autem sibi soli victoriam reseruabat; præmium autem nostris laboribus non negabat. 10 confidimus enim in CHRISTO, qui nobis portas Ægypti miraculosè aperuit, tenebras illuminando, & in fines terræ Ecclesiam suam dilatando. Vos autem sine intermissione orate pro exercitu IESV CHRISTI, vt in terra Promissionis vinea propagetur, Ecclesiæ reparentur, infideles eiiciantur, fides restauretur: vt ædificentur muri Hierusalem, quos inimici nostri subuerterunt. Salutant vos socii nostri & amici *Ioannes de Dionanto*, *Iohannes de Cameraco*, cantor noster; *Henricus* Senescallus ecclesiæ nostræ. Dominus *Reinerus* Prior sancti Michaelis tradidit se religioni Minorum fratrum; quæ religio valdè multiplicatur per vniuersum mundum, eò quòd expresè imitatur formam primitiuæ Ecclesiæ, & per omnia vitam Apostolorum. Magister verò illorum fratrum, frater *Franciscus* nominatur: qui adeò 20 amabilis est, vt ab omnibus hominibus veneretur: cùm venisset ad exercitum nostrum, zelo fidei accensus, ad exercitum hostiũ nostrorum ire nõ timuit; & cùm multis diebus Saracenis verbũ Domini prędicasset, & cùm parum profecisset, tunc *Soldanus* Rex Ægypti ab eo in secreto petiit, vt pro se Domino supplicasset, quatenus religioni, quæ magis DEO placeret diuinitùs inspiratus adhæreret. Eidem religioni tradidit se *Colinus* Anglicus, clericus noster, & alii duo de sociis, scilicet *Michaël* & dominus *Matthæus*, cui curam Ecclesiæ sanctæ commiseram: Cantorem, & Heinricium, & alios, vix retineo. Ego autem debilis, & contractus corde, in pace & tranquillitate vitam meam desidero finire. Misimus vobis duos paruulos, de incendio Babylonis extractos, cum quibusdam pannis sericis, & literis aliis. Ostendite literas *Abbati de Villari*, & aliis amicis nostris. VALETE.

HISTORIA HIEROSOMITANA

AVCTORIS INCERTI.

SOLET *nonnunquam accidere, vt res quantumlibet notas, & eximiè gestas, tactu temporis vel fama languidior minuat, vel obliuio posteritatis extinguat. Sic Regum quã plurimùm emarcuit gloria; & ipsis consepultum euanuit, quod ab eis magnificè factum, & suis celebratum temporibus, nouitas excepit in fauorem, fama in præconium, populus in exemplũ. Hoc* Grai *veteres diuinitùs attendentes scripti remedium obiecêre prudenter, & scriptores suos quos dixêre* historiographos, *ad conscribendas rerum historias studiosiùs exciuerunt. Vnde feliciter contigit vt vocis viuæ silentium, vox scripta suppleret, ne ipsis mortalibus eorum commorerentur virtutes.* Romani *verò, Græcorum æmuli, perpetuandæ virtutis obtentu, non solùm stili assumpserunt officium; sed & statuas adiecerunt: & sic, tam veteres repræsentando, quàm prouocando posteros, virtutis amorem, tũ per oculos, tum per aures ad interiora multipliciter demissum, imitantium mentibus firmiùs impresserunt: Quis iter* Iasonis, *labores* Herculis, Alexandri *gloriam,* Cæsaris *victorias nosset, si scriptorum beneficia defuissent. Porrò* Patrum *gesta* sanctorum, *quos frequentiùs commemorat & commendat Ecclesia, neminem ad imitandum accederent, si conscia veritatis antiquitas* legendam *nobis historiam non reliquisset. Sanè Reges antiqui, cùm variis extollerentur præconiis id vel maximè in votis habebant, vt in ore præsentium celebres, ad posteritatis noticiam deuenirent. Ceterùm, cùm innumeri rerum gestarum scriptores extiterint, plurimi quod audierant, pauci quod vidêre scripserunt. Quòd si* Frigio Dareti *de Pergamorum euersione ideò potiùs creditur, quia quòd alii retulêre auditum, ille præsens conspexit: nobis &* Historiam Hierosolymitanam *tractantibus, non indignè fides debetur: qui,* quod vidimus, testamur; *& res gestas adhuc calente memoriâ, stilo duximus designandas. At si cultiorem dicendi formam deliciosus exposcit auditor, nouerit nos in castris fuisse cùm scripsimus; & bellicos strepitus trãquillæ meditationis otium non admisisse. Ipsa sibi veritas ad gratiam sufficit; & licet pomposo non expolita ornatu, quemcunque saltem secreti sui alliciet auditorem.*

A. Dn. 1177.

ANNO Verbi incarnati, *millesimo centesimo septuagesimo septimo*, Apostolicæ sedis apicem obtinente *Vrbano* tertio; Imperante in Alemannia *Frederico*, apud Constantinopolim *Ysaakio*; *Philippo* regnante in Francia, *Henrico* in Anglia, in Sicilia *Willelmo*, aggrauata est manus Domini super populum suum; si tamen rectè dixerimus suum, quem conuersationis immundicia, vitæ turpitudo, vitiorum fœditas fecerant alienum. Iam enim eò vsque flagitiorum consuetudo proruperat, vt omnis, (abiecto erubescentiæ velo,) palam & passim ad turpia declinarent. Cædes, rapinas, adulteria, longum esset euoluere, ac proposito nostro contrarium qui res gestas delibare decreuimus, non formare tractatum: Sed cùm hostis ille antiquus corruptionis spiritum longè lateque diffudisset,

fudisset, specialiùs tamen *Syriam* occupauerat, & vnde regiones ceteræ susceperant religionis exordium, inde totius immundiciæ sumebant exempl[illegible]. Hinc igitur Dominus, terram Natiuitatis suæ, locum Passionis suæ, in abiss[illegible]rpitudinis decidisse conspiciens, *hæreditatem suam spreuit*, & *virgam furoris* sui *Sal[illegible]dinum*, ad obstinatæ gentis exterminium, debachari permisit: maluit enim Terram Sanctam, per aliquantum tempus prophanis Gentilium ritibus ancillari, quàm illos florere diutius quos ab illicitis nullius honestatis compescebat respectus. Hanc futuræ demolitionis instantiam casus præloquebantur diuersi: fames, terræ motus, frequens tam Lunæ quàm Solis defectus. Sed & ventus ille validus quem de Planetarum con-

10 cursu prouenturum Astronomici pronunciauerant, in huius rei significantiam commutatus migrauit. Ventus verè calidus; qui quatuor mundi cardines concussit, ac orbem totum in seditiones & prælia concitandum præmonstrauit. *Salahadinus* igitur, contractis armatorum copiis, Palestinam violenter aggressus Admiralium Edessæ *Manafaradinum* cum septem millibus Turcorum qui Terram Sacram depopularentur, præmisit. Hic autē, cùm in partes Tyberiadis processisset, [casus] sibi obuios magistrum militiæ Templi *Gerardum de Bideffordia*; & magistrum Hospitalis *Rogerum de Molendinis*, illum quidem fugatum; istum verò interfectum inopino Marte confecit. In quo conflictu, cùm nostrorum paucissimi ab immenso concluderētur exercitu, insigne quiddam & memoriâ dignum contigit: nam qui-

20 dam Templarius, officio miles, natione Turonius, nomine *Iakelinus de Mailliaco*, quadam virtutis in se omnium prouocabat insultus: cæteris autem commilitonibus suis, qui quingenti æstimabantur; vel captis, vel interfectis belli totius impetum solus sustinuit: & pro lege DEI sui athleta gloriosus effulsit. Hic hostium vallatus cuneis, & humano prorsus auxilio destitutus, cùm tot millia hinc inde irruentia conspiceret, collegit in vires animum; & vnus contra omnes bellum animosus suscepit: virtus eius ad gratiam hostium commendanda enituit, vt ei plerique compassi, ipsum ad deditionem affectuosiùs hortarentur. Quorum monita dissimulans, mori pro CHRISTO non timuit; sed telis, lapidibus, lanceis, oppressus magis quàm victus, vix tandem occumbens ad cœlos feliciter cum palma martyrii triumphator

30 migrauit. Mors quidem mitior; & ad sensum dolor non venerat, cùm vnius viri gladius tantam circumiacentis turbæ struxisset coronam. Dulce viro sic occumbere, vbi victor ipse in medio, & in circuitu impii quos dexterâ victrice consumpsit. Et quia in equo nitido & armis albicantibus tunc casu pugnator incesserat, Gentiles qui sanctum *Georgium* in huiusmodi habitu militare nouerant, se militem nitentis armaturæ, Christianorum propugnatorem, interfecisse iactabant. Erant in loco vbi pugnabat, stipulę, quas messor, post grana paulò ante decussa, reliquerat inconuulsas. Turcorum autem multitudo tanta irruerat, & vix vnus contra tot acies tam diu conflixit, vt campus in quo stabant totus resolueretur in puluerē, nec vlla prorsus messis vestigia comparerent. Fuēre, vt dicebatur, nonnulli qui corpus viri iam

40 exanimum puluere superiecto consperserunt; & ipsum puluerem suis imponentes verticibus, virtutem ex contactu hausisse credebant. Quidam verò, vt fama ferebat, ardentiùs cæteris mouebatur; & abscissis viri genitalibus, ea tanquam in vsum gignendi reseruare disposuit, vt vel mortua membra, si fieri posset, virtutis tantæ suscitarent hæredem. Hac ergo suorum victoriâ *Saladinus* impendio hilaratus, animum occupandi Regni ambitione succensum, ad maiora intendit. Verùm vt tantus Christiani nominis persecutor cupidæ posteritati pleniùs innotescat; de principiis eius aliquid, quantum breuitas captata permiserit, præmittemus. Fuit itaque de genere *Mirmuraeni*, parentum non ingenuorum proles, nec tamen obscuri sanguinis humilitate plebescens. Pater eius *Iob*, ipse verò *Ioseph* nuncupatus. nā iuxta *Ma-*

50 *humeti* traditionem, hæc apud plerosque Gentilium viget obseruantia, vt cum caractere circumcisionis & Hebræorum nomina circumcidendis imponant: Principes verò, vt nominibus suis ammoniti legis Mahumetiæ studiosi defensores existāt, ab ipso legis vocabulo nomina sortiuntur. *Lex* siquidē, linguâ Gentili, *hadin* dicitur. Vnde & *Saladin* dictus est, quod *legis corrector* interpretatur. Et sicut Principes nostri vel *Imperatores* dicuntur vel *Reges*, sic apud illos qui præeminent *Soldani*, quasi soli dominantes nominantur. *Salahadinus* vtique sub Soldano Damascenorum *Norabaldino*, hoc primum potestatis suæ auspicium habuit, quòd de puellis Damasci

Psal. 77, 68.
Isai. 10, 5.

questuariis questum sibi colligebat infamem: eas enim aliter non licebat prostitui, nisi ab ipso p[illegible]us libidinis exercendæ copiā pretio impetrassent. Quicquid autē eiusmodi leno[illegible] lucrabatur, in vsus histrionū prodigus refūdebat, sicq; largitionis obtētu, ven[illegible] vulgi gratiā totis desideriis comparauit. Hic cuiusdā Suriani vaticinio in spē Regni adductus, ab illo futurū audierat; vt Damasci & Babilonis ditione potiretur. Sic ergo ascēsiones in corde suo disposuit, & iā cœpit regno maiora spirare, cuius ambitus angustæ possessionis limites non excedebat. Processu temporis cùm iā ætas robustior officium militare deposceret, ad *Enfridum de Turone* illustrem Palestinæ Principē, paludādus accessit; & Francorū ritu *militiæ cingulū* ab ipso suscepit. Eo tēpore Gentilis quidā *Seuuarius* nomine, sub *Molano*, quē patriâ linguâ dominum dicunt, vniuersam procurabat Ægyptum, quē victoriosus Ierosolimorum rex *Amalricus* ad tributum coēgerat annuatim soluendū. *Molanus* siquidē ter in anno tantùm se visibilē & adorandum exhibebat Ægyptiis, qui apud subditos credebatur tantus, vt eius Imperio Nilus effluere diceretur. Porrò gentiliciæ religionis statuta obseruanter adimplens: dies anni concubinarū numero adæquabat: sicque inter mulierculas consenescēs, tractanda Regni negotia *Seuuario* committebat. Hos Salahadinus cū patruo suo *Saracuno*, tunc temporis apud Ægyptios militans, proditiosè peremit incautos; & sic totius Ægypti obtinuit principatum. Post multùm verò nō multo temporis interfluente tracto, *Norahadinus* diem clausit extremum: cuius vxorem Salahadinus matrimonio sibi copulans, cum ipsa regni regimen fugatis heredibus occupauit. Hæc fortunæ ludētis potentia, has rerū vicissitudines voluit: quæ de paupere diuitem, de humili sublimem, de seruo suscitat dominātem. Quòd si rerum precia iudicio, non opinione metimur, quantalibet terrenę felicitatis potentia vilis æstimanda est, quā pessimi & indigni sæpiùs nanciscuntur. Leno ille, cuius regnum in prostibulis, militia in tabernis, studium in aleis & alliis, subitò sublimatur; sedet cum Principibus, imò maior Principibus; & soliū gloriæ tenens, Ægyptiis imperat; Damascenos subdit; terram *Roasiæ*, cum terra *Gesyræ* occupat; & intima citerioris Indiæ penetrat; regnaturus. Regna itaque circumiacētia nunc dolis, nunc armis impugnans & expugnans, de sceptris pluribus *monarchiam* effecit, & tot Regum solus vendicat principatum. Nec his cōtenta tyranni cupiditas, quo plura possidet, ad plura incenditur, & hęreditatē Domini totis viribus occupare conatur. Tempus autem votis accommodum nactus, iam obtinere sperat, quod nunquā optare præsumpserat. Nam propter regnum dissidentibus *Tripolitano Comite*, *Raimundo* & *Guidone* Latinorum Rege octauo, perniciosa seditio populum distrahebat. Hæc igitur opportunitas cupientē animum acriùs accendit, & tam celebrē quàm certū gerendi negotii pollicetur effectum. Cęterùm, non sine causa prorsus, à Soldano bellum indicitur: nam Princeps Antiochiæ *Reginaldus*, fœdus induciale ruperat, quod nostri cum Gentilibus hincinde sanxerāt obseruandum. Quodā enim tēpore, cùm plurimus & opulentus Gentilium comitatus à Damasco in Ægyptum transiret, & præter limites terræ Christianorū ob induciarū fiduciam, itinerare nō formidarēt, in eos subitò Princeps prædictus irruit; & ipsos cū vniuersis sarcinis, minus decēter, captiuos abduxit. Soldanus igitur tum ambitione feruēs, tum iniuriâ sibi factâ, permotus, totius imperii suo excito robore, Ierosolymorum fines, tam potenter quàm violenter, inuadit. Si numerus hominum, dissimilitudo gentium, ceremoniarū diuersitas prout lex historiæ postulat, pleniùs describerentur, tractatus diffusior breuitatis propositum conturbaret: *Parthi, Bedeuuini, & Arabes, Medi, Cordini & Ægyptii*, sicut loco, ritu & nomine diuersi; sic in excidiū Terræ Sanctæ vnanimiter omnes accensi. Nostris obuiā procedentibus cùm iā dies funesta instaret, camerario Regis visio tremenda contigit: quòd quædam aquila Christianū transuolaret exercitum, quæ septē millia & balistā gestans in pedibus voce terribili personabat: *Væ tibi Ierusalē*. Ad huius visionis eliciendum misterium, sufficere credimus quod scriptum legitur: *Tetendit Dominus arcum suum, & in eo parauit vasa mortis.* Quid autē VII. millia, nisi VII. criminalia typicè indicāt, quibus infelix exercitus erat in proximo periturus? Potest tamen illius septenarii nomine, pœnarum quæ Christicolis imminebant vniuersitas intelligi: quod post multum fidelis nimium & dirus interpres, rerū declarauit euentus. Conflictu nondum inito, cùm non longè à Tyberiade, in loco qui *Marescallia* dicitur, hinc inde acies produxissent; cōclusit Dominus in gladio po-

Psal. 7, 13, 14.

dio populum suum, & hæreditatem suã, peccatis hominum exigentibus, in cædem tradidit & direptionem. Quid plura? Nec tenor propositi, nec ipsa doloris immensitas ad singula trenos aptare indulget. Sed vt multa paucis claudantur, tot ibi cæsi, tot vulnerati, tot in vincula coniecti, quot ad hostium miseratione gens nostra cõsumpta deperiit. Illud viuificum salutiferæ *Crucis Lignum*, in quo Dominus ac Redemptor noster pependit; in cuius stipitem pius CHRISTI sanguis defluxit; cuius signũ adorant Angeli, venerantur homines, dæmones expauescũt; cuius præsidio nostri semper in bellicis exstitêre victores, heu nũc ab hoste capitur: & ipsius Crucis baiulatores duo, episcopus *Acconẽsis*, & *cantor* Dominici Sepulchri, ille cæsus, iste
10 captus, pariter cũ ipsa, succumbunt. Hanc autẽ post *Cosdroen* Regẽ Persarum, Crux sancta, propter scelera nostra, cõtumeliam pertulit; & quæ nos a veteri captiuitatis iugo absoluit, propter nos captiua ducitur, & prophanis Gentilium manibus cõtrectatur. Videat, si est intelligens, quæ sit ira Domini, imò quanta seruorum iniquitas, cùm ad Crucis custodiã Gentiles quàm Christiani minus reputentur indigni. Nihil æquè lugẽdum ætas antiqua protulit: quia nec arca Domini, nec Reges Iudæorum captiuati, nostri casum temporis æquiparare possunt, in quo gloriosæ Cruci, *Rex* ducitur cõcaptiuus. De captiuis autem, quorum multitudo non minus miranda quàm miseranda extitit, pars pro victoris arbitrio reseruatur illæsa; partem verò tam felici quàm festiuo compendio, ad cœlum gladius mactator transmittit. Inter
20 cæteros Princeps Antiochiæ *Reginaldus*, Soldani conspectibus præsentatur: cui tyrannus ipse, vel furorem suum secutus, vel viri tanti excellẽtiæ deferens, manu propriâ caput emeritum & longæuũ abscidit. *Templarios* quoque quotquot erant, præter Magistrum Militiæ, decapitari præcipiens, ipsos penitus exterminare disposuit, quos in bello cæteris nouerat præualere. O zelus fidei! ô feruor animi! Quàm plures assumptâ Templariorum tonsurâ, certatim ad carnifices confluunt; & sub pio nouæ professionis mendacio, lætam ferientium gladiis ceruicem dependunt. Hos inter CHRISTI milites, Templarius quidam nomine *Nicolaus*, ita cæteris subeundæ mortis amorem peruaserat, quòd aliis præuenire certantibus, ipse martyrii gloriam vix primus obtinere poterat, quod tamen summopere affectabat. Nec defuit
30 miraculosa diuinæ miserationis potentia: nã per tres noctes proximas cùm sanctorum martyrum corpora adhuc insepulta iacerent, cœlestis radius ignis desuper manifestus infulsit. *Salahadinus* itaque cùm iam belli fremitus cõquiesceret, & hinc captiuos trahi, inde cæsos passim iacere conspiceret, erectis ad cœlum oculis de adeptione victoriæ grates DEO reddidit. Sic enim facere in omnibus quæ accidebant, consueuit. At inter cætera hoc sæpiùs dixisse fertur: quòd *non sua potentia: sed iniquitas nostra, hanc illi victoriam contulit*: & hoc ipsum nõ insolitus rerũ comprobabat euentus. In congressibus aliis, nostrorum exercitus, quantumlibet modicus, diuino semper vincebat præsidio: nunc autem, quia nec nos cum Domino, nec nobiscũ Dominus, gens nostra penitus ante conflictũ succubuit, cùm tamen milites plus quàm
40 mille, & pedites plus quàm viginti millia censerẽtur: adeò sanè totius Regni robur edicto Regio, ad bellum illud funestum confluxerat, vt illi tantùm in castroru & vrbium residerent custodia, quos ætatis & sexus infirmitas armorum prorsus habebat immunes. Hoc bellũ die *translationis sancti Martini*, fato infelici commissum, sub vno astu temporis, omnem Regni gloriam transtulit & extinguit. Soldanus ergo, munitiones terræ, cæsis defensoribus, faciles ad occupandum cõfisus, Regem captiuum victor per castra Syriæ circumducit: vt in ludibriũ reseruandus, & capiendis ostendatur vrbibus, & populum incitet ad deditionem. *Accon* itaque veniens, ipsam primam & quamprimum absque insultu recipit, ciuibus ex condicto libertatẽ habentibus, se ac sua quò mens duceret transferendi. Interea nautæ cursus solitos Accon
50 dirigunt, qui ab orbe Christiano profecti, alii merces, alii transuehunt Peregrinos: &, heu! rerum gestarum inscii, ad portum hostilem applicant captiuãdi. Casus quidem miserabilis: littus à longè conspectũ salutant, & vincula parãtur egressis; naufragia euasisse lætantur, & in gladios incidunt; pacem fatigati expectant, & inueniunt persequentem. Plerique reseruantur captiui, quàm plures habẽtur ludibrio; pauci sinuntur reuerti, quos hostis ex industria nudos & inopes abire permittit, vt illorum exẽplo exterreantur venturi. Inter cæteros *Marchisus* Constãtinopolim veniens, extra portum Accon, Sole in occasum vergente velis dimissis subsistit. Vrbis

enim silentia suspicionē inducunt, cùm aliàs semper in aduētu nauium ad plausum soleat cōcitari: vexilla Soldani per vrbē conspecta, maiorē timēdi causam incutiūt. At cæteris diffidētibus, cùm iā galeas Gentiliū aduētare cerneret, Marchisus omnes silere imperat, & se omniū prolocutorē opponit. Missis itaq; quinā essent sciscitātibus, nauē institoriā esse asserit; & se dominū nauis, rei gestæ nō inscium, ac Soldano deuotū, die crastina illucēte ad vrbē venturū cum mercibus, constanter promittit. Nocte ipsa vēto fauēte, *Tyrum* secedens, ipsam defensurus suscipit: cuius aduētus, & vēturis Christicolis processit ad cōmodum, & ipsi cessisset ad gloriā, si qualis cœperat perstitisset. *Marchisus* iste *Cōradus* nomine, natione Italus, vir quidē singularis industriæ, & ad quæuis aggredienda strenuus: Sed quantùlibet insigne principium, si turpi clauditur exitu vituperium potiùs quàm laudē meretur. Soldanus, post Accon redditā, *Beritum* & *Sidonē* occupās, cùm *Tyrum* eadē facilitate vēdicare speraret, turpiter repulsus abscessit. Exinde Rege secū perducto, *Ascalonē* peruenit, & erectis petrariis vrbē impugnat: quam captu facilē, rarus & inermis defensor efficit; licet loci munitio multiplex inuincibile robur prætēdat. Vrbē sibi reddi, insatiabilis prædo, votis omnibus instat, prorsus ab expugnatione diffidēs; rerū quidem inscius, & statum vrbis, in armis, viris, victualibus inopē & infirmum, ignorās. Paciscitur autem, & ciues cū rebus suis liberè discessuros; & *Regem* cum aliis XV. electioribus captiuis, quàm citiùs absoluendū. Die ipsā quā pactio præscripta in vrbis traditionē processit, Sol quasi cōpatiens beneficium luminis defectu eclyptico vrbi & orbi subtraxit. Porrò tyrannus periurus & perfidus, tenorē pacti ex parte transgreditur. Rex enim Damascum transmissus, ibidē vsq; ad Maium sequētem tenetur in vinculis; nec aliter potest captiuus absolui, nisi Regno primitus abiurato. Fatis itaque succēsum vrgentibus, *Ierosolymam*, victor tā festinus quàm infestus aggreditur, vrbē obsidet, machinas extruit, loca sacra sacrilegus irreuerenter inuadit. Erat crux quædā lapidea, quā olim milites nostri, cùm hanc vrbē post Antiochiā victoriosè cepissent, in titulū facti, supra murū erexerant: hanc ictu phalaricæ, gēs sæua, diruit; & cum ipsa partē muri non paruā prosternit. Ciues equidē quas possunt, defensiones obiiciūt: sed quicquid tētatur à nostris, effectu caret, profectū non inuenit; arcusbalistæ, petrariæ inutiliter tractātur: sicq; tā arma quàm machinæ, irā Domini manifestè nūciant, & vrbis excidiū præloquūtur. Illuc vndiq; quāplurimi è castris vicinis confluxerāt, de loci potiùs sānctitate quàm de munitione cōfisi: sed in tāta hominū multitudine, bis septē milites vix poterant inueniri. Cæterùm sacerdotes & clerici, quanquā professioni suæ indebitū, pro tēpore tamen officiū militandi assumūt; & pro domo Domini strenuè dimicāt: illud tenētes memoriter, quòd *vim vi repellere*, omnes leges & omnia iura permittunt. Vulgus verò, tàm ignauum quàm pauidū, ad Patriarcham & ad Reginam, qui tunc vrbi præerant, frequēter occurrit; flebiliter queritur, instanter supplicat, vt cū Soldano de vrbe tradenda quàm citiùs paciscantur. Verùm flenda magis, quàm commendanda pactio intercedit: nā singuli capitis sui censum dependunt. Vir quidem bizantios decem, mulier quinque, infans vnū: & quisquis ad soluendū non sufficit, tenetur captiuus. Sic ergo cōtigit, vt, cùm plerique, vel de rebus propriis, vel aliunde vindicato subsidio, salutis suæ pensionē dedissent, reliquorum qui sine redemptore superfuerant, XIV. millia iugum perpetuæ seruitutis subirent. Illis autem qui libertatē emerant, hæc optio proposita fuit: vt vel Antiochiam pergerēt; vel Alexandriā transfretandi gratiā, dato conductu, migrarent. Dies illa, dies amara valde, quā populus exul abinuicem discedit, in diuersa iturus: vrbemq; tā sacram deserit: vrbem, quæ domina vrbiū in seruitutem redigitur; vrbem, quæ filiorū hereditas, alienigenis subditur, à malitia habitantiū in ea. Gloriosa ciuitas DEI Ierusalē, vbi Dominus passus, vbi sepultus, vbi gloriā resurrectionis ostendit, hosti spurio subiicitur polluenda; nec est dolor, sicut dolor iste, cùm ii Sepulchrum possideant, qui sepultū persequuntur; Crucē teneant, qui crucifixum cōtemnunt. Hanc autē sacratissimam ciuitatem, circiter *nonaginta & sex annos*, gens nostra tenuerat, ex quo ipsam cum Antiochia, victoriosa Christianorū recuperauit potentia, cùm eam priùs Gētiles per annos XL. possedissent. Vrbe reddita, præco legis Mahumeticæ eminentē, Caluariæ rupē conscēdit: & ibi lex spuria declamata personuit, vbi legem mortis CHRISTVS in cruce cōsumpsit. Nefas aliud, atrocissimi hostes aggressi: Crucem quandam quæ supra pinnaculum ecclesiæ Hospitalariū posita eminebat, alligatis funibus deiecerunt; & eam turpiter consputā & cæsam, per vrbis sterculinia in impropc-

improperiũ fidei nostræ traxerũt. Sanè Regina Regis Amalrici filia, *Sybilla* nomine, vna cum Patriarcha, *Eraclio* cũ Tẽplariis, Hospitalariis & immenso coexulantiũ cœtu, versus Antiochiam iter direxit. Quòd autem apud Neapolim cum Rege marito & captiuo, colloquium triste habuit; quòd nauem in quam trãsfretare disposuerat, *Marchisus* violenter Tyrum abduxit, breuitatis studio supersedemus. Illud quidem silentio supprimi omninò arbitramur indignum, quòd *Saladinus* occupandæ vrbis desiderio feruidus, *Tyrum* rursus totis viribus expugnare cõtendit: nec terrestri obsidione contentus, vrbẽ quâ mari cingitur galeis obsidet; & vndiquemolitur insultum: nihil verò intentatũ relinquens, patrem *Marchisi* quẽ in bello superiori ceperat, sub hac fiducia prę̨sentat captiuum, vt filius necessitudinis affectu permotus, patris concambio ciuitatem contradat. Nunc ergo reddendũ offert, nunc perdẽdum minatur variosq́; tentat accessus. Sed in omnibus fallitur: nã Marchio flecti nescius offerentẽ irridet, minantem contemnit: Quoties autẽ prouocandæ cõpassionis intuitu illi pater in vinculis videndus ostenditur, confestim balistam corripit, oblicos in patrem ictus designat; manum quidem aberrare volens, sed similis percussuro. Nullis etiam Soldani, qui patris interitum crebriùs minitantur, id se votis omnibus expetere asserit: vt & maleficus ille post tot flagitia bonos tandẽ inueniat exitus; & ipse patrem habere martyrem mereatur. Hanc igitur tyrannus, obtinendę vrbis defiduciã, fortunam alio tẽtat aditu; & quia nihil arte proficit, quid armis valeat experitur. *Tyrus* siquidẽ in corde maris sita, vndique ambitur mœnibus; & modicâ sui parte, quâ ponto non clauditur, muro munitur multiplici: quæ suis olim famosa Regibus, Thebarum & Carthaginis peperit conditores. Hæc regnante in Iudæa Salomone, proprio Rege gaudebat; & quæ Regni sui tunc caput extitit, tractu temporis Regno Ierosolymorum in partem concessit. Hanc hostis cupidus, terrâ marique aggreditur; & introrsus fame afflictã; variâ incursione lacessit. Crastinâ *Innocentum*, festo scil. gloriosi martyris *Thomæ*, celebrẽ ciues nanciscuntur victoriam: nã illucente aurorâ, cum nauiculis paucis & paruis egressi; obsidionem maris nauali cõgressũ dissoluunt. Cæterùm ad fugam potiùs quàm ad bellum prodire videtur. Sed in primo impetu, tota hostiũ classis ita virtute diuinâ succumbit, quòd pars in vrbẽ cum remigibus ipsis abducitur; pars verò refuga, vltro arenis illiditur peritura. Gentiles viso nauali conflictu, vrbem defensoribus vacuam esse credunt; & eam de victoria certi, certatim impugnant. Iam mœnibus applicantur acies; & ad cõscensum festinant quamplurimi, cùm Marchio portas pandi præcipit, quẽ *Hugo de Tyberiade*, cum fratribus suis, & alio comitatu prosternit. *Salahadinus*, fata sibi aduersa conspiciens; petrariis suis & galeis, quæ superstites fuerant, igne ad ipsius iussionem consumptis, recedit inglorius; & *Mathomum* execratur infensus. Post multum, circa principium Mai, Regẽ à vinculis liberat; & læsâ pactione priori, nouam & durã vt prædiximus absoluendi legẽ imponit. Est Insula quę *Arados* dicitur, cuius ciuitas *Antharados*; vulgo *Tortosa* nominatur: hîc in occursum Regis, Regina procedit; miscetur oscula, nectuntur amplexus; suas lætitia lachrymas elicit; & casus quos incidisse dolent, euasisse lætantur. Rex siquidem per annum sequentem nunc Antiochiæ, nunc apud Tripolim commoratur; & transmarinos Christicolas, in Terræ Sanctæ subuentionem venturos expectat. Sanè hoc inter cætera nullatenus silendum cẽsemus, quòd Rex Anglorum *Henricus* pecuniam multam apud Templarios & Hospitalarios dudum congesserat: quiâ, & Tyrus defensa, & cætera negotia Regni vtiliter expedita. Hanc autem pecuniã Rex magnificus, piâ & necessariâ prouisione, in Terræ subsidium, per multos annorũ circulos Ierosolymam transmiserat: cuius summa vt dicitur, in triginta millia marcarũ excreuit. *Salahadinus* igitur Tyro discedens, cũ castra Palæstinæ quãplurima occupasset, in partes Antiochiæ festinus secedit; & impetu potiùs quàm obsidione, *Gabelum*, *Laodiciam*, & quasdam alias prouincię munitiones expugnat. Terror quidem ipsi vrbi non paruus incutitur. Sed ciuiũ communi consilio Patriarcha & Princeps deditionem tyranno promittunt, si citiùs infra datum terminum sperati non venẽrunt adiutores. Mœror quidem inconsolabilis vniuersos turbasset Christicolas, si vrbs tam inclyta, quæ Christiani nominis inuentione lætatur; rursum Gentilibus cessisset immundis, quos longo & diro bellorum discrimine, nostri dudum expulêre victores. Cæterùm noua defensionis auxilia vnde venient? vel quando venient? vel quomodo venient? terrâ non patet accessus; mare

ab hostibus tenetur obsessũ; Christian. naues à veniendo tẽperãtur, dũ galeas Gent. quæ sedent in insidiis, incidisse formidãt. Verùm, *perire non potest, quod Dominus saluare disponit.* Ecce, optati veniũt; expectati accedũt: nã egregius Rex Siculorũ *Wilelmus* primos terræ subsidiarios destinat, qui Comites duos, milites quingentos, galeas L. trãsmittit. Eius ergo beneficiũ esse quis dubitat, quòd Antiochia retẽta, quòd Tripolis defensa, quòd Tyrus seruata, qui harũ vrbiũ incolas à fame & gladio viribus suis securos cõseruat? *Margaritus* classi Regię regẽdæ præerat, vir admodũ strenuus, qui cũ galeis præcurrẽs, ausus piraticos reprimit; & præceptatã veniendi fiduciã sequẽtes inuitat. Hic, insulas procul positas premens imperio; & tot casus æquoreos fato felici expertus, victoriis multis obtinuit, vt Rex maris, & à nõnullis, alter diceretur *Neptunus.* Iã *Tripolis* nauigãtibus in prospectũ occurrit: ciues eminus vela cõspiciũt: & cùm nũcii salutis adueniãt sinistra pręnũtiat *pessimus in dubiis augur, timor:* nec morã muros coronãt, propugnacula cõscendunt, incerti tamẽ an deditionẽ offerãt, an pugnã pertentẽt. At cùm propiùs in eminẽtiis puppiũ, vexilla Crucis, & alia Christianę religionis insignia cõspicantur, clamor ingẽs tollitur; consalutantiũ voce resultant æquora; turbis occurrentiũ littus impletur; & ineffabile gaudiũ cunctos accẽdit. Inter alios *Heruicus de Dãziaco,* sed præ aliis famã factorũ insignis, maturũ terræ præsidiũ commodat: sicq; in breui manu multa & valida cõfluente, nostrorũ maritima illæsa seruatur. Est castrũ quod *Erathum* dicunt, vbi ciuitas olim, ciuitas *Petras* nomine, nũc verò metropolis, Sed loci antistes nomen antiquũ retinet, & *Archiepiscopus Petracẽsis* appellatur. Castrũ illud in sinu Regni penitiore cõsistens, per Admiralios Soldani iãdudũ tenebatur obsessũ. Locus quidẽ, *si sola recedat, expugnat q̃ tuta, fames,* ab omni securus insultu. Est & castrũ, quod *Mõs Regalis* dicitur, quod ab vrbe iã dicta x x. leucarũ interiectu distãs, vlteriùs versus Ægyptũ secedit. Huc & Admiralios suos, à principio rerũ tyrannus trãsmiserat: vt diutinã obsidione fames vinceret, quos loci munitio seruabat inuictos. Verùm nec erigũtur machinæ, nec tentatur insultus: ridiculũ enim esset os in cœlũ ponere; & ibi expugnãdi habere fiduciã vbi nõ impugnãdi datur accessus. Cumq; in duos annos ferè pertraheretur obsidio, nostri egere cœperũt. Sed, *victor animus, aduersis nõ frangitur; & ex vitæ periculo, virtutis periculũ enitescit.* Quicquid autẽ triste vel durũ apud *Saguntũ* Hiberos, apud *Perusium* pertulisse Romanos, testis narrat antiquitas, nostrorũ cõstãtia sustinet, nec abhorret egestas eduliũ, quod vsus & natura cõdemnãt: suas insuper affectiones, pietas abdicat; suas amor abiurat delicias: nã pater progeniẽ paruulã, filius parẽtes decrepitos, nuptã maritus proscribit; & eiecti cũ lachrymis, hostibus exponũtur inualidi, vt alimẽtis residuis diutiùs militẽt pugnaturi. Tandẽ fame cõfecti & semianimes, honestæ tamẽ deditionis pactũ ineunt: nã & sibi recessus liberos, & domino suo *Enfrido* sc. *de Turone,* qui tenebatur captiuus, liberationẽ acquirũt: pari fato Magister Militię Tẽpli *Gerardus de Ridesfordia,* quarũdã munitionũ deditione absoluitur: sed & pater *Marchisi,* quodã Gentilium captiuorũ concãbio, liber abscedit. *Salahadinus* ita iã toto ferè Regno potitus, cùm cũcta sibi ad nutũ succederẽt, elatione fastuosã lasciuiens, legẽ Mathomi magnificentiùs extulit, & eã religioni Christianæ præcellere, rerum gestarũ probabat euentu. Cuius superbientis gloriã cùm se victor corã Christicolis insolẽtiùs iactitaret, fatuus quidã propter dicacitatẽ ipsi nõ incognitus, DEO quidẽ inspirãte tali responso delusit: *DEVS fideliũ pater, delinquentes Christicolas corripiendos & corrigendos iudicans, te ministrũ, ô Princeps, in hos vsus assumpsit: sic carnalis pater, irã nonnunquã accensus, baculum immundũ è luto corripit, quo cùm filios excedẽtes pulsauerit, eundẽ rursus in sterquilinium, vnde assumptus erat, demergit.* Talia dum apud Palæstinam aguntur, *Archiepiscopus Tyri* naui conscensã, tantæ cladis nũtium iam ad orbem Christianum detulerat: & terræ tam modicæ vulnus, terris omnibus intulit læsionem. Fama rerum ad aures Principum alapsa decurrit; & vniuersis fidelibus hæreditatẽ CHRISTI à Gentibus occupatã nuntians, quosdam ad lachrymas concitat, alios ad vindictã accendit. Primus omniũ magnanimus *Pictauiæ Comes Ricardus,* ad vlciscẽdã Crucis iniuriã, cruce insignitur; & omnes pręcedit facto, quos inuitat exẽplo. Pater eius Rex Anglorũ *Henricus,* iã vergebat in seniũ: ipse tamẽ & patris canitiem, & regni ius sibi debitũ & itineris tãti difficultates dissimulat; nec vllis occasionibus à cœpto declinat. Hãc viri cõstantiã Dominus remunerandã iudicãs, quem primũ aliorum omniũ incentorẽ elegit, eũ cæteris Principibus vel defunctis, vel retectis, negotii sui executorẽ reseruauit. Post aliquãtũ tẽpus, Rex Franc. *Philippus,* & Rex Angliæ *Henricus,* apud *Gizortiũ* crucizãt: quos vtriusq; regni Principes, & innũeri tã ecclesiasticæ

quam

quàm secularis militiæ viri, voto pariter & effectu sequuntur. In tantum verò nouæ peregrinationis feruebat studium, vt iam non esset quæstio quis Crucē susciperet, sed quis nondum suscepisset. Plerique colum & pensa sibi mutuò transmittebant, innuentes occultiùs vt ad muliebres operas turpiter demigraret, quisquis huius militiæ inueniretur immunis; ad tam insigne certamen & nuptæ viros, & matres incitabant filios: quibus dolor vnicus erat propter sexus ignauiā conproficisci nō posse. Hac militandi gloriâ vagante licentiùs, de claustris quàm plures migrabant ad castra; & abiectis cucullis loricas induti, iā verè CHRISTI milites, non armariis, sed armis studere gaudebant. Ecclesiarum verò prælati, inuicem virtutum sobrietatem publicè indicebant, exhortātes attentiùs, vt omnis & mensarum & vestium nitore postposito, à luxu solito temperarent. Institutum etiam communi cōsilio tam Principum quàm Præsulum fuit, quòd ad sustentandos pauperes peregrinos, alii qui remanebant, rerum suarum *decimas* impenderent: sed malitiosa multorum cupiditas, hinc occasionem sumpsit, vt graues & indebitas exactiones in subditos exercerent. His diebus Rex Siculorum *Wilelmus* in fata concessit: cuius obitus vniuerso fideli populo tantò flebilior erat, quantò ipse ad subsidiū Terræ sanctæ & propior & pronior existebat. Decurso tempore, Romanorum Imperator *Fridericus* sacrę peregrinationis assumit insignia; & veri formam Peregrini, tam exteriore habitu quàm interiore depromit affectu. Vir tātus, cuius imperium hinc mare Mediterraneum, hinc Borealis claudebat Oceanus, cuius gloria continuis creuit victoriis, cuius fidelitas non sensit offensam, omnem blandientis seculi postponit illecebrā, & humilis pro CHRISTO accingitur pugnaturus. Eius strenuitas, præsertim in annis algentibus, non minus stupenda quàm laudanda est: nam cùm senior esset, & filios haberet, quibus & ætas & virtus ad militandū aptior videbatur; eos tamē tanquam insufficientes reputās, ipse Christianissimi negotiū procurandum suscepit: filiis autem instantibus, vt vel pro illo vel cum illo susceptæ militiæ munus impleret, illum qui natu maior erat, regnantem reliquit; alium verò quem Ducem *Suauorum* fecerat, secum assumpsit. Et, quia Imperialis Maiestas neminem citra defectionem inpetit; sed hostibus suis bella semper indicit: destinatur ab Imperatore ad *Salahadinum* nuntius, vt vel Christianorum vniuersitati, quā læsit, satisfaciat in plenum; vel *diffiduciatus*, se præparet ad congressum. Epistolam verò Soldani responsoriā libello nostro inserendam duximus. Nam superba tyranni fiducia, quam ad resistendum conceperat, ex ipsius tenore clarescit. Eam quidem in ipsa simplicitate verborum in qua conscripta fuerat, recitando proponimus, nihil penitùs immutantes.

Illi Regi sincero amico, magno, excelso FREDERICO Regi Alemāniæ.

In nomine DEI miserentis: per gratiam DEI vnius, potentis, exsuperantis, victoris, perhennis; cuius Regni non est finis. Grates ei agimus perhennes, cuius gratia est super totum mundum: deprecamur eum vt infundat orationem suam super Prophetas suos; & maximè super instructorem nostrum nuncium suum Mahumeth *Prophetam, quem misit pro correctione rectæ legis; quam faciet apparere super cunctas leges. Attamen notum facimus Regi sincero, potenti, magno amico amicabili, Regi Alemanniæ, quòd quidam homo* Henricus *nomine, venit ad nos, dicens se nuntium vestrū esse; & detulit nobis quandam chartam, quam dixit esse vestram. Nos legi fecimus chartam; & audiuimus eum viuâ voce loquentem; & verbis quæ ore dixit, verbis respondimus. Sed hoc est responsum chartæ. Quòd si computatis eos qui vobiscum concordant veniendi super nos, & nominatis eos, & dicitis:* Rex talis terræ, & Rex alterius terræ; & Comes talis, & Comes talis; & tales Archiepiscopi, & Marchiones & milites. *At si nos vellemus enuntiare eos qui sunt in nostro seruitio; & qui sunt intendentes nostro præcepto, & prōpti nostro sermoni; & qui dimicarent coram nostris manibus, non possunt hoc in scriptis redigi. Et si Christianorum computatis nomina, Saracenorum sunt plura, & plura, abundātiùs quàm Christianorum. Et si inter nos & eos quos nominastis Christianos mare est; inter Saracenos, qui non possunt æstimari, non est mare; inter eos & nos; nec vllum impedimentum veniendi ad nos. Et nobiscum habentur* Bedewini, *quos si opponeremus inimicis nostris, sufficerent; &* Turkemanni, *quos si effunderemus super hostes nostros, destruerent eos; & rustici nostri qui dimicarent strenuè, si iuberemus, contra gentes quæ venturæ sunt super terram nostram, & ditarentur de eis, & exterminarent eas. At quomodo? Nos habemus nobiscū* Soldarios *bellicosos, per quos terram apertam & acquisitam, & expugnatos inimicos. Et hii & omnes Reges Paganissimi non tardabunt cùm eos submonuerimus; nec morabuntur cùm eos vocauerimus. Et nos, cùm congre-*

gati fueritis, sicut carta vestra dicit; & ducetis, sicut nūtius vester narrat, obuiabimus vobis per potentiam DEI. *Nec sufficit nobis terra ista quæ est in maritima: sed transibimus per voluntatem* DEI, *& obtinebimus terras vestras vniuersas, fortitudine* DEI. *Nam si veneritis, cum toto posse vestro venietis; & præsentes eritis cum omni gente vestra: & scimus, quòd in terra vestra nullus remanebit qui se defendere poßit, nec terram tueri. Et quando Dominus victoriam nobis, suâ fortitudine, de vobis donauerit, nihil ampliùs erit quàm vt terras vestras liberè capiamus, fortitudine suâ & voluntate. Adunatio enim legis Christianorum bis venit super nos in Babylone: vnâ vice apud* Damiatam, *& alterâ apud* Alexandriam, *& erat in maritima terræ Ierusalem, & in manu Christianorum, & in terra Damasci, & in terra Saracenorum: in singulis castellis, singuli erant domini sibi proficientes. Nostis qualiter Christiani, vtraque vice redierunt, & ad qualem exitum venerunt. At hæ nostræ gentes, refertæ sunt cum regionibus suis: & Dominus adunauit nobis Regiones affluentius, & coadunauit eas longè lateq́ in potestate nostra: &* Babyloniam, *cum pertinentiis suis; & terram* Damasci, *& maritimam* Ierusalem, *& terram* Gesire, *& castella sua; & terram* Roasiæ, *cum pertinentiis suis; & regionem* Indiæ, *cum pertinentiis suis: & per gratiam* DEI, *hoc totum in manibus nostris est: & residuum Regum Saracenorum, nostro est imperio. Nam si mandaremus excellentißimis Regibus Saracenorum, non retraherent se à nobis. Et si submoneremus* Calephum de Baldac, *quem* DEVS *saluet, veniendi ad nos, de sede excelsi imperii sui assurgeret: & veniret in auxilium excellentiæ nostræ. Et nos obtinuimus, per virtutem* DEI *& potentiam,* Ierusalem, *& terram eius: & remanent in manibus Christianorum tres ciuitates* Tyrus, Tripolis & Antiochia; *& de his non est aliud nisi vt occupentur. Attamen, si bellum vultis, & si* DEVS *voluerit, vt sit per voluntatem suam, quòd totam terram Christianorum acquiramus, obuiabimus per virtutem* DEI, *sicut scriptum est in litteris nostris. Verum si nos de bono pacis requisieritis, mādabitis procuratoribus istorum trium locorum prædictorum, vt nobis ea sine contradictione aßignent: & vobis sanctā* Crucem *reddemus; & liberabimus omnes captiuos Christianos, qui sunt in tota terra nostra; & permittemus vobis ad Sepulchrum vnum sacerdotem; & reddemus Abbatias, quæ solebant esse in tempore Paganißimi, & bonum eis faciemus; & permittemus venire peregrinos, in tota vita nostra, & habebimus vobiscum pacem. Quod si carta quæ ad nos venit, per manum* Henrici, *nominatim sit carta Regis, scripsimus cartam istam pro responso: &* DEVS *erigat nos ad consilium suum suâ voluntate. Carta hæc scripta fuit anno aduentus Prophetæ nostri Mahumeth* DLXXXIIII. *Gratia* DEI *solius. Et* DEVS *saluet Prophetam nostrum Mahumeth, & suam progeniem: & saluet salutationem Saluatoris Domini excelsi Regis victoriosi, adunatoris veridici verbi, comptoris vexilli veritatis, correctoris orbis & legis, Soldani Saracenorum & Paganorum, seruitoris duarum sanctarum domorum, & sanctæ domus Ierusalem, patris victorum, Ioseph filii Iob, suscitatoris progeniei Mirmuraeni.* Hanc superbi & infidelis tyranni epistolam, cum nugis suis, magnificus Imperator contemnens, dignas Principe iras cōcipit, & ad bella totis viribus exardescit. Eum totius Imperii sequuntur magnates; & apud *Maguntiam*, vbi ex edicto Imperiali conuenerant, vnà omnes & vnanimiter omnes in votum tam eximiæ Peregrinationis proclamant: *A Domino factum est istud*, qui *spirat vbi vult*; & corda omnium inclinat quò vult: nam Principes tanti non inanis gloriæ appetitu illecti, nec inducti pretio, nec precibus exciti; sed solo supernæ retributionis desiderio, per Dominum, & propter Dominum ad militiam accinguntur. Prouiderat quidē cœlestis altitudo consilii, vt & ipsi sponte vocati, obsequium DEO gratum dependerent; & Imperialis magnificentia comitatus condignos haberet. Sic ergo incentore Spiritu, vndique confluunt: & qui tot gentes, tot Principes sub vno imperante conspiceret, antiquam Romanæ potestatis gloriam nō crederet defluxisse. In hoc CHRISTI exercitu, erāt Pontifices, Duces, Comites, Marchiones, & Principes alii quāplurimi: quos si nominibus & locis distingueremus, incurreret pariter & scriptor molestiā, & lector tædiū, & tenor breuitatis ostensam. Decretū sanè prudenti fuit cōsilio, quòd hoc iter nullus arriperet, cuius facultas ad viatici annui nō sufficiebat impēsas. Vehicula verò quāplura, propter itinerarios ægrotātes constructa fuerāt: ne vel sano infirmus moras necteret, vel languentiū turba obiter destituta periret. Dudum quidē in discussionem venerat, an mari an terrâ potiùs tāta belli moles incederet. Sed quātalibet nauiū multitudo tot millibus trāsuehēdis min⁹ sufficere videbatur. *Imperator* itaq; opus propositū instāter accelerās, per *Vngariam* iter instituit; & qui Regum vltimus peregrinandi votū emiserat, primus

Psal. 117, 22. Ioh. 3, 8.

mus ad soluendum festinat. Rex Vngarorum, *Bela* nomine, in occursum Cæsaris lætus procedit: vir quidem multiplici naturæ dote cõditus, staturâ productior, vultu insigni, cui & si cætera non suppeterent, sola imperiosi vultus elegantia Regno dignissima censeretur. Hic exercitum CHRISTI hospitaliter recipit, ouanter occurrit, benignè prosequitur; & operum exhibitione, deuotionis feruorem testatur. Indigenæ verò quamplurimi, eximio calentes exemplo, vident aciem sanctam, & commilitare gestiunt; attendunt certantium præmia, & labores non metuunt; simulque & volunt, & vouent, & sequuntur, vt iam liquidè constet, quòd *tarda molimina Spiritus Sancti gratia non nouit.* Danubio transito, cùm ad vlteriores *Bulgariæ* fauces deuentum esset, *Huini*, & *Alani*, *Bulgares* & *Pincennates* in populum Domini subitò ex insidiis irruunt, quos ad facinus inaccessibilis locorum asperitas fidentiùs incitabat. Egressus ille a Bulgaria in *Macedoniam*, eminentibus hinc inde armatur scopulis, dumosis obstruitur sentibus, angustis & anfractuosis semitis implicatur: sed & quibusdam artificiis, natiua munitio maior consurgit. Has locorum angustias præmemoratæ gentes occupauerant, quas nequissimus Constantinopolis Imperator *Isaakius* ad hæc præmiserat, vt venturum exercitum vel opprimerent vel impedirent. Vtraque tamen, & hostium & viarum molestiam milites nostri potenter exsuperant: sicque transcursis Macedonum campis, *Philippopolim* perueniunt; quæ ciuitas cùm ante *Pulpudeba* diceretur, de nomine Romani Imperatoris *Philippi* nomen insumpsit; qui primus omnium Imperatorum Christianus effectus, Imperialem gloriam Christianæ professionis titulo insigniuit. Hanc vrbem audito Latinorum aduentu, Græci deseruerant, *trepidantes vbi non erat timor:* quibus hæc vna timoris causa extitit, quos non amabant, timebant: non enim aliena rapere venerant, qui propriis abundabant; nec arma sumpserant aduersus fideles, qui gentis incredulæ persequebantur errores. Antiquum illud & inexorabile odium, quod contra *Latinos Grai* dudum conceperant, tenax successio temporum transfundit in posteros. Sed si odiorum fomes & ratio quæritur: nõ esset viciũ, si non ratione careret. Hoc tamen pro causa constanter inducere possumus, quòd cùm Latini scientiâ pariter & armis floreant, illi se prorsus inscios & imbelles conspiciunt; & hinc odii sumpto fomite, alienis bonis inuidi contabescunt. Gens perfida, generatio nequam, & omnino degenerans: quæ quantò illustrior extitit, tantò vilescit insigniùs, cùm aurum in scoriam transierit, granum in paleas, puritas in fæcem, gloria in confusionem. Multa Grai veteres & armis aggressi, & studiis assecuti: sed omnis ille virtutum feruor restrixit in posteris, & in orbem Latinum migrauit: vt qui ante fontes, nunc riuuli, vel potiùs alueí arentes & exhausti. Virtutum siquidem successor nullus, scelerum omnes: nam *Sinonis* figmenta, *Vlixis* fallaciam, *Atrei* atrocitatem retinent. Quòd si Græci militia quæritur; arte, non armis dimicat: si fides; amicus obest, inimicus obesse non potest. Gens ista, cùm in locis supradictis nostrorum transitum impedire non posset, quod potuit fecit. Indigenæ cuncti, ad montana contendunt, venalium solatia subtrahunt; lares vacuos, omni amotâ suppellectile, venturis relinquunt. Imperator quidem *episcopum Monasteriensem*, cum aliis quibusdam Principibus, sub obtentu pacis Constantinopolim iam ante transmiserat: quos nequissimus & crudelis tyrannus retrusit in carcerem; nec pacem legati violare abhorruit, quam & apud Barbaros sancit antiquitas, consuetudo approbat, honestas commendat. Postmodum verò, metu potiùs quam iuris intuitu ductus, legatos absoluit: nam vrbis Regiæ timebat excidium, si nostrorum citiùs non placasset offensam. Dignum sanè quòd vrbs illa solotenus euersa procumberet: nam, si famæ creditur, nouis polluebatur *Mahumeriis*, quos perfidus Imperator indulserat fieri, vt fœdus quod Turcorum coniuratus inierat, obligatiuus confirmaret. Iam æstas decoctior in autumnum inclinata vergebat; & Libræ signum quâdam æqualitate temporum, diem noctemque librabat. Imperator Romanorum magnificus, hyemandi gratiâ *Adrianopolim* tendit: quam vacuam, & ab incolis desertam ingressus, ibidem statiuam faciens, aptum mouendi castra tempus expectat. *Dux Suauiæ*, filius Imperatoris, timens ne otia luxum, luxus ignauiam pareret, sub ipso torpore hyberno exercitum exercẽdum statuit; & castrum quoddam, quod non longè ab vrbe prædicta distabat, expugnare contendit. Illuc Græci confluxerant, vt inde si quas possent Latinis molirentur insidias, loci munitione cõfisi,

Psal. 52, 6.

ſed confuſi: nam celeri victoriâ domiti, victi, vincti & capti tenentur. His auditis, Bizantinus Princeps animo peiora veretur; & totius Imperii timens excidium, feſtinos ad Imperatorem nuntios deſtinat: qui pacis obſides, forum venalium, naues tranſuectorias tranſituris promittant. Imperator, licet ſuorum plurimi pacem quamcunque cum tyranno paciſci moleſtum haberent, maluit tamen fœdus inire oblatum, quàm differre propoſitum. Et iam inſtante Paſchâ, mare illud ſtrictum tranſuehit, quod *Brachium ſancti Georgii* vſitato vocabulo nuncupatur. Hoc mare, licet ſpatio anguſtiore contractum, non humili tamen gloriâ inſignitur, quòd vrbẽ tantam præterfluit; & orbis gemini diſcrimen faciens, tam Aſiam quàm Europam delambit. *Soldanus Iconii*, vir ſubdolus & ſanguinem Chriſtianum ſitiens, quodam fraudis prætextu, cum noſtris amicitiam ſimulat: vt malignum animi virus occultans, eos, ſi poſſit, incautos diſperdat. Nunciis ſanè ad Cæſarem, cùm adhuc in Græcia degeret, non ſemel tranſmiſſis, morantem ſollicitauerat vt veniret: Græcos & Græcorum Principem de dolo accuſans: ſe Chriſtianis deuotum & fidelem pollicitus, qui ſua & ſuos venturis exponeret; & tam forum venalium, quàm inoffenſos tranſitus, omnibus exhiberet. Cæſar verò plus æquo credulus, qui tales æſtimabat alios qualem ſe ipſe nouerat, vniuerſis comminando edixit, ne fines Turcorum ingreſſi, quicquam raperent; ſed pacem quam pacti erant, ſtudioſiùs obſeruarent. Sic ergo contigit vt prædam maximam, quam in ipſis Regni ianuis Soldanus ex induſtria dimiſerat, noſtri prætermeantes relinquerent omnino intactam. Heu, mens hominum venturi neſcia! nam ſi famem futuram, iter aſperum, tyranni prænoſſent inſidias, caſus quidem obtulerat vnde ſibi prouidiſſe poterant, quibus tantum & tam proximum imminebat diſcrimen. Cæterùm, non vſq; adeò verbis infidi Principis gens noſtra fidem habuit, vt ex nimiæ ſecuritatis neglectu, diſſoluta incederet & inermis. *Parthiam* igitur ingreſſuri arma omnes arripiunt, quorum numerus tria militum millia; reliquorum verò circiter octoginta millia continebat. Erant autem Antiſtites ſeptem, Archipræſul vnus, Duces duo, Comites XIX. tres verò Marchiones: & hæc acies tam inſignis, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. At ne molem tantam confuſi ordinis turbaret ſeditio, in partem trinam, totus receſſit exercitus; prima *Duci Suauiæ*, poſtrema *Imperatori*, media ſummariis & ſarcinarum cuſtodiæ deputata. Procedit acies ad delitias intuentium prudenter digeſta: nam nec ſimul, nec ſparſim; ſed per turmas incedunt; & cùm plures ſint qui partibus imperent, vnus tamen vniuerſitatem moderatur. Hoc in caſtris optimum, in bellis præcipuum: ſicut enim *ſine duce perit exercitus, vbi nullus præminet; ſic plerunque ineſſicax eſt, vbi multi præſunt, qui de pari contendunt.* Fœlix Imperium! fœlix Germaniæ ſinus! quæ tanto germine, tot fœcunda populis, tot CHRISTO ſtrenuos peperit bellatores; ſibi ad gloriam, hoſtibus ad ruinam. Noſtri cùm iam Turcorum fines ingreſſi eſſent, per dies aliquot nihil infeſtum ſentiunt: quos Soldanus ex induſtria vſque ad interiora Regni inoffenſos tranſire voluit, donec ciborum defectus, & occurrens viarum aſperitas, aptiorem nocendi copiam commodarent. Nefarius ille proditor prærupta montium, dumoſa nemorum, fluminum inuia occupauerat; & fœdus quod pepigit affectuoſiùs ſeruans, ſagittas & ſaxa tranſituris opponit. Hoc forum venalium, hi meatus pacifici; ſic fides habenda Gentilibus, qui ſemper in hoſte virtutem & dolum æqualiter metiuntur. Porro, Marte propinquo congredi, & manum conferre ſummopere vitant; & eminus tela coniiciunt: quibus non minor gloria fugere, quàm fugare. Vtramq; verò extremitatem agminis, nunc poſtremos, nunc primos acriùs impetunt: vt ſi qua fortè locorum anguſtia diſiungat exercitus, in partem alterutram faciant irruptionem. Noctes, & inſomnes & irrequietæ ducuntur: nam terrificus clamor caſtra circumſonat. Miſſilium imber transfigit tentoria; plerique interimuntur ſopiti: & hoſtis tam aſſiduus imminet, quòd per ſex hebdomadas in armis cibum, in armis ſomnum rapientes, loricas non tollunt. Fames inſuper tanta, & ſitis tam aſpera inualeſcit, quòd equis caſu belli occiſis, hoc in ſolatium, & pro ſummis ducunt deliciis, equorum carnibus veſci, & ſanguinem bibere: ſicq; quodam *egeſtatis ingenio*, vectores ſuos in vſus alienos aſſument. Erat locus quem rupes arduæ, conſcenſus aſperi, ſemitæ ſtrictiores, difficilem ad permeãdum reddebant, quà cùm prior pars agminis, filio Imperatoris ductante, trãſiſſet, in poſtremam ſubitò, Turci vndique ex inſidiis irruunt; & de victoria certi, lanceis & enſibus,

ensibus, bello propiore, contendunt. Rumor ad aures Ducis dirus allabitur; nec morâ, præceps quò venerat redit; difficultates quas exsuperasse gaudebat incunctanter relegit, *Ira non attendit periculum.* equi quâ ire non poterant, coguntur ad cursum. Dumque huc & illuc patrem quærens, patrem vociferans, anxius & incautus discurrit icti saxi eliditur galea, excutiuntur dentes: ipse tamen immobilis permanet & indeiectus: fœlix illa progenies! quæ vt patrem liberet, sui prodiga, se periculis obiicit. Sed in solatium inflicti vulneris, æternum insigne retinet: nam quotiens labra secedunt, victoriæ gloriam os nudum testatur. Tandem per multos & graues insultus, peruenit *Yconium*, vbi nequam ille proditor, se intra vrbis munita concluserat: nostri autem non longè figunt tentoria, ignari prorsus quid dies crastina minetur infestum. Nocte ipsâ, cùm iam *Pentecostes* solemnitas fermè fuisset exacta, imber tantus & tam vehemens irruit, vt illa procellæ violentia intra septa castrorum nihilominus desæuiret. Manè facto, consumptis nubibus, aër illuxit purior: & ecce, subitò cum tubis & tympanis & clangore horisono Turcorum exercitus circumquaque diffusus imminet, quantus nec ante visus, nec credebatur videndus; quòd sicubi ter centena vel plura legantur fuisse millia, æstimari poterant, numerari non poterant. Hanc omnem multitudinem filius Soldani, *Melkinus* nomine, in arma exciuerat: volens palmæ titulum socero suo *Salahadino* præripere, tam de victoria certus, quàm de suorum numero & virtute confisus. Soldanus interim cuiusdam turris suprema conscendens, in specula residet, vnde in subiectis aruorum spatiis, acies bellaturas conspiciat: sperans adimplendum in proximo quod animus promissor futurum dictabat. *Imperator*, cùm plerosque suorum ob insolitam hostium multitudinem trepidantes attenderet, magnanimi Principis fiduciam exerit; & erectis ad cœlum manibus, in conspectu omnium grates agit Domino, quòd ineuitabilis pugnæ iam instet necessitas, quam fuga hostium huc vsque suspendit. Hac voce, ingens ardor cunctis incutitur, qui faciem Cæsaris contemplantes lætissimâ, à sene iuuenes, à fragili fortes, ab vno vniuersi, virtutis suscipiunt incentiuum. *Quis DEVS magnus, sicut DEVS noster?* Omnis illa multitudo tam certa vincendi, vt vincula potiùs quàm enses stringeret, in momento succumbit; simulque & vrbs ipsa capta tenetur, & exterior hostis prosternitur: vtrinque strages, vbique cædes, vndique cæsorum acerui: fugam densitas impedit; numerositas vnde gloriabantur offendit. Iam propè res agitur, certatur cominus, confringuntur arcus, sagittæ non euolant, vix locus est gladiis: sic omnia turbat turba; nostrisque procedit ad gloriam quod hostes disposuerunt ad ruinam: fugax bellum, quod hactenus inter vepres, & rupium fauces hæserat, iam spatio liberiore conseritur. Christicolæ iram satiant, quæ totiens frustra exarserat: Turci experiuntur inuiti, quid possint cominus quos eminus prouocabant. Hanc insignem victoriam, fidelibus suis non indignè virtus Diuina contribuit: erat enim in castris castitas, in armis disciplina; in omnibus, & præ omnibus timor Domini; apud omnes amor proximi, qui sic erant affectione fraternâ vnanimes, sicut periculorum exstitêre consortes. *Soldanus*, vrbe captâ, cùm vnicam munitionem quò se contulerat, restare cerneret, festinus ad Cæsarem dirigit, culpam omnem refundens in filium; se prorsus innocuum asserens, aurum quantum petat, pollicitus, fœderis obsides quot & quos iubeat præstiturus. Cæsar, heu nimium facilis! quod offertur suscipit; quod postulat indulget: minus quidem in hoc facto laudandus, dum *virum sanguinum & dolosum*, penè captum absoluit, quem honestiùs erat perdere, quàm tantum Christiani nominis hostem illæsum seruare. Datis obsidibus & fœderis pactione firmatâ, nec dum maligni proditoris quiescit impietas: nam Christicolas cùm iam remotiùs ab Yconio iter agerent, nunc ex insidiis, nunc palam lacessit. Obsides quidnam hoc esset interrogati, vtile sibi confingunt mendacium; asserunt enim *Turcos syluestres* esse, qui nullius imperio subiacent, sedibus vagantur incertis, nihil habentes proprium, aliena semper vel rapinâ vel furto insectantur. Parciùs tamen instant, non immemores suorum occubuisse quamplurimos: nam sicut modestus æstimator asseruit, superioribus bellis XXII. Turcorum millia gladius occisor consumpsit. Iam victor exercitus *Armeniæ* fines ingreditur: lætantur omnes, quòd hostile emensi regnum, securi fidelium aruis insiderit. Sed heu! terra occurrit funestior, quæ cunctorum lætitiam &

Psal. 76, 14.
Psal. 5, 7.

Psal.63,7. lumen extinguit. *Accedat homo ad cor altum*; & inuestiget, si possit, consilia Domini, cuius iudicia abyssus multa. Occurret nonnunquam vnde stupeat, vnde turbetur: ita tamen, quòd in omnibus auctorem omnium nouerit commendandum. Erat locus in sinu Armeniæ, quem hinc montes ardui, hinc *Selesii flumen* præterfluens coartabat: quâ dum summarii & sarcinæ transeunt, victoriosus *Imperator* subsistit. Vir quidem inclytus, cuius statura mediocriter eminens, crines rutili, barba rubens, vtrinque interfusa canicies, supercilia prominent, ignescunt oculi, gena breuior in amplum extenditur, pectus & humeri diffunduntur: sed & cætera corporis descriptio in virum consurgit. In illo vtique quod de *Socrate* legitur, insigne quiddam ac stupendum enituit: nam constantiam animi exprimebat vultus, semper idem & 10 immobilis permanens, nec dolore obscurior, nec irâ contractus, nec lætitiâ dissolutus. In tantum verò natiuum *Alemanniæ* venerabatur eloquium, vt quanquam alterius linguæ non inscius esset; aliarum tamen gentium Missis, non nisi per interpretem loqueretur. Vir tantus, cùm propter præeuntes summarios diutius substitisset, tandem mora in tædium vertitur; & iter anticipare cupiens, flumen proximum transmeare disponit, vt illud à parte summariorũ anteriore remensus, ad viæ redeat libertatem. O mare! ô terra! ô cœlum! Ille Romani moderator Imperii, semper Augustus, per quem Romæ veteris refloruit gloria, reuixit honos, potestas excreuit, heu! aquis deperit interceptus; & licet vndique subsidium collaterales festinet, vitæ tamen senilis igniculum mors præceps & matura extinguit. At si libido na- 20 tandi sicut plerique asserunt, mortis causam intulisse dicatur; ipsius viri grauitas in contrarium disputat; nec fidem meretur, quod tantorum salutem, natator inualidus, vndis fallacibus commisisset. Cõscientiâ teste, mors, minus quàm modus mortis sollicitat; sed hoc vobis in solatium venit, quod scriptum legitur: *Iustus quacunque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*. Quo, si montes *Gelboe*, cæsis Israël fortibus, rotisque pluuiæ beneficio meruêre priuari, quid huic fluuio tam funesto imprecemur condignum, qui præcipuam totius Christianismi columnam subuertit. Fuêrè qui dicerent locum ipsum fataliter ab antiquo damnatum; & silicem proximam hos apices dudum seruasse inscriptos: *hîc hominum maximus peribit*. Rumor ad aures excitus, lamentabili fragore perlatus, omnes concutit. Quod si veterum an- 30 nales inquirimus; quid historiæ tradant, quid fabulæ confingant, de luctu matrum, nuptarum gemitu, quorumcunque planctibus, dolor iste, *exemploq́; carens, & nulli cognitus æuo*, cunctorum lachrymas & lamenta transcendit. Erant quamplures Imperatoris domestici, erant consanguinei, erat & filius; sed inter complangentium turmas discerni nõ poterant: vbi pariter vniuersi, & singuli, patrem ac Dominum amisisse lugebant. Hoc tamen omnibus in solatium accedit, & inde cuncti Diuinæ cõgratulantur prouidentiæ, quod infra terminos infidelium diem non clausit extremum. Expletis exequiis, locum quàm citius pestiferum deserunt; & corpus Cæsaris *Antiochiam* deferendum magnificentia Regali exornant. Ibi autem permultam excoctionem ossibus à carne seiunctis, caro quidem in Apostolicæ sedis Ecclesia 40 conquiescit: ossa verò Tyrum per mare ducuntur, Ierosolymam transferenda. Dignum quidem & ordinante Domino mirificè procuratum, vt qui pro CHRISTO decertauit insignius, præcipuas Christianæ religionis Ecclesias, vtriusque miles, vtrique diuisus, incoleret; & eam, quam Domini sepultura præminentius extulit; & illam, quam Principis Apostolorum cathedra insigniuit. Cæterùm *Antiochiam* peruenientes Christicolæ, post multa & longa ieiunia, cibis edaciùs indulgentes, repletione subita suffocantur: sicque quos nec hostis nec fames vicerat, pax dira perimit, satietas perniciosa extinguit. Hoc itaque tam turpi facto cùm exercitus tanti pars amplior interisset, reliqui rediêre quamplurimi; pars modica, quam repatriare puduit, sub filio Imperatoris militat, cui Princeps Antiochiæ vrbem totam ac mu- 50 nitiones vniuersas contradit. Maioris enim obtentu præsidii, vrbem Duci vltroneus iudicat committendam, vt eius fines vir strenuus contra crebros hostium tueatur insultus. Interea CHRISTI milites, quos in Terræ Sanctæ subsidium classis transuexerat, *Accon* premebat obsessam; Vt pleniùs texatur obsidionis series, altiùs ordiemur. Rex Ierosolimorum *Guido*, cùm apud Damascum per annum ferè tentus fuisset in vinculis, *Salahadinus* illum sub districta pactione absoluit, vt abiurato Regno, mare quàm citiùs exul transiret. Hanc iurisiurandi fidem clerus Regni cassandam

Sap.4,7.
2.Sam.1,21.

dam deliberat: tum, quia *metu facta, irritari merentur*; tum, vt venturæ fidelium acies caput inueniant & ductorem. Dignum sanè quòd ars artem deluderet, quòd tyranni perfidia suo fraudaretur exemplo: nam promissor lubricus, parem promittentis leuitatem inuitat. Perfidus ille, pacti prioris fines & fidem transgressus, à Rege captiuo iniuriis multis extorserat, vt præstito sacramento, libertati redditus exul abiret. Dira libertas, quæ importat exilium; dura liberatio, quæ regnum abiurat. Sed ordinante Domino, dissipatum est consilium Belial: nam & retinendi Regni fiducia tyranno excutitur; & Rex à promissionis excessu, cleri iudicio excusatur. Venerant autem iniuriæ Crucis vltores eximii; venerant athletæ insignes, quos ad
10 consolationem tuam, Ierusalem, feruor vndique deuotus exciuit. Ecce iam orbis tibi vniuersus militat, vt adimpletum constet, quod per *Ysayam* Prophetam dicitur: *Ab Aquilone adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da; & Austro, noli prohibere.* Isaiæ 43, 6. Sic ergo cùm plurimi *Tripolim* ad Regem confluxissent; bellator cunctis incaluit animus, vt non solùm tueri retenta, sed & recuperare perdita decertarent. Porro dum apud Tripolim moram facerent, dies non exegêre ignauos: nam crebris excursibus hostes vicinos aggressi, nunc trecentos, nunc plures manu victrice fuderunt. At inter cæteros frater Regis qui nuper appulerat, *Galfridus* nomine, singularis enituit: qui sic virtute fulgebat præcipuus, sicut dolore domestico acriùs exarserat, in hostem accensus. Alios enim cùm dolor vnus
20 ad bellum impleret, hunc pariter & totius Christianissimi causa communis, & fraternæ iniuriæ vltio priuata mouebat. Post multum collecto exercitu Rex *Tyrum* procedit: sed ingredi volens, à *Marchiso* non admittitur; cui tamen ciuitas eo tenore commissa fuerat, vt Regi & Regni hæredibus redderetur. Nec hac contentus iniuriâ, periurum conuicio cumulat: nã quotiens vel Regis nuntii, vel peregrini quicunque, ingredi tentant, tractantur duriùs; & sunt ei Christicolæ, tanquam Ethnici & Publicani. *Pisani* verò, qui partem vrbis nõ modicam possidebant, in consensum perfidiæ pertrahi nequeunt; sed pro iure regio, commendabili seditione decertant. Eos *Marchio* contumeliis multis, & Marte intestino lacessit: at pro tempore cessuri consultiùs, ab vrbe ad exercitum cũ aliis plerisq; recedunt. Exercitus extra in apri-
30 co consederat: Sed nec vllis, etiam propter victualium coemptionem, ingrediendi exhibetur facultas; & omnes experiuntur hostem quem sperauerant adiutorẽ. Hæc inter, morbus quidã familiaris & solitus Marchiso incutitur: at quia, consueto asperior, tunc casu irruerat, potionem pestiferam hausisse coniectat. Triste igitur in medicos, potionũ artifices, exit edictũ; & iniquâ suspicione perimuntur innocui, quorum professio non mortis discrimen ingerit, sed morbi salutẽ promittit. Rex, quanquam ad vrbẽ impugnandã suggestione plurium incitetur, propriã tamen iniuriam prudenter dissimulat; & cum exercitu, quo potest, & quãto potest, *Accon* obsessurus festinat. Erant milites septingenti & alii plures ex omni natione Christiana collecti: sed si totam simul aciem æstimare velimus, non prorsus ad nouem millia robur
40 numeratũ excreuit. Exeunte Augusto die sancti Augustini, grauis illa & longa cepit obsidio: quæ & per duos annos producta, & duobus annis ab vrbe capta elapsis, animosiùs inchoata. Turci eminus de murorum propugnaculis, venientes conspiciunt, incerti qui veniant, vel quid veniant. Sed re cognitâ aduentum nõ metuunt, causam irrident. *Pisani*, quibus via maris eò leuior quò breuior videbatur, *Accon* nauigio seriatim petentes, littus audacter occupant; maritimæ immobiliter insidẽt, obsidionem maris & tam constanter quàm strenuè ordiuntur. Rex verò cum exercitu reliquo, montem proximum quem vulgo *Turonem* dicunt, tentoriis figendis eligit: vnde loci beneficio & maris & terræ speculetur accessus. Mõs iste, à parte vrbis Orientali consurgit editior; & in circuitu oculo spatiante liberiùs, longè lateq;
50 prospectum in plana diffundit. Cæterùm, Christicolæ die tertiã postquã venerant, mox vrbem impetunt; longum enim vel petrarium iactus, vel alios expectare paratus; at clypeo defensore contenti, scalas applicant ad conscensum. Dies illa, tot dierum opus & operam fœlici clausisset compendio; si antiqui hostis inuidia & mendax nuntius, negotium penè completum non perdidissent. Nuntiato namque Salahadini aduentu, nostri quàm citiùs ad castrum redeunt; sed paucos præcursores, intuitu præreptam sibi victoriam, indignantur magis quàm conqueruntur: pauci quidem venerant, at innumeros adesse, terror edixerat: non enim præter

solitum euenit, quòd maiora semper formido metitur. *Soldanus* eo tempore castrũ, quod *Bellum forte* dicunt, obsidione cingebat; at is, quæ geruntur auditis, cum exercitu plurimo Accon festinus accedit. Nostri ad congressum impares, sed inter fines præscriptos continent: Turci vndique instant; nunc luce nunc noctis silentio bellum inferunt; crebros & in montem tentant excursus: & qui venerant obsessuri, tenentur obsessi. In hoc itaque articulo positos, visitauit *Oriens ex alto*: nam ecce, quinquaginta naues, quas vulgo *Coggas* dicunt, cum XII. millibus armatorum tantò gratiùs veniunt, quantò nostris auxilium in arto maiore dependunt. Gratum venit quod per vota suscipitur; gratius quod præter spem offertur; gratissimum, quod in vltima necessitate subuenit: plerunque tamen, ingenti desiderio fides suspenditur; » & vix credimus, quod nimium affectamus. Nostri, de supercilio montis venientes vident; & tam læta sperare non audent. Quin & ipsi qui veniunt, castra quæ spectãt habent suspecta. Sed propiùs Christianæ professionis prospectis insignibus, clamor hinc inde tollitur; læta pietas in lachrymas effluit; vndique concursus, & fluctibus insiliunt obuiam processuri. Fœlix illa classis, quæ à Boreali peregrinans Oceano, & iter intentatum aggressa tot tractus maris, tot terræ ambitus, tot pericula victrix permeat; & ab Europa, per Affricæ districta transiens, Asiæ laboranti succurrit. Hãc classem *Dani* moderantur, & *Frisones*: quos ab Aquilone progressos, rigor natiuus exasperat; & ad bellum aptat triplex commoditas; artus proceri, mens indomita, & fidei feruor deuotus. Hos à portu patrio in altum migrantes, aura com mittatur benignior; & in delitias nauigantium, tam fluctus quàm venti mitescunt: sicq; miserator Dominus, athletas suos per tot discrimina incolumes & inoffensos, perducit. Terrarum verò, quas prænauigant, incolæ, visâ classe, quamplures mouentur; & nauibus instanter conscensis, *Angli* pariter & *Flandrigenæ*, festini sequuntur. Nec prætereundum silentio, quod à prætereuntibus insigniter gestum: nam vrbẽ quandam in maritima Hispaniæ, quæ *Siluia* dicitur, audacter impetunt, citiùs expugnãt; cæsisque Gentilibus incolis, & vrbe Christianis traditâ, ibidem etiam ordinato antistite, victores procedunt. *Accon* igitur venientes, in loco qui vrbem & *Turonem* interiacet, castra metantur; & vires indomitas, in perniciem hostis, assiduo magis quàm frequenti conflictu, exercent. Eos siquidem virtus prodiga, & vitæ contemptor impetus, tot & toties subeundis obiecêre periculis, quod post multùm vrbe captâ, vix viri centum de XII. millibus superstites extitêre. Nocte posterâ postquam *Frisones* & *Dani* appulerant, *Iacobus de Auennis* littus optatum contigit. Vir trinâ profectione prædítus, in consiliis *Hector*, in armis *Achilles*, in fide *Attilio Regulo* præferendus. Hic ex aduerso turris, quam *Maledictam* nominant, figit tentoria; & paulò vlteriùs *Templarii* tendunt: at vrbis pars amplior nondum obsessa, in liberos hosti meatus patescit. Nostri quid agant solliciti, hanc introeundi & exeundi licentiam molestè sustinent; sed murorum protractior ambitus, & exercitus rarior obsidionẽ continuam non admittunt. Coniectis igitur vicissim per turmas copiis, vrbis aditus armati obseruant; & sic per dies aliquot consuetam meandi copiã obstruunt transituris. Turci verò, tam de vrbe quàm de castris egressi, collatis hinc inde viribus, nostros impugnant, & præualent: nam facilè acies intercisa perrumpitur; & citiùs robur dispersum succumbit. *Hospitalarii* eâ die in custodia stabant, quos *Militia Templi* cedentes, excipit; & hostem acriùs vrgentem à castrorum irruptione compescit. Porrò diebus singulis fidelis augẽtur exercitus; & nauium multitudo confluens, terrore non modico Gentilem percellit. *Salahadinus* autem, figmento quodam, metus conceptus attenuat: asserens Christicolas, noctu naues educere; & easdem rursus, tanquam recentes adueniant, ad ostentationem virium luce reuerti. Ipse tamẽ, veri non inscius, robur nostrum in dies crescere acriùs dolet; sed nubem animi supercilio sublimi dissimulans, frontem serenam & nihil timentem prætendit. Sanè de Regno Francorum iam plurimi venerant: & inter alios, *Episcopus Beluacensis*, vir armis potiùs quàm armariis deditus, qui gloriatur in militia; & *Turpino* par esse contenderet, si Carolum inueniret. Est quædam pars Franciæ, quæ *Campania* dicitur: & cùm regio tota studiis armorum floreat, hæc quodam militię priuilegio singulariùs excellit & præcellit. Hinc Martia pubes potenter egressa, vires, quas in tyrociniis exercitauerat, in hostẽ audentiùs exerit; & imaginariâ bellorũ prolusione propositâ, pugnaces animos ad verum Martem intendit. Adeò quidem, tam Angli, quàm

Luc. 1, 78.

10

20

30

40

50

quàm Franci, conceptæ deuotionis calore ducuntur, quòd Regibus suis non expectatis, Regi Regum obsequium præstituri præcurrunt. De Germania quoque, vir quidam illustris & potens accedit, quem linguâ Theutonicâ *Landegrauum* dicunt; quod iuxta rationem nominis *terræ Comes*, quasi per excellētiam dictum, sonare videtur. Hic Marchionem à Rege *Guidone* dissentientem *Accon* venire persuadet, cùm priùs propter dissidiū accedere detrectasset. Scimus historiæ legem interdum deposcere vt nomina principum, qui negotiis gerendis assistunt, singulatim scripto mandentur: quod ipsi etiam quodā pruritu gloriæ nonnunquam affectant: è contrà solet auribus teneris hac in parte semper tractatus videri lōgior; & ituras in tædium
10 voces, delicatus auditor minus acceptat. Nos ergo in enumerandis principibus castigatiùs occupabimur. Sed cùm ipsa rerum gestarum series occasionem obtulerit, de singulis, quis quid egerit insigne, dicemus. Sanè, adaucto fideliū numero, cùm iam exercitus amplior ad opus arduum aggrediendum sufficeret, placuit omnibus vt vicina Gentilium castra peruaderent, & impugnarent. Mons quidam *Turoni*, quem suprà descripsimus, obiectus eminet: hîc hostis papiliones fixerat; & ingens camporum interiecta planicies, aream bellis accommodam latiùs explicabat. Huc acies è castris in plana descendit; & ibidem in ordines distributa per turmas digeritur, ita quidem quòd leuior armatura cum arcubus & balistis præcedit; subsequitur belli robur præcipuum, equis, armis, & variis effulgens insignibus. Ignem verò ani-
20 mi, facies & gestus indicant: fidelibus ad votum, hostibus ad terrorem. Fuit qui acie perspectâ ex nimia voluptate luxurians, dixisse præsumeret: *Quæ potentia præualebit? quæ multitudo resistet? Dominus nec nobis nec aduersariis adiutor veniat; victoria in nostra virtute consistit.* Vox certè pessima, & omnino damnabilis, quæ in homine, non in numine belli euentum constituit, cùm sine DEO nil possit homo: quod quidem experimento flebili, rerum exitus declarauit. Stabant Turci pro castrorum defensione vnanimes; & cùm nostri propiùs accessissent laxato peditum præcedētium cuneo, equos in hostem audacter admittunt. Versus in fugam Gentilis, castra deserit; Christicolæ à persequendo desistunt, & spoliis inhiant; papilionum præciduntur funes; & ipsius Soldani tentoria, *Comes de Baro* animosus inuadit. Interea de
30 vrbe ingens hostium multitudo prorumpit, qui ex ea parte qua ciuitas inobsessa erat, egressi, obliquis meatibus ad montana contendunt. Porrò ex industria, sinuato procedunt anfractu: vt nostris sub incerto positis, an castra veniant an exercitum peruasuri, exercitum subitò occupent, & à tergo concludant. *Militia Templi*, quâ nulla insignior, iam cuneos hostiles, cædi deuota, perruperat: quòd si cæteri pari voto persequendis institissent hostibus dies illa fœlicem tam vrbis quàm belli victoriam reportasset: cumq; longiùs fortunam secuti & animi Templarii processissent, in eos subitò irruunt oppidani; & quāquam innumeri paucos opprimant, non sine multa tamen suorū strage triumphant. Ibi Magister militiæ *Gerardus de Bidesfordia*, cuius suprà mentionem fecimus, cæsus occumbit: Fœlix, cui tantā Dominus gloriā
40 contulit, vt laureā, quam tot bellis meruerat, Martyrū collegio sociandus haberet. Parte aliâ, dum *Alemanni* ad prædas hiantiùs conuolant, ecce deceptor ille antiquus quadrupedem prætermeantem præsentat; & dum illi certatim insectantur, fugere à nonnullis creduntur. Hac exiguâ, sed exitiali occasione, totus turbatur exercitus; omnes de fuga cogitant. Quin & fama ingruens metum ingeminat: nā oppidanos ad diripiendas sarcinas exisse cōclamāt. Ilice, bellorum ordo cōfunditur; disperguntur cunei, nullus signorū respectus; ipsi duces ad fugā præcipites, & vix aliqui fiduciam concipiunt resistendi Turci, Christicolas turbari vident, casum mirantur; sed caussam ignorant; & inopinā adepti victoriā, lora reflectūt, & resumunt animos, qui de militia potiùs quàm de ritu habent, instātibus cedere, cedentibus instare: nā si fugas
50 fugient, si fugis fugabunt. In hoc tā flebili & infœlici tumultu, *Andreas de Breno* dum aliis, ne terga præbeant animosus inclamat, irruentibus Turcis perimitur: quē adeò supra omnes Francos virtus extulerat, vt ei militiæ primatu concesso, cæteri de laude secūda certarent. Frater eius *Comes Brenensis*, non inscius præteriuit collapsum: vocatus quidem, subsistere timuit, & gloriam quam casus obtulerat, ignauia declinauit. Cæterùm miles quidam, cùm *Iacobum de Auennis* equo perturbatum conspiceret, mox equum cui fugiens insidebat, ei contradidit; & mortem Domini sui, morte suâ, laudandus redemit. *Rex* etiam *Marchiso*, cùm ab hostibus opprimeretur, accessit

a-liutor;& licet iniuriæ præcessissent, & simultas subesset, humanitatis tamen obsequium indigno præbuit,& eripuit periturum. Frater Regis *Galfridus*, videns aciem turbari,& omnes de fuga contendere,castrorum curã, quæ defensanda susceperat, festinus deserit;& de fratris salute sollicitus,refugos detenturus procurrit.O rerum miseranda mutatio! Christicolæ confisi exierant,& redeunt confusi;seriatim incesserant,& sparsim redeunt;hostem victores fugauerant,& victi recurrunt. Agnoscat tandem humana præsumptio, quid homo;quid vires hominis, nisi dextra Domini faciat virtutem; & ille in suis potenter operetur victoriam, qui & fiduciam præstat pugnanti,& vincenti coronam. In tm̃ sanè de viribus suis nostri præsumpserant,in hoc vnum timerent,hostem inueniri non posse:quem postmodũ nimis propinquũ 10 experti,suorum mille,ac quingẽtos perdidêre. Erat miles quidam,*Ferrandus* nomine,qui nudus & exanimis relictus,cùm inter peremptos delitesceret, nocte regressus ad castrũ propter deformitatẽ vulnerum, à suis agnosci non potuit; & vix impetrauit admitti. Varios rerũ euentus & modos interfectionũ diuersus,liceriosus poëta,vel longus prosequatur tractator:nos,breuitas lege arctiori cõtinet;nec qualiter, sed quid acciderit dixisse indulget.*Salahadinus* Christicolarũ cadauera cõportari,& in fluuium prætermeantẽ proiici iubet:vt vndarũ deuoluta impulsu,vel metũ conspecta incutiãt,vel aquis resoluta corrumpant. Porrò Principes nostri,à Marte publico aliquandiu temperandũ censentes,castris deliminandis insistunt;& aggerem congesto cespite, fossisq; profundioribus à mari ad mare, muniendis tentoriis circumducunt:*Marchisus* autem, & *Hospitalarii* locum obsidione vacãtem audacter occupant, & iam vrbs tota terrâ mariq; tenetur obsessa. Rerum ordo deposcit, nec alienum à proposito credimus,locorum descriptionẽ quandoq; perstringere:vt ciuitas tãta,tum sui magnificentiâ, tum vario bellorum famosa euentu, obsequio nostro clarior innotescat. Si enim decennale bellũ,*Troiam* celebrem reddidit;si Christicolarum triumphus,*Antiochiã* illustriùs extulit, *Accon* profectò perpetua fama extollet,pro quo pariter totus orbis conflixit.Hęc formam sortita triangulã,ab occasu cõtractior,ab ortu spatio latiore diffunditur; & parte plus tertiâ præterlapso æquore ab Austro & Occidẽte ambitur. Portus sanè minus quàm oporteat opportunus, hyemantes carinas sæpiùs fallit & frangit: nam rupes obiecta, quæ littoris formam 30 commodat,irruentis procellæ impetum breuitate sui ægrè propulsat. Et quia rupes illa extis abluendis videbatur accõmoda, ibi apud veteres sacrificia celebrari solebant:vnde propter carnes immolaticias, quas muscæ sequebãtur, turris quæ modò supra posita eminet,*turris muscarum* appellatur.Est & turris,quam *Maledictam* nominant,& muro qui vrbem amplectitur insidet: quæ,si vulgi opinio fidẽ meretur,hoc ideò nomen insumpsit: nã argentei,quibus Dominum *Iudas* proditor vendidit, ibi facti fuisse dicũtur. Supra *Turonẽ* verò,qui vrbi vicinus incumbit,ciuitas,*Tholomais* nomine,olim sita fuerat:vnde, antiquitatis errore, *Accon* Tholomaida nonnulli appellant. Collis autẽ,quẽ *Mahumeria* dicunt, Turoni propinquus cõsurgit,vbi sepulchrum *Mennonis* esse testis tradit antiquitas: sed cuius obsequio illuc delatus fuerit, 40 non scriptũ legimus,nec audiuimus referentẽ.Porrò fluuiũ,qui vrbi allabitur,*Bellũ* nominant; & licet alueo angusto nec alto decurrat, eius tamen gloriã *Solinus* haud leuem asserit,quẽ inter mirabilia mundi commendans,ipsum harenis vitreis ditari proponit.Erat enim quædã fossa harenaria, cuius harenæ vitri cõficiendi præbebãt materiam:quòd si exteriùs sumptæ, omnino erant inutiles; si verò casu intromissæ, mox loci virtute occultâ, vitreã assumebant naturam. Haud procul à fluuio,rupes humilis vrbi vicina monstratur,ad quam tres mundi partes,Asiam,Europam & Affricam conterminari perhibent:& cùm tractus cæteros ille diuisim contineant,locus iste solus nulli cedens partem exceptus & liber effulget. Mons *Carmelus* à parte vrbis Australi sublimis exurgit, vbi *Helias Thesbites*, modici paratus domicilium 50 habuisse dignoscitur, quod adhuc ipsius spelunca testatur: Et quanquam descriptioni ambitus ad amœna sæpius euagari consueuit, nos tamen circumiacentium locorum delitias ad præsens omittimus, dum ad alia stylus Martius tramite cepto decurrit. *Accon* igitur, cùm nostri vndique obsidione cinxissent, cœpêre oppidani, consumptis victualibus, inediâ grauiore affligi: adeò vt vrbem reddendam offerrent si saluis facultatibus, liberi sinerentur abire. Hæc pactio Principibus omnino displicuit: decreuerant enim vel vltimâ necessitate coactos, ad vota

subdere;

subdere; vel potiùs expugnandi gloriam omni studio comparare. Dumque protractiùs de vrbe reddenda tractatur, Soldanus interim quinquaginta galeas apud Alexandriam, viris, victualibus, & armis sufficienter instruxerat, quos suis in subsidium Accon transmittit. Crastinâ verò Natalis Domini, simul omnes accedunt: quibus eminus conspectis, rumor incertus vaticinantem populum in varia distrahit: pars enim, hostem adesse nuntiat; pars, Christicolarum venisse auxilia constanter affirmat. Verùm quidam de galeis nostris quinam veniant inquisitura occurrit; & cum ea, minor cimba, quam vulgò *Gationem* nominant, qui leuitate sui nimis temerè properans, dum amicos inuenisse confidit, in hostes medios, heu! nuntium salutis latura procurrit. Vox quidem respondentium nulla, & suspecta silentia pacem inficiantur: quod nautæ miseri attendentes, in mare protinus se præcipites mittunt; & nandi beneficio, vtcumque perituri, euadunt. Sic igitur maris obsidione solutâ; nostrisq; galeis quæ longè pauciores fuerant, fugæ furtiuæ subsidio Tyrum digressis, iam vrbi muniendæ liber aditus & egressus per mare patescit. Elapso tempore, cùm iam Pascha instaret, *Marchisus* qui classis reparandæ causâ, Tyrum secesserat, cum apparatu ingenti reuertitur; rursumque nostri maris imperium vendicant, & tutior venturis nauibus expeditur accessus. Principum autem procurante consilio, *Rex & Marchisus* eo pacificantur obtentu, vt Marchiso Tyrum, Beritum & Sidonem possidens, Regis & regni profectibus, fideliter & viribus totis intendat. Verùm semper in læuum præceps ambitio, cor cupidum & iniquum subuertit: nam regni obtinendi desiderio æstuās, fidem promissam violat; & hostem interiùs occulit, amicū foris prætendit. Sanè oppidani ereptam sibi libertatem æquoris grauiùs sustinent; & quid bello nauali possint experiri decernunt. Galeas igitur binas & binas educunt, & ordinem in processu decorum seruantes, ad alta maris remigant pugnaturi. E contrà nostri classem conscendunt belligeram, flexuque obliquo in [illegible]uum tendentes, spatio remotiore secedunt, vt liber hostibus nō denegetur egressus. Et quia naualis belli mentio incidit, consequens arbitramur vt classem bellicam sermo succinctus describat; & quali vtuntur moderni & qualem instituêre antiqui. Apud veteres siquidem, in huiusmodi nauibus numerosior exigebatur ordo remorum, quibus gradatim per tabulata distincta surgentibus, vndas alii longissimo, alii breuiore vexabant impulsu. Ternos autem vel quaternos ordines sæpiùs habebant, & quinos interdum: Sed & senos, naues quędam in *Acciaco* prælio, cùm aduersus *Antonium* dimicaret *Augustus* habuisse leguntur. Porrò bellatrices carinas, *Liburnas* dixerunt: Est enim Libumina pars Dalmatiæ, vbi classis Acciaci belli præcipua facta fuerat: Vnde inoleuit vsus, vt apud antiquos naues bellicæ dicerentur *Liburnæ*. Cæterùm omnis illa vetustatis magnificentia imminuta defluxit: nam classis bellica, quæ senis olim decurrebat ordinibus, nunc binos raro excedit. Quòd autem antiqui dixêre liburnam; moderni *Galeam*, mediâ productâ nominant: quę longa, gracilis, & parum eminens, lignum à prora præfixum habet, & vulgò *calcar* dicitur: quo rates hostium transfiguntur percussæ. *Galiones* verò, vno remorum ordine contenti, breuitate mobiles, & faciliùs flectuntur; & leuiùs discurrunt; & ignibus iaculandis aptiores existunt. Cùm igitur prælium nauale gesturi hinc inde processissent, nostri non acies directas, sed incuruas disponunt: vt si hostis tentet irrumpere intrinsecus, opprimamur conclusus. Cornibus itaque in speciem lunæ productis, à fronte validiores constituunt, quibus & acrior infligatur impetus, & hostium propulsetur incursus: In superioribus verò tabulatis, clypei per gyrum disponuntur conserti: & in vno considunt remiges, vt spatio liberiore dimicent qui ad pugnam in supremo consistunt. Mare quidem omnino silens & placidum, tanquam bello excipiendo deuotum, mitescit, adeò vt vnda interfluens, nec intūditis itum, nec remigantis fallat impulsum. Congressi propiùs, tubis vtrimque insonant; clangorem terrificum miscent: missilibus primò cōtendunt. At nostri, opem Diuinam inuocant, remisq; incumbunt obnixiùs; & naues aduersas, suarū rostris elidunt. Mox bellum conseritur; implicantur remi, cominus decertatur, alternis iniectionibus rates aligant; & oleo incendiario, quod *ignem Græcum* vulgus nominât, tabulata succendunt. Ignis iste pernicioso fœtore, flammisque liuentibus, silices & ferrum consumit: & cùm aquis vinci nequeat, harenâ respersus comprimitur; aceto perfusus, sedatur. Quid autem nauali conflictu asperius? quid sæuius? vbi tam

varium congressos fatum inuoluit: nam flammis, torquentur exusti, fluctibus, absorbeantur naufragi, armis, pereunt vulnerati. Erat galea quædam, quam duo nostri temerè moderantur, latus hosti vicinius inuergit: sicque ignibus iniectis succensa Turcos vndique insilientes admittit. Remiges verò, in mare protinus exterriti dilabuntur; at pauci milites, quos arma grauiora impediunt, & nandi inscitia detinet, pugnandi *fiduciam ex desperatione* assumunt: Pugna impar committitur; sed in virtute Domini, multos pauci exsuperantes; ratemq; semiustam, cæsis hostibus, triumphantes reducunt: aliam verò iam hostis, victor superioris tabulati, bellatoribus depulsis inuaserat: at ii quibus inferior statio fuerat deputata, remorum auxilio elabi contendunt. Mirum quidem, & miserandum certamen: nam remis in 10 diuersa tendentibus, nec huc nec illuc galea depellitur: nostri tamen præualent, & hostis superiùs remigans, Christicolarum superuentu detrusus, succumbit. In hac nauali congressione, galeam pariter & galionem cum suis vectoribus, pars perdit aduersa; nostrique, sollemnem triumphi gloriam illæsi, & læti reportant. His factis, Principes nostri ad machinas quibus ciuitas oppugnetur, operam communem impendunt. Tres itaque turres ambulatorias, de siluæ siccioris materia construunt: quarum prima *Lantdegrauium*, secunda *Genuenses*, tertia exercitum reliquum sortitur auctorem. Certandi studio, moles istæ consurgit, quas ex trabibus & tabulatis in altum eductas, lapsus volubilis incitat, & quadam arte mechanicâ facilem ad motum inclinat. Artifices verò has machinas ne incendio pereant, centonibus & co- 20 riis crudis obuoluunt; & vt petrariarum impetus materiâ molliori exceptus, non noceat, reticulatos funes à fronte pretendunt. Porrò eminentiæ turrium, supra murorum fastigia & vrbis propugnacula sublimes, balistarios & sagittarios continent; at medias stationes occupant qui sudibus & contis decertant. Singulis autem castris, suæ * applicantur petrariæ, ac litteratim assistunt: quibus & machinæ productæ defendantur, & mœnia deiiciantur aduersa. Oppidani verò iam penitus diffidentes, vrbis deditionem offerunt; ita tamē vt ipsis abscedendi libertas & res suas asportandi nō denegetur facultas: Verùm, Sabbatho post Ascensionem Domini, admotas propiùs machinas ignis consumit hostilis; & infœlici casu triumphi spes excidit, quæ quantò certior, tantò tristior euanescit. Soldanus interim, totius Asiæ 30 contractis copiis, quicquid *Indum* à *Tygri* disterminat, quicquid *Tygrin* & *Eufraten* interiacet; quicquid inde ad Mediterraneos porrigitur fluctus, simul in bella producitur. Ex Africa verò gentes innumeræ cōfluunt: *Nadabares, Getuli, & Nimidæ*: Sed & populi Meridionali solis adustione deformes; quos à Græco vocabulo *Mauron* quod nigrum sonat, *Mauros* siue *Mauritanos* appellant. Sic ergo duæ Mundi partes, tertiā impetunt; & aduersus duas, Europa confligit, quæ sola nec tota CHRISTI nomen agnouit. Porrò plerosque *Salahadinus* stipendiis excitat; & in sumptus tantos pecunia dudum ante collecta suppetit: nam communi placito Gentiles statuerant, vt morientes quicunque, rerum suarum partem tertiam Legis defensoribus erogarent. Cæterum nonnulli, quodā Peregrinationis obtentu gratis veniunt; & pro le- 40 gis suæ cerimoniis defendendis, contra Christicolas pugnaturi procedunt. Hāc igitur multitudinem vndecim collectā tyrannus effundens, nimia elatione luxuriat; & nostros audacter impetens, omnes vel captiuos abducere, vel in ore gladii exterminare confidit. Quod si *Darium* Persarū Regem, cum septingentis millibus dimicasse legimus; in hoc præsens multitudo præiudicat, quòd illa numerari potuit; istā verò nulla numeri certitudo concludit. Ingens illa planicies quæ à mari ad mare porrecta, longè lateq; diffenditur, tot millibus minus sufficit: & cùm sinus laxiores camporū amplitudo explicet; loci tamen angustiā, acies cōfertæ causantur. Christicolæ, quibus hinc oppidani, hinc hostes instant, exercitus vtramq; incursionē strenuè sustinent; & dispositis ad fossata præsidiis, tā hos quàm illos à castrorū irruptio- 50 ne propellunt. Sabbatho Pentecostes, insultus iste primò cōmittitur: quem in dies octo protractū, strages vtrinq; magna durius exarsisse testatur. Nostri, dies festos infestos sentiunt; eos tamen Spiritus, virtutis infusione corroborat: & qui olim Apostolos ad prædicandū instruxit, nunc milites suos ad pugnandū accendit. Vniuersi autem, edicto publico, castrorū limites excedere inhibentur; nec est opus extra bellum quærere, cùm propiùs inueniant prouocantē. Tanta quidem instantium multitudo irruit, quòd sagittæ casu emissæ frustra non euolant; nec quisquā ictus certos dirigit,

dirigit, vbi turba densior tot vulnerandos opponit. Octauo die vnus filiorū Soldani balistæ iactu occumbit percussus; cuius obitus & cœptos insultus cohibet, & exercitum hostilem exterret. Plurimi ergo in fines patrios redeunt, Christicolarū prorsus abhorrentes congressum: quos aduersus tantā multitudinem tam strenuè viderant decertasse. Fames interea oppidanos affligit, quibus ab Ægypto Soldanus rates frugiferas Notho flante transmittit. Erant autem viginti quinque: sed tres maiores, dum inter *turrim Muscarum* & rupem proximā tentant irrumpere, duæ quidem saxis confringuntur illisæ; tertia verò portu potitur illæsa. Venientes quippe, à cepto cursu nostrorum galeæ deturbauerant: quarum vna, dum nimis temerè fugientes
10 insequitur, scopulis offensa deperit & dissipatur. Tractu temporis, cùm exercitus ocio longiore torpesceret, plebs rerum nouarū cupida, Principum incusat ignauiā; & pari desiderio æstuans, sese vicissim inuitat ad pugnam: castra Gentilium proxima, indignantes mouent; spolia distrahenda, cupidos incitant; victoriæ gloria pugnaces accendit. Tumultuariam verò coniurationem ineunt; & animi calore præcipiti, vnanimes accinguntur ad bellum, Principum non expetito assensu. Principes quidem, quantùm possunt, ausus vulgi temerarios laborant comprimere. Sed & *Patriarcha* sub anathemate inhibet, ne ducibus inconsultis hostem prouocent; & belli discrimen incurrant: nihil tamen vel illorum dissuasio, vel huius interminatio proficit: vincit enim furor consilium; rationem, impetus; imperium, multitudo.
20 Vulgus quocunq; impellitur, temeritatem virtutem putat, id optimum quod optat iudicans; & rerum exitu non expenso, corrigentem refugit, regentem contemnit. Die sancti Iacobi, die luctificā & infestā, infœlix illa gregariorum militū turba prorumpit; armati quidem prodeunt; sed minus prouidè, venturum discrimen attendunt. Iuuentus sanè insignis, iuuentus strenua & nulli cessura victori, si caput nacta, si consultiùs ausa, si quantùm spoliis tantùm præliis indulgeret. Verùm Dux agminis nullus, sibi quisque miles, sibi ductor; signa propria vix agnoscunt, vix sequuntur; præcurrunt plurimi, dum potiùs de præda quàm de prælio cogitant perituri. Gentiles visis prodeuntium turmis, metu dubium an de industria, paulisper cedūt; & sarcinis non asportatis, tentoria rebus variis opulenta relinquunt. Cæterùm sub cliuo
30 montis proximi vires absconsas collocant; & missis exploratoribus, quid nostri velint, quid veniāt inquisituri, subsistunt. Nepos Soldani *Tecahadinus* eo tempore versus castrū *Himberti* tentoria fixerat: vir animis, armis strenuus; scelere immanis; sæuitiā implacabilis; & nomini Christiano tā perniciosus, quàm inuisus. Huc prædicta multitudo accelerat; huc prædæ libido cunctos excitat; minus quidē circumpositas locorū explorant insidias, qui iā de spoliis diripiendis contendunt. Plerique copiā ciborū inuentā, indulgent genio; & armis depositis nimiùm securi discumbunt, tāquā ad epulas inuitati. Turci verò, rebus quæ geruntur non incognitis, mox vndiq; irruunt; & voce, vt voce solet, terribili personantes, plebem dispersam & stupidam facili triūpho prosternunt. De bello nullus, cuncti de fuga cogitant: sed pedites, sed
40 armis onusti, sed siti & ęstu exhausti, nullatenus effugere possunt, quos hostis eques & impiger insectatur. Passim nāq; fugati, passim fusi; nulli parcitur, nemo captiuus seruatur; suum furor nō explet affectum; ira ferrum repetit, quod tædiū percutiētis abiecit. Quò quemq; incitat, mortis occurrit necessitas; ineuitabile cunctis discrimē imminet: vbiq; hostis, vbiq; cædes; vulnerātur innumeri: & qui cæsi occumbūt IV. millia æstimātur. Audito fremitu, & strage cōspectā, Principes nostri dissimulāt: duri certè, inhumani & impii, qui fratres suos corā trucidari conspiciunt; nec opem perituris impendunt: quibus hoc solum pro crimine, contra factā inhibitionē exisse. Porrò, cæteris ex ignauia potiùs quàm offensa hæsitantibus, *Archidiaconus Colecestriæ*, laborantibus subuenit, lapsuris succurrit: vir staturā & formā spectabilis: quem
50 laurus gemina, & vtriusq; militiæ commendat perfectio: scientiā præcluem, armis insignem. Oppidani verò, visis suorum successibus, animosi prorumpunt; & vsq; ad iniectionem ædium de proximo papiliones inuadunt. Hic itaque tam flebili cæde peractā, cùm robur nostrum iam ex parte multa decisum esset, arrisit fortuna blandior; & allubescens Fauonius rates attulit armatis onustas. Interdum verò Gentilium classis nostræ furtim permixta procedit; & tam lingua quàm insignibus Christicolarum mentita paratus, inopinos & subitos ad vrbem cursus subducit. *Comes Trecarum Henricus*, cum manu militum validā tunc temporis appulit;

cui statim regendi exercitus cura committitur, quem prius *Iacobus de Auennis*, & *Landegrauus*, nunc simul, nunc vicissim habebant. Landegrauus autem validinarius effectus, repatriandi prætextu castra deseruit: qui cùm multa clariùs, & ad omnium fauorem egisset, illustrem factorum gloriam turpi reditu deformauit. Eo tempore cùm filius Imperatoris, *Dux Suauiæ*, patre paulò ante defuncto, apud Antiochiam degeret, Principes ei mandandum decernunt, vt ibidem moram faciens terras Gentilium vicinas impugnet. Sanum quidem & salubre consilium; nam si hostem bellorum instantia locis pluribus occupasset, conatus eius ad multa deductus, minor an singula & infirmior extitisset. Huius legationis verbum *Marchisus* minus fideliter executus, ducis animum malignâ interpretatione promouit, tanquam Principes ex inuidia, eius procurarent absentiam, vt sibi vrbis capiendæ gloriam reseruarent. Fuit autem qui assereret Marchisum à Soldano sexaginta millia Bizantiorum, eo suscepisse obtentu, vt Duci ab Antiochenis partibus discedere persuaderet. Dux itaque *Accon* veniens, dissensionis seminarium extitit: nam veteri & pertinaci dissidio ab Alemânis Franci dissident, cùm Regnum & Imperium de primatu contendant. Porrò Marchisus peculiarem causam occultiùs agens, Ducis, quem sanguine contingebant, præsentiam studiosiùs expetiuit: vt ipso mediante, si posset, regni solium obtineret. Casus quidem ad nutum eblanditus, spem votis maiorem indulserat; nam Reginam, & sobolem quam de Rege *Guidone* susceperat, mors rapuit immatura. Verùm vt hanc tractatus particulam enucleatior excipiat intellectus, stirpis Regiæ successionem paulò remotiore principio euoluemus. *Fulco* siquidem, pater *Galfridi* Andigauorum Comitis, singulari virtutum merito in Regem Ierosolymorum electus, de filia prædecessoris sui Regis *Baldwini*, *Melesende*, duos filios *Baldwinum* & *Almaricum* suscepit. Quorum natu maior Regio sceptro potitus; & nomen auitum referens, neptem *Manuelis* Bizantini Principis, *Theodoram* nomine, vxorem duxit: Sed absque liberis, cùm *Ascalonem* victoriosè cepisset, in fata concessit. Frater eius virtutis & Regni successor, *Babyloniam* ad tributum compulit; & bino coniugio, variam vtriusque sexus progeniem suscitauit. Prima vxor *Batrix* dicta, quam antè Regni susceptionem duxerat, filia Comitis Roasiæ fuit: sed quia vnione sanguinis ipsi coniuncta fuerat, coniugalem copulam, celebrato diuortio, cleri censura dissoluit. Ex ea tamen prolem geminam iam susceperat, filiam *Sibillam* nomine, & filium nuncupatione *Baldwinum*, qui patre defuncto diademate insignitus licet iunior, & leprâ respersus, *Salahadinum* cum sexaginta millibus Turcorum, manu ratâ miraculosè cõfecit. Hic citiùs rebus humanis exemptus, filiũ sororis suæ *Baldwinum* quæ fratri Marchionis *Willelmo* nupserat, regni successorem constituit, & diademate insigniuit. Sed & ipse adhuc paruulus & septenis morte festinâ decessit. Cęterùm patre pueri pridem defuncto, *Guido*, qui de Pictauia oriundus Sepulchri visitator aduenerat, matrem pueri *Sibyllam* duxit vxorem: quâ postmodum paternum vindicante solium, ipse quoque Regiæ potestatis insigne suscepit. Ex ea quidem quatuor filias genuit, quas simul cum matre infra breuem temporis tractum mors importuna rapiens, *Guidoni* calumniam peperit, & *Marchiso* regnandi fiduciam concitauit. Porrò vxor secunda, quam Rex Almaricus, repudiatâ priore superduxerat, *Maria* nomine, consanguinea *Manuelis* Imperatoris fuit, ex qua duas progenuit filias: sed earum altera sub tenero vitæ principio diem clausit extremum: alteram verò, *Elizabeth* nuncupatam, cùm nondum annos nubiles attigisset, *Enfridus de Torone* sponsam habuit: sed quia successionis iure iam ad eam Regni deuoluebatur hæreditas, *Marchisus* vtrumq; molitur expungere, tam Enfrido coniugem, quàm septrũ Guidoni rapturus. Plebs interea de Principum quiete murmurat; & ignauæ obsidionis dispendia, tædiatus obsessor incusat. Dumque diutulè quid potiùs agendum esset, inter magnates tractaretur, demum sub hoc cardine cunctorum fermè resedit sententia, vt hostem vrgentem exteriùs, ad Martem publicum prouocarent. Si enim hostilis succubuisset exercitus, faciliùs impugnari, & expugnari ciuitas potuisset. Crastinâ *Sancti Martini*, cùm iam brumalis Phœbus radios algentiores spargeret, Principes nostri acies suas disciplinæ militaris ordine digerendas, è castris in plana deducunt. Quos cùm cerneremus signis prodire distinctis; & hinc *Militiam Templi*, hinc *Hospitalarios*, hinc nationes diuersas suis coruscare vexillis, titillanti animo iucundiùs

influebat

influebat de multitudine stupor, de virtute fiducia, de varietate voluptas. Clerus autem non modicam militaris gloriæ partem vendicat: nam & Abbates, & Præsules cohortes suas educunt; & pro fide fidenter dimicant; pro lege, læti contendunt. Sanè venerabilis *Cantuariorum Archipræsul Balduinus* inter cæteros, & præ cæteris insignius militat: quem, licet ad segnitiem senilis inuitet infirmitas, naturæ tamen defectum virtutum perfectione transcendit. Hic vexillum, cui gloriosus martyr *Thomas* inscriptus fuerat, præminentiùs prodire faciens, eidem comitatus decoros & dignos procurat: nam & milites ducenti & trecenti satellites, viri sancti stipendiis pugnaturi, sequuntur. Ipse verò, cum *Duce Suauiæ* & Comite *Blesensi Theobaldo*, castrorum tutelam suscipit; & vices Patriarchę, qui tunc clinicus decubuerat, pleniùs executus, egressas acies benedicit, absoluit. Verùm magnanimus *Salesberiarum Antistes*, ab expeditione abesse non sustinet, sed partem belli moderatur insignem; cuius virtus in armis militem, in castris ducem, in Ecclesiasticis implet pastorem. Sole in occasum vergente, cùm exercitus non longè progressus fixis tentoriis consedisset, oppidani tanquam in vacua venturi ad sarcinas distrahendas prorumpunt; quos nostri excipientes obnixiùs, & suos conseruant indemnes, & Turcos effugant irruentes. Nocte ipsâ *Soldanus*, papiliones suos cum rebus, aliis imperat ad montana transferri; & ea quæ pro temporis articulo asportari nequeunt, incendio populatur. Hoc quidem victi & diffidentis animi certi indicium, quòd res proprias dissipat, quòd locum mutat, quòd ad montana secedens, certamen campestre declinat. Loca verò aditu difficilia nactus subsistit; ac velites & sagittarios suo numerosiùs opponit venturis, vt saltem eminus noceant qui propiùs congredi reformidant. Nostri ergo pugnæ campestris copiâ defraudati, & hostem per abrupta montium insequi non valentes, quàm illæsi tam inglorii, reuertuntur. Porrò *Marchisus* regnandi gloriâ diuinitùs affectatâ, cum iam aditum ad vota oblatum cerneret, Regnum sibi fidenter promittit, sed *Enfrido* coniugem supplantasset. Ad hoc ergo totis anhelat nisibus; huc omnes artis officinas congerit: sed obliquo vtens principio, de statu regni quæritur, quòd Rex tractandis negotiis minus sufficit; quòd vxore sublatâ iam iniustè regnat, cùm alia Regis Almarici Filia superstes existat. Hęc primò in populum; Principes officiosus ambit, hos donis prouocans, illos sibi cognatione confœderans; omnesque vel blandus allicit, vel dator obligat, vel promissor inuitat. Facilè viro tam industrio, & tot argutiis instructo, id totũ obtinere quod optat: quem nec *Sinon* figmentis, nec *Vlixes* eloquio, nec *Mithridates* diuersitate linguarum æquaret. Sed, quia maritales amplexus passim dirimi sanctio Ecclesiastica inhibet, vir subdolus nouam commentatur calumniam quâ coniugem Enfrido subducat. Eam enim à viro suo, absque viris offensa, separari posse persuadet Principibus: vtpote quæ infra annos nupserat, & citra consensum. Cæterùm *Enfridus* ipse, obtentu coniugis spem Regni conceperat: vir fœminæ quàm viro proprior; gestu mollis, sermone fractus; & cui illud Virgilianum competit: *Dum dubitat natura, marem faceret ne puellam, Natus es, ô pulcher, penè puella, puer.* Hic se regni heredem habere proponit: sed pro iure vxorio, minus prudenter postulat. nam quadam die, cùm de mandato Principum coniugem suam produxisset in medium, nuptam simul & regnum, Marchiso procurante, amisit. O scelus, & morsu Satirico, & tragicâ declamatione dignissimum! nam si *Helenæ* raptum damnamus, in hoc, præsens factum turpius, & iniuria maior, quòd illa, marito absente furtim surrepta; ista, viro præsente, violenter abducta. Verùm, vt factum istud, iniurię deprecetur infamiam, puella sub manu sequestra custodienda traditur, dum causa diuortii, clero iudice, ventiletur. Clerum igitur, dolis & donis *Marchisus* aggreditur; omnes, quos sibi accommodos credit, pertentat: largitionibus immensis effluit, vt auri fascino iudiciariam sinceritatẽ corrumpat. Verbum tam diri sceleris ad aures sacratissimi *Cantuariorum Metropolitæ* delatum, & innocentiam viri ad stuporem incitat, & iuris patronum in iram accendit. *Patriarcha*, vt diximus, ægrotantium langore territus, vires suas ei, dum iuxta debitum rigorem exequitur, fautores Marchionis dandam sententiam appellationis obiectu elidere minitantur. Profectò fautores eius præcipui tres erant, *Renaldus Sidoniorum dominus*, *Paganus de castro Caiphæ*, & *Balisantus*; quòd si Comes Tripolis qui iam ante decesserat, quartus adfuisset, consummatæ iniquitatis cõsilium facilè præstitissent. In eos enim tanquam in domicilium suum, turba

ſcelerum certatim confluxerat: *Iudæ* proditio, *Neronis* crudelitas, *Herodis* nequitia; & quicquid vel ætas præſens abhorret impium, vel antiquitas condemnat infandum. Porrò *Baliſantus*, mortuo Rege *Amalrico*, matrem puellæ vxorem duxerat, quæ Graiâ fæce à cunis imbuta, virum moribus ſuis habebat conformem; ſæuum impia, leuem mobilis, perfidum fraudulenta. Hos Marchio muneribus & promiſſis illexerat, vt puellam aduerſus *Enfridum* querelam mouere inſtruerent: quòd inuita nupſerat, quòd ſemper reclamauit, quòd ſtare non debet matrimonium cùm nunquam præſtitiſſet conſenſum. Facilè perſuadetur, quod affectatur: facillimè mulier mutat conſilium: nam, *varium & mutabile ſemper Fœmina*, cui & ſexus lubricus, & mens mobilis; & ſicut nouis gaudet amplexibus, ſic notos leuiter reſpuit, citiùs obliuioni contradit. Puella quidem, in prauum docilis, turpem mouentium doctrinam libentiùs excipit; & iam ſe non raptam, ſed Marchiſum ſecutam, dicere non erubeſcit. Sanè Principes ipſi, ſpreto iure, ad hoc inclinatiùs tendunt, vt Regno ſimul & puellâ, Marchio potiatur: Videns itaque Archipræſul ſanctiſſimus, quòd * * * * * Audiens autem exercitum omninò diſſolutum, tabernis, ſcortis, & ludis talorum inſiſtere, animam tantorum exceſſuum impatientem, vſque ad tædium vitæ afflixit. Et, quia *morbus communis medelam difficilè recipit*, quodam die cùm huiuſmodi opiniones peſſimè ad aures eius frequētiùs emanarēt, ſciens quòd *homo curā, DEVS curationem habet*, ſuſpirioſus in hæc verba irrupit: *Domine DEVS, nunc eſt opus piâ corripientis & corrigentis gratiâ: quòd ſi tuæ miſerationis beneplacitum eſſet, vt à vita præſentis turbine ſublatus, migrarem, longam ſatis in hoc exercitu moram exegi.* Poſt hunc ſermonem, diebus quindecim nondum euolutis, tanquam exauditus à Domino, cœpit aliquantulum rigorem perſentiſcere, æſtuq; febrili fatiſcens, infra dies paucos in Domino feliciter obdormiuit. fidenter dicimus, quòd in Domino obdormierit, cuius vita laudabilis, & labem neſciens; cuius obitus non minus miraculoſus extitit, quàm vniuerſo exercitui noſtro lugendus. Libet pauliſper digredi & vocitatem ſtilo ſuccinctiore perſtringere, vt nec teſtis deſit virtutibus, nec longiore tractatu breuitas affectata turbetur. * * * * * * * *

REGVM ET PRINCIPVM EPISTOLÆ.

EPIST. I.

ILluſtri viro LVDOVICO DEI *gratiâ Regi Francorum, deuotiſsimo domino ſuo atque diligētiſsimo*, R. *eadem permiſſione Princeps Antiochenus, licet indignus, ſalutem & dilectionem.* Oppreſſiones & paupertates huius terræ, excellentiſſime Domine, frequenter audiſtis, &, ni DEVS auertat, frequentiùs auditurus eſtis. Quâ paupertate & anxietate ſuſtineatur, vobis linguâ nec manu dicere vel ſcribere poſſumus: quamuis benigna DEI clementia temporibus noſtris ampliata ſit. Aures quidem omnium Chriſtianorum cotidie apertæ ſunt & erectæ, per nos liberationem expectantes; & interrogantes, ſicut *Iohannes* in vinculis poſitus redemptionem IESV CHRISTI per nuntios ab eo interrogabat. (Matth. 11. 2.) Scientes verò cor veſtrum ad liberationem huius Terrę eſſe ſæpiùs intentum, cotidie ad DEVM pro veſtra exaltatione flexis genibus orant, vt ipſe ſicut velle, ſic poſſe vobis præſtare dignetur, in manibus cuius corda regū ſunt, vt terra hæc per vos viſitetur & à manibus impiorum liberetur. Ego autem de veſtris naturalibus hominibus natus & nutritus, ad iuſſum veſtrum adimplendum paratus ſum. Sunt etiam hîc duæ filiæ Principis Raimundi; quæ ad nubiles annos peruenêre, facie & corpore nimis pulcherrimæ, pro quibus Excellentiam veſtram humiliter imploramus, quatinus eas in terra veſtra ad honorem generis earum, nuptiali

ptiali copulâ viro dare dignemini. quia in hac terra arduitate eiusdem terræ, & earum consanguinitate maritare non possemus. Præterea vestram exoro humiliter discretionem, quatinus de patrimonio meo, quod mihi & meis iniustè & vi, & etiam sicut omnibus procul dubio patet, abstulerunt, vt ius & ratio postulat, sic deducere dignemini. Esse vestrum quod audire desideramus, sæpiùs nobis dilectio vestra rescribere dignetur. Nos autem per misericordiam DEI sani & incolumes sumus. *Milo de Nealphis*, miles & homo vester, vobis apertissimè esse huius terræ ore narrauerit.

10 LVDOVICO *potentissimo domino, DEI gratia Francorum Regi gloriosissimo*, Gibertus *CHRISTI pauperum seruus, & DEI pietate Hospitalis Ierusalem Magister, salutem cum omni conuentu fratrum, & seipsum in CHRISTO.* Notitia nostræ infirmitatis Dominus agnouit, domine pie Rex, quòd res & possessiones quas Peregrini sancto desiderio iter Hierusalem arripientes, causâ videndi sanctã CHRISTI Resurrectionẽ sub vmbra manus vestræ, saluas & illæsas consistere. Iccirco Altitudine vestræ supplicamus, quatinus de quibusdam malefactoribus, qui terram cuiusdam probi viri, videlicet *Guillermi de Donperre* incendio eorum peruersitate cremauerũt, ipso Hierusalem permanen-20 te. talem inde iustitiam placeat facere, quòd alius qui audierit, ampliùs non præsumat consimile. Valete. II.

A *Gratiâ DEI Romanæ ecclesiæ summo Pontifici*, Hugo *ecclesiæ beatæ Mariæ Andrianopolis Abbas, licet indignus; nec nõ &* Petrus *sancti Iohannis Constantinopoleos Hospitalis Prior, obedientiam & obedientiæ obsequium.* Cùm non solùm sanctitatis vestræ fama, immò & cooperatrix CRISTI gratia, vniuersos sanctę fidei cultores cogat & te iure venerari patrem, & per omnia vestris obtemperare præceptis, nos & debitæ subiectionis caritate, & vestræ bono 30 famæ odore excitati, in remotis regionibus inter extraneos ad ecclesiæ firmitatem, & vestræ dignitatis honorem desudamus: ne pestis præsens inficiat ecclesiam, aut in nostro tempore vacillans titubet ecclesia; vel vestræ dignitatis inter Orientales adnichiletur reuerentia. Sciat igitur Sanctitas vestra nos apud beatum *Ægidium*, post sex mensium, à Ianuarii scilicet principio vsq; ad Iulii initium, tam regionum quàm marium continua & innumerabilia pericula, in expeditione sancti & semper Augusti domini nostri Imperatoris, & vestræ dignitatis legatione aduentasse. Sed fatigatione corporum & diuersarum incursione aduersitatum attriti, longioris viæ iter, absque nostrarum virium defectu aggredi non valemus: vnde sanctitatem vestram obnixè flagitamus, vt laboris nostri ægritudini compatiendo, quid & qua-40 liter sit agendum nobis insinuetis. Habemus enim quædam personæ vestræ dictu accommoda & ad vtilitatem respicientia, quæ non licet alteri nisi vestræ sanctitati intimare, & nobilissimo Regi Franciæ. Valete. III.

LVDOVICO *per DEI gratiam Francorum Regi gloriosissimo*, Amalricus *per eandem Ierosolimorum Rex, salutem.* Vestræ credimus innotuisse Serenitati, karissime, multorum ex relatione veridica, quoniã, postquam peccatis nostris exigentibus, Princeps Antiochenus à Turcis captus fuit, & omnes sui aut captiuitate aut morte perditi & pessundati sunt, ex improuiso superuenit repentinus interitus. A seculo etenim inauditus *terræmotus*, castella, turres, municipia, o-50 mnia ferè tam in montanis quàm in planis, tam in Antiochia quàm in omnibus ei adiacẽtibus, tunc in planis, tunc in mõtanis, solo adæquauit, & innumerabilẽ, proh dolor! Christianorum vtriusque sexus multitudinem, morti improuiso addixit, & extinxit, &, vt veriùs dicamus, terratenus absorbuit. Ad cumulum autem miseriæ & in summam desolationis omnimodæ, viam vniuersæ carnis ingressus est, heheu! ille Rex inclitus & egregius, clipeus & fortitudo, post DEVM, ecclesiæ Orientalis, & præcipuè Regni Ierusalem vnica & irrefragabilis spes & fiducia salutaris, vester vestrique Regni præcordialis, nosterque dominus & frater Rex Christianissimus IV.

Balduinus. Cuius ideò inconsolabilior & vehementior est transitus, dolor & desolatio, quòd DEO auctore, in ipso & per ipsum omnium vniuersitas Christiana habebat promptum adiutorium, & contra singula infestantia sufficientiam. Inde inde est nimirum, dilectissime, quòd vestræ maiestati tanquam lineamenta de capite pendentia inclinantes, sustentamētum nostrū & fidei Deificæ basem æneā inexpugnabilemque ciuitatem, serenitatem vestram fore in CHRISTO cognoscimus; & humilitatē nostrā, vestram esse curā peculiarem in Domino profitemur. Quæ ergo vel quāta fuerit veræ karitatis habūdātia & perfectio in piæ memoriæ amico vestro Rege Ierusalē prætaxato, DEI pro causa & illius inuictissimo amore, in nostra nunc omnibus appareat & ecclesiæ Orientalis desolatione. Sicut enim de prædecessorū vestrorum & totius prosapiæ vestræ piissima intentione verissimè didicit sanctitas vobis innata, ex more & proposito laudabili, semper cōsueuit Regnum cui præestis in Domino, ciuitatem sanctam & regionem ei vniuersam adiacentem, & vniuersos fidei catholicæ caractere insignitos, protegere, fouere, manutenere ac corroborare. Si itaque Spiritus consilii Serenitati vestræ magnificæ inspirauit velle iterum, ad maiorem coronam vestri, visitare locum vbi steterunt pedes Domini corporaliter, modò instanter saltem in hac Christianitatis magna necessitate & anxietate multimoda, venire non denegetis, nec differatis. In vestra sanctitate enim omnium vota conueniunt; & pro nutu vestro & amico imperio, nos & regnum nostrum totum esudabimus dignè DEO. De cætero vestræ commendamus paternitati præsentium latorem, magnæ honestatis virum, & venerabilem, *Mamistriæ Archipræsulem*, ad omnia benè agenda strennuum: quatinus eum benignè recipiatis, & ei sicut ori nostro credatis. Illi enim, ne epistolarem excederemus breuitatem, secreta nostra vt vobis viuâ voce edisserat, commisimus. Valete.

V. A *DEI gratiâ sanctæ resurrectionis ecclesiæ Patriarcha, karissimo filio* LVDOVICO *eadem gratiâ illustri Francorum regi salutem, & cunctorum hostium triumphum.* Quoniam paterni regni solium conscendere vos fecit Diuina dispensatio, pro gratia vobis collata Diuinam interpellamus clementiam *ante* passionem & resurrectionem DEI & Domini nostri IESV CHRISTI, vt idem DEVS & Dominus noster vitam vestram prosperè prolonget ac foueat, & post huius vitæ terminum vitam vobis tribuat sempiternam. Quia verò sub vestra tutela pauperes CHRISTI quietè conuersari & fructificare cognoscimus, pro filiis nostris pauperibus leprosis qui extra muros Hierusalem perpetuo infirmitatis suæ detinentur & dampnati sunt carcere, de quorum cruciatu & ardore non tantùm dicere possumus, quantùm oculis vestris vidistis: sublimitatem vestram rogamus attentiùs, commēdantes vobis latorem præsentium eorundem pauperum fratrem, quem Excellentiæ vestræ pro sua necessitate transmittunt: quatinus ea audita, prout vobis visum fuerit, & DEVS vobis inspirauerit, eorundem necessitati, qui humani aspectus & humanæ prorsus læticiæ sunt expertes, occurrere dignemini, vt pro his & pro aliis beneficiis à remuneratore bonorum omnium DEO, & in præsenti victoriam, & post peractam temporalis regni administrationē, æternæ beatitudinis accipere mereamini portionem. In præfato siquidem loco ex diuersis mundi partibus infirmorum & pauperum DEI circumfluit multitudo. Et quoniam ad sustentandam eorum miserabilem & inopem vitam, multa eis sunt necessaria, & multorum euidenter indigent auxiliis, Orientalis ecclesia multis tribulationibus & Paganorum incursionibus oppressa, eis ex toto in necessitatibus subuenire non potest. Vnde benefactores eorum vniuersos, omniū orationum & beneficiorum vestrorum, & eorum maximè quæ in sancta ciuitate Ierusalem fiunt, & de cetero fient, participes & consortes facimus.

VI. A *DEI gratiâ sanctæ resurrectionis ecclesiæ Patriarcha, karissimo in* CHRISTO *filio* LVDOVICO, *eadem gratiâ Galliæ victorioso & illustri, ab eo saluari qui dat salutem Regibus.* Sincera quâ vos amplectimur veræ caritatis dilectio, & debita Patriarchalis officii quæ nobis incumbit sollicitudo, nos compellit

compellit & ammonet ecclesiis nostris prouidere, & in quibus secundùm DEVM possumus, totius Christianitatis profectibus & vtilitatibus inuigilare. In medio siquidem nationis prauæ & peruersæ positi, ab infidelium tyrannide singulis ferè diebus impugnamur, & assiduas inimicorum Christiani nominis insidias & pericula sustinemus. Quantò igitur maiora & viciniora nobis imminent pericula, tantò magis nos prouidos & sollicitos oportet, & ab illis consilium & auxilium quærere, qui & habundant, & conferre nouerunt, & dare consueuerunt. Habemus autem in finibus Patriarchatus nostri in ciuitate *Paneadensi*, quæ dicitur *Belinas*, ecclesiam quandam tam reuerenda venerandæ antiquitatis
10 antiq. celebrem, quàm multis & multorum miraculorum insignibus decoratam & exaltatam. Quæ scilicet Ecclesia in illo loco *Cæsarea Philippi* olim fundata fuit, in quo primum & solum CHRISTVS filius DEI viui, à Petro Apostolorum vertice per fidei rectæ confessionem manifestissimè prædicatus & declaratus est, cùm præ omnibus & pro omnibus proclamauit: *Tu es CHRISTVS filius DEI viui.* In quo etiam loco huius beatæ confessionis retributionem audire ex ore Dominico sibi dicente: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; & claues Regni cœlorum, potestatemque ligandi atque soluendi recipere, ipse promeruit. Hæc igitur ecclesia quondam tam inclita & omni veneratione & obsequio digna, à Turcis Christiani nominis inimicis, nunc ferè euersa; &
20 peccatis nostris exigentibus tam illustris olim, tam præclara ciuitas, quæ nostræ Hierusalem propugnaculum & antemurale cunctis fidelibus esse dinoscitur, nomen inane duntaxat remanet. Est enim in spurcissimæ gentilitatis sita confinio, & barbarâ ferocitate ipsius impugnata, & assiduâ captiuitate & morte filiorum suorum, optimis quibusque destituitur, & minorata singulis ferè diebus periclitatur. Nouissimè autem temporibus nostris suscitauit DEVS spiritum serui sui *I.* venerabilis fratris nostri in eadem ciuitate de nouo ordinati & constituti episcopi, qui multo corporis labore, multâ rerum suarum impensâ, eandem ecclesiam ad pristinum statum reuocare cupiens, per varia pericula maris & terræ transitum faciens, ad genua caritatis vestræ tandem elapsus est, vt calamitatem & men-
30 dicitatem tantæ & tam reuerendissimæ ecclesiæ vobis insinuet, & condonationes & relaxationes quas consilio venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum quoque & Priorum ad tantam ecclesiam reuelandam fecimus, vobis ostendat. Ea propter regalem Maiestatem vestram assiduis precibus humiliter exoramus, quatinus venerabilem fratrem nostrum prædictæ ciuitatis Episcopum, quem honestas & probitas ipsius satis commendat, DEI gratia & nostra reuerentia benignè recipiatis & honoretis, & in suis iustis petitionibus eundem misericorditer exaudiatis. Valete.

VII.

DOmino suo LVDOVICO *DEI gratiâ Francorum Regi*, R. *Dux*
40 *Narbonæ, Comes Tholosæ, & Marchio Prouinciæ, debitæ fidelitatis obsequium.* Pro negotio super quo Legati Imperatoris Constantinopolitani, cum nostris ad honorem Regni vestri, sicut credimus, nobiscum conuenerunt, Legatos nostros cum Legatis domini A. summi Pontificis, ad Græcorum Imperatorem transmisimus. Porrò discretioni nostræ placuit Legatos nostros ab itinere ad vestram præsentiam euocare. Vnde quia in omnibus vestri consilii prudentiam nobis ducem præfiximus, & vestram sequentes auctoritatem Legatis Græcorum nos obligauimus, precamur iterum, quoniam iam sera esset pœnitentia, excellentiam vestram Regiam, vt tales Legatos ad Imperatorem Constantinopo-
50 litanum mittatis, per quos negotium speratum ad gloriam & securitatem Regni vestri, DEO propicio ad effectum valeat perduci, & ad nos optata commoda peruenire. Interuentu namque & instantiâ discretorum & fidelium Legatorum consueuerunt magna & ardua negotia optatum & prosperum finem sortiri.

Valete.

VIII. LVDOVICO *DEI gratiâ excellentißimo Francorum Regi*, R. de Balneo, *de numero fidelium Domini*, E. *Constantinopolitani Imperatoris semper Augusti, sinceræ fidelitatis obsequium.* Legationis negotium super quo *Adrianopolitanus Abbas, & Prior Hospitalis Constantinopolitani*, cum legatis domini R. sancti Ægidii Comitis, vestram visitauêre præsentiam: mihi cum eis pariter tanquam Imperii fidelissimo à domino meo E. inclito & sancto Imperatore iniunctum fuit. Proinde quia ipsi apparatu meo & prouidentia, iam ad dominum meum Imperatorem marino itinere redire cœperunt, fidelitatis debito, quam vobis exhibere tanquam domino desidero, confidenter consulendo rogo, & rogando consulo, vt Legatos vestros & litteras ad dominum meum E. Imperatorem sanctum, sine cunctatione & mora, mittatis. Scio enim quia fraterno amore & germanâ caritate personam vestram, honorem regni vestri, & gloriam diligit, & indissolubili vinculo & germano consortio vobis sociari & vniri exoptat. Viuat & valeat per multa tempora sublimitas vestra, & me inter fideles regni vestri numerare dignetur.

IX. LVDOVICO *DEI gratiâ Regi Francorum illustrißimo, à priscis iam temporibus sibi dilectißimo.* A. *per eandem gratiam Ierosolimorum Rex, salutem & veri amoris inditium.* Quoniam à longe retro temporibus Terram sanctam Hierusalē, regniq; Hierosolimitani exaltationem, cordi vobis fuisse nouimus, piam Serenitatis vestræ deuotionem humiliter exoramus, vt quod diu gestastis in corde, adimplere curetis opere, & prædictæ Terræ subsidium prouidere, mēte sollicitâ studeatis: Et negotii illius pro quo venerabilis *Archiepiscopus Mamistr.* Galliarum partibus destinatus est, memores sitis, quoniam in instanti plus quàm linguâ queat exprimi, necesse est fieri. Præterea ex quo *Mamistrensis Archiepiscopus* à nobis discessit, fertur cotidie Imperatorem aduenire. Qui statim cùm venerit, verentur omnes Orientales vnà nobiscum, absque omni dubio ipsum illam habere, quoniam in tanta debilitate prostrata succumbit, quòd non aliunde sibi venerit auxilium. Eandem Antiochiam Turcis aut Græcis cedere indubitanter necesse est. Mente igitur deuota, corde sollicito, cursu concito Imperatorem illum de quo magis timemus, præuenire studeatis: quia non in terram alienam, verùm in eam quæ in omnibus & per omnia vobis erit exposita venietis: Et tam nos quàm omnes alii iussionibus vestris obtemperabimus.

X. LVDOVICO *Diuinâ gratiâ illustrißimo Francorum Regi*, B. de Blancesfort *eadem gratiâ pauperis Militiæ Templi Magister dictus, cum vniuerso eiusdem Militiæ conuentu, omnimodum cum debita reuerentia famulatum in Domino.* Orientalis regni perturbationem, graues euentus intextos infortuniis, scripto vobis intimare operæprecium duximus, cùm prosperorum nuntiandi facultas vniuersaliter ferè nobis denegetur. Ne verò Maiestatem vestram prolixâ improperiorum nostrorum relatione amaricare videamur, capitulatim vobis ea scribere inuiti compellimur. Ecce persecutores veritatis ac fidei, inspectâ angustiarum nostrarum multitudine, insoliti furoris audaciâ aduersum nos armantur. Ipsos namque *R. Principis Antiochiæ* exaltat captiuitas, cædesque suorum & Magnatum principatus factæ in Principis captione. Hinc ab eis terra depopulata ipsos lætificat. Hinc nutu diuino, nostrorum exigente mole peccaminum, terræmotu dissipatæ munitiones, euersa castella quamplurima, innumeriq́ue quos dirutorum murorum collisio oppressit, multiplicato eorum furore aduersùm nos multò acriùs solito accendit. Ecce iterum prædicta grauia, multa grauiora, ac flebiliora flebilibus nouissimè subsecuta sunt. Rex namque *Balduinus*, qui omni vitæ suæ tempore, murus stetit inexpugnabilis pro domo Israël, naturæ persoluens debitum, viam vniuersæ carnis ingressus est: scilicet damnum diebus nostris incomparabile. Hæc & his similia Ecclesiæ persecutores attendentes, ab extremis eorum finibus in vnum conueniunt, quasi vir vnus, aduersus Sanctuarium DEI, delere de terra memoriam nostram: Ecclesiamq́ue fidelium, quod absit, infinitæ eorum multitudinis oppressione deprauare conantur. Super hoc DEI ac vestrum auxilium, consilium & subsidium

ſidium, ingemiſcentes poſtulamus. Regnum etenim Ieroſolymitanum licet plurimum propriis viribus deſtitutum ſit, neceſſe tamen eſt quatinus Antiochiæ principatui omninò deſolato, manum conſolationis extendat; vireſque quas, vt ita dicam, non habet, viriliter largiatur. Sed quid egenti præſtare poterit, qui egeſtate afflictus in ſeipſo anguſtiatur? Oppreſſionem igitur Orientalis Regni, & Eccleſię, ipſa conſcientia veſtra diligenter inſpiciat, in Paſſionis Reſurrectioniſque loci ſubſidium inflammetur. Oramus obſecrando quod poſſumus: quod ipſi quærimus, Dominicæ à nobis locus impetret reſurrectionis. Singula improperiorum noſtrorum, attenuationis noſtræ, elationis inimicorũ Paſſionis ac Reſurrectionis CHRISTI, malorum vobis ſcribere numeroſitas impedit: quæ nos latorum præſentium, ſcilicet fratrum noſtrorum relationi fideliter commendauimus, ac ſub eorum teſtimonio reſeruari dignum credidimus.

XI.

LVDOVICO DEI gratiâ illuſtriſſimo Francorum Regi, B. *domus Templi Magiſter dictus, quamuis indignus, cum eiuſdem domus conuentu, ſeruitium cum dilectione.* Nobilitati veſtræ notum fieri volumus, quòd dominus *Guillermus de Donner* poſtquam ad Orientales partes transfretauit, vt Dominicum viſitaret Sepulchrum, ceteraq; oratoria circuiret, quidam eius vicini ſuam terram crudeliter inuaſerunt, igne eã peſſimè deuaſtantes. Vnde Serenitatem veſtram modis omnibus deprecamur, quatinus hoc, quãtum ad vos pertinet, fieri non permittatis; ſed vltionem in eos qui hoc præſumunt, faciatis: vt ceteri veſtrã iuſtitiam audientes, tantum ſcelus vlteriùs committere nõ attemptent. Magnum ſiquidem detrimentum in hoc poterit Orientalis Eccleſia ſuſtinere: quia multi ſic ſua perdere metuentes, transfretare dubitabunt. Maieſtati veſtræ grates indeſinenter exſoluimus de beneficio nobis & fratribus noſtris impenſo.

XII.

ILluſtriſſimo atque excellentiſſimo domino LVDOVICO, *DEI gratiâ Regi Francorum benigniſſimo*, Gilbertus *eadem gratiâ ſancti Hoſpitalis Hieruſalem cuſtos, licet indignus, cum omni fratrum conuentu, ſalutem, & ſacrarum orationum Hieruſalem æternam participationem.* Inter cætera caritatis opera quibus ad Regna fit aſcẽſus cœleſtia, *Elemoſina* præcipuè ſummum locum obtinet, omni tam Veteris quàm Noui Teſtamenti pagina verum ſuper hoc perhibente teſtimonium. Huius itaque deuotionis intuitu, regalis veſtræ Maieſtatis magnificentia Spiritu ſancto diuinitùs illuſtrata, ſanctiſſimam domum pauperum Hoſpitalis Hieruſalem, placentem DEO & per omnia acceptabilem, deuotè diligere, manutenere, veſtrarumque beneficiis elemoſynarum largâ manu ditare ac recreare ſemper conſueuit. Super quo non eſt dubium quin propter ſincerum veſtræ benignitatis affectũ, quem ſpecialiter pro regno cœlorum adipiſcendo erga DEVM, & erga omnia quæ ſibi pertinent, in toto regno veſtro conſiſtentia, caritatiuè exhibetis. Tot barbaræ gentes, tantæque diuerſorum populorum nationes, veſtræ de die in diem ſubiungentur ditioni. Dignum enim & iuſtum eſſe iudicamus, vt qui DEVM diligit, eiuſque mandatis puro corde obtemperare nititur, in bonis & de bonis Domini gaudeat, teneat, atque victorioſè poſſideat. Si enim protoplaſtus *Adam*, quia inobediens fuit voci Dominicæ, mundum cum omnibus in eo creaturis aduerſarium atque contrarium ſibi habere promeruit: ita ſi aliquis fidelis voluntati Domini bene obediens aliquando inuenitur, quod raro contingit, tam mundum quàm omnia mundana beneplacito ſuo debet habere ſubiecta, & ſine omni obſtaculo inuenire parata. Vt igitur diuinæ bonitatis clemẽtia, ſine cuius nutu nihil boni fieri poteſt, hæc prædicta, Rex illuſtriſſime, iuxta veſtri affectum animi, concedere dignetur, DEVM ſemper præ oculis habere, & ea quæ DEI ſunt in Regno veſtro ſalua & ſecura cuſtodire: & præcipuè & ſpecialiter prædictam domum ſanctorum pauperum Hoſpitalis Hieruſalem, in qua verè CHRISTVS in membris ſuis ſuſcipitur, ſicut veſtris aſpexiſtis oculis, diuerſiſq; modis ſeruitur, ſolitæ veſtræ pietatis more diligite, manutenete, & ab omni hoſtili manu tamquam bonus patronus protegendo defendite, vt Beatorum precibus & interceſſione pauperum, quibus Regnum cœlorum à CHRISTO traditum eſt, in præſenti proſperitatem mentis &

corporis, pacem in Regno vestro & tranquillitatem, de hostibus triumphum; & post huius vitæ transitum, stolam immortalitatis cum eisdem pauperibus in regno cælorum feliciter adipisci mereamini. Amen.

XIII. LVDOVICO, *DEI gratiâ Francorum Regi gloriosissimo & incomparabili viro, dilectissimo suo*, A. *gratiâ eiusdem Hierosolymorum Rex, Salutem & dilectionem.* Lacrimabilem & luctuosum de domino ac fratre nostro inclito Rege B. rumorem, heu heu! vobis per præsentia scripta intimamus, denuntiantes vobis, quoniam in die *Scolasticæ* Virginis, vocatione Diuinâ migrauit ad superos. Verumtamen nos Regno ipsius, quod nobis hereditario iure obueniebat, nunc potimur; & sine omni impedimento, atque in bona omnium hominum nostrorum voluntate, in solio Regni nostri cōsolidati sumus. Quia verò, illustrissime, tota Christianitas in Oriente vehementer attrita & grauiùs solito oppressa, nimium atque nimiū laborat, tum ex infortunio *R.* illustris quondā *Principis Antiocheni*, qui vt iam vos dudū audisse arbitramur, rediens ab expeditione, captus fuit, cæsis aut captis ferè omnibus illis, qui in comitatu ipsius erant; tum & ex *terræmotu*, qui in præterito Augusto, totius Principatus Antiocheni castella, turres & municipia ferè omnia funditus euertit, soloq; coëquauit; Rogamus serenitatē Celsitudinis vestrę, vt pro terra illa quam Dominus suâ corporali præsentiâ visitare, illustrare & cōsecrare dignatus est; quam etiam vt liquidò cōstat, Regnum vestrum spurcitiis infidelium potenter eripuit, & cultui diuino vendicauit, sollicitus sitis. Et dum licet atque vacat, notum faciatis omnibus, quo animo, quo cordis affectu, quâ intimâ sinceritate, Dominicum Sepulchrum hucusque dilexistis. Scitote namq; quoniam ab initio, vt à præsentium latoribus certiùs audire poteritis, consilio quidem vestro, & festino auxilio, tantum opus, nec consimile fuit. Et si vobis in mētem veniret Dominicum Sepulchrum adire, non in terram alienā, verùm etiam in eam quæ tota vestra est & erit tempore quidē nostro vobis exposita, proculdubio veniretis. Nos enim vt tantum tamq; sublimem dominum, vos modis omnibus honorare, diligere & omnia quæ vestri iuris aut sunt aut fuerunt. Data ad fontem Sephoriæ, VI. Idus Aprilis.

XIV. LVDOVICO *DEI gratiâ gloriosissimo Francorum Regi, & domino suo excellenti*, B. de Bl'c. *eadem gratiâ pauperis Militiæ Templi minister humilis, & totus fratrum suorum Conuentus, orationum munus cum salute.* In venerandæ Celsitatis vestræ præsentia sæpenumero relatū credimus, qualiter, quādiu & quâ intentione sub salutiferæ Crucis vexillo & cum domino Rege militauerimus in Ægypto. Si enim sceleratissimus ille *Noredinus*, interueniente *Syraconis* audatiâ regno Babiloniorū vt affectabat potiretur, multiplicatis viribus tātus incumberet CHRISTI regno vt per pyraticam clauso mari, periculosum etiā fugæ locum non concederet timidis & ignauis. Ea enim erat intentionum suarum summa, eaq; gratiâ miserat in Babilonē Syraconem, vt infinitam Babiloniorum multitudinem, vel vi dominationis, vel simulatæ pacis astutiâ secum asciscerer; & in abolitionem Christiani nominis, duo potentissima regna, Babilonis scil. & Damasci fœderaret inuicem. Verùm respexit nos desuper Diuina clementia, deditque cultoribus suis CHRISTVS noster non incruentam de infidelitate victoriam. Supra memoratus etenim Turchus, quem adipiscendi regni gratiâ missum præsignauimus, *Berbesium* validissimam ciuitatem Ægypti, quam etiam obfirmauerat, & muniuerat triginta millibus bellatorum, in triumphalis tandem Ligni virtute coactus est reddere seruis Crucis, & non sine magno suorum detrimento pulsus est à patria, quam quidem triduo amplius tardante succursu, nullo erat contradicente in dominium possessurus. Nos autem post hæc omnia reuertentes, inuenimus pro peccatis nostris Terram sanctam satis ac desuper desolatam, *Paneademq;* ciuitatem, quâ non erat in toto Regno munitior, furto sublatam & redditam Turchis per manus proditorum. *Antiochiam* quoque miseram ac miserabilem, euersionem sui iam proximam, & stragem suorum inenarrabilem insolabilibus lacrimis deplorantem: de qua quidem iam non est dubium quin aut in Græcorum aut in Turchorum manus veniat, & in proximo, nisi ei Diuina miseratio vestraque Superexcellens immensitas succursum prouiderit festinatum. Neque enim potest Rex noster A. magnus licet,

licet DEO gratias, ac magnificus ad defensionē Antiochiæ & Tripolis, Hierusalem & Babilonis quę seruit cum filiis suis & cui potissimum metuendum est, quadripartitum agmen ingerere: quas omnes potest *Noradinus*, vno & eodem tēpore, si velit, superhabundātibus canum suorū copiis infestare. Proinde nouerit magnitudo vestra dilectum fratrem nostrum, famulum quoq; & amicum vestrū, fratrē *Houst.* canē pro exhoneratione & relaxatione sua cogente corporis infirmitate, totiens supplicasse, vt iā non possemus ei saluâ pietate cōtradicere. Mittimus ergo in loco eius præsentium latorem, fratrē *Walterum*, virum prudentē & discretum, geminâ quoq; ingenuitate, auorum scil. & morum, benè conspicuum, quē & nos his præsentibus, tanquam præsentialiter, vobis & mandato vestro committimus & submittimus, & quasi manu ad manum tradimus: rogantes vt ipsum DEI amore & nostro in agendis nostris, quæ & vestra sunt, vestrâ ope fulciatis, & benigno fauore vestro, tāquam famulum vestrum proprium in omnibus & per omnia sustenteris. Nam & ipse sicut diuturnâ eius conuersatione cognoscetis, est etiam per se honorari dignissimus.

LVDOVICO *DEI gratiâ Francorum Regi sanctissimo, domino & amico suo max. frater* G. Fulcherii *domorum pauperis Militiæ Templi procurator indignus, salutem: Mittere rem si quis quâ caret ipse potest.* Antiochenæ terræ desolationē, Ierosolymorum turbatum Regnum, graues euentus, importunos casus, Christianitatis plagas continuas, lugubres vobis intimare compellimur, cum prospera nuntiandi desit facultas. Importunitatis tamē & improperii nostri singula, vobis scribere malorū numerositas impedit, dum vix aut nunquam prospera nobis eueniāt. Prętermissâ igitur tanti infortunii multitudine, grauiores nostros euentus vobis reuelare satagimus, cùm linguam loquentis lacrimæ desolationis impediant. Anni autē istius, mense Iulio, cōtigit Regem nostrū A. & Magistrum nostrum, ceterosq; Terræ sanctæ proceres fines Babiloniorū intrasse, *Syraconē*, *Noradini* comestabulū qui ad partes illas declinauerat vt eas sibi vendicaret, in *Berbesio* obsedisse. Ipso mēse finem dāte, & sequente iā intrante fixerunt ibi tēptoria. Quo audito *Noradinus* indignatus animo & mente cōfusus, eadem tempestate litteris & legatis suis omnes partes quæ nomen ipsius audierant & tremebant contraxit, & castellū quod dicitur *Harenc*, & in finibus Antiochiæ & Alapiæ situm est, olim tumaci & superbiâ obsedit. Applicatis machinis & petrariis suis, tot & tantis vulneribus obsessos inuaserunt, vt ferè cibariis & aquâ carentes ampliùs tolerare non valebant. Cùm autem hæc itaq; agerentur, princeps *Buemundus*, qui Antiochiæ præsidebat, curam noui principatus sui viriliter agens, comite Tripolitano & domino *Torosio*, duceque *Marmistensi*, & de fratribus nostris quàm pluribus sibi accersitis, fratres & homines suos, tanquam bonus *Matathiæ* filius, succurrere proposuit. Tātos etenim milites & Turcopolos & pedites coadunauit, quòd nunquam nostris temporibus ab illis partibus tam pulcra coadunatio fideliū aduersus infideles armata processerit. Factum est autē dū aduersus Crucis inimicos XII die, exeunte Augusto, armati procederēt, eos in primo cōflictu fugauerunt: sed in multitudine gentiū confisi & plurimùm resistētes, nostros sustinuerunt & disconfecerunt, Principem & Comitem ceperunt, licet multi eorum corruissent in gladio. Quid vltra? victoriam habuerunt, sed cruentam. Præterea huc atque illuc per terram discurrentes *Harenc* ceperunt & Antiochiā obsederunt. Non est enim qui eorum immanitati resistat: de sexcentis militibus & duodecim millibus peditum, vix pauci qui nuntiarent euasēre. Eleuatum igitur cornu inimicorum nostrorum, humiliata est in laboribus virtus nostra. Supplices etenim flexis genibus cordis, caritatis vestræ pedibus prouoluti, à liberalitate vestra auxilium postulamus & expectamus. Interpellet vos ipsa conscientia vestra, moueat vos sinceræ caritatis affectus, Redemptionis nostræ locus, Terra sancta, Vrbs fortitudinis, Ecclesia primitiua. Semel ac sæpiùs vobis talia mandauimus, nunc autem impensiùs ac impressiùs. Nobis equidem orationes, ac rogare: vobis autem operationes ac rogata perficere Diuina gratia præstitit.

XV.

LVDOVICO *per DEI gratiam Francorum Regi excellentissimo, patri in CHRISTO karissimo. A per eandem Hierosolimorū Rex, salutem & ab eo qui omnium Regum est Rex, regi.* Quoniam ex Regia maiestate vos

XVI.

posse scimus, & ex deuotione piæ voluntatis vos desiderare non ambigimus, omnibus necessitatem patientibus auxilii vestri interuentionem proficere, idcirco per præsentia scripta, deflendã omnibus Christianorum qui in Terra sancta Hierusalem sunt, erectis Turcorum cornibus depressionẽ, sublimitati vestræ, licet eam iam forte audieritis, exponere dignũ duximus. Nobis apud Ægyptum cum *Syracuno* dimicantibus, & per virtutem Dominicæ Crucis inde eum, maximè si ibi permansisset vniuersitati Christianitatis nociturum, expellentibus, factum est vt *Comes Tripolitanus* & *Princeps Antiochenus* cum multo exercitu ad liberandum castellum prope Antiochiã situm, nomine *Haring*, quod *Noradinus* cum innumera multitudine obsederat, irent; & auxilio Diuino hostibus eorum aduentui cedentibus liberarent. Accidit autem vt dum præfati Princeps & Comes, non contenti tanto DEI beneficio, superbè hostes ad loca naturaliter munitissima insequerentur, ipsos ab hostibus capi, & omnem ferè eorum exercitum partim capi, partim occidi. Additus est præterea huic dolor dolori. Nam traditorum manus, præfato Noradino, cùm adhuc in Ægypto essemus, *Panudium*, quod vulgo *Belinas* dicitur, tradiderunt. Sic itaque quasi in angustiæ pendulo, sancta laborans Terra, vestrum & vestrorum potissimum, quod sibi efficacissimum fore speramus, nobiscum implorat auxilium. Valete. Dat. Antiochiæ secundo Id. Ianuarii.

XVII. *EXcellentißimo Regi Francorum, H. non nunc, sed quondam Prior de monte Thabor, licet indignus, S. intimæque dilectionis effectum cum salute in CHRISTO.* Quoniam sui esti vniuscuiusque est, domino suo status & seriem habitudinis suæ literis declarare: Idcirco mea epistola, quamuis magna intersit locorum distantia, prætulit *ad vestras posse venire manus:* & nihil est de quo lætior esse queam qua vsque ad vestri præsentiam, DEO concedente, superuenerit. Considerato à minimo etiam vestræ Curiæ clerico. Sciatis me in Curia domini Imperatoris Constantinopolis præ omnibus suis familiaribus primatum tenere, ibiq; quoniam vestrorum minimis præsentialiter nequeo famulari, cũ omnia affluentia bonorum plurimùm egere. Et inde est, quòd flexo capite vestram imploro beneuolentiam, vt Imperatori Cõstantinopolitano vestras litteras mittere dignemini, quatinus ad vos, vt ad meum carissimum dominum, omni occasione remotâ, me venire dimittat: & si vnquam aliquod seruitiũ quod vobis placeret fecerim, modò maximè appareat. G. etiam & R. *de Merlo*, mei videlicet propinqui, flexis genibus vestræ beniuolentiæ integritatem expostulant, vt quod vobis litteris meis manifestatur, facere non dedignemini. Et insuper vestri nominis Excellentiam efflagito, vt huic baiulo quàm citiùs poterit ad me reuersuro, non tamen pro mei merito, sed pro vestri clementia, manu aliquantulum largâ subuenire faciatis. Valete.

XVIII. *ILlustrißimo DEI gratiâ* LVDOVICO *Regi Francorum,* P. *frater Ierosolimitani Hospitalis, & Prior ecclesiæ Beati Ioannis Constantinopoleos, nunciusque sanctißimi Imperatoris. E. N. & vtriusque vitæ felicitatem.* Noscat Celsitudo vestra, domine reuerentissime, quòd ex parte domini nostri Imperatoris, ad vos propriè missi sumus, & ex præcepto Imperiali habemus quatinus vestram citiùs quam domini Papæ visitemus præsentiam. Quapropter vestram obnixè deprecamur benignitatem, quatinus velitis ac pręcipiatis vt secundùm dispositionem domini Imperatoris hoc implere valeamus absque scandalo domini Apostolici, quia nuncius eius nobiscum est, & ad Curiam illius nos primitus ire compellit, quod nullatenus donec vestram videremus Maiestatem, faceremus. Valeat diu Celsitudo vestra.

XIX. *INuictißimo DEI gratiâ* LVDOVICO *Francorumque piißimo Regi, A. eadem gratiâ sanctæ Dominicæ Resurrectionis ecclesiæ Patriarcha, vnà cum N. Priore & vniuerso Canonicorum inibi DEO famulantium conuentu, salutem & debitas orationes in CHRISTO.* Piæ Celsitudinis vestræ bonitas & mansuetudo, famâ loquente, vt experti sumus, vobis veraciter innotuit, quòd in causa seruorum DEI studiosè concurrat, & religiosis viris sinceritatis suæ solatia submini-

subministret. Inprimis igitur libertati vestræ immensas gratiarum actiones persoluimus, quia sicut multorum relatione suscepimus, res Dominici Sepulchri cuius serui sumus, licet indigni, amoris respectu Diuini vbique quantum potestis, augere non desistitis. In his ergo quę ad DEVM sunt ante sacrosancta loca Passionis & Resurrectionis Dominicæ iugiter pro vobis existentes, fraternitatis nostræ ac beneficiorum nostrorum vos consortem statuentes, dilectum fratrem & Canonicum nostrum S. latorem pręsentium, benignitati vestræ propensiùs commendamus, humiliter rogando, quatinus ei ob reuerentiã gloriosissimi Sepulchri, in quibus indiguerit, auxilium vestrum largiri dignemini, & tam eũ quàm res sibi commissas suo vestra Sublimitas fauore manutenere dignetur. Insuper vestrę probitatis excellẽtiam obnixè deprecamur, quatinus prædicto S. canonico, Hospitale quoddã vel almum quemlibet locum sub protectione alarum vestrarum, vbi ad honorem Dominicæ Resurrectionis refugiũ habere possimus, pro salute animæ vestræ, omniumque nobilium parentum vestrorum, concedere dignemini. Valeat tantus Rex fortissimus.

XX.

Excellentissimo atq; magnifico Regi Franciæ LVDOVICO, *Hugo DEI gratiâ sanctæ Mariæ Adrianopolis Abbas, & Prior sancti Iohannis Constãtinopolis, eius fidelissimi, Salutem, & in regimine sibi commisso, placere summo Rectori.* Non lateat personã vestræ magnitudinis, pater reuerendissime, quia si importunitas tẽporis non sic nos cõstringeret, nos egressi essemus ex partibus prouinciæ. Sed sciatis in rei veritate quoniam galeæ paratæ sunt apud *Narbonam*: & propter rumorem, nolumus vt veniant apud *sanctum Ægydium*, quia nolumus vt omnibus pateat iter nostrũ. Nunc verò noscat magnitudo vestrę maiestatis, pater reuerẽtissime, quia multùm cõtristati sumus, quia vidimus nuntios vestros sine literis ad *Regem Siciliæ*. Quia vos bene scitis quoniã nos ituri & reuersuri sumus per ipsum cum pecunia, & per aliam viam ire nec reuerti possumus. Et istud est negotium Regis Siciliæ, sicuti Imperatoris & vestri; & bene scimus quia vos diligitis eum. Vnde rogamus personam vestræ magnitudinis, vt per nuntios vestros dirigatis ei litteras tales quòd sint honorabiles vestro Regno & sibi; & sic credat Legatis vestris quasi si vos loqueretis cũ ipso. Et, si placet vestrę magnitudini, mittite nobis litteras quàm citiùs poteritis, vt nobiscum possimus deferri per præsentium latorem litterarum; & nec vnum diem moram faciat vobiscum. Valeat Celsitudo vestra sanctissima.

XXI.

LVDOVICO *per DEI gratiam Francorum Regi serenissimo, patri & amico suo karissimo*, Amalr. *per eandem Hierosolimorum Rex, salutem.* De vestræ paternitatis clementia & regno vestro specialiter sperat sibi auxilium & consiliũ Orientalis Ecclesiæ toti Christianitati lugubris miseria. Inde est nimirum quòd de innata vobis benignitate plurimùm confisi, cùm pro omnibus Terræ sanctæ deuotis vestræ supplicamus paternitati, precipuè pro fratribus Templi, vestram exoramus Maiestatem, quatinus solito more illos commẽdatos habeatis continuè, qui cotidie moriuntur pro Domino & seruitio, & per quos possumus, si quid possumus. In illis enim tota summa, post DEVM, cõsistit omnium eorum quæ sano fiunt consilio in partibus Orientis. Vnde quicquid eis fecerit Regia vestra Maiestas, & muniflua dextera pietatis, nostræ personæ idipsum maximè æstimetis vos suos impendisse. Valete.

XXII.

LVDOVICO *DEI gratiâ inclito & venerabili Regi Francorũ, domino suo karissimo*, Bertr. de Blancafort *eadem gratiâ Militiæ Templi Magister dictus, de regno ad regnum feliciter transferri.* Quot & quanta nobis & prædecessoribus nostris de munificentiæ vestræ largitate collata sunt beneficia, si per singula persequi temptabimus, nec littera poterit, nec lingua sufficere. Nam cùm ab ineunte ætate vestra liberalitas circa domus nostræ propagationem laboriosã deuotione studuerit, adhuc, DEO gratias, in eodem suo tenore perdurat, DEO propitio & vitã comite in posterum duratura. Et vt retroacta tempora replicemus, rarò vel numquam inuenietur sancta deuotio destitisse, quin semper aut sua nobis propensiùs ingereret, aut aliena benigni sui fauoris assertione nostris vsi-

bus applicaret. Pro quibus omnibus reuerentia & honorificentia fratri *G.Fulch.* à vobis exhibita, quia grates condignas referre non possumus, referendas illi soli cõmittimus, qui quod oculus non vidit, nec auris audiuit in æterna recompensaturus est claritate. Idem namque frater, *G.Fulch.* in vniuersitatis nostræ præsentia genibus prouolutus, vestram circa se studiositatem tantis extulit præconiis, vt penè intra credulitatem, & supra ammirationem fieret vniuersis. Vnde & hîc & vbique nos & nostra omnia, vestræ supponimus & exponimus voluntati. De cetero super oppressione Sanctæ Terræ, & maximè *Antiochiæ* quid loquamur? ad quos ibimus? quos imploramus? Vobis enim totiens dictum est, vt sit faciliùs repulsam ex tædio quàm ex pietate lacrimas promereri. Antiochiæ tamen res adeò confractæ & ad tantam redactæ sunt paupertatem, vt ad eam recipiendam in suam collectis vndique copiis venire velit & accingatur Imperator. Quippe ea namque per tot infortuniorum gradus ad hanc seruitutum perducta est summam, vt immanitati Græcorum seu Turchorum ad primum concursum pateat exposita. Adhuc tamen ad vos respicit misera mater & Apostolica sedes Antiochena, amiritudine & mœrore confecta. Valete.

XXIII. LVDOVICO *per* DEI *gratiam Francorum Regi gloriosissimo, & amico suo serenissimo,* Amalricus *per eandem Ierosolimorum Rex, salutem.* Quoniam vestram personam & regnum vestrum diligimus, & vobis seruire parati sumus, & specialiter de vobis & de regno vestro speramus, successus nostros vestræ notificare Maiestati dignum duximus. Sciat ergo vestra excellentia quòd intrauimus *Ægyptum* cum gente quam habere potuimus. Terram enim nostram pro posse nostro munitam pro *Noredino* reliquimus, qui omnes quos potuit euocauerat à Baldac & ab Eufrate, & ab omnibus terminis eorum. Ante ciuitatem verò Ægypti nobilissimam quæ dicitur *Bulbeis*, congressi fuimus, cum Ægyptiis turmis vtrinque dispositis, & fronte ad frontem locatis. DEVS autem, cuius non est victoria in multine, multitudinem inimicorum suorum conuertit in fugam, & infinitis morti datis, & de melioribus & maioribus terræ multis captis, in campo illo pernoctauimus. In crastino autem ciuitatem prænominatã assiluimus mirabiliter, & nisi per interpositionem fluminis Paradisi, qui ex improuiso nobis superuenit, sicut singulis annis solitus est, impediremur, sicut speramus vrbs illa vel caperetur vel redderetur. Si igitur ex solito nos virtus vestra magnifica adiuuare voluerit, DEO dante, ex leui poterit Ægyptus sanctæ Crucis charactere insigniri. Valete.

XXIV. LVDOVICO DEI *gratiâ gloriosissimo Regi Francorum, domino suo karissimo, frater* Gauf. Fulcherii *Ierosolimitanæ domus Præceptor, salutẽ.* Sicut extincta parum fideliter incendia maiore tandem flammâ reuiuiscunt, sic disconfectus à nostris paulò ante *Noradinus* transiit ipse Eufraten, Persasq; ac Turquemannos, Niniuitas E̅. & quicquid gentium ab extremis vsque finibus, suscitat in sui pudoris vltionem. Collectaq; multitudine tam inæstimabili, *Herennium* oppidum cepit in Antiochenis finibus obsidere. Quod intuens bonæ indolis adolescens noster *Boam.* iam Princeps, & magnum illum genitorem suum referens, tantæ multitudini non formidat occurrere; & dum eis in paterna virtute congreditur, occulto DEI iudicio deuictus captiuatur; quodque sine lacrimis dicere non debemus, ipse & Comes *Tripolitanus*, cum Duce *Mamistræ*, dominoque *Vg. de Leziniaco*, & aliis quamplurimis, Alapiam ducti incarcerantur: reliquus autem exercitus, magnus licet ac metuẽdus, cæsus aut captiuatus ferè totus. Sed & de fratribus nostris ceciderũt in ore gladii LX. milites fortissimi, præter fratres clientes & Turcopolos; nec nisi septem tãtum euasêre periculũ. *Antiochia* siquidẽ, amissis bellatoribus suis à primo ad vltimũ, tota patet. Quippe cùm in omnibus finibus eius nihil prorsus est reliquũ, præter solũ corpus miseræ ciuitatis: de qua etiam timetur, vtpote quę armorum, virorũ & victualium coartatur penuriâ: neque enim habet sufficientia per duos menses cibaria. Quodq; nondum data est in potestatem inimicorum, solus post DEVM fecit & facit Patriarcha, qui ad tempus sequestratâ Patriarchali dignitate, munit oppida, diuidit escas, largitur donatiua, non dubitat etiam de vita periclitari pro patriâ. Sed quid inde? Sustinebit vtique, sustinebit Turchos; sed Imperatori Constantinopolitano

tinopolitano qui venit, non poterit resistere, omni humano auxilio destitutus. Rex enim noster, quem suâ gratiâ cōseruet omnipotens, sub sanctæ Crucis vexillo, profectus in Ægyptum cum suis, & cum altera parte fratrum nostrorum à prima die Augusti tenet inclusum in Herbesio ciuitate vsurpantem sibi Regnum Babyloniæ comestabulum Noradini *Syratonem*. Et nos quidem in Ierosolimis paucissimi, (tanta est Turcorum & vt verius dicam spurcorum infinitas) non sumus ab infestatione & ab impugnatione securi. Videtis ergò necessitatem nostram, videtis: quoniam si dissimulaueritis, aut tardè credideritis, vt soletis, nec antequam residuum Christianitatis consumatur, succursum præbueritis, metuendum est, ne cùm vo-
10 lueritis non possitis. Accingantur itaque qui DEI sunt, & qui Christiano nomine censentur: veniant patris sui regnum & libertatis nostræ patriam liberare: ne patrum nostrorum sanguine viriliter comparata, periclitetur turpiter & irremediabiliter, in manus filiorum.* Ne expectetis hinc alios nuncios, quia Rege & Magistro absentibus, non audemus dimittere probos homines in hoc arcto. *

LVDOVICO *DEI gratiâ Francorum Regi nobilissimo domino suo.* B. Raemundi *quondam Antiochiæ Principis filius, eius homo & famulus, ab eo qui dat salutem Regibus.* Quoniam, Serenissime Regum & Domine, de XXV.
20 vestræ magnitudinis clementia non modicam fiduciam habemus, pietatis vestræ genibus prostrati totis visceribus mentis inuoluimur, quatinus Orientalium partiū & maximè Antiochenarum frequens ac lacrymabilis miseria atque deuastatio Altitudinis vestræ viscera commoueat, vt vestro auxilio atque consilio: in eius manibus spes nostra atque refugium ex omni parte spectat ac singulariter constat, quod * quidem suspiranti animo cotidie præsto[illegible]mur dicentes, *Quando veniet? putas, durabo?* Terra nostra iam in arcto posita: & n[illegible]s ab inimicorum Crucis CHRISTI faucibus erepti, DEO verò laudes referamus; & vos in cœlestibus ab ipso DEO coronemini. Nos enim, nisi DEI auxilio & vestro in proximo subleuemur, cum patria nostra & gente, omnes in miseriam ac funus lacrymabile iam labimur. Securis namq;
30 ad radicem arboris posita est. Proh dolor! quantum dedecus erit omni populo & vobis, si terram istam, terram quidem tantâ effusione sanguinis parentum vestrorum, tantâ siti & fame adquisitam, à nefanda gente violari permittat ac destrui? Scitis equidem, Domine, vt credo ac satis audistis, quæ & qualia damna in finibus Antiochiæ in transacto anno acciderint: tum videlicet in captiuitate Principis & aliorum virorum qui cum eo erant, & in tanta populi Christiani deprædatione atque exterminatione; tum etiam in tanta munitionum igne fero destructione atque extirpatione; tum etiam tanto terræmotu tali ac inaudito, qui ferè omnes munitiones Antiocheni Principatus & omnia castra solotenus euertit. Sed de his ad præsens prætermitto. Ceterùm autem quæ vobis hic præsentium lator vir quidem magnæ
40 religionis ac bonæ vitæ, ex parte nostra dixerit, fideliter credatis.

LVDOVICO *DEI gratiâ Regi Francorum karissimo Domino suo frater* G. Fulch'. *eadem gratia militiæ Templi conseruus humilis salutem.* Beneficia & honores paruitati meæ à vobis exhibitos, dignis laudibus attollere aut re- XXVI.
compensationibus adæquare qui valeat? Solus DEVS, qui vobis suâ gratiâ in æterna beatitudine dignetur retribuere. Ego autem, DEO gratias, sanus & incolumis *Accon* appuli, Magistroque & fratribus primùm ex vestra parte salutatis, quantam mihi honorificentiam pro DEI amore, eorumque reuerentia exhibueratis, expressi. Illi autem super hoc vobis gratias agentes; seque & sua vestræ Celsitati commen-
50 dantes, orationum suarum vobis & pro vobis offerunt instantiam. Mihi autem famulo vestro non credatis elapsum, quod ab ore vestro cum à vobis recederem accepisse me gaudeo. Dixistis enim mihi, vt ex parte vestra, loca Sancta salutarem, & in visitando ea, memoriam vestri facerem in singulis. Cuius rei non immemor, hunc annulum quem vobis mitto, per sacra loca circumferens & singulis applicans, in memoriam vestri singulis imposui: Pro cuius reuerentia, precor vt annulum custodiatis & habeatis cariorem. Valete. Valete iterum cum mei memoria.

XXVII. LVDOVICO DEI *gratiâ Regi excellentissimo Francorum*. Berctinus *Militiæ Templi minister humilis salutem, & in* CHRISTO *regnare*. Ad aures vestræ Sublimitatis peruenisse non dubitamus, quo timore afflictus dominus noster Rex *Amalricus* communi consilio Christianitatis contra *Sairanem*, quem *Noradinus* cum multo exercitu ad regnum Babyloniæ direxerat sibi subiugandum, cum pretioso sacræ Crucis signo perrexerit, & qualiter redierit. Nisi enim tanta extitisset nostris promerentibus culpis terræ *Antiochenæ* perturbatio & desolatio, præsidio Dominicæ Crucis dominus Rex velle suũ de inimicis fecisset. Sed audita incommoda Antiochiæ, vt cõsilio prouidit, inde secessit. Putabat enim prædictus aduersarius Babylonicum Regnum suo domino subiacere, & CHRISTVM colentibus ingressum ad Hierusalem terrâ mariq; impedire. Nã DEVS qui suos nouit vbiq; custodire, longè consilium ipsius iniquum aliter disposuit. Tanta autem, Serenissime Rex, sunt vtriusq; patriæ, Antiochicæ scilicet & Ierosolimitanæ, incommoda, quòd pro nimietate sui nolumus vobis scripto significare. Deniq; vestræ eximiæ dignitati hunc præsentium latorem fratrem *Galterium* honestum & in negotiis DEI sollicitum dirigimus, qui in negotiis ipsis permansit, & initium finemque vidit: ipse verò vestræ sanctitati, placita super hoc reserabit. Quæ enim sublimitati vestræ dixerit, confidenter attendatis, tanquã nostro ex ore prolata. Et cognoscat vestra excellentia, quoniam oculi totius Christianitatis Orientis, post Dominum, in vos respiciũt, vt à tantis malis, dum tempus instat opportunum per vos eripiatur.

XXVIII. ADRIANVS *Episcopus seruus seruorum* DEI, *karissimo in* CHRISTO *filio*, LVDOVICO *illustri Francorum Regi, salutem & Apostolicam benedictionem*. Satis laudabiliter & fructuosè de Christiano nomine propagãdo in terris, & æternæ beatitudinis tibi præmio cumulando in cælis, tua videtur magnificentia cogitare, dum ad dilatandos terminos populi Christiani, ad Paganorum barbariem debellandã, & ad gentes apostatrices, & quæ Catholicæ fidei refugiunt nec recipiunt veritatem, Christianorum iugo & ditioni subdendas, simul cum karissimo filio nostro, *Henr.* illustri Anglorum Rege, in *Hispaniam* properare disponis; & studes assiduè vt opus hoc felicem exitum sortiatur, exercitum & quæ sunt itineri necessaria congregare, atq; ad id cõuenientiùs exsequendum, matris tuæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ consilium exigis & fauorem. Quod quidem propositũ tantò magis gratum acceptumq; tenemus, & ampliùs sicut commendandum est cõmendamus, quantò de sinceriori caritatis radice, talem intentionem & votũ tam laudabile credimus processisse, ac de maiori ardore fidei & religionis amore propositũ & desiderium tuum principium acceperunt. Verùm cùm excellentia tua, & consilii maturitate sit prouida & luce sapientiæ illustrata, in ordine ipsius facti plurimùm videtur esse festina. Vnde & multos attonitos reddidit & suspensos: cùm omne bonũ quod suo tempore & competenti ordine exercetur, æterno conditori placitum habeatur modis omnibus, & acceptum: aliter autem non potest gratum eius existere voluntati. Quod vtiq; vt magis euidenter appareat, & vt sit quod proponimus paulò ampliùs manifestum, aliquod exempli gratiâ duximus non inutiliter supponendum. Corpus siquidẽ CHRISTI conficere & in ara Dominica hostiã immolare, bonũ immò & salutiferũ esse, nemo qui rectè sapit ignorat. Ceterùm si tempore suo & horis immolatũ non fuerit constitutis, iã illud reseruatur ad pœnã, quod expectabatur ad gloriã. Et qui extra tẽpus immolat cõstitutum, inde sibi dampnationẽ dolebit infligi, vnde si cõstituto tempore immolasset, meritum sibi gauderet & præmiũ augmẽtari. Accedit ad hoc, quòd alienã terrã intrare, nec prouidum videtur esse, nec tutũ, nisi à Principibus & à populo terræ priùs consiliũ requiratur. Tu verò sicut accepimus, incõsultâ Ecclesiâ & Principibus terræ illius accedere illuc & festinare disponis, cùm hoc nullâ deberes ratione temptare nisi cognitâ per Principes terræ necessitate, & ab eis priùs esses exinde requisitus. Vnde quia nos honorẽ & incremẽtum tuũ totâ mentis intentione diligimus, & nihil tale te aggredi nisi rationabili causâ exigente vellemus, sublimitati tuæ præsentibus litteris suademus, vt priùs necessitatẽ terræ per Principes illius regni inspicias & cõsideres; & tam illius Ecclesiæ quàm Principũ & populi volũtatẽ diligẽter inquiras, & ab eis cõsiliũ, sicut decet accipias.

Quo

Quo facto, si & necessitatẽ terræ videris imminere, & Ecclesiæ consilium fuerit, & ipsi etiã terræ Principes tuæ sublimitatis auxiliũ postulauerint & consiliũ dederint, iuxta postulationem & consultũ eorũ poteris postea in facto ipso procedere, & laudabile votũ tuum, diuino comitante præsidio, adimplere. Aliter tamen timendũ esset ne iter tuũ infructuosum existeret, & ne ad desideratũ non posset exitum peruenire. Ipsi verò Principes & populus terræ in tanto apparatu tuo, si fortè necessitas nõ incumberet, grauarẽtur, & nos ipsi leues in hoc facto possemus multipliciter apparere. Debet enim serenitatis tuæ Celsitudo recolere & ad memoriã reuocare, qualiter alio tempore cũ tam C. bonæ memoriæ quondã *Rex Romanorũ*, quã tu ipse inconsulto populo terræ Ierosolimitanũ iter minus cautè aggressi estis, speratum fructũ, & optatum cõmodum non perceperitis: & quantum Ecclesiæ Dei & vniuerso ferè populo Christiano, detrimẽtum exinde prouenerit & iactura: sanctæ quoq; Romanæ Ecclesiæ quia vobis super hoc cõsilium præstiterat & fauorem, in ipso facto fuit nõ modicum derogatũ; & omnes aduersus ipsam ex multa indignatione clamabãt, dicentes eã auctricem tanti periculi extitisse. Cùm igitur hæc omnia nobis sollicitè cogitantibus, occurrerent formidanda, nos ammonitionẽ & exhortationem Apostolicã ad populũ Regni tui, secundùm quod venerabilis frater noster ...... *Ebroicẽsis Episcopus* nobis ex tua parte proposuit, duximus differendã. Attendentes quoniã quod differtur ad tempus, penitus non aufertur. Sed tunc tandem exhortatorias & cõmonitorias litteras in peccatorum remissionem iuxta desiderium gloriæ tuæ, auctore Domino, transmittemus, cùm de cõsilio & postulatione tam Principũ quàm populi terræ illius, sicut superiùs dictũ est, volueris iter arripere; & conceptũ in animo votum necessitatis tẽpore, cùm fortè modò aliqua necessitas nõ immineat, discretè ac laudabiliter disposueris adimplere. Litteras autem in quibus Regnum tuũ sub beati Petri & nostra protectione suscepimus, his qui Regnũ tuum vsq; ad reditũ tuum præsumerent impugnare, irã & indignationem Apostolicã proponentes, secundùm petitionẽ regiæ dignitatis vt ad præsens duximus cõcedendas. Nos enim, te etiã reticente, & à nobis nullatenus exigente, pro illius feruore dilectionis quam erga tuã sublimitatem habemus, quicquid honoris & exaltationis tibi & regno tuo exhibere possemus, prompto animo curaremus efficere & operibus adimplere. Sanè discretio tua, & nostram dissuasionem quàm rationabiliter credimus nos fecisse, prouidâ deliberatione cõsideret; atq; alia per quæ ad illud iter tã festinanter aspiras inspiciat & attendat; & illud tãdem tibi cõsilium super negotio ipso eligas, quod magis de iudicio rationis cognoueris eligendũ. De cetero ea quę memoratus frater noster Episcopus ex nostra parte Regiæ proposuerit dignitati, velud si ab ore nostro procederent, absq; vlla hæsitatione suscipias; & ipsius verbis, tanquã si contingeret ea nos proferre, fidẽ non dubites adhibere. Ipse namq; iniunctam sibi legationem ita prudenter fuit & sollicitè exsecutus, quod omne illud à nobis studio suæ probitatis & discretionis obtinuit, quicquid per sollicitam & prouidam vigilãtiam deberet quilibet alius obtinere. Dat. Lat. XIV. Kal. Mart.

OLIVERI SCHOLASTICI

COLONIENSIS DE CAPTIONE DAMIATÆ AD ENGELBERTVM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPVM, &c.

Honorabilibus dominis suis, Engelberto *Coloniensi Archiepiscopo, maiori Præposito, maiori Decano, cæterisque Prioribus, totiq; clero*, Oliuerus *peccator, seruus empticius crucis sic dictus, Coloniensis Scholasticus, per viam salutis ad æternæ beatitudinis consortium perueniri feliciter.* Sapiens corde & fortis robore, qui facit magnalia & inscrutabilia & mirabilia,

quorum non est numerus; qui excelsos iudicat, qui ponit humiles in sublimi: ipse magnificatus est solus in obsidione *Damiatæ*. Non enim, vt in aliis expeditionibus contra Sarracenos, diuersis temporibus ordinatis per humanum consilium, aut bellatorum auxilium; sed per semetipsum, quod petere non præsumpsit homo, per suæ diuinitatis potentiam mirabiliter est operatus. Non Regibus, nō aliis Principibus, vel nationibus; sed nomini suo dans gloriam, vt in nobis peccatoribus completa sit promissio Prophetica: *Vos tacebitis, & Dominus pugnabit pro vobis.* Post captam siquidem turrim in profundo fluminis Nili sitam, *Saphadinus*, inueteratus dierū malorum, dolore sicut asseritur tactus nimio, exheredator fratruelum suorum, & vsurpator regnorum Asiæ, mortuus est & sepultus in inferno. Postmodū in festo Sancti Dionysii, Sarraceni cum galeis armatis improuisi venientes, principia castrorum vbi *Romani* tentoria fixerant, inuadentes, modicâ manu repulsi sunt, recurrentes celeriter ad galeas, qui gladios persequentium, ac fluminis voraginem euadere non potuerunt. Sicuti autem olim Ægyptii in aquis vehementibus Maris Rubri; sic in Nilo submersi sunt circiter ad mille quingentorum numerum, sicut à Sarracenis postea didicimus. Sanè in festo *S. Demetrii*, qui frater vterinus B. Dionysii fuisse dicitur, summo diluculo castra *Templariorum* inuaserunt hostes: & modicum damnū nobis inferentes, per expeditos equites nostros fugati sunt ad pontem, quem procul à nobis in superiori parte fluminis construxerant: & ibidem interempti sunt ad numerum quingentorum, sicut à transfugis intelleximus. Porrò quia multi de populo Christiano placuerunt Domino, necesse fuit vt tentatio probaret eos. *Ionas* pro angustia tempestatis in mare missus, & ventre piscis conclusus, probatus rediit ad aridam. *Apostolus* triplici naufragio tribulatus, euasit: populus Domini, præmisso triduano ieiunio, quod clerus in pane & aqua seruauit obedienter, & multis processionibus ordinatis, à venerabili domino *Pelagio* Albanensi Episcopo, Apostolicæ sedis Legato, tentari meruit. Nam in vigilia Sancti Andreæ Apostoli, mediâ nocte intumuerunt fluctus maris, crescentes, & excursum terribilem facientes vsque ad castra fidelium; ab alia parte, fluuius inundans nos occupauit. Natabant tentoria, perierunt cibaria; pisces fluuiales & marini, se, quasi nihil timentes, cubiculis ingerebant, quos manibus nostris cepimus, quibus inde carere deliciis voluimus: & nisi consilio Spiritus Sancti ante prouisum fuisset in fossato, quod tamen in alios vsus factum fuerat, mare coniunctum flumini, homines cum iumentis, naues cum armis & victualibus, detraxisset ad hostes. Nec tamen hoc periculum euaserunt, quatuor *coccones*, super quos ædificata fuerunt propugnacula ad capiendam ciuitatem: qui vno impetu cum quinta naui, quæ inter eos hærebat, ad oppositā ripam vi ventorum præcipitati, antè oculos nostros sunt igne Græco combusti: pepercit Dominus operibus *Fresonum* & *Theutonicorum*, quibus Turris capta fuerat. Naues oneratæ quæ in portu maris stabant ruptis repentè funibus perierunt. Durauit hæc tempestas per triduum continuum, quo elapso Dominus qui consolatus est nos in tribulatione nostra, imperauit ventis & mari, stare faciens ipsum à feruore suo. Inuasit præterea multos de exercitu quædam *pestis*, contra quam Physici nullum ex arte sua remedium inuenire poterant. Dolor repentinus pedes inuasit & crura; & coniunctim caro corrupta gingiuas & dentes obduxit, masticandi potentiam auferens; tibias horribilis nigredo fuscauit: & sic longo tractu doloris afflicti, cum multa patiētia migrauerunt ad Dominum plurimi: quidam autem vsque ad tempus vernale durantes, beneficio caloris euaserunt liberati. Post dictam tempestatem naues parabantur ad transitum fluminis: quæ cum magno periculo sursum ascendentes inter ciuitatem ac turrim captam, machinis & igne Græco cum iaculis plurimùm sunt impeditæ. Vnde accidit vt vna nauis Templariorum vi torrentis rapta, propè ripam ciuitatis præcipitaretur ad hostes: qui cum *barbotis*, & vncis ferreis ipsam impugnauerunt diutiùs, ignem Græcum cum lapidibus desuper de turribus proiiciētes. Et cùm sic præualere non valerent, propter defensorum audaciam, certatim nauim ascendentes præcipites in eam descenderunt ad Templarios: vbi cùm diutiùs pugnaretur, tandem nauis perforata, siue ab hostibus siue à nostris, incertum habemus, profundum petiit, submergens Ægyptios cum Christianis: adeò vt vix summitas mali appareret super aquam. Et sicut *Samson* plures strauit moriens quàm viuens; sic & isti martyres plures secum traxerunt in aquæ voraginem, quàm gladiis

Exod. 14, 14.

interficere

interficere potuissent. Ciues autem *Damiatæ* cruentam victoriam suam, ferè septem diebus planxerunt. Exinde pontem reparantes, aperturam adeò relinquerunt angustam, vt naues nostræ sine periculo transire non possent. *Theutonici* verò & *Fresones*, zelo iustæ indignationis accincti, cum minori naui, cuius ministerio turris fuit capta, quam Gallici *sanctam matrem* appellant, Pontem similiter inuaserunt, auxilium non habentes nisi de cælo. Pauciores autem viri quàm decem de gente prædicta, contra omnem fortitudinē Babyloniorum pontem ascendentes, spectāte multitudine Christianorum, & hanc audaciā plurimi extollētes, fregerunt eundem: & sic cū quatuor nauibus super quas erat pons fundatus, reuersi sunt cum triumpho,
10 liberam viam & apertā sursum velificātibus relinquentes. His itaq; gestis, Sarraceni periculum quod eis imminebat attendentes, ripam nobis oppositam, fossatis & argillosâ materiâ cum propugnaculis ligneis altis munierunt, machinas & petrarias locantes ibidem; nobis spem auferentes per locum alium transeundi. *A casali* verò quod per milliare ferè distat à ciuitate, vbi hæc noua munitio terminabatur, per transuersum fluminis, nauium immersiones fecerunt cum palis infixis gurgiti. Nihilominus Apostolicæ sedis Legatus desiderium bonum habens obsidendi ciuitatem, naues superiùs congregatas vrgebat ad transitum. Vnde *coccones* propugnaculis & castellutis, viris etiam armatis muniti, cum galeis & aliis nauibus sequētibus, CHRISTO duce, præscriptas immersiones euaserūt. Hostes autem, dissimulato me-
20 tu, tres ordines armatorū, stationi nauium nostrarum cōtraposuerunt: vnam, peditū super ripam cum clipeis quos *targeas* appellant, lineariter ordinatam; secundam, post dorsum illorū, similem priori; tertiam, equitū, longā, & terribilem: ictibus lapidum & telorū plurimùm vexando stationem Christianorum. Sanè nocte solemnitatis S. Agathæ virginis & martyris, cùm coadunatus esset populus fidelium, qui sequenti die transiturus erat, pluuiæ & venti multùm discriminis & difficultatis addiderunt nostris: sed fidelis DEVS, qui non patitur suos tentari super id quod possunt, respiciens ad castra seruorū suorum, quod secundùm inferiores causas difficile fuerat vel impossibile, conuertit in facilitatē & gaudiū, suæ virtutis innouans miracula. Post mediā siquidem noctem tantū pauorem Soudano Babylonis & Satrapis eius
30 incussit, vt relictis castris, ignorantibus etiā Ægyptiis, quos ad resistendum ordinauerat, in sola fuga spem ponerent. Quidā apostata, qui multo tempore, Christianorū legem transgressus cū Soldano militauerat, stans in ripa Gallicè clamabat: *Quare moramini? Quid trepidatis? Quid hæsitatis? Soldanus abiit.* Et hoc dicto, se in nauicula Christianorū recipi postulauit, vt in potestate ipsorum positus, fidem dictis faceret. Summo igitur diluculo cùm inchoatum esset officium Missæ dici festi per oratoria Christianorum; *Gaudeamus omnes in Domino:* nunciata sunt hæc Legato, Regi, & aliis. Itaq; fugientibus Ægyptiis, nostri certatim & alacriter absq; omni impedimēto hostium, & sanguinis impensa, transierunt: Sed adeò limosa & profundioribus aquis difficilis fuit ad applicandum terra hostilis, vt vix equis sine sessoribus & sellis eie-
40 cti, possent ascendere. Templarii præduces in ascensu equorum, erectis signis, propero cursu ad ciuitatē festinauerunt, sternentes perfidos qui audaciter de portis egressi venientibus occurrerunt. *Non gloriabitur securis, contra eum qui secat in ea; neque serra, contra eum qui trahit in ea.* Miraculum istud cui æquabimus vel cui comparabimus, nisi ei quod legitur de *Benadab* Rege Syriæ, qui obsedit Samariam, artans eam plurimùm, cui Dominus tantū immisit terrorem, vt relictis castris fugeret? & sicut per leprosos qui erant in introitu portæ, illa fuga Syriorum nuntiata fuit Samaritanis: ita per leprosum in anima, præfatum videlicet Apostatā, nuntiata fuit Ægyptiorum fuga. Et sicut ille populus Samaritanorū spolia, in castris Syriorum relicta collegit: sic noster exercitus tentoria & manubias fugiētium diripuit, targias plurimas,
50 & omnes galeas cū barbotis & aliis nauibus, quæ infra casale vsq; ad ciuitatē inueniebantur, cū aliis spoliis victores occupauerūt. Multi bellatores, relictis vxoribus, territi propter inopinatū transitum, fugierunt de *Damiata*: & sic per girum, & firmiter obsessa est ciuitas. Per desidiā autem, & inertiam eorū quorū nomina DEVS scit, factum est vt hostes, resumptis viribus & armis, adueniente etiam *Coradino* cū Halaprinis cum magna multitudine, locum illum occupauerunt, à quo nostri transitum miraculosum fecerant: & sic nos obsidentes ciuitatem, ipsi periculosiùs obsiderunt; & nisi per diuinum consilium prima castra quæ erant inter mare & fluuium

Esai. 10, 15.

retenta fuissent, maximè per *Theutonicos* & *Frisones*, portus nobis ablatus fuisset; & negotium plurimùm periclitatum vacillasset. Vt autem miraculum transitus clarescеret, ac soli CHRISTO ascriberetur, ad tantam Sarraceni peruenerunt temeritatem, vt diluculo Sabbathi ante Dominicam, *Oculi mei semper*, nobis tale periculum non præuidentibus cum multitudine graui, propiùs accederent, & vsque ad fossatum se præcipitarent: sed, diuino auxilio, cum graui damno equitum & equorum repulsi sunt.

A. Dn. 1219.

ANno gratiæ *millesimo ducentesimo decimo nono*, Regina ciuitatum *Ierosolima*, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, destructa est à *Coradino* filio Saphadini, foris & intus: muri eius cũ turribus redacti sunt in aceruos lapidum, præter templũ Domini, & turrim Dauid. De *Sepulchro* verò glorioso destruẽdo, consiliũ habuerãt Sarraceni, & per litteras comminati sunt, quas ciuibus Damiatæ transmiserunt, ad ipsorum solatium: sed huic temeritati nemo præsumpsit manus apponere, propter loci reuerentiam. Sicut enim in *Alcorano*, libro legis eorum, scriptum habent: IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, credunt de Maria Virgine natum & conceptum: quem sine peccato vixisse, Prophetam & plusquàm Prophetam profitentur; cæcos illuminasse; leprosos mundasse; mortuos suscitasse, firmiter asserunt: Verbum, & Spiritum DEI, & viuum ad cælos ascendisse non discredunt. Vnde quando, tempore Treugarum, sapientes ipsorum Ierosolymam ascendebant, codices Euangeliorum sibi postulabant exhiberi & osculabantur & venerabantur, propter munditiam legis quam CHRISTVS docuit, & maximè propter Euangelium Lucæ vbi legitur, *Missus est Gabriel Angelus*: quod litterati inter eos sæpiùs repetunt & retractant. Lex autem eorum, quam Diabolo dictante, ministerio Sergii monachi & apostatæ ac hæretici, *Macometus* Sarracenus dedit Arabicè scriptam, à gladio cœpit, per gladium tenetur, in gladio terminabitur. *Macometus* iste illiteratus fuit, sicut ipse profitetur in Alcorano suo; & quæ prænominatus hæreticus dictauit, ipse promulgauit, & per comminationes obseruari statuit. Luxuriosus enim fuit & bellicosus: ideoque de immunditia & vanitate legem statuit, quam carnaliter viuentes in parte voluptatis, firmiter obseruãt: & sicut legem nostram veritas & munditia muniunt; ita errorem ipsorum timor mundanus & humanus, ac voluptas carnalis firmissimè custodiunt. In die *Palmarum* anni præscripti, inimici nostri, multâ comminatione præmissâ, quòd seipsos vel nos omnes vnâ die perderent; & collecto terribili & innumerabili exercitu equitum & peditum, irruerunt super nos, vndiq; fossatum nostrum inuadentes; & maximè pontem Templariorum & *Ducis Austriæ*, quem ipse cum Theutonicis defendere studuit: hostes cum electis militibus suis, de equis descendentes, cum Christianis atrociter pugnauerunt. Ceciderunt hinc inde, mortui & vulnerati, multi. Tandem præualuerunt adeò quòd pontem ascendentes, partem eius combuxerunt. *Dux Austriæ* præcepit suis, vt ponte relicto, aditum darent instantibus & introitum: sed intrare non præsumpserunt, propter militiam nostram, quæ acies suas ordinauerat. In subsidium & munitiones defendentium, mulieres aquam & lapides, vinum & panem bellatoribus nostris intrepidè ministrabant: orationi sacerdotes insistebant, vulnera sauciatorum ligantes, ac benedicentes. Eo die non est datum nobis spatium gestandi alias palmas, quàm balistas & arcus cum sagittis, lanceas & gladios cum clipeis: Adeò instabant, & vexabant atrociter qui conuenerant ad perdendum nos, studio liberandæ Ciuitatis, ab ortu Solis vsq: ad horam ferè decimam: tandem defatigati, retraxerunt se, cum damno maximo. Instabat iam *passagium* vernale: Recessimus. Erat *Dux Austriæ*, qui per annum & dimidium CHRISTO fideliter militauerat, Princeps deuotione plenus, humilitate, obedientiâ, largitate: qui præter alios sumptus innumerabiles, quos in negotiis bellicis, ac priuatis eleemosynis fecerat, domui Theutonicorũ sex millia marcharum argenti, vel ampliùs, ad comparandum prædium creditur contulisse. In Kal. Maii magna multitudo Peregrinorum cœpit recedere, nobis in summo periculo relictis: sed Pater noster, benignus & misericors, Dux & propugnator noster, protector & defensor sperantium in se, cui facile est in paucis, sicut in multis vincere, IESVS CHRISTVS, non permisit incredulos simul in nos irruere, donec noui recentesq; Peregrini cum copioso succursu superuenirent: copia victualium & equorum nutu diuino transmissa, collectionem fidelium lætificauit. Instaurato

igitur

igitur fidelium numero in festo Ascensionis Domini, more suo per terram & aquã irruerunt perfidi;& multoties sic attemptantes,prævalere non valuerunt. Particulariter etiam propè castra nostros prouocabant,damnificantes,& damnificati. Pridiè vero Kal. Aug. omnem quam habere poterant adducentes copiam, post diutinos assultus,tandem fossatum contra Militiam Templi transeuntes,& *licias* violenter rumpẽtes,pedites nostros verterunt in fugam, adeò vt totus exercitus Christianorum iam periclitaretur.Milites de Francia,sæculares & equites,ter conati sunt ipsos repellere longiùs extra fossatum,sed non potuerunt. Sarraceni siquidem intra mœnia nostra, fractis munitionibus ligneis, equitum ac peditum acies ordinauerunt. Clamor ortus est insultantium, omnis multitudo ipsorum præparauit se: iam timiditas aucta est Christianis: sed spiritus qui induit *Gedeonem* animauit Templarios. *Magister* enim *Templi*, cum Marescallo cæterisque fratribus suis, qui tunc aderant, per exitum angustum impetu facto, viriliter in fugam conuertit incredulos. *Domus Theutonicorum*,& Comites, aliiq; milites de diuersis nationibus videntes Tẽpli Militiam in periculo constitutam, festinanter per exitus sibi contra positos, tulerunt auxilium. Sic pedites Sarracenorum,abiectis clipeis, interficiebantur,præter eos quos fuga præcipites percussoribus abstulit. Post equites nostros, egressi sunt pedites:per modicum spatium se retraxerunt hostes: acies hinc inde substiterant armatæ,donec crepusculum vespertinum prælium interemit. Sarraceni priores abierunt. Occisorum corpora perfidorum, strata iacebant iuxta fossatum plurima,præter eos qui sauciati grauiter vel leniter reducti sunt ad castra. Sic saluauit Dominus in die illa sperantes in se,per virtutem Templariorum, & eorum qui ipsis cooperati discrimini se commiserant. Pauci de nostris interfecti sunt,& capti. Instrumenta contra ciuitatem præparata, combusta sunt à defensoribus eius, præter scalas. *Genuenses,Pisani,Venetiani*,firmiter asserebant se ciuitatem expugnaturos per quatuor naues,super quas scalæ pendebant: sed ipsi non erant de genere virorum illorum per quos facta est salus in Israël. Volebant enim sibi facere nomen cum tubis & calamillis & signis multis progressi. *Legatus Apostolicæ* sedis,sumptus eis præbuit copiosos de communi: Rex, & alii, cordas & anchoras prout requirebant,exhibuerunt abundanter. Aggredientes itaque ciuitatem, primo die multos interfecerunt & vulnerauerunt:& quantò sæpiùs postmodum assultum fecerunt, tantò magis muri firmati sunt, ligneis castellulis ac liciis. Defensores etiam robustiùs & efficaciùs se venientibus opposuerunt: & sic scalæ mutilatæ per ignem ac pluries reparatæ,tandem infecto negotio, reductæ sunt ad ripam: & sic deprehensum est, & veraciter intellectum,solâ virtute Diuinâ, Damiatam in manus Christianorum fore tradendam. Nos verò insensati,& immemores beneficiorum DEI,ac mirabilium quæ fecit,prouocauimus oculos Diuinæ Maiestatis contra nos, per *desidiam maiorum & murmurationes minorum*. Pedites equitibus improperabant ignauiam,equites pericula peditum quando contra Sarracenos egrediebantur, dissimulabant. Vnde factum est, vt communibus exigentibus culpis, in *decollatione Sancti Iohannis Baptistæ*,licet vix inuenirentur qui in custodia castrorum remanerent, naualem & terrestrem exercitum,equitum ac peditum educentes,ad castra Babyloniorum accederemus,inter mare & fluuium, vbi dulcis aqua non poterat inueniri ad potandum: Ipsi verò sublatis tentoriis fugam simulabant.Et cùm processum fuisset à nostris adeò,quòd appareret aduersarios directâ fronte nolle confligere: capitanei nostri longum inierunt consilium, vtrum procederent an redirent: discors inter eos sententia fuit: Interim solutæ sunt acies, præter ordinem illorum quos in disciplina militari ligauit obedientia.Equites Cypri in dextro cornu constituti, Sarracenis incursum facientibus à latere, timiditatem suam ostenderunt: Italici pedites primi fugerunt;post eos,equites de variis nationibus,& quidam Hospitalarii Sancti Iohannis: Legato Romanæ sedis, & Patriarcha qui Crucem baiulabat, multùm sed frustra supplicantibus vt subsisterent. Æstus Solis erat vehemens:pedites armorum pondere premebantur,calorem auxit labor viæ: & qui secum vinum detulerant in angustia sitis biberunt illud purum,propter defectum aquæ:his omnibus concurrentibus,qui subsistentes se defenderunt, & post primitiuos fugientes anhelo cursu terga dederunt,extincti sunt, sine vulneribus corruentes. *Rex* verò cum Templariis,& domo Theutonicorum,& Hospitalariis Sancti Iohannis, Frãcigenis,de *Il-*

landia, de *Werthe*, de *Sarreburge*, de *Cestriæ* Comitibus *Galtero Bertoudi*, Pisanis, aliisque militibus impetum persequentium sustinuit: Rex, igne Græco ferè combustus fuit. Hii omnes pro muro fuerunt fugientibus: quoties facies suas ostendebant hostibus, illi fugerunt: quando verò gradatim reuertebantur, ictus & tela sustinuerunt inimicorum. Capti sunt in illa defensione electus *Beluacensis*, & frater eius *Camerarius Franciæ*, & filius eius, frater Andegauensis Episcopi, cum *Iohanne Darcies* viro nobili & valdè strenuo, *Henricus de Vlma*; & alii multi, qui trucidati sunt, & in captiuitatem ducti: Templarii triginta tres capti vel occisi sunt, cum Marescallo Hospitalis Sancti Iohannis, & quibusdam aliis fratribus eiusdem domus: nec euasit sine damno domus Theutonicorum. *Militia Templi*, quæ prima solet esse in congressu, vltima fuit in recessu: vnde cùm ad fossatum nostrum nouissima rediret, foris substitit, vt anteriores intra mœnia quantum possibile fuit reduceret. Persecutores, ad captiuos deducendos, & spolia colligenda tandem redierunt: sicut intelleximus postmodum à Sarraceno, quingenta capita Christianorum Soldano præsentantes. Mœror nostros occupauit; sed nulla desperatio: pro certo enim habemus, quòd pœna peccati fuit hæc castigatio, & minus erat in pœna, quàm exigeret culpa, ipso temperante vindictam, qui dicit animæ peccatrici: *Tu fornicata es cum amatoribus plurimis: tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.* Constat autem nobis quòd in præcipua sua militia, luctuosa sibi damna sustinuerunt increduli. Sanè miserator Dominus, qui non obliuiscetur misereri, nec continebit in ira misericordias suas, qui in tribulatione peccata dimittit; qui dixit de tenebris lumen splendescere, luctum nostrum conuertit in gaudium, mœrorem in lætitiam. Nam *Soldanus* vnum de captiuis nostris mittens, de pace vel treuga nobiscum tractare cœpit: in quo tractatu fossatum nostrum, & munitiones alias reparauimus alacriter. Interim nautæ, Christianitatis proditores, & cum eis Peregrini plurimi, magis seipsos amantes, quàm fratribus suis compatientes, ante tempus consueti Passagii, Agonistas CHRISTI in summo periculo reliquerunt, eleuatis velis obiecto portu, nobis mœstitiam, Babyloniis audaciam contulerunt: Qui tractatũ pacis intermittentes, in vigilia Sanctorũ Cosmæ & Damiani, & sequenti die festo, proximo etiã Sabbatho cũ galeis, barbotis, per flumen; cum mangunnellis, targiis, fructicibus pro implendo fossato, per terram, feritate barbaricâ & impetu consueto, nos impetierunt: sed durus bellator & triumphator in Israël, solitá vsus gratiá, castra sua defendit, misso per mare *Sauerico de Mallion*, cum galeis armatis, & bellatoribus plurimis in ipso necessitatis articulo: & nos clamãtes in cælum, nec trepidantes ad impetũ; sed viriliter resistentes, interfectos, sauciatos, & confusos ab insultu triduano recedere coëgimus, ipsius virtute qui saluat sperantes in se. Interea ciuitas obsidione longâ, ferro, fame & pestilẽtiâ grauiter, & vltrà quàm scribi possit afflicta, in sola pace, quam Soldanus promisit ciuibus, spẽ posuit. Adeò enim in ea fames inualuit, vt cibi desiderabiles deessent. Panis corruptus abundauit in ea: durabilis enim non est annona Ægypti, propter molles glebas in quibus crescit: nisi superiùs circa partes Babylonis artificiosè conseruetur in annos: & sicut audiuimus, *Coitanũ* vnum XI. Bisantiis vendebatur in ea. Ex angustia famis, diuersa morborũ genera vexabant eos: & inter cætera incómoda quæ sustinuerunt, noctibus, velut aorisiâ percussi, apertis oculis nihil videre dicebantur. *Soldanus*, de die in diẽ vanis promissionibus ipsos à deditione dehortatus, decepit miseros. Postremò portas suas obstruxerunt intrinsecus ne aliquis veniens ad nos de suis, nuntiaret quomodo dies afflictionis possiderent eos. Si qui verò per posticium, vel de muris per funes, euadere potuerũt, inflati & famelici ciuium suorum angustiam probabant euidenter. Illis etiam, qui foris in exercitu Sarracenorum nos obsiderunt, copia panis & pabuli cœpit decrescere. *Nilus* siquidẽ, qui post festum Sancti Iohannis Baptistæ, vsq; ad exaltationem S. Crucis solet excrescere, & Ægypti planitiem irrigare, hoc anno, more suo nõ ascendit ad signum, quod ponere consueuerunt Ægyptii: sed, prout intelleximus, magnam partẽ siccã reliquit, quę nec arari nec seminari poterat suo tempore. Vnde *Soldanus*, caristiã timens & famẽ, etiam amore retinendæ Damiatę, talem pacem cum fratre suo *Coradino* Christianis obtulit: *vt Crucem Sanctam, quæ olim capta fuit in victoria Saladini, cum ciuitate Sancta, & omnibus captiuis qui per regnũ Babyloniæ, & Damasci viui reperiri possent: sumptus etiam ad reparandos muros Ierusalem redderent: Insuper regnum Ierosolymitanum totaliter restituerent,*

Ierem. 3, 1.

prater

præter Cracum & Montem Regalem, pro quibus retinendis, tributum obtulit, quamdiu treuga duraret. Sunt autem hæc duo loca in Arabia sita, septem munitiones firmissimas habentia, per quæ negociatores Sarracenorum & peregrini ipsorum, *Mequam* tendentes, vel ab ea reuertentes, transire solent: & qui hæc potenter tenuerunt, Ierusalem, cùm voluerit, grauiter nimis, cum agris & vineis lædere poterit. Hanc compositionem acceptandam esse Christianitati, *Rex* & Francigenæ, *Comes Cestriæ*, cum capitaneis Theutonicorum censuerunt pertinaciter. Nec hoc mirandum fuit: quia longè minori pace, quæ priùs oblata fuerat, contempti fuissent: nisi sano consilio eis esset obuiatum. *Legatus* autem cum Patriarcha, Archiepiscopis, Episcopis, Templariis &
10 Hospitalariis, ac omnibus Italiæ Capitaneis, multisq; aliis prudentibus viris, efficaciter huic tractatui se opposuit, rationabiliter ostendens ante omnia Damiatam fore capiendam: opinio diuersa peperit discordiam, quæ citò sedata fuit propter communem necessitatem. Interea Soldanus magnam multitudinem peditum clanculo per loca palustria misit ad ciuitatem: quorum duceti quadraginta, Christianis dormientibus, fuerunt ingressi, Dominicâ nocte post festum omnium Sanctorum: tādem præ clamore vigilium, cæsi sunt & capti, quos ad ducentos & plures computauimus. Nonas Nouembris, Saluatore mundi regnante, & domino *Pelagio* Albanensi Episcopo, Apostolicæ sedis Legatione solerter ac viriliter fungente, capta est *Damiata*, absq; deditione, sine defensione, sine violēta deprædatione cum tumultu:
20 vt soli Filio DEI ascriberetur euidenter victoria, qui populo suo ingressum in Ægyptum inspirauit, & ibidem vires ministrauit. Et cùm caperetur ciuitas in oculis Regis Babylonis, more solito non fuit ausus CHRISTI milites ad defensionem paratos, per fossatum nostrum aggredi. Eodem etiam tempore fluuius excreuit, vberiùs aquis fossatum implens: Ipse verò confusus, castra propria combussit & fugit. DEVS autem, qui tertiâ die aquas sub firmamento congregauit in locum vnum, ipse agonistas suos per aquas maris perduxit ad portum Damiatæ, mēse Maio, feriâ III. eosdem transduxit per Nilum, ad obsidendam ciuitatem, mense Februario, feriâ III. Idem cepit Damiatam, inter aquas sitam, mense Nouembri, feriâ III. Hanc vrbem vitulæ consternanti, quæ tertio terræmotu subuersa est, possumus assimulare: *Vitu-*
30 *lam* appellamus, propter eius lasciuiam: piscibus enim, auibus, & pascuis, frumento, hortis & pomeriis abundauit; negotiando, practicam exercendo, deliciis effulsit in culpa, pereffulsit in gehenna; sed vnâ horâ venit iudicium eius: *Consternantem* dicimus, quia quasi tertio terræmotu habitatores eius perierunt, ipsâ tamē integrâ manente. A Græcis & Latinis primò fuit obsessa, qui ab eâ defecerunt: demum à Latinis, sub Amaurico Ierosolymitano Rege, qui non profecerunt: Hac vice tertiâ Rex Regum & Dominus dominantium seruis suis ipsam tradidit, IESVS CHRISTVS, qui viuit & regnat & imperat; qui sementis irrigua siccauit Ægyptiis; qui confudit operantes sericum, & byssum plectentes, & texentes subtilia. Tali Duce Christiani milites *Damiatam* ingressi, plateas eius inuenerunt stratas cadaueribus mortuorum,
40 pestilentiâ & fame deficientium: aurum & argentum multùm nimis; pannos sericos negotiantium, in abundantia. Ciuitas hæc præter naturalem situm loci quo munitur, triplici cincta est muro, turribus lateritiis multis & magnis fortissimè firmata: clauis & antemurale totius Ægypti. Inter Ramesse, & campum Thaneos sita; in terra, vt coniicere possumus, Gessen, quia pascualis est, quam petierunt filii Israël à Pharaone, tempore famis. *Damiata! Damiata!* inclita in regnis, famosa multùm in superbia Babylonis, in mari dominatrix, Christianorum spoliatrix, in ascensu persecutorum tuorum per paucas & modicas scollas comprehensa: & nunc humiliata es, sub potenti manu DEI; & adultero, quem diu tenuisti, proiecto, reuersa es ad virum tuum priorem: & quæ priùs parturiebas spurios, modò paries filios legitimos
50 ad cultum Filii DEI, firmiter à cultoribus CHRISTI possessa. *Acconensis* Episcopus, iam ex te primitias animarum DEO soluit, paruulos tuos, qui reperti sunt ab ipso vitales, etiam morti proximos, baptismatis vndâ sacramentaliter inundando: Multiplices soluisti pœnas: quia præter eos qui viui comprehensi sunt in te, mortui promiscui sexus, à tempore obsidionis in circuitu computātur, ad triginta millia & ampliùs: quos sine ferro vel igne Dominus percussit, à modò sustinere dedignatus spurcitias in te commissas. Gaudeat igitur vniuersalis Ecclesia, dignas gratiarum actiones referendo pro tali triumpho: & non solùm pro Damiata, sed pro destructa

perniciosa *munitione montis Thabor*, & pro aditu libero ad Ierusalem: vt redificentur muri eius, tempore ab Altissimo prouiso: pro castro prӕterea *Filii* DEI, quod magnis sumptibus ӕdificat viriliter & inexpugnabiliter *Militia Templi*, de quo superiùs in superioribus literis pleniùs scriptum est. Lӕtare spiritualiter, prouincia *Coloniensis*; exulta, & lauda: quoniam in nauibus, instrumentis bellicis, bellatoribus, armis, pecunia, victualibus, maius auxilium tulisti, quàm residuum totius regni Theutonici. Illustris *Imperator noster & Rex Sycilia*, ardenter expectatur à populo DEI, ad negotii felicem consummationem. Tu *Colonia*, ciuitas Sanctorum, vt quӕ in ortis *rosarum*, martyrum; *liliorum*, virginum; *violarum*, confessorum; nunc pace temporali per Venerabilem Archiepiscopum vestrum, gaudens, habitas, pro deuotione filiarum tuarum, flecte genua cordis tui coram Altissimo, qui vitӕ & mortis habet imperium. Noli alta sapere, sed time coram ipso; vias tuas argue, ne furor irӕ DEI, qui stillauit super te, conuertatur in grandinem; sed tranquillitate temporum diu concessâ, ei cui honor est & excellentia, virtus & potentia, liberâ mente deseruias.

FINIS.

BVLLA INNOCENTII, PAPÆ IV.

In qua inseruntur nonnullӕ litterӕ Regis Hungariӕ.

INNOCENTIVS *Episcopus, seruus seruorum* DEI, *vniuersis* CHRISTI *fidelibus, ad quos istӕ peruenerint literӕ, salutem, & Apostolicam benedictionem.* Ne occasione casuum futurorum quibus corporalia subiacent vniuersa, priuilegia & literӕ quӕ temporibus retroactis ab Imperatoribus, & Regibus, aliisq; Principibus nobilibus ac fidelibus Christianis, Sedi Apostolicӕ sunt concessa vel missa, quorum aliqua bullis aureis, alia verò sigillis plumbeis aut cereis roborata esse noscuntur, valeant deperire: Nos, his omnibus & eorundem characteribus sigillorum diligenter inspectis, quӕdam ex ipsis nõ corrupta, non cancellata, nec etiam vitiata, prӕsenti paginâ facientes de verbo ad verbum, nihil addito, mutato, vel dempto, transcribi; & transcripta huiusmodi, prӕlatorum ecclesiasticorum, quorum nomina inferiùs continentur, sigillorum munimine roborari, auctoritate Apostolicâ, sacro Concilio decernimus approbãte, vt illa eadem fides transcriptis adhibeatur de cetero memoratis, quӕ ipsis autenticis adhibetur: & ipsa transcripta ex nunc autentica censeantur. Tenor verò priuilegiorum, & horum prӕdictorum est talis.

Litera à Regis Hungariӕ ad H. summum Pontificem, de sua profectione ad Terram Sanctam, & affinitate contracta cũ quibusdam Principibus Paganis conuersis ad Christianismum, & de excusatione vilium donorum quӕ misit suӕ Sanctitati.

S*anctißimo patri in* CHRISTO H. DEI *gratiâ sacrosanctӕ Rom. Ecclesiӕ summo Pontifici. A. per eãdem gratiam Hungariӕ, Dalmatiӕ, Croaciӕ, Seruiӕ, Ramӕ, Lodomiriӕq; Rex, debitã ac deuotã cũ filiali subiectione reuerẽtiam.* Sanctissime pater, à vestra non credimus excidisse memoria dũ adhuc vitę venerabilis & immortalis memorię prӕdecessor vester *Innocẽtius*, summus Apostolicӕ sedis Antistes, Diuinâ gratiâ prӕsentis seculi dispẽsator existeret, non tã p ipsius exhortationis frequẽtiã, verùm etiã postmodũ per vestrę paternitatis instantiã, quẽ DEI gratia sibi successorẽ instituit, frequẽtiùs admoniti fuimus, quatenus ad redẽptionẽ S. Terrӕ, nõ tãtùm opitulatione rerũ, verùm etiã prӕsẽtiâ personali, apponeremus

remus animum cum effectu. Nos vtique, prout ex nostrorum antecessorum prærogatiua iam dudum vsi sumus, & cognouimus spiritualem sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ recensente nos esse filium, ad vestræ Sanctitatis exhortationem, consilium per obedientiæ victimam, nos & nostra litare cupientes: nec teneræ filiorum nostrorũ infantiæ miserti fuimus; nec emergentem nobis infidelium, & regno nostro malignantium, contumaciam & odium, quod postmodum in effectu pullulauit, curauimus: sed his omnibus postpositis, ad Sancti Sepulchri subsidium vsq; quàm festinauimus, nos, coronam, regnum nostrum, & filios vestræ Sanctitatis custodiæ illibatè conseruanda commendantes. Ceterùm, cùm vltramarinis partibus, in susceptæ Peregrinationis seruitio moraremur, ineffabile dissensionis seminarium in regno nostro, per frequentes nuntios proculdubio cognouimus pullulasse. Nos itaque, tot & tantis pernitiis infamiæ perculsi rumoribus, nouellam adhuc in regno nostro Christianitatis plantationem non patientes euelli; cõpulsi, coacti, & inuicti à Terra Sancta secessimus: & licet per multa viarum dispendia transeuntes, cùm in Hungariã peruenimus multò ampliora perfidiæ scelera quàm priùs audiueramus, tam per Ecclesiasticas, quàm Laicales personas, cõperimus esse perpetrata: quæ vel qualia nullatenus per nostra scripta vestræ Sanctitati vellemus innotescere. Nã pro parati magnitudine facinoris, à vestræ circũspectionis intuitu nullatenus fuisse credimus occultata. Nouit etiã vestra Sanctitas, quòd cùm in Hungariam peruenimus modò Hungariam, sed tm̃ angariatã atq; dissipatam, & cunctis fisci prouẽtibus spoliatã repperimus, ita videlicet quòd nec debita quibus in nostrę Peregrinationis itinere fuimus obligati, persoluere; nec vsq; ad quindecim annorum spatium, regnum nostrum pristino statu poterimus reformare. Igitur ne vestræ paternitatis custodia, cui nos & nostra cõmendauimus, cùm ad Sanctam Terram iter suscepimus: vbi etiam ad omnem casum paupertatis atq; nuditatis, commorandi causâ nos exponere volebamus, nimis imbecilles & exiles erga nos & alios regnorum Principes, exemplo simili de cætero in posterum videatur: à vestra Sãctitate modis omnibus postulamus, quatenus in auctores tanti sceleris, & eorum complices, tam personas Ecclesiasticas, quàm etiam Laicales, censurã vestræ Sedis & rigorẽ, ita plenariè exercere dignemini quatenus in nullo Christianissimi climate, quò aufugerunt, vel aufugerint, valeant occultari. Verùm etiam, prout in susceptæ Peregrinationis itinere ad Sancti Sepulchri liberationem, & pacificum cunctorũ Peregrinorum transitum ac reditum, tota nostræ sedulitatis ferebatur intentio, cùm perculsi malignantium ac nobis infidelium læsionibus ac iniuriis, vltra mare stare iuxta propositum nõ possemus, licet inuitè, redeuntes, potiori deliberationis consilio, non minus quàm si diuturnam circa *Hierusalem* moram fecissemus, Sanctæ Terræ cõmoda per felices nostri regressus transitus, procurauimus. Illustris enim *Leo rex Armeniæ*, vt nostræ gẽtis & suæ glutinata in vnum commercio, ad cõfringendum vicinos atq; iuges Turcorum insultus, robustior existeret, filiam suam nostro filio tradidit in vxorẽ, totumq; regnum Armeniæ cum sua Corona, iuxta plenum suorum Baronũ consensum atq; iuramẽtum, in perpetuam iurisdictionem eidem filio nostro & suis heredibus, subiugauit. Huius etiam intentionis studio, vt securum Peregrinationis, diuino fulti consilio, pararemus trãsitum, filiam *Comnini Theodori Lascari* filio nostro duximus in vxorem. Eodem etiam animo, inter *Azen.* Bulgar. Imperatore, mediãte nostrâ filiâ, matrimonium celebrauimus. Vt igitur hæc omnia firma permaneant, factum inter nos & *Regem Armeniæ* cõtractum, tam super matrimonio filiæ suæ cum filio nostro, quàm de collatione sui diadematis ac regni, auctoritatis vestræ munimine confirmetis, petimus etiam, quatenus nuptiarum cõmercia inter nos, & iam dictũ *Lazcarum*; inter *Azenum* etiam Bulgariæ Imperatorem, & filiam meam celebrata, in quibus maximum Terræ Sanctæ, occultum Diuinæ prouidentiæ cõsilium procurauit commodum, prout cuiuslibet scripta protestantur, simili modo roboretis: & transmissas Sanctitati vestræ ab vnoquoq; Principum literas, cùm apertæ coram vobis fuerint, iteratò sub vestra bulla nobis remittatis. Verùm, quia filii nostri, quẽ in Armeniam transmittimus, immatura teneritas ad debitæ circumspectionis commoda non sufficit, vestræ paternitatis profugis genibus à vobis postulamus, quatenus memoratum puerum cum vxore & sibi assistentibus, in vestræ protectionis suscipientes gremium, vt spiritualem in CHRISTO filium, ad tuendum & fouendum

sacratissimis domibus *Militiæ Templi*, nec non *Hospitalis*, vice nostrâ & mandato commendetis. Nouerit etiam vestra Sanctitas contra *Zultanum Hyconiæ* sub hac legationis serie, ad nos suum destinasse nuntium, vt si aliquam filiarum nostrarum aut cognatam sibi traderemus in vxorem, repudiato suæ perfidiæ charactere Christianissimi fidem assumeret atque sacramentum. Verùm, quia nullam ex nostris filiabus habebamus innuptam, ad multiplicandum tamen Ecclesiæ filios, & fidem in CHRISTO credentium, si vestra Sanctitas approbet; & huius rei exordium consilio, exhortatione, nec non aliis priuigilis prouidentiæ operibus, prosequatur ad effectum, vnam ex nostris neptibus memorato Zultano nuptui tradi faciemus. Ad hæc igitur, & omnia quæ viuâ voce vestræ Sanctitati referendo commisimus penes vestram paternitatem promouenda, nuntios nostros *B. Geurien.* præpositum, & *E. Alben.* archidiaconum, fideles ac dilectos Curiæ nostræ clericos, transmittimus: postulantes attentissimè per eosdem, quatenus quicquid pro commodo nostri negotii petierint, cum cæteris per præsentem chartulam postulatis, ratum habeatis, & auctoritatis vestræ munimine roboretis, apud Sanctitatem vestram habentes eos modis omnibus commendatos. Porrò vestra non miretur Sanctitas si de bonis regni nostri ad præsens, iuxta honorem vestrum & nostrum, nobis *cathetizare* non possumus. Ad hoc enim nos compulit & sanctæ Peregrinationis grandis expensa, & patrata per nostros infideles damnosa plurimùm discordia: parati tamen de die in diem, abundantiùs vestræ Sanctitatis vsibus de cetero prouidere.

Litera eiusdē Regis ad I. summum Pontificē de vocatione filii ad nouū regnum; & de petitione I. Strigonien. archiepiscopi ad inunctionem ipsius filii: item de accusatione Colocēn. Archiepiscopi qui subtraxit septem millia marcharū inter aurum & argentum.

Sanctissimo in CHRISTO patri I. DEI gratiâ sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ summo Pontifici. A. eadem gratiâ Hungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Ramæ, Seruiæ, Galiciæ, Lodomeriæque Rex, salutem & filialem deuotionem. Consueuit sedes Apostolica se, iusta petentibus, exhibere facilem; & in explendis honestis petentium desideriis non minus efficacem. Hinc est quòd super negotiis nostris iustis, apud paternitatis vestræ mansuetudinem promouendis non immeritò fiduciam nobis repromittimus. Nouerit igitur Sanctitas vestra, quòd *Galiciæ* Principes & populus, nostræ ditioni subiecti, humiliter à nobis postulauit, vt filium nostrum *Colomanum* ipsis in regem præficeremus, in vnitate & obedientia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ perseueraturis in posterum: saluo tamen eo, quòd fas illis sit aliâs à ritu proprio non recedere. Verùm, ne tam expediens nobis & vobis illorum propositum ex dilatione sustineat impedimentum: quod quidem multis de causis accidere posse constat, si Legatum ad hoc exequendum à latere vestro destinatum præstolamur: à Sanctitate vestra postulamus, quatenus venerabili in CHRISTO patri nostro *I. Strigoniensi* Archiepiscopo detis in mādatis, vt Apostolicâ fretus auctoritate, dictum filium nostrum eis in regem inungat; & sacramentum super obedientia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ exhibenda ab eodem recipiat. Præterea, innotescere volumus vestræ Paternitati nos ad proficiscendum *Hierosolimas*, sicut & tenemur, studiosè intendere, & omni diligentiâ festinare. Ideoque regni nostri curam, cuius Principes ad dissentiendum proni sunt; & filiorum nostrorum tutelam, quorum ætas paterno indiget, patri nostro in CHRISTO *I. Strigoniensi* Archiepiscopo, qui & dignitate cæteris præminet, & fidei constantiâ probatus est, cum aliis quibusdam, quorum prouidētiâ & in recessu & post recessum nostrum credimus regnum plenâ tranquillitate potiri, immutabiliter possumus commendare. Quapropter rogamus Paternitatem vestram, quatenus compatiendo nostris necessitatibus, ipsum ab onere accedendi ad vos habeatis excusatum. Venerabiles autem viros, *Quinque Ecclensem & Sturiensem* Episcopos, nec non Præpositum *Albēn.* Cancellarium nostrum, dudum voto alligatos, & signo Crucis insignitos, vt nobis itineris socii sint, vtpote ex quorum societate non modicas vires constat nobis accedere, à vocatione vestra diligenter imploramus absolui. Deprecamur insuper P. vestram vt omnes conspiratores, & infidelitatis machinatores, qui propter regni scissuram, filium nostrum, nobis viuentibus & nolentibus, in regem sibi præficere vel coronare attentauerint, tam clericos quàm laicos sinam excommunicationis percellatis. Meminerit etiam Sanctitas vestra anno ante præterito super iure coronationis ad Ecclesiam *Strigoniensem* pertinentis,

pertinentis, per venerabilem R. episcopum Vesprinienſem, nuntium noſtrum, vos nobis literas direxiſſe, continentes laudabile veſtrum conſilium, & rationem efficacem: quòd ſi coronatio ad plures pertineret, materiam diſſenſionis, & ſciſmata facilè excitaret, dum vnus vnum, alius alterum in Regem coronaret. quas, cum quibuſdam aliis à Sede Apoſtolica nobis directis, & continentibus ſolam *Strigonienſem* eccleſiam in officiales domus Regiæ iuriſdictionem habere, in occiſione felicis recordationis Vxoris noſtræ, per ſurrectionem amiſiſſe. Quarum continentiam, quia credimus in Regiſtro contineri, petimus à veſtra Sanctitate nobis reſcribi. Nec diffiteri poſſumus, nec volumus quin decima monetæ, vbicunque cudatur in tota Hungaria, vel quicquid loco monetæ ſuccedat, ad ius *Strigonienſis* eccleſię pertineat. Quod etiam in formatione pacis, anno ante præterito à parte aduerſa publicè fuit recognitum: licet minus plenè fuit ſcriptum quàm intellectum. Præſtatio quoq; Sacramentorum Regibus & Reginis Hungariæ, eorundemq; heredibus cum cæteris iuribus, ſicut in confirmationibus veſtris, & anteceſſorum veſtrorum Apoſtolicorum virorum, continetur. Ampliùs, quod admirari non ſufficimus, & Anoticiæ P. veſtrum alienum fore nequaquam volumus: *Colocenſem* ſcilicet Archiepiſcopum, hominem pacis noſtræ, in quo ſperabamus; ob cuius vehementem affectionem, & promotionem ſuper alios, ferè totius regni noſtri maiorum & minorum odium incurrimus; quem etiam nuper à nobis licentiatum Peregrinationis cauſam, ſupra honorem ſibi debitum, extra Regnum cum comitatu duorum epiſcoporum, *Geurienſis* & *Weſprinienſis*, conduci fecimus: pecuniã, quam bonæ memoriæ Vxor noſtra, ad opus & vſum filiorum, & filiarum noſtrarum, congeſſerat, & apud quendam ciuem noſtrum depoſuerat, in auro & argento in maſſa, vaſis & vteſilibus aureis & argenteis, ad extimationẽ VII. millium marcharum, nobis iniuſte ſublatum eſt Apoſtolicam commonitionem præmitti, quæ interpoſitâ & ſatisfactione non ſecutâ in tempore, non indignè ferat P. veſtra, ſi de ipſius prouentibus damnum nobis illatum reſarcire ſtuduerimus. Cæteris autem quæ verbotenus lator præſentium vobis explicauerit, non minùs quàm literis fidem indubitatam adhibeat Sanctitas veſtra.

NOs autem *Nicolaus Patriarcha* Conſtantinopolitanus, *Albertus Patriarcha* Antiochenus, *Bertholdus Patriarcha* Aquilegenſis, & *Philippus* Bituricenſis, *Bonifacius* Cantuarienſis, *Albertus* Armacanus, *Iouellus* Remenſis, *Americus* Lugdunenſis, *Girardus* Burdegalenſis, *Gilo* Senonenſis, *Oddo* Rothomagenſis, *Gaufridus* Turduenſis, *Vilelmus* Biſuntinus, *Ioannes* Arelatenſis, *Ioannes* Compoſtellanus, *Petrus* Tarraconenſis, *Ioannes* Bracharenſis, *Leo* Mediolanenſis, *Vitalis* Piſanus, *Marinus* Barenſis, & *Hiſpanus* Auxicanenſis, *Archiepiſcopi; nec non Robertus* Beluacenſis, *Henricus* Carnocenſis, *Hugo* Lingonenſis, *Guerinus* Lucanus, *Albertus* Mutinenſis, *Arias* Vlixbonenſis, *Petrus* Barchinonenſis, *Gualterus* Vingornienſis, *Robertus* Lincolnienſis, *Dauid* Sancti Andreę, & *Vlricus* Tirieſtinenſis, *epiſcopi*; *Guillielmus etiam* Cluniacenſis, *Bonifacius* Ciſtercienſis, & *Stephanus* Clareuallenſis, *Abbates; frater Ioannes inſuper* Magiſter ordinis fratrum Prædicatorum, *& frater Bonauentura vicarius miniſtri generalis* fratrum Minorum: *Priuilegia & literas prælibata, eorumque ſigilla cum characteribus ſuis, inſpeximus diligenter; factaq; coram nobis collatione de ipſis ad tranſcripta ſuperiùs annotata ſingulis, ſigilla noſtra eiſdem fecimus tranſcriptis apponi. Nulli ergo omnino hominum liceat huius decreti paginam infringere: vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis* DEI, *& beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Lugdun. tertio Idus Iulii, Pontificatus noſtri anno tertio.*

In medio erat plumbũ ipſius Innocentii IIII. cum cordulis ſericeis rubei & galguli coloris: lateraliter pendebant XXXX ſigilla cerea prælatorum hic nominatorũ cũ cordulis fili albi.

B. LVDOVICI REGIS DE CAPTIONE ET LIBERATIONE SVA, EPISTOLA.

LVDOVICVS, DEI gratiâ FRANCORVM REX: *Dilectis & fidelibus suis, Prælatis, Baronibus, militibus, ciuibus, burgensibus suis, & aliis vniuersis in Regno Franciæ constitutis, ad quos præsentes litteræ peruenerint: Salutem.* Ad decus & gloriam Diuini nominis, Crucis prosequi cupientes negotium, totis affectibus vniuersitati vestræ duximus intimandum: Quòd post captionem *Damiatæ*, quam Dominus IESVS CHRISTVS, per ineffabilem suam misericordiam, quasi miraculosè præter vires humanas Christianæ tradiderat potestati, sicut vos credimus non latere, deliberato communi consilio, de Damiata recessimus, vicesimâ die mensis, Nouembri proximo præteriti; congregato tam nauali exercitu quàm terrestri, procedentes aduersus Sarracenorum exercitum, congregatum & castrametatum in loco, qui vulgariter *Massoria* appellatur: in ipso quidem itinere sustinuimus aliquos Sarracenorum insultus, in quibus assiduè detrimentum suorum non modicum receperunt: quadam die nonnullis eorum, qui de exercitu Ægyptiorum nostris occurrerant, interfectis. Intelleximus autem in ipso itinere, *Soldanum Babyloniæ* de nouo vitam miseram finisse: qui, sicut publicè dicebat, & miserat ad filium suum morantem in partibus Orientis, vt in Ægyptum veniret; & eidem à cunctis sui exercitus maioribus fidelitatis fieri fecerat iuramenta: relictâ totius suæ terræ exercitus custodiâ cuidam Admirato suo, nomine *Farchardino.* Hæc quidem, in accessu nostro ad locum prædictum, inuenimus vera esse. Accedentes igitur ad locum prædictum, die Martis, ante festum Natiuitatis Dominicæ, in primis accessum habere nequiuimus ad Sarracenos eosdem, propter quendam fluuium inter vtrumque exercitum defluentem, qui fluuius *Thaneos* dicitur, & in loco illo à magno flumine diriuatur. Inter vtrumque fluuium posuimus castra nostra protendentia a maiori fluuio ad minorem: vbi aliquando conflictu habito cum Sarracenis, multi ceciderunt ex ipsis, nostrorum gladiis interfecti; maximâ insuper eorum multitudine submersâ, in aquis validis & profundis. Sanè, quia memoratus fluuius Thaneos non erat vadabilis, propter profunditatem aquarum & riparum altitudinem, cœpimus facere super eum *calciatam*, vt per eam pateret transitus exercitui Christiano, ad hoc multis diebus cum immensis laboribus, periculis & sumptibus insistentes. Sarraceni autem, è contra totis resistentes conatibus, machinis nostris quas erexeramus, ibidem machinas opposuerunt quas plês, quibus castella nostra lignea quæ super passum collocari feceramus eundem, conquassata lapidibus & contracta, combuxerunt totaliter igne Græco. Quo facto, ferè omni spe & exspectatione frustratâ per *calciatam* illam taliter transeundi, tandem per quendam Sarracenum venientem ab Ægyptiorum exercitu, datumq; fuit nobis intelligi locum esse vadabilem aliquantulum inferiùs, quò poterat exercitus Christianus fluuium transmeare. Inde, communicato consilio Baronum & aliorum maiorum de exercitu, die Lunæ antè *cineres*, fuit concorditer ordinatum, quòd in crastino, die videlicet *Carnipriuii*, summo mane conueniremus ad locum prædictum, fluuium transituri, quadam parte exercitus ad castrorum custodiam ordinatâ. Die itaque crastinâ, ordinatis aciebus, venientes ad locum, transiuimus fluuium non tamen sine graui periculo. Nam profundior & periculosior erat locus, quam nobis fuerat intimatum: ita quòd ibi oportuit natare equos nostros: & propter altas & lutuosas ripas, periculosus erat exitus fluminis antedicti. Transacto itaque flumine, ventum est ad locum vbi erant Sarracenorum machinæ, iuxta calciatam prædictam. Et habito cum Sarracenis aggressu, nostri qui præcedebant, multos ex ipsis trucidarunt gladiis, non parcentes sexui vel ætati. Inter quos Capitaneum eorundem, & quosdam alios Admiratos interfecerunt

ceffecerunt ibidem. Deinde verò dispersis aciebus nostris, quidam nostrorum per castra hostium discurrentes, venerunt vsque ad villã quæ *Massora* dicitur, quotquot hostium occurrebãt gladiis occidentes. Sed tandem Sarraceni, cognito eorum inconsulto processu, resumptis viribus irruentes in eos, & circumuallantes vndique, oppresserunt eosdem: vbi facta est nostrorum strages non modica Baronum & militum, tam religiosorum quàm aliorum, de qua non immeritò doluimus quamplurimùm & dolemus. Ibi etiam illum præcordialem & præclarum fratrem nostrum, recolendæ memoriæ, & *Atrabensem Comitem*, temporaliter amisimus: quod cum cordis amaritudine recolimus & dolore, licet de ipso gaudendum sit potiùs quàm dolendum; Quoniam pro certo credimus & speramus eũ, coronâ martyrii, ad cœlestem euolasse patriam, & ibi eum Sanctis martyribus perenniter congaudere. Itaque die illâ, Sarracenis super nos irruentibus vndique, ac imbrem emittentibus sagittarum, graues insultus sustinuimus eorundem vsque circiter horam nonam, deficiente nobis omninò balistarum subsidio: & tandem, multis ibidem vulneratis ex nostris & equis nostris pro maiori parte diuersis sauciatis vulneribus aut occisis, Domino auxiliante, campũ retinuimus, nostrorum viribus recollectis: & ibi, iuxta Sarracenorũ machinas, quas adquisiuimus, eadem die castra nostra posuimus: vbi cum paucis moram fecimus die illo: facto ibi priùs ponte de lignis, per quẽ possent illi ad nos qui erant vltra fluuium transmeare. In crastino verò plures è nostris de mandato nostro fluuium transeuntes, castra metati sunt iuxta nos: & tunc, destructis Sarracenorum machinis, *licias* fecimus ad pontes nauales, per quos nostri de vno exercitu ad alium transire liberè poterant & securè. Sequenti autem die Veneris, filii perditionis, congregatis ex omni parte viribus suis, Christianum exercitum omninò perdere intendentes, in fortitudine maxima, & in multitudine infinita conuenerunt ad licias nostras, ex omni parte exercitus tantos tamque terribiles facientes insultus, quantos, sicut à pluribus dicebatur, in eis marinis partibus nunquam viderant facere Sarracenos. Quibus tamen, Diuinâ præualente potentiâ, ordinatâ ex omni parte exercitus nostrorum copiâ restitimus, & impetus repulimus eorundem, maximâ eorum multitudine nostrorum gladiis incumbente. Postmodum autem elapsis aliquot diebus aduentauit apud *Massoram* Soldani filius, veniens de partibus Orientis: in cuius aduentu tympanizantes & lætantes Ægyptii, receperunt eum ad Dominum: & ex hoc augmentata est eorum non modicùm fortitudo. Vnde apud nos postmodum, nescimus quo DEI iudicio, omnia nostris desideriis in contrarium successerunt: inolente diuersarum ægritudinum peste, & mortalitatis etiam generalis tam in hominibus quàm in equis: ita quòd vix erant in exercitu aliqui qui mortuos suos nõ plangerent, aut ægrotantes ad mortem. Vndè pro magna parte diminutus erat exercitus Christianus, & consumptus. Tantus erat defectus victualium, quòd plures inediâ deficiebant & fame. Non enim vasella naualia de *Damieta* ad exercitum transire poterant, impedientibus Sarracenorum galeis & vasis piraticis, quæ per terram in flumine collocauerant antedicto. Sicque compluribus vasis nostris priùs captis ab eis in flumine, tandem duas successiuè *carauanas*, victualia & alia multa bona ad exercitum deferentes, cæsa marinanorum & aliorum multitudine, ceperunt, in totius exercitus detrimentum. Vnde deficiente omninò victualium, & annonæ equorum suffragio, cœperunt in exercitu deficere ferè omnes, in desolationem & terrorem non modicum incidentes. His igitur artatos incommodis, tam propter ciborum carentiam & equorum annonæ, tam propter casus superiùs annotatos, ineuitabilis necessitas nos induxit à loco prædicto recedere, & ad partes Damiatæ redire, si Dominus prouidisset. Sed, *cùm viæ hominis non sint in eo, sed potiùs in illo, qui* (Ierem. 10, 23.) *quorumq; gressus dirigit, & disponit iuxta sua placita voluntatis*: dum essemus in itinere reuertendi, quinto scilicet die mensis Aprilis, & Saracenis totis suis viribus congregatis in vnum, cum multitudine infinita aggressi sunt exercitum Christianum; &, sicut accidit, permissione Diuinâ, peccatis nostris exigentibus, in manus inimicorum incidimus: nobis, & karissimis fratribus nostris, *A. Pictauensis*, & *K. Andegauensis* Comitibus, & cæteris qui nobiscum reuertebantur per terram, nemine penitùs euadente, captis & carceribus mancipatis, non sine maxima strage nostrorum, & effusione non modica sanguinis Christiani:

maiori parte illorum qui reuertebantur per fluuium, similiter captâ, aut gladio interfectâ; vasellis naualibus, vt plurimùm, incendio dissipatis, in quibus incendii flamma combuxit ægrotantum multitudinem dolorosum. Sanè post captionem nostram, per dies aliquot iam dictus *Soldanus* requiri nos fecit de treugis faciendis: petens instanter, non sine minis & austeritate verborum, quòd sublato moræ dispendio, faceremus sibi restitui Damiatam, cum omnibus rebus ibidem inuentis; & resarciremus omnia damna, & expensas quas fecerat vsque ad tempus illud à die quâ receperant Damietam Christiani. Tandem verò post multos tractatus, treugas iniuimus vsque ad decennium, sub hac forma: videlicet, Quòd idem Soldanus nos, & omnes qui capti fuerant à Sarracenis postquam venimus in Ægyptum, 10 Christianos captiuos, nec non & omnes alios de quibuscumque partibus oriundos, qui capti fuerant à tempore quo *Soldanus Kyemel*, auus eiusdem *Soldani Caym*, cum Imperatore treugas inierat, de carcere liberaret; & liberos abire permitteret vbi vellent: & quòd terras, quas Christiani in regno Ierosolymitano tenebant in aduentu nostro, cum omnibus pertinentiis in earum pace tenerent. Nos autem tenebamur ei reddere *Damiatam*, & octingenta millia *Bisantiorum* Saracen. pro liberatione captiuorum, & damnis, & expensis prædictis: de quibus iam soluimus quadringentos: & liberare omnes Sarracenos captos in Ægypto à Christianis, postquã illuc venimus: nec non & eos qui capti fuerãt in regno Ierosolimitano, à tempore treugarum olim factarum inter Imperatorem & Soldanum prædictum. Adiecto, quòd omnia bona nostra mobilia, & omnium aliorum apud Damiatam remanentia, post recessum nostrum, salua forent, & sub custodia & defensione eiusdem Soldani, portanda ad terram Christianorum quandocumque oportunitas haberetur. Omnes etiam Christiani infirmi, & alii qui pro vendendis rebus suis quas ibi habebãt, in Damiata moram traherent, tuti similiter essent, recessuri per terram vel per mare, quando vellent sine impedimento vel contradictione quacumque. Et omnibus illis qui per terram vellent recedere, tenebatur idem Soldanus vsque ad terram Christianorum securum præstare conductum. Vndè cùm huiusmodi treugæ inter nos & Soldanum prædictum, præstitis iuramentis hinc inde firmatæ fuissent: & iam idem Soldanus esset cum suo exercitu in itinere veniendi aduersus 30 propè Damiatam, pro complendis omnibus supradictis: accidit, Diuino iudicio, quòd quidam milites Sarraceni, non sine conniuentia vel maioris partis exercitus, irruentes in *Soldanum* prædictum surgentem in manè de mensa, post prandiũ, ipsum immaniter vulnerauerunt; & de suo tentorio exeuntem, vt posset fugæ beneficio liberari, videntibus ferè omnibus Admiratis, & aliorum Sarracenorum multitudine, frustratim gladiis trucidarunt. Quo perpetrato, statim multi Sarraceni armati, in illo furoris calore, venerunt ad nostrum tentorium, ac si vellent, vt timebatur à multis, in nos & alios Christianos desæuire: sed Diuinâ clementiâ, eorum furiem mitigante, super firmandis treugis præhabitis cum Soldano, & ciuitatis Damiatæ liberatione festinâ, nos requisierunt instanter. Cum quibus, præmissis tamen ab 40 eis verborum & comminationum tonitruis, tandem sicut Domino placuit, qui tanquam pater misericordiarũ, & pius in tribulationibus consolator, gemitus compeditorum exaudit, firmauimus cum iuramẽtis treugas quas feceramus antea cum Soldano; & ab omnibus & singulis eorum recepimus iuramenta, iuxta legem eorundem super treugis nostris obseruandis: determinatis certis temporibus, infra quæ captiui liberarentur hinc inde; & Damiatæ ciuitas redderetur. In cuius redditione, & tunc cum Admiratis eisdem, & antea cum Soldano ea de causa non sine difficultate conuenimus: quia spes nulla erat de retinenda ciuitate iam dicta, sicut certissimè per illos intelleximus qui ad nos de Damieta venerant, veritatem nullatenus ignorantes: propter quos, de consilio Baronum Franciæ, & quamplurimum 50 aliorum, potiùs elegimus Christianitati fore consultius, nos & captiuos alios pro treugis huiusmodi liberari, quàm ciuitatem taliter admittere cum residuo populi Christiani existentis in illa, quàm nos & alios sub tantis periculis in carcere remanere. Die igitur statutâ receperunt Admirati prædicti ciuitatem eandem: quâ receptâ, liberauerunt nos, & fratres nostros; nec non *Comites Britanniæ*, & *Flandriæ*, & *Suession.* Et multos alios Barones, milites de regno Franciæ, Ierosolimorum, & Cypri. Et tunc spem firmam habuimus, ex quo nos liberauerunt & alios supradictos,

quòd

quòd de reddendis & liberandis omnibus aliis Christianis, iuramenta sua firmiter obseruarent, secundùm continentiam treugarum. His itaque peractis, à partibus Ægypti recessimus, certos nuntios dimittentes ibidem, ad recipiendum captiuos à Sarracenis, & ad custodiam rerum quas ibidem dimisimus: & quòd non habebamus nauigia quæ sufficerent ad portandum. Postmodum autem, venientes in actu de re habendis captiuis, quod multùm insidet cordi nostro sollicitè cogitantes, remisimus alios solemnes nuntios & nauigia in Ægyptum, ad reducendum captiuos, & res alias quas dimiseramus ibidem: scilicet, machinas nostras, arma, tentoria, quandam quantitatem equorum, & alia multa bona. Sed Admirati prædi-
10 cti nuntios nostros, cum instantia postulantes reddi sibi captiuos iuxta formam treugarum & alia supradicta, detinuerunt diutius in Babylonia, sub spe reddendi omnia quæ petebant. Tandem verò post exspectationem diuturnam de captiuis omnibus quos reddere tenebantur, qui sunt, vt firmiter dicitur, numero plus quàm duodecim millia, inter antiquos & nouos, non liberauerunt nuntiis nostris nisi tantummodo quadringentos; de quibus pars quædam exiuit de carcere pecuniâ mediante: de cæteris tantùm rebus, nihil omninò reddere voluerunt. Immò, quod est detestabilius, post treugas initas & iuratas, sicut intelleximus per nuntios nostros, & per captiuos quosdam fide dignos de illis partibus redeuntes, electos iuuenes de Christianis captiuis ducendo ad victimam, tanquam
20 oues, quantum in eis erat, compellebant apostatare à fide Catholica, appositis gladiis super eorum ceruicibus, & clamare legem sceleratissimi Machometi: quorum multi imbecilles & fragiles exorbitauerunt à fide, legem illam detestabilem profitendo. Cæteri verò, tanquam Athletæ fortissimi, in fide radicati, & in firmo proposito constantissimè persistentes, minis vel flagellis hostium superari nullatenus potuerunt: sed certantes legitimè, coronas martyrii receperunt sanguine rubritas: quorum sanguis, vt pro certo tenemus, clamabat ad Dominum pro populo Christiano, & aduocati nostri erunt coram summo Iudice in cœlesti curia, in causa quam agimus contra fidei inimicos, vtiliores nobis in illa patria quàm si nobiscum conuersarentur in terris. Multos etiam Christianos qui a-
30 pud Damiatam remanserant ægrotantes, gladiis trucidarunt. Nec de liberandis captiuis Christianis; nec de rerum restitutione nostrarum, aliquam certitudinem habebamus, quamuis plenè seruauerimus conditiones & pacta quæ cum eis habuerimus, & parati fuerimus obseruare. Ad hoc cùm post treugas initas & liberationem nostram, firmam haberemus fiduciam, quòd liberatis captiuis, terra transmarina quam Christiani tenebant, in statu pacifico permaneret, vsque ad tempus in treugis diffinitum: voluntatem & propositum habuimus ad partes regni Franciæ reuertendi: & iam disponi feceram de nauigio, & aliis, quæ ad nostrum passagium necessaria videbantur. Sed apertè videntes, per ea quæ superiùs sunt expressa, quòd Admirati prædicti apertè contra treugas veniebant,
40 & contra propria iuramenta nobis & Christianitati illudere non verentes, requisimus consilia Baronum Franciæ, Prælatorum, domorum Templi, Hospitalium Sancti Iohannis, & Sanctæ Mariæ Teutonicorum, Baronum regni Ierosolimitani: & communicatum quidem esset nobis in euntibus huiusmodi faciendum: quorum maior pars concorditer asserebat, quòd si nos recedere contingeret his diebus, prædictam terram dimitteremus omninò in amissionis articulo constitutam; & noster recessus, non esset aliud, nisi eam totaliter exponere Sarracenis: maximè cùm in statu tam debili, & tam miserabili his diebus esset, proh dolor! constituta: Captiui etiam Christiani qui ab infidelibus detinentur, post recessum nostrum poterant pro perditis reputari, omni spe de liberatione ipsorum subla-
50 tâ. Si autem contingeret nos morari, sperabatur quòd ex mora nostra posset aliquod bonum euenire: ex quo etiam liberatio captiuorum, & castrorum & villarum regni Ierosolimitani retentio, & quædam alia toti Christianitati vtilia possent, actore Domino, prouenire: maximè cum inter *Soldanum Halapiæ*, & *Babylonios* grauis discordia sit exorta. Qui Soldanus, congregatis suis exercitibus, iam cepit *Damascum*, & quædam castra sub dominio Babyloniæ constituta: processurus, vt à multis asseritur, in Ægyptum ad vindicandum mortem interfecti Soldani,

& ad terram illam quantum poterit occupandam. His igitur consideratis attentè, prædictæ Terræ Sanctæ compatientes miseriis & pressuris, qui ad eius subsidium veneramus, ac captiuorum nostrorum captiuitatibus & doloribus condolentes, licet nobis dissuaderetur à multis morari in partibus transmarinis: malluimus tamen adhuc differre passagium, & morari per tempus aliquod in regno Syriæ, quàm negotium CHRISTI totaliter relinquere desperatum, & captiuos nostros in tantis periculis constitutos. Karissimos autem fratres nostros *A. Pictauiensem*, & *K. Andegauensem* Comites, ad karissimæ dominæ ac matris nostræ, nec non & totius Regni consolationem, in Franciam duximus remittendos. Cùm igitur omnes qui in nomine Christiano censentur, zelum habere debeant ad negotium memoratum: & vos præcipuè, Clerici, qui de illorum sanguine descendistis, quos Dominus ad Terram Sanctam acquirendam, tanquam populum peculiarem elegit, quam acquisitionis titulo propriam reputare debetis, vniuersitatem vestram ad illud seruitium inuitamus, qui nobis in Cruce seruiuit, & pro redemptione vestra sanguinem proprium effundendo, excitet, ita quòd corda vestra noua in CHRISTI IESV. Gens enim illa sceleratissima, in contumeliam Creatoris, præter blasphemias quas dicebant in conspectu populi Christiani, Crucem flagellis cædebant, spuebant in eam, & deinde viliter pedibus conculcabant, in opprobrium fidei Christianæ. Eya ergo, milites CHRISTI, peculiaris Papæ DEI viui, accingimini, & estote viri potentes ad vindicandas iniurias & opprobria supradicta; actus vestros ad antecessorum vestrorum exempla reducite, qui specialiter inter cæteras nationes, fuerunt in fidei exaltatione deuoti, & sinceritatis affectu, dominis suis temporaliter obsequentes, totum orbem gestis insignibus impleuerunt. Præcessimus vos in obsequium DEI: venite & vos, assequimini nos pro DEO, tandem nobiscum, licet tardiùs deueneritis, recepturi, Domino largiente, mercedem, quam *Euangelicus Paterfamilias* primis donauit vineæ suæ operariis, & extremis. Insuper, præter indulgentiam generalem Cruce signatis indultam, venientes, vel competens subsidium transmittentes in nostros subsidium, immò potiùs Terræ Sanctæ, dum ibi præsentes fuerimus, apud DEVM, & homines multùm sibi fauoris & honoris acquirent. Expedite autem negotium: vt illi, quibus virtus Altissimi inspirabit venire vel mittere in subsidium memoratum, præparent se venturos vel missuros in *Passagio* instantis mensis Maii vel Aprilis: Ipsi autem qui parati esse non poterunt ad transmittendum in illo passagio, saltem in secundo sequenti *passagio sancti Iohannis* transfretare procurent in subsidium memoratum. Acceleratione enim opus est, & mora dispendiosa videtur, iuxta negotii qualitatem. Vos autem, Prælati & alii CHRISTI fideles, pro nobis ac memorato negotio Terræ Sanctæ specialiter orationum instantiâ interpellare velitis Altissimum; ac in locis vobis subiectis faciatis specialiter exorari, vt quod nostra peccata præpediunt, Diuinæ suæ propitiationis annuente clementiâ, vestrarum aliorumque bonorum orationum suffragiis valeat. Actum *Acon*, Anno Domini MCC. quinquagesimo, mense Augusto.

Matth. 20. v. 8.

REGIS

REGIS FRANCORVM
B. LVDOVICI CANONISATIO.

BONIFACIVS episcopus seruus seruorum DEI: *Venerabilibus fratribus, vniuersis Archiepiscopis & Episcopis, exemptis & non exemptis per Regnum Franciæ constitutis: Salutem & Apostolicam benedictionem.* Gloria, laus & honor Patri luminum (à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum) à cunctis fidei orthodoxæ cultoribus, quorum spes tendit ad superos: summis, & sedulis deuotionis & reuerentiæ studiis referantur. Ipse namque in misericordia copiosus, liberalis in gratiis, & in retributione munificus, de supremis cœlorum ad ima mundi oculos suæ maiestatis inflectens, & benignâ consideratione discutiens beati LVDOVICI quondam *Regis Franciæ* inclyti, suique gloriosissimi confessoris merita grandia, operaque mirifica: quibus ipse cõstitutus in sæculo, ceu lucerna luminosa, resplenduit: eaque veluti iustus iudex & retributor laudabilis dignanter intendens condignis recompensare muneribus: eum tanquam emeritum & retributione dignissimum, post vitæ præsentis ergastulum, & laboriosa mundi certamina (quæ feruens in diuinis obsequiis potenter & patenter exercuit) æthereis sedibus collocauit, vt sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat: fœlicitatis æternæ dulcoribus potiturus. Exultet igitur mater Ecclesia, ac solennia festiua concelebret gaudiorum: quòd tãtum & talem filium genuit, produxit natum, educauit alumnum, iam inter regum cœlestium gloriosa agmina rutilantem. Lætetur inquam & iubilet, ac in laudes Altissimi voces promat: quòd sobolis tam præcelsæ, tam celebris illustrata fulgoribus, insignis decorata conspicitur. Quæ sonoris attollenda præconiis summæque venerationis exhibitione colẽda, enucleatiùs aperit, euidentiùs explicat: illos ad perennis beatitudinis gaudia, & hereditatis æternæ participationem admittendos: qui prædictam Ecclesiam, matrem fidelium, sponsam CHRISTI claris fidei & operis testimoniis profitentur, nullosque in supernæ patriæ gloriam, nisi per eius, vtpote cœlorum clauigeræ, ministerium virtuosum, ostiis reseratis altissimis, introire. Gaudeant incolarum turbæ cœlestium, de tam sublimis tam lucidi habitatoris aduentu: quòd ipsis expertus probatusque fidei Christianæ colonus, cultorq; præcipuus aggregatur. Personet lætitiæ iubilum, ciuium gloriosa nobilitas supernorum: quòd tanti talisq; conciuis suscepisse dinoscitur adiectiuum: ac venerabilis sanctorum cœtus gaudio & exultatione refloreat, de noua dignissimi adhibitione consortis. Exurge itaque concio numerosa fidelium, exurgite fidei zelatores: & vnà cum eadem Ecclesia laudis vberis hymnum concinite. Perfundantur imbre copioso lætitiæ vestra præcordia, & fœcundo rore dulcedinis arcana pectoris repleantur, de tãta tam potentis & egregii principis exaltatione terreni: spei tutissimæ plenitudine preconceptâ, quòd nobis de indigena terrenorum, compatriota cœlestium iam effecto, apud æterni Patris Filium efficax patronus accreuit: qui pro salutis nostræ profectibus, iam in eius præsentia positus: solertis exercet officium oratoris. Porro quis posset amplo famine præpotens, quis disertus quantumlibet, aut eloquii nitore coruscans, sufficienter exprimere præcelsa sanctitatis insignia & multiplicium excellentiam meritorum, quibus beatus LVDOVICVS prædictus in terris constitutus effulsit? cùm eò plura de ipsius laudabilibus actibus referenda se offerant, quò plura calamus exprimit, pandunt labia, lingua pangit. Sed ne ipsorum actuum claritas sub nubilo lateat, tenebris obducatur: dignum duximus vt de illis aliqua sermo noster aperiat, & deducat in publicam notionem. Hic profectò clarissimus genere, sublimis potentiâ, facultatibus opulentus, præcelsus virtutibus, moribus elegans, conspicuus extitit honestate: inhonestis & turpibus à se penitus relegatis. Nã

Iaco. 1. 1. Reg. 2.

sic pudicitiæ adhæsit operibus, sic carnis studuit euitare contagia: quòd sicut habet certa credulitas plurimorum: nisi ei nexus accessisset vxorius, candore virgineo rutilasset. Longi quippe spacio temporis, prædicti regni regimini præfuit, eiusque gubernacula, plena curis, prouidâ circumspectione direxit: nulli noxius, non iniuriosus alicui, nemini violentus. *Iustitiæ* limites summopere seruauit & coluit, æquitatis tramitem non relinquens: peruersorum conatus nefarios pœnæ debitæ mucrone compescuit: malorum molimina conterens, prauorum illicitos ausus frenans. *Pacis* zelator eximius, feruidus amator concordiæ, promotor solicitus extitit veritatis: dissidia fugiens, vitans scandala, dissensiones abhorrens. Propter quod sui felicis regiminis tempore, sedatis vndique fluctibus, subductis noxiis, turbinibus profugatis, regni eiusdem incolis aurora dulcifluæ tranquillitatis illuxit, lætaque serenitas votiuæ prosperitatis arrisit. Et vt *de vita ipsius* aliqua referamus: licet illa quò maiori expositione discutitur, examine indagatur, eò referentis afferat gustui plus dulcoris, mentesque delectet obnixiùs auditorum. Ab ineuntis ætatis primordiis DEI FILIVM tenerâ mentis affectione dilexit: nec diligere desiit studia continuando salubria, dum vitæ sibi commoditas affuit temporalis: sed quanto maiori profecit ætate, ac in tempora prolixiora prosiliit, tanto in eius exarsit amorem, feruore spiritus ampliore. Hic equidem cùm esset *annorum duodecim*, paterno destitutus auxilio: sub claræ memoriæ *Blanchæ* Reginæ Franciæ matris suæ custodia & gubernatione remansit: quæ circa diuina obsequia feruenter intentat, eum prudenter dirigere, ac diligenter instruere satagebat: vt ad præfati regni regimen, quod suæ directionis expetere prouidētiam noscebatur, dignus & sufficiens fieret, idoneus haberetur. Cumque per incrementa temporum, idem Rex ætatis *annum quartum decimum* attigisset: prædicta Regina sibi magistrum proprium deputauit, qui eum scientiâ litterarum imbueret ac bonis moribus informaret. Ipseque Rex sub eiusdem magistri ferula positus, sic ei obediens & reuerens existebat, sicque illius recipiebat humiliter disciplinam, quòd supernâ præuentus gratiâ, profecit laudabiliter in vtrisque: circa diuina sic intentus officia, vt nequaquam ipsorum auditione contentus existeret, nisi ea quæ coram se die noctuque à suis faciebat clericis solenniter celebrare, ab ipso cum eorum aliquo attentiùs dicerentur. Demum successu temporis *in anno vicesimo* constitutus, & quadam sibi ægritudine superueniente grauatus, à Parisiensi & Meldensi Episcopis assistentibus tūc eidem, viuificæ Crucis signaculum in Terræ Sanctæ subsidium sibi cum multa instantia petiit exhiberi. Et licet hoc ei rationabili causâ moti, præfati dissuaderent Episcopi: ipse tamen, vtpote feruens spiritu erga DEVM, eique votis ardentibus famulari desiderans, illorum salubriter dissuasionibus non admissis, signum huiusmodi de manu præfati Parisiensis Episcopi cum multa lætitia & exultatione recepit, prælatis, nobilibus & militibus plurimis signum ipsum assumentibus cum eodem. Et tandem amplo præparato nauigio, factisque apparatibus aliis qui in talibus requiruntur, *cùm tricesimum quartum annum attigisset ætatis*, in prædictum subsidium transfretauit: consortes ei, Robertum Attrebatensem, Alphonsum Pictauensem, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ tunc Andegauiæ, Comites, fratres suos dum adhuc viuerent, secum ducens, multa, grauiaque pericula, quæ solent æquorei fluctus ingerere, sustinendo. Cumque ad partes illas ingenti circumfultus potentiâ peruenisset, & habito de ciuitatis Damiatæ captione triumpho, processisset vlteriùs: generali quasi totius eiusdem exercitus, sicut Domino placuit, ægritudine subsecutâ, & aliis aduersis vrgentibus, præfatus Rex cum toto ferè exercitu supradicto in Soldani & Saracenorum manus ac potentiam incidit: multa opprobria multasque iniurias, quæ inferentium fœda conditio adaugebat, patienter & humiliter tolerando; præfato Roberto Comite, pro fide CHRISTI, ab illis immaniter interempto. Postmodum autem habito cum Soldano tunc viuente tractatu de iam dicto Rege ac exercitu liberando, maximâ interueniente pecuniæ quantitate, ipsoque Soldano occasione huiusmodi à vasallis propriis interfecto: Saraceni, qui eius dominium vsurparunt, ad pecuniam anhelantes, eandem cum multa instantia postulabant, vt in conuentionibus ordinatis concorditer inter partes iureiurando firmandis penitus adderetur: *quòd nisi ipsi pacta seruarent, omnino Machometum quem colunt (vt dicitur) denegarent: ac idem Rex in suo adiiceret iuramento, quòd & ipse*

& ipse DEI negaret FILIVM ac extra fidem eius existeret: si conuentiones prædictæ ab eo minimè seruarentur. Quod præfatus Rex abominans: id efficere constantissimè recusauit: quin potius quadam indignatione commotus patenter asseruit, Quòd talia tam nefanda suis labiis aliquatenus non proferret; neque in tam vesanam & reprobam prorumperet negatiuam: quanquam id ei iam dicti Pictauiæ & Andegauiæ comites, aliiq; tunc plurimi circunstantes instantissimè suaderent, cùm exinde sibi cæterisque Christicolis mortis periculum verisimiliter imminere conspiceret: præsertim cùm hoc ageretur cum illis, qui, sicut præmittitur, Soldanum prædictum occiderant, eius sibi dominium vsurpantes: ipsique Regi apertiùs diceretur, 10 quòd nisi in actum produceret quod petebant, ipsum & suos crucifigere non differrent: ipsius Regis ad hæc intrepida firmaque responsio est secuta: quòd *si Saraceni prædicti eius corpus occiderent, ipsius tamen animam non haberent.* Sanè cùm iam dicti Passagii tempore, post conflictus diuersos & varios, validæ famis inediam, graues penurias, diraque vulnera quæ fideles CHRISTI pertulerant, eodem Rege tunc temporis fluxum ventris & ægritudines alias patiente, Christianus reuerteretur exercitus Damiatam: Rex ipse nolens illum omnino deserere, sed eius potiùs clementer intendens communicare laboribus, & participare periculis, quæ tunc ex verisimilibus poterant coniecturis timeri, illuc rediit cum eodem: contra Saracenorum rabiem truculentam insultusque nefarios, sibi efficax defensionis impendendo præsidium, vt ab huiusmodi hostium scelestis insidiis seruaretur. Et tandem, cùm Saracenorum ipsorum astuta nequitia & dolosa calliditas, tam grandi bellantium copia Christianum circumdedisset exercitum, validâ tunc, sicut præmittitur, infirmitate detentum; ipsumque tam grauiter inuasisset, quòd Regem & exercitum supradictos oportuit se præfatis reddere Saracenis. Ac idem Rex, nisi facto voluntatis libitum obstitisset, per nauis tunc promptæ potuisset euasisse suffragium; sibique hoc plurimi magnique, præsentes inibi, suaderent: ipse tamen propter nimiæ charitatis ardorem, quo vehementiùs æstuabat, volens potiùs periculis corpus exponere, vt Christianus populus seruaretur illæsus: licet Saracenorum notitiam ipsius debilitas non lateret exercitus; nec Saracenorum existeret ignota potentia Christianis: euadere noluit, remanentibus cæteris vinculo captionis astrictis: apertiùs asserendo, *quòd militiam quam secum duxerat, secum, si posset, reducere intendebat; vel capi seu mori pariter cum eadem.* Cumque inter Regem & Christianos ac Saracenos prædictos, de ipsorum Regis & Christianorum, sicut superiùs est expressum, liberatione tractatus habitus & conuentionum subsecuta ordinatio extitisset: Saraceni, pro quadam parte precii redemptionis huiusmodi quæ soluenda restabat, securitatem habere plenariam intendentes, in electionem ipsius Regis totaliter posuerunt: vt, vel ipse liberaretur à carcere, remanentibus ceteris Christianis in vinculis donec huiusmodi solutio perfecta succederet; vel quòd idem in carcere remaneret, Christianis ipsis omnimodè liberatis. Præfatus Rex 40 super hoc promptum nec dilatum responsum præbuit: quòd ipse, quousque solutionis huiusmodi proueniret integritas, remanere in carcere intendebat, Christianis aliis libertati pristinæ restitutis: quanquam præfati Alphonsus & Carolus, ac alii viri nobiles, tunc astantes, expressè dicerent & profiterentur apertiùs quòd in hoc nullatenus consentirent: supplici adiicientes instantiâ, quòd potiùs Rex ipse recederet, aliis minimè absolutis, Rege ipso firmissimè replicante contrarium, nec assentiente sermonibus eorundem. Et tandem Rege, & cæteris captiuis eisdem, plenæ redditis libertati, dictoque Alphonso pro eiusdem solutionis perfectione facienda obside dimisso: præfatus Rex de galea in qua erat egredi noluit, donec ipsius solutionis defectus extitit adimpletus, dictusque Alphonsus ad eius præsen- 50 tiam rediit; ac omnes etiam Christiani, quos in propinquo carcere detinebant inclusos, quosque in Babyloniam manus inimica non traxerat, liberati à vinculis; ac illi etiam, qui tunc in Damiata similiter tenebantur, fuerunt in nauibus collocati. Demum præfatus Rex cum eodem liberatus exercitu ad ciuitatem rediens Acconensem; moramque inibi fermè per quinquennium contrahens, tanquam feruidus salutis humanæ amator, multorum Agarenorum mentes, durâs quantumlibet, non solùm salubris eloquii suadelis, sed etiam exemplo vitæ laudabilis conuertit ad Dominum: ipsos faciens, ad laudem Diuini

nominis, & exaltationem Catholicæ fidei, honorificè baptizari: eos donis prosequendo largifluis, & gratiosis fauoribus cōfouendo: multosq; milites, & alios Christianos redimi faciens, eis de munificentia regia tam vestes quàm cætera necessaria victui, prout singulorum suadebat conditio, ministrabat. Muros quoque seu mœnia ciuitatum & castrorum quamplurimorū, quæ in illis partibus à fidelibus tenebantur, fecit reparari solenniter; eaque firmiter muniri & integrè, prout necessitas exigebat. Verùm prędictus Rex processu temporis, intellecto quòd matrem eius mors amara subtraxerat, & eidem regno graue periculum immineret, de procerum suorum consilio, ad regnum Franciæ remeauit: nunc sanctitatis insistens operibus, nunc monasteria & hospitia pauperum, nunc domos aliis diuinis obsequiis dedicandas, quæ longum esset enarrare per singula, construi faciendo, eis de bonis propriis amplis dotibus deputatis: nunc etiam infirmos & debiles in diuersis Monasteriis & Xenodochiis decumbentes personaliter visitans, ipsos verbis consolatoriis confouebat, eis manibus propriis flexo genu potus & cibaria ministrando. Cumque in *monasterio Regalis Montis, Beluacensis diocesis*, quod idem Rex opere plurimùm sumptuoso construxit, ac dotibus decorauit eximiis, monachus quidam Leodegarius nomine moraretur: quem adeo lepræ morbus inuaserat, quòd abominabilis & despectus quamplurimùm, manebat segregatus ab aliis, in quadam camera positus monasterii memorati: cuiusque oculi ob grauis infirmitatis pondus seu malitiam iam consumpti, nihil omnino videbant, eorum foraminibus siue locis, rubeis & horridis iam effectis; quique nasum perdiderat; eius tumefactis non modicùm labiis, & profundâ fissurâ destructis: ac idem Rex eum præsente duntaxat Abbate monasterii supradicti personaliter visitaret, ipsumque sumentem cibum, vt poterat, inuenisset: præfatus Rex præmisso benignæ salutationis alloquio, flexit genua coram ipso, & scindens manibus propriis carnes eidem appositas, bolos in os eius studiosissimè immittebat: & huiusmodi non contentus obsequio, allatis eius iussione dapibus regalibus, de ipsis eidem monacho ministrabat, loci aut ægri qualitatem horribilem non euitans: eodem Abbate vehementi stupore concusso, quòd tanti sublimitas principis talibus quantumcunque salubribus inuolui studiis, ac seruitiis poterat occupari. Præterea cùm dictus Rex hospitale *Compendiense* ingressus, ad impendendum humanitatis obsequium infirmis in illo degentibus; & iam fessus non modicùm ex labore, infirmum quendam iuxta se positum conspexisset *morbum qui sancti Eligii dicitur* patientem; & flexis genibus coram ipso, morsellum piri remoto cortice poneret in os eius, sanies de illius naribus defluens fœdauit turpiter manus regis: qui piè benigneque id tolerans, nec in aliquo exinde immutatus, lotis illico suis manibus, salubre quod inchoauerat obsequium diligenter est prosecutus. Hic circa seruos CHRISTI ac *pauperes* atque miserabiles & deiectas personas valde compatiens, se ipsis in eleemosynarum largitione munificum exhibebat. *Virginibus* insuper, quibus inopia effectum maritalis copulæ denegabat, ne illas in carnis lubricum labi contingeret, de dotibus congruis prouidebat illis de bonis regalibus: laudabiliter & salubriter expensum reputans, quod in eleemosynas & alios pios vsus conuerti pro tempore noscebatur. Hic prædicationibus, & aliis propositionibus *Verbi DEI* attentum accommodabat auditum: non auditor obliuiosus factus, sed factor operis studiosus. Abhorrebat *hæreticæ* prauitatis maculâ infectos: ne fidei Christianæ cultores labe huiusmodi contagionis inficerent, de regni prædicti finibus efficacibus studiis expellendo; ac aliàs, circa statum eius prouidendo sollicitè: vt ab ipso fermentis talibus prorsus exclusis, in eo fidei prædictæ synceritas rutilaret. Cùm verò aliquibus partibus dicti Regni, ob sterilitatem seu malitiam temporis, victualium caristia imminebat: statim de ipsa rumoribus intellectis, certam illuc summam pecuniæ, prout ipsarum exigebat qualitas partium, per fidelem mittebat nuncium, inter pauperes diuidendam. Hic profectò humilitate sublimis, sublimitate humilis: in *apparatu* & *vestibus*, quas frequenter pauperibus erogabat, post primum potissimè de vltra marinis partibus reditum, summæ humilitatis insignia demonstrauit. Nec enim aureis vel argenteis ornamentis, non regalibus vestibus, non variis vel griseis, sed aliis humilibus pellibus vsus fuit: sæcularibus pompis à se penitus abdicatis. Et ne feruorem spiritus sociæ carnis ardor extingueret,

tingueret, sed mortificatione ac repressione illum potiùs accendi contingeret altiusque sustolli; carnem ipsam quasi assidui *asperitate cilicii*, prout asseritur, edomans, effrenæ ipsius libitum arctæ abstinentiæ freno cohercuit, eiusque nexibus alligauit: vt non voti proprii ducta libidine, non sui desiderii directa remigio: sed salubri moderamine spiritus tutè ad licita pergeret, prouidè ab illicitis abstineret. Districtis etenim corpus atterebat *ieiuniis:* priscorum obseruantiæ à Sanctis Patribus ordinatæ nouorum austeritatem adiiciens, sibi motu propriæ voluntatis indictam. Nam per totum quadragesimale tempus & quadraginta dies festum Natalis Domini præcedentes, & omnium festiuitatum vigilias, nec non & quatuor
10 tempora quæ catholica indicit Ecclesia, in ieiuniis & orationibus existebat: deliciosis & curiosis cibariis vsui proprio penitùs interdictis. In festiuitatum verò Virginis gloriosæ & Natalis Domini memorati vigiliis, & sextâ feriâ maioris hebdomadæ, ieiunium obseruabat: panis & aquæ duntaxat modicâ sustentatione contentus. Qualibet etiam die Veneris quadragesimæ supradictæ ac totius Aduentus, ab esu piscium abstinebat. Multis præterea *vigiliis* se occupans, ne aliqua sibi hora temporis inutiliter pertransiret, post eius reditum supradictum non in pluma vel paleis iacuit; sed super ligneum lectum portatilem, mataratio simplici superiecto, stramine nullo supposito decumbebat. Hic insuper vitæ puritate prælucidus, syncerus *veritatis* amicus extitit, hostisque durissimus falsitatis. Cuncta quoque ipsius
20 eloquia, salutis augmentum operaque salubria hortabantur; demulcebant auditorum præcordia, & in eorum ædificationem multipliciter redundabant. Cumque ad incrementa Catholicæ fidei, & liberationem celerem Terræ Sanctæ votis ardentibus anhelaret: in ipsius terræ subsidium assumpsit denuo Signum Crucis. Et deinde potenti ac valido congregato nauigio, copiosâ & strenuâ comitiuâ suffultus, cum ipso Pictauio Comite, suisq; liberis, & claræ memoriæ regina Nauarræ ipsius regis filia: quæ in reditu debitũ naturæ persoluit: ad partes rursum se trãstulit transmarinas, Carolo qui tunc moram in partibus Italiæ contrahebat, regis memorati vestigia subsequente. Ac tandem ad partes *Tunicii*, felici gressu perueniens, inibi de magnatum suorum consilio castra fixit: & aduersus Saracenorum incursus
30 exercens potentię suæ vires, grauissimas ob labores innumeros, quibus premebatur assiduè, infirmitates incurrit. Qui diebus lapsis aliquibus, infirmitatũ ipsarum violentiâ superatus, Sacramenta ecclesiastica cum summa deuotione recepit: ac instante sibi verisimiliter horâ mortis, oratione pro exercitu Christiano præmissâ, suam Domino deuotis precibus animam recommendans, ac literaliter exprimens verba sequentia: videlicet, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum:* feliciter migrauit ad CHRISTVM, supernis deliciis fruiturus. Verùm cùm vitæ huius functus curriculis veriùs viueret quàm vixisset: noluit Altissimi Filius, quem idem totâ mentis affectione dilexerat, tam deuoti Principis, tantique propugnatoris fidei orthodoxæ, mundo supprimi sanctitatem: vt quemadmodum meritorum plurali-
40 tate præfulserat, sic miraculorum diuersitate claresceret; & qui eum plenissimâ deuotione coluerat, iam secum in cœlesti palatio collocatus venerabiliter coleretur. Nam contractis, artuum extentione subuenit: curuis, terram fermè tangentibus facie, plenam restituit, eorum sursum erectis vultibus, sanitatem: strumosis, beneficium liberationis impendit. Mulierem quandam, cuius brachium aridum & omninò impotens existebat, ab infirmitate huiusmodi liberauit. Quidam quoque, cuius velut emortuum pendebat brachium, per eiusdem Sancti virtutem, gratiam curationis obtinuit: compluribus paralitico morbo percussis, & aliis qui diuersis languoribus tenebantur, plenâ redditâ sospitate: cæcisque visu, surdis auditu, claudis gressu, illius inuocato nomine restitutis. His & compluribus aliis, Sanctus ipse co-
50 ruscauit miraculis gloriosus: quorum seriem præsentibus non duximus inserendam. Gaudeat itaque domus inclyta Franciæ, quæ talem ac tantum Principem genuit, per cuius merita sublimiter illustratur. Lætetur deuotissimus Franciæ populus, quòd tam electum tam virtuosum dominum meruit obtinere. Exultent prælatorum & cleri præcordia, quòd præfatum regnum tam claris miraculorum ipsius Regis insigniis propensiùs decoratur. Iocundentur & procerum, magnatum, nobilium & militum pectora, quòd per sanctissima opera dicti Regis, eiusdem regni status honoris multiplicis prærogatiuâ sustollitur, & quasi solis radiis elucescit. Cæ-

terùm, quia quos superni Regis clementiâ corona gloriæ in cœlo magnificat, deuotè à fidelibus in hac terrestri patria conuenit venerari: nos de sanctitate vitæ ac miraculorum veritate ipsius beatissimi LVDOVICI, curiosè ac solennis inquisitionis diligentiâ, & districti examinis discussione præmissâ, plenariam certitudinem obtinentes: ipsum de communi fratrum nostrorum & prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio & assensu, die Dominicâ, tertio Idus Augusti, Sanctorum Catalogo duximus ascribendum. Ideoque vniuersitatem vestram monemus & hortamur attentè, vobis per Apostolica scripta mandantes: quatenus in crastino beati Bartholomæi Apostoli: cùm fœlix ipsius anima tunc de carnis eruta vinculis, astra petens, cœlestem aulam adiuerit, æternis gaudiis potitura: festum ipsius Sancti deuotè ac solenniter celebretis, & faciatis per vestras ciuitates & dioceses, à CHRISTI fidelibus, veneratione congruâ celebrari: vt eius interuenientibus precibus, & hîc ab imminentibus possitis liberari periculis; & in futuro salutis perpetuæ præmium obtinere. Vt autem ad venenerabile sepulchrum ipsius feruentiùs & copiosiùs fidelium confluat multitudo, ac celebriùs eiusdem solemnitas peragatur: omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui reuerenter illuc in eodem festo annuatim accesserint, eius suffragia petituri, de Omnipotentis DEI misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius authoritate confisi, vnum annum & quadraginta dies: accedentibus verò annis singulis ad prædictum sepulchrum infra eiusdem festi octauas, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis, misericorditer relaxamus. Datum apud *Vrbem Veterem*, tertio idus Augusti: pontificatus nostri anno tertio.

Habes

HAbes hîc, etiam ſummâ mihi dicente paginâ, Rex LVDOVICE, quem ſequaris:

—— quo iuſtior alter,

Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.

Verè, verè dico: neque tuo hîc aut generi, aut nomini quidquam tribuo. Sed præconem iſtum magno Regi, Magnus Alexander, nullus inuideat. Tanta vis Veritatis, Virtutiſque fuit, vt & has extorqueret laudes, homini diſſimillimo. Tu igitur, calcatam cognomini tuo Beato Regi, viam virtutis ingredere, Feliciter. ITA DEVS TE, PVBLICVM REGNI SOLATIVM, NOBIS DIV COMMODET: DET ACTA PARENTIS VINCERE; DET ANNOS, QVOS TIBI VOTIS ADSCRIBIMVS, SVPERARE; DET REGNO IAM DIV ÆGRO ET AFFECTO MEDERI: VT, GENTIS TVÆ MAGNVM LONGVMQVE BONVM, QVIDQVID PRIORIS SECVLI LICENTIA CORRVPIT, RESTITVAS; QVIDQVID FVROR CONCVSSIT, REPONAS: VT VITIIS DEMERSVM IN TENEBRAS ORBEM, ILLVSTRES PIETATE ATQVE INNOCENTIA.

Amen. Amen.

Amen.

LIBER SECRETORVM FIDELIVM CRVCIS

Super

TERRÆ SANCTÆ

RECVPERATIONE ET CONSERVATIONE.

quo

Et TERRÆ SANCTÆ Historia ab Origine.

&

Eiusdem vicinarumque Prouinciarum Geographica descriptio continetur.

Cuius Auctor

MARINVS SANVTVS dictus TORSELLVS Patricius Venetus.

Nunc primùm, cum libello eiusdem argumenti, sine auctoris nomine,

Ex MSS. veteribus editus.

Orientalis Historiæ

Tomus secundus.



HANOVIÆ,

Typis Wechelianis, apud heredes Ioannis Aubrii.

MDCXI.

Cum Priuilegiis S. Cæs. Romanorum Maiestatis, & Regiæ Francorum.

SERENISSIMO PRINCIPI & EXCELLENTISSIMO SENATVI REIPVBLICÆ VENETIARVM S.

ET hunc, & hoc argumento scriptorem, iure meritóque inscribo vobis, Serenissime PRINCEPS, Excellentissimi PATRES. Auctorem, ciuem vestrum, familiâ, litteris atque armis illustri; quem & Ciuitati, simul & luci restituo: Argumentum, cuius pars magna fuistis. Postquam enim, DEO beneuolente, simul & Regnum Francorum, nempe REGNVM REGNORVM; & libertatis illud asylum, Respublica vestra cœpêre, coniunctis animis, armísque Maiores nostri, maximas res fortiter aggressi, feliciter confecerunt. Testis vindicata de Turcorum & Sarracenorum impotenti potestate SYRIA; captæ

Matth. Paris, an. 1236.

in ea, & ad eam Vrbes, vt opulentiſſimæ; ita præſidiis omnibus munitiſſimæ: Regnúmque inde formatum atque firmatum HIEROSOLIMORVM: ínque eius partem, qui partem laborum ceperāt, recepti Virtutis meritorúmque ergò VENETI. Teſtis ſedes illa Imperii CONSTANTINOPOLIS, ſociis eorundem armis, erepta faucibus impii tyranni; diuiſúmque inter ipſos Francos Venetóſque Imperium. Neque commemorare hîc lubet, quoties conſilio manúque magnanimos Heroas, rebus difficillimis, adiuuit; dubiis & nutantibus, ſuſtinuit, velut è machina, Veneta Virtus: ne quid de ipſa decerpam Hiſtoria, cuius hîc argumenti varii verum probúmque auctorem damus. Satis ad id quod agimus: quæſitum Francis atque conſtitutum, conſilio auxilióque veſtro, Hieroſolimitanum illud Regnum, & hoc olim Conſtantinopolitanum Imperium. Nam quæ ipſi vidimus, pleniore poſteritas ore prædicabit: Incertis Regni rebus, vos amicos certos: petito immani vndique coniuratione HENRICO Magno, vos ſtudiis fautores, opibus adiutores: laborante atque labante re Christianâ, vos auxilia, vos columina. Verè itaque PRÆDICABILES VENETIÆ; verè αἰνετοὶ VENETI: iam ſupra mille & ducentos annos Libertatis auctores prudentiſſimi, vindices fortiſſimi. Sed

Caſſiodor. 12. Varior. Iordand. Getic. cap. 29.

mi. Sed nec pelagus hoc laudum vestrarum immensum, leui lembunculo tutum ingredi: & vnum modò volo: Hunc Serenitati tuæ, PRINCEPS; Excelsitati vestræ, PATRES, scriptorem, ciuem vestrum; hoc Virtutum vestrarum nobilissimum argumentum, inscribere: méque vnà, cultorem Vobis transcribere. Ita vestram DEVS Rei Christianæ Rempublicam, liberam, florentémque; vos Reipublicæ vestræ, atque Regno incolumes, seruet diutissimè: vt cum quo ortum adoleuit, & in hanc ætatem, nullo exemplo, floruit, cum eo vestrum perduret Imperium.

HISTORIARVM STVDIOSO LECTORI S.

VOLVMEN hoc, *Lector, solidum debemus* PAVLO PETAVIO: *cui & maiora debebit Historia. Accepimus ab eo exemplaria Sanuti duo: quorum vnum, ab ipso auctore profectum putamus, donatum alicui Principum: est enim exscriptum eleganter, insignibus auro picturis exornatum; descriptionibus, quas* Mappas *vocant, Orbis, Terræ Sanctæ, Ægypti, ciuitatum Hierusalem & Ptolomaidis, & figurâ, quâ synchronismi Principum annotantur, illustratum; rubro, vt loquimur, serico (illi* examitum & samitum *dicebant) olim opertum: Alterum, & recentius, & sine mappis atque ornatu. Tertium dono accepimus ab* IOSEPHO SCALIGERO, *cuius, vt humanitas, & candor, & iacens hodie probitas; ita*

—— vno se pectore cuncta vetustas
Condiderat. ——

Hoc, historica tantùm, id est librum tertium operis continet: &, epistolâ ad Ioannem PP. *quæ operi præponitur, litteris aliquot erasis, pro Marini Sanuti, substitutum habet nomen* fratris Paulini, Ordinis Minorum: *manu, vt videtur, eadem: hoc modo*: Sanctissimo Patri ac Domino I. sacrosanctæ & vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, frater Paulinus de Venetiis Ordinis Minorum. τὸ de Venetiis, *est à prima scriptura. Est autem frater hic Paulinus Venetus, Papæ Pœnitentiarius: cui cum aliis eiusdem & Prædicatorum Ordinis, hoc à Pontifice examinandum opus commissum fuit: vt docet ipse* Sanutus, primâ præfatione: *Postea, Episcopus Puteolanus, & Siciliæ Regis consiliarius,* idem auctor, epist. XVIII. & XX. *de quo in Indice nos fortasse plura. Sed frustra est ille, qui hac fraude inducere Paulinum in huius operis possessionem voluit. Est enim sine dubio,* Marini Sanuti, *vel* Sanudo.

Fuit is Marci *filius*: ipse præfatione vltimâ. *Meminit* Gulielmi Sanudo, *tamquam viri opibus florentis*: lib. I. part. IV. cap. VII. margine.

margine. *Nicolaum Sanutum commemorat, Guillelmi F. Marci N.* epist. III. & V. & VIII. *Ducem Nicxiæ & Andræ dominatorem, & aliarum insularum: qui contra Imperatorem Constantinopolitanum insurrexerit: quod facinus in eius iuuentutem reiicit. Hæc de suis ipse.* Blondus *autem, & ex eo* Sabellicus, *patricium Venetum,* Marcum Sanutum, *legatum referunt missum ad Bonifacium Montferratensem Marchionem, de dominio Cretæ Venetis cedendo: eundémque, cùm, prudenti & salutari consilio, Veneti* suis concessissent quæ quisque ab hoste infessa occupasset, *Naxum, quæ est supradicta* Nicsia; *Parum, Melam, & Herineam, siue Herinam, siue vt alii, Æginam, Ægæi maris, aut Archipelagi insulas, quorundam ciuium confœderatorum auxilio, sibi subiecisse: quod circa annum* D*OMINI*, *MCCVII. videtur accidisse. Gesta inde à Marco Sanuto explicant iidem, Blondus breuiario rerum Venet. & dec. 2. lib. 6. Sabellicus dec. 1. lib. 8. fine, & princ. lib. 9. & in iis,* Stephanum *Sanutum, Marci necessariũ, commemorant. Tenuerunt autem Insularum siue ducatum siue imperium, Sanuti, annos supra Centum & viginti. Epistola enim Marini octaua, in quâ Nicolai Sanuti adolescentiæ errorem excusat, data est anno MCCCXXIV. Et* Paulus Rhamnusius *de bello Constantinopolitano lib. 6. scribit* Florentiam Sanutam *Marci filiam, illius Marci senioris atneptim, Ægæi maris in Naxo insulâ principatum, ad Franciscum Crespum maritum detulisse. Idem meminit* Mariæ *Sanutæ,* Nicolai, *cognomento* Spezzabandæ, *F. à quâ Paros, Antiparos, Andrúsque insularum dominatus, ad Summaripam familiam deuenisset. Hic Nicolaus, robusto cognomine, fortasse is ipse sit de quo noster, epistolis. Floruerunt longo post tempore* Franciscus *Marini, &* Marcus *Francisci F. Sanuti, senatores grauissimi: circa annum, nisi fallor, MCCCCLXXXVI. laudati Callimacho Experienti, narratione de iis quæ à Venetis tentata sunt Persis ac Tartaris contra Turcos mouendis: qui illorum & prudentiam & animi magnitudinem, senatorias virtutes, prædicat. De Sanutorum familia, hæc raptim collecta, commentationi nostræ inserenda indicaui: nam de Liuio, & alio Marino, Sanutis, mox dicemus.*

Noster autem, natus in confinio siue parochia S. Seueri, ciuitate Riuoalti, Venetiis. ipse ad Innocentium PP. & præfatione vltima, *quæ est* pag. 21. & ep. I. & III. *Torselli, non natiuum, sed inditum nomen, docet* Sansouinus, *lib. 6. descriptionis Venetiarum. In æde S. Raphaelis Venetiis, ait instrumenti Musici cuiusdam formam exstare: ei nomen* Rigabello: *cuius in Ecclesiis vsus fuerit ante Organa illa pneumatica, quæ hodie vsurpantur. Rigabello successisse*

aliud, quod Torsello *dictum sit, cuius Venetias vsum induxisset homo Germanus: hunc, cùm fauore Marini nostri sustentaretur, causam cognomini dedisse, vt* Torsellus *inde diceretur. Instrumenta qualia illa fuerint, nec nos scimus. Noster verò, &* Torsellus *dictus est, &* Torxellus *&* Torselli. *Familiarem & domicellum dicit se fuisse* Ricardi, *S. Eustachii diaconi Cardinalis: qui est M. Ricardus Petronus Senensis I.V.D. Vicecancellarius, & postea Cardinalis, de quo sub Bonifacio PP. VIII. Onufrius & Ciaconius. Ab infantia negotio Terræ Sanctæ animum intendit:* ep. XIV. *& absque vxore fuit longo tempore, propter ista vltramarina negotia perficienda*: epist. VIII. *Quinquies ad hoc opus vltra mare transfretauit, in Cyprum, Armeniam, Alexandriam, Rhodum.* præfat. II. pag. 3. *quomodo Sallustium aiunt, vt Iugurthinum bellū certiùs describeret, in ipsam Numidiam penetrasse. Alexandriæ & Ptolomaidæ fuit sæpius*; passim. *Nauigauit & Venetiis Brugas*: præfat. prædicta. *Erant autem tum Brugæ, quo loco postea fuit Antuerpia. Fuit & in Holsatia & Sclauia.* lib. II. part. IV. cap. XVIII. *Itaque verè* Marinus, *maris peritus, ad hæc scribenda aggressus est, quæ absque rerum maritimarum cognitione singulari perficere non potuisset. Sed & hoc opere absoluto, in Alemania fuit:* epist. XVI. *Papam, Regem Franciæ, Comitem Hanoniæ, coràm, alios frequentibus litteris visitauit, negotio vltramarino promouendo*: epist. VI. *Paratus ad Regem Siciliæ proficisci, familiam de nouo induit*: epist. XVIII. fine. *Filium habuit: inde cœlebs diu vixit, vt solutus & liber vacaret vltramarinis negotiis: atq; ideo putat maiorem sibi ab Imp. Constantinopolitano fidem adhibendam*: epist. VIII.

Hoc autem opus, incœpit anno MCCCVI. notat ipse præfat. vlt. *Clemente PP. V. Obtulit Pontifici, an. MCCCXXI. Fuit is* Ioannes, *Platinæ, XXIII. aliis, XXI. dictus XXII. notus etiam scriptis summi viri Francisci Petrarchæ. Ad eundē scripsit Marinus epistolam, inter eas quas damus, primam. Obtulit & Regi Franciæ opus suum: & Regi Angliæ, & Regi Siciliæ, & Cardinalibus, ac etiam Prælatis, & Principibus, & Baronibus*: epist. II. IV. XVII. *Addidit, illustrandæ rei, Mappas Mundi, vt vocant: quarum meminit* primâ præfatione, & epist. I. & II. &c. *sed primâ præfatione, quattuor Mappas se præsentasse ait: quarum nobis, prima deest, de Mari mediterraneo. Addidit & figuras, genealogicam Noë.* lib. III. part. I. cap. VI. *& successionis Iudicum, Regúmque populi DEI.* lib. eod. cap. V. VI. VII. & X. *quas, etsi haud satis emēdatas, exhibuimus: & facilis erit ex ipso Diuino exēplari correctio. Libelli Gallici, qui inter prolegomena legitur, pag. 5. meminit*

meminit epist. II. & IV. *Venetorum & Alemannorum & Gallorum amicitiam prædicat*, lib. II. part. IV. cap. XVIII. *Venetorum instituta commendat in re Nauali, & moribus, non semel:* lib. III. part. XV. cap. XXII. & XXIII. *Recordatur suo tempore turrim in Accon ædificatam ab Imp. Palæologo:* epist. VIII. *Tertium librum operis, qui est historicus, composuit ex opere quod quidam, inquit, vir probissimus, aliique quamplures compilarunt, super historiis Orientalibus:* prologo libri tertii. *Vitriacum sæpe ita sequitur, vt à verbis non abeat. Quæ de Tartaris,* libri eiusdem part. XIII. *ea ipsi cum Vincentio Beluacensi, magnam partem communia sunt: sed Vincentius, ætate maior est. Vltimam partem ex Vegetio & Frontino congessit: ex quibus corrupta, nomina maximè propria, corrigere erit haud difficile: quæ nos, vt in MSS. leguntur, dedimus.*

Dedit operi titulum, SECRETA FIDELIVM CRVCIS: ita ipse, epist. I. & II. & XV. alibi. *Misit ad nos excerptum de* Libro principali bellorum DOMINI, pro tempore nouæ Legis, *P. Petauius, quod ita habet, secundæ partis articulo XCVI.* Nonagesimus sextus articulus, est de totali amissione Terræ Sanctæ, præter Tholomaidam, quæ proprium sicasma (*f. syntagma*) requirit, habet tres conclusiones. Prima, continet insultus varios Soldani, dicti Bendogdar in Christianos, & Antiochenæ ciuitatis amissionem. Secunda, cótinet amissionem castri Licie, & Tripolis. Tertia, continet amissionem reliquarum partium Terræ Sanctæ. Quantum igitur ad primam conclusionem, sic dicit *Marinus Torselli Venetus*, in libro suo quem intitulauit SECRETA FIDELIVM CRVCIS: lib. III. part. XII. Capitulum nonum, continet insultus varios Bendogdar in Christianos, & Antiochenæ ciuitatis amissionem. Sequenti anno Bendogdar, VII. die Martii cepit Iopham (*ita ille*) proditiosè. *&c. quæ in nostro leguntur loco citato.*

Liuius Sanutus, *cùm lib. 2. Geographiæ, laudasset tanquam ipsius Geographiæ matrem, historiam peregrinationum, eius auctores Venetos commendat; Marcum Polum, Scipionem Querinum, Ambrosium Contarenum, Ludouicum Cadamostum, &* Marinum Sanutum, *cognominatum* Torsellum: *alios. Hic autem Liuius, à patre Francisco, Milite & Senatore amplissimo, studiis bonarum litterarum admotus, in scholis Germaniæ Mathematicas disciplinas doctus, Africam descripsit, libris XII. insigni operâ: cùm antea Globum terrestrem composuisset, qui exstat ipsius fratris Iulii manu in æs incisus. Marinum Torselli (vitiosè editum* Corselli) *citat frater* Stephanus Lusignanus *Cyprius* (*de quo supra diximus*) *libro de Iure in regnum Ierusalem, cap. 20. ex Chronico Petri de Palude, Patriarchæ Hierosolimitani, Ordinis fra-*

trum prædicatorum, qui Marinus scripserit librum de statu Terræ Sanctæ, compositum sub Clemente PP. V. anno MCCCV. Locus Torselli quem indicat, est lib. III. part. V. cap. XI. & XII. *Quod autem ex eo infert, probasset aptius & certius ex Tyrio: ut non fuisse familiarem ei lectionem Tyrii appareat.* *Eundem nostrum,* Sansouinus *collocat sub principatu* Ioannis Soranzi, *Ducis: anno MCCCXII. & librum scripsisse ait* Secretorum fidelium Crucis, *atque* Epistolas *complures Latinas, ad Reges, Pontifices, Cardinales, de rebus Terræ Sanctæ.*

Alium ab hoc Marinum Sanutum, *inter scriptores Venetos reperio apud Sansouinum, & Iacobum Albericum: qui scripserit, de Magistratibus Venetis: de Vitis Principum Venetorum & de bello Gallico: eiq; annus adscribitur, MDI. Laudatus hic Publio Francisco Modesto Ariminensi, princ. lib. 10. Venetiados: quem locum notauit idem toties nobis dictus P. Petauius.*

Cura autem studiis si quem flagrantior vrat,
Vt nihil in dubia patiatur Vrbe relinqui,
Sanuti ille adeat vigilis monumenta *Marini*:
Vnde omnem historiam per singula doctus habebit.
Namque noua & vetera Imperii latè acta reponit.
Nomina nos tantùm, & vix rerum stringimus vmbras.

Ei Aldus Manutius *opera Politiani dicata donat, & Leonardi filium dicit; eiúsque ingenium & doctrinam, & inter publica negotia scribendi studium commendat; & ab eo conscriptos supra notatos libros, sibi in refertissima ipsius bonis auctoribus bibliotheca visos, commemorat.* *Pag. 1.*

Eiusdem TORSELLI *Epistolas, ex eodem P.* PETAVII *optimo Codice, placuit maiori operi adiungere, quia & ad rem faciunt pleræque, & omnino historicæ sunt; & poterant perire, neglectæ. Ex earum decimaseptima* (fine) *constat alia ab eo scripta, editáque esse. Sed Epistolæ istæ sunt:*

I. Ad Ioannem PP.
II. Ad Cardinales.
III. Ad Ingramum Archiepiscopum Capuanum, Regis Siciliæ Cancellarium.
IV. Ad Guillelmum episcopum Mematensem, Comitem Gabalitanum.
V. Ad diuersos, eodem exemplo.
VI. Ad Leonem Regem Armeniæ.
VII. Ad Andronicum Palæologum, Imperatorem Constantinopolitanum.

VIII. Ad

Marino Sanuto Torsello comitem addimus, non alienum, imò argumento & sententiâ, atque etiam ætate affinem, de RECVPERATIONE TERRAE SANCTAE *Libelli auctorem, siue Cõsilium dicas: multis locis deprauatum. Vnicum enim exemplum habuimus, ex eiusdem P.* PETAVII *thesauro: neque coniecturis vllis aut emandationibus, quamuis certis, locum dedimus.* *Pag. 316.*

Auctor, fuit Aquitanus. cap. LIX. *patronus causarum Ecclesiasticarum Regum Franciæ & Angliæ, in Aquitaniæ Ducatu.* cap. I. LIX. & LXXXII. *Fatetur inde se plurima salaria retulisse de bonis Ecclesiasticis, & quæstum magnum fecisse:* cap. XXXIII. & LIX. *Audiuit fratrem* Thomam de Aquino, *quem citat ipse,* cap. XL. & XLVI. *& magistrum* Segerum de Brabantiâ: cap. eod. XLVI. & LXXX. *Libellum hunc Eduardo inscribit, Regi Angliæ, & Scotiæ, domino Hiberniæ, & duci Aquitaniæ: summo Pontifice Clemente V.* cap. I. & XXXVII. *Fuit hic lectus Pontifex, anno MCCCV. Eduardus autem Rex obiit MCCCVII.*

Citat à se scriptum librum super Abbreuiatione guerrarum & litium, missum Tholosam, & traditum magistro Ioanni de Forestis amico, cùm ibi esset Rex, & Karolus cap. LXXII. & LXXV.

Karolum, intelligit Valesium, nisi fallor, Regis fratrem; Regem, Philippum Pulchrum: qui ab vxore & Regnum Nauarræ habebat, de quo hîc cap. XXXII. *Tholosæ autẽ fuit, anno MCCCIII. vti notat vetus MS. Chronicon, quo in historia conficienda vsus est Paulus Æmilius.* *Scripsit & Parisius,* Rationes inconuincibiles: *pro Rege, vt apparet, contra Pontificem: & tradidit amico suo, qui postea factus est Episcopus Biterensis: an Bituriensis?* cap. LXX.

Commemorat in hoc libello bella ciuilia Alemannorum, & Hispanorum, quibus impediti, non potuerint subuenire Terræ Sanctæ: cap. III. *Meminit Ferrandi de Hispania:* cap. LXX. *& iniusti detentoris Regni Castellæ:* cap. LXXI. *& Friderici de Arragonia:* cap. LXII. *de quibus, & aliis huius scripti, & totius historiæ, videbimus in Indicibus, quos Tomo tertio adiungere constituimus: in eum reseruamus* HAITHONVM *Armenum,* MARCVM POLVM *Venetũ,* IOANNEM *de* MANDEVILLA, *Anglum; & eiusdem argumenti alios, nec editos, aut editis certè meliores:* DEVS *adsit modò: & pacem, publicè; nobis, otium; tibi,* Lector, *quæ optas, communi bono, concedat.*

LIBER

LIBER SECRETORVM FIDELIVM CRVCIS.

QVI EST TAM PRO CONSERVATIONE FIDELIVM, QVAM PRO CONVERSIONE ET CONSVMPTIONE INFIDELIVM: quanquam etiam propter acquirendam & tenendam TERRAM SANCTAM, & alias multas terras in bono statu pacifico & quieto.

Auctor

MARINVS SANVTO, dictus TORSELLVS, de ciuitate RIVOALTI, de confinio S. Seueri confessoris, de VENETIIS.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI FILII DEI VIVI, AMEN.

A.Dni. 1321.

ANno Domini millesimo trecentesimo vicesimo primo, *die* XXIV. *mensis Septembris, ego* Marinus Sanuto *dictus* Torxellus *de Venetiis, gratiâ DEI præuiâ, introitum habui ad sanctissimum patrem nostrum dominum Papam, cuius sanctitati duos libros super Terræ Sanctæ recuperatione, & conseruatione fidelium præsentaui: quorum vnus coopertus erat de rubeo, alter verò de croceo. Eidem etiam præsentaui quatuor mappas mundi: vnam, de mari Mediterraneo; Secundam, de mari & de terra; Tertiam, de terra sancta; Quartam verò, de terra Ægypti: & quod sibi decreueram oretenus dicere, in scriptis tradidi totum sibi, prout inferiùs continetur. Prædicta autem omnia, Sanctus Pater benè & gratanter recepit; ac Scripturam illam, magnamque partem prologi, & partem Rubricarum, in mea præsentia fecit legi; nec non & interrogando, me de pluribus requisiuit: & ego ad interrogata respondi. Finaliter ita dixit:* Volo, *inquit,* vt examen recipiant isti libri: *cui cùm reuerenter responderem, quod mihi multùm placebat, sic tamen quod examinatores essent fideles: Ipse dixit,* de hoc nullatenus dubites: *Addiditque,* ad quiescendum eas, quousq; te duxerimus requirendum. *Inde ergò recessi: & ecce eodem die sollicitè ipse misit pro fratribus infrascriptis: scilicet,* Boentio de Ast, *ordinis Prædicatorum, Vicario in Prouincia Armeniæ;* Iacobo de Cammerino *ordinis Minorum, qui portat barbam, qui ad Curiam*

venerat pro fratribus de Perside; Matthæo de Cypro, *&* Paulino Veneto *eius pœnitentiario, utroque similiter Minorum ordinis: deditque eis librum croceo coopertum, imponens eis quod ipsum diligenter examinarent, & sibi examinationem referrent. Prædicti fratres simul in domo præfati fratris Paulini, antedictum librum diligenter & fideliter examinarunt; & de pari concordia, fecerunt relationem conscribi. Tricesimâ verò die ab examinatione suscepta; quadam die Sabbathi, in vesperis, priùs fratres prædictos, postea me affabiliter accersiuit, pluriesque inquit fratribus*, Estis ne omnes concordes in facto: *& illi cum omni reuerentia responderunt*, Sancte pater, super facto? de pari concordia scripsimus quod sentimus. *Multa alia fuerunt verba Sancto Patre quærente, & respondentibus fratribus sæpedictis, & meipso. Vltimò dominus Papa dixit*, hora tarda est; vos dimittetis hîc relationem in scriptis; videbimusque eam, & postea mittemus pro vobis: *& per hunc modum remanserunt liber & relatio penes eum.*

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI Filii Dei vivi, Amen.

SVPPLICO sanctitati vestræ humiliter & deuotè, ego *Marinus Sanuto*, dictus *Torxellus*, de Venetiis, quod causa mei aduentus ad vestræ sanctitatis pedes, principaliter pro communi bono vniuersæ Christianitatis extitit, & existit. Non enim à Rege seu Principe, vel communitate, seu alia quauis speciali persona sum directus; sed solâ liberâ voluntate. Nam considerando per longi temporis spatium, immensum bonum & commodum, quod cum paucis, imò forte nullis sumptibus & expensis vestra sanctitas potest assequi, in suppeditando videlicet & annichilando inimicos fidei Catholicæ capitales, maximè Soldanum Babyloniæ, Imperatoremque Tartarorum, qui degunt in partibus Aquilonis, *Husbecho* nomine vocitatum, qui valdè potens in multitudine gentium reputatur: Turchos etiam, qui Insulas de Romania, ad Principatum *Amoreæ* quas Latini obtinent, pertinentes, sine intermissione subuertunt. In exaltando insuper Tartarum Imperatorem, qui in *Torisio* & Persia dominatur, quique prædictorum Soldani & Imperatoris Aquilonis inimicus capitalis existit; & qui regnum Armeniæ, à Saracenis perfidis quandoque suis viribus defensauit: considerando etiam, quod prædicta vestra sanctitas, in euellendo & dissipando sectam illam pessimam, quam Mahumet nequissimus propagauit, exequi poterit secundùm quod per libros huiusmodi vobis poterit apparere: & quòd Terram Sanctam promissionis cum aliis circumstantibus poteritis, DEO agente, liberè & pacificè possidere: Græcorum quoque & aliorum Schismaticorum etiam obedientiam & reditum ad gremium piæ matris. Verè dicere possum, *sitiuit anima mea præsentem*

sentem diem, in qua totales libros, iuxta votum, valerem prædictæ sanctitatis vestræ pedibus præsentare: cùm vt eosdem exequtioni mandarem quinquies transfretauerim vltra mare, quandoque in *Cyprum*, quandoque in *Armeniam*, quandoque in *Alexandriam*, quandoque verò in *Rodum*. Nihilominus, prius quàm super dicta causa scribere sum aggressus, vicibus multis extiteram in *Alexandria*, & *Acon*: non tamen contra inhibitionem Ecclesiasticæ Sanctionis: in *Romania* verò maiorem partem temporis meæ vitæ peregi: Quare conditionem & statum eius, maximè Principatus Amoreæ, me opinor benè nosse. Nunc autem, vt dictos libros tutè ad culmen vestræ Sanctitatis deferrem, de *Venetiis*, per mare nauigans vsque *Brugis*; proinde per terram peragrans ad vestram Curiam applicaui. Ideoque vestra Sanctitas eos videbit vel videri faciet, vt libebit. Et spero in Altissimo Creatore, per famosam scientiam & bonitatem vestræ Sanctitatis vndique diuulgatam, quod ea agetis quæ erunt bona & vtilia huius rei. Pater Sanctissime, oraui & oro omnium conditorem, vt diu dignetur Sanctitatem vestram seruare in Ecclesia sua Sancta præstetq; vobis gratiam exequendi ea quæ sint eius laus, & gloria, & augmentum fidei Christianæ. Ego enim semper vestris præceptis obsequi sum paratus, vt tenetur fidelis quilibet Christianus.

DE PRIMO LIBRO OPERIS TERRÆ SANCTÆ.

P*ATER Sancte: inspecto opere diligenter, nobis videtur quod ex continentia primi libri fiat congrua dispositio ad Passagium: Et quod Soldani attenuantur redditus & debilitantur vires atq; potentia: Et quod species & necessaria, quæ habemus de terris Soldano subiectis, aliundè habere possumus. Et hoc videtur nobis per ea quæ facta sunt antiquitus, & hodie similiter aguntur. Portantur enim de* Taurisio *&* Baldach *per mare Maius, & per terram vsque in Armeniam minorem, solum remanet dubium de* Cassia fistula *quam nescimus alibi nasci, quàm in Aegypto. Ad hæc autem exequenda tria ostendit fore necessaria. Primum est, quod inhibitiones Ecclesiæ fiant magis solito fortiores: quæ graues multùm videntur, sed vtiles. Vbi autem dicit, part. 4. cap. 2. quod* transgressores sicut hæretici, persecutionem sustineant. *e. cap. 7. quod* receptatores & fautores eorum *pœnã substineant, sicut fautores hæreticorum: ad complementum negotij oporteret dare contra tales, inquisitores & pœnam inflingentes. Item vbi dicit ibidem cap. 5.* nulli emant sub pœnis prædictis mercimonia quæ præsumere possint, vel scirent venisse de partibus Soldano subiectis. *Nobis videtur submouendum, quod hoc multorum conscientiam sæpè læderet & affligeret, maximè post factũ. Item in breui compendio dicit, quòd* quilibet Rector vel dominus, aut commune terræ, sub pœna maioris excommunicationis teneatur persequi violatores Ecclesiastici statuti. *Videtur nobis submouendum esse* Commune, *quia vix vnquam communitas tota peccat, nec consueuit excommunicari communitas. Item ibidem dicitur, quod* omnes scientes, sub pœna excommunicationis, huiusmodi violatores accusare teneantur. *Hoc videtur nobis nimis durum, cùm nullius status vel condictionis persona excipiatur. Secundum est quod* decem galeæ pro custodia maris ponantur, *septimo capit. eiusdem quartæ partis: & posteà descendit* ad septem, *quæ tantùm octo mensibus mare custodiant. Nobis videtur quòd decem benè sint necessariæ, & benè possunt sufficere; sed oportet quod toto tempore anni mare custo-*

diant, quia hodie nauigatur per mare in hyeme magis solito. Tertium est, quod ordinetur vnus Capitaneus, homo iustus & prudens & magni valoris. *Nobis videtur quod illi Capitaneo propter multa perplexa, quæ totâ die emergunt, dentur nobiles Consiliarij, homines boni & experti in negotiis maris, & consuetudinibus mercatorum, de quorum consilio in omnibus procedat. Aliàs si Capitaneus ex superbia vel auaritia, vel alia iniusta causa, honestos & bonos mercatores grauaret indebitè, totum negotium faciliter posset perire: & de hac materia tangitur in primo cap. libri secundi. Sufficere autem videtur, quòd quælibet galea haberet vnum Supracomitum notabilem virum.*

DE SECVNDO LIBRO.

10

D*E secundo libro, nobis videtur quod summa & conclusio primæ partis sit, quòd* Capitaneus secundi exercitus, *scilicet XV. millium hominum, & trecentorum equitum, æ*dificet in maritima Ægypti pro recipiendo passagio generali. *De hoc dicimus quod ripariam illam non vidimus; benè tamen audiuimus eam esse talis conditionis, sicut in libro describitur: Et tunc placet nobis tota pars prima: saluo quod vbi tertio capitulo dicitur, quòd* Crux prædicetur secundo vel tertio anno: *nobis videtur dicendũ, quod statim, factâ debitâ præparatione. Summa autem & conclusio secundæ partis est: quod* non per terram aut aliam aliquam viam ducendus est exercitus Domini, sed directè ad dictam maritimam Ægypti. *Hic ad ea quæ ibi dicuntur videtur nobis addendum, quòd* Sanctus Rex LVDOVICVS, *qui in primo suo passagio transiuit per Cyprum; in secundo, iam expertus quid expediebat, directè voluit ire in Aegyptum: quòd autem in via declinauit in* Tunitium, *vbi & transiuit de terra ad cælum, causa fuit quia illi impediuerant primò deportationem victualium. Item dominus* Odoardus, *qui fuit Rex Angliæ, postquam experientiam habuit de locis & negotiis vltramarinis, legitur sic deliberasse: quia cogitabat primò inuadere Aegyptum; Secundo Terram Sanctam recuperare; Tertiò Constantinopolitanum acquirere imperium & coronam. Summa & conclusio tertiæ partis est: quod* ibi Christiani bellatores locati & firmati, tutè consistere poterunt. *Hoc nobis verum videtur, præsuppositis quæ superiùs dicta sunt, maximè de maritima Aegypti. Pars quarta, continet de modis & instrumentis bellandi, & certis nauigiis, circa quæ profitemur ignorantiam; nec apti sumus ad iudicandum de illis: nobis tamen videntur benè & ordinatè dicta.*

20

30

DE LIBRO TERTIO.

L*Iber tertius historicus est, & præterita recitat ad cautelam futurorum. Et in penultima parte traduntur dispositiones regnorum Syriæ, & Aegypti, & maximè Terræ Sanctæ. Et in vltima ponuntur multæ exemplares ostensiones circa exercitus & cautelas bellorum: & in fine subditur regula Regum Ierusalem. Illa magis docent conseruare terram quàm acquirere, & prolixa sunt multùm, ideò non examinauimus seriatim omnia. Videtur autem nobis aptè & laudabiliter procedere.*

40

IN NO-

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI FILII DEI VIVI, AMEN.

RAMENBRANZE à la Royale Maiesté faite humblement & deuotement par *Marin Sanud*, dict *Torxel*, de Venise, lequel vous presenta les liures & les mappe-mondes, pour conquerre & tenir la terre Saincte, & les terres circostans à icelle. Et dict que ce seroit plus legere chose à vostre haulte Maiesté d'auoir la Seigneurie du monde, & gagner Paradis, que ne fu à Alexandre, qui fu Sire du monde: en suiuant l'ordonnance & la maniere que cy apres s'ensuit.

Primò, Que vostre haulte Seigneurie encommence la besongne du voyage d'outre mer, en la maniere qu'il est ordonné; ou en la maniere qu'il plaira à vostre haulte Seigneurie: & si ce ne se peult faire à present en tant grand quãtité de gens, qu'elle se face à tout le moings, de dix galées bien armées à CCL. hommes pour chascune galée, pour garder la mer; & trois cents hommes à cheual, & mille de pied de bonne gent, pour garder la terre *d'Armenie*. Car trop seroit grand dommage & grande honte à toute Chrestienté, si celle terre se perdoit.

Secundò, Que vous procurez par deuers nostre Saint Pere le Pape, qu'il enuoye ses messages auecques les vostres par toute Chrestienté, que si comme la terre Saincte, doibt estre de feaux Chrestiẽs, que chascun en soit requis: Et selon ce que chascun y mettra, il aura sa part de la terre: Et que tout l'auoir, qui en sera cuilly, soit mis en lieu seur & sauf; & qu'il ne se puisse despendre qu'au Sainct voyage.

Tertiò, Qu'il plaise à vostre haulte Seigneurie d'auoir amitié & compagnie auecques le Duc & commun de Venise.

Quartò, Que vous mettez pour vous Capitaine de l'ost, qui qu'il vous semblera qui bon soit, & qu'il suiue l'ordonnance des liures que ie baillay à vostre haulte Seigneurie.

Et si vostre haulte Seigneurie faict ceste chose. Ie ne doubte pas, auec l'ayde de Dieu, que le Roy *Robert*, le Roy *Frederic* de Secille, & l'Empereur de Constantinoble, seront obeissants à vous en toutes choses, qui seront raisonnables. Et par ceste voye pourrez vous conquester la Terre Saincte, & les autres terres circostans à icelle; & le remenant du monde ne se pourra defendre contre vostre haulte Seigneurie: selon ce que vous pourrez veoir, par les liures & mappemondes dessus dictes.

Au premier article respond ledit *Marin Sanut*: que si aucuns disoient que l'armement fust trop petit, dict qu'auec l'aide de Dieu, seroit assez suffisans pour ceste achaison. Car il trouueront de là en *Cypre*, en *Rodes*, & és autres Isles de Romanie, bien iusques à dix galies bien armées, qui se mettront tous tens en la compagnie des vo-

ſtres. Et encores plus, les Iſles deſſus dictes pourront bien ayder d'autres dix galies, pour vng brief temps. Et encores ſe trueuent moult de fois delà la mer grand quantité de galies de marchands, dont l'on ſe pourroit aucunes fois bien ayder des autres dix : & ſpeciaument qui ordonneroit bien les marchands : ſi qu'auec l'aide de Dieu, la mer ſeroit bien gardée. Les Iſles de *Cypre* & de *Rodes* pourront bien aider *Armenie* continuellement de CCCL. hommes à cheual: & moult d'autres Chreſtiens qui orront ceſte choſe leur feront ſecours & ayde. Pour laquelle choſe, raiſonnablement la terre d'Armenie, de Cypre & de Rodes, & des autres Iſles de la mer ſeront defendues & gardées: & le pouuoir des entrées du Soudan affoiblira moult, dont il aura moult grand dommage. Et tous le peuple des *Francs Chreſtiens*, qui ſont deſeſperez de ce que aucune choſe ne ſe faict, ſe conforteront moult, & donneront plus largement du leur pour ſecourir & ayder la Terre Saincte. Et ſe aucune choſe ne ſe fait aſſez briement, li pueples des Chreſtiens ſera deſeſperé, & toute la Chreſtienté ſera en grand peril. Et ſpeciaument la Chreſtienté de delà, ſi voſtre haulte Seigneurie & beningnité n'y met briement remede & aide.

IN NO-

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI FILII DEI VIVI, AMEN.

PRO COMMVNI BONO CHRISTIANITATIS TRIA sunt valdè necessaria, & ad præsens.

PRIMO, *quod assequretur prouincia Armeniæ*. SECVNDO, *quod fiant processus interra & inquisitores similiter vtriq; solum, hinc in posterum duraturi.* TERTIO, *quod armentur galeæ pro maris custodia facienda: Et in istis eo ordine procedatur, prout in libri serie continetur:*

QVOD si quis exigeret, *Quanta gens armigera securam redderet prouinciam Armeniæ*: Respondeo reuerenter, ego *Marinus Sanutus*, dictus *Torxellus*, de Venetiis: quòd cum trecētis equitibus milleq; peditibus, ac decem galeis benè munitis, per Romanam stipendiatis Ecclesiam, muniretur. Et non solùm ea, sed etiam regnum *Cypri* & Insulæ *Romaniæ*. Nam adhibitâ mari custodiâ de galeis prædictis, & aliis quæ in aliis partibus haberentur, regnum Cypri de ducentis equitibus, dictæ Armeniæ posset continuũ destinare succursum. *Hospitale* tum propter diminutionem custodiæ Rodi Insulæ, tum de redditibus quos in Cypro & Armenia percipit posset largè dicto regno Armeniæ de C L. armatis equitibus subuenire. Aliiq; Catholici plurimi illuc, audito Ecclesiæ subsidio, properabunt. Et ipsi Armeni iuxta vires eorum tam de tributo quod subtraheretur Soldano, quàm de propriis facultatibus, tenere gentem armigeram conarentur: essetq; spes forsitan & non fallax, in fauore & auxilio Tartarorum, qui Persiæ & Galdeæ dominantur, licet pro maiori parte de Saracenica secta pestifera sint effecti: tamen credendum eos magis proprium quàm alienum commodum secuturos. Pro quibus omnibus exequēdis C L. milia florenorum expenderet Ecclesia annuatim: & plusquam de vno milione florenorũ damnificaret in anno Soldanum: exceptis incommodis cæteris, quæ ipse & gens sibi subiecta tollerarent, ipsâ Ecclesiâ inquisitorum processus cum prædictis duntaxat nihilominus exequente.

Item si peteretur, *Quare Soldanus Babyloniæ toties percurrit prouinciam Armeniæ*, cùm sibi ab Armenis tributum impositũ persoluatur; ipsiusq; tributi maiores sunt reditus dicto Soldano & subditis quàm essent totius regni, respectu habito oneris quod incumberet expensarum. Respondeo, propter tria. Primum est, vt auferendo magnum cursum mercationum de Armenia in terram propriam ipsum trahat. Secundum est, quia inter *Turchiam*, quæ *Asia minor* vocatur, & terram subiectam Soldano, est media Armenia, quâ adeptâ Soldani potentiæ & Turchorum aliorumq; Saracenorum, qui sunt circa partes illas, inuicem munirentur: tuncque crederet posse resistere Tartaris, qui dominantur Persiæ & Caldeæ: propter quam vnionem complēdam sæpissimè Saraceni plurimi sunt perempti, & nonnulli Tartari & Armeni. Tertium verò est, vt in vltramarinis partibus penitus Christianorum potentia annulletur: cui nisi, vt præmittitur, obuietur, dicta Armenia diu nequibit sub Christianorum dominio perdurare. Et non modò ipsa, sed Cypri regnum, & Rodus, magno subiacent periculo cum residuo Romaniæ. Et si, quod absit, dicti Soldanus & Turchi, vt prædicitur, iungerentur, haberet tunc auxilium Tartarorum, qui præsunt *Gazariæ* & aliis partibus Aquilonis, vt præsens eorum perhibet vnitas voluntatis: & verendum ne ad vlteriora postmodum se diffundant. Ideoq; vestra sancta prouidentia hiis apponet remedium, vt libebit.

HIC TITVLVS DIRIGITVR SOLDANO BABYLONIÆ A SVIS SVBDITIS.

SERENISSIMO, potentissimo & excellentissimo Domino Soldano *Naset*, Domino mundi, iusto Iudici, & forti apertori negotiorum occultorum, Domino Saracenorum, & Mulsimanorum, diligenti iustitiam mundi, Iudici obliquum recipientium ab improbis, & hereditatori regnorum, Soldano Araborum, Azimorum & Turcorum, apertori prouinciarum, expulsori exercituum Tartarorum, præsenti Alexandro, domino bonorum, Regi duorum marium, honorem exhibenti honoratis & benignis, despoto Regum & Soldanorum, Belphet, Mahumet filio Soldanorum, publicè Regi Mazut, ensi Regis Chalaon.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI FILII DEI VIVI, AMEN.

INCIPIVNT SECRETA TAM PRO CONSERVATIONE FIDELIVM, quàm propter conuersionem seu consumptionem Infidelium: quanquam etiam propter acquirendam & tenendam Terram Sanctam, & alias multas terras, DEO dante, in bono statu pacifico & quieto.

SANCTISSIMO PATRI ET DOMINO, DOMINO I. SACROSANCTÆ ROMANÆ ET VNIVERSALIS ECCLESIÆ SVMMO PONTIFICI, Marinus Sanudo, *dictus* Torxellus, *de ciuitate* Riuoalti, *de cõfinio Sancti Seueri de Venetiis, cum reuerentia humili, pedum oscula beatorum. Ad Omnipotentis* DEI *& Domini nostri* IESV CHRISTI *honorem & gloriam, exaltationem quoq; fidei ipsius, & nominis Christiani, opus arduum laborum & vigiliarum assumpsi pro recuperatione ac retentione solito firmiori* Sanctæ Terræ *Promissionis, in qua humani generis creatio atq; redemptio facta leguntur, meritorum quoq; discussio fieri in posterum expectatur. In* Ebron *enim formatus est primus pater orbis terrarum* Adam. *In* Ierusalem *pro redimendo seruo, crucifixus est* DOMINVS; *pro peccatore, innocens; pro limo,* DEVS. *Illuc propè,* Ioele *teste, congregabit Dominus omnes gentes, & adducet eas in vallem* Iosaphat, *& disceptabit cum eis. Ad amorem proindè, conquisitionem, & visitationem electæ & Sanctæ Terræ illius, cor cuiusq; fidelis moueat, amor patris, & patriæ; beneficium, & reuerentia Maiestatis Diuinæ; timor ac tremor iudicij, & discussionis extremæ. Attrahit certè amor originalis principij: ideò natus Agnus, continuò matrem petit & vbera: & ad mare vnde exierunt flumina, continuè reuertuntur: quin potius* magnes *attrahit ferrum, quia nobiliori modo in magnete virtus sui principii poliartici reperitur. Igitur fidelis maximè insurdâ aure percipiat quod Iacob dicitur Gen. xxxi.* Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationẽ tuam. *Reddit illuc generatio praua atq; peruersa generatio, quæ non direxit cor suum, nec creditus est cum* DEO *spiritus eius; & quasi aspis surdescit vsq; nunc generatio*

Ioel. 3, 12.

10 20 30 40 50

neratio Christiana. Moueat quoq; meritò gratitudinis beneficium & reueren-tia Redemptoris: qui dum ibi Crucem, quasi nauem, ascendit, redemptis suo sanguine transfretandi ac crucem sumendi necessitatem ostendit, propterea dicebat. (*Luc.* 14.) Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. *Ideoq; pulchrè in figura, ascendente eo in naniculam, secuti sunt eum discipuli eius,* (*Matth.*8.) *Sic enim ascendit Iesus nauiculam, sequenti capitulo; & venit in ciuitatem suam, ad quam transire non possumus si-*
10 *ne crucis naue. Impellat deniq; terror ac tremor stricti examinis; vbi Iudex iratus, cui nuda sunt omnia & aperta, etiam* Ierusalem (*Soph.* 1.) scrutabitur in lucernis. *Quid tutum putas erit in Babylone, quando in Ierusalem, ne lateat, macula perquiritur in lucerna? Ad vallem Iosaphat citabit vox Archangelica dicens,* Surgite mortui, venite ad iudicium. *Properemus illuc transire, aut corpore proprio, aut subuentionis beneficio: quia* melius est præuenire, quàm præueniri: *portionem terræ illius procuremus habere, aut belli aut emptionis iure, vt in die iudicij inueniamur ibi non hospites & aduenæ, sed ciues*
20 *Sanctorum & Domestici DEI. Qui enim,* (*Zachar.* 15.) non ascenderunt de familiis terræ ad Ierusalem, vt adorent Regem dominum exercituum, non erit super eos imber: *supple*, benedictionis diuinæ. *Horum igitur tam iustâ consideratione permotus, opus præsens Sanctæ Terræ promissionis formare curaui; libris ac partibus capitulisque aptè distinguere; & sacratissimæ Apostolicæ sedis culmini præsentare: vt defectus, si qui apparuerint, corrigat, & vtilia promoueat ad DEI honorem & Ecclesiæ suæ Sanctæ. Partitur autem totale opus ad honorem Sanctæ Trinitatis, in tres libros: Nam sicut infirmanti corpori summa cum diligentia tria impartiri curamus: Primò,*
30 Syrupum *ad prauiam dispositionem, quia actus actiuorum non sunt nisi in patiente disposito: Secundò, congruam* medicinam, *quæ morbum expellat & sanitatem inducat: Tertiò, ad conseruandam sanitatem debitum* vitæ regimen, *quo nociua, etiam quantumcumq; delectabilia, cauemus; salubria verò, etiam amara, amplectimur. Sic conformiter continet* liber primus *dispositionem, quasi Syrupum, ad liberandam, & vt ita dicam, sanandam Terram Sanctam promissionis, quæ diu quasi paralitica & infirma, sub dominio iacuit perfidæ nationis.* Secundus *autem liber, sanitatem & perfectam liberationem inducit.* Tertius
40 *verò perfectè conseruare docet, ne infidelium dominio subiiciatur de cætero. Libri autem diuiduntur in* Partes *quasdam generales, vt eorum sententia possit breuiter & summariè comprehendi: Partes verò in* Capitula *partiuntur, vt de singulis distinctè & clarè pateat quod tractatur. Sic in singularibus ex vniuersalibus prouenire oportet:* primo Physicorum. *Rubricæ verò prædictorum librorum, partium, ac capitulorum hoc modo sequuntur.*

Sophon. 1. 12.

INCIPIT LIBER PRIMVS OPERIS TERRÆ SANCTÆ, CONTINENS DISPOSITIONEM AC PRÆparationem ad Terram Sanctam recuperandam: habens partes quinque.

PARS PRIMA, continet modum debilitandi Soldani potentiam, ostendendo quomodo fideles Christiani possunt habere mercimonia eis necessaria, absq; eo quod ad terras Soldano subiectas habeatur accessus: declarando ingētia grauamina & damna quæ infideles Soldano subiecti sustinerent, si per nostrum mare non transfretaretur ad eos: habens capitula sex.

Capitulum primum continet causas vtilitatum obuenientium Soldano, & populo eius occasione mercationum de India, nomina quoque portuum vnde transferuntur; ac modum quo subtrahi possunt à districtu Soldani.

II. Continet quomodo ea quæ nascuntur sub dominio Soldani, nobis necessaria, de terris Christianorum haberi possunt.

III. Continet de dactylis, cassia fistula, lino, & laboreriis impediendis: ne de Aegypto per nostrum mare portentur, in quibus Soldanus & gens sibi subiecta multam consequuntur vtilitatem.

IV. Continet damnum quod consequitur Soldano & genti sibi subiectæ, si aurum argentum, ferrum, & cætera metalla, & quædam similia non portentur eisdem.

V. Continet dispēdium ac damnum quod Saraceni consequentur, si de terris Christianorum victualia, & alia multa non portarentur ad eos.

VI. Continet, cum aliquali descriptione terræ Aegypti, damnum immensum, quod cōsequentur Aegyptij, si lignamina, & cætera pro nauigiis necessaria non deferantur ad eos.

SECVNDA PARS, continet certam experiētiam quomodo iam debilitata est aliqua pars Soldano subiecta: habens capitula duo.

I. Continet quomodo dominium Soldani vltra desertum versus Armeniam, *& in contratis Syriæ est diminutum in diuitiis.*

II. Continet quomodo in prædictis terris dominium Soldani diminutum est, quantum ad habitatores, & maximè in viris bellatoribus.

TERTIA PARS cōtinet quædam necessaria valdè Saracenis, quæ ab aliis oportet eos acquirere: habens capitula duo.

I. Continet causam prohibitionis ne lignamina, & cætera ad nauigium pertinentia, Saracenis terræ Aegypti portari debeant.

II. Continet quomodo Saraceni terræ Aegypti, pro defensione districtus sui, procurant sibi portari de alienis partibus pueros & puellas.

QVARTA PARS, continet quomodo necesse est nouum modum prohibitionis inueniri magis solito exquisitum; nec non galeas aliquas præparari, tam pro conseruatione vltramarinorum Fidelium, quàm Saracenorum dispendio: ostendendo etiam qualiter potest distringi quod per mare Mediterraneum, ad partes Soldano subiectas minimè transfretetur: habens capitula VII.

I. Continet causam quare sine distinctione omnis mercatio, & omnis accessus ad Saracenos Soldano subiectos, prohiberi debeat.

II. Continet causam quare oportet statuere quod vbiq;, non solùm in mari, sed etiam in terra, à cunctis fidelibus persecutionem sustineant transgressores mandati Ecclesiæ in hac parte.

III. Continet necessitatem remouendi cursum mercium, quæ de terris Soldano subiectis portari consueuerunt à tota Africa, & de tota Hispania, vbi habitant Agareni.

IV. Continet causam quare eadem prohibitio debeat fieri versus partem Borealem à flumine Saleph *vsq; in* Aniam.

V. Continet causam prohibitionis, cur nullus fidelis emere debeat de mercimoniis, portatis per quoscumque, de districtu Soldani.

VI. Continet pœnam Dominis siue Rectoribus terrarum vel communitatibus inferendam, qui aliquos, cōtra prædicta facientes, in suis portubus aut terris receperint.

VII. De maris custodia, & primo apparatu, vel exercitu Christiano; de modo quoq; armandi ac summa expensarum.

QVIN-

QVINTA PARS continet rationabilia motiua, cur Ecclesia in prædictis sollicita esse debet: habens capitula tria.

I. Continet allectiuum ad prosequendum prædicta, ratione negotij inchoati.

II. Continet implorationem piam auxilij pro vltramarinis Fidelibus, terrisq; eorum ac regnis.

III. Continet prædictorum Epilogum, & totius huius primi libri conclusionem.

10 INCIPIT LIBER SECVNDVS EIVSDEM OPERIS, CONTINENS VIAS ET MODOS QVIBVS aptè & expeditè Terra Sancta recuperetur: habens partes quatuor.

PARS PRIMA, continet formam & ordinem secundi exercitus Christiani: habens capitula quatuor.

I. Continet quomodo vnus præfici debeat Capitaneus, & quales conditiones habere debeat; quot etiam in societate sua habere oportet, & vbi debeat applicare. 20

II. Continet quæ natio maritima vlterior sit ad huiusmodi expedienda negotia.

III. Continet præparationem nauigij, & aliorum necessariorum pro sequenti vniuersali Passagio, præparationem quoq; victualium: & de Tartarorum amicitia procuranda.

IV. De summa expensarum in tenendo exercitum prædictum, XV. *milia peditum, &* 30 CCC. *equitum & rationabili profectu eorum.*

SECVNDA PARS, continet tam reprobationem itinerum quæ videntur aliquibus per stolum Ecclesiæ faciendam; quam rationem ostensiuam, quod iter maritimum de Ægypto sit potius eligendum: habens capitula decem.

I. Continet quod stolus Ecclesiæ per terram nullatenus est ducendus.

40 *II. Aduersum quorundam consilium dicentium quod stolus præfatus descendere debeat super terram Armeniæ, vel Syriæ, siue Ierosolymæ Terræ Sanctæ.*

III. Continet improbationem dicentium in Cyprum dictum Passagium descensurum.

IV. De fortilitio, & cæteris pertinẽtibus ad prædictum; ac de sanctissimo Domino, qui cum suis fratribus cõtinuè meditatur qualiter suorum subditorum & fidelium valeat exercitum congregare, vt dictum possit fortilitium 50 *adipisci; ac de eo quod actum fuit tempore retroacto pro dicto fortilitio conquirendo; ac de illo quod pro eodem de cætero videbitur faciendum.*

V. De arbore & aliis pertinẽtibus ad eandem; ac de fontibus irrigantibus antedictam, & de fructibus nascentibus sub prædicta; & de illis, qui vadunt accepturi dictos fructus; nec non de sanctissimis dominis, qui eam noluerunt & nolunt radicitus extirpare; & de eo quod hucusq; est actum, & quod fuerit in posterum faciendum.

VI. De declaratione fortilitij antedicti, & de iis quæ pertinent ad prædictum.

VII. De declaratione arboris, & quæ pertinent ad eandem.

VIII. Continet exemplarem ostensionem quod in Aegypto primò bellandum est contra Saracenos, pro recuperatione Terræ Sanctæ, per ea quæ gesta sunt inter Venetos *& dominum* Patriarcham Aquilegiensem *pro facto* Istriæ.

IX. Continet huius propositi euidentem demonstrationem, per ea quæ gesta sunt in Aegypto, tempore Sancti Lodouici Regis *Frãciæ, & duorum Regum Ierusalem.*

X. De euentibus, qui mandando executioni quod superius est narratum, rationabiliter emergere debent, cum auxilio Iesu Christi.

TERTIA PARS, cõtinet securi status ædificantium in maritima Ægypti, & aptitudinis ad bellandum contra Saracenos exemplarem demonstrationem: habens capitula quatuor.

I. Continet quam securi poterunt Christiani consistere in fortilitiis Aegyptiæ maritimæ: exemplo maritimæ Venetorum, quæ sub tempestuosis procellis Gallorum, Afrorum, Cyprorum, Attilæ, & Longobardorum, & aliorum illæsa permansit.

II. Continet quàm aptè Christiani in maritima prædicta Aegypti à vicinis Saracenis poterunt se tueri, exemplo Venetæ nationis.

III. Continet qualiter Crucesignati Aegyptios lædere poterũt, & exemplo eorum quæ Veneti gesserunt in ciuitatibus, & locis super stagna & flumina constitutis.

IV. Continet cõueniẽtem satisfactionem ad quædam dubia quæ mouentur.

QVARTA PARS, cōtinet stylum, modum & ordinem ac probabilia argumenta super bellicosis euentibus & aliis cōtingentibus quibuscumq; ad dictum Terræ Sanctæ negotium feliciter exequendum; & quod *Agareni* & *Schismatici* contra Ecclesiæ potentiam, terram rationabiliter defendere non valebunt: habens capitula XXIX.

Cap. I. De quibusdam argumentis quæ obiiciuntur contra potentiam exercitus Christiani, ne possit ad finem gratuitum peruenire; & de solutionibus eorumdem.

II. In quo inseruntur certa aliqua argumenta super eo quod Soldanus ex posse suo posset in Nili flumine operari; & de solutionibus etiam prædictorum.

III. De quibusdam exemplis Cyri Regis Persarum; & de certis documentis pro exercitu Christianorum.

IV. De quadam quæstione, quæ ponitur, vtrum Saraceni propter multitudinem nauigiorum, quam habent in flumine Nili possent Christicolarum exercitui obuiare; & de solutione ipsius.

V. De prouisione, tutela & proficuo nauigij exercitus Christiani.

VI. In quo continetur cuiusmodi formæ fore debent nauigia, quæ ad transgrediendum mare vtilia possunt esse, vt Aegyptiæ terræ negotium laudabiliter terminetur.

VII. De nauibus quæ aptæ sunt ad conducendum victualia, & alia exercitui oportuna, tam per mare quàm per flumina; ac de forma modoq; nauigiorum aquæ dulcis, quæ sunt vtiliora ad perficiendum negotium antedictum.

VIII. De diuersis armorum generibus, quibus tam ad sui defensionē, quàm ad hostiū offensionem, Christicolarum exercitus indigebit.

IX. Qualiter gens præfati exercitus à Capitaneo debeat ordinari; & qualiter victus distribuendus prædictis, bono modo & recto ordine impendatur.

X. De quantitate victus & modo quem tenent Veneti distribuendo victualia suarum stipendiariis galearum; & de numero gentis, temporibus, ponderibus & mensuris, & de eo quod rationabiliter valere possunt.

XI. De numero nauigiorum maris, eorumdemq; forma, quibus in principio indigebit exercitus Christianus, ad terram in Aegyptiaca maritima capiendam; & quomodo per Capitaneum debeant ordinari.

XII. De tempore, ordine & industria incidendi lignamina ad nauigia facienda, & ad conseruandum prædicta vt fiant velociora, & maximè ad remos nauigium communitum.

XIII. De aliis nauigiis, quibus prædictus exercitus indigebit, ad ferendum victualia & alia opportuna pro Cruce signatis venturis; & de locis & eorum nominibus; & de numero & ordine qualiter victualia prælibata, de locis præfatis extrahi poterunt & haberi: rationabiliter etiam ostendendo quòd nauigium istud, vt proprium sit Ecclesiæ Sanctæ DEI, nec oportunum nec vtile comprobatur. 10

XIV. In quo ostenditur qualiter ad Aegypti maritimam transfretando, ipsius claritas, & aeris bonitas cognoscuntur; & qualiter bonitas ipsius aeris comprobatur, ex auellanis exemplum verificum assumendo; & de aquarum eiusdem etiam bonitate.

XV. est, cuiusmodi conditionis debeant fore gentes ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ stipendium admittendæ, causa istius negotij finiendi. 20

XVI. De modo & manerie renouandi gentem exercitus antedicti: & de ægrotantium habitaculo in prædicto, & prouisione cunctorum; ac etiam de mulieribus quæ matrimonialiter viris extiterint copulatæ ac earum viduitate, eorumdemq; heredibus; nec non de prouisione cæteris facienda.

XVII. De locis & partibus vnde haberi poterunt boni nautæ, pro nauigiis aquæ dulcis, & aquæ salitæ etiam gubernandis. 30

XVIII. De nautis habitantibus in extremitatibus Alamaniæ, *qui boni & vtiles rationabiliter esse debent ad consulendum & præstandum suffragium ad prædicta.*

XIX. De Crucis prædicatione; & de variis generibus hominum armatorum quibus exercitus indiget supradictus, ad dictam terram Aegyptiam conquirendam. 40

XX. De numero hominum quo eget vnaquæq; galea, vt ipsa congruè muniatur, ac eiusdem officiis, ministeriis, tempore, stipendio; & de sumptu victus, ac stipendio CCC. equitum.

XXI. De quibusdam declarationibus & commemorationibus, ac super dicta armata ordinibus & cautelis.

XXII. De industria faciendi arma, & potissimè de construendis machinis & balistis, quæ à longè machinent & balistent; ac de perficiendo totum, quod spectare dignoscitur ad prædicta. 50

XXIII. In quo continetur qualiter stipendiarij Sanctæ matris Ecclesiæ, postquam terram in Aegypti maritima ceperint, antequam ad dictum locum perueniant homines

Cruce-

Crucesignati, poterunt cum eorum galeis & lignis schismaticos & infideles affligere, ac ipsis inferre damna quamplurima & iacturas.

XXIV. *De quibusdam prouisionibus, ordinibus & cautelis, quæ sunt ad naualem exercitum oportunæ.*

XXV. *Continet descriptionem Riperiæ maritimæ Soldano subiectæ, & propriorũ nominum de maritima terrarum & portuum ac Insularum siccarum & milium, quanto differunt vna ab alia; & similiter partium terrarum Regis* Tunisii, *quæ quidem ad prædictã riperiam confinia participant.*

XXVI. *Contratæ maritimæ, cui Rex Armeniæ dominatur à confinibus subiectis Soldano; ac etiam partibus Turchiæ à latere Septentrionis.*

XXVII. *De Crucesignatis à Sancta Romana Ecclesia stipendiatis, cum ad Christicolarum exercitum applicauerint de Aegypto, quod Nili flumini debeant rationabiliter dominari: in quo etiam ostenditur qualiter* Raxeti *Insulam poterunt occupare; & de numero prædictorum, ac quanto poterunt deconstare: ostendendo præterea quod infideles rationabiliter Christi fideles terram Aegypti relinquere compellentur.*

XXVIII. *In quo quædam petitiones & argumenta contra Christicolarum potentiam opponũtur: videlicet, quod terra Aegyptia subiugata, quomodo terram Ierosolymæ atq; Syriæ aduersus Soldani potentiam & Tartarorum: ac etiam infidelium cæterorum, Christiani sibi poterunt vsurpare: & de ipsorum solutione facta propter adiacentias Ierosolymæ atq; Syriæ antedictæ; nec non & de Tartarorum amicitia procuranda.*

XXIX. *De quodam memoriali pertinẽte dominis, qui super factis armorum bellicis intẽdant sagaciter, & perspicaciter meditentur.*

INCIPIT LIBER TERTIVS EIVSDEM OPERIS, CONTINENS INFALLIBILEM ET VERAM DOctrinam conseruandi ac tenẽdi & possidendi Sanctam Terram Promissionis, contra insultus infidelium quorumcunq;, postquam de manibus Saracenorum fuerit conquisita: habens partes XV.

PARS PRIMA continet quàm variis nationibus subiecta fuerit Terra Promissionis: habens cap. XIV.

I. *Continet causas cur Terra Promissionis exposita sit omni nationi; & quare tam frequenter aut afflicti aut de terra eiecti sunt habitatores ipsius.*

II. *Continet quomodo filij* Cham *terram promissionis primò incoluerunt, & cur inde expulsi sunt.*

III. *Continet quomodo* populus Israel, *qui de Sem per Abraham descendit, Terram Promissionis incoluit, expulsis inde aut in seruitutem redactis filiis Cham.*

IV. *Continet qualiter dicti filij* Sem *sub* XIV. *Iudicibus se habuerunt.*

V. *Continet quomodo prædictus populus cœpit habere Reges; & quomodo regnum illud diuisum est in duo, scilicet,* Iuda *&* decem Triduum; *ac finem secundi regni.*

VI. *Continet processum & terminum regni Iuda, siue Ierusalem.*

VII. *Continet mortem* Ieremiæ, *&* Ezechielis; *& captionem reliquarum partiũ Iuda in Aegypto; & qualiter* Cyrus *obtinuit Babylonem.*

VIII. *Captiuitatis relaxationem ac reditum sub* Iesu *magno sacerdote, inchoatã quoque Templi reædificationem.*

IX. *Continet gesta* Iudith, Esdræ, Nehemiæ *&* Esther, *sub sacerdote Ioachim Elia, sub & Iuda.*

X. *Continet inuidiam in* Iohannem *Sacerdotem, & successorem* Iadum; *mortemq;* Alexandri, *tempore* Oniæ; *&* Ptolomæi *persecutionem in Iudæos: translationem quoq; Diuinæ legis per* LXX. *interpretes, tempore* Eleazari *Sacerdotis.*

XI. *Continet Iudæorum diuisionem sub* Onia, *contra se bellantibus Syria & Aegypto, ac persecutionem Regum Syriæ,* Seleuchi, *&* Antiochi *in Iudæos; ac depositionem & mortem alterius* Oniæ: *mira quoq;* Machabeorum *gesta.*

XII. *Continet qualiter in Terra Promissionis iterum Reges regnare cœperunt.*

XIII. *Continet crudelis persecutionis Iudæorum scelus in Christum, &* Apostolos.

XIV. *Cõtinet Ierusalem destructionem, Iudæorumq; de regione illa expulsionem per filios Iaphet, siue Romanos.*

SECVNDA PARS continet initia Orientalis Ecclesiæ: habens cap. IV.

I. *Continet gloriosum profectum Orientalis Ecclesiæ.*

II. *Continet teporem pristini feruoris Ecclesiæ; & afflictionem per* Cosroe *consequenter illatam.*

III. Continet victoriam Heraclii *contra Cosroe.*

IV. Continet Heraclij reditum, ac reportationem Sanctæ Crucis in Ierusalem.

TERTIA PARS continet Orientalis Ecclesiæ Mahumeticam persecutionem eiusq; anxium statum, vsque ad primum Passagium Gotifredi, & Petri Eremitæ: habens cap. VIII.

I. Continet lapsum Heraclij in hæresim, & Terræ Sanctæ vastationem per Humar *&* Mahumet.

II. Continet seductoris Mahumet initia vilia, & modum dominij acquisiti.

III. Cõtinet Mahumet latrocinia, carnaliaq; peccata.

IV. Continet Mahumeticæ legis aliqua abusiua.

V. Continet qualiter fuit pseudopropheta, eiusq; mortem; & quomodo in plures eius dominium est diuisum.

VI. Continet qualiter ad subuentionem Terræ Sanctæ Carolus Magnus *profectus est.*

VII. Continet Caroli reditum, & reliquiarum deportationem.

VIII. Continet deteriorem statum Terræ Promissionis, maximè propter vastationem Constantinopolitani Imperij.

QVARTA PARS continet commotionẽ mirabilem Occidentalium populorum ad Terræ Sanctæ liberationem, tempore Petri Eremitæ: habens capit. XIV.

I. Continet piam auxilij implorationem, initium quoq; postulatæ salutis.

II. Continet celerem Passagij congregationem.

III. Continet peregrinationem Gualterii, *& suæ comitiuæ vsq; Constantinopolim.*

IV. Continet peregrinationem Petri Eremitæ, *cum innumerabili multitudine populi vsq; Constantinopolim.*

V. Continet gesta dictorum Peregrinorũ vltra mare Helespontum, quod dicitur Brachium Sancti Georgii.

VI. Continet destructionem inordinatæ multitudinis Theutonicorum, sub sacerdote Condescauco *peregrinantis.*

VII. Continet confusionem popularis multitudinis peregrinantis sine vllo principali ductore.

VIII. Continet peregrinationem ac captionem Hugonis magni; *& qualiter* Boamundus *ad peregrinandum animatus est.*

IX. Continet peregrinationem Gotifredi, *ac Hugonis magni liberationem.*

X. Continet rixas, & sequentem concordiam Peregrinorum cum Imperatore Constantinopolitano.

XI. Continet viam Boamundi *in Constantinopolim.*

XII. Cõtinet viã Comitis Tholosani *ac suorum, & quæ cum Imperatore gessit.*

XIII. Continet Nicenæ *ciuitatis captionem, & vltimorum Baronum aduentum.*

XIV. Cõtinet diuisionem Peregrinorũ ab inuicem, insultum quoq; Turchorum in eos. 10

QVINTA PARS continet victorias peregrinorũ in regno Ierosolymitano, & eorum discrimina vsque ad tempora Regum: habens capitula octo.

I. Continet Tancredi *&* Balduini *victorias, dum cunctos præcedunt; mutuamq; discordiam, ac pacis reformationem.*

II. Continet prosperos successus Balduini in parte Septentrionali. 20

III. Continet itinera magni exercitus versus Antiochiam.

IV. Continet descriptionem Antiochiæ ciuitatis, eiusq; obsidionem.

V. Continet insultus & cautelas varias tam obsidentium, quàm ciuium obsessorum.

VI. Continet Antiochiæ captionem, & inuẽtionem Lanceæ Saluatoris, & victoriam Corbagat.

VII. Continet itinera Peregrinorum in Ierusalem. 30

VIII. Continet obsidionem Ierusalem, & qualiter capta fuit.

SEXTA PARS continet plenam Terræ Sanctæ liberationẽ, ac regni Ierosolymitani sub Latinis Regibus dilatationem: habens cap. XXIV.

I. Continet qualiter Gotifredus *Rex Ierusalem electus est, eiusq; pietatem circa DEI cultum.* 40

II. Cõtinet victoriam Peregrinis à DEO datam contra innumerabilem multitudinem perfidæ nationis.

III. Continet reditum Peregrinantium; paucorumq; remanentium, miram virtutem in capiẽdo Ioppen, Ramulã, Porphyrã: *& qualiter* Patriarcha *iurisdictionem in quarta parte ciuitatis Sanctæ obtinuit.*

IV. Continet Balduini *primi coronationem, captionẽ* Assur *&* Cæsareę, *geminamq; de* Ægyptiis *victoriam; & captionem* Tortosæ *&* Acon. 50

V. Continet gesta in Comitatu Edissano, *& Principatibus* Antiocheno *&* Galileę.

VI. Continet captionem Biblii, *&* Tripolis; *fictionem etiam* Balduini; *& mortem* Tancredi, *&* Beltrandi.

VII. Con-

VII. Continet Iocellini *fortunam*; *&* Rogerii *victoriam contra Turchos*.

VIII. Continet Montis Regalis *ædificationem*, *&* *munitionis quæ* Scandalium *dicitur*; *mortemq́ Regis*.

IX. Continet Balduini secundi *Regis electionem*.

X. Continet Regis victoriam contra Turchos; *eiusq́ captionem*, *&* *Comitis* Iocellini.

10 *XI. Continet victoriam contra Turchos*; *&* *pacta Surianorum cum* Duce Venetiarum.

XII. Continet Tyri *conditionem*, *&* *situm*, *ac captionem*.

XIII. Continet Regis liberationem, *magnas quoq́ victorias contra Turchos*.

XIV. Continet Boamundi, *&* *Regis mortem*; *&* *sublimationem* Fulconis tertii *Regis Ierusalem*.

20 *XV. Continet honorabilē* Iocellini *mortem*, *&* *magnam Regis victoriam*, *duorumq́ ædificationem castrorum*.

XVI. Continet mortē Tripolitani Comitis; *&* *aduentum Constantinopolitani Imperatoris contra Antiochiam*.

XVII. Continet quædam Imperatoris itinera ac mortem; *&* Bellinæ *ciuitatis captionem*.

XVIII. Continet laudem Regum, *atque* 30 *victorias*; *ordinem quoq́ totius maritimæ regionis*, *&* *mortem Regis Fulconis*.

XIX. Continet quædam gesta Balduini quarti *Regis Ierusalem*; *&* *transfretationem Imperatoris* Conradi, *&* Lodouici *Regis Franciæ*, *cassumq́ laborem*.

XX. Continet mortem Principum Antiocheni, *&* *Tripolitani*, *ac Balduini Regis*; *&* *plures Turchorum insultus*.

XXI. Continet victoriā Almerici *con-* 40 *tra Babylonios*; *deinde confœderationem cum eis contra* Soldanū Damasci; *&* *quædam Antiochiæ gesta*, *atq́* Calyphæ Ægyptii *gloriam*.

XXII. Continet obsidionem Cayri, *&* *etiam* Damiatæ.

XXIII. Continet Almerici Regis feruorem pro regni tutela, *ac mortem*; *&* *qualiter* Arsasidæ *conuerti voluerunt ad fidem*.

XXIV. Continet gesta Balduini sexti 50 *Regis*; *mortem quoq́* Balduini paruuli *septimi Regis inuncti*; *&* *occasionem dissensionis in regno*, *propter creationem* Guidonis *Regis octaui*.

SEPTIMA PARS continet floridum statum Terrę Promissionis tempore Latinorū Regum: habens cap. III.

I. Continet quomodo Terra Promissionis floruit in Principibus, *&* *Baronibus*.

II. Continet quomodo Terra Sancta Promissionis floruit in Clericis *&* *Prælatis*, *&* *descriptionem ciuitatis Sanctæ Ierusalem*.

III. Cōtinet quomodo Terra Sancta Promissionis floruit in religiosis, *pœnitentiam agentibus*, *contemplatiuis*.

OCTAVA PARS continet causas desolationis & amissionis Terrę Sāctę Promissionis, factæ tempore *Saladini*: habens capitula sex.

I. Continet Gręcorum *ritum*, *ac* Surianorum *in Terra Promissionis habitantium*.

II. Continet eorum mores, *qui* Pollani, *&* Maronitę *dicuntur*.

III. Continet eorum ritus *&* *mores*, *qui* Armeni *&* Georgiani *dicuntur*.

IV. Continet ritus *&* *mores* Iacobitarum, *&* Nestorianorum, *&* Mosrabum.

V. Continet multorum Occidētalium ad Terram Sanctam concurrētium prauitatem.

VI. Continet cleri, *ac regularis status deprauationem*.

NONA PARS continet amissionem Terrę Sanctę factam tempore Saladini: habens capitula octo.

I. Continet Diuinæ iustitiæ æquitatem in Terra Sanctæ habitatores indignos.

II. Continet Edissani *Comitatus* *&* *infelicis Comitis illius captionem*, *castri quoque* Aaranch, *&* Paneadis *ciuitatis*.

III. Continet modum quomodo Saladinus *regnauit super duo regna*, *Aegypti videlicet* *&* *Damasci*.

IV. Continet prohibitionem Lateranēsis Concilii *deferendi arma*, *&* *huiusmodi*, *Saracenis*; *lugubremq́ stragem populi Christiani per Saladinum illatam*.

V. Continet amissionem quasi totius maritimæ.

VI. Continet amissionem Ciuitatis Sanctæ Ierusalem, *&* Ascalonis.

VII. Continet lamentationem super desolatione Ciuitatis Sanctæ Ierusalem.

VIII. Continet qualiter Tyrum *Saladinus obsedit*.

DECIMA PARS continet succursum Terrę Sanctę ab Occiduis regionibus exhibitum tempore Saladini: habens capitula IX.

I. Continet miram commotionem Occidentaliū populorum; *ac solicitudinē summorum Pontificum ad Passagium ordinandum*.

II. Continet Imperatoris *Romani trāsfretationem*, *&* *mortem*: *obsidionem quoque* Ptolomaydę *per* Guidonem *Regem Ierusalem*.

III. Continet aduenientia tam Christianis, quàm Saracenis auxilia, & graues euentus.

IV. Cõtinet aduentum Regũ Franciæ, *&* Angliæ; *& captionem ciuitatis Ptolomaydæ.*

V. Continet conditionem maritimæ regionis; infelicem quoq; diuisionem Christianorum Regum; ac Franciæ Regis discessum.

VI. Continet qualiter ad obsidendum Ierusalem *processit populus Christianus, & cur à proposito diuertit: reædificationem quoq;* Ascalonæ *&* Dari.

VII. Continet promotionem Guidonis *ad* Cypri *dominium.*

VIII. Continet recessum Regis Angliæ, coronationem quoq; primi Regis Armeniæ; *peregrinationem Alamannorum, & mortem Saladini; administrationem quoq; Terræ Sanctæ deuolutam ad* Almericum *Cypri Regem.*

IX. Continet diuisionem ac schisma gentis Saracenæ, & treuguarum deformationem.

VNDECIMA PARS continet Passagia, variumque statum ac dominia Terræ Promissionis, à morte Saladini vsque ad transitum Sancti Lodouici: habens cap. XVI.

I. Continet qualiter prædicante Fulcone, *multi Crucesignati vltra mare profecti sunt.*

II. Continet fractionem treuguarum per Saracenos inchoatam.

III. Cõtinet debilitationẽ exercitus Christiani, ac reformationem treuguarum; mortem quoq; Almerici *Regis; & consilium habitum de sponsanda puella cui regnum debebatur.*

IV. Continet contracta matrimonia inter Reginam Ierusalem, & Iohannem *Comitem* Brenensem; *Regem quoque Cypri &* Mariam Isabellis *filium; ac fractionẽ treuguarum.*

V. Continet Iohannis Brenensis Comitis aduentum ac coronationem; insultum quoque Saracenorum contra Ptolomaydam, & Christianorum in eos.

VI. Continet cõgregationem Passagij generalis apud Ptolomaydam, & quæ gesserunt in Terra Promissionis.

VII. Continet Damiatæ *obsidionem, æmulationem quoq; inter Legatum & Regem; & amissionem ciuitatis Sanctæ Ierusalem.*

VIII. Continet Damiatæ captionem, celeremq; in vitia lapsum.

IX. Continet incidentia quædam, & cõfusionem Christiani populi, & Damiatæ amissionem.

X. Continet affectuosam solicitudinem summi Pontificis & Cardinalium ad Terræ Sanctæ succursum: translationem quoq; regni Ierosolymitani ad Conradum *Frederici Imperatoris filium.*

XI. Continet tenuem Imperatoris contra voluntatem Ecclesiæ transfretationem, & quæ gessit in Insula Cypri. 10

XII. Continet gesta Imperatoris in Terra Promissionis, & treuguarum formam.

XIII. Cõtinet requisitionem factam Imperatori, de mittendo filio suo Conrado ad regnum Ierusalem; & praui transmissionem Bailiui.

XIV. Continet reuocationem concordiæ pertractatæ inter illos de regno Ierusalem, & Fredericum Imperatorem.

XV. Continet transfretationem Regis Nauarræ; *& aliarum treuguarum reformationem.* 20

XVI. Continet transfretationem Ricardi *Comitis Cornubiæ: translationem quoq; regni Ierosolymitani in Reginam* Aylisiam.

DVODECIMA PARS continet Passagia *Sancti Lodouici* Regis Franciæ: varia quoque & continua Terræ Sanctæ grauamina, donec ex ea Christianitas vniuersa delecta est: habens capitula XXII. 30

I. Continet qualiter Lodouicus *Rex Franciæ Crucem assumpsit; debellationem etiam peregrinorum in Terra Sancta & amissionem Ciuitatis Sanctæ Ierusalem.*

II. Continet transfretationem Regis Lodouici, & Damiatæ *captionem.*

III. Continet captionem Regis Lodouici; & qualiter Damiata est reddita Saracenis.

IV. Continet statum Terræ Promissionis, eo tempore quo fuit ibi Rex Lodouicus. 40

V. Continet Ianuensium *cum* Venetis, *&* Pisanis *in partibus vltramarinis discordiam.*

VI. Continet bella quædam Tartarorum, & Saracenorum, & etiam Christianorum.

VII. Continet Isabellis *petitionem de Bailiuatu regni Ierusalem; locorũ destructionem variam, tam per Christianos, quàm per Saracenos.* 50

VIII. Continet insultus varios Soldani Babylonij in Christianos: mutuas quoque insidias Ianuensium, & Venetorum.

IX. Continet insultus varios Bendocdar *in Christianos, &* Antiochenæ *ciuitatis amissionem.*

X. Continet Passagium & mortem Sancti Lo-

cti Lodouici *Regis Franciæ in* Tunitium: *ac formam pacis inter Karulum Regem Siciliæ, & Regem Tunitij.*

XI. Continet insultus Bendocdar *in Christianos; & qualiter Christiani induxerunt Tartaros contra eum, ac treuguarum miseram compositionem.*

XII. Continet recessum domini Odoardi *de Terra Sancta, & missum auxiliũ ab Ecclesia, & à Rege Franciæ, ac quædã incidentia.*

10 *XIII. Continet sollicitudinẽ* Lugdunẽsis Concilii *pro subsidio Terræ Sanctæ.*

XIV. Continet turbationem vltramarinorum fidelium, extrinsecam & intrinsecam; & quoddam illis missum auxilium.

XV. Cõtinet finem litigij in Romana Curia inter Regem Cypri *& Damiselam* Mariam: *& qualiter dicta Maria iura sua donauit* Karulo *Regi Siciliæ.*

20 *XVI. Continet aduentum Bailiui in Ptolomayda pro Rege Karulo, & qualiter ciues fecerunt illi homagium.*

XVII. Continet debellationem & mortem Bendocdar; *& discordiam Antiocheni Principis cum Templariis; & qualiter Rex Cypri Ptolomaydam occupare voluit.*

XVIII. Continet congressus Christianorum & Saracenorum in contrata Margath.

XIX. Continet qualiter Hugo *Rex Cypri Tyrum veniens mortuus est; & qualiter*

30 Henricus *filius eius Ptolomaydam obtinuit.*

XX. Continet amissionem castri Liciæ, *&* Tripolis.

XXI. Continet amissionem Ptolomaydæ *ciuitatis.*

XXII. Continet amissionem reliquarum partium Terræ Sanctæ.

TERTIADECIMA PARS continet quædam contingentia post totalem

40 Terræ Sanctæ amissionem: habens cap. XI.

I. Continet cœlestem vindictã in impios Saracenos.

II. Continet remanẽtium Admiraldorum *dissidium.*

III. Continet sordidam Tartarorum *originem, initiaq́; bellorum.*

IV. Continet qualiter Tartari contra Indos *victoriam adepti sunt.*

50 *V. Continet qualiter Tartari versus Occidentem & Septentrionem suum dilatauerunt Imperium.*

VI. Continet quomodo ad procurationem Regis Armeniæ, Mango *Tartarorum Imperator baptizatus est, fratremq́;* Halaonem *contra Saracenos transmisit.*

VII. Continet qualiter Halao *Persiam sibi subiecit, & Baldacẽsem occidit Calypham, & partem Syriæ conquisiuit.*

VIII. Continet qualiter successores Halaonis se habuerunt cum Christianis & Saracenis.

IX. Continet mores Tartarorum, & aptitudinem ad bellandum.

X. Continet gesta quædam Cyprensium *contra Saracenos; & apparatũ* Gazani *contra eosdem, ac impedimentum ipsius.*

XI. Continet gubernationem Cyprensis Insulæ indebitè Regi Henrico *sublatam.*

QVARTADECIMA PARS cõtinet locorum dispositionem, maximè Terræ Sanctæ: habens cap. XII.

I. Continet situm prouinciarum adiacentium Terræ Sanctæ.

II. Cõtinet totius Syriæ *maritimam regionem.*

III. Continet situationem vrbium & castrorum notabilium Sanctæ Terræ Promissionis.

IV. Continet dispositionem Montium, *& regionis quæ est vltra* Iordanem *ad Orientem.*

V. Continet situm montium principaliũ circa Iordanem.

VI. Continet dispositionem Aquarum *&* fluminum *Terræ Sanctæ.*

VII. Continet peregrinationem de Ptolomayda *per* Nazareth *Ierusalem.*

VIII. Continet peregrinationem ciuitatis Sanctæ Ierusalem *& montis* Syon.

IX. Continet peregrinationem locorum circa Ierusalem.

X. Continet peregrinationẽ locorum quæ obmissa fuerunt in ciuitate Ierusalem.

XI. Continet peregrinationes Bethlehem *&* Ebron.

XII. Continet dispositionem Regni Ægypti.

QVINTADECIMA PARS continet oportuna remedia pro Terræ Sanctæ cõseruatione contra defectus & errores multiplices superiùs enarratos, habens cap. XXV.

I. Continet quam necessaria sint ad eius conseruationem, studium militaris disciplinæ, & continuum armorum exercitium.

II. Continet quàm vtile sit processuris contra hostes, propria celare consilia.

III. Continet quàm solliciti debent esse de aduersariorum consiliis perscrutandis.

IV. Continet plura cautelosa exempla, ad vitandum pericula multa quæ exercitui accidere consueuerunt in via.

V. Continet modum ponendi castra.

VI. Cõtinet informationem & exempla, q꞉m *ad hostium requisitionem* bellum *committendum non est.*

VII. Continet loci *aptitudinem ad bellandum.*

VIII. Continet cautelas circa acies *perducendas.*

IX. Continet exempla & cautelas quasdam ad hostium acies exturbandas.

X. Continet exempla quædam & cautelas restituendi suam aciem cùm declinat.

XI. Continet exempla quædam atq; cautelas ponendi insidias.

XII. Continet exempla & cautelas ne hosti fuga *penitus negetur.*

XIII. Continet cautelas varias, & exempla dissimulandi *aduersa.*

XIV. Continet nonnulla post prælium *obseruanda, si prosperè actum est; fugientiumque cautelas.*

XV. Continet circa obsidionem *exempla varia & cautelas.*

XVI. Continet bellantium monita salubria, & regulas directiuas.

XVII. Continet quomodo conquisita Terrâ Promissionis, Rex *vnus instituendus est.*

XVIII. Continet quod à superfluis expensis, *& quibuscumq; vanis Rex debeat abstinere.*

XIX. Continet ad quantum regni periculum Rex malis moribus *inquinatur.*

XX. Continet qualiter Rex per temperantiam *sub rationis imperio concupiscibilem frænare debet, quantum ad sensibiles delectationes.* 10

XXI. Continet qualiter concupiscibilem frænare debet quantum ad delectationum fomenta, seu thesaurorum abundantiam.

XXII. Continet sollicitam Regis diligentiam circa Diuinæ legis *studium ac obseruantiam mandatorum.*

XXIII. Continet Regiæ excellẽtiæ mansuetudinem *piam, ac clementiam in subiectos.* 20

XXIV. Continet Regalis iustitiæ *rectitudinem, ac iudicij æquitatem.*

XXV. Continet summariam dictorum recapitulationem pro Terræ Sanctæ conseruatione.

INI-

INITIVM SANCTI EVANGELII SECVNDVM IOHANNEM.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEVM, & DEVS erat Verbum. Hoc erat in principio apud DEVM. Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso Vita erat, & Vita erat Lux hominum; & Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à DEO cui nomen erat *Iohannes*. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de Lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille Lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios DEI fieri, hiis, qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus neq; ex voluptate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt. Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis.

Ioh. 1, 1. &c.

SECVNDVM MARCVM.

IN illo tempore dixit IESVS discipulis suis, habete fidem DEI. Amen dico vobis, quod quicũq; dixerit huic monti, Tollere & mittere in mare; & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcunq; orantes petieritis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Et cum stabitis ad orandum dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester, qui est in cœlis, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui est in cœlis, dimittet vobis peccata vestra.

Marc. 11, 22.

SECVNDVM LVCAM.

IN illo tempore dixit IESVS discipulis suis. Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur.

Luc. 11, 9.

SECVNDVM MATTHAEVM.

IN illo tempore venit IESVS in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt, alii Iohannem Baptistam, alii autem Helyam, alii verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit illis IESVS, vos autem quẽ me esse dicitis? Respõdens Symon Petrus dixit: *Tu es CHRISTVS Filius DEI viui*: Respondens autem IESVS, dixit ei, Beatus es, Symon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Et ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc

Matth. 16, 13.

Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

CREDO. KYRIELEYSON CHRISTEL. KYRIEL. Pater noster.

Dan. 9, 18. Aspice Domine de sede Sancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. 10

Aspice Domine, quia facta est desolata ciuitas plena diuitiis: sedet in tristicia Domina gentium: non est, qui consoletur eam, nisi tu DEVS noster.

Dan. 9, 19. Exaudi Domine, placare Domine: attende & fac, ne moreris propter temetipsum Domine DEVS meus, quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem, & super populum tuum, Domine DEVS meus. 20

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI, AMEN.

A. Dni. 1307. *Anno ab incarnatione Domini nostri dulcissimi IESV CHRISTI, qui est LVX & VITA nostra, Millesimo trecentesimo septimo Mense Ianuarij, hoc Sanctissimum opus, & breue compendium primi libri, negotii Terræ Sanctæ inceptum est: quia veritas à quocunq; dicatur, à Spiritu Sancto est. Rubrica. Rubrica.* 30

Ad debilitandum Soldani potentiam & gentem illi subiectã, oportet prohibitionem facere magis solito exquisitam, ne ad partes Soldano subiectas, quisquam accedat: *vt infrà parte quartã, cap. 1.* Fiatq; non solùm in mari, sed etiam in terra: *vt capitulo sequenti ostendetur:* & contra inobedientes, ac etiam participantes cum eis, in mercando potissimè, sicut contra hæreticos procedatur.

Item inhibeatur sub eadem censura ne quisquam de partibus Africæ aut etiam Hispaniæ, vbi habitant Saraceni, speciariam accipiat, vel mercimonia quæcunque à partibus Indiæ portata, vel à terris Soldano subiectis: *vt tertio capit. 4. partis.* 40

Item similiter prohibeatur ne de prædictis mercimoniis quisquam emat à partibus Aquilonis, à confinibus regni Armeniæ vsq; ad Anniam: *sicut ostenditur 4. cap. 4. partis.*

Item prohibeatur cõformiter vt nullus emat, vel accipiat in partibus & in Insulis Romaniæ, vel aliqua alia parte mundi de mercationibus, de quibus aliquo modo constare posset eas transire per loca Soldano subiecta: *vt 5. capit. dicitur 4. partis.*

Item prohibeatur sub certa & graui pœna, vt domini terrarum & communitates, fractores statuti Ecclesiastici in hac parte persequi, quasi hæreticos, teneantur; & persequi volentibus præstare auxilium, consilium & fauorem: *vt dicitur 6. cap. partis eiusdem.* 50

Item mandetur sub pœna sententiæ excommunicationis, quod quilibet sciens aliquem vel aliquos, præcepta huiusmodi violasse, teneatur eum vel eos denuntiare quo ad citiùs poterit, bono modo; persona verò accusans, accusatis vel aliis nullatenus reueletur: vel si excommunicatio fienda nõ videtur, accusanti eius

quod

quod per suam accusationem accusato aufertur, pars tertia tribuatur; & teneatur, vt supra dicitur, sub secreto.

Et si Sanctissimo summo Pontifici placet, vt sic statuta, intentum ac debitum consequantur effectum, præceptum Ecclesiasticum hactenus neglectum, strictissimè faciat obseruari: vt videlicet per omnes vrbes maritimas diebus Dominicis & festiuis huiusmodi sententia publicetur. De facto enim videmus, quia antiquæ sententiæ tam Conciliorum quàm summorum Pontificum, & in Ecclesiis publicatæ non sunt, tantæ obliuioni sunt traditæ, vt multi etiam litteratorum virorum, communes merces licitè deuehi posse existiment ad terras Soldano subiectas.

10 Prædicta autem publicatio aptiùs & vtiliùs fieri videtur post cantatum Euangelium, & ante inchoatam præfationem: tunc enim populus consueuit meliùs & communiùs in Ecclesia congregari.

Ad hæc autem omnia peragenda, quædam galeæ necessariæ sunt: *vt 4. part. eiusdem libri ostenditur, cap. 7.* Sunt quoq; valdè necessarii sollemnes inquisitores, pœnam eisdem transgressoribus infligentes.

IN NOMINE DEI ÆTERNI, AMEN.

20 *ANno à natiuitate Domini nostri* IESV CHRISTI, Millesimo trecentesimo sexto, *Mense Martii, Ad Omnipotentis* DEI *laudem, & eius Sanctissimi nominis gloriam & honorem, & ad Sanctissimi Patris nostri summi Pontificis clarissimam prouidentiam, & exaltationem fidei Orthodoxæ; & ad confusionem Soldani, & legem colentium Mahumeti, & eorum ad mandata piæ matris Ecclesiæ reditum & conuersionem, & ad cultum salutiferum fidei piissimi Crucifixi, inceptum est hoc* 30 *opus, quod per* DEI *gratiam* Marinus Sanudo, *aliter dictus* Torsellus, *filius Domini* Marci Sanudo, *de confinio Sancti Seueri, de ciuitate* Riuoalti, *de Venetiis, familiaris & domicelus deuotus; olim bonæ memoriæ venerabilis in Christo patris & domini sui, domini* Ricardi, *miseratione diuinâ Sancti Eustachii Diaconi Cardinalis: qui totis temporibus vitæ suæ, conditiones Terræ Sanctæ repromissionis, & aliarum terrarum de vltra mare inquirere concupiuit, tam in terra quàm in mari: cum omni diligentia & affectu genibus flexis humilimè inclinando, sicut fidelis Christianus, exponit.*

A. Dni. 1306.

INCIPIT LIBER PRIMVS OPERIS TERRÆ SANCTÆ, CONTINENS DISPOSITIONEM AC PRÆPARATIONEM *ad Terram Sanctam recuperandam: habens partes quinque.*

PARS PRIMA, CONTINET MODVM DEBILITANDI SOLDANI POTENTIAM, OSTENDENDO QVOMODO FIDELES

Christiani possunt habere mercimonia eis necessaria absque eo quod ad terras Soldano subiectas habeatur accessus; declarando ingentia grauamina ac damna quæ infideles Soldano subiecti sustinerent, si per nostrum mare non transfretaretur ad eos: habens capitula sex.

CAPITVLVM PRIMVM, CONTINET CAVSAS VTILITAtum obuenientium Soldano & populo eius, occasione mercationum de India; nomina quoque portuum vnde transferuntur, ac modum quo subtrahi possunt à districtu Soldani. Rubrica.

1. QVOD magna pars honoris, reditus, prouentus & exaltationis *Soldani* & gentium illi subiectarũ, est propter speciariam, & alia multa mercimonia: quæ omnia non nascuntur in terris & partibus Soldano subiectis; imò nascuntur in terris & partibus Indiæ, & per mare Oceanum versus Occidentem, ab altero ipsius maris latere transferuntur. Hoc verò Oceanum mare in illis partibus habet principaliter duos portus: quorum vnus nominatur *Mahabar*, & alter *Cambeth*: in quibus maior pars speciariæ & mercimoniorum, quæ ab illis partibus Indiæ ad dictos duos portus descendunt, & in nauigio onerantur, & inde extrahuntur; & per illud mare Oceanum ad infrascriptos quatuor portus principaliter, versus Occidentem transducuntur. Quorum tres sunt in terris & riperis, sub dominio *Tartarorum*, qui in Persia dominantur. Ipsorum autem trium portuum, vnus est in terra firma, & nominatur *Hormus*; alter est in quadam insuleta, *Kis* nominata; tertius est in fossa fluminis quod discurrit à *Baldac*. Maior enim pars speciariæ, & mercimoniorum, quæ ad Occidentẽ antiquitus ducebatur, consueuit per Baldac facere viam suam; & exinde per Antiochiam, & Liciam ducebatur ad nostrum mare: & tunc temporis speciariæ & alia mercimonia Indiæ, & habundantiùs, & pro minori prætio habebantur, quàm habentur ad præsens. Portus verò quartus nominatur *Abaden*, qui est in quadam insuleta, qui quasi est in terra firma, in terris Saracenorum: & illæ speciariæ & mercimonia quæ de partibus Indiæ ad portum ipsum descendunt, ibi honerantur; & inde per terras Saracenorum, in nouem dietis Cameli, ad flumen Nili conducuntur in locum vocatum *Chus*; & inde nauigio ipsius fluminis, & honorantur & in dietis xv. in Babylonem conducuntur. Tempore verò mensis Octobris & circà, flumen illud habundat in tantum, quod ipsæ speciariæ & mercimonia descendentia à Babylonia per dictum flumen, intrant per quandam talgiatam

tam longam, & per ducenta miliaria, quæ sunt à Babylonia vsque in Alexandriam deferuntur. Per magnam verò commoditatem nauigii siue dextrum, quam vel quod habent Saraceni, maior pars speciariæ & aliorum mercimoniorum, quæ ab India conducuntur ad Occidens, ab ista parte in Alexandriam conducuntur: de quibus percipit Soldanus in diuersis locis, tantum de thelloneo quod tertium valoris omnium specierū ærarium suum intrat, propter quod thesaurizat, præter immensam vtilitatem quam mercatores & populi sui exinde consequuntur.

Et sicut minor pars speciariæ & mercimoniorum quæ conducuntur ad Occidens, ad præsens ad tres prædictos portus descendunt, & veniunt ad ripas Tartarorum vadit ad Baldac & ad Thorisium: vnde per multas vias possunt ipsa mercimonia descendere ad mare nostrum, & cotidie conducuntur, nihil omnino tangendo de portubus, ripis, & terris Saracenorum subiectis Soldano. Sic, si gentes quæ ad terras Soldani ad emendum speciariam, & alia mercimonia concurrunt per istud mare nostrum, inhibitionem habebunt, prout in præcedenti breui compendio cōtinentur, de vrgenti necessitate cursus dictorum mercimoniorum, per terras Soldano subiectas amittentur omnino; & à parte & per viam dominii Tartarorum, omnes prædictæ speciariæ & mercimonia decurrent. Nam sicut aqua naturaliter labitur ad valles, sic mercimonia transferuntur ad loca, vbi magis requiruntur: de quibus mercimoniis vniuersus populus Christianus, commoditatem sibi necessariam ad sufficientiam obtinebit, & mercatores Christiani vtilitatem propriam cōsequentur. Quid plus? ab hac parte scilicet dominii Tartarorum, vsque in Indiam ipsi mercatores Christiani poterunt dirigere gressus suos, cùm multi sint, qui iam iuerunt & redierunt. Soldanus verò, per terras quas tenet non permittit, aliquem Christianum transire, qui in Indiam cupiat transfretare. Huius rei veritas cognosci potest per gesta præterita: nam quando mercimonia constringuntur vel impediuntur taliter quod conduci nequeant aliquò per vnam viam, mercatores ad vtilitatem suam vigilantes, cogitant, perquirunt & inueniunt viam aliam, per quam illa conducunt ad locum ipsum. Nam dicitur, *negocians, negans ocium*: quia non cessat inuestigare viam conducendi mercimonia ad partes in quibus maior habetur de ipsis necessitas, vnde ampliùs lucrari possit. Et vt Sanctitati vestræ pateant, quæ dicuntur: sciendum est quod à partibus Tartarorum, scilicet à Baldach & à Thorisio, à magno tempore citra conducta sunt & cōducuntur ad præsens ad Mare Mediterraneum, quasi omnia mercimonia modici ponderis, & magni prætii, siue valoris: vt *cubebe, spicum, gariofili, nuces muscatæ, maci* & hiis similia. Alia verò mercimonia grauioris ponderis & minoris prætii; vt *piper, cinziber, thus, cannella* & similia hiis, descendunt per viam *Hauden* in Alexandriam, in maiori quantitate quàm ab alia via superiùs nominata. Sed illa quæ ex istis mercimoniis grauioribus descendunt per viam de Chaldæa & de Persia, vt est dictum, sunt longè meliora, illa scilicet quæ possunt esse meliora, quàm ea quæ descendunt in Alexandria: specialiter *cinziber*, & etiam *cannella*. Nam cinziber quod descendit à via Tartarorum, melius valet, siue prætiosius est quàm id quod descendit in Alexandriam, à decem ad viginti pro centenario. Et ratio huius est, quia à partibus Tartarorum conducuntur mercimonia meliora. Nam conductus mercium per hanc viam, magnas expensas sustinet de salmatio vel vectura; & de commercio vel thelloneo modicas: sed à partibus Ægypti, conductus merciū parum cōstat, propter dextrum & commoditatem fluminis: sed soluitur maximus thelloneus, qui datur Soldano. Itaque per istam viam mercatores cognoscentes suam prærogatiuam, meliora ferunt mercimonia hinc quàm inde: nam tantum constat cōductus bonorum mercimoniorum, quantum minus bonorum. Rursum Cinziber descendens in Alexandriam est multo plus coctum, & inuenitur de ipso plus deuastatum & perforatum, quàm de alia parte supradicta. Creditur quòd hoc fiat, quia habent conducentes ipsum, longius viagium seu iter per mare, quàm qui conducunt ipsum de partibus Tartarorum: quia cinziber est merces quæ facilè deuastatur.

CAP. II.

Continet quomodo ea quæ nascuntur sub dominio Soldani nobis necessaria, de terris Christianorum haberi possint.

II. ET cum in terris Soldano subiectis *bombix* & *Zucharum* crescant in non modica quantitate, de quibus Soldanus, & Sarraceni percipiunt magna pedagia & tributa, si Christiani astricti fuerint, Soldano & Sarracenis damnum non modicum eueniet, cùm in Cypro tanta quantitas Zuchari nascatur, quod Christiani poterunt competenter furniri. Sed de Zucharo nascitur in Rodo, Amorea, Marta: & in Scicilia, & in aliis locis Christianorum Zucharum nasceretur, si hoc procuraretur. Bombix verò nascitur in Apulia, in Scicilia, & in Creta, in Romania, & in Cypro in bona quantitate. Et quando inhibitio prædicta facta foret plus de prædictis in prædictis locis vel aliis nasceretur rationabiliter, eò quòd plus procuraretur. Ita quòd cōsideratis hiis omnibus, Christiani possent habere de Bombice ad sufficientiam; & de Zucharo, magnum incommodum non sufferrent. 10

CAP. III.

Continet de dactilis, cassia fistula, lino & laboreriis impediendis ne de Aegypto per nostrum mare portentur, in quibus Soldanus, & gens sibi subiecta multam consequuntur vtilitatem.

III. IN Ægypto verò nascitur *linum* in maxima quantitate, de quo multa & diuersa laboreria fiunt. Laboratur enim linum cum *Serico* mixtum; Laboratur etiam laborerium solius serici: & quamuis sericum nullis partibus non nascatur, tamen ipsum linum & laboreria ac mercimonia supradicta, per nauigium Christianorum & Saracenorum ad Mare Maius, ad partes Tramontanæ, per Turchiam & Africam continuè deportantur. Et licet Christiani habundent lino, nihilominus tanta est bonitas lini Ægyptii, quod spargitur vsque in Occidentem. Et cùm prædictum linum in mercimonia ire non possint, ad bonum commodum nisi per mare nostrum, si maris astrictio facta esset, Soldanus & Agarenicæ gentes damnum non modicum consequerentur. Nascuntur etiam in terris Soldano subiectis, & maximè in Ægypto, *dactili*, & *Cassia fistula* in magna quantitate: de quibus per mare nostrum ad plures partes mundi pars non modica diffunditur. 20 30

CAP. IV.

Continet damnum quod consequitur Soldanus, gens sibi subiecta, si aurum, argentum, ferrum & cætera metalla, & quædam similia non portentur eisdem.

IV. ET quia in dictis terris quas tenet Soldanus, aurum, argētum, æs, stagnum, plumbum, argentum viuum, aut aliquod aliud metallum; coralli, & ambrum non nascantur: omnia prædicta ad ipsas terras per nostrum mare feruntur, de quibus Soldanus percipit in Alexandria magna tributa. Primò de *auro* ad ponendum ad Zecham, sex & duæ tertiæ pro centenario soluebantur. Et cùm in Occidenti aurum sit magni pretii, in præsenti relinquitur aurum, & argentum portatur. De commercio verò *argenti* quatuor & dimidium pro centenario in Alexandria soluebantur. Verùm ad præsens Soldanus aliquibus soluendi solùm tres & dimidiam pro centenario de ipso argento, gratiam contulit. De toto argento quod vadit ad Zecham in Kayro, Soldanus accipit pro quolibet centenario, decem. De *ære* etiam in diuersis thelloneis in Alexandria percipit quartum, vel circa. De *stagno* in ipsis diuersis thelloneis in Alexandria percipit quintum, vel circa. De *plumbo* autē, & de *argento viuo*, & de *corallis*, & de *ambro*, similiter Soldanus percipit magnum tributum. Quæ omnia supradicta in Ægyptum spargūtur, & vsq; in Æthiopiam & in Indiam, non sine magna vtilitate Soldani, & populi, & mercatorum suorum. 40 50

CAP. V.

Continet dispendium ac damnum quod Sarraceni consequerentur, si de terris Christianorum victualia non portarentur ad eos.

V. POrtantur insuper in Alexandriam & in terras Soldano subiectas, *oleum* in magna quantitate, *mel, auellanæ, amygdalæ, crocus, mastica*: de quibus, vt breuiter dicatur, in diuersis thelloneis largo modo in Alexandria Soldanus percipit quartum.

Portan-

Portantur etiam *sericum*, *panni*, *lanæ*, *& serici ac tellæ*, & alia multa, de quibus Soldanus, & mercatores, & populus suus magnam consequuntur vtilitatem. Accidit aliquando etiam quod non crescit ad sufficientiam flumen Nili: ita quòd illa pars terræ, quæ tunc non irrigatur ab ipso, non fructificat; sicut accidit tempore paulò post amissionem Acon & Syriæ: quia, si tunc Ægyptiis non fuisset per nostrum mare de *Blado* succursum, ipsi aut eorum maior pars fame cogebantur contratas illas relinquere, aut mori.

CAP. VI.

10 *Continet cum aliquali descriptione terræ Aegypti, damnum immensum quod consequentur Aegyptij si lignamina, & cætera pro nauigiis non deferantur ad eos.*

ET cum in terra Ægypti non nascuntur *lignamen*, *ferrum*, *pix*, per quod nauigium aliquod posset ad perfectionem perduci, cùm Saraceni non possent habere aliunde nisi per mare nostrum, si nauigium non haberent, terra Ægypti malè posset durare, & specialiter Babylonia, & Kayrum; & habitationes quas tenent, non possent vllatenus retinere. Et ratio est, quia Babylonia est super *flumen Nili*, & à Babylonia vsq; ad nostrum mare sunt miliaria circa C. & dictum flumen vsq; ad mare nostrum discurrit. Et habet hoc flumen IV. ramos magnos: vnus ramus *Tenex* nominatur, qui est versus desertum de *Gazara*: secundus est *Damiatæ*: tertius *Strio-*20 *ni*: quartus *Raxeti*, qui est versus Alexandriam. De quibus supradictis ramis, duo sunt principaliores & maiores: scilicet Damiatæ & Raxeti. Aliorum duorũ vnus, qui vocatur *Tenex*, habet profundiorem focem aliis, & maius nauigium reciperet: & deintus focem, habet magnum stagnum, & latum spatium, vbi posset stare nauigium in maxima quantitate; & portus salsus est. Alter verò, qui vocatur *Strion*, habet minus profundam focem aliis tribus, & minora ligna reciperet: nihilominùs quando habundat fluuius, intrarent aliquando galeæ armatæ; & habet infrà vnum magnum stagnum, cuius vna pars est aliquando dulcis, aliquando verò salsa. Inter ora autem istorum ramorum quatuor, per Riperiam discurrendo per mare nostrũ, sunt milliaria CCXX. À *Damiata* verò vsq; in *Alexandriam* discurrendo per 30 mare nostrum, sunt milliaria CC. À *Babylonia* autem, eundo super flumen Nili versus Meridiem, esse dicuntur sub dominio Soldani circa v. C. milliaria. Habet hoc flumen Nili, in eo cui dominatur Soldanus, ramos plurimos: circa verò ramos istos sunt lacus multi, & stagna, & Rubinæ siue Talgiatæ multæ, quæ per terram Ægypti sparguntur, de quibus pars terræ irrigatur. Super ripas autem fluminis Nili, & harum aquarum, habitationes multæ sunt, propter quod omnia mercimonia, victualia ac necessaria ipsis, aliaque omnia quæ ipsi faciunt, conducunt cum nauigio, & reducunt: quod nauigium habent in maxima quantitate. De thelloneo autem *lignaminis*, *ferri* & *picis*, in diuersis locis percipit Soldanus valorem quarti, quod est summa magna pecuniæ. Et de quolibet vase nauigante, tam de 40 paruo quàm de magno, annuatim percipit Soldanus *Bizantios* veteres tres, qui sunt floreni auri circa tres cum dimidio. Apparet autem multitudo copiosa huius nauigii, tempore messis completæ, quando bladum portatur in Babylonia, cum nihilominus nauigium ipsum continuè vadat, & redeat per ipsum flumen Nili, & per ramos ipsius fluminis, & per lacus: ita quod mirabile est solum cogitare magnam multitudinem ipsius nauigii. In *Babylonia* verò, de mercatoribus & artificibus multus populus commoratur: in *Kayro* verò, & in *Castro*, quod distat circa duo miliaria milliaria à Babylonia, Soldanus cum Amiraliis suis & hominibus armorum, qui sunt in Ægypto & multo populo altero, commoratur. Et quia fortitudo gentium Soldani moratur in vno loco, propterea est vnus Dominus, qui 50 dominatur in terra Ægypti, & vltra desertum vsque in Armeniam, & ad *Aquas frigidas*, quæ confinant cum dominio Tartarorum. Quod si Saraceni nauigium non haberent, mercimonia, victualia, & eis necessaria non possent conduci in Babyloniam, vel ad Kayrum, ac ad Castrum: eò quod somagium esset maiorum expensarum quàm res valerent; & insuper per terram conduci non possent: propter quod opportunum esset omninò quod populus Babyloniæ, & homines armorum de Kayro, & de castro, cum reliquo populo se diuiderent per contratam Ægypti. Contrata est maxima: si diuisi essent, rationabiliter in terra Ægypti deberent

dominia plura cadere: quapropter faciliter orire tur dissensio inter eos: & vbi diuisio ibi confusio, cùm scriptum sit; *Omne Regnum in se ipsum diuisum desolabitur.* Luc. 11, 17.

SECVNDA PARS, CONTINET CERTAM EXPERIENTIAM, QVOMODO IAM DEBILITATA EST ALIQVA pars Soldano subiecta: habens capitula duo.

CAP. I.

Continet quomodo dominium Soldani vltra desertum versus Armeniam, & in contratis Syriæ, est diminutum in diuitiis. Rubrica.

PRÆTEREA *dominium Soldani* extra Ægyptum, vltra desertum, versus Armeniam, & vsque ad Aquas frigidas, quæ confinant cum dominio Tartarorum, multò maius, potentius, & locupletius esse solebat, quando Acon & Syria habitabantur à Christianis, quàm sit ad præsens. Et quia diminutum est, ratione ostenditur quod thesaurus magnus de mansionibus, & thesaurus & mercimonia aliarum gentium, quæ transfretabant in Acon & in Syriam, remanebant in illis terris Saracenorum: eò quod Christiani de mercimoniis eorum accipiebant, propter quod Saracenorum populus pinguis erat.

CAP. II.

Continet quomodo in prædictis terris dominium Soldani est diminutum quantum ad habitatores, & maximè in viris bellatoribus. Rubrica.

ET quia DEO placuit quod virilis dominus Armeniæ, frater *Iohannes* de ordine Minorum, ad confusionem Soldani, & Agarenicarum gentium, pluries Tartaros super eos sapienter induxisset, propter quod terra Saracenorum vsque ad desertum, per quod transitur in Ægyptum est multùm damnificata per pluries vices de multis hominibus, & diuitiis infinitis: de quo maior pars virilium hominum armorum Soldani est amissa, & Saracenorum populus perterritus est in tantum quod terram multi reliquerunt. Et ad præsens, de populo & diuitiis ipsa pars terræ nullum habet statum prout habere solebat. Quod si non esset auxilium quod Soldanus à Kayro huic parti terræ dirigit in succursum, nullo modo duraret residuum quod remansit.

TERTIA PARS, CONTINET QVÆDAM NECESSARIA VALDE SARACENIS, QVÆ AB ALIIS OPORTET EOS acquirere: habens capitula duo.

CAP. I.

Continet causam prohibitionis, ne lignamina, & cætera ad nauigium pertinentia, Saracenis terræ Aegypti portari debeant. Rubrica.

ET videre quilibet euidentiùs potest, quod antiquitus quando fuit inhibitio celebrata per sanctissimam prouidentiam prædecessorum vestrorum, super omnia alia prohibuerunt solemniter, quòd in terris Saracenorum *lignamen, ferrum, & pix* nullatenus portentur: eò quod redditus & proficuum omnium thelloneorum Soldani in terra Ægypti, quasi totum dependebat, & ad præsens depēdet ab iis à quibus nauigium sustentatur, & propter nauigium Soldanus semper habuit & habet tam immensum thesaurum, quod omnibus circumspectis per solam quasi vtilitatem nauigii dominatur.

CAP.

Cap. II.

Continet quomodo Saraceni terræ Aegypti pro defensione districtus sui procurant sibi portari de alienis partibus pueros & puellas.

Nuper, cùm gens quæ nascitur in terra Ægypti, & in partibus illis non sit, nec valeat pro armis, respectu illorum, qui veniunt aliundè, Soldanus cum suis Amiraliis habet hanc prouidentiam: scilicet, quod de prædicto thesauro per mare speciales dirigit mercatores ad *emendum puerulos* de diuersis nationibus, tam Christianos quàm paganos, vbicunq; possunt pro pecunia reperiri. Quos cum habent, instruunt in armis, & docent; & ii sunt, qui dominantur in partibus Ægypti & in terris Soldano subiectis, cum quibus terram sustinent atque tenent; per quorum vires Soldanus Christianos de Terra Sancta repromissionis fugauit. Portantur & etiam in Ægyptū & ad terras Soldano subiectas, similiter *puellæ* de nationibus diuersis, tam Christianæ quàm Paganæ, quibus abutuntur pro delectatione carnis, quæ in damnationem animarum suarum legi subiacent Machometi.

QVARTA PARS, CONTINET QVOMODO NECESSE est nouum modum prohibitionis inuenire magis solito exquisitum: ostendendo etiam qualiter potest distringi, quod per mare Mediterraneum ad partes Soldano subiectas minimè transfretetur; nec non galeas aliquas præparari tam pro conseruatione vltramarinorum Fidelium, quam Saracenorum dispendio: habens capitula VII.

Cap. I.

Continet causam quare sine distinctione omnis mercatio, & omnis accessio ad Saracenos Soldano subiectos prohiberi debeat.

AD inhibendum verò, & ad perficiendum opus tam sanctissimum recuperationis Terræ Sanctæ, roratæ præciosissimo sanguine dulcissimi Domini nostri IESV CHRISTI, vnigeniti filii DEI viui, oportet omnino quod inhibitio solemnis per totum mundum artiùs celebretur. Videlicet *quòd lignamen, ferrum, & pix, & generaliter aliquid aliud, nullatenus portentur, vel accipiantur abindè*. Et hæc est ratio: quia si Christiani ad accipiendum speciariam, zucharum, bombicem & mercimonia de Leuante, transfretarent illuc; & ad alia mercimonia portandum, quæ non videantur inhibitioni contrahire: sub tali velamine Christiani inobedientes, & etiam Saraceni, qui cum suo nauigio nauigant portantes lignamen, ferrum, picem, & puerulos in Ægyptum & in terras Soldano subiectas, auxilium ab aliis Christianis, qui obedientes esse cupiunt obtinebunt. Et opportunum erit ipsis obedientibus Christianis in mari & in Terra & in portubus, & vbicumq; se inuenient, cum nauigio ipsorum Christianorum inobedientium & Saracenorum, ipsum suum nauigium oneratum de lignamine, ferro, pice ac puerilis saluare & custodire, & quasi eis exhibere auxilium & fauorem: quod si faceret contrarium, gentes suorum communium, quæ sunt in terris Soldano subiectis statim captę essent in personis & rebus, & ad partes ipsas non essent ausæ de cætero transfretare, de quibus obedientes Christiani præ timore & occasione faciendi sua mercimonia hanc falsam sustinent subiecturam. Et clariùs apparet, quod si inhibitio solemnis fuerit per totum mundum strictiùs delegata, qui per mare ibunt, si in terris Soldano subiectis non sentient gentem suam, aut si perpenderent transgressores prædictos iuisse contra prædictam inhibitionem, & contra præceptum dominorū, siue communium suorum, etiam & ipsi caperent illos Christianos inobediētes & Saracenos tāti sanctissimi operis corruptores: propter quod omnes, qui potenter transfretabunt per mare, erunt cum omni gaudio parati ad omnem custodiam maris, & obedientiam huius inhibitionis beatæ. Præterea quando Acon & Syria amissæ fuerunt, solemnis inhibitio facta fuit contra euntes ad terras Soldano subiectas, vel inde redeuntes cum mercibus: inter cætera continens,

quòd *qui contra hæc fecerint perpetuò sint infames, & intestabiles habeantur*: ita quod nec testari, neq; legata eis seu relicta, percipere valeant: & insuper ad successiones tam ex testato quàm ab intestato, sint prorsus, & reddantur inhabiles, nec ad publica quælibet admittantur officia; sintq; illis omnes actus legitimi penitus interdicti, & in commune bona eorum omnia penitus deuoluantur; & nihilo minus, si personas capi contingat, in seruitutem & capturam illorum esse volumus, in quorum ceciderint captionem.

CAP. II.

Continet causam quare oportet statuere, quod vbicunq; non solum in mari, sed etiam in terra, à cunctis fidelibus persecutionem sustineant transgressores mandati Ecclesiæ, in hac parte. 10

II. ET sicut inhibitio ipsa tunc temporis facta fuit, & in mari firmata: videlicet quod contra tales transgressores in mari persecutio fiebat super eos & non quasi in terra: si Sanctissimæ prouidentiæ vestræ, Spiritus Sancti inspiramine illustratæ placet, quòd supradicta omnia obseruetur, & sanctum consequantur intentum, oportunum est omninò, vt semper cum omni humilitate loquar, quod etiam in terram per totum mundum inhibitio fortius statuatur, & inde persecutio viriliter subsequatur. Quia per custodiam maris solum, non potest perfectè inhiberi, quod aliquis per mare ad terras Soldano subiectas non valeat transfretare. Cuius 20 ratio est: quia galeæ armatæ non possunt stare extra in mari, tempore tempestatis; & etiam tempore tranquilitatis, malè libenter in hyeme nocturno tempore se reperiunt extra portum; & tempore æstatis non possunt multis diebus in mari esse quin frequenter declinent ad terras, propter aquam potabilem assumendam: & similiter cum nauibus magnis ex gentibus armigeris reforzatis non posset sufficienter maris custodia fieri: quia mare latissimum est, & marina Soldani magna, & transgressores, qui timore DEI postposito, vellent ad partes Soldanicas declinare, sibi acceptabile tempus & opportunum eligerent, & per altum mare à terra remoti pelagizarent; & vbicumq; terram caperent, in locis Soldano subiectis benè reciperentur, & tractarentur humaniter & benignè, propter eorum necessitatem: & 30 sicut prædicti malefici possunt ire ad terras Soldano subiectas, ita quasi possunt inde redire ad patrias suas: ita quod ad plenam inhibitionem additur cuiuscunque, quòd ad terras eorum, & etiam ad suffocandum cursum mercimoniorum supradictarum terrarum & locorum, expedit persequi transgressores prædictos & mercimonia supradicta, tam in terra, quam in mari: & in tantum plus, quòd illi Christiani pessimi & iniqui, qui tunc temporis transfretabant illuc, id est, circa principium constitutionum super hoc editarum, quando de partibus illis reuertebantur ad patrias, propter multiplicationem lucri, speculum Diabolicum erant multis, & causam eis transgressionis & damnationis similis præparabant. Ita quod multi propterea iuerunt pluries, & redierunt, & cœperunt damnatum propter malam con- 40 suetudinem sibi cursum. Vnde si tam gloriosi mandati fractores in terra & in mari, tanquam hæretici, per vniuersum orbem persecutionem patiantur cum eorum mercimoniis, ne similes illis fiant, qui per malum præteritum facti sunt scandalum plurimorum, & puniti taliter fuerint quod cedat omnibus in exemplum: cum paucis procul dubio galeis, Ecclesiæ vexilla ferentibus, ad terrorem ipsorum, custodia perficietur eadem, ad tam sanctissimum beneficium adimplendum.

CAP. III.

Continet necessitatem remouendi cursum mercium, quæ de terris Soldano subiectis portari consueuerunt, à tota Africa, & de tota Hispania, vbi habitant Agareni. 50

III. ET cum opportunum sit, quod auferatur cursus mercimoniorum à terris Soldano subiectis, necesse est, vt à montibus de *Barca*, qui sunt in confinibus terrarum subiectarũ Soldano cum terris Regis Tunisii, & per Barbariam & totum latus versus Meridiem siue Austrum, & per terram quam Agareni tenent in Hispania, nullus per aliquem modum vel ingeniũ, audeat accipere aliquam speciariam vel mercimonia de India, vel bombice, aut Zucharum, vel linũ sub illa pœna quam incur-

runt,

runt, qui accipiunt eas de terris Soldano subiectis. Cuius ratio est, videlicet quod illi Agareni de Meridie, siue Austro, non caperent sibi viam eundi ad terram Soldani, ad accipiendum speciariam & alias merces, sicut erant soliti facere tempore inhibitionis quando strictiùs seruabatur.

Cap. IV.

Continet causam quare eadem prohibitio debeat fieri versus partem Borealem à flumine Saleph vsq; in Anniam.

IV.

PRæterea à parte Septentrionis, à confinibus Cilicię, quæ nunc appellatur *Armenia*, à quodam flumine quod *Saleph* nominatur, eundo per *Riperiam Turchiæ*, quæ antiquitus fuit *Græcia*, deuoluendo vsque in *Anniam*, etiam nulla mercimonia de India & de terra Soldani possint accipi, sicut de Barbaria est expressum, sub pœna inhibitionis prædictæ. Et ratio huius est: quia in partibus supradictis, & specialiter in terra *Candeloris*, & in terra *Sectalia*, multa vasa onerantur de lignamine, & de pice, & de pueris & de puellis, tam Christianis quam Paganis, & de seta & aliis mercimoniis, & inde transferuntur ad partes Soldano subiectas, & maximè in Ægyptum; & ibi deponunt & expediunt hæc portantes, & vendunt, & inde extrahunt Zucharum, & speciariam, linum, & alia multa, & conducunt ad loca supradicta Turchiæ, & cunctas illas de mercibus illis replent: ita quod per habundantiam quæ ibi habetur, ex eis inde conducuntur per mare vsq; ad partes Occidentales. Et cum iam superius sit dictum vsq; in Anniam reuoluendo, si DEVS per suam bonitatem suum velox consilium non præbit, oportebit quod exprimatur, quod DEVS auertat, vsq; à *Scutari*, quod per medium Constantinopolim est situm: eò quod ii Turchi pessimi Agareni quasi totam terram quam vltra Aücdum versus Orientem Græci tenebant, subiugauerunt sibi, de quo multi Græcorum mortui sunt, & capti & venditi sunt pro seruis. Cum insuper ipsi Turchi de nouo facto nauigio, multas insulas quæ sunt circa illam terram firmam, cum crudelitate maxima destruxerunt, propter quod ipsa terra consumpta remansit. Ille autem, qui erit Capitaneus creatus ex præcepto Ecclesiæ Sanctæ DEI, percipere possit Saracenis Turchis, qui dominantur in terris ipsis, quod sibi caueant destinare nauigiũ, vel recipere aliquid de terris Soldano subiectis, poterit esse quod obedientes erunt per hanc rationem, videlicet quod ipsi habent aliquando defectum in certis locis de blado & de aliis mercimoniis multis. Insuper galeas vestras timebunt. Si verò contra fecerint, fiat solemnis inhibitio supradicta quod nullus Christianus sit ausus ire in dictas terras Turchorum, sicut dictum est de terris Soldano subiectis, dando etiam ipsis omne damnum quod fieri poterit: quia hii sunt illi Turchi pessimi Saraceni, qui cum malis Christianis, qui vtuntur in suis terris, semper violauerunt & corruperunt inhibitiones & præcepta Ecclesiæ, plusquam aliqua alia gens de mundo.

Cap. V.

Continet causam prohibitionis cur nullus fidelis emere debeat de mercimoniis portatis per quoscumq; de districtu Soldani. Rubrica.

V.

ET quod in aliqua parte mundi, & specialiter in Romania, & in Insulis, nullus sit ausus emere vel accipere aliquam speciariam vel mercimonia de India, nec bombicem, Zucharum aut linum; quæ ipsi præsumere possent vel scirent, de quibus constare posset, quod per aliquod ingenium vel modum venissent de dictis terris Soldano subiectis, sub pœna inhibitionis præfixæ. Et ratio hæc est, quod elapsis temporibus quando Christiani magis cauebant ire in terras Soldani, quam tempore moderno, plures insulæ & terræ marinæ recipiebant defraudatores, qui cum mercimoniis veniebant de terris Soldani: propter quod quasi omnes mercatores Christiani de terris marinis sub tali velamine portabant mercimonia oportuna, propter vtilitatem terrarum Soldani, in terras & in Insulas supradictas; & accipiebant de mercimoniis terrarum Soldani de dictis terris & Insulis, & conducebant ea in partes Occidentales, cum quadam conscientia sua larga.

CAP. VI.

Continet pœnam dominis siue rectoribus terrarum, vel communitatibus inferendam, qui aliquos contra prædicta facientes in suis portubus aut terris receperint. Rubrica.

VI. ET ad hoc, vt ad laudẽ & gloriam nominis Domini nostri IESV Christi hoc Sanctissimum opus pleniùs obseruetur, & quod occasio peccandi à peccatoribus etiam auferatur, si placet Sanctissimo Domino huic inhibitioni iniungantur; ne aliquis dominus terræ, vel rector, aut specialis persona huius mandati fractores in terris suis & subditorum suorum præsumant recipere vllo modo, nec mercimonia talium emere aut eis inauere, & personis, aut in aliis consilium, auxilium & fauorem impendere vel succursum, nec illos valeat quomodolibet sustinere, sub pœna quam portare deberet quicumque fautor vel auxiliator esset hæreticæ prauitatis. Quod si hæc fient, DEVS omnipotens viam aperiet ad hæc omnia percomplenda. Et quando Sanctitati vestræ non videretur gentem supradictam per modum præfatum compellere, non est credendum de valendo acquirere, nec compellere infideles & rebelles, qui occupatam tenent fidelibus Terram Sanctam: quando nostri proprii non constringerentur quin fauerent, & assisterent inimicis vestris, tali auxilio & fauore. Quæ compulsio siue constrictio facilè fieret, quando placeret vestræ clementiæ.

CAP. VII.

De maris custodia & primo apparatu vel exercitu Christiano, de modo quoque armandi, ac summa expensarum. Rubrica.

VII. *De galeis habendis in partibus vltramarinis.* *Et si Celsitudini Apostolicæ videretur in terra processum facere, & mittere aliquam ex quantitatibus galearũ superiùs positarum, ad maris custodiam, vt est dictum: & Capitaneus, cui fuerit armata commissa, tractare sciuerit & voluerit, vestis poterit ab infrascriptis bonam & grandem quantitatẽ galearum armatarum satis commodè procurare. Poterit enim habere vnã à Zachariis Ianuẽsibus, qui dominantur in Chio Insula propè Turchos. Secundam à Venetis, scilicet à domino Gulielmo Sanudo & illis de domo Gi-*

ET postquam vestra sanctissima prohibitio, prout in antedicto breui compendio exprimitur, si Sanctissimæ voluntati vestræ de Spiritu Sancto accensæ placuerit, quod per vniuersum mundum fuerit publicata ad custodiam maris, & ad persecutionem Agarenorum, & perfidorum Christianorum euntium & redeuntium de terris Soldano subiectis, & omnium aliorum corruptorum huius beatissimæ iussionis: in tales persecutio fieri possit perpetuò, & vbiq; , per Capitaneum Ecclesiæ Sanctæ DEI: & etiam quod prædictus Capitaneus prouideat quod ferrum, vel alia mercimonia non transferantur in Armeniam, quæ possent transferri vel habundare in terris Soldano subiectis. Cuius ratio est, quia terra quam tenet Rex Armeniæ, est coniuncta terræ Soldani, & aliorum infidelium, ita quod inde leuiter portarentur ad terras Soldani prædictas. Cui Capitaneo vestro, vt semper cum omni humilitate loquar, concedantur galeæ X. quousque aliud de maiori Passagio per vestram sanctam prouidentiam potentiùs ordinetur. Quæ quidem galeæ cum ista conditione armentur, ad hoc, vt opus vestrum in DEI laudem & gloriam prosperetur: videlicet quod ille, qui erit Capitaneus, sit talis homo, qui nulli Fideli obedienti impedimentum faciat per aliquem modum; & quod dictas galeas per solidum nouem mensium, benè munitas & reforzatas de bona gente, habendo corpora galearum cum præparamentis suis & armis, teneatur Capitaneus ipse ad dictam custodiam vno anno tenere: tali etiam prærogatiuâ adiectâ, quod omnia quæ dictus Capitaneus & gens sibi commissa lucrabuntur, sua sint, vt magis reddantur solliciti & attenti ad inquirendum & persequendum quemlibet violatorem huius Sancti præcepti: & hæc erunt eis necessaria omninò ad sustentandum vitam suam & ad implendum prædicta. Et si Sanctitas vestra scire velit quantum ista constarent, noueritis quod corpora galearum emendo eas, vel faciendo eas fieri ad opus vestrum cum suis præparationibus & armis, constarent XV. M. flor. stipendium verò & alia necessaria & victualia, ponendo pro qualibet galea, CCL. homines, inter quos sit vnus valens homo & probus, qui sit *supracomitus*, in galea, à quo Capitaneus habere possit, cum expedierit, consilium, auxilium & fauorem. qui omnes ascenderent vsque ad II. M. vC. & dando soldum pro nouem mensibus ascenderent LXX. M. flor. *floreno* pro duobus soldis Venetorum groff. computato. Est autem memoriæ commendandum, quod qui benè armare desiderat, & habere homines gnaros maris ac marinis expertos, expedit circa natiuitatem domini incipere errogare stipendia conducendis. Et hoc ideo, quia illi, qui ad diuersas partes sua mittunt nauigia, eligunt tales viros: ita quòd propter moram posset gens eligi minùs bona, ipsaq; dilatio armatam redderet cariorem. Si verò in principio videretur de tan-

de tanto numero vestra Sanctitas aggrauari, possetis solùm VII. galeas tenere continuè, cum illa conditione, quæ est superiùs annotata. Et si quis forsitan dubitaret quod per modum prædictum non possent Capitaneus & homines inueniri: Respondetur, quod rationabiliter possent, propter spem lucri, & partem adipiscendam ex spoliis, quæ super inimicos verisimiliter magna fient terra mariq;. Et ita cōstaret armata talis circa quinquaginta millia flor. præter galearum corpora cum apparatu & armis. nihilominus hoc opus sanctum finem debitum sortiretur. Et licet galeæ huius sint necessariæ supra modum, tam propter terrarum vltramarinarum tuitionem & conseruationem Fidelium, quàm propter offensionem infidelibus inferendam, & specialiter contra illos, qui nauigant & transfretant ad partes Soldano subiectas, tam fideles inobedientes quàm schismaticos, quamq; etiam Saracenos & alios infideles, ne videlicet transeant seu mittant ad partes Soldani prædictas, tamen obseruantia sanctorum prædictorum processuum in terra, multum plus conferret huic opportunitati vigoris, quam supradictæ galeæ: sed vnum simul cum altero, producunt negotium ad effectum. Vlteriùs examinando & reuoluendo in animo meo, per longi temporis spatium diligēter, quantam vtilitatem, quantumq; bonum afferat, obseruatio sanctorū processuum, in terra, & ipsorum persecutio transgressorum, ac circa mercimonia eorundem, mihi videtur quod, pensato auxilio galearum armatarum, quod obtinere poterit vestra Sanctitas ab Insulis Romaniæ & Cypri, ac aliis, si in illis partibus principalem conatum & caput faciat Apostolica Celsitudo, quod solum cum V. galeis per antedictam conditionem armatis, sufficienter ad præsens posset negotium adimpleri: quæ constabunt in anno circa XXXV. M. flor. In iis tamen non computatis corporibus, apparatu, armis & arnesiis galearum. Verùm si galeæ armarentur, & per Ecclesiam aliæ inhibitiones quàm habitæ ad præsens non fierent, faciliter posset magnum scandalum suboriri; & seditiones inter gentes dominorum seu communitatum maritimarum & Ecclesiam prouenirent, sicut de facto inter *Hospitalarios* & *Ianuenses* tempore fratris *Fulconis de Villareto*, tunc hospitalis magistratum gerentis, emersit: nec factum custodiæ posset executioni mandari. Ita quod vnum sine altero est negotium imperfectum: prout per huius quartam partem potest colligi manifestè.

si, cum suis Insulis ibi propè. Tertiam dominus Patriarcha Constantinopolitanus *cum suis Clericis, aliique domini & vasalli Insulæ Nigropotensis, si eis iniunctum fuerit, communirent: dummodo peior nō sit quàm modo, conditio prædictorum.* Hospitale *verò cū Insulis quas possidebit, dabit duas. Sextam verò armaret galeam* Archiepiscopus Cretensis, *cum suorum auxilio Clericorum, aliorumque Nobilium in circuitu Insulas habentium, nec non & feudatorum & aliorum Cretensium, si super hoc per literas fuerint requisiti, concessa eis semper licentia consuta indulgentia pro labore. Ab Illustri verò* Rege Cypri, *ac Prælatis & Nobilibus Insulæ antedictæ, rationabiliter credendum est, quod galeæ quatuor, hilariter armarentur. Nam non requisiti, multoties plures quam quatuor armauerunt. Nec deberent armantes prædicti, armatam huiusmodi sibi imputare: cùm ipsa cederet ad vtilitatem & profectum omnium prædictorum. Nam per eam securiores existerent à Turchorum incursibus, aliorumq; Saracenorum molestiis; ac possent à societate Catelanorum aliisq; maleficiis defensari. Istæ verò X. galeæ in quarum qualibet sint CCL. viri, circa quas nihil omninò de Camera Romana Ecclesia expendetur, per prædictos armatæ continuè tenebuntur: ac de ipsis Capitaneus Apostolici culminis, sicut de aliis galeis suo commisso regimini, poterit ordinare. Vlteriùs Rex Cypri, Hospitale, & alii supradicti de partibus Romaniæ, propter aliquam magnā causam euidentemq; profectū, possent pro aliquo tempore de aliquibus aliis galeis, & etiā equitibus & peditibus, vestræ Sanctitatis Capitaneo subuenire. Insuper quoniam in partibus illis plures recuperari possunt galeæ mercatorum armatæ, quæ possent pro loco & tempore vtiles pro negotio inueniri, præcipuè quando forent cum galeis dictis superiùs adunatæ. Ita quod cum adiutorio illius, qui disponit omnia & gubernat, dum modo vestra Sanctitas in illis partibus aliquod principium fecerit de galeis cum bono rectore regendis, & cum processibus memoratis, multa bona tractari poterunt & compleri.*

QVINTA PARS, CONTINET RATIONABILIA MOtiua, cur Ecclesia in prædictis solicita esse debet: habens capitula tria.

CAP. I.

Continet allectiuum ad prosequendum prædicta, ratione negotij inchoati.

ETSI clarissimo domino nostro placuerit prædicta ducere ad effectum, rationis claritas manifestat, quod DEVS iam voluit incipere & prouidere in recuperatione ipsarum sacratarum terrarum, roratarum præciosissimo sanguine Domini nostri IESV Christi; & visibiliter iam incepit: videlicet quod ad petitionem Christianissimi *domini Armeniæ*, gens extranea, vt prædictum est, in tantum Soldanum & Saracenos fulgurarunt, quod præsumi potest, quod vltio diuina ibi fuerit, propter crudelitatem factam per dictos Soldanum & Saracenos in Christi fideles de Acon, & de Syria, quando decolati & destructi fuerunt, & plurimi in captiuitatem ducti. Quod si DEVS incipe-

re voluit,&, vt dictum est, magnam partem terræ Soldani & Saracenorum destruere: vos, Sanctissime Pater, qui geritis vicem DEI, intendere cum omni gaudio credimini ad recuperandam dictam Terram Sanctam, lugentem & plangentem amarissimè, quæ vestra est, viua hæreditas & totius Christianæ Religionis; nec non residuum aliarum terrarum, quas tenuerunt & tenent Soldanus, & sceleratissimi Saraceni. Et, cum omni reuerentia loquar, pater Sanctissime, periculum est in mora. Inuenitur & legitur, *semper nocuit differre paratis*. Est autem considerandum propensiùs ad quam breue terrarum spatium Catholici sunt reducti: nam per Christi fideles, de Asia, *Cilicia* sola tenetur quę vulgari & communi nomine dicitur *Armenia*: quæ in quanta afflictione quantoq; degat periculo, in sequenti capitulo potest cōspici manifestè: quamuis in pluribus aliis locis Asiæ multi sparsim habitent Christiani. De Africa verò sola *Insula de Licerbia* Christianis tenetur: sed & aliqui fideles in Africa habitant, qui iugo Saracenico subprimuntur. In Europa autem in Hispania Saraceni *regnum Garnatæ* occupant: sed & in maioribus Hispaniæ partibus, quas vtiq; inhabitant Christiani, multi sunt Saraceni & Iudæi, sub Christianorum tamen dominio & virtute. Sunt verò in *Romania*, Græci schismatici: sed in aliqua parte ibi fideles dominantur. *Exagoræ* quoq; & *Rex Seruiæ* etiam sectam Græcorum sequuntur: sed ipsius maritima & *Albania* videntur Catholicè viuere. Verùm pauci sunt ibi homines respectiuè ad alias nationes. *Boscena* hæreticorum est nidus. *Ruteni* sunt schismatici, qui cum aliis pluribus nationibus sunt Tartarorum de Gazaria dominio subiugati, qui Tartari Christianis Polonis & Vngaris sunt confines: *Letoini* verò cum Archiepiscopatu Rigensi, & cum domo Alamannorum, confinia sua tenent. Patet nunc terræ residuum quod à Catholicis habitatur: Ita quòd nulla principalium quatuor Patriarchalium sedium à Christi fidelibus possidetur.

CAP. II.

Continet piam auxilij implorationem pro vltramarinis fidelibus, terrisq; eorum ac regnis.

II. ET habere dignetur respectum piissima misericordia vestra ad regnum vestrorum Fidelium Armenorum, quod in dentibus quatuor ferarum iacet. Ab vna parte infra terram habet *Leonem*; scilicet *Tartaros*, quibus Rex Armeniæ reddit magnum tributum. Ab alia parte habet *Pardum*: videlicet *Soldanum*, qui quotidiè dissipat Christianos & Regnum. A tertia parte habet *Lupum*: scilicet *Turchos*, qui destruunt dominium & Regnum. A quarta parte habet *serpentem*: videlicet *Cursarios* maris nostri, qui quotidiè rodunt ossa ipsorum Christianorum de Armenia. Et habere dignetur intuitum pietas vestra ad illos Christianos, qui in terris Soldani in captiuitate longo tempore permanserunt, quibus post amissionem Acon & Syriæ crudelius dominium factum fuit. Et insuper dignetur habere respectum clementia vestra ad illos alios Christianos de regno *Nubiæ*, & aliarum nationum, qui sunt vltra terras Soldani, qui sunt Nigri, qui à potentia Soldani persecutiones & flagella receperunt & habent. Aperire etiam dignetur oculos pietatis, super fideles vestros, qui sunt in Insula Cypri, quibus periculum imminet ab infidelibus: & etiam super Latinos Insularum Romaniæ, qui validè oppressi à Turchis facti sunt eis tributarii.

CAP. III.

Continet prædictorum epilogum & totius huius primi libri conclusionem.

III. QVod si Sanctissima inhibitio fuerit per Sanctissimum Dominum nostrum, vt prædictum est, per totum mundum solemniter celebrata, & prædictę galeæ ad prædictam maris custodiam transmittantur propter occasiones iam dictas, diuina gratia fauorante, fortitudo Soldani & Turchorum minuetur. Sic etiam Ambaxiatæ & Legationes, & tractatus, quibus *Imperator Græcorum* & Soldanus Babyloniæ se alternatim sollicitant, poterunt faciliter impediri: sic & *munera* maxima, quæ peruertunt oculos etiam sapientium, & corda iustorum inclinant & molliunt, quibus sæpissimè mutuò se præsentant: vt sunt arma, panni de serico & de lino, Zucharum, aromata, perlæ, aurum, argentum, lapides prætiosi; multaq; alia iocalia varia & diuersa, leuiter intercipi poterunt, & auferri. Hiis enim Legationibus & muneribus, ioca-

Deut. 16, 19.

iocalibus, & tractatibus prædictus Soldanus Imperatorem Tartarorum nomine *Husbecho*, qui in Gazaria, & aliis Septentrionis partibus dominatur, immutauit taliter & attraxit, vt legem receperit perfidi Mahumeti; nec non aliqui ex gente ipsius, ad eandem perfidiam inclinentur. Est autem vehementer timendum, vt si continuentur talia inter eos, ne perfida illa secta in Septentrionalibus partibus crescat continuis incrementis. Hoc enim foret in præiudicium nimium & periculum maximum fidei Christianæ. Nam à nonnullis dignis fide asseritur quod dictus *Husbecho*, habet equitum multitudinem adeò numerosam, vt subtrahendo tres de decem, cum per decuriones habeat exercitum ordinatum, ex solis ternariis in campo 10 ponit ita militiam copiosam, quod quasi incredibile videatur. Verum si inter eos maritimus aditus, vt est dictum superiùs, clauderetur, prædictis omnibus posset debitum ac sufficiens remedium adhiberi. Faciliùs est enim *obstare principiis*, quam principiata & iam firmata per diuturnitatem temporis, immutare. Mare etiam, & terræ fidelium de vltra mare erunt securiores, & Christiani terrarum marinarum istius maris nostri Mediterranei, & specialiter terrarum quæ sunt potentiores, & quarum gentes plus nauigant, & magis inde commodum cõsequuntur, de magno extrahentur errore; & non solùm seculares, sed etiã Clerici & Religiosi, quod maximum bonum erit. Nam ista est veritas: quod si à Christianorum partibus transfretari non potest cum auro, argento, ramo, stagno, zaffrano, mastica, pannis lanæ, 20 setæ, & lini, & aliis mercimoniis hiis similibus, ad terras Soldano subiectas, propter inhibitiones per sedem Apostolicam constitutas; & à terris Soldano subiectis non potest extrahi nec cõduci bombix, Zucharum, linum, piper, & aliæ species & mercimonia Indiæ; & quod isti, qui de prædictis mercimoniis huc vel illuc cõducunt intelligãtur incurrisse pœnam processuum & inhibitionis vestræ Sanctitatis: quasi omnes illi, qui habitant in illis terris maritimis in graui conditione persistunt, propter continuam conuersationem quam habent cum transgressoribus antedictis: Et terra Armeniæ, quæ bombicem fructificat in magna quantitate, erit multò melioris valoris; & speciariæ de India & mercimonia per contratas & ciuitatem Baldac descendent in Armeniam ad nostrum mare, de quibus Christiani de Armenia 30 vtilitatem consequentur, cum qua Regnum ab inimicis Ecclesiæ Saracenis poterit defensari. Et cum illa magna pars terræ Soldani, vt prædictum est, per Tartaros iam consumpta sit, signum est quod DEO auxiliante, & vestra Sancta gratia fauorante, terra Ægypti & residuum in tantum consumi poterunt, quod breuiter Passagium in recuperationem Terræ Sanctæ, & aliarum terrarum quas tenet Soldanus leuius fieri poterit, in conuersionem Soldani & Saracenorum, & recuperationẽ ac ædificationẽ Ciuitatis Sanctæ Ierusalem; in consolationem & libertatem filiorum Christianorum, qui in illis partibus commorantur, ac etiam in augmentum totius fidei Christianæ. Pro quibus omnibus Omnipotenti DEO, & Virgini Mariæ, Apostolisq; eius Petro & Paulo, atq; Andreæ, & beato Marco, totiq; Curiæ cœlesti, hu- 40 mili deuotione supplico & exoro, quatenus in hiis & in aliis omnibus quæ semper feceritis, ad laudem & gloriam nominis ipsius Omnipotentis DEI sint, & ad honorem vestri, Sanctissimi Domini nostri, in salutem omnium propinquorum & amicorum vestrorum, viuorum & defunctorum, Amen.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI FILII DEI VIVI: AMEN.

DEVS misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri, vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi, DEVS, cõfiteantur tibi populi, DEVS, confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi, DEVS, confiteantur tibi populi omnes. Terra dedit fructum suum. Benedicat nos DEVS, DEVS noster, benedicat nos DEVS, & metuant eum omnes fines terræ. Psal. 66. 50

Gloria Patri, &c. KYRIEL. CHRISTEL. KYRIEL.

Pater noster.

INCIPIT PROLOGVS SECVNDI LIBRI.

AD eiusdem Domini nostri IESV CHRISTI laudem, inuoco & exoro beatissimam Virginem Mariam *matrem eius, beatissimos Apostolos* Petrum *&* Paulum, *beatos* Iohannem Baptistam *&* Euangelistam, & *Sanctum* Marcum, *beatos* Georgium, & Nicolaum, & *totam curiam cœlestem, vt orent DEVM, quatinus dignetur mihi suam gratiam elargiri dicendi & componendi in hac parte, quæ ad honorem & gloriam nominis sui spectent, & vestræ complaceant Sanctitatis auditui, & ad statum & augmentum vertantur fidei Christianæ. Licet præsumptuosum appareat humilem seruitorem sublimi Domino ardua recordari, fides tamen & deuotio recordantis, irreprehensibilem ipsum reddit. Hinc est quod cum Sancti prædecessores vestri semper intenderint ad Sanctæ Terræ recuperationem, vt publicè fertur & sic credatur vestram Sanctitatem intendere ad quod aspirare debet deuotus quilibet Christianus. Ego* Marinus Sanudo, *dictus* Torsellus, *filius domini* Marci Sanudo, *de contrata Sancti Seueri de ciuitate* Riuoalti, *de Venetiis, supradictus, cogitans disposui componere librum secundum super negotiis Terræ Sanctæ, currente Anno à Natiuitate Domini* M. CCC. VIII. *mense Decembris: qui subditur, & est ad confirmationem & robur primi libri supradicti de ostendendo modum & viam quibus recuperari poterit Terra Sancta, ad DEI laudem, & Ecclesiæ suæ Sanctæ ac vestræ Sanctitatis honorem, quem scribere cœpi Anno Domini nostri IESV CHRISTI,* M. CCC. XII. *Mense Decembris,* Clarentiæ.

A. Dni. 1308.

A. Dni. 1312.

INCIPIT LIBER SECVNDVS EIVSDEM OPERIS, CONTINENS VIAS ET MODOS QVIBVS APTE ET EXPEDITE *Terra Sancta recuperetur: habens partes quatuor.*

PARS PRIMA, CONTINET FORMAM ET ORDINEM SECVNDI EXERCITVS CHRISTIANI: HABENS CAPITULA QUATUOR.

CAP. I.

Continet quomodo vnus debeat præfici Capitaneus: & quales conditiones habere debet; quot etiam in societate sua habere oportet: & vbi debeat applicare.

1\. IGITVR cum ita sit quod origo & fundamentum debilitandi Soldani potẽtiam Babylonici, & remouendi à multis occasionem participandi cum illis inimicis Crucis, contra præceptum Ecclesiæ, & acquirendi Terram Sanctam, sit ponere istud opus antedictum ad executionem: id est, tenere fortiter processum in terra, & dictas x. galeas vel VII. in mari, per modum iam dictum, ad hoc vt nihil portaretur eis hinc, vel inde afferatur huc, poterit vestra clementia ordinare ac mandare de hiis, sicut, & quando Pontificalis prouidentia, Sancto dictante Spiritu, prouiderit ordinãdum. Quod si ea executioni

cutioni mandanda vestra determinauerit Sanctitas, ad plenam consumptionem Soldani exigetur, si placet Sanctissimo domino, quod in anno secundo vel tertio, postquam succursus rerum, quæ terris Soldani, contra inhibitionem Sanctę Ecclesiæ, portari solent, defecerit, eligatur vnus homo diligens, & timens DEVM, bonæ famæ, sapiens & discretus, largus & liberalis, fortis & constans, diligens & operans iustitiam, qui sit pro vtilitate boni communis Christianitatis, & plus diligat illud quàm proprium; habeatq; beneuolentiam & amicitiam Venetorum, vt possit cum illis facere facta sua, & in eis cōsilium & auxiliū inuenire. Huic siquidem *Capitaneo* oportuna erunt in omnibus XV. M. peditum, & CCC. homines ad equos, ita vt vno 10 deficiente alius subrogetur loco eius: omnes ad soldum Ecclesiæ, cum nauigiis & victualibus, & aliis sibi ad bellum necessariis, vt oportet. Et sit vnicus Capitaneus cui committatur negotium: quia *res ordinata, vnum caput requirit.* Quos omnes dictus Capitaneus ducet super maritima loca Ægypti: ibiq; terram capiet, & habitationem faciet, iuxta consilium quod ab expertis datum sibi fuerit & ostēsum. Congregabit ibi etiam nauigium, tam maris quàm fluminum, vt possit super inimicos fidei currere quando & quo sibi videtur expedire.

CAP. II.

Continet quæ natio maritima vtilior sit ad huiusmodi expedienda negotia.

20 ET quod armata dicti Capitanei, siue Admirati de vno loco, vbicunq; commodius poterit reperiri assumatur: quia gentes exercitus, galearum & nauigii in diuersis partibus armatorum congregatæ, in simul malè conueniunt, & malè se tollerant; & facilè posset oriri dissensio inter eos, propter quod tota res posset subitò deperire. Et videtur quod ista armata principaliter deberet fieri *Venetiis*, propter multa. Primò, quia Veneta gens ita benè attendit id quod promittit, sicut aliqua gens de mundo. Secundò, quia ibi & in confinibus suis homines armorum inueniuntur, & marinarii tam maris quam fluminum, habundantiùs quam alibi, & ad bonum forum habundantia huiusmodi marinariorum est Venetiis, non solùm per contratam Venetiarum, sed etiam per cōfinia sua, quæ fluuiis & lacubus 30 plena sunt, & per consequens marinariis fluuiorum. Tertiò, quia necessaria ad armatam complendam tam in nauigiis, quàm in aliis necessariis, in Venetiis & in vicinis suis, & in terris suis, in magna copia possunt omni tempore reperiri. Quartò, quia homines Veneti nutriti sunt in aqua, & multotiens habuerunt facere cum vicinis suis in talibus, habent experientiam talium: propter quod vestra Sanctitas potest hoc videre per exemplum eorum, quæ fecerunt Veneti, & faciunt cum vicinis suis: ad quem bonum finem, præsentia negotia, si per eos contingat fieri, poterunt peruenire. Quintò, quia inter alios homines maris de Occidente, qui possent huic facto intendere, Veneti habent meliùs nauigare versus partes Orientis, tam propter raritatem pelagorum, quàm propter breuitatem itineris eorum; & etiam 40 quia habent plures portus, quàm aliqui alii vsque in Romaniam: & quia habent viam maris aliqualiter aliis breuiorem, & specialiter in hyeme cum galeis armatis. Sextò, quia in districtu Venetiarum, scilicet in ciuitate *Clugiæ*, sunt homines in magna quantitate fortissimi, siue dexteri atque docti & apti ad cauandum tam in terra quam in paludibus, & ad leuandum terram, vbi est aqua, & ad faciendum aquam labi, vbi est terra: qui essent multùm vtiles pro via & opportunitate præfata; suntq; boni marinarii tam de mari quàm de fluminibus & stagnis; & sunt bona gens pro armis & de vicinis suis, scilicet *Paduanis*, & *Ferrariensibus* aliqui, & maximè de *Ceruiensibus*, essent vtiles ad essendum cum dictis Clugiensibus in opportunitate præfata. Septimò, quia maritima & riperia Venetorum à *Grado* siue à castro 50 dicto *Belforte*, vsq; per totam maritimam Ferrariensis districtus, & per maritimam *Rauennæ* ac *Ceruiæ* vsque *Ariminum*, quod est in longitudinę miliarium, CCLXX. assimilatur multùm maritimæ de Ægypto, tam de littoribus quam de paludibus & stagnis & lactinis. Ita quod per cōtinuam consuetudinē, quam habent Veneti eundi & frequentandi per istam maritimam, erunt in contratis illis magis domestici, atq; apti, & habiles ad acquirendam terram Ægypti, quàm aliqui alii, qui illuc propterea mitti possent. Attamen, quanquam quod superiùs est dictum de Venetiis verum probabiliter cēseatur, tamen si celsitudini Apostolicæ videretur aliam gen-

tem mittere ad hoc aptam, credo quod nihilominus bono fini dante DEO posset negotium mancipari: dummodo in gente illa non forent homines in quantitate notabili diuersarum nationum & morum, seu etiam dominiorum, se in moribus non bene portantium: quia nimia *nationum diuersitas, morumq; disparitas*, procurante Diabolo, qui actibus felicibus inuidet, possent aliquam turbationis materiam inducere in armatam. Sed si omninò videretur gentes diuersarum mittere nationum, tunc oporteret tot esse exercitus quot sunt gentes: nec non & quòd exercitus sint distantes ab inuicem; ac singuli exercitus sint tam fortes, vt ab inimicis valeant se tueri.

CAP. III.

Continet præparationem nauigij & aliorum necessariorum prosequenti vniuersali passagio: præparationem quoq; victualium: & de Tartarorum amicitia procuranda.

III. HIs itaq; dispositis oportunum erit, vt dictus Capitaneus & gens sua faciant ibi, ad expensas & iuuamen Ecclesiæ, magnum apparatum nauigiorum & maximè fluuiorum; & præparationem victualium, & aliorum necessariorum, pro iis, qui venturi erunt de Occidente. Tunc si Sanctitati vestræ visum fuerit, poterit *Crux prædicari*, anno secundo vel tertio; & gens valida in magno numero congregari, quæ ad istos veniens, inueniet præparationem victualium, locum paratum & nauigia ad currendum super inimicos, qui iam debilitati erunt per mare & per terram. Poterit terra Ægypti per istum modum acquiri: maximè quia videntibus *Christianis nigris de Nubia*, & de aliis contratis superioribus Ægypti tantum auxilium eis aduenisse; descendent super inimicos ex parte sua, & *Tartari* ex sua descendent in contratas de *Semo*, & de Syria: propter quod vtile erit habere amicitiam Tartarorum, & seruare sollicitè, tam per munera, quam per dulcia verba, & mutuas salutationes. Ita quod tenendo hunc stylum non poterit esse, quin DEO iuuante, infra quatuor vel quinq; annos ab inchoatione istius secundi negotii, terra Ægypti vestræ dominationi subdatur. Ita quod poteritis eam conferre tunc cui vel quibus vestræ Sanctitati placuerit. Et satis verisimile est, quod subiugata terra Ægypti, terra Promissionis se tenere non poterit, quin & ipsa vestræ dominationi subdatur. Insuper & aliæ terræ, quæ antiquitus *Francorum* esse solebant, vestro dominio se supponent, à Saracenorum dominio liberatæ: quia *extirpata radice, oportet quod necessitate rami arescant.*

CAP. IV.

De summa expensarum in tenendo exercitum prædictum XV. M. peditum, & CCC. equitum, & rationabili profectu eorum.

IV. ET si Sanctitas vestra scire dignetur quantum ascendant in anno expensæ pro dictis xv. M. hominum peditum, & ccc. hominibus ad equos, pro nauigiis eorum, victualibus, & aliis necessariis, & etiam pro expensis faciendis pro Tartarorum supradicto negotio oportuno; præcisè respondeo: quod in tribus annis constarent xxi. vicibus c. M. flor. computans *florenum* soldis duobus Venetorum grossorum: videlicet DC. M. flor. auri annuatim, pro stipendiis dictorum hominum ab equis, & peditum, & pro victualibus oportunis, & pro expensis, quæ occurrerent pro conseruanda amicitia Tartarorum, vt dictum est: coæquando vnum annum cum alio. Item, constarent nauigia, lignamen, ferramenta & alia necessaria ad ædificandum habitacula, & alia faciendum, quæ ad prælium occurrerent facienda, cum restauratione equorum, qui in prædicto seruitio perderentur vel deuastarentur ccc. M. floren. auri pro toto tempore supradicto. Ita quod ascenderent expensæ huius ad prædictam summam xxi. vicibus c. M. flor. in dictis tribus annis. Hoc est pro quolibet anno DCC. M. flor. licet à primo anno in antea, postquam Christiani cœperint in Ægypti maritima locum quendam, in quo, vt dictum est, habitaculum fecerint, & etiam mansionem, de ipsa terra Ægypti & aquis eiusdem à Sanctitate vestra magnum commodum trahi posset. De aliis autem necessariis victualibus & nauigiis, pro gente quæ veniet de Occidente, vt dictum est, erit prouidendum quod Sanctitas vestra mandauerit ordinandum. Et si Sanctitas vestra vellet scire vtrum istud negotium posset, cum paucioribus hominibus & minoribus expensis

pensis fieri. Respondeo reuerēter, quod posset esse quod sic: sed cōsiderando quod factum armorum requirit omnem securitatem, quæ sibi potest dari, nec est in hoc parcendum expensis, vt securum sit, cogitando etiam quod Sanctitas vestra potest expensas huiusmodi sustinere: Videndo nihilominus quod necessarii sunt homines ad firmandum & muniendum locum vel loca habitabilia, vt dicti homines sint fortes, per aquas salsas & per aquas dulces: dico pro certo, quod qui dominabitur in aqua dulci, in tantum quòd possit currere hinc indè & redire ad suam voluntatem, cum paucis hominibus quos ad nutū emittere valeat super terram, infra modicum tempus oportet eum esse dominum terræ. Et ratio prędicta est, quia magna pars to-
10 tius terræ Ægypti est dispersa super flumen Nili, quę terra multum longa est & stricta: ita quod nullatenus posset custodiri per aliquam copiam gentis quam ipsi haberent, quin gens aquæ supradicta eam acquireret, & teneret, vel ipsam consumeret.

SECVNDA PARS, CONTINET TAM REPROBATIONEM ITINERVM, QVÆ VIDENTVR ALIQVIBVS PER STOLVM Ecclesiæ facienda, quàm rationem ostensiuam, quod iter maritimum de Ægypto sit potius eligendum: habens capitula decem.

20

CAP. I.

Continet quod stolus Ecclesiæ per terram nullatenus est ducendus. Ru[illegible]ca.

PATET igitur ex prædictis & maximè ex infrascriptis, quod non est necesse, quod exercitus Passagii, per terram transeat, sicut quōdam fecerūt benemeriti Veterani. Non est eundū per terram, propter multa incommoda, quæ in itinere exercitui imminerent, tam propter longitudinem & asperitatem viæ, quàm propter Regionum varietates, & obstacula atque discrimina, quæ transeuntibus possent occurrere in itinere & oriri: & etiam pro- I.
30 pter defectum victualium & aliorum, quæ necessaria exercitui dignoscuntur. Etsi forsitan quis diceret quod Passagium fratris *Petri*, qui dictus est *Eremita*, & domini *Gotefredi de Buione* per hanc viam processit prosperè per terram: Respondeo, quod processus eorum nō fuerit prouisionibus humanis vel viribus, sed diuinis directus auxiliis, & supernâ gratiâ terminatus.

CAP. II.

Continet aduersum quorundam Consilium dicentium, quod stolus præfatus descendere debeat super terram Armeniæ, vel Syriæ, siue Ierosolymæ Terræ Sanctæ.

40 ET est quorundam Consilium, quod exercitus Passagii per mare transiens descendat in *Armeniam*, tam propter bonum portum, qui ibi habetur, quā pro refrescando ibi & quiescēdo; & quod deindè per terram procedat, & pugnando per contratam Antiochię & Syrię intret Terram Promissionis. Ad quod dico, quòd nō est in Armeniam descendēdum, multiplici ratione. Primò, quia terra Armeniæ est infirma, propter quod immineret exercitui periculum infirmandi, & pereūdi multitudinem bellatorum. Et considerandum est quod multoties *Tartari* cucurrerunt per terram, & cœperunt quasi omnes *contratas de Semo*, & *de Syria*: sed quia non potuerunt transire desertum per quod transitur in Ægyptum, nec ad partes appropinquare Ægyptias, compulsi sunt partes acquisitas relinquere; & Soldanus illas recu- II.
50 perauit continuò, & tenet & dominatur vt priùs. Et si dici vellet quod Tartari compulsi fuerunt relinquere acquisita, hoc fuit, quia non potuerunt in æstate commorari propter intensionem caloris, & propter defectum herbatici, quod non habuerunt pro suis equis pascēdis & gregibus; & quod hoc benè possent facere Christiani, qui vellent in illis partibus cōmorari, propter subsidium victualium & aliorum necessariorū, quæ eis quotidie portarentur per mare; & quod possent ibi ædificare fortilicia atq; castra. Respondeo, quod videndum & examinandum est priùs quomodo hoc possent facere Christiani; & cum quanto fortio & expensis, quādo hoc

compleuissent, quid fecissent. Nam primò consideranda est Soldani potentia, quæ vbique dignoscitur esse magna, & maximè in militib. Et si Sanctitas vestra scire vellet de quantitate militiæ Soldani quam ad præsens habere diuulgatur, & credimus sicut communiter æstimatur, sunt LX. millia hominum in equis, diuersi tamen valoris, de quibus ad minus XX. M. sunt electi, & totidem mediocres, & alii satis viles. Et etiam habet Soldanus in partibus Semi & Syriæ magnos populos Saracenorum qui sunt multum excitati & docti magisterio sagittandi, qui tam pedites quàm equites omnes essent ad fronteriã obuii principales ad resistendum exercitui Christiano. Quare Christianos residentes ibi, rationabiliter oporteret habere magnam potentiam equitum & peditum, & etiam nauigiorum copiam, quæ eis portarent per mare victualia & frumenta necessaria habundanter, ad hoc vt sine defectu possent Soldani potentiam conculcare, & terram Semi & Syrię viriliter pugnando acquirere, & ibi ædificare fortilitia & munire. Hæc itaque omnia fieri & compleri nõ possent absque immensitate sumptuum, & grandi periculo personarum. Sed posito quòd cuncta in hiis succederent Christianis, & quòd hoc ad effectum perduceret, sibi contratam prædictam ad libitum supponentes, eorum remaneret animus in quiete, contra hostes vlterius procedere non quęrentes: quin imo pars potior ad propria remeabit. Tunc ergò terra Ægypti in Soldani fortia remanente, quid erit de Christianis in illis partibus commorantibus? Certè remanebunt periculo, repellendi à Soldano & à Saracenis, sicut alii fuerunt deiecti de ipsis partibus & expulsi. Quapropter in contratas Armeniæ, vel Syriæ, non est aliquatinus descendendum; sed solummodo in terras Ægypti maritimas, sicut superiùs est expressum. Est adhuc alia ratio: videlicet, quòd in Ægypto, fideles præsentes ad certãdum, & Occidentales populos ad succursum, reddet de terra Sancta futura principalis adceptio, promptiores: Et cùm marinariis & aliis peditibus prædicti exercitus, & cum non multis equitibus, poterit, illius fauente potẽtia in cuius laudem res fiet, Sancta intentio percompleri: Et hoc erit cum minoribus sumptibus, & maiori tutela: quia Christianis nullum quasi posset prælium periculosum inferri, nisi per aquam, contra eorum libitum voluntatis. Et insuper, sicut in Syria sunt populi fortes & docti magisterio sagittandi, & exercitati in bello, sic in Ægypto populos reperient debiles atq; viles. Nihilominus, si vestræ Sanctitati placeret ad custodiam Regni Armenię tantam gentem destinare armigeram equestrem scilicet, & pedestrem, vt regnũ ipsum securum foret: præcipuè si posset à tributo non dando Soldano Babyloniæ, suisq; Admiratis & officialibus defensari, maximum bonum esset. Sic enim narrat infra tertius liber historiarum ciuitati Aconensi totiq; Syriæ tunc temporis fuisse subuentum, cum partes illæ fuerunt à Christicolis habitatæ. *Præteriti autem ratio, est magistra non immeritò futurorum.* Genti autem illi, quæ ad prædicti regni custodiam mitteretur, tam propter euitandam infirmitatem Prouinciæ, quàm propter habitationem insolitæ regionis, posset taliter prouideri, vt videlicet gens illa misso more indigenarum Nobilium ibi commorantium, habitaret in planitie tempore hyemali; æstiuo vero tempore super montes in quibus sunt fontes pulcerrimi, aquæ limpidissimę & frigidę contra ęstum, herbarum copia, prata amœnissima, sanus aer. Si verò homines illi casu aliquo contingente, ęstiuo tempore ad loca plana descenderent, vitent cauma solis, sint moderati in cœnis, limphent benè vinum, caueant ab amplexu: & inprimis pluuiis autumnalibus, à fumo terrę caueant ab amplexu. Et hęc etiam multùm prodesse possunt tam in Achaia, quàm in multis aliis partibus Romaniæ. Sed ad propositum redeamus. De Regno siquidem Armeniæ inesse debet Apostolicę Celsitudini magna cura, quia ipso dumtaxat excepto, in tota *Asstria*, scilicet terra firma vltra mare, non est alia terra quę in fide Catholica manserit tempore modernorum.

Cap. III.

Continet improbationem dicentium in Cyprum dictum Passagium descensurum.

SVnt etiam aliqui opinantes quòd Passagium transeat per mare, & congregetur in *Cyprum*, ad habendam quietem propter multiplices labores, & maris inquietationes quos sustinuerint transfretando; & inde procedant ad debellandum inimicos fidei, habito prouido consilio & maturo exemplo dudũ beatissimi *Lodo-*

mi *Lodouici*, in partes Ægypti vel fortè in partes Syriæ, quæ à Cyprensi Insula parum distat. Ad hoc respondeo reuerenter: quòd hæc via non est tenenda: Primò, quia *terra Aegypti* est sanior quam Cyprensis; & meliores aquæ habentur ibi, & multitudo piscium innumerosa in subuentione populi. Secundò, quia si deberet antea exercitus ad Cyprensem Insulam declinare, & inde ad partes Ægypti maritimas procedere, antequam posset adaggredi inimicos, poterit per viam rectam partes acquisiuisse præfatas. Sed de illo Passagio per Hispaniam, & transire in Africam per illud brachium stricti maris de *Gibelatar*, & de secta seu de transitu in *Tunitium*, siue in partem aliquam Barbariæ, non videtur mihi facere mentionem.
10 Per ea enim quæ dicta sunt, & dicentur, siue etiam possent dici, prædictæ viæ inconuenientes sunt, & ineptæ ad eundum & ad acquirendum Terram Sanctam, præcipuè propter deserta media quæ obsistunt: cùm & inclitus ille Rex Franciæ *Sanctus* LODOVICVS, cùm ad partes Tunitii cum exercitu passagii applicauit ipse & filius, nomine *Iohannes Tristanus*, cum Apostolicæ sedis Legato, ac multis Comitibus & Baronibus, propter Epidimiam inuadentem, in breui diem clauserunt extremum, multiq; alii de populo Christiano: secundum quod in decimo capitulo XII. partis, tertii libri, scriptum distinctè conspicitur. Multæ sunt viæ de quibus multi locuti sunt de aggrauando inimicos fidei Catholicæ, & de acquirendo & tenendo Terram Sanctam: & inter eas viæ suprascriptæ videntur mihi meliores, &
20 vtiliores omnibus aliis: & ideò scripsi eas, & feci comparationem ab illa via maritimæ Ægypti, ad alias, quæ mihi videtur vtilior aliis, reseruando semper illam viam, quæ vestræ Sanctitatis prouidentiæ plus placeret.

Cap. IV.

De quadam allegoria ad quoddam fortilitium adaptata.

IV.

QVoddam *Fortilitium* est valdè magnum & decorum, atque benè munitum altis mœnibus & crossis, ac magnis tentoriis propè ipsum, atque habet multa valla, & etiam barbacana. Quod fortilitium munitum est gente, & sic similiter valla munita sunt gente, & etiam barbacana, & præcipuè bona gente pedestri; ac mœ-
30 nia fortilitii prælibati, super barbacanis prædictis & vallis omnibus dominantur. Dictum quippe fortilitium certas habet pusterlas per muros & tentoria, respõdentes inter prædicta valla & barbacana, per quas potest iri & veniri: sed dictæ pusterlæ bonas habent portas ferreas. Præterea dictum fortilitium habet solummodo portam vnam valdè magnam, quæ aperta semper extitit & existit, per quam præfata gens fortilitii supradicti magnam partem suscipiunt eorum, quæ necessaria sunt sibi; & specialiter tributa aut datia & commercia, quæ maior pars Regum & Principum, Baronum, militum, aliarumq; vniuersarum gẽtium, & maximè, qui diuitiis affluunt, soluunt quotidie ac impendunt. Nunc est quidam sanctissimus dominus, qui multos habet fratres, filios, subditos, & fideles, qui cũ suis prædictis fra-
40 tribus cogitauit & cogitat, dieq; noctuque vigilat, meditando qualiter suum possit exercitum congregare, tanquam ille, qui eundi vel mittendi magnum habet posse, ad hoc fortilitiũ conquirendum, petens præfatis fidelibus & subditis suis auxilium & consilium, quæ via, & qui modus tenendi sunt, vt ipse cum gente sua hoc possit fortilitium adipisci. Quid respondendum est & dicẽdum, à qua parte ibitur à gente sua, insultum dicto fortilitio illatura? Si dicetur quod eatur à lateribus, vbi sunt dicta valla, barbacana, & pusterlæ etiam antedictæ, videri potest apertè, quòd ibi foret nimium faciendum: quoniam valla transgredi & barbacana, causa perueniendi ad tẽtoria, & mœnia fortilitii iam prædicti, periculosum est valdè ac transeuntibus onerosum, quia dum in eisdem partibus ibi forent, tunc esset in oportunitate
50 maiori, atq; maiori exercitio faciendo. Ex quo sequitur quod præfati sanctissimi domini dicta gens inuenire se possent fessos & finaliter fatigatos, propter immẽsos labores quos in barbacanorum transitu tollerauerint & vallorum, gentes illas expugnando & viriliter conculcando. Ita quod eis leuiter magnum posset damnum & periculum imminere, ac amittere totum quod fuerint elucrati. Quod totũ multoriens est probatũ, & iam patuit per exemplum. Et eo ampliùs, quoniam tanta fuit probitas & audacia pręcessorum, qui hoc experti fuerunt, quod dictum fortilitium inexpugnabiliter intrauerunt: sed malo imminente consilio, atq; defectu ordinis

subsequẽte, eos inuitè oportuit retrogradi, ob quod hæredes ipsorum, quasi totum quod acquisierant amiserunt. Iterato, sanctissimus dominus comitiuam destinauit nobilium & magnatum, conferentium primis auxilium & fauorem ad dictum fortilitium expugnandum, quorum alii quasi in principio negotii remanserunt: alii verò iuerunt conquirentes magnam partem ex eo quod perdiderant supradicti, & redierunt propria reuisuri. Fuerunt præterea quidam alii, qui per ostium dicti fortilitii intrauerunt, sed sano consilio derelicto & rectitudinis ordine non seruato, pro maiori parte se in manus suorum hostium tradiderunt, deficientes dictum fortilitium expugnare. Postmodum verò Sanctissimus Pater, multis vicibus & plurimis subsidium primis hominibus supradictis, & refugium destinauit, sed finaliter 10 illos non valentes defendere, totum & quicquid obtinuerant amiserunt. Ergò dicendum est quod ab hostio quod semper mansit & manet apertũ, est procul dubio gradiẽdum quod tritum habet iter ac expeditũ, nullo interuallo in medio existente; & illud ostium tali modo & maneria custodire, quod præfata tributa, datia & commercia, aliaq; necessaria quæ sunt dicta, nequaquam transferri valeant ad præfatum, ne habeant vnde possint gentem suam & suum populum armigerum recentare. Et si DEVS tantam præbuerit gratiam sanctissimo domino iam prædicto, quod tantũ velit gentis armigeræ cõgregare, quæ intra præfatum ostium cum securitate & bono ordine castra metari valeat, & hostibus hostiliter se opponant, manu ad manum præfatis audacter & viriliter resistendo, quod impossibile non videtur, fiat si placet. Propter quæ omnia, laudandum est & consulendum Sancto domino 20 antedicto, quatenus habito cõsilio saniorum, ab ipsius hostii latere vadant dictum fortilitium inuasuri: quod multò meliùs, securiùs & commodiùs est absq; comparatione, quam ire a lateribus ad præfatum, vbi barbacanorum obstaculum & vallorum immensa residet fortitudo.

CAP. V.

De alia locutione metaphorica adaptata ad quandam arborem. Rubrica.

V. PRæterea quædam est *Arbor*, quæ est valdè magna, & tam stipes arboris quàm etiam rami eius, & habet multa folia; rami eius nimium cum suis foliis sunt extensi, & operiunt multum terræ. Dicta autem arbor multos habet fontes à qui- 30 bus continuè irrigatur, & specialiter ab vno, qui eam multum irrigat, & impinguat, contulitque ei & confert magnum & continuum alimentum: absque quo fonte arbor præfata non posset commodè sustentari. Ipsa arbor nullum fructum producit, sed sub ea multi boni nascuntur fructus & crescunt: verùm tamen, qui ad colligendum aliquos ex dictis fructibus desiderat illuc ire clausis graditur oculis: nam magnæ tenebræ sunt sub arbore supradicta: sed fructuum bonitate multi homines ob cupiditatem ad eundum astricti, illuc procul dubio gradiuntur. Et multi sunt, qui nullâ vrgente conditione mundanâ, vel commodo, pergere illuc vellent, nec vllatenus illuc eunt. Sed Sanctus dominus iam prædictus vna cum suis fratribus, filiis, subditis, atque fidelibus die noctuque cogitant hanc 40 arborem euellere, & finaliter dissipare, vt ex dictis bonis fructibus ad colligendum lucidè & liberè possit iri; ac etiam quod sui præfati filii, subditi, & fideles gaudere valeant supradictis, & eos sine aliqua molestia possidere. Et ob hoc, subsidium implorat & consilium ad euellendam dictam arborem, eradicandam, & vltimò dissipandam, à qua nullus progreditur bonus fructus, cum suis radicibus, stipite atque ramis, ac foliis eorundem, sic & taliter quod ipsa arbor eradicetur in totum. Cui consultum fuit antiquitus quòd viros destinaret probissimos cum bonis securibus atq; ronconibus, & aliis instrumẽtis, cum quibus vehementissimè possent exnemorare hanc arborẽ: & sic extitit adimpletum. Nam 50 ipsi ramos quam plurimos dictæ arboris amputare cœperunt, ac eorum folia deorsum excutere, de qua exnemorauerunt quandam partem; ac vsq; ad stipitem arboris taliter ambularũt, quod qui multum laborauerant fatigati, requiem postularunt. Qua de re dicta arbor, quæ continuò à dictis fontibus irrigatur & precipuè ab illo magno in quo multa reperitur bonitas, & cuius pes in pingui loco residet atq; bono, multum incipit pullulare, atq; effici quasi vt primitus consueuit. Præterea dictus Sanctissimus Dominus iterato mittit auxilium & succursum illis quos antè miserat

miserat ad dictam arborem succidendam: qui iterum similiter incipiunt amputare prædictam, ac ramos abscindere, eorumq; excutere folia, & detegere aliquantulum dictæ terræ ab arbore ac eius ramis & foliis coopertæ, propter abscissionem quam fecerant. Cæterum ita accidit in extremo, quod dum isti, qui sero iuerunt, se inuenerunt aliquantulum fatigatos, & pertæsum fuit eos operis antedicti, ad patriam cuius oriundi extiterant, remearunt, cupientes requiescere præ labore, & hoc per processum temporis à pluribus actum fuit. Sed arbor quæ continuò dicitur irrigari, & specialiter ab illo magno fonte, & habet radicem suam in loco bono & pingui, in tantũ ramos suos extendit, quod ad statum regreditur pristinum in quo 10 erat: & hoc pluries iam peregit, & in tantum quod dictæ arbori proprium est principium restitutum. Nunc quid dicetur: quid pro consilio fertur Sanctissimo Domino, qui quotidie possit consilium & auxilium sibi dari, pro dicta arbore radicibus euellenda? Videtur quod iter aliud sit tenendum, omisso quod retentum fuit hucusq;. Et hoc patet quoniam multi fortissimi viri iam, vt dictum est, in eisdem partibus extiterunt causa denemorandæ dictæ arboris, ac penitus euellendæ, qui ex ea suum intentum nequiuerunt executioni mandare, quos viros probissimos difficile esset præsentialiter inuenire. Quid igitur est consulendum, postquam tanta vis nullum conferebat auxilium: Necesse est vt dictæ vi auxilium tribuatur: hoc est ingenium & sagacitas: quibus insimul duobus admixtis sperandum est in DEO, quod prædicta arbor in totum per hunc modũ & formam totaliter euelletur. Pri-20 mò, est prædictus fons magnus amputandus, qui irrigauit & irrigat dictam arborem affluenter. Postmodum secundò, inueniendus est quidam vir probissimus multâ bonitate plenus, qui vllâ conditione mundana ad cupiditatem aliquam non declinet, cum bona comitiua, qui per DEI gratiam atque suam industriam, secum deferat multos vermes quos apponat radicibus & stipiti arboris iam prædictæ. Qui vermes talis naturæ existant quod inmediatè, quod illuc peruenerint, corrodere incipiant radicem & stipitem arboris antedictæ. Et sic confidendum est in DEO, quod dicta arbor satis in breui suam perdet radicem, & stipitem, atq; cum ramis & foliis citò cadet. Et Sanctissimus Dominus postea præcipere poterit, quod de trunco fiat totum quod decibile suæ videbitur voluntati: ac fructus, qui sub eadem ar-30 bore orientur, clarè & liberè iri poterit ad colligendum à gente fideli ipsius Sancti Domini, nullâ nebulâ resistente: quibus etiam gaudere possint ac ipsos in pace tenere, & perpetuò possidere: ad quod nos perducat, qui viuit & regnat in secula seculorum, *Amen*. Quod dictum est, narratum est impropriè, ac etiam figuratiuè, vt ex eo exemplum efficax atq; verax cum plena similitudine trahi possit ad ostendendum, quomodo *iter Aegypti* maritimum meliùs omnibus aliis itineribus comprobatur: ac rectè est ianua per quam introire debet ad supradictum perficiendum negotium consumptionis sectæ perfidi Machometi, incipiendo primò illam semitam & fontem abscindere per quos eis tributa continuò deferuntur: quod fit per primum librum inmediatè præcedentem: id, si placet, executioni irreuocabiliter 40 conducendo, tam de processu, quàm etiam de galeis, & prout in hoc secundo continetur, postmodum consequendo.

CAP. VI.

De declaratione fortilitij antedicti & de iis, quæ pertinent ad prædictum.

ET vt nullum dubium oriatur, reuerenter ac suppliciter, cum emendatione, meum elucidabo intentum, quem habui super eo; quod superius est narratum vestræ Sanctissimæ pietati. Fortilitium antedictum intendo *Aegyptiam terram* fore, quæ diu extitit fortilitiũ in partibus Orientis, qui sectam sequũtur perfidi Macho-50 meti mœnia & tentoria supradicta, est desertum quod circuit dictam terram Ægyptiam à lateribus versus Regnum Ierosolymæ ac Syriæ antedictæ. Et sic similiter à parte Africæ, quæ cum Rege Tunisii confines participat, est desertum magnum. Nam alta mœnia atq; crossa magnaq; tentoria prope ipsum, possunt deserti latitudini adæquari: prout enim ascendere altos muros quorum tentorium est magnũ, vt supra murorum summitatem carpere transitum violentum, difficilimum & fortissimũ comprobatur: sic transitum facere per desertũ, cuius longitudo per immensum spatium extendatur, pro vt est id de quo superiùs est narratum, cuiq; exercitui

VI.

transituro grauissimum & periculosissimum videretur. Barbacana & valla etiam dictæ terræ, appellari possunt fortilitia Syriæ ac Turchiæ, quæ bonâ gente pedestri melius fulta sunt, quàm terra Ægyptia supradicta. Ac mœnia fortilitii prælibati, super barbacanis prædictis & vallis omnibus dominatur. Hoc est, quod per mœnia fortilitii antedicti, super barbacanis prædictis, est desertum Ægyptium intendendum, propter quod gens fortilitii antedicti semper salui & incolumes extiterunt. Qui quidem dominati fuerunt & nunc temporis dominātur prædictis barbacanis & vallis, quæ sunt fortilitia regni Ierosolymæ, Semi, ac Syriæ supradictæ: vt ostenditur manifestè ob incursiones Francorum, qui quondam ad regnum Ierosolymū & Syriū descenderunt: & præcipuè per Tartaros hoc patet. Pusterlæ verò, quæ per mœnia & tentoria correspondent, certæ sunt semitæ quæ ab Ægypto respondent per desertum in regno Ierosolymæ atq; Syriæ supradictæ: in quibus semitis à præfatis Ægyptiis certa suscipitur aqua ex magna industria congregata, quam pro eorum vtilitate sibi congregant & conseruant, solummodo dum eos oportet disponere ad transitum peragendum: hostia quidem quę pusterlæ habent ferrea, hæc sunt: quoniam cum præfati incolæ dictam aquam volunt abscondere vel vastare, ne ab alienigenis valeat reperiri, hoc mandant effectui quando volunt: ita quòd malè ac ineptè quis posset absque aqua per illas partes cum exercitu pertransire. Ex quo, vt mihi videtur, sequitur quod prædicta hostia seu portæ, portæ ferreæ possint & debeant appellari. Ianua autem fortilitii supradicti, quæ semper aperta extitit, & existit, Ægyptiam maritimam fuisse assero atque fore, per quam incolæ fortilitii supradicti receperunt & recipiunt magnam partem ex rebus præfatis Ægyptiis oportunis: & præcipuè magna tributa vel magna datia & commercia à Regibus, Principibus, Baronibus & militibus, ac vniuersaliter à gēte qualibet mundi huius: & potius ab eis, qui ditati opibus affluunt antedictis, per formam hanc & modum quos humiliter & rationabiliter enarrabo. Videlicet, quod sciendum est, omninò & proculdubio reseruādum, quòd omnia datia & commercia & pedagia, ac sumptus quos pro mercatura faciunt & soluunt quotidie mercatores, in illos deueniunt, qui cōsumant quotidie mercaturam: ita quòd ob hanc causam mercatores ad terras Soldano subiectas gradientes, & soluentes magna datia, cōmercia & pedagia supradicta, & specialiter in Ægypto, facientesq; magnas expensas pro muniendis nauibus & galeis, in totum, vt dicitur, in illos deueniūt, qui cōsumant mercimonia antedicta: nam ob hoc mercatores, summa necessitate compulsos oportet ea tanto vendere cariora. Ideoque potest veraciter enarrari quòd à maiori parte Regum huius mundi ac Principum & Baronum, à gentibus prædictorum, prædicto Soldano tributa magna conferuntur, propter datia & commercia quæ præfatus recipit à prædictis, ob mercaturam quæ continuò egreditur fortilitium antedictum: quæ mercatura in diuersis mundi partibus consumatur, & potius ab eis, qui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sunt subditi & fideles, eo quod terræ suæ magis habundant populis ac diuitiis, quàm terræ procul dubio alienæ, propter quæ plus consumant piperis aliarumque omnium specierum atque mercationum descendentium de terris, quæ subditæ sunt Soldano, quàm faciant mundi aliarum gentium nationes. Et si quis à me exigeret, quæ sunt ista tributa, quæ dicto Soldano à Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelibus impenduntur, potest huic taliter responderi: quòd præsentialiter sunt *argentum, æs, stagnum, plumbum, argentum viuum, oleum, auellanæ, panni lanei, serici*, atque linei, coralla, telæ, zafframen, & alia mercimonia non narrata: cùm sit dictum & specificatum in opere antedicto, quæ prædicti Ægyptii pro vsufructu in terra sua habent & retinent habundantur: superfluum autem seu residuum argenti, rami, stagni, zafframinis, corallorum, & telarum, transferuntur in Indiam, Ægyptii antedicti ementes ibi piper & alia genera specierum, & conducentes eas pro bono & condecenti foro ad terram Ægyptiam antedictam. Modò videri potest apertè quod argentum & alia supradicta de vna specie sunt in alteram transmutata: scilicet quod ex illis metallis præfatis, & aliis, habitum est piper, & alia genera specierum, cum aliis mercationibus Indianis. Quæ quidem omnia conducta sunt ad Ægyptiorum fortilitium antedictum: propter quam mercaturam etiam antedictam vadunt præterea mercatores, & deferunt de Mari Maiori à partibus Septentrionalibus pueros & puellas, quos præfati Ægyptii nominant

nant *Mamulches*. At præterea mercatores deferunt supradictis de partibus Romaniæ & de Sclauonia aliisque locis quam plurimis, *lignamen, ferrum*, & *picem*, per mare, faciētes ex omnibus supradictis cambia in fortilitio supradicto, scilicet quod ex istis recipiunt, *zucharum, linum*, & præcipuè *piper*, aliamq; speciariam & de India mercaturam, quod quippe agunt de *Candeloro* & *Septalia* similiter mercatores. Et tanto magis quoniam ipsi infantulos & puellas deferunt in Ægyptum, qui pro maiori parte à Græcis originem extraxerunt. Nunc autem satis potest lucidè demonstrari, quòd argentum, aliarumq; rerum magna pars, quæ à terris Fidelium in Occidente morantium in Ægyptum quotidie demandantur, finaliter in hæc terribilia
10 cōuertūtur, vt sunt loquēdo vulgariter, Mamoluchi, garzoni similiter & garzonæ, tam Christiani penitus quàm Pagani: ac etiam lignamen, ferrum, & pix, qui ad dictum fortilitium, quæ est terra Ægyptia, continuò deferuntur. Propter quæ omnia satis patet quale est illorum consilium, & quàm sanum, qui pro consilio impenderunt quod ad terras dominio Soldani subiectas ferri possent, aurum, argentum, æs, stagnum, seu ramum, zafframen, coralla & similia supradictis: dicendo & etiam præsumendo quod talia & eis similia in Ægyptiam prouinciam deferentes, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ processui non resistunt. Sed mihi videtur quod propter ista, quæ de Occidente in Ægyptum quotidie demandatur, Soldanus cum cæteris ei subditis, cōtinuè suæ sustentationis & vitæ recipiunt partem magnam: quoniam
20 absq; eis piper habere non possent, neq; alia genera specierum, cum aliis de India mercaturis. Similiq; modo ipsi habere nequirent Mamuluchos, ferrum, lignamen, & picem etiam antedictam; vel si haberent, eis non affluerent, vt optarent. Quam ob causam, qui benè considerat compellere & vitare, ne præfati Mamoluchi, ferrum, lignamen, & pix, quæ illuc feruntur, vt dictum est, minimè deferantur, oportet primò aurum, argentum, ramum, stagnum, zafframen, coralla, aliaq; eis similia, prohibere ne ferri valeant in Ægyptum, propter quæ omnia, incolæ dictæ terræ, de India vt dictum est, recipiunt mercaturas, & genera quęlibet specierum. Si autem diceretur: Nonne facti sunt à Sancta Romana Ecclesia processus multi & prohibitiones aduersus illos, qui eunt illuc derogantes processibus & inhibitionibus supra-
30 dictis? Respondeo quod ita credo: sed leges, decreta & decretales, aliæq; constitutiones quæ sanctæ sunt siquidem atq; iustę, ac bonum initium habuerūt, quę editę fuerunt tam à sanctissimis & venerabilibus patribus spiritualibus, quàm ab excelsis & Illustribus dominis temporalibus cōseruandū quemlibet hominē æqua lance in suo proprio rito viuere. Et quanquā talia fuerint cōstituta, modicū prodessent, nisi foret, qui ea executioni mādaret. Et idcircò de similibus idē iudicium trahi potest: quia licet inhibitiones sanctorū patrū & venerabiliū sanctiones iustè editæ fuerint aduersus illos, qui cū præfatis rebus vel mercationibus, ad terras Soldano subditas nauigant, nunquā fuit ex dictis dominis spiritualibus aut temporalibus quisquā repertus, qui sanctiones & inhibitiones pdictas conatus fuerit adimplere, ac eas exe-
40 cutioni mandare: de quo, reuerenter & suppliciter eloquēdo, dici potest, quod versum sit non solū in Sanctę Ecclesię opprobriū, sed etiā in contumeliam Creatoris, atq; in magnū damnum suorū subditorū, & fideliū detrimentum, super quibus ipse Sanctus Pater prouidebit, vt sibi melius & sanius videbitur faciēdum. Et si quis peteret vel exigeret, Nonne aliquis fuit sequēs inhibitiones istas, & mandans executioni hucusq;? Reuerenter respondeo cum omni humilitate deuota, quòd nemo transgressores earum inhibitionum persecutus fuit hucusque in mari benè, & in terra etiam multo minus. Quam ob causam cùm aliquo prædictorum nulla quasi sit exacta iustitia, multi, imò quamplurimi illuc iuerūt: ex quo eorum multitudini ob vestram Sanctitatē, vos, Pater sanctissime, decet misericorditer misereri tali ma-
50 nerie atq; modo, quòd sit bonum & salus suarum animarum, atque vtilitas & profectus conquisitus etiam Terræ Sanctę. Verùm ducto ad executionem primo libro à Sanctitate vestra, publicatisque processibus, & galeis armatis, vt superiùs est narratum, tunc qui in illud peccatum inciderent, tam eundo ad terras Soldano subiectas, quàm etiam redeundo, vel in quorum manibus aliquæ ex illis mercationibus forent repertę, quę de terris fuerint supradictis, vt dictum est: procedi posset aduersus eos absque remissione aliqua, secundùm quod iustum vestre Sanctitati & rationabile videretur. Et est ita quòd *propter auaritiam huius*

mundi, præsentis vitæ afflictio timetur potius quam futura. Et ideo dignum & necessarium est, vt quos diuinus timor à malo non cohibet, temporalis pœna coherceat à peccato. Ipse Sanctus & reuerendus Pater & dominus, qui multos habet fratres & filios, est Sanctissimus piissimus pater dominus Papa, qui cum suis fratribus, Cardinalibus venerabilibus, & Prælatis Ecclesiæ IESV CHRISTI, die noctuq; vigilat atque orat, querens continuè auxilium & succursum, scilicet à suis fidelibus atque subditis, videlicet à Regibus Principibus & Baronibus, nec non generaliter ab vniuerso populo Christiano, vt dictum possit violenter fortilitium expugnare, pro suo patrimonio vendicando, scilicet Terram Sanctam quam Christus pedibus calcauit Sanctissimis & prætioso suo sanguine, nostris peccatis exigentibus, irrigauit. 10 Quod est ei consilium sanius impendendum? Iam enim fuit multoties probatum de gradiendo à barbacanorum partibus & vallorum, hoc est per Turchiam & Syriam, quando frater *Petrus Heremita*, & *Gotifredus* Buioni cum aliis Principibus & Baronibus transiuerunt conquirentes, & sibi etiam per DEI gratiam subiugantes tam ciuitates quàm oppida, vsque ad Ægypti desertum. Et tanta fuit probitas atque vigor tantus alicuius successorum suorum Regis Ierusalem, scilicet *Almerici* germani strenui bellatoris domini *Balduini*, quod cum suorum exercitu violenter & viriliter dictum fortilitium intrauerunt, & *Kayrum*, & *Babylonem* firmiter obsederunt: quas nisi malo consilio imminente cum tota terra Ægypti, vt in *Acquisitionis* libro narratur, procul dubio expugnassent. Cæterum malo subsequente consilio, eiecti 20 & repulsi fuerunt extra fortilitium antedictum, & finaliter ipsorum etiam successores, quasi ciuitates & oppida, & alia quæ tenebant in Regno Ierosolymæ atque Syriæ amiserunt. Præterea Serenissimus Imperator & Illustrissimus *Fridericus*, cum virtute magna, & innumera multitudine pugnatorum, per terram profecturus, iter arripiens: egressus autem de vltimis finibus Alemanniæ, transiens Vngariam, Bulgariam, Græciam, & per Saracenorum terras in manu potenti & brachio extenso, subiugatis sibi *Iconio*, *Philomena* & multis aliis ciuitatibus, vsque in Armeniam peruenit; vbi dum æstu maximo gratia balneandi in fluuium, quem *Fretum* appellant incolæ, descendisset, casu flebili submersus & suffocatus est in aquis, in totius Christianitatis, peccatis exigentibus, detrimentum. Præterea per mare tunc temporis 30 similiter transiuerunt, tam Illustres & excellentes domini, vt fuit dominus *Philippus* Rex Francorum, ac similiter dominus *Ricardus* Rex Anglorum cum multis Ducibus, Principibus, Comitibus & Baronibus, facientes id boni quod fecerunt, secundum quod inuenitur in *libro conquisitionis*. Sed finaliter ad propria remearunt, dimittentes negotium indiscussum: nec non & multi alii Barones, Principes & magnates, ibi iam extiterant, pro vt narratur in historiis, & Chronicis inuenitur, vsque ad tempus *Sancti Ludouici* Regis Francorum, qui *Damiatam* tam strenuè visitauit, cum tam innumerabili multitudine pugnatorum, quanta per historias ostenditur in præsenti; cuius exercitus, reuerenter loquendo, pro maiori parte periit, non habendo industriam neque ordinem, quibus tunc temporis indigebant, nec 40 conquisierunt fortilitium prælibatum. Et post hæc prædictus Pater Sanctus, multis, imo quam pluribus vicibus ad prædictam Terram Sanctam conquirendam, & de infidelium manibus extorquendam, succursum & auxilium destinauit quam plurium virilium & nobilium pugnatorum. Cæterum in vltimo fuit amissum totum, quod aliquando fuerat acquisitum. Igitur dicendum est de cætero, vt est dictum, quod prædictum fortilitium obsidendum est, & audacter etiam inuadēdum à porta quæ est magna, hoc est Ægyptia maritima, quæ semper aperta extitit, ac sine dubio expedita: & illud fortilitium est taliter inuadendum, quod nec prædicta tributa nec commercia recipiant incolæ dictæ terræ, nec per ipsorum cambia præfati Ægyptii alia sibi necessaria vllatenus valeant procurare, nec ex eis suum armi- 50 gerum populum possint aut audeant recentare. Quod fieri potest in breui, ducendo ad perfectionem primum librum, tam de processu, veluti de galeis. Et si placuerit omnium conditori tantam conferre gratiam vicario IESV CHRISTI, quod tantum velit gentis numerum congregare, quantus in principio huius secundi libri narratur, equites & pedites poterunt ianuam introire, videlicet Ægypti maritimam, cum ordine bono, & consilio saniori, ac cum rebus omnibus, præfatis equitibus & peditibus oportunis: præcipiendo postmodum ipsos sequi illum ordinem atque

atque stilum, qui in hoc secundo libro plenariè continetur, sperandum est in DEO, & in ipso veraciter confidendum, quod præfatum negotium fœlicem finem & laudabilem sortietur.

CAP. VII.

De declaratione arboris & quæ pertinent ad eandem.

ARbor superiùs memorata secta est perfidi *Mahometi*, quã ipse suo tempore propagauit, & etiam gens præfati, nec non & prouinciæ subditæ prælibatis. Inprimis stipes præfatę arboris, est radix, & suum efficacissimum fundamentum, quæ est in terra Ægyptia propagata. Rami verò arboris, antedictæ prouinciæ sunt, & domini, qui præfatis prouinciis dominantur, scilicet in Turchia, Syria, & in Terra Promissionis, nec non & in Barbaria, quæ *Regnum Tunitium* appellatur, & per totam terram Africę, & per omnes partes alias mundi huius in quibus obeditur & creditur sectæ illius impii seductoris. Folia autem præfatæ arboris, gentes existunt & populi facientes in præfatis prouinciis mansiones. Grossities pedis arboris iam præfatæ, radix est Ægyptiorum, & potentia prædictorum, quæ est & extitit semper potentior omnibus aliis imitantibus sectam illam, & præcipuè in partibus Orientis. Fontes siquidem, qui arborem hanc impinguant, & radicem, & stipitem antedictæ, fruges sunt procul dubio, atque fructus, qui ex terra Ægyptia extrahuntur. Sed fons, qui propriè hanc arborẽ supradictam impinguat, & ipsam facit quasi in omnibus affluentem, est Pontus per quem incolis & accolis dictæ terræ, in affluentia deferuntur, propter quæ prædicti nunc temporis habent omnia genera specierum cum mercationibus Indianis, absq; quibus vt superiùs est narratum, præfati Ægyptii, tam incolæ quàm accolæ antedicti, se non possent commodè sustentare, nec bene regere vitam suam. Ad illud autem quod dictum est, quòd arbor pręfata fructum aliquem non producit, debet intelligi secta perfidi Machometi, ex qua alicuius boni operis nullus progreditur bonus fructus. Fructus boni, qui sub arbore nascuntur prædicta, sunt fructus boni, qui nascũtur in terris prædicto Soldano subiectis: & qui descendunt quotidie ad eosdem, hii sunt siquidem mercaturæ, quæ quantũ in se, propriè dici possunt bonæ, & etiam appellari: qui verò illuc ambulãt pro ipsis deferẽdis & clausis oculis gradiuntur, & in magnis tenebris cõmorantur, procul dubio dici possunt, qui claudunt oculos mentis suæ, vt processus nequaquã videant, nec IESV CHRISTI Ecclesiæ sanctiones. Et sic similiter aliqui sunt, qui nolunt vllatenus illuc ire, eò quòd amorem DEI & timorem, cùm boni sint, præ oculis habent semper, nec non & Ecclesiæ IESV CHRISTI. Sanctus quippe dominus, noster est pater & dominus, *dominus Papa* prædictus: eodemq; modo fratres eiusdẽ sunt domini Cardinales eius venerabiles, & Prælati: filii verò eius fideles & subditi Sancti domini supradicti, sunt Reges, Principes & Barones, ac vniuersus populus Christianus tam Clerici quã Layci, qui fideliter ac humiliter Ecclesiæ Sanctæ DEI vestigia imitantur, die noctuq; assiduè meditantes, quomodo dictam possint arborem dissipare, i. sectam illius perfidissimi seductoris, pro regno Ierosolimitano conquirendo, & de potẽtia perfidorũ viriliter vendicando. Qui quidẽ continuè petierunt & postulant subsidium & succursum, vt superiùs est narratum, ad euellendam & eradicãdam, cum radice, stipite, atq; ramis & frontibus eorundẽ, arborẽ antedictam, vt ipsa taliter extirpetur, quòd eius memoria pereat super terram. Radix autẽ & stipes aut truncus arboris antedictæ, est terra Ægyptia supradicta, prout superiùs est dictum. Rami verò eiusdẽ arboris, aliæ sunt prouinciæ ab Ægypto, quæ subditæ sunt credentibus & sequentibus sectam illam, & similiter populus prædictarũ. Cui quippe Sancto Domino consultũ fuit tẽpore retroacto, q; aliquos mitteret probos viros & strenuos pugnatores ad exnemorãdã arborẽ supradictã, vt exnemoratione pręfatę, Terra Sancta posset de infideliũ manibus extorqueri, & à Christianis possideri in statu pacifico & tranquillo. Qui illuc præfatos misit, scilicet fratrem *Petrum Heremitam* & *Gotifredum de Buione*, & alios, qui secuti fuerũt libentissimè antedictos, qui cum suis ronconibus & dolatris, i. armis, iuerunt & exnemorauerũt ex arbore, i. acquisiuerunt viriliter vsq; ad crossitiem arboris prælibatæ, hoc est, vsq; ad desertum Ægyptium, & vltrà, viriliter conquisiuerant. Successor verò eorum, qui vsque ad dictæ arboris radicẽ & stipitem ambulauit, *Almericus* Rex Ierosolymitanus fuit, qui probitate & strenuitate virili, tãquam hostiũ expugnator, Kayrũ & Babylonem

iuit, vt dicitur, obsessurus, qui malo imminente consilio dictum Kayrum & Babylonem, cum toto Ægypto defuit suo dominio subiugare: vt in libro tertio inferius continetur. Et quia nequiuerunt Illustris & strenuus ille Rex, eiusdemq; magnatum Principum & aliorum pugnatorum nobilium comitiua, radicem dictæ arboris & stipitem extirpare, hoc est, terram Ægyptiam de manibus infidelium expugnare, in Ierosolymam redierunt. Ex quo euenit, vt cùm Soldanus fontem illum magnum haberet expeditum & liberum, id est, mare, in tantum genus creuit & posse, quòd finaliter quasi totam terram quam amiserat acquisiuit, cœpitq; etiam Illustrem & strenuum dominum, dominum *Guidonem de Lisignano* Regem Ierosolymitanum, ipsumq; secum perducens carceri mancipauit: vt in libro conquisitionis continetur prædicto. Iteratò ipse pater Sanctus illuc succursum & auxilium destinauit, scilicet Serenissimum & Illustrissimum dominum, dominum *Fredericum* Imperatorem Romanorum, ac excellentes & Illustres Reges dominum *Philippum* Regem Francorum, & *Ricardum* Regem Anglorum, cum aliis quamplurimis dominis, vt est dictum. Qui quamplurimos ex ramis dictæ arboris strauerunt, & ex frondibus eorundem: hoc est, quod ciuitatem conquisierunt *Acon*, & ex alia terra Turchiæ & Syriæ ac Promissionis, vt in libro cõtinetur prædicto, ciuitates quàm plures & oppida viriliter expugnarunt. Sed finaliter alii obierunt, alii patriam postularunt, vno præcedente, alio post paululum subsequente. Post hæc verò multi illuc iuerunt Principes, Barones & domini, vsque ad tempus Sancti *Ludouici* Regis Franciæ, qui vltrà mare transiuit, vt Damiatam subiugaret dominio Christiano, qui egit quod scriptum reperitur de ipso: nec non & post eum illuc fuerunt multi alii destinati: sed arbor, quæ dicitur suum pedem seu stipitem & radicem in bono loco habere, & quæ à fonte magno affluenter irrigatur, & assiduè impinguatur, est mare quod ei semper apertum extitit & totaliter expeditum, per quod defertur ei & delatum fuit dudum, vt dicitur, aurum, argentum, ramum, stagnum, cæteraque metalla, coralla, zaffranum, mastica, telæ, panni de serico, multaque alia similia & dissimilia supradictis. Ac feruntur ei Mamoluchi, ferrum, pix, similiter & lignamen: propter quæ omnia in tam magnum posse creuit, & crescit, ac tantum valorem & vigorem iam contulit suis ramis, quòd conditione fungitur status pristini, prout erat: videlicet quòd Soldanus ciuitates Tripolis, Acon, & Tyri nobiles deuastauit, & totum ac residuum Terræ Sanctæ suo dominio subiugauit. Postquam igitur tam probissimi viri & strenuissimi bellatores illuc transmissi fuerunt, nec potuerunt opus necessarium ducere ad effectum, vt superiùs est enarratum, quos in virtute & probitate similes antedictis inuenire valdè foret difficile: nunc ad præsens videntur fore via & modus alii retinendi ad Terræ Sanctæ negotium exequẽdum. Hoc est præbendo magno posse magnæq; Christicolarum potentiæ & virtuti aliquod auxilium & iuuamen, præambulis indissolubiliter sagacitatem & ingenium sociando. Quibus admixtis & insimul copulatis, sperandum est in DEO, & in eius auxilio confidendum, quòd arbor prædicta totaliter euelletur & eradicabitur, absque metu aliquo in posterum pullulandi, per modum hunc scilicet atque formam. Primò, fons magnus superiùs nominatus, est protinus amputandus, qui diu irrigauit, & in affluentia irrigat arborem antedictam: quod fieri leuiter ei potest, amputando arbori prælibatæ marinum introitum & egressum: quod fit ad plenum cùm executioni mandabitur primum opus, scilicet primi libri, tam de processu, quàm etiam de galeis. Postmodum subsequenter inueniri oportet quendam probissimum virum, qui præ aliis, multis refulgeat bonitatibus, consiliis, & virtutibus probitatum: vt in principio huius secundi operis enarratur. Nam totus populus benè regitur, vbi adest probus & sapiens gubernator; quo deficiente, corruit in ruinam. Quippe Capitaneus, per gratiam conditoris, secum deferat multos vermes, videlicet nauigium & homines, qui per aquas dulces & salitas nouerint optimè nauigare, & in vtraq; audacter & viriliter se valeant adiuuare, aliaq; secum similiter deferat oportuna: vt in hoc secundo libro plenariè continetur. Qui siquidem homines tam equites quàm pedites, tam prudenter se habeant & potenter in euentibus bellicosis aliisq; omnibus exequendis, quòd cum auxilio Creatoris, & industria sui Capitanei antedicti ad Ægypti maritimam transfretent, ibiq; terram capiant, velut probi & audaces faciunt bellatores: euntes postmodum ad corrodendum

dendum radicem & stipitem arboris supradictæ: scilicet quòd *Kayrum*, & *Babylonem* obsideant & expugnent, totam sibi Ægypti prouinciam subiugantes. Quo pacto sperandum est in DEO, & etiam cõfidendum, quòd omnes rami arboris antedictæ, & frondes seu folia prædictorum cadẽtes deorsum, procul dubio exarescent. Quibus peractis & executioni mãdatis, licebit Sancto Patri, i. nostro Sanctissimo Patri & domino, domino Papæ, vicario IESV CHRSTI præcipere de stipite seu trunco arboris prælibatæ, quicquid faciendum suæ videbitur voluntati: h.e. quòd dum terra Ægypti, genti summi Pontificis antedicti fuerit subiugata, non est vllatenus dubitandum cum omnipotentis DEI consilio, quin de regno Ierosolymitano, Syriæ, 10 Turchiæ & Africæ, & ex eo quod tenetur in Hispania & in aliis mundi partibus vniuersis, quas sectam illius pestiferi Machometi occupant imitantes, erũt, DEI cooperante virtute, & eiusdem Vicarii pro semetipsis corruendis & rationabiliter consumendis: quod similiter Græcis schismaticis poterit euenire. Ad id autem propter quod transeundum dicitur in Ægyptum, ad fructus liberaliter assumẽdos, vt illis liberè gaudeant assumentes, & in perpetuum possint eos pacificè possidere, cogitandum est subtiliter, & videndum quòd terra supposita Christianis, prȩfati vti poterunt antedictis: & præcipuè Christiani accolæ & incolæ dictæ terræ, nec nõ & alii Occidentales fideles liberè ad ipsos colligendos illuc poterunt ambulare. Ad quæ omnia nos, cum aliis cupiẽtibus Romanam Ecclesiam reuereri, perducat qui 20 regnat & viuit per vniuersa & immensa sæcula sæculorum.

CAP. VIII.

Continet exemplarem ostensionem, quòd in Aegypto primò bellandum est contra Saracenos pro recuperatione Terræ Sanctæ, per ea quæ gesta sunt inter Venetos & dominum Patriarcham Aquilegiensem, pro facto Histriæ.

VIII. A. Dni. 1282.

LIcet Venerabilis *Aquilegiensis Patriarcha* & cum eo *Comes Goritiæ* fauorabiles viderentur, vt Veneti in prouincia Ystriæ, *Iustinopolim* caperẽt, quod & fecerunt, post annos tamen quatuor, id est, M. CCLXXXII. iidem domini, Patriarcha & Comes, præfatam ciuitatem quam Veneti possidebant, cum grandi exercitu inuaser30 runt: creuitq; discordia in prouincia Histriæ, ita vt vtrumq; magni fierent apparatus terrà mariq;, ac frequenter insultus. Et de prouincia *Foro-Iuly*, vbi sedes Patriarchalis est, bis vel pluries omni anno cũ multis veniebat auxiliariis, Patriarcha prædictus & cum eo Comes Goritiæ, & mala plurima inferebat castris & ciuitatibus, quas Veneti retinebant, damna: & ipse multa cum gente sua passus, vt bellorum moris est, fuit & aliquando debellatus. Sic annis x. & vltra, offensiones continuatæ sunt prædarum, incendiorum, vastationum & huiusmodi, non solùm in terra sed etiam in mari: nec potuerunt Veneti toto præfato tempore, finem imponere malis. Dum verò in Ystria talia attitantur, accidit vt quidam *Nobiles de Camino*, necessitate compulsi locum super flumen *Liquentiæ*, vocatum *Lamota*, contra suos aduersa40 rios defensandum, qui in Teruisio dominabantur, Venetis assignarent. Est autem locus ille in principio Foro-Iulii situatus. Reformatà igitur, mediantibus Venetis, dictorum Nobilium cum aduersariis pace, cœperunt Veneti propriis negotiis intendere, & ad dictam Motam bellatores pedites equitesq; transmittere, qui per Forum-Iulii discurrerent, hostesq; læderent. Cernens autem Patriarcha præfatus, & cum eo Comes Goritię, & Castellani Foro-Iulii, in territorio proprio se grauari incendiis, villas consumi, vastari prædia, animalia prædari, non potuerunt æquè hæc intrinseca sustinere grauamina, sicut quæ extrinsecus gerebantur in Ystria: propter quod eodem anno cum Venetis componere coacti sunt. Adiacet autẽ Terra Promissionis Ægypto sicut terræ Fori-Iulii adiacet Ystria: & sicut Patriarcha in Ystria 50 bonos habet pedites & deficit in equitibus; In Foro-Iulii verò, è cõtra bonos habet milites, pedites verò viles: ita & Soldanus in Syria bonos habet pedites, & in equitibus deficit; & in Ægypto verò electos milites habet, pedites verò viles. Et ideò simile est Soldanum in Ægypto inuadere, sicut in Foro-Iulii Patriarcham: quia Ægyptus, Soldani est regnum proprium, vbi si vincitur, totaliter destructus est: si ex toto superari non posset, ex molestia tam vicina sibi, & regno intrinseca, ad pacta Christianis grata, necessariò inducetur, sicut in exemplo supra posito clarè possumus intueri, & sequenti capitulo ostendetur.

CAP. IX.

Continet huius propositi euidentem demonstrationem, per ea quæ gesta sunt in Aegypto tempore Sancti LVDOVICI Regis Francorum, & duorum Regum Ierusalem.

IX.

ÆGyptum à parte *Damiatæ* inuasit pluries populus Christianus, sed ter maximè profecisset, si sano consilio, ac victualibus, aliisq; necessariis munitus fuisset. Et semel quidem, post obsidionem vnius anni & septem mensium, sub *Iohanne* Rege Ierusalem, qui fuit Comes Brenensis, & *Pelagio* Romanę Curiæ Legato, capta est Damiata. M. CC. XIX. & inde Crucesignati vsque ad locum, vbi ramus Nili, qui dicitur *Tampneos*, ab eo, qui versus Damiatam labitur, liberè processerunt: sed defectu victualium, magis autem suis exigentibus peccatis, *vt patet libro 3. cap. 9.* redire compulsi sunt. Consequenter verò, tempore Sanctissimi *Regis LVDOVICI* iterum capta Damiata, M. CC. ***. voluit Soldanus prædicto Regi pacificari, multa offerens, & inter cætera Damiatam cum territorio adiacente ex pacto relinquere, ac tribuere ad territorium illud colendum Christianos plurimos in partibus Ægypti degentes, qui *Christiani de cinctura* vocentur: In regno quoq; Ierosolymitano ac Syria loca plurima tribuebat. Rex autem præfatus talibus verbis attendere noluit, ad totius Ægypti conquisitionem intentus, & vsque ad *Messoram* victor processit: *sicut eodem libro part. 12. cap. 2. & 3.* continetur. Sed Christiani bellatores, auaritiâ excæcati ex parte vna, ex parte verò altera victualium afflicti inopiâ, & hostium sentiêre molestias propter primum, & propter timorem inediæ redire coacti sunt. Et postquam Rex captus fuit, attendentes Ægyptii quantum sibi immineret periculum si Christiani Damiatam tenerent, pro ea recuperanda non solùm Regem & Barones & Capitaneos vniuersos promiserunt libertati donare: Verùm etiam quędam alia concesserunt grata plurimùm Christianis: *sicut patet ibidem.* Et hoc similiter potest manifestè patere per *speculum Historiale Vincentij*, illo in loco, vbi beati LVDOVICI, fœlicis memoriæ, Regis Francorum fratrumq; ipsius, captio & relaxatio describuntur. Hiis quoq; antiquior *Almericus* Rex Ierusalem ad Kayrum vsq; processit, sed receptâ à Soldano pecuniâ, malo *Milonis de Planti* consilio, solutâ obsidione recessit: *libro 3. part. 6. cap. 22. Henricus* etiam Rex Angliæ, expertus terræ conditiones, disponebat illuc redire, & primò debellare Ægyptios: *libro 3. pag. 11. cap. 1. Innocentius* quoq; tertius statuit, vt in Ægyptum duceretur militia Christiana.

A. Dni. 1219.

A. Dni. 12**.

10

20

30

CAP. X.

De euentibus, qui mandando executioni quod superiùs est narratum, rationabiliter emergere debent, cum auxilio IESV CHRISTI.

X.

CVm verissimum sit quòd omnia, quæ ventura sunt, existant in potentia Creatoris: semper tamen ad eius laudem, Sanctissimam prorsus reuerentiam, & honorem, eius auxilium iugiter & consilium implorando, quodam modo dici posset, & ex præteritis sumi iudicium de futuris, quòd tale quid necessariò sit futurum. Et facta inchoari debent tali respectu, quòd ad bonum finem & laudabilem deducantur. Et idcircò, cum vestræ Sanctitatis emendatione loquar, quòd si à vestra Clementia primus liber huius operis executioni mandetur, & firmiter teneatur tam de processu, quàm etiam de galeis, multi qui existunt & extiterunt mandatorum Sanctæ Ecclesiæ transgressores, Diuino auxilio mediante, conuertentur seu reducentur ad semitam bonam & rectam, pulsabuntq; ad vestræ hostium Sanctitatis, dicentes, quòd conquisitio Terræ Sanctæ à vestra beatitudine executioni mandetur: & vt oportet & est necesse, vt inducatis illos præfatos ad præsens; sic & ipsi postmodum veniunt ad exorandam vestram Clemētiam, imò ipsi humillimè supplicandum, quòd sit solicita & attenta executioni mandare supradictam conquisitionem, ampliùs non tardando. Erit etiam vlteriùs pacificandi occasio fideles inuicem dissidentes, diuinâ dexterâ cooperante, quod probabili ratione monstratur: Nam potest in hac parte dici verificè illud verbum, quod in Apocalypsi dominus est locutus: *quia de ira fornicationis eius*, scilicet Babylonis, *biberunt omnes gentes.* Ad curandum ergò hunc pestiferum & contagiosum morbum, qui indistinctè vniuersos inuasit, quia de prohibitis sine horrore cuncti participant, non sunt pacientibus dictum

40

50

Apoc. 18, 3.

ctum morbum in cibo contraria ministranda: cùm præbendo quæ ægritudine sunt nociua perniciosissimum sit,& rarò infirmi veniunt ad salutē; è contrà verò, per bonæ dietæ regimen, ægri sæpiùs conualescunt. Quamobrem si fideles à tam contrario cibo, vt præmittitur, abstinebunt, de quo Soldanus & sibi gens subdita tantum subsidium recipit & succursum, quantum in libro primo & in hac secunda parte narratur, credo verè & habeo pro constanti, quòd DEVS ad hoc magnam gratiam, specialiter in pacificando discordes, faciet Christianis. Et est sciendum quòd quilibet emptor vel consumptor mercimoniorum iam dictorum, quæ descendunt de terris Soldano subiectis, transgressoribus causam præbent eundi, & infidelibus terrarum subiectarum Soldano necessaria deferendi, atque illinc conducendi ad partes Occidentales species & alia mercimonia supradicta. Vnde si emptores & consumptores earum deessent, dicti transgressores non irent dicta mercimonia huc delatum. Ergo si dicti transgressores delinquunt, quisque qui eisdem peccandi causam infert, participem se peccati constituit. Igitur est necesse, deuotè ac humiliter loquendo, vt dictus accessus aut prohibeatur omninò, vt suprà præmittitur, & maximè vt in breui compendio continetur; vel amplietur in tantum, vt quilibet liberè ire valeat ac redire, vt de terris dicto Soldano subiectis dictas merces conducant, secundùm eorum libitum voluntatis: nec fiat mentio acquirendi de cætero Terram Sanctam. Quod mihi minus malum videtur, quàm sic diu in hoc statu manere fideles. Nam hic status est periculosus omnibus fidelibus Christianis. Super hiis prouidebit Sanctissimus pater, prout ei diuina gratia ministrabit. Præterea, incœpto à vestra Sanctitate secundo libro executioni mandare, hoc est, de strenuissimo & probissimo viro, ex parte vestræ beatitudinis, Capitaneo vestræ gentis, qui eat in Ægypti maritimam, ad capiendam viriliter ibi terram cum XV. M. peditum & CCC. equitibus: vt in prima parte huius secundi libri continetur: & ibidem fortilitia construi faciat, & habitacula eleuari, cùm Ægyptii necessariorum inopiâ, suarum mercium in expeditione, hostiumque molestiis & iacturis terrâ marique ac fluminibus, sentient immenso pondere se oppressos: & per ea quæ præteritorum experientia nos edocet, videlicet quando Christiani subdiderunt proprio dominio Damiatam, potissimè cùm eam obtinuit Sanctus Rex Franciæ *LODOVICVS*, vt in præsenti capitulo continetur, pro certo a primo anno in antea per Soldanum Babyloniæ libenter firma conuentio fiet vobis, de Terra Promissionis Sanctitati vestræ in totum perpetuò relinquenda, vt ad consumptionem eiusdem vestra Sanctitas vlteriùs non procedat. Præfata quoque consumptio Ægyptiorum, posset Soldani ad fidem esse conuersio, ac populi subditi eidem. Vlteriùs, sicut naturales affirmant, quando aliquis subitò mortis incurrit periculum, sagax natura fonti vitæ, id est, cordi immediatè succurrit; trahitque sanguinem ab extremitatibus, vt cordi succursum præbeat & munimen: Et indè est quare homines sic timentes, faciem habent pallidam, & extremitates alias tremulas, quia à sanguine derelictas. A simili, sic Saracenis continget: quia cùm cor & vita Saracenorum sit robur Ægypti, in subita impugnatione Ægypti virtus & vigor extremitatum, sicut *Granatæ* & partium aliarum illuc immediatè succurret: nec ipsæ extremitates tunc recipient à corde auxilium & fauorem, præcipuè de moneta, sicut modò recipiunt: per consequens ergò quasi destitutæ & tremulæ remanebunt. Si igitur Reges Yspaniæ, siue aliquis Rex fidelis, aliquam extremitatum tunc temporis infestaret, faciliùs posset negotium optato effectui mancipari. Nec propter hoc Saraceni cor suum, id est, Ægyptum, possent per succursum aliquem defensare: sicut per tertiam & quartam partem huius secundi libri apparet diligentiùs intuenti, sperando semper & in DEI auxilio confidendo, de veniendo in breui ad tam bonum finem, laudabilem & fœlicem, secundùm quod mihi videtur, saluo peritorum consilio, quòd in tam arduo & fœlici negotio inchoando, non est vllatenus differendum. Nam *qui non incipit, nunquam finit*: & finis deficit, vbi principii defuit inchoatio.

TERTIA PARS, CONTINET SECVRI STATVS ÆDIFICANTIVM IN MARITIMA ÆGYPTI, ET APTITVDINIS ad bellandum contra Saracenos exemplarem demonstrationem: habens capitula quatuor.

CAP. I.

Continet quàm securi poterunt Christiani consistere in fortilitiis Aegyptiæ maritimæ: exemplo maritimæ Venetorum, quæ sub tempestuosis procellis Gallorum, Afrorum, Cyprorum, Atilæ & Longobardorum, & aliorum, illæsa permansit. Rubrica.

1. QVAM conformis & quàm similis sit Ægypti maritima, Regioni maritimæ Venetorum tactum est suprà, *cap. 2. primæ partis.* Ex securo proinde statu ædificantium ac colentium insulas in aquis & paludibus Venetiarum, quasi in claro speculo, possumus intueri, quàm securi contra Saracenorum insultus consistere poterunt, qui secundùm præmissa *supra part. 1. cap. 3.* ædificabunt, & fortilitia construent in maritima terra Ægypti. *Venetiarum* enim *Insulas*, iuxta Historiarum fidem, primùm à Græcis pulsi incoluêre *Troiani*, MM. DCCLXXXIV. anno a creatione mundi. Ipsorum enim multitudo, sub Priamo iuuene Regis Priami nepotis ex sorore Lamedontis filia, conquisitis nauibus ad fines vsq; Adriati maris perueniens, conspectis insulis, & in circuitu terra firma, deliberat pro tuenda solita libertate, in Insulis habitacula cõstruere, indignum ducens se ingenuos alteri subiici. Non defuit intẽti successus, ita vt dicere possint: *Nos liberi sumus, & nemini seruiuimus vnquam:* solus enim Dux ab eis electus, & nullus alius, legitur exercuisse aliquando regimen super eos. Hanc enim Venetiarum partem maritimam *Senones* Galli, sub Breno duce post annos III M. DLXXV. à creatione mundi, intactam relinquentes, partem reliquam, & cætera in circuitu occupauêre, ædificantes *Vicentiam, Veronam, Tridentum, Brixiam, Pergamum, Cumas, Mediolanum, Senas* & *Senegaliam*, cæsâ priùs Romanorum multitudine, combustaq; Vrbe, ac senatoribus in suis sedibus trucidatis. *Afrorum* quoq; à Meridie, ac *Cybrorũ* ab Aquilone & littoribus Germaniæ, sequentes turbines se Italiæ infundentes, illi non obfuerunt. *Atila* etiam *Osdrubalis* Regis Vngariæ, nepos ex filia, Regniq; hæres, cuius tremendã sæuitiam terræmotus, & cœli signa præsagauerãt, post vastatas Gallias versus Italiam, tremor vrbis & orbis, cum V C. milibus pugnatorũ adueniẽs, circa præfatas Venetiarũ paludes & Insulas, cuncta crudelis fera deuorans, & in solitudinẽ redigens, partẽ paludosam non modò lædere non valuit, sed habitatoribus diuiciis & viribus ausit. Nam de *Aquilegia* cum reliquiis Patriarcha, & cum matribus paruuli, in Gradensi castro tutati sunt. De *Concordia* verò exeuntes in maris littore Capralas condiderunt. De *Altino* quod *Anteriorides* vocabatur, quia ab Anterioride conditum, qui ad Insulas confugerunt *ciuitatem, nouam, Esul Torsselum, Buranum, Mazorbum* atq; *Muranũ* ædificauerunt: & sub tribus nouis Episcopis, qui adhuc extant, vnoq; Patriarchatu, multitudo ista diuisa est. De *Pactauio* quoq; ad *Riuum altum* & *Mathamaucum*, plurimi habuêre confugium. Fuerunt hæc quatuor oppida circà Insulas & littora Venetiarum, ciuitates insignes, sed à fundamentis euersæ. Qui verò in Insulis habitabãt, aucti dignitate & numero, Duces habere cœperũt creueruntq; in fama atq; potentia, sicut hodie cõspicimus. Nec tunc solummodo, sed & tempore *Ezelini*, cùm Marchiam Teruisinam vastaret, & partem etiam Lombardiæ, qui persecutionem patiebantur Venetias fugientes, tam securi manebant, vt Tyrannus eos lædere non valens inde formaret prouerbium, quia *aduersarij sui in castro anserum cõtutati essent.* Et diebus istis nouissimis quibus *Canis Magnus de Scala* Paduanum pœnè subuertit districtum, confugiens multitudo in dicta maritima, saluata est, & secura constitit, M. CCC. XVIII. Eademque passa natio *Teruisina*, & eodem anno, inuasore prædicto, in prædicta maritima contutata est. *Longobardi* quoque, *Guinuli* prius dicti, ex vltimis Germaniæ littoribus de Insula *Scandinaria*, in Pannoniam venientes, ac deindè partẽ primò quæ Venetiarũ Insulis adiacet sub Rege suo *Albuino*, anno Domini DLXXII. occupãtes, & demũ sub cæteris Regibus omnẽ Italiam affligen-

A Mundi creatione 2784.

Ioh. 8, 33.

An. Mundi 3575.

A. Dni. 1318.

A. Dni. 572.

10 20 30 40 50

gentes, Venetiarum Insulas minimè lædere potuerunt: licet non nisi Gallicanis viribus, sub *Pipino Nano, Stephanus Papa* elationem *Astulphi* Regis eorum, ab vnoquoque capite tributum exigentis, vix temperare potuerit. Et *Adrianus* etiam summus Pontifex pro importabili afflictione Italiæ, quam exercebat *Desiderius* Astulphi filius *Karolum Magnum* vocare coactus fuerit ad tuendas res Ecclesiæ, & summouendam Tyrannidem. Quo euentu captiuato Desiderio cum vxore & filiis, ac in Gallias misso, Longobardorum regnum finem habuit, DCCLXXIV. anno Christi. Ipse quoq; Karolus, Venetis iratus, & vsq; Mathamaucense littus duces exercitum, etiam victualia prohibere non potuit.

A. Dni. 774.

10

CAP. II.

Continet quàm apertè Christiani in prædicta maritima Aegypti, à vicinis Saracenis potuerunt se tueri: exemplo Venetæ nationis.

NOn solùm contra peregrinarum rabiem nationum, quæ Italiam subuerterunt, Insularum incolæ prædictarum securi manserunt; sed vicinarum etiam gentium, quæ cum eis conuersantur continuè, & ab antiquo ipsorum gloriæ inuiderunt, ac nocendi vias exquisierunt & modos, faciliter declinauerunt insidias & insultus. Et, vt verbi causâ aliqua inserantur, *Paduani* multo congregato exercitu, quandam turrim seu castrum in loco vocato *Bayba* fundatum, obsidentes, dum tutè bellare putant, in aqua maris excrescente se reperiuut, M. CC. XV. sicut & in Ægypti partibus, de aquis Nili contigit Christianis, *libro 3. pag. 11. cap. 9.* oportuitque vt & Paduani Venetis, & Christiani se sub certis pactis redderent Saracenis. Et nuper quoque iidem Paduani, propè *Clugiam*, ad milliaria quatuor, vel circà, salinas facere voluerunt, ædificantes castrum propè paludes pro defensione earum: Veneti verò producto in aquis maris aggere, vsque ad cuiusdam fluminis fauces, aquę salsæ prohibuerunt accessum, quin potiùs loco ipsius produxerunt ad dictas salinas præfati fluminis aquas dulces: & tandem ortâ discordiâ, cùm ad destruendum aggerem Paduani confluerent, à paucissimis Venetis arcebantur, licet auxiliarios habuerint, Vicentinos, Veronenses & Mantuanos, & à remotis partibus Balistarios conduxerunt: tamen mille quingenti Veneti pugnatores, vel circà, aliquando XXX. milibus restiterunt: & cùm propè essent, vt castrum caperent, præsumptores nouitatum in suo confinio ad sua vota & optata pacta coegerunt, M. CCCV. Medio quoque tempore, id est, M. CCLXX. *Bononienses* & cum eis plurimi pœnè ex omnibus ciuitatibus *Romandiolæ*, castrū quoddam Venetorum iuxta Padum quod à mari octo distabat milibus oppugnantes, nil agere potuerunt: accepto proindè consilio Bononienses cæteriq; secum, iuxta fauces prędicti fluminis castrum ædificauerunt, vt Venetis eundi atq; redeundi per fluuium ad castrum suum negaretur facultas: sed prohibere minimè potuerunt, licet totis viribus laborauerint, bellaq; sæpè mouerint annis tribus & mensibus quinq;: post quos, castrum quod ædificauerant vacuum relinquentes, ad propria redierūt, & Veneti illis inuitis castrum suum more solito possederunt. Aliud quoq; castrum Venetorum *caput aggeris* dictum, supra flumen *Aticensitum*, quod de Verona descendit ad mare, similiter communitates & domini Lombardiæ & Marchiæ Teruisinæ dictis Venetis auferre nisi sunt: sed licet XI. milibus distet à mari, Teneti paucis pugnatoribus & expensis, respectu aduersariorum, quibuscumque inuitis tenuerunt vsque in præsens. Et non solùm ad se suaque conseruanda potentes fuerunt: verùm etiam ad coercendum piratas subiiciendumque suæ dictioni, vt in magna parte Aquilonaris maritimæ conspicimus, & maximè Adriatici maris, vbi viguisse piratas, veteres Annales referunt: sed & sui dominii principatum ad remotas ac Orientales partes plurimùm extenderunt, hodieq; in illis partibus pænè soli tuentur, non modò sua, sed etiam aliena. Ex iis igitur recitatis, luce clariùs possumus intueri, quanta Christiano populo ædificanti fortilitia in maritima Ægypti poterit esse securitas, quanta in Agarenos coercendos potestas, & in terris acquirendis quanta fœlicitas.

20 A. Dni. 1215.

30 A. Dni. 1305. A. Dni. 1270.

40

50

CAP. III.

Continet qualiter Crucesignati Aegyptios lædere poterunt: exemplo eorum, quæ Veneti gesserunt in ciuitatibus & locis supra stagna & flumina constitutis.

III. POstquam exemplari manuductione ostensum est, quàm tuti erunt, auxiliante DEO, bellatores Ecclesiæ, constructis fortilitiis in maritima Ægypti: consequenter in eodem speculo vel exemplo, considerare possumus quàm apti erunt ad nocendum inimicis Crucis & fidei Christianæ. Prædicti enim Veneti quando discordia oritur inter eos, & ciuitatem aliquam Lombardiæ vel Marchiæ Teruisinæ, inimicos suos duplici viâ lædunt. Prima est via leuior: non eius arma capiunt, vel in personam lædunt, vel temporalia bona surripiunt; sed strictè prohibent, ne eorum victualia vel mercimonia quæcunque ad ciuitatem Venetiarum portari, aut per loca eis subiecta deferri, aut è contra de ciuitate vel districtu Venetiarum ad eas transferri. Nec hoc leuis iactura cuiquam videatur: frequenter enim Ciuitates Lombardiæ & Marchiæ Teruisinæ, hoc modo artatæ, Venetias nuncios transmittunt, secumque sub certis pactis viuere coguntur. Quantum verò modus iste nocendi, in Ægypto lædere valeat Saracenos, quantum diminuat Soldani potentiam, supra libro primo diffusè ostensum est. Secunda autem via est grauior: cùm videlicet armis pugnant & viribus. Et quia experti sunt in talibus & potentes ad faciendum apta nauigia, & instrumenta bellica, secundùm quod requirit locorum dispositio vel facti qualitas, aptè loca expugnant quæ ædificata sunt super flumina vel paludes. Vnde *Ferrariam*, M.CCXXXIX. ad requisitionem Ecclesiæ, acceperunt de manibus *Salinguerræ*, & assignauerunt domino *Gregorio* Apostolicæ sedis Legato: & licet pro hoc ipso conuenissent ex locis variis bellatores, tamen absque Venetorum nauigio & industria nil agebant: & propterea pacta & honorantias quas Veneti in Ferraria habebant, non modò confirmauit sed etiam ampliauit. Et antiquioribus temporibus, *Committissa Mathilda* dictam Ferrariam recuperauit cum auxilio nauigii Venetorum. Nuper quoque, id est, M.CCCVIII. in facto Ferrariæ, quantum in fluminibus dominari valeant luce clariùs patuit. Stupor enim erat cernere tam paruam quantitatem pugnatorum per Padum ad libitum discurrere; nemine prohibere valente, adiacentia loca destruere; productis fossoribus impetum fluminis ad demissa loca deducere; igne & aqua cuncta vastare. Sic poterit exercitus Domini, per Ægypti fluuium vsque Kayrum & Babylonem, ad votum discurrere, cuncta occupare; tantoq; meliùs quanto latior est fluminis alueus. Et qui liberè dominabitur fluuio, & in terra poterit leuiter dominari, vt suprà ostensum est, *parte prima, cap. 4.* Quod autem Venetorum in dicto negotio fœdus fuerit exitus, in promptu causa est: peccauerunt enim decori iustitiæ, præsumptuosè in aliena messe ponentes falcem. Tempore etiam quo impius *Ezelinus* occupauit Marchiam Teruisinam, & partes aliquas Lombardiæ ad requisitionem Legati summi Pontificis, domini videlicet *Philippi* Archiepiscopi Rauenatis, Veneti de paludibus suis & loco *Baybæ* superiùs nominato, per fluuium deduxerunt congregatum exercitum à prædicto Legato, M.CCLVI. præbentes balystariorum & victualium copiam: & non solùm circa fluuium occupauerunt omnia; sed vsque ad ciuitatem Paduam procedentes belli violentiam eruerunt de manibus Ezelini. Hæc omnia exemplo sint nobis, quàm securus esse poterit in maritima Ægypti exercitus Domini, quantumq; proficere poterunt contra hostes fidei Christianæ.

A. Dni. 1239.

A. Dni. 1308.

A. Dni. 1256.

CAP. IV.

Continet conuenientem satisfactionem ad quædam dubia quæ mouentur.

IV. QVia dictum est capitulo proximo, quòd exercitus Christianus vsque *Babylonem* per *Nilum* fluuium procedere poterit, hoc nonnulli, propter viæ prolixitatem, trahunt in dubium. Ad hoc autem consueto in hac parte exemplo respondebitur: quia Veneti maiori satis spatio per *Padum* ascendentes, intrauerunt fluuium *Aduæ*, cum nauibus castellatis & balistariis; fregeruntque violenter sex catenas grossissimas; & pontem per quem transierat *Ezelinus*, ad recipiendum Mediolanum, cum cæteris violenter occupauerunt, quod captionis & mortis illius

illius Tyranni fuit initium. Nam suo frustratus desiderio Ezelinus cùm rediret infecto negotio, & pontem diligenter munitum obsideret, spiculo in pede grauiter percussus, solitam ordinandi exercitum sagacitatem amisit; & bello superatus, eodem anno in captiuitate mortuus est, M. C C. LX. Anno Christi. Ad illudquoque quod supradictum est, quod constructio fortilitii & ædificiorum prohibebit victualia & cætera Saracenis Ægyptiis deportari; respondetur, quod per terram huiusmodi deferrentur eisdem: Ad quod dicendum, quia tales situm ignorãt terræ Ægyptii: cùm enim à mari Mediterraneo protendatur in longum versus Meridiem, ex vtraque parte tam Orientali quàm Occidentali sunt vastæ solitudines & deserta, in quibus Sancti patres in Occidentali maximè, monasteria cõstruxerunt, heremiticam, & nonnulli solitariam ducentes vitam. Ex parte igitur Occidentis de regno *Tunisii*, propter immensitatem & asperitatem heremi, merces deuehi non possunt: ex parte Orientis, præter species nil habere valent: ex parte Meridiei, est omnium penè rerum inopia: ibidem etiam sunt *Christiani de Nubia*, eis contrarii, vt dictum est suprà, libro primo: ex parte verò Septentrionis, de regno scilicet Ierosolymitano & Syria, pauca, & non sine difficultate habere possunt: bombicem scilicet & saponem, poma, pyra, & aliquam olei quantitatem. Propter quæ verè dictum est, quod præclusa eis via maris Mediterranei, victualia eis & cætera mercimonia, præter species, præcluduntur. Dubitant quoque nonnulli, qualiter victualia sufficienter habere poterunt Christiani se in extremitate maritima colligentes, si fame affligentur, qui elaboratam inhabitant terram Ægypti. Ad hoc autem faciliter respondetur, quòd ex omni parte maritima vndique victualia & necessaria omnia confluent, si stipendia sufficientia habuerint & pecuniam ad emendum: sicut in ipsa ciuitate Venetiarum conspicimus, quando est caristia in terra firma circumiacente: quia in tanta quantitate victualia omnia & alia per mare necessaria feruntur, vt cunctis vicinis suis indigentibus possint succurrere.

A. Dni. 1260.

QVARTA PARS CONTINET STILVM, MODVM ET ORDINEM AC PROBABILIA ARGVMENTA, SVPER BELLICOSIS euentibus, & aliis contingentibus quibuscunque, ad dictum terræ negotium feliciter exequendum: & quòd Agareni, & schismatici contra Ecclesiæ potentiam, terram rationabiliter defendere non valebunt: habens capitula XXIX.

CAP. I.

De quibusdam argumentis quæ obiiciuntur contra potentiam exercitus Christiani, ne possit ad finem gratuitum peruenire, & de solutionibus eorundem.

AD illud quod superiùs est narratum, posset aliquis respondere & dicere: Benè videmus per exempla Venetorum prædicta, quòd tanta quantitas gentium, quanta suprà dicitur, capere poterit terram & habitationem in Ægyptiaca maritima, & quòd ibi poterit tuta manere ab illis de terris paganorum: non tamen damnificabuntur propterea Saraceni à Christianis, adeò quod possis eos tibi subiicere, vel aliter subiugare vel vincere, hiis rationibus: Primò, quia si voles ire per flumen Nili cum tuo nauigio armato, flumen ipsum est in aliqua parte sui tam artum, quòd ab vna parte vel ab alia ignem in tuum poterũt nauigium sagittare: quapropter nauigium tuum cum gente, ardendi periculo subiacere. Secundò, quia in flumine Nili Saraceni proiicerent catenas & stellatas, siue pallatas, vel pontes supra nauigia construent, sicut factum fuit apud *Francolinum* districtus Ferrariæ: & tantò plus facient, quòd ipsi firmabunt ab vno laterum fluminis, & ab alio latere tenebunt caput suspensum pro relaxando, quando eis placeret, & ab vtroq; laterum benè facient custodiri. Ita quòd, qui de gente Christiana appropinquarent catenæ vel ponti Saracenorum cum suo nauigio, ipsi caput suspensum relaxarent: ita quòd per cursum aquæ fluminis prædicti pons Saracenorum duceret & artaret nauigium Christianorum in terram per vim. Ita quòd,

qui haberent ibi terræ dominium possent gentem ipsius nauigii ad suum libitum trucidare. Ad hæc potest taliter responderi; & primò ad primum, Quòd gens ipsa vestra, præuisa, præuigil & attenta, habens paratum secum, quo ipsa ad ignem indiget extinguendum, ignem ipsum quando sagittabitur, facilè extinguere poterit, & extinguet: & non desistet propterea Christianorum exercitus ire nec redire, nec facere facta sua. Ad secundum, Quod si Saraceni prædictas catenas ponerent, vel palatas facerent, siue pontes, ipsos oporteret habere ac tenere magnam custodiam, & gentis quantitatem non modicam, ad custodiendum dictas palatas, catenas, vel pontes, tam ab vno latere quàm ab alio, & in pluribus partibus, & specialiter Damiatæ ac Raxeti flumeria, quia larga est. Sed nihilominus si Christiani valent ire ad palatas, aut catenas Saracenorum vel pontes, cum eorum nauigiis & argagnis, non ibunt quando flumen erit plenum & multùm currens: sed Capitaneus sicut sapiens, expectabit tempus quando flumen ipsum erit macrum siue bassum, & quando flabunt venti validi à parte maris, qui vtuntur ibi & inflant mare taliter quòd mare, siue aqua maris, intrat per ora fluminum: ita quòd ille paruus cursus quem habet tunc aqua fluminum ipsorum adeò quietatur, quod nullus quasi cursus est: & tunc cum ipso vento sibi secundo mittet de suis nauigiis aptis ad talia, ponderatis, ad validiorem impetum faciendum, & cum velis erectis, & cum aliis suis ingeniosis argagnis; & tam impetuosè dicta nauigia in dictos pontes irruent, vel catenas, siue palatas, quòd ipsos frangent, destruent, & dirumpent; & transibunt quo volent, & dominabuntur super illud flumen ad suum libitum, Domino largiente: sicut alios Christianos fecisse intelligo in partibus Damiatæ. Et est sciendum quòd quando gens Sanctæ Ecclesiæ erit XV. M. peditum, & CCC. equites ad soldum, postquam cœperint ibi terram, antequam compleat annus erunt vltra V. mille homines sine soldo, qui illuc cum victualibus & aliis exercitui necessariis, pro eorum vtilitate concurrent. Qui omnes quando expediet, erunt vtiles ad ea quæ occurrerint facienda, ita quod potest dici quod erunt vltra XX. M. homines. Ita quod, cum DEI auxilio, non est vllatenus dubitandum quin per gentem vestram satis boni fiat.

CAP. II.

In quo inseruntur certa aliqua argumenta super eo, quod Soldanus ex posse suo posset in Nili flumine operari: & de solutione etiam prædictorum. Rubrica.

PRæterea si quis opponeret atq; diceret: Prædictus Soldanus gentis multitudinem habet magnam; & idcircò ad facienda multa magnum posse habet: Primò, quia posset flumen Nili quod in Mediterraneum mare dilabitur, in Oceanum mare facere ipsum labi: quo pacto per aquam dulcem nullum sibi inferri cum nauigio posset damnum. Secundò, quoniam si hoc nollet facere vel nequiret, posset tamen hoc agere quando vellet: quia dum Christianorum exercitus aliquam fecerit mansionem, & aliquod fortilitium iuxta aliquam partium ramorum fluminis construxerint antedicti, longius posset facere ipsum labi ab exercitu Christiano: eò quòd Ægypti maritima est plana & magna, ob cuius causam magna pars intentionis præfatæ sinistrum non modicum pateretur. Tertiò, posset Soldanus cum suis facere multò peius: quia dum Christianorum exercitus castra metatus fuerit, & ordinatè in Ægypti maritima collocatus; qui suum nauigium armatum haberent & vndiq; præparatum, quorum homines sursum per flumen ipsum conducerent remigando, tunc Soldani homines antedicti possent ramum dicti Nili fluminis præparasse, & in ea nauigatione eo tempore ramum fluminis antedicti, ab eo loco in quo esset Christianorum nauigium, remouere, facientes per partem aliam ipsum labi tali quidem manerie atque modo, vt deficiente aquâ Christianorum nauigium in sicco remaneret. Et per viam hanc, multitudini gentis & potentiæ quam Soldanus assequitur antedictus, gens quæ reperiretur in nauigio supradicto non posset resistere; nec se, quin morti traderetur vel carceri, de infidelium manibus liberare. Ad argumentum primum dici potest, & taliter responderi: quòd impossibile quasi foret, quòd Soldanus prædictus facere auferri posset lectum fluminis prælibati, quod in Mediterraneum mare dilabitur, & in mare Oceanum faciat ipsum labi. Et dato quòd faceret fieri

fieri quod est dictum, per primum librum ostenditur manifestè, quod terra Ægypti destructa foret totaliter, & deserta: propter quod nullatenus est credendum, quòd infideles vellent se destruere vllo modo, dum destructionem possent aliqualiter euitare. Ad secundum argumentum, quod superiùs dictum est, potest tali manerie responderi: quòd habitaculū & fortilitium quæ in principio sunt in Ægypti maritima facienda, de lignamine ac sextoriis solummodo construentur, eò quòd paludes & aquæ erunt robur habitaculi & fortilitii prædictorum. Ita quòd cùm præfati Ægyptii auferent aliquem ex ramis fluminis antedicti, propè quem Christiani habitaculum construxerint & fortilitium prædictum, repentè Christiani prædicti possent inde abire in suo nauigio cum suis omnibus paramentis, & ad aliam partem gradi quæ fructuosior eis & vtilior videretur: licet impossibile quasi sit quod ramum fluminis Damiatæ, ramumque Raxeti, ex toto auferre valeant infideles. Ita quòd per hunc modum cum auxilio Creatoris, Saraceni præfati magnum non possent inferre grauamen exercitui Christiano. Et quando hoc ageret, maius eis damnum & grauamen incumberet quàm Christicolis antedictis. Tertiò, potest taliter responderi: quoniam Capitaneum decet & oportet esse prouidum in omnibus & prudentem, ne defectu suæ prudentiæ ac prouidentiæ immineret periculum Christianis: hoc est ne pergat cum nauigio, neque mittat sursum per flumē in magno numero gentem suam, nisi priùs de conditionibus suorum hostium atq; statu habuerit, & susceperit certa noua, ita vt cautè faciat, quod per ipsum cautè fuerit faciendum: nam vbi maius versatur periculum, ibi cautiùs est agendum. Et dato, quòd Capitaneus cum exercitu prælibato solummodo in Ægypti maritima viriliter se teneret, ipse suæ intentionis perficeret magnam partem, ex quo, vt super isto negotio benè agat, festinantiā nullaget: qui tenens hunc stylum, ordinem atq; modum præfatum, scilicet vt de suis hostibus, vt poterit, semper vera noua percipiat atque certa, cum Omnipotentis DEI auxilio, debet ad bonum finem & laudabilem peruenire.

CAP. III.

De quibusdam exemplis, Cyri Regis Persarum: & de certis documentis pro exercitu Christiano.

ET est memoriæ commendandum, secundùm quod reperitur in scriptis: quòd *Cyrus* Rex Persarum atque Medorum, totius Orientis iam obtento imperio, caput ipsius Imperii capiendam Babyloniam obsedit, vbi cùm vnus militum suorū fluuium *Gangen*, qui vnus de quatuor fluminibus Paradysi esse narratur, temerè pertransiret, a fluminis impetu est submersus. Quo casu contristatus Cyrus, volens vlcisci in fluuium, in CCCCXL. riuos eundem fluuium subdiuisum ac deriuatum, vetularum etiam pedibus transmeabilem fecit. Simili quoque ingenio fluuium *Eufraten* per mediam Babyloniam fluentem à proprio alueo deriuauit, & sic vrbem illam, omnium vrbium potentissimam cepit anno M. CCCC. à fundatione eiusdem. Vnde, si Soldanus Babyloniæ subdiuidendi flumen Ægyptium simile posse habet, prout egit præfatus Cyrus ex supradictis fluminibus, hoc ignoro. Sed posito quod possit, & velit, & de prædicto flumine faceret illud idem, ob hoc nequaquam est obmittendum negotium transeundi ac capiendi terram in præfata Ægypti maritima vt est dictum, propter rationem quæ subsequenter poterit assignari: Quoniam, dato quòd Soldanus alueos dicti fluminis possit facere remoueri, ipse non poterit paludes nec lacunas aut stagna quæ sunt in Ægypti maritima dissipari facere, nec vllatenus vacuari: eò quòd aquis marinis replentur, quasi continuò, quas quidem lacunas, paludes siue stagna prædicta Christiani prædicti facere poterunt crescere in locis aliquibus hoc modo: videlicet quòd præfati poterunt in prædictis paludibus, lacunis vel stagnis aggeres longos facere, prout egerunt *Veneti* in guerra, quam cum *Paduanis* pro facto *Salinarum* aliquando habuerunt: vt in tertia parte huius secundi libri continetur. Qui quidem aggeres, habebunt portas bonas, & dum crescunt aquæ marinæ & effluunt habundanter, liberè eis absque regressu introitus præbeatur, ita quòd illæ aquæ cum aquis fluminis antedicti pluuialibus vnà simul continuò versus terram Ægypti detrusæ remaneant in paludibus, & in aliis dictis locis: per quem modum dictæ aquæ crescere debent in locis præambulis congregatę, faciendo benè portas

Annus à fundatione Babylonis 1400.

& dictos aggeres custodiri, ne ab aliquo frangerentur. Intra quas paludes, lacunas, aut etiam dicta stagna, possent intromitti nauigia, vt videretur Capitaneo exercitus antedicti, ad læsionem & perniciem infidelibus inferendam. Et si per hanc viam & formam, dictum nequiret negotium executioni mandari, eget maiori numero equitum & peditum quàm egeret si prædictum flumen aptum & expeditum existeret, vt nunc temporis inuenitur: quam siquidem gentem equestrem & pedestrem, ad libitum Capitanei supra dicti exercitus, ad portum posset cum nauigiis ponere atque locum: & cum equitibus & peditibus ascendere possent ad Kayrum & Babylonem, per talem partem, quòd de Ægypti flumine antedicto nullum possent impedimentum vel obstaculum sustinere. Quæ quidem gens, iens cum illa præparatione quæ ibi foret necessaria pro dicto negotio exequendo, & perueniens vsq; Kayrum & Babylonem supradictas, ad ipsas obsidendas, rationabiliter cum auxilio IESV CHRISTI, debet dicti fluminis dominium obtinere, in faciendo ipsum labi quà voluerit ad libitum voluntatis. Quibus peractis & fine laudabili terminatis, spero in Deo, & in ipso fiduciam gero plenam, quòd terram Ægyptiam defendere non poterunt infideles, quin, vestrâ potentiâ mediante, Christiano cultui subiugetur.

IV.

CAP. IV.

Continet de quadam quæstione quæ ponitur: vtrum Saraceni propter nauigiorum multitudinem, quam habent in flumine Nili, possent Christicolarum exercitui obuiare: & de solutione ipsius. Rubrica.

INsuper si quis vellet dicere, siue opponere: Saraceni habent magnam quantitatē gentis & nauigii, ita quòd possent cum gente & nauigiis suis in flumine Christianorum exercitui camporaliter obuiare. Ad hoc responderi potest, & iam dictum est suprà: quòd populus Ægyptiacus modicum siue nihil valet pro armis, ita quòd de eis non esset aliqualiter dubitandum. Et si ponerent de suis equitibus in nauigiis & etiam populis Semy & Syriæ, quos habēt vltra desertum, respondeo: quòd non debent esse apti ad hoc, quòd hæc gens non est in aqua siue in nauigiis vsitata. Et si quis vellet dicere, ipsi facient sibi venire de Saracenis Africæ, Hispaniæ, vel aliunde, qui essent marinarii, & gens pro armis. Ad hoc potest responderi: quòd hoc longum esset eis: si tamen facerent de ipsis venire, gens ipsa vestra, per aptitudinem, industriam & probitatem quas ostendit in talibus, illos cum Dei auxilio, si se ad obuiandum ei exponerent, quod non est credendum, viriliter expugnarēt, & ponerent in conflictum. Et de hoc, exemplum vobis exhibeo, quod *homines Venetiarum*, quando plures fuerunt in facto *Ferrariæ* non fuerunt vltra sex mille, & fecerunt illud quod vestra Sanctitas potest scire, & specialiter antequam caderent ad pœnas processuum Papalium: ita quòd si DEVS illos non iudicasset, sicut iudicauit per diuersas vias, eò quòd mandatis Apostolicis non paruerunt, & specialiter de valida & pestifera ægritudine, tantum damnum non subiuissent quantū fecerunt: sed, *nulli est probitas nec potentia contra Deum.* Nam qui contra Ecclesiam se exponunt, contra Deum non est dubium se exponunt. Ita quòd per rationes supradictas sperari potest, quòd gens ipsa vestra in illis partibus contra illos sanctum obtinebit intentum.

CAP. V.

De prouisione, tutela, & proficuo nauigii exercitus Christiani.

BOnum est ad fortitudinem & securitatem exercitus quòd Capitaneus sit præuisus de ponendo gentem tantam super nauigium, quantam nauigium regere poterit: quia quantò Christianorum exercitus erit in minori loco, & magis simul, tantò fortior erit. Nam plus est attendendum ad qualitatem armati nauigii, quàm ad quantitatem. Mallem enim habere pauciores galeas benè munitas & de bona gente, quàm plures non sic. Est igitur eadem gens in pauco nauigio collocata, fortior tam ad defendendum quàm ad offendendum, quàm dispersa in pluri. Item est vtile quòd Capitaneus sit præuisus, quòd nauigium suum remigabile tam de mari quàm de flumine sit taliter aptum, ordinatum, & positum ad punctum, quòd sit agile atque velox. Nam vtilimum est, & ad magnam commoditatem & secu-

securitatem redundat agilitas & velocitas galearum per remos; & simile est de nauigio fluminis, quod oportet ire sursum per flumina contra cursus aquarum per vim & per remorum suffragium: propter quod expedit quòd totum remigat ille nauigium pro minori sit dispositum ad *Terzarolos*: scilicet, quòd pro quolibet banco, sint tres remigatores similiter ad faciendum debitè facienda. Et licet specificatum sit superiùs, quòd nauigiũ muniri debeat ex gente remigera, vt pro quolibet banco tres sint remiges: nihilominus sciendum est quòd in M.CCCXVI. anno Domini, probatum fuit per gentem Venetam de faciendo quod in galeis quatuor remiges pro banco remigarent: quę quidẽ experientia visa est vtilis, tam pro nauigio quod benè regebat eos, quàm quia dextrè remigabant remiges antedicti: & quia nauigium ex quaterna remigatione pro banco, velociùs & celeriùs nauigabat, quàm ad *Terzarolos* tantummodo deputatum. Ex quo habito super hoc diligenti consilio cum illis qui talia probauerunt, ac etiam cum aliquibus ingeniatoribus, & magistris, & nautis, & per me ipsum considerans, inuenimus quòd sanum & vtile sit omninò, dummodo placeat consilio Capitanei supradicti, quòd omnes galeæ & magnum nauigium aquæ dulcis quæ possint regere dictam gentem, taliter ordinentur, quòd in banco quolibet cuiuslibet prædictarum, quatuor remiges remigare debeant, prout superiùs erat specificatũ: quòd pro minori, tres pro banco remigarent ex remigibus supradictis. Et tantò amplius, quoniam maiora nauigia dulcis aquæ erunt, vt ipsa fiant remigare de subtus atq; supra solarium pro minori ad *terzarolos*, vel etiam *quartarolos*. Quorum dictorum superiùs, causa hæc est: quòd galeæ, vt dictum est, celeres sint pro remis, quoniam qui fuerint in prædictis, erunt domini sui; & ad suam instantiam poterunt cum hostibus prælium inchoare, aut eos vitare subitò quando volent. Ac sunt pro vitando multa pericula, quæ propter maris procellas, possent eis absque temporis distantia imminere; & præsertim pro transeundo *Parigia* dicti maris, quæ periculis quasi nunquam carent, vt qui in eis fuerint dum transfretant, ad portum perueniant salutarem. Propter quæ omnia, videns & attendens multa bona commoda & tutelas quæ indè trahere poterunt nauigiorum homines, asserui, hæc esse si confirmandum placeret vestræ Capitaneo Sanctitatis. Idcircò laudandum est & per consequens consulendum, si commodè fieri posset, quòd non solùm in nauigio quatuor remigent pro banco remiges; sed quinque remiges si foret possibile in magnis nauigiis debeant remigare. De quo Capitaneus antedictus consilium exiget, & exequetur quod sibi melius videbitur faciendum, tam de galeis, quàm de nauigio aquæ dulcis. Sciendum quòd in M. CCXC. anno Domini, quasi in omnibus galeis quæ transfretabant per mare, duo in banco remiges remigabant: postmodum perspicaciores homines, cognouerunt quòd tres possent remigare remiges super quolibet prædictorum, quasi omnes ad præsens hoc vtuntur. Ob quod nemini debet videri graue, ponere remiges quatuor vel quinque, pro banco quolibet magnarum cuiuslibet galearum, postquam probatũ est. Nam benè inuenitur in scriptis, quoniam antiquo tempore Romanorum tres pro banco quolibet erant remiges remigantes. Reperitur etiam in *Vegetio* de re militari, vbi ipse tractat de nauali bello, quod quædam nauigia quæ *Liburnas* appellat, antiquo tempore remorum singulos ordines habuisse; paulò verò maiora binos; alia verò idoneæ mensuræ, ternos vel quaternos ac quinos etiam sortiebantur remigio gradus. Nec hoc cuiquam enorme videri asseritur, cũ in antiquis præliis longè maiora referantur nauigia cucurrisse, vt senorum etiam vel vltra aliquando ordine fuerint.

A. Dñi. 1316.

A. Dñ. 1290.

CAP. VI.

In quo continetur cuiusmodi formæ fore debeant nauigia, quæ ad transgrediendum mare vtilia possunt esse, vt Aegyptiæ terræ negotium laudabiliter compleatur.

ISte est modus & forma nauigiorum quibus pro vtiliori indiget negotium supradictum. Primò, quòd transeundo per mare *galeæ* à remis, & vasa lignea cum prædictis, ex forma circa quam fiunt nunc ad præsens Venetiis, sunt penitùs oportunæ: scilicet tam galeæ grossæ magna onera deferentes, quæ cum remis valeant se iuuare; quàm etiam galeæ quæ formam mediocrem habentes, bonæ & vtiles sunt pro remis: nihilominus, ex forma alia galeæ similiter sunt habendæ,

quæ propriæ ſunt factæ vt bonæ ſint ad remos, congruæ & veloces. Quamuis iſtæ galeæ deſuper nominatæ melioramentum poſſet aliquod ſuſcipere & habere, & ſpecialiter illæ quæ remorum auxilio perfectè valeant adiuuari. In quarum ſingulis vnum *caſtrum* circa medium eſſe debet: quod quidem caſtrum circa xx. pedum longitudinem extendatur: latitudinem autem tantam habeat ſupradictum, quantam habet galea in qua debet fieri dictum caſtrum: tantaq; etiam altitudine conſtruatur, quòd ſub eo recti tranſeant ſuper banca homines & armati. In prora verò cuiuslibet galearum fieri poſſent aliqua bellica inſtrumenta, vt conſulerent exercitati in talibus & docti, *pertichetas* ſiue *furcatas* à pupe vſque ad proram circa latera cuiuslibet ordinando, iuxta id quod fieri cõſueuit. Similiter *Baliſtariæ* à capite bancorum in tanto numero, quantus neceſſarius & vtilis videretur. Quæ quidem Caſtra, pertichetæ, baliſtariæ, & bellica inſtrumenta ſic debent fore ingeniis ordinatæ, quòd poſſint remoueri & erigi, ſecundùm quod fuerit oportunum. Ex quibus galeis aliquæ, quæ fuerint ex duabus formis maioribus antedictis, per pupes aperiri poterunt pro equis ferendis, prout vtile ac neceſſarium videretur. Ex *nauigio* verò *exermi* galeæ valdè magnæ neceſſariæ forent, pro ferendis victualibus, muniminibus, atq; equis dicto exercitui oportunis. Præterea nauigium eſt bonum pro victualibus antedictis, & lignamine deferendo, *Taretæ*, quibus in Pera vtuntur nũc temporis Ianuenſes, tam pro ferendo multa, quàm pro paucis nautis commodè ſe muniendo; quamque etiam vt velis extenſis mare ſubitò tranſeant nauigando: eò quòd vaſa longa ad *Orſam* incedunt meliùs, & lucrantur cum vento ſibi contrario, quàm alia nauigia breuiora.

Cap. VII.

De nauibus quæ aptæ ſunt ad conducendum victualia, & alia exercitui oportuna tam per mare quàm per flumina: ac de forma modoq; nauigiorum aquæ dulcis, quæ ſint vtiliora ad perficiendum negotium antedictum.

DVas autem naues quibus indigebit exercitus nominatus ad nauigandum per flumen, intendo potiùs deputari, vt velis extenſis impetum inferant, frangendo pontes exiſtentes in flumine, palatas etiam, & Catenas, quàm ob aliam iuſtam cauſſam. Inter alia aquæ dulcis nauigia, vt mihi videtur poſſe diſcernere, illud quo in Padi flumine homines potiuntur commodiùs & fructuoſiùs cæteris cõprobatur, præcipuè *Plactarum* nauigia quæ per Padi flumen ſunt ad ferenda mercimonia deputatæ: licet non tantum erigi debeant capita cuiuslibet prædictarum. Sed extenſis in aqua dulci cornibus ſiue capitibus cuiuslibet earundem, debent fore eorũ corpora omnimodò longiora. Inter quas plactas, ſeu plactarum nauigia, tam magnæ aliquæ ad ferendos equos & ædificia eſſe debent, quantùm fieri poſſunt: habendo ſemper reſpectum quod benè valeant ſe iuuare, & idoneæ ſint pro remis, ex vtroq; capite habentes *ſpadulam* & timones: ac etiam, exceptis pupe & prora cuiuslibet, fore debent procul dubio coopertæ, vt homines apti à remis ad remigationis officium deputati, ab inſidiatorum conſeruentur ſagittis illæſi penitùs, & indemnes: collocando equos in fundis nauigii ſupradicti, ac deſuper caſtrum ſupra caſtrum, vt oportet, artificialiter conſtruendo; nec non & ferendo machinas in aliquibus prædictarum ad omnia ſibi exercitia præparatas, ſic & etiã tali modo, quòd ibi baliſtarii habiliter commorentur. Attendo ſemper quòd dictum nauigium, dicta caſtra, ſiue machinas benè regat: habendo præterea minora nauigia ſupradictis, ac poſtmodum præfatis minoribus magis parua, vt poſſint liberè introire abſciſſiones fluminum, ſi quę factæ forent in locis aliquibus, vbi aquarum profunditas eſſet parua. Sciendo præterea quòd prædicta parua nauigia in multis oportunitatibus bona & vtilia poſſunt eſſe, & præcipuè ad magnorum nauigiorum cuſtodiam & tutelam, vt inimicorum homines qui ſub aqua nouerint enatare, nequaquam ingredi flumen poſſent: quemadmodum aliquando ſe miſerunt ad Chriſtianorum nauigium perforãdum: quanquam malè auderent hoc agere ac poſſe facere quod eſt dictum, tam ob vehementem curſum aquarum qui nimium eſt velox, quàm ob cauſſam *Crocodillorum* qui reperiuntur in flumine ſupradicto. Indiget præterea dictus exercitus quòd ex iſtis nauigiis antedictis aliqua ſint *incamatata*, ſeu *barbacata*

tali

tali modo quòd homines prædictorum non timeant lapides machinarum. Quæ nauigia in tanto numero computentur, quantus vtilis exercitui videretur. Sunt præterea dicto exercitui oportuna nauigia fortissima & magna, solummodo deputata ad machinas deferendas, quæ tam apta sint ad eorum obsequium exercendū prout pro illo negotio necessarium & vtile videretur. Et etiam ex prædictis nauigiis, tot ad defensionem ignis circumuoluta coriis ibi sint, quot necessaria videbuntur. Præterea dicta nauigia tam maris quam fluminum, variis debent ad inimicorum terrorem fulgere coloribus & picturis, habentia confalones & vexilla in pupibus atque proris, cum pennoncellis positis in lateribus, prout decet. Et vt nihil 10 deficiat negotio supradicto, vt ad finem laudabilem perducatur ac optabile complementum, expedit, vt in omni exercitu & specialiter in aquali, tibiæ, tubæ, bucinæ, ceramellæ, & omnia musica instrumenta resonantia in immensum, supradictis nauigiis in magno numero deferantur, vt ipsorū sonitu ad pugnandum amicorum animi excitentur, lætificando se vndique, & terrendo perfidos inimicos.

Cap. VIII.

De diuersis armorum generibus, quibus tam ad sui defensionem, quàm ad hostium offensionem Christicolarum exercitus indigebit. Rubrica.

20 Est preterea oportunum, quòd arma, tam pro necessitate gentis exercitus, quàm ad defensionem sui, quamque etiam ad inimicorum læsionem sufficientia habeantur. Primò, est necessarium quòd quilibet homo armatæ prædictæ habeat *Zuppam* vnam aptam & dextram protinus ad ferendum. Secundò, quòd in maris nauigio, tot *coratiæ* debent esse cum *collariis* & *ferreis cyrothecis*, quibus tota gens vel saltem duæ partes eiusdem commodè muniantur: quanquam nauigando per flumen, dictum nauigium coopertum, vt narratur superius, ex dictæ gentis medietate sufficienter valeat contentari. Tertiò, est necessarium in prædicto, quòd quilibet vir exercitus supradicti, *galerium ferreum*, aut alia quæque arma leuia, capiti habilia teneat & habeat pro seipso. Quartò, expedit tot esse clippeos 30 in exercitu iam prædicto, quòd quilibet dictæ gentis suo clippeo, loco & tempore ordinato, vti valeat & habere: qui quidem clippei secundùm Cateloniæ vsum facti, bonitati conueniant & etiam leuitati: cuius ratio est ista: quoniam si qua vice per terram ire fuerit oportunum, in eo aliquando nulla Corratia est ferenda: ac etiam, quia Saraceni sunt quædam gens qui apti sunt ad insultus quàm plurimos inferendos: ita quòd induendo coratiam, ac etiam subitò exeundo, magnum posset exuenti vel induenti periculum imminere, tum propter laborem qui in eius præiudicium generatur; tum propter ægritudinem, quam quis passus non de facili liberatur. Vndè sequitur, quòd si quis zuppelo, ferreo galerio, clypeo & collari cum 40 dextro ferreo cyrotheca, dum tempus exegerit, fuerit communitus, potest sufficere ad reprimendam audaciam perfidorum: nihilo minùs quoddam super insignium leue quod magnæ sit apparentiæ, ac calciamenta bona, & vtilia, totumque quod ad extinguendum ignem oportunum fuerit secum habens. Ex armis autem quæ offensioni sunt apta, *gladio* atq; ense eget. Primò, quilibet dictæ gentis, quorum artatores, ex prærogatiua *ferreo baculo* potiatur. Secundò, quòd quilibet *balistarius* duas balistas habeat, vnam alterâ fortiorem: quâ quidem fortiore vtatur in aliquo loco certo, à quo tunc temporis ipsum non oporteat remoueri: debiliore, per terram in itinere & regressu, dum ipsa indigeret. Tertiò, quòd dictum nauigium *ronconibus*, & *longis lanceis*, atque lanceis cum *rampinconibus* siue vncis in capitibus optimè 50 fulciantur, & specialiter in prora cuiuslibet prædictorū. Quartò, quòd in quolibet nauigio *breues lanceæ atque iacula*, nec non & *lapides* absque numero fore debent in maxima quantitate. Quintò, decet in nauigiis antedictis habere *vncos ferreos*, cum cathenis ferreis colligatos, vt cùm nautæ hostibus præesse se viderint, cum dictis vncis nauigia capiant, & ea discedere non permittant. Sextò, posset valdè vtile comprobari, quòd in quolibet nauigio dulcis aquæ, *balistæ grossæ à turno* cum suis muniminibus portarentur; nec non *balistæ à pesarola*, tot quot vtiles viderentur Capitaneo dictæ gentis, & quarum dictum nauigium capax foret,

nequaquam occupando alios bellatores: & similiter in galeis vtile posset esse. Decet etiā antedictum habere *sagittaminū* numerum infinitum, & præcipuè ex eis quæ *falsadores* vulgariter appellantur. Septimò, indiget dictum nauigium tam ædificiis *balistarum siluestrarum* vel *spingardarum*, quàm etiam machinarum, & potissimè ex eis, quæ vt longiùs proiiciant, facta sunt penitùs fortiora, id est, reforzata, cum omnibus quibus homines indigent ad ipsas exercendas. Octauò, est vtile atque bonum, vt in prora cuiuslibet magni armati nauigii, *lignum* quoddam longum ex vtraque parte ferratum suspendatur, quod ad percutiendum tam naues quàm nautas se habeat *quasi aries*, cum quo ciuitatis obsessæ mœnia conteruntur. Nonò, eget dictum nauigium *olulis calce plenis*, & etiam multis vasis molli sapone plenis: Inter quas olulas atque vasa sint aliqua instrumenta ferrea quæ *Triuulzi* vulgariter appellantur, & etiam alia paramenta ad accendendum ignem, & etiam sagittandum loco & tempore oportuno, cum aliquibus aliis, vt consuleretur à sapientibus exercitus supradicti. Ex quibus omnibus armis antedictis oportet Capitaneum dicti exercitus generalem, habere & tenere, in maxima quantitate: eò quòd multa franguntur ex eis, abiiciuntur, ac manuali hominum viu amittuntur.

Cap. IX.

Continet qualiter gens præfati exercitus à Capitaneo debeat ordinari: & qualiter victus distribuendus prædictis, bono modo & recto ordine impendatur. Rubrica.

PRæterea Sanctitati vestræ suppliciter refertur, quòd Capitaneus Christicolarū exercitus, qui tūc erit vel dominus supradicti, a Sanctitatis vestræ gratia celsam suscipiat solicitudinem, prouidentiam & cautelam ad *ordinandum* præcipuè gētem suam: vt tam qui erunt ad stipendium nominati exercitus, quam etiam qui ob aliquam causam aliam residebunt in exercitu supradicto ab ipso Capitaneo seu domino per millenum, centenū, quinquagenum, & decenum numerum ordinentur, vnicuiq; ipsorum numero conferendo præpositum siue caput, ac ipsis dando ordines debitos, prout industriæ suæ Celsitudinis videbitur expedire. Et non solùm quæ supra dicta sunt, iuxta se & in se idem habeat Christicolarum exercitus dominator; sed etiam solicitam habeat prouidentiam & attentam vt genti suæ *victus* ordinatè in omnibus tribuatur; videlicet tam illis qui receperint & habuerint stipendium in prædicto, quàm aliis quibus magnificentiæ suæ apparebit dignè iuxta necessitatem eorum & indigentiam conferendus: ne præfatus victus furtiuè ac latenter surripi valeat genti suæ. Item, credo bonum & vtile ad conseruationem & promotionem armatæ, si Capitaneo eiusq; consilio videretur quòd in singulis galeis, vltrà communem distributionem, omnia necessaria pro illis qui sunt in armata, præcipuè pro victu & vestitu, venalia tenerentur, cum lucro tamen iusto: nullusq; alius tunc vendat, nisi per Capitaneum eiusq; concilium ad hoc fuerit institutus. Credentia verò in venditione rerum ipsarum, talis fiat qualem requirit conditio personarum: & posteà cùm dabuntur stipendia, solutio plena fiat, ita quòd nullus decipiatur omninò, vel etiam possunt per tributum vexari. Tota verò vtilitas quæ ex prędictorum venditione prouenerit, in communem vtilitatem armatæ plenariè conuertantur: nihilo minùs circa cætera alia, ordinem generaliter & specialiter assequendo. *Nam in armorum exercitio valet & excedit omnia rectus ordo.*

Cap. X.

De quantitate victus: & modo quem tenent Veneti distribuendo victualia suarum stipendiarijs galearum: ac de numero gentis, temporibus, ponderibus & mensuris: & de eo quod rationabiliter valere potest.

IGitur est notandum, quòd qualibet die libra vna & dimidia *panis biscocti* cuilibet homini impartitur; triginta dies mensem quemlibet computando, annumque menses XII. quorum vnusquisque sit ex 30. dierum numero constitutus. Ita quòd quinque dies & quarta in anno supereminent de prædicto, connumerando annū in quo currit bissextus cum aliis annis. Iterum est sciendum, quòd *sextarium* panis biscocti, ex LXXXX. librarum numero computatur: sed ex boni frumēti sextario bene ex-

nè extrahuntur cv. libræ: Ita quòd superemine͂t sextâ particulâ vltra id quod imponitur à Venetis supradictis. Itaque exigit quisque à xc. libris sextarium, sextaria sex frumenti prædicti libras septem ac decem vncias & dimidiam pro toto anno completo, vt dictum est, constituto ex mensibus xii. & diebus quinque ac quarta. Quæ quidem sextaria libræ v.C. xlvii. & decem vnciæ & dimidia sunt omninò, quarum librarum sextariorum Venetorum quolibet *miliare*, sex *cantaria* de Apulia & de Neapoli comprobatur. Datur etiam stipendiariorum cuilibet, omni die mensura vna *vini*, quæ est quarta pars vnius libræ, quæ librâ in septuagenarium multiplicata numerum perficit mensuram quæ *Bigontium* vulgariter appellatur. Istud verò Bigontium, in quartum numerum multiplicatum, *amphoram* vnam de Venetiis plenè complet: Quæ siquidem amphora vna *Veges*, & tertia de Neapoli approbatur. Ita quòd cuilibet homini pro toto anno, vt dictū est, vnum bigontium & libræ xxi. & quarta cum xvi. particula vnius libræ a Venetis impenduntur.

Datur etiam cuilibet prædictorum, vncia vna *casei* omni die. Ita quòd per totum annum completum summatim sunt libræ xxx. cum v. vnciis, & quarta rationabiliter numeratæ. Dantur similiter in xxx. diebus cuilibet præfatorum, de *porcinis carnibus* salitis, tres libræ, & totidem vnciæ de prædictis. Ita quòd per totum annum completum summant libræ xxxix. & sex vnciæ, cum quatuor *sagijs* cuilibet prædictorum. Distribuitur etiam in die cuilibet ex stipendiariis antedictis *fabæ* vel alicuius alterius *leguminis*, quadragesima particula vnius *quartarolæ*, ad modum mensuræ Venetæ deputatæ. Et vt ex ea plena cognitio habeatur, sciendum est, quòd quatuor quartarolæ perficiunt vnam quartam, quæ quidem quarta vsque ad quartum numerum multiplicata vnum *sextarium* perficit Venetorum. Et tria sextaria de Venetiis sunt vna *salma* de Apulia, tam de legumine quàm etiam de frumento. Vndè quolibet anno, pro anno completo, vt dictum est, de legumine medium sextarium, & vnam quartarolam ac quinq; quadragesimas, & quartam quadragesimæ vnius quartarolæ habere debet homo quilibet ex prædictis.

De victu decem hominibus conferendo.

HOmines decem debent habere pro vna die sola libras xv. biscotti: Pro xxx. diebus v. sextaria: Pro xii. mensibus sextaria lx. Ac pro quinque diebus & quarta, libræ lxxviii. cum nouem vnciis dantur eis. Supradicti volunt de vino libras duas & dimidiam, pro vnica die solùm: Pro xxx. diebus, vnum bigontium cum v. libris: Pro xii. mensibus, bigontia xii. & libras lx. Ac pro quinq; diebus & quarta, libras xiii. & octauam. Suprascripti vncias xiii. carnium exigunt pro vnica die solùm: Pro xxx. diebus, libras xxxii. & dimidiam: Pro xii. mensibus, libras cccxc. Nec non & pro v. diebus & quarta, libras v. & vncias nouem exigunt antedicti. Item superiùs nominatis hominibus, pro vnica die solùm, decem vnciæ casei conferuntur: Pro xxx. diebus, xxv. libræ: Pro xii. mensibus, libræ ccc. Ac pro quinque diebus & quarta, libræ quatuor, cum quatuor vnciis & dimidia eis hominibus impenduntur. Hominibus antedictis, pro vna die tantummodo, de leguminibus, quarta pars vnius quartarolæ impenditur: Pro xxx. diebus, vna quarta & tres quartarolæ cum dimidia: Pro xii. mensibus, sextaria v. & decem quartarolæ: Ac pro v. diebus & quarta, vna quartarola & quarta pars vnius quartarolæ cum xvi. particula vnius quartarolæ, eisdem hominibus conferuntur.

De victu qui est centum hominibus conferendus.

CEntum homines, vt in nauigio competenter transeat vnusquisque, sextarium vnum & duo tertia sextarii, a nonaginta libris frumenti sextarium computando, debent habere in vnica die tantùm: Pro xxx. verò diebus, sextaria l. Pro xii. mensibus, sexcenta: Ac pro quinq; diebus & quarta, viii. sextaria & libras lxxvii. & dimidiam, exigunt supradicti. Prædictis etiam hominibus xxv. libræ vini, pro vna die tantummodo conferuntur: Pro diebus xxx. bigontia decem, cum l. libris. Pro xii. mensibus, xxxii. amphoræ, cum libris xl. Nec non & pro quinq; diebus & quarta, vnum bigontium & libræ lx. *Fieta* vna vini similiter datur eis. Impenduntur postea hominibus antedictis libræ viii. & quatuor vnciæ casei, pro

vnica die solùm: Pro xxx. diebus, libræ CCL. casei antedicti: Pro mensibus XII. *milliaria* tria: Nec non pro quinque diebus & quarta, libræ XLIII. & nouem vnciæ casei, eisdem hominibus conferuntur. Exigunt supradicti libras x. & decem vncias carniũ, pro vnica die tantùm: Pro xxx. diebus, libras CCCXXV. Pro XII. mensibus, III. M. & IX. C. libras: Nec non pro quinque diebus & quarta, libræ LVI. & x. vnciæ & dimidia dantur eis. Exigunt similiter antedicti, ex fabis, quartarolas duas cum dimidia, pro vnica die: Pro xxx. diebus, sextaria quatuor cum XI. quartarolis: Pro XII. verò mensibus, sextaria LVI. & quarta: Ac pro quinque diebus & quarta, quartas tres & vnicam quartarolam, & vnam octauam.

10

De victu mille hominibus conferendo.

MIlle hominibus sextaria XVI. & libræ LX. biscotti conferuntur, pro vnica die solùm: Pro xxx. diebus, quingenta sextaria: Pro XII. mensibus, sex milia: Nec non pro quinque diebus & quarta, sextaria LXXXVII. & libræ XLV. prædicti biscotti, eisdem hominibus impenduntur. Impenduntur præterea hominibus supradictis, tria bigontia & libræ XL. vini, pro vnica die solùm: Pro xxx. diebus, amphoræ XXXI. & tria bigontia cum XL. libris etiam dantur eis: Pro mensibus XII. amphoræ CCCXXI. bigontium vnum & libræ L. Ac pro quinque diebus & quarta, XVIII. bigontia, præfatis hominibus conferuntur. Impartiuntur de caseo dictis hominibus LXXXIII. libræ cum quatuor vnciis, pro vnica die solùm: Pro xxx. diebus, II. M. & V. C. Pro XII. mensibus, xxx. milliaria: Ac pro quinque diebus & quarta, libræ CCCC. XXXVII. cum dimidia dantur eis. Exigunt supradicti CVIII. libras & vncias quatuor carnium, pro vnica die solùm. Pro xxx. diebus, III. M. CCL. libras ex carnibus antedictis. Pro XII. mensibus, milliaria XXXIX. Ac pro quinque diebus & quarta, libræ quingentæ, LXVIII. cum IX. vnciis eisdem hominibus conferuntur. Exigunt homines antedicti pro vnica die solummodo, ex dicta faba vnum sextarium, & quartas duas, & vnam etiam quartarolam: Pro xxx. diebus, sextaria XLVI. & tres quartas cum duabus quartarolis: Pro XII. mensibus V. C. LXII. sextaria & dimidiũ. Ac pro quinque diebus & quarta, sextaria VII. & quartarolæ tres, & quarta particula quartarolæ, dictis hominibus impenduntur.

20

30

De victu decem millibus hominum. Rubrica.

DEcem millibus hominum pro vna die tantummodò, CLXVI. sextaria, cum LX. libris prædicti biscocti debent dari: Pro xxx. diebus, V. M. sextaria: Pro XII. mẽsibus verò, LX. M. sextaria: Ac pro quinque diebus, & quarta, DCCCLXXV. sextaria eisdem sunt hominibus conferenda. Dantur similiter supradictis amphoræ VIII. bigontia tria, & libræ L. vini, ꝑ vnica die solùm: Pro xxx. diebus, amphoræ CCLXVII. bigontia tria, libræ xxx. Pro XII. mensibus, amphoræ III. M. & CCXIV. cum vno bigontio, & decem libris: Ac pro quinque diebus & quarta, amphoræ XLVII. & bigontia tria, cum XXXV. libris eisdem hominibus impenduntur. Exigunt isti homines antedicti, de caseo, libræ VIII. C. XXXIII. cum quatuor vnciis, pro vnica die tantum. Pro xxx. diebus, milliaria XXV. Pro XII. verò mensibus, milliaria CCC. Ac pro quinque diebus & quarta, quatuor millia, & libræ CCCLXV. eisdem hominibus erogantur. Dantur etiam prædictis hominibus pro vnica die solùm M. LXXXIII. libræ cum quatuor vnciis carnium prædictarum: Pro xxx. diebus, milliaria XXXII. cum quingentis libris: Pro XII. mensibus, milliaria CCCXC. Nec non pro quinque diebus & quarta V. M. cum sex & octuaginta septem libris & dimidia, prædictis decem millibus hominum impenduntur. Exigunt etiam prædicti, sextaria XV. cũ quartis duabus & dimidia fabarum, pro vnica die tantùm. Pro xxx. diebus, CCCC. sextaria & LXVIII. cum tribus quartis. Pro XII. mensibus, V. M. sextaria & VI. C. XXV. Ac pro quinque diebus & quarta, sextaria LXXXI. cum quartis tribus & quartarola vna & dimidia, dantur eis.

40

50

De victu centum millibus hominum conferendo.

CEntum millia hominum, M. DC. LXVI. sextaria & libras LX. dicti biscocti exigunt, pro vnica die solùm: Pro xxx. diebus. L. millia sextaria dicti panis. Pro XII. mensibus, sexcenta millia sextaria: Ac pro quinque diebus & quarta, VIII. M. DCCL. sextaria dictis hominibus conferuntur.

Centum

Centum millibus hominum, amphoræ LXXXIX. bigontium quoque vnum, cum decem libris vini, pro vna die tantummodo conferuntur. Pro XXX. diebus, amphoræ II. M. DCLXXVIII. cum duobus bigontiis, & libris XX. Pro XII. mensibus, XXXII. M. & CXLII. cum tribus bigontiis, & XXX. libris: Nec non pro quinq; diebus & quarta, amphoræ CCCCLXXIV. dicti vini, dictis hominib. conferuntur. Et dictis hominibus VIII. M. librarum, & CCCXXXIII. libræ, cum quatuor vnciis casei, pro vna die tantummodo distribuuntur. Pro XXX. diebus, milliaria CL. Pro XII. verò mensibus, milliaria III. M. Ac pro quinque diebus & quarta, milliaria XLIII. cum DCCL. libris, eisdem hominibus impenduntur. Exigunt preterea homines antedicti, de carnibus salitis X. M. VIII. C. & XXXIII. libras cũ quatuor vnciis, pro vnica die solùm: Pro XXX. verò diebus, CCCXXV. M. Pro XII. mensibus, milliaria III. M. noningenta: Ac pro quinque diebus & quarta, milliaria LVI. cum libris octingentis LXXV. exigunt supradicti. Dantur præterea hominibus prælibatis CLVI. sextaria & quarta vna fabarum, pro vnica die solùm. Pro XXX. diebus, quatuor millia VI. C. LXXXVII. & dimidium: Pro XII. mensibus LVI. M. & CCL. Ac pro quinque diebus & quarta sextaria octingenta XX. & vna quarta, cum vna quartarola ex fabis eisdem hominibus conferuntur.

Modus distribuendi prædicta.

HÆc omnia supradicta per scribas galearum isto modo distribuuntur, hominibus iam prædictis. Primò ponderatur dictus *panis biscoctus*, & pro vno vel duobus aut pro tribus vel quatuor diebus, prout dictum est superiùs, datur genti, prout videtur quòd homines eum valeant meliùs custodire: licet vinrius suum cuilibet dictæ gentis, die qualibet impendatur. Secundò *caseus* per octo vel quindecim dies datur cuilibet homini prædictorum. Tertiò, *carnium salitarum*, ad rationem cuiuslibet hebdomadæ, nouem vnciæ cõferuntur, pro quolibet dictæ gentis, vt dictũ est: & eas taliter partiuntur, qui sunt ad tale ministeriũ deputati, videlicet quòd in diebus quinq; hebdomadæ diuidunt supradictas: quoniam die Dominicali dant tres vncias carnium cuilibet dictæ gentis, distributores præfati. Aliis verò quatuor diebus, vt die Lunæ, Martis, Mercurii atq; Iouis, diuidunt dictas carnes per dimidium illius quod cuilibet homini dictæ gentis contulerint die Dominicâ proximâ præcedente: quæ quidem carnes cum legumine coquinantur, quibus carnibus, licet tota gens quæ in galea est, eâ die de coquinatu habeant, non participat nisi medietas dictæ gentis. Alia verò medietas, carnes comedent in sequenti, nec cum eis participant qui comederant carnes in die proxima præcedenti, quamuis de coquinatu qui omni die semel fit, habeãt vt prædicti. Et isto modo tribus vicibus in hebdomada carnes habent, & quinque participant de carnium coquinatu. Aliis verò diebus, vt die Veneris atque Sabbathi, coquinatur *legumen*, & datur lixatum cuilibet homini dictæ gentis qui fuerint in galea. Et si contigerit casus quod infra illos dies quibus carnes taliter dispensantur, alicuius festi vigilia magna foret, dictæ carnes, datis leguminibus, relinquuntur pro festo venturo proximo dictis hominibus conferendæ; & comedunt vt dictum est legumen, prout die Veneris & Sabbathi consueuerunt. Estque sciendum quòd quælibet galeatum habet vnum *coquinatorem*, qui semel in die pro gente galeæ coquinare tenetur, qui etiam die qualibet legumen pro coquinando recipit a *Scribanis*, & diebus ad carnes propriè deputatis, carnes recipit a prædictis, causâ parandi pro sequenti die genti suæ galeæ, vt superiùs enarratur. Et ad accipienda prædicta & distribuenda ea, sunt tres homines deputati, quorum vnus in pupi ipsius galeæ, alter in medio supradictæ, tertius in prora moratur. Et aliquis naucleriorum cum eisdem tribus hominibus est, cùm recipiunt supradicta, vt dictæ gentis quilibet suam habeat portionem. Veruntamen distributores eorum aliquando cambiuntur: sed hoc verè quasi totum restat in comito, qui galeæ est rector, quod de victu dictum est, vt suam quilibet habeat rationem: & potissimè in Capitaneo vel domino totius armatæ, cui commissum est iustitiam faciendi. Et si quis quæreret. Potest ne gens ex hoc victu commodè pertransire? Respondeo quòd potest competenter, cùm ad sufficientiam panem ad edendum recipiant a prædictis, sic & tali modo atque manerie, quòd tempore oportuno restringunt & conseruant dictum panem distribuendum cuilibet

dictæ gentis in xv. vel xii. vncias omni die. Et etiam ego fui in armata in qua non dabantur nisi nouem vnciæ cuilibet prædictorum: sed illud est vltimum extremorum: sed cessante necessitate, loco & tempore, fit vel de denariis vel de aliis rebus à dominis restitutio supradictis hominibus dictæ gentis: quanquam dicti homines ex proprio stipendio emant loco & tempore vinum & victum vt eis videtur & placet, ad suum libitum voluntatis, dum accedunt ad locum in quo possunt recipere supradicta. Tempore verò quadragesimali, loco carnium atque casei, alius victus illius pretii recipitur à prædictis.

De pretio pro quo victualia debeant rationabiliter reperiri.

IN primis quidem expedit vt monetæ Venetæ paruæ notitia habeatur. Valet enim *grossus* Venetus de argento, paruos *denarios* Venetos xxxii. Ita quòd septem grossi cum dimidio, xx. *soldorum* paruorum summam perficiunt: & xx. soldi grossorum Venetorum ad summam xxxii. *librarum* paruorum ascendunt: & sic de singulis, numerum augmentando. Panis itaq; biscocti ponatur quòd sextarius ponderis xc. librarum, valeat soldos paruorum xxxii. & dimidium, libra quælibet denariorum quatuor & tertii erit valoris. Vult vnus homo in die vna prædicti panis biscocti libram vnam & dimidiam, quæ valet, sex denarios & dimidium: In xxx. verò diebus, prò xlv. libris biscocti, soldos xvi. & denarios paruos tres: In xii. quoque mensibus, prò vi. sextariis panis biscocti, soldos sex grossorum & grossum & paruos quatuor. Vini amphora ponatur quòd etiam prò libris xv. & soldos xv. habeatur, qui numerus Venetorum grossorum, soldi ix. & grossi x. & denarii quatuor est paruorum. Valebit bigontium dicti vini libras tres, soldos xviii. & denarios nouem paruos: & hac ratione libra vini, xiii. denariorum cum dimidio erit valoris. In die homini quarta libræ, quæ valet denarios tres, & octauas tres cuilibet elargitur: In mense quoque, grossi tres & denarii quinque & quarta sibi dantur: Pro xii. verò mensibus, soldi tres grossorum, & grossus vnus, & xxxi. denarii ministrantur. Carnium salitarum miliare, ponatur l. libras denariorum paruorum valere, qui numerus xxxi. soldi grossorum & tres grossi existit. Vult quilibet secundùm hanc rationem, in die quolibet, vnciam vnam & *trentesimos* nouem carnium, qui denarii vnius & quinti cum dimidio valoris existit: In mense autem, pro xxxix. vnciis grossum & denarios septem paruos: In xii. verò mensibus, xxxix. libræ carniũ sibi dantur, quæ grossorum xiv. & denariorum xx. sunt valoris. Casei quoque milliare, computetur libris quinquaginta. Vult vnusquisque die quolibet, casei vnciam vnam: valet enim denarium vnum: In xxx. verò diebus, pro libris duabus cum dimidia, denarios xxx. In xii. mensibus, pro libris xxx. & sol. xxx. qui grossi xi. sunt & quarta. Fabarum sextarius, ponatur quòd grossorum xii. & dimidii sit valoris. Valebit xvi. particula, quæ quartarola nuncupatur, denarios xxv. Vult quilibet in die quadragesimam partem prædictæ quartarolæ, quæ valet quinque octauas partes denarii vnius; In mense, denarios xviii. cum denarii vnius dimidio atque quarta: In xii. mensibus, soldos xviii. & denarios paruos nouem, qui sunt grossi vii. denarius quoq; vnus. Quapropter expensæ vnius hominis tam de pane quàm de vino, carnibus salitis, caseo, atque fabà, in die quolibet, ad xii. denariorum, & quatuor quintorum vnius denarii summam ascendunt: In xxx. quoque diebus, grossi xii. In xii. verò mensibus, soldorum grossorum xii. summam perficiunt. Ita quod habito respectu ad sextam partem panis biscocti, quæ vltrà quam posuerimus exindè perficitur, & etiam ad id quod de furfure perficitur, & considerando commodum atq; dextrum, quod fauente Domino, reperietur in loco prædicto, computando expensas nihilominus pro factura, mihi videtur, quòd pro pretio antedicto, præfata rationabiliter debeant reperiri. Et quia aliarum rerum rationem misimus ampliorem, idcircò de quinque diebus & quarta, qui de anno vltra xii. menses restant, non fecimus rationem.

CAP. XI.

De numero nauigiorum maris, eorundemq; forma, quibus in principio egebit exercitus Christianus ad terram in Aegyptiaca maritima capiendam: & quomodo per Capitaneum debeant ordinari. Rubrica.

ET vt dictum negotium, Pater sanctissime, executioni mandetur, decet præfatum Capitaneum quando cessauerit, à partibus Occidentis, habere L. *galeas*, ex formis protinus antedictis. Hoc est galeas xx. ex forma magna quæ remis valeant se iuuare, ac xx. alias ex forma mediocri, nec non & decem galeas ex ea forma quæ 10 remis aptæ perfectiùs adiuuantur. Verùm, si pro cōsilio capietur quod in qualibet galearū quatuor pro banco remiges remigarent, cum superiùs narratum sit, *in cap. 5.* sunt solummodo necessariæ XL. galeæ, tali modo ac forma diuisæ, sicut in *21. istius quartæ partis capitulo* reperitur: forma quarū galearū hæc est. Primò vnaquæq; ipsarū, quæ de maiori mensura & forma sunt, longa XXIII. passibus & duobus pedibus debet esse. Secundò in ore, quælibet prædictarū aperta XV. pedibus cum dimidio esse debet. Tertiò, in superficie debet esse alta septem pedibus & tribus digitis, habens de fundo nouem pedes & dimidium. Quartò & vltimò, in capite proræ debet nouem pedum & dimidii habere altitudinem: in pupi verò, decem pedum cum dimidio debet existere altitudo. Earum verò quæ de secunda forma debent exi- 20 stere vel mensura, XXIII. passibus & duobus pedibus, vnaquæque fieri debet longa: In cuius ore XX. pedum, & tertii debet fieri aperta: & alta debet existere septem pedibus & duobus digitis, vsque tres in cooperta: debetque habere de fundo nouem pedes & dimidium: Ac IX. pedum cum dimidio habere debet in capite proræ altitudinem; in pupi autem, altitudo X. pedum cum dimidio debet esse. Tertiò forma minorum galearum finaliter, & mensura hæc est: Nam quælibet prædictarum, XXIII. passuum & vnius pedis longitudinem debet habere: In ore autem, XIV. pedibus & dimidio debet esse aperta: In coopertura verò, sex pedum & dimidii altitudinem debet habere: ac de fundo, nouem pedes cum dimidio: ac IX. pedibus alta debet esse in capite proræ; in pupi habeat solùm decem. Ve- 30 rùmtamen, vt remiges galearum ad *quartarolos* meliùs valeant remigare, & præcipuè qui fuerint in maioribus ad *quintarolos* remos, & maximè pro gente benè regenda est vtile, quòd galeæ sint aliquantulum ex maiori forma, maiores quàm superiùs sit narratum: & quòd fiant ex multò meliori lignamine, & melius *pironadæ*, ac sint ligatæ, & specialiter pusticæ pro sustinendo laborem melius & impetum remigandi, nauesq; duas cum decem taretis quibus Ianuenses vtuntur in Constantinopoli & in Pera, quæ *Galatæ* antiquitus vocabantur. Bonum etiam & vtile videretur, supra id quod dictum est, habere quinque galeas valdè magnas, ad onera deferenda in itinere & regressu, remis inermes, pro gente sua portanda, suisque equis & victualibus deferendis, nec non & ferendo lignamine, alioque munimine dictæ 40 gentis. Qui omnes feliciter ad Ægyptiorum maritimam cum gaudio & lætitia gradiantur, ibique, vt est narratum superiùs, terram capiant viriliter & audacter: ferendo secum ad faciendum nauigium, lignamina præparata, vt ad nauigandum per aquas dulces, quæ in parte reperiuntur prædicta, opportunum est & necessarium dictæ genti, & vt fit in aliis aquis dulcibus quæ sunt in partibus Occidentis, vt dictum est. Quæ quidem taretæ, & quinque galeæ valdè magnæ, paratæ sint semper pro itinere, & regressu, ad onera deferenda quæ dicto fuerint exercitui opportuna, manentibus præfatis L. galeis vel XL. cum dictis duabus nauibus, in exercitu cum nauigio præparato ad nauigandum per aquas salitas, & dulces superiùs nominatas, vt inimici Catholicæ fidei per aquas dulces & salitas terreantur ab exercitu 50 Christiano vehementiùs & lædantur. Re verâ qui à primo anno in antea habitationem in Ægypti maritima, ceperint, vt est dictum, & dictus exercitus nauigium aquæ dulcis habuerit competenter, prædictæ XX. galeæ magnam formam habentes erunt transferendæ pro rebus necessariis dicto exercitui apportandis, vt per alia inermia nauigia transferuntur.

CAP. XII.

De tempore, ordine, & industria incidendi lignamina ad nauigia facienda, & ad conseruandum prædicta, & vt fiant velociora, & maximè ad remos nauigium communitum.

ET ad hoc vt in fabricando nauigium supradictum, nullus reperiatur defectus, ob quod dictus exercitus damnum aliquod, ac impeditionẽ aliquam pateretur, diligenter petii & quæsiui ab illis qui circa talia rationabiliter debent esse instructi, propter vsum continuum quem exercent in faciendo de nemore amputari lignamina, & ex eis nauigia fabricari. Dicunt quippe communiter & concordant, quòd *lignamen* nullo modo debet de nemore amputari mense Martii nec Aprilis, in quo tempore humor incipit in arboribus habundare: sed tempore Iulii & Augusti, & maximè Nouembris, tempore & Decembris dictum lignamen perfectiùs est abscidi quàm in alio tempore, quod in anno valeat reperiri: & à Luna xv. vsque ad xxii. nihilominus abscidatur. Et dato quòd ipsum nauale lignamen abscidatur tempore supradicto, dicunt non statim ex eo nauigia fabricanda; sed priùs per tabulas secandum, & per tempus aliquod dimittendum vt valeat desiccari: quòd si ex viridibus lignis vel tabulis nauigia construantur, desiccato eorum naturali humore, tabulæ non remanent ita clausæ, & aquam sic integrè prohibere non valent: & cùm facta fuerit tempestas in mari faciliter dissuuntur, secundùm vulgare dictum: Id est, stupa faciliter recedit de medio tabularum: quo vix aliquid nauigantibus periculosius esse potest: suntque ad motum pigriora nauigia. Sed licet hæc vera sint, vtilius tamen est tabulis ac lignis adhuc viridibus & quasi semiplenè siccis, grosso modo ædificare nauigia: & postquam desiccata fuerint, tunc strictè asseres componantur, & totum nauigium ad formam debitam reducatur: quia hoc modo, vt aiunt experti, lignamina tam ad nauigia, quàm ad nauigandum meliùs adaptantur & disponuntur. Nam ligna viridia faciliori modo elaborantur, & in opere componuntur: & in duplici commissione asserum, fortior & solidior fit commissura quàm in simplici, eò quòd prima est quædam dispositio ad secundam. Et ad conseruationem & sustentationem armati remis nauigii, vt velox fiat, ipsum indiget multo sepo: præsertim nauigium galearum per mare transeuntium, hoc modo. Primò omni spatio duorum mensium in æstiuo tempore, pro maiori, dum intensior est calor; triumque mensium in hyemali, semel *brascentur*, vrantur & reparentur ex eo quòd præfatæ galeæ tunc temporis indigent reparari: atque sub fundis extrinsecus *palmizentur* vsque supra ad aquam, secundùm quod cuique ipsarum fuerit oportunum. Cuius quidem sepi, quælibet galearum v. C. libris indiget omni vice pro dicto ministerio adimplendo, accinctè cuiuslibet prędictarum C. libræ sepi præfati sunt mense quolibet conferendæ. Cæterùm elapso mense, qualibet hebdomadâ, postquam dictæ galeæ fuerint palmisatæ, voluenda est in latus aliquando dextrum, aliquando sinistrum quælibet prædictarum, vt manibus sub fundis extrinsecus cum porcinis cutibus detergantur: tali quidem manerie atque modo quòd sepum non abiat à prædictis. Suntq; bis in anno calefatizandæ & reparandæ per ordinem antedictæ galeæ, cum inermi nauigio transeunte per mare ad onera deferenda. Iterumq; nauigium aquæ dulcis, vt sit velox, & conseruetur vt superiùs est narratum, calefatisari, & reparari, ac etiam de sepo palmisari oportet, prout vtile & necessarium diceretur: Pro certo sciendo, quòd nauigium in aqua dulci meliùs conseruatur quàm etiam in salita; nec à *vermibus biscialibus* suscipit læsionẽ: ac etiam in aqua salita labente, per dictos bisciales vermes potiùs nauigium deuastatur, & citiùs suscipit ipsos vermes, si in eadem residentiam fecerit, quàm in aqua salita quæ cursu aliquo non mouetur. Cui siquidem nauigio si contingeret quòd sepum deficeret supradictum, defectu cuius dictæ galeæ palmisari nequirent, vt superiùs continetur, oportet tergi fortiter & taliter nauigia supradicta, quòd cappę ac herbarum limacium ex toto ab ipsis auferatur: quod in mense totiens fieri expedit, quotiens necessarium videretur. Estq; similiter præsciendũ, quòd quodlibet nauigium, eget vt teneatur ad manus, & procuretur de ipso magis æstiuo tẽpore, quàm hyemali: quoniã in æstate citiùs deuastatur. Vndè omissâ viâ quâ potest deuastari nauigiũ, tenenda est illa quâ potest nauigiũ conseruari, ad dictum negotium exequendum,

quendum,& ex qua nauigium fiat velox. Et si dictum nauigium tunc non foret vllatenus oportunum ad aliquod operandum, oportet ad illius conseruationem in posterum, in locum pertrahi coopertum, vt ipsius læsio vitaretur iuxta consilium Principum & Communium loco & tempore indigentium antedicto: qui locus vbi dictum conseruatur nauigium *Arsena* vulgariter appellatur. Sunt etiam quædam aliæ rationes ad dictum nauigium conseruandum, licet diu per ipsas nequiret dictum nauigium conseruari: scilicet quòd prædictum ad solem maneat, pluuiam, atq; rorem.

CAP. XIII.

10 *De aliis nauigiis, quibus indigebit exercitus præfatus ad ferẽdum victualia & alia oportuna pro Crucesignatis venturis; & de locis & eorum nominibus: de ordine qualiter victualia prælibata de locis præfatis extrahi poterunt & haberi: Rationabiliter etiam ostendendo quòd nauigium istud, vt proprium sit Ecclesiæ Sanctæ DEI nec oportunum nec vtile comprobatur.*

ET quanquam hęc omnia, quæ narrantur superiùs, debitum principium sortiantur & medium, expedit etiam, beatissime Pater, ad ipsius executionem negotii, aliud nauigium, præter illud de quo facta est mentio in capitulo præcedenti: quoniam non per principium & medium laus acquiritur; sed per finem laudabilem & felicem, initium & medium commendantur. Quod quidem nauigium ferat victualia, lignamina, & alia necessaria genti pręfatę, in magna quantitate, pro Crucesignatis venturis, vt superiùs est narratum. Vt Agareni, qui dudum in vltramarinis partibus Christicolas impugnarunt, absq; defectu aliquo celeriter conculcentur, atq; absorbeatur nequitia colentium Machometum. Et cùm expressum sit aliquid ex alio nauigio quàm de illo quod superiùs est narratum, nequaquam intelligendũ est, quòd ipsum in multo magno numero computetur, nec etiam quòd prædictũ sit ad proprium Curiæ ministerium deputatum. Et ex hoc potest ista ratio assignari. Nam si *Cretensis Insula*, virtute superni præsidis concedente, in eo statu in quo nunc ad præsens permanet, gubernatur, poterit fieri & tractari cum Venetis, quod frumentum & segetes alias quibus nõ indigent in Insula supradicta, Sanctitati vestræ pro prædicto exercitu hilariter conferant & gratanter, vt exindè ad Ægypti maritimam transferantur: tantum frumenti & segetum, si egerent dicti Veneti, eis in *Apulia* impendendo, quantum vestræ Beatitudini duxerint in prædicta Insula conferẽdum. Quod quidem in vtilitatem cederet Venetorum indigentium supradictis, eò quòd dicti Veneti dictum frumentũ & segetes Venetias ex loco magis apto conducerent & propinquo, prærogatiuam aliquam assequẽtes, si eis occurreret, dictus casus: cùm bonum frumentum de Apulia quicquam melius valeat quàm Cretense, quoniam ex eo efficitur farina, ex qua melior panis fit, & in maiori progreditur quantitate quàm etiam ex Cretensi. Possent etiam haberi ex dicta Insula satis vini, & multum casei, cum paruarum bestiarum numero valdè magno, ac cum lignamine, specialiter comburendo; nec non & paleæ: ac etiam magnus numerus ex *cornibus Stanbechinis* pro faciẽdo arcubus balistarum. de quibus omnibus supradictis, verificè dici posset quòd ipsa in Ægypti maritima quasi forent: tam propè Cretensem Insulam est sita. Poteritq; præterea ex Insulis *Aiupelagi*, dũ modo à Turchis non fuerint deuastatæ, vltrà id quod resident in præsenti, haberi multa copia bestiarum grossarũ etiam & paruarum, cum lignamine, & paleis ad dictum exercitũ deferendis, prout de lignamine Cretensis Insulæ suprà dixi. Præterea ex Insula *Melo*, quæ similiter est de prædictis Insulis Aiupelagi, multæ molæ possunt haberi, siue multi lapides ad molendum, qui sunt etiam valdè necessarii & vtiles pro negotio exercitus antedicti. Et si vestræ Clementiæ complaceret, quòd Capitaneus exercitus prælibati cum Turchis, qui morantur in Turchiæ maritima, curialiter se haberet, & ipsos amicabiliter pertractaret, & specialiter cum aliqua parte illorum, quæ à *Clandeloro* vsque *Macrum* dominium plenum tenent: eò quòd exindè, pro pecunia, prout spero in altissimo Creatore, sinerent gentem Capitanei supradicti lignamen extrahere, atq; picem, cum magno numero cuiuslibet generis bestiarum ad Ægypti maritimam deferendo. Nec non & ex *Insula Cyprensi* germinante, vt consueuit facere aliquo tempore, affluenter, multa seges cum vino & bestiis vel animalibus, tam paruis quàm magnis, & sale ad exercitum transmittendis haberi posset etiam congruenter. Quæ quidem Insulæ atque terræ, satis iuxta

Ægypti maritimam sunt propinquæ. Præterea ex Insula *Nigropontis* & ducatu similiter *Athenarum*, ac etiam ex *Amorea* haberi poterit lignamen cum multis aliis rebus recentibus, dicto exercitui oportunis. Item ex *Blachia* haberi possent frumentum, aliaq; pinguedo. A portu *Amiro*, portuq; *Mithriade* atque *Lade* in magna quantitate, si ad statum reduceretur pristinum, eò quòd ipsa consumpta fuit à Comite Brenensi, dum societatis Catelanorum dominium obtinebat. Præterea ex terra quam *Græci Constantinopolitani* tenent nunc ad præsens, haberi possent lignamen, ferrum, & seges, cum alio refrescamento in magna quantitate: & non solùm exinde: sed etiam ex *Mari Maiori*, ex parte Septentrionis, haberi poterunt bladum in magna quantitate, sepum, & coria boum, & alia necessaria multa. Eodemq; respectu ex terra *Despoti* artæ, & ex terra *Valonæ* atq; *Duratij*, ac etiam ex terra *Seruiæ*, trahi poterit lignamen in maxima quantitate, aliaq; pinguedo, & præsertim lignamē quercinum, cum cætero numero bestiarum. Nec non de Regno *Siciliæ*, ducatu *Apuliæ*, & *Capuæ* principatu, multa seges, multumq; vini & olei, cum salitis carnibus & caseo, ac fructibus arborum affluenter. Quæ quidem omnes terræ, præter Mare Maius ex parte Septentrionis, satis Ægypti maritimæ sunt propinquæ: propter quæ rationabiliter dici potest, quòd dum ille ordo seruabitur, qui fuerit obseruandus, dictus exercitus magno nauigiorum numero non egebit, quoniam qui cum prædictis nauigiis nauigabunt, dictas prouincias visitantes, sæpissimè ire poterunt & redire. Ac de quadam terra quæ *Signa* dicitur, aliisque locis Sclauoniæ, multùm lignaminis cum salitis carnibus trahi poterunt & haberi. De *Venetiis* autem ferrum absque dubio, & lignamen præcipuè de larice, & abeto, & sex toria meliùs extrahentur, quàm ex aliqua parte mundi: quæ quidem omnia sunt valdè vtilia, & dicto exercitui oportuna. De *Marchia* quoque *Anchonæ* ac *Romandiola*, multùm vini extrahi poterunt, & pinguedo. In quorum quidem loco quolibet principali, qui vestrorum fidelium dominio gubernatur, si vestræ placuerit Sanctitati, conueniet quendam habere factorem, siue factores, qui emant quæ fuerint dicto exercitui oportuna, nauigia continuè naulizando. Et non solùm in hiis partibus fieri hoc oportet; sed etiam *Pisis*, *Ianuæ*, in *Prouincia*, ac in aliis locis multis prout vestræ videretur beatitudini faciendum. Et dum à vestra non procederet Sanctitate, quod in prædictis terris & locis factores existerent supradicti, posse nihilominùs ordinari quòd quàm citò mercatores ad Ægypti maritimam applicarent, tam subitò facta foret expeditio & solutio prædictorum. Et si de vestræ existeret beneplacito Sanctitatis, quòd vtrumq; eorum executioni plenariè mandaretur, prædictum negotium maiorem vtilitatem susciperet, celeriusq; sine dubio complementum. Via siquidem inueniendi factores, qui sint idonei atque boni ob istud negotium oportunum, est satis euidens atq; clara. Hoc est, quòd in qualibet istarum terrarum maritimarum, quas fideles inhabitant Christiani, illi quibus vestra Sanctitas commiserit dictum negotium exequendum, inquirant, petant, ac inquiri & exigi faciant diligenter, qui sint homines bonæ fidei & famosi, diuites, ac similiter sapientes, nec non & qui consueti fuerint in talibus, vt prædictum negotium postulat & requirit, ex quibus eligi debeant antedicti, quot esse necessarii videbuntur in negotio supra dicto. In aliis verò terris & partibus in quibus gentes non inuenirentur similes antedictis, ex prædictarum partium hominibus transmitti possent in tanto numero ad easdem, quantus illis, quibus vestra commisit Sanctitas, & necessarius videretur, & vtilis ad dictum negotium exequendum: Sciendo pro certo, quòd si dicti factores boni fuerint, prout poterunt reperiri cum Omnipotentis auxilio, dictum negotium finem optimum assequetur, prouidendo antedictis, prout idoneum & congruum videretur. Addendo etiam cum præfatis, edictum hoc in loco quolibet ex prædictis: quòd *Quicunq; ad vestræ Sanctitatis exercitum vellent ferre victualia, & lignamen, aut alia quæq;, forent securi, gradi valeant & redire ac etiam permanere, à vestro deuoto quolibet & fideli*. Oportet iterum tractare, & à vestra Sanctitate facere ordinari, quòd lignamen, & victualia, aliaq; munimina quibus dictus exercitus indigeret, trahi possent ex terra qualibet atque loco, ad Ægypti maritimam deferenda, absq; vllo datio seu etiam thelloneo, dictis terris & locis permanentibus communitis eo, quod eis foret tunc temporis oportunum. Indiget præterea dictus exercitus, ad securitatem eorum scilicet & cautelam, quòd in prædicto loco Ægyptio, vbi fuerit exerci-

exercitus prælibatus, tantùm milij congregetur, & etiam recondatur, quòd efficiat circa sextariorum cc. M. Venetorum, quæ quidem circa LXVII. M. salmarum de Apulia numerantur: eò quòd milium per longum spacium temporis conseruatur, & necessitate vrgente vesci posset præfatus exercitus milio supradicto: quod quidem miliū habetur, secundùm quòd ostēditur in præsenti, ex terris Maris Maioris, à parte Septentrionis, melius quàm ex partibus aliis. Videretur etiam magis vtile magisq; cōsentaneum rationi, quòd nauigium quod necessarium fuerit vltra illud inerme, quod specificaui vestræ superiùs Sanctitati proferendis; quæ dicto fuerint exercitui fructuosa, naulo potiùs admittantur, quàm proprium sit Curiæ supradi-
10 ctæ. Cuius ratio est aperta: quoniam patroni nauigii feruentiores siue promptiores sunt in propriis eorum negotiis exequendis, magisq; soliciti & fideles, quàm essent in eis quæ ad commune bonum ipsius Ecclesiæ pertinerent: propter quod non est timendum, quòd, cùm auxilio IESV CHRISTI, dictus exercitus aliquem defectum nauigii patiatur, quia dum hoc fuerit relatum auribus mercatorum, pro percipiendo fructu, ipsi nauigia fieri facient affluenter.

CAP. XIV.

In quo ostenditur qualiter ad Aegypti maritimam transfretando, ipsius claritas, & aëris bonitas cognoscuntur: & qualiter bonitas ipsius aëris comprobatur ex auellanis exemplum verificum assumendo: & de aquarum eiusdem etiam bonitate. Rubrica.

20

HAC est bonum deniq; hoc scire, & specialiter in hac parte, vt inferiùs enarrabo: ad ostendendum propriè dictæ terræ Ægyptiæ aeris bonitatem: quòd quicunque voluerit ad Ægypti maritimam se transferre, tam ab Occidente quàm à partibus Romaniæ, pro maiori parte ad Cretensem Insulam, à capite Orientis debent rationabiliter applicare: ibiq; signa recipiant scoliorum, quæ *Christiana* præsentialiter appellatur, vt in Alexandriam nauigent transitum capientes, quæ verò respiciunt se ad inuicem dictæ terræ, ad ventum Magistrum & ad Syrocum. Cæterùm propter aquarum discursus, qui ab Oriente, in Occidentem in eisdē partibus dilabuntur, oportet iri vsq; ad medium *parigij*, eundo quartam venti desuper à Sy-
30 roco versùs partem Orientalem: postmodùm verò à medio parigii vsq; in Alexandriam nauigari rectè per Syrocum. Qui quidē transitus, *Parigium* nuncupatus, circa CCCCL. miliaria extimatur: licet quidam vC. miliaria transitum seu parigium fore asserant supradictum. Et cùm Cretensis Insula bono aere sit munita, sæpè tamen, qui prædictum parigium transeūt nauigando, quantò magis Ægypti maritimæ appropinquant, tantò vehementiùs respiciūt & cognoscūt *aërem* meliorari, transmutari, lucidari, & etiam clarefieri, cœlestem similitudinem deferentem. Et hoc est, quia in illa Ægypti maritima satis hyemali tempore pluit communiter, & etiam temperatè: licet infra terram, vt apud Kayrum & Babylonē, ac etiam inde sursum, minimè nisi tantum pluere consuescat, quòd terra valeat aliquantulum humecta-
40 ri. Ex quo credendum est protinus & videndum, quòd aër Ægyptius, propter huiusmodi temperiem, bonus sit absq; dubio & perfectus, prout ex *auellanis* exemplū verificum sumi potest. Nam dum in Ægyptum ipsæ deferuntur, quæ rancedinem in se habent, vel fuerint aliquantulū deuastatæ, bonæ fiunt, vel multum procul dubio emendantur, propter ipsius aëris bonitatem. Hoc prætereà cognoscendo quòd in ipsa Ægypto aquæ reperiuntur in habundantia meliores, quàm in mundo valeant reperiri: & quę ex eis vtilior comprobatur, propriè obtinet officium digerendi. Ob quod non est dictum negotium modo aliquo deserendum, quin pro acquirenda terra præfata, & de infideliū manibus extorquenda, fiat quod potest fieri, & fuerit faciendum, vt qui DEI cultum eiusdemq; Ecclesiæ cupiunt totis desideriis am-
50 pliare, ipsa potiantur in statu pacifico & tranquillo.

CAP. XV.

Est cuiusmodi conditionis debeant fore gentes, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ stipendium admittendæ, causâ istius negotij finiendi. Rubrica.

PRæterea quòd præfata gens Ecclesiæ Sanctæ stipendium receptura, istius debet esse conditionis, & status: videlicet, quòd primò sint *comiti & nauclerij*, qui

benè nouerint ducere nauigium, atque conducere per aquas dulces & salitas. Iterumque gens quæ nauigium à remis munire valeat habundanter, eò quòd ex ipsa gente semper superfluant homines in nauigio, & exercitu iam prædicto: ne propter multa accidentia quæ possunt imminere, multotiens dictum nauigium ob defectum *gentis à remis* in munere remaneant vllo modo: habendo etiam *scribas*, quos in exercitu esse decet tam ad scribenda & distribuenda victualia, quam ad arma deferenda quotidiè dictæ genti, & alia oportuna, atq; *marangones* lignaminis in magno numero. Inter quos multi recipiantur *magistri*, multiplicis ingenii possessores; nec non etiam *calefatos* in tam magno numero, qui possint facere & tenere paratum totum, id quod dictum nauigium tunc temporis indigeret. Et vt facti seriem vestræ breuiter aperiam Sanctitati, oportet in prædicto exercitu *fabros* siue ferrarios esse tales, qui sint idonei ad exequenda omnia ferramenta, quæ dictum nauigium & exercitus exigeret facienda: nec non & magistros in qualibet arte, qua præfatum nauigium possent & exercitus adiuuari. Residuum verò gentis, qui *pedites* fuerint, *balistarij* & *lancearij* esse debent, vt tam per aquam quàm per terram audacter se adiuuent, & viriliter Christianæ fidei deprimant inimicos. Et vt dictum negotium effectum debitum sortiatur, oportunum est, quòd in armamento præfato aliqui sint *Prælati*, ac *Fratres Prædicatores* & *Minores*, tamque etiam de *Heremitarum* ordine quàm *Carmeli*, nec non alii clerici seculares, à quibus dicti exercitus populus instruatur doctrinis, & bonis moribus informetur: vt ad obsequium Omnipotentis DEI, suiq; penitùs verum cultum, ab eisdem Ecclesiæ Sacramenta indigentibus rationabiliter ministrentur.

CAP. XVI.

De modo & manerie renouandi gentem exercitus antedicti: & de ægrotantium habitaculo in prædicto, & prouisione cunctorum: ac etiam de mulieribus quæ matrimonialiter viris extiterint copulatæ, ac earum viduitate, earundemq; hæredibus: nec non de prouisione cæteris facienda.

XVI. PRæterea oportet quòd in armata Ecclesiæ supradicta, quæ exiuerit à loco & partibus Occidentis, continuè probis viris & belligeris eiusdem status & conditionis, vt dictum est superiùs in capitulo præcedenti, impēdatur *stipendium* nunquam deficiens, cupientibus recipere antedictum, qui cum inermi nauigio ad nuncupatum exercitum transmittantur, ac etiam cum alio nauigio quàm poterunt citiùs absque mora. Nam in exercitibus, aqualibus, pereunt multæ gentes, tum propter bellorum discrimina; tum propter aquarum vsus, propter quod sæpissimè submerguntur; tum etiam propter labores intolerabiles, quos die noctuq; continuè patiuntur, ex quibus debilitantur, ægritudini subiacentes. Ac est possibile quòd dicta mora vel situs, aliquibus gentis huiusmodi displiceret. Vnde per hanc viam & modum dicta Christicolarum gens recentari poterit, & etiam innouari: quod erit valdè vtilimum, nec constabit propterea multò pluri. Et stipendium atque victus, qui dabuntur stipendiariis, tales sint quòd possint ducere curialiter & honorificè vitam suam; & pro ipsis fideliter purâ mente possint mandatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, suoq; Capitaneo dicti exercitus obedire, & præcipuè comitis, naucleriis, aliisve quibus commissum fuerit victualia dispensare, vt nullam habeant materiam, propter lucrum aliquod, nocendi, nec inferendi aliquod detrimentum populo exercitus supradicti. Et si quis, vel si qui ex dictis comitis, naucleriis, atque aliis victualia impensuris, aliquid victus vel stipendii vllatenus vsurparent, postquam haberent stipendia satis bona, taliter punirentur, quòd eorum pœna transiret ad alios in exemplum. Et isto modo deprimeretur malitia detractorum siue defraudatorum vsurpantium aliena, & defenderetur debitum impotentum, ita vt præfatus exercitus tamdiu absque molestia permaneret, quamdiu vestræ Beatitudini complaceret. Verùmtamen, præfatis hominibus exercitus iam prædicti, victus talis est, pro minori, à distributoribus conferendus, qualem suscipiunt homines, qui ad stipendium super galeas Venetas gradiuntur: vt dictum est in decimo capitulo partis huius. Præterea necessarium est, vtile atq; bonum, quòd primum habitaculum quod fiet in terra per supradictum exercitum, ad infirmorum refugium deputetur *ægrotantium* in eodem: ibi eis cuncta necessaria impendendo, quæ ad animarum suarum

suarum salutem pertineant, & suorum corporum sanitatem. *Mulieres* autem, quæ tunc temporis in dicto exercitu commorantur, viris suis matrimoniali fœdere copulatæ, vt homines, percipiant victum suum. Et si aliqua ex eis, vir cuius decederet, legaliter preponeret in viduali habitu permanere, continentiam seruatura, similiter recipiat supradictum: nec ei prædictus cibus vel victus vllatenus auferatur. At si quis in obsequium venerit ecce supradictæ, qui foret in exercitu iam præfato, deuergens à potentia corporali, suum victum suscipiat iuxta stipendium quod habebat dum corporis viribus fungebatur: habendo semper respectum vt fraus & dolus nullatenus committantur, eò quòd multi homines libenter euadunt, vitant pericula & labores. propter quæ omnia præuisionem habere valdè consonat rationi: cuius vxori & genitis, si præfatus, vitâ corporeâ priuaretur, naturæ debitum exoluendo, vel aliis, qui existerent ad seruitium supradictum, tantum eis à prædictis distributoribus impendatur, quo prædicta vxor & geniti, ac alii iam prædicti, donec ascenderint ad ætatem adultam, valeant enutriri: quorum mater si extremum diem clauderet, vt ordo exigit naturalis, priusquam infantuli supradicti fortitudinem adolescentiæ potirentur, ab eis quorum interest exercitum gubernare, liberaliter admittantur, & ponantur in loco, vbi bonitatem aliquam valeant edoceri, vt docti prædictam; etiam bonis moribus informati, dum per gradus adolescentulos ambulabūt, mereantur ex scientię virtute, operibus acquisitis, cōgruè regere vitam suam, recipientes expensas, interim & habentes, prout superiùs est narratum. Ex quo spero in DEO, qui est omnium in ipso credentium & sperantium vera salus, quòd suâ clementiâ, & vestrorum virtutibus meritorum, sic vestram Sanctitatem dignabitur illustrare lumine veritatis, quòd ex eis vsq; ad finē, de die in diem, dictæ Terræ Sanctæ negotia succedent prospera & iocunda.

CAP. XVII.

De locis & partibus vndè haberi poterunt boni nautæ, pro nauigiis aquæ dulcis, & aquæ salitæ etiam gubernandis. Rubrica.

NImirum, Pater Sanctissime, si quærerent aliqui, vel quærere peroptarent, in quo loco posset inueniri tam magnus *nautarum* numerus ad nauigandum per aquas dulces, & etiam per salitas, qui pro ferendis armis essent idonei & boni ad bellandum viriliter per vtrasque, huic petitioni posset breuiter responderi: videlicet quòd à loco & à parte, vndè supradicta fiet armata à Sanctitate vestra, nautæ concurrent, salitis aquis idonei, ex aliis partibus Christianorum ad illam, vbi stipendium conferetur. Ita quòd pro conducendo nauigio, & ducendo quocunque fuerit oportunum, per salitas aquas nauigantium numerus habebitur habundanter. De nautis quippè, qui per aquas dulces nouerunt optimè nauigare, vestræ Sanctitati duxi humiliter exponendum: quòd à *mari* videlicet *Adriano*, per plurimas terras *Foro-Iulij*, *Marchiæ Teruisinæ*, & per multas etiam *Lombardiæ*, quasi per omnes, atque *Romandiolæ*, per aquas dulces & salitas potest iri cum nauigio vsque ad dictas terras, vel propè loca sine dubio supradicta. Nam circa prædicta flumina, quæ dulcedinem semper habent, ac propter causam ipsorum, infiniti nautæ habitant & morantur in prouinciis iam prædictis. Præterea vestra Sanctitas dignetur memoriæ commendare, quòd in præfatis prouinciis, ac etiam iuxta ipsas, multa stagna reperiuntur & lacus: & specialiter *lacus Binacus*, à quo labitur flumen *Menzum*, quod *Mantuæ* lacum facit lacus *Liseus*, qui est in Episcopatu Brixiensi; lacus *Mergotij*, seu lacus Maior dictus, ob magnitudinem suam; lacus *Comi*, lacusque *Logam*: est etiam & vltra Alpes in Alamania lacus *Lucera*, ac lacus *Constantiæ*, qui ob magnitudinem suam, à circumstantibus mare Almanicum appellatur; nec non & in Burgundia lacus reperitur *Losannæ*. Suntq; similiter alii lacus vel stagna, iuxta quæ pro armis habitant boni nautæ, & audaces mirabiliter ad bellandum: & in tanto numero nautæ sunt, & moram contrahunt in prædictis locis prædictarum prouinciarū, & aliis cæterarum, de quibus nulla distinguitur in præsenti, quòd maior numerus inueniretur nautarum, qui per aquas dulces ad nauigādum sunt apti, & pro armis belligeri atque probi, multùm plus quàm numerus supradictus. Et quanquam in prædictis stagnis & locis in quibus sunt lacus vel la-

cunæ, reperiantur homines supradicti, nihilominùs tamen in pluribus aliis locis Christianorum infinita flumina, lacunæ, siue lacus & stagna resident valdè magna, & maximè à parte Septentrionis, circa quæ diuersarum habitant gentium nationes, quæ per aquas dulces nouerunt optimè nauigare, ex quibus posset vestra Sanctitas se munire, & oportunum negotium fidelium Christi, cum eiusdem auxilio, versus Ægyptios ducere ad laudabile complementum.

Cap. XVIII.

De nautis habitantibus in extremitatibus Alamaniæ, qui boni & vtiles rationabiliter esse debent, ad consulendum & præstandum suffragium ad prædicta. 10

XVIII. Licet multa hucusque de hominibus, qui pro armis iuxta salitas aquas & dulces viriles habent animos & audaces, generaliter & specialiter Sanctitati vestræ duxerim exponenda, adhuc quædam pro vtilitate & commodo atque bono dicti expediendi negotii, vel indigentiæ supradictæ, est vestræ memoriæ commendandum. Hoc scilicet, quia in Alamaniæ partibus variæ habitant gentium nationes, quæ valdè forent vtiles & necessariæ ad muniendum negotium maritimæ de Ægypto: & specialiter *Tremartij*, qui habitant in extremis partibus maritimæ Archiepiscopi Bremensis; nec non & *Frisones*, qui deorsum habitant à Wasfallæ prouincia propè mare: ac etiam gentes de prouincia *Dulandæ* ac *Sylandæ*, qui morantur deorsum versus mare de comitatu *Gelleræ* atque *Cleuæ*. Cuius ratio ista est: quoniam gẽtes istæ debẽt esse bonæ ac vtiles pro oportunitate prædicta, propter habitacula, quæ habent in Insulis vel lidis marinis, & propè magna flumina commorantur, quæ per suas descendunt prouincias siue contratas: ob quam causam prædicti scire debent per dulces aquas & salitas, optimè nauigare, sic quòd ab eis sanum deberet consilium, & optimum auxilium inueniri. Sunt autem in *Holsatia* & in *Sclauia*, vbi personaliter affui, notabiles multæ terræ, iuxta flumina aut stagna multis pinguibus habitatoribus affluentes: *Amburg*, scilicet, *Lubec*, *Visinar*, *Rostoc*, *Xundis*, *Gusprinal*, *Sectin*: de quibus trahi posset copia multa bonæ gentis: & non solùm indè, sed de Regnis *Datiæ*, *Suetiæ*, & *Norueiæ*: cùm in eisdem multæ sint habitationes, tam in maris littore, quàm in Insulis constitutæ, quibus Marinariorum robustorum & animosorum suppetit multitudo, quos omnes non dubito fore vtiles ad negotia memorata: suntq; per illud clima multæ aliæ prouinciæ seu terræ ad hoc accommodæ, quæ hîc non nominaliter inseruntur. Ex quo laudo & consulo, cum reuerentia quanta possum, vestræ Sanctissimæ pietati, quatenus aliqui ex illis gentibus, & non solùm ex eis, sed aliis similibus ex diuersis Christianorum nationibus, vndecunque habeantur in aliqua quantitate, qui ad expediendum negotium de Ægypto, mittantur cum supradicto exercitu, sanum & bonum consilium impensuri: cùm plures nautæ Catholici circa partes Oceani maris, quàm Mediterranei commorentur. Iam ego præsens capitulum consumaueram, & ecce per mare de Venetiis ad portum *Clusæ* in Flandriam, cum galeis armatis veniens, ibi à fide dignis accepi, & pro parte oculis meis vidi, quòd maritima Alamaniæ, in qua dictus portus existit, valdè nostræ maritimæ Venetæ est conformis: inueniq; illius terræ indigenas fore fortissimos, & in armis strenuos, plerosq; eorum marinarios, aliosq; ad terram fodiendam, quorum vsus satis necessarius existit, industrios atque aptos, & aliàs pecunia abundantes; & quod laudabilius est, deuotionem habere per maximam ad negotia Terræ Sanctæ: Qui vt credo ad recuperationem terræ Ægypti, optimè cum Venetis conuenirent: sicut olim, in illo Passagio quando Constantinopolis, *Comitem Flandriæ* aliosq; de Francia & Burgundia Barones, & nobiles, ac *Marchionem Montis Ferati*, cum Venetorum auxilio capta fuit, iidem Alamani cum eisdem Venetis & prædictis aliis se laudabiliter confirmarunt. Quamobrem etiam inter prædictos Comitem, Barones & nobiles ex vna, & eosdem Venetos ex altera parte, magna tunc amicitia contracta fuit, quam felix memoria transmisit hinc indè etiam in hæredes: Nec immeritò, quia iam dictâ ciuitate acquisitâ, & dicto Comite iam mortuo, licet pluribus intermediis successoribus, tandem domino Balduino tunc adolescente in Constantinopolitano Imperio succedente, admodum vtiliter tractatum, & iureiurãdo firmatũ fuit de filia *Imperatoris Exagorarum*, viri in illis

partibus

partibus, tunc temporis magnifici & potentis, eidem adolescenti in matrimonium copulanda, per quam parentelam dictus Balduinus conscendebat ad magna, eiusque Imperium non modicum firmabatur. Promittebat enim Balduino Imperator prædictus, sua gente, suisq; expensis propriis recuperare terram totam Imperii Romaniæ, quam prædecessores amiserant in partibus Occidentis: tunc Barones sui timentes, quod postquam Balduinus suum firmasset Imperium, ne procederet cõtra eos, propter * offensam magnam quam in prædecessorem ipsius commiserant, dolosum sibi dederunt consilium, vt videlicet filiam Imperatoris Exagorarum, quamuis formosam valdè, renueret, & filia domini *Iohannis*, tunc Regis Ierusalem,
10 reciperet in vxorem. Qui dolosâ caliditate non visâ, illius affinitatem contraxit, executioni mandans consilium inconsultum: fuitq; per eosdem Barones denique dictus *Io.* de Constantinopolitano Imperio coronatus. Ex præmissis autem Exagorarum Imperator quam plurimùm prouocatus, filiam suam in coniugem dedit Imperatori Græcorum, partium Orientis, qui ambo tali affinitate coniuncti contra Balduinum & Venetos terrâ mariq; exercitibus præparatis, deuictisq; eorundem Balduini & Venetorum vrbibus propè in ibi, & ferè fortilitiis vniuersis, ei solùm vrbis Constantinopolis mœnia remanserunt: quem & tam diu generis huius afflixerunt, vt filium suum, *Philippum* nomine, quibusdam burgensibus Constantinopolitanis coactus fuit, pro certa quantitate pecuniæ obligare: qui dictum pue-
20 rulum, securioris custodiæ causâ, Venetias postmodum transmiserunt: & nonnulla palatia sua, plumbo cooperta nobiliter ab antiquo, discooperire, & plumbi vendere coopertura, & alia plura agere, vt viuere posset, Augustæ inconuenientia dignitati. Prædicti verò Veneti, toto dicto tempore quo Imperator idem Balduinus tantæ paupertatis, & hostilium incursuum pressus iacebat ærumnis, prædictam ciuitatem, expensis & stipendiis tantum ipsorum propriis, vsq; ad ipsius perditionem ciuitatis, tum proprio interesse, cum intuitu huius amicitiæ defensarunt. Perditâ verò Constantinopoli, Veneti per xxx. annos & vltrà, ad recuperationem ipsius fideliter laborarunt: super hoc requirentes solicitè quasi omnes Reges & Principes Occidentis, specialiter *Alfonsum* Regem Castellæ, cum quo nihil extitit execu-
30 tioni mandatum. Tandem cum Siciliæ Rege *Karolo primo*, super hoc societatem fecerunt, & ligam: qui propter amissionem Siciliæ intendere non potuit ad prædicta. Nouissimè verò cum Comite *Karolo de Valoys*, societatem fecerũt, propter mortem vxoris, ad quam Imperii hereditas pertinebat: sed parùm aut nihil ex hoc extitit adimpletum, quamuis iidem Veneti interim, nunc soli, nunc sociati, ad recuperandum dictum Imperium, prædictis Græcis, pluries guerram mouerint atque bellum. Ex prædictis itaq; apparet affectuosum amorem inter *Theotonicos* & *Gallicos*, qui in prædicto fuerunt Passagio, eorumq; heredes ac *Venetos* extitisse contractum. Conuenienter igitur gentes maritimæ Alamaniæ superiùs memoratæ, possent per terram venire Venetias, & cum Venetis transfretare. Et si aliquæ gentes debent si-
40 mul benefacere, debent Alamani cum Venetis, cùm multi eorum Venetiis côuersentur, & in armatis Venetorum sumantur, & benè se habeant, multique Venetiis cum vxoribus & filiis commorentur. In gente verò prædicta, scilicet Theotonica aliquid corrigendum reperio, quia cùm ipsi sint magni comestores, vtpote de regione frigida oriundi, timendum cauendumq; foret, si ad calidam venerint regionem. Vlteriùs, propter magnam deuotionem, grandemq; voluntatem transfretandi quam habent, & quia sunt homines ad hoc apti, possent in tanta multitudine transfretare, vt in ipsis cupido aliqua insurgeret dominandi, ex quo posset scandalum non modicum suboriri, præcipuè cum *Veneti velint socios, & non dominos* obtinere. Verùm Capitaneus generalis, dante Deo, erit probus & sapiens, cum maturo
50 consilio poterit in prædictis remedium debitum adhibere.

** Hanc autẽ offensam, causamq; offensæ, idcircò in præsenti opere nolui explicare, quia ad huius operis materiam non spectabat. Verùm considerans quòd ex hoc aliquod bonum exemplum posset posteris exhiberi, cogitaui vt negotii series in libri huius margine scriberetur. Fuit itaq; in Constantinopolitano Imperio, quidam Baro magnus & Nobilis, cuius antecessores fuerant de* Burgundia *oriundi. Hic cuiusdã matrona nobilis & magna filiam admodum speciosam sponsauerat, promittens & volens eam firmiter recipere in vxorem. Imperator verò Constantinopolis* Henricus *nomine, frater Balduini infantis, tunc temporis videns ipsius pulchritudinem: erat enim in oculis omnibus grata eius [illegible] . . . mactauit [illegible] eam sibi matrimonio copularet. Mater autem quodam materno affectu, volens potiùs Imperatorem generum, quàm Baronem, Imperatori compleuit. Baro autem ex hoc prouocatus non modicùm, nocturno tempore cum parentibus & amicis violenter in Cæsari[...] [illegible] introiuit, eiusdemq; socrum cœpit, & in mari fecit submergi, ac Imperatricem nasi proprietate mulctauit. Ecce* quàm parui [...]is, qua[...] magnam syluam incendit! *Ecce quam ob causam, Henrico mortuo, nulla de tanto excessu facta fuit iustitia, vel vindicta [...] [illegible] eodem in Imperio succedente, Barones qui in facto consenserant, non immeritò timuerunt. Et sic postea fuerunt protracta [...] vt in præsenti opere est descriptum.*

g

Cap. XIX.

De crucis prædicatione: de variis generibus hominum armatorum, quibus exercitus indiget supradictus, ad dictam terram Aegyptiмam conquirendam.

xix. ET cùm prædicta gens per Sanctā stipendiata Ecclesiam, terrā capiet in Ægypti maritima, & habebit habitaculū in prędicta, ac tenebit illum stilū & ordinem, qui superiùs continentur, eritque pro muniendo se, tam de victualibus & nauigio, quàm aliis dictæ genti armigeræ oportunis, tam pro eis, quàm pro alia gente magna quæ ventura foret ad subsidium supradictæ: tunc temporis vestra poterit Sanctitas vniuersis CHRISTI fidelibus, qui habitant in mundi climatibus vniuersis cum solemnitate maxima Crucem facere prædicari. Verùm tamen interim, si vestræ Beatitudini complaceret, bonum esset & vtile quod in ista Crucis prædicatione, iste stylus teneretur & ordo: vt per omnem viam bonam & modum, totum & quicquid in recuperando pecuniam posset tractari, fieret absq; longa temporis tarditate, tam à Principibus & Baronibus, quàm à communitatibus ciuitatum: quanquam etiam à personis singulis exigendum, præsertim ab illis, qui vsi fuerunt bonis Ecclesiæ & vtuntur, suntq; similiter pro vtendo, tam Clerici quàm Layci, si qui forent ad hoc Sanctum negotium exequendum. Et ratio ista patet: quoniam si homines Crucesignati deberent, vt est dictum, ad Ægypti maritimam transfretare, nequaquam sufficerent ad ipsa exequenda, quæ fieri oporteret in Passagio antedicto. Quoniam in præfato passagio *comiti & nauclerij* in magno numero necessarii sunt habendi, quarum alii per aquam dulcem, aliique per salitam benè noscant nauigium ducere, ac prouidè gubernare. Quod quidem nauigium *remigibus* eget in magno numero sibi aptis: cùm remigare sit quidam actus, siue exercitium laboriosum, per quod remigatores laborem quasi intollerabilem patiuntur. Vnde nullus ad talem laborē assumptus, posset illum sustinere, nisi ei solueretur omninò ad illud solùm recepto exercitium & electo. Exigitur etiam ibi esse *balistariorum* bonorum numerus valdè magnus: licet inter bonos & minus bonos, magna prærogatiua & differentia cognoscatur: quoniam boni balistarii balistas tendunt fortes, & longè iaciunt spicula siue tela, & inferunt magnos ictus, & impetuosè feriūt & vulnerant & occidunt, rarò frustrà iacula iacientes, ex quibus ictibus pauorem inimicis inferunt & terrorem. Balistarii verò imbeciles & non docti, totum contrarium faciunt: nam non possunt tendere balistas nisi debiles, & perdunt spicula, & si eos ferire contingat, ictus faciunt debiles, de quibus aduersarii redduntur intrepidi, & vigorem suscipiunt, & contra tales insurgunt audaciùs. Et idem posset de *lancearriis, & iaculatoribus* dici quasi. Eget adhuc dictus exercitus, vt est dictum, multarum *arcuum operatoribus* & magistris, qui haberi non possent, nisi pecuniâ mediante, eò quòd sunt gentes pauperes; nec essent ex eis, qui, licet vellent, acciperent signum Crucis ob penuriam supradictam, & quamuis forent ex eis aliqui, non tamen essent in tanto numero, quanto dictus exercitus indigeret: ex quibus omnibus hominibus prælibatis necessarium esset valdè quòd aliqua certa pars ad terram fodendum optimè forent apti. Ex *equitibus* meditandum est taliter & credendum, quòd multi ex eis nobiles atq; probi pro assumēdo Crucis signaculo apti forent, ac pro veniendo ad negotium supradictum. Sed pro certo eis impendi non posset rationabiliter talis ordo, pro mandatis Capitaneorum exercitus adimplendis, qualis si essent ad Ecclesiæ stipendium deputati. Et non solùm in hiis nobilibus accideret quod est dictum; sed etiam in ignobilibus dictæ gentis: cùm gentes Crucis signaculum assumentes, ad suæ libitum voluntatis, itineris & regressus libertate sedulâ potiantur. Vndè reuerenter loquor & recordor vestræ Sanctissimæ Pietati, quòd si quis vellet Crucem assumere, & transfretare propriis sumptibus, mihi vtilius videretur quòd illud quod ipse posset expendere personaliter cum exercitu Ecclesiæ transfretando, dare Ecclesiæ, seu illi, qui ad hoc esset per Ecclesiam deputatus, vt indè stipendiarios soldicaret: concedendo sibi propterea illā indulgētiam, quæ vestræ videretur Beatitudini cōcedenda: nam *soldati* meliùs mandatis Capitanei attēdent & obedient, quàm Crucesignati. Nā si Capitaneus fuerit circūspectus, & vt creditur, & ordinatus, & gens sibi commissa obediēs fuerit siue gētes, impossibile quasi erit, quòd eius intentio & propositum sinistretur. Et quando gentes sibi com-

commissæ, vel pars ipsarum obedientiam non seruarent, facile posset inobedientia talium sinistrum non modicum & periculum generare. Prouideat ergò indè prouidentia vestra, sicut nouerit prouidendum.

Cap. XX.

De numero hominum, quo eget vnaquæq; galea vt ipsa congruè muniatur: ac eiusdem officiis, misteriis, tempore, stipendio: & de sumptu victus ac stipendio CCC. equitum. Rubrica.

SVnt autem necessarii ad vnam galeam congruè muniendam CCL. homines, qui per tale, vt narrabo, stipendium & officium sint diuisi. Primò, indiget quælibet galearum *vno Comito*, cui omni mense XV. soldi grossorum rationabiliter conferuntur. Secundò, indiget octo *naucleriis*, quorum quilibet septem soldos grossorum & dimidium recipiat omni mense: qui omnes ascendunt ad numerum LX. sol. grossorum. Tertiò, expedit, quòd in qualibet prædictarum foret semper vnus *marangonus*, & vnus similiter *calefatus*: sed propter necessitatem & vtilitatem exercitus, recipiendi sunt duo marangoni ac duo etiam calefati, pro qualibet galearum: pro stipendio supradicto dictorum naucleriorum, qui mense quolibet ascendunt ad soldorum grossorum, tricesimum numerum Venetorum. Quartò, expedit, quòd in qualibet galearum duo resideant *scribani*, qui distribuant dictũ victum, loco & tempore, dictæ genti quæ fuerit in galea: ac alios duos *scribas*, qui arma custodiant, & conferant cuilibet dictæ gentis: pro stipendio, septem soldos grossorum & dimidii, qui numerum soldorum XXX. grossorum perficiunt omni mense: Qui quidem Comitus, nauclerii, cæteriq; scribani, marangoni, ac etiam calefati, nullum aliud lucrum præter stipendium quod suscipiunt facere valeant, vel per se vel per alios facere fieri in galea, nec aliquem trabutare vllo modo vel ingenio, ex pacto expresso supradictum stipendium assequentes, sub pœna omnium suorum bonorum, & similiter personarum. Quintò, expedit, quòd in qualibet galearum, *coquinator* vnus pro soldis grossorum quatuor omni mense, causa coquinandi die qualibet, genti dictæ galeæ, in qua fuerit collocatus. Sextò, quòd sint ibi *balistarij* L. quorum quilibet quinq; soldos grossorum recipiat omni mense: qui numerum CCL. soldorum grossorum perficiunt omni mense. Inter quos sint quatuor tubatores, tibicines, tibiatores, & qui sciant *nacharas* pulsare, tympana siue tamburla. Ac sit ibi etiam quidam alter ex hominibus prælibatis, qui teneatur dictæ galeæ remos erigere & aptare. Septimò, expedit quòd sint ibi decem *portoladi* ad bancha pupis cuiuslibet galearum, pro soldis sex grossorum, quilibet omni mense: qui summatim soldi grossorum sunt LX. Octauò, expedit quòd ibi sint XX. *portoladi*, qui ad bancha sequentia pupis remigent, dum est locus, pro soldis quinque grossorum, quilibet omni mense: qui summatim sunt soldi centum grossorum. Nonò, quòd ibi sint XXX. *proderij*, pro quinque soldis grossorum quilibet omni mense: qui summatim sunt soldi grossorum Venetorum CL. Decimò, quòd ibi sint CXX. *remigatores*, omni mense pro soldis grossorum quatuor vnusquisque: qui summatim CCCCLXXX. soldi grossorum. Sunt indifferẽter omnes CLXXX. inter portolados, proderios, atq; remiges, qui omnes remigare tenentur, dum mandatum receperint remigandi: ex quibus galea ex remis ad terzarolos erit benè & congruè communita. Vndecimò, expedit, quòd duo homines ad stipendium pro decem soldis grossorum, & dimidio, mense quolibet ad libitum Capitanei vel domini armatæ prædictæ, similiter admittantur pro illo negotio exequendo, quod magis vtile & necessarium pro exercitu fuerit faciendum. Summa per totũ gentis, qui ad galeam expediunt muniendam, est CCL. hominũ, vt est dictum: qui pro stipẽdio antedicto volunt LX. libras Venetorum grossorũ, mense quolibet, absq; victu. Ascendit stipendium quod hominibus vnius galeæ pro XII. mensibus erogatur, ad illum numerum, quantus inferiùs ostendetur. In primis debet recipere Comitus grossorum libras IX. Item nauclerii octo, debet habere libras XXXVI. Item scribæ quatuor, libras XVIII. Item marangoni duo, libras IX. Item calefati duo, libras IX. Item coquinator vnus, soldos grossorum XLVIII. Item balistarii L. libras CL. Item portoladi decem, libras XXXVI. Item portoladi XX. libras LX. grossorum. Item proderii XXX. libras XC. Item remiges CXX. libras CCLXXXVIII. Item duo homines ad

beneplacitum Capitanei vel domini, libras XII. & soldos XII. grossorum debent præcipere. Summa per totum stipendium prædictæ galeæ, est DCCXX. librarum grossorum, pro XII. mensibus, absq; victu, quæ valent VII. M. CC. florenos: duos soldos grossorum quemlibet computando.

De stipendio decem galearum pro vno mense, & numero gentis, qui fuerit in prædictis. Rubrica.

COmiti X. septem libras & dimidiam grossorum exigunt pro vnico solo mense. *Nauclerij* LXXX. libras grossorum XXX. Item XL. *scribæ*, libras XV. Item *marangoni* XX. libras VII. & dimidiam. *Calefati* XX. libras VII. & dimidiam. *Coquinatores* decem, soldos grossorum XL. *Balistarij* V C. libras CXXV. *Portoladi* C. libras XXX. grossorum. *Portoladi* CC. libras L. grossorum. *Proderij* CCC. libras LXXV. *Remiges* M. CC. libras CCXL. *Homines viginti*, qui sciant ingenia construere, vel aliud facere ad libitum Capitanei, libras X. & dimidiam exigunt omni mense. Summa omnium prædictorum est. DC. librarum absq; victu, quæ aureorum valent VI. M. florenorum, vt dictum est.

De stipendio quod datur, pro XII. mensibus hominibus, qui in decem galeis fuerint supradictis.

ITaq; ex præcedenti ostenditur ratione, quòd omnes homines antedicti pro XII. mensibus summatim libras grossorum constant VII. M. & CC. quæ aureorum valent LXXII. M. florenorum.

De stipendio quod hominibus LX. *galearum pro vno mense solummodo erogatur.*

DAntur itaque XLV. libræ grossorum *Comitis* LX. *Naucleriis*, CCCCLXXX. libræ CLXXX. *Scribis* CCXL. nonaginta libræ. *Marangonis* CCXX. & *calefatis* totidem, libræ XC. *Coquinatoribus* LX. libræ XII. tribuuntur. *Balistariorum* tribus milibus, libræ VII. C. & L. *Portoladis* primis, libræ CLXXX. grossorū. *Portoladis* M. CC. libræ CCC. *Proderiis* M. VIII C. libræ CCCCL. *Remigatorum* VII. M. & CC. libræ M. CCCCXL. grossorum conferuntur pro vnico solo mense, & suprascripti ex omnibus, vt dictum est. *Homines* CCXX. qui sint pro magistris, vel pro alio, ad id quod complaceret Capitaneo deputatis, ad hoc perficiendum negotium, exigunt LXIII. libras grossorum, percipiendo, vt dictum est, decem soldos & dimidium grossorum in mense, pro quolibet, vnusquisq; vnus alium adiuuando. Numerus hominum LX. prædictarum galearum est in summa XV. M. talium & qualium pugnatorum. Summa omnium prædictorum est, quòd exigunt omni mense libras grossorum III. M. & VI. C. quæ aureorum valet XXXVI. M. florenorum, soldos duos grossorum singulum computando, vt dictum est.

De stipendio quod datur pro XII. mensibus hominibus, qui fuerint in supradictis LX. *galeis.*

EX suprascripta igitur ratione ostenditur euidenter, quòd stipendium XII. mensium, quod LX. galearum est hominibus conferendum, in summa est librarum grossorum XLIII. M. & CC. quæ aureorum valent CCCCXXXII. M. florenorū, vt superius est ostensum. Qui quidem homines antedicti, prædictarum omnium galearum, ex soldo CXX. libris grossorum, qualibet die constant: quæ M. CC. florenos aureos quippe valent.

De stipendio CCC. equitum & eorum famulis.

TRecenti equites, habentes duos famulos pro quolibet ex prædictis, qui pro armis congruè sint instructi, ad rationem soldorum CCCC. grossorum, quilibet cum famulis antedictis: qui CCCC. soldi grossorum, CC. de auro floreni sunt numero computati: non habendo restaurationem equorum, nisi in equitatione contingeret, vel in nauigio ipsos mori. Pro mensibus XII. librarum grossorum VI. M. exigerent sibi danda: quæ quidem numerum LX. M. florenorum perficiunt, qui dicti equites summatim mense quolibet cum suis famulis exigunt V C. libras grossorum, quæ valent de auro V. M. florenos. Ostenditur igitur ex prædictis quòd

præfati

præfati equites, xvi. libris, & soldis xiii. & denariis quatuor grossorum, die qualibet deconstabunt: quæ valent CLXVI. florenos & grossos xvi. ex hiis, qui superiùs nominati sunt. Vndè verificè dici potest, quòd quilibet ex militibus antedictis cum famulis, de quibus fecimus superiùs mentionem xiii. grossis, & IIIC. Venetorum, die qualibet deconstabit. Constabunt per totum annum prædicta xv. milia talium & qualium pugnatorum cum CCC. militibus prælibatis & famulis prędictorum librarum grossorum XLVIII. M. & CC. quæ sunt de auro CCCCXCII. floreni: soldos duos florenũ quemlibet computando. Est itaq; vtile ac necessarium dictæ gẽti armigeræ ad cautelam sui ipsius, quòd aliquis vel aliqui ex *prælatis, clericis* 10 *secularibus, fratribus prædicatoribus, minoribus*, ac *heremitis*, & *fratribus Carmelitanis*, atque aliis alicuius alterius ordinis, vt dictum est, essent in dicto exercitu vel armata vt videretur placere vestrę prouidentiæ Sanctitatis, vsq; ad numerum centesimum ex omnibus antedictis, qui victum perciperent, vt de aliis est narratum: quorum quidem omnium prædictorum helemosinæ & oblationes, sibi à populo conferendæ, pro stipendio computentur. Ita quòd summatim per totum totius librationis victus xvi. M. librationum totius prædictæ gentis ipsi victus & librationes constãt: vt in capitulo de conferendis vel distribuendis victualibus est dictum, ad xii. grossos singuli ex prædictis DCCC. libris grossorum: quæ sunt de auro VIII. M. floreni. Summa per totum annum hæc est, quoniam constant omnes librarum grossorum 20 IX. M. & DC. quæ sunt de auro XCVI. M. floren. Summa pro toto stipendio atq; dictis hominibus dispensando per XII. menses tantum hæc est, quoniam gens præfata librarum constat grossorum LVIII. M. & etiam octingentis; quę sunt de auro vC. & nonaginta quatuor milia flor. Estq; nihilominus præuidẽdum, qui homines ex numero dictæ gentis scient facere quod ad fodiendum terram fuerit oportunũ, quiq; etiam tenebuntur. Nam vt boni valeant reperiri, exiget ex prædictis vltrà antedictum stipendium quilibet omni mense grossos XII. pro minori: qui pauciores M. minimè esse debent, & sciant benè fodere, vt est dictum. Ita quod ipsi constant in anno, libris grossorum VIC. quæ sunt de auro VI. M. floren. Item pro victu vel libratione *hordei* dandi *equis*, quorum quilibet debet habere sextaria quatuor prædi-30 cti hordei, omni mense, quæ vna salma & tertia de Apulia sunt: quæ ascendunt ad numerum quatuor M. & DCCC. salmarum, quæ ad rationabile precium constabunt IV. M. & VIIIC. floren. de auro, empto vno floreno de auro qualibet prædictarum, & in Ægypti maritima portata finaliter & conducta. Itẽ *paleæ* quibus equi superiùs nominati, & homines pro suis lecticis indigent faciendis: ac pro *lignis* in armata vel exercitu comburendis, habendo respectum ad homines & nauigium armatæ, quos habet Capitaneus antedictæ, causâ mittendi pro dictis paleis atque lignis, constabunt de auro III. M. & CC. flor. Item prouisiones quæ faciendæ aliquibus de armata præfata à domino Capitaneo videbuntur, in anno cõstabunt de auro II. M. florenis. Summa summarum hæc est, quoniam omnia supradicta seriatim, vt su-40 periùs est narratum, constabunt de auro DC. M. florenis, qui in summa librarum sunt LX. M. Venetorum grossorum, absq; prouisione Capitanei, quæ talis erit qualis vestræ placuerit Sanctitati.

CAP. XXI.

De quibusdam declarationibus, & commemorationibus, ac supradicta armata ordinibus & cautelis. Rubrica.

ET quanquam facta sit mentio in capitulo præcedenti de armata LX. galearum, non tamen intelligendum est, quòd gens armatæ præfatæ in eisdem LX. debeat collocari, sed in L. si ad *terzarolos* pro consilio capietur, quod galeæ solummo-50 do fulciantur. Et ex residuo dictæ gentis, tam peditum quàm equitum, debeat inerme nauigium, quod dictum est in XII. capitulo communiri. Cæterùm si caperetur pro consilio quòd galeæ armarentur remis ad quatuor pro banco, quod aliquando est probatum, & laudabile potest esse, vt est dictum, consulendum est, ac etiam faciendum quòd prædicta gens tota in XL. galeis, & prædicto nauigio non munito decenter poneretur: hoc est, quòd prædictæ galeę XX. ex magnis, ex magna forma, portabũt & regent benè vltra homines CCCC. aliæq; ex media forma galeæ XV. portabunt & regent benè CCC. homines: aliæq; galeę minores quinq; portabunt & re-

gent à CCLX. hominibus, vsq; ad CCLXX. rationabiliter. Quarum quælibet galearum pro minori cc. habebit remiges & xx. stando pro banco quolibet remiges quatuor ex prædictis: ac ex hiis aliquos dimittendo, vbi fuerint dimittendi. Et quia in parte superiori facta est mentio solùm de XII. mensibus anni, & non quinq; diebus & quarta, tam de stipendio quàm de victu, ratio est ista. Primò, quia victus positus est ad tam rationabile precium atq; magnum, quòd prædicti XII. menses, taliter ordinati pro toto anno possunt sufficere habundanter. Alia ratio de stipendio est ista: quia cùm cõmune Venetiarum eisdem stipendiaris XXX. dierum computet omnẽ mensem, nihilominus speciales homines, qui Venetiis armant ex pacto expresso, ex XXXIII. diebus faciunt omnem mẽsem. Et si dicti armatores vltra suum terminum per duos dies steterint aut tres, non soluunt ex hiis duobus diebus aut tribus, stipendiariis prælibatis: & similiter agit commune Venetiarum in hac parte. Et idcircò habendo respectum, quòd stipendiarii supradicti Sanctæ matris Ecclesiæ, non solùm per menses eidem sunt necessarii, sed etiam per annos, quoniam si ad rationem stipendii XII. menses pro vno anno poterunt in hoc Sancto computari obsequio, computabuntur si vestræ videbitur Sanctitati: quamuis in beneplacito Capitanei semper constet licentiare homines, & tenere, vt suæ placuerit voluntati. Quoniam, faciendo comparationem, *homo rixator in exercitu* in quo fuerit, est tam reus, quemadmodum vnus proditor: quia vnus rixator totum exercitũ subitò potest subuertere, & ad nihilum prouocare: super quo decet Capitaneũ supradictum magnam habere prouidentiam & cautelam. Est præterea quoq; notandum, quòd dum armata cessauerit ab Occidẽte, & arripuerit sibi iter, oportet per multos menses hominibus stipendium erogare, vt de propriis domibus trahi possint meliùs & haberi, & vt ex toto, quod eis pro præsenti tempore necessarium fuerit & futuro, valeant se fulciri: recipiendo de pecunia cõferenda, illam securitatem videlicet & cautelam, quæ haberi possent à recipientibus & requiri. Postmodum verò, de mẽse in mensem succursum præbendo prædictis, donec in Ægypti maritima collocati fuerint ordinatè. Quibus postmodum completo stipendio prædi ctorũ, poterit dari continuò dictum stipendiũ de tertio in tertiũ mensem: faciendo non solùm inquisitionem generalem quotidiè omni mẽse; sed etiam specialem, prout in ligno munito nocte qualibet fieri consueuit. In qua quidem inquisitione, ea pœna deficientibus inferatur, quæ videretur eisdem hominibus conuenire.

Prædicti CXX. homines, qui debent esse ad beneplacitum Capitanei, debent esse ita diuisi, si placuerit supradicto. Rubr.

Primò duo *Admirati*. Secundò, sex *probi homines* à quibus consulatur eidem. Tertiò, quatuor *Massarij*, qui præsint victui vel scribanis. Quartò, duo *suprastantes*, vel supersedẽtes armis. Quintò tres *Medici Physici*, & totidem *Chirurgici*. Sextò, quinque magistri *prothi*, & *ingeniarij marangones*. Septimò, quatuor *fabri* magistri prothi. Octauò, duodecim magistri ad faciendum *falsadoria* atq; tela. Nonò, quinq; *coraczarij*, & etiam qui sciant facere arma capitis. Decimò, quindecim magistri prothi *remarij*, qui sint deputati non solùm ad remos, sed etiam ad faciendum astas lancearum, & dardorum, & aliorum quæ forent necessaria in prædicto exercitu, pertinẽtia ad officium eorundem. Vndecimò, decem *incisores lapidum* viuorum, tam pro faciẽdis caueis subterraneis, quàm aptandis lapidibus ad machinas oportunis, & cæteris quæ dicto exercitui essent oportuna. Duodecimò, decem magistri *ad faciendum balistas*, qui sint ex melioribus, qui poterũt reperiri. Tertiodecimò, xx. homines tubatores, tybicines, tybiatores, & qui sciant *nacharas* pulsare, tympana & tamburla, & aliqua alia genera dulcia musicorum, vt sunt *violæ, cytharæ & roctæ*, vt magis vtile videretur. Summæ verò residuum, vltra centum est xx. homines, vt est dictum, qui ad alia deputentur, vel prædictis hiis centum hominibus famulentur. Et cum facta sit solùmodò mentio, de dispensando & conferendo de XVI. M. librationum in capitulo præcedenti, habẽda est tamen præuisio, quoniam appropinquante vel prætereũte anno postquã hæc supradicta gens in Ægypti maritima, terrã ceperit, & ibi fuerit collocata, diuersarũ illuc concurrent gentiũ nationes causà inhabitandi protinus partẽ illã, præcipuè tamen quia de victu vel liberatione sibi non dubitant subueniri, & ex residuo & misterio suo ducere vitã suam: qui omnes vtiles, & necessarii valdè essent, tam pro custodia fortilitiorũ faciẽda, quàm etiam pro seruitiis impen-

impendendis hominibus exercitus antedicti; & ex hiis omnibus quæ ipsi exercitui necessaria & vtilia viderentur. Et per hunc modum gens stipendiata, quasi tota, vel magna pars, in nauigio stare poterit, ad damna & detrimentum hostibus inferenda, & ad custodiam maris, fluminum, ac etiam stagnorum. Demùm vestræ prouidentia sanctitatis respiciet quid fuerit peragendum, committendo vestro Capitaneo, quæ super hiis & aliis peragendis, vestræ placuerit sanctitati.

Cap. XXII.

De Industria faciendi arma: & potissimè de construendis machinis & balistis, quæ à longè machinent & balistent: ac de industria & cautela perficiendi totum quod spectare dignoscitur ad prædicta. Rubrica.

XXII.

Et cùm generaliter & particulariter specificatum sit superiùs & narratum, quæ gens est in hoc Sancto negotio oportuna; & quicquid est in prædicto nauigio exigendum; & de armis aliquid dictum fuerit similiter, quæ sunt necessaria in prædicto: licet non tantum ad plenum quantum mihi videtur fore dicendum: Idcircò aliquid tangam, quàm potero breuiter de prædictis, cum aliquorum ingeniatorũ consilio sapientum: nihilominus quicquid dixero cum emendatione solertium prædicti exercitus enarrabo: & incipiam isto modo. Primùm quòd *arma defensibilia* leuia decet esse, vt in eis homines bene valeant se iuuare, & etiam quòd defensibilia sint in tantum in quantum fieri poterunt supradicta. Secundùm, quòd arma quæ deputata fuerint ad *lædendum*, talia similiter fore debent, quibus vti benè & habiliter valeant pugnatores. Et licet in prædicto negotio duo sint armorum offendibilium genera oportuna, scilicet ad feriendum cum talio siue puncta, vt superiùs est expressum: tamen maius inferunt periculum inimicis magisque nocent etiam antedictis, quæ cum punctis fuerint ad feriendum propriè deputata, quàm illa quæ ad abscidendum fiunt absque punctis: quibus duobus sapientes dicti exercitus vti præcipient bellatores, quæ pro gente armatæ prædictæ sibi magis vtilia videbuntur. Cæterùm, præ cæteris est memoriæ commendandum, quòd ex longinquo offendere suos hostes, tutius est offensoribus, quàm eos offendere de propinquo. Et ideò vtile comprobatur, quòd omnes maneries tam machinarum quam balistarum grossarum, quamque etiam aliarum fiant lontanariæ, atque tales quæ in tantum à longè trahant, in quantum ad trahendum longiùs fieri poterunt supradictæ. Circa quod exequendum, multùm decet ingeniatores & sapientes exercitus antedicti acuere mentem suam: quoniam si sagittamen tam lapidum, machinarum, quàm telorum longiùs trahitur, quàm sagittamen hostium sagittetur, reuera dici potest, quòd illa pars cuius longiùs trahitur sagittamen, ab altera prerogatiuam obtinet valdè magnam. Nam si Christianorum sagittamen, peruenire poterit ad exercitum Paganorum, quorum sagittamen peruenire non poterit ad exercitum Christianum, porrò dici potest, quòd ex hoc Christiani victoriam reportarent, vel terram & plateam obtinerent continuò super hostes. Et si quis argueret hoc modo, Infideles trahent se anteriùs, & taliter exercebunt, quòd sagittamen suum gentem fidelem exercitus sautiabit: Huic argumentationi potest taliter responderi, quòd ex hoc semper prærogatiua aliqua remanet Christianis, quoniam multò maiores erunt ictus quos sagittamen machinarum inferet ac balistarum fidelium Iesv Christi, quàm sagittamen infidelium prædictorum, qui non erunt à Christiano exercitu tam longinqui. Ex quo faciendum est, vt superiùs est expressum, totum & quicquid fieri potest, pro habendis bonis ingeniatoribus, ac bono lignamine & perfecto, præsertim ad faciendas perticas atque genas capsarum machinarum, atque balistarum arcus, pro hac prærogatiua penitus assequẽda. Et ad hoc, vt quod superiùs est narratum ingeniatores præfati causam habeant meliùs faciendi, aliquod præambulum inchoabo: Et dicam priùs de machina communi, ad hoc vt inter machinam communem, & machinam lontanariam, quæ sit differentia cognoscatur.

Ad communem machinam faciendam.

Debent *coxæ* machinæ antedictæ tantò in *solüs* fore amplæ, quantò alta est præfata machina in *castello*, ac debet præfata machina desubtus esse aperta

in soliis, inter duas coxas, tertiā parte minus: hoc est, si prædicta machina altitudine XXIV. pedum extenditur in castello, altitudinem in soliis sexdecim pedum debet prædicta machina possidere. Diuidunt magistri *perticam* machinæ supradictæ, *à fuso* capsę vsq; ad summitatem supremam, per quintam & per sextam: & ponitur fusum prædicti castelli inter quintum & sextum, videlicet, quòd si prædicta pertica est lõga longitudine XXX. pedum, à fuso prædictæ capsæ, vsq; ad summitatem, quintum illud est sex pedes, & illud sextum superiùs nominatum, quinque cernitur fore pedes. Qua de re, ponitur fusum dicti castelli, à longè quinque pedibus & dimidio à fuso capsæ superiùs nominatæ.

De machina lontanaria construenda.

DEbet poni prædictum fusum castelli solùm ad quinque pedes perticæ, si erit pertica longitudine XXX. pedum: scilicet ad sextum perticæ, mensurando à fuso capsæ vsque ad summitatem perticæ. Et debet poni in hunc modum, videlicet, quòd lineetur pertica per medium, & à latere dictæ lineæ versus latus *mannettæ* poni debet fusum capsæ, tangendo ipsam lineam medii & ab alio latere tangendo ipsam eandem lineam medii fusum castelli: debentque stringi latera *tibiarum* versus fusum machinæ supradictæ, super quod recolligetur *mantum* pedibus duobus, aut plus aut minùs, secundùm quod machina foret maior siue minor, ad hoc vt fusum magis desubtus veniat, vt prædicta pertica tantò magis veniat ponderata. Et debet fieri maior capsa, & longior quæ fieri potest à Magistris: quia quantò onus bassius est, tantò ipsa meliùs suppinatur; & quantò ipsum est maius, tantò expellit ampliùs, ac etiam magis longè, & maius pondus: propter quod tantò debet fieri fortior machina supradicta, capsa, pertica atque fuso. Ac debet esse in medio benè lumbuta dicta pertica, & quasi à parte anteriori abscidens: ac capsa bonum debet habere gamelum, quod capsam impellat versus exteriorem partem. Et quantò machina maior est, tantò encit maius onus, trahitque altiùs atq; longiùs antedictũ. Et quantò lapis altiùs trahitur atq; longiùs, tantò impetuosiorẽ ictum infert penitus & maiorẽ. Et si quis vellet construere machinã lontanariã, in nauigio posset facere solia super latus, ac facere perticã ita magnã, quòd ipsa vsq; ad superfundum nauigii perueniret, & facere quòd canale super fundũ dicti nauigii resideret, & capsa veniret quasi vsque ad canalẽ. Quæ quidẽ machina tota, totumq; nauigium fortissimè debent fieri, quoniam ipsa proiiceret talem lapidẽ, & tam longè, quemadmodum faceret machina tam magna, vt exigeret talis pertica, in terra. Est præterea quoque sciendum, quòd proiicere machinarum rectè & longum, & in conferendo eis pondus in lapidibus totum constat, vt requirit machinæ magnitudo, ac quantitas contrarii ponderis dictæ capsæ; & in faciendo lapides antedictos rotundos: ac etiam constat in ferro capitis perticæ, quod tenet *sacam casolæ*, in faciendo ipsum retortum, secundùm quod homines volunt in altum proiicere, siue longum. Pro quibus omnibus magistri & ingeniatores prædictæ armatæ acuent mentem suam vtentes machinis supradictis.

De balistis lontanariis faciendis.

AD faciendum *balistas*, tam de ligno lontanarias, quàm de cornu, boni magistri, bonumq; lignamen in talibus exiguntur: tamen quę perfectiores existunt, inueniuntur de cornu, quæ confinguntur mediante collã de cornibus atque neruis. Quæ quidem balistæ de cornu, valent meliùs in contrata sicca, quàm in humida: & balistant magis à longè, tempore frigido, quàm in calido: vt plurimùm est expertum. Arcus verò balistarum, de ligno fiunt, de quodam ligno quod *Nasso* vulgariter appellatur; & melius quod valeat inueniri, in Insula Corsicæ inuenitur, quamuis in multis aliis partibus reperiatur de bono: quod verò lignum oportet abscidi de nemore eo tempore, vt dictum est, de alio lignamine amputando. Si autem *arcus* balistarum de ligno, in longitudine protenduntur, & modicum sint plicati, maiorem ascensum suscipiunt, & expellunt vlteriùs tela sua. Verùm semper intelligi debent hæc talia mensuratè. Est etiã vtile, caussa de longè balistandi, quòd sint *cordæ* balistarum subtiles, in tantum quòd possint tensionis, & extensionis balistæ violentiam tollerare: vndè oportet eas esse de bono canabi congruè labo-

laborato. Restat prçterea longinquũ trahere balistarum, in sagittamine supradicto. Vndè oportunũ est quòd fiant *ferra* telorũ, ac *astæ* similiter prædictorum, tales quæ conueniãt vnà simul & côueniant, cũ balistis: nec non & oportet quòd astę dictorũ telorũ optimè impennentur, quoniã ipsæ pennæ multũ iuuant ad directè & longè propositum sagittandi. De manubriis verò dictarum balistarum, quæ *teneria* nuncupantur, *nucibus* & *clauibus* prædictarum modicum faciam mentionem: quoniam omnia quæ dicta sunt ad perficiendum prædicta, bona & perfecta procul dubio esse debent, tam arcus balistarum, quàm alia quæ pertinent ad prædictas, ponendo bonum lignamen in opus, & miserum comburendo. Expedit etiam dari tendentibus balistas validas *crochorum* bonorum auxilium & largorũ, prçsertim quòd à parte posteriori sint ampla crocha præfata, & quòd prædictas balistas tendentes vtantur prædictis crochis tam tendendo quàm etiam balistando: eò quòd consuetudo magnam vim confert hominibus ad tendendum, quia vsus in naturam conuertitur, secundùm consuetudinem approbatam. Cæterùm illas balistas tam corneas quàm ligneas oportet per balistarios custodiri præcipuè à sole, pluuia, & à vento, nec non & rore: & quòd ipsæ balistæ coopertæ continuò teneantur, nisi in tantum in quantum ad operandas prædictas, dicti balistarii egerent obsequio prædictarum; & quod in nauigio quilibet balistator succo operta & loco basso, locum sibi habeat deputatum, vbi quilibet balistam suam, dum commodè fieri posset suspensam teneat, vt est mos. Est prçterea quoq; sciendum quòd validiores balistæ tenduntur cum duobus pedibus, quàm cum vno: & securiùs est pro balista: & idcircò in loco vbi balistarii firmiter commorentur ad insidias inferendas, tam in nauigio quàm in terra, in aliqua certa parte debent vti continuò balistis à duobus pedibus, & de aliis, vt de armis in octauo capitulo est narratum. Potest prætera fieri quòd hæc eædem balistæ tela possent trahere quæ *muschettæ* vulgariter appellantur: sed rectæ balistæ quibus istæ muschetæ propriè deputantur, sunt balistæ, quæ *balistæ à pectoribus* nuncupantur: de quibus omnibus periti exercitus facient fieri, & præcipient eis vti quibus balistandi exercitum committentur, præcipuè illis, quæ pro Christianorum armata magis vtiles videbuntur. Similiter & de aliis balistis grossis facient illud idem, vt in prædicto octauo capitulo est narratum. Propter quod, sanctissime Pater mi, benè Capitaneus Sanctæ matris Ecclesiæ debet studere super dictis ædificiis construendis, tam machinis quàm balistis, cum eo toto quod ad suum officium indiget exequendum, & specialiter pro faciẽdo eas lontanarias, vt est dictum: quia quando in illa parte fuerint, vbi dicta ędificia fuerint oportuna ad dictum officium peragendum, multum ab hostibus timebuntur, qui eorum terrore vel metu, eis plateam vel campum concedere compellentur.

CAP. XXIII.

In quo continetur qualiter stipendiarij Sanctæ matris Ecclesiæ, postquàm terram in Aegypti maritima ceperint, antequam ad dictum locum perueniant homines Crucesignati, poterũt cum eorum galeis & lignis, schismaticos & infideles affligere, ac ipsis inferre damna quàm plurima & iacturas. Rubrica, Rubrica.

CÆterum antequam homines Crucesignati, vel quibus solutum fuerit ex recuperatis denariis Crucesignatæ, prout in antedictis capitulis continetur, ad locum Ægypti se transferant supradictum, reuerenter ac humiliter cum fide & deuotione id exponere cupio ac commẽdare vestræ Sanctissimæ pietati, quòd per præfatam gẽtẽ quæ stipendium receperit à Sancta Ecclesia supradicta, hoc est, ex xv. M. peditum & ccc. Sequitibus, qui ad Ægypti maritimam gressi forent, ac cum illis qui erunt illorum causa, in illis fieri partibus poterit supradictis: scilicet quo cõtinuo poterunt galeas & vasa lignea communire, quas ad custodiam maritimarum terrarũ, quæ subditæ sunt Soldano, poterunt destinare, ne ad præfatas terras vllum nauigiũ appropinquet; ac ad damna & infideliũ detrimenta morantiũ in maritimis antedictis, atq; aliorũ infidelium propinquorũ. Sed à prædicto anno in antea quo prædicta gẽs in prçfata Ægyptiorũ maritima castra metata fuerit, ac habitaculũ fecerit, vel aliquod fortilitiũ inexpugnabile in prædicta, in quo securè cũ suo nauigio cõmorantes, adhuc xx. galeæ armatæ poterũt; & annuatim tẽpore cõgruo prędictas mittere foras extra exercitũ iã prædictũ, videlicet ab *Aprilis* medio vsq; ad *Octobris*

medii cõplementum: super quas galeas pro minori numero sint v.M. peditũ armatorum, ac CL. equites in præfatis, qui frequenter terras marinas visitent Soldano subditas & scrutentur; ac quoque aliorum infidelium propinquorum, vt Regis *Tunisii*, *Turcarum*, atque *Græcorum* schismaticorum, vt eis melius apparebit. Et ex hoc verificè dici potest, quòd, velut ferrum domat metalla omnia, molit procul dubio atque secat: Sic & istæ galeæ, vel prædictarum homines galearum, erunt vt domẽt, affligant atque conculcent præfatarum terrarum schismaticos, & cæteros infideles, qui extra ciuitatem vel castrum siue fortilitium poterunt inueniri. Et quòd id quod narratur fieri possit, ista est ratio assignanda: quoniam tales galeæ, vt esse poterunt supradictæ, effigiem venti gerunt; ac tempestati, & fulgori subitò venientibus, poterunt comparari, maximè terræmotui: cùm de galeis tam benè ad remos aptis, paratisque, gente sollicitâ & sagace nemo possit citiùs noua ferre, quàm homines prædictarum, propter iter magnum quod facient nauigando. Nam dum infideles ipsas fore in Syria cogitabunt, se præfatæ inuenient in Turchia. Et certè dici potest, quòd *Mare, maius est nemus, quod in mundo valeat reperiri.* Nam dum prædicti homines qui super galeis fuerint iam prædictis, ad aliquam partem inuadendam, seu etiam transcurrendam volent & cupient subitò se transferre, infra tantum spatium, vt ita loquar, maris pelagus introibunt, quòd nequaquam ab inimicis fidei Christianæ detegi poterunt, donec sol fuerit in Occasu. Qui quidẽ homines pòst in nocte, habitâ in die terræ notitiâ, tali modo facient iter suum, quòd antequam noctis tenebræ totaliter euanescant, ad partem venient atque locum, quò proposuerint velle gradi, ibique descendent de galeis tam pedites quàm equites super terram vt eis immediatè videbitur faciendum: tali modo scilicet, quòd infideles præfati, siue Græci schismatici, de prædictis nulla priùs habuisse poterunt certa noua, facturi postmodum id cum armis, quod Deus iuxta eius gratiam voluerit erogare. Ac iterum esse potest, quòd dictæ galeæ nocte aliquâ peruenirent ad scolium siue Insulam nauigantes, tam specialiter pro recentibus aquis habendis, quàm hac intentione vt maneant in absconso, vt perfidi Agareni vel schismatici vllam possent habere linguam vel certitudinem de prædictis, vt exinde postmodum eis videbitur ad suum libitum voluntatis nocturno tempore ad terras infidelibus subditas transmearent, atque facerent per modum alium quo superiùs continetur. Ita quòd per has vias superiùs nominatas, aut per alias occultas, vt in factis armorum requiritur, & gens istarum galearum atque lignorum domabit, afficiet, & etiam conculcabit hyemali tempore ac æstiuo, taliter infideles dictarum maritimarum ac schismaticorum earũdemq;: quòd summâ necessitate ex illis terris marinis partem magnam exhabitare ac relinquere compellentur, aut ea facere, quæ vestræ placuerit Sanctitati: absque eo quòd dictum est, & dici poterit atque fieri, quod à gente vestræ Sanctissimæ pietatis transmissa per Ægyptiorum flumina atque alia nauigante, inferri poterit supradictis. Ita quòd, Diuinâ gratiâ fauorante, qui sitierunt & sitiunt sanguinem Christianum ipsius gladio necabuntur, ab altitudine superbię in humilitatis foueam declinantes. Ast qui ob suum schisma à Sancta Romana Ecclesia recesserunt, ipsius potentiâ & virtute ac ipsius gladio persequente, schisma suum penitus derelinquent, semitam veritatis, quam eorum prædecessores nouerant, humiliter imitantes.

CAP. XXIV.

De quibusdam prǽuisionibus, ordinibus & cautelis, quæ sunt ad naualem exercitum oportunæ. Rubrica.

XXIV. Estq; nihilominus præsciendum, quòd inter hostiles exercitus, per marina ęquora, in nauigiis transeuntes, ita fiunt *insidiæ*, quemadmodum inter terrestres exercitus fieri consueuerunt, qui quidem ex improuiso inuadentes terrent aduersarios, & de facili eos vincunt: & similiter fit in mari. Quoniam pòst aliquas Insulas seu punctas fiunt insidiæ, vt pugnatores marini ex improuiso in hostes subitò irruẽtes, faciliùs eos vincant: propter quod oportet Capitaneum antedictũ semper antè exercitum duas habere galeas ex melioribus & velocioribus, aptis remis, pro itinere & regressu, vnâ alteram præcedentem, quæ cunctas vadant detegendo Insulas ac punctas & scolia perscrutando: apud quas si quod aduersum ex supradictis insidiis

diis inuenirent, secum teneant & habeant certa signa, quibus dictus exercitus vel armata, quæ facienda fuerint instruatur, vt præuidere sibi valeat & cauere. Et si accideret, quòd *exploratrices galeæ* dicti exercitus Christiani, galeis hostium obuiarent, quæ quidem in tanto numero viderentur, quòd per exercitum Christianũ possent hostiliter impugnari immediatè: ipse Capitaneus fieri præcipiat certa signa per exercitum Christianum à suis exploratricibus signo habito & recepto, per quæ singuli ex prædicto exercitu cognoscant quid agendum sit, quidue similiter deuitandum: hoc est, quòd quilibet locum exigens propriè deputatum, tam à dextra parte, quàm etiam à sinistra, gradiatur iuxta ordinem sibi à domino erogatum. Quorũ 10 Capitaneus vel etiam *Admiratus*, aciem extensam ordinet, ad vel ad instar clypei, siue lunæ, aut per modum alium, vt sibi melius apparebit, præcipiens castra & arma bellica præparari, vt prædictorum vsus requirit & postulat ad prælium inchoandũ. Quibus paratis, & iusto ordine conseruatis, ipse Capitaneus antedictus, seu Admiratus exercitus antedicti, gentem suam quietè aduersus hostes, & suauiter præcipiat remigare. Veruntamen si prædictus Capitaneus siue Admiratus præfatus, vellet extra dictam aciem relinquere cum vno *stendali*, quartum vel quintum numerum galearum, quæ postquam certamen fuerit vtriusque exercitus inchoatum, ab incauto rotare possint & aggredi galeas hostium prædictorũ, à pupibus vel à lateribus prædictarũ, aut præbere suis auxiliũ vbi magis extiterit oportunũ, facere potest hoc ad maiorem industriam & cautelam: quoniam in talibus quantò aliquid cautius 20 agitur, tantò minus periculum tolleratur. Estque similiter quidam modus ad inuadendum aliter dictos hostes, videlicet quòd galeæ velis protensis, galeas hostium inuadant viriliter & audacter: quem modum, cùm periculosus existat, minimè vt fieret commendarem, nisi lucidissima prærogatiua & maxima videretur: quanquã aliqui iam fuerint exercitus qui ex modo præambulo obtinuissent pugnam, vt creditur, si ad certandũ taliter perrexissent: prout inter *Ianuenses* & *Venetos* in Armenia extitit apud *Aiacium* manifestum. Nam pro maiori parte Venetorũ galeæ maximæ erant & fortissimæ, & etiam oneratæ ad impetum inferendum, bonumq; ventum habentes de pelago veniebant. Galeæ verò Ianuensium prædictorum, minores & debiliores galeis suorum hostium existebant, quæ propè terram morantes tenebãt 30 proras paratas vel *armizatas* in contrariũ dicti venti, atq; omnes vnà simul *frenellatæ* inuicem & ligatæ: habebantq; pontes, quibus ab vna galearũ in alteram ire poterãt homines & redire. Eratq; modus alius præliandi ad deprimendam per Venetos Ianuensiũ potentiã, & finaliter expugnandã; videlicet quòd Veneti antedicti, nisi eos nimia *festinantia* impulisset, quæ aliquando licet prosit, obest multũ multoties antedicta, potuissent ex suis accipere aliquas galearũ, aut nauigia aliorũ, in quas ignem potuissent imponere, & succensas ad proras galearũ hostium mittere supradictas: ob quã maneriem seu modũ, oportebat dictum Ianuensiũ hostilem exercitũ diuidi, & finaliter separari: propter quod artificiũ Venetis, Diuino iudicio non obstãte, Ianuenses debebant de iure succũbere, & cedere locũ pugnę. Sed Veneti qui habe- 40 bant circa vicesimũ octauũ numerum galearũ, dum assisterẽt inimicis, deposuerũt vela, prostraueruntq; ea, & quasi minimè collegerunt, antequã ad hostes pergerẽt remigãdò, postmodumq; insultũ Ianuensibus intulerunt: propter quod quædã ex Venetorum galeis, ob ventum flantẽ vehementer, & mare quod ipsius cõmouebatur impulsu siue causã etiã vtriusq;, recto aggressionis tramite ferientes latera proris galearum hostiũ, præbuerunt se opponentes inter galeas suorũ hostium, quæ XXII. erant numero cõputatæ, & vt iã diximus præparatæ, & suarũ residuum galearũ. Ita quòd medietas earundẽ, nec suis conferre auxiliũ, nec hostibus dãnum inferre potuit, interpositis antedictis. Ex quo fuerunt Veneti, captã maiori parte suarũ galearũ deuicti, & à Ianuensibus debellati, anno M.CCXCIII. mensis Martii. Per quẽ quippè 50 modũ, quasi similẽ, apud *Cursolã* in Sclauonia fuerũt expugnati Veneti supradicti: & non modò hæc, verũm etiã suis oculis in oppositum Solares radios assumpserunt, habẽdo *Ianuenses* prædicti circa sexagesimũ, *Veneti* verò, circa nonagesimũ numerũ galearũ: excepto q. Ianuensiũ prædictarũ corpora galearũ, Venetis erãt maiora, & in eis gens in pluri numero collocata. Ad propositũ redeũdo, dicimus, q; cauere debet Capitaneus, vel Admiratus exercitus antedicti, vt anteq̃ cũ hostili exercitu psumat præliũ inchoare, cũ suis omnib. prebeat terga Soli, cuius radios suscipere p aspectũ, magnũ præstat pugnantib. periculũ præliando. Nã hoc patuit per *Pysanos*, qui dum apud quendã locũ, qui *Melora* dicitur, *Ianuenses* peterent debellandos, ob festinantiã

A. Dn. 1293.

propugnandi & nimiam voluntatem, Solis radios non vitantes, qui eorum in pugna continuè oculos verberabant, ab hostibus deuicti fuerunt, & finaliter debellati. Vndè apertè videtur quòd Sol vna ex causis fuerit propter quam Pysani perdiderunt bellum; & Ianuenses terga Soli præbentes, lætam indè victoriam reportarunt. Quod circa annum à Natiuitate Domini *Millesimum, ducentesimum & octuagesimum secundum* vel *tertium*, mense Augusti, asseritur accidisse: entibus Pysanis galeis circa nonaginta, & Ianuensibus circa centum. Præterea est necessarium & vtile dictæ genti, quòd dictę galeæ sint tali modo & manerie *frenellatæ*, quod dum aduersus hostiles processerint pugnaturę, de facili stringant se inuicem & coniungant. Ita tamē quod gyrones mittant in frenella remiges prædictarum, ne aliqua ex galeis hostilibus, intra fidelium galeatum aciem, se figere valeat vllo modo: fiatq; ex parte Capitanei antedicti, seu etiam Admirati, sub priuatione vitæ præceptum, quòd caput pugnatorum cuiuslibet galearum, debeat mandatis Capitanei obedire; nec, quam diu certamē durauerit, & impositus fuerit sibi finis, cessare audeat à prædicto. Et cuncti qui de prædicta armata docti fuerint exercitio balistandi, alii ad tendendum, alii ad sagittandum, dè alii & cæteris ad tegendum, prout vniuscuiusque aptitudo requirit, sint per ordinem deputati, secundùm quod melius & vtilius videretur: nec etiā sibi à locis traditis & præfixis, bello nondùm fine imposito, sub prędicta pœna se audeat absentare. Item quòd in prædicto exercitu vel armata circa quatuor *stendalia* semper adsint pro parte Sanctæ Romanæ Ecclesiæ deferēda, quæ galeis meliùs cōmunitis, prout videretur Capitaneo, conferantur. Qua quidem tunc temporis erigantur, cùm modus vnius exercitus aduersus alterum accipitur feriendi: quoniam magis tutum est pro exercitu Christiano, quàm si ad certandum iret præfatus cum vnico solo tantum. Et si casus accideret quòd infidelium vel schismaticorum exercitus in tanto foret numero, quòd ei obuiare nequiret exercitus Christianus, si ipse euaserit, & fugam ceperit à facie supradicti, nulla ei verecundia imputatur: cùm in armorum exercitio, aliquando fugiendi, aliquando persequendi, vsum talem requirat sagacitas peritorum. Nam hoc agunt *Tartari*, qui magnam partem mundi hactenus vsurparunt. Ob quod oportet Capitaneum vel Admiratum exercitus Christiani facere signum quoddam, ac in acie galearum ordinatè pergere, vt dictū est, præcipientes solummodo super aggredientes suos vndiq; separari, & pręsertim balistarios totius exercitus Christiani, vt superuenientibus & appropinquantibus inimicis agant quod in tali fuerit negotio peragendum. Est prætereaq; sciendum, quòd spicula euadentium seu tela, fugiendo sanciant inimicos, quorum tela, fugiētes lædere nequeunt persequendo. Ob quem modum, diuino remoto iudicio, rarò incurret periculum exercitus Christianus, dummodo galeæ ita sint idoneæ, vt est dictum. Qua de re si galeas nostras insequi contingeret galeas hostium prædictorum, habenda est præuisio & cautela: scilicet, vt ex præfatis, leuiores à lateribus insequentes, & se vrgentes, propinquiùs inimicis balistent, & præfatos saucient, vt eis meliùs apparebit. Estque necessarium, vtile, atque bonum, quod quamdiu prædictus exercitus in nocte moraretur in mari, quælibet galearum vel vasculum ex prædictis, ferat aliquod *supersignum*, quale sibi à dicto Capitaneo impendetur, vt si qua galea extranea vel vasculum ligneum, dictum introiret exercitum, ab aliis cognoscatur. Et si quâ nocte armata in portu aliquo permaneret, ex dictæ armatæ galeis aliqua vel aliquæ in mari, non ente eo tempore procelloso, debet vel debent ad totius armatæ custodiam permanere: nec ob hoc, per aliquam galearum prædictæ armatæ bona est custodia omittenda. Iterumque in die, dum in portu seu apud pūctam aliquam armata residet supradicta, eiusdem Capitaneus generalis, ex dictis galeis ad custodiam deputatis, custodes debet mittere super terram, quęrentes ex propinquioribus locis & altioribus summitatem, vt mare discooperientes vndique atque terram, armatam suam clarè valeant intueri: ad quā si gentem conspicerent modo aliquo accessuram quæ armatæ obesse præsumerent antedictæ, galeis dictæ custodiæ facerent certa signa, ob quæ præfatæ ad armatam subitò accedentes, deferant ipsa noua: vt non solùm dictorum ab incauto armata fidelium, ab aliquibus euntibus vel transeuntibus offendatur; sed etiam à prædicta offendi valeant inimici. Vnum tamen non est vllatenus omittendum, videlicet quòd circa aquam, quæ est ad potandum gentibus exercitus conferenda, specialis cura & diligens

A. Dn. 1282.

10 20 30 40 50

gens

gens teneatur: eò quòd aquâ bonâ carentes multi iam exercitus perierũt. Nec non & ligna pro coquinando in armata præfata sunt similiter requirenda, cùm absque eis dicta nequiret armata commodè sustentari. Multasq; alias præuisiones dictum Capitaneum decet habere, ordines, industrias, & cautelas, quas longum foret scribere & narrare: licet pro maiori parte circa facti substantiam sint narrata. Et idcircò vtile est & bonum, quòd prædictus Capitaneus secum habeat probos viros, qui consueti & instructi fuerint circa negotia supradicta.

Cap. XXV.

10 *Continet descriptionem Riperiæ marinæ Soldano subiectæ, & propriorum nominum de marina, terrarum, portuum ac Insularum, Succarum, & milium, quantò differunt vna ab alia: & similiter partium terrarum Regis Tunisii, quæ quidem cum prædicta Riperia confinia participant.*

A *Caramela* vsque in *Alexandretam*, quindecim milia esse dicuntur, versus Syrocum per Meridiem nauigando. Caramela verò est in confinibus terrarum Regis Armeniæ ad præsens; & similiter dicta Caramela confinium Soldani participat. Ab Alexandreta ad *Prebonelum*, versus Garbinum per Meridiem nauigando, sunt decem milia, & plus etiam dici potest. A Prebonelo ad *Rasagarizir*, nauigando inter Meridiem & Garbinum, milia sunt decem. A Rasaganziro ad focem *fluminis* 20 *Soldini*, nauigando per Syrocum versus meridiem xx. milia computantur: & hęc est *Astaria* montanæ nigræ. Et in Camerata à medio miliari in mari Soldini, vsq; ad vallem quæ dicitur *Tandera*, milia sunt decem, per Garbinum etiam nauigando. In valle præfata portus est. A Soldino vsque ad *Pollcinum*, per Garbinum versus Occidentem nauigando, millia sunt xx. A Polzino vsque ad *caput Gloriatæ*, sunt milia xx. nauigando per Meridiem versus Garbinum. A Gloriata in vsque ad *Laoysam*, id est, Liciam, millia sunt decem, nauigando per Syrocum. Laoycia seu Licia bonum portum habet ad catenam, qui quidem portus habet introitum à Magistro, in cuius ore, in introitu versus Magistrum vna turris est: dicta autem Gloriata, bonum habet operimentum seu parauegium à partibus Tramontanæ. A portu siquidem Laoycæ 30 ad faucem *fluminis Lenæ*, per Meridiem nauigando milia sunt decem. A dicta verò fauce ad Vallaniam, millia sunt quinque, versus Syrocum per Meridiem nauigando: Vallania parauegium est bonum, & operit vsque Magistrum. A Vallania vsque *Mergatum*, castrum fortissimum, millia sunt quinque, per Meridiem nauigando.

XXV.

Ista est Astaria Suriæ, quæ Riperia maritima, seu, littus maritimum nuncupatur.

In primis à Mergato vsque ad ciuitatem *Anteradum*, nauigando per Meridiẽ versus Garbinum, milia sunt xx. A dicta autem ciuitate Anterado ad *Gloriatam* præfatam, per Septentrionem nauigando, sunt milia quadraginta: dicta quippè Insula ciuitatis Anteradensis, bonum habet portum à facie quæ est versus terram: & potest ibi stari versus caput Septentrionis ad Prodéses; & ab omnibus partibus potest 40 introitus dici portus: qui quidem portus à terra firma, per duo milliaria verè distat. Ab Anterado olim nobili ciuitate, vsque *Tripolim*, nauigando inter Meridiem & Syrocum, millia sunt xx. Tripolis autem bonum habet portũ, & super dictum portũ intrando per quatuor milliaria insulæ sunt plures quę *Recini* nomine potiuntur. Et si quenquam venire contigerit ad portum supradictum, sinat stare cunctas Insulas à Meridie, & tantâ ab ipsis Insulis elongetur distantiâ, quãta prodensis vnius & dimidii reperitur: postmodum verò per Orientẽ nauigetur per vnum miliare: deindè per Syrocum per duo milliaria nauigetur: & inueniet scolium, per quod fit portus, in quo fundum trium passuũ reperitur, & à longè vno prodense itur ad dictam Insulam. Infra verò terrã Tripolis supradictæ montes reperiuntur altissimi, super quos 50 montes niues nunquã desinunt reperiri. A prædicta verò Tripoli vsq; *Nephynũ*, per Garbinũ nauigando, millia sunt quinq;. A Nephyno autem vsq; ad *puteũ Conostabilis*, per Garbinum versus Meridiem nauigando, millia sunt quinq;. Dictus autẽ puteus bonum est operimentum seu parauegium capitis positi in mari. A dicto puteo ad *Boldronum*, milia sunt sex, per Meridiem nauigãdo. *Gibeletũ* portum habet pro lignis subtilibus cum catena. A Gibelleto vsq; ad *Beritum*, millia quindecim computãtur, versus Garbinum quartâ venti per Meridiem nauigando. In dicto capite versus Orientem quædam est ciuitas quæ nuncupatur Beritum cum vno castro, apud quod

bonum parauegiũ reperitur versus Orientẽ. Per vnũ milliare ad Græcum, duæ sunt Insulæ vbi portus existit: Verùmtamen, puncta cuiuslibet dictarum Insularum per vnum miliare debet à longè honerari. In introitu versus Græcum, dictum caput Beriti, habet *Saheti* Insulam, à qua per spatium xx. milium distat, per Meridiem nauigando: quę quidem Insulam portum habet & introitum à partibus Tramontanę, in quo potest quis ad Prodenses iuxta præfatam Insulam permanere. Ipse verò portus versus terram firmam, faciem suam tenet, cuius introitus à parte Meridiei paruũ fundum habet. Ac supra dictum Sahetum, vna est montanea furculea seu mons, cui *furcæ Saheti* dicitur vulgariter eloquendo. A dicto autem Saheto ad caput *Seraphandini*, versus Garbinum quartâ per Meridiem nauigando, milia sunt decem. A Seraphandino verò ad ciuitatem *Tyri*, milia sunt quinq;, per Meridiem nauigando. Tyrus autem portum habet, & plura scolia ad Magistrum, quæ omnia dimitti debent à Meridie; & debet intrare quicunq; fuerit per Septentrionem, hoc est versus scolium nominatum quod est à partibus Tramontanæ, qui ab omnibus scoliis supradictis debet Prodensibus duobus & dimidio elongari; vel debet sibi cauere: quoniã in omnibus ipsorum focibus fundum paruum protinus reperitur: & potest ibi stare ad Prodenses, quicunque fuerit penes muros prædictæ ciuitatis. Notitia supradicti Tyri talis est: quoniam quicunque de pelago venerit, furcas prædicti Saheti videbit quæ remanebunt sibi à partibus Tramontanæ; aliosq; montes magnos & altos qui dicuntur *Belignas* vulgariter, qui ei à Meridie remanebunt. A Tyro autem ad *caput Blancum*, milia sunt decem, versus Garbinum per Meridiem nauigando: quod quidem caput altum est; & supra dictum caput montes sunt aliqui valdè magni, qui *Bellinæ* ab incolis illarum partium nuncupantur. A dicto autem Capite ad ciuitatẽ *Acon*, millia sunt decem, versus Garbinum per Meridiem nauigando, donec quicunque peruenerit ad scolia quæ sunt super *casale Lambertum*, posteaq; declinet ad Meridiem versus Syrocum. A prædictis autem scoliis vsque ad ciuitatem Acon sunt infra mare vel in mari, circa tria milliaria plures siccæ. Acon autem portum habet, ibique vnum scolium faciens dictum portum, ad quod scolium Prodenses debent dari: ab Oriente autem *Turris* est *Muscarum*: & si quem venire contigerit ad præfatum portum, nauiget à longè à templo Sancti Andreæ per tria milliaria, propter siccam quæ est super Sancto Andrea, per rectum, donec viderit domum quæ fuit Conostabulis in Turre Muscarum; & tunc poterit facere viam portus: & cùm intrauerit dictum portum, nauiget in tantum intra prædictum, vt *castrum Cayphæ* siue *Porphyriæ* per medium pupis sui nauigii relinquatur, tenẽs dictam Muscarũ Turrem per mediam proram nauigii antedicti: & hunc modum tenendo, securè ire poterit intra portum. A prædicta antem turri vel sicca templi, vsque ad *locum Carmeli*, milia sunt decem, per Garbinum nauigando. Carmelum verò mons est altus & planus, supra mare & in mari, tanquam longam Insulam se ostendens: cuius montis caput quod est supra mare, versus Magistrum respicit, in cuius summitate vna est Ecclesia quæ *Sancta Margarita* vocitatur. A parte autem Septentrionis quædam sicca est, quę per vnum milliare elongatur. A monte autem Carmelo ad *Castrum Peregrinum*, milia sunt quinq;, per Meridiem nauigando. A Castro peregrino vsq; ad *Cæsaream*, milia sunt xx. per Meridiem nauigando. A Cæsarea verò vsque ad *Arzuffum*, milia sunt xv. per Meridiem nauigando. Ab Arzuffo vsq; *Ioppen*, per Garbinũ nauigando, milia sunt decem. A monte autem Carmelo vsq; *Damiatã* nullus mons circa maritimã inuenitur, sed terra subtilis & plana, & habet rupes albas de sabulo. Infra terram sunt montes alti per Astariam gradiendo, qui *Ierosolymitani montes* appellantur: & omnes montes qui videri possunt vsq; Carmelum duplices sunt verè.

Hæc est maritima seu Astaria, quæ à Ioppen vsq; ad Damiatam protenditur.

IN primo à Ioppe vsque ad castrum *Beroardum*, versus Syrocum per Meridiem nauigando, milia sunt decem. A castro Beroaldo vsque *Ascalonam*, milia sunt decem. De Ascalona vsque *Gazaram*, xv. milia computantur, versus Garbinum per Meridiẽ nauigando. A Gazara verò vsque *Darũ*, milia sunt xv. per Garbinũ versus Meridiẽ nauigando. A Daro ad *caput Beroardi* milia sunt xxx. à capite pelagi Rixę per Garbinũ. A capite Beroardi in fundũ *Culsi Rixæ* per Syrocũ nauigãdo, milia sũt xxx. Ab illo capite à Meridie per Occidentẽ versus Magistrũ, milia sunt xxx. A prædicto verò capite ad *caput Staxi*, per Garbinum nauigando, xxx. milia computantur: dictum

dictum Staxum Culfum est, quod circumuoluitur per spacium xx. milium. A Capite Staxi ad *Rasagasaron*, versus Garbinum per Occidentem nauigando, milia sunt L. A Rasagasaron vsque ad *Faramiam*, versus Garbinum per Occidentem nauigando, milia sunt xxx. A Faramia vsque ad *flumen Tenexæ*, milia sunt xxv. per Occidentem nauigando. A flumine Tenexæ ad *Damiatam*, versus Magistrum quarta venti per Occidentem nauigando, LX. milia computantur. Damiata ciuitas est, cuius flumen magnum est: quoniam fundum introitus fluminis supradicti, dum aquæ in descensu fuerint, in minori, circa sex palmos possunt veraciter computari; quando verò aquæ sunt plenæ, tunc earum fundum, circa palmos xi. altitudine extimatur. A ciuitate Acon vsque Damiatam per Garbinum nauigando, CCLXXV. millia computantur.

Ista est Astaria quæ à Damiata vsq; in Alexandriam computatur.

PRimò à Damiata vsque *Burlum*, per Occidentem nauigando, LXX. milia esse dicuntur. A Burlo ad focem *fluminis Sturionis*, est pelagus quod est spatium xxx. milium, nauigando inter Occidentem & Garbinum: dictus verò pelagus est rotundus, & circumuoluit se milia per xxx. qui quippe pelagus antedictus habet faucem latam amplitudine quinque milium à Magistro. A fauce autem fluminis Sturionis vsque ad faucem *fluminis Raxeti*, sunt milia XL. per Occidetalem versus Garbinum nauigando: dictum autem flumen Raxeti magnum est, habens fundum decem palmorum aquæ, existente præfato flumine in siccitate maiori: cùm autem aquæ præfati fluminis plenæ sunt, XV. palmorum aquæ in fundo fluminis reperitur. A Raxeto autem ad turrem *Bolherij* seu Insulam, sunt milliaria xxv. nauigando per Occidentem. supra dicta Insula duæ sunt turres, propè quas bonum parauegium reperitur. Ab ipsa verò turre Bolcherii vsque in *Alexandriam* ciuitatem, per Garbinum nauigando, XVIII. milia computantur. Cæterùm Alexandria supradicta, magna est ciuitas atq; pulchra, quandam punctam habens de foris, cuius confines quotidie à maris fluctibus inundantur: supra quam punctam est vna turris, quæ *Farum* communiter appellatur, ob quã habetur ciuitatis notitia supradictæ. Si quis verò venerit de Pelago ab Oriente seu à Græco vel à Septentrione, videre poterit dictum Farũ: similiter & si venerit à Magistro, & dicta turris Fari videbitur quoddam vellum. Ipsa autem ciuitas duos portus habet: vnum ab Oriente, cui dicta turris Fari dominatur: & si quis venerit ad portum adhæreat scolio quod *Memon* vulgariter appellatur, existens iuxta turrem quæ dicitur *Faurum*, & eat à longè à scolio supradicto, vno Prodense & est inter Meridiem sicca vna; & poterit tenere Prodenses ad Memon scolium supradictum. Alter verò portus Alexandriæ, est à parte Occidentali, in quo portu est introitus ab astaria quæ est à partibus Occidentis: cui Astariæ, si quis intrare voluerit dictum portum, debet penitus adhærere: cuius portus introitus est per canales. Ab Alexandria vsque *Acon* sunt milia CCCCXL. per Græcum tertiã venti versus Orientem nauigando. Ab Alexandria vsque *Damiatam*, habetur fundũ tot passuum per quot quis distat milia à maritima prædictorũ: hoc est, pro quolibet miliari, fundus vnius passus aquarum reperitur. In fundo autem *fluminis Sturionis*, fundus coloris rubei reperitur, super quo Sturione, plures palmarii sunt dactilos producentes. Ab Alexandria ad *Turrem Arabum*, per Garbinum, millia sunt xxx. A turre verò Arabum vsque ad *Gulfum Arabum*, per Garbinum, sunt millia quinquaginta. A fundo verò Culfi Arabum vsq; ad *Karuberios*, per Magistrũ versus Occidentem, sunt millia XL. A Karuberiis ad *Crespas albas*, per Occidentem millia sunt xx. Notitia vero Cresparum albarum ista est: quoniam per plures monticulos ostenditur terra alba, & supra scripti Karuberii remanent à parte Orientali, vbi videbuntur plures archæ vastæ intra monumenta fracta, rupes albas: per duo milliaria versus *Culfum Raxoriorum*, est quædam Insula plana, quæ remanet à Greco ad rupes albas: quę quidem Insula bonum habet portum, & habet sex passuum fundum planum; & possunt Prodenses dari ad Insulam supradictam, anchoræq; versus terram firmam poterunt impartiri. A dicta verò Insula vsque ad *Culfum Rasoriorum*, millia sunt xx. nauigando quartã venti per Occidentem versus locum qui *Beleze* dicitur. A Culfo verò Rasoriorũ, quò vsque ad *portũ Soldani*. cx. millia esse dicuntur à Leuante quoque, & à Ponente: dictus autem portus retinet os strictum, & similiter custoditur à Saracenis Soldani: in dicto verò portu magna largitas reperi-

tur, quoniam in eo multæ naues possent atque galeæ morari. A dicto autem Culfo vsque ad præfatum portum, nullum bonum statium reperitur, sed malus fundus, asperosus, contrata quidem plana, atque multæ siccæ reperiuntur. A portu quidem Soldani, vsque ad *Insulam Columborum*, sunt millia decem, inter Ponentem & Magistrum nauigando: dicta Insula distat in mari longè per vnum milliare, & intratur à Leuante & à Ponente: Os per quod intratur à Ponente subter aquam multas retinet siccas. Ipsæ verò dictæ siccæ faciunt portum ab astaria vsque ad prædictam Insulam: Os per quod intratur à Leuante est nitidum, & debet honerari Insula per dimidium vnius milliaris. A puncta autem Leuantis inuenies fundum decem passuum, & debet morari longè ab Insula per duos prodenses cum galeis. Et dicti scolii coopertum habent ab omnibus ventis, saluo quàm à Leuante qui incedit per Riperiam. Dictæ Insulæ sunt planæ, quoniam non apparent nisi circa decem millia in mari: Sed cognitio est vnius Casalis quod est in astaria à capite Leuantis. Et si quem venire contigerit ad astariam per dimidium dictarum Insularum à marina, inueniet aquam dulcem. Ab Insula autem Columborum vsque ad *Punctam Ramedæ*, nullum bonum statium reperitur, nisi quòd crescunt montaneæ à marina à latere Insulæ per totam Barbariam. A puncta verò Ramedæ vsque ad *portum Salon*, xx. sunt millia, nauigando per quartam Ponentis versus Garbinum: & est bonus portus, & rectè bonum habet introitum. A portu autem Salon, vsque ad *portum Malsamarum*, xx. sunt millia, inter Ponentem & Magistrum nauigando. A portu verò Malsamar vsque ad *caput Luchi*, xv. millia esse dicuntur à Syroco & à Magistro: dictum caput Luchi est siccum foris per dimidium vnius milliaris. A capite verò Luchi, vsque ad *portum Trabuchi*, LX. millia rationabiliter computantur, nauigando per quartum Ponentis versus Garbinum: dictus portus vnam retinet siccam à capite Ponentis; & si quis occurrerit ad portũ manu teneat astariam Leuantis. A portu dicti Trabuchi, vsque ad Insulam *Patriarcham*, XL. millia esse dicuntur, nauigando per quartam Ponentis versus Magistrum. Ab Insula Patriarcha, vsque ad *caput Resaltini*, millia sunt xxx. à Syroco, & à Magistro: dictum caput, per dimidium vnius miliaris vnam siccam obtinet. A capite Resaltini vsque ad *Fauaram*, millia sunt decem, nauigando per quartam Ponentis versus Garbinum. A Faura, vsque ad *Forcellum*, decem sunt millia, nauigando per quartam Ponentis versus Garbinum. A Forcello, vsque ad *Carse*, millia sunt xx. à Leuante & à Ponente. A Carse verò vsque ad *Bonandream*, millia sunt L. à Leuante & à Ponente: dictus Bonandrea habet portum, qui cooperimentum congruè retinet ab omni vento, saluo quàm à Græco. A portu verò Bonandreæ, vsque ad *Insulam Sulsæ*, millia sunt xx. à Leuante & à Ponente: prædicta verò Insula statium retinet salutare. Ab Insula verò de Sulce vsque ad caput *Resalsem*, milia sunt LX. à Leuante & à Ponente. Ex parte verò capitis dictæ Insulæ in mare, dulcis aquæ quatuor flumina dilabuntur. A capite verò Resalsem vsque ad *Tolmetam*, millia sunt centum, à Græco & à Garbino: dicta Tolmeta super capite duos retinet paruunculos scolios. A Tolmeta verò vsque ad *Berniges*, millia sunt LXX. nauigando per quartam Garbini versus Austrum: dictus Berniges bonum retinet portum; sed quædam sicca reperitur à puncta dimidii diei: & si quem venire contigerit ad dictum portum, teneat astariam Leuantis.

Cap. XXVI.

Maritimæ contratæ cui Rex Armeniæ dominatur, à confinibus subiectis Soldano, ac etiam partibus Turchiæ à latere Septentrionis.

XXVI. A *Cramela* vsque ad montem *Caybo*, per Magistrum, xx. millia computantur. A monte Caybo ad *Laiacium*, per Occidentem versus Garbinum nauigando, spatium xv. milium computatur. A Laiacio ad *portum Pallorum*, nauigando inter Garbinum & Occidentem milia sunt decem. Laiacium portum habet & siccam vnam ante se, quæ scolium dici potest, ad quam quidem siccam prodenses figuntur, & ancoræ versus terram firmam. A dicto autem portu Pallorum, ad faucem fluminis *Malmistræ*, millia sunt decem, nauigando per Garbinum: Et notandum est quòd puncta dicti portus Pallorum debet per dimidium milliaris honorari: Et si ad præfatum portum quis accesserit, vnum inueniet ibi pallũ, quod super puncta dicti

dicti portus Pallorum fixum manet continuè: & caueat sibi à pallo portus proximè antedicto. A prædicta autem fauce fluminis Malmistræ vsque ad *Malo* milia sunt decem, versus Magistrum per Occidentem nauigando. Malo portum habet, qui coram se duas habet paruunculas Insulas, quę sunt distantes quarta milliaris à terra firma, & prodenses tenentur ad Insulam; ancoræ verò versus terram firmam figuntur, vbi duorum passuum vsque ad tres aquarum profunditas reperitur. A Malo autem, quod est quoddam castrum, vsque ad faucem *fluminis Adenæ*, nauigando per Occidentem versus Magistrum, millia sunt viginti. A fauce fluminis antedicti, vsq; ad faucem *fluminis Tarsi*, millia sunt xx. nauigando per Occidentem versus ventum qui dicitur Magister. A fauce verò Tarsis vsque ad *Curcum* versus, Garbinum versus per Occidentem, xl. millia esse dicuntur: coram autem dicto curco, quædam Insula inuenitur. A Curco autem vsque ad punctam faucis fluminis *Saleffi*, millia sunt decem, cum Garbino versus Occidentem nauigando. A flumine verò de Saleffo vsque ad *Lenam de Labagaxa*, millia sunt decem, à Græco & à Garbino: dicta autem puncta de Labagaxa est valdè plana, & in fundo sunt arenæ, & paruam habet aquam in mari benè per vnum milliare. A Lena verò de Labagaxa vsque ad *portum Pinum*, millia sunt xv. à Syroco & à Magistro: prædictus portus, bonum habet spacium, & bonum fundum retinet. A portu verò Pini vsque ad *portum Caualerium*, decem millia sunt, nauigando per quartam Ponentis versus Garbinum. Dictus verò portus, bonum habet statium, & bonum retinet fundum. A portu autem Caualerio vsque ad *portum Prodensalium*, xv. millia computantur, à Leuante similiter & Ponente: dictus scolius habet statium intus, atque magnum fundum retinet: & in dicto scolio sunt quædam muralia, vndè illic propè est statium. A Scolio verò Prodensalium vsque *Sequin*, millia lx. esse dicuntur, per quartam Ponentis versus Garbinum nauigando: in dicto verò Sequin, possunt anchoræ figi, & indè coopertam recipit à Ponente: similiter habet vnum flumen quod labitur in mari. A Sequin vsque ad *Stallimuros*, millia sunt viginti, à Græco & Garbino: in dicto verò Stallimuris, possunt ancoræ figi, & similiter coopertum habet à Ponente. A Stallimuris vsque ad *Calandro*, xxx. millia computantur, à Syroco quoque & à Magistro; & bonum portum retinet. A Calandro autem vsque ad *Salmode*, xxv. sunt millia, nauigando per quartam Magistri versus Ponentem. A Salmade verò vsque ad *Anthiocetam*, xx. millia esse dicuntur, nauigando inter Ponentem & Magistrum. Ab Anthioceta vsque ad *Castrum Lombardum*, xxv. millia computantur, per quartam Ponentis versus Magistrum nauigando. A Castello autem Lombardo vsque ad *Candelorum*, decem millia sunt, à Leuante siquidem & Ponente. Prædictus Candelorus ciuitas est portum habens, & facit sibi operimentum vsq; Garbinum. A Candeloro ad *Scolium Sancti Fochæ*, xxx. millia computantur, nauigando inter Ponentem & Magistrum: A dicto autem Scolio Sancti Fochæ vsque ad *Sataliam senem*, millia sunt xl. nauigando per quartam Magistri versus Ponentem. A Satalia verò vetere vsque ad *Sataliam nouam*, quadraginta millia esse dicuntur, à Ponente & à Leuante. Item prædicta Satalia noua, est magna ciuitas, habens scolium antè se benè per octo milliaria foras in mari: qui quidem scolius propriè nominatur *Agiopendi*: & ibi bonum statium reperitur. A Satalia quidem noua vsq; *Renathiam*, milliaria sunt xv. dicta Satalia bonum & securum ex parte terrę habet portum, in quem dilabitur quoddam flumen. A Renathia vsque *Cyprianas*, milliaria sunt decem. Prędicta Renathia bonum habet portum in Insula, ex parte maris & terræ securum: habetque aquam fluminis copiosè. A Cyprianis ad portum *Ianuensem*, milliaria sunt decem: portum securum habet, dum à Turchis sibi caueant illi de portu ex parte marina & terrestri, qui portus in Plagia sufficienter fluminis habet aquam. A portu Ianuensi vsq; *Chipascum*, octo millia computantur: bonum portum & flumē obtinet; tamen sibi caueant à gente ex parte terræ. A Chipasco vsque *Cambruxam*, millia sunt sex: bonum habet parauegium, & affluenter aquam: à quo portu quædam Insula distat circa tria milliaria infra mare. A Cambruxa ad *Scolia de Childoniis*, milliaria sunt decem, sed parua: habet enim parauegium, & vbi ancoræ infiguntur: videtur tamen statium timorosum ex parte maris, quamuis à gente ex parte terræ possit esse securum. A scholiis de Chilidoniis ad *Sanctum Stephanum*, milliaria sunt tria: bonum habet portum, & in habundantia aquam; dubium tamen à gente ex

parte terræ. A portu Sancti Stephani vsque ad *Scolia Finigha*, milliaria sunt quindecim: bonum habet portum in scoliis, & iuxta terram, qui aquam habet fluuialem; dubius tamen est ex parte terræ, distatq; ab eo quoddam Casale magnum infra terram sex milliariis: in montanis quoque vicinis tam Græci quàm Turci faciunt mansionem. A Finigha ad *Sanctum Nicolaum de Stamiris*, milliaria sunt quindecim: bonumque habet portum ex parte maris securum; ex parte verò terræ, custodia est adhibenda: dictus portus os retinet strictum, aquamque dulcem in dicto ore scaturientem quæ in mare dilabitur. De Sancto Nicholao de Stamiris vsque *Caccabum*, milliaria sunt quinque: habet bonum portum, & in scoliis aquam cisternarum, & per oppositum portus est astaria; custodia tamen propter malam gentem adhibenda, ex parte terræ. De Caccabo ad *Insulam de Correntibus*, milliaria sunt xx. bonum habet parauegium securumque à gente ex parte terræ, & aquam vberrimè cisternarum. Ab Insula de Correntibus vsque *Ghyam* miliaria sunt quatuor: bonum habet portum, ex parte maris securum; dubium tamen ex parte terræ: in splagia verò fluminis habet aquam. A Ghya ad *Insulam Castri Rozi*, milliari a sunt xx. bonum habet portum, & aquam affluenter, nec dubitatur ex parte terræ; estq; portus iuxta astariam, & circumcircà sunt multæ siccæ. De castro Razo ad Insulam de *Polcellis*, milliaria sunt xv. ibiq; bonus est portus ex parte terræ securus; bonam tantùm aquam non habet: infra dictam Insulam & terram firmam sub aqua tribus pedibus magna sicca reperitur. A dicta Insula de Polcellis vsq; ad *Megradicum* sub Patra, milliaria sunt xv. bonum habet portum ex parte Orientis aqua tamen carentem; & ex parte terræ custodia est adhibenda. De Megradico ad *Perdichias*, milliaria sunt triginta: bonum habet portum, & aquam copiosam; nec dubitatur ex parte terræ. A Perdichiis ad *S. Nicholaum de Liuixo*, milliaria sunt quatuor: bonum portum retinet, aquamque affluenter; nec dubitatur ex parte. De S. Nicholao de Liuixo ad caput *Trachili*, sunt milliaria quinque: bonumq; habet portum, aquam in habundantia in Insula Cisternarum; nec dubitatur ex parte terræ. A Trachilo vsq; ad *portum terræ de Macre*, milliaria sunt xv. bonum habet portum, in cuius introitu, sub aqua circa duos vel tres pedes est quædam sicca; aquamq; habet potabilē in affluentia, nec ex parte terræ aliquatenus dubitatur. De Macre vsq; *Copim*, milliaria sunt decem: bonumque habet portum & tutum, tam ex parte maris, quàm terræ: aquam in Insula copiosè retinet cisternarum. De Copi vsque *Guiam*, milliaria sunt viginti: bonum portum habet, ex parte terræ securum, aquamque affluenter, tam in Insula quàm etiam Astaria. A Guia vsque *Prepiam*, milliaria sunt decem: habet æstiuo tempore bonum portum, dum ex parte terræ securitas habeatur: Deindè intratur flumen quod septem pedum altitudinis habet aquam. Hocq; modo onerantur nauigia quæ deferunt lignamina in Ægyptum.

CAP. XXVII.

De Crucesignatis à S. Romana Ecclesia stipendiatis, cùm ad Christicolarum exercitum applicauerint, de Ægypto, quod Nili flumini debeat rationabiliter dominari: In quo etiam ostenditur qualiter Raxeti Insulam poterunt occupare: & de numero prædictorum, ac quanto poterunt deconstare: ostendendo prætereà quòd infideles rationabiliter Christi fidelibus terram Ægypti relinquere compellentur.

NVnc autem inspiciendum est, meditandum perspicaciter, & credendum, quòd cùm gens Crucesignatæ, vel qui solutionem receperint ex denariis Crucesignatæ receptis à Sanctæ Ecclesiæ fidelibus, prout superiùs cōtinetur, quæ per Christianorum partes mundi prædicata fuerit vniuersas, ad locum peruenerint, vt est dictum, vbi Christicolarum exercitus in prædicta maritima castra metatus fuerit seriatim: qui exercitus paratum se inueniet, & munitum, tam de nauigio, quàm de aliis necessariis, vt est opus, & genti armigeræ aquæ dulcis conuenit atque terræ. Qui omnes indifferenter L. milia peditum: & duo milia equitum reperiantur ad stipendium deputati: numerando in hoc prædicto numero xv. milia peditum & ccc. equites, qui in prima parte huius secundi operis continentur: sperandum est in Deo, & procul dubio confidendum, quòd cum auxilio eiusdem, nomine cuius geretur negotium supradictum, indubitanter Nili fluminis dominium obtinebunt: qui

qui si prædicto dominabuntur vel fuerint dominati, statim *Raxeti* habebunt *Insulā* cum quiete: quæ non modicum reputatur: & in qua fortilitium construere possunt subitò: & ad eorum libitum voluntatis ibi facere mansionem, vt eis videbitur facienda; & specialiter à superiori capite siue parte; quæ Kayro propinquior est, ac etiam Babyloni. Itaque considerandum est, quòd propter immensum dextrum ordinem & virile brachium exercitus dictæ gentis Christicolæ, atque nauigii supradicti, satis breuiter totum residuum Ægyptiæ prouinciæ conquiretur, ac ratione præambulâ vestræ subiugabitur Sanctitati. Et si vestra Sanctitas minimè dignaretur tantum numerum congregare, quantus superiùs continetur, posset nihilominus pertransire, ac ad finem bonum perducere dicti Ægypti negotium, cum XL. millibus peditum & mille equitibus, stipendiatis ita ordinatè, vt superiùs est narratum, ente præfato flumine Ægypti in eo statu in quo permanet in præsenti. Et si quis arguere vellet & dicere: *Tu forsitan meditaris Tartaros tibi fauere & suffragium commodare: fortè poterit esse quod contrary tibi erunt, quoniam magna ex ipsis pars conuersa est ad sectam perfidi Machometi. Qui videlicet Tartari in Aegyptum possent descendere, dictæ sectæ fauorem & subsidium impensuri. Sunt præterea Turchi, ac etiam alij Saraceni per Romaniam & alias vniuersas partes Orientales diffusi, qui eis similiter fauorem & auxilium erogarent: nec non Arabes, ac aliqui ex aliis de Africa Saracenis: qui omnes vel personaliter Aegyptiis succurrerent supradictis, vel eis fauorem & auxilium destinarent.* Huic petitioni potest taliter responderi: quòd cum DEI auxilio gente vestræ Beatitudinis in tanto numero existente, vt dictum est, cum ordine ac munimine iam prædictis, ipsi, vt continetur superiùs, rationabiliter debent Nili flumini dominari. Et si prædicti fluminis dominium assequentur rationibus supradictis, vel magnam partem dictæ terræ Ægyptiæ occupabunt, vel ipsam quasi totaliter dissipabunt. Ita quòd ex hoc sequitur, quòd quantò maior reperiretur Saracenorum numerus in Ægypto, tantò breuiùs & velociùs laudabiliter dictum negotium finiretur, postquam terram custodire nequirent, nec eam taliter defendere, quin Christiani prædicti diruerent & consumerent prælibatā, eò quòd victualibus quibus infideles iam prædicti sustentari deberent, carerent omninò; nec aliundè in Ægyptum duci vel ferri possent victualia supradicta, propter rationes desertorum superiùs assignatas; nec per mare sibi vllatenus ferri possent, quoniam à vestra gente custodiam reciperet & tutelam; nec à parte superiori ipsius Nili, nec ex Æthiopia, nec etiam aliundè, in tanta quantitate victualium sibi posset subueniri auxilio, quanta prædicti Ægyptii indigerent. Ita quòd ipsos extremâ necessitate compulsos oporteret recedere, & ob famem relinquere dictam terram. Pro quibus omnibus & singulis suprascriptis, potest conspici satis clarè quòd terram Ægyptiam tueri nequeunt infideles, nec genti potenti vestræ clementiæ contra ire, ente præfato in tanto numero quantus est superiùs assignatus. Cui quidem genti vestræ si DEVS Omnipotens hanc dignetur gratiam impartiri, vt quod corde fideliter peroptabunt operibus exequantur: scilicet, vt Ægyptum capiant supradictum: prædicta gens vestra, nomine & vice Sanctitatis vestræ, tam immensum thesaurum ex ea extrahere poterunt, atque dextrum, quòd magnum quid esset exprimere & narrare: scilicet, tam de terra propria Ægypti, omnia terræ nascentia percipient & habebunt, quam etiam ex omnibus aliis partibus, cursus & transitus mercationum omnium de India in totum auferent, facientes ipsas descendere per Ægyptum, vt exindè ad partes Occidentales, mercationes prædictæ commodè transferantur. Et cum suffragio, quod à vestra dabitur Sanctitate, tanta ibi gens poterit retineri, quòd non solùm Sancta Terra Promissionis, quæ diu extitit ancilla canibus, & tributaria Saracenis, per gentem vestræ Beatitudinis, DEO existente propitio, conqueri poterit violenter: sed etiam cæteri vndique infideles atque schismatici procul dubio subiugabuntur dominio Christiano, qui ad verum cultum nominis IESV CHRISTI, eorum seuitas, nequitias & schisma totaliter delinquentes, velint, nolint conuertentur, Christianorum gladio persequente. Et quando aliquis dignaretur velle perquirere diligenter, quanto possent prædicti equites & pedites rationabiliter deconstare stipendium atq; victus, cum aliis sumptibus, mense quolibet, atq; summa primi anni: Huic petitioni potest cum reuerentia responderi: quòd XXX. millia

hominum armatorum, *tribus florenis aureis* singulariter, mense quolibet deconstarent: qui summatim sunt in mense, x c. millia florenorum. Præterea x. millia hominum, singulariter vnus alium adiuuando, in mense quinque florenos aureos deconstarent: qui summatim ascenderent L. millia florenorum. Victus verò omnium x L. millium pugnatorum esset in mense xx. millia florenorum. Præterea *equites* prælibati, cum stipendio, victu atque restauratione, possunt singulariter deconstare xxx. millia florenis aureis quoquo mense: ita quòd summatim deconstaret in mense, aureorum xxx. millia florenorum. Nec non & pro *Ambaxiatoribus* ad Tartaros destinandis, cum muneribus ad ipsos deferendis, ac ad alias gentium nationes, cum aliis quoque expensis hiis similibus faciendis, possent deconstare in mense v. millia florenorum. Ita quòd per totum, mense quolibet, deconstarent aureorum c x c. millia florenorum: quæ quidem esset annuatim summa x x I I. vicibus centum & octuaginta millia florenorum: habendo semper, vt dictum est superiùs, bonam gentem. *Nauigium* & *lignamen* ad habitaculum faciendum, ac *arma* & alia paramenta pro exercitu conseruando, quemadmodum est narratum, pro hac gente signata principaliter signo Crucis, posset ascendere vsque ad summam c c. millia florenorum de auro. Præterea pro *Prælatis*, qui fuerint in exercitu, fratribus, clericis sæcularibus, & infirmis ac mulieribus, vt est dictum, entibus in præfato, & pro alienigenis quibus fuerit dispensatus, ac aliis expensis, ad exequenda largè & liberaliter, quæ fuerint oportuna, primo anno forsitan expendentur c c c x x. millia florenorum, cùm vbi dixerim de victu x L. millium hominum, in necessitate quinquaginta millibus hominum rationabiliter dari poterit de prædicto. Quæ quidem summa est per totum x x v I I I. vicibus centum millia florenorum, in primo anno. Verùmtamen in anno sequenti, in quo sperandum est in D E O, quòd Ægypti negotium compleretur, prædicti homines cum nauigio, lignamine ac aliis paramentis non constarent vltra xx. duabus vicibus aureorum c. millia florenorum: propter multimodas rationes, quæ possent loco & tempore rationabiliter assignari. Ita quòd per totum in istis duobus annis deconstarent hæc omnia L. vicibus aureorum centum millibus florenorum: computando florenum, vt dictum est superiùs in prima parte huius secundi operis, soldos duos Venetorum grossorum: ad exequenda negotia supradicta bene & rationabiliter atq; largè.

Cap. XXVIII.

In quo quædam petitiones & argumenta contra Christicolarum potentiam opponuntur: videlicet quòd terra Aegyptia subiugata, quomodo terram Ierosolymæ atque Syriæ aduersus Soldani potentiam & Tartarorum ac etiam Infidelium cæterorum, Christiani sibi poterunt vsurpare: & de ipsarum solutione facta propter adiacentias Ierosolymiæ & Syriæ antedictæ: nec non & de Tartarorum amicitia vendicanda. Rubrica.

XXVIII. ET si quis dubitaret aut vellet quærere: Narratum est, secundùm quod tuæ discretioni videtur, de modo & manerie, qui tenendi sunt ad terram Ægyptiam conquirendam: Sed quomodo *Terra Sancta* & *Syria* conquirentur, quæ sunt causa principalis, propter quam intendi debet huic negotio diligenter: de qua nulla fuit hucusq; facta nisi mentio generalis: & certum & notorium sit omninò, quòd in Ierosolyma atq; Semo & Syria nulla sunt flumina, lacunæ aut stagna aliqua, propter quæ dictum negotium ad finem bonum & desiderabilem duci posset, vt dictum est fieri de Ægypto? Posset ad hoc taliter responderi & dici: Cuiuslibet Christiani fidelis, pura debet fore intentio atq; nuda & principaliter negotio acquirendi penitus Terram Sanctam, ac valendi eam tenere in statu prospero & tranquillo: Et ideò dictum est, vt negotium ab Ægypti maritima inchoetur. Quoniam absq; ipsa, Terra Sancta conquiri nequiret vllatenus, nec teneri, nec à fidelibus in quiete pacificè possideri. Ad illud quod superiùs narratur, quòd in Ierosolyma nec in Syria nulla sunt flumina, nec stagna, nec etiam loca lacualia, vel lacunæ, quibus infidelibus inferri possit iactura aliqua vel grauamen, propter quas possent finali-

naliter subiugari. Hoc non caret vllatenus veritate: sed ibi mare penitus inuenitur, cui multum adiacent illæ prouinciæ supradictæ, quarum etiam ciuitates, vel in maris confinibus sitæ sunt, vel vicinæ confinibus supradictis: per quod quidem mare multum dicti negotii fieri poterit, inferendo grauamina inimicis. Et quanquam hæc possint fieri quæ narrantur, oportebit vestram Sanctitatem nihilominùs bonam quantitatem militiæ retinere, ac pedestrem etiam bonam gentem: vt violenter possit Ierosolymam & Syriam adipisci; & nauigium maritimum, tam ad remos pro equis ferendis, quàm alia afferenda, quæ dicto exercitui fuerint oportuna. Nunc autem posset opponi, & in contrarium ita dici, Quantum nume-
10 rum equitum & peditum oporteret in dictam Syriam & Ierosolymam transfretare, vt valerent magno equitum posse ac peditum pugnatorum, qui fugati fuerint de Ægypto viriliter obuiare, qui in Syria & Ierosolyma, ex vniuersis infidelium partibus fuerint congregati, ac vniti fuerint, qui nunc habitant in prædictis; magnæque potentiæ Tartarorum, aliorumque Turchorum & Saracenorum, qui in Oriente & Africa commorantur, si vestræ præsumpserint potentiæ refragari. Ad hoc dici potest & verificè responderi, ac in secunda parte huius secundi libri pleniùs est narratum: quòd si Tartari ad Terram Promissionis & Syriæ hyemali tempore gradirentur, in æstatem non haberent facultatem aliquam commorandi, propter intensum æstum, qui in illis partibus reperitur; ac
20 propter defectum pascuorum, quæ ibidem tunc temporis inuenire non possent ad pascendum animalia eorundem. Et idem iudicium sumi posset de Turchis, cæterisque nationibus gentium, quæ venirent de Septentrione in subsidium dictæ terræ; & præcipuè ex eis, qui viuunt de animalibus, quemadmodum de Tartaris est narratum. Præterea quando Tartari, vel gens ab ipsis aliena ad Terram Promissionis accederent, præstando fauorem & suffragium Saracenis, ipsorum accessus, magis eis in damnum quàm in commodum verteretur, quia ibi prædicti nihil aliud agerent, quàm terram consumere & victualibus vacuare. Quibus peractis Capitaneus exercitus Christiani, tanquam sapiens, intuens suo loco & tempore peragenda, æstiuo tempore ambularet ciuitates, & fortilitia erigen-
30 do, & specialiter & principaliter, quæ iuxta maris littora iam fuerunt, ac eas bonâ gente pedestri & equestri optimè muniendo, qui inuaderent & currerent, loco & tempore, supra eos, quandocumq; de sua procederet voluntate, & ex victualibus destruentes, in quantum possent prouincias prælibatas. Et si quis quæreret, quomodo inexpugnabilia fortilitia atque magna, quæ tenentur in Syria & Ierosolyma à Soldano & à subiectis suis Saracenis expugnari poterunt & acquiri: Ad hoc ita potest breuiter responderi, quòd ex victualibus prouincias destruendo, extremâ necessitate compulsos, finaliter & breuiter oportebit eos relinquere terram & fortilitia antedicta, & ob famem abire de terris & fortilitiis prælibatis: quoniam à nulla parte posset auxilium sibi dari, postquam Christiani maris & Ægy-
40 ptiæ terræ dominium obtinebunt, eò quòd Sancta Promissionis Terra & Semi & Syria, quas Soldanus præsentialiter detinet occupatas, ita iacent, ac sunt taliter confinatæ: videlicet, quòd ab vna parte, vt dictum est, versus Occidentem respiciunt, & prædictæ prouinciæ iacent supra mare; à duabus verò partibus, tam à Meridie, quàm ab Oriente sunt deserto circumdante valdè magno. Verùm tamen si quis exigeret. Est ne aliqua mansio in aliquo istorum desertorum? Ad hoc potest taliter responderi: quod sic est, præsertim in deserto, cum terra Alapii terminat suos fines in quo habitant *Arabes*, qui *Beduini* vocantur, in *Beria* continuè habitantes, seu in locis campestribus, sub tentoriis mansiones suas omni tempore facientes, & viuentes pro maiori parte ex bestiis quas conducunt. Qui qui-
50 dem ad currendum bonos habent equos præcipuè ac veloces, se tenentes aliquando parti Saracenorum de Babylone; aliquando parti communicant Tartarorum, cum quibus confinant, & maximè cum contrata Baldachi, cui prædicti Tartari dominantur. Præterea terra quam tenet Soldanus à parte Septentrionis, confines habet cum terra cui Rex Armeniæ dominatur, ac super *flumine Aquæ frigidæ*, quæ confines habet cum Tartaris, vt narratur. Cuius terræ longitudo est a Septentrione, eundo per signum Meridiei; ac eius artatio ab Oriente in Occidentem extenditur: ac etiam omnia flumina, quæ reperiuntur in hac terra,

cui Soldanus nunc temporis dominatur, quasi per transuersum dictæ terræ, non per longum quotidie dilabuntur. Qua de re, nec Tartari nec aliarum gentium nationes præfatæ terræ, aliquod possent suffragium impartiri, nisi immensis laboribus, & Salmarum sumptibus valdè magnis. Et si quis exigeret ac dicere vellet: quomodo consumes tu Terram Promissionis & Syriæ, habente Soldano tantam gentis copiam ac tenente? tu nequaquam in bello campestri secum poteris hostiliter præliari. Ergò quomodo istæ ciuitates reædificari poterunt, & fortilitia erigi vel aptari, vt resistere valeas Soldani potentiæ, vt est dictum? Huic potest responderi taliter, atque dici: quòd postquam mare fuerit liberum genti vestræ, quæ nauigium sibi aptum habeat habundanter, in quo resideant gentes multæ, conducendo quò voluerint cum bona equitum quantitate, ac pedestrium pugnatorum, & ferendo eos ad terram super quam ad suum libitum descendere voluerint affectanter, non est vllatenus dubitandum, DEI suffragio mediante, quin satis possint securè gradi, & descendere super terram; eamque tunc viriliter hostibus subtrahendo, ac se taliter roborare, quòd antequam inimicorum potentia ad partem accederet in qua essent, forent taliter roborati, quòd ab ipsis nullum posset eis damnum incumbere nec grauamen. Eodemque modo possent in terram ponere gentem equestrem & pedestrem, quandocumq; suæ prudentiæ videretur, & currere contra hostes; & per hunc modum & viam, possent contratam destruere, & consumptioni mandare, vt victualia nequeant inueniri: quoniam maritima Terræ Promissionis & Syriæ, circa CCCC. potest milliaria extimari. Ita quòd multitudine gentis quam Saraceni haberent, nullo modo possent dictam maritimam custodire, nec tantùm ipsam defendere à fidelibus, quin præfati Christicolæ eam, vt dictum est, consumerent quando vellent. Ita quòd rationibus supradictis, & aliis quæ dici possent, & loco & tempore assignari, loquendo humiliter & deuotè, satis clarè & etiam manifestè videri potest, quòd acquisitâ terrâ Ægyptiâ, Ierosolymam, Terram Sanctam, & Syriam tueri aduersus Christianos nequeunt infideles, tenendo illum ordinem atque modum, qui superiùs est narratus. Et vt est ostensum de ipsis prouinciis iam prædictis, sic similiter ostendi potest de multis aliis terris & prouinciis, quibus infideles aut schismatici dominantur: super quibus potest talis ratio assignari: Quoniam quando vestra Sanctitas teneri præcipiet tam magnum nauigii numerum benè fulti ac protinùs apti remis ad ferendos equos; ac etiam aliud nauigium pro ferendis rebus aliis necessariis exercitui supradicto, & pro ferenda gente equestri similiter & pedestri, ad descendendum super terram ad libitum suum, dum facultas eis affuerit armatâ manu & animo virtuoso, veluti facultas vestræ affuerit Sanctitati, tam de illo quod trahetur à paterna vestra dominatione ex terra Ægypti, quàm etiam ex eo quod vestra Sanctitas poterit erogare, ex eo quod per vos trahi poterit, à vestris subditis & fidelibus, vt superiùs est narratum, nequaquam cum DEI auxilio, est vllatenus dubitandum, quòd, considerando vt iacet, & confines tenet supra mare totum *Imperium Romaniæ*, quod magnum quid est, tam illud quod occupatum est à Turchis, quàm id quod à Græcis schismaticis defensatur, ac ab aliis gentium nationibus, quæ sibi tenent subiugatam, & occupatam præfatam terram Imperii supradicti, quin vestra gens taliter ordinata, vt superiùs est narratum, cum nauigio supradicto, ipsam suæ subiugauerint potestati, vel eam consumptioni mandabunt. Quam ob causam satis breuiter in manus vestræ gentis incident incolæ dictæ terræ, & finaliter suo dominio se submittent. Et vt de Romaniæ imperio dictum est, sic de *Barbaria*, & de tota parte Africæ similiter dici potest. Eodemq; respectu, postquam Sanctitas vestra ex terra Ægyptia suum velle affuerit assecuta, in *mare Indiæ*, nauigium poterit intromitti, quod dominabitur illi mari, & illarum partium Insulas subiugabit, ac in terra firma terras maritimas existentes. Propter quæ omnia, satis manifestè videri potest, quòd Ecclesia Sancta DEI, per hanc viam citò potest redire ad statum pristinum in quo erat. Ita quòd ptes venerabiles Patriarchæ, vestri subditi & fideles, qui de prædecessorum suorum hæreditate priuati longo tempore extiterunt, redire poterunt, sedes suas pacificè possessuri, cum illis, qui in eisdem partibus sunt exempti, ac suffraganeis eorundem: scilicet venerabilis Pater dominus Patriarcha *Antiochenus*, Patriarcha *Alexandrinus*, ac Patriarcha *Constantinopolitanus*; nec non & venerabilis Pater

Pater dominus Patriarcha *Ierosolymitanus*, propter loci sanctissimi dignitatem; ac etiam in Africa, ad sedem illam in qua fuit episcopus, venerabilis pater & excellentissimus doctor beatus *Augustinus*. Iterum poterunt visitari multa loca venerabilia atq; Sancta, vbi Sancti alii steterunt, & fecerunt aliquando mansionem: & præcipuè illa, quæ Domino nostro IESV CHRISTO, pro redemptione nostra suis sanctissimis pedibus placuit visitare, de quibus vestra Sanctitas suum posset in processu temporis desiderium adimplere. Et quanquam sit ostensum, quòd *Tartari* modicum possint resistere fidelibus IESV CHRISTI, nihilominùs reuerenter laudandum est, & per consequens consulendum, quòd si modo prædicto haberi posset amicitia prædictorum, secundùm quod in prima parte huius operis continetur, procurari debeat, sumptibus non parcendo: ac non solùm amorem & amicitiam inquirere Tartarorum; sed etiam eos cum omnibus aliis gentium nationibus incitare, quæ in hoc exequendo negotio necessariæ & vtiles viderentur. Nam *in armorum exercitio & bellorum, omnis securitas & omnis cautela, omnisq; prærogatiua, quæ dari possunt à prudentibus & sagacibus, requiruntur*. Pro quibus omnibus exequendis, tam arduis & fructiferis, nequaquam in prædicto negotio tam excelso, sumptibus aliquibus est parcendum: nec ipsi sumptus pro tam magno exercitio faciendo, Sanctam debent matrem Ecclesiam onerare, ob spem & fiduciam, quas quisq; fidelissimus Christianus habere debet & ponere in altissimo Creatore, vt ad tam finem laudabilem & beatum, vt dictum est, cum gaudio peruenire mereamur.

CAP. XXIX.

De quodam memoriali pertinente dominis, qui super factis armorum bellicis intendant sagaciter, & perspicaciter meditentur: & quibusdam notabilibus. Rubrica.

OMnes gratiæ & omnia dona à DEO descendunt, & sine ipso nullū bonum est. Et ideò homo nō valet plus, nec scit plus, nec potest plus, nisi quātū est sibi datum & concessum à DEO. Pro certo rector & gubernator armorū, multùm indiget *gratiâ DEI*. Primò, *sensu* prompto, cum magna *sollicitudine*: & sensus est, qui respicit ad bonum finem. Secundò, magnâ *largitate*, cum debito ordine. Tertiò, suos inimicos *non contemnere*: & intēdere, & auscultare, atq; audire, cum magna diligentia, ea quæ sibi possunt esse nociua vel contraria. Quartò, *conseruare gentem suam*, & quàm minùs poterit periculo exponere: & bellum non recipere, nisi cum magna sua prærogatiua. Quintò, habere præuisionem omnium necessariorum, & maximè de *blado*! nam propter defectum panis, perdita sunt multa bona negotia. Sextò, diligere plus *homines* & cariores habere, quàm *res*. Septimò, vt quæstio ducatur per illam viam quæ discretioni vestræ magis videbitur vtilis, ita dumtaxat, vt quæstio diffiniatur per causam propter quam incepta est. Octauò, aliorum compati; & vt non faciatis alteri quod vobis noletis fieri: & habere magnam prouidentiam & sollicitudinem, cuiusmodi & qualia nauigia in terra vestra recipiant necessaria. Nonò, non dimittere magna negotia propter parua. Decimò, considerare cum magna diligentia vestri populi conditionem: & quæ & quales gentes habitant in terra vestra, & maximè *esurientium quàm satiatorum*. Vndecimò, bonum initium & viuum & solidum, expectat bonum finem. Duodecimò, Plus amare bonum commune quàm proprium: propter hoc creuit Roma: & facere quod potestis, secundùm rationem & non quod possetis de facto. Tertiodecimò, Omnes benignè audire, & postea cum paucis diffinire. Quartodecimò, Remunerare bonos, & punire malos: propter hoc ampliatum fuit Imperium Romanum. Nam melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ. Quintodecimò, Ministros Sanctæ Ecclesiæ honorare, ac eos debitè reuereri: mercatores quoq; benignè recipere & tractare; & omnium gratiarum vobis concessarum & concedendarum DEO gratias reddere semper, laudare, & benedicere, AMEN.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI Filii Dei vivi et veri: Amen.

QVAEDAM NOTABILIA.

DISCRETIO, *mater est omnium virtutum; & indiscretio mater omnium vitiorum.* 10

Ingratitudo, *est ventus vrens, desiccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.*

Qui non habet caritatem, *nihil habet.*

Chrysostomus dicit: Sapientia *est, non eloquia* DEI *scire; sed secundùm eloquia* DEI *viuere.*

Radix omnium malorum est cupiditas.

Nulla valet tantum virtus, patientia *quantum.*

Quid melius auro? Iaspis: quid Iaspide? sensus: 20
Quid sensu? ratio: quid ratione? modus.

Quando gentiles ad DEI Ecclesiam veniunt, vt fiant Christiani, inter alia DEI præcepta quæ leguntur, finaliter sic concluditur.

Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Primitus enim oportet, vt secundùm rationem ea, quæ sunt consideranda considerentur; deindè cum experimento certificentur, vt ratio per experimentum confirmetur, aut per verum exemplum. Audacia absque ratione, est tanquam gladius in manu furiosi. 30 *Legitur quòd dum Aristoteles monti appropinquaret, discipuli eius rogauerunt eum, vt diceret eis aliquod verbum sententiosum: Qui ingemiscens ait,* humiliatus in hunc mundum intraui, anxius vixi, conturbatus egredior, inscius & ignarus.

Vestræ Magnificæ potentiæ, à Domino DEO nostro concessæ, MARINVS SANVTVS dictus Torsellus, de Venetiis, se & suos humiliter & intimè recommendat.

INCI-

INCIPIT LIBER TERTIUS, EIUSDEM OPERIS, EX QVO SCIRI POTEST, QVALITER POSTQVAM PRÆDICTA TERRA SUBiugata fuerit dominio Christiano, ad DEI laudem, ac honorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in bono statu, pacifico & quieto debeat retineri. Qui liber tertius per Prologum, partes, & capitula est diuisus.

CONQVISITA *itaque per gratiam Creatoris, terrâ Ægypti, Terraque Sanctâ Promißionis & Semi, ac Syriæ, in totum, vsq; ad* Aquas Frigidas, *vt in quarta parte secundi libri huius operis est narratũ, & Christiano dominio subiugata, quibus omnibus præsentialiter Soldanus Babyloniæ dominatur, prouidendum est, & similiter attendendum, qualiter prædictæ terræ de infidelium viribus conquisitæ teneri poßint ad DEI laudem & gloriam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ honorem; omniumque fidelium Christianorum habitantium in prædictis statum prosperum, pacificum & quietum, & nec non ad suorum corporum fructuosum, & salutem finaliter animarum. Verùmtamen in hoc opere, aliquando spiritualiter, aliquando temporaliter, aliquando vnà simul procedere proposui atque loqui, prout pertinebit ad facti materiam vel naturam. Et quoniam hoc perfici iam non posset nec executioni mandari, absque Omnipotentis auxilio, quod non solùm in magnis, sed etiam minimis negotiis implorandum est peragendis, quicunque hanc gratiam desiderat adipisci, oportet illum eam cum ipsius auxilio, suisque viribus omnibus impetrare: scilicet, Deum diligendo præ omnibus, in cunctis ei debitam obedientiam & reuerentiam exhibendo, prout in Euangelio Sancti Iohannis Apostoli & Euangelistæ veraciter recitatur:* Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: Qui non diligit me, sermones meos non seruat, &c. *Iterum per Psalmistam Dominus est loquutus:* Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum qui eam ædificant elaborant. Et frustra vigilat, qui custodit eam, nisi Dominus custodierit Ciuitatem. *Ea propter, vt iam dicta executioni plenariè demandentur, & teneantur firmiter, vt est dictum, oportet eum in omnibus reuereri, & sibi debitam reuerentiam impartiri: vt per hunc modum & ordinem vnusquisq; fidelis DEO valeat propinquare. Præterea fatendum est similiter, & credendum, quòd pestes quæ descenderunt & à mundi principio vsq; nunc gentibus euenerunt, à DEO descendere sunt permissæ; & ab eo, vt creditur, sunt inductæ, aut in futura vita ob maius meritum impendendum: prout recitat Paulus Apostolus gloriosus:* Per multas tribulationes vos oportet ingredi regnum DEI: *&c. Aut sunt inductæ propter grauißima peccata & abominabilia, quæ in hoc mundo iugiter perpetrantur. Quòd autem aduersitates & miseriæ à DEO ideò inducantur, vt ab ipso in mundo futuro maius præmium impendatur, hoc est magis alicui speciale, quàm in populo generale. Et propterea pestes & tribulationes quæ genti vnius Imperij generaliter, seu alicui prouinciæ, vel alicui ciuitati eueniunt, ideò inducuntur, vt abominabilia peccata, & patrata scelera puniantur, prout*

Ioan. 14, 22, 23.

Psal. 126.

Act. 14, 22.

in Diuinâ pagina recitatur. Quoniam tempore Noë *super vniuersam terram, inductum fuit aquarũ diluuium, superno Præside imperante. Similiter & tempore* Loth, *quinq; ciuitates crematæ, repentè ad terræ infima corruerunt. Et idcircò quia peccata sunt causa, ob quam diuersarum tribulationum genera, & pestium seu aduersitatum, inducta fuerunt, & continuè inducuntur, oportunum est, vitia & peccata tam carnalia quàm spiritualia euitare: cùm ex eis nullum bonum commodum trahi poßit, nec aliquis bonus fructus. Et quia Terra Sancta dignior existit cæteris aliis ab ipsa distantibus, propter salutem humani generis, quam in ea Redemptor noster tanquam in terræ vmbilico voluit operari, valdè in maiori, quàm aliæ huius mundi, reuerentia est habenda. Eò quòd quisq; in ea, tanquam à DEO electa, tanto vehementiùs à peccatis abstineat ne DEVM offendat, quantò maiori Zelo à Domino est dilecta. Et vt meum intentum poßim & propositum prosequi, aliquam partem cuiusdam operis, quod quidam probißimus vir, aliique quàm plures super* historiis Orientalibus cõ*pilauit, maximè Terræ Sanctæ, quàm potero breuiùs in hoc meo intercludam opusculo, siue addam, ad maiorem euidentiam veritatis: quod non solùm ad Terram Sanctam tenendam, & Diuino cultui liberè conseruandam, erit industria & cautela; sed etiam ad acquirendam præfatam, Christianis erit sagacitas & doctrina. Nam dum res finem non fuerint assecutæ, cognosci non valent defectus quos res præfatæ primitus sustinebant: viso autem fine, manifestiùs & euidentiùs cognoscuntur. Narratâ proinde historiâ, videre poterimus ob quam causam Terra Sancta aliquando perditionis iugo subiacuit, aliquandò extitit Christiano cultui mancipata: propterea id quod super ipsius negotio est agendum, ad ipsam de infidelium viribus extorquendam, ac in posterum perpetuò retinẽdam, ex prædictis cognosci poterit clariùs & videri, prout mihi Omnipotens DEVS Pater gratiam suam dignabitur misericorditer elargiri. Qui quidem liber distinctus est in partes xv. vt inferiùs annotatur.*

INCIPIT LIBER TERTIVS, EIVSDEM OPERIS, CONTINENS

INFALLIBILEM ET VERAM DOCTRINAM CONSERVANDI AC TEnendi & possidendi Sanctam Terram Promissionis, contra insultus infide*lium quorumcunq;, postquam de manibus Saracenorum fuerit conquisita: habens partes quindecim.*

PARS PRIMA CONTINET, QVAM VARIIS NATIONIBVS SVBIECTA FVERIT TERRA PROMISSIONIS: habens capitula XIV.

CAP. I.

Continet causas cur Terra Promißionis exposita sit omni nationi: & quare tam frequenter aut afflicti, aut eiecti de terra sunt habitatores ipsius.

1. TERRAM Sanctam Promissionis omnigenæ incoluêre gentes. Communiter autem eam cunctis expositam, situs primò ostendit ipsius. In terræ enim habitabilis medio posita est, & quasi punctus circumferentiæ. Respondet Africæ, Asiæ & Europæ. Secundò hoc ipsum ostendit triplex opus in ea summi Opificis, aspectum habens ad genus humanum: Opus videlicet Creationis, Redemptionis, & extremæ Discussionis. De quibus tactum est diffusiùs in prologo huius libri. Ratio-

Ratione *Creationis*, conuenienter habitauerunt in ea filii Cham: quia sicut primò creatus homo, DEVM; sic iste, patrem irrisit *Gen. ix.* Ratione *Redemptionis*, congruè habitauerunt in ea filii Sem, de quo natus est Abraham, cui primò repromissio facta, in quo benedicendæ erant vniuersæ cognationes terræ. *Gen. xii. & xviii.* quod ad redemptionem pertinet humani generis. Ratione *extremæ Discussionis*, habitauerunt in ea filii Iaphet, qui habitant in Europa, quam incolunt Christiani fideles & verè Catholici, de quibus ait Apostolus 1. Cor. vi. *Nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt?* & infra, *Nescitis quia Angelos iudicabimus?* Ab hiis tribus filiis Noë, disseminatum est omne genus hominum, diuisæq; sunt gentes in terra post Diluuium, 10 *Gen. x.* Ideò in filiis horum trium Terram Promissionis inhabitantium, collectus ac comprehensus intelligitur omnis orbis. Ecce iam causas dixerim, cur Terra Promissionis toti orbi omniq; genti, plus cæteris sit communis: nunc libet inquirere cur habitatores ipsius indè sæpè eiecti, sæpiusq; afflicti sunt. Quàm enim propensiùs, quamq; viscerosiùs cæteris, terram illam diligat DEVS, ex proximè dictis manifestè colligimus. Vndè & per Metaphoram partibus illis, in Zacharia Propheta loquitur DEVS, *Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.* Pupilla enim inter omnes corporis partes tenerâ affectione diligitur, & ab omni inquinamento ac nociuo celeriùs purgatur. Sic & terram illam, prærogatiuâ dilectionis, æquanimiter non fert DEVS diutiùs inquinari sordibus peccatorum, quin aut penitus terreat ad 20 emendam, aut cladibus exiliisue corripiat ad vindictam. *Introduxi vos*, per Ierem. ait DEVS, *in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & bona illius, & ingressi contaminastis terram meam. Sacerdotes, non dixerunt vbi est dominus? & tenentes legem, nescierunt me; & pastores præuaricati sunt in me; & Prophetæ prophetauerunt in Baal, & Idola secuti sunt.* Sequitur, *Super eum*, populum supple, *rugient leones. Posuerunt terram eius in solitudinem; ciuitates eius exustæ sunt, & non est, qui habitet in eis.* Et eisdem in Isaya loquitur DEVS: *Si me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Opus enim Creationis, ibi non brutales habitatores; sed rationales admittit: Opus verò redemptionis, fideles requirit; infideles repellit: Opus discussionis, bonos eligit; iniquos quasi inutiles abiicit: Propterea *ventilabrum* in manu describitur iudicis, vt qui separati sunt 30 actibus separentur & locis.

Zach. 2, 8. — Ier. 2, 7. — Ier. 2, 15. — Esai. 1, 20. — Matth. 3. 12.

CAP. II.

Continet quomodo filij Cham Terram Promissionis primò incoluêre, & cur in primo expulsi sunt.

11. LIcet filiis Cham Africa deputetur, in Asia tamen quæ deputatur filiis Sem sicut Europa filiis Iaphet, non paruum habuêre locum. Nam ipse *Cham*, quem *Zoroastrem* legimus in libro Clementis, Bactrianorum Rex fuit. De quo Augustinus xxi. de ciuitate Dei ait, *Solum quando natus est, ferunt risisse Zoroastrem.* Nec boni aliquid monstruosus ille risus portendit: Nam licet magicarum artium inuentor, à Nino 40 Rege Assyriorum, cùm esset ille Bacteranorum, bello superatus est. *Ninus* quoque ipse, filius Beli Nerontidis Regis Assyriorum ac Babyloniorum, de Cham descendit, sicut & in Genesi, ipse Nemront. Habitauerunt quoq; hanc, de qua loquimur, Promissionis Terram, sicut in Genesi legimus, *Facti sunt termini Chanaan* venientibus à *Sydone Geraram vsque ad Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorram & Adamam & Seboym vsq; Iasa.* Sicut autem impius Cham magicas artes inuenit; ita & à Nino, qui de semine suo fuit, idolatria sumpsit initium. Mortuo enim patre eius *Belo* patris fecit imaginem: cui homines, quia rex quibuslibet parcebat reis ad eam fugientibus, diuinos ceperunt exhibere honores. Huius exemplo, plurimi suis karis decedentibus fecerunt imagines: quod Demon considerans, in huius se idolis 50 ponens hominibus, vt ad idolatriam eos pertraheret, cœpit dare responsa. Putauerunt exinde homines vnum aliquod fieri ex idolo & cælesti virtute, sicut fit vnum ex anima & corpore. Sicq; idolo quasi DEO sacrificia ceperunt offerre: totusq; orbis ad idolatriam prolapsus est. Cæteris itaq; omnibus errantibus, *Abraham* cum esset arte Astrologus, ex ratione & ordine stellarum potuit cognoscere conditorem. Angelus quoq; per visum ei apparuisse dicitur, qui eum pleniùs de hiis ceperat sentire edocuit, vel credendum quia de domo erat fideli. Vnde aiunt Ebrei, quòd *Caldei* in ignem, per quem traiiciebant filios suos, proiecerunt Abraham & Aram fra-

Gen. 10, 8. — Gen. 10, 19.

trem eius, quia nolebat ignem adorare. *Aram* autem suffocato, Abraham DEI auxilio liberatus est. Et cùm factus esset annorum circiter LXXV. anno LXVIII. postquam primùm prædictum Idolum factum est, cùm Terra Promissionis iam idolatriæ subiecta esset sicut ceteræ nationes, ad DEI mandatum egressus est de terra sua ad dilectam Terram Promissionis vocatus, vt expulsis Idolatris, ipsam fidelis Abrahæ semen incoleret; idque non statim, sed post CCCC. annos. *Nec dum*, inquit DEVS, *completæ sunt iniquitates eorum.* Lentis enim passibus graditur Diuina iustitia; & expectat nos benignus Creator, vt misereatur nostri, dissimulans peccata, si fortè peccator conuertatur, & viuat.

Gen. 15. 16.

10

CAP. III.

Continet quomodo populus Israel, qui de Sem per Abraham descendit, Terram Promissionis incoluit: Expulsis inde, aut in seruitutem redactis filiis Cham.

III. Anno post Diluuium. 767.

COmpletis itaque Amorreorũ peccatis, post Diluuium anno quasi DCCLXVII. Populus *Israel*, multis prodigiis de seruitute liberatus Ægypti, Mari Rubro siccis vestigiis transito, ibique submersis Ægyptiis, alitus est in deserto XL. annis, quibus vestimenta aut calceamenta attrita non sunt, sub regimine Moysi, per quem Israel DEI legem accepit, vt sit ei populus peculiaris: deindè siccatis mirabiliter fluentis Iordanis, sub dominio *Iosue*, dum Terram Promissionis intrat, mandat Angelus Princeps exercitus Domini Iosue, ad electæ terræ illius sanctitatis indicium: *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, Sanctus est.* Et circumcisis primò cultro lapideo, vt mente & carne ab idolatris sit distinctus, ad capiendum *Iericho* accinctus procedit: circuitque ciuitatem, sequentibus septem sacerdotibus, cum septem tubis ante archam Domini, vulgo denique alio subsequente; sicque fecit diebus septem: Septimo autem die, id septies egit, septimaq; vice vociferante populo, muri Iericho corruerunt, & ascendit vnusquisque per locum, qui contra se erat, ceperuntque ciuitatem; & omnia quæ erant in ea interfecerunt à viro vsque ad mulierem, ab infante vsque ad senem; boues quoque & oues & asinos in ore gladii percusserunt. Cerne, lector, quia, etsi DEI Iustitia lentis passibus graditur, tarditatem tamen sui, quantâ grauitate compensat? Post destructionem Iericho, homines Ciuitatis *Hay* per insidias trucidauit, vrbemq; combussit. Quibus auditis cuncti Reges trans Iordanem, in montanis, campestribus & maritimis, hii quoque qui habitabant iuxta Libanum, *Aetheus & Amorreus, Cananeus, Pherezeus & Eueus & Iebuseus*, cõgregati sunt pariter vt pugnarẽt contra Israel. Interim autem *Gabaonitæ*, cum Iosue & populo Israel per fallaciam fœdus inierunt, asserentes se de remotis partibus aduenisse: propter quam fraudem in seruos lignarios & aquarios damnati sunt. Conuenerunt autem cõtra Gabaon, occasione prædicti fœderis, quinque Reges, super quos Iosue irruit repente, eosq; percussit, fugientes quoque cadentes de Cælo lapides obruerunt; stetitq; Sol ad præceptum Iosue, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis, vniuersusque exercitus rediit sanus & integer, nullus quoque contra filios Israel mutire ausus est. Sic non minor ostenditur DEI clementia in electis, quàm seueritas in peruersis. Denique nominantur Reges in Iosue, XXX. & vnus quos percussit populus Israel. Nunc completa est maledictio quam Patriarcha Noe congessit in filium derisorem. *Maledictus*, inquit, *Chanaam puer: seruus seruorum erit fratribus suis.* Iudeis primò, deindè Romanis: Dixitque, *benedictus Dominus Deus Sem, sitq; Chanaam seruus eius.* Cham filio maledixit, non personæ, quia ei Dominus benedixerat: sicut scriptum est, *Benedixit Deus Noe, & filiis eius.* Post hæc attendens Iosue, nihil aut modicum valere terram acquirere, nisi sequatur possessio continua, pacifica, & quieta: postquam pacem dederat Dominus Israeli, subiectis in gyro nationibus vniuersis, ait omni populo Israel, *Estote solliciti vt custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis, adhæreatisq; Domino Deo vestro; & tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes malignas & robustissimas; & nullus vobis resistere poterit: Vnus ex vobis persequetur hostium mille viros: quia Dominus Deus vester, ipse pro vobis pugnabit. Quòd si volueritis harum gentium erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare: Iam nunc scitote, quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram; sed vobis*

Ios. 5. 15.
Ios. 6.
20
30
Ios. 8. 19.
Ios. 9. 1.
Ios. 9, 3. &c.
Ios. 10. 1.
Ios. 10, 7. &c.
40
Gen. 9. 25. 26.
Gen. 9. 1.
50
Ios. 23, 6. &c.

vobis erunt in foueam atque laqueum, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat & disperdat de terra hac optima quam tradidit vobis. Quæ qualiter verificata sint in sequentibus apparebit.

Cap. IV.

Continet qualiter dicti filij Sem sub XIV. Iudicibus se habuerunt.

IV.

Sacrâ docente Scripturâ, seruiuit Israël Domino cunctis diebus Iosue, & seniorum, qui longo vixerunt tempore post Iosue. Post mortem verò Iosue consuluit Israël Dominum per *Finees* Sacerdotem, quis constitui deberet Dux belli: Et responso Diuino, constituta est tribus Iuda, quæ cum tribu Symeon ascendens *Ierusalem*, percussit eam, tradens incendio ciuitatem. Non tamen potuit expellere Iebuseum: sed passus est manere secum sub tributo. Cepit & alia loca similiter. Nota de Ierusalem, quia in diuersis locis, diuersimodè nominatur: secundùm enim Honorium, Ierusalem ædificauit Sem primus filius Noë,

Iud. 1, 1. &c.

- NOE
  - *Cham*
    - Chus, *à quo Æthiopes*
      - Nemront, *primus Babylonem fundauit.*
      - Regia: — Dada, *à quo Æthiopes Occidentales.*
      - Saba, *à quo Sabæi, qui & Arabes.*
      - Euila, *à quo Ietuli in Africa.*
      - Sabata, *à quo Sabatei, nunc Astrabani.*
    - Mesraim, *à quo Ægypti*
    - Phut, *à quo Mauri.*
    - Chanaan, *à quo Chananæi*
      - Sydon, *à quo Sydonii.*
      - Etheus, *à quo Ethei.*
      - Eueus, *à quo Gabaonitæ.*
      - Iebuseus.
      - Amoreus.
      - Gergeseus.
      - Aratheus.
      - Ciueus.
      - Aradius.
      - Amoreus.
      - Amateus, *à quo Syriæ nobilis Ciuitas Chœles.*
  - *Sem*
    - Araza, *à quo Armeni*: — *Hus conditor Traconitidis regionis, vnde fuit Iob.*
    - Arphaxat, *à quo Chaldei*: — Sale, *à quo Bactriani*: — Heber: — Phalet: — Reu: — Saruch: — Nachor: — Thare: — Abraham. Iectera *à quo Indi.*
    - Elaz, *à quo Persæ.*
    - Asura, *à quo Assyrii.*
  - *Iaphet*
    - Gomor, *à quo Galatæ*
      - Asenec *à quo Sarmagetæ.*
      - Rifat, *à quo Paphragones.*
      - Thogormal, *à quo Friges.*
    - Magog, *à quo Sitæ, Gothy.*
    - Madai, *à quo Medi.*
    - Iauan, *à quo Iones*
      - Elysa, *à quo Græci.*
      - Tharsis, *à quo Cilices.*
      - Cetim, *à quo Cyprii.*
      - Dotanim, *à quo Rodii.*
    - Huba, *à quo Hyberi.*
    - Mosoch, *à quo Cappadoces.*
    - Tyras, *à quo Thraces.*

& vocauit eam *Salem.* Hunc Sem Hebræi dicunt fuisse Melchisedech, qui fuit Rex Salem. Iosephus quoque ait, quia ipse fuit primus, qui Deo Sacerdotium exhibuit, & fanum ædificauit & *Solimam* Ierusalem nominauit: sed Iebuseus filius Chanaam eam incoluit, à quo dicta est *Iebus*; vndè à Iebus & Salem, Dauid vocauit eam *Ierusalem*, quasi *Iebusalem*. Hanc quoque Salomon auro gemmisque ornans, *Ierosolymam*, quasi Ierusolomoniam nominauit. *Helius* quoque *Adrianus*, eam destruens & reædificans, à suo nomine *Helyam* vocauit, locum Crucifi-

xionis & Sepulchri capiens intra muros, vicos & plateas decenter pauimento sternens; paransque conductus aquarum, quibus pluuiali tempore à sordibus ciuitas purgaretur. *Iacob* quoque aiunt in ea vidisse scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cœlum, & Angelos DEI ascendentes & descendentes, & DEVM innixum scalæ: appellauitque nomen vrbis *Bethel*; Genes. XXVIII. Bethel quoque *Luza* vocatur: Gen. XXXV. & Iosue XVIII. Iud. I. Vocatur etiam *ciuitas Sancta*. Matth. XXVII. Vbi dicitur de mortuis suscitatis tempore passionis CHRISTI, quòd introierunt in Sanctam ciuitatem. Prædicta autem nomina hiis versibus continentur: 10

Solima, Luza, Bethel, Ierosolyma, Iebus, Helya,
Vrbs sacra, Ierusalem dicitur, atq; Salem.

Sed nunc vbi Scriptura Ierusalem appellat Luzam, vel Bethel? nisi fortè templum dicatur Bethel, quia domus DEI. Ieronymus quoque super illud, *Reuersus est Abraham pariter, quo venerat, in Bethel:* qui locum vidit: ait, quòd est ciuitatuncula, XII. à Ierusalem lapide. Vocatur quoque *filia Syon*. Isa. LII. quia demissior sit, monte Syon; & ab ea protegitur, quasi filia à matre. Dicitur in Psalm. *Latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni:* quia in Aquilonari parte montis Syon sita est Ciuitas Ierusalem, ait Glo. super illud Isa. XIV. *In lateribus Aquilonis*. Dicitur etiam *Ariel*. Isa. XXIX. *Ve Ariel, Ariel, ciuitas quam expugnauit Dauid*. Dicitur & *castellum* despectiuè, vel propter munitionem. Matth. XXI. *Ite in Castellum quod contra vos est*. Ad historiam redeuntes, dicamus quia *Effraym* etiam ascendit Bethel, quæ priùs Luza vocabatur: nec deleuit Iebuseum, sed passus est habitare secum sub tributo; similiter & tribus aliæ, ob commoditatem, fecerunt; & transgressæ sunt præceptum Domini. Sed post transgressionem, misit DEVS Angelum suum, qui congregatum populum increpauit, impropetans, quòd post tanta recepta beneficia, pactum Domini violassent; protestans etiam quòd Dii, quorum aras non succenderant, essent ipsis ad ruinam: fleuitque populus, & vocatum est nomen loci illius, *locus flentium*, siue *lachrymarum*. Post hæc tamen nequaquam stabiles fuerunt in lege, & præceptis Domini; sed surrexerunt, qui non cognouerunt DEVM, & mirabilia quæ fecit pro populo Israel; & seruierunt Idolis, & contraxerunt coniugia cum alienigenis. Iratusque est Dominus contra Israel, sicut in libro *Iudicum* legimus, & tradidit eos Dominus in manus diripientium: qui cœperunt eos & vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt resistere aduersariis suis. Suscitauitque Dominus *Iudices*, qui liberarent eos de vastantium manibus: sed nec illos audire voluerunt, adorantes Deos alienos. Cùm enim Dominus Iudices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium. Postquam autem mortuus esset Iudex, reuertebantur & multò deteriora faciebant. Sic Terram Promissionis habitauerunt filii Sem, nunc peccantes, nunc ad prudentiam redeuntes, à morte Iosue, vsque ad tempora Regum per annos circiter CCCLI. sub Iudicibus in figura descriptis.

Psal. 47, 3. | Iud. 1, 21. &c. | Iud. 2, 1. &c. | 20 | 30 | 40

CAP. V.

Continet quomodo prædictus populus cœpit habere Reges: & quomodo regnum illud diuisum est in duo scilicet Iuda, & decem tribuum: ac finem secundi regni.

V. POstquam *Samuel*, Iudicum vltimus, propheta, consenuit, duos filios suos ad iudicandum populum præfecit: qui nequaquam paterna imitantes vestigia, post auaritiam declinauerunt, accipientes munera, & peruertentes iudicium: quorum insolentias populus non ferens, petiit Regem sibi constitui: & Diuino nutu post *Saul*, primò purum quasi anni vnius, deindè prauum, & à DEO abiectum, regnauit *Dauid*, propheta Domini, manu fortis, & pulcher aspectu. Hic audiens *Goliath*, gigantem altitudinis cubitorum sex & palmo, blasphemantem DEVM Israel, accensus zelo diuini honoris, cum illo singulare elegit certamen: dicenti quoque sibi Regi. *Non vales resistere Phylisteo isti, quia puer es:* Respondit, *quia veniebant leo atque vrsus, tollebantq; arietem de medio gregis patris sui, quem custodiebat; ipse verò persequebatur eos &*

1. Sam. 8, 1. &c. | 50 | 1. Sam. 17, 4. &c.

IVDICES Iudæorũ.
40. *Moyses.*
26. *Iosue.*
90. *Othomel.*
8. *Athoth.*
40. *Debboora.*
40. *Gedeon.*
Sangar.
3. *Abimelech.*
33. *Tola.*
22. *Tayr.*
6. *Iepte.*
7. *Abesan.*
10. *Aylon.*
8. *Abdo.*
20. *Sanson.*
40. *Hely.*
31. *Samuel.*
SAVL Rex.

eos & percutiebat eruebatq́; de ore eorum; illiq́; consurgebant aduersum se, & ipse aduersus eos, apprehendebatq́; mentum eorum & suffocabat: dixitq́;, *se interfecisse vrsum & leonem; & quòd erit Phylisteus iste quasi vnus ex illis.* Quod & factum est: Vicit enim eum in funda & lapide, & nomine Domini: & amputatum caput illius tulit in Ierusalem ad terrendum Iebuseum. Et postquam annis aliquot regnauit, indè expulit Iebuseum. Erat autem Dauid Rex mansuetus & humilis, & totum se diuino cultui mancipauit. Vnde & irrisus à *Micol* vxore ac Saulis filia, quia coram arca Domini saltasset, Respondit: *Ludam & vilior fiam plusquàm factus sum, & ero humilis in oculis meis ante Dominum, qui elegit me potiùs quam patrem tuum:* humilia enim respicit in cœlo & in terra. Sub Rege autem Dauid miro modo aucta est potentia populi Israel. Liberauit enim Israel à tributo Phylistiim: Moab quoq; & Syriam Damasci, & Idumeam posuit sub tributo. Seruabat enim Dominus Dauid in omnibus, ad quæ profectus est. Post hunc regnauit *Salomon*, filius eius qui laudabilia habuit initia, & in tantam creuit gloriam, vt Curiæ ipsius esset quotidianus cibus, decem boues pingues, & xx. pascuales, & centũ arietes, exceptâ venatione ceruorum, caprearũ, bubalorum; sed & pisces quotidie portabantur: Habebat quoq; xl. millia equorũ currilium, & xii. millia equestrium: præcedebatq́; in sapiẽtia omnes Orientales & Ægyptios & Hebreos. Tam præclara autem initia, Salomon extremis fœdauit vitiis: *Cùm enim senex factus esset, deprauatũ est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut Dauid patris eius; sed colebat Astaraten Deam Sydoniorum, & Camos Deum Moabitarum, & Moloc idolum Amonitarum:* * *Sicq́; fecit vniuersis vxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant Diis suis. Igitur iratus est Dominus Salomoni, eò quòd auersa esset mens eius à Domino DEO Israel, & ait ei, Quia non custodisti pactum meum, & mandata mea, dirumpens scindam regnum tuum: de manu filij tui scindam illud, & dabo illud seruo tuo. Verùmtamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud. Nec totum regnum auferam; sed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum, & Ierusalem quam elegi.* Igitur, post Salomonẽ regnauit *Roboam* filius eius, superbus valde. Hic in regni sui exordio supplicanti populo, vt durissimum iugum à patre suo impositum alleuiaret, spreto seniorum consilio, ad iuuenum sociorum instigationem, respondit: *pater meus aggrauauit iugum vestrum; ego autem addam iugo vestro: pater meus cæcidit vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus.* Turbato igitur ex iis populo, Decem Tribus recesserunt a regno eius: Ipse autem regnauit super Iudam, in Ierusalem. Venit quoque *Sesach* Rex Ægypti in Ierusalem, & expoliauit Templum. Decem autem quæ ab eo recesserant tribus, fecerunt sibi Regem *Ieroboam*, seruum quondam Salomonis: qui, ne aliquando rediret populus ad obedientiam Roboam, propter frequentem Templi visitationem, excogitato consilio, prohibuit populũ propter Dei cultum ascendere in Ierusalem; fecitq́; duos vitulos aureos, adorandosq́; exposuit populo, dicens: *Ecce Dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti.* Et sub xviii. Regibus præfatus populus Decem Tribuum, hos vitulos adorauit. Licet ad Ieroboam sacrificantem missus sit Propheta *Abdo*, qui denuntiauit affuturum Iosyam Regem, qui super altare illud immolaret sacerdotes eius; & arefacta sit immolantis Regis manus in signum, scissumque altare; sanata quoque manus ad orationem Prophetæ: plus enim credidit Ieroboam sacerdoti idolorum, dicenti stuporem fuisse in brachio ex labore; & in altari ex pondere scissionem, quàm vero Prophetæ, & experientiæ sic expressæ. *Achyas* quoque comminatus est mortuos de Ieroboam in Ciuitate à canibus, & in agro ab auibus deuorari. *Baasa* verò occidit Hieu filium Anani: & *Helyas*, post occisos Prophetas Baal; post duos quinquagenarios principes, cum suis quinquagenis, igne cœlesti consumptos, Ochoziæ interminatus est mortem, quia nuncios miserit ad consulendum Beelzebub Deum Acharon: sed interim *Micheas* vera prophetans, percutitur in maxilla. *Heliseus* etiam iniuriam execrans misit vnum de filiis Prophe-

2.Sam.6,21,22. 3.Reg.14,17. 3.Reg.11,4. 3.Reg.12,1.&c. 3.Reg.14,25. 3.Reg.12,20.&c. 3.Reg.13.

tarum vngere *Ieu*, vt domum Achab percutiat in vltionem sanguinis Prophetarum. Postremò, *Osee* Decem Tribus ad pœnitentiam reuocat: Et *Amos* inpœnitentium denunciat vastitatem, quam deplorat Micheas. Sæpiùs igitur Prophetarum vocibus ac miraculis replicatis, noluerunt reuerti: propter quod tradidit illos Deus in manibus Regum Assyriorum. Et primò quidem quasi Tribus tres per *Teglatfalasar*, deindè reliquas septem per *Salmanassar* translatas vltra montes Persarum & Medorum, vltra montes Caspios: missiq; sunt loco eorum coloni de Cuta regione Persidis, & de locis aliis: & cùm ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum, & immisit in eos Dominus leones qui interficiebant eos, eò quòd ignorabant ritum DEI terræ: missusq; est vnus de sacerdotibus captiuis, qui doceret eos quomodo DEVM colerent. Hii *Cutei*, à Cuta dicti sunt, & *Samaritani* à Samaria, quam incoluerũt. sicq; propter idolatriam, maior pars filiorum Sem, de Terra promissionis eiecta est. 10

CAP. VI.

Continet processum & terminum Regni Iuda & Ierusalem.

VI. | 3. Reg. 15. 1. &c | 2. Par. 13, 1. &c. | 4. Reg. 15, 9. | 2 Par. 14, 1. &c. | 2. Par. 16, 7. &c. | 2. Par. 17, 1. &c.

Nunc ad Reges Ierusalem, successores Dauid & Salomonis, reuertentes dicamus, quia post Roboam regnauit *Abia*, & ipse malus. Post hunc *Asa* primò bonus: sordes enim Idolorum purgauit, & Æthyopes bello superauit; in fine autem desipuit: Prophetam quoq; Anani se corripientem in neruo mitti iussit: propterea ægrotauit vehementissimo dolore pedum, nec tamen Dominum quæsiuit. Post hunc *Iosaphat*, patrem imitatus in bonis, de malorum tamen amicitia reprehenditur à Propheta Ieu. Cùm autem Amonitæ & Moabitæ & Arabes irruerent in Iudam, Rex indicto ieiunio, omnem populum in templum ad obsecrandum Dominum congregauit, & egressus hostes percussit. Quia verò cum Ocozia Rege, cuius opera pessima fuerunt, amicitias iniit, naues eius quas miserat in Ophyr, in Asyon Gaber confractæ sunt. Post hunc *Ioram*, qui idola coluit, & Ierosolymitas ad idolatriam compulit; sex quoque fratres suos occidit: propter quod, Edom ab eius dominio recessit: Arabes quoque irruentes in Iudam, vastauerunt domos Regias, & abduxerunt vxores Regis & filios præter Oziam occiderunt. Ipse tandem cronicam incidens infirmitatem, internâ viscerum corruptione mortuus est. Post hunc *Ocozias*, qui fecit malum coram Domino: & regnauit tantùm vno anno, & mortuus est. Post hunc *Athalia* mater eius: Videns enim filium mortuum, vt posset regnare, occidit omne semen Regium, excepto Ioas filio Ocoziæ, quem adhuc lactentem, vxor Ioiadæ Pontificis, quæ soror fuerat Ocoziæ ex patre, sex annis, ne interficeretur abscondit: In septimo autem anno, Ioiada congregatis sacerdotibus & Leuitis atque centurionibus, eum Regem inunxit; & Athaliam reclamantem occidi fecit. Templum Baal, quod fecerat Ioram & Athalia, & aras destruxerunt, & sacerdotem Baal ante aram occiderunt. Post hanc *Ioas* qui sartatecta templi restaurari fecit, & cunctis diebus Ioiadæ rectè vixit: sed post mortem eius à legitimis DEI declinauit; & Optimates suo vitiauit exemplo: quod cùm Azarias, qui & Zacharias filius Ioiadæ siue Barachiæ, argueret, lapidari fecit inter templum & altare. Et ex tunc, vt ait Epiphanius, nec ex Dabyr, nec ex Ephod, manifestè, sicut priùs, populus in templo responsum accepit. Tandem Diuinos honores sibi exhiberi passus est: propterea, secundùm Hebreos, incurrit languorẽ pessimum; & percusserunt eum duo serui eius & mortuus est. Post hunc *Amazias*, primò quod rectum est in conspectu Domini fecit, & colligens exercitum contra Idumeos & Amalechitas percussit ex Edom, decem milia; alia quoq; decem milia de monte præcipitata sunt: tandem idola quæ tulit de Amalech coluit, audiens quia darent responsa, & quòd Amalechitæ periissent, quia ea non dignè coluerant: propter quod postea in bello superatur; & muri Ierusalem destructi sunt cubitis cccc. sublatique sunt thesauri templi ac regii: denique coniuratione factâ contra eum, fugit in Lachis, ibique occisus est. Post hunc *Ozias*, qui & *Azarias*: hic quod placitum est in conspectu Domini fecit: Amonitas sub tributo coëgit; muros Ierusalem reædificauit; amator agriculturæ fuit: sacerdotium tamen sibi vsurpare præsumpsit, ideò leprâ percussus est. Post hunc, *Ioatham* fecit bonum coram Domi-

4. Reg. 8, 16. | 2. Par. 21. | 4. Reg. 9, 29. | 2. Par. 22, 1. | 4. Reg. 11, 1. | 2. Par. 22, 11. | 4. Reg. 11. 2. Par. 23, 1. &c. | 2. Par. 25, 1. | 4. Reg. 14. &c. | 2. Par. 26, 1. | 4. Reg. 15, 1. &c. | 4. Reg. 15. 32. | 2 Par. 27, 1. &c.

20 30 40 50

REGES IVDEORVM.	
Saul.	
40. *Dauid.*	
40. *Salomon.*	
In Samaria.	*In Ierusalem.*
22. *Ieroboam.*	15. *Roboam.*
2. *Nadab.*	3. *Abia.*
24. *Baasa.*	41. *Asa.*
2. *Ela.*	24. *Iosaphat.*
70. *Zambri.*	8. *Ioram.*
Amri.	*Ocozia.*
12. *Achab.*	1. *Athalia.*
2. *Ochozias.*	16. *Ioas.*
12. *Ioram.*	26. *Amasias.*
28. *Ieu.*	52. *Ozias.*
17. *Ioathan.*	16. *Ionathan.*
16. *Ioas.*	19. *Achaz.*
41. *Ieroboam.*	29. *Ezechias.*
23. *Sine Rege.*	55. *Manasses.*
6.m. *Zacharias.*	2. *Amon.*
1.m. *Sellum.*	31. *Iosias.*
10. *Manahen.*	31. *Ieconias.*
2. *Faceia.*	31. *Sedechias.*
20. *Facee.*	70. *Captiuitas Babylonis.*
8. *Sine Rege.*	*Iohannes Sacerdos.*
9. *Osee.*	*Hic cõtinuatur figura infra cap. x.*

Domino: portam gregis, & portam sublimissimam ipse ædificauit, quæ *speciosa* dicitur in Actibus Apostolorum: de qua infra, parte XIV. cap. VIII. Hic vicit Amonitas, & sibi tributarios fecit. Post hunc *Achaz*: & hic malus; traiecitque vnum de filiis suis per ignem, consecrans Idolo. Huic Isayas dare voluit signum: quo nolente, domui Dauid dedit signum, *partum Virginis*, quia nisi crederent cuncti, perirent: quod per Titum & Vespasianum completum est. Post hunc *Ezechias*: qui conuocatis Sacerdotibus & Leuitis, aperuit Templum, vasa templi reparauit, & restituit sacrificia intermissa, destruxitque excelsa & statuas. Huius meritis in castris Assyriorum venientium contra se, Angelus interfecit CLXXXV. millia, vnâ nocte: ignis enim diuinus consumsit corpora eorum, & spolia dimisit intacta. Post hunc *Manasses*, qui ædificauit excelsa, quæ pater eius destruxerat, & erexit aras Baal, & posuit idolum Luci in templo Domini; & traduxit quendam filium suum per ignem; Ierusalem quoque sanguine Prophetarum se arguentium purpurauit; Isayam affinem suum, iuxta piscinam Syloe, serrâ ligneâ scindi fecit, qui dum in principio sectionis angustiaret, petiit aquam vt biberet, & cum nollet ei dare, Dominus de sublimi misit aquam in ore eius, & expirauit. Misit propterea Deus contra eum Regem Babyloniorũ, & depopulatus est Iudam, & Manassen dolo captũ, in Babylone multis afflixit tormẽtis; vbi cũ intellexisset quòd manus Domini esset, egit pœnitentiã, & attentè orauit, & misertus Dominus reduxit eum in regnum suum, vbi idola deleuit, & cultũ Dei restituit. Post hunc *Amon*, qui fecit malum corã Domino, sequens patris primordia: & tetenderunt ei insidias serui sui & interfecerunt eum in domo sua. Post hunc *Iosias*, hic quarto anno regni sui, qui erat ætatis XII. secundùm Iosephum, pietatem & iustitiam in se mirabilem demonstrauit: Nam populum iam ab idolatria reuocabat; & opera praua, velut senior, emendabat. Anno verò VIII. omnem ciuitatem & prouinciam, à cultu idolorum purgauit. Hic cùm impedire vellet Regem Ægypti ne transiret contra Regem Assyriorum, sagittâ vulneratus interiit: & planxit eum vniuersus Iuda maximè Ieremias, qui super exequias scripsit trenos lamentabiles, quibus vtebantur cantores & cantatrices: ferunt quoque fontem & arborem statim aruisse, iuxta quæ mortuus est. Post hunc *Ioachim*, primus filius Iosiæ: hic malum fecit coram Domino: Vriæ Prophetæ se corripienti grauiter comminatus est, propter quod fugit in Ægyptum; post quem misit, & reductum, morte turpissimâ interfecit: *Ierem. xxvi.* Venit autem *Nabuchodonosor* & cepit Ierusalem, & captum Ioachim trahebat ligatum: sed dimisit eum sub certo tributo, accipiens obsides de semine Regio, Danielem, & tres pueros. Incarcerauerat autem Ieremiam prophetãtem destructionem Ciuitatis & Templi, iussitq; scindi librum Baruch, *Ier. xxxvi.* Post triennium verò tributum negauit, & propterea rediens Rex Babylonis interfecit eum, & tulit vasa templi, ac de domo Regia II. millia de Principibus, & de viris robustis VI. millia, & artifices mille. Post hunc *Sedechias*, alius filius Iosiæ: hic fecit

4. Reg. 16, 1. 2. Par. 28, 1. &c. Esai. 7, 11. &c.

4. Reg. 18, 1. 2. Par. 29, 1. &c.

4. Reg. 21, 1. 2. Par. 33, 1. &c.

4. Reg. 21, 18. 2. Par. 33, 20.

4. Reg. 22, 1. &c. 2. Par. 34.

4. Reg. 23, 36.

4. Reg. 24. 18.

Ier.37,1. malum coram Domino: & negauit tributum Regi Babyloniæ, qui postquam venit circa Ierusalem, & rediit, misit Principem militiæ suæ, & circumdata & clausa est Ciuitas. Tunc Ieremias extractus de carcere, in quo iam tertiò positus fuerat, publicè prædicauit Ciuitatem tradendam in manibus Caldeorum: propter quod Ier.38,6. in lacum ab optimatibus vsque ad guttur funibus missus est. Tandem deficientibus 4.Reg.25,1.&c. victualibus capta est Ciuitas, & Sedechias dum fugeret, cōprehensus est, ac præsentatus Ier.39,5. Regi Babyloniæ in Reblata: qui reprehendit eū de periurio, & de ingratitudine, & ait, *Magnus Deus, habens te odio propter nequitiam tuam, tradidit te mihi*, fecitq; eius filios occidi in conspectu ipsius, ipsumq; exoculari, & vinctum catenis duci in Babylonem: vbi & mortuus est. In quo finitur regnum Iudæ & Ierusalem. 10

Cap. VII.

VII.

Continet mortem Ieremiæ, & Ezechielis: & captionem reliquiarum Iudæ in Aegypto: & qualiter Cyrus obtinuit Babylonem. Rubrica.

4. Reg.25,8.&c. CAptam ciuitatem, *Nabuzardan* Princeps militiæ Babylonis incendit, simulque templum Domini: translatisque captiuis & vasis templi in Babylonem, Ieremiæ datur libertas; & *Godolias* præfertur terræ pauperibus, ac vinitoribus qui vectigalia reddant Nabuchodonosor Regi Babylonis. Ieremias verò post hæc sedit, & planxit lamentationem hanc in Ierusalem, & amaro animo suspirans dixit: *Quomodo* Ier.lam.1,1. *sedet sola, Ciuitas plena populo?* Nunc ciuitate vacuā relictā sedes populus inter 20 hostes humiliatus qui consueuit hostibus dominari: *Facta est quasi vidua, domina gentium*, priuata Rege, à sacerdote relicta. *Princeps prouinciarum*, supra cap. v. & vi. *Facta est sub tributo*: Regis Babylonis. *Plorans plorauit in nocte*: quia in die eis non dabatur requies: ideo in nocte & tempore quietis, suis se solabantur lachrymis: Tuncque oculos quos ad idola leuauerunt, lachrymis abluebant, &c. Descenderunt autem reliquiæ Iudæ in Aegyptum, contra consilium Ieremiæ; se- Ier.43,8. cumque duxère Prophetam: & factus est sermo Domini ad Ieremiam in Tampnis: *Sume lapides magnos & absconde eos in cripta, quæ est sub muro lateritio in porta domus Pharaonis, & dices ad eos: Hæc dicit dominus, Ecce ego assumam seruum meum Nabu: & ponam thronum eius super lapides istos, & percutiet terram Aegypti, & peribitis vos cum* 30 *Aegyptiis.* Et lapidauit populus Ieremiam lapidibus quos absconderat sub muro lateritio: Aegyptii verò honorauerunt Prophetam sepelientes eum iuxta tumulum Regum, memores beneficiorum: Nam Aspides & Cocodrillos oratione suā fugauerat: tradunt etiam puluere illius loci aspidum percussuras sanari, & cocodrillos fugari. Vndè & Alexander Macedo, veniens ad sepulchrum Prophetæ, & cognoscens loci misterium, transtulit ipsum in Alexandriam glorioso tradens sepulchro; & ex tunc à terra illa sunt prohibiti Cocodrilli. Quinto autem captiuitatis anno descendit *Nab*: in Syriam inferiorē, & obtinuit eam, & Moabitas & Amonitas; & tandem intrauit Aegyptum, eamque subuertit, & Regem occidit, aliumque substituens, Iudeos qui ibi erant, captiuos duxit, secundum vaticinium 40 Ieremiæ. XIIII. autem captiuitatis anno, *Ezechiel* adductus est in spiritu in montem excelsum in Israel, & ostensa est ei descriptio Ciuitatis & Templi. Hic in Caldea prophetabat populo. Ad eum verò conuenit aliquando frequentia captiuorum iuxta fluuium Cobar: super quos Caldei rebellionem veriti irruerunt: Ezechiel verò, oratione suā, super aquas fluminis, cum omni multitudine populi ambulans, ad ripam alteram se recepit, & quotquot hostium præsumpserunt eos insequi, submersi sunt. Itemque per orationem, piscium copiam impetrauit populus. Iudicauit etiam transgressores legis, & præcipuè quosdam de tribu Dan & Gad, quòd in Dominum committerent, impiè persequendo legem custodientes; & fecit contra eos prodigium, vt dicit *Epiphanius*, quia filii eorum 50 & vniuersa pecora à serpentibus perierunt, propter quod exacerbati distraxerunt Prophetam, per crepidinem saxorum, & excerebrauerunt eum, & sepelierunt in sepulchro Sem & Arfaxat, in spelunca duplici, ad cuius similitudinem Abraham in Ebron sepulchrum composuit. Iudicauit quoque Iudeos, captiuitatis tempore, *Daniel*, qui cum tribus sociis nequaquam lasciuiam complexus Dan.1,8. est mundi: sed spernens Regia cibaria atque vinum, ne contaminaretur, leguminibus vescebatur. Dedit proindè Deus pueris hiis scientiam & disciplinā in omni libro

Reges Babyloniæ.
44.
Nabucod. filius, Merodac Baladan.
Nabucod.
Euil-merodac.
Ragasar.
Labosadac.
Balthasar.

Reges Persarum.
Darius. Cyrus.
Cambises. c. 9.
Magi. c. 9.
Darius. c. 9.
Xerxes. c. 9.
Sogdianus. c. 9.
Darius notus. c. 9.
Artaxerxes. c. 9.
Ochus. c. x.
Arsanius. c. x.
Darius. c. x.
Alexander. c. x.

libro, & sapientia: Danieli autẽ intelligentiam omniũ visionũ & somniorũ. Et inuenit Rex in eis decuplũ sapiẽtiæ, sciẽtiæ & intellectus, super omnes sapiẽtes regni sui. Liberauitq; Dominus tres socios Danielis de medio fornacis ardentis, eò q̃ noluerũt statuam aureã adorare. Danielẽ quoq; à lacu leonũ, quia à cultu DEI cœli cessare noluerit. Post hæc cœnã faciente *Balthasar* Rege Babyloniorũ optimatibus suis mille, bibenteq; cum illis, & vxorib. & cõcubinis suis in vasis, quæ asportauerat Nabuchodonosor de tẽplo Ierusalẽ, & laudãte cum eisdẽ Deos suos: quia intellexerat transactos LXX. an. nec tamen liberatos Iudeos: apparuit manus scribens, in pariete; facies autẽ Regis id aspiciens, *cõmutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renũ eius soluebantur, & genua eius ad se inuicẽ collidebantur.* Introductiq; magi & aruspices, sapientesq; Babylonis, scripturam legere nõ poterant, nec interpretationẽ eius indicare Regi, licet interpretator indui purpurã, & torque ornari in collo aurea, tertiusq; deberet in regno vocari. Introductus autẽ Daniel, ait: *Patrem eius Nabuchodonosor summã in regnis habuisse gloriam; sed quia in superbia obfirmatũ fuit cor eius, ab humano cõmutatum est, & cor feræ datũ est ei, vt sibi appareret in parte anteriori esse bos, in posteriori leo: secundùm mysteriũ tyrannorũ, qui in prima ætate voluptati ac ceruicositati, in fine crudelitati & rapacitati dediti sunt: vt fænũ, vt bos comedere, multaq; huiusmodi, donec cognouit, quia Altissimus potestatem habet in regno hominũ, & cuicunq; vellet, daret illud. Tu quoq; filius eius, Balthasar, nõ humiliasti cor tuũ, cùm scires hæc omnia; sed aduersus dominatorẽ cœli eleuatus es: & vasa domus eius allata sunt corã te, & tu & optimates tui, & vxores & cõcubinæ tuæ, vinũ bibistis in eis. Idcircò manus exarauit,* Mane, techel, phares: *Et hæc interpretatio eius:* Mane, *numerauit Dominus regnũ tuum, & cõpleuit illud:* Techel, *appensum est in statera, & inuentũ est minus habens:* Phares, *diuisum est regnum tuũ, & datũ est Persis & Medis.* Eadem nocte interfectus est Balthasar. Cùm enim *Cyrus* Babylonẽ illo tempore obsideret, & fluuius Ganges, vnũ Regiorũ equitũ interciperet, transnatandi fiduciã persuasum: Rex iratus in amnẽ vlcisci statuit, cõtestans eum, qui præclarũ vorasset militẽ, femoris vix genua tingẽtibus permeabilẽ fieri. Productisq; fossoribus, in CCCCLX. alueos cõminuit, ipsaq; nocte visionis prędictæ ac cœnæ, siccatis aquis factoq; impetu capta est ciuitas, & mortuus Balthasar sicut prædixerat Daniel: Successitq; ei *Darius*, cui Cyrus quasi maiori in omnibus deferebat.

Dan. 3, 20, &c. — *Dan. 5, 1.* — *Dan. 5, 31.*

CAP. VIII.

Continet captiuitatis relaxationem, sub Iesu magno Sacerdote: Inchoatam quoque templi reædificationem.

ISte Iesus filius fuit Iosedech filii Saraiæ Sacerdotis *1. Paral. VI.* Qui Iosedech, vt ibi dicitur, egressus est quando transtulit Dominus Iudã: & est idem qui *Esdras*, secundũ aliquos; secundùm verò alios, frater eius, vt probatur. *1. Esdr. VII.* Iohãnes autẽ ductor fuit populi de captiuitate. *1. Esdræ III.* Præfueruntq; Iudæis Sacerdotes post captiuitatẽ Babilonię annis multis. Anno autẽ primo Darii, Daniel orauit Dominũ, vt Darius & Cyrus liberaret populũ suũ. Intellexerat enim numerũ LXX. annorũ desolationis Ierusalẽ, dictũ per Dominũ ad Ieremiã esse cõpletũ. *Dan. IX.* Promulgatã proindè sentẽtiã de danda licẽtia, Darius morte præuentus est. Post mortẽ verò Darii, *Cyrus* Orientis Monarchiam obtinuit, primoq; anno regni sui excitatus verbis Isay. XLV. qui annis CX. antè prædixerat, *Hæc dicit Dominus, caro meo Cyro cuius apprehendi dexterã: subiiciã illi gentes & regna: ipse ædificabit mihi domũ in Ierusalẽ:* licentiã dedit Iudæis redeũdi & ædificandi domũ Domini; & qui vellet ascendere, iuuaret ascendẽtes. Hoc Regis gentilis edictũ, tẽpore Passagii cautũ reddat Principẽ Christianum, cuius exemplũ habetur, infra *part. VII. c. IV.* Ipsi verò quia penè cũcti nati erãt in Caldea, & possessiones acquisierãt, eligebãt potiùs remanere in terra natiuitatis suę. Quod vidẽs Daniel, iterũ orauit, vt qui Regi dederat licẽtiã di animũ, repatriãdi populo daret votũ. Erat autẽ inter Iudeos *Zacharias* in Iudæa natus, qui benedixit Salatiel in filio, vocãs eũ *Zorobabel*, q̃ interpretatur, *Magister Babylonis*, quasi dicat, hic erit magister captiuitatis Babylonię: ad cuius Prophetę exhortationẽ, simulq; Aggei iuuenis necdũ Prophetæ *1. Esdr. I.* primi surrexerunt de tribu Iuda, postea viri

VIII. — *Dan. 9. 1. &c.* — *Esai. 45. 1. &c.*

1. Esd. 2, 64. &c. Beniamin & Leuitæ vt ascenderent Ierusalem; & ascenderunt quinquaginta milia: ex Iudeis XLII. milia, CCCXL. reliqui verò, serui & ancillæ: sub Zorobabel Duce & IESV magno Sacerdote: remisitque cum eis Cyrus partem vasorum Templi Domini vsq; ad v. millia, CCCC. Anno autem regressionis, congregatus populus, ædificato altari, obtulit sacrificium matutinum & vespertinum: Anno autem secundo, mense secundo, iecerunt fundamenta templi. Porrò *Samaritæ*, de quibus suprà cap. v. cùm opus per se impedire non possent, dederunt munera Principibus Regis, qui eis fauerunt, Cyro ignorante: propter quod Cyri tempore, muri non nisi ad appodiationem erecti sunt.

1. Esd. 1, 7. 1. Esd. 3, 2. 1. Esd. 3, 8. 1 Esd. 4. 1. &c.

CAP. IX.

10

Continet gesta Iudith, Esdræ, Nehemiæ & Esther, sub Sacerdotibus Ioachim, Eliasib. & Iuda.

IX. Iudit. 1, 1. MOrtuo Cyro, *Arfaxat* quidam Medus in Egbatanis surrexit, & reparauit eam, & inexpugnabiliter muniuit, quasdam partes Mediæ reconcilians, vt tandem toti Mediæ imperaret: transtulerat enim Cyrus sedem regni de Medis nobilioribus, in Persas. Hunc Arfaxat, *Cambises* Cyri filius, apud Esdram dictus *Artaxerses*, qui *Assuerus*, in Iudith verò *Nabuchodonosor*, expugnauit & vicit; factusque Monarchus in superbiam elatus est, misitq; ad omnes qui habitabant in Cilicia & Damasco, & Terra Promissionis, exigens ab eis tributa longè grauiora, quàm antecessores sui, qui omnes vno animo contradixerunt sibi. *Iudit. 1.* Misitq; *Holofernem* Principem militiæ suæ, qui occupauit omnia in Cilicia & Mesopotamia vsque ad mare; & humiliauerunt se per Legatos vniuersarum vrbium & prouinciarum Reges, & exibant ad eum cum coronis & lampadibus ducentes choros; nec tamen ferocitatem animi eius poterant mitigare, quin ciuitates & lucos destrueret: præceperat enim Nabuchodonosor, vt omnes Deos terræ exterminaret, ipseque solus adoraretur. Audientes autem filii Israël timuerunt ne similia faceret Ierusalem & Templo, & munierunt angusta viarum; humiliaueruntq; se ad exhortationem Ioachim sacerdotis; & operuerunt altare Domini cilicio, seq; cilicio & cinere. Sciscitanti igitur Holoferni, *quisnam esset hic populus*: respondit, Achior dux Amon, quòd *de Caldea exierunt, de seruitute quoque Aegypti & Babylonis; nec vinci posset nisi Deus suus illi foret iratus.* Mittitur proindè Achior, vt cum Iudeis habitans, cum eis captus, puniatur; & cognoscat quia nullus sit Deus præter Nabuchodonosor. Inuenitq; Holofernes aquæductum quo refocillabantur in ciuitate: eo verò sublato, & tumultu populi suscitato sacerdos Ozias decreuit quinque diebus adhuc sustinendo, Dei misericordiam expectare. At *Iudith* de tribu Ruben, vidua & casta, redarguit sacerdotes, quòd Dei misericordiæ terminum imposuissent; & præmissâ oratione, vnxit se, & induit se vestimentis iocunditatis suæ: & Olofernes statim captus est, in ea, & dixerunt Assyrii, *Quis contemnat populum istum qui tam pulchras mulieres habet?* Expositâ autem causâ aduentus sui, ne scilicet cum suo populo moreretur, iussit eam introduci in locum thesauri sui: quæ petiit opportunitatem egrediendi ad orationem. Et sollicitata est Iudith intrare ad Olofernem; bibitque ac comedit cum eo; ille verò inebriatus est nimis, cui dormienti Iudith caput abscidit, & fecit super muros poni, insultumq; ciues facere in Assyrios. Qui videntes cadauer Olofernis, dixerunt: *Vna mulier Hebrea, posuit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Iudei autem postquam eos persecuti sunt triginta diebus, tulerunt spolia. Achior autem circumcisus, appositus est ad populum Israël. Venit quoq; ad visitandum Iudith, Ioachim cum vniuersis presbyteris. Ipsaq; ascendit post canticum in Ierusalem, & obtulit vota sua, & chonopeum Olofernis purpurâ, auro, gemmisq; contextum, & vasa eius vniuersa: & completis C V. annis mortua est. Scripserunt autem Principes trans flumen Cambisi, quòd Ierusalem reædificaretur, ciuitas rebellis Regibus; nec posset Rex facilè postea aditum habere in Syriam: propter quod intermissum est opus Dei vsque ad annum secundum *Darii* Regis Persarum. Huic Dario Zorobabel cùm animum Cambisis ad Dei opus conseruandum flectere non valuisset, occultè suasit, vt votum faceret Deo Israël, quòd si eum Regem faceret, ipsius templum restauraret in Ierusalem, & vniuersa eius vasa remitteret: quo facto cùm audiret Zorobabel regnare Darium, ipsum fiducialiter adiit, & vltrà quàm speraret, ab eo honoratus est: Nam in cubiculo Regis, cum aliis duobus Cubiculariis dormiebat. Porro Rex cœnam exhibuit Satrapis Persa-

Margin: 1. Esd. 4, 6. Iud. 1, 6. &c. Iud. 2, 4. 20 Iud. 3, 8. &c. Iud. 4, 1. &c. Iud. 5, 1. &c. Iud. 6, 1. 30 Iud. 7, 6. Iud. 8, 1. Iud. 10 3. Iud. 12, 1. 40 Iud. 13, 9. Iud. 14, 14. Iud. 15, 10. Iud. 16, 13. 1. Esd. 4. 15. 50 3. Esd. 3, 1. &c.

Persarum *II. Esdræ III.* & præfectis Indiæ & Æthiopiæ, & magistratibus CXXVII. prouinciarum. Illamq; noctem Rex expergefactus duxit insomnem. Proposuitque suis custodibus, quod *ex trib. fortius videretur, Rege*, scilicet, *Muliere* vel *Vino*: promittens munera ei qui sapientiùs responderet. Et primus quidem ait fortiorem *Regem*; quia cùm homines cunctis præsint animantibus, Rex præest hominibus. Secundus, *vinum* prætulit: quia cùm Rex animi præsit vigore, vigorem animi vinum aufert. Zorobabel verò, *mulierem* vtrisque præcellere ait: nam & Regi, & eis qui vitem plantant dominantur; & eis conferunt vitam, & alimentum, & viri pro eis animas suas ponunt; vidisseque se ait Regis cuiusdam concubinam alapas illi dare; &
10 cum dolente Regem dolere, & cum gaudente gaudere: super omnia autem *Veritatem* omnibus præualere asseruit, quæ immutabilis est & sempiterna. Cùm iudicarent omnes veritatem præualere, ad Zorobabel ait Rex, vt quod vellet peteret, & impetraret. Qui petiit Templi ædificationem, & vasa ipsius mitti in Ierusalem. Et gauisus est Rex propter votum; scripsitque litteras Principibus vltra flumen, quòd eos non impedirent, sed potiùs de sumptibus Regiis eos iuuarent. Zorobabel autem, portans vasa templi, ac reditum faciens per Caldeam, multos de contribulibus suis duxit in Ierusalem. Post defunctum Darium regnauit *Xerxes* filius; post quem alter filius *Artaxerxes*: quo tempore *Esdras* Aaronita, qui succensam à Caldeis legem reparauit, inuenitque gratiam in oculis Artaxerxis, & licentiam obti-
20 nuit vt ascenderent in Ierusalem, ad inuentam legem populo explicandam: habuitque epistolas ad Principes trans flumen, vt traderent Esdræ necessaria: & ministri templi absoluti sunt ab omni tributo: habuit quoque potestatem amouendi & cõstituendi Iudices, secundùm sapientiam suam, & puniendi contumaces. Venit autem cum XVII. millibus; & siluerunt tribus diebus; quarto die obtulerunt in domo Domini, quæ secum attulerant; adiurauitque tunc Esdras Sacerdotes & Principes, vt abiicerent vxores alienigenas, & eos qui de eis nati erant. Eiusdem quoque Artaxerxis pincerna erat *Nehemias*, & cùm esset in Susis castro, audiuit peregrinos Hebraicè loquentes: & sciscitatus est ab eis de statu Iudeæ & Ierusalem; & accepit ab eis vrbem esse sine muris, & populum Dei ibi habitare in afflictione: nam per diem
30 sustinebant impetum hostium, & noctibus intrabant latrunculi, & plateas implebant cadaueribus mortuorum: & fleuit Nehemias, ac panem desiderabilem non comedit. Rex autem cognitâ causâ tristitiæ, licentiam dedit eundi, præfixo termino redeundi: & epistolas ad Principes trans flumen, de exhibendo Nehemiæ, tanquam suo Legato ex latere, honore. Misitque Principes militum, & equites, deditque mandatum de reædificanda Ierusalem. Duxit quoque secum de Babylone multitudinem ex filiis captiuitatis: Veniensque Ierusalem siluit tribus diebus, & nocte consurgens cum paucis circuibat ruinas murorum, & considerans quomodo reædificari posset. Quartâ die locutus est ad multitudinem dicens: *Venite, reædificemus; & non simus vltra in opprobrium gentibus.* Nehemias ergò, & Helyasyb
40 summus sacerdos cum multis de populo ædificauerunt muros, cum sex portis, impedientibus finitimis nationibus: propter quod Nehemias mediam partem populi armatam statuit extra ciuitatem; alia verò pars media ædificabat, vnâ manu ponens lateres, alterâ tenens gladiũ. Post ędificatũ autẽ murum, pręcepit vt clauderẽtur portę ante solis occasum, nec aperirẽtur ante solis calorẽ, cõuocauitq; populũ ad audiendã legẽ. Videns quoq; Ciuitatẽ vacuã habitatoribus, rogauit optimates habitare in Ierusalẽ. Et benedixit spontè habitantibus; & inter populares missa est sors vt habitaret decimus in Ierusalem: rediitque ad Regem, & mortuus est ætate venerandâ, & sepultus in Ierusalem. Post hæc constituto Rege altero *Artaxerxe* mediis pluribus, interfectaque inobediente Reginâ Vasti, Rex in regni con-
50 sortem elegit *Esther*, orbatam vtroque parente, adoptatam in filiam à patruo Mardocheo, qui versabatur in vestibulo domus Regiæ, vt curam gereret filiæ adoptatæ. Eo tempore irati sunt duo Eunuchi ianitores, & in Regis necem machinati: quod non latuit Mardocheum. Idque ex nomine eius, detulit ad Regem Esther: & suspensi sunt in patibulo, traditumque est in Regis annalibus. Post hæc exaltauit Rex Aaman Amalechitem de genere Agag, & adorabant eum omnes serui Regis, præter Mardocheum: quod ille attendens, cognoscensque Hebreum, Regi suasit fouere pacem, asserens *dissimilitudinem, pacis nouercam*: gentem verò Hebream

1. Esd. 7, 1. &c. *3. Esdr. 8, 1. &c.* *2. Esdr. 1, 1. &c.* *2. Esd. 2, 6. &c.* *2. Esd 2. 18.* *2. Esd. 3, 1. &c.* *Esther. 2, 7. &c.* *Est. 3, 1. &c.*

in regno suo, nouis è contra, ait legibus vti & ceremoniis: Tunc Rex anulum dedit Aaman, vt de populo iudicaret. Ille litteras scripsit ex nomine Regis per omnes prouincias, vt XIII. die duodecimi mensis, omnes Iudei perirent, & bona sua diriperentur. Quo Esther audito, Iudæis indixit ieiunium: & consilio Mardochei, exponens se periculo, non vocata intrauit ad Regem, vni innixa puellæ, defluentes vestes alterâ sustentante, qui cùm eam toruo inspexisset oculo, collapsa est: Tunc Rex extendit sceptrum aureum in signum clementiæ contra eam, & properans cõsolabatur eam, dicens: pro subditis datam mortis legem accedentibus non vocatis; ipsa verò consors erat imperii, asserens quia quicquid peteret impetraret. Petiit autem Esther, vt Rex cum Aaman ad conuiuium suum iret ipsâ die: & cùm post cibum Rex scire vellet petitionem, Esther in crastinum distulit, rogans, & sequenti die cum Aaman secum prandere. Egressus igitur Aaman lætus, cùm vidisset * Mardoceum sibi non assurrexisse, consilio vxoris & amicorum, altitudinis cubitorum L. crucem parari iussit, vt in ipsa suspenderet Mardocheum. Noctem autem illam Rex duxit insomnem, & sibi legi iussit annales: Legiturque quomodo per Mardocheum à morte liberatus sit, & quærente Rege, quod honoris consecutus sit, respondetur. *Nihil.* Tunc Rex quæsiuit quis esset in atrio: & inuenitur Aaman. Intrauerat enim vt Regi suggereret de morte Mardochei. Accersito igitur Aaman, ait Rex, *Quid fiet viro quem Rex voluerit honorare?* Qui de se dictum reputans, respondit, *quia stolâ Regiâ deberet indui, diademate coronari, ac sedere super equum Regis: & primus de Principibus teneat equum, & per ciuitatem incedens clamet: Sic honorabitur quem Rex voluerit honorare. Et ait ei Rex, Vade, sic facies Mardocheo.* Quibus peractis domum rediens Aaman, lugens audit ab amicis; *Si Mardocheus ante quem cadere cepisti, est de semine Iudeorum, non præualebis, potiusq; succumbes.* Et ecce nuntii compulerunt eum egredi, ad conuiuium Esther, aptoque tempore ait Rex, *Pete quod vis, Esther.* At illa, *dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro, ne pereamus:* respondítque Rex, *Et quis est qui hæc facere audeat:* Et Regina subintulit, *Hostis noster, iste Aaman.* Rex iratus, surgens intrauit ortum; Aaman autem supplicabat Reginę pro anima sua: rediens verò Rex, Aaman iussit cruci affigi quam parauerat Mardocheo: & omnia quæ ipsius fuerant, donauit Esther. Illâ autem referente, quia Mardocheus auunculus eius esset, Rex illi anulum dari fecit, quem tulerat ab Aaman. Scripsitque Mardocheus litteras reuocationis primarum; & quòd omnes qui parati erant Iudeos occidere, in eorum manibus traderentur. Et factum est nomen Iudeorum celebre; ita vt multi religioni iungerentur illorum, sub regimine Iudæ summi sacerdotis.

Esther. 4, 16. — Esther. 5. 1. & 15, 7. — * Ex scal. — Esth. 6, 1. &c. — Esth. 7, 1. &c.

CAP. X.

Continet inuidiam in Iohannem sacerdotem & successorem Iadum: mortem Alexandri tempore, Oniæ: & Ptolomei persecutionem in Iudeos: Translationem quoque Diuinæ legis per LXX. Interpretes, tempore Eleazari sacerdotis.

POst defunctum Artaxerxem, successit alius *Artaxerxes* qui & *Ochus*: Hic Vagosum misit præfectum vniuersis prouinciis trans flumen. Erat autem summus Iudeorum sacerdos in Ierusalem *Iohannes*, qui Iudæ patri successerat: cui inuidit frater IESVS ad Pontificatum aspirans, ac per hoc Vagosi familiaris effectus est: hac confidentiâ cum summo sacerdote altercatus, in tantam compulit iram, vt discolum fratrem occideret: quo euentu Vagosus permotus animo, Ierusalem ascendit, prohibitusque à Templi ingressu, non cessit, se cadauere asserens mundiorem, quo Templum prophanauerant: Ingressusque templum expoliauit, imponens ministris tributa anni septimi, à quo, interuentu Nehemiæ, fuerant absoluti. Successit autem Ocho *Arges*, qui & *Arsanius*, qui trans flumen regionibus *Sarabalam* præfecit, de genere Cuteorũ. Mortuoq; Iohanni summo sacerdoti, successit *Iadus* filius, cuius frater *Manasses* ad Pontificatum aspirans, in vxore assumpta Isacha filia Sarabalæ, ministrare præsumens, prohibetur à Ierosolymitis, ni gentilem dimittat vxorem: Ille indignatus se transfert cum vxore ad socerum, qui ei templum in Garizi, instar Ierosolymorum, interueniente tamen consensu Regis Persarum, ædificare pollicitus est. Post Argem regnat filius *Darius*: Eodemque

anno

REGES IVdæorum post captiuitatem Babyloniæ vsque ad Christum.
4. *Iesus.c.8.*
26. *Ioachim.c.8.*
12. *Elyasib.c.9.*
15. *Iudas.c.9.*
41. *Iohannes.c.*X.
54. *Iadus.c.*X.
17. *Onias.c.*X.
16. *Symon.c.*XI.
17. *Eleazarus.c.*X.
9. *Onias. c.*XI.
12. *Symon. c.*XI.
19. *Onias.c.*XI.
31. *Iesus.c.*XI.
11. *Iohannes.c.*XI.
4. *Alchimus.c.*XI
3. *Iudas. c.*XI.
19. *Ionatha. c.*XI.
8. *Symon.c.*XI.
22. *Iohannes.c.*XI.
Aristobolus. c.12.
38. *Alexander. c.12.*
Alexandra. c.12.
2. *Hyrcan⁹.c.*XII.
37. *Herodes.c.*XII.

anno *Alexander Magnus*, qui ad Persicum properans bellum, cæsis hostibus semel & iterum, Tyrum obsedit, obtinuitque. Tunc Sarabalam de suis eligens VIII. milia, ad Alexandrum profectus est, se illi libentiùs quàm Dario velle obsequi ait: grateque susceptus est. Nuntiat deindè se habere generum Manassen, cui templum & altare vellet erigere; idq; esset vtile Alexandro, eò quòd infirmior esset Iudeorum natio sic diuisa. Deprecanti autem, Alexander concessit, illeq; perfecit: stetitq; phanum, quousq; Romanorum destructio subsecuta est. Iado verò sacerdoti, cùm adhuc Tyrum obsideret scribit Alexander, vt auxilium præbeat, atque venalia exercitui paret; reddatq; tributa quæ prius Dario conferebat. Pontifex, ait se Dario sacramenta dedisse; nec posse illo viuente violare fidem: Tunc cōminatus est Alexander genti Iudeorum, quia per eum discerent cui obtemperare deberent. Subactâ Tyro, & mortuo Sarabala, Ierosolymā festinat, quem timentes Iudei, clamauerunt ad Dominum. Dormitanti proindè, sacerdoti ait Deus, eos *confidere, vrbemq; sertis ornare: ipse verò Pontificalibus, cæteri autem sacerdotes legitimis stolis induti, irent obuiam Alexandro.* Quibus completis, intuens Pontificem Alexander, equo dissiliit, eumq; solus adiit; & nomen tetragrammaton, quod in lamina erat aurea, super Cydarin, adorauit; Pontificemq; veneratus est: dixitq; militibus, mētem Regis ludificatam putantibus, se cū adhuc esset in Licia ciuitate Macedoniæ, in illo habitu Deum vidisse, principatum sibi pollicentem Persarum. Ingressusq; vrbem, sacrificauit secundùm sacerdotis ostensionem, in templo Dei: non ad eius cultum verâ pietate conuersus, sed impiâ vanitate cum diis eū falsis colendum putans: *vt ait August.* XVIII. *de ciu. Dei.* Post sacrificium autem, lecto Daniele, tributa septimi anni dimisit. Cùm verò Alexāder veneno periit, *Onias* Iadi filius, Pontifex erat. Decidit autem in lectū Alexander, & cognouit quia moreretur: & vocauit pueros suos, qui secum nutriti fuerant à iuuentute sua; & diuisit illis regnum suum, cùm adhuc viueret: & cùm regnasset annis XII. mortuus est. Non enim voluit in vnam Monarchiam transferre, ne ei par quisquam in potentia videretur: sed in XII. socios regnum diuisit, quatuor autem, abiectis aliis, tandem regnauerunt. In Ægypto, *Ptolomeus* Lagi filius; in Asia, *Antigonus*; in Syria, *Demetrius*; in Macedonia, *Philippus*: secundùm quod prophetatum fuerat in visione decima Danielis XI. cap. *Surgens verò Rex fortis,* Alexander, *& dominabitur potestate multâ & faciet quod placuerit ei: cùm steterit,* scilicet in robore suo, *conteretur regnū eius, & diuidetur in quatuor ventos cœli.* quia Ægyptus, est ad Meridiem; Syria, ad Septentrionem; Asia, ad Orientem; Græcia, ad Occidentem. Ptolomeus autem regno suo adiecit Syriam; voluit addere & Iudeam, & ascendit Ierusalem die Sabbathi, sciens Iudeos arma non moturos: & nullo contradicente, intrauit. Multos autem de Iuda & de Garizi traxit captiuos in Ægyptum, & venditioni exposuit: & à negotiatoribus nationum distracti sunt, & per orbem dispersi, plusquam in aliqua captiuitate: propter quam Act. II. dicitur, quòd conuenerant in Ierusalem ex omni natione quæ sub cœlo est. *Symoni* verò Iusto successit filius *Eleazarus*, cuius tempore regnauit in Ægypto *Ptolomeus Philadelphus*, superioris filius, studiosus nimis cupidusque librorum. Hic cùm à Demetrio qui bibliothecæ eius præerat, de numero librorum quæreret, audiuit viginti adesse milia: sed paulò post vsque ad L. milia post se venire cognouit. Et cùm ei nuntiatum esset de lege Iudeorum, Dei ore prolata; & quòd propter legis sanctitatem non nisi à Dei cultoribus posset transferri: nam & Theopompus cum historiis quas scribebat hanc vellet inserere, versus est in amentiam diebus XXX. Theotectus quoque pro eadem caussa factus est cæcus; sed pœnitentes sanati sunt: scripsit Eleazaro summo

1. Mach. 1, 7.

ſacerdoti, vt Iudeos peritos Græcæ linguæ ad ſe dirigeret, cum lege Dei, qui ad eam transferendam ſufficerent. Miſit igitur Eleazarus, ad interpretandum legem, ſex viros ſeniores de vnaquaque tribu: & cùm eſſent tribus XII. ferunt interpretes in vniuerſo fuiſſe LXXII. Peracto verò negotio, remiſit Rex interpretes ad Eleazarum cum muneribus: & inter cætera miſit menſam aurcam gemmis impretiabilibus inſignitam, cuius croſſitudo cùm eſſet dimidii cubiti, tamen materiam opus ſuperabat.

CAP. XI.

Continet Iudeorum diuiſionem ſub Onia, contra ſe bellantibus Syria & Aegypto: ac perſecutionem Regum Syriæ, Seleuchi & Antiochi, in Iudeos: & depoſitionem ac mortem alterius Oniæ: mira quoq; Machabeorum geſta.

POſtquam Iudea à Ptolomeis moleſtias perpeſſa eſt, Reges Syriæ vexationem addiderunt afflictis. Pugnante enim *Antiocho magno* contra Ptolomeum Epiphanem, Iudea in medio poſita, in contraria ſtudia ſcindebatur: ſecundùm *Ieronym. ſuper Danielem*: aliis Antiocho, aliis Ptolomeo fauentibus. Denique *Onias* ſacerdos filius ſecundus Symonis Iuſti aſſumptis plurimis Iudeorum fugit in Ægyptum: & à Ptolomeo honorificè ſuſceptus eſt; acceptaq; regione Elyopoleos, concedente Rege, templum conſtruxit ſimile templo Iudeorum: complens vaticinium Iſayæ. XIX. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti*: quod permanſit vſque ad tempora Veſpaſiani. Cùm verò Anthiocus teneret Iudeam, ſcopas conduxit exercitum Ptolomei, Iudeam capit, & plurimas ciuitates; & partem optimatum Anthioci ſecum in Ægyptum adduxit. Poſtea autem Antiochus ſcopam iuxta fontes Iordanis fugauit: veniensq; Ieruſalem, honorificè ſuſceptus eſt. Expugnatoq; ſcopæ præſidio in arce Ieroſolymorum, eos qui partium eius erant perſecutus eſt: & cognitâ Iudeorum erga ſe voluntate, magnis eos honorauit muneribus. Poſt Anthiocum verò, regnauit *Seleucus Eupator*, filius eius peſſimus, ſed iners. Pontifex autem Iudeorum erat *Onias*, poſt *Symeonem* ſuperioris Oniæ filium. Huius igitur Oniæ temporibus, propter ipſius Oniæ pietatem, leges optimè ſeruabantur; & templum maximis illuſtrabatur donis: ita vt Seleucus præſtaret omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum. Symon autem, de tribu Beniamin, ſuggeſſit Apolonio, qui dux erat Celeſyriæ & Phœnicis, ærarium Ieroſolymis eſſe plenum pecuniis, & poſſibile eſſe ſub poteſtate Regis cadere vniuerſa. Cumque ille retuliſſet ad Regem, accitum Helyodorum Rex miſit Ieruſalem ad ſpoliandum ærarium: non vaſa, ſed donaria templi. Elyodoro autem ait Pontifex, ibi depoſita eſſe & victualia viduarum. Conſtitutâ autem die, cùm intraret Elyodorus diſpoſiturus de hiis, per vniuerſam ciuitatem erat trepidatio. Sacerdotes autem ante altare cum ſtolis ſacerdotalibus iactauerunt ſe; & inuocabant de cœlo eum, qui de depoſitis legem dedit. Iam enim qui videbat ſummi ſacerdotis vultum, mente vulnerabatur; facies enim & color immutatus indicabat internum animi dolorem; cunctique protendebant manus ad cœlum: ac omnipotens DEI virtus fecit magnam ſuæ oſtenſionis euidentiam. Illo enim Templum ingreſſo, ſurrexerunt duo iuuenes: videtur *Ioſephus* velle, quòd fuerint Angeli: & comminuerunt eum *II. enim Mach. III.* dicitur, quòd apparuit terribilis ſeſſor equi, & conculcauit eum, & comminutus eſt. Timens verò Onias indignationem Seleuchi, orauit ad Dominum & reuixit: Elyodorus autem hoſtiâ DEO oblatâ, repedabat ad Regem, teſtabaturq; omnibus ea, quę ſub oculis viderat, opera magna DEI. Ac ſciſcitanti Regi, quis eſſet aptus ſemel adhuc mitti, reſpondit: *ſi quem habes hoſtem, aut regni tui inſidiatorem, mitte illuc; & flagellatum recipies ſi tamen euaſerit.* Poſt hæc *Antiochus*, frater eius qui Romæ obſes erat, cognoſcens fratris inertiam, ad regnum aſpirans, clàm Romam egreſſus eſt, licet aliqui eum rediſſe aſſerant ſub coniuentia ſenatorum; & reuerſus, primùm ſe cunctis benignum oſtendit: ſtrenuus autem erat in agendis, & acer in hoſtes, vndè & à populo cognominatus eſt *Epiphanes*, id eſt, Illuſtris, qui I. Machab. I. dicitur *radix peccati*. Vndè ſcilicet, cepit illo tempore apoſtatare à Dei lege populus Iſraël. Suſcepto autem regno, iniquitatem ſibi inſitam, mortuo fratre aperuit, quam pro obtinendo regno palliauerat. Et ſurrexerunt in Iſraël filii Belial, & petierunt ab eo, vt facc-

2. Mach. 3, 1. &c.

20 30 40 50

facerent in Ierusalem *ephebiam*, id est luparia ephebborum: & quod Hierosolymitæ scriberetur *Antiocheni*: & ædificauerunt gymnasium, in quo dogmatizabant de ritu gentium: & fecerunt sibi præputia, id est, non circuciderunt pueros, *1. Mach. 1.* Ratio autem tantorum malorum ponitur *11. Machab. iv.* Onias enim Pontifex sine liberis erat, habens duos fratres, quorum vterque summum ambiebat sacerdotium: & vt placerent Antiocho, declinauerunt ad ritus gentium, & nomina gentium sibi præposuerunt. Vnde IESVS dictus est *Iason*; & Iohannes dictus est *Menelaus*. Iason autem plures habens secum, promissa pecunia sacerdotium ab Antiocho obtinuit, & tunc, *venit August.* ignis sacrificii qui per LXX. annos Babylonicæ captiuitatis durauerat, extinctus est. Postea Antiochus amouit Iasonem, & eleuauit Menelaum, qui secutus est Oniam in Antiochiam: descenderat enim ad Regem, propter facinus fratrum, si forte Regis animum mutare potuisset: Et cùm nequisset, sedentem in Antiochia Menelaus per Andronicum, cui Antiochus Iudeam commiserat, occidi fecit. Delatâ verò huius cædis ad Regem querela, flexus ad misericordiâ lachrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem & modestiam. Et Andronicum purpura exutum, & per ciuitatem circumductum, in ipso loco vbi Oniam occiderat, interfici iussit. Contigit autem Antiochum (*sequenti capitulo*) iterum ascendere in Ægyptum: & tunc Ierosolymis, per XL. dies visæ sunt acies armatæ atque pugnantium: & orabant omnes, in bonum monstra conuerti. Postquam verò expulsus est Antiochus ab Ægyptiis, venit in Iudeam; & expoliauit templum, occidit octoginta milibus, & totidem vinculatis, aut venundatis: & profectus in Antiochiam, misit Apolonium cum exercitu, vt omnes interficeret adultæ ætatis. Tertio quoq; de Ægypto rediens, expoliauit templum, ponens in eo Idolum Iouis; & oblationes Mosaycas fieri prohibuit: posuitque ibi gentem peccatricem. *1. Mach. 1.* Tunc duæ mulieres delatæ sunt natos circumcidisse, quæ cum filiis ad vbera suspensis, per vrbem circumductæ, per muros præcipitatæ sunt. *11. Machab. vi. Eleazarus* quoque vnus de principibus scribarum, quia noluit contra legem suillas comedere carnes, plagis interemptus est. Mater quoque (sequenti capitulo) cum septem filiis diris cruciatibus vitam finiuit. Tunc multi Iudæorum, aut timore aut sponte Regis adimplent. Erat autem vir in Modyn, *Matathias*, de vice Ioachim, qui vnus fuit de XIV. sacerdotibus quos instituit Dauid. Est autem *Modyn* iuxta Emaus distantem LX. stadiis à Ierusalem. Et venerunt emissarii Regis in Modyn, statuentes aram vbi ad sacrificandum cogerent Iudeos, & inuitauerunt Matathyam: Illo autem renuente, accessit quidam Iudeus vt sacrificaret, quem interfecit Matathias, & nuntiu Regis, aramq; destruxit, & clamauit, *Qui Domini est, sequatur me.* Multi aût omnia relinquentes, secuti sunt eum in solitudine. Tunc emissarii Regis intulerût bella Sabbathis, qui nec speluncas oppilauerunt. Matathyas autem docuit eos pugnare Sabbathis. Vnde Beda super Matth. *Quod nô est licitum in Lege, necessitas licitû facit: nam & Sabbathum custodiri præceptum est, Machabei tamen in Sabbatho pugnant: Sic, inquit, hodie, si quis ieiunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.* Et ponitur, *extra de feriis.* Collectaque manu aras destruxit, & immolantium quos potuit interfecit. Hunc magistratum anno vno gessit: moriturus autem, filiis quinque patrias commendauit leges: corpora dicens mortalia; sanctorum verò monumenta, immortalitatis consequi ordinem. Post hunc autê surrexit filius eius *Iudas*, & induit loricâ, sicut gigas; similis factus est leoni in operib. suis: & dilatauit gloriâ populo suo; vnde & dictus est *Machabeus*, à *Machos*, quod est pugna; & *beo, beas*: quasi beatus in pugna. *Apolonius* autê dux Samariæ in virtute magna egressus est contra Iudâ. Iudas autem occurrens, percussit eum cum multis, reliqui verò fugerunt: & accepit spolia eorum, & gladium Apolonii, & pugnauit cum eo cunctis diebus. *Seron* quoque dux inferioris Asiæ cum suis, simulq; cum legis transgressoribus castrametatus est contra eum. Iudas autem suos paucos & ieiunio desides hortabatur, non in multitudine, sed in pietate confidere; & confligens cum Syriis, duce eorum interfecto, persecutus est fugientes: & cecidit timor Iudæ super gentes. Post hæc & similes victorias; Iudas templum emundauit, ipso die prophanationis, euolutis tribus annis, XXV. die Septembris: & hæc dedicatio in posterum fuit. Et statuerunt Iudam summum sacerdotem, celebraueruntque octo dies, secundum ritum *scenophegiæ*, memores quod paulò ante habitauerant in

2. Mach. 4.
1. Mach. 1.
2. Mach. 5.
2. Mach. 7.
1. Mach. 2. & c.
1. Mach. 3. 1. & c.
1. Mach. 4. 36. & c.

speluncis. Tunc etiam construxit murum in circuitu Ciuitatis, & *Bethsuram* muniuit, vt eam quasi pro castro haberet. 1. *Machab.* VI. Gentes autem finitimæ hoc ægrè ferentes, Iudeos persequebantur; quas Iudas fortiter debellabat. Congregati quoque sunt qui erant in Galaad contra Iudeos. Cumque ad hoc legerentur litteræ petentes auxilium, nuntii à Galilea venientes, nunciant Ptolomenses, Tyrios, Sydonios congregari aduersus Iudeos. aitque Iudas fratri suo, *Vade in Galileam, & libera fratres nostros; ego autem & Ionathas, ibimus in Galaditim: sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* & fuerunt vtrobique victores. Audiens autem Antiochus, qui superiores partes perambulabat, victorias Iudæ, in furore intonuit se facturum Ierosolimam poliandrum Iudeorum: & statim apprehendit eum amarus dolor viscerum; & de curru cadens, collisus est, & effluebant vermes de corpore eius, & grauabatur exercitus fœtore eius. Cùm verò nec ipse fœtorem suum ferre valeret, ductus ad cognitionem sui, ait, *Iustum est mortalem subditum esse Deo.* Et promisit se Iudeos honoraturum, & Dei virtutem vbique prædicaturum: scripsitque Iudeis vt fideliter adhererent filio suo: peregreque in montibus miserabiliter mortuus est. Successitque ei *Eupator* filius eius; & huic *Demetrius* Seleuci filius in Iudeos & ipsi sæui: contra quos Iudas prælia gessit, auctusq; victoriis cum Romanis fœdus iniit, scripseruntq; formam fœderis in tabulis æneis, mittentes in Ierusalem hoc modo: *Bene sit Romanis & genti Iudeorum, & pax in æternum. Quòd si institerit bellum Romanis, auxiliũ feret gens Iudeorũ; nec accipient stipendia à Romanis: id ipsum facient Romani Iudæis.* Tũc scripserunt Demetrio: *Quare aggrauasti manum tuã super amicos nostros socios Iudeos? si ergò iterũ adierint nos, faciemus illis iudiciũ, & pugnabimus contra te terrâ mariq́.* 1. *Machab.* VIII. Tandem cecidit Iudas in prælio, mori præeligens in virtute, quam fugâ saluari: & tradidit se *Bachidi*, qui à Demetrio missus erat, vniuersa regio: & instituit impios dominos regionis qui persequebantur amicos Iudæ. Illi autem congregati, elegerunt *Ionathan* fratrem eius in ducem: qui Iudæ mortem vindicauit, & fugauit Bachidem. *Alchimus* autem qui per Demetrium constitutus erat summus sacerdos, cœpit destruere muros domus interioris, & opera Prophetarum: sed percussus paralysi, mortuus est cum tormento magno. Post hæc viri iniqui ex Israël duxerunt iterum Bachidem in Iudeam, & propter contrarios sibi euentus, cum Ionatha pacem iurauit, & abiit: seditque Ionathas in Magmis, iudicans populum. 1. *Machab.* IX. Venit autem *Alexander* filius Antiochi Epiphanis, Ptolomaydam, & regnauit in ea: quod audiens Demetrius firmauit cum Ionatha pacem: & venit Ionathas in Ierusalem, & muniuit montem Syon in circuitu. Alexander quoque scripsit Ionathæ: *Audiuimus quòd vir potens es, & aptus vt sis amicus noster: & nunc constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tuæ, & vt amicus Regis voceris:* & misit ei purpuram, & coronam auream. Quod Demetrius audiens, tristatus est: absoluitque Iudeos à tributis, & cætera plura concessit. Tandem Ionathæ dolo detento in Ptolomayda, & postea occiso, successit *Symon* frater eius, qui ossa Ionathæ sepeliuit in Modyn: & statuit septem pyramides patri & matri, & quatuor fratribus, & sibi, & circumposuit columnas, & sculpsit in eis arma, & naues ad æternam memoriam: abstulitque iugum gentium ex Israël: fecitque sibi portum in Iopen; & dilatauit fines genti suæ, & vnusquisq; stetit securus sub ficu & vite sua. *Machab.* XIV. Aspirans autem ad ducatum *Ptolomæus* filius Abobi, gener Symonis, facto ei conuiuio, socerũ non dubitauit occidere, mittens qui fratrem eius Iohannem occiderent: sed præuenti nuntio, interficiuntur ab eo, & factus est *Iohannes*, Princeps sacerdotum, 1. *Machab.* XV. Hicque terminatur historia primi libri Machabeorum. Dictus autem est hic Iohannes *Yrcanus*, à deuictis Yrcanis: qui obsidente Antiocho Grypho Rege Syriæ Ierusalem, duos de loculis, circumstantibus sepulchrum Dauid, aperuit, inde tollens plus quam III. milia talentorum; trecentaq; dedit Antiocho vt obsidionem solueret: mortuusq; quinque reliquit filios.

1. Mach. 5. 1. &c. — 1. Mach. 6. 1. &c. — 1. Mach. 8. 23. — 1. Mach. 9. 18. &c. — 1. Mach. 10. &c.

CAP. XII.

Continet quomodo in Terra Promissionis Reges iterum regnare ceperunt.

XII. MOrtuo Iohanne Yrcano, cùm nullus filiorum ad regnandum sufficeret, vxorem suam disertissimã *Alexandram*, Iudeæ & filiis præfecit. Maior autẽ natu

Aristo-

Aristobulus, impatiens materni dominii, dyadema sibi imposuit, matrem, tresque minores fratres ponens in vinculis, *Antigono* fratre secundo à se constituto, ac deindè perempto, & regnauit per annum. Vxor autem eius, ex eo non habens filium, fratres illius à vinculis absoluit, & maiorem *Alexandrum* regnare constituit: qui vocatus est *Ianeus*, qui duxit vxorem nomine Alexandram. Hic adeò nequam fuit, vt circiter quinquaginta milia Iudæorum interfecerit in tribus annis. Et cùm interrogasset quo pacto Iudæis reconciliari posset, audiuit, *Si moreretur*: propter quod in plateis Ierusalem octingentos viros cum vxoribus ac filiis, necari iussit. Moriturus autem, sciens duos filios suos odiosos pro patre Iudæis, regnum reliquit vxori suæ *Alexandræ*, quæ populi beneuolentiam acquisierat, eius tyrannidi resistendo. Hæc dum regnaret, *Hyrcanum* primogenitum Pontificem declarauit, eum futurum Regem iudicans. Eâ verò ægrotante, *Aristobulus* alter filius, collectâ plurimorum manu, post matrem se regnaturum declarauit; ipsâq; mortuâ cum fratre bellum habuit: tandem eo pacto concordant, vt Aristobulus regnaret; Hyrcanus verò quibuslibet sub eo fungatur honoribus. Erat autem cum Hyrcano *Antipater* Idumeus, qui à latrunculis egressis de Ierusalem, & circa Ascalonam prædam agentibus, inter cæteros captiuos iuuenis gentilis ductus est; filius cuiusdam Herodis, genere Idumei, sacerdotis templi Apollinis in Ascalone: & in oculis Hyrcani tantùm gratiosus fuit, quòd totam ei domum regendam commisit. Hic itaq; persuasit Hyrcano, vt se dolo circumuentum quereretur; & apud *Aretham* Regem Arabum confugeret, cuius auxilio rediret in regnum. Iuit itaq; in Petra, vbi sedes regni erat: qui venit cum exercitu, & obsedit Ierusalem; nec præualuit, *Scauro* Romanorum duce, trecentis talentis, Aristobulo fauente. Frustratus Hyrcanus spe Arabum, ad *Pompeium* se contulit, cùm venisset Damascum: & variè negotio agitato, cùm tandem Pompeius obsideret Ierusalem, in vrbe dissensio facta est: nam fautores Aristoboli vrbem tueri; fautores verò Hyrcani, eam Romanis tradere contendebant: sed pars Aristoboli victa, in Templum secessit. Receptus verò in vrbem Pompeius, Templum expugnat; irruentesque Romani prophanauerunt templum, & equos in porticibus stabulauerunt: propter quod aiunt Pompeium priùs fortunatissimum, ex tunc semper succubuisse in bellis: licet in crastino ingressus templum, admiratus situm & ornatum ac religionem, nihil indè ferens iusserit mundari. Imposito quoque tributo, & Hyrcano Pontifice constituto, commissaq; *Iscauro* administratione Syriæ & Iudeæ, Romam rediit, captiuum ducens Aristobolum, cum duobus filiis Alexandro & Antigono, totidemq; filiabus. Post hæc Antipater cum regioni præesset, patet iam causa, præfecit Galileæ filium *Herodem*: qui cùm natura strenuus esset, principem latronum cum sequacibus interfecit; adeoq; Galileam quietam reddidit, vt *pater Galileæ* cantaretur. Cùm autem venisset *Antonius*, delatumque esset Herodes, fraterq; Faselis, quòd rerum summam vi possiderent, nomen autem tantum superesset Hyrcano: & Hyrcanum percunctaretur Antonius, quinam rebus agendis essent aptissimi, illeque Herodem & fratrem prætulisset, eos de procuratoribus *Tetrarchas* declarauit. Post hæc ad deferendum quandam querelam, Herodes Romam properat: persuasit autem Senatui Antonius, vt Herodem Iudeę Regem declararet: coronatusq; est, Augusto & Antonio hinc indè astantibus, decimo imperii Octauiani anno. Nunc tempus propiat, regnante alienigenâ in Iudea, quo Saluator veniat, à Prophetis & lege promissus, dicente Iacob Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Regni igitur huius Herodis anno XXXII. CHRISTVS natus est. Et postquam mortuus est Herodes, Cæsar regnum Herodis in quatuor partes diuisit: duas dedit *Archelao* Iudeam & Idumeam; Galileam, *Herodi Antipæ*; Ituream & Traconitidem regionem, *Philippo*. Archelaus autem post hæc accusatus de tyrannide apud Cæsarem, missus est Viennam in exilium: deindè Iudea administrata est per *procuratores* Romanos. Ecce iam Terræ Promissionis dominium deuenit ad filios Iaphet: nondum tamen expulsi sunt filii Sem, quia nondum completæ sunt iniquitates eorum.

CAP. XIII.

Continet crudelis persecutionis scelus in CHRISTVM & Apostolos.

XIII. REge cœli nato de *Virgine*, turbatur Herodes; & omnis Ierosolyma cum illo; & innocentem delectatem, in Bethlehem, & finibus eius. Anno quoque xv. Tiberii Cæsaris procurante *Pontio Pilato* Iudæam, prædicto Herode mortuo à pluribus annis, venit *Iohannes Baptista* prædicans baptismum pœnitentiæ; & interrogantibus an ipse sit CHRISTVS; respondit; *Non sum ego CHRISTVS:* & ait, *Veniet fortior me, post me: cuius non sum dignus corrigiam calciamenti soluere:* digitoq; demonstrans ait, *Ecce Agnus DEI: ecce qui tollit peccata mundi.* Sed perfida natio Iohanni, sibi de se, non de CHRISTO testimonium perhibenti, credere voluit: cùm Iohannes quidem signum fecerit nullum; CHRISTVS autem infinitis splēderet miraculis, propter quod aiebat: *Ego autem habeo testimonium maius Iohanne: Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere.* Dum enim in carne opera facit non carnis, sed DEI; naturam superans, elementa commutans, mortuos suscitans, infirmos sanans, dæmonumq; debellans tyrannidem, ita vt clamarent; *Luc. 4. Quid nobis & tibi, IESV Nazarene? venisti perdere nos:* euidenter ostendit, quia ipse cum Patre talia operatur. Obtulit ergò carnem sapientibus carnem, vt per ea, quæ faciebat in carne, cognoscerent esse DEVM. At illi aiebant: *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem: Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat: ab illo ergo die, cogitauerunt interficere eum.* Verum est, ô Iudæi, qui vsque in hodiernum diem negatis Filium DEI: quia propter hoc venient Romani, & tollent locum vestrum & gentem, vt sequenti dicetur capitulo. Illi ergò, quod temerè consulunt, sacrilegè prosequuntur: emunt à proditore discipulo xxx. argenteis, impretiabile præcium nostræ salutis: nocte quærunt cum gladiis, facibus & armis, qui solo Verbo cunctos prostrauit; derident & conspuunt, in quem desiderant Angeli prospicere: ligant & pertrahunt ad Pilati prætorium, qui solus sine peccato est, & aiunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* At Gentilis Præses, sciens quia per inuidiam tradidissent eum, quærit declinare iudicium. Primò renuntiatione officii: *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum.* Secundò, examinatione curiali & breui: *Tu es Rex Iudæorum?* & iterum: *Vnde es Tu?* Tertiò, per exclusionem omnis mali: *Ego nullam inuenio in eo causam.* Quartò, mutatione fori: quia misit eum ad Herodem. Quintò, inflictione pœnali: *flagris eum afficians, quantum iubetis, tantummodo dimittite eum innoxium.* Sextò, affectione mentali: *Exinde quærebat Pilatus dimittere illum.* Septimò, exprobratione vituperabili: *Regem vestrum crucifigam?* Octauò, propositione incomparabili: *Quem vobis vultis dimittam? Barabam, an IESVM, qui dicitur CHRISTVS?* Nonò, lotione figurali: *accepta aqua lauit manus coram populo,* dicens: *Innocens ego sum ab impietate Iudæorum:* gentilis Præses, gentiles faciens alienos. Decimò, comminatione damnabili: *Vos videritis.* O cæcitas Iudæorum! ô insania freneticorum! Quid est dicere; *non hunc, sed Barabam:* nisi, occidatur ille, qui suscitauit mortuos; & dimittatur homicida, vt iterum occidat viuos? At illi inualescentes clamabant, *Crucifige, crucifige eum: sanguis eius super nos, & super filios nostros:* in quibusdam enim eorum adhuc viuentibus, & in quorundam decedentium filiis, completa fuit facta eorum oratio in peccatum. Crucifixo itaque Domino, titulum scripsit Pilatus, & imposuit super caput eius, *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.* Si *Iesus* est: ô Iudæe, & Saluator, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes: non debuit morte damnari. Si *Nazarenus*, id est floridus: non debuit cruce turpari. Si *Rex Iudæorum*: non debuit ab indignis conspui, & illudi. Sed dicebant Pilato, Pontifices Iudæorum, *Noli scribere, Rex Iudæorum; sed quia dixit, Rex sum Iudæorum: respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi.* Nec efficere potuit Iudæus etiam occidendo, quin pro vero Rege gentilis susciperet, & teneret. Deinde Iudæus caput agitat ante crucem, & ait: *Vach, qui destruis templum DEI, & in triduo illud reædificas, salua temetipsum:* Imò, Iudæe, si se saluaret, alios saluos non faceret: cùm enim saluus esse non possit, qui non perseuerauerit vsque in finem; quantò minus poterit esse Saluator? Ipse ergò, qui incepit, perficiet

Marginal references: Ioh. 1, 20. — Ioh. 5, 36. — Ioh. 11, 47. — Ioh. 18, 30. — Ioh. 18, 31. — Ioh. 18, 33. — Ioh. 19, 9. — Ioh. 18, 38. — Luc. 23, 7. — Ioh. 19, 12. — Ioh. 19, 15. — Matt. 27, 17. — Matth. 27. 24. — Ioh. 18, 40. — Ioh. 19, 6. — Matt. 27, 25. — Ioh. 19, 19. — Matth. 27, 40.

[illegible]ciet & saluabit. Nam salute non indiget, cùm sit omnium vera salus. Similiter & Principes Sacerdotum dicebant cum scribis & senioribus. *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, vt credamus ei.* O venenata lingua! verba malitiæ! sermo nequam! non est hoc, Caypha, quod paulò antè prophetando, non Propheta, dicebas: *expedit vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat:* illud enim à temeti [illegible] non dicebas, nunc autem ex propriis loqueris, & mentiris. Si enim ad suscitationem quatriduani in monumento credere noluistis: quomodo credere[tis], si de Cruce descenderet adhuc viuens? Quid etiam consequentiæ videtur habere: *Si Rex Israël est, descendat de cruce: & non magis, ascendat?* Sic tibi, Iudæe, à [me]nte excidit, quia Dominus regnauit à ligno, vt Regem abneges, quia pendet [in l]igno? Non ergò descendet: sed in solio regni iuxtà titulum Regis stabit, vbi [scr]iptum est, *IESVS Nazarenus, Rex Iudæorum:* Græcè, Hebraicè & Latinè: vn[de] & paulisper expecta. Cùm enim paruula transisset mora, *à sexta hora tenebræ fa[ct]æ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam.* Et circa horam nonam IE[SV]s clamans voce magnâ, emisit spiritum: Quod fuit Diuinitatis indicium. Et [ec]ce velum Templi scissum est; & terra mota est, pendentem Dominum ferre non [sus]tinens; & monumenta aperta sunt, in signum futuræ resurrectionis: propter [qu]æ ait Centurio: *Verè filius DEI erat iste.* Nos, imâ voce vel nullâ morimur; [se]d cum exaltata voce expirauit, qui de cœlo descendit. Magna planè infirmi[tas] mori; sed sic mori, virtus immensa. Nempe, quod infirmum est DEI, for[tius] est hominibus. *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam; & potestatem [hab]eo iterum sumendi eam.* Potest humana vexania in mortem sibi manus iniice[re]: sed non est hoc animam ponere; vrgere magis est: nec impio Iudæ fuit facul[tas] animam ponendi; sed perdendi: nec ipse tradidit; sed laqueus traxit, cùm [spi]ritus eius spurcissimus non est emissus, sed amissus. Solùm in morte posuit [an]imam, & tradidit spiritum: quia suâ virtute est regressus ad vitam, vitæ [&] mortis solus habens imperium. Secum etiam, & non antè, *multa corpora [san]ctorum, quæ dormierant, surrexerunt, & apparuerunt multis:* vt esset ipse *primi[tiæ] dormientium, & primogenitus mortuorum;* postremò, omnium Princeps Sa[cer]dotum & Pharisei, ex concessione Pilati, *munierunt Sepulchrum signantes la[pi]dem, cum custodibus:* sed integro sigillo resurgente Domino, facto terræ mo[tu], apparuit Angelus, amictu niueus, aspectu fulgureus, piis blandus, dicens: [*No*]*lite timere vos:* impiisque seuerus. Venerunt proindè quidam de custodibus, [&] nuntiauerunt Principibus Sacerdotum quæ facta fuerant: & congregati cum [sen]ioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: [*Dicite*] *quia discipuli eius venerunt, & furati sunt eum vobis dormientibus.* Quàm malè [apta]tum fuit hoc mendacium? dormientes enim nequaquam de hoc poterant te[sti]monium perhibere. Post resurrectionem verò apparuit: non omnibus, sed te[stibus] resurrectionis præordinatis à DEO, loquens de regno DEI per dies XL. post [qu]os ascendit in cœlum; & sedet a dextris virtutis DEI. Quinquagesimo verò die, [*Spiritum*] *Sanctum* misit Apostolis ieiunantibus atque orantibus in cœnaculo mon[tis] Sion. Fragor autem quidam in aëre sonuit, quasi ventus vehemens: & appa[rue]runt illis dispartitæ linguæ, quasi ignis, insidentes capitibus eorum, duplicem [effe]ctum spiritus designantes: verbis, scilicet, vt essent proflui, & caritate feruid[i]. Erant autem in Ierusalem viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est: [au]dito fragore, conuenerunt ad discipulos; & audierunt vnusquisque linguam [in qu]a nati sunt, illos loquentes. Tunc surgens Petrus, & prædicans, conuer[tit tria] milia hominum. Deinde, ascendente *Petro & Iohanne* in Templum, clau[do &] paralytico (secundùm gloss.) petenti eleemosynam ait Petrus: *Aurum & [argen]tum non est mihi; quod autem habeo hoc tibi do: In nomine IESV CHRISTI Na[zareni] surge, & ambula:* sanatusque est æger. Admiranti quoque populo ait Petrus, [*in nomine*] *IESV CHRISTI virtute factũ esse miraculum:* superuenerunt autẽ sacerdotes, & magistra[tus] Templi, ac indignati, quia sic magnificabant IESVM, quem illi damnauerant; [maxi]mè Saducei, qui negant resurrectionem: iniecerunt manus in eos, & po[sue]runt in carcere: Multi autem, qui audierant verbum, crediderunt, & con[fecti] sunt v. milia. Alterâ die congregati sunt Principes Sacerdotum, & quotquot

Matth. 27, 42.
Ioh. 11, 50.
Ioh. 11, 39.
Matt. 27, 45. 46.
Matth. 27, 54.
Ioh. 10, 18.
Matt. 27, 52.
1. Cor. 15, 20.
Apoc. 1, 5.
Matt. 27, 66.
Matth. 28, 3. 5.
Matt. 28, 13.
Act. 10, 41.
Act. 1, 3.
Act. 2, 1. &c.
Act. 3, 1. &c.

erant ex genere sacerdotali, & seniores, & Pharisæi & Scribæ; & vocantes eos, denuntiauerunt eis ne ampliùs loquerentur in nomine hoc: Ad quos illi, *Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Per manus deinde Apostolorum, fiebant signa & prodigia, & augebatur multitudo credentium: & ponebant in plateis infirmos, vt eos saltem vmbra Petri tangeret & sanaret. Princeps autem Sacerdotum, & Saducei, iniecerunt manus in eos, & posuerunt in custodia publica: Angelus autem apertâ ianuâ liberauit eos, & diluculò intrauerunt in Templum & docebant plebem. Tunc magistratus, cæsis denuntiauit ne amplius loquerentur in nomine hoc. Post hæc lapidato *Stephano* facta est persecutio in Ecclesia Ierosolymis, ita vt omnes discipuli præter Apostolos constantiores, dispersi sint per regiones Iudææ & Samariæ. In hac quoque dispersione leguntur multi discipulorum exisse fines Iudææ, inter quos fuit *Magdalena* & soror eius *Martha* cum beato *Maximino*, posteà Aquensi Episcopo, & multis aliis. Tunc præuidentes Apostoli, quia ad gentes essent transituri, ordinauerunt *Iacobum* Ierosolymorum episcopum: Alterum deinde *Iacobum*, fratrem Iohannis, *Herodes Agrippa* occidit gladio: vidensque, quia placeret Iudæis, posuit in carcere Petrum. Huic Herodi *Caius Augustus* duas vacantes tetrarchias addidit, Regemque vocari concessit. *Claudius* verò sequens Augustus, *Herode Antipâ* Ascalonitæ Herodis filio, qui Herodiadem Philippo fratri tulerat, in exilium acto, quartam illius tetrarchiam eidem concessit. Hic autem Herodes Agrippa, Ascalonitæ nepos fuit, ex filio Aristobolo de Mariane, propter quam Ascalonita factus proselitus, ius habuit in regno Iudæorum, faterque Herodiadis. Successit quoque Herodi Agrippæ, *Agrippa* filius, in parte regni duntaxat: scilicet duarum tribuum & dimidiæ vltra Iordanem, & ibi finis eorum. De hiis tribus, Herodis nomine vocitatis, versus sunt.

Act. 4, 20. Act. 5, 12. Act. 5, 17. Act. 8, 1. Act. 12, 2, 3.

Ascalonita necat pueros; Antipa Iohannem;
Agrippa Iacobum, claudens in carcere Petrum.

Cap. XIV.

Continet Ierusalem destructionem: Iudæorumq; de regione illa expulsionem, per filios Iaphet, siue Romanos.

XIV. Completâ impietate gentis perfidæ Iudæorum in Christi morte, & suorum Apostolorum persecutione, ac nouellæ eius Ecclesiæ, cùm *Festo* procuratori Iudææ successisset *Albinus* & Albino *Florus*, qui præsente *Veronice*, Regis Agrippæ sorore, quæ ad Templum religionis causâ venerat, honorabiles viros Ierosolymis die solemni flagris verberauit, & patibulis affixit, vt Iudæorum pertinaciam hac contumeliâ penitus annullaret: quod non ferentes Iudæi, contra Romanum rebellauerunt imperium: ad quos domandos à Nerone mittitur *Vespasianus*, magister militiæ Romanorum, Titum maiorem filium habens inter Legatos. Tunc per vniuersam Syriam atrocissima Iudæorum occisio exercitata est: ita vt etiam, qui in diuersis locis, mixti gentibus, commanebant, in hostium numero computarentur: & loca inhumatis corporibus replebantur, etiam & infantium & mulierum. Iudæorum quoque solitudinem affuturam prodigia præcesserunt, ait Iosephus libro VIII. de bello Iudaico: Nam supra ciuitatem sydus stetit gladio simile; & per annum perseuerauit Cometes. In festo azimorum, cùm ad ostium duceretur bos, agnum peperit in medio fano. Orientalis porta templi ænea, quæ vix à viginti viris aperiri poterat, pesulesq; altos habebat, visa est horâ noctis sextâ, sponte patescere, vixque magistratus iussu claudi potuit. Visæ sunt cum ferreis curribus armatæ acies, totis regionibus circumfusæ. Nocte verò Pentecostis, Sacerdotes in templum ingressi, secundùm morem, ad Diuinas res celebrandas, primùm quidem motum ac strepitum senserunt, postea verò subitam vocem audierunt, *Migremus hinc. Iohannes* etiam quidam filius Anani, plebeus & rusticus, quadriẽnio ante quam bellum gereretur, in summa pace Ciuitatis atque opulentia, cùm ad diem festum venisset, exclamare cœpit: *Vox à quatuor ventis in Ierosolymam & Templum; vox in omnem hunc populum:* & per omnes vicos, etiam nocte clamitans circuibat. Quod nonnulli indignè ferentes, hominem corripuerunt, & plagis affecerunt: ductusque coram Romano Præfe-

Præfecto & plagis vsque ad ossa laceratus, nec suplex fuit, nec lachrymas fudit; sed ad singulos ictus aiebat, *Væ, Væ Ierosolymis:* nec interroganti quis esset, aut cur ista diceret, respondit; nec verberanti quoq;, cùm per singulos dies mulctaretur, conuitiabatur; nec victum offerentibus, benedicebat: idq; per annos septem & menses quinq; egit. muros autem circumiens, cùm prædicta clamaret, & ad extremum addidisset: *& mihi væ:* lapis emissus statim eum percussit. Igitur XL. annis post admissum piaculum, impiorum Iudæorum pœna dilata est: in quibus Apostoli omnes, præcipuè tamen *Iacobus* Ierosolymitanus Episcopus, indesinenter populum commissæ iniquitatis admonebant, si fortè possent pœnitere pro scelere. Cùm ve-
10 rò Iudæi cladibus vrgerentur, Sancti Apostoli, cæteriq; discipuli, ad prædicandum verbum DEI per singulas orbis prouincias diuiduntur. Ecclesia quoq;, quæ erat Ierosolymis congregata, responso à DEO accepto, indè migrare iubetur: & transiit ad oppidum *Pellam* trans Iordanem, vt ablatis indè sanctis & iustis, cœlesti vindictę fieret locus, tam de vrbe sacrilega, quàm de populo impio. Hiis enim peractis, Iudei bellis asperis & seditionibus domesticis lacerantur. Ciuitas enim Ierusalem, laborabat incendio & ruina; fame innumeri iugulabantur; sanguis vniuersa replebat: nulla ibi requies, momentis singulis dimicatur; nullus locus periculo vacat: nec fugiendi erat facultas; vbique pauor, morientium gemitus, viuentium desperatio: completaq; est imprecatio illa, *sanguis eius super nos, & super filios nostros.*
20 Quomodo decepta es Ciuitas Sacerdotalis & Regia, quæ solebas sine armis vincere, sine prælio hostem ferire, cùm pro te Angeli dimicarent? Nunc verò agnosce, tibi hodie Barabam viuere; Iesum verò Saluatorem sepultum esse: quia in te regnat seditio, pace sepulta. Nihil enim magis, in tantis calamitatibus, pietate perierat; quæ sola solet alleuiare miserias, solari ærumnas: vndè nec erat vlla sepeliendi cura; sed sola intentio perimendi. Proiectâ tandem multitudine cadauerum per muros Ciuitatis, *Titus* altè ingemuit; & manum ad cœlum eleuans, protestabatur illud nunquam sibi ascribi: quia veniam dare voluit, si affuisset deditio, & armorum depositio. Maneus Lazari asserebat per vnam portam sibi creditam XV. milia DCCCLXXX. mortuorum elata fuisse, qui mercede publica se-
30 pulti sunt. Plurimi autem interim ad Romanos fugerunt: nonnulli aurum & gemmas glutiebant, quia insidiatores omnia scrutabantur. Compertus est hoc quidam Assyrius, à quo in cæteros manauit opinio: qui desiderio inueniendi thesauri, contra legem deditionis, contra mandatum Cæsaris & promissum, II. M. virorum viscera perscrutantur. Iudæorum quoque, qui ad Romanos confugerant nonnulli, edendi dissuetudine, edere non poterant. Nonnulli super cibos irruentes, inualidos morsus, more infantium meditabantur; aliis verò oneri cibus erat: obriguerant interiora viscera, obstricti erant meatus ciborum, aruerant iecoris venæ quæ cibos attrahunt, facultas edendi perierat, auiditas excrescebat; plurimique viso cibo præ gaudio expirabant: infra Ciuitatem quoque, insidiabatur
40 quis cui raperet cibum. Fuit inter cæteros *Maria* locuplex fœmina, quæ belli terrore de trans Iordanem Ierosolymam se transtulerat: eius opes factionum principes certatim inuaserant; & alimentorum quæ pretio emerat, è manibus eruerunt: sæua deindè fames eius se infundit medullis: habebat autem infantulum, cuius vagitu ampliùs excitata in filium mater, affectum amisit: conuersaque ad eum ait, *Quid tibi faciam paruule? Cui te moritura credam? Sperabam, si adoleuisses, me pasceres matrem, aut sepelires defunctam. Sed quid faciam misera? Viuendi nullum mihi patet refugium. Cui te reseruabo, aut quo te condam sepulchro, ne sis præda canibus, alitibus, aut feris? O suauia mihi viscera, artus iocundi, priusquam vos consumat fames, reddite matri quod accepistis:* quod enim non habet impatiētia amoris, necessitas persuadet: Auersoq; vultu,
50 gladium immersit, puerum in frusta concidit, & partem ad ignē ponit: discurrit odor ad seditionis Principes, quem secuti, minãtur mulieri necem, quòd eos inuenti cibi fecisset expertes: At illa, *partem vestram vobis seruaui, de meis visceribus cibũ vobis paraui*; & hæc dicens, membra reseruata discooperuit, & epulanda obtulit, cum adhortatione huiusmodi: *Hoc est prandiũ meum; & hæc est portio vestra: videte si vos fraudaui: Ecce pueri manus vna, ecce pes, ecce dimidiũ corporis. Sed quid retrahitis gradum? Nolite fieri meliores matre; infirmiores muliere. Ego quidem tales paraui epulas; sed vos matrem filium*

Matt. 27. 25.

edere compulistis: nunquam mihi dulcior, fili, fuisti: tibi debeo, quòd adhuc viuo. Tanti sceleris fama ad Romanos vsq; peruenit. At Cæsar protensis ad cœlum manibus talia testabatur: *Ad bellum veni; non homines, sed rabiem belluarum inueni: Nam & feræ fœtus suos diligunt, quos etiam in fame nutriunt; & aliena prædantur corpora. Hoc autem, supra omnem acerbitatem est, vt membra, quæ genuit mater, deuoret; Mundus sum à contagione: tibi me absoluo, quæcunq; es potestas in cœlo: scis enim quia ex affectu frequenter pacem obtuli; &, quod non pudet dicere, victor rogaui, quia parcere volui.* Cæsa sunt autem per omne obsidionis tempus, vndecies centena miliaria: captiui quoque adducti sunt vsque ad XCVII. milia. Fessiq; multâ cæde Romani, quærebant quibus captiua mancipia venderent. Sed quia multi erant venales, pauci verò emptores, non defuêre quin triginta mancipia vno mercarentur numismate: ait *Hugo Floriacensis*. Archa quoq; fœderis Romam defertur, cum quatuor columnis æneis, multiplici quoq; ornatu; & in templo Pacis locantur. Hoc est quod CHRISTVS per Prophetam orauerat ad Patrem: *Tu autem Domine, miserere mei, & resuscita me, & retribuam illis.* Per Moysen quoq; longè antè prædixerat: *Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore vt labatur pes eorum.* Et iterum, *Occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, irritantes eum per opera manuum vestrarum.* De hac vltima Iudeorum captiuitate prophetauit Daniel 9. *Post Ebdomadas 40. occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est: & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem statuta desolatio.* Post hæc *Symeon*, Cleophæ filius, secundus Ierosolymitanus Episcopus, à quibusdam hæreticis accusatus, quòd ex genere esset Dauid & Christianus, *Traiani* tempore variis & diu est afflictus tormentis: tandem mirantibus cunctis, etiam impiissimo Iudice, senex CXX. annorum, supplicium pertulit crucis. Deinde, Iudæi per mundum dispersi, aduersus cohabitatores suos in Libia dimicant, in Mesopotamia quoque Romanis rebellant. Traianus proindè mandat *Quieto* vt de prouincia eos exterminet: aduersus quos Quietus acies instruens, & multa eorum milia interimens, ex hoc procurator Iudeæ ab Imperatore decernitur: Vltimò *Adrianus*, quia adhuc manentibus vestigiis Ciuitatis, Iudæi qui in circuitu latitabant, eius imaginem de loco, vbi archa steterat, amouerunt, Ciuitatem funditùs dirui iussit; & edictum posuit, ne vllus Iudæus in illa regione maneret: cessaueruntq; ibi ex tunc Episcopi ex circumcisione: *Marcusq;* primus ex gentibus est assumptus. Cessauit quoq; persecutio Iudæorum, contra Ecclesiam primitiuam. Illisq; expulsis, cæperunt fideles CHRISTI serui, in Terra Promissionis, *iugum* eius *suaue, onusq; leue*, cum omni alacritate portare.

Psal. 40, 11. Deut. 32, 35. Deut. 31, 29. Matt. 11, 30.

10 20 30

SECVNDA PARS, CONTINET INITIA ORIENTALIS ECCLESIÆ: HABENS CAPITVLA IV.

CAP. I.

Continet gloriosum profectum Orientalis Ecclesiæ.

40

1. FLORVIT itaq; *Ierosolymitana*, *Alexandrina* ac *Antiochena* Ecclesia illustrissimis viris, & clarissimis moribus. De multis pauca referam. *Theophilus* enim, sextus Antiochiæ Episcopus, librum contra Marchionem composuit, & plura opuscula. *Babillus* eius successor pluribus mediis *Numerianum* Imperatorem, Ecclesiam ingredi prohibuit, quia apud Antiochiam idolis immolasset, manus opponens ei: die verò alterâ Imperatori oblatus, & de proteruia redargutus in Regiam Maiestatē, respondit: *Me humilem seruum suum constituit DEVS, pastorem plebis suæ: Ideò cùm vidi te lupum venientem, ne aliquam ouium perderem, te prohibui ab ouili.* *Erasmus*, eiusdem vrbis Episcopus, Diocletiani audiens edictum, eremum petiit, vbi per septem annos habitauit, iuxta montem Libani; quo tempore cibus ei diuinitus ministratus est per coruum: feræ etiam variæ naturali ferocitate dimissâ, eius cellulam frequentabant. *Philippus* Illustrissimus Romanorum, Alexandriæ præfecturam agens, ad fidem per *Eugeniam* filiam conuertitur, misitq; relationem ad *Seuerum* Imperatorem, memorans Reipublicæ Christianos prodesse: Ideò debere eos sine persecutione in vrbibus commorari: in sub-

50

in suburbiis enim tantum eis manere licebat: cui Imperator annuit. Tuncq; inibi dignitas Christiani nominis florere cœpit; factaq; est quasi tota Alexandria Ecclesia vna. *Philippus* quoq;, ex præfecto Episcopus ordinatur: orationibus & ieiuniis vacans, fugabat dæmones, illuminabat cæcos. *Origenes* quoq;, Alexandriæ studiis eruditus est, inter primos Ecclesiæ Doctores tam nominatissimus. *Petrus* Alexandrinus, nunquam in Cathedra sua sedere voluit; sed solùm super cathedræ scabellum: super quo clerus & populus pluries conquesti, in solemnitate quadam audiunt respondentem: *Credite mihi filij, si videretis quæ video, tunc cognosceretis quid est sacerdotalis virtus, & quæ gratia in ipsis habitat, ad cuius Maiestatis præsentiam territus in cathedra sedere non audeo.* Splendor enim igneus de ipsa sede egrediens ei apparebat, cuius aspectu vir Sanctus ita accendebatur, vt interdum se nesciret in corpore. Quis qualisve Ecclesiæ pugil *Athanasius*; quantusq; Doctor *Didimus* fuit, non possem in paucis euoluere: Hic in paruula ætate corporis visum amittens, tantam cordis illuminationem impetrauit, vt scholæ Ecclesiasticæ Doctor existeret; pleraq; per Notarios scriberet. Ierosolymis *Narcissus* Episcopus, deficiente aliquando in lampadibus oleo in vigilia Pascæ, præcepit fidenter eas aquâ repleri: tunc repentè inaudito miraculo aquâ conuersâ in oleum, splendorem reddidit solito clariorem. Huic successit *Alexander*, ex genere Cappadocum, qui orationis gratiâ Ierosolymam venerat: reuelatum enim est Narcisso aliisq;, vt ipsum in loco Sancto Episcopum detinerent. Eodemq; die quo vrbem ingressurus erat, cùm multitudo plurima fratrum occurrisset eidem vox cunctis audientibus cœlitus facta est: *Suscipite Episcopum, qui vobis à DEO destinatus est.* Illuc sacra Regina *Helena*, Constantini mater, cùm deuotionis gratia accessisset, locumq; Crucifixionis Domini vix vlli notum perquireret: quia antiqui persecutores nominis Christiani, ibi Veneris simulachrum statuerant, vt si quis Christianorum ibi CHRISTVM adorare voluisset, Venerem colere videretur. Iussit tandem Iudæorum peritiores igne cremari, ni locum monstrarent: at illi tradiderunt Iudam, cui paternâ traditione hoc innotuerat: quo locum ostendente, crucemq; per fossionem inueniente, Diabolus vociferabatur in aëre: *ô IESV Nazarene, omnes ad te traxisti; & ego, qui priùs per Iudam traditionem feci, nunc per Iudam eiicior.* Helena tunc magnificentissimum templum in loco Crucifixionis extruxit. Tuncq; terminatâ persecutione decimâ populi Christiani, ac redditâ fidelibus pectoris & temporis trãquillitate pacificâ, gloriosè annis multis profecit Ecclesia, & imago quædam cœlestium cernebatur in terris.

CAP. II.

Continet teporem pristini feruoris Ecclesiæ: & afflictionem per Cosroe consequenter illatam.

AT postquam CHRISTI amor tepuit in CHRISTI fidelibus, cœpitq; carnalis vigere affectus, in *Orientalibus* præcipuè, & maximè Surianis, cœpit & Pater misericors monere verberibus populum suum, castigare flagellis. Vndè & anno Domini D.LXXXIV. *Persæ* Armeniam prædis & incendiis inuadentes, Christianos acriter afflixère: Ecclesiam tamen XL. martyrum, minimè incendere potuerunt. Sequenti annò, *Antiochia* stupendo modo diuinitus subuertitur. Quidam enim ciuis ipsius adeò eleemosynis & hospitalitati instabat, vt nullâ die sine paupere aut hospite pertransiret: quadam autem die cùm vsque ad vesperam circuisset, nullumq; talem reperisset, vidit virum seniorem in veste alba cum duobus sociis stantem in medio ciuitatis; & inuitans eum ad hospitium, tale responsum accepit: *Non poteras, ô homo DEI, cum nostro Symeone, hanc vrbem saluare ne subuerteretur?* Et hoc dicto, sudarium quod manu tenebat, excussit super mediam ciuitatem, statimque cum ædificiis subuersa est. Et cùm vellet super aliam mediam ciuitatem sudarium excutere, vix duorum sociorum precibus abstinuit: Virum autem attonitum hoc aspicientem ex eius domus conseruatione consolans, discessit, & nusquam comparuit. Eodem tempore & *Occidentalis Ecclesia* multiplici flagello à Domino corripitur. In Italia enim diluuium magnum fuit, ita vt *Tyberis* super muros vrbis flueret, & multas regiones occuparet: per Tyberim quoq; multitudo serpentum vsq; ad mare cum ingenti dracone descendit; & secuta est plaga pessima quam *inguinariam* vocant, quâ & *Papa Pelagius* defunctus est. Tanta autē erat mortalitas, vt in vrbe

domus plurimæ vacuę remanerēt: sed cū Pontifex *Sanctus Gregorius* fuisset electus, & pestis illa nequaquam cessaret, processionem Paschali tempore cum Letaniis ordinauit, & imaginem Virginis, quam Lucas depinxit, & similima virgini perhibetur, antè processionem reuerenter portari fecit. Et ecce tota aëris infectio & turbulentia imagini cedebat, & post eam mira serenitas aëris remanebat. Iuxta imaginem quoque auditæ sunt voces Angelorum canentium: *Regina cæli lætare: Alleluia: quia quem meruisti portare: Alleluia: resurrexit, sicut dixit: Alleluia:* Statimq; quod sequitur Gregorius adiunxit, *Ora pro nobis, Domine, Alleluia.* Tunc gloriosus Pontifex vidit, supra castrum Crescentii, Angelum cruentum detergere gladium, & in vaginam reponere: Et licet in omnium floreret virtutum genere, in eleemosynis tamen & pietatis operibus mirabiliter affluebat. Vndè & nomina pauperum etiam de vltra marinis partibus, in scriptis habere volebat. Ierosolymitanæ etiam Ecclesiæ, D. LXXXV. munus miræ deuotionis affertur. In ciuitate enim *Saphet*, confessione *Symeonis* Iudæi, inuenta est tunica Domini nostri IESV CHRISTI: & ab Episcopis *Gregorio* Antiocheno, *Thomâ* Ierosolymitano, & *Iohanne* Constantinopolitano, Ierusalem in loco vbi Crux CHRISTI venerabatur, reuerenter locata est. Sic semper iratus Dominus, misericordiæ recordatur. Sed quia donis Diuinis, ingratè susceptis, obruimur magis quàm subleuamur, cùm nec rigore vindictæ nec dulcedine clementiæ ad viam redirent iusticiæ, anno Domini DC. XVIII. Imperii *Eraclij* anno v. *Cosroe* Rex Persarum cum exercitu infidelium Terram Sāctam Promissionis inuadit, vsque ad xc. millia hominum perimit, Damascum capit; nec Ciuitati Sanctæ parcit, quin effractis ipsius muris Ecclesias vndiq; prosternat, locaq; Sancta & atria, vbi steterunt pedes Domini, ingressus canis immundus, cuncta prophanet. Tunc Patriarcha *Zacharias* captiuatur cum multis; Crux Sancta, in qua appensum est pretium nostræ salutis, deportatur in Persidam: Sepulchrum verò Domini intrare aut violare, diuinâ fuit virtute prohibitus. Sic Christiani nomine, vitâ pagani, illatam à gentibus pœnam luunt, quibus transgredientes baptismi fœdus, sociati fuerant in peccatis.

A. Dni. 585.

A. Dni. 618.

CAP. III.

Continet victoriam Heraclij contra Cosroen.

III.

DIreptionem Ciuitatis sanctæ Ierusalem, Terræq; Promissionis, audiens *Eraclius* Augustus, tactus dolore cordis intrinsecus, cùm non posset aduersus potentissimum Regem vti potentiâ, magnis precibus *Cosroe* tentauit animum, vt tributo imposito & accepto, inde recedens ad própria remearet. Ille verò inefficaces remisit Legatos, sequentiq; anno totam occupauit Ægyptum, Libiam atq; Carthaginem, vbi *Heraclius* patritius fuerat, antè quàm sumeret Imperii diadema. Hiis cognitis Heraclius filium *Constantinum* creauit Augustum; & collecto exercitu, decimo sui Imperii anno, contra illum processit ferens secum Sanctæ DEI genitricis iconiam, quæ in Bizantio, non est, vt fertur, hominis manu, sed diuino depicta miraculo. Vt autem *Cosroe* hæc audiuit, fugâ vsus, omnia per quæ fugiebat sata combussit. Heraclius quoq; ciuitates regionesque vastabat, vndè transitum faciebat. Tunc Cosroe duos prætores ordinat *Sarbaram* & *Sarabaram*, qui cum Heraclio decertarent. Ille verò hiis cognitis, quibusdam contra eos militibus destinatis, cum reliquis Eufraten transit, Taurumq; montem: ac peruenit ad amnem *Saron*, & obtinuit pontem cum propugnaculis. Sarabara verò ante pontem castrametatus est: multi tunc Romanorum inordinatè Persis intulêre conflictum, & cùm fugam simulassent Persæ, ab insidiis trucidantur. Multitudo deinde Barbarorum per fluminis ripam Romanos acriter sagitabant; & tandem giganteus Persa Imperatorem in medio pontis aggreditur, quem Imperator lancea transfossum in amnis flaenta proiecit: quo facto, Barbari in fugam conuersi sunt. Alium quoq; Præfectum, per intercessionem gloriosæ Virginis, dimicans superauit. Grando quippe vehemens super eius exercitum cecidit, & multos extinxit, Christianorum acie tranquillâ manente. Post hæc *Cosroe* alium misit prætorem coadunatis militiis, qui durè cum Heraclio dimicauit vsq; in horam nonam: opitulante verò Sanctâ DEI genitrice, *Heraclius* illum superauit, atq; occidit: multiq; Persarum cæsi sunt, ita vt magna pars Romani exercitus spoliis ditaretur.

CAP.

Cap. IV.

Continet Heraclij reditum & reportationem Sanctæ Crucis in Ierusalem.

AD *Cosroe* autem redeuntes, dicamus quòd in tantum elatus erat, vt à vicinis gentibus quos suo dominio subiugauerat, se coli quasi DEVM iuberet: & vocari *Regem Regum*, & *Dominum dominantium*: fecerat quoque sibi turrem argenteam in qua interlucentibus gemmis thronum extruxerat aureum: ibique Solis quadrigam, & Lunæ, ac stellarum imaginem collocauerat; ac per subtiles ocultosque meatus aquâ dimissâ, videbatur pluere quasi DEVS. Misit igitur vltimò contra 10 Heraclium, filium suum; placuitq; vtriq; Principi, vt mutuò super pontem confligerent: & cui sors conferret victoriam, ipse cunctis imperaret. Pulsatus autem Omnipotens DEVS Christianorum lachrymis, Heraclio concessit de hoste triumphum. Cosroe quoque exercitus, ad fidem conuersus eius potestati subiicitur. Indè Heraclius cuncta regna, quæ sibi Cosroe subiecerat perlustrans, ad illius sedem peruenit, sedentemq; in aureo throno inuenit, & tremebundè se salutanti, optationem dedit, dicens: *Pro eo quod Sanctæ Crucis lignum, quamuis indignus, honorificè tractasti: si fidem CHRISTI suscipis, regnum Persarum cum patrimonio, in vita tibi conceditur, acceptis tamen pacis obsidibus: si verò renuis, modo gladio peribis.* Sed renuenti, caput abscidit. Suscepit igitur lignum Sanctæ Crucis; & omnes populi, cum ra-20 mis gaudentes & cereis, alii obuiam pergunt, & alii subsequuntur. Odor enim suauissimus, volitante diuinitus aurâ, per hominum pectora se diffundit vsque Ierusalem, ex quo de phano Cosroe sumpta est Sancta Crux. Cùm igitur Imperator de monte Oliuarum descendens, per portam, quâ Dominus intrauit tempore passionis, cum equo Regio & Imperialibus ornamentis intrare vellet, repentè lapides de porta descendentes, & vnum parietem continuum facientes meatum clauserunt. Admirantes cuncti, & attoniti in altum respicientes, viderunt signum Crucis in cœlo flammeo splendore fulgentem: Angelus quoque Domini illud in manibus accipiens ait: *Quando Rex cœlorum redemptionis humanæ completurus Sacramentum per hunc aditum intrauit, non se purpuratum aut coronatum exhibuit in præcellen-30 tis equi vehiculo: sed humilis aselli tergo insidens, cultoribus suis humilitatis reliquit exemplum:* quibus dictis Angelus confestim cœlum ascendit. Tunc Imperator depositis insigniis dignitatis, discalciatus & lineâ zonâ accinctus, crucem manu suscipiens, perfusus lachrymis, & erectis ad cœlum oculis, ad portam properat: illoque humiliter appropinquante, duritia lapidum cœleste sensit imperium: statimque porta se surrigens, liberum intrantibus patefecit ingressum. Gloriosus autem Augustus in laudibus prorumpens ait: *O Crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multùm amabilis, sanctior vniuersis: quæ sola fuisti digna portare talentum mundi: dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, salua præsentem cateruam in tuis hodie laudibus congregatam.* Crucemq; in suo loco restituit.

40

PARS TERTIA, CONTINET ORIENTALIS ECCLESIÆ MAHVMETICAM PERSECVTIONEM: EIVSQVE ANXIVM statum, vsque ad primum passagium Occidentalium populorum: habens capitula VIII.

Cap. I.

Continet lapsum Heraclij in hæresim: & Terræ Sanctæ vastationem per Humar & Mahumeth.

50

INSTITVTVS est Episcopus Ierusalem post hæc Sanctus homo, *Modestus* nomine, qui inter cætera procurauit Ecclesiam Sancti Sepulchri reparari, quæ sub Cosroe destructa fuit: sicut *Maximus* Patriarcha eam refecit quæ per Helenam fuerat ædificata. Cùm verò fideles Ecclesias ordinaret quas deiecerat impius Cosroe; regiisq; sumptibus resarcirentur loca DEO dicata, contigit per idem tempus *Cyrum* Alexandrinum Episcopum, & *Sergium* Constantinopolitanum Antistitem, *Monothelitarum* hæresim

prædicare, id est, vnam in CHRISTO naturam: à quibus deprauatus *Heraclius* Augustus post tantas victorias aberrauit à fide Catholica. Vndè Diuino iudicio, *Agareni Humaro* Duce, cœperunt imperium eius grauiter lacerare. Humarus enim, *filius Captab*, Princeps Arabum, Ierusalem, Pheniceam, Damascum, ac totam Syriam & Antiochiam comprehendit: eò enim faciliùs patriam obtinere potuit, quò nuper per Cosroe fuerat desolata. Hic Humarus templū Domini, quod Titus destruxerat, vt nunc est, reædificauit. Eratque tunc Episcopus Ierosolymis *Saphonias*, qui Modesto successerat. *Saraceni* quoque *Turchi*, *Mahumeth* duce Pseudopropheta, à suis sedibus exeuntes, Heraclii vastauerunt imperium, omnia breui tempore occupantes à Laodicea Syriæ vsque in Ægyptum, non sine multa effusione sanguinis Christiani: & peccatis eorum exigentibus, non solùm in Ierusalem & alibi Christianos morantes tributarios fecerunt, sed durissimo seruitutis iugo oppresserunt; nec reddita est eis plena libertas vsque ad tempora *Vrbani* Papæ II. per annos circiter CCCC.LXX. Ab anno quoq; Heraclii xx. Saraceni, qui hactenus fuerant sub Persarum regno, versa vice sub suo redegerunt imperio; & ex tunc intitulatur *regnum Saracenorum*, pro regno Persarum.

CAP. II.

Continet seductoris Mahumeth initia vilia, & modum Dominij acquisiti.

HIc Arabs, ex genere *Ismaël* filii Agar ancillæ Abrahæ, cùm esset puer, mortuo patre *Adimeneph*, matreque *Fatonia*, relictus pauperculus puer, ab idolatra quodam nutritur in Arabiæ loco dicto *Salingua*. Grandiusculus effectus, conducens asellum primò, deinde pòst camelos, vitam transigebat: tandem completæ ætatis, per Palestinam & Ægyptum mercando transiens, nunc Christianis, nunc Iudæis sociatus, plura didicit de nouo ac veteri Testamento: sed & magus perfectus efficitur. Per multa autem loca transiens, *Corazaym* ingressus, Dominæ illius prouinciæ, quæ *Cardigam* vocabatur, diuersas species offerens, quas illa admirabatur, familiaris efficitur: Eiq; falsis sermonibus persuasit se esse Messiam, quem Iudæi expectabant: cuius opinioni inhærebant plurimi Iudæorum: sed & plurimos Saracenorum ad se traxit, tam ingenii calliditate, quàm incantationum fallaciâ. Coniunctus etiam illi est *Sergius* monachus, qui propter hæresim Nestorianam excommunicatus, & à fidelium pulsus erat consortio. Hic columbam nutriens sic edocuit, vt grana de Mahumeth auribus sumeret: Vnde quando Mahumeth videbat, super humerum eius volans, rostrum in eius aure ponebat. Sergius pòst hæc suadet populo, illum sibi præfici debere, quem Spiritus Sanctus designaret. Statuto igitur tempore, columbam secretò emisit, quam populus Spiritum Sanctum credidit in aure Mahumeth loquentem, & diuina sibi reuelantem. Cœpit deindè nouas fingere leges de vtroque Testamento; vt pluribus placeret, quædam substantialiter interserens, dicens, sibi per Spiritum Sanctum reuelatas. Vt verò mendacium subornaret, eas tauri cornibus alligauit, qui sicut columba de auribus, ita de manibus eius cibum sumere solitus erat: cumq; taurus loquentis vocem audisset, famelicus ad eius manus, quasi ad præsepium cucurrit: illeq; de cornibus legem quasi diuinitus missam tulit. Effoderat præterea picterias, lacte & melle plenas, in certis locis collocans: & populo ait, nouam legem cum miraculis promulgandam, vt ostendat DEVS mercedem seruantibus. Locum igitur designat vt fodiant: & repertis picteriis allicitur populus: leges Ismaëlitæ quasi proprias visceroſiùs amplexantur: Sicq; Pseudopropheta publicè asseruit se Messiam. Nubit illi igitur *Cardigam*, adhærent Arabes: regnum Persidis infestantes. Sic demùm Orientale, vsque in Alexandriam, sortitur imperium. Cernens autem Cardigam eum frequenter cadere Epyleuticâ passione, tristari cœpit, quòd nupsisset homini tam impuro. Ille verò tristem consolatur, asserens se propter Archangeli Gabrielis aspectum sibi loquentis, cadere ac deficere: quia illius splendorem, vtpote carnalis homo sustinere non posset.

CAP.

CAP. III.

Continet Mahometh latrocinia, carnaliaq; peccata.

III.

ANte verò eius tam diffusum dominium, illis de *Mecha* magno erat odio, quia latrunculis à principio sociatus, & oppressis ære alieno, agens prædas, simplices decepisset, ita vt quasi Prophetam reciperent; Repulsus igitur, abiit ad quandam ciuitatem destructam, vbi Iudæi ex magna parte habitabant, legem suam promulgare volens. Et primò quidem cuiusdam pupilli domum abstulit: deindè in expeditionem misit *Anazetam*, filium Adhimelec cum equitatu triginta virorum, rapere camelos *Corais*, quando reuertebantur de Syria: cui occurrit *Abegel* de Mecha filius Isen, cum trecentis fugans eos: & non potuit Mahumeth, quasi propheta, saluare in paucis. In alia expeditione misit *Hugida* filium Alant filii Amicali cum quadraginta militibus ne facilè terrerentur: quibus occurrit *Ebecephy* cum suis militibus: vbi eorum sanguis effusus est plurimus, nec affuit prophetæ præsidium. In tertia autem expeditione misit *Zaid*, filium Ebicadad, cum viginti viris: & non inuenerunt camelos, iam enim transierant: nec valuit cæcus propheta intueri absentia, vel futura. Posteà egressus est ipse ad capiendũ camelos *Corays*, quando venit ad locum, qui dicitur *Guedon*, vbi cùm inuenisset *Mubrem* filium Gad Semhului, & non præualuisset aduersus eum, rediit vacuus: nec plus valuit propheta, quàm eius familia. Iterum exiit dum veniret *Iambo*, quærendo iterum camelos Corays quibus insidiabatur in redeundo; & quamuis pro eis acriter dimicaret, tandem confusus abscessit. Fuerunt autem expeditiones eius XXVI. præter insidiarum insultus, quorũ nouem ipse fecit: quod latronibus conuenit, non Prophetis. Fuit quoq; carnalibus vitiis totus brutalis, *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus:* nec erubuit in scriptis de fœditatibus gloriari, scilicet vt XL. viris in coitu possit æquari: vbi se rebus odoriferis, & coitu delectari dicit. Hic cùm adamasset *Zambet* filiam Gayssi, vxorem Zaidi, inducit DEVM in Alcorano de ea loquentem ad se: *Cùm compleuerit Zaidi vir eius votum suum in ea, tunc eam dabimus tibi.* Quid quoq; turpius dici potest, cùm vxor eius *Ayssa* libidini dedita, cum *Azaphagat*, quem diligebat, stuprum gereret, & multi super hoc loquerentur, reprehensus quòd eam nõ repudiaret, Respondit, nullam adeò sibi caram, quàm quam virginem habuerat, & adhuc iuuencula videbatur: insuper in Alcorano ait sibi, illam innocentem esse, fuisse diuinitus reuelatum. *Zaphyam* etiam Iudæam docuit super cæteras vxores eius gloriari, cui Iudaismum improperabant, dicendo: *Nonne ego sum, cuius pater Aaron, patruus Moyses, maritus Mahubet?* Multa alia immunda & absurda omittuntur, gratiâ breuitatis, & quia abominabilia sunt relatu.

Psal. 31. 11.

CAP. IV.

Continet Mahumeticæ legis aliqua abusiua.

IV.

LEx eius frequentem *lotionem*, maximè orationis tempore inducit, vt sicut in Christianorum Baptismo, ita eorum crimina abluantur: ignorans quia sicut corporaliter, ita & spiritualiter homo nascitur tantùm semel; & quòd renato infirmanti, medela est pœnitentia, non Baptismus. *Ieiunantes* verò statuit abstinere ab hora quâ possunt album filum à nigro discernere, vsque ad solis occasum: totâ autem nocte, delectationibus corporalibus vacant: peccantes dupliciter, primò in tempore, secundò per intemperantiam. Cùm enim ieiunium inducatur ad domandam carnem pro arcenda luxuria, hic tempus nocturnum lasciuiæ magis aptum, nullâ restringit temperantiâ, vel abstinentia. *Orare* etiam statuit quinquies in die, medium tenens inter Iudæos, qui ter tantùm; & Christianos, qui septies in die laudem dicunt. Semel quoque in anno ire ad domum DEI, quæ est in *Mecha*: eamq; inuoluto linteolo subtili circa renes circuire, & lapides per media femora, ad diabolum lapidandum, iactare. Hanc domum dicunt Adam construxisse omnibus filiis suis; & quòd eam roborauit Abraham, ibique vota vouit, & sacrificia obtulit, & Ismaëli reliquit: Mahumeth verò ampliori cultu eam excoluit, iactationem lapidum per femora addens, ne cultum dominæ suæ Veneris omisisse videatur: pro quo beneficio, hanc illi gratiam Venus rependit, vt non iam Veneri, sed

eius prophetæ hoc deinceps impendatur obsequium. Cætera quoq; in ipso cultu exhibita, ad idolatriam pertinent: sicut proiectio lapillorum, quæ sumitur de cultu Veneris, quod etiam ostendit cultus fœmineus, qui ibi seruatur, ora oculosq; tegens. Et vt cultus ipse apertiùs propaletur: sciendum, vt ait *Petrus Alfunsi* Iudæus conuersus, duo filii Loth, *Amon* & *Moab*, hanc domum honorare cõsueuerant, duo colentes idola, vnum ex albo lapide dictum *Mercurium*, alterum ex nigro dictum *Kamos*: & primum quidem in honorem Saturni, alterum in honorem Martis ædificatum est. Ad *Saturnum* adorandum ascendebant, quando Sol primum gradum Libræ intrat: quia libra exaltatio Saturni erat: sicq; nudi tonsisq; capitibus thurificabant. Ad *Martem* verò, quando Sol primum gradum intrat Arietis: quia Aries est domus Martis. Arabes etiam cum eis, hæc idola adorabant. Mahumet autem primam consuetudinem auferre nequiuit; sed vt noui aliquid componere videretur, apposuit nudis subtile pannum siue linteolum: ne idolis sacrificare videretur, Saturnum ex parte in angulo domus inclusit, vt facies eius apparere non posset, sed tantùm dorsum: Martem verò, quia vndique sculptus erat, posuit sub terra, & lapidem superposuit; & venientibus ad adorãdum, hos lapides osculari præcepit, caussa humilitatis. Statuit etiam omnes *carnes* comedere, præter porcinas: aiebat enim porcum post diluuium de fimo cameli natum: & præter sanguinem vel morticinum. Sed nullus cibus prohiberi debet, nisi vel quia contrarius complexioni humanæ; vel ratione alicuius significationis, vt in lege Moysi: quorum neutrum in lege huius falsi prophetæ poterit assignari. Concedit etiam quatuor legitimas *vxores*, & quamlibet vsque tertiò repudiare. Emptas & captiuas, ad libitum possunt habere; & eas vendere possunt, nisi impraegnatæ fuerint. Sed diuortium matrimonii, etiam animalia bruta condemnant, cùm natæ belluæ parentes ab inuicem non discedant, donec illius educationi fuerint opportunæ. Statuit etiam cum *adultera* deprehensum, lapidari; cum soluta, LXXX. verberibus plecti. *Fur* etiam, prima & secunda vice verberatur; tertia, manu priuatur; quarta, pede. *Vinum* semper prohibetur. Non credentibus DEO & Mahumeth, comminatur infernalem & perpetuam pœnam, ignem inextinguibilem; potum omni felle amariorem, qui & viscera disrumpet; cibum de arbore quæ vocatur *Azahum*, & est omni pessimo sapore deterior, & feruet in ventre sicut fulgur. Seruantibus verò legem, promittitur *Paradisus*, id est, delitiarum hortus, aquis præterfluentibus irrigatus: omnium ciborum vescentur generibus: quicquid appetierint, coram se statim inuenient: Omnium colorum sericis vestientur: & virginibus speciosissimis cõiungentur: in delitiis accubabunt, quibus Angeli more pincernarum ministrabunt in vasis aureis, lac; in argenteis, vinum: dicentes, *bibite & comedite in lætitia*. Bestialibus, bestialis gloria promittitur, non humana, dicente Boëtio III. de Consol. *Quid de corporum voluptatibus eloquar, quarum appetentia plena est anxietatis, satietas verò pœnitentiæ? quæ si beatos efficere possunt, nil causa est quin pecudes felices esse dicantur, quarum omnis ad implendam lasciuiam festinat intentio.* Quid quoque absurdius, quàm in corruptione continua æternam ponere vitam. Talis verò lex, tales potuit allicere homines, in quibus vigens sensus carnis, vigorem extinxerat rationis.

CAP. V.

Continet quomodo fuit Pseudopropheta: eiusq; mortem: & quomodo in plures eius dominium est diuisum.

VErus Propheta à tribus signis cognoscitur; A Sanctitate vitæ: contra quam ille vacabat impietati & rapinæ. *supra capitulo 3.* A miraculorum operatione: contra quam sic ait in Alcorano, quia sibi dixit DEVS: *Ideo te facere miracula non permitto, quia tibi ne sicut & aliis Prophetis in miraculis contradicatur timeo: sed mitto te cum gladio & potentia.* A futurorum subtili speculatione: quam impedit affluentia carnalium voluptatum, cui ille totaliter immersus erat. *supra capit. 3.* Dicamus ergo, quia Mahumeth Pseudopropheta apparet, ex concupiscentia oculorum, ratione rapinæ: ex superbia vitæ, ratione vsurpatæ potentiæ; ex concupiscentia carnis, ratione carnalis lasciuiæ: quæ tria radices sunt omnium peccatorum. Et tamen per seductorem istum plures auersi sunt à DEO, quàm per quemcunq; alium con-

conuersos videamus ad Deum. Eius enim doctrina vt cancer serpens, non modò Arabes, Medos, & Persas, Syrios, Æthiopes, & Ægyptios; sed totam Africam occupauit ab Oriente per Meridiem, vsque in Occidentem: sed & versus Septentrionem iam miro modo diffusa est. Vndè, nec ab infantia ipsius Ecclesiæ vsque ad senectam eius, & perditionis filium Antichristum, ad perdendum animas fuit aliquando tam seuum flagellum, aut in posterum expectatur. Pseudo iste propheta *Mahumeth*, per annos XL. populum decipiens, imminentem mortem sentiens, exhausto veneno, amicis cognatisque ait: *Cum mortuus fuero, corpus meum in sepulchrum seruate, quia illud scio in Cœlum post triduum deferendum.* Seruatur ergò non solùm tribus, sed diebus duodecim: tunc fœtorem cadaueris non ferentes, illotum aquâ sub terram miserunt. Multi proindè deceptos se cernentes, legem ipsius habuerunt irritam & inanem. At qui cognati & socii fuerunt Mahumeti, timentes temporale amittere commodum, magis persuasibiles blandiuntur: deinde eligunt successorem vnum ex discipulis eius, *Calypham* vocantes, id est, successorem, vel heredem. Hic dignitatem adeptus, blanditiis aliquos, nonnullos metu ad se inuitat. Socer autem quidam Mahumeti, honore & commodo allectus, per se & complices à principatu illum amouit: succedensque indignabatur, Mahumeth maior Propheta non reputari: quasi illi familiarius non loqueretur Deus: & in eum ac legem ipsius, plura maledicta promebat, nouos ritus instituens: sed qui eius legi adhærere voluerunt in partibus Orientis, *Calypham Baldacensem* statuerant. Illique tantam reuerentiam exhibent, vt sine eius nutu nullus appelletur *Soldanus*: Regesque eorum ad terram prostrati pedes humiliter osculantur. Durauit autem *Calypha Ægyptius* in successoribus suis vsque ad tempora Saladini. *part. IX. Cap. III.* Princeps quoque Occidentalium, qui legem acceperat Mahumeth, qui regni solium posuit in ciuitate *Morochia*, quæ quondam *Carthago* vocabatur, & non solùm Æthiopiæ & Africæ, sed etiam Hispaniæ ex magna parte dominabatur, Orientali Calyphæ cum populo suo subiici recusauit: sed se ipsum Regem & Calypham reputans, *Miramamulinum*, id est, Regem credentium se suosque successores vocari iussit: propter quod ad Christianorum magnum commodum, inter Orientales Saracenos & Occidentales magna diuisio orta est. Successit autem Mahumeth *Ebumer*, & illi *Homar*.

Cap. VI.

Continet quomodo ad subuentionem Terræ Sanctæ Karolus Magnus profectus est.

A tempore itaque quo *Humar* Terram Promissionis suo & impii Mahumeth imperio subdidit, sub tributo manserunt fideles in medio nationis prauæ: quasi *Iob* in terra Hus, & *Loth* in Sodomis; & quasi *lilium inter spinas*: per annos circiter CCCCLXX. vt suprà primo cap. dictum est. Nec circa Christianos, infideles semper se vniformiter habuerunt. Tempore enim *Karoli*, quidam *Aaron* cognomento *Repsit*, Orientem occupans, tantâ affectione Karolo coniunctus est, vt illi vellet in omnibus complacere: malletque Christianos, & sancta loca Terræ Promissionis, tam illi quàm genti suæ fore subiecta. Deprauato enim Heraclio prauus successit filius *Constantinus*, qui à *Paulo* Constantinopolitano Episcopo deceptus, contra Catholicam fidem typum exposuit. *Martinus* autem Papa primus concilium faciens CC. Episcoporum, anathematizauit dictum Paulum, & erroris sui inceptores: pro qua caussa capitur, & Cersonæ in exilio moritur. *Constantinus* posteà imperauit, & in Monothelitarum hæresim incidit, sicut auus ipsius Heraclius. Post hunc *Constantinus*, eius filius imperauit, qui cum Bulgaribus firmissimam pacem composuit, & cum Arabibus, qui habitabant Damascum, sapienti vsus consilio. Hic modestus & Catholicus, restaurauit Ecclesias tempore proaui sui Heraclii diruptas. Insurrexit etiam contra Monothelitas: vndè & sextam synodum congregauit; CCLXXXIX. episcoporum; vbi declaratum est duas in Christo esse naturas. Huic successit *Iustinianus*, eius filius, admodum iuuenis: qui pueriliter agens, pacem quam pater cum Arabibus aliisq; firmauerat, destruxit. Remouit etiã a mari Pyratarum exercitum, qui eius imperium ab impetu Arabum tuebatur; Vndè & Arabes regnante *Leone*, qui illi imperium abstulit, vsque in Africam multa deuastant. Patet

ex hiis infelicissimus Christianorũ status sub regimine Augustorum, successorumque suorum prædictis similium: donec Romanis imperante fœmina *Irene*, * sicut animo iam ab imperio Constantinopolitano desierant, sic nacta opportunitate id facto ostenderent, vno omnium consensu Imperatorias laudes *Karulo Magno* Regi Franciæ, acclamantes, & coronantes eum per manum *Leonis* Papæ in Cæsarem Augustum, anno Domini DCCCII. Tempore verò huius Karoli, patriarcha Ierosolymitanus de Terra sancta expulsus à paganis, ad Cõstantinum Imperatorem Constantinopolitanum venit, & ad filium eius Leonem; & cum eo *Iohannes Neapolitanus* sacerdos, & *Dauid Ierosolymitanus* Archipresbyter, quos ille ad Karolum Magnum transmisit cum littera suâ manu scripta: Et cum eis duos Hebreos *Isaac*, & *Samuelē*. In cuius Epistolæ parte vltima taliter scriptum erat: *Quadam die in extasi factus, vidi ante lectum meum, quendam iuuenem stantem, qui me blandè vocans paxillum tetigit*, & ait: *Constantine, rogasti Domini auxilium ad hanc rem: Accipe Karolum Magnum Regem Galliæ, & Ecclesiæ in Domino propugnatorem. Et ostendit mihi quendam militem armatum, ense præcinctum, cuius hasta altissima & cuspis sæpè flammas emittebat: & ipse senex, & prolixâ barbâ, vultu decorus, staturâ procerus, cuiusq́; oculi fulgebant vt stella. Age iam, Auguste qui iussionibus Dei refugit obedire, minimè culpam euadere poterit.* Quibus Parisius perlectis, Rex illachrymatus est, pro Domini Sepulchro; iussitq; *Turbinum* Archiepiscopum, litteras coram toto populo exponere. Quibus intellectis, omnes proficisci Regem precabantur. Tunc Rex edictum proposuit, vt *omnes qui possent arma ferre, secum contra Paganos irent: & qui cum non sequeretur, cum liberis quatuor numorum seruus fieret.* Maiorem itaque congregauit exercitum, quàm vnquam fecisset: & profectus est. Cùm verò peruenisset cis Ierusalem ad desertum, quod vix in duobus diebus transiri consueuit, in quo erant vrsi, leones, tygrides, & aliæ feræ diuersæ, Rexque Psalmos dicens, cùm ad illum peruenisset versiculum: *Deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui:* vox alitis propè lectum eius audita est: quam qui aderant audientes, expergefacti sunt. Rex verò Psalmos continuauit, vsque ad versum illum: *Educ de custodia animam meam.* Et iterum ales clamauit: *France quid dicis? France quid dicis?* Hanc alitem Rex prosecutus est paruulâ semitâ, donec recognouerunt callem quam præcedenti die amiserant: & peregrini extunc cœperunt audire ibidem alites sic loquentes.

A.Dni. 802. | Psal. 118, 35. | Psal. 141, 10. | 10 | 20 | 30

CAP. VII.

Continet Karoli reditum, ac reliquiarum reportationem.

VII. COmpositis rebus, & recuperatâ Terrâ Sanctâ obtinuit Karolus licentiam repatriandi ab Imperatore Constantinopolitano, & Patriarcha Ierosolymitano: priùs tamen pretiosæ postulanti reliquiæ datę sunt. Post indictum enim triduanum ieiunium, inchoatâ Letaniâ, cùm *Daniel Neapolitanus* Antistes thecam aperiret in qua spinea corona erat, tantus exindè exiit odor, vt omnes putarent se in Paradyso esse. Tunc Karolus in pauimento prostratus, plenus fide, Christum rogat, vt propter gloriam nominis sui, passionis & resurrectionis suæ miracula renouaret. Et cùm orasset, ros statim cœlitus veniens lignum infudit; & continuò flores emisit: tantaq; lux cum odore affuit, vt cuncti vestes suas quasi cœlestes putarent: & quãdo secabatur Crux, magis ac magis florere cœpit: flores autem in panno, ad hoc pręparato, recipiebantur: Karolus autem *vantum* suum dextrum impleuit: deindè aliũ ad suscipiendum spinas præparans, tradidit illum astanti Archiepiscopo Ebronensi: & cùm essent vtriusque oculi lachrymis occupati, absque vtriusque sustentatione, vnius horæ spatio in aëre stetit: postea verò cùm flores vellet de chirotecha eiicere, conuersi sunt in manna: quæ nunc ostenditur apud Sanctum Dionysium. Omnes infirmi qui aderant, odore florum sani facti sunt, numero CCCI. quidã enim affuit XXXII. annis cæcus, surdus & mutus, & in extractione spineæ coronæ, visum recepit; in sectione crucis, auditum; in florum emissione, loquelam. Dataque sunt Carolo cum parte *crucis* & *coronæ* Domini, *sudarium* & *camisia* beatæ Virginis, & *fascia* quâ puerum IESVM in cunabulis cinxit, & *brachium* Sancti Symeonis, vnusque ex clauis, qui cùm de alabastro extraheretur, sanatus est puer quidam habens aridum latus sinistrum. Quę omnia Karolus repatrians, in pera portauit ad collum: & in

40 | 50

& in via sacrarum reliquiarum contactu, puer mortuus suscitatus est, & L. ęgri sanati. Cùm verò *Aquisgranum* peruenisset, sanati sunt cæci & febricitantes innumeri, dæmoniaci XII. leprosi VIII. paralytici XV. claudi XIV. manchi XXX. gibbosi LII. caduci LXV. Deinde indixit per totum orbem, Idibus Iunii vt venirent Aquisgranum has videre reliquias: vbi fuit *Leo Papa*, & *Turbinus* Archiepiscopus, & *Theophylus* Antiochenus Antistes; aliique plurimi Episcopi, & abbates; ibi etiam suscitatus est mortuus: celebraturque festum IV. feria ieiuniorum mensis Iunii.

10

CAP. VIII.

Continet deteriorem statum Terræ Promissionis, maximè propter vastationem Constantinopolitani Imperij.

POsthæc accidit vt tempore Episcopi Ierosolymitani qui vocabatur *Orestes*, eius nepos Calypha Ægypti, nomine *Elau*, ex sorore, effractis pactis consuetis mandauerit imponi solito maiora tributa & Angarias Christianis, & oratoria cuncta prosterni: vndè & Ecclesia Sepulchri conformiter aliis est destructa. Timebat enim haberi suspectus de lege Mahumeti, quia matrem habuerat Christianam: sed successit illi Calyphæ filius, vocatus *Deher*, amicitiâ coniunctus Imperatori Con-
20 stantinopolitano, vocato *Romano*, cognomento *Elyopelitans*; & concessit illi vt Ecclesiam Sancti Sepulchri reædificaret: ipsa est quæ extat adhuc. Fuit autem hæc Ecclesia reædificata MXLVIII. Manserat enim destructa annis XXXVII. Et post reædificationem annis L. capta est à Christianis Ierusalem: *infra parte* V. *cap. VIII.* Post afflictam autem Ierosolymitanam Ecclesiam, Constantinopolitana, vltra brachium Sancti Georgii; & Antiochena, penè totaliter destructæ sunt. Imperante enim pacificè *Romano* cognomento *Diogenes*, Orientalis Rex potentissimus *Belphet*, cum infinito exercitu Persarum & aliorum, versus Constantinopolim faciem direxit: ciuitates & castra protinus capiebat, & omnia destruebat. Iamque omnes territi fugiebant, non audentes illius expectare aduentum. Tandem oc-
30 currit illi Imperator, vndique contracto exercitu, & commisso bello Imperator capitur, multo Græcorum effuso sanguine. Tunc *Belphet* elatus tantâ victoriâ, corã Principibus suis sedens, super guttur Imperatoris pedem tenebat; & cùm pluries hoc egisset, illæsum abire permisit: Græci verò tam confusum hominem dedignantur Imperatorem habere: eumque ab Imperio depositum, exoculant. Prædictus verò Rex Belphet Saracenicus, à Cilicia Suriæ vsque ad brachium Sancti Georgii, omnia occupauit, spatium videlicet XXX. dietarum in longitudine; in latitudine verò decem, & alicubi XV. Obtinuit itaque Suriam, duas Cilicias, Pamphiliam, Lige, Licaoniam, Cappadociam, Galathas, Bithiniam, & vnam portionem minoris Asiæ; destruxit Ecclesias, populum & ædificia cuncta vastauit: tan-
40 tusque terror cunctos inuasit, vt vsque ad sex vel ad septem dietas, nequaquam securi consisterent. Nocuit hoc plurimùm fidelibus Terræ Promissionis: quia quando Imperator ista possidebat, quæ amissa nunc diximus, frequenter illis & multipliciter mittebat auxilium. At verò cùm cernunt ab inimicis nominis Christiani omnia occupari, putant esse de cætero in perpetua seruitute.

VIII.

A. Dni. 1048.

QVARTA

QVARTA PARS CONTINET COMMOTIONEM MIRABILEM OCCIDENTALIVM POPVLORVM AD TERRÆ sanctæ liberationem, tempore Petri Eremitæ: habens Capitula XIII.

CAPVT I.

Continet piam auxilii implorationem: initiumq; postulatæ salutis.

POST pœnitentiæ laméta, cognitionemq; peccati, solita est Diuina clementia audire preces humilium, nec spernere preces eorum. Poterant proindè cum lugubri Ieremia, post premissa suspiria affectuosè orando exponere piissimo creatori: *Recordare, Domine, quid acciderit nobis; intuere, & respice opprobrium nostrum. Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos: patres nostri peccauerunt, & non sunt; & nos iniquitates eorum portauimus: defecit gaudiũ cordis nostri; versus est in luctum chorus noster; cecidit corona capitis nostri. Væ nobis! quia peccauimus: propterea mœstũ factum est cor nostrum; ideò contenebrati sunt oculi nostri, propter montẽ Syon: quia disperijt, & vulpes ambulauerunt in eo. Tu autem Domine, in æternum permanebis: solium tuum in generatione & generatione. Quare in perpetuum obliuisceris nostri, derelinquens nos in longitudine dierum? Conuerte nos, Domine ad te, & conuertemur: innoua dies nostros sicut à principio. Ne memineris, Domine, iniquitatum nostrarum antiquarum; citò anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.* Talibus precibus similibusque, inclinatus Omnipotens, cuidam pauperculo homini, de regno Franciæ, in Episcopatu Ambianensi heremiticam vitam agenti, qui & *Petrus Heremita* dicebatur, nõ solùm ad meritorum ipsius cumulum, verùm potius ad Terræ Sanctæ subsidium inspirauit, vt gloriosum Christi visitaret Sepulchrum, cæteraque loca Christi consecrata præsentiâ, illustrata miraculis. Profectus ille, graui superato labore, periculoque multiplici, tandem Ierosolymam adit, ad portam Ciuitatis accedit; & soluto ianitoribus, vt mos peregrinantium erat, aureo nummo, liber intrauit. Ingressus autem, vidit omnia loca Sancta irreuerenter tractari ab infidelibus, imò potius prophanari: & tactus dolore cordis intrinsecus: *Heu,* inquit, *haccine est vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?* Vidensque venerabilem virum *Symeonem*, Patriarcham loci illius, tanquam vile mancipium reputari; cunctosque fideles in summa abiectione, innumerisque angariis prægrauari: ait, *Destruxit hunc sanctificationis locum quem creauit Omnipotens: obliuioni tradidit in Syon festiuitatem, & Sabbathum; & in opprobrio & indignatione furoris sui Regem & sacerdotem; & repulit altare suum.* Miroq; modo ex horum confusione afflictus, (puta qui, velut vir Sanctus, super miseriis proximi, iniuriisq; diuinis, & misericordiæ gestabat viscera, & zelo accendebatur Diuini honoris) cœpit cogitationibus distrahi, & anxius mente perquirere si qua foret via salutis; si quod tantæ calamitatis posset inueniri remedium: nihilque ad hæc in se reperiens viriũ, orabat per eum hæc fieri qui dispersionem congregat Israëlis. Cùm autem nocte quadam, in Ecclesia Dominicæ Resurrectionis, affectuosè super hoc Diuinam exoraret Clementiam; & quasi factus in agonia, prolixiùs oraret; post multam vigiliã, ac orationem deuotam, somno corripitur: speciosus formâ præ filiis hominum illi astitit: piisque eius votis annuens, Legatum ad summum Pontificem, & Occidentis Principes, pro Terræ sanctæ liberatione transmisit. Qui Diuinâ reuelatione commonitus, & flammâ diuini amoris accensus, cum litteris dicti Patriarchæ Ierosolymitani ac aliorum fidelium, ad iussa perficienda iter aggressus est.

Lam. 5.1. &c. Psal. 78.8. Lam. 2.15.

10 20 30 40 50

CAP.

CAP. II.

Continet celerem Passagij congregationem.

CVm autem ad partes primò applicuisset Italiæ, confestim ad *Vrbanum Papam* secundum, se transtulit: à quo, exposito negotio, benignè receptus est: deinde per illas partes transcurrens, & ad Passagium cunctorum corda succendens, Alpes trãsgressus, tam Principes quàm Papam sollicitè inuitabat, & prædicando multipliciter hortabatur ad Terræ Sanctæ peregrinationem. Ceciditque semen verbi Dei in terram bonam: & ortum, fecit fructum aliud tricesimum, in actiuis, & ratione ætatis aptis ad bella Domini; aliud sexagesimum, in contemplatiuis, & sacris vacantibus: nam & sexagenariis, post militiam & actiones publicas, dari consueuit vacatio: aliud centesimum, in Prælatis benè præsidentibus, qui secundùm Apostolum *duplici honore digni sunt, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Contigit etiam paruo post hæc tempore summum Pontificem transire in Galliam, dissidentibus inuicem Sacerdotio atque Imperio, auctisque scandalis M X C V. & celebrauit *Concilium* apud *Claromontem*, Auerniæ ciuitatis: vbi excommunicatur *Guibertus*, qui se pro Papa gerebat; similiter *Imperator*, & cuncti eum manutenentes; *Philippus* quoque, Rex Francorum, & coniux, donec ad emendationem venerint, & alter recedat ab altero. Deinde ordinatis rebus Ecclesiasticis, in quandam spatiosæ latitudinis plateam exiit: quia multitudinem clausura capere nulla posset: ad populumque in hæc rethoricæ dulcedinis verba prorupit. *Gens à Deo electa, & prædilecta, ad vos sermo noster dirigitur. Ad fines vestros lugubris nos causa deduxit. A Ierosolymorum enim finibus relatio grauis emersit: quia videlicet gens Persarum, generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus eius, Dei populum in Terra sancta Promissionis, partim consumpsit gladio, partim captiuos duxit, patriam rapinis, igne ferroq; consumens, Ecclesiasq; subuertens: Christianos etiam circumcidunt; & in fidei nostræ opprobrium, circumcisionis, cruorem aut super altaria fundunt sacrilegi, aut in vasis baptisterij immergunt. Quibus autem incumbit vltio tanti sceleris, nisi vobis, quibus contulit Deus, præ cæteris, insigne decus armorum, magnitudinem animorum, agilitatem corporum, potentiam certè humiliandi verticem ambulantium in delictis suis? Moueat vos antecessorum vestrorum imitabilis probitas, & magnitudo Karoli Regis, & Lodouici filij eius, qui dilatando fines Ecclesiæ, Paganorum castra subuerterunt, & regna. Præcipuè verò corda vestra excitet gloriosum Christi Sepulchrum ab immundis gentibus possideri; cæteraq; loca sancta inhonestè tractari, eorumq; immunditiis sordidari. O fortissimi milites, & inuictorum propago parentum, nolite esse degeneres. Si vos karus liberorum, parentũ ac coniugum tenet affectus: mementote sermonis Domini: Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus: & qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus; Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodit eam. Crucem propterea in humeris sumite; hac pectoris aditum communite: Terram denique vestram montium vndiq; clausam iugis, multitudini colonorũ atq; colentium vix alimenta præbentem, pro terra commutate, quæ fluit lacte & melle, quã pius Redemptor suo illustrauit aduentu, decorauit præsentia, sanguine consecrauit, redemit morte, & gloriosi Sepulchri insigniuit decore.* In sermone quoq; asseruit, quia *hominibus, viuere calamitas est; mori, felicitas: mors, accelerat bonis patriam; & resecat malis malitiam.* Multi qui sermoni aderant, assumpto signo Crucis in humeris, quasi onus Domini leue quod ab onere alleuiat peccatorum, iugumq; suaue demulcentis gratiæ, ad Christi obsequium se fideliter præparant: Quorum primus fuit vir Venerabilis & sanctæ conuersationis *Episcopus Podiensis*, cum multis aliis tam nobilibus, quàm inferioribus viris. Sequenti verò die, residente Episcoporum conuentu, proposuit summus Pontifex, quis multitudini cupientium peregrinari præfici debeat: & communi omniũ consensu Podiensis Episcopus, Diuinis rebus ac humanis idoneus, *Legatus* efficitur. Prælati quoque Ecclesiarum, aliique viri prudentes & litterati, secundum quod in mandatis acceperant, in diuersis fidelium partibus prædicantes, signo Sanctæ Crucis consignauerunt Christiani populi multitudinem, vsque ad ccc. milia personarũ. Inter quos fuerũt præcipui & notissimi viri *Hugo* magnus, frater Philippi Regis Fráciæ: *Robertus* Comes Flãdriæ: *Robertus* Dux Normãdiæ: *Gulielmus* de Anglia. *Stephanus* Comes Carnotẽsis & Blesensis, qui fuit pater Comitis Theobaldi antiqui: *Raymund'* Comes Tholosę: Comes *Garnerius* de Gres: *Balduinus* Comes de Henauth: *Bimont* Comes de Aurengia: *Guilielm'* Comes de Fores: *Stephanus*, Comes *D Aubemares*

16. 1. Tim. 5. A. Dni. 1095. Matt. 10. 37.

Retreu Comes Deuperche: *Hugo*, Comes Sancti Pauli: & Barones innumeri. Inter cæteros valens *Gotifredus*, Heustachii Bononiensis Comitis filius, dux in Theotonia, vultu elegans, staturâ procerus, dulcis eloquio, moribus gratus: tam mitis & lenis, vt in se monachum magis quàm militem figuraret; cum tamen hostem imminere sensisset, nullus eo in bello securior: quasi enim leo confidens ad nullius pauebat occursum: & quæ lorica aut clypeus sustinere poterat ictum mucronis illius? Cum illo quoque duo fratres eius, *Balduinus* & *Eustachius*; eorumq; consanguineus *Balduinus de Burgo*, filiusq; quondam Hugonis de Receft: *Guido* de Garlande, Seneschaltus Regis Franciæ: *Gerardus* de Resilion: & alii. Omnes Barones concordauerunt, ne simul omnes pergant, quia non possent victualia, aliaq; necessaria inuenire. Adueniente autem Martio, videres parari equos dextrarios, palafredos, & bellica instrumenta, & cætera opportuna. Cum tempus affuit inchoandi recessus, vniuersi suspiriis, lachrymis, & singultuosis lamentis erant repleti: pauca erant hospitia de quibus non procederet peregrinus, vel saltem propinquus: contigit etiam multas familias, vacuâ domo relictâ, ex toto peregrinari: ducebant enim multi secum, & paruulos & vxores.

Capvt III.

Continet peregrinationem Galteri, & suæ comitiuæ, vsque ad Constantinopolim.

A.Dni. 1096.

HIc Nobilis miles & probus, adiunctâ sibi multitudine equitum peditumque, MXCVI. In fine Martii, per Alamaniam transit, & regno appropinquauit *Vngariæ*, quod vndique magnis aquis paludibusque circumdatur; nec patet aditus nisi per strictos meatus, qui sunt quasi ianuæ regni. Rex *Kalemanus*, vir deuotus, mādat mercatum illis deferri, & pro conuenienti foro necessaria exhiberi. In fine verò regni, versus Oriens, aquam pertranseunt vocatum *Maree*; & intrantes *Bulgariā*, ignorabant ex suis ibi remansisse citra aquam: plures enim remanentes iuerunt ad castrum vocatum *Malauilla*. Vngari verò eos qui citra aquam remanserant, quia abesset exercitus, spoliauerunt, nonnullos verberauerunt, & tandem dimiserunt. Hoc cùm ad sociorum deuenisset notitiam, corda commouit, redissentque ad vlciscendum iniuriam, si non affuisset transuadationis periculum, & impedimētum itineris. Procedentes itaque, peruenerunt ad primam ciuitatem Bulgariæ vocatam *Belgraue*. Requisitus dominus terræ, mercatum peregrinis negat: nonnulli indigentia, nec non proteruia ducti, aliqua rapiunt, vim inferentes indigenis: ciues arma capiunt, & de peregrinis plurimos lædunt, interimuntque. *Galterus* deinde suos ordinat, & iter agens peruenit ad Ciuitatem vocatam *Stralisce*: Dux verò Ciuitatis peregrinis festinus occurrit, & competens forum exhibuit: fecitque reddi quęcunque recuperari potuerunt ablata eis in Belgraue. Cum verò *Constantinopolim* peruenissent, Imperator Galterum accersit, qui sciscitanti respondit: se ducere Peregrinos; & quod Petrum Eremitam expectare vellet ibidem. Imperator locum extra vrbem Peregrinis assignat, & necessaria eis deportari iubet.

Cap. IV.

Continet peregrinationem Petri Heremitæ, cum innumerabili multitudine populi vsq; Constantinopolim.

NOn multo post tempore *Petrus Heremita* Lombardorum & aliarum diuersarū nationum vsque ad XL. milia, eadem quasi perduxit via, donec ad castrum peruenit, quod superiori capitulo nominari diximus, *Malauilla*: & cognita offensa sociorum qui cum Galtero transierant, vi castrum capiunt, cunctosque interimunt: vsque videlicet ad quatuor milia hominum, de Peregrinis verò vltra centum mortui non sunt. Inuentâ quoque ibi victualium copiâ, quinque diebus immorati sunt. Audiens autem *dux Belgraue* vindictam Peregrinorum tam duram, conscius sibi illatæ iniuriæ Peregrinis (*superiori capitulo*) timuit ne istorum posset impetum sustinere; propterea relictâ ciuitate, ad castrum fortius se suosque reduxit. Tunc *Petrus Heremita* audiens, quòd Rex Vngariæ pararet contra eum exercitum, cunctos aquā transnauigare iubet celeriter, currusque & copias in districtum transire Bulgariæ; perue-

perueniuntq; ad *Belgrauem* ciuitatem, quam totaliter euacuatam inueniunt; indeq; octo diætis ad ciuitatem pertingunt vocatam *Niz*: hæc munitissima est, habitatores quoque eius bellicæ industriæ magis instructi. Inuenit autem exercitus pontem lapideum, quem pertransiens, inter aquam & ciuitatem remansit: Requisiti ciues vt venalia subministrent, obsides petunt pro securitate, & obtinent; deindè necessaria copiosè transmittũt: Peregrini verò, eo sero refocillantur, qui plurimis diebus minimè inuenerant refrigerii locum: facto manè redduntur obsides, & Peregrini viam inchoant. Erant autem inter eos *Theotonici*, qui nimiâ prauitate in simul congregati vsque ad centum, cùm alii præcessissent, combusserunt molendina iuxta 10 pontem; & consequenter quendam viculum incenderunt. Ciues offensi, arma capiunt, & dum abeuntes persequuntur, actores sceleris primò reperiunt, trucidantque; extrema quoque inuadunt exercitus: ibi potissimè erant senes, infirmi, debiles, currus & somagia: plures occiderunt, nonnullos captiuos duxerunt, & de curribus & somagiis similiter acceperunt. Delatâ re tam lugubi, Petrus Eremita, reuocatis qui præcedebant, cuncti de reditu consulunt: redeundo verò, trucidatos cernunt socios & propinquos; & magno planctu edito, nuntios litterasque transmittunt, querentes cur tale, tantumque scelus in Christi Peregrinos egissent: & auditâ caussâ, prudentiores vident non adesse locum neque tempus omnem iniuriam vindicandi; & de reformatione pacis tractare cupiunt; & captiuos cæteraq; 20 redimere: nonnulli autem ex minoribus, vltionem proclamant. Mittit deindè Petrus Eremita aliquos de prudentioribus, & non acquieuerunt: personaliter deindè vadit, & proclamari fecit ex parte sua & omnium Baronum, qui in exercitu erant, vt nullus se iungeret hiis qui vellent infringere pacem: tractatores autem pacis de ciuitate, percipientes incrementum tumultus, infecto negotio rediêre. Nullis itaque viribus retineri potuerunt, quin vsque ad mille Peregrinorum contra ciuitatem procederent; totidemque illis obuiam exierunt. Cernentes verò qui de muris respiciebant, Peregrinos præualere, putantes quoque quòd maior exercitus se de negotio nequaquam intromittere vellet, in multitudine exierunt: & inuenientes de Peregrinis vsque ad quingentos super pontem, omnes penè in- 30 terimunt. Quod cernens Peregrinorum multitudo, se continere non potuit, illisque in succursum processit: sed mirum in modum Peregrini in fugam conuersi, cùm securitatem ex aduenientibus auxiliatiis concipere debuissent, cæteros obuiam sibi factos compulerunt in fugam. Tunc, proh dolor, grande fuit Peregrinorũ dispendium: decem milia enim virorũ, mulieres multę, & paruuli periêre; & curruũ vsq; ad duo milia amissa sunt. Dispersi Peregrini, tandem die quarto congregati, & in arto positi ex defectu victualium, & mœstitia defunctorum, Imperatoris nuncios recipiunt, eorum redarguentes audaciam; compelluntque nuncubi immorari, promittentes tamen vbique victualia & necessaria exhibere; & opere compleuerunt. Ad *Constantinopolim* itaq; venientes, Galtero sociati sunt, & diebus aliquibus 40 quieuerunt. Imperator quoque, accersitum *Petrum* Eremitam muneribus honorauit: admirans homunculum, tam probum, & gratè ad interrogata omnia respondentem.

CAP. V.

Continet gesta dictorum peregrinorum vltra mare Hellespontum, quod dicitur Brachium Sancti Georgij. Rubrica.

POst quietem dierum aliquot, *Brachium Sancti Georgij* transeunt, paratis iussu Imperatoris nauigiis; & iuerunt *Bythiniam*, quę est prima pars Asiæ: & *Nichomediam* transeuntes, supra mare castra metati sunt, in castro vocato *Ciuitot*, super Nicæam 50 ciuitatem constituto, vbi potestatem exercebant inimici eorum. Ibiq; duobus mẽsibus commorati, quotidie pro conuenienti foro recẽtia inueniebant cibaria. Saturatus autem populus, quietis impatiens, voluit circuire: & factis conuenticulis, tandem vsque ad decem milia processerunt contra Principum voluntatem: immensas agebant prædas, lucraq; per maxima. Cùm tamen Imperator, primò ore, nũtiis deindè, pręmonuerit eos, quietè cum Turchis ageret quousq; maiores Principes aduentaret. Accidit autem die quadam vt *Petrus Heremita* Constantinopolim rediret, quòd venalia facta erant solito cariora. Tunc minutus populus, quasi liber,

congregatur: & processerunt vsq; ad septē mille pedites; & trecenti equites versus *Nicæam* ciuitatem: & per villulas & casalia, omnia destruentes, magnam reportauêre prædam, nullusq; eorum periit. Cernentes autem *Theotonici* illorum tripudium de reportato lucro, tanquam homines effrenati, prædæ & gloriæ cupidi, congregati sunt vsque ad tria milia peditum: & versus Nicæam procedentes, ad pedem montis iuxta Nicæam ad quatuor leucas, *castrum* inuadunt, & non sine defensione capiunt; & vtriusq; sexus cunctos interimūt: victualia, & pretiosa ibi multa reperiūt: muniuntque castrum, quia locus esset aptus ac delectabilis, donec cæteri qui expectabantur, adueniant. Interim *Solimanus* illius patriæ rector ac dominus, audiens Christianorum aduentum, ad Orientem egressus, amore & pretio, pro tuenda terra, multitudinem armatorum secum adduxerat: audiensq; illatas iniurias, ad castrū accedit: quo faciliter obtento, cunctis capita præcidit. His auditis, in castris Peregrinorū planctus & vlulatus exoritur, & acerbius indoluit gens minuta, belli ignara: & querebantur ignauiæ militum, qui sanguinem occisorum fratrum vindicare negligebant: eliguntq; capitaneum *Gotifredum Buriau*, qui horum incentor erat: & aperte milites illegales dicebat; bellumq; omittere non prouidentia, sed pauore. Tantùm exprobratio huiusmodi & lamentum inualuit, vt omnes communiter arma caperent, & plebeo dicere posset miles: *Tu minus sapiens, plus ego*: fueruntq; xxv. milia: & directè per montes & per nemora tendunt versus Niceam. Sed in via *Solimanus* Peregrinis occurrit, cum suo exercitu: pugnatur vtrinq; acriter; sed præualet Turchus, & cædendo insequitur fugientes, vsq; in castra, ibiq; senes qui remanserant, mulieres, infantes, & debiles trucidantur. Erant enim equites Turchi, pedites Peregrini, præter quingentos equites: tantum quatuor milia hominum, ad quoddā fortilitium, iuxta mare derelictum habuêre refugium, oppilantes ostia & fenestras lignis & lapidibus: quod cum innotuisset Turchis, diro facto insultu, magnum obsessis imminebat periculum. Sed *Petrus Heremita*, quem Constantinopolim fuisse prædiximus, de euentu per cursorem certior factus, post suspiria & gemitus ad Imperatoris pedes prostratus, opportunum impetrauit auxilium: nam ille continuò suos misit nuntios, qui statim ab obsidione amouêre Turchos. Hic lector aduerte, quantâ pœnâ inobedientiæ contumacia feriatur; quamq; periculosum sit, indisciplinatum sequi populum in peccato.

Cap. VI.

Continet destructionem inordinatæ multitudinis Theotonicorum, sub sacerdote Scondescausco peregrinantis.

SIcut Petrus Heremita in Francia, sic sacerdos quidam *Condescauscus*, crucem in Theotonia prædicauit; adunatisq; xxv. milibus Theotonicorum, peregrinationis iter arripuit: hiis quasi vicinis, iussit Vngariæ Rex familiaritatem & mercatum conueniens exhiberi. Illi videntes rerum copiam, & quòd plura liberè possent agere, reddere cœperunt pro fructu, pœnam; pro pietate, dolum: Nam & victualia, & bestias campi rapere cœperunt, & fœminas hominesq; ferire, & lædere patriam. Cùm verò hæc perlata essent ad Regem, armatos vndique contrahit, & insequitur abeuntes; & iuxta castrum *Belgraui* reperit in meditullio regni. Audiētes verò Theotonici Regis aduentum, sibiq; audacis facti conscii, arma capiunt: cernentes Vngari conceptam desperationem pro defensione vitæ, animiq; furorem more suo, propositum versipelles occultant: Iam non viribus, sed fallacia pugnant; mittuntque nuntios qui referant quàm gratè recepti fuerint, iussu Regis; quam ingrati nonnulli fuerint beneficiis; quàm magnus in Regia Curia maleficiorum sit clamor exortus: cognoscunt quoq; maiores, viros honestos, quibus hæc mala displiceant: nolūt proindè in eos retorquere vindictam: soli noxii puniantur. Vt igitur recto ordine cuncta disponantur, requirunt vt sese, ac sua maximè arma, submittant Regiæ voluntati: sin autem, in regni medio constituti, nec præsenti Regis virtuti resistere poterunt, nec extrema transire. Sacerdos cum Baronibus spe de Regia dulcedine ac pietate protestantes, petitioni annuunt; nolentem quoq; minutum populum arma reddere, precibus & inductionibus compellunt: quo peracto, Vngari in illos prosiliunt; nec inter sanctum & profanum distinguētes, cunctos penè interimunt: fugerunt nonnulli qui suis in partibus, tā scænæ proditionis atrocitatem referrent.

Cap.

CAPVT VII.

Continet confusionem popularis multitudinis, peregrinantis sine vllo principali ductore.

BReui post tempore innumerabilis populi multitudo congregata, sine rectore ad peregrinandum iter arripuit. Licet enim illi cōgregationi Barones plurimi non deessent, tamen nemini obtemperare volebant: & res pessimas multi praui agebāt, ita vt in transitu multos interficerent, maximè in partibus Coloniæ, & contratis Alamaniæ. In illis autem partibus erat magnus comes, vocatus *Emicon*, qui illi multitudini societate iunctus est. Hic nec fatuos monuit, nec prauos corripuit. Transierunt autem per Franconiam & Bauariam, vsq; ad confines Vngariæ; & peruenerūt ad ciuitatem vocatam *Meczsemborc*, putantes sine contradictione Vngariam transire; sed cùm peruenissent ad passum, via eis denegata est. Erat enim ibi fortilitium, ex vna parte Danubio circumdatum, vocatum *Lintans*, ex aliis partibus profundis paludibus; intus verò armatorum cateruæ. Iam enim audierat Rex Vngariæ cc. milia peditum, & III. milia equitum aduentare: timebatq; ne vlciscerentur perfidiam quam in priores exercuerat Peregrinos. Peregrini tandem obtinent vt nuncios mittant ad Regem, nec potuerunt aliquid obtinere: dolet igitur se frustra laborasse, & multam pecuniam consumpsisse: deliberantque vniuersa quæ ex illa parte regni erant, igne ferroq; vastare. Dum talia agunt, vsq; ad septem milia equitum Vngarorum, nauigio aquam transeunt, & ceperunt passum quendam: quod Peregrini considerantes, cum magno vigore illos aggrediuntur; cunctosque perimunt, exceptis quibusdam, qui peditando ad paludes habuêre confugium. Tunc Peregrini elati de victoria, totum regnum vi obtinere posse credunt: feceruntque pontes & scalas in multitudine; & ad turrem erigentes, & partes cæteras, vt opportunum videbatur, murum quoq; instrumentis ferreis demolientes, ita hostes aggrediuntur & castrum, vt illi perterriti omnem animi vigorem amiserint: dum verò mori cuncti putarent; in breui, subitò confractis scalis & pontibus, obsidentium multitudo ruit; cunctiq; in fugam conuersi sunt, fugæ causam penitus ignorantes. Hocque videntes Vngari, vixq; credentes quæ oculis conspiciebant, de turri descendunt; & qui mori putabant multos interimunt. Comes *Emicon* ad propria rediit: Barones Gallici in Apuliam transeunt, ibique aliis transfretantibus sociati sunt.

CAP. VIII.

Continet peregrinationem ac captionem Hugonis Magni: & qualiter Boamundus ad peregrinandum animatus est.

HVgo Magnus frater Regis Franciæ, *comitesq; Normandiæ & Flandriæ*, ac cæteri, aliud iter arripiunt. In alia verò societate fuêre Episcopus *Podiensis*, & *Raymūdus* Sancti Egidii Comes. Vir enim iste cùm prædiues esset omnia bona sua vendidit, vt toto conatu Christi negotio inseruiret. Hii, cæterique secum satis contiguo tempore, à suis exeuntes sedibus, seorsum tamen, pertransitis Alpibus per Italiam & Romam, versus Apuliam pergunt. Tantorum Principum aduentum audiens *Boamundus*, qui in littore Scaphardi pelagi *Melphiam* obsidebat, Princeps Tarentinus, Roberti Guiscardi filius, qui Imperatorem Græcorum suo tempore bello superauit, ad peregrinationem Sepulchri, eorum prouocatus exemplo, opus diuinitus immissum humanis cordibus laudat: tandem duo pallia deferri iussit, & bellatoribus suis, tam peditibus quàm equitibus pronuntians, ait: *Qui Domini est, iungatur mihi. O milites nunc mei, estote Dei, & iter Sancti Sepulchri mecum arripite. Nunquid hij martyrium, immò cælum rapient sine vobis?* Tunc illi, in accipiendo Crucem, tanta hominum multitudo sociata est, vt accipere affectantibus atque petentibus Crucem, deficeret pannus. Audientes autem optimates Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ, quæ Boamundus gesserat, ad ipsum confluunt; & tam mediocres quàm potentes & inferiores innumeri, peregrinationem Sancti Sepulchri assumunt. Interea *Hugo* Magnus, & *Gulielmus* Marescalci filius, de portu Bari, *Duratium* transfretant, quos dux loci captos ad Imperatorem transmittit Constantinopolim. Iusserat enim Peregrinos detineri, volens cunctos sibi homagium facere, de eo quod per arma conquirerent.

CAP. IX.

Continet peregrinationem Gotifredi: & Hugonis Magni liberationem.

IN medio verò Augusti, *Gotifredus* iter arripuit, & cum eo multi alii Comites & Barones; *Episcopus quoq; Montis acuti*: & xx. Septembris in villam Austriæ peruenerunt, quæ vocatur *Tollieborc*: indè fluuius labitur dictus *Lintans* Imperium diuidens à Regno Vngariæ. Auditâ verò Peregrinorum strage factâ in Vngaria: *supra cap.VI.& VII.* perquirunt inter se qualiter in pace regionem illam pertransire valeát: deliberantq; litteras ac nuntios transmittere, petentes à Rege, cur fratres suos Peregrinos in suo regno peremerit; tractent deindè de transitu pacifico & securo. Rex coram Baronibus suis, excessus Peregrinorum exponit prædictis nuntiis: de quibus excessibus *supra IV.& VI.cap.* actum est. Et cum illis suos transmittit nuntios, qui tanquam amicum Gotifredum cum cæteris salutent Baronibus: illiq; dicant, quia ex fama Rex benè cognoscit eum esse altum virum ex sua progenie; & potentem ratione gentis subiectæ; animi dotatum prudentiâ, & corporis virtute strenuum: ideò ipsum appretiatur & diligit in corde suo, capitque honorare cum sua nobili comitiua. Dux igitur *Gotifredus*, de Baronum consilio ad visitandum Regem transit, assumptis secum non ampliùs ccc. militibus. Rex verò illum honorificè suscepit; & pacificatis cunctis, Rex priùs receptis obsidibus, securitatem viæ, & victualium copiam subministrauit. Et cùm ad castrum quod dicitur *Malauilla* peruenisset exercitus, mille loricati pro tutela, ad vlteriorem ripam fluminis missi sunt: deindè trãsmittitur populus: receptis obsidibus, vale faciunt Regi: cũ pace atq; lætitia, ad ciuitatẽ *Belgraue* perueniunt: de qua *supra III.ca.* actũ est. Indè per mediũ nemus ad ciuitatem *Niz* transeunt: & indè *Astralice*: inde quoq; per districtũ *sancti Bacilla* & inde ad planũ, vbi cunctorum bonorum copiam reperierũt. Ibi de captione *Hugonis Magni* noua audierunt; mittuntq; ad Imperatorẽ nuntios, dicentes: quàm indecens esset, tantũ virũ, sine causa, tanto tẽpore detinuisse; & quòd omnes Peregrini fratres sui & socii grauabantur. Nuntii igitur ista referunt, & liberationem Hugonis Magni ac sociorum eius attentè requirunt. Imperator verò illis respondet absolutè, quòd in nullo euentu illos dimitteret. Hic enim Nicophorum præcessorem suum & dominum, cui fuerat *Seneſcalcus*, sicut homo proditor & iniquus, in vinculis detinebat. Nuntii igitur insalutato Imperatore redeunt, & audita referunt. Tunc Peregrini gladiis, incendiis, rapinis, cuncta per circuitum vastant. Imperator tunc liberationem captiuorum promittit; tuncque concordant: & cùm antè Constantinopolim venissent, *Hugo* magnus, *Deues de Neele*, *Guilielmus Carpenthier*, & *Clarenbaut de Verdoil*, libertati donati, ad papilionem ducis Gotifredi, & ad cęteros Barones veniunt, & cum multa se inuicem lætitia amplectuntur.

CAP. X.

Continet rixas, & sequentem concordiam Peregrinorum cum Imperatore.

POst hæc Imperator per nuntios inuitat ducem *Gotifredum* vt ad se veniat: Barones verò, consulunt ne ciuitatem intret. Turbatus Imperator, illis mercatum prohibet: Peregrini per regionem discurrunt, cibaria, lucraq; multa reportant. Tunc Imperator inuitus, ne districtum suum ampliùs lacerarent, mercatum concedit: transacto quoque festo Natiuitatis Domini, Imperator inuitat Peregrinos vt pontem transeant, & ad locum dictum *Blacherna* vadant, iuxtà brachium Sancti Georgii, quia ibi pro cunctis sufficientia essent palatia. Proditiosè autem hæc tractabat Imperator, vt eos quasi inclusos haberet; nec possent ampliùs ad libitum per regiones discurrere: ipsi tamen, asperitate hyemis, faciliter persuasi sunt; & circumdati sunt Brachio Sancti Georgii, ex vna parte, & ex alia, riuo aquæ dulcis, qui in æstate paruus est, magnus propter pluuias in hyeme: super quem ædificatus est pons quem transierant. Requirit tunc Ducem iterum Imperator, vt accedat ad ipsum: Ille fraudes metuens, per nuntios transmittit nobiles, quia suorum consilio, priùs Baronum omnium expectabat aduentum. Tunc Imperator iteratò, abstulit illis mercatum; & antè ripam Brachii Sancti Georgii transmittit sagittarios in multitudine, ad partem vbi Dux fuerat hospitatus; & sagittantes, interimunt multos qui versus mare

mare descenderant; plures etiam vulnerauerunt per hostia & fenestras. Tunc *Balduinus* frater ducis, iussus cum VII. millibus equitibus pontem occupat, ne praeoccupetur à Graecis: nec non dubitantes insultum ciuium imminere, hospitia cuncta comburunt in quibus hospitati fuerant, cum aliis proximis: & ab igne, vsque ad sex vel septem milliaria, omnia concremata sunt. Transeuntes autem pontem, in pulchro prato conueniunt: ibique magnum fuit praelium, multi Peregrini ibi interfecti sunt; plures verò de ciuibus qui tandem pondus praelii non ferentes, ad ciuitatē confugerunt: Peregrini verò in crastino pro victualibus transmittunt partem exercitus, & vsque ad XL. milia progrediuntur; & post dies sex, abundantia victualia, & lucra alia reportant. Tunc *Gotifredus* nuntios recipit & litteras *Boamundi*, monentes vt à malitiis Grecorum, & ab Imperatoris insidiis caueant: & suum celerem promittit aduentum. Sed Imperatorem aduentus nuntiorum non latuit; nec sine cordis amaritudine, clamores ingeminatos audit vastatae prolixiùs regionis. Secretum proindè cum Baronibus consilium iniit; deindè ad Ducem nouos nuntios transmittit, vt ad se veniat; & filium suum maiorem dabit obsidem, ad cautelam. Placuit hoc cunctis Baronibus; & recepto Imperatoris filio, Gotifredus ad Imperatorē perrexit: à quo miro applausu recipitur, similiter & à cunctis Baronibus. Tandē eū Imperator osculis demulcens, grandē profitetur amorē, & Imperialib. induit vestimētis, filium vocans; & de caetero defensorem Imperii & collateralem instituens, iuxta Imperatorē sedere iubet: apertisq; thesauris suis, incredibilia dedit munera; omniq; septimanâ pecuniarum magna pondera transmittebat, ab Epiphania vsque ad Ascensionem Domini. Post aliquot dies familiaris colloquii, Dux redit, & filius Imperatoris ad ciuitatem cum multa pompa deducitur; & pax vtrinq; proclamatur, omnisque arcetur offensa. Intrante autem Martio, de aduentu aliorum Baronum noua habita sunt. Placebat tunc Imperatori, & Peregrini etiam concordabant, vt *brachium Sancti Georgij* transeant. Requisitus igitur Imperator, nauigia parat; & Peregrini in *Bithiniam* transeunt, quae est prima pars Asiae: & castra posuerunt circa *Calcedoniae* ciuitatem, quae statim vltra brachium Sancti Georgii sita est: vndè venire Constantinopolim atque redire in die poterant bis vel ter.

CAP. XI.

Continet viam Boamundi in Constantinopolim: & ea quae Imperator circa eum gessit.

BOamundus interea mare Adriaticum ex transuerso nauigans iuit *Duratium*, indeque transiit per medium desertum *Bulgariae* in societate sua plures habens potentes & probos. Venerunt autem ad ciuitatem vocatam *Caystorem*, & ibi celebrauerūt festum Natiuitatis Domini: sed quia indigenę victualia negauerunt, quasi inimicis, coacti sunt rapere necessaria vitae: & non modicùm damnificauit patriam. Deindè venerunt in terram de *Pelagoire*, valdè fertilem; & de quodam *castro* ad quod multi habebant refugium, duxerunt praedam magnam, deinde combusserunt; fugientes verò trucidauerunt. Imperator haec audiens, de eius aduentu non modicùm sollicitus, etiam propter antiquam patris iniuriam, mandat suis stipendiatis locum & tēpus obseruare, vt illi gentiq; suę noceant. Hoc quidem occultè ordinat: palam verò nuntios transmittit, & ad se blandis inuitat sermonibus, tanquam dilectum; & vbique promittit forum sibi liberè exhibere. Venit igitur Boamundus post receptos nuntios vsque ad fluuium *Bardare*: Et postquam maior pars exercitus iam transierat, exercitus Imperatoris insultum fecit in eos qui remanserant. Audito verò clamore, *Tancredus* cum duobus milibus reuertitur: multos interficit, multosq; capit, qui iussu Imperatoris id egisse cōfessi sunt. Dissimulato dolo, pertransitâ *Macedoniâ*, cùm appropinquaret Constantinopolim Imperator, per nuntios eum ad se inuitat; & dum haesitat, suspectas habens insidias, occurrit illi Dux Gotifredus ab Imperatore submissus: cuius tandem inductione ad Imperatorem iuit, & muneribus honoratus est, praemisso homagio. Interim verò *Tancredus*, eius ex sorore nepos, vltra brachium Sancti Georgii exercitum traduxit. Imperator haec audiens, animo commotus; ita dissimulauit, omni die Boamundo noua dona tribuens, donec licētiatus & ipse, ad alios transiit. Eodem modo *Comes Flandriae* de Baro Duratium transiit,

& in via ab Imperatore inuitatus est; & postquam cum Imperatore, sicut & cæteri omnia expediuit, ad alios transiit. Nec multò post, venerunt nuntii *Comitis Tholosani*, & *Episcopi Podiensis*, dicentes quia tempestiuè Constantinopolim applicarent.

CAPVT XII.

Continet viam Comitis Tholosani ac suorum: & quæ cum Imperatore gessit.

XII. COmes *Tholosanus*, & *duo Episcopi* cum pluribus comitibus sociati per *Histriam* & *Dalmatiam* vsq; *Duratium* venerunt: multa aduersa passi sunt in via, inuasores, & raptores, & victualium inopiam. Duratii parati erant Imperatoris nuntii, eum sicut & præcessores suos inuitantes: memores verò præteritorum, vt futura euitarent pericula, nuntios, ac litteras læti suscipiunt. Postquam verò exiuerunt *Epyrum*, venerunt *Empelagoire*, vbi magnam rerum copiam inuenerunt. *Episcopus* verò *Podiensis*, ab aliis sequestratus loci cuiusdam amenitate, à Bulgaribus captus, & tandem redemptus est. Manè surgentes transierunt *Thessalonicam* & *Macedoniam*: deinde multis dietis & cum multo labore peruenerunt ad ciuitatem vocatam *Redest*, quæ supra brachium Sancti Georgii sita est, à Constantinopoli distans diætis quatuor. Illuc venerunt Imperatoris nuntii, iterum inuitantes, vt suprà: Nuntii quoq; & litteræ Baronum, hoc ipsum hortabantur. Coactus igitur eorum precibus, aliis dimisso exercitu, ad Imperatorem iuit: requisitus, negauit se facturum homagium: Iratus Imperator, occultè iubet suos exercitum Comitis lædere, multosq; occidere: Idq; cautè, vt amplius noceant: reuocauit quoq; omnes naues, quæ vltra brachium Sancti Georgii victualia deportabant. Proditoriè igitur de nocte Peregrinos inuadunt, ac perimunt: illi proditionem aduertentes, arma capiunt; & hostes occidendo ac vulnerando, fugant: & non paruum scandalum passi, repatriare disponunt: Sed ab Episcopis aliisque Clericis, Dei verbum prædicantibus, confortati, in Sancto proposito permanserunt. Barones verò qui mare transierant, Imperatorem nuntiis proditionis arguunt: ille pro Boamundo & Comite Flandriæ transmittit, volens pacificari Comiti Tholosano. Hiis ergò mediatoribus de voluntate Baronũ omnium, pax reformata est: dicebant enim quia non aderat vindictæ tempus; sed neq; facultas. Reductus igitur Comes ad Imperatorẽ, fecit homagium: Imperator verò maiora & ampliora illi donauit, quàm cuiquam aliorum; ita vt stuperent, qui aderant. Cunctis quoq; Baronibus, qui trans brachium Sancti Georgii venerant, noua munera largitus est. Necessariis igitur expeditis negotiis, de Constantinopoli in Bithiniam transfretauerunt, aliisq; iuncti sunt.

CAP. XIII.

Continet Nicenæ ciuitatis captionem: & vltimorum Baronum aduentum.

XIII. COngregati Barones vltra brachium Sancti Georgii versus Nicęã iter dirigunt: & cùm appropinquarent *Nicomediæ*, occurrit eis *Petrus Heremita*, cũ paucis qui sibi remanserant: cui Barones plurima tribuerunt. Indè processerunt, & *Nicæam* obsederunt xv. Maii. Interim *Dux Normandiæ*, cum aliis Comitibus, & gente multa, Constantinopolim venerunt: transierunt enim per *Apuliam* & *Duratium*: feceruntq; Imperatori homagium; & muneribus honorati, ad alios peruenerunt, & cũ magna lætitia recepti sunt. Fuerunt enim in exercitu DC. milia peditũ, equites verò loricati vsq; ad centũ mille. Cogitant autẽ in hoc principio taliter agere, vt cunctis audientibus terrorem immittant. Ciuitas *Nicæna* in plano est, sed propè montes & nemora: & lacum magnum habet ex latere Occidentis, cuius vndæ ad murum verberant: ex alia parte sunt foueæ profundæ, & latæ eiusdem laci aquâ repletæ, aliorumque fontium; muris & bellatoribus viris munitissima. Huic Ciuitati *Solimanus*, & toti contratæ à brachio Sancti Georgii vsq; in Tharsum dominabatur, sibi concessæ ab auunculo *Belphet* Soldano Persię, qui eam & vsq; in Syriã recuperauit, tempore Imperatoris *Diogenis*, qui ante hunc *Alexium* tertius fuit. Solimanus iste ad montana se retraxerat, per decem miliaria, & continuuè per exploratores quærebat, quomodo aptè posset aggredi Peregrinos, & obsidionem amouere. Peregrini verò, præter quam ex parte laci, ciuitatem circumdant, & in magna ponunt angustia. Solimanus, per lacum in nauicula transmittit qui ciues confortent; & moneant, vt cùm ipse aggressus fuerit Peregrinos, ex parte vna, ipsi apertis ianuis, eos ex parte

parte alia persequantur. Nuntii isti, vt possent intueri ex qua parte posset Solimanus intentum commodiùs perficere, descenderunt aliquantulum à ciuitate remoti: propterea capti, Solimani denudauerunt consilium. Omnes proindè Peregrini parati & in locis suis ordinati sunt. Circa tertiam, Solimanus descendit de montibus: & prima Turchorum acies in gentem irruit Comitis Tholosani; sed repulsa, aciei Solimani iungitur, vt eosdem iterum aggrediantur. At Gotfredus, Boamundus, & Flandrensis Comes, videntes nimiam esse Turchorum multitudinem, & quòd eam Comes Tholosanus sustinere non posset, in illos suas acies direxerunt; & Turchos in fugam verterunt, eorum quatuor millibus 10 interfectis, multis etiam captis: & mille capita interfectorum miserunt Imperatori; nonnulla intra ciuitatem proiecerunt cum machinis, ad terrorem. Ille verò Baronibus multa misit donaria, & iussit illis necessaria cuncta deferri. Multi contra ciuitatem fuerunt insultus: sed Turchi, per nauiculas, armis & victualibus continuè renouantur. Mittunt proindè Peregrini Legatos ad Imperatorem, & à mari in curribus naues portant, per septem miliaria vnâ nocte. Terrentur Turchi tam subitâ deportatione nauigii: & de cætero, sine periculo transire non possunt. Tandem variis ingeniis, turrim vnam obruunt: & ex casu ipsius nimius terror cunctos inuasit maximè coniugem Solimani. Ideò per lacum cum duobus filiis fugit: sed à Peregrinis capitur. Ciuitas inducias petit, vt Baronibus 20 pro deditione terræ loquatur: & in hoc conueniunt, vt Imperatori reddatur: quod & factum est XX. Iunii. Imperator verò, post aliquod tempus, vxorem & filios reddidit Solimano, vt Turchorum inueniret gratiam; sicq; contra Peregrinos, se eiusdem cum eis ostenderet voluntatis.

CAP. XIV.

Continet diuisionem Peregrinorum ab inuicem: insultumq; Turchorum in eos.

POst assignatam Nicæam Imperatoris Baronibus, iussu magnatum Peregrini iter arripiunt; & secundâ die iuxta pontem quendam castra metati sunt: ibi 30 duobus diebus manserunt, in crastino verò pontem transierunt: indeque ab inuicem aliquantulum separati sunt, ingressuri desertam terram & inaquosam. *Boamundus* enim, *& dux Normandiæ*, *& comes Carnotensis*, *& Tancredus*, *& comes Sancti Pauli*, cum multis aliis declinauerunt ad sinistram, & descenderunt in vallem, vocatam *Gorgoni*; & iuxta mare circa nonam se locauerunt. Alii verò iuerunt ad dextram, & totâ die per pulchra loca ambulauerunt; & super riuos aquarum castra posuerunt: eratque distantia duorum exercituum quasi leucarum duarum. Innotuit hæc diuisio Solimano, commoto animo de amissione vxoris cum filiis, & tam nobilis ciuitatis; sollicito quoque, vt Peregrinis rependat vicem; nunc verò, vt illi videtur, opportunitatem nactus, minorem exercitum à sinistris aggre- 40 ditur. Peregrini verò arma capiunt, & acies ordinant, statuentes paruulos cum matribus iuxta paludes, & plaustra circumponentes: maioris quoque exercitus per nuntios implorant auxilium. Erant enim cum Solimano vltra CC. millia equitum; Christiani verò pauci, & pars maior pedestris. Turchi primo congressu sagittis Peregrinos, quasi pluuiarum imbre, sauciant, nescio quod barbarum clamitantes: Peregrini verò, timentes equorum amissionem, in illos laxatis feruntur habenis: illi fugiunt lancearum ictus & ensium: hic quippe eorum mos erat, vt proiectis sagittis fugiant, & nihilominus insequentes sagittent: Redeuntibus autem Peregrinis, & sagittarii reuertuntur: multique corruunt ex populo Christiano. Et dum quasi desperassent, ecce aduenientis auxilii buccinas audiunt, equorum 50 hinnitum, populique tumultum; & conceptâ fiduciâ, aduersariis resistunt audaciùs: superuenientes verò, cum multo vigore in Turchos irruunt, multos vulnerant, prosternunt, ac interimunt totâ die; fugientesque insequi non cessant, vsque ad castra. Tunc simul cum victoria, inextimabiles obtinuerunt diuitias: Pauperes ibi ditantur, & seminudi sericis Turchorum vestibus induuntur. Dum verò quatriduo varia ad loca diffugiunt, Solimanus reperit decem millia Arabum, qui ad eius auxilium properabant; qui & fugientem arguunt. Tunc ille, vt potuit, singultuosis suspiriis tandem respondit: *Multa vos vexat inscitia:*

Peregrinorum ignoratis audaciam. Virtus eorum non est humana; sed cœlestis, aut Diabolica: & si proprium deficiat auxilium, expectant diuinum: mortem vix metuunt, inde sibi præmium pollicentes. CCLX. milia fuimus; & ab eis aut occisi, aut casi, aut in omnem ventum dispersi sumus. Annuntiato igitur seriosè euentu, cum Solimano fugam capiunt. Ad quascunq; verò Christianorum ciuitates veniebant, mentiebantur per Solimanum Peregrinos omnes, aut deletos aut captiuatos, qui ad destruendas contratas venerant: & cùm sibi aperiebantur ab incautis ianuæ ciuitatis, ferro & igne quæ Christianorũ erant omnia destruebant. Nocuit hoc non modicum Peregrinis: maiorem enim exinde habuêre inopiam cunctorum, quæ eis fuerant opportuna. Peregrini verò tribus diebus in prædicto loco immorati iter arripientes, totam transiêre Bithiniam; & terram intrantes *Pirisidia*, peruenerunt ad locum aridum: eratq; calor nimius in Iunio. Periêre proinde vna die homines quingenti; mulieres nonnullæ accelerauerunt partum: tandem fluuium inuenerunt, ex cuius intemperato potu homines & animalia plurima periêre. Post tale infortunium, peruenerunt ad terram fertilem, & bonis omnibus habundantem, ex latere *Antiochiæ minoris*, quæ in prouincia illa Metropolis est.

QVINTA PARS CONTINET VICTORIAS PEREGRINORVM IN REGNO IEROSOLYMITANO, ET EORVM discrimina vsque tempora Regum: habens capitula VIII.

CAP. I.

Continet Tancredi & Balduini victorias, dum cunctos præcedunt: mutuamq; discordiam, & pacis reformationem.

COEPERVNT proinde nonnulli præcedere multitudinem: graue enim erat tantæ multitudini posse victualia reperire. *Balduinus* igitur Gotifredi germanus, cum equitibus sexcentis & peditibus multis ex vna parte; ex alia *Tancredus*, cum equitibus quingentis, & aliis peditibus, profecti sunt ad exploranda loca, vnde multitudo transire debebat: si victualia, si difficiles passus habebant; si aliqua pericula imminebant. Magna autem congregatio, Pirisidiæ pertransitâ prouinciâ, *Licaoniam* intrauêre, & vsq; ad ciuitatem *Iconij* peruenerunt: celeriter autem eam terram pertransire statuerunt, propter victualium inopiam. Turchi enim, terræ coloni, ad montes territi confugerant. Peruenerunt igitur ad ciuitatem dictam *Ramasse*: & ibi tribus diebus immorati sunt. *Tancredus* autem regiones perambulans, ad *Tarsum* peruenit Ciciliæ, vnde Apostolus Paulus traxit originem. Hanc ciuitatem fundauit Tarsis, qui fuit filius Iauan, filii Iaphet, filii Noe: *Genes. 10.* Illic igitur Tancredus existens varijs inductionibus, minis & precibus, obtinuit ciuitatem, suo titulo deputari, quousq; magnus aduentaret exercitus: eius igitur vexillum magistræ turri imponitur; & ipse securitatis statum ciuitati promittit. In ciuitate autem, & in circuitu, erant Armeni & Græci: hii artes exercebãt lucratiuas; Turchi verò soli armis vtebantur, & munitiones tenebant. Accidit autem, vt illuc *Balduinus* adueniret, & gratiosè à Tancredo receptus est. De mane verò in turri Tancredi vexillum aspiciens, dedignatur, quia maioris quàm Tancredus esset potentiæ: Respondet Tancredus, nullam sibi irrogatam iniuriam: quia vexillum ipsius erectum est, antequã aduentus sui vlla esset opinio. Ille satisfactione hac minimè contentus, ciuitatis exterminium comminatus est, ni alio deposito, suum erigatur vexillum. Hanc iniuriam dissimulauit Tancredus, pro vitando Peregrinorum periculo, & recedens ad proximam ciuitatem vocatam *Adamie*, quam quidam Burgundus obtinuerat, Turchis expulsis: & victualia illi habundantissimè tribuit. In crastino Tancredus iter arripuit, & *Mabmistram* ciuitatem, expulsis violenter Turchis, obtinuit. Balduinus verò, postquam Tancredus recesserat, CCC. Peregrinos, ad Tancredum putantes accedere, infra ciuitatem non admisit. Ipsa nocte Turchi, de ciuitate suos ac sua extrahentes, & postquam ad tuta loca deduxerunt, redeuntes, super trecentos Peregrinos

egrinos dormientes irruunt, & penè omnes interficiunt. Voluerunt manè Peregrini populares, interficere militares, nisi ad turres confugissent. Quietato verò ardore, Balduinus cum iuramento asseruit, se Peregrinos non ob aliam causam admittere noluisse, nisi quia iurasset ciuibus, quòd antè communem omnium aduentum nullum admitteret. Dimissâ deinde in ciuitate custodiâ, Balduinus vlteriùs progreditur, & vsque ad *Malmistram* ciuitatem veniens, introitum petiit: Tancredus magis in vindictam exarsit; præmisitque sagittarios, qui pascentes per pratum equos vulnerarent, atque interimerent. Ipse verò cum quingentis equitibus, in eum irruit, multos perimens, & plures vulnerans; sed aduersarii, cùm plures essent, eum retrocedere cogunt: superueniens verò nox, iteratò prohibuit ingressum. In crastino calescens sanguis tepuerat, & mediatorum consilio inuicem reconciliati sunt. Tancredus procedens vlteriùs *Alexandretam* capit. Qui verò erant in montibus Armeni & Turchi, tributa offerunt, vt tuti permanerent. Balduinus, ducem Gotifredum audiens à fera in venatione læsum, reuertitur: magnus verò exercitus peruenit vsque *Iurasse*: ibique ortum murmur contra Balduinum de eo quod Tancredo fecerat, sedatur: quia gratiosus aliàs, & probus, & inductus id egerat; iamque satisfecerat, paratus adhuc facere ampliora.

CAP. II.

Continet prosperos successus Balduini in parte Septentrionali.

MIles quidam Armenus, *Pancratius* nomine, die noctuque Balduinum molestat, vt regionem vberrimam versus Aquilonem, vel gratis accipiat. Assumptis tandem ducentis militibus, & multitudine peditum, Armenum sequitur; inuenitque contratam delitiosam & fertilem. Incolebant eam Christiani pauci: tamen Turchi munitiones tenebant, arma fidelibus prohibentes. Ad primum autem aduentum, cuncti fideles plenè illi tradunt dominium, vsque ad *Eufraten*: Fideles quoque tantam conceperunt audaciam, vt Turchos de tota regione expellerent. Fama itaque Balduini vsque ad ciuitatem *Rages* transit, quæ per diætam vltra Eufraten sita est: sperantque ciues, eius auxilio, libertatem. Hi ad beati Taddæi prædicationem, ad fidem conuersi sunt: sed tributarii erant Turchis, qui erant in circuitu: [Sperantque ciues, eius auxilio libertatem.] Græcum igitur Ducem, qui eos ab hostibus minimè defendebat, ciues interficiunt, & homagium faciunt Balduino, tanquam domino. *Balduc* verò, dominus in propinqua ciuitate, vocata *Sarmes*, ciues Rages nimis afflixerat: propter quod eam Balduinus iam molestare inceperat. Ideò pro decem milibus Bizantiis dominium ciuitatis Balduino resignant, quos faciliter dare potuit: nam ducis defuncti thesauros receperat. Erat & alia ciuitas, vocata *Serogea*, cuius dux nominabatur *Balac*, qui ciues Rages frequenter molestare consueuerat: rogatus Balduinus, vt remedium apponeret, placidè acquieuit. Congregans igitur gentem suam, & conductis ingeniis & bellicis instrumentis, ciuitatem obsedit. Primâ die acerrimum dedit insultum: videntes verò Turchi, quia secundâ die, & tertiâ, similiter ageret, ipsique nullum expectarent auxilium, de vita facti securi, reddidêre vrbem. Balduinus verò in magistra turri Bayliuum posuit, qui eos in pace regeret: non enim habebat populum, qui illis recedentibus, ciuitatem incoleret. Per captionem autem ciuitatis huius, assecurata est via de Rages vsque Antiochiam, cùm prius vsque ad Eufraten, impedientibus prædictæ ciuitatis habitatoribus, securi [illegible] non valerent.

CAP. III.

Continet itinera magni exercitus contra Antiochiam.

Procedentes Peregrini, multa reperiunt incommoda: alicubi terram desertam & inaquosam: alicubi, propter victualium inopiam, spicas vellebant, & manibus confricabant, vt vel famem taliter mitigarent. Mortua quoque est major pars equorum: vnde equitabant multi, boues, & magnos terræ illius a[illegible]. Tandem intrauerunt *Licaoniam*, prouinciam omnibus bonis vberi-

mam, & refocillati *Iconij*, suadentibus incolis, aquam in vasis & vtribus portauerũt: quia non inueniebatur in via. Secunda autem die in vesperis ad quoddam peruenêre flumen: ibiq; duobus diebus hospitati sunt. Altera verò die præcursores peruenerunt ad *Heracliam* ciuitatem, quam Turchi, vt Peregrinorum insignia à longè inspexerunt, vacuam fugiendo reliquerunt: ibique Peregrini quatriduo quieuerunt. In *Armenia* ab indigenis, qui à Turchis affligebantur, gratiosè recepti sunt. & *Tharsum, Adenam, Malmistram* pertranseunt. Erat autem miles quidam in exercitu, fortis & strenuus, ex illa regione oriundus: qui terram illam postulauit à cunctis Principibus, vt eam in fidelitate Sancti Sepulchri, & DEI, & eorum, custodiret: cui Principes vnanimiter assensum præbuêre: cognoscebant eum enim virum fidelem, & bellicis rebus aptum. Venerunt deinde ad *Cæsaream* Cappadociæ, quæ Syriæ ex parte Septentrionis iungitur; & gratiosè recepti sunt. Egressi proinde de Cappadocia, peruenerunt ad pulcherrimam ciuitatem, quam *Petrus de Albus* petiit, & obtinuit à Baronibus. Inde venerunt ad ciuitatẽ Choasor; ibi tribus diebus immorati, suarum necessitatum inuenerunt remedia. Inde vsq; ad *Castrum Publicanorum* perrexerunt: quo subiugato, in *vallem de Rugia* peruenerunt, vbi inuentos Turchos multos in ore gladii percusserunt: quod cernentes Armeni, qui ibi habitabant, lætati sunt; & cum terra sua tradiderunt se illis: & *Rusam* ciuitatem, & castra plurima obtinuerunt. Deinde vniuersus exercitus iter arripuit per montana, solis feris peruiã: ibi ab altitudine montium descendunt ad profunda vallium. Eratq; via præpedita frutectis, & densis spinarum vepribus: nullus poterat transire eques: pene multi præ labore abiiciebant galeas & loricas. Finito tandem tam syluestri itinere, viam ciuitatis habitaculi inuenerunt *Marasym*, & ab incolis cum honore & gaudio recepti sunt: notificaueruntque Peregrinis adesse propinquam ciuitatem Turchorum prædiuitem, vocatam *Artase*: & mittitur *Robertus Comes* Flandrensis cum mille loricatis: & aggressi sunt ciuitatem. Turchi verò non ad muros, sed potiora fortilitia concurrerunt; Christiani verò, qui secum habitabant, concepta audacia, in illos irruerunt, & amputata eorum capita, Peregrinis de turribus proiiciebant: deinde aperientes ianuas ciuitatis, Peregrinos cum gaudio susceperunt. Distat autem ciuitas ab *Antiochia*, solùm XV. leucas. Cùm verò appropinquasset magnus exercitus, cognouit quia oporteret magnam transire aquam, & quòd pons ante se haberet duas munitissimas turres, cum centum archeriis: septingenti quoq; Turchi, custodirent ripam. Præmittitur igitur Comes Normandiæ, & non sine magno belli tumultu, pontem obtinuit. Transiens igitur totus exercitus, propè Antiochiam, ad sex leucas, quieuit. In crastino verò, inter montes & fluuium, vna leucadè propè ciuitatem castrametati sunt.

CAP. IV.

Continet descriptionem Antiochiæ ciuitatis, eiusq; obsidionem.

IV. ANtiochia in Celesyria sita est, in valle habundantissima, & repleta terris & habitatoribus multis; & in segetibus habundantissima; fontibus & riuulis irrigua. Ex parte Orientali, sunt montes per leucas XL. perdurantes: & ad quatuor vel sex leucas supra montem est lacus, propter fontium abundantiam: ibiq; magna est piscium copia. De lacu descendit riuus propè ciuitatem, & in propinquum flumen labitur. Montes sunt alti, & tamen in eis habitationes multum domesticæ, & vallem claudunt à duabus partibus: mons qui est versus Meridiem vocatur *Orontes*, inter quem & flumen ciuitas est ædificata: alius mons versus Septentrionem vocatur *Montagna Neros*, id est, *aquosa*: per hanc vallem currit fluuius supradictus, à Cæsarea Cappadociæ veniens. In monte autem, qui est versus Meridiem, incipiunt muri Antiochiæ, & descendendo perueniunt vsq; ad fluuium. Magnum autem spatium comprehendit. Infra ciuitatem sunt duo montes, multum alti: & in altiori est inexpugnabile fortilitium: inter illos duos montes est vallis multùm profunda & stricta: inde labitur riuulus ciuitati multùm accommodus. Sunt in ciuitate & fontes alii plures; sed cunctis præualet *fons Sancti Pauli*, ad portam Orientalem: conducitur & alius fons infra villam, subtili artificio. A parte Occidentis labitur fluuius *Farfar*, tam propè villam, vt pes pontis muro ciuitatis cohæreat. Longitudo villæ quasi

le quasi ad tres leucas extenditur. Hanc ciuitatem *Belphet*, Soldanus Persiæ, de quo supra fecimus mentionem, *parte 3. cap.* dedit vni Turcho, vocato *Anxiani*: sicut Niceam, & contratam superius descriptam nepoti suo *Solimano*: & Damascum alteri nepoti suo, vocato *Duchat*: & Alapiam cuidam seruo suo vocato *Assugur*, qui fuit pater Sanguini, auus Norandini. Duos autem nepotes potentissimos, *Soldanos* vocari placuit: posuitque eos quasi murum ante Persidam, vt Calyphæ Ægyptio, Duchat; Imperatori vero Græcorum, resisteret Solimanus. Sciens autem *Anxiens* venturos Peregrinos, transmisit nuntios & litteras Baronibus Orientalibus, & ore pluribus locutus est: specialiter Calyphæ Baldacensi, & magno Soldano Persiæ. Iam enim à Solimano didicerant Peregrinorum audaciam & valorem. Omnes grande promiserunt auxilium. Interim Anxiens vndecunque congregat viros bellicosos; ciuitatem victualibus munit, & armis. Habuitque in ciuitate septem milia equitum, & LXX. milia peditum armatorum. Tantæ igitur, & tam munitæ ciuitati obsidionem apponunt XXVII. die Octobris. Erant autem Peregrini, viri bellatores, vsque ad CCC. milia. Inbelles verò erant non pauciores, computatis paruulis & mulieribus: nec poterant tamen circumdare ciuitatem. Habebat enim quinque portas in plano, vna erat versus Orientem, *porta Sancti Pauli* vocata: quia sita est super Abbatiam Sancti Pauli, quæ est in descensu montis: Secunda est versus Occidens, vocata *porta Sancti Georgij*: & inter has duas portas est longitudo ciuitatis, versus Aquilonem. In descensu montis sunt tres portæ quibus iter versus flumē: vna vocatur *porta Canis*, quæ est superior. Vnus pons lapideus iacet ante portam illam ad transeundum paludes, propter fontes Orientales & alios riuulos: Media vocatur *porta Ducis*: & distat vna ab alia per medium leucam: Tertia vocatur *porta pontis*, quia lapideus pons est ibi per quem transeunt flumen: à porta enim Ducis vsque ad pontem, flumen appropinquat ciuitati. Ideò istæ portæ, & porta Sancti Georgii non potuerunt obsideri. A parte superiori, obsedit *Boamundus*, cum suis: Post eum in valle *Robertus* Dux Normandiæ, *Robertus* Comes Flandriæ, *Stephanus* Comes Blesensis, *Hugo* Magnus, vsque ad portam Canis. Ante portam autem illam erat Comes *Tholosæ*, & Episcopus *Podiensis*: & comprehenderunt totam plateam, vsque ad aliam portam ad quam locatus erat Dux *Gotifredus* cum multis, occupantes totam plateam vsque prope portam Pontis. In iis tribus locis erant viridaria, in magna copia, quæ Peregrini destruxerunt, vt illic sua tentoria ponerent.

CAP. V.

Continet insultus & cautelas varias tam obsidentium, quàm ciuium obsessorum.

POsiti Peregrini inter ciuitatem & fluuium, pro se & equis victualia sufficienter habere non poterant: ideò transeuntes flumen illa procurabant. Exeuntes verò interdum per insidias trucidabantur, coactique Peregrini, super naues pontem ædificauerunt, prope castra ducis Gotifredi, ad eundum & redeundum perutilem: & ab isto ponte vsque ad pontem lapidis, erat vna magna leuca. Per duos autem pontes lapideos, Turchi nocebant pluries Christianis cum sagittis, nec poterant eos insequi nisi per pontes. Læsus plurimùm est Comes Tholosanus, maximè in equorum amissione; cogitant proindè, primò pontem destruere; nec valuerunt: Secundò castrum ligneum pro defensione construunt, sed igne consumitur: Tertiò maximis oppilant saxis, custodiam apponentes ne amouerentur. Demum artati fame, eligunt Barones, qui districtum Turchorum cum grandi comitiua profundè intrent, & victualia reportent. Multi magnas egerunt prædas; & cum Turchis sibi obuiam factis pugnantes, victores effecti sunt. Igitur cum victualium copia, ad famē penè consumptos redire. Calypha etiam Ægypti munera mittit per nuntios Baronibus, rogans vt ab obsidione recedant, promittens auxilium cum victualibus & pecunia. Anxiens multùm debilitatus, ad amicos nuntios transmittit, cum litteris vt propere ferant opem, stentque in insidiis; donec more solito, Peregrini ad pontem veniant congressuri. Ad hoc peragendum conueniunt Dux Alepi, Cæsareæ, & illi de Haman, & plures alii. In magno fuerunt Peregrini ...

egrini periculo, ni Armeni, qui intra ciuitatem morabantur, cautos eos fecissent: sicut & in multis sæpius faciebant. Tunc Peregrini, vniuersaliter arma sumpserunt: pedites remanserunt ad castrorum custodiam; equites processerunt non amplius septingenti; & inter lacum & fluuium quendam vocatum *Dauser*, nocte quieuerunt. Turchi verò & ipsi fluuium transeuntes, primò miserunt archerios: Barones verò & milites, laxatis habenis in Turchos irruunt, & tandem in fugam conuertunt; & cædendo, per decem leucas sequuntur: occiderùntque vsque ad duo milia. Turchi verò, qui erant in castello vocato *Harenc*, XIV. leucis distante ab Antiochia, hoc videntes, locum Christianis liberè dimiserunt, VII. Februarii. Inter cætera autem Barones mille equos, quibus multùm indigebant, lucrati sunt, & quingenta capita Turchorum secum reportauerunt: ducenta infra ciuitatem proiecerunt cum machinis; trecenta super palos posuerunt extra ciuitatem, vt cùm ad muros accederent, illa viderent. Fuerunt autem prædicti Turchi XXVIII. millia equites. Concordauerunt deindè Barones facere fortilitium in loco alto, quod imminebat exercitui Boamundi: tunc & securi fuerunt, quasi essent intra mœnia ciuitatis. Venerunt deindè nuntii, dicentes quòd *Ianuenses* victualia illis venderent, si adessent, qui securè illa conducerent. Sed non latuit hoc eos, qui erant in ciuitate, miserúntque quatuor milia equitum electorum, qui Peregrinos non modicùm læserunt in via. Tunc dux *Gotifredus* cunctos arma capere iubet. *Anxiens* ex signis aduertit Peregrinos à suis fore læsos: & de suorum reditu sollicitus esse cœpit. A præcursoribus igitur, Peregrini cognoscunt Turchos redire. Apto igitur loco & tempore, subitò in Turchos irruunt, prosiliunt, stupefactos quoque vulnerant & prosternunt; & dum ad pontem se reducunt, Gotifredus eà parte se illis opponit, & retrocedere cogit: cuncti cum magno pugnant vigore. Anxiens verò videns tanti prælii furorem, cum suis exit; ianuasque statim claudi iussit: sed tanto timore concussi sunt, vt acies nunquam ordinare valerent: tantus erat hominum clamor hinnitusq; equorũ, vt tonitrua vix audires. Vidẽs autem Anxiens suorum excidiũ, iussit ianuas aperiri. Turchi verò cum tanto impetu ad pontẽ currunt, vt plures præcipitarentur in aquam. Gotifredus tunc vnũ, qui se diu molestauerat, sic per mediũ scidit, vt vna medietas in terram ceciderit, alia medietas in ciuitatem equo euecta sit, licet egregiè armatus esset. Ipso bello, Turchorũ vltra duo millia periêre, inter quos fuerunt XII. Admiraldi: descenditque sanguinolentus fluuius vsque ad mare. De hac victoria stupefacti fuêre non minùs quàm læti, nuntii Galyphæ, qui aderant. In crastino conuenientes Barones, & de victoria DEO gratias agentes, postea statuerunt quoddam fortilitium fieri ante pontem, vt prohiberetur introitus ac exitus. Et cùm illis remansisset exitus solùm per portam Occidentalem, quæ erat inter pedem montis & fluuium *Dauser*, ille exitus peregrinis non nocebat, quia citra fluuium *Fer* locati erant: tamen quia indè victualia recipiebant, aliud ibi fortilitium erexerunt. Ad latus quoque fluminis erat locus pascuis aptus, ad tres vel quatuor leucas propè ciuitatem: ibi tenebant animalia sua: quod aduertentes Christiani, per occulta iuerunt itinera, & interfectis custodibus vsque ad duo milia bonorum equorum duxerunt ad exercitum, & alia animalia multa. Balduinus etiam audiens exercitum fuisse in multa necessitate, victualia & dona plurima misit Baronibus, & etiam popularibus, quæ multùm gratè suscepta sunt.

CAP. VI.

Continet Antiochiæ captionem: inuentionem lanceæ Saluatoris: & victoriam contra Corbagath.

ANtiochena ciuitas per beatum Petrum ad fidem conuersa, stabilis semper in fide permanserat: licet hæresis Mahumetica in circuitu serperet, quasi cancer. Verùm annis XIV. ante obsidionem huius, cùm *Belphet* omnia occupauit vsque Constantinopolim, sub Turchorum dominio facta est: Christiani verò, depositis armis, nihil auctoritatis in ciuitate habebant. Erat autem turris solemnis in muro ciuitatis, versus Occidens ad portam Sancti Georgii: ibi dicti Christiani artes & mercationes suas exercebant. *Hermiuserus* autem, quidam ipsorum, gratiam reperit coram domino ciuitatis, eiusque Notarius factus est. Hic *Boamundi* famam audiens,

diens, per filium internuntium familiaris efficitur occultè nimis; & quæ de secretis domini scire poterat, illi reuelabat. Tandem illi aperuit, quòd *Anxiens* à Soldano Persidis c c. milia pugnatorum expectabat: suasitq; illi, vt à Baronibus ciuitatis dominium impetraret, & daret illi turrim prædictam. Tentatâ super hoc occultè Baronum intentione, nonnulli se iuri suo velle cedere negauerunt. Interim Soldanus Persiæ, *Corbagath* transmittit cum multitudine bellatorum, litteras illi tribuens, vt cuncti Bayliui illi obtemperent; secumq; ex omnibus partibus per quas transiret, posset ad libitum sumere bellatores. Et cùm *Rages* peruenisset, bellum illi intulit; nocere non valuit. Postquam autem tribus septimanis ciuitatem obsederat, nil agens recessit. Missi verò à Peregrinis exploratores, referunt Turchos esse vicinos; totam replere terræ superficiem. Tunc Barones iura sua, de acquirenda ciuitate, Boamundo concedunt. Ille ab amico promissa requirit, & nocte per scalas appositas, turrim ascendit. Sequitur multitudo, muros occupans; aperitur pusterla, & intrant equites; ciuitatem capiunt, & infideles vbique interimunt, I I I. die Iunii. Nec propter rumorem nocturnum Turchæ de suis hospitiis moti sunt: putabant enim, iuxta quod decretum fuerat, vt omnes Christiani, qui in ciuitate erant, ipsâ nocte perimerentur. *Anxiens* verò fugiens ab Armenis ciuibus capitur; capiteque truncatur. Multi tamen ad castrum, quod ciuitati imminet confugerunt, nec eiici potuerunt. Tertio verò die *Corbagath* ciuitatem obsedit: multi fuerunt insultus. Tandem fame ciuitas cruciatur: Sed post promissam ad pœnitentiam conuersis victoriam, contra hostes exire disponunt: & cum summa reuerentia *Lanceam* nuper inuentam Domini Saluatoris, pro vexillo erigunt; & contra hostes taliter processerunt. Processit enim *Hugo* frater Regis Franciæ, & *Flandrensis comes* cum sua acie. Subsequitur postea *dux Gotifredus:* Tertiò, *Robertus comes Normanus*, cum suis: Quartò, *Podiensis Episcopus*, portans Lanceam Saluatoris; & cum illo fuit magna pars exercitus comitis Sancti Egidii, qui ad custodiã ciuitatis remanserat: Quintò, *Tancredus:* Sextò, *Boamundus*, qui ex consensu omnium Baronum dominus ciuitatis factus fuerat: & cum eo expeditiores pedites processerunt ad bellum, & milites, qui ex necessitate equos vendiderant. Prælati, monachi & clerici saccis induti, cruces in manibus portantes, gloriosum de Corbagath habuêre triumphum. Post dictam victoriam Barones, de communi consilio, per sollemnes requirunt nuntios Constantinopolitanum Imperatorem, vt, secundùm pacta, ad obsidendum Ierusalem personaliter veniat; vel protestantur omni se obligatione solutos. *Hugo* autem *Magnus*, amisso in via socio, propter Turchorum insultus, Constantinopolim veniens Ambaxiatam coram Imperatore fecit; indeque transiuit in Franciam, non sine nota infamiæ. Imperator verò ad obsidionem Ierusalem minimè Peregrinis sociatus est: infortuniis territus atq; grauaminibus, quæ in Antiochia illis contigerant.

CAP. VII.

Continet itinera peregrinorum in Ierusalem.

POst hæc, tanta in ciuitate Antiochiæ pestilentia fuit, vt x x x. vel x l. in die sepulturæ traderentur. Peregrini igitur, Barones requirunt, vt pro implendo voto, pro vitando periculo, versus Ierusalem iter arripiant. Illi deliberato respondent consilio, quia nimio & periculoso prohiberentur calore; nec possent pro se & equis victualia inuenire vsque ad Kalendas Octobris. Diuiduntur proinde Barones, & prædas agunt. *Boamundus* in Ciciliam profectus cepit *Tharsum, Adane*, & *Malmistram*, & suos in munitionibus posuit. Ipso tempore, quia ad ciuitatem *Rages*, propter Balduini munera & familiaritatem, Latini plurimùm concurrebant, ciues proindè vtilitatem minus consequentes, & ad consilia minus requisiti, cum Turchis eius proditionem tractauerunt: quod illum non latuit; & principaliores peremit: Admiraldos quoque plures, fictos amicos, imò proditores expertus, à sua familiaritate amouit. Barones etiam, communiter ad capiendum ciuitates illas tantùm erant dediti; vt vix populari clamore retrahi possent, & versus Ierusalem ad complendã vota iter dirigere. *Comes Tholosæ* tandem iter cœpit, cum decem milibus peditum, & trecentis equitibus. *Dux Nor-*

n

mandiæ, & *Tancredus* sequuntur: habuit quilibet quatuor millia equitum, & multitudinem peditum. Victualia multa reperiebant in via: transierunt enim per *Cæsaream*, *Hamam*, & *Calamelam*. Domini ciuitatum, illis præsentabant victualia, & thesauros magnos. Cogitauerunt autem ad maritimam descendere regionem, vt noua audirent de Baronibus, qui remanserant in Antiochia, & necessaria commodiùs inuenirent. In tota via pacificè transierunt, nec fuit occursus malus: nisi quorundam Turchorum latrunculorum, qui fessos & remanentes post exercitum occidebant: sed illos per insidias ceperunt. Ex tunc, securi transierunt à dextris & à sinistris: vsque ad passum quendam, quem homines castri vnius prohibere voluerunt Peregrinis: sed Peregrini illos bello superauerunt, 10 castrumque combussêre. Volitauit vndique fama eorum, & vndique illis mittuntur exenia, donec ad planum venerunt ciuitatis vocatæ *Arachis*, quam fundauit Araceus filius Chanaan; & est propè Tripolim ad quinque leucas. In hiis duabus ciuitatibus, aliisque locis adiacentibus erant multi Peregrinorum captiui, à primo videlicet tempore quo Antiochia cœperat obsideri: omnes tunc redduntur; & ne ciuitates lædantur, magna mittuntur tributa: promittuntque nullum Peregrinorum lædere. Pauci procedentes aggrediuntur *Tortosam*: sed Turchi nocte, timentes multitudinis aduentum, ad montana confugerunt: in crastino Peregrini ciuitatem intrauerunt, & spolia diuiserunt. Adueniente autem Martio, populus qui remanserat in Antiochia, rogat *comitem Flandriæ & ducem Gotifredum*, vt se ad ciuitatem Ierusalem deducant: allegantes quàm benè alii transie- 20 rant. Profecti igitur cùm peruenissent ad *Liciam* ciuitatem, quæ pro Imperatore Constantinopolitano tenebatur, inuenerunt se XV. milia. Indè rediit Boamundus ad Antiochiæ custodiam; cæteri iuerunt ad *Gibel*: ibi incipiebat districtus Calyphæ Ægyptii super mare: deinde venerunt vsque ad ciuitatem *Arachis*, aliisque iuncti sunt. Tunc murmur inter Peregrinos oritur, quòd *Lancea* Antiochiæ inuenta, non esset lancea CHRISTI: sed pro quadam baractaria, & lucri gratiâ id actum est. Venit simplex Sacerdos, cui reuelatio facta fuit: & petiit ignem maximum præparari, & in ipso cum Lancea intrare: vt vel sic crederent, si illæsus exiret. Sextâ igitur feriâ, qua die CHRISTVS Lancea est transfossus, ignis accenditur; & Sacerdos præmissa oratione, illæsus ignem intrauit & exiit. Tunc 30 etiam redierunt nuntii à Calypha Ægypti, qui de Antiochia missi fuerant. promissio verò illius, quæ priùs tam lata fuit, nunc explicatur: quia concederet Peregrinis, vt ducenti vel trecenti, sine armis, simul possent ire in Ierusalem, & facta oratione abscedere. Super quo indignati Barones, respondent absque eius licentia se ituros. Remittunt igitur *Tripolis* obsidionem, clamante populo, vt irent Ierusalem. Ibi celebrauerunt Pascha, decima die Aprilis: & per maritimam regionem euntes vsque *Cæsaream*, illic celebrauerunt Pentecosten. Hanc autem viam fecerunt consilio Surianorum, qui habitabant in Libano, maximè propter commoditatem nauigii *Cyprensium*, *Venetorum*, *Ianuensium* & quorundam *Frixonum*, qui gratia peregrinationis venerant. Inde recedentes dimiserunt *Iapham* à 40 dextris, & peruenerunt *Lidam*. Audientes verò quòd propinqua esset nobilis ciuitas *Rama*, transmiserunt comitem Flandriæ: qui eam reperit hominibus vacuam, sed victualibus plenam. Tertia die recedentes peruenerunt *Nicopolim*, quæ & *Emaus*: illuc miserunt *Christiani de Bethleem*, & impetrauerunt auxilium armatorum, ne Turchi, qui de variis locis congregabantur, Ecclesiam destruerent Natiuitatis CHRISTI. Peregrini autem, cum multa deuotione, ipsa nocte ad locum accedunt pro defensione; & orantes, loca Sancta osculis demulcent: nonnulli vsque propè Ierusalem currentes, prædas ad exercitum ducunt. Interrogati vndè illa adducerent, respondent, de propè portam Ierusalem. Illi audientes tam propinquam esse ciuitatem, præ gaudio & deuotione, flere cœperunt: & versus Ciuitatem 50 accedentes, quando illam viderunt, deposuerunt calciamenta de pedibus suis, & protendentes manus ad cælum, gratias DEO egerunt, qui eos conduxerat ad Ciuitatem Sanctam super cunctas DEO dilectam.

Cap. VIII.

Continet obsidionem Ierusalem, & qualiter capta fuit.

VIII.

CVm ad obsidendum Ierusalem se præparant Peregrini, non ampliùs xx. milia pugnatorum inuenti sunt, & sexcenti tantùm equites: imbelles verò quasi alia xx. milia: In ciuitate autem conuenerant, vsque ad xl. milia pugnatorum. Considerantes igitur dispositionem Ciuitatis in monte, à parte Orientis, propter *vallem Iosaphat*; à parte verò Meridiei, propter *vallem filiorum Ennon*, eam inexpugnabilem iudicant: & ideò obsidionem posuerunt à *porta Sancti Stephani*, vsque ad portam, quæ est sub *turre Dauid*, ex parte Occidentis: ad *portam* etiam *Anguli*, quæ ex tunc dicta est *porta Tancredi*, vsque ad portam Occidentis obsidionem posuerant. Sed amouerunt eam, quia ibi inutiliter commanebant, propter vallem mediam inter eos, & turrim Anguli: & perrexerunt ad locum medium, inter *Templum Domini & montem Syon*. Quintâ autem die, in Ciuitatem communem fecerunt insultum, & cœperunt omnia barbacana. Ciues enim, peregrinorum audaciam non ferentes, pauore soluti sunt: & si habuissent Peregrini tunc scalas, cæteraque necessaria, obtinuissent vrbem. Durauit autem insultus, à summo mane vsque in Meridiem. Post hæc, deliberant scalis, & machinis, & huiusmodi bellicis instrumentis vti. Dum igitur talia parantur, exercitus ex aquæ defectu cruciatur siti. Ad plures enim leucas, ciues obturauerant fontes. Habitatores verò *Bethleem* & *Thecuæ*, loca sibi nota fideliter ostendebant: pergebant interdum per leucas tres vel quatuor animalia, & per campum vagantia siti peribant: timebantque aëris corruptionem ex fœtore cadauerum. Ciues etiam hoc aduertentes, à parte non obsessâ exibant; & aliquos lædentes, nonnullos occiderunt. Inde quoque noua continuè habebant cibaria: faciebant etiam ingenia ingeniis Christianorum opposita: & Christianos, qui secum in Ciuitate erant, miris grauaminibus affligebant. Ad fabricanda verò ingenia, per mensem & ampliùs Peregrini immorati sunt. Statutâ ergo die, præcedentibus reliquiis, fit processio vsque ad montem Olìueti. *Petrus Heremita* ad benè agendum in sermone cunctos hortatus est: populus verò ieiunus, orauit Dominum, vt hereditatem suam de manibus infidelium liberaret. Turchi, hæc de muris contemplantes, mirantur quid Christiani agant; factas quoque cruces, probrosè pertractant: quod multum corda fidelium sauciebat. Factâ autem oratione in Ecclesia montis Olìueti, ad castra redierunt: & cunctis dispositis, Barones cernentes partem obsessam bellatoribus & ingeniis plus esse munitam cæteris, nocte præcedente insultum, castrum ligneum & cætera instrumenta, inde amouentes, cum multa difficultate quasi per miliare conduxerunt versus Aquilonem, inter portas Sancti Stephani & Anguli: & tria castra ad muros applicuerunt: ac cætera parauerunt omnia ante diem. Orto autem Sole, mirum Christiani dederunt insultum: Turchi verò imbrem telorum transmittunt, & lapides: multi vulnerantur, & interficiuntur plurimi: sed cuncti elegerant Peregrini mori potiùs, quàm sine victoria viuere. A mane vsque ad vesperam bellum durum valde protractum est: à tribus partibus dabatur insultus, & incertum erat, vbi melius ageretur. Tandem nox bello finem imposuit. Sequenti die, summo mane, cuncti ad priora rediêre officia: fit intus & extra cædes non parua: vsque ad vesperam anceps prolongatur bellum. Tandem fessos Peregrinos & cogitantes castella retrahere, Turchi derident: Sed fessos ac retrahentes se Peregrinos miles quidam incognitus, in monte Olìueti illis apparuit, ventilans perlucidum clypeum: tali signo suadens reditum ad insultum. *Gotifredus*, signo persuasus, ad populum clara voce ait: *quia Vrbem, si redierint, obtinebant*. Heremita quoque, qui in monte Olìueti pœnitentiam agebat, eis prædixit, quia ipsâ die caperent Ciuitatem. Communi igitur voto redeunt; & quasi nil passi laboris, & de victoria quasi certi maiori solito pugnant ardore: tandem qui cum Gotifredo erant, capiunt fortissimum barbacanum, & vsque ad murum Ciuitatis processerunt: ac iussu Gotifredi in saccis plenis fœno & bombice ignem ponunt: tunc fumus teterrimus eleuatur, & ventus Borealis illum ad Turchorum deducit obtutus: quo grauati à muris abscedunt; & Christiani succedunt, & ad ima descendunt; sed primus

omnium *Gotifredus*. Apparuit tum multis nobilis *Episcopus Podiensis*, qui in via decesserat, primus super muros Ierusalem, ad sui sequelam excitans Peregrinos. Turchi verò cernentes Christianorum vexilla super muros, & multos iam strictis gladiis per viam discurrere, fugæ consulunt. Contigit hoc quadam sextâ feriâ, horâ nonâ: quo tempore Dominus illorum est passus in Cruce: vt cognoscerent stipendiati crucifixi Domini, non suis viribus, sed eius munere se obtinere victoriam. In vindictam autem iniuriarum CHRISTI, Peregrini nulli parcebant sexui vel ætati: tot in stratis interfecti erant, vt non aliter quàm super cadauera transire possent; discurrebantque per calles sanguinis riuuli. Multi verò infra septa Templi fugerunt, quæ munitissima erat: sed modicùm profuit illis. Nam 10 *Tancredus* cum magna parte exercitus, quæ eum sequebatur, locum violenter obtinuit: &in eo tamen loco, inuenta fuerunt, post peracta negotia, decem milia interfectorum. Post consummatam victoriam ad referendas gratias summo Regi, in processione, discalciati, ad Ecclesiam Sancti Sepulchri vniuersi procedunt. Ibi tantus erat gemitus, tanta lachrymarum effusio, tantaque deuotio, vt nihil ibi audiri posset, nisi gratiarum actio & vox laudis. Capta est autem Ciuitas, M.XCIX. xv. Iunii.

A. Dni. 1099.

20

SEXTA PARS, CONTINET PLENAM TERRÆ SANCTÆ LIBERATIONEM: AC REGNI IEROSOLYMITANI SVB Latinis Regibus dilatationem: habens capitula XXIV.

CAP. I.

Continet qualiter Gotifredus Rex Ierusalem electus est: eiusq; pietatem circa DEI cultum.

I. POST immensos labores, Peregrini quieuerunt cum gaudio diebus septem. Die verò octauâ, præmissâ oratione, ac inuocatâ Spiritus 30 Sancti gratiâ, intendebant Barones Regis electioni. Multitudo autem clericalis ordinis adueniens, requisiuit, vt Regis electionem electio præcederet Patriarchæ: quia spiritualia corporalibus præeminebant. Licet verò congrua videretur petitio, praua tamen erat intentio. Autor factionis huius erat Episcopus ciuitatis, quæ *Maraturane* vocatur, in prouincia Calabriæ. Hic, cum *Hernoldo* Clerico, æquè sordidæ vitæ, licet æmulo priùs, conuenerat, vt vnus eorum Patriarchatum Ierosolymitanum, alter Archiepiscopatum Bethlehemitanum acciperet: licet spurius esset Hernoldus, & filius Sacerdotis. Barones verò neglectis eorum verbis, aliquos probos viros statuerunt, qui eligibilium Baronum vitam moresque perquirant. Hii vocatos familiares Principum, 40 sub pœna præstiti iuramenti, vrgent sine fictione aliqua de suis dicere dominis veritatem circa prædicta. Omissâ autem visitatione aliorum, familiares Gotifredi aiunt, quia consuetudinem haberet familiaribus multùm tædiosam aliquando: cùm enim aliquam intrabat Ecclesiam, si Missam habere non poterat, recedere indè nolebat: sed aspiciebat sanctorum picturas, petens à Clericis quid de eorum vita gestisque signabant. Sicque moræ prolixitate, interdum grauabat familiares & socios; parata quoque cibaria aliquando vastabantur. Hoc audito, gaudent inquirentes tale in eo, quasi maius vitium inueniri, quod ascriberent non vitio, sed virtuti. Congregatis igitur Baronibus, probi viri prædicti inuenta referunt: illi verò communi & concordi voto in Regem eligunt GOTI- 50 FREDVM. Fit proindè Peregrinis ingens gaudium: erat enim virtutum suarum meritò, apud omnes gratiosior vniuersis. Post Regis electionem, improbus Episcopus superiùs nominatus, querelas hinc indè seminat, quòd propterea impediatur electio Patriarchæ, vt Ecclesiarum diripiantur bona, & iura pereant Clericorum. Quibusdam igitur illi consentientibus, nonnullis resistentibus, *Hernoldus* electus est. Tunc magna portio Ligni Crucis, quæ metu Turchorum

rum in loco paucis noto abdita fuerat, reperta est infra Ecclesiam Sepulchri; & inde vsq; ad Templum, processione solemni deportata est: populi autem frequentia tam piis laudibus sequebatur, ac si corporeis oculis Christum aspicerent in Cruce pendentem. Post hæc Rex cœpit omnia ordinare, discordes pacificare, errata corrigere, de die in diem in cunctis proficere. Hic Francigena natione fuit, Bononiensis comitis filius, vt figura docet: & *Gotifredi* ducis Lotharingiæ ex sorore nepos cui sine liberis mortuo, in ducatu successit.

Heustachius Comes Bononiæ —— *Inde fratres* —— *Godefredus Dux Lotharingiæ*

Guitts de Ierusalem missus ad terræ custodiam.	*Heustacius patri successit.*	*Godefredus auunculo successit. I. Rex Ierusalem*	*Balduinus frater ei successit.*

Fuit autem pius & rectus; liberalis valdè, & absque cupiditate: DEVM super omnia diligens; firmus & stabilis in promissis: fastum & blanditias multùm abhorruit: in armis probatissimus; pauperibus & religiosis beneficus, cunctis benignus: deuotè orabat cum lachrymis, circa diuinum officium multùm sollicitus. In Ecclesiis enim Sancti Sepulchri & Templi Domini, de Patriarchæ & Clericorum consilio ponens Canonicos ad DEI cultum solemniter celebrandum, magnas eis præbendas & honorificas assignauit. Monachis quoque, qui ei in via quotidie Missas & diuina officia celebrauerunt; monasterium in valle Iosaphat, postulantibus, gratiosè concessit, & possessiones plurimas largitus est: recessurus etiam de patria sua, *Bulionum*, optimum ducatus sui locum, matrici donauit Ecclesiæ. Requisitus autem à Baronibus, vt more Christianorũ Regũ diadema sumeret, nequaquam acquieuit ibi gemmeam portare coronam, vbi Rex Regum spineo fuit diademate coronatus: ciuitatis Sanctæ Ierusalẽ meritò asserens debere sufficere Regibus Christianis coronationem tam insolitam, ipso memorabili factam die quo à ligno Dominus regnauit.

CAP. II.

Continet victoriam Peregrinis à DEO datam contra innumerabilem multitudinem perfidæ nationis.

CVnctis adhuc Baronibus extantibus in Ierusalem, fama vndique per vrbem volat: quòd *Calipha Aegyptius*, potentior Orientalibus vniuersis, paruulum populum dedignans sua subintrare regna, ciuitates capere, & munitiones destruere, vndiq; contracto exercitu Principem militiæ suæ *Elafdolef* ante se vocat, & summâ districtione iubet in Syriam proficisci; & præsumptuosum cum magno vigore aggredi hostem; sicque ex terra illum eradere populum, vt de eo in perpetuum ampliùs sermo non sit. Infelix Princeps iste fuerat Christianus Armenus, propter immensas diuitias luxuriamque factus apostata: aliâ quoque vice Ierusalem domini sui subiecerat imperio, quam vno vix anno possederat. Ad recuperandam igitur prædam tam celeriter amissam, de infinita exercitus multitudine confidens, totâ animi intentione procedit; & iuxta *Ascalonam* castra metatus est; fueruntque cum illo Arabes & Damasceni, licet priùs ab inuicem diffiderent: *supra part. 3. cap. 5. & part. 5. cap. 5.* Cùm verò Christianis Principibus res innotuit, habitâ deliberatione, ad Sepulchrum CHRISTI vniuersus conuenit populus: & clamauit ad Dominum cum lachrymis, vt de tanto periculo se liberaret; Ciuitatem quoque Sanctam quam ad eius honorem nuper acquisierat, nequaquam fineret infidelium sordibus inquinari: deindè processionaliter ad Templum Domini veniunt, & celebratis diuinis, ad propria redeunt. *Gotifredus* postea, cum *Comite Flandrensi* ad planum *Ramæ* processit, cæteris Baronibus in Ciuitate remanentibus, exceptis fratribus Ducis, qui requisiti fuerant *Neapolim* oblatam recipere. Sciens autem *Gotifredus* Saracenorum multitudinem, quasi locustas, replere terræ superficiem, pro cæteris Baronibus fratribusque transmisit; mandans vt intactâ Ciuitatis custodiâ, secum vniuersos adducerent: & cùm ad locum dictum *Ybelym* per-

uenissent, inuenti sunt equites Christiani non amplius M. C C. pedites verò, quasi decem milia. Senserunt autem à remotis quasi commotionem aduenientis multitudinis, & inimicorum aduentum suspicati sunt: præmittuntque ducentos milites quasi exploratores, qui boum, camelorum, aliorumque animalium tantam inuenerunt copiam, vt omni regioni sufficere iudicarēt. Captâ autē præda, à custodibus de pluribus informantur. In crastino autem, summo mane, Dux iubet acies ordinatè procedere, quasi sex leucis distantibus inimicis. Videntes autem Turchi, illos ad se venire audacter, & prædam consequentem extimantes armatorum multitudinem, dum præcipuus eorum fugam iniit, cuncti terrore concussi, illò fugiunt, vbi meliùs tutari sperant. Tunc Peregrini gratias DEO victori egerunt: de copiis verò fugientium, mirè ditatus est populus Christianus: rediitque cum gaudio ad Ciuitatem Sanctam Ierusalem. Ipso die victoriæ, auctor omnis malitiæ *Episcopus Maturannæ ciuitatis*, abscedens, nusquam comparuit.

CAP. III.

Continet reditum peregrinantium: paucorum quoque remanentium miram virtutem in capiendo Iopen, Ramulam, Porphyram, & Genezareth: & qualiter Patriarcha in quarta parte Ciuitatis Sanctæ Iurisdictionem obtinuit.

1 2 2. POst conquisitam ciuitatem Sanctam Ierusalem, Peregrini finem intenti sui, non inchoati negotii, assecuti, videntes suum desiderium adimpletum, de Sepulchro Domini ac Ciuitate Sancta Ierusalem nil vltra quærentes, cum gaudio ad propria reuersi sunt. Nonnulli verò altiori prudentiâ & magnanimitate præditi, mente diligentiùs pertractantes, Ciuitatem Sanctam in medio positam esse nationis prauæ: nam ab Orientali plaga, vallatur Arabibus, Moabitis & Amonitis; à Meridionali, Idumeis, Ægyptiis & Philisteis; ab Occidentali, ciuitatibus maritimis Ptolomayda, Tyro, Tripoli, ac cæteris vsque Antiochiam; à Septentrionali, Damasco, Cæsareâ Philippi, regione Decapoleos, Tyberiade, ac tota prouincia Galileæ, qui omnes legi suberant spurcissimi Mahumeti. Cognoscentes exindè Ciuitatem præfatam Ierusalem Sanctam, non posse diu sub Christianorum manere dominio, nisi hostes longiùs propulsentur, cum sua hostia, monente Scriptura, voluerunt caudam consumationis offerre: scientes quia *non, qui inceperit, sed qui perseuerauerit saluus erit.* Sancta quoque animalia in Ezechiele, cùm ambularent non reuertebantur: elegerunt proinde in summo potiùs manere discrimine, quàm in periculo relinquere Ciuitatem. Remanserunt autem paucissimi: non enim habere poterant vltra trecentos equites, & duo milia peditum bellatorum. In tanta voluit DEVS eos remanere pauperie, vt de eo solo confiderent, qui illis tot terrarum spatia, & innumera Turchorum milia subiecit, & nequaquam dicere valerent, *manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia*: sed cum Iuda dicerent Machabeo, *facile est concludi multos in manu paucorum*, &, *non est differentia in conspectu DEI, liberare in paucis vel in multis: quoniam non in multitudine exercitus, victoria belli; sed de cælo fortitudo est.* Cùm igitur vexillum Crucis in bello ferrent, & de cœlo sperarent auxilium, tantus timor, ac tremor inuasit per circuitum infideles, vt *vnus persequeretur mille, & duo fugarent decem milia*: & partim aduersariorum acie cæsa, partim fugata, expugnabant munitissimas ciuitates, castra inexpugnabilia capiebant: Sicque successiuis atque continuis victoriis, Sanctam Terram Promissionis reddebant ac subiiciebant nomini & cultui Christiano. Principium autem victoriarum suarum fuit *Iopen*, in qua Petrus Tabitam suscitauit à morte: ibique cecidit super eum mentis excessus; & vidit cœlum apertum, iussusq; est de linteo mactare ac comedere immunda. *Act. 10.* In figura, quòd in gentibus debebat destruere vitia, eosq; incorporare Ecclesiæ. Hanc ciuitatem, primus liber Machabeorum situat iuxta mare; & secundus Paralipomenon, portum addit, ad quem *Yram* Rex Tyri, pro ædificatione templi, mittebat necessaria Salomoni. Vt igitur fideles, ad succursum Christiani exercitus ab Occiduis partibus venientes, aptum portum haberent, & secu-

Matt. 24, 13. Ezech. 1. 12. Deut. 32, 27. 1. Mach. 3, 18. Deut. 32, 30. Act. 9, 40. & 10, 10. 1. Mach. 14, 34. 2. Paral. 2, 16.

securum refugium, quasi vallo in circuitu obsidēt ciuitatem, & fortiter expugnando cœperunt. *Ramulam* quoq; ciuitatem, quæ à quibusdam *Ramatha* dicitur, in campestribus sitam, nobilem & populosam, & valido muro circumdatam, excelsisque munitam turribus, simili virtute adepti sunt. *Caypham* deindè, quæ alio nomine *Porphyra* dicitur, in littore maris, sub prima parte montis Carmeli, quatuor distantem stadiis, & nono miliario ab Acon, conformiter acceperunt. Postremò, *Tyberiadem* acceperunt, quæ & *Cenereth* dicitur, secundo miliario distans à Genezareth, à quibus denominatur mare adiacens, sicut & à tota quam pertransit prouincia Galileæ. Tyberiaden autem, & totum Principatum Galileæ Gotifredus *Tancredo* cum Porphyra, donauit. *Patriarchæ* quoq; requirenti, quartam partem Ierusalem dedit in purificatione Virginis. Ratio autem requisitionis fuit hæc. Calypha Ægyptius *Boumesor* MLXIII. Ierusalem obtinuit, & cunctam in circuitu regionem, maritimam quoq; vsque *Liciam*, quæ est prope Antiochiam, & mittens ad vniuersas ciuitates Bayliuos, tributa imposuit: mandans etiam vt muros, & omnia quæ ad securitatem ciuitatum pertinent, diligentiùs repararent, sed maximè Ierusalem, cuius muri propter frequentatas obsidiones dirupti erāt: addiditq;, quòd Christiani ibi ad reparationem quartæ partis murorum cogerentur. Christiani paupertatem allegant, nec audiuntur: quin potiùs respondetur, quia cuncti gladio peribunt, ni iussa perficiāt: precibus tandem cuiusdam magni Turchi, obtinent dilationem, donec ad Imperatorem Constantinopolitanum pro impetrando auxilio mittant. Imperator *Constantinus*, cognomento *Monaques*, paupertati Christianorum & periculo compatiens, promittit se opus facturum de redditibus Insulæ Cypri, si à Calypha obtinere possunt vt in ea parte Ciuitatis soli habitent Christiani: Petita igitur gratia, obtenta est: & benè gratia, quia prius, cōmixti Turchis à vicinis iniurias sustinebant innumeras; nunc verò ab eis separati dimittuntur in pace, nec aliquis exercet iustitiam super eos nisi Patriarcha eorum. Indè ius quartæ partis Ierusalem obtinuit Patriarcha. Durat autem hæc quarta pars à porta Dauid vsque ad portam Sancti Stephani. Cùm autem in expeditione esset *Gotifredus*, & Turchi, qui habitabant montana Samariæ, vbi est Neapolis, mitterent illi exenia, ægrè obtinuerant videre tam famosum Ducem. Tandem ad papilionem ducti, vident in terra sedentem: illi mirantur, & quærunt, cur non in throno aureo ac sericis pannis? quod cùm per interpretem didicisset, respondit: *nullum est opprobrium homini in terra sedere, in quam ex ea ortus, rediturus est.* Nuntij verò prudentiam & humilitatem eius admirati, vbique diuulgauerunt. Medio verò tempore, *Boamundus* Princeps Antiochiæ cum magna comitiua peditum equitumque ad *Valaniam* ciuitaem vsq; peruenit, expectans *Balduinum* comitem Rages. Condixerant enim visitandi Sepulchri implere votum simulq; visitare electum Regem. Tunc ad ciuitatem *Liciam*, Peregrini multi de Italia venerant, cum quibus erat venerabilis *Archiepiscopus Pisanus.* Cuncti igitur pro securitate simul iuncti, vsq; ad XXVI. milia, pro visitando Sepulchro Domini, iter arripiunt. Sed in omni via asperitate hyemis, & victualium penuriâ affliguntur. Sed tandem Christo duce ad Ciuitatē Sanctam perueniunt; loca, cum deuotione multa & lachrymis visitant, Christi consecrata præsentiâ. Aduenientem quoq; sacratissimam Christi Natiuitatem, in Bethlehem cuncti læti suspiciunt: & præ dulcedine Spiritus intueri non sufficiunt speluncam illam sacram, in qua Veritas de terra orta est; & terra nostra dedit fructū suum: in qua puerpera Virgo, Dominum infantem pannis inuoluit, lactauitq; vbere de cœlo pleno. Vsq; ad illa tempora Patriarchalis vacauerat Ecclesia. Tunc *Daybertus* Pisanus Archiepiscopus eligitur, & in sede locatur, irritaturq; quicquid circa *Hernoldum* factum fuerat: & cùm esset Archidiaconus Ecclesiæ Sancti Sepulchri, inter Regem Balduinū primum & præsulē, schisma procurauit: & cùm præsul persecutioni cessisset, per Regem substituitur *Ebremart:* sed per *Ceberinum* Legatum deponitur, mortuo interim Dayberto; ipseque Legatus Patriarcha eligitur: post quem, *Hernoldus* tempore eiusdem Regis. *Boamundus* verò & *Balduinus*, in reditu in flumine loti Iordanis, per *Tyberiadem* & *Phenicēā* transeūtes, & Cæsaream ad dextram relinquentes, intrauerunt *Ytuream*, transeuntes ad ciuitatem *Mahumet*, indè versus maritimam declinantes, ad propria rediēre. Hæc quidem omnia primo anno gesta sunt, sub regimine Deo dilecti & amabilis populo Christiano *Gottifredi de Bulione*, per quem Deus operatus est salutem

A. Bal. 1063.

fidelis populi, & terræ Sanctæ liberationem. At, qui præciosa eligit, viliaq; contemnit, hiis completis, illum ad cæli gaudia euocauit. Sepultus est autem in Ecclesia Sancti Sepulchri MC. XVIII. die Iunii, sub monte Caluariæ, vbi Christus crucifixus est: ille enim locus propriè pro Regum sepulturis seruatus est. Interim *Boamundo* ciuitas offertur vocata *Meletaine*, vltra Eufraten in Mesopotamia sita, per *Gabrielem* Armenum, ciuitatis dominum. Aiebat enim se velle potiùs eam illi sponte donare, quàm inuitus amittere: non enim sperabat à Turchorum insultibus eam posse tueri. Sed dum Boamundus vltra Eufraten incautè pergit, à Turchis capitur: deindè Turchi ciuitatem obsident. *Balduinus* verò, dum obsidionem amouet, ciuitatem obtinet, quæ priùs oblata fuerat Boamundo: pro liberatione quoque Boamundi laborans, nihil agere potuit.

A. Dni. 1108.

Cap. IV.

Continet Balduini primi coronationem, captionem Arsur & Cæsareæ, geminamq; de Aegyptijs victoriam.

IV. Post incliti Ducis Gothifredi vitæ excessum: frater ipsius BALDVINVS Edissenus Comes, ab adolescentia militaribus eruditus, exercitatus in armis, & in bellis strenuus, omnium vno consensu in dominum electus, & in Regem coronatus est, apud Bethlehem in Natiuitate Domini. MCI. Tunc *Tancredus* memor iniuriç sibi illatç (*suprà part.v.c.1.*) noluit illi subiici; renuntiauitq; dominio sibi tradito, (*suprà capitulo proximo:*) & Antiochiam profectus est ad gubernandam ciuitatẽ, ad quod pluries fuerat inuitatus, donec Boamundus libertati daretur; & si mori illum contingeret sine hærede, hic ei debebat succedere, tanquam frater. Rex autem, *Hugoni de Sancto Homer* resignata donauit. Tancredus verò nobilem ciuitatem *Appamiam*, belli violentiâ cepit; *Liciam* quoque precibus & minis à Græcis obtinuit, donec Appamiæ prædictæ posset retinere dominium. Dedit etiam Rex dominium *Rages Balduino de Burgo*, consanguineo suo: Ille quoque cum *Iocellino*, altero consanguineo suo, de Francia venienti, principatum diuisit. Rex igitur ad inchoatam regni dilatationem sollicitus; & prouidus in agendis, audiens ad portum Iopen, *Ianuensium* aduentasse LXX. galeas, quasi in veris principio, cùm solent Reges ad bella procedere, tam nauium ipsorum quàm etiam personarum fretus auxilio, *Assur* expugnauit, quæ alio nomine *Antipatrida* nominatur, ab Antipatro, de quo suprà *part.1.cap. XII.* fecimus mentionem. Est autem ciuitas maritima, inter Iopen & Cçsaream sita, densis syluis amœna, & vberrima pascuis. *Cæsaream* etiam Palestinæ, quç antequam per Ascalonitam Herodem augeretur in honore Cçsaris, *Turris Stratonis* vocabatur, simili Ianuensium auxilio mari terraq; obsidens, subiugauit. Ibi Ianuenses repertum vas pretiosum, siue de viridi lapide, quem *Smaragdum* asserunt, pro parte mercedis acceperunt, & matrici Ecclesiæ dederunt. Est enim in littore maris sita, vtilem tamen portum nõ habens: ab Oriente autem, habet paludem aquæ dulcis magnæ & profundæ quæ Crocodillos nutrit: hortorum ac pascuorum gaudet copiâ. Ibi mansionem habuit Philippus cum filiabus suis: ibi Cornelius Centurio audiuit ab Angelo: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoria in conspectu Domini: sed accersi Simonem in Iopen: hic dicet tibi quid te oporteat facere. Act. X.* Ibi etiã Paulus diu detentus vt Romam pergeret, suam prosequutus est appellationem. *Act. XVI.* Post hæc rediit Rex versus *Ramam*. Hanc ciuitatem ędificauerunt Arabes propè Lidam, cùm Peregrini primò iuerunt ad partes illas, post tempora Mahumeti. Erat autem ciuitas magna & populosa, munita muris & turribus multis: hanc vacuam repererunt: sed quia ad eius custodiam necessaria erat populi multitudo, ædificauerunt castrum in vno angulo ciuitatis. Interea *Hugo Magnus*, qui non sine sui dedecore in Franciam redierat, (*suprà part.v.cap.VI.*) iterum assumptâ Cruce, cum magnis Baronibus, *Comite Blesensi, Gulielmo Comite Aquitaniæ, & Comite de Vermedois:* primùm viam vsq; in Constantinopolim tenuerunt: Et cùm transissent *Niceam*, ab inuicem diuisi à Turchis derobati sunt; multi quoque interfecti, cæteris nudis fugientibus: Et cùm *Tharsum* peruenisset Hugo Magnus, mortuus est. Imperator enim Constantinopolitanus, qui lætâ eos facie receperat, Turchis eorum itinera & conditiones reuelauit, quasi scorpio blandâ facie, caudâ pungens: peruenerunt tandem

A. Dni. 1101.

Act. 10.

Act. 16.

tandem *Tortosam*. *Raimundus* verò Comes Tholosæ ciuitatem obsedit, & breui tempore cepit, cunctos ciues interimens: ibi equos, & multa alia lucrati sunt vniuersi de exercitu; ciuitatem verò Comiti dederunt. Ipsisq; abeuntibus, ille in ciuitate remansit. Cùm verò Ramæ præfatum negotium ageretur, *Calypha Aegyptius* Principem militiæ suæ cum decem milibus equitum, & xx. milibus peditum, misit ad Peregrinos exterminandos de terra: quæ apud Ascalonam castra posuit. Quo audito Rex, de Rama Ierusalem properat, metuens ne præoccuparent ciuitatem Sanctam Ierusalem. Ibi suum congregauit exercitum, & duxit inter Ramam & Lidam equites CCLX. pedites verò CM. Indè versus Saracenos pergunt, sequentes Crucis 10 vexillum. Rex autem, factâ oratione, *vt ille sibi donet victoriam qui potest saluare in paucis*: post orationem, conceptâ fiduciâ, in hostes irruit: Et licet in principio durum fuerit bellum, tandem Christiani habuêre victoriam, principe Saracenorum cum v. milibus interfecto. Ceciderunt autem ex Christianis equitibus LXX. tantum. Fuit autem hoc secundum bellum Babyloniorum MCII. in plano Ramæ. Post dies aliquot, Turchi qui fugerant, adiunctis sibi aliis de Ascalone, vsque ad XXX. milia, cum multa arrogantia venerunt inter Lidam & Ramam. Rex hoc audito, inconsultè cum paucis properat vt factum exploret: & cùm nimis appropinquasset illis, de reditu confusus, congreditur: tantâ virtute bellatur, vt Turchi penè in fugam conuersi sint: tandem multitudo præualuit: & ex Christianis pluribus interfectis, Rex 20 cum cæteris fugâ liberatus est, & in Rama primò, indè in Arsur receptus est. Tandē perrexit Iopen, vbi à Regina & cæteris tanquam mortuus habebatur. Illuc ad Regis auxiliū venit *Hugo* dominus Tyberiadis cum XXIV. militibus; de montanis quoq; venerunt Regi in auxilium alii XXIV. equites. Confortatus Rex, in vindictam exarsit, & contra hostes processit, qui ad quatuor leucas propinqui erant, iuxta nemus facientes scalas & ingenia ad obsidendum Iopen: cuncti autem in ipsos prosiliunt, quasi vrsa raptis catulis: & plenam habuêre victoriam; & equis & animalibus cæterisq; bonis ditati sunt. Sequenti anno Rex *Ptolomaydam* pergit: quæ & *Acon* dicitur, quia à duobus fratribus condita sit, Ptolomeo scilicet, & Acon, dicitur etiam & *Abyron* antiquitus vocitata: ibi optimus Syriæ portus ab Austro est. Erat autem ci- 30 uitas inter mare & fluuium *Belum* præterfluentem, commodè satis fundata: munita muris, & antemuralibus, turribus, fossatis, & barbacanis fortissimis; triangulam habens formam vt clypeus, cuius partes duæ mari cingebantur, tertia pars campum respicit, qui ipsam circumdat à parte Septentrionis: habens tres leucas latitudinis, vel circa: & habundat pascuis, hortis & vineis, agrisq; fertilibus. Rex igitur, vndiq; contractis auxiliis, ciuitatem oppugnat: post dies verò viginti, cùm frequentes insultus durosq; congressus Ptolomenses ampliùs ferre non possent, eâ conditione oppidum Regi tradunt, vt liberis personis ac rebus, vt liberet, abscederent.

A. Dni. 1102.

CAP. V.

40 *Continet gesta in Comitatu Edessano, & Principatibus Antiocheno, & Galileæ.*

V.

BOamundus, postquam annis quatuor captiuus fuerat, datis obsidibus pro transmittenda pecunia, liber Antiochiam rediit. Inuitatus autem à *Balduino* Comite Edisseno, & Iocellino consanguineo eius ad obsidendum, ciuitatem *Charam*, vndè vocatus est Abraham, quæ à Rages quasi XIV. distabat leucis, cum nepote Tancredo perrexit. Et cùm tandem ciuitas fame vrgeretur, & iam deditio pararetur, accidit contentio inter Principes, qui eorum in ciuitate maior reputari deberet: sed dum contendunt, superuenit Turchorum innumerabilis multitudo, & Christianis fugientibus, *Balduinus* cum consanguineo Iocellino captus est: *Boamundus* 50 verò ad Rages confugit: ibique rector ciuitatis *Tancredus* ordinatur, quousque Balduinus à carcere liberetur. Boamundus deindè multis debitis aggrauatus, in Apuliam redit, vt thesauros & pugnatores congreget: & ad *Philippum* Regem Franciæ vsque procedit, accepitque duas filias ipsius, *Constantiam* sibi; *Tancredo* Ceciliam: rediitque in Apuliam cum quatuor milibus Peregrinorum equitum, & XL. milibus peditum. Interim MCV. *Raymundus Comes Tholosanus*, qui Christi amore Terram Promissionis post Crucem assumptam, nunquam deserere voluit, in

A. Dni. 1105.

obsidione Tripolis moritur: in qua obsidione successit illi *Guilielmus* nepos ipsius quousque venit *Beltrandus* Tholosanus Comes Raymundi filius, qui super obsessa ciuitate quæstionem mouit, cùm Guilielmus continuasset obsidionem annis quatuor: sed eo pacto conueniunt, vt pars certa cuique tribuatur; & si alter sine herede moritur, superstes illi succedat. Sed Guilielmus, dum discordes inermis pacificat, sagittâ percussus interiit. Eodem millessimo * *Rodoanus* dominus Alapiæ, collecta Turchorum multitudine, per Antiochenum destrictum currens, omnia, extra fortilitia destruebat. Vt verò hæc audiuit *Tancredus*, conuocatis vndique auxiliis, multitudinem illam iuxta Tarsum aggressus in fugam conuertit, & strage magnâ editâ, animalibus & spoliis ditatus est. Eodem etiam anno, *Calyphæ Aegyptio* suggesserunt Admiraldi, exercitum mittere ad destruendum in Suria vniuersaliter Christianos: asserentes quia multi redierant; multi quoque peste & gladio consumpti sunt. Ille terrestrem, & marinum transmittit exercitum. Rex, omni congregato exercitu, pergit Iopen, & Patriarcha portat Crucis vexillum: fueruntque equites quingenti; pedites duo millia: Turchi verò qui per terram venerant XXV. milia. Cùm autem *Ascaloniam* peruenerunt, partem marinam exercitus miserunt Iopen; pars altera versus Ramam processit, & terra personuit instrumentis. Cùm autem viderent Christianorum acies sequentes Dominicam Crucem, pro cæteris mittunt vt illis succurrant. Sed commisso prælio, cum Principe Ascalonitarum quatuor milia ceciderunt: Princeps verò militiæ Calyphæ, cum cæteris, in fugam conuersus est. Tunc multùm est ditatus populus Christianus: & pro redemptione vnius, qui aliquando fuit Baliuus Ptolomaydæ, Rex habuit XX. milia Bizantiorum. Orta quoque tempestas, marinum exercitum aut submersit, aut in manus Christianorum dedit. Tunc etiam *Hugo* princeps Galileæ, ad decem leucas propè Tyrum vidit monticulum fortilitio aptum, ibique firmauit breui tempore castrum, vocauitque *Thoronum*, inter mare & Libanum tenens locum medium, iuxta se optimi territorii, arborum & vinearum copiam habens. Ex hoc quoque prohibiti sunt Tyrenses ab insultibus contra eum: & versâ vice iniuriam passi, debilitari cœperunt. Hic quatuor milia Damascenorum aggressus, qui ad nocendum terræ venerant, multos strauit: sed tandem & ipse vulneratus occubuit. *Boamundus* quoq; Antiochenus Princeps, qui in Apuliam Crucesignatos adduxerat, ad vindictam Peregrinorum qui ab Imperatore Constantinopolitano iniuriam passi fuerant, nauibus transuectus ad partes Imperii, per maritimas partes transiens, cuncta vastabat, & duas magnas ciuitates vocatas *Epyrum* destruens, ad obsidendum *Duratium* processit: cogitauerat enim benè profundè partes intrare Imperii, plurimùm indignatus ex totiens replicatis Peregrinorum iniuriis: sed Imperator audiens vastationem Imperij, congregato exercitu; illi occurrit; misitque nuntios, & in pacis tractatu promisit Peregrinis dare auxilium & fauorem: Boamuudus verò illi promisit amorem & indemnitatem. Quibus peractis Peregrini Francigenæ per Imperium transeunt: Boamundus verò in Apuliam reuertitur. Et cùm disposita domo sua ad iter vltramarinum omnia præparasset, morte assumptus est, relicto ex noua vxore paruulo filio *Boamundo*. *Tancredus* verò, qui eius loco remanserat in Antiochia, & gubernator Rages in Mesopotamia, cum Turchi Orientales replessent terræ superficiem, post captionem Balduini & Iocellini, omniaque extra fortilitia, vastarent, ipsæque ciuitates victualium penuriâ vrgerentur, Regis implorat auxilium. Sollicitè autem Rex congregato exercitu, Eufraten transit. Turchi tunc à discursu quiescunt, scientes Christianos non diu mansuros, quia inquietarentur in alia parte Regni. Rex itaque congregatis vndique victualibus, fortilitia munit, & maximè ciuitatem Rages, & versus Meridiem redit. *Balduinus* autem, MCIX. pro se & Iocellino, obsides dedit, pro exhibenda certa summa pecuniæ: sed obsides breui tempore de custodia fugientes, ad propria rediêre.

A. Dni. 1109.

Cap. VI.

Continet captionem Bibly & Tripolis, fictionem Balduini, & mortem Tancredi & Beltrandi.

VI. Beltrando Tholosano Comite Tripolim obsidente, aduenerunt LXX. galeæ *Iannensium*. Habito autem communi consilio, ad obsidendum terrâ mariq; *Biblium* pergunt,

pergunt, & obtinent; redeuntq; Tripolim: superuenit Rex, & fatigata ciuitas obsidione septem annorum, obsidentium se manibus sub certis tradidit pactis: cuius dominium Beltrandus à Rege accipiens, illi fecit homagium. *Balduini* iam à Turchorum captiuitate liberati, cunctam fictionem narrare libet. Hic aggrauatus alieno ære, militibus stipendia exhibere non poterat: excogitato autem consilio ad socerum *Gabrielem* Armenum pergit, à quo prædiuite gratè recipitur: post mutuam collocutionem dierum aliquot, informati milites, Comitem in præsentia soceri alloquentes, stipendia petunt, seruariq; promissa: eo verò curialiter respondente, & inducias postulante, ardentiùs conqueruntur, dicentes se vrgeri inopia, & plures
10 taxatos transisse terminos: det proindè debita eis stipendia, vel certè pignus obligatum eisdem: alias in vindictam Terram suam igne ferroq; vastabunt. Petit Armenus sibi interpretari quæ animosè loquuntur: deindè perquirit quod pignus eis debeat exhibere: & respondetur, quia Comes ni soluat, se ad barbæ obligauit rasuram. Quo audito Armenus resupinus cecidit, nimiaque perturbatione animi, loquelam amisit: tandem ad se rediens, Comitem cum multa stomachatione aggreditur, quomodo vir tantæ opinionis, mundi honorem, faciei decorem, & virtutis signa tanto exposuerit periculo, & se quasi Eunuchum perpetuo condemnasset opprobrio: post reprehensionem verò, accepta promissione ab eo iuramento firmata, quòd nunquam tale simile attentaret, petita stipendiorum summa, XXX. M.
20 Bizantiorum militibus assignauit. Post hæc Rex, adiuncto sibi Beltrando Comite Tripolitano, filio Comitis Tholosani, *Beritum Geris* vocatum antiquitus, quia à Gergeseo fundata, filio Chanaan, terra marique aggreditur: & post duos menses obsidionis, turribus ligneis mœnibus applicatis, & scalis muro coniunctis, obsidentes vrbem violenter ingressi, multos trucidant; nonnullos carcere, catenis quoque captiuant. M C X I. Est autem ciuitas hæc maritima, inter Sydonem & Byblium sita, in prouincia Phenicis, sub Tyro Metropoli, arboribus fructiferis fertilis & amœna, vineisq; ac syluis. In Berito, quædam erat imago linea Crucifixi, quæ non multùm post passionem ipsius, à Iudeis ridiculosè, ad CHRISTI est ignominiam crucifixa: & cùm esset lancea transfixa in latere, exiuit sanguis & aqua, quibus liniti sanabantur infirmi. Conuersi sunt propterea Iudæi qui in ea ciuitate fuerant vniuersi.

A. Dom. IIII.

30 *Sydonem* quoque in manu forti suo subiecerunt dominio, anno eodem capti Beriti, fretus auxilio quorundam de *Nouergia* ad Palestinam venientium cum nauibus LV. Volentibus autem Sydoniis, sed non valentibus resistere populo Christiano, in proprio sanguine tabuerunt, sicut per *Ezech. XXVIII.* dixerat DEVS: *Ecce ego ad te Sydon, & glorificabor in medio tui, & scient quia ego Dominus cùm fecero in ea iudicia, & sanctificatus fuero in ea: & immittam eis pestilentiam, & sanguinem in plateis eius, & corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum.* Est autem *Sydon* ciuitas egregia, supra littus maris, sita in prouincia Phenicis, vulgariter dicta *Sageta.* Fuit autem ciuitas magna, in campo per longum disposita, tendens ab Aquilo-
40 ne in Austrum, sub monte Antelibano: sed de ruinis eius alia ædificata fuit parua, sed munita, habens hinc indè duo castra, satis munita: vnum ab Aquilone in rupe, in corde maris, quod ædificauerunt Theotonici Peregrini; aliud à parte Australi in colle situm, quæ omnia Templarii possidebant. Terra adiacens, arboribus fructiferis & Syluis, agris frugiferis, & pascualibus vineisque abundans. Sydonis quoque fines Dominus noster visitare dignatus est. *Matth. XV.* Et ante portam Orientalem ciuitatis antiquæ, ædificata est capella in loco vbi Chananea orauit pro filia. Incipit autem prædictus *Antelibanus* à fluuio Elenchero, & protenditur vltra Tripolim, fortè per quinque leucas; & nusquam recedit à mari per duas leucas, nisi iuxta Tripolim, à quo distat quasi per tres
50 leucas: interdum tamen ita accedit ad mare, vt nulla relinquatur via. Habundauit autem in vineis optimis, secundùm illud Oseæ XIV. *memoriale eius sicut vinum Libani*: & continuatur bonitas huius vini vsque Margath. Industrii quoque viri ibi fuisse leguntur, *III. Reg. V.* dicente Salomone ad Yram, *Non sunt in populo meo viri qui nouerint ligna cædere, sicut Sydonij.* Completis victoriis in parte maritima, ita vt Occidentales fideles liberum iter haberent in Ierusalem, completum videtur quod per Ezech. XXV. promisit DEVS: *Perdam reliquias maritimæ regionis, faciamq; in eis vltiones magnas, arguens in furore: Et scient quia ego Dominus*

A. Dni. 1112.

cum dedero vindictas meas super eos. Deindè, M C X I I. *Tancredus* moritur; & post eum *Beltrandus* Comes Tripolitanus, cui successit *Pontius* filius, accepitq; in coniugem *Ceciliam* quæ prius Tancredo nupserat. Tancredus verò decedens, gubernationem Antiocheni Principatus *Rogero* reliquit filio Riccardi, qui *Boamundo* puero, filio Boamundi, ex Apulia venienti tanquam vero heredi assignet: omniumq; Baronum assensu hoc firmatum est. Taliq; euentu *Rogerus*, *Antiochenus Princeps* in historiis appellatur.

Cap. VII.

Continet Iocellini fortunam: & Rogerij victoriam contra Turchos. 10

VII.

POst hæc fames in contrata *Rages* orta est: *Iocellinus* verò necessariis habundabat; nec tamē Comiti, domino, & consanguineo suo, vel in modico subuenit: transeunti quoque Comitis nuntio refert Iocellini familia, quàm probus prudensque sit Iocellinus, quàm aptus dominio: cautè proindè faceret Comes, si acceptâ pecunia, totam illi terram committeret gubernandam. Nuntius audita refert domino: qui lecto prosternitur, infirmitate ex parte simulatâ, nec ex toto mentitâ. Indignabatur enim nimis: eò magis dicta famulorum putans ex intentione procedere domini, quò eum expertus fuerat tam ingratum. Accersitum itaque nepotem, Comes ingratitudinis primò, deindè perfidiæ arguit, carceri, catenisque condemnat; nec pœnam remisit, nisi priùs cunctis redditis quæ gratis acceperat, omni iuri renuncianti quod habebat. Huic Rex compassus donauit Tyberiadem ciuitatem, qui Tyrensibus, non obstantibus intermediis montibus, multas iniurias intulit. M C XIV. tantus *terræmotus* Orientem permouit, maximè in Cilicia, vt *Malmistram*, & in circuitu fortilitia cuncta dejiceret: & alibi, ciuitates aliquæ ita deletæ sunt, vt ædium nullum remanserit vestigiū; homines quoq; per campos errantes, à terra absorberi metuerent. Sequenti anno *Borges* Turchiæ potentissimus Princeps cum multitudine bellatorum, Antiochenum Principatum ingreditur: & vltra progrediens, inter Alapiam & Damascum fixit gradum, deliberans qua ex parte Christianos posset grauiùs lædere. Interim *Doldequinus* Damasci Rex, suspicatus Regni inuasionem, cum Rege Balduino & Principe Antiocheno, magnis datis enxeniis, treugas iniit; & mutuum spoponderunt auxilium. Mira erat hæc afflixio annua Christianis, & XL. annis post captam Ierusalem continuata est. Itaque Antiochenus Princeps, periculis præcauens, Regum Ierusalem & Damasci implorat auxilium, & obtinet. Tunc Borges ad propria redire se simulabat: Reges proindè sine fictione recedunt. Quo agnito, Borges qui & *Bursequin*, in principatum Antiochenum regreditur, & cuncta agit ad libitum, animalium prædam, locorum combustionem, hominum stragem. Iratus ex hiis Antiochenus Princeps, adiuncto sibi Comite Rages, illum vsque ad *Castrum Rubeum* insecutus est. Instructis igitur vtrinque aciebus pugnatur: præualuit autem multitudini virtus fidelium bellatorum: vindicatur sanguis innoxius, præda redimitur: & interfectis tribus millibus Turchis, eorum copiis ditatur populus Christianus.

A. Dni. 1114.

A. Dni. 1115.

20, 30, 40

Cap. VIII.

Continet Montis Regalis ædificationem, & munitionis quæ scandalium dicitur: mortemq; Regis.

VIII.

IAm dilatatum & assecuratum descripsimus regnum ab Occidentali parte: nunc restat ad Orientalem plagam stilum conuertere. Quoniam cis Iordanem res benè acta est, ad Orientem, trans Iordanem, Rex bellicosus & audax, quasi leo faciem vertit, & in Arabia, quæ *Syria Sobal* dicitur, in colle sublimi castrum erigit, M C XV. & dicitur *Mons Regalis*, eò quòd à Rege fundamenti sumpsit initium. Erat autem castrum munitissimum, frumenti, vini & olei copiam habens, salubrem aërem & amœnum: omnem adiacentem regionem vsque ad fines Moabitarum, & aquas contradictionis propriæ subiiciens ditioni. Hic, Diuino munere, in bellis fortunatissimus fuit. Licet enim M C X I V. cum Rogero Antiocheno Comite iens, & remanente iuxtà fluuium Comite, processisset ad explorandum Turchorum aduentum, Turchi quoque montem quendam occupantes per partes quatuor parassent insidias, singulis insidiis quatuor milia equitum deputatis; à quibus Rex intercep-

A. Dni. 1115.

A. Dni. 1114.

50

ceptus

ceptus est, ita vt nec fugâ liberari potuerit, nisi mortuis ex militibus suis M D. euersumq; sit per eosdem Turchos, Cœnobium in monte Tabor, & monachi interfecti: Tyrum quoq; cùm obsedisset, non expugnauit, vt sequenti dicetur capitulo: tamen in aliis tanta prosperitate vsus est, vt vix credatur narrantibus. Vidit quoq; Rex prudens Ciuitatem Sanctam quando ad remotas partes copiam trahebat militum, magno patere discrimini. Nam eam regionem Turchi tunc sæpius visitabant: erat quoq; tam pauci habitatores Latini, vt vix vnam ex principalibus stratis replerent: Suriani quoq; admodum pauci remanserant. Mittit proindè ad fideles quos vltra Iordanem sub Turchorum seruitute manere audierat. Illi libertate & possessione ædium allecti, cum familiis & animalibus properant: sic ciuitas Ierusalem habitatoribus repleta est. Deinde Rex collecto exercitu, Iordane transmisso, Syriam intrat Sobal; & indè desertum peragrat, & vsque ad Rubrum Mare descendit: reperitque Ciuitatem *Helym* in qua erant XII. fontes & LXX. palmæ: *Exo. XV.* Habitatores autem territi, naues conscendunt, ciuitatem eis liberè relinquentes. Rex postea ad castrum Regale rediit, & indè Ierusalem. Grauatus postea Rex de frequenti Tyrensium equitatu infra regnum, multoq; in mari nauigio, propter quod terrâ mariq; sæpiùs prędas agebant: vltra Ptolomaydam, ad quinque leucas propè Tyrũ, in loco fontibus irriguo, ac pascuis habundanti, pratis, & hortis, vbi Alexander olim Tyrum obsidens, *castrum Alexandrium* ædificauit supra mare, ipse reædificauit, *Scandalium* vocans. Saraceni Alexandrum, *Escandar* nominant: vulgari igitur corruptione, R. mutatâ in L. reædificatum castrum *Scandalium* vocatum est. Sequenti anno, Rex corde pertractans iniurias ab Ægyptiis illatas, cupiens eis rependere vices, congregato exercitu, per maritimam in Ægyptum procedit; & *Faramiam* ciuitatem capit, prædamq; bellatoribus diuisit. Ibi itaque de Nili piscibus comedens, profluuio ventris extinctus est: XVIII. annis quibus regnauit, variis auctus victoriis: qui nunquam in Ciuitate vbi Christus coronatus est diadema portare consensit: honorificè sepultus sub Caluaria, in loco qui dicitur *Golgotha.* M C X V I I I. anno regni sui XVIII.

A. Dni. 1118.

CAP. IX

Continet Balduini secundi Regis electionem.

BALDVINVS de Burgo II. Rex	*coniuges*	*MARSILIA filia Gabrielis Armeni.*

Melisent. I. Aylis. II. Hodierna III. Iuetanata post coronationem. IV.

IX.

POstquam *Balduinus de Burgo* XIIX. annis Edessanum rexerat comitatum, ascendit in cor illius vt visitaret Ciuitatem Sanctam Ierusalem; Regem quoque qui illi Comitatum contulerat. In via igitur de morte Regis recepit nuntium: & primò cõsternatus animo, tandem iter prosequitur, & in Ramis Palmarum, dum per portam vnam ciuitatis ingreditur, funus Regium defertur per aliam. Sepulto Rege, Prælati & Barones conueniunt, vt de futuro Rege deliberent. Inter cæteros *Iocellinus* dominus Tyberiadis, eorum aduertens controuersiam: quibusdam dicentibus, quia ius regni ad *Eustachium* Bononiæ Comitem deuolutum sit hereditario iure; aliis asserentibus ante ipsius aduentum possibile esse, eius absentiâ perire regnum: sic cunctos alloquitur: *Regni periculum, ex diutina Regis absentia, omnimodis cauendum congruè iudicatis: possibilem tamen hereditariam successionem respuere non debetis. Ecce præter huius rei notitiam, aduenit quasi missus diuinitus, in bellis probatissimus Edissenus Comes, consanguineus defuncti Regis: nec esset facile vndecunq; eligere parem illi. propinquitas igitur & probitas, meritò illi conferunt hunc honorem.* Recogitant plurimi auditorum quę huic ille intulerat: *suprà cap. VII.* Maiorem proindè adhibent fidem dictis: licet nonnulli aspirantem ad Edisseni Comitatus successionem, notare voluerint. Omnium igitur consensu in Resurrectione Domini, in Ecclesia Sancti Sepulchri Rex Ierusalem coronatus est, secundo Aprilis. Coronatus Rex, Iocellino in gubernatione regionis experto, Comitatum Edissenum concedit, suisq; heredibus: qui iussu Regis, Reginam, cum tota comitiua, transmittit in Ierusalem, filiasq;, ac Regis familiam. Tunc magnus Latinorum inimicus mortuus est *Alexius* Imperator, cui successit *Iohannes* filius, La-

tinis humanior. Mortuus est & Patriarcha *Hernoldus*: Cui successit vir Sanctus *Cormons*, natione Gallicus. Mortuus est & *Aegyptius Princeps*, qui ad terram Sanctam terrâ mariq; magnum transmittebat exercitum. *Ordo* quoq; *Templaris* militiæ tunc incepit: de quo infrà *part. VII. capit. III.*

CAP. X.

Continet Regis victoriam contra Turchos, eiusq; captionem, & Comitis Iocellini.

X. TVrchemanni Principem sibi cui seruirent elegerunt *Gariz*, cui coniungitur *Doldequinus* Princeps Damasci, & *Debeym* Princeps Arabiæ, ad aggrauandum pro posse Principatum Antiochiæ: & citra Alapiam castra metati sunt. Princeps verò *Rogerius*, licet Iocellini, Regis quoq; & Tripolitani Principis, auxilia implorauerit, tamen ante illorum aduentum congregatis sexcentis equitibus, peditibus verò tribus millibus, cum XX. mille equitibus congressus, animosus miles, sed vitiosus, Christianis omnibus penè cæsis, bello interemptus est. Hunc referunt *Boamundo* iuueni Principatum requirenti reddere noluisse carnalibusque vitiis fœdum, emendam tamen promisisse cum prodiret ad bellum. Rex deindè Antiochiam profectus, deliberatione habitâ simul cum Patriarchis Antiocheno ac Ierosolymitano, ex prędicto euentu afflictâ nimis Orientali Ecclesiâ, misit Legatos ad *Calyxtum* Papam secundum, simulq; ad *Dominicum Michaëlem*, Venetum ducem, petentes vt secundùm necessitatis exigentiam eis prouiderent, & necessaria ferrent auxilia. Paratur itaq; exercitus, cui prædictus dux Venetus præficitur: *Gariz* verò interim castra capit, & Christianis multa infert incommoda. Rex verò cunctis dispositis, illi obuiam vadit cum septingentis equitibus, præcedente Crucis vexillo, in cuius auxilio Christiani sperant victoriam; Turchi verò in multitudine bellatorum. Sed scriptum est: *non in fortitudine equi, neq; in tibijs viri, beneplacitum erit ei: beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Facto igitur congressu, MCXIX. in vigilia Assumptionis Dominæ, habuêre Christiani victoriam, interemptis ex eis septingentis peditibus, equitibus centum; ex Turchis verò, quatuor millibus, exceptis vulneratis & captis: prædicti verò tres Principes fugâ liberati sunt. Tunc Rex, Prælatorum, Baronum & omnium consensu, Antiochiæ Dominus factus est: munitis autem fortilitiis, in Ierusalem regreditur. Terra autem grauari cœpit multitudine locustarum vastantium segetes; & frequenti motu agitari propter onera peccatorum: factæq; sunt in terra pestilentia & fames. Congregantur proindè cum Patriarcha Prælati, cum Rege Barones Neapoli; fitque sermo, vt populus timeat Dominum, placetq; iratum: emendam cuncti promittunt. Editaq; sunt ibi capita XV. ad cunctorum reformationem. In eo concilio multi fuerunt viri probi, & famosi. Rex, sequenti anno, à mercatoribus pedagia cuncta summouit in Ierusalem: cunctaque liberè inferre, vel empta indè portare concessit: indè omnibus gratior effectus. *Doldequinus* Rex Damasci videns occupatum Regem, collectâ manu, Tyberiadis districtum vastare cœpit: sed aduenientem Regem expectare ausus non est. Indè versus Tripolim Rex properat, indignatus quia Comes sibi homagium negauerat: sed Baronum interuentu res debitum finem sumpsit. Indè Antiochiam pergit: nam *Balac* Admiratus Regis Alapiæ, in circuitu sæpius equitabat, elatus nimis: quia incautè equitantem *Iocellinum* Comitem Rages, & *Galeranum* consanguineum ipsius, de nouo apprehenderat. Rex deindè ad Comitatum *Rages*, desolatum valdè, properat: Balac verò à latere sequitur, vt offendat. Transiit igitur Rex Eufraten, cum priuatis familiaribus, nihil suspicatus aduersi: & dum nocte equitat, dormientibus multis, Balac comprehensum Regem ducit ad forte castrum vocatum *Quarta Petra*; & iuxta Iocellinum & sociũ, posuit in catenis. Indignati ex hiis plurimi Armenorum, vsque ad quingentos de melioribus congregantur: & sub habitu aut monachorum, aut mercatorum simulantium se querelas deferre iniuriarum ad dominum castri, occultato sub veste ferro, castrum intrant & capiunt, ac carcerem frangunt. Rumor fit in circuitu, & à Turchis castrum vndique obsidetur. In tanto tumultu Iocellinus euadit. Rex cum suis castrum munit: sed tandem contra venientem Balac tenere non valuit: ductus deindè in Caram in stricto ponitur carcere catenisque.

Psal. 146. 11. — A. Dni. 1119.

10 — 20 — 30 — 40 — 50

CAP.

Cap. XI.

Continet victoriam contra Turchos: & pacta Surianorum cum duce Venetiarum.

XI.

AVdiens *Princeps Aegypti* captum Regem, terrestrem ac marinum exercitum vndiq; congregat: *Ascalone* terrestris exercitus applicat; *Iaphe*, marinus LXX. galearum, cum cæteris multis nauigiis. Congregantur itaq; fideles non amplius VII. milia, inter quos infantes & mulieres computati sunt: Turchi verò vltra LXVI. milia computati sunt, præter eos qui erant in nauibus. Commisso itaque 10 prælio, valorem Christianorum militum experti Aegyptii, in fugam conuersi sunt: cecideruntque in prælio septem milia eorum; suisque spoliis ditati sunt fideles. Tunc quoq; *Dominicus Michael* dux Venetiarum, ad Terræ Sanctæ succursum properans, propter requisitionem superiori capitulo factam, apud Cyprum de Ægyptiorum exercitu informatus, Babylonicam classem inuasit. Tantus ibi sanguis est effusus, vt aquæ & aëris elementa corrupta sint: ibi Turchorum Capitaneus occisus est; nonnulli verò fuga elapsi sunt. Veneti quoque nequaquam continuò rediêre: sed versus Ægyptum procedentes, si fortè inimicis Christiani nominis nocere valerent vsque ad Ciuitatem *Larim* nauigantes, decem Turchorum naues reperiunt onustas mercibus, quarum præda, interfectis hominibus, 20 ditati sunt. Hoc audito Barones & Prælati, nuncios ad Ducem mittunt, rogantes, post salutationem, vt cum nobilium comitiua Ierusalem veniat: ibi à cũctis festiuè suscipitur. Interrogantibus verò si Terræ Sanctæ subuenire intenderet, bellisq; Saracenos atterere: hoc sui respondit esse propositi, causamq; aduentus. Tũc demùm terra mariq; *Tyrum* obsidere disponunt. Conueniunt quoq; cum Duce Barones in *Ptolomayda* vrbe, vt in omni ciuitate quam caperent Veneti, vnam rugam quietam & francam habeant, vnam Ecclesiam, vnum balneum, vnũ clibanum, omniaq; sua libera & frãca, sicut Rex: in Ptolomayda quoq; facere valeant clibanũ, molendinũ, balneum, mensuras bladi, vini & olei: omnia ista illis libera sicut & Regi concessa sunt. De Tyro quoq;, annuatim trecentos Bizantios, in festo Apostolorum Petri & 30 Pauli, de fontico dari debent. Et si Venetus cum Veneto causam habuerit, secundũ ipsorum morem & iustitiam iudicabitur. Ciuitatum etiam Tyri & Ascalonæ, si eas capi contingat, tertiam partem regaliter & liberè obtinebunt, sicut Rex alias duas. Verumtamen in defensione Terræ Sanctæ, secundum quod tertiæ partis redditus conuenienter tolerare possent, in commune seruitium Regis, defensores habere tenebantur. Fuerũt & aliæ conuenientiæ mutuæ: sed istæ in scriptis redactæ, & sigillis Prælatorum ac Baronum munitæ ac iuramento firmatę. Adiunctumq; est, quòd liberatus de carcere Rex, aut illius successor, hæc omnia confirmabit: quod si facere noluerit, pro Rege nequaquam habebitur.

Cap. XII.

40 *Continet Tyri conditiones, & situm, ac captionem.*

XII.

QVam difficilis sit ad expugnandum *Tyrus*, & situs ostendit, & obsidentium olim labor inutilis. In figura est rotunda, & penè ex omni parte marinis fluctib. cingitur: Sic enim Ezech. XXVI. dicitur: *Habitas in mari vrbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis.* Quę demum ciuitas aut regnum, vt Tyrus sustinuit impetum *Alexandri? Nabuchodonosor* etiam tribus annis & decem mensibus eam obsedit: & vt de proximis temporibus eloquamur, *Balduinus* bellicosissimus, cuius victoriæ in præcedentibus fuerunt insignes, cùm Tyrum quatuor mensibus obsedisset, & resistentibus viriliter Tyriis nihil proficeret, & multis inutiliter grauaretur 50 expensis, soluta obsidione, recessit. In Iosue quoq; XIX. cap. Scriptura Sacra, Tyrum munitissimam ciuitatem appellat. Est autem Tyrus supra mare, muro & antemurali, ac turribus eminentibus munita: portus eius idoneus & securus, infra mœnia præbebat nauibus stationem. Ex parte verò terræ, triplici muro crosso cingitur, habetque fossas profundas & latas, ad quas facile esset introducere aquas maris. Muri quoque XII. turribus munitissimis ornantur: turribus verò continuatur arx ciuitatis in rupe, in corde maris, & ipsa turribus ac palatiis distincta. Caput & Metropolis vniuersæ prouinciæ Phenicis: piscibus abundantissima, fontibus & riuis aquæ

dulcis irrigua, vineis & agris frugiferis amœna & fertilis ex parte Meridiei vsque Scandalium. Et ex parte Aquilonis, in eius territorio, in loco aliquantulum edito, est fons siue puteus, super quem fessus ex itinere, dicitur quieuisse Dominus IESVS: habet autem aquas limpidissimas intrinsecus ita copiosè scaturientes, vt omnia pomeria, & hortos olerum, & vniuersam regionem irrigent. Hunc autem Salomon

Cant. 4. 15. appellat *puteum aquarum viuentium*, in Canticis Canticorum. Erat quoq; ibi lapis, extra portam ciuitatis Orientalem, ad duos iactus sagittæ, inter arenas, super quē prædicauit CHRISTVS: qui locus arena illa nunquam operiri potest, licet per aëra volitet instar niuis, & tumulos faciat circa parietes vel sepes. Ibi & mulier deuotè clamauit: *Beatus venter qui te portauit* &c. *Veneti* autem multùm post victoriam secum de illo lapide detulerunt. Est quoque Tyrus ciuitas vetustissima nimis: Nam eam fundauit *Tyras*, filius Iaphet, & suo nomine Tyrum appellauit. Hebraicè dicitur *Sor*, nos verò *Sur* vulgariter appellamus. Ibi natus, eiusque Rex legitur fuisse, Africæ Rex *Agenor* Libiæ filius, ex qua Lybia nomen accepit, cuius filius maior *Catmus* Athenas ædificauit, & litteras Græcas inuenit. *Phenix* verò alter filius, toti regioni nomen imposuit: cuius filia *Europa* à Ioue rapta ex Africa, Cretamq; aducta, nomen suum dedit tertiæ parti orbis. *Dido* quoque in ea nata est, Carthaginensis conditrix vrbis. Deniq; qui eius laudes immensas scire voluerit, legat XXVI. Ezech. cap. cum duobus sequentibus: vbi *coronata* dicitur *ciuitas perfecti decoris: cuius negotiatores, Principes; institores eius, incliti terræ.* Sed & Zacharias cū eius laude hanc Christianorum victoriam cap. IX. nequaquam tacuisse videtur: *Aedificauit*, inquiens, *Tyrus munitionem, & coaceruauit argentum quasi humum & aurum quasi lutum platearum: ecce Dominus possidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius.* De Ptolomayda igitur exeuntes fideles XV. Februarii, terrâ marique Tyrum obsident. Veneti, per mare omnem accessum prohibent; per terram, cæteri. Ædificant deindè castellum ligneum, & applicant mœnibus: vtrinq; balistis & machinis, lapides & tela iaciunt: vtrinq; mira aggressionis & defensionis virtus ostenditur. Erāt enim in ciuitate *Damasceni* milites: quia tertiam partem ciuitatis Calypha Ægyptius concesserat Principi Damasceno, duabus sibi retentis. Erant quoq; in ciuitate copiæ & insignes diuitiæ, non modò propriæ, sed vndiq; quasi ad locum inexpugnabilem deportatę. Accessit extrinsecus animi vigor, ex aduentu *Pontij* Tripolitani Comitis, & confortabant se mutuò vniuersi. Dum hæc aguntur, *Ascalonitæ*, nocendo Christianis seduli, nactâ opportunitate ciuitatem Sanctam aggressi sunt: sed, auxiliante Deo, cum damno & pudore ad propria rediêre. Post hæc, clausi Tyrenses cœperūt affligi tædio potiores; in minoribus verò hoc aduertentibus, omnis animi vigor emarcuit: cœperunt & victualia minui. Dum hoc modo deficerent, Calyphę & Doldequino intimant periculum, ni impendant auxilium. Appropinquauit itaq; *Doldequinus* exercitui, ad quatuor leucas: sed Tripolitanum Principem, cum parte exercitus, expectare ausus non fuit. *Balac* quoq; qui Regem tenebat in carcere, collecto exercitu *Grisopolim* obsidet ciuitatem: cuius domino, ad colloquium vocato, caput amputari iussit. Vt verò res innotuit *Iocellino*, cum suis illi obuiam processit: & facto congressu, Iocellinus hostem inuadit: Balac dirè percutit; & tandem caput præcidens, misit Antiochiam, orans vt Baronibus Tyrum obsidentibus pro solatio mitterent: quod factum, sicut Christianis gaudium; ita Tyrensibus afflictionem immisit. Finaliter hoc pacto ciuitas Christianis reddita est: vt Turchi, cum suis familiis, ac mobilibus, salui abscedant ac liberi; qui verò in ciuitate manere elegerint, congruè pertractentur. Ciuitate igitur per deditionem accepta, in turribus ponuntur vexilla: primò Regis; secundò, Venetiarum ducis; Tertiò Tripolitani Comitis, MCXXIV. vltimo Iunij.

Luc. 11, 27. — A. Dni. 1124.

CAP. XIII.

Continet Regis liberationem: magnasq; victorias contra Turchos.

XIII. MOrtuo *Balac*, Rex, promissâ pecuniâ, datis obsidibus, post captiuitatem XVIII. mensium liberè dimittitur: & Antiochiæ modum inquirit inueniendæ pecuniæ, & obsides liberandi. Tandem conueniunt vt aggrediantur *Alapiam* immunitam: ciues autem grauati, vel dabunt pecuniam, vel procurabunt obsides liberari. Illi obsessi amicis referunt, etiam vltra Eufraten: ni eis celeriter succurratur, ciuitas capietur. Veniunt proindè in auxilium

septem

septem milia equitum, exceptis cursoribus. Hoc cognito Rex obsidionem soluit, Antiochiam rediens,& indè in Ierusalem. Tunc *Burchequinus*, magnus inter Orientales Turchos,cũ multo exercitu ad partes Antiochiæ descendit, cuncta deuastãs: eratq; cum illo *Doldequinus* Princeps Damasci. Requisitus Rex, ad succurrendum Antiochenis properat. Interim Turchi castrum *Caphardan* obtinent: deindè transacta parua Suria obsederunt castrum *Sardum*: & nihil proficientes, ad tertium perrexerunt vocatum *Arxat*. Interim Rex cum Tripolitano Principe illis appropiat cum equitibus MC. peditibus verò duobus milibus:& contra XV. milia congressus, campum obtinuit, interfectis ex Turchis duobus millibus, cæteris fugatis aut ca-
10 ptis;ex Christianis verò XXIV. tantùm interempti sunt. Præda verò ditati Barones, munera Regi obtulerunt ad obsides redimendos:post redemptionem autem eorũ, cũ multa gloria Ierusalem rediens castrũ fortissimum erexit in monte Beriti, vocatum *Glauien. Doldequinus* etiam post dictam victoriam, magna data pecunia, à Rege treugam ad tempus obtinuit: quo transacto,Rex collecto exercitu per Damascenũ regnum ad libitum equitat:& multa vastans,ditatus prędis,sine damno,reuertitur. Audiens quoq; tunc *Ascalonam* ab Ægypto nouum exercitum aduenisse:quater enim in anno ciuitatem Christianis infestam,bellatoribus,armis & victualibus muniebant: Rex in insidiis latens,missis cursoribus prædam simulantibus,nouos bellatores ad exitum prouocauit: & redeuntibus obuiam factus, LX. ex eis trucidauit;
20 nonnullos captiuos duxit, MCXXVIII. Rex vndique congregato exercitu, viam in Ægypto simulat: sed ad aliam partem tendens, ciuitatibus decem pertransitis,in districtum Turchorum profundè intrat, transiitque per districtam vallem, dictam *Caput Raab*, quousque venit in terram *Domedam*, planum videlicet longum & latum, vndè labitur fluuius, & inter Tyberiadem, Citople, & Bethsan mare intrat Tyberiadis. Indè peruenit ad ciuitatem vocatam *Salome*, vbi Christiani habitabant,quia nulla eis inferebatur offensa. Indè in conuersione Sancti Pauli transierunt vsque ad locum vocatum *Megisophar*, vbi Saulum Christus corripuit, cùm pergeret Damascum. Illic post duos dies quietis, *Doldequinus* princeps Damasci Christianos aggressus est:& acriter vtrinq; bellatur vsq; ad vesperam. Transibat, autem
30 Rex per medias acies,nominatim milites vocans, & monẽs benè agere; verecundũ asserens illos canes,tamdiu potuisse taliũ militũ sustinere insultũ. Toto proinde conatu ipse in strictiores prosiliit acies, diuisitq; gladio,strictis pugionibus sequẽtibus sociis. Doldequinus è contra suos hortatur ne pereant cum vxoribus,liberis,& patria. Tandem pedites Christiani in Turchos,vbi erant strictiùs congregati,irruunt; & pedites confodiunt,equos vulnerant. Rex verò,per illos quasi leo transibat,optimis sociatus militibus: multus ibi sanguis effusus est; interfectaq; sunt Turchorum duo milia:ex Christianis verò XXV. equites;pedites verò, XXIV. Christiani ergo pro tanta victoria Deo gratias agentes, festiuè nimis in Ierusalem regressi sunt. Post hæc, *Pontius Tripolitanus Comes*, auxilio Regis, ciuitatem quandam sibi vicinam vo-
40 catam *Raphaniam*, post XVIII. dies obsidionis obtinuit.

A. Dni. 1128.

CAPVT XIV.

Continet Boamundi & Regis mortem: & sublimationem Fulconis tertij Regis Ierusalem.

XIV.

POstea *Boamundus* factus annorum XXVIII. de Apulia veniens, à Rege Principatum Antiochenum accepit;& *Aylisiam*, secundam eius filiam,accepit in coniugem. Cupiens autem amissum recuperare castrum *Caphardan*, congregato exercitu illud obsedit, machinasq; erexit, & felici initio victor obtinuit: & captis ditissimis Turchis,vitam pecuniâ concedere noluit,vt in Turchos conceptum animi ostendat rigorem. Sequenti vere *Fulco Andegauensis Comes*, qui priùs vno anno,centum
50 milites in Terra Sancta ad suas expensas tenuerat, Ptolomaydæ applicuit, vocatus à Rege ac Baronibus. Huic infra L. dies,iuxta promissum, Rex filiam primogenitã *Melisendam*, dedit vxorem,& cum ea Ptolomaydam & Tyrum. Ille verò blandè in omnibus Regi,velut patri,obtemperare studuit. *Gormons* Patriarcha Ierosolymitanus moritur,cui *Stephanus* Abbas, vir multæ religionis successit. De Francia proindè rediit *Hugo*, primus magister Templi, missus ad implorandum auxilium a transmarinis Principibus,multam gentem adducens peditum equitumq;. Lætatus Rex, cum Fulcone & Comite Tripolitano & Principe Antiocheno,deliberant obsidere

A.Dni. 1130.

Damascum M C X X X. Congregatis igitur regni viribus, putant Damascum, aut vi obtinere, aut ad deditionem cogere. Equitantes igitur, ad locum peruenerunt *Megisophar*; miseruntq; per circuitum discurrentes, ad victualia acquirenda: euntes verò lucri cupidi in loca varia disperguntur, & damnis illatis multimodam conduxêre prædam: tunc equites, securitate conceptâ, auiditate prædæ per terram diuisi, lucris inhiant. *Doldequinus* verò, Damasci Princeps hoc ipsum obseruans, eos insequitur, & vbiq; inuentos trucidat: fugientes ergò ad exercitum, casum denuntiant; illi sociis succurrere festinant; sed nil agunt: fuerat enim Dei voluntas: peccauerunt enim decori Iustitiæ: tantus enim se imber infudit, vt vix quisquam socium cernere posset; tanta violentia venti, vt vix equis insidere valerent. Aduertuntq; prudentes, propter peccata hoc sibi contingere; ibiq; confundi vbi quater habuerũt victorias: & vbi vicerunt cum paucis, nunc cum multitudine superantur. Barones itaq; nil vltra valẽtes, quasi desperati, ad propria rediêre. Patriarcha Ierosolymitanus etiam moritur, illiq; succedit *Guillelmus*, Prior Sancti Sepulchri, natione Flandrensis. Postquam verò *Boamundus* Antiochiam rediit, *Rodoans* Princeps Alapiæ, cum multo exercitu intrauit terram Antiochiæ. Boamundus verò cùm in planitie quadã Ciliciæ, nihil aduersi suspicatus quiesceret, hostes, eius status certiores effecti, in Christianos subitò irruunt; & Principẽ cum cæteris qui fugere nequiuerunt, trucidant: requisitus Rex, in auxilium Antiochenis properat. Interim verò, *Aylis*, relicta Principis Antiochię, sibi vsurpat dominium, inuitis proceribus: & quosdam muneribus sibi reconcilians, ad *Sanguinum* magnum Turchum transmittit cum muneribus nũtium, vt suo possit auxilio dominari: sed captus nuntius, Regi oblatus est. Prohibet deindè Regi introitum: introducto etiam in Antiochiã Rege, in turri filia se tutatur: sed Baronum interuentu, Rex profitenti culpam indulget filiæ, eiq; *Lizam*, & *Gybel*, maritima assignauit loca, ciuitatem muniens: & pro *Constantia* nepte sua, ex dicta filia, tanquam veræ heredi, iussit seruari: Ierusalemq; profectus est. Ibiq; cœpit Rex grauiter infirmari, & coram Patriarcha & Baronibus, se Regali exuens dignitate, genero FVLCONI, filiæq; sceptrum regni concessit: dixitq; se velle CHRISTI amore in pauperie mori: & canonicorum regularium Sãcti Sepulchri habitum sumpsit: vbi & sepultus est, sub monte Caluariæ, ante Golgotha. M C X X X I. die Augusti. x x.

A.Dni. 1131.

CAP. XV.

Continet honorabilem Iocellini mortem: & magnam Regis victoriam: duorum quoq; ædificationem castrorum.

XV.

IOcellinus propè Alapiam, dum turrim quandam vellet dirui, sub turris ruina comprehensus, infirmus lecto diu decubuit. Venit tandem Soldanus Yconii, & obsedit Iocellini castrum, vocatum *Croisson*. Ille vocat filium Iocellinum iam adultum, eiq; mandat, vt congregatis pugnatoribus Soldanum ab obsidione amoueat: Ille mentis inops, potentiæ Soldani se ait nõn posse resistere. Intellexit tunc pater, qualis ei in Principatu succederet; & se in lectica contra Turchos deportari iussit. Dum verò adhuc esset in via, recepit nuntium, quòd Soldanus, audiens quòd in lectica se portari iussisset, obsidione solutâ recesserat. Iocellinus verò lecticâ in terra positâ, manus & obtutus ad cœlum erigens, pio corde ac ore multas gratias Deo egit, pro honore ac beneficiis in vita receptis; & potissimè quòd iacens semi-mortuus in lectica, potentem aduersarium terruerit nominis Christiani. Cognoscebat enim hæc omnia, non nisi à Diuina bonitate & curialitate procedere: Et hiis dictis, spiritum cœlo reddidit. Cui successit filius *Iocellinus*, iuuenis ætate & moribus, ebrietate & crapulâ vitiosus, luxuriaq; fœdus. Proceres verò Antiochiæ Regi nuntiant, multitudinẽ Turchorum de sinu Persico ebullientẽ replesse terram. Rex igitur collectâ manu in auxiliũ pergens, processit vsq; *Segetã*: Ibi soror eius Comitissa Tripolis obuiam facta, cum lachrymis deprecatur vt Dominum & fratrem, vt se a *Sanguino*, Alapiæ domino, defendat, qui eam in *Monte Ferrato* obsidere conatur: allegans, quia Comes vir eius, ni auxilium habeat, diutius non poterat se tueri. *Sanguinus* verò audito eius aduentu, obsidione solutâ recessit. Antiochiam deindè pergens Rex,

Rex, cognouit quieuisse Turchos versus Alapiam, in loco vocato *Canistreue*, satis propè Antiochiam. Igitur nocte suos arma capere iussit: illosq; aggressus per tentoria & papiliones & castra, nihil aduersi suspicatos, vsque ad tria milia gladio percussit, captiuos ducens multos, & prædam impretiabilem. Interim verò Patriarcha, & ciues Ierosolymitani, venientes ad ciuitatem *Nobe*, postea dictam *Bethnoble*, in descensu montium ad planum, in via, quâ itur Lidam, & ad mare, ibi ædificauerunt castrum forte vocatum *Hernaut*, pro tutela transeuntium Peregrinorum: quia Ascalonitæ ibidem, Christianos sæpè per insidias trucidabant. Antè verò quàm de Antiochia Rex exiret, Barones, eius consilio, pro Raymundo, Gulielmi Pictauiensis Comitis filio mittunt, vt puellam heredem cum Principatu Antiocheno accipiat: oblatum munus, lætus ille suscepit. Barones deinde regni, ad arcendum Ascalonitarum insultus, *Bersabee* in fine montium, in descensu ad planitiem, reædificant: muris munientes & turribus altis, & latis foueis, ac barbacanis antè ianuas: distat autem locus ab Ascalona, leucis quasi XII. datusq; Hospitalariis est, vt custodiant illum.

CAP. XVI.

Continet mortem Tripolitani comitis: & aduentum Imperatoris Constantinopolitani contra Antiochiam.

XVI.

PONTIUS Tripolitanus comes, principi militiæ Damasci *Benzenge* occurrit, sub castro vocato *Mons Peregrinorum*. Tunc Suriani, incolæ montis Libani, relicto Comite fugiunt: imò & captum Comitem, trucidari per Turchos faciunt. Successit ei *Raymundus* filius, qui collectâ manu, inopinatè proditores aggreditur, & cōscios paternæ cædis interimit. Audiens verò *Iohannes* Constantinopolitanus Imperator proceres Antiochiæ, sine ipsius coniuentia, nouum vocasse Comitem, iniuriatum se reputans, quia sibi de homagio teneretur, anno integro parat exercitum, captisque *Tharso*, *Adene*, *Malmistra*, & *Anauiaza*, Antiochiam obsedit. Tunc *Sanguinus* processit ad obsidendum castrum dictum *Monsferratus*. Princeps verò Tripolitanus, Regis auxilium petit, & impetrat: & in via, nuntiis & litteris recurrentibus, Antiochenas supplicationes recepit, vt celeriter ferat opem. Prælegit autem Rex, Sanguinum ab obsidione repellere: & per homines regionis, ductores exercitus, relictâ à sinistris viâ planâ, & tutâ, stoliditate an malitiâ incertum, viam montium periculosam & artam eligunt. Lætus indè effectus Sanguinus, primam exturbat aciem, indeque confunditur exercitus Christianus. Et cùm non posset Rex illis esse præsidio, consilio Baronum, ad castrum confugit, interemptis vel captis ex magna parte peditibus, & pluribus militibus: princeps quoque Tripolitanus, & ipse captus est. Obsidet deinde castrum Sanguinus, affectans cum Baronibus capere Regem: machinis igitur muros & turres diruit: inclusos quoque cognoscit fame affligi, & rerum inopiâ. Rex ab Antiochenis & comite Edisseno, Patriarcha quoque Ierosolymitano, in tanto discrimine petit auxilium. Cùm verò Sanguinus prope esset, vt castrum haberet, auxilium ab Antiochia & Rages Regi aduenire cognoscens, suadet Regi vt castrum reddat, Comitem autem & cæteros captiuos recipiat, ac liber recedat: sicq; factum est. Rex postea de montanis descendens ad planum, versus Rages perueniens, obuiauit Baronibus in auxilium ei properantibus. Princeps verò Antiochenus, viso Rege, ad propria celeriter rediit: & cum fieret Græcorum & Latinorum cædes, non sine Turchorum lætitia, pax per prudentes tractatur viros. In hocque conueniunt, vt Princeps Imperatori faciat homagium, & intra ciuitatem recipiat quemcunque ei placuerit intrare: & Imperator similiter illi iurauit, vt si posset acquirere *Cæsaream* Cappadociæ, *Alapiam*, *Haman*, & *Niceam*, eas donabit Antiocheno Principi. Firmatis itaque pactis, Imperator Principem, amplis honorauit donariis: vexillum verò Imperatoris, super castrum positum est: nec multò post Tharsum ad yemandum rediit.

CAP. XVII.

Continet quædam Imperatoris itinera, ac mortem: & Belinæ ciuitatis recuperationem.

XVII. ACcidit eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, vt Imperator conuocatis Antiocheno Principe & Comite Edisseno, ad obsidendum *Cæsaream Cappadociæ* pergeret: & cùm magnum Imperator cum Græcis fecisset insultum, nec vsque ad vesperam comedisset, Princeps prædictus, & Comes discalciati ac sericis induti, totâ die luxibus ac conuiuiis vacantes, eorum qui probè egerant vulnera deridebant. Imperator hoc cognito eos benignè redarguit, allegans, quia in hoc DEI seruitio magis Principis vtilitati consuleret, quàm propriæ. Post correctionem promissam, Imperator in Latinis emendam nullam reperiens, suos iubet acriùs impetere ciuitatem, & capto burgo, multitudinem gladiis secant: tandem cùm propè esset, vt castrum caperet, magnâ sumptâ thesauri copiâ, ne ingratis seruiret, solutâ obsidione versus Antiochiam rediit, & in Constantinopolim reuersus est. *Sanguinus*, Alapiæ dominus æmulusq; nominis Christiani, ad regnum aspirat Damasci. Requisitus Rex vt Damascenis succurrat; & ne sui exitio, proximi ardere sinat parietem: promittentibus versâ vice cum Rege esse ad recuperandam *Belinam*, quam Doldequinus abstulerat, & cuidam Turcho custodiendam assignauerat, qui Sanguino illam dederat: consilio Baronum promittit auxilium. Sanguinus, vt Damascenis iungi cognouit exercitum Christianum, campo discessit, & post obsidionem dierum aliquot agente fideliter *Haynars* Principe militiæ Damascenæ: nam & ipse vicinitatem sæui Sanguini metuebat: Rex ciuitatem per deditionem accepit. Imperator quoq; *Constantinopolitanus*, postquam annis quatuor in suo quieuerat Imperio, pluries requisitus, Antiochiam venit: & infra ciuitatem nequaquam admissus, in Ciliciam rediit, intendens post hyemem grauare rebelles: sed dum sagittâ venenatâ aprum ferire satagit, manum propriam vulnerat: Iuniorque filius, qui secum aderat, *Emanuel*, ad Imperium sublimatus est: *Isaac* verò maior natu, qui de via ad sepeliendum duos fratres suos, vna die in itinere defunctos, iussu patris Constantinopolim redierat, subiici illi coactus est. Regina autem Ierusalem, apud Bethaniam Sanctimonialium nobile ædificauit cœnobium.

CAP. XVIII.

Continet laudem Regum atq; victorias: ordinem quoq; totius maritimæ regionis: & mortem Regis Fulconis.

XVIII. *Eccle. 44, 1.* DIfficile est prosequi quàm felices illi Reges, dilectusq; DEO populus Christianus dilatauerint fines regni. Laudare certè decet viros illos gloriosos in generatione sua, homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, quorum memoria in benedictione est. Et primus quidem Regum *Faramiam*, quæ est in littore maris sita, non longè ab ostio Nili, antiquissimam vrbem, violenter effractam potenter obtinuit: in hac ait frater *Broccardus* Theotonicus, postea nullum remansisse habitatorem, quia serpentes eam penitus occupauerant: & inde vsque ad Tampni, sunt leucæ xx. de qua in Psalmo: *Qui fecit mirabilia in campo Tampneos.* *Psal. 77, 15.* Ibi Moyses & Aaron immorati sunt: & est terra Gessen, vbi habitauerunt filii Israël. De Tampni vsque *Memphis*, quæ nunc *Damiata* dicitur, sunt leucæ xv. & distat à mari per duas leucas. Antiqua autem Damiata, vt ait, funditus est destructa: sed fecerunt Saraceni iuxta eam aliud casale longum, nec munitum, ad naues collocandas & merces colligendas. Post Faramiam sequitur alia antiqua ciuitas, sita in solitudine propè mare, quæ *Laris* nominatur. Deindè sequitur ciuitas quinq; stadiis distans à littore maris, vocata *Belbeis*: Ezech. autem xxx. Pelusium nominatur: *Effundam*, inquit Deus, *super Belusium indignationem meam.* Hæc quidem omnia Christianus exercitus suo subiecit dominio, vltra vltimam Ierosolymitani regni munitionem, quæ *Darum* vocitatur, in maritima terra Ægypti. Est autem Darum præsidium quoddam seu oppidum in confinibus Idumeæ & Palestinæ situm, quinq; stadiis distans à mari. Hanc munitionem Rex quintus Ierusalem, aliquantulum eminentiori loco fundauit, formâ rotundâ, quatuor turres angulares habentem, vbi quondam fuerat monasterium Græcorum: vndè adhuc priscum nomen retinet *Darum*, id est, *domus Græcorum.* Sequitur deinde *Gaza*, ciuitas antiquissima

sima à prædicta munitione: * vna quondam ex quinq; ciuitatibus Philistinorum. *Hæc est deserta: Act. 8.* Quam diruptam & habitatoribus vacuam, Rex quartus Ierusalem reædificauit; & in parte collis aliquantulum eminentis, supra quem dicta ciuitas situm habuerat, præsidium fundauit; fratribusque militiæ Templi, vt ab hostibus defenderent donauit, perpetuò possidendam: Fores autem portæ ciuitatis huius Samson (*Iud. 16.*) dormiens vsque ad noctis medium, maneque consurgens tulit; & ascendit ad montem, in figura CHRISTI in sepulchro dormientis, & portas inferni confringentis, & ad montem gloriæ ascendentis. Sequitur *Ascalona* ad milliaria decem in littore maris sita, formam habens quasi arcus vel
10 semi circuli, cuius corda iacet secus ripam maris ad Occidentem. Hanc, post omnes alias ciuitates vltimò à Saracenis detentam, Rex quintus Ierusalem laboriosissimè subiugauit. Hæc antiquitus *Phylistiim* appellata est, metropolis Palestinæ: Herodes quoque, ab ea Ascalonita dictus est. Sequitur ad decem milliaria *Azotum*, distans non longè à mari: nunc ad parui casalis quantitatem redacta est: vbi Phylistiim (*1. Reg. 5.*) reposuerunt arcam DEI in templo Dagon dei sui: sed cùm surrexissent diluculo Azotii, die alterâ, inuenerunt Dagon prostratum antè arcam DEI, quasi eam adorantem. Sequitur *Acharon*, octo distans millibus ab Azoto: propè mare sita est: Sequitur *Geth*, non longè à Lida & Ramula: in colle aliquantulum erecto sita fuit: ex lapidibus autem eius, quæ dudum vastata fue-
20 rat, Rex iste *Fulco*, in eodem colle, ædificauit præsidium cui nomen *Ybelin*, & Baliano dedit. Deindè in colle iuxta planum quod respicit Ascalonam, ædificat *Albam Speculam*, castrum Ascalonitis mirabiliter nociuum, in distantia octo leucarum. Regnauit autem annis XI. dum autem in territorio Acon leporem insequendo, equo præceps rueret, vitâ functus est: relinquens *Balduinum*, filium primogenitum annorum XII. alium filium *Almericum*, annorum. VII. *Bersabee* quoque dictam vulgariter Gybelyn, terminum Terræ Promissionis versus Meridiem, ad radicem montis sitam, in initio campestrium, inter montes & Ascalonem, Christiani erexerunt, antequam possent capere Ascalonem, ad Ascalonitarum superbiam & violentas irruptiones commodiùs reprimendas. De *Geth* fuit
30 Golias gigas (*1. Reg. 17.*) quem interfecit Dauid. Per has quinque ciuitates Phylistinorum, circumducta fuit arca Domini. Quandocunque delata est ad aliquam harum ciuitatum, ciues percussi sunt grauissimâ dysenteriâ, & mures ebullientes corrodebant extales eorum. Post prædictas autem quinque ciuitates Palestinorum, sequuntur aliæ ciuitates atque munitiones: *Iopen* scilicet, *Arsur*, *Cæsarea Palestinæ*, *Cayphas*, *Ptolomayda*, *Tyrus*: de quibus omnibus, supra IV. & V. capit. dictum est. Postea *Sarepta*, quam frequentabat Elyas: ibi iuxta portam ciuitatis modicam capellam ædificauerunt Christiani, vbi filium viduæ suscitauit. Postea *Sydon*, *Beritum*: de quibus supra cap. 5. *Biblium*, quod vulgariter dicitur *Gybeleth*, supra littus maris in prouincia Phenicis, quondam *Euea* appellabatur, quia
40 fundata perhibetur ab Eueo filio Chanaan: de hiis 3. Reg. 5. *Biblij præparauerunt ligna & lapides, ad ædificandum domum Domini.* Sequitur *Botrum*, dictum vulgariter *Botron*. Postea castrum, quod *Nephyn* appellatur: postea *Tripolis*, vbi dicebantur esse quatuor mille textores serici & cameloti, & similium: terra illi adiacens per leucam in longitudine, & per dimidiam in latitudine, erat quasi Paradysus, *zardinis* ornata, abundans vineis, oliuetis, ficetis, cannamellis. Libanus, distat à ciuitate ista per tres leucas: ad eius pedem oritur *Fons hortorum*, fluens impetu de Libano: (*in Canticis:*) iste fons rigat totam planitiem, & sunt aquæ optimæ, dulces & frigidæ; circueunt etiam *montem Leopardorum*, qui satis est altus, & apparet rotundus, vnâ leucâ distans à Tripoli. Faciunt autem fluuium magnum,
50 qui in tres fluuios diuisus intrat mare. Postea *Arachis*, per vnum milliare distans à mari. Postea *Anteradum* vel *Tortosa*. Sequitur deindè *Aradium*, *Valania*, cum castro *Margath*, *Gabulum*, vulgariter dictum *Gibeb*: & inter omnes vltima, ex parte Antiochiæ situm habens egregium, & temporalium vbertatem, est ciuitas, *Laodicia Syriæ* nuncupata: est enim alia, vna de septem Ecclesiis Asiæ. Quædam etiam Mediterraneæ ciuitates, quas Christiani expugnare non potuerunt, maximè vltra iuga Libani, eis tributariæ factæ sunt, quæ propter vicinitatem poterant à fidelibus commodiùs vexari: vt ciuitas *Emessana*, quæ hodie *Calamela*

1. Reg. 5, 6, &c.

3. Reg. 17, 10, 17.

Cant. 4, 15.

Ap. 1.

vel *Calamele* nuncupatur & in Cele Syria *Elyopolis*, quæ alio nomine dicitur *Mahubeth*, & *Haman*. Calypha quoq; & Soldanus Ægyptius eorum impetum non ferentes, multa annuatim Regi Ierosolymitano tributa soluebant. Rex quoque Damasci, data magnâ summâ pecuniæ, procurabat treugas, vt securitate gauderet. Contra verò ciuitates memoratas, pluresq; alias quas non poterant suo dominio subiugare, in extremitatibus terræ suæ, præter ea, quæ præmisimus versus Ægyptum constructa ex aliis partibus, castra & loca munitissima & inexpugnabilia erexerunt: vltra Iordanem, *Montem Regalem*: de quo supra 5. cap. qui & *Petra deserti* dicitur, & vulgariter dicitur *Crach*: quæ est in finibus Moab, & in monte sublimi. De hac Isay: 16. cap. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Syon.* Indè enim post peregrinationem rediit Noëmi, de qua natus est Dauid, de quo CHRISTVS. Cis verò Iordanem, *Sapheth*, castrum munitissimum inter Ptolomaydam & mare Galileæ, non longè à montibus Gelboe & Belueir, non longè à monte Tabor, iuxta ciuitatem egregiam quondam & populosam Iezraël, inter Citopolim & Tyberiadem, in loco sublimi. Meritò igitur gloriosos illorum triumphos narret omnis Ecclesia Sanctorum, qui supra mare nullam reliquerunt ciuitatem aut munitionem, ab oppido Faramia, vsque Laodiciam Syriæ, quam non subiecerunt nomini & cultui Christiano: omnes quoque ciuitates ab oppido Pelusio, quod in solitudine est in finibus Ægypti, vsq; ad Edessam & Charan, & confines comitatus Edessani, trans fluuium Eufraten, in regione Mesopotamiæ, per spatium dietarum vltra viginti.

CAP. XIX.

Continet quædam gesta Balduini quarti Regis Ierusalem: & transfretationem Imperatoris Conradi, & Lodouici Regis Franciæ, cassumq́ laborem.

I. A. Dni. 1143. A. Dni. 1145.

FVlcone mortuo M. CXLIII. Regnauit BALDVINVS filius eius. Hic Gazam reædificauit: *supra capitulo præcedenti*. Huius tempore, anno videlicet M. CXLV. *Sanguinus* Edessanam ciuitatem capit: de quo infrà part. 9. cap. 2. Gulielmo Ierosolymitano Patriarchæ successit *Fulcerus*. Deindè ad ciuitatem *Columbar*, sitam super Eufraten, expugnandam accessit: ibi, procurante domino ciuitatis, quadam nocte ebrius, ab Eunuchis suis interfectus est. Manè verò omnis exercitus ad propria rediit, successitq; illi *Cotebedinus* in Mussula, filius eius maior; in Alapia, minor *Norandinus*. Obtulit autem quidam Princeps Turchorum, qui Armenus fuerat, Regi optimam ciuitatem Arabiæ, vocatam *Bostre*, nunc verò appellatur *Bosereth*, & vnum forte castrum, vocatum *Scalcath*. Rex itaq; collecto exercitu iuxta mare Tyberiadis, Iordanem transiit, & per Traconitidem regionem iens, à Turchorum multitudine insidias passus innumeras, periculaq; grauia, cùm post dies aliquot propè ciuitatem venisset, & eam habere speraret, vxor dicti Principis ipsam in manibus Turchorum, aliorumque aduersariorum dedit. Christiani in summo periculo sunt constituti, dum redeunt, procurantibus Turchis flammam ignis ac tetrum fumum in facie eorum: & cùm nullum humanum adesset remedium, Archiepiscopo Nazareth, qui Crucem CHRISTI portabat, supplicant, vt pro se oret ad Dominum. Ille, de equo descendens, lachrymosis orauit oculis pro populo ante Crucem; & continuò flamma contrario vento retorta, inimicos Crucis CHRISTI per deuia errare coegit: consequenter verò cùm passum difficilem pertransirent, & ductore carerent, apparuit miles quidam albo equo insidens, vexillum rubeum cum alba cruce, manu tenens, viamq; ostendens, & completo ministerio nunquam comparuit. Debilitatâ vero Christianitate in partibus Orientis, ex amissione Edissenæ ciuitatis, Crux denuò prædicatur. Vndè & Rex Francorum *LODOVICVS*, apud Viceliacum, cum regni Principibus & multitudine innumerabili Crucem accipiens, transmarinam peregrinationem assumere proponit. *Conradus* etiam Imperator sequenti anno, id est, M. CXLVII. & penè cuncti Principes eius à *beato Bernardo* crucem assumunt apud *Fraquenefrot*: sociiq; peregrinationis eius, multiplicati sunt super numerum. Vterq; enim Principum, circa LXX. milia equitum habuisse dicitur. Quid putas fecissent CXL. millia equitum, si fuisset DEVS cum eis? Ad prædicationem enim ipsius tantus erat cócursus, vt in vrbe Spirensi, Rex Conradus depositâ clamide in propriis vlnis eum, ne comprimeretur, susciperet, & extra

A. Dni. 1147.

tra Ecclesiam deportaret. Mense igitur Madio virtute incomparabili peregrinationem aggressus, transito prosperè Brachio Sancti Georgii, dimissâ ad leuam *Galatiâ*, pertransitis duabus ciuitatibus *Ponte* vocatis; dimissisq; à dextris terrâ *Frigiâ*, *Lidâ* & *Asiâ paruâ*, venit *Nicomediam*, & pertransiit *Niceam* intrauitq; terram *Licaoniæ*, rectâ & magnâ stratâ dimissâ: & dum ad expugnandum *Yconium* inconsultè diuertit, consumptis terræ germinibus & deficientibus victualibus, cum suis fame afflictus rediit, & persequentibus eum Turchis: conuenerant enim ex omnibus partibus Orientis: Græci quoq; ductores, conscio *Emanuele* Imperatore, per vias prauas & periculosas duxerant exercitum, & in via reliquerant, cùm eum in maiori cognouerunt periculo: & ita vix decima pars euasit. Et postquam diu in Constantinopolim recreatus est, in Ptolomaydam nauibus transuectus est. *Rex* verò *Franciæ* cum Imperatore concordauerat, vt per *Bayuariam* transirent: non tamen simul propter defectum victualium: & transmisso Danubio per *Vngariam*, *Panoniam*, *Bulgariam*, ripe dimittendo ad leuam pergerent vsque *Pueple* & *Andrinopolim*, & indè *Constantinopolim*; & pertransito postea Brachio Sancti Georgii, intrarent *Bithiniam*, primam terram Asiæ, & ante Calcedoniam castra metarentur. Cognito autem Imperatoris casu, Rex Franciæ versus Asiam minorem tendit, & versus maritimam: dimissaque Philadelphiâ venit *Smiram*, deindè *Ephesum*. Deindè Rex venit ad aquas de *Menandre*, vbi multitudo est Simiarum: & repugnantibus Turchis aquam transeunt. Fuit deindè pugna grauis, & de aliquali victoria Franci gauisi sunt, obtentâ prædâ: deindè ad *Liciam* peruenientes, recentia sumpserunt cibaria. Postea in transitu cuiusdam montis Turchi Gallorum magnam ediderunt stragem. Errabat ex tunc exercitus in via, nunc ad dextram nunc ad sinistram pergens: donec *Sataliam* vsque peruenit, quæ ciuitas supra mare sita à Græcis possidebatur. Ibi Rex ascensis nauibus nauigare cœpit, ad leuam relinquens *Ciliciam* & *Isauriam*, à dextris *Cyprum*, & ad *portum Sancti Simeonis* vsque peruenit: indè verò per terram Ierosolymam iuit, ibique Imperatorem reperit. Eodem anno Veneti, sub *Iohanne Polano* Capitaneo, magnum ad Terram Sanctam transmiserunt auxilium. Reliqui autem Franci, etiam per deserta, dolo & astutiâ Græcorum & assultibus Turchorum, detrimenta passi, fameque cruciati, ità vt nonnulli equorum & asinorum carnibus vescerentur, vixque tandem *Seleuciam* peruenerunt: & indè *Antiochiam*, & *Palestinam* nauibus petierunt. *Balduinus* itaque cum Imperatore Romano, Rege Franciæ, Patriarcha Ierosolymitano, *Portuensi Episcopo*, Apostolicæ sedis Legato & cum multis aliis Archiepiscopis, & Episcopis, Ducibus, Comitibus aliisque Baronibus, tam de regno quàm aliundè, Damascum obsedit. Est autem *Damascus* ciuitas antiquissima, cunctas Orientales penè excedens in populi quantitate. Hanc ædificauit seruus Abrahæ de quo *Genes. cap. xv.* dixit Abraham: *Filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer erit heres meus.* Damascum habitauit *Esau*, qui *Syr*, id est, pilosus, & *Edom*, id est, rubeus dictus est. Ab Edom autem tota terra *Idumea* nomen accepit. Est & minoris Syriæ, quæ *Libanica* appellatur, metropolis: Isay. VII. *caput Syriæ Damascus.* Est autem in campestribus, in agro sterili & arido sita. Irrigatur autem aquis, quæ ex montibus per quosdam meatus deducuntur: quâ irrigatione fertilis redditur tota planities, arboribus fructuosis copiosa. Iuxta prædictam ciuitatem, in loco, qui hodie dicitur *Melchisaphar*, vbi apparuit Dominus Saulo, dicens: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Principes dicti conueniunt, & cum innumerabili exercitu ciuitatem obsidentes, pomeria ciuitatis violenter confringentes, irrumpunt; fluuium iuxta muros ciuitatis defluentem, ad vsus suos forti manu occupantes. Iam verò Damasceni de suis viribus diffidentes, cùm iam diu Christianis pugnatoribus ex parte pomeriorum resistere non valerent, quosdam eorum, qui de Syriæ partibus, Peregrinis Principibus præbuerant consilium & ducatum, suo more pecuniâ corruperunt: propterea consulunt obsidionem transferri ad partem aliam ciuitatis. Primo autem loco relicto, & à Saracenis occupato, contraque fideles diligenter munito, dum affligeretur exercitus Christianus aquæ & victualium inopiâ; indignarentur quoque Principes Orientalium defectione, infecto negotio rediêre. LODOVICVS deinde Rex Francorum à Palestina nauigans, à classe Græcorum Im-

Gen. 25. 30.

Act. 9. 4.

peratori *Curfolium* osidenti præsentandus deducitur. Sed à Georgio duce nauium *Rogeri Regis Siciliæ* eripitur: qui vsque Constantinopolim pergens, in palatium Regium sagittas aureas iecerat; & incensis suburbanis, de fructibus hortorum Regis violenter abstulerat. Altitudo in hoc facto apparuit Diuini iudicii in quo tam valida Christianorum potentia vtinam non elata, nihil agens euanuit. Huius quoque Balduini tempore, *Rogerus* Rex Siciliæ, reconciliatus Ecclesiæ, restituto quoq; ei Ducatu Apuliæ per Ecclesiam, exercitum naualem congregat, & contra Saracenos in Africam properat: notabilē ciuitatem capit, quæ *Africax* dicitur, villam *Asfax*, *Clepeam*, & alia castra plura: Regemq; Tunitii sibi tributarium fecit. Balduinus autem, regni sui quindecimo anno, cum Damasci Principe *Norandino* congrediens, multis cæsis, cæterisque fugatis, victor campum obtinuit. Regnauit autem annis XXIV. & sine liberis mortuus est.

CAP. XX.

Continet mortem principum Antiocheni & Tripolitani, ac Balduini Regis: & plures Turchorum insultus.

RECEDENTIBUS absq; omni victoria Principibus, inimici Crucis CHRISTI, multâ conceptâ audaciâ, pro nihilo reputant de terra illa exterminare fideles. *Norandinus* itaque, Orientales aduocatus Turchos, contra Antiochiam properat: cui *Raymundus* Princeps cum paucis obuiat; & temerè securus, dum multitudinem non formidat à pluribus trucidatur. Transiit Norandinus vsque ad mare, cuncta deuastans. *Tripolitanus comes* postea ab *Arsasidis* perimitur, relicto filio *Raymundo*, annorum XII. Paruo autem post tempore, quatuor *Admirati fratres*, qui Ierusalem dicebant iure hereditario se debere possidere, collecto vndique exercitu vsque ad montem Olìueti processerant. Magna fuit trepidatio in Ierusalem, propter Baronum absentiam, qui erant Neapoli congregati. Inuocato tamen piè Diuino auxilio, exiuerunt obuiam Turchis, inepto situ repositis. Illi verò in fugam cōuersi, gladio & præcipitio vsque ad quinque milia perierunt, M.CLII. Comitissa Antiochiæ sibi matrimonio copulauit *Renaldum de Castellione*, militem probum & prudentem. Capta fuit *Ascalona* M.CLIV. quidam dicunt sub Almarico id actum esse. Cùm enim eam Christiani obsiderent, nec proficerent: erat enim munitissima muris, & antemuralibus, turribus plurimis & aggere valido, & multitudine pugnatorum: tandem *milites Templi*, per ingressum se ciuitatem capturos putantes inibi trucidantur. Cæteri verò obsessores ante Crucem Domini se prosternentes, Diuinum cum lachrymis precabantur auxilium; obtinueruntq;: ita vt Ascalonitæ saluis personis & rebus ciuitatem redderent Christianis. Multi quoq; congregati *Turchemanni* à Rege petunt, vt tutè animalia sua pascant iuxta Belinam, dato pretio iuxta Regis imperium: & annuit Rex. Suaserunt autem nonnulli auaritiâ excæcati, vt Rex infidelibus fidem nequaquam seruaret: quia inter cætera animalia pulchros haberent equos. Fracto igitur iuramento, subitò in Turchemannos irruunt, & pro magna parte, aut capiunt aut interimunt, & prædam ducunt, quâ nullam aliquando putant fecisse maiorem. *Norandinus* deindè Damasci iam Princeps effectus, Belinam obsidet & diruit. Rex illò properans, fugato Norandino illam reficit; & post aliquod tempus aliquos Barones ad propria remittit. Et dum superfluè securus cum paucioribus redit, à Norandino impetitur; & magnâ strage Christianorum editâ, Rex vix fugâ liberatus est: *iusto iudice* DEO, *periurium vlciscente*. Ad remedium autem malorum, *Terricus comes Flandriæ*, sicut alias fecerat, ad Terræ Sanctæ profectus seruitium, cum Rege & Baronibus Antiochiam properat. Tunc Norandinus opportunitatem nactus ad obsidendum *Neapolim* profectus, periculosè nimis infirmatur. Quo cognito Christiani de Antiochia *Cæsaream*, quæ super fluuium Fer, qui iuxta Antiochiam labitur, sita est, profecti sunt: ciuitatibus hiis duabus ab inuicem quasi dietis XV. distantibus: capta fuit ciuitas, & Turchi confugerunt ad castrum. Tunc Rex, ad communem vtilitatem respiciens, terram disponebat assignare Flandrensi comiti conseruandam; cunctisq; placebat Baronibus: sed pacis æmulus diabolus, Antiocheno immisit Principi non consentire, nisi sibi homagium faceret: propter quod in facto non amplius procedentes, Antiochiam rediere. *Fulcerus* Patriarcha tunc moritur, cui successit

A.Dni. 1152.

A.Dni. 1154.

cessit *Almaricus* Prior Sancti Sepulchri. Rex verò, neptem Imperatoris Constantinopolitani accepit in coniugem. Norandinus post hæc sanitati restitutus *Sagetam* obsidet: Rex verò ad remouendam obsidionem properans XV. anno regni sui cum Norandino congressus, multis Turchorum cæsis multisq; captis, cæteros in fugam coegit. *Renaldus* Princeps Antiochiæ post hæc, versus Rages profectus, magnam prædam agens, dum reuertitur à Turchis capitur, fugatis sociis aut cæsis. Rex autem, M.CLXII. viam vniuersæ carnis ingressus est: iuxta suos prædecessores sepultus.

A. Dni. 1162.

10

Cap. XXI.

Continet victoriam Almarici contra Babylonios: deinde confœderationem cum eis, contra Soldanum Damasci: & quædam Antiochiæ gesta: atq; Calyphæ Aegyptij gloriam.

XXI. A. Dni. 1163.

BAlduino prædicto successit ei frater ALMERICVS M.CLXIII. Hic *Darum* in eminentiori loco fundauit: *supra capit. XVIII.* Huic Ægyptii certam summam pecuniæ, quam Regi defuncto tribuere tenebantur, cùm dare nollent, contra *Daganum Soldanum* duxit exercitum; eumq; iuxta *Belbeis* bello superauit, plurimis interemptis & captis: qui verò fugerant, Nili ripas frangentes, obuiam Regi fecerunt transcurrere; sicque redeunte Rege, liberati sunt. Erat autem Soldanus 20 sub Calipha, sicut quondam sub Pharaone Ioseph. Grauato taliter Dagano, *Sauargitus*, qui priùs Soldanus, expulsus fuerat per Daganum, ad Norandinum se conferens, contra Daganum petit auxilium. Ille cogitans, quia si Ægyptum intrare valeret, dominium faciliter sibi posset acquirere, *Saracunum* Principem militiæ transmittit. Tunc Daganus Regi Almarico, maiora offert quam habuerit Balduinus, vt se à Saracuno defendat. Rex annuit, ne exitii sui periculo Saracunus efficiatur potentior. Sed à suis Dagano sagittâ percusso, Sauargitus liberè dominatur vt priùs: sed metuens Saracunum ad Regem Almaricum transmittit, vt pacta habeat Dagani; obtinuitque: & simul iuncti Saracunum de Belbeis, quam cœperat, expulerunt. Tunc duo Barones de Francia venientes, post sa-30 crorum locorum visitationem, cum multo comitatu Antiochiam profecti, Antiochenis sibi adiunctis, in Norandini exercitum subitò irruentes, tantam Turchorum ediderunt stragem, vt terræ superficies cadaueribus repleta sit; & incomparabili prædâ ditati sunt. Norandinus verò vndique procuratis auxiliis, ad obsidendum castrum de *Harenc* rediit: prædicti autem victores vanitate elati, dum ad amouendam obsidionem procedunt, superfluè securi, à collectis corripiuntur dispersi; & quibusdam fugientibus, plurimi remanserunt mortui vel captiui. Rex hiis auditis, Antiochiam properat: confortato populo, procuratur, vt Princeps pecuniâ redimatur: annuit Norandinus: veritus ne ab Imperatore Græcorum eius cognato, de gratia peteretur: suspicatus quoque ne Rex, loco illius, & alium 40 Principem substitueret fortiorem. Saracunus interea ad *Calypham Baldacensem* accedens, & longâ adoratione secundùm morem præmissâ, deinde osculatâ terrâ sub pedibus, salutauit eum, persuadens Ægyptios æmulos & inbelles, posse bello superari, si copiâ militum habeatur. Calypha, Baronibus mandat, vt illi obtemperent: & transeunt per desertum, vndè ad Terram Promissionis transierunt filii Israël. Ad perturbandum verò exercitum Rex processit vsque ad *Cadesbarne*, & nihil reperiens rediit; post ea intrauit desertum inter Gazam & Ægyptum, indeque vsque ad *Belbeis* processit: ei verò de thesauris Calyphæ copiosè mittitur: Indè Pelusium transiit; & vsque ad ripam fluminis peruenit. Siracunus verò ad flumen perueniens, vltra pertransiit; & vsque ad ripam fluminis perue-50 nit: Christiani tamen reliquias inuaserunt. Captiui autem recitabant quòd cùm Syriam Sobal pertransissent, & desertum intrassent, ortâ tempestate Sabulum sic volitabat per aërem, vt obtutum eis adimeret; nec poterant violentiâ venti, in equis consistere: venientes quoque Sabuli vndæ, quasi maris, homines & animalia multa submerserunt. Cernens autem *Sauargitus*, quia Syracunum, postquam Ægyptum intrauerat, breui tempore non posset expellere, procurauit Regem diutiùs manere, datis tunc CC. millibus Bizantiorum, totidemque promissis. Iurat Rex ferre opem, donec Syracunus, aut superatus, aut pulsus fuerit,

requirens à Calypha per nuntios simile iuramentum. Nuntios hos præcesserunt armati nudatis gladiis, duxeruntque per semitam in qua nihil cernere valebant: deindè ad lucem procedentes, turrim conspiciunt variis stratam marmoribus, opere depictam Mosayco; trabes & ligna auro cooperta erant: Ibi erant fontes per orificia aurea transeuntes, & congregabantur aquæ in loco marmoribus ædificato: aues diuersorum colorum aspiciunt, non sine grandi stupore: vbi nuntii altioribus ductoribus, & Admirato castri assignati sunt; conductique ad turrem amplius delitiosam, vbi infinita animalium genera conspiciunt: per multa deindè ostia transeuntes, & insolita mira aspicientes, ad excellentius palatium deducti sunt, vbi multos valdè aspiciunt in decore armorum: postea intrauerunt cameram, vbi erat cortina de Serico, in qua cuncti generis animalia elaborata erant. *Sauargitus* tunc tertiò, secundùm morem suum adorauit, deindè ensem deposuit: tunc cortinâ cordulis tractâ, liberum Calyphæ concessit aspectum. Sedebat autem in throno aureo ac gemmeo, miri artificii: aderant autem ei consiliarii Eunuchi. Accedens verò Sauargitus, post osculum pedum, in terra consedit; & periculum Ægypti, Regisque narrauit auxilium; petiturque vt pacta confirmet, iuramento ex parte Regis: Et licet collaterales tali requisitione indignati sint, necessitate vrgente, Calypha pacta iurat, & nuntios honorat muneribus: quibus peractis, rediêre ad Regem: variis deindè mediis, venitur ad pugnam. Habebat Siracunus XII. millia equitum electorum, & decem mille Beduinos cum lanceis: Rex verò CCCLXXIV. habebat milites; Turchi, qui secum erant, impedimentum potius quàm auxilium exhibebant. Et post varios insultus, periêre ex Christianis militibus, centum: ex parte verò Syracuni MDC. Syracunus verò Alexandriam pergens, simulansque victoriam, ciuitatem per deditionem accepit. Cùm verò Rex ciuitatem obsideret, Siracunus, nepotem *Saladinum* cum mille militibus dimittens, propter victualium inopiam discessit. Sed & hunc repulit Rex, Soldanum Ægyptii in suo regno stabiliens, M. CLXVII. rediitque in regnum Ierusalem.

A.Dni. 1167.

Cap. XXII.

Continet obsidionem Cayri, & etiam Damiatæ.

XXII. Post hæc Rex *Almaricus* ad Imperatorem Constantinopolim, se incitantem, vt bellum Ægyptiis communiter inferant, nuntios transmittit, qui Imperatori redeunti de *Seruia*, inter Vngariam & Dalmatiam sita, obuiauerunt: terra certè nemorosa ac mentuosa, ad quam rebelles Imperii in exilium mittebantur, propter quod *Seruia*, à seruitute vocitata est. Firmatis autem conuentionibus, nuntii rediêre. Interim verò Rex, parato exercitu, cœpit *Belbeis*, nulli parcens sexui vel ætati: filium tantùm & nepotem retinuit Sauargiti Soldani. Soldanus verò, excogitato consilio, nititur vel Regem datâ pecuniâ ad reditum declinare, vel contra eum Norandini implorare auxilium. Sed requisitus Norandinus, continuò Syracunum transmittit. Rex verò versus *Cayrum* progreditur, & machinis cæterisque bellicis instrumentis ciuitatem oppugnat: ciues verò, in huiusmodi insueti, terrore concussi sunt. Tunc Soldanus pro amotione obsidionis, & recuperatione filii & nepotis, CCCC. millia promittit Bizantiorum. Interim Rex nauigium, per vnum Nili ramum ad ciuitatem *Tampnis* nauigare iusserat; & captâ ciuitate, versus Regem ascendebat. Tunc verò insonuit Syracunum ad Ægyptiorum festinare auxilium, cum multitudine pugnatorum. Instigatione autem malitiosi hominis *Milonis de Planci*, fouentis auaritiam in corde domini sui, receptis centum millibus Bizantiorum, & pro residuis, obsidibus habitis, Rex Ptolomaydam rediit. Siracunus autem per desertum transiens propè *Cayrum* castrametatus est. Hanc ciuitatem ædificatam aiunt post tempora Mahumeti, per annos CCCLXI. *Sauargitus* verò hunc quotidiè visitat: & cùm securitatem concepit, equo deiici ac trucidari iussus est. *Syracunus* postea omnia occupat, & concessione Calyphæ Soldanus Ægypti efficitur: post modicum verò tempus mortuus, *Saladino*, nepoti ex fratre Nemegedino, regnum reliquit. *Emanuel* verò Imperator, Regi centum galeas armatas transmittit, & alia nauigia multa

[illegible] valdè. Rex igitur collecto exercitu de Ptolomayda recessit M.CLXIX. & *Damiatam* munitissimam ciuitatem obsedit, quæ quondam dicebatur *Memphis*: xv. leucas distans à Tampnis: quæ antè munitissima ciuitas fuit; nunc destructa: ibi Moyses & Aaron & filii Israel commorati sunt, & est terra Iessen: est quoque ad duas leucas mari propinqua: habens ex parte Occidentali flumen Nili: muris circundata duplicibus. Est quoque antè Damiatam in flumine fortissima turris erecta: ad cuius pedem, duæ fortissimæ catenæ fixæ sunt, quæ vsque ad turrim aliam protenduntur, quæ in ciuitate est, ne introitus vel exitus pateat nauigantibus, nisi de Soldani licentia. Hæc ciuitas totius Ægypti clauis & caput est. In viridariis itaque ciuitatis castrametati, tribus diebus nihil egerunt. Interim illi, licet priùs territi, se munierunt; receperuntque per nauigia, pugnatorum & victualium copiam. Post longam verò obsidionem, fame & frigore intolerabili, & immoderatâ pluuiarum inundantiâ, Rex repulsus ab obsidione recessit, cum maximo exercitus sui damno; venitque Ascalonam, in vigilia Sancti Thomæ; indeque Ptolomaydam, in vigilia Natiuitatis Domini. Sequenti æstate fuit maximus *terræmotus*, de mense Iunii, subuertens ciuitates & castra: & maximè in Celesiria. In Antiochia enim, Ecclesiæ & loca plurima ruunt: similiter in Alapia, Cæsarea, Haman; & in maritima Biblium, & Licia destruuntur. In vigilia quoque Apostolorum Petri & Pauli, hora primæ, Tripolis penè totaliter ruit. Durauit autem terræmotus iste, quasi per menses quatuor, reiteratus inter diem & noctem, vt in pluribus ter vel quater.

A. Dni. 1169.

Cap. XXIII.

Continet Almarici Regis feruorem pro regni tutela, ac mortem: & qualiter Arsasidæ conuerti voluerunt ad fidem CHRISTI.

SEquenti Decembri insonuêre rumores, quia *Saladinus*, magno de Ægypto & Damasco collecto exercitu, venit contra Ierusalem: & obsedit primò *Darum*, & iam partem murorum machinis obruerat: Rex de periculo certus, cum paucis acies Turchorum pertransiens, castrum conseruauit. Tunc Saladinus *Gazam* obsedit; & effracto muro, multi intrauêre Turchorum, non sine magna eorum cæde: sed tandem, qui extra fortilitium erant, cuncti perimuntur, & paruuli eliduntur ad rupem; qui verò in turri erant, viriliter restiterunt. Sequenti anno, Rex *Almaricus*, considerans Turchorum periculum: maximè quia magni Barones mortui erant, & eorum hæredes erant iuuenes & leues moribus; diuitiis abutentes, & solas corporis delectationes quærentes: prælatis Baronibusq; exponit debilem regni statum. Cuncti autem responderunt vnâ voce, dicentes, quia propter peccata sua, aduersariis suis non possent resistere: & tandem consulunt, vt Papæ & Regibus Occidentalibus periculum exponatur per nuntios facundos & sollemnes: Interim verò ab Imperatore Constantinopolitano, qui vicinus erat, subitus impetretur succursus. Sed cùm negotium protraheretur in longum, Rex ait illis: *Status regni periculosus est, & in mittendis nuntiis non conuenitis: nunc verò dubito indignationem incurrere Cælestis Regis, si opus eius fecero negligenter: & ideò offero me ad eundum vsque ad Constantinopolitanum Imperatorem, sperans eius animum ad nostrum inclinare votum. Ecce ego: mittatis me.* Omnes verò hæc in consilio audientes, stupefacti fuderunt lachrymas: & cùm nonnulli regni periculum allegarent ex Regis absentia, Ille respondit: *quia Dominus IESVS interim suum conseruaret regnum: ipse verò quasi procurator ipsius, pro necessariis remediis debebat esse sollicitus*: & præparato nauigio profectus est. Imperator verò opportunum promisit auxilium, & tantis muneribus honorauit Regem & Barones, qui cum eo erant, vt cuncti stuperent: reuertentem quoque Regem, cuncti læti suscipiunt. Post hæc *Saladinus*, Ægyptiorum congregato exercitu, per desertum & planum Idumeæ, intrauit semel & iterum Syriam Sobal. Rex verò in Carmelo, vbi habitabat Nabal, castra ponit, expectans ad quam partem Saladinus diuerteret. Interim *Vetulus de montibus*, prudens & facundus, studere cœpit in sacris Euangeliis & epistolis Pauli: ibique percipiens puræ veritatis doctrinam, & fidei pietatem, horrere cœpit seductiones impii Mahumeti: & paucis primò conceptum mentis aperuit, & ad suum faciliter

XXIII.

traxit propositum. Populo deinde, Mahumeth mendacia & seductiones exposuit, & legem eius seruari prohibuit: dans eis vinum ad bibendum, & ad comedendum carnes suillas, & mandans Christianos in suo regno esse liberos & securos: misitq; Regi, quia baptismum vellet recipere, & fidem CHRISTI, cum suo populo vniuerso: inter cætera petens absolui à debito annuo duorum millium Bizantiorum, quod ex pacto, occasione quarundam possessionum, Templariis persoluebat: paratosq; se promittebant ad fidem CHRISTI pro viribus defensandam. Rex festiuè nuntios recepit, fitque Christianis ingens gaudium; & honorati muneribus redibant ad propria. Sed cùm Tripolim pertransissent, iam propinqui patriæ, aliqui ex Templariis, ad grande totius Ecclesiæ & maximè Orientalium fidelium detrimentum, illos per insidias trucidarunt: super quo Rex tantùm indoluit, vt amens quasi fieri videretur; & captos actores sceleris, carceri mancipauit: Intendebatque nisi morte præoccupatus fuisset, cunctis fidelibus intimare, quantum detrimentum Templarii intulerint Ecclesiæ Sanctæ DEI. *Norandinus* postquam XXIX. annis regnauit, moritur. *Almaricus* quoque, M. CLXXIV. dysenteria infirmatus, contra Medicorum consilium potionem sumens, nimiâ debilitate mortuus est.

A. Dni. 1174.

CAP. XXIV.

Continet gesta Balduini, sexti Regis Ierusalem: mortem quoq; Balduini paruuli, septimi Regis inuncti: & occasionem dissensionis in regno, propter creationem Guidonis Regis octaui.

XXIV.

ALmarico successit BALDVINVS filius, ex *Agnete* filia Iocellini secundi: qui, licet permittente DEO, leprosus effectus, regnum tamen strenuè rexit. Anno siquidem eius tertio, cùm CCCLXXV. militibus, circa partes Ascalonæ occurrens Saladino, eum cum XXVI. milibus equitum superauit. *Saladinus* quoq;, cum parte exercitus in fugam conuersus est, aliis trucidatis, aliis vinculis carceribusq; inclusis: ex Christianis verò, quatuor aut quinque occubuisse dicuntur. In alio autem prælio, circa Tyberiadem, cùm septingentis equitibus occurrens Soldano, qui XX. milia equitũ dicebatur habere, factus superior, mille hostiũ interemit, M.CLXXVII. de Christianis verò paucissimi ceciderunt: secum enim habebat victoriale Crucis vexillum. Sed, M. CLXXIX. vexillo Crucis carens, ab illo superatus est: illud enim dimiserat in Tyberiade. M. CLXXX. *Patriarcha Almericus* moritur, cuius simplicitas modicum Ecclesiæ profuit: cui successit *Eraclius*, tam perniciosi exempli, vt procedentem ornatissimam mulierem, quam publicè tenebat, vulgus *Patriarchissam* vocaret. In eius electione, publicè dictum fuit, sub Heraclio amittendam esse Crucem, sicut sub Heraclio Imperatore recuperata fuerat, quod & accidit: *infrà part. IX. cap. IV.* Cùm verò Rex, propter prædictam ægritudinem, vxorem ducere noluisset, duas sorores quas habebat, *Sybillam* maiorem, & *Ysabellam*, nuptui tradidit: primam *Guillelmo de Longaspata*; secundam domino *Enfrido de Torona*. Mortuo autem prædicto Guillelmo, ac relicto paruulo filio *Balduino*, Rex Sybillam tradidit cuidam adolescenti de Pictauiensi comitatu, *Guidoni* scilicet, *de Lisinio*: cui etiam, quia infirmitate nimiùm grauaretur, totius regni administrationem commisit; quâ, cùm incurrisset Regis indignationem, priuatur: conuocatisq; regni maioribus, paruulum BALDVINVM nepotem suum, Rex fecit inungi, M. CLXXXI. & tam puerum, quàm regni negotia, Tripolitani Comitis commisit prouidentiæ, & tutelæ. Mortuo autem Balduino leproso M. CLXXXV. Balduino etiam nepote defuncto, M. CLXXXVI. Sybillâ, ad quam regnum iure hereditario pertinebat procurante, GVIDO præfatus, in Regem tunc sublimatus est, Tripolitani comitis irrequisito assensu, qui vniuersi regni gubernator erat: propter quod indignatus est nimis, præsertim cùm aspiraret ad regnum: & absque Regis consensu, contra quem iam rancorẽ & inimicitias conceperat, non sine regni periculo, cum Soldano treugas iniit. Et vt maiorem in regno & contra Regem haberet potentiam, cum domina Tyberiadis & totius Galileæ, matrimonium contraxit: vnde facta est in regno periculosa valdè & perniciosa dissensio, dum adhærent Comiti nonnulli, alii verò Regi.

A. Dni. 1177. A. Dni. 1179. A. Dni. 1180. A. Dni. 1181. A. Dni. 1185. A. Dni. 1186.

10 20 30 40 50

SEPTI-

SEPTIMA PARS, CONTINET FLORIDVM STATVM TERRÆ PROMISSIONIS TEMPORE LATINOrum Regum: habens capit. III.

CAP. I.

Continet quomodo Terra Promissionis floruit in Principibus, ac Baronibus. Rubrica.

IEROSOLYMITANORVM Regũ explicitâ gloriâ, de *regni Baronibus* prosequamur. Pro ipsius enim regni tutela, inter Principes & Barones, vt assolet, est diuisum, qui terram sub Rege custodirent ac defenderent, retentâ Regi parte digniori ac meliori: ciuitate scilicet sacrâ, *Ierusalem*, *Neapoli*, *Ptolomayda*, & *Tyro*, cum quibusdam oppidis & casalibus. Habet autem hæc pars initium à riuo, qui fluit inter Biblium & Beritum; finem verò, in solitudine quæ est vltra Darum. Homines autem *Ligÿ* regni, fidelitate & sacramento, cum certo militum numero, Regio seruitio obligati fuerunt: comes videlicet *Tripolitanus*: dominus *Beriti*: dominus *Sydonis*: dominus *Caypha*: dominus *Cæsareæ*: princeps *Galileæ*, qui & dominus Tyberiadis: comes *Iopen* & *Ascalonæ*: dominus *Montis Regalis*, & totius terræ trans Iordanem: dominus *Arsur*: & dominus *Ibelyn*, cum quibusdam aliis: sed hii, aliis præminebant. Distinguitur autem regnum principaliter in quatuor Comitatus, seu Principatus: quorum primus est *Edissanus* comitatus, in regione Medorum, à sylua quadam, quæ dicitur Marith, habens initium; & protenditur trans fluuium Eufraten versus partes Oriẽtales, multas in se continens ciuitates, plurimas munitiones & castra. Est autem Edissena ciuitas nobilis, Medorum metropolis, priùs in Tobia dicta *Rages*, nunc autem vulgariter dicitur *Roase*: ad hanc Tobias de Niniue, quæ vulgariter dicitur *Mosse*, misit filium ad Gabelum. Dicunt etiam nonnulli eam fuisse Arxath, vbi regnauit Nemroth, sicut in Babylone, Archad, & Calane, in terra Sennaar. *Gen. 10.* In hac ciuitate regnabat *Abagarus*, qui & Domino IESV litteras destinauit, quas CHRISTVS recepit cùm abiit trans Iordanem, quando tulerunt lapides Iudæi, vt iacerent in eum: *Ioh. 10.* Illas autem litteras Eusebius, lib. I. Ecclesiasticæ historiæ, dicit se reperisse in Archiuis Edissæ. In litteris autem sententialiter continetur, quomodo Abagarus, audiens CHRISTVM sine medicinis, curare solo verbo infirmos: credit aut esse DEVM, qui de cœlo descenderit; aut esse Filium DEI: vnde rogat CHRISTVM ad se venire, vt recipiat sanitatem; & offert ei ciuitatem suam, vt declinet Iudæorum insidias, sitq; vtriq; communis. Sententialiter respondet CHRISTVS: *Beatus, qui credidisti, cùm me ipse non videris, ad te non veniam, quia oportet me implere omnia propter quæ missus sum: cùm verò assumptus fuero mittam tibi vnum ex discipulis meis, qui sanitatem tibi restituat; & vitam tibi & hiis, qui tecum sunt præstet, & vt nullus aduersariorum vos vnquam superare possit.* Misit autem Dominus ad Abagarum, *Tadeum*, à quo reuerenter susceptus est: Apostolus autem, faciem eius cum accepta Epistola Saluatoris cõfricans, sanitati restituit. In gestis quoq; beati Thomæ legitur, quòd litteram manu Saluatoris scriptam legit infans baptizatus, stans super portam ciuitatis, si quando gens aliqua venerit contra ciuitatem, & eadem die aut pacatur aut fugit. Ibi corpus gloriosi Apostoli Tadei, qui eam ad fidem conuertit, dicitur esse sepultum. Est autem illa prouincia à syluis, & pascuis, & fluuiis opulentissima. Dicitur autem regio illa *Mesopotamia*, eò quòd duobus fluminibus ambiatur, & in eorum medio sita sit. *Mesos* enim Græcè, dicitur medium; *potamos*, fluuius. In ea est Charan, vndè egressus est Abraham; & Caldea: insula Eufratis in qua est Babylonia. Est etiam in Mesopotamia Niniue, Meda & Persia. Habet autem Mesopotamia ab Oriente, Tygrim; à Meridie, sinum Persicum; ab Occasu, est sinus Arabicus, & Eufrates; à Septentrione Armenia, montes Taurinus & Caucasus. Sunt quoque in prædicto comitatu Edisseno tres Archiepiscopi, videlicet, Edissenus, Ieropolitanus, Boriciensis, sub Antiocheno Patriarcha constituti. Secundus Principatus est *Antiochenus*: cuius Metropolis, Antiochia priùs dicta Reblata, (*in fine Regum.*)

Marginalia: 10; 1.; 20; Tob. 4. 21.; 30; 40; 50

postea Antiochia, ab Antiocho, qui eam multùm ampliauit. In ea *Petrus*, vertex Apostolorum, primus pontifex sedit; eiusq; prædicatione & miraculis ad DEVM conuersa est. Post quem nobilis & potentissimus vir *Theophilus* septimus sedit, cui Lucas Euangelista indigena, & Euangelium & Actus Apostolorum scribit. Hic Theophilus ciuitati nomen suum dedit, vt sicut priùs à prophano Rege Antiochia, sic à sancto præside *Theophilis* vocaretur. Ibi fideles primò *Christiani* vocati sunt, à CHRISTO; qui priùs *Galilæi*, & *Discipuli* vocabantur. Post Romanam autem Ecclesiam, obtinet tertium dignitatis gradum. Habet autem sub se XX. prouincias Antiochenus Patriarcha: & in XIV. earum, Metropolitanos, & centum suffraganeos Episcopos: sex verò reliquæ, sub duobus primatibus sunt, quos *Catholicos* vocant, quorum alter Iripolitanus est, id est, Baldacensis, quæ quondam dicta est Babylonia, alter Annensis, primas Persidis. Est autem Antiochia sita in prouincia, quæ Celesiria dicitur inter montes & flumina, situm habens commodissimum, agros fertiles, & glebæ maximam vbertatem, & fluminum ac fontium singularem amenitatem: ex vicino lacu copiam piscium. Distat autem à mari XII. milliaribus, habens portum in faucibus fluminis, qui *portus Soldini*, *& Sancti Symeonis* dicitur. Habet quoq; à parte Septentrionis montem, qui vulgariter *Montagna nigra* dicitur: in quo multi sunt heremitæ ex omni genere & natione; & plura monasteria monachorum, tam Græcorum quàm Latinorum. Est enim totus fontibus & riuulis irrigatus; ideò dicitur mons aquosus: *Neros* enim Græcè, aqua dicitur, licet rudes pro nigro accipiant. Tertius Principatus est, *Comitatus Tripolitanus*, initium habens à prædicto riuo, qui est sub castro Margath; finem verò, riuum alium fluentem inter Biblium & Beritum: & est terminus etiam Ierosolymitani Principatus. Est autem sita supra littus maris, egregia & opulenta valdè, in prouincia Syriæ Phenicis; arboribus, agris fructiferis, & pascuis vberrima, fontibus & riuulis irrigua: ex montis Libani vicinitate, & eidem monti collibus adiacentibus multas habens commoditates: ad radices autem Libani in partibus illis oritur fons amenissimus, de quo *part. XIV. capit. II.* & inter aquas maris ebulliunt ex eo aquæ dulcissimæ. Quartus Principatus est *Ierosolymitanus*, de quo supra dictum est. Seruiebant autem Regi, *Ierusalem* de militibus XLI. & armigeris vC. *Baronia de Iopen*, *Ascalona*, *Rama*, *Mirabel*, *& Ybelyn*, de militibus centum. *Baronia Principatus Galilea*, de militibus centum. *Dominium Montis Regalis*, de militibus LX. *Comitatus Iocellini*, de militibus XXIV. *Neapolis*, de militibus LXXXV. & armigeris CCC.

Ptolomayda, de militibus LXXX. & armigeris quingentis. *Tyrus*, de militibus XXVIII. & armigeris centum. *Patriarcha*, de armigeris vC. *Capitulum Sepulchri*, de armigeris v. *Iosaphat*, de armigeris CL. *Mons Syon*, de armigeris CL.

Templum Domini, de armigeris CL. *Latina*, de armigeris L. *Episcopus Tabariæ*, de armigeris C. *Abbas montis Tabor*, de armigeris C. *Cæsarea*, de armigeris L. *Episcopus Bethlehem*, de armigeris CC. *Ybelyn & Mirabel*, de armigeris C. *Episcopus Sancti Georgij*, de armigeris CC. *Arsur*, de armigeris L. *Episcopus Sabadoit*, de armigeris C. *Episcopus Ptolomensis*, de armigeris CL. *Episcopus Sancti Abraham*, de armigeris L. *Archiepiscopus Tyri*, de armigeris CL. *Archiepiscopus Nazareth*, de armigeris L. *Episcopus Sydonis*, de armigeris L. *Archiepiscopus Cæsareæ*, de armigeris L.

Ascalona, de armigeris C. *Leluon*, de armigeris C. *Leyrim*, de armigeris XXV. *Cayphas*, de armigeris L. *Tabaria*, de armigeris CC. Summa, Milites DXVIII. *Armigeri*, IV. millia, DCCLXXV. Cur verò ad regni tutelã Barones tam tenuè inseruirent, posset aliquis rationabiliter admirari. Sed quia Reges exigunt iura regni sine defectu, imò potiùs cum augmento, cautum fuit, vt Barones Regi ad talia se submitterent, vt requirenti Regi in necessitatis articulo, in pluri possent succurrere. Ducebant præterea Barones gratis, vltra ea quæ taxata præmisimus, quando cum Rege procedebant ad bella, decentem, iuxta possibilitatem ac statum suum, armatorum militum comitiuam. Ex quo aduertere possumus, ad quantum dispendium Terræ Sanctæ *mulieres*, quæ matrimonio copulari renuunt, in Baroniis succedere passæ sunt: Nam & si coacta, vellent nollent, seruitia exhiberent, tùm quæ supererogationis erant, & interdum fortè vtiliora, penitus omittebant. *Deberent etiam in terra hostibus circũdata, cuncta esse virilia, & virtuosa.* cùm verò femina dominatur, tota Curia quasi effeminata efficitur, sicut ait quidam Poetarum: ——*componitur orbis*

Regis

Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus Humanos edita valent, quàm vita regentis. Et hæc quidē vera esse, per ea quæ frequenter accidunt, tam in regno Cypri, quàm in Amoreæ Principatu, manifesto edocemur exemplo.

Cap. II.

Continet quomodo Terra Sancta promißionis floruit in Clericis & Prælatis: & descriptionem ciuitatis Sanctæ Ierusalem.

Sicut enim Terra illa Sancta per Reges & Principes & Barones mirabiliter floruit in victoriarum triumphis, sic egregiè splenduit in ordinatione sacerdotii, Clerique dispositione incomparabili. Primò quidem spiritualis cunctorum pater & Præsul patriæ erat *Patriarcha* Ciuitatis Sanctæ Ierusalem. In ea enim, post Iacobum perticâ fullonis percussum, vsq; ad tempora Iustiniani Augusti, *simplices* præfuère *Episcopi*, altioris dignitatis prærogatiuâ nullâ fulgentes. Procurante enim eodem Augusto facta est Patriarchalis sedes, tam Antiochenæ Ecclesiæ quàm Alexandrinæ suffraganeis quibusdam subtractis, istiq; concessis, cùm in illarum esset medio constituta: & post Romanam Ecclesiam obtinuit locum quartum. Est autem *Ciuitas Ierusalem*, secundùm omnes eius partes, in monte & eminenti loco sita, in Palestina, gloriosa Iudeæ Metropolis, lacte & melle manans, frumento vino & oleo abundās, cunctisq; temporalib. bonis: fluminibus autem prorsus caret: fontes non habet, excepto fonte *Syloe* sub monte Syon per medium vallis Iosaphat fluente: vt figura ostendit: vbi Isayas sepultus est, in memoriā miraculi, quod Dominus fecit ad preces eius: cùm enim aquæ illæ communes essent ciuibus & hostibus, euntes ciues aquas inueniebant; hostes verò nequaquā. Vndè & ex tunc illæ aquę non fluunt cōtinuè, sed interpolatè: quandoq; n. copiosas, quandoq; tenues, quandoq; nullas reperiunt aquas. Sunt autē tā in vrbe quā extra, cisternæ multæ ex pluuialibus aquis, ad hominū & animaliū necessitates varias sufficientes. Muro quoq; valido vndiq; cingitur: nec nimiâ paruitate angusta; nec fastidiosâ quantitate superflua. Habet autē à parte Occidentali munitionem ex lapidibus quadris, cemēto, & plumbo fusili, quasi indissolubiliter coniunctis, quæ ex vno latere pro muro est Ciuitatis: & *turris Dauid* appellatur: montem autem *Syon* habet à Meridie: vt figura docet. Ibi est *mons Caluariæ* vbi crucifixus est Dominus. Ibi propè est *locus Sepulchri*, quod erat Ioseph ab Arimathia, & cùm innotuisset Virgini matri quæ dilecto Regi in cruce mortuo astabat, quòd illius esset sepulchrum, vt *Georgius* Archiepiscopus recitat in sermone, ad eum accessit, suasitque vt omnium vitam suo seruaret sepulchro; & sic loquebatur: *Ecce corpus Domini IESV pendet super Crucem, terribile mihi visui & omni creaturæ: nullus audet petere Sanctum illius corpus, neque aliquis curat de eo sepeliendo, & per me fieri est impoßibile. Tu ergò collige mundi thesaurum: ingredere ad Pylatum, & postula corpus eius.* Ille verò iussa perfecit. Erat enim vir bonus & iustus, & discipulus IESV, occultus tamen propter metum Iudeorum. Venit quoque ad Domini sepulturam & *Nicodemus*, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum: & ligauerunt corpus IESV linteis cum aromatibus. Hic, lector, parumper considera quàm diligenter cum sua comitiua Ioseph, de licentia Pilati, expeditè vult Dominum sepelire, propter Sabbathum imminens: appropinquabat enim solis occasus è regione. Considera Virginem Matrem corpus filii dulciter amplexantem; vulnera illa sacra, maternâ affectione lachymosis osculis demulcere, & corpus diripientibus dicere: *O pro pietate vos rogo, adhuc vel modicum mihi eum dimittite, vel matrem cum filio sepelite.* Allegantibus quoque quia transiret hora propter Sabbathum, in quo tale quod, secundùm legem, fieri non licebat prudentissimè respondere: quia *propter Sabbathū, Dominum non debere dimitti; & quia cum CHRISTO manere, legem non sit soluere, sed adimplere.* Pascha n. ab isto defuncto non cōtaminatur: sed renouatur, nec polluit mortuus iste mundos; quin potius suscitat mortuos, & purgat immundos. Tandem posuerunt eum in monumento nouo, in quo nondum quisquam positus fuerat: nè videlicet post resurrectionem, cæteris corporibus remanentibus, surrexisse aliud fingeretur. In eo quoq; loco, nocte Dominicæ resurrectionis, ignis sacer ab alto descendere dicitur. Et cùm vbiq; locorum deuotè à fidelibus dicatur: *Surrexit Dominus de sepulchro, qui pro nobis pependit in ligno:* deuotiùs ibi à canonicis, loco demonstrato, cōcinitur. *Surrexit Dominus de hoc sepulchro.* &c. Et in Euangelio Paschali conformiter

Diaconus pronuntians: *Surrexit, non est hic*: digito demonstat Dominicam Sepulturam. Forma autem Sepulchi a Beda describitur; quòd sit figurâ rotundum, de subiacente rupe excisum; tantæ altitudinis, vt intus consistens homo, vix manu extentâ culmē possit attingere: habens introitum ab Oriente, cui lapis ille magnus impositus est: in cuius monumenti parte Aquilonari, Sepulchrum ipsum, id est, locus Dominici corporis, de eadem petra factum est, septem pedes habens longitudinis, tribus verò palmis cætero pauimento eminens altiùs. Qui locus non desuper, sed à latere Meridiano totus patulus est, vndè corpus inferebatur: color eiusdem monumenti, rubicundo ac albo dicitur esse permixtus. De hoc Sepulchro & aliis locis ciuitatis Sanctæ Ierusalem, vide *part. XIIII. capit. VIII.* Huius itaq; ciuitatis Sanctæ Ierusalem, Patriacha quatuor habet *Metropolitanos*: quorum primus est *Tyrenensis*, continens sub se suffraganeos Episcopos quatuor, scilicet, Aconensem, Sydonensem, Bitensem, Paneadensem. Secundus autem Archiepiscopus *Cæsariensis*, vnum solum habens suffraganeum, Episcopum Sebastensem: Caypha quoq; sub Cæsariensi continetur diocesi: episcopo enim caret. Tertius Metropolitanus, est *Nazarenus*, vnum solum habens suffraganeum, episcopum videlicet Tyberiadensem. Nazareth verò paruula est Ciuitas, sed magnificata à Domino: quæ iuxta montes sita est, in introitu Galileæ ex parte Occidentali. Inter ipsam autem, & Sephorum, perspicuæ emanant aquæ, vbi Reges Israël propter herbarum commoditates consueuerunt exercitus congregare. Ad hanc ciuitatem secreti diuini conscius Gabriel, de cœlo descendit: Virgini nuntiauit de Sancto fore Spiritu fœcundandam, exemplo instruens fœcundatę sterilis & antiquæ. Hæc est illa amabilis ciuitas Nazareth, quæ *florida* interpretatur: in qua flos campi oritur, dum in Virgine Verbum caro efficitur. Campus enim ex se ipso naturaliter producit florem, absq; hominis vllo opere vel labore. Virgo enim campus est nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec fimo impinguatus, nec manu hominis seminatus: ornatus tamen illo nobili flore, super quem constat spiritum Domini quieuisse. *Ascendet*, inquit Isayas, *flos de radice Iesse, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Inuentus quoq; in templo duodennis puer, cū parentibus descendit Nazaret: & erat subditus illis, cui dedit omnia Pater in manus: ita vt de fonte Sephoritano dilectæ matri portaret aquā, fons autem in fine ciuitatis est: & ibi ædificata est Ecclesia ad honorem Archangeli Gabrielis. Ibi dicitur puer IESVS semel, vase fictili fracto, aquam portasse in gremio matri suæ. Sed quantum putas beatissima ista mater tali filio moderabatur imperium? Vtrobique tamen cerne miraculum: quod enim Deus feminæ obtemperet, humilitas sine exemplo; & quod femina Deo principetur, dignitas sine socio. Ibi quoque prædicaturus, declinans ait: *Nemo propheta acceptus in patria sua.* nec fecit virtutes multas, propter incredulitatem eorum: Vndè & adduxerunt eum ad supercilium montis vt præcipitarent eum. In monte erat ciuitas ædificata, cacumen verò montis, ciuitati eminebat, vbi adhuc locus ostenditur, qui *saltus Domini* dicitur: per quem Dominus descendens impressit se rupi; rupes verò ei cedens locum fecit quasi latibulū, vbi adhuc vestigia rugarum calciamentorum eius olim impressa notatur: de hoc *part. XIIII. cap. VII.* Quartus *Patracensis*, vnum habens suffraganeum Episcopum Græcum in monte Sinai, in Ecclesia pretiosæ virginis Katherinæ monachis præsidentem. Distat autem mons Sinay à Ierusalem XII. dietis; à Damiata VIII. Est autem Petra iuxta vrbem antiquissimam quæ dicitur Rabath, ante quam ciuitatem Vrias occubuit, procurante Dauid. Habet postea Ierosolymitanus Patriarcha quosdam Episcopos suffraganeos sibi nullo mediante subiectos: scilicet, *Bethlehemitanum*; fuit autem Ecclesia Bethlehemitica prioratus Canonicorum regularium, vsque ad tēpora Balduini primi Regis Ierusalem: Rex autem propter loci dignitatem, ac reuerentiam sacratissimæ Natiuitatis Dominicæ, eam Episcopalis Cathedræ decorauit honore, auctoritate Pascalis Papæ qui ei & Ascalonem subiecit. Habet etiam *Ebronensem* Ecclesiam: quæ similiter prioratus fuit; & propter loci dignitatem in Episcopatum translata est. Ebron enim aliquando Phylistinorum metropolis, fuit, habitatio gigantium: cui nomen fuit antiquitus *Cariatharbe* (*Iud. I.*) quod Saracenicè sonat, *Ciuitas quatuor*: eò quòd quatuor ibi Patres sepulti sunt, Adam, Abraham, Isaac & Iacob; & eorum vxores, Eua, Sara, Rebecca, Lya. De limo quoque vbi ædificata est Ebron, Adæ corpus formatum est. Ibi ager est cuius gleba rubea, quæ ab in-

Isa. 11. · Luc. 4. 24. · 10 · 20 · 30 · 40 · 50

ab incolis editur, & per Ægyptum venalis portatur, ac pro specie carissimè emitur. Prædictus ager in quantum latè & profundè foditur, in tantum, DEI dispensatione, finito anno integer reperitur. Iuxta Ebron, est *Vallis lachrymarum*, vbi Adam & Eua centum annis luxerunt mortem Abel: post quos apparuit Adæ Angelus, ait *Strabus*, absoluens eum à vinculo quo se ligauerat, non cognosciturus amplius coniugem Euam: nuntiansq; pro iusto Abel nasciturum Seth, qui *resurrectio* interpretatur, de quo CHRISTVS nasceretur. Mandauit proindè filio pater, ne semen suũ cum semine Cain aliquando iungeret: quod vsq; in generationem septimam, secundùm *Iosephum*, seruatum est. Deniq; videntes *filij Dei*, id est, Seth, *filias hominum*, id est eorũ qui descenderant de Cain, quòd essent pulchræ, victi concupiscentiâ eas vxores duxerunt; natiq; sunt indè Gigantes. Effrenatâ quoq; concupiscentiâ, multiplicata sunt peccata carnalia, vt ait *Methodius* martyr, per varios fœditatis gradus, proptèr quod diluuium induxit DEVS. Post diluuium autem in Tampni inuenti sunt gigantes à qua Titanes dicti sunt, de quorũ stirpe fuit Enachym: vndè Num. XIII. exploratores dixerunt: *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enach, de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Iof. quoq; XI. dicitur, quia *venit Iosue, & interfecit Enachim de montanis Ebron, nec vllum reliquit de stirpe Enachim in terra filiorum Israël.* Habet & Patriarcha sub se Abbates & Priores sibi subiectos: pontificalibus ex priuilegio vtentes: baculo scilicet, mitrâ, anulo & sandaliis: qui eidem reuerenter assistunt. Habetq; Patriarchalis Ecclesia, quæ est Dominici Sepulchri, sub monte Caluariæ, Canonicos regulares, secundùm regulam Augustini. Hiis *Prior* præsidet, cui cum prædictis Canonicis, Patriarchæ electio data est, qui vicem tenet Abbatis. Priori autem subest Ciuitas Iopen & Neapolis, quæ propriis carent Episcopis, sicut & quædam aliæ Cathedrales Ecclesiæ: ne Episcopalis dignitas propter indigentiam, contemptui habeatur.

CAP. III.

Continet quomodo Sancta Terra Promissionis floruit in Religiosis pœnitentiam agentibus, & contemplatiuis.

POstquam terra illa priùs inculta, facta est quasi hortus voluptatis, & quasi Paradisus Domini, multas religiosas personas ad se traxit, tam valido deuotionis excessu, vt meritò dicerent: *in odorem curremus vnguentorum tuorum.* In odorem prædicatæ inibi sapientiæ poterat currere etiam Regina Saba: In odorem datæ veniæ, etiam latro in cruce: In odorem austeræ pœnitentiæ, Maria Ægyptiaca: In odorem deuotionis mellifluæ, Eustochium & Paula. Sic multi, relictis omnibus, iugum suaue Domini eligentes, ad florida illa prata currebant; & odoratis cœlicis floribus, suauissimos fructus Spiritus degustabant. Sic cœpit Orientalis Ecclesia germinare, quasi vinea Domini, botros nouos: dum à diuersis mundi partibus, ex omni tribu, lingua, & natione ad venerabilia & sacratissima loca, vbi steterunt pedes Domini, concurrebant: reparabantur Ecclesiæ veteres; construebantur nouæ; ædificabantur monasteria, & habitacula pœnitentiæ apta: in locis variis, & diuersis, vnusquisq; secundùm deuotionis suæ propositum, opportunum & tutum inueniebat refugiũ. Nonnulli enim, CHRISTI sequentes vestigia, *desertum* eligunt, vbi Dominus ieiunauit XL. diebus & XL. noctibus, ibiq; cum diro hoste conflixit; quod dicitur *Quarentena*, secundo lapide distans à Iericho, iuxta aquas sanatas ab Helyseo: illic paruulis constructis cellulis, CHRISTO Domino militabant. Nonnulli, Helyæ prouocati exemplo, in monte *Carmelo*, & maximè in parte illa quæ supereminet ciuitati Cayphæ, iuxta fontem qui dicitur *fons Helyæ*, non longè à monasterio beatæ Virginis Margarithæ, solitariam vitam agebant, in alueraribus cellularum, tanquam apes, negotiosè in seruitio Domini mellificantes dulcedinem Spiritus. Quàm plures verò in *solitudinibus Iordanis*, vbi fuerat Ioãnes Baptista, in multa austeritate Domino seruiebant, etiam cõuentualiter sub Priore: quorum vnus sciscitatus de *locustis* quas Iohannes edebat, continuò respondit, sæpè in refectorio fratribus herbam apponi, quàm Langustã, id est, locustam nominabant, cuius circa monasteriũ magna copia habebatur: adiungens quòd illa esset, quâ Iohannes vtebatur ad esum: licet in plerisq; partibus Syriæ, adueniente locustarũ multitudine, collectæ pro cibo seruentur,

Cant. 1.

Alii autem in deserto illo, quod adiacet Galileæ, in quo dominus frequenter turbis prædicauit; panibus hordeaceis paucisq; pisciculis, hominum tot millia pauit: Alii in monte propinquo, in quo Dominus orauit separatus à turba: alii in monte Tabor, qui sublimis est, & arduus valdè. Fuerunt & alii, qui desiderio Terræ illius Sanctæ de suis regionibus exierent, & illius amore detenti, nil vltra quærentes, maluerunt inter hominum frequentiam commorari, & cum religionis non parua iactura, quã à Sanctarum ciuitatum Ierusalē, Bethlehem, Nazareth habitatione priuari: in quibus legitur & monstratur Dominus cõceptus, natus & passus. De ordinibus quoq; *Cisterciensium* & *Premostracensium*, in locis idoneis monasteria constructa sunt. In Ecclesia quoque Domini, & montis Syon, & montis Oliueti, erant Abbates & Canonici secundùm *beati Augustini* regulam, Domino seruientes. In Ecclesiis [illegible] Latinis, & vallis Iosaphat, sunt Abbates & monachi, secundùm regulam *beati Benedicti*. In Bethania verò, quæ est castellū Mariæ, Marthæ & Lazari, quæ stadiis quindecim distat à Ierusalem, in decliuio montis eiusdem, est Abbatia Sancti Lazari, ordinis Sancti Benedicti. Est & alia *Bethania*, trans Iordanem, vbi erat Iohannes baptizans: licet Bethabola habeant quæcunq; exteriorum sunt veriora, secundùm *Chrysostomum*. Eiusdem professionis Abbatia erat in Ecclesia Sanctæ Annæ in Ierusalem, propè portam quæ dicitur Iosaphat, iuxta probaticam piscinam, vbi gloriosa Virgo dicitur nata fuisse. *Nigrorum* etiam *monachorum* abbatia, erat in monte Tabor. Saracenis etiam totam terram occupantibus, antè tempora Gotifredi de Bullion, Surianis ibi sub oppressionis iugo manentibus, cõcessa est sub annuo tributo quarta pars Ciuitatis Ierusalem versus sepulchrum ad habitandum. Et cùm ritum Græcorum in Diuino officio cuncti seruarent: quod Latini, deuotionis gratiâ aut negotiationis aduenientes, molestè ferebant: à Principe Ægyptio, negotiator quidam de *Melphia ciuitate*, quæ propè Salernum sita est, muneribus placato, precibus multis obtinuit, vt in honorem beatæ Mariæ propè Ecclesiam Sepulchri Domini, quantum est iactus lapidis, Ecclesiam Latinorum construeret: vndè vsq; hodiè dicitur *Sancta Maria de Latina*, Latinum habens Abbatem & monachos. Processu temporis, pro Peregrinis recipiendis mulieribus, aliud monasterium constructum est fœminarum, ad honorem Mariæ Magdalenę. Confluente deniq; tantâ peregrinorum multitudine vt prædicta duo monasteria ad recipiendum non sufficerent, iuxta Ecclesiam suam prædictus Abbas & monachi, ad opus infirmorum & egenorum, Hospitale & capellam ad honorem *Sancti Iohannis Elaymon* construxerunt. Hic fuit vir Cyprius, & sanctitatis meritis exigentibus, ad Patriarchatum Alexandrinū vocatus; & quia in eleemosynis multùm erat liberalis, cæterisq; operibus pietatis, *Elaymo*, id est misericors appellatus est: & quia Xenodochium redditus non habebat, de fragmentis & mensarum reliquiis vtriusq; monasterii, & de quibusdam fidelium eleemosynis, Abbas de Latinis prouideri faciebat pauperibus & infirmis. Conquisitâ verò terrâ per Gotifredum, vir quidā, *Geraldus* nomine, CHRISTO deuotus, qui in prædicto hospitali diu seruierat, de prædicti Abbatis mandato, adiunctis sibi quibusdam honestis viris, habitum regularem suscepit, & vestibus suis albam crucem affigens exteriùs in pectore, & regularia instituta, factâ solemni professione promisit: & fratres *Hospitalarij* dicti sunt. Hii diligenter seruiebāt infirmis & deuotè dabant infirmis panem de simila; panem verò cum furfure ad vsus proprios retinebant. Præcedente quoque tempore latrunculi, aduenientes Peregrinos aut spoliabant, [illegible] poterant; aut, quod est grauius, trucidabant. Quidam autem deuoti milites [illegible] fraternâ karitate commoti, in manu Patriarchæ voto sollemni se astrinxerunt [illegible] vias Peregrinis assecurandas, militando summo Regi in obedientia, sine proprio, in castitate. Huius propositi à principio nouem tantùm fuere, nouemq; annis, in seculari habitu qualis sibi dabatur à fidelibus, pietatis intuitu suum officium exequentes. Rex verò nobilibus pauperibus iuxta templum habitare concessit: qui & à templo *Templarij* dicti sunt: & MCXXVIII. mandato Honorii Papæ, & Stephani Ierosolymitani Patriarchæ, instituta est eis regula, & albus habitus absq; cruce: [illegible] pore verò Eugenii Papæ, cruces rubeas vestimentis suis exteriùs consuerunt. [illegible] *Alamannorum* Terram sanctam peregrinationis gratia [illegible] linguam patriæ ignorarent, cuidam probo viro inspirauit DEVS, vt [illegible] re ad recipiendum tales pauperes Xenodochium construeret, Ecclesiamq; [illegible]

A. Dni. 1128.

noreno

[illegible]orem Virginis [illegible] Quidam autem, DEI amore, omnibus renuntiantes, se & [illegible]a prædict[illegible] [illegible]entes, ministerio pauperum se deputauerunt, deposito [illegible]abitu secu[illegible] [illegible]gras albis chlamidibus apponentes. Hii ex primis duobus ordini[illegible] [illegible]erunt: professionem & regulam, & institutiones militũ Templ[illegible] [illegible]quam in pace prorsus obseruant; infirmos & peregrinos sicut fra[illegible] [illegible]icitè & deuotè procurāt. Hii omnes talia habuêre initia, taliaq; [illegible] [illegible]miles erant in obsequiis pauperũ; audaces in armis: Christianis [illegible] [illegible]iles Saracenis, pro fide proprium sanguinem fundere non timentes: [illegible] [illegible] omnem terram exiuit sonus eorum; & quasi nouorum Machabeo[illegible] [illegible] linguæ fidelium personabant. Sed procedente tempore, de patrimonio [illegible] impinguati sunt, incrassati, dilatati, [illegible]iuitiis & delitiis affluentes, in quibus [illegible] etiam Salomon. Multis quoq; & aliis regularibus viris, monachis, canoni[illegible] [illegible]nachoritis, sanctimonialibus, castis viduis, terra Sancta, quasi Paradysus deli[illegible] florebat. Sic certè ornata, sic decorata est quasi Regina à dextris Regis, in vesti[illegible] [illegible]aurato, circundata varietate, Ciuitas ciuitatũ, vrbs Sācta Ierusalē, & Domina [illegible]orum, ac Princeps prouinciarum, Terra Sancta Promissionis, Patriarcharum [illegible]missio, Prophetarum alumna, CHRISTI possessio, Apostolorum patria, hæredi[illegible] [illegible]fidelium, hospitium Angelorum. Ad ipsam proindè meritò multi confluunt ex [illegible] natione quæ sub cœlo est: ita vt meritò videatur completum quod concinit [illegible] *Surge, illuminare Ierusalem:* quæ priùs subacta Agarenorum perfidæ nationi in [illegible]ebris iacebas mœroris: (*supra in fine partis II.*) *quia venit lumen tuum:* in Regibus: *&* [illegible] *Domini:* in Prælatis: *super te orta est: quia tenebræ*, confusionis & angustiæ, *operient* [illegible]: id est, Saracenicam gentem terrenam: *& caligo populos*, infideles: *Super te autem* [illegible]*ur Dominus:* passagii mirabilis mittendo succursum: (*supra cap. II. & III.*) *Et gloria* [illegible] *in te videbitur*, in continuis victoriarum triumphis. *Leua in circuitu oculos tuos, &* [illegible] *omnes isti:* de quibus sequitur: *congregati sunt, venerunt tibi: filij tui*, Principes & Ba[illegible]es, *de longè venient*, ab Occidente, *& filiæ tuæ*, diuersæ Ecclesiæ, *de latere surgent*, [illegible]ridionali & Aquilonari, sicut cap. XII. dictum est. *Tunc videbis*, cognitionis certi[illegible]ne, *& afflues*, bonorum multitudine: *& mirabitur & dilatabitur cor tuum*, delecta[illegible]is magnitudine: *quando conuersa fuerit ad te multitudo maris:* in Ianuensibus, Vene[illegible] & Pisanis: *fortitudo gentium venerit tibi:* Germanorum, Gallorum & Occidentaliũ [illegible]pulorum. *Inundatio camelorum*, in prælatis anteriora flectentium genua ad onera [illegible]missi gregis fideliter subeunda, *operiet te:* quo enim humiliùs cunctis prælati ser[illegible]t, eò rectiùs præsident vniuersis. *Dromedarij Madian & Effa*: religiosi certè, qui [illegible] Dromedarii ruminant quæ recipiunt de scripturis: & modico viliq; contenti [illegible], ad prolixa itinera Cœlestis contemplationis expedienda celeriter, sunt cæte[illegible]ptiores. *Omnes de Saba*, id est, vniuersali Sancta Ecclesia ad DEVM conuersa: nã [illegible]ba conuersio interpretatur: omnes inquam, *venient tibi*, vt sit distributio accō[illegible]da pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Et quia florere Terrã [illegible]ctam Promissionis diximus in Regibus, Prælatis & religiosis, benè sequitur: *au*[illegible] *deferentes*, quantum ad Reges, Principes & Barones: *thus*, quantum ad Præsules [illegible]osq; Ecclesiæ ministrantes: *& laudem Domino annuntiantes*, quantum ad Reli[illegible] & cœlestia contemplantes.

[O]CTAVA PARS, CONTINET CAVSAS DESOLA[illegible]TIONIS, ET AMISSIONIS TERRÆ SANCTÆ TEMPORE Saladini: habens capitula sex.

CAP. I.

[Con]tinet Græcorum ritum, & Surianorum, in Terra Promissionis habitantium.

[T]ERRAM Promissionis Constantinopolitano Imperatori subiectam fuisse annis non paucis, ac per hoc Græculis gentibus ritibusq; institutam, & vtinam non potiùs deformatam, ex secunda huius tertii libri parte apertè colligitur. Fuit enim quasi altera Samaria, diuisa contra tribum Iuda, Romanam Ecclesiam: variis acta erroribus: quousque à

gentibus vndique desolatam esse conspicimus. Nonne damnata in *primo generali concilio Niceno*, hęresi Arrianâ, quâ CHRISTVS purâ asserebatur creatura, *Macedonius*, Catholicis expulsis, imò potiùs necatis, apud Constantinopolim præsul effectus, à quo *Macedoniani* hæretici nominati sunt, Spiritum sanctum cum Patre & Filio dixit nihil habere commune? Constantius quoque Imperator erat nihilominus Arrianus. Sed tempore Catholici Gratiani, *secunda vniuersalis Synodus* congregatur Cōstantinopoli, quæ negantē Macedonium Spiritū sanctum Deum esse condemnans, Spiritum Sanctum Patri & Filio consubstantialem docuit, & Symboli formam, quæ tota Latinorum & Græcorum confessio ad... solemnibus diebus decantet, vbi etiam additum est; *Cuius regni non erit finis.* ... decretum est, vt Constantinopolitanus, tanquam nouæ Romæ Episcopus, post Romanum Episcopum habeat dignitatis priuilegium. Post hæc, *Nestorius* Constantinopolitanus Episcopus asseruit, CHRISTVM purum hominem non DEVM: contra quem congregatur, *tertia Synodus* Ephesina, iussu Cœlestini Papæ primi, & Theodosii iunioris Augusti: vbi condemnatus est Nestorius, duas asserens personas in CHRISTO, vnā CHRISTI hominis; alterā diuinitatis. Deindè in *quarta vniuersali Synodo* Calcedonensi, statutū est, vt mater Domini Maria non solū *Christotocos*, sed *Theotocos* appelletur: contra eundem Nestorium, qui eam non DEVM, sed purum hominem asseruerat genuisse. *Felix* quoque Papa tertius, condemnauit Achatium Constantinopolitanum Episcopum conuocato concilio, quia Petrum Alexandrinum reuocauit, propter hæresim condemnatum. Sed *Hormisda* Papa, Felici quarto loco succedens, Græcam reconciliauit Ecclesiam, quæ ex prædicta causa sub anathemate erat. *Nicolaus* etiam Papa. I. Imperatorem Constantinopolitanum excommunicat, quia Ignatium Patriarcham Catholicum summouit, alium subrogans. Adrianus quoq; secundus, ei succedens, id ipsum prosequutus, misit Constantinopolim Donatum Episcopum Ostiensem, & duos diaconos Romanæ Ecclesiæ, qui congregato concilio Ignatium restituentes, exortum schisma sedauerunt: ibiq; auctoritate Adriani statutum est, quòd electiones ac consecrationes Episcoporum à Clero tantùm fierent, nullusq; Princeps cuiuscunq; gradus, huiusmodi se immisceret. Imperabat tunc *Basilius* Græcis Regionis Ponticæ Princeps, quem Michael in suum consortium recipiens Cæsarem, ingratum beneficii, habuit occisorem. Fauente igitur Basilio, schisma iteratò exoritur inter Grecos & Latinos: iterumq; Ignatius expellitur, altero substituto: nec ex tunc reuniti fuerunt, vsque ad tempus Concilii Lugdunensis, per annos quasi CCCCV. Assignant autem & tres alias causas huius dissidii: fastum Legatorum; censi solutionem annuam LXXX. librarum auri; diminutionem quoque Imperii factam per Romanam Ecclesiam: *supra part. II. cap.* ...

A Dni. 1274.

Tandem, MCCLXXIV. pro vtilitate Terræ Sanctæ, quam personaliter visitare cupiebat, Gregorius X. *Lugduni Concilium* congregauit: *infra part. XIII. cap. XII.* Illi concilio Græcorum & Tartarorum celebres interfuerunt nuntii, hoc procurante *Palialogo* Imperatore Græcorum: vbi & Græci altâ voce cum solemnitate cantauerunt de Spiritu Sancto, qui ex Patre Filioq; procedit. Nuntii verò Tartarorum, in Concilio baptizati, ad propria redeunt. *Iohannes* quoq; Papa XXI. legatos ad Palialogum misit, si ipse cum gente sua paratus erat Romanæ parere Ecclesiæ: Qui respondit se ad omnia paratum quę concilium Lugdunense mandauerat. Quantum autem ... suis placuerint Calogeris in promptu est: quia ipsis reclamātibus, quasi excommunicatus, remanet insepultus. Aiunt enim in Niceno Concilio determinatum esse Spiritum Sanctum à Patre procedere: & in fine Concilii fuisse subiunctum: *Si quis dicto Concilio aliquid adderet vel subtraheret, anathema sit.* Sed quid dicent hii Græci verbis Pauli ad Galathas I. *Licet nos aut Angelus de Cœlo euangelizet vobis præter id quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Nunquid glossantes, & obscura verba Apostoli exponentes, anathemate innodantur? Sed qui fidei & doctrinę Apostolicę contraria prædicant, sententiâ feriuntur. In Niceno enim Concilio de filio erat ... an verus DEVS esset, vel pura creatura, sicut impius Arrius asserebat: idq; in Concilio longâ fuit inquisitione discussum: de Spiritu autem Sancto quia principaliter non tractabatur, faciliter transeuntes, dixerunt à Patre procedere, nequaquam negantes quin & à Filio similiter procedat. Nec obstat quod allegant illud Io... *Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis à patre, Spiritum veritatis qui à patre* ...

& cætera, licet ibi solùm dicatur, secundùm superficiem litteræ, à Patre procedere: tamen secundùm verum litteræ intellectum, etiam à Filio procedere dicitur, cùm dicit, *Mittam vobis à patre*, id est, simul cum patre. Habet ergò Filius super Spiritum Sanctum auctoritatem, non dominii: quia vnus Dominus Pater & Filius & Spiritus Sanctus: ergo originis. Et sequenti capitulo ait: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet*: id est, à me procedet. Ex necessitate enim oportet, quòd si omnia quæ habet Pater sunt Filii, & Filius sit consubstantialis Patri, quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio sicut à Patre: sicut *Didimus* & *Hilarius* arguunt, Spiritus ergò sanctus est fluuius igneus rapidusque, quem aspexit Daniel VII. cap. egredi à facie antiqui dierum, id est, Patris: facies enim Patris, Filius est: quia sicut quisquis per faciem, ita per filium cognoscitur Pater, iuxta illud Matth. XI. *Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. A facie ergo*, id est, à Filio, sicut à Patre procedit. Sed Græcorum nequitiam prosequamur. Ipsi enim Latinorum altaria renuunt: & nisi priùs quasi prophanata diligenter abluant, post eos ibi non celebrant: Nec assurgere volunt, quando Latini presbyteri corpus Dominicum portant ad communicandum infirmos: Nec in azimo pane conficiunt, dicentes, quia CHRISTVS in comestione agni Paschalis, tempus præuenit vnâ die: & quòd Lunâ XIV. passus est: ac per hoc aiunt, eum in fermentato, non in azimo consecrasse; cùm Mattheus, Marcus & Lucas, id factum esse exprimant primâ die azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Satis autem congruo id agunt misterio, qui non epulantur in azimis sinceritatis & veritatis: sed in fermento malitiæ & nequitiæ, quod non expurgant secundùm monitionem Apostoli. I. Corinth. cap. V. In multis quoque aliis à Sancta Romana Ecclesia deuiant, à qua, schismatici facti, auctoritate propriâ recesserunt: non attendentes quinq; Patriarchales Ecclesias septemque Asiæ designatas per XII. tribus filiorum Israël. Et vt de Patriarchalibus prosequamur: *Ruben*, qui interpretatur, videns filium: ecclesiam figurat *Ierosolymitanam*, vbi primò apparuêre Ecclesiæ filii. *Gad*, qui interpretatur, feliciter: ecclesiam *Antiochenam*, in qua iuxta Damascum conuersus est ille qui feliciter portauit verbum salutis coram Gentibus, & Regibus & filiis Israël. *Manasses*, qui interpretatur, obliuio: ecclesiam *Alexandrinam*, quæ oblita legem CHRISTI, legi adhæsit spurcissimi Mahumeti. *Effraym*, qui interpretatur, crescens vel augmentum: ecclesiam *Constantinopolitanam*, quę ita aucta est, vt vocaretur primogenita filiarum. *Iudas* verò, qui interpretatur confitens: *Romanam* ecclesiam, cui præfuit Petrus, qui CHRISTO fidei verâ confessione ait: *Tu es CHRISTVS filius DEI viui*: cui & CHRISTVS respon[illegible]: *Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua*. Ideò, cæteris errantibus, sola Romana ecclesia in fidei vera confessione permansit. Vndè & Isay. IX. de hiis quinque Ec[illegible] dicitur. *In die illa erunt quinq; ciuitates in terra Aegypti, loquentes linguam Chanaã, [illegible] per Dominum exercituum. Ciuitas autem Solis vocabitur vna.* Nõ certè Ierosolymitana ecclesia: quia Ruben, eò quòd thorum patris fœdauit amisit primogenita. Ita & hæc, quia fœdo semine verbi fideles Iudaizare voluit, primogenituræ imò [illegible]uersalis prælaturæ dignitatem amisit: nec cuiquam conceditur qui in errorum [illegible] participant: soli autem Iudæ donatur, cùm Petro dicitur: *Tu vocaberis Ce[illegible]* [illegible] quo cæteri discendentes, acephali facti sunt: cui quoque ouile ouium, quod [illegible] vnum & non diuisum, comittitur: ouesq; pascere simpliciter omnes, non tan[illegible] Latinas, iubetur: cui etiam dicitur, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo [illegible], & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*: &, *tibi dabo claues regni Cæ[illegible], & quodcunq; ligaueris super terram erit ligatum & in Cælis; & quodcunq; solueris super [illegible] erit solutum & in Cælis.* Cur tam beatus efficeris Symon, confitens quæ vera [illegible]? certè *quia caro & sanguis non reuelauit* tibi, sicut & cæteris; *sed Pater Cælestis*. [illegible] quoque conformes erant in Terra Promissionis homines dicti *Suriani*: vel à [illegible] dicta *Sur*, inter Suriæ ciuitates magnæ quondam reputationis: vel à Syria, [illegible] Suriani dicuntur, qui in scripturis antiquis Syri nominantur. Hii à die[illegible], sub diuersis dominis Græcis, Latinis, Saracenisque, seruituti [illegible] serui, semper tributarii, ad terræ culturam [illegible] imbelles; exceptis quibusdam, qui inermes [illegible] modò arcubus & sagittis: suntque homines ex magna parte infideles, duplices, dolosi, vt vulpes: amici fortunæ: propter quod mendaces,

Ioan. 16, 15.

Matt. 16. 16.

Luc. 22. 32.

Ioh. 1, 42.

Matt. 16, 18.

Matt. 16. 17.

sunt, & inconstantes, aliud in ore, & aliud in corde gestantes: ad furta, & munera faciliter inclinantur; velut proditores, pro modico pretio exploratores effecti, Christianorum secreta manifesta faciunt Saracenis, inter quos nutriti sunt, quorum etiam linguâ libentiùs vtuntur quàm aliâ, & eorum peruersos mores ex magna parte sequuntur: vndè & vxores suas ac filias linteaminibus vndique inuoluũt, ne videri queant, superfluéq; recludunt: barbas cum multa diligentia nutriunt; commixti enim inter gentes Græcas & Saracenicas didicerunt opera eorum. Vndè in sermone eorum vulgari, *linguâ* Saracenicâ; & in contractibus, eorum vtuntur litterâ: sed in diuinis scripturis & in spiritualibus, litterâ Græcâ, non intelligentes, vt Græci, quæ à Sacerdotibus leguntur: qui eâdem linguâ in vulgari & in scripturis vtuntur. Obseruant quoque consuetudines & instituta Græcorum, tanquam maiorum suorum. Latinis autem Prælatis in quorum diœcesibus cõmorantur, ore, sed non corde obedire se profitentur, pauore dominii secularis. Vndè nec eorum *excommunicationes* timent, nisi quantum à fidelium contractibus & commoditatibus separantur: aiunt enim secundùm præmissa, omnes Latinos excommunicationis sententiæ subiacere: ideò non valent sententiam excommunicationis inferre. Item, sicut & Græci, quartas *nuptias* non admittunt: sacerdotes eorum & diaconi, licet in talibus ordinibus matrimonia non contrahant, vtuntur tamen vxoribus cum quibus ante susceptionem illorum ordinum contraxerunt. Subdiaconatus ordinem sacrum non reputant. Paruulos baptizatos simplices sacerdotes *crismate* consignãt, quod ad Præsules solos pertinere dignoscitur: Hoc enim confirmationis sacramentum datur ad robur, & propugnatores fidei constituit: ideò insignitur Christianus signo Crucis, in quo Princeps populi Christiani pugnauit & vicit: ad solum autem Ducem pertinet, vt quos decreuerit, assignet militiæ. *Sabbatho* quoq;, quasi Iudaizantes, adeò sollemnizant, vt & carnes comedant, & eis ieiunare non liceat, excepto Sabbatho Paschæ: cùm Innocentius Papa I. in Sabbatho ieiunium instituerit, quia tali die Dominus in Sepulchro iacuit, & discipuli ieiunauerunt. *De Consecrat. III. cap. Sabbatho.*

CAP. II.

Continet eorum mores qui Pulani & Maronitæ dicuntur.

VI. ILlustrium virorum, qui ad Sanctæ Terræ tuitionem, perfectamq; illius de iugo seruitutis liberationem, in ipsa manserunt, degeneres filii: qui ab illis descenderunt vt rubigo de argento, amurca de oleo, fex de vino: possessionum illorum successores, non morum, *Pulani* vocantur. Parentum magnalia suprà *part. VI.* digesta sunt: sed filii in delitiis enutriti, molles & effeminati; balneis plus quàm præliis assueti; mollibus muliebriter induti, circumornati & compositi, *vt similitudo Templi* (Psal. 143. 14.), desides, & ignaui, contra inimicos crucis CHRISTI pusillanimes & pauidi facti sunt. Vndè Saraceni, qui patrum audaciam quasi tonitruum formidabant, filiorum desidiam, nisi Occidentales populos secum haberent, plus quàm sexum fœmineum non timerent. Cœperunt etiam ab inuicem, pro re facili, dissidere; inter se lites, & iurgia, & bella ciuilia commouere; treuguas cum Saracenis inire; inimicorum CHRISTI pace gaudere, & plerumq; ab eis contra Christianos auxilium postulare. Vires & expensas, quas ad DEI honorem & Sanctæ Terræ tuitionem, & animarum salutem effundere debuissent, ad fidelium detrimentum, Terræ Sanctæ exterminium, & animarum damnationem consumere non pudebat: verbis quoque compositis & ornatis sic in ore & corde loquuntur, mentis propositum palliantes, vt eos salicibus meritò conferas, portantibus folia sine fructu: vixq; comprehendere valeas amphibologium, fallaciam, aut quæ diuidunt vel componunt. Vxores etiam superflue *Zelantes*, vix proximorum sinunt patere obtutibus; ad balnea sępius quàm ad Ecclesiam vel verbi DEI prędicationem, custodiâ tamen adhibitâ ire permittunt: qui verò inter eos ditiores aut potentiores sunt, per misellos Capellanos, iuxta lectulos Missas celebrari procurant. *Sortilegiis*, experimentis, & maleficiis innumeris, quę à Saracenis & Surianis didicerunt, eorum fœminæ assiduè vtuntur. Hiis, qui de remotis partibus, caussa deuotionis, ad Terræ Sanctæ subsidium veniunt, Peregrinis, cum expensis & laboribus supra modum, sed & sua Domino offerentes, non modo ingrati, sed etiã multipliciter sunt molesti: mallent enim semper otio

torpere

torpere, & desid[illegible] carnalibus, quàm ruptis treugis, [illegible] certamen: & postquam [illegible] hospitiorum immoderato pretio, cum mercimoniis, cambio, & aliis multis [illegible]nationibus eos circumuenientes & depauperantes, in immensum [illegible] demum CHRISTI milites, pro CHRISTO exulantes, interemptui & derisui habentes, multis iniuriis & contumeliis affligunt: filios vocantes *Hernaulz*, quasi homines fatuos & insensatos. Sunt & alii *Maronitæ*, à quodam suo magistro Marone vocati. qui vnam tantùm operationem atque voluntatem in CHRISTO asseruntcuius erroris actor extitit quidam Macharius Antiochenus Antistes, in *sexta Constantinopolitana synodo* condemnatus, & tanquam hæresiarcha ab vniuersitate fidelium est eiectus. Hii quidem Maronitæ, circa iuga Libani, in Phenice prouincia, non longè ab vrbe Bibliensi, & circa Bastrum & Tripolim inhabitantes, expediti & docti nimis in arcubus & sagittis, vsque ad LX. milia numero, & per annos ferè quingentos ab Ecclesia Sancta & fidelium consortio sequestrati, sua cōficiebant ad libitum Sacramenta: qui tamen postea reuertentes ad cor, tempore vltimi *Balduini* Regis, in præsentia Venerabilis patris *Aymerici* Antiocheni Patriarchę, fidem Catholicam profitentes, Sanctæ Romanæ traditiones secuti sunt. Vndè cum nullus Orientalium prælatorum, exceptis Latinis, anulo & mitra vtatur, ac baculo pastorali; aut tintinabulis, sed percussis malleo vel baculo tabulis, populus ad Ecclesiam congregetur, prædicti Maronitæ præfatis omnibus in obedientiæ signum vtuntur, & ritus omnes Latinorum obseruant: ipsorumq; Antistes Concilio Lateranensi interfuit sub Venerabili Papa *Innocentio* III. Vtuntur autem Caldaica litteris: sed in vulgari Saracenico idiomate proloquuntur.

CAP. III.

Continet eorum ritus & mores, qui Armeni ac Georgiani dicuntur.

ARmenorum populus, in Armenia prouincia, propè Antiochiam, in Christianos & Saracenos inhabitat seorsum: inter omnes Christianos singulares ritus & proprias habens obseruantias: proprium habent primatem, quem *Catholicum* appellant, cui cum summo honore & reuerentia omnes à minimo vsque ad maximum, tanquam alteri Papæ obediunt. Inter eos & Græcos inexorabiles sunt discordiæ, & dissensiones implacabiles, & mutuas obseruantias & ritus horribiliter detestantur. Habent autem proprium idioma, & proprias litteras: & in vulgari sermone diuinas scripturas pronuntiant, ita quòd sacerdotes & clerici eorum à laycis intelliguntur, sicut de Græcis *supra 1. cap.* dictum est. *Natiuitatem Domini* secundùm carnem non celebrant, magis autem ipsa die ieiunant: finito autem ieiunio, in die Epiphaniæ cū solemnitate Dominicæ apparitionis celebrant festum Baptismi CHRISTI, dicentes, se festum celebrare spiritualis CHRISTI Natiuitatis: vndè ait *Ambrosius* in sermone: *Tunc CHRISTVS natus est hominibus, hodie renatus est Sacramentis: tunc enim per Virginem est editus; hodie per misterium generatus.* Sequitur: *Noui partus noua merentur obsequia. Ibi, cum secundum hominem nascitur, mater eum Maria sinu circumfouet; hic, cum secundum misterium gignitur, Pater eum DEVS voce complectitur: ait enim,* Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Nec in opinione cuiusquam cadat fidelis, quòd propter sacramentum CHRISTVS propriè sit renatus, quia peccatum non fecit, neque contraxit, quod probat ætas, & matris virginitas: sed facere voluit quod faciendum cunctis imperare disposuit. Meritò proindè sicut exultamus CHRISTVM Dominum ex matre natum, sic lætamur pro salute humani generis baptizatum. Miremur etiam & lætemur de CHRISTI nati matre intacta, & CHRISTI renati vnda sanctificata. Et penè, si fas est ita loqui, maiori dotata est vnda munere quàm Maria: Illa enim sibi tantùm Virginitatem in partu meruit; ista in lotione nobis contulit puritatem: illa meruit ne peccaret; ista vt peccata purgaret. Illa virum filium procreauit, & virgo est; ista infinitos generat, & pura est: illa præter CHRISTVM, alium ignorat filium; ista cum CHRISTO, mater est omnium fidelium populorum. *Quadragesimam* quoque, quæ Dominicam resurrectionem præcedit, tam arto obseruant ieiunio, quòd non solùm à carnibus, ouis lacte & caseo abstinēt, sed etiam nec pisces manducant vel oleum, nec bibunt vinum: fructus tamen & le-

[illegible] placentia die comedunt: & vt videntur [illegible] Græculis ac [illegible] quibusdam sextis feriis [illegible] aquam vino non miscent [illegible] propter [illegible] necessitatem poni non debeat, quia in solo vino [illegible] sanguinis [illegible] potest, tamen nullo modo aqua debet omitti, tum propter [illegible] nullo modo debet contemni; tum propter significationem [illegible] tio aquæ ad vinum, coniunctionem corporis CHRISTI mystici, [illegible] (*ad Coloss. 1.*) ad CHRISTVM, qui est caput super omnem Ecclesiam, [illegible] *Ephes. 1.* Aqua autem, populum signat: aquæ enim [illegible] populi [illegible] *xvii.* Tum quia CHRISTVS creditur in consecratione aquam apposuisse, [illegible] mos esset non solùm Iudeorum, sed etiam omnium Orientalium [illegible] no: cum puro vino in illis partibus etiam intemperatus vix vti posset. Qui ergo solùm vinum consecrat, videtur inter Ecclesiam & CHRISTVM diuortium celebrare. Sciendum quoq; quod *Armeni* summo Pontifici, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiam promiserunt: quando scilicet Rex eorum, ab *Imperatore Romano Henrico* terram suam recepit, & coronam Regiam ab Archiepiscopo Maguntino: [illegible] men veteres & consuetas obseruantias mutare noluerunt. Sunt etiam Christiani *Georgiani* vocati, eò quòd sanctum Georgium in præliis contra incredulam gentem aduocatum habeant & patronum: & tanquam signiferum præ aliis Sanctis singulari reuerentia colunt. Hii sunt bellicosi valdè, & in præliis strenui, fortes robore, [illegible] numera pugnatorum multitudine pollentes, valdè formidabiles Saracenis, Persis, Medis & Assyriis, in quorum confinio commorantur: cunctisq; infidelibus, à quibus vndiq; clauduntur, in expeditionibus frequenter valdè damnosi sunt. Vtuntur autem Græco idiomate, in scripturis Diuinis; & Græcorum consuetudines, in sacramentis obseruant: Clerici eorũ rotundas habent rasuras; Layci quadratas: quotiescunq; ad Sepulchrum Dominicum visitandum veniunt, cum vexillo erecto, absq; tributo, Ciuitatem Sanctam ingrediuntur: nec eos Saraceni molestare præsumunt, ne cum repatriant, duriora vicinis Saracenis rependant. Fuerunt quoq; nimium indignati, & minas intulerunt Principi Damasceno, *Coradino* eò quòd absq; voluntate eorum muros Ierusalem euertere præsumpsisset, cùm populus Latinorum ciuitatem Damiatæ obsidebat: *infra part. 1x. cap. 1x.* Crines autem & barbas vnius ferè cubiti longitudine portant, & pileis vtuntur in capite: nobiles quoque mulieres eorum, more Amazonum militant, & armis vtuntur in præliis.

CAP. IV.

Continet ritum & mores Iacobitarum, Nestorianorum, & Mosrabum.

IV. SVnt etiam in Terra Sancta & aliis Orientalibus partibus nonnulli à Latinis & Græcis multùm differentes, quorum quidam *Iacobitæ*, vel *Iacobini* dicuntur: à quodam magistro suo Iacobo, cuiusdam Alexandrini Patriarchæ discipulo. Hi multis temporibus retroactis, excommunicati sunt à Constantinopolitano Patriarcha cum Dioscoro, & ab Ecclesia Græcorum sequestrati: maiorem partem totius tractus Orientalis inhabitant; quidam in Saracenos, alii verò absque infidelium consortio, proprias occupauerunt regiones, scilicet, Nubiam quæ continuatur Ægypto, & magnam Æthyopiæ partem, & omnes regiones vsque Indiam: plus quam xl. regna, vt asserunt, continentes. Omnes enim Christiani a beato Mattheo Apostolo, aliisque Catholicis viris ad CHRISTI fidem conuersi, inimico homine superseminante zizania, lamentabili errore sunt longo tempore excæcati. Et primò quidem paruulos suos in vtroq; sexu *circuncidunt*, non attendentes quod ait Apostolus ad Galathas. *Si circumcidamini, CHRISTVS vobis nihil prodest.* Et iterũ, *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciẽdæ. Euacuati estis à CHRISTO qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.* Secundò, errant sacramentalem tollendo *confessionem*: Non enim Sacerdoti sua confitentur peccata; sed secretò soli DEO, ponentes iuxta se incensum in igne, quasi confessa taliter peccata, cum fumo illo ascendant ad DEVM. Nec aduertunt, quia soli DEO sufficiebat facta confessio, quando offensus fuerat inuisibilis DEVS, nec dum homo factus: At postquam verbum caro factum est, & habitauit in nobis, quoties peccamus, offenditur homo DEVS, & ideo non tantum corde DEO, sed etiam ore homini debet fieri confessio

fessio ad salutem: & quia vbiq; CHRISTVS esse non potest, [illegible] Sacerdotes. Ideo Iacobi vltimo dicitur: *Confitemini alterutrum peccata [illegible]* CHRISTVS leprosos ad sacerdotes misit, quorum officium est inter lepram & lepram discernere; & sententiando proferre vtrum absolui debeat, an non, an communicare debeat, vel à communione cessare. Erubescentia quoque confessionis & sudoris anxietas, & confitentis humilitas, magna pars satisfactionis est. Tertiò, erant plerique eorum, etiam antè Baptismum paruulos suos candente ferro in fronte signantes; nonnulli autem in eis cauterio Crucem signantes figurant: propter illud quod Iohannes Baptista de CHRISTO ait: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*: minimè attendentes quia super baptizatos de nouo in igne apparebat Spiritus Sanctus, demonstrans septem Spiritus Sancti dona. Ignis enim primò purgat: vt patet in veste Salamandræ in ignem proiecta; sic Spiritus Sanctus purgat animam per donum timoris: Isay. IV. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Syon, in Spiritu iudicij & spiritu ardoris.* Secundò, Ignis liquefacit: vt patet in cera; sic Spiritus Sanctus liquefacit animam per donum pietatis: *Psal. flauit Spiritus eius & fluent aquæ.* Tertiò, Ignis decorat: vt patet in metallis; sic Spiritus Sanctus animam decorat, per donum scientiæ: *Iob. XXVII. Spiritus Domini ornauit Cælos.* est enim cœlum sancta anima habens virtutes quasi astra. Quartò, Ignis consolidat: vt patet in lateribus; sic Spiritus Sanctus animam consolidat, per donum fortitudinis: *Michea III. Repletus sum fortitudine Spiritus Domini.* Quintò, Ignis eleuat: vt patet in vaporibus; sic Spiritus Sanctus animam eleuat per donum intellectus: *Ezech. VIII. Spiritus eleuauit me inter Cælum & terram.* Sextò, Ignis illuminat: sicut patet in lucernis; sic Spiritus Sanctus illuminat, per donum consilii: *Sapient. VII. Est enim in illa Spiritus multiplex subtilis,* &c. Septimò, dulcorat: vt patet in cibis; sic Spiritus Sanctus animam dulcorat per donum sapientiæ. *Ecclesiast. XIII. Spiritus meus super mel dulcis.* Ecce qualis est ignis in quo fidelis quilibet baptizatur: nec reperiri posset, quod CHRISTVS aut eius Apostolus, vel aliquis sanctorum patrum illum modum posteris reliquerit baptizandi. Quidam autem *Iacobitarum* & *Surianorum* in brachiis cruces candente ferro impressas gestantes, ad Paganorum destructionem, & ob Sanctæ Crucis reuerentiam eas se ferre dicebant. Græci autem se asserunt illos eò maximè detestari, & à suo repulisse consortio, quia in damnatam ac pessimam hæresim incidissent: asserentes videlicet vnam in CHRISTO naturam, quemadmodum & personam: quod in Calcedonensi concilio est damnatum. Quod enim ait CHRISTVS: *Pater maior me est.* & in cruce pendens, *sitio*. Et multa similia, non potest ad Diuinam, sed solùm ad humanam spectare naturam. Quòd verò ait, *Ego & pater vnum sumus.* &, *Antequam Abraham fieret, ego sum*: & conformia hiis, non ad humanam, sed ad Diuinam spectant naturam. Interrogati tamen aliquando Iacobitæ, timore nescio an veritate coacti, negauerunt vnam tantùm in CHRISTO esse naturam. Et iterum requisiti, cur vno tantùm digito se signarent; responderunt: *Vt in tribus partibus digiti personarum Trinitatem; in vno verò digito designarent essentiæ vnitatem:* licet Græci eis imponant, quia ad designandum in CHRISTO vnitatem naturæ. Vtuntur autem quidam eorum littera Caldaica, nonnulli Arabica, quæ & Saracenica: Layci verò, secundùm diuersas nationes & prouincias, idiomatibus vtuntur diuersis in vulgari. Linguam autem Clericorum suorum, qua in diuinis vtuntur scripturis minimè intelligunt. Erant quoque in Terra Promissionis, & inter Saracenos, etiam seorsum ab hiis, in maiori parte Indiæ, Christiani quidam habitantes, dicti *Nestorini* vel *Nestoriani* à quodam Nestorio: de quo supra *ca. I.* qui ex magna parte Orientalem plagam sui erroris veneno infecit; & potissimè illos qui terram incolunt illius potentissimi quondam Principis, quem *Iohannem Presbyterum* vulgus appellat. Dicuntur quoque hii, cum superioribus Iacobitis, longè plures esse quàm Latini vel Græci. Et vt de hiis qui seorsum habitant quorum infinitus est numerus sileatur, ad præsens plures Saracenis commixti, subiiciuntur eorum dominio, quàm sint ipsi impii Saraceni: qui licet legem pestiferam spurcissimi Mahumeti recipere noluerint, dicto tamen errore miserabili sunt decepti; &, (*supra I. cap.*) condemnati: nisi enim in CHRISTO esset vna persona, quæ DEVS esset & homo, non possent de ipso verificari quæ immediatè præmisimus: quorum quædam DEO, &

Marginalia: Matth. 3. — Psal. 147. — Ioh. 14, 27. — Ioh. 10, 30. — Ioh. 8, 58.

[illegible] conueniunt, quædam vero homini & non DEO. Vnde & in Symbolo [illegible]: *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita DEVS & homo vnus est CHRISTVS.* Et Esay ait: *Paruulus datus est nobis*: sequitur, *Et vocabitur admirabilis, DEVS fortis.* [illegible] Psal. *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus*: quia CHRISTVS [illegible] filius, & creator, quando verbum caro factum est, & habitauit in ea. [illegible] autem vtuntur [illegible]: & more Græcorum, non in azimo [illegible] sacramentum. Sunt & alii Christiani qui in Africa & Hispania inter Occidentales Saracenos commorantur; *Mosrabes* vocitati: qui Latina littera & sermone [illegible] vtuntur diuinis, Sanctæq; Romanæ Ecclesiæ sicut cæteri Latini cum [illegible] deuotione & humilitate obediunt, ab articulis fidei vel sacramentis Ecclesiæ in [illegible] deuiantes: Eucharistiam tamen diuidunt in partes septem; nonnulli verò in [illegible] [illegible] quod cùm accidat sacramento, veritatem & virtutẽ non impedit sacramenti.

Cap. V.

Continet multorum Occidentalium, ad Terram Sanctam concurrentium, prauitatem.

AD Terræ Sanctæ succursum venit fortitudo maris, de maritimis terris Italiæ, & fortitudo gentium, de vltramontanis partibus Occidentis & Aquilonis, vt supra, *in fine part. VII.* dictum est: illi in mari potentiores; hii fortiores in terris: illi in marinis præliis aptiores in nauibus & galeis; isti in terrenis congressibus promptiores, in equis & galeis: illi hostes à remotis, arcubus & sagittis; isti gladiis & lanceis magis feriunt de propinquo. *Italici* homines, grauiores sunt moribus, prudentes, compositi, victu parci, verbis ornati, in consiliis circumspecti, in republica studiosi, impatientes cuiuscunq; dominii, libertatem ante omnia defensantes, politicè viuentes, communia edentes statuta, & edita congruè obseruãtes. Erant hii perutiles Terræ Sanctæ non solùm in nauali bello, sed etiã victualibus, mercimoniis & peregrinis etiam deportandis. *Franci* autem, *Alamani*, *Anglici*, cæteriq; vltramontani, minus sunt compositi, & magis impetuosi, in agendis minus circumspecti, & in verbis etiam minus cauti, in victu superflui, & in expensis magis profusi, in consiliis nimis festini, contra dictum sapientis: *Oportet tardè consiliari*: & alius Philosophorum ait: *Velox consilium, sequitur pœnitentia.* In Ecclesia verò multùm deuoti, ferventiores in eleemosynis, & cæteris operibus pietatis; & animosiores in præliis, valdeque formidabiles Saracenis. Sed propter multorum leuitatem à Polanis *Hernandi filij* appellantur. Qui qualiter & quantum in vitia declinauerint, supra *11. cap.* dictum est. *Italici quoq;* & potiores maximè maritimæ regionis, à patrum virtutibus declinantes, insatiabili auaritiâ lucris inhiantes, exortâ in eis æmulatione mutuâ, implacabili odio, & immortali discordiâ, libentius contra se pugnant quàm contra impios Agarenos: & qui quondam erant sua virtute terribiles Saracenis, nunc eos dissidio suo lætificant, ex hoc ipsos reddentes ab omni perturbatione securos. Est & alia caussa à prædictis, quæ summè in Terræ Sanctæ habitatoribus corruptionem induxit: concursus scilicet hominum omni genere criminum infectorum. Transfretabãt enim quotidie flagitiosi & pestiferi homines, scelerati, sacrilegi, impii, fures, raptores, homicidę, patricidę, periuri, adulteri, cursarii, proditores, lusores, ioculatores, crapulæ dediti & ebrietati; relinquentes quoq; legitima matrimonia, & mulierculas nouis decipientes contractibus: mulieres etiã, propriis relictis maritis, lenonibus adhærebant. Hii quidem & consimiles, prudentum consilio qui statim Terræ Promissionis, & alternas ipsius mutationes diligentiùs inspexerunt, omni aliâ peste, omnique hominum genere, peccatorum fomentum, ad animarum damnationem, & subuersionem fidelium in Terræ Sanctæ dispendium ampliùs præbuerunt, scelera criminibus, crimina sceleribus cumulantes. Et tantò audaciùs maleficia perpetrabant, quantò promptiùs erat punitionis diffugium: vel ad Saracenos propinquos fugiendo, baptismi fracto fœdere; vel ad propinquas Insulas, cum Latinorum nauigiis transfretando: tantò etiam inuerecundiùs, quantò remotiores ab amicis, propinquis, & notis. Aduentabãt quoq; frequenter viri sanguinum, & filii Belial; qui in patria sua in malitiis & maleficiis deprehensi, prece plerumque & pretio

... obtinebant, membris nō mutilati, vel vitâ ... nis transmissi, ... condemnari exilio. ... cti, sed ... coelum mutantes non ... Sanctam, ... quam secum detulerant ... studia ... & hospitia peregrinis immoderato ... adventitios extraneos, & incautos ... & publicis meretricibus, spe lucri ... Et his omnibus secum erant manus Principum ... tium retributionem: quibus omnibus ... facientes & consentientes, æquo iure, pari crimine ...

CAP. VI.

Continet regularis ac Clericalis status deprauationem.

POstquam omnis penè fidelis populus Prælatis, Clericis, & regularibus Terræ Sanctæ transmisit munera diuitias contulit, quasi tributarius factus est, cœperunt *pastores* seipsos pascere: & neglectâ ouium curâ, cœperunt eas tondere, non nutrire; earumque lacte, lanaque contenti, fugere ad luporum accessum, facti mercenarii de prælatis. *Mercenarius*, inquit Gregorius, *locum pastoris tenet, & lucrum animarum non quærit. O pastor & idolum, derelinquens gregem*, ait Dominus per Zachariam. *Pastor* certè, ratione prouentus & commodi; sed *idolum*, ratione neglecti officii, ministerii non impleti: Idolum enim nec videt nec intuetur, cum oculos habeat; nec arcet nec comminatur, cùm virgam teneat; nec admonet, nec affatur, cùm apparentiam habeat Principis & prælati: adoratur tamen & colitur. Tales facti erant pastores terræ illius, circa spectanda, cæci & duces cæcorum; circa praua opera arguenda, canes muti, non valentes latrare; honorari tamen volentes: quasi vaccæ pingues in monte Samariæ, de CHRISTI patrimonio impinguati, incrassati, dilatati: de eius paupertate, diuites; ipsius humilitate, superbi; ... ignominiâ gloriosi: in domum Domini intrantes pompaticè: Giezi leprâ vtinam nō respersi, dum cathedras vendētium columbas erigunt, quas CHRISTVS euertit: cum Iuda, tam fure quàm proditore, dicentes: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Sæpè à Symone Petro clauem tollentes, vt Symoni mago darent: diuitiis quoque ac delitiis habundarent; & catulos suos non de micis, quæ cadunt de mensa, sed delicatis nutrirent cibariis: turpiq; otio marcidi, & luxu multiplici defluentes, pernitiosa exempla in subditos transmittebant. *Regulares* quoque, vt Clerici, veneno diuitiarum infecti fregerunt iugum regulæ: ruperunt vincula statutorum, superioribus inobedientes, & cum clericis altercantes: & quorum officium erat plangere, nunc quærunt Sacramenta Ecclesiastica ministrare, infirmos non ex pietate, sed questu pecuniæ visitare, mortuos sepelire: recipiunt ad officia & sepulchra interdictos, & nominatim excommunicationis vinculo innodatos: prælatorum sententias contemnunt. Abbates enim, & Priores, & *monachi*, eorumque miserabiles capellani, in alienam messem falcem mittere non timebant: clandestinis matrimoniis personas illegitimas, aut fugitiuas illicitè copulantes. Eneruato proindè rigore Ecclesiasticæ disciplinæ, homines pestilentes, prælatorum sententias contemnebant. Sed & ipsi etiam inter se inuicem inuidentes, inuicem detrahentes, non sine graui scandalo populi Christiani, vsque ad apertas contumelias, odia manifesta, & persecutiones publicas, & ferè vsque ad conflictus non solùm verborum, sed etiam verberum prorumpebant. Non solùm quoque monachi, sed etiam *moniales*, superioribus suis inobedientes, excusso disciplinæ iugo de claustris exilientes, quondam lapides sanctuarii, nunc reperiebantur dispersæ in capite omnium platearum, publica balnea irreligiosè cum personis irreligiosis frequētantes. Et factus est *sicut populus, sic sacerdos*; & regularis quemadmodum secularis. *Ex adipe enim delitiarum & diuitiarum prodiit iniquitas*: ita vt rarus esset, qui inter sanctum discerneret, & prophanum; & pretiosum separet à vili. Nonne scriptum est, *qui tetigerit picem inquinabitur ab ea?* Et, *si modicum quoque fermentum totam massam corrumpet*, quæ corruptio debuit generari ex tanta, & tam diuersa multitudine hominum impiorum ad Terram Sanctam concurrentium? illam

Zach. 11, 17.

Matt. 26, 15.

Esai. 24, 2.

Psal. 72, 7.

Eccl. 13, 1.
1. Cor. 5, 6.

[illegible] multi hæretici & schismatici, multi etiam sortilegiis dediti, [illegible] homicidæ, superbi, iracundi, elati, contumeliosi, [illegible] discordiam seminantes, [illegible] & ignari, [illegible] & immunditia fœtidi, insipientes, incompositi, sine [illegible] misericordia. In medio igitur nationis [illegible] populus Domini, didicit opera eorum, & [illegible] sicut & Iudæus, (*supra parte [illegible] cap. IV.*) non [illegible] adulterium homicidium & furtum inundauerunt, & [illegible] DEVS quòd multa malitia hominum esset in [illegible] cogitatio cordis humani intenta esset ad malum omni tempore, [illegible] corrupuerat viam suam, tactus dolore cordis intrinsecus ait: *[illegible] terra:* inducensq; diluuium gentium immundarum, erasit de terra [illegible] ficos; & terram illam, descriptam suprà *part. VII.* gloria spoliauit: Sepulchrum quoq; suum, ac cætera loca sacra tradidit inimicis Crucis suæ, dicens: *Puduit [illegible] in peregrinis quàm castris sordere meis.*

NONA PARS, CONTINET AMISSIONEM TERRÆ SANCTÆ FACTAM TEMPORE SALADINI: HABENS CAPITULA VIII.

CAP. I.

Continet Diuinæ iustitiæ æquitatem in Terræ Sanctæ habitatores indignos.

Omnia propter semetipsum creauit Altissimus: & cuncta creata conuertit ad materiam suæ laudis. Sed quis illa enarrare sufficiat? nemo certè nisi docente Prophetâ sciremus, *quia vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* O *misericordia* Domini, quâ plena fuit Terra illa Promissionis in sublimatione regni, in ordinatione sacerdotii, & dispositione mirabili populi Christiani! tunc verè fuit gloriâ & honore coronatus, & in Terra Sancta omnia subiecta pedibus eius, cùm certè ante nouos filios Israel, imò CHRISTI, tremebat contio infidelis; quando vnus persequebatur mille, & duo fugabant decem millia. Et de misericordia quidem sic. De *Iustitia* verò, ait Propheta: *quia honor Regis iudicium diligit.* Qui enim legitur pater misericordiarum & DEVS totius consolationis; legitur nihilominus DEVS Iudex, iustus, & fortis; legitur terribilis in consiliis super filios hominum; legitur vltionum Dominus: vlciscitur, & requirit rationem de commissis, vsque ad vltimum quadrantem; requirit, & retribuit abundanter facientibus superbiam; requirit à redempto seruitium, honorem & gloriam ab eo quem plasmauit. Esto quòd dissimulet pater misericordiarum, non tantùm Dominus & Creator: & qui parcit filio, non parcit figmento, non parcit seruo nequam. *Seruus,* inquit, *sciens voluntatem Domini sui, & non faciens eam, vapulabit multis.* Nihil odit DEVS eorum quæ fecit: Vidit *enim* cuncta *quæ fecerat, & erant valdè bona:* solum peccatum odit quod nihil est; quod non à Creatore, sed à creatura processit: hoc est, quod de Angelo, fecit Diabolum; de amico, inimicum; de cœlo, propulit in infernum: hoc est, quod de deliciis, hominem compulit ad laborem; de Paradisi accola, fecit agricolam; de Domino, seruum; de ciue, exulem; de filio DEI, mancipium diaboli: & immortalem, in morte conclusit. In peccati quoque destructione multum fatigationis Saluator assumpsit, nec tantùm laborauit in fabrica vniuersi. Siquidem illa dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt. At hic, & in dictis suis habuit contradictores; & in factis, obseruatores; & in [illegible] illusores; & in morte, exprobratores. Propter peccatum quoque, mutatur [illegible] in crudelem, qui reuera benignus & misericors est: & meum requirens [illegible] apparet durus & implacabilis, cuius natura bonitas, cuius proprium misereri semper & parcere. Excrescente itaque vsque ad sidera prauitate [illegible] Terram Sanctam, vt superiori parte ostenditur: dum insolentes fiunt pro victoriis; ingrati pro gratiis; dum ad peccati vomitum redeunt, qui priùs seruire elegerant, cui seruire regnare est, receperunt duplicia de manu Domini, qui repulit tabernaculum

bernaculum Sylo; qui libellum repudii dedit veteri Synagogæ: factiq; sunt hostes nominis Christiani in capite, ipsi in cauda, qui caudam perseuerātiæ suo sacrificio abstulerunt. Adeò enim conclusit in gladio Dominus populum suum, & hereditatem suam spreuit, vt non solùm Terra Promissionis amissa sit; sed omnes etiam penè regiones, ciuitates & munitiones ab introitu terræ Ægypti vsq; ad Mesopotamiam itinere plusquàm xx. dierum: & de ciuitatibus quidem maritimis solummodo reliquerunt *Tyrum* & *Tripolim*: *Antiochiam* verò, cum paucis munitionibus castrum scilicet, quod *Cursarium* dicitur, iuxta *Crachum*, & *Margath*, & *castrum Album*, *Archis*, & *turrem Ancreadi*, & castrum *Nephyn*, in comitatu Tripolitano. Omnes verò 10 Mediterraneas ciuitates & munitiones, suo subiecerunt imperio, aut fugatis exindè Christianis, aut morte extinctis, aut carceribus mancipatis.

Cap. II.

Continet Edissani Comitatus, & infelicis Comitis illius captionem: castri quoque Harenc, & Paneadis ciuitatis.

Tantæ autem aduersitatis amaræ tribulationis calamitas à Comitatu Edissano infaustum sumpsit exordium: mortuo enim viro strenuo in armis, & prouido in agendis Iocellino Comite Edissano, *Iocellinus* iunior filius eius, à paterna probi- 20 tate & honestate degenerans, sordibus defluēs & libidine dissolutus, Edissam ciuitatem, negligenter munitam relinquens, amisit. Obsidens enim eam *Sanguinus* Mussulæ dominus, (*de quo supra parte VII. cap. I.*) quæ caput & Metropolis est prouinciæ Assur, confractis mœnibus violenter irrupit, anno Domini M.CXLV. cùm nusquam priùs fuisset idolatrarum infidelitate polluta. Sed & *Iocellinus* ipse, post hæc, diuino iudicio à Saracenis captus, fame & egestate consumptus ac mortuus est. Postquam verò pars residua comitatus obuenit vxori, Constantinopolitano Imperatori sub censu annuo consignauit, qui copiam illuc Græcorum transmittens, contra Saracenos terram defensare promisit. *Norandinus* autem prædicti Sanguini filius, de recessu Latinorum gauisus, licet cum admodum paucis esset, 30 Græcos effeminatos & molles nil reputans, eodem anno totam terram suo subiecit imperio, captiuatis illis Græculis, vel occisis. Adiit quoque Norandinus castrum *Aranch* obsidere, ad Antiochenum pertinens Principatum, quod ab Antiochia decem distat milliaribus. Et quia *Raymundus* Princeps Antiochenus, tunc temporis interfectus erat in bello, filius quoque eius *Boamundus*, in Principatu succedens, à Saracenis tenebatur captiuus, castrum ipsum paucis reluctantibus expugnauit. *Paneadem* quoque ciuitatem suæ ditioni subiecit, absente Ierusalem Rege Almerico, atque commorante circa partes Ægypti. Cœpit ex tunc Christianorum conditio deterior fieri: residuam tamen terram defendebant, donec regna Ægypti & Damasci sub vna conueniunt potestate. Propter amissionem autem E- 40 dissæ factam, (*suprà parte VI. cap. XIX.*) crux denuò prædicatur, & Rex Franciæ ac Imperator transfretant: *sequenti capitulo*. M.CXLVIII. Peregrini Ierosolymitani, penè omnes pestilentiâ perierunt. Sequēti anno in Terra Promissionis & partibus Orientis, exigentibus peccatis hominum, *terræmotus* multas villas, vrbes & Ecclesias obruit; & innumera populorum millia hians terra glutiuit: inter cæteros qui tam repentino cadebant excidio *Hermannus* Viennensis Antiochiæ educatus, exiens in castro *Cursario*, in districtu Antiocheni Principatus, in Ecclesia Sancti Petri: videns coruscationes & fulgura & terræ hiatum ex hiis duntaxat, qui in Ecclesia erant vltra CXL. deglutire: iam solo & ipse dilapsus, piissimam matrem Domini apud *Recemadher* patrocinantem, inuocauit, & continuò eius sensit auxi- 50 lium. Nam, cùm circumquaque rugirent, & ad inferiora terræ ruerent, licet coartaretur & penè suffocaretur à terra, à Regina Virginum extractus est viuus, in natali Apostolorum Petri & Pauli, circa sextam. Et non solùm ad emendam; sed diuinâ prouidentiâ sæpius in illis partibus huiusce terræmotus proueniunt, etiam ad cautelam, vt sciat vnusquisque: sicut ait *Apostolus I. Thessal. IV. Suum vas possidere in sanctificatione, & honore*: & Terram Sanctam polluere caueant, quam Christus pretioso sanguinis sui balsamo consecrauit.

11.

A. Dni. 1145.

A. Dni. 1148.

Cap. III.

Continet modum quo Saladinus regnauit super duo regna, Aegypti videlicet & Damasci.

III. A Dni. 1174.

NOrandinus M.CLXXIV. moritur, Rex Turchorum: *Saladinus* regnum occupat, & simul cum regno Ægypti sub sua redigit potestate. *Saracunus* enim vnus ex Satrapis Norandini, regnum Ægypti quod violenter occupauerat, Saladino nepoti suo ex fratre in morte reliquit. Hic *Saladinus* ingenio astutus erat, in armis exercitatus, in agendis prouidus & festinus, liberalis valdè & munificus, non solùm suis, sed etiam quibusdam Christianis, quos ad se muneribus & promissionibus attrahebat. Igitur postquam Ægypti administrationem obtinuit, timens Calypham Ægyptium, de quo *suprà part. VI. cap. V.* fecimus mentionem: multis enim accusatoribus non immeritò domino suo Calyphæ factus erat suspectus: nolens ipse sub timore alterius, vel dominio remanere, accessit ad Calypham, fingens solitam reuerentiam velle exhibere; & clauâ subitò percussum ad terram deiecit, proditorque occidit: & cunctos filios, cognatos, & potiores amicos, aut interfici iussit, aut carceri perpetuò mancipari: compulitq; Ægyptios Calypham proprium de cætero non habere, sed Baldacensi subesse. Postquam verò Saladinus Calypham Ægyptium dominum suum occidit, *Salech* filio domini sui Norandini iam defuncti, qui puer tunc temporis in Alapia morabatur, regnum abstulit Damascenum, præcipuis regni tyrampnis, partim muneribus & promissionibus, partim metu & violentiâ ad proditionem inclinatis. Addidit quoq; prædicto domino suo cuius ipse & pater eius serui fuerant, opulentissimas surripere ciuitates, *Haman* videlicet, & *Mahubeth*; *Emissenam* etiam ciuitatem, quæ vulgariter *Camele* appellatur, insuper & *Cæsaream magnam*: Mortuo quoque prædicto Norandini filio, cùm in potestate patrui sui *Catebedini* Mussulæ domini, iure hereditario Alapiâ deuenisset, non solùm Alapiam, sed etiam comitatum Edissanum, & totam terram vsque Eufraten, & etiam Mesopotamiæ nobiles ciuitates, *Edessam*, *Charan*, & cætera, Saladinus prædicto domino Mussulæ violenter abstulit, non sine Christianorum magno dispendio: & eò maximè, quia Saraceni, qui à principio, quando primùm Latini terram ingressi sunt, rudes erant in præliis, & quasi inermes, cum arcubus tantùm ad bella procedentes, nunc verò vsu & exercitio, frequentiq; cum Christianis congressu, adepti essent pleniùs militiæ disciplinam: & more vterentur Latino, loricis, scutis, & galeis, ensibus & lanceis, omniq; armorum genere, tam offensiuo quàm etiam defensiuo.

Cap. IV.

Continet prohibitionem Lateranensis concilij deferendi arma, & huiusmodi Saracenis: lugubremq; stragem populi Christiani, per Saladinum illatam.

IV.

CVm talia ad Christiani populi subuersionem agitantur in partibus Orientis, in partibus Occidentis depressæ Ecclesiæ aspexit DEVS: & Ecclesiæ Imperiique dissidio finem imposuit, quo nullum aut vehementiùs efferbuit, aut perseuerauit diutiùs, quia annis XVI. Anno enim M.CLXXVII. *Fredericus* primus ad Papam *Alexandrum* tertium, qui ad ciuitatem *Venetiam* declinauerat, propter ciuium fidelitatem, & ciuitatis inexpugnabilis securitatem, supplex venit: & ad terram prostratis ceruicibus Papa pedem superposuit dicens: *super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*: & à sententiis absoluto, reconciliatus est. Sequenti verò anno Lateranense concilium congregat: vbi ex diuersis partibus, Episcoporum & Abbatum innumerabilis multitudo conuenit. Ibi, *infideles & impij Christiani, qui Saracenis arma, ferrum & lignamina galearum deferunt, & ad impugnandum Christianos necessaria subministrant, vel in galeis eorum, siue in pyraticis nauibus curam gubernationis exercent, excommunicationi subiecti sunt; ac rerum suarum per Principes seculares, priuatione mulctari, & capientium serui fieri censentur.* Ad Orientalem nunc redeuntes historiam dicamus quòd Patriarcha Ierusalem, Prior Hospitalis, & Magister Templi, M.CLXXXIV. venerunt ad *Philippum* Regem Franciæ: horum tamen tertius mortuus est in via: & portauerunt claues vrbis Ierusalem & Sancti Sepulchri Domini, rogantes, vt ferret auxilium. Ille verò conuocato concilio, prælatis ordi-

A.D. 1177. Psal. 90, 13. A Dni. 1184.

ordinat, vt subditis prædicent Crucem sumere, & strenuissimos misit milites cum multitudine peditum, suis stipendiis. Sed hoc non obstante, attendens *Saladinus* vir astutus, & in re militari multùm expertus, immensum foramen discordiæ in regno Ierosolymitano: de quo *supra in fine part. VI.* fecimus mentionem: & quia, *omne regnum in seipsum diuisum desolabitur*, iuxta sententiam Saluatoris: maximè verò sumptâ occasione ex eo quòd *Raymundus Princeps* Montis Regalis, & totius terræ trans Iordanem, dominus quoq; Ebron, & circumstãtis regionis, treuguas quas cum Saracenis vicinis Christiani habebant, maximam prædam agens confregerat: ex omnibus sibi subiectis nationibus cõgregauit pugnatorum multitudinem magnam nimis: ex Ægypto videlicet, & Arabia, & Damasco, Alapia quoq; & Mesopotamia: dicitur in suo comitatu præter pedites innumerabiles habuisse L. millia militum. Præmisit autem vir sagax, decem millia electorum militũ, qui per terram Comitis Tripolitani, qui secum treuguas inierat: (*suprà in fine VI. part.*) per partes, scilicet, Tyberiadis & Nazareth, vsque ad suburbana Acon discurrerent; & more suo nostros prouocarent, si fortè incautè se prosequentes, aut casu occurrentes, interimere aut capere possent: nec effectu caruit impia machinatio. *Magister* enim *Militiæ Templi* cum fratribus suis, plusquam LXX. incautè egrediens; & *Magister Hospitalis*, qui cum fratribus suis decem, de Castro *Beueir* reuertebatur à colloquio comitis Tripolitani, à Turchis inclusi sunt iuxta *Casale Roberti*: & licet non ampliùs quàm CXX. militibus sociati essent, decem millibus Saracenorum viriliter restiterũt, ex eis plurimos prosternentes: sed tandem pauci corripiuntur à pluribus, & trucidato Magistro Hospitalis cum pluribus, cæteri capiuntur: Magister verò Templi cum paucis fugâ elapsus est. Sic primo die Madii, Saraceni de Christianis cruentam victoriam habuêre. Ex hoc euentu Saraceni animosiores effecti, sequenti Iulio omnibus viribus suis in vnum conflatis, *Tyberiadem*, vltimam regni Ierosolymitani ciuitatem, ex parte Damasci obsederunt. Iam enim apparenter *Comes Tripolitanus*, cuius erat ciuitas, à Saracenis ruptis treuguis recesserat, cùm publicè Regis ac regni proditor vulgaretur: munierat autem prædictam ciuitatem contra Saracenos, vxore suâ in præsidio relictâ. Rex verò Ierusalẽ vltimus, *Guido de Lisinio*, & Comes Tripolitanus prædictus, cum omnibus penè regni nobilibus, & copiosa multitudine, quanta nusquã simul fuerat, à primo Latinorũ introitu vsq; tunc, equitibus, scilicet, loricatis M C C. peditibus verò cum armis, arcubus & balistis XX. millibus, ad prædictæ ciuitati ferendum auxilium properant, diuini fauoris auxilio destituti; & iuxta fontem Sephoritanum tentoria sua locant: plus de suis viribus quàm de diuino adiutorio cõfidentes. Die verò sequenti contra Saladinum exercitus progreditur Christianus: cui occurrit leuiter armatorum equitum multitudo de exercitu Saladini, à dextris & à sinistris Christianos proteruè nimis infestans, sagittis & spiculis equos & equites vulnerando. Fuit autem *Ioannis* militis consilium, vt vnanimiter aggrederentur aciem Saladini: cunctisq; consilium placuit, excepto Tripolitano Comite, cuius consilio in montanis tutantur, locis aridis & inaquosis. Quod prudenter *Saladinus* attendens, sequenti die priusquàm Christiani ad aquam peruenire valerent, ordinatis paganorum tam equitum quàm peditum aciebus, Christianis verò siti arentibus, commissum est bellum: & cum feruerent tunc dies, secundo videlicet Iunii M. C L X X X V I I I. Comes Tripolitanus proditor exercitus, depositis armis, fugit ad castrum *Saphet*: Aconensis verò præsul, Sanctæ Crucis portans vexillum, lethaliter vulneratur, propter quod Crucem Regi tradidit. Rex verò, simul cum Cruce, capitur; & traditur Christianus populus in manus impiorum: nimirum quia, vt sæpius repetitum est, *Nimios in luxus fluxerat cum populo Clerus.* Rarus erat quem non auaritiæ aut lasciuiæ inficeret morbus. Christiani itaq; subitò Saracenis terga præbentes, penè omnes à minimo vsq; ad maximum trucidantur; aut certè captiui ducuntur. *Raymundus* quoq;, nobilis Princeps Montis Regalis & Petracensis, qui priùs inter Turchos captiuus fuerat annis XVI. deindè liberatus, antè Saladinum deducitur; eiusq; gladio ac manu capite truncatur. Rex verò & Magister Templi, pro triumpho seruantur, & minantur in captiuitatem, cum multis maioris ac minoris ordinis, absque fortitudine antè faciem subsequentis. *Saladinus* autem, manubias ad pontem Tyberiadis diuidi iubet, & meliora in Damascum deferri.

Luc. 11, 17.

A. Dni. 1188.

CAP. V.

Continet amißionem quasi totius maritimæ regionis.

V. ET factum est postquam percussit *Saladinus* Turchus Christianorum exercitum, in hiis, qui euadere potuerant quiq; bello non affuerant, sed in ciuitatibus aut munitionibus manserant, solo auditu territis, quasi mulieres meticulosis effectis, nihil remansit virium: sed emarcuit omnis virtus eorum, ita vt multi Christiani, antè paucos fugerent Saracenos. *Saladinus* proindè fortunam suam non segniter vrgens, post prædictam victoriam, cum apparatu summo *Ptolomaydam* properat; & dum ciuitatem obsidet, eam post biduum per deditionem accepit: recedentibus, conductus secũdùm pacta; remanentibus, securitas exhibetur. *Saladinus* enim nullum grauari sinebat, volentē secum degere sub tributo; nec vnquam iuramentum violabat; & vix aliquid, rogatus, negabat. Deindè ciuitatem *Beriti*, à desperatis de sua defensione ciuibus absq; contradictione recepit: *Biblium* etiam, sine vlla difficultate obtinuit. Redeunti quoq; per Ptolomaydam, & per maritimam discurrenti vsque Ascalonam, nulla fuit ciuitas ausa resistere. *Ascalonitæ* verò, de loci situ fidentes: munitissimus enim locus est Ascalon, (*supra part. VI. cap. XX.*) mariùs agentes, Saladino respondent, quòd suam nulli traderent ciuitatem, donec certiores redderentur, an Ierosolomitæ ciuitatem suam redderent vel tenerent. Ipso anno tres Lunæ in cœlo visæ sunt, & in medio signum Crucis: non multò post, in cœlo visi sunt tres Soles. Sol etiam obscuratus est parum antè nonam, & diu durauit: & Lunæ Eclipsis fuit penè vniuersalis VIII. Kalend. Aprilis. Visa quoque est IV. Idus Februarii, paulò antè auroram, serenissimâ nocte, vsq; ad terram in momento Luna descendere; & post morulam, quasi resumptis viribus, ad locũ suum paulatim ascendere.

CAP. VI.

Continet amißionem ciuitatis Sanctæ Ierusalem, & Ascalonæ.

VI. A. D. 1088. HIs peractis Saladinus antè *Ierusalem* sua figit tentoria: & à parte Occidentali per decem dies continuè dat insultus, ciuibus viriliter se tuentibus: à parte Aquilonari muros machinis obruit: tandem XIV. die obsidionis M.CLXXXVIII. II. Octobris, ciuitatem sub certis pactis, per deditionem accepit: vt videlicet duobus aureis infans redimi valeat; decem verò, qui decem annos excessit; mulier quinq;. Intrantes igitur Saraceni innumeri, loca Sancta prophanant; in Ecclesiis, cæterisque locis DEO dicatis, equos stabulant, & turpia quæque agunt: Ecclesiam quoque Sancti Sepulchri multo auro ne polluatur redimunt Suriani. In templo verò Domini, cum multa reuerentia, adorant Turchi. *Saladinus* verò, antequam illud intraret, parietes eius lauari fecit aquâ roseaceâ: habebat enim quingentos camelos eâdem aquâ onustos: & multa millia pauperum absoluit à pretio prætaxato; infirmis etiam iussit necessaria ministrari: deponi quoq; fecit magnã Crucem auream, quæ erat in summitate Templi: quam Saraceni funibus ligantes, cõfusibiliter traxerunt vsque ad turrem Dauid, quæ est in monte Syon, ibiq; eam confregerunt: hoc tamen, mandato Saladini factum non legitur. Capta quoque est Ierusalem à Turchis postquam annis LXXXVIII. fuerat sub dominio Latinorum; & quasi tantundem priùs fuerat à Turchis possessa. Ab illo tempore citra, homines nasci dicuntur cum dentibus paucioribus solito: priùs enim dẽtes XXXII. habuisse dicuntur. Post hæc multis redemptis iuxta condictum, vsq; ad securitatis loca conductus tutus exhibitus est. Interim verò Ierosolymitanorum militum, qui in prælio fuerant, redemptæ coniuges atque filiæ, ciuitatem Ierusalem exeuntes, ad Saladini vsq; præsentiam accedentes, ediderunt lugubrem eiulatum: inquisitâ causâ, respondent suos se amisisse viros, sibi quoq; possessiones sublatas; petebant proindè ad aliquid misericorditer restaurari. Ille pietate commotus, eis qui superessent captiuos reddi; puellisq; de thesauris suis ampla munera dari iussit, secũdùm quod cuiusq; conditio exigebat; easq; iuxta principatus sui magnificentiam blandè cõsolatus est. At postquam Tripolim peruenerunt, euadentes Saracenorum pericula, in manus Christianorum magis crudelium inciderunt. Comes enim Tripolitanus, cum satellitibus suis, filiis Belial, cùm debuissent confratribus suis exulibus cõpati, quic-

quicquid illis infideles dimiserant abstulerunt, solo nomine Christiani. Accidit autem propter huius crudelitatis excessum, vt cùm mulier quædam paruulum suum gestaret in humeris, & sacrilegi illi auferrent, quæ pro se & filio nutriendo reliquerant Saraceni: nulli enim parcebant sexui, vel ætati, aut cōditioni, quin omnia scrutarentur: supra modum animo perturbata, & spiritu tristitiæ & desperationis absorpta, in marinas iecit vndas filium ex se natum. Prædictus verò Saladinus *Ascalonam* rediens, cum hac conditione ciuitatem per deditionem accepit, vt Regem Ierusalem & Magistrum Templi, quos captiuos tenebat (*supra v. cap.*) & quosdam alios, libertati donaret.

10

CAP. VII.

Continet lamentationem super amissione Ciuitatis Sanctæ Ierusalem.

A *Dan auditus est fremitus equorum; à voce hinnitium pugnatorum commota est omnis terra: & venerunt, & deuorauerunt terram, & plenitudinem eius; vrbem, & habitatores eius: dolor meus super dolorem; in me cor meum mœrens. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectionem populi mei?* Adesset vtinam *Ieremias*, fidelis aliquis Christianus, sanctificatus in vtero matris Ecclesiæ, datus Propheta ad diros casus, diraq; scelera complorāda, qui lamentabiles trenos componeret, qui amaro animo eiulans suspiraret. *Quomodo sedet sola ciuitas?* non iam lapidea, sed Ierosolymitana Ecclesia: *plena populo alieno:* nunc magis quàm proprio. *facta est quasi vidua Domina gentium*, in prælio eius præsule vulnerato, & Rege carceri mancipato. *Princeps prouinciarum facta est sub tributo*, vtinam auri, & non delicti! Indè est quòd *non inuenitur, qui consoletur eam ex omnibus karis eius:* indè est quòd omnes *amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici:* quia meritò iniuriam patitur à creaturis, qui contumeliam ingerit Creatori. Iam & illud completum est: *Viæ Syon lugent: eò quòd non sit, qui veniat ad sollemnitatem;* sed magis ad vanitatem. Et illud quoque: *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est*, vt cadat à solio dignitatis, quæ videbatur fundata super firmam petram: Et de inertia sacerdotum dicentium, *Pax, pax; cùm non esset pax:* audire poterant: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent:* de quibus iterum dicitur. *Quomodo obscuratum est aurum:* Clerus videlicet, qui priùs sapientiæ splendore fulgebat. *Mutatus est color optimus*, in exemplis: & qui in dedicatis DEO locis quasi *lapides* pretiosi contineri solebant, *dispersi sunt*, quasi vagabundi, *in capite omnium platearum.* Sed ne hiis monachi vel religiosi insultare præsumant, audiant quid in sequentibus de ipsis dicatur: *Candidiores Nazarei eius niue:* propter castitatis lilium. *Nitidiores lacte:* propter dulcedinem lachrymarum. *Rubicundiores ebore antiquo:* propter longam carnis macerationem: *Saphyro pulchriores:* ob serenam meditationem, & cœlestium contemplationem. Consequenter verò, non sic: sed *denigrata est super carbones facies eorum*, quia occupata sunt corda eorum accidiâ, & cogitationibus suis malis. Vndè & *non sunt cogniti in plateis*, quas frequentant, quemadmodum seculares secularia pertractantes. *Adhæsit cutis eorum ossibus; aruit, & facta est quasi lignum:* quia pro eo quòd se non reficiunt sacris lectionibus, in modum ligni aridi desiccati sunt ab humore spirituali: & ideò non referunt fructum, nihil præter habitū habentes de vita monastica. Propter hæc omnia *compleuit Dominus furorem suum, & effudit iram indignationis suæ, & succendit ignem Dominus in Syon*: non qui super Apostolos de cœlo descendit; sed qui pueros Iob consumpsit.

Ier. 8, 16. 18.
Ier. 9, 1.
Lam. 1, 1. &c.
20
Ier. 6, 14.
30
Lam. 2, 14.
Lam. 4, 1.
Lam. 4, 7. &c.
40

CAP. VIII.

Continet qualiter Tyrum Saladinus obsedit.

50

POstquam victor intumuit, ad *Tyri* obsidionem transiit *Saladinus*. Erat autem tunc in ciuitate strenuus vir, *Conradus Marchio Montis-Ferrati*. Nam eadem vt dicitur die, quâ Christiani corruêre in bello prædicto, ipse de Constantinopoli veniens, nauigio ad ciuitatem applicuit. Hic, cùm defensionem promitteret ciuitatis, si post liberationem, eius dominio subderetur, à cunctis ciuibus, ciuitatis casum formidantibus, illi gratiosè offertur. Cœpit proindè ad se suaq; tuenda non segniter agere; sed vndiq; ciuitatem munire, confortare ciues, & pro tuenda libertate

VIII.

r

ad probitatem inducere vniuersos. Adueniens autem *Saladinus*, & seorsum à suo exercitu positis Christianis, vt eorum, qui in ciuitate erant paterent obtutibus, ad *Conradum* transmisit nuntios: quòd si ciuitatem redderet, patrem quem tenebat restitueret, & multis remuneraret thesauris: Quo renuente, à Ptolomayda XXIV. galeas, iussit procedere ad ciuitatis Tyrensis offensam, marisq; custodiam, vt victualia & omne auxilium prohiberent: XXIV. quoq; machinas erexit offendentes continuè ciuitatem. Christiani tamen bellatores, quotidiè bis vel ter, ductore quodam Yspano strenuo milite, contra hostes faciebant insultus; stabantq; Saraceni, cùm exirent, attoniti super illius militis probitate, quem *Guercium* militem vocabant. Marchio verò vasa nauigabilia sic composuit, quòd propè terram poterant nauigare, & 10 cooperti homines per fenestras paruulas, alios sagittabant, galeæq; ad ea appropinquare non poterant. Contigit quoq;, vt quidam iuuenis, cuiusdam *Admirati filius*, offenso patre, ad ciuitatem concurreret, peteretq; Baptismum: huius nomine scriptam litteram cum spiculo Marchio transmisit ad hostes: in qua iuuenis Saladinũ salutabat vt dominum; asserebat deindè ciuitatis nosse statum, & nocte sciret fugere Christianos: & si hiis non credebat, nocte ad portum faceret obseruari. Ille tenore litteræ delectatus, galeas bonis replet hominibus. Marchio verò ad muros diligentem ponens custodiam, sed quietam, à barbacanis cũctos summouit: vniuersos autem armatos ad portũ currere iubet, catenâ portus depositâ ad cautelam. Saraceni verò hoc sentientes, fictionem reputant veritatem, & portum intrare festi- 20 nant: postquam verò aliqua intrauêre nauigia, eleuatur catena, trucidantur, qui in nauigiis erant; & armantur sollemniter Christianis, tam acquisita quã habita priùs nauigia, & inuadunt alios fugientes. Audiens verò Marchio, quòd omnia barbacana essent à Saracenis repleta, illò properat, portas ciuitatis aperit, & obuiã illis processit: continuoq; Saraceni expulsi sunt: & vltra mille, aut vulneribus aut præcipitio perierunt. Videns autem Saladinus se terrâ mariq; superatum, indoluit: obsidionem vltrà prohibuit: in vespera galeas suas & machinas igne combussit, indeq; recessit.

Cap. IX.

Continet qualiter ciuitates Tripolitana & Antiochena, cum quibusdam fortilitiis, à Saladini impetu præseruata sunt. 30

IX. POst hæc Saladinus non segnis nec piger, vsq; *Tripolim* pertransit, & comiti mandat Tripolitano, vt secundùm sibi præstitum iuramentum, ciues sub se iurare faciat. Requisiti super hoc ciues, dum formã petunt præstandi iuramenti, tempus in crastinum protelatur: & summo diluculo Comes ille infelix, diuinitus reperitur extinctus; & circumcisionis in eo inuenta sunt stigmata, quam recẽter susceperat: Habebat & iuxta se Saladini sigillum; & quòd vellet ciuitatem Saladino tradere, aliqui ex eius familia retulerũt: successitq; illi filius Antiocheni Principis *Raymundus*. Videns igitur Saladinus ciuiũ multitudinẽ cum illis, qui illuc confugerant, pro ciuitatis defensione paratã, putans etiam faciliùs eam aliàs, si aliis munitionibus oc- 40 cupatis opportuno rediret tempore, obtinere, discessit. Nolebat enim illic ampliùs immorari, eò maximè quòd Rex Siciliæ *Guilielmus* quendã principẽ valdè potẽtem cum LXX. galeis transmiserat, postquã lamentabilẽ casum regni Ierosolymitani audierat, ad partes reliquas præseruandas; quingentos quoq; milites, & trecẽtos Turcopolos, & victualia etiam copiosè. Pergens igitur versus Antiochiam Saladinus in impetu spiritus sui, se suosq; ad eradicandũ indè Christianos perurgẽs, ad milliaria decem *Tortosam* ciuitatẽ obsedit: & illuc *Guidonem* Regẽ Ierusalẽ, aliosq; milites decem, antè se duci præcepit: Regina enim, Guidonis cõsors, de Tripoli ad Saladinũ transmiserat, vt sibi quæ in Ascalone promiserat pacta seruaret; misitq; Reginæ Regem; *Conrado* domino Tyri, Comitẽ patrẽ: liberauitq; Magistrũ Templi, Conesta- 50 bulũ regni, & Marescalcũ, & alios. Videns autẽ *Saladinus*, quia circa Tortosam nihil proficeret, processit ad quinq; milliaria; & cœpit *Valaniã* & destruxit eam: quia erat propè castrũ Margath, in monte situm: & indè procedens ad quinq; milliaria, cœpit ac muniuit *Gibel*; & dimissâ Lizâ, processit ad obsidendum castrum, quod vocatur *Arx Guilielmi*, in districtu Antiocheno: & infra trium mensium spatium, totum Antiochenum obtinuit principatum, excepto castro inexpugnabili domini Patriarchæ, quod *Cursariũ* dicitur, & ciuitate Antiochiæ: à qua, receptâ multâ pecuniâ à domi-

domino Patriarcha, recessit ad tempus, sperans quia circumquaq; munitionibus occupatis ciuitas diu perdurare non posset. Subiecit itaq; suæ dominationi, in principatu Antiocheno, ciuitates & oppida xxv. & vltra.

DECIMA PARS, CONTINET SVCCVRSVM TERRÆ SANCTÆ AB OCCIDVIS REGIONIBVS EXHIBITVM, TEMPORE SALADINI: habens capitula IX.

10

CAP. I.

Continet miram commotionem Occidentalium populorum: ac sollicitudinem summorum Pontificum ad Passagium ordinandum.

CVM fama excidii populi Christiani orbem replet, in totis Occiduis regionibus nihil audires præter carmen lugubre, lamentationes, & vhe. Cuncti enim fideles animo prosternuntur; & excoqui cordis dolore saucii, quasi ligna arida aut lapides riguerunt. Delatâ verò re tam lugubri *Vrbano Papæ III.* præ cunctis amarè fleuit super excidio Terræ Sanctæ & populi Christiani: dira quoq; pertrahebat laméta, quòd suis temporibus Orientalis Ecclesia insanabilem passa esset iacturam: quòd pretiosum salutiferæ Crucis vexillum, per hostes Crucifixi Domini, captum detineretur ab eis: quòd canes illi immundi Terram Promissionis conculcarent, & loca sancta omnia prophanarent. Ad cumulum quoq; malorum simultas orta fuerat, inter *Henricum Frederici Augusti* filium, quem Italiæ pater præfecerat, & Papam. Acceperat enim ille in coniugem *Constantiam* filiam *Rogerij* primi Regis Siciliæ, de quibus natus est *Fredericus Secundus.* Propter discordiam autem illam, Papæ apud Veronam moranti, quoquam progredi facultas negata est. Sed deindè maturato negotio Ferrariam vsq; processit; ibiq;, cùm receptis tam diris nuntiis, animi consternatione langueret, febrē incurrens, non multò post, partim langore febrili, partim tædio negotii tā amari, vitâ functus est. Huic successit in pōtificatu vir omni acceptione dignus *Gregorius VIII.* scientiâ & facundiâ clarus; puritate quoq; & integritate animi clarior, ad Terræ Sanctæ succursum totus accēsus. Sed tamen decorus flos mox in ortu suo exaruit, apud Pisas post duos menses sepultus. Post hunc *Clemens Papa III.* illi succedens, cum vniuerso fratrum suorum Cardinalium cætu, ad transmarinorum fidelium sucursum, qui pauci valdè velut oues remāserant inter lupos, totâ intentione, sollicitus monet & inducit, inuitat & obsecrat Reges fideles, Principes & Barones, ac vniuersum populum Christianum, in remissionem eis omnium peccaminum, iniungendo quatinus CHRISTI Ecclesiæ, & Ciuitati redemptionis nostræ, induti virtute ex alto, celeriter mittant auxilium, & impigrè succurrant: nec est tempus ingratitudinis, vbi furor tam sæui turbinis, Orientales strauit Ecclesias. Animantur propterea Prælati, Principes, maiores & medii, Crucis signum sumunt in humeris, se cuncti mutuò incitant, se inuicem prouocant vniuersi ad præbendum Terræ Sanctæ subsidium.

CAP. II.

Continet Imperatoris Romani transfretationem, & mortem: obsidionem quoque Ptolomaydæ per Guidonem Regem Ierusalem.

CErtis perceptis rumoribus quòd Crucem sumeret Imperator Romanus, Franciæ quoq; & Angliæ Reges, Prælati etiam & Barones, populiq; innumeri, *Saladinus* solitâ prudentiâ sagax, Ptolomaydam pugnatoribus ac victualibus affluentissimè munit: putans quia non posset alibi quàm Ptolomaydæ tanta hominū descendere multitudo: ciuitati celeriter promittens succursum, si à Christianis contingeret, obsideri. Primus autem Regum properantiū ad Terræ Sanctæ succursum fuit Imperator Romanus *Fredericus I.* cum filio suo duce Sueuiæ: secumq; traxit, vsq; ad quinquaginta millia hominum: & per terram transiens, vsq; *Constantinopolim* peruenit: transiensque *Brachium Sancti Georgij*, vsque Turchiam victualibus abundauit, iubente Constantinopolitano Imperatore. At postquam Alamani *Tur-*

chiam ingressi sunt, dum victualia rapere improuidè ac fatuè cœperunt, retrahentibus se Turchis, ita fame & omni indigentiâ tabuerunt septimanis tribus, vt exercitus maior penè pars extincta sit. Cùm verò intrasset *Armeniam* & *Salef*, parui fluuii amœnitate, vt quibusdam placet, allectus, balneo, vel secundùm alios, equo lapsus, vix viuus extractus est. Et paulò post moriens, vni ex tribus filiis quem secum habebat, exercitum commisit regendum: M. CXC. qui paruo post tempore naturali lege vitâ functus est. Papa autem *Celestinus*, prædicti Regis Frederici filium *Henricum*, Imperiali diademate coronauit. Quanta putas fecisset strenuus ille Princeps? Iam *Iconij Soldanum*, quia promissum nequaquam seruauerat, persecutus, Turchos debellauerat. Tantus terror inuaserat *Saladinum*, quòd muros Laodiciæ Syriæ, Gibeli, Tortosæ & Biblii, Beriti & Sydonis præcepit dirui: quia per partes illas Imperatorem Romanum transiturum putabat: solis munitionibus reseruatis. Iam ad Regis *Guidonis* historiam redeuntes, dicamus, quia libertati donatus, ad consortem regni, quæ in Tripoli erat accedens, indè vsque Tyrum processit: sed venienti Marchio fores clausit, & postulanti negauit introitum; suamq; non Regis asseruit ciuitatem: per ea quæ dicta sunt *VIII. cap. IX. partis.* Videns autem Rex, quia sibi in ciuitate sua non licuerat hospitari; in toto quoque Ierosolymitano Principatu, nec vnum habebat casale, vbi caput reclinare valeret: indutus verecundiâ, & pudore cõfusus, eò maximè quòd Sancta Terra Promissionis sub eius esset amissa regimine, vitâ quasi neglectâ, stupendo magis quàm imitando facto, ostendit, quia *periculosa res est desperatio.* In ipsa æstate quæ Sanctæ Ierusalem amissionem secuta est, Anno videlicet Domini M. CLXXXIX. cum admodum paucis quos colligere potuit, Ptolomaydam obsedit ciuitatem, tẽtoria sua collocãs iuxta ciuitatem in loco aliquantulum eminenti: cùm essent pro vno Christiano, in ciuitate quatuor Saraceni. Erat autem secum frater eius *Gaufridus de Lisinio*, vir animosus, & in armis strenuus, qui fratris gratiâ, cunctos Peregrinos præcesserat. Cùm verò hæc *Saladino* relata fuissent, gratias DEO dicitur retulisse, quòd Christianorum reliquias, cum Rege suo, in suis manibus cõclusisset. Satrapis quoq; cur ad prædam oblatam non festinaret quærentibus, respondit, quia venturum in proximo expectaret fratrem; & cùm res essent in tuto, differre placebat, vt lætitiæ palmæ consors fieret frater eius.

A. Dni. 1190.

A. Dni. 1189.

CAP. III.

Continet aduenientia tam Christianis quàm paganis auxilia, & graues euentus. Rubrica.

XII. FElix necessitas quæ ad meliora compellit, quæ non ad desperationis currit præcipitium; magis verò ad diuinum confugit auxilium: quia *spes*, docente Apostolo, *non confundit*. Fidentibus igitur in Domino, & in potentia virtutis eius, in auxilium properat *Imperatoris filius*, cum Alamanis prædictis. Venit quoq; nobilis vir, & in DEI seruitio probatissimus *Iacobus de Auenis* cum multitudine nauium, quas *Esuesches* appellant, adducens Flandrenses, Barbansios & Frixiones; & tempore opportuno ante Ptolomaydam sua fixit tentoria. *Archiepiscopi* quoq; *Rauenas* & *Pisanus* cum magno de Italia agmine Tyrum appulsi sunt. Applicant quoque illuc multi fidelium ex variis partibus orbis, & corde vno & animâ, versus Ptolomaydam properant: Tunc exercitus Christianorum ne subitos & improuisos Saracenorum pateretur incursus, fossato vndique circumducto tutior mansit. Post hæc adueniẽs *Saladinus* experimento didicit: quoniam semper *nocuit differre paratis*: cœpitque contra populum Christianum machinari cuncta, quæ poterat detrimenta. Multis proindè angustiis tunc afflictus est populus Christianus antè aduẽtum Regum Franciæ & Angliæ: hostis enim, & à tergo & à facie imminebat; intemperies aëris, ac pestilentia, dysenteriæ: multi inediâ coram ciuitate in sabulo peribant; nonnulli decidebant vulnerati sagittis: eorum quoque machinas Saraceni pluries combusserunt: nullâ tamen aduersitate vinci potuerũt. Igitur cùm *Saladinus* Christianos nimiis ex parte fossati vexaret angustiis, semel exierunt ad pugnam: & cùm essent Saraceni multò plures, Christianos expectare nequaquam ausi, castra sua liberè dimiserunt: ad quæ cùm peruenissent Christiani, & equus quidam effugisset domini sui manum, clamore exorto pertimuit populus sine causa, cœpitque fugere: quod videntes Saraceni resumptâ fiduciâ insequuntur audacter, à tergo sagittis equos & equites ferientes; pauci autem de nobilioribus, qui probrosum infideli-

infidelibus terga dare putabant, conclusi à multitudine perierunt: inter quos fuit *Magister Templi*, & *Andreas* Comes Brenensis, cum pluribus aliis: qui verò in ciuitate erant, Christianis fugientibus occurrentes, multos interemerunt: tantaque erat gentis Christianæ confusio, tantusq; pauor, quòd vix aliquis euasisset nisi vir strenuus & in armis exercitatus, præfatus *Gaufridus de Lisinio*, qui ad castra conseruanda remanserat, cum suis præbuisset defensionis auxilium. Accidit deindè in exercitu tãta fames, vt equorum ac cæterorum mortuorum animalium cadauera manducare compulsi sint: modius enim frumenti, qui pro medio Bizantio habebatur, LX. bizantiis vendebatur: indè factum est, vt fame constricti vsq; ad XXX. millia ho-
10 minum, contra voluntatem maiorum, contra Saracenos exirent, vt vel sic victualia possent habere: at Saraceni satis dolosè non victualia, simulatã fugã, rapere; sed aurum, argentum, cæteraq; suppellectilia dimiserunt: ad subsarcinatos autem prædictis, & multo onere prægrauatos, subdoli reuertuntur, & facto in eos cum clamore valido impetu, cuncti penè aut via fugiendo prostrati, aut in mari submersi sunt: nonnulli verò ex hiis, qui euadere potuerunt, terrore nimio in amentiam conuersi sunt. Illis quoque diebus *Sybilla* Regina Ierusalem defuncta est: vndè ad sororem eius YSABELLAM, vxorem nobilis viri *Henfrandi de Torono*, regnum iure hereditario deuolutum est. Quod attendens *Conradus* Montis Ferrati Marchio, qui iam Tyrum occupauerat (*supra VIII. cap. IX. part.*) qui in ipso erat exercitu, regnan-
20 di ambitione permotus, cum illa de facto contraxit: Et licet Peregrinis res fœda esset horrori, cùm maritus illius satis conquereretur amarè, iustitia dissimulata est: quia non nisi à Tyro per manus Marchionis venalia haberentur: nonnullos quoq; maiorum ad sui fauorem, muneribus inclinauit.

CAP. IV.

Continet aduentum Regum Franciæ & Angliæ: & captionem ciuitatis Ptolomaydæ.

IV.

NVnc ad passagium Regum illustrium accedamus. Cùm grauis iacturæ vltramarini excidii nuntius, ad *Philippum* Regem Franciæ, & *Henricum* Regem An-
30 gliæ deuenisset, pro sedando dissidio, quòd inter eos erat, conuenientes, contra omnium opinionem, pro subsidio Terræ Sanctæ Ierusalem & Sepulchri Domini, suaue iugum CHRISTI assumunt; multi etiam Prælati, & Barones plurimi, populique innumeri. Statuit quoq; Rex Franciæ, quòd qui crucesignari volebant, ad minus illo anno mobilium & redditũum suorum daret decimas: & dictæ sunt *decimæ Saladini*. Obiit autem Rex Angliæ post paucos dies, cui filius *Riccardus* successit, qui desponsare debebat sororem Regis Franciæ; rogauitq; propter iter vltramarinum differri vsq; ad suum reditum. Rex itaq; *Philippus*, suo prudenter disposito regno in Ecclesia Sancti Dionisii, perãm & baculum, peregrinationis signa, sumere non dedignans, iter aggressus est: & cum eo *Dux Burgundiæ*, *Henricus* comes Cam-
40 paniæ, *Tybaldus* comes Blesensis, *Stephanus* comes de Sansuerrez, *comes Clarimontis*, *comes de Ponti*, *comes Flandriæ*, *comes Sancti Pauli*, & alii. Et cùm applicuisset Rex Franciæ *Messanæ*, à Rege *Tancredo* honorificè susceptus est. Rex quoq; Angliæ de *Massilia* venit *Messanam*, cui lætus obuiauit Rex Franciæ: & de mutua sospitate non paruam lætitiam ostenderunt. Fertur illuc vocatus de Calabria *Abbas Ioachim*, duobus Regibus de euentu passagii inquirentibus, respondisse: quia *nondum venit tempus Ciuitatis DEI nostri redimendæ.* Adueniente itaq; Martio, naues ac galeas Reges ascendunt, cum equis multis & bellicis instrumentis, & copia victualium. Ad portum verò *Ptolomaydæ*, in vigilia Paschæ, Rex Franciæ prior applicuit: vbi diu expectatus, quasi Angelus, cũ multa lætitia receptus est: iussitq; machinas erigi; sed dis-
50 simulabat insultus facere, donec Rex Angliæ adueniret: cuius aduentus vsque ad mensem Augusti dilatus est. Huius dilationis causam assignant, quia mater ipsius Regina antiqua procurauit, quòd *Rex Nauarræ* daret sororem suam, in sponsam Regi Angliæ: quo obtento, mater cum hac puella despõsanda mittit filiam ad Regem *Riccardum*: mandans vt nequaquam sororem Regis Franciæ; sed hanc puellam debeat desponsare. Et cùm ad *Cypri* Insulam peruenissent, quam Imperator Constantinopolitanus tenebat, & Scapham misissent ad noua aliqua perquirenda de Rege Riccardo: respondetur quia de Rege nullam haberent notitiam. Inuitantur autem

Dominæ vt descendant, quibus renuentibus vicarius Imperatoris galeas parari iubet: qui verò Dominas regebant, altiùs pelagizant: & quæsito Rege obuiam sibi facto, soror fratri, ex parte Reginæ matris, sponsam offert; & Græcorum iniuriam narrat. Ille fremens, *Limisso* obsidet, & obtinet: ibi equos, & multa alia conquisiuit: oblatam dominam desponsauit: & ibidem refocillatus est diebus aliquot. Illuc *Guido*, quondam Ierusalem Rex, venit illi obuiam: indeq; processerunt ad portum, qui est propè *Nicosiam*: deinde ciuitatem, totamq; insulam capit: Imperatoris vicarium in tutissimo castro obsidet fugientem, cœpitque, & cum eo consortem, & filiam, & Barones quosdam, magnosque totius Insulæ thesauros ibi reconditos pro tutela: dimissaque Insulâ sub Templariorum custodia, cum tali præda Ptolomaydam vsque peruenit. At cùm res Regi Franciæ innotuisset, dissimulatâ iniuriâ, obuiam venienti processit; & humiliter de equo dissiliens, sponsam suis brachiis de scapha recepit. Obsident deindè ciuitatem, ex omni parte vallantes; & totâ æstate illâ præliis intenderunt: qui enim deintus erant, non paruis viribus resistebant: petrarias enim petrariiis opponebant, & aliquando confringebant: Igneque Græco castella lignea magnis ædificata sumptibus incendentes, varias Christianis intulêre molestias. Cùm verò die quadam nouos & recentes pugnatores, cum armis & victualibus in naui maxima, quam *dromum* appellant, Saladinus ad ciuitatem mitteret, *Rex Angliæ* cum galeis iuxta portum occurrens, nauem sumpsit, cum maxima Christianorum exultatione; Saracenicæ verò gentis opprobrio & dolore. Inter cætera enim duo dicuntur in ea fuisse serpentes, quos in Christianorum exercitum mittere procurabat. *Rex* autem *Franciæ* diebus ac noctibus sine intermissione muros ciuitatis, turres, & mœnia immissis molaribus concutiens; machinasq;, & domos, & ædificia cuncta subuertens, requiem negabat obsessis. In assultibus verò Acon, comes *Theobaldus* Franciæ Marescalcus, comes *Clarimontis*, comes *Perticensis*, comes *Flandriæ* mortui sunt. Comiti verò Flandriæ successit *Balduinus*, filius Comitis Hannensis, postea Constantinopolitanus Imperator. Tandem videntes Saraceni ciuitatis muros confringi, nec se posse insultus Christianorum ampliùs sustinere, M.CXCI. XI. Iunii post decursum ferè biennium, postquam cœperat obsideri, hoc pacto Christianis ciuitatem assignant: vt *pro vniuscuiusq; Saraceni liberatione, redderetur Christianus captiuus; & super omnia Sancta Crux redderetur cultui Christiano.* Cùm verò Crucis vexillum nollet reddere Saladinus, *Rex Angliæ* medietatem captiuorum Saracenorum, qui sibi obuenerant, decapitari iussit: *Rex* verò *Franciæ* mitiùs agens, suos pro Christianis captiuis sustinuit commutari.

A. Dni. 1191.

CAP. V.

Continet conditionem maritimæ regionis: & infelicem diuisionem Christianorum Regum, ac Regis Franciæ discessum.

CErnēs tortuosus coluber *Saladinus*, captam ciuitatem Ptolomaydam, & pugnatorum suorum multitudinem interemptam, cōsternatus est animo. Nā electos ibi locauerat pugnatores: (*11. cap. suprà:*) & diffidens cætera posse tueri, maritima loca destruxit: *Porphyriam* scilicet, & *Cæsaream*, *Iopen*, *Ascalonem*, *Gazam* & *Darum*. Post hæc, Rex *Riccardus Iopen* reædificās, sub munita fidaq; custodia tutam reliquit. Tantus autem terror inuaserat Saracenos eorumq; Principem Saladinū, vt facile esset Regibus non modò Ierusalem regnum conquirere; verumetiam Saracenos vltra consuetos terminos propulsare. At humani generis inimicus, Christiani populi talibus successibus inuidens, superseminauit zizania, inter Reges zelum ac æmulationem immittens: factaq; est *cōtentio inter Principes*, dum inuicem mordent, mutuò detrahunt; & *errare fecit eos in inuio, & non in via.* Lætificantur exindè Saraceni, & in spem obtinendi regni respirant: affligitur ex aduerso, multoq; pudore confunditur populus Christianus. Interea *Rex Franciæ* lecto decidit; cœpitq; infirmitate grauari: postquā verò conualuit, repatriare disponit, vt dolositatem æmulorum deuitet, vt aliqui referunt: asserētes quòd *comes Philippus*, cùm imminentem sentiret mortem, illi mandauit, vt repatriandi titulo se seruaret, quia in necem eius conspiratio facta esset; alii verò referunt, quia comitatus Flandrensis allectus cupidine: timebat enim ne inuaderetur à comite Hannensi. Igitur Baronibus cunctis valefaciēs, *ducem Burgun-*

Psal. 106, 40.

Burgundiæ constituit loco sui, illi suum committens exercitum, cum multa summa auri, & argenti, ac victualium copia: & contra omnium quasi Baronum voluntatē, ascensis nauibus, relictā Sanctā Terrā Promissionis, visoq; Romæ summo Pontifice, in Franciam reuersus est. Rediit, vt placuit: sed meritò transfretauit, quem DEVS duplici aquæ miraculo honorauit: quia MCLXXXVIII. cùm ex defectu aquæ affligeretur, tótusq; eius exercitus, quando contra *Riccardum Pictauiensem Comitem* processerat, propter fœdus aliquod violatum, subitò de terræ visceribus aqua copiosissimè emanauit, & post recessum nunquam comparuit. Sequenti verò anno *Ligerim* transire volens, astā in flumine tentans, vadum reperit, quod est à seculis inauditum: & cùm prior omnium transvadaret, inspecto miraculo, totus eum exercitus sequutus est. Quid putas fecisset Altissimus, si processisset contra populum infidelem, quando inter fideles talia operatus est?

CAP. VI.

Continet qualiter ad obsidendum Ierusalem processit populus Christianus: & cur à proposito diuertit: reædificationem quoq; Ascalonæ, & Dari.

NVntiatur deindè Regi *Riccardo*, immunitam fore *Ierusalem*; posseque faciliter sine armorum strepitu conquiri. Vocat igitur Rex, Burgundiæ ducem, cæterosque Barones; & deliberato consilio à Ptolomayda recedentes versus *Iopen*, grauem in via iacturam perpessi sunt. Nam subsequens *Saladinus*, ad latera Christiani exercitus milites ac Turcopolos transmisit, qui sagittarum imbribus, tam equos lædèrent quàm milites Christianos: donec cum multa angustia ad oppidum venirent *Assur*. Eo etiam die, Rex *Riccardus* telo sauciatus est. Posthæc Christiani, iuxta ipsum castrum in Saracenos acies dirigētes in fugā verterunt; & terga dantiū stragē non modicam ediderunt. Sed ipso die ignorante Christiano exercitu egregius pugnator *Iacobus de Auenis*, cum pluribus aliis seorsum pugnans cum multitudine populi infidelis, in medio prauæ occubuit nationis. *Saladinus* verò cum hiis qui fugæ præsidio liberati sunt, ad Ierusalem vsq; processit, ibique tutatus est: Christiani verò in loco dicto *Bethnoble*, inter Iopen & Ierusalem, castra metati sunt. Regi autem *Riccardo* nuntiatur ibidem, quia de partibus Ægypti, cum multis equis & camelis, victualibus cæterisque bonis onustis, magna duceretur *carauana* ad exercitum Saladini: ille verò prædæ cupidus, non sine grandi periculo, Christianum reliquit exercitum, secum nocte trahens multitudinem pugnatorum; adduxitque ad suos prędam cum magna lætitia. Post hæc aiunt quidam, quoniam prædicti, consilio agitato, deliberant ne ad obsidendum *Ierusalem* hyemali tempore pergant: eò maximè quòd nullam inter Ptolomaydam & Ierusalem munitionem haberent, nisi *Iopen*; nec sine graui & manifesto periculo victualia ad exercitum deportare valerent. Tunc, non sine multo gemitu, multisque lachrymis, ac immensa tristitiā maioris partis exercitus, redire coguntur. Alii asseuerant, dum in via procederēt, *ducem Burgundiæ* exposuisse Francis, quia ibi erat flos militiæ Francorum: Rex autem *Riccardus* cum paucis erat ibidem; & tamen illi tribueretur victoriæ honor: quod Franciç Coronæ est opprobrium; & nunquam ab ea huius verecundiæ macula purgaretur: & dum talibus aliqui consentirent, nonnulli verò contradicerent, Franci inopinatè redeunt; Rex verò *Riccardus* similiter redire coactus est. Asserebant autem qui statum Saracenorum pleniùs cognouerunt, quòd exercitum illum Saladinus minimè expectasset: nec poterat inuenire qui in ciuitate remanerent eo recedente, Ptolomaydæ exemplo perterriti: cui cùm voluit auxiliari non potuit; suisq; captis, cùm potuit reddendo Crucem, auxiliari renuerit, permittēs potiùs trucidari. Quia verò nunc ampliùs solito, malè coutuntur Iudæi Samaritanis, Anglici certè Gallis, *dux Burgundiæ* cum gente sua Tyrum properat; & cum Marchione hyemauit ibidem. Rex verò *Riccardus* cum exercitu suo pergens, *Ascalonam* reædificauit; totā hyeme multùm laborans, multumque de thesauris suis euacuans: *Darum* etiam reædificans, munitum reliquit: *Gazam* quoque reparatam Templariis, quorum prius fuerat, tradidit conseruandam: & munitā diligenter *Iopen*, Ptolomaydam profectus est.

CAP. VII.

Continet promotionem Guidonis ad Cypri dominium: ac iteratam Ierusalem obsidionem: administrationem quoq; regni Ierusalem Comiti Campaniæ Henrico III. delatam, formatis treuguis cum Saladino. Rubrica.

VII

CVM in Terra Promissionis sic variat fortuna vices, contra Latinos *Cypri* Insulam conseruantes, ad Regis Riccardi mandatum, (*supra cap. IV.* Græci, conspirantes in eorum communem necem, congregati sunt. Concessâ autem diuinitus Latinis, licet paucis, victoriâ; & re gestâ Regi *Riccardo*, ac Templi Magistro delatâ, per Magistrum Templi Regi Angliæ insula resignatur, vt de ea ad libitum ipse disponat: eiusdem quoque Magistri concilio, *Guido*, quondam Rex Ierusalem, qui terram aliquam minimè possidebat, Insulæ regnum petit, & impetrat, M. CXCII. cunctosque milites exheredatos sollicitat vt secum eant: eis enim terram diuidet possidendam: quod & factum est. Eodem anno dum nauis mercibus onusta, à subiectis *Marchionis* non paucis fuisset expoliata diuitiis, & mercatores à dicto Marchione, Tyri Domino, iustitiam peterent, protestantes *domini Arsasidarum* se fore subiectos, nihilque obtinerent; ipseque dominus eorum nuntios misisset, nihil reportâtes, semel & iterum: duos ex satellitibus suis misit, qui fictè, Baptismum suscipientes, nactâ oportunitate iniustum Iudicè peremerunt. Recepto verò huius rei nuntio Rex *Riccardus* à Ptolomayda Tyrum properat; & tertiâ die nepotem suum *Henricum Campaniæ comitem*, relictæ Marchionis dominæ *Ysabellæ*, matrimonio copulat: propter quod apud nonnullos de interfectionis illius procuratione notatus est. Facto autem vere, conuenerunt iterum Rex *Riccardus* cum suo exercitu, cæterique, communi animo ad obsidendum *Ierusalem*; & processerunt vsque ad locũ *Bethnoble*: quò cùm peruenissent, Rex Riccardus mutatus in virum alterum, ait se penitus velle ad suam redire patriam: quod vt Saracenis innotuit, magnum eis gaudium attulit; & tristitiam Christianis: illos spes erigit; istos deiicit dolor & pudor, pro eo quod sublata sacrificii sui cauda, tantorum laborum mercede priuari metuunt, cognoscentes quia in periculis & aduersis perseuerantia sola coronat. Recessurus itaque Rex Angliæ, *Henricum* informat ad Terræ conseruationem, promittens thesauros & auxilium transmittere: & exponenti Terræ miserum statum post eius recessum, respondit, quia treuguas cum Saladino componeret, ac in tuto eum statu relinqueret. *Saladinus* autem, sciens Regis discessum de proximo imminere, ait se nullis pactis annuere nisi Rex Anglię, Ascalonam, Gazam & Darum destruat, sicut nuper ædificauerat atque munierat: *Iopen* verò, & indè vsq; Ptolomaydam paratus erat relinquere Christianis. Sciebat enim quòd destructis munitionibus, terra plana non diu posset manere, recedente exercitu Christiano. Sic itaque treuguæ firmatæ sunt.

A. D. 1192.

CAP. VIII.

Continet recessum Regis Angliæ: coronationem etiam primi Regis Armeniæ: peregrinationem Alamanorum: & mortem Saladini: administrationem quoq; terræ Sanctæ deuolutam ad Almericum Cypri Regem.

VIII. A. D. 1193.

FIrmatis itaque Treuguis, M. CXCIII. Rex *Riccardus* consortem, sororem, cæterosque imponens nauibus, abscedere iubet: ipse vero *Magistrum Templi* alloquens, ait, se à multis non diligi, nec ad regnum suum peruenire posse, sine mortis aut captionis periculo, nisi cautè & incognitus pergat: rogat quoque per Fratres, milites suos quasi vnus ex ipsis, in galea vnâ, vt pericula caueat, secretò deduci: illi verò precibus eius libenter annuit. Valefaciens igitur comiti *Henrico*, cæterisq; Baronibus, consorti, & aliis nauim paratam ascendit, & indè, sero facto, galeam intrat prædictam; & vsque propè *Aquilegiam* transfretauit, nullaq; cautelâ vitare potuit quin sui proditorem, & in mari & in terra, vbique habuerit. Recuperatis igitur equis, per *Alamaniam* equitant, & *castrum* quoddam ducis Austriæ intrant: & licet antè à pluribus, & pluries fuerit molestatus, tunc, qui secum continuè fuerat ipsum prodente, captus est: custodiebatur tum vndique passus. Expoliatus igitur cunctis rebus

rebus, *Imperatori Henrico* traditur: à quo per annum & dimidium iniuftè detentus, multifq; exactionibus aggrauatus, tandem datis CC. millibus marcharum, in Angliam per mare tranfiit. Sequenti anno, *Boamundus* Princeps Antiochiæ pro *Leuono domino Armeniæ*, qui eius erat vafallus, tranfmittit vt ftatuto loco ad fe veniat. Ille cauffam inobedientiæ allegat, timorē: quia priùs pro fratre fuo *Rupino*, fimiliter Armeniæ domino, miferat; cūq; in carcere detinuerat; terram ipfius poftea intrans, occupauerat ciuitates & caftra. Tunc Princeps remifit, quia non duceret apparatū; & ftatuto die, promittunt mutuò fe videre. Ad cautelam autem, dominus Armeniꝰ ducentos equeftres in nemore occultat: locuturus Principi duobus tantùm fociis, relicto feorfum cum cornu *Valeto*: acceffit ad locum: protractâ autem locutione, Princeps dominum Armeniæ capi iuffit: *Valetus* edoctus, fono cornu edito, ad domini fui auxilium equites vocat, qui non modò eum redimunt; fed etiam Principē fuofq; capiunt, & vinculis artant. Captus Princeps, ad *Henricum* terræ gubernatorem tranfmittit, vt ferat opem: quia non poffet nifi eius auxilio liberari. Accedit ille, & cum multa reuerentia à domino Armeniæ fufceptus eft; totaq; patria eius voluntati fubiicitur: principis duntaxat excepto negotio. Et cùm aliquandiu moram in Armenia contraxiffet, petiit obtinuitq; cum Principe pacis habere colloquium. Forma fuit concordiæ: vt dimitteretur Princeps; & dominum Armeniæ ab homagio liberum faceret, fieretq; vafallus eius; & terram quam ex tunc cœperat in diftrictu Antiochiæ, dominus Armeniꝰ retineret: & contracto inter filium Principis, & Rupini filiam matrimonio, pacta firmata funt. Hiis peractis, dominus Armeniꝰ *Henrico* domino fuo ait, quia magnam poffideret terrā, multas ciuitates & caftra, & redditibus magnis afflueret, meritò proindè in Regem poterat coronari, maximè quia fibi fubeffet Antiochenus Princeps: & quia non poterat à nobiliori, regni fufcipere diadema, rogabat eius manibus coronari: ille placidè acquieuit, *Regemq; Armeniæ* conftituit. Audiens verò *Rex Arfafidarum*, quòd *Henricus* terræ gubernator ad Armenos tranfiffet, nuntios deftinauit, rogans, vt eum in fuo reditu vifitaret: ille annuit. Occurrit autem venienti Rex, & multo honore profecutus eft, ducens eum per diftrictus fui caftra, & loca varia: donec ad quoddam caftrum perduxit vbi erat turris alta nimis: & in quolibet merulo erant viri duo, albis induti. Dixitq; Rex hofpiti fuo, quòd illi fubiecti nequaquam ei obedirent, qualiter fui fibi: & cùm rem effe poffibilem refpondiffet, excreaffetq; Rex, duo illorum fe continuò proiecerunt deorfum, & confracti in momento expirauerunt: dixitq; Rex Henrico terræ gubernatori, admodum ftupefacto: *Si placet, vniuerfos dealbatos illos, hijs conformiter, femetipfos præcipitare faciam:* at ille noluit, afferens quòd ferui fui ei nequaquam taliter obedirent. Et cùm ad libitum in terra illius moram traxiffet, receffurus, muneribus honoratus eft. Aitq; illi Rex: *fi inimicum aut infidiatorem regni haberet, ab huiufmodi feruis fuis continuò interfici procuraret.* Interea *Henricus Imperator* fextus, ad Terræ Sanctæ præfidium tranfmittit Alamanorum multitudinem, treuguas folui iubens. Hii cùm in partibus Tyri munitionem, quæ *Thoronum* dicitur, obfidentes, cùm ex conuentione dimiffis obfeffis, ab eis caftrum recipere debuiffent, dum nocte vnâ differunt, fuperueniente Saracenorum multitudine confufi receflerunt: & cùm appropinquaffent *Berito*, exterriti Saraceni incolæ vrbem & munitionem reliquerunt: audientes verò de Imperatoris morte, ad propria redière. Nonnulli quoq; eorum fiduciâ prouocati, *Iopen* contra Saracenos munierunt: at Saraceni, in breui & abfq; magna difficultate munitionem auferentes, habitatores eius captiuos duxerunt. *Saladinus* verò in Damafco moriturus, *MCXCVI.* ad fignīferū fuum ait. *Tu in bellis vexilla mea ferre folebas; fer nunc mortis meæ vexillum: & impofitâ fuper lanceâ medietate ferici panni, proclama: ECCE, REX ORIENTIS MORIENS, nihil amplius, quàm tantundem panni huius, fecum de tota gloria fua portat.* Licet autem comes *Henricus* cum Regina contraxerit, & Ptolomaydæ ac Tyri dominium affecutus effet, coronari tamen & Rex fieri recufauit: nam femper ficut & cæteri ad reditum intendebat. Contigit tandē vt cunctis præparatis, dum repatriare vellet, de feneftra domus fuæ fuper foffatum ciuitatis Ptolomaydæ decidens, confractis ceruicibus expiraret. *Almaricus* autem Rex Cypri, qui Guidoni fratri fucceflerat, *MCXCIV. Yfabellam* Reginam defponfauit, *MCXCVIII.* & terræ adminiftrationem dominiumq; fufcepit.

A. Dni. 1194.

A. Dni. 1196.

A. Dni. 1194. 1198.

Cap. IX.

Continet diuisionem ac schisma gentis Saracenicæ: & treuguarum reformationem. Rubrica.

IX. POst recessum Regis Angliæ & Peregrinorum, in quanto periculo remanserint Christiani in Terra Promissionis, citò eis gens impia ostendisset, nisi mortuo Saladino inimicitiæ exortæ fuissent in eis, & discordiæ valdè graues, multumq; necessariæ Christianis. *Saladinus* enim moriens XII. filiis suis terram diuisit: nullamq; terram fratri *Saphadino* reliquit, qui socius victoriarum fuerat. Hic terram propriam non habens, cum filio Saladini cui regnum Ægypti obuenerat, profectus est. Accidit verò vt prædictus *filius Saladini*, *Aegypti Soldanus*, ad venationem iens, equo præceps caderet, & periret. Tunc *Saphadinus*, terræ sumit dominium; ciuitates munit & castra; & vndique milites & armatos, magna promittens stipendia, ad se vocat. Hæc autem noua percipiens alius filius Saladini, qui *Soldanus* erat in *Damasco* & *Ierusalem*, quantum potuit coadunauit exercitum, timens ne se regnumq; suum occupet Saphadinus: quod & fecit. Et quia non modò horum duorum fratrum terras occupauit, verùmetiam omnium aliorum terras & regna, excepto regno Alapiæ: multorum Saracenorum corda commota sunt, vt in nouis rebus solet accidere. Tunc tempus aptum vindictæ obuenerat Christianis, sed nulla aderat bellandi facultas, nec audebant contra Saracenos aliquid attentare, licet pluries iniuriam passi: pro magno reputantes, vt quomodocunque inter eos viuere possent; & terræ residuum quod tenebant, vel simulatâ pace seruare. *Biblij* tamen ciuitatem & munitionem, quibusdam Saracenis, ignorante Soldano, resignantibus, hii ad quos iure hereditario pertinebat, datâ pecuniâ receperunt. Dum igitur Saraceni regnum Ierosolymitanum penè totum possident, & contra se mutuò taliter dissident; Christiani verò ex parte alia nimis afflicti, & ab inimicis vndiq; circumdati, libenter sub *Almarico* & *Saphadino* treuguas renouant, quas firmauerant sub *Saladino* regeque Riccardo.

VNDECIMA PARS, CONTINET PASSAGIA, VARIVMQVE STATVM, AC DOMINIA TERRÆ PROMISsionis à morte Saladini vsque ad transitum Sancti Lodouici: habens capitula XVI.

Capvt I.

Continet qualiter, prædicante Fulcone, multi Crucesignati vltra mare profecti sunt.

I. POst qvam Reges Franciæ & Angliæ de vltramarinis partibus redierũt, implacabili odio mutuò se offendunt. Interea verò *Fulco*, Sacerdos quidam, in Gallia feruentissimè prædicat, eiusq; doctrina, miraculis illustrata est. Tunc multi compuncti, ad Terræ Sanctæ subsidium Crucem assumunt. *Riccardus* etiam Rex Angliæ, mente conceperat, si ablatam sibi terram a Rege Franciæ recuperare valeret, cum magno stolo terram Ægypti inuadere; eaq; subactâ, Terram Promissionis acquirere; & indè vsq; Constantinopolim pertransiens, coronam Imperii assumere: Fecit autem grande torneamentum proclamari: & multi valdè milites conuenerunt: & qui ex vtraq; parte erant omisso duello, ad Terræ Sanctæ succursum Crucem conformiter assumpserunt. Post hæc verò Rex præfatus, in obsidione cuiusdam castri spiculo balistæ percussus, apud Lemonicas mortuus est. Inter Crucesignatos fuerunt præcipui, *Balduinus* comes Flandriæ & *Henricus Dango* frater eius, Tybaldus comes Cãpaniæ, *Lodouicus* comes Blesensis, *Stephanus* comes PertiCensis, *comes Sancti Pauli*, *Symon* comes Montis Fortis, *& Guido* frater eius, *Iohannes de Neele*, *Emoranz de Boue*, & tres fratres ipsius, *Renaldus Comes de Dãpiere*: alii quoq; multi. Ascendit enim numerus signatorum

torum militum vsque ad mille: prædictus quoque sacerdos *Fulco* magnam pecuniæ quantitatem sibi pro Terræ Sanctæ succursu oblatam apud Cistersienses locauerat, quâ nulla fuit vltramarinis vtilior: eâ enim muri Ptolomaydæ ac Tyri, qui terræmotu ruerant, resarciti sunt. Prædicti itaque, ac cæteri plurimi deliberant de stolo Venetias conducendo: deindè super se eligunt *Tybaldum* Campaniæ comitem, cui omnes obediant, faciatq; iustitiam; quo in proximo mortuo, *Marchionem Montis Ferrati* illi substituunt. Multi milites in illo consortio non fuerunt, quorum aliqui per *Massiliam* transierunt. *Iohannes* verò *de Neele* & multi Flandrenses cum eo, iuerunt per mare Oceanum, & *districtum Marrochij*. Omnes igitur hii, eodem tempore

10 iter aggressi, applicuêre Ptolomaydæ, vsq; ad milites trecentos, & cum eis non paruus populus. Tunc *Stephanus** domini Petri comes quidam, Regi Ierusalē suadet treuguas infringere: quia plures essent, ac sufficientes ad faciendos contra hostes insultus: Rex testatur illum non esse tanti ponderis: sed expectandi erant Barones qui de Venetiis erant venturi. Ille igitur seductis militibus vsque ad LXXX. multisq; ex populo ad *Principem Antiochenum*, qui actualem guerrā cum quibusdam Saracenis habebat, dum militaturus accedit, inter Tripolim & Antiochiam inobedientiæ suæ demerito, cum sua comitiua captus, in carcere Alapiæ vinculatus est. *Iohannes* verò *de Neele* cum Flandrensibus Massiliæ applicat: vbi recursum habuerat, dimissâ liberâ à Rege Angliæ, defuncto patre Imperatore, puellâ, quæ in Cypri Insula ca-

20 pta fuerat: (*supra part. x. cap. IV.*) Hæc vni Flandrensium militum nubit sperans illorū virtute Cypri Insulam rehabere: ad *Cyprum* igitur transeunt; & *Almerico* Regi hanc esse heredem denuntiant: ille, ni citiùs abscedant, mortem comminatus est. Transeunt ergò in *Armeniam*, & *Iohanne* prædicto cum Rege Armeniæ manente, contra Antiochenos quoq; Rege associante, nō sine multorum admiratione, cùm esset vir magnę opinionis: cęteri sagaciter ad ciuitatem Tripolitanam, vel ad ciuitatem Antiochenam se transtulerunt. Iratus enim erat *Lieuonus* Rex Armeniæ Antiochenis: quia cùm neptem suā dedisset *Boamundo*, filio Boamundi principis suprà capti, (*part. x. cap. VIII.*) & Boamundus iuuenis antè patrem mortuus sit, relicto filio *Rupino*: post mortem Boamundi principis & senioris, MCCI. nequaquam prædictum nepotē **A. D. 1201.**

30 Principis ex primogenito; sed *Raymundum* alterum eius filium comitem Tripolitanum susceperunt in dominum: tamen MCCIII. Rex Armeniæ Antiochiam intrauit ex parte castri, & vsq; ad templum omnia cœpit, tribus diebus inibi immoratus. **A. D. 1203.** Barones verò, cæteriq; Peregrini qui Venetiis conuenerant in *Insula Sancti Nicolai de littore*; quæ ab vrbe vno distat milliario, dum in expensis deficiunt, cum *Henrico Dandulo* duce Venetiarum conueniunt eo pacto: vt ipse quòd in expensis deficit, suppleat; illiq; secum rebellantem Venetis *Iadriam* capiant, & deindè ad Terræ Sanctæ succursum procedant. Captâ igitur Iadriâ, dum ibi hyemare coguntur, illustris puer *Alexius*, Isaaci Constantinopolitani Imperatoris filius, cuius soror Philippo Alamaniæ Regi nupserat, ad ducē Venetiarum ac Barones Franciæ venit, exponēs

40 casum: *Quia Isaacus fratrem haberet Alexium, quem à Turchorum captiuitate, multo redemit pretio; eratq; illi in regno secundus: Reddidit autē fratri, & domino pro fructu, pœnam; pro pietate, dolum: & fraude excæcato Imperatore, me heredem XII. annorum, in carcere posuit. Sed DEI nutu, de carcere eductus, vestro peto auxilio Imperium mihi restitui.* Stoli autem impensas, & ampla promisit donaria, & Romanæ Ecclesię subiectionē. Accesserunt quoq; instantiæ Regis Philippi prædicti, apud quē fuerat puer prædictus educatus, Regisq; Vngariæ. Petitioni autem, dicti Barones annuunt: eorumq; virtute Constantinopolis capitur, & puer coronatur; & antè recessum Latinorum, à tutore puer nocte suffocatur. Iteratò proinde Ciuitas capitur: & Imperii medietas obuenit Francis; medietas Venetis. Sed BALDVINO *comite Flandriæ Imperatore* crea- **A. D. 1204.**

50 to, MCCIV. Franci partis suæ quartam ei dederunt, & Veneti similiter: vndè eis remansit quarta pars & dimidia totius Imperii. *Marchioni* verò *Montis Ferrati*, regnum obuenit Thesalię. Tunc completū est vaticiniū Babylonicę Sybillę: *Eneadū gloria in Bizantium deducetur*: id est, Imperiū à Roma in Bizantiū transferetur. *Eruntq; Danai in robore*, propter imperium: *delicato* propter pacem: *vsq; ad leonem*, Emanuelē: LX. *pedū*, id est, annorū: tot enim annos ætatis habuit; XL. autē tantùm regnauit. *Donec catulos eius*, id est, filios, *vrsus deuoret*, Andronicus eorū tutor. Hic n. Emanuelis propinquus, cùm inter Principes & Barones seditionē procurare inuentus sit, pluries

carceribus mancipatus est: Tandem, ne pax turbetur, ad regendam Ponti regionẽ transmittitur. Mortuo verò Emanuele, ad Alexium puerum XIII. annorum imperium defertur. Cum verò alius *Alexius*, de sanguine Emanuelis, superbè Imperium procuraret, ab æmulis vocatur *Andronicus*, qui hunc peremit Alexium; sibiq; sumpsit Imperiũ & pueri tutelam, quem in mari submergi iussit. *Hinc aquila despecta*, Isaac vel Isacus: *vrsum deuoret*. Cùm enim Andronicus, Isaacũ hunc, de genere Emanuelis, interficere vellet, ipse in ciuitate factâ cõmotione, purpurã & coronã sumit Imperii, ac locũ capit qui dicitur *Os Leonis*, vbi erant Regii thesauri: deinde Andronicũ in *Blaquerno* obsidet, & vinctũ ignominosè mori fecit, ac gratiosè cunctis imperauit, coniugem accipiens sororem Regis Vngariæ, ex qua habuit Alexiũ puerum qui à Gallicis & Venetis prædictum impetrauit auxilium. *Aquilam hircus*, Alexius frater eius: *obtenebret*, oculos eruendo. Cùm enim Isacus in quadam Abbatia Philippis cum paucis se recrearet, Alexius illum aggreditur, & captum exoculat: *pullum voret aquilæ*, Alexium puerum de quo præfati sumus: *fietq; potantium*, id est, Gallorum: *in aquis Adriaticis*, id est, in mari Venetorum, *congregatio cæco præduce*, id est, Hẽrico Duce Venetorum, qui à Græcis abacinatus, quasi visum amisit: *hircum ambiget*, Bizantium prophanabunt. *Hircus*, Imperator Græcus, *non balabit Gallus*, eorum Patriarcha non cantabit: *vsq; dum LIIII. pedes*, id est, anni: *& IX. pollices*, id est menses: *semisq; præmensurati discurrant*: tanto enim tempore Latini inibi imperium tenuerunt.

CAP. II.

Continet fractionem treuguarum per Saracenos inchoatam. Rubrica.

II. AVdiens *Saphadinus* tam multos milites populosq; in Occiduis partibus crucesignari, ciuitatem Damasci diligenter munit, propter nepotem cui regnum abstulerat: (*vltimo cap. partis x.*) & Ægyptum profectus, pro terræ defensione inquirit consilium, congregatq; thesaurum. Interim *Soldanus Alapiæ*, Damascum aggreditur, cum filio Saladini qui indè expulsus est. Quo audito *Saphandinus* de Ægypto properans, obsidionem amouit. Accidit deinde vt vnus *Aegyptius Admiratus*, qui in terra Sydonis castra possidebat, ad *pyraptandum* armaret galeas: quæ iuxta Cyprũ, quinque homines tantùm cœperunt, in duabus nauiculis. Delatâ querelâ ad Regem *Almaricum*, ille Saphandino rem detulit: *Saphandinus* verò Admirato mandat ne treugua frangatur, vt homines reddat: ille obedire contempsit. Sed cùm xx. nauigia victualibus cæterisue ad munitionem necessariis transmitteret ad præfata loca Sydonis, Rex *Almericus* captis nauigiis, homines carceri tradidit: deindè inopinatè in vespera exiens Ptolomaydam cum tota militia multisq; peditibus, & totâ nocte perambulans; sequenti mane per terram Saracenorum discurrit, magnã prædam & vtriusq; sexus multitudinem captiuam secum adducens. Et cùm Saphãdino esset delata querela, cum obiurgatione respondit, *eos talia promereri; nihilq; daret auxilij: ipsi se suaq; seruarent.* Audiens verò *Iohannes de Neele* cum sua comitiua treuguæ fractionem, ad loca illa libens accedit: pluries itaq; Rex exibat, multaq; lucrabatur. *Conradinus* autem, Saphandini filius, dolens de illata iniuria, odioq; permotus nominis Christiani; cum grandi processit exercitu; & propè Ptolomaydam ad vnam leucam exercitum duxit. Exierunt verò vsque ad mille milites Christiani, nec tamen in prœlio conuenerunt: illo verò recedente, cœperunt infirmari multi milites Christiani. Rex verò ad lucra impiger, nauigia parat; & illa transmittit ad partes Damiatæ: vbi, MCCIV. plurima acquisiuit.

A.D. 1204.

CAP. III.

Continet debilitationem exercitus Christiani: ac formam treuguarum: mortem quoq; Almerici Regis: & consilium habitum de sponsanda puella cui regnum debetur.

III. POstquam infirmitas mortalitasque Peregrinos inuasit, in tantum diminuta est militia Christiana vt Rex quingentos milites congregare non posset. In mense quoque Septembri, conductis nauibus, repatriauit maior pars militum: *Iohannes de Neele*, *Robertus de Boues*: *Symon* verò comes Montis Fortis remansit, & *Guido* frater eius,

ter eius, qui dominam Sydonis accepit vxorem. Cernens autem Rex terram euacuatam militibus Christianis, cum Saracenis treuguas iniit. Et cùm iuisset *ad palmas* iuxta *Caypham*; piscatores verò cœpissent deauratas, quæ inibi, singulariter magnæ & sapidæ capiuntur ad foueam fluminis, & ex eis multùm comedisset, & post Meridianum somnum grauatus surgeret, ac sensim infirmitas cresceret, Ptolomaydam pergens, ibi mortuus est MCCV. Sequenti verò anno Princeps *Raymundus* cœpit Nephin & Gybeletar: quia dominus Nephin desponsauerat Ysabellam, filiam domini Gibeletar ignorante Principe, cui dictus dominus Gybeletar tenebatur homagium facere: & cùm vocatus secundùm morem Principatus venire nollet, per Curiam Principis iudicatus, & post multos labores bello superatus est: & propterea ex tunc comes Tripolitanus vtrumq; possedit. Habuit autem *Almericus* ex Ysabella Regina Ierusalem vnum filium paruulum *Almericum*, & duas filias: *Sybillam* nuptam Lieuono Regi Armeniæ, & *Melisant* nuptam Boamundo Principi Antiocheno & Comiti Tripolitano. Mortuo igitur Rege, Barones ad Reginam conueniunt: & tutor constituitur pueri atq; regni *Iohannes de Ybelyn* dominus Baruti, frater Ysabellæ Reginæ ex matre: puer autem infra breue tempus mortuus est, & post eum mater: remansitq; hæres regni, *Maria* maior eius filia quam ex Marchione Conrado concepit; remansitq; prædictus Ioannes, vt prius. Post mortẽ quoq; Regis Almerici, *Gualterus de Monte Beliart*, sponsus filiæ ipsius, ad Insulam Cypri se transfert, vt tutelam gerat heredis pueri ac regni. Demum videntes Barones regni Ierusalem, *Mariam* puellam iam nubilem, conuenientes cum Ierosolymitano Patriarcha cæterisq; Prælatis, ac militibus, cœperunt de sponso perquirere qui sciret ac posset regni iura tueri: & tandem communiter deliberãt ad *Philippum* Regem Franciæ transmittere, qui de homine apto prouideat ad gubernandum ac defensandum residuum Terræ Sanctæ, quod remanserat Christianis. Nuntii quoq; sollẽnes ad hoc mittuntur, *Episcopus Ptolomensis*, & *Aymarus*, qui ratione vxoris dominus erat Cæsareæ, MCCVIII. Per Massiliam igitur transeuntes in Franciam, legationis causam exponunt Regi: Ille gratè receptis nuntiis celeriter ait, deliberatione pręuiã se nuntios expedire. Eodem anno *ciuitas Antiochena*, ad inductionem Patriarchę, Principi rebellauit: & expulsi per Principem milites rediêre: Comes verò assumptis armis, de Castro descendens communitatem eiusq; auxiliarios superans, Patriarcham non dubitauit carcere includere, ibiq; affligendo perimere.

A.D. 1205. A.D. 1206. A.D. 1208.

Cap. IV.

Continet contracta matrimonia inter Reginam Ierusalem, & Iohannem Comitem Brenensem: Regem quoq; Cypri, & Mariam Ysabelis filiam: ac fractionem treuguarum.

Rex igitur Franciæ, deliberatione habitã, respondet nuntiis, se daturum hominẽ Suriæ partibus aptum, in armis probum, in bellis securũ, in agendis prouidum, *Iohannem Comitem Brenensem*: illis non ignorantibus, quia comitatum tantum à *Gualtero* nepote teneret, qui erat in Apulia: de quo *infra cap. x.* Tum propter libertatem Regi datam contentis, pro Comite mittitur: qui Ierosolymitani regni oblationem audiens à Rege, suiq; auxilii spõsionem, gratias agit Regi; & acceptans oblata, iurat vsq; ad duos annos, quibus treugua interim perdurabat, se personaliter Suriæ partibus præsentare. Hiis firmatis, nuntiisque redeuntibus, comes Brenensis Summi Pontificis *Innocentij III.* præsentiam adiit, & postulato pro Terræ Sanctæ subsidio, nihil ampliùs quàm XL. millia librarũ Turõ. super comitatu suo, eius procuratione, à Romanis accepit: cùm verò à Rege *Philippo* recessurus esset, tantundem gratis habuit ab eodem. Multi quoq; diuites & potentes, secum transierunt: ita vt secum duxerit milites quasi trecentos. Ipsã verò æstate quã mare transiit dictus Comes, ex filiis Regis *Almerici* duobus mortuis, *Guidone*, scilicet & *Iohanne*, soloq; *Hugone* superstite ad quem pertinebat regnum Cypri: comitis quoq; Henrici *Maria*, maiori filia mortua, reliqua superstes *Aylysia*, eodem anno, dicto nupsit Hugoni: secundùm quod ipsorum parentes, dum viuerent, de contrahendo inter eorum heredes matrimonio, iuramento firmauerant. Duxit autem ad Regem Hugonem, dictam Aylisiam, auunculus eius *Iohannes de Ybelyn*, & *Philippus* etiam de Ybelyn. Redeuntibus verò de Cypro Ptolomaydam dictis Iohanne atq; Philippo, treuguarum expirauit tempus. Requirit autem *Saphandinus* treuguas iterum reformari, vsq; tamen

ad beneplacitum dicti venturi comitis Brenensis: & quamuis decem casalia Christianis propinqua offerret, Magistri quoque Hospitalis & Alamanorum, cunctiq; Barones treuguas prolongare vellent: Magister tamen Templi ac prælati, licet esset vtilius, minimè assenserunt. Treuguâ igitur expirante, Christiani exierunt; & quartâ die redeuntes, nullum aut modicum habuêre lucrum. Saraceni enim Iordanem transierant: metuebantq; nimis vniuersi, comitis *Iohannis*, & Cruce signatorum aduentum.

CAP. V.

Continet Iohannis Brenensis comitis aduentum, ac coronationem: insultum quoque Saracenorum contra Ptolomaydam: & quæ gesserunt in terra promissionis. 10

V. CVm igitur statutum approximaret tempus, præfatus Comes & Crucesignati milites, cæteraq; populi multitudo, *Marsiliæ* intrant nauigia: & impellente Boreâ, non Ptolomaydę, sed *ad Caypha* applicuêre flumen: Obuiauit autem venienti, Ptolomensis clerus populusq;, cum ingenti gaudio, in vigilia exaltationis Sanctæ Crucis: nec distulit in crastino despōsare Reginam; homagia quoque ipsâ die à

A.D. 1210. cunctis exigere MCCX. *Tyrum* deinde properauit cum Regina simul coronam accipere, præsentibus penè cunctis Baronibus & prælatis, dimissâ certâ militum quantitate ad custodiam Ptolomaydæ ciuitatis. Dum igitur coronationis sollemnia Tyri agūtur, *Conradinus*, qui & *Melec Mahadan*, de quo *supra 1. cap.* fecimus mentio- 20 nem, consentiente nunc patre, cum exercitu multo nimis, ciuitatem *Ptolomaydam* aggressus est; sed extra vrbem, Ptolomenses vniuersos paratos armisq; munitos inuenit. Et dum Conradinus ipse exercitui Christiano nimis appropiat, nimisq; coarctat, spiculo sub aure equus illius percutitur, quod ad cerebrum vsque peruenit: vulneratus equus furibundè se iactans, eleuansq; Conradinum deiicit: & licet à circūstantibus promptè erectus fuerit, in ipso tamen casu, Turchi, *heu*, tam atrociter clamauerūt, vt Christianos omnes, subitaneus tremor concusserit. Factâ autē vesperâ, Conradinus cum suo apparatu regreditur. Rex verò & Regina, cæteriq;, tertiâ die peractæ sollemnitatis ad ciuitatem Ptolomaydam reuertuntur. Post reditum Rex *Iohannes*, magnum congregat apparatum, & casale refertum diuitiis, vulgariter no- 30 minatum *Iusse*, inuasit: cæteraq; multa casalia prædatus, hominum ac iumentorum copiosā adducens prædā, saluus cū suis ad propria remeauit. Ex tunc verò, quasi obsessi essent in Ptolomayda Peregrini nunquā ampliùs exierunt, non Rex, nō Baro, non cruce signatus: & factus est quasi popularis quilibet militaris, donec aliud venit passagium: de quo *infra cap. sequenti.* Solùm interdū *Gualterius de Monte Beliarcho*, frater matris Iohannis Regis, qui de regno Cypri ad eū confugerat: quia de magnis pecuniis à Rege Hugone facto adultæ ætatis, requirebatur reddere rationem: cum stolo per mare ad partes accedens Ægypti, per flumen Damiatæ ascendit vsque ad oppidum vulgariter dictū *Bore*; & cum multo lucro Ptolomaydā rediit. Eodē anno

A. Dni. 1214. MCCIV. *Albertus* Patriarcha Ierosolymitanus in processione mortuus est, cui 40 successit *Rodulphus*. Agareni verò, attendētes quòd Rex *Iohannes* & qui cum eo transierant, longè quàm putauerunt inferioris essent potentiæ, satis citò post coronationem ipsius, congregato exercitu, inter cætera Christianis molesta, *castrum* firmauerunt in monte *Tabor*, nouem leucis à Ptolomayda, vt eandem ciuitatē amplius molestarent, vndè & ante ipsā sæpius discurrebant, Peregrini quoq; repatriabant; nec remanserunt homines multùm diuites vel potentes.

CAP. VI.

Continet congregationem Passagij generalis apud Ptolomaydam: & quæ gesserunt in Terra Promissionis Rubrica. 50

VI. A. Dni. 1215. COngregato ad succursum Terræ Sanctæ per *Innocentium* Papam III. *Lateranensi* concilio, MCCXV. firmatoq; statuto in prædicto *Lugdunensi* concilio edito, *de non portandis vetitis Saracenis*: potentes viri, multiq; populi crucesignantur. Sequēti

A. Dni. 1217. verò anno reddita est Antiochia Rupino, proditione Senescalci Antiocheni: & MCCXVII. exercitus Christianus apud Ptolomaydam congregatur. Ibi fuit *Rex Vngariæ* cum Vngaris multis: ibi *Rex Cypri*; ibi *dux Austriæ*, cum Alamanorū militū copia; ibi quoq; *Archiepiscopus Nicosiensis*, cū multis prælatis affuit. In profectione

verò

verò ipsorum, Patriarcha Ierosolymitanus cum multa humilitate vexillum viuificę Crucis assumpsit: reuerentiam lachrymosam exhibente cleri ac populi multitudine vniuersâ: fuerat enim secta Crux cùm Saladini immineret bellum: *suprà part. v. cap. IV.* reseruata autem, nunc contra aduersarios deportatur. Sentientes autem impii Agareni exercitum Domini ordinatè per *planum Fabæ* procedere, & montem Gelboe vsque Bethsan pertransire, cuncti fugerunt, relinquentes terram vastandā liberè exercitui Christiano: qui in vigilia Sancti Martini, ad fluenta *Iordanis* perueniens, suisq; lotis corporibus, biduo recreatus est. Visitatis deindè locis Sanctis, vbi steterunt pedes Domini, ad *Bethsaydā* peruenitur ciuitatē Andreę & Petri. Deindè primâ Dominicâ *de Aduentu*, insultū faciunt, in castrū (*superiori capitulo*) ædificatū in
10 monte Tabor: & inter cæteros Rex Ierusalem maximè vrget hostem, vbi & Admiraldum quendam prostrauit: superueniente autem nocte, inglorius descendit exercitus. Multa ex tunc à latrunculis, & asperitate hyemis passi sunt, maximè in vigilia Natiuitatis Domini: plurimi verò captiuorum vtriusq; sexus baptizati sunt. Post hæc exercitus Domini quadrifariam diuiditur. Reges enim Vngarię & Cypri, Tripolim profecti sunt: ibique *Rex Vngariæ* breui tempore immoratus, cum magno damno Terræ Promissionis abscessit; Peregrinos, dextrarios, iumenta, & arma cum galeis secum trahens: licet à Patriarcha priùs monitus, & tandem cum sua sequela excommunicationis vinculo innodatus. Alia pars timidorum & effœminatorum, remansit Ptolomaydæ. *Rex* verò *Ierusalem*, & *dux Austriæ* cum Hospitalariis Sancti
20 Iohannis, & prædictis Prælatis ac quibusdam aliis, celeriter & vtiliter castrum Cæsareæ firmauerunt. Templarii verò, auxiliantibus Peregrinis, & Hospitali de domo Theotonicorum, castrum, quod priùs dicebatur *Filij DEI*, reædificauerunt; & *castrū Peregrinorum* vocant: ibi in fossionibus ignota moneta inuenta est, Peregrinorum labores & sumptus alleuians. Venerunt autem, in Martio anni sequentis, *Cogones* ex prouincia Coloniensi, & alii: apparuerat enim in dicta prouincia, sextâ feriâ ante Pentecosten, cùm prædicaretur Crux, ipsius crucis triplex forma in aëre: Vna candida, versus Aquilonem; alia consimilis, ad Meridiem; tertia medio colore colorata, habens Crucis patibulum, & figuram hominis crucifixi eleuatis brachiis, cum infixione clauorum, & capite inclinato, media inter illas. In alio loco, in villa
30 *Frixiæ*, tempore prædicationis Crucis apparuit iuxta solem crux cærulei coloris. In diocesi etiam *Traiacensi*, in villa *Doctum*, apparuit crux alba & magna, ac si trabs ex aduerso trabis artificialiter esset composita: & mouebatur ab Aquilone in Meridiē. Tunc firmatum est per summum Pontificem de transmittenda in Ægyptum militia Christiana.

A. Dni. 1218.

Cap. VII.

Continet Damiatæ obsidionem: æmulationem quoq; inter Legatum & Regem & amissionem ciuitatis Sanctæ Ierusalem.

Profecturus in Ægyptum exercitus Christianus, apud *Castrum peregrinorum* conuenit *MCCXVIII.* de Mense Madii, illic paratis nauigiis: & multi quidem naues ascendentes, prosperis ventis ad *Damiatæ* portum die tertiâ peruenerūt. quidam
40 verò Capitanei, & Capitales, in dicto castro tardantes, & qui Ptolomaydæ remanserant, mutato tempore, eos sequi minimè potuerunt. Interim exercitus Capitaneū sibi elegit *Comitem de Saroponte*; & ad portum Damiatæ applicans, hostilem terram inuadit antè Regis & cęterorum aduentum: & fecit Dominus aquam fluminis dulcē, quæ mari iungebatur. Tunc multi Barones de Francia, magnusq; populus cœpit confluere. Rex etiam cum reliqua parte exercitus, venit ad locum. Superuenit & Legatus *Pelagius*: & cum Rege, qui priùs exercitui dominabatur, colloquium suæ auctoritatis habuit, allegans quia ipse deberet exercitui præesse: quia & Passagium esset per Ecclesiam ordinatum; & Crucesignati ad suum regimen pertinerent: *Rex*
50 verba dissimulans, pro domino se gerebat. Ad hæc exercitus diuisus est: in consiliis quoq; vnusquisq; non veritatem, sed affectionem sui Principis sequebatur. Obsidentibus autem Christianis ciuitatē, *liber* quidā Christianis apparuit, Arabicè scriptus: cuius autor Christianum, Iudeū, vel Saracenū se esse negat: in quo & quę Saladinus contra Christianos gessit, & quòd capienda esset Damiata continebatur: dicebat etiam quendam Christianorum Regem Nubiarum, Mecham ciuitatem de-

VII. A. Dni. 1218.

bere destruere,& ossa Mahumeti dispersa proiicere. Fuit & in ipsa obsidione *Angelicus vir Frãciscus*, qui gratiã prędicãdæ fidei,& desiderio martyrii, ad partes infideliũ, iã tertiò festinabat. Dum igitur se Christiani pararẽt ad pugnã, Christi seruus vehementer ingemuit, dixitq; socio: *Si belli fuerit attẽptatus congressus, non cedet prosperè Christianis*. Ille cognoscens in Sancto verè spiritũ Prophetiæ, suadet vt exponat periculũ Christianis. Tunc exiliens Christi pręco, salutarib. monitis Christianos aggreditur: prohibet bellũ, denuntiat casum: fit veritas in fabulã, contẽnitur Prophetia: indurauerunt cor suum,& noluerunt reuerti. Igitur pugna committitur, & bellatur: tota in fugam conuertitur acies Christiana, finem belli opprobrium regerens non triũphum. Eodem anno, *Hugo* Rex Cypri, in ciuitate Tripolitana defunctus est, relinquens paruulum filium *Henricum*, nouem mensium, & duas filias: Vna nupsit *Gualtero* comiti Brenensi; altera *Ysabella*, filio Principis Antiochiæ. *MCCXIX*. A *Corandino Ierusalem* capitur, muri & omnia prosternuntur: excepto templo Domini,& turri Dauid. De Sepulchro Domini destruendo Saraceni consilium habuerunt, & litteris comminati sunt, quas ciuibus Damiatæ ad solatium eorum transmiserũt: nemo tamen ponere manum præsumpsit, propter reuerentiam loci. Vndè & in *Alcorano* continetur, quòd credunt IESVM CHRISTVM de Maria Virgine conceptum & natum, Prophetam & plus quàm Prophetam, sine peccato vixisse, cæcos illuminasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse, Verbum & Spiritum Dei, & viuum ad Cœlos ascendisse. Vndè & sapientes eorum, quando tempore treuguarum ascendunt in Ierusalem, codicem Euangeliorum sibi postulant exhiberi, & osculantes venerantur, propter munditiam quam CHRISTVS docuit, & maximè propter Euangelium illud. *Missus est Gabriel Angelus*. &c.

A. Dni. 1219.

CAP. VIII.

Continet Damiatæ captionem: celeremq; lapsum populi Christiani in vitia & peccata.

VIII.

ACcidit autem hyeme per ora, cruraq; populi pestilẽs morbus, in tantũ sęuiens vt multi perirent: indeq; ad Damiatę incolas pertransiit. Studet proindè *Soldanus* succurrere ciuitati; & primò quidem nocte per fluuium transmittebat *reselulas* leues consutas in coriis & ceratis: Christiani hoc aduertentes, funes per transuersum fluminis posuerunt, tintinabula apponentes: cùm verò prædicta descendebãt, capiebãtur à Christianis in præparatis nauiculis. Secundò Soldanus, abiectis equorum & camelorum visceribus, pannis circumuoluta cibaria imponebat; & cum cęteris cadaueribus per fluuium abire sinebat: qui verò in Damiata erant, fictionis nõ ignari, descendentia cadauera ad se trahebant. Id autem Christiani aduertentes, omnia perscrutantur. Tertiò, eligit trecentos agiles Saracenos, qui nocte per castra Christianorum panes & leuia cibaria transportarent: & solis quatuor trãseuntibus, cæteri fuère mortui vel captiui. Ex tunc Christiani machina continuè ad magnam turrim anguli percutientes, ita laxatam turrim aspexerunt vt aliquis indè posset trãsire: nec per intrinsecos succurrebatur in aliquo. Accidit quoque serò, tempestuosum tẽpus ac tenebrosum valdè: tunc quidam Christianorũ, paratas scalas ad mœnia erigunt ciuitatis: post hæc turrim ascendunt,& neminem reperiunt: & redeuntes hæc Regi annuntiant. Rex verò, Legato & concilio refert, quòd possit ad libitũ capere ciuitatẽ: relatio cunctis placuit; & iubentur omnes arma capere, tẽpore opportuno. Rex igitur, nocte transmittit milites & armatos, qui turrim possint egregiè defensare. Illucescente verò die, erecto vexillo Regis Ierusalẽ super turrim, acclamauerunt qui deintus erãt, implorantes diuinũ ac Sancti Sepulchri auxilium. Tũc clamor inualuit in exercitu Christiano; & ad scalas plurimi cõcurrentes, & in ciuitatẽ descendentes, aperuerunt ianuas ciuitatis. Intrauit plenitudo gentium, & ciuitas capta est Nonis Nouembris, *MCCXIX*. per annum & septem menses priùs obsessa. Vtinã attendissent possessores potius quàm victores, vt victoriã soli ascriberẽt Creatori: quia non affuit deditio; non cũ tumultu violenta prædatio: sed & Soldanus castra sua cõburens quam confusus abscesserit: eiusq; spoliis ditatus sit populus Christianus. Capti quoque fuerunt vsq; ad XXX. millia Agarenorum; & innumeri pestilentia & fame consumpti. Missis quoque quasi mille viris ad explorandum *Tampnis*, Saraceni sponte castrum dimiserunt, quo nullum posset securius inueniri. Sed qui talia munera receperunt de manu Domini, citò obliti sunt mandatorum

A. Dni. 1219.

torem eius,& recesserūt de via quam ostenderat eis DEVS: Ita vt sanctissimus Pater *Franciscus*, multiplicari cernens homicidia, adulteria, furta, indè recesserit: quia nollent ad DEVM conuerti eius monitis & exemplis. Libet huius Sancti præconio modicum immorari. Vt enim Soldani Babyloniæ posset adire præsentiam, multis se periculis constanter exposuit. Exierat enim à Soldano crudele edictum, vt *qui Christiani caput afferret, bizantium aureum pro mercede reciperet*: at intrepidè CHRISTI miles, in castris hinc indè in campo locatis, iter arripuit, mortis pauore non territus, sed desiderio prouocatus. Procedente itaque eo cum fratre illuminato, viro vtique luminis & virtutis, occurrerunt satellites Saraceni, & seruos DEI feraliter comprehensos, crudeliter & contemptibiliter contractarunt, afficientes conuitiis, affligentes verberibus, & vinculis alligātes: adductos quoq; coram se Soldanus interrogat, *à quib⁹, aut ad quid, aut qualiter missi essent*. At CHRISTI seruus Frācifcus intrepido corde respondit: *se missum non ab homine, sed à DEO; vt ei & populo suo viam salutis ostenderet, & annuntiaret Euangelium veritatis*. Tantâ verò mentis constantiâ, tantoq; feruore Spiritus prædicto Soldano prædicauit trinum vnicumq; DEVM, & Saluatorem omniū IESVM CHRISTVM, quòd Soldanus admirandum in viro DEI feruorem conspiciēs & virtutem, libenter ipsum audiebat, & ad moram secum contrahendam instantiùs inuitabat: at ille superno illustratus miraculo: *Si vis*, inquit, *cum tuo conuerti populo ad CHRISTVM, ob ipsius amorem vobiscum libentissimè commorabor: quòd si hæsitas propter fidem CHRISTI legem dimittere Mahumeti, iube ignem accendi permaximum, & ego cum Sacerdotibus tuis ignem ingrediar: vt vel sic cognoscas, quæ fides verior & certior sit tenenda.* Ad quem Soldanus: *Non credo quòd aliquis de sacerdotibus meis se vellet igni propter fidem suam defensandam exponere, vel genus aliquod subire tormenti.* At vir Sanctus subintulit: *Si conuersionem promittis, ignem solus intrabo: & si combustus fuero, meis ascribatur peccatis: sin autem, CHRISTVM, DEI virtutem & sapientiam, verum DEVM, & Dominum cognoscatis.* Soldanus optionem hanc accipere se non audere respondit, quia seditionem populi formidabat. Obtulit autem ei multa munera pretiosa, quæ paupertatis amator spreuit omnia quasi lutum: ex quo *Soldanus* admiratione permotus, maiorem erga ipsum deuotionem concepit: rogauitq; famulum CHRISTI vt prædicta susciperet, pro salute ipsius, Christianis pauperibus & Ecclesiis eroganda. Ipse verò, quia pondus fugiebat pecuniæ, & in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquieuit: Et cùm ad conuersionem gentis illius nihil proficeret, ad partes fidelium, Diuinâ reuelatione commonitus, remeauit: priuilegiato consecrandus Martyrio passionis & vulnerum IESV CHRISTI.

CAP. IX.

Continet incidentia quædam: confusionem populi Christiani: & Damiatæ amissionem.

AVditā captione Damiatæ, *Georgiani* scripsēre victoribus: turpe eis esse, nisi & ipsi Damascum, vel alium famosum locum virtute acquirāt armorum: Scripserunt & *Conradino*: vt suprà *cap. III. part. VIII.* Eodem anno quo capta est Damiata, *Raymundus* à *Rupino* Antiochiam recuperat, proditione Guilielmi Farabel. *Rupinus* expulsus ad Lieuonem Armeniæ Regem, matris auunculum confugit, immemor iniuriæ qua ipsum de Antiochia expulit. Ille infirmus, continuoq; moriturus, filiāq; sub *Constantis* consanguinei sui, viri multùm diuitis, tutela relinquens, nepotem abiicit: qui ad Legatum Damiatę se contulit; & pro Antiochia & Armenia recuperāda, pecuniæ, & gentis bellicæ auxilium petit, & impetrat. Ille in Tharso receptus, a Cōstante capitur, & carceratur, ibique moritur. Audiens quoq; & *Rex Ierusalem* Lieuonis mortem, Christianis relictis castris, sub spe propinqui reditus, Ptolomaydam profectus est: Volebat enim ratione vxoris, Armenię regnum sibi acquirere: sed cōfestim illa infirmatur, & moritur: & infra dies XV. moritur paruulus eius filius, qui quatuor tantùm erat annorum. Interim verò MCCXX. *Conradinus* Princeps Damasci destruxit castrum Saphet. Superuenerunt quoq; de Italia multi Peregrini ad exercitum Damiatæ. Et eodem anno, *Tartari* Georgiam vastare cœperunt: deindè intrauerunt maiorem Armeniam, vbi est mons *Arath*, vbi requieuit archa Noë: in cuius radice est prima ciuitas, quam ædificauit Noë, contra quam fluit fluuius *Ar*-

A. Dni. 1220.

essis qui fluit per medium *Mongan*, vbi sunt in hyeme Tartari, vsq; ad *mare Saluanicū*. Nunc ad historiā redeuntes, dicamus quòd *Legatus* de Damiata processit vlteriùs: qui verò ex parte Regis Ierusalem erant, illi denuntiant quia per hoc illi honor & dominium demitur: ille iter accelerat, & iam exercitus extra pomeria ciuitatis castra locauerat; vixq; obtinuit diebus quatuor expectari. Quintâ die iter assumunt, & per ripam fluminis ex parte Damiatæ equitant; & iuxta eos ipsorum nauigia cūcta necessaria portant: nulloq; prohibente, venit ad locum vbi *ramus Tampneos* à ramo *Damiatæ* diuiditur: de quibus *lib. 1. part. 1. cap. 11.* fecimus mentionem. In sectione igitur duorum fluminum, castra metati sunt; castraq; ex vtraq; parte foueis munière. Iam *Saraceni* ex vlteriori ripa fluminis, à captione Damiatæ, citrà & ipsi castra metati sunt, multa habitacula construentes: ædificatam quoq; ciuitatem, *nouā Damiatam* vocauerunt. Igitur cùm Christiani ibi quasi per mensem mansissent, nihilq; agerent, victualium metuentes inopiam: quia Saraceni de tertio ramo, qui *Rosith* dicitur, per caliginem vnum, i. alueum, quo terram rigant, galeas ad ramum Damiatę induxerant, prohibentes ne Christiano exercitui victualia portarentur: habitâ deliberatione, eligunt secretò redire, & de serò castra mouerunt. Hoc non latuit Saracenos, sed totâ nocte sagittis afficiunt populum Christianum; sic coercentes fluxū aquarum, vt summo manè, postquam per tres leucas processerant, se inuenirent aquâ præuentos; minimeq; progredi valerent: quin etiam multorum tangebat genua, amissaque sunt victualia & suppellectilia vniuersa. At qui in ira non continet misericordias suas, Deus, facto dixisse videtur de exercitu Christiano: *Si populus meus audisset me, si in vijs meis ambulasset, pro nihilo forsitā inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.* Et quia non arguit in furore, gratiam contulit vt in tanto discrimine, vsque ad annos octo treuguas firmarent, saluis Christianorum personis, & rebus: redditisq; captiuis, siue in fortia essent soldani, siue eius filii Conradini: Insuper adiectis victualibus & conductu. Christiani verò *MCCXXI.* reddiderunt Damiatam, cunctosq; captiuos. Per Christianos autem mensibus tantùm octo Damiata retenta est.

(Psal. 80.) (A. D. 1221.)

Cap. X.

Continet affectuosam sollicitudinem summi Pontificis & Cardinalium, ad Terræ Sanctæ succursum: translationem quoq; regni Ierosolymitani ad Conradum, Frederici Imperatoris filium.

RESignatâ Saracenis ciuitate, vniuersi *Ptolomaydam* profecti sunt, exceptis paucis Peregrinis ad Italiā proficiscentibus, & Magistro Alamanorum: qui in Apulia Imperatori, deindè summo Pontifici Christianorum casum exposuit. Quo audito *Papa Honorius III.* amaro corde suspirans, *Imperatorem* ad se vocat: Illeq; festinus accessit: & simul cum Cardinalium cætu, deliberant quid facto opus sit: tandē in hoc conueniunt, vt Rex Ierusalem, Magistri quoq; Hospitalis & Templi accedant, vt cū eis deliberent quid commodiùs agere valeant in auxilium Terræ Sanctæ. Tūc Imperator in Apuliam rediens, pro eis, quatuor transmisit galeas: & Magistro Templi pro se alium transmittente, Legatus prædictis sociatus est. Imperator verò cum magno honore, sumptibusq; ad summum eos deduxit Pontificem, *MCCXXII.* Et cùm pro auxilio Terræ Sanctæ verba hinc indè varia mouerentur; tandem conueniunt vt Imperator *Ysabellā*, Regis Ierosolymitani filiā, ac regni heredē, vxorem accipiat cùm tēpus affuerit pubertatis, vsq; videlicet ad annos quatuor: & indè ad duos annos pergat in auxilium Terræ Sanctæ & vtrinq; sunt præstita sacramenta, & apposita in contra facientes excōmunicationis sententia. Exindè Rex Ierusalē ad *Philippum* Regē Franciæ pergens, gratiosè receptus est: & postquā illi Terrā Sanctam recommendauit, ad *beati Iacobi* visitanda limina processit, visitans etiam & *Regem Castellæ*, cuius sororē accepit in coniugē: & satis citò postquā in Franciā rediit, Rex Philippus viā vniuersæ carnis ingreditur, relinquens ccc. millia librarū Parisiensiū in subsidiū Terræ Sanctæ: centū millia, in manibus Regis Iohannis; centū millia, in manibus Magistri Hospitalis; centū millia, in manibus Magistri Tēpli. Anno prędicto *Tartari* transeūtes montes *Rifeos*, qui diuidunt Asiā maiorē ab Europa, Marchias Vngarorum perforant, quas ipsi *syluas* vocant: & per *Vngariam*, nulli parcūt sexui vel ætati. Tunc etiam *Philippus* filius Raymundi Antiocheni Principis, desponsauit *Ysabellam* filiam Linonis Regis Armeniæ, regnumq; possedit. Sequenti verò anno

cum

cùm exosus esset Armenis, à *Constante*, de quo superiori capitulo fecimus mentionem, captus, carceri mancipatur, ibiq; moritur. *Constans* autem, prædictam *Ysabellam* suo filio Aytoni coniugem dedit. Eo etiam anno *Raymundus* Antiocheni Principis filius, *Aylisiam* Reginam Cypri duxit in coniugem, mortuo Hugone Rege, ac relicto paruulo filio *Henrico*, nouem tantùm mensium. Statuto priùs tempore, *Rex Ierusalem ad Imperatorem* venit, pro filiæ sponsalibus adimplendis: mittitq; Imperator Archiepiscopum Capuanum cum galeis XIV. ad desponsandum puellam: deindè coronatur in Tyro M.CCXXV. Postquam verò Regina ad Imperatorem *Branditium* perducta est, Imperator à Rege Iohanne requirit, vt regnum sibi, cunctaque 10 Reginæ iura resignet. Stupefactus ille: nam Magister Alamannorum, qui mediator negotii fuerat, sibi hæc in vita remansura innuerat: non valens requisitioni contradicere, iussa perfecit. In crastino verò Imperator cum Regina ad *Foziam* pergens, nil socero intimauit. Ille dolorem ac indignationē dissimulans, Imperatorem secutus est, & visâ filiâ generum visitat; qui nihil ei affectionis ostendit, quin potius requisiuit à domino Tyri & ab aliis Suriæ militibus, qui erant in comitiua illius, vt sibi homagium facerent: quod & fecerunt. *Episcopum* quoq; *Malphiæ* Ptolomaydam misit, vt à cunctis reciperet homagia loco sui: & cum eo duos Comites, trecētosq; milites de regno Syciliæ. Remansit autem *Hugo de Monte Beliarth*, Bayliuus terræ pro Imperatore, sicut remanserat priùs pro Rege Iohāne. Causam verò iurgii inter Im- 20 peratorē & socerum, assignant *Gualterum* Comitem Brenensem nepotē ipsius: quia filius fuerat filiæ Regis Tācredi: fueratq; Imperatori suggestum, quòd aspiraret ad regnum Syciliæ, Rexq; Iohannes illi auxilium adduxisset. Vndè & Imperator penè interfici iussit vtrumq;. Ambo proindè recesserūt: & in Franciam iuit Comes Brenensis; alius verò, Romā ad *Papam Gregorium* IX. Et Imperator priùs M.CCXXVII. comitem *Thomam*, vt Bayliuus esset terræ, Ptolomaydam transmisit: qui suâ probitate amplioris extitit reputationis, quàm in suo aduentu fuerit Imperator. Tunc Alamani, castrum de Monte forti firmare ceperunt. Cùm verò adesset tempus, vt secundùm præstitum iuramentū Imperator transfretare deberet, Branditii parat nauigia: idq; Alamanis Francisq; denuntiat: transieruntq; multi comites, & potētes 30 ad portum Ptolomaydæ. Cùm verò Imperator transire deberet, & cum eo Patriarcha Ierosolymitanus, cepit infirmitate grauari, & datis Patriarchæ galeis duabus profectus est. Tunc Peregrini, qui Ptolomaydæ Imperatoris aduentū expectabant, nolentes torpere otio, *Henricum* ducem *de Lamborc* sibi Capitaneū elegerunt: & habitâ deliberatione, properāt *Sagetam*, ad firmandū ciuitatē & castrū, M.CCXXVII. Cùm autem Peregrini peruenissent ad locū, magnitudo operis ac laboris eos perterruit: mutato proindè consilio in Insula, ante portum duas turres cum muro ædificant: à festo beati Martini opus inchoantes, & in media quadragesima terminantes. Medio verò tempore moritur *Conradinus* Damasci Soldanus, relicto filio *Melecel Naser*, puero annorum XII. sub tutela Admirati *Esedinebec*, qui dominus erat castri 40 Saquet. Deindè Peregrini ad firmandū transeunt *castrum Cæsareæ*, quod destruxerat Conradinus. Eo etiam tempore *Philippus de Thelyn*, qui à morte Hugonis Regis Cypri, Bayliuus regni fuerat, mortuus est. Imperatrix verò M.CCXXVIII. enixa est puerum vocatum *Conradum*, in quo Ierosolymitani regni ius remansit: eo verò herede relicto, defuncta est.

A. D. 1225.

A. D. 1228.

A. D. 1227.

A. D. 1228.

CAP. XI.

Continet tenuem Imperatoris contra voluntatem Ecclesiæ transfretationem: & quæ gessit in Insula Cypri.

SEquenti æstate, Imperator XX. parat galeas ad transfretandum, in sua comitiua 50 habens milites nō plures cētum. *Papa* verò *Gregorius* hæc audiens, per sollemnes nuntios illi mandat, vt mare non transeat tanquam Crucesignatus, donec à sententia esset, quam inciderat, absolutus; essetque per eum de periurio quod incurrerat integrè satisfactum: quia tempus transierat transfretandi: transibat præterea pauperrimè, & non velut Imperator, & non sicut promiserat, & firmauerat iuramento. Imperator verò, denuntiata parùm attendens, iter assumit. Interim quinq; nobiles in Cypro, in destructionem illorum *de Thelyn* conspirant; & occurrētes Imperatori in partibus Romaniæ, cōtra *dominū Baruti*, & *Philippum* fratrē eius Cypri Bay-

liuum mala plurima retulerunt: asserentes quia si Cyprum caperet, non solùm sufficientes expensas haberet, pro sua Curia; sed insuper mille milites indè tenere valeret: Adulatores hii, ac delatores gratè suscepti sunt. Deindè Imperator vsq; ad *Limisso* peruenit, & curiales litteras valde & blandas transmisit *domino de Baruth*, vocans eum charissimum auunculum: vxoris enim suæ iam defunctæ auũculus fuerat: ad se rogans cum paruulo Rege venire, suisq; filiis & amicis. Ille amicos consulit super hiis: qui omnes vno corde & vnâ voce proclamant manifestam Regis subuersionem; & quòd nullatenus vel seipsum ponat sub Imperatoris fortia: quia licet melleis vtatur verbis, iam tum patebat cordis & operis prauitas: Respondeat tamen curialibus verbis: quia tam ipsi, quàm tota Cypri possibilitas prompta & parata erit, ad suum honorem, in DEI seruitio & auxilio Terræ Sanctæ. Dominus Baruti respondit: quia fidele & amicabile consilium tribuissent; sed magis eligebat capi aut mori, aut pati quæcunq; permitteret DEVS, quàm dici posset aliquando propter se impeditum forç DEI ac Terræ Sanctæ Promissionis negotium. Congregans itaq; amicos, milites & equites Insulæ cum paruulo Rege, liberisq; ad Imperatorem profectus est; se suosq; in manibus eius ponens. Imperator magnum ostendens gaudium, mutare iubet nigras vestes propter *Philippi de Ibelyn* fratris sui necem; & pro nouis indumentis donat petias de scarleto, ad crastinum inuitans prandium. Facto prandio, manifestis factis, qui latebant armatis, Imperator ad dominum Baruti faciem dirigens, altâ voce ait, quòd duo requirebat ab eo: primum erat, vt redderet sibi *Baruti* ciuitatem & castrum; quia id rationabiliter non teneret: secundò verò, quia ipse paruuli Regis, qui XI. erat tantùm annorum, & regni erat Bayliuus, propterea studeret reddere quæcunq; perceperat à morte Regis Hugonis, citra iam decem annis elapsis, secundùm consuetudinem curiæ Alamanorum. Illo verò quasi per solatium verba dissimulante, Imperator, imposita manu capiti, per coronam protestatus, se super hiis assecuturum intentum, aut protinus caperetur. Tunc surgens dominus Baruti, clarâ altaq; voce fatus est, *Barutum teneo rito iure: Regina enim Ysabella, soror mea, & filia Regis Almerici, cum viro suo Henrico, id mihi donauit, pro cambio Conostabliæ, quando destructum à Christianis fuerat reinuentum: in tali quoq; statu erat, quòd Hospitalarij, Templarij ac Barones illud neglexerant: Illud igitur meis reædificaui sumptibus, ad Christianitatis honorem; meis defensaui laboribus: & aequo iure possideo. De Bayliuatu verò, me fateor nihil habere.* Tunc iratus Imperator, multas protulit minas: ille verò respondit: *Quando habui consilium Nichisio, prædicta sunt mihi hæc omnia: & ego disposui, pro CHRISTI amore, & meo honore, omnia sustinere.* Imperator tunc plurimùm turbatus, pluries in facie mutauit colores. At religiosi honestique viri, mediatores effecti, ad hanc formam reduxêre negotium: vt datis obsidibus XX. valuassoribus, duobusque filiis, dominus Baruti de Bayliuatu, staret iudicio Curiæ regni Cypri; & de Baruto, iudicio curiæ regni Ierusalem. In crastino dominus Baruti informatus est, quòd prædictâ conuentione Imperator minimè contentus, ipsum personaliter vellet habere: ille proindè suos arma capere iubet, & Nicosiam profectus est. Imperator eum obsidet; & iteratò, eo pacto conueniunt: vt donec Rex paruulus legitimam ætatem impleat, annum; scilicet, XXV. Imperator regni percipiat redditus: & pro Berito, à *Iohanne* domino Beriti, homagium recipiat, saluis quæstionibus, quas sibi vellet opponere in Curia regni Ierusalem.

CAP. XII.

Continet gesta Imperatoris in Terra Promissionis: & treuguarum formam.

XVI. FRedericus igitur in proposito remissus, indè recedens, *Ptolomaydæ* applicuit; reperitq; Peregrinos, qui *Cæsareæ* castro reædificato redierant: nulloque mandato retinere valuit abeuntes: *rectè enim ipsius contemnitur imperium, qui superioris sui noluit obseruare mandatum.* A Ptolomayda verò ad castrum *Cordanæ* processit, quod in capite fluminis ante dictam vrbem fluentis situm est. Indeq; nuntios ad Soldanum *Melec Equemel* transmittit *Balianum* dominum Tyri, & *Thomam* comitem de Lacherne, qui magna portantes munera, dicerent salutatione præmissâ: quia eum vult pro fratre habere, ac familiari amico; ni pro eo remaneat: sciatque se nequaquam transfretasse acquirendæ Terræ cupiditate allectus, cuius districtus posset quamlibet

bet concupiſcentiam ſatiare: ſed Sanctorum locorum gratiâ, & regni Ieruſalem, quod olim poſſederant Chriſtiani; quodque ſuo filio iure hereditario debebatur: & ſi hæc pacificè reddat, & pacificus erit ſucceſſus: parcendum ſubiungens, effuſioni ſanguinis multæ gentis. *Soldanus* verò apud Neapolim caſtra metatus, & in ſocietate habens fratrem, *Melec Elaſſarap*, & equitum VII. millia, peditum quoque copioſam multitudinem, benè receptis nuntiis dedit munera: dicens, quia Imperatori per ſuos nuntios reſponderet. Interim duo Fratres minores Patriarchæ Ieroſolymitano litteras præſentant ex parte ſummi Pontificis, vt Imperatorem excommunicatum & periurum denuntiet: prohibentur quoque Hoſpitalarii,
10 Templarii, & Alamani illi attendere, vel in aliquo obedire. Soldanus igitur attendens pauperrimum Imperatoris aduentum, Peregrinorum receſſum, diſcordiam ipſius cum Eccleſia, & proceſſuum promulgationem nouam in partibus Orientis, factum illius modicum adpretiatus eſt. Nihilominus nuntios deſtinauit, qui dicerent, vt Imperator de affectione amicabili & fraterna, quam Soldano tranſmiſerat, quid intenderet, aperiret. Quod verò de terra Ieroſolymitana petebat, Soldanus nimiùm ponderabat, non propter terræ valorem; ſed quia res illicita peteretur: Nam tantùm reuerebantur Saraceni *Templum Domini*, quod eſt domus DEI, quantùm Chriſtiani *Sepulchrum IESV CHRISTI*, & illuc vndique confluebant: poſſetque illi imponere Calypha, quòd ſuæ legi fieret illegalis. Poſt hæc Im-
20 perator inquirit, quid ergò intendebant offerre? Illi reſpondent, nihil ſuper hoc commiſſionis habere: putant tamen, nuntiis ipſius, ſi tranſmittantur, rationabilia offerenda. Tunc elephantem, & camelos curſores, & Animalia Arabica Imperatori inter cætera munera obtulerunt. Imperator hiis auditis, prædictis nuntiis dona dedit, & cum eis ad Soldanum priores tranſmiſit nuntios: & cùm putarent Neapoli loqui Soldano, reſponſum accipiunt, vt poſt Soldanum ire debeant vſq; Gazam: quo audito Imperator intellexit ſibi illudi; & quia Soldanus ſic tempus redimeret. Et conuocatis principalioribus ciuitatis, & Peregrinis ac militibus trium manſionum: ait, quòd vellet procedere ad firmandam *Iapham*, vt proximior fieret Ieruſalem, eſſetque via tutior: eoſque ſecum proficiſci requirit: Cun-
30 ctis autem annuentibus, Magiſtri Hoſpitalis Sancti Iohannis & Templi, reſponderunt, quia à ſummo Pontifice, cui obedire volebant, erant prohibiti ei obſequi vel parere: pro vtilitate tamen Terræ & populi Chriſtiani, parati erant iuxta alios pergere, dummodo præcepta vel banna ex parte ſua nullatenus proclamentur. Ad hæc indignatus Imperator requiſitioni nequaquam aſſenſit: ſed abſq; illis vſque ad flumen proceſſit *de Monder*, quod labitur inter Cæſareá & Arſur: illi verò à longè ſequebantur. Tunc Imperator aduertens periculum ſeparationis huius, eos exercitui reuniuit, aſſentiens banna proclamari *ex parte DEI & Chriſtianitatis*, ſuppreſſo Imperatoris nomine: & peruenientes ad locum, caſtrum reædificare cœperunt. Dum hæc aguntur, in corde hyemis, apto nauigio, ſecretus nuntius ad
40 Imperatorem accedit: nuncians quòd ſummus Pontifex magnum parauerat exercitum; iamq; *Sanctum Germanum* ceperat, & verſus *Capuam* veniebat: & quòd ciuitates & caſtra multa, illi ſe dabant; & quòd *Iohannes*, Rex quondam Ieruſalem, & *Thomas* Comes de Calan capitanei erant exercitus. Tunc perplexus Imperator conſiderat periculum amittendi regnum Syciliæ; & propter ſuum receſſum imminere grande periculum & opprobrium Chriſtianis in diſpendium Terræ Sanctæ: receſſum quoque qualitas temporis prohibebat. Studuit proindè cum Soldano treuguas ad ſtatum priſtinum reducere: ſuperadditis Chriſtianis, Ieruſalem, Bethlehem, Nazareth, & caſalibus quæ ſunt in via ſiue recto itinere vſque Ieruſalem, & terram Thoroni, & ad Sydonem pertinentia quæ Saraceni tenebant: reti-
50 nuit tamen Soldanus in Ieruſalem *Templum Domini*, & id quod in circuitu comprehendit: Aſcenditq; Imperator *Ieroſolymam*, & poſitam coronam ſuper maius altare Eccleſiæ Sepulchri accipiens, capiti ſuo impoſuit, nullius Prælati aut Clericalis dignitatis benedictione acceptâ, nec ſollemnitate diuini officii celebratâ: deinde *Ptolomaydam* rediit, & diſpoſitâ ciuitate clam recedens, per Cyprum Brunditium properauit, M.CCXXIX. A.Dni. 1229.

Cap. XIII.

Continet requisitionem factam Imperatori de mittendo filio suo Conrado ad regnum Ierusalem: & praui transmissionem Baylini.

XIII. POst Imperatoris recessum, Regina Cypri *Aylisia* Henrici mater, ad Ptolomaydam se conferens, ait sibi de iure Ierosolymitanum regnum competere: quia videlicet neptis fuisset Regis *Almerici* ex filia *Ysabella.* Habitâ deliberatione, illi respondetur, adesse Bayliuum, qui pro Imperatore tutore filii *Conradi*, terram gubernaret: mitterentque vt incognitum heredem transmitteret infra annum. Nuntiis verò Imperator respondet, se infra præfatum tempus facere quod deberet. In- 10 terim Soldanus Babyloniæ *Melec Elquemel*, cum fratre *Melec Essaraf*, processit ad obsidendum Damascum. Videntes autem Damasceni quòd puer dominaretur eis, filius *Conradini*, qui eos protegere non valeret, Soldano Ægypti se disponunt subiicere. Tutor verò pueri, de quo diximus supra cap. x. puerum ad locum, *Crach* appellatum, matri defert ne ab auunculo occidatur: Saraceni quoq; passim in Christianos desæuiunt. *Imperatoris* nunc processum in Italia rememorantes dicamus, quòd postquam peruenit ad partes Apuliæ, & congregato exercitu versus *Capuam* vergeret, paulatiuè hostes retrocedere compulit, donec illi ad propria redière: deindè plures Alamani principes, & prælati, Patriarcha Aquilegiæ & multi alii, mediatores effecti, aliquibus conditionibus paci insertis, Imperator à summo Pontifice absolutus est. Tunc multam affectionem ostendit ad Terræ Sanctæ remedium, audiens multa euenisse incommoda Christianis à Saracenis: quia videlicet Peregrinorum in itinere erant vsq; ad decem millia interfecta: & quòd nihilo minus congregati vsque ad xv. millia Saracenorum volentes de *Ierusalem* Christianos eiicere, per stratas & calles ciuitatis discurrentes rapinam rerum, ruinam domorum, hominum etiam plurimam stragem fecissent. Misitque trecentos milites, & centum inter balistarios & armatos equites; *Riccardum* quoque, filium Augeri, Marescalcum suum, legatum à latere & iustitiarium terræ: qui nihil aliud quàm schisma & diuisionem inter Barones posuit, prosequutus malitias quas inchoauerat Fredericus. Propterea consensu maiorum in concione publica illi dictum est: 30 quòd Imperator, sicut præcessores eius Reges Ierusalem, contentus fuit inter cætera, quòd nullum Baronem suo posset priuare dominio, absq; iudicio Curiæ; idq; seruare iuramento firmauit: ipse tamen de domino Baruti contrarium fecerat: ideò videtur, vt hunc errorem corrigeret. Cùm verò ad hæc prauè responderet, congregati, qui Ptolomaydæ erant, sollicitè consulunt, qualiter futuris possint præcauere periculis, timentes ne in plurimos successiuè malitia illius desæuiat: & iurauerunt se mutuò cum iustitia contra illius insidias conseruare: quod vt liberiùs agere possint, cuncti se de *fraternitate Sancti Iacobi* faciunt: cui Regali priuilegio, vt cuncti intrare volentes liberè possint recipi, concessum erat de gratia singulari. In Suria tamen, & in Cypro, propter hoc non sopiuntur scandala, sed augentur. *Tar-* 40 *tari*, M. CCXXX. subiugatis Orientalibus partibus, ad Boreales & Occidentales se conferunt, in duo agmina se diuidentes. Vnum *Vngariam* & *Poloniam* intrat ex parte Rusiæ, circa ripam maris Pontici, transeuntes montes Ripheos, quos Vngari *Syluas* vocant. Ideò Gregorius ix. prædicari fecit Crucem contra eos in finibus Theotoniæ: post quorum recessum gentes Pannoniæ, qui propè dictas inhabitant Syluas, *Olaci* videlicet & *Siculi*, passus clauserunt, vt ampliùs transire nequeant. M. CCXXXIII. *Boamundus* iv. Princeps Antiochiæ moritur, cui *Boamundus* filius successit in dominio tam Antiocheno quàm Tripolitano. M. CCXXXV. Papa *Gregorius* ix. fecit prædicari Crucem pro Terræ Sanctæ subsidio in Francia. Sequenti anno per Minores & prædicatores, multi Barones, milites & populares, 50 nec non & clerici Crucesignantur: Passagium tamen, annuente Papâ, per quatuor annos dilatum est.

A. Dni. 1230.

A. Dni. 1233.

A. Dni. 1235.

A. Dni. 1236.

Cap. XIV.

Continet reuocationem concordiæ pertractatæ inter illos de regno Ierusalem, & Fredericum Imperatorem.

POst hæc verò illi de regno Ierusalem, tractante *Alamanorum Magistro*, nuntios transmittunt ad procurandum cum Imperatore concordiam: ad voluntatem

verò

verò Imperatoris, agente mediatore prædicto, consentiētibus etiam prædictis nuntiis, mandati tenorem forma pacis excessit. Redeuntibus nuntiis, & actitata referentibus, sua cernunt vltramarini grauamina; & Principum ac aliorum de regno Ierusalem, sublatam fore omnimodam libertatem. Formato igitur consilio, ad *Regem Cypri* transmittuntur, cuius etiam regni, pacta illa onerosa grauamina continebant: simulq; concordant, vt per sollemnes nuntios ante conspectum Papæ compareant, in cuius præsentia pacta prædicta tractata fuerant & firmata; denuntiantes quòd pactis cōsentire non valeant, quia suam tollant, quam semper sub Latinis Regibus ex pactis antiquis habuerant, libertatem: Nec tenebantur ad illa, cùm nuntii datæ sibi commissionis & facultatis terminos patenter excesserunt. Summus Pontifex nuntios benignè suscipit, puncta grauaminum diligenter attendit; & tandem respondit, quòd nequaquam admirationis erat materia, si pacta illa minimè admittebant: ipse tamen dum talia tractarentur in sua præsentia, prohibere non debuit: quia ad illa perficienda mandatum se habere nuntii asserebant. Si igitur pacta prædicta seruare nollent, in eorum arbitrio situm erat: Ipse verò, ad obseruandum minimè coerceret; quin potiùs, eorum non deesset auxilio & fauori. Scripsitque litteras efficaces, vt duo illa regna, Ierusalem & Cypri, idem saperent & mutuò se fouerent. M.CCXXXVIII. Soldanus Babyloniæ *Lequemel* moritur, & successit ei secundus filius *Edel*, quia maior *Salah* aberat: in terra enim dominabatur Orientali, quam illi pater in vita concesserat, feceratq; Soldanum. *Iohet* verò Saladini nepos, absentibus, vt prædicitur Lequemel filiis, in Damasco Soldanus receptus est. *Boamundus* etiam quintus Antiochiæ Princeps ab *Aylisia* Regina diuiditur: quia in gradu quarto & tertio, sibi mutuò attinerent. Rex verò Cypri desponsauit *Stephaniam*, sororem Othonis Regis Armeniæ.

A. Dni. 1238.

Cap. XV.

Continet Regis Nauarræ transfretationem, & aliorum: & treugarum reformationem.

XV.

A. Dni. 1239.

TRansfretant, M.CCXXXIX. *Tybaldus Rex Nauarræ*; & comes Campaniæ; *Hugo dux Burgundiæ*; *Henricus comes de Barleduc*; *Petrus comes Britaniæ*, *comes de Forois*, & de *Neuers*, ratione vxoris; *Almericus comes Montis-Fortis*; & *Iohannes Comes de Mascon*, & alii plurimi diuites de Francia. Itaque, per *Marsyliam*, & *Aquas mortuas* applicuère *Ptolomaydæ*: & deliberatione habitâ, Ascalonam reædificare disponunt. Et cùm vsq; *Iapham* processissent, Tēplarii recepto nuntio exploratore, cognoscunt iuxta Gazam mille Turchos adesse paratos, contra quos trecentos milites transmiserunt. Dum verò Turchi eligunt vitare cōgressum, eorum Princeps suppellectilia transmittens, cum ducentis archeriis à remotis Christianos sagittant: & *dum superfluè pruinam metuunt, irruit super eos nix.* Nam eorum meticulositatem Turchi considerantes, contra eos acriter prosilientes in fugam verterunt. Ibi, captus fuit *Almericus* de Monte-Forti, & *Henricus* comes, mortuus; multique milites aut mortui, aut capti sunt: qui verò fugere potuerunt, ad Ascalonem vsque peruenientes, Regem Nauarræ cæterosque terruerunt; conceptoque metu, nullum reputant securum locum, nî Ptolomaydam redeant. Ibi igitur commorantibus, de Tripoli *Guilielmus clericus* nuntiat quòd Soldanus de Haman fortilitia sua vellet in manibus Christianorum ponere, Baptismi quoq; inire fœdus. Peregrini proindè Tripolim equitant, & inquisito negotio id hostium reperiunt timore promissum; redditâ verò securitate, nihil agitur. Peregrini autem iuxta fontem Sephoritanum castra ponunt. Dum Peregrini ibi consisterent, aduenit nuntius Soldani Damasci, cui nomen *Salah*, qui fuit dominus Mahubeth, filius Saphandini vt figura docet, & timore alterius *Salah* nepotis ex fratre Guemel, qui Soldanus fuerat Damasci pariter & Ægypti. Nam secundus Salah, de Orientalibus partibus veniens, Damascū abstulerat *Iobeth* nepoti Saladini, Guemel mortuo occupanti. Indeq; cùm procederet contra fratrem iuniorē *Edel*, qui Ægyptum sibi vsurpauerat, à *Nasar* filio Conradini captus erat, qui debuerat esse Damasci Soldanus: *supra cap. x.* Sed ablatum sibi fuerat puero dominiū per auunculos: *cap. XII.* Prædictus igitur nuntius à Christianis, M.CCXL. petiit, & impetrauit treuguas, sub hac forma. Ex pacto enim reddidit Christianis castrū *Belfort*, & castrū *Saphet*, & totum territoriū Ierosolymitanum: ipsi verò, sine eo

A. Dni. 1240.

vel eius consensu, cum Soldano Babyl[illegible] treuguas facere non deberent; sed eum contra illum iuuarent, castra pon[illegible] Ascalone vel Iapha, ne Soldanus transeat Labernæ, & intret districtu[illegible] verò, castra poneret vbi flumen Iaphæ oritur. Hæc pacta à Baronibus, [illegible] exercitu, & a Soldano Damasci, suisq; Admiratis iuramento firmata sunt. [illegible] Soldanus Babyloniæ primus *Salah*, quem nuper captum diximus à [illegible] Nassar. *Nassar* enim, per captionem eius putans Damasci recu[illegible] frustratus hac spe, quia *alius Salah* medio tempore occupauit: ad [illegible] conuersus, cum capto consanguineo fœdus iniit. Cupid[illegible] sororem illi offert pro coniuge, & Ægypti dominium: si ille [illegible] mittat in recuperando ac pacificè tenendo regno Damasceno [illegible] coniuratione Admirati Ægypti, muneribus & promissionibus ill[illegible] Salah tradunt *Edel* fratrem eius, Soldanum Babyloniæ, qui incarce[illegible] comparuit. Pergunt itaq; Peregrini Iapham, & Damasceni ad [illegible]um. Inter Christianos verò non parua dissensio orta est: prædicta enim treugæ procuratione *Templariorum* firmata est, *Hospitalariorum* minimè interueniente consensu. Ideò, Hospitalariis procurantibus, cum parte Christianorum Soldanus Babyloniæ treuguas iniit: & non obstante priori iuramento, per Regem Nauarræ, comitem Britaniæ, & multos alios Peregrinos, pacta iuramento, vel magis periurio sunt firmata. Post confirmationem verò, iidem qui ista iurauerant, per Ptolomaydam ad propria redeunt. Exceptis verò Hospitalariis, reliqui Iaphæ remanentes conuentiones seruauerunt Soldano Damasci.

Cap. XVI.

Continet transfretationem Riccardi, Comitis Cornubiæ: translationem quoq; regni Ierusalem in Reginam Aylisiam.

XVI. A.D. 1240.

EOdem tempore, id est, M CCXL. *Riccardus Cornubiæ comes*, frater Regis Henrici, cum magna militia, multisq; diuitiis transfretauit; & Ptolomaydæ applicans audit de treuguis controuersiam: nulli adhærere voluit, licet multas & contrarias preces habuerit. Deliberauit autem, si Peregrini cæterique, qui erant Iaphæ, secum vellent pergere, reædificare *Ascalonam*: cunctis consilium placuit, & opere compleuerunt: sicut & *Riccardus* Rex Angliæ, istius auunculus, fecerat priùs. Postquam autem eam Riccardus pro sua possibilitate muniuit, pro *Galtero* milite misit, qui pro Imperatore Ierusalem tenebat: & illi castrum assignauit, vt pro Imperatore seruaret, & ad propria rediit; Peregrini verò rediêre Iapham: & Soldanus semper iuxta Christianos castra ponebat: tandem Peregrini Ptolomaydam, ad partes proprias reuersi sunt. Eo tempore, quo (*superiori capitulo*,) Peregrini erant Ptolomaydæ, Regina *Aylisia* nupsit *Rodulfo* fratri comitis Alasonis, qui post desponsationem, non sine multorum coniuentia, petiit pro consorte regnum gubernare Ierusalem: quia illi iure, vt dicebat, hereditario obueniret. Hoc etiam Regina supra petiit, *cap. XII.* Congregati homines de regno, requisitioni deliberato respondent consilio: quia Regina *Ysabella*, quæ nupsit Imper. in Apulia, Conradũ reliquit filiũ: & illi ius regni ritè hereditario iure cedit: Sed quia nec aderat, nec interesse voluerat, Reginã *Aylisiã*, pro domino recipiebant; illiq; regni gubernacula cõferebant: feceruntq; homagiũ viro suo, saluo semper iure Conradi prædicti. Cõsequenter autẽ cõtigit, vt *Riccardus* filius Augeri, Marescalcus Imperatoris, ab eo vocatus, Tyrũ custodiendum fratri relinqueret. *Balianus* verò de *Ybelin*, Baruti dominus, congregatis auxiliis à Ptolomayda recedens, ciuitatem aggreditur, & obtinet: Apuli ad castrum currunt: tempestuosum tempus Riccardum ad portum Tyri impellit, pro cuius redemptione castrum Baliano redditur. Post captam ciuitatem, *Rodulphus* consors Reginæ, qui in regimine parui erat momenti, Tyrum aduenienṡ cum Regina, petiit ciuitatem suo subdi dominio: victores autem respondent quòd illi ciuitatem minimè assignarent; sed diligentiùs custodirent, donec clarescerct cui de iure assignari deberet. Videns autem *Rodulphus* prædictus, quia vt volebat regere non valebat; sed propinqui Reginæ ad libitum omnia pertractarent, vxore dimissâ, cum Rege abscessit Nauarræ, Comite Britaniæ, cæterisque Crucesignatis.

A.D. 1241. *Tartari* verò M. CCXLI. Turchiæ terram inuadunt, in qua erant ferè centum

tum ciuitates,exceptis castris & villis: vbi inter cætera admiratione digna, Monasterium trecētarum puellarum erat,quod *Sanctus Brassanus* vocabatur, cuius munitionem,si quando impugnabatur ab hostibus, fertur quòd seipsam mouebat, & in iacientes lapides machinas retorquebat. Sequenti verò anno, in partibus Aquilonis, *Tartari* vastant Rusiam, Gasariam, Sugdaniam, Gotiam, Ziquiam, Alaniam,Poloniam,cæteraq; regna vsque triginta: & vsque ad Theotoniæ fines prosiliunt.

A. Dni. 1242.

10

DVODECIMA PARS, CONTINET PASSAGIA SANCTI LODOVICI REGIS FRANCIÆ: VARIA QVOQVE ET CONtinua Terræ Sanctæ grauamina,donec Christianitas vniuersa ex ea deleta est: habens Capitula XXII.

CAP. I.

Continet quomodo LODOVICVS Rex Franciæ Crucem assumpsit: debellationem etiam Peregrinorum in Terra Sancta: & amissionem ciuitatis Sanctæ Ierusalem.

20 IPso anno quo *Innocentius* IV. de nouo electus,propter impedimenta per Fredericum Imperatorem Prælatis præstita,ne Romæ congregaretur consiliū generale,in Frāciam profectus est. M. CCXLIII.circa festū beati Andreæ. Accidit autē vt *Rex LODOVICVS*,circa festū beatæ Luciæ ita insensibilis factus sit,vt mortuus reputaretur à multis: Vndè à matre,& consorte,fratribusq; quasi mortuus lugebatur: iamq; Clerum pro celebrandis exequiis fecerant congregari: vt autē ex illa extasi ad se rediit,circumspiciens iubet Parisiensem Episcopum euocari: tunc mœror in lætitiam conuertitur,& Præsul protinus præsentatur. Ait autem illi Rex: *Domine Episcope,ego vos requiro,vt Crucem vltramarinā meis humeris imponere debeatis.* Hoc audientes mater & con-
30 iux,flexis genibus orabant,vt plenam expectaret corporis sanitatem: tunc demum faceret quod liberet.cōmotus ille,respondit: cibum aut potū nequaquam sumpturum, nisi Crucē priùs sumeret transmarinam: & ab Episcopo Crucē iteratò requirit. Episcopus postulatam Crucem denegare non audens,illi Crucē imponit, nō sine lachrymarū imbre; cunctisq;,tam in camera quàm in aula,cum singultuosis gemitibus,non minus quàm si vitā excederet lachrymosis. Cruce verò susceptâ ressanatū se fore protestatus est.Et postquam conualuit, vltramarinos litteris cōfortauit, asserens se Crucesignatū illius Regis intuitu, qui nimiâ karitate pro humano genere in Cruce pependit: proindè ciuitates & fortilitia viriliter sustinerent, quia ipse eis veniret quoad posset celeriùs ad succurrendum. Illo tempore *Salah* Soldanus
40 Ægypti,Orientales,vbi priùs fuerat dominus, (*supra part.VII. cap.XIV.*) ad se venire prouocat: M.CCXLIV. transmissis thesauris, promissaq; terrâ venturis, si secum fortè eligerent cōmorari: sed & propter terrorem Tartarorū, venerunt vsq; ad XX. millia Corasminorū equitum,qui transeūdo per districtum Tripolitanū, magnum intulêre damnum; & in Ierusalē subitò prorumpentes, percusserunt gladio vsq; ad quinq; milia: nulli enim parcebant sexui,vel ætati: deindè ad Soldanum, qui Gazę castra posuerat,peruenerunt. *Salah* verò,Soldanus Damasci,Ptolomaydæ quatuor millia equitum transmisit,quibus Soldanus præfuit Calamele. Tunc Christiani milites equitauerunt vsq; Ascalonem,&Turchi cum eis.*Gualterus* quoq; Comes Brenensis, qui Iaphæ erat, illis sociatus est; & fuerunt milites Christiani quasi sex-
50 centi,præter alios equites & pedites. Ascalonæ verò,deliberant quid agēdum. Soldanus autem Calamelæ ait,quòd haberent plurimū exercitum contra se,gentemq; peregrinam & inhumanam,ac desperationi deditam: proindè loco tuto & victualibus accommodo securi persistant: aduersaria tunc multitudo, rerum coacta penuriâ, necessario retrocedet. Placuit multis Christianis consilium; cæteris verò cōgressum laudantibus,proceditur & bellatur:bellatur acriter,sed non diu.Damascenis enim terga dantibus,Christianorū vix quarta pars euadere potuit, omnibus aliis mortuis vel captis. Soldanus verò Babyloniæ ad propria rediit,& contra spem

I. A. Dni. 1243.

A. Dni. 1244.

datam Corasminis, munito *Belbeis*, passum illis præclusit ne intrarent Ægyptum: illi verò ab inuicem diuisi, à terræ cultoribus læduntur, læduntq; donec infra triennium de patria totaliter repulsi sunt. MCCXLV. Papa in Concilio Lugdunensi, Imperatorem deposuit, & M.CCXLVI. Regina Aylisia moritur: cui filius *Henricus* Rex Cypri, in regno Ierosolymitano successit, in Ptolomayda ponens bayliuũ. Eodem etiam anno Papa, de Prædicatoribus mittit fratrem *Ezelinum*; de Minoribus, fratrem *Iohannem de Plano Carpini*, cæterosq;, ad Tartaros conuertendos. Post hæc *Soldanus Damasci*, à Soldano Alapiæ bello superatus, carceri mancipatur: Quod audiens *Soldanus Aegypti*, cum magno exercitu veniens cepit Damascum, Calamelam quoq;, & Mahuberh: deinde Christianorum terras percurrens, castrum, quod Tyberiade firmatum erat, deinde Ascalonem, multasq; munitiones quas reparauerat Rex Nauarræ, comes Britaniæ, & comes Cornubiæ, ille destruxit. M.CCXLVII. *Turchemani* verò, venientes per districtum Dathagnes, Principatum Antiochiæ inuadunt depopulãtes casalia: hii inter Saracenos præ cũctis despectiores, nec castra nec ciuitates habent, nec lucris inhyant; solis animalib. contenti, tentoriis de filtro vtuntur. Hos dum Antiocheni despectui habẽtes, incautè & dispersi ad fugandum properant; ècontra illi ordinatè post fugam reuertẽtes, semel & pluries victores effecti, Antiochenis formidini facti sunt.

A.D. 1245. A.D. 1246. A.D. 1247.

CAP. II.

Continet transfretationem LODOVICI: & Damiatæ captionem.

II. A.D. 1248.

POst Crucem acceptã, dispositis pro se & regno negotiis, mittit ante faciem suam qui in Cypro victualia & opportuna quæq; præparẽt. Ipse verò M.CCXLVIII. XXVIII. Septembris, ad Insulam Cypri applicuit; & cum eo duo fratres ipsius, *Robertus* & *Karolus*, & multi Barones ac Prælati. Sequitur postea eum & frater *Alphonsus*, relictâ matre dominâ Blancâ ad regni custodiam. Longâ in Cypro morâ contractâ, M.CCXLIX. XV. die Madii, Rex de Limisso versus Damiatam properat; & quarto die Iunii, ante ciuitatem exercitus in ancoris stetit: portum Christiani cernunt peditum equitumq; multitudine repletum, munitumq; galeis: sed nihilominus deliberant sequenti die exire in Insulam. In crastino igitur summo mane, vexillo Crucis erecto, ipsius orant & sperant auxilio de inimicis Crucis CHRISTI habere triumphum. Cùm verò nauigia, propter aquæ paruitatem, ad terram applicare nõ possent, plurimi, fidei ardore, cum armis in aquam prosiliunt: nec ipsorum audacia, quia Turchi resisterent lanceis & sagittis, minuitur; sed augetur: territi proindè Saraceni ad ciuitatem confugiunt; deniq; eis immisso timore, nocte ciuitate incensâ fugiunt, occupandam relinquentes liberè Christianis. Ipso anno Pisani & Ianuenses in ciuitate Ptolomaydæ XXI. diebus, contra se mutuò pugnant, machinis & ingeniis variis se mutuò lædentes: tandem procuratione Bayliui, qui pro Rege Cypri ciuitatem gubernabat, in triennium terrâ marique pacificati sunt. Rex autem totâ æstate, propter Nili excrescentiam, Damiatæ immoratus, XXVII. die Nouembris inde castra mouit, vt procederet contra Saracenorum exercitum ad locum dictum *Armasoran*: & in via audiunt defunctum esse Soldanum, cuius filius expectabatur, qui in partibus fuerat Orientis: & XXII. die Deleyr, peruenerunt ad locum. In itinere autem Templarii & Comes Atrebatensis, qui habebat anteriorem custodiam, inuenerunt *Lysac*, id est, anteriorem custodiam Saracenorum, in loco dicto *Sarmosac*: & irruentes in eos, strauerunt L V. ex eis. In crastino verò, ex hiis, qui trans fluuium venerant ad nocendum Christianis, circa mille fuerunt mortui aut capti. Christiani autem non valentes ad Saracenos accedere, impediente flumine Tampneos: de quo loco suprà *par. VII. cap. IX.* aliquid diximus: attentant supra fluuium ædificare pontem; è contra verò, Saraceni machinis & armis impediunt. Interim Christiani de Ptolomayda exeuntes contra Bethsan, VIII. die Ianuarii, & contra habitationem quandam Turchemannorum, capto Admiraldo quodam, eorum capitaneo, reportauerunt vsque ad XVI. millia animalium. Tandem M.CCL. octauâ die Februarii, quidam *Beduinus*, qui erat in exercitu, dixit Regi vadum esse inferius: indè transeunt Christiani non sine magno periculo, natantibus equis, & ripis malè dispositis: vndè & multi in flumine perierunt. Postquam verò in magno numero transierunt,

A.D. 1249. A. Dni. 1250.

10 20 30 40 50

runt, castra verterunt Saracenorum, & plures Admirati mortui sunt: vnde territi Saraceni, fugientes, *Armasoran* Christianis liberè dimiserunt. Christiani verò lucris intenti, dum per ciuitatem huc illucque vagantur, à Saracenis propterea audaciam resumentibus atque redeuntibus, grauem iacturam passi sunt. Nam Saraceni in eos vndiq; irruerunt: & deficiente Christianis balistariorum subsidio, vsq; ad nonam impetum sustinuerunt: vulneratis tamen aut occisis in maiori parte Saracenorum equis, Christiani campum habuerunt. Inter cæteros verò mortui sunt Comes Atrebatensis, & duo alii Comites. Postea Christiani castra metati sunt iuxta machinas, quas Saraceni dimiserant: & pontem faciunt, vt cæteri ad se transire va-
10 leant. Postero die Saraceni maximo numero congregati, vndique in Christianos prosiliunt, qualiter nusquam fecerant: Christiani verò ordinato exercitu, multos ex eis interficiunt, tandemq; repellunt.

CAP. III.

Continet captionem Regis Lodouici: & qualiter Damiata est reddita Saracenis.

POst dies aliquot, venit nouus Soldanus: & personuit terra instrumentis, nouisq; clamoribus. Venerunt extunc Christianis omnia contra votum, & pestilentia & fames: nam quilibet penè lugebat mortuum vel infirmum; & crassabatur infirmitas in homines & iumenta. Impediebant quoque galeæ Saracenorum trans- III.
20 itum victualium: duas enim *Carauanas* successiuè acceperant. Quintâ proinde die Aprilis, Rex *LODOVICVS* victualium penuriâ cõstrictus, ad sua castra retrocessit, vt ad Damiatam rediret: & relictâ ipso die plateâ, cùm peruenisset ad quoddam casale vocatum *Sarmosac*, tunc tanta se Saracenorum multitudo circa Christianos infudit, vt ipsorum impetum sustinere non possent. Capiturque Rex cum duobus fratribus; & exercitus multitudo per terram, & per fluuium occiditur, capitur, cõcrematur: totus tandem exercitus Christianus Saracenis subiicitur. Capto Rege & populo Christiano, de concordia pertractatur; & in hoc post multos tractatus conueniunt cum Soldano: *vt Regem & fratres ipsius Soldanus dimittat, omnesq; captiuos postquam ipse Rex in Aegyptum venerat; nec non & captiuatos à tempore aui sui:* (de quo su-
30 prà, par.x.cap.v.) *& quòd terras, quas in regno Ierosolymitano in aduentu Regis LODOVICI Christiani tenebant, cum omnibus pertinentiis in pace teneant: quæcunq; etiam in Damiata manerent, quæ secum Christiani ferre non possent, suis nuntiis, cùm pro eis mitterent, redderentur. Rex verò debebat reddere Damiatam, & Saracenos liberare captiuos, tam in Aegypto, quàm in regno Ierosolimitano: pro redemptione verò captiuorum, factis expensis, damnisq; illatis, centum millia marcharum argenti: & vsq; in decennium, Rex ipse bellum non debeat Saracenis inferre.* Hiis sic dispositis, secundâ die Madii, milites Saraceni, non sine coniuctia maioris partis exercitus, irruẽtes in Soldanum in Babylone, in furore venerunt ad Regis LODOVICI tentorium, volentes in eum ac cæteros Christianos pariter desæuire: sed finaliter eadem pacta, & treugua quæ priùs, cum omnibus Admiraldis
40 firmata est. Tunc liberatus est Rex, & fratres ipsius, Legatus, & dominus Patriarcha, Barones, & milites plures, & multi alii: & VIII. die Madii, Ptolomaydam peruenerunt. Postquam autem maiores inibi conuenerunt, pro captiuis, & suis arnesiis transmittentes, ex XII. millibus, vix quadringentos habere potuerunt; ex rebus autem suis nihil: imò nolentes ad suam legem conuerti, trucidabant. LODOVICVS autem videns, quòd iuxta conuentiones non poterat eis bellum inferre, disponebat in Franciam redire: sed audiens quòd Terra Promissionis in periculo, priuatâ omni spe auxilii, si recederet, remanet, mittens fratres suos ad matris consolationem, mansit ipse in Syria annis quinque, à M.CCXLIX. anno Domini, vsque ad M.CCLIV. & maximè pro redemptione captiuorum. Repara-
50 uit autem tunc Ptolomaydæ burgum. [Auditâ autem captione Regis in Franciâ facta est Crucisignatio *Pastorelorum* & puerorum multorum & puellarum, quorum aliqui pestiferi inuentores huius fraudis, fingebant aliquos puerorum visiones Angelorum vidisse, & miracula operari, dicentes se missos à DEO pro Regis vltione, & erant inter eos, qui se *Magistros* vocabant, & more Episcoporum, per viam signabant: Clerum & Religiosos grauabant, spoliando, vulnerando & perimendo. A. Dñi. Vniuersus autem populus eis fauebat. Sed maiorum fraude detectâ, infra breue 1250. tempus fictio illa quasi fumus euanuit.] Eodem anno, id est, M.CCL. *Henricus*

Rex Cypri despõsauit *Placentiam*, filiam Boamundi Principis Antiocheni, de mense Septembri. *Fredericus* autem Imperator, in festo beatæ Luciæ mortuus est.

Cap. IV.

Continet statum Terræ Promissionis eo tempore quo ibi fuit Rex LODOVICVS, eiusq; reditum in Franciam.

IV. Eodem anno quo suprà, *Soldanus Alapiæ* congregatis xxx. millibus equitum, iuit in Ægyptũ: & factus primò victor, postea ab Ægyptiis superatur, & de tota multitudine exercitus sui vix duo millia euaserunt: de Ægyptiis verò vsq; ad duo millia interfecti sunt. Sequenti anno, xxix. Martii, Rex Franciæ iuit ad firmandum *Cæsaream*. Tunc *Boamundus*, Princeps Antiochenus & Comes Tripolitanus moritur, cui succedit filius *Boamundus*. Sequenti anno, Rex Franciæ xv. Aprilis iuit ad firmandam *Iapham*: quo anno mortua est Regina *Blancha* mater ipsius. *Boamundus* verò, cũ matre *Lucia*, iuit Iapham, vbi à Rege Franciæ miles factus est. Eodem etiam anno, *Iulianus* dominus Sydonis, desponsauit filiam *Aithonis* Regis Armeniæ. M.CCLIII. venit ante Ptolomaydam Soldanus Damasci, factâ concordiâ cum Soldano Ægypti, contra præstitum iuramentum: & destruxerunt vnum casale iuxta Ptolomaydam vocatum *Doc* & *Recordauer*. Posteà ceperunt *Sydonem*, interfectis personis quasi octingentis: & quadringenti Damascum in captiuitatem ducti sunt. Rex autem Franciæ, post reparatam Iapham, Sydonem reædificauit. *Henricus* autẽ Rex Cypri moritur. Tunc *Bayton* Rex Armeniæ, iuit ad Tartaros. *part. XIII. c. VI.* M.CCLIV. expleto muro Sydonis, Rex Franciç venit Ptolomaydam VIII. Martii; & in Paschate fecit militem *Balianum* de Ybelyn, filium domini de Arsuf, qui desponsauit *Placentiam* Reginam Cypri. Et XXIV. Aprilis, Rex Franciæ, cum gẽte sua, parat se ad eundũ in Franciam: & habuit in societate sua octo naues, & quatuor galeas: & in crastino horâ vespertinâ in festo beati Marci recessit de portu Ptolomensi, relinquens pro custodia ciuitatis centum milites, secundùm dispositionem Senescalci regni Ierusalem. Eodem anno, XXII. Maii, mortuus est Rex *Conradus*. *Boamundus* autem Princeps Antiochiæ, desponsauit *Sybiliam* filiam Aithonis Regis Armeniæ.

(Margin: A.Dni. 1251. — A.Dni. 1252. — A.D. 1253. — A.D. 1252. — 10 — 20 — 30)

Cap. V.

Continet discordiam Ianuensium cum Venetis & Pisanis, in partibus vltramarinis.

V. 1255. Alexander Papa IV. Hospitalariis donauit Sanctũ Lazarum de Bethania, & mõte Tabor. Sequenti autẽ anno, venit Ptolomaydam *Marcus Iustinianus* Consul Venetorũ; & præsentauit litteras Patriarchæ Ierosolymitano, ex parte summi Pontificis, continentes vt Venetos in possessione poneret Sancti Sabæ. Ianuẽses autem, portauerunt & ipsi litteras Priori Hospitalis, continentes, vt habere debeant S. Sabam. Pro hac ergo causa, M.CCLVI. incepit discordia inter eos: & eodem anno Ianuenses debellauerunt Venetos, cum auxilio Pisanorum, & cucurrerũt infra eorum habitationem vsq; ad S. Marcum: deinde Pisani Venetis pacificati sunt; & acceperunt Lecaban, & mensuras Venetorum: & composuerũt, vt vsq; ad annos XX. mutuò se iuuarent, in odium Ianuensium. Sequenti verò anno, Ianuenses composuerunt cum dominio Acon, in odium prædictæ concordiæ: propter quod, dominium Acon simul cũ Ianuẽsibus, aggreditur simul & Pisanos & Venetos, duasq; turres Pisanorum tandem obtinuit. Eodem anno, venit Ptolomaydam pro Venetis *Laurentius Teuplo*, capitaneus XIII. galearum; & occupauit portum Ptolomaydæ violenter. Ianuenses verò armauerunt galeas in Tyro, pugnaueruntq; simul: & Veneti, ante Tyrum ceperunt Ianuensium tres galeas, & Ptolomaydam cõduxerunt. Ipso tempore primo die Februarii venit Ptolomaydam *Boamundus* Princeps Antiochiæ, conducens *Placentiam* Reginam Cypri, sororem suam; & *Hugonem* nepotẽ suum Reginæ filiũ, & heredem regnorum Ierusalem & Cypri: & ad inductionem Magistri Templi, & *Iohannes de Ybelyn*, & *Iohannis* comitis Iaphæ, Venetorum ac Pisanorum partes prosecutus est. M.CCLVIII. reformata est pax & concordia inter *Boamundum* Principem Antiochenum, & *Balianum* filium domini Arsuf. *Balianus* quoq; & Regina *Placentia*, à matrimonio inter ipsos celebrato se mutuò absoluerũt: rediit quoq; Regina, cum filio & Principe, Tripolim: & remansit Bayliuus Ptolomaydæ,

(Margin: A.D. 1256. — A.D. 1257. — A.D. 1258. — 40 — 50)

maydæ, *Iohannes de Ybelyn* dominus Arsuf. Eodem anno, XLIX. galeæ & quatuor naues Ianuensium, ante portum Ptolomaydæ venerunt in vigilia Sancti Iohannis: tunc armauerunt Veneti & Pisani XL. galeas; & aggressi sunt illos, inter Ptolomaydam & Caypham; eosq; debellauerunt, captis galeis XXIV. captis etiam vel interfectis mille septingentis viris. Tunc pax in ciuitate Ptolomaydæ hoc pacto reformata est: vt videlicet turris munitissima Ianuensium destruatur, cunctaq; ædificia: & Tyri de cætero commorantes, vexillum in suis nauigiis ad portum Ptolomaydæ nunquam portent; nec in Ptolomayda habeant de cætero curiam vel præconem.

10

CAP. VI.

Continet bella quædam Tartarorum, & Saracenorum; & etiam Christianorum.

VI.

ANno eodem *Tartari* occupauêre terram Arsasidarum, & Persidam vniuersam; & in *Baldac*, præciderunt caput Calyphæ Baldacensi. Tunc mortuus est *Iohannes de Ybelyn* dominus Arsuf, qui erat Bayliuus regni Ierusalem: & factus est Bayliuus *Iosfridus*, qui suo rigore malefactores puniens exterrebat, M. CCLIX. erat autem Senescalcus regni Ierusalem. *Tartari* autem sequenti anno violenter irrumpentes ceperunt *Alapiam*, *Harenc*, *Haman*, *Calamelam*, & *Damascum*: occidentes cunctos factos sibi obuiam Saracenos. Intrant deindè regnum *Ierusalem*, capiuntq; *Sydonem*: sed castrum maris nullatenus capere potuerunt. *Ptolomenses* verò eorum timore præciderunt viridaria extra ciuitatem; & turres viridariorum ad terram proiecerunt, amouentes etiam lapides cimiterii cum lapidibus ædificiorum. Sed tertio die Octobris, in plano Tyberiadis à *Soldano Babyloniæ* debellati sunt. Postquã verò Soldanus cum victoria rediit in Babylonẽ, à *Bendocdar* interfectus est, qui illi in dominio successit. Tunc *Iulianus* dominus Sydonis, vendidit Sydonem, & Belfort Templariis, propter quod, inter eos & Regem Armeniæ non parua discordia orta est. Eodem anno, à *Turchemannis* superati sunt *Iohannes de Ybelyn* dominus Baruti, *Iohannes de Zibelet* Marescalcus regni: magna congregatio Templariorum, & milites Ptolomaydæ: multique fuerunt vel capti vel mortui. M. CCLXI. *Balianus* dominus Arsuf, vendidit Arsuf cum suis pertinentiis Hospitalariis. Quo anno *Palialogus*, Imperator Constantinopolitanus, expulsis Latinis, effectus est: *Placentia* etiam Cypri Regina, mortua est; & *Hugo* de Lisignano, nepos Principis Antiocheni, factus fuit Cypri Bayliuus. Saraceni Babylonii, M. CCLXII. *Antiochiam* obsederunt: sed, procurante Rege Armeniæ, venientes Tartari obsidionem soluerunt. Sequenti anno, *Bendocdar* cum XXX. millibus equitum venit antè Ptolomaydam, XIV. die Aprilis: sequenti die impetuosè nimis vsq; ad portas ciuitatis prosiliit, viridaria combussit: fuitque ciuitas in periculo magno valdè. Ratio huius impetus fuit, quia Templarii & Hospitalarii nolebant Soldano sclauos, secundùm pacta, reddere; cùm ipse vellet reddere quod debebat: vnde Comiti Iaphæ tunc proculdubio treuguam seruauit. Eodem quoq; mense, Saraceni destruxerunt monasterium Bethlehemitanum. Eodem anno Papa Vrbanus IV. regnum Syciliæ, quod *Manfredus* contra voluntatem Ecclesiæ detinebat, *Karulo* Comiti Prouinciæ, fratri Sancti LODOVICI Regis Franciæ, contulit redimendum. Eodem etiam anno, secundâ die Septembris, LV. galeæ & taridæ *Venetorum* venerunt antè Tyrum; & Veneti, qui erant Ptolomaydæ, cum septem galeis iuerunt eis in auxilium: Ptolomenses verò, vsq; ad duo millia, per terram iuerunt ad succurrendum Tyrensibus. Veneti autem facto insultu, nihil egerunt; & redeũtes Ptolomaydam XV. diebus ibi fuerunt, neminemq; læserunt.

A. Dni. 1259.
1260.
20
30
A. Dni. 1261.
A. D. 1262.
A. D. 1263.
40

CAP. VII.

50

Continet Ysabellis petitionem de bayliuatu regni Ierusalem: locorum destructionem variam tam per Christianos, quàm per Saracenos.

VII.

HEnricus, filius Boamundi Principis Antiocheni, cum vxore sua *Ysabella*, filia quondam Hugonis Regis Cypri, & Aylisiæ Reginæ, venit Ptolomaydam, petens bayliuatum, quia sibi competeret: quod sibi concessum est, nullo facto homagio, aut fidelitatis præstito iuramento, quia heredem secum regni non duxerat: propter quod Ysabella in Cyprũ rediit, virũ suũ Ptolomaydæ relinquẽs bayliuum.

A. Dni. 1264.

Sequenti anno, XVI. Ianuarii Hoſpitalarii & Templarii deſtruxerunt *Lilion*: multis quoq; interfectis, adduxerunt prædam hominum vtriuſq; ſexus vſq; ad trecentos, multorumq; animalium; nec perierunt ex Chriſtianis vltra tres. XV. Iunii Chriſtiani de Ptolomayda cum Hoſpitalariis & Templariis exierunt ad redimendum *Gerardum* quendam, quem Saraceni proditioſè cœperant cum multis in Rama, nec reddere volebant: & ideò iuerunt vſq; Aſcalonam, omnia vaſtando & comburendo: & inuentos duos Admiraldos occiderunt, & XXVIII. ex quadringētis, qui cum eis erant: & ſine damno, DEI gratiâ, rediêre. Viceſimo Septembris *Oliuerius de Termes* Ptolomaydæ applicuit: qui die quintâ Nouembris cum militia Ptolomenſi, Hoſpitalariis, & Templariis, deſtruxerunt Bethſan, & plura caſalia: & terram vndique comburentes, hominum ac iumentorum magnam egerunt prædam. Eodem anno, XXVI. Ianuarii, *Bendocdar* cepit *Cæſaream*, per proditionem: cuius timore Ptolomenſes turrim molendinorum proſternunt, & Eccleſiam Sancti Nicolai in cimiterio. Soldanus verò caſtrum Arſuf obſidens, vndique vallauit. *Hugo* verò de Liſignano Bayliuus Cypri, cum pulchra militia, in die beati Georgii, Ptolomaydæ duxit ſtolum: M. CCLXV. Erat autem tunc militia regni Cypri, magni valoris, magnæque prudentiæ: fuerunt autem in eius ſocietate CXXX. milites, & alii equites. Eodem anno vltimo Aprilis, captum eſt caſtrum Arſuf: ab Oriente enim Ptolomaydæ viſum eſt clarum ſignum quaſi enſis, longitudinis lanceæ, percutere turrim Eccleſiæ Sanctæ Crucis. Fuerunt quoque capti aut mortui Hoſpitalarii XC. & qui in caſtro erant vniuerſi, circa mille, ducti ſunt in captiuitate Babyloniæ. Viceſimo autem die Octobris Ptolomaydæ applicuit *Comes de Neuers* cum militibus quinquaginta.

A. Dni. 1265.

CAP. VIII.

Continet inſultus varios Soldani Babyloniæ in Chriſtianos: mutuas quoq; inſidias Ianuenſium, & Venetorum.

VIII. A. Dni. 1266.

BEndocdar, M. CCLXVI. primo Iunii venit antè *Ptolomaydam*; ibiq; octo diebus immoratus eſt. Ibi nihil agens, ad Caſtrum *Montis-Fortis* nonâ die acceſſit: & ibi nihil agens, ad caſtrum *Saphet* ſe contulit; obtinuitque XXIV. die menſis: & contra deditionis pacta, præter Caſtellanum, cunctos occidit. [Obtento enim caſtrò poſt Solis occaſum, miſit Admiratum, ſuadens vt Saracenorum legem ſuſcipiant; alioquin gladio cuncti perirent. At vniuerſi, duorum Fratrum Minorum, qui aderant, monitis, totâ nocte confortati, martyrium potius elegerunt, quàm CHRISTI negare fidem, fluebatque ſanguis per montis decliuum, quaſi aquæ riuulus, fuerunt autem vltra DC. Poſt hos verò fratrem *Iacobum de Podio*, & fratrem *Ieremiam*, quia cæteros in fide firmauerant, & Priorem Templariorum excoriari fecerunt, deinde fuſtigari; poſtremo ad locum cæterorum deducti, capite cæſi ſunt. Fecit autem Soldanus locum materiâ circundari, quia noctibus ſuper corpora ſplendebat lux, etiam cernentibus Saracenis.] Interim verò, quintâ die eiuſdem menſis, vnus Admiraldus diſcurrit ciuitates & diſtrictus Tyri, & Tripolis, & Tortoſæ. Et XXII. Auguſti, ſimiliter vnus fortis Admiraldus percurrens terram Armeniæ, cœpit vnum de filiis Regis, alterumq; occidit cum populo multo. Et huius nouitatis cauſa fuit via Regis ad Tartaros: *ſupra capit. VI.* Eo menſe *Comes de Neuers* Ptolomaydæ mortuus eſt: non ſine Chriſtianorum iactura, & maximè pauperum. Tunc etiam *Hugo de Liſignano*, cum tribus manſionibus, & aliis militibus Gallicis & aliis, equitibus ac peditibus, verſus *Tyberiadem* proceſſit: tunc clamor in terra perſonuit. Turchi autem, qui erant in *Saphet*, inſidias poſuerunt iuxta planum Ptolomaydæ. Accidit autem, vt propter lucri cupiditatem, primâ cuſtodiâ per tres leucas à cæteris abſceſſiſſet: propter quod Turchi in eos irruentes, turpiter debellauerunt. Menſe verò Decembri, mortuus eſt *Iohannes de Ybelyn* comes Iaphæ. Sequenti anno, ſecundo die Maii, *Bendocdar* venit antè *Ptolomaydam*: & dum eorum nonnulli inſignia portant Hoſpitalis & Templi, vſque ad quingentos pauperes, qui pro lucro ad herbas & huiuſmodi venerant, incautos interimunt: ferturque quòd fel cuiuſque extraxerint, & pellem capitis excoriauerint vſq; ad aures. In craſtino, Soldanus retraxit

A. Dni. 1267.

traxit se vsq; Saphet; & XVII. die mensis, antè *Ptolomaydam* rediens, turrem viridariorum, arbores, vites, & quæcunq; potuit, demoliri iussit. Eodem anno XVI. Augusti, *Lucas de Grimaldis*, cum XXV. galeis *Ianuensium*, portum cœpit Ptolomaydæ: nec sinebat intrare aut exire nauigium quod ipsi non caperent, & Tyrum conducerent: cōbusseruntq; duas Pisanorum naues. Sed XXVIII. die eiusdem mensis, applicuerunt ad portum, XXVIII. galeæ *Venetorum*. Ianuenses verò, vt illorum cognouerunt aduētum, priuatè quàm potuerunt de portu exeuntes, versus Tyrum arripuêre iter. Veneti verò illos continuò insecuti sunt; & captis ex eis quinque galeis, Ptolomaydam rediêre. In crastino autem redeuntes, Tyrum recessisse inuenerunt, & aliquādiu insecuti sunt. Tunc mortuus est *Hugo* heres regni Cypri, de mense Nouembris; ei verò successit *Hugo de Lisignano* consanguineus eius.

10

Cap. IX.

Continet insultus varios Bendocdar in Christianos: & Antiochenæ ciuitatis amissionem.

SEquenti anno, *Bendocdar* VII. die Martij, cœpit *Iapham* proditiosè; & tempore treuguarum, multos ex pauperibus occidit; aliis dedit conductum, multis primò expoliatis. XV. verò die Aprilis, cœpit castrum de *Belfort*: & XXII. eiusdem mensis, venit Ptolomaydam Hugo Rex Cypri. Tunc *Soldanus* venit *Tripolim*, & destruxit viridaria: Deindè processit contra *Antiochiam*; & XXIX. Maii, ciuitatem absque vllo belli tumultu cœpit: & post captionem, vsq; ad XVII. millia personarū interfecta sunt; & vltra centum millia captiuata sunt: & facta est ciuitas tam famosa, quasi solitudo deserti. Cœpit quoq; *portū Præbonelli*, iuxta introitum Armeniæ. Sequenti anno, XXIV. die mensis Septembris, cum parua, quantū extimo, sollēnitate vel cordis lætitia, *Hugo* Rex Cypri, Ierusalē diadema suscepit in ciuitate Tyri: quo anno, omnium rerū fuit penuria, ita vt modius frumenti valeret octo Bizantiis. Tūc aliqui proceres, fortè cum ducentis militibus, in nemore steterunt in insidiis, iuxta Ptolomaydam ad vnam leucam: Turchi autem qui erant in Saphet, super eos irruerunt: licet autem viriliter resisterent, adueniente tandē multitudine, pauci à plurib. corripiuntur. Eodem anno, *Rex Arragonum* ad Terrę Sanctæ veniebat succursum, & quartâ die validâ tempestate exortâ, penè naufragium passus, cum parte stoli rediit; pars verò altera, cum qua erant duo eius filii illegitimi, putans Regem processisse, ad Ptolomaydam vsque peruenit: Rex autem, pericula maris ac corporis perhorrescens, amplius transfretare noluit. Accidit autem vt infans Regis prædicti præfatum immediatè bellum cerneret, velletque Christianis in auxilium proficisci: fuit tamen illi, propter Turchorum multitudinem dissuasum. Eodem anno, in *Armenia* tantus fuit *terræmotus*, vt quinque castra obruerit, tres Abbatias Armenorum, & casalia vsque XII.

IX. A. Dni. 1268.

20

An. D. 1269.

30

40

Capvt X.

Continet passagium, & mortem Sancti Lodouici Regis Franciæ in Tunitium: & formam pacis inter Carulum Regem Sycilia, & Regem Tunitij.

LODOVICVS *Rex Franciæ*, pro cælesti regno affectans cōmutare terrenum, Passagium iterans contra hostes nominis Christiani, habuit secum *Regem Nauarræ*, & consortem ipsius: filiam fratris Regis Franciæ: fratrem etiam suum, *comitem Tholosanum* & Pictauiensem: filios suos *Philippum*, qui ei succedere debebat in regno; & *Iohannem Tristanum*, cæterosque Barones, & bellatorum multitudinem copiosam: secutusq; est eum *Odoardus*, filius Regis Angliæ. Parato itaque exercitu, Rex Tunitium obsidere disponit, quia magnum damnum transfretantibus inferebat Christianis. Secundo autem Iunii trāsfretare cœpit, Sardiniæ portum capiens: indeque procedens contra Tunitium, cepit Carthaginem: & tunc epidimia inuasit exercitum. Requiritur proindè frater eius, Karolus, Rex Syciliæ, vt in auxilium vadat fratris & populi Christiani: profectus autem Rex, in *Garbum* castra metatus est, in loco qui dicitur *Certacarne*. Ibi *Iohannes* Tristanus infirmari cœpit, & mortuus est; post eum Legatus: post eum *S. Rex LODOVICVS*, qui dum infirmaretur Dominum laudare non cessans, orationem illam sæpè interserebat; *Fac nos,*

50

quæso, Domine, pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare. Pro populo etiam orabat similiter: *Esto, Domine, plebi tuæ sanctificator & custos; & quam tibi facis esse deuotam, benigno resoue miseratus auxilio.* Et appropinquans ad finem, cœlum suspiciens ait: *Introibo, Domine, in domum tuam; adorabo ad templum sanctum tuum.* Quo dicto in festo beati Bartholomei, Rex Deo gratus obdormiuit in Domino, *MCCLXX.* eiusdem Domini anno. Erat autem stupor videre mortem non solùm vulgi, sed etiam tot Comitum, militum, & Baronum. Post mortem verò beati LVDOVICI, adueniens frater eius *Rex Siciliæ*, erectis machinis, ac præparatis bellicis instrumentis, per terram & per aquam *Tunitium* expugnare disponebat: sed propter epidimiam iam dictam, cum Rege Tunitii composuit; acceptaque magnâ summâ pecuniæ propter expensas quas Reges ibi fecerant, exercitum ducit in Siciliam, vbi *Rex Nauarræ* mortuus est. Et cùm peruenissent ad portum Trapanitanum, exortâ tempestate nauigia confracta sunt: & exercitus per terram rediit. Inter cæteras verò pacis conuentiones, promisit Rex Tunitii cunctos Christianos captiuos dimittere: & quòd monasteriis ad honorem CHRISTI in omnibus ciuitatibus regni illius constitutis, fidem CHRISTI per prædicatores & Minores, & quoscunque alios liberè prædicari sineret, & baptizari volentium nullum impediret; Regiq; Karulo prædicto tributarius factus est.

A Dni. 1270.

CAP. XI.

Continet insultum Bendocdar in Christianos &: qualiter Christiani induxerunt Tartaros contra eum: at treugarum miseram compositionem.

XI.

POstquam à Tunitio Passagium summotum est, eodem anno, & de prædicto loco, applicuêre Ptolomaydæ quingenti *Frisones*, viri cunctis kari & Catholici. Cessauerat iam memorata supra rerum inopia, aderatque cunctorum bonorum fertilitas. Sequenti anno, XVIII. Februarii *Bendocdar* obsedit castrum Crac, quod erat Hospitalariorum; & VIII. Aprilis, non valentes ampliùs locum defendere qui deintus erant, saluis personis reddidêre castrum: Turrem quoque destruxit *castri Blanci, & Gibelathar*, quod erat Principis: fecit quoque treuguas cum Comite Tripolitano: & cepit *Montfort* destruxitque, quod erat Alamanorum; deindè antè *Ptolomaydam* stetit: cepit quoque castrum vnum Veculi de Montibus. XIV. autem galeæ Saracenorum iuxta *Limisso* confractæ sunt, & eorum vsq; ad tria millia mortui aut capti. *Odoardus* etiam, de quo superiori capitulo fecimus mentionem, IX. die Madii, cum auunculo, & filio Comitis Britaniæ, & multa comitiua, Ptolomaydæ applicuit: eumque frater ipsius, de mense Septembri, cum paucioribus secutus est. Tunc attendens actualem sæuitiam, & sæuientem potentiam Bendocdar in districtum & populum Christianum, cum cæteris habitâ deliberatione, prudentes nuntios ad *Tartaros* dirigunt: qui prouocati discurrunt per totam terram Antiochiæ, Alapiæ, Haman, Calamele, vsque ad magnam Cæsaream, Saracenos vbique interimentes; Indeque redierunt ad locum dictum *Marays*, ad introitum Turchiæ, multam conducentes prædam sclauorum & animalium: ibi quietem aliquandiu eligentes, propter laborum excessum, copiamque aquarum, intuitu etiam iumentorum. Illo etiam tempore, XXII. Iunii, qui hæc procurauerunt, egrediuntur ad demoliendum locum, qui *Sanctus Georgius* dicitur. In ipso itinere Anglici, calore nimio, & intemperantiâ fructuum & mellis grauati nimis, in multitudine periêre. Die verò XXIII. Nouembris, dominus *Odoardus* & frater eius, Rex Cypri, & tres Mansiones, & Peregrini, cum peditibus iuerunt Cæsaream, vt demolirent *Caco*: euntes autem, inuenerunt *Turchemannos* aduenisse, nihil suspicantes aduersi. Incautos igitur præoccupant; & vsque ad mille quingentos interimunt, quinque millia animalium reportantes: propter lucrum dimittentes principale intentum de *turri Caco*: propter quod à Saracenis minoris sunt reputati valoris. & Soldanus ipse, nuntiis Regis Karoli, qui pro treuguis obtinendis ad eum iuerant, responsioni suæ inseruit: quia *tot & tales in capienda vna munitione defecerant, vt verisimiliter, nequaquam credere posset, eos aptos ad Ierosolymitanum regnum suis viribus occupandum.* Treugua tamen inter Hugonem Regem Ierusalem & Bendocdar *MCCLXXII.* XXI. Aprilis facta est: nec obtenta est nisi in plano Ptolomaydæ, & in itinere quo pergitur Nazareth.

An. D. 1271.

A.Dni. 1272.

CAP.

Cap. XII.

Continet recessum Domini Odoardi de terra Sancta: & missum auxilium ab Ecclesiā, à Rege Franciæ: ac quædam incidentia.

ODoardus, qui postea fuit Rex Angliæ, Saracenum quēdam habebat ita familiarem, vt facilimè ad eum posset ingredi cùm liberet. Et cùm semel surrexisset à somno Meridiano in camera sua, Saracenus gladio venenato, XVIII. die Iunii, eum aggressus pluries percussit. Sed *Odoardus* nequaquam territus, prostrato Saraceno violenter gladium abstulit: accedentes verò milites Asasinum gladiauerunt: cum difficultate verò de vulneribus curatus est: & cùm Barones alii præcessissent, ipse XXII. Septembris versus patriam suam iter arripuit. Illis diebus, inter *Regem*, & *milites Cypri* discordia quædam emersit: requirente Rege vt sibi cum armis extra Insulam inseruirent. Illi verò è contra asserentibus, quia ad id nullatenus tenerentur: tandem quibusdam mediatoribus conuenerunt, vt quatuor mensibus anni, Regi ex Insula seruiant, vbi adesset personaliter, aut filius Regis. Factus est autem Senescalcus regni Ierusalem dominus *Iohannes de Grelli.* Patriarcha Ierosolymitanus adueniens, quingētos duxit armatos, inter pedites & equites, ad stipendium Ecclesiæ. *Ayton.* Rex Armeniæ, moritur, cui successit *Leo* filius eius *infra p.13.c.81.* *Oliuerius* autem de *Termes: MCCLXXIII.* VIII. Aprilis, rediens à Rege Franciæ, ad ipsius Regis stipendia duxit XXV. equites, & centum pedites balistarios. Tunc etiam venit Ptolomaydam Bayliuus pro Venetis, *Petrus Geno*, qui nequaquam passus est *Iohannem Montis Fortis*, qui se Tyri dominum appellabat, Ptolomaydæ immorari, quia Tyri Venetorum iura indebitè violaret: sed milites Mansionem, pro vitando scandalo, fecerunt ire illum Nazareth, indeque transire Tyrum. Venit quoq; Ptolomaydam *Egidius de Santi*, cum quadringentis balistariis, ad stipendium Ecclesiæ & Regis Franciæ: & post hunc *Petrus Damineis*, cum trecentis balistariis ad conforme stipendium.

A. Dñi. 1273.

Cap. XIII.

Continet sollicitudinem Lugdunensis Concilii, pro subsidio Terræ Sanctæ.

GRegorius X. existens Archidiaconus Leodiensis, deuotionis gratiâ ad visitandum Terram Sanctam profectus, in Papam eligitur. Pro eius electione magnū gaudium habuēre fideles Terræ promissionis, erecti ad spem magni auxilii: quia Christi vicarius, Terræ Sanctæ deuotus, oculis conspexerat, & experientiæ manu palpauerat miserabilem ac lugubrem eius statum. Ipse quoque de Ptolomayda recessurus, inter cætera concionis suæ verba melliflua, cordis sui affectum aperiens, dum de statu Terræ Sanctæ & Ierusalem loqueretur aiebat; *Si oblitus fuero tui, Ierusalem, obliuioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Verè obliuioni non tradidit: sed proponit principaliter pro Terræ Sanctæ subsidio congregare Concilium: & quia *Lugduni*, potius quàm Romæ, Prælatorum, & Baronum maximè, habere copiam commodius poterat, ibi statuit Concilium congregari, *MCCLXXIV.* in Kalendis Madii. Tunc venerunt de Alamania sollemnes nuntii denuntiantes pessimum Terræ statum, & maximè Ecclesiarum, propter Regis carentiam; & celeriter expediti redeunt. Eligitur autem Alamaniæ Rex & Imperator, *Comes de Asburg Rodulphus*: quam electionem Papa confirmauit, ad fauorem Terræ promissionis: Ille verò statim voluit crucesignari. *Philippus* quoque Rex Franciæ tempus præuenit concilii: reddiditq; summo Pontifici Comitatum *Venesi*, quem longo tempore ab Ecclesia sui tenuerant prædecessores: & Crucem deuotus assumpsit. Illuc & *Alfonsus* venit Rex Castellæ, pro Corona Alamaniæ: fuerat enim simul electus cum *Ricardo* comite Cornubiæ *MCCLVI.* & pro obtinendo Imperio magnas fecerat expensas; & nunc promittebat grandia ad subsidium Terræ Sanctæ: sed tandem ad preces Papæ, cessit *Rodulpho*, renuntians omni iuri quod videretur habere. Interfuerunt quoq; illi concilio nuntii pro Principibus, & aliis habitatoribus Terrę Sanctæ diligenti ratione exponentes statum & negotia dictæ Terræ. Hiis maximè Papa diligenter attendit, quia illuc accedere personaliter intēdebat. Tunc statutum est, vt pro subsidio Terrę Sanctæ vsq; ad sex annos, Ecclesiarū decimæ deputarētur, vt etiā

XIII. Psal. 136. A. Dñi. 1274. A. Dñi. 1256.

cippi cum tribus clauibus in Ecclesiis ponerentur, ad oblationes fidelium reponendas. *Rex* etiam *Cypri*, procuratores suos misit ad respondendum Domicellæ *Mariæ*, quæ regnum petebat Ierusalem, asserens sibi iure hereditario obuenire. Interfuerunt quoq; huic Concilio nuntii Græcorum & Tartarorum: *suprà part. VIII. ca. 1.* At postquam gloriosus Pontifex, cunctis dispositis imposuit finem Concilio, Romamq; rediret pro coronando Imperatore in Arotio Tusciæ sublatus de medio, exigentibus peccatis hominum, tam pium propositum non impleuit.

CAP. XIV.

Continet turbationem vltramarinorum fidelium, extrinsecam & intrinsecam: & quoddam illis missum auxilium.

XIV. A Dni. 1271.

MOritur etiam *Boamundus*, Princeps Antiochenus & Comes Tripolitanus, *MCCLXXV.* XI. Madii: & successit ei filius *Boamundus*: qui, de consilio matris & Episcopi Tortosæ, qui eũ, adhuc minoris ætatis, in omnibus dirigebat, iuit in Armeniã ad Regem auunculũ suum pro suscipiendo balteo militari. Mortuus est & *Oliuerius de Termes* XII. Augusti. Eodẽ anno *Bendocdar*, qui vocabatur *Melec Madauar*, percurrit planum Armeniæ: & percussit in ore gladii vltra XX. milia hominũ, captiuos trahens secum pueros & puellas, vsq; ad decem millia; equos verò, & animalia maiora & minora, vltra ad trecẽta millia. Rex autẽ cum equitibus, ad montana perrexit: mercatores, & cæteri qui potuerunt, cum rebus suis, cum nauibus per mare periculum euadentes, in Pyratarum ceciderunt manibus, deindè Ptolomaydam peruenerunt. Circa finem autem Octobris, dominus *Guilielmus de Rossylon* applicuit Ptolomaydæ cum XL. militibus, & aliis LX. equitibus, & cum quadringentis balistariis ad stipendia Ecclesiæ. *Rex* verò *Cypri*, post mortem Principis Antiocheni consanguinei sui, cum multa comitiua *Tripolim* aduenit, ad consulendum & iuuandum puerum qui remanserat: sed Episcopus Tortosæ, quia tractante matre prior venerat, & iam curam assumpserat pueri, Regis frustrauit intentum; propter quod de Tripoli recedens venit *Ptolomaydam*. Tunc etiam in *Tripoli* non parua turbatio orta est: quia Romani, qui priùs dominium terræ habuerant, in vita alterius Principis, multos læserant milites: propterea nunc ab eis tres gladio interempti sunt. Et quia Episcopus Tripolitanus Romanus Romanos defendebat, nam auunculus erat Principis; Episcopus verò Tortosæ Principis Tutor, milites defendebat; inter Episcopos orta dissensio, radix fuit malorum sequentium, ac inter Principem & Templarios discordiæ seminarium. *Dominus* quoque de *Gybeleth*, quia procurantibus Templariis concordiam cũ Tripolitano Episcopo iniit, in odium venit Principis, procuratione Episcopi tutoris sui: creuit proinde orta turbatio, & multiplicata sunt mala in terra. Anno sequenti, XXVII. die Iunii, *Henricus Princeps*, pater Regis Cypri de Ptolomayda Cyprum nauigans, dum taridã rupe impegit, naufragio periit. In mense autem Octobris, turbatus Rex prædictus, de Ptolomayda iuit Tyrum, nullo ibi officiali relicto, qui iustitiam vel quicquam aliud ageret: Inter ipsum n. & cõmunitatem, & fraternitates, & Mansiones, plures fuerunt controuersiæ; nec eos ad libitum regere valebat. Super hæc omnia, Templarii, inconsulto Rege, Casale de *Fauconeria* acquisierant à quodam milite, qui illud sub homagio à Rege tenebat. Pluries autem requisitus est Rex, vt de officialibus disponeret, nec in tali statu ciuitatem teneret; maximè propter hostiles insidias & insultus: Nuntii verò fuêre, Prælati, religiosi, milites, Hospitalarii, Alamani, Burgenses, Pisani, Ianuenses. Templarii autem & Veneti, in hac requisitione minimè fuêre: sed aiebant, *Si vult venire, veniat; sin autem, non curamus.* Rex verò ad nullius preces, aures inclinare voluit. Inter hæc amici Regis, vt commotionem in ciuitate faciant, inter familiares Hospitalis & Templi iurgia prouocant, & de hiis qui ad Templum pertinebant, nonnulli mortui sunt. Offensi verò, vt procurantium frustretur praua intentio, & quia ad altiora intendunt, sub dissimulatione pertranseunt. Attendentes autẽ superiùs memorati, quòd Magister Templi negotio ciuitatis aliter intendere negligebat, reuertuntur ad Regem; & dulcissimis precibus suadent reditum. Ille verò precibus annuens, *Dominum Arsur* instituit Bayliuum, & *Guilielmum de Flori* vicecomitem, & de aliis officialibus ordinauit; clamque in Cyprum rediit.

A. Dni. 1276.

CAP.

Cap. XV.

Continet finem litigii in Romana curia inter Regem Cypri & Domicellam Mariam: & qualiter dicta Maria iura sua donauit Karolo Regi Syciliæ.

XV.

REx Cypri, antequam de Tyro recederet, de nuntiis ordinat transmittendis, ad Occidentales Reges & Principes, maximè ad Papam & Cardinales, qui inobedientiam denuntient eorum, qui Ptolomaydæ commorantur: orans vt de eis ac regni Ierosolymitani statu adhibeant salubre remedium. *Maria* verò prædicta, quæ Romanam curiam continuè sequebatur, *supra cap. XIII.* velut hæres, petitionem de obtinendo regno Ierusalem assiduè prosequens, per Templi nuntios superiùs narrata cuncta cognouerat. Requirit proindè, more solito, ab Episcopo Albanensi qui Iudex fuerat institutus, ius sibi decerni: procurator verò Regis Cypri excipit, secundùm morem, asserens quòd litigium de regno Ierusalem non pertineret ad Romanam Curiam, nec de hoc inibi tenebatur in aliquo respondere: pertinebat autem ad Barones regni de huiusmodi iudicare. Domina verò exceptionem acceptat tanquam legitimam, rogatq; iudicem, cęterosq; dominos Cardinales & pręsentes Prælatos, vt sibi per manum publicam detur exceptio eorum munita sigillis: annuitur petitioni; & à Romana curia quæstio totaliter summota est. Post hæc verò prædicta domina, *MCCLXXVII.* perfecit quod antè tractauerat; & corā pluribus Cardinalibus & Prælatis, & maiori parte Curiæ donauit, tanquam hæres legitimus regni Ierusalem, sicut pluries ostensum & declaratum fuerat per iudices dominos legum, Magistros decretorum, aduocatos & sapientes, omnia quæcunque iura habebat, & habere poterat in regno & de regno prædicto, Karolo Regi Siciliæ: prædictus verò Rex donationem præfatam recepit: & facta sunt instrumenta dictę donationis, per plures publicos Notarios, roborata nihilominus sigillis plurium Cardinalium ac Prælatorum, qui personaliter præfato interfuère negotio. Deindè prædictæ dominæ Rex possessiones & cætera dedit donaria, quibus illa meritò cōtenta fuit: Sicq; regni Ierusalem ius ad Regem Karolum deuolutum est. *Adrianus* verò Papa, magnum ostendit affectum ad succursum Terræ per Gregorium inchoatum: & misit Patriarchæ XII. millia librarum Turonensium, pro galeis construendis, vel aliis magis bonorum virorum iudicio opportunis: suisq; litteris multùm confortauit incolas Terræ Sanctæ, & ad spem erexit magni auxilii: sed in Pontificatu vixit non ampliùs XXXIX. diebus.

A.D. 1277.

Cap. XVI.

Continet aduentum Bayliui in Ptolomayda pro Rege Karolo: & qualiter ciues fecerunt illi homagium.

XVI. A Dni. 1277.

MIttitur itaque ex parte Regis Karoli, *Rogerius Comes Sancti Seuerini*, Bayliuus regni Ierusalem, & applicuit Ptolomaydę cū sex galeis MCCLXXVII. VII. die Iunii. statim autem in aduentu ipsius, *Balianus de Ibelyn* dominus Arsuf, euacuato castro illi cessit. Ille verò cùm suis castrum intrat, sumitq; terræ dominium, cum auxilio Templariorum, suorumq; complicum. Tunc verò mortuus est *Gulielmus de Rosseylon*, inibi Capitaneus super gentem Regis Francorum. Tunc etiam inter Venetos & Tyri dominum pax reformata est, procuratione dictorum Templariorū, sub Bayliuatu *Albertini Moresini*, inchoata sub eius prædecessore domino *Iohan. Dandulo*: & recuperauerunt tunc Veneti ius in tertia parte Tyri, quam habebant ratione conquisitionis ipsius & diu possederunt: sed dominus *Philippus de Monte forti*, ius suum illis abstulerat, propter guerram quam cum Ianuensibus habuerant: *suprà cap. V.* Moritur quoq; tunc & *Balianus* prædictus. Apto post tempore *Rogerius* Bayliuus, pro Rege Karolo pluries requisiuit milites qui erant Ptolomaydæ, vt sibi pro Rege homagium facerent. Illi se Regi Cypri aiebant fecisse homagium: ideo non poterant sibi homagium facere, nisi ab eo obtentâ licentiâ; vel nisi eis deficeret in quibus iure Regio tenebatur. Et cùm ad Regem Cypri sæpius transmisissent, ille respōsis suis, nihil aliud quàm tempus redimebat. Tandem Comes eis peremptoriè mandat vt feuda dimittant, hospitia, & vniuersa bona sua, vel ei homagium faciant. tunc interuentione Magistri Templi obtinuerunt, vt adhuc semel ad Regem Cypri mitterent: & non habito sufficienter responso, dicto Comiti loco Regis Karoli fecerunt homagium: ipseq; Comes similiter iurauit, iuxta Regni sita, quod debuit:

deinde fecit *Seneſcalcum*, *Coneſtabulum*, *Mareſcalcum*, *Vice comitem*, & cæteros officiales, ſecundum patriæ morem. Requiſitus etiam Princeps Antiochenus vt faceret homagium, miſſis idoneis procuratoribus, debitum Regi Karolo fecit homagium.

Cap. XVII.

Continet debellationem & mortem Soldani Bendocdar: & diſcordiam Antiocheni Principis cum Templarijs: & qualiter Rex Cypri Ptolomaydam occupare voluit.

XVII. EOdem anno, *Bendo. dar* Soldanus Babyloniæ, audiens quòd Tartari quoddam eius caſtrum obſederant, vocatum *Labiere*, ſuper Eufraten, natando flumen pertranſiit; & reperit ſex mille *Mugulos*, qui illi multam intulêre moleſtiam; & amiſſis copiis, vulneratus Damaſcum rediit; & accedente ventris profluuio, XV. Aprilis extinctus eſt: ſuper quo Chriſtiani ineffabiliter lætati ſunt. Succeſſit autem illi filius *Melequelſayt*. Tunc etiam inter *Principem Antiochenum & Templarios*, diſcordia nimia oritur: nam homines Principis, familiaribus Templi tædia ingerebant; & ipſemet Princeps, tanquam iuuenis & inſolens, contra ipſos quoque fratres conuitia proferebat: læſi, querelas deferunt: ipſiq; confratres, & Tripolitanus Epiſcopus, non quæ pacis, ſed quæ diſcordiæ ſeminant: creſcunt odia in tantum vt Epiſcopus ipſe dimiſſo hoſpitio ad manſionem Templariorum confugerit, quorum erat confrater, & ſub quorum protectione erat, vt ipſe & cuncta quæ illius erant. Accidit quoq; vt *Magiſter Templi* per terram iens Tortoſam, ab introitu Tripolitanæ vrbis prohiberetur: faceretq; confici inſtrumentum de offenſa per Principem ſibi facta; reuerſusq; eſt Ptolomayde, vt bellum ei inferret, dimiſſis aliquibus de confratribus, ad Principem offendendum in Gibeleth. Ipſe quoque Dominus Gibeleth, de Tripoli receſſerat turbatus cum Principe. Magiſter itaque Templi ſeptem galeas armat, mittitque ad obſidendum *Nephyn*, militesque per terram: ſed galeæ naufragium paſſæ ſunt, quia ibant contra Domini voluntatem; & qui per terram ibant, Ptolomaydam rediêre. Princeps verò & ipſe multos equites pediteſque cógregat, & ad obſidendum *Gibeleth* properat: nihil autem lucratus, plures amiſit milites. Ipſo verò tempore Magiſter Templi mortuus eſt. Eodem anno *Hugo* Rex Cypri, cum magna comitiua & ſeptingentis equitibus venit Tyrum, intendens tranſire Ptolomaydam: cum pluribus enim de ciuitate tractatum habuerat: & Ptolomayde fecit dari ſtipendia, Piſanis, Polanis, & multis. Sed antequam poſſet procedere ad intentum, completis quatuor menſibus, milites Cypri rediêre. Infecto itaque negotio, Rex poſt eos in Cyprum reuerſus eſt. Poſt tres autem annos, procurante Magiſtro Hoſpitalis, inter Principem & Templarios reconciliatio facta eſt.

Cap. XVIII.

Continet congreſſus Chriſtianorum & Saracenorum, in contrata Margath.

XVIII. A. Dni. 1278. PErrexerunt Hoſpitalarii ad caſtrum vocatum *Margath*, MCCLXXVIII. & ceperunt Bayliuum Saracenorum, qui in partibus illis erat, & interfecerunt; & bellare cœperunt per diſtrictum Margath. Tunc etiam *Sangulaſcar* iuit antè Damaſcum ad impugnandum Saracenos, & debellatus fugit ad Aquas frigidas. Fratres quoque de Margath diſcurrerunt territorium *de Coible MCCLXXX.* in fine Octobris; & inuenerunt contratam benè munitam, & comminuerunt molendina: tunc clamor exortus eſt per terram *caſtri Blanchi*; & congregati ſunt benè quingenti equites tam Turchi quàm Turchemanni, & Chriſtianos inſequentes: dum autem eos nimis vrgerent, Chriſtiani conuerſi in perſecutores irruunt: & licet acriter bellatum ſit, Chriſtiani tamen victores effecti, vnum de ſuis tantummodo amiſerunt. In menſe autem Februarii venit exercitus Soldani antè *Margath*, ex parte Maracleæ: fueruntque equites II. M. pedites III. M. portantes ſecum quæcunq; ad obſidionem ſunt neceſſaria: dederunt inſultum illis qui erant in Margath: Illi verò exeuntes Saracenos aggrediuntur, & debellauerunt, occidentes plurimos, de cœlo ſibi datâ victoriâ: de Chriſtianis verò tantum XI. periêre. Sequenti anno exierunt *Tartari* diſcurrentes vſque ad Calamele, & Alapiam: & occiderunt gladio

An. D. 1280.

A Dni. 1281

dio omnes Saracenos obuiam sibi factos. Soldanus verò Babyloniæ hæc audiens, quantum potuit congregauit exercitum: vsq; videlicet ad centum millia equitum, & totidem peditum: conueneruntq; exercitus in partibus Calamele; & vtrinque facta est cædes magna valdè: tandem habuêre Tartari campum, & copias; & superueniente nocte, retrò abierunt cum suo Principe multi: nonnulli verò, fugientes Saracenos ex vna parte persecuti sunt, & ex alia Rex Armeniæ: *vt part. XIII. cap. XVIII*: ibique Tartarorum suppletur historia.

CAP. XIX.

10 *Continet qualiter Hugo Rex Cypri vsque Tyrum veniens mortuus est: & qualiter Henricus filius eius Ptolomaydam obtinuit.*

CVm rebellasset Sycilia Regi Karolo, *MCCLXXXI.* & reuocasset Karolus Comitem Sancti Seuerini, qui pro eo erat Bayliuus Ptolomaydæ, alio substituto *MCCLXXXIII. Hugo.* Rex Cypri in Ianuario transit *Beritum*; & in Septembri processit vsq; Tyrum. Et cùm multi per terram equos transmitterent, Saraceni de mõtibus occurrentes, in passu *Daugiæ* propè Sydonem, aliquibus interfectis, cæteros cũ bestiis captiuos duxêre. Intellexit autem Rex, opus esse Templariorum de Sydone. Contigit autem mori *Iohannem de Montiforti*, dominum Tyri, & *Anfredum* fratrem eius, & *Boamundum*, secundum filium Regis Cypri. Rex verò ipse, qui diu fuerat in-20 firmus, tam delecti amici, quàm filii morte consternatur mœrore, & *MCCLXXXIV.* Tyri mortuus est, XXVI. Martii: XI. verò Madii, coronatus est Nicosiæ *Iohannes* filius eius. Sequenti autem anno, XXVII. Aprilis, *Soldanus* Babyloniæ obsedit Margath; & XXVII. Madii saluis personis reddidêre castrum: iam enim vsque ad barbacana processerant; & vna turris ceciderat, quæ vocabatur *Iosperon.* Rex autem *Iohannes* prædictus, XX. Madii mortuus est: cui successit frater, *Henricus*: & *MCCLXXXVI.* in die beati Iohannis intrauit Ptolomaydam cum pulchro stolo, & gratè susceptus est: Sed *Hugo de Pelichyn*, qui pro Rege Karulo ibi erat, tenuit castrum & muniuit contra Regem, & fecit intrare omnes qui erant Ptolomaydæ, ad stipendia Fráciæ, quorum erat Capitaneus, exceptis paucis qui amore Regis Henrici intrare noluerunt. 30 Obsidione verò castro appositâ, quintâ die Rex *Henricus*, assecuratis personis, castrũ obtinuit, & in festo Assumptionis, Tyri Rex Ierusalẽ coronatus est. In vigilia Sancti Andreæ rediit Cyprum, dimittens dominum *Philippum de Ibelyn*, auunculum suum Bayliuum Ptolomaydæ.

XIX. A. Dni. 1281. 1283. — A. Dni. 1284. — A. Dni. 1286.

CAP. XX.

Continet amissionem castri Liciæ & Tripolis.

ADmiraldus vocatus *Leteratayn*, *MCCLXXXVII.* missus est à Soldano Babyloniæ ad obsidendum castrum vnum, quod *Sangolascar* tenebat contra Soldanũ prædictum. Habito verò castro, cepit XIII. die Aprilis castrũ *Liciæ*, Principis Antiochiæ: deindè venit *Crach*; & ibi mandauit magnum fieri apparatum machinarum, & alio-40 rum necessariorum ad obsidendum Tripolim: quod Principi, per quendam Admiraldum sibi familiarem intimatum est. Tunc Princeps victualibus munit castrũ *Nephyn*; & in ciuitate mandat fieri LX. pistrina. Venit itaq; Soldanus ad obsidendũ Tripolim: sed interim filius eius moritur; & præ dolore apposito, resiliit. *Comitissa* verò *de Blois* applicuit Ptolomayde: & fecit inter cætera laudę digna, pulchram turrim ad barbacanum propè Sanctum Nicolaum; & inter portam Sancti Thomæ & portam *de Malpas*, fecit pulchrum barbacanum: & secundâ die Augusti, migrauit ad Dominum. *Boamundus* etiam Princeps Antiochenus, XIX. Octobris mortuus est: mater verò eius petiit sibi fieri homagia cui respondetur: quia *Luciæ* sorori Principis hoc debetur, quia iam erat ætatis adultæ, & erat nupta: & tandem in hoc conue-50 niunt, quòd omnes communiter iurant matri Principis defuncti; & ipsa eis, mutua iura defendere: & quando domina venerit quæ vltra mare fuerat, tunc illi iurarent defendere iura sua, quod & factum est. Illa verò *Bertrandum de Gibeleth* statuit loco sui, donec eius maritus aduenerit. Eodem anno venit Ptolomaydam dominus *Iohannes de Grelli* Capitaneus Soldatorum Regis Franciæ. Sequenti anno Soldanus Babyloniæ *Melec Messor*, XVII. Martii venit antè *Tripolim*: & clamor in ciuitate ortus est, cunctiq; exteri infra mœnia vocitati sunt; & cœperunt ad defensionem ciuitatis agere, secũdùm tenuem eorum possibilitatem. Soldanus in ciuitate dirum fecit in-

XX. A. Dni. 1287. — A. Dni. 1288.

sultum; cepitq; barbacanum,& turrim Episcopi,quæ magnos habebat muros, cuius medietatem iam machinis diruerant. In turbido igitur pręlio illo sustinuerunt Christiani vsque ad horam nonam. Tunc Saraceni,quasi per totum occupauerant muros: pedites cuncti ceperunt se ad mare retrahere; equites verò,sustinere non poterant lapides quos de muro iaciebant;ideò versus mare pergunt: & de Saracenis qui intrauerant à parte maris versus Hospitales, & durum dabant eis prælium, plures interfecti pluresque submersi sunt. Interfecta sunt & Christianorũ vsque ad septem millia; cæteri,ad galeas nauesq; alias confugientes saluati sunt. Captam vero ciuitatem Soldanus iussit dirui,igneq; cremari,XXVI. die Aprilis. Post paucos dies pro paucis redimendis castrum *Nephyn*,per deditionem acceptum, dirui fecit: & mandauit ciuitatem ædificari in loco vocato *Mons Peregrinus*,qui vno tantùm miliari distat à mari: & Damascum profectus est. Ipso tempore, Rex *Henricus*, existens Ptolomaydæ, firmauit treuguam cum Soldano; & ex vtraque parte iuramento firmata,in Cyprum rediit de mense Augusti, *Almericum* fratrem relinquẽs ad custodiam ciuitatis. *Iohannes* autem *de Grelli*, pro parte Regis & Surianorum iuit ad Papam *Nicolaum* IV. qui priùs vocatus est frater Ieronymus,& fuit Generalis ordinis Minorum: expositurus miserrimum terræ statum; & quòd etiam infra mœnia ciuitatis, minimè essent tuti:petiturus quoque auxilium. Papa verò per totam Italiam Crucem prædicari fecit; iussitq; Venetis XX. galeas armari,quibus *Scopulus* Capitaneus præfuit: habuitq; vltra quàm sibi fuerit opportunum ex Crucesignatis, qui in eorum processu terram *Candelorii* sunt aggressi, licet nequiuerint obtinere: cæteri verò,per loca varia,debito tempore transierunt. Prouidit quoque Papa domino *Iohanni de Grelli* in mille vnciis auri; & in totidem domino *Rubeo de Suli*,qui se obtulit ad eundum in subsidium Terræ Sanctæ. Transiit autem prædictus *Iohannes de Grelli* per Syciliam, & à Rege *Iacobo* quinto, galeas benè munitas obtinuit: sed quia ipso anno Soldanus contra Ptolomaydã non venit,ad propria rediêre. Rediit ex dicta causa,dictus *Rubeus de Suli*;& multi alii ex Crucesignatis prędictis etiã abierunt. Transactis autem pluribus mensibus,postquam prædictus Capitaneus Ptolomaydæ applicuerat, multorum inductus precibus ad Papam cum duabus galeis properat,vt pro sequenti tempore procuret stipendia galearum:& licet ea summus Pontifex dederit,superfluâ tamen contractâ morâ,cum rediit, galeas prædictas ex defectu stipendii ad propria redisse,inuenit:ipse quoque,licet fama de Soldani ferueret aduentu, assignatis Patriarchæ dictis stipendiis, nullis precibus, quin post suos abiret,potuit retineri.

CAP. XXI.

Continet amißionem Ptolomayde ciuitatis.

XXI. A.D. 1290.

COgitauit *Melec Messor* Soldanus parare exercitum ad destruendam in Terra Suriæ Christianorum reliquias;& *MCCXC.* de mense Octobris,mouit exercitum: sed qui Amoreos indè expellere noluit, nisi completæ forent iniquitates eorum, adhuc patienter sustinuit,si fortè ad pœnitentiam redeant de via sua mala: & mortuus est *Messor* in itinere,successitque illi filius vocatus *Seraf*. Cùm verò carnalia, cæteraque peccata continuè augerentur in fractoribus fœderis baptismalis,nec de malis vellent conteri,nec per pœnitentiam ad viam redire iustitię, assumpsit *Seraf*, paternum propositum, eò ardentiùs commotus, quòd XIX. Saracenos mercatores Ptolomayde,in loco vocato Lafunda,iuxta cambium, contra fidem treuguarum, crucesignati gladio peremerunt; ac poscenti iustitia denegata sit: & quasi instrumentum,licet dirum,seueri iudicis,negligentibus misericordiæ tempus *MCCXCI.* quinto Aprilis,vndiq; obsedit Ptolomaydam ciuitatem: in exercitu enim suo habuisse dicitur LX. millia equitum; & CLX. millia peditum. Erexit autem in locis variis machinas multas,demolientes muros ciuitatis & turres: fecit quoq; plures *mines*,seu cuniculos,respondentes ad terram nouam,factam nuper antè turrẽ Maledictã, & ad sbaralium siue barbacanum Regis Hugonis, & ad turrem Comitissæ de Blois,& ad turrem Sancti Nicolai:& postea fecit approximare orificio fossarũ *boachiers* multos,multumq; sibi vicinos,à turri Sancti Nicolai, vsq; ad sbaraliũ domini Odoardi: & post leboauchiers fecit erigi plures *Carabagas*, proiicientes magnos *lapides*,& frequenter,ita vt prosternerent muros cũ turribus. Venit autẽ Rex *Henricus* in

A.D. 1291.

in succursum obsessis, IV. Madii, cum ducentis militibus, & quingentis peditibus: & VIII. die eiusdem mensis destruxerunt sbaralium Regis Hugonis, imposuëruntque ignem; pôtem quoque muro adhærentem similiter: quia aliquibus videbatur quòd hæc defendere non valerent. Saraceni autem XV. Madii, violenter cepêrūt turrim rotundam nouam Regis, quæ erat antè *turrem Maledictam*; & ipsam electis bellatoribus muniêre. XVIII. autem eiusdem mensis in sexta feria, Soldanus durissimum ciuitati dedit insultum, omnem apponens exercitus sui virtutem, contra totū muri circuitum, à mari videlicet vsque ad mare: & intrauerunt Saraceni per dictā turrim nouam toto conatu, vsque ad barbacanum, & obtinuerunt: indè per pôtem lapideum, quem fecerant Christiani, vt per eum à magno muro ad barbacanum transirent, ciuitatem ingressi sunt: diuerteruntq; aliqui versus portam Sancti Nicolai; alii versus portam Legati. T[illegible] Christiani fugam capiunt versus mare; & Saraceni, per scalas liberè muros ascendunt, & infra ciuitatem iam omnia occupāt. Rex autem & Magistri Templi, & Hospitalis Alamanorum, *Iohannes de Grelli*, & cæteri bellatores processerunt ad portam ciuitatis, vt exirent ad barbacanum: sed maior fuit potentia resistentium. Magister enim Templi cum aliquibus confratrū suorum, vlteriorem moliens insultum, spiculo percussus interiit, & ad Templum vsq; delatus est. Post hæc videntes Turchi quòd nulla esset defensio ad portam turris Maledictæ, in ciuitatem intrantes, quoscunque reperiunt gladio secant. Cernētes autem Rex & Capitanei qui secum erant, illorum liberum introitum, cunctosq; perimere, versus mare pergunt; & cum maioribus galeas ascendunt. Eorum verò qui gladios effugerant impiorum, nonnulli ad Templum habuêre recursum. Patriarcha solus, quasi pastor bonus, sollicitus erat de ouibus, & cum propinqua illi esset galea ad recipiendum parata, vt gregem saluaret commissum, cunctos per aquā ambulantes ad se in paruo suo nauigio recolligere cupiebat, donec nimiā fuit re[illegible]tione submersa. Sic animam pro ouibus suis, & simul cum ouibus suis dedit: solusq; euasit qui portabat crucem, & crucifixi imaginem, antè eum. Multitudo itaq; ad maritimam partem concurrerat; & cùm parua nauigia vellent ascendere vt ad maiora confugerent, seipsos impedientes (nam *vbi multitudo maximè* timore mortis pertertita, *ibi confusio*) in mare alterutrum impellebant. Erat quoque in mari tempestas valida, vt ad magna nauigia accedere non valerent: vndique erat tremor, & pauor, & gemitus mortis. Soldanus quoq; ad quatuor partes ciuitatis fecit ignes accendi, vt ferro & igne consumeret vniuersa. Nunc luit peccata, sed non abluit ciuitas scelerata, gratiis Diuinis ingrata. Ad ipsam confluebant Reges & Principes terræ; ad ipsam mittebant succursum tributariæ cunctæ partes Occiduæ; & nunc contra eam pugnant omnia elementa. Terra enim, eius sanguinem deuorat quæ Christiano sanguine tota madescit, mare absorbet populum; ædificia consumit ignis, aër fumo & caligine tenebratur. Iustè proindè Maledicta vocata est turris illa, quā maledicta gens Saracenica subintrauit: & qui illi nomen imposuit, euentum tam diri infortunii, nesciens quid diceret, prophetauit.

CAP. XXII.

Continet amissionem reliquarum partium Terræ Sanctæ.

Eodem die quo Ptolomayda capta est, *Tyrii* ciuitatem vacuam in vesperis relinquentes victoribus, sine ictu gladii, absque tumultu [illegible]elli occupandam liberè, ascensis nauibus, reliquerunt: in crastino verò, Saraceni intrauerunt, nemine prohibente, feceruntq; quod libuit. In crastino quoq; Ptolomaydę captionis Soldanus misit ad eos qui ad *Templum* confugerant, vt locum reddant; saluosq; conduci faceret, quo ipsi elegerint: firmatā conuentione Soldanus Admiraldum quendam cum trecentis transmittit ad locum: quorum nonnulli Christianas capiunt mulieres, cum eis affectantes turpitudinem operari. Tunc Christiani arma capiunt, & interficiunt vniuersos. Soldanus dissimulatā irā, iterum priora requirit; culpatq; suos quasi negligat quod euenit. Accedit proindè ad Soldanum *Marescalcus Templi* cum aliis pluribus ignarus perfidiæ, capiteq; truncatur. Quod cernentes qui in Templo remanserant, in turri, quæ *Magistri* vocabatur, se reduxerunt. Saraceni verò turrim suffoderunt, trabibus sustentantes: & tunc cum Christiani se redderent, tot Saraceni turrim ascenderunt, vt ruptis scalis ex pondere, turriq; ruente cū Christianis,

non solùm qui intra, sed etiam multi qui erant exteriùs Saraceni, extincti sunt. Templarii autem qui priùs fugerāt, *Sydonem* adeunt, & muniunt castrum maris: cōtra quos Soldanus vnum Admiratum transmisit, nomine *Segei*: qui, cùm eos ex parte terræ superare non posset, in Licia præparauit nauigia: quod cernentes Templarii, timore percussi, ad *Tortosæ* insulam primò, *Cyprum* deindè confugerunt: Admiraldus verò, castrum dirui iussit. Tunc qui *Baruthi* erant, nuntios illis transmittunt, petentes quid de eis intenderet: respondítq; subdolus *Segey* cùm inter eos esset treuguæ conuentio & Soldanum, ideò sibi per confines suos transeunti festiuè occurrant; illi dum iussa perficiunt, trucidantur, capiuntur, catenisq; nectuntur; diruitq; muros ciuitatis, & castrum. Post hæc paruo elapso tempore, *castrum Peregrinorum* à Christianis relinquitur, & à Saracenis destruitur. Tunc omnis Suria amissa est; cunctique Christiani habitatores Terræ Promissionis, aut morte extincti sunt, aut profugi exulesq;, suis demeritis, indè ad Insulam Cypri habuère refugium: illicque secum habentes, quam secum in conscientia portauerant sarcinam peccatorum, & causam desolationis præfatæ, in multa angustia multoq; tremore miseram vitam agunt: sic referente Esay: IX. cap. *Primo tempore* scilicet Saladini, *alleuiata est*, ab onere hominum peccatorum, *terra Zabulon, & terra Neptalin.* In ipsis enim locis, ad literam, Saladinus victorias inchoauit: *supra part. IX. cap. IV.* cum per partes Tyberiadis & Nazareth sui equites discurrerunt. *Et in nouissimo tempore*, scilicet Bendocdar, Messor & Seraf, *aggrauata est via maris trans Iordanem Galileæ gentium.* Hæc Galilea gentiū vicina est mari, & Tyriis; sicut Tyberiadi altera Galilea. Sub prædictorum enim trium Soldanatu, aduersus omnia quæ cis Iordanem, maximè in regione maritima relicta fuerant Christianis, aggrauata est Diuinæ seueritas vltionis. *Populus* Ægyptius, *qui ambulabat in tenebris*: nam & Ægyptus, tenebra interpretatur: *vidit* applaudentis fortunæ *lucem magnam, & habitantibus in regione vmbræ mortis*: infidelitate videlicet, cæterisque peccatis: *lux* victoriarum *orta est eis.* Sed ne putent hiis secundis rebus se Deo propterea esse gratos, sequitur: *Multiplicasti gentem*, supple tēporalibus bonis: à fructu n. frumenti, vini & olei multiplicata sunt: *non magnificasti lætitiā*, quia absq; Diuina gratia, nulla est perfecta lætitia: carnaliter verò tantùm, *lætabuntur corā te, sicut qui lætatur in messe*: quia, instāte messe de terra Christicolas expulerunt: *& sicut exultāt victores captā prædā, quādo diuidunt spolia*: vt vel tot damnis, opprobriis, cōfusionibus replicatis, cognoscat vel serò populus Christianus, quàm malum & amarum sit, recessisse à Domino Deo suo; & sciat mundus quòd peccatum de Terra Sancta expulit Christianum, quod expulerat Iebuseum: *supra part. I. cap. III.* & consequenter Iudeum *XIV. cap. partis eiusdem*: super quo auctoritates & comminationes Propheticæ & Diuinæ in eadem parte *I. & III. cap.* sunt inductæ.

TERTIADECIMA PARS CONTINET CONTINGENTIA QVÆDAM POST TOTALEM TERRÆ SANCTÆ amissionem, habens capitula XI.

CAPVT I.

Continet cœlestem vindictam in impios Saracenos.

1\. Cùm ad aures summi Pontificis Romanique capituli noua tam infelicia peruenerunt, afflictis fidelibus in insula Cypri, XX. galeas continuè transmiserunt; Cyprenses verò XV. alias munierunt: quarum XXV. ad præoccupandū quoddam castrum, vocatum *Quandelor*, perrexerunt: quod Turchi præsentientes taliter munierunt, vt nihil eis nocere potuerint. Indè autem recedentes, *Alexandriam* perrexerunt, & diebus aliquot immorantes, cùm nihil egissent, in *Cyprum* reuersæ sunt: pœnitentiæ enim lamentis, nouiter à Deo percussis, potiùs quàm victoriis decebat intendere. Ille quoque sibi punitionem Saracenicæ crudelitatis retinuit, qui in Deuteronomio ait. *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: percutiam*, inquit, *& ego sanabo*, quo ad fideles; quo ad infideles autem, sequitur: *Reddam vltionem hostibus meis, & iis qui oderunt me retribuam: Inebriabo sagittas meas sanguine. & gli-*

Deut. 32, 39. &c.

& gladius meus deuorabit carnes. Sequitur: *sanguinem seruorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.* Quod vtinam celeriter perficiat miserator & misericors Dominus! Cernens autem *Seraf*, magnus ille persecutor nominis Christiani, post tantas victorias se ad bella iterum prouocari vbi maximè erat ipsius dominii Principatus, irâ exarsit; & conuocatis Admiraldis suis, ait quòd capere vellet Insulam Cypri, ter furiosè replicans, *Cypri, Cypri, Cypri:* propterea mandat parari centum galeas, vt opus hoc posset celeriter expediri. Illi sub eius arrogantia timidi, promittunt iussa perficere: post spatium verò dierum paucorum, eisdem vocatis, iterum ait: quia cogitatio ascenderat in cor eius, 10 post conquisitionem *Cypri*, Baldacensem sibi subiicere regionem. Admiraldi videntes quòd tam ardua præsumeret, talibusq; eos laboribus periculisq; exponeret, eum tradere morti deliberat; perficiuntq; : dum enim ille ad venationem pergeret, per insidias trucidatur. Magna exinde inter Admiraldos contentio oritur, quis eorũ maior esse debeat; & in plures vota diuidunt: & tandem *Bedeyre* vi Principatum obtinuit; sed in crastino cum suis extinguitur. Simili formâ *Gothbega* successit illi: quem *Leschin* cum suis, conformiter occidit: qui similiter infra spatium dierũ paucorum, cum suis gladio percussus est; simulq; *Seyay* maximus Admiraldus, quòd Christianis multa mala intulerat: ac per hunc modum omnes penè magni Admiraldi regni Ægypti, cum suis fautoribus interempti sunt. Eodem etiam anno vni- 20 uersus populus fame percussus est, ita vt maior pars *inediâ* periret: secutaq; est *pestilentia* grauis, quæ etiam diuites & qui erant in deliciis, occupauit. Licet enim voluntatem Dei fecerint in desertores Euangelicæ legis, propter quod & iusta fuit eorum potestas, voluntas tamen fuit iniqua: Non enim seruire intendebant decori iustitiæ, sed Christianum nomen de terra eradere: vndè & destruxerant Ecclesias, per terram & lutum trahentes Cruces & Sanctorum imagines; & huiusmodi multa agentes, quæ vindictam Cœlestis Iudicis meritò prouocarent.

Capvt II.

Continet remanentium Admiraldorum dissidium.

30 Post dictam Saracenorum stragem, iuuenis *Claudus*, frater Seraf & filius *Messor* in Ægypto Soldanus efficitur: post eum quatuor erant potentes viri valdè, quorũ duo principaliores *Naboyseler* & *Bibarsinicher* se mutuò oderant; Tertius vocabatur *Merecendal*, cui duo primi plurimùm inuidebant oderatnque: hic se ac Soldanum ab eis, quantum poterat, præseruabat: Quartus verò dictus *Caleminus*, cæterorum expectans exitus, rem tacitus considerabat. Cæteri verò Admiraldi ac officiales, & communiter vniuersi qui poterant, de bonis curiæ rapiebant, & fiscus Regius multipliciter diripiebatur. Duo quoque prænominati Barones *Naboyseler* & *Bibarsinicher*, licet ab inuicem dissiderent; aduersus tamen *Merezendal* non multò post 40 conspirauerunt, vt de curia pelleretur: eorumque factione, non solùm de curia, sed etiam de tota Ægypto pulsus, cum gente sua ad partes Sapheti, Ptolomaydæ & castri Peregrinorum se contulit; obtinuitq; dominium regionis. Christiani quoque vltramarini, licet impiorum cladibus lacerati, in Armenia maximè, scãdala concitant inter se. Cùm enim *Hayton* Rex Armeniæ Constantinopolim pergeret, quia filius *Andronici* eius sororem deponsauerat, ducens secum fratrem *Thoros*, *Sebath* alter frater regni diadema sibi imposuit: *MCCXCIV*: ex eo motus, quòd Ayton nunquam coronari voluit; sed magis fratrum minorum sumpsisset habitum, & *frater Iohannes* ex tunc communiter vocaretur. Cùm igitur redisset *Ayton*, ab Armenis repellitur. Cognitâ causâ, *in Cyprum* primò, deindè in *Constantinopolim* 50 nauigat, & indè pergit ad *Tartaros*, vt de fratre ponat querelam: sed hunc ille præuenit, & ad gratiam captandam, Tattaram duxit vxorem; & in reditu fratres *Aytonem* & *Thoros* capiens & cunctis bonis expolians in Armeniam duxit: *Thoros* cùm corda arcus stricto gutture suffocari fecit; & visum *Aytoni* abstulit, quem ille nutu Dei recuperauit; quod attendens *Constans* quartus frater, indoluit vehementer, & aggressus Regem *Senibat* personaliter cepit, & carceri mancipauit; & *Aytonem* libertati restituit. Ille liber effectus, ambos fratres sub tuta custodia misit ad Constantinopolitanum Imperatorem, rogans ne eos sineret euagari. *Saraceni* au-

II.

A. Dni. 1294.

A. Dni. 1299.

tem *MCCIC.* Armeniam discurrerunt, castra & loca fortissima occupantes: frater verò *Iohannes*, se suósque in montibus saluans, in arto positus, Tartarorum implorat auxilium; eosq; contra Saracenos instigat, ostendens plurimam acquisituros prædam; nec verendas eorum acies auro argentoq; fulgentes, in quibus plus lucri quàm periculi inuenirent.

Cap. III.

Continet sordidam Tartarorum originem initiaq; bellorum.

III. QVia de Tartaris sæpe fit mentio, nunc de eis aliquantulum prosequamur. Terra quæ *Mongal* siue *Tartaria* dicitur, in ea parte describitur, vbi Oriens Aquiloni coniungitur: Ab Oriente habens terram *Leytaorum* & etiam *Solandorum*; à Meridie verò terram Saracenorum; inter Occidentem & Meridiem, terram *Heruycorum*; ab Occidente, terram *Naymorum*; ab Aquilone verò, circumdatur Oceano. In parte aliqua est montuosa nimis, & in aliqua campestris, sed tota ferè admixta glarea, plurimùm arenosa; nec in parte centesima fructuosa; & aquarum copiâ caret: vndè nec villæ ibi sunt aut ciuitates, exceptâ vnâ quæ *Cracurim* vocatur, & satis bona esse dicitur. In alendis tamen pecoribus terra optima est. Aër ibi intemperatissimus est: in media quidem æstate, fulgure ac tonitruo plurimi pereunt; cadit tunc & niuium copia: fitq; subitò & calor magnus & frigus intensũ: aliquãdo ex grãdine CLX. homines periere simul, & habitacula nonulla destructa sunt: sunt etiã frigidissimi venti, sicq; tempestuosi vt interdum vix homines equitare valeant, imò oportet eos terræ adhærere. Nunquam ibi pluit in hyeme; frequenter in æstate, & tam modicùm vt vix possit puluerem ac radices graminum madefacere. Incolæ verò terræ illius bestiales valdè ac barbari, & armorum inexperti, solùm alendis vacabant pecoribus. Nationes autem eorum ab initio plures fuerunt, & cùm ad quærendum animalibus pabulum, duæ earum vel tres vel quatuor conuenirent, ex se ipsis ducem aliquem statuebant. Septem tamen inter cæteras huiusmodi nationes ab antiquo excellentiæ maioris extimatæ sunt, & vsque in præsens similiter extimantur: quarum prima vocatur *Tartar*, secunda, *Tangoth*, tertia *Eurath*, quarta *Ialayr*, quinta *Sonit*, sexta *Mengli*, septima *Theboth*. Præfata quoque terra Mongal, quatuor olim habebat populos: quorum primus *Iechamongla*, id est, magni Mongali vocabatur: Secundus, *Summongal*, id est, aquatici Mongali: hii se ipsos *Tartaros* appellant, à quodam suo fluuio qui *Tartar* dicitur: tertius appellatur *Mercha*, quartus *Merecrit*: omnes labii & formæ vnius. Ex primo autem populorum istorum, *Cyngis* quidam, homines furari ac prædari cœpit; deindè rapinæ efficere socios: tandem homines gentis suæ ad se quasi ducem sequendum inclinauit: cœpit deindè contra *Summongalos* pugnare, belloq; subiecit: similiter & *Merchitas* & *Mertritas*. Hiis euentibus indignati contra *Cyngis Naymani*, quibus tributarii erant Tartari, terram eorum inuadentes, egerunt prædam & hominum occisionem; & tandem commisso bello in stricta valle, Cyngis victor effectus, Naymanos seruituti subiecit. Post hæc Tartari *MCCII.* antiquos terminos exeuntes, venerunt in exterminium populorum.

A Dni. 1202.

Cap. IV.

Continet qualiter Tartari contra Indos victoriam adepti sunt.

IV. PRioribus temporibus illis denominabantur *Indi*, eis confines. Cumq; Indis imperaret *Dauid*, quondam *Iohannis* presbyteri dominatoris & Regis Indiæ filius & à Tartaris solita quæreret tributa, imponeretque nouas angarias, Tartari iam elati, deliberant an simpliciter obedire debeant, an quoquam possent modo resistere. Consuluit igitur *Cyngis* vt tributum non soluant; vt rectores & officiales Indos cunctos interimant; vt contra Indorum Regẽ, vnanimiter & subitò omnes insurgant. Ait autẽ, *ad opus tam arduũ consumandũ, modesto ac debito ordine procedendũ, sine quo nihil grande tutè præsumitur.* Necessariũ proindè asserit, super cunctos Tartaros generalẽ vnũ creari *Dominũ*: necesse quoq; est multitudinẽ taliter ordinari, vt super homines quatuor ponatur *quintus* cui in omnib. obediãt; & q nõ obedierit occidatur; similiter

similiter super IX. ponatur vnus *decimus*: & super IC. ponatur vnus *centesimus*: & hoc modo tota multitudo populi, ordinetur vsq; ad mille; & vsq; ad mille millia, & vlterius quantum fuerit opportunum: qui verò omnibus præest, tanquam dominus, vel *Chaam*, id est Imperator, vel Rex habeatur, cui omnes vsq; ad mortem obedire teneantur. Igitur vniuersi hoc consilium approbantes, ipsum in suum dominum elegerunt, subiectionem & obedientiam prædictam professi tam sibi quàm successoribus suis. Hic Dominus constitutus, sequenti die montem ascendens, inter eos concionatus est, dicens: *Vsq; nunc tria in nobis inundauerunt peccata, mendacium furtum, adulterium. Ne igitur, vindicante DEO, nunc vel in posterum impediamur, promittamus ab*
10 *hiis de cætero abstinere: & qui contrà venerit, occidatur.* Promittunt autem illi hæc cuncta seruare. Hiis statutis, iubet eos primò arma capere; secundò, in duas partes æquales diuidi; tertiò, è regione diffundi in hostes, & totam terram Indorum lustrando, nulli parcere sexui vel ætati: vt iugum seruitutis excutiant, & libertatem acquirant. Illi imperata viriliter aggrediuntur; & inchoata prosequentibus tantus fuit victoriarum successus, vt se posse toti Orbi faciliter dominari meritò conceperint. Potiora eorum *arma*, fuêre claua cum arcubus, & sagittis: pedites in maxima parte erant; pars minor in bobus sedebat; minima asinis & iumentis & pullis equorum. Rex itaque *Dauid* eorum aduentum audiens, & improuisus cernens se non posse resistere, dum ab vna exercitus parte fugit, ab alia opprimitur: & cum tota
20 familia, exceptâ vnicâ eius filiâ, membratim truncatur: quam quidem filiam, *Cyngis* Chaam vxorem accepit.

Cap. V.

Continet qualiter Tartari versus Occidentem, & Septentrionem, suum dilatauerunt imperium.

CYngis Chaam fulmine percussus obiit: successitq; illi filius *Octota*, prudens valdè. Hic cogitans Asiam sibi subiicere, præmisit decem millia equitum ad explorandum gentium varietates & vires: præfecit autem illi multitudini sagacem virum ac strenuum *Gebesagada*: deditque illi præceptum, vt donec insuperabilem
30 quempiam inuenerit, cunctas lustret prouincias. *Gebesagada* igitur ad imperata impiger, priùs & subitò ciuitates præoccupabat & castra quam eius sentiretur aduentus: trucidabat armatos, equos & arma & victualia necessaria rapiebat; populo autem parcebat, aurum & thesauros relinquens intactos: peruenitque ad magnum montem Caucasum, vbi *Alexandretam* Alexander ædificauit, quæ postea *Portæ ferreæ* dicta est. Hæc transitum prohibet de profunda Asia ad maiorem. Hanc autem inexpugnabilem ciuitatem, intrantes subitò terram Tartari, tam ciues quàm locum funditus euerterunt. Cùm verò in destruendo oppido moram contraherent, ad *Georgianos* Tartaricæ ferocitatis fama perlata est. Eorum itaque Rex *Iuanus*, congregato exercitu illis obuiauit in quadam planitie, vocata *Mongan*. Et licet hinc
40 inde fuerit in principio acriter debellatum, *Georgiani* tandem terga dedêre; eosque Tartari insecuti sunt, continuatis diætis donec ad *Arsoron* peruenerunt, ciuitatem Soldani Turchiæ: *suprà part. XI. cap. XVI.* Ibiq; didicerunt, prædictũ Soldanũ sibi occurrere cum multitudine pugnatorum: propter quod territi, iuxta præceptum sibi factum, ad Octota redierunt. Hiis auditis, *Octota* pro paruo ducit totam occupare Asiam: & vocatis tribus filiis suis cuique eorum dedit multitudinem pugnatorum, diuitias & armenta. Primogenito *Iochim* mandauit, vt contra Occidentalem plagam procedat: secundo, *Batho*, contra Aquilonem: similiter & tertio *Cagaday*, contra Meridiem: Sibi verò maiorem Asiam retinuit occupandam. Post hæc, pars exercitus *Octota* processit vsq; ad regnum *Catay*; pars verò altera vsq; ad regnum *Tar-*
50 *sæ*: vbi Tartari primò litteras didicerunt; & corrupto gentis illius exemplo idola coluêre: cunctis tamen diis, immortalem DEVM præferunt. Elegit itaque *Octota* XXX. millia pugnatorum; & sub *Batho* duce, contra Soldanum Turchiæ illos transmisit. Interim autem prædicto Soldano defuncto, successerat filius *Guiatadin*. Hic, Tartarorum cognoscens aduentum, vndiq; & quoscunq; contra furorem Tartarorum ad stipendia vocat & prouocat, ne saltem Occidentalem ad multorũ exitium plagam occupent: Inter cæteras autem nationes, fuerunt ibi duo millia Latinorum, sub duobus Capitaneis, *Iohanne de Liminata*, de Insula Cypri; & *Bonifacio de*

Molinis, de Venetiis. Magno igitur congregato exercitu, obuiam Tartaris perrexit; & commisso bello M.CCXLIV. superatus est. Ad filios Octota redeuntes, dicamus, quia *Iochym* regnum conquisiuit *Turquesten*, & partem Persiæ: vbi cuncta reperiēs necessaria sibi gentique subiectæ, gradū fixit; & vsq; nunc successores eius dominantur ibidem. *Batho* verò, vsque ad *Cumania* regnum processit; & debellati Cumani ad regnum Vngariæ confugerunt, vbi etiam vsque nunc plurimi remanserunt: procedentes deindè Tartari, *Rusia* regnum occupauerunt, terram *Gazaria*, & regnum *Bulgaria*: sed à fluuio Vngariam ingredi prohibiti sunt. Postea versus Alamaniam pergentes, ad ripam fluminis peruenerunt, per ducatum *Austria* fluentis: sed pontem dux Austriæ præoccupans, prohibuit transitum. Tunc *Batho* furens, transuadare iubet suos: sed antequam ad aliam partem se reciperet, cum multis, fessis equis, submergitur: propterea confusus exercitus, ad regna Rusiæ & Cumaniæ rediit; nec ampliùs versus Alamaniam direxit faciem: & ibi quoque Bathonis successores vsque in præsens tenent dominium. *Cagaday* autem, vsque ad partes Indiæ minoris processit, multa reperiens deserta, montesq; & terras aridas & inhabitabiles: & amissâ plurimâ hominum & animalium multitudine, versus Occidens iter dirigens ad fratrem suum *Iochim* vsque peruenit, & terra ab eo suscepta cum illo mansit; heredes quoque eorum post eos simul manserunt: sed filii iunioris, reuerentiam & subiectionem promittunt filiis Iochim. Mortuo autem *Octotâ*, successit illi Chaam filius *Guyo*, qui parum vixit: huic successit *Mango* consanguineus eius, vir consilii & in armis strenuus. Hic plures subiugauit prouincias, & cùm per mare *Catay* ad occupandum quandam Insulam processisset, perforatâ ab aduersariis sub aqua naui, cum multis submersus est: & successit illi frater *Cobila Chaam*, qui annis XLII. tenuit imperium Tartarorum: hic Christianus fuit, & fundauit in regno Catay, Româ ciuitatem maiorem, vocatam *Iong*, vbi continuè immoratus est.

A. Dni. 1244.

Cap. VI.

Continet quomodo ad procurationem Regis Armenia, Mango Tartarorum Imperator baptizatus est: fratremq; Halaonem contra Saracenos transmisit.

VI. A. Dni. 1253.

CErnens *Haytonis* Rex Armeniæ, Tartaros regiones in circuitu occupasse: vt superiori capitulo dicitur: fratrem suum *Ginibaldum* M.CCLIII. ad Mangonem magnum Tartarorum Imperatorem, cum magnis transmisit muneribus: *part. XII. cap. IV.* vt eius animum ad sua vota inclinet. Hic post annos quatuor rediens, quàm gratè susceptus fuerit, illi denuntiat. Ille verò impigrè ad Mangonem profectus est. In aduentu autem illius, Tartarorum Imperator valdè gauisus est: eò quòd postquam *Cyngis* Chaam transiuit montem *Belyam*, nullus magnus Princeps eis obuiam processisset: deditque illi de maioribus domus suæ, qui eum sociarent, & honorarent; & secundùm Imperialem munificentiam munera dedit. Postquam verò præfatus Rex diebus aliquibus immoratus est, Imperatori supplicauit vt negotiis pro quibus venerat, intendere dignaretur: qui integrè votis suis annuere spopondit. Porrexit itaq; Rex *petitiones* septem: *Prima* fuit, vt ipse cum gente sua, relictis superstitiosis sectis, fidem CHRISTI susciperet & Baptismum: *secunda*, quòd inter Christianos & Tartaros pax perpetua firmaretur: *tertia*, quòd in omni loco occupato per Tartaros, aut in posterum capiendo, Christiani Clerici religiosi ac Layci, ab omni seruitute sint liberi & tributo: *quarta*, vt Christianis ad recuperandam Ierusalem & Terram Sanctam præstaret auxilium, libereq; eis dimitteret possidendam: *quinta*, vt mandaret Tartaris, qui Turchiam occupauerant, vt ad destruendum *Baldac* procederent, eorumq; Calypham: cùm esset origo & caput erroris impii Mahumeti: *sexta*, vt priuilegium sibi daret, quòd omnes Tartari regno Armeniæ vicini, cùm requisiti ab eo fuerint, auxilium sibi præstare teneantur: *septima*, vt quæcunq; loca ad regnum Armeniæ spectātia, per Tartaros occupata fuerant, sibi redderentur; & loca Saracenorum, quæ ipse Rex posset in posterum occupare, absque Tartarorum contradictione posset liberè possidere. Igitur *Mango* Chaam Regis petitionibus intellectis, post deliberationem cum suis proceribus habitam, conuocato consilio suo, ait: *Quoniam Rex Armenia de remotis partibus ad Imperium nostrum venit, non vocatus, non compulsus; sed suâ bonâ & propriâ*

propriâ voluntate, decet Imperatoriam Maiestatem eius supplicationibus annuere: in hiis præcipuè quæ sunt licita & honesta. Vobis itaq; Regi Armeniæ, taliter respondemus: quòd preces vestras acceptamus, & omnes faciemus, cum DEI beneplacito, adimpleri. Primò quidem ego dominus Imperator me faciam baptizari & CHRISTI suscipiam veram fidem; & omnes de domo mea baptizati in nomine PATRIS & FILII & Spiritus Sancti, tenebunt fidem quam tenent hodie Christiani; & omnibus sub meo Imperio constitutis idem cõsulam: non tamen violentiam inferam: nam fides violentiam non requirit. Pro pace autem perpetuò seruanda, requisiuit, vt pro parte Christianorum esset Rex Armeniæ fideiussor. Concessit etiam omnibus Christianis sub Imperio suo degentibus, gaudere priuilegio libertatis; & quòd nullus omninò possit aliquid extorquere ab illis. Ad conquirendam autem Terram Promissionis dixit, quòd libenter propter honorẽ Domini nostri IESV CHRISTI vellet personaliter proficisci, nisi foret variis impeditus negotiis: pro ipso tamen negotio fratrem suum *Halaonem* mitteret, qui Terram Sãctam subiiciat cultui & nomini Christiano. Super facto quoq; Calyphæ, *Bathoni* Capitaneo Tartarorum in regno Turchiæ mãdauit, cæterisq; in circuitu Tartaris, vt fratri Halaoni obedirent: ipsi verò, vt contra Calypham, quasi contra capitalem procederent hostem. Petitum quoq; priuilegium, de impetrando à vicinis Tartaris auxilium, dedit. Et vltimò, non solùm occupata castra & loca per Tartaros, reddi iussit; sed etiam alia, quæ ad securitatem regni ipsius viderentur vtilia, superaddi.

CAP. VII.

Continet qualiter Halao Persiam sibi subiecit: & Baldacensem occidit Calypham: & partem Syriæ conquisiuit.

PErsis imperauerũt *Romani* Principes vsq; ad tẽpora *Diocletiani*, post annos Domini circiter CCLXXXVIII. Ex tũc regnauerũt Persę per annos circiter CCCXIX. Post hos regnare inceperunt *Saraceni*, DCXXXIV. anno Domini: & tenuerunt imperium per annos CCCCXVIII. totam penè Asiam occupantes: & à Græcis regnum Syriæ, & penè totam regionem, quæ *Turchia* nunc dicitur, sustulerunt. At MLI. *Turquemanni* dominari cęperunt in Asia. Saracenis enim ab inuicem diffidentibus, Soldani cęperunt rebellare Baldacensi Calyphæ. Tunc imperabat Græcis *Diogenes*, vir audax, & de Saracenorum manibus recuperauit ciuitates multas & castra; & patriam quæ *Armenia minor* dicitur, & Antiochiam, & partem regni Mesopotamiæ. *Turchemanni* quoque tunc primò generalem sibi dominum elegerunt; & continuis victoriis obtinuerunt Asyæ dominium: *Calypham* tamen venerabantur, quasi Mahumet successorem: qui prædictum eorum dominum, vocatum *Salyoc*, Imperatorem instituit. Huic successit filius *Degrisotorilsa*, qui bellum mouere cepit contra Græcos: deindè misit quendam consanguineum suum vocatum *Artoch:* qui ciuitatem *Roays* primò, deindè totam Mesopotamiam suo subdidit imperio. Mortuo Degrisatorilsa, successit ei filius *Alpasalem*, qui misit nepotem *Solimannum* & cæteros: vt suprà *part. IV. cap. XIII.* Mortuo Alpasalem, successit ei filius *Melchsi:* hic misit multitudinem bellatorum contra Peregrinos, quando ceperunt Antiochiam: qui cùm redissent in Persiam, inuenerunt eum mortuum, cui frater succedere voluit; sed quibusdam resistentibus, trucidatus est, nec potuerunt Turchi ex tunc esse concordes in præficiendo sibi domino. Tunc *Georgiani*, & *Armeni* maioris Armeniæ, videndo Turchorum diuisionem, in ipsos irruerunt, & de tota Persia expulerunt: indè verò pulsi ad regnum Turchiæ se transtulerunt: propter quod Soldani Turchiæ potentia plurimùm aucta est.

Post hæc *Corasmini*, populi quidam, qui semper in tentoriis habitabant; in armis strenui, greges pascentes; & qui vbicunque guerra forsitan moueretur, illuc propter stipendia properabant, audierunt Persarum regnum esse absque rectore; & conceperunt illud faciliter occupare: feceruntq; quod mente conceperant, vsque Taurisium omnia occupantes, electo *Laladyn* sibi domino. Elati deindè ex victoria, totam putant occupare Asiam: sed dum Turchiæ regnum inuadunt, interfecto eorum Principe cum multitudine bellatorum, qui fugere potuerunt in planitie Roays deliberant regnum Syriæ occupare: & commisso prælio super Eufraten, iterum debellati sunt; fugeruntque versus desertum Arabiæ: deindè tran-

VII. A. Dni. 288. A. Dni. 634. A. D. 1051.

fierunt Eufraten; & absque contradictione venerunt vsq; in Palestinam: *Suprà part. XII. cap. I.* Post hos, occupauerunt *Tartari* regnum Persarum: baptizato enim cum vniuersa domo sua, multisq; proceribus, *Mangone*, *Halaoni* fratri assignat militiam, & profectus est: hic cum Rege Armeniæ, flumen magnum Physon pertransiit; & infra spatium sex mensium, totum regnum Persarum suæ ditioni subiecit; peruenitq; vsq; ad partes, vbi *Arsasida* morabantur: & cùm se ad castrum inexpugnabile reduxissent, *Halao* ad eos delendos misit decem millia Tartarorum; vbi XXVII. annis immorantes, tandem iussa perfecerunt, reddentibus castrum Arsasidis, non ciborum, sed vestimentorum defectu. Interim verò Rex Armeniæ ab Halaone, ad custodiam regni Persarum immorante, repatriandi licentiam impetrauit: abeuntem quoque Halao, magnis honorauit muneribus; ac Bathoni suprà memorato mandauit, vt per partes regni Turchiæ Regem Armeniæ securè conduci faceret, vsq; ad introitum regni sui. Ad quod post trium & dimidii annorum spatium postquam inde recesserat, cum gaudio reuersus est. *Halao* autem post dispositam regni Persarum custodiam ad quandam Armeniæ prouinciam se contulit, vocatam *Salorc*; vacauitq; totâ æstate solatio & quieti. Adueniente autem hyeme vocauit ad se XXX. millia Tartarorum de regno Turchiæ; & ad *Baldac* ciuitatem obsidendam processit, & vndique vallauit. *Calypha* autem Baldacensis se circumdatum vndique cernens, cùm esset ipse parui valoris; gensque sibi subiecta mollis & delicata, nec armis idonea, deliberat nuntios ad Halaonem mittere, vt pacem obtineat. Halao gratè se verba recipere simulat; dixitq; se multo affectare desiderio videre Calypham. Hoc sibi concesso, secum infra ciuitatem traxit copiam armatorum, obtinuitque dominium, M. CCLVIII. Capti verò Calyphæ gutturi liquatum aurum iussit infundi, *auaritiam* exprobrans: quia cùm immensis afflueret thesauris, cupiditate detentus, pro salute sua eos expendere renuit. Post mortuum autem Calypham, Halao totam regionem obtinuit. Erat quoque ei vxor Christiana, vocata *Dotouscaton*, de stirpe illorum trium Regum, qui venerunt CHRISTVM, stellâ præuiâ, adorare. Hæc à viro suo impetrauit, templa Saracenorum vbique prosterni; ac inhiberi à quoquam coli spurcissimum Mahumeth: factique sunt Saraceni sub maxima seruitute. Sequenti anno *Cæsaream* magnam, & *Iconium*, ac totam terram Turchiæ vsque ad mare occupauit. Occurrit autem illi in *Rages* Rex Armeniæ cum magna comitiua: poterat enim tunc facere XII. millia equitum, & LX. millia peditum in armis: & gratè susceptus est. Deindè *Halao* Antiochiam pergens, à Christianis vrbem exeuntibus cum multa reuerentia susceptus est, quos amicabiliter vidit; & pertransiens vsq; *Alapiam*, infra dies XL. obtinuit, & pòstea *Calamelam*, & *Haman* & *Damascum*: M. CCLX. Hiis itaq; in locis ordinatis rebus, dum vellet ad regnum Ierosolymitanum conquirendum procedere, de morte fratris *Mangonis* Chaam recepit nuntium, asserentem quia Tartari eius expectarent aduentum, vt in sede fratris pro domino collocarent. Tunc dimisso pro custodia regni Syriæ, cum XII. millibus Tartaris *Guibogâ*, ad Orientis partes reuertitur: sed receptis nuntiis quòd alterum fratrem *Gabilam* Chaam constituissent, apud Taurisium reuersus est. At cùm moraretur ibidem, aduenerunt nuntii referentes, quòd *Bartha* filius Bathonis, qui in fluuio submersus est, contra Halaonem, cum magno exercitu veniebat, vt indè eum expelleret. *Halao* verò, obuiam illi iuit; & commisso bello, super fluuium vehementissimè congelatum, fractaque glacie vsque ad XXX. millia Tartarorum submersi sunt. Interim *Soldanus Babylonia* contrà *Guiboga* exercitum duxit, & in bello interfecit; obtinuitque regnum Syriæ. Halao verò, hæc audiens, accersitis Armenis & Georgianis, dum vellet in Syriam proficisci, vitâ excessit; successitq; illi filius *Abaga*. Et M.CCLXIV. à *Cobila* Chaam auunculo suo confirmatus, vocatus est *Abaga Chaam*.

A.D. 1258. A.D. 1259. A.D. 1260. A.D. 1264. 10 20 30 40 50

CAP. VIII.

Continet qualiter successores Halaonis se habuerunt cum Christianis, & Saracenis.

VIII. ABaga prudens fuit, & prosperè rexit; baptizari tamen renuit, & coluit idola. Soldanus autem Ægyptius, transmissis per mare nuntiis ad Tartaros Cumaniæ

niæ, fœdus iniit; & promiserunt mutuò quòd si *Abaga* contra alteram ipsorum partem procederet, reliqua eius regnum inuaderet. Post hæc Rex Armeniæ *Ayto*, *Lyuono* filio, prudenti viro regnum contulit; factusq; est monachus & vocatur *Macharius*, mutato nomine secundùm morem Armenorum: postquam regnauit annis XL. Hic *Liuon*, multo studio laborauit per Tartaros destruere Saracenos. Cùm enim *Bendocdar* cum ingenti apparatu intrasset Turchiam, & ex parte occupasset, fauente ei Tartarorum inibi Capitaneo Saraceno, *Abaga* per Liuonis nuntios de hoc certior factus, in XV. diebus peragrauit diætas quasi XL. Quod audiens Soldanus Ægypti, fugam iniit; nec tamen euadere potuit quin Tartari extremam custodiam attingerent, antequam ingrederentur Ægyptum: interfeceruntq; vsque ad duo millia equitum. Mortuo autem Bendocdar, *supra part. XII. cap. XVII.* successit ei filius *Melec Sayt*: sed post modicum temporis spatium, de dominio fuit pulsus; & successit illi quidam, vocatus *Elphy*. Adueniente autem tempore quo *Abaga* contra Soldanum Ægypti debebat procedere, fratrem suum *Tangodomor* transmisit: & tunc Tartari discurrerunt, & magnam cædem Saracenorum ediderunt: *supra part. XII. cap. XVIII.* In plano autem pulcherrimo *Calamele*, vbi Soldanus congregauerat exercitus sui robur, bellum commissum est: & in partem vnam irruit Rex Armeniæ cum Christianis; & per tres leucas eam fugauit, vsque Calamelam: Princeps verò militiæ Tartarorum, partem aliam debellauit; & per tres dietas cædendo secutus est, vsque ad ciuitatem *Tara*. *Tangodomor* autem, periculis ac tumultibus insuetus bellicis, campum non tenuit; magis autem ad periculum suorum abscessit: ideò Christiani ad propria redeuntes, fessi atque diuisi, incommoda multa passi sunt: fueruntq; plurimi interfecti; fugeruntq; cum Rege non amplius XXX. militibus. Princeps verò militiæ Tartarorum, biduo dominum suum expectans ad consumandam victoriam, vt abscessisse cognouit, ad eum rediit super Eufraten, vbi suos expectauerat octo diebus. Hæc autem audiens *Abaga* contra Soldanum Babyloniæ congregauit exercitum: sed procurante quodam Saraceno Persa, à familiaribus muneribus corruptis, simul cum fratre *Tangodomor*, veneno extinctus est. M.CCLXXXII. Abaga succedit frater Tangodomor, in pueritia baptizatus, sed Saracenus effectus, *Mahumeth Chaam* voluit appellari: & quos poterat Tartaros ad simile, minis & muneribus inclinabat: Innumerabiles itaq; ipsorũ, sicut patet hodie, Saraceni effecti sunt. Persecutus est Christianos, & Ecclesias à fundamentis euertit. Cõponens quoq; cum Soldano Babyloniæ, promisit cunctos Christianos, aut ad sectam suã cogere, aut trucidare. Praua huius opera per fratrem ipsius, ac nepotem, filium Abaga, vocatum *Argon*, magno *Chaam Cõbila* denuntiata sunt: à quo redarguitur, quia à progenitorũ recessisset vestigiis. Hoc audito, irâ exarsit *Mahumeth*, fratremq; interimit; & captum in castro *Argonem*, à proceribus iubet occultè interfici, sibiq; caput deferri. Sed auxilio cuiusdam magni, cui pater eius Abaga beneficia contulerat, de periculo liberatus, Mahumeth persequens comprehendit; & coram se trucidari fecit: imperauitq; pro eo, M.CCLXXXV. Concessumq; illi est, à magno Tartarorum Imperatore, vt *Chaam* vocaretur. Hic fuit aspectu pulcherrimus, fortis robore & prudẽs in agendis: Christianorum Ecclesias reparauit; redieruntq; ad eius obedientiam Reges Armeniæ, atq; Georgiæ, qui à Mahumeto recesserant. Rogatus quoq; pro Terræ S. liberatione; respondit, se velle cũ vicinis omnibus pacis inire fœdera, vt securus opus illud perficiat: sed dum hæc aguntur quarto anno regni sui vitã excessit, M.CCLXXXIX. cui successit frater *Quegato*: qui annis sex quasi brutum animal vixit, gulæ & luxuriæ deditus: propter quod à suis suffocatus est. Cui successit cõsanguineus *Baydo*, Christianus fidelis, qui citò mortuus est. Hic, præcepit vt nullus Saracenus legẽ Mahumeti inter Tartaros prædicaret. Saraceni itaque ad *Gazanum* miserunt, quia si vellet CHRISTI fidem relinquere, & legem sumere Mahumeti, dominium illi conferrent. Ille honoris auidus cuncta promittit, & contra Baytonem hostiliter vadit. Antè commissum verò bellum, cuncti Saraceni Gazano se iungunt: sic Bayto captus & interfectus est; regnauitque pro eo *Gazanus* Argonis filius: qui in regni exordio mala intulit Christianis; sustinuitque vt Saraceni Ecclesias Christianorum destruerent. Sed in dominio factus securus, Christianis multa bona contulit; & multos Saracenorum proceres interfecit, eò quòd de lege Mahumeti eum sæpiùs molestarent.

A. Dni. 1282.

A. Dni. 1285.

A. Dni. 1289.

Hic, cùm Babyloniæ Soldano *Melec Naser* congrediens nouo cognomento periculum euasit, ac demũ victor fuit. Saraceni enim galeati, in equis tectis coratiis, cum multo vigore, propè Haman ad vnam diætam, Tartaros lanceis feriunt: & nonnullis prostratis, per quatuor sagittæ iactus retrocedere cogunt. *Gazanus*, veritus ne sui terga darent, de equo dissiliit; & suo exemplo conformiter Tartari vniuersi: & ante constituerunt ex animalibus quasi murum; ceperuntque spiculorum imbrem transmittere, & hostes cædere: Illi sua ac equorum multiplicari sentientes vulnera, cedunt: noui interim ac recentes superueniunt Tartari: Tunc *Gazanus*, cunctos animalia ascendere iubet, & aggredi hostes: Tam acer verò fuit ille Tartarorum insultus, vt quasi victos fugientes vsque serò cæderent; & interfecta sunt ipso bello vsque ad xx. millia Saracenorum. Illâ igitur nocte, Gazanus campum tenuit: sequenti die mandauit cuidam Capitaneo suo, vt cum xl. millibus Tartarorum hostes persequeretur vsq; ad desertum Ægypti: & interfectis plurimis Saracenorum, Soldanus conductu quorundam *Biduinorum*, in dromedariis fugiens, in Babylonem miserabiliter ingrediens, fugâ liberatus est. Gazanus igitur, post victoriam ex omnibus Soldani copiis, innumerisq; thesauris, nihil sibi præter ensem retinuit; sed militibus cuncta distribuit: M.CCC. Postquam autem *Gazanus* quieuit diebus quinq;, processit contra Damascum: Damasceni timentes ciuitatis excidium, munera transmiserunt, offerentes ciuitatis dominium. Cùm igitur Gazanus circa fluuium Damasci diebus plurimis immoraretur quietis gratiâ, venit nuntius, qui violentiam sui consanguinei *Caydo* denuntiaret contra regnum Persarum. Tunc *Gazanus* Damasco præfecit, *Caycaph*: Hic Saracenus erat, & Damasci fuerat dominus: sed fugerat ad Gazanum, propter metum Soldani, qui propter quosdam excessus volebat eum carceri mancipare. A Gazano autem gratiosè susceptus est: sed amicitior patriæ quàm benefactoris, cùm Gazanus contra Soldanum procederet, vt superiùs dicitur; & antè insultum in Saracenos vellet homines in pratis & animalia recreari, proditor, Gazani propositum Soldano transmisit, ac super incautos irruere prouocauit. Post discessum verò Gazani, cum Soldano composuit, omnisq; Syria cum eo: propter quod *Malay*, quem Gazanus ad custodiam regni Syriæ cum xx. millibus dimiserat, in Mesopotamiam transire coactus, rei Gazano nuntiauit euentum. Ille transacto æstatis calore, super fluenta Eufratis castra metatus est, & transuadare fecit *Codelosam*, principem militiæ, cum xxx. millibus Tartarorum: & cùm peruenisset *Antiochiam*, misit pro Rege Armeniæ & Christianis, qui erant in Cypro, vt venirent: & cùm Syriæ applicuissent, venerunt noua de graui infirmitate Gazani: propter quod infecto negotio, omnes redire coacti sunt, M.CCCI. Ad Eufraten quoq; rediit Gazanus, M.CCCIII. & inuenit cuncta combusta germina à Soldano: & ideò, ne pabula animalibus deficerent, in Syriam transire non potuit: tanta enim erat multitudo exercitus eius, quòd per tres diætas extendebatur super ripam Eufratis. Vndè accepto consilio vernum tempus expectare disposuit: Transmisit tamen *Gotholosam* cum xl. millibus militum, qui cum Rege Armeniæ cepit *Haman*, & cunctos gladio percusserunt. Processerunt deindè contra *Damascum*, & audientes Soldani apparatum, propè esse ad duas diætas, illuc properauerunt; & horâ vespertinâ superuenerunt. Tunc *Gotholosa* cõtra datum consilium inuasit exercitum Soldani, inter lacum & montem, satis tutè locatum: nec potuit illo sero *Gotholosa* indè extrahere exercitum Soldani: sed neq; mane sequenti, cùm ad hoc laborassent, vsq; ad horam nonam. Cùm verò Tartari Saracenos ad campum trahere non possent, tædio & aquæ inediâ fatigati, ad planum rediêre Damasci. Damasceni verò collectos aquarum meatus super Tartaros dimiserunt, ita vt oportuerit eos de loco abscedere, non sine personarum & rerum suarum iactura: inglorii proindè in Mesopotamiam redierunt. Post hæc *Gazanus* moritur, & successit ei frater *Carpanda*: hic filius fuit dominæ Christianæ, & baptizatus; sed post mortem matris cultum sumpsit spurcissimi Mahumeti. Post mortem itaq; Gazani, Saraceni Armeniam sæpiùs discurrerunt, & afflictiones multas patriæ intulerunt. Sed tandem, M.CCCVII. de septem millibus vsque Tharsum percurrentibus, vix euadere potuerunt trecenti, quin iuxta *Aiacium* mortui vel capti fuerint; nec ex tunc Saraceni ausi fuerunt regnum Armeniæ introire; sed treuguas inuicem firmauerunt.

A. Dni. 1300.

A. Dni. 1301. 1303.

A. D. 1307.

CAP.

CAP. IX.

Continet mores Tartarorum, & aptitudinem ad bellandum.

IX.

TArtari, vnum DEVM colunt, factorem omnium; bonorum, & pœnarum in hoc mundo datorem: cum tamen orationibus vel laudibus aut aliter non colunt; sed idola à quibus habent responsa. Omnibus verò diis, vnum DEVM Omnipotentem & immortalem præponunt: vnde nec minas inferunt alicui, nisi præponendo nomen DEI: dicendo sic, *Nouit DEVS quod tibi faciam:* & similia. Superstitiosi sunt nimis: peccatū enim putant cultellum in igne figere, vel quomodocunq; cultello
10 tangere, vel cum eo carnes de caldaria extrahere, vel cū securi incidere iuxta ignē: putant enim sic caput igni auferri. Item, si dimittunt frenum in ore equi sui, quando debet comedere, grauiter se peccasse putant; vel etiam si equum freno percutiunt. Item appodiare se flagello quo equus percutitur: non enim vtuntur calcaribus: Vel flagello sagittas tangere; os cum osse frangere; cibum vel potum in terram proiicere, & specialiter morsellum cuiusquam ori impositum: hoc enim morte punitur. Si quis etiam calcat super limen stationis alicuius Ducis, interficitur. Obseruant somnia & multa huiusmodi. Homines autem occidere, aliorum terras inuadere, & bona diripere, contra DEI præcepta agere, nullum apud eos extimatur peccatum. Dominis suis plus cæteris promptè obediunt, nec eis de facili men-
20 tiuntur. Rarò contendunt: propterea homicidia & vulnerationes inter eos vix fiunt. Prædones vel fures notabilium rerum, inter eos non sunt: ideoq; stationes & currus eorum, vbi thesauros conseruant, seris aut vectibus non firmant. Honorant se mutuò, & sunt ad inuicem familiares; omnem accedentem, dum comedunt, ad conuiuiū recipiunt: patientes quoq; inediæ sunt (ita vt cùm vno die vel etiam duobus non comederint, tamen cantant & ludūt, ac si benè comedissent) caloris etiam & frigoris in equitando: & quando ad terram pergunt, vbi putant adesse victualiū inopiam, equas, vaccas & alia animalia secū portant; & de lacte viuunt. Hæc sufferentia multùm reddit eos aptos ad bella. Sunt etiam strenui in facto armorum, in arte sagittandi maximè; & in bello semper volunt auantagium; nec fugere apud
30 eos verecundum putatur, si expediat: fugiuntq; omnes simul, ordinatis aciebus; & si hostes eos insecuntur, retrò se, dirè sagittant: ita etiam compositi stant in acie, vt mille eorum vix quingenti appareant: & quando Capitaneus eorum in bello vel alibi aliquid præcipit, vnusquisque nouit quid debeat agere: & potest auferre ab eis eorum dominus quicquid vult, nullusque contradicit: nemo aliquid eis dare tenetur, cùm ad bella procedunt. Sunt quoque Tartari turpes multùm, inter oculos & genas lati plus cæteris; & genæ eorum multùm præminent à maxillis. Habent oculos palpebris multùm coopertos, & parua est apertura in eis: habent nasum planum, & paruum. Imberbes sunt, excepto quòd in superiori labio, & in mento raros habent pilos, & quasi volatiles. Graciles sunt in cingulo: omnesque
40 ferè sunt staturæ mediocris: rasuram faciunt propè verticis summitatem, quæ descendit inferiùs per tympora, ab aure vsque ad aurem: sedetque rasura super caput eorum ad modum ferri equi: raduntur & à parte posteriori: & longos habent capillos, & trecas retrò iuxta aures. Communiter sunt leues & agiles, ac benè equitantes: à pueritia quippe discunt, currendo post armenta: vix autem aliquis eorum pedes vadit: Habent enim tibias paruas, & in composito gradu incedunt: loquuntur etiam clamosè, & in gutture, & quasi interrogatiuè: cantando, mugire vt bos; vel vlulare videntur, vt lupi. In luctationibus & sagittationibus delectantur. Venatores mirabiles sunt, & ordinati: insequuntur animalia fugientia ante se, & tandem claudūt quasi in circulo inter se, & tunc sagittis interficiunt. Ha-
50 bent & cætera, multa singularia, quæ longum foret enarrare.

CAP. X.

Continet gesta quædam Cyprensium, contra Saracenos: & apparatum Gazani contra eosdem, ac impedimentum ipsius.

X.
A. D. 1299.

ANno Domini *M. CCIC. Guido* Comes Iopen, & *Iohannes* Antiochenus fuerūt Biblium, vt Regi Armeniæ, qui cum Gazano fuerat, se sociarēt: cognoscentes

autem Gazani reditum, redierunt & ipsi. Tunc etiam Rex Cypri *Henricus*, paucos transmiserat equites, qui sicut & primi nihil agentes, sine aliqua læsione reuersi non sunt. Sequenti verò anno idem Rex, cum Hospitalariis & Templariis armauerunt septem galeas, & quinque sichias; & ad flumen *Rexit* nauigantes, quinque Saracenorum galeas inuenerunt, quæ per Nilum fugientes liberatæ sunt. In Insula verò descendentes, derobato vno casali rediêre; & antè Alexandriam consedêre: Indeque recedentes vnam nauem Saracenorum repererunt, quam interfectis hominibus combusserunt: deindè, discurrerunt maritimam regionem; & paruis illatis damnis rediêre. Tunc venit nuntius, qui Regi diceret, vt se muniret, transiretque in Syriam, quia *Gazanus* contra Saracenos procedere vellet: Rex verò pro viribus exercitum præparauit. Eodem anno dominus *Almericus de Lisignano*, dominus Tyri, transiit ad Insulam Tortosæ: habuitque secum vsque ad ducentos homines in equis, ex melioribus, qui essent in Cypro: & eâ die quâ in Insula Tortosæ applicuit, aduenerunt similiter Magistri Hospitalis & Templi. Intrauit autem terram Alapiæ quidam magnus Admiraldus Gazani, vocatus *Codessa*: sed cùm *Gazanus* eum sequeretur, magna eum occupauit infirmitas, ita vt redire coactus sit. Quod audiens *Codessa*, districtum Alapiæ discurrit vsque ad Calamelem, & postea rediit ad Gazanum: prædicti verò, qui de Cypro exierant, conformiter redierunt. Magister tamen Templi, M.CCCII. in Insula Tortosæ ædes aliquas erexit: ibique maiorem partem conuentus sui tenebat, vt Turchis pro posse noceret. Eodem anno, *Soldanus Babyloniæ* per flumen Tampnis, inter galeas & sithias misit vsque ad viginti, quæ inuenientes circa Tripolim magnum Saracenorum apparatum, eum ad Tortosæ Insulam conduxerunt: & cùm à duabus partibus in Insulam descenderent, occurrentes Templarii vsque ad nauigia retrocedere coegerunt: deindè cùm se ad turrem quandam Templarii reduxissent, illi in Insulam ad libitum descenderunt; & occupatâ Insulâ, dixerunt Templariis vt se redderent, & saluis personis ad optatum ducerentur locum: Illi verò de infidelibus confidentes, in Babylonem captiui ducti sunt: erant autem CXX. interfectique sunt arcerii quasi quingenti, & de minuto populo vsq; ad trecentos.

A. Dni. 1300. — A. Dni. 1302.

Cap. XI.

Continet gubernationem Cyprensis Insulæ, indebitè Regi Henrico sublatam.

XI. A. Dni. 1306.

Congregati aduersus dominum suum valuassores & milites multi regni Cypri, in domo *Hugonis de Presterone*, *M.CCCVI.* XXVI. die Aprilis, administrationem regni *Almerico* domino Tyri, fratri Regis, conferre deliberant: euntesq; ad Regem, propositum suum illi denuntiant, petentes vt quod egerant confirmaret. Rex verò optimatibus respondit, quia petitioni huiusmodi nequaquam annueret: quia absque illius coniuentia indebitè res acta erat. Tunc illi deliberant, quid facto opus sit: statuuntque vt Regi & Reginæ ac familiæ certi redditus assignentur; cætera verò Regalia iura, gubernatori conferantur: sicque factum est. Facit igitur dictus gubernator per Insulam banna ad libitum proclamari; & secretagium, inuito Rege surripuit; & vniuersos ad faciendum sibi homagium compulit. Rex verò, XVI. Iunii, prædicto gubernatori transmittit, quòd sibi tale officium indebitè vsurpasset; ipse verò, Dei gratiâ, potens esset ad Regium officium exequendum: propterea ab inceptis desisteret, quia in tali negotio nimis processerat. Ille verò eorum super hoc requirit consilium, qui se gubernatorem creauerant: & licet ad dimittendam procurationem satis promptus videretur, consilium tamen, habitâ deliberatione, respondet, quòd si gubernationi renuntiaret, officium alteri côferret: & facta est apud eos magna congregatio equitum. Rex verò hæc audiens, paruam familiam suam arma sumere iubet; & ipse armis induitur Regiis, & mandat portari vexillum vt prodiret in publicum. Sed Dei prouidentiâ aliter disponente, dum gubernator ad sonum campanæ cunctos vocat, & paucissimi ad Regis vexillum pergerent, fuissetque illius curiæ introitus & exitus citò præclusus, quatuor diebus ac noctibus obsessus permansit. Tunc Prælatis & Religiosis tractantibus, qui ad regis vexillum perrexerant, hac conditione gubernatori se reddunt, vt vitam aut partem corporis non amittant; nec pane & aquâ in carcere affligan-

affligantur. Aduenientium igitur quidam, libertati donantur; quidam carceri mancipantur ad gubernatoris libitum: nonnulli verò in Armeniam missi sunt, quia nunquam dominio dicti gubernatoris assentire voluerunt. Dum in Insula Cypri tam enormia perpetrant contra Regem, in *Armenia* inopinabilis superuenit iactura. Cùm enim ad partes illas venisset vnus magnus Admiraldus Tartarorum, vocatus *Balargon*, ac pro Rege misisset; M. CCCVII. Rex verò illi tam celeriter sicut affectauerat non occurrisset; Admiraldus Tartarico more elatus, tandem venientem Regem, secumque ducentem paruulum, quem coronari fecerat Regem, Thoroni fratris sui defuncti filium ex sorore Henrici prædicti Regis Insulæ Cypri, ad papilionem suum de nocte & cum tota comitiua iugulari mandauit: ex quibus vnus euasit, qui noua tam crudelia reportaret. M. CCCIX. mese Martii, Soldanus Babyloniæ *Claudus* ad *Cracum*, siue Petram deserti secessit cum gente & familia sua: & *Bibarsinicher*, de quo supra actum est, *cap. 11.* abstulisse ei videbatur dominium Cayri & Babylonis: propter quod noua dissensio inter Admiraldos orta est. Eodem anno Rex Cypri in Armeniam, carceri mancipandus, transmittitur, primo Februarii. Sequenti verò anno, gubernator præfatus regni Cypri à quodam sibi familiari milite, cùm in camera vellet quiescere, subitò interfectus est. Tunc *Almericus* frater Regis & Princeps militiæ, factus est gubernator. Sed milites quibus talia displicebant ad inuicem conueniunt: & factâ coniuratione pro sustinendo Rege, in regno grandis lætitia orta est. Rex verò XXVI. Augusti, de Armenia liber ad regnum suum cum multo gaudio rediit. Eodem anno in Aprili Soldanus *Claudus*, Cayrum & Babyloniam rediens, cunctos quasi Admiraldos potentes & viriles destruxit, nouosque instituit. Interfecit enim *Bibarsinicher*, *Naboyseler*, & *Merezendal*, & *Camelyn*; & etiam *Sandomor* qui fuit Georgianus, & diu circa Tripolim dominium viriliter tenuit. *Carasancor* quoque, qui Christianus fuit, diues valdè & potens, qui dominabatur in contrata Antiochiæ & Semi, qui Soldani fratrem interfecerat, qui Ptolomaydam destruxit, à prædicto Claudo Eufraten transire, & cum gente, rebus, ac thesauris suis ad Tartaros fugere coactus est: induxitque *Carpandam*, vt contra duo castra Soldani super Eufraten sita veniret; M. CCCXIII. quorum vnum vocatur *Clarachebe*; alterum *Elbire*. Sunt autem ipsa castra in confinio Tartarorum, vltra Eufraten: promisit enim *Carasancor*, de castellanis & habitatoribus castrorum confidens, quòd citò & leuiter Tartaris traderentur: sed mutatis castellanis cæterisque per Soldanum, promissum implere non valuit. Post mensem igitur obsidionis, propter defectum victualium, & maximè herbatici: dicuntur enim fuisse in ipso exercitu, præter cætera animalia, mille millia bestiarum caballinarum: & quia morbus, vulgariter dictus *pedana*, equos inuaserat: quia etiam Soldanus cum magno exercitu in Damascum venerat: habitâ deliberatione *Carpanda*, ad deducendum æstiuum tempus, ad contratam Baldacensem transiit; misitque ad fratrem matris suæ *Herengi*, qui suâ concessione dominabatur in Turchia, veniebatque eius iussu contra Soldanum, quatinus rediret & ipse. Ex hiis omnibus liquet apertè quàm debilitata sit Ægyptii Soldani potentia; quàm apta tempora populo Christiano ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis sceleratis.

A.D. 1307. | A. Dni. 1309. | A. Dni. 1310. | A. Dni. 1313.

QRARTADECIMA PARS, CONTINET LOCORVM DISPOSITIONEM, MAXIME TERRÆ SACNTÆ: habens capitula XII.

CAP. I.

Continet situm prouinciarum adiacentium Terra Sancta.

TERRA Sancta Promissionis in *Syria* est, quæ comprehendit totam terram à Tygri vsque in Ægyptum: habes ab Oriente, Tygrim; à Meridie, sinum Arabicum; Ab Occasu, mare Mediterrraneum; A Septentrione, Armeniam & Cappadociam. Hæc autem totalis Syria, in plures partiales diuiditur. Prima enim Syria, quæ inter Tygrim &

Eufraten protenditur, per longum à Septentrione in Meridië: id est, à monte Tauro vsq; ad sinum Arabicum: & vocatur *Mesopotamia* Syriæ: de qua *part. VII. cap. I.* In ea sunt *Edissa*, quæ in Tobia vocatur *Rages*: vulgariter dicitur *Roasse*: ad XIV. leucas vltra Eufraten, inter montes Taurum & Caucasum: de qua *part. V. cap. II.* & huic parti Aquilonari appropriatur nomen totius: & vocatur, strictè loquendo, *Mesopotamia Syriæ*. Sunt etiam in ea *Niniue*, & *Babylonia*. Diuiditur quoque hæc Syria in prouincias, Medam, Caldeam & Persiam: vt figura docet. Secunda Syria, dicitur *Syria Celes*: à fluuio Eufrate & Tauro monte, vsque ad fluuium Abana, qui in ciuitate Valaniæ, sub castro Margath, intrat mare: In hac Syria, *Antiochia* metropolis est. Tertia Syria, dicitur *Syria Phenicis*: quæ incipit à dicto fluuio Valaniæ, & extenditur versus Austrum vsque ad Petram incisam: quam *Districtum* vocant, sub monte Carmeli, & nunc vocatur Castrum Peregrinorum; & extenditur versus Oriens, vsque ad introitum Emath: vndè in ea sunt *Capharnaum*, *Margath*, *Anteradum*, & reliquæ ciuitates: metropolis in ea est *Tyrus*. Quarta Syria, dicitur *Syria Damasci*: quia in ea metropolis est *Damascus*: dicitur & Libanita, quia mons Libanus in ea præclarus habetur: vocatur sæpè & Syria absolutè iuxta illud Isay. *Caput Syriæ Damascus.* Dicuntur etiam Syriæ, tres Palestinæ: vndè quinta Syria est Palestina, quæ propriè *Philistym* nominatur: cuius metropolis est *Cæsarea*, incipiens à Castro Peregrinorum, & tendens versus Meridiem, supra mare Mediterraneum, contra Austrum, vsque Gazam. Sexta Syria, est alia *Palestina*, cuius metropolis est *Ierusalem*, cum omnibus montanis vsque ad Mare Mortuum, & vsque ad desertum Cadesbarne: hæc strictè *Iudæa* dicitur nomine totius parti attributo. Septima Syria, est alia *Palestina*: cuius metropolis est *Bethsan*, sita sub monte Gelboe iuxta Iordanem: quæ Galilea & campus magnus Esdrelon. Dicuntur etiam Syriæ, *tres Arabiæ*: vndè octaua Syria est, cuius Metropolis est *Bostron*, quæ nunc dicitur Buzereth, olim verò Bersa. Huic coniungitur Traconitidis regio, & Iturea ab Occidente, & ab Aquilone penè Damascus: propter quam vicinitatem hæc Arabia, *Syria Damasci* aliquando vocatur: vndè *Aretha*, Rex Arabiæ dicitur, qui secundum veritate fuit Rex Damasci. Nona Syria, est *Arabia*, cuius Metropolis est *Petra*, olim dicta Nabath, & Ar, & Arcopolis, sita super torrentem Arnon, in confinio Moabitarum ac Amorreorum: fuit quoque de regno Seon Regis Esebon; & includebat regnum Og Regis Basan, & montem Galaad: & coniungitur primæ Arabiæ ex parte Australi. Decima Syria, est *Arabia* cuius Metropolis est *Mons-Regalis*, qui nunc *Crach* dicitur; Olim tamen *Petra deserti* vocabatur: sita vltra Mare Mortuum: & continet sub se terram Moab: quæ propriè *Syria Sobal* dicitur: & totam continet Idumeam, siue montem Seyr, & totam terram circa Mare Mortuum, vsque ad Cadesbarne, & vsque ad Syon Gaber, & Aquas contradictionis, versus Mare Rubrum, per latissimas solitudines vsq; ad Eufraten. Hæc est *Arabia magna*, & prima: & dicitur *Arabia Edemon*, id est sacra: in ea adoratur, in ciuitate Mecha, spurcissimus Mahumeth.

Esai. 7, 8. | 10 | 20 | 30 | 40

Cap. II.

Continet totius Syriæ maritimam regionem.

II. EXeuntibus Armeniam Minorem occurrit via arta inter montes & mare, & vocatur *Passus Portellæ*. Inde, media dietâ per maritimam, peruenitur *Alexandretam*: & indè transitur *Montagna Nigra*: & alia media dieta, peruenitur ad duo castra *Bagaras*, & *Trapasa* ad pedem montis: indè est media dieta in *Antiochiam*: & de Antiochia sunt decem milliaria vsque ad mare, & portum vocatum *Soldyn*, vel portus Sancti Symeonis, de quo *part. V. cap. IV.* & *part. VII. cap. I.* De portu Sancti Symeonis vsque *Pulzyn*, milliaria XX. De Pulzyn vsque *Gloriatam*, XX. milliaria. De Gloriata vsque *Lizam*, decem milliaria. De Liza vsque *Lenam*, X. milliaria. De Lena vsque *Valaniam*, V. milliaria. Supra Valaniam, ad V. milliaria, ad vnam leucam à mari, est castrum munitissimum *Margath*: quod fuit Hospitalis: & in fluuio, qui Valaniam præterfluit, (*superiori capitulo*,) terminatur Antiochenus Principatus, & incipit Tripolitanus. De Margath vsque *Tortosam*, XX. milliaria: & vocata est *Anteradum*, quasi ante radium sita. Est autem Aradium

50

Insula

Insula in corde maris sita, & à terra firma per mediam leucam distās: in qua erat ciuitas, quam ædificauit Aradius filius Chanaam: in qua beatus Petrus inuenit matrem Sancti Clementis. Ibi beatus Petrus in Antiochiam transiens, paruulam ædificauit Ecclesiam, ad honorem beatæ virginis: & dicitur fuisse prima Ecclesia ad honorem eius erecta: propter quod piissima mater DEI, multa ibi operatur miracula, ita vt etiam ab infidelibus in reuerentia habeatur. A latere Anteradii, ad dimidiam leucam, contra Orientem, sunt montana quædam, vbi quidam habitant Saraceni: & dicitur *terra Asasinorum*, vbi dominabatur *Vetulus* de montibus, de quibus infra dicetur. De Tortosa ad octo leucas, est castrum *Arachas*, quod Aracheus filius Chanaam ædificauit: *part. v. cap. VII.* Ibi terminatur Libanus, & Antelibanus. De castro Arachas ad dimidiam leucam, est oppidum *Sin*, quod ædificauit Syneus filius Chanaam: quidam castrum vocant Sinochim: ab hiis, castro & oppido, est planities magna & amœna & fertilis vsq; ad castrum *Crach*, quę fuit Hospitalis; & durat per decē leucas vsq; Tortosam: planities multa habet casalia, & pulchra nemora oliuarum, ficuum, & huiusmodi: habundat etiam fluminibus, & pascuis pinguibus supra modum. Vnde Turchemanni, & Madianitæ, & Beduini, ibidem habitant in tabernaculis, cum vxoribus, & filiis, & animalibus. Planitiem istam circumdant montana ab Oriente, non multùm lata, quæ incipiunt iuxta Arachas, & protenduntur vsq; Baracha: ibi habitant Saraceni, qui dicuntur *Vanini*: gens effera & malitiosa ac Christianis infesta. De Tortosa ad XX. milliaria est *Tripolis*: de quo *part. VI. cap. XVIII.* De Tripoli ad quinq; milliaria, *Nephyn*. De Nephyn ad quinq; milliaria, est *Botrum*, vulgariter dictū *Botron*. De Botro ad XI. milliaria, est *Biblium*, vulgariter dictum *Zibelet*, antiquitus Euea, quam fundauit Eueus filius Chanaam: de quo *part. VI. cap. XVIII.* De Biblio ad quinq; milliaria, est *Beritum*: de quo *part. VI. c. VI.* & inde ad tres leucas versus Botron, in flumine, [qui Canis vocatur] est locus, qui *Passus canis* dicitur: & est confinium inter Patriarchatum Antiochenum & Ierosolymitanū: & est locus immeabilis per terram, nisi de voluntate Saracenorum: pauci enim prohiberent passum cuicunq; multitudini: [inter montem enim præruptum & mare, est via nequaquā latior. I. torse; longitudo verò eius quasi ad quartam partem vnius leucæ extenditur.] De hiis omnibus vide supra *part. VI. cap. XVIII.* De Berito ad XX. milliaria est *Sydon*, vulgariter dicitur Sageta: de qua *part. VI. cap. VI.* De Sydone ad duas leucas, est *Sarepta*: de qua suprà. De Sarepta ad duas leucas, est fluuius *Elenterus*: in Iturea nascitur sub Assor, & versus Oriens primo tendens, redit versus Occidens; & fluit sub castro Belfort, quod fuit Militiæ Templi iuxta Horma: vsque quò persecutus est Iosue XXIV. Reges, *Iosue XI.* Hucusque persecutus est Ionathas Regem Demetrium. *I. Machab. XII.* Tandem inter Sareptam & Tyrum mare intrat. De fluuio Elentero ad tres leucas, est *Tyrus*, vbi Origenes sepultus est: multæ sunt in ea sanctorum reliquiæ. Ibi enim coronatorum martyrum multitudo, Diocletiani tempore, soli DEO nota est. De Tyro vide multa *part. VI. cap. XI. & XII. & part. VII. cap. I.* De Tyro infra vnam leucam, est *Puteus* ille mirabilis *Aquarum viuentium*, quasi ad iactum sagittæ, iuxta viam ducentem ad loca sequentia: cuius aquæ, *Cant. IV.* fluunt impetu de Libano: & licet dicatur puteus singulariter, sunt tamen quatuor eiusdem dispositionis, sed imparis quantitatis: vnus enim, in quadro positus, per latus habet cubitos XL. alii tres circa XXV. omnes sunt muris & lapidibus fortissimis circumdati, & quasi opere indissolubili, eleuatis ad astæ altitudinem, & vltra: sicque in eis aqua colligitur, quod ad omnem partem defluit vltra muros. Sunt ibi & aquæductus profundi & lati ad hominis vestigium, quibus aqua ad vniuersam Tyri planitiem deducitur. Distant autem hii fontes à mari parum vltra iactum sagittæ; & in paruo hoc spatio impellunt molendinorum rotas sex. Huic fonti rectè conuenit illud Ecclesi. XXIV. *Rigabo ortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum: & ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare* ⁀. De hoc supra *part. VI. cap. XVIII.* De puteo parum vltra vnam leucam, est castrum *Scandalium*: de quo part. *VI. cap. VIII.* De Scandalio ad tres leucas, pertransito mōte *Sarona*, ad radices eius, *casale Lamberti* iuxta mare, ortis, vineis & aquis abundans. De casali Lamberti ad quatuor leucas, est *Acon*, quæ & Ptolomayda, & Abiron vocata est. Hanc nunquam possederunt filii Israel: de ipsa, *part. VI. cap. IV.* De Acon ad tres leucas, est *Cayphas*, sub

pede Aquilonari montis Carmeli: *part. vi. cap. iv.* De Caypha ad leucam, est via quæ ducit ad Castrum Peregrinorum: super montem Carmeli, quasi ad dimidiam leucam, est *spelunca Helyæ*, & mansio Helysei, & fons vbi habitabant filii Prophetarum. In Carmelo etiam postea habitauerunt fratres *Carmelitæ*. De Caypha ad tres leucas, est *Castrum Peregrinorum*, munitissimum: & erat Templariorum: situm in corde maris. De Castro Peregrinorum ad tres leucas, est *Cæsarea Palestinæ:* compassus ponit xx. milliaria: de ea, *part. vi. cap. iv.* De Cæsarea ad duas leucas, est munitio *Assur*, vel Dora: compassus ponit milliaria xv. Fuit autem Templariorum, qui etiam post eius amissionem, annuatim soluebant domino Assur xxviii. millia Bizantiorum: de ea, *part. iii. cap. iv.* De Assur ad octo leucas, est *Iopen*, super mare sita, vulgariter dicitur *Zapha*, de ea, *part. vi. cap. iii.* De Iopen ad decem milliaria, *castrum Beroardi*. De castro Beroardi ad decem milliaria, est *Ascalona:* de qua, *part. vi. cap. viii.* De Ascalona ad xv. milliaria, *Gaza:* de qua, *part. vi. cap. xviii.* De Gaza vsque *Darum*, milliaria xv. de quo, *part. vi. cap. xviii.* & ibi finis Terræ Promissionis. De prædictis tamen supra *lib. ii. part. iv. capit. xxv.* aliquid tactum est.

Cap. III.

Continet situationem locorum notabilium Sanctæ Terræ Promissionis.

III. Terræ Promissionis *longitudo*, pertrahitur à *Dan*, quæ est sub monte Libano versus Aquilonem, vsque in *Bersabee*, quæ est versus Meridiem, & prope desertum Ægypti, in spatio leucarum lxxxiii. *Latitudo* verò eius, protenditur à mari Mediterraneo ex parte Occidentali, versus Oriens, per leucas xxviii. Imaginemur itaque Terram Promissionis diuidi per lineas in xxviii. spatia, quæ protenduntur à monte Libano vsque ad desertum quo itur in Ægyptum; & in lxxxiii. spatia: tractis lineis super priores transuersaliter ab Occidente in Oriens, ita quòd resultent, ad quantitatem vnius leucæ siue duorum milliarium, plurima loca quadrata. In Primo igitur spatio & supremo, quod est versus Oriens, incipiendo à Septentrione, & procedendo versus Meridiem, in quadro liii. est *Ar:* nunc Arcopolis, vel Petra. In lxxvi. est Petra deserti, siue Mons Regalis: de quo supra *part. vi. cap. viii. & xviii.* In Secundo spatio, quadro xii. est *Bosra*, nunc Idumea. In tertio spatio, quadro l. est *Esebon*. In lxi. est *Othonaym*. In quarto spatio, quadro xxxvi. est *Macheronta*, vel Manaym, nunc Haylon: vbi latuit Dauid; & Iohannes Baptista positus fuit in carcere. In xliv. est *Ayr*, vel Auoth Seyr. In lv. *Sethyn*. In quinto spatio, quadro viii. est *Baalgad*. In xxi. est *Cedar*, gloriosa ciuitas & munita in monte Sanyr: indè transit via, quæ ducit de Achon, per littus Aquilonare maris Galileæ, & per Cedar, in Aram: & inde Isay. ix. dicitur *via maris:* quia omninò procedit in littore maris Galileæ, transiens per vallem [terræ Asser] quæ nunc *Sancti Georgij* appellatur, in sinistro habens ciuitatem Saphet: Et hæc pars dicitur *Galilea gentium:* dicitur etiam *trans Iordanem*, quia ducit vltra Iordanem in regionem, quæ dicitur *Aram:* additur quoque Galileæ gentium, quia Galilea ibidem in Iordane terminatur. In sexto spatio, quadro xiii. est *Sueta*, vndè fuit Baldac Suites: Sub hac ciuitate, versus Cedar, conuenire Saraceni soliti sunt de Arã, & Mesopotamia, & Haman, & Syria Moab, & Amon, & tota terra Orientali, circa fontem Fiale: & ibi propter loci amœnitatem, toto æstiuo tempore nundinas celebrant, & erigunt tentoria diuersorum colorum, quæ de ciuitate Cedar aspicientibus pulchrum valdè præbent aspectum. Hæc in Canticis vocantur *tabernacula Cedar*. (Cant. 1, 4.) In xxxix. est *Basan*. In lii. *Iazer*. In septimo spatio, quadro xi. *Sepulchrum Iob:* & indè ad vnam leucam, incipit ascensus montis *Sanyr*. In xxiv. *Gadera*. In xxxiii. *Effrem*. In xxxvi. *Phanuel*. [In xxxviii. *Iabes*.] In xlv. *Eleale*. In l. *Sartan*. In lviii. *Ecclesia Iohannis Baptistæ*, vbi Christus baptizatus est. In lxii. Engalym, supra Mare Mortuum. In octauo spatio, quadro xxx. *Pella*. In xli. *Ernon*. In xlviii. *Betesmuth*. In lxi. *Betagla*, vbi filii Israël planxerunt Iacob patrem suum, quando tulerunt eum de Ægypto: & distat vnâ leucâ à Iordane. In nono spatio, quadro xxii. *Corazaym*, in principio maris Galileæ. In xxvii. *Gerasa*, à qua regio Gerasanorum. In xxxviii. *Sochor*. In lviii. *Iericho:* de qua supra *part. i. cap. iii.* In lxxxii. Afasantomar. In decimo spacio, quadro xxxviii. *Salim*. In xli. ædificatum fuit altare miræ magnitudinis. In xlix. *Dotum*, post se habens ad Aqui-

Aquilonem terram Tampne. In Doto, Ptolomeus, filius Abbobi, insidiosè cepit Simeonem Machabeum, De Doto est pulcher aspectus ad Orientem, versus Fasga; Macch. 15, 11 & Meridiem, vsque Iericho. In LVI. est *Galgala*, vbi filii Israël circumcisi sunt, ac diu immorati. Post Galgalam, propè sequitur *vallis Achor*: sic dicta, quia Achor ibi Io. 7. 24. &c. lapidatus est. In *vndecimo* spatio diuiditur *Libanus* à monte *Hermon*, sub quo est Damascus à parte Septentrionis: de quo *part. VI. cap. XIX.* & in hac diuisione montium est via quæ ducit Emath. Quadro autem XX. est mons vocatus *Mensa*, vbi satiauit Dominus quinque millia hominum: ibi fecit sermonem in monte, in orationibus pernoctauit: de isto monte videtur omnis regio in circuitu ad decem leucas, & vltra: est autem mons longus, ad duos iactus sagittæ; latus, ad iactũ lapidis. Ad pedem eius oritur fons, iuxta mare Galileæ ad XXX. passus, quem dicunt venam Nili: quia piscem *Corconum* producit, qui alibi quàm in Nilo non reperitur. De isto fonte ad XX. passus, supra mare Galileæ, est locus vbi Christus post resurrectionem apparuit septem discipulis piscantibus; & indè ad X. passus, est locus vbi discipuli, egressi de naui viderunt prunas, & piscem suprapositum. In XXI. est *Cafarnaum* propè latus Aquilonare maris Galileæ, ad duas leucas: ibi ostendebatur domus & locus sessionis in strata Regia, vndè à Christo Mattheus vocatus est. In LI. *Fasaelis* vel Fasael, tribus leucis distans à Iordane, in campestribus, vbi torrens Carith descendit de monte, in quo loco mansit Helyas, quando corui deferebant ei cibum. *III. Reg. XVII.* In LVII. est *Quarentena*, vbi Christus ieiunauit: sed in alio monte tentatum asserunt qui distat per duas leucas à latere Bethel & Hay Australi. Subtus Quarentenam, ad duos iactus sagittæ, oritur *fons Helysei*, quem sanauit: fluit autem circa Galgalam, à parte Australi, & impellit ibi magna molendina, & postea diuisus in riuos plures rigat ortos, & fluit postea in Iordanem. In *duodecimo* spatio, quadro XXII. est *Bethsayda* ciuitas Petri & Andreæ, & Philippi iuxta viam quæ ducit de Syria in Ægyptum, vbi mare curuari incipit versus Austrum. In XXVIII. *Tyberias*, à qua mare Tyberiadis nuncupatur: antiquitus dicta est Cenereth: per longum extenditur iuxta mare, & in eius Australi latere balnea medicinalia sunt. In Tyberiade terminatur regio Decapoleos: cuius termini sunt mare Galileæ ab Oriente; Sydon ab Occidente: & hæc est longitudo eius: in latitudine verò, protenditur à Tyberiade, & toto latere Aquilonari maris Galileæ, vsque ad Damascum: & dicitur Decapoleos, à decem ciuitatibus principalibus quæ sunt Tyberias, Saphet, Cedesneptalim, Asor, Cæsarea, Capharnaum, Ianapara, Bethsayda, Corozaym, Bethsan, quæ & Sicopolis. Habet quoq; hæc regio diuersa nomina, quia dicitur Decapolis, Iturea, Roob, Kabul, Galilea gentium: extenditur tamen Iturea vsque propè Beritum, quod distat à Sydone versus Septentrionem per leucas circa XX. In LIX. castrum *Dumi*, in via quæ ducit à Ierusalem in Iericho, ad dexteram. In LXXII. *Herodium*, vbi Herodes sepultus est. In LXVII. *Massada*, castrum inexpugnabile, quod ædificauit Herodes in colle Achillæ. In tredecimo spatio, quadro XXIV. est *Magdalum*, castrum Mariæ Magdalenæ: & habet à parte Occidentis & Aquilonis, planitiem magnam & pascuosam. In XLVII. *Amon* amœno loco situm, & vniuersis bonis abundat. In LVI. *Hay*, de quo *supra part. I. cap. III.* In LXIX. est oppidum *Zyf*, iuxta desertum, qui etiam dicitur Zif, vbi latuit Dauid: cui directè ad Austrum adiacet desertum *Mahon*, in quo est mons Carmelus, vbi habitabat Nabal. In decimoquarto spatio, quadro. II. *Suba*, quæ in Canticis dicitur *turris Libani*. In XV. est *Cedes Neptalim* de qua fuit Barach filius Achinoë, Cant. 7, 4. qui pugnauit contra Sysaram, in monte Tabor: fuit ciuitas fugitiuorum, & fertilis Iud. 4. 6. multum. In XXV. *Bethulia*. In XXXI. *Belueir*. In XXXIV. *Betsan*, quæ & Sycopolis, inter Gelboe & Iordanem: in cuius muro suspenderunt cadauera Saulis & filiorum. In XLIII. *Tersa*, vbi primò regnauerunt Reges Israel. In LIV. *Baurim*, & lapis Boem. In LXIII. *Tecua*, vndè fuit Amos, & ibi sepultus, quem Rex Israel Ocozia per timpora transfixit: huic ciuitati adiacet desertum Tecuæ. Inter Tecuam & Engaddi est vallis Benedictionis, vbi Iosaphat vicit Idumeos & filios Amon. In decimo quinto spatio, quadro XXX. pugnauit *Barah* contra Sysaram. In XXXIII. fuit pugna *Saulis* vltima. In LIV. palma Debboræ: de qua *Iudic. IV.* In LV. *Bethel*, siue Luza, vbi vidit Iacob scalam. In LVII. *Effrem*. In LIX *Bethania*. In LXII. Turris Gregis siue *Ader*. In LXVII. *Bosra* vel Bethsur. In decimo sexto spatio

Marginal notes: Iof. 20, 7. (line 48); I. Reg. 31, 10 (line 50); Gen. 28, 12. (line 57)

quadro XIX. Saphet. In XXII. *Neptalim* Tobiæ. In XXV. *Dotaym*, sub monte Betuliæ: locus abundans arboribus & pascuis. Ibi in campo ostenditur cisterna, in qua positus fuit Ioseph: & est iuxta viā quæ de Galaad veniens, coniungitur in Bethsayda cum via quæ de Syria ducit in Ægyptum, ascendens de Dotaym iuxta montem Betuliæ, & indè per campum Esdrelon, procedens sub monte Tabor ad sinistram per campum Magedo, ascendit montem Effraym, & per Gazam ducit in Ægyptum. Dotaym autem æquiuocum est ad oppidum & ad vallem. In valle verò Dotaym. Syri vallauerunt Helyseum *IV. Reg. VI.* & ipse in medio Samariæ duxit eos. In XXXVII. *Bereth*. In XLV. *Dan*, vbi erat vitulus aureus. In. LVI. *Rama*: de hac putant dictū illud Ierem: *Vox in Rama audita est*: est & alia Rama iuxta Thecuam, in via quæ ducit Ebron; alia in tribu Neptalim non longè à castro Saphet; alia iuxta Sephorum; alia est Sylo: & omnes in altis collibus sitæ sunt; alia prope Lidam: de qua *part. VI. cap. IV.* In LIX. Ciuitas Sancta *Ierusalem*: de qua supra *part. VII. cap. II.* & infra, *cap. VII.* In LXI. Sepulchrum *Rachelis*. In LXX. *Ebron*, ad dexteram Mambre: est Ebron antiqua, in qua regnauit Dauid septem annis, in monte alto: & est destructa. Indè ad tres iactus sagittæ, versus Meridiem declinando ad Orientem est Ebron noua, vbi erat spelunca duplex. Ab ista spelunca contra Occidentem ad bonum sagittæ iactum, est ager Damascenus, de quo supra *part. VII. cap. II.* De loco autem vbi ager foditur contra Austrum ad iactum sagittæ, est locus vbi Cain occidit Abel. Item ab eadem fossura contra Occidentem, quantum bis iacere potest arcus, in monte quodam à latere Ebron veteris Australi, est spelunca quædam in rupe, habens in latum XXX. pedes, & tantundem in longum, vbi Adam & Eua luxerunt mortem Abel, vbi lectuli eorum ostenduntur: & ibi oritur quidam fons. In LXXIII. *Dabir* vel *Cariathsefer*.

[Ier. 31. 15.] [Matt. 2. 18.]

In decimo septimo spatio, quadro VI. est *Lachis*, quam ceperunt filii Dan, & nomine patris sui vocauerunt eam Lesedan: dicitur & simpliciter Dan, & Cæsarea Philippi, nunc *Belinas*: antè portum huius ciuitatis conueniunt Ior & Dan, & efficiunt Iordanem. In XIII. Tabernaculum *Eber Cinei*. In XVII. Kabul: Saraceni vocant hoc *castrū Zabulon*, quod sonat displicentia. *III. Regum IX.* In XXIV. *Abelina*. In XXXI. *Gedeon* pugnauit cōtra Amalech. In XLIII. *Sebaste*, vel *Samaria*; situs ciuitatis erat pulcher valdè & aspectus latus versus mare, è monte Carmeli vsque Iopen. In XLV. est *Sichem*, nunc Neapolis: & ad duos iactus sagittæ, est fons Iacob, de quo Ios. IV. ad cuius dexteram est *Garizi*, quem locum putant Samaritanam ostendisse, quando dixit *Patres nostri in monte hoc adorauerunt*: ad sinistram verò oppidum, quod putant antiquum Sicen; & secundam Sichen putant oppidum Thebes: & distant ab inuicem per duos iactus sagittæ, dicto etiam fonti adiacet prædiū quod dedit Iacob Ioseph, & est vallis longa, fertilis, & amœna valde. In Sichem sepulta sunt ossa Ioseph. In LIV. est *Magina*, nunc Bita, terminus tribus Effraym: oppidum satis magnum. In LV. est *Gabaa* Saulis, vbi oppressa fuit vxor Leuitæ: *Iudic.* & vndè Saul oriundus fuit *I. Reg.* In LVII. est *Astaroth*. In LXI. est *Bethsura*. In LXIII. est *Bezet*. In LXVI. *Betacare*, ciuitas in alto sita. In LXVII. *Rama*, in colle sublimi vndè videtur tota Arabia, vsque ad montem Seyr, & latibula Dauid, & omnia circa Mare Mortuum, & vsque ad montem Abarim; & versus Occidens totum littus maris à Ramata vsque Bersabee, & desertum Sur. In LXIX. est *Mambre*, vbi habitauit Abraham: & ibi ilex, quæ vsque ad tempora Theodosii Imperatoris permansit, teste Ieronymo, & suum esse dilatauit: & ex illa hæc fuisse perhibetur, quæ in præsenti ab illic præsentibus videtur, & cara tenetur: quæ licet arida, Medicinalis tamen probatur: si enim equitans de ea secum portauerit, animal suum non infunditur.

[Iohan. 4. 20.] [Iud. 19. 14.] [1. Reg. 10. 29]

In spatio *decimo octauo*, quadro XI. est *Asor*, munitissima. *Ios. VI.* In XXI. est *Naason*, in valle. In XXX. est *Endor*. In XXXIV. *Iezrael*, in Occidentali parte montis Gelboe, in loco aliquantulum edito: nunc dicitur *Carethi*: ante cuius portam adhuc ostenditur ager Naboth. Iuxta ciuitatem nascitur fons, ad iactum sagittæ de Iezraël est pulcherrimus aspectus, & videtur tota Galilea, vsque ad montes Phoeniceæ, & Tabor, & Carmelum, & montem Effraym. In XXXVIII. *Zamin*, vel Zilim: vbi decem leprosos mundauit Christus. In XLVI. templum in monte *Garizim*, de quo supra *part. I. cap. X.* & ibi iuxta est *Ebal*, vbi Iosue constituto altari, Domino obtulit holocausta, scripsitque Deuteronomium, id est, mandata tantum de vtro, secundùm aliquos: & posuit vnam partem populi cum Sacerdotibus & Leuitis in Ebal, aliam partem cum Sacerdotibus & Leuitis in Gari-

[Ios. 11, 13.] [Luc. 17, 11.] [Ios. 8, 30. &c.]

Garizi: & clamauerunt sibi alternatim benedictiones & maledictiones, sicut illis mandauerat Moyses. In XLIX. *Lepna* casale pulchrum: & est alia Lempna in tribu Iuda. In LVIII. *Bethoron* inferior. In LXI. domus *Zachariæ*, vbi Maria salutauit Helisabeth. In spatio decimo nono, quadro XXVI. *Ruma*: vbi Ionas sepultus est, indè translatus in Rauennam. In XXVIII. est *Tabor*. In XXX. *Naym*: vbi CHRISTVS filium viduæ suscitauit. In XXXIII. *Achab* pugnauit contra Syros. In XXXV. *Nechao* occidit Iosyam. In LVI. *Sylo*, in monte: qui locus dicitur ad *Sanctum Samuelem*: distat vna leuca à Gabaa Saulis, & plus; & à Rama similiter: ibi longo tempore fuit archa, & tabernaculum fœderis, quod fecit Moyses. In LVII. *Gabaon*: vnde venientes Gabaonitæ fraudulenter inierunt pactum cum Iosue *cap. XXII.* sub monte sita est. In LVIII. est *Nobe*: vbi Saul interfici iussit Sacerdotes. *I. Reg. XII.* In LXVIII. *Neelescol*: vndè duo viri tulerunt palmitem. In vicesimo spatio quadro XXXI, est *Suna*, in latere Hermon, ad sinistram viæ quæ duxit Iezraël: hanc frequentare consueuit Helyseus, de Carmelo vadens in Galgala *IV. Reg. IV.* Indè enim transibat per Betsan in campestria Iordanis, quia via est planior: de Suna etiam fuit Abisag Sunamitis quæ Dauit seruiuit *III. Reg. capit. I.* In XLVI. est *Tampnatsare*: vbi sepultus fuit Iosue In LVIII. *Socoth*. In LX. *Emaus*, nunc Sycopolis: & ibi propè *Bethsame* Iudæ, ad differentiam alterius quæ est in Effraym. In LXVI. Sycelech. In XXI. spatio. quadro XIX. ad Sanctum Georgium: vndè idem Sanctus putatur oriundus: casale situm inter Montana, in valle pingui & amœna, quæ protenditur vsque ad mare Galileæ, in tribu Aser, cui dicitur Gen. *Aser pinguis panis eius.* In XXVII. *Nazareth.* In XXX. *Mesraa.* In XXXI. *castrum Fabæ*, & *Ruma* Aset, extra viam quæ ducit Iezrael, in cãpo magno Esdrelõ vel cãpo Magedo, vel plano Fabæ, vel Galilea inferiori, vel planitie Galileæ: & tenet à Tyberiade per Bethsan vsque Magedo, & montem Effraym, redeundo iuxta montem Tabor & Bethuliam in Tyberiadem. In LIII. *Aretha.* In LVII. *Cariathiarim.* In LXI. *Baptismus Eunuchi.* In XXII. spatio, quadro XIV. *Thoronum*, castrum munitum valdè, quod dominus Tyberiadis contra Tyrum ædificauit; & septẽ leucis distat à Tyro; de quo *part. VI. cap. V.* In XXII. est *Cana* Galileæ. In XXV. *Sephorum* de quibus infra *cap. VII.* In LV. *Maceda.* In LXXVII. *Alba Specula*: de qua *part. VI. cap. XVIII.* In XXIII. spatio, quadro XXVIII. *castrum Regium* domus Theotonicorum: habundat fructibus & omnibus bonis, & in circuitu pauci fructus reperiuntur. In XXXV. est *Magedo* vel *Sububa.* In LVII. *Lachis.* In LXII. *Sepulchrum Machabeorum*: & videtur de mari, quia locus altè situs est. In LXXII. *Tampna.* In XXIV. spatio, quadro XVIII. *Mons fortis.* In XIX. *Iudyn*, castrum domus Theotonicæ, in montanis Saron. In XXIX. *Kaymont*, vbi *Lamech* sagitta interfecit Cain. *Gen.* In XXXVI. Cacouelanathat. In L. *Sarona*, in monte Saron. In LIX. *Bethsames.* In LXVI *Saraa.* In LXIX. *Staol.* In LXXXI. *Bersabee*, vel Ziblin: de quo *part. VI. cap. XV. & XVIII.* In XXV. spatio, quadro LI. *Lida*, vel Diaspolis. In XXVI. spatio, quadro LV. *Ramathaym* Sophym, quæ nunc *Ramula*: de qua *part. VI. cap. IV.* In XXVII. spatio, quadro VII. *Sarepta.* Sydoniorum: antè cuius portam Australem ostenditur capella, in loco vbi Helyas Propheta venit ad mulierem Sareptenam, vbi & mansit & eius filium suscitauit: & ostenditur ibi cœnaculum in quo quieuit. In XV. *Scandalium*: de quo supra *part. VI. cap. VIII.* In XXVI. locus vbi *Helyas* occidit Prophetas Baal. In LXI. *Acharon.* In LXV. *Azotum*: de quo supra *part. VI. cap. XVIII.* In XXVII. spatio, quadro III. *Sydon* magna: fuit autem in campo per longum disposita, tendens ab Austro in Aquilonem, sub monte Antelibano: de ruinis autem eius alia parua, sed munita ædificata est, & etiam ex parte vna in corde maris sita: habens hinc indè duo castra satis munita, vnum ab Aquilone, in rupe quadam in mari, quod ibidem ædificauerunt Peregrini Theotonici; aliud ex parte Australi, in colle situm: quæ castra cum ciuitate, tenebant milites Templi: & est ibi terra fertilis valdè, & aër saluberrimus. In XIII. *Tyrus.* In XVIII. *Acon.* In XXVII. *Caypha*: de quo *part. VI. cap. III.* In XXX. *castrum Peregrinorum* In XL. *Cæsarea.* In XLVII. *Arsur*, siue Dora, vel Antipatrida. In LII. *Iopen.* In LV. *portus Iudeæ*, iuxta Ianniam. In LVII. *castrum Beraldi.* In LXX. *Ascalona.* In LXXVII. *Gaza.* De hiis omnibus suprà capitulo præcedenti.

Luc. 7. 11.

Iosu. 9. 3.

Num. 13. 25

Gen. 49. 20

3. Reg. 17. & c.

3. Reg. 18. 40

CAP.

CAP. IV.

Continet dispositionem montium regionis quæ est vltra Iordanem, ad Orientem.

IV. VLtra viam quæ ducit Emath, de qua superiori capitulo dictum est, extenditur mons *Hermon* versus Orientem. Et nota, quia *Libanus*, & *Hermon*, & *Seyr*, vel *Sanir*, & *Galaad*, & montana quę sunt super torrentem Arnon, & quæ sunt inter Amon & Moab & Amorreos, sunt vnus mons continuus: secundùm tamen varias summitates, sortitur diuersa nomina. Mons tamen Galaad inter cæteros altior est, ita vt ad litteram, sic intelligi videatur illud Ierem. *Galaad tu mihi caput Libani.* Extenditur autem prædictus mōs Hermon, per leucas circa decem, deindè montium iuga flectuntur versus Meridiem. Primus autem montium huius, vocatur mons *Seyr*, vel *Sanir*: qui terminatur sub monte Galaad in loco opposito ciuitati Bethsan, & monti Gelboe: & vltimus, similiter *Seyr* dicitur iuxta desertum in fine Terræ promissionis, versus Meridiem: de quo dicitur Gen. XIV. quòd Codor Laomor, & alii Reges cum eo, percusserunt Coreos qui habitabant in monte Seyr: qui tunc non dicebatur Seyr, quia nec Esau, à quo mōns dictus est Seyr, natus erat: vnde per anticipationem creditur esse dictum, & Deut. III. dicitur: *Transibitis per terminos fratrum vestrorum filios Esau, qui habitant in monte Seyr.* Hoc dictum est in Cadesbarne, venturis ad hunc montem Seyr, qui illis propinquus erat: nam ad illum montem Seyr, qui est propinquus Damasco, non leguntur eo tempore venisse filii Israel. Hunc verò habitauit Esau cùm Iacob rediit de Mesopotamia: sicut enim legitur Gen. XXXI. quia Laban fugientem Iacob comprehendit in monte Galaad, & cum procederet, (*sequenti capitulo*) habuit obuiam Angelos Domini, & ait: *castra Dei sunt hæc*: & vocauit nomen loci illius *Manaym*, id est, castra: & est locus ille in eodem monte: & indè misit nuntios ad Esau, qui illuc redeuntes, dixerunt Esau illi occurrere cum viris quadringentis: tunc manens in castris, id est, *Manaym*, misit fratri munera. Cumq; maturè surrexisset cum vxoribus & filiis, transiuit vadum *Iaboc*, quasi ad tres leucas de Manaym. Et *XXXIII. capitulo*, vidit venientem Esau &c. Sequitur *Reuersus est itaque Esau illo die itinere quo venerat in Seyr.* Hoc autem de Seyr, qui est iuxta desertum ad Meridiem intelligi non potest, cùm distet milliariis plus quàm centum. Potuerunt autem in diuersis montibus vocatis Seyr habitare filii Esau, propter varias vxores quas duxit. Habuit enim vxorem, *Gen. XXXVI. Colibama* filiam Aries, filiæ Esebon Euei, qui habitabant in Sycopoli siue Betsan, iuxta mare Galileæ, propinqua monti Seyr: Aliam etiam habuit *Bethsemat*, filiam Ismaelis, sororem Nabaioth: & filii Hus habitauerunt in alio monte Seyr, iuxta desertum Pharan, propè habitationem Ismaelis aui materni: de quo dicitur Gen. XXXI. Quòd *factus est vir sagittarius, & moratus est in solitudine Pharan.* Est adhuc tertius mons *Seyr*, in finibus Azoti & Ascalonis, in distributione sortis Iudæ: & habitatores terræ illius *Idumei* dicti sunt: Vnde Antipater & Herodes filius eius, qui fuerunt Ascalonitæ, Idumei dicti sunt. Possumus & sic diuidere totam terram vltra Iordanem: quia primo à parte Septentrionis, est *Traconitidis* regio, sic dicta pro eo quòd aquis pluuialibus caret: colligunt autem aquas pluuiales in cisternis, & per tracones de loco ad locum conducunt: & vocatur in Ios. XI. *planities Libani*: extenditur autem vsque Cedar & mare Galileæ. Et est in prima eius parte terra *Hus*: in sequenti parte versus Meridiem, est dimidia tribus *Manasse*: deindè sequitur tribus *Gad*, sub monte Galaad: deindè sequitur tribus *Ruben*, & comprehendit regnum Seon regis Esebon: postea sequuntur campestria *Moab*, sub monte Abarim, in Setym, vbi longo tempore steterunt filii Israel cōtra Iericho. Et extenditur terra Moab vsque ad Petram deserti, per leucas fortè XX. Vltimò sequitur pars terræ *Amon*, quantum durat Mare Mortuum: & circuit eius latus Australe vsque ad montem Seyr, qui coniunctus est deserto Pharan iuxta Catesbarne, habens à latere desertum Sinai, & Mare Rubrum: terra tamen Moab & Amon, de Terra Promissionis non fuit.

Margin: Ier. 22, 6. — Gen. 32, 2. — line numbers 10, 20, 30, 40, 50

CAP. V.

Continet situm montium principalium cis Iordanem.

V. POst Hermon incipit *Libanus*: supra *cap. III.* & *Antelibanus*, vbi Asor super fluuiũ Elentherum: *part. VI. cap. VI.* & protenduntur per quinque dietas, vltra Tripolim

per

per leucas quinque. Vltra hos ad Meridiem occurrit mons *Saron.* supra *II. cap.* De Abelina verò ad magnam leucam, est mons *Bethuliæ*, vbi Iudith occidit Holofernē: qui mons per totam ferè Galileam videtur, pulcher & munitus; & extenditur versus Occidens vsque ad Chana Galileæ: & iuxta est vallis ad Meridiem in campo Dotaym, in qua se lauit Iudith, & quam girauit redeundo in Bethuliam. Est etiam sub eodem monte, versus Meridiem, planities à Chana Galileæ vsq; in Sephorum, fertilis & amœna. Post hunc versus Meridiem est alius mons, qui ab Occidente, vbi sita est Nazareth, fortè per octo leucas extenditur in Oriente: & ibi habet Dothaym. De Nazareth ad duas leucas, est mons *Tabor*: de quo infra *cap. VII.* & suprà montem Tabor, ad Orientem, est vallis Fabæ, quæ est vallis Regis. De monte Tabor ad vnam leucam, est mons *Hermon*, modicus, à quo descendit Hermonium, tumor quidam potius quàm mons, & coniungitur monti Tabor: & est in eo villa Endor, vbi erat mulier habens Phytonem: *in fine primi Regum.* Hermon verò, habens in latere Aquilonari Naym, extenditur ferè per quatuor leucas contra finem maris Galileæ. Sub montibus Nazareth & Tabor & Hermon, propè mare, est mons *Carmelus*: in cuius extrema parte, inter Orientem & Meridiem, [Lamech sagittâ interfecit Cain. *Gen.* De Carmelo, vide supra. Vltra Hermon ad Meridiem] sunt montes Gelboe: & extenduntur à Bethsan vsque Iezrael, versus Oriens, per tres leucas: & iuxta, ad iactum sagittæ oritur fons Iezrael, vbi posuerunt Philistim castra cùm esset Saul in Gelboe. Inter hunc fontem & Bethsan, etiam alius riuus fluit de monte Hermon, & isti coniunctus fluit per vallem mediam in Iordanem. Hæc vallis habet latitudinem quasi duarum leucarum, in qua etiam fuit pugna Gedeonis contra Madian. *Iudic. VII.* & Achab contra Syrios. *III. Reg. IX.* In hac etiam planitie versus Iordanem incipit Vallis illustris, & protenditur vsque ad mare mortuum. Post Gelboe ad Meridiem, est *Bereth*: vbi incipiunt *montes Samariæ*, inter quos & Iordanem sunt leucæ circa VI. & in ipso spatio est terra Tampne, quæ habet montes valdè altos & protenditur vsque ad campestria Iordanis. Mons verò vbi est Bereth bifurcatur versus Meridiem ad duas leucas. In monte alto, qui est versus Occidens, Ieroboam posuit vnum de vitulis aureis: & in monte altiori qui est versus Oriens, ad dimidiam leucam posuit alium. Licet aliqui putent quod in Dan, quæ dicta est Lachis. Et in valle inter hos montes sita est *Sichem*, quæ nunc Neapolis, delitiosa valdè: sed muniri non potest, quia ex vtroque monte collaterali, manu lapides proiici possunt in oppidum: de hiis suprà *III. cap. dictum est.* Postea secuntur ad Meridiem *montana Iudeæ*, & Ierusalem: De Ierusalem & Syon & circumstantibus, vide suprà *cap. VI. & VII.* & de *Quarentena* suprà cap. III. Post Quarentenam versus Meridiem extenditur mons *Engadi* altissimus, iuxta Occidentale littus Maris Mortui: & est mirabilis dispositionis, præruptas habens rupes & valles. In Engadi erant *vites Balsami*: sed tempore Herodis Ascalonitæ, Cleopatra Regina, fauente sibi Antonio, transtulit eas in Ægyptum, vbi à solis Christianis coli possunt. In fine Engadi est mons *Carmelus*, vbi habitauit Nabal: & vltrà, est Amalech: & adhuc vltrà, cōtra Mare Rubrum, est Cadesbarne, vndè Moyses misit exploratores: vbi longo tempore manserunt filii Israel; & inde montem Seyr iussi sunt circuire, quæ in Idumea est, adiacens deserto Maon, inter Orientem & Meridiem; & indè redierunt per viam Maris Rubri. De deserto Maon habetur suprà *cap. III.* De monte *Bethlehem*, infrà *capit. X.* Et de monte *Rama*, *suprà cap. III.* Et de montibus hæc sufficiant.

Iud. 12, 8.

CAP. VI.

Continet dispositionem aquarum, & fluminum Terræ Sanctæ.

IOrdanus ad radices nascitur Libani: suprà *cap. 3.* Dicunt autem de fonte qui *Fiala* appellatur, qui semper est plenus, & nunquam effluit, posito in sexto spatio, quadro XVIII. oriri fontem Dan, eò quòd paleæ in illo fonte positæ recipiuntur in Dan; & ideò dicunt ibi esse verum ortum Iordanis: vndè Saraceni vocant illum fontem, *Medan*, quod sonat, *aqua Dan*. Marcus vocat *Dalmanuca*, Mattheus, *Mageda*. *Iordanis* igitur tale habēs initium, fluens diuidit Ituream & Traconitidē regionē: & primò versus Oriens procedens, deindè versus Meridiem, medio quasi loco

Marc. 8, 10. Matth. 15, 39.

inter ortum suum & mare Galileæ, vallem ingrediens, in stagnum colligitur cùm niues de Libano resoluuntur: & vocantur *aquæ Maron*, vbi Iosue cum Iabyn Rege Asor, & aliis XXIV. Regibus dimicauit. Hæc aqua pro magna parte æstiuo tempore desiccatur: & nascuntur ibi arbusta, in quibus latitant Leones, Vrsi, & huiusmodi feræ: & sunt ibi venationes Regiæ. Deindè Iordanis procedens inter Capharnaum & Corozaim, *mare* ingreditur *Galileæ*, sic dictum ab adiacente prouincia Galileæ: dicitur etiam mare Tyberiadis, à proxima ciuitate: & mare Genezareth, quia continuè crispantibus vndis ventum generat, secundùm Bedam; vel à modica regione Genezara, quàm præterfluit: & habet in longitudine, secundùm Bedam, CXL. stadia; in latitudine verò, XL. Deindè Iordanis versus Meridiem tendens, *Mare Mortuum* intrat quod Arabiam diuidit à Iudea: & extenditur in longitudine versus Meridiem, leucis XXXV. & plus, minusue: vsque scilicet ad Cadesbarne, & desertum Pharan: & putant nonnulli quòd mari Rubro cõtinuetur: inter quæ maria computatur dietæ quinque; & ex hiis putant esse aquas intermedias, quæ Exod. XV. *aquæ Marath* appellantur. Dicunt etiam aliqui quòd aquæ Iordanis non intrant Mare mortuum, sed cùm illuc perueniunt absorbentur à terra: experti verò, aiunt quòd intrant & exeunt, & in fine aquæ Iordanis absorbentur à terra post modicum spatium, vndè & mare crescit, crescente Iordane ex resolutione niuium Libani, & aliorum montiũ, & multiplicatione pluuiarum. Est autem Mare hoc semper fumans, & tenebrosum sicut caminus inferni. In Iordanem à parte Orientis fluit vadum *Iaboch*, inchoans spatio secundo, quadro XLV, vadens nunc contra Occidentem, nunc contra Aquilonem; & propè mare Galileę ad três leucas, intrat Iordanem. Item torrens *Arnon*, inchoans in monte Phagor, & sub Iazer intrat Iordanem. Duo verò alii conformiter intrant Mare Mortuum, vnus in principio; alter vltra, versus Meridiem ad nouem leucas. A parte verò occidentali intrat mare Galileæ fluuius, quem Iosephus *paruum Iordanem* vocat: propè castrum Regium incipit, & ei iungitur alia aqua veniens de propè Kabul; & iuxta Bethsayda, intrat mare Galileæ: & iuxta eundem locum magis ad Meridiem, intrat alia aqua ex duobus fontibus veniens à lateribus Dotaym: & iuxta Magdalum intrat alia aqua veniens de monte Betuliæ. Oritur quoque de pede Orientali montis Tabor torrens *Cyson*, vbi Barach pugnauit contra Sysaram. Torrens iste Cyson collectus est de aquis pluuialibus montis Tabor, & Hermon, & Hermonym: & vna pars, descendit quasi ad finem maris Galileæ; alia verò pars, fluit in mare Mediterraneum prope Caypham ad vnum milliare; ad tria verò propè Ptolomaydam, & propè locum vbi intrat mare, vbi Helyas occidit Prophetas *III. Reg. XVIII.* Huic autem parti torrentis multæ aquæ iunguntur de monte Effraym, & de locis Samariæ & de toto campo magno Esdrelon, & Caymmonte & Magedo. A Meridionali verò latere Hermon fluens aqua, iungitur illi quæ fluit ex fonte Iezraël, & sub Bethsan intrat Iordanem. Fons quoque Iaboch, de quo suprà *III. cap.* intrat Iordanem [regionem] è regione Eleale. Torrens *Carith*, descendit de monte vbi Helyas à coruis pastus est, iuxta Phasael transiens versus Oriens. De *fonte Helysei*, suprà *cap. III.* dictum est. Aquæ etiam circa Ierusalem conuenientes, adiunctâ sibi aquâ de monte Engadi, sub Iordane initium Maris Mortui intrant. Mare verò Mediterraneum intrat primò à parte Aquilonis fluuius *Eleutherus*: de quo supra *cap. II.* Deindè procedendo versus Meridiem *puteus* est *aquarum viuentium*: de quo suprà *parte VI. cap. XVIII.* Deindè aqua de propè *castrum Regium*, transiens inter Montem fortem & Iudyn, iuxta casale Lamperti mare ingreditur. Deindè iuxta *Ptolomaydam* intrat fluuius de propè veniẽs, fortè ad milliaria quinque. Deindè torrens *Cyson* de quo immediatè suprà. Deindè venit aqua de propè *Sycelec*, & inter Cęsaream & Assur intrat mare. Deindè ex loco medio inter domum Zachariæ & Emaus per vallem *Raphaym*, transit fluuius iuxta Ramatha, & propè Iopen intrat mare. Postea de propè *Bethsuram* descendit aqua, primò fluens versus Occidens; deindè propè Meridiem, & tunc ei iungitur fons inuocantis de maxilla, veniens à parte Aquilonis: & ibi propè fuit baptismus Eunuchi: & descendit vltra Staol, propè Ascaloniam, versus Occidens in mare. Vltimò de monte Carmelo, descendit torrens *Bosoch*, vltra Bersabeæ, & rediens versus Gazam intrat mare.

CAP.

CAP. VII.

Continet peregrinationem de Ptolomayda, per Nazareth, vsque in Ierusalem.

VII.

SAcra loca electæ Terræ Promissionis visitare cupiens à *Nazareth* sumat exordiũ vbi nostra salus sumpsit initium: Hæc distat à Ptolomayda septem leucis: & in via *Saphar* castrum reperitur, vbi nati dicuntur Iacobus & Iohannes filii Zebedei. In Nazareth locus ostenditur vbi Angelus Gabriel, Dei nuntius, beatæ Virgini antiquum pro mundi redemptione implendum nuntiauit fore consiliũ: de hoc supra *part. VII. cap. II.* & in capella ibi ædificata, erant tria altaria; & capella erat excisa in 10 petra de rupe, sicut & locus Natiuitatis & resurrectionis: & magna pars ciuitatis erat antiquitus excisa de rupe, quod etiam nunc apparet. Ibi etiam ostenditur Synagoga, sed in Ecclesiam conuersa; in qua Christus tradito sibi Isayâ legit, *Spiritus Domini super me* &c. (Luc. 4, 17.) Extra ciuitatem ad Austrum, ad quatuor iactus sagittæ est locus dictus, *Saltus Domini*: vbi voluerunt eum præcipitare Iudei; sed exiuit de manibus eorum, & subitò inuentus ostenditur in latere montis oppositi ad iactum sagittæ, & videtur ibidem vestigium corporis eius lapidi impressum. De monte isto videtur mons Tabor, & Hermon minor, & Hermonym, villa Endor, & Naym, & Iezrael & ferè tota latitudo campi magni Esdrelon. De Nazareth ad duas leucas 20 est *Sephorum* vndè beata Anna traxit originem: oppidum istud habet desuper castrum valdè pulchrum; Indè Ioachim ortus dicitur, & est in tribu Aser iuxta vallem Carmeleon. De Sephoro ad duas leucas & dimidiam, est *Chana Galileæ*, de qua fuerunt Symon Chananeus & Nathanael: ibi ostenditur locus vbi steterunt sex hydriæ, in quibus conuertit Christus aquam in vinum, & triclinium in quo erant mensæ. Sunt autem loca hæc, sicut & alia in quibus aliquid Christus oderatus est sub terra & descendunt ad ea per plures gradus in criptam: sicut & locus Annuntiationis & Natiuitatis, & plura alia: cuius ratio videtur esse, quia propter frequentes Ecclesiarum destructiones ruinæ super terram exaltatæ sunt; eisque complanatis alia ædificia sunt constructa: & ideò fideles vt priora loca possent ædificare fecerunt, gradus, & quasi in criptis ea visitant. Adiacet autem ciuitati ab A-30 quilone, mons altus & rotundus, in cuius decliui latere sita est: sub se verò cõtra Austrum, habet planitiem pulchram, vsque in Sephorum, fertilem & amœnam. Localis tamen ordo esset ire de Ptolomayda, per quinque leucas, versus Oriens ad Chana Galileæ, & indè versus Meridiem per Sephorum in Nazareth. De Nazareth ad duas leucas est *mons Tabor*, vbi transfiguratus est Dominus: ibi ostenduntur ruinæ trium tabernaculorum, quæ erecta fuerant secundùm Petri desiderium. (Matth. 17, 2.) Sunt etiã aliorũ ędificiorũ multæ ruinæ, in quib. nunc habitãt Leones & feræ: vndè & ibi sunt Regiæ venationes. Difficilis autem est montis ascensus, & altus valdè, ac aptus munitioni. In eius pede Australi, in via quæ ducit de Syria in Ægyptum, est locus vbi Melchisedech occurrit Abrahæ, reuertenti à cæde quatuor Regum de (Gen. 14. 18.) 40 confinio Damasci. In pede verò Occidentali contra Nazareth est Capella vbi (Matt. 17, 9.) Christus ait discipulis: *nemini dixeritis visionem* &c. & de pede eius Orientali descendit torrens Cyzon. De monte Tabor ad duas leucas, inter Orientem & Meridiem, est *Naym*, vbi Christus filium viduæ suscitauit. Deindè ad XV. leucas, est *Samaria*, deindè vsque Ierusalem via ponitur. c. III.

CAP. VIII.

Continet peregrinationem ciuitatis Sanctæ Ierusalem, & montis Syon.

50

VIII.

CVM sacratissima illa loca visitaueris, ad quod integra dies vix sufficere poterit, per *portam Beniamin*, siue Sancti Stephani intrandum est: deindè, primò ingrediaris *Ecclesiam Sancti Sepulchri*, quæ inter cuncta mundi sanctuaria obtinet principatum. Ecclesia ista rotunda est, & habet per dyametrum inter columpnas LXXIII. pedes, præter assides quæ habent per circuitum XXX. pedes. Super Sepulchrum Domini, quod est in medio Ecclesiæ eiusdem, est apertura rotunda, ita vt tota cripta Sãcti Sepulchri sit sub diuo. *Golgotana* autẽ Ecclesia adhæret isti, & est oblonga, loco

chori Sancti Sepulchri, parum demissior: sunt tamen ambo sub vno tecto. Prius enim quàm Christiani ibi haberent dominium, vbi CHRISTVS crucifixus est, & vbi crux inuenta est, ædificata est Ecclesia instar capellæ: sed postquam fideles loca illa possederunt, apparuit eis locus paruus & artus: & ideò ædificauerunt nouum opus, sumptuosum, pulchrum & firmum, intra se sanctuaria comprehendens. Hostium Sepulchri demissum est valdè & paruum. Sepulchri autem forma posita est suprà *part. VII. cap. II.* Est autem spelunca ex omni parte clausa, nec per aditum aliquem intrare potest lux: sed nouem lampades lucem continuam subministrant. Est & alia spelunca antè speluncam istam Sancti Sepulchri, eiusdem longitudinis & latitudinis & dispositionis, intus & extra: & videntur hæ duæ vna, exteriùs exeunti. In istam exteriorem intrauerunt mulieres, quando dixerunt, *quis reuoluet nobis lapidem ab hostio monumenti?* lapis enim aduolutus erat hostio speluncæ interioris: & iacet adhuc magna pars eius, ante prædictum hostium; alia verò pars eius, translata est in monte Syon, & supposita est vni altari. Est autem iuxta cellam Sepulchri, columna quædam in qua est imago beati Pantaleonis: cuius oculos cùm quidam Saracenus destrueret, ipsius oculi protinus ceciderunt in terram. *Mons Caluariæ*, in quo Dominus crucifixus est, distat à loco Sepulchri per CVIII. pedes: & ascenditur ad locum vbi crux posita est per XXIX. pedes, à superficie pauimēti Ecclesiæ. *Scissio Petræ* eiusdem in qua crux fixa fuit, tantæ est capacitatis, vt caput hominis recipiat: & descendit longitudo eius, de loco fixionis Crucis, vsque ad pauimentum Ecclesiæ, per XXIX. pedes: & color sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI, apparet hodiè in ipsa scissione petræ: & erat scissio sub manu eius sinistra. Altare etiam ædificatum est iuxta eundem locum manus sinistræ, valdè decorum, & pulchrum de marmore. Pauimentum etiam capellæ huius, stratum est marmore; & parietes tecti marmore, & Mosayco opere decorati. Locus verò vbi crux posita fuit, est fossa duobus palmis profunda, & ita capax vt caput hominis comprehendat. De Caluaria contra Orientem ad decem pedes, est altare quoddam, sub quo est pars *columnæ ad quam Dominus fuit flagellatus*: Illuc enim translata est de domo Pilati: & sub lapide altaris est tecta, ita vt à fidelibus possit tangi, videri & osculari. Est autem de lapide porphirio subnigro, habēs quasdā maculas rubeas naturaliter, quas dicit vulgus tincturas sanguinis Christi. Alia verò pars colūnæ dicitur translata in Constantinopolim. Est & alius locus in sinistra parte Ecclesiæ vbi est columna parua & subtilis, ad quam dicūt IESVM ligatū & flagellatū fuisse. De altari huius columnæ contra Orientē ad XII. pedes descēditur per gradus XLVIII. ad locū vbi ab Helena Crux inuenta est: & est ibi capella, & duo altaria infra terram. Et locus ille vbi crux inuēta est, putatur fuisse vnum de fossatis ciuitatis antiquæ, in quod depositis corporibus, cruces missæ fuerunt. Locus autem vbi stetit *beata Virgo* cum cæteris mulieribus iuxta crucem, non fuit sub brachio crucis ad Aquilonem, vt multi putant; sed antè faciem filii penè ad Occidentem: & ostenditur sub rupe prædicta locus ille. Ibi propè ostenditur locus vbi *Ioseph* ab Arimathia, & *Nicodemus* lauerunt Iesum quando deposuerunt eum de cruce: quem aiunt Dominum IESVM ostendendo dixisse, ibi esse medium mundi: & est in medio chori; & à sinistro latere chori, est carcer Christi. Et propè locum illum, est locus vbi Dominus noster à mortuis resurgens apparuit Magdalenæ, quando existimauit eū ortolanū, dicens: *si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam.* In quo loco factum est altare, pro illius apparitionis memoria, ante cellam Sepulchri. Deindè proceditur ad portam Occidentalem vbi conuersa est *Maria Aegyptiaca*, quia eam cum aliis Christianis ingredi non poterat. Suntq; in ipsa Ecclesia, multa altaria composita & ornata decenter. Post vadat Peregrinus ad *montem Syon.* In procedendo autem contra turrim Dauid, in itinere, inuenitur locus vbi ab Herode Agrippa fuit beatus *Iacobus*, frater Iohannis, occisus gladio: nec bene dicunt qui referunt, caput eius de Iopen illuc per manus Angelorum allatum, atq; sepultum. In monte autem Syon inuenit homo primò *Ecclesiā Sancti Saluatoris*, quæ olim fuit domus Cayphæ in qua post captionem fuit Christus vsq; mane: ibi enim Princeps Sacerdotum, & omne concilium, quęrebant falsum testimoniū contra Iesum, vt eum morti traderent: ibi surgens Princeps Sacerdotum ait illi: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus, filius Dei benedicti*: & respondit Iesus; *à modo videbitis filium hominis*

Marginalia: Marc. 16,3. — Iohan. 20,15 — Matt. 26,63 — line numbers 10, 20, 30, 40, 50

nis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc scidit Princeps sacerdotum vestimenta sua: Nec tamen scindi potuit inconsutilis tunica CHRISTI in figura lacerandæ Synagogæ, & Ecclesiasticæ firmitatis. Tuuc eum iudicauerunt reum mortis, & expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæderunt: alii autem illudebant ei, cędentes eum; & velabant eum, & percutiebant faciem eius, dicentes, *prophetiza, nobis Christe, quis est qui te percussit?* & alia multa blasphemantes dicebant in eum; Ibi consueuit ostendi pars columnæ ad quam fuit vsque manè ligatus & flagellatus: vndè & ostenditur ibidem *carcer*, vbi post recessum sacrilegi concilii, detentus dicitur CHRISTVS vsque mane, ab indignis seruis infinita improperia audiens, & illusiones sustinens. Ibi etiam *Lapis grandis* est super altare qui dicitur fuisse lapis positus super monumentum Domini Iesu. Prope locum hunc, ad iactum lapidis contra Austrum, est locus vbi *gloriosa Virgo* habitauit, post Ascensionem filii eius in cœlum; & cella vbi migrauit ex hoc seculo. Est etiam ibi *Ecclesia beati Iohannis Euangelistæ*, quæ fuit, vt dicitur, prima omnium Ecclesiarum: in qua idē Apostolus, beatissimæ illi Reginæ celebrare solitus erat, donec in hoc seculo vixit. Ostendi etiā consueuit ibidem quidam *Lapis rubeus*, qui erat ibi pro altari, quem de monte Synai, per manus Angelorum delatum asserunt, ad preces beati Thomæ de India reuertētis. Prædicto antem loco propinquum est *cœnaculum* grande, stratum: in quo cœnauit CHRISTVS cùm discipulis suis pedes eorum lauit; corpus suum & sanguinem tradidit; post resurrectionem pluries apparuit, vbi capella de subtus ædificata est: Matthias etiam in Apostolū electus est; Spiritus quoque Sanctus Apostolis missus est; septem Diacones electi sunt; Iacobus etiam minor, Ierosolymitanus Episcopus ordinatus est: & ostenduntur loca hæc ab inuicem separata. Ibi etiam ostenditur *peluis*, in quam misit CHRISTVS aquam, ad lauandū pedes discipulorum. Ibi propè est *sepulchrum David, & Salomonis*, & aliorum Regum Iuda, partim in ipsa Ecclesia montis Syon, & partim extra quasi in parte Aquilonari. Ibi etiam non lōgè, est *sepulchrum beati Stephani* protomartyris, vbi post inuentionem suam positus fuit.

Math. 26, 68

CAP. IX.

Continet peregrinationem locorum circa Ierusalem.

DEscendenti de monte Syon, occurrit locus, vbi dum Apostoli portarent *gloriosam virginem* ad sepulchrum in vallem Iosaphat, Iudeorū Pontifex eius corpus rapere voluit: sed manus eius cōtinuò arefacta est. Est etiam ibi Ecclesia, dicta vulgariter *Gallicantus*, in qua cauea profunda est, vbi Petrus fleuit amarè. Deinde ad Meridiem itur ad *agrum emptum* triginta argenteis, quibus CHRISTVS à Iuda venditus fuit. Postea itur ad *fontem Siloe*, sub monte Syon, contra Regiā Salomonis, & ex eo fluit aqua in piscinam inferiorem, & in notatoria Siloë; non tamen fluit iugiter, sed interpolatè: & accedit ad ambas piscinas etiam aqua *fontis Gyon* inferioris, qui oritur sub agro fullonis, vbi Rapsaces exprobrauit Domino audiente populo super murū. Iuxta piscinas istas, contra Orientē descendit *torrens Cedron*, collectis simul omnibus aquis quas secum trahit de partibus superioribus: scilicet Rama, Anatoth, sepulchro Reginæ Iabenorū: & longè sub sepulchro Virginis auditur strepitus eius sub terra descendentis: & sic omnes descendūt in vallē Gehennon, quæ dicitur etiā locus *Tophet*, in qua valle est etiam lapis *Zoeleth*, & fons *Rogel*, vbi Adonias fecit conuiuiū, quando regnare volebat. Ibiq; sub quercu Rogel *sepulchrum Isayæ* Prophetæ ostenditur. Et sunt loca ista amœnissima & delitiosa; ibiq; orti & viridaria irrigātur aquis torrentis Cedron. De fonte Siloë procedendo per vallem Iosaphat, ostenditur in opposito loco templi, & in pede montis Olïueti, *sepulchrū Iosaphat* Regis Iuda, habens superpositam pyramidē magnæ pulchritudinis. De prædicto sepulchro vsq; ad *locum orationis Christi*, quasi versus Septentrionem, est plus quā iactus lapidis. Et indè vlterius ad Aquilonē ad iactū lapidis est Ecclesia dicta *Gethsemani*: vbi est ortus in quem introiuit Iesus & discipuli eius, in latere montis Olïueti, adhęrens cuidam rupi concauę de monte pendenti: sub qua rupe discipuli sederunt, quando dixit eis Iesus, *sedete hic & orate ne intretis in tentationem*: & ostēditur adhuc locus sessionis eorum. Ibidem etiam ostenditur locus in quo detentus fuit à turbis, Iudâ osculo eum prodente: & videtur adhuc *impressio caluariæ* eius in rupe descendente, & vestigia capitis ac capillorum eius. Et in alio latere apparet *impressio digitorum* eius, ac si in pasta

IX.

4. Reg. 18, 17.

3. Reg. 1, 9.

Math. 26, 36, 41.

facta fuisset: quam impressionem dicitur fecisse apprehendẽdo rupem cùm teneretur à turbis. Et est mirum, quia experti recitant quòd etiã ferreis instrumentis, non modò partem lapidis possunt abscindere; sed nec puluerem quidem possunt elicere. In loco etiam orationis, vbi factus in agonia prolixiùs orauit, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrã, conformiter *impressio genuũ & manuũ* eius in lapide facta est: vndè similiter nihil euelli potest. Inter hunc locũ & Gethsemani, antè Ecclesiã beatæ Virginis, transit via quà ascẽditur in monte Olíueti. Ab hostio autẽ dictæ Ecclesiæ Gethsemani, vsq; ad ôstiũ capellæ per quam intratur ad Ecclesiã vbi est *sepulchrũ gloriosæ Virginis*, mensurati sunt passus quinquaginta, quasi versus Occidens, nõ in profundo vallis, sed in pede montis Olíueti: & erat antè destructionẽ Ierusalẽ, aliquantulũ super terram; nunc verò est multum sub terra: quia Romani, vt dicit *Iosephus*, ab ea parte ciuitatem oppugnantes, incisis oliuis & arboribus aliis, & aggeribus indè factis, eam impleuerunt. Deindè etiam captâ ciuitate, ruinas atriorũ & Templi, complanato etiã monte Moriâ, ne locus esset de cætero tã munitus, *Adrianus* fecit proiici in torrentẽ Cedron; & ciuitatẽ sale fecit aspergi. Huiusmodi igitur repletionibus, Ecclesia, licet sit multùm alta & testudinata, totaliter cooperta est, & vallis desuper plana, & ibi via publica. Est tamen ibidem supra terrã quoddam ædificiũ, ad modum capellæ, quod cùm intraueris descendes fortè per gradus LX. sub terram in ipsam Ecclesiam, & ad sepulchrũ Virginis gloriosæ. Est autem sepulchrũ in medio chori, contra altare, marmoreũ & magnificè decoratũ. Ecclesia tamen multùm est humida: nam torrens Cedron est sub ipsa, prædictis repletionibus omnino coopertus, & antiquũ tenet meatum: cùm verò abundant pluuię prædictus torrens erumpens, replet Ecclesiã in tantum, quòd sæpe per ostiũ capellę superiùs positæ, per omnes gradus exuperans exit aqua. Habet autem Ecclesia lumen de fenestris Orientalibus, vbi benè secundũ loci dispositionem potest lux accedere à parte montis Olíueti. Iuxta sepulchrum Virginis: est *sepulchrum beati Iacobi minoris*: ibi enim à Christianis sepultus est, cùm fuit de tẽplo à Iudeis præcipatus. De sepulchro verò *Helenæ* Reginæ, dictũ est suprà: nec fuit hæc Helena Constantini mater; sed Abigenorum Regina: quæ fratres sustentauit in Ierusalem, quando fuit fames quarto anno Claudii, ac vndecimo. Post hæc visitata, vadat Peregrinus per viam, quam iuxta sepulchrum Virginis esse diximus, & sequatur Christum euntẽ super Asellũ in Ierusalem, in ramis palmarũ, & clamet cum fidelibus turbis: *Osanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini: pax in cœlo, & gloria in excelsis.* Intrauit autem Christus in Ierusalem per portam auream: Ibi enim propè ad iactum balistę, erat *templum Domini*, in monte Moria. In hoc templo præsentatus est Iesus in templum, puer XL. dierum, cui cecinit Symeon: *Nunc dimittis, Domine, seruum tuum, secundùm verbũ tuum in pace &c.* & Anna Prophetissa superueniens, loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israël. Ibi puer annorum XII. in medio Doctorũ, magis docet dum prudenter interrogat. Tandẽ prouectæ ætatis, eiecit de Tẽplo ementes & vẽdentes; & mensas nummulariorũ, & cathedras vendentiũ columbas euertit: dicens, *nolite facere domũ meam* &c. Ibi deprehensam in adulterio à pœna absoluit pariter & à culpa. Ibi lapidare eũ voluerunt Iudei, dicentem, *Ego & Pater vnum sumus.* Ibi duo minuta viduæ, prætulit magnis oblationibus aliorum: humilem iustificans publicanum, & Phariseum condemnans elatum: & plura alia egit congrua nostræ saluti. Est autem area Templi quadrata & muro clausa, habens in longitudine & latitudine plusquã iacere possit arcus: & sunt ex parte Occidentis duæ portæ, vna vocatur *spetiosa*: de qua supra *part. I. cap. VI.* ad quam Petrus sanauit claudũ, *Act. III.* alia verò innominata est. Ex parte verò Septẽtrionis est vna porta, & ex parte Orientis alia quæ vocatur *porta aurea*: & super quamlibet istarum portarum est turris alta, quas sacerdotes Saracenorum consueuerunt ascendere, & Mahumet clamitare legem. Infra claustrum huius plateæ, nullus audet intrare nisi mundis pedibus: & ad hoc, adhibiti sunt custodes, siue portarii. In medio autem illius magnæ plateæ, est alia platea altior & quadrata, ad quã ascendunt per gradus ex parte Occidentis, & ex parte Meridiei. Templũ verò in medio eius ædificatũ est, vbi Dauid emit areã Aureuma Iebusei, vt ædificaret altare Domino, cessaretq; plaga quæ in populo crassabatur: *in fine secundi libri Regum.* Est autem Templum octo angulorũ ac octo laterum: & sunt muri tecti marmore, & ornati operę Mosayco. & coopertura superior est de plumbo optimè elaborata; & quęlibet istarum platearũ strata

Luc. 22, 44. · Matth. 21, 9 · Luc. 2, 29. · Matth. 21, 12. · Iohan. 2, 14.

10 · 20 · 30 · 40 · 50

strata est lapide albo. Iuxta Templum Domini aiunt esse *templum Salomonis*, in quo sunt duo templa: illuc nullus Christianorum intrare permittitur, ne iuxta imprecationem Salomonis, exaudiatur in oratione sua. Si autem Peregrinus per portã, quà CHRISTVS intrauit ad Templum, intrare non potest; intret per portam vallis, quæ ab area magna templi distat fortè per iactum lapidis, versus Meridiem: & antequàm portam intret, ad dextram videbit locum vbi ligatus fuit beatus Stephanus quando lapidatus est; vbi etiam positis genibus pro se lapidantibus orauit, dicens, *Domine ne statuas illis hoc peccatum* &c. *Act. 7, 60.*

10

CAP. X.

Continet peregrinationem locorum quæ obmissa fuerunt in ciuitate Ierusalem.

CVm autem prædictam portam vallis intraueris, primò ad dextram occurrit *Ecclesia Sanctæ Annæ*, vbi ostenditur cripta in qua gloriosa virgo Maria nata est, vbi fuit domus Ioachim & beatæ Annæ. Ibi iuxta est piscina grandis, quæ dicebatur *piscina interior*, quam fecit Ezechias hoc modo: obturauit enim superiorem fontem aquarum Gyon, & auertit aquas eius subter, ad Occidentem turris Dauid, incidens petram ferro: sicut dicitur Ecclesiast. XLVIII. & inducens aquas per medium ciuitatis in piscinam istam: vt in obsidione haberet aquam populus ad bibẽdum, & eas non possent Assyrii prohibere: Fontem verò aquarum Gyon, duxit in 20 piscinam superiorem, quę est super natatoria Siloë. Hoc enim Achaz inceperat, sed non perfecerat. De hac piscina & de hoc fonte & de eius situ dicitur Esay. VII. *Egredere ad extremum aquæductus piscinæ superioris, in via agri fullonis.* Dicitur autem ista piscina superior, respectu natatoriæ Siloë de qua suprà *cap. VIII.* Est & quarta piscina in ciuitate ad sinistram dictæ portæ vallis, sicut Sancta Anna est ad dexteram; quæ dicitur *Probatica*, iuxta aram Templi, in qua Natinei lauabant hostias; & sic eas Sacerdotibus præsentabant, offerendas in Templo. Hæc adhuc quinque porticus habuisse ostenditur, in quibus iacebant infirmi expectantes aquæ motum: nam qui prior post aquæ motum descendebat sanabatur. *Ioh. V.* vbi etiam CHRISTVS sanauit tricenum octonemq; in grabato. Quidam tamen primam piscinam quæ iux-30 ta Sanctam Annam est, dicunt Probaticam piscinã: quod nõ credo. In Ierusalẽ autẽ, vel circà, piscinæ aliæ non leguntur. Postquam autem hæc videris à dextris & à sinistris, per viam directè procedens versus portam oppositam siue Iudiciariam, inuenies *domum Pilati*: vbi innocens Agnus Dei flagellatus & illusus à militibus, consputus, alapis cæsus, coronâ spineâ coronatus, & tandem ad mortem condemnatus est. Et est ibi via quæ ducit ad Templum, per quam Iudei venientes de Templo clamabant, *crucifige, crucifige eum.* Prope domum Pilati est *domus Annæ*, ad quam captus CHRISTVS à turbis, in Gethsemani primò deductus est, vbi quasi hæresiarcha de doctrina sua examinatur, & à seruo nequam alapâ cæditur; indeq; ad Caypham ligatus mittitur in monte Syon: de cuius domo *suprà cap. VIII.* Iuxta domum Annæ est 40 *Ecclesia Sanctæ Mariæ de Pamason*, vbi beata illa Virgo syncopizzauit præ dolore, quãdo vidit innocentem filium suum baiulantem sibi crucem, & sub eius onere anxiũ: & adhuc sunt duo lapides magni & albi in arcu alto murati, super quos Dominus noster requieuit quando crucem portabat. Vlterius per dictam viam procedendo, inuenitur ad dexteram via quæ ducit ad portam Sancti Stephani, per quam Iudæi ducentes IESVM inuenerunt Symonem quendam Cyreneum venientem de villa: hunc angariauerunt vt tolleret crucem, qui portauit eam vsq; ad montem caluarię, vbi crucifixerunt eum: de quo loco dictum est *suprà cap. VIII.* Propè Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Pamason, dicitur fuisse *palatium Herodis Regis*: à quo non longè monstratur *domus Iudæ* proditoris, in qua cum vxore & filiis morabatur.

50

CAP. XI.

Continet peregrinationem Bethleem & Ebron.

POst peregrinationes Ierusalem, montis Syon, & adiacentium locorum, per portam Dauid exeundum versus *Bethleem*, distantem ad duas leucas, contra Austrũ in sinistra parte viæ quæ ducit versus Ebron: extra viam tamen, ad iactum sagittæ. Est autem in medio huius peregrinationis *Ecclesia* quædam, in loco vbi Helyas aliquando pœnitentiam egit. Propè Bethlehem ad vnum milliare est *Sepulchrum Ra-*

chelis ad dextram, iuxta viam, cui pyramis pulchra imminet, quam ædificauit Iacob supponens eidem super tumbam XII. lapides grandes, secundùm numerum filiorum Israël, qui hodie sunt ibidē. Iuxta verò sepulchrū Rachelis, est *ager cicerū lapideorum*: aiunt enim Dominum IESVM, indè transeuntem, interrogasse ab homine cicera seminante, quid seminaret? quo respondente, *lapides*, ait Dominus: *Et lapides fiāt*: sic cicera in lapides conuersa sunt, & vsq; hodie reperiuntur ibi cicera lapidea, quæ solent colligere Peregrini. Demū ad *Bethleem* peruenitur, quæ sita est in monte cōpetenter alto, sed arto, qui ab Oriente in Occidentē protenditur: & ab Occidente habet introitū, vbi est cisterna iuxta portā, de qua desiderauit bibere Dauid cū esset in præsidio. *1. Reg. XXIII.* Ex parte verò Orientali est *spelunca* in rupe iuxta murū ciuitatis: & videtur, secundùm modū terræ illius, fuisse locus pro stabulo, habēs *præsepe* excisum, vt ibi moris est facere præsepia. Hanc speluncā quib. laudibus efferā? vbi ortus est CHRISTVS de Virgine, Sol de stella; vbi veritas de terra orta est, & terra nostra dedit fructū suū? Qua etiā voce promā illius præsepii gloriā? in quo pannis inuolutus vagit infans, qui creauit sydera, & ad tam stupendum miraculum, Angeli clamant, pastores currunt, stella desuper rutilat, Herodes terretur, Ierosolyma conturbatur? O Bethlehē, ciuitas Dauid; veri certè Dauid ortu insignis affecta, manu fortis, & decori aspectu: ciuitas erat parua, sed magnificata est à Domino: magnificauit eam qui paruus in ea ex magno factus est. Quæ ciuitas si audiat, non inuideat pretiosū illud stabulum, & illius præsepii gloriā: vbiq; gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei: vbiq; canitur, *quia homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus.* (*Psal. 86, 5.*) Et nota, quia iuxta rupem prædictam, in qua CHRISTVS natus est, est alia capacior, à prima quatuor tantùm pedibus distans, sub qua erat præsepe in quo dulcissimus ille puer, mox natus, ac pannis inuolutus, iuxta bouem & asinum reclinatur: & videtur vna fuisse spelunca continua, quam solum diuidit factum hostium, & ascensus quo de capella ad chorum ascenditur. *Fœnum* verò *præsepis*, Romæ delatum est ab Helena Regina, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Maioris decenter reconditum, non longè à præsepio sepultus fuit *Ieronymus.* Ad locum autem dulcissimæ Natiuitatis, descenditur ab Ecclesia in capellam, per decem gradus. Est autem capella illa tota interiùs facta de opere Mosayco, & strata marmore, & sumptuose valdè facta. Super locum illū vbi beata Virgo peperit, potest missa celebrari super tabulam marmoreā quę est ibi. De lapide etiā nudo, videtur aliqua portio, vbi natus est Christus: Similiter pars quædā præsepii, in quo iacuit, nuda relicta est. Quæ loca cum deuotione & reuerētia maxima visitantur. Vix in Orbe terrarū pulchrior Ecclesia, vel æquè deuota poterit inueniri; sunt enim in ea colūnæ marmoreæ nobilissimæ per quatuor ordines dispositę, non solū multitudine, sed etiam magnitudine stupendæ. Præterea nauis ipsa Ecclesiæ desuper columnas vsq; ad trabes, facta est de opere Mosayco pulcherrimo & nobilissimo: suntque ibi depictæ cunctæ historiæ à mundi creatione vsque ad Christi aduentum ad iudicium; totum etiam pauimentum Ecclesiæ, stratum est marmore diuersorum colorum, quod mirā varietate pictura decorat. In hac quoque *Ecclesia Sanctæ Mariæ de Bethleem*, in pariete, ex parte sinistra, est locus vbi positus fuit *vmbilicus*, & circumcisio Domini: & ex parte dextera chori versus Austrū, est locus vbi sepulti fuerunt *Sancti Innocentes*, vbi & altare constructum est: maior verò pars eorum contra Meridiem, tertio milliario sepulta est. Huius venerabilis Ecclesiæ pretiosas tabulas & columnas pręcepit Soldanus quidam, pro construendo sibi palatio, in Babylonem deferri: & cùm accessissent in Soldani præsentia cum suis instrumentis artifices, vt iussa perficerent, de sano & integro pariete, vndè nec acus posset educi, exiuit serpens miræ magnitudinis, primæque tabulæ quæ occurrit, morsum dedit, & tabula continuò transuersaliter scissa est: Ad secundam verò accedens fecit similiter, & ad alias consequenter, vsque ad XL. Cunctis verò astantibus stupore suspensis, Soldano quoque mutante propositum, serpens disparuit: remansit proindè Ecclesia, & remanet vsque hodie sicut priùs: *Saraceni* quidem omnes Ecclesias beatæ *gloriosæ Virginis*, sed hanc præcipuè, venerātur. Apparet autē vsq; nunc, vestigium trāseuntis serpentis in singulis tabulis, quasi cōbustio quædam ignis. Et inter cætera stupendū qualiter serpens per transuersum transire poterat, cùm paries esset planissimus & politissimus, sicut vitrum. In exitu huius Ecclesiæ contra Aquilonē est *claustrum monachorū*, ad quod per gradus aliquos ascēditur & in cripta quadā ostēditur cella, in qua beatus *Ieronymus* pœnitētia se afflixit;

& in translatione ac expositione Sacræ Scripturæ plurimũ laborauit: lectulus quoque eius ostẽditur, & officinæ claustri cui pręfuit. De Ecclesia prędicta ferè quantum est iactus lapidis, quasi contra Orientem, est *Ecclesia Sanctæ Paula, & Eustochij* filii eius, vbi pœnitentiam egerunt: vbi etiam ostenduntur eorum sepulchra. De subtus verò prædictæ Ecclesiæ, est cripta magna: vbi est capella, in qua, vt dicitur, sedebat aliquando *Virgo* cum filio, vt solitaria perfectiùs vacaret ad contemplandum eum, in quem desiderant Angeli prospicere: DEVM apud DEVM, ac sedẽtem super Cherubyn in decore suo; sedentem super solium excelsum & eleuatum, in ea forma in qua æqualis est Patri, in splendoribus Sanctorum, ante Luciferum genitus.

10 Ibi etiam pressisse dicitur vbera lacte repleta ad terram, vndè terra illa dealbata est, vt quasi lac coagulatum videretur: fertur quoque quòd si mulier lac amittit, & parum de terra illa in ciatho aquæ ponat & bibat, quòd statim lac reuertitur. Milliario à Bethleem erant *pastores*, inquit Euangelista *vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* (Luc. 2, 8.) Vtinam super gregem commissum vigilassent pastores in regione eâdem, & forsitan non percussisset eos, *Ier. v. Leo de Syluа:* potentia Saladini: *suprà part. VIII.* nec vastasset *Lupus ad vesperam:* Bendocdar, residuũ quod remanserat à leone: *suprà part. XI.* nec *Pardus*: Melecmessor, velox ad malũ & præceps, quasi pardus ad sanguinẽ, vigilasset super ciuitates eorũ, quæ solæ remãserũt: *in fine partis eiusdem.* De Bethleem ad octo leucas, versus Meridiẽ itur in *Ebron:* de quo suprà

20 *cap. III.* & de loci conditionibus, vide suprà *part. VII. cap. II.* Dispositionem autem & conditionem cæterorum locorum Terræ Sanctæ videre potes suprà *cap. III. & IV.*

CAP. XII.

Continet dispositionem regni Aegypti.

POstquam de Syria & Terra Promissionis sufficienter tractatum est, ad *Aegyptium* (XI.) decet stilum conuertere. In Daro terminum posuimus Terræ Sanctæ Promissionis: *supra II. cap.* Per Riperiam igitur Ægypti discurrẽdo, licet partim *lib. I. part. I. cap. VI.* & diffusiùs *in secundo, part. IV. cap. XXV.* fecerimus mentionẽ de eadem, dicamus, quòd de *Daro* vsq; ad *caput Beroaldi*, sunt milliaria XXX. & indè vsq; ad fundũ cuiusdã stagni, siue *culfi de Rixa*, sunt milliaria XXX. & indè ad aliud caput, cuiusdã culfi,

30 sunt miliaria XXX. & inde vsq; ad *Rasacasarõ* milliaria L. & indè vsq; ad *Pharamiã*, milliaria XXX. Hæc fuit ciuitas benè murata ac munita, sed postea à serpẽtibus totaliter occupata est. De Pharamia vsq; ad flumen *Tampnis*, milliaria XXV. ciuitas tamen Tampnis est vltra fluuiũ, per milliaria quasi XV. supra lacum, de qua in Psalm: *Qui fecit prodigia sua in campo Tampneos:* (Psal. 77, 15.) vbi Moyses & Aaron & filii Israel fuerunt commorati, & est in terra Iessen, de qua dixit Ioseph fratribus suis, *Gen.* XLVI. & patri: *dicetis Pharaoni, Pastores ouiũ sumus, & nos & patres nostri: hoc autem dicetis, vt habitare possitis in terra Iessen.* de hac, *part. VI. c. XVIII.* Tampnis fuit antiquitùs ciuitas valdè munita, & firmo loco sita: sed hodie omninò est destructa & pauci *Beduini*, propter pascua & terræ vbertatem, habitant in ruinis eius: & abundat piscibus & auibus supra mo-

40 dum: de ea, *part. VI. cap. XVIII.* A fluuio Tampnis vsq; ad *Damiatam*, milliaria LX. per mare nauigando: quæ olim dicebatur Memphis: supra *part. VI. cap. XXII.* Fecerunt autem Saraceni in distantia duarum leucarum, à mari, aliud casale lõgum, sed immunitum, ad naues collocandas, & merces colligendas: & abundat fructibus, frumento, & cæteris bonis sicut Tampnis: & fluit inter hanc & veterẽ Damiatam quidam riuus Nili, & procedit contra Tampnis; & indè per fretum, quod *Bayera* dicitur, vsq; Pharamiam procedit, & in mare ingreditur: & iste est primus portus Ægypti versus Terram Promissionis. De Damiata vsq; ad *Brullium*, milliaria LXX. & indè vsque ad *Os Sturionis*, quod est latitudinis quinq; milliariorum, sunt milliaria XXX. & habet in circuitu milliaria XXX. De Ore Sturionis ad *Os Rosseti*, millia-

50 ria XL. Ab ore Rosseti ad turrim *Bolcherij*, milliaria XXV. & indè vsque *Alexandriam* XVIII. milliaria. Ex prædictis patet, quia à Pharamia vsq; in Alexãdriam sunt milliaria CCLXVIII. Et hæc est latitudo Ægypti iuxta mare. Verumtamen dominium Ægyptiorũ, vsq; ad *Portum Soldani* extenditur: qui portus sub Alexãdria versus Occidens per spatium CCLXX. milliarium existit: vt suprà *lib. 2. part. IV. cap. XXV.* De *Alexandria* vsq; in *Babylonem*, ponuntur milliaria CCXXX. per fluuiũ Nili ascendendo. De *Pharamia* verò per Tampni & Damiatã vsq; in *Babyloniam* CC. milliaria tantùm, similiter per fluuium. De Babylonia verò vsq; ad ciuitatẽ *Sienen*, quæ est vltima

pars Ægypti contra Austrum & Æthyopiam, sunt milliaria CXL. A prædicta quidem ciuitate Syrenen, sursum per Nili fluuium nauigando, vsque ad locum vocatum *Chus*, vbi onerantur nauigia ex delatis mercimoniis de Haden, circa CCLX. milliaria computantur: Supradicta Æthyopia, propriè *Nubia* nuncupatur, quam totaliter incolunt Christiani, quam & beatus Matthæus conuertit ad CHRISTVM. De Damiata ascendendo per Nilum, primò inuenitur *Abdela*; & indè *Mansora*, vbi diuiditur Nilus, & vadit minor riuus iuxta Pharamiam. Locus autem, vbi principaliter diuiditur Nilus, & principalem Ægypti partem, Insulam constituit, *Delta* vocatur, nam Insula, per modum Deltæ litteræ, triangula est: & procedit maior riuus contra Alexandriam, alter verò in Damiatam. De Delta vsque in *Eliopolim*, sunt tria milliaria. Indè quidam riuulus Nili procedit contra Aquilonem, vsq; ad ciuitatem *Belbeis*, quæ quondam *Pelusium* dicebatur: *part. VI. cap. XVIII.* & indè vadit per desertum versus Terram Sanctam & intrat mare iuxta ciuitatem *Laris*, quæ vna dicta distat a Gaza & Bersabee; & vocatur propriè in scriptura, *riuus Aegypti*; & in eo erat terminus tribus Iuda: *Numerorum* * ...... nauigari autem non potest. *Eliopolis* est villa bona valdè: sed non est munita, sicut nec aliqua villa in tota Ægypto præter Alexandriam & Cayrum. In Eliopoli & Babylonia ostenduntur loca, in quibus mansit gloriosa Virgo cum Filio, quando fugit in Ægyptum à facie Herodis: cùm enim locum alium non haberet, ingressa est Templum in quo erant idola CCCLXV. quibus singulis diebus diuinus exhibebatur honor: ad CHRISTI autem & virginis Mariæ ingressum, vniuersa idola corruerunt: & impletum est illud Isay. XIX. *Ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur simulachra Aegypti.* Cumq; hoc nuntiatum esset *Afrodosio*, venit ad templum cum omni exercitu suo, & accedens adorauit infantem, & alloquens exercitum, ait: *Hic nisi esset DEVS Deorum nostrorū, coram eo se non prosternerent: nos ergo quod DEOS nostros facere videmus, nisi cautè fecerimus, omnes sicut Pharao periculum incurremus.* Sic pius Dominus, qui in ira misericordias suas non continet, mittens Filium suum in Ægyptum, magnum dedit reconciliationis signum: decemq; plagas eius, vna medicina curauit. De *Eliopoli* ad septem leucas, est *Babylonia*, magna valdè & benè munita, sita supra Nilum, in eius littore Aquilonari: transit tamen riuus satis magnus eiusdem fluminis, per medium eius, & per ciuitatem *Kayrum*: de qua *part. VI. cap. XXII.* quæ Babyloniæ contigua est: & reuertitur in Kayro ad flumen. Iuxta Kayrum est arbor palmæ antiquissima, quæ se beatæ Mariæ Virgini inclinauit, vt dactila indè colligeret, & iterum erexit se: quod videntes pagani eam succiderunt, sed nocte sequenti consolidata est & erecta; & apparent incisiones adhuc, suntq; circa hanc ciuitatē optima pomeria & multa: ad vnum quoq; milliare est *ortus balsami*, ad quantitatem dimidii mansi. Arbuscula illa, est sicut lignum vitis trium annorum; folium verò, quasi parui trifolii, vel sicut rutæ, albiora tamen. Tempore maturitatis, quæ est circa mensem Madii, scinditur cortex ligni: & liquor colligitur in vasis vitreis; reponiturq; in stercore columbino, & desiccatur: & sic fit balsamus probatus. Alium etiam tradunt colligendi modum: quia à parte quæ respicit Solem euellunt folium: stipiti enim adhæret, & vnum tantùm stipitem habet, licet plures simul in vno stent cespite: erepto autem folio, statim egreditur gutta lucidissima, odorifera valdè. Hic autem ortus vno solo fonte fœcundari potest, in quò beata Virgo panniculos pueri IESV lauisse dicitur. Ad hunc fontem in Epiphania, Christiani & Saraceni conueniunt; & in eo ex deuotione corpora sua lauant. Est & aliud ibi stupendum: quòd boues aquam prædictam trahentes, à Meridie Sabbathi, vsque ad congruam horam diei Dominicæ, etiam si excoriari deberent, aquam non traherent. In Babylone quoque est miraculum memoriâ dignum: In monasterio enim ibidem constructo ad honorem beati Iohannis Baptistæ est scrineum cum reliquiis eius: & locus ille in festo ipsius, tam à Christianis quàm à Saracenis plurimùm visitatur: & anno quolibet portant prædictum scrineum per Nilum descendendo, quasi quinque leucas, ad aliam Ecclesiam monachorum, similiter ad eius honorem constructam: post celebrationem verò Missæ scrineum in flumine ponunt, experiri volentes vbi Sanctus reliquias suas manere velit, in hoc videlicet loco an potiùs in priori: sed mox in oculis omnium scrineum contra impetum fluuii violentum valdè, tantâ velocitate sursum fertur, vt qui in equis velocissimè currunt,

3. Reg. 8, 65. 4 Reg. 24, 7. *

currunt, illud nequeunt præuenire. De Babylonia ad quinq; leucas, sunt quædam *Pyramides* triangulæ, multùm altæ, quæ dicuntur fuisse horrea Ioseph: & iuxta illas sunt ruinæ ciuitatis *Tebe*, ad duas leucas, vndè fuit legio Tebeorum: cui adiacet desertum Thebaydos, vbi fuit multitudo monachorum antiquitus. Super Babyloniam Nilus totus collectus descendit à loco dicto *Syenen*, per milliaria CCXL. indeq; vsq; *Meroen* ciuitatem, sunt milliaria CCLX. Syene, sub Tropico æstiuali sita est: vndè & ibi assumitur vmbra in primo gradu Cancri, & tunc Meroe proiicit vmbram contra Austrum. Et nota quòd, licet de Babylone vsque in Syenen, & indè vsque Meroen, sit longitudo magna, latitudo tamen penè nulla est: quia via il-
10 la procedit circa Nilum, qui habet montes altos hinc indè, & terram omninò destructam, præter quam circa flumen. Ortus verò *Nili*, sciri non potest, nisi vsque ad montes, qui sunt in sinistro Nubiæ per quos descendit: & est vltrà immeabilis locus. Terra Ægypti aliundè quàm à mari penè inaccessibilis est. Ex parte Occidètis, habet confinia cùm quadam prouincia Barbariæ, quæ *Barca* vocatur; & est desertum intermedium XV. dietarum. Ab Austro, est desertum Æthiopiæ, per XII. dietas & vltrà, vsq; in Nubiam. Ab Oriente, desertũ Thebaydos, vsq; ad Mare Rubrũ, per tres dietas, ad locum, qui *Beronice* dicitur; & est portus Ægypti in littore Maris Rubri. Volentibus versus Indiam nauigare contra Vulturnum & Septentrionem, est desertum magnum vsq; ad Terram Sanctam, in quo XL. annis immorati sunt fi-
20 lii Israël: per hoc desertum transitur in Syriam nõ paucioribus octo dietis. Ex omni igitur parte, præter eam quæ mari adiacet, sabulo & deserto circumdatũ est regnũ Ægypti. Est autem in Ægypto aër bonus, & cibi conuenientes, & terra temperatior Palestinâ & Syriâ: cùm tamen ex dispositione situs, vt videtur, deberet contrarius reperiri. Terra etiam Ægypti solo *Nilo* irrigatur. Incipit enim crescere in natiuitate beati Iohannis, & crescit vsq; ad exaltationem Sanctæ Crucis; ex tunc est in decrescendo, vsq; ad Epiphaniam: & cùm apparet arida, cultor proiicit semen, & metet in Martio. Posita est autem columna marmorea in Insula quadam parua, in medio fluminis, quæ est antè antiquam ciuitatem *Meser*, quæ est prope Cayrũ: & in illa columna posuerunt signa, secundùm quæ cognoscunt sequentis messis copiam
30 vel defectum. A festo quoque beati Martini vsque Martium, legumina & recentes colliguntur fructus. Oues & capræ, bis in anno pariunt. Describitur quoque via de Terra Promissionis vsque ad Kayrum, terrestri itinere, per desertum, sic. De *Gaza*, leucæ tres vsq; *Darum*: bona via, & aqua, & herbacium. Indè vsq; *Raphat*, leucæ duæ: bona via, & aqua, & in copia. Indè vsq; *Zasque*, leucæ quatuor: parum de littore, bonum herbaciũ, & bona aqua & copiosa. Indè vsq; *Heus*, leucæ quatuor: via littorosa, & aquæ satis bonæ. Indè vsq; *Laris*, leucæ quatuor: totum littus, & aqua bona satis, & platea ad emendum & vendendum. [Indè vsq; *Burelaui*, leucæ quatuor: totum littus, aqua bona, & in copia.] Indè vsq; *Bouser*, leucæ quatuor: & ibi via diuiditur in superiorem & inferiorem: inferior est magis cõmunis, & trãsit
40 per locum vocatum *Sabaquet baridoil*, vbi mortuus est Rex Balduinus. De Bouser vsq; *Tarade*, leucæ duæ: satis habet de littore, de herbacio & bona aqua; & ibi platea. Indè vsq; *Asbede*, leucæ quatuor: sic est ibi littus magnum, bonum herbacium, aqua bona, & platea. Indè vsq; *Viteleb*, leucæ quinq;: habundantia littoris, malum herbaciũ, & aquæ satis malæ, sed in copia. Indè vsq; *Naberlersibia*, leucæ quatuor: satis de littore, & de bona aqua. Inde vsq; *Catie*, leucæ *...... bona villa est, & aquæ satis bonæ: & ibi via diuiditur in superiorem & inferiorem, vtraq; perducit ad *Habesse*, villa optima: via inferior magis est cõmunis. Via superior: de *Chatie* vsq; *Habras*, leucæ quinq;: satis de littore, & de aqua, sed mala. Indè vsque *Bonuruch*, leucæ quatuor: satis de littore, sed aqua est pessima, amara, & salsa. Indeq; vsq; *Hucar*, leu-
50 cæ quatuor paruæ: satis de littore, & aquæ malæ. Indè vsq; *Asebbi*, leucæ quatuor: [satis de littore, herbacio, & aqua bona; & ibi platea. Indè vsq; *Hesiuone*, leucæ quatuor:] satis de littore, & bona aqua ex flumine. Indè vsq; *Masinach*, leucę tres: satis de littore, & bona aqua ex flumine. De *Sbesbie* incipit terra laboris: & indè vsq; ad *Vacariã* bonã villã, leucę duę & magnę: satis aquę de flumine. Indè vsq; *Habesse*, leucę tres: via bona, & terra fertilis, & villa abũdat omnib. bonis. Indè vsq; *Belbeis*, leucæ tres: terra arabilis, & villa magna & fertilis. Indè vsq; *Abirelcara*, leucę tres: terra fructifera, bona aqua, & in copia. Indè vsq; *Hus*, leucę quatuor: terra fructifera, aqua bona &

in copia. Indè *Quiriacos*, leucæ tres: terra fructifera, & fertilis. Indè *Kayrum*, leucæ tres: bona via. Via inferior: de *Chatie* vsq; *Aguorabi*, leucæ quatuor: satis de littore, parum de aqua, & salsa. Indè vsq; *Chauseyr*, leucæ quinq;: satis de littore, & de aqua, sed pessima. Indè vsq; *Birchisce*, leucæ quatuor: parum de littore, satis de aqua, sed salsa. Indè vsq; *Salchie*, bonam villam, leucæ quatuor: & copia bonæ aquæ. Indè vsq; *Habesse*, leucæ sex: via bona, aqua multa & bona ex flumine. Indè vsq; *Kayrum*, vt suprà. Durat itaq; desertum leucas quasi LXX. terra arabilis vsq; XX. & vltrà à Zaza vsq; Kayrum.

QVINTADECIMA PARS, CONTINET OPPORTVNA REMEDIA PRO TERRÆ SANCTÆ CONSERVATIONE, contra defectus & errores multiplices superiùs enarratos: habens capitula XXV.

CAP. I.

Continet quàm necessaria sint ad eius conseruationem studium militaris disciplinæ, & continuum armorum exercitium.

I. IN præcedentibus varii explicati sunt defectus tam in *vitâ moribus*, quàm *militiæ disciplina*, quibus graues iacturas in Terra Promissionis perpessus est populus Christianus: indeq; erasus quisq; Catholicus. Sed quia *inflicta vexatio intellectum dat auditui*; & præterita mala ad declinandum futura, congruè dant cautelam, ex incommodis, meritò satagamus vtilia carpere; securitatem, de periculis; & de erroribus, legem vitæ & disciplinæ. Et primò quidem, in disciplina militari inuenimus fideles sæpiùs defecisse. Interdum enim Crucesignati maximè, Saracenos quiescentes indiscretè prouocauerũt: at illi in multitudine veniẽtes, casalia, & castra, & ciuitates aliquando destruxerunt. Imminente quoque necessitate dissimulare nesciunt aut Legatos pacis mittere, non attendentes CHRISTI monita Luc. XIV. *Quis Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, nonne priùs sedens cogitat si possit cum XII. millibus occurrere ei, qui cum XX. millibus venit ad se?* alioquin, *adhuc illo longè agente, legationem mittit rogans ea quæ pacis sunt:* maximè cùm videt hostem pecuniis ditiorem, calliditate sagaciorem, sæuitiâ crudeliorem, armatis seu viribus fortiorem. Voluntas enim DEI est, vt interdum humilietur propter peccata: & tunc est fatuum superbire, & pacta salubria non tractare, exemplum de *Ioachim* & de *Sedechia*, ponitur *part. I. cap. VI.* & de secundo Rege Latino, *part. VI. cap. IV.* Pauci etiam contra multos & sæuos pugnare elegerunt, *part. XII. cap. I.* imò captis etiam ciuitatibus, aliquando fugere nesciebant. Vndè captâ Antiochiâ Bendocdar dixisse fertur aliquibus Christianis: *O Christiani vos insipientes estis, & imprudentes nimis: quia nec pugnare, nec pacem tenere, nec suo tempore fugere scitis.* Proindè conquisitâ Terrâ Sanctâ Promissionis, inter cætera ad eius conseruationem securam expediens videtur omninò, vt militaris disciplinæ studium, & exercitium continuum habeatur ibidem: & publicè statuatur, quòd in locis idoneis, *Vegetius* de re militari, similesve doctores legãtur in scholis: & quemadmodum Romani faciebant antiquitus, sic militares, & qui bellis vacare debent, exerceantur in armis continuè, vt imminente necessitate, prouidi in periculis inueniantur, & cauti: quia in omni prælio, vt ait *Vegetius*, *non tam multitudo, quàm ars & exercitium solent patrare victoriam.* Sic *Amutius Rufus*, cùm à Dacis plurimis premeretur, paucis præcepit, vt cùm vidissent contractum prælium, subitos ex aduerso se ostenderent sonantibus montium iugis: spe itaq; multitudinis effusâ, hostes terga dedêre. Sub certa etiam pœna statuendũ, vt cuncti habitatores Terræ Sanctæ, vel etiam regni Ierusalem, semel ad minus in hebdomada, in *balistando* vel *sagittando* se exercitent, siue in ciuitatibus, siue in casalibus commorentur. Sic præcepit *Dauid* secundo libro Regum, vt docerent filios Iuda arcum, quia audiuit Regem Saulem, filiumq; Ionathan à sagittariis vulneratos: & magnus Patriarcha Iacob, *agrum*, inquit, *tuli de manu Amorrei in gladio, & arcu meo.* Et *Scipio* Africanus non aliter se vincere putabat, nisi in omnibus aciebus, electos sagittarios miscuisset, qui hostem

[Margin: Isa. 28, 19. — Gen. 48, 22. — line numbers 10, 20, 30, 40, 50]

hostem à remotis percutiendo terrerent. Si verò nonnullos *longis lanceis* exercitari delectat, & conformiter & eodem tempore exercitio illi vacent: quia eorum ministerium frequenter vtile valdè reperitur in bellis. Sic ad defensionem electæ Terræ Promissionis, reddetur habilis populus Christianus; simulque vitabit marcidum otium, sentinam omnium vitiorum. Iudeæ enim Ezech. voce clamatur: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, saturitas panis & otium.* Tale armorum exercitium Romanis orbem subiecit, secundùm *Vegetium:* Quid enim potuisset paucitas Romanorum contra multitudinem Gallorum, & Ispanorum, dolos Afrorum, prudētiam Græcorum: Exercitium enim in quolibet negotio, præbet audaciam: estque paucitas exercitata, ad victoriam prompta; multitudo rudis, ad fugam. Nec illicitum quis putet pro iustitia & defensione patriæ vacare militiæ: dicente, Ieronymo ad Bonifacium; *Noli extimare neminem DEO placere posse, qui armis bellicis militat.* In hiis erat Sanctus Dauid, in hiis plurimi illius temporis iusti: in hiis etiam illi quibus cùm beatum Iohannem Baptistam quęsissent quid facerent, respondit, dicens: *Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.* Non vtique eos sub armis militare prohibuit, quibus suum stipendium sufficere debere præcepit.

Ezech. 16. 49.

Luc. 3. 14.

Cap. II.

Continet quàm vtile sit processuris contra hostem, propria celare consilia.

Sicut enim quidam Poëtarum ait: *Vindictam de inimico, si te senserit, perdidisti.* Ideò prudentium exercituum Duces, summo studio inimicis, suum occultabant propositum. Vndè percunctanti quid acturus esset posterâ die, *Metellus Pius* respondit, *Tunicam meam si eloqui posset comburerem.* Et *Portius Cato*, deuictas à se ciuitates Yspaniæ extimans aliquando rebellaturas murorum fiduciâ, scripsit singulis, minatus bellum ni confestim munimenta deiiciant, epistolasque cunctis eodem die reddi iussit: quâ consilii occultatione, vnaquæque vrbium sibi soli credidit imperatum; & consecutus est ne possent contra mandatum inuicem conspirare. Et *G. Lelius* ad Siphacem profectus Legatos quosdam ex tribunis & Centurionibus, per speciem seruitutis, exploratores secum duxit, quorum vnum, quia notus hosti videbatur, occultandæ conditionis eius gratiâ, quasi seruum baculo castigauit: egitque intentum. *Mithridates* etiam, circumuallante eum Pompeio, fugam in proximam diem moliens, huius consilii celandi causâ, latiùs & vsque ad applicitas hosti valles pabulatus, colloquia cum pluribus, pro auertenda suspicione constituit: ignes etiam per tota castra copiosiores fieri iussit: secundâ deindè vigiliâ per ipsa castra hostium, agmen eduxit. *Lucius Furius*, exercitu producto in locum iniquum, occultauit sollicitudinem suam, ne reliqui trepidarent; & paulatim se inflectens, tanquam circuitu maiore hostem aggressurus, conuerso agmine, ignarum rei quæ agebatur exercitum incolumem duxit. Hiis exemplis planè instruimur, quantum ad nocendum aduersariis sit efficax, quamque ad sui conseruationem, occultum campiductoris propositum. Hac cautelâ maximè vtuntur *Tartari:* de quibus aiunt, quòd nullus intrare aut exire potest absque illorum coniuentia eorum exercitum, ne aduersariis suum consilium denudetur. Non sic egerunt Christiani captâ *Damiatâ:* sed eorum reuelato consilio, vulnerati & capti Damiatam reddere coacti sunt: *part. xi. capit. ix.* Et *Ptolomenses*, quia in ponendo insidias, consilium suum occultarę nescierunt, trucidati sunt: *part. xii. cap. viii.*

II.

Cap. III.

Continet quàm solliciti debent esse de aduersariorum consiliis perscruptandis.

Saraceni, ad sciendum inimicorū suorum intentum, solliciti sunt valdè; & Christianorum maximè facta scire conantur, non solùm in propinquis partibus, sed etiam in remotis. *M. Cato* in Yspania hostium consilia aliter indagare non valens, iussit trecentos in stationem hostium impetum facere, & aliquem proferre incolumem, qui tortus cuncta suorum arcana confessus est. Valet enim inimicorum scire consilia, ad vitandum grauamina: quia *iacula quæ prauidentur*, vt Sanctus, ait Gregorius, *minus feriunt: & tolerabiliùs mala suscipimus, si contra hæc per prouidentiæ clipeum munimur.* Propterea *Carthaginenses* ad Alexandrum, Amilcarum virum acrem

III.

miserunt, qui in eius amicitias, simulato exilio, se transferret: vt sic illius explorato consilio vitarent nociua, & contra ea necessaria præpararent. *Aemilius* quoque Consul aspiciens procul auium multitudinem ex sylua consurrexisse, insidias inibi intellexit: nudatoq; consilio, euasit periculum. Valet etiam ad molestandum aduersarium, maximè quando explorantur infirma. Sic *Scipio Africanus* cum Lelio ad Sifacem legato, sub habitu seruorum misit tribunos, & centuriones electissimos, vt sollicitè Regias vires prospicerent: .... hii cùm liberiùs castrorum positionem scrutarentur, equum de industria dimissum, tanquam fugiētem persecuti, munimenta ex magna parte circumdantes, in reditu cuncta denuntiant: & cognito qualiter hostem offendere valeat, commisit bellum. Valet denique ad animorum quietem. Sic dubius *G. Marius* Consul bello Cymbrico de Gallorum Ligurumq; fide, litteras illis transmisit, quarum initium, imperabat ne sequentia, quæ signata erant, antè taxatum diem conspicerent, medioq; tempore repetiit litteras, & quia reseratas reperit, intellexit hostilia agitari, & à motu dubietatis quieuit. Quantum in perscrutandis *Saracenorum* secretis Christiani defecerint, aduertere possumus per gesta superiùs enarrata, semel tantùm legimus Saracenum quendam ostendisse vadum Christianis: *part.xii.cap.ii.* Inter *Christianos* verò, erant non solùm exploratores; sed etiam proditores: id meritò passi, quia infidelium & schismaticorum indifferenter consortium admittebant.

Cap. IV.

Continet plura cautelosa exempla, ad vitandum pericula multa, quæ exercitui accidere consueuerunt in via.

IV. Licet cuncta, quæ contra hostem aguntur secretissimè tractanda sint: vt supra *cap.ii.* dictum est: inter cætera tamen exercitus occultè deduci debet. Sic *Alexander* Magnus Græciam occupauit, quia priùs sentiebatur adesse quàm venire putaretur, & eodem modo *Tartari* multa occupauerunt, maximè Portas Ferreas: suprà *part.xiii.cap.v.* Ad euadendum quoq; pericula & insidias, secretò duci debet exercitus, quæ si emerserint Ducis sagaciâ, multipliciter vitari possunt. *Questorius* enim in Ispania, instante à tergo hoste, cùm flumen transire haberet, in ripa eius ad modum cauæ Lunæ vallum produxit, & oneratum materiis incendit; atque taliter exclusis hostibus liber transiuit. *Cressus* vadum transire, aut pontem construere nō valens, fossa post castra deducta alueum fluminis à tergo deduxit. *Herculeus* Legatus Sertorii in Hispania, inter montes cùm longum iter haberet compertus ingentem manum hostium aduentare, fossam inter montes transuersam pressit, vallumq; materiâ extructum incendit; atq; ita intercluso hoste euasit. *Pericles* Atheniensis, abrutis cunctis locis, duos tantùm exitus habebat: alterâ autem parte fossam ingentis altitudinis duxit, quasi hostem vellet excludere; ab altera parte se finxit per hostes erumpere velle: quo, dum relicta fossa vniuersi conuenissent, iniectis fossæ pontibus, agmen eduxit. *Darius* vt falleret Scythas, in suo discessu canes & asinos in castris reliquit: quos cum latrantes rudentesq; hostis audiret, Darium remanere credidit. *Nonnulli* conformiter boues ad arbores ligauerunt, qui frequenti mugitu remanentium speciem præbuerunt. *Anno*, ab hostibus clausus, locum eruptioni maximè aptum, congestis leuibus materiis incendit: hoste verò ad custodiendum cæteros exitus euocato, milites per flammam eduxit, admonitos ora scutis, & crura veste contegere. *Anibal*, instante Fabio, nimisque vrgente periculosè locatum, ad cornua boum fasciculos alligauit, & applicito igne dimisit: turbato ac discurrente pecore, mons flammâ vndiq; illustratur: tunc Romanus, insidias metuens, continuit militem: sic Maurus liber euasit. *Aemilius Paulus* Consul, cùm iuxta littus angusto itinere exercitum duceret, exercitus latera captiuis obtexit, quorum respectu hostes inhibuêre tela. *Alexander* Macedo, prohibente Poro traiici exercitum per fluuium Idaspen, aduersus aquam assiduè suos currere iussit: indè assecutus, vt cum id tantum Poro caueret, per superiorem partem subitò transmisit exercitum. Sic variis cautelis egregii Duces euaserunt discrimina, & saluos exercitus conduxerunt. E contra *Balduinus* primus Rex Ierusalem xxx. millibus Turchis inter Lidam & Ramam se ostendens, se suosque exposuit

posuit summo discrimini: *part. VI. capit. IV. & VIII.* idem fecit iuxta montem Tabor.

Cap. V.

Continet modum ponendi castra.

Castra, præsertim hoste vicino, tuto semper facienda sunt loco, vbi lignorum & pabuli & aquæ copia suppetat. *Imperator* enim Romanus, cum Regibus Franciæ atq; Ierusalem à proditoribus decepti, pro apto loco aridum commutantes, circa Damascum confusi sunt: *part. VI. cap. XIX.* Et *Guido de Lisignano* conformiter à Saladino captus est: *part. IX. cap. IV.* Et si diutiùs immorandum sit, aëris vel loci salubritas eligitur. Cauendum etiam ne mons sit vicinus, aut altior locus, qui ab aduersariis captus possit officere. Ne etiam campus consueuerit torrentibus abundare: sic Tartaros Damasceni repulerunt: *part. XIII. cap. VIII.* Et, ne maior exercitus arto spatio constipetur; aut minor vltra iustum cogatur extendi. Interdum autem quadrata, interdum trigona, interdum semirotunda, prout loci qualitas exigit, constituenda sunt castra. *Quadrangula* tamen oblonga, est defensioni aptior; *circularis* tamen, maioris est capacitatis. Et si nimia necessitas non præuenit, cespites circumciduntur è terra, & ex hiis quasi murus extruitur, altus tribus pedibus suprà terram: ita vt antè sit fossa latitudinis nouem pedum, & octo altitudinis. Sed vbi vis acrior imminet hostis, fit fossa XII. pedum lata, alta nouem, supra quam sudes de lignis fortissimis, quas milites portare soliti sunt, præfigantur: & constrictâ terrâ consurget agger in altitudinem pedum quatuor. Si verò ad hæc hostis impedimentum præstat, vniuersi equites & peditum medietas ordinetur in acie; reliqui, post eos opus exequantur. Sic *Cæsar* bello ciuili copias ducens contra Afranium, cùm recipiendi se absq; periculo facultatem non haberet, primâ & secundâ acie ad terga apposita, XV. pedum fossam fecisse legitur, intra quam sub Solis occasu se milites receperunt. Summè autem cauendum ne à duplici parte inimicos habeant: quia maius semper immineret periculum, & maioris timoris incussio. Diligentissimè quoq; ordinanda est castrorum custodia: & loca lustranda sunt etiam à remotis, ne fortè subitò hostis irrumpat: & arma parata quisq; habeat, iuxta se. *Saraceni* multùm ordinatè figunt tentoria: in medio enim locatur Soldani tentorium & circa eum nobiles & strenui, circiter duo millia: & iste vocatur *circulus Soldani*: deindè alii plures faciunt secundum circulum, & sic conuenienter faciunt vniuersi: scitq; quilibet Saracenus de quo circulo est; & in qua parte circuli debet esse, ac suum locare tentorium.

Cap. VI.

Continet informationem & exempla, quoniam ad hostium requisitionem bellum committendum non est.

In bello enim talis conditio infallibilis est, vt *quod tuo prodest aduersario, tibi noceat*: Nunquam proindè aduersarii arbitrio aliquid agas, ne tibi ipsi contrarius esse incipias: quod in acierum congressu maximè pernitiosum est. Sic *Rogerius* Antiochenus Princeps, excitante Turcho, & inexpectato grandi auxilio congrediens, cum vniuerso penè exercitu Christiano hostili gladio cæsus est: *part. VI. cap. X.* In committendo ergo prælio, temporis opportunitas, non aduersarii voluntas obseruari oportet. *Scipio* enim in Ispania, compertus Asdrubalis exercitum ieiunum manè in acie processisse, suos continuit, iussitq; pausare & capere cibum: cùm verò hostem fame sitique affligi, & longâ morâ sub armis fatigari cognouit, subitò educens copias, victor fuit. Sic *Metellus* in Hispania, Herculeo, oriente Sole, feruidissimo anni tempore, suo vallo exercitum applicante, suos continuit; & horâ sextâ, in fessos irruens, victor fuit. *Postumius* Consul in Sicilia, cùm ad eum Penni tribus millibus passuum quotidie aduentarent, exiguâ manu leuibus assiduè præliis pro vallo resistebat: quam consuetudinem contemnente iam Penno, reliquis omnibus intra vallum præparatis, per suos recentes afflictum labore & inediâ fugauit hostem. *Iphicrates* Atheniensis, compertus aduersarios semper eadem horâ cibum capere, suos cibauit maturiùs; & aggressus ieiunum hostem ita detinuit, vt ei neque confligendi neque abeundi facultatem daret: inclinato ve-

rò iam die suos reduxit, & in armis continuit, & super conuescentes & incompositos irruit. *Fulco* Rex Ierusalem, sciens Turchos ad grauandum Antiochenos quieuisse inter Antiochiam & Alapiam, eos præueniens nocte, in papilionibus & castris securos oppressit: *part. vi. cap. xv.* Et *Saladinus* iniquè locatum populum Christianum, & siti aridum aggressus, antequam ad aquas veniret, de Rege & populo Christiano victoriam habuit: *part. ix. cap. iv.*

Cap. VII.

Continet loci aptitudinem ad debellandum.

VII. Sicut in ponendis castris cauendum ne editior locus aduersario relinquatur, *supra v. capit.* ita & cùm pugna committitur, locus semper altior eligatur. Sic *Cneus Pompeius* in Cappadocia elegit locum castris editum: vnde, adiuuante procliuio impetum militum, facilè ipso decursu hostem superauit. Aduersus quoque Farnacem, Mithridatis filium, *Cæsar* dimicaturus, in colle instruxit aciem, quæ res expeditam ei victoriam contulit: nam pila ex edito in subeuntes Barbaros emissa, eos protinus auerterunt. *Anibal* pugnaturus contra Marcellum, cauas & præruptas vias obiecit à latere; & loco pro munimento vsus, clarissimum Ducem vicit. *Idem* cùm apud Canas, compertus Vulturnum amnem, ingentes auras mane proflare arenam & puluerem excitantes, sic aciem direxit, vt tota vis pulueris ac venti, à tergo suis, Romanis verò in oculos oraq; incideret: quibus incommodis, memorabilem reportauit victoriam. *Cleomenes* Lacedæmonius aduersus Hyspiam Atheniensem, qui equitatu prævalebat, planitiem in qua dimicaturus erat, prostratis arboribus, inuiam equiti fecit. *Tberi* in Africa ingenti multitudine hostium, licet virtute præstarent, circuiri timentes, à tergo suscepto flumine, incursando in proximos, omnem deniq; strauerunt exercitum. *Xantipius* Lacedæmonius Afros desperantes, qui equitatu & elephantis præstabant, aduertens colles sectari; à Romanis verò quorum robur in peditibus erat, campestria teneri, solâ loci mutatione fortunam conuertit, Pennos in plana deducens, & per elephantos dissipans ordines Romanorum. *Epaminundas* dux Thebanorum, in faciem Lacedæmoniorum, iubens equites discurrere, puluerem suscitauit; & circumdato pedite, inopinantium terga adortus cæcidit. Propter hæc videat Princeps militiæ, vt loca apta eligat, & in periculosa hostem propellat, diligentè de locis habere notitiam. Et cùm non sit in minori periculo in exercitu, quàm in naui seu mari, studeat exemplo nautarum *mappam* habere scriptam aut depictam, vbi anfractus viarum, & pericula quantum possibile est, explicita sint. *Pedotas* quoq; securos habeat, à quibus propter infidelitatem deceptum in India legimus *Alexandrum*, & *Imperatorem* Romanum, suprà *part. vi. cap. xix.* & *Fulconem* Regem Ierusalem: *part. vi. cap. xvi.* Et *Balduinus* eius successor difficultate perisset loci, nisi liberatus fuisset diuino miraculo: *part. vi. cap. xix.* *Guido* etiam de Lisignano, prauo consilio Tripolitani Comitis inepto loco positus, à Saladino vincitur: *part. ix. cap. iv.*

Cap. VIII.

Continet cautelas circa acies producendas.

VIII. Ex præcedenti Capitulo satis aduertere possumus, quia meliùs est non committere bellum, quàm sine debita prouisione exponere se fortunæ. Cùm autem instruenda est acies, super omnia debitus ordo seruetur, quia vbi sine ordine multitudo, ibi confusio: ordo etiam acierum exterret aduersarium. *Terribilis*, inquit Scriptura, *vt castrorum acies ordinata.* (Cant. 6, 3.) Sic ordinati *Tartari*: (*suprà part. xiii. cap. iv.*) per Decanos, Centuriones, &c. Indorum acceperunt dominium. Singulis quoq; aciebus propria sunt designanda *vexilla*, vt oberrans interdum miles ad propriam aciem de facili redeat. Eadem ratione vtile est, vt Decani & Cẽturiones, *signo* aliquo in galea vel alibi, cognoscantur. Habeant autem equites Christiani balistarios & sagittarios multos secum immixtos, qui Saracenos ab insultibus arceant, & qui ad feriendum equos ipsorũ leuiter faleratos, multùm attendant: Saraceni enim boni pedites non sunt: Caueãt ne sagittas frustra proiiciant. Si autẽ pedites multi fuerint, ita vt cũcti equiti-

equitibus sociari non valeant, tunc pedites in giro homines cum longis lanceis habeant: & isti sint inter se arti & stricti, ita vt eorum nullus castra intrare valeat: sint quoque iuxta lancearios, qui cum scutis eos defendant à Saracenorum iaculis, eosque operiant: Isti enim debent esse sicut murus: interiùs verò habere debent aliquam latitudinem ne comprimantur ad inuicem, & vbi sagittarii liberè valeant operari: Hii enim maximè arcebunt Saracenorum insultus. Portent verò secum lanceas, gladios, sagittas, & varia tela in copia: summè autem caueant, ne acies ab inuicem separentur, quia facilè ab hostibus vel insidiis superantur: *vt part. XII. cap. VIII.* Discant quoque exemplo Saracenorum, si aliquo euentu separati fuerint ab inuicem, se reunire; & acies instruere ad aliquod datum signum. Sic & vitabunt periculum, & magis erunt formidabiles Saracenis. Et si ad solam defensionem attendunt, sit acies *circularis* & densa, ne frangatur; & in fronte meliùs armati ponantur, vt ictus sustineant. Si inuadere volunt, sit acies *pyramidalis*, quæ de facili frangibilis non est. Quod si hostium affuerit paucitas, vtilis erit ad eos intercludendum, acies antè aperta, retrò verò clausa quasi *forfex*. *Quadrata* autem acies, cunctis inutilior est. Et attendat campiductor temporis conditiones & loci, secundùm duo proxima capitula: qui in equitibus aut in peditibus ampliùs abundent, sui an aduersarii. Equites enim, meliùs se defendunt in campis; & in collibus aut syluestribus locis, pedites: Vbi aduersariorum animosiores, vbi magis remissi, vbi fortiores, & vbi debiliores positi sint. *G. Scipio* in Africa aduersus Annonem, cùm animaduertisset in dextro cornu Ispanos, robustos quidem, sed qui alienum negotium agerent; Afros in sinistro, inferiores viribus, sed constantioris animi: cornu validissimis instructum militibus, reducto alio, obliquâ acie in Afros transmisit; illisque fusis fugatisque, Ispanos in deditionem facilè compulit. *Philippus* Rex Macedonum, vt frontem animaduertit hostium, electis stipatam militibus, infirma iussit inuadi latera: & aciem exturbauit. *Parmenes* Thebanus, contra fortissimam Persarum aciem, vilissimos instruxit, monens, vt ad primum impetum sibi fugâ consulerent; & in syluestria ac confragosa loca se reciperent; ipse verò cum electis ad minores se contulit; sic, frustrato Persarum robore, aciem circuiuit hostium & auertit. *Scipio* Africanus in Ispania aduersus Asdrubalem, continuatis dietis ita ordinatum produxit exercitum, vt mediâ acie fortissimi locarentur: sed cùm hostes eodem modo assiduè procederent, Scipio instructionis ordinem commutauit: & firmissimos in cornibus collocauit; at leuem armaturam in media acie, sed retortam; ita cornibus, quibus ipse præualebat, infirmas hostium partes *Lunatâ* acie facilè fudit. *Metellus* similiter in Ispania, compertus Herculeum cohortes fortissimas in acie media locasse, mediam suam reduxit: ne antè eâ parte cum hoste confligeret, quàm cornibus confligatis medios vndiq; circumuenisset. *Castronius* Lacedæmonius, cùm in auxilium venisset Ægyptiis contra Persas, sciens Græcos magis timeri à Persis, commutatis armis, Græcos in prima posuit acie, submittens deindè Ægyptiorum manum; Persæ, cùm Græci quos Ægyptios putabant, restitissent, superueniente Ægyptiorum multitudine, quasi Græcos expauentes cesserunt. *Silla*, quadrigarum offensam missarum ad suam aciem exturbandam, palorum infixione turbauit: & *Cæsar*, Gallorum falcatas quadrigas similiter inibuit. [*Astiages* rex Medorum, suis pugnantibus cōtra Persas à tergo partem exercitus posuit, eisq; annunciat, ni vincant, non minus post terga fortes quàm à frontibus inuenire. Sic repulit hostem.]

Cap. IX.

Continet exempla, & cautelas quasdam ad hostium acies exturbandas.

PApirius cursor Consulis filius, aduersus obstinatos Sannites pugnans, iussit nonnullos mulis insidentes, camos per terram trahendo discurrere cum magno tumultu: quibus inspectis, clamauit, victorē adesse collegam, vt occuparent præsentis prælii gloriā: quo facto Romani cōceptā fiduciā, pauefactos hostes terga vertere cōpulerunt. *Fabius* Consul hastatos ordinibus subduxit, & collē vndè in hostiū terga decurri poterat occupare iussit, & Sanites cessit. *Amitius* Rufus cùm à Dacis plurimis premeretur, paucis præcepit vt cùm vidissent cōtractū prælium, subitos ex aduerso se ostenderent, sonantibus montium iugis: spe itaq; multitudinis effusâ,

hostes terga dedêre. Simile egit *Sulpitius*, contra Gallos. *Iugurtha* Numida, aduersus G. Marium pugnans, in primam Romanorum aciem procurrens, clamauit, se Marium occidisse; multosq; Romanorum auertit. Et *Valerius Leuinus* conformiter hostem repulit, mentitus se Pyrrhum occidisse, tenensq; cruentum gladium. *Mironides* Atheniensis, dubio prælio aduersus Thebanos, repentè in dextro suorum cornu prosiliens, clamauit se iam sinistro vicisse: & iniectâ suis alacritate, hostique mæstitiâ, victor fuit. *Cressus*, præualido hostium equitatui camelorũ gregem opposuit, quorum nouitate & horrore consternati equi, non solùm insidentes præcipitauerunt, sed etiam peditum ordines turbauerunt. *Pyrrhus* etiam Epyrotarum Rex contra Romanos, & *Penni* conformiter, elephantis sæpiùs vsi sunt. *Yspani* contra Amilcarem, ad vehicula, teda, sepo & sulphure composita iũctis bobus, ad signum pugnæ datum incenderunt vehicula, & acti in hostem buculi, consternatam aciem proruperunt. *Tarquinenses*, cum pluribus suorum in habitu sacerdotum faces & angues furiali habitu præferentibus, turbauerunt acies Romanorum.

Cap. X.

Continet exempla quædam, & cautelas restituendi suam aciem, cùm declinat.

X. ACiem declinantem posse reducere, de faucibus mortis est suos eruere: & in eo casu vis ingenii summè exercenda est. Ex acie fugere, mortis impellit timor: quin etiam ad leues sagittarum iactus fugientes aliquando Saraceni, Christianos compulerunt ad fugam: *part. xi. cap. xv.* Sed à vero fideli timorem expellit iusta causa bellandi, & præmium post laborem. Quid enim iustius quàm ignominiam Christi repellere, & populi Christiani? Probrosum est nimis populis Christianis, vt ibi lex Euangelii sileat, sola lex personet seductoris spurcissimi, vbi Christvs Dominus de Virgine est conceptus & natus, vbi passus, & Sepulchro traditus, & operatus salutem in medio terræ: ita vt dicere possimus illud 1. Machab. 1. *Facta est Ierusalem extera nomini suo, & nati eius reliquerunt eam: secundùm gloriam eius multiplicata est ignominia eius.* Surgat vtinam Iudas aliquis Machabeus, & adiuuet eum omnes fratres eius, & prælientur prælium Domini cum lætitia. Induat se nouus Iudas vt gigas; similis fiat leoni, qui nullius pauet aduentum. In Terra Sancta pro Iustitia & Dei lege pugnantes, laudat Apost. ad Hebreos xi. *Gedeon*, inquit, *Barach, Samson, Iepte, Dauid, & Samuel, per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Quid quoq; vtilius atq; securius tali morte, vbi obtentâ omniũ peccatorum veniâ, sic moriendo non pereunt corpora nostra, sed mutantur in melius? *Nihil timeas*, Apocal. 11. *eorum quæ passurus es; esto fidelis vsq; ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.* Vndè & cùm *Bendocdar* Saphet obtinuit, *part. xii. cap. xviii.* licet fidem dederit fidelibus, vt si per deditionem castrum reciperet, saluos cunctos Ptolomaydam vsq; conduci faceret: recepto castro ad spurcissimam legem suscipiendam Christianos primò inuitat precibus, mo...... deinde in crastino comminatur: Sed duorum Minorum Fratrum, totâ nocte sacris confortati monitis, coronam martyrii elegerunt: fluxitq; per montis decliuium nõ modicus sanguis, sed riuus cruoris: enim pauciores quingentis martyrio tunc coronati dicuntur. Post hos autem prædictos Fratres quorum vnus vocabatur frater *Iacobus de Podio*, alter frater *Ieremias de Ianua*, & cum eis Priorem Templariorũ, primò excoriari fecit, deindè crudelissimè fustigari, postremò ad locum deduci, vbi cæteri martyrizati fuerant, vbi capitis obtruncatione suum martyrium compleuerunt. Rex tamẽ crudelis & impius maceriâ corpora sacra conclusit, vbi nocturnis horis, cernentibus Saracenis, frequẽter magnus splendor emicuit. Non igitur timendũ Christianis in bello: si tamen ex humana imbecillitate declinet, Princeps militiæ proborũ Ducum sequatur exempla. *Seruius Tullius* adolescens, prælio quo Rex Tarquinus aduersus Sabinos cõflixit, signiferis segniùs dimicantibus, raptũ signum in hostẽ misit: cuius recipiendi gratiâ, Romani ita ardenter pugnauerunt, quòd & signũ & victoriam retulerunt. *Scipio*, cùm exercitum suum videret auersum, pronuntiauit hostem sibi futurum quicunque intraret in castra. In simili casu *Q. Furius* nullum ait se recepturum in castra nisi victorem: sic reductis suis in aciem, victoriâ potitus est. *Fuluius Priscus* cunctantem signiferum eius iussu aggredi hostem, occidi imperauit: quo facto perterriti cæteri hostem

hostem inuaserunt. *Cossus Cornelius* magister equitum, idem fecit. *Q. Attilius* Consul, refugientibus in castra militibus, aciem suam opposuit, & vniuersos contra hostes in aciem reduxit. *L. Silla*, cedentibus legionibus exercitui Mitridatico, stricto gladio in primam aciem procurrit, appellansq; milites, dixit: *si quis quæsisset vbi Imperatorem reliquissent, responderent, pugnantem in Boëtia*: cuius rei pudore, vniuersi secuti sunt eum. *Philippus* veritus ne impetum *Scytharum* sui non sustinerent, fidelissimos equitum à tergo posuit, iussitq; vt neminem commilitonum ex acie fugere paterentur, & abeuntes perseuerantiùs trucidarent: volentesque proindè ab hostibus potiùs quàm à suis cædi, victoriam adepti sunt. Simile de Astiage suprà 10 *cap. VIII.* dictum est.

Cap. XI.

Continet exempla quædam, atq; cautelas ponendi insidias.

QVantum insidiæ valeant iustè bellantibus, quamq; illis conueniant, Dei mandato ad *Iosuè* directo cognoscitur: Debellaturo enim ciuitatem Hay iussit Devs: *pone insidias vrbi post eam.* Et cùm fugam simulasset cum suis Iosue, & insequerentur eum oppidani, ita vt nec vnus remaneret, surrexerunt, qui latebant de insidiis, & ciuitatem incendio consumpserunt. *Scipio* Africanus cùm bina castra haberet aduersa, Sifacis & Carthaginensium, prima, vbi multa incendii erat ma- 20 teria, succendit, & concurrentes socios ad auxilium, vt putabant casualis ignis, per insidias trucidauit. *Pompeius* in Yspania, priùs dispositis, qui ex occulto egrederentur, simulato metu instantem hostem in loca infesta deduxit: vbi verò res poscebat, conuersus & in faciem & in latera, vsque ad internectionem cæcidit. *Tamaris* Regina auditâ morte filii, vltionis quærens solatia, hostem circumuenit insidiarum fraude: simulatâ quippe diffidentiâ refugiens, Cyrum vsque ad angustias perduxit: & cum eo vsque ad XX. millia Persarum trucidauit, Regis caput in vtrem sanguine plenum cum hac crudelitatis exprobratione proiiciens: *Satia te sanguine quem sitisti, cuiusque insatiabilis semper fuisti.* *Pompeius* contra Mithridatem tria millia militum in sylua iacente inter bina castra locauit; & leui armaturâ simu- 30 lante metum, vltra locum insidiarum traxit hostem, & ab vtraque parte cæcidit, fugientibus conuersis in faciem. *Melantus* dux Atheniensium, ad singulare prouocatus certamen, cùm applicaret, ab aduersario audit: *Iniquè contra solum cum socio venis:* & conuersus, vt videret quis se comitaretur, vno ictu ab hoste confectus est. *Hipocrates* Atheniensis, firmissimam manum militum eduxit è nauibus, in insidiis collocans; deindè naues omnes quasi milite onustas palàm transnauigare iussit: ita securos, & nihil dubitantes Lacedæmonios à tergo aggressus, in itinere oppressit. *Anibal* apud Canas, sexcentos equites Numidas transfugere iussit, qui ad faciendam fidem, gladios & scuta Romanis dederunt, & in vltimum agmen recepti, vt primò concurri cœpit, strictis minoribus quos occultauerant gladiis, scu- 40 tis iacentium assumptis, Romanorum aciem cæciderunt. *Idem*, cùm explorasset castra Fuluii Romani ducis negligenter munita, ipsum posteà nosset multa temerè audere, primâ luce cùm densiores tenebræ præstarent obscuritatem, paucos equites Romanarum munitionum vigilibus ostendit; quo Fuluius repentè mouit exercitum: tunc Anibal, per aduersam partem castra eius occupauit; & in terga Romanorum effusus, octo millia fortissimorum militum cum ipso duce trucidauit. *Veriatus* ex latrone dux Celtiberorum, cedere se Romanis equitibus simulans, vsque ad locum voraginosum, & prælatum eos perduxit; & cùm ipse per solitos ac notos sibi transitus euaderet, Romanos limoso immersos loco cæcidit. *G.* enim *Fuluius* cùm in finibus Romanorum, exercitus Faliscorum suo longè 50 maior, castra posuisset, per suos milites quædam procul à castris ædificia succendit, vt Falisci suos id fecisse putantes, se prædæ diffunderent. *Anibal* à Carthaginensibus missus contra Afros, sciens viros vini auidos, prælio leui commisso, cessit: nocte deinde intempestâ, relictis intra castra quibusdam sarcinis & vini copiâ mixti Mandragorâ, cuius inter venenum & saporem media vis est, fugam simulauit: cumque Barbari in gaudium effusi, occupatis castris se medicato onerassent mero, dum velut mortui iacerent, reuersus aut eos cepit aut occidit. *Saraceni*, dum Christiani obsiderent Acon, & fame affligerentur, satis dolosè simulatâ fugâ,

Z 3

XI.

Iosu. 8, 2.

prouocauerunt ad victualia & cætera rapienda, & grauatos oneribus redeuntes grauiter cesserunt, *part. x. cap. III.* *Idem*, aduertens lignorum inopiam regione desertâ, intra vallum reliquit plurimos armentorum greges: at cùm Romani semicrudâ se onerassent carne, ille reducto nocte exercitu, eos multò fortiùs vexauit. *Hij*, qui aduersus Eritreos bellum gerebant, speculatorem eorum in loco edito deprehensum ceciderunt: & eius veste suus amictus, Eritreos ex eodem iugo, signo dato, ad insidias euocauit.

CAP. XII.

Continet exempla & cautelas, ne hosti fuga penitus negetur.

XII. GRæci vt Xerxis Regis Persarum reditum impedirent, interrumpendi pontis consilium ineunt: sed *Themistocles*, metuens ne inclusi hostes desperationem conuerterent in virtutem, seruum transmisit ad Xersem, vt maturatâ fugâ præoccupet pontem. *Cæsar*, Germanos inclusos, ex desperatione fortiùs pugnantes, emitti iussit, fugientesque aggressus est. *T. Martius*, occisis Scipionibus delato ei exercitu, cùm Peni, ne inulti morerentur, acriùs pugnarent, laxatis manipulis, ex concesso fugæ spatio dissipatos, sine suorum periculo trucidauit. *Manlius* Consul, cùm ex acie reuersus capta ab extrusis Romana castra reperisset, omnibus portis statione circumdatis, inclusos hostes, in eam rabiem efferauit, vt ipse in prælio caderet: quod animaduertentes Legati eius, ab vna parte remotâ statione, exitum extrusis dederunt: & effusos persecuti occurrente altero consule. Sic etiam filii Israel, ingrauato bello contra filios Beniamin, *Iudic. xx.* dederunt eis ad fugiendum locum, vt in præparatas insidias deuenirent. *Pyrus* Epyrotarum Rex, cùm quandam ciuitatem cepisset, cerneretque ex vltima necessitate oppidanos fortiter pugnare clausis portis, locum ad fugam aperuit. *Idem*, inter cætera præcepta Imperatoria memoriæ tradidit, fugienti hosti pertinaciter non instandum: non solùm ne fortiùs ex necessitate resistant, sed vt faciliùs cedant, quoque postea facilius est, non vsq; ad perniciem instaturos victores.

CAP. XIII.

Continet cautelas varias, & exempla dissimulandi aduersa.

XIII. QVanto quis in opinione hostium pluris extimatur, tantùm illi de audacia demit: necessitates proindè cunctæ, aduersario tegendæ sunt. *Tullius Hostilius* rex Romanorum, contra Vegentes commisso prælio, cùm Albani desertis Romanis proximos peterent tumulos, clarè pronunciauit, id suo iussu peractum, vt hostes circumueniret, quæ res Romanorum turbatos sedauit animos, & hostium corda strauit. *Silla*, circumuentis auxiliatoribus ab eo missis, ne vniuersus trepidaret exercitus, suo id factum ait consilio, quia ad defectionem conspirassent: & tam manifestam cladem velauit, & militum animos confortauit. *Annibalem* in Italia tria millia carpentariorum, properantem reliquerunt: at ille, ne cæteri mouerentur, edixit à se esse dimissos: in cuius rei fidem, paucos qui remanserant remisit. *Lucullus*, cùm animaduertisset Macedones equites quos in auxilio habebat, subito consensu ad hostem transfugere, signa canere iussit, & turmas quæ eos sequerentur immisit: hostis committi prælium ratus, transfugientes telis excepit; & necessitate ad Romanos conuersi, hostem inuaserunt. *T. Quintus Capitolinus* Consul, cedentibus Romanis, ementitus est in altero cornu hostes fugatos; & confirmatis suis victoriam retulit. Sic *G. Manlius* aduersus extrusos vulnerato collegâ Fabio, qui sinistrum cornu ducebat, cedentibus cum turmis militum occurrit, clamitans collegam viuere, & se dextro cornu vicisse: quâ constantiâ, reintegratis suorum animis, victor fuit.

CAP. XIV.

Continet nonnulla post prælium obseruanda, si prosperè actum est: fugientiumq; cautelas.

XIV. VIctis prælio Theotonis *G. Marius*, reliquias eorũ, quia nox circũuenerat, circũsedens, per paucos suos territauit, & insomnẽ hostẽ detinuit: ex eo assequutus, vt

vt irrequietum posterâ die faciliùs debellaret. E contra *Balduinus* Rex Ierusalem quartus, fugato Norandino Barones nonnullos dimisit, & redeunte Turcho, de Christianorum strage vix fugâ liberatus est *part.vi.cap.xx.* Simile ab eodem & simili ex causa passi sunt apud castrum de Harench, (*in eodem capitulo*) *Barones* quidam de Francia venientes. *Cl. Nero*, victis Pennis, Asdrubalis caput in castra Anibalis iecit; vt luctu fratris ipse, & exercitus aduentantis auxilii desperatione, affligeretur: Et conformiter *Iocellinus*, caput Balac Christianis transmisit obsidentibus Tyrum quo facto Turchos satis afflixit: *part.vi.cap.viii. L. Silla*, hiis qui Penestræ obsidebantur, occisorum in prælio ducum capita hastis præfixa ostendit; atque sic obstina-
10 torum peruicaciam fregit. *Ermocartes* Syracusanus, superatis acie Carthaginensibus, veritus vt captiui, quorum ingentem manum in potestatem redegerat, minus diligenter custodirentur: quia victores, elatio atque insolentia in epulas & securitatem facilè compellere poterat, finxit proximâ nocte equitatum hostilem venturum: quâ expectatione consecutus est vt vigiliæ attentiùs gererentur. Victores quoque non statim currant ad prædam: Sic *Theotoni* post victoriam ad prædam effusi a Karolo Rege Syciliæ in dispersos irruente, facilè superati sunt. Non taliter egit *Iudas Machabeus*, Gorgiæ parte exercitus superatâ *1. Machab.iv.* Sed ait ad populum: *non concupiscatis spolia: quia bellum contra nos est; & Gorgias, & exercitus eius propè nos in monte*: & apparuit pars quædam cum Gorgia prospiciens de monte, & vi-
20 sis quæ gesta erant, & Iuda in campo parato ad prælium, fugit timore concepto: Tunc demum Iudas ad spolia castrorum reuersus est. Hæc autem cautela, cum Saracenis dimicaturis maximè necessaria est: quia fugere sciunt, & cedere; se iterum recolligere, ac redire: Sunt enim à remotis, & quid Christiani agant respiciunt; & si dispersos viderint & ad spolia occupatos, reuertuntur & vincunt: sicut supra *part....cap.....* & *part.xii.cap.2.* Vndè & *Galli* laudantur quia pugnaturi cum Atallo, aurum omne & argentum custodibus certis tradiderunt: vt si acies contingeret terga dare hostes thesauris intenti fugientibus parcerent. *Tryphon* quoque Syriæ Rex per totum iter, fugiens, pecuniam sparsit: effugitque Antiochi milites ad eius collectionem immoratos. *Q. Sertorius*, pulsus acie a Quinto Metello Pio, ne
30 fugam quidem tutam arbitratus, milites dispersos abire iussit, admonitos in quem locum conuenire vellet. Nil simile egerunt *Christiani*, quando iuxta casale vocatum Sarmosac cum Rege LVDOVICO capti sunt: *part.xii.cap.iii.* Nec etiam alias similes legimus egisse cautelas.

CAP. XV.

Continet circa obsidionem exempla varia, & cautelas.

SVmmè nociuum obsessis est, aquæ defectus: & ideò sagaciter meatus eius quærendus. Sic *Olofernes* Bethuliam obsidens, aquæ ductum incidi præcepit, quem
40 circuiens reperit, diligenti custodia adhibita fontibus: vndè sacerdos post quintâ diem statuit reddere ciuitatem. Similiter & itinera obsidenda, vndè victualia comportantur, & ante quàm segetes colliguntur. Sic *Fabius Maximus* vastatis Campanorum agris, vt & semina perderent, cessit; deindè renata strauit. Pluribus quoque cautelis inuenimus obsessorum grana sublata. *Dionysius* enim multis vrbibus captis, cùm Reginos adgredi vellet qui copiis abundabant, simulans pacem, petiit commeatus exercitui ministrari: & exhausto oppidanorum frumento, aggressus est vrbem. *Alexander*, oppugnaturus Leycadiam commeatibus abundantem, priùs castella quæ in confinio erant cepit, & ad vrbem confugere passus est; vt alimenta celeriùs consumerentur. *Fallaris* Agrigentinus, cùm quibusdam
50 fœdus simulauit, petiitque frumenta apud illos locare, vt proprium incautiùs consumerent; suoque repetito, illos superauit inediâ. Sunt & alii modi decipiendi obsessos. *Anibal* in Italia plures vrbes cepit cum habitu Romanorum, & lingua, quam longo belli vsu didicerant. Sic & *Turchi* Christianorum oppida, simulatâ victoriâ: *part.iv.cap.xiv.* *Dux Atheniensium*, templum Dianæ extra muros incendit; effusisque oppidanis ad opem, vacuam defensoribus cepit vrbem. *Alcibiades* dux Atheniensis, ciuitatem Agrigentinorum, egregiè munitam obsidens, consilium ciuitatis petiit; vt de rebus ad commune pertinentibus

differeret: dumque in consilii specie multitudinem teneret, Athenienses quos ad id præparauerat, incustoditam vrbem acceperunt. *Antiochus* in Cappadocia, portantes ad obsessum castrum in iumentis frumenta cepit; submisitque milites sub eorum officio & vestitu. Quasi similiter subintrauerunt castrum *Armeni*, occultatis armis: *part.....cap....* Et *Saraceni*, iuxta Ptolomaydam, Christianos plures similiter deceperunt: *part. xii. cap. viii.* *P. Cornelius Scipio* intelligens difficultatem ad expugnandum Deliuinum, quia omnium concursu defenderetur, cætera oppida aggredi cœpit, & euocatis ad propria defendenda singulis, euacuatum auxiliarii Deliuinum cepit. *Cornelius Rufinus* consul, Crotonam oppidum cum obtinere non posset, finxit discessum, & post emissos auxiliarios, inualidos cepit. *Mango* dux Carthaginensium, victo Gn. Pisone, & in quadam turre circumsepto, suspicatus ventura ei auxilia, profugam misit qui persuaderet appropinquantibus captum iam Pisonem: illisque deterritis, reliqua victoriæ consumauit. *Theleopidas* Thebanus, duo oppida simul oppugnaturus, præcepit vt ab aliis castris, quatuor equites coronati cum notabili alacritate venirent: ad cuius simulationem, curauit vt sylua quæ in medio erat incenderetur, præbitura speciem vrbis ardentis: eorumque habitu quosdam captiuorum iussit perduci. *Fabius Maximus*, apud Arpos occupatos præsidio Anibalis, sexcentos milites, obscurâ nocte misit, qui minus frequentatam oppidi partem scalis ad murum ascenderent: & descendentium aquarum strepitu adiuti sunt: & dato tunc signo, à parte alia cepit Arpos. *Cato*, magis imbelles cuiusdam ciuitatis mœnia aggredi iussit: at dum obsessi victores, fugientes hostes auidius persequuntur, cum legionibus reseruatis, oppidum bellatoribus vacuum cepit. Sic *Scipio* in Sardinia, fugam simulans, insequentibus oppidanis, per eos quos proximè locauerat, oppidum inuasit. Et *Anibal* Gemeram simili cepit commento. Et filii Israël, (*Iudic. xx.*) fugam artè simulantes, inierunt consilium vt abstraherent de ciuitate filios Beniamin; Sic ceperunt Gabaa; & percusserunt ex eis xxv. millia hominum bellatorum. Non taliter egit *Almericus* Rex v. Ierusalem circa Damiatam cum exercitu Imperatoris Constantinopolitani: sed post longam moram, egestate & frigore compulsus recessit: *part. vi. cap. xxii.* Et Rex *Hugo* ad demoliendum Caco iens cum Domino Odoardo, pro inuenta præda obsidionem miserabiliter omiserunt: *part. xii. cap. xi.*

Cap. XVI.

Continet bellantium monita salubria, & regulas directiuas.

XVI. Non solùm *exemplis*, sed etiam infallibilibus *regulis* bellorum Duces informare vtile est. In præliis & expeditionibus conditio talis est: vt quod tibi prosit, aduersario noceat; & quod tibi officit, illum iuuet. Nunquam dissimulandum aut agendum aliquid ad hostis arbitrium; sed quod nostro iudicio videtur vtilius, & magis eligendum. Contra te incipis esse si imiteris quod aduersarius in quantum huius pro se facit. In bello qui plus in angariis vigilauerit, plus exercendo militem laborauerit, minus periculum sustinebit. Nunquam militi, nisi probato, arduum aliquid committendum. Inediâ autem emergentibus, vt terrore & insidiis, vtilius hostem domare quàm prælio, vbi frequenter fotruna præstat virtuti. Nulla sunt consilia magis efficacia ad perficiendum intentum, quàm ea quæ impedimentũ patrare valens, ignorat. Plus iusta, causa quã bellandi peritia proficere consueuit in bellis. In sollicitandis & suspiciendis hostibus, si cum fide veniant, magna fiducia est: quia transfugæ, ampliùs frangunt aduersarium quàm perempti. Melius est post aciem plura seruare præsidia, quàm latius milites spargere antè eam. Difficile vincitur, qui de suis & aduersarii copiis potest sumere vltionem. Paucitas exercitata, parata ad victoriam; multitudo rudis, ad fugam communiter reperitur. Sæpè locus vel tempus præstat peritiæ belli. Paucos viros fortes natura procreat, multos effecit disciplina. Nunquam acies producenda nisi affuerit spes triumphi. Ordinato incessu nihil fructuosius: quod minimè obseruatur, nisi celeriter ambulare & æqualiter addiscatur. Periculum semper ab hostibus sustinet inordinatus exercitus, & diuisus. Magna est adhibenda cautela ne cùm incumbit necessitas, quid eueniat imperitis. Non armorum ornatu, sed aptitudine & terrore subiicitur hostis.

stis. In cæteris rebus emenda potest fieri post delictum: inemendabilis verò culpa bellorũ, cui pœna protinus est adiuncta. Senatui populoq; Romano orbem subiecit armorum exercitium, militiæ vsus, & disciplina castrorum. Disciplina militaris auget audaciam dimicandi; & minus mortem timet in prælio, qui vitam minus habuit delicatam. Ordinatâ munitione castrorum nihil salubrius, vbi dies noctesq; tam securi peragunt, ac si secum ciuitatem propriam comportassent: fitque vt si necessitatis articulo periculis cedant, refugium habeant, ne gladio, animalium more, cadant. Absque ferro vincitur, qui frumentum non præparat, & alia opportuna. Quid fieri debeat, tractato cum multis: quia Principum oculi, sapientes: quod verò facturus, cum paucissimis, vel potius ipse tecum. Boni duces publico certamine nunquam nisi ex occasione, aut nimia necessitate confligunt. In milite requirantur operis aptitudo, velocitas, robur, & armorum disciplina. Fabros, carpentarios, macellarios & venatores congruit militiæ sociare. Legionis ius est, facilè nec fugere, neque sequi. Militem honestas reddit idoneum, & victorem verecundia fugæ. Clausis, crescit ex desperatione audacia. Nulla, vbi pro salute certatur, est negligenti venia impendenda. Illic numerus requirendus non est, vbi animus semel territus, non tam hostis telum quęrit declinare, quàm vultum. Hæc de rei militaris disciplina commemorasse sufficiat. Cæterùm quæ desunt in regulis & exemplis, suppleantur in scholis.

CAP. XVII.

Continet quomodo conquisitâ Terrâ Promissionis, Rex vnus instituendus sit.

POst conquisitam Promissionis Terram, constituendum fore Regem, qui cunctis imperet, prudenter & iustè gubernet subiectos, hostes propulset & terreat, sacra monet Scriptura, Deuter. XVII. *Cùm ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, & possederis eam, habitaueris\'q; in illa, Regem constitues quem Dominus DEVS tuus elegerit.* Regem dixit singulariter, & non plures: sicut & vnum Capitaneum eligendum supra diximus, vt pax & vnitas ampliùs foueatur: *suprà lib. II. part. I. cap. I.* Summè enim cauendum dissidium, quod facillimè potest contigere in Fidelibus peractâ victoriâ, propter diuersitatem linguarum, regionum, complexionum & morum. *Soldanus* Babyloniæ aliquando se comparauit Serpenti habenti plures caudas & caput vnum, quod caudas omnes ad libitum post se trahit: Christianos verò comparauit serpenti habenti caudam vnam & plura capita, & non potest sequi cauda capitum contrarios appetitus, CHRISTI testimonio: *Nemo potest duobus dominis seruire.* Eligi quoque debet vnus, non contingenter, aut quiuis indifferenter; sed quem Dominus DEVS tuus elegerit: qui praua oderit, virtutibus floreat, vtilia eligat, scelera detestetur: sitque alter *Dauid*, quem omnes concorditer & vnanimiter vnxerunt in Gyon: *II. Reg. V.* Qui tulit frenum tributi de manu Philistiim; & percussit Moab, & factus est ei Moab seruiens sub tributo: fecit quoque sibi famam cùm reuerteretur, captâ Syriâ, in valle Salinarum: & posuit in Idumea custodes: & facta est vniuersa Idumea seruiens Dauid. Sit alter *Salomon*, cuius vultum desiderabat vniuersa terra; qui & famam vincebat virtutibus: ipse enim obtinebat (*III. Reg. IV.*) omnem regionem trans flumen, & cunctos Reges illarum regionum; & habebat partem ex omni parte in circuitu: habitabatq; Iuda & Israël absq; timore, vnusquisque sub vite & ficu sua: Sic etiam *Ezechias*, qui muniuit ciuitatem, induxit aquam, fodit ferro rupem, & ædificauit puteum: *II. Paralip. XXX.* & Ecclesi. XLVIII. Deniq; sit *Iosias*, qui directus est diuinitus in pœnitentiam gentis, & tulit omnes abominationes, & in diebus ipsorum corroborauit pietatem: *II. Paralip. XXXV. & Ecclesi.* XLIX. Talis esse debet Rex Ierusalem, vt populus Christianus inibi merito & numero augeatur. Nam, vt pulchrè ait Anticladius,

—— componitur Orbis
Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

Taliter electus est dilectus & electus à DEO Gotifredus: *part. VI. capit. I.*

XVII.

Matt. 6, 24.

10 20 30 40 50

Ipsius quoque successores, Soldanus Ægypti & Damasci tributarios habuerunt: *part. eadem, cap. xxi.*

CAP. XVIII.

Continet quòd à superfluis, & quibuscunq; vanis Rex debeat abstinere.

XVIII SIcut in militari disciplina vtilia quædam sub certis capitulis comprehensa sunt, sic conuenienter circa *vitæ mores* componendos, nonnulla subinferamus. Nam hiis duobus defecisse fideles, si attentè præmissa legerimus, sæpiùs aduertemus. Et quia breuitati insistimus, in persona Regis populus informetur: quia *qualis rector ciuitatis, tales & habitantes in ea*: *Ecclesi.x.* Et suprà præmittitur; *componitur orbis Regis ad exemplum.* Ne verò institutus Rex, putet legibus se solutum (*in Deuter. vbi suprà,*) regulam audiat cœlitus sibi datam. *Cumq; Rex fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos.* Necessarii non prohibentur equi, vel equites ad regni tutelam: sed pomposa multiplicatio, qualiter Salomon habebat (*iv. Reg. iv.*) xl. millia præsepia equorum currilium, & xii. millia equestrium: & (*capit**.) xx. millia equitum dicitur habuisse. Prohibetur autem iactantia hæc, ne onerosus subditis, & in se insolens fiat: equorum enim nomine Legislator familiam, & extrinseca omnia quæ ad eum pertinent denotauit: in quibus excessit Salomon: cuius cibus erat per singulos dies xxx. chori similæ, & lx. chori farinæ; decem boues pingues, & viginti pascuales, & centum arietes; exceptâ venatione ceruorum, caprarum, atque bubalorum, & auium altilium. Fecit quoque ducenta scuta de auro purissimo, & trecentas peltas, ad ostentationem Regii fastus; quibus vtebantur custodes Regis, antè hostium domus excubantes. Cum hiis etiam præcedebant equites iuuenes, cùm Rex egrederetur, diffundentes flauam cæsariem, vsque in equorum sessionem; adiicientes auri tincturam, vt eorum capita sole percussa, ampliùs radiarent. Quantum autem ex hiis similibusue, subditis Salomon fuerit onerosus, scriptura indicat *iii. lib. Reg. xii. capit.* cùm ad Roboam filium eius clamaret populus: *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu minue paululùm de imperio patris tui durissimo, & de grauissimo iugo quod imposuit nobis: & seruiemus tibi.* Sed cùm aduersa respondisset, & grauiora minaretur, decem Tribus amisit, & regni diuisionem induxit: (suprà *part. 1. cap. v.*) Quid superflua arma, vel armati conferunt Regi? Plato cùm vidisset Dionysium Tyrannum Siciliæ, corporis sui septum custodibus, ait: *Quid tantum malum fecisti, vt à tam multis necesse habeas custodiri? Vnũ,* inquit Seneca de clementia ad Neronem, *est in expugnabile munimentũ amor ciuium.* Hinc aduertant Principes & Barones: si equos & equites Regi ad fastum multiplicare non licet, minus licitum esse eis multiplicare canes, aues prædarias, simias, & syluestria quæque diuersa, quasi quædam portenta naturæ. Sed in hiis forsitan sæpiùs deliquerunt, quia familiariùs inhæserunt ioculatoribus quàm prædicatoribus veritatis. *Nobilium est,* inquiunt, *istriones,* * *se in venatica exercere, causâ recreationis; in auibus cœli ludere; taxillos rapidè colligere, argutè voluere, & aleas frequentare.* Quis ignorat, quòd hæc delicatę suscitant pruriginem leuitatis? Themistocles Philosophus ait: *Magistratus à ludis & quibuscunq; leuioribus esse arcendos, ne res publica ludere videatur.*

Deut. 17, 16.

CAP. XIX.

Continet ad quantum regni periculum Rex malis moribus inquinatur.

XIX. SI Rex Ierusalem à vanis ac leuibus, quasi peccatorum fomentis, abstinere iubetur, ex hoc penset quantâ curâ grauiora peccata vitare debeat, quæ non solùm sui exitium, sed totius etiam regni, ac vniuersi populi infortunium periculumq; inducere possunt? Vndè conuenienter sequitur in regula eius: *Nec reducet populum in Aegyptũ equitatus numero subleuatus.* Fastus enim & vanitas Regis, ad peccatum inclinat: peccatum Regis, faciliter ducit populum in Ægyptũ, id est, in tenebris peccatorum: quia *promptè facit inferior,* ait Ambros. ad Rom. 1. *quod vidit fieri à potiore.* Vndè & Ieronymus ad Helyodorum ait Episcopum: *Domus tuæ conuersatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ: quicquid ibi fecerint, id omnes sibi faciendum putant.* Sic *Ieroboam,* quasi in Ægyptum, duxit in idolatriam decem tribus: *part. 1. cap. v.* propterquod regnum ipsum ab Assyriis destructum est. *Ioas* quoque Rex Ierusalem, Optimates suæ vitiauit exemplo à Dei legitimis declinando *sequenti capitulo*

Deut. 17, 16.

Et

Et propterea ex Dabyr vel ex Ephod ex tunc oraculum prohibitum est diuinum. Propter peccatum Dauid in numeratione populi, multa millia occiduntur: *II. Reg. XXXIV.* Sic verum est quod dicitur Ecclesiast. x. *Secundùm Iudicem populi, sic & ministri eius; & qualis est rector ciuitatis, tales habitantes in ea.* Et Ethnicus supradictus, *Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.* Et quia populum cum Rege iungit sequela peccati: iustè eâdem pœnâ communiter inuoluuntur: sic de talibus Ezech. VII. ait DEVS: *Rex lugebit, Principes induentur mœrore, & manus populi terræ conturbabuntur: secundùm viam eorum faciam eis.* Sic omnium Rex meritò se putet reum, quos vitiato exemplo duxerit in Ægyptum. Proindè Rex Ierusalem virtutibus floreat, vt mores laudabiles in subditos influat, quasi caput in membra: ne illud Helyæ ad Achab, ei improperari possit: *Tu es, qui conturbas Israël, & domus patris tui: III. Reg. XVIII.* ne populus serò gemat illud, Tre. III. *Me minauit & adduxit in tenebras, & non in lucem,* & sequenti capitulo: *ceruicibus minabamur, lassis non dabatur requies; Ægypto dedimus manum & Assyriis, vt saturemur pane.*

CAP. XX.

Continet, qualiter Rex per temperantiam, sub rationis imperio, concupiscibilem frenare debeat, quantum ad sensibiles delectationes.

SIcut in ciuitate benè disposita, cuncti sub obedientia vnius Principis ordinantur: sic concupiscibilia vniuersa, quicunque rectè viuere cupit, necesse habet, vt sub imperio redigat rationis; & *nequaquam post concupiscentias suas eat: (Ecclesiast. XVIII.)* sed temperet se à delectationibus in quibus cum brutis animalibus communicamus: *III. Ethic.* Qui enim eas per intemperantiam sequitur, non est aptus aliis dominari; sed magis subiici sequenti iudicium rationis: secundùm quod Noë filiis eius, Gen. IX. ait DEVS: *Terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ:* super animantia, inquit, non super homines: vt non ratio, sed brutalitas timeat hominis potestatem. Vis etiam concupiscibilis: *III. Ethic.* secundùm quam est intemperantia, assimilatur puero: sed *væ terræ, cuius Rex puer est; & cuius Principes manè comedunt:* Ecclesiast. x. Necesse est proindè vim sensibilem, ratione regi; sicut puerum, pædagogo. Qui autem domui suæ, (*ad Tit. III.*) imò, vt ita dicam, sibi ipsi præesse nescit, quomodo Ecclesiæ DEI diligentiam habebit? A regimine igitur sui discat Rex electæ Terræ Promissionis, rectè regere subditos vniuersos, dicente Ethnico Claudiano:

Si metuis, si plura cupis, si duceris irâ,
Si vitij patière iugum tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia iure tenebis,
Cùm poteris Rex esse tui.

Plutarchus etiam in institutione Traiani: *Quiduis rectissimè geres, si non recesseris à te ipso: si primò te composueris ad virtutem, rectè vniuersa procedent.* Et quia inter sensibiles delectationes sunt Venereæ potiores, in regula Regum nominaliter prohibentur: *Non habebit vxores plurimas, quæ illiciant animũ eius.* Ergò nec adulterari multò minus licebit, aut stupra quæuis committere. Quòd si de Rege Dauid, & filio eius Salomone obiectio oriatur, qui multas duxerunt vxores, respondebitur: quia Dauid, propheticâ conuictus parabolâ, se filium mortis esse respondit, *II. Reg. XII.* Et de Salomone, *Eccles. XLVIII.* post magnalia enarrata dicitur: *Inclinauit femora sua mulieribus; dedit maculam in gloria sua.* Herodes Herodyadem contra legem accipiens, iussit decollari Iohannem. *Matth. XIV. & Marc. VII.* Latinorum quoque Regum Ierusalem, *Balduinus* primus, hoc spreto regulæ suæ capitulo, solutoq; coniugali vinculo, quo vnus vni ab initio iungitur, monasterio intrusâ Reginâ, quod Sancta Anna vocatur, iuxta Probaticam piscinam, & propè portam quæ dicebatur Iosaphat, Comitissam Siciliæ quæ opibus affluebat, relictam Rogerii fratris Roberti Guiscardi superinducens, & infirmitate correptus, demum relinquens, Siculorum Apulorumq; ad Regem regnumq; Ierusalem dissidii ac odii, non paruo tempore, materiã tribuit. *Ysabella* etiam, Reginæ Sybillæ sorori defunctæ succedẽs, spreto Enfrando, (*suprà part. x. cap. III.*) à Conrado sponsatur, vel adulterio potiùs maculatur: quia veritatis testimonio, (*Luc. XVI.*) *Omnis, qui dimittit vxorem suam & ducit*

XX.

Deut. 17, 17.

alteram, quoad primum, *mechatur*: & quo ad secundum, *Qui dimissam à viro duxerit, adulterat.* Fœda res & indigna honore regiò, ac penè Machumetico errore suspecta, matrimonia ritè celebrata diuidere, vel personas illegitimas copulare, aut vni plures iungere, contra diuinam legem, & Ecclesiasticam sanctionem. Sub regula itaq; rationis, Rex delectationes, & concupiscentias suas arceat, ne eius illiciant animũ ad peccatum; ne Regale decus fœdet luto peccati: ne illius exemplo populus vitietur, qui virtutibus præstans, sub iugo tributi tenere debet in circuitu populos infideles. *Cui enim liberè imperabit,* (inquit Tullius lib. de Paradoxis) *qui non potest suis cupiditatibus imperare? Refrenet primùm libidines, spernat voluptates, animi labes repellat: tuncq; incipiat imperare, cùm ipse improbissimis Dominis, dedecori ac turpitudini, parére desierit.* 10

CAP. XXI.

Continet qualiter concupiscibilem frenare debet, quantum ad delectationum fomenta, seu thesaurorum abundantiam.

XXI. SIcut in stipite apto cunctæ arbores faciliter inseruntur, ita & in *Auaritia* scelera vniuersa: dicente Apostolo. I. ad Timoth. VI. *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Sic de radice colubri egreditur regulus: *Isay. XIV.* Vnde Apostolus vbi suprà. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Auaro* proindè (Eccles. X.) *nihil est scelestius.* Non solùm cupiditas diuitiarum, truncus est in quo mala omnia inseruntur: sed & fomenta sunt diuitiæ, sensibilium & carnalium voluptatum, à quibus debet Rex, (*superiori capitulo*) abstinere. *Diuitiis alitur luxuriosus amor:* ait Ethnicus de remedio amoris. Ad tollendam igitur maculam cunctorum scelerum, & fomentum maximè carnalium vitiorum, additur in regula Regum: *Non habebit auri & argenti immensa pondera*: ne videlicet Regiam gloriam constituat in calamitate multorum, subiectis necessaria subtrahendo, quibus magis expedit beneficia elargiri. Qui enim potentes erant aliis benefacere, hunc honorem adepti sunt vt Reges vocarentur: *v. Polit.* Quo denique titulo congregabit diuitias, quas nomine possidet alieno? Non igitur priuata habere fiscalia debet, quæ publica confitetur. Sed, quia beneficia eroganda sunt, non proiicienda: summa cum consideratione librandum, quid conquisitâ Terrâ Sanctâ, ad regni conseruationem vtilius videatur; an videlicet omnes terræ illius reditus in fiscum deuenire Regium, in viros bellatores secundùm Regis prouidentiam pro tempore dispensandos: quemadmodùm Soldanus Babyloniæ ad præsens obseruat: an conquisitâ terrâ, Baronibus ac militibus, & bellatoribus viris distribuere, qui Regi ac regno taxato armatorum numero seruiant, retentis amplis redditibus apud Regem quibus valeat se liberalẽ exhibere Clericis, religiosis, ac secularibus; impotentibus & egenis maximè, qui in conquisitione Terræ Sanctæ laborassent, vel Curiæ deseruissent: ad erigendas quoque Ecclesias, monasteria construenda, & vnum ad minus in vrbe qualibet *hospitale*, in quo recolligantur & foueantur infirmi, & temporali auxilio destituti. Quòd si ciuitates & castra vtilius videbitur partiri diuersis, pro Terræ Sanctæ subsidio, vtilimum videretur aliquibus potentibus Communitatibus cismarinis vrbis vrbes eis accommodas cum casalibus suis in feudum tribuere, vt inibi iurisdictionem exerceant, iustitiæ debitum vnicuique reddant: & Regi & regno de nauigio vel militia aliquà, vel vtroque seruiant. Nam vnusquisque quod proprium est, magis tueri conatur: & de facto, partes aliquas Romaniæ, ex ea causâ, ad præsens per Venetos conseruari videmus. Et quia ædificanda sunt castra, erigendæ munitiones, non modò in Terra Promissionis, sed etiam in partibus Arabiæ & Ægypti; non solùm ad regni tutelam, sed etiam ad lucra magna, ac bona temporalia consequenda: latè patebunt fortilitia in maritima Ægypti & Syriæ, talibus dispensanda. Quæcunque verò via eligatur ex præmissis circa regni dispositionem, taxatam sibi regulam Rex semper obseruet, *ne habeat auri & argenti plurima pondera*: id est, animum ad congregandas diuitias: vel si diuinâ dispositione affluant, *cor non apponat.* *Mauritius* auarâ tenacitate amisit Imperium: cùm enim in hostili terra positus, militibus stipendia negasset, Focas rogatus, Imperialem assumpsit purpuram; & fugientem Mauri-

Marginal notes: Deut. 17, 17. (at "rum, & fomentum"); Psal. 61, 10. (at "lam Rex semper"). Line numbers: 20, 30, 40, 50.

Mauritium, cum vxore & quinque filiis, in Insula quadam necari iussit. Et *Saul* cupiditate prætiosorum Amalech ad inobedientiam tractus, à regno repellitur. *I. Reg. xv.* Et *Achab* homicidio perpetrato, quia Naboth vineam concupiuit, (*III. Reg. xxI.*) per Helyam audit à Domino: *Occidisti, insuper & possedisti: in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuũ.* Econtrà verò, beatus diues, (*Eccles. xxxI.*) qui post aurum non abiit; nec sperauit in pecuniæ thesauris: quis est hic & laudabimus eum? Sicut enim auaritiâ fama regiâ denigratur, sic præcipuè liberalitate clarescit. *Policratis* enim Samiorum Regis abundantissimis bonis conspicuus vitæ fulgor, ad Indiam vsque excessit: quia concupitæ rei fructum ab eo quilibet obtineret. Studeat igitur Rex Ierusalem, & Terræ Sanctæ Promissionis, liberaliter tribuere vbi oportet vel expedit; vt subditorum ac familiarium deuitet odium; vt sui ac regni declinet periculum; vt claritate famæ, Occiduos populos ad se trahat; vt inimicos terreat CHRISTI & populi Christiani.

CAP. XXII.

Continet sollicitam Regis diligentiam circa diuinæ legis studium, ac obseruantiam mandatorum.

REX *sapiens stabilimentum populi est.* Sapient. VI. Et Eccles. x. *Rex insipiens perdet populum suum; & ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentum.* Ideò ad Philosophiam *primo de consolatione* pulchrè ait *Boëtius: Tu ex ore Platonis sanxisti beatas fore Respublicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent; vel earum rectores, studere sapientiæ contigisset.* Vnde & sapientia pronuntiat Prouerb. IV. *Per me Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt.* Hâc Theodosius, Iustinianus, & Leo, quasi de informi mundo alterum formauerunt, dum legibus orbem, quasi templum quoddam, Iustitiæ consecrarunt. Sed quia omnium legum censura est irrita & inanis, ni gerat imaginem sacræ legis: ideò conuenienter sequitur in regula Regum. *Postquam sederit in solio regni, describet sibi Deuteronomium legis.* Hîc proinde, *Reges intelligite, erudimini in lege Domini qui iudicatis terram: quia, lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.* Lex enim Cæsarea vel humana, non amputat omne peccatum; quin etiam permittit interdum particulare delictum. Sed lex Domini immaculata, prohibens vniuersa peccata. Prohibet manum humana, non animum: Sed *lex Domini conuertens animas.* Et propter varietatem humanorum actuum, non sufficit de cunctis differere: sed *testimonium Domini fidele, sapientiam*, id est, perfectam scientiam, *præstans paruulis.* Huius legis puritatem ac integritatem *Philadelphus* attendens, sibi transferri à DEI cultoribus procurauit, quo de DEO rectius sentiret, & salubrius populum gubernaret. Si autem Rex minor ætate fuerit, aut parentum incuria litteris imperitus, assistant ei Nathan Propheta, & Sadoch Sacerdos. Vnde sequitur in regula Regum: *Accipiet exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus.* Sic *Ioas* dum ei astitit Ioiada, rectè vixit; quo sublato, peccauit: supra *part. I. cap. VI.* Gentiles quoque Reges, præceptores habebant Philosophos: *Alexander* Aristotelem, *Nero* Senecam, *Traianus* Plutarchum. Alexandro sublimis ingenii, scripsit Aristoteles Philosophiæ secreta: Neroni trucis animi, scripsit Seneca librum de clementia: Traiano verò, qui absque vlla ambitione Principatum obtinuit, scripsit Plutarchus volumen pulcherrimum de instructione politica, qui *Traiani institutio* nuncupatur. Sic laudabiles præceptores, locis, temporibus, ac personis congruè nouerunt adaptare sermones. Tales Rex Ierusalem, sui suorumque doctores prædicatoresque fideles habere studeat, qui scelera detestentur, contra vitia clament assiduè cum Zacharia filio Ioiadæ quem spiritus induit Domini (*II. Paral. xxIV.*) qui stetit in conspectu populi, & ait: *Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit? Quare?* id est, qua necessitate transgredimini, cum sint obseruatione facilia? Deuter. xxx. *Mandatum quod ego præcipio tibi, non supra te est.* Neminem deiicit aduersarius noster, nisi volentem. *Quare?* id est, qua auiditate, cum sint obseruatione felicia? Matth. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* Debitor, feneratori reddit commodum; & recepto semine terra reddit fructum, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum: reddet & veritas quod promisit. *Centuplum*, ait, *accipietis, & vitam æternam possidebitis. Quare* etiã? id est, qua temeritate, cum sint trans-

Deut. 17. 18.
Psal. 2. 10.
Psal. 18. 8.
Deut. 17. 18.
Matth. 19. 29.

Psal. 118,21. gressione pœnalia? *Maledicti*, inquit Psalm. *qui declinant à mandatis tuis. Ite maledicti*, ait Iudex iratus, *in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius.* Matth. xxv. In *ignem* vadunt, tantum supplicium excepturi, quantum præmium amiserunt. Et iustè, *æternum*: quia illa non casualis, sed rationalis exustio: quia non tam reum insequitur: quàm reatum. Sic culpam iubetur inquirere, quod substantiam nequit absumere. Interminabilis proinde culpa, igne cremabitur sine fine: & dum nullam spem, etiam post immensa tempora promittere sibi valent, dolorem sentient in præsenti, etiam consequentium seculorum. Præuaricatores redite ad cor: quibus momentaneis delectationibus transgredimini mandatum Domini, vt tam duros subeatis, tam insensibiles, tam inenarrabiles cruciatus? Ad hæc verò aptè & sollicitè prosequenda, vtile videretur, vltra sermones vel prædicationes solitas & communes, in scholis Theologiæ per Religiosos, textum Scripturæ Sacræ exponere in vulgari; quia, sicut *Venetiis*, vbi modus iste seruatur, experientia certa docet, cuiuscunq; conditionis existant, ad Missas & diuina officia, summo manè deuotè conueniunt: & magis sollicitè post diuinum officium, per horam idoneam imbuuntur de credendis, de moribus, de præceptis: quibus ad mentem quotidiè reuocatis, aptiores fiunt ad explicandam quærentibus de hiis quæ sunt fidei veritatem, ad fugienda nociua, ad vtilia & meritoria prosequenda. Vnde benè sequitur in regula Regum: *Legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum, & custodire verba & ceremonias eius quæ in lege præcepta sunt.* Quæ verò altiora & subtiliora sunt, litterato sermone in sententiis disseruntur.

Deut. 17,19.

Cap. XXIII.

Continet Regiæ excellentiæ mansuetudinem piam, ac clementiam in subiectos.

XXIII. A Principio conditionis humanæ, homo homini non præfertur: sed, *faciamus hominem*, (ait Devs Gen. I.) *vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ:* nec seruitutem prius legimus quàm impius Cham, à tramite rationis conuersus in belluam, nudatum ebrietate irrisisset parentem. Igitur hiis cognoscant Reges gentium, & dominatores earum, se non tam viris quàm vitiis imperare: nec subiectum quenquam fieri qui in rectitudine, & æqualitate manserit rationis. Vnde rectè sequitur in regula Regum: *Nec eleuabitur cor eius in superbia super fratres suos.* Verè frater est, qui conditæ naturæ mutationem nescit, qui in Dei similitudine clara persistit, qui Christianâ professione censetur, qui eadem hereditate dotatur, nec peccato à cœtu fidelium separatur. Vnde Matth. xxiii. ait Christus: *Omnes vos fratres estis: vnus est enim pater vester qui in cœlis est.* Imò, Christi fratres dicuntur vniuersi fideles. *Hebr. II. Qui enim sanctificat & qui sanctificatur, ex vno omnes: propter quam causam non confunditur fratres eos vocare*, dicens: *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* Attendat Rex proinde consilium Ecclesiast. xxxii. *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis, curam illorum habe.* Cautela est Tyrannorum, nō Regum, velle haberi formidini & terrori, vt securi persistant; armis salutem tueri, non beneuolentiâ. Vnde *Seneca* de clementia ad Neronem: *Nullum ex omnibus magis quàm Regem decet clementia. Magni animi proprium est placidum esse ac tranquillum, & iniurias atque offensiones despicere. Iracundissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt; Rex ipse sine aculeo est: nam ei telum detraxit, & iram eius inermem reliquit: exemplum hoc magnis Regibus ingerens.* Et Claudianus ait, *Sola Deos æquat semper clementia vobis.* Benè hanc clementiam Theodosius cæteris persuasit, dicens in Codice: *Si quis crediderit nomina nostra maledicto lacessenda, eum nolumus pœnæ subiacere: quoniam si ex leuitate processerit, contemnendum est; si ab insania, miseratione dignum; si ab iniuria, remittendum.* Propterea Rex læsus *animum in potestate habeat*, ait Seneca vbi supra: *& pœnam, si tutè poterit, donet; si minus, temperet:* longeque sit in suis quàm in alienis exorabilior iniuriis. Nam quemadmodum magni animi non est, qui de alieno liberalis est; sed qui quod alteri dat, sibi detrahit: ita clementem voco non in alieno dolore facilem; sed eum qui cum suis stimulis faciliter non prosiliit. Clamat etiam pro clementia ante Regem, naturæ humanæ infirmitas, & innata pronitas ad peccandum: epyeiches enim est, indulgere humanis: Suadet id ipsum naturæ germanitas, cum varietate fortunæ. Ad *Cyrum* enim

Deut. 17,20.

Cressi

Cresſi Lidorum Regis filius, crucifixo patre, cùm vſque ad id tempus mutus extitiſſet, clamauit: *Parce patri meo, Cyre: & hominem te, vel caſibus diſce monstris.*

CAP. XXIV.

Continet Regalis iuſtitiæ rectitudinem ac iudicii æquitatem.

QVia ſublatâ *Iuſtitiâ*, regna latrocinia magna fiunt, neceſſe eſt Regem Ieruſalem maturo & librato valdè conſilio, leges condere, patriæ, temporibus, ac perſonis accommodas: quarum obſeruantiâ, regno ſecuritatem, Regi reuerentiam, ſubiectis obedietiam, & pacem conferat vniuerſis. Sic Sancta Ciuitas (*ſecundo Machab. III.*) habitabatur in omni pace, cùm adhuc leges optimè cuſtodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem. Et quia DEO deteſtabile vitium carnis, & cura in deſideriis acta, illius Sanctæ Terræ Promiſſionis ſæpiùs legitur fuiſſe ruina, cuius incentiuum potiſſimum conſtat eſſe crapulam & ebrietates iteratas frequentiùs, maximè in *tabernis*: vbi cum inſtrumentis, ſaltibus, & geſtibus impudicis, cantatrices, ſecundùm morem patriæ, prouocant ad peccatum. Edicto Regio ſunt huiuſmodi penitus amouenda, relictis duntaxat hoſpitiis, ſicut *Venetiis* de facto ſeruatur ad ſuſcipiendos forenſes & tranſeuntes, qui propria domicilia non haberent. Tibicines quoque ac lamentatrices ſuper funera Nobilium ſtatuunt, vt ad flendam mundanam gloriam prouocent. In harum præſentia CHRISTVS noluit, (*Matth. IX.*) ſuſcitare defunctā: propterea conuenienter illis, ſi fari liceret, poſſet defunctus piis orationibus defraudatus, illud dirigere Saluatoris, *Luc. XXIII. Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros:* me autem iuuent qui doloribus torqueor, non huiuſmodi incentiua culparum; ſed diuina officia & diuini altaris ſacrificium ſingulare, eleemoſyna concluſa in ſinu pauperis, cæteraq; opera pietatis. Exercent etiam inibi, maximè mulieres, ſortilegia & maleficia varia: Nam cum ſchiſmaticis, hæreticis, & infidelibus quibuſcunque participant; diſcuntq; eorum opera: quæ ſæpiùs facta ſunt eis in ſcandalum & ruinam: Sunt & alii defectus plurimi, qui causâ deſolationis & amiſſionis fuerunt Sanctæ Terræ Promiſſionis: vt ſuprà diffuſiùs oſtenſum eſt *part. VIII.* quæ omnia ſalutaribus edictis ſunt penitus reſecanda. Conditas verò leges, Rex faciat à cunctis diligenter & communiter obſeruari, ſicut in regula Regum vltimâ clauſulâ continetur: *neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram*: vt per dexteram potentior, vel indigena; per ſiniſtram, impotens intelligatur, vel aduena ſicut Deuter. I. ſcriptum eſt: *Quod iuſtum eſt iudicate, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus*: nulla erit diſtantia perſonarum: ita paruum audictis vt magnum. Vel per dexteram, irrationabilis diſpenſatio; per ſiniſtram, rigor immoderatus poteſt intelligi. Mediam proinde in iudiciis *æquitatem* Rex teneat: quæ nihil aliud eſt quàm iuſtitia dulcore miſericordiæ temperata. Sic *CHRISTVS* in curatione Samaritani, vino mordentis diſtrictionis iunxit oleum, quaſi mollitiem pietatis: virgæ quoque rigoris in arca teſtimonii, manna dulcedinis copulatur. *Diſciplina enim, vel miſericordia, multum deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur*: ait Gregorius XX. lib. moralium: & ponitur *Di. XLV. Diſciplina.* Sed circa ſubditos ineſſe debet rectoribus, & iuſtè conſulens miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina.

XXIV. Deut. 17, 19.

CAP. XXV.

Continet ſummariam dictorum recapitulationem pro Terræ Sanctæ conſeruatione.

PRimùm quidem ſicut Iebuſeum, Iudeum, ac Chriſtianum colonum inde repulit creatoris offenſa: vt totâ *primâ parte, octauâ etiam & nonâ huius tertii*, dictum eſt: ſic ipſius reuerentia, & diligens cuſtodia mandatorum eius, perfectè eam ſubiiciet, ac conſeruabit cultui & nomini Chriſtiano: ſine qua nihil omninò tutè agitur, aut ſecurè præſumitur, ſicut vniuerſa libri ſeries manifeſtat: pro cuius quoque declaratione materiæ diſcuſſio ac geſtorum narratio tam serioſè, tamque longa narratione pertractata eſt. Deinde conquiſita Terra prudenter & vtiliter diſponenda: ſicut ſuprà *XXI. cap.* tactum eſt. Et aptis locis, caſtra & munitiones fortiſſimæ erigendæ, ad infidelium arcēdos improuiſos & repentinos incurſus: maximè in finibus Ægypti, Arabiæ, & Celeſyriæ, & Damaſci: ſicut priores ædificaſſe legimus contra Aſcalonē ſiue Ægyptios, *Zibelim*, vbi quondam Berſabee fuerat: *ſuprà part. VI. cap. XV.* & *Albam*

XXV.

Speculam, & *Gazam*, & *Ibelim* siue Geth: *cap. xviii.* contra Syriam Sobal, & Amonitas, *Montem Regalem* siue *Crach*, vocatum antiquitus *Petra deserti*: *viii. cap.* Contra Tripolim, *Thoronum*: *cap. v.* *Saphet* quoque, inter mare Galileæ & Ptolomaidam; & *Belueir* non longè à monte Tabor: *cap. xviii.* Et Saracenis omni tempore arma & necessaria semper, quantum fieri poterit, commodè, subtrahantur. Exercitentur etiam & instruantur continuè ibi fideles in arcubus & balistis, & variis bellorum cautelis: sicut dictum est in principio partis huius. Karitatis etiam & pietatis exerceat opera, quorum respectu exercitatio corporalis ad modicum valet: *1. Timoth. iv. Exerce autem teipsum ad pietatem.* Propterea *Hospitale* in vnaquaque ciuitate construant: vt superius dictum est. In refectionis exordio, pauperibus subueniant, & indigentibus partem mittant: vt fiat cunctis fidelibus cor vnum, & anima vna. Principes & Barones, spretâ mollitie, viriles appareant: *suprà xviii. cap.* Nec Mulieres Baronias teneant: vt suprà *part. vii. cap. i.* dictum est: sed potius earum filii, post decennium in Curiis nutriantur Baronum, ne effœminatis moribus imbuantur. Rex clementer gubernet subiectos; sicut ait quidam: *Sit piger ad pœnam Princeps, ad præmia velox*: semperque recogitet, illos secum futuros heredes & Reges regni cœlestis. Iustitiam communiter cunctis exhibeat & æqualiter. In deceptores concurrentium ad subsidiũ Terræ Sanctæ, & carnalia puniendo peccata, specialiter sit seuerus: nam ea de terra electa singulariter amouentur. *Deuter. xxiii. Non erit meretrix de filiabus Israël, neque scortator de filiis Israël.* Vniuersi autem, plus quàm infidelium cæteræ nationes, *subiecti sint Regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* 1. Pet. ii. Et quia impossibile est sine fide placere DEO: *Hebr. xi.* & *1. Corinth. xv. Corrumpunt bonos mores, colloquia mala*: ad fidei & morum puritatem seruandam, post exclusos diuino auxilio Saracenos immundos, & cæteri vniuersi similiter expellendi, qui fracto obedientiæ iugo sacrosanctæ Romanæ sedi cum omni reuerentia & humilitate non parent; quique ritibus variis, in substantialibus fidei, ab ea discrepant: ni, dato spatio, ad ouile redeant, & gremium piæ matris. Eradendi quoque sunt de terra *arioli, magi*, & *malefici* vniuersi: quorum sermo quasi cancer serpit, & sæpè inficit etiam innocentes. Nec admittendi sunt indifferenter *notorii peccatores*, & homines monstruosi, à partibus Occiduis venientes. Nam, (vt superius *part. viii.* ostenditur,) inter cæteros, prædicti omnes desolationis ac destructionis Terræ Sanctæ causa fuêre. Ad quæ omnia integrè perfectèque seruanda, instituendi sunt *Prælati Ecclesiæ & Pastores*, qui gregem Dominicum pascant scientiâ & doctrinâ: *Ierem. iii.* quorum vita sit regula in agendis, & clerum in omni honestate conseruent. *Regulares* etiam, electi ac probati, transmittendi nonnulli, qui in sermonibus & locutionibus, vt superius dictum est, annuntient legem vitæ & disciplinæ. Cum plenitudine etiam autoritatis, *inquisitores hæreticæ prauitatis* instituendi sunt, qui DEI & fidei zelum habentes, hæreticos, & schismaticos, sortilegos & maleficos supradictos, sollicitè & intrepidè, omni timore postposito, persequantur. Nec cuiquam durum forsitan videatur, schismaticos inibi taliter persequendos. Nam, præter ea quæ immediatè præmisimus, ait Apostolus Galat. vii. *Modicum fermentum totam massam corrumpit. Currebatis*, inquit, *benè: quis vos fascinauit non obedire Euangelio?* Hii certè sunt, de quibus ait CHRISTVS Matth. v. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.* Nihil enim, vt simulatio bonum exterminat: nam sub boni celatum specie malum, dum non cognoscitur, non cauetur. *Vestimenta* autem *ouium*, blanda verba schismaticorum, cæteraque religionis & fidei signa, sunt quibus Orientales à veritate Euangelii deuiantes, quasi veste: vt incautos decipiat, exteriùs clamidantur: intrinsecus autem sunt *lupi rapaces*, implacabili odio, & insatiabili desiderio ad ouium lacerandam fidei puritatem, rapientes de fidelium cordibus veritatem. Et vt scias nihil commodi inde trahi, sequitur: *nunquid colligunt de spinis Vuas, aut de tribulis ficus?* sic nec à schismatico, vel infideli quocunque, percipies fructum vitæ. Attrahuntur quoque ad eorum execrabiles ritus interdum Catholici, ex defectu Ecclesiastici officii, & desiderio audiendi diuina: & quia occasione diuitiarum, etiam cum eis miscent coniugia, & affinitates contrahunt, quibus ex causis in Cypro & Creta ac Principatu Achaiæ, non dubium ex populo plurimos, ex militaribus etiam aliquos, in soliditate fidei vacillare. Neque obiiciant, possibile fore iuxta periculum non perire; cùm tutius sit, iuxta periculum non fuisse: & in his

Matth. 7, 15.

Matth. 7, 17.


qua


quæ fidei sunt, & de necessitate salutis, pars tutior eligenda. Postremò de terra à DEO electa eiectis impiis, attrahendi ac alliciendi sunt ex vniuersis mundi partibus Catholici & fideles, vt quasi nouellæ plantationes, humore gratiæ fœcundati, afferant fructum vitæ: quia hoc dicit DEVS *Ierem. IV. Viro Iuda & habitatori Ierusalem. Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Ad nouos autem colonos gratiùs & vtiliùs prouocandos, salubre videtur & vtile vt per sacrosanctum *summum Pontificẽ CHRISTI Vicarium*, transfretare volentibus ad manendum, cuiuscunque sexus ætatis vel conditionis existant: (dummodo sceleratus & notorius peccator non fuerit, ne terra, vt suprà cauetur, incautè talibus repleatur, imò potiùs polluatur, quod diocesani videtur arbitrio relinquendum:) indulgentiam ac remissionem plenariam tribuat omnium peccatorum, idque per fidei præcones, omniquaque vulgari ac publicari faciat: disponatque de eorum nauigio ac subsidio competenti, ne fortè penuriâ, à tam pio proposito retrahantur. Accedentibus verò, Rex ac cæteri qui conquisitã Terram possederint, terram pro domo, orto, ac vinea, sub certo annuo censu, tribuant, à se suisque hæredibus perpetuò possidendam; & si videbitur, terram etiam ad colendum, animalium subministrato auxilio, & cæteris opportunis. Sic *Balduinus* primus ad habitandum in Ierusalem multos attraxit: *part. VI. capit. VIII.* Cauendum etiam, maximè in ipso principio, ne fideles ad conquisitas terras cum mercationibus vel quibuscunque rebus accedentibus, angarientur in aliquo, vel grauentur *datiis vel gabellis*: & similiter, quæ voluerint, extrahere liberè permittantur. Per hoc enim maior erit rerum copia, mercatorum frequentia, & concursus etiam cæterorum ad incolendum Terram Sanctam properantium: habitatores nihilominus terræ, pleniùs necessariis affluent, & sua commoda assequentur. Hac cautelâ vsus est *Balduinus* de Burgo in ciuitate Ierusalem: suprà *part. VI. cap. IX.* Processu etiam temporis ex causis huiusmodi, & quia *Datium* nihil aliud esse communiter extimatur quàm furtum, aut rapina squalido satis colore vestita: non sine vrgenti necessitate, cum multa deliberatione, multoque moderamine est commercium vel datiũ imponendum. Ecce nunc breui compendio recapitulauerim quæ extimantur fugienda, nociua; quæ etiam vtilia, prosequenda ad Sanctæ Terræ Promissionis possessionem securam, pacificam, continuam & quietam: quam piis pulsatus Christianorum lachrymis Dominus IESVS suis donet cultoribus, ad suum honorem & gloriam, consolationem quoque ac diu expectatam lætitiam Ecclesiæ suæ sanctæ: *qui cum Patre & Spiritu Sancto adoratur, & colitur vnus DEVS.* AMEN.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.


LECTORI TYPOGRAPHVS S.


FIGVRAM, eodem Marino Sanuto auctore, quæ Principum, quorum in Historia præcipua mentio, σύγχρονισμοὺς oculis subiicit: & Geographicas descriptiones Orbis, Terræ Sanctæ, Ægypti, Hierosolimæ, Ptolomaidæ, earumq; explicationes, vti sunt in veteri elegantissimo codice P. PETAVII, tibi, studiose Lector, exhibemus diligentiâ, quantâ maiore potuit, expressas: ne quid in hoc opere desideres. Si quid nos fugit, id Appendix siue tertius Tomus, vti cum DEO speramus, reponet cum fœnore.



A
A
aqui
lo.



Temp
moloc
ydoli mo
abitay
Sepulsaye
fons regal
vall filior
amori.
riatatoia Syloe
piscina
inferior
Fons gion iserior







Tygris
Rages


Piscina
inferior
Sylœ
Fons gion



Betania
Ficus cui xps maledixit
Mõs Syon
Agonia
Fons Syloe
Domus Salõis
Dom' Pilati
dom' Anne
Calua ria
Sep Dñi
Ciuitas huit in giro
stadia xxx

28



nè n
& ib
etian
transf

QVÆ SEQVENTVR, CORRVPTISSIMA, IN VETERI CODICE TABVLAE GEOGRAPHICAE Orbis Terrarum *adscripta sunt.*

Sciendum quòd huiusmodi Mappa mundi, *non vt cuncta sigillatim contineat, cùm sit impossibile, est descripta: Sed vt quæ in libro,* Secreta fidelium Crucis *intitulato, supra vltramarino negotio edito, inseruntur, Orbis situs ignaris, per eam, quadam sensitiua demonstratione lucescant.*

ASIA, per Orientem discurrens versus Meridiem, vsque ad Nili fluuium extenditur; à Septentrione verò, vsq; Tanay, & brachium Sancti Georgii; à Meridionali mari, vsque ad ortum Solis peruenit: à Occidente, Indo fluuio clauditur; à Septentrione, mõte Caucaso: & est in ea mons *Caspius*, à quo Caspium vocatur mare: inter quod mare & Gog & Magog, fortissimæ gentes ab Alexandro inclusæ dicuntur. Ab Oriente habet Indum fluuium; à Meridie mare Indicum, aliàs rubrum; ab Occidente Mediam; à Septentrione, Yrcanum salum. *Parti* à Syris originem traxerunt, fuerunt enim exules: quod Parti sonat Attica lingua: & hoc iuxta Yrcaniam: deinde fines virtute occupauerunt. In ea, est Syria, Media, & Persia. *Assyria*, dicta ab Asur, ab Oriente habet Indiam: medii tamen sunt Gangarides populi; à Meridie tangit Mediam; ab Occidente Tygrim & Mesopotamiam; à Septentrione Caucasum. Est autem *Caucasus* mons, qui à Caspio mari Orientis attollitur, & per Aquilonem vergens penè vsque ad Europam porrigitur, & pro gentium ac linguarum varietate in diuersis sui partibus diuersimodè nominatur. Vbi enim in Oriente excelsior est, propter niueum candorem Caucasus dicitur: alibi dicitur *Infates*, alibi *Serapedon*, alibi *porta Caspia*, alibi *Mireanus*, alibi *Corasitus*, alibi *Siticus*, alibi *Ceraunia*, alibi *montes Armeniæ & Indiæ.* Hunc habitabant Amazones Massagetæ, Colci, Sarmatæ. In radice Caucasi superauit Alexander Drancas, Euergetas, Parimas, Parpamenos, Adaspios cæterosque populos. *Media*, dicta à Medo Rege, ab Oriente Caspios videlicet, à Meridie Persidam, ab Occasu transuersa Partiæ regna amplectitur, à Septentrione Armeniâ circumdatur. In vna parte habitant *Saraceni*, in alia vocati Cordijus. Est autem duplex Media, maior & minor. *Persia*, dicta à Perseo Rege, qui ex Græcia transiit, ab Oriente tendit vsque ad Indos; à Meridie Carmaniam quæ Persidi annectitur: ibi Susa oppidum: ab Occasu Rubrum mare; ab Aquilone Mediam. *Sythia*, sicut & Goria, à Magog filio Iaphet cognominata, à dextra Orientis parte, vbi Oceanus Sericus est, extenditur vsque ad mare Caspium, quod est ad Occasum; à Meridie verò dehinc, vsque ad Caucasum: & subiacet ei Yrcania. *Yrcania*, ab Oriente mare Caspium; à Meridie Armenia; ab Occidente Ybernia, post quam Cappadócia; ab Aquilone Albania: ab Yrcania Sylua nomen accepit. *Albania* sic dicta, eò quòd albo nascantur crine: hæc ab Oriente sub mari Caspio consurgens, per oram Oceani Septentrionalis ad Meotidas paludes per deserta extenditur. *Bactria*, dicta à Bactro fluuio: huius planities propansis montis iugis ambitur, quæ aduersa est pars Indi fluuii; fontibus terminatur; reliqua infundit Ocus fluuius. *Armenia*, dicta ab Armeno vno de numero ducum Iasonis, qui ex Thessalia recollectâ multitudine ex iis qui ad Colchos profecti sunt, Armeniam condidit: sita est inter Taurum & Caucasum, à Cappadocia vsque ad Caspium mare protensa: habens à Septentrione Taurinos montes & Turchorum prouinciam; Turchos etiam habet ab Occiduo: & est duplex Armenia superior & inferior. Moderni *Sitiam & Yrcaniam*, partesque adiacentes, aliter diuidunt, & nominant: ponentes, vbi Sitia, regnum *Catay*: quod ab Oriente, habet Oceanum; à Meridie, Insulas Oceani; ab Occidente, regnum Tarsæ; à Septentrione, desertum de Belina. Regnum *Tarsa*, ab Oriente, habet regnum Catay; à Meridie, ditissimam prouinciam, vocatam *Sym*; ab Occasu, regnum Turquesten; à Septentrione, quoddam desertum. Regnum *Turquesten*, ab Oriente habet regnum Tarsæ; à Meridie, caput deserti Indiæ; ab Occidente, regnum Persiæ; à Septentrione, regnum Corasmiæ. Regnum *Corasmia*, ab Oriente, habet desertum quòd per centum dietas extenditur; à Meridie, regnum Turquesten; ab Occidente, mare Caspium. Et nota quòd mare de Sara, etiam dicitur Caspium: à Septentrione, regnum Cumaniæ. Regnum *Cumania*, habet ab Oriente, regnum Corasmiæ; à Meridie, flumen quo nullum maius; ab Occasu, Mare Maius, & Tanay; à Septentrione, regnum Rusiæ: maior in ea vrbs *Sara* est. Regnum *Georgiæ* habet ab Oriente magnum montem vocatum Albzor, vbi multæ nationes habitant: & vocatur mons, & patria illa *Alania*; à Meridie, habet Armeniam: & extenditur per Occidens versus Septentrionem, vsque ad aliquas prouincias regni Turchiæ: & longitudo eius extenditur super Mare Maius ex parte Meridiei per totum: & diuiditur in duo regna, quorum vnum vocatur *Georgia*: semper hoc fuit subiectum Imperatori Asiæ: aliud vocatur *Abcas*, semper liberum à dominio Tartarorum. De *Syria & Ægypto* patet. *Asia minor*, ab Oriente, Cappadociâ cingitur; ab Occidente, Proponride; à Septentrione, ponto Euxino: continet has prouincias: *Bitinia* in Ponti exordio, dicta priùs maior Frigia: in ea sunt Nicomedia, Smirna & Nicæa: Bithinia priùs Berica, postea Migdonia dicta est. *Galatia*, pars Bitiniæ data Gallis: & dicti sunt Galatidæ. *Frigia* quæ & Dardania: ab Oriente, habet Lidiam; à Meridie, Licaoniam; ab Oc-

Vel meliùs, in capite Sancti Vincentii de regno Portugalia.

cidente, Elespontum; à Septentrione, Galaciam ibi Ylium. *Licaoniam*, & *Cariam*, Herinus fluuius discernit à Frigia. *Lidia*, sedes quondam regnorum, ab Ortu Smirnam habet; ab Occidente, Frigiam: in ea est Tyatyria: Lidia, priùs Meonia dicebatur. *Pamphilia*, inter Ciliciam & Licaoniam media est. *Ysauria*, sic dicta quia vndique auterum flatibus pateat, Metropolim habet Seleuciam. *Licia* ab ortu habet Ciliciam; à Meridie & Occasu, mare; à Septentrione, Cariam: ibi est mons Cymera, qui ignem nocturnis exhalat æstibus. *Cilicia*, à Meridie habet mare Creticum; ab Occiduo, Liciam; à tergo, montis Tauri iuga: Metropolis in ea est Tharsum. *Explicit de Asia.*

EVROPA, à fluuio Tanay vsque ad fines Yspaniæ porrigitur, & in Insula Gades finitur, continens infrascriptas prouincias. *Sitia* inferior, à Meotidis paludibus vsque Germaniam porrigitur; & propter Barbaros inhabitantes, Barbarica dicitur: Continet autem *Alaniam* partem primam, quæ ad Meotidas paludes pertingit: post hanc, *Datia*, vbi & *Gotia*. *Germania*, post Sytiam, ab Oriente habet Danubium; à Meridie Renum; ab Occiduo & Septentrione Oceanum: iuxta quod est Germania superior, sicut circa Renum Inferior. *Messia*, ab Oriente hostiis Danubii clauditur; à Meridie, Macedoniæ; ab Occasu, Ystriæ iungitur; à Septentrione, Danubius diuidens à Barbarico, vbi sunt Vandali, Rugi, Eruli, Turtilingi, Vinuli, qui postea Ytaliam possederunt, & Longobardi dicti sunt: Scotobrini, Scoringi, Mauringi, Golandi, Aspiri, Bulgares: qui Huni; & Exagora dicti sunt: Rugilandi, Gepiti, Sarmatæ, Sueui, Panoni qui vsque Ytaliam extenduntur: Saxones, Norici, qui & Baioarii: qui ab Oriente habent Panoniam, ab Occidente Sueuiam, à Meridie Ytaliam, à Septentrione Danubium. *Tracia* ab Oriente habet Constantinopolim; à Meridie Egeum mare; ab Occasu Egeum mare; à Septentrione Ystria obrenditur. *Gracia*, olim dicta terra Cetym, secundùm Honorium, & Ylic. generaliter omnis Græcia est, septem infra scriptas continet prouincias. *Dalmatia* est ab Occidente, habens ab Oriente Macedoniam; à Meridie, mare Adriaticum; ab Occasu, Ystriam; à Septentrione, Messiam. *Epyrus*, nominata ab Epyro Achillis filio, cuius pars Aonia, quæ antè Molosia dicta est. *Elades*, nominata à Rege Elena, media inter Macędoniam & Achaiam, Archadiæ à Septentrione iungitur. Eladis duæ sunt prouinciæ, Boetia, in qua Thebæ, & Pelopelensis. *Thesalia*, à Meridie Macedoniæ coniuncta est, cui Pyria à tergo est: In ea est mons Parnasus, quondam Apollini consecratus. *Macedonia*, ab Oriente cohæret Egeo mari; à Meridie, Achaiæ; ab Occasu, Dalmatiæ; à Septentrione, Messiæ. *Achaia*, penè Insula est: à Septentrione tantùm Macedoniæ iungitur; ab Oriente, habet Mirteum mare; ab Euro, Creticum; à Meridie, Ionum; ab Africo, & Occasu, Cassiopas Insulas: huius caput Corinthus. *Archadia* sinus est Achaiæ in Ionum, & Egeum mare exposita: ipsa est Sycionia. *Panonia*, Alpibus Appeninis ab Ytalia secernitur, ab Oriente, habet Messiam; ab Euro, Ystriam; ab Africo, Alpes; ab Occasu, Galliam Belgicam. *Lacedemonia*, habet ab Oriente Messiam; ab Euro, Ystriam; ab Africo, Alpes Apenines; ab Occasu, Galliam Belgicam; à Septentrione, flumen quod Galliam & Germaniam diuidit. *Ytalia*, patet. *Germania*, ab Oriense Panoniæ, Vngariæ, & Bohemiæ iungitur; à Meridie Ytaliæ. *Gallia*, ab Oriente habet Alpium iuga; à Meridie prærupta Pyrenei; ab Occasu Oceanum; à Septentrione Renum & Germaniam. *Yspania*, patet.

Vel melius, iungitur Ducatui Athenarum, *qui penè etiam à tribus partibus maribus circumdatur, scil. Ortu, Meridie, vbi plures sunt Insulæ, & Occasu; parsq; Septentrionem respiciens pro magna parte, iacet secus mare.*

AFRICA, incipit à finibus Ægypti, pergens iuxta Meridiem per Æthiopiam, vsque Atlantem montem; à Septentrione, Mediterraneo mari clauditur, & in Gaditanum fretum finitur: habet prouincias infrascriptas. *Lybia* Tyrenensis, ab Oriente Ægyptum; à Meridie, Æthiopiam & Barbaros; à Septentrione, mare Lybicum; à Occasu, Syrtes maiores. *Pentapolis*, iungitur Lybiæ Tyrenensi, & in eius finibus deputatur. *Tripo[illegible]ana* prouincia, ab Ortu habet Syrtes maiores; à Meridie, Getulos; ab Occasu, Byzantium; à Septentrione, mare Adriaticum. *Bizacena* prouincia, sub Tripoli, patens passibus cc. millibus, & amplius: gleba penè centuplum reddit. *Zeugis*, vbi Cartago, inter Bizantium & Nuimidiam, à Septentrione, mari Siculo clauditur; à Meridie, vsq; ad Getulorum regionem porrecta: cuius quæque frugifera, vlteriora serpentibus, onagris & serpentibus plena. *Getulia*, Africæ pars Mediterranea. *Nuimidia*, incipit à fluuio Ausaga, & in Tengitanum limitem desinit: habet ab Ortu Syrtes minores; à Septentrione, mare quod tedit Sardiniam; ab Occasu, Mauritaniam; à Meridie, Æthiopum gentes. *Mauritania Sytifensis*: mauron Græci nigrum vocant: prima Mauritaniæ prouincia, Sytifensis à Sytifi oppido nominata. Mauritania *Cæsariensis*, à Cæsarea ciuitate nominata; vtræque prouinciæ sibi coniunctæ: ab Oriente, Nuimidiam habet; à Septentrione, Mare Magnum; ab Occasu, fluuium Maluam; à Meridie, montem Astringi, qui discernit inter fœcundas terras & terram arenosam vsque ad Oceanum. Mauritania *Tyngitana*, à Tyngi Metropoli dicta, consurgit à septem montibus: ab Oriente. habet fluuiū Maluam; à Meridie, Gaulolum gentes vsque ad Oceanum Hesperum pererrantes; ab Occasu, Oceanum Atlanticum; à Septentrione, fretum Gaditanum. *Garamantus* regionis, caput Garania oppidum fuit: est autem inter Cyrenensem & Æthiopiam. *Æthiopia* dicta à colore populorum, quos Solis vicinitas torret, tota enim sub Meridiano cardine posita est: in Occiduo montuosa, in medio arenosa ad Orientem plagam deserta: cuius situs, ab Occiduo Atlantis montis, ad Orientem vsq; ad fines Ægypti porrigitur; à Meridie, Oceano; à Septentrione verò Nilo clauditur. Duæ sunt Æthiopiæ: vna circa Solis ortum, alia circa occasum. De *Insulis minoribus*, vide in sequenti pagina.

DE INSVLIS MINORIBVS.

ILLVD verò est memoriæ commendandum, quòd in præsenti *Mappa*, propter sui paruitatem non potuerunt paruæ Insulæ comprehendi: Sed omnes Insulæ in ea, magnæ & notabiles sunt descriptæ. Vt verò de paruis, saltem in scripto, aliquid breuiter innotescat, censeo taliter inchoandum. Nam de Venetiis per mare in Romaniam euntibus à parte Aquilonari, *Ylirie* inuenitur, quæ vulgari & communi nomine nuncupatur *Sclauonia*: in cuius *mari Ylirico*, paruæ Insulæ inueniuntur quasi innumeræ. Et hoc mare cum suis Insulis ad distantiam magnam extenditur: multique boni portus, nec non & rerum copia, præcipuè de carnibus & piscibus, & de vino alicubi reperitur in Insulis antedictis. Procedendo verò vlterius versus Orientalem plagam, in *Achaia*, quæ est pars Romaniæ, à parte Occidentali, plures inueniuntur bonæ Insulæ, quanquam paruæ, sicut *Curfo, Cephalonia, Lalicata, Valdecompar*, & *Iante*. A Meridionali verò plaga Achaiæ, est Insula *Destruali*: multæque aliæ paruæ Insulæ desertæ in illis sunt partibus, quas nominare nimiùm longum foret. Item in dicta Achaia, ab Orientali parte, multæ inueniuntur Insulæ, præcipuè inter Cretensem insulam eundo versus Constantinopolim, à parte Aquilonari, à dextris & à sinistris; tam versus Orientalem plagam, quàm versus Occidentalem, inter quas sunt circa XL. quæ vel inhabitantur ad præsens, vel consueuerant habitari: quæ pro maxima parte sunt sanæ & aëris temperati: de quibus XL. sunt decem omninò magnæ præminentiæ & diuitiarum. Insulæ verò minores, vix sub numero capiuntur, desertæ quidem & habitatoribus destitutæ. Et illud mare in aliqua sui parte vocatur *Agyos Pelagos*, quod apud nos sonat, *Sanctum mare*. In mari verò *Pontico*, quod est vltra Constantinopolim, nulla Insula reperitur: sed istud mare per quendam strictum meatum intrat, & facit mare *Tanay*, quod vulgariter dicitur *mare de La Tana*: ac in circuitu capit milliaria septingenta: Fundus verò, siue altitudo ipsius vsque ad XXX. vel XXXV. pedes ascendit: quod mare quidam dicunt esse *paludes Meotides*: Et aliquando adeo fortiter congelatur, vt currus onusti ducantur & animalia super ipsum. A parte verò Meridionali Cretensis Insulæ antedictæ, duæ paruæ sunt Insulæ, vna tamen maior alterâ: *Li Golzi* vulgari nomine appellatæ, de quibus Ypocras dicitur fore natus. In Ægypto sunt solùm duæ paruæ Insulæ, infra mare, propè Alexandriam ad XVIII. milliaria, appellatæ *Li Bochen*. In Syria autem est Insula de *Tortosa*. De minimis verò Insulis, non est mentio facienda. In Africa sunt aliquæ paruæ Insulæ, specialiter illa quæ dicitur de *Colombis*, & illa de *Patriarcha*, quæ non habitantur omnino. Sed Insula de *LiZerbi*, est magnorum fructuum, & multùm habitata, & sub dominio illorum de Sicilia detinetur. Inter Siciliam & Africam sunt duæ Insulæ, scilicet, *La Malta*, *El Golzo*: de la Malta: vtique bonæ, & magnorum fructuum. A latere verò versus Occidentem, est Insula vocata *La Pantalaria*. Aliæ etiam Insulæ paruæ sunt propè Siciliam, nominatæ *Vulcanum*, & *Vulcanellum*, & *Lipparis* ibi propè: quæ Insulæ, Vulcanum & Vulcanellum, continuum ignem habent. Circa Siciliam sunt plures Insulæ paruæ & desertæ. In Principatu Capuæ propè Neapolim est Insula, *Esca* nomine, habens nauticos viros multos. Sunt & aliæ duæ Insulæ inibi, nomine *Caprea*, & *Procida*. Circa partes Pisanas est Insula *Elba* nomine, in qua fit ferri non modica quantitas. Inter Sardiniam & Africam sunt Insulæ *Sancti Petri*, & *Galata*, habitatoribus destitutæ: in quibus aqua & ligna inueniri possunt. Post has à parte Occidentali est Insula *Minorica*, & Insula *EuiZa*; & alia parua apud ipsam, quæ dicitur *Formentera*, desolata: & hæ duæ, post *Maioricam*. Post has Insulas per totam Yspaniam & Granatam, vsque ad Insulam *Gades*, nulla alia Insula reperitur. Vltra Gades, per regna Yspaniæ, Portugaliæ & Galitiæ, non inueniuntur Insulæ alicuius valoris. Circa partes Angliæ, Yberniæ & Scotiæ, sunt multæ Insulæ, quarum mihi nomina sunt ignota. Circa partes Daciæ, & maximè in mari quod apud indigenas *Orientale* vocatur, sunt valdè multæ bonæ Insulæ, benè habitatæ, quæ regno Daciæ sunt subiectæ. In partibus regnorum Sueciæ & Noruegiæ, sunt quamplures Insulæ subiectæ regnis prædictis. De Insulis verò quæ sunt marina littora, & de Insulis lacunarum, stagnorum, siue etiam fluuiorum, feci alibi mentionem.

SEQVENTIA IN VETERI CODICE TABVLÆ Geographicæ Terræ Sanctæ *subscripta leguntur.*

TOta terra à monte Libano per latus Occidentale Iordanis, vsque Capharnaum, & inde per Saphet & Kabul & Toronum redeundo ad Libanum, vocatur *Yturea* & *Galilea superior*, & *Galilea* gentium, & *terra Kabul*, & *terra Rob*, & *saltus Libani*: & fuit pro magna parte de regione Decapoleos.

B.

Tota terra à Tyberiade per Betsan, & montem Effraym vsque Magedo, & inde per caput Carmeli, & montem Tabor, & Betuliam, vsque in Tyberiadem redeundo vocatur *Campus Magnus Esdrelon*, vel *Campus Faba*, siue *Magedo*, vel *Galilea inferior*, & *planities Galilea*.

C.

Tota terra à Cæsarea Palestinæ vsque Iopem, & inde transeundo per Tampna Casaræ, & redeundo per Caco vsque Cæsaream, dicitur *mons Effraym*, licet sit terra campestris, & *Saron*, de quo dicitur Ys. *Factus Saron sicut desertum*: & est terra fertilis valdè, & pinguis, habens villas multas, & loca nemorosa, & maximè circa *Arsur*: suntque ibi leones multi, & venationes Regiæ.

D.

Amon extenditur supra mare mortuum, & circuitus eius latus Australe, vsque ad montem Seyr, qui est vltra Mare Mortuum ad tres dietas, in confinio vbi habitauit Ismaël socer Esau, & coniungitur deserto Pharam, habens à latere desertum Synay, & Mare Rubrum: & est iuxta Cadesbarne. Et sciendum quòd ab ortu Iordanis sub Libano vsque ad desertum Pharam, ex vtraque parte fluminis, sunt campi lati, & amœni, sed circumdati altissimis montibus. *Mare* autem *Mortuum* secundùm Iosephum habet 586. stadia. i. 73. milliaria & stadia ij. secundùm Saracenos, dietæ quinque; & inde vsque ad Mare Rubrum, v. dietæ, cum quo putant continuari Mare Mortuum per aquas *Marat*, de quibus *Ex. 15.* finis autem apparens est in deserto Pharam: & dicunt quidam, aquas Iordanis, aquis huius maris non misceri, sed potiùs à terra absorberi. Sed Saraceni dicunt quòd verè ingreditur & exit: & mare ipsum crescit, & decrescit, secundùm habundantiam resolutionis niuium & pluuiarum, & siccitatis.

E.

Desertum Cades, vnde miserunt filii Israël exploratores, qui post xl. dies, huc redierunt, & murmurante populo, iussi sunt redire in desertum per viam maris Rubri, & post xxx. annos redierunt ad locum istum: vnde mouentes castra contra Orientem, circuierunt montem Seyr & terram Amon, & captâ terrâ Seon Regis Esebon, & Og Regis Basan, venerunt ad Iordanem contra Iericho.

MARINI

MARINI SANVTO, DICTI TORSELLI,

EPISTOLÆ.

SAnctissimo in CHRISTO *Patri ac domino, domino* IOHANNI, *Sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici,* MARINVS SANVTVS *dictus Torcellus de ciuitate Riuoalti, de Parochia Sancti Seuerii de Venetiis: cum reuerentia debita & humili, pedum oscula beatorum.* Quia cursus temporis, solicitudoque ardua interdum obliuionem inducunt, nouerit vestra Paternitas sanctissima, quòd ille Marinus, vester filius ego sum, qui præsentaui vobis librum *Secretorum fidelium Crucis,* & *Mappas* mundi, qui est tam pro fidelium conseruatione, quàm conuersione, vel cōsumptione infidelium: quanquam etiam propter acquirendam & tenendam Terram Sanctā, & alias multas terras, DEO dante, in bono statu pacifico ac quieto. Et ideò dum considero continuè magnā deuotionem & etiā solicitudinem quam habuit vestra Sanctitas, quando præsentaui ei librum & mappas mundi prædictas, vt examinarētur continuè & fieret vobis fide digna relatio de eisdem: aduertēs etiam benignitatem humanā quā domino Cancellario, olim nuncio Illustris domini *Regis Armeniæ,* super negotiis DEI & Terræ Sanctæ eadē vestra Sanctitas exhibebat: vestræ Celsitudini magnificæ scribere moueor confidenter. Et spero firmiter, quòd vestra altissima caritas, diuisa vniens, dispersa congregans, confracta consolidans, confusa ordinans, & imperfecta consumans, Terræ Sanctę negotia executioni prosperè demandasset, nisi circa bonum statum & pacificum Christianorum cismarinorū partium fuisset tam sedulè occupata. Scio, & mecum sciunt omnes Catholici Christiani, quòd vestra intentio fuit & est sanctissima; Sed mihi, vestro filio humili & deuoto, saluo semper vestrę præclarissimę Sanctitatis iudicio, tunc videbatur, & videtur ad præsens, quòd vt pax inter istos cismarinos celerior & solidior habeatur, primò est incipiendum ab opere DEI & Terræ Sanctæ, vt scriptum est in libro supradicto Fidelium Crucis, *in II. libro, in parte II. eiusdem libri,* & in pluribus capitulis, & maximè in *capitulo vltimo* suæ partis. Non enim poterit prædictum opus DEI in tam modica potentia inchoari, tenendo dicti libri ordinem, quin magnus effectus, insuperatusq; & placitus sequeretur. Et quia iuxta promissionem Euangelicā Domini Saluatoris; *Omni pulsanti aperietur,* si pulsauerit pulsans: Ideò sto pulsans ad hostiū vestræ clemētiæ paternalis, in quo est clauis Dauid & sceptrum domus Israël; qui aperit, & nemo claudit; claudit & nemo aperit. Nec mirū: à DEI enim Filio ligandi atq; soluendi eidem clementię Pontificum est commissum. Et perseueranter, Pater sancte, pulsare desidero, quòd DEVS totius consolationis ad honorē vnigeniti Filii sui crucifixi, cuius vices in terris geritis, sicut nobis velle sanctū adiacet; sic & perficere largiatur, vt claue misericordię possitis aperire gratiam, & auxilium impendere pro defensione Armenorū, aliorumq; vobis fideliū iuxta Terram Sanctā degentium, ac debilitatē infidelium paganorum. Et, vt audeo, dictæ vestræ clementiæ sanctitati, *Ambaxatores Regis Armeniæ,* eiusdemq; populi, ac eorū perurgētia negotia recommēdo. Verùm, vt dictæ terræ Armeniæ, vobis negotia sæpedicta faciliùs imprimantur, primò propono eorum grauamina, adiiciens posteà opportuna remedia, excludēs finaliter quoddā dubium tacitū, quod posset forsitā dicta negotia felicia retardare. Armenorū subscripta sunt grauamina; Viuunt sub tributis intolerabilibus, quæ infidelibus prophanis persoluunt; & innumerabilibus angustiis aliis cum timoribus continuis cōprimuntur: quòd licet iam habeant licentiā à Soldano rehedificandi terrā *de Laiaza,* cū castro suo de terra, nō tamen permittitur eis reædificare castrum de mari, cuius reædificatio eis pernecessaria iudicatur. Remedium contra ista mala est vestra Sanctitas singulare, si dignetur præcipere diligētem maris custodiam fieri

Matth. 7, 8.

per Fideles, prout in libro scribitur supradicto: quam custodiam pauci facerent, modo debito ordinati. Et tunc terrę Armeniæ, Romaniæ, omnesq; circumstantes aliæ, starent solitæ & quietæ. Ista namq; custodia Græcos scismaticos ad vnitatē vestræ sanctæ matris Ecclesiæ reduceret; Christianis cismarinis causam pacis induceret; portātes & reducētes mercimonia de Cypro, & alios qui fingunt se à vestra Sanctitate habere licentiā portandi consimilia mercimonia ad partes Soldano subiectas, cęteros etiā Christianos inobedientes & infideles, ne in Christianorū inobedientiū nauigarent dispendiū impediret; & potentiā infideliū infirmaret continuè, & Catholicos roboraret: & per cōsequens per defensionem custodiæ antedictæ reædificaret Rex Armeniæ castrū de mari quātumcunq; Soldanus impiè reclamaret. Maximū verò miraculū fuit, Quòd Redēptor noster, amissis terris de *Laiaza*, ac castris tā de terra quàm de mari, regni Armeniæ residuū conseruauit. Vnde videtur quòd Diuina clementia illam partem seruare disposuit, ne Christiani de recuperatione, si tota fuisset perdita, desperarent: & partē prædictam aliā ab infidelibus occupari permisit, vt saltē propter pœnā damni passi, fideles circa maris custodiā quam prius suā per ignauiam neglexerant, de mandato ac ordinatione clementissimæ vestræ Celsitudinis diligentiùs vigilarent. Et quia in primo aspectu posset dubitari, quòd prædicta custodia foret vestrę Dominationi altissimę nimiùm sumptuosa, in veræ fidei conscientia respondeo, quòd nō esset: sed affirmo verissimè, quòd de custodia illa ac negotiis aliis ad sæpedictā Terram sanctā pertinentibus magnus thesaurus vobis ac sanctissimæ vestræ Romanæ Ecclesię perueniret, vltra expensas quas vobis contingeret exhibere. Modicum principiū debitè ordinatū, manu multiplicāte Dominicâ, citò cresceret in immensum. Meā seruitutem humilē promptam, quanquā infimā, pro bono statu vestro DEVM rogantem, scedulæ vestræ Celsit. sanctissimæ recōmendo. Data *Venetiis*, An. Domini nostri IESV CHRISTI, MCCCXXIV. de mense Dec. *Quæ litteræ fuerunt duplicatæ: & credo firmiter quòd fuerunt benè præsentatæ.*

An. Dom. 1324.

II.

REuerendo in CHRISTO *Patri ac domino suo, domino* tali, vel tali, *Diuinâ prouidētiâ tituli* talis, *Presbytero Cardinali*, si sit Presbyter, vel *Diacono Cardinali*, si sit Diaconus, *Marinus Sanuto, dictus Torcellus, de Venetiis: cum recommendatione humili semetipsum.* Quomodo inimicus homo in terris Christianorum plurimis, iam discordiarū superseminauit zizania, & seminare quotidiè nō desistit, ita quòd in eorū cordibus abdicatā pace eis quondam nuntiata per Angelos, spinæ & tribuli subcreuerūt, vestram existimo Reuerentiam non latére: & maximè in Lōbardia, & Tuscia, & quasi in tota Italia nequiter sunt iā sparsa. Et licet dominus noster summus Pōtifex, visus fuerit intētione rectâ bonum semē in agro Ecclesiæ serere sacrosanctę, & discordes in vnitate cōcordiæ adunare, saluo maiorū iudicio semper videbatur mihi, vestro filio humili & deuoto, & etiam videtur ad pręsens, ꝙ vt eradicētur tā prudentiùs quàm celeriùs illa zizania maledicta, ab operæ DEI & Terræ S. negotiis est primitùs inchoandū, prout scriptū *in libro Fidelium Crucis*, quē cum *Mappis mundi* vestræ Magnif. præsentaui; & specialiter *in II. libro, in parte II. eiusdē II. libri*, & in pluribus capitulis, & maximè in *cap. vlt.* suæ partis. Qui quidē liber Secretorum Fidelium Crucis est tam pro conseruatione Fidelium; quam pro cōuersione vel cōsumptione infideliū, quàm etiā propter acquirendā & tenendā Terram S. & alias multas terras, DEO dāte, in bono statu pacifico & quieto: per quorū negotiorum inchoationē cessarent lites & iurgia, spoliationes & homicidia; terrarumq; discordiæ sedarentur; & in malis aliis succederet prosperitas oportuna: subtractionesq; mercationū, per quas tā ecclesia quàm regna secularia fouebatur, pristinū redirent ad statū: & cessarēt guerrarū discrimina prælibata, quibus cōmunitas fideliū quo ad thesaurorū, & quo ad numerū iam mirabiliter infirmatur. Nec mirū: destructio mēbri minimi in corpore naturali, sicut meliùs me nouit vestra intētio, dominatio circūspecta, in totū illud corpus naturale redūdat: quātò magis corpus infirmabitur per pluriū & maiorū mutilationē mēbrorū? ita vt in corpore CHRISTI mistico, in quo alter alterius mēbra sumus singuli constituti. Et ideò dum prędicta mēbra per guerras huiusmodi terrā mariq; se mutuò spoliāt & interfecant, tā Ecclęsia sancta, quàm alia Christianorū regna & dominia per prædictarū subtractiones mercationū, quæ per *Lōbardos* & *Tuscos* cōmuniter solēt fieri, detrimentū nō

modicum

modicum patiuntur. Quia verò in negotiis arduis, est primis periculis virtute prudentię occurrendũ: ideò ante generale passagium, Armenis, qui infidelibus sunt affines, est primitus succurrendum. Ipsi namq; Armeni tributis intolerabilibus, quæ soluunt paganis, timoribusq; grauibus, & periculis continuis cõprimuntur, ad quorum remedium requiritur necessariò diligens maris custodia per fideles: prout in libro *Secretorum fidelium Crucis* scribitur supradicto: quam custodiã, secundùm eiusdem libri tenorẽ & ordinem, pauci facerent, modo debito ordinati in stipendiis, & benè armati, & defensibiles in galeis; nõ superbi, & de sua virtute gloriantes; sed cõcordes & humiles, quos in cœlo DEVS respicit & in terra, cũ mansueto Capitaneo, 10 casto, fideli, strenuo, DEO deuoto, oculato, non cupido, pio & prouido, DEI virtute optimè gubernarent. Per hãc siquidem custodiam terræ Armeniæ & Romaniæ, & terræ aliæ fidelium circumstantes, starent solidè & quietè: Græcos verò & scismaticos reduceret ad obedientiam sanctæ matris Ecclesiæ: Cismarinos vt dictum est, ad vnitatem pacis & concordiæ: & Christianos inobedientes & infideles, etiã qui nauigant, portantes denique mercimonia de Cypro & reducentes, nec non alios qui fingunt se mendaciter habere licentiã à summo Pontifice portandi merces cõsimiles ad partes Soldano subiectas, ne in Christianorum nauigarent dispẽdium impediret: & magnam partem Christianorum in vltramarinis partibus degentibus in valdè magnis periculis conseruaret: & infirmaret continuè potentiam infidelium 20 paganorum. O quàm dignè iustorum esset adscribendus catalogo qui tot niteretur mala deprimere, & prò CHRISTI amore tanta bona cœlestia promouere! Si verò dubitaretur, quòd ista custodia & Terræ Sanctæ negotia sæpedicta forent domino nostro summo Pontifici nimiùm sumptuosa. Respondeo breuiter & fideliter, quòd nõ: sed potiùs assero, quòd si dominus Papa, aut Rex aliquis, vel Princeps magnus, de eius cõsilio & auxilio illa negotia inchoaret, plus de pecunia acquireretur, quam per eos expẽdere oporteret; iuxta libri ordinem, & cedulæ in Gallico, quam vestræ Magnificentiæ tradidi reuerẽdæ. Nihil enim deficit nisi principium debito ordine inchoandum. Nam qui nunquã incipit, nunquã finit: & finis necessariò deficit, vbi principii defuit inchoator. Quia verò saluatio vsque in finẽ perseuerantibus ab ipsa *Matt. 24, 13.* 30 Veritate promittitur, atque perseuerãter pulsantibus clausum hostiũ aperitur: hinc est quòd à iuuentute mea vsque nunc cum magnis laboribus & expensis non cessaui à peritis petere consilium ad Diuinum ampliandum honorem; & quęrere solicitè modum ad infirmandum paganorũ superbiam & tumorem, ac etiã pulsare Prælatos & Principes ad Terræ sanctissimæ cõquisitionem: dicente Domino: *petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate & aperietur vobis:* *Matth. 7, 7.* Omnis enim qui petit benè perseueranter, accipit: & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperitur. Vnde ad vestræ karitatis hostiũ per præsentes litteras sto, & pulso: quatenus Crucifixi intuitu, cuius causa in hac parte agitur, sic curetis, quantũ in vobis est, & etiam quo ad alios, dicta negotia promouere: vt per bona vestra opera, sacras exhortationes & consilia, vices 40 possitis rependere cõgruas sanguini Redemptoris. Cæteris postpositis, primò quærendũ est regnum in quo secundùm carnem DEI filius nascebatur: sed primò, sicut ad sensum perspicitis; alia quotidiè quærimus, & semper deficimus; quia debitum ordinem non seruamus. Dominationem vestram Venerabilem conseruet Altissimus per tempora longiora: cui si seruire possim in aliquo sum paratus. Data *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI MCCCXXV. *A. Dn. 1325.*

III. VEnerabili in CHRISTO *Patri ac domino suo karissimo, domino* Ingramo, *Diuinâ prouidentiâ Archiepiscopo Capuæ, ac Cancellario excellentissimi domini Regis Hierusalem & Siciliæ,* Marinus Sanutus *dictus* Tor- 50 cellus, *de Ciuitate Riuoalti de Venetiis, de Parochia Sancti Seuerii confessoris: seipsum cum omni recõmendatione & promptitudine famulandi.* Reuerende Pater, vestra nouit sapientia circumspecta, quòd in Ecclesiastico scribitur: *Oculi sapientis Prælati sancti, sunt oculi Ecclesiæ dignissimi:* qui in capite CHRISTO aspectum suum & affectũ firmiter collocant: vt in viã caritatis & pacis rectè ducant & dirigant cætera membra CHRISTI. Et quia intellexi quòd per vestrã paternã dilectionem, & oculatã circumspectionẽ, *Veneti*, cum ad vos venerint, in magnum caritatis augmẽtũ, tam a Celsitudine Regia, quam à domini Ducis filii sui magnificẽtia, & subdito-

rum etiam beniuolētia, in suis negotiis omnibus fauorabiliter sunt tractati, gaudeo & vobis regratior in quantum possum. Et sicut oculus, membris dolentibus compatiens, lachrymatur; sic Prælatus, inspectis CHRISTI miseriis in suis membris, erumpere debet in lachrymis compassionis: exemplo Ieremiæ Prophetæ dicentis: *Educet oculus meus lachrymas, quia captus est grex Domini*; & alibi dicit: *Plorabo die ac nocte interfectos populi mei*: Hinc est quòd aduertēs vestrā compassionē in fide bona quam habuistis & habetis ad Terræ sanctæ negotia & ad mēbra CHRISTI, Christianos videlicet, tā in Terra Sancta, quàm iuxta eam in mortibus & periculis aliis plurimis conuersantes, affectans etiā quamplurimùm ampliationem & exaltationem domini Illustrissimi domini nostri, domini Regis Ierusalē & Siciliæ, vestræ scribo reuerētiæ, quædā rationabilia & quædam mirabilia, quædam noua mutabilia per præsens. Quantū ad rationabilia, sciunt omnes quòd Illustriss. dominus *Rex Siciliæ*, opus DEI in negotiis Terræ S. promouere præ cæteris Regibus obligatur: Primò, iure tituli, quòd Rex Ierusalem nuncupatur: Secundò, ratione profectus multiplicis quem ex hoc specialiter consequeretur: sic nēpe coherceret Turchos, & alias gentes malas, quæ per mare trāseunt, per quos principatus Amoreæ, & suorum subditorū Insulæ grauiter molestātur. Tertiò, propter donū sapientiæ quo præ aliis ad Diuini operis in Terra sancta exercitiū præcipuè illustratur. Quartò, ratione adiūcti: quia terra de qua loquimur, Terra sancta dicitur. Et cùm Rex noster sanctos habuit stipites patrē suū & matrem, & etiā sanctos produxit palmites, domus sua tenetur rationabiliter, imò etiā vt ita loquar, naturaliter præ cęteris Regibus & Principibus Christianis, vt dictū est, efficaciter agere erga sanctissimū patrem nostrū dominum summū Pontificē, quod cum omniū Christianorum auxilio, ad DEI honorem ista sæpedicta negotia Terræ sanctæ, quæ de iure sua sunt, & sancta præ omnibus negotiis aliis, executioni celeri demādentur. Credo firmiter, & credidi, & patet euidentiùs per eorū operas & labores, quòd tā sanctus pater noster summus Pōtifex, quàm dominus Sicilię Rex Illustrissimus, piam semper intentionē ad pacificandam Italiā habuerunt; Sed videtur primò quærendū esse regnum DEI, iuxta consiliū Saluatoris: *Quærite*, inquit, *regnū DEI: & hæc omnia adiicientur vobis. Regnū*, inquā, in quo secundùm carnē DEI filius nascebatur, & vt Iudæorū Rex adorādus à Regibus quęrebatur, quod nobis Christianis CHRISTI sanguine dedicatur: *& hæc omnia adiicientur vobis*: quæ ordine præpostero tā solicitè quærimus, & semper deficimus, eò quòd à recta regula declinamus: secūdùm illud quod scribitur in libro *Fideliū Crucis*, & Mappis mūdi, quē habet inclytus Rex Sicilię antedictus, qui est tā pro cōseruatione fideliū quàm conuersione vel consumptione infideliū quanquā etiam pro acquirēdo & tenēdo Terrā sanctā, & alias multas terras, DEO dāte, in bono statu pacifico & quieto. Sed proh dolor! in isto sacratissimo negotio dormiunt quidē multi quorum oculi mundanæ possessionis puluere sunt grauati: Et quia dictæ Terræ sanctæ negotia nō vigilauerunt, ideò per orbē terrarum in tentationes discordiarū, & in perditiones terrarum suarū multi Christianorū Reges & Principes intrauerunt, quos excitat Dominus in Euangelio dicens, *Vigilate & orate ne intretis in tentationē*. Inuisa mirabilia diebus istis apud nos mirabiliter acciderunt: surrexerūt enim duæ formicæ de puluere, *Castrucius* videl. & *Galeacius*, qui Lombardiam & Tusciam cōmouerunt. *Terra profectò mouetur per seruum cum regnauerit*: iuxta prouerbium Salomonis. Quomodo autē sunt isti tam mirabiliter eleuati de nihilo, & quid diebus istis fecerunt, meliùs nouit vestra Discretio, quàm scirem ei exprimere per scripturam. *Castrucius* enim infra XVI. annos cum duobus equis fuit stipendiarius in Verona: quorum vnus, sibi dabatur; de suo verò alterum acquisiuit. Postmodum autē dominus Dux & Communitas Venetorū stipendiariis equestribus indigebant, vnde acceperunt istū Castrucium de Verona, & constituerunt eum Conestabularium equestrem, stipendium de medio anno præ manibus dantes ei, & præter hoc mutuauerunt sibi CCC. florenos aureos, per quos seruitium suum Iustinopolim cum XXVI. hominibus equestribus obtinebat. Completo medii anni stipendio, dicta Venetorum communitas multos de illis stipendiariis dimisit, & reliquos etiam retinebat. Vnde Castrucius antedictus ne rediret ad elimosinas illorum *de la Scala de Verona*, rogauit quendam nobilem pro DEO, qui erat Potestas ibidem, quòd posset remanere stipendiarius ad Communitatis seruitiū supradictæ. Et sic bono tēpore per suas preces importunas remansit: recedens indè postea, de gratia dimisit ibi quendam suum auunculum loco sui: & interim

Ier. 13, 17. Ierem. 9, 1. Matth. 6, 33. Matt. 26, 41. Prou. 30, 22.

interim dominium Lucanæ ciuitatis accepit, quam ciuitatem possidet, modò ad cũ circumstantibus illam aliis terris multis. *Galeacius* verò *Vesconte*, fuit non diu est Venetiis cũ vxore sua satis humilis & abiectus, cui Veneti, suæ magnæ indigentiæ tempore, quasi pro elimosina, centum libras Venetorum grossorum dederunt, quæ ad mille aureorum florenorum ascendunt. Sed hoc dicti Veneti sibi propter patris sui honorem fecerunt; eò quòd dictus pater suus inter Venetos & Ianuenses nitebatur continuò pacẽ componere, quando primò in Mediolano dominiũ obtinebat. Post hæc modico lapsu tẽporis, manu armatâ fuit Ferrariæ asperè cõtra Venetos: iterum quando fuit factus dominus Placentiæ, contra dominũ Ducem & communitatem Venetorum arroganter se habuit: Et sic talia pro priùs receptis beneficiis obsequia repẽdebat. Sciatis ad hæc, quòd istæ guerræ Lombardiæ & Tusciæ, nõ solùm terras ipsas damnificãt; imò Christianorũ regna cætera indè recipiunt magnũ damnum. Dominus Rex Franciæ, & regnum suum; dominus Rex Angliæ & Regnum suum; Alemanni similiter, & Lorenæ, eò quòd mercationes quæ solebãt per Lõbardos & Tuscos fieri iam decidunt, detrimentum non modicum cum regnis aliis patiuntur. Et vt sensibiliter ista meliùs pateant; Sciat vestra prudentia circumspecta, quia propter guerras prædictas, & specialiter propter grauamen ciuitatis Florentiæ in onere IX. galearum Venetarum, quæ fuerunt oneratæ pro parte de lana, hoc anno in Barbantia damnificantur mercatores in XXXV. millibus florenorum auri, & vt experti asserunt, benè vltrà; absque damno recepto de aliis mercimoniis generalibus mercatorum vndecunque Venetiis confluentibus, quod multò latiùs se diffundit. Regnum etiam præclarum domini nostri Regis Ierusalem & Siciliæ, recipit damnum magnum de pinguedine videlicet quæ indè extrahitur, oleo, carnibus salitis, caseo, amigdolis, ficubus, cumino & rebus aliis, quæ propter Alemanorum & Lombardorum depressionem, pro istis guerris, solitam expeditionem non habent. Quibus omnibus ponderatis credo, vt prædictũ est, quòd ad omnium fidelium pacem sit necessariũ quòd opus DEI, & Terræ Sanctæ negotia inchoentur. Et non dubito quin ex huiusmodi inchoationis deuotione cessabunt lites, & iurgia; & terrarum discordiæ sedabuntur; & in malis aliis, DEI gratiâ Christianis eueniet oportunum remedium & optatum. Scripsi nuper domino summo Pontifici suam sanctitatem commemorans de Terræ Sanctæ negotiis antedictis: cuius tenorẽ de verbo ad verbum in littera interclusa vobis transmitto. Noua quæ habeo de Romania per hominem fide dignũ & sciolum qui venit de Nigroponte, sunt ista: Dicit quòd *Athenarum Ducatus* quamplurimùm est ditatus, & quòd *Catellani*, qui dominantur ibidem, acquisiuerunt, & tenent in *Blachia*, *Lapater*, & castra *Lodorichi* & *Sidero-Castri*, *Citonis*, *Gardichie*, *Donchie* & *Ferselle*. Et quidam Græcus qui tenet castrum de *Latrichala* & *Castorie*, & plura alia atq; terras. Est etiam alter Græcus, qui *Signorinus* nominatur, qui tenet castrum de *Sannicolo de Custinni*, super flumine Solombriæ in contrata Achilię; & castra alia atque terras: & isti duo Græci tenent cum Imperatore. Est etiam quidam Gręcus tertius, qui vocatur *Missilino*, qui tenet castrũ *del Castri* & *de Liconia*: & videtur quòd iste contraxerit parentelã cum Catellanis, eò quòd tradidit sororem suam in vxorem Marescalco Catellanorum: & videtur quòd fecerit ei fidelitatem, non tamen quòd in eius manibus se sic ponat. *Veneti* habent vnum castrum iuxta mare in Blachia, nomine *Fetenli*, quòd de bona voluntate & sua licentia reliquit eis Imperator Græcorum, qui obtinuissent eum aliter Catellani. DEVS misit hanc pestem patriæ Blachiæ supradictæ, quia ipsa miserat quoddam genus, *Albanensium* gentis nomine, in tanta quantitate numerosa: quæ gens omnia quæ erant extra castra penitùs destruxerunt, tam eorum quàm Catellanorum fuerunt, quàm etiam eorum quæ tenebantur à Græcis: & ad præsens consumunt & destruunt taliter, quòd quasi nihil remansit penitùs extra castra. Catellani & Græci fuerunt quandoque simul ad expellendum Albanenses illos, sed nullatenus potuerunt. Dicitur etiam quòd Albanenses illi volebant recedere à patria supradicta, scilicet Blachiæ: quibus recedentibus occurrebant alii eiusdem gentis plurimi, dicentes illis: *Quare hinc receditis?* Responderunt, *quia non potuimus hic aliquod fortilitium obtinere*. quibus illi addierunt dicentes: *Nolite hoc facere, quia multi cum vxoribus & filiis in vestrum adiutorium huc venimus; & ideo omnes simul ad partes Blachiæ redeamus.* Et sic omnes pariter sunt reuersi. Istam inuasionem Albanensium vtilem fore

reputo illis qui confines sunt Catella[illegible]is prædictis. Qui quidem Catellani, si non
haberent laborem & exercitum extri[illegible] secum, nimis efficerentur diuites in graua-
men & tædium vicinorum. Et ideò b[illegible]um est ad præsens cautè pericula præuide-
re. Nã *felix est quē faciunt aliena pericula c*[illegible]*tũ*. Præterea videtur quòd ista hyeme Tur-
chi cucurrerint cũ suis nauigiis ad Ins[illegible]am *Nigropontis*, de qua gentes quas ibi cepe-
rant abduxerunt. Dicti etiam Turchi [illegible]nel cucurrerunt *Nichsiam*, quæ est terra do-
mini Nicolai Sanuti, qui tunc erat in [illegible]norea cum Principe: sed armata quam te-
net ipsos quærendo circuiuit, nec de i[illegible]s aliquos potuit reperire. Vestræ reueren-
tiæ supplico quatenus dignetur domi[illegible]s meis Illustribus, domino Regi ac domino
Duci me vestrum filium commendar[illegible] sicut decreuit meliùs conuenire. Et si pro 10
sua dominatione, paternitatē ue vest[illegible] mihi deuotissima, possim quædam facere,
quæ sint grata, præcipiat dominus & p[illegible]er; & paratus ero in honorem Dei, domini
& patris, communitatisque meæ pro[illegible]pto animo obedire. Datæ *Venetiis*, Anno
Domini nostri Iesv Christi M[illegible]CXXV.

A. Dn. 1325.

IV.

V*Enerabili in CHRISTO P*[illegible]*i ac domino suo karissimo, domino Guil-*
lelmo, Diuinâ prouidentiâ E[illegible]*scopo Mematensi & Comiti Gabalitani,*
& procuratori Passagii, & sociis [illegible] *in eodem negotio constitutis, quibus sibi*
communicare placuerit: Marinus S[illegible]tus dictus Torcellus, de Ciuitate Ri-
uoalti de Venetiis, de Parochia Sanct Seuerii confessoris, qui dedit domino Regi
Franciæ, & sibi librum Secretorum fidelium Crucis & Mappas mundi, qui est
tam pro conseruatione fidelium, quã pro conuersione vel consumptione infide-
lium; quanquam etiam propter acquirendam & tenendam Terram Sanctam, &
alias multas terras, DEO dante, in bono statu pacifico & quieto: cum sui re-
commendatione humili, & promptitudine famulandi. Nouerit vestra prædile-
cta paternitas, quòd, licet vobis pluries scripserim pro honore Dei, & vniuersali v-
tilitate Christianorum omnium in negotiis Terræ Sanctæ, nullam huc vsque, vndè
doleo, responsionem accepi. Sed videtur quòd à maiore vsque ad minorem omnes
dormiant in hac causa: imò, vt veriùs dicatur, apparet, proh dolor! quòd sint posses-
sionum puluere excæcati, ipsa temporalia, velut alter Iacob cæcutiens, cœlestibus 30
præponendo, qui cancellatis manibus ad dexteram ponunt super *Effraxim*, qui inter-
pretatur *frugifer*: quia principales intentiones suas & operas terrenis infigunt, quæ
per Effraxim designantur: super *Manassem* verò, qui interpretatur *obliuio*, sinistram
manum collocant significantem cœlestia, quæ in obliuionem apud plurimos trãsi-
erunt. Vnde multi, licet cum fletu dixerim, porcis similes quodammodo sunt effe-
cti. Porci namque fructus cadentes de arbore deuorant: sed nunquam ad arborem
oculos leuant; imò, impinguati ab arbore se elongant: sic multi terrenis diuitiis in-
grassati, non solùm Crucis arborē in corde non aspiciunt: imò ab operibus Chri-
sti factoris sui in Terræ Sanctæ negotiis longè fugiunt & recedunt. Contra quos 40
Deut. 32,15. conqueritur Dominus in Deuteronomio, dicens: *Ingrassatus est dilectus meus*, popu-
lus videlicet & Christianus, *& recalcitrauit, & reliquit Devm factorem suum*: illius
beneficia à quo se habet & sua, nullatenus recognoscens: *& recessit à Deo salutari*
suo: qui in ligno Crucis operatus est ei salutem in medio terræ, ad quem nec oculos
suos dirigit. Sed nec ad conquirendum illum salutis locum, ciuitatem Ierusalem, de
qua gloriosa dicta sunt, sanctam & opulentam, ad sui Creatoris, & etiam Redem-
ptoris ampliationem honoris procedit. Imò vt ingrassatus dilatatus, & breuiter di-
Rom. 15,4. cam terrenis absortus deliciis, cãcri vtens vestigiis, longiùs retrocedit. Et quia, iux-
ta sententiam Apostolicam, *quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*: Et 50
ideò si dictum populum a somno corporis sacra non poterit excitare scriptura, ex-
citet saltem volatilium & iumentorum natura. Aues, vt scribitur *in libro de Ani-*
malibus, & etiam videmus ad sensum, oculos suos palpebra inferiori; gressibilia ve-
rò modò opposito, palpebra superiori recludunt: per gressibilia homines munda-
nos animalesq; intelligimus clausos habentes oculos ad cœlestia; sed apertissimos
Psal. 16, 12. ad terrena: *Statuerunt* enim secundùm Psalmistam, *oculos suos declinare in terram*; per
volatilia verò, viros cœlicos accipimus, quorũ conuersatio est in cœlis: qui terrena
per

per amorem non aſpiciunt; ſed illuc oculos dirigunt, vbi quærunt quod diligunt, & cupiunt æternaliter permanere. Si haberemus multa talia volatilia, citò volaremus ad opus DEI & Terræ Sanctæ negotia ſæpedicta. Exempla etiam paganorum ad correctionem Chriſtianorum talium in medium producantur. Interrogatus enim *Pedocles* paganus Philoſophus, *ad quid natus eſſet?* Reſpondit, *vt cælum ſyderaq́ contẽpler:* & addidit cauſam, dicens: *Cælum ſubtrahe, tellus ero.* Vt faciliùs corda lapidea prædictorum ſcindantur: virtute ſanguinis hircini calidi adamas in ſecalibus ſoluitur & ſecatur. Hircus, offerebatur pro peccato populi in Teſtamento Veteri: CHRISTVS verò, in nouo oblatus eſt pro peccatis omnium DEO Patri. Si igitur ſanguis hirci
10 figuratiui ſaxa indomabilia temperauit; quantò magis ſanguis CHRISTI veri dicta corda lapidea ad ſua & Terræ Sanctæ opera animabit? Iterum in *hiſtoriis ſcholaſticis, tertio libro Regum, V. cap.* reperitur, quòd virtute ſanguinis cuiuſdam vermiculi domabat Rex Salomon lapides de marmore duriſſimo, qui ponebantur in templo ipſius ſapientiſſimi Salomonis. Quare ergo corda fidelium ad ipſum templum Sanctum conquirendum nõ moleſcant ſanguine redemptoris? De ſe ipſo loquitur, per Pſalmiſtam: dicens, *Ego ſum vermis, & non homo:* quia ita viliter pro vobis ingratis tractatus ſum in hoc mundo tanquam vermis & nõ homo: & ſine virili ſemine natus ſum de virgine, ſicuti vermis de terra ſine corruptione. Ad iſta, Pater & domine Reuerendiſſime, licet alias veſtra de meis litteris reſponſa non receperim, modò vobis
20 ſic ſcribere amor & honor Diuinus & promiſſio Euangelica me prouocat & compellit: Dicit enim, *petite & accipietis; quærite & inuenietis; pulſate & aperietur vobis.* Vos enim de numero illorum reputo, quorum oculi ſunt in CHRISTO capite, firmiter collocati. Et de quibus Dominus per Ezechielem dicit: *Fili hominis, ſpeculatorem te dedi domui Iſraël.* Speculatoris officium vel Prælati eſt, ſolicitè circa gregem Dominicum vigilare, & voce diſcretæ exhortationis atq; diuinæ laudis dormientem populum iuxta Iſaiæ vaticinium excitare: *Vox,* inquit, *ſpeculatorum tuorum.* & ſequitur: *leuauerunt vocem, ſimul laudabunt:* & informent Reges Chriſtianorum & Principes primò quærere regnum DEI, in quo filius DEI naſcebatur; &, vt Iudæorum Rex, adorandus à Regibus quærebatur: quia proprium eſt hominis nobilis ſecundùm
30 ſententiã *Senecæ*, habere excelſum & glorioſum ſpiritum, quærentem vbi glorioſè viuat & vbi tutiſſimè. Sed quia multa alia primò quærimus, continuè deficimus, eò quòd mandata ad ordinem Diuini conſilii non ſeruamus. *Si cuſtodieritis mandata mea quæ ego præcipio vobis*, dicit Dominus in Deuteronomio, *omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit.* Vnde iſtud Terræ Sanctæ Paſſagium per veſtræ bonæ perſuaſionis prudentiam eſt citiùs inchoandum; & nullatenus propter moram, quæ trahit periculum, differendum: Nam, *quod nunquam incipitur, nunquam perficitur:* & ſemper incipere, & nunquam finire eſt moleſtum. Sed, quod longè eſt grauius, multi deſierunt perficere, antequam perficere inceperunt. Et ſic per exorationes veſtras ſedulas Sancta promouebitis negotia, & vices rependetis congruas Domino Salua-
40 tori. Quia, *non hiis ſolùm*, ſecundùm dictum Senecam, *Reipublicæ prodeſt qui tuetur, & de pace bellorum ceſſet; ſed qui iuuentutem exhortatur. Si enim moratur in priuato, publicum tamen negotium agit.* Et quia decet magnos Prælatos, & vos maximè qui Paſſagii eſtis Procurator, de ſtatu ſingularium prouinciarum certiùs informari, veſtræ reuerentiæ, cum cordis tamen dolore, ſignifico: quòd Lombardia & Tuſia, & quaſi tota Italia immenſis guerrarum tribulationibus ſunt oppreſſæ; nec non in mari Mediterraneo bella ſpolia ſolùm inter Chriſticolas cum nauigiis damnabiliter frequentantur: vnde fidelium communitas notabiliter infirmatur. Nec mirum: deſtructio minimi membri corpore naturali, ſicut meliùs me veſtra nouit prudentia, in totum illud corpus naturale redundat: Quantò igitur magis corpus infirmabitur per plurimum
50 & maiorum mutilationem membrorum? Ita in corpore CHRISTI miſtico, in quo alter alterius membra ſumus ſinguli conſtituti. Et ideò dum prædicta membra per guerras huiuſmodi terrâ marique ſe mutuò ſpoliant & interſecant, regnum præclarum Francię, & illud maximè, ſicut regna alia, propter ſubtractiones mercationum quæ per Lombardos & Turcos communiter ſolent fieri, non modicum patitur detrimentum. Credo firmiter quòd Dominus noſter ſummus Pontifex, piam ſemper intentionem habuit ad Italiæ diſcordiam concordandam: ſed videtur quòd incipiendum ſit primò à prædicto opere DEI & Terræ Sanctæ ſecundùm ordinem,

Pſal. 21, 6.
Matth. 7, 7.
Ezech. 33, 7.
Eſai. 52, 8.
Deut. 11, 22, 24.

dicti libri *Fidelium Crucis, in secundo libr*
ribus capitulis, & maximè in *capitulo*
ra in tam modica potentia inchoari,
peratus effectus & placitus sequeretu
sarent lites & iurgia, terrarumque di
rent discrimina prælibata, vt in malis
iam conseruaretur magna Christiano
bus, & habitans in periculis valdè ma
riculis virtus prudentiæ dat succursu
sunt affines, est ante generale Passagi
butis intollerabilibus quæ soluunt pa
riculis comprimuntur. Ad quorum
maris diligens custodia per Fideles,
supradicto, quem vt dictum est vobis
stodiam, secundùm eiusdem libri te
pendiis, & benè armati, ac defensibil
riantes; sed concordes, & humiles; qu
tute, optimè cum casto, fideli, strenu
prudenti, prouido, pio & mansueto
stodiam, terræ Armeniæ & Romania
tes, starent solidè & quietè. Ista cust
dientiam Sanctæ matris Ecclesiæ; C
pacis & concordiæ; & Christianos in
tantes deniq; mercimonia de Cypro
mendaciter habere licentiã à summo
tes Soldano subiectas, ne in Christian
maret continuè infidelium potentia
dus iustorũ catalogo qui tot niteretur
bona cœlestia promouere? Si verò du
negotia sæpiùs dicta forent nimium
quòd non: sed potiùs assero, quòd si R
domini summi Pontificis, eiusq; adiu
plus de pecunia acquireret, quàm ips
antedicti. Nihil enim deficit, vt dictũ
Pater reuerende, ad prædilectam ve
vidi & intellexi, quòd *Rex Franciæ* ten
ad custodiendam dictam ciuitatem, d
Devs, per gratiam suam, Regis Franciæ
Luc. 6, 38. mnibus bonis & diuitiis affluere faci
vobis. Apud nos etiam vulgariter dici
pendere dñi qui solidum meliorat.
bis refero, quòd postquam præsenta
di domino *Regi Franciæ*, immediatè a
remontis, eidem præsentans Mappas
& addens: quòd si suæ placeret domi
irent: qui respondit quòd meo consi
Romana antè præsentaueram sibi lib
co hæc dicatis; & me vestrum filium
Magnificentiæ conuenire: sed quomo
lictum, sua dominatio, vestra paternitas
pter honorem suum, & bonum commu
set etiam consecutum de negotiis sup
men sibi gloriosum acquireret, in diu
bus habundaret; & Christianitati toti
piendum enim negotium id, sufficeret
quàm in Gallico scriptis, quas habet v
pter aliud amittitur, nisi quia principi

[...] *in secunda parte eiusdem libri secundi*, & in plu-
[...] *timo suæ partis*; quia non potuerunt illa ope-
[...]endo supradicti libri ordinem, quin insu-
[...] ad quorum inchoationis deuotionem ces-
[...]ordiæ sedarentur, & guerrarum sic desiste-
[...] iis succederet prosperitas opportuna; & e-
[...]m quantitas, in vltramarinis degens pani-
[...]is. Quia verò in negotiis arduis, primis pe-
[...] ideò *Armenorum* dispendiis, qui infidelibus
[...] primitus occurrendum. Ipsi namque tri- 10
[...]nis, timoribusque grauibus & continuis pe-
[...]emedium requiritur necessariò, quòd fiat
[...]ut in *libro Secretorum fidelium Crucis* scribitur
Regiæ Celsitudini præsentaui. Quam cu-
[...]em & ordinem, pauci benè ordinati in sti-
[...]n galeis; non superbi, & de sua virtute glo-
Devs in cœlo respicit & in terra; Dei vir-
Deo deuoto, non nimis cupido, oculato,
[...]taneo gubernarent. Tunc per illam cũ-
[...]terræ aliæ Fidelium singulæ circumstan-
Græcos schismaticos reduceret ad obe- 20
[...]rinos vt dictum est disponeret ad vnitatẽ
[...]ientes, & infideles etiã qui nauigant, por-
[...]ducentes, nec non & alios qui fingunt se
[...]ifice portandi merces consimiles ad par-
[...]auigarent dispendiũ, impediret; & infir-
[...]anorum: ô quam dignè esset adscriben-
[...]deprimere, & tãta pro Christi amore
[...]tur quòd ista custodia, & Terræ Sanctæ
[...]osa; Respondeo breuiter & fideliter,
[...]uis vel Princeps magnus, cum consilio 30
[...]llam custodiam & negotia inchoaret,
[...]endere oporteret: iuxta libri ordinem
[...]principium debito ordine inchoandũ.
[...]duco memoriam & reuerentiã, quod
Acon stipendiarios milites & pedites,
[...]missa fuit. Et tunc Devs, tunc tempus,
[...]um, & suos etiam regni sui fideles, o-
[...]de Euangelicè scribitur; *date, & dabitur*
quòd bonum est, & valdè vtile illum im-
[...]rùm, pater venerabilis, incidentaliter vo- 40
[...]brum *Fidelium Crucis* & Mappas mun-
[...]i ad domũ domini *Lodouici comitis Cla-*
[...]di, & quædam alia de negotiis supradictis,
[...]dictis meis adhibere fidẽ, negotia benè
hac parte se regere intendebat. In Curia
Crucis Fidelium suprascriptum. Cui suppli-
[...]ndare velitis, sicut vobis videbitur suæ
[...]gotium est suppressum & penitus dere-
[...]benè nouit: de quo multùm doleo, & pro-
Christianorum quod sequeretur, & fuis- 50
[...]dictis. Et si adhuc mihi credere vellet no-
& dominationibus terrenis & cœlesti-
[...]modum maximum proueniret. Ad inci-
[...]quod continetur in cedulis tam literaliter,
[...]estra paternitas Reuerenda. Nec istud pro-
[...]um non habetur. Et sicut benè nouit vestra
prudentia,

prudentia, quando apud vos eram in Francia, ipsi intendebant armare xx. galeas ad maris custodiam: quæ armatura magna esset si sufficientia stipendia soluerentur: sed nimis parum de pecunia dabant pro armatura tanta. Vnde nihil postmodum est secutum; sed totum hucusque in nihilum est redactum. Vnde, pater Reuerende, agatis ad hoc efficaciter, quòd saltem negotium habeat, de x. vel VII. vel v. ad minus galeis benè armatis, & sufficienter stipendiatis ad maris custodiam, principium oportunum. Nam *debile principium melior fortuna sequetur.* Et credatis fideliter, quòd ordinabo pro mora vestra, concedente Altissimo, locum suauissimum & securum. Rogo dilectissimam paternitatem vestram, quatenus me filium vestrum habere di-
10 gnetur specialiter commendatum: quia ad DEI seruitium atque vestrum mea intentio fuit & est, mori & viuere cum eodem. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI circha M.CCC. XXVI.

A. Dñ. 1326.

V.

VEnerabili in *CHRISTO patri domino*, tali; vel *egregio in CHRISTO patri domino*, tali; *Honorabili militi*, vel *Magnifico*, vel *excellenti domino*, domino tali: *Marinus Sanutus, dictus Torcellus, de ciuitate Riuoalti de Venetiis, qui præsentauit domino nostro summo Pontifici librum & mappas mūdi secretorum Fidelium Crucis, qui est tam pro conseruatione fidelium, quàm pro*
20 *conuersione vel consumptione infidelium; quanquam etiam propter acquirendam & tenendam Terram Sanctam & alias multas terras, DEO dante, in bono statu pacifico & quieto: seipsum cum omni recommendatione humili, & promptitudine famulandi.* Cognoscens de solertia, bonitate & fama vestræ *Reuerendæ paternitatis*; vel, *vestræ egregiæ & honorabilis dominationis*; vel, *vestræ excellentissimæ & dominationis magnificæ*, quæ que est per mundum vndiq; diuulgata: & præsertim de eo quòd reuerenter locutus & rationatus fui cum vestra dominatione vel paternitate iam dicta, me mouet, & præbet audaciam scribere *vestræ paternitati benignæ*: vel, *vestro excellenti dominio.* Hinc est quòd anno præterito scripsi Sanctissimo domino no-
30 stro summo Pontifici litteras, super DEI negotiis & Terræ Sanctæ quas *vestræ Reuerendæ paternitati*, vel, *vestræ Magnificæ & excellenti potentiæ*, interclusas transmitto. Quia recepi litteras ab homine fide digno, quòd benignè recepit; & de me ipsius Sanctitas petiit multò magis quàm meam personam minimam condeceret. Sed propter ardua & maxima negotia quæ dominus noster summus Pontifex, vt ostenditur, habet facere & tractare, & quotidie videntur crescere, quæ erunt pro bono, Domino concedente, huc vsq; de Terræ Sanctæ negotiis, quasi nihil fuit inde peractū. Qua de re, tanquam patri & domino, ad memoriam vestræ reduco potentiæ, quòd antequam in statu perseueretur isto, longè melius esset facere, tractari cū *Soldano* Babyloniæ, quòd dimitteret tributum regno *Armeniæ*: & quòd reædificari dimitteret ca-
40 stra *de Laiacio*, de mari & de terra, & habere cum ipsis bonam treugam: Hac conditione, quòd noster dominus dimitteret, quòd Christiani possent ire & redire cum omnibus mercibus in terras Soldano subiectas, præter *cum ferro, armis, lignamine, pice, & pueris & puellis*, ac etiam aliis mercibus vetatis antiquitus. Et hoc videtur possibile posse & debere fieri: quia sic fiebat multoties quando Acon & Syria à Christianis tenebantur. Præterea Dominus noster facere posset tractari à Nuntio qui iret ad Soldanum, quòd quilibet Christianus qui iret ad Sepulchrum in Ierusalem, & ad loca alia partium illarum sanctissima visitanda, posset liberè pertransire absque solutione alicuius commercii siue tholomei. Et rationabiliter omnia supradicta debent obtineri à Soldano: quia liberè mercatores & merces cum voluntate
50 Ecclesiæ pertransirent, longè maior vtilitas consequeretur Soldanum, quàm faciāt nunc ad præsens. Præterea ad memoriam vestram reduco quòd Dominus noster habet hoc facere, ipso habente respectum ad suum deuotum populum & fidelem. Hoc est, quòd illi mercatores qui timent inhibitionē Sanctæ Romanæ Ecclesię, vadunt in Armenia *Laiacium*, quæ est deserta ciuitas, absque aliquo fortilitio; quibus imminet periculum maximum: ita quòd si Soldanus vellet a mare per mare & per terram, sicut fecit *Tortosiæ* aliquo tempore, ipse posset omnes facere interfici siue capi: quod foret damnum non modicum deuotis & subditis Sanctæ matris

Ecclesiæ: & etiam possent recipere d[illegible]
gnis nauigiis & gentibus reforzati, q[illegible]
quibus omnibus laudo & consulo q[illegible]
rùm, reuerenter loquẽdo de necessita[illegible]
Turchis qui dominantur & morantur [illegible]
Romaniæ, & maximè eas quæ perti[illegible]
non habebunt succursum, amittentu[illegible]
da in manus illorum de Compagna. [illegible]
moreæ: propter quod Ierusalem & Si[illegible]
quantum de Siciliæ Insula, & fortè pl[illegible]
fideles ex hoc fortiter occupati. Et s[illegible]
& maximè dominus *Nicolaus Sanutus* [illegible]
ac etiam domus Sancta *Hospitalis*, qui [illegible]
sens quantum plus possunt, & etiam [illegible]
Nigropontis prædictæ, quarto die an[illegible]
videtur ei esse necesse, illæ terræ & In[illegible]
finaliter possint durare absque DEI a[illegible]
Turchi dominantur terræ quamplur[illegible]
minor nominatur, quæ longè maior e[illegible]
ni vestræ præsentibus resere tur, quòd [illegible]
ponte & partibus Romaniæ ab hon[illegible]
sex galeas, & triginta nauigia inter lig[illegible]
rint ad ciuitatem Nigropontis, & si[illegible]
qui tenent ducatum Athenarum, ip[illegible]
Insulam, & etiam Insulas alias: quod i[illegible]
& infantibus qui ducti essent in seruit[illegible]
alias abstulerunt & deportauerunt in[illegible]
ternitas; vel, *vestra potentia & nobilitas*, [illegible]
re dignetur. Nam si dominus noster [illegible]
armatas continuè de bona gente, DE[illegible]
quidem summatim constarent in ann[illegible]
set sanctissimè attributa. De negotio [illegible]
riæ, qui descendit in Italiam vestræ do[illegible]
nus perueniat aliorum. Et si qua pro[illegible]
præcipiendo mandetis, sicut humili &[illegible]

An. Dom. 1326.

nctiis, Anno Domini nostri IESV CH[RISTI] M. CCC. XXVI.

[illegible] mnum à cursariis, qui vadunt per mare m[illegible]
[illegible] dire consueuerunt tempore retroacto. Pro
[illegible] d prædicta ad executionem ducantur. Ve-
[illegible] e, oportet Dominum nostrum prouidere de
[illegible] Asia minori, qui velociùs infestant Insulas
[illegible] nt Principatui Amoreæ: in tantum quòd G[illegible]
[illegible] & præsertim insula *Nigropontis* est prouenie-
[illegible] t si venient, ipsi habebunt Principatum A-
[illegible] liæ Rex, tantum ex illa parte habebit facere
[illegible] : & etiam erunt quàm plures alii Christiani
[illegible] on essent *domini de Chio Zachariæ* Ianuenses,
[illegible] ux Nicxiæ, & Andræ, & aliarum Insularum;
[illegible] fenderunt huc vsque & defendunt ad præ-
[illegible] *mune Venetus* quod misit duas galeas insulæ
[illegible] Natale Domini, & continuè mittit quando
[illegible] æ non potuissent durasse. Nec credo quòd
[illegible] lio & domini nostri summi Pontificis: quia
[illegible] quam acquisiuerunt in Græcia, quæ *Asia*
[illegible] uàm sit tota Yspania. Præterea dominatio-
[illegible] per noua applicuerunt Venetiis de Nigro-
[illegible] us fide dignis, quòd Turchi parauerunt
[illegible] barchas, causâ excũdi extra: qui si vene-
[illegible] um cum illis de compagna *Catellanorum*
[illegible] pro damnificando ciuitatem & totam
[illegible] mabile damnum esset, absq; mulieribus
[illegible] captiui in terras Sarracenorum; & iam
[illegible] maxima quantitate. Quare *vestra reuerenda pa-*
[illegible] uerentiâ & honore, super hoc prouide-
[illegible] us Pontifex teneret ibi quatuor galeas
[illegible] illæ partes starent benè & securè: quæ
[illegible] millia florenorum: & ista pecunia es-
[illegible] Alemaniæ, & de aduentu istius *Bauar-*
[illegible] oni non scribo: quia timeo ne ad ma-
[illegible] atione vestra intenditis me facturum,
[illegible] deuotissimo vestro seruitori fideli. Datæ *Ve-*

VI. SEreniſsimo & excellentiſsimo domino suo, domino Leoni, DEI gratiâ Ar-
meniæ Regi, suus humilis & deuotus Marinus Sanutus dictus Torcel-
lus, *de Venetiis: se totum promptum & auidum ad beneplacita Regalia & man-*
data. Regia nouerit Celsitudo quòd vestras recepi litteras cum gaudio, de qui-
bus quamplurimùm extiti consolatus. Et quia plus labor ex prosecutione conti-
nua commendatur, Magnificentiæ vestræ significo, DEO, cui nullum latet secre-
tum, Ambaxiatoribusque vestris ad Papam, ac domino *Boldo de Spinola*, attestanti-
bus, quòd pro succursu ac quiete bona regni nostri, meis expensis personalibus, cũ
magnis laboribus corporalibus, dominum summum *Pontificem ac Cardinales*, domi-
num etiam *Regem Franciæ*, & sui regni consilii Comites & Barones, ac dominum
comitem Hannoniæ visitaui. Et quia secundùm beatum Ieronymum, *Labor improbus*
omnia vincit, non adhuc cesso ipsos omnes prædictos ac etiam dominum Regem
Angliæ pro dicti regni vestri adiutorio, per meas acutissimas litteras visitare, prout
dominus ac *frater* Tadeus, & socii sui, vestri nũcii, modò actualiter in Romana Cu-
ria, vobis cũ ad vos redierint referre poterunt viuâ voce. In quibus scripturis meis,
sicut nouit lator præsentium, *frater Vgo* ordinis Prædicatorum qui illas scripsit, in-
formaui omnes prædictos dominos solicitè, de modo & ordine debito proceden-
di. Et illos ac alios Prælatos & Principes ad DEI honorem & gloriam, vestramq; ac
regni vestri consolationem, intendo quantum in me est pulsare continuè, donec
Pater

misericordiarum & DEVS totius consolationis effectum aliquem cõcesserit opportunum. Conseruet vos Altissimus in regnum vestrum in omni fertilitate bonorum, per tempora longiora. Si qua possum facere vestræ grata Celsitudini, promptoan imo sum paratus. Non miretur Regalis, quòd ei à diu non scripserim: Expectabam enim meliora transmittere, quæ nundum ad libitum euenerunt. Datæ *Venetiis*, Annò Domini nostri IESV CHRISTI, circha M. CCC. XXVI. An. Dn. 1326.

VII.

EXcellentissimo ac sapientissimo Principi, ac suo domino, domino singulari, domino Andronico Pallialogo, DEI gratiâ Imperatori Constantinopolitano, moderatori Romeorum Magnifico, & semper Augusto: Marinus Sanutus dictus Torcellus, de Venetiis: seipsum humiliter ad omnia Imperialia beneplacita & mandata. Nouerit vestrum magnificum Imperium, quod diligo & dilexi, me fuisse satis longo tempore in Romana curia, & tandem in curia Magnifici domini Regis Franciæ, pro tractandis & ordinandis & oportunis negotiis Terræ Sanctæ: & à viris Religiosis qui venerant de vestro Imperio, & præcipuè à domino Episcopo Caphensi, intellexi de vestra Imperiali sapientia & fide ac voluntate bona, quam ad vnionem Ecclesiarum habetis, de quo cor meum fuit & est non modicùm illaratum: cognoscens quòd Ecclesiarum vnio, est complementum Passagii Terræ Sanctæ. Nec scio maius bonum posse fieri in hoc mundo quàm Ecclesias reunire. Propterea frequenter colloquium huiusmodi cũ pluribus dominis Cardinalibus, & cum excellenti domino Rege *Roberto*, & cũ aliquibus Principibus regni Franciæ: & etiam cum domino *Petro de Via* nepote domini Papæ; & maximè cum nobilissimo domino *Gulielmo comite Hanoniæ, Vlandiæ & Xilandiæ ac Frixiæ* domino, genero domini Karoli; & cum domino *Gualterio de Castilione*, comite Porzani & Conostabulo Franciæ; & cum domino *Roberto* comite Bononiæ & Aluerniæ, de negotio supradicto, qui pro magna parte regunt & ordinant ipsum regnum: ac etiam colloquium habui cum Prælatis, de multis quæ tangunt honorẽ & securitatẽ vestri Imperii. Et reperi multos prædictorũ habere optimam voluntatem: & ideò, propter DEI honorem, & vtilitatem fidei, & amorem specialem vestri magni Imperii, offero me, si oportunum vobis videbitur, tractare & laborare secundùm meam possibilitatem pro prædicta vnione Ecclesiarum, & pace ac cõcordia cum Sancta Romana Ecclesia, & cum Excellẽti domino *Karulo*, ac cæteris personis quibus vestræ magnificæ prudentiæ videbitur oportunum. Plura alia explicaui de ista materia domino Fratri *Ieronymo Episcopo Caphensi*, quæ oretenus vestræ Maiestati poterit explicare. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, cirtha M. CCC. XXIV. An. Dn. 1324.

VIII.

REcordatio, Reuerendo in CHRISTO patri & domino suo karissimo, domino, fratri Ieronymo, Episcopo Caphensi, facta per me Marinum Sanutum, dictum Torsellum, de confinio Sancti Seuerii de Venetiis. Quod primò & principaliter vos debetis me recommendare Excellentissimo & Magnifico domino meo Imperatori Constantinopolitano, & præsentare litteras quas eidẽ transmitto. Et iterum suæ Magnificentiæ dicite, quòd per DEI gratiã perfeci quoddam opus laudabile & fructuosum super acquisitione Terræ Sanctæ & consumptione illius sectæ pessimæ Mahumeti, quod dominus Papa fecit examinari, in quo quidem opere continetur quòd non est necesse transire per terram sui Imperii, nec acquirere illam: Sed directè ire per mare in terras Soldano Babylonico subiectas: quæ via est contra opinionem quorundam dicentium, quòd primò est necesse quòd suum Imperium acquiratur per fideles Ecclesiæ. Ego autem contra ipsos existens, dixi quampluribus Cardinalibus, & etiam idem dixi ad consilium *Regis Roberti* & quibusdam Baronibus Gallicis, quòd Imperium suum posset destrui, sed non posset conseruari in pace, propter multas nationes, quæ sunt circum circa suo Imperio, & nationes maximè Tartarorum. Et ponamus quòd haberemus terram Imperii pro magna parte, non tamen haberemus cor populi ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ. Sicut nos per exemplum videre possumus manifestè de Insula *Cypri* & *Cretæ*, & de principatu *Amoreæ*, & ducatu *Athenarum*,

teros etiam ... num *Seruiæ*, & *Zorzani*,
Exigoræ, & ... chorum, & sub domini
tarorum, ... quod quidem esset max
fiæ Romanæ ...
curum pro ... nte sui Imperii, tam pro
ciendum, est necesse quòd in isto neg
heredibus suis aliqua propter quod d
num est, quòd habeatur voluntas &
inter omnes alios qui possent istud n
Franciæ, & *Rex Boemiæ*, qui intendun
mes *Hanoniæ, Flandiæ & Xilandiæ*, & *Fr*
ne comes Porzani & Conestabulariu
montensis, & dominus *de Borbin*, ac
Boloniæ, & quamplures dominæ &
nam suam promitteretur eisdem, pr
cordor quòd pater suus dominus Im
nam maximam turrim, cum mœnib
non est dubium quòd illud bonum, c
substantiationem terræ suæ, & here
uitium DEI, & sui, & sui Imperii, se
re quicquid exinde potero boni. Et
dendi, ego sum absque vxore, & sic s
negotia perficienda: & si vellet mihi
tiam de suo Imperio, ego acciperem
ter copularetur, etiam eidem posset v
Reuerende domine Episcope, multa
reliqua, de qua spero & indubitanter
dominus Imperator redderet gratia
dræ dominatori, quòd illud quod ips
pter iuuentutem: & ita intendo tract
seruitor sui Imperii quemadmodum
dominus Gulielmus, & auus eius d
Reuerenda paternitas, quod intendo
rent de curia, quòd armata Regis Fra
domino de *Nerbona*, & cum Episcop
quòd irem vsque vltra mare, ad hoc
ipsi me tenuerunt multo tempore i
bant se regi meo consilio, ac etiam v
eis. Item vellem tractare quòd ipsi
Imperii: & quòd ipsi non intender
lium factæ Mahumetice, quæ mult
quæ Nigropõtem & ad dominium
ret mihi, dicendo ad hoc, ut possem
uarione terræ suæ. Vnde ...
cere quicquid domin ... ni ...
ras destinabo quas ...
Imperatori ... mihi scrib ...

An. Domi.

IX.

SErenißimo ac sapientißimo Principi ac suo domino singulari, domino Andronico Pallialogo, DEI gratiâ, Imperatori Constãtinopolitano: Moderatori Romeorũ Magnifico, & semper Augusto: Marinus Sanutus dictus Torcellus, de Venetiis: seipsum humiliter ad omnia Imperialia mandata. Quia ipsa membrorum diuisio, totius corporis languorem pariter & desolationem inducit: hinc est quòd Redemptor noster Dominus IESVS CHRISTVS, cùm ipse sit totaliter indiuisus, diuisionis periculum præsentiens, pro membrorum suorũ vnione, in Euangelio beati Iohannis, rogat specialiter Patrem suum, dicẽs: *Pater Sancte, serua eos* (Ioh.17,11, 20.) *in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos*: & sequitur, *Non pro eis rogo tãtùm, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: Vt omnes sint, sicut & tu Pater in me & ego in te: & vt ipsi in nobis vnum sint.* In Actibus etiam Apostolorum scribitur, quòd *multitudinis credentium erat cor vnũ, & anima vna.* (Act.4,32.) Et Paulus Apostolus ad Galatas dicit, quòd *omnes vos vnum estis in CHRISTO.* (Gal.3,28.) Ipse enim, est *pax nostra qui fecit vtraq; vnũ*: sicut ad Ephesios idem scribit. (Eph.2,14.) Animaduertat igitur Imperialis circumspecta Maiestas, si tanta inter ipsam, & Sanctã DEI Ecclesiã sit defensionis materiam, quæ non poterit per specialẽ DEI æterni, vnigeniti & coæterni Filii DEI orationẽ ad Patrem, & Apostolorũ suorum Actus, Scripturasq;, & prædicationem, in vera vnitate fidei adunari. Et ideò, ego *Marinus*, vobis ac Imperio vestro affectionibus sinceris vnitus, obsecro vos cũ beato *Paulo* Apostolo antedicto, quaten⁹ *dignè ambuletis vocatione quã vocati estis, in omni humilitate & mansuetudine: cum patientia supportantes inuicem in caritate: soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnum spiritus: sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* (Eph.4,1. &c.) Et, cùm quidam dicti vestri præclari Imperii, à fide & doctrina Ecclesiæ Apostolicæ nõ in re, sed solùm in verbis dissonẽt: ac alii eiusdem Doctores Imperii, videlicet *Athanasius, Didimus, Cirilis, Iohannes Grisostomus*, & in fide, & in re, in verbisq; cum Ecclesia prædicta conueniant & cõcordent: domine mi Imperator Clementissime, expurgate diebus vestris vetus fermentũ, vt sitis noua cõspersio sicut estis acimi: ne vestrũ supradictũ Imperium Magnificũ diutiùs maneat in fermẽto malitiæ & nequitiæ, sed in azimis sinceritatis & veritatis. Dicit etiã Philosophus terræ vestræ, quòd *in eo quod res est vel non est, est oratio vera vel falsa.* Non enim dicit in eo quod vox est vel non est: quia res, est in se permanens & existens; verbum verò, ore carnis prolatum defluit, & nõ manet. Tollite ergo iugũ CHRISTI super vos; & discite ab eo, *quia mitis est, & humilis est corde: iugum eius suaue est, & onus eius leue.* Et tunc inuenietis requiẽ animabus vestris. (Matth.11, 29,30.) Et quia *omnis qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti, aperitur*: (Matth.7,7.) Istam vnionem sacratissimam petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Per quam vnionem cùm virtus vnita, maior sit se ipsâ dispersâ, acquiretur faciliter Terra Sancta, & aliæ terræ plurimæ quas infideles iam occupant: ad exaltationem nominis Domini nostri IESV CHRISTI, ampliationemq; Catholicæ fidei; & ad stabilimentum vestri excelsi Imperii antedicti. Nouerit ad hæc vestra Imperialis Celsitudo, quòd propter bonum vestri Imperii negotiorumq; Terrę Sanctæ dominum Papam & Cardinales quamplurimos, ac dominum Regem Franciæ, Nobiles etiam Comites & Barones sui regni, dominũ Regem Robertum, & Nobiles de suo consilio, cum expensis propriis, ac magnis meis corporalibus laboribus visitaui; & cum eis secretum colloquium frequentissimè habui: quorũ multos reperi ad vos ac vestrum Imperiũ, & ad dicta Sanctæ Terrę negotia voluntatem habere optimam, si Ecclesiarũ vnio, paxq; & concordia cũ Sancta Romana Ecclesia fuerit confirmata. Benè essetis digni sanctorum adscribi catalogo, si possetis istud scisma destruere; & ad vnum ouile Ecclesiæ, tot dispersos & deuios congregare: ad quẽ laborem, ad honorem DEI, ac vestrum, vestriq; consolationem Imperii, promptum me offero & paratum, cum perseuerantia læta, iuxta vestrum Imperiale consilium, beneplacitũ ac mandatum. Recepi vestras Imperiales litteras per vestrum nuntium *Constantinũ Fuscomalum*, cum gaudio vestræ posteà rescribens Celsitudini per eundem. Vos ac vestrum Imperium permagnificum, conseruet Altissimus per tempora longiora. Ista quidem vnio non est vllatenus differenda: quia quod quandoque faciliter vno tempore acquiritur, succedente moræ periculo, vix aut nunquam posteà obtinetur. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, circha M.CCC.XXVI. (A.Dn. 1326.)

X. VIro prouido, Nobili & discret[o] [illegible] Seuasto, domino Stephano Sirupulo do-
mini Imperatoris Græciæ Tu[r] [illegible] chimanno: Marinus Sanutus, dictus Tor-
cellus, de Venetiis: omnem reueren[ti] [illegible] am cum salute. Noueritis quòd litteras ve-
stras mihi gratas plurimùm & accep[i] [illegible] s, sospitatẽ vestram corpoream exprimentes,
ad magnam meam consolationem r[e] [illegible] cepi: de quibus litteris, vestram ad me sincerã
affectionem attestantibus, vobis reg[ra] [illegible] cior corde toto. Et ideò si quæ facere possim
vobis grata, prompto animo sum pa[ra] [illegible] us. Scribo nunc domino meo, domino Im-
peratori Illustrissimo, cuius scriptur[æ] [illegible] tenorem vestræ transmitto amicitiæ præsen-
tibus interclusum. Litteram verò s[] [illegible] m, mihi de sua benignitate directam, de qua
mentionem fecistis in littera vestra, [illegible] et eam diligenter quæ fieri, non recepi. Quia
* per communicationem mutuam lit[] [illegible] arum intenditur verus amor. Bonum est &
vtile, quòd cum oportunis nuntiis, s[] [illegible] pturis mutuis perfruamur. Vt me valere de-
sidero, valeatis, ad vnionem cum sa[] [illegible] o sancta Romana Ecclesia, ad DEI laudem &
gloriam, vestrum semper dominum [illegible] ducentes. Datæ Venetiis, Anno Domini no-
An. Dom. 1326. stri IESV CHRISTI circha M.C[] [illegible] C. XXVI.

XI. VEnerabili in CHRISTO patri ac domino suo karissimo, domino Ingra-
mo, diuinâ prouidentiâ Archiepiscopo Capuæ, & Cancellario excellẽtis-
simi domini Regis Ierusalem & Siciliæ: Marinus Sanutus, dictus Torcellus,
de ciuitate Riuoalti, de Parochia Sancti Seuerii confessoris: seipsum cum omni
reuerentia & promptitudine famulandi. Cùm pluries vestræ Reuerendæ Pa-
ternitati scripserim, nunc finaliter vobis scribo per dominũ Fratrem Paulinum Epi-
scopum Puteolanum: quia mihi videtur, cum reuerentia loquendo, quòd vnio Ec-
clesiæ Græcæ cum Latina, vltima r[] esset in Ecclesia DEI: & ad hoc deberet intẽ-
dere Sanctissimus Pater cum suo co[] n filio, & dominus Rex noster: & est res possibi-
lis, quæ posset tractari satis leuiter: & tunc sperandum esset quòd negotia Christia-
norum prosperari valerent. Intendo ire in Romaniam propter plura; & videre do-
minum Nicolaum Sanutum ducem Nixiæ & Andræ; & sibi, & aliis de partibus illis
dare illud bonum auxilium & consilium quod ego potero. Noua quæ sunt in parti-
bus istis poteritis scire per dominum Episcopum supradictum: ipse meliùs sciet vo-
bis dicere quàm ego scribere. Rogo vos multum quòd recommẽdetis me domino
nostro Regi, & domino Duci, & domino Iohanni Principi Amoreæ. Et istas litteras
& alias quas mitto, intendo quòd ostendatis domino nostro Regi. Et si hic, vel in
partibus Romaniæ, possem facere sibi grata, & pro paternitate vestra, cum honore
cõmunis mei, intimetis mihi: quia paratus sum ad omnia beneplacita tã sua quam
A. Dn. 1326. vestra. Datæ Venetiis, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, circha M.CCC.XXVI.

XII. EXcellentissimo ac sapientissimo Principi, ac suo domino singulari, domino
Andronico Pallialogo, DEI gratiâ, Imperatori Constantinopolitano,
Moderatori Romeorum Magnifico, & semper Augusto: Marinus Sanutus,
dictus Torcellus, de Venetiis: seipsum humiliter ad omnia Imperialia benepla-
cita & mandata. Factis aliis litteris quas nouerit vestra magnificentia me apud
meipsum per bonũ temporis spatiũ tenuisse, tum propter defectum nuntii sufficiẽ-
tis, tũ propter spẽ adueniendi & loquendi vestræ Excellentiæ, de quibus magnis &
occultis: quæ sic stãtibus negotiis non paruũ periculũ secũ trahunt, & vestro Impe-
rio & aliis: nõ plus promo[illegible]is negotiis vnde excellentis Imperii, quàm hactenus actũ
est: tamẽ quia mihi occurrerũt casus per quos nõ potui venire cũ præsentibus galeis,
ad videndũ vestrum Imperiũ & vestrã inclitam Maiestatẽ, cùm, DEO teste, libenter
venissem ad vos videndũ, & vobiscum colloquendũ: sed quia illuc venit Maius Ma-
rioni vester fidelis & deuotus seruitor, ego exprimã ei & dicam aliqua quæ dicat &
explicet corã vestræ Excellẽtiæ Maiestate. Et super hiis, vestra summa prouidentia
prouidebit & faciet sicut diuina gratia largietur. Vbicũq; sim, sum vester fidelis & de-
uotus seruitor vestri Imperii. Scribẽs domino summo Põtifici & suis Cardinalibus,
Regibus, & Principibus mũdi, & Baronib' populi Christiani: id quod credo, cedere in
laudem

laudem DEI, & honorem non modicum & bonum & salutem & augmentum vestri Imperii, mihi potestis præcipere nunc & semper, sicut fideli vestro seruitori. Et nouit DEVS quòd nihil est in mundo quod tantum optem, sicut crementum vestri Imperii, & salutem. Et si vestræ excellentiæ placeret, præstò essem ad vos venire. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, circha M. CCC. XXVI.

XIII.

VIro Nobili, prouido & discreto Seuasto domino Stephano Sirupulo, *domini Imperatoris Græciæ Turchimanno amico karissimo*: Marinus Sanutus *dictus* Torcellus, *de Venetiis: omnem reuerentiam cum salute.* Per alias meas litteras, istis iunctas scripsi vobis litteras domini nostri Imperatoris interclusas: & sic eodem modo facio nunc ad præsens: per quas manifestè potestis aduertere quid agendũ sit circa negotia Imperii, per ea quæ dixi domino *Maio Marioni*, amico vestro, & fideli ac deuoto Imperii, vt vobis explicet. Et tantum dico vobis loquens cum omni reuerentia, quòd dominus Imperator deberet desiderare aduentum meum ad ipsum: tum, quia exprimerem ei multas nouitates, quæ sunt ex parte Occidentis: tum, quia narrarem ei multas antiquitates quæ fuerunt, quæ essent cõmodæ ad sciendum, vt sua Magnificentia per has inueniret viam & modum deducendi negotia Imperii ad bonam executionem & finem. Intellexi à persona fidedigna, quòd *Frater Andreas* Doctor ordinis fratrum Prædicatorum est in curia Romana, & procurat negotia domini nostri. Sed certè mihi videtur quòd negotia quotidie maturantur, & meliorantur, vt prosperentur facta Imperii: Ita quòd si dominus Imperator voluerit tenere firmiter & continuare solicitè, negotia feliciter finientur. Litteram de qua mihi scripsistis, quam dominus Imperator mihi mittebat, ego nunquam habere potui; & tamen scripsit ipse pluribus aliis de Venetiis. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, circha M. CCC. XXVI.

XIV.

MAgnifico & Excellenti domino, domino suo, domino Iohanni, *DEI gratiâ, Lotharingiæ ac Limburgiæ Duci*: Marinus Sanutus *dictus* Torcellus, *de ciuitate Riuoalti, de Venetiis: seipsum cum omni recommendatione & promptitudine famulandi.* Quia imitatorem progenitorum vestrorum Illustriũ ex parte vtriusque parentis, tam in Diuino amore, quàm in morum compositione, ac etiam in bellicorum actuum prudentia & virtute, fama præclara vos prædicat, vestræ Magnificentiæ opus DEI, & Terræ Sanctæ negotia studiosè commendo. Vestra nouerit Celsitudo quòd circa dictum tempus & negotia, expensis ac laboribus ab infantia solicitè laboraui: Et paganorum infirmiora, ad CHRISTI laudem & gloriam, ac promotionem Fidelium, diligentissimè exploraui: & vt labor meus ad notitiam Catholicorum & Principum perueniret, ne obliuio intercideret, in vno volumine coaptaui, cuius Rubrica voluminis dicitur, *Liber Secretorum Fidelium Crucis: qui est tam pro conseruatione Fidelium, quàm pro conuersione vel consumptione Infidelium; quanquam etiam propter acquirendam & tenendam Terram Sanctam & alias multas terras, DEO dante, in bono statu pacifico & quieto.* Istum quidem librum domino nostro summo Pontifici, ac dominis Regibus Franciæ, Angliæ, Siciliæ, dominisq; Cardinalibus ac multis aliis Prælatis, ac domino Comiti Hanoniæ, & aliis quibusdam dominis Comitibus Franciæ, præsentaui: & quia prædicti progenitores vestri, quorum imitari incipitis felicia vestigia, se circa dictæ Terræ Sanctæ negotia multùm strenuè vexauerunt, mitto vobis cum litteris præsentibus prologum, rubricas & Capitula dicti libri, & quædam alia. Paratus sum vobis totum librum integrũ cum Mappis mũdi transmittere, si vestra probitas magnifica illum desideret possidere. Si verò dubitaretur forsitan quòd supradicta Terræ Sanctæ negotia forêt nimiùm sumptuosa: Respondeo breuiter & fideliter, quòd non: sed assero, quòd si Rex aliquis vel Princeps magnus cum consilio domini summi Pontificis, eiusq; adiutorio, illa negotia inchoaret, plus de pecunia acquireret, quàm ipsum expendere oporteret, si prædicti libri ordinem sequeretur. Nihil enim deficit, nisi principiũm debito ordine inchoandum. Vestram dominationem conseruet Altissimus per tempora lõgiora, cuius mandatis ac beneplacitis paratus sum prompto animo obedire. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, circha M. CCC. XXVI.

XV. *VEnerabili in CHRISTO pa*
rico, diuinâ prouidentiâ Arc
per sacrosanctam Romanam Eccle
de contrata Sancti Seuerii de Vene
mili recommendatione seipsum. N
stens longo tempore in Romana cu
dis & procurandis negotiis Terræ S
famæ celebritate, & bono vestro reg
amore quē geritis ad *Venetos:* & poste
quæ ego totaliter feci me vestrum se
nuandi vobis aliqua propter honor
totius Catholicæ fidei. Siquidem i
secreta quædam, tam pro conseruati
rendam & tenendam Terram Sanct
statū pacifico & quieto: Quod opus
net dispositionem ad liberandum T
liberationem: Tertius, docet conser
tero. Hæc autem ideò vobis scribo
geratis, quòd negotia ipsa assumat
dicto opere scire velitis, paratus esse
no Domini nostri IESV CHRIST

XVI. *VEnerabili in CHRISTO pa*
domino &c. Marinus San
de Venetiis, suus humilis & deuot
tione humili, & promptitudine san
ardua, interdum obliuionem in
fica & excellens dominatio nouerit per p
nus præsentaui domino nostro summ
librum & Mappas mundi *Secretorum*
lium, quàm pro conuersione vel consumpt
& tenendam Terram Sanctā & alias mult
Et licet præsumptuosum appareat, se
ri: quandoq; tamen nec est reprehen
decens iudicatur. Hinc est quòd, qua
excellens dominatio benè noscat de fact
rētia, & ad cautellā vestræ Reuerēdiss
dis dolore quicquid sentiō ex prædi
& aliæ terræ Christianorū quāpluri
presse: & nō solùm in mari Mediterr
nauigiis damnabiliter frequētantur
tu suo pessimo, sed & regnū Franciæ
tus, damnū sustinēt valdè magnū. Et
sciā scribere, modo vestræ paternitat
Dei sum quāplurimùm fatigatus, p
re voluntatē Alemanorū, tam in Ale
Lōbardiæ, & maximè Venetiis, vbi c
do cognoui quòd quāplurimi domin
Venetiis causâ trāsfretādi ad Sepulch
habui familiaritatē: ex quibus erāt ali
istius *Bauariæ*, qui nuper in Lombardi

totum quod dictum est, quasi in nihilum redundasset, nisi propter timorem & molestiam factam Lombardis, ipsi Lombardi non reperientes aliam viam propter quã possent euadere, fecerunt istum *Bauariæ* venire in Italiam, de quo nullam voluntatem habebant: Tamen ex eo quòd dominia nolebant amittere ipsum venire fecerunt. Et vt vestra paternitas meliùs rei veritatem cognoscat, exemplo poterit declarari. Nam illud quod accidit ex concilio sanctissimo domino nostro summo Põtifici, accidit quampluribus aliis, qui se tenent sapientes & probos, & præsertim domino meo Duci & communi Venetiarum de facto Ferrariæ. Nam propter molestiam eisdem factam à Venetis, se de nouo posuerunt sub dominio Papæ *Clemẽtis*:
10 verè ipsos cognoscentes, aliter non posse euadere de dominio Venetorum. Et simili modo propter molestiam quam illi de Nigropontis Insula inferebãt illis de compagna ducatus *Athenarum*, acceperunt dominium Regis *Federici*, de quo nullã volũtatem habebant. Ac etiã propter molestias & obsidiones factas Paduanis & Teruisinis per dominũ *Canem Magnum de la Scala*, ipsi Paduani dederunt dominiũ ciuitatis duci *Austriæ*, tanquã Regi Romanorũ; & Teruisini comiti *de Guricia*: & de hiis omnibus certus sum & euidenter apparuit: & illud simile de aliis pluribus posset dici. Nã postquam iste *Bauarus* venit, prout dixi, cum reuerentia loquendo, fideliter quantum plus possum, saluo meliori consilio, & maximè sanctissimi domini nostri summi Pontificis, credo quòd sanctum & pium esset quòd restitueretur gratia prædi-
20 cto Bauariæ: cum intentione eiusdem sanctissimi summi Pontificis bona fuerit & est, vt firmiter credo. Idcircò, bonum esset quòd aliqua sancta persona se intromitteret inter eosdem pacem ponere: vt tanta mala cessarent, quæ incurrunt & sunt quotidiè in cõcursu. Et maximè vestra Reuerenda paternitas hoc haberet tractare, & præsertim propter dignitatem, & nobilitatem quam tenetis, & propter tempus & originem de quo estis extracti de Italia, & maximè de nobilissima vrbe: ad hoc vt super tali negotio aliquod posset bonum remediũ reperiri; & de eo quod in Italia expenditur à Sancta Romana Ecclesia, posset expendi in opportunis negotiis Terræ Sanctæ & Ægypti, & aliarum terrarum circumstantiũ illis; & facere maximos conquestus: sicut in Libro & Mappis pleniùs continetur, quem vestræ tradi-
30 di Reuerendæ paternitati. Præterea mihi videtur, eũ reuerentia colloquenti, quando Sanctissimus summus Pontifex hoc facere dignaretur: scilicet restituere gratiã prædicto Bauariæ: leuiter posset haberi concordia ab Excellentissimo Rege *Roberto* Ierusalem & Siciliæ, & *Duca* eius filio ad prædictum Bauariæ, quia leue esset prædicto Bauariæ dimittere Regi Roberto & Duchæ eius filio, quicquid tenent, quod pertinet ad Imperium: quia de eo quod tenent ab Ecclesia nõ est quæstio: & de extrinsecis terrarũ posset reperiri via & modus, quòd gauderent bonis suis; & sic trãsire. Et credo me certũ, quòd si sanctissimus summus Pontifex restituat gratiam prædicto Bauariæ, quòd fiat concordia vt dictum est, à Rege Roberto & Duca eius filio ad prædictum, per supradictum modum; quòd breuiter simili modo fiet cõcor-
40 dia à Rege Roberto ad Regem *Federicum*: & nõ deficiet quod non fiat: quoniam omnia reuertentur ad suum bonum statum: ex qua guerra Siciliæ, vt scitis, prouenerunt tot mala Christianitati, propter quam mortuus excellẽtissimus *Rex Franciæ Philippus*, filius Sancti Lodoyci, & Rex *Petrus Aragonæ*, & quamplurimi Barones & Nobiles & populi infiniti; & dispendium sine mensura: & potest dici, quòd Acon & residuum Terræ Sanctæ propter hoc amissum est. Et ad hoc vt nihil deficiat, cũ omni humilitate reuerenter scribo vestræ paternitati benignæ, quòd si supradictus *Bauariæ*, postquam tractauit & fecit illud quod eidem videbatur cũ istis dominis Lombardiæ & Tusciæ, & maximè cum domino *Cane de Scalis*, ipse recessit de Tridento, & iuit per viam superiorem montanorũ Lombardiæ *Pergamum*, aliquando eques &
50 aliquando pedes, vt illa via requirebat: Et quando intrauit prædictã terrã, venerunt ei obuiam Religiosi & Clerici, cum crucibus leuatis processionaliter, & cum populo ipsos sequente, cantantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: & cùm intrauit ciuitatem, carceres fuerunt aperti, & relaxati fuerunt qui intus erant detenti; & ibi permanens diebus aliquibus, fuit honoratus vt melius potuit fieri. Postea secessit inde nonà die, exeunte Martio, & iuit *Cumas*: & ibi modo simili fuit honoratus, & manere debet ibi, & expectare vxorẽ suam, & aliam gentẽ de Alemannia: & postea ire *Mediolanum* coronam ferream accepturus: & isti domini Lombardi, vt dominus

Canis, & dominus *Passarinus*, & vnus M[illegible]archionum Ferrariæ, magnum fecerunt apparatum causâ eundi ad eius coronati[illegible]nem iam dictam. Dominus Legatus qui est in Lombardia pro domino nostro Pap[illegible], ad præsens *Bononiæ* commoratur, tenēs totaliter eiusdem dominium: & facit ips[illegible]n murari & fortificari quantum plus potest: & sic *Placentiam*, & cunctas ciuitates L[illegible]mbardiæ quas tenet, & earum castra, facit muniri gente equestri & pedestri. E[illegible] dicitur quòd dominus Legatus habet benè quatuor mille pagas equestrium. Pra[illegible]erea fecit muniri super comitatu Mantuano *Burgum forte*, & Abbatiam *Sancti Be*[illegible]*dicti de Polliron*: ita quòd consideratis omnibus, sapientia vestra & summa pruden[illegible]a habet necesse quòd fatigetur, quòd non accidant tot mala & diuisiones quæ c[illegible]currunt, & sunt continuè in concursu Catholicis. Quòd si DEVS, suâ pietate, [illegible] vestra paternitas Reuerenda non præponit manus suas, posset esse tam magna di[illegible]o & damnum vt fuit de Græcis, qui recesserunt à Latinis: quod absit; quia isti T[illegible]*utonici* sunt fortissimæ gentes, quas melius me cognoscitis; & *Lombardi* etiam: s[illegible]in Lombardia sunt magis subtiles, & malitiosi homines, qui non curarent de di[illegible]one quæ incurreret. Quare, pro DEO, ac etiam honore vestræ clementiæ, dig[illegible]ini solicitari quòd tot non eueniant mala; sed tractentur tot bona, quot possint [illegible]tari. Quoniam de eo quod expenditur in Italia, & maximè per dominum nostr[illegible] Papam, possunt multa acquiri, vt vestra Magnificentia per Librum & Mappa[illegible]ndi supradictum benè nouit, tam in Terra Promissionis, quàm in terra Ægypt[illegible] aliis terris circumstantibus illis, & etiam regnum *Tunicii* leuiter posset haberi [illegible]quod protenditur iuxta mare plus XL. dietis: in qua contrata sunt multæ ciuitates & loca: quæ terra magis est fructifera & delectabilis quàm reperiatur in mundo: in qua erat ædificata Cartago; & iam acquisiuerunt Romani alio tempore prædict[illegible]m, & post longum tempus Gothi. Ita quòd non dubito quòd si prædictus *Bauarus* [illegible]cat à domino nostro summo Pontifice gratiam per modum supradictum, fie[illegible]t pro eo de melioribus & maioribus factis quæ vnquam facta fuerint: quia mu[illegible]ius reducetur ad fidem Catholicam, vt esse cōsueuerat antè Imperatorem *Eracliu*[illegible] qui in Constātinopolim regnabat: & quod illa secta Mahumetica pestifera & su[illegible]ium sequacium superuenit, quæ occupauit magnam partē mundi, & occupat nu[illegible] ad præsens. Item sunt aliqui opinātes quòd pars & gens quā dominus noster Papa [illegible]haberet in Italia, possit obuiare supradicto Bauariæ, quod non possit ad effectum ve[illegible]nire. Nam si foret, redundabit propter hoc in bonum & vtilitatē Catholicæ Ecclesiæ [illegible] certè non: sed in damnum maximū & grauamē: & istud fieri nō potest absq; maximo periculo & sanguinis effusione. Et quādo posset resistere & obuiare supradicto Bauariæ, remanerēt propter hoc Lombardi & Tusci, quòd non facerent alium venire pro se defendendo? Certè non: quoniā propter cupiditatem honoris, & dominii quilibet veniret. Sunt & aliqui dicentes: *Ecclesia concordabitur cum illis qui tenent dominium Lombardiæ & Tusciæ*: videtur mihi quòd propter talem concordiā vituperaretur pastores Ecclesiæ, quando pro paleis frumentum dimitterent. ô quam digna iustorū adscribendus esset catalogo qui tot & tanta niteretur mala deprimere; & pro CHRISTI amore tanta bona cœlestia promouere, vt de pace supradixi! Præterea adhuc, vt omnia vestræ paternitati pateāt euidenter, multi sunt qui opinātur, quòd dominus *Legatus* qui est *Bononiæ* istud tollerando, nō modicum incumbit eidem periculum: & ratio est hæc, quòd cùm Nobiles & populares minuti ciuitatis Bononiæ cōmuniter contententur de dominio ipsius Legati, gens autē mediocris, qui gaudere cōsueuerant officiis & regiminibus ciuitatis, & pecuniam Communis man[illegible]ualiter tractare, & de illis accipere, viuere vel ditari, modò ad præsens est eis acceptum, quia modò ad præsens nō possunt accipere ipsam pecuniā vt consueuerant: quo modo ex hoc grauantur, & possunt tollerare, hoc cogitare vestræ discretioni relinquo. Præterea sunt plures partes extra Bononiam, tam *Guelfi* quàm *Gibellini*, qui [illegible]bent in terra multos consanguineos & amicos, qui vellent quòd reuerterentur: & non curarent si terra mutaret statum. Quare non tenetur modicum periculum in domino Legato prædicto: quoniam istæ gentes Bononiæ & Italiæ sunt absque fi[illegible]no: & scitur benè quòd fecerunt domino *Neapolioni* Legato illuc. Et etiam quidam paruus populus Rauenæ, scitur quòd fecerit domino *Iohanni de Columna* ibi existenti, pro Sancta Romana Ecclesia Comiti: quia ceperunt eum, & tenuerunt districtè quousq; se cum Ecclesia concordarunt.

Præterea

Præterea ſcitur quòd illi de Alexandria Lombardiæ fecerunt Magnifico & Excellenti domino, domino *Guilielmo Montisferati* Marchioni, quoniam proditoriè ipſum ceperunt, ipſum in carceribus detrudẽtes, in quibus finiuit miſerabiliter vitã ſuam. Ac etiam fuit quidam Nobilis de Florentia, qui exercitu exeunte Florentinorum, Lucenſium, & aliorum de Tuſcia, ſuper territorio Senenſi, in loco dicto *Montaperto:* & erant acies vtriuſque partis pedeſtres & equeſtres ordinatæ in magna multitudine gẽtium, pro bellando: prædictus Nobilis adhæſit illi qui ferebat vexillum communis Florentiæ; & eum percuſſit taliter, quòd eidem abſcidit manum cum brachio, & ſic vexillum cadens in terra, exercitus Florentinorum, & Lucenſium, & 10 aliorum ſequacium fuit debellatus; & fuerunt mortui & capti ex ipſis in maxima quantitate: Nam ille Nobilis antedictus hoc non commiſit pro auro vel argento: ſed fecit vt pars ſua imperii lucraretur. Præterea quidam fuit nomine *Tibaldellus de Cambraſiis*, de Fauentia naturalis: fuit decoratus corpore, & diues, & benè loquens, qui dedit Fauentiam comiti *Guidoni de Monteſeltro:* qui Comes pro eo quod fecerat Tibaldellus prædictus, multùm confidebat de eo; & ipſum diligebat in tantum, quòd quando prædictam ciuitatem exibat, eandem in eius cuſtodia relinquebat. Quare cùm ipſe Tibaldellus fuerit per quendam nobilem *de Acariſiis* verborum dedecore vehementer impulſus, vt meliùs de eo poſſet vlciſci, & plenariè poſſet eius domum totam deſtruere, irruit in quædam enormia valdè, quæ non ſunt ab homi-20 nibus referenda; & rurſum poſthæc Fauentiã proditoriè tradidit comiti Bononiæ. Scitur etiam quod factum fuit domino *fratri Nicolao* ordinis Prædicatorum, Cardinali Oſtienſi, qui fuit oriundus de Prato: qui miſſus fuit Florentiam per ſanctiſſimum Papam *Benedictum*, quem damnabiliter repulerunt de terra: & vt meliùs poſſent pertractare, fuit in ciuitate commiſſum incendium, quare fuit aliqua pars Florentiæ concremata. Qua propter prædicta omnia poſſumus ſumere in exemplum. Et, vt dixi de domino Legato, dico etiam de domino Duci filio Excellentiſſimi domini Regis *Roberti:* quòd non commoratur ſecurè; imò eidem periculum maximum imminet: quia, cum emendatione dico, ipſe cum gentibus impiis commoratur: quoniã in *Lombardia* & in *Tuſcia* non ſunt x. vel xx. qui auderent manus pone-30 re in corpus Regis; ſed ſunt benè xx. millia, & præſertim pro faciendo vindictam ſuam: ita ſunt deſpetoſi, venenoſi & audaces. Quare, pax pro vtraque partium eſt mirabiliter collaudanda. Præterea veſtrę paternitati benignè ſcripſi ſeriatim periculum quod incumbit terris & Inſulis ſubiectis Principatu *Amoreæ*, tam per Turchos, quàm per illos de Compagna, qui tenent ducatum Athenarum: quia ſi amitteretur, erit maius grauamen & damnum excellentiſſimo Regi *Roberto*, quàm fuerit de Sicilia: & domino Duci, & communi Venetorum damnum incumberet, & aliis multis Catholicis. Idcirco ad præſens, commune Venetiarum miſit duas galeas menſe Martii. Quare firmiter credo quòd foret maximum bonum, quòd domus Franciæ, & maximè Rex ſe intromitteret de pace; & requireret *comitem Han-40 noniæ*, quia ſocer eſt iſtius *Bauariæ*, ad hoc vt domino noſtro ſummo Pontifici, per prædictum Bauariæ fieret illa reuerentia, vt pax foret quæ ſuæ Sanctitati altiſſimæ conueniret. Supplico igitur veſtræ reuerentiſſimæ Paternitati, quatenus me recõmendare dignemini ſanctiſſimo domino noſtro ſummo Pontifici cùm tempus affuerit, ſupplicantem altiſſimo Creatori, quòd ſuam Sanctitatem conſeruet per tempora longiora. Et ſi pro ſua Sanctitate poſſum aliqua quæ ſint grata, mihi, fideliſſimo intimo ſeruitori eiuſdem, & ſeruo ſeruitorum eius, præcipiat: quia me paratum, vbi libet, offero ad quæque genera mandatorum. Et ſi qua pro reuerentiſſima Paternitate veſtra intenditis me facturũ, præcipiendo mandetis. Conſeruet vos Altiſſimus per tempora longiora. Datæ *Venetiis*, Anno Domini noſtri IESV CHRI-50 STI dulciſſimi, qui eſt lux & vita MCCCXXVI. de menſe Martii, vel circa.

An. Do. 1326.

XVII.

R*euerendo in CHRISTO Patri & domino, domino* B. *Diuinâ prouidentiâ tituli ſancti Marcelli Presbytero, Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato:* Marinus Sanutus, *dictus* Torcellus, *de ciuitate Riuoalti, de Venetiis, ſanctæ matris Eccleſiæ per omnia deuotus: recommendationem, & ad beneplacita quæque, ſe totum.* Veſtræ Excellentię & Paternitati benignæ fiducialiter ſcri-

bo cum omni reuerentia debita &
Reuerendæ paternitatis quam vidi
vestri gratiâ, ostendistis: circa festu
runt quatuor anni elapsi. Et ibi cor
Excellentissimi domini Regis Ierus
causâ habendi subsidium, consiliur
rate, oretenus vobis referens quæda
ctore excellentissimi domini Regis
bus gratiosè respondistis mihi vestr
stram bonam famam quæ est vndiq
prudentia bonum commune diligi
Christiani, inter quos quidem, Dᴇ
quietem. Et idcircò quamuis sim n
men iuxta meæ paruitatis modulum
pace possint perfici, ac fine laudabili
quamplures litteras destinaui, ad ill
strum summum Pontificem, & fidel
cellentissimi domini *Regis Franciæ*, ve
bulario domino *Gualterio de Castilione*
lempnissimi apparebant: & ostend
summum Pontificem, & fideles eius
Regem Ierusalem & Siciliæ, quem sum c
lio eius *Ducha*, & eius prosapia. Qua
clusum tenorem litterarum illarum
vestra reperiet aliquid fructiferum, il
videbitur conuenire. Et vbi in præd
itinerum nouitates, credo quòd non
tas habeat vestra paternitas Reueren
dominatione confido, ad hæc cum
& si in prædictis procederem vltra
mini mihi vestro intimo seruitori.
Bauari, qui est in Italia, valde est opo
differendum, quòd non ad memori
tur illud totum, quod potest memor
tio futurorum: & probatio, artem efficit.
ctissimi summi Pontifices qui trans
præsens, habuerunt & habent sancti
sequi Domini nostri Iᴇsᴠ Cʜʀɪs
pasce oues meas: tamen si vidissent quò
tantùm vlteriùs processissent, & max
sertim sanctissimus summus Pontifex
pit dominium Bononiæ & Romandi
& reductis eis ad quamplures ciuitat
magna: Neque successor eius sancti
ximam summam pecuniæ in facto
repellendo Comitem *Guidonem de M*
rassent qualiter vsque ad diem præse
ternitati Reuerendæ de Italia homin
bus declaratio, non credo quòd nec
prædictam contraxistis, & maximè in
vt prædixi, vestram paternitatem lau
sens verò Bononiæ. Nam, cum reuer
dictis, quando sanctissimus summus Pontifex
Italiæ residuum, in quiete, non potuisset in pace
niam pro hominibus Italiæ non est spirituales
tiam superfluam, & crimina sceleratissima quia
etiam conspicio quòd Serenissimus Rex prædictus Ierusalem & Siciliæ, dominus meus

[illegible]

ota, considerans aspectum bonum vestræ
entiæ, quem mihi vestro intimo seruitori,
Natiuitatis Domini proximè venturum e-
vestro dominio præsentaui litteras apertas
m & Siciliæ, & priuilegium Cardinalium,
& conductum à venerabili vestra paterni-
noua, quæ mihi relata fuerunt à quodam fa-
ædicti, nomine *Iacobo de la Cana*: super qui-
fidelissimo seruitori. Considerans etiam ve-
e diuulgata: Quoniam vestra circumspecta 10
& affectat, ac etiam exaltationem nominis
o dante, gliscit vestra solertia pacem ponere &
minimus in huiusmodi peragendis negotiis, ta-
, studui tempore longo, vt quæ sunt prolata de
terminari. Et propterea ad curiam Romanam
los quos credo magis fore propè dominum no-
les eiusdem: & sic simili modo ad Curiam Ex-
eluti domino Confessori eiusdem, & Conosta-
e: qui, illic me commorante, valdè homines so-
lebant valdè tunc diligere dominum nostrum 20
sdem, & eius Excellentissimũ filium dominum
certus vestram dominationem diligere cum fi-
are vestræ paternitati laudabili destino inter-
n quas transmisi prædictis: vt si in eis sapientia
illud promanere dignetur, prout eidem melius
dicta littera defecerunt istius *Bauari*, & suorum
n indigetis eis: Nam præsumo benè quòd no-
nda. Præterea quia de vestra commendabili
reuerentia fide & deuotione scribam aliqua;
quàm deberem, Dᴇɪ honore parcere digne- 30
Quoniam video quòd propter ingressus istius
ortunum & vtile de ipso præuideri, & non est
iam vestræ dominationis Magnificæ reduca-
riæ commendari. Nam *præterita sunt declara-*
Credo namque, & certus sum, quòd san-
ierunt, & eorum ministri, & hic qui est ad
ssimas & bonas intentiones, qui conati sunt
ti Præceptum, dicentis: *Petre, diligis me?*
nos moderni aspeximus & videmus, non
imè in Italia in recipiendo dominia: & præ- 40
Papa *Nicolaus tertius* de Vrsinis, qui rece-
olæ, expulsâ parte *Lambertaciâ* de Bononia,
es Romandiolæ, propter quod erat guerra
ximus Papa *Martinus* expendisset tam ma-
Romandiolæ prout fecit, & præsertim pro
Montefeltro extra Romandiolam, si conside-
rem negotia processerunt. Et vt vestræ pa-
ibus fiat cognitio, & de suis ineptis mori-
esse sit, tantam temporis moram in Italiam
ciuitate Astenensi; postea Placensi, in qua, 50
dabilem visitaui: deinde Parmæ; ad præ-
entia vobis dicam quicquid sentio de præ-
Pontifex habuisset Mediolanum, & totum
longo tempore tenuisse: Quo-
rectores habere, propter mali-
regnant & existunt in eis. Nec
Siciliæ, domi-
nus meus

Ioan. 21, 15. &c.

nus meus, in pace posset regere antedictos, considerans quomodo *Pedesmontis* retinet Comitatum & *Ianuæ* ciuitatem: ac quomodo Pedesmontis Comitatum prædictum, prædecessores sui tenere minimè potuerunt. Ita quòd, reuerenter & fideliter colloquendo, necesse est, quòd via alia requiratur, vt possint regi Italiæ homines in statu pacifico & quieto. Nam firmiter credo quòd sanctissimus pater noster summus Pontifex, & vestra paternitas Reuerenda hoc desiderant super omnia mundi huius, & debent. Verùm, si foret quisquam qui diceret, *Nonne Imperatores qui præcesserunt, reperti sunt rebelles & inobedientes sanctæ matris Ecclesiæ?* Respondeo, quòd si fuerunt, DEVS optimè puniuit eos, & eorum heredes. Et hoc primò manifestè probatur de Imperatore *Federico Barbarossa*, qui transiuit vltra mare per viam quam transiuit *Godifredus de Bolione*, cum manu forti & brachio extenso, sibi ipse Imperator subiiciens ciuitates *Cunii* & *Philomenæ*: & fama sua iam discurrerat per partes vndique Orientis, taliter quòd *Saladinus* Soldanus Babyloniæ fecit omnes ciuitates quæ non erant fortes, dishabitare; & aliæ, quæ fortes erant, fortificari meliùs & muniri. Vndè Imperator prædictus, propter peccata propria impia & inepta, transire flumen Salephi volens sumersit, in detrimentum maximum totius Christianitatis: vt reperitur in libro *Vltramarini conquestus*. Præterea Imperator *Otto*, qui fuit de domo de Bursuich de Sansonia, qui contra præceptum sanctæ matris Ecclesiæ iuit ad pugnandum cum excellentissimo Rege Franciæ, fuit debellatus & vulneratus ad mortem, propter quod domus sua remansit in desolatione longo tempore: prout reperitur *in Speculo fratris Vincentii*. Nam & Imperator *Federicus* succedens, si fuit causa scandali ab eo ad Ecclesiam, ex eo quòd Ecclesia ipsum nutrierat, vt reperitur: sui heredes habuerunt maximam punitionem exindè. Nam habuit quatuor filios qui miserabiliter finierunt; vt sciri potest, & Coradino, nepoti eiusdem, fuit caput amputatum, & filio filiæ, qui nominatus fuit *Federicus de Stof*, Lancrauius de Turigia & Marchio de Misnia, persecutiones maximas tolerauit, circa triginta duos annos elapsos, à comite *Namphonensi Adolfo*, qui in Regem electus fuerat Romanorum: Pro quibus omnibus quisquam habet causam bene agere. Sed nihilominus fuerunt alii Imperatores, qui benè egerunt: & fuit *Karolus Magnus*, & alii. Nam Christianitas multùm indigebat prædictis propter conditiones Christianorum fidelium. Quare videns statum pessimum Christianitatis, & maximè Italiæ, vt scire potest vestra paternitas Reuerenda, quia per terram non potest homo ire nisi cum maximo periculo, nec per mare, quia isti Saonenses & Siculi inferunt damnum maximum mercatoribus: & etiam excellentissimus Rex Ierusalem & Siciliæ, non benè potest cogere gentem suam, quòd non inferat damnum amicis suis: vndè, non solùm Italiæ homines damnum recipiunt de statu suo pessimo; sed regnum Franciæ & alia regna cætera Christianorum, propter mercimonia quæ consueuerunt portari & conduci ab eis per diuersas partes mundi ad regna prædicta. Et propter hoc manifestè ostenditur, quomodo excellentissimus *Rex Franciæ*, cum regno suo habundat diuitiis, cum omnibus decimis quas tenet ab Ecclesia Rex prædictus. Nam simili modo de *Rege Angliæ* potest dici. Et vestræ dominationi reuerenter expono, quòd illi qui magis sunt fideles sanctæ matris Ecclesiæ vltra modum scandalum patiuntur, propter eorum statum pessimum, & tormenta quæ quotidiè substinent. Turchi etiam, pessimi Saraceni, qui morantur in minori Asia, infestant valdè insulas Romaniæ, & maximè Insulas quæ pertinent ad *principatum Achaiæ*. Quare Christianitas multo indiget pacis remedio: & hoc non video quòd possit ad præsens fieri, si non fuerit Imperator cum voluntate & beneplacito Ecclesiæ. Nam fideliter & reuerenter loquendo, exponam quicquid sentio ex prædictis. Quando eram in curia excellentissimi Regis Franciæ domini *Karoli*, qui est ad præsens Rex Franciæ, habens sororem Regis Boëmiæ in vxorem, Rex prædictus Boëmiæ tractabat ipsum fore Imperatorem cum voluntate istius *Bauari*. Non videtur mihi quòd illi qui erant propè Regem Franciæ, multùm contentarentur: immò spernebant rem: Sed postea *Rex Boëmiæ*, cum *comite Hanoniæ*, tractabat facere dominum *Karolum* patruum ipsius Regis Franciæ,

Regem Arelatensem siue Viennensem [illegible]
sed propter filiam domini Karoli ant[illegible]
filius excellentissimi domini Regis Ie[illegible]
Postmodum me veniente Venetiis, p[illegible]
de *Nigro Castro* de Alemania, qui fuit [illegible]
sancti Iohannis Ierosolymitani de A[illegible]
meus amicus intimus & dominus, l[illegible]
mana, Auinione: fui cum ipso multis [illegible]
liariter retulit mihi quòd Principes A[illegible]
perii prædicto Regi Franciæ solùm i[illegible]
liquod bonum haberet principium [illegible]
quod illud ex humilitate maxima & [illegible]
qui sunt de consilio istius Bauari, quò[illegible]
tiam domino nostro summo Pontifici [illegible]
niret. Et sum certus quòd dominus [illegible]
domus Franciæ, ac etiam socer istius I[illegible]
domini nostri omne bonũ tractaretur [illegible]
ipsum cuncta quæ forent bona & vtili [illegible]
dominationi clementi, quoniam null[illegible]
meliùs dominum nostrum summum [illegible]
cessarent, vt vestra paternitas Reuere[illegible]
grauissimo Christianorum præuidere [illegible]
teriori quàm referam: & tam circa sp[illegible]
medietas Christianorum, & plus qui a[illegible]
ne ligati, in qua excommunione pro[illegible]
mundi includuntur etiam qui deuot[illegible]
dem magnum generat scandalum ap[illegible]
Reuerenda meliùs noscat de eo quo[illegible]
lantur fideles, non tenent de ambitu m[illegible]
verò è contrario, tenènt benè quinqu[illegible]
mnibus, & plus: prout potest conspic[illegible]
& quas domino nostro summo Pon[illegible]
Siciliæ Regi, & excellentissimo Regi I[illegible]
pluribus Cardinalibus, ac etiam Præla[illegible]
nus, vt in prædicto Libro potest perspi[illegible]
bus pax foret, & quisquam reperiret[illegible]
tus, qui vellet suum intentum poner[illegible]
Saraceni, ipsi, mediante diuinâ potent[illegible]
subiiceretur nomini Christiano: vt in[illegible]
netur. Pro quibus omnibus exequen[illegible]
prologum & rubricas libri prædicti, & [illegible]
ac in curia Excellentissimi Regis Fran[illegible]
deraret videre magis vlteriùs de præd[illegible]
strum personaliter dominium visitare [illegible]
tionem vestram cum securitate venire [illegible]
contra Venetos; & Veneti resistunt, q[illegible]
possit remedium reperiri. Præterea [illegible]
sam, quæ pertinet dominis qui haben[illegible]
morum. Conseruet vestrum Magnifi[illegible]
Altissimus qui per tempora longiora. [illegible]
sicut eiusdem præcipuo, intimo, & fide[illegible]
mini nostri IESV CHRISTI dulcissimi, qui est [illegible]

[illegible] consensu & voluntate prædicti Bauari,
[illegible], quam accepit dominus *Duca* Calabriæ,
[illegible]lem & Siciliæ, videtur quòd remansisset
[illegible] spacium aliquod temporis, Frater *Albertus*
[illegible]gnus Præceptor sanctæ domus Hospitalis
[illegible]mania, venit de Sicilia Venetiis, qui fuerat
[illegible]o tempore tam Rodi, quàm in Curia Ro-
[illegible]ebus, moram ipso faciente Venetiis: fami-
[illegible]emaniæ contentabantur dare coronam Im-
[illegible] vita sua: & hoc faciebant, vt Imperium a- 10
Nam reuerenter loquendo, videtur mihi
sapientia procedebat. Et postea sciui ab aliis
[illegible]d vellet libentissimè facere omnem reueren-
[illegible]i quæ suæ Sanctitati & Magnificentiæ conue-
comes Hannoniæ est tam sapiens & propinquus
Bauari, quòd per ipsum ad honorẽ sanctissimi
[illegible]r. Idcirco si eidem audientia præberetur, per
[illegible]lia tractarentur. Quæ omnia vestræ significaui
[illegible]llum cognosco, DEO prçuio, qui de hoc possit
[illegible]m Pontificem informare, ad hoc vt tanta mala 20
[illegible]renda. Idcirco vestra summa solertia de statu
[illegible]e dignetur: quia longè magis sunt in statu de-
[illegible]spiritualia bona, quàm temporalia: Quoniam
[illegible]i appellantur fideles, sunt graui excommunio-
[illegible]o maiori parte, saltem quantum ad infamiam
[illegible]tissimi sunt Ecclesiæ sanctæ DEI, quod qui-
[illegible]pud mundum. Et ad hoc, vt vestra paternitas
[illegible]d potest haberi cognitio, *Christiani*, qui appel-
[illegible]mundi huius circa decimam partem. *Agarena*
[illegible]e vicibus de terra tantumdem, computatis o- 30
[illegible]i euidenter in Mappis mundi & Libris, quos
[illegible]ifici præsentaui, atque filio suo Ierusalem &
[illegible]Franciæ, Regíque Christianissimo Angliæ &
[illegible]is & Principibus & Baronibus. Et nihilomi-
[illegible]aciter intueri, quòd si in citramarinis partu-
[illegible] dominus, qui foret spiritu Diuino promo-
[illegible]circa acquisitionem terrarum quas tenent
[illegible]non possent defendere terram illam, quin
[illegible]bro iam dicto & Mappis plenissimè conti-
[illegible] destino vestræ dominationi Magnificæ 40
[illegible]dam alia quæ in Romana curia edidi,
Nam si benigna vestra paternitas desi-
paratum me offero ostendere; & ve-
[illegible]supponendo quod possem ad domina-
[illegible]oniam Bononienses habent represalias
[illegible]llus Bononiam veniat: tamen de hoc
[illegible] vobis quandam cedulam interclu-
[illegible]e gentem, & maximè super factis ar-
[illegible]laudabile dominium ac benignum
[illegible]seruire possum, dignetur præcipere 50
[illegible]seruitori. Datæ *Venetiis*, Anno Do-
[illegible]Lux & Vita, MCCCXXVII.

An. Do. 1327.

XVIII.

REuerendis in CHRISTO Patribus & dominis suis karissimis, domi-
no Ingramo, Diuinâ prouidentia dig[nis]simo Archiepiscopo Capuano,
& Cancellarii excellentissimi Ierusalem & Siciliæ Regis; ac domino Fratri Pau-
lino Or-

lino *Ordinis Minorum, Episcopo Puteolano, eiusdem domini Regis consiliario:* Marinus Sanutus *dictus* Torcellus, *de ciuitate Riuoalti de Venetiis: seipsum cum omni reuerentia & promptitudine famulandi.* Vestræ Reuerendæ paternitati, notum facio per præsentes, quòd per multas litteras vobis scripsi, inter quas duas mitto istis præsentibus interclusas. Iterum vobis significo, quòd noua sunt certa Venetiis, quòd *Bauarus* fuerat in Viterbio, & diebus pluribus dilatauit iter suũ causâ veniendi Romam: & tandem VII. die Ianuar. vrbem Romam ingressus est, cum gente sua armis munita & equitum & peditum. Et cum omni reuerentia loquendo, quantum plus possum, postquam iste Bauarus ciuitatem prædictam intrauit, considerando modum per quem intrauit, & modum etiã quo Romani eum receperunt, credendum est & firmiter tenendum, quòd Romani erunt sibi fideles atque legales, cum aliis terris adiacentibus. Et ratio est ista: quia vsus & consuetudo & eius contrarium, scilicet dissuetudo est ad tollerandum quid graue: quia consuetudo est altera natura; quia prædicti Romani consueuerunt habere maximam vtilitatem, quando illic curia morabatur, sicut est de appensione domorum, & victualium, & aliis vtilitatibus; specialiter propter beneficia Ecclesiastica, & gratias quas à sancta Ecclesia ibi percipiebant plus quàm habeant in præsenti. Quapropter credo quòd omnem obedientiam sibi exhibebunt causâ recuperandi suum pristinum ac bonum statum: propter quæ omnia, semper vobis reuerentiam exhibendo, ego consulerẽ atque laudarem, postquam prædictus *Bauarus* in tantum processit, quòd dominus noster Rex bonum haberet cõsilium; & Ambaxiatores sapientes ad eum transmitteret; & componeret, ac pacem tractaret inter dominum nostrum summum Pontificem, & prædictũ Bauarum; quia non est homo nec Princeps in mundo, qui meliùs posset istud negotiũ ad effectũ deducere, quam prædictus dominus noster Rex: & per istam viam, posset inueniri modus per quem Italia & aliæ terræ Christianorũ possent reduci ad statum, & concordiã pacis: & Terra Sancta quæ est hereditas nostra, & regnum domini nostri Regis prędicti, breuiter posset recuperari & haberi, cum multis aliis terris & regnis quæ ab infidelibus possidentur. Si autem non erit concordia & pax inter dominum nostrum summum Pontificem, & Bauarum prædictum, grauissima mala & damna superuenire possunt toti Christianitati quæ in parte continuè venire videmus. Debemus enim cõsiderare, quòd res quæ ad effectum deduci nõ possunt, bonum est quòd totaliter dimittantur. Credo namq; imò certus sum quòd sanctissimi summi Pontifices qui trãsierunt, & eorum nostri, & iste sanctus Pontifex qui ad pręsens est, habuerunt sanctissimas & bonas intentiones, quia conati sunt implere domini nostri IESV CHRISTI præceptum, dicentis, *Petre diligis me? pasce oues meas:* Si tamen vidissent quòd nos moderni aspicimus & videmus, non tantum vlteriùs processissent & maximè in Italia, in recipiendo dominia; & præsertim sanctissimus summus Pontifex *Papa Nicolaus tertius* de Vrsinis, qui recepit dominium Bononiæ & Romandiolæ, expulsâ parte *Lambertaciâ* de Bononia, & reducẽtes eos ad quamplures ciuitates Romandiolæ, propter quam causam erat guerra magna. Neque etiam successor eius sanctissimus *Papa Martinus,* expendisset tam magnam pecuniæ summam in facto Romandiolæ, prout fecit, & præsertim pro repellendo comite *Guidone de Monte Feltro* extra Romandiolam, si considerasset qualiter vsque ad diem præsentem negotia processerunt. Hiis igitur consideratis ac diligenter inspectis, credere debemus, quòd si non potuerunt possidere in pace contratam illam Bononię & Romãdiolæ, quæ modica est, quomodo tenere in pace potuerũt Mediolanũ, & alias Italiæ partes si habuissent? Cũ reuerentia ergo, fide, & deuotione vobis ac domino nostro Regi loquẽdo, pro bono ac magnifico statu eiusdẽ, quomodo tenere potuit *Pedemõtis* comitatũ auus domini nostri Regis, & quomodo ad pręsens Comitatu eundẽ tenet prædictus dominus Rex noster & *Ianuæ* ciuitatẽ? Huic quæstioni respõdere nolo: sed suæ discretioni & sapientiæ iudiciũ relinquo. Et ideò, ad ista & multa alia dirigendo respectũ, multò plus videntur ista dominia reportare periculũ, ac damnum, quàm profectũ: loquẽdo tam de dominio sanctę matris Ecclesię, quàm etiã de dominio excellẽtiss. domini nostri Regis, & specialiter pro populo Christiano. Propter quæ omnia, alia bona via mihi videtur tenenda: scilicet quòd istud principium habeatur de pace componenda &

Ioh. 21, 15.

tractanda inter sanctissimum domin[illegible] patrem nostrum summum Pontificem, & Bauarum antedictum: taliter quod [illegible]mus Pontifex ex hoc consequatur honorem, & sit promotio & status Ecclesi[illegible]æ sanctæ. Parauerám me, & familiam de nouo indueram, ad veniendum ad [illegible]inum nostrum Regem: sed quia nullam responsionem recepi, destiti & reman[illegible] Vbicunque tamen sum, paratus sum seruire ac complacere excellentissimo do[illegible]no nostro Regi, & ei iuxta posse in omnibus obedire. Noua quæ haberi possunt V[illegible]netiis de partibus vniuersis, vobis significare fideliter curaui: si non ita citò hab[illegible]istis, non mihi imputetis: quia si per terram misissem, potuissent intercipi; & ideò [illegible]misi eas per mare, ad hoc vt securius easdem litteras habeatis. Benè & diu valeat vestra dominatio Reuerenda per tempora longiora. Datæ *Venetiis* in conuersio[illegible]ne sancti Pauli, Anno Domini nostri IESV CHRISTI dulcissimi, MCCCXX[illegible]VII.

An. Do. 1327.

XIX.

REuerendo in CHRISTO [illegible] Patri & domino, domino B. Diuinâ prouidentiâ, Ostiensi & Velletrensi [illegible] Episcopo, Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato: Marinus Sanutus, dictus T[illegible]orcellus, de ciuitate Riuoalti, de Venetiis, sanctæ matris Ecclesiæ per omnia deu[illegible]otus: recommendationem, & ad beneplacita quæque, se totum. Scripsi vestræ [illegible] Reuerendæ Paternitati, per scilicet Iacobum, *Turchemannum* & nuncium Regis Arm[illegible]eniæ, & per *Raimundum* habitatorem Venetiis, seruitorem vestrum, litteras super [illegible] negotiis oportunis Catholicorum fidelium, vt posset in eis pax & tranquilitas int[illegible]eresse: Responsionem autem à vestra Reuerenda paternitate per eosdem grato ani[illegible]mo suscepi, quia benignè & gratanter recepistis: de quo vobis humiliter regratior [illegible] quantum possum. Benè & diu valeat vestra Reuerenda paternitas per tempora lo[illegible]ngiora. Modò autem vobis reuerenter & deuotè & nouiter scribo, quòd postqu[illegible]uam iste *Bauarus* Romam intrauit, considerando modum per quem intrauit, que[illegible]m benè scitis, considerando etiam modum quo Romani eum receperunt, creden[illegible]dum & firmiter tenendum, quòd erunt sibi fideles atque legales cum aliis terris a[illegible]diacentibus. Et ratio est ista: quia vsus siue consuetudo, & eius contrarium, scilicet [illegible] dissuetudo est ad tollerandum quid graue: quia consuetudo est altera natura. Qu[illegible]ia prædicti Romani consueuerunt habere maximam vtilitatem quando illic Cu[illegible]ria morabatur: sicut est de appensione domorum, & victualium, & aliis vtilitatib[illegible]us: & specialiter propter beneficia Ecclesiastica, & gratias quas à sancta Ecclesia i[illegible]bidem percipiebant, plus quàm habeant in præsenti. Quapropter, credo quòd omn[illegible]em obedientiam sibi exhibebunt, causâ recuperandi suum pristinum ac bonum st[illegible]atum: propter quæ omnia, vobis semper omnem reuerentiam exhibendo, consul[illegible]erem atque laudarem, postquam prædictus Bauarus in tantum processit, quòd vestr[illegible]a Reuerenda paternitas persuaderet domino nostro summo Pontifici, quòd istu[illegible]m Bauarum reciperet ad gratiam suam, faciendo Bauarus domino nostro summ[illegible]o Pontifici omnem reuerentiam & honorem; & vt ipse pacem haberet cum ex[illegible]cellentissimo Ierusalem & Siciliæ Rege: & per consequens fieret pax in populo Ca[illegible]tholico & fideli. Credo autem, & verissimè teneo, vobis semper reuerentiam exh[illegible]ibendo, quòd ad ista complenda esset sufficiens & fidelis dominus *comes Hanoniæ*, [illegible] qui vtrique parti est affinitate coniunctus; & qui est dominus sagax & sapiens, prou[illegible]t sua fama publicè manifestat. Si qua dixi hîc, & in aliis litteris vobis missis, bonâ [illegible] fide ac deuotione & zelo iustitiæ dixi. Me autem vestræ Reuerendæ paternitati rec[illegible]ommendo, paratum ad omnia vestra beneplacita & mandata. Si vestræ placeb[illegible]it paternitati, præcipere mihi poteritis per præsentium portitorem. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI dulcissimi, MCCCCXXVII.

An. Dom. 1327.

XX.

NOVA quæ in istis partibus venerunt, fuerunt valde amarissima: videlicet de *domino Duca*, filio excellentissimi Ierusalem & Siciliæ Regis, domini nostri, qui transiuit ad æthera, mihi contulerunt dolorem maximum, & aliis bonis Venetiis hominibus: sed de omni eo quod placet Altissimo, nobis etiam debet placere, & ipsum semper benedicere & laudare. Nouerit etiam vestra Reuerenda paternitas, dominum Ducem nostrum, dominum *Iohannem Superantio*, die vltimâ Decembris migrasse

migraſſe ad Dominum: & eſt creatus in Ducem, dominus *Franciſcus Dandulo*, dictus *Canis*, die VIII. Ianuarii: qui eſt valdè valens homo; & magnæ ac bonæ famæ, & maximè in legalitate & iuſtitia: ſpero enim in DEO, quòd terram manutenebit in pace & bono ſtatu. Sunt etiam noua Venetiis, quòd pax & concordia facta eſt à *ducibus Auſtriæ*, ad *Regem Vngariæ*, & ad *Regem Boëmiæ*. Hoc modo, vt dicitur: Primò enim Rex Vngariæ dixit, quòd volebat reddere fortilitia quæ acquiſiuerat in Auſtria, quæ pertinebant Ducibus, eis reddere hoc pacto, quòd Dux *Federicus* deberet reddere duci *Ottoni* fratri ſuo, partem contingentē ſibi: & Rex Boëmiæ voluit illud idem, & tantò plus quòd Rex Boëmiæ voluit habere XII. mille marchas argēti antequam redderet fortilitia quæ acquiſiuerat; & volebat etiam quòd darent ei duces Auſtriæ mille quingentos equites, cauſâ eundi iſtâ hyeme in ꝓxiā, ſiue in contratas Liuoniæ cōtra Paganos, qui confinant in partibus illis: quare in hyeme oportet eos ire & redire ſuper glacies, & aliter non poſſent tranſire. Nam iſtud eſt bonum iter: & Dominus ſit cum eo. Et ſic propter prædictam pacem, mercatores & mercimonia currunt multùm Venetiis, quæ multùm ſteterant propter guerram prædictam, quòd non currebant. De nouitatibus Lombardiæ, Tuſciæ, & Romæ non ſcribo vobis, nec de alia Italia, quia credo quòd meliùs me ſcitis: ſed ſtatus earum mihi videtur grauiſſimus & tribulatione plenus: & aliud remedium nō reperio, niſi de pace inter Eccleſiam & Imperium: quia ſatis lucidè poteſt conſpici à morte Imperatoris Federici, citra, quòd fuerunt in Italia peſſimæ nouitates; & quomodo deteriorantur quotidiè, ſemper cum omni reuerentia colloquendo. Quare dominus noſter Rex haberet pacem ponere inter dominum noſtrum ſummum Pontificem, & Bauarum, vt ceſſarent tot mala: & aliam viam non reperio meliorem pro conſeruatione Chriſtianorum ad præſens. Noueritis etiam quòd recepi litteras à domino *Marco Gradonico*, filio bonæ memoriæ domini *Petri Gradonico*, inclyti Ducis Venetorum Baiulo & Capitaneo *Nigropontis*, datas die XVIII. Septembris, quòd Turchi creuerunt in tam magna quātitate, quòd ſi per dominium Venetorum non reperitur aliud remedium, quàm fuerit tempore retroacto, Inſula Nigropontis cū omnibus Inſulis de *Lazopelago*, deſtruentur, ex eo quòd nō habet ipſe tantum poſſe quòd poſſit eis reſiſtere. Dominus & Reuerendus pater, dominus *Archiepiſcopus Thebanus*, qui, vt ſcire poteſtis, fuit Patriarcha Antiochenus, qui venit ex parte ſummi Pontificis ad requirendum Venetos, habere ab ipſis auxilium de galeis armatis pro facto Turchorum: & dicit quòd dominus Papa debet eis mittere litteras ſuper hoc, quæ nōdum venerunt, & ignoro ſi venient: de quo multùm doleo, quia ſperabam quòd aliquod bonum fieret in ſubſidium inſularum Romaniæ. Et ſi litteræ prædictæ non venerint per totum menſem Februarii, vel ante, credo quòd Archiepiſcopus prædictus ad ſuum regredietur Archiepiſcopatum. Supplico igitur Reuerendæ paternitati veſtræ, quatenus me *Marinum* recommendatum habere dignemini, & me etiam domino noſtro Regi dignemini commendare; & mihi ſignificare dignemini quæ ſint vobis grata. Replicaui has vt meliùs habeatis. Datæ *Venetiis*, die XVIII. Ianuarii.

Venerabilibus in CHRISTO *Patribus & dominis, domino* Ingramo, *Diuinâ prouidentiâ, Archiepiſcopo Capuæ, & Cancellario domini Ieruſalem & Siciliæ Regis; & domino* Fratri Paulino *ordinis Minorum, Puteolano Epiſcopo digniſſimo.* Datæ *Venetiis*, Anno Domini noſtri IESV CHRISTI dulciſſimi, MCCCXXIX.

An. 1329

XXI.

NOVERIT veſtra Magnifica dominatio quòd ſcripſi vobis per *Raimundum* habitatorem Venetiis, qui fuit oriundus de contratis veſtris de *Caors*, qui eſt deuotus ſeruitor veſter: quas credo quòd benè recepiſtis. Modò iteratò vobis ſcribo, quòd conditio Italiæ peſſima eſt, & die qualibet deterioratur, quia non auditur aliud quotidiè, quàm de multis proditionibus, incendiis & maleficiis aliis, & morte, quæ fieri procurantur: & rationabiliter ſic debet eſſe, quia in Italiâ impletur verbum illud quod dictum eſt in Euangelio per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum: *Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Et hoc malum peſſimum de Italia, non incipit tantummodo; imò longiſſimum tempus eſt

Matt. 12, 25.

quòd fuit inceptum. Verùm non
quòd ita malè steterit vt modò, qui
fames & caristiæ in terra; sed etiam
scunt multi piratæ, qui damnum inf
omnibus, si quisquam posset remed
præsentialiter fiunt in populo Christi
gratum; & mererentur non modicum
pter diuisionem quæ fuit inter fratre
uastata: verumtamen inter eos fuit
memoriam etiam vestræ dominatio
pestilentiam Italiæ, regna alia plura C
& incommodum: quia mercimoni
ad alia regna, non possunt conduci.
ria pro Christianis omnibus: & ad tr
bonus Magnificus dominus, domin
nostro summo Pontifici propter larg
ctionem quam eidem ostendit: & ips
tis; & est sapiens & probus, vt vestr
& fama. Verùm in istis partibus hal
mittit se de pace, & quòd ad facta vltr
si hoc est, ineffabile bonum est, &, D
mâ sua misericordiâ gratiam eidem c
te, versus partes illas dirigere gressus
nostri summi Pontificis, possem aliqu
Sanctitatis, & honorem & statum: &
do suæ Sanctitati placeret mihi cred
imus & pius Papa, vt ipse foret. Illuc
nit pro quodam monasterio, nomin
fuit fundatum & doctatum per que
fuit Venetiis, & recommendatum d
plures quòd x c. dominæ, quæ sunt
gitur supplico dominationi vestræ,
summi Pontificis, quatenus Procur
eius negotia recommendata habere
etiam vestra Magnificentia, quòd d
dominus *Iohannes Superantio*, qui erat
minus *Franciscus Dandulo*, dictus *Ca*
& maximè in legalitate & iustitia: v
& pacifico manutenebit. Et vniuer
festum & gaudium maximum. Ro
mum dominum nostrum summum
gnificam in statu bono, & vita long
quòd possim vestram Magnificenti
fit etiam vestra dominatio, quòd d
netiis; & tractat quantum plus pot
mania, occasione Turchorum, &
stant Insulas & partes alias Romani
bitas ipsius domini Archiepiscopi
quæ eidem recommendata
ceret propter aliud nisi quia illi
cipere piratas qui discurrunt per mare,
quod esset malum maximum. Idcirco
Aduinioni, de huiusmodi informare,
tur ab eis: & quòd societas fieret con
etiam in terra ista pro domino nostro
cimas, quidam dominus *Beltramo*, qui
dè sapiens & probus homo, qui mult

tium Italiæ, ita quòd quando esset coram domino nostro summo Pontifice, posset eum de conditionibus prædictis plenariè informare.

Hæc littera fuit transmissa *Magnifico & potenti domino, domino* Petro de la Via, *honorabili militi, Nepoti domini nostri summi Pontificis, per me* Marinum Sanutum, *dictum* Torcellum.

Et eadem littera transmissa fuit, Venerabili in CHRISTO *Patri & domino, domino* Iacobo *tituli sancti Georgii ad Vellum aureum Diacono, Cardinali, per me* Marinum Sanutum *dictum* Torcello *de Venetiis, per verba dissimilia in aliquibus locis, non mutatâ sententiâ, prout conuenit Cardinalibus.* Datæ *Venetiis*, die XV. Februarii, Anno Domini MCCCXXIX.

An. Do. 1329.

XXIII

NOSCAT vestra Reuerenda paternitas per præsentes, quòd nuper recepi litteras à Reuerendo domino, domino *Archiepiscopo Thebanno*, olim Patriarcha Antiocheno, qui est in illis partibus Romaniæ, qualiter Turchi à *Piscate* citra inuaserũt & cucurrerunt tribus vicibus Insulam *Nigropontis*: & aliquando satis prope ciuitatẽ: & semel cucurrerunt in contratas Athenarum, destruendo, interficiendo & capiendo iuuenes, & portando in Turchiam, & ipsos vendẽdo pro Sclauis: quod non est absq; verecundia maxima & damno Christianitatis totius, & præsertim illorum qui habent maius posse. Et hęc noua, publica & notoria sunt Venetiis ab illis qui ex partibus illis applicant Romaniæ: Et dicunt quòd si finaliter remedium non ponatur, Insula Nigropontis & aliæ Insulæ partium illarũ, & etiam de Terra firma, erunt destructæ; & euacuabuntur de omnibus quæ extra fortissima fortilitia permanebunt. Et vt de contingentibus sint vestræ paternitati cuncta lucida & aperta, noueritis dominum *Nicolaum Sanutum* ducem Nicxiæ & Andreæ ad Imperatorem Græcorum honorabiliter perrexisse cũ tribus galeis, & duobus lignis grossis, & vno minori, & cum pluribus militibus & scutiferis: qui inter omnes, sunt circa centum homines equestres armorum; & eidem attulit pulchra dona. Credo quòd hoc fecerit, quòd cùm non reperiat remedium & auxilium, tam in suum dominium cõseruando, quàm in acquirendo quod amisit, ab illis à quibus debuisset rationabiliter inuenisse: scrutatur, vt meliùs poterit, à quocũque remedium & auxiliũ inuenire. Quoniam sic icoñ est, quòd de terra sua mortui sunt & extracti, ac etiam euaserũt plures XV. millia personarum, tam magnæ quàm paruæ, à non longo tempore citrà. Et dicitur, quòd ab Imperatore Constantinopolitano fuit gratiosè receptus. Quidquid enim procedet in posterum, Altissimus benè nouit. Dominus Archiepiscopus supradictus qui miserat cum litteras domini nostri summi Pontificis, ac etiã Rodum, & alios quibus pertinet facere contra Turchos, omnes benignè respõderunt, quòd si *Hospitale* armaret, & ipsi armarent. Et Hospitalarii sic responderunt, quòd si mitteret eis Magister eorum expensas pro duabus vel tribus galeis, quòd armarent & libenter tenerent. *Commune Venetiis* etiam cepit in suo consilio quòd teneantur duæ galeæ etiã in illis partibus. Quare, reuerenter loquendo, miror non modicùm, qualiter expenditur tãta pecunia copiosa, vt habet Hospitale de responsionibus solùm, absque morte Priorum quæ multùm valet: & in Cypro etiam habet magnos redditus, scilicet, circa XX. millia florenorum, ita quòd de responsionibus supradictis habet vt dicitur absq; aliis, CLXXX. mille florenos in anno. Super facto Italiæ, sic est: status suus deterioratur quotidiè, quòd aliud non auditur, nisi de incendiis, conflictibus, derobationibus, morte, & hominum destructione: & non solùm pestis huiusmodi est in terra, sed etiam in mari. Nam *Ianuenses*, intrinseci & extrinseci, affligunt mundum totum per mare: & illud idem faciunt gens Regis *Roberti*, & Regis *Frederici*: ita quòd isto tempore qui euadere poterit in contratis istis Italiæ, habebit DEO regratiari non modicùm, quia non sufficiunt pestes guerrarum dictarum, sed etiam inibi fames & maxima caristia. Ita quòd, Reuerendissime Pater, & alii Curiæ, reuerenter loquendo, possetis informare dominum nostrum summum Pontificem, quòd sui misericordiã dignaretur finem & remedium ponere tantis malis, summa quorum scribi non posset. O quàm dignè piorum esset catalogo adscribendus qui tot & tanta niteretur mala deprimere, & pro CHRISTI amore tanta bona

negocia promouere. Praefatum in ... piscopi supradicti, supplico reuerente ... Nam de nouitatibus illarum partiũ R ... mare informabit. Datæ Venetiis, die ... ... nia & Italiæ per quamta... vos ple... ... VIII. Octob. ... MCCCXXIX.

A. Do. 1329.

Ex parte Marini Sanuti dicti ... Torxelli, de Venetiis ... devo... ze se vestræ paternitati Reuerendæ ... commendat.

Hactenus Petauian... exempla ... quod in his Epistolis habuimus...

DE RECV... PERATIONE, TERRÆ SANCTÆ

Auctor anonymus, patronus ... s Regius causarum Ecclesiasticarum in duca... tu Aquitaniæ.

ILlustrissimo Prin... cipi, militaris artis ac eius experientie titu- lis præ cæteris om... nibus insignito Domino EVDOARDO, Diuinâ fauente g... gratiâ Angliæ, Scotiæ Regi, domino Yber- niæ, Ducique Aq... uitaniæ Christianissimo ... suarum Causarum Eccl... esiasticarum Ducatus ... Patro- nus, ad seruiendu... m ei, iampridem mero dilectionis ... Regalisque virtutis ardore, nullo pet... ito & hactenus oblato salario ... summè desiderato successu ... incre... mento Salutem, in eo per quem omnes Reges verè regnant, & Principes dominant... ur. Quoniam intellexi ... Re-

Cap. I.

gem magnanimum magnificumque, ... non solùm cùm regnare, sed etiam ... cùm primò militare cœpistis, tanquam ... verum Legislatorem, ... tam dedisse ad faciendum bonos omne... s vestros subditos, proximos & coniunctos, non solùm metu pœnarum, sed etiam ... magnorum exhortatione ... miorum: demumque guerris vestris f... eliciter, exercituum agente Domino, Rege regum, à quo bona cuncta procedunt, ... iam peractis, loco quietis, ... post tantos labores longeq; minores eligere cons... uerunt, ad Terræ Sanctæ recuperationem ... manibus infidelium eripiatur, vestrum ... gloriosum animum fortiter inclinasse ... appropinquante senectute, contra natu... ralem solitam hominum inclinationem, ... ram perfectionem fortitudinis, per aggressi... onem terribilium, in quibus ... corporis eminet, & ex quibus oritur animæ vita, ... cum feruenti desiderio ... plectentes. Idcirco ego licet consilio ... minimus, de largitione misericordi... tiæ Creatoris, per se de se tam boni, q... uod omnia bona taliter sunt in eo ... tiam, quòd omnia mundi entia cuiuscu... nque conditionis existunt, ... pationem bonitatis eius prout ei magis ... assimilantur non solùm à Catholicis ... iam ab omnibus vetéribus philosophicâ ... ratione, bona secundum plus & minus ... creduntur: naturali desiderio, quod se... cundum Philosophum frustra non ... esse, motus vestro concurrens appetitui ... vestra maximæ bellorum experientia ... prudentiæ per longam experientiam a... cquisita, breuiter tangere, ... rante summâ DEI sapientiâ, propono q... uæ ad recuperationem & conseruationem Terræ Sanctæ mihi videntur necessaria, ... conferentia ac etiam opportuna.

Cap. I.

Quod non nisi per sanctissimum Patrem, amicum vestrum, Diuinâ prouidente ... sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis Eccle... siæ Summum Pontificem ... radis, Concilii omnium Catholicorum Princi... pum & Prælatorum, ... mentis, ordinatis omnibus conferentibus & oppo... rtunis, possessio ... illa terra super altas omnes optima, testimonio Saluatoris, ... qui ipsam occuparunt, ... eis se... centibus ... procra-

procreationi & educationi quantum plus poterant, nullo excepto vacantibus, non sufficiebāt multæ Regiones & Regna Sanctæ Terræ proxima versus Orientē, Occidētem, & Meridiem eiusdem Terræ Sanctæ: de quibus, ob hanc causam, ad instar Tartarorum exierunt: de quibus Regnis citò & de facili magnū succursum & confluctum populorum habebunt, si ipsi fortè mortem timentes, Regibus & Principibus vestris, vobis & aliis cedant: considerantes ipsos, prout aliàs audierunt, ad propria citò reuersuros: Ipsi Sarraceni statim post recessū ferociores & in maiori multitudine redibunt, vt interficiant superstites & dulcedine terræ potiantur, instigantibus dæmonibus: qui etiā habitant libentiùs in illa terra quàm alibi, vt videtur per hoc quòd cùm ibi curare vellet Dominus vnum qui à spiritu immundo vexabatur, loquutus ad spiritū dixit: *quod est tibi nomen? qui respondit, Legio nomen mihi est: quoniam multi sumus*: dicens, *Domine, ne mittas nos in regionem longinquam, sed in porcos*: quorum valde magnus grex erat iuxta locū: qui missi in porcos fecerunt eorū multitudinem furere, & in mare proximum se præcipitare. [Marc. 5. a.] Nō poterit ergo terra illa, nisi per multitudinem magnam occupari, nec occupata seruari.

III. Ad hoc quod tanta multitudo ducatur illuc & duret, oportebit *Principes Catholicos concordes* esse, & inter se guerras non habere: quoniam si ibi existentes suas terras audirent debellari & destrui, dimissâ hereditate Domini redirent ad propriam vt eam defenderent: prout olim multociens contigit ibidem. Idcirco inter Catholicos omnes, saltem Ecclesiæ Romanæ obedientes, pacē firmari taliter expedit, quòd vna sit Respublica, sic fortiter vnita quòd non diuidatur: *quia omne Regnum in se diuisum, desolabitur*, vt ait Saluator: [Matt. 12. 25.] & si diuidatur, expedit per hanc diuisionem demum fortificari Terræ Sanctæ tuitionem, vt infra apparebit. Vidimus enim quòd *Alemanni* & *Hispani*, licet bellatores incliti, propter solitas suorum Regnorum guerras, iam pridem cessarunt, & non potuerunt Terræ Sanctæ subuenire. *Guerræ Catholicorum inter se* sunt pessimæ: quoniam multi moriuntur in eis in tali statu, quòd de talium morte perpetua verisimiliter dubitatur. Et quia quantò frequentiùs bella committunt, tantò magis appetunt committere: hoc consuetudini magis quàm emendationi deputantes: post bella & per ea pacem non quærentes, nec tenentes, nec reincipere bella verentes: non aduertentes quod ait Philosophus Doctor Regis Alexandri, *omne bellum in se malum & illicitum: in tantum, quòd qui appetit bellum propter bellum, in fine malitia est*. Sed tamen cùm pax aliàs quàm per bellum haberi non potest, licet viris iustis bellum appetere, & facere; vt adeptâ pace, post bellum possint homines, pacis tempore, vacare in virtutibus & scientiis adquirendis: aliàs nisi proprer hunc finem, omne bellum est illicitum etiam secundùm Iuris Ciuilis Doctores. Videmus quòd mortuis patribus & auis in bello illicito, superstites nepotes ac vxores defunctorū, quicquid promittant; quùm citiùs possunt, iterum ad bellum & *vindictam voluntariam* se præparant: quæ sic contingunt dissensionis actore, per suas temptationes, persuasiones, & infinitas fraudes ac astutias procurante, vt numerum augeri secum faciat damnatorum, & Terræ Sanctæ recuperationem & cōseruationem impediat ac retardet. Idcirco pati non vult quòd vniatur virtus Catholicorū, quoniam, vt ait Philosophus: *Omnis virtus vnita, fortior est seipsâ dispersâ & diuisâ. Angeli* autē *mali*, prout Scripturæ etiam sacræ testantur, multùm sunt prudentes, etiam super notitia verisimili futurorum: quoniā ipsi scientias & constellationes ab origine mundi viderunt; & nouerunt causas omnium rerum, & effectus ex causis consequentes; memoriam habent omnium omni obliuione carentem; causas præsentes dispositas ad inducendum effectus vident: idcircò *cùm nihil sit nouum sub Sole*, vt ait Salomon, [Eccl. 1. 10.] memorantes qui effectus aliàs ex causis similibus euenerunt, iudicant & diuinant per hunc modum de futuris certiùs quàm homines senes: quia licet homines multùm sint senes, multaque viderint & experti fuerint, tamen eorum sapientia & experientia quasi nihil est respectu scientiæ causarum, & experientiæ, causa * longæuæ spirituum, qui omnes causas ac effectus ab origine mundi nouerunt: sic experientia etiam *magni Karoli* qui fertur per centum vigintiquinque annos regnasse, nihil esset respectu eorum. De hoc loquens Philosophus ait, *nemo eligit iuuenes duces*, videlicet bellorum, *eò quòd non constat eos esse prudentes*: tertio Topicorum: cuius causam reddit sexto Ethicorum, cùm ait: *Multos vidimus iuuenes sapientes in scientialibus disciplinis; non autem prudentes in agibilibus humanis: quoniam prudentia agibilium huius*

... in nobis acquiritur per experien-
dig et tempore ... quem pau-
experti sunt, & ...
& experti deponentes Dux, ...
nibus obedientes, ... esse ...
gam experientiam & memoriam, ...
inuenis: multò fortiori ratione Ang-
re possunt de futuris: & ... videtur ...
pedire, suis persuasionibus, tentation-
ad aliquos in *artibus prohibitis* ...
sunt multi inter *Sarracenos*, quoniam a-
sunt licitæ, non prohibitæ. Tamen hu-
rum, cum influentia corporum quæ ...
homines ad opera cõcupiscentiæ, aud-
debet bona vel mala fortuna; non ta-
rum hominis arbitrium, nec iudicium
omnibus tentationibus & inclination-
tis: & quantò tentatio fortior est, ac e-
tò resistens virtutis amore magis mer-
testimonio Philosophi, cùm ait primo
ficillimum semper exarsit virtus: & quod ...
IV. *dari nec vituperari, nec remunerationem m...*
contra tot, & tantos, tot Dæmones hab-
sit recuperari & recuperata seruari, ...
Ecclesiæ: quæ non videntur haberi p-
qui inferiùs tangitur: & nisi vinculo ...
clesiæ Romanæ obedientiam, taliter
guerris interse inuicem: ita quòd si ali-
sione & ob eã, recuperatio & defensio
terit. Conuocato *Concilio*, propter
galis experientia petere poterit per d-
cordari, & statui taliter, quòd quibusc-
leges & consuetudines Regnorum & ...
statuti nõ sunt, infrà scripto modo stat-
plementum: nullus Catholicus contra Cathol-
tum effundat: quicunque præliare vol-
ræ Sanctę sanctorumque locorum Do-
talis & spiritualis perditionis quærend-
tra hoc salubre statutum, guerram cõtr-
eo ipso omnium suorum bonorum am-
eis facientibus, pugnando, victualia, ar-
tercunque ministrando; superstites eo-
tatis, conditionis, & sexus à terris & po-
ter tunc eorum quæcunque posteritate
mittantur: de bonis à quibus erunt p-
se transferendum in Sanctam Terram
pensarum ad iter peragendum quatin-
uentes consilium & opem eis qualiter
municantes, victualia quæcunque aq-
que modo ministrando, puniantur p-
centur, non anathematizentur: prop-
rum, ne damnatorum numerus auge-
quam æternaliter puniri. Pœna tempora-
plus timebitur, plus proficiet Terra Sanct-
... damnatorum. Quod ...
... & in Terram Sanctam ...

qui non recognoſcit ſuperiorem in terris, ſtatim prohibebit quòd nullus ad terras corũ deferat victualia, arma, merces, & alia quæcũque bona, etiã quacunque cauſâ ſibi debita: & per ſtatutum Concilii, tam Principum quàm vniuerſalis Eccleſiæ, hoc erit omnibus Catholicis ſub ſimili pœna prohibitum; Rex, vt lucrifaciat ſibi terram hoſtium, cum omnibus bonis eorum, cùm erunt paratæ meſſes ad colligendum vel ante, veniat cum tanta multitudine gentium ſuarum; & Regionũ circumquaque poſitarum, quòd auferantur eis & auferri poſſint fructus creſcentes; qui auferri & prodeſſe vicinis locis non poterunt, deuaſtentur; qui ſaluari & auferri poterunt, ad munitionem fortaliciorum proximorum obedientium Regi & ipſis nocentium, applicentur, vt inde viuere poſſint ſequẽti tempore: cauentes ne guerram mouentes fugiant, ne terras proximas deprędent: non fiant in terris talium *diuturnæ fortaliciorum obſidiones*, prout fieri conſueuit: ſi ſe includant prout eſt veriſimile contingere, non audentes ad bellum campeſtre venire, calcetur per exercitum, & innumerabilem populi multitudinem, tota terra: totus exercitus cum ſequentibus ipſum, viuat de ſpoliis ipſorum; quod aſportari non poterit, vaſtetur, vt nihil remaneat de quo viuere poſſint. Si non opponant ſe reſiſtendo, ſed caſtris, muris, montibus & paludibus ſe operiant, non quæratur mors & occaſio eius, ne animæ deſcendant æternaliter ad inferos; magis enim punientur per famem, quæ afficiet non ſolùm viros bellicoſos, ſed etiam omnes & ſingulos à maiori vſque ad minimum, ſic vt omnes pœnam ſentirent. Sic puniri voluit & mandauit Dominus per Prophetam, Regem *Agap*, cum omnibus ſub eo viuentibus, vſque ad mingentem ad parietem. Et quia *Rex Saul*, de mandato Domini aſſumptus & vnctus in Regem ſuper filios Iſraël, datâ ſibi victoriâ à Domino, pepercit Agap Regi pinguiſſimo, & animalibus pinguibus vt ea Domino ſacrificaret, priuatus fuit Regno; fuitque in locum eius ſubrogatus & vnctus in Regem *Dauid*, paſtor ouium patris ſui: ſic fuit punitus Rex Saul propter inobedientiam ſuam, fuitque ſibi dictum per Prophetam pœnam ei nuntiantem: *melior enim eſt obedientia quàm victima.* Sic etiam puniuit DEVS omnipotens maximum peccatum proditionis & mortis *Domini noſtri IESV CHRISTI*, per filios Iſraël commiſſum, fame maximâ ipſos afficiendo: in tantum quòd matres filios paruulos aſſatos comedebant, vt patet per *Ioſephum* in libro de antiquitatibus, in ea parte in qua de deſtructione Ieruſalem tractauit. Item omnibus conſilium & opem præſtantibus ad ſic puniendum, & in Terram Sanctam mittendum taliter guerras mouentes, ex nunc in Concilio plena indulgentia concedatur, quæ per ſingulos ſucceſſores ſanctiſſimi *Romani Pontificis* confirmetur. Statuatur etiam, quòd illi qui ob huiuſmodi pœnam in Terram Sanctam mittentur, primùm ſemper faciant bellum contra hoſtes in confinio hoſtium: vt ſicut murus defenſionis aliorum, morentur, vt bellum illicitum voluntariè, ſuadente Diabolo, amplectentes, inuiti bellare præ cæteris compellantur, ob perimendum ſimulachrorum cultores, pacis inimicos, ſuis fautoribus taliter obuiando. Hanc autem pœnam famis & exilii perpetui, tantum per DEI gratiam veriſimile eſt timeri, inſtigantibus vxoribus, paruulis liberis, ac ſenibus patribus & auis, nec non Religioſis Prælatis & aliis Clericis, contra capitoſos, & inordinatos guerrarum motores, calore iuuentutis motos & deceptos, quòd huius pœnæ fine perſpecto non erit qui guerram mouere præſumat.

1.Reg.15, &c.

VI.

Si verò pax ſit inter omnes Catholicos, tunc de facili confluentes pugnatores ex omni parte in Terram Sanctam, eam recuperare poterunt veriſimiliter & ſeruare. Igitur *Ianuenſis, Veneccenſis, & Pyſana ciuitates*, quæ propter ſuas diſcordias & guerras maritimas, ſolitas hactenus, non punitas, Terræ Sanctæ recuperationem & conſeruationem impedire conſueuerunt, imò *ciuitates Lombardiæ, Tuſciæ*, & aliæ prouinciæ pacem inter ſe firmam habebunt; ſi ſtatuatur quòd ſic procedatur & procedi poſſit, per quoſcunque proximos earum contra ipſas; Item, & quòd contra earũ rebellionem, principes obuiare & eas punire volentes, quilibet in terris ſuis eorum bona, & debita occupare ſibique retinere poſſit: ita quòd ſi non proſequatur citò guerram contra ipſas, ſubſidio Terræ Sanctæ hæc & alia eorum bona quæ vbicunque poterunt reperiri, ſtatim applicabuntur. Ad parendum, quicunque poſſeſſores & debitores, ſub pœna amittendi omnia bona ſua, in idem & ad idem ſubſidium applicanda, compellentur per ſedem Apoſtolicam, & quoſcunq; Principes in quorum terris hæc contigerit attemptari: qui Principes ſi ſuper his negligentes fuerint,

ex parte [illegible]
missionem & [illegible]
plicandorum [illegible]

VII. recognoscentes, [illegible]
corum, [illegible]
Respondens [illegible]
viros prudentes [illegible] fideles
pro vtraque parte [illegible] & tale
pi, amore, odio, [illegible]
apriori, iurati strictissime [illegible]
sensionum singularum [illegible]
stes & instrumenta [illegible], dilige
tio, per duos ad [illegible] fideles
nes, & per Iudices strictissimè custod
Sic coram Iudices ad impensas mod
pendent, quàm essent in suis domibu
expedierit, assessores habeant, secund
simos in lege Diuina & Canonica, &
sit contenta, ipsi Iudices pro omnibus
licam sedem, per *summum Pontificem* p
tandas, prout & si iustum fuerit; vel si
confirmandas, & in Cronicis Sanctæ

VIII. niam verò *mutatio successionis Imperii* gu
præstare consueuit, obstante [illegible] Im
cordias, recuperationem & conseru
paxque firma Imperii Romani ad ipsa
mùm posset verisimiliter sua subsidium
sent, & probabiliter fecisse præsumen
ges Alemanniæ, si Regnum & Imper
per eos reseruatis, & fortalicii robora
vacationeque dominii, immò obedie
consideratis etiam bonis, quæ dicunt
[illegible] forent impedimenta moderna
[illegible] perniciosæ, propter cupidita
[illegible] immò, vt ex Regno ac Imper
& conseruationis Terræ Sanctæ, mult
[illegible] ex ipsa prouenirent, iam diu graui
[illegible] amplius salus & exaltatio Reipubl
[illegible] petatur Alemanniæ Regnum
[illegible] post ipsum posteritati, p
cupiditatem Electorum, aliquantuli
Imperii sibi facta. Conueniat etiam &
subsidium annuum Terræ Sanctæ, qu
[illegible] quos ad [illegible] suas [illegible] ad

IX. cum super [illegible] subsidium [illegible]
niam Imperatori [illegible] Princ[illegible]
[illegible] nimis esset *mutes & [illegible]*
[illegible]

[illegible]

[illegible] Romanæ Ecclesiæ [illegible]
[illegible] terrarum [illegible]
[illegible] Imperatoris [illegible]
[illegible]

pacificè possideri, victualia ministrentur eis aliunde. Bona quæ habent vbique ci-
tra mare prædictum, ad firmam nobilem primò trium vel quatuor annorum cum
incremento; & demum vel ex nunc, si sufficiēter fieri possit, in perpetuam emphy-
teosim tradantur; ex quibus, longè vltra *octingenta milia libr. Tur.* annuatim habebi-
tur à *Templariis* & *Hospitalariis*. Super perceptis postquam ciuitas Acon destructa fuit
ratio cum reliquis exigatur: de qua naues cū victualibus, & aliis necessariis pugna-
torum, mare transiturorum, procurentur, vt omnibus licet pauperrimis transfreta-
re volentibus, liber & pinguis in posterum pateat transitus. Cum nauibus, vehantur
nobis, quęcunq; de Terra Sancta poterunt opportuna haberi; & de bonis nostris il-
luc: vt bona hinc inde de facili communicentur: per quæ non immeritò Christico-
læ citra dictum mare, & etiam vbiq; positi, longè faciliùs & ardentiùs mouebuntur
ad præsidium & opem salutis dictæ Terræ. De locis fertilibus insularum & riparum
dicti maris, tot victualia & alia necessaria cum huiusmodi nauibus portabuntur,
quòd pugnatores quicunq; sint, vbicunq; prope mare saltem existentes nullam vi-
ctualium penuriam patientur. Dicti Religiosi qui commodè quoad præsens trans-
fretare, & illuc habitare non poterunt, vt agant pœnitentiam super excessibus eo-
rum, in monasteriis *Cisterciensis* ordinis, & aliis pinguibus detrudantur; ibi viuant
cum fratribus qui vt possint eos sustinere, pauciores alios recipiant, quousque su-
per eorum onere poterunt releuari. Talisq; thesaurus annuus, magnus erit: per cu-
ius magnitudinem *mala fides Templariorum & Hospitalariorum* apparebit, & qualiter
hactenus ipsâ re, Terram Sanctam prodiderunt, & in ipsam peccauerunt. Qui the-
saurus annuus, cùm videbitur eius profectus, largitione fidelium, & ex bonis guer-
ras mouentium, aliisque pluribus modis, magnum recipiet incrementum, prout
inferiùs pro magna parte clariùs apparebit. Cumque dicta Terra magno con-
flictu populorum egeat quoad præsens, sanctissimus Papa prout dicit, huiusmodi
negotium plurimùm cordi habens, exhortabitur singulos *Prælatos* ad mittendum
illuc cum impensis suis, iuxta suas facultates, tantum quantum poterunt, maiorem
numerum pugnatorum similibus *robis* indutorum; videlicet equites suo, & pedites
suo modo: nec non & armis similibus indutorum, cum *baneria* Domini mitten-
tis eos. Et procurabit idem dominus Papa, quòd similiter *Principes* per se, si com-
modè possint; si non, per aliquem idoneum loco sui, cum armis & baneriis suis: ita
quòd omnes nati de regione cuiuslibet Principis, per quoscunque videlicet, cuius-
cunque conditionis homines illic transmissi, facient aciem vnam, si ad hoc suffici-
ant; si non, proximi illorum, linguas suas intelligentes adiungentur eisdem, in tan-
tum quòd ex ipsis sufficiens acies constituatur. Cuiuscunq; conditionis homines,
etiam *dominæ*, non solùm viduæ sed etiam coniugatæ, inducantur ad mittendū suffi-
cienter eisdem robis & armis munitos: vt modus gloriosè mittendi, & incedēdi pa-
cificè, ciuitates, castra, & alias villas cum buccinis, sonis aliis instrumētorum & cā-
tilenis transeundi, cum pulchris baneriis, & armis discoopertis, corda & affectus
singulorum fortiter inducat & moueat ad transfretandum cum idonea munitio-
ne, vel mittendum. Sic per concursum & conflictum, augebitur vltra quàm modò
credi posset, numerus pugnatorum. Item inducantur Principes & alii magni qui
transfretabunt, ad promittēdum, quòd si propter mortem, infirmitatem, seu reuer-
tendi ad propria quamcunque causam dimittant exercitum, certum ibi dimittent
cum suis armis & baneriis numerum pugnatorum, cum impensis quas commodè
ministrare poterunt, de thesauris præsidii Terræ supplendis & perficiēdis. Item in-
ducantur singuli cuiuscunq; sexus potentes, ad hoc quòd post primum iter arreptū;
quolibet anno sequente procurent & mittant, saltem vsq; ad mare, cū impensis sub-
sidii vlteriùs transuehendos, quot pugnatores poterunt cum vxoribus, propter ter-
ram populandam & inhabitandam, iuxta ipsius terræ, recuperationis & conserua-
tionis eius necessitatem. Item, & quòd strenuus, prudens ac expertus miles, portans
arma cuiuslibet Catholici Principis, remaneat ibidem cum signifero. Item, &
quodlibet Regnum Catholicorum, necnō aliæ latæ Regiones quælibet, videlicet,
habeat ibi ciuitatem, castellum aut alium locum insignem cum locis adiacentibus,
iuxta sui populi quantitatem, vt de nouo venientes desolati per viarum districtus,
variasque * electorum & aliarum rerum penurias, recipiant ibi post tristitias, pe-
nurias & dolores, gaudium, & cum delectatione natiua, consolationem, muten-

[illegible] locum
[illegible], seu ciuitatis eius [illegible]
[illegible]bus, [illegible] & laborum, per que
[illegible] tamen cum delectatione, superue
debiles facti, longè citiùs fortificab[illegible]
cùm de aciebus & bellis redibunt in
[illegible] & [illegible] cum diligenti cust[illegible]
[illegible] suam [illegible], spem solaminis &
forte [illegible], ad suas acies remeabunt
[illegible]. Praeterea, ne sit defectus re
ra Sanctae assignandis, & bellis dispo
[illegible] ab eis motas, ob hanc poena
[illegible] habitationes habeant in terra [illegible]
posteriores in terram eàdem. Ne au[illegible]
ioribus Ciuitatibus Ierusalem & Acc[illegible]
nabile videtur, quòd singularum R[illegible]
elegerint habitare: & idem videtur
num proximis, quòd in eis frequente[illegible]
tores. Item quaelibet ciuitas, cum
qui sub se Centuriones habeat: Centu[illegible]
cto cohortes, in quarum qualibet sint d[illegible]
turio, in sua cohorte quindecim secu[illegible]
omnes se inuicem firmius custodian[illegible]
hanc, quot pugnatores quaelibet ciuit[illegible]
turio, subditos suos instrui faciat in e[illegible]
iuxta dispositionem Ducis belli sua[illegible]
temporis *Alexandri Regis* obstagiant[illegible]
ducibus tunc temporis, [illegible] *Ducen*[illegible]
lia non comparant; spoliis hostium,
[illegible]ibus vescuntur; non tenent obsidio[illegible]
quinque diebus, ex omni parte, man[illegible]
faciunt multis modis, secundùm ritu[illegible]
habitacula sua, vxores, liberos & best[illegible]
varietates temporum, locorum, host[illegible]
pugnandi variare oportebit, prout [illegible]

Quoniam verò pugnatores in m[illegible]
simul posset haberi competens naui[illegible]
[illegible] nec alicubi posset simul naues i[illegible]
[illegible] ne pauci simul venientes
[illegible] malis Angelis huius [illegible]
videtur quòd ad instar illius supren[illegible]
[illegible] personam siccam, [illegible]
Principum, per quorum terras transi[illegible]
[illegible] & [illegible] suarum [illegible]
[illegible] & hospitia pro pretio compet[illegible]
quòd Principes locorum liberè [illegible]
[illegible] tributo cessante, ad locum [illegible]
[illegible] per ipsos [illegible], qui per alio[illegible]
in pluribus locis, quam in vno solo, [illegible]
[illegible] Graeci, & [illegible]
[illegible] in *Hispania* [illegible]
[illegible] propter calorem [illegible]
[illegible] Regis [illegible], qui fregit [illegible]
[illegible]. Ad transfretandum per
[illegible] montanis, [illegible]
[illegible] habitatores [illegible]
[illegible] & laborem [illegible] longi[illegible]

[illegible] Regis [illegible] habi-
[illegible] venien-
[illegible]. Propter quod
[illegible] infirmi, [illegible]buntur; sani[illegible]
[illegible]r, vires & [illegible] resument:
[illegible] seu vulnerati, per sibi coniunctos medi-
[illegible], solamine & aliis conferentibus, citò, in-
[illegible] custodia suorum, longè citiùs [illegible]buntur; &
[illegible] propter euasionem securiores, & audaciores
[illegible] *ordinis*, & ciuilitatis in locis [illegible] Te- 10
[illegible]endis, statui ordinetur [illegible] propter
[illegible] illuc missi, in primo [illegible] bellis: &
[illegible] hostibus proximiores & [illegible] venerint
[illegible] inter Nationes [illegible] super ne-
[illegible]on eligendis & habitandis, [illegible] ratio-
[illegible]egionum homines in illis [illegible], prout
de aliis locis maioribus [illegible], [illegible]
[illegible] conueniant diuersarum [illegible] merca-
[illegible] territorio eidem assignato, [illegible] habeat,
[illegible], de Centum sibi commissis [illegible]
duodecim pugnatores quibus [illegible]bus o- 20
[illegible] habeat: vt semper sciant [illegible] Cen-
[illegible]nt & defendant vsque ad mortem [illegible] suos
[illegible]as mittere poterit ad exercitum [illegible] post-
exercitio armorum, ad quod [illegible] Quilibet Cen-
[illegible] ciuitatis. Fertur enim quòd [illegible] habiliores,
[illegible]es: vt cauetur in *Alexandreide*, [illegible] | mon-
[illegible] *in arma donum*) pecuniis non [illegible] Persis
& de suis animalibus quae duc[illegible] victum
[illegible]nem ante vnum fortalicium [illegible]
è vnâ horâ simul omnes conue[illegible] sex vel 30
suos, vsque prope vesperam; [illegible]
[illegible] in talibus non expedit in [illegible] ad
[illegible]um, pugnatorum nostrorum, [illegible] secundùm
[illegible] perti bellorum Duces viderint, [illegible] modum
[illegible], ac equi eorum, plerumque [illegible] expedire.
[illegible]n ad tantum populum [illegible]
[illegible]are; nec ad vnquam [illegible] nec
[illegible] ferocitatem hostium [illegible] applica-
[illegible], prout magis poterunt [illegible]
[illegible] rationis *Karoli Magni* [illegible]
[illegible] secundùm hoc consensu [illegible]
[illegible] exercitus; a quibus [illegible]
[illegible] quòd singuli [illegible]
[illegible] & faciant [illegible]
[illegible] & Sa[illegible]
[illegible] Hermanni [illegible]
[illegible] praefatis [illegible]
[illegible] illi [illegible]
[illegible] nem &

nem & conſeruationem confluere oportet & expedit totius Reip. Catholicorum
concordem & vnitam virtutem temporalem corporalem: ſic oportebit per *oratio-*
nes deuotas vniuerſalis Eccleſiæ, tantam petere & impetrare gratiam, tantæ pacis re-
cuperationis & conſeruationis, ab Illo à quo omnia bona procedunt, qui eſt DEVS
& Dominus exercituum, qui ſolus eſt cauſa pacis & victoriæ. Nam ſi Duces bel-
lorum, pugnatoresque ſibi commiſſi de ſuis confiderent viribus, & eas æſtimarent
ad tantam ſufficere victoriam perpetuò habendam & obſeruandam, & ad reſiſten-
dum Angelis malis contranitentibus, perſuaſionibus & tentationibus eorundem,
quos creditur præmiſſa prout poterunt per ſuas aſtucias impedituros, non poſſet
10 huiuſmodi recuperari terra & ſeruari. Idcirco videtur expediens per *Concilium* pe-
ti reformari & emendari ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ, vt prælati tam maiores quàm
minores, abſtineant à vetitis per ſanctos Patres; eorum præcepta, ſtatuta & con-
ſilia cuſtodiant, vt tenentur: iuxta illud Prophetæ: *Declina à malo & fac bonum; in-* Pſal. 33, 14.
quire pacem, & perſequere ipſam: vt adeptâ verâ pace cordium, omnes Prælati Catho-
lici cum toto Clero, & populo ſibi commiſſis vnam facientes ſpiritualiter Rempu-
blicam: vt accedat quod ait Apoſtolus: *Multitudinis credentium erat cor vnum & ani-* Act. 4, 32.
ma vna. Et quod ait Philoſophus: *Omnis virtus vnita fortior eſt ſeipsâ diſperſâ & diuiſâ*;
per deuotas humiles & aſſiduas orationes, victoriam perpetuam ſuper infideles
impetrent, ab illo qui cum ſapientia, quam ſolam petebat *Salomon*, dedit eidem au-
20 ri & argenti, cæteraſque mundi diuitias, præ omnibus qui ante ipſum fuerant in
Ieruſalem. Quòd ſic expediat facere, colligi poteſt ex euentibus bellorum præ-
cellenter militantis *Iudæ Machabei* fratrumque ſuorum; qui cùm de ſuis viribus con-
fidebant cadebant in bello; & victoriam, cùm eam de cœlo petebant, humiliter de-
precantes ſummum Regem exercituum, obtinebant: vt accedat quod ait Apoſto-
lus, *omnia quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtrã doctrinam ſcripta ſunt.* Idcirco prudentiâ ſcri- Rom. 15, 4.
pturarum, non propriâ debemus vti: auctoritate Salomonis, cùm ait: *Fili ne inni-* Prou. 3, 5.
taris prudentiæ tuæ: & canon inde ſumptus, *Nemo ſuo ſenſu vtatur.* Idcirco pacem XIV.
generalem quærere, & à DEO petere debemus, vt per pacem, & in eius tempore,
cùm aliàs fieri non poſſit, perfectas virtutes & ſcientias adquiramus: quod ſen-
30 ſit Apoſtolus, cùm ait: *Pax DEI, quæ ſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intel-* Phil. 4, 7.
ligentias veſtras: intelligentiæ veſtræ, quæ ſunt animæ rationales, per guerras, diſcor-
dias & lites ciuiles, quæ bellis æquiparantur, & per earum prolongationes non cu-
ſtodiuntur, ſed frequenter deſtruuntur: Ideò, prout magis facere poteſt, debet eas
quilibet vir bonus euitare & fugere: & cùm hoc amplectitur aliâs non potens ius
ſuum conſequi, debet hoc prout magis poteſt abreuiare, in his pacem ſuam, & ius
quærens cum cordis dolore: quod ſic docuit fieri Philoſophus, cùm ait: *Bellum de*
ſe, & in ſe tantum eſt illicitum & malum, quòd quicunque appetit bellum propter bellum in fi-
ne malitiæ eſt: ſimile eſt, licet non tantum, malum, in ciuilibus controuerſiis & liti-
bus. Si enim pax vniuerſalis finis eſt quem quærimus, quem in intentione no-
40 ſtra primò habemus: quia ſecundùm Philoſophum, *finis operis, primum eſt in in-*
tentione; vltimum verò, in operis executione: debemus primò tollere ſingula pacis v-
niuerſalis impedimenta & occaſiones veriſimiles impedimentorum, vt acce-
dat quod ait Philoſophus: *Quicunque ſuſtinet poſitionem Eracliti, debet concedere*
& negare omnia quæ concederet & negaret Eraclitus ſi præſens eſſet: hoc eſt, omnia an-
tecedentia & conſequentia ad poſitionem: alioquin concedens vel negans ali-
quid repugnans primæ poſitioni, ad turpiſſimam ducetur redargutionem. Si XV.
ergo *ſummus Apoſtolicus*, mundi totius ſpeculum, beati Petri principis Apoſtolorum
locum tenens & ſedem, vicarius Domini noſtri IESV CHRISTI, Saluatoris & Pa-
tris omnium animarum, vt omnes animas ſaluet, patrique ſuis ſemet & reddat, o-
50 mnes guerras, ſeditiones & controuerſias nitens in ſingulis euellere, & quòd ſic fiat
docere, hoc in ſe & fratribus ſuis Cardinalibus & coepiſcopis, primò debet facere
vt accedat quod ſcriptum eſt: *Cæpit IESVS facere & docere.* Et Apoſtolus: *Operemur bo-* Gal. 6, 10.
num ad omnes, quatinus in nobis eſt; maximè autem ad domeſticos fidei. Conſiderare ergo
debet quales ſe habent & militant Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſco-
pi, & alii Prælati, Ducatus, Comitatus, Baronias, & alia temporalia obtinentes:
qualiter ipſi guerras mouent, in quibus multi temporaliter, vt videmus, & ſpiritua-

liter, vt æstimant homines, frequer
ctiùs & attentiùs vacant & vigilan
plus laborant & impendunt, non
quòd animæ humanæ sunt quibuscunque
pugnant hi Prælati, vt in regnis An
rum temporalium vacant; qualiter
scacaria, & alia Principum auditoria
clesiarum bona quæ sunt pauperum
tronis & ministris earum; qualiter
patronos, ministros, & iudices; qua
domibus & auditoriis Regum habi
experientiam adquirant; qualiter s
dentes, desertis ob hoc philosophiæ
ad studia legum ciuilium; in eis & p
sed etiam prælationes maiores, vt m
rum exercitia maiores prælationes s
tum assuetum, quòd philosophiæ le
in Religiosis reperitur? Nonne fre
propter modicæ rei temporalis defer
quàm ob salutem omnium sibi comr
presbyter erat, fit Episcopus, quantu
dentem, plus in salute animarum lab
bus temporalium longè magis quiesc
licatè quàm alii clerici; & quàm ipsi
dum Prælati aliquando bona prædic
eos increpare & arguere litium amat
iustitiæ, & alias solitas passiones, dicu

Matth. 23, 2. *lia facientes.* Possumus de istis, post Sa
thedram Moysi sederunt Scribæ & Phari

Matth. 7, 16. *A fructibus eorum*, id est operibus, *cogno*
Moralium ait: *Qui bona loquuntur & mal*

XVI. Consideret etiam *summus Apostolic*
muniter & vt in pluribus in domo Do
monasterii possidere & seruare deben
ne peccato mortali nihil appropriatur
nes in Abbaciis & extra quærunt; siti
quæ frequenter suis tradunt amicis,
cum perditione animarum tradentis
tur prudentiores qui plus habent in lo
ligiosi, extra Abbatias multos habent
bus monachis magnos redditus haber
siduum, post eorum victum & vestitum
ponunt in loculis, ad litigandum contr
tem ad omnia alia sua opera etiam orat
quasi votum frangunt, super quo vix a
in talibus prioratibus Monachi plerum
neste: & aliquando filii nobilium fiunt
nem, vt tales prioratus habeant, non so
luxuriosè viuant etiam in studiis; vt de
dominus Papa suorum temporibus & l
dicti ordinis, sunt frequenter negligent
do, si corrigere niterentur, lites & disc

XVII. tem, multi Monachi iuuenes rixosi, sunt
ratus causâ spatiandi & lasciuiendi mitt
pa, quot & quantas guerras, quàm pericul
tas sustinuerunt propter defensionem *patrimonii*
uasiones huiusmodi patrimonii, excommunicat

...moriuntur: qualiter prælati bellantes, perse-
...tis, quàm animarum saluti: qualiter in hoc
...ertentes etiam in lege ciuili scriptum esse,
...*us præferendæ.* In Regionibus in quibus non
... & Franciæ, videat qualiter controuersiis re-
...certâ curâ animarum, pro modico parlamenta,
...requentant: qualiter student & laborant, Ec-
... IESV CHRISTI consumunt in his litibus, pa-
...plus remunerant legis humanæ, quàm diuinæ
...iter ipsi suas sponsas dimittunt desolatas, vt in 10
...ent, vt disceptationum forensium peritiam &
...cholares iuuenes, ritus & gesta prædatorum vi-
...legisque diuinę studiis, confluunt quasi omnes
...er eas quærentes non solùm pinguia beneficia,
...multos imitentur qui per has leges ciuiles & ca-
...sunt adepti. Nonne hoc iam est taliter & in tan-
...egisque diuinæ scientia in paucis præter quàm
...requenter plus impendunt prælati per annum,
...ensionem, plus in hoc & ob hoc se laborant,
...n missarum animarum? quando Canonicus, qui 20
...tam videmus, ipsum litibus temporalium inten-
...borare quàm ante? Nonne prælati, exceptis liti-
...scunt, & minus laborant, magisque viuunt de-
...timet ante prælationes assumptas faciebant? &
...cant, nonne frequenter euenit quòd audientes
...tores, & insecutores cupiditatis, auaritiæ, & in-
...unt: *multa bona audimus hos loquentes, & videmus a-*
...saluatorem nostrum dicere & recitate: *Super ca-*
...*saei: quæ dicunt, facite; sed quæ faciunt, facere nolite.*
...*scetis eos.* Ad quod se referens Philosophus v. 30
...*la operatur, falsum doctorem se probat & ostendit.*
...*icus*, qualiter religiosi *ordinis Sancti Benedicti* cō-
...mini conuersantur Abbates, qui omnia bona
...pleriumque sunt pauperes; Monachi, qui si-
...possunt habere, diuites sunt; administratio-
...nt, vt aurum & argentum in loculis reponāt,
...ribus eis morientibus aliquando remanent.
...recipientis. Inter hos Monachos reputan-
...culis, contra votum suæ professionis. Isti Re-
...*prioratus non conuentuales*, pro duobus vel tri-
...quorum forensium locorum priores re-
...et CHRISTI pauperibus debitum, re-
...os Abbates vel alia mala faciendum, fal-
...es mortificandum, quandiu custodiunt
...nquam postmodum se emendant. Item
...viuunt luxuriosè, ebriosè, & aliàs inho-
...Burgundia Monachi ad illam intentio-
...de bonis eorum delicatè, sed etiam vt
...bus audiuit; &, vt creditur, sicut nobis
...studiorū. Abbates & alii præpositi, s
...correctione talium, timentes aliquan-
...eorum quos timere non deberent. I-
...satagūt in claustris, vt ad tales prio-
...Consideret etiam dominus Pa-
...prædecessores sui monuerunt, vel mo-
...*beati Petri*: quot Catholicos ob in-
...ationi & anathemati supposuerunt:
quod

quòd in talibus peccatis ſignis pœnitentiæ non apparentibus mortui fuerunt: Quantas impenſas in talibus guerris, & ob eas fecit Eccleſia, & adhuc præſumitur eſſe factura. Conſideret etiam qualiter vbique terrarum Eccleſiæ Romanæ ſubiectarum clamatur, cùm aliquis de *Symonia* arguitur; *Nonne videtis qualiter dominus Papa & Cardinales munera recipiunt ab ipſis quibus beneficia conferuntur, præſertim ab illis quibus de prælationibus prouidetur?* Qualiter illis per ſuos mercatores ſub grauibus vſuris faciunt pecunias quas ab eis capiunt mutuari, præſertim ab *exemptis?* videtis quòd cùm duo electi, quorum etiam vnus habet ius, venire ſolent ad Curiam, demum poſt factas ab ipſis magnas expenſas & munera recepta, laboribus & pe-10 riculis viarum ac curiæ ſuſtentis, inducitur vterque, & aliquando compellitur alter renunciare ſuo iuri, totum in manibus domini Papæ ponere? & qualiter Papa conſueuit alii de Eccleſia vel Monaſterio prouidere? & qualiter conſuetum eſt, quòd ſic prouiſus, ſeruiat Curiæ de magna pecunia, aliquando ſeptem, octo, vel decem millibus libris, ſub grauibus vſuris perceptis ab illis qui publicè vocantur *Papæ mercatores*, qui publicè dicuntur eius pecunias recipere, conſeruare, & fenerare? Conſideret etiam dominus Papa, quòd Cardinales magnas habent ſecundùm Eccleſiæ ſtatum dignitates, magna oportet eos impendere ſecundùm ritum viuendi modernum, paucos quaſi nullos habent redditus ſuis titulis appropriatos: idcirco tanquam mercenarios oportet eos quaſi viuere de ra-20 pina: Qui tanta neceſſe habent, & conſueuerunt recipere, qualiter aſſeſſores idonei ſummi iudicis, & ſub ipſo iudices eſſe poterunt? In talibus præſumitur pro diuitibus, quòd ſua debeant officia laudabiliter exercere: E contrario, præſumitur contra pauperes. Quoniam vt ait Philoſophus, *oppoſitorum oppoſitæ ſunt cauſæ*, & qui bene differunt* contraria conſignificant. Per munera, preces, timorem, amorem, & odium, concupiſcentiam, & huiuſmodi, ſolet iudicium corrumpi: prout in *Canone* ſcripſerunt qui per experimenta didicerant Sancti Patres: & hoc communiter credunt & dicunt omnes, *munera ſumpta ligant*: & prout ſcripſit commentator Auerrois, *Nullus ſermo communis in totum falſus reperitur.*

XVIII.

Propter quæ peccata, & occaſiones delinquendi, nec non & alias quas pleniùs nouit ſumma ex-30 perientia Regiæ Maieſtatis (conſiderans ſcriptum in Canone, & communiter vſitatum, quòd *id quod agitur à Prælatis facilè trahitur à ſubditis in exemplum*) ex nunc in poſterum extirpandas, ne inde naſcantur iniuriæ vnde iura naſci debent; & ne concuſſis columnis corruat ædificium; quoniam ſcriptum eſt: *Si Sacerdos qui eſt vnctus, peccauerit, faciet delinquere populum*: ne *Prælati*, qui ſunt & eſſe debent, ſeque factis & verbis probare *Medicos animarum*, morbos ampliùs indicant & inferant quos curare deberent, & pro quibus curandis ab animarum patre ſunt ad tantas dignitates, quas ſequuntur omnia mundi bona, vocati. Si Medicus pro ſanando vnico Regis filio, & hærede tot reciperet redditus, prouentus, & honores quot habet vnus Epiſcopus pro curandis & ſanandis animabus, & occaſio-40 nem morbi, & per conſequens mortis, per ſuam culpam præſtaret, vtpote coram ipſo bibendo, vel comedendo quicquid deſideratum à filio quod eſſet ei mortiferum; & filius hoc ſequens exemplum, ſeque putans, cùm non eſſet, ad digerendum cibum, vel potum deſideratum ſuo medico fortiorem, guſtaret vetitum, & moreretur eius occaſione, quid deberet & poſſet Rex facere de tali Medico? nonne poſſet ei dicere, *Vetuiſti filio meo mortiferum cibum vel potum, quem deſiderabat: & quia ipſo vidente guſtauiſti, ipſe ob hoc ardentiùs appetens, magis credens facto tuo quàm verbo, guſtauit, & mortuus eſt hac occaſione. Nonne ſciebas, quòd qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur? & quòd maius eſt docere facto, quàm verbo? & quòd virtus concupiſcibilis viſo obiecto, quaſi ſine comparatione plus mouetur, & ar-*50 *dentiùs concupiſcit, quàm non viſo? nonne hoc percepiſti in equis, & tauris reſpectu fœminei ſexus eorum? nonne dicit* ſcriptura, *fugienda conſortia mulierum vt minus appetantur? Tu, te vendens mihi pro perito & experto, taliter contra me peccaſti: laqueum tetendiſti, per quem filius meus mortiferum guſtauit, & ob hoc deceſſit: in culpa lata mortis eius fuiſti, & idcirco morieris.*

XIX.

Quis diceret Regem iſtum per hoc iniuſtè iudicaſſe? Nonne videmus manifeſtè, quòd Prælati propter occupationes temporalium, etiam Medicorum, ſine quibus non minus benè viuerent, deſerunt

Leuit. 4.

frequenter & negligant spiritualiu
senioribus temporalium suorum q
nerant ac remunerare notoriè cons
rum, sic videntes operari suos maiore
pera more brutali faciendum? non
tiam, sic negligentia negligentiam
quemadmodum dilexi vos, sic & vos faci
CHRISTI actio, nostra debet esse instru
ait: *Non refert utrum populus Roman*
& factis. Nonne, vt in Canone legi
lè agant; & ne malè agere videantu
ximos & coniunctos, ne sequantur e
ra Sanctorum Patrum doctrinam, h
pturam legere, & docere; per oratio
quibus hæ non sufficiunt, arguere,
centium quæ possunt esse nota, occu
videmus Prælatos maiores, ab his o
plerumque cessare? Nonne videmu
causas moti, sub se medicos eligunt a
ne præferunt affectiones sanguinis,
entiæ, & experientiæ Medicorum
rant qualiter ipsi remunerarent aliqu
tibus habere nisi solum Medicum, si
bore prouisionis, ab ipsis tanta recipe
STO qui omnia videt? Si Rex vel Im
periculo amissionis Regni vel Imper
stituere, nisi vnicum ducem sui bell
cui plura bona fecisset: vt vni, pon
loniensem per Imperatorem promo
ni stare oportet, ponamus quicunq
li multùm ditandum, eligeret ob hoc
bi coniunctum, omisso seniore exp
tur Archiepiscopus: Nonne sic eli
ritum perito, ab omnibus vitupera
rum, desiderans eas omnes in bello
iusmodi bellorum tam periculosoru
in plenitudinem potestatis assumpt
vocatis, cuilibet in sua diocœsi? Si
nus benè eligant, si ius habentem
ligunt vel à quo munera expectant
lias præferendo quas putant minus
cunque affectionem aliam ab anima
qui tantùm ditauit Prælatos, quòd
possunt excusare, nec secundùm vul
gendum, à CHRISTO poterunt inc
næ Maiestatis? sicut dictus Archiepi
commissa fuisset ducis electio, de cr
per suum inordinatum & inexpertu
di, dauidico? N... per prædictos n
aliosque defectus & excessus eorum
no scandala grauia sunt exorta, de q
linatur frater meus, non comedam carnes
salubriter motus, ait: quòd *propter*
quid fieri & omitti potest sine peccato mor
porali vita hominis saluanda, quod pote
nim propter alium se debet subiicere

...n curam? Nonne sunt magis solliciti de dei
...uàm spiritualium? nonne magis ipsos remu-
...reuerunt? Nonne inferiores *Curati anima-*
...s, mouentur ad ipsos imitandum, & similia o-
...re in eodem, sicut diligentia ... diligen-
... nonne dicit Saluator: *Exemplum do vobis; vt*
...*is?* ad quod se referens Apostolus ait, *Omnis*
...*tio.* Nonne ad hoc concordat lex ciuilis cum
...*es voluntatem suam exprimat verbis vel rebus ipsis*
...ur, Prælati propter se cauere debent ne ma-
...r, & infamentur, propter suos subditos, pro-
...xemplum eorum? Nonne scimus quòd iux-
...c debent esse *opera Prælatorum*, sacram Scri-
...es sibi commissi gregis peccata delere; & in
...increpare, corrigere & punire peccata no-
...ca solius DEI iudicio relinquendo? Nonne
...peribus, propter occupationem temporalium
...quales ipsi, loco DEI in hoc positi, ob quas
...nimarum? qualem respectum habent? Non-
...Patriæ? seruitii temporalis, parentelæ, sapi-
...quos eligunt loco sui? Quare non conside-
...rem, qui ipsis grauiter infirmatis, nec peten-
...bi de ipso vnico taliter prouideret, & pro la-
...eret stipendia, quanta ipsi recipiunt à CHRI-
...perator, commissurus bellum magnum, sub
...li, si victoriam non haberet; nec posset con-
...cuius electionem committeret illi de suis
...amus pauperrimo, in Archiepiscopum Co-
...o: & idem Archiepiscopus, cuius electio-
...ue sequatur euentus, considerans ducem bel-
...iuuenem, sanguine, seruitio vel natione si-
...erto, in talibus assuefacto; cui non tenere-
...ens, in expertum præferens experto, impe-
...etur? Nonne CHRISTVS pater anima-
...incere contra Sathan, electiones ducum hu-
..., commisit Prælato superiori, vicario suo
...& aliis Prælatis in partem sollicitudinis
...Prælati propter commoda temporalia mi-
...electione repellant, vt alii quem plus di-
...uideant. Si de melioribus personis, a-
...eas, ecclesiis non prouideant, quam-
...salute quærentes: Nonne CHRISTVS,
...ipsi propter penuriam temporalium se non
...opinionem tolerabiliter moueri ad sic eli-
...inuincibiliter redargui de crimine læsæ diui-
...scopus, dux vel Comes similiter ditatus, cui
...imine læsæ Maiestatis humanæ, duce belli,
...modum exercitum ordinandi & regen-
...modos viuendi prælatorum & religiosorum,
...in Ecclesia DEI totoque populo Christia-
...ribus loquens Apostolus inquit: *Si scanda-*
...*in æternum.* Nonne lator Canonis ob hoc
...*scandalum vitandum fieri debet & omitti quic-*
...*itali* & alibi in Canone: *Faciat homo pro tem-*
...*si sine detrimento salutis æternæ:* nullus e-
...mortali peccato, pro quo pœna debe-
...tur æter-

tur æterna. Si ergo scandalum vnius villulæ vitandum est, & ob hoc faciendum & omittendum, &c. quantò magis propter scandalum populi vnius diocesis, & magis vnius Prouinciæ, & adhuc magis vnius Regni? quantò magis & magis vitari debet scandalum totius populi Ecclesiæ Romanæ subiecti, & infamia omnibus occasionem tribuens delinquendi? Quis est ille qui statum præsentem expertus vniuersalis Ecclesiæ, & videns in præmissis, & aliis, inordinatum ob hoc à Sanctorum Patrum Ecclesiæ doctorum discrepantem documentis, non æstimaret reformato statu vniuersalis Ecclesiæ, præsertim in præmissis, orationes Domino pro subsidio Terræ Sanctæ, piè generaliter effundendas, quasi sine comparatione plus prodesse quàm alias? Verè ad recuperationem & conseruationem Terræ Sanctæ requiruntur orationes deuotæ prælatorum cleri, & populi: Quoniam humanæ vires non possent sufficere, nec arma & gladii temporales, argumento canonis quo cauetur, *aliquando propter peccata populi datur malus Princeps & malus Prælatus*: quoniam populus obstantibus peccatis, non est dignus habere bonum Principem, nec bonum Prælatum. ad quod concordat lex diuina, cùm ait: *Propter peccata populi regnare faciam hypocritam:* Sic ergo possunt esse & præsumuntur Prælati & Principes mali, cùm eos malos videmus, propter peccata populi: & similiter eadē ratione imo fortiori creditur populus malus propter peccata & exempla perniciosa prælatorum, quorum factis plus credit populus quàm verbis, contra doctrinam Domini, cùm ait, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæ dicunt facite, sed quæ faciunt facere nolite.* Præmissis igitur, & aliis occasionibus perditionis animarum, nec nō verisimilibus impedimentis recuperationis & conseruationis Terræ Sanctæ cum summa diligentia consideratis, expertissimæ vestræ Regiæ Maiestati si cum effectu ad huiusmodi recuperationem & conseruationem proponitis, prout communiter creditur, laborare solùm propter ardorem retributionis æternæ, Sanctissimo patri & domino *domino Clementi*, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici in eius Terræ subsidium, vt creditur, præ cæteris omnibus negotiis intendentis, placeat misericorditer supplicare, quatinus taliter studeat reformare statum prælatorum totius populi & cleri Reipublicæ Christianorum, quòd virtutes spirituales & temporales eorum vnitæ, prout esse deberent, spiritualiter & temporaliter deuotè militando prosperè citò possint in dicta terra contra hostes, ipsius fidei Catholicæ victoriam obtinere, per diuinam gratiam perpetuò duraturam. Quod fieri posse videtur exemplo *Salomonis*, veram & solam sapientiam ab exercituum Domino postulando, quam sequetur, licet non petatur, nec peti debet, auri & argenti copia plusquam antè, nec non vera pax cordium & corporum; & per consequens scientiæ, plenioresque tam intellectuales quàm morales virtutes. Quæ reformatio status propter hos fines taliter deuotissimè postuletur, videlicet quòd *summus Pontifex*, qui circa maximam spiritualium curam plurimùm est honeratus & occupatus, ita quòd sine spiritualium præiudicio, regimini suorum temporalium sufficienter vacare non posse creditur, inspectis quæ super fructibus, prouentibus & exitibus, impensis deductis & oneribus solitis, ad ipsum peruenire sibique remanere consueuerunt, alicui magno Regi seu Principi, vel aliquibus, tradantur in perpetuam emphiteosim, receptis optimis cautionibus quæ cogitari poterunt super annua pensione, perpetuò libere, quacunque subtractione cessante, soluenda in quocunque loco patrimonii sic traditi, quem dominus Papa futurus pro tempore duxerit eligendum. Sic Papa, qui totius pacis actor & promotor debet esse, guerras non mouebit: homines non faciet in bellis subitò dirâ morte mori; sic perfectè vacabit orationibus, eleemosynis, contemplationi, lectioni, & doctrinæ scripturarum, correctionibus subditorum, iustitiam & iudicium singulis Catholicis faciendo, fierique curando; veram pacem, omnibus CHRISTI fidelibus procurando: taliter, quòd pacificè viuentes inter se, Crucifixi patrimonium recuperare veraciter studeant, & seruare. Sic Sanctissimus Papa thesauros non studebit aggregare, nec à spiritualium sollicitudine debita retrahetur: vitam ducet contemplatiuam, & actiuam fauente misericorditer bonorum omnium largitore. Item petatur quòd dominus Papa consideratis redditibus *Cardinalium* singulisque prouentibus, qui infernalia præsumptione, scandalo, & infamia possunt ad eos peruenire, statuat eis, quòd commodè pote-

rit facere, loco victus iuxta statu
Petri: quod si non sufficiat, rete
nis vniuersalis Ecclesiæ, præsertim
ça suas recipiunt consecratione
nem parcetur, in magnis seruitiis
pensis, quia remoti propter hoc
conferat ad hæc secundùm quod
profutura. Cessabit prolongatio
qui frequenter propter munera
extraordinaria munera & seruiti
Quibus sic factis, sub pœnis
de cætero munera non capiant,
que capientes & dantes etiam ac
quitaturarum sociorumque Car
omnium Cardinalium & quoru
norum, decedentium, subsidio
ta munitaque fuerit, applicetur,
corum quos decedere contigerit
cunque à Clericis beneficiatis de
cto subsidio relinquere compellantur.
in nullius bonis existentes; restitutione
debebantur defunctis, quorum non
incertis personis & indistinctè relicta,
præiudicio reseruari & adquiri poterur
Item petatur quòd patrimonia singu
rum seruitia facere tenentur, & discordia
stinere, similiter sub annuis pensionib
bus, perpetuò tradantur: si reci pientes
cremento, per licitationem tradantur
lor meliùs sciatur, ne perpetuò tradent
Quicunque *feoda* Prælatorum sic recipi
non soluerint prout actum fuerit pensio
ipsa Ecclesia suo valore non fraudetur.
hostis, perpendens per talia se fraudari
ter obuiari: Si prælati minus solito per
parcent longè ampliùs, etiam pecunia
tum, impensis propriis iusticiariorum
uerunt in suis regionibus, patrimonior
consideratis, prout eadem considerauit
pendere poterunt per hunc modum suis
aliàs non haberent. Tamen ob hoc & su
tabunt variosi, colores Rethoricos alios
uiandi: contra quæ, per suam gratiam,
Per hanc prouisionem sufficiet aliquibus
qui viginti vel pluribus robas cum mul
per hac prouisione debebunt multi for
sub annua pensione tenturi Prælati co
tifariam multisque modis, tam directis
præstabunt. Per hanc prouisionem
ctæ religionis Christicolarum in sua
lum quæret, omnes operationes ad illu
sonantia opera fugiendo: omnia erunt
dei, & eius exaltationem tendentia,
ait Philosophus, *Mundus est vnus*,
ercitus vnus, vnitate ordinationis
& intendit dux exercitus, victoria

... um conditiones ... no Papæ ... *rum* & prælatorum ... nedictiones ... neribus ... on adibunt ... vel minus Ecclesiæ ... electorum, & aliorum ... abant diu ... dinales statui suos ... imis, statui petatur ... apientes secum habeant ... imæ pœnæ statuantur ... um statuatur. ... que Prælatorum, tam maiorum quam mi... ræ Sanctæ quousque integraliter recupera... um omnibus bonis quorumcunque Cleri... atos. Item, statim petatur, quòd alii qui... tes, quartam partem bonorum suorum di... Item, & quòd singulæ res derelictæ, & aliis ... s debitæ personis ignotis & indistinctè quæ ... n ueniuntur hæredes; omnia legata caduca ... & alia quæ modo quolibet absque alieno ... lorum Prælatorum, eidem subsidio fideliter applicentur. ... s possint in curia quacunque seculari ... ratione quorum ... perpetuis, certis & idoneis ... non inueniantur, ad firmam ... biennium seu triennium, vt eorum ... super valore rerum fraudari contingat. ... bona contraplegia assignent, quæ ... Ecclesiæ, perpetuò remaneant ... res, si ipsam fieri tolerauerit ... ue vinculis & persuasionibus forti... beant, nihil amittent: quoniam sibi ... salariis aduocatorum, procurato... orum multorum, per quæ consue... sione, grauari. Quibus diligenter ... xit actor huius operis, Prælati per... magnum accrescere lucrum, quod ... multi, suadente Sathana, murmu... phisticos quærentes ... velit, qui omnia nouit ab æterno ... dare robas quatuor domicellis, ... impensis dare consueuerunt. Su... aduocati, quibus patrimonia ... salaria & alia proficua, quæ mul... indirectis, habere soliti sunt, non ... valeat, Respublica totius San... finem vnum sibi præfiget, il... ordinabit & disponet ... ad augmentum Christianæ ... erit rationi consonum ... *tus est vnus* ... finis ... omnes autem

hanc intentionem habere, & ad hunc finem tendere pro totis suis viribus debent: quod si fiat modo debito, vix aut vnquam à suo fine proposito & intentione fraudabuntur. Sic *mundus* debet esse ordinatus in vnum finem, videlicet supremum cœli & terræ rerumque omnium conditorem: hunc finem omnes quærunt, vt ait *Boëtius*: sed multi mali hoc faciunt, errantes; quia quærunt ipsum in tabernis, lupanaribus, furtis, rapinis, symoniis, & aliis illicitis: errantes sicut qui quærunt pisces in montibus, feras in mari. Qui hunc finem quærit vbi est, inuenit. Vnde qui perfecti sunt, seu esse debent inter homines, vt prælati, quærere debent hunc finem non in bellis, non in litibus & discordiis, præsertim secularibus, sed in lectione & doctrina Diuinæ Scripturæ, in orationibus, & agibilibus, quæ ad actiuam vitam pertinent, vt vitam ducant *Mariæ & Marthæ*; felicitatem contemplatiuam & ciuilem, vt vtar verbis Philosophi, consequantur: si ad seculares discordias & occupationes retro cedere nitantur, præmissis obuiantes, dici poterit illis & opponi verbum Saluatoris propter tales probatum: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno DEI.* Quod hæc prouisio sit optima, secundùm DEI omnipotentis ordinationem, *cuius actio*, secundùm Apostolum, *nostra debet esse instructio*, videtur inconuincibiliter probari posse. Suppono quòd ea quæ scripta sunt, in *Veteri Testamento* sunt figura & exemplar *Noui*. Item, suppono quòd Dominus Terram Promissionis, quam *Sanctam Terram* appellamus, quia per Domini præsentiam & opera, suoque sanguine sanctificatam, dedit Dominus duodecim tribubus filiorum *Israël*, quia sibi seruiebant, legem eius & mandata tenebant & docebant. Item suppono, quòd legem hanc magis intensiùs docebant & tenebant, & DEO seruiebant *filii Leui*, Sacerdotes & Leuitæ, quàm alii: & tamen Dominus voluit quod non haberent sortem in diuisione huius hæreditatis, præcipiens *Iosue* quòd eam diuideret inter vndecim tribus, & quòd tribus Leui, eius seruitio principaliter deputata, decimis fructuum aliarum tribuum esset contenta: & hoc, ne propter occupationem culturæ terrarum impedirentur & reuocarentur à diuinis officiis. Si ergo prælati pro suis patrimoniis possunt habere vnde viuant, etiam tantum quantum in veritate consueuerunt habere, deductis impensis & oneribus assuetis: nonne, si hoc recusent, dato quòd aliquantulum minus haberent, quod non credo, imo firmiter æstimo ipsos longè plus habituros, dissonabunt a doctrina & prouisione Domini? dimissaque Domini prouisione & prudentia, suis propriis sensibus factis & doctrinæ Domini contrariis, seu aduersis, repelli rationabiliter poterunt à Domino, dicente: *occasionem salutis animarum vestrarum vobisque subditarum gratis oblatam recusastis; occasionem perditionis animarum elegistis: sic retro respicientes, non estis apti regno meo: in hoc mandata mea, præcepta & consilia non seruastis: me & proximos vestros perfectè diligere recusastis, occasiones non diligendi perfectè & hoc probandi quærentes: non aduertentes Philosophum merâ ratione vtentem scripsisse: eum qui felicitari debet felicitate contemplatiuâ, oportet habere victum & vestitum & alia necessaria ad procurationem vitæ, licet non expediat quòd sit Dominus terræ & maris: non aduertentes etiam in Canone Sanctorum Patrum propter bonum exemplum scriptum esse, quòd* Socrates *ille vir* Thebanus, *diuitias suas proiecit in mari, vt liberè studere posset & contemplari. Vos autem voluistis non solùm diuitias, imò contentiosis etiam litibus ac guerris frequenter plenas habere voluistis; pacificas diuitias, quæ per quàm longè, quasi sine comparatione, minus contemplationem impediuissent recusantes.* Quomodo & qualiter respondere, & se excusare poterunt Prælati, si talem recusauerint facere ordinationem & prouisionem? Non videtur quòd pacis inimici, si hæc fierent, offensi & à suis desideriis plurimùm defraudati, licet videntes & recolentes omnia præsentia & præterita ab origine mundi, possent, pro impediendo probabiliter prouisionem & ordinationem huiusmodi, probabiliter respondere. quòd si quis facere tentauerit, expediret *in scripturis hoc facere, propter variationem & transmutationem verborum, quæ non possunt sine scriptura, etiam per eundem, diuersis temporibus, sine augmento & diminutione proferri*, vt ait lex ciuilis: cuius causa est harmonia motus cœlorum cum diuersitate aspectuum, & influentiæ corporum qui sunt in eodem. Cùm autem *in fine* quem quærimus, non sit transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, si Prælati se velint ei assimulare, variationes non quærent: rectà ratione non exemplis se tegent dicendo: *Multi Sancti Patres nostri, sacrosancta*

Romanæ & aliarum Ecclesiarum,
runt; sic tenere & viuere volumus
Patres per suam constantiam tempo
hæc possunt & faciunt: discordiis &
secundùm legem ciuilem, non
est; sed quod fieri deberet, & d
tem vtilitatem dubitare non
multa mala passi sunt, quia cre
nullo casu flectendas? Nonne
expediens? vix autem reperi
pediens omni loco, omni tem
tum hominum secundùm vari
fieri debeat cùm euidens vtilit
minus ac magister omnium sci
sic fieri doceret, & vt fieri non
mutauit in Nouo. Quod dicit
per hæc verba: *Non debet repre*
quandoque variantur humana: nam &
multa mutauit in Nouo. Hoc dicit regul
culosa est: parum est enim quod sub
neri per speciem derogatur. Vnde hic fu
cta, lege generali propter vtilitatem c
casu speciali sub regula contento, seq
fuerit, & debet, in illo casu, ne sequa
contrarium statui: quod dicitur, ius sp
pter specialem rationem derogans iu
gustinus doctor Anglorum, statuit, vt i
dinare nisi renuntiaret proprietati, in
perto, quòd multi vt ordinarentur si
bant; idcirco propter malum hypocri
sum qui statueram nullum ordinare nisi s
conspectu DEI & vestro, muto propositum.
suam regulam, suum statutum, quod
tauit propter abusum, cùm multi pr
guerras, seditiones & lites mouendo
curiosius, cum maioribus impensis c
non committent aliis curam defensio
retenta, ad instar illorum prælatorum
per alios exercent, prædaretenta?
per defensionem temporalium, spi
ri potest, quòd non obstat: Nam leg
quenter eueniunt, non quæ raro, se
cundùm plus & minus non æqualiter
gis impeditur, magis & fortiùs se app
cio, quorum prudentia stultitia est à
procurante, vt tales mundi gloriam pr
tur ad ipsos damnabiliter imitandum
niurarum hoste antiquo cum suo con
rante pro totis viribus ad omnem pe
uadendum & lucrifaciendum vnum
pterea spiritus nequiores se, quanto
ditionis animarum; videns omnia
sciens & prudens coniecturare de
endum propositum huius operis,
gregabit? cuius exercitus dæmonum
tentationibus, difficile multum erit
possibile. Quoniam ipse Sathan (quip

XXX.

XXXI.

XXXII.

filii eius; ſicut DEVS veritas,& veraces,in quantum tales,filii eius) mentiri poterit multifariam ſuadendo prælatis per argumenta apparentia ſolubilia, per mendacia decipiendo ipſos,ſicut decepit primos parentes noſtros. Certum eſt quòd hæc materia moralis eſt: idcirco vera concluſio per demonſtrationes oſtenſiuas probari non poteſt. Generales leges primò fieri conſueuerunt: & cùm ſequitur abſurditas, vel inconueniens quodcunque; nociuum in caſu ſpeciali, ſub legis generalitate vel regula contento, conſueuit fieri ius ſpeciale derogans generali: ſimiliter cùm abſurditas, vel aliud malum euidens ſequitur generaliter ex obſeruantia legis vel canonis generalis, per eum qui poteſtatem habet ad hæc, conſueuit,& debet fieri ius generale totaliter arrogans. Primùm ſic ergo lator ſupremus canonum, ſtatuere de nouo poterit quæ petuntur, fauore Sanctæ Terræ totiusque ſalutis Reipublicæ catholicorum. Statum autem *Prælatorum religioſorum*, ſimiliter expedit reformari: primò, vt Prælati omnes obedientias & officia rerum temporalium in ſuis manibus teneant, auferant à monachis, per idoneas ſeculares perſonas faciant adminiſtrari: quas eligant cum conſilio trium vel quatuor monachorum, præ cæteris prudentium & expertorum. Item petatur ſtatim quòd prælati religioſi ſua temporalia per quæ conſueuerunt interdum occupari circa forenſia, & in ſua contemplatione impediri, tradant in perpetuam emphiteoſim, ſicut & *ſeculares prælati*, etiam multo fortiori ratione. Ad quam traditionem in emphiteoſim perpetuam faciendum, ſeculares & religioſi prælati ſi dicant eſſe damnoſam, poterunt induci per Imperatores, Reges & Principes qui benè reſpici faciant, & oſtendant magnam partem ſuorum prouentuum, reddituum & exituum terrarum ſuarum, ſe impẽdere quolibet anno, ſuas terras regendo, defendendo, iuſtitias & ſua iudicia faciendo. Audiui quòd cùm *regni Nauarræ* redditus ac prouentus annui quinquaginta millia librarum Tur. paruarum annuatim valerent, Rex Francorũ, quia per alios regebat, deductis impenſis & honeribus regiminis & cuſtodiæ, vix inde quinquaginta millia ſolidorũ habebat. Si quis dicat Regibus & Principibus, quòd quilibet veſtrum, ius quod contra prælatos ſtatui requirit, ipſe eodem iure vtatur: vos ergo primò temporalia veſtra taliter tradatis, exemplum vt ſic faciant dantes Prælatis; aliàs ſuper hoc ſilentium habeatis: Reſponderi poteſt, quòd ſicut prælati ſe non poſſunt exonerare, regimen ſpiritualium aliis aſſignando: ſic eſt de Principibus reſpectu temporaliũ. Nam ſicut Eccleſiarum bona data ſunt & commiſſa *prælatis* propter regimen animarum omnimodè ſubportandum: ſic temporalia data ſunt & fuerunt *Principibus*, vt pacem vbique ſuorum locorum cuſtodiant, defendant, quibuſcunque malis reſiſtant, iudicium & iuſtitiam faciant, bonos vbique remunerando, malos puniendo, corrigendo: & cum Principes, maximè qui non recognoſcunt ſuperiores in terris, quo ad ſua temporalia, iuſtitiam habeant & conſueuerunt facere de ſuis iuſtitiariis delinquentibus ſeueriorem, quam de aliis quibuſcunque; & cum expediat ob leues cauſas eos ab adminiſtrationibus amoueri ad inſtar monachorum, vt propter timorem amotionis & pœnarum quæ per correctores & inquiſitores ſummariè procedentes infliguntur, quæ non poſſet ſic de facili contra perpetuò poſſidentes, aliàs fieri: Idcircò talia committere magis expedit ad tempus modicum, quàm in perpetuum, vt faciliùs puniantur, & ob leuiores cauſas cum minori informatione, & frequentiùs amoueantur. Sed quantum attinet ad prẹlatos longè expedientiùs eſt, eos iudicare per alios, quàm per ſe ipſos, & alia quæ ad hæc pertinent facere. Nam facilius contra alium poſſidentem pro prælato fient probationes, quàm contra prælatum immediatè. *Prælati etiam multi in multis contendunt ſe propter ſua facta perſonalia non poſſe per temporalium Principes de felonia, nec non ſuper quibuſcunque factis perſonalibus puniri.* Item contra alios poſſidentes loco prælatorum, faciliùs inuenietur conſilium quàm contra ipſos prælatos: aliique magis timebunt expenſas, pœnas, & emendas. Præterea Principes niſi circa regimen ſuorum ſubditorum eſſent occupati, remanerent otioſi: & ſic præſumitur quòd frequentiùs bellis & factis Venereis ocioſorum vacarent: quæ mali occaſio non eſt quærenda; eligenda, ſed vitanda. Item ſtatim petatur, quòd omnes *monachi* in locis & monaſteriis non conuentualibus morantes, ad Abbatias reuocentur, vt ibi religioſè viuant; ſed ne minuatur cultus diuinus locorum, in earum capellis ſingulis, ſinguli Capellani conſtituantur, qui victum habentes modeſtum, ibidem officia diuina

XXXII.

XXXIII.

singulis diebus celebrent. Item
Abbatia non habeat forensem
dum interdū habitationem mo
benè conuersantium, constitua
nachorū, vt monachi timentes
pter timorem habitationis tenu
cōuentuali, tunc prior & mona
tantur in claustro Domino ser
abbatiis, quatinus verè tot mon
augebitur, meliori modo fiet, A
tes extra claustrum, temporalit
ritualium perditionum & longè
positi. Sic omnia bona monaste
cet præsidentis in eis; qui non
siam regularem, propter thesau
mus obseruatum, reconditos, per
depositionem, contra ipsos pro
sum in hæc consumendo; & plura
mabus deponentium, & deposi
spiritualia & temporalia, notoria, scri
bonis receperat recepturusq; præsum
tat, propter bonum commune moue

Quid ergo præmissis deductis, si

XXXIV. Responderi potest, quòd secundùm st
lares nō sunt domini rerum ecclesiastica
ab institutione ecclesiæ percipere vi
tionem vitæ: totum residuum pauper
administratoribus, in præiudicium pau
tractatur in præiudicium CHRISTI p
furtum est, rapina est, sacrilegium est.
clerici, de residuo isto bonorū ecclesia
& idcirco finaliter debent amittere
bonis huiusmodi secundùm suas volu
nō tanta thesaurizent seculares, maxi
ter iuxta thesauros eorum vident, & n
tatur per *concilium*, statim, quòd maior
sioni Terræ Sanctæ, & sequenti quæ
tius Reipublicæ Catholicorum, misera
rum dictorum prioratuum: quod vide
scriptam. Quod autem necessitas, & e

XXXV. fortè minimè cogitatæ, sit, videtur decla
ad esse recuperationis & conseruationis
trisum nec tactum de iis quæ ad *bene esse*
enim habitatores illius terræ malè viuan
ficant homines, sed homines sanctificant loca, q
conuersantium, si homines quasi ex om
viuere incipiant, & assuescant talem mo
tura, quoniam naturam alterat, non eme
mandum expediet, quòd quilibet de sua
tiat *confessorem*, animæ medicum. Item &
periti & experti in talibus, vix & raro re
apud nos citò ditarentur: non transiren

XXXVI. sufficiunt. Item præsidentibus regno
tos fideles, peritos, qui linguas Arabū, &
gnoscerent. Fertur quòd in partibus Ori
Romanæ non obedientes, ab aliquibus
discordātes, quorū summus Episcopus,

vocatur [illegible], qui quingentos habet sub se Episcopos: & sic dicitur plures habere sub se quam dominus Papa: quos Episcopos, cum eorum populis, aliosq; plures, ab obseruãtia & obedientia ecclesiæ Romanæ dissonantes, expediret eidē ecclesiæ vniri & obedientes fieri, & cū ipsa communicare: quod non posset esse nisi ecclesia Romana, plures benè literatos in eorū idiomatibus haberet, per quos eis scriberet: nec Terra Sancta, & ei præsidentes succursum, auxiliū & communionem quo ad res possit habere, nisi similiter haberent plures benè literatos in idiomatibus eorum. Ad hæc enim, vt ait Plato, *Vbi [illegible] forma, ut [illegible] præsto fiant multa volunt at [illegible].* Si enim voluit Dominus, & expedit Romanum Pontificem vicarium suum, Petri locum tenentem in terris, fore caput vniuersalis ecclesiæ, omnesque sibi obedire, prout sanctorum Patrum statuta declarant: per consequens voluit, & vult Dominus omnia ad hæc necessaria & conferentia prouideri: aliâs non esset sua voluntas perfectè ordinata: cuius contrarium, esset hæreticum dicere. Quomodo ergo Romanus Pontifex qui linguas horū non nouit, qui ipsos loquētes intelligere non potest, nec ipsi eum, eos attrahet ad vnitatem & obedientiam ecclesiæ Romanæ? Quomodo amouebit errores à cordibus eorum, nisi per aliquos interpretes prudētes, fideles, qui priùs vtrusque linguam intelligant, mutuas voluntates explicent, respondere tam rationabiliter sciant ad obiecta barbarorum, quòd eorum opiniones erroneas destruant; per inconuincibiles rationes eos moueant, & attrahant ad veritatē professionis Christianæ? Sunt etiam, & erunt multa alia ad hæc conferentia quæ in sequentibus apparebunt, & per sequentem prouisionem, agente Domino, finaliter, non subitò, poterunt obtineri. Romani enim Pontifices, quoniam ad tantæ dignitatis apicem vocātur ætate prouecti, propter curā tanti gregis sibi commissam plurimū occupati, nullo modo possent idiomata taliū addiscere: & si scirēt, nō irent ad illos, nec illi venirēt ad eū; nec tales interpretes parati sunt, nec inueniri possent pro omnibus mundi thesauris, nisi de longè prouisi: qui fortè temporaliter non proderunt prouisionē inchoanti, ad instar *Moysi*, qui Terram Promissionis non vidit, & tantùm, prout scriptum est, & vltrà, super eius cōquestu laborauit. Nō propter hoc obmittat summus Pontifex prouisionem salubrem inchoare. Si Dominus propter peccata morbos infert, & mortē præmittit, fortiori ratione pater misericordiæ propter bona desiderata & intenta, vitā prolongabit inchoantis. Nonne scriptū est: *Discite, vt semper victuri; sed viuite, vt cras morituri.* ¶ Propter hæc autem, & alia bona innumerabilia obtinēda, quæ omnia præuideri & scribi non possunt, velit statuere sanctissimus pater *dominus Pontifex Romanus Clemens quintus*, veram Christianæ Religionis, quæ per operas hominū subitò procurari nō posset, appetens vnitatē, ex quæ sequuntur, operāte DEI misericordiâ feliciter augmētanda, perficienda, mutādā prout sibi suisq; prudentibus, statū mundi pleniùs cognoscētibus, visum fuerit opportunū. Videlicet quòd in qualibet prouincia, secundum locorum facultates in hæc applicādas, populorū multitudines, in locis huiusmodi Prioratuum Tēplariorū, vel hospitalariorū, quæ ad hæc magis fuerint opportuna, statuantur duo vel plura *studia puerorum*, & ferè totidē puellarum, qui eligātur vt ibidē instruantur in ætate quatuor vel quinq; annorū: eligātur videl. per aliquem sapientē Philosophum, dispositionem naturalē verisimilem ad perficiendū, secundùm doctrinā philosophicā, cognoscentē. Ad hæc, assumātur nobiles vtriusq; sexus, si & quatenus inuenirentur: postmodum alii qui continuè doceantur, secundùm formam infrascriptā, per prudentiores mutandam, perficiendam, & augendam. Qui sub tali lege assumentur: quòd nunquam de cætero parentibus suis reddentur, nisi omnes impensas propter eos factas præ manibus reddiderint. Alii de studio in studiū mittentur & demū in Terram Sanctam, & in alias regiones: prout sancta Romana ecclesia per deputatos ad hoc, duxerit ordinandū. Qui studētes & eorum doctores, viuēt de bonis dictorū prioratuum, & de bonis prædictæ prouisionis Terræ S. prout *Magistri prouisionis*, à metropoli locorū cum cōsilio peritorum suffraganeorū electi, melius viderint expedire. Isti omnes primò in *lingua Latina*, in tantum quòd eam sufficienter intelligant, vel ante paulatiuè instruantur: postmodumque pleniùs, quidam eorum in lingua *Græca*, alii in *Arabica*, & sic de aliis idiomatibus literarum, maximè verò Catholicorum: vt demum per istos in loquendo & scribendo secundum linguas omnium instructos, communicare possit per ipsos ecclesia Romana, et [illegible]:

XXXVI

XXXVII

Principes Catholici, cum [illegible]
[illegible] eius capitis attrahend[illegible]
[illegible] in quo iuniores præferátu[illegible]
cti, in quo aliqui citò in articulis Fi[illegible]
rum aliqui citò in articulis [illegible]
tur: vt instructi, quamprimùm [illegible]
ram animarum gerendam, v[illegible]
populo prouideatur. Alii in[illegible]
quàm equorum, per quos [illegible]

XXXVIII. *Puellæ* in Medicina [illegible]
niri. [illegible]
instruantur: istæ sic instructæ, [illegible]
licet nobiles, & aliæ prudenti[illegible]
Regionum suarum, Terræ Sa[illegible]
sint maioribus Principibus, c[illegible]
sic ornatæ ad impensas dictæ [illegible]
pensas maritatæ maioribus, etiam [illegible]
runt, prouisioni prædictæ; & [illegible]
mensura taliter augeatur. Expedi[illegible]
res habent, & qui beneficio matrimo[illegible]
renuntiare minimè voluerunt, tales [illegible]
& sacramenta more Romano cred[illegible]
credendum, & sacrificandum con[illegible]
& occasionibus illis, quę per consili[illegible]
sapientem, ad idolatrandum. Istæ pr[illegible]
tas puellas de huiusmodi prouisione
bus maritari, præsertim cum clericis
rent, secundùm ritum Romanum c[illegible]
rum ad ritum Romanum per hæc in[illegible]
istæ per exercitium medicinæ, & chi[illegible]
mitatibus & necessitatibus earum: [illegible]
nobiliores & ditiores aliis matronis, [illegible]
sciri possent vbique notitiam habent[illegible]
dentias earum sibi profuturas admit[illegible]
rent ad communicandum cum ipsis

XXXIX. sacramentis. Item quicunque
matibus Catholicorum Orientalium [illegible]
eos tales eleganter literatos, per qu[illegible]
regionum: qui sapientes Græci de [illegible]
diis remotioribus essent plures in Gr[illegible]
ad proficiendum viderentur benedi[illegible]
dum, audiendum, & postmodum leg[illegible]
dum, [illegible] scientiis *Mathe*[illegible]
Astronomia, aliisque scientiarum essent stu[illegible]
dicina: quarum scientiarum per inuidiam, aut ali[illegible]
cem impedirent *per inuidiam, aliter sunt inuidiosi*. Tunc
Philosophi [illegible] intelligo de aliis idiom[illegible]
[illegible], & idem intelligo peritissimos in [illegible]
[illegible] cum ipso, disputando, consulend[illegible]
res de illa terra, qui posset sapientiæ Rom[illegible]
vt non esset qui posset [illegible]
commendaretur & timeretur in parti[illegible]

XL. ut Regina Austriæ commendauit sapi[illegible]
[illegible] prouisionem, instructorum [illegible]
sionem, contingeret nobis Occidenta[illegible]
illis abundantes, nobis deficientes, &
communicari, [illegible] Catholicorum
[illegible] quæ ad nos [illegible]
[illegible] abundant, & viles [illegible]
[illegible] *Philosophus*, [illegible]

[illegible]

quod

quòd ita res suas disposuit in hoc mundo, non sine causa, DEVS gloriosus & sublimis, qui omnia in mundo inferiori existẽtia fecit propter hominem, & nihil frustra ordinauit. Si enim, homo in hoc mũdo omnia desiderata per ipsum haberet pro libito voluntatis superbiendi desiderandique, hîc inferiùs semper manere, nõ ad superiorem patriam conuolandi desiderium haberet, suum appetitũ in rebus infimis figendo: & sic homo nõ esset ordinatus, quia se non ordinaret ad suum creatorem. Nonne benè dixit *Boëtius*: *solum illud est, & debet reputari esse in mundo quod tenet ordinem, seruatq́ naturam.* Idcircò dixit quòd mali homines non sunt, & quòd peccatum nihil est: ex quo concludebat ille prudentissimus frater *Thomas de Aquino*, vt audiui in quodam suo sermone, sic: *Quicunque peccatum faciens, seruus est peccati: sed quicunque seruus, minor est quàm dominus, & peccatum nihil est: Ergo quicunque peccatorum, minus est quàm nihil.* Sic autem *Philosophus* ait: mundus est vnus vnitate ordinationis sicut exercitus: Exercitum autem vnum facere per vnitatem finis ad quem tendit, qui est victoria, principaliter pertinet ad Ducem & Principem exercitus: Similiter totum mundum vnum facere, principaliter pertinet ad eius Monarcham.

XII.

Modò non est homo sanæ mentis, vt credo, qui æstimare verisimiliter posset in hoc fine seculorum fieri posse quòd esset totius mundi, quo ad temporalia, solus vnus Monarcha, qui omnia regeret, cui tanquam superiori omnes obedirent: quia si ad hæc tenderetur, essent guerræ, seditiones & dissensiones infinitæ; nec esset qui posset eas sedare propter multitudinem populorum, remotionem & diuersitatem locorum, naturalem inclinationem hominum ad dissentiendum: licet aliqui vulgariter vocati fuerunt mundi Monarchæ. Tamen, postquam Regiones fuerunt de hominibus populatæ, non credo quemquam fuisse cui omnes obedirent. Non legitur vt credo, Occidentales citra Græciam habitantes, etiam Regi *Alexandro* subiectos fuisse, nec eius Imperio paruisse. Sed verisimile est quòd *in spiritualibus possit & debeat esse Princeps vnicus & Monarcha*, qui spiritualiter percutiat & distringat vsque ad Orientem, Occidentem, Austrum & Septentrionem quod non video posse contingere, nisi factâ prouisione notionis linguarum, modo præscripto, seu meliori. Nam & ipse Dominus, qui omnia nòuit & in figuris & parabolis ac similitudinibus aliis docuit, nobis relinquens exemplum, Apostolis suis & discipulis Euangelium omnibus populis prædicaturis notitiam dedit omnium linguarum & sapientiæ prædicandi, dicens: *Cùm veneritis ante Reges & præsides nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis.* Non fuit, nec est, nec erit alius ab ipso, qui tantum munus, tantam gratiam potuerit nec possit donare: ipsi soli taliter reseruatur potestas quæcunque miracula faciendi. Quoniam ei nihil est impossibile, quod esse possit secundùm rerum naturam: quoniam non potest facere quòd aliquid sit ens & non ens simul: hoc est, quòd duæ contradictoriæ propositiones sint simul veræ: idem in contrariis, quantum ad veritatem: nec non & quòd omnes creaturæ quæ sunt & fuerunt, per se non possent minimum facere miraculum. Si DEVS omnipotens miraculosè dedit prędicatoribus quos elegit & misit per vniuersum orbem, notitiam omnium linguarum, & potestatẽ loquendi secundùm eas, ac si nati fuissent de singulis Regionibus, ad hunc finem quòd procurarent omnes baptizari & credere, & Petro Principi Apostolorum obedire, omnium credentium vnam faciendo Rempublicam: quare successor Petri CHRISTI vicarius & præ omnibus imitator, qui non potest subitò miraculosè dare scientias, notitiam linguarum, & facultatem secundùm quamque loquendi, non prouidebit, ex quo ostenditur ei non solùm possibilis imò sibi facilis, non sumptuosus, parumque, quod ad ipsum, laboriosus modus faciendi de discipulis linguas omnium scientibus & intelligentibus ac loquentibus, vt mittantur ad prædicandum; & cætera subsidia illis quibus prædicabunt expedientia non solùm quo ad animas imò etiam quo ad corpora faciendum? ad quæ *Medicina*, & *Chirurgia* præcipuè expediunt: cuius prouisionis, & præuisionis actori, & ordinatori, creditur, licet non perficiat & attingat ad finem intentum perfectæ vnionis Christicolarum in fide & obedientia, summam remunerationem æternaliter faciendum: diuinâ misericordiâ principium, medium, & finem operis consummante. Propter quod impetrandum pro actoribus huius prouisionis & benefactoribus, in studio quolibet eiusdem diebus singulis, vnum legi *Psalterium*, à quolibet suam partem, quæ modica erit,

Matth. 10. 18. 19.

statuatur: item *Missam* vnam [illegible]
cunque benefactores, viuente[illegible]
Huius verò prouisi[illegible]
ctent. [illegible] quæ plus lon[illegible]

XLII. moda temporalia, quæ plus lon[illegible] [illegible]
sum bonis fient impensæ, quàm [illegible]
vix aut nunquam contingeret, [illegible]
pauperum modernâ multitudi[illegible]
Orientalium quam patimur, qu[illegible]
moderatis: quod sine cuiusquã [illegible]
solita pericula, & impedimenta [illegible]
cursu hostium Terræ Sanctæ, [illegible]
poterit præcipere & curare citi[illegible]
lue de bonis nostris reportari, [illegible]
tandi, vt taxentur precia rerum [illegible]
quotidie mercatorum. Item [illegible]
non Reges & Principes regio[illegible]
bonis pro parte fundabuntur, [illegible]
runt non solùm species, sed qu[illegible]
Orientis habere desideraueri[illegible]

XLIII. teris caristiæ. Quid plura [illegible]
velint vti, cum distributione debita, [illegible]
viuentem præuideri omnes, [illegible]
phus: augentur autem dæmones non [illegible]
Fortè *maioribus Sarracenis*, quibus alii [illegible]
suas, alia bona rapiunt, poterunt da[illegible]
non communicent cum eorum idola[illegible]
rum prædicantium, & vt subsidium [illegible]
possint confidere, poterunt ad fidem [illegible]
poterit apud ipsos nostra Fides public[illegible]
res, eò quòd quilibet ipsorum multa [illegible]
& potentes intra ipsos, luxuriosam [illegible]
vellet vnum habere solum magis (ne[illegible]
xores non haberent nisi vnum. Ideir[illegible]
quentant earum terras, audi[illegible] quod [illegible]

XLIV. rentur ad nostram, vt quilibet vir ha[illegible]
enim & concordiam generalem om[illegible]
rium, modo præscripto firmatam, ne[illegible]
abbreuiationem, tanquam per causa[illegible]
sequitur Catholicos longè plusquam [illegible]
ratos, locupletes, longæuiores, ad sub[illegible]
cùm inter se guerras non haberent, ne[illegible]
tem pœnarum amittendi *terras vacales* [illegible]
uicem diligentes Principes Catholici [illegible]
terent contra infideles innumerabiles [illegible]
mansurorum ad perpetuò seruandum [illegible]
Catholicorum obedientium ecclesiæ [illegible]
mnes Rempublicam vnam, & affect[illegible]
mnes Rempublicam non habentes: ad quodam [illegible]
proximè Republica fortiter augeretur. [illegible]
dum de regno in regnum; vt de *Indis* [illegible]
Romanos, de *Romanis* ad *Citramontan*[illegible]
[illegible] Catholicorum vnam [illegible]
& studium suscitet in omnibus locis [illegible]
hæc, respublica mundi Monarchiam [illegible]

XLV. temporis obtineret: quod quo ad spi[illegible]
vatur & apparet verisimiliter obtentu [illegible]
possint & debeant scholares huius [illegible]

[illegible] & aliam prosectulis: vt actores & [illegible] mortem, diuturnam remunerationem expe[illegible] & ab ipsis per eamque. Procedent [illegible] erunt communitatibus Regionum, de qua[illegible] ent huiusmodi bona, si etiam fideliter, quod [illegible] bus erogantur: communiter consideratis [illegible] sâ, penuriâ; specierum, & aliarum rerum [illegible] unicabuntur omnibus catholicis pro precia [illegible] mine fieri poterit: quoniam cessabit plurima [illegible] & terrarum [illegible]

[illegible] Papa, Cardinales [illegible] discipulos huiusmodi prouisionis [illegible] quæ res caras & pretiosas [illegible] rem commoditates huius prouisionis [illegible] actores & discipuli eiusdem: per vnum solum [illegible] per media, sed in post assumendo, & in latus [illegible] iniuriantur, guerras mouent, auferunt terras [illegible] *vxores* petitæ prouisionis [illegible] tria: per quas cum auxilio Dei [illegible] habeant a catholicis [illegible] catholicam induci & perduci, paulatimque [illegible] habet: vitam etenim, ducunt omnes diuites [illegible] præiudicium vxorum, quarum quælibet [illegible] mulieres illius sectæ de facili mulum [illegible] vxorem vnam tantùm. [illegible] 30

Per pacem [illegible] catholicorum ecclesiæ Romanæ paren[illegible] guerrarum & litium [illegible] scribendam [illegible] agente rerum omnium conditore, [illegible] fuerunt, futuros esse virtuosos, lite[illegible] barbaras nationes potentiores, quia 40 [illegible] erent habituros, [illegible] idcirco verisimiliter [illegible] seu saltem, vndique mit[illegible] pugnatorum, in acquirendis terris [illegible] plusquam, paulatim Respublica [illegible] amorem & charitatem ad D[illegible] conferret si *Philosophiæ studium* [illegible] militiæ hactenus [illegible] & de *Assyriis* ad [illegible] legimus per historias [illegible] regnis & locis [illegible] 50 [illegible] c in posterum [illegible] obedientiam, non [illegible] Quòd autem in modico tempore [illegible] is valdè plus [illegible] expediat [illegible] ficere,

[illegible], poteſt ſic declarari, concitando peritos & expertos *prouiſionis doctores*, ad proficiendi modum, artem, experientiam & ſtudium augmentandum. Eligantur pueri quatuor quinque vel ſex ad plus annos habẽtes, ad proficiendum capita benè figurata & diſpoſita, nunquam ad ſuos parentes niſi de licentia prouiſionis reuerſuri: quorum centum vel plures inſtruantur in vno loco ad hęc benè diſpoſito, primò in lectura *Pſalterii*; poſtmodum in tertia parte diei *in cantu*, & pertinentibus ad hoc; in aliis diei partibus ſucceſſiuè, in *Donato*, more Romano confecto, in accidentibus, declinationibus, & ſucceſſiuè in aliis Grammaticalibus, puer cùm audiet librũ *Catonis* & alios minutos actores, quatuor lectiones habeat in die magnas, prout ingenium poterit ſuſtinere, ſuper quibus non ſupinet. Audiat primò doctorẽ legentem, poſt alium repetentem; poſt quem ſtatim toties repetat quòd ſcire videatur: declinationes & regimina vocum dicantur eidem primo, poſtmodum repetat citò ſuper quolibet interrogatus, regimina dicãtur eidem in hyeme ſolùm de nocte Latinum faciat: quod cùm aliquantulũ facere cœperint, ſemper loquantur Latinũ, ſe in hoc omni loco & tempore aſſuefacientes. Poſt aliquos actores minutos audiant *Biblia* pueriliter ter vel quater in die, de hiſtoriis eius & poëtriarũ tantum per ordinẽ Latinum faciant, quod non ſcribant niſi rudes. Cùm incipient diebus primò cõſtruere ſolẽnibus conſtruatur eis *Graduale*, poſt ea *Breuiarium*, non *Miſſale* niſi in Biblia: conſtructo Breuiariò, cõſtruatur eis *Aurea Legenda* Sanctorum, & hiſtoriæ poëtarũ proſaicè & breuiter extractæ: ſuper iis hiſtoriis quæ proderunt eis in futurũ non ſupertruſis ſolitis materias faciant, ſeu quod propriùs eſt latinizent: tunc nihil amittent de tempore otioſo, prout hactenus factũ eſt: omnes materiæ quas facient perpetuò ſibi proderunt. Cùm totã Bibliam audierint, repetant eam quilibet in die ad minus ſexternum vnum; ſimiliter de hiſtoria Sanctorũ: & Poëtarum verſus planos tãtum modico tempore faciant: demum cum debebunt audire *Logicam*, in tribus mẽſibus æſtatis omnes Poëtas audiant. Videlicet primâ die *Catonem*, ſecundâ *Theodolum*, tribus ſequẽtibus *Tobiam*, & ſic de aliis: qualibet die, per duos doctores ſex audiant lectiones, quas ferè totas per ſe poſſent videre, præſtitis hiſtoriis, & figuratis vocabulorũ communiũ. De talibus ſcripturis, vbi nõ queritur niſi ordinatio & notio figuratorum, poteſt quilibet iuuenis ſtatim cùm incipit proficere tantùm, videre, & legere ſicut de vno *Romantio*. Quolibet tempore anni de die & de nocte deductâ partitione ſomno deditâ, circa hæc continuè laborãtes, benè diſpoſiti ad proficiendum, infra decimũ ætatis ſuæ, vel ſaltẽ vndecimum annũ, alii infra duodecimum ad minus, hæc, dante Domino, ſcientiarum omnium, poterunt peregiſſe. Inter quæ præmiſſa, pueri, prout eorum Doctores viderint expedire, *Doctrinale* audiant, quatinus attinet ad declinationes nominum & verborum, & vltimò *Græciſmum*. ita quòd ſenſum literalem breuiter cõprehendant, in ſolemnitatibus aliis nullatenus inſiſtẽtes.

XLVI. Quibus ſic peractis pueri mutent locum, & in alio ſtudio, *in Logicalibus* incipiant doceri, ſimulq; in *Græco*, *Arabico*, vel alio idiomate, quod prouiſores duxerint eligendũ: in lectura cuius idiomatis noui, in figuratis vocabulorum, & ordinatione illorũ, quo ad Grammaticalia, primò doceantur; in *Logica* tractatus audiant, & ſummulas ob eorum expoſitionẽ confectas: procuretur quòd per aliquẽ in hac arte ſapientẽ extrahatur eis breuiter, & planè ars in quolibet libro logicali per *Philoſophum* obſcurè tradita & ſubcinctè, vt poſt tractatus, illã artem breuem, ſcriptorum expoſitione non egentẽ, audiant bis vel ter in modico tẽpore: poſtmodũ libros audiant ſemel ſolemniter. Quod ſic perfici deberet infra quatuordecimum annũ: tunc incipiant audire *Naturalem ſcientiam*: propter cuius prolixitatem & profunditatem, expedit naturalia *fratris Alberti*, cõtinentia prolixè totam intentionẽ Philoſophi, cum multis additionibus & digreſſionibus, quantum magis fieri poſſet, abbreuiari, tam planè quòd intelligẽtes legere poſſent hoc extractum ſufficienter ſine ſcriptis. Hoc extractum, audirent iuuenes totum primò anno quatuor lectiones in die ſine quæſtionibus: hoc idem audirent ſecundâ vice cum quæſtionibus: poſtmodũ audirent ſemel libros prout leguntur in ſcholis. Item expediret quòd quæſtiones naturales haberent extractas de ſcriptis tam fratris *Thomæ*, quàm *Segeri*, & aliorum Doctorum ordinatas omnes de vna materia: vt, de materia prima, de forma, cõpoſito eius, generatione, corruptione, de quolibet ſenſu, eius obiectis, de qualibet potẽtia animæ, operationibus & naturis earũ, de elemẽtis naturis & operationibus eorum, de cor-

poribus cœlestibus, naturis, in
dẽdo, quòd materiæ de facili p
esset multum difficile talitec
quæ de facili modico tẽpore p
retur, & ad memoriam reduce
videl. monosticam, ethicam,
Ethicam vidi per decem libros
quâ præcognitione habitâ, sem
in naturalibus ordinatis, cũ pa
niam argumentorum multitud
quàm scientiam inducit. Quib
rent Biblicè, & librum sñrum
qui debent esse prædicatores p
sic facerent, aliis sufficeret sem
expediret quosdã per bienniũ Leges
audire. Postmodumq; *Decretum* &
Clericaliter in ecclesia DEI vi cturi
Decretũ: seculariter victuri, possent
& canonico longiùs insistendo. Qu
possent hoc facere quãuis expediret
tanguntur principia quæ sunt funda
Philosophus, *communicant autem omne*
principia cognoscere, vel saltẽ non ig
res, cognitâ Logicâ paululũ, & magis
hominum & equorũ audiant; & cũ hoc
liùs fuerint capaces, vt profectiùs attẽ
næ cooperante. Isti Medici & Chirur
XLVII. rum auxiliis ægrotantibus pleniùs sub
mento eorum quæ vidimus: quid pro
poterunt, per bienniũ Leges audire?
bũt, parùm proderit: tamen propter
rent; si tamẽ libros secũ portarent, lon
quos sic audituros, qui libros secũ por
libros; & propter bonum scientiarũ
solũ studium notos, scolis defertis. Ist
tes & populos gubernaturos, & iudic
ne, planas, breuiter, & clarè, semel ta
fectas sententias cõtinentes, vt intell
leges vnius materiæ, sub vno titulo c
rari possent intelligere & capere sine
abbreuiatum, & Decretales, vt scolares
sub breuitate generalia & specialia iura
re possent: quibus mediantibus cum
neralibus & spãlibus viribus pro assu
te, libris acquisitis perfectiùs in eis stud
portatiui pauperum, & etiã eorum qui
sophiam, & Theologiam, solitum & n
voluminum non apponerent: eò quò
& seculariorum negotiorum, raro permitt
iura ciuilia, & canonica tam prolixa, c
dociles modo præscripto studium cõti
poterunt in philosophia, iure ciuili, can
dicãdi experti. Nã scriptura *Veteris & Noui Testamenti*
cognita, repetita solemniter cum *libro*
ptionem Philosophiæ, sufficienter ext
reportandũ, ac memoriæ commendan
ità quòd prædicandi modus sic assuefa

& motibus eorum: ad talem ordinem ter-
uenire, & propter ordinẽ faciliùs sciri: quod
licet multùm proficuum in via doctrinæ,
modum adquireretur, acquisita conserua-
Quibus sic factis audirent Morales scientias,
cam & politicam sic extractas & abbreuiatas
uiatã per magistrum *Hermannum Alemannum*;
irent libros solemniter cum quæstionibus, vt
gumentis in quacunque scientia scriptis: quo-
gis confusionem intellectus & iudicii rationis, 10
factis in anno vno, quia bis in die *Bibliam* audi-
nè, cum quæstionibus in Naturalibus obmissis.
os vel tres annos sic audirent: quorum si aliqui
ire anno vno seu minori tẽpore. Postmodum
audire: & perfectè quinque volumina possent
Decretales; bis decretũ in die, & decretales semel.
Possent obmittere leges, sed non Decretales &
obmittere Naturalia, Moralibus, in Iure ciuili
Qui verò vellent audire *Medicinam*, post naturalia
Bibliam & sũmas non ignorare: quoniam in cis 20
menta omnium scientiarũ: iuxta id quod dicit
scientiæ: & valde magnũ est, omniũ scientiarũ
norare. Qui verò in addiscẽdo fuerint rudio-
Cùm erit possibile Naturali scientiâ, *chirurgiam*
si fuerit possibile *Medicinam* videl. illi qui me-
Chirurgię possint apprehendere, arte Medici-
gi vxores habeant similiter instructas, cũ qua-
ueniant. Aliquis poterit opponere, argu-
derit eis qui secum tot volumina portare non
respondeo, si libros non habent cùm debe- 30
canonica proficiet eis, & notorialiter igno-
magis proficeret. Supponere debemus ali-
hunt, & aliquos non portantes, acquisituros
fundamentum profecturos etiã per libros, per
scolares modici tẽporis, magnas ciuita-
expediret habere *Leges* in vno volumi-
bisq; similium repetitione scriptas per-
ent & legis sine glosis & scriptis: omnes
tendendo taliter, quod aliàs benè lice-
similiter expediret habere *Decretum* 40
temporis, ex iuribus cõfusis & prolixis,
liber materiæ, retinere, scẽmque post-
tia, se & alios ciuiliter regere: hi ge-
habituatis, experientiâ cooperan-
cabbreuiata & extracta, forenses libri
as scientias occupati, vt circa Philo-
um studium adnotauit magnorum
vitæ hominum & occupatio spiritualium
ines perfectè studere & cognoscere
sophia & Theologia. Tamen benè 50
infra triginta annos ætatis suæ, scri-
diuino valde pertinẽt in modo præ-
Testamenti, cũ *Legenda Sanctorũ* in pueritia
vt præscribitur anno vno post ade-
pueritia disponet eos ad intelligẽdum,
singulis diebus festiuis prædicationes,
erit eis quasi naturalis: iuxta id q; recitat
Philosophus

Philosophus Platonem docuisse pueros assuefieri in operibus virtutum, vt processu temporis sint in eis quasi naturalia,& ad ea tāquam ad naturalia moueantur. Nam, vt dicit ibi, *consuetudo, altera natura est*: id est,alterat naturam. Quòd sic expediat prælatos, ecclesiæ rectores, edoctos esse in Philosophia,Theologia,& in vtroque Iure,vsu & experientia scientiarum huiusmodi, satis docuit experientia,suprema rerum magistra, prout clamant multi sacri Canones, considerantibus defectus illorum prælatorum,qui solū *Ius Ciuile* sine Canonico & Diuino,licet multùm profundè, didicerunt: Item & eorum, qui solum *Ius Canonicum*,vt sunt aliqui canonici regulares & monachi: Item & eorum, qui Philosophiam & Theologiam nouerūt. Nam prelatus non solùm per alios,sed etiam,vt magis moueat & ædificet,ac timeatur, per se ipsum facere debet ea quæ pertinent ad felicitatem contemplatiuam & actiuam: iuxta illud verbum Euangelii,*cœpit IESVS facere & docere*. Licet scriptum est, per supremum aduocatum, *Maria meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea*: tamen hoc non sufficit prælatis quo ad subditos. Si prælatus velit totaliter ad instar *Mariæ* contemplationi vacare, debet religionem vel heremum intrare, prælationis virgam alteri dimittendo. Et si prælati vitam vtramque gerere,& secundùm eas beatificari tenentur, debent instrui in pertinentibus ad vtramque, in tantum quòd sit verisimile sibi sufficere posse, prout humana fragilitas potest comprehendere & acquirere scientiæ notionem : in qua acquisitione & sufficientia scientiarum, nullus debet finem & perfectionem supremam apponere, vt quiescat,tanquam sufficienter instructus: quoniam non potest esse in hoc mundo quisquam tam perfectus,quin ipsum instrui perfectiùs expediret:solus DEVS in fine & termino perfectionis esse potest. In *Mathematicis* verò scientiis propter plures earum vtilitates, præcipuè tactas in libello super vtilitatibus huiusmodi confecto per fratrem *Rogerum Bacon* de ordine Minorum, expediet aliquos huius prouisionis discipulos instrui, prout in illis sapientes commodiùs & breuiùs viderint expedire : in illis quæ prodesse poterunt ad acquisitionem & conseruationem Terræ Sanctæ potiùs insistendo. Quemlibet catholicum præsertim literatos expedit cognoscere figuras, situs & loca * celorum, eorum magnitudines, figuras; orbium cœlestiū spissitudinē, eorum magnitudinem; Solis,Lunæ,& aliarum stellarum velocitatem,motus & influētias; & quantū terra respectu eorū minima,& respectu hominis maxima: vt hiis admiratis,laudetur actor eorū; & repulsa concupiscētia mundanorum, non superbiat homo propter ea quæ in mundo qui omnia cōtinet, & eius respectu nihil sunt hæc omnia inferiora,quia quasi nihil debent reputari. Sic prout fiet à multis,aliquis opponat,*sufficere possunt, & hactenus sufficerunt addiscendi modi quos tenuerunt Patres nostri*, quorum scriptor huius operis non esset dignus soluere corrigiam calciamenti. Responderi potest quòd super hoc dignus non essēt concedendo,tamē scriptor operis huius,naturali desiderio recuperationis & cōseruationis Terræ Sanctæ motus,considerauit pluries & respexit nociua & conferentia: ad instar ortolani qui primò tollit vrticas,spinas,& tribulos,antequam serat frumentum aut alia,quę prospera colligere proponit. Idcirco de iis tetigit,nec non de modis addiscendi prædictis,conferentibus ad benè esse conseruationis,ac etiam acquisitionis dictæ Terræ: in qua quousque benè fuerit sedata & à guerris semota, scolares non possent benè proficere, nec vnde proficerent habere; nec fortè reperirent doctores, qui ipsos ad proficiendum in scientiis conferentibus ordinarent. Nam doctor quilibet vellet in sua doctrina, & sub ea diu tenere scolares : credit communiter enim quilibet suam scientiam meliorem, & vtiliorē aliis omnibus: & quod plus est, plerumque credit quilibet scientiam quam nouit, & quam desiderat cū possibilitate scire,ad sui mundique regimen sufficere : cùm nō solùm summa sapientia, sed etiam cum ipsa experientia agibilium,ad mundi regimen requiratur. Nec benè sufficit scientia in vno, cum experientia alterius,nisi ista duo coniungātur: quòd cōtingere non posset,nisi studendi modus & tempus abbreuientur, vt periti scientiarum, ita citò veniant ad experientiam quòd ipsam longo tempore possint acquirere & vti, antequam desipiant per *senium* organorum animæ rationali & eius iudiciis deseruientium : iuxta id quod ait Philosophus, *Organa sensuum senescunt, non virtutes*.& simul cum intelligimus necesse est, fantasmata speculari. Et licet intellectus non sit virtus organica, tamen organis indiget : quæ organa propter humiditatem, & frigiditatem citiùs se-

XLVIII. XLIX. L. Luc. 10, 42.

nescunt, & debilitantur, in te-
rum regionum prudentiores
decrepiti frigidarum regionu
sunt: quoniam excellentiæ sci
expedit quòd iuuenes ita ero
lium veniant robusti, diuque
primò scientiis, & postmodum
corpora possint diu regere, tal
rè sit summus. Non studeant ergo
immò per DEI gratiam, impe
dem obmisso, totaliter expedi
ria pati poterit, rhetoricè stud
phisticandi, & sophisticos syll
principia inuenire, sed ipsis inuenti ... *facile*
ab aliis inuenta ... *emendare* ... *non*

LI. quolibet verò studio prouisio
ad transfretandū: qui, prout p
cti, alios doceant, & demum
Arabicos, Chaldæos, & sic de aliis
tur, expediet quærere, pro instruend
res nostros, & alios quibus sufficient
tum ad non literatos, fore possint
Latinos videmus sub quolibet litera
gagia, quorum communis, prout a
eis qui ad diuersa discendum sufficie

LII. ius prouisionis, videlicet robustiore
cessu temporis reperientur in doctri
deseruientibus arti militari: sicut est
militaris omnibus mechanicis artibus est n
tendit: cui arti militari præ aliis dese
vt videtur carpentaria: quoniam ip
etiam aliquos istorum instrui, secu
bus Mathematicarum confecti, in
rum ardentium, & aliquorum instru
dùm perspectiuas Mathematicarum
cundùm quas artes multa sunt possi
Occidentis. Potentes etiam instrui
cuperationem & circumadiacentiu
in talibus prudentes, & experti vider
& explicari non possent, argumento
mus euenire. Certum est, & constat
falli non posse, quòd in duobus vix,
tur excellens: quomodo ergo posset
sunt infinita, excellens reperiri? si no
tione causis & diuersitate. Ex quibus
num actorem tradi non posse: cuius r
perbiendi tollere volens occasionem
scendi: nec non & dare colorem, cau
res rerum & artificiorum actores tole
uidendi, sic omnia quo ad homines
quàm materna, loca, regiones; artificia
homo, nec centum, nec mille, nec c
sufficere possent ad benè viuendum,
ditum, sibi inuicem non sufficerent h
nec trium, nec decem. Quod in tan
ius mundi regulariter apparet esse

co[illegible] [illegible] sequuntur, quod est concupiscentia & inutilis [illegible] naturalis [illegible], debent homines se inuicem tolerare ad instar gregalium animalium, [illegible] Saluator omnium animarum, voluntatem suam exprimens [illegible] factis quàm verbis: sic nos verbis & factis docens, vt notabit [illegible] Apostolus, *Omnis CHRISTI actio, nostra debet esse instructio*: & propter doctrinam ministerium scriptum est, *cœpit IESVS facere & docere*. Sic in Le[ge] ciuili, cautum est, *non refert vtrum populus Romanus voluntatem suam exprimat verbis, vel rebus ipsis & factis*. Sic ergo instruentur scolares prouisionis in artificiis diuersis, conferentibus ad recuperationem & conseruationem, & benè esse habitatorum Terræ Sanctæ, prout [illegible] necessitates eminentes prouisores viderint expedire. Sic de longè [illegible] & procurari poterunt per mare res multum cōferentes ad Terram illam quæ vix aut vnquam possent in ea reperiri. Dicitur communiter quod *[illegible] rarum pretiosum reputatur*: & omnes res homini tam nociuæ quàm vtiles ad viuendum & benè viuendum, in aliquibus locis abundant multum, & in aliis deficiunt: quæ sic disposuit DEVS gloriosus & sublimis, qui fecit hæc omnia, propter hominem: vt obstantibus defectibus non ponat homo finem & desiderium suum semper hîc inferiùs habitandi. Puellas verò prouisionis omnes expediet, vt mares, in *Grammatica* Latinè instrui, postmodumq; in *Logicalibus*, & alio idiomate vno; postmodum in *principiis Naturalibus*, vltimò in *Chirurgia & Medicina*; quod intelligo, vltra Grammaticam & Chirurgiam, de illis quæ præ aliis dociles & dispositæ ad hæc reperientur: quæ etiam in solum cōferentibus ad Medicinam, & Chirurgiam instruentur in qualibet scientia, modo quo fieri poterit sensibiliori, planiori, & faciliori propter sexus fragilitatem; & quia citiùs discurrūt per suas ætates quàm mares, citiùs perueniunt ad perfectionem eis possibilem, quod est signum debilitatis, virtutis naturalis earum. Simile videmus, vt dicit *Philosophus*, de hoc loquēs in libro *de Animalibus*, in arboribus & aliis plantis, quæ minus durant, citiùs crescunt. Inter eas de quibus puellis, aliquæ prudentiores quæ videbuntur debiles ad transfretandum, apud nos poterunt pro aliis custodiendis & erudiendis perpetuò remanere; quarum subsidio cæteræ securiùs seruabuntur & pleniùs instruentur, tam in scientia quàm in experientia Chirurgiæ, ac etiam Medicinæ, & eorum quæ ad artem & artificium Apothecariorum pertinere noscuntur. Puellas verò quæ disponentur coniugandæ cum illis qui non tenent articulos fidei nostræ, prout eos tenet, docet & obseruat ecclesia Romana, expediet in articulis prout tenet eos ecclesia Romana doceri, vt secum breuiter & planè scriptos pcent articulos, omnes ita quòd ipsos sufficienter intelligant: quod similiter scire non noceret, imò prodesset, singulis *discipulis prouisionis* prædictæ, quos in Theologia contingat pleniùs non doceri. Præterea in singulis studiis Medicinæ & Chirurgiæ, pro puellis statuendis, expediet remanere duas puellas, quo adiuuent præ cæteris edoctas in Medicina & Chirurgia ac earum experientiis, quæ alias docebunt, tam in Theorica quàm Practica: vt puellæ cùm de studiis recedent, cum scientiis peritiam habeant practicandi in studio magis quàm postmodum, faciliusque discere poterunt, & capere summā experientiam, sine qua tales scientiæ parum prodessent, testante *Philosopho*, qui ait, *in agibilibus humanis longe magis proficere vidimus habentes sine arte experientiam, quàm habentes sine experientia, scientiæ notionem*. Similiter autem masculos auditores [illegible] di scientiarum, in earum experientia dum erunt in studiis, proderit erudiri, & in eis apothecariam teneri, confectiones fieri; vt herbas, & alia Medicinalia discant cognoscere; nec non vnguenta, & decoctiones cum aliis solitis facere: vt de studiis recedentes sufficienter sciant & valeant practicare. *In scientia Diuina*, præcipuè studentes, in eius practica se frequenter exercitent, prouisionis huius scolaribus prædicando, maiorum prædicationes repetendo, collationes breues frequentiùs faciendo. Quæri posset, qualiter *iuriam scolares* in experientia iudicandi & postulādi, modico tempore poterunt erudiri. Ad quam experientiam acquirēdam quæ longo indiget tempore, prout nouerunt per se ipsos illi quicunque in talibus laborarunt, & non laborantes, qui labores aliorum considerauerunt, & vt addiscerent diligentiùs respexerunt, iuxta commune dictum *Hugo. Magni* iurium Doctoris, cùm ait: *Felix quem faciunt aliena pericula cautum*: per quam difficile videtur compe[tens] & probabile remedium, quod admittatur, & sit tolerabile, reperire: tamen

hæc fieri est possibile, licet d
nullam habet formam, imò
∫uplens, Materia id quod est, p
compositi. Videmus, quòd g
formas, de potentia materiæ
ergo experientiam agibilium
lium breuem & breui tempo
carum: sicut & multa alia, qu
tur in esse. Hæc acquisitio br
spicit benè esse Reipublicæ T
di terram expediat, & oport
quilibet vellet & niteretur vti
dum causidicum huiusmodi
habitãtium, & occasiones in
quòd cuilibet plus placet lex
minus expediens, quàm alteri

Nescio quâ natale solum d[ulcedine cunctos]
Ducit, & immemores non [sinit esse sui.]

Philosophus etiam scripsit, Quòd
berent Anglici, Alemanni, & Hispa
gandi eorum teneretur: & quia pro
procedendi infinitæ discordiæ orire
tres, qui in CHRISTO deberent vn
tium erat cor vnum, & anima vna. Quo
rarum occasiones, expediens videtu
peruenientium consuetudines, & rit
cedendi super omnes facilem minus
tem eligendo, quem super omnes, ma
ercitare, per ipsum citiùs experientia
inimicos pacis positam, habitantes:
seculari, & ecclesiastico, vt quæstion
dantur, dilationibus, subterfugiis, litit
modum procedendi totaliter amputa
dum, scolares huius prouisionis iuri
sufficienter esse poterũt experti causa
iudices & patroni. Secundùm quem
& domibus commorantes, licet loca
farum consultores & patroni: nec pu
sas litigantium nimiùm vacuabunt; n
cedent, nec diu contemplationem sci
runt impedire. Quem *modum li*

LVI.

het in maioribus causis procurans reu
dit probare per modum articulorum a
tis reis & præsentibus. *Sic proponit & in*
per vos sibi condemnari.
[illegible] poterit, per [illegible] marchas argenti in
[illegible] tradidit certum marchas argenti [illegible] esse vera.
[illegible], & alias præmissa recognouit esse vera.
[illegible] marchas bonorum stellingorum, ex
[illegible] postmodum reddere voluit, pluries req
[illegible] concludentis: quos articul
necessitate, respondendi certus ance
liberatione, quia si sim proponitur eò quòd
[illegible], omnia proposita statim negat reus, a
omnia fuit mutuata, tradita; sed soluta, qu
animo nouandi facta, dicat sic: *T. confessus*
[illegible], anno iam elapso, aliàs negans petita vera ess
[illegible] postmodum ipsi B. super huius mutuo fa

...
[illegible] ne inassuetum est dolor[illegible]
ni, si consuetudines [illegible]
pter diuersitates consuetudines Gallic[illegible] populo ha-
ntur; & demum guerræ [illegible] modus liti- 20
um esse, iuxta illud Apostoli [illegible] dorum
circa propter vitandum [illegible] ter fra-
propriis cuiuslibet populo [illegible] creden-
s viuendi reiicere, verisimiliter [illegible] guer-
laboriosum, & minus damnosum [illegible] nouo su-
gis de facili concipere, retinere, [illegible] pro-
in acquirere valeant Terram S[illegible] breuio-
ra quòd idem sit procedendi modus [illegible] se ex-
secundùm Leges scriptas & Canones [illegible] inter
nique prolongationibus, alibi solitis [illegible] foro 30
s. Per quem modum infrà pleniùs explican- deci-
ritiam, vt prætactum est, habentes [illegible] quo ad
in vtriusque fori, quod est aliâs inauditum, statim
modum, clerici beneficiati in ecclesiis suis,
iudiciorum non intrantes, poterunt esse cau-
ci patroni, prout est aliâs vbique solitũ dur-
ec lites diu durabunt, nec vitas hominum ex-
enciarum & virtutum, & alia pacis opera
andi *breuissimum,* sic declaro: Actor quili-
d iudicium euocari, factum quod in eum
ri iudici, & idem in modicis causis voca-
[illegible] probare B. contra T. petens ipsum T. quem
videlicet quòd idem B. dicto T. mutuauit, nume-
Stellingorum. Item, & quòd dictus T. eodem B. præ-
Item, & idem T. se obligauit ad reddendum ipsi B.
causa prædicta. Item, & quòd ipse T. eandem pe-
[illegible] Hæc est materia libelli perfectè de
s mittat Iudex Reo, vt veniat habitâ de- 50
here seu contendere, & per quem modum
namquam fuit pecunia numerata & tradi-
ctoris probationem expectans. Si verò pe-
rata, remissa, seu delegatio alterius personæ
est, certum marchas argenti mutuatas, & tradi-
[illegible] proponens & intendens probare contra B. quod
[illegible] vel, quod B. [illegible] animo
donandi:

[illegible]nandi: vel, *quòd eum quitauit ſuper omnibus, pro tempore præterito:* vel, *quòd talem ei delegauit, qui animo nouandi ad ſoluendum dictum mutuum, ſe obligauit*: & ſic de aliis peremptoriis, defenſionibus prout factorum qualitas poſtulabit. Si verò actor aliquid voluerit replicando proponere, traditis ſibi reſponſione, & exceptione rei, ſuperaddat, actor ad ſuam intentionem; & hoc quod ſuperaddet, reo tradat: qui reus ſimiliter tradat poſtmodum actori quicquid duplicando, vel alias proponere voluerit: demumque videat iudex quòd non refricetur pluries idem factum, & quòd impertinentia & ſuperflua non admittat; & quæ reperiet talia, reiiciet cum ſcandalo, & improperio patronorum. Poſtmodum ſimiles hinc inde veniant probationes, primò
10 iurando, ponendo, reſpondendo; deinde teſtes & inſtrumenta producendo: quibus inſtrumentis & atteſtationibus publicatis ſi reprobare voluerint admittantur vſque ad ſecundam reprobationem, quæ erit tertia teſtium productio hinc & inde: his factis ius reddatur. Dicet aliquis, *planum eſt, quòd iſte modus procedendi longè breuior eſt, ſolito modo communi antiquo; ſed non videtur quòd citò poſſit experientia ſic procedendi acquiri.* Reſpondeo, quòd imò poterit: parcetur in hoc & per hoc multum laboribus & rixis aduocatorum: quoniam, vt patet, per ſe modus hic vnus ſcribendi ſcripturâ etiam vnicâ, ſufficiat pro libello, poſitionibus, & teſtibus examinandis. Licet inueniatur modus artificialis libellos formandi; non tamen poſitiones, & articulos, pro teſtibus examinandis dictandi: longeq; faciliùs & citiùs, ſcire conſueuerunt ſcola-
20 res libellos, quàm poſitiones & articulos dictare: quæ omnia ſcientur ſimiliter iſto modo. Præterea, pro vtraque parte poterunt hæc ſcribi in libris annualibus iudicũ: quorum vnus, ſcribetur & ſeruabitur pro actoribus in quo demum ſcribentur ſimul; alter verò pro reis: ſic duos libros faciendo propter teſtium depoſitiones, vt teſtes vtriuſque partis, eodem tempore poſſint examinari, eorumque depoſitiones ſcribi. Sed, quod ſummè expediet iuuenibus ad experientiam modico tempore, quaſi ſine labore perquirendam, ſi Sanctiſſimo domino Romano Pontifici facere placuerit hunc procedendi modum ſeruari, paratus erit *ſcriptor huius operis* in omnibus actionibus per dominum *Rainfredum* in ſuis vtriuſq; iuris libellis tactis, ſimilem modum articulorum, & defenſionum etiam in omnibus atemptatis quæſtionibus emergẽ-
30 tibus & incidentibus tradere, ſub correptione prudentum: per quod opus, ſi fieret, & vti placeret, Terra Sancta conſequeretur hoc commodum, quòd omnes ſui habitatores, iuriſperiti experti in officiis poſtulandi, iudicandi, prædicandi, ſapientiaque diuinâ fulgentes eſſe poſſent; & in tali ſtatu diu videlicet per maiorem longè partem ſuæ vitæ durare, non citò deficiendo cum inciperent proficere, prout contingere plerumque vidimus hactenus, & videmus. Sic prædicta, prouiſio ſcientias addiſcendi, & eis vtendi, alias quàm hactenus fuit ſolitum, magnos imò maximos haberet effectus ad Rempublicam Terræ Sanctæ feliciter gubernandum. Cuius prouiſionis effectibus, exercitiis, & experientiis ac vtilitatibus conſideratis diligenter, & attentis longè maioribus quàm modo credi poſſet, veriſimiliter æſtimo quòd
40 talem modum lites abbreuiandi per maiores prudentes emendandum, complectetur, fauente Domino, tota Reſpublica Romanorum, videlicet ſingularem Eccleſiæ Romanæ obedientium. Multùm autem apparenter, apparentiam fortificante malorum omnium callidiſſimo ſuaſore cum ſuis coadiutoribus infinitis, poterit opponi: *per hunc modum breuem, quem dicis & probabiliter ſuades, compendioſum modum lites abbreuiandi, tu tollis multorum Iurium cum multis vigiliis excogitatorum effectus & prouiſiones, quæ de nullo ſeruient, & fruſtrà membranas occupabunt.* Ad hoc poteſt multifariam reſponderi, quòd quædam Iura docent lites decidere: & hęc non mutantur, nec eorum poteſtas & vtilitas tollitur per hanc prouiſionem. Sed alia Iura, quæ tendunt ad litium ordinationem quæ ſunt propter alia ad tollendum abſurditates mala infi-
50 nita, & inconuenientia quæ ex eorum obſeruantia ſequuntur temporibus noſtris, & plus in futuris ſecutura veriſimiliter præſumũtur, hominum malitiâ ſemper creſcente, tolluntur per hanc prouiſionem, ſi teneatur. Nec etiam illa Iura *de Corpore Iuris* propter hoc debebuntur: ex eis argui poterit magis quàm ex legibus totaliter arrogatis: nam in multis locum habebunt; nec eſt inconueniens ob cauſas prædictas, ſi à ſolemnitate & prouiſione Legum huiuſmodi & Canonum etiam recedatur. Per hanc prouiſionem in Terra Sancta creſceret multùm Canonum auctoritas. Nam eis per conſuetudines non derogabitur in foro ſeculari: adeo ſicut leges, & magis,

LVII.

quia [illegible] vnicus
ecclesiasticis [illegible] sa per ca[illegible]
tium & [illegible] quibus conclusi[illegible]
ticuli ex eis & eorum proba[illegible]
nisi ex eis & de Syllogismo d[illegible]
dem, sicut de Syllogismo [illegible] quoties
consequentiis [illegible] Legista, vt C.
quod dicitur Legista: hoc non probat hoc
riter sunt: hoc non procedit li[illegible]
dicenti debet an procedit [illegible]
tis, diligenter oportet inspi[illegible]
in forma iudicandi: quod [illegible]
ipso iure: sicut enim ait Phil[illegible]
ratio, & per [illegible] iudici[illegible]
mentario tenet & probatu[illegible]
perfecta, super omnes bre[illegible]
tationibus formam & esse [illegible]
uisionis scolares in Dialect[illegible]
dum arguendi, & compar[illegible]
clusionem peritionum con[illegible]
vtrum ex earum veritate n[illegible]
gulas supradictas. Hoc m[illegible]
tentes, per alios minus peri[illegible]
bique factâ relatione, sub b[illegible]
tinus probatum est conder[illegible]
simplex est, & indiuisibilis[illegible]
tùm vtrum simile, videlice[illegible]
bet causam petendi, vtrum [illegible]
post modum, vtrum eâ pos[illegible]
& illatæ. Sic ratiocinando [illegible]
ctâ relatione propositorum [illegible]
quòd Sanctissimi *Romani P*[illegible]
natione & arte Philosophi[illegible]
nata sunt diuinitus gratis d[illegible]
tificialem modum omnes [illegible]
men possibile est, (licet rari[illegible]
tione, tam elegans habeat [illegible]
& modum sciendi logicale[illegible]
parare facit: argumento [illegible]
non enim aliquis homo artem [illegible]
nerit, excepto excellentissimo [illegible]
berent Reges, & alii maio[illegible]
quatum prolixitates, varios [illegible]
acuitatem vocum suarum [illegible]
dendi, nutus & signa quæ [illegible]
borentur nihil essent, in e[illegible]
lor, sicut aër per grauem [illegible]
gè melius est per scripturam [illegible]
sputare: vt super certis certa [illegible]

LVIII. latio, præbeatur. Cum [illegible]
corporali contactu Domini [illegible]
præ cæteris omnibus decea[illegible]
cem suis discipulis & fratri[illegible]
stam, summè videtur expe[illegible]
cordiam cessabit in eadem [illegible]
rante, Catholicorum ipsam [illegible]
hanc eoso & damnoso breu[illegible]

cta procedunt,& ad ipsum,tanquam finem vltimum & optimum ordinatur. Cùm enim omnes discordię,& ipsarum duratio sint malę,& de duobus seu pluribus malis, quorum vnum vitari non potest, minus malum sit potiùs eligendum, patet quòd exercitium litium planiùs & breuiùs, cum minoribus expensis, laboribus & damnis filiorum,est à summo patre potius cogitandum, eligendum & tenendum. Idcirco hoc considerans Sanctissimus *Romanus Pontifex*, pater spiritualis omnium Catholicorum,nouis habitatoribus Sanctæ Terræ, leges proprias, consuetudines, & statuta non habentibus prædictum modum vel alium commodiorem suas lites decidendi,misericorditer prout magis poterit sedando discordias,quo ad vtrumq; 10 forum,destinare dignetur. Ac ex præmissis,& per ea sumptâ occasione,velit statum Reipublicæ Christicolarum spiritualiter & temporaliter,prout Pater luminum inspirauerit,generaliter reformare, tali modo quòd reformationem suam sit verisimile fore perpetuò duraturam. Nam,si expediat laborare ad sopiẽdum discordias, pacemq; firmandum vnius ciuitatis & diocesis, magis etiam vnius Prouinciæ, magis vnius regni, magisq; decem, quantò magis expedit, laborare ad pacem temporalem & spiritualem perpetuam omnium Catholicorum? Hic finis tam magnus, tam gloriosus,non nisi per vicarium Regis pacifici posset in esse produci, tanquam à summo DEO procedens, illo mediante,cui soli plenitudinem suæ potestatis commisit in terris: ad quod se referens inclitus Legislator ciuilis, ait: *occupatis nobis circa* 20 *totius Reipublicæ curas & nihil parum eligentibus cogitare*. Ad præmissa verò omnia, LIX. præsertim studia scolarium prouisionis huius disponenda, paratus est & erit *scriptor huius opusculi*, dimisso magno quæstu publici aduocationis officii causarum Illustrissimorum dominorum Regum Francorum & Anglorum & aliarum Ecclesiasticarum,terræq; suæ natalis habitatione, coadiuuet pro totis viribus fauente Domino laborante, vt tam optimi finis particeps efficiatur, cum Psalmista canendo, *Particeps ego sum*, &c. & cum Apostolo conueniendo, cùm ait: *operemur bonum ad omnes, quatinus in nobis est*: nec non cum latore Canonis cùm ait: *faciat homo etiam pro temporali hominis vita saluanda quod potest, sine detrimento salutis æternæ*. Si verò pacis vniuersalis fœdera modò præscripta firmare placuerit, de consensu consilii Prælatorum & Prin- 30 cipum statuatur quòd omnes Prælati cuiuscunque status, nec non seculi milites in suis creationibus, firmiter iurabunt, quòd ipsi pro totis suis viribus pacis huiusmodi fœdera cum pœnis eiusdem firmiter seruabunt, & seruari modis omnibus quibus poterunt procurabunt. Ita quòd quicunq; iuramentum hoc præstare contempserit seu neglexerit, ob hoc, auctoritate Apostolicâ sacriq; Concilii sentẽtiam ipso facto maioris excõmunicationis incurrat ita, quòd quilibet impugnans in posterũ huius pacis fœdera, per quoscunq; milites spiritualis & temporalis militię pro totis eorum viribus, ita quòd resistere non possit, fortiter impugnetur. Post quæ sic finita, LX. fortiter occurrit scribenti conuersatio *Monialium ordinis S. Benedicti*, quæ prædictam status Ecclesiæ reformationẽ euadat. Idcirco consideratis solitis periculis, & salutis 40 animarũ dispendiis, cum bonis quæ plus solito fieri poterũt, videtur expedire, quòd summus Pontifex in Concilio statuat ad petitionem Principũ qui plerumq; Sanctimonialium Monasteria fundarunt & dotarunt, quòd saluo victu cõpetenti in talibus monasteriis professarum virginũ, decrescat earũ numerus: ita quòd non sint in posterum in quolibet monasterio plures quàm tredecim, sic conuentum facientes: & impendãtur dotes huiusmodi monasteriorum in vsu puellarum præscripto modo instruendarum, quarum cum monialibus tantus sit numerus, legere & cantare scientium, quòd diuinum seruitium nullatenus minuatur, nisi per abbreuiationem ad instar ordinis prædicatorũ. Dotes huius monasterii per Magistros huius salubris prouisionis custodiantur, defendantur, ex eis victus competens, sicut olim monia- 50 libus & earũ maioribus, cessantibus ineuitabilibus impensis & superuacuis, ministretur. Puellæ seculares, quæ Scholasticis intẽdent disciplinis secũdùm ordinationẽ magistrorum prouisionis, matutinis *Horis canonicis* & *Missarum solemnitatibus*, quo ad hæc pcendo docilibus, intersint. Per hunc vltimum articulum prouisionis, multa mala cessabunt quæ fieri consueuerunt: præsertim moniales datis pecuniis seu redditibus per conuentionem recipiendo, per conuentiones illicitas Abbatissas & Priorissas eligendo, pluraq; delicta naturalia & aliquãdo nõ naturalia cõmittendo; fietque seruitium diuinum sicut olim in monasteriis, & vltra per puellas à monaste-

Psal. 118, 63. Gal. 6, 10.

ris recedentes ... & plus ... annuari
prædicto subsidio salubriter ... multarum
poterit fructus & prouentus ... impensis, e
sunt, deductis vicariorum ... suadente, Da
in præsenti. Si quis verò ... illa mala plu
malus nitatur, dicens ... non ostensiua
quādam conclusionem ... aliquod bonu
tost, concedendo quòd ... Quoniam pla
quin fiat debet omitti. ... loquētium
Philosophorum super hæc ... reperiri in ... ventibu
potest hic inferiùs reperiri statutum fieri non
& idcirco generale statutum ... Et idcirco artific
non sequantur. ... expediens, & b
rum duorum sit magis ex ... *domus Templariorum*, H

LXI.

mus quòd stent *domus* ... puellarum, sicut h
cunque monasteria puellarum per abusum
iis sequuntur, & mala quæ sequuntur
mala similiter, & bona quæ collationem ma
simile est: & faciamus collationem malis, quæ
vt de duobus seu pluribus malis, quæ ... Sic quæstioner
bonis, plura & maiora. Sic quæstione ... verò que por
nis veniendo, rectè, iustè, verè quam pa
dicabimus partem meliorem ... declinet om
potest aliquis bonus, nisi declinet ... mala & bona
num. Idcirco tangantur Minoribus, qui præ
Prædicatoribus & Minoribus iudicandi &
uerunt, & eis committatur iudicandi ... obtineri
lius iudicium posse salubriter ... & superad
tis, & omnibus aliis scriptis & ... rationis, prout
firmissimum iudicium rationis, non videtur re
dendi modum tenendo, non ... oribus valeat
nis a ... oribus & approbatoribus, ... sunt in per
gentes consilia, & tenentes ... sufficien
la mandata: & quòd bonum sufficien
autem est, minus sufficienter tenere co ... eadem no
qui perfectè & sufficienter credatur p
non debet, nisi verisimiliter fœminei sex
nostri temporis, præsertim absentibus pastore & eius
est eligenda, ne absentibus ... abstinuerint, la
rint à lupo deuorandæ; si ...
dæ: quis est homo prudens & expertus, ... Cùm, prout ait Philosophus
na vellet eos tentare? Cùm, prout ait ... obiecto præsente
nostra; vixq; possit aliquis ... cœlestem patriam
modo: nec ad replendum cœlestem ... nocet defectus resist
stentiam aliquorum, quæ ... nocet ...
voluntariè statutos, & nos per eos damnatorum, v
eosdem laqueos quod pro bono fecerunt tenderent
menti doctrinam peccata multiplicando, cognoui
cognoscant. Idcirco quoniam humana natura prona
inclinatur ad delicta; vbicunque fieri potest & poteri
candi, & oues CHRISTI per peccata tollendi. Idc
cant ibus ordinibus, licet non petunt, vt sine multis qu
contemplationi vacare possent, vt de cætero *quæstus*
ctualibus prouideri super bonis Reipublicæ tam
rum: sicut prouideri præcepit Dominus *tribui Leui*,
ret, licet magis aliis mereretur, in hæreditate parent
haberent panem & vinum, cum vestibus & calce

sufficerent

ſufficerent quo ad cætera, vt videtur, conſideratis eminentibus ſapientiâ, pruden-
tiâ & experientiâ aliquorum de ordinibus mendicantibus. Hæc tetigiſſe ſufficiat,
præſtando ſolùm occaſionem ad hoc, & propter hoc efficaciter cogitandi. Vtinam
prudentiores eorum, mala & bona quæ ex eorum paupertate ſequuntur, ponderã-
tes, tutiorẽ partem eligendo, ipſam in Concilio iuxta ſuas conſcientias explicarent,
vt ſuper futuris incertis iudicans *ſacrum Concilium*, quod foret ſalubrius ordinaret.

LXII. Sedatio verò guerræ iam pridẽ motæ inter hæredes *regni Caſtellæ* motæ ſi in Cõ-
cilio omitteretur, Terræ Sanctæ recuperationem, & conſeruationem poſſet valdè
grauiter impedire: ſuper quo, cauſam iniuſtam notoriè fertur habere qui regnũ de-
10 tinet: quoniã matrimonium fuit contractum inter filium primogenitum Regis, qui
in diſcordia fuit in Imperatorem electus, & filiam *Sancti Ludouici* Francorum Regis,
concordatum fuit & actũ per ipſum Regem, regni ſui Prælatos, & Barones, quòd ſi
idem filius decederet ante patrem, liberi ſui ſuccederent in regno: contra quam cõ-
uentionem, nec non contra ius commune, legem naturalem & diuinam, idem pa-
ter filio mortuo relictis duobus filiis, auus eorum, in ipſorum, ſuæ conuentionis &
fidei præiudicium, alium filium ſuperſtitem coronauit in Regem: qui ſic in regno
ius non habet, ipſumque detinet in præiudicium ſalutis æternæ tam ipſius quàm ſi-
bi adhærentium, in præiudicium veri hęredis: quod tam graue peccatum, per ipſius
rei euidentiam notorium, omnibus fouentibus, partem detentoris taliter notum
20 extat quòd non poſſent ignorantiam prætendere quo quo modo. Quocirca Pa-
ter eorum ſpiritualis, qui præmiſſa non ignorat, remedium apponere tenetur, ne
ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur: quod fieri ſine ſcandalo de facili poſ-
ſet, vt videtur, arguendo detentorem ſuper mortali peccato detentionis & ſuper
tolerantia *Saracenorum regnum Guernadiæ* tenentium ab eo ſub tributo, frequen-
ter Chriſtianos interficientium. Cui ſic grauiter accuſato & cõminato poſſet do-
minus Papa dicere, *fauore Terræ Sanctæ volumus modis omnibus inter vos pacificare*:
quod de facili ſic videtur fieri poſſe: Quod nepos primogenitus *regnum Guerna-
diæ* habeat, & frater eius *regnum Portugaliæ*, vel aliud de multis à detentore occupa-
tis, *regno Caſtellæ* detentori remanente: taliter quòd ipſe detentor cum omni ſua po-
30 teſtate equitum & peditum cum ſuis impenſis, iuuet Regem Guernadiæ ad expel-
lendum Saracenos, & reſiſtendum expulſis quoties opus erit: ita quòd ad hæc
teneatur ſub periculo amiſſionis regni Caſtellæ. Expediret quòd ad faciendum
ſubſidium nouo Guernadiæ Regi, inducerentur proximi terræ illius, videlicet
Reges Arragoniæ, Nauarræ, Maioricarum, & alii in Hiſpania vbique exiſtentes: vt
Saraceni ex pluribus partibus obſeſſi & oppreſſi, citò poſſent expelli. Tunc e-
nim Rege Guernadiæ pro ſua terra defendenda remanente, alii Reges & Prin-
cipes Hiſpaniæ poſſent, & vt alii tenerentur, in Terram Sanctam transfretare,
& magnum ſubſidium facere: ita quòd *Lingadoc* faceret vnum magnum exerci-
tum, & regnum Sardiniæ, tranſeundo per ipſum, liberaret *Friderico de Arago-
40 nia*, vt ipſe regnum Siciliæ dimitteret vero Regi.

LXIII. Aduertendum videtur expe-
dire quòd conſtituantur *quatuor exercitus*: quorum tres, *per mare* tranſeant; &
quartus, maior cæteris per *terram ſiccam* ad inſtar *Karoli Magni*, & primi *Frideri-
ci* Imperatoris, & *Godefridi de Bullion*: vt inimici fidei in pluribus locis obſeſſi &
oppreſſi, & ſic diuiſi, citiùs poſſint expelli. Et eſt veriſimile quòd ipſi, cognoſcen-
tes præmiſſa pacis fœdera, in eorum præiudicium firmata; tot populos contra i-
pſos ire, & ituros eſſe, libenter dimittent ſine bellis totam Terram Promiſſionis:
quod ſi fecerint, non deſtructis fortalitiis & habitationibus aliis, reliquiis, & ſacris
vaſis Eccleſiarum dimiſſis, videtur ſuper violenta morte eis parcendum, ſub inter-
minatione, ſi contra venerint quoquo modo, quòd radicitus exſtirpabuntur, lo-
50 co ſibi non relicto in terra. Et tunc videtur optimè facturos Principes ſi redirent,
dimiſſo in Terra Sancta exercitu ſufficienti pro eius tuitione, per Græciam, pro
domino *Karolo* contra *Peryalogum* iniuſtum detentorem, niſi cedere vellet, cum cõ-
ſilio Eccleſiæ Romanæ fortiter pugnaturi: ex pacto, quod ipſe dominus Karolus,
habitâ victoriâ & poſſeſſione Imperii, ad defenſionem Terræ Sanctæ tanquam ei
cæteris proximior, quoties opus fuerit ſubſidiũ faciet opportunũ, remotiores Prin-
cipes pręter Alemãniæ Regẽ, ſuper huiuſmodi labore fortiter releuãdo: vt ſic in po-
ſterũ omnia bella Chriſticolarũ, ad Terræ S. ſubſidiũ efficaciter ordinẽtur. Quibus

præmissis sic per DEI grati... ordinat...
pam maris Mediterranei, ... eius Occ...
nem, & meliorem partem ... tangenten...
quòd benè viuere etiam ... poraliter...
tholicis commercia rerum ... suarum; &...
Tanto ergo fine persp... oper Ch...
sti vicarium in terris, be... Petri pri...
LXIV. & Domino exercituum, ... feliciter con...
mæ Regiæ Maiestati post ... suas guerras...
his supplementis, prout ... strabit...
ci procurare: quod vt inchoetur ordi...
pæ, quòd ipse citra montes, super his...
bi obedientibus, præsertim Regibus...
ris, *Concilium* faciat generale, *Portugal*...
non detentorem *regni Castellæ*, & eius...
nie cum eius Electoribus nullatenus...
matione & conseruatione Terræ Sanctæ...
blicæ Christicolarum, cum eisdem...
dium salubriter habeatur: ipsique do...
nis expertos vt ad omnia respondere...
bus obuiare, præsens opusculum com...
cis bellorum expertissimi, domino P...
ratis secretariis domini Papæ consili...
hoc tam pium opus, instigante Satha...
bit æmulos eidem nequiter aduersan...
incarnati Verbi Passionis & Resurrecti...
tanquam eius fautores damnabiliter...
deuincendas, non credo sufficere pos...
nisi ab æterno Patre luminum infinit...
boratam. Quod cùm ex quo secundù...
cedet, si in appetitu finis & operis exe...
mus salutis Reipublicæ *Christianæ* inter...
experientiæ militaris: pro quorum du...
Sanctæ, inter tot & tantas occupatio...
spiritualis, sed etiam temporalis vitæ fe...
citer peragendo, Vitæ supremum Acto...
nem omnia viuunt, in suis naturis per...
quicquid habent bonitatis, continuè p...
LXV. sum tendentes, expedit cum deuotis m...
autem sic finita, vehementer occurrit...
ter murmurantes super hoc, quòd eis n...
Sanctæ relicta & alia ob eius videlicet...
Templariorum, Hospitalariorum & al...
prodesse patenter: & idcirco largitione...
cessando munitas. Idcirco, vt essent h...
thedrali cuiuslibet Dyocesis, videlicet...
in quo pecuniæ modo quolibet ad hoc...
cùm opus fuerit ob huiusmodi subsidi...
strorum prouisionis prædictæ, tradantur...
psam transituris, videlicet de illa dioecesi...
& consulentibus cum dioecesi, maioribus...
propter quæ, si fiant, multò plures fient...
memorato; debitaque sibi manifestabuntur...
mittendique pugnatores, cùm opus fuerit...
quæ. Propter quod conmendes faciendum...
cesis locorum, aliique Prælati, prædicatores...
omnes personas cuiuscunque conditionis...

... Catholici concordes possidebunt totam ... dente vsque ad Orientem, versus Septentrio... Terram Promissionis versus Meridiem: ita ... non poterunt *Arabes* nisi communicent Ca... idem in Orientalibus populis, & de ipsis ... ticolarum legislatore, Domini IESV CHRI... ... Apostolorum successorem, agente Deo ... mando, misericorditer placeat expetiti... feliciter peractas hæc fieri postulare; & cum ... ... videtur expediens supplicare domino Pa... ... Catholicis ... aliis qui nō recognoscunt ... detentorem Imperii ... mittendo, ... per ipsos consilium & auxilium & reme... ... Papæ, per sapientes, & in agilibus huma... ... mittatur; & procuret ... ostendatur. ... Hanc maiorem ... mysterium ... gnantes: ... curam humanam ... nentiæ durationis ... in naturam ... ipsa rationis ... feliciter ... inducant ... biles vtri-

usque sexus, Terræ sanctæ utiles, benè paratas cum expensis procurantium, & aliæ cum expensis legatorum & aliorum conquestuum, usque ad mare undecunque mittendas, & ultra cum impensis prædictæ prouisionis transituras: mittendas videlicet singulos centum viros, similibus *robis* indutos, cum *baneriis*, & instrumentorum sonis, ut lætantes fortiùs vadant, & alii multi moueantur ad sequendum eosdem, conueniantque simul omnes de quacunque ciuitate & dioecesi in uno loco, die unâ; alio loco, dieque postmodum omnes de una prouincia. Ducentes uxores, faciant unam cohortem; & non ducentes, aliam; quælibet cohors habeat unum *superiorem Iustitiarium*, cui omnes in omnibus obediant. Si verò transire volentes, liberos paruulos habeant dociles, dimittant ipsos iuxta prouisionem prædictam ad eius impensas instruendos; ut cùm instructi, & nutriti fuerint, sequantur parentes. Sic verisimile est, quòd singulæ prouinciæ, ciuitates, & loca sibi deputanda in Terra Sancta publicanda nitentur, totque mittent incolas, quòd erunt citò publicatæ; nec non quòd sufficient ad publicationem, & tuitionem: mittenturque singuli iure periti, quòd ut pedites pugnare statim poterunt competenter. In assignatione verò ciuitatum & locorum, videtur hoc nullatenus omittendum propter bonum commune: videlicet quòd ex nunc statuatur in consilio quòd hominibus magis agibilibus, & solitis in suis terris natalibus pugnare, prout sunt *Hispani*, & multi alii, assignentur ciuitates & castra in finibus dictæ Terræ sita, ut *paletando* contra hostes, quoties necesse fuerit, fines ipsos, ciuitates & castra defendant, succursum aliorum cùm opus fuerit petituri: ut sic Terra Sancta muris bonis pugnatorum circumdata, finibus suis vigorosè defensis, interiori parte prosperatâ, sanctè religioseque fauente Domino, valeat gubernari, quatinus ad utrumque, spiritualem videlicet & temporalem gladium pertinebit: sic Sancta loca venerando, diuina in eisdem officia continuè taliter exercendo, quòd meritò placari valeat ira nostri Redemptoris, qui pro humani salute generis, per suam ineffabilem misericordiam mortem ibi subire voluit temporalem. Quod autem reformatio status uniuersalis Ecclesiæ Christicolarum, quo ad virtutes, sit necessaria ad hæc quòd cessent prælia, & quòd Terra Sancta à Christicolis, cum sua quam Scripturæ testantur dulcedine habitetur & habitanda recuperetur, liquet & probari potest Sacrarum Scripturarum exemplis, & inconuincibilibus rationibus. Nam si peccatum unius hominis, causa est infirmitatis, & demum per iterationem mortis committentis; quod probatur per verbum Domini, cùm ait ad languidum, quem sanauerat: *Vade & noli ampliùs peccare, ne quid deterius tibi contingat:* & per Decretalem inde sumptam: eadem ratione peccatum ciuitatis, seu maiorum eius, causa est dissensionis, & bellorum, ac mortis: eadem ratione in peccatis regionis, Regnorum, & Imperiorum. Nam quæ est ratio partis ad partem; eadem est totius ad totum; & è contra: & ubi eadem ratio, idem ius; ubi eadem causa, idem effectus, prout iura clamãt & ratio Philosophica arguit: & cùm Apostolus dicat, *omnia quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Quare videntes *Scripturam*, cuius modus sciendi fides est, in libris Machabæorum continentem in septuaginta annis tot mala, tot mortes, tot dolores, etiam bonis propter peccata malorum euenisse, quomodo *summus sacerdotum*, Princeps Ecclesiæ totius, Petri locum tenens, Domini IESV CHRISTI Vicarius in terris, omnium Christicolarum curam & salutem ardenter sitiens, æstimabit per peccatores recuperari & habitari posse Terram Sanctam, cùm sit scriptum per Prophetam, *loca non sanctificant homines, sed homines sanctificant loca?* Nonne videns quòd Scripturæ Sanctæ, bella detestantes, & prædicatores hæc publicè clamantes, non sufficiunt nec suffecerunt, temporibus retroactis, & licet suffecerint in aliquibus locis, & temporibus; tamen in paucissimis respectu mundi totius ei subiecti? Nonne innumerabilia transacti temporis ab origine mundi exempla, & experimenta ostendunt, & probant defectum prouisionis & ordinationis in summo capite tot membrorum, quod absit, nisi ipse occasione tam coloratè sibi datâ, per modum præscriptum imperfectè tactum, per ipsum perficiendum, aut alium meliorem eidem diuinitus infundendum, quærat & statuat, prout firmiùs poterit, reformationem & pacem perfectam perpetuam ac stabilem status uniuersalis Ecclesiæ totiusque Reipublicæ Christicolarum sibi tanquam summo patri subiectorum? Quòd autem hic summus sacerdos, *rector* omnium, teneatur, inter omnes filios pacis perse-

LXVI. LXVII. Ioh. 5.14. Rom. 15.4. LXVIII.

[illegible] quæcunque [illegible]
[illegible] vinculo [illegible] & perpetua, generalis, & Philosophicè loquendo [illegible]
[illegible] etiam Philosophi naturali vtentes, legem [illegible]
lege naturali ratiocinando necessariò [illegible]
[illegible], ratiocinando irrefragabiliter conclusor [illegible]
[illegible], irrefragabiliter à multo motum omnium ca[illegible] [illegible], non ta[illegible]
à multo motum omnium participa[illegible] [illegible]nem, &
per bonitatis cuius participat [illegible] est veritas, &
[illegible] participant bonitatem: in quo est [illegible] abstrac[illegible]
eidem de omnibus virtutibus [illegible] : de qu[illegible]
sam primam, DEVM appellamus [illegible]
sam primam, DEVM ait, causam reddens [illegible]
libri *Metheororum*, ait, causam [illegible] Cœli & M[illegible]
gloriosus & sublimis: & in libro [illegible] & gloria
[illegible] DEI & *spirituum*, & [illegible] quod [illegible]
credo, de ipso loquens ait: [illegible]
credo, de ipso ipse est Rex & actor pacis [illegible]
[illegible] Si ergo ipse est Rex & mendacii, necessari[illegible]
sionis, seditionis, & mendacii & morali ac[illegible]
que virtute tam naturali & morali dicun[illegible]
nem virtutis ipsius DEI virtuosi dicun[illegible]
quod plus vel minus assimilantur eidem [illegible]
simplicissima, tamen omnia complecten[illegible]
[illegible], imò perfectissima: & si perfectum est [illegible]
[illegible] multò fortiori ratione, perfectissimu[illegible]
[illegible] abundantiam dicitur, vni soli conueni[illegible]
[illegible] perfectionem. Sic ergo, vt sentseru[illegible]
per essentiam; & idem sunt cum ipso, &
per assimilationem. Sed, vt ait *Philosoph*[illegible]
Scriptura testatur, cùm omnes virtutes [illegible]
conatur; parumque prodest cadenti, bo[illegible]
[illegible] est omnium reus. Sic ergo pater [illegible]
[illegible] gens ab origine mundi vsque nunc, ho[illegible]
ad seditiones & bella, facere volens ome[illegible]
[illegible], à subiectione dæmonum remotos,
pœnas solitas ad hoc non sufficere, quæ[illegible]
[illegible], causas generales stabiles & firmas paci[illegible]
[illegible] duraturas, permansuras, & timendas cu[illegible]
[illegible], recuperationi & conseruationi Terr[illegible]
[illegible] memoria. Si prædicti exilii perpet[illegible]
non solùm bellicorum victorum, sed etia[illegible]
[illegible] omnibus aliis timeatur, & pro [illegible] inter
[illegible] hoc vinculum pacis, tanquam meliu[illegible]
[illegible] aliud vinculum melius in[illegible] [illegible]
[illegible] in humanis inuentionibus fore [illegible]
[illegible] expressè docuit summus [illegible] *Philosoph*[illegible]
quibus non sufficiebat cognitio & [illegible], fuit
[illegible] & aequum ad proximos & coniunctos [illegible]
[illegible]. Concordat ad hæc quod ait idem [illegible]
[illegible] (glosa, videlicet *iustitia inferiori*, [illegible]
[illegible] indigeremus iustitiæ: videlicet [illegible] Scrip[illegible]
[illegible] ergo non suffecerunt [illegible]
[illegible] collecta, nec non etiam bella, [illegible]
hoc vt frequentia Catholicorum [illegible]
& tantorum hominum [illegible]
[illegible] subsidium nouum remedium [illegible]
[illegible], suppositis [illegible]
[illegible] detestantur? Hinc est [illegible]
[illegible]

[illegible]

phus,& vt in *Lege Ciuili* recitatur: & idcirco ait *Philosophus: peccat qui à Rethore petit demonstrationem; & qui à Geometra argumentum à signo*: & intelligit de demonstratione, quæ per causas necessariò concludentes & inferentes conclusionem, procedit: sed politicè loquendo, per præsumptiones verisimiles, coniecturamus de præterito & præsenti in futurum; iuxta id quod ait *Philosophus: tunc pulcherrimè diffinitur vnumquodque, cum diffinitio data de re, concordat apparentibus ad sensum de eadem*: & in *Lege Ciuili: in incertis locus est coniecturis*; videlicet non quibuscunque, sed verisimilibus, & probabilibus. Euenire iuxta solitum hactenus cursum naturæ videmus, quod malitia hominum, & inclinatio ad malum, cupiditatem, & auaritiam, semper crescit: non autem sanctitas, orationes, affectiones, & scientiæ prædicantium bella detestantium. Idcirco si sanctitas, doctrina, & orationes sanctorum Patrum, bella Catholicorum & eorum pericula cessare non fecerunt, quomodo præsumet Apostolicus, quòd orationes & doctrinæ modernorum ac futurorum Ecclesiæ ministrorum, bella, cupiditates, & auaritias ex quibus procedunt, cessare faciant in futurum? Si ergo alia pœna verisimiliter magis timenda & proficua non inueniatur, hæc fortificetur & perficiatur, secundùm quod Rex pacis, prudentibus & expertis per suam gratiam, & misericordiam ministrabit, assiduarum orationum vniuersalis Ecclesiæ deuoto ministerio suffragante: super quorum deliberatione, perfectione, emendatione, & mutatione, præ cæteris locis videtur expediens, apud *Tholosam*, Prælatorum & Principum *generale Concilium* salubriter conuocari. Præmissis autem his scriptis, & sic transmissis domino Regi Angliæ, cum literis clausis ipsum exhortantibus, tactis breuiter vtilitatibus spiritualibus rei missæ, ad faciendum inspici transmissa citò, secretò, per sapientes, sibi Deoque fideles Prædicatores aut Minores, vt detractis si quæ viderentur detrahenda, & superadditis expedientibus, secundùm experientiam & prudentiam Regiæ Maiestatis, ac sapientum consultorum, quibus examinationem, correctionem, & emendationem fauente Domino, salubriter duxerit committendum, per fideles prudentes & expertos secretarios nuncios, Domino Papæ, cessante dispendiosâ morâ, negotium & consilium salubre transmittat propter Concilium taliter conuocandum, quòd de præmissis possit sufficiens tractatus haberi. Occurrit scribenti naturale desiderium, prout dedit Dominus, vtendo solertiâ, quæ est secundùm *Philosophum* subtilitas inueniendi medium, id est causas rerum quas videmus in non perspecto tempore videlicet expressè tangendo commoditates temporales quæ ex præmissis sequi deberent, & peruenire ad eorum principales actores, videlicet dominos *Papam* & *Regem Francorum*, eius fratres & liberos, *Reges Siciliæ & Alemanniæ*, *Ferrandum de Hispania*, & eius fratrem. Verisimile plurimum est, quòd dominus Papa, guerris sedatis secundùm modos præscriptos, & regimine suorum temporalium, possessione, & districtione pro certa annua pensione, perpetuò domino Regi Francorum commissis, per fratres suos & filios, prout expedire viderit gubernandis, poterit cessantibus Romanorum & Lombardorum insidiis venenosis, in sua terra natali Regni Francorum, soli regimini animarum vacando diu & sanè viuere, Romani aëris sibi non natalem intemperiem euitando, quo omnibus eiusdem domini Papæ amicis, proximis, & coniunctis, præsertim toti regno Francorum, esset in perpetuum, plusquam nunc credi posset, salutare: quoniam *Vltramontani* beneficiorum pinguium Citramontanarum Ecclesiarum diuitias, prout soliti sunt facere, pro suis & suorum * turribus eleuandis, fraudatis Ecclesiis diuinis officiis non percarent, & pinguia beneficia non haberent: summa etiam prælatio, manus non effugeret Gallicorum, prout iampridem fieri solitum est, per astutias & naturales versutias Romanorum, qui calcare sub pedibus nitentes per superbiam suam, humilitatem Gallicorum, *tentare præsumpserunt*, quod aliàs fuerat inauditum, *super regnum Francorum & eius supremum Principem, temporale dominium vendicare*, summæ pacis & concordiæ Regnum ad seditionem perpetuam damnabiliter incitando: cuius tempestatis præsumptuosum initium, Rege pacis summam inter suos vicarios largiente concordiam, salubriter conquieuit. Et quoniam *Papa Romanus* abusus est potestate, & hoc fecit in quantum Romanus, expedit & dignum est, iuxta rationem *statuti Sanctorum Patrum*, quòd Romani, saluo, & in omnibus augmentando Papatus honore, longissimo tempore permittant, inuiti, tantum honorem peregrinos exerceri qui [illegible]

honorem Christianissimi Pri[illegible] cipis raper[illegible]
minos, quos posuerunt Sanc[illegible] Patres; qui[illegible] permitt[illegible]
re, regere, suisque bonis gaud[illegible] testatur, ei[illegible]
ster, sicut *Euangelica veritas* ho[illegible] præcepit
Petro vectigal indebitum sol[illegible] *sari, quæ sunt* [illegible]
linquens exemplum, *Reddite* [illegible] *exemplum* [illegible]
uisset pedes Discipulorum, [illegible] quæ veri[illegible]
vos faciatis. Ex quibus & per rationibus in[illegible]
hæc præuidit, vt tetigit in [illegible] campub[illegible]
Sabbathi præcedente Dominica [illegible]
die tradidit amico suo domino nunc [illegible]
dex, cuius occulta sunt iudicia, voluit [illegible]
discordias Romanorum vocari, per qu[illegible]
peccatis, elongetur diutiùs hæc potesta[illegible]
tentur rapere libertates: vt percipiant
principi Apostolorum in terris commi[illegible]
niam Rex *Saul*, de mandato Domini vo[illegible]
præcepto non obediuit, vt ens sensu pro[illegible]
tuale Domini mandatum super amissio[illegible]
cit Dominus solùm per Sacras Scripturas, &
quærere debemus causas verisimiles,
demus: iuxta illud Apostoli, *Omnia quæ*[illegible]
sunt. Quare in tot Scripturis recitatum [illegible]
uersa tot & tanta contigisse, nisi vt tali[illegible]
re, ne talia maioraque mala sequantur?
iustitia videlicet interiori, *non indigeremus* [illegible]
quos DEI timor & amor à malo non [illegible]
re, requiritur aliquando virga ferrea.
virga ferrea. Et qui causas huiusmodi [illegible]
ritiæ Pharaonis, ob hoc temporaliter, &
punientur. Idcirco omnium effectuum [illegible]
biles expedit perquirere: iuxta dictum [illegible]
rum potuit cognoscere causas: & Philosoph[illegible]
cerdotes in Ægypto philosophari; videlicet [illegible]
les effectuum quos videbant. Contra d[illegible]
qui malorum euentus imputant soli fort[illegible]
propter peccata populi, regnare faciet hypocritam
puli, datur aliquando malus Princeps, & malus [illegible]
habere bonum Principem nec bonum [illegible]
Principes & Prælati, ne propter sua pecc[illegible]
Quilibet debet seipsum accusare, non iustificare [illegible]
diu remanserit, verisimile est quòd de ip[illegible]
patus apud eos remanens, manus rapino[illegible]
huius rei causa verisimiliter apparebit, v[illegible]
libertatum rapinas vitare, nec quid deter[illegible]
per præscriptas prouisiones valdè magna [illegible]
quoniã *regnum Ierusalem* longè & in imm[illegible]
fidet: quoniã omnes terræ sub annuo cen[illegible]
Regnũ cum bonis Templariorũ, Hospita[illegible]
perabit, & regnũ Siciliæ, regno *Sardiniæ* [illegible]
rato. *Rex* etiã *Alemanniæ*, temporalis honore. [illegible]
regnum habebit cũ Imperiali domino Papæ obedi[illegible]
guerris Christicolarum domino Papæ poterit occupare & ad [illegible]
stantinopolis Imperium poterit ipsum alias habitu[illegible]
quod non est verisimile ipsum intererit [illegible]
quã scribi posset interest, & intererit [illegible] posteritatis. Nam [illegible]

[illegible]

[illegible], qui poterit omnes Reges, & Principes Ecclesiæ Romanæ obedientes sibi confœderare; prædictoque fratri suo, qui propter tantum conquestum Imperii Græcorum sine confusione regni Francorum guerram mouere, & persequi vsque ad mortem nō posset omittere. ***** Tunc si dominus Papa sub annua perpetua pēsione traderet domino Regi totum patrimonium Ecclesiæ cū obedientia temporali omnium vasallorū eiusdem, de quibus sunt multi Reges, acto & concordato quòd dominus Rex *Senatorem Romanum* constitueret vnū de fratribus suis aut filiis, qui in absentia Regis ipsius esset supremus patrimonii *Iustitiarius*, à cuius sententiis posset domino Papæ supplicari, quòd visis processibus earum de quibus se posset intromittere, infirmaret, confirmaret, aut aliàs emendaret easdem. Tunc si *Lombardi, Ianuenses, & Venetenses* obedire non vellent Regi, tributa & redeuantias olim ab eis Imperatoribus debitas soluere, interdiceretur eis statim tota communio omnium Catholicorum domino Papæ obedientium, nouum modum, & statutum pacis prædictum, obseruantium; & etiā commercia omniū rerum interdicerentur eisdē. Dominus Rex liberè intraret Lombardiā per *Sauoiam*: Senator & Imperator, ac Rex Siciliæ, ex aliis partibus venirent, deuicti in exilium perpetuum mitterētur. Sic non posset durare, sed necessariò caderet eorum antiquata superbia, nec nō Romanorum, Tuscanorum, Campanorum, Apulorum, Calabrinorum, Siculorum, & omnium regnorum ac prouinciarum Papæ obedientium, per nouum prædictū pacis inuiolabile statutū ligatorum. Item per hunc modum obedirent, domino Regi, *Angliæ, Arragoniæ, & Maioricarum Reges*, quatinus in temporalibus Papæ tenētur obedire: fieriq; posset conuentio cū creando *Rege Guernadiæ* qui ipse domino Regi obediret: fortè posset in *Concilio* procurari, quòd iniustus *detētor regni Castellæ*, mortaliter peccans contra filium fratris sui primogeniti tenendo regnū, contra ius commune, nec non contra conuentiones initas inter Sanctum Regem Ludouicū, & [illegible]m ipsius violenti detentoris, Prælatos & Barones regni Castellæ, cùm tractatu [illegible] & concordatum matrimoniū inter filium primogenitum Regis Castellæ & dominā *Albam* prædicti Sancti filiam, super dimittenda regni successione nepotibus ex filio primogenito, si patrem eorū, prout accidit, decedere contingeret ante auum, saluâ sibi coronâ regni Castellæ cum emolumentis, compromitteret in dominum Papā, vt ipse de cæteris ordinaret: Tunc ipse *Guernadiæ regnum* nepoti eius qui conuentionem fregit, & aliud regnum alteri assignaret, regno Castellæ violento possessori dimisso, taliter quòd ipsi propter habendū contra Saracenos subsidium Regni Francorum, eius Regi obedirēt, vt sic toleraret Castellæ Regem possidere. Nec esset mirum si *Rex Francorum* terræ quam eius antecessor *Karolus Magnus* acquisiuit Saracenis expulsis, & quæ *matri Sancti Ludouici*, per successionem obuenit, *homagium & obedientiam* haberet, vtili dominio Hispanis saluo: super quo dominus Papa, quoad obedientiam regni Castellæ, demum ordinaret, cæteris prouisionibus firmatis, dominis *Ferrando*, & eius fratre sua regna liberè possidentibus, domino Rege cæterorum cōquestuum prædictorum, possessione gaudente. Expediret & ex nunc, quòd dominus Rex & eius frater in Concilio firmarent, & quærerent sibi confœderationes cum omnibus Principibus ibi conuenientibus, prout magis possent, propter habēdum ab omnibus auxiliū super acquisitione *Imperii Græcorum*, post viam Terræ S^{tæ}. facienda, quod primus faceret seu facere deberet libentissimè Rex Siciliæ cum suis omnibus, videlicet eis qui ipsum tam magnificè, prout præmittitur, adiuuabunt, totum nauigii, hominū, & bonorum, quod facere poterit auxilium promittendo. Alii etiā omnes faciliùs ad promittendū auxilium, & faciendū mouebuntur, quàm possent tunc ad faciēdum induci si promissio firmata minimè processisset. Cessantibus enim inter Catholicos guerris solitis & sopitis, viri bellicosi ne remaneant tunc in suis locis otiosi, ad subsidium armorum faciendum & videndum in terra remota, longè faciliùs solito mouebuntur: In quo, præmissis suppositis, verisimile est omnes habitantes inter Occidentem & Græciā, citra mare Mediterraneum, propè ripam eius videlicet, viros bellicosos, cum nauigiis de facili conuenire. Tunc ex multis partibus tam per mare quàm per terras expediet Græcorum terras & Imperium insultare, cū multis & magnis prouisionibus, tactis in vno *libello super abbreuiatione guerrarum, & huiusmodi prouisionibus*, per *præsentium scripturē* edito; & apud Tholosam misso & tradito, perito & fideli amico, regni magistro. *Ioāni de Forestis*, cùm domini Rex

& Karolus fuerunt ibidem … quod fuit
& eius consiliarios ac amici … super hu…
prouidendis, quærendis pau… tim, & fer…
de sumptu curare & facere … deberent d…
rientia & prudentia armor… instructi,
cere super omnibus ad hæ… conferen…
vt ex præmissis dicto que li… bello patet,
laicorū idiomata ignoran… difficillim…
habitatorū, qui naturaliter … dire con…
rentur regere, & cum ipsis … conuersari…
populum perimendū; si ad hoc tende…
facere posset. Quomodo ergo super…
illos qui ipsos non intelligent, plus q…
serpentes sibilantes? Nec sufficient …
dere periculosum erit; & quoniā tale…
men Imperii, numero & prudentiā su…
barbari, sicut sunt omnes qui linguam…
& corrumperentur vt proderent & d…
tarent. Quomodo potuisset *beatus* P…
solam Hebraicam linguam tam liter…
gnoscentes, omnibus barbaris natio…
liter & docere, nisi DEVS ipse exerc…
non potuissent cum barbaris cōmun…
habētes, modis omnibus oportet & e…
pro auro, argento, & gemmis tunc s…
præscripto vel alio meliori seu facili…
curare. Quatinus verò pertinet ad…

LXXIII. opponent & murmurabunt, quòd d…
stuum sustinere labores, nec tot subi…
inuadere non expediret. Ad hoc pro…
ad magna vacare, & eadem aggredi…
principio sui libri ait: *Occupatis nobis c…*
bus cogitare, &c. Si enim quilibet Prin…
gna donare debet, multò fortiùs hic …
to Regi personaliter difficile & peric…
ire. Vnus enim de fratribus suis, filiis &…
cioribus impensis, & periculis quàm i…
gnatoribus, in duplo seu triplo: nec si…
prouisio pacis generalis prodesset. Qu…
nient coadiutores: quoniā omnes, sim…
maiores & nobiles penuria incurrere…
rent in opprobriū sempiternū. Conqu…
ti Petri, non publicarentur ante expec…
turq; vincula pacis perpetuæ generali…
celeratione itineris subsidii Terræ San…
Principibus, Prelatis, & Nobilibus, &…
ligarent hæredes & obligarent ad simi…
manæ perlatis, repositis, & in registro…
no, feliciter perficeretur expeditio Te…
rēt omnes subditos cōquestus prædicti…
diendo Iusticiariis regalibus: vt inobe…
norē prouisionis pacis, modis omnib'…
cederet ad terrorē … & mali, propter…
exhortatione premiorū, & … Nam illi qui pro…
tis perpetuo duro… mitterentur, cum…
ctam ad eius defensionem … debet, quia propter
superarum quod citò fieri debet…

rent ipsos iuuare. Nec est verisimile, quòd omnes Prælati & Nobiles alicuius Regionis simile vellent periurium committere: & sic contra se inuicem possent diuidi per doctores & suasores operum Regis pacifici: & *omne regnum in se diuisum desolabitur*, nec durabit: sicut contigit in tempore quo *Imperator* cuiuslibet ciuitatis Lombardiæ subiectionem denegantis, alteram partem sibi confœderauit, quam vocauit *Guibelinorum*; & aliam partem quæ adhæsit Papæ, vocauit partem *Guerpharum*: & sic mediante parte sibi confœderatâ citò sibi subiugauit vtramque. Ex quo patet *partem Guibelinorum, quæ vero domino se reconciliauit, fuisse & esse saniorem illâ quæ Papæ se subiecit*, vt sui Principis subiectionem & obedientiam declinaret: & sic iampridem *Lombardi*, propter suam superbiam & diuitias, patriæque fortalitia, præsertim quo ad introitus, in rebellionis audaciam prorumpere præsumpserunt, Imperatori subiectionem denegantes quam præscribere nequiuerunt, sic in legem Iuliam Maiestatis peccatum grauissimum committentes: propter quæ ipsi eorumque tota posteritas, debent per amissionem omnium bonorum puniri: Et si Papa *deuiceretur ipsos sic grauissimè precantes defendere, contra eorum Principem, suumque totius Patrimonii Ecclesiæ patronum, fundatorem & dotatorem, videtur quòd ipse, si hæc dicere, & scribere fas est, vt ingratus feloniam committeret, & pœnam contra tales statutam sustinere deberet.

LXXIV. Quòd autem sit conueniens rationi Dominum Regem quiescere, procreationi, educationi, & doctrinæ liberorum vacare, iudicium, & iustitiam tam per se in maioribus causis, & negotiis, quàm per alios facere, fierique mandare; per suos proximos, fidelissimos duces bellorum obstagiare; de pugnatoribus & rebus ad pugnandum tam necessariis quàm conferentibus, prouidere, patet ex hoc & per hoc quod ait *Philosophus* in sua *Politica*: *Homines intellectu vigentes naturaliter sunt aliorum rectores, & domini. Anima verò sedata, fit sapiens & prudens*: vt ait VII. Physicorum: Sic quiescebat Sanctus *Dauid*, contemplationi vacando; mittebatque filios Israël ad obstagiandum. Duces bellorum sic missi citò poterunt equitare, subitò bellum inire, insidiosè procedere, huc & illuc nocte dieque se transferre ob grauandum hostes, plerumque, de spoliis hostium poterunt viuere: quæ non posset tantus Rex & Princeps, quem non decet propter paucum populum ad arma publicè exire, regimen quasi sine comparatione maiorum populi dimittendo. Non decet tantum Principem dimisso tot & tantorum regimine, periculo casuali & fortuito mortis se supponere: ne *percusso pastore*, Diabolo instigante, *dispergantur oues gregis*: sed per ipsum Principem mittentem exercitum ad aliquam prouinciam rebellem debellandum, decet ordinari mittendo,* quòd si fortè ducem belli mori, vulnerari, vel infirmari contingat, seu aliás impediri modo quolibet, alter statim ei subrogetur: si mortuus sit, simpliciter & purè; si aliàs impeditus, quousque conualescat: qui statim cum Concilio statuto vlteriùs celeriter & maturè procedat. Magnum enim exercitum propter impedimentum vnius hominis, quiescere, otiosum esse, & dimittere, esset magnus defectus ordinationis. *Boëtius* verò, solum illud reputat debere dici esse in mundo, quod ordinatum est, seruatque naturam: & vt ait *Philosophus*: *Sicut mundus totus est vnus, vnitate ordinationis finis, quem omnes quærunt, qui est primum principium, quod DEVM appellamus: sic exercitus est vnus, vnitate ordinationis, quam quærit dux belli, qui est victoria, quam quærere debent omnes & singuli de exercitu*: seq; ad hæc ordinare propter bonum finem, videlicet vt pax perpetua habeatur; & vt tẽpore pacis plenè, liberè, & perfectè vacare possint homines virtutibus & scientiis acquirendis. *Qui aliàs appetit bellum propter bellum, in fine malitiæ est*, vt testatur *Philosophus*. Qui sic humiliter per DEI potentiam, non propriam, victoriam & pacem quærit, inuenit pacem DEI, quæ superat omnẽ sensum, secundùm *Apostolum*. Si tantus Princeps Rex Francorum, non haberet nisi *vnicum filium*, in Regno sibi successurum, sine magno metu probabilis casus, non constitueret eum ducem belli periculosi; nec constitutus ita securè aggrederetur terribilia in quibus mors emineret, sicut si plures fratres haberet. Ergo Regem ipsum & filium eius primogenitum decet procreationi liberorum vacare; & alios filios ac fratres duces bellorum constituere: vt enim ait Philosophus, *fortitudo quæ omnes militantes facit virtuosos, bonos, & iustos*, *est aggressio terribilium in quibus mors eminet, propter bonum commune, non proprium*: quoniam, vt ait in Politica, *Princeps qui dominatur, propter se quærens commoda propria non Reipublicæ, dici non debet Prin-*

cops, sed Tyrannus ... quær
ne, videlicet solam salutem
sicut omnia bona mundi v
postulauit. De his &
LXXV. quam olim abbreuiare, pl
pitum regni Francorum, & des
non scripsi, quia crederem
darem, opus perfectum, in
pim in hoc mundo consue
perfectiori & commodiori : quod
to minus se suumq; populum
ranon more solito, sed vt sequitur ex
LXXVI. propter regni defensionem fuerunt
seruitium, est ordinaria prostatio pa
nente, per tenentem aut alium idone
demum cùm necessitas hoc exposcit
qui tenent feoda debentia seruitium
iam plurium aliorum, qui *Franca* tene
iam, licet minus, cuiuscunq; de popul
valoris, & annuis redditibus onerata,
dimidium annuum feodi valorem: I
defendi, propter eorum spiritualia &
sunt vocandi, debentes seruitia, prop
tur, quàm vna: videlicet debent hoc
feoda habuerunt, ob hoc dominus qu
quemlibet defendit, & defendere ten
inferentem: & sic interest eorum vt
suisque bonis vti, virtutibus & scient
circo cùm instat necessitas primò voc
vel sufficere verisimiliter creditur, si
nobile seruitium, quærit vt eis necess
dùm prouisionem legalem, quod ho
mortaliter quia vocat & iudicat, non
dominus Rex, saniori quo potest fung
morum seruitium auxilium, sibi non
cet primò auxilium *Franca feoda* tenent
non sufficiat, vocare debet quatinus se
est, & non vltra auxilium populi, id est
LXXVII. Et si bona domini Regis & istorum
tam debentia seruitium, quàm non deb
ter ad defensionem, tunc in casu necess
dominus Rex, quatinus sibi deest ad co
terit de bonis Ecclesiarum & Ecclesiasticarum
dium quod dominus Rex capere potest
Ecclesiarum & Ecclesiasticarum perso
captum fuit; & quia quoties capitur, c
capitur: ergo cum mortali peccato, nisi
capi possit: quod esse non potest, nisi
nis: quæ non est *necessitas absoluta*, sicut
ta conditionalis, sicut nutrimentum nec
useri & viuere debet animal: *vt in quinta*
test ac debet dominus Rex de bonis Ec
mum si bona sua, *Bannium & Retrobannium*, ad eam
cient. Sed ponamus quòd ad hanc defen
sum argenti, & ipse capit centum millia: nunquid ei licet
quod non. Nã, prout concordat & in hoc
cessat effectus. Sicut ergo hac ... sôm ... dit

...ius potentiam, humiliter, bonum commu...
... consequitur, bona gratia & commoda:
... *cum sapientia*, quam solam à Domino
...as expediat modernis temporibus, plus
...est, in *libello de abbreuiatione guerrarum & li-*
...us vniuersalis Reipublicæ Christicolarum: quæ
...d vt prudentibus & expertis occasionem
... hæc conferentibus, fabricandi. Pauca e-
...è fieri quin possent fieri & ordinari modo
... potest dominus Rex, considerando quan- 10
... Astagiando, si seruitia armorum sibi debi-
...fiet. ... Certum est quòd ... seruitia
...ita super maiora & nobiliora *feoda*: quod
...ontalis debita à quocunque feodum te-
... præstanda, & facienda non ... sed
...r quia, non solùm domini Regis & eorum
...usmodi interest Regnum defendi, sed et-
feoda, speciali seruitio non onerata: sed et-
...ui tenent feoda plerumque longè minoris
...n pluribus ferè, vsque ad totum vel saltem 20
...est etiam ministrorum Ecclesiæ Regnum
...poralia commoda sensibiliter. Ipsis omnes
... duas causas & rationes, quæ plus operan-
...ium, quoties eminens necessitas, & ob hoc
...nc erat Rex, eis feoda concessit, & eorum
...r, contra quemlibet armorum violentiam
...ant quod debent; & quia pacem habere
... acquirendis vacare aliàs non possint. Id-
...sunt; & si sufficit auxilium quod debent
...us Rex vocet eos, qui non debent hoc 30
... vt sibi prosit: ex quo sequitur secun-
...non est eidem ignoscendum; & sic peccat
...tes, vocandos, cùm non sint. Si verò
...silio, iudicat omnium debentium ar-
...e, potest vocare *Retrobannium*: videli-
... si sufficiat debet esse contentus; si
... verum & rectum iudicium sibi de-
...m feoda non Franca tenentium.
...nibus præcedentibus, Franca feoda
...entibus, non sufficiunt verisimili- 40
...nsionis regni quæ legē non habet,
... defensionem, exigere *& capere po-*
...n. Et hoc est vltimum finale subsi-
...is apparet, eò quòd hoc auxilium
...unquam aut valdè raro hactenus
... commune Canonicum & Ciuile
... speciale cuius virtute & ratione
...licet, euidens necessitas defensio-
...i cras est necessarium; sed necess-
...est animali, sub conditione si sal-
...*sione*. Petere ergo & capere po- 50
...ob defensionem regni tunc de-
...modam defensionem non suffi-
...ficerent centum millia marcha-
...a sine peccato mortali? constat
...nt omnes scientiæ, *cessante causa*,
...stât dominus R. ... potest
capere,

capere, nisi simpliciter velit rapere & auferre eadem ratione, si non eget nisi de C. millibus marcharum argenti vel auri, si plus capiat, tunc quatinus plus capiet, rapiet & auferet flō, verbo vel facto, quod idem est, asserens subesse, cùm non subsit, capiendi causam. Si ergo hoc facit ex certa scientia dominus Rex, mendax est; & per mendacium, quod absit, DEVM negans, efficitur filius Diaboli, qui est pater mendacii, & omnes mendaces filii eius; sicut omnes veraces, in quantum tales, filii DEI nuncupantur: vt hæc per multas sacras Scripturas probantur, maximè in Epistola *ad Titum, 1. c. xi. q. 3. c. existimant. c. quatuor modis corrumpitur iudicium.* cum *c. sequentibus.* Quod autem in exigendo vltra necessitatem, sit peccatum mortale nunquam remittendum nisi restituatur exactum vltra necessitatem, patet omnibus fidem Catholicam tenentibus: quod si est verum in toto quod exigitur, ergo & in parte. nam secundùm quod in lege ciuili cauetur, eadem est ratio totius ad totum, & partis ad partem.

LXXVIII. Ex quibus præmissis, & per quæ patet quod difficillimum est domino Regi iustè super hac necessitate iudicare; nec non & assessoribus seu consiliariis eius difficillimum est iustum in hoc consilium dare, secundùm rectam proportionem Geometricam non Arithmeticam medium eligendo: nam si dominus Rex iustè iudicat in hoc, & si consiliarii iustum & æquum præstant consilium, virtuosi per hæc efficiuntur, si aliquod vitium aliundè non noceat. quoniam cùm virtus & vitium sint duo contraria, secundùm *Philosophum*, in eodem subiecto se compati non possunt: & sic vnum vitium tollit & corrumpit omnes virtutes subiecti in quo est. Idcirco notabiliter recitat *Philosophus*, quod benè dixit *Eraclitus*, scribens: *Quod circa difficillimum semper exarsit Virtus:* & idcirco subiungens quòd *valdè difficile est nos esse bonos:* nam oportet medium rectè tenere, & extrema, videlicet super abundantiam & defectum, declinare. Ad quod inducit *Philosophus* simile sic: Vna est via, videlicet recta, quæ ducit sagittam ad signum; declinantes verò lineæ à recta, quæ sunt obliquæ, sunt infinitæ. Idcirco dicit quòd viam mediam tenere in virtutum operibus difficile est; sicut sagittare, lineam rectam non declinando, signum percutiendo. Nunc autem præmissis diligenter attentis velit considerare Regia Maiestas, & iustè, neminem lædendo iudicare, vtrum iustè & legitimè deuentum est aliâs ad retrobannii & Ecclesiarum subsidium ab inuitis & compulsis exigendum. Certum est, quòd dominus Rex cuius interest principaliùs & in plus quàm aliorum, Regnum defendere debet: pro eius defensione se præparare cùm imminet, & pugnare, non solus, sed prout decet eius statum, commodum, & diuitias, ratione regni, prout sui antecessores olim fecerunt. Item pro *regnis, ducatibus, comitatibus, baroniis, castellaniis* & aliis feodis, quæ idem dominus Rex à centum annis citra acquisiuit, debet pugnatores quærere saltem tot quot quærerent, & haberent illi in quorum ius & loca successit, si huiusmodi feoda tenerent: debet & dominus Rex compellere singulos suos vasallos, duces, comites, barones, castellanos, milites, & generaliter certa seruitia debentes, ad reddendum & faciendum huiusmodi seruitia sine fraude & diminutione, non remittendo & donando partem eorum, ac exigere negligendo, in fraudem eorum qui per viam retrobannii, non aliâs, sunt vocandi. Fertur autem quòd dominus Rex hæc non aduertens, suisque consiliariis se suaque iudicia committens, secum vocare consueuit in suo bello ad sua stipendia aliquando comites, barones, milites, ac armigeros, qui seruitium armorum debentes de suis bonis propriis militassent, sua feoda de seruitiis armorum aquitassent. Similiter autem duces, comites, barones, milites, & alii seruitia debentes, soli obstagiare suaque seruitia reddere nō valentes, alios multos secum capere & tenere cum suis stipendiis consueuerunt, qui alias cum propriis impensis seruitia quæ debebant reddidissent: sic alios nobiles ociosos, fortes, & potentes relinquendo, qui libenter obstagiassent cum stipendiis alienis, si vocati fuissent. Frequenter etiam contigit, rebus sic se habentibus, quòd miles debens seruitium armorum, misit filium suum vnum cum tribus vel quatuor, remanens in domo sua, non sine equis & armis: filius qui ad impensas patris obstagiare debebat, pecuniā à vicino milite patris sui recipiebat, vt eum aquitaret; pro se & pro vicino transibat, & postmodum se recipi ad stipendia Comitis vel Baronis procurabat; & sic ad impensas maioris eum recipientis, patrem suum & eius vicinum super armorum seruitio aquitabat, duplicia stipendia sua, patris, & vicini, secum reportans: sic per talem inertiam, & negligen-

[illegible] multis a nobilibus remit[illegible] banni exegit seruitium, remittens, sed [illegible] gendum, remittens, & non debentes, [illegible] licet, & non ecclesiis, & [illegible] necessitatem non imminere [illegible] veritatem non imminere [illegible] ita necessitatem subsidium [illegible] tra guerra posset, bene concio[illegible] bonum habere, non seruando [illegible] do diuitibus ingratis, quia [illegible] magna parte exegit? Ecclesia, licet [illegible] orationes solitas pro domino Rege [illegible] prio, sed ducente suo consilio sicpro[illegible] apud DEVM, qui omnia videt, vale[illegible] ntus bono consilio stando, bonum bus quod exigebat à non debentibu[illegible] retrobannii & ecclesiæ auxilium post[illegible] satis patet, quòd hoc ordine seruato debet esse *ordo*, præter quam in inferno *ternus horror inhabitat*. Videlicet vt [illegible] nullos subditos grauet, prouideat sibi [illegible] lores sui prouidebant, antequam ac[illegible] Ducatus, Comitatus, Baronatus, & al[illegible] ipsum, & ipse suo tempore: postmod[illegible] quisitis, prout sibi prouiderent alii, d[illegible] sibique prouideat de talibus qui armo[illegible] reat, vt non præiudicet subditis, & ne [illegible] fuerit. Quoniam non solùm cauend[illegible] deatur. Tunc sic ei sufficienter prouis[illegible] quos similiter instructos ad suum bell[illegible] omnes sui subditi armorum seruitia [illegible] ciendum debitum ab eis seruitium a[illegible] sua prouisione nõ computetur aliquis, pro alio sit receptus. Sic procedendo [illegible] si sufficienter vtatur, habebit omnes [illegible] bannium, id quod consueuit remittere [illegible] Ecclesiam nisi in casu necessitatis, sup[illegible] nec cessabunt Ecclesia & populus ab [illegible] non alias, consueuerunt principes exter[illegible] viribus, obtinere. Si quis autem h[illegible] quoniam retrò Principes domini Reg[illegible] runt armorum seruitia exigere: Respon[illegible] tur, *non est respiciendum quod Romæ fa*[illegible] *exemplis, sed legibus iudicandum*. Ad hæc fa[illegible] minauit præcellentissimus doctor Phil[illegible] gister *Segerus de Brabantia*: videlicet, qu[illegible] *quàm probis viris*: quoniam non sunt nec [illegible] sibile sit eos corrumpi passionibus iræ, [illegible] etiam cauetur *x 1. quæst. 111. c. quatuor mo*[illegible] quod accedit quod ait *Philosophus* in dict[illegible] *Rege, id est, propria voluntate dominantium* [illegible] *bant, nimius, & inimicos, magis* [illegible] *... hæc mala cessarent, cœper* [illegible] *iudicare*. Item hodie sunt homines longè plus [illegible] deaces & astuti: & Philosophus in Politica ait [illegible] *cogitat & facit*. Et ibidem: [illegible]

[illegible] ... *Autho*[illegible]

[illegible] *Iustiniani Imperatoris* [illegible] *quod* [illegible] Et idcirco, contra mala debentium armorum seruitia sic eadem subtrahentium, in graue præiudicium sui summi Principis, & longè maioris partis suorum subditorum, expedit noua remedia taliter inuenire, quòd tantus error, ex quo tot secuta sunt peccata, damna, pericula, & præiudicia, cesset in posterum, & quòd eiusdem erroris maculæ contagiosæ animabus plurimis nequiter adhærentes, per consensum domini Regis, cleri, & populi, factâ aliquâ recompensatione grauatis, & non grauantibus, misericorditer deleantur. Ex subtractione debiti seruitii armorum processisse videtur necessitas, si qua fuit, pecunias regni mutandi, per quam omnes in regno redditus, & pensiones pecuniarum habentes, earum, primò quartam partem, postea tertiam, deinde dimidiam, & vltimò duas partes amiserunt. Ego *scriptor præsentium*, scio me quolibet anno, factâ collatione, secundùm plus & minus, vnius ad alterum, per hoc ad minus, postquam cœperũt mutari pecuniæ, quingentas libras Tur. amisisse. Et credo, omnibus consideratis, dominum Regem per hoc amisisse, & amissurum longè vltra omnia commoda quæ ex eadem mutatione peruenerunt ad ipsum & peruenient modo quodã in futurum, per quam mutationem tantùm creuit rerum omnium caristia, quòd verisimile est generalem rerum annonam ad statum pristinum in posterum reduci non posse. Super cuius generalis damni refusione populo facienda, expediret laborare eis qui talem pecuniarum mutationem & deteriorationem fecerunt, consuluerunt, & procurarunt contra ius commune, statuta, & consuetudines regni Francorum hactenus approbatas & seruatas, per tempus a quo memoria non existit neque fuit viuentibus qui nunc sunt hominibus. Cuius rei plenam veritatem expedit peruenire ad notitiam Regiæ Maiestatis, quoniam ignorantia, quæ crassa foret & supina, peccatum nullatenus excusaret: nam lata culpa dolo æquiparatur: lata verò culpa est, ignorare quod omnes intelligunt de figurato nominis, vt in Lege ciuili cauetur. Non credo hominem sanæ mentis æstimare posse nec debere, quòd dominus Rex sic suas pecunias transmutasset & deteriorasset, si tot & tanta damna ex hoc sequutura, fore credidisset: *nec ipse in tantis deliciis & diuitiis nutritus & assuefactus, quacunque intermissione cessante, de se plenè cognoscere potest defectus & innumerabiles penurias paupertatis*: ad instar eorum qui longo tempore vixerunt nullum morbũ patientes, qui causas & occasiones morborum timere non possunt, quia morborum amaritudines non gustarunt. Idcirco multi Principes modos viuendi cuiuslibet conditionis hominum leguntur experti fuisse & tentasse, vt mundi statusque eiusdem cognitionem haberent. Certum enim est, vt ait *Philosophus*, quòd *Prudentia mundi huius*, quam asserit fore Reginam omnium virtutum moralium, quoniã omnes in se complectitur, *in nobis acquiritur per experientiam*; experiẽtia verò agibilium humanorum longo indiget tempore: ex quo concludit, quòd nemo sanæ mentis eligit iuuenes duces, eò quod non constat eos esse prudentes: quia in pauco tempore non multa potuerunt experiri & cognoscere. Videat ergo dominus Rex, & consideret diligenter qualiter eius consiliarii super exactione seruitii armorum se habuerunt; debentibus, tacitè remitti permittendo; & ab aliis, per modum Retrobannii, & auxilii Ecclesiæ vltra necessitatem, quod facere debuissent armorum seruitia debentes, exigendo. Quærat etiam dominus Rex vbi sunt illi qui super huiusmodi remissionibus sibi grates reddiderunt, isti qui cum de bonis propriis obstagiare, & seruitia suorum feodorum reddere debuerunt, ad impensas vicinorum suorum, qui in domibus suis remanserunt, & maiorum, qui ad implendum suos numeros pugnatorũ, eos vocarũt, obstagiarunt: per hanc viam, magnas pecunias lucrantes, de pauperibus quo ad mobilia facti diuites demum ad sua domicilia redierunt. Tales non immeritò vellent dominum Regem, frequenter magnum exercitum congregare: quæ sic facta fuisse, reperiet dominus Rex, si voluerit facere perquiri præmissorum subtiliter veritatem. Ad quod faciendum me sciri nõ vellem occasionẽ dedisse, quoniam credo, si sciretur, me corporales insidias, vsq; ad mortis periculũ vitare nõ posse; & quòd plures amici mei, & proximi contra me grauiter mouerentur. Tamen hæc scribere volui sequens doctrinam Philosophi qui ait, *Quod omnes professores veritatis plus debent adhærere veritati, quàm amicitiæ*. & quòd duo sunt opera sapientis: *primum, non mentiri de quibus nouit; secundum, mentientem manifestare posse*. & in Canone legimus: *melius est*

pati pro veritate supplicium, ...
mnes mentientes in præiu...
Devmq; negant suo facto, ...
uersa sunt factis, Devm a...
autem ego sim *patronus cau*...
derem mortaliter peccare...
& præiudicium spirituale...
subditorum. Vt enim ait P...
cipibus, & militiæ conuen...
num commune: & in Sacra Scriptura...
omnia quæ possidet. Cùm ergo præmissa...
vt ait *Lex*, factæ causæ pro iustis haber...
ac nouissima taliter prouideat, quòd...
ipse, iuxta consilium Ecclesiæ, ...
populo taliter recompensationem...
trahant amplius, orationum suffragia...
toris: cùm, prout in Canone legimus, ...
pa minimè reperitur. Nam si Princeps...
tiam maturam pro totis viribus faciat...
possint iustè decidi, parcendo miseral...
sis, venient sibi ad instar *Salomonis*, om...
mouebuntur, etiam clerus & populus...
uati: quod summè expediret, quoniá...
sustinuit, occasione præmissorum, iac...
ter procurari quòd generaliter conse...
pro eorum salute impendere in subsid...
ipse plus debito exegit, & omnia in...
filium, subiectos. Qui consensus præ...
domini Papæ, de facili posset haberi...
Angliæ, & alios omnes Principes, No...
tent in Terram Sanctam, facere, & im...
non liquidis debitis obscuris, modo...
dei nostræ statuta, *non dimittitur peccatum*...
cuperatione & conseruatione Terræ...
norum sint oppressi, & sic mortali pec...
liorum. Et idcirco, super omnibus ver...
dem quæ restituere quacunque ex ca...
tura: sic omnes indulgentiam haberent...
proculque pelleretur hostis antiquus, q...
cturas impedit, & differt, prout magis p...
do firmiter quòd singuli, prædicatione...
no Regi totum dimittent. Si qui verò...
remittere nolint, in dubio si quid plus...
ciarium Regalem, ad hoc præsentem, c...
bantur nomina non remittentium, quid...
quum & iustum visum fuerit restituat...
ad remittendum, & subsidium Terræ Sanctæ...
regni Francorum fuerit hactenus & fore...
gisque durabilis causa recuperationis &...
tia vix ibidem remaneret, si dominus Re...
Sancto Lvdovico ibidem, vel in via...
causa Rex rediret: idcircò probabiliter expediens...
& eius filium primogenitum, remansuros...
creationi, educationi, & doctrinæ, & pro...
rit, vltra mare mittendi. Nam propter prædictos...
expediret dominum Regem & eius filium, diu viuere...
magis quàm alibi, etiam prope *Parisius* liberos proc...

triri, eò quòd ille locus meliori constellationi cœli, quàm alia quæcunque loca noscitur esse subiectus: ex quo sequitur, vt hactenus visum fuit, quòd ibi generati & nati, melius sunt compositi, ordinati, & complexionati, quàm aliarum regionũ homines. Expediret etiam cùm opus esset, dominum Regem obstagiare, per alium fratrem, vel filium secundo genitum exercitum regendo, propter modos casuales vitam abbreuiandi vitandos, considerando euentus & occasiones acceleratæ mortis trium suorum progenitorum vltimorum: quoniam tantum Principem non decet supponere casui & fortunæ periculosis; & quia non potest obstagiare de se, sine valde magna multitudine pugnatorum; & quia non ita citò posset exercitum ducere, sicut alii qui nocte dieque aliquando laborarent; & quia in Terra Sancta modò non habemus nec castra nec alia loca parata per quæ calori Solis, Martis, & aliarũ stellarum possent resistere; seque tueri contra aëris intemperiem, quæ multùm essent eis contraria. Sed opponi poterit sic, tu impedis profectum Terræ Sanctæ: Respondeo, quòd non credo impedire: quoniam dominus Rex mittere poterit & tenebitur adeo magnum exercitum cum fratribus suis & filio secundo genito, sicut si ipse iret; constituereq; per ordinem plures duces exercitus sui, vt vno decedente, vel infirmitate seu aliter impedito, statim alius subrogetur, cui omnes obediant sicut & ipsi Regi. Non apparet periculum, si dominus Rex Angliæ, & alii Reges illuc vadant, præsertim senes qui suas generationes liberorum plerumq; compleuerunt. Dominus Rex sic remanens prouidere poterit annuatim de pugnatoribus, equitibus, & peditibus, ac armis, secundùm quod duces & exercitus sui duxerint postulãdum, dominus Rex, ex causis delicatis & subtilibus principiis genitus, & nutritus in aëre tam temperato, vix posset diu durare, & obstagiare in terra tam intemperata, radiis solaribus quasi directis, & aliarum stellarum sine obstaculis sufficiẽtibus supposita. Non recolo me legisse aliquem Principem, in terris alienis & remotis diu obstagiasse, præter *Karolum Magnum*: qui per centum annos & ampliùs obstagians personaliter alium non habuit coæquum: plus proficiens, post acquisitam prudentiam militandi per experientiam diuturnam, in duodecim annis, quibus fuit Romanus Imperator, quàm in quadraginta annis antè, prout eius facta in partibus Vltramontanis demonstrant. Sic ergo secretè præuideat, & prouideat dominus Rex statum regni sui præteritum, præsentem, & futurum; & quam viam tenere voluerit de omnibus ad expeditionem Terræ Sanctæ suiq; Regni proficuis, secundùm præscriptam doctrinam, per suam prudentiam & sanctissimum maiorum consiliũ perficiendam, seu mutandam, occasione sumptâ salubriter ex præmissis, ad pacem firmam & perpetuam totius Reipublicæ Christicolarum, modo præscripto seu alio meliori tendendo; ad Terræ Sanctę Imperiiique Constantinopolitani recuperationem & conseruationem felicem, affectionem & potestatem totius Reipublicæ Catholicorum domino Papæ obedientium, per eius assensum & omnium Principum, conuerti misericorditer procurando, tam ordinatè, quòd, agente Domino omnium exercituum, ad finem citò perueniatur intentum.

FINIS.

